Sc. 15. Pl. 3.

Digitized by Google

37
23 E
4

Digitized by Google

R. P. D. F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
COMMENTARIORVM
IN
Libros Elenchorum
ARISTOTELIS

Digitized by Google

R.P.D.F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
COMMENTARIORVM
IN
Textum Euangelicum
TOMVS QVARTVS.

R.P.D.F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
OLYSSIPONENSIS.
CARMELITÆ REGVLARIS
Obſeruantiæ, ſacræ Theologiæ
Primariæ Lectoris Iubilati,
COMMENTARIORVM
In Textum Euangelicum
TOMVS QVARTVS.
Explanans tertium ſacratiſſimum annum Pradicationis Chriſti IESV,
vſque ad eius geſta in Cœnaculo excluſiuè.

EDITIO TERTIA à mendis emendata.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

INCOMPREHENSIBILIS
Sapientiæ Genitrici
SACRATISSIMÆ
VIRGINI MARIÆ.
Epistola Dedicatoria.

EVERTERE, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te. Vox est Salomonis in Canticis literali sensu ad dilectam suam sponsam filiam Pharaonis. Magno affectu quater inclamat, *Reuertere:* quod non incongruè dicam super quatuor filios, quos ex ea genuerat, vt tradit Sozomeus. Quatuor iam edidi libros, SACRATISSIMA VIRGO, quos Plato mentis filios appellat, imò chariores iis qui naturales vocantur, tanquam ab excellentiori potentia intellectu nempe prognati. Mystico verò sensu, Tecum loquitur Salomon, vt vult Rupertus, quater à te postulat, *Reuertere:* vt interpretatur Aponius, super quatuor Euangeliorum volumina, quibus omnes fideles illuminantur. Ex vtroque capite ad Te confugio, SANCTISSIMA DEI MATER, vt ad hos exiguos quatuor fœtus in Euangelia commentarios reuertaris, vt Tua ope, ac vmbra illustrentur. Tu enim, vt ex D. Hieronymo scribit Canisius es *scientiarum illustratrix*; & docet Sophronius: Forma es disciplinæ Christi. Tu ergo illumina nostrum intellectum, ipsumque informa in Christi disciplina, vt verum, genuinum, ac germanum sensum Euangelicum percipiamus, ac intelligamus. *Reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Tuam nempe eximiam bonitatem, vt exponit D. Anselmus, quæ crassum, rude ac grossum meum ingenium in hoc opere, vt de te humiliter spero, ac confido, direxisti; si quid boni in eo elucet, totum à te acceptum fateor, totúmque tibi acceptum refero; *Reuertere* etiam, *vt in-*

Cantic. 6. num. 12.

Sozom. lib. 2. Histor. Plato epist. lib. 7.

Rupert. Apon.

Canis. lib. 1. de Virg. Sophr. ser. de Assump.

D. Ansel.

tueamur te. Euangelica hiſtoria liber eſt, explanans tui, ac Filij tui mirabilia; quæ filij tui ſunt, tua ſunt. Tibi enim, vt acutè loquitur Tertullianus, Deus homo *concarnatur, & conuiſceratur.* Et Petrus Damianus: *Deus homo ineſt Mariæ Virgini, indentitate, quia idem eſt cum illa.* Et poſtea ſubdit: *Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa; cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Hoc ergo opus tantis rationibus tibi debitum, profundiſſima ſubmiſſione ad ſacratiſſimos tuos pedes proſtratus, totum tibi offero, dedico, & conſecro, mutuans verba, à pio, ac deuoto cultore tuo Philippo Abbate, qui poſt abſolutam explanationem ſuam in Cantica Salomonis, tuæ potentiæ, ac benignitati ſic ſe commendat. *Tu igitur,* VIRGO SANCTA, *de manu mea ſuſcipe paruum munus, non eſt aurum, non argentum, non lapis regum donariis opportunus; ſed inculta verborum libatio, ſenſu prodita groſſiore, parua ſatis oblatio, ſed plena vigilijs & labore. Tu igitur, cuius ope in camino preſſurarum ſub graui mole non defeci, ſed vtcumque reſpirando, opus cœptum in tuo nomine iam perfeci; nunc oblatum ſuſcipe, offerentem corripe miſericorditer, & emenda; emendatum dilige; dilectum Filio tuo commenda.*

Tertul. lib. de carne Chriſti, cap. 10.

Damian. ſerm. 1. de Natiuit.

Philipp.

Digitized by Google

FR. NONEVS VIEGAS *in sacra Theologia Doctor, rerúmque fidei Censor, & Qualificator in sacro Inquisitionis Tribunali, Quartum Tomum in Euangelia sapientissimi, amantissimíque Magistri sui* FR. IOANNIS DA SYLVEIRA *approbat ex commissione Superiorum.*

SACRVM Carmeli verticem coronat SYLVEIRA noster: dum in feraci librorum ætate mirantibus cunctis, quarto, suos spargit flores, maturósque fructus assidua lectione elaboratus, literatorum gaudio, omniúmque emolumento, profert. In hoc Quarto ingenij sui partu felicissimo, veluti Sol reliquis infundit lucem fœtibus, sicut ille orbibus. O quanta, ô qualis generosi viri fausta proles! Ex tanto Doctore nihil mediocre nascitur, nihil non grande. Priores Tomi, feliciores, quia priores; Iste præstantior, quia fœcundior; in illo enim Auctor sè relinquens, celeri vehitur trans æthera pennâ, séque ipsum superans sublimi vertice, quò nullus ascendit, turus quiescit.

In tali SYLVEIRA non reperiuntur spinæ, quas pes terat; sed rosæ, quas carpat manus: SYLVEIRA noster totus roseus, floridus totus: nihil in illo mundandum inueni; totum laudandum iudicaùi; nam materiæ præstantia, rerum copia, conceptuum vbertas, quæstionum varietas, styli claritas, mirabilísque versionum textura; opus maximè commendant, Auctorisque ingenium, commendabile reddunt; nam in scribendi vena, nulla reperitur macies, imò omnia plano, & pleno amne currunt, taliter vt qui SYLVEIRAM tenet, Bibliothecam teneat: solus ille, totus ille thesauros nobis aperta palma dispensat; quæ in tenebris latitabant, lucis reuocat ad claritatem; quæ multis, multi obscurè explicant, enodat apertè, & mira breuitate coarctat; dicit in hoc Tomo fœcundè, tanquam si nihil antea scripsisset; plura docet paucis, fructu non frodibus abundat; quot quæstiones tractat, tot fasciculos componit; quot verba scripsit, tot flores spargit; tali SYVEIRA Carmeli decor, iterum viresci; antiquitatíque montis vetustas repueraſcit; felix mons, quò senior, eò fœcundior; nescit fœcunditas sterilescere, nequit cœlum stellis, nequit nemus plantis, nequeunt Carmeli plantæ floribus viduari. Accedant cuncti (liber enim cunctis est dicatus.) In illo Doctores occultiora sacræ Scripturæ arcana mira claritate explanata reperient: in illo Verbi diuini præcones, thesaurum, nunquam exhauriendum, inuenient, tyronibus multa, simplicibus mira, literatis rara præbet; nam meridiana graditur methodo; breuitas cum claritate connectitur; omnes in illo Patres loquuntur, & ore omnium ille loquitur, felici genio, ingenio mirabili, dispositione rara ad sui laudem omnes allicit, & attrahit, vnde censeo opus esse dignissimum, vt typis mandetur, ad Auctoris gloriam Carmeli decorem, omniúmque gaudium, & vtilitatem. Ebora in Carmelitano Conuentu die 8. Septembris, anno à Partu sacro 1652.

FR. NONEVS VIEGAS.

Censura Doctoris P. FR. BENEDICTI DE MAÇEDO.

QVARTVM Tomum Commentariorum in Euangelicam historiam, authore R. P. Doctore, ac emerito Magistro meo dilectissimo FR. IOANNE DA SYLVEIRA, ex commissione R. admodum Patris Prouincialis, sæpè, & accuratè legi. Sæpius fateor lubens perlegam, tali namque, támque mira vbertate ingenij grauidatur, tantâ fœcundatur doctrinâ; subtilium rerum copiâ exuberat, & conceptuum varietate repletur, vt quamuis, continuâ exenteratione emedulletur, prorsus inexhauribilis videatur; imò perenni germine, vt de ramis aureis cecinit Poëta, Vno auulso non deficit alter. In hoc opere Dominici verbi verus sensus elucet clariùs, Christi gesta irradiant micantiùs. Sanctorum Patrum doctrina splendet diffusius, & quidquid sacri Euangelij Christianus indagator quærere satagit, inuenitur abundantiùs, & apertiùs. Gaudeat sibique gratuletur Euangelicus concionator, tantum habere Doctorem, cuius sapientiæ, & intelligentiæ Gazis ditatur, & in quo absque eo, quod omnia vendat thesaurum possidet pretiosum. Ne igitur absconsus sepulchretur, dignum censeo vt in lucem prodeat, nullum quippe alium, & fidei, & bonis moribus conformiorem vnquam reperij. Dat. in Olyssiponensi Carmelo, die 12. Septembris anno Domini 1652.

Doctor FR. BENEDICTVS DE MAÇEDO Iubilatus Magister.

ALACRI

ALACRI animo, iussu sapientissimi Doctoris Fr. Gasparis à Regibus in Lusitania Prouincialis emeriti, & sanctæ Inquisitionis Qualificatoris dignissimi, euolui quartum Tomum in Euangelicum Textum, elaboratum à Doctissimo Patre Magistro FR. IOANNE DA SYLVEIRA sacræ Theologiæ quondam Primario Lectore, Opus sanè prioribus non absimile: suum sapit authorem; eiusdem ingenij est felix partus, nescis enim ab eo, nihil nasci mediocre, nihil non grande, vnde meritò incruentam author, suo calamó, gloriam reportauit omnium ore laudatam, omnium votis optatam, quippe qui Panegyrista potiùs quàm Censore (vt vellem) indiget, sed vt iussui satisfaciam censeo nil, aut Christianis moribus, aut fidei decretis dissonum continere: imò esse opus admirabili Patrum eruditione fœcundum, pereleganti stylo præditum, & singulari ingenio elucidatum, dignúmque vt typis mandetur, & omnium teratur manibus, & celebretur linguis. In Olyssiponensi Carmelo, die 10. Septembris, anno Domini 1652.

D. FR. LVDOVICVS DE MIRANDA M. Regens,
& Trium Ordinum Militarium Examinator.

Facultas R. P. Prouincialis in Lusitania.

MAgister Fr. Gaspar à Regibus Qualificator S. Inquisitionis, ac Prouincialis Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli in his Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis, &c. Visis informationibus à R admodum PP. Magistris, quibus hunc librum legendum commisimus: Potestate nobis facta à R.P.N. Generali M Fr. Ioanne Antonio Philippino, Facultatem libentissimè concedimus R. admodum P. Doct. FR. IOANNI DA SYLVEIRA in sacra Theologia sapientissimo Magistro, ac huius Lusitaniæ Prouinciæ Primario emerito, vt possit typis mandare Quartum Tomum in Textum Euangelicum à se compositum, quem non minori felicitate quàm alios Tomos fore ab omnibus recipiendum, ac celebrandum speramus. Datum in hoc Carmelo Olyssiponensi, die 16. Septembris 1652.

M. FR. GASPAR A REGIBVS Prouincialis.
De mandato R. admodum P. Prouincialis scripsit
FR. ANTONIVS A SPIRITV SANCTO.

Licentia Ordinarij.

ANtonius de Neuf-ville Presbyter, S. Iusti Abbas, & Vicarius Generalis in spiritualibus & temporalibus Sedis Archiepiscopatus Lugdunensis: Opus inscriptum *R.P.D Fr. Ioannis da Sylueira Commentariorum in Textum Euangelicum Tomus IV.* à Theologis approbatum vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni die 20. Nouembris 1654.

ANTONIVS DE NEVF-VILLE.

Summa Priuilegij Regis Christianissimi.

AVTVM est authoritate Regis, ne quis in regno suo, aliisve locis suæ ditioni subiectis, intra nouem proximos annos: Librum, qui sic inscribitur: *R. P. D. Fr. Ioannis da Sylueira Olyssiponensis Carmelitæ Regularis Obseruantiæ, &c. Commentariorum in Textum Euangelicum Tomus I V.* absque LAVRENTII ANISSON Bibliopolæ Lugdunensis permissu, imprimat, aut diuendat, à die publicationis horum Exemplarium: qui secus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in Diplomate Regio continetur, mulctabitur. Dat. S. Germ. in Laya 18. Maij 1654.

De mandato Regis,

Signatum, CRAMOISY.

Desiit pralum 21. *Nouembris* 1654.

RECEN

RECENSIO EVANGELISTARVM CAPITVM.

D. MATTHÆVS.

CAP. XV.

TVNC accedunt eum ab Ierosolymis. De non lotis manibus discipulorum. c.1.pag.2
Egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis. Chananæa clamans. c.2.p.18
Iesu autem conuocatis discipulis suis. Saturantur quatuor millia. c.4.p.56

CAP. XVI.

Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Petri confessio: Tu es Christus Filius Dei viui. c.5.p.74
Tunc præcipit discipulis suis, vt nemini dicerent. Increpatur Petrus à Iesu. c.6.p.105
Si quis vult post me venire. Propria sui ipsius abnegatio. c.7.p.115

CAP. XVII.

Assumit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem. Transfiguratur Iesus. c.8.p.130
Elias venturus est. Eliæ aduentus. c.9.p.171
Miserere filio meo, quia lunaticus est. Puer lunaticus. c.9.ibid.
Accesserunt, qui didrachma accipiebant. Didrachma soluitur. c.9.ibid.

CAP. XVIII.

Quis putas maior est in regno cœlorum? Maior in regno cœlorum. c.10.p.187
Si peccauerit in te frater tuus. Fraterna correptio. c.11.p.208
Qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Seruus nequam. c.12.p.219

CAP. XIX.

Magister bone quid faciam. Adolescens interrogans de vitæ perfectione. c.32.p.595
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Petrus pro se, ac suis interrogat. c.33.p.603

CAP. XX.

Qui exiit primo mane conducere. Operarij ad vineam. c.34.p.625
Assumpsit Iesus duodecim discipulos secreto. Mater filiorum Zebedæi. c.37.p.695
Egredientibus illis ab Iericho. Cæcus apud Iericho c.38.p.715

CAP. XXI.

Cùm venisset Bethphage ad montem Oliueti, Triumphus in Ierusalem. c.40.p.737
Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam. Parabola de vinea. c.43.p.778

CAP. XXII.

Simile homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Nuptiæ filij Regis. c.44.p.795
Mittunt discipulos suos cum Herodianis. Tributum Cæsaris. c.45.p.809
Audientes quod silentium imposuisset Sadducæis. Charitatis mandatum. c.46.p.819

CAP. XXIII.

Super cathedram Moysis sederunt Scribæ. Arguuntur Pharisæi. c.47.p.828
Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Scribas. Arguitur Ierusalem. c.47.ibid.

CAP. XXIV.

Accesserunt discipuli, vt ostenderent ei ædificationem templi. Denuntiantur prælia. c.48.p.841
Cùm videritis abominationem desolationis. Antichristus denuntiatur. c.49.p.847

CAP. XXV.

Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus. Decem Virgines. c.51.p.892
Homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos. Talenta distribuuntur. c.52.p.908
Cùm venerit filius hominis. Finale iudicium denuntiatur. c.50.p.864

D. MARCVS.

CAP. VII.

CONueniunt ad eum Pharisæi. De non lotis manibus discipulorum. c.1.p.2
Abiit in fines Tyri, & Sydonis. Chananæa clamans. c.2.p.18
Venit per Sidonem ad mare Galilææ. Transitus Iesus inter fines Decapoleos. c.3.p.42

CAP. VIII.

Misereor super turbam. Saturantur quatuor millia. c.4.p.56
Egressus Iesus in castella Cæsareæ Philippi. Petri cõfessio: Tu es Christus Filius Dei viui. c.5.p.74
Comminatus est ei, ne quid diceret de illo. Increpatur Petrus. c.6.p.105
Si quis vult me sequi abneget semetipsum. Propria ipsius abnegatio. c.7.p.115

CAP. IX.

Assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem. Transfiguratur Iesus. c.8.p.130
Elias cum venerit restituet omnia. Eliæ aduentus. c.9.p.171
Magister attuli filium meum ad te. Puer lunaticus. c.9.ibid.
Inter se disputauerant quis eorum maior esset. Maior in regno cœlorum. c.10.p.187

CAP. X.

Magister bone quid faciam, vt vitam æternam percipiam. Adolescens interrogans de vitæ perfectione. c.32.p.595
Ecce nos dimisimus omnia. Petrus ait reliquimus omnia. c.33.p.603
Ascendentes Ierosolymam præcedebat illos Iesus. Filij Zebedæi. c.37.p.695

Capita Euangeliſtarum.

Filius Timæi Bartimæus ſedebat iuxta viam. Cæcus apud Iericho. c.38.p.715

CAP. XI.

Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim introeuntes. Triumphus in Ieruſalem. c.40.p.737

CAP. XII.

Vineam paſtinauit homo. Parabola vineæ. c.43 p.778

Mittunt quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis. Tributum Cæſaris. c.45.p.809

Quod eſt primum omnium mandatum. Charitatis mandatum. c.46.p.819

CAP. XIII.

Magiſter aſpice quales lapides Oſtendunt Magiſtro templi fabricam. c.48.p.841

Cùm videritis abominationem deſolationis. Antichriſtus prenunciatur. c.49.p.847

Sol contenebrabitur, & Luna non dabit ſplendorem ſuum. Iudicium finale. c.50.p.864

D. LVCAS.

CAP. IX.

Quem me dicunt eſſe turbæ. Petri confeſſio. c.5. p.74

Increpauit illos. Increpatur Petrus. c.6.p.105

Si quis vult poſt me venire abneget ſemetipſum. Propria abnegatio. c.7.p.113

Aſſumpſit Petrum, Iacobum, & Ioannem. Transfiguratur Ieſus. c.8.p.130

Ecce vir de turba exclamauit. Puer lunaticus. c.9. p.171

Quis eorum maior eſt. Maior in regno cœlorum. c.10.p.187

CAP. XI.

Quis veſtrum habebit amicum. Petens panes. c.20. p.284

Mittam ad illum Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident. Arguitur Ieruſalem. c.47.p.818

CAP. XII.

Hominis cuiuſdam diuitis. Diues auarus. c.21.p.393

Sint lumbi veſtri. Lumbi præcincti. c.22.p.404

CAP. XIII.

Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas. Arguitur Ieruſalem. c.47.p.818

CAP. XIV.

Cùm introiſſet in domum cuiuſdam principis ſabbatho. Curatur hydropicus. c.23.p.425

Homo quidam fecit cœnam magnam. Cœna magna. c.24.p.438

Si quis venit ad me, & non odit. Odiens patrem, & matrem. c.25.p.459

CAP. XV.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues. Ouis perdita. c.26.p.470

Homo quidam habuit duos filios. Filius prodigus. c.27.p.478

CAP. XVI.

Homo quidam erat diues, & habebat villicum. Villicus iniquitatis. c.18.p.522

Qui induebatur purpura, & byſſo. Diues & Lazarus. c.19.p.539

CAP. XVII.

Si peccauerit in te frater tuus. Correptio fraterna. c.11.p.207

Occurrerunt ei decem leproſi. Decem leproſi mundantur. c.13.p.331

CAP. XVIII.

Duo homines aſcendebant in templum. Phariſæus, & Publicanus. c.30.p.565

Magiſter bone quid faciam. Adoleſcens interrogat de vitæ perfectione. c.32.p.595

Ecce dimiſimus omnia. Petrus pro ſe, ac ſuis interrogat, quid erit eis. c.35.p.603

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Mater filiorum Zebedæi. c.37.p.695

Cæcus quidam ſedebat. Cæcus apud Iericho. c.38 p.715

CAP. XIX.

Ecce vir nomine Zacheus. Zachæus Chriſtum ſuſcipit hoſpitio. c.39 p.720

Cùm appropinquaſſet Bethphage. Triumphalis ingreſſus in Ieruſalem. c.40.p.737

Videns ciuitatem flenit ſuper illam. Fletus ſuper ciuitatem. c.41.p.741

CAP. XX.

Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis. Parabola vineæ. c.43.p.778

Obſeruantes miſerunt inſidiatores. Tributum Cæſaris. c.45.p.809

CAP. XXI.

Venient dies, in quibus non relinquetur lapis. Diſcipuli oſtendunt ædificationem templi. c.48. p.841

Cùm audieritis prælia, & ſeditiones. Prælia audienda. ibid.

Cùm videritis circundari ab exercitu Ieruſalem. Antichriſtus prænuntiatur. c.49.p.847

Erunt ſigna in Sole, & Luna. Finale iudicium. c.50 p.864

D. IOANNES.

CAP. VII.

Poſt hæc ambulabat Ieſus in Galilæam. Ieſus in feſto Scenopegiæ, ac feſtum ipſum ad ſeptimum explicauit. c.14.p.243

CAP. VIII.

Ieſus perrexit in montem Oliueti. Mulier adultera. c.15.p.270

Ego ſum lux mundi. Diſputat Ieſus cum Iudæis. c.16.p.286

Quis ex vobis arguet me de peccato? Prædicatur veritas. c.17.p.309

CAP. IX.

Prætereins Ieſus vidit hominem cæcum. Cæcus à natiuitate. c.18.p.338

CAP. X.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium. Ego ſum Paſtor bonus. c.19.p.365

Facta ſunt encænia in Ieroſolymis. Facta encænia. c.31.p.579

CAP. XI.

Erat autem quidam languens à Bethania. Suſcitatur Lazarus. c.35 p.642

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium. Concilium Phariſæorum. c.36.p.678

CAP. XII.

Turba multa qua venerat ad diem feſtum. Triumphalis ingreſſus in Ieruſalem. c.40.p.737

Niſi granum frumenti cadens in terram. Granum frumenti. c.42.p.759

Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Exaltatus à terra. c.42.ibid.

SERIES
CAPITVM, ET QVÆSTIONVM.

LIBER SEXTVS.

Explanans tertium annum Prædicationis Christi IESV.

CAP. I.

Defenduntur Discipuli à Christo de non lotis manibus.

QVÆST. I. QVARE Euangelista hic ponit particula, tunc, *denotans tempus.* ibid.
2 *De traditione lauandi manus cum cibus sumebatur.* 3
3 *Quare discipuli manus non lauabant, cum panem manducarent?* 4
4 *Quare Scribæ & Pharisæi discipulos arguunt de non lotis manibus?* 5
5 *Quare non de lege sed de seniorum traditionibus parunt quæstionem?* 6
6 *Quare Pharisæi Quæstionem de non lotis manibus existant ponere contra discipulos, quam contra Magistrum?* ibid.
7 *Quam sinistro animo venerint Pharisæi?* 7
8 *Quare Scribæ & Pharisæi veniunt ad Christum, vt hanc quæstionem proponant.* 8
9 *Quare Christus directè non respondit ad accusationem Pharisæorum, sed eis sua crimina obiecit.* 9
10 *Quare Christus tam rigidè hic increpat Pharisæos adducens Isaiæ locum?* 12
11 *Quare Christus, qui docebat tollere scandala, non curauit hic de scandalo Pharisæorum?* 14
12 *Quare Christus appellat Pharisæos cæcos, ducesque cæcorum?* 15
13 *Quare Christus Dominus nominauerit ista vitia?* 17

CAP. II.

Chananæa clamans.

QVÆST. I. QVare Christus abiit in partes Tyri, & Sydonis. ibid.
2 *Quare Christus voluerit, quòd nemo sciret eius aduentum?* 19
3 *Quare notatur ab Euangelista quòd mulier hæc esset Chananæa, an reuera talis esset ex genere?* 21
4 *Quare mulier ait,* miserere mei, *& non potius filiæ meæ?* 22
5 *Quare mulier Christum vocat filium Dauid?* 23
6 *Quare hæc mulier patronos, ac aduocatos non quærit?* 24
7 *Quare Christus Dominus huic mulieri non respondit?* 25
8 *Quare discipuli pro muliere rogabant?* 27
9 *Quare cum Christus Dominus venerit in remedium totius generis humani, dicitur tamen ab eo, quod non sit missus nisi ad oues Israël?* 29
10 *Quare Dominus tanta asperitate respondet huic mulieri, vt eam canem appellet?* 30
11 *Quare Dominus tantus cunctatur cum Chananæa?* 31
12 *Quare Chananæa canis nomine repulsa adhuc efficaciter pro deprecanda filiæ salute instat?* 33
13 *Quare mulier Iudæos Dominos appellat, se verò canem dicit?* 34
14 *Quare mulier è mensa Domini sui, tantùm micas petit?* 35
15 *Quare Christus non annuit petitioni Apostolorum pro muliere, sed modo precibus eius?* 37
17 *Quare Dominus tam mirificè mulierem laudat?* ibid.
16 *Quare cum in muliere multæ virtutes radiauerint, sola tamen eius fides à Christo laudatur?* 38
18 *Quare Christus non dixit Dæmonio vt exiret à filia huius mulieris, sed* at illi fiat tibi sicut vis? 40

CAP. III.

Iesus transiens inter fines Decapoleos.

QVÆST. I. QVare Dominus per fines Decapoleos veniebat, & quid sit Decapoleos? 42
2 *Quare hic homo mutus, & surdus describitur?* 44
3 *Quinam essent hi adducentes, quantoque charitatis ingenio pollerent?* ibid.
4 *Quare Christus Dominus pro hoc infirmo voluit deprecari, vtque coram se adduceretur?* 45
5 *Quare non petunt hi homines, vt Christus sanet infirmum, sed vt imponat illi manum?* 46
6 *Quare Christus Dominus audita horum hominum deprecatione, nullo verbo dato, statim ad miraculum operandum processit?* 47
7 *Quare Dominus non in media turba miraculum operatur, sed seorsum apprehendit surdum & mutum?* 48
8 *Quare ad hoc miraculum perpetrandum vtitur Christus Dominus digitis, & saliua?* 49
9 *Quare Christus suspiciens in cælum ingemuit?* 51
10 *Quare dicitur quod prius aperta fuerint aures quàm solutum vinculum linguæ?* 52
11 *Quare Christus Dominus vetat miraculum-*

Series Capitum,

divulgari, cum ipse sciret ab hominibus divulgandum? & ad quid apprehendit hominem seorsum, cum opus esset proclamandum? 53

12 Quare omnes qui aderant, admirantur, & nullus est qui contradicat? 55

13 Quare cum unus surdus & mutus ab Evangelista scribatur sanatus, tamen pluraliter clamant: surdos facit audire, & mutos loqui? 56

CAP. IV.

Saturantur quatuor millia.

QVÆST. I. Quare tanta turba Christum sequebatur? ibid.

2 Quare Christus Dominus Apostolos vocat in consilium? ibid.

3 Quare in præsenti non unum, vt in alio conuiuio, sed omnes Apostolos vocat Dominus in consilium? 58

4 Quare discipuli hic non sunt locuti pro turbis, sicut in alio panium conuiuio? 59

5 Quare tam intimè Dominus misericordiæ commouetur super hanc turbam? 61

6 Quare in triduo Dominus miseretur, agiturque de viatico turbæ pro itinere? 62

7 Quare in tanta penuria nullius è turba meminit sibi? 63

8 Quare Christus tot hic apponit nationes, vt his hominibus subueniat? 64

9 Quare Dominus hic interrogat suos discipulos? 66

10 Quare cum discipuli non recordarentur de primo miraculoso conuiuio, hic à Domino non reprehenduntur? ibid.

11 Quare hic non scribuntur numerus piscium, sicut in alio conuiuio? 67

12 Explicatur excellentia huius conuiuij super aliud de quinque panibus. 68

13 Quare in alio conuiuio sedent super fœnum, hic verò super terram? 70

14 Quare panis fuerit in tanta abundantia, vt superassent septem sportæ, nec plures nec pauciores? 71

15 Quare in alio conuiuio superfuerunt duodecim cophini, hic verò septem sportæ? 72

CAP. V.

Petri confessio.

QVÆST. I. Quare non in alio loco sed cum Christus esset apud Cæsaream cum suis discipulis, sic eos quærit? 74

2 Quare Christus cum omnia sciret, discipulos hic interrogat? 76

3 Quare Christus quærit, quid dicant homines, scilicet turbæ, non verò Principes & Pharisæi? 77

4 Quare cum Christus interrogat de se, quid homines dicant, se filium hominis, & non aliter nominat? 78

5 Quare turbæ Christum Dominum non nominant Prophetam, sed vnum ex veteribus autumant? 80

6 Quare peculiariter dicitur, quòd Christus existimabatur Ioannes Baptista, vel Elias, vel Ieremias, aut vnus ex Prophetis? 81

7 Quare inter has populi sententias non referunt Apostoli, quòd quidam Christum Messiam existimabant? 82

8 Quare Apostoli alias sententias Pharisæorum, ac Scribarum non referunt? 83

9 Quare Christus separatim à turbis discipulos interrogat, & non astantes quem filium hominis, sed quem ipse esse dicitis? 84

10 Quare Petrus respondet: & an pro se solo, vel etiam pro omnibus aliis? 86

11 Quare non omnes discipuli respondent sicut omnes in camino ignis laudabant? 87

12 Quare cum Christus Dominus se dixisset filium hominis, Petrus eum fatetur filium Dei? ibid.

13 Quare Petrus Christum Dominum potius appellat filium Dei viui, quàm Dei omnipotentis, Immensi, ac Æterni? 89

14 Quare Christus Dominus appellat Petrum beatum, cum adhuc viueret, esset que moriturus, eúmque negaturus? 91

15 Quare cum alij, imò etiam ipse Petrus in alia occasione Christum filium Dei acclamassent, nullus tamen eorum ita remuneratur vt Petrus in præsenti? 92

16 Quare cum hæc reuelatio facta fuerit à tota Trinitate, tamen soli Patri tribuitur? 94

17 Quare non solùm dicitur, quòd Pater reuelauerit, sed ponitur exclusiua caro, & sanguis non reuelauit? ibid.

18 Quare Christus Dominus in enulgandis laudibus Petri ponit connunctionem, dicens: Et ego dico tibi? 96

19 An minuatur gloria Petri, quòd à Christo sit laudatus post proclamata Christi encomia ab ipso Petro? ibid.

20 Quare Principi Apostolorum hic nouum nomen imponitur? 97

21 Quare Principi Apostolorum datur nomen potius deductum a petra, quam a saxo, vel columna? 98

22 Quare Petrus constituitur Prælatus Ecclesiæ tanta stabilitate fundata? 99

23 Quare nequitiarum acies, porta inferi dicuntur? & quod per inferni portas denotetur? 101

24 Quare in hac ampla iurisdictione Petro tradita vsus est Dominus potius voce clauium, quam potestatis? 103

25 Quare cum Christus Dominus habeat claues mortis, & inferni, Petro tamen dat claues regni cœlorum? ibid.

26 Quare cum potestas traditur aliis Apostolis dicitur dari in cælo: at Petro dicitur in regno cælorum? 104

27 Quare in hac potestate Petro tradita prius dixit Dominus ligare, quàm soluere? 105

CAP. VI.

Increpatur Petrus à Iesu.

QVÆST. I. Quare Dominus præcepit hic, vt nemini dicant ipsum esse Iesum Christum? ibid.

2 Tractatur eadem quæstio quoad sensum moralem. 106

3 Quare Dominus hic præcipit, vt nemini dicant ipsum esse Iesum Christum, cum Matth. 10. mandauerit annuntiare regnum Dei appropinquare? 107

4 Quare magnus Petrus hic cum tanta ignorantia loquitur, vt dicat, absit a te Domine? 109

5 Quare D. Petrum tam mirificè antea laudatum, nunc tam seuerè increpat Dominus? 110

6 Quare Christus Dominus increpando Petrum hic Satanam vocat? 112

CAP. VII.

Propria sui ipsius abnegatio.

QVÆST. I. Quare post increpatum Petrum Christus Dominus immediatè connectit hæc verba: Si quis vult venire post me. 114

2 Quare cum nemo veniat ad Christum, nisi traditus a Patre, hic dicitur, hoc homini esse liberum? 115

3 Quare Christus non præcipit, sed libera voluntati relinquit, vt post eum veniamus, eumque sequamur? 116

4 Quare Christus Dominus nos vocat ad veniendum, cum sponsa exhortetur ad currendum? 117

5 Quid est abnegare se ipsum, & quomodo hoc fiat? 118

6 Quid sit tollere crucem, & quare portari mandatur? 119

7 Quare primo præcipit Dominus, vt homo se ipsum abneget, & postea vt tollat crucem? 121

8 Quare vnicuique non tantum mandat Dominus portare crucem, sed addit crucem suam? 122

9 Quare abnegatione, & cruce sequendus est Christus, & quomodo? ibid.

10 Quare cum Christus Dominus liberos non ad se aduocat, tamen hoc modo multa præcepta imponit? 124

11 Quare cœlestia beatitudo, cum sit alto Dei consilio disposita, dicitur inuenta? 125

12 Quare dicitur, quam commutationem dabit homo pro anima sua? 127

13 Quare cum Christus Dominus in exordio vperè de se sit locutus, non vero legit de super tertiam personam, dicens: Filius hominis reddet vnicuique. 128

14 Quodnam sit magnum istud, in quo Christus a multis est astantibus videndus est? 129

15 Quare Christus Dominus ad explicandum diem obitus vsus est phrasi qualenda mortem? 130

CAP. VIII.

Transfiguratur Iesus.

QVÆST. I. Quare tres discipulos, nec plures, nec

tis Thaboris gloriam, non vero ad ignominias suæ passionis? 131

2 Quare ex omnibus Apostolis hos tres potius eligit Dominus, quam alios? 132

3 Quare non omnes Apostoli assumuntur ad hanc transfigurationis gloriam? 133

4 Quare transfiguratio facta est in monte excelso, & secessum, & quisnam sit iste mons? 135

5 Quomodo admirabilis Domini transfiguratio facta sit? 139

6 Quare Christum transfigurari voluit? 137

7 Quare dicitur, quod Christus transfiguratus est, & non potius, quod ipse se transfiguraverit? 140

8 Quare signanter dicitur, quod facies eius resplenduerit? 141

9 Quare dixitur, quod resplenduerit facies eius sicut Sol, & non potius super Solem? ibid.

10 Quare cum gloria Moysis tantum esset in facie Christi autem in facie, & in vestimentis resplenduit? 143

11 Quare vestium albedo potius nivi, quam alteri rei conferatur? 144

12 Quare apparitionem Moysis, & Eliæ hic factam aliqua quæstiuncula resoluuntur. 145

13 Quare hic ad Concilium vocantur Patres veteris Testamenti, & non potius sublimes Angeli è cœlo? 146

14 Quare ex omnibus Patribus Moyses & Elias potius quam alij aduocantur. 147

15 Quare primo ponitur Moyses, quam magnus Parens Elias? 149

16 Quare in tanta gloria de excessu, ac morte Domini fit sermo? 150

17 Quare in hoc Concilio ad colloquium, ac suffragium non vocantur etiam Apostoli Petrus, Iacobus, & Ioannes? 151

18 Quare Petrus tam pro se, quàm pro aliis loquitur? 152

19 Quare Petrus volebat, quod fierent tabernacula? 153

20 Quare Petrus pro Domino, ac Patribus offert tria tabernacula, de se vero, ac aliis Apostolis non agit? 155

21 Quare Petrus inscientiæ nota suggillatur? ibid.

22 Quare censuram D. Petri de inscientia non scribit D. Matthæus, sed Marcus, & Lucas eam referunt? 157

23 Quare in transfiguratione apparuit nubes? 159

24 Quare nubes cum esset lucida, obumbrat eos? 160

25 Quare in gloria Thaboris Christus a Patre filius proclamantur? 161

26 Quare Pater mandat in Thabor, vt filius audiatur. 163

27 Quare non in Iordane, sed in Thabor præcipitur, vt Christus audiatur? 164

28 Quare Apostoli timuerunt in transfiguratione, & quotuplex in eis fuit timor iuxta textum Euangelistarum? 165

29 Quare exaudita voce Patris in Iordane nullus timet, in Thabore maximè contremiscunt Apostoli? 166

30 Quare discipuli cadunt in faciem suam, & cur transfigurationis initium, ac finis discipulis est occultatus? ibid.

31 Quare iusti cadunt in faciem, iniqui verò retrorsum? 167

32 Quare dicitur, quod Apostoli leuantes oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum? 168

33 Quare Christus mandat visionem taceri? 169

34 Quare Moyses asportat gloriam in vultu de Sinai, non vero Apostoli de Thabor? 170

CAP. IX.

Sequitur reliqua pars cap. 17. Matthæi, Elias, & Ioannes.

QVÆST. I. Quomodo dicatur, quod Elias restituet omnia? 171

2 Quare cum puer iste esset dæmoniacus, dicitur Lunaticus? 173

3 Quare puer instigatus à dæmone, crebro in ignem & in aquam se proijciebat? 164

4 Quare cum discipuli haberent potestatem eiiciendi dæmonium, hunc puerum tamen non curarunt? 175

5 Quare Christus appellat Iudæos generationem peruersam & incredulam, & quibus hoc dixit? 176

6 Quare cum homo, se credere dicat, adhuc se incredulum fatetur? 178

7 Quare fides ad montes transferendos cum grano synapis comparatur? 180

8 Quodnam tributum Iudæorum exactores à Christo peterent? 182
9 Quare ad didrachma soluendum misit Dominus Petrum ad mare? 184
10 Quare Petrus iubetur, hamum, & non retia mittere? ibid.
11 Quare ordinatur, vt moneta in ore piscis inueniatur? 185
12 Quare Dominus pro se, & Petro, & non etiam pro aliis Apostolis mandat soluere tributum? 186

CAP. X.

Maior in regno Cœlorum.

QVÆST. I. Quare Discipuli hic accedunt interrogantes, cum de hac re quæsiti, iuxta D. Marcum, prius tacuerint? 188
2 Quare discipuli hic accedunt ad Christum, cum in horto ab eo fugiant? 189
3 Qui fuerint isti discipuli, qui hanc quæstionem Christo proposuerunt? ibid.
4 Quare Apostoli hanc quæstionem de principatu excitant, & mouent? 190
5 Quare cum in Petro multa excellentia effulgerent, de eius principatu dolent, & dubitant discipuli? 191
6 Quare discipuli non dicunt, quem vis esse maiorem, sed quem putas maiorem esse? 192
7 Quid hic regnum cœlorum denotet? 193
8 Quare Christus non posuit in medio aliquem adolescentem, sed paruulum, cui nos mandat assimilari? 194
9 Quare maioratus in regno cœlorum tribuatur humilitati, cum potius charitati videatur referendus? 197
10 Quare Christus dixit, quod ipsummet recipiat, qui paruulum recipit? 198
11 Quare scandalizatori non alia assignatur pœna, nisi mola asinaria suspensa in collo? 199
12 Quare ex visa discipulorum ambitione totius Orbis conditionem deflet Dominus? 201
13 Quare Dominus luget scandala mundi, & ab ipso illa non remouet? 201
14 Quare Dominus non solùm precipit, manum, vel pedem, ac oculum abscindere, sed etiam proijcere? 203
15 Quare peculiariter dicitur de Angelis tutelaribus paruulorum quod videant faciem Patris, cum omnes Angeli beati, illius aspectu fruantur? 204
16 Ad quid dicitur, quod Angeli custodes videant faciem Patris? 205
17 Quare cum Angeli Patroni adsint in terris homines custodientes dicuntur in cœlis videre faciem Patris? 206

CAP. XI.

Fraterna correptio.

QVÆST. I. Quare dicitur: Si peccauerit in te frater tuus: cum de omni peccato, siue contra te immediatè, siue non, exponendus sit textus? 208
2 Quare non solum precipit Dominus, vt peccantem fratrem corripiam, sed etiam vt ego ad illum vadam? 209
3 Quare, cum corripis fratrem mandat Dominus, vt sit inter te, & ipsum solum? ibid.
4 Quare peccanti fratri non suadet hic Dominus dari veniam, sed correptionem? 210
5 Quare ab Ecclesia admonitus, & non emendatus, vt Ethnicus, & publicanus sit habendus? Agitúrque de materia correptionis fraterna. 212
6 Explicatur connexio præsentis textus cum superioribus. 214
7 Quare dicitur, quod si duo consentientes petierint de omni re impetrabunt? ibid.
8 Quare duos, vel tres assignauerit Christus, & non potius maiorem multitudinem congregatorum, vt esset in medio eorum? 215
9 Quare Christus Dominus dixit, quod non solum septies, sed vsque septuagies septies esset dimittendum? 217
10 Quare Christus in præsenti nos exhortatur, vt septuagies septies offensa fratri remittatur, cum supra mandauerit, vt post tres admonitiones reliquatur? 218

CAP. XII.

Seruus nequam

QVÆST. I. Quare hic seruus tanto debito est astrictus? 220
2 Quare hic primus est oblatus? 221
3 Quare tam seuerè benignus Dominus mandat seruum, & omnia illius vendere? 222
4 Quare pauper seruus audet spondere, se omnia Domino suo redditurum? 223
5 Quare Dominus non nisi post humiliationem, & preces seruo dimisit debitum? 224
6 Expenditur magnifica Domini in seruum liberalitas. ibid.
7 Quare egressus seruus tam durus in conseruum, vt eum suffocaret? 226
8 Quare cum iniquus seruus damnatur, Dominus suam pietatem testatur? 228
9 Quare seruus, cum videt dominum in se iratum, non recurrit ad preces, per quas antea misericordiam impetrauerat? 229
10 Quare cùm debitum iam dimissum esset seruo à domino suo, tamen ipse dicitur tradi tortoribus quoadusque illud redderet? 230

CAP. XIII.

Decem Leprosi curantur.

QVÆST. I. Quare tendens Christus in Ierusalem [illegible] & Galilæam? 232
2 Quare Leprosi denario numero existunt? & quid sit lepra? 233
3 Quare pertransenti Christo Leprosi occurrũt? 234
4 Quare ab his hominibus Leprosis Christus non deuitat consortium ibid.
5 Quare hi Leprosi sanandi mittantur ad Sacerdotes? 235
6 Quare in via, dum vadunt antequam ad Sacerdotes veniant, Leprosi sanantur? 237
7 Quare iste Samaritanus, vt se vidit mundatum reuertitur ad Christum, non curans eius præceptum de adeundo Sacerdote? 238
8 Quare illi nouem Leprosi non sunt ad Dominum regressi? 239
9 Quare tam accuratè exprimitur, quod iste qui venit, dans gratias fuerit alienigena? 240

10 *Quare isti Leproso ante curationem, & non post ea mandat Dominus, vt se ostendat Sacerdotibus?* 242

CAP. XIV.

Iesus in festo Scenopegia.

QVÆST. I. EXplicatur qualenam esset festum Scenopegia. 244
2 *Quo animo Christi consanguinei suadent eum ascendere Ierosolymam?* 245
3 *Quare Christus omnium temporum Dominus dixerit tempus suum eundi in Ierusalem nondum esse paratum?* 247
4 *Quare dixit Dominus se non ascendere ad diem festum, cum ad illud postea ipse ascenderit?* 248
5 *Quo die Christus ascenderit ad festum? & quæ ve Iudæi quærebant eum dicentes: Vbi est ille?* 250
6 *Quare Christus Dominus non se manifestauit in primo die festi, sed in quarto?* 251
7 *Quare Christus ait: Doctrina mea non est mea. Si mea, quomodo non mea?* 252
8 *Quare Christus ait, quòd si quis voluerit facere voluntatem Patris, cognoscit ac percipiet doctrinam suam?* 254
9 *Quomodo id quod dicitur, Nemo ex vobis facit legem, connectatur cum antecedentibus?* 256
10 *Quare Iudæi dicunt; quod quando Christus venerit, nemo scias unde sit, cum ipsi contrarium fateantur, hoc eodem capite, & sermone?* 258
11 *Quomodo sit explicanda Christi sententia:* Quæretis me, & non inuenietis? 261
12 *In quanam Scriptura reperiantur verba allegata.* Flumina de eius ventre fluent? 263
13 *Quare sitientes vocat ad se Christus?* ibid.
14 *Quare de credente dicitur, quòd flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ?* 264
15 *Quare ante ascensionem fuerit Spiritus sanctus datus discipulis, vt postea?* 265
16 *Quare Ministri cum tanta audacia Sacerdotibus dixerunt de Christo. Nunquam sic locutus est homo?* 267
17 *Ostenditur quam falsum fuerit Pharisæorum axioma:* A Galilæa Propheta non surgit. 270

CAP. XV.

Mulier adultera.

QVÆST. I. QVare Scribæ & Pharisæi veniunt conglomerati cum multa turba mulierem adducentes, postea verò vnus post vnum singillatim discedunt? 271
2 *Quare nec de nomine mulieris, nec de adulterio aliqua fit hic expressa mentio?* 272
3 *Quomodo tentantes quærunt Scribæ, & Pharisæi de Christo, quid circa adulteram dicat?* 274
4 *Quare accusantibus Scribis mulierem Iesus inclinat se deorsum?* 275
5 *Quare Christus Dominus audita quæstione Pharisæorum scribebat?* 275
6 *Quare Dominus scribebat in terra, & non in lapide, digito verò, & non potius alio instrumento?* 277
7 *Quid Dominus scribebat?* 278
8 *Quare Christus mandauit, quod ille qui sine peccato esset, primus in mulierem lapidem iniiceret?* 280
9 *Quare cum in alio euentu officium iudicis Christus à se repellerit, illud hic in negotio adulterę agit?* 281
10 *Quare Pharisæi & Scribæ, qui mulierem vindictam adduxerant, ea tamen relicta abeunt, & recedunt?* 282
11 *Quare audita Christi sententia primi, qui recedunt, sunt seniores?* 283
12 *Quare tam plenariè Christus mulierem absoluit ab omni culpa, & pœna?* 284
13 *Quare Christus dixerit mulieri:* Noli amplius peccare? 285

CAP. XVI.

Disputat Iesus cum Iudæis?

QVÆST. I. QVare Christus Dominus se lucem [illegible] 287
2 *Quare Christus Dominus dicitur lux mundi, & non potius Sol mundi?* 288
3 *Iudæi cum dicunt Christi testimonium non esse verum, inde improbant esse verum?* ibid.
4 *Quomodo Christus dicat, Ego non iudico quemquam?* 290
5 *Quare Christus Dominus docebat iuxta Gazophylacium?* 292
6 *Quare Christus Dominus de sua morte loquens ait: Ego vado?* 293
7 *Quare ministri de Christo cogitant, quod iturus sit ad dispersionem gentium, Pharisæi verò, quod se ipsum interficiet?* 294
8 *Quare Christus dixit Iudæos, esse de deorsum, ac de hoc mundo, se verò de supernis, & non de hoc mundo?* 296
9 *Quomodo sit explicandum, principium, in textu iuxta radicem Latinam, Græcam, & Hebraicam?* 298
10 *Quare interrogationi Iudæorum respondit Christus se esse principium?* ibid.
11 *Quare Christus ait, quòd eius exaltatio in Cruce erit signum, & nota ad eius diuinitatem cognoscendum* 300
12 *Quare Iudæi dicunt, se nemini vnquam seruisse, cum constet eos seruisse in Ægypto, & Babylonia?* 302
13 *Quare peccans dicitur peccati seruus?* 304
14 *Quare Christus ait, sermo meus non capit in vobis, scilicet Pharisæis?* 305
15 *Quare Diabolus dicitur homicida ab initio?* 308

CAP. XVII.

Veritas Prædicatur.

QVÆST. I. QVare Christus Dominus hic ingerit [illegible] 310
2 *Quare Christus se hic immunem à peccato ostendit, non signis, & prodigiis, sed argumentis, & ratione?* 311
3 *Quomodo tam confidenter inter suos malevolos aduersarios dicat Christus Dominus, si quis est, qui eum de peccato arguat?* 312
4 *Quare Christus non absolutè dixit,* Quis arguet me de peccato? *sed cum addito,* Quis ex vobis? 313

Series Capitum,

5 Quo motiuo, vel principio comprobat Christus se verum dicere? 314
6 Quare Christus Dominus conqueritur, quod ipsi veritatem dicenti non credant? 315
7 Quare Iudæi non credebant Christo Domino, cum veritatem diceret? 316
8 Qui sit audire Dei verbum? 318
9 Quare tam conuumeliosè respondent Iudæi: Nonne bene dicimus nos, & expendantur hæc verba? 319
10 Quare proposita veritate à Christo Iudæi se obiiciunt blasphemiæ, & lapidibus? ibid.
11 Quare Dominum Iesum Iudæi Samaritanum vocant? 320
12 Quare de Christo Domino dixerunt eum dæmonium habere? 322
13 Quare auditis tot blasphemiis Christus non durè, vt alibi fecerat, sed mansuetè respondet? 323
14 Quare Christus Dominus præterit iniuriam illatam, cum Samaritanum vocatur, & ad illam non respondet? 324
15 Quare cum Christus asseueret se gloriam suam non quærere, addit tamen: Est qui quærat, & iudicet? 326
16 Quare ingenti beneficio ex Christi ore audito, blasphemè respondent Iudæi: dæmonium habet? 327
17 Quare superbi Iudæi cum vocantur à Christo, mendaces tacent, & non respondent ad hoc? 329
18 Quinam sit iste dies Domini, quem Abrahamus videns exultauit? 330
19 Quomodo Abrahamus viderit diem Domini, de quo gauisus est? 331
20 Quare Iudæi quinquaginta annos dixerunt, & valdè incongruè loquuntur? 332
21 Quare Iudæi hic currunt ad lapides, & non quando Christus eos flagellis eiecit de templo, vt filios Diabolo nuncupauit? 333
22 Vnde Iudæi in templo habuerunt lapides, vt iacerent in Iesum? 334
23 Quare cum in templo esset prohibita sanguinis effusio, Iudæi in illo tollunt lapides aduersus Christum? 335
24 Quare Christus Dominus recessit à lapidantibus non inflicto aliquo supplicio? ibid.
25 Quare Iesus non solum se abscondit, sed etiam exiuit de templo? 336
26 Quare lapidantibus Iudæis non occurrit ac respondet Dominus aliquod verbum, vt in alio simili euentu fecit? 337

CAP. XVIII.

Cæcus à natiuitate.

QVÆST. I. QVare Christus Dominus pertransiens, docuerit in templo? 338
2 Quisnam esset iste cæcus, & quid significet? 339
3 Quare Christus exiens de templo videt cæcum, quem sanat? ibid.
4 Quare secundùm literalem intelligentiam hominis cæcitas peccato & non alteri causæ refertur? 340
5 Quare morali sensu cæcitas hominis, suo vel maiorum peccato adscribitur? 341
6 Quare ex immissa excæcitate Dei opera in hoc homine manifestentur? 343
7 Quare tantus est Dominus vt ostendat hunc hominem, ac eius parentes immunes esse à peccato, ob quod cæcitas contigit? 344
8 Quare Christus dixit, quod eos oporteat operari opera eius, qui misit eum? 345
9 Quare Christus Dominus hunc cæcum sanauerit, non verbo, sed luto? 346
10 Quare non ex aqua, sed ex puto lutum fecit Dominus? 348
11 Quare hunc cæcum non illico Dominus curauit, sed misit in Natatoria Siloë? ibid.
12 Quare Naaman mandatur lauari septies in Iordane, hic verò cæcus tantùm semel in Natatoria? 349
13 An cum cæcus se lauauerit, lutum fuerit ablatum ab oculis eius, vel potius in oculos transmutatum? 350
14 Quare circa personam cæci tanta exorta est dubitatio, vt multi dicerent non esse eundem, sed diuersum hominem? 351
15 Quare ex tanto edito miraculo Iudæi Christum arguunt, quod Sabbatum non custodiret? 355
16 Quare tam impudenter Pharisæi Christum Dominum peccatorem vocant? 356
17 Quomodo mendici verba sunt explicanda: Peccatores Deus non audit? 358
18 Quare cum tanta audacia mendicus stat, & loquitur contra Principes, & Pharisæos? 359
19 Quare mendicus iste Christi mirabilia prædicans eicitur de Synagoga, non verò Lazarus? 360
20 Quare postquam mendicus eiectus est à Pharisæis, se Dominus illi præbet circumloquutione veniens? ....

CAP. XIX.

Bonus Pastor.

QVÆST. I. TOtius parabolæ sensus secundum 364
2 Quare hic tantum oues sequuntur Pastorem, cum ad Adamum omnia animantia adducerentur? 365
3 Quare dicitur, quòd Pastor præcedit oues, cum aliquando constet ex Scriptura, quòd ipse Pastor eas sequatur? 366
4 Quare à Christo appellantur omnes, quotquot venerunt fures, & latrones? 368
5 Quare de introëunte per Christum, vt ostium dicitur, quod ingredietur, & egredietur. 369
6 Quare Christus Dominus expressè de se dixerit: Ego sum Pastor bonus, cum de aliis rebus quibus se comparauit, hoc non dixisset? 371
7 Quare Christus Dominus de seipso quamquam vnicè dixerit: Ego sum Pastor bonus. Cum alij multi fuerint pastores boni, qui animas suas dederunt pro ouibus? 372
8 Quare bonus Pastor dat animam pro ouibus, cum Pastore extincto pereant oues? 373
9 Quare Christus nobis non proposuit in exemplum suam abiectionem, cum descenderit de cœlo, sed quod animam pro ouibus dederit? 374
10 Quare character boni Pastoris non est vt honoretur, sed quod pro ouibus det animam? ibid.
11 Quomodo malus Prælatus significatus in Mercenario vidit lupum venientem, & fugit, ac dimittit oues? 376
12 Quare Dominus potius lupum commemorat, quàm leonem, vel vrsum, cum ab his omnibus oues pericula patiantur? 377

CAP.

CAP. XX.

Petens panes.

QVÆST. 1. *Quare tam confidenter homo petit panes non a consanguineo sed ab amico, & explicatur quis sit homo pulsans, & amicus?* 384

2 *Quare non mane vel vespere, sed media nocte accessit homo pulsans?* 385

3 *Quare homo potius petit tres panes, quàm unum, vel duos?* 387

4 *Quare in parabola introducitur Dominus negans panes, vt inde eius magnifica liberalitas publicetur?* 388

5 *Quare serui in domini cubili dicuntur pueri, cum ab sponsa appellentur milites armati?* 389

6 *Quare Dominus qui est multum velox ad nostras orationes exaudiendas tantùm in præsenti cunctatur, propter importunitatem dare?* 391

7 *Quare pulsanti non solùm dantur tres panes, sed insuper quotquot erant necessarij?* 392

CAP. XXI.

Dives Avarus.

QVÆST. 1. *Quare Deus homini malo, & avaro multa bona concedit in hoc sæculo, & adhuc ipse clamat, non habeo?* 393

2 *Quare homo tantis divitijs opulentus non canit, sed gemit: Quid faciam?* 394

3 *Quare homo tam opulentus in consilium, nec vocat amicos, nec servos, sed solum seipsum?* 395

4 *Quare Avarus ob uberes fructus vult destruere horrea, & non potius ipsos fructus vendere?* 396

5 *Quare Avarus intendit facere magnos sumptus ad nova horrea ædificanda?* 397

6 *Quare dives tam impudicè, multos annos vitæ sibi promittebat?* 399

7 *Annotantur aliqui errores in quibus dives avarus in suis verbis incidit: Dicam animæ meæ? &c.* ibid.

8 *Quare dives potius stulti nomine, quàm alio nuncupatur?* 401

9 *Quare nocte mors rapit Avarum?* 402

10 *Quare non solum avaro intimatur mors, & æterna pœna, sed etiam eventus horæ bonorum?* 403

CAP. XXII.

Lumbi præcincti.

QVÆST. 1. *Quare Dominus suis mandat, vt sint lumbi eorum præcincti?* 405

2 *Quare suos alloquens Dominus non de vestitu, sed tantum de præcinctorio facit mentionem?* 407

3 *Quare Dominus apparet in Apocalypsi præcinctus ad mamillas zona aurea, suis verò mandat lumbis præcingi?* ibid.

4 *Quare Christus mandat discipulis habere lucernas in manibus?* 409

5 *Quare lucerna mandantur haberi non in manu, sed in manibus?* 411

6 *Quare Christus Dominus mandat servis suis vt habeant non lucernam, sed lucernas?* 412

7 *Quare non solùm mandat Dominus habere lucernas, sed etiam vt sint ardentes?* 413

8 *Quare Christus suos discipulos hic comparat potius cum hominibus, quàm cum Angelis expectantibus Dominum suum?* 414

9 *Quare Dominus revertens a nuptijs suos vult invenire, non vt duces, ac principes: sed vt servos?* 415

10 *Quare servi describuntur, non tanquam Dominum comitantes, sed cum expectantes?* 416

11 *Quare Dominus dicitur venturus a nuptijs cum ad desponsationem cum tuli animæ veniat?* 417

12 *Quare dies mortis dicitur dies nuptialis & festiua?* 418

13 *Quare supremus Dominus describitur ministrans servis?* 419

14 *Quare non explicantur dapes, quas Dominus in mensa cœlesti ministrabit?* 420

15 *Quare dicitur quod Dominus præcinctus ministrabit?* ibid.

16 *Quare exprimitur tantùm secunda & tertia vigilia, & prætermittitur prima, & quarta?* 423

17 *Quare aduentus Domini aduentui furis comparatur?* 424

CAP. XXIII.

Hydropicus curatur.

QVÆST. 1. *Quare Christus Dominus ad manducandum panem intrat domum Pharisæi, cuius & nomen tacetur ab Euangelista?* 425

2 *Quare Hydropicus dicitur constitutus ante Iesum, & non ante alios, cuius nec situs, nec modus describitur?* 426

3 *Quare Hydropicus cum sit ante Medicum, non rogat, aut petit salutem, sed tacet?* 427

4 *Quare in Pharisæi domo curatur Hydropicus?* 428

5 *Quare manifesta Christi virtutis, iniqui Pharisæi fiant obseruatores?* 429

6 *Quare indecisa quæstione facta de obseruatione Sabbati, Christus Dominus Hydropicum sanat?* 430

7 *Quare eodem verbo vtitur hic Euangelista ad explicandam hominis sanitatem, ac Paulus cum de mysterio Incarnationis ageret?* 431

8 *Quare Dominus exemplum asini, vel bouis obijcit Pharisæis ad eorum malitiam confutandam?* 432

9 *Quare docet nos Dominus non quemlibet locum, sed tantum extremum eligere?* 434

10 *Quare ille homo qui ascendit ad superiorem locum, amicus appellatur, non verò ille qui descendit?* 435

11 *Quomodo ex humilitate astruitur exaltatio, cum sæpe apud homines contrarium fieri videmus?* 437

CAP. XXIV.

Cœna magna.

QVÆST. 1. *Quare largiens hanc magnam cœnam, non dicitur rex vel paterfamilias, nec Dominus, sed tantum quidam homo?* 439

2 *Quare non homo dicitur magnus, sed solùm, cœna magna vocatur?* 440

3 *Quare homo potius fecit cœnam, quàm prandium?* 641

4 *Quare cœna ab homine facta dicitur hic magna, non verò quando iterum secundo loco commemoratur?* 442

Series Capitum,

5 Quare cœna Eucharistiæ magna nuncupatur, cum manna illius typus, quid minutum dicatur? 443

6 Quare ad hanc cœnam invitantur viri, cum ad passionem Christi convocantur filiæ Sion? ibid.

7 Quare hic Paterfamilias tantam hominum multitudinem per unum servum vocat, cum Rex ad prandium suum miserit multos servos? 444

8 Quare in convivio Regis explicantur ferculæ, non verò in cœna hujus hominis? 446

9 Quare primus invitatus, cœnam contemnat, ob emptam villam, cum sponsa suum dilectum ad villam invitet? 447

10 Quare homo emit villam antequam eam videret, & nunc nolle ad eam videndam vult accedere? 448

11 Quis sit iste homo iuga boum emens quinque, quanta fatuitate laboret? 449

12 Quare tertius non postulat, ut excusatus habeatur, sed insuper hanè respondit, Non possum venire, 450

13 Quare Paterfamilias cum irascitur, tantam ostendit beneficentiam, ut claudos, & cæcos vocet ad mensam? 452

14 Quare de plateis vocantur homines debiles, claudi, & cæci, cum haberent impedimentum ad veniendum? 453

15 Quare hic homo tales invitat, & quærit homines ad mensam suam, cum ipse olim fuisset quæsitus, & minimè inventus? 454

16 Quare hic homo non patitur, ut aliquis locus sit vacuus in mensa sua? 456

17 Quomodo compellendi sunt invitati ad cœnam? ibid.

18 Quare nec primi, nec secundi invitati compelluntur, sed tantum hi tertij? 457

CAP. XXV.

Odiens patrem, & matrem.

QUÆST. 1. QVare in superiori parabola Dominus mandat compelli ad cœnam; hic verò venientem liberè requirit? 459

2 Quare Christus præcipit patrem, & matrem odio haberi, cum præcipiat inimicos diligere? 460

3 Quare dum Dominus præcipit veram parentum, ac propinquorum dilectionem, eam sub odij involucro complicat? 461

4 Quare Christus mandat odio habere animam? 462

5 Quare Christus non assignat aliquod præmium, ut homines crucem baiulent, eumque sequantur? 463

6 Quomodo duæ sequentes parabolæ turris ædificandæ, & belli ineundi conveniant cum superiori Christi doctrina? 464

7 Multis expenditur sensus moralis hujus parabolæ de bello. 466

8 Quomodo Origenes hæc verba ad Christi Sacerdotes referat? 468

9 Quare Dominus mandat renuntiare omnibus, cum multis liceat possessa retinere? 469

CAP. XXVI.

Ovis, ac drachma perdita.

QUÆST. 1 QVare Christus Dominus cum esset ipsamet sanctitas, tam benignè peccatores recipiebat? 470

2 Quare Pharisæi & Scribæ murmurabant, quòd Christus Dominus peccatores recipiebat? 471

3 Quare multipliciter Christus Dominus de ovibus facit mentionem? 473

4 Quare cum ovis optimis pascuis cum toto grege abundaret, ab illo tamen recedit aberrans per montes, & deserta? ibid.

5 Quare hic introducitur una tantum ovis errans, potius quam decem vigintí? 474

6 Quare Pastor tot oves relinquit, ut unam erratem multis laboribus quærat? 475

7 Quare dicitur quod homo perdiderit ovem, cum ipsa se perdiderit, relictis nonaginta novem in deserto, sub quibus intelliguntur Angeli, & sub deserto cælum? 477

8 Quare cum erratem ovem invenit, non eam punit, & verberat, sed blandè suscipit? 479

9 Quare non sinu, vel manibus, sed humeris portat ovem Pastor? 480

10 Quomodo intelligatur, quod maius gaudium sit in cælo de uno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta novem justis? 482

11 Quare in conversione peccatoris tanta sit ratio gaudendi, tam ipsi homini, quàm Angelis, & Deo? 483

12 Quare mulier deperditam drachmam quærit in domo sua, & non extra? 485

13 Quare mulier non quærit drachmam inter suos thesauros, sed verrit domum? 486

14 Quare mulier nocturno tempore accensa lucerna drachmam quærit? ibid.

CAP. XXVII.

Filius Prodigus.

QUÆST. 1. EXplicatur quid Pater, ac Filius & [illegible] 488

2 Quare adolescens cum in domo patris omnibus abundaret, suam substantiam sibi dare petiit 490

3 Quare petente uno filio, pater ambobus divisit substantiam? 491

4 Quare adolescens peregrè profectus, statim dissipat bona sua? 493

5 Quare consumpta substantia exorta fame, prodigus cœpit egere absque alicuius admonitione? 494

6 Quare adolescens vili porcorum servitio se subjicit, non verò nobili militiæ adscribitur? 495

7 Quare prodigus in deliciis enutritus, non alium cibum cupiat, nisi porcorum siliquas? 496

8 Quare prodigus non capiebat siliquas, cum eas concupisceret, & nemo illi eas daret? 497

9 Quare mercenarij dicuntur panibus abundare, & qui sunt hi mercenarij. 499

10 Quare prodigo venit in mentem paterna domus, à qua recesserat in regionem longinquam? ibid.

11 Quare prodigus fame tabescens decrevit animo venire ad patrem, à quo longissimè recesserat, nullo præmisso intercessore? 501

12 Quare prodigus solùm verba meditatur, & non potius aliquid pro pœnitentia austerum, vel oscula pronolutus ad pedes patris. 502

13 Quare prodigus non inter filios, sed inter mercenarios in postulat computari? 503

14 Quare Pastor requirit ovem, non verò bonus Pastor filium perditum? 505

15 Quare pater vidit filium à longè veste squalidum,

dum & famè pereuntem,& ante eius vocem ei occurrit? 506
16 Quare Pater non interrogat de substantia perdita, vel cur non curat de flagellis imponendis, sed tantum oscula exhibet filio? 507
17 Quare Prodigus non refert totam suam orationem patri, vt fieret mercenarius sicut statuerat? 508
18 Quare Pater mandat dare filio non quamlibet stolam, sed primam & pretiosissimam? 510
19 Quare Pater mandat dare annulum in filij manu? 512
20 Quare Pater filio statim prouidet calceamenta antequam in domum introducat,& nil de experimento capitis agit? 513
21 Quare Israëliticis datur agnus, Prodigo verò post stolam, annulum,ac calceamenta,vitulus saginatus? 515
22 Quare in tam magnifico conuiuio vnus tantum datur vitulus saginatur Prodigo filio. 516
23 Quare filius senior tantum indignatur de aduentu iunioris,cum de eo deberet maximè exultare? 518
24 Quomodo filius senior desiderat agnum, vel vitulum, sed hœdum. 519
25 Quare cùm Pater duos habeat filios,si omnia sua promittit seniori, quid alter habebit? 521

CAP. XXVIII.

Villicus iniquitatis.

QVÆST.I. Quare villicus audet dissipare bona Domini sui? 522
2 Quare non dicitur absolutè quod villicus dissipauerit, sed tantum quod quasi dissipauerit? 523
3 A quibus villicus diffamatur. 524
4 Quare audita fama dissipationis bonorum Dominus vocat villicum? 526
5 Quare cùm Dominus optimè sciret dissipationem bonorum factam a villico, non statim illum vocat,nisi postquam fama delata est ad eum? ibid.
6 Quare Dominus audit crimina perpetrata à Villico,cùm ipse esset magnus in domo sua? 527
7 Quare cum Dominus rationem petit à Villico, statim ei comminatur quod non poterit amplius villicare? 528
8 Quare villicus non vocat in concilium amicos, vel consanguineos,sed tantum secum loquitur? 529
9 Quare villicus de se resolutinè asseuerat, quod nec possit fodere, nec mendicare? 530
10 Quare villicus tempore rationis plus dissipat, quàm antecedenti tempore sua villicationis? 532
11 Quare tantus est villicus, vt minuat numerum centenarium minus vni,quàm alteri dimittens? 533
12 Quare villicus tam impudenter tot furta audet committere? 534
13 Quare Dominus laudat villicum cùm iniquè, & iniustè egerit? 535
14 Quare nobis mandat Dominus facere amicos de mammona iniquitatis,vt ab eis recipiamur in æternam beatitudinem? 537
15 Quare mandans Dominus facere eleemosynas pauperibus, addidit,& cum receperitis recipient vos? 538

CAP. XXIX.

Dives epulo, & Lazarus.

QVÆST.I. AN huiusmodi euentus Diuitis cum Lazaro sit historia, vel parabola? 539
2 Quare miser auarus preciosa, purpura ac bysso induebatur? 540
3 Quare in argumentum damnationis huius diuitis dicitur quod induebatur purpura, & bysso, cum his vtens mulier fortis laudatur? 541
4 Quare Auarus tam splendida,& opipara mensa manducabat? 542
5 Quare Diuitis nomen tacetur, Lazari verò exprimitur? 544
6 Expenduntur labores,ac aerumna, quas patiebatur Lazarus? ibid.
7 Quare Lazarus è domo diuitis nihil aliud requirebat,nisi tantum micas? 546
8 Quare tanta crudelitas, ac inhumanitas diuitis, cùm ad ianuam suam haberet Lazarum,cuius vlcera illius canes lingebant? ibid.
9 Quare pauper dicitur portatus in sinum Abrahæ? 548
10 Quare Lazarus asportatur in sinum Abrahæ,non ab vno Angelo, sed à multis? 549
11 Quare non explicatur à quibus Dives sepelitur in inferno,sicut exprimitur à quibus Lazarus est asportatus? 550
12 Quare modo dives epulo videt distantem longissimè Lazarum,quam antea sibi vicinum minimè innuebatur? 552
13 Quare miser epulo suum sermonem dirigit potius ad Abraham,quàm ad Lazarum? 553
14 Quare cùm in sinu Abrahæ essent multi Patres? Dives vero non alium postulat refrigeratorem, nisi Lazarum,vt ad se mittatur? 554
15 Quare miser epulo expetit guttam aquæ non prius digito,sed alieno admotam? 555
16 Quare miser epulo totus igne concremaretur,solum tamen linguæ requirit refrigerium? 556
17 Quare Abrahamus miserum epulonem, quem à se excludebat filium vocat? 558
18 Quare cum Dives epulo excluditur ab Abrahamo,obiiciatur illi bona,quæ in vita recepit? 560
19 Quare damnatus epulo ostendit se habere affectum erga fratres salutem? 561
20 Quare Dives epulo non postulat se, vel Abrahamum,seu alium prædicatorem ad fratres mitti, nisi tantum Lazarum? 562
21 Quare Abrahamus testificat præferēdū esse Moysem, & Prophetas Lazaro resuscitato? 594

CAP. XXX.

Pharisæus, & Publicanus.

QVÆST.I. Quare Christus Dominus hic dat admirabilem doctrinam condemnans superbiam,& laudans humanitatem? 566
2 Quare hic introducuntur duo homines, vnus Publicanus,& alter Pharisæus,de cuius confidentia agitur? 567
3 Quare Pharisæus referens suas laudes damnatur, cùm tamen Ezechias, Iobus,ac Zacheus in suis commendationibus approbentur? 569

4 *Quare Pharisæus tantum erras, vt se solum indicet?* 570
5 *Quare Pharisæus cum se laudat, maculas, ac notas in alios impingit?* ibid.
6 *Quare Pharisæus tam acriter purgit Publicanum, maximè se extollens?* 571
7 *Quare Pharisæus ait, quod ieiunat bis Sabbato?* 572
8 *Quare Publicanus à longe stans in templo, non audet oculos ad cælum leuare?* 573
9 *Quare Publicanus tantum percutiebat pectus Dei clementiam exorans.* 574
10 *Quare oratio Publicani à Deo est exaudita, non verò Pharisæi?* 576
11 *Quare Publicanus tam facilè impetrat misericordiam, cum ille, qui tres panes postulauerit, valdè difficiliter obtinuerit?* 577
12 *Quare Publicanus pra Pharisæo iustificatur?* ibid.

CAP. XXXI.

Encænia facta.

QVÆST. I. *QVare tam accuratè Ioannes faciat mentionem festi Encæniorum, seu memoria Dedicationis Templi?* 579
2 *Quare Euangelista exprimit, quod tempus hyemale erat?* 580
3 *Quare porticulus ille, Salomonis dicebatur?* 581
4 *Quare Iesus non stabat, nec sedebat; sed ambulabat in porticu?* 582
5 *Quare Iudæi instanter à Christo quærunt, vt ipse de se testificet palam, an sit Christus, & Messias promissus in lege?* 583
6 *Quare Christus Dominus in suis ouibus non commendat, quod lacte, vel lanam præbeant, sed quod vocem eius audiant, ipsumque sequantur?* 585
7 *Quare postquam Christus Dominus dixit sibi datum esse maius omnibus, statim subiungit. Ego, & Pater vnum sumus?* 587
8 *Quare Christus Dominus exprimit quod oues suas nemo possit capere ex eius manu?* 588
9 *Quare Iudæi in præsenti Christum lapidare voluerunt?* 589
10 *Quare tam malitiosè dicunt Iudæi, quod de bono opere nolunt eum lapidare?* 590
11 *Quare Iudæi cùm vellent negare bona opera in Christo, ipsi tamen ea fatentur?* 591

CAP. XXXII.

Adolescens interrogans de vita perfectione.

QVÆST. I. *QVis esset ille iuuenis, & quo animo accesserit ad Christum?* 595
2 *Quare Christus redarguit iuuenem quod eum bonum vocauerit?* ibid.
3 *An adolescens in eo quod asserit: Custodiui omnia mandata, sit mentitus?* 597
4 *Quare benignitas in pauperes constituitur via ad omnes perfectiones?* 599
5 *Explicatur hæc Domini sententia.* Facilius est Camelum per foramen acus transire quam diuitem intrare in regnum cælorum? 600

CAP. XXXIII.

Reliquimus omnia.

QVÆST. I. *QVare Petrus modo facit hanc interrogationem?* 603
2 *Quare Petrus interrogans cum admiratione mercedem requirit, cùm tamen ipse totius Ecclesiæ esset caput constitutus?* 604
3 *Quare solus Petrus interrogat pro omnibus?* 605
4 *Quare cum Petrus pauca, & parua haberet, dicit se reliquisse omnia?* ibid.
5 *Quare Petrus non ait, reliquimus aliqua, sed omnia?* 607
6 *Quare Petrus ait Reliquimus omnia; cùm ipse dicatur habuisse domum, & socrum?* ibid.
7 *Quare Petrus non adhibitis testibus ait, reliquimus omnia, cum adhuc ipse haberet bonam famam, & opinionem, ac multum honoris apud omnes?* 608
8 *Quare D. Petrus non solum dixit, reliquimus omnia sed addidit, secuti sumus te?* 609
9 *Quare cum pauperibus spiritu sit iam assignatum regnum cælorum in præmium, hic Petrus quærit. Quid erit nobis?* 610
10 *Quare Christus præmium sui sequela primo assignat, quàm paupertatis, & hoc adhibita iuramenti forma?* 612
11 *Quare Apostolis promittitur sedes in generatione?* 613
12 *Quare Apostolis tunc designantur sedes, cum sederit filius hominis?* 614
13 *Quare Apostolis omnium iudices eliguntur, ac designantur à Christo.* 616
14 *Quare viri pauperes in iudices eliguntur?* 617
15 *Quare duodecim sedes tantum assignantur, cum maior sit numerus iudicantium?* 618
16 *Quare assignatur præmium relinquenti Patrem, matrem, & vxorem, cùm ex Dei lege tales præcipiantur cæli?* 619
17 *Quare, centuplum pollicetur relinquentibus temporalia?* 620
18 *Quare ex textu Marci hæ promissiones fiunt cum persecutionibus?* 621
19 *Quare pro relictis bonis temporalib. abundantiora bona temporalia dantur in præmium?* 622

CAP. XXXIV.

Operarij ad vineam.

QVÆST. I. *TVtius parabola sensus explicatur?* 623
2 *Quare hic Dominus vinea dicitur homo, & Paterfamilias?* 625
3 *Quare Paterfamilias primo mane exiit?* ibid.
4 *Quare Paterfamil. vocat operarios non ad comedendum in vinea, sed ad eam excolendam?* 626
5 *Quare Paterfamilias valdè matutinus vocat primos operarios cùm Iesus iuxta Solis occasum suos primos discipulos vocet?* 627
6 *Quare æterna beatitudo denario diurno comparatur?* 628
7 *Quare stantes in foro, vbi omnium negotia aguntur, otiosi dicuntur?* 629
8 *Quare Paterfamilias, cum solis illis, quos primo mane conduxit, conuentionem fecerit ex denario, non verò cum aliis?* 630

9 *Quare ex omnibus vocatis, inuenti hora vndecima arguuntur à Patrefamilias, vt otiosi?* 631
10 *Quare vocatis vndecima hora non aliquam mercedem pollicetur Paterfamilias vt factum est cum aliis?* 632
11 *Quare Paterfamilias non arguit hos operarios de mendacio, cum ipse per omnes horas exisset ad eos vocandos, ac conducendos?* 633
12 *Quare cum Deus sit maximè velox ad benefaciendum, hic Paterfamilias cum sero esset, mercedem mandat dare operariis?* 634
13 *Quare Paterfamilias per se non reddit mercedem operariis, sicut per se eos ad vineam conduxit?* 635
14 *Quare Paterfamilias mandat dare eundem denarium omnibus incipiendo à nouissimis vsque ad primos?* 636
15 *Quare primi conqueruntur de denario diurno nouissimis dato?* 637
16 *Quare primi operarij obmurmurant de mercede, dicentes, se portasse pondus diei, & æstus.* 638
17 *Quare Paterfamilias murmuratorem amicum appellat?* 640
18 *Quare electi dicuntur pauci, cum de illis testetur Angelus in Apocalypsi esse turbam magnam quam dinumerare nemo potest?* 641

CAP. XXXV.

Suscitatur Lazarus.

QVÆST. 1. *QVare Lazarus in Bethania infirmatur?* 643
2 *Quare tam breui oratione.* Ecce quem amas infirmatur, *Lazari salus deprecatur à sororibus?* 644
3 *Quare Christus Dominus per nuntium remittit sororibus, quod infirmitas non sit ad mortem, cũ mortuo Lazaro maximè turbari possent?* 647
4 *Quare cum Iesus diligeret sorores, & Lazarum, audita tamen eius morte moratur duobus diebus?* 648
5 *Quare cum Christus recessisset à Iudæis ipsum intendentibus lapidare modò, vult iterum repetere Iudæam?* 650
6 *Quare Lazari mors somnus nuncupatur?* 652
7 *Quare cum Dominus dicit Lazarum dormientem statim addidit, se velle ire ad eum suscitandum, non vbi cum eum mortuũ declarat?* 653
8 *Quare Thomas tam generosè ait ad condiscipulos; eamus, & moriamur cum eo?* 655
9 *Quare cum apud Iudæos esset constitutum, quod si Christum quis confiteretur, è synagoga eiiceretur, ad sorores tamen Lazari veniunt Iudæi, qua ipsum confitebantur?* ibid.
10 *Quare Martha non postulat expressè à Christo resurrectionem fratris sui, cum de ipso fateatur. Scio quia quæcumque poposcerit à Deo dabit tibi Deus?* 657
11 *Quare Christus non respondet Marthæ, quod posset fratrem resuscitare, vel viuificare, sed quod ipse sit resurrectio, & vita?* 659
12 *Quare Martha modò vocat Mariam, & non amea?* 661
13 *Quare Martha aduocat Magdalenam ad Christum, cum olim eam voluerit reuocare ab eius pedibus.* ibid.
14 *Quare dicitur quod Dominus viderit Mariam, & Iudæos plorantes.* 663
15 *Quare Christus infremuit spiritu, & turbauit se-*

ipsum? ibid.
16 *Quare Christus interrogat locum, in quo Lazarus iacebat?* 665
17 *Quare Christus Dominus lachrymatur?* 666
18 *Quare Christus, qui solum fleuit in cruce, vel super ciuitatem, etiam nunc super Lazarum lachrymatur cum reuocaturus in vitam, de cuius morte gauisus fuerat.* 668
19 *Quare Christus mandat tollere lapidem, quem verbo suo poterat leuare, cum Iacob lapidem per seipsam amouerit à puteo?* 669
20 *Quare Martha fratris cadauer dicit fœtidum, cum aliàs odoriferum probari possit?* 671
21 *Quare Christus antequam hic suscitet Lazarum dat gratias; quod in aliis miraculis non legitur fecisse?* 673
22 *Quare non dicit Christus, Lazare surge, vel exi foras in nomine Patris mei, cum pro ipso ad Patrem creuerit?* 674
23 *Quare Dominus non dixit, surge Lazare, sed veni foras.* ibid.
24 *Quare Christus mortuum Lazarum suscitans, illius simul vincula non dissoluit?* 675
25 *Quare Christus non soluit per seipsum Lazarum, sed mandat ministris illum soluere?* 676
26 *Quare Dominus mandat Lazarum abire, & quò abiit, & alia circa eum expende?* 677

CAP. XXXVI.

Concilium Pharisæorum.

QVÆST. 1. *QVare tantorum hominum sit Concilium aduersus Iesum?* 678
2 *Quare hoc concilium Pharisæorum tam depranatum, ac iniquum extitit?* 679
3 *Quare cum afflictione & angustia dicunt Pharisæi in concilio,* quid facimus? 681
4 *Quare Pharisæi qui signa quærebant à Christo, nunc contra eum obiiciunt quod signa faciat?* ibid.
5 *Quare Pharisæi & Pontifices in concilio contrà Christum arguunt quod multa signa facit?* 682
6 *Quare Pharisæi & Pontifices multum timidos se ostendunt in concilio si Christum dimittant?* 683
7 *Quare consiliarij isti obiiciunt quod veniant Romani, & tollent locum & gentem, cum Christus in nullo esset contrarius Romanis?* 684
8 *Quare dum Pharisæi cogitant tradere Iesum morti ne veniant Romani ad eorum excidium, ipsi miseri incidunt in Romanos?* 685
9 *Quare in hoc concilio nullus est qui pro Christo loquatur, ac impia resolutioni resistat?* 686
10 *Quare Caiphas suos consiliarios inscios ac ignorantes appellat?* 687
11 *Expenditur quàm depranatum fuerit consilium Caiphæ?* 688
12 *Quare os impium Caiphæ eructat aliam prophetiam diuini spiritus?* 690
13 *Quare nunc in senatu mors Christi decernitur ac determinatur?* 691

CAP. XXXVII.

Filij Zebedæi.

QVÆST. 1. *QVare Christus assumpsit duodecim in Apostolos: Et nullus se intromisit?* 697

2 *Quare in secreto Christus Dominus agit cum discipulis suis.* 697
3 *Quare Christus hic prædixit discipulis mortem, passionem, ac resurrectionem suam?* 698
4 *Quare discipuli qui sæpè Dominum de sua morte audierant differentem, tamen nunc dicitur quod nihil eorum intellexerunt?* 699
5 *Quare ab Euangelista notatur tempus quo mater filiorum Zebedæi accessit?* 702
6 *Quare mulier accessit adorans cum peteret?* 703
7 *Quare mulier audet primas sedes pro filiis suis petere?* ibid.
8 *Quare mater postulabat pro filiis & non potius filij petunt pro seipsis?* 704
9 *Quare mulier non solum pro filiis petit dexteram, sed etiam sinistram, quæ est assignatus reproborum locus?* 705
10 *Quare discipuli à Christo reprehenduntur quod nesciant quid petant?* 707
11 *Quare petentibus regnum Christus Calicem offert?* 708
12 *Quare suis discipulis non solum proponit Dominus Calicem, sed etiam addidit quem ego bibiturus sum?* 709
13 *Quare mors Christi sub baptismo significatur?* ib.
14 *Quomodo Iacobus & Ioannes Calicem Domini biberent, quem vt à se transiret Dominus in horto postulauit?* 711
15 *Quare Christus Dominus cui Pater omnia dedit in manibus, ait tamen his Apostolis: non est meum dare vobis?* ibid.
16 *Quare Christus Dominus qui faciliter aliis multa dona concesserat, his tamen duobus fratribus petita denegat?* 712
17 *Quare indignantur decem non in matrem, sed in hos duos fratres?*

CAP. XXXVIII.

Cæcus apud Iericho.

QVÆST. 1. *VTrùm eadem sit historia enarrata in tribus Euangelistis.* 715
2 *Quid significes cæcus in via iuxta Iericho?* 716
3 *Quare cæci clamantes vocant Christum filium Dauidis?* 717
4 *Quare turba increpabat cæcos istos vt tacerent?* 718
5 *Quare Christus interrogat cæcos quid velint?* 719

CAP. XXXIX.

Zachæus Christum excipit in domo sua.

QVÆST. 1. *QVisnam esset Zacheus in Iericho per quam Christus ambulat?* 721
2 *Quare Iesus perambulabat Iericho?* 722
3 *Quare Zacheus tam vehementer desiderabat videre Christum?* 723
4 *Quare Zacheus potius ascendit in arborem sycomorum, quam in aliam?* 724
5 *Quare ex ascensu ad arborem Zacheus tantam habuit felicitatem?* 725
6 *Quare Christus Dominus qui omnes inuitat ad crucem Zachæum tamen mandat descendere ab arbore Crucis typo?* 726
7 *Quare Christus ait Zachæo: In domo tua oportet me manere & non potius, tua interest in domo tua me manere?* 727
8 *Quare pro templorum ædificatione adducitur in exemplum Domina Baroniſſa dona Bretrij de Sylueira constituens illustre Monialium Monasterium?* 728
9 *Quare Zacheus cum tanto gaudio ac festinatione excipit Christum?* 731
10 *Quare Zacheus cum gaudio suscipit Dominum in domum suam, quem tamen venientem Centurio detinet?* ibid.
11 *Quare Zacheus cum stat coram Christo non dicitur pusillus sicut supra de eo dictum est.* 732
12 *Quare Zacheus ait: do & reddo, cum potius videbatur dicendum, dabo, reddam?* 733
13 *Quare Zacheus dat dimidium suorum rerum pauperibus, & prius de hoc agit quam de restituendis qua defraudauerat?* 734
14 *Quare ait Christus quod salus domui Zacchæi facta est?* 735
15 *Quare Zacheus dicitur Abrahæ filius?* ibid.

CAP. XL.

Triumphalis ingressus in Ierusalem.

QVÆST. 1. *EXplicatur vicus Bethphagé literaliter ac moraliter.* 737
2 *Quare discipuli mittuntur ad castellum quod contra eos erat?* 738
3 *Quare asina dicitur alligata, & pullus cũ ea?* 739
4 *Quare asina alligata & pullus cum ea mandantur solui vt ad Christum adducantur?* ibid.
5 *Quare mandatur adduci pullus super quem nullus hominum sedit?* 740
6 *Quare Christus Dominus, de quo scriptum est: bonorum meorum non indiges, mandat dicere quod de his animalibus opus habet?* 741
7 *Quare Christus Dominus cum multoties introisset in Ierusalem, nunc venit sedens super asinam acclamatus rex?* 742
8 *Quare Dominus ingreditur sedẽs super asinã?* 743
9 *An Christus insederit super asinam & pullum, vel super vnum solùm?* 744
10 *Quare Christus dicitur Rex vester mansuetus, cum hac ipsa die ingressus in templum vendentes & ementes multo rigore ejecerit?* ibid.
11 *Quare hæc animalia sub Dominis sunt foris in binio, sub Christo verò vestibus sternata ac via florida incedum?* 746
12 *Quare discipuli ponunt vestimenta sua super asinam & pullum?* 747
13 *Quare Christus tanto apparatu, támque fausta acclamatione ingreditur Ierusalem breuissimè duraturus?* 748
14 *Quare turba strauerũt vestimẽta sua in via.* 749
15 *Quare dicitur: Hosanna benedictus qui venit in nomine Domini.* 750

CAP. XLI.

Fletus super ciuitatem.

QVÆST. 1. *QVare Dominus defleat super ciuitatem?* 751
2 *Quare Dominus tam patenter ac manifestè lachrymatur super ciuitatem.* 752
3 *Quare in tanto triumpho lachrymatur Dominus.* 753
4 *Quare Dominus fleuit super Ierusalem, & non potius super totum regnum?* ibid.
5 *Quare ciuitati Hierosolymæ Deus obiicit potius ignorantiam in illa die, quam scelera eius?* 754

6 *Quare Dominus ciuitatem à ruina ac deuastatione non eximit, cum tam largiter ac copiosè fleret super eam?* ibid.
7 *Quare dicitur à Christo quod non relinquetur lapis super lapidem, cum tres turres intactæ fuissent relictæ in ciuitate?* 746
8 *Quare post fletum ciuitatis statim Dominus eiicit ementes & vendentes?* 757
9 *Quare Christus Dominus tam rigidè inuehitur in hos vendentes & ementes?* 758
10 *Quare Christus Dominus tanta potestate vtitur, & nullum hic edidit miraculum?* ibid.

CAP. XLII.

De grano frumenti, & exaltatione è terra.

QVÆST. 1. *QVare cum triumphali ingressu in Ierusalem, Dominus de sua morte connexit sermonem?* 760
2 *Quare Christus Dominus in præsenti comparatur frumenti grano, cum alibi appelletur acervus tritici?* ibid.
3 *Quare dicitur quod granum frumenti nisi mortuum fuerit ipsum solum manebit, cum semper Christus esset in gloria regnans?* 761
4 *Quare proponitur quod vt granum frumenti multum fructum afferat, eius mors debeat interuenire?* 762
5 *Quare dicetur quod si granum frumenti cadat in terram, & mortuum sit, multum fructum faciat, cum alia requirantur ad fructum proferendum?* 763
6 *Quare dicitur granum cadens in terram, & non potiùs proiectum in terram?* 764
7 *Quare non dicitur quod si granum non ceciderit ac mortuum fuerit, terra erit sola & inutilis, sed tantum quod granum erit solum?* ibid.
8 *Quare cum multi modo Iudæi ac Gentiles conuenissent ad Christum, tamen hoc diuinum granum dicitur solum, nisi cadat in terram?* 765
9 *Quare Christus mandat vt suus minister ipsum sequatur?* 766
10 *Quare Christus Dominus non explicat quæ præmia honorifica danda sint à Petro suo ministrantibus ipsi?* 767
11 *Quare instante Christi morte dicitur iudicium esse mundi?* 769
12 *Quare à cruce iudicium de mundo profertur?* 770
13 *Crux regalis thronus iudicij, regios ministros requirit?* 771
14 *Quare Princeps huius mundi dicitur eiectus foras?* 772
15 *Quare Dominus suam mortem in cruce appellauerit exaltationem?* 773
16 *Quare non dicitur exaltatus tantum, sed etiam exaltatus à terra?* 774
17 *Quare ex cruce quæ hominibus erat scandalum, promittit ad se omnia trahere Christus Dominus?* 775
18 *Quare Christus dixit, trahã omnia, & non potiùs aliqua, cum multi in sua malitia distincti perseuerauerint?* ibid.

CAP. XLIII.

Parabola Vineæ.

QVÆST. 1. *QVare Christus Dominus proposuit hanc parabolam, in eáque ipse se introduxit sub persona hominis Patrisfamilias?* 778
2 *Quare Paterfamilias plantauit vineam, cum sepe, torculari, & turri?* 779
3 *Quare Paterfamilias vineam suam locauit agricolis?* 781
4 *Quare Paterfamilias plantatam vineam, locauit agricolis multis, nempe, & non vni, vt de vinea apud Isaiam legitur?* ibid.
5 *Quare agricolæ insurgunt in seruos domini sui, ipsósque percusserunt ac occiderunt?* 783
6 *Quare nullus ex agricolis tantæ iniquitati adnersatur, sed omnes conueniunt ad occidendos seruos domini sui?* 784
7 *Quare post tot seruos occisos pater mittit filium suum, dicens, verebuntur filium meum?* ibid.
8 *Quare cum Paterfamilias bene sciret inuerecundiam agricolarum, ait, vt scribit D. Lucas, Forsitan verebuntur filium meum?* 785
9 *Quare agricolæ cum filium domini sui recognoscant hæredem, ipsum volunt interficere?* 787
10 *Quare tam crudeliter agricolæ insurgunt in filium, vt eum occidant?* ibid.
11 *Quare mendaces Scribæ tam veram sententiam contra se pronuntiant, Malos male perdet?* 789
12 *Quare non exprimitur à quo regnum Dei sit ab eis auferendum?* 790
13 *Quare ad plantandam vineam multa referuntur; ad destruendum verò vnum tantum verbum proponitur?* 791
14 *Quare quæ priùs dicitur vinea, nunc verò regnum Dei nuncupatur?* ibid.

CAP. XLIV.

Nuptiæ filij Regis.

QVÆST. 1. *QVare Christus Dominus proposuit hanc parabolam?* 793
2 *Quare Deus Pater cum homo non sit, assimilatur homini, Rex?* 794
3 *Quare hic Princeps Euangelicus priùs dicitur homo, postea Rex?* 795
4 *Quare cum inuitati noluissent venire, adhuc homo Rex eos vocat benignè ac vrbanè?* 796
5 *Quare tauri, & altilia dicuntur occisa in conuiuio, & non numerantur sicut alterius quinque iuga boum?* 797
6 *Quare non solùm referuntur in conuiuio tauri sed etiam altilia apposita?* ibid.
7 *Quare cum irascitur, dicitur tantùm Rex, cum antea appellatus fuisset homo & Rex?* 799
8 *Quare iratus Rex missis suis exercitibus, perdidit homicidas illos, & eorum ciuitatem succendit?* ibid.
9 *Quare non ad curiales, nec ad ingressus, sed ad exitus viarum mandantur serui, vt adducant bonos, & malos?* 801
10 *Quare Rex intrat, vt per se ipsum videat discumbentes, & hoc ministris non committit?* 802
11 *Quare quem Dominus reprobat, amicum vocat?* 803
12 *Quare arguitur homo quod sine veste nuptiali fuerit ingressus?* 804
13 *Quare cum arguitur homo quod esset ingressus sine veste nuptiali, omnino obmutescit?* 805
14 *Quare hominis pannosi mandat Rex ligare manus & pedes?* 806
15 *Vnde in domo regali ac nuptiali fuerunt funes, vt hic miser alligaretur?* 807

16 *Quare statim ac sine vlla dilatione Rex mandat hominem sordidum ligare ac mittere in tenebras exteriores?* ibid.

Cap. XLV.

Tributum Cæsaris.

Qvæst. 1. *Quare tam accuratè Euangelista notat tempus quo Pharisæi hoc consilium inierunt?* 809

2 *Quare Pharisæi conati sunt Iesum potiùs capere in sermone, quàm in opere?* 810

3 *Quare Pharisæi mittunt discipulos suos cum Herodianis, & quinam essent Herodiani?* ibid.

4 *Quare discipuli Pharisæorum Christum Dominum de veritate laudant, & commendant?* 811

5 *Quare Pharisæi quærunt à Christo, an tributum esset soluendum Cæsari, cum illi bene agnouerint, quod ipse illud soluerit?* 813

6 *Quare Pharisæi volunt capere Iesum in sermone contra Cæsarem, & non potiùs contra Dei legem?* 814

7 *Quare cum Pharisæi blandè Christum interrogassent, ipse asperè respondet, hypocritas vocans?* ibid.

8 *Quare dixit Christus Dominus, potiùs reddite quam date, quæ sunt Cæsaris Cæsari?* 816

9 *Quare Christus prius dixit reddenda Cæsari, quam Deo?* 817

10 *Quænam sunt reddenda Cæsari, quæve Deo?* ibid.

11 *Quare Christus Dominus tam apertè illis dicit veritatem, & quod Deo reddenda quæ Dei sunt?* 818

Cap. XLVI.

Charitatis mandatum.

Qvæst. 1. *Quomodo fuit Sadducæis silentium impositum?* 819

2 *Quare Pharisæi, & Sadducæi conuenerunt in vnum aduersus Christum?* 820

3 *Quare impositio silentio Sadducæis Pharisæi Christum volunt tentare?* 821

4 *Quare de magno mandato quærit magister ille?* ibid.

5 *Quare Dei dilectio ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima commendatur?* 822

6 *Quare Christus Dominus tam mansuetè ac affabiliter agit cum hoc Doctore, cum antea valdè seuerè se habuisset cum Pharisæis ac Herodianis?* 823

7 *Quare cum Doctor interrogauerit de primo mandato, non solum Christus de illo respondit, sed etiam secundum apposuit?* 824

8 *Quare post Dei amorem statim subiungitur amor proximi?* 825

9 *Quare secundum mandatum de dilectione proximi dicitur sumi de primo?* ibid.

Cap. XLVII.

Arguuntur Pharisæi & Hierusalem.

Qvæst. 1. *Quare dicitur quod Pharisæi & Scribæ sederunt super cathedram, & non potius in cathedra?* 828

2 *Quare Dominus mandat, quòd quæcumque dixerunt Pharisæi & Scribæ sedentes super cathedram Moysis facienda esse?* 829

3 *Quare in recensendis Pharisæorum vitiis ante omnia arguuntur quod dicunt, & non faciunt?* 830

4 *Quare Pharisæorum onera importabilia dicuntur?* 831

5 *Quare Philacteria portabantur à Pharisæis?* 832

6 *Quare Dominus cum minatur Iudæis, non facit mentionem de suo sanguine, cum ob ipsum effusum facta fuerit strages Ierosolymitana?* 833

7 *Quare Christus Dominus expressè vocat Abelem iustum, non verò expressè dicit iustum Zachariam?* 835

8 *Quare super Iudæos minatur venturus omnis sanguis qui effusus est à mundi constitutione.* 836

9 *Quare Zacharias nominatur, & quis sit ille Zacharias?* 837

10 *Quare deflet Dominus Ierusalem, & non potiùs ipsos Prophetas occisos?* 838

11 *Quare Christus Dominus se gallinæ assimilat?* 839

12 *Quare cum peccata fuerint communia totius gentis Iudæorum, Dominus peculiariter facit comminationem contra Ierusalem?* 840

Cap. XLVIII.

Prælia audienda.

Qvæst. 1. *Quare discipuli egressi de templo ostendunt Christo Domino illius fabricationes?* 841

2 *Quare discipuli tria interrogant de excidio Ierosolymæ, fine mundi, ac aduentu Iudicis?* 843

3 *Quare Christus ait, Audituri estis prælia & opiniones præliorum, & non potiùs visuri estis?* 845

4 *An præsentia Christi verba referantur solùm ad verbis Ierosolymæ deuastationem, an etiam ad illius & orbis excidium?* ibid.

5 *Quare tempore Antichristi assignatur quod surgat gens in gentem?* 846

Cap. XLIX.

Antichristus.

Qvæst. 1. *Quænam sit hæc abominatio prædicta à Daniele, & hic pronuntiata?* 848

2 *Quare cum narratur abominatio desolationis Antichristi, primò describitur à loco sancto?* ibid.

3 *Quam terribilis sit abominatio Antichristi, ex quadruplici ratione ostenditur.* 849

4 *Quare Christus Dominus hic adducit testimonium ex Daniele Propheta?* 851

5 *Quare cum persecutio Antichristi totum premet orbem, tamen Christus peculiariter ait, quod qui sunt in Iudæa fugiant ad montem?* ibid.

6 *Quare Christus dixit de illis, qui erant in tecto, vel in agro, quòd non reuertantur tollere vestimentum, vel aliquid de domo sua?* 853

7 *Quare Christus Dominus dixit potiùs, væ prægnantibus, quàm væ claudis, ægris, & decrepitis?* 854

8 *Quare Christus mandat orare, ne fuga contingat in hyeme, vel Sabbato.* 855
9 *Quam terribilis & dura persecutio denunciatur qualis nunquam fuit.* 857
10 *Quare ex diuina pietate breuiabuntur dies illi propter electos.* 858
11 *Quam variis modis Pseudoprophetæ Christi milites seducere conabuntur, sed martyrum fides inuicta stabit.* 859
12 *Quare, nec hic, nec illic, nec in deserto inuenietur Christus?* 860
13 *Quare iusti, ac sancti cum aquilis comparantur?* 861
14 *Quare cum vultures, cerui, ac alij passeres currant ad cadauera, hic solum de aquilis fit mentio.* 862
15 *Quare cadauer hic ponatur ad quod aduolant aquilæ?* 863

Cap. L.

Iudicium finale.

Qvæst. 1. *Quomodo Sol, Luna, ac Stellæ obscurabuntur, quamque terribilem horrorem indicabunt?* 864
2 *Quanto tempore hæ horribiles tenebræ durabunt, quibus cœlestia astra appetunt abscondi ab ira Dei* 865
3 *Quare Sol, Luna, ac Stellæ obscurabuntur?* 866
4 *Quare Sol regius planeta primo, & ante omnia obscuratur?* 868
5 *Quare Luna obscuratur, & non dabit lumen suum?* 869
6 *Quare Stellæ dicuntur cadentes de Cœlo?* 870
7 *Quare Sol, Luna viduantur suo lumine adhærentes Cœlo, Stellæ verò dicuntur cadere?* 871
8 *Quare mare dabit horrendum sonitum?* 872
9 *Quare ante iudicium tot, tantáque signa in omnibus elementis præcedunt?* 873
10 *Quare tam vehementer homines arescent, ac tabescent?* 874
11 *Quare virtutes Cœlorum commouebuntur?* 875
12 *Quando, & quomodo, quantáque luce Crux apparebit in iudicio finali.* 877
13 *Quare Crux apparebit in iudicio Vniuersali.* 878
14 *Quare Christus veniens ad iudicium dicitur filius hominis?* 879
15 *Quare Christus venit ad iudicium non sedens super Cherubim, vt olim, sed super nubem? ibid.*
16 *Explicatur maiestas Christi venientis ad iudicium cum suis Angelis?* 880
17 *Quare Iusti cum separantur cuibus comparantur, reprobi vero hædis.* 881
18 *Quare Christus prius præmiat electos, quam puniat reprobos?* 883
19 *Quare inter præclarissima virtutum facinora solum de operibus misericordiæ facit Dominus mentionem? ibid.*
20 *Quare electi sic proprias virtutes ignorant, vt dicant, quando te vidimus esurientem, aut sitientem.* 885
21 *Quare misericordiæ opera non pauperi, sed sibi data Christus affirmat. ibid.*
22 *Explicatur, quam horrenda & terrifica vox illa erit:* Ite maledicti. 887
23 *Quare ignis inferni dicitur præparatus malis Angelis cum verò hominibus etiam malis.* 888
24 *Quare à supremo Rege præmium non dicitur expresiè æternum, vt ignis damnatorum. ibid.*
25 *Quare cum in inferno varia sint tormentorum genera, solum de igne facit Dominus mentionem.* 889

Cap. LI.

Decem Virgines.

Qvæst. 1. *Quare regnum cœlorum virginibus comparatur? ibid.*
2 *Quare Virgines dicuntur decem.* 893
3 *Quare iusti in Ecclesia militante comparantur cum Virginibus, in Triumphante verò cum viris, ac hominibus. ibid.*
4 *Quare simul in Euangelio narrantur Virgines fatuæ, & prudentes?* 894
5 *Quare in Euangelio Virgines introducuntur cum lampadibus, viri verò cum lucernis? ibid.*
6 *Quare ex decem Virginibus quinque notantur ab Euangelista fatuæ?* 895
7 *Quanam esset fatuitas harum Virginum. ibid.*
8 *Quare Virgines dormientes non arguuntur, cum apud Psalmistam pereant viri, qui dormitauerunt?* 897
9 *Quare vox sit media nocte, explicatur rara, & admirabilis virtus S. Theresiæ.* 898
10 *A quo facta est hæc vox, expenditúrque cor B. Theresiæ ab Angelo transuerberatum?* 899
11 *Quare Virgines ornauerunt lampades suas, quibus Theresia maximè resulget.* 900
12 *Quam ornata fuerit lampas Carmelitanæ familiæ Theresiæ, ac aliis viris illustribus.* 901
13 *Quare cum fatuæ à prudentibus oleum postulant, non prudentes, sed sapientes vocant?* 903
14 *Quare fatuæ Virgines dicunt, date: non verò vendite, vel accommodate. ibid.*
15 *Quare fatuæ Virgines à prudentibus petunt, non de alieno oleo, sed de proprio.* 904
16 *Quare dicunt lampades extingui, & non potius extinctas esse?* 905
17 *Quare prudentes Virgines tam rigidè se exhibent erga fatuas, vt ne illis tantillum olei velint porrigere?* 906
18 *Quare prudentes ad vendentes mittunt fatuas, & cum respondent, non dicuntur sapientes, sed prudentes. ibid.*
19 *Quare dum fatuæ Virgines vadunt emere oleum, venit sponsus, & clauditur ianua.* 207
20 *Quare Virgines fatuæ clamant non sponsum, sed Dominum dicentes: aperi nobis.* 908
21 *Quare ipse Dominus respondet Virginibus fatuis:* Nescio vos.

Cap. LII.

Talenta distributa.

Qvæst. 1. *Totius parabolæ sensus explicatur.* 910
2 *Quare in præsenti Christus Dominus dicitur homo tantum, & non Rex, vel Pater.* 911
3 *Quare hic vir primo dicitur homo, secundo verò loco Dominus?* 912

Series Capitum, & Quæstionum.

4 *Quare homo iste dicitur peregrè profectus? ibid.*

5 *Quare homo solùm servos suos vocat, & non alios?* 913

6 *Quare homo dat bona sua, & non aliena, & nullus de hac distributione conqueritur?* 914

7 *Quare ipse Dominus, & non aliquis Angelus venit ad rationem ponendam cum servis?* 915.

8 *Quare fidelis servus non vocatus se coram Domino repræsentat.* 916

9 *Quare bonus servus duplicata talenta Domino offert?* 917

10 *Quare talenta tradita, bona pauca vocat Dominus?* ....

11 *Quare fideli servo dicitur, intra in gaudium Domini tui?* ibid.

12 *Quare tam servo, qui quinque talenta, quam illi, qui duo lucratus est, idem præmium assignatur?* 919

13 *De iniquo servo.* ibid.

SVMMA
CONCIONVM AD OMNES
Dominicas totius anni.

Prior numerus paginam designat: Posterior est marginalis.

Dominica 1. Aduentus.

Luc. 21.

ERVNT signa in sole. 864. c. 50. videatur per totum.

Dominica 2. Aduentus.

Matth. 11.

CVm audisset Ioannes in vinculis. Iusti multis labotibus exercitantur à Deo. p. 644. 8. 9. & seq.

Cum audisset in vinculis. Christi discipulos non deliciæ, sed labores consequuntur. 70. 87. & seq.

Cum audisset Ioannes. In vinculis est, & Christi dignitatem cognoscit, quam valdè difficile sit apud homines alterius dignitatem fateri. 93. 132

Mittens duos de discipulis suis, vt à Christi veritate illustrentur, ac illuminentur. 690. 64. 65

Mittens duos. Viro iusto multa cura est de aliorum salute, inde Ioannes suos discipulos ad Christum mittit. 234. 23. 24

Mittens duos. Cum sit in vinculis mittit discipulos: in ipsis vinculis virtus Ioannis non deficit, sed manifestatur. 845. 26. & seq.

Tu es qui venturus es. Bonus magister in se speciem dubitantis, ac ignorantis assumit, vt discipuli instruantur, ac illuminentur. 66. 58. & 426. 6

Tu es qui venturus es. Nomine suo interrogat tanquam bonus magister, vt suorum defectus occultet. 87. 92. Vide multa verbo *Defectus.*

Euntes renunciate Ioanni. Non verbis, sed operibus respondet, non sunt necessaria verba, vbi opera loquuntur. 632. 64. & seq.

Cæci vident. Christus beneficentiâ manifestatur. 299. 83

Pauperes Euangelizantur. Pauperibus dona largiri diuinitatis nota. 361. 150

Quid existis videre arundinem vento agitatam. Inter eximias Ioannis virtutes eius insignis constantia maximè laudatur à Christo. 232. 15. & 636. 87. & 877. 86

Qui mollibus vestiuntur. Baptista opponit anlicos pretiosis vestibus exornatos. Vestis enim Ioannis correspondet muneri, ac officio prædicantis pœnitentiam. 422. 109. 110. 111. & 541.

Dominica 3. Aduentus.

Ioan. 1.

MIserunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas. Eligunt Iudæi in legatos Sacerdotes, & Leuitas, gentem ambitiosam, & deprauatam, ex quibus Iudæorum mala intentio deprehenditur. 149. 128. & seq.

Miserunt Iudæi Sacerdotes. Pro re magna magnos ministros eligunt, & designant. 833. 32

Miserunt Sacerdotes, & Leuitas. Ex odio erga Christum volunt Ioannem constituere Messiam, cum apertè Christus, vt talis esset venerandus; odium obcæcabat, & nulla euidentia mitigabatur. 134. 19. & seq. 429. 29. & seq.

Miserunt Sacerdotes, & Leuitas. Ioannes ex tribu Leuitica, minimè poterat esse Messias, qui ex tribu Iudæ vaticinatus erat, tamen Iudæi Ioannem volunt eligere Messiam amotis affectu, non verò rationis iudicio. 192. 34. & seq. & 704. 55. & seq.

Miserunt Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem. Messiæ dignitas ex Dei dono data, tamen Iudæi ex arrogantia, Messiam constituere pro suo beneplacito volunt. 294. 57. & seq.

Miserunt ad Ioannem: applausus hominum in deserto fugiebat Ioannes, & ibi eum homines venerantes quærunt. 869. 35

Miserunt ad Ioannem, magnum sanctitatis Ioannis elogium, quod cum esset pauper ad dignitatem eligitur. 361. 150

Tu quis es. Interrogant, vt supra suam conditionem, ei dignitatem conferant. 324. 79. 80

Confessus est, & non negauit. Ioannes totus in Deum intentus, omnia mundialia contemnit. 509. 128. & seq.

Elias es tu, & dixit, non; Propheta es tu, & dixit non. Quo pacto potuit Ioannes dicere se non esse Prophetam, qui Christi ore Propheta nominatur. Ingenuus sanè de omni honore obliuiscitur, & solum de sui demissione, ac humilitate, quod non sit, recordatur. 79. 33. 34. & seq.

Elias es tu, non; Propheta es tu, & dixit, non. Ioannes à Christo dictus est Propheta, & in munere præcursoris, figuram Eliæ gerebat Ioannes. Et tantum de se omnia negat, nam cum esset verè humilis non cum aliis, sed infra omnibus se reputabat. 435. 61. & seq.

Quid ergo baptizas. Cum Ioannem Iudæi vident à dignitate depositum, statim eum contemnentes

nentes in ipsum insurgunt. 671. 179. 180. 872.58

Dominica 4. Aduentus.

Luc. 3.

Anno quinto decimo. Describitur Respublica Iudaïca sub multis principibus tyrannicè eam depopulantibus temporalia regna plena rapinis. 369.36.37

Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris. Qui per suam ambitionem nullo loco,ac principatu quiescebat. 191.23.& seq.

Procurante Pontio Pilato Iudæam. Qui vt suam potestatem, ac iurisdictionem tueretur, multa mala est operatus in populo. 784.41.42

Procurante Pontio Pilato. Multis,& nouis tributis vexabat rempublicam, vt de sanguine pauperum vestiretur. 540.13 & 554.101. cum tamen tributum semel impositum perpetuum sit. 817.13

Tetrarcha autem Galilea Herode. Qui obiecto zelo boni communis vt templum, ac rempublicam amplificaret turpissima facinora perpetratus est. 685.36.& seq.

Sub principibus Anna,& Caipha. Ambitione ducti inter se Pontificatum per alternas vices gerebant. 201.89.& 90

Sub principibus Anna, & Caipha. Tam atrocissimi principes describuntur,vt inde enuncietur expectatissimus Messiæ Aduentus. 648. 36. & seq.

Factum est verbum. Verbum dicitur potius factum , quam dictum , quia prædicator potius debet suadere facto,quam ore,& operibus potius,quam verbis. 164.236.237

Factum est verbum Domini in deserto. Fugiebat humanum applausum latitans Ioannes in deserto, 253 66

Prædicans Baptismum pœnitentiæ. Prædicabat rigorem pœnitentiæ simul cum suauitate Baptismi ; prædicator simul adiungat rigorem cum suauitate. 798.35.& seq.

Vox clamantis in deserto. Vox ex intimis præcordiis nascitur, prælatus vt fructum faciat,se debet euiscerare, vt subditis proficiat. 763.26. & seq.& 859.68

Omnis vallis implebitur,& collis humiliabitur. Humilietur excelsus , vt erigatur humilis. 435. 58

Omnis vallis implebitur. Ex vltimo,ac infimo loco Deus erigit humiles ad primum locum. 437.73.& seq.

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Luc. 2.

Ascendentibus illis. Ascendebant cæteri,ascendunt Maria , & Ioseph , vt legem adimpleant, & singularitatem deuitent. 664.130.& seq.

Ascendentibus illis. Ascendebant ad templum;vt nos informarent, quod semper ad virtutem sit ascendendum, & nunquam quiescendum. 195. 51.& 242.71.& 370.43.& seq.

Secundum consuetudinem. Christus Dominus suorum bonam antiquorum consuetudinem tenebat , ac obseruabat. 22.30. & 46.31. & 90. 109.159.197

Remansit puer Iesus : consanguinitatis vincula dimittenda,vt Deo,ciúsque mysteriis seruiamus. 450.78

Remansit puer Iesus. A parentibus se absentat , vt doceat , quod pro Deo omnis consanguinitas sit relinquenda, ac dimittenda. 604.110.111

Remansit puer Iesus. Vt de eius absentia maximè amor inflammaretur ; aliquando enim magis absentia,quam præsentia æstimamus, ac veneramur. 80.44.& seq.& 261.106.108

Remansit puer Iesus. Cuius ratio subditur , *in iis quæ Patris mei sunt oportet me esse* ; parentes, ac omnia propria relinquenda , vt muneris obligationi satisfaciamus. 476.39.& 98.166

Existimantes illum esse in comitatu. Dum quilibet Parentum quoad speciem de alterius cura circa puerum confidit,vterque sine filio inuenitur,vt hoc sit nobis documentum , quod humanæ præsumptioni non multum sit fidendum. 403.69.& 656.83

Inter cognatos,& notos. Et cur inter cognatos, & notos,& non inter alios, quia maximè deuantanda est pietas inter cognatos. 430. 38. Valdè frequenter apud mundiales res contigit. 357. 127

Inter cognatos , & notos , qui suorum iactura sæpè commouentur. 562.148.149

Regressi sunt in Ierusalem. Diuisi amiserant , non verò diuisim regrediuntur vt inueniant, vt instruamur , quod vnitas multum conducit ad Christum,ac eius dona obtinenda. 414.& 215. 53.& seq.

Et interrogantem. Ipsa sapientia non dedignatur interrogare,non vt discat,sed dissimulat ignorantiam, vt efficacius doceat. 66.58

In his ,quæ Patris mei sunt. Vt filius sui Patris operatur,nam illustris originis claritas ad virtutes fomes est. 383.123

Dominica 2. Post Epiphaniam.

Ioan. 2.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Cana,id est zelus. Galilæa , id est transmigratio, ibi nuptiæ celebrantur,quia deliciæ huius mundi secum habent transmigrationem , ac breuitatem. 450.76.& 541.21.& seq.

Deficiente vino. Vinum temporalia bona denotat, cum enim esset ibi Iesus , ad eius præsentiam omnia temporalia deficiunt. 115.139. & seq.170.280

Vocatus est autem Iesus , & discipuli eius. Christi Domini paupertati succurrunt , cum eum vocant ad prandium,& ipsa vocatione propriam calamitatem depellunt coniuges:nam eo ipso quod quis alienæ calamitati succurrit , suæ & consulit. 386.15. & 426. 7. 8. 9. Vide multa in Indice. Verbo *Eleemosyna.*

Et erat mater Iesus ibi. Sapienter Mariam vocant, vt eius præsentia habeant asylum ad omnem propulsandam calamitatem. 253.64.& 661.110. & seq.& 626.20

Deficiente vino. Non expectat Virgo egentium preces , ingens enim liberalitas est supplicationem anteuertere,& sine precibus dare. 491. 18

Deficiente

Deficiente vino. Teste D. Chrysostomo apud D. Thomam aliquantulum distulit Christus, vt à multis rogaretur: multorum enim oratio efficax iux impetrandi. 47.40.& 214.49.& seq.

Vinum non habent. Non alteri dixit Virgo, nisi tantum Iesu, qui subuenire poterat, necessitas ei aperienda, qui remedium exhibere valet. 21. 24

Vinum non habent. Cur permittit Virgo, vt vinum deficiat, cur ante illius defectum non subuenit; donum sanè in necessitate valdè gratum. 62.32

Quid mihi & tibi mulier, dissimulat exaudire vt largissimè concedat. 26.64

Quid mihi, & tibi. Sic ad speciem videtur aliquantulum dure respondere, cum tamen ipsa oratione non grauetur, sed delectetur. 177. 37. & seq.

Quodcúmque dixerint vobis facite. Orauerat Virgo pro præsenti necessitate & oratiò feruida certa de obtinendo dono, ac vices omnipotentiæ fungitur. 41.161.& seq.

Haurite nunc. Vinum generosum, ac excellens cum omni bonitate, & dono in Eucharistia offertur. Vide verbum: *Eucharistia* in Indice.

Bonum vinum. Deus non solum dat necessaria, sed etiam, quæ sunt ad iucunditatem. 797.32. & seq.

Dominica 3. Post Epiphaniam.

Matth. 8.

Ecce leprosus veniens. Labores, ac afflictiones homines ducunt ad Deum. 146.110.& 456. 114.& seq.& 500.76.& seq.

Ecce leprosus veniens. Ipsa pressura, ac calamitas mentem illuminat, & dat cognitionem, vt Deum quæramus. 120.46.& seq.

Adorabat eum. Marcus addit *flexis genibus* frequenter petens venit adorans. 24.47

Domine si vis. Non absolutè petit, sed cum diuina voluntate se componit, & adaptat. 656.83.& 713.121

Domine si vis potes me mundare. Non est importunus intercessionibus, ac petitionibus, sed strictis verbis vtitur. 60.22.& seq.& 645.13

Potes me mundare. Salutem postulat, modum verò illam obtinendi Deo relinquit. 645.15

Potes me mundare. Christus descendens de monte prouocat leprosum, vt ab eo salutis beneficium petat. 719.32.33

Potes me mundare. Orabat flexis genibus cum humilitate, & inde valdè efficax fuit oratio. 31. 97. & seq.

Potes me mundare. Oratio erat animi afflicti præ magnitudine morbi, & inde multum efficax extitit oratio, 37.137.138

Extendens manùm ait volo mundare. Velocissimè Deus exaudit nostras preces. 506.112.113.114

Et confestim mundata est lepra eius. Dei beneficia citissimè in nos defluunt. 31.100.& 224.38

Vide nemini dixeris. Præbet exemplum, vt interpretatur Haymon, opera virtutum absconenda esse ab hominum aspectu. 386. 16. & seq. & 653. 62

Dominica 4. post Epiphaniam.

Matth. 9.

Ascendente Iesu in nauiculam secuti sunt eum discipuli. Si princeps, vel prælatus aliquid prior exequitur, facilè subditi eum imitantur, ac sequuntur. 207. & 372. 58. & seq. & 543.30

Secuti sunt eum discipuli. Inter Christum, & suos discipulos intima vnio. 282.65

Et ecce motus magnus factus est. Deus dat labores, ac afflictiones, vt sui iusti illis exerceantur. 644.8.& seq.& 70.87.& seq.

Ecce motus magnus factus est. Grex Christi persecutione pascitur, ac viuit. 371.49

Domine salua nos perimus. Multorum oratio valdè efficax. 47.40.& 214.49.& seq.

Domine salua nos perimus. In periculo cum spe orandum. 195.54

Qui timidi estis. Deus vult exorari, vt auertat supplicium, ac pœnam imminentem. 122. 21. & seq.

Qui timidi estis. Christus in suis amicis reprehendit errores 110. 32. & dum eos ostendit capaces reprehensionis, eos declarat regimine aptos, & dignos. 75 133.& seq.

Qui timidi estis. Præsente Christo nihil timendum videbatur, à Dei namque præsentia omnis securitas, & bonum, omnéque malum propulsatur. 237.42.& 274.122.123

Qui timidi estis modica fidei? Eos arguit de timore ob tempestatem, nam fide omnis aduersitas vincitur, aç superatur. 852. 31. & sequentibus.

Facta est tranquillitas magna. Valdè grata post tam vehementem tempestatem. 610. 53. & 389.32.& seq.

Facta est tranquillitas magna. Nullus est labor, ac pressura huius vitæ, quia non habent finem. 61.30

Porrò homines illi admirati sunt. D. Marcus scribit: timuerunt timore magno, dicentes, *quis putas est*; ex tanta serenitate timent, ingens fauor cordato viro timoris causa. 165.241

Dominica 5. post Epiphaniam.

Matth. 13.

Cvm dormirent homines. Diabolus occasiones explorat, vt noceat. 234.20.21

Venit inimicus homo. Et Diabolus erat, & tamen dicitur homo, durius ipse pugnat per hominem, quam per seipsum. 111.44

Venit inimicus homo. Explorat enim Diabolus, vt malum, quod infert alteri referatur. 174. 17

Superseminauit zizaniam. Quam Diabolus habuit paratam, vt homini inferret damnum. 534.142. & seq.

Cum autem creuisset herba; tunc apparuerunt zizania: herbæ inutiles secum afferunt zizaniam, & vnum peccatum. 18.101

Tunc apparuerunt zizania. In agro illo superéminet zizania suffocans triticum, ac herbas alias; frequenter impius ex alterius modestia fit peior, ac procacior. 590.66.& seq

Inimicus homo hoc fecit. Rectè inimicus dicitur, qui

qui sub noctis silentio,ac abscondite, crudeliter tantum malum intulit. 312.12.& 377.89

Inimicus homo hoc fecit. Inimicus non ferus, non Diabolus, sed homo dicitur, homo in hominem crudelissimus. 336.153.& seq.

Sinite vtramque crescere vsque ad messem. Dat Deus locum pœnitentiæ, ne cito, *amputemus fratrem*,vt ait Hieronymus.404.75.76.452.911 28.37

Sinite vtramque crescere vsque ad Messem. Deus differt, & minatur eradicationem, ac supplicium,vt misericordiam petamus.221.21.& seq.

Ne forte colligentes zizaniam, eradicetis simul, & triticum. Virtus à vitijs separanda,nam ex malis multum contagium.29.82.& 175.27.& seq. & 240.58.& 803.65

Eradicetis simul & triticum. Iniquorum supplicio iustus non est simul inuoluendus. 313.18.19

Dominica 6. post Epiphaniam.

Matth. 13.

Simile est regnum cælorum grano synapis. Iuxta multos Patres per granum synapis prædicatio Euangelica intelligitur, nam vt granum synapis aliquando soporat,& pungit. 798. 35. & seq.

Quod minimum quidem est; cum autem creuerit, maius est. Ex minimis Deus ad excelsa, ac sublimiora erigit. 437. 74. & seq. & 576.64. & seq.

Cum autem creuerit. In virtute nunquam cessandum, sed semper ad vlteriora progrediendum, ac proficiendu ». 195.51,& 370,43,& seq.

Cum autem creuerit. Creuit non cito ad suprema euolando,sed paulatim procedendo. 408.23.& 821.21.& seq.

Simile est grano synapis. D.Hilarius can.13. grano synapis Dominus seipsum comparauit acri semini,& omnium minimo.

Cuius virtus pressuris accenditur. Tribulationibus, ac laboribus premimur, vt ad cœli sublimia erigamur. 707.79. & seq. & 708. 85.86. & seq.

Quod accipiens homo. De grano synapis in singulari loquitur, cum tamen non vnum granum seminet homo, sed multa; fideles per granum synapis designati,sic se habent inter se,vt non tanquam plures; sed veluti vnus homo se habeant. 215.53 56.57.& 445.43

Simile est regnum cælorum fermento. Per regnum cœlorum intelligitur Ecclesia,ac eius prælati, & comparantur fermento:nam fermentum vt massam valeat fermentare,requiritur vt liquefiat,ac in massa imbibatur: sic & Prælati, vt subditis subueniant se debent euiscerare, ac ex substantia sua subtrahere. 763.26. & seq. 839. 68.

Quod acceptum abscondit mulier. Notat D.Chrysologus serm.99.quod in seminando grano synapis sermo dirigitur ad virum; hic verò cum de farina agitur, fœmina proponitur; vnusquisque in suo officio se exerceat, ita vt vir, quæ sunt virorum agat, mulier quæ fœminarum. 156.174 & 256.35.& seq.

Dominica in septuagesima.

Matth. 20.

Simile est regnum cælorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane. Vide. p.623

Dominica in sexagesima.

Luc. 8.

Exiit, qui seminat seminare semen suum. Non per alios, sed per seipsum seminat. Nam res magna sine detrimento ministro non committitur.631.51.& 72.99.100.101. & 75.10.11. & seq.

Exiit, qui seminat, Ipse paterfamilias per se ipsum seminat, præsul enim constituitur vt seruiat,& ministret. 376 75.& 420.95.& seq

Exiit qui seminat. Magnus labor seminare,spontanee tamen exiit, spontanei autem labores dulces,& suaues. 116.17.& seq.

Seminare semen suum. Exiit è domo sua seminare Dei verbum; non solum sermone auribus obiecto,sed etiam exemplo oculis præposito.164. 236.& seq.

Aliud cecidit secus viam. Cur prouidus Paterfamilias spargit suum semen in loco,ex quo nullus demittendus erat fructus. Ingens liberalitas absque spei incrementis virtutum monumenta colere. 405.7. & 515.161.& 636.88.& seq.

Aliud cecidit super petram,& natum aruit. Cur de prima iactura eruditus semen suum non retinet ne perdat, sciebat sanè, quod non semper vna infelicitas præsagium sit alterius. 784. 43

Aliud cecidit inter spinas. Ex semine iacto, quem fructum colligit,spinas nempe,& tribulos,frequenter beneficij consequentia, odium,& iniuria est. 230.74.& seq. &.328. 105. & seq. & 591.72.73

Simul exortæ spinæ suffocauerunt illud. Spinæ vehementer grana suffocare nituntur,pessimi ingenij est aliorum magna facta infuscare, ac corrodere. 192.31.& seq.& 82.54.& seq.

Suffocauerunt illud. Nocere, ac triticum suffocare moliuntur spinæ,valdè ingenitum homini nocere, ac damnum inferre. 336. 153. & seq. & 347.59.60

Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Varij, & inconstantes à domo Dei exulant,& reiiciunt. 188.9. & 274.20.& 320.59

A diuitijs suffocantur. Cum diuitiæ nitent,virtutes obscurantur. 323.& 601.36.38

A diuitijs, & voluptatibus. Voluptates, ac delitiæ tribulis comparantur ex ipsis voluptatibus dolor,ac amaritudo prodiit.498.62.& 542.21. & seq.

Dominica in quinquagesima.

Luc. 18.

*Assumpsit Iesus duodecim,& ait illis.*695.c.37. per tot.& 715.c.38.per tot.

Summa Concionum.

Dominica 1. *in Quadrageſima.*

Matth. 4.

DVctus eſt Ieſus. Vidit Dæmon cœlos apertos, audiuit paternam vocem, & tamen tantis teſtimoniis ſolum hominem præſumpſit; plus valet apud mundiales leuis ſuſpicio ad notam, quam clara euidentia ad virtutem. 341.26.27.& 353.110

Ductus eſt Ieſus a ſpiritu. Monemur quod ſecurus eſt homo contra Dæmonis iacula, vbi Dei, vel ſuperioris voluntas eum conſtituerit. Locus propria voluntate electus periculoſus; ſuperioris iuſſu ſecurus. 121.52.& ſeq.& 601.39

Ductus eſt Ieſus. Vidit Dæmon Ieſum à Spiritu ſancto eductum ab aquis, audiuit paternam vocem, *hic eſt filius* meus, & tamen adhuc dubitat an ſit Dei filius. Inimicus nulla euidentia percipit tua magnalia, ſed ſemper quid exiguum reputat. 82.54.& ſeq.& 197.96

Cum ieiunaſſet quadraginta diebus. Cùm Dæmone congreſſurus auſtere ieiunat, vt ſuo exemplo inſtruat efficaciam ieiunij ad expellendos dæmones. 181.63

Cum ieiunaſſet quadraginta diebus. Non vnum, vel alterum diem ieiunat, ſed quadraginta perſeuerantiam, & conſtantiam in virtute oſtendens. 392.48.& 636.87

Acceſſit tentator. Dupliciter Diabolus exiit in bellum contra Deum; primo aperto marte in cœlo, hic verò occultè; ac inſidiosè, vt crudelius pugnaret. 310.4.& 377.89

Dic vt lapides iſti panes fiant. Diabolus iubet duriſſimo pane lapideo viuere; ſciebat, quod homines Dei ſuauia deſpiciunt, vt ſibi eligant mundi dura, & aſpera. 450.76. & ſeq. & 474. 25.& ſeq.& 517.174

Dicat lapides iſti panes fiant. Cur Diabolus non vnicum panem, ſed plures requirit, curauit de ſeculi more, vt panibus exundaret, nam temporalium abundantia multam ruinam parit. 4. 17.& 743.48.49

Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem. Repentè ad excelſa euehit, vt facilius præcipitet, repentina altitudo ruinam parit. 143.84.& 614. 71.& 669.164.& 821.21.& ſeq.

Mitte te deorſum. Caſum cum ſublimitate coniunxit, altum enim faſtigium ſæpè ruinæ, ac infelicitatis eſt mater. 772.82.& 287.12.& ſeq. 402 61.& 560.135.& ſeq.

Oſtendit ei omnia regna mundi. In momento nãque temporis, ac per quandam ſpeciem, vt eſt multorum opinio, & rectè quidẽ, quia omnia bona mundi cogitatione, & nõ re, apparentia, & non veritate exiſtunt. 393.2.& 489.10.& 11

Feria 2. *poſt Domin.* 1.

Matth. 25.

Cum venerit filius hominis. Vide c.25. p.459

Feria 3. *poſt Domin.* 1.

Matth. 21.

Cum intraſſet Ieſus Ieroſolymam. Vide c.41. p.751

Feria 5. *poſt Domin.* 1.

Matth. 15.

Egreſſus Ieſus in partes Tyri, & Sydonis. c.2. p.18

Dominica 2. *Quadrageſima.*

Matth. 17.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, &c. Vide c.8. p.130

Feria 2. *poſt Domin.* 2.

Ioan. 18.

Ego vado, & quæretis me. Vide c.16. p.[illegible]

Feria 3. *poſt Domin.* 2.

Matth. 23.

Super Cathedram Moyſi Vide c.47. p.818

Feria 4. *poſt Domin.* 2.

Matth. 20.

Aſcendens Ieſus Ieroſolym. Vide c.37. p.695

Feria 5. *poſt Domin.* 2.

Luc. 16.

Homo quidam erat dives. Vide c.29. p.539

Feria 6. *poſt Domin.* 2.

Matth. 21.

Homo quidam erat Paterfamilias, & plantauit vineam. Vide c.43. p.778

Sabbatum poſt Domin. 2.

Luc. 15.

Homo quidam habuit duos filios. Vide c.27. p.488

Dominica 3. *Quadrageſimæ.*

Luc. 11.

ERat Ieſus eiiciens dæmonium. Ieſus vocatur dum miſeri hominis commodis conſulit, & contra dirum inimicum pugnat. Principis eſt pro ſuis ſtare, ac pugnare, & eorum commodis conſulere. 366.22.& 481.65

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Magnum miraculum magnam Chriſti virtutem declarans, cum potens dæmon eiicitur, ac punitur, vt miſer, & pauper homo liberetur; Diuinitatis nota, vt potentes contemnantur, & pauperes liberentur. 361.150.& 552.90.& ſeq

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Illud *erat*, veluti quandam moram denotat, cum tamen ſua potentia poſſet eiicere in inſtanti, declarãs, quod in hoc negotio potius ratione, quam potentia procedebat. 311.9.& ſeq.& 770.66

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Quædam Dæmonis pertinacia arguitur, quæ ex diuturnitate manendi venit. Vitium enim quod ex conſuetudine in mores abiit, valdè difficilè expellitur. 671.176.& 296.66.& ſeq.

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Erat tanquam moram interponens, quia veluti pro vrgenti ſuæ authoritatis ratione, adducebatur, vt homini daret linguam, quæ ſæpè illi eſt occaſio ad multa mala. 51.73.& ſeq.

Et illud erat mutum. Ora hominis dæmon clauſit, mutum reddidit, ne valeat confiteri, vt inde ad ſalutem reſurgat. 377.90.& ſeq. Vide multa verb. *Confeſſio.*

Et illud erat mutum. Vitiis deditus miſeram taciturnitatem ſuſtinet, vitia enim eius proprium os comprimunt. 313.21.& 314.22.23

Locutus eſt mutus. Diu mutus fuerat, etſi iam expedite

expedite loqueretur, adhuc mutus dicitur, sæpè homo non ex præsentibus, sed ex antiquis iudicatur. 352.100.& seq.& 568.15

Quidam dixerunt in Beelzebub. Qui virtute niter, & fulget, contra odium, ac inuidiam armetur. 406.12.& seq.

In Beelzebub principe Dæmoniorum, Miraculum vident, & dæmonis opus clamant, peiora semper credimus, & illa vera existimamus. 351.99

In Beelzebub principe Dæmoniorum. Obcæcati liuore, ac æmulatione agitati Christi facta abrodere nituntur. 24.48.& 81.54.& seq.

In Beelzebub principe Dæmoniorum. Malè affecti erant Iudæi erga Christum, ac proinde de voluntatis officina, quod habebant in corde, eructabat ore. 406.9.& 557.120.& seq.

Omne regnum in seipsum diuisum. Discordia miseriæ mater, ac Pharisæorum vitium. 7.34.& 216.58

Feria 3. post Domin. 3.
Matth. 18.

Si peccauerit in te frater tuus. Vide c.11. p.107

Feria 4. post Domin. 3.
Matth. 15.

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum. Vide c.1.

Sabbatho post Domin. 3.
Ioan. 8.

Iesus perrexit in montem olineti. Vide c.15. p.170

Dominica 4. Quadragesimæ.
Ioan. 6.

Abiit Iesus trans mare Galilææ. Vt Iudæorum furorem declinaret, eorúmque iræ cederet. 248.28

Quia videbant signa. Ipsa beneficentia aliorum animos allicit, ac attrahit. 57.4.& seq.298.80

Quia videbant signa. Ex visis signis mouebantur homines ad Christum sequendum. 57.4.& seq.

Cum sublevasset oculos. Subleuat oculos, vt miseriam depellat, regiam potestatem declarans, cuius est miserum causis subuenire. 32.103.104.& 481.65

Cum sublevasset oculos. Non expectat Dominus preces, ipsa miseria diuinam clementiam solicitabat. 24.54.& 25.55.56. Etiam magni liberalitas offenditur, cum aliquid petitur. 491.18

Dixit ad Philippum, vnde ememus panes. Magnus Dominus non dedignatur ab amicis, ac inferioribus consilium petere. 57.8.9.& seq.

Dixit ad Philippum. Tanquam illius loci conciuem, ac in illo enutritum, vt multis placet. Expertus consiliarius quærendus. 174.113.& seq.

Vnde ememus panes. Bonus princeps suorum clade affligitur, & de eis cibandis agit. 753.17.781.21.& seq.

Ducentorum denariorum; prudenter respondit Philippus proprias vires considerans, & perpendens. 50.63.& seq.

Est puer hic vnus Docet nos Andreas quod vbi humana industria valet esse negotiatrix, non sunt quærenda miracula. 580.14.& 581.14.& seq & 676.210

Et puer hic vnus. Bonus minister, qui non est ad inferendam famem, sed panem suum offert ad commune bonum. 445.44

Facite homines discumbere. Non patitur Christus suos fame laborare; nam famis occasio ad multa mala. 61.29.& 545.46.& 546.49.& seq.

Cum gratias egisset; ab oratione incipit. Vide multa verbo *Oratio*, in Indice.

Distribuit discumbentibus. Ipse distribuit & ideo fortè panum fragmenta superfuerunt, vt pro magno nostro documento discamus, quod si ministrorum manibus sæpè res decrescunt, Domini sub dispensatione augentur. 50.62.& 72.99.& seq.& 631.51.& 816.50.

Feria 3. post Domin. 4.
Ioan. 7.

Ascendit Iesus in templum, Vide c.14. p.243

Feria 4. post Domin. 4.
Ioan. 9.

Prætereins Iesus vidit hominem cæcum. Vide c.18. p.338

Feria 6. post Domin. 4.
Ioan. 11.

Erat quidam languens Lazarus. Vide c.36. p.715

Sabbathum post Domin. 4.
Ioan. 8.

Ego sum lux mundi. Vide c.16. p.186

Dominica in Passione.
Ioan. 8.

Si veritatem dico vobis. Vide c.17. p.309

Feria 2. post Domin. 5.
Ioan. 7.

Miserant principes, & ministri. Vide c.14. p.243

Feria 3. post Domin. 5.
Ioan. 7.

Ambulabat Iesus in Galilæam. Vide c.14. p.243

Feria 4. post Domin. 4.
Ioan. 10.

Facta sunt encænia. Vide c.31. p.579

Feria 6. post Domin. 5.
Ioan. 11.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium. Vide c.36. p.678

Dominica in Palmis.
Matth. 21.

Cum propinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage. Vide c.40. p.737

Dominica Resurrectionis.
Marci 16.

Cum transisset Sabbatum. D. Hieron. Post Sabbathi tristitiam felix irradiat dies. Post afflictionem, ac tristitiam aduenit lætitia, & exultatio. 542.21.& seq.

Vt venientes vngerent Iesum. Mulieres vadunt cum aromatibus, & ideo prius quam Apostoli resurrectionis Domini gaudio fruuntur. 61.26.& 187.98.99.& 96.148.& seq.

Vt venientes vngerent Iesum. Nonne mulieres vident milites armatos custodes sepulchri, quomodo tantum obsequium parant Domino exhibere. Amor nil timet, & multam habet fortitudinem. 372.54.& 479.53

Vt venientes vngerent Iesum. Operis exhibitione amorem suum erga Iesum declarant. 645.18.19.20.608.39

Valde mane. Verus amor non sinit cunctari, nec patitur moras. 87.86.& 479.53

Quis revoluet mihi lapidem, Omnium rerum difficultates ingens devorat affectus. 442.27.28.& 791.84.85.86

Viderunt revolutum lapidem. Velocissimè Deus suorum vota exaudit, & eorum desideria adimplet. 506.112.& 507.113.114.& 626.19.20

Viderunt iuvenem sedentem, Angeli maximè solliciti de nostre salute, & vt bona annuntient. 484.79.80

Iesum crucifixum. Inter gloriae resurrectionis, passionem commemorant, sine passione non datur Christi gloria. 156.180

Surrexit, non est hic. Magna gloria Christi resurrectionis. 383.121. Christi resurrectio ad nostram vtilitatem. 702.42

Dominica in Albis.

Ioan. 20.

Cvm fores essent clausa. Dum à mundano tumultu Apostoli recedunt,& fores sæculo clauduntur, tunc Dominum resuscitatum, ac eius colloquio frui merentur. 817.58.59.60

Et fores essent clausa. Apostoli erant foribus clausis propter metum Iudæorum, & simul habebant certam spem de præmio, ac Christi gloria; bonus seruus cum spe, ac timore.

Vbi erant discipuli congregati. Vnione ipsa reddũtur Apostoli digni, vt diuinis donis repleantur. 168.264.& 214.48.& 215.53.56.57.& 474.27

Stetit in medio eorum. Principis præsentia militum animos armat,& multa dona confert. 367.24.25.36.& 476.38.& 481.67.68.69.70

Stetit in medio. Vt suis valde anxiis subueniat. 251.48.& 427.16

Pax vobis. Pacem afflat discipulis, vt in eis habitet, ac commoretur Christus. 214.48.& 215.56.57. Et vt etiam multam insinuaret prædicatorum concordiam inter se. 445.43

Infer digitum tuum huc. Christus sua vulnera illi aperit, vt ex eius tactu ad omnia cœlestia bona transeat. 601.40.41

Ostendit ei manus, & latus. Concordant opera affectibus, quod in humanis valde est arduum, & difficile. 557,118.119

Dixerunt ei alij discipuli, vidimus Dominum. Thomas gloriã non credidit pluribus affirmãtibus, qui fortè paucioribus asserentibus crucem crediderat; facilè homines aliorum infortunia, difficilè verò eorum glorioſa credunt. 351.99

Noli esse incredulus. Christus in suis amicis reprehendit errores 110.11. Et dum Thomas ostenditur reprehensionis capax, aptus omni imperio, ac regimini declaratur. 93.133.134.135

Dominus meus, & Deus meus. Ob Christi vulnera credit Thomas, ob quæ infideles non credunt, quod fidelibus est motiuum ad credendum, infidelibus est ad incredulitatem. 356.124

Dominus meus, & Deus meus. Fidem, quam animo concepit, confessione, ac opere protestatur. 749.85.86.87

Dominica 2. post Pascha.

Ioan. 10.

Ego sum Pastor bonus. Vide c.19. p.363

Dominica 3. post Pascha.

Ioan. 16.

Modicum videbitis me. Se eis præsentem declarat; Prælati enim præsentia valde necessaria. 367.24.25.26.& 380.105.106.107

Modicum videbitis me, & iterum modicum non videbitis me. Absentia cum præsentia coniungenda est. Prælatus ne sit importunè præsens, ne diu absens. 181.67.68.69.70

Modicum videbitis me. Ob Dei præsentiam maximè timendum. 165.241

Modicum videbitis me, iterum modicum non videbitis me. Tristitia de Domini absentia sequitur gaudium de illius præsentia. 174.21.22

Modicum non videbitis me. Omnia huius sæculi, modicum, ac paruum dicit. 127.81.82.403.674 & 450.76.& 489.10.11

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Et quomodo non verretur in gaudium, cum iustus tribulationibus probetur, ac exerceatur. 644.8.9.10.11.& 365.12.13

Tristitia vestra vertetur in gaudium. Cœlestis patriæ tanta est exultatio, ac bonorũ felicitas, vt nullis verbis valeat explicari. 421.101.102.103

Mundus autẽ gaudebit. Mundani gaudẽt de bonis huius sæculi, de quibus iusti tristantur. 751.6

Mundus autem gaudebit. Mundani solùm præsentia cogitant,& ideo lætantur. 400.48

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Nam iustus per meritum suum facit præmium. 129.92

Gaudium vestrum nemo tollet à vobis; nam iusti etiam in ipsa morte exultant, & lætantur. 418.81

Dominica 4. post Pascha.

Ioan. 16.

Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Discipuli non audent interrogare, quo vadat, & tamen ipse eis explicat, quod nempe tendat ad eum, qui misit eum; secreta cum amicis communicanda. 58.9.10.& 11

Vado ad eum, qui misit me. Magna, & alta mysteria eis aperit Ascensionem suam in cœlum, aduentum Spiritus Paracliti, & tamen eis secretum non commendat; nam sæpè illius commendatio subornat ad publicationem. 54.91.92.93.& 698.18. Secreta enim magnorum per se abscondenda sunt. 698.19.20.21.22

Tristitia implenit cor vestrum. Oblectationem, quam habuerunt de Domini præsentia, concomitabitur tristitia de eius absentia. 542.21.22

Tristitia implenit cor vestrum, vt dono cœlestis Spiritus fruantur, prius tristitia implentur, ac impugnantur, non datur verum bonum sine aliqua aduersitate. 202.94.95.96

Veritatem dico vobis. Cum diuini spiritus aduentus, proponitur, veritatis assertum astruitur; Deus & veritas maximè connectuntur. 216. 61.62

Expedit vobis, vt ego vadam. Vt eorum tristitiam expellat Dominus, proponit eis esse valde necessarium, vt ipse abeat, facillimè mouetur homo suo commodo, ac vtilitate proposita. 650 44.& 7 9.14

Si non abiero, Paraclitus non veniet. Expedit, vt diuinus spiritus veniat, per Spiritum sanctum cuncta nitent, cap 8.n.205. ac per ipsum datur gratiarum plenitudo. 265.132

Paraclitus non veniet. Expedit vobis eius aduentus; nam ipse suis donis vniuscuque necessitati, ac indigentiæ maximè se accommodabit. 141.81.82.83 84.& 839 69

Arguet mundum de peccato. Vt mundus reformetur, omne malum ab eo est euellendum, ac proinde peccatum, quod est omnium malorum radix, ab illo est amputandum. 739.16.& 754. 23 24

Et de iudicio. Magna felicitas tam bonum, ac integrum habere iudicem. 285.88.89

De iudicio. Et ita integerrimo, vt etiam intimos, ac dilectos amicos punat cum causa postulet. 759.28.29 30

Dominica 5. post Pascha.

Ioan. 16.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis Docet nos orandum, & in nomine suo Iesu nempe, qui se humiliauit vsque ad mortem, oratio associata cum humilitate, valde efficax. 31.97.98.99.& 41.161.162

Si quid petieritis Patrem. Suorum tristitiam, ac afflictionem prædixerat Dominus in hoc c.16. Ioan. *Tristitia implebit cor vestrum.* Nunc eos docet orare, contribulati, ac oppressi oratio valde efficax, vt exaudiatur. 37.137.138

Si quid petieritis Patrem, feruidam orationem requirit, & hæc valdè certa est de dono obtinendo. 41.163.164

Si quid petieritis. Nō ait in singulari, *si quid petieris,* sed in plurali, *si quid petieritis.* Oratio enim multorum valde efficax. 47.40.& 214.49.50.51

Si quid petieritis. Non explicat, an sit petendum hoc, vel illud, sed indeterminatè, *si quid petieritis, dabo vobis*, quia magna est potentia orationis ad omnia impetranda. 157.182. & 391. 45.46.47

Si quid petieritis in nomine meo Dabitur vobis in nomine meo, quia sine recta intentione non ascendit oratio in cœlum. 409.29.& 416.67. & 680 9

Petite, & accipietis Nihil medium astat inter petitionem, & acceptionem; Deus enim velocissimè nostras preces exaudit. 506.112 113.114

Palam de Patre annuntiabo vobis. Patrem annuntiat eis, a quo sint præmia percepturi; magnum leuamen in laboribus est, quod quis cognoscat se habere Dominum, & Patrem à quo sit præmia recepturus. 139.57. & 501.98. & 610.65. 55. 56

Palam de Patre annuntiabo. Pater integerrimus iudex. Iuxta illud Ioan 8. *Est Pater meus, qui quærat & iudicet* 613.70.& 383 122.123.124

Ipse Pater amat vos. Ingens Dei liberalitas nostra in infinitum excedit obsequia; pro amore nostro finito suum infinitum nobis impendit. 97. 158.159

Et credidistis Fide omnia impetrantur; & nihil illi denegatur. 39 152.153 154

Nos scimus, quia scis omnia. Christus Dominus vt verus præsul, totum suum corpus circumspicit, ita vt omnia sint ei in præsentiarum. 367. 24. 25.26.& 380.105 106.107

Dominica 6. post Pascha.

Ioan. 15.

Cum venerit Paraclitus. Christus Dominus prædixerat immediatè antea multas pressuras, tribulationes, ac persecutiones: statim illico pollicetur venturum Paraclitum. 708.85. 86.87 89

Cum venerit Paraclitus. Labores, ac aduersitates prædixit illico euenturas, aduentus autem Spiritus Paracliti post aliquot dies promittitur; prospera lento pede veniunt, aduersa verò citò volant. 791.80.81.82

Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis. Recte Diuinus Spiritus Paraclitus dicitur, vt explicat Dydimus in Catena Græca, quia quorum est habitator, eorum corda lætitia replet. 342.127

Quem ego mittam vobis. Ipse Dominus de se aperte testificat Spiritum mittere, vt eos tanto dono ad se obliget, ac deuincat; vt eum sequantur. 57.5.6

Vos testimonium perhibetis de me. Testes de visu aduocat, testificanda enim sunt, quæ videntur. 227.56

Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Discipuli nondum virtute perfecti, & ideo fieri poterat, vt facilè scandalum paterentur; nam vir virtute magnus promptè à se scandalum reiicit, 15.81.& 199 74

Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Sub prætextu pietatis, ac boni malum infertur. 236.30.& 685.36. 37.48

Omnis qui interficit vos. Armantur impij contra iustos, & sanctos; eorum enim virtus multas sustinet persecutiones, cum nullum sit verum bonum, sine impugnatione, ac contrarietate. 202.94 95 96

Omnis, qui interficit vos Cùm Christus à suis discipulis recedit, eorum persecutiones, ac afflictiones denūtiat, persecutio enim pro Christo magnum leuamen, ac substentaculum est. ibid.

Omnis, qui interficit vos. Cur si impij contra iustos armantur, quia eos intentant reducere ad viam salutis, ac proinde pro bono reddunt malum. 232 8.9.10

Omnis, qui interficit vos. Tamen iustus stabit, & peccator cadet. 733 84

Hæc faciunt vobis. Ipsa persecutione, ac aduersitate maximè probatur amor discipulorum erga Christum. 112.45.46

Dominica in Pentecosten.

Ioan. 14.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. In ipsa obseruatione diuinorum mandatorum multa

multa sunt difficilia vitam dare, ac carnis appetitus subiicere,inde suum diligentem requirit Christus, pressuris enim, ac laboribus, declaratur,ac probatur amor. 112.45.46

Si quis diligit me, ait; non verò mea dona, verus amor Dominum, & non sua dona diligit.521. 198 199.200

Si quis diligit me,ait; non verò perceptiuè imperat,diligite me,sed tantum inquit: *Si quis diligit me*, veluti sub nostra voluntate sui amorem relinquens. Dilecti enim voluntas insinuata magnam vim præcepti habet. 645.17. 657.& 89

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Diligenti omnia præcepta vnicum verbum, amor omnem laborem minuit. 441.27.28

Si quis diligit me. Ita Deus diligendus, vt totum nostrum amorem ei impendamus, ita vt non diuidatur amor inter Deum,& creaturas. 411. 40.41.42.& 607.29.30.31.32.& 821.27

Qui non diligit me, sermones meos non seruat: perpende diuersum loquendi modum, diligenti omnia præcepta est vnum verbum, non diligenti multa sunt verba. Sermones meos non seruat. 791.84.85.86

Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; cumulatissima Christus suorum obsequia remunerat, vt non solùm suum amorem erga suum dilectorem declaret, sed insuper addit, quod à Patre suo sit diligendum, eorúmque aduentu sit honorandus. 96.148.249

Ad eum veniemus. Per gratiam nempe, vt nos ad ipsum veniamus. 234.25

Ad eum veniemus. Christus prior nos quærit, vt nos ipsum quæramus. 378.97.98 99

*Et mansionem apud eum faciemus.*Dei permanétia in suis donis,hominis verò trãsitus.719.18.& 19

*Paraclitus autem Spiritus.*Non solùm dicitur Spiritus, sed etiam consolator, Deus enim mira suauitate suos dilectos replet, vt non solùm det eis necessaria, sed etiam quæ mirificè recreant,ac delectant. 797.32.33

*Quem mittet Pater in nomine meo.*Sancti Spiritus missio non solùm competit Patri, sed etiam Filio. Cur ergo non ait Christus, quem ego mittam. Spiritus sanctus mittebatur in laudem, & gloriam Christi, & inde eius missio Patri tribuitur; laus enim non debet ex ore proprio exire.94.138.139.& 928.25.& 569.18

Spiritus Paraclitus. Sancti Spiritus protectione cuncta nitent.c.8.n.205. eiúsque aduentu magna gratiarum plenitudo data est. 265.132

Dominica Sanctissimæ Trinitatis.

Matth. 23.

Data est mihi omnis potestas,in cœlo, & in terra. Cur etiam non in inferno,vt ostendatur boni principis esse suis studiosè intendere benefacere. 42. 10. & 43. 11. 12. & 134. 18. & 144.91.92.93.& 287.10.& 288.15.16.17

Data est mihi omnis potestas. Cum ipse sit omni potestate eminens, ab omnibus independens demonstratur vt eius dicta vera, ac firma habeantur. 818.65

Euntes ergo prædicate. Ex sibi data in cœlo, & in terra,qua Deus ostenditur,hanc infert Dominus illationem homines esse docendos. Diuinitatis nota est sua dona illis communicare. 287. 11. & 660. 103. & 712. 109

Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ Omnibus vult Euangelium nuntiare, cœlestia enim bona eorum communicatione non minuuntur. 503.195

Prædicate Euangelium omni creaturæ,prædicatione Euangelica omnem creaturam ad se vult adducere,eorum animos deuincens potiùs ratione quàm potestate. 247.26. & 311.9.10.11 & 770.66

Prædicate Euangelium. Licèt essent multi fideles, ac credentes in Dominum Iesum, peculiariter tamen hoc prædicationis negotium non omnibus,sed suis Apostolis committit;potestatis est multos habere ministros, paucis verò magna committere. 134.28.& 445.46

Prædicate Euangelium omni creaturæ. Constituti erant Apostoli prælati, ac proinde eis mandatur, vt de suorum salute agant; prælatus enim constituitur, vt seruiat, ac ministret suis. 420. 95.96 97.98

Baptizantes eos. Vt diuinam doctrinam de cælesti Trinitatis mysterio percipiant,aqua Baptismatis emundari iubentur, nam puritas conscientiæ schola est scientiæ mandatorum Dei. 274. 72.73.74.& 305.120.121.122

*Baptizantes eos.*Ægypti aquæ homines suffocant; Christi verò aquæ homines suauitate, ac dulcedine replent, & tamen homines Dei suauia despiciunt, & mundi laboriosa eligunt. 450. 76.77.& 474.25.26.& 527.174

In nomine Patris. Trinitatis fides, vt necessaria postulatur. 131.6.& 387.21

In nomine Patris. Confessio exprimitur trium diuinarum personarum, confessio enim fidei fit de omnibus mysteriis. 78,27

*Docentes eos seruare.*Non prodest fides piè suscepta,si factis non adiuuetur. 22. 31. & 242.72. & 361.152,& 852.31.32.33

*Ecce ego vobiscum sum.*Vt Christi præsentia omnia vitia destruantur. 306.122.123

*Ecce ego vobiscum sum.*Monemur quantum prosit superioris præsentia.367.24.25.26.& 380.105

Dominica infra Octauam Corporis Christi.

Luc. 16.

*Homo quidam fecit cœnam magnam.*Vide c.3. p.438

Dominica 3. post Pentecosten.

Luc. 7.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores. Vide c.26. p.470

Dominica 4. post Pentecosten.

Luc. 5.

Cum turba irruerent in eum, vt audirent verbum Dei. A turba, à qua comprimebatur Christus se subducit, cur ipsas turbas potentia suæ diuinitatis non reprimit, sicut & flagello vendentes eiecit de templo? Christus ad audiendam diuinæ legis, & salutis suæ doctrinam vocabat omnes, nullum licet opprimatur, excludit; in omnes sua dona volebat diffundere. 19. 10. 11. 12. & 144. 91. 92. 93. & 439.6.7.& 860.82.83

Irruerent in eum. Quomodo non irruerent in eum, cum Dei verbum sit cibus reficiens animam. 63.44.45.& 64.46.47

Ascendens in vnam nauim, quæ erat Simonis Petri. Cur nauis dicitur potius Simonis Petri, quam Andreæ; quia Petrus præficiendus erat vniuersæ Ecclesiæ. 100.177.& 104.202.203

Roganit eum. Non impetrauit, non coëgit, sed placidè, ac benignè rogauit, magis alliciens benignitate, quàm cogens rigore potestatis. 248. 34

Et nauicula docebat eos. Cur non potiùs è cathedra in Synagoga? Christus propensior erat in nostrum commodum, quàm in suam gloriam. 139.55.& 299.81.& 430.38.39

Sedens de nauicula docebat eos. Quid de nauicula docebat, non explicatur, sanè ea docebat, quæ vniuersæ naues nos docent, quod scilicet si sint oneratæ, pereunt. D. Basil. in cap. 2. Isai. *Quemadmodum*, ait, *naues onere immodico degrauata facilè subeunt naufragium, pari ratione corpora quacunque redundanti alimonia, ad obesam carnulentiam denergunt, per voluptatum illecebras in imam voraginem perditionis immergantur.* Homo vitij onustus in profundum labitur. 542.21.22.23. Vel etiam, quia peccatum grauissimum onus est. 199.79

Sedens de nauicula docebat. Docebat fortè hunc mundum mari assimilari, in quo erat nauicula, mare inconstans, & quid hoc mundo magis vitreum, & fragile. 550.75.& 403.67

Roganit reducere à terra pusillum. Qui prædicat cælestia, habeat animum separatum à terrenis, vt doceat verbis, & factis. 164 236.237

Dixit ad Simonem, duc in altum, & laxate retia vestra in capturam piscium. Ad quæ verba elegantèr Theophylactus: *Turbam de nauicula Dominus instruxerat, non sine mercede, Dominum nauicula deseruit. Dupliciter benefaciens illam, primò quia dedit ei multitudinem piscium, deinde discipulum ipsum fecit.* Quæ in Dei obsequium damus cumulatissimè, remunerat Dominus. 562.148.149.& 581.18.19

In verbo tuo laxabo rete. Dei verbo maximè obediendum. 159.201.202.203

Concluserunt piscium multitudinem. Quod erat maximè gratum, cum præter spem euenisset. 95.141

Concluserunt piscium multitudinem. Petrus iussu Domini laxauit rete. Perfectè obediens habet suum præmium. 346.57

Cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem. Petrus solus dixit, laxabo, omnes tamen ministerium exhibent, quod superior præstat, facilè & subditi præstant. 207.1.& 372.58.59. 60.& 543.30

Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua. Hucusque nudè Simon dictus est, hic autem nomen Petri adiicitur, procidit nunc ad Iesu genua ostendens suam humilitatem, quæ est fundamentum virtutum, & qua ad alta sublimatur. 576.64.65.66.& 195.49.& 197.63

Dominica 5. post Pentecosten.

Luc. 5.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Vt explicat D. August. lib. 2. de ciuitate Dei. Iustitia Pharisæorum erat dicere, & non facere; vestra autem iustitia in hoc erit superabundus, vt quod ore dicitis, operibus adimpleamini. 164. 236.237.& 653.64.65.66.

Nisi abundauerit iustitia vestra. Christi discipuli multo maiora dona, quam Pharisæi acceperunt; inde multo maior bonorũ operum copia ab eis requiritur. Qui enim maiora dona accepit, maiora præstare tenetur. 506.107.& 108

Non intrabitis in regnum cælorum. Ex pœna apposita fit homo cautus, vt fugiat peccata, & iustitiam seruet. 44.15.16

Non intrabitis in regnum cælorum. Hanc comminationem profert Dominus in suos discipulos, cum quibus loquebatur, qui Principes erant constituti, vt inde cæteri instruerentur; pœna enim magnorum eruditio est minorum. 868. 32.33.34

Qui iracitur fratri suo. Ira excæcat mentem, ne videat beneficia consanguinitatis, ac coniunctionis. 252.55.56.57

Qui dixerit fratri suo fatue. Grauissima nota est homini, quod fatuus, ac ignatus dicatur. 10.57

Reus erit gehennæ. Qui iniurias profert in fratrem. 230.69.& 800.49.50.51

Reus erit gehennæ. Gehenna tristitiæ vallis interpretatur; & maximè cohæret; nam omnia oblectamenta, ac gaudia huius mundi in tristitiam vertuntur. 542.21.22

Si offers munus tuum ad altare. Qui vnionem, ac pacem cum fratre non obtinet incapax vt Deo placeat, ac illius dona obtineat. 214.48.& 215. 53.& 474.27.& 587.52.43

Relinque munus tuum. D. Chrysost. ibi: *Vide misericordiam Dei*, ait, *quomodo hominum vtilitatem, amplius aspiciens quam suos honores; dicit enim, vade primum reconciliari fratri tuo, tanquam ad illum vade, vnde ego libenter contemnor, libenter honoris mei patior damnum, vt vos in amicitiam veniatis.* Immensa Dei bonitas magis quærit nostram vtilitatem, quàm sui reuerentiam, & maiestatem. 612.65

Vade reconciliari fratri tuo. Qui vindictam in inimicos parat, multum alienus à filio Dei. 834. 38.39

Vade reconciliari fratri tuo. Vult Deus vt nostro proximo charitatem, ac misericordiam impendamus. 230.69

Dominica 6. post Pentecosten.

Matth. 8.

Cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent. Vide c. 4. p. 56

Dominica 7. post Pentecosten.

Matth. 8.

Attendite à falsis Prophetis. Meminerat immediatè antea Dominus, vt per angustam portam intraremus; nunc verò monet vt à falsis Prophetis caueamus, & maximè cohærens cautio est, cum superioribus; maximè enim societas malorum nos ad perditionem ducit. 15. 88.& 89.& 10.81.& 851.29

Attendite à falsis Prophetis. Dixerat Dominus ingrediendum per angustam portam, nunc præcipuum remouet impedimentum ab illius ingressu, vt cum hypocritis nullum habeamus commercium; nam per illos Diabolus parat magnum bellum. 101.184.& 857.61

Qui

Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium intrinsecus autem sunt lupi rapaces Quod est valdè deploratum malum, cum qualis quis est in interiori, talis debeat apparere in exteriori. 415. 59. 60. 61

Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quamuis veniant in vestimentis ouium, intrinsecus sunt lupi rapaces, & quocumque vadant, secum deferunt suam malitiam, ac venenum. 240. 59. & seqq.

Intrinsecus sunt lupi rapaces. Cum vos ô discipuli mei, ac si dicat Christus, sitis veluti oues, hi falsi Prophetæ tanquam lupi rapaces, qui ex vestra modestia peiores, ac impudentiores fiunt. 590. 66. & seq.

Intrinsecus sunt lupi rapaces De his falsis Prophetis semper Dominus loquitur in plurali, qui iniqui mente, ac opere contra iustos vniuntur. 810 13. 14

Ex fructibus eorum cognoscetis. Signate, ait Bernardus, *à fructibus dixit, & non ex foliis, non ex floribus sed ex fructu bona arbor à mala dignoscitur. Denique à fructibus ait cognoscetis, opera ergo & non verba discernunt inter filios Dei, & inter filios diffidentiæ.* Ex operibus quisque cognoscitur. 96. 146. & 513. 150. & 653. 64. & seq.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Virtus maximè resplendet, ac cognoscitur in opere. 409. 17

Omnis arbor, quæ non facit fructum. Non dixit, quæ non fecit, sed quæ non facit de præsenti, non enim sufficit semel, vel bis fructum facere, nisi perseuerantiam habeas in illis. 635. 75. 76. & 877. 86

In ignem mittetur. Syrus legit, *in ignem mittitur.* Minatur supplicium, quo homines fiunt cauti, vt mala fugiant. 44. 15. 16. & 809. 7. 8. & seq.

In ignem mittetur. Vt illorum supplicium nostra sit disciplina. 44. 17. & seq. & 836. 49. & seq.

Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine D. Hieronym. *Non enim his accommodandam fidem*, ait, *qui cum polleant integritate doctrina malis operibus desunt, vtrumque enim seruis Dei necessarium.* Non enim ex fide solum, sed ex fide, & operibus bonis salutem consequi debemus. 22. 31. & 242. 72. & 361. 152. & 749. 85. & 750. 86. 87

Dominica 8. post Pentecosten.

Luc. 16.

H*Omo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Vide c. 28. p. 522

Dominica 9. post Pentecosten.

Luc. 19.

V*idens Iesus ciuitatem fleuit super illam.* Vide cap. 41. p. 751

Dominica 10. post Pentecosten.

Luc. 18.

D*icebat Iesus ad quosdam, qui in se confidebant.* Vide c. 30. p. 565

Dominica 11. post Pentecosten.

Marc. 4.

E*Xiens fidenibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilæe.* Vide c. 3. p. 42

Dominica 12. post Pentecosten.

Luc. 10.

B*eati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Et cur eos non diceret beatos, qui Christi præsentiâ fruebantur, cum à Domini præsentia veniat omne bonum. 71. 94. & 264. 122. 123

Multi reges, & Prophetæ, Beda, *Matthæus*, ait, *apertius prophetas, reges, & iustos appellat, ipsi enim sunt reges magni.* Iusti, etsi eos mundus habeat in contemptu, in magno tamen honore sunt apud Deum, vt reges dicantur. 544. 36. 37

Ecce iurisperitus tentans illum; dicens Magister. Sub blandis verbis venit Legisperitus, vt grauissimum malum infligat. 584. 14. 15

Ecce iurisperitus tentans illum, dicens Magister. Doctor legis erat, & tamen Christum Magistrum vocat, pro salute animæ omnia sunt contemnenda. 127. 80 & seq.

Magister quid faciendo vitam æternam possidebo. Maximam salutis auiditatem ostendit, obiecto virtutis prætextu, sæpe turpissimum facinus agrediuntur homines. 685. 36. & seq.

Diliges Deum ex toto corde tuo. Deus ex tota mente, ac corde diligendus, itavt Deus totum cor simul possideat, & minimè inter ipsum, ac mundum diuidatur. 411. 40. & seq. & 607. 19. & seqq.

Diliges Deum ex toto corde tuo. Verus enim amor solum Deum appetit, & desiderat. 822. 29. & 823. 30

Diliges Deum ex toto corde tuo. Verus amor solum diligit Deum, & non dona eius. 521. 198. & seq.

Et proximum tuum sicut te ipsum. Vt Deum amemus, amemus & proximum misericordiam illi impendentes. 228 61. 62

Ille volens iustificare seipsum, ait: quis est meus proximus. D Cyrillus, *Laudatur iurisperitus a saluatore, quod rectè respondit, in superbiam prorumpit, nullum putans sibi proximum esse.* Nam vt ait Apostolus, doctos scientia inflat; pauca scilicet. 5. 23

Homo descendebat de Ierusalem in Iericho. D. Augustt. *In latrones incidit, qui descendit, Angelis occurrit, qui ascendit.* Qui descendit à virtute, à Ierusalem nempe, in multa mala, ac peccata incidit. 18. 101. & 174. 20. 21

Similiter & Leuita pertransiit. Sacerdos pertransiuit, non impenso beneficio, similiter & Leuita. Superiorum mores, inferiores sequuntur. 15. 85. & 207. 1. & 366. 22. & 543. 30

Similiter & Leuita. Pertranseunt Sacerdos & Leuitæ, quæ ob muneris obligationem, maiora præstare tenebantur. 506. 107. 108

Videns eum misericordia motus. manum admouet, medicum agit, obligat vulnera, parum est misericordiam, & humanitatem affectu ostendere, effectu nempe, ac operibus est declaranda. 645. 18. & seq.

Videns eum misericordia motus Nulla dicit verba, sed medicamina adhibet, non sunt necessaria, verba quando adsunt opera. 653. 64. 65. 66

Dominica 13. post Pentecosten.

Luc. 17.

T*Ransibat Iesus per mediam Samariam, & Galilæam, occurrerunt ei decem viri leprosi.* Vide c. 13. p. 231

Summa Concionum.

Dominica 14. post Pentecosten.

Matth. 6.

Nemo potest duobus Dominis seruire. Verus seruus, eius tantum laudi, & gloriæ studet, omniáque sua ei tantum refert. 239.54.& 299 84.85.& 618.22

Nemo potest duobus Dominis seruire. Dei seruus, Deo se totum in omnibus mancipat, & minimè patitur diuidi inter Deum, & mundum. 411.40.41.42.& 607.19.& seq 822.27

Nemo potest seruire Deo, & mammonæ. Nam seruire captiuitas est 222 16. Seruire autem Deo libertas,& gloria est. 739.18.& seq.

Nemo potest seruire Deo, & mammonæ. Dei obsequio sunt omnia bona, in mundi verò seruitute omnia mala. 495.47

Nemo potest seruire Deo, & mammonæ. Nam vbi auaritia regnat, est mœstitia, vbi verò Deus, lætitia,& exultatio. 399.41

Nemo potest seruire Deo, & mammonæ. Qui Deo seruit, ipsum solum vt supremum numen venerat; qui seruit mammonæ, pecunias, vt diuinum numen recolit. 394.7

Ne soliciti sitis animæ vestræ Humana solicitudo, ac cupiditas nulla re, nulláque principatu, quiescit. 191.23.& seq.

Ne soliciti sitis. Admonet à nobis esse remouendam omnium temporalium solicitudinem, ac curam, nam terrena cupiditas nullis terminis est contenta. 418.24.25

Ne soliciti sitis. Anima, quæ Deum quærit omnia temporalia contemnit, ac à se dimittit. 509. 128. & seq.

Ne soliciti sitis. In hac cogitatione, ac animo contemnendi, potiùs affectus, quam census pensandus est. 606 40 41

Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Dei prouidentia nos custodit ab omni malo, & vsque ad minima se extendit. 174.19.& 625. 14. 15. Diuina prouidentia supra omnem humanam soliciqudinem. 174.19

Scit Pater vester, quia his omnibus indigetis. Cùm sit Pater suorum videt necessitates, vt illis subueniat. 61.28.32.& 388.16

Quærite ergo primum regnum Dei. Qui cœlestia intendit, terrena contemnit. 196.57.58. & 245. 16.& 175.56.57.58

Dominica 15. post Pentecosten.

Luc. 7.

Ibat Iesus in ciuitatem Naim. Post collatum puero Centurionis sanitatem in ciuitatem Naim proficiscitur Dominus, vt ibi mortuum adolescentem, suscitaret, vnum Dei beneficium multa secum affert. 46.34.& seq.& 62.33.34.& 343 35

Ibat Iesus in ciuitatem Naim. Concessa sanitate puero Centurionis ad suscitandum adolescentem tendit Dominus, maius enim miraculum est, à morte reuocare eam, quia iam obierat, quam morbo correptum sanitati restituere; docens nos vt semper nostra opera ad maiora, ac excellentiora tendat. 117.25.& seq.& 570. 43 & seq.

Cum appropinquaret porta ciuitatis. Non casu, vt primo aspectu poterat videri accessit, sed diuino consilio, vt obuiam mortuo, qui efferebatur, iret, Dei beneficia, non à casu, sed alto consilio veniunt. 371.51.52.53

Ecce defunctus efferebatur. Apud multas nationes, penetralibus multis latitant reges, at communiter apud Gentes defunctus effertur in publicum, vt mors ante oculos posita, sui memoriam, ac recordationem excitet. 350.90. & seq.& 519.41.& 675.204

Ecce defunctus efferebatur Particula illa, *Ecce*, admirationis est, tanquam quid nouum denotans; sic Diabolus studet mortis memoriam in hominibus abolere, vt illis tanquam quid nouum videatur. 399.40

Ecce defunctus efferebatur. Moritur in flore ætatis, quando magis delitiis indulgetur. Mors sæpè inopinatè venit, ac in viriditate annorum. 423.115.116.& 424.124

Cum vidisset eam. Qui necessitate videt, miseretur. 340.17

Cum vidisset eam misericordia motus. Ait illi noli flere, verbis consolatur, & resuscitato filio lætificat, afflicti, ac miseri adiuuandi sunt verbo, & opere. 45.21.22

Adolescens tibi dico: Surge. Non expectat Dominus preces matris, vel concomitantium, sed absque illis dat beneficium, vt vndique esset magnum. 131.3.& 591.18

Adolescens tibi dico: Surge. Vt vidit, ac misericordia motus, absque vlla dilatione iuueni dat vitam, nam beneficium citò datum magnum, & gratum est. 139 57.& 125.41

Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Titus: *Indicia sunt vera resurrectionis, corpus enim exanime loqui non poterat, nec reportasset mulier ad domum defunctum filium.* Vult Christus, vt sua macula sint omnibus nota, & suspicione careant. 66.61,& seq.

Et cœpit loqui. Quid locutus fuerit, non exprimitur, pro certo habendum, quod in gratiarum actionem prorupit. Illico Deo gratiarum actiones referendæ. 138.50.51.52. & 230.73. & 231.76.77

Dominica 16. post Pentecosten.

Luc. 16.

Factum est cum intraret Iesus in domum cuiusdam Principis. Vide c.23. p.425

Dominica 17. post Pentecosten.

Matth. 22.

Interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor. Vide cap.46. p.819

Dominica 18. post Pentecosten.

Matth. 9.

Transfretauit in ciuitatem suam. Vt in patria præsentia destrueret vitia. 293.43.44. Omnéq; bonum in eam descenderet. 264.122.123

Ecce offerebant ei paralyticum. Paralyticus Christo offerebatur; si Christi præsentia non caruisset, fortè in paralysim peccatorum minimè incidisset, ex quo colligant Præsules, quam noxium sit ouibus suorum pastorum præsentia destitui. 493.28.& 507.117.& 485.50

Videns Iesus fidem illorum. Magna fides baiulantium

tium fuit, Deóque gratissima, quia simul ipsa fides in terra non fuit operibus destituta, sed simul cum illis coniuncta. 18.3.& 236.32.& 361.152.& 70.85.86.87

Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Multam humilitatem in verbis ostendit, cum hominem despectum, ac humilem filium dicit, vt notauit D. Hieron. tamen multam potestatem in factis ostendit, cum dicit, *Remittuntur tibi peccata tua.* In verbis humilitas, ac demissio, in factis potestas, & excellentia. 674 193.& seq.

Remittuntur tibi peccata tua. Prius remittit peccata, & postea sanat, vt sanitas confirmatur, radix, ac origo mali amputanda. 194 43.& 405 8

Remittuntur tibi peccata tua. Paralyticus iste corporis, ac animæ infirmitate premebatur, solum tamen corporis sanitatem quærunt homines offerentes, animæ verò obliuiscuntur; mundani solum temporalia cogitant, spiritualia verò contemnunt. 281.63.& 400.48.& 424. 122

Remittuntur tibi peccata tua. Non ait remitto, sed per tertiam personam remittuntur tibi, vt humilitatem commendaret, & iactantiam cauendam doceret. 179.52.& 413.49.& 577.71.72. & vt ait Abulensis nolebat ore suo se laudare. 94.138.139 & 428.23

Remittuntur tibi peccata tua. Ioannes Episcopus citatus in Catena Græca. Hæc audit paralyticus, & tacet, nec vllam rependit gratiam; quia plus corporis, quàm animæ tendebat ad curam, sed verè ratione carens erat, cum pro salute animæ omnia sint contemnenda. 127. 80.81.82

Quidam ex Scribis dixit, hic blasphemat. Ex liuore in Christum dixit hoc Scriba. Inuidus nullis miraculis frangitur. 556.123. & aliorum illustria facta, exigua indicat. 82.54.55.56

Hic blasphemat. Qui virtute fulget contra inuidiam armetur. 406.11.12.13. Nam alterius gloria, magnum inuidio tormentum. 552.85.& 681.15.16.& 637.94

Surge tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Citatus Ioan. Episcop. *Vade in domum tuam, ne Christiana fide curatus moriaris in perfidia Iudæorum*, malorum societas vitanda, maximè enim perniciosa est. 3.8.& 16.89.& 211.35.36. & 175.27.28

Dominica 19. post Pentecosten.
Matth. 22.

Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Vide c. 44. p. 793

Dominica 20. post Pentecosten.
Ioan. 4.

Venit iterum in Cana Galilæa. Vbi nimirum primum miraculum in nuptiis fecerat, ab ipso primo miraculo, ab ipsóque primo beneficio procedit ad aliud faciendum. 46.34 35. 36.& 625.19.& 628.35.& 214.45.& 218.72. & 480.62

Venit iterum in Cana Galilæa. D. Chrys. hom. 32. in Matth. *Primò quidem Dominus in Cana Galilæa venerat vocatus ad nuptias, nunc autem ad eos vadit.* Christus Dominus quærit homines, vt eis sua dona conferat. 378.97.98.& 416.68. & 471.7

Erat quidam Regulus. Quem infirmitas filij ad Deum trahit; sæpè infirmitas Deum quærere facit. 457.115.116.117.& 500 76.77.78

Rogabat eum. Sciebat quod propria miseria diuinam pietatem allicit ad miserandum. 174.19. & 61.28

Rogabat eum, vt sanaret filium eius. Non alios rogabat, nisi tantum Christum Dominum; nam necessitas ei aperienda, qui remedium valet conferre. 21.24

Rogabat eum, non aliquem ex suis aulicis, magna enim non per ministros, sed per seipsum exequitur Dominus. 473.16.& 631.51

Nisi signa, & prodigia videritis. Antequam filium sanitati restituat, prius curare studet patrem, occurrens morbo illius animæ, priúsque vult hominis animam curare, quam potentiam, ac maiestatem declarare. 425.4.& 430.38 39

Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis. Cum tamen ipsa fides certior sit omni cognitione, ac corporali visione. 564.164. Et etiam magna fides contrario euentu corroboretur. 647.29. 30.& 648 21.32

Descende priusquam moriatur filius meus. Pro festina beneficij exhibitione rogat, nam beneficium citò datum magnum, & gratum. 139.57. & 224.38

Vade, filius tuus viuit. D. Gregor. homil. 12. in Matth. *Hic superbia nostra, aut, verò arguitur. Redemptor etenim noster, vt ostenderet, quoniam quæ alia sunt, hominibus Sancto despicienda, & quæ despicienda, sicut hominibus despicienda non sunt Sancto, ad filium Reguli ire noluit, ad filium autem Centurionis descendit.* Reiecta superbia humilitatem sectemur. 436.68.69.70

Hora septima reliquit eum febris. Beneficium opportuno tempore datum, valdè gratum. 248. 28. Et etiam in ingenti necessitate concessum, 62.37

Credidit ipse, & domus eius tota. Subditi sui Principis, ac Domini exemplum facilè sequuntur. 116.20. & 117.71. & 207.1. & 371.58.59.60. & 543.30

Dominica 21. post Pentecosten.
Matth. 18.

Simile est regnum cœlorum homini regi: qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Vide c. 12. p. 219

Dominica 22. post Pentecosten.
Matth. 22.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone. Vide c. 45. p. 809

Dominica 23. post Pentecosten.
Matth. 9.

Ecce Princeps vnus accessit ad Iesum, & adorabat eum. Petens venit adorans. 24.47

Ecce Princeps vnus accessit ad Iesum. Princeps erat, & tamen petebat, valdè enim durum viro ingenuo petere. 530.53.54.& 705.63. tamen propria necessitas eum vrgebat. 44.20

Ecce Princeps vnus ad Iesum accessit. De Christianorum spiritu agebatur Princeps iste, cum aduenisset orans, ac humilians se ad pedes Iesu; oratio cum humilitate valdè efficax. 31.97. 98.99.& 41.161.162

Filia mea modò defuncta est. Puella erat in flore ætatis, & moritur; frequenter etiam adolescentes in iuuentutis vigore mors aggreditur. 413.116.& 414.124

Et surgens Iesus sequebatur eum. D.Remigius, *Miranda pariter, atque imitanda Domini humilitas, & mansuetudo, nam mox vt rogatus est rogantem cœpit sequi.* Eximia Domini humilitas, vt etiam elegerit, extremum, & nouissimum locum tenere. Sequens hominem. 435.61.62.63

Ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, accessit retro. D.Remigius, *In quo*, ait, *laudanda est eius humilitas, quia non ad faciem accessit, sed retro, & indignam se iudicans pedes Domini tangere, non plenitudinem vestimenti tetigit, sed tantum fimbriam.* Qui ex humilitate nullius meriti se existimat, ampliotibus donis cumulatus à Deo. 437.73.74.75

Qui me tetigit. Quamuis Deus se velit occultare, vera fide inuenitur. 222.17

Confide filia, fides tua te saluam fecit. Fides omnia impetrat, nihil illi denegatur. 39.152.& seqq.

Confide filia, fides tua te saluam fecit. Rabbanus, *Quid est*, ait, *quod eam confidere iussit, qua si fidem non haberet, ab ea fidem non quæreret? Sed robur, & perseuerantiam fidei ab ea exposulauit, vt ad veram, & certam perueniat salutem.* Perseuerantia coronat virtutes, & illâ omnia bona impetrantur. 636.87

Et cum venisset Iesus in domum Phariſai. D.Chrysostom. *Considerandum*, ait, *quod propter hoc tardius vadit, & plura loquitur mulieri curatæ, vt permittat mori puellam, & sic manifesta sit resurrectionis demonstratio.* Vult Deus, vt eius miracula sint omnibus nota sine vlla suspicione. 66.60.61.62

Et vidisset tibicines. Olim in funere adhibebantur tibicines, ac proinde adulatores significant, qui suauiter canere videntur, & mortem adesse significant. 584.34.35

Et deridebant eum. Licet Dominus derideatur, à proposito tamen non destitit, vt nos suo exemplo erudiat, ne quolibet obiecto impedimento ab opere bono auocemur. 148.125.& 580.10. 11.& 671.175

Et surrexit puella. Cur eiicit turbam cum hanc puellam ad vitam intendit reuocare? Vt nos doceat ostentationem, ac iactantiam bonorum operum cuitare, ac fugere. 179.52.& 413.49. & 677.216

Dominica 24. post Pentecosten.
Matth.24.

Cum videritis abominationem desolationis. Vide cap.49. p.847

FINIS.

INDEX

INDEX

Locorum S. Scripturæ, quæ in hoc quarto Tomo continentur.

Prior numerus paginam designat: Posterior est marginalis.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex Genesi.

CAPVT PRIMVM.

n.1. IN principio creauit Deus cœlum & terram. 147.16
2 Et tenebræ erant super faciem abyssi. 865.9
3 Dixit Deus fiat lux, & facta est lux. 288.16.& 409.29
4 Diuisit lucem à tenebris. 135.61
5 Factum est vespere & mane dies vnus. 580.9
10 Vocauit Deus aridam terram; congregationésque aquarum appellauit Maria, & vidit Deus quod bonum esset. 781.18
11 Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum. 750.86
12 Protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum. 895.25
15 Dixit Deus: fiant luminaria vt luceant in firmamento cœli. 544.37
16 Fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento. 871.52
18 Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. 586.45
22 Benedixit eis dicens: crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris. 421.103
26 Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. 20.21.& 571.52.& 626.24. & 911.12

CAP. II.

n.1. Requieuit Deus die septimo, ab vniuerso opere quod patrarat. 708 80
3 Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo. 421.103.& 430.54
4 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. 90.113
7 Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. 345 53.& 423.120
8 Plantauerat autem Dominus Paradisum voluptatis. 625.15
14 Fluuius autem quartus ipse est Euphrates. 288.17
16 Vt operaretur, & custoditet illum. 781.79
17 Ex omni ligno paradisi comede. 199.79
19 Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus, & vniuersis volatilibus adduxit ea ad Adam. 97.155.& 365.14. & 719.33
21 Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam. 350.91
22 Tulit vnam de costis eius. 763.28
24 Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. 587.53

CAP. III.

n.1. In quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij. 812. 29
6 Deditque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum. 450.76
8 Cúmque audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini. 344.41.& 498.64 & 15.84. & 404.76.& 67.68.& 582.23
10 Vocem tuam audiui in paradiso, & timui eo quod nudus essem. 487.96.& 454.99
13 Quare hoc fecisti. 315.31
14 Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. 499.73
17 Maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. 121.15.& 644.9
18 Spinas, & tribulos germinabit tibi. 525.18. comedes herbam terræ. 199.79
20 Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod esset mater cunctorum viuentium. 557.121.& 294.58.& 97.157
24 Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. 416.71.& 193.35.& 565.13.& 390.37

CAP. IV.

n.1. Possedi hominem per Deum. 97.154. & 581.19
2 Rursum peperit fratrem suum Abel. 218.76
3 Factum est autem post multos dies, vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino; Abel quoque obtulit. 719.28

Loca ſacræ Scripturæ.

5 Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Caïn autem, & ad munera eius non reſpexit. 572.41
7 Nónne ſi bene ægeris recipies. 585.41. & 800.50
9 Conſurrexit Caïn aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. 893.8
Vbi eſt Abel frater tuus. 559.128
10 Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. 599.30
11 Maledictus eris ſuper terram. 867.26
12 Cum operatus fueris terram, non dabit tibi fructus ſuos, vagus & profugus eris ſuper terram. 396.18
14 Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & ero vagus & profugus in terra. 685.35.& 91.115
Igitur qui inuenerit me occidet me. 146.19
16 Egreſſus à facie Domini habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. 560. 134
20 Pater habitantium in tentoriis. 308.132
23 Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum. 20.19
26 Iſte cœpit inuocare nomen Domini. 416.69

CAP. VI.

n.1. Cúmque cœpiſſent multiplicari homines ſuper terram, acceperunt filij Dei filias hominum. 3.7.& 559.130
13 Finis vniuerſæ carnis venit coram me, fac tibi arcam. 134.30.& 604.11.& 680.11

CAP. VII.

n.1. Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam; te enim vidi iuſtum in generatione hac. 340.19
4 Poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 756.35
8 De animantibus mundis, & immutandis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram duo, & duo ingreſſa ſunt ad Noë in arcam. 233.17
11 Anno ſexcenteſimo vitæ Noë, menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ & catharactæ cœli apertæ ſunt. 863.27

CAP. VIII.

n.11. Venit ad veſperam columba portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo. 550.74

CAP. IX.

n.2. Terror veſter, ac tremor, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram. 71.95
9 Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. 255.77
11 Erit arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni. 24.51
25 Maledictus Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis, dixítque: Benedictus Dominus Deus Sem. 873.164

CAP. X.

n.5. Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium. 191.24

CAP. XI.

n.2. Cúmque proficiſcerentur de Oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar. 525.21
4 Erat autem terra labij vnius; dixerúntque faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum. 3.8.& 456. 110.& 685.39.& 605.15
7 Venite deſcendamus, & confundamus linguam eorum. 199.77
28 Mortuus eſt Aran ante Thare patrem ſuum. 842

CAP. XII.

n.1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi. 406.10.& 407.17. & 564.164
2 Faciámque te in gentem magnam. 32.102
4 Egreſſus eſt Abraham ſicut præceperat ei Dominus. 608.36
10 Facta eſt fames magna in terra, deſcenditque Abraham in Ægyptum. 853.38
12 Dicturi ſunt, vxor illius eſt, & interficient me, & te reſeruabunt. 286.93
15 Nuntiauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis. 457.117
17 Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius propter Saraï vxorem Abraham. 223.29. & 362. 149. & 684.31.& 754.24

CAP. XIII.

n.12. Abraham habitauit in terra Chanaan; Loth verò moratus eſt in oppidis quæ erant circa Iordanem. 606.25

CAP. XIV.

n.15. Et diuiſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba. 496.51

CAP. XV.

n.1. Factus eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus ſuum. 560.137
2 Ego vadam abſque liberis; mihi non dediſti ſemen. 60.24.& 611.56
9 Sume mihi vacam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium. 607.30
11 Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham. 373.67
12 Cúmque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. 218.63
17 Cum ergo Sol occubuiſſet facta eſt caligo tenebroſa. ibid.

CAP. XVI.

n.5. Iniquè agis contra me; quæ videns, quod conceperit, deſpectui me habet, iudicet Dominus inter me & te. 123.28

CAP. XVII.

n.2. Ambula coram me, & eſto perfectus. 415.62
10 Circumcidetur in vobis omne maſculum, & circumcidetis carnẽ præputij veſtri. 603.25
12 Infans octo dierum circumcidetur in vobis. 152.12
13 Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. 708.87
14 Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo. 23.42

CAP. XVIII.

n.2. Cúmq; eleuaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum. 206.122. & 499.78
Cucurrit in occurſum eorum. 29.106
4 Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri, ponámque buccellam panis, & confor

confortetur cor vestrum. 125.76.& 451.91
10 Reuertens veniam ad te tempore isto vita comite,& habebit filium vxor tua. 339.10
11 Erant autem ambo senes prouectæque ætatis & desierant Saræ fieri muliebria. 66.62
14 Negauit Sara dicens: Non risi, timore perterrita. 344.43
16 Cum ergo surrexissent inde viri direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos. 278.344.45

CAP. XIX.

v.1. Venerúntque duo Angeli Sodomam sedente Loth in foribus ciuitatis. 617.90
4 Priusquã irent cubitũ viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem. 27.71
12 Habes hic quempiam tuorum generum, aut filias, aut filios? omnes qui tui sunt educ de vrbe hac; delebimus enim locũ istũ. 207.125
15 Cúmque esset manè cogebant eum Angeli dicentes, surge. 1588
19 Quia inuenit seruus tuus gratiam coram te vt saluares animam meam. 499.71
21 Dixit ad eum, etiam in hoc suscepi preces tuas vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es. 37.137.& 491.20.& 467.12
26 Respiciénsque vxor eius post se reuersa est in statuam salis. 285.89.& 345.46

CAP. XX.

3 Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, en morieris. 799.43
4 Num gentem ignorantem & iustam interficies? 916.46
7 Redde viro suo vxorem, quia Propheta est. 79.36
12 Alias autem verè soror mea est. 317.39

CAP. XXI.

20 Fuit cum eo, qui creuit, & moratus est in solitudine. 478.52
25 Increpauit Abimelech propter puteum aquæ quem ei abstulerant serui eius. 655.75

CAP. XXII.

1 Tentauit Deus Abraham. 544.38
2 Tolle filium tuum, & vade in terram visionis quam monstrauero tibi. 58.144.& 417.17.& 635.80
3 Igitur Abraham de nocte consurgens strauit asinum suum ducens secum filium suum Isaac. 473.21
6 Tulit itaque ligna holocausti,& imposuit super Isaac filium suum. 162.221.& 771.80
13 Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus. 8.44

CAP. XXIII.

3 Cúmque surrexisset ab officio funeris. 416.70.& 667.134

CAP. XXIV.

2 Pone manum tuam super femur meum vt iurem te per Deum cœli. 95.141
10 Abiit, & ex omnibus bonis portans secum. 609.41
14 Puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam,& illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum. 43.11.& 627.28.& 29
22 Protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos,& armillas totidem pondo siclorum decem. 318.44
24 Filia sum Bathuelis, quem peperit ipsi Nachor. 303.106
30 Cúmque vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ dixit ad eum: Ingredere benedicte Domini. 134.27
65 Venit per agrum in occursum nobis. 379.100

CAP. XXV.

8 Congregatus est ad populum suum. 418.81
22 Collidebant in vtero eius paruuli. 518.178
23 Maior seruiet minori. 155.171
28 Isaac amabat Esaũ eo quod de venatione illius vesceretur. 379.103
34 Vendidit primogenita, & sic accepto pane & lentis ædulio comedit, & bibit, & abiit parumpendens quod primogenita vendidisset. 888.168

CAP. XXVI.

3 Complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo. 612.63
24 Benedicam tibi,& multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. 571.6
29 Vt non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec facimus, quod te læderet. 232.10

CAP. XXVII.

9 Affer duos hædos optimos, vt faciam ex eis esca patri tuo, quibus libenter vescatur. 485.77
12 Si attrectauerit me pater meus, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem, pro benedictione. 133.17
13 In me sit ista maledictio. 131.10
16 Pelliculásque hædorum circumdedit manibus,& colli nuda protexit. 480.63
19 Surge, sede,& comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima mea. 349.38
22 Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esaũ. 850.19
26 Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; det tibi Deus de rore cœli. 70.88.& 440.10.& 470.4
28 Det tibi Deus de rore cœli,& de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi. 389.34.& 645.20
36 Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me in altera vice. 682.20
37 Et tibi post hæc fili mi vltra quid faciam? 559.127.& 88.54
39 Motus Isaac dixit ad eum, in pinguedine terræ. 712.113

CAP. XXVIII.

4 Fugit,& abiit in Mesopotamiam. 337.159
5 Profectus peruenit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban. 194.42
12 Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes. 151.146.& 206.120.& 415.66.& 471.6.& 549.68,& 566.6
13 Ego sum Dominus Deus Abraham, patris tui & Deus Isaac. 147.118
16 Cúmque euigilasset Iacob de somno ait: non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli. 365.12
17 Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque ad præsentem diem; Angelus qui eruit me de cunctis malis. 207.124
18 Surgens ergo Iacob erexit lapidem in titulum. 729.60
22 Lapis iste vocabitur nomen Dei. 740.26

CAP.

CAP. XXIX.

20 Amouit lapidem, quo, puteus claudebatur. 670.167

25 Cucurrit obuiam ei, complexúſque eum & in oſcula ruens duxit in domum ſuam, auditis autem cauſis itineris, reſpondit, os meum, & caro mea es. 315.29

CAP. XXX.

22 Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. 45.27

24 Reddat mihi Dominus filium alterum. 38. 143

25 Dimitte me, vt reuertar in terram, & in patriam meam. 160.103

41 Quando primo tempore aſcendebant oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ouium. 129.93

CAP. XXXI.

14 Reſponderúntque Rachel, & Lia. 461.16

19 Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt idola patris ſui. 234.21. & 296.67

21 Noluit itaque Iacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret. 160.103

26 Quare ita egiſti vt clam me abigeres filias meas, quaſi captiuas gladio. 34 26

32 Apud quemcunque inueneris Deos tuos necetur coram fratribus noſtris. 498.65

37 Qui inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ pone hic. 526.27

40 Diu noctúque æſtu vrebar, & gelu; fugiebátque ſomnus ab oculis meis. 37.48

42 Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet mihi. ....

CAP. XXXII.

1 Fuerúntque ei obuiam Angeli Dei, quos cum vidiſſet ait: caſtra Dei ſunt hæc. 288.13

10 In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. 389.34

16 Et miſit per manus ſeruorum ſingulos ſeorſim greges, & dixit pueris ſuis præite me. 610.49

24 Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. 80. 46. & 205.112

25 Quod cum eum ſuperare non poſſet tetigit neruum fœmoris eius, & ſtatim emarcuit. 95.141

26 Dimitte me, iam aſcendit aurora. 121.49. & 391.46. & 521.100

28 Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſraël erit nomen tuum. 79.35

CAP. XXXIII.

18 Tranſiuit in Salem vrbem Sichimorum. 175. 28

CAP. XXXIV.

27 Depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri. 359.142

CAP. XXXV.

22 Abiit Ruben & dormiuit cum Bala concubina patris ſui, quod illum minimè latuit. 785.54

CAP. XXXVII.

3 Iſraël deligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos. 50.64

7 Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare, veſtróſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum. 609.41. & 686. 42

14 Vade & vide ſi cuncta proſperè ſint erga fratres tuos, & pecora. 429.30

16 Fratres meos quæro. 218.75

18 Qui cum vidiſſent eum procul antequam accederet ad eos cogitauerunt illum occidere. 820.13

28 Vendiderunt eum Madianitis viginti argenteis. 103.197. & 784.40

29 Reuerſúſque Ruben ad ciſternam puerum non inuenit. 380.107

31 Tulerunt tunicam eius, & in ſanguine hædi tinxerunt eam mittentes qui ferrent ad patrem. 634.69

32 Dicentes, hanc inuenimus, vide an tunica filij tui ſit, an non. 591.74

CAP. XXXVIII.

26 Inſtante partu apparuerunt gemini in vtero, atque in ipſa effuſione infantium, vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum. 123.65

27 Iuſtior me eſt, quia non tradidi eum filio meo. 508.120

CAP. XXXIX.

7 Iniecit vxor Domini ſui oculos in Ioſeph. 505.116

8 Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quod habeat in domo ſua, nec quidquam eſt, quod habeat in domo ſua, quod non in mea ſit poteſtate. 911.12

9 Quomodo poſſum hoc malum facere. 525. 20

14 Introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis; ingreſſus eſt ad me vt coiret mecum. 688.55

16 In argumentum ergo fidei retentum pallium oſtendit marito reuertenti domum. 328. 104

CAP. XL.

1 Accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Ægypti & piſtor Domino ſuo, iratúſque eſt contra eos Pharao. 527. 55. & 915.42

5 Viderúntque ambo ſomnium nocte vna iuxta interpretationem congruam ſibi. 448.68

19 Tres dies ſunt poſt quos auferet Pharao caput tuum, & ſuſpendet te in cruce. 447.61

CAP. XLI.

18 Et ſeptem boues de amne conſcendere pulchras nimis, & obeſis carnibus, & ecce has ſequebantur aliæ ſeptem. 494.40

21 Et vidit ſeptem alias boues, quæ nullum ſaturitatis dederunt veſtigium, ſed ſimili macie, & ſqualore torpebant. 474.14

37 Placuit Pharaoni, & cunctis miniſtris eius conſilium. 59.16

39 Nunquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam. 912.17

45 Vertit nomen eius, & vocauit lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. 151.146

51 Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. 621.117

55 Clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens. 691.71

CAP. XLII.

1 Audiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto. 61.32

37 Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi. 480.61

CAP. XLIII.

2 Dixit Iacob ad filios suos, Emite nobis pauxillum escarum. 546.48
31 Lota facie egressus continuit se,& air, ponite panes. 497.60

CAP. XLIV.

2 Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris. 33.110

CAP. XLV.

3 Ego sum Ioseph,adhuc pater meus viuit: & poterant respondere fratres. 427.18
7 Permisit me Deus, vt reseruemini super terram,& escas ad vescendum habere possitis. 395.14
20 Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra,quia opes Ægypti vestræ sunt. 604.10
24 Ne irascimini in via. 216.57.& 233.18
28 Sufficit mihi si Ioseph filius meus viuit.463. 30

CAP. XLVII.

20 Emit ergo Ioseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas, præ magnitudine famis præter terram Sacerdotum. 468.54
26 Ex eo tempore, vsque ad præsentem diem in vniuersa terra Ægypti regibus quinta pars soluitur. 816.54
31 Adorauit Israël Deum conuersus ad lectuli caput. 299.85

CAP. XLVIII.

15 Benedixit Iacob filiis Ioseph. 805.81
Deus qui pascit me ab adolescentia mea, vsque in præsentem diem benedicat pueris istis. 89.105
22 Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de Manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo. 469.61

CAP. XLIX.

1 Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. 343 58
3 Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea prior in donis,maior in imperio. 231. 77.& 591.71
4 Effusus es sicut aqua non crescas. 804.74
5 Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium illorum non veniat anima mea. Maledictus furor eorum; diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël. 310.680
7 Maledictus furor eorum,quia pertinax,& indignatio eorum,quia dura; diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israël. 119.38
9 Catulus leonis Iuda,ad prædam fili mi ascendisti,requiescens accubuisti,vt leo. 140.62
10 Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est. 349.79.& 704.57
14 Issachar vidit terram, quod optima,& apposuit humerum suum ad portandum. 816.53
17 Dan iudicabit populum suum, fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita mordens vngulas equi. 75.11
21 Nephtali ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis. 242.77
24 Inde pastor egressus est lapis Israël,Deus patris tui erit adiutor tuus. 75.12.& 607.28
27 Benjamin lupus. 740.25.& 782
28 Benedixitque singulis benedictionibus propriis. 588.54

CAP. L.

4 Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini de me in auribus Pharaonis. 705.66
5 Pater meus adiurauit me,dicens: Eu morior; in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan sepelies me. 645.17
16 Pater tuus præcepit nobis,vt hæc tibi verbis illius diceremus, obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum. 903.81

Ex libro Exodi.

CAP. I.

9 Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est; venite sapienter opprimamus eum. 496.50
14 Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris,luti,& lateris. 191.25

CAP. II.

1 Egressus est post hæc vir de domo Leui, & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium. 345.52
2 Abscondit tribus mensibus, cúmque iam celare non posset, exposuit eum in carecto ripæ fluminis. 311.7
10 Adultum tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses. 136.157
11 In diebus illis postquam creuerat Moyses egressus est ad fratres suos, vidítque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis. 54 93
14 Qui te constituit Principem, & iudicem super nos,nunc occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium. 93.135
17 Surrexítque Moyses,& defensis puellis adæquauit oues earum. 359.141

CAP. III.

2 Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi. 339.8.& 366.17
3 Vado & videbo visionem hanc magnam. 442.27.& 167.255.& 188.8
5 Solue calceamenta de pedibus tuis,terra enim in qua stas, terra sancta est. Ne appropinques huc. 272.8
Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. 693.12
15 Ego sum Deus Abraham,Deus Isaac,& Deus Iacob. 782.28
16 Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham,Deus Isaac,& Deus Iacob.835.42

CAP. IV.

3 Proiice eam in terram. 783.37
4 Extende manum tuam, & apprehende caudam eius;extendit, & tenuit, & versa est in virgam. 622.121.& 792.88
17 Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 617.94
18 Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum. 839.71
20 Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios, portans virgam Dei in manu sua. 340.18
27 Dixit Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. 237 44

CAP. V.

1 Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum, vt sacrifices mihi in deserto. 341.27
2 Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? 567.12

Nescio Dominũ,& Israël non dimittã.684.31
5 Deus Hebræorũ vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro. 65.52
9 Opprimantur operibus,& expleant ea.626.11
16 En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum. 7.35

CAP. VI.

14 Isti sunt principes domorũ per familias suas, filij Ruben primogeniti Israëlis. 27.70

CAP. VII.

1 Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. 881.117
3 Ego indurabo cor Pharaonis. 120.48
10 Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius,quæ versa est in colubrum.810.9
22 Fecerũntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis. 334.145.& 567.12

CAP. VIII.

7 Fecerunt autem, & malefici per incantationes suas similiter, & eduxerunt ranas super terram Ægypti. 796.27
22 Faciámque mirabilem in die illa terram Gessen,in qua populus meus est,vt non sint ibi muscæ. 240.61

CAP. IX.

19 Pluam eras hac ipsa hora grandinem 5 mitte ergo iam nunc,& congrega iumenta tua,& vniuersa quæ inuenta fuerint foras. 252.55
20 Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta sua in domos. 28.80
26 Tantum in terra Gessen, vbi erant filij Israël grando non cecidit. 240.60

CAP. X.

1 Dixit Dominus ad Moysen, ingredere ad Pharaonem ? Ego enim induraui cor eius, & seruorum illius. 347.68
23 Vbicumque autem habitabant filij Israël lux erat. 240.60
26 Non remanebit ex eis vngula. 218.31

CAP. XI.

1 Adhuc vna plaga tanquã Pharaonẽ,& Ægyptum, & posthæc dimittet eos, & morietur omne primogenitũ in terra Ægypti.403.72
2 Postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea,& aurea. 485.86
3 Fuit Moyses vir magnus in terra Ægyptiorum coram seruis Pharaonis, & omni populo. 688.53
5 Ingrediar Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum.423.115

CAP. XII.

3 Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. 515.160
38 Oues & armenta, & animantia diuersi generis multa. 394.6

CAP. XIII.

19 Tulit Moyses ossa Ioseph secum,eo quòd adiurasset filios Israël, dicens: Visitauit vos Deus,asportate ossa mea hinc vobiscũ.551.79
21 Dominus præcedebat Israël per diẽ in colũna nubis,per noctem in columna ignis. 35.125

CAP. XIV.

21 Flante vento vehementi,& vrente tota nocte. 783.31
22 Ingressi sunt filij Israël per medium ficci maris. 580.10
25 Persequentésque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis æquitatus Pharaonis. 716.9
28 Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis sequentes. 721.4

CAP. XV.

12 Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. 652.54

CAP. XVI.

3 Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium. 453.92
4 Ecce ego vobis pluam panes de cœlo, egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies. 74.49 & 65.54
12 Audiui murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos, vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus. 458.123
14 Mane quoque nos iacuit per circuitum castrorum,cúmq; operuisset superficiem terræ apparuit in solitudine minutum. 443.29
15 Quod cum vidissent filij Israël dixerunt ad inuicem,quid est hoc? 250.45

CAP. XVII.

5 Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël, & virgam qua percussisti fluuium tolle in manu tua. 66.61
9 Dixit Moyses ad Iosuë: Eligite viros. 8.40 Et egressus pugna contra Amalech. 206.116
11 Cúmque leuasset manus Moyses vincebat Israël. 774.96
14 Delebo nomen Amalech sub cœlo. 425.3
15 Ædificauit Moyses altare Domino, vocauitque nomen eius,exaltatio mea. 236.36
16 Manus solij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech. 361.150

CAP. XVIII.

5 Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & vxor eius, & filius eius ad Moysen in desertũ,vbi erat castrametatus iuxta montẽ Dei.479.56

CAP. XIX.

4 Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptiis,quomodo portaui vos super alas aquilarum. 440.11
10 Vade ad populum,& sanctifica illos,hodie & cras lauent vestimenta sua. 451.64
12 Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos, Cauete ne ascendatis montem,nec tangatis fines illius. 479.56
16 Et ecce cœperunt audire tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, & clangor buccinæ vehementius perstrepebat. 167.255

CAP. XX.

4 Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem; non adorabis ea,neque coles. 341.43 & 96.105
18 Cunctus populus videbat voces. 98.160
19 Steterunt procul dicentes:Loquere tu nobis, & audiemus,non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. 152.150.& 912.28
21 Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. 272.8.& 817.59

CAP. XXI.

14 Si quis per industriam occiderit proximum suum,& per insidias; ab altari meo euelles eum, vt moriatur. 335.145

CAP. XXIII.

1 Non suscipies vocem mendacij. 526.24
27 Mittam terrorem meum in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris. 452.91

12 Non inibis fœdus cum eis. 339.8

CAP. XXIV.

5 Miſit Moyſes iuuenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta, & immolauerunt victimas. 905.95

CAP. XXV.

9 Arcam de lignis ſetim compingite, & decorabis eam auro mundiſſimo intus, & foris. 55.96

17 Facies propitiatorium de auro mundiſſimo; duos cubitos,& dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum ac ſemiſſem latitudo. 409.25.& 234.23

18 Duos quoque Cherubim aureos,& productiles facies. 614.72

37 Facies & lucernas ſeptem,& pones eas ſuper candelabrum,vt luceant ex aduerſo. 477.46

CAP. XXVIII.

30 Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. 812.26

33 Per circuitum quaſi mala punica ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto mixtis in medio tintinnabulis. 410.31

CAP. XXIX.

21 Cúmque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare,& de oleo vnctionis aſperges Aaron, & veſtes eius. 779.9

31 Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes eius in loco ſancto, quibus veſcentur Aaron,& filij eius. 372.60

CAP. XXX.

6 Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonij. 698.20

CAP. XXXII.

2 Tollite inaures aureas, de vxorum filiorúmque,& filiarum veſtrarum auribus,& afferte mihi. 398.36

4 Dixerúntque, hi ſunt Dij tui Iſraël. 203.96

6 Sedit populus manducare,& ſurrexit ludere: 141.69.& 212.38

10 Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos,& deleam eos. 34.119 & 122.22

11 Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuum. 604.11.& 149.124

13 Recordare Abraham, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorum. 573.46

14 Placatus eſt Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat. 452.89

19 Vidit vitulum & choros,iratúſque valdè proiecit de manu tabulas, & confregit ad radices montis. 268.150.& 599.29

20 Arripiénſque vitulum, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aqua. 541.18

25 Videns Moyſes populum, quod eſſet nudatus, ſpoliauerat enim eum Aaron. 377.85

29 Conſecraſti manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & fratre ſuo. 919.69

30 Peccaſtis peccatum maximum; aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quiuero eum deprecari pro ſcelere veſtro. 224.36

CAP. XXXIII.

1 Vade, deſcende de loco iſto tu, & populus tuus, & mittam præcurſorem tui Angelum, non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte diſperdam te in via. 231.76.& 471.7

7 Tollens tabernaculum tetendit extra caſtra procul, vocauítque nomen illius tabernaculum fœderis. 135.35

11 Loquebatúr autem Dominus ad Moyſen, facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum. 262.108.& 136.37

12 Cum dixeris noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. 835.42

22 Cúmque tranſibit gloria mea, ponámque in foramine petræ, & videbis poſteriora mea. 339.7

23 Faciem meam videre non poteris. 123.62

CAP. XXXIV.

6 Quo tranſeunte coram eo, ait, Domine Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſericordiæ,& verax. 262.108

29 Et ignorabat, quod cornuta eſſet facies eius ex conſortio ſermonis Dauid. 143.86.& 918.56

CAP. XXXV.

4 Offerat eas Domino, aurum, & argentum,& hyacinthum, & purpuram, & byſſum tortam,& pilos. 721.8.& 731.74

CAP. XL.

5 Pones altare aureum, in quo adoletur incenſum coram arca teſtimonij, tentorium in introitu tabernaculi pones, & ante illud altare holocauſti. 136.46

Ex Leuitico.

CAP. I.

5 Immolabit vitulum coram Domino. 344.40

CAP. III.

9 Offerent de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino, adipem, & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque vniuerſa vitalia. 188.9

CAP. VI.

29 Omnis maſculus de genere ſacerdotali, veſcetur de carnibus eius. 444.38

CAP. XIII.

45 Habebit os veſte contectum, & contaminatum,ac ſordidum ſe clamabit. 893.8

Ex Numeris.

CAP. V.

15 Adducet eam ad Sacerdotem,& offeret oblationem pro illa decimam partem farinæ hordeaceæ. 450.79

CAP. XI.

5 Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones. 305.117

11 Crux afflixiſti ſeruum tuum. 753.18

14 Non poſſum ſolus ſuſtinere hunc populum, quia grauis eſt mihi. 382.26

17 Vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo,& tradam eis, vt ſuſtentent tecum onus populi. 678.3

31 Ventus autem egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & dimiſit in caſtra. 65.54

33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum. 411.41.& 453.91

CAP. XII.

1 Locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſen. 5.25

3 Erat enim Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. 126.94

CAP. XIII.

3 Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, ſingulos, de ſingulis tribubus ex principibus. 380.106

7 De tribu Ruben, Summa filium Zechur. De tribu Iuda, Caleph filiũ Iephone. De tribu Ephraim, Oſeæ filium Num. 740.& 415.61

33 Terra quam luſtrauimus deuorat habitatores ſuos; populus quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere gigantæo. 332.130

CAP. XV.

35 Obruat eum lapidibus omnis turba extra caſtra. 221.15

CAP. XVI.

15 Tu ſcis quod nec aſellum quidem acceperim ab eis. 313.15

31 Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis. 201.90

48 Stans inter mortuos; & viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. 236.34

CAP. XVII.

8 Inuenit geminaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores. 686.45

CAP. XX.

10 Audite increduli, & rebelles. 334.139

CAP. XXI.

5 Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. 312.14

9 Poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent ſanabantur. 281.63

CAP. XXIII.

7 Maledic Iacob, propera, & deteſtare Iſraël. 406.13

18 Sta Balac & auſcultа, audi fili Sephor. 164.237

CAP. XXIV.

3 Dixit Balam filius Beor, dixit homo, cuius obturatus eſt oculus. 821.18

CAP. XXV.

8 Ceſſauitque plaga à filiis Iſraël. 280.59

13 Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum. 273.15.& 616.88

CAP. XXVII.

2 Steterunt coram Moyſe, & Eleazaro Sacerdote, cunctiſque principibus populi. 785.48

CAP. XXXI.

1 Vlciſcere prius filios Iſraël de Madianitis, & colligeris ad populum tuum. 469.59.& 798.35

CAP. XXXIII.

10 Profecti de mari rubro caſtrametati ſunt in deſerto Sin. 719.77

CAP. XXXIV.

11 Hanc habebitis terram per fines ſuos in circuitu. 523.7

Ex Deuteronomio.

CAP. I.

4 Poſtquam percuſſit Sehon regem Amorrhæorum, Og regem Baſan, cœpit Moyſes explanare legem Domini. 254.71

CAP. V.

26 Quid eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis. 165.242

CAP. VI.

8 Ligabis ea quaſi ſignum in manu tua. 832.27

10 Cúmque introduxerit te Dominus in terram, quam iurauit patribus tuis. 403.72

CAP. VII.

1 Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, tradideríque Gentes Dominus Deus tuus tibi, percuties eas, quin potius hæc facietis eis. 8.41

CAP. IX.

6 Populus duriſſimæ ſeruitutis. 334.139

CAP. X.

10 Ego ſteti in monte, ſicut prius quadraginta diebus, ac noctibus, exaudiuítque me Dominus etiam hac vice. 130.104

CAP. XIII.

4 Dominum Deum veſtrum ſequimini. 166. 251

CAP. XVI.

15 Septem diebus Domino Deo tuo celebrabis, in loco, quem elegerit Dominus. 250.41

18 Iudices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi. 287.7

CAP. XVIII.

15 Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum. 159.200.& 162.216

CAP. XIX.

15 In medio duorum vel trium ſtabit omne verbum. 211.30

CAP. XX.

11 Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea eſt ſaluabitur. 816.52.& 186.92

CAP. XXVII.

26 Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec os opere perficit. 268.153

CAP. XXIX.

5 Non ſint attrita veſtimenta veſtra. 239.53

CAP. XXXII.

2 Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam. 144.96.& 264.121

5 Generatio praua, atque peruerſa. 176.29

6 Viuat Ruben, & non moriatur. 804.74

11 Sicut aquila prouocat ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas. 515.62.& 821.22

39 Ego occidam, & ego viuere facio. 351.93

CAP. XXXIII.

3 Dilexit populos multos, & omnes Sancti in manu illius ſunt. 588.55

16 Benedictio illius, qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph. 794.15

17 Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius. 763.29.& 444.37

19 Lætare Zabulon in exitu tuo, Iſſachar in tabernaculis tuis, qui inundationem maris, quaſi lac ſugent. 458.122

CAP. XXXIV.

5 Mortuus eſt ibi Moyſes. 146.102

6 Sepeliuit eum in valle terræ Moab. 292.44

Ex libro Ioſuë.

CAP. II.

4 Tollénſque mulier viros abſcondit. 509.130

10 Audiuimus, quod ſiccauerit Dominus aquas maris rubri, ad veſtrum introitum quando egreſſi eſtis de Ægypto. 359.140.& 241. 69

CAP. III.

17 Omnis populus per arentem alueum tranſibat. 580.10

CAP. IV.

14 In die illa magnificauit Dominus Ioſuë coram omni populo. 403.72

CAP. VI.

21 Interfecerunt omnia, quæ erant in ea à viro, vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. 852.33

CAP. VII.

25 Lapidauitq; eum omnis populus Iſraël. 285.86

CAP. X.

11 Cúmque fugerent filios Iſraël, & eſſent in deſcenſu Beth-horon, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo vſque ad Azeca. 240.61

12 Sol contra Gabaon ne moueatis, & Luna contra vallem Aialon. 339.8. & 784.42

CAP. XIV.

7 Miſit me Moyſes famulus Domini, vt conſiderarem terram, nuntiauíque ei quod mihi verum videbatur. 88.99

CAP. XIX.

49 Dederunt filij Iſraël poſſeſſorem Ioſuë filio Nun in medio ſui. 407.16

Ex libro Iudicum.

CAP. I.

1 Aſcendit Angelus Domini de Galgaliis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto. 966.43

7 Dixítque Adonibezec, ſeptuaginta reges, amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias. 545.44

14 Cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino parenti, ait, terram arentem dediſti mihi. 702.64

CAP. II.

14 Iratúſque Dominus contra Iſraël tradidit eos in manu diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hoſtibus. 449.75

CAP. III.

1 Hæ ſunt Gentes, quas dereliquit Dominus in terra promiſſionis, vt per eas erudiret Iſraëlem. 341.25

CAP. VI.

11 Venit Angelus Domini, & ſedit ſub quercu quæ erat Ephra, & pertinebat ad Ioas. 770.71

14 Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſraël de manu Madian. 40.154

15 In quo liberabo Iſraël? Ecce familia mea in fine eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. 453 63

CAP. VII.

9 Surge deſcende in caſtra; ſin autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus. 385.9

16 Diuiſit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenáſque vacuas, & lampades in medio lagenarum. 281.60

CAP. VIII.

22 Dominare tu, & filius tuus, & filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian. 700.36

CAP. IX.

9 Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe regem. 180.17

CAP. XIII.

4 Cene ne bibas vinum, ac ciceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries filium. 140.64

CAP. XIV.

8 Ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis. 830.13

CAP. XV.

19 Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex ea aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum. 831.18

CAP. XVI.

14 Conſurgens à ſomno extraxit clauum cum crinibus & licio. 575.58

15 Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti indicare, in quo ſit maxima fortitudo tua. 317.38

17 Si raſum fuerit caput meum recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines. 412.42

18 Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc aperuit mihi cor ſuum. 315.28

20 Qui de ſomno conſurgens dixit in animo ſuo egrediar, ſicut antea feci, & me excutiam, neſcicus, quod receſſit ab eo Dominus. 856.55

30 Concuſsíſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes Principes. 772.86

Ex libro Ruth.

CAP. IV.

6 Qui reſpondit, Cedo iuri propinquitatis, neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo. 411.36

10 Vt ſuſcitem nomen defuncti, in hæreditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua deleatur. ibid. 36

Ex libro primo Regum.

CAP. I.

1 Fuit vir vnus de Ramathaim. 474 28

9 Heli Sacerdote ſedente ſuper ſellam ante poſtes templi Domini. 439.7

13 Tantúmque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur. 467.50

CAP. II.

12 Filij Heli filij Belial, neſcientes Dominum. 255.80

20 Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac, pro fœnore, quod commodaſti Domino. 96.149

23 Quare facitis res huiuſmodi, quas ego audio res peſſimas ab omni populo: Nolite filij mei, non enim eſt bona fama quam ego audio. 283.72

26 Puer autem Samuel, proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus. 569.18

33 Verumtamen non auferam penitus verum ex te ab altari meo, ſed vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua. 841.77

34 Hoc erit tibi ſignum quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo. 201.89

CAP. III.

2 Nec poterat videre lucernam Domini antequam extingueretur. 80.45

9 Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. 318.43

CAP. IV.

18 Cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium. 167. 256

CAP. VI.

1 Et vocauerunt Philiſthiim Sacerdotes dicentes: Quid faciemus de arca Domini? 679.8. & 59.15

CAP. IX.

8 Rurſum puer reſpondit Saüli, & ait: Ecce inuenta eſt in manus mea quarta pars ſtateris argenti. 73.101

12 Feſtina nunc, hodie enim venit in ciuitatem. 476.37

27 Cúmque deſcenderent in extrema parte ciuitatis, dixit Samuel ad Saül. 664.131

CAP. X.

3 Inuenient te tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, vnus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. 387.22

4 Cúmque te ſaluauerint dabunt tibi duos panes, & accipies. 531.55. & 742.97. & 899. 58

9 Itaque cum auertiſſet humerum ſuum vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud. 237.43

11 Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiuſtertius, quod eſſet cum Prophetis, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: quænam res accidit filio Cis, num & Saül inter Prophetas. 352.101

16 De ſermone autem regni non indicauit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 322.70

27 Num ſaluare nos poterit iſte, & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera. 84.68

CAP. XI.

2 Eruam omnium veſtrum oculos, ponámque vos opprobrium vniuerſo Iſraël. 830.16

CAP. XV.

3 Vade, & percute Amalech; & demolire vniuerſa eius, & non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro vſque ad mulierem. 597.29

16 Sine me, & indicabo tibi, quid locutus eſt Deus. 815.46

35 Non vidit Samuel vltra Saül vſque in diem.

CAP. XVI.

10 Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, & ait Samuel ad Iſai, non elegit Dominus ex iſtis. 371.53. & 614.74

13 Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum. 724. 29. & 30

CAP. XVII.

26 Quid dabitur viro, qui percuſſerit Philiſthæum hunc, & tulerit opprobrium Iſraël. 611.55

32 Non concidat cor cuiuſque. 7.35

33 Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es, hic autem vir bellator ab adoleſcentia ſua. 655.77

34 Veniebat Leo & Vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum. 377. 87

45 Ego venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te. 41.164

58 Filius ſerui tui Iſai Bethlemitæ ego ſum. 303.106

CAP. XVIII.

7 Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. 353.110

8 Iratus eſt autem Saül nimis, & diſplicuit ſermo iſte in oculis eius. 318.45

9 Non rectis oculis Saül aſpiciebat Dauid. 17. 96

13 Amouit eum Saül à ſe, & fecit eum Tribunum ſuper mille viros, & ingrediebatur, & introibat in conſpectu populi. 369.40

17 Percuſſit ex Philiſthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi. 48.45. & 158.190

28 Non habet rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum. 563.159

CAP. XIX.

24 Expoliauit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele. 422.111

CAP. XX.

30 Iratus autem Saül aduerſus Ionathan, dixit ei: fili mulieris virum vltro rapientis. 285.92

31 Omnibus diebus quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. 684.30. & 783.35

CAP. XXI.

2 Rex præcepit mihi ſermonem, & dixit: Nemo ſciat rem propter quam miſſus es à me, & huiuſmodi præcepta tibi dederim. 83.62

4 Si mũdi ſunt pueri maximè à mulieribus. 3.4

9 Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi quem percuſſiſti in valle Therebinthi eſt inuolutus pallio poſt Ephod; ſi iſtum vis tollere, tolle. 187.99

10 Non eſt huic alter ſimilis. 662.116

CAP. XXII.

2 Conuenerunt ad eum omnes qui erant in angustia conſtituti. 811.24

17 Ait rex emiſſariis qui circumſtabant eum, conuertimini, & interficite Sacerdotes Domini, noluerunt autem ſerui regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini. 267. 146

22 Sciebam in die illa quod cum ibi eſſet Doëg Idumæus, proculdubio annuntiaret Saüli. 702.46

CAP. XXIII.

21 Benedicti vos à Domino. 329.111

27 Nuntius venit ad Saül, dicens: Feſtina & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram, reuerſus eſt ergo Saül deſiſtens perſequi Dauid. 325.90

CAP. XXIV.

10 Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduerſum te. 316.35

11 Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca, ſed & pepercit tibi oculus meus. 429.31

12 Vide quod non eſt in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccatum in te. 590.64

CAP. XXV.

13 Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, & accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis. 502.89

29 Erit anima Domini mei cuſtodia in faſciculo viuentium apud Dominum Deum tuum, porrò anima inimicorum tuorum rotabitur quaſi in impetu, & circulo fundæ. 291.32

32 Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem. 337.160
44 Saül dedit Michol filiam suam vxorem Dauid, Phalti. 60.23

CAP. XXVI.

14 Quis es tu qui clamas & inquietas regem. 685.38
21 Peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malè faciam eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis. 682.24

CAP. XXVIII.

11 Samuelem mihi suscita, aitque illi, Deos vidi ascendentes de terra. 310.5

CAP. XXX.

13 Dereliquit me Dominus meus, quia ægrotare cœpit nudiustertius. 457.116

Ex libro secundo Regum.

CAP. I.

21 Abiectus est clypeus fortium clypeus Saül, quasi non esset vnctus oleo. 757.42

CAP. II.

1 Post hæc consuluit Dauid dicens, num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda. 489.11

CAP. III.

24 Ingressus est Ioab ad regem & ait, quid fecisti, ecce venit Abner ad te, quare dimisisti eum, & abiit & recessit. 499.72

CAP. IV.

5 Isboseth dormiebat super stratum suum meridie, & ostiaria domus purgans triticum obdormiuit, ingressi sunt autem domum latenter, & percusserunt eum in inguine Recab, & Baana frater eius. 425.125

CAP. V.

7 Cæpit Dauid arcem Sion. 772.84
8 Proposuerat Dauid in die illa præmium ei, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animã Dauid. 232.9. & 717.16

CAP. VI.

6 Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. 344.44
12 Nuntiatúmque est regi Dauid quod benedixisset Dominus Obededom & omnia eius propter arcam. 368.33
21 Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & vilior fiam plusquam factus sum. 197.65. & 435.62

CAP. VIII.

18 Bonaias autem filius Ioiadæ, super Cerethiet Phelethi. 796.26

CAP. XII.

7 Dixit Nathan ad Dauid, tu es ille vir: hæc dicit Dominus Deus: Ego vnxi te in regem super Israël; ego erui te de manu Saül, & si parua sunt ista, adiiciam tibi multo maiora. 93.134. & 126.77
10 Quamobrem non recedet gladius de domo tua. 755.29
13 Peccaui Domino, Dixitque Nathan ad Dauid, Dominus quoque transtulit peccatum tuum. 224.37

CAP. XIII.

20 Nunc soror tace, frater tuus est, neque affligas cor tuum pro hac re. 698.18

CAP. XV.

3 Videntur mihi sermones tui boni. 811.23
13 Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalom, & ait Dauid seruis suis qui erant cum eo in Ierusalem. Surgite fugiamus, neque erit nobis effugium à facie Absalom. 221.12
16 Egressus est ergo rex, & omnis Israël pedibus suis extra ciuitatem. 373.62
25 Dixit rex ad Sadoc; reporta arcam Dei in vrbem. 279.51
30 Ascendebat cliuum oliuarum scandens & flens. 266.137. & 467.51

CAP. XVI.

3 Remansit in Ierusalem dicens, hodie restituet mihi Dominus Israël regnum patris mei. 453.96
4 Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. 198.67. & 275.24. & 904.89
22 Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario, ingressúsque est ad concubinas patris sui coram vniuerso Israël. 819.47.8

CAP. XVIII.

5 Seruate mihi puerum Absalom. 223.29
14 Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalom. 596.14
33 Fili mi Absalom, Absalom, fili mi. 162.221

CAP. XIX.

20 Cur efficiemini mihi hodie in Satan? ergone hodie interficietur vir in Israël. 48.42
22 Quid vltra loqueris? fixum est, quod locutus sum; Tu & Siba diuidite possessiones. 275.24

CAP. XXIII.

8 Dauid quasi tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit impetu vno. 674.194
15 O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem. 742.38
16 Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem. 57.98

CAP. XXIV.

16 Dixit Deus Angelo percutienti populum, sufficit, nunc contine manum tuam. 223.23
17 Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi. 24.53. & 753.17
Qui oues sunt quid fecerunt? 502.90

Ex libro tertio Regum.

CAP. I.

11 Num audisti quod regnauerit Adonias, & Dominus noster Dauid hoc ignorat? nunc ergo veni, & accipe consiliũ meum. 581.15
41 Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo, iam enim conuiuium finitum erat. 701.38

CAP. II.

1 Appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur. 402.66
8 Habes quoque apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessima. 808.100

CAP. III.

7 Ego autem sum puer paruulus ignorans egressum, & introitum meum, & seruus tuus in medio populi quem elegisti. 369.40

CAP. V.

17 Cúmque ædificaretur templum operariis præcepit rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi. 587.52

CAP. VI.

27 Poſuítque Cherubim in medio templi exterioris, extendebat alas ſuas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub ſecundi tangebat parietem alterum. 277.39

CAP. VIII.

9 In arca autem non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ. 264.122

CAP. X.

4 Videns autem Regina Saba ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, non habebat vltra ſpiritum. 781.22

18 Fecit rex Salomon thronum de ebore grandem, & veſtiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat ſex gradus & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque inde. 491.19

23 Magnificatus eſt rex Salomon ſuper omnes reges terræ, diuitiis & ſapientia, & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis. 639.107

27 Fecit, vt tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum. 358.77

CAP. XI.

4 Cúmque iam Salomon eſſet ſenex, depranatum eſt cor eius per mulieres vt ſequeretur Deos alienos. 212.39

CAP. XIII.

2 Altare Altare, Ecce filius naſcetur domui Dauid Ioſias nomine, & immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum. 540.9

6 Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt reſtituatur manus mea mihi. 614.125

CAP. XVI.

1 Factum eſt ſermo Domini ad Iehu filium Hanani, 835.44

CAP. XVII.

1 Viuit Dominus ſi erit ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba. 549.69 & 661.112

6 Corui quoque deferebant ei panem, & carnes manè, ſimiliter panem & carnes veſperi. 456.110

Corui quoque deferebant ei panem die ac nocte. 528.39

13 Vade, & fac ſicut dixiſti; verumtamen mihi primum fac de ipſa farinula ſubcineritium panem paruulum, & affer eum ad me. 416.8

15 Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ & comedit ipſe, & illa & domus eius. 630 48

19 Et ait ad eam Elias, da mihi filium tuum, tulítque eum de ſinu eius, & portauit in cœnaculum. 497.58

21 Expandit ſe atque menſus eſt puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait, Domine Deus meus meus. 791.82

CAP. XVIII.

22 Ego remanſi Prophetæ Domini ſolus; Prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta. 746.65

33 Diuiſíque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna. 344.40

CAP. XIX.

2 Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant niſi hac hora ceras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis. 135.31

3 Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque enim ferebat voluntas, & petiuit animæ ſuæ vt moreretur. 490.16

4 Cúmque veniſſet & ſederet ſubter vnam Iuniperum, petiuit animæ ſuæ vt moreretur. 857.63. & 867.20

5 Proiecit ſe, & obdormiuit ſub vmbra iuniperi, & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit, ſurge & comede, & reſpexit & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis. 197.66

7 Angelus Domini tetigit eum, dixítque illi, ſurge, comede, grandis enim tibi reſtat via, qui cum ſurrexiſſet comedit, & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus. 72.100

10 Derelictus ſum ego ſolus. 570.24

16 Vnges Hazaël regem, ſuper Siriam, & Iehu filium. Nam ſi vnges regem ſuper Iſraël, Eliſeum autem filium Saphat vnges Prophetam. 660.103

CAP. XXI.

2 Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum oletum, quia vicina eſt, & prope domum meam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem. 402.65.572.40

3 Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum. 493.31

10 Submittite duos filios Belial contra Naboth, & falſum teſtimonium dicant: Benedixit Deum & Regem. 329.111. & 591.70

21 Ecce ego inducam ſuper te malum. 230.71

29 Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius. ibid.71

CAP. XXII.

21 Ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. 289.20

Ex quarto libro Regum.

CAP. I.

4 Nunquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſolendum Beelzebub Deum Accaron? quamobrem hæc dicit Dominus. 154.164

9 Homo Dei Rex præcepit, vt deſcendas. 896.34

CAP. II.

11 Cúmque pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque. 701.39

14 Percuſſit aquas & non ſunt diuiſæ, & dixit, vbi eſt Deus Eliæ? Etiam nunc. 391.44

CAP. IV.

1 Ecce creditor venit, & tollet duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. 222.16

8 Facta autem quædam dies tranſibat Eliſæus per Sunam, erat ibi mulier magna. 604.8

30 Surrexit & ſecutus eſt eam. 415.65

31 Poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus. 367.16

34 Aſcendit & incubuit ſuper puerum, & poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius. 350.87. & 763.27

CAP. V.

10 Vade lauare ſepties in Iordane. 75.11. & 746.65. & 349.83. & 415.65 & 498

14 Deſcendit, & lauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem

sermonem viri Dei,& restituta est caro eius sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. 233.14

CAP. VI.

17 Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. 445.46

19 Sequemini me, & ostendam vobis virum quem quæritis, duxit ergo eos in Samariam. 339.12

30 Vidítque omnis populus cilicium quo indutus erat ad carnem intrinsecus, & ait Rex: hæc mihi faciat Deus,& hæc addat,si steterit caput Elisæi super ipsum hodie. 685.37

CAP. X.

6 Porrò filij Regis septuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur; cúmque venissent litteræ ad eos. 868.31

CAP. XII.

9 Tulit Ioiada Pontifex gazophylacium, aperuítque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini,mittebántque in eum Sacerdotes, qui custodiebant ostium, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini, 292.37

CAP. XVIII.

11 Dedit Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis in tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas aureas quas ipse affixerat dedit eas regi. 184.79

19 Loquitur Ezechiæ. Hæc dicit rex magnus. 688.54

CAP. XIX.

2 Misit senes de Sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetam filium Amos.465.34

35 Venit Angelus Domini,& percussit in castris Assyriorum, centum octoginta quinque millia. 549.71

CAP. XX.

3 Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto. 569.17

9 Cui ait Isaias. Hoc erit signum à Domino quod factus sit Dominus sermonem, quem locutus est. Vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus. 420.97.& 663.121

CAP. XXIII.

5 Qui adolebant incensum Baal & Soli & Lunæ. 785.50

22 Nec enim factum est phase à diebus iudicum, qui iudicauerunt Israël, & omnium dierum regum Israël,& Iuda,sicut in octauodecimo anno regis Iosiæ. 515.164

Ex libro primo Paralipomenon.

CAP. II.

19 Absit,vt in conspectu Dei mei hoc faciam,m sanguinem istorum virorum bibam. 44.16

CAP. XXI.

4 Sermo regis magis præualuit. 795.18

11 Elige quod volueris,aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra. 546.51

Ex libro secundo Paralipomenon.

CAP. I.

10 Da mihi sapientiam & intelligentiam, vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. 569.40

CAP. XXI.

12 Allatæ sunt ei litteræ ab Elia Propheta. 154. 164.

CAP. XXIV.

22 Videat Dominus, & requirat. 837.52

CAP. XXV.

6 Mercede quoque conduxit de Israël centum millia robustorum,centum talentis argenti. 220.3

CAP. XXVI.

21 Et habitabit in domo separata plenus lepra 648.31

Ex libro primo Esdræ.

CAP. IX.

6 Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt. 586.45

Ex libro Tobiæ.

CAP. II.

15 Sicut beato Iob insultabant reges;ita isti parentes,& cognati eius,irridebant vitam eius dicentes,vbi est spes tua,pro qua eleemosynas,& sepulturas faciebas. 462.21

CAP. III.

1 Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lachrymis dicens,iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt. ibid.21

CAP. IV.

2 Audi fili mi verba oris mei. 659.102

7 Quomodo potueris ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum,etiam exiguum. 469.58

CAP. V.

5 Inuenit iuuenem splendidum stantem præcinctum, quasi paratum ad ambulandum. 407.15

CAP. VII.

2 Dixit Annæ sorori suæ,quam similis est iuuenis iste consobrino meo. 31426

CAP. XI.

13 Sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui, & sustinuit quasi ferè dimidiam horam, statímque visum recepit. 341.25

CAP. XII.

15 Ego sum Raphaël vnus ex septem qui stamus ante Deum. 206.118

Ex libro Iudith.

CAP. II.

1 Factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum,vt defenderet se, vocauítque omnes maiores natu, & habuit cum eis mysterium consilij sui. 679.6

3 Omnésque duces,& bellatores suos, & dixit eis cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suam subiugaret imperio. 402.64

CAP.

CAP. III.

13 Præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet, vt ipſe ſolus diceretur Deus. 849.15

CAP. VIII.

31 Quod facere diſpoſui probate ſi ex Deo eſt, & orate vt firmum faciat Deus conſilium meum. 679.4

CAP. X.

3 Induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induſque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos. 914.36

5 Impoſuit itaque Abræ ſuæ aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. 335.144

CAP. XVI.

23 Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis quæ dedit illi populus, & conopæum quod ipſa ſuſtulerat, obtulit in anathema obliuionis. 118.31

Ex libro Eſther.

CAP. I.

12 Quæ renuit & ad regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat venire contempſit. 469.62

13 Interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat conſilio. 147.& 70.69

19 Si tibi placet egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt, vt nequam vltra Vaſthi ingrediatur ad regem. 335.148

CAP. III.

9 Si tibi placet decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam æratiis gazæ tuæ. 332.131

CAP. IV.

1 In platea mediæ ciuitatis voce magna clamabat oſtendens amaritudinem animi ſui. 445.47

2 Et hoc eiulatu vſque ad fores palatij gradiens, non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare. 416.11.& 467.50

14 Per aliam occaſionem liberabantur Iudæi. 686.46

CAP. V.

4 Si regi placet obſecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui. 878.99

10 Conuocauit ad ſe amicos ſuos, & Zares vxorem ſuam. 529.45

CAP. VI.

2 Ventum eſt ad illum locum vbi ſcriptum erat, quomodo nuntiaſſet Mardochæus inſidias Bagathan. 63.35

3 Quid pro hac fide honoris, & præmij Mardochæus, conſecutus eſt? dixerunt ſerui illius, ac miniſtri, nihil omnino mercedis accepit. 429.28.& 765.40

6 Cogitans autem in corde ſuo Aman, & reputans, quod nullum rex niſi ſe vellet honorare. 570.43

9 Sic honorabitur quemcumque rex voluerit honorare. 691.70

CAP. VII.

6 Quis eſt iſte, vt hæc audeat facere. 527.36

CAP. VIII.

15 Mardochæus autem de palatio; & de conſpectu regis egrediens fulgebat veſtibus Regis hyacinthinis, & coronam auream portans in capite. 422.110

16 Noua lux oriri viſa eſt. 172.9

CAP. XI.

8 Fuitque illa dies tenebrarum, atque diſcriminis. 862.92

CAP. XIII.

1 Rex maximus Artaxerxes ab India vſque ad Æthiopiam. 236.37

CAP. XIV.

13 Tribue ſermonem compoſitum in ore meo. 585.40

CAP. XV.

9 Vidi te, Domine, quaſi Angelum Dei; valdè enim mirabilis es Domine, facies tua plena eſt gratiarum. 903.79

11 Rex feſtinus, ac metuens exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe his verbis blandiebatur, quid habes Eſther? ergo ſum frater tuus. 436.69.& 281.60

Ex libro Iob.

CAP. I.

6 Quadam die cum conueniſſent filij Dei vt aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan. 192.33.& 697.12

8 Homo ſimplex, & rectus. 410.32

11 Extende paululum manum tuam & tange cuncta quæ poſſidet. 127.82

19 Repente ventus irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. 114.8

20 Scidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit. 542.25

CAP. II.

3 Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei vir ſimilis in terra. 410.32

11 Audientes tres amici Iob omne malum quod acceſſiſſet ei, venerunt ſinguli de loco ſuo. 385.8

CAP. V.

3 Vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius. 401.58

5 Cuius meſſem famelicus comedet, & bibent ſitientes diuitias eius. 605.24

CAP. VI.

7 Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi ſunt mei. 513.135

25 Detraxiſtis ſermonibus meis veritatis. 524.14

CAP. VII.

1 Militia eſt vita hominis ſuper terram. 399.44.& 63.39

CAP. X.

8 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, & ſic repente præcipitas me. 46.36

20 Dimitte me vt plangam paululum dolorem meum. 664.125

CAP. XV.

13 Quid tumet contra Deum ſpiritus tuus. 428.21

22 Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur, non

non credit quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem. 347.68

CAP. XVI.

20 Ecce in cœlo teſtis meus,& conſcius meus in excelſis. 524.16

CAP. XVII.

14 Putredini dixi, Pater meus es; mater mea & ſoror mea vermibus. 652.58

CAP. XVIII.

7 Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum,immiſit enim in rete pedes ſuos 686.43.& 807.93

CAP. XIX.

20 Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. 313.21

22 Quare perſequimini me ſicut Deus. 879. 101

23 Quis mihi tribuat vt ſcribantur ſermones mei,quis mihi det vt exarentur in libro ſtilo ferreo. 277.38

CAP. XX.

11 Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. 296. 68

CAP. XXI.

32 Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit. 550.76

CAP. XXII.

29 Qui inclinauerit oculos ipſe ſaluabitur. 574. 48

CAP. XXIX.

6 Petra fundebat mihi riuos olei. 98.166

CAP. XXX.

4 Et mundabant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.498. 62

CAP. XXXI.

19 Si deſpexi pereuntem eo quod habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem. 744.49

CAP. XXXIII.

20 Abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis. 556.113

CAP. XXXIX.

32 In die contemplatur eſcam,& de longè oculi eius proſpiciunt, & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. 863.99

CAP. XLI.

4 Quis reuelabit faciem indumenti eius. 860. 78

CAP. XLII.

5 Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. 120.47

7 Iratus eſt furor meus in te,& in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum. 277.38

10 Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob. 349.86

Dominus quoque conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob cum oraret ille pro amicis ſuis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerunt Iob duplicia. 917.51

Ex libro Pſalmorum.

PSALM. II.

6 Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. 147. 116. & 225.77

9 Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli. 105.208

PSALM. IV.

3 Filij hominum vſqueqno graui corde,vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mendacium. 125.71.& 317.37

5 Iraſcimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris. 118.34

7 Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,dediſti lætitiam in corde meo.878.91. 513.148

9 In pace in idipſum dormiam & requieſcam. 142.81

PSALM. V.

10 Quoniam non eſt in ore eorum veritas. 363. 159

PSALM. VI.

4 Et anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine vſquequo. 427.19

7 Laboraui in gemitu meo,Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo. 668.160

PSALM. VII.

8 Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti: & ſynagoga populorum circumdabit te, & propter hanc in altum regredere. 773.94

10 Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, ſcrutans corda, & renes Deus. 44. 17

PSALM. IX.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo; narrabo omnia mirabilia tua. 822.27

PSALM. X.

5 Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore? auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur. 873.63

13 Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo non requiret. ibid.62

17 Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus; præparationem cordis eorum audiuit auris tua. 505.103

PSALM. XII.

1 Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem? Vſquequo auertis faciem tuam à me? 417.19

PSALM. XV.

1 Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te; Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. 62.33

4 Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero omnium eorum per labia mea. 425.9

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt. 223.30

PSALM. XVI.

3 Probaſti cor meum,& viſitaſti nocte,igne me examinaſti,& non eſt inuenta in me iniquitas. 139.58

15 Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua. 123.62

PSALM. XVII.

7 Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis. 554.99

7 Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius, introiuit in aures eius. 384.4

9 Aſcendit fumus in ira eius : & ignis à facie eius exarſit : carbones ſuccenſi ſunt ab eo. 810.10

11 Et aſcendit ſuper Cherubim,& volauit ; volauit ſuper pennas ventorum , & poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius : tenebroſa aqua in nubibus aëris. 774.101

PSALM. XVIII.

6 In ſole poſuit tabernaculum ſuum : & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. 312.13

7 Exultauit vt gigas ad currendam viam , à ſummo cœlo egreſſio eius. 195.53

8 Et occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. 338.4

PSALM. XXI.

13 Circumdederunt me vituli multi , tauri pingues obſederunt. 632.57

16 Aruit tanquam teſta virtus mea , & lingua mea adhæſit faucibus meis:& in puluerem mortis deduxiſti me. 49.56

PSALM. XXII.

5 Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me. 863.97

PSALM. XXIII.

2 Quia ipſe ſuper maria fundauit eum,& ſuper flumina præparauit eum. 36.128

PSALM. XXIV.

8 Dulcis & rectus Dominus : propter hoc legem dabit delinquentibus in via. 285.91

PSALM. XXVI.

10 Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me:Dominus autem aſſumpſit me. 460.12

PSALM. XXXI.

5 Dixi : Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino : & tu remiſiſti impietatem peccati mei. 626.19.& 507.113

PSALM. XXXII.

6 Verbo Domini cœli firmati ſunt ; & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. 875.74

PSALM. XXXIII.

6 Accedite ad eum, & illuminamini , & facies veſtræ non confundentur. 472.13

11 Diuites eguerunt, & eſurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. 546.53

12 Venite filij audite me : timorem Domini docebo vos. 53.83

16 Oculi Domini ſuper iuſtos : & aures eius in preces eorum. 391.40

PSALM. XXXIV.

2 Apprehende arma , & ſcutum , & exurge in adiutorium mihi,effunde framcam;& conclude aduerſus eos , qui perſequuntur me: dic animæ meæ , ſalus tua ego ſum. 788 67

PSALM. XXXV.

9 Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ : & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ : & in lumine tuo videbimus lumen. 419.86

10 Quoniam apud te eſt fons vitæ. 247.24

12 Non veniat mihi pes ſuperbiæ. 572.36

PSALM. XXXVI.

5 Reuela Domino curam tuam, & ipſe te enutriet ; faciet , & educet quaſi lumen iuſtitiam tuam,& iudicium tuum tanquam meridiem. 805.85

10 Quæres locum eius,& non inuenies.261.106

17 Declina à malo,& fac bonum. 414.58

PSALM. XXXVIII.

3 Obmutui & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. 313.21

8 Et ſubſtantia mea apud te eſt. 716.12

PSALM. XXXIX.

13 Cor meum dereliquit me. 385.5

PSALM. XLI.

3 Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum. 263.119

PSALM. XLIV.

2 Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. 32.104

4 Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potentiſſimè , ſpecie tua intende proſpere procede & regna. 274.22.& 763.25

6 Virga directionis virga regni tui, 148 120

10 In veſtitu deaurato circundata varietate.541. 16

14 Omnis gloria eius ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. 738.13

15 Adducentur regi virgines poſt eam. 550.73

17 Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. 370.44

PSALM. XLV.

5 Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. 267.145

6 Adiuuabit eam Deus mane diluculo. 702.42

7 Dedit vocem ſuam,mota eſt terra. 803.67

PSALM. XLVI.

1 Omnes gentes plaudite manibus , iubilate Deo in voce exultationis. 450.87

10 Quoniam Dei fortes terræ, vehementer eleuati ſunt. 196.57.& 366.22

PSALM. XLVIII.

1 Auribus percipite qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filij hominum. 537.92

5 Inclinabo in parabolam aurem meam ; aperiam in pſalterio propoſitionem meam,cur timebo in die mala. 53.82

12 Et relinquent alienis diuitias ſuas. 556. 114

Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. 544. 34

13 Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus , & ſimilis factus eſt illis. 570.25

PSALM. XLIX.

16 Peccatori autem dixit Deus:quare tu enarras iuſtitias meas. 44.14

20 Sedens aduerſus fratrem ſuum loquebaris,& aduerſus filium matris tuæ , ponebas ſcandalum. 15.82

PSALM. L.

3 Secundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. 486.94

7 Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum. 360.143

14 Spiritu principali confirma me. 469.60

PSALM. LI.

4 Sicut nouacula acuta feciſti dolum. 448.61

PSALM. LIV.

7 Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ , & volabo & requieſcam. 74.6.& 821.23

11 Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas. 448.65

22 Molliti ſunt ſermones eius , ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. 271.5

PSALM.

PSALM. LVI.

3 Clamabo ad Deum altiſſimum qui benefecit mihi. 238.51

PSALM. LVII.

9 Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem. 450.80

11 Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lauabit in sãguine peccatoris, 44.18

PSALM. LVIII.

10 Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. 240.63

PSALM. LX.

3 A finibus terræ ad te clamaui dum anxiaretur cor meum, 306.122

PSALM. LXI.

11 Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. 523.5

PSALM. LXII.

3 In terra deſerta & inuia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi. 469.62

PSALM. LXIV.

11 Riuos eius inebria, multiplica germina eius. 264.125

13 Pinguescent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. 184.83

PSALM. LXVII.

10 Pluuiam voluntariã ſegregabis Deus. 241.69

24 Vt intingatur pes tuus in ſanguine. 364.11

30 A templo tuo in Hieruſalem. 379.99

PSALM. LXVIII.

26 Fiat habitatio eorum deſerta. 475.53

33 Quærite Deum, & viuet anima veſtra. 506.106

PSALM. LXIX.

3 Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam. 584.35

PSALM. LXXI.

4 Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum. 10.54

6 Deſcendet ſicut pluuia in vellus. 105.208

7 Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis. 532.60

PSALM. LXXII.

1 Quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. 553.95

18 Deiecisti eos dum alleuarentur. 232.7. & 560.136

20 Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. 898.47

27 Quia ecce qui elongant ſe à te peribũt. 492.26

PSALM. LXXIV.

3 Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. 319.50. & 55.105

9 Calix in manu Domini vini plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc. 25.55. & 276.31

PSALM. LXXV.

2 Notus in Iudæa Deus. 529.109

3 Factus eſt in pace locus eius. 390.36

5 Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. 851.30

6 Dormierunt ſomnum ſuum. 504.99

PSALM LXXVI.

11 Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi. 19.10

PSALM. LXXVII.

25 Panem Angelorum manducauit homo: cibaria miſit eis in abundantia. 514.156

29 Manducauerunt & ſaturati ſunt. 411.41

67 Tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda. 117.23

PSALM. LXXVIII.

11 Introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum, ſecundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorum. 53.108

PSALM. LXXIX.

2 Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare corã Ephraim, Benjamin, & Manaſſe. 879.101

6 Vineam de Ægypto tranſtuliſti, vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam, exterminauit eam aper de ſylua. 849.16

PSALM. LXXXI

1 Deus ſtetit in ſynagoga Deorum. 215.53. & 275.13. & 14. & 615.79

6 Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. 795.19

PSALM. LXXXII.

14 Deus meus pone illos vt totam. 232.8

17 Imple facies eorum ignominia. 223.30

PSALM. LXXXIII.

6 Beatus vir cuius eſt auxilium abs te. 151.148

PSALM. LXXXIV.

1 Benedixiſti Domine terram tuam. 446.58

PSALM. LXXXVI.

2 Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. 360.148

4 Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum hi fuerunt illic. 743.87

PSALM. LXXXVIII.

8 Magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. 313.17

13 Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt. 135.32

49 Quis eſt homo, qui viuet & non videbit mortem. 17

PSALM. XC.

4 Scapulis ſuis obumbrabit tibi. 123.63

5 Scuto circumdabit te veritas eius. 121.50. & 313.17. & ſeqq. & 480.62

PSALM. XCI.

7 Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. 401.58

13 Sicut cedrus Libani multiplicabitur. 370.45

PSALM. XCII.

2 Parati ſedes tua ex tunc à ſæculo tu es 381.123

5 Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum. 157.184

PSALM. XCVI.

2 Nubes & caligo in circuitu eius. 159.196

PSALM. C.

8 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. 487.95

PSALM. CI.

20 Dominus de cœlo in terram aſpexit vt audiret gemitus compeditorum. 416.10

PSALM. CII.

14 Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. 379.101

20 Benedicite Domino omnes Angeli eius potẽtes virtute facientes verbum illius. 205.115

PSALM. CIII.

3 Qui ponis nubem aſcenſum tuum. 159.196

23 Exiuit homo ad opus ſuum. 634.75

25 Hoc mare magnũ, & ſpacioſũ manibus. 724.31

PSALM. CV.

14 Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto. 495.42

15 Et miſit ſaturitatem in animas eorum. 543.28. & 742.38

16 Et irritauerunt Moyſen in caſtris. 92.124

19 Et fecerunt vitulum in Horeb. 328.106

20 Et dixit vt diſperderet eos. 795.15

PSALM. CVI.

12 Infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. 649.37

16 Qui contriuit portas æreas. 101.185

Loca ſacræ Scripturæ.

20 Miſit verbum,& ſanauit eos. 350.87
13 Qui deſcendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. 697.17
34 Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. 494.40
41 Videbunt recti,& lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. 55.97.& 330.114
108.8 Epiſcopatum eius accipiat alter. 475.33
9 Fiant filij eius Orphani & vxor eius vidua. 395.16
13 In generatione vna deleatur nomẽ eius.494.39
109.1 Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis. 827.53
3 Tecum principium in die virtutis tuæ.771.74
6 Iudicabit in nationibus implebit ruinas. 456. 111
111.3 Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. 43.609
115.11 Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. 150.135.& 571.34
13 Calicem ſalutaris accipiam. 708.81
117.22 Lapidem quem reprobauerunt ædificantes. 98.162.& 371.50
25 O Domine ſaluum me fac. 73
118.1. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini. 415.& 144.96
73 Manus tuæ fecerunt me. 46.33
74 Qui timent te videbunt me. 209.13
109 Anima mea in manibus meis ſemper.490.15
112 Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas. 305.121
113 Iniquos odio habui. 460.10
116 Non confundas me ab expectatione mea. 622.118
120 Confige timore tuo carnes meas. 499.69
176 Erraui ſicut ouis quæ periit. 374.68. & 506. 106 & 716.11
119.3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam. 557.119
120 1 Leuaui oculos meos in montes. 392.51
121.7 Fiat pax in virtute tua. 214.48
127.3 Filij tui ſicut nouellæ oliuarum. 444.37
128.1. Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea. 639.106
130.2 Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua.296.65
3 Speret Iſraël in Domino. 574.48
131.1.Memento Domine Dauid. 728.54
8 Surge Domine in requiem tuam. 661.111.& 913.26
11 De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. 266.140
134.6 Omnia quæcunque voluit fecit. 19.14
7 Educens nubes ab extremo terræ fulgura in pluuiam fecit. 114.8.& 447 74
141.8. Me expectant iuſti donec retribuas mihi. 615.82
142.2 Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. 467.44
144 15 Oculi omnium in te ſperant Domine. 248.28
18 Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. 45.25
146.4. Qui numerat multitudinem ſtellarum. 417.78
147 2 Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum. 154.162
149.6 Et gladij ancipites in manibus eorum. 411.52
8 Ad alligandos reges eorum in compedibus 411.39

Ex Prouerbiis.

Cap. II.

11 Conſilium cuſtodiet te. 625.13

Cap. III.

7 Ne ſis ſapiens apud te ipſum. 395.15
13 Beatus homo,qui inuenit ſapientiam. 91.118
28 Ne dicas amico tuo: vale,& reuertere. 531.58
32 Cum ſimplicibus ſermocinatio eius. 77.25

Cap. IV.

23 Omni cuſtodia ſerua cor tuum. 232.6
25 Oculi tui recta videant,& palpebræ tuæ præcedant greſſus ſuos. 464.32

Cap. V.

1 Fili mi attende ad ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam. 53.81
16 Deriuentur fontes tui foras,& in plateis aquas tuas diuide. 805.80
22 Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringuntur. 303. 107.& 739.17

Cap. VIII.

31 Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominũ.478.49

Cap. X.

15 Subſtantia diuitis,vrbs fortitudinis eius.538. 97

Cap. XI.

17 Benefacit animæ ſuæ vir miſericors. 560.133

Cap. XII.

10 Nouit iuſtus iumentorum ſuorum animas. 379.101

Cap. XIII.

8 Redemptio animæ viri diuitiæ ſuæ. 538.97
12 Spes quæ differtur affligit animam. 622.118

Cap. XIV.

13 Riſus dolore miſcebatur. 668.157
5 Profert autẽ mendaciũ doloſus teſtis. 633.68
32 In malitia ſua expellatur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua. 418.79

Cap. XV.

1 Reſponſio mollis frangit iram. 324.78

Cap. XVI.

14 Indignatio Regis,nuntij mortis. 250.41
15 In hilaritate vultus regis,vita. 332.127

Cap. XVIII.

2 Non recipit ſtultus verba prudentiæ. 310.2
13 Qui prius reſpondet, quam audiat,ſtultum ſe eſſe demonſtrat. 53.80

Cap. XIX.

10 Non decent ſtultum delitiæ, nec ſeruum dominari principibus. 226.53

Cap. XX.

8 Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo. 467.45

Cap. XXI.

30 Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. 477.47

Cap. XXIII.

27 Fouea enim profunda eſt meretrix. 353.49

Cap. XXIV.

16 Septies enim cadet iuſtus,& reſurget.167.258

Cap. XXV.

6 Ne glorioſus apppareas coram rege,& in loco magnorum ne ſteteris, melius eſt enim vt dicatur tibi aſcende huc,quam vt humilieris coram principe. 434.57

Cap. XXVII.

14 Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit. 323.76

Cap.

CAP. XXVIII.

9 Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. 358.134

CAP. XXIX.

21 Qui delicate à pueritia nutrit ſeruum ſuum poſtea ſentiet eum contumacem. 226.53. & 345.49

CAP. XXV.

21 Per tria mouetur terra, & quartum ſuſtinere non poteſt. 226.54

CAP. XXXI.

10 Procul & de vltimis finibus pretium eius. 133.19

19 Digiti eius apprehenderunt fuſum. 723.22

22 Byſſus & purpura indumentum. 541.17

Ex libro Eccleſiaſtes.

CAP. II.

8 Coaceruaui mihi argentum & aurum, & ſubſtantiam regum, feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorũ hominum. 523.6

CAP. III.

7 Tempus tacendi, & tempus loquendi. 52.77.

CAP. V.

18 Omni mihi cui dedit Deus diuitias atque ſubſtantiam, poteſtatémque tribuit ei vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc eſt domum Dei. 399.41

CAP. VII.

13 Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. 538.95

17 Noli eſſe iuſtus multum. 117.28

CAP. VIII.

11 Quia non profertur citò contra malos ſententia abſque timore vllo, filij hominum perpetrant mala. 399.39

CAP. IX.

10 Quodcunque poteſt facere manus tua inſtanter opere, quia nec opus, nec oratio, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. 131.49. & 525.22

CAP. X.

11 Si mordeat ſerpens in ſilentio nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. 378.91

20 In cogitatione tua regi ne detrahas, & in ſecretis cubili tuo, ne maledicas diuiti, quia aues cæli portabunt vocem tuam. 54 92

Ex Canticis Canticorum.

CAP. I.

1 Oſculetur me oſculo oris ſui. 461 15

2 Oleum effuſum nomen tuum, ideo adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. 241. 70. & 661. 112

3 Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum, ſuper vinum recti diligunt te. 779.8

4 Trahe me poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. 491.24. & 25

5 Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decoloraui me Sol. 192.32

Nigra ſum ſed formoſa, filiæ Hieruſalem ſicut tabernacula Cedar. 208.8. & 365.16

Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis. 518.179. & 782.17

6 Indica mihi, quem diligit anima mea vbi paſcas. vbi cubes. 63.40 & 144 93 & 287.12

7 Si ignoras te egredere & abi poſt veſtigia gregem tuorum. 449.74

8 Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. 196.58

10 Murenulas aureas faciemus tibi. 147.111

12 Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. 791. 85

13 Botrus cypri dilectus meus mihi. 516.171

15 Ecce tu pulcher es dilecte mi; & decorus, lectulus noſter floridus 142.82. & 198.71

16 Tigna domorum noſtrarum Cedrina. 157.184

CAP. II.

1 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. 509.127

Ego flos campi. 70.88. & 895.24

3 Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. 482.70

4 Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 255.73

12 Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit. 346.54

16 Dilectus meus mihi & ego illi. 19.11. & 630 44

17 Similis eſto dilecte mi capreæ hinnulóque ceruorum ſuper montes Bethel. 507.117

CAP. III.

1 In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui illum & non inueni, ſurgam & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea. 187.12. & 194.53. & 454. 110. & 481. 68. & 502. 91. & 507. 117

4 Inueni quem diligit anima mea tenui eum; nec dimittam. 198.72. & 234.20. & 391.41. & 521.200. & 605.18

6 Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. 299 82. & 575.57

7 En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël. 36.128. & 463.30

8 Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos. 389.35. & 413. 52

9 Ferculum fecit ſibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum media charitate conſtrauit. 472.15. & 738.14

11 Egredimini. & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſpõſationis illius. 255.74

CAP. IV.

2 Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemelli fœtibus. 603.4. & 730.67

4 Sicut turris Dauid collum tuum quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pẽdent ex ea omnis armatura fortium. 406.12

5 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli. 253.64

6 Vadam ad montem myrrhæ. 779.8

8 Veni de Libano ſponſa mea veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum. 389.33

12 Hortus concluſus, fons ſignatus. 791. 80. & 895. 24

15 Puteus aquarum viuentium. 264.121

CAP. V.

1 Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. 426.9

2 Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror

mea,

mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. 189.13. & 234.20
3 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa. 853.39
7 Inuenerunt me cuſtodes qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, tulerunt pallium meum cuſtodes murorum. 709.89
8 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum vt nuntietis ei, quia amore langueo. 608.39.& 112.46
14 Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. 57.4
16 Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. 248.34

Cap. VI.

6 Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ abſque occultis tuis. 386.18
9 Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol terribilis vt caſtrorum acies ordinata. 635. 76.& 614.71
11 Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere vt intueamur te. 22.33

Cap. VII.

1 Iuncturæ fœmorum tuorum, ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis. 387.23
Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis. 192.32
2 Venter tuus ſicut aceruus tritici. 761.10
4 Collum tuum ſicut turris eburnea. 661.110
6 Quam pulchra es,& quam decora chariſſima in deliciis. 389.33
8 Aſcendam in palmam & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua, ſicut botri vineæ. 765.39. & 301.97
11 Veni dilecte mi, egrediamur in agrum commoremur in villis. 447.57
12 Surgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea,ſi flores fructus parturiunt. 855.48

Cap. VIII.

5 Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum. 722.13
6 Pone me vt ſignaculũ ſuper cor tuũ,vt ſignaculum ſuper brachium tuũ. 511.145.& 893.7
13 Quæ habitas in hortis amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam. 64.47
14 Fuge dilecte mi. 468.57

Ex Sapientia.

Cap. II.

4 Nomen noſtrum accipiet obliuionem per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. 685.39
7 Vino pretioſo nos impleamus,coronemus nos roſis antequã marceſcant,nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. 400.53

Cap. III.

1 Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt. 588.55

Cap. IV.

O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! 894.22
19 Diſrumpet illos inflatos ſine voce. 805.22

Cap. V.

21 Acuet autem duram iram in lancea, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos. 277.35.& 614.75

Cap. VII.

26 Candor eſt enim lucis æternæ,ſpeculum ſine macula, 556.108

Cap. IX.

4 Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam. 226.51
10 Mitte illam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit,& mecum laboret. 49.57

Cap. XVIII.

14 Cum quietum ſilentium tenerent omnia & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus durus debellator proſiliuit.386 17.& 403.72

Cap. XIX.

7 Et aqua quæ ante erat arida apparuit, & in mari rubro via ſine impedimento & campus germinans de profundo. 628.33

Ex Eccleſiaſtico.

Cap. III.

20 Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. 34.115

Cap. XI.

8 Prius quam audias ne reſpondeas verbum, & in medio ſermonum ne adiicias. 53.80
10 Si ſecutus fueris non apprehendes: & non effugies,ſi præcurreris. ibid.84

Cap. XIV.

8 Nequam eſt oculus liuidi. 17.96

Cap. XV.

3 Aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illũ.264.110
15 Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui. 489.7

Cap. XVI.

3 Melior eſt vnus timens Deum,quam mille filij impij, 116.58

Cap. XXII.

2 De ſtercore boum lapidatus eſt piger. 127.81
11 Modicum plora ſuper mortuum. 664.125

Cap. XXIV.

10 In omni gente primatum habui, & in omnibus requiem quæſiui. 860.83
18 Quaſi palma exaltata ſum. 901.69
29 Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient. 263.118

Cap. XXXI.

8 Beatus Dives,qui inuentus eſt ſine macula & qui poſt aurum non abiit,neque ſperauit in pecunia,& theſauris. 430.35

Cap. XXXIII.

5 Præcordia fatui quaſi rota carri,& quaſi axis verſatilis cogitatus illius. 232.7
31 Si eſt tibi ſeruus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua. ....

Cap. XXXV.

21 Oratio humiliantis ſe,nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur. 31.97

Cap. XXXVIII.

16 Fili in mortuum produc lachrymas. 652.53

Cap. XLI.

15 Curam habe de bono nomine,hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri, pretioſi,& magni. 58.14. & 569.19

Cap. XLV.

2 Similem illum fecit in gloria Sanctorum.

Cap. XLVII.

2 Quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic Dauid à filiis Iſraël. 613.70

Cap. XLVIII.

1 Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat. 413.51

8 Prophetas facis ſucceſſores poſt te. 901.68

CAP. L.

1 Simon Oniæ filius Sacerdos magnus fuit,qui quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. 41.7
10 Quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide pretioſo. 894.15

Ex Iſaia.

CAP. I.

2 Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. 553.92.& 239.55.& 906.100
16 Lauamini,mundi eſtote,auferte malum cogitationum veſtratum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere.114. 10

CAP. II.

4 Conflabunt gladios ſuos in vomeres,& lanceas ſuas in falces, nec exercebantur vltra ad prælium. 276.27

CAP. III.

13 Stat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandos populos ſuos. 615.79

CAP. V.

1 Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei,& ſepiuit eam, & elegit lapides ex illa. 781.24

CAP. VI.

1 Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, Seraphim ſtabant ſuper illud. 143. 83. & 169. 268. & 189. 12. & 105.204
3 Clamabant alter ad alterum,Sanctus,ſanctus, ſanctus. 88.98
Duabus velabant faciem eius,& duabus volabant. 676.207
4 Plena eſt omnis terra gloria eius, & domus repleta eſt fumo. 258.94.& 625.15
5 Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum. 175.27. & 314. 23. & 820.7. & 487.101
8 Quem mittam,& quis ibit nobis. 116.19

CAP. VII.

11 Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, & dixit Achaz, non petam & non tentabo Dominum. 177.38

CAP. VIII.

1 Velociter ſpolia detrahe,citò prædare. 32.104
2 Et adhibui mihi teſtes fideles Vriã Sacerdotem,& Zachariam filium Batachiæ.216.62

CAP. IX.

2 Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. 143.84
6 Cuius principatus ſuper humerũ eius.481.65

CAP. XI.

2 Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ,& intellectus,ſpiritus conſilij, & fortitudinis. 251.49
3 Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit. 257.85
4 Iudicabit in iuſtitia paupetes, & arguet in æquitate,pro manſuetis terræ. 10.54
5 Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius.421. 101

CAP. XIII.

10 Obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna ſplendebit. 850.21.& 866.18

CAP. XIV.

12 Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer.458.113

13 Dicebas in corde tuo, in cœlũ conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in mõte teſtamenti in lateribus aquilonis,aſcendam ſuper altitudinem nubium. 309.138.& 402.62.& 412.46.& 570.26.
29 De radice colubri egredietur regulus, & ſemen abſorbens volucrem. 220.11

CAP. XIX.

13 Stulti facti ſunt principes Taneos. 401.58
18 In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti. 561.140

CAP. XXII.

22 Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius,& aperiet, & non erit, qui claudat, & claudet,& non erit,qui aperiat. 102.190

CAP. XXVIII.

9 Ablactiones à lacte,auulſos ab vberibus.445. 48.& 120 457
Vt cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur. 167.256

CAP. XXXIII.

2 Domine miſerere noſtri,te enim expectauimus,eſto brachium noſtrũ in mane. 588.55
20 Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum. 373.64

CAP. XXXIV.

4 Tabeſcet omnis militia cælorum,& complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet ſicut defluit folium de vinea. 875.75

CAP. XXXV.

5 Tunc aures ſurdorum patebunt,& aperta erit lingua mutorum. 53.85
8 Et erit ibi ſemita, & via, & hæc via ſancta vocabitur, non tranſibit per eam pollutus. 472.14

CAP. XXXVI.

21 Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua; intelligimus enim,non loquaris ad nos Iudaïce in auribus populi. 698.22

CAP. XXXVII.

2 Miſit ſeniores de Sacerdotibus operros ſaccis ad Iſaiam filium Amos. 79.34
3 Venerunt filij vſque ad partum,& virtus non erat pariendi. 855.49
38 Et factum eſt cum adoraret in templo Neſroch Deum ſuum,filij eius percuſſerunt eum gladio. 330.48

CAP. XXXVIII.

8 Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole. 339.8
21 Et iuſſit Iſaias vt tolleret maſſam deficis & cataplaſmarent ſuper vulnus,& ſanaretur. 350.87

CAP. XL.

2 Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam. 164.237
3 Vox clamantis in deſerto. 171.10
11 Sicut paſtor congregat gregem ſuum. 115.14

CAP. XLI.

23 Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum & ſciemus quia Dij eſtis vos. 697.14

CAP. XLIII.

25 Ego ſum ipſe,qui deleo iniquitates tuas.472. 11

CAP. XLV.

15 Vere tu es Deus abſconditus. 86.80

51 Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit. 373.66

CAP. XVII.

3 Aquila grandis magnarum alarum plena plumis. 177.36

23 In monte ſublimi Iſraël plantabo illud,erumpet germen, & faciet fructum,& erit in cedrum magnum. 247 24

CAP. XX.

35 Adducam vos in deſertum populorum,& iudicabor vobiſcum,ibi facie ad faciem. 540. 21

CAP. XXI.

9 Gladius,gladius exacutus eſt, & elimatus, vt cædat victimas exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt. 309.139

25 Dedi conturbationem gladij acuti, limati ad fulgendum, amicti ad cædem. 359.91

31 Effundam ſuper te indignationem meam in igne furoris mei,ſufflabo te,dabo te in manus hominum inſipientium. 894.17

CAP. XXIII.

14 Cum vidiſſet viros depictos, & imagines Chaldæorum expreſſas coloribus,& accinctos balteis renes,& tiaras tinctas in capitibus eorum. 248.35

CAP. XXXII.

7 Operiam cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas eius, & ſolem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum. 739.16

CAP. XXXVII.

1 Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus,erántque multa valdè ſuper faciem campi, ſiccáque vehementer. Hæc dicit Dominus: A quatuor ventis veni ſpiritus. 413.120

21 Ecce ego aſſumam filios Iſraël de medio nationum, & faciam eos in gentem vnam. 381.112

Ex Daniele.

CAP. I.

3 Et ait Rex Aſphenes præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Iſraël, & de ſemine regio, & tyrannorum pueros. 654. 66

5 Et conſtituit eis rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino vnde bibebat ipſe. 408.24

CAP. II.

13 Quærebantúrque Daniel,& ſocij eius,vt perirent. 787.62

34 Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus,& percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus,& comminuit eos. 295.59

47 Verè Deus veſter, Deus Deorum eſt. 274.23

CAP. XII.

2 Rex miſit ad congregandos Satrapas, magiſtratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnéſque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem ſtatuæ. 314.25

4 Et præco clamabat valenter; Vobis dicetur populis,tribubus, & linguis:Cadentes adorate ſtatuam auream, quam conſtituit Nabuchodonoſor. 274.23

17 Ecce Deus noſter, quem colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare; quod ſi noluerit,notum ſit tibi Rex, quod Deos tuos non colimus. 648.31

21 Confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis,& calceamentis,& veſtibus, miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis. 409.25

49 Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis. 649.58

51 Laudabant, & benedicebant Deum. 89.104

92 Ecce video quatuor viros, ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. 314.26.& 690.65

93 Sidrach, Miſach, & Abdenago ſerui Dei excelſi. 739.20

CAP. IV.

7 Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum. 348.75

16 Domine mi ſomnium his, qui te oderunt. 558.126

30 Ex hominibus abiectus eſt,& fœnum,vt bos comedit,& rore cœli corpus eius infectum eſt, donec capilli eius in ſimilitudinem aquilarum creſcerent. 402.64.& 409.25

CAP. V.

5 In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis,in ſuperficie aulæ regis. 278.41.& 757.50

11 Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum Deorum ſanctorum habet, & in diebus patris tui, ſcientia, & ſapientia inuentæ ſunt in eo. 851.26

20 Quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat; quando autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui. 894.18

25 Thecel appenſus eſt in ſtatera,& inuentus eſt minus habens. 905.95

28 Phares diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis,& Perſis. 754.23

CAP. VI.

16 Deus tuus, quem colis ſemper, ipſe liberabit te. 313.15

24 Adducti ſunt viri illi, qui accuſarunt Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filij, & vxores eorum, & non peruenerunt ad pauimentum laci. 342.30

CAP. VII.

5 Ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erat in ore eius, & in dentibus eius,& ſic dicebant ei:Surge,& comede carnes plurimas. 547.58

9 Antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, capilli capitis eius quaſi lana munda. 8.44.& 431.39

10 Millia millium miniſtrabant ei,& decies millies centena millia aſſiſtebant ei. 134.28

CAP. X.

2 In diebus illis,ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus. 752.14

8 Non remanſit in me fortitudo,ſed ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. 50.62

9 Audiens iacebam conſternatus, & vultus meus hærebat terræ. 166.252.& 167.256

12 Ego veni propter ſermones tuos, Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus. 644.11

CAP. XII.

3 Qui docti fuerint fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. 65.54.

CAP. XIII.

29 Dixerunt coram populo: Mittite ad Suſannam filiam Elciæ Ioachim. 272.9

45 Suſcitauit Dominus ſpiritum pueri iunioris, cuius nomen Daniel. 312.11

52 Inueterate dierum malorum. 283.75

CAP. XIV.

30 Qui miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. 321.64

39 Venit ergo rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonum. 336.154

Ex Oſea.

CAP. I.

4 Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iſraël ſupra domum Iehu. 282.70

6 Non addam vltra miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum, & domui Iuda, miſerebor & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo. 373.66

CAP. II.

7 Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos, & non inueniet. 509.129

8 Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. 348.76

CAP. IV.

1 Non eſt veritas, non eſt miſericordia, & non eſt ſcientia Dei in terra. 293.52

13 Super capita montium ſacrificabant, & ſuper eo accendebant thymiama ſubtus quercum, & populum, & terebynthum, quia bona vmbra eius. 248.35

15 Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen. 328.107

16 Nunc paſcet eos Dominus, quaſi agnum in latitudine. 500.78

CAP. VI.

2 Ipſe cæpit, & ſanabit nos, percutiet, & curabit nos, viuificabit nos poſt duos dies, in tertia die ſuſcitabit nos. 33.111

CAP. VII.

1 Reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium. 527.33

5 Dies regis noſtri cœperunt furere à vino. 543.26

CAP. X.

8 Montibus operite nos, & collibus cadite ſuper nos. 869.39

11 Ephraim vitula docta diligere triturам. 117.23

CAP. XII.

4 Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, flenit, & rogauit eum. 80.46. & 666.142. & 391.46

CAP. XIII.

6 Adimpleti ſunt, ſaturati ſunt, & eleuauerunt vocem ſuam. 639.104

9 Perditio tua ex te Iſraël. 477.45

15 Addacet Dominus vrentem ventum de deſerto. 114.9

CAP. XIV.

6 Ero quaſi ros Iſraël germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani, ibunt rami eius, & erunt quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani, conuertentur ſedentes in vmbra. 247.25

Ex Ioële.

CAP. I.

15 Propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potenti veniet. 530.47

CAP. II.

13 Conuertimini, conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël. 115.13

25 Reddam vobis annos, quos comedit locuſta bruchus, & rubigo. 492.77

30 Dabo prodigia in cœlo, & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi. 870.43

31 Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini 865.6

CAP. III.

15 Sol, & Luna obtenebrati ſunt, & Stellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. 866.14

Ex Amos.

CAP. I.

3 Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum. 130.78

CAP. IV.

1 Audite verbum Domini vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ. 542.25

12 Quapropter hæc faciam tibi Iſraël; poſtquam autem hæc fecero tibi præparare in occurſum Dei tui Iſraël. 789.63

CAP. V.

25 Numquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſti mihi in deſerto, quadraginta annis domus Iſraël? 905.96

CAP. VII.

14 Armentarius ego ſum vellicans Sycomoros. 724.25

CAP. VIII.

1 Ecce vncinus pomorum, & dixit, quid tu vides Amos? Et dixi, vncinum pomorum. 423.116

Ex Iona.

CAP. I.

3 Vt fugeret in Tharſis, & inuenit nauem euntem in Tharſis. 122.54

8 Indica nobis cuius cauſa malum iſtud ſit nobis; quod opus tuum. 526.26

15 Tulerunt Ionam, & miſerunt eum in mare. 336.151

CAP. III.

4 Introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit, adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. 403.71

5 Veſtiti ſunt ſaccis à maiore, vſque ad minorem. 283.75

6 Surrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum. 867.24
7 Indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere, & clamauit: Operiantur ſaccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum. 31.99
8 Conuertatur vir à ſua via mala. 115.13

CAP. IV.

3 Domine, tolle animam meam à me, quia melior eſt mihi mors, quàm vita. 375.73
6 Præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendet ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius. 448.67

Ex Michea.

CAP. V.

2 Et tu Bethlehem Ephrata, ex te egredietur qui ſit dominator Iſraël. 266.140

CAP. VI.

6 Quid dignum offeram Domino. 467.47

CAP. VII.

7 Expectabo Deum Saluatorem meum. 147.115

Ex Nahum.

CAP. III.

1 Væ ciuitas ſanguinum, non recedit à te rapina. 783.34

Ex Habacuc.

CAP. I.

2 Vſquequo vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis. 484.81
14 Et facies homines, quaſi piſces. 489.10

CAP. III.

13 Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo. 714.31

Ex Aggæo.

CAP. I.

6 Qui mercedes congregauit miſit eas in ſaculum pertuſum. 397.28

Ex Zacharia.

CAP. II.

3 Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, & alius Angelus egrediebatur in occurſum eius. 733.86

CAP. III.

4 Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli, qui reſpondit, & ait ad eos, qui ſtabant coram ſe. 807.95

CAP. IX.

9 Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalem: Ecce rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam. 714.30

CAP. X.

8 Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos. 585.39

CAP. XII.

2 Vlula abies, quia cecidit Cedrus, quoniam magnificati vaſtati ſunt. Vluſate quercus Baſon. 547.57 & 869.34
8 Contracta eſt anima mea in eis, ſiquidem anima eorum variauit in me. 855.47
17 O paſtor, & idolum derelinquens gregem. 376.75

CAP. XIV.

6 Et erit in die illa: non erit lux, ſed frigus, & gelu. 580.13

Ex Malachia.

CAP. III.

1 Ecce ego mitto Angelum meum. 172.10

CAP. IV.

5 Mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. 171.4. & 64.48

Ex libro primo Machabæorum.

CAP. I.

3 Siluit terra à conſpectu eius. 427.17

CAP. IV.

59 Statuit Iudas, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt ageretur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum. 579.5

CAP. VIII.

16 Non eſt inuidia, neque zelus inter nos. 31.96
21 Placuit ſermo in conſpectu eorum. 318.45

Ex libro ſecundo Machabæorum.

CAP. XV.

14 Hic eſt frattrum amator, & populi Iſraël, hic eſt, qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate iſta Ieremias Propheta Dei. 81.53

NOVVM TESTAMENTVM.

Ex D. Matthæo.

CAP. I.

2 Liber generationis Ieſu Chriſti. 85.78
19 Ioſeph autem vir eius, cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. 161.110

CAP. II.

1 Apertis theſauris ſuis obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham. 743.41
13 Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum. 161.110. & 336.157
16 Herodes videns, quoniam illuſus eſſet à Magis iratus eſt valdè. 329.112
23 Et impleretur, quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur. 263.116

CAP. III.

4 Zonam pelliceam circa lumbos ſuos. 408.19

Loca ſacræ Scripturæ.

7 Progenies Viperarum,quis oſtendit vobis fugere à ventura ira,facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. 339.14
10 Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. 203.103
15 Sine modo,ſic decet nos implere omnem iuſtitiam. 139.60.& 430.38
27 Hic eſt filius meus dilectus. 86.79. & 164. 230

CAP. IV.

1 Ductus eſt Ieſus in deſertum, & cum ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtea eſuriit. 339.14. & 860.76
4 Dic vt lapides iſti panes fiant.155.166.& 356. 123.& 682.22
5 Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 64.46
6 Si filius Dei es mitte te deorſum. 860.75
8 Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum. 162.217
10 Vade Satana. 112.39.& 766.43.& 44
20 Relictis retibus ſecuti ſunt eum. 91.122

CAP. V.

2 Et aperiens os ſuum docebat eos dicens,Beati pauperes. 406.9
15 Vos eſtis lux mundi. 272.11
45 Diligite inimicos veſtros. 223.23

CAP. VI.

9 Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua. 708.84
11 Panem noſtrum quotidianum.546.47.& 622. 125
12 Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. 155.169
28 Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant,neque nent. Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria ſua comparatus eſt, ſicut vnum ex iſtis. 875. 73

CAP. VII.

7 Quærite,& inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. 20.16
29 Erat docens ſicut poteſtatem habens. 267. 145

CAP. VIII.

4 Vade oſtende te Sacerdoti. 235.28
6 Domine puer meus iacet in domo paralyticus & malo torquetur. 214.51
8 Domine non ſum dignus. 31.97
19 Magiſter ſequar te quocumque ieris; dicit ei Ieſus,vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos. 436.70.& 696.10
24 Ecce motus factus eſt magnus in mari, itavt nauicula operiretur fluctibus,ipſe verò dormiebat. 648.32
29 Quid nobis,& tibi Ieſu filij Dei. 329.109

CAP. IX.

1 Et aſcendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. 338.5
11 Quare cum publicanis,& peccatoribus manducat magiſter veſter? 7.34
14 Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter,diſcipuli autem tui non ieiunant? 6.29
18 Domine filia mea modò defuncta eſt. 657. 90
21 Dicebat intra ſe, ſi tetigero tantum veſtimenta eius, ſalua ero. 569.17
23 Cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines,& turbam tumultuantem, dicebat: Recedite, non enim eſt mortua puella. 651.55
29 Secundum fidem veſtram fiat vobis. 82, 59
33 Nunquam apparuit ſic in Iſraël. 181.62

CAP. X.

1 Conuocatis duodecim diſcipulis dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum,vt eiicerent, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. 615.83
5 In viam gentium ne abieritis. 19.4. & 68. 26
7 Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum Dei. 187.15
16 Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. 195.47
16 Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. 371.49
20 Non vos eſtis qui loquimini,ſed ſpiritus patris,qui loquitur in vobis. 252.59
21 Tradet frater fratrem in mortem, & pater filiam, & inſurgent filij,& parentes,& morte vos afficient,& eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. 621.119
37 Qui amat patrem, aut matrem pluſquam me non eſt me dignus. 460.13

CAP. XI.

6 Pauperes euangelizantur,beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. 426.5
21 Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida. 270. 161
30 Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 837.52

CAP. XII.

2 Ecce diſcipuli tui faciunt,quod non licet facere. 7.34
38 Magiſter volumus à te ſignum videre. 681. 19
40 Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus,ſic erit filius hominis in corde terræ. 858.68

CAP. XIII.

28 Inimicus homo hoc fecit. 179.52
31 Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. 181.59

CAP. XIV.

28 Domine ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas. 39.155
32 Modicæ fidei quare dubitaſti. 87.90.& 133. 93
34 Verè filius Dei es. 92.126
36 Rogabant eum vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicunque tangebant ſalui facti ſunt. 2.5

CAP. XV.

2 Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum non enim lauant manus. 2.2. per totum, & 319.48
4 Cæci ſunt & duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtat,ambo in foueam cadunt. 268.152

22 Ecce

22. Ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa. 18.per totum, cap.
24 Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. 506.111

CAP. XVI.

20 Tunc præcepit diſcipulis ſuis vt nemini dicerent, quia ipſe eſt Ieſus Chriſtus. 912.22
21 Exinde cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus. 99 168
22 Cœpit increpare illum, abſit à te Domine, non erit tibi hoc. 697.13
23 Vade poſt me Satana ſcandalum es mihi. 192.31

CAP. XVII.

4 Domine, bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c. 46.32. & 77.21
5 Ecce nubes lucida obumbrauit eos. 412. 47
26 Vt non ſcandalizemus eos, vade ad mare. 14. 78

CAP. XVIII.

1 Quis putas maior eſt in regno cœlorum? 87. 87
22 Relinquit nonaginta nouem in montibus. 477.48
18 Quæcunque alligaueritis ſuper terram erunt ligata, & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cœlo. 104. 201

CAP. XIX.

16 Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam. 6.32
21 Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me; cum audiſſet autem adoleſcens abiit triſtis. 122.59.& 374.70

CAP. XX.

21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram. 194. 41
22 Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. 132.15

CAP. XXI.

9 Hoſanna filio Dauid. 24.46
33 Paterfamilias, qui plantauit vineam & locauit eam agricolis. 800.47

CAP. XXII.

1 Simile eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. 414.58.& 439 4
3 Miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos. 631.51
16 Mittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes, magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. 74.6. & 596. 31

CAP. XXIII.

6 Amant primos accubitus in cœnis & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. 322. 67 & 566.5

CAP. XXIV.

19 Væ prægnantibus, & nutrientibus illis diebus. 542.22
28 Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 809.6
29 Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum. 107.14
30 Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate. 511.140 & 771.75
36 De die autem illa, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius, niſi pater. 290. 28

CAP. XXV.

15 Vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij duo. 95. 142
Homo peregrè proficiſcens. 439.5
21 Euge ſerue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. 418.85
29 Omni habenti dabitur, ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. 604.10
34 Venite benedicti patris mei poſſidete regnum eſuriui, & dediſtis mihi manducare. 419.90. & 553.95 & 549.66
40 Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis mihi feciſtis. 198.67

CAP. XXVI.

7 Habens alabaſtrum vnguenti pretioſi effudit ſuper caput ipſius recumbentis. 411. 39
20 Diſcumbebat cum diſcipulis ſuis, & dixit: vnus veſtrum me traditurus eſt, væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. 417.77
23 Vnus veſtrum me traditurus eſt, & contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere? Numquid ego ſum Domine. 228.64. & 510.132. & 179.51
Qui intingit mecum manum in paropſide hic me tradet. 590.67
25 Contriſtari valdè cœperunt ſinguli dicere, nunquid ego ſum Domine? 916.48
Reſpondens Iudas qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego ſum Rabbi? ait illi, tu dixiſti. 330.114
33 Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. 576.65
35 Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. 330.114 & 605.17
37 Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe. 151. 138
38 Suſtinete hic, & vigilate mecum. 214.30
39 Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam orans, & dicés; pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. 20.11.& 98.21.& 462.15.& 611.104
40 Dixit Petro, ſic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? 149.54
45 Dormite iam & requieſcite, ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. 206.123.& 763.32
50 Amice ad quid veniſti? 7.37.& 111.36
51 Exemit gladium, & percutiens ſeruum Pontificis Sacerdotum amputauit auriculam eius. 104.199
52 Conuerte gladium tuum in locum ſuum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. 359.139.& 376.83
53 An putas, quia non poſſum rogare patrem meum & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum? 653.61
59 Princeps autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt morti traderent. 412.13

61 Nouissimè venerunt duo falsi testes, & dixerunt: hic dixit, Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud ib. 12
64 Verumtamen dico vobis, videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. 163.224. & 382. 124. & 590.68
65 Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? 157.186. & 324.80
68 Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit. 356.125

Cap. XXVII

5 Proiectis argenteis in templo abiens laqueo se suspendit. 10.58. & 89.16. & 758.50
14 Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses. 690.65
26 Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur. 149.129
29 Milites plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. 348.69 & 709.92
31 Exeuntes inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. 122.56
34 Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset noluit bibere. 904.85
37 Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus Rex Iudæorum. 369.37
39 Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes, Vah qui destruis templum Dei. 252.56
42 Si rex Israël est, descendat nunc de cruce & credimus ei. 160.109
45 A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam, 862.92
51 Velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. 134.30
52 Multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt. 131.8
54 Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his, quæ fiebant timuerunt valde dicentes: Verè filius Dei erat iste. 82.55
55 Erant autem ibi mulieres multæ; quæ secutæ erant. 775.104
62 Accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. 574.51

Cap. XXVIII.

9 Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius. 198.72
13 Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. 360. 149
20 Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, 96.145. & 582.21

Ex D. Marco,

Cap. I.

1 Initium Euangelij, Iesu Christi, 85.78
11 Tu es filius meus dilectus, 147.116
13 Erat in deserto. 541.20
23 Erat in Synagoga eorum, homo in spiritu immundo, & exclamauit dicens. 18.101
24 Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio, quod sis Sanctus Dei. 329. 109.
44 Ostende te principi Sacerdotum. 235.28

Cap. III.

5 Circumspiciens eos cum ira contristatus est super malitiam illorum. 275.25
17 Imposuit eis Dominus nomina Boanerges, id est filij tonitrui. 204.209

Cap. IV.

40 Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei. 217.19

Cap. V.

6 Videns Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit, quid mihi & tibi? 93.130
9 Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est, 417.78
23 Deprecabatur eum multum nimis, quoniam filia mea in extremis est. 45.24

Cap. VI.

5 Non poterat ibi virtutem vllam facere. 343.2
8 Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque zonam, 69.85
14 Audiuit Herodes rex, & dicebat, quod Ioannes Baptista surrexit. 85.74
45 Coëgit discipulos suos ascendere nauim. 459. 5. & 154.165

Cap. VII.

1 Conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis. 1.1
25 Mulier statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, 18. per tot. cap.

Cap. VIII.

17 Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum, oculos habentes, non videtis, & aures habentes non auditis. 58.13. & 66.67

Cap. IX.

17 Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus. 23.41. & 51.74
25 Cum videret concurrentem turbam comminatus est spiritui immundo, dicens illi, surde, & mute spiritus; ego præcipio tibi, exi ab eo. 42.53

Cap. XIV.

5 Poterat venundari plusquam trecentis denariis. 485.88
30 Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 209.15
38 Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. ibid. 14
51 Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo. Et tenuerunt eum, at ille relicta sindone profugit ab eis. 468.56
71 Cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum. 91.116

Cap. XV.

3 Accusabant eum Summi Sacerdotes in multis. 149.129
39 Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset ait: Verè hic homo filius Dei erat. 163.227

CAP. XVI.

1 Et cum transisset sabbatum Maria Magdalene,& Maria Iacobi emerunt aromata. 524.15
6 Iesum quæritis Nazarænum crucifixum surrexit. 459.7
14 Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus. 502.87
19 Assumptus est in cælum. 140.68

Ex D. Luca.

CAP. I.

6 Erant autem iusti ambo coram Deo incedentes in omnibus mandatis, ac iustificationibus Domini sine querela. ibid.63
32 Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius,& regnabit in domo Iacob in æternum. 225.45.& 343.38
42 Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. 299.85.& 71.91
46 Magnificat anima mea Dominum. 596.12
66 Posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit. 346.35. & 717.19

CAP. II.

14 Gloria in altissimis Deo. 750.90
21 Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer,vocatum est nomen eius Iesus. 671.173
26 Responsum acceperat Simeon à Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 581.16
35 Tuam ipsius animam pertransibit gladius. 900.60

CAP. III.

3 Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ. 140.63

CAP. IV.

18 Spiritus Dominus super me, propter quod vnxit me euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem. 45.26.& 430.37.& 81.54
22 Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. 267.145
34 Sine quid nobis, & tibi Rex Nazarænc venisti perdere nos. 812.28
38 Surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. 608.34

CAP. V.

3 Rogauit eum reducere à terra pusillum. 116.15
4 Laxate retia vestra in capturam. 171.8

CAP. VII.

4 Cum venissent ad Iesum rogabant eum solicitè, dicentes ei, quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram. 60.25
5 Misit ad eum seniores rogans eum. 210.25
16 Quia Prophera magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. 82.57
17 Adolescens tibi dico,surge. 902.72
38 Lachrymis cœpit rigare pedes eius; & vnguento vngebat. 420.97

CAP. IX.

9 Ioannem ego decollaui, quis est iste, de quo ego talia audio. 81.50
31 Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate,& dicebant,excessum eius. 771.79
33 Nescions,quid diceret. 77.21
34 Cum vidissent discipuli eius Iacobus,& Ioannes dixerunt: Domine vis dicimus,vt ignis descendat de cælo, & consumat illos. 104.200

CAP. X

24 Multi Prophetæ, & reges voluerunt videre quæ vos videtis,& non viderunt. 331.123
33 Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est,& appropians alligauit vulnera, eius fundens oleum, & vinum. 571.58

CAP. XI.

5 Accommoda mihi tres panes. 904.83
7 Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est,& pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. 281.62
20 Si in digito Dei eiicio dæmonia. 49.57
28 Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 418.42

CAP. XII.

14 O homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos. 281.61
19 Anima mea habes multa bona in annos plurimos. 448.66
35 Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. 895.25

CAP. XIII.

7 Dixit ad cultorem suum, Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac,& non inueni. 279.52
13 Mulier incuruata glorificabat Deum. 345.47

CAP. XV.

4 Nonne dimittit nonaginta nouem,& vadit ad illam,quæ perierat. 29.88.& 505.105
15 Adhæsit vni ciuium regionis illius. 552.89
18 Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. 479.59
19 Fac me sicut vnum de mercenariis tuis. 577.69
20 Cecidit super collum eius, & dixit ad seruos suos, Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annullum in manum eius. 88.93
29 Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum. 550.76
30 Postquam hic filius tuus deuorauit substantiam suam cum meretricibus, & venit, occidisti illi vitulum saginatum. 571.31.& 761.13

CAP. XVI.

2 Redde rationem villicationis tuæ. 800.49
8 Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset. 906.97
24 Vt intingat extremum digiti sui. 35.128

29 Habent

29 Habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos. 163.225.

Cap. XVII.

5 Adauge nobis fidem. 178.46
10 Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſerui inutiles ſumus. 578.77
17 Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. 37.139

Cap. XVIII.

2 Qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur. 546.53
39 Ieſu fili Dauid, miſerere mei. 232.9

Cap. XIX.

5 Suſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit, Zachæe feſtinans deſcende. 121.51. & 123.63.& 328.105
8 Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus. 606.14
9 Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ. 26.69
48 Omnis populus ſuſpenſus erat audiens illum. 267.245

Cap. XXI

2 Vidit Ieſus viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, & dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus omnibus miſit. 606.21
37 Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte Oliueti. 270.2

Cap. XXII.

24 Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior. 190.18.& 87
29 Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater. 70.90
32 Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. 659.101
33 Domine tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire. 605.17.& 609.47
36 Qui non habet vendat tunicam, & emat gladium. 316.34
43 Factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. 875.75
48 Iuda oſculo filium hominis tradis? 508.121
61 Continuo gallus cantauit, & conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini ſicut dixerat. 344.41

Cap. XXIII

1 Et ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt eum ad Pilatum. 319.50
8 Cupiens ex multo tempore videre Ieſum. 723.20
18 Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. 356. 122
29 Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. 854.43
42 Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. 38.142.& 330.114.& 702.44. & 374.72
43 Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. 32.103
45 Obſcuratus eſt Sol, & velum templi ſciſſum eſt. 142.79
48 Videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua reuertebantur. 300.91

Cap. XXIV.

15 Et ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis 141.73
20 Quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes, & Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum, nos autem ſperabamus. 79.5
45 Aperuit ſenſum, vt intelligerent Scripturas. 106.6

Ex Ioanne.

Cap. I.

1 In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum. 92.129.& 115.82
3 Omnia per ipſum facta ſunt. 508.128.& 296. 64
10 In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. 301.96
12 Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. 587.49
14 Vidimus gloriam eius, & gloriam quaſi vnigeniti à Patre. 150.136.& 163.223
20 Confeſſus eſt, quia non ſum Chriſtus. 96.152
29 Ecce Agnus Dei. 86.79
42 Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 95.143
45 Erat autem Philippus à Bethzaida ciuitate Andreæ. 270.161
44 A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? 266.139
49 Rabbi tu es Filius Dei. 94.136

Cap. II.

6 Erant ibi lapides hydriæ ſex ſecundum purificationem Iudæorum. 4.12
19 Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 33.111.& 312.12.& 689.50

Cap. III.

2 Nemo poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. 590.69
16 Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum non pereat. 163.223.& 225.45
17 Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. 290.25

Cap. IV.

5 Venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar. 527.34
9 Quomodo tu Iudæus cum ſis bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana, non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. 320.58. & 662.115
26 Dixit illi Ieſus, Ego ſum. 361.154
47 Rogabat eum, vt deſcenderet, & ſanaret filium eius. 45.14.& 214.51

Cap. V.

10 Curauit hominem die Sabbati. 15.81
12 Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabatum tuum, & ambula. 354.112
18 Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed Patrem ſuum dicebat Deum. 297.72

22 Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio. 290.27.& 326.& 93
23 Vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem. ibid.91
27 Poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. 616.87
29 Et procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala in reſurrectionem iudicij. 320.60
31 Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, teſtimonium meum non eſt verum. 253.62

CAP. VI.

5 Dixit ad Philippum, vnde ememus panes. 58.12
10 Diſcubuerunt viri numero quaſi quinque millia. 443.36
11 Accepit ergo Ieſus panes, & cum gratias egiſſet diſtribuit diſcumbentibus. 88.99
28 Quid faciemus vt operemur opera Dei? Reſpondet Ieſus, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum. 82.58
32 Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum, panis enim Dei eſt qui dat vitam mundo. 443.32
37 Eum qui venit ad me, non eiiciam foras, quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. 121.53
40 Vt qui credit in eum habeat vitam æternam. 320.60
42 Nonne hic eſt Ieſus filius Ioſeph, cuius non nouimus patrem, & matrem. 258.88
44 Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me traxerit eum. 115.11
60 Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? 356.124
68 Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. 815.45
69 Credimus & cognouimus, quia tu es filius Dei. 92 126.& 132.93
70 Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt. 815.45

CAP. VII.

35 Quo hic iturus eſt, quia non inueniemus eum, numquid in diſperſionem gentium iturus eſt. 294.54
36 Si quis ſitit veniat ad me, & bibat, & flumina fluent de ventre eius. 35.127

CAP. VIII.

2 Venit in templum, & ſedens docebat eos. 338.6
29 Sicut docuit me pater, hæc loquor in mundo. 252.59
44 Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio. 310.3

CAP. IX.

16 Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit. 431.43
22 Vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret. 584.32
29 Hunc autem neſcimus vnde ſit. 24.48

CAP. X.

16 Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere. 22.35
20 Dæmonium habet, & inſanit, quid eum auditis? 322.69
31 Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit Ieſus, multa bona opera oſtendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis. 337.158

CAP. XI.

14 Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos. 545.43
27 Ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei. 75.12
42 Ego autem ſciebam quia ſemper me exaudis. 214.50
50 Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo. 156.181

CAP. XII.

5 Quare hoc vnguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis. 447.61
6 Quia fur erat, & loculos habens. 540.12.& 314.22
20 Ecce mundus totus poſt eum abit. 473.19
26 Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo in vitam æternam cuſtodit eam. 460.10
28 Venit vox de cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo. 166.252
31 Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 449.73
34 Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus in æternum manet, quomodo tu dicis quod oportet exaltari filium hominis. 490.14

CAP. XIII.

6 Venit ergo ad Simonem Petrum. 190.16
10 Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus, & vos mundi eſtis. 486.93
21 Amen amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. 100.178
24 Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; quis eſt, de quo dixit. ibid.178

CAP. XIV.

2 In domo patris mei manſiones multæ ſunt. 482.71
6 Ego ſum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem niſi per me. 291.34
8 Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. 87.91
12 Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. 776.112
13 Vt glorificetur pater in filio. 430.37
23 Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 114.9.& 397.24
31 Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. 382.119.

CAP. XV.

10 Ego patris mei præcepta ſeruaui. 331.119
15 Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. 482.71
18 Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. 709.93
26 Quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, ille teſtimonium perhibebit de me. 626.22

CAP. XVI.

7 Si autem abiero, mittam eum ad eos. ibid. 22
22 Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. 332.127

CAP. XVII.

3 Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum. 91.118
4 Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam. 43. 57. & 616.22
21 Vt ſint vnum ſicut nos vnum ſumus. 380. 108

CAP. XVIII.

6 Abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. 167.256
8 Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. 81.52
10 Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum. 896.35
18 Quia frigus erat. 580.15
19 Pontifex ergo interrogauit Ieſum, de diſcipulis, & doctrina eius. 7.58
31 Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate. 617.90
36 Regnum meum non eſt de hoc mundo. 681. 18
38 Quid eſt veritas. 311.8

CAP. XIX.

2 Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum, & veniebant ad eum & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas. 335.147
5 Exiuit Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum, dicit eis: Ecce Homo. Cum ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri clamabant, Crucifige, crucifige. 334.140. & 829.7
7 Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. 354.113
8 Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem magis timuit. 10.57
10 Mihi non loqueris, neſcis, quia habeo poteſtatem. 255.80
15 Non habemus regem niſi Cæſarem, tunc ergo tradidit. 322.71 & 684.33. & 699.29
20 Erat autem ſcriptum Hebraicè. 76.18
25 Stabant iuxta Crucem Ieſu matet eius. 775. 105
26 Cum vidiſſet Ieſus matrem & diſcipulum dicit. 820.8
27 Dicit diſcipulo, Ecce mater tua. 76.17
28 Dicit, Sitio. 101.180
31 Inclinato capite tradidit. 89.104
40 Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis. Et cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. 671.177

CAP. XX.

10 Abierunt ergo diſcipuli ad ſemetipſos, Maria autem ſtabat. 565.166
22 Inſufflauit, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum dimiſeritis. 272.7
25 Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam. 141.72. & 670 172
27 Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer. 92.125
30 Multa quidem, & alia ſigna fecit Ieſus, quæ in hoc libro ſcripta non ſunt, vt credatis quia Chriſtus eſt filius Dei. 38.147

CAP. XXI.

5 Pueri numquid pulmentum habetis. 370.44
6 Mitte in dexteram nauigij rete, & inuenietis. 184.80
15 Simon Ioannis diligis me plus his. Tu ſcis Domine quia amo te. 76. 17. & 576.65 & 621.120. & 606.39. & 913.30.31
18 Paſce oues meas. 838.64

Ex Actis Apoſtolorum.

CAP. I.

8 Accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem. 106.7
11 Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt. 511.140. & 613.66. & 872.61
20 Scriptum eſt in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta. 475.33

CAP. II.

3 Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. 410.30
15 Non enim ſicut vos exiſtimatis hi ebrij ſunt. 311.10

CAP. III.

1 Et quidam vir, qui erat claudus. 340.19
8 Intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens. 57.5
22 Tanquam meipſum audietis. 163.227

CAP. IV.

34 Quotquot poſſeſſores agrorum aut domorum erant vendentes afferebant. 621.116. & 918. 59

CAP. V.

3 Anania cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto. 377.91
4 Non es mentitus hominibus, ſed Deo audiens autem Ananias. 329.113
15 Vt in plateis ciicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro obumbraret quemquam illorum. 8.42. & 367.25

CAP. VI.

12 Commouerunt plebem, & ſeniores, & concurrentes rapuerunt eum. 681.16
15 Et intuentes eum omnes qui ſedebant viderunt faciem eius. 82.56. & 320.54

CAP. VII.

23 Cum autem compleretur ei quadraginta annorum tempus aſcendit in cor eius. 758.48
35 Hunc Moyſen quem negauerunt dicentes. 93. 135
41 Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam. 18.101
51 Dura ceruice, & incircunciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. 176.29. & 316.33
55 Intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cælos apertos. 136. 40. & 146. 151. & 615.78. & 511.141

CAP. VIII.

36 Ecce aqua, quis prohibet me baptizari, deſcenderunt vterque. 22.34
40 Inuentus eſt in Azoto. 621.118

CAP. IX.

3 Subitò circumfulsit eum lux de cælo, & cadens in terram audiuit vocem. 111.38
5 Ego sum Iesus quem tu persequeris. 750.90
17 Imponens manus dixit Saule frater. 108.17. & 57.187
40 Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit, Thabita surge. 537.94

CAP. X.

9 Ascendit Petrus superiora, vt oraret circa horam sextam. 101.180.& 853.36
38 Qui pertransiit benefaciendo. 338.5

CAP. XII.

7 Lumen refulsit in habitaculo, percussóque latere Petri excitauit eum dicens, Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius. 99.169.& 170.ibid.& 205.104

CAP. XVI.

16 Factum est autem euntibus nobis ad orationem puellam quandam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat. 289.21.& 523.10

CAP. XXIII.

6 Viri fratres ego Pharisæus sum filius Pharisæorum de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor, & cum hæc dixisset facta est dissensio. 119.36

CAP. XXVI.

24 Festus magna voce dixit: Insane Paule, multæ literæ te ad insaniam conuertunt. 319. 47

Ex Epistola ad Romanos.

CAP. I.

1 Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus segregans in Euangelium. 29.87
21 Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt. 255.80
31 Incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. 667.151

CAP. II.

6 Qui reddet vnicuique secundum opera eius: iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem. 790.79

CAP. IV.

4 Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 129.92
11 Vt sit pater omnium credentium per præputium. 462.24
18 Qui contra spem in spem credidit, vt fieret Pater multarum gentium, & non infirmatus est in fide. 667.151

CAP. VI.

13 Exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo 109.27
21 Quem fructum habuistis, tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. 785.47

CAP. VII.

14 Ego autem carnalis sum venditus sub peccato. 304.114

CAP. VIII.

24 Spe salui facti sumus. 91.119
17 Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, & conglorificemur. 708.86
26 Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 28.77
38 Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei. 127.80

CAP. IX.

19 Voluntati eius, quis resistit. 19.14

CAP. X.

10 Ore autem confessio fit ad salutem. 185. 86
15 Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem: Euangelizantium bona. 445.43
20 Inuentus sum à non quærentibus me: & palam apparui iis, qui me interrogabant. 470.5

CAP. XI.

33 O Altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. 125.73

CAP. XIII.

3 Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem. 8.46
4 Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. 111.33
6 Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt. 781.23

CAP. XIV.

10 Omnes nos stabimus ante tribunal Christi. 879.108.

Ex prima ad Corinthios.

CAP. I.

23 Prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, gentibus quidem stultitiam. 281.63

CAP. II.

2 Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 762.21
9 Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum. 421.101
14 Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. 88.98.& 302.101

CAP.

CAP. IV.

7 Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti, ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis. 115.13
9 Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis, & hominibus. 696.5
20 Non enim in ſermone eſt regnum, ſed in virtute. 494.41

CAP. V.

1 Auditur inter vos talis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, vt vxorem patris ſui aliquis habeat. 540.10
11 Si quis, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus: cum eiſdem nec cibum ſumere. 212. 35. & 540.10

CAP. VI.

18 Qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat. 400.54

CAP. VII.

34 Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu. 576.63

CAP. VIII.

1 Scientia inflat, charitas verò ædificat. 5.23

CAP. IX.

27 Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem rédigo. 120.44

CAP. X

4 Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. 62.34.98. 164. & ſeq.
16 Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? 43.52. & 446.52

CAP. XI.

24 Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate. 673.187
26 Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. 666.141
27 Quicumque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & ſanguinis Domini. 916.45

CAP. XIII.

2 Si habuero omnem fidem, itavt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. 547.57
13 Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem eorum eſt charitas. 197. 61.

CAP. XIV.

20 Fratres, nolite pueri affici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote. 195.47

CAP. XV.

3 Tradidi enim vobis in primis quod accepi: quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris. 761.21
10 Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui. 636.89
25 Illum oportet regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. 827.54
31 Quotidie morior per veſtram gloriam fratres. 372.55
34 Euigilate iuſti, & nolite peccare. 418.84
51 Ecce myſterium vobis dico: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. 632.58
52 Canet enim tuba & mortui reſurgent incorrupti. 880.110

Ex ſecunda ad Corinthios.

CAP. I.

3 Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. 9.50. & 528.38
10 Qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione. 47. 40.

CAP. II.

4 Scripſi vobis per multas lachrymas, vt non contriſtemini: ſed vt ſciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. 761. 13

CAP. III.

5 Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra eſt Deo eſt. 115.13
7 Ita non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſis propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur. 760.8. & 144.90
18 Nos verò reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem. 142. 82

CAP. VI.

16 Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in eis. 582. 21

CAP. VIII.

9 Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues. 426.6

CAP. XI.

14 Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. 140.67
23 Vt minus ſapiens dico. 571.35
29 Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror. 115.13

CAP. XII.

4 Raptus eſt in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 565.2
7 Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſce-

detret à me:& dixit mihi,sufficit tibi gratia mea. 406.9

Ex Epistola ad Galatas.

Cap. I.

11 Notum vobis facio fratres Euangelium,quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. 569.21
14 Proficiebam in Iudaismo super multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. 6.13

Cap. III.

3 Sic stulti estis,vt cum spiritu cœperitis,nunc carne consummemini. 465.37
13 Maledictus omnis,qui pendet in ligno. 300. 90
28 Non est Iudæus,neque Græcus:non est seruus neque libet: non est masculus neque fœmina. 232.5

Cap. IV.

24 Vnum in monte Sina,in seruitutem generans: quæ est Agar. 302.100

Cap. V.

24 Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis,& concupiscentiis. 118. 31
25 Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus. 409 27

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap. I.

5 Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in idipsum. 125. 73
10 Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso. 172.8.& 455.105

Cap. II.

11 Eratis illo tempore sine Christo, alienati à conuersione Israël, & promissionis spem non habentes. ibid.107
20 Superædificati super fundamentum Apostolorum,ac Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. 587.52
21 In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Dei. 406.12

Cap. III.

1 Ego Paulus vinctus Christi Iesu, pro vobis. 739.19

Cap. IV.

13 In virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. 808.108
22 Deponere vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem. 406.9

Cap. V.

5 Auarus,quod est idolorum seruitus. 394.7

Cap. VI.

12 Spirituales nequitiæ in cælestibus. 101.184

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap. I.

7 Eo quod habeam vos in corde, & visceribus meis. 376.78
23 Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. 651.56
29 Vobis donatum est, pro Christo non solum vt in eum credatis;sed etiam vt pro illo patiamini. 463.28

Cap. II.

6 Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem. 234.24.327.101.& 587.49.
9 Propter quod & Deus exaltauit illum,&c.Vt in nomine Iesu omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. 774. 102

Cap. III.

5 De tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus. 6.31
8 Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci. 486.91
17 Obseruate eos,qui ita ambulant,sicut habetis formam nostram. 429.26
13 Quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum. 611.56
20 Nostra autem conuersatio in cælis est. 418. 81

Ex Epistola ad Colossenses.

Cap. I.

18 Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est primogenitus ex mortuis. 298.74
24 Adimpleo ea,quæ desunt passionum Christi in carne mea. 372.55

Cap. II.

15 Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos, in semetipso. ibid.59

Cap. III.

5 Et auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus. 394.7
9 Expolians veterem hominem cum actibus suis. 118.33

Loca ſacræ Scripturæ.

Ex prima ad Theſſalonicenſes.

CAP. I.

1 Quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed etiam in virtute, & Spiritu ſancto,& in plenitudine multa.454. 108

CAP. II.

19 Vos eſtis gloria noſtra, & gaudium noſtrum. 7.36

CAP. IV.

14 Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini,ſicut & cæteri. 550.76

16 Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra. 879.103

CAP. V.

3 Cum dixerint pax,& ſecuritas; tunc repentinus eis ſuperueniet interitus. 399.43

4 Vos fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. 424.123

22 Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. 524 13

Ex ſecunda ad Theſſalonicenſes.

CAP. II.

4 Extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus, itavt in templo Dei ſedeat. 849.14

CAP. III.

14 Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo,vt confundatur. 470.8

Ex prima ad Timotheum.

CAP. I.

2 Timotheo dilecto filio in fide, gratia, miſericordia, & pax à Deo Patre & Chriſto Ieſu Domino noſtro. 276.30

13 Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus 800.51

15 Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. 470.3.& 610.50

CAP. V.

8 Si quis autem ſuorum domeſticorum curam non habet,fidem negauit, & eſt infideli deterior. 608.36

CAP. VI.

9 Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia. 395.12

Ex ſecunda ad Timotheum.

CAP. I.

2 Timotheo chariſſimo filio gratia, miſericordia,pax à Deo Patre. 276.30

CAP III.

12 Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. 119.40.& 699.26

CAP. IV.

7 Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. 610.50

Ex Epiſtola ad Titum.

CAP. II.

7 In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur, nil habens malum dicere de nobis. 6.18

14 Vt nos redimeret ab omni iniquitate,& mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. 117.16

CAP. III.

1 Admone illos principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe,dicito obedire. 585.39

Ex Epiſtola ad Philemonem.

1 Paulus vinctus Chriſti Ieſu, & Timotheus frater. 37.138 & 30.66

9 Paulus ſenex, nunc autem vinctus Chriſti Ieſu. Obſecro te pro filio meo,quem genui in vinculis. ibid.138

Ex Epiſtola ad Hebræos.

CAP. I.

1 Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. 29.87

3 Purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. 157.185

8 Virga æquitatis virga regni tui. 148.120

CAP. II.

9 Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. 145.100

14 Nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. 431.41

CAP. V.

5 Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu,ego hodie genui te. 157. 185

7 Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte,cum clamore valido,&c. exauditus pro ſua reuerentia. 668.159

CAP. IX.

4 Et arcam teſtamenti ex omni parte auto circumtectam,in qua vrna aurea habens manna,& virga Aaron,quæ fronduerat & tabulæ teſtamenti. 264.122

CAP. X.

5 Ingrediens mundum dicit, hoſtiam & oblationem noluiſti,corpus autem aptaſti mihi. 762.19

34 Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis cognoſcentes vos habere meliorem,& manentem ſubſtantiam. 545.45

CAP. XI.

7 Fide Noë metuens aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnauit mundum: & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt damnauit mundum. 63.42

24 Fide Moyſes grandis factus eſt, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. 97.153

31 Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores in pace. 509. 130

33 Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam

iustitiam adepti sunt repromissiones. 181.59
37 Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis angustiati, afflicti. 289.21. & 858.64
38 In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. 413.49

Ex Epistola Iacobi.

CAP. I.

5 Qui dat omnibus affluenter, & non improperat. 239.53
23 Quia si quis auditor est Verbi & non factor: hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ. 410.33

CAP. II.

17 Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. 493.30

CAP. III.

6 Lingua igni est vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nobris, quæ maculat totum corpus. 52.75. & 556.116

CAP. IV.

1 Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. 52.75
8 Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. 470.5
13 Ecce nunc qui dicitis: hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Quid ignoratis, quid erit in crastino. 399.42

Ex prima Petri.

CAP. I.

11 Prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. 760.7

CAP. II.

4 Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum. 98.162
5 Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis. 406.12
9 Vos autem genus electum regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 95. 142
25 Eratis sicut oues errantes, sed conuersi estis ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. 381.110

CAP. III.

4 Qui est in conspectu Dei locuples. 578.75
14 Timorem autem eorum ne timueritis. 858.65

CAP. IV.

12 Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui vobis aliquid contingat. 70.89

CAP. V.

1 Seniores ergo, quid in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum. 370. 44
5 Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 567.11

Ex secunda Petri.

CAP. I.

17 Accipiens enim à Patre gloriam, & honorem voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus. 140.166
19 Et habemus firmiorem Propheticum sermonem; cui benefacitis attendentes. 564.165
21 Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 265.131

CAP. II.

19 A quo quis superatus est, huius & seruus est. 504.113
21 Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum conuerti. 465.35

CAP. III.

10 Aduenier dies Domini, sicut fur, in quo cæli magno impetu transient. 414.123

Ex prima Ioannis.

CAP. II.

3 In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus, qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. 329.110
15 Nolite diligere mundum, nec ea, quæ sunt in mundo, si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. 521.199
16 Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 568.15

CAP. III.

1 Dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus. 95.142

CAP. V.

4 Omne quod natum est ex Deo vincit mundum, & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra. 852.32

Ex secunda Ioannis.

10 Nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. 212.36

Ex Epistola Iudæ.

1 Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi. 739.11

Ex Apocalypsi.

CAP. I.

13 In medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea. 408.19
14 Oculi eius tanquam flamma, & pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti. 477.42
18 Ego sum Alpha, & Omega, principium & finis. 293.47
16 Et habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. 273.15. 477.43

17 Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus,& fui mortuus. 555.105
18 Ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis,& inferni.103.196.& 198

CAP. II.

1 Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe hæc dicit,qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum. 582.24
5 Memor eſto itaque : Vnde excideris. 680.12
7 Vincenti dabo edere de ligno quod eſt in Paradiſo Dei. 446.51.& 435.60
14 Habeo aduerſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël. 543.27

CAP. III.

14 Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples fias. 586.42
15 Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. 413.48
17 Quia dicis quod diues ſum,& nullius egeo:& neſcis,quia tu es miſer,& miſerabilis. 117. 127

CAP. IV.

2 Fui in Spiritu, & ecce ſedes poſita erat in cælo,& ſuper ſedem ſedens. 582.24
4 Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor,& ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, & circumamicti veſtibus albis.193. 36
6 Et in medio ſedis,& in circuitu ſedis,quatuor animalia plena oculis ante & retro. 380. 105.& 574.50
8 Et quatuor animalia, & ſingula eorum habebant alas ſenas:& in circuitu,& intus plena ſunt oculis, & requiem non habebant die, ac nocte. 407 15
9 Et cum darent illa animalia gloriam,& honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum viuenti in ſæcula ſæculorum. 764.33
11 Mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes : dignus es Domine Deus noſter accipere gloriam,& honorem. 417.75

CAP. V.

1 Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus, & foris. 193.36
3 Et nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum. 94.139
5 Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum. 371.50
6 Et vidi : & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum Agnum ſtantem tanquam occiſum. 8.44.& 753.19
7 Et venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum, & cum aperuiſſet librum. 745.58
11 Et audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni,& animalium, & ſeniorum: dicentium voce magna : dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem. 484.80

CAP. VI.

1 Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ. 902.73
10 Vſquequo Domine, ſanctus,& verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra. 563.157.& 799.44
12 Et ecce terræ motus factus eſt magnus,& Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis.865.9.& 52.871
13 Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram. 594 36
14 Et cælum receſſit ſicut liber inuolutus. 866. 15
15 Reges terræ, & Principes, & Tribuni,& diuites, & fortes abſconderunt ſe in ſpeluncis. 802.59
16 Et dicunt montibus, & petris ; cadite ſuper nos,& abſcondite nos à facie ſedentis. 874. 68

CAP. VII.

1 Vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ,ne flarent ſuper terram. 250.44
2 Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis,habentem ſignum Dei viui. 174.19
3 Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. 474.30
13 Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt, & vnde venerunt. 899.53
16 Non eſurient, neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos Sol,neque vllus æſtus. 154. 162

CAP. VIII.

2 Vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei,& datæ ſunt ei ſeptem tubæ. 205.114

CAP. IX.

3 De fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas ; ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ. 811.15

CAP. XI.

1 Data eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi : Surge, & metire templum Dei. 489.11.& 900.61

CAP. XII.

1 Signum magnum apparuit in cælo : Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius,& in capite eius corona ſtellarum duodecim.133. 22.& 570.22.& 614.73.& 608.30
3 Et viſum eſt aliud ſignum in cælo : & ecce Draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius ſeptem diademata, & draco ſtetit ante mulierem. 605.65
9 Et proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocabatur Diabolus, & Satanas qui ſeducit vniuerſum orbem. 638.98

CAP. XIII.

1 Et vidi de mare beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius diademata decem. 433.51

CAP. XIV.

4 Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. 153. 171
5 In ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. 483.78.& 818.65
13 Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis:opera enim illorum ſequuntur illos. 157.185.& 873:64
14 Et vidi, & ecce nubem candidam : & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis,habentem in manu ſua falcem acutam,ibid.64

CAP.

CAP. XV.

6 Et exierunt ſeptem Angeli habentes plagas de templo, veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. 413.53

8 Impletum eſt templum fumo à maieſtate Dei, de virtute eius: & nemo poterat intrare in templum. 755.30

CAP. XVI.

8 Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, & datum eſt illi æſtu affligere homines. 528.37

14 Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium. 810.14

15 Ecce venio ſicut fur. Beatus qui vigilat. 424. 123

CAP. XVII.

4 Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, quæ habebat capita ſeptem, & cornua decem. 51.114

Et mulier erat circumdata purpura, & cocco, & inaurata auro, & lapide pretioſo. 540. 14

5 Et in fronte eius ſcriptum myſterium. 495.43

14 Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos. 810.11

16 Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia: hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam. 540.14

CAP. XIX.

7 Quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe. 417.74

12 Et in capite eius diademata multa. 616.86

17 Vidi Angelum ſtantem in Sole, & clamauit voce magna dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cæli, venite ad cœnam magnam Agni. 445.44

CAP XXI.

1 Prima terra abiit, & mare iam non eſt. 874. 70

2 Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. 573.47. & 744. 55. & 901.65

6 Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. 502.85

22 Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt & agnus. 156.78

27 Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens. 194.45

CAP. XXII.

1 Oſtendit mihi fluuium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni, afferens fructus duodecim per menſes ſingulos. 264.125. & 364.11. & 901.67.

13 Ego ſum Alpha & Omega primus, & nouiſſimus, principium & finis. 135.19

14 Beati qui lauant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vt ſit poteſtas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem. 364.15

FINIS.

R. P.

R.P.D.FR. IOANNIS

DA SYLVEIRA

COMMENTARIORVM

in textum Euangelicum.

LIBER SEXTVS.

EXPLICANS TERTIVM SACRATISSIMVM annum Prædicationis Christi IESV.

PRÆFATIVNCVLA.

AGGREDIMVR diuini Verbi Incarnati, ipso fauente, sacratissimáque eius Matre auxiliante, tertium, ac vltimum prædicationis annum. Incepit hic annus tertio Paschate post admirabilẽ Domini Baptismum. Panes enim sunt multiplicati sermóque de Eucharistia habitus, cùm propè esset ipsum festum Paschatis. Ioan.6.n.4. Hoc autem tertio Paschate non ascendit Iesus Ierosolymam, sed perambulabat in Galilæam, *quia quærebant tum Iudæi interficere*, Ioan.7.n.1. Illud autem, *ambulabat*, legunt aliqui apud Lucam Burgensem, degebat cum perseuerantia per sex menses, nempe vsque ad festum Scenopegiæ, in quo Christus quasi occultè venit in Iudæam, Ioan.7.n.10. Pascha contigit mense Martij. Festum autem Scenopegiæ celebrabatur mense Septembris: ac proinde sex menses interfluxere, quibus mansit in Galilæa. Vixit Christus deinde alios sex menses adhuc degens in Iudæa, vsque scilicet ad proximum sequentem Martium, quo pro omnium salute passus est crucifixus.

Cùm autem Dominus esset in Galilæa, vt obseruant D. Augustinus lib.2. de consensu Euangelist.cap.49. Abulensis c.15.q.15. sequuntur communiter interpretes, Lansenius, Barrad. Lucas Burgensis, Cornelius à Lapide in sua Chronotaxi. Tunc, vt scribunt D. Matthæus c.15.num.1. & clariùs D. Marcus cap.7. num.1. *Conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis venientes ab Ierosolymis*, arguentes, cur Discipuli manducent non lotis manibus; cúmque Dominus suos ab illorum calumnia defendisset, transit in partes Tyri, & Sydoniæ, filiámque Chananææ à Dæmone liberat; noua panum multiplicatione paruit quatuor millia virorum; interrogátque, quid de ipso sentirent homines, respondente Petro: *Tu es Christus Filius Dei viui*: hac de causa eum Dominus constituit lapidem fundamentalem; deinde die sexta Augusti, vt recolit Ecclesia, in monte Tabor se transfigurat: die septima Augusti descendens de monte ad turbas puerum Lunaticum sanauit; proficiscens per Galilæam, ingrediens Capharnaum publicanis mandat soluere didrachma, vbi redarguit Discipulos contendentes inter se, quis eorum videretur esse maior.

Deinde Septembri ascendit Ierosolymam ad festum Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, quod celebrabatur die decimaquinta mensis Tisri, quæ illo anno, vt multi autumant, incidit in diem 29. Septembris, de quo cap. 13. erit dicendum. Per vltimos sex menses ante suam Passionem versatur Christus in Iudæa, vbi multa

Matth. 19. Ioan 7. Marc. 18. Luc. 11. valde magna, & præclara fecit, dixit, & docuit, vt referunt D. Matthæus à cap. 19. n. 3. D. Ioannes à cap. 7. num. 14. D. Marcus 19. n. 1. & Lucas à cap. 11. quæ à dicto cap. 13 & deinceps, quæ per ferè trigninta capita sunt à nobis explicanda. Ipsa autem dispositio, & connexio capitum seriem gestorum Christi indicabit.

CAPVT I.

Defenduntur Discipuli à Christo de non lotis manibus.

Matth. 15. *n.* 1. Tunc accedunt ab eum Ierosolymis Scribæ, & Pharisæi dicentes.

Num. 2. Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus, cùm panem manducant.

VERSIONES.

Syriacum. n. 1. Tunc adierunt Ieschua Perischæi, & Scribæ.

Biblia Vetus, *Caietanus*, Transgrediuntur traditiones.

Græcum. Traditionem maiorum nostrorum.

Hebraicum. Non enim abluunt manus cùm cibum sumunt.

ALTER TEXTVS.

Marc. 7. *n.* 1. Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis venientes ab Ierosolymis.

Num. 2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperauerunt.

Num. 3. Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum.

Num. 4. Et à foro, nisi baptizentur, non comedunt; & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare: baptisma calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

Num. 5. Et interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

EXPOSITIO I.

QVM Christus Dominus versaretur in terra Genesar, quæ est inter Capharnaum, & Bethsaidam, in qua de sacratissima Eucharistia habuit concionem. *Tunc*, quando tot tantisque miraculis fulgebat, sanabat enim omnes languidos eorum; veniunt ab Ierosolymis, quæ distabat à Capharnaum leucis quasi triginta sex, vt testatur Abulens. q. 3. Pharisæi, & Scribæ tam longi itineris molestias aspernantes, vt Christum arguant, & accusent. Pharisæi, & Scribæ, Legis doctores, & qui alios opinione religionis, & scientiæ præcellebant: nam, vt docet D. Chrysostomus homil. 52. in Matth. Theophylactus, Euthymius, licet per totam terram Iudæorum dispersi essent Pharisæi, & Scribæ, id est, Legis doctores, Luc. 5. nu. 17. tamen in Ierusalem vtpote Metropoli, in qua erat templum, & cultus Dei, ibi erant famosiores Scribæ, & Pharisæi, vt ait Abulensis citata q. 3. Vnde inquiunt D. Remigius, & S. Thomas, quòd ex tribus aggrauatur malitia horum calumniatorum. Primò. Ex tempore. Quia quando Christus faciebat signa, & miracula pietatis, ipsi faciebant signa iniquitatis. Secundò ex loco sancto, quia venerant ex Ierusalem. Tertiò. Ex conditione personarum, quia de magnis venerunt Scribæ, qui erant magis litterati, & Pharisæi, qui reputabantur magis sancti. 1.

Abulens. D. Chrysost. Theophyl. Eu.hym. Luc. 5. Abulens. D. Remig. D. Thom.

Quare Discipuli tui. Vt scribit D. Marcus citatus, ex his, quæ viderunt Pharisæi, accusationis ansam arripiunt, *Cum vidissent*, ait Euangelista, *quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est non lotis, manducare, vituperauerunt.* Criminantur discipulos, & tacitè Magistrum, vt eos exosos redderent populo, sibi persuadentes, quod facti non possent proferre rationem. *Traditionem*, præceptum intelligunt, veluti per manus traditum *seniorum*, hoc est maiorum nostrorum: proponunt enim huiusmodi lotiones de manibus lotis, vrceis, &c. quamus enim constitissent noxiæ, & vanæ, à vetustate volunt illis authoritatem conciliare. Sic sæpe res inutiles intentat antiquitate, solum aliis præeminere. *Cum panem manducant.* Phrasis Hebraica, id est, cibum sumunt, vt aduertit Carthusianus, sub pane, principali cibo, cæteros intelligunt. 2.

Ab antiquitate vetus authoritatem comparare.

Carthus.

QVÆSTIO I.

Quare hic Euangelista ponit particulam, Tunc; denotans tempus?

IN fine antecedentis c. 14. scribit D. Matthæus, quomodo Christus versabatur in terra 3.

terra Geneſar, in qua valde mirabiliter omnes ægrotos ſanabat, *& rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti tangerem; Et quicumque tetigerunt, ſalui facti ſunt.* Nunc vero exorſus c. 15. ait, *Tunc acceſſerunt.* Illa enim particula *Tunc* continuationem hiſtoriæ denotat, vt ait Abulenſis c. 25. q. 2. Ad elucidationem eorum, quæ ſcribuntur, ſolent Euangeliſtæ tales annotationes temporum ponere.

Matth. 14.

Abulenſ.

Secundò. Audita Ioannis morte ſeceſſit Ieſus trâs mare Galilææ, quod eſt Thyberiadis, Herodis, ac Iudæorum furori cedens, vt dixi to. 3. c. 33. Nam vt ſcribit Ioannes 7. n. 1. *Ambulabat Ieſus in Galilæa, non enim volebat ambulare in Iudæa, quia volebant eum Iudæi interficere.* Et tamen ad eum in Geneſar veniunt Scribæ, & Phariſæi, eum arguentes, vt contra ipſum accuſationem tandant. Quamuis ſæpe aliorum furori cedere velit, à loco diſcedere, & in remotum ſe recipere, nullibi valet malignantium iram declinare, ſed vbique ab illa impetitur, ac inſectatur.

Ioan. 7.

Vbique impetitur homo à malignantium furore.

3.

Tertiò. D. Chryſoſtomus homil. 52. ſic ait. *Tunc*, inquit, *quando ſcilicet innumera ſigna operatus eſt; quando tactu ſolummodo fimbria multos curauit ægros: propterea enim Euangeliſta notauit tempus, vt magnam eorum malitiam oſtenderet.* Denotatur tempus, quòd tunc ſcilicet Phariſæi, ac Scribæ facta Chriſti volebant denigrare; quando ipſe innumeris miraculis, magniſque donis fulgebat. Valdè præpotens eſt malignitas, ac hominum odium, nulli cedit, nulla operum euidentia quieſcit, ac flectitur, ſed ſemper obſtinata perſiſtit. Sic eiecto Dæmonio muto clamant turbæ: *Nunquam apparuit ſic in Iſrael*, Matth. 9. n. 33. Phariſæi verò dicunt: *In principe dæmoniorum eicit dæmonia.* Cum vidiſſent Phariſæi cæcum a natiuitate ſanatum, dicebant: *Non eſt homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit*, Ioan. 9. num. 16. Quando Chriſtus reſuſcitauit Lazarum quatriduanum, quod maximum miraculum reputabatur; in Concilio Pontificum ſtatutum eſt, vt Chriſtus occideretur, quia multa ſigna faciebat, Ioan. 11. num. 47.

D. Chryſoſt.

Malignitas nulla euidentia, vel beneficio flectitur.

Ioan. 9.

Ioan. 11.

6.

Quartò. Tam pertinax eſt peccatorum iniquitas, vt Dei dona, ac beneficia conuertant in nequitiam, ac ex ipſis beneficiis eliciant mala, ac occaſiones conueniendi, & conſpirandi contra Deum; vt faciunt Phariſæi, qui, cum tanta in Chriſto ſigna viderent, inde inſolentiores facti, ad eum arguendum cum Scribis vniuntur.

Iniqui ex beneficiis eliciunt occaſiones peccandi.

7.

Cum cœpiſſent multiplicari homines ſuper terram, acceperunt filij Dei filias hominum ex omnibus, quas elegerant, Gen. 6. num. 1. Facit Scriptura mentionem grauitatis, ac multiplicitatis peccatorum hominum, qui prout volebant, ſecundum ſuam ſenſualitatem abſque conſideratione accipiebant vxores. Sed ad quid commemorat hominum multiplicationem? quod in valde numeroſa progeniem humana natura dilatata ſit? *Cum cœpiſſent homines multiplicari?* Vt inde maximè exprimatur Grauitas culpæ illorum hominum peccantium. Generis humani multiplicatio, peculiare Dei beneficium; & tanta erat illorum hominum iniquitas, vt ex ipſo dono, vnde debitor fieri debuit, peccandi contra Deum arripiens cauſam, præuaricator euaſerit. Serapg. Porrectus. Concil. 1. *Quando maximum fiebat à Deo beneficium hominibus, puta multiplicatio illorum ſuper terram; & conſequenter quando pro gratiarum actione, peccatis, relictis propter Deum, debuerant virtutibus abundare tunc maximè ipſi homines peccata multiplicare cœperunt.*

Gen. 6.

Homo, vnde debet fieri debitor, fit præuaricator.

Serach.

Erat autem terra labij vnius. Dixeruntque, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat vſque ad Cœlum, Gen. 11. num. 4. Pro humana ſocietate, pro humaniſque negociis, pro omniumque vnitate, ac concordia magnum Dei donum erat, quod terra eſſet labij vnius, eiuſdemque ſermonis. Ex tanto Dei beneficio num ad gratiarum actiones currunt homines: minimè ſanè; contra auctorem tantorum bonorum volùt inſurgere, eique inferre bellum parant. Deprauati animi eſt, accepta beneficia in malum vſum conuertere, doniſque peiorem fieri, ex iiſque malum elicere. Idem auctor Seraphus citato loco. *Ex vnitate ſermonum*, ait, *quod beneficium Dei magnum eſt, homines ſuperbiam deſumpſerunt, vtpote ſecundum hominem ambulantes, non ſecundùm ſpiritum occaſionem indè contra rationem, & Dei benefactoris, & ipſius beneficij, ſumpſerunt erigendi caput per ſuperbiam, tum in Cœlum, tum ſuper omnem terram.*

8.

Genes. 11.

Mens deprauata beneficia conuertit in malum vſum.

Seraph.

QVÆSTIO X.

De hac traditione lauandi manus, cùm cibus ſumebatur.

NON multum ante aduentum Chriſti, vt teſtatur Maldonatus, editus eſt liber Hebraïcus, vbi huiuſmodi traditiones, & præcepta ad ſeruandam accurate legem, præſcripta erant. Nunc quæſtio eſt inter noſtros doctores. An hæc traditio abluendi manus, eſſet tantùm ante cibum, vel etiam inter manducandum?

9.

Maldon.

Quæſtio nam eſſet hæc traditio.

Prima ſententia eſt Chryſoſtomi homil. 52. in Matth. Theophylacti, Euthymij, Paſchaſij, Dionyſij, Carthuſiani, Abulenſis q. 14. Lyrani, traditionem fuiſſe, ante cibum manus eſſe abluendas; ac proinde non fuiſſe de hac re præceptum, ſed quandam decentiæ, & honeſtatis admonitionem, vt ait Lyranus. Proindeq; arguendi occaſio extitit Phariſæis, quòd viderint Chriſti Diſcipulos manducare abſque vila manuum ablutione. Sic ſcribit D. Marcus. *Quare Diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus, id eſt, non lotis, manducant panem?*

10.

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Paſchaſ. & Carthuſ. Dionyſius. Abulenſ. Lyranus.

D. Marcus.

Secunda ſententia docet, præfatam traditionem non eſſe abluendi manus ante cibum, nam hoc ciuiliter, ac frequenter fit ab honeſtis; ſed manus ipſas abluere frequenter inter manducandum. Pro hac ſententia ſunt D. Petrus Chryſologus ſer. 171. vbi ait, quòd Dominus non remouebat à ſuis Diſcipulis illam communem honeſtatem ante menſam abluendi manus. *Præſertim cùm Dominus ipſe arguat Simonem, inuitatus, ad menſam: Aquam pedibus meis non dediſti.* Sed reprobat ſuperſtitioſa Iudæorum baptiſmata. Idem habet D. Remigius in Catena D. Thomæ. Card. Caietan. hic: *Non eſt*, ait, *quæſtio de lotione manuum ex decentia hominibus ſolita, qua ſolent homines ante prandium, vel cœnam manus lauare; ſed de lotione manuum ex ſtatuto ſeniorum, qua erat crebra, ſcilicet quod ter, aut quater eodem prandio lauabant manus.* Idem docet Ianſenius. Vndo, ait, *notandum, quod non dicunt Phariſæi, & Scribæ, non lauant Diſcipuli manus ſuas antequam panem manducent, ſed cum panem manducant.* Eidem ſententiæ ſubſcribit Maldonatus in præſenti.

11.

Chryſoſt.

D. Remig. Caietan.

Ianſenius.

Maldon.

Vtraque sententia conciliari potest. Ac proinde dicendum, quòd Iudæi, & præcipuè Pharisæi, qui a iis Religione præstantiores haberi volebãt vtpote vani, & insipientes, totam suam sanctitatem in externa lotione constituentes, frequenter, tam ante, mensam, quàm inter manducationẽ manus lauabant, vt colligitur hic ex textu Marci adducto. *Pharisæi, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant.* Et quamuis Græcus legat: *nisi studiosè lauerint*: tamẽ lectio nostræ Vulgatæ præferenda est, & multiplicem lotionem, ante mensam, & in ipsa mensa, indicat. Et cõfirmatur, quia in nuptiis Cana Galilææ, ait Ioan. 2. n. 6. *Erant ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secundum purificationem Iudæorum.* Et vnaquæque hydria magnam continebat aquæ quantitatem, vt ibi explicaui in expositione tom. 2. c. 1. n. 93. Tanta autem aquarum copia erat, non solum ad abluendas manus ante cibum, sed etiam in mensa. Vnde Heliogabalus Imperator, vt testatur Lamprídius, ad singula fercula manus lauabat. Erat etiã aqua illa ad abluẽda vasa, calices, & paropsides, è quibus bibebãt, & comedebant, vt aperte hic ait D. Marc.

11. *Frequenter manus lauabãt ante mensam, & in mensa*

D. Marcus.

Græcus.

Ioan. 2.

Lamprídius.

13. Maldon. Burgens. Cornel.

Hæc autẽ traditio, seu consuetudo introducta est, vt obseruant Maldonatus, Lucas Burgensis, Cornelius à Lapide, nam in veteri lege sanctum erat à Deo, vt Iudæi abstinerẽt à contactu morticinij, scilicet cadaueris mortui, auium rapacium, & immundarũ; similiter menstruatæ, leprosi, ac multarum aliarũ rerum: si quis autem aliquo casu hæc tangeret, immundus, ac irregularis censebatur, eique non licebat ingredi in Templum, nisi prius lotione, Lege præscripta, purgaretur, Leuitici 11. n. 41. & Numer. 19. n. 22. His excitabãtur crassi, ac rudes Iudæi ad interiorẽ spiritualẽ animi mũditiem faciendã per contritionẽ, & pœnitẽtiam.

Leuit. 11. Num. 19.

14. Ipsi autẽ Iudæi, vt pote insipientes, ac terrenis rebus inhærentes, tantũ de externa lotione erant solliciti. Vnde traditione maiorum pro Legis obseruãtia tot manuũ lotiones fuere institutæ. Sed miseri, dum de obseruantia Legis cogitant, ipsam Legem violant, vt obseruauit D. Chrysostom. in Matth. homil. 52. & post psũ Carthusianus, Hego, & alij. Præcipiebat enim Deus Deut. 4. n. 2. *Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata, quæ ego præcipio vobis.* Et tamen ipsi, vt ait Chrysost. *plura nouа induxerũt.* Sic sæpe faciũt hypocritæ, ac vani legũ obseruatores, qui dũ volunt esse nimij in eius custodia, legẽ ipsã violant, contẽnunt, ac frangunt.

D Chrysost Carthus. Hugo.

Deuter. 4.

Vani obseruatores legis violant.

15. Deinde hos Iudæos recte pungit D. Hieron. in Commentario. *Manus, id est opera, non corporis vtique, sed animæ lauandæ sunt, vt fiat in illis verbum Dei.* Quid est, sancte Doctor quod dicis, manus esse abluendas, vt fiat verbum Dei? verbũ non fit manibus, sed potius mẽte, & ore. Recte ait sãctus Doctor: Lauandæ sũt manus, non corporis, vt faciũt Iudæi; sed animæ, vt faciunt Iusti; vt fiat in illi verbum Dei. Cùm enim anima lauatur à peccato, purificaturque ab omni labe inquinamenti, tunc in illa fit verbum Dei, tuncque ipsa adimplet Dei legem, illique satisfacit, ipsamque Dei legẽ valet intelligere, ac explicare. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: qui scrutãtur testimonia eius.* Ps. 118. n. 1. Maximè verborum ordo ponderandus est, non enim ait, qui scrutantur testimonia Domini, beati immaculati in via; sed prius dixit hoc secundũ: qui enim vitæ puritatem, ac sãctitatẽ tenetur, hi valent scrutari, percipere, ac intelligere Dei testimonia. Elegãter

D. Hieron.

Ad intelligẽdam legem, lex obseruanda.

Psal. 118.

D. Ambros. in initio. *Quàm pulcher ordo, quàm plenus doctrinæ, & gratiæ, non prius, qui scrutantur testimonia eius, dixit (potuit enim conuenire secundum litteram) sed potius,* Beati immaculati in via; *ante enim vita, quàm doctrina quærenda est. Primò ergo exercenda est vita militia, corrigẽdi mores. Et cum hæc instituerimus ad cursum debitum, tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine, & via.* Vide multa tom. 1. & 2. ac 3. Verbo, Prædicator.

D. Ambros.

QVÆSTIO III.

Quare Discipuli manus non lauabant, cùm panem manducarent?

RESPONDEO. Primò. Quòd Christus Dominus supremus Legislator, veteri Legi, maximéque eius vanis traditionibus finem imponens, suos volens ad animi sanctitatẽ, ac puritatẽ inducere, noluit talia seruare, ne huiusmodi lotiones Discipulis suis præscribere, ac permittere videretur; ab initio enim signorum suorum eas veluti excluſit: nam in nuptiis in Cana Galilææ Ioan. 2. num. 6. cùm ibi essent sex hydriæ positæ secundum purificationem Iudæorum, eas mandat aqua impleri, quam in vinum conuertit, tanquam materiam talis noxæ purificationis, ac traditionis excludens, & remouens.

16. *Christus imposuit finem vanis traditionibus Iudæorum.*

Ioan. 2.

Secundò. D. Chrysostom. homil. 52. in Matth. *Consideratione dignum est*, ait, *cur illotis manibus Discipuli manducarent; cuius rei gratia sic comedebant? non studiosè, atque data certe opera, sed necessariis apprimè attendentes, superflua, & inutilia facilè spernebant.* Apostoli charitate accensi, toti in salutem animarum intenti, solum necessariis vtebantur, superflua omittentes.

17. D. Chrysost.

Superflua abiicienda.

Tertiò. Iudæi, cùm panem manducabant, frequenter lauacris vtebantur; cuius rei rationem nobis inculcat D. Zeno serm. 13. de Iudæi. *Sanè hoc solum*, ait, *retinent Iudæi proprium, quod vt vilem libidinem magis, ac magis augeant, vilioribus se lauacris omni momento baptizant, Deo semper ingrati.* Iudæi, vtpote Deo semper ingrati, tot aquarum lotionibus occupabantur, tum ob externã apparẽtiam de qua erant maximè solliciti; tum etiam quia ad delectationem, & libidinem voluptatum inseruiebant; & denique quia in iis eorum, vtpote iniquorum, miserrima, ac instabilis conditio, in perpetuo fluxu versans, designabatur. E contra verò Apostoli, tanquam semper Deo maximè grati, huiusmodi externa lauacra, ac libidinum fomenta respuebant; de interna sanctitate, ac munditie tantum peragentes: qua Deo placere studebant, & in qua consistere, ac persistere toto animi nixu incumbebant.

18. D. Zeno.

Iniquus de externis, de interna vero virtute iustus agit.

Adueniente partu peperit Rebecca duos filios, & ait Scriptura: *Qui prior egressus, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatumque est nomen eius Esau protinus alter egrediens tenebat plantam fratris manu, & idcirco appellauit eum Iacob*, Genes. 25. Maximè ponderandum, Cur sacer textus in Esau exprimit colorem vultus: *Rufus erat*: seu vt habent septuaginta: *rubus*: capillorum etiam dispositionem declarat: *In morem pellis hispidus.* At vero in Iacob, nec de vultu, nec colore, nec capillis aliquid simile insinuat, sed solùm quòd *tenebat plantam fratris manu.* Quænam huius tanti discriminis ratio;

19. Genes. 25.

Septuaginta.

Scripturæ

Scriptura vtriusque qualitates iuxta vnicuiusque ingenium describit. Esau, vtpote malus, ac iniquus, de extrema superficie, ac apparentia, colore, & capillis pertractabat. At Iacob, vt iustus, & sanctus, nil de his curabat, sed tantum de interna animi virtute erat solicitus, cuius fortitudinem, constantiam, ac perseuerantiam sacer Textus insinuat, quòd plantam fratris, quam in vtero semel apprehendit, egrediens non omisit, sed adhuc tenebat.

Esau de externis Iacob de interna virtute agit.

Vnde dicitur: Quod *factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis*, Genes. 25. num. 27. Esau, vt deprauatus, de externis agebat, arte scilicet venandi, & agricultura. Iacob autem, vt iustus, & simplex, in internis commorabatur. D. Gregor. 5. moral. cap. 7. *Esau*, ait, *agricola esse describitur, quia amatores huius sæculi tanto magis exteriora colunt, quanto interiora sua inculta derelinquunt. Iacob habitabat in tabernaculis. In domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquam exterius per desideria dissipare, ne dum ad multa foris inhiant, a semetipsis alienati, cogitationibus recedant.*

20 Genes. 25. Gregor.

Quartò. Non lauant Apostoli manus, cum panem manducant, vt faciunt frequenter gentes, saltem ante mensam: huiusmodi lauacra inseruiebant superstitioni, ac malitiæ Iudaicæ: & quæ nequitiæ inseruiunt, valde suspecta sunt viris iustis, vt ab illis omnino caueant, eáque omnino abolere, ac extinguere intendant.

21. *Quæ inseruiunt peccato, odiosa sunt iustis.*

Ex auro fabricauit Aaron vitulum, quem filij Israël adorauerunt in deserto. *Quem cum Moyses de monte descendens vidisset. Arripiensque vitulum, quem fecerunt, cõbussit, & contrinit vsque ad puluerem*, Exod. 32. num. 20. Nonne sat erat, vituli formam extirpare, ac expungere? Cur ita in ipsum aurum sæuit, vt illud in puluerem redigat? Quid deliquerat aurũ, vt in cineres conuertatur? Aurũ illud idoli materia, idololatriæque fomentũ extiterat. Viris autẽ iustis adeo sunt execrãda, & exosa, quæ peccato inseruiũt, cũ eóque fuere coniũcta; ab illisque sic recedũt, vt ea omnino perimere, ac eradicare omni affectu studeãt. D. Ambros. epist. ad Romulum. *Moyses*, ait, *comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit; vt omnia impietatis aboleret vestigia.* Vide Occasio, Peccatum.

22. Exod. 32. *Materia peccati fugienda.* D. Ambros.

QVÆSTIO IV.

Quare Scribæ, & Pharisæi Discipulos arguunt de non lotis manibus?

23. 1. Cor. 8. *Pauca scientia inflat.*

MVLTVM de sua scientia Scribæ, & Pharisæi præsumentes ad Christum accedunt, dicentes: *Quare Discipuli tui non lauant manus*, &c. Sed quomodo scientia in tantam superbiam proferuntur homines? Ait Apostolus 1. Corinth. 8. num. 1. *Scientia inflat.* Valde infirum, quòd scientia, quæ est Dei donum, quæ illuminat intellectum, dat cogitationem, bonum vt amplectamur, malúmque fugiamus, in superbiam, valde odibile vitium nos inducat. Vis intelligere Apostoli dictum: *Scientia inflat*? Scilicet pauca scientia inflat; nam multa scientia humiliat, ac deprimit; in charitatéque fundata multum ædificat. Ad quæst.

24. Primò. Apostolos, omni virtute; ac probitate præclaros, de non lotis manibus arguunt Scribæ, & Pharisæi. Sic sæpe contingit, vt qui omni spurcitia, ac turpitudine coinquinati, (vt hi Pharisæi, & Scribæ) existunt, improbos, ac iustos insurgũt: nam apud impios, probum esse, crimẽ est. D. Cyprianus lib. 2. Epist. 2. ad Donatum. *In publico*, ait, *multi accusatores, in occulto rei; in semetipsos censores pariter, & nocentes.* Et post pauca subdit. *Esse inter nocentes innocuum, crimen est. Malos quisquis non imitatur, offendit. Quis illic rerum pudor? Quæ esse possit integritas, vbi qui damnant improbos, soli sibi, qui damnantur, occurrunt?* Sic ostenditur, *quam monstruosa sit res, iniquos iudices in alios punire vitia, quibus ipsi inficiuntur. Mirum etenim est, quod manus in alios extendant ad vindicanda crimina, quæ in se proximius habebant, vt plectererentur.* Vnde pulchre notauit Saluianus lib. 1. de Prouidentia, quod, vt Moyses populum Israeliticum à blasphemiæ crimine coltiberet, in lege decreuit, quòd vniuersus populus blasphemum lapidibus obrueret: fieri enim nequibat, vt blasphemus quisquis eorum exiliens blasphemum lapidaret. Sic ait Saluianus. *Exemplo ad cunctorum emendationem proficiente, vt ne quis postea admitteret, quod omnis in vno populus vindicasset.*

Crimen est apud improbos, probum esse. D. Cyprian. *Valde exosum, quòd quæ in aliis damnat crimen, quo in se fruitur.* Saluian.

25. Secundò. Discipulorum vita, pura & sancta erat, omni carens vitio; & cum in ea nil haberẽt Pharisæi; quod arguerent à malis, & noxis traditionibus non obseruatis quærunt argumentum, vt sanctos Discipulos valeant criminari. Ex quo magna eorum laus declaratur, quòd tam incũlpatus erat eorum viuendi modus, vt non haberent aliud, quod obiicerent. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen, propter vxorem eius Æthyopicam*, Numer. 12. num. 1. Detrahentes Moysi ad vxorem eius conuertunt sermonem, opponentes, quod esset ex Æthyopia, vt volunt Iosephus, & Eusebius; vel ex Madian, vt alij contendunt. Sed quorsum, cùm Moysem calumniantur, ad vxoris patriam sermonem deflectunt? Fratrum obmurmuratio probitatem: ac sanctitatem indicat Moysis, quod, cùm in eo malevolentia non haberet, quid corroderet, aliunde detrahendi materiam scrutatur. Theodoretus ibi. *Integritatem*, ait, *legislatoris confirmat fratrum proteruia, nempe cùm alia careret accusatione, vxoris probrum obiecerunt.*

Num. 12. Ioseph. Euseb. *Tua integritas declaratur, dum malevolus aliunde de quarit detrahendi materiam.* Theodor.

26. Tertiò. Pharisæi arguunt Apostolos, quod non lauant manus: quod sanè magna est eorum laus: & sublimatio. Nulla enim potest esse maior commendatio, quàm ab iniquis condemnari, ac criminari: nesciunt enim impij abominari, nisi præclara, & excelsa. Ait Pharao Moysi, vt in Ægypto boum, & auium sacrificia Deo offerat. Respondet Moyses, *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro*: Exod. 8. n. 26. Pecudum sacrificia, quæ Deo offerre parabat, abominationes Ægyptiorum dicit. Summè Deum diligebat; quomodo ergo de his, quæ sunt in abominationem apud Ægyptios, Deo præparat obsequia? Valde pretiosa declarantur ipsa sacrificia, cum in abominationem dicatur esse apud Ægyptios: magna approbatio rei est, ab iniquis reprobatio, eorúmque abominatio, valde præexcelsa gloria est. D. Ambrosius tom. 1. Epist. ad Iannarium, in Exodum: *Oderunt ergo*, ait, *Ægyptij immaculata sacrificia, id est, perfecta virtutum, & plena disciplinæ. Quod ergo vitiosi oderant, hoc apud bonos sincerum, & pium est. Opus virtutis detestatur luxuriosus bellua, refugit Ægyptius.*

Exod. 8. *Ab iniquis reprobari, magna laus.* Ambros.

27. D. Synesius. Hinc valde illustre, & glorioſum eſſe, ab impio Iuliano multis iniuriis appeti, atteſtatur D. Syneſius Epiſt. 94. cum ab illo ſacrilegio multis opprobriis afficiebatur. *Quid enim*, ait, *non ad gloriam nobis, atque exiſtimationem confert; Quicunque laudare nos nititur, cùm inuenire, quid dicat, aliud nihil poteſt, hoc primum, & vnum, & maximum profert: Iudaicum de illo; detrahere: hoc enim vno verbo, quæ non bonorum copia continetur: Siquidem nequitiæ generi omni aduerſari, nihil aliud eſt, quàm eſſe generi omni virtutis affinem. Per ſacrum tuum caput, & liberorum ſalutem iure, nihil eſſe, in quo melius de me Iulianus, quàm iniuriis, & probris laceſſendo, mereatur: nam & apud Deum, & apud homines præclarum mihi erit, & ampliſſimum.* Valde præexcellſum eſt, à prauitate reprobari: nam qui ab omni malitia reprobatur, omni eſſe verificatur virturum decore conſpicuum.

Magna gloria, ab iniquis reprobari.

QVÆSTIO V.

Quare non de lege, ſed de ſeniorum traditionibus ponunt quæſtionem?

28. NON dicunt in præſenti Scribæ, & Phariſæi, quòd Domini diſcipuli tranſgrediuntur legem, ſed ſeniorum traditiones; Reſpondeo. Primò, quod in tanta legis obſeruatione viuebant diſcipuli, vt etiam eorum inimici, quod ei opponerent de violata lege, non haberent. Ad Titum 2. num. 7. ait Paulus: *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum: vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

Ad Tit.

29. Marcus 7. Secundò. Phariſæi, vt refert D. Marcus 7. n. 2. *Cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius communibus manibus, id eſt, non lotis, manducare panem, vituperauerunt*, & dicunt, *Quare diſcipuli tui communibus manibus manducant panem?* Quamuis Phariſæi eſſent iniqui, hoc tamen habuerunt, quod non arguunt Apoſtolos de his, quæ fortè audierunt; ſed de his, quæ ipſi viderunt. Diſcipuli Ioannis, cùm vidiſſent Dominum cum ſuis diſcipulis diſcumbentem in conuiuio in domo Matthæi, accedunt; & dicunt: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Matth. 9. n. 14. De re à ſeipſis inſpecta, quæſtionem ponunt. Vel Phariſæi ob ſuam malitiam hoc obiiciunt, exiſtimantes, à ſe diſcipulos capi in re, vtpote ab ipſiſmet viſa, quæ negari non poterat.

Arguitur de re à ſe viſa.

Matth. 9.

30. D. Chryſoſt. Tertiò. D. Chryſoſtomus homil. 52. in Matth. poſtquam notat, quòd Phariſæi ex maiorum traditione multa innouarunt, ſubdit: *Quares adtantam peruenit nequitiam, vt præcepta ipſorum magis, quàm Dei mandata cuſtodirentur? & nullam de mandatis Dei curam facientes, obſeruationum contemptores vltiſcebantur, maximóque delicto obnoxij erant.* Idem docet Euſebius Gallicanus homil. in feria 4. poſt 3. Domin. Quadrageſ. Hugo, & alij Cùm inuentores harum traditionum extitiſſent Phariſæi in libro, à ſe edito paulo ante aduentum Chriſti; inde fiebat, quòd de earum obſeruantia erant maximè ſoliciti, valdéque rigidè eorum violatores caſtigabant, nihilque de lege Dei, ab ipſo Deo data, curabant. Sic Proh dolor! ſæpè contingit, vt homines plus ſoliciti ſint de ſuis, quàm de his, quæ Dei ſunt.

Euſeb. Hugo.

Homo plus ſolicitus de ſuis, quàm de Dei rebus.

31. Scribit Paulus ad Galatas 1. num. 14. quomodo ipſe ante ſuam conuerſionem extitiſſet ardenter amator, ac zelator paternarum inſtitutionum, ac Iudaicæ ſectæ. *Proficiebam*, ait, *in Iudaiſmo ſuper multos coætaneos meos, in genere meo, abundantius amulator exiſtens paternarum mearum traditionum.* Æmulator, id eſt zelotes, vt habet Græcus. Cur ſuum feruentem zelum, non dicit, ſibi fuiſſe pro lege, ſed pro paternis traditionibus? Apoſtolus ante ſuam conuerſionem extabat ex Phariſæorum ordine: *Secundùm legem Phariſæus:* vt ipſe de ſe teſtatur ad Philip. 3. num. 5. Vnde explicat D. Remigius: *Paternarum traditionum, ſcilicet Phariſæorum.* Harum ergo ſe dicit habere zelum feruentem, non verò legis; nam traditionum auctores extiterant Phariſæi, ex quorum ſecta ipſe erat: Lex verò à Deo data fuerat: & ipſe Saulus, adhuc humana ſapiens, plus attendebat ad ea, quæ ad ſe ſpectabant, quàm ad illa, quæ Dei erant. D. Primaſius, & Claudius Altiſiodorenſis Epiſcopus in Epiſtol. ad Galatas: *Paternas traditiones*, inquiunt, *non Domini mandata commemorans, Phariſæum ſe ex Phariſæis indicauit.*

Galat. 1. Græcus. Ad Philip. 3. D. Remig. *Non de lege, ſed de traditionibus ſolicitus.* D. Primaſ. Altiſiodor.

Venit ad Chriſtum Dominum quidam, & ait illi: *Magiſter bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Matth. 19. num. 16. Quæ, non tentandi animo, ſed virtutis ſtudio quærit à Domino, vt docent D. Chryſoſtomus, Theophylactus, S. Thomas, & alij, vt ſuo loco adnotabo. Reſpondens Chriſtus ait illi; *Si vis ad vitam æternam ingredi ſerua mandata.* Tunc iterum accedens quærit. *Dixit illi, quæ?* Multum inſipida, ac ignorans videtur hæc interrogatio. Apertè notũ eſt, quod, qui peccat in vno, factus eſt omnium reus; violatione vnius mandati, gratia, ac beatitudine priuatur homo, quomodo ergo virtutis ſtudioſus quærit, quæ mãdata ſint ei obſeruanda, ad vitam aſſequendã? Euthymius: *Putabat*, ait, *præter legalia eſſe alia, ſcilicet mandata, quæ ad talem inducerent vitam.* Hæc ſine dubio erant ſeniorum traditiones, quas cùm videret eſſe repugnantes legis mãdatis, vt Chriſtus Dominus hic explicat ſequenti num. 3. *Vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram*: ideò hic virtutis ſtodioſus quærit, quæ mandata ſint ab eo ſeruanda. Sed quorſum iſte dubitat inter legis mandata, & maiorum traditiones: plantum enim erat, Dei præcepta præferenda eſſe. Quomodo ergo quærit. *Qua*, Videbat ipſe, quod Scribæ, & Phariſæi plus attẽdebant ad traditiones, vtpote ſuas, & tãquam res proprias, quam ad Dei præcepta: inde dubitat homo, quæ ſint ab eo ſeruanda, & ideo quærit: *Qua?*

32. Matth. 19. D. Chryſoſt. Theophyl. D. Thom. Euthym. *Ob traditiones contemnebant legem.*

QVÆSTIO VI.

Quare Phariſæi quæſtionem de non lotis manibus excitant potiùs contra Diſcipulos, quàm contra Magiſtrum?

PHARISÆI Chriſto Domino inſidiantes, non ipſum arguunt, ſed Diſcipulos de non lotis manibus, cum panem manducant? Reſpondeo. Primò, vt iam notaui ſuperiori quæſt. ex D. Marco, ſcribente, quod *cùm veniſſent ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis; & cùm vidiſſent quoſdam ex Diſcipulis eius communibus manibus*, &c. Cum ergo ita vidiſſent Diſcipulos manducantes, & non Magiſtrum; ideò tantùm contra Diſcipulos quæſtionem mouent.

33. *Ex his, quæ Phariſæi viderunt, quæſtionem mouent.*

Secundò

Secundò. Abulensis q.7.ait,quod Pharisæi,& Scribæ artificiosè, ac diabolicè detrahentes aliquando arguebant Magistrum apud Discipulos, nam cùm Christus manducaret cum publicanis: dixerunt Discipulis eius Pharisæi: *Quare cum publicanis, ac peccatoribus manducat Magister vester?* Matth.9.n.11.Quasi dicerent,Turpe est,quod talem Magistrum habeatis,qui cum talibus accumbit ad mensam.Quando autem ipsis Pharisæis videbatur,quod Discipuli delinquebant, tunc eos apud Magistrum accusabant, vt in præsenti, ac quando eos viderunt colligentes spicas in sabbato. *Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis*,Matth.12.num.2.Modus autem erat iste ponendi discordiam inter Magistrum,& Discipulos per detractionem de vtrisque, volebant enim facere odiosum Magistrum Discipulis, & Discipulos Magistro.

34. Abulens. Matth.9. Matth.12. Pharisæi volebat seminare discordias.

Tertiò. Pharisæi Christum D. accusare non ausi, Discipulos accusant: *Quare Discipuli tui transgrediuntur*,&c.Sic Hebræi in Ægypto dicunt Pharaoni: *En famuli tui flagellis cadimur, & iniustè agitur contra populum tuum*,Exod.5.num.16: Appositè Lyranus ibi.*Non dixerunt*,ait, *iniustè agis,ne Regem offenderent, vel honori Regis detraherent? sed iniustè agitur.*Sic & Dauid non ausus timiditatis notam imponere in Saulem,in clientes impingit eam. *Non concidat cor cuiuscumque in eo*,scilicet Gigante,1.Reg.17.num.32: Videbatur enim dicturus,Cor tuum, ô Rex, ne paueat! Ab hac tamen calumnia ille abstinet,& in seruos suos eam detonlit, dixit enim, *non concidat cor cuiuscumque*: tanquam supponens cor Regis imperterritum,ac firmum, terrorem autem in alios refert. Sic & Sacerdos Achimelech non ausus dubitare de Regis munditia, ne ipsum offendere videretur,puerorem continentiam in dubium reuocat. *Si mundi*, ait, *sunt pueri, maximè à mulieribus*,1.Reg.21.num.4.

35. Pharisæi Magistro detrahere non ausi, Discipuli detrahebant. Exod.5. Lyran. 1.Reg.17. 1.Reg.21.

Quartò D. Paschasius,lib.7.in.Matth. *Mira*, ait, *Pharisæorum, Scribarumque stultitia, Dei filium arguunt. Quoniam quidquid in Discipulis reprehenditur, ad calumniam Magistri insidiosè ab ipsis, qui ab Ierosolymis aduenerant, Scribæ, & Pharisæi, refertur.* Cùm Pharisæi Christum arguere non auderent, arguunt Discipulos,vt eorum crimen in Magistrum retorquerent: nam si peccatum erat, manus non lauare, quod faciebant Discipuli, videbatur esse culpa Magistri, hoc videntis,& eos non increpantis; sicut enim discipuli probitas est gloria magistri? vnde ad illud. 1. ad Thessalonicenses 2.num. 19. *Vos enim estis corona nostra*: ait D. Ambrosius: *Discipulis enim in agone victoribus, dignum erit corona magister*:Sic & iniquitas discipulorum adscribitur magistro. Ex quo Plutarchus documenta præbens bono suo discipulo Traiano,& exhortans eum,vt rectè se habeat in probitate morum,sic illum alloquitur in Præfatione Politica ad Traianū. *Tua virtuti congratulor*, ait, *& fortunæ meæ: si tam rectè gesseris, quàm probè meruisti principatum: alioquì te periculis, & me detrahentium linguis subiectum iri non dubito; cùm sermo publicus delicta discipulorum refunderet soleat in præceptorem.*

36. D.Paschas. Culpa Discipulorum ad magistrū refertur. 2.ad Thes.1. D.Ambros. Plutarch.

Cum in Hortoad execrandum nefas processit Proditor, vt Iesum Iudæis osculo traderet, ait, illi Dominus: *Amice, ad quid venisti*.Matth.26. num.50.Cur Iudam vocat amicum, & non potiùs discipulum;& insuper ad modum quærentis, vt notant D.Chrysostomus, S.Thomas, & alij: ait: *ad quid venisti?* cum ipse omnia clarissimè præsciret. Amicum vocat,vt suā erga illum dilectionē ostendat, quod quamuis eius mortem machinaret adhuc ipsum multum diligebat, & tanquam amicum appellabat.Discipulum autem nō dicit,quia talia perpetrantem, non tanquam discipulum agnoscebat.Et cùm frequenter discipulorum defectus magistro inputentur?ideò veluti ad modum nescientis,cùm ipse omnia optimè sciret, quærit: *ad quid venisti?* vt esset omnibus exploratum,quod tanti criminis perpetratio,non ex Magistri doctrina, sed ex Discipuli malitiā scaturiens proueniebat.

37. Matth.26. D.Chrysost. S.Thom. *Defectus discipulorum magistro imputatur.*

Comprehensus meus Iesus,cum astaret coram sacrilego iudice, *Pontifex interrogauit Iesum de Discipulis,ac doctrina eius*,Ioan.18.num.19. Cur, cum Christus D.reus adiudicandus venit, interrogatur de Discipulis ac doctrina; & primò de Discipulis, D.Cyrillus Alexandrinus, lib.11. in Ioan.cap. 43. *Christo vincto*.ait, *quoniam crimina inferre non poterat Pontifex, de Discipulis,& doctrina interrogat.* Redemptori aliquam cu'pam imponere Pontifex non valebat,ideo de Discipulis, ac doctrina interrogat. Recte Albertus Magnus: *Interrogat, vt eumsic accusare posset.* Sicut enim homo accusatur ex malè doctrina; sic & ex malis discipulis:& sicut iniqua doctrina Doctori imputatur?sic & defectus discipulorum Magistro.

38. Ioan.18. D.Cyr.Alex. Alb.Magni. *Ex defectu discipulorū magister accusatur.*

QVÆSTIO VII.

Quam sinistro animo venerint Pharisæi?

29. Abulens.

QVAMVIS Abulens. q.6.multas rationes adducat: ex quibus probari poterit, quod isti Pharisæi, non malo animo venerint ad Christum, tamen sine dubio cum communi sententia sanctorum Patrum, D. Chrysostomi, D. Hieronymi, D. Paschasij, Euthymij,Theophylacti,S.Thomæ,ac ipsius Abulensis ad finem quæstionis,tenendum est,quod sinistro, & malo animo venerint,quia si maligna mente non veniissent, tam rigide non reprehenderentur à Domino, vt hypocritæ appellarentur,adducente illud Isaiæ: *Cor autem eorum longè est à me.*Deinde de tali re,quod quis comederet, non lotis manibus,probè,& rectè non erat arguendus.

D.Chrysost. D. Hieron. D. Paschas. Euthym. Theophyl. S. Thom.

Tandem, Quia aliorum actiones, & facta explorare,ac scrutari, valde alienum est à bono,& sano animo. Magnus dux Israël frequenter suo nomine Iosue nuncupatur,*Dicit Moyses ad Iosue, elige viros*, Exod. 16. num.9. *Et fecit Iosue,vt locutus fuerat Moyses.* ibidem., num. 10. *Et Iosue minister*, Exod.24.num.13. Et sic sæpe. At vero cum exploratorum nomina scribuntur, qui in Promissionis terram mittuntur,dicitur: *De tribu Ruben Sammua filium Zechur;de tribu Iuda Caleb filium Iephone;de tribu Ephraim Osee filium Nun.* Num.13.num.7.Hoc est ex tribu Ephraim Iosue; siue, vt legitur ab Origene homil. 1. in Iosue. *Ause*.Sed quorsum,cum aliis in locis frequenter Iosue,hoc est Iesus, nuncupetur; cur hic, prætermisso hoc magno nomine Osee, siue Ause nuncupatur?Dabatur ei in præsenti exploratoris officium;& aliorum mores, & facta explorare, res quædam videtur dedecens spiritui Iosue,siue Iesu pleno; valde enim suspectum est apud probos,aliorum gressus scrutari, & perquirere.Ci-

40. *Alienum à bono spiritu aliorū facta explorare.* Exod.16. Exod.24. Num 13. Origen. *Alienum à bono spiritu, aliorū facta explorare.*

tatus Origenes, *Inter eos, ait, qui ad explorandum missi sunt, nomen eius Ause scribitur. Et fortassis pro exploratoris officio, non Iesus, sed Ause dictus est.* Propius ad nostram quæstionem accedamus.

Qvæstio VIII.

Quare Scribæ, & Pharisæi veniunt ad Christum, & hanc quæstionem proponunt?

41. *Vt corrigas, potestatem habe.*

RESPONDEO. Primò. Quod hæc quæstio de non lotis manibus, excitata est a Scribis, & Pharisæis ex magna eorum ignorantia; nã aliorum, qui sub tua potestate non sunt, velle mores corrigere, ac emendare, res indecens, ac multis exposita periculis, & dissensionibus est: habe potestatem, & tunc ad interpandũ procedes. Populo Israëlitico ait Moyses Deut. 7. n. 1. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, tradiderintque gentes Dominus Deus tuus tibi, percuties eas. Quin potius hæc facietis eis: Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.* Cur statim in primo ingressu non mandat Dominus aras, lucos, ac imanignes inanium deorum subuertere? cur per aliquod tempus patitur, vt populus electus commoretur in terra tot falsorum deorum monumentis infecta? Quomodo permittitur, quod in eodem solo ab Israëlita verus Deus adoretur, & ab incircunciso Chananæo idolum? Quorsum ergo mandat, quod prius terram possideat, & postea idola subuertat? Vt his instruamur quod ab illis est abstinendum, in quos potestatem non habemus: prius ergo curandum, vt superioritatem, ac dominationem in eos obtineamus; & tunc ad illorum prauas mores corrigendos, ac malas herbas eradicandas procedendum. D. Augustinus serm. 6. de verbis Domini, cap. 11. *Audistis, quæ vobis legimus: Cum data fuerit vobis terra in potestatem (Prius ait, in potestatem, & sic dixit quæ facienda sunt) Aras, inquit, eorum destruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cum acceperitis potestatem, hoc facite. Vbi nobis non est data potestas, non facimus; vbi data est, non prætermittimus.*

Deuter. 7.

D. August.

42. *Magna miseria, de aliorum denigratione nitescere.*

Secundò. Pharisæi mundano spiritu ferebantur, qui alios denigrare volebant, vt ipsi nitidius perlucerent. Humana calliditas alienam depressionem, suam reputat exaltationem, & aliorum deuenustationem, suum iudicat exornatum: quod extremam esse miseriam, rectè scribit Nazianzenus, Orat. 2. de Pace. *Extrema quippe miseria est, ait, non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti.* Quàm aliter ergo sublimius nitet Apostolica gloria? In Actis Apostolorum, c. 5. num. 15. *Ita vt in plateis exterent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, vt veniente Petro obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Præclarè S. Theophylus Alexandrinus de celebratione Paschatis. *Apostolica vmbra non obfuscat, sed in vitæ lucem inducit.* Hæc est magna celsitudo, quæ alios non obscurat, sed sine alicuius diminutione, seu potius subleuatione ipsa nitet, & resplendet: hæc enim non nititur alieno dedecore, aut infamia, sed sua virtute, & gloria.

Nazianz.

Act. 5.

Theophyl.

43. Tertiò Scribæ, & Pharisæi, cum esset iam ætate prouecti, dolebant maximè, Christum in ætatis adolescentia illis communi populi opinione præponi. Vnde tanquam de antiquitate solliciti, in ipsoque longo temporis interuallo confidentes, inuidia stimulati, velut sub maiorum reuerentia ponunt: *Quare transgrediuntur traditiones seniorum?* Vnde rigidè à Domino reprehenduntur; hypocritæque vocantur, vt patet ex subiunctis verbis. Valde enim intoletabile est, sub prætextu senectutis duntaxat, omnibus velle dominari, & inuenum actiones, etiam virtute conspicuas, quia eorum authoritati non cohærent, corrodere, & carpere.

Prætextu senectutis nolli aliis dominari.

Quàm diuersum, & omnibus vtile documentum nobis inculcat Ioannes Euangelista Apoc. 5. num. 1. Vidit enim ipse in dextera sedentis super excelsum thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem: & cùm nemo, nec in Cœlo, nec in Terra, neque subtus terram dignus inuentus esset aperire librum, & soluere signacula eius. Tunc Euangelista ait: *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum, & soluere signacula eius.* Cum in hoc fletus Euangelista prorumperet, ab vno ex senioribus dictum est ei, se à lachrymis temperaret? dignus enim erat Agnus aperire librum. *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum.* Qui venit, & accepit librum, illumque retetauit, eiusque mysteria euulgauit. Duo in præsenti quæro. Et primò: Cùm Christus D. introducitur mysteria explanans in puerili, ac iuuenili ætate agni; non verò in virili, ac perfecta ætate trignita triũ annorum, in qua pro nobis Redemptionis mysterium adimpleuit? quod præfiguratum fuit in celebri sacrificio, in quo Abrahamus arietem immolauit. *Vidit post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus,* Genes. 22. num. 13. Vel sub senili ætate, vt apud Danielem 7. num. 9. *Antiquus dierum sedit, & capilli capitis eius quasi lana munda.* Deinde quæro: Cui nullus ex senioribus audet extendere manum ad librum, illumque reserare? nullusque ex illis ad exponenda sacramenta se offert, sed omnes prompto animo expectant, vt à iuuenculo instruantur, ac edoceantur? Vt in hoc nobis magnum præbeant exemplar; quod nullus prouecta ætate confisus audeat manum leuare ad ea, quæ non attingit; sed quòd quilibet sedulo, ac obedienti animo sit præparatus edoceri in magis ab illo, qui potens sit proferre, siue puer, siue adolescens, vel senex existat. Huc adduco id, quod eleganter dixit D. Ambrosius, lib. 3. ad Gratian. relatus à Vincentio Lyrinensi contra prophanat Hæreticorum nouitates. *Notandum, ait, quod librum signatum illum propheticum, non seniores aperire ausi sunt, soli Christo explanandi eius prærogatiua seruata est.*

Apoc. 5.

Genes. 22. Daniel. 7.

Nullus ætate confisus se vltra id, quod capit, extendere velit.

D. Ambros.

44.

45. Quartò. Ex quadam pestifera malevolentia Scribæ, & Pharisæi arguunt in præsenti sacros Apostolos: nam estò, videretur aliqualis delectus, non lotis manibus manducare; tamen leuissima erat culpa; quæ proinde dissimulanda videbatur, cum humana infirmitas nil ad profectum semper adducat; ordinariè enim loquendo, nullus est in hac vitã, qui sua nota careat.

Quilibet suũ patitur defectum.

Ait Apostolos ad Rom. 13. num. 3. *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.* Quid dicit, magne Paule? Quid offers in hoc tuo pronunciato? nunquid laudis desiderio bonum agendum est? hoc frequenter eximio

46. Ad Rom. 13.

eximio Apostoli spiritu reprobatur ne simus inanis gloriæ cupidi: quomodo ergo ait, *bonum fac, & habebis laudem*? Gentium Doctor agnoscens humanam imbecillitatem, quod omnem perfectionem assequi non valeat, permisit id, quod leuius erat, vt auferret, ac expungeret per operationem boni, malum, quod turpius constitebat, ac maius nocumentum ingerebat. D.Greg. Magnus in Pastorali cap.4. post Admonitionem 36. præfata verba Apostoli explanans, sic subdit. *Neque enim*, ait, *ideo bona agenda sunt, vt per hac gloria transitoria laudis sumatur: sed cum infirmam mentem ad tantum robur ascendere non posse pensaret, vt prauitatem vitaret, simul & laudem Prædicator egregius ei admonendo, aliquid obtinuit, & aliquid tulit, concedendo enim leuia subtraxit seriora.* Cum vade difficile sit, vt humana mens omnem prauitatem deuitet, minus ergo nocumentum permisit magnus Doctor, vt maius auferret.

Aliquod leuius per mittendum, vt maius malum auferatur. Greg. Mag.

*Matth.*15. *num.*3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit:

*Num.*4. Honora patrem, & matrem. Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

VERSIONES.

Arabicus. Transgredimini mandata Dei propter statuta vestra.

Luc. Burgens. Per traditionem vestram.

Vatabl. Arias. Nam Deus præcepit.

*Syriacus n.*4. Honora patrem, & matrem tuam; & qui maledixerit patri suo, aut matri suæ.

Arabicus. Qui dicit verbum malum in patrem suum, vel matrem suam.

Hebraus. Moriendo morietur.

EXPOSITIO II.

47. Hugo.

NON respondet illis Dominus directè, sed quia illi interrogando criminanerant Discipulos, vt ait Hugo, ideo etiam illis inquisitiuam obiicit interrogationem, eósque tacitè fugillat, ostendens, ipsos potiùs esse arguendos, quam Discipulos, & quòd non oporteat manus corporis materiali aqua lauari, sed manus cordis eleemosynis. *Quare vos transgredimini mandatum Dei?* Eos primo confusos reddit, ac eorum temerariam audaciam reprimit, aperto documento ostendens, eorum traditiones esse malas, ac iniquas, Deique mandatis repugnantes: *propter traditionem vestram*: seu, vt alij legunt, *per traditionem vestram*; per idem est, ac propter. Et non dixit Christus, propter traditionem seniorum, vt ipsi fuerant locuti; sed *propter traditionem vestram*: quia illæ traditiones non erant diuinæ, nec patriarchales contentæ in libris Moysis, Psalmorum, Isaiæ, vel Ieremiæ, vel aliorum Prophetarum, sed paulo ante ab ipsis fuerant inuentæ, vt dixi q.2. Chrysostomus homil.52. ait: *Non dixit, seniorum traditionem, sed vestram: nec quia seniores, sed quia vos dicitis, vt minus molestus sermo videretur.* Non dixit seniorum, sed vestram, vt sermo non tam asper, sed minus exosus haberetur.

Cur dixit traditionem vestram.

D.Chrysost.

Nam Deus dixit, seu præcepit, vt alij legunt, *Honora patrem tuum, & matrem.* Hoc est, vt communiter explicant Patres Chrysost. Paschasius, Euthymius, S.Thomas, opem, beneficentiam, ac eleemosynam exhibe parenti tuo, si indigeat. Honor filiorum erga parentes tria continet, reuerentiam, obedientiam, & beneficentiam, vt explicauit Deuteron.5.n.16. Vnde illud Exod. 20. n.12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*: legi potest ex Hebræo, vt aduertit Oleaster: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Sicque explicat D. Hieronymus epist.12. ad Agruchiam. illud 1. ad Timoth.5. n. 5. *Viduas honora.* Et ibidem illud n. 17. *Presbyteri duplici honore digni habeantur.* Ait S. Hieronymus: *Honor in præsentiarum, vel pro eleemosynis, vel pro munere accipitur.* Vnde 1. Regum 6. n.3. *Nolite dimittere Arcam vacuam.* Eleganter explicat Carthusianus; *Nolite dimittere eam inhonoratam.* Ecce honor, quem lex iubebat parentibus indigentibus impendi, Iudæi autem per suas traditiones dicebant, vt huiusmodi dona, parentibus conferenda, in Templum ob suas commoditates asportarentur. Et sic per suas traditiones Dei præceptum violabant. De quo latiùs exposit. sequenti.

48. D.Chrysost. Paschas. Euthym. S. Thom.

Deuter 5. Exod.20. Oleaster.

D.Hieron. 1.Tim.5. D.Hieron. *Honor cum munere exhibeatur.* 1.Reg.6. Carthus.

Qui maledixerit patri, vel matri, id est, qui iniurioso verbo dehonestauerit parentes, *morte moriatur*; absque vlla spe veniæ morietur. Nec enim dignus est vita, qui eos iniuria afficit, à quibus vitam accepit. Leuit.20.n.9. Sensus est: Si is, qui maledico ore dedecorat patrem, vel matrem, per legem reus mortis efficitur, quantò magis erit morti addictus ille, qui eis malefecerit, eisque subripuerit sustentationem ex iure naturæ debitã: immò non solùm subripit, sed etiam è cathedra, vt magister, id alios docet, ad hócque exhortatur?

49. Leuit.20.

QVÆSTIO IX.

Quare Christus directè non respondit ad accusationem Pharisæorum, sed eis sua crimina obiicit?

VOLEBAT Dominus in præsenti, suos Discipulos defendere à Pharisæorum accusatione. Quorsum ergo ait: *Quare vos transgredimini mandatum Dei?* Hoc enim videtur, non planè respondere: nam accumulare inconuenientia, non est soluere inconueniens, criminaque obiicere, non est diluere culpas.

50. *Ratio dubitandi.*

Respondeo. Primò. Quòd humana malitia nulli euidentiæ, nullique rationi acquiescit: & ideò Christus Dominus primò Pharisæos, & Scribas confusos reddit, illisque sua crimina, obiicit, cum ob hominum traditiones mandata Dei transgrediantur; & postea 2 n. 11. ostendit, quod in Discipulis suis, in hac manuum lotione prætermissa, nulla sit culpa: *Non quod intrat in os coinquinat hominem.*

51. *Ratio ad litteram.*

Secundò. D.Chrysostomus, Euthymius, Abulensis q.16. inquiunt, quod valde mirabiliter se Dominus

52. D.Chrysost. Euthym. Abulens.

Dominus in hoc negotio gessit: Nam, si directè respondere t; aut diceret, quod Apostoli non lauando manus bene faciebant, aut mal : si diceret, quod male; sine dubio suos Discipulos, ac se ipsum accusaret, & vanas Iudæorum traditiones videretur approbare. Si autem diceret, quod bene faciebant non lauando manus; sic vituperaret Iudæorum traditiones, ac sine necessitate in eorum inuidiam, ac maleuolentiam incurreret. Sic & Christus Dominus, eiectis vendentibus, & ementibus de templo, cùm ab eo quærerent Populi seniores, in qua potestate hæc facis: *Respondens Iesus dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam, qua potestate hæc facio* Matth. 21. n. 24. Posuit Dominus quæstionem: An Ioannis Baptismus esset è Cœlo, vel ab hominibus? Et cum Iudæi respondissent: *nescimus*: dixit eis Iesus: *Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.* Et ita hac quæstione ab impiorum lingua subtraxit materiam, impiorumque ora obturauit.

Matth. 21. Ab impijs detrahenti materia subtrahenda.

53. Tertiò. Idem Chrysostomus, S. Hieronymus, D. Thomas: *Dominus*, inquit, *non respondet excusando Discipulos: sed ostendit, quòd ipsi non sint digni, qui reprehendant eos.* Quia quando quis debet alium admonere, vel corrigere de aliquo defectu, debet prior illo consistere. Dicitur enim Matth. 7. n. 5. *Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo; & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui.* Et tamen Pharisæi in multò maiora crimina inciderant, legis sensum corrumpendo, ad quorum comparationem, non lauare manus, estò aliquis videretur esse defectus, minimum quid erat. Ideo qui tantis criminibus implicabantur, non licebat eis Domini Discipulos coarguere. Ac proinde eos exclusit Dominus tanquam non idoneos correctores.

Chrysost. Hieron. S. Thom.

Matth. 7.

54. Quartò. Carthusianus. Non ex impatientia, ait, sed ex zelo iustitiæ taliter Christus respondet, innocentes excusando, & inuidos, ac præuaricatores accusando, vt adimpleretur, quod per Isaiam dicitur c. 11. n. 44. *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in aquitate pro mansuetis terræ*, Psal. 71. n. 4. *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Ecce Dei iudicium, pauperum, & mansuetorum causam suscipere; calumniatores, & superbos humiliare: è contra vero mundani faciunt; hos exaltant, illos opprimunt.

Carthus.

Isaiæ 11. Psalm. 71.

Deus causam pauperū suscipit.

55. Quintò. Caietanus. *Clauum*, ait, *clauo retundit Dominus. Si Scriba interrogasset causam, respondisset ad causam; sed vbi non quærunt scire quare, sed criminantur, & inuehuntur in Magistrum innocentem; prætermissa causa, quare Discipuli non seruant illam traditionem, respondet directè ad criminationem, monstrando illis magnum ipsorum crimen in tanto studio circa traditiones seniorum.* Videbat Dominus Pharisæorum depraua tam mentem, quod valdè probi, & inculpabiles à se ipsis existimati illud dicebant, non vt scirent causam, quare Discipuli sine manuum lotione manducabant, sed vt Discipulos arguerent. Ideo Dominus illis eorum crimina obiicit, vt earum præsumptionem humiliet, ac prosternat, vtque ex obseruanda traditione, de qua multum gloriabantur, ipsi videant, quantum malum contraxerint; cùm ob illam Dei legem violauerint.

Caietan.

Arguentes arguuntur.

56. Sextò. Scribæ, & Pharisæi Domini Discipulos accusabant, quòd manducantes panem manus non lauabant, vt sic Discipulos culpa infectos dicerent, & publicarent. Christus Dominus autem Pharisæis, & Scribis obiicit sua peccata. Accusatio, quam iniquus tetendit in iustos, in ipsummet peccatorem retrocedet. Vnde eleganter Seneca l. 2. de iniuria non cadente in sapientem, ait. *Tam citra sapientem omnes terrenorum impetus deficient, quam qua neruo, tormentisve in altum exprimuntur; cum extra visum exilierunt, citra Cœlum tamen flectuntur.* Sagittæ missæ in Cœlum, in ipsum sagittarium redeunt. Sic & mala vibrata in iustos, in tendentem reflectuntur.

Mala parata in iustos, in machinantes reflectuntur. Seneca.

57. Flagellato Iesu, instabant Iudæi, vt ipse crucifigeretur. Tunc ait Ioannes 19. n. 8. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.* Christus Iesus tanquam reus astabat; & tamen intrepidus, ac valde quieto animò consistebat. Et contra vero Iudex pro tribunali sedebat; & tamen multo tremore, ac timore cruciabatur. Quid times, Iudex? Videbat Christi innocentiam, ac pro inde cohorrebat pœnam, quam in immerentem inferebat, vt in semetipsum retorquendam. Sciebat enim, mala in innocentem illata, in inferentes reuerbari. Pulchrè D. Athanasius in Euang. de Passione. *Timuit igitur iudex*, ait, *rem suam, & magis quam ipse reus videbatur condemnari, metumque in se hominis condemnari sensit, atque ipsemet suum in Christum, quasi in se latam sententiam cohorruit.*

Ioan. 19.

Mala illicita in iustum, in inferentes reuerberantur.

D. Athan.

Tradidit Dominum Iesum ad mortem perfidus Iudas. Videns nefas grande, quod ipse fecerat, abiit ad principes Sacerdotum; *Proiectis argenteis in templo, abiens laqueo se suspendit*, Matth. 27. num. 5. Quomodo sic præceps ruit in mortem, ac furcam? Nonne paulo ante Iudæorum turbæ ipse dicebat: *Circumueniamus iustum, mittamus lignum in panem eius*, Ierem. 11. n. 19. Hoc est, loco panis pascamus eum ligno, seu Cruce. Vnde Arabicus legit: *Corrumpamus per trabem carnem eius.* Sic exponunt D. Hieron. & Theodoretus hic, Tertullianus lib. de contra Iudæos, c. 10. D. Cyprian. lib. 2. contra Iudæos c. 15. D. Iustin. contra Thriphon. Quomodo ergo, qui mortem machinabatur iusto, lignumque, seu trabem in eum mittere parabat, iusto parcit dicens: *Peccaui iusti sanguinem tradens*: & ad patibulum, ac furcam currit; Cur potius ad eius pietatem non confugis, cuius benignitatem toties eras expertus? Optimè sanè consequens erat, vt lignum, quod Proditor mittebat in Iustum, in ipsummet Proditorem retrocederet, ab illoque suspensus premeretur. D. Leo serm. 3. de Passione, cap. 3. *Cur*, ait, *de eius bonitate diffidis, qui te à corporis & sanguinis sui communione non repulit? Qui tibi ad comprehendendum se, cum turbis, & armatorum cohorte venienti, pacis osculum non negauit; Sed homo inconuertibilis, cordis sui secutus est rabiem, & stante diabolo à dextris eius, iniquitatem, quam in Sanctorum omnium caput armauerat, in tuum verticem retorsisti, vt te puniret tua pœna carnificem.* Quid elegantius? expende verba: *In tuum verticem retorsisti.*

58.

Matth. 27.

Ierem. 11. Arabicus.

Hieron. Theodor. Tertull. D. Cyprian. D. Iustin.

Recidunt mala in Proditorē.

D. Leo.

Matth. 15. num. 5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, munus, quodcumque est ex me, tibi proderit.

Num. 6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam,

suam. Et irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

VERSIONES.

Syriacus. Vos autem dicitis: Quiſquis dixerit patri, aut matri: Oblatio mea eſt id, quod tibi proderit ex me.

Vatablus. Quicumque dixerit patri, aut matri: Dono, quodcumque à me proficiſcitur, tu iuuaberis.

Theophylact. Dixerit patri, vel matri: Quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum vertetum commodum.

Euthymius. Munus quodcumque ex me in tuum vertetur commodum.

Syriac. n. 6. Et abrogaſtis ſermonem Dei.

Pagninus. Irritum feciſtis præceptum Dei.

ALTER TEXTVS.

Marci 7. n. 11. Vos autem dicitis: Si dixeris homo patri, aut matri: Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.

Num. 12. Et vltra non dimittitis eum quidquam facere patri ſuo aut matri.

Num. 13. Reſcindentes verbum Dei, per traditionem veſtram quam tradidiſtis, & ſimilia huiuſmodi multa facitis.

EXPOSITIO III.

59. *Vt dixerit patri, vel matri.* Locus multum difficilis, multis auctorum expoſitionibus plenus, quorũ placita ſatis ad longum referunt Maldonatus, Barrad. & alij. Senſus litteralis eſt, iuxta Rabbanum, D. Thomam, Gloſſam Ordinariam, Abulenſem, Lyranum, Ianſenium, Maldonatum, Barradas, Cornelium, & alios. *Quicumque dixerit patri, vel matri: Munus, quodcumque eſt ex me, tibi proderit.* Subintelligendum, benefacit, benedicit. Ac ſi diceret filius: *Munus quodcumque eſt ex me*, id eſt, quodlibet munus, quod ego obtulero, vel promiſero: hoc tam mihi quam tibi Pater, vo Mater, in animo, & corpore, hoc eſt ſpiritualiter, & temporaliter *proderit*; ratione enim huius muneris Deus vicißim ſua dona mihi, & tibi concedet. Hanc doctrinam dabant populo Sacerdotes, è quibus multi Phariſæi, & Scribæ erant.

Maldonat. Barradas. Rabbanus. D. Thomas. Gloſſa. Ordinar. Abulenſis. Lyranus. Ianſenius. Maldonat. Barradas. Cornelius.

60. Albert. Mag. Caſus traditionis erat, vt ait Albertus Magn. Quis vouit oblationem Deo, cùm eius parentes extrema neceſſitate laborarent, non valens omnibus ſatisfacere: dicebant Sacerdotes, quod relictis parentibus in egeſtate, debebat adimplere votum. Hoc docebant Sacerdotes, non propter amorem cultus Dei, ſed vt ſuæ auaritiæ conſulerent, quia partem habebant in Sacrificiis. In quo apertè ipſi Sacerdotes errabant: vinculum enim, ac ius pietatis, quo filij egentes parentes alere tenentur, ex Lege naturæ eſt, cui proinde omne votum, omniſque oblatio, omnequè aliud vinculum, iure diuino, vel humano inductum, cedere debet. Sic Prouerb. 28. n. 24. dicitur: *Qui ſubtrahit aliquid à patre, & matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps eſt homicidæ.* Quod de filiis negantibus alimenta parentibus inidigentibus interpretantur Lyranus, Hugo, Dionyſius, & alij; ſicque docet D. Thomas hic, quod ob extremam parentum inopiam filius à Religione egredi tenetur. Et ſic D. Auguſtinus, teſte Poſſidonio in eius vita c. 24. hæreditates ſuæ Eccleſiæ oblatas recuſauit, vt eas parentibus, ac affinibus egentibus diſtribuerent.

Prouerb. 28. Lyranus. Hugo. Dionyſius. D. Thomas. D. Auguſt.

61. D. Marcus. Ioſephus. D. Marcus poſuit: *Corban (quod eſt donum:)* Euangeliſta retinuit Hebraicam vocem, qua frequenter vtebantur Iudæi pro forma, ſiue voti, ſiue iuramenti. Ioſephus l. 4. Antiquit. c. 4. refert, quoſdam eorum, qui ſe Dei miniſterio ſponte deuouerunt, ſolere nominare ſe ipſos Corban, id eſt Dei donum. Et lib. 1. contra Appionem poſt medium, teſtatur; Iuſiurandum, quod *Corban* appellatur. Vnde *Gazophylacium*, in quo reponebãtur oblationes populi, Metonymicè dicitur *Corban*, ſeu *Corbona* Matth. 27. n. 6. Parentibus ergo petentibus cibum: dicere Corban, erat eorum occludere ora, metũ iniiciendo, ne Deo ſuum Corban, ſeu ſacrificium, vel oblationem eriperent.

Matth. 27.

62. *Et non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam.* Et ſic hæc veſtra doctrina filius non obſeruabit mandatum Dei de honorandis patre, & matre; nam huiuſmodi præceptũ comprehendit omnem curationem, ac reuerentiam erga parentes. Et vos, vt ſcribit D. Marcus, *non dimittitis eum quidquam facere patri, aut matri.* Et ſic ob authoritatem conſeruandam traditionis veſtræ, *irritum feciſtis mandatum Dei.* Sic enim ex Græco legitur, *irritum feciſtis*, id eſt exauctoraſtis, ſeu antiquaſtis, ſeu abrogaſtis Dei mandatum.

D. Marcus. Græcus.

Matth. 15. n. 7. Hypocritæ benè prophetauit de vobis Iſaias dicens.

Num. 8. Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.

Num. 9. Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

VERSIONES.

Syriacus n. 7. Acceptores vultus benè vaticinatus eſt.

Arias. Pulchrè prophetauit.

Vatablus. Rectè de vobis prædixit.

Arabicus n. 8. Hic populus propinquus eſt mihi ore ſuo, & honorat

me

me labiis ſuis, & cor eius eſt diſtans à me.

Syriacus. Cor autem eorum valde elongatum eſt à me.

Septuaginta. Appropinquat mihi populus
Theophyl. hic ore ſuo & labiis me honorat, cor autem eorum procul abeſt à me.

Syriacus n. 9. Et fruſtra me reuerentur, quum doceant doctrinas quæ ſunt præcepta hominum.

Arabicus. Et colunt me fruſtra, & docent doctrinam mandatorum hominum.

ALTER TEXTUS.

Marc. 7. n. 6. At ille reſpondens dixit eis: Benè prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt à me.

Num. 7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum.

EXPOSITIO IV.

63. ORDINAT Dominus ſermonem ad Scribas, & Phariſæos redarguendos. *Hypocrita.* Sic eos appellat; & rationem ſubdit; quia aliud habebant in corde, & aliud in ore. Iniqui enim erãt, vt ait Abulenſis q. 27. & præuaricabant legem Dei per malas expoſitiones; & volebant ſe oſtendere ſanctos per quoſdam externas lotiones. *Bene prophetauit de vobis Iſaias.* Rabanus. *Præuidit, ait, Iſaias ſimulationem Iudæorum, quod in dolo pugnarent contra Euangelium, & ideo dixit eu ex perſona Domini.*

Abulenſ.

Rabanus.

64. *Populus hic.* Adducit Dominus locum Iſaiæ 29. num. 13. ponens ſenſum verborum Prophetæ. In quo denotat Dominus cauſam malitiæ, & cæcitatis Iudæorum. *Populus hic labiis me honorat.* Sed vt habent ſeptuaginta, *Appropinquat mihi ore & labiis me honorat.* Rectè D. Remigius. *Iudæorum namque populus labiis, & ore Deo appropinquare, & honorare videbatur; quia vnum Dei cultum ſe habere gloriabatur; ſed corde longe à Deo receſſit: quia viſis ſignis, atque miraculis, nec diuinitatem eius cognoſcere, nec ſuſcipere voluerunt.* Et præter hanc interpretationem ſancti Doctoris: *Longè eſt a me*: Sic explicabis. Cor eorum longè eſt à mea voluntate, à meis mandatis, quæ ſunt in veritate, & iuſtitia.

Iſaiæ 29.

Septuaginta D. Remig.

65. *Sine cauſa autem colunt me.* D. Marcus poſuit: *In vanum.* Syriacus, Arabicus legunt *fruſtra*; quam ipſi putant, taliter me colere, cùm reuera non colant; non enim ille eſt mei cultus, cum non mea mandata, ſed hominum traditiones ſeruent. Aliter explicant D. Thom. Abulenſis: *Sine cauſa*, hoc eſt ſine vtilitate ſeruitij, cùm ex hoc ſuo obſequio nullam conſecuturi ſint mercedem, nam fides ſine operibus mortua eſt. *Docentes doctrinas & hominum mandata*, quoad ſuas traditiones, vt rectè interpretantur Albertus Magnus, Carthuſianus, & alij.

D. Marcus. Syriacus. Arabicus.

D. Thom. Abulenſ.

Alber. Mag. Carthuſian.

QVÆSTIO X.

Quare Chriſtus tam rigidè hic increpat Phariſæos adducens Iſaiæ locum?

ACCESSERVNT Phariſæi Diſcipulos arguentes, quod non lotis manibus panem manducarent: ipſos autem Phariſæos Dominus hic grauiter increpat, hypocritas appellans; & ſtatim infrà cæcos, & duces cæcorum. *Caci ſunt, & duces cæcorum.* Cur in eos hìc inuehitur, cum tamen in ſua Paſſione cum tanta manſuetudine ſe præbuerit, vt dicat Iſaias 53. num. 7. *Quaſi agnus manſuetus coram tondente ſe obmutueſcet, & non aperiet os ſuum.* Cur ergo in Paſſione tam mitem; hic verò tam rigidum ſe exhibet?

66. *Ratio dubitandi.*

Iſaiæ 53.

In Paſſione opprobria, ac tormenta in ipſum inferebantur; in præſenti verò accuſatio, & calumnia in Apoſtolos tendebat, in ipſoſque dirigebatur. Hinc igitur in Paſſione tam mitis; hìc verò tam aſper: vt deprehendamus, quod ipſe facilius ſuam, quàm aliorum ferre poteſt iniuriam. *Baiulans ſibi Crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus,* Ioan. 19. n. 17. Meus Ieſus Crucem amplexatur, eamque humeris ſuis imponit, & exit in Caluariæ locum. In Cruce, veluti in compendio, continebantur omnes pœnalitates, tormenta, ac opprobria, & iniuriæ. Pulchrè D. Maximus homil. 1. de Cruce, & ſepultura. *Auferens, ait, Dominus per Crucem humani generis iniurias, omnes eas in ſua Paſſione cõſumpſit, vt vlterius non eſſet homini quod noceret. Grande ergo Crucis eſt ſacramentum.* Magnum Crucis eſt myſterium. Per Crucem à mundo ablegauit Dominus omnes iniurias, ac ignominias; eaſque in ſe aſſumpſit, & conſumpſit; volens in ſe magis pœnarum dõlores, quàm in nobis culpæ deformitates, ac turpitudines ſuſtinere. Vide, quæ dixi tom. 3. cap. 26. n. 23. 24. & 22.

67. *Facilius Dominus ſuam, quàm aliorũ ferre iniuriam.*

Ioan. 19.

D. Maxim.

Ad Phariſæos, ac Scribas arguendos adducit Dominus locum Iſaiæ. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Ex quo graviter Chriſtianos, qui prophano corde, & ore ſe habent in Dominum, adhortatur D. Ambroſius ſerm. 28. in Pſal. 118. *Chriſtiane*, ait, *non vereris quod de te dicatur*: Populus iſte me labus honorat: *Iudæus vel labiis; tu verò nec labiis; ſi illius, qui vel labiis honorat, cor longè eſt à Deo; quomodo poteſt cor tuum prope eſſe, qui etiam labiis non honoras?*

68. *Arguuntur Chriſtiani, qui Deum non laudãt.*

D. Ambro

Proponit Dominus locum Iſaiæ: *Populus hic labiis me honorat.* Scribæ, & Phariſæi acceſſerunt Diſcipulos accuſantes, quòd non lotis manibus manducarent. Cur ergo inde Dominus totam gentem arguit, & increpat *Populus hic.* Cur non ſolùm illos accuſatores, ſed etiam totum populũ arguit? Scribæ, & Phariſæi, veluti principes, ac maiores populi; indeque tota gens eorum vitio laborauit, eorumque malo infecta eſt; ſemperque inferiores maiorum exempla ſequuntur.

69. *Inferiores maiorum exempla ſequuntur.*

Eis obiicit Dominus: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Iudæorum, ac iniquorum vitium, quòd ſimulatam perſonam gerant,

70.

gerant, aliúdque in corde, & aliud in ore habeãt: quod est extremum malum, maximè à Deo execrabile. Obtulit Cain Deo munera sua de fructibus terræ. Tamen *ad Cain, & ad munera illius non respexit*, Gen. 4. n. 5. seu, vt habet Chaldaicus, *non suscepit*. Cur illa obsequia Deo non placent, à primò Orbis agricola exposita? Illa, quæ Deo præsentabantur, fructus terræ extabant, quos bonos esse diuina sententia approbauit. Gen. 1. n. 12. Cur ergo hi displicent, & à Deo non acceptantur? Cain ficto vultu, & aduerso animo sacrificauit; & externa munera, quæ ab interno corde discrepant, non grata consistunt, sed displicent. D. Basilius Seleucus orat. 4. *Infructuosus animus fructus apportat Deo*, ait. *carens anima, fructus offert Deo, & Caino pulchrè cum infructuosa anima conuenit, quare honor admitti à Deo non potest, differt sacrificium cum impietate coniunctum.*

Genes. 4. Chald.

Genes. 1.

Vultum discrepans à corde, displicet Deo. Basil. Sel.

Matth. 15. *num.* 10. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite.

Num. 11. Non, quod intrat in os, coinquinat hominẽ: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

VERSIONES.

Syriacus n. 10. Porrò conuocauit turbas.

Syriacus n. 11. Nihil est, quod intret per os, polluens hominem.

D. Hieronym. *D. Paschas.* Nihil, quod intrat in os, communicat.

Euthymius. *Theophyl.* Non, quod ingreditur in os, impurat hominẽ, sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominem.

Cassianus col. last. 21. c. 16. Sed quæ procedunt de ore, hæc coinquinãt hominem.

Alter Textus.

Marc. 7. *n.* 14. Et aduocans iterum turbam dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

Num. 15. Nihil est extra hominem, & introiẽs in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt, quæ communicant hominem.

EXPOSITIO V.

71. D. Thom.

VERA ostendit Dominus, vt aduertit D. Th. Pharisæos indignos esse, qui Apostolos calumniarentur, cũ ipsi Pharisæi maioribus essent criminibus infecti: nunc autem, vt ait Euthym. tãquam incurabiles relinquit eos, & ad turbas conuertit sermonem, ostendens, quomodo impleatur illud: *Abscondisti hæc à prudentibus, & sapientibus, & reuelasti ea paruulis*, Matth. 11. n. 25. Et quod etiam dicitur: *Abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius*, Prouerb. 3. n. 32. Conuocat etiam turbas, quia eis erat daturus doctrinam valde vtilem. Deinde, vt ait Abulensis q. 36. Hoc etiam facit ad maiorem cõfusionem Pharisæorum, vt coram toto populo erubescerent; inuerecundè enim volnerunt Christi Discipulos arguere; voluit ergo Christus eos confundere, vt viderent omnes eorum errores. Ait Christus: *Audite*, Alb. Magn. obediendo, *Intelligite* discernendo. *Audite, & intelligite.* Chrys. Theophylactus, Euthymius inquiunt: *Hoc ait bonorum illos, vt facilius suscipiatur, quod dicturus est.* Cum populum ad se aduocat, illique suam doctrinam committit, ei deferre honorem videtur, vt sic facilius ad se eum adducat.

Euthym.

Alb. Magn. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Non, quod intrat in os, coinquinat, seu, vt habet Græcus, *communicat*, seu communem facit hominem, hoc est, coinquinat. Immundi enim cibi communes erant omnibus, etiam immundis. E contra verò mundi solum mundis, ac purificatis erant reseruati. Vnde commune idem est, ac immundum. In hoc sensu in præsenti scribit Marcus c. 7. n. 2. *Communibus manibus*, id est sordidis manibus. Et Act. 10. n. 15. *Nunquam quid commune manducaui.* Ait ergo Christus: Non intrans in os contaminat hominem, siue hoc referatur ad cibos, qui comedebantur, vt volunt Chrysostom. Theophyl. siue ad sordes contractas ex manibus non lotis, vt tenent probabilius Euthym. S. Anastas. Synaita citandus. Subiungit enim Christus: *Illotus manibus manducare, non coinquinat hominem.* Prosequitur in textu: *Sed quod procedit ex ore*: & consequenter ex corde; quæ enim homo ex se profert, hæc coinquinant hominem.

72. Græcus.

Marc 7. Actor. 10.

Chrysost. Theophyl. Euthym. Anastas.

Nec dicat Caluinus: Quod intrat per os, non coinquinat hominem: Ergo licitum est homini, immoderatè comedere, & bibere; feria sexta vesci carnes; & ieiunia instituta ab Ecclesia irridenda sunt. Irridendus est maximè ipse fatuus Hæreticus. Nam Christus loquitur in præsenti de cibo, & potu, sua natura considerato: qui, cùm sit res corporea animum non tangit; & sic ipsum nõ inquinat; cibus enim, v. g. vt notant in præsenti D. Hieron. D. Paschas. Dei creatura est: *Omnis creatura Dei bona est*, 1. Tim. 4. n. 4. sic dicitur Gen. 1. n. 39. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* At verò, si cibus, & potus consideretur, vt immoderatus, & nocius naturæ; vel vt vetitus à superiore: tunc ad animum peruenit, ac quod intrat in os, hominem coinquinat, vt docet D. Anastas. Synaita in suis qq. q. 64. tunc enim inuoluit secum intemperantiam, ac inobedientiam, animum coinquinaturus. Et contra Hæreticos sic argumẽtor: Quod intrat per os, non coinquinat hominem: ergo poma illa, quæ in os Adami, & Euæ sunt accepta, & ingressa, eos non coinquinauerũt atqui nullus, nisi fatuus, hoc dicit: ergo sicut cibus ille, à Deo prohibitus primos parentes contaminauit; sic & cibus quilibet, vel a Deo, vel ab eius Vicario vetitus, hominem contaminat.

73. *Quomodo intelligitur contra Hæreticos, quod intrat per os.*

Hieron. Palchas. 1. Tim 4. Gen. 1.

Anastas.

Matth. 15. Tunc accedentes Discipuli eius dixerunt ei: Scio, quia Pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt?

Num. 13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur.

Num. 14. Sinite illos, cæci sunt, duces cæcorum: cæcus autem, si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.

VERSIONES.

Euthym. Theo phyl. n. 12. Nosti Pharisæos, audito sermone isto, offensos fuisse?

Syriac. n. 13. Quam plantauit Pater meus, qui in cælis est, euelletur.

Græcus, Syriacus, Arabic. Omittite illos, cæci sunt, duces cæcorum.

Vatablus. Porrò si cæco cæcus dux fuerit.

Arias. Cæcus autem cæcum per viam ducens.

EXPOSITIO VI.

74. Marc. 7.

VNC, quando scilicet dimissa turba, ingressus est domum, vt narrat Marc. 7. n. 17. *Accedêtes Discipuli eius*, veluti propè eum conuenientes, vt ei dicerent, quæ ipsi obseruarunt; & hæc non publicè, sed veluti è secreto volunt dicere, vt & sic nos instruamur, qualiter proximos debemus commonere. *Scis*, seu *Nosti*, hoc est scire debes, quod nos obseruauimus, audientes susurrationem, quam tu fortè non obseruasti. *Pharisæi*, accesserunt Scribæ, & Pharisæi interrogantes Dominum, & tamen non dicuntur scandalizati, seu offensi Scribæ, qui multum præsumebant de scientia legis; sed Pharisæi, qui maximè de Religionis obseruatione se iactabant; huiusmodi enim hypocritæ maximè populi reuerentiam ambiunt, vt qualibet re, quæ eos lædat, maximè offendantur. *Audito hoc sermone*, quo externæ lotiones contemnuntur, *scandalizati sunt*, seu offensi Pharisæi: omnem suam religionem, ac sanctitatem in externis manuum, ac cæterorum lotionibus ponebant; vnde audientes, eas à Christo confutari, maximè indignati, ac offensi sunt, cum ab illis exploderet sanctitatis nomen multum ab illis exoptatum.

Hypocrita facilè scandalizantur

75. Chrysost. Hilar. Euthym. Theophyl Augusti. Iansen. Athanas. Augusti. Hieron. Paschas. Beda. Glossa. D Thom. Caietan. Maldonat. Isai 5 Ier. 2. & 12. Amos 9. Ierem. 2.

Omnis plantatio. Nomine plantæ D. Chrysost. D. Hilarius, Euthymius, Theophylactus, & alij, doctrinam, ac traditiones Pharisæorum interpretantur. D. Augustinus l. 1. Quæstionum Euangelicarum c. 17. eorum cupiditatem dicit. Iansenius verò per plantas à Deo non plantatas intelligit reprobos. Aprius tamen ad rem præsentem D. Athanasius Epist. de Synod. Ariminensi, D. Augustinus citato loco, D. Hieron. D. Paschasius, Beda, Glossa, S. Thomas, Caietanus, Maldonatus, & alij communiter, per has plantas à Deo non plantatas exponunt ipsos Scribas, & Pharisæos, ac homines praua doctrina, malisque moribus affectos. Nomine plantæ in Scriptura passim homines significantur. Isai. 5. n. 5. Ierem. 2. n. 21. & 12. n. 2. Amos 9. n. 15. Sensus ergo est: Omnes homines sunt plantæ, à Deo plantatæ in Paradiso, sed tam à serpentina inuidia, quam ab humana malitia vitiatæ, ac venenatæ. Ierem. 2. n. 21. *Ego te plantaui, vineam electam, omne semen verum: quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena?* Replangantur autem ipsi homines à Deo per fidem, & gratiam in Christo, qui est arbor vitæ? vocanturque *germen plantationis meæ*, Isai. 60. num. 21. tùncque germinant meritorios virtutum, ac vitæ æternæ fructus. Aliter manent homines, vt ipsi Pharisæi, tanquam arbores corruptæ, ac deprauatæ, aptæ vt in ignem mittantur, vt ipsis Iudæis comminabatur Ioannes, Matth. 3. num. 10.

Isai. 60.

Sinite illos, ait Dominus, inquit Origenes, quia Pharisæi non sunt plantatio Patris mei; malitia enim sua erant deprauati, ac incurabiles; ideo illis relictis, loquitur suis Discipulis, quòd non sint soliciti de offensione, eradicatione, ac perpetuo exitio Pharisæorum. *Cæci sunt*, cum splendidum lumen meæ doctrinæ, fidei, ac veritatis non videant, ac percipiant, *& duces cæcorum*, seu, vt alij Codices legunt, *cæci, duces cæcorum*; his autem, qui meam doctrinam non capiunt, duces esse volunt Pharisæi, illósque multis erroribus, ac falsis doctrinis, deprauatísque traditionibus: verbi gratia, de manuum lotione, instruentes, *Ambo in foueam cadunt*. Vt inde appareat miser status illius populi, qui tales nactus erat rectores, & duces, vt simul cum illis in extremam perniciem rueret populus.

Matth. 3. 76. Orig.

Alij Codices.

QVÆSTIO XI.

Quare Christus, qui docebat tollere scandala, non curauit hic de scandalo Pharisæorum?

AVDIENTES Pharisæi Christi doctrinam, qui dicebat: *Quod intrat per os, non coinquinat hominem*, scandalizati, ac offensi sunt de eo tanquam euertente Moysis legam, quæ aliqua cibaria prohibebat: non tamen ei respondent, vt obseruauit Chrysost. homil. 52. vtpote ab eo vehementer refutati, ac reiecti; & ideo cum silentio recesserunt, nec ausi sunt eum accusare, vt aliqui dicunt apud Abulensem q. 43. Quia Pharisæi non habebant pro se fauorem populi, qui totus erat propensus in Christum; ad eum enim veniebant omnes de regione Genezareth, afferentes infirmos, qui tangentes Christum, sanabantur. Supra Matth. 14. n. 36. Respondet aptius ipse Abulensis. Quod Pharisæi Christum non accusarunt, quia videbant quòd Christus nihil locutus fuisset contra legem, quam ipse obseruabat, cauens cibis, quos illa mundos vocabat, sed potius zelabat pro lege dicens: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras?* Solum enim sinistra Pharisæorum dogmata, quæ ab ipsis fuerant inuenta, Dominus refutabat.

77. Chrysost. *Populus aduersus Principis animum frangit.* Matth. 14. Abulens.

Præsens quæstio inquirit, quod, cum Christus Dominus doceret, multa toleranda esse propter vitandum scandalum, quando enim tributum petebatur, quod didrachma dicebant, ostendit Dominus, quod ipse erat liber; tamen ait Petro: *Vt non scandalizemus eos, vade ad mare.* Matth. 17. num. 26. Quomodo ergo Christus videns, quòd Pharisæi ex eius doctrina scandalizabantur, ipse eorum scandalum contemnit, dicens: *Sinite eos*, &c. vt explicani in expositione, & à sua prædicatione non cessat, sed magis prosequendo instat?

78. *Ratio difficultatis.* Matth. 17.

Respondet. Primò D. Paschas. lib. 7. in Matth. *Saluator præcipit, doctores pessimos suo arbitrio dimitti, eo quod tales difficiliter possint corrigi, & à sensu prauitatis immutari.* Diuinus Magister Pharisæorum scandalum parui pendet. Et quamuis Apostolus dicat: *Insta opportune, importune*: tamen ad illorum prauos mores corrigendos non intendit; sed sinens illos, turbas ad se conuocat, sciens quàm

79. Paschas. *Doctor errans difficiliter emendatur.*

quàm difficile esse, errantem doctorem à sua malitia, ac peruersitate remoueri. Euthymius, *Sinite illos*, ait, *tanquam incurabiles. Ideò enim neque ipse curauit illorum offensionem, sciens, nihil illis profuturum esse quidquid diceret.*

Euthym.

80. Secundò D. Hieronymus, *Sinite illos*, ait, *hoc est, quod Apostolus præceperat*, ad Titum 3. num. 10. *Hæreticum hominem post vnam, vel alteram correptionem deuita; sciens, quod peruersus sit huiusmodi, & à semetipso damnatus.* Hæreticus vitandus est, quia cum erret in fide, eius conuersatio, valdè contagiosa, ac mala est. Tertiò Abulensis q. 47. Pharisæi Christi doctrinâ scandalizabantur; docet Christus, quòd de eorum scandalo non est curandum, quia cæci sunt; id est errant circa veritatem sacræ doctrinæ: ideò, vt tollatur eorum error, non obstante ipsorum scandalo, clamandum est contra eos.

80. Hieron. Tit. 3.

Abulens.

81. Quartò. Respondeo, quod Christus in præsenti contempsit scandalum Pharisæorum; & ipso non obstante, contra eorum doctrinam prædicauit: nam Pharisæi suâ malitiâ, & peruersâ obstinatione scandalizabantur, ac offendebantur, huiusmodi autem scandalum spernendum est, cùm sine causa sumatur. Theophylactus, *Omittite illos*, ait, *hinc discimus, quod offendi illos, qui sponte offenduntur, & incurabiles sunt, non est nobis damnandum.* Scandalizabantur Iudæi, quod Christus curaret Sabbatho, Ioan. 5. num. 10. Luc. 14. n. 1. Cur ergò ad euitandam materiam huiusmodi scandali nó anticipat, vel differt curationem in Sabbatho? Charitas nos docet, vt facilè cùm possimus, proximorum vitemus scandalum: ergò si tam facili negotio id præstare poterat cur hoc non exhibet? Sed parui pendens Pharisæorum scandalum in Sabbatho curat: Illud scandalum ex eorum depraua malitia tantùm prouenichat: nam hominem curare Sabbatho, & sicut & illi benefacere, apertè erat euidẽs, quod legi non repugnabat. Deinde ex tali curatione longè maius bonum, quam Pharisæorum scandalum resultabat, vt ipse Iesus verum se esse doctorẽ, ac promissum Sabbathi Dominum declaret: vnde ratione iam excellentioris boni, tali iniquorum, ac paruulorum offensioni minimè fuit attendendum.

81. Theophyl.

Scandalum, quod ex alterâ malitia fumitur, contemnendum.

Ioan. 5. Luc. 14.

82. Huiusmodi enim scandalum solum paruulorum est. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum* Psalm. 49. num. 20. Diuerso modo se exhibet in fratrem, ac in filium matris. Contra primum loquitur, contra secundum ponit scandalum. Quænam inter fratrem, & filium matris mediat differentia? Sub nomine fratris intelligitur vir perfectus; in virili ætate, ac mensurâ plenitudinis Christi. At filius matris, id est infantulus lactaneus ab vberibus matris pendens. Contra virum consummatum, qui in perfectione degit, loquitur; nullum enim ei nocumentum afferunt scandala, quæ facilè à se abiecit: ac depulit: hæc enim nocent tantum lactaneo infantulo, qui vires non habet, vt illa à se reiiciat. D. Augustinus ibi: *Detrahit fratri suo*, ait, *fortè bene docenti, & bene ambulanti: est alius infirmus, aduersus illum ponit scandalum, huic detrahendo: Infirmus ille, filius matris dictus est, nondum patris, adhuc lacte indigens, & vberibus adhærens.* Vir perfectè, ac bene ambulans contemnit scandala, quæ tantùm infirmum, ac imperfectum premunt.

82. Psalm. 49.

Vir consummatus scandalum à se depellit: alter imperfectus.

Augustin.

QVÆSTIO XII.

Quare Christus Dominus appellat Pharisæos cæcos, ducésque cæcorum?

83. DE Phárisæis dixerat Dominus suprà suis Discipulis: *Sinite illos*: quòd tanquam incurabiles, essent relinquendi; de eorúmque scandalo minimè curandum: nunc huius rei subdit rationem: *Cæci sunt, & duces cæcorum.* Cæci, ait D. Paschasius lib. 7. in Matth. *Cæci erant Pharisæi, quia lumen scientiarum Dei videre non poterant.* Peccator in caliginosa nocte versatur, procul à luce veritatis degens, quæ oculos eius illuminat in fide, córque eius calefacit in veritate.

83. Paschas.

84. Post peccatum primorum Parentum venit Dominus vocans, Adam vbi es? *Cúmque audissent vocem Domini Dei ambulantis ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius.* Genes. 3. num. 7. Cur notatur, quòd venerit Dominus ad Adam post meridiem, seu, vt legunt Septuaginta, *ad vesperam*; Moyses Barzesia, *vocem Dei gradientis inclinante die.* Ad quid tam accuratè huiusmodi tempus scribitur? Vt inclinato die miserrima Adami conditio innuatur: quòd totus erat conclusus sub vmbra, ac caligine peccati, vesperique frigus iam cor eius obtinuerat. D. Gregorius Magnus lib. 18. moralium cap. 2. *Quid est*, ait, *quod ad auram post meridiem? Nisi quod lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant: ad auram namque post meridiem Primus homo post culpam absconsus inuenitur, quia enim meridianum charitatis calorem perdiderat, iam sub peccati vmbra, quasi sub frigore aura torpebat.*

84. Genes. 3.

Septuag. Moyses Barzesia.

Peccator sub obscuritate, ac frigore.

Greg. Mag.

85. Non solùm Dominus Pharisæos cæcos dicit, sed etiam duces cæcorum. D. Paschasius citatus, *Duces cæcorum*, ait, *quia viam Dei alius non ostenderunt, sed propter traditiones hominum eos in foueam mortis demerserunt.* Ac si dicat Dominus: Non est de eorum offensione ac scandalo curandũ, quia nó solùm cæci sunt, vt veritaté non videant; trahunt sed etiam duces cæcorum, cum alios suâ doctrinâ, ac vitæ exemplo in præcipitium trahant: erant enim Pharisæi, ac Scribæ principes populi. Ioan. 7. num. 48. Egesippus lib. 2. cap. 2. de excidio vrbis Ierosolym. *Sicut bonus princeps*, ait, *vitæ probitatis quædam participatio est, & per vniuersos viuendi forma est; ità & Imperatoris collusio lex flagitiorum est.* Vide tom. 2. & 3. verbum *Exemplum.*

85. Paschas.

Principes suo exemplo alios ad peccandum.

Ioan 7.

Egesip.

86. Secundò. Euthymius, *Grande malum est*, ait, *alìquem esse cæcum: cum vero, qui cæcus, ducatum alteri cæco præstare, duplex certè malum est.* Mala peccatáque catenatim veniunt: non solùm in Pharisæis inerat malum, quòd essent cæci, sed aliud maius habebant, quòd aliis ducatum præstare volebant.

Tertiò Theophylact. *Præceptor autem illos*, ait, *dicit cæcos, eorúmque ducem, vt ab eis turbas abducat.* Tam apertè eos appellat cæcos, ducésque cæcorũ, vt ab eis turbas abducat, eásque ab illis separet: grãde enim bonũ alicui conceditur, cùm illi fouea, ac malum detegitur, vt ab illo declinet, & fugiat.

86. Euthym.

Peccatum vnum grauius aliud secum trahit.

Quartò. D. Augustinus tom. 9. lib. de Pastoribus, c. 10. *Non ait*, inquit, *cadit in foueam ducens, & non cadit sequens; sed cæcus cæcum ducens, ambo in foueam cadunt.* Tot mala inducit vna mala societas, cum malisque simul esse. Cognoscens Loth ab Angelis subuersionem Sodomæ, morabatur

D. Augustin.

verba faciens cum generis suis, vt eos saluos à periculis eriperet. *Iamque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge*, Genes. 19. n. 15. Septuaginta, *Urgebant Angeli*, Arias, *Vim faciebant Angeli.* Compellebant Angeli iustum, quia apud generos moras trahebat, vt eos ab incendio liberaret, & moratus apud illos in periculo versabatur. In hoc negotio charitatis officia exercebat Loth: quomodo ergo periclitabatur? Tam periculosè quis agit inter iniquos, vt etiam qui charitatis munus videtur exercere, si aliqualem morulam trahat, a discrimine, ac periculo non euadat immunis. D. Ambrosius l. 2. de Abraham, c. 6. *Adhuc morabatur Loth*, ait, *vt persuaderet generu suis, & penè non profectus, non enasisset, nisi vrgentibus Angelis egredi coactus esset.*

Genes. 19. Septuag. Arias.

Cum malis periclitatur iustus.

Ambros.

89. Matth. 27. Sacro Parasceue manè videns execrandus Iudas sui criminis turpitudinem, *abiens laqueo se suspendit*, Matth. 27. num. 5. Cur altâ diuinâ dispositione ordinatur, vt antequàm Christus vitam exhalet in Cruce, prius nefandus Proditor morte perimatur? Cur huius mors in aliud tempus non reseruatur, vt Resurrectionis trophæa videat, quibus & maximè crucietur? Pulchrè B. Isaias Abbas orat. 22. quæ nuncupatur de operibus hominis noui. *Nec Dominus Iesus*, ait *prius ascendit in Crucem, quàm Iudam expulisset è medio Discipulorum.* Quasi videbat Dominus suos Apostolos multùm periclitari, si inter eos Iudas associatus adesset; ideò non priùs Dominus Crucem ascendit, quàm Proditor è vita discedat, ac in barathrum detrudatur. Vide hoc tom. 1. 2. & 3. verbum *Societas.*

Isaias Abb.

Cum Iuda videbantur Apostoli velut in periculo.

Matth. 15. *num.* 15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

Num. 16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis?

Num. 17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur?

VERSIONES.

Syriac. n. 15. Domine mi interpretare nobis parabolam hanc.

Arias. Explica nobis.

Euthym. Vatablus n. 16. Adhuc vos intelligentiâ caretis.

Chrysostomus homil. 52. Adhuc vos amentes estis.

Syriac. n. 17. Nostis ne, id, quod intrat per os, in ventrem abire, & inde per expurgationem eiici foras?

Theophylact. Quod ingreditur in os, in aluum abit.

Alter Textus.

Marc. 7. n. 17. Et cum introiret in domum à turba, interrogabant eum Discipuli eius parabolam.

Num. 18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecùs introiens in hominem, non potest eum communicare;

Num. 19. Quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit; & in secessum exit, purgans omnes escas?

EXPOSITIO VII.

90. D Marcus. *Non coram omnibus interrogãdũ.* Chrysost. Theophyl.

VM semotus à turba introiisset Christus domum, vt narrat D. Marcus, hæc facta sunt: nec enim coram omnibus omnia interroganda. *Respondet Petrus*, vt ait D. Chrysostomus homil. 52. *Petri ardor silere non patitur.* Theophylactus existimat, quòd Petrus rectè intellexerit, quæ Christus dixerat, sed ignorantiam simulans quærit, quid significet illud: *Omne, quod intrat per os, non coinquinat.* Vnde ait D. Chrysostomus, quòd Petrus nutritus in lege videbatur zelare pro lege. D. Hieronymus, D. Paschasius, Euthymius, S. Thomas tenent, quòd Petrus non intellexerit sententiam Christi. Quod bene deducitur ex subiunctis verbis Domini: *Adhuc vos sine intellectu estis?* Et Petrus quærit omnium Apostolorum nomine; & ideò dixit: *Edissere nobis.* Magum Caput Ecclesiæ Petrus, non pro se, sed pro omnibus quærit.

Chrysost. Hieron. Paschas. Euthym. D. Thom.

91. D Marcus. Euthym. *Si adsit, qui incipiat, nõ deerit, qui sequatur.*

D. Marcus scribit, quòd omnes Apostoli interrogauerunt. Vnde ait Euthym. quòd Petrus inchoauit, alij sunt prosecuti. Si adsit, qui magna incipiat, non deerunt, qui & sequantur. Interrogant Apostoli, quia sententiam Christi non intelligebant, vnde & eam parabolam dicunt; nam quamuis illius sensus esset clarus, tamen ipsi existimabant, quòd aliud voluerit significare, quàm verba præ se ferebant. Vnde Syriacus legit, *Interpretare nobis.* Arias, *Explica nobis.*

92. Syriacus. Arias.

At ille dixit: Adhuc vos. Tanquam si diceret: Quamuis vos meæ doctrinæ sitis assueti, *Adhuc & vos sine intellectu estis*; expertes estis intelligentiæ. Sæpè enim Christus docuerat, præsertim, c. 5. 6. & 7. in quibus rebus consisteret hominis puritas, & impuritas; ideircò hîc arguit suorum Discipulorum tarditatem, eósque vt omnium Magister docet, & instruit.

93. Abulensis. Syriacus.

Non intelligitis, quæ à me dicta sunt, & superiùs audistis, *quòd omne, quod in os intrat, in ventrem vadit*, id est in stomachum vadit, *& in secessum emittitur.* Abulensis in Matth. 15. p. 47. existimat, secessum significare posteriorem viam à natura institutam ad emittendũ. Tamen cùm Syriacus habeat, *Et inde per expurgationem eiici foras*; secessus hîc significat locum, in quo venter exoneratur, vt exponunt recentiores Barradas, Lucas Burgensis, Cornelius à Lapide; ac proinde ità à Græcis vocatur à seorsum sedendo. Sicut à Latinis latrina à lauando, seu latendo. D. Marcus ait, *purgans omnes escas*, nempe exitu suo puras relinquens. Dicitur autem id, quod in latrinam eiicitur, purgare omnes cibos, quia ipsum est cibi fæx, & purgamẽtũ.

Barradas. Burgens. Cornelius.

94. Porphyrius, & Iulianus Apostata calumniantur Christum, tanquàm Philosophiæ ignarum, eo quod non omnis cibus, qui in os intrat, in secessum emittatur, sed pars eius melior in comedentis substantiam vertitur, vt eum alat, & augeat. Rectè

D. Hiero

Hieron. D.Thom. Hieron.

D.Hieronymus ait: *Hi, dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam.* Nam, vt aduertit D. Thomas, & etiam notauit D. Hieronymus Epist. Beatitudinis, *Omne* non semper ponitur pro vniuersitate, sed pro parte aliqua, vt est valde frequens in Scriptura. Tunc ergo argumentatur Christus contra errorem Iudæorum, qui dicebant, quod cibus coinquinabat animam. Ait enim Christus, quod cibus non potest animam coinquinare, nam præterquam quod corporalia non agant in spiritualia, omnis cibus per stomachum vadit in ventrem; & quanquam aliqua pars modica, & purior remaneat ad substantiam alitis; tamen maior pars, & quidquid est sordidum, & immundum expellitur: Cum ergo illud foras eiiciatur, animam non valet coinquinare.

*Matth.*15. *num.*17. Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.

*Num.*19. De corde autem exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

*Num.*20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominẽ.

VERSIONES.

*Syriacus n.*18. Id autem, quod ab ore procedit, à corde manat.

*Vatabl. Theophyl. n.*19. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, conuicia.

Græcus. Exeunt cogitationes malæ, inuidiæ, adulteria.

*Euthym. n.*20. Hæc sunt, quæ impurum reddunt hominem; illotis autem manibus comedere, non impurum reddit hominem.

Altera Textus.

*Marci 7. n.*20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa commaculant hominem.

*Num.*21. Ab intus enim de corde hominũ malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

*Num.*23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & commaculant hominem.

EXPOSITIO VIII.

95. VÆ *autem procedunt de ore*, Notanda est paronomasia, & antithesis vocum: ait enim, non quod ingreditur in os, sed quod egreditur. *De corde exeunt*, declarat, vt aduertit Caietanus, quo sensu dixisset. Quod procedit ex ore, ne quis de sputo, vel vomitu acciperet; ait enim: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt.* De corde, hoc est, vt explicat Carthusianus, de intellectu, & voluntate. Corde enim maxime ad suas operationes anima vtitur, ipsum enim subministrat spiritales, ac animales intellectus necessarios ad intelligendum, & voluntati ad amandum. Aristoteles voluit, sensum communem radicem habere in corde. Probabilius tamen Hippocrates, Galenus, & alij cum Suario lib. 2. de Anima c. 11. num. 5. eum constituunt in capite. Cor tamen spiritus submittit capiti ad suas functiones. Et ideo communiter vsus obtinuit, vt cor pro anima, ac proprijs illius functionibus, intellectu, scilicet, ac voluntate accipiatur.

Carthus. Aristoteles. Hippocrat. Galenus. Suarius.

96. *De corde enim.* Declarat radicem mali, scilicet cor, vt scilicet super illud maxime vigilemus. *Omni custodia serua cor tuum*, Prouerb. 4. n.23. *Cogitationes malæ*, cuiuscumque scilicet generis peccatorũ; non quæ nascuntur, nobis insciis, & inuitis, sed quæ fiunt nobis aduertentibus, & consentientibus. *Homicidia furta.* Et numerat septem species peccatorum, quæ, vt ait Hugo, sunt septem panes diaboli. *Homicidia*, aliqui Græci legunt. *Inuidiæ*; Inuidia enim frequenter homicidium causat. *Blasphemiæ*, siue in Deum, siue in hominem; nam verba, quibus aliena fama læditur, blasphemiæ dicuntur Græcis, à lædenda fama, & opinione. Variæ peccatorum species exprimuntur à D. Marco, inter quæ dicitur: *Oculus malus.* Hebraica phrasis inuidiam significat. *Non recto oculo Saul aspiciebat Dauid*, 1. Regum, 8. n.9. *Nequam est oculus liuidi*, Ecclesiasti. 14. n.8. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. n.15.

Prouerb. 4. Hugo. *Inuidiæ homicidia generat.* 1. Reg. 18. Eccles. 14. Matth. 20.

97. *Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Proponit Saluator conclusionem, ac scopum totius parabolæ, ac doctrinæ, qua declarabat, quod non manus illotæ, vel cibi, secundum se, contaminabant hominem, sed solùm ea, quæ ab impura, ac immunda voluntate prodibant.

QVÆSTIO XIII.

Quare Christus Dominus vitia ista nominauerit?

98. AD quæstionem respondet Glossa quædam, quòd per illa vitia nominata recensentur peccata, quæ sunt contra Decalogum: nullum est enim peccatum, quod ad peccatum contra Decalogum non reducatur. In Decalogo autem septem sunt præcepta ad proximum, & sunt peccata hîc nominata. Adulteria enim, & fornicationes contra illud: Non mœchaberis: non concupisces vxorem alienam. Homicidia, contra illud: non occides. Furta, contra illud: non furtum facies; & etiam contra præceptum de parentibus honorandis: nam qui parentes non honorat, iuri naturæ defraudat. Falsa testimonia, contra illud: Non falsa testimonia dices. Blasphe-

Glossa quædam. *Primò nominantur à Christo, quæ commodo homini aduersantur.*

miæ ponuntur contraria præcepta, quæ sunt ad Deum in prima tabula. Nec obstat, quod Christus in vltimo loco hæc nominauerit, quia præ sua nimia charitate in homines, quæ hominum commodo aduersabantur, primò recensuit.

99. Carthus. Secundò respondent alij. Quòd Christus hæc septem peccata expresserit, quia ad illa, omnia reducuntur, v.g. ad fornicationem omnis coitus, & vsus membrorum illicitus, vt vult Carthusianus; & ideo pluraliter fornicationes; nam si de sola simplici esset sermo, sat erat dicere in singulari fornicatio.

100. Abulens. Tertiò respondendum est cum Abulensi q.54. Quòd Christus in præsenti intendebat ostendere, quòd nihil intrans in os coinquinabit hominem, sed vitia, quæ à corde exeunt: & quamuis ad hoc sat esset dicere: Cogitationes malæ: ad hoc explicandum posuit multas species peccatorum, quarum aliquas scribit D. Matthæus, & plures refert D. Marcus; & quia valde longum esset recensere omnia vitia, in exemplum adduxit aliqua, & ea, quæ sunt communiora.

101. Quartò. Christus apposuit hæc peccata, cæteta sub illis intelligens: qui enim vno peccato coinquinatur, cæteris etiam implicatur, & qui ostium aperit vni diabolo, reliquos in se admittit. *Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos?* Marci 1. n.23. Immundus spiritus, qui expellebatur ab homine, vnus erat; & tamen tanquam de pluribus querimoniam ponit erga Iesum: cùm enim vnus spiritus immundus superabatur, cæteri prostrati videbantur, nõ enim regnat vna immunditia, nisi connexa cum aliis; & ideò vna expugnata, cæteræ abiiciũtur. D. Chrysostomus homil.5. *Quid dicit, ait, quid nobis, & tibi? vnum est, & de pluribus confitetur: In eo enim quod vincitur, intelligit, & suos secum esse superatos.*

Marc.1. *Cum vno peccato veniunt peccata multa.*

Chrysost.

Act.7. Act S. Stephanus Actor.7.n.41. *Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum. Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cæli.* Vnum vitulum fecit Israël; & inde ad adorandam omnem militiam cæli, nimirum Solem, Lunam, & stellas prolapsus est. Sic enim res se habet, vt vnum peccatum multa secum trahat; & ex vna iniquitate in multas prolabitur homo. D. Cyrillus Alexandrinus in cap.5. Amos. *Vide diuinum Stephanum*, inquit, *testimonium dixisse, eos fabricasse vitulum, & ad colendam militiam cæli conuersos esse.*

Cyrill. Alex.

CAPVT II.

Chananæa clamans.

*Matth.*15. Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis.
*num.*21.

VERSIONES.

Theophylact. Et digressus illinc Iesus.
Vatablus.

Syriacus. Venit in fines Izour.

D. Paschasius lib 7. in Matth. In partes Tyri, & Sidonis, quæ vrbes proximæ mari erant.

Alter Textus.

Marci 6.n.24. Et indè surgens abiit in fines Tyri, & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.

EXPOSITIO I.

1. POST narratam superiorem historiam, hanc de Chananæa scribunt duo Euangelistæ Matthæus, & Marcus. *Egressus inde*, à terra nempe Genesar, in qua superiora peracta sunt. D. Basil. Seleu. orat. 2c. *Egressus inde. Vnde? Vbi diuina mira perficit, calumnias patitur; vbi, dum morbos sanat, fert contumeliam; dum beneficentia vtitur, non creditur.* In Genesar multa miracula fuerat Dominus operatus. Matth.14. n.vlt. & tamen multa obduratione, ac ingratitudine persistit; ex quo promeruit, vt à Domino derelinqueretur. *In Partes Tyri, & Sidonis.* Duæ erant vrbes maritimæ Gentiliumvalde celebres in prouincia Phœnicia, vicinæ Galilææ versus Septentrionem, monti Libano propinquæ. Tyrus caput erat prouinciæ; & vt notat Abulensis q.55. multo præstantior Sidone ob multitudinem mercatorum, Ezech. 27. An in ipsam regionem fuerit Christus ingressus? dicam quæst. seq. in principio.

Basil. Sel.

Matth.14. *Ingratitudo excæcat beneficia.*

Abulens. Ezech 27.

2. D. Marcus habet: *Et ingressus domum.* Addit Syriacus, *quandam*, scilicet hospitium quoddam loci illis. *Et neminem voluit scire.* Syriacus. *Nolebat; vt quisquam ipsum sciret.* Voluit voluntate humana, vt nullus sciret eius aduentum: se enim in hospitium recepit, vt tantisper à prædicandi munere requiesceret. De quo q.2. *Et non potuit.* Quamuis enim more humano se occultaret, per ea quæ egit non potuit latere. Et non est sermo de potentia diuina absoluta; nam secundùm illam multi erant latendi modi; sed iuxta humanam dispositionem non valuit tunc latere: noluit enim Pater, vt omnino tunc Gentibus esset absconditus.

Marcus Syriacus.

QVÆSTIO I.

Quare Christus abiit in partes Tyri, & Sidonis.

3. IN limine huius quæstionis dubitari potest: An Christus Dominus ipsos Gentium fines fuisset ingressus? Negant D. Paschasius lib. 7. in Matth. & Maldonatus in præsenti. Dicunt enim, quod solum venit in fines Galilææ, vbi Tyrus, & Sidon sitæ erant. Ne Iudæis daret calumniandi occasionem, quòd ipsis derelictis, quibus erat promissus (inquit Paschasius) transibat ad gentes. Tamen, quod re vera venisset in partes Phœniciæ, vbi erant Tyrus, & Sidon, videntur docere D. Chrysostomus homil.43. Abulens. q.56. Et hoc apertè colligitur ex D. Marco. Non enim ait Euangelista, venit in fines Galilææ, sed ait: *Abiit in fines Tyri, & Sidonis; & ingressus*

Paschas. Maldonat.

Chrysost. Abulens.

greſſus domum quandam, quæ ſcilicet erat ad ipſos fines. Et poſtea eod.cap.7.n.32. vt habet noſtra Vulgata, *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ.* Ad fundamentum contrarium ſtatim parebit ſolutio.

4. *Ratio difficultatis.* Matth.10.

Præſens quæſtio inquirit: Quomodo Dominus abiit in ipſas Gentium partes: ipſe enim mandauit ſuis Apoſtolis: *In viam Gentium ne abieritis.* Matth.10.n.5. Quomodo ergo ipſe in has vrbes ingreditur, quas ſuis Apoſtolis prohibebat?

5. Chryſoſt. Abulenſ.

Reſpondet primò D.Chryſoſtomus homil.53. Abulenſis q.57. *Primum illud adducimus*, ait citatus Chryſoſtomus, *quia non tenebatur ipſe, quæ Diſcipulis, ſeruanda præcepit, omnino conſeruare.* Ipſe enim non arctabatur ſuis legibus, non enim illis erat inferior, ſicut & Diſcipuli eius ſubiiciebantur.

6. Euthym. Theophyl

Secundò Euthymius, Theophylactus. Chriſtus in præſenti nihil agit contra ſuum mandatum: nam illud datum præceptum erat de miſſione facta ad prædicandum, vt patet ex cit. Matthæi loco; at verò ad comedendum non erat illicitum, gentilium ciuitates ingredi; hàcque de cauſa aliquando miſit Chriſtus ſuos Diſcipulos ad quendam Gentilium, & Samaritanorum locum ad parandos ibi cibos. Luc. 9. num. 52. Deinde citatum præceptum intelligendum erat de prædicatione publica; non verò de occulta: hic autem tranſit occultè, vt ait Marcus: *Ingreſſus domum, nemi nem voluit ſcire.* Si autem intenderet prædicare, omnibus ſe manifeſtaret. Vnde etiam nec curationem impenderet intendebat, niſi magna mulieris inſtantia facta. Sic ait Euthymius: *Non abiit prædicaturus, ſed vt paululum requieſceret.*

Luc.9.

Marcus.

Euthym.

7. Chryſoſt.

Tertiò. D. Chryſoſtomus citato loco: *Conſidera omni beneficio dignam mulierem fuiſſe; non enim auſa fuit in Iudæam abire, quando ſe ipſum indignam putabat: niſi enim in timore eam deterruiſſet, Ieruſalem profectò petiiſſet: quod partim ardore fidei ſuæ, partim, quæ terminos ſuos egreſſa fuerat, comprobatur.* Humilitas eximia mulieris ipſam detinebat, ne in ſanctam ciuitatem Ieruſalem ad Chriſtum quærendum veniret. tanta ergo ipſa humilitas Chriſtum attraxit; vt ad illos gentium terminos, non obſtante eius præcepto accederet, vt mulieri opitularetur, vt ſubueniret.

Humilitas attrahit ad ſe Chriſtum

8. *Iudæi beneficio indigni*

Quartò, & ad litteram. Videbat Dominus iram, & odium Phariſæorum, & quod beneficiis, nempe ſua doctrina, ac miraculis peiores fiebant: vt ergo hanc maleuolentiam declinaret, tranſit in Gentilium fines, quales erant Tyrij, vt illis ſuam doctrinam, ac miracula, quæ Iudæi contemnebant, impertiri inchoaret.

9. Hieron. Paſchaſ.

Quintò. D. Hieronymus, D. Paſchaſius, lib.7. in Matth. *Scribis*, inquit, *& Phariſæis calumniatoribus derelictis, tranſgreditur in partes Tyri, & Sidonis, vt Tyrios, Sidioneſque curaret.* Expende illud: Cum multis vitiis eſſent infecti, ob calumniationem tamen maxime merentur à Domino deſeri. Ad noſtrum intentum. Cùm Iudæi incredduli perſtitiſſent in ſua malitia, nollénteque recipere diuinam doctrinam, à Domino datam, de obſeruatione eſcarum, quæ eis erat conueniens, & neceſſaria; cúmque malitia ſua ſe indignos effeciſſent Phariſæi; ad fines Tyri, & Sidonis tranſit vt tanquam omnium bonorum auxiliator eis ſubueniat, gentes ad ſe aduocet, ac ducat. ipſe enim gratia ſua nos prævenit ad bonum opus noſtræ ſalutis, vt de fide eſt certum ex Conſil. Trident. ſeſſ. 6. can.3. de iuſtificatione. D. Bernardus Epiſtol.146. ad Burchardum Abbatem. *Tu ergo, frater, agnoſce te præuentum in benedictionibus dulcedinis, non à me, qui nihil ſum; ſed ab illo, qui me, vt de tua ſalute monerem, adſpirando præuenit.*

Bernard.

10. Pſalm.76.

Ait Regius Vates Pſal.76.num.11. *Nunc cœpi: hæc mutatio dextera Excelſi.* Agnoſcit, ſe incepiſſe tam in bonis operibus; hoc tamen fatetur, non à ſe, ſed gratia diuina manus prævenisſe. D. Hieronymus lib.2. aduerſ. Pelagian. cap. 7. *Iuſti vox eſt*, ait, *qui poſt medicationem ſomny, & conſcientiæ Cruces, ad extremum ait*: Nunc cœpi, *pœnitentiam agere (qui enim, vt debet, pœnitentiam agit, illico iuſtus efficitur) vel ſcientia limen intrare; & hæc ipſa de bonis ad meliora mutatio, non mearum virium, ſed dextera, & potentia Dei eſt.*

Hieron.

Datur eſt, quòd inciait in nobis opus bonũ.

11. Cant.2.

Dilectus meus mihi & ego illi. Cantic.2.num.16. Prius commemorat Dilectum ſibi adeſſe, quàm ſe ipſam ſuo Dilecto: imò fatetur ſui Dilecti gratia eſſe prævenientem, vt ipſa toto amore, ac affectu in eum feratur. D. Bernardus ſerm. 67. in Cantic. *Sponſa reſtitus*, ait, *locuta eſt, non prætendens meritum, ſed premittens beneficium, & ſe prævenientem Dilecti gratia confitens.*

Bernard.

QVÆSTIO II.

Quare Chriſtus voluerit, quòd nemo ſciret eius aduentum?

12. Marcus.

AIT D. Marcus in ſuo textu, quod Chriſtus D. ingreſſus domum, *neminem voluit ſcire, & non potuit latere*: circa quæ duo inquirenda ſunt. Primò: Quare *voluit neminem ſcire?* Secundò Quare *non potuit latere?*

13. Beda.

Ad Primum. Ait Beda, Dominum *præcepiſſe Diſcipuli ne cuiquam in Regione ignota, quis ipſe eſſet, aperirent.* De hoc tamen rationem inquirimus. Primò. Euthymius ait, quod illuc venit requieſcendi cauſa. Secundò. Theophyl. D. Paſchaſ. lib.7 in Matth. *Ne vllam Iudæis daret calumniandi occaſionem*, quod ſcilicet ipſe non eſſet Meſſias Iudæis promiſſus, ſiquidem illis relictis, tranſiret in partes Tyri, & Sidonis gentilium nempe ciuitates. Hæc eſt enim magnorũ virorum conſuetudo, calumniandi nimirum auſam amputare. Tertiò. Quia adhuc non erat prædicandi gentibus præſcriptum tempus. Rex enim in ſua occaſione, ac tempore operanda. Quartò. Cum Chriſti nomen iam totum orbem impleret, veniens in fines Tyri, & Sidonis voluit latere, vt gloriam, & honorem ab illis hominibus ei deferendum, fugeret. Vide multa tom.12.& 3. Verbo *Iactantia*,

Euthym. Theophyl. Paſchaſ.

Calumniãdi auſa amputanda.

Gloriam mundi fugienda.

14. Pſalm. 134

Secunda quæſtionis pars inquirit: Quomodo ait D.Macus: *Neminem voluit ſcire, & non potuit latere*: Nam velle, & non poſſe, non diuinæ majeſtatis, ſed humanæ infirmitatis. Scriptum eſt enim: *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in Cœlo, & in Terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Pſal.134.num.6. & Apoſtolus ait: *Voluntati eius quis reſtitit?* Rom.9.num.19.

15. Agatho. Damaſc.

Rectè reſpondent Agatho Papa in 6.Synodo. in Epiſt.ad Auguſtos; & D.Damaſcenus lib.3. de fide.cap.17. Voluit, latere, ſecundùm voluntatem humanam; nam ingreſſus domum, veluti occultans ſe, Diſcipulis præcepit, ſicut ait ſupraciatus Beda, vt ſilentium tenerent: attamen non potuit latere per hæc media; voluntas enim illa non fuit omnino abſoluta, & efficax. Voluntas efficax ſemper

Cathuſ. omnimodè impletur: per hanc enim certum eſt, quod poſſit latere, imò & ſe inuiſibilem reddere, vt ait Cathuſianus. Cùm ergo talis non eſſet hæc voluntas occultandi ſe, non potuit per illa media, quæ fuerant adhibita, omnino latere: nam quamuis Diſcipuli ſecretum tenerent, & ab eis non eſſet proditus Dominus; tamen ab aliis, qui vel erant in domo, vel qui eum ingredientem viderant, proditus eſt, & cœpit diuulgari, quòd in domo illa adeſſet, vt multi ad beneficia excipienda in domum illam confluerent. Ita Caietanus, Ianſenius, Barradas, & alij.

Caietan. Lanſenius. Barad.

16. D. Auguſt. Vnde ait D. Auguſtinus qu. 77. ex Nono Teſtamento: *Noluit ſe prodi, quod eſſet in domo; inquiri autem ſe non noluit: ſic factum eſt, vt cum Saluator à Diſcipulis proditus non eſſet, ab aliis tamen proditus eſt; & cœpit ſciri, quòd eſſet in domo vt intrarent ad illum, qui vellem conſequi beneficiũ.* Quamuis aliqua interponerentur impedimenta, ne Dominus manifeſtaretur; dum tamen ſui inquiſitionem non prohibet, ſed ſe inquiri permittit, abſque dubio ipſe Dominus erat inueniendus cùm ipſe alleueranter dicat: *Quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis*, Matth. 7. n. 7.

Dominus inuenitur à quærentibus.

S. Matth. 7.

17. D. Chryſol. Secundò. D. Petrus Chryſologus ſerm. 100. *Nunquid*, ait, *extollenda ita eſt mulieris fides, vt inclientur Domini poſſibilitas, & voluntas? Aut eſt tanta ſagacitas fidei, vt nolente Deo diuinum valeat inueſtigare ſecretum?* Tanquam ſi ſciſcitando dicat quod fidei perſpicacitas maximè ſit extollenda: nam quamuis Dominus in domo ſe vellet occultare, ac abſcondere; tamen tantum fuit mulieris fidei acumen, vt ipſum Dominum ibi abſconditum quæreret, ac introſpiceret. *Vt nolente Domino diuinum valeat inueſtigare ſecretum.* Quod de voluntate, non abſoluta, ſed inefficaci eſt intelligendum, vt modo ſuper explicaui.

Quãuis Deus ſe velit occultari, à vera fide inuenitur.

18. D. Paſchaſ. Rom. 9. Tertiò. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. *Neminem ſcire voluit, & non potuit latere. Quod nemo ſine admiratione poteſt legere:* Apoſtolus ait: *Voluntati eius quis reſiſtit?* Rom. 9. n. 19. *Succumbit ergo neceſſitati, quæ non eſt abſoluta voluntas. Et minorat dominantis arbitrium voluntas, quæ ſuſtinet aliquantarum difficultatum anguſtias.* Tam vehemens eſt affectè laboraatis ergo Deum neceſſitas, vt quamuis Deus ipſe ſe velit abſcondi, ab ipſâ tamen neceſſitate ita allicitus moueatur, vt minimè ob ſuam ingentem pietatem cohibere valeat quin illi opituletur, ac ſubueniat; ipſa enim anguſtiati indigentia diuinam ad ſe arrahit voluntatem, vt ex nolente, vt quodammodo ita dicam, ad volendum inclinet. *Succumbit ergo neceſſitati qui non eſt abſoluta voluntas, & minorat dominantis arbitrium.*

Neceſſitas Deum etiã nolentem quodammodo ad ſe inclinat.

16. Hugo. *Chriſti pietas.* Quartò. Cardinalis Hugo in cap. 7. Marci. *Non potuit latere*, ait, *de miſericordia. Sicut dicitur de homine largo, quod non poteſt comedere ſolus.* Voluit Dominus ſecundùm voluntatem humanam latere; ſed compulit eum ſua miſericordia, ne omnino lateret.

20. *Chriſti miſericordia non poteſt denegare ea, quæ ſunt noſtra ſaluti.* Quintò. Sic magis rem explico. *Voluit latere, & non potuit.* In eo enim, quod ſe manifeſtaret, ac declararet hominum ſalus, & remedium conſiſtebat: & cum ita ſe res haberet, ex miſericordia, ac bonitate ſua non poterat latere. Ipſe enim, cum ex ingenti pietate ſua noſtræ ſaluti ſit maximè affectuoſus, ea, quæ illius ſunt, non valet prætermittere, ac denegare.

31. Matth. 26. Suum Genitorem orabat Chriſtus in Horto dicens: *Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*, Matth. 16. n. 39. Et ſecundò orauit; *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire*, &c. n. 42. Et iterum *Orauit tertiò eundem ſermonem*, n. 44. Quomodo Chriſtus ſic loquitur: *Pater, ſi poſſibile eſt* Nunquid Deo aliquid eſt impoſſibile? Minimè ſane. Cur ergo huiuſmodi verbis ſic Patrem orat? Quamuis enim, abſolutè loquendo, illud eſſet poſſibile; tamen ex miſericordia, ac pietate videbatur quodammodo impoſſibile, vt Deus Pater de hominum remedio non ageret, mediante Filij ſui vingeniti paſſione, per quam decreuerat, vt ipſe Filius pro mundi ſalute moreretur. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. ad illa verba: *Sic non poteſt hic calix tranſire*: ſic ait, *Iſta impoſſibilitas Patris, & Filij non de impotentia venit, quia ſubeſt eis omne poſſe. Impoſſibilitas ergo iſta de iuſtitia venit, & bonitate Dei. Quia ſic eſt omnipotens, vt iuſtus ſit, ac bonus, & miſericors. Et ideo, quantum ad vtramque naturam ſpectat, impoſſibile erat, ne nos bonitate ſua, ſuaque iuſtitia, & miſericordia ſaluaret, quos creauerat.*

Impoſſibile eſt, vt Deus de hominum ſalute non agat.

D. Paſchaſ.

In primo Orbis molimine ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. 1. n. 26. Ad quid Deus ordinat, vt in homine inſculpta ſit ſua imago? Cur ad tantum honorem euehit hominem? Altiſſima fuit diuina ordinatio, vt ex imagine impreſſa in homine alliceretur, ac veluti pignoraretur Deus, vt imagini ſuæ propria viſcera non clauderet, illique quodammodo ex immenſa ſua pietate miſericordiam denegare non valeret, Drogo Hoſtienſis ſerm. de ſacramento Paſſionis, expendens illa verba ſancti Latronis: *Domine, memento mei.* Sic ait, *Imaginis tuæ, Deus, miſerere. Sed in quo agnoſcam, miſereri? In eo, quod imaginem meam in te video.* Maximè enim decet, vt ſimilis conſimili miſereatur.

22. Geneſ. 1.

Deus imaginem ſuã impreſſit homini, vt illi ſuam non deneget miſericordiam.

Drogo.

Matth. 15. *num.* 22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa, clamauit dicens ei: Miſerere mei, Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.

VERSIONES.

Vatablus. Mulier, quæ à finibus illis venerat, clamabat ad illũ: Miſerere mei, Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio.

Syriacus. Miſerere ſuper me, Domine mi.

Arabicus. Malum habet dæmonium.

Euthymius. Male à dæmonio torquetur.

Arias. Malè dæmonizatur.

Alter Textus.

Marc. 7. *n.* 25. Mulier enim ſtatim, vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.

Num. 26. Erat enim mulier gentilis, Syrophœniſſa genere: & rogabat eum, vt dæmonium eiiceret de filia eius.

EXPO

EXPOSITIO II.

23. Alb. Magn. *Fides dat animum.*

ECCE rem grandem denotat. Dispoſuerat enim Chriſtus Dominus latere. Marc.7.n.24. *Mulier.* Albertus Magnus, *ſexu fragilis, modo maſculinum ſibi ingerens animum*; tam à vera fide armata; quàm à ſua neceſſitate compulſa. *Chananæa*, genere nempe ex Chananæis. *A finibus illis*, à partibus illis, quas ſcilicet Ieſus fuerat ingreſſus. Albertus Magnus moraliter. A finibus illis, ſcilicet magnæ angustiæ, quam ſignificat Tyrus; & malæ venationis, quam dicit Sidon, vt interpretatur D.Antonius Vlyſſiponenſis ſerm.in fer.5.poſt.Dom.1. Quadrag. *Egreſſa*, corpore, & animo, vt ait Carthuſianus. Corpore, quoniam è domo ſua exiuit, vt quæreret Ieſum: animo, quoniam Chananæorum impietatem, ac incredulitatem deſeruit, credens in Chriſtum. Vnde ait D. Hieronymus: *Mulier autem Chananæa egreditur de finibus priſtinis, vt clamans filia impetret ſanitatem.* Nec enim quis valet animæ ſanitatem comparare, niſi prius à priſtinis vitiis, & occaſionibus exeat, nec enim aliter Chriſto valet appropinquare. Chryſoſtomus homil.52. *Terminos ſuos egreſſa adire ipſum auſa eſt.* Magnum huius mulieris ingenium notat Origenes hom. 7. ex diuerſis in Matth. *Vide prudentiam fœminæ: non iuit ad homines ſeductores, non quæſiuit inanes ligaturas, ſed omnes relinquens diabolos cultus, venit ad Dominum.* Omiſſis cæteris ad verum medium cucurrit.

Aut. Vlyſſip. Carthuſ. Hieron. Rect à peccatorum occaſionibus, vt Chriſto appropinquet. Chryſoſt. Origen.

24. Basil. Sel. Carthuſ. *Amor veritatem non penſat.*

Clamauit. Ipſa bene cognoſcens, ſui generis homines à Iudæis immundos reputari communiter, ad virum ſanctiſſimum non audebat accedere; clamátque propter ſuæ neceſſitatis magnitudinem. D. Baſilius Seleucus orat.20. *Verecundiam omnem calamitas excutit.* Carthuſianus, *Obtuſa eſt*, ait, *fœminea verecundia, clamans ſine rubore, nam exceſſiuus amor rationem non penſat.* Magnis vocibus dicebat mulier: *Miſerere mei, Domine.* Dominum appellat, in cuius ditione cuncta ſunt poſita; audierat enim Chananæa eius miraculorum famam, in quibus maximè reſplendebat eius pietas, & poteſtas; & vtramq; ſibi petit mulier. *Fili Dauid.* Gentilis fœmina fatetur, vt notat D.Paſchaſius lib.7. in Matth. Chriſtum Ieſum eſſe verum Meſſiam, & Seruatorem, à Deo Iudæis promiſſum. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Eleganter D. Chryſoſtomus homil.53. *Non auſa fuit ad Magiſtri, & Domini conſpectum dæmoniacam filiam adducere; ſed illa domi iacere dimiſſa, ſola ipſa ad ſupplicandum proficiſcitur: & morbi quidem genus exponit tantummodo, nec quicquam addit. Medicum autem, non domum ſuam, vt Regulus ille, ducere conatur, qui dicebat:* Veni impone manum tuam. Matth.9. n.18. *Sed calamitatibus ſuis expoſitis, & morbi magnitudine narratâ, miſericordiam à Domino poſtulabat vehementer.* Vulnus ſuum medico tantùm exponit, à quo filiæ ſanitatem obtinere valebat; modum beneficij non aſſignat, ſed totum pietati, miſericordiæ, ac prudentiæ Domini committit.

Paſchaſ. Chryſoſt. Matth.9. *Vulnus medico aperiendū, modúſque eius prudentiæ committendum.*

25. *Quomodo colligitur Matthæum, & Marcum.* Græcus. Syrus.

D. Marcus narrans hanc hiſtoriam, vt patet ex eius textu, ait, Mulierem Chananæam domum, in qua Chriſtus latebat; ingreſſam fuiſſe. *Intrauit, & procidit ad pedes eius.* D. Matthæus tamen in præſenti hanc hiſtoriam extra domũ contigiſſe ſcribit; mulierem enim poſt Chriſtum, & Diſcipulos clamaſſe, narrat. Reſpondeo & primò, quòd pro *intrauit*, in textu Marci, Græcus, & Syriacus habent, *venit*: quaſi quod mulier expectauerit, vt Chriſtus è domo exiret, vt ait Lucas Burgenſis. Burgenſ. Quia tamen noſtra Vulgata magnæ eſt auctoritatis, & habet *intrauit*, dicendum eſt cum Auguſtino lib.2. de conſenſu Euangel.c.49. Paſchaſio, Beda, Haymone, Abulenſi q.63. Mulierem primo introiſſe domum, in qua Chriſtus latebat, atque ad eius pedes prouolutum pro filiæ ſanitate rogaſſe, vt ſcribit D.Marcus. Tunc Chriſtus, nullo dato reſponſo, è domo exiit: mulier autem poſt eum per viam clamans, ipſum eſt ſecuta, vt ſcribit D. Matthæus. Et ità duo Euangeliſtæ optimè inter ſe concordant. D. Auguſt. D.Paſchaſ. Beda. Haymon. Abulenſ.

QVÆSTIO III.

Quare notatur ab Euangeliſta, quòd mulier hæc eſſet Chananæa? An reuera talis eſſet ex genere?

MVLIER hæc dicitur Chananæa, non ex Cana Galilææ, vbi Chriſtus aquam mutauit in vinum, vt vult Adrichomius in deſcriptione Tribus Aſer n.31. Sed dicendum eſt cum D. Chryſoſtomo homil.53. D. Baſilio Seleuco orat.20. Abulenſi q.59. D. Thoma, Carthuſiano, & aliis, ſic dictam, quia originem trahebat ex Chananæis, poſteris Chanaan, filij Noë. Chananæus vnus fuit ex ſeptem populis, qui Palæſtinam iuxta mare habitauit. Num.13.n.30. ab Hebræis, duce Ioſue, expulſus fuit ex terra, non ex tota, ſed ex aliqua parte; aliqui enim remanſerunt in Phœnicia Prouincia, Tyro ſcilicet, & Sydone, quam nunquam Hebræi debellare valuerunt. Cham primogenitus Chanaan vocatus eſt Sydon. Geneſ.10.n.15. Ipſe enim Sydonis vrbis conditor extitit; ſicque Sydonij inter Chananæos numerantur. Iud.1. n.31. 26. Adrichom. Chryſoſt. Baſil. Sel. Abulenſ. D Thom. Carthuſ. Num.13. Geneſ. 10. Iud.1.

27. Ioſue 5. Septuag. Syriac. Arabicus. Hieron. Arabicus Vatabl. Rom. 1. & 16. 1.Cor.1. Ad Galat 3.

D.Marcus hanc mulierem Syrophœniſſam vocat, quos enim Græci dicunt Phœnices, Hebræi Chananæos appellãt. Sicque pro eo, quod eſt Ioſue 5.n.1. *Reges Chanaan*, vertunt Septuaginta, *Reges Phœnicia*. Ex quo hanc mulierẽ, quã D. Matthæus ſcribit Chananæam, D.Marcus Syrophœniſſam dicit, hoc eſt, vt habẽt Syriacus, & Arabicus, ex Phœnicia Syriæ. Vel, vt aliqua exemplaria Græca, *Syram Phœnicam*. Hoc eſt ex Phœnicia, quæ eſt inter terminos Syriæ. Extra Syriam erant alij Phœnices, vt Libyophœnices, & Pœni, ſiue Afri, qui lingua Punica, quæ Hebræis eſt vicina, teſte D. Hieronymo, vtebantur. D. Marcus hanc mulierem dicit *gentilem*, pro quo vertunt Arabicus, Vatablus, *Græcam*: nam apud Iudæos omnes exteræ nationes, maximè in Nouo Teſtamento, Græci vocantur. Roman.1.n.16. & 2.n.9. & 10.n.3. & 1.Corinth.1.n.22. Ad Galat.3.n.28.

28. *Mulier plus nobilitatur fide, quàm nomine.* Luc.8.

Prima quæſtionis pars inquirit: Cur in hac muliere non ſolùm exprimitur miraculum, ſed etiam generis conditio, quòd eſſet Chananæa; icunt etiam D. Marcus non contentus fuerit eam gentilem dicere, ſed vlterius Syrophœniſſam vocarit, hoc eſt ex Phœnicia Syriæ, quod idem eſt, ab Chananæa: & non exprimitur nomen proprium huius mulieris, vt in aliis miraculis, verbi gratia, in Archiſynagogo, qui dicebatur Lairus Luc.8. num.41. Magis enim nobilitata eſt ſuâ magnâ in Chriſtum fide, quàm quocumque alio nomine ſuo.

Primò

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Primò respondet D. Chrysostomus citatâ homil. 53. *Virtutem*, ait, *aduentus Christi diligentius cogi a. Qui enim electi sunt, ne Iudaos peruerterem; hi adeo ipsis Iudaeis meliores fuerunt, vt terminis suis velictis ad Christum accederent, cum Iudaei ad ipsos venientem extruserunt.* Dicitur mulier Chananæa, ad magnam confusionem, & opprobrium Iudæorum: nam cùm ad eos Christus veniret, intérque eos multa miracula esset operatus, in eum non crediderunt, sed abs se abiecerunt. At verò mulier hæc, quæ extabat ex Chananæis, gente valdè humili in conspectu Iudæorum, & quæ ob ipsos Iudæos à propria terra fuerat expulsa: tamen auditâ Christi famâ, antequâm mulier eius miracula videret, ità firmiter in eum credidit, vt à suis terminis exiret; vnde maximè meruit ab eo sublimari. *O mulier magna est fides tua.* Ex quo discè, quòd nullus in sua nobilitate multum confidat, nec de sua abiectione desperet.

29. D. Chrysost.

Nullus ex nobilitate superbiat, nec ex humilitate desperet.

30. Abulens.

Secundò Abulensis q. 62. *Dicitur mulier Chananæa*, ait, vt ostendatur, quod propter indignitatem Iudæorum transiuit Christus ad benefaciendum aliquo tempore gentibus: nam ità factum est in Veteri Testamento, quia interdum Deus mittebat Prophetas aliquos ad benefaciendum gentibus, & non Iudæis. Ità Christus inducitur loquens contra Nazarænos: *Multæ scilicèt viduæ erant in Israel in diebus Eliæ &, tamen ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sareptam Sydoniæ. Et multi leprosi erant in Israel sub Eliseo, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Luc. 4. n. 25. Antiquum ergo Prophetarum morem nunc Christus omnium Dominus tenet; & sicut ipse suis seruis ordinauit, ità & modò exequitur.

Luc. 4.

Christus antiquum tenet Prophetarum morem.

31. Alb. Magn. *Vera fides ex operibus*

Tertiò Albertus Magnus. Chananæa dicitur: *Congruè autem, quoniam mutata fuit à veteri vita in nouam Religionis, & fidei conuersionem.* Nam Chananæus idem est, ac mutatus, contritus, vel confractus. Vide veram mulieris fidem: simul cum fide habuit & opera contritionis, ac confractionis cordis de præterita vita.

32. B. fil. Sel. *Virtus extinguit maculas generis.*

Quartò D. Basilius Seleucus orat. 20. *Chananæa mulier*, ait, *sed animi probitate genus refutabat; naturam vincit fides; nemo Chananæos accusèt, soluit mulier maiores suos.* Ad quid exprimitur hæc mulier Chananæa, ex vili nempe, & abiecto genere nata; cùm tamen eius fides maximè sublimetur, ac filiæ sanitatem impetret? Vt videas, quòd non attendendum sit genus, sed fides, ac animi probitas: virtutum enim decor condecorat generis maculas, vt tota illarum dispareat turpitudo, & fœditas. Vnde ait Seneca Epist. 44. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione super fortunam licet surgere.*

Seneca.

33. Cant. 6 Glossa. Cassiod. Gregor. Pap. Beda. Carpath. Anselm. Phil. Abbas. Hugo.

De sua dilecta sponsa ait Salomon: *Reuertere, reuertere Sulamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Cant. c. 6. num. 12. Vt interpretantur Glossa, Interlinealis, Cassiodorus, D. Gregorius Papa, Beda, Philo Carpathius, D. Anselmus, Philippus Abbas, Hugo de S. Victore, Miscellaneorum 2. lib 3. Idem valet, ac captiua, & despecta, verbum illud, *Sulamitis.* Quomodo Salomon suam sponsam, ac Reginam, cuius amore flagrabat, eiúsque aspectum vehementer concupiebat: *Reuertere, vt intueamur te.* De eáque dicebat: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; vna est columba mea, perfecta mea,* &c. eodem c. 6. n. 7. Quorsùm ergò inter tot amoris blandimenta, intérque tot honorum splendores eam despectam, & captiuam nuncupat; Cur antiquam suam vilitatem memoriâ repetit? Erat enim ipsa ex humili, ac captiuo, & despecto genere nata. Vt verificaretur, quòd quamis illa talis consisteret ex sua naturali conditione, hoc ei non extitit impedimentum, quin ad tantam gloriam eius suffragantibus meritis subleuaretur: nec enim illa memoriæ refricatio antiquæ vilitatis ad vituperium, sed potiùs ad maximum ornamétum conducebat; tantum namque decorem non progenitoribus, sed suis meritis debebat: ideò inter tot dignitatum fulgores eam ex genere captiuam, ac despectam dicit. Philo Hebræus lib. de Abraham: *Nobilitas expiata*, ait, *purgataque mentis, sors est præcipua, nobiles dicendi sunt soli prudentes, & iusti, etiamsi è vermibus captiuisque nati sint.*

Vilitatem generis cum decoris. virtutes

Philo.

34.

Cum Æthyops ille Eunuchus potens reginæ Candacis per viam audiret ab Apostolo Philippo nostræ fidei mysteria explicata, dixit Eunuchus ad Apostolum: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Actor. 8. num. 36. Et posteà subditur: *Descenderunt vterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizauit eum*, ibidem num. 39. Nobilium authorum est assertio, quod hic Æthyops inter omnes gentes primus baptizatus extiterit, ac primitiæ fuerit gentilium, qui sacro fonte recreati sunt. Freculphus Episcopus tom. 2. Chronicon lib. 1. cap. 8. *Hunc*, ait, scilicet Æthyopi, *Philippus responsis Spiritus sancti iussus, primò ex omnibus gentibus mysterium fidei, & sacramentum Baptismi tradidit, & velut quasdam cum Deo primitias omnium consecrat nationum. In quo rebus ipsis completa est per eam prophetia, quæ dicit: Æthyopia præueniet manus eius Deo*, Psalm. 67. n. 32. Sed quomodò tanta gloria hominis nigro Æthyopi, ac Eunucho defertur, vt ex omnibus gentibus in fonte baptismatis primatum habeat? Cur non potiùs ad hunc decorem eliguntur Imperatores; Reges, ac Principes orbis? Admirabilis hominis fides, quâ dixit: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* quáque confessus est. *Credo, filium Dei esse Iesum Christum*: ità eum, quamuis aliàs ex Æthyopica conditione videretur contemptibilis, sublimauit, vt regibus, ac principibus meruerit anteponi: nec vlla generis vilitas deturpabat, quem virtutum decor mirificè exornabat. D. Ambrosius Apolog. 2. pro David. cap. 6. *Intelligant omnes*, ait, *maiorum probra non posse posteris dedecori, quodque vnusquisque successionis maculam propria merito possit abolere virtutis.*

Actor. 8.

Freculph.

Psalm. 67.

Vbi merito respondent, nulla est generis vilitas.

Ambros.

QVÆSTIO IV.

Quare mulier ait: Miserere mei: & non potiùs, filiæ meæ?

MISERERE mei, ait mulier. Admiranda est sanè huius fœminæ prudentia. Ad Dei misericordiam confugit, in qua non guttas tantùm, vel vas inuenier: quo se possit semel purificare; sed immensum reperiet pelagus, quo cunctis momentis mundari valeat. D. Chrysostomus homil. 79. ad Populum, sic ait: *Miserere mei, breue verbum, & clementiæ pelagus continet.* Vnde sanctus Pater infectos mortali peccato, quod omni dæmone horribilius est, sic exhortatur quotidie clamare: *Sicut illa dicebat: Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur: magnus*

35. *In Dei misericordia pelagus.*

Chrysost.

enim damon peccatum est : demonium habens, misericordiam inuenit, odio peccatis habetur.

36. Matth 9. Ioan. 4. Præsens quæstio est : Quare, cùm multi ad Christum venerint pro filiorum sanitate deprecantes, Matth. 9. n. 18. Ioan. 4. n. 47. Nullus tamen sic clamauit, aut dixit : *Miserere mei* : vt hæc mulier: Cur in causa filiæ dixit, miserere mei, & non potiùs filiæ meæ?

37. Chrysost. Respondet primò D. Chrysostomus homil. 41. *Fœmina*, inquit, *non dicit, miserere filiæ meæ, sed miserere mei; nam filia insensata iacet : ego verò, quam sensu morbi non fugit, quæ sentiens, atque intelligens insanio, mille vexor erumnis.* Idem habent Theophylactus, Euthymius, & alij. In dolorum acerbitate potius ille est miserandus, non qui sensu carer, etsi torqueatur ; sed qui intelligens, ac considerans percipit cruciatus : filia sensus est expers, cuius mater particeps est : Mihi ergo, ait mulier, miserere.

Theophyl. Euthym. *Ille patitur dolores, qui eos sentit, & cognoscit.*

38. Chrysost. Secundò idem Chrysost. homil. 17. ex variis in Matth. *Vide prudentiam*, ait, *non dixit, miserere filiæ meæ, sed miserere mei : Miserere mei spectatrix diuturniorum laborum, & malorum, quotidie cruciatus meos video.* Non filiæ, sed sibi petit misericordiam; nam filia dolores patitur ; mater verò eorum est inspectrix, illósque videns, & considerans, præ amore plus ipsis cruciatur doloribus, quàm filia, quæ eorum acerbitate vexatur.

Qui dolores in dilecto videt, maximè torquetur.

39. Origen. Tertiò Origenes homil. 7. ex diuersis in Matth. *Miserere mei, Domine*, ait, *pignus meum consumitur, & pars corporis mei violatur. Opinio iniqua exit de filia mea.* Et dæmonis vexatione in filia aliqua mala fama serpebat, vel quia ipsa malè viuendo facta est dæmonis mancipium ; vel quia forsan aliquot inhonesta faciebat. Et ipsa mala opinio, quæ de filia diuulgabatur, super omnem corporis dolorem torquebat matrem : & ideò quamuis filia corporis anxiatus, esset experta ; mater verò quæ iniqua fama laniebatur, multò maiori angustia premebatur ; ac adeò super se implorabat misericordiam.

Mala fama plus torquet.

40. Basil. Sel. Quartò D. Basilius Seleucus orat. 20. *Miserere mei*, ait, *qua filiæ vice flagellor : illa quidem patitur, ego verò doleo : eam ad alienationem dæmon agit; contra verò per eam natura telum iacit.* Sibi mater misericordiam exposcit ; maximè enim parentes filiorum doloribus, ac calamitatibus punguntur, agitantur, ac torquentur. Abulensis q. 64. *Dolor filiæ*, ait, *dolor est matris ; & mater suum reputat incommodum, quod filia patitur.* Vnde Rex Babyloniæ, vt grauiter torqueret regem Sedeciam, non ipsum interfecit; sed filios eius coram eo, eorumque oculos effodit ; ipsum captiuum duxit in Babyloniam. 4. Reg. 25. num. 7.

Mater torquetur in filio. Abulens. 4. Reg. 25.

41. Syriacus. Quintò. Domini misericordiam, non filiæ à dæmone exagitatæ, sed sibi obsecrat mulier ; forsitan quòd ipsa totius morbi causa potissima extiterat. Vnde cum magna emphasi habet Syriacus : *Miserere super me* : ac si apertè super matris peccatum exoptetur clementia Christi, quod in causa est morbi filiæ. Ad Christum Dominum adducit quidam pater filium suum, quem crudeliter spiritus immundus exagitabat, itaut dicat eius pater : *Vbicumque eum apprehenderit, allidit eum & frumat, & stridet dentibus, & arescit*, Marc. 9. n. 17. Tunc Christus quæsiuit, quàtum temporis esset, ex quo ei hoc accidit. Infirmi pueri pater respondet : *Ab infantia.* Optimè sciebat Christus Dominus, ex quo tempore infirmitas illi obtigerat; & tamen interrogat, vt dum ipse, ab infantia dæmoni obnoxium puerũ fuisse fatetur, simul prodeat, se ipsum illius esse reum, & auctorem ; non verò puerum. D. Chrysologus serm. 51. *Requirit*, ait, *passionis tempus Auctor temporis, non vt nesciens, sed vt sciens nescientibus prodat. Denique interrogatione tali tempus aperit, atatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat sobolem, sed parentem.* Valde enim tritum est, quod grauius punitur pater in filio, quàm in se ipso.

Marc. 9. *Filij puniuntur ob parentum peccata.* Chrysol.

42. Mandans Deus circunciſionem Abrahamo, ac posteris eius, ait illi : *Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima de populo illo*, Genes. 17. num. 14. Septuaginta, *Interibit anima illa de genere suo.* Grauis hinc oritur quæstio. Quòd puer octo dierum natus non circuncidatur, non ex eius defectu, sed ex parentum incuria prodit. Cur ergo lex pœnam non infligit parentibus, sed pueris incircuncisis? Durior sanè est legis pœna in parentes, dum supplicium parat, & extorquet in natos: nil acerbius parri, quàm sui pignoris cruciatus recogitare. D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 81. *Dicendum erat enim, qui non circunciderent, exterminatum iri, non autem infantes immatura atatis : ego verò nec litteralem quidem sensum improbo ; quidem parentibus acerbius est supplicium, cùm pueri exitia dantur.*

Genes. 17. Septuag. *Nullus maior parenti dolor quàm videre filij mortem.* Pelusiota.

43. Notat sacer textus, quod *mortuus est Aram ante Thare patrem suum*, Genes. 11. num. 8. Quare tanquam res valde mira, & noua scribitur, quod Aram superstite parente suo obierit? Res valde noua extitit. Nam primus filius, qui ante parentem suum naturali morte, & non violenta cecidit, extitit Aram. Quænam tantæ rei causa? Thare, iuxta D. Chrysostomum, D. Augustinum, Abulensem, Pereiram, Cornelium; & patet Iosue 24. n. 2. lapsus fuit in idololatriam: imò, vt vult Epiphanius lib. 1. aduersus hæreses, figulino opere ex argilla sculpsit, & efformauit idola : Cum ergo ipse esset ex semine sancto, ac electo, nempe Sem, & tamen in tam graue scelus inciderit, nullo alio multatur supplicio, nisi hoc, tanquam omnium grauiori, vt ipse primus sui pignoris morte puniatur, D. Epiphanius citatus, *In tanto hominum numero*, ait, *scilicet à creatione mundi, nullus adhuc filius ante parentem obierat, sed superstitibus relictis liberis patres ex hac vita migrabant: nam quod Abelem obiicere quispiam posset, nequaquam procedit, cum in violenta morte præreptus fuerit. Postquam verò Thare figulina arte Deum, velut amule quodam opposito, prouocare cœpit, dignam factu mercedem reportauit. Et ipse filij iactura quodammodo prouocatus est. Quod quidem consilium Dei Scriptura admirans nominatim his verbis expressit : Et mortuus est Aram coram patre suo Thare in terra natiuitatis suæ.*

Genes. 11. Chrysost. Augustin. Abulens. Pereira. Cornel. Iosue 24. *Pater torquetur durissimè filij pœna.* Epiphan.

QVÆSTIO V.

Quare mulier Christum vocat filium Dauid?

44. CHananæa ait : *Miserere mei, Domine fili Dauid.* Cur non suo nomine cum appellat? vel potiùs alterius filium? Respondet primò Euthymius, *Filium Dauid eum vocat, quod didicerat à genere Dauid Christum oriundum, omnibus siquidem notissimus erat Dauid.* Sicque Christum verum Messiam Iudæis promissum fatetur. Secundò Glossa, *Magna*, inquit, *fides Chananæa hic notatur; Deum credit, vbi Dominum vocat ; hominem, vbi filium Dauid.*

Euthym. Glossa. *Fides Chananæa.*

Tertiò.

Tertiò. D.Remigius in c. 9. Matth. de duobus cæcis clamantibus, sic ait: *Rectè filium Dauid vocant, quia Virgo Maria de stirpe Dauid originem duxit.* Cum hæc mulier Christum filium Dauid dicit, filium Virginis Mariæ appellat: ipsa enim de semine Dauid est orta. Optimè præcallens Chananæa, quod nullo efficaci modo Deum ad sibi subueniendum inclinare valebat, quam si sub nomine Mariæ preces deferret, pro certo habuit, quod talis oratio suo expers effectu minimè exiret. Et non dicit filium Mariæ, sed Dauid, quia Mariæ nomen ore proferre non audet.

45. D.Remig.

46. Abulens.

Quartò. Abulensis q.65. Filium Dauid vocat, ait, ad honorem hoc dicit, & ad expressionem suæ fidei: nam volebat dicere Christum verum esse Messiam, maximum enim bonum, quod Iudæi expectabant, erat Messias, & hunc credebant esse filium Dauid, vt testatur Scriptura Ioan. 7. n. 42. Et ad magnum honorem Christus filius Dauid, ac Messias vocabatur: nam certò credebant Iudæi, Messiam, in dignitate, sanctitate, ac potestate spirituali, omnibus hominibus excellentiorem futurum. Vnde pueri in die Ramis Palmarum dicebãt: *Hosanna filio Dauid*, Matthæi. 21. n. 9. Mulier cum veniret rogans, suámque eximiam fidem manifestans, magnum Christo honorem detulit; qui enim petit, frequenter signa honoris exhibet.

Ioan. 7.

Matth. 11. *Rogans venit honorans.*

47. Abulens.

Quintò. Idem Abulensis: *Credendum est*, ait, *quod audisset mulier ista miraculum illud, quod fecerat Christus, sanando duos cæcos, qui ita eum vocabant.* Et hoc est verisimile, quia totaliter secuta est mulier ista illorum exemplum: nam illi ibant per viam clamantes post Christum, & dicentes: *Miserere nostri fili Dauid*, Matth. 9. n. 27. Et ita nunc ista mulier per viam clamabat dicens: *Miserere mei fili Dauid.* Magna est enim prudentia, sequi viam, quam aliis proficuam, & vtilem esse cognoscis.

Matth 9. *Sequida via alius vtilis.*

48. Ioan. 9.

Sextò. Clamat mulier: *Miserere mei, Domine fili Dauid:* eius genus, eiusque proauos Gentilis mulier, extra terminos Israël educata, agnoscit, & fatetur. Et tamen Iudæi, cùm inter ipsos Christus esset natus, dicunt: *Hunc autem nescimus, vnde sit*, Ioan. 9. num. 29. Valde mirum! Ignoratur Christi prosapia à Ierosolymitanis, & agnoscitur à Chananæis. Pauper, & humilis status cuiuslibet hominem incognitum reddit, vt etiam à suis, penitus ignoretur; sic & Deus, degens in mundo sub vili, abiectóque habitu, à suis diuitibus cognatis nescitur. D. Basilius Seleucus orat. 20. *O. quot myriadibus Iudæorum præsanatis ab iis ipsis, qui persanati, Christiani, sibi reponi illud, audiuit*: Hic vnde sit, nescimus? *Mulier vero Chananæa, etiam ante curationem, fide data, ad Euangelistæ dignitatem peruenit.*

Consanguineos suum cognatum pauperem non agnoscunt.

Basil. Sel.

49. *A munere miserandi vult pignorare.*

Septimò. Cùm filium Dauid dicit mulier, Messiam eum appellat; cuius proprium est opus, miserorum misereri: ac proinde ab ipso miserendi munere sibi solicitat mulier, ac veluti sibi pignorat eius pietatem, atque clementiam.

50. 2. Cor. 1. Psalm. 93.

Ait Apostolus. 2. Corinth. 1. num. 3. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.* Frequenter Deus in Scriptura dicitur Dominus cæli, & terræ, in cuius ditione cuncta sunt posita: & dicitur *Deus vltionum Dominus*, Psalm. 93. num. 1. At cum de misericordia est sermo, non Dominus, sed Pater misericordiarum dicitur. Cur Pater, & non Dominus? Ab ipsa Patris conditione eius misericordiam exquirit Apostolus, cuius tam proprium est misereri, vt potiùs videatur opus naturæ, quam voluntatis, & magis à visceribus, quam ab arbitrio nasci. D. Anselmus ibi: *Ipse, dico, Pater misericordiarum, quia ex visceribus eius prouenium in nos misericordia eius.*

Miseratio potè valde diuina mandata.

Anselm.

Peracto diluuio, promittit Deus Noë, quòd amplius omnis caro non sit interficienda, statuitque pactum cum homine, quòd ipse amplius non esset delendus, hacque de re dat signum sensibile in nubibus, nempe arcum, dicens: *Erit arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum, & animam viuentem*, Genes. 9. num. 16. Vnde nascitur quod promissio ista tantis sit stabilita? An quia hominem studiosè victurum & suorum peccatorum pœnitentiam acturum præuidit? Minimè. Vnde ergo tam ingens clementiæ largitas? Ex sola sua misericordia prouenit, quæ ex ingenti sua pietate se veluti obligare vult. D. Chrysostomus hom. 28. *Vidisti*, ait, *quantam curam gerat nostri generis; quantam misericordiæ magnitudinem declaret? non quia hominum cõuersionem vidit, sed vt per omnia nos doceat excellentem eius bonitatem.*

§ 1.

Genes. 9.

Deus in nostrum auxilium se vel sua misericordia promouet.

Chrysost.

QVÆSTIO VI.

Quare hæc mulier patronos, ac aduocatos non quærit?

§ 2. *Ratio dissimulatæ*

TRansiit mulier clamans: *Miserere mei, Domine, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Cur prudens fœmina prius non concurrit ad Apostolos, vt eorum patrocinio adiuta, ac munita conueniret ad Dominum? at ipsa sua multa afflictione laborans sibi persuasit, non aliorum adiutorio indigere? vnde ipsa per se solùm confidenter ad Dominum conuenit.

§ 3. Chrysost.

Eleganter respondet Chrysostomus homil. 17. ex variis in Matth. *Vide prudentiam mulieris*, ait, *non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit Apostolorum choro, nec quæsiuit mediatorem; sed pro omnibus illis pœnitentiam accepit comitem, qua aduocati locum impleret, & sic ad fontanum fontem perrexit.* Non rogatores quærit. Cùm enim se mulier clamoribus, lachrymis, ac afflictionibus tradiderit, fidens in Deum, non aliis indiget aduocatis, vt pro ipsa ad Deum intercedant, & clament: illa in se retinet afflictionis patrocinium, quod, cum ante Dei oculos apparet, statim impetrat, quidquid intendit.

Afflictio laborantis non indiget rogatoribus

§ 4.

Ob Dauidis peccatum emisit Dominus pestilentiam in populum Israël; iámque emortua erant septuaginta millia virorum. *Cumque extendisset manum suã Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti, sufficit. Dixitque Dauid ad Dominum*, &c. 2. Regum 24. num. 16. Sequiturque eius oratio: *Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi. Ex quo*, vt ait Cornelius, *colligitur, Deum, antequam oraret Dauid, ex spontanea misericordia iussisse Angelo, vt plagam, pestemque sisteret.* Cur non expectauit Dominus Dauidis orationem? Ex quonam motiuo tam promptè mendauit Angelo, gladium recondere? Apertè textus indicat rationem: *Misertus est Dominus super afflictione.* Prius namque laborantium afflictio euolauit ad Deum, quàm Dauidis preces ante illius conspectum peruenissent.

2. Reg. 24.

Cornel.

Afflictio laborantium ad Deũ clamat.

Calix

55. Psalm.74. Pelusiota.

Calix in manu Domini, vini, meri, plenus misto: inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius non est exinanita, Psal.74.n.9. Calix hic, iuxta Pelusiotam, ac alios, est gladius diuinæ iustitiæ, plenus pœna, quam Dominus in perfidos infligit; sed tamen non vsque ad vltimum dignatur effundere: inclinat enim calicem; non tamen euacuat. Cur totus calix vsque ad vltimam guttam non emittitur? Nunquid alicuius preces exiguntur, ne totus exhauriatur? Minimè. Ipsa Dei pietas, qua super afflictos commouetur, manum retinet, ne totus calix euacuetur. D.Ambrosius, ibi: *Ad terrendum*, inquit, *plenus est calix; ad feriendum, non exinanitus; plenus erat calix, cùm mors per triduum mandaretur, sed occurrit misericordia Dei; tenuit manum Angeli, priùs, quàm calicem exinaniret.*

Deus ex sua misericordia cohibet iram. Ambros.

56. Ierem.18.

Ait Deus per Ierem.18. n.18. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Et subito loquar de gente, & regno, vt ædificem, & plantem illud.* Expende illud verbum, *subito*, seu *repente*, vt alij legunt, quasi cùm Deus suorum lacrymas, ac pœnitentiam videt, non possit se continere, quin ei propitius adsit D.Thom. ibi: *Subito, seu repente*, ait, *loquitur de Deo ad similitudinem hominis; dicitur enim aliquis repente loqui, quando sine præmeditatione loquitur.* Cum Deus videt suorum pœnitentiam, & afflictionem, absque præmeditatione alicuius orationis, ac rogationis pacem loquitur, & suis misericordiam largitur.

S. Thom.

Vis pœnitentia. Deum inclinat ad misericordiæ motum.

*Matth.*15. *num.*23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes Discipuli eius rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.

VERSIONES.

Syriacus. Ipse verò nec verbum quidem respondit.
Euthymius. Deprecabantur eum.
Theophylact. Omitte illam, quia clamat
Vatablus. post nos.
Arias. Absolue illam.
Arabicus. Quia clamat in vestigiis nostris.
D.Chrysostom. homil. 17. *ex variis in Matth. Damasc.*2.*Paral.cap.*15. Quia clamat ante nos.

EXPOSITIO III.

57. Syriacus. *Non verbo, sed facto respondit.*

LAMABAT mulier, deprecans filiæ sanitatem. *Qui non respondit ei verbum*, seu, vt habet Syriacus, *ne verbum quidem respondit*, non ex superbia, sed ex magno mysterio, vt dicam quæst.seq. & non respondit verbo, sed facto, ait Palatius, *Accedentes Discipuli*, vt instantius Dominum exorarent pro mulieris filiæ sanitate. Apostoli, non rogati, aduocatorum munus susci-

Palat.

piunt. *Dimitte eam*, hoc est manda eam non vacuam, sed concedens ei id, quod petit. 58. Burgeas.

Clamat. Ingeminat enim voces ex sua magna angustia. *Post nos.* Lucas Burgensis, molestia simul, & dedecore nos afficit: molestiam enim clamor, præsertim cum Dominus latere dispositerat: dedecus, clamantis mulieris consecutio nobis parit. D.Chrysost.hom.17.ex variis in Matth. vt refert D.Damascenus lib.2.Paral. cap.15. existimat, alium Euangelistam scripsisse; *imitte illam, quia clamat ante nos, vtrumque enim faciebat. Ante, & à tergo clamabat; postquam autem nihil ei respondit Christus, à fronte venit clamans, miserere mei. Grauis tempestas, affectio, & timor.* Qui timoris tempestate concutitur, à tergo iactatur ad Christi præsentiam, & faciem: tam miros timor parit effectus. Chrysost. Damasc.

Timor nos ducit in Dei præsentiam.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus huic mulieri non respondet?

59. Chrysost.

QVAM nouum, atque inauditum est hoc, ait Chrysostomus homil. 34. in Matth. Iudæos ingratos rationibus inducit Dominus; & blasphemantes rogat, & tentantes non negligit: hanc autem, quæ sponte venit, quæ deprecabatur, & supplicabat; quæ quamquam nulla lege, nullis propheris fuerit communita, tamen tanta cum reuerentia accessit; nec responso dignam putare videtur. Valdè sanè mirum est, quod huic sitienti, ac auidè currenti fons aquæ viuæ claudatur, vt ei verbum non respondeat. Cur autem sine mora petitioni Centurionis, non verò Chananææ, responderit? iam tractaui tom. 3. cap. 11. quæst. 11. Vide ibi dicta. Ad nostram quæstionem.

Ratio difficultatis.

60. Chrysost. Hieron. Beda. Anselm. Carthus. D.Thom.

Respondent primò. D. Chrysost. D. Hieron. Beda, D.Anselmus, Carthusianus, S.Thomas, & alij. *Non de superbia*, ait D.Hieronymus, *Pharisæa, neque de Scribarum supercilio non respondit Dominus, sed ne sua sententia videretur esse contrarius, per quam iusserat. Ne in viam gentium abieritis: Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectámque salutem gentium, Passionis, & Resurrectionis tempori reseruabat.* Non respondet Dominus, ac si mulierem contemneret, sed ne suæ sententiæ videretur contrarius, qua præceperat, *In viam gentium ne abieritis*, Matth. 10. Maximè enim decet, vt Magister, ac princeps suis dictis sit constans. Deinde ne Iudæis calumniatoribus ansam murmurandi præberet. quòd, cùm esset missus ad Iudæos, ad Gentes transibat. Vnde ipse ait: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Vnde, vt notant D.Tom.& Maldon. tam cunctanter se habet Dominus in hoc miraculo, vt manifestaret se, non sponte, sed quodammodo inuitum, & importunis mulieris precibus coactum miraculorum gratiam Gentibus impertiri. Gentium enim salutem alio, & proportionato tempori, ac occasione reseruabat.

Matth.10. *Magister sit suis dictis constans.*

D Tom. Maldon.

Secundò Euthymius. *Fœmina clamabat, Christus silebat, sustinens, donec omnis fœminæ fides, animi modestia, ac prudentia manifestaretur. Simul etiam vt Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret affectus, cum infirmos eorum semel tantum rogarus? imò neque semel quidem, statim curabat; Gentilium*

61. Euthym.

verò non ita. Tam cunctanter se habebat Dominus erga Chananæam, cùm tamen semel rogatus à Iudæis salutem illis impendebat; imò verò aliquando hanc illi offerebat, vt eius eximius affectus ergo illos patefieret, vt ita eorum obstinatio, malitia, ac dignà à Deo repulsa declararetur. Quos enim in seruos ac amicos semel elegisti, vt à te reiectas, multa sanè exigitur comprobatio.

Vt amicum semel electum, vt reiciatur, multa comprobatio necessaria.

62. Basil. Sel. Tertiò D. Basilius Seleucus orat. 20. *Ecce propter te, ô Iudæ, luctu conferiam despicio, commiserationem tego. & si luctum misereor, vociferantem, vt Gentilem auersor, sibi infidelitatis occasionem præscindens: nondum malum soluo, ne te ad inuidiam commoueam.* Diuini principis ingenium, retardabat fauoré suum Gentili fœminæ, etsi benemeritæ impendere; ne inde ruina, & offensa Iudæis gigneretur: repulsam optimè merenti dabat, vt inde aliis offensæ amputaretur occasio. Nec enim Deus suis cum aliorum offensione benefacere solet. Vide tom. 3. cap. 34. n. 32. 33. & 34.

Deus vt non benefacit cum iniuria aliorum.

63. Basil. Sel. Quartò. Idem Basil. Seleuc. cit loc. *O sub inhumanitatis obtentu silentium longè manifestum! O silentium vocalis admodum Iudæorum accusator! Namque silentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides, Iudæa, Chananæa gentilitatem? vides, ex improba radice falsum dilaudatum? Moysem non suscepit latorem legis, & Moysen agnouit Dominū: Prophetas nescijt, & à Prophetis canato credidit: non vidit signa, & Danid filium confitetur: Deum post miracula negasti. Iudæe, & huic illa ante miracula credidit.* Et post pauca subdit. *Curationis dilatio, fidei specimen; sanitatis prorogatio suit voluntatis in muliere comprobatio.* Sno ergo silentio multa Iudæis, ac mulieri Christus loquebatur: Iudæis, eorū infidelitatem, ac obduritiem arguendo; nam, cum in lege essent enutriti, Deum in lege promissum non agnoscebant: Mulieri etiam loquebatur, vt suo silentio illius fides, ac voluntatis seruor probaretur.

Silentium fœmineum etiam bonum aliquando.

64. Chrysost. Quintò D. Chrysost. hom. 44. in Genes. *Sciebat Dominus, ait, reconditam margaritam, quam latere nos nolebat. Idcirco differebat, nec respondebat, vt posteris omnibus, mulieris sedulitas, magna fieret doctrina.* Videbat Dominus ingentes mulieris virtutes, quæ vt patefierent, non respondebat, vt cunctis clarescceret, quàm digna beneficio mulier esset. Mandauerat Dominus suis: *In viam Gentium ne abieritis*: ad legem ergo, à se impositam, transgrediendam, mulierique Gentili beneficium impertiendum, multum vrgens causa, magnáque comprobatio exigebatur.

Vt fiat in lege dispensatio, requiritur multa.

65. Carthus. Ostendebatur mulieris sedulitas, charitas, ac instantia, qua pro filia deprecabatur; ipse autem non respondit, ait Carthus. *vt illa instantius peteret, & ardentius postulando copiosius exaudiretur.* Deus aliquando dissimulat, nostres preces exaudire, vt largius concedat, & gratius desideratum donum suscipiatur. D. Chrysost. hom. 17. ex variis in Matth. *Non respondet, quia fidem illius amplius prouocabat, & animum perseuerantia exercebat.* Non respondit, ait Theophyl. *firmam mulieris fidem manifestam reddidit.* Cùm esset Gentilis, antequam miracula videret, tam constanter Christum credidit Deum, vt iam ex Seleuco notauit; & etiam vt illius perseuerantia declararetur; nam quamuis repulsa, non desistit: quod monemur, in oratione perseuerandum. D. August. serm. 4. de tempore. *Clamabat fœmina, ait, & dissimulabatur à Christo, non vt misericordia negaretur, sed vt desiderium accenderetur; non solum vt desiderium accenderetur, sed vt humilitas commendaretur.*

Deus dissimulat exaudire preces, vt largius concedat. Chrysost. Theophyl.

Fides, perseuerantia, & humilitas mulieris. August.

Etiam vt probaretur eximia mulieris patientia, qua in sua petitione pro filiæ sanitate deprecans, rigidam accepit repulsam silentio, & verbis. Silentio, dum ei non respondit. Verbis cum eam canem appellat: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quod eleganter describit D. Basil. Seleucus citata orat. 20. *O diram inhumanitatem, non luctu abiectam miseratus est; non matrem filiæ doloribus lancinatam solatur; non naturæ suæ agente partes commiseratione ictus est: supplicantem auersabatur, & clamitantem refugiebat.* Et postea subdit: *Commodior erat tacens? quam loquens: ab eo insuper tunc dictis spes excussit concepto mœrore: Contumeliarum additamento calamitatis meæ cumulauit. Canit tanta hominum turba audio.* Cùm mulier multa fide, humilitate, ac perseuerantia esset digna beneficio, valde rigida videbatur dura repulsa. In muliere quoque ipse manifestauit prudentia, vt etiam ponderat citatus Chrysost. *Vide*, ait, *mulieris prudentiam, qualiter nec contradicere ausa est, nec contristata est in aliorum laudibus, nec molestata est in proprio conuitio; & tandem prudentia apparuit, quia scinit quærere medicum bonum, non recurrit ad sacrilega remedia maleficiorum.* Quod etiam ponderat Origenes, & Theophyl. Et quid prudentius, quàm scire quærere bonum medicum, bonáque medicamenta, & conuicio nominis canis non tristari?

66. *Magna patientia, sustinere repulsam in petitione.* Basil. Sel. Chrysost. Origen. Theophyl. *Prudentia scire quærere bonum medicum.*

Sextò. Glossa, Abulens. q. 67. *Non respondit, vt Discipuli pro ea rogarent, ostendens, necessarias esse preces sanctorum ad impetrandum.* Vide tom. 2. c. 29. q. 9. n. 62. Voluit Dominus, vt Discipuli petant, vt sic daretur occasio ad perpetrandum miraculum. Septimò. Euthymius. *Christus*, ait, *penitus silet sustinens, donec omnis illius fides manifestetur, quod vario modo facere solet in multis. Simul etiam vt è diuerso, Iudæis ostenderet, qualem erga illos gereret affectum, quum infirmos eorum semel tantùm rogatus imò nec semel quidem, statim curabat, Gentilium verò non ita.* Deus etsi differt, beneficium non aufert. Siluit erga mulierem Gentilem, vt ostenderet, quam diuerso modo se haberet ad filios, ac alienigenas; nam filios etiam non rogatus statim curabat, ad alienos verò cum aliqua mora, ac cunctatione se habebat.

67. Glossa. Abulens. Euthym. *Diuersus modus erga filios, ac alienos.*

Octauò. Sic rem explico. Imposuit Christus D. suis Discipulis præceptum: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Matth. 10. n. 5. Accessit ad eum hæc mulier Gentilis, multum pro filiæ sanitate deprecans; nec attendit, nec respondit Christus: rogant Apostoli, vt mulieris clamoribus condoleat; quibus & ipse ait: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*: Nec adhuc illius optatis condescendit. At verò postquam ipsa se maxima fide transplantatā, ac transformatam in filiam Abrahæ declarauit, *O mulier, magna est fides tua!* statum ei annuit: *fiat tibi, sicut vis.* Cur modo, & non antea? Vt firmiter stet diuini verbi stabilitas. Verbum eius erat: *In viam Gentium ne abieritis, sed potius ite ad oues Israel.* Quamuis ergo mulier vt Gentilis accedit, non obtinet; at verò postquam ipsa inter oues Israël fide est transfusa, & cōputata, statim optatis fruitur, vt ita diuini verbi inconcussa persistat veritas, vt nec à minimo apice defecisse videatur.

68. Matth. 10. *Deus verax in suis verbis.*

Ingreditur Iesus domum Zachæi Publicani, & Gentilis, vt eum multis donis repleret; antea tamen præmisit: *Hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ; venit enim filius hominis*

69. Luc. 19.

quærere

quærere, & saluum facere, quod perierat. Luc. 19. n. 9.

Zachæus factus filius Abrahæ, repletur donis

Ad quid in primo ingressu Ethnicus homo de stirpe Abrahæ declaratur? Ad quid inter Israëliticas omes computatur alienigena? Vt diuini verbi fidelitas ineneruata appareat: decrat enim ipse, se venire ad quærendas oues perditas Israël; ne ergo Zachæum donis salutis replens, videatur tãtillum verbi sui debilitas infirmari, ipsum inter natos Abrahæ computandũ asseuerat, vt totius calumniæ occasio amputetur, cum illius domus tantis donis cumulatur. Gloss. D. Bonauentura. *Zachæus filius Abrahæ dicitur, non carne sed fide.*

Gloss. Bonauent.

70.

Postquam sublatis omnibus excusationibus Moysi iniuncta est delegatio in Deum, vt pergeret ad Pharaonem, vt de eius ergastulo Israelem erueret; statim subnectitur numerus filiorum Israël. *Isti sunt principes domorum per familias suas: filij Ruben, primogeniti Israël; Henoch, & Phallu, Hesron, & Carmi.* Exod. 6. n. 14. Ad quid interrumpitur historiæ stylus; nam imposita legatione ad Pharaonem, consequens erat, vt scriberetur, quomodo Moyses ante ipsum comparuit: ad quid perducitur numerus filiorum Israel in quarta generatione? Prædixit Deus olim Abrahamo, quomodo eius filij futuri erant captiui in Ægypto: *Quarta generatione reuertentur huc*: Gen. 15. n. 16. Quando ergo Deus descendit, vt suum populum de manu Pharaonis liberaret, commemoratur quarta generatio, vt ostendatur diuina veritas in suis verbis, & quomodo id, quod promisit, suo designare tempore exequitur, & adimplet. Rupertus l. 1. c. 25. *Ad comprobandam*, ait, *veritatem Dei, qui ad Abraham de hac seruitute, & subsequenti libertate filiorum Israël ante locutus dixerat: Generatione autem quarta reuertentur huc: Vt ergo tempus à Deo præfinitum aduenisse appareat, generationem filiorum intexere incipit.*

Exod. 6.

Genes. 15. *Deus verax in suis verbis.*

Rupert.

71.

Genes. 19

Ad Sodomam veniunt duo Angeli, quos Loth in domo sua hospitio excipit; statim subnectit Textus: *Priusquam autem irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem omnis populus simul.* Gen. 19. n. 4. Huius rei consecutio maximè notanda, ac admiranda: Quomodo in tam ampla, & vasta ciuitate duorum virorum aduentus ita notus, ac diuulgatus est, vt omnes statim ad Loth domum conuolauerint? Deinde res magnum importat mysterium, quod vniuersi à puero, & sene, nullo dempto, ad iusti viri domum cõparuerint. Ad quid hæc tam exacta descriptio? Abrahamus supra agens cum Deo, multis contendit pro liberanda Sodoma ab imminenti supplicio, ac à sententia Dei in nefandos promulgata. Et tandem ambo pacti sunt, quod si decem viri iusti fuissent inuenti in ciuitate, Deus à sua sententia abstinendus esset. Genes. 18. n. 32. Scribitur ergo, quod Loth sedebat in foribus ciuitatis, quando Angeli ad eum venerunt, ex quibus, tanquam è loco publico, statim eorum aduentus publicatus est, & quod omnes à puero, & sene turmatim in domum Loth ad execrãdum scelus perpetrandum concurrerant, vt comprobaretur, nec decem iustos fuisse inuentos, neminémque ex eis extitisse iustum, vt cunctis fiat euidens diuina veritas in verbis suis, ne aliquis contra eam quidquam valeat oblatrare, aut dicere, Deum promissis non stetisse. Caietan. *Fuit*, ait, *inquisitio facta Sodomæ, promissa Abrahæ, an in Sodomis essent decem viri iusti? Concursus enim iste, non hyperbolicè describitur, sed ad manifestandam inquisitionem diuinam, Lege ante scriptum colloquium inter Deum, & Abraham; inuenies, de masculino tantum genere fuisse sermonem, dum è quinquaginta vsque decem iustos descensum est, & propterea virorum duntaxat hic mentio fit, dicendo a puero vsque ad senem.*

Genes. 18.

Maximè declaratur Deus verax in suis verbis, & promissis.

Caietan.

QVÆSTIO VIII.

Quare Discipuli pro muliere rogabant?

PRIMÒ dici potest in hac re, vt testatur Abulensis citandus, quòd Discipuli non rogarunt pro muliere; sed eius clamoribus fatigati rogabant, vt Dominus eam à se expelleret, & abiceret: non enim dixerunt, exaudi eam, sed dimitte eam. 72. Abulens.

Tamen constans est Patrum sententia, quòd Discipuli misericordia moti rogarunt pro muliere, vt Dominus sanaret filiam eius. Ita D. Chrysost. hom. 38. & 44. in Gen. hic D. Hieron. Beda, D. Paschasius, D. Basil. Seleuc. cit. S. Thom. Abulens. q. 68. Hæc sententia manifestè comprobatur ex Christi responsione ad Discipulos: *Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Si autem Discipuli tantùm peterent, vt eam abiiceret, ac expelleret, non hoc modo Christus responderet, his enim verbis volebat significare, quod non licebat. hæc mulieri concedere, sed Iudæis solum, quia ad illos ipse primò venerat. Ac proinde, cum Christi responsio esset iuxta mentem Discipulorum, & eorum verba, Discipuli pro sanitate impetranda deprecabantur. Præsens quæstio inquirit: Quare Discipuli rogarunt? 73. Chrysost. Hieron. Beda. Paschas. Basil. Sel. D Thom. Abulens.

Discipuli pro muliere rogarunt.

Ad quæstionem respondet primò Glossa: quod sic ex Concilio diuino dispositum est, vt ostenderetur, Sanctorum preces esse nobis valde necessarias, & vtiles, quia licet, vt Discipuli rogarunt, statim Dominus non exaudierit, in aliquo tamen fuit exaudita eorum oratio: nam antequam illi loquerentur, etiamsi mulier clamaret, Christus non respondebat aliquid; postquam autem Discipuli pro ea rogarunt; Christus respondit. Secundò Abulens. q. 69. ait, quod sic permissum est ad magis se excusandum aduersus Iudæorum calumnias: nam si obmurmurarent, quod sanitatum beneficia Gentibus impendebat, dicere poterat, quod hoc factum est magna mulieris importunitate, ita vt pro ea Discipuli deprecarentur. 74. Glossa. *Preces Sanctorum nobis valde vtiles.* Abulens.

Tertiò D. Paschas. lib. 7. in Matth. *Pro hac Discipuli interpellant*, ait, *fortè, quia adhuc mysterium Saluatoris minus intelligebant. Ideò durum eis visum est, quod ad tam deprecatorias voces tam diu nullum responsum daret.* Duas rationes nobis inculcat S. Pater. *Discipuli rogabant pro muliere, quia mysterium Saluatoris minus intelligebant.* Sic sæpe homines loquuntur de iis, quæ viri magni operantur, quia eorum consilium, mentémque non capiunt, neque prehendunt: non enim Discipuli callebant altitudinem dispositionis, ob quam Dominus tacebat. De quo vide superiorem quæstionem. Secundò. *Durum visum est, quod ad tam deprecatorias voces nullum responsum daret.* Quamuis mulier nil peteret à Discipulis, ipsi pro muliere petunt: videbant, eius orationes post tergum Domini effundi, & durissimum eis visum est, quod orationes tanta humilitate prolatæ, vt ante conspectum Domini non auderent apparere, non citò exaudirentur. Orationi cum humilitate resistens, satis durus iudicarur. 75. Paschas. *Sæpe homines loquuntur, quia aliorũ consilium non intelligunt.*

76. Paschas. Quartò idem Paschasius citato loco: *Discipuli pro hac Dominum interpellant, pro amore piissimi Magistri, ne quasi nupiam durum videretur, imo vt misericors fieret, exorabant.* Vnde Discipuli fiunt rogatores mulieris huius, cum apud hospitem suum Lazarum, quod pro eo rogarent, non legatur. Cur modo pro hac fœmina deprecantur? *Pro amore piissimi Magistri.* Sic Dominum diligebant, sicque studebant pro eius nomine diuulgando, vt meruntes, ne apud Gentiles eius nomen malè audiretur, quòd illis durus exrabat, cùm suis esset valdè bonus, ac benignus, illum sæpiùs rogarent, vt extraneæ mulieri petita concederet. Vel dic, quòd veri Christi amatores nolebant, ipsum ab aliquibus seueram reputari, sed magis misericordem ab omnibus notum haberi.

Boni amici curant bene nomini regis.

77. Chrysost. Quint. D. Chrysost. hom. 54. hæc verba sic explanat: *Dimitte eam. Æstimo, Discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos sed tamen non sunt ausi dicere. Da ei hanc gratiam, sed dimitte eam. Sicut & nos cum volumus alicui persuadere, multoties contraria dicimus.* Discipuli longa experientia, in Christi clementia instructi, rogant, vt supplicantem mulierem dimittat, non vacuam, sed optato dono plenam; ex ingenti enim pietate Christi perspectum habebant, quod mulierem non dimitteret, nisi concesso beneficio. Vnde Discipuli, mulieris repulsam precantes, clementiam deprecabantur. Tam benignus est enim Deus, vt non solùm rogatus beneficium concedat, sed etiam negantibus, & contrarium petentibus idem largiatur. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Rom. 8. n. 6. Alij verba transferunt, *gemitibus contrariis*. Per Spiritum autem D. Chrysost. Theophylactus, Oecumenius, virum spiritualem interpretantur. Tanta est enim diuinæ pietatis magnitudo, vt siue à ratione concedendi, siue ab occasione denegandi ad largitatem promoueri soleat. O ingens diuinæ pietatis arcanum, cui negandi occasio dat misericordiæ ansam!

Paletinus intercessor nondo aliorum iustitia, sed de suo commodo tractat.

Rom. 8. Chrysost. Theophyl. Oecumen. *Diuina pietas, siue à concedendi, siue à negandi occasione mouetur ad largiendum.*

78. Basil. sel. Sext. D. Basilius Seleucus orat. 20. *Interim* ait, *Apostolorum chorus, cum neque silentij Domini sapientiam satis cognosceret, neque mulieris voces ferre posset, vicarius intercessor apud Saluatorem interuenit, ac mali eris oratores fiunt Christi Discipuli, & infirma mulier suis precibus hortabantur Dominum: Dimitte illam, quia clamat post nos* Discipuli adhuc imperfecti, ac impoliti in virtutis negotio, typum sæcularis intercessionis apud mundiales principes adumbrant. Munus intercedendi pro fœmina Discipuli suscipiunt; & ad hoc rationem allegant, non vt mulier voti compos fiat; nec vt prosuis generosis virtutibus, fide, humilitate, ac perseuerantia salutem filiæ impetret; sed quia *clamat post nos*: eius nempe multiplicatis gemitibus, ac vocibus fatigamur. Ecce quid suggerit vicarius intercessor, nõ vt mulier optata salute fruatur, nec vt in miraculo perpetrato Dei gloria manifestetur; sed vt ipsa a molestia, ac tædio liberetur: non aliorum commodo, sed tantum suo studet vicarius intercessor. *Cum neque mulieris voces ferre, posset, apud Saluatorem interuenit.*

Aulicus, ac vicarius intercessor, non aliorũ cõmodo, sed suo studet.

79. Genes. 40. Detentus Ioseph in carcere Præposito pincernarum explicauit somnium, quòd ipse viderat, nempe post tres dies functionibus sui muneris restituendum esse, atque illi sanctus adolescens: *Memento mei, cum bene tibi fuerit, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum*, Genes. 40. n. 14. Tamen postea, prosperis succedentibus rebus, oblitus est homo interpretis sui per duos annos; & tunc recordatus est, cum enucleationes ad Pharaonis somnium conquæreretentur, dicens, *Est ibi* scilicet in carcere, *puer Hebræus, cui narranti somnia audiuimus, quidquid postea probauit euentus. Ego enim restitutus sum officio meo*, Gen. 41. n. 12. Pro Ioseph eligitur ipse Præpositus intercessor apud Pharaonem, vt de eius innocentia exorator existat, *& hic innocens missus sum.* Tamen cùm de illo apud regem verba facit, solum de sua subleuatione ad antiquum munus agit: *Ego enim restitutus sum officio meo.* Cur non innocentiam, à tuo interprete tibi commendatam suggeris? Cur illam prætermittis? Ecce vicarius intercessor palatinus nihil de aliorum iustitia, ac innocentia pertractat, sed tantum suæ vtilitati studet, quomodo nempe ipse restituatur, ac exaltatus sit in suo munere. Causa innocentiæ aliorum è memoria excidit; propria verò sublimatio alta mente retinetur.

Genes. 41.

Inter cæteras Ægypti plagas denunciat Moyses Pharaoni, quod cras erit pluuia grandinis multæ nimis: ac proinde subdit, mitte, & congrega iumenta, & vniuersa armenta, & duc in domos, ne cadente grandine, in agro pereant. Tunc ait Textus: *Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, & iumenta in domos.* Exod. 9. n. 2. Si timore Dei concutiebantur aulici isti, cur nihil aliud faciunt, nisi pecora sua in stabula ducere? Cur non potiùs conueniunt regem, ac pro oppressis Iudæis verba proferunt, vt eos dimittat, iuxta Domini mandatum, vt Domini ira à rege auertatur, totúmque regnum à tanta vexatione eximatur? Cur ei non obiiciunt; quare tot visis miraculis adhuc in sua proteruia persistit, & Dei iussis resistit? Cur ergo eis tantum cura incumbit, vt pecora sua seruent? Timebant Deum, tamen de seruis Pharaonis erant, & ideo ipsorum virtus tantùm eò tendebat, vt suo commodo, suisque rebus prospiceret, non verò vt per eorum intercessionem aliorum libertati, ac vtilitati consuleret; vnde neglecto communi bono, solum suis prouidebat. Lyppomanus, *In seruis Pharaonis erant timentes, qui abominabantur regis atrocissima imperia, auliconum tamen more muti ad patrocinium pro afflictis.*

Exod. 9.

Aulici solum de suo commodo pertractant.

Lippom.

80.

Matth. 15. *num.* 24. Ipse autem respondens ait, Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.

VERSIONES.

Arias. Non sum legatus, nisi ad oues perditas.

Syriacus. Nisi ad oues, quæ aberrauerunt à domo Israël.

Arabicus. Ad oues errantes domus Israël.

EXPOSITIO IV.

81. DESCRIBITVR secunda mulieris repulsa. *Ipse respondens ait.* Respondens assignat quare huic afflictæ fœminæ tam difficilem se exhibeat, qui omnibus miseris valde facilis esse consueuerat. Discant Magnates, suarum actionum reddere rationem, præcipuè cùm à solito more deuiant. *Non sum missus*, tanquam Messias

Princeps de suis factis dat rationẽ.

fias à Deo promissus Israëliticis, nisi ad eos per mei corporalem præsentiam, meámque doctrinam, ac miracula ipse aliter pascendos. *Ad oues* Israëlitas oues appellat, vt ait hic D. Hieronymus, *Vt ex hoc loco etiam vnam errantem ouem de alia parabola intelligamus.* Luc. 15. num. 2. Vt ita designetur, quanta sit cohærentia in parabolis, ac doctrina Christi. *Quæ perierunt*, malitia sua, vt ait Theophylactus. *Domus Israël*, non ait tribus, vel populi Israel, sed domus, vt denoretur eximia solertia, ac cura, quam Deus habebat super illum populum, vt paterfamilias super domum suam, cuius omnia sunt illi in prospectu, at promptu. *Regnabit in domo Iacob.* Luc. 1. n. 52. Dicitur Israel, nam ad illum per sui præsentiam directus est Christus. Vnde à Paulo Roman. 15. num. 8. Christus dicitur, *Minister circumcisionis*, id est circumcisorum.

Hieron. Luc. 15.

Theophyl.

Multum curam Deus de Israël habebat. Luc. 1.

Roman. 15.

QVÆSTIO XI.

Quare Christus Dominus cùm venerit in remedium totius generis humani, dicat, quod non est missus, nisi ad oues Israël?

82. PROPOSITVM Israël ouem appellat Dominus: *Non sum missus, nisi ad oues Israel*: & tamen huiusmodi populus, non solùm passim à Prophetis, sed etiam ab ipso Domino rabidis lupis comparatur. *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum*, Matth. 10. num. 16. Vnde huiusmodi oues in tantam turpitudinem deuenerunt, vt lupinam feritatē ebiberent, vt non solùm seruis, sed etiam seruorum Domino necem inferrent? Vinebat Israël sub iurisdictione Romanorum, vnde de horum consortio, ac contagione tantam hausit immanitatem, vt Domini sui necem perpetraret. D. Chrysologus serm. 100. *Audi*, ait, *ipsum dicentem: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël: sed oues luporum contagione iam rabida, & ipsis bestiis propria feritate fauiores, laniare, & violare semper suum voluere pastorem.* Expende illud: *Oues luporum contagione.* Pro quo vide multa to. 1. 2. & 3. verb. *Societas.*

Matth. 10.

Societas malorum multum nocet. Chrysolog.

83. Quæstio præsens inquirit: Quomodo Christus Dominus, qui in omnium Gentium salutem venit, vt ipsemet dixit: *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet ad me adducere*, Ioan. 10. num. 16. dicat in præsenti, quod non est missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël? Dupliciter soluitur quæstio.

Ioan. 10.

84. Primò. vt docent D. Cyrillus l. 5. in Isaiam, ad illa verba: *Lætare Ierusalem.* S. Eucherius quæstionibus in Matth. D. Ambros. in Psalm. 43. D. Hieronymus, & Beda hic, D. Paschas. lib. 7. in Matth. Quod Christus ait, se esse missum ad oues, quæ perierunt domus Israël, quia ad illas primum venerit, vt inquit Paulus Actor. 13. num. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita. Ecce conuertimur ad Gentes.* Vt enim repellāmur, qui semel electi fuerant amici, valde exacta requiritur comprobatio. Eleganter D. Ambrosius ser. 43. *Offendere dignatus est*, ait, *propositum, quod eos, quos primo elegerat, nequaquam refutare cupiebat, & sæpe denios, & errantes paterno quodam reuocare quærebat affectu.*

Prima interpretatio. Cyrill. S. Euther. Ambros. Beda. Paschas. Hieron. Actor. 13. *Vt electus amicus repellatur, multa exigitur comprobatio.* Ambros.

Deinde ait Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 121: *Omnem Iudæi excusationem præcidere: Quoniam patribus saluti promiserat, ideò ad eos, & ex ipsis venit; ac tamen per Gentiles minimè admittebat priorem illius ingressum seruans. Postquam autem obstinatam Iudæorum improbitatem perspexit, ac contra Gentiles ad bonum flexibiles esse reperit, à mortuis resurgens, Discipulis, vt Gentes omnes docerent, mandauit.* Primò Deus lucrifacere volebat Iudæos, sed cùm ipsi essent obstinati, ad Gentes conuertitur prædicatio.

85. Pelusiota.

86. Secundò, & aptius dicendum est cum D. Augustin. tract. 31. in Ioan. & serm. 74. de temp. D. Hilario. Abulensi, Carthusiano, Caietano, & aliis. Quod Christus Dominus dicitur missus tantum ad Iudæos, vt illis in propria sua persona prædicaret, illisque præsentia sua corporali miracula exhiberet, & ideò ab Apostolo, vt dixi in expositi. *Minister circumcisioni* dicitur. Sic ait D. August. cit. loco serm. 4. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, ait Dominus, vt illis præsentiam sui corporis exhiberet: non vt oues, quas habebat in Gentibus, contemneret.* Cur autem præsentiam suam voluit exhibere potiùs Iudæis, quam Gentibus? Ratio est in promptu, iuxta D. August. citato tract. 31. propter fidem promissionis Abrahæ factæ. Et ideo in regionem Tyri, & Sydonis venit nec vt prædicaret, nec vt miracula faceret, sed vt lateret. Huic autem mulieri gratiam miraculi impertiuit, eius velut importunis precibus coactus.

86. August. Hilar. Abulens. Carthus. Caietan. August. *Secunda interpretatio.*

Christus venit ad docendum Iudæos in propria persona.

87. Valde celebris est quæstio apud Expositores. Cur Doctor Gentium statim in exordio suarum Epistolarum se Apostolum vocat. *Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus*, ad Rom. 1. n. 1. Cor. 1. & 2. & sic in aliis. At in Epist. ad Hebr. nec nomen suum expressit, nec se Apostolum dicit, sed absolutè incipit: *Multifariam, multisque modis*, c. 1. n. 1. Cur de more suo ad Hebræos se non dicit Apostolum? Cur hic nomen suum subticuit? Eleganter Theodoretus in Prologo ad Hebræos apud Oecumen. *Cum Dominus*, ait, *tanquam Dei Omnipotentis Apostolus ad Hebræos missus esset; Paulus qui ad Gentes missus erat, non scripsit se Hebræorum Apostolum.* Erat Paulus Doctor ac Apostolus Gentium; Christus autem Dominus constitutus fuerat à Patre Doctor, ac Apostolus Hebræorum, ideo Paulus ad Hebræos scribens se Apostolum non dicit, eorum enim Apostolus Christus Dominus extabat, vt ipsemet ait: *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.*

Rom. 1. 1. & 2. Cor. Hebr. 1. Theodor. *Christus Hebræorum Apostolus.*

88. Valde mirum, quod Paulus dicatur Gentium Apostolus, quæ in magna amplitudine extabant; & Christus Dominus Æterni Patris filius datus sit à suo Genitore Hebræorum Apostolus, qui erant in paruo numero; & fortè hac de causa dicuntur oues domus Israël, & non regni Israël, ob suam enim paucitatem vel uti vnam domum constituebant. Hæc sanè est diuina conditio, vt sibi minora eligat, aliis verò maiora concedat. Alij dicuntur reges Gentiū, Luc. 22. n. 25. Alexandérque introducitur totius Orbis imperator. Machab. 1. n. 5. Aut Christus Dominus à Magis publicatur Iudæorum Rex, Matth. 2. num. 2. In parabola de oue perdita ait Christus Dominus, quod bonus ille pastor, qui habebat centum oues, cum perdiderit vnam. *Nonne dimittit nonaginta nouem, & vadit ad illam, quæ perierat*, Luc. 15. num. 4. Pro vna oue tantas relinquit, & vnam tantum quærens per tot vias, & montes, pergit D. Chrysologus serm. 168. *Hæc parabola*, ait, *plus diuina*

Christus alia dat maiora sibi minora eligit. Luc. 22. Machab. 1. Matth. 2.

Luc. 15.

Chrysol.

poteſtatis, quam conſuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei poteſtatis eſt, non eſt cupiditatis humanæ. Expende vltima verba pro noſtro inſtituto.

*Matth.*15.n.25. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me.

*Num.*16. qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

VERSIONES.

Syriacus.n 25. Domine mi.

Theophylact. Succurre mihi.

*Syriacus.n.*26. Non decorum eſt, accipere panem liberorum, & obiicere canibus.

Græcus. Non decens, ac conueniens eſt.

Vatablus. Non decorum eſt.

Arias. Non eſt pulchrum, ſumere panem filiorum, & iacere canibus.

*Tertull.lib.*4. *contra Marc. cap.*4. Non eſt bonum, auferre panem filiis, & dare canibus.

ALTER TEXTVS.

*Marc.*7.*n.*27. Qui dixit illi: Sine prius ſaturari filios: non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

EXPOSITIO V.

89. CHANANÆA à Chriſto repulſa non deſiſtit, ſed inſtat *Venit*. Hactenus mulier poſt eum clamabat, non accedens, quia Dominus nolebat loqui; nunc verò quia viderat, Dominum iam reſpondiſſe Diſcipulis, vt ait Abulenſis q.73. et am putauit, quod ſibi reſponderet. Et quamuis vſque modo mulier non prodiret in eius conſpectum, vt notat Euthymius; nunc autem coram eo venit. Vt Diſcipulis; qui ob eius importunitatem, quia clamaret poſt eos, nunc venit in præſentia, vt magis ſuam importunitatem exprimeret, vt quæ ob ſuam inſtantiam cœperat habere rogatores, ex ipſa importunitate donum obtineret. *Adorauit*. Supplex procidit ad pedes eius, vt ſcribit Marcus.7.n.25. Sperauit honoris, ac humiliratis officiis benignitatem promereri. *Domine* Deum confitetur. *Adiuua me*. Non ait, vt notat Carthuſianus, & Palacius, ſana filiam meam, ſed adiuua me; calamitatem filiæ propriam reputabat. Et ait, *adiuua me*, ſciebat enim, quod ſolum ſuo adiuuamine ſalutem aſſequi poterat; & quod, ſi ipſe ſuo adiuuamine inciperet, ſanitatem perficeret.

Abulenſis.

Euthym. *Sequi viam vtilem.*

Marc. 7.

Carthuſ. Palac.

90. Græcus. *Qui reſpondens ait*: Hæc eſt ſecunda Chananææ repulſa, & durior priore; illam enim canem vocat. *Non eſt bonum*, id eſt, vt habet Græcus, *non eſt decens, & congruum*. Princeps ex decentia, & congruentia debet operari. *Sumere Panem filiorum*. Cum filios nominat, patrem ſe dicit. Panem, gratiam ſcilicet Euangelij, ac miraculorum. Euthym. *Panem dicit ſanitatem, non corporum tantum, verum etiam animarum*. De ſacra Euchariſtia interpretatur D. Theophylus lib.1. in Euangel. *Panem corpus ſuum dicit*. Per filios autem Iudæi ſignificantur. Exod.4.num.21. Pſalm.147.n.8.& 9. Iſaiæ.1. num.1. Gratia enim Euangelij ſolis Iudæis, tanquam fidelibus, & erat promiſſa. Vnde, iuxta D. Marcum, ait Chriſtus, *ſine prius ſaturari filios*, hoc eſt, prius ſanem omnes Iudæos ad me venientes, meamque opem expoſtulantes. *Et mittere canibus*, ſcilicet Gentilibus (é quibus erat hæc mulier;) erant enim hi à Dei cultu alieni, & valde impudentes, cum publica idolorum fornicatione. Deſignatur, quod Iſraëlitæ tunc in Dei familia id reputabatur, quod in hominis familia ſunt filij; gentiles autem, quod in homines familia eſt quid abiectum, vtpotè canes; quales erant omnes Gentiles, præcipuè Chananæi, apud Hebræos, vt notant Theophylactus, Abulenſis q. 75. Tamen breuiter Iſraëlitæ malitia ſua, vt canes ſunt habiti, Pſalm.21.num.17. Philip.3.num. 2. Gentiles verò Dei gratia in filios electi, vt aſſerit D. Chryſologus ſerm.100.

Euthym.

Panis ſacra Euchariſtia. Theophyl. Exod.4. Pſalm. 147. Iſai. 1.

D. Marcus.

Theophyl. Abulenſ. Pſalm.21 Ad Philip.3 Chryſolog.

QVÆSTIO X.

Quare Dominus tanta aſperitate reſpondit huic mulieri, vt eam canem appellet?

91. RE s magna ponderatione digna, quòd piiſſimus Ieſus huic afflictæ mulieri, in qua tot, tantæque virtutes reſplendebant, tam rigidè reſponderit. Vnde Origenes homil. 7. de Diuerſis, dicit: *Latronem liberaſti, meretricem virginibus prætuliſti, & ſolam miſeram hanc mulierem deſpicis deprecantem? Quid eſt hoc verbum, inauditum miraculum.* Valde mira eſt hæc Dei reſponſio, permittentis, fidelem mulierem tanta auguſtia premi, & cruciari.

91. Origen.

Ratio difficultatis.

92. Reſpondet primò Theophylactus, *Chriſtus canem illam dixerat, eo quòd Gentilis impuram ageret viam, & in ſanguine idolis immolatorum verſaretur.* Vel vt ait Chryſoſtomus, *eſui ſanguinis erant dediti*, quod lambendo canes præſtant. Tamen huic rationi obſtat, quòd mulier iam Gentilium cultum reliquerat, totáque in animam fidelem erat conuerſa.

92. Theophyl.

Chryſoſt.

93. Secundò Abulenſis q. 76. ait, quòd Chriſtus non dixit hoc, ad oſtendendum, quod nihil dandum erat de pane canibus: ſed vt indicaret, quod non decebat tam citò ſubuenire canibus, ſicut & filii; & quia tunc erat tempus, quo prouidebatur Iudæis qui filij reputabantur, adhuc non erat tempus impertiendi canibus, id eſt alienigenis, ſed poſtea exhibendum erat illis. Quod expreſſit D. Marcus, *ſine prius ſaturari filios, non enim decet ſumere panem filiorum, & mittere canibus*: id eſt, quandiu paſcuntur filij, non eſt panis canibus dandus, ſed poſtquam illi ſaturati fuerint, quod illis ſupereſt, dandum eſt canibus: Ita Chriſtus docebat Iudæos, & miracula inter eos faciebat; adhuc non erat expletum tempus, Gentium prædicationi reſeruatum: Omnia enim ſuo debito, ac proportionata tempore ſunt præſtanda.

93. Abulenſ.

D. Marcus.

Omnia ſua opportuno tempore exhibenda.

94. Tertiò D. Baſilius Seleucus orat.20. *Niſi enim.*

94. Baſil. Sel.

ait,

ait, *talis fuisset mulier fortè inhumanitatis, aut impotentia Saluatorem condemnans audisset.* Et post pauca subdit: *Ab ea insuper tunc dictu spes excussit concepto mœrore? Canis in tanta hominum multitudine audio.* Percepit mulier Christi verba, quibus se audit canem appellari; deinde videbat repulsam suam, ex qua multum mœrorem conceperat: & tamen in blasphemias non erumpit, sed patienter sustinet. Ex quo conijce magnitudinem animi mulieris. *Nisi enim talis fuisset mulier, fortè inhumanitatis, aut impotentia Saluatorem condemnans audisset.* Animus mœrore affectus, depositа spe, multa incomposita temerè dicit, & eructat. Tristabatur Cain de bono fratris, de crimineque perpetrato in eius morte dicebat? *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam mereat*, Gen. 4. n. 13. D. Antiochus hom. 27. de Desperatione: *Desperationis perturbatio*, ait, *cæteras passiones facilè anteit, grauitate, & inexplicabili angore; hominem præcipitat in infidelitatis barathrum adeò inclementer, vt nihil illi reliquum faciat sperandæ salutis.*

Spe depositа animus multa incomposita dicit. Genes. 4. Antiochus.

95. Chrysost. Ad Philip. 3. D. Thom. Isai. 56. August.

Quartò D. Chrysostomus hom. 17. ex variis in Matth. *Hæc autem*, ait, *ad opprobrium dicebantur Iudæorum, qui filij vocati, canes effecti sunt, dicente Paulo*: Videte canes, videte malos operarios. Ad Philipp. 3. num. 2. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Hoc prolatum est in confusionem Iudæorum; qui cum antea essent filij cæteræ verò Gentes, velut canes; malitia sua meruerunt à filiatione Dei deturbari, & in miseram canum conditionem degenerantes deuenire. Ad citatum Pauli locum quandam Glossam refert D. Thom. quæ ita habet: *Natura canis est, vt statim ex ira latret, non ex ratione, sed ex consuetudine*, Isai. 56. num. 10. *Canes imprudentissimi nescierunt saturitatem ipsi pastores nescierunt.* Et citatum locum Pauli versans D. Augustinus lib. de gratia Noui Testamenti: *Canes*, ait, *appellauit non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantes: hæc enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni, siue mali sint, non ad eos latrent; insolitis autem personis visis, etiam innocentibus irritentur.* Et aliis multis canum naturam in illa gente prosequitur; quæ ex eo comprobatur, quod rabie, & furore excandescens populus ille in Dei filium, non aliunde prouocatus, nisi quia nouam doctrinam, in veteri lege sub cortice litteræ contentam, attulit, siue aperuit, & declarauit.

Iudæi tanquam canes rabidi.

96. Chrysost.

Quintò D. Chrysost. homil. 54. sic ait: *Tu humilitatem illius mecum admirare: nam, cum ipse Iudæos filios appellasset, adeo procul aberat, ne linore laudis contaminaretur, vt maius adiecerit, atque dominos nuncupauerit. Nam & catelli edunt de mensa dominorum suorum.* Tam durè respondet Dominus, vt non solùm fides, ac humilitas mulieris manifestaretur, sed etiam vt illius magnanimitas patefieret: nam, cùm audisset, alios, nempe Hræos, in tantum sublimari, vt filij nuncuparentur; tamen illorum laudis, ac gloriæ inuidia minimè est mulier cõtaminata, sed potius eorum glorias magis decantat, vt etiam dominos fateatur; in quo maximè animi huius fœminæ celsitudo declaratur, cum aliorum laude nulla tabescat inuidia. De Romanis ait Iudas Machabæus: *Non est inuidia, neque zelus inter eos.* 1. Mach. 8. n. 16. Zelus, id est, æmulatio, vt explicat Cornelius. Quæ de ipsis dicuntur, cum totius Orbis dominatum tenerent; & nulla erat inter eos inuidia. Exrabant illi totius Orbi domini, & principes, ac proinde, vtpotè magni, nullo liuore inficiebantur. Parum enim occidit inuidia, Iob. 5. n. 2. Iob 11.

Magni viri est, nullam habere inuidiam. 1. Mach. 8. Cornelius.

97. Basil. Sel.

Sextò D. Basilius Seleucus orat. 20. *Mater*, ait, *pro filia rogans tulit repulsam. Sed ô sapientiæ fons! Idcirco Chananæa supplicantis moras iniecit, quia illa dilationis impatiens acclamaret Domine, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum.* Centurio verò dixerat: *Domine non sum dignus*, Matth. 8. n. 8. Tot moras nectit Dominus cum Chananæa, cum valde propere se exhibuisset Centurioni. Vnde tanta rei differentia? Centurio venerat suam indignitatem recognoscens: *Domine, non sum dignus.* Mulieri verò maximè differt in postulatis concedendis, quoadusque illa se deiiceret ad canis humilitatem: *Nam & catelli edunt*, &c. simúlque cum sua deprecatione, qua *clamat post nos*; coniungeret humilitatem, vt gratiam promereretur accipere. Eccles. 25. n. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet non consolabitur: & non discedet donec altissimus aspiciat.*

Matth. 8. *Oratio cum humilitate valde efficax.* Eccles. 35.

98. Matth. 26. Græcus. *Oratio cum humilitate ad Patrem volat.* Origen.

Meus Iesus in Horto. *Progressus pusillum procidit in faciem suam orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste* Matth. 26. num. 39. Feruidè, ac vehementer orabat omnium Redemptor, itaut è vultu eius guttæ sanguinis caderent in terram. Ad quid *procidit*, seu, vt habet Græcus, *cecidit in faciem suam*? Oratio dilectissimi filij non sat erat, vt exaudiretur à Patre: Ad quid vltra prosternitur? Sciebat omnium Magister, quod oratio cum humilitate coniuncta efficaciter euolat, ac multum penetrat ad Genitoris sui thronum: vnde cùm deprecatur, humiliantis se ad terram formam induit; ac exprimit. Origenes apud Catenam D. Thomæ, *Laudabiliter*, ait, *se humilius cadit in faciem; vnde sequitur, procidit in faciem suam orans, & dicens: Mi Pater, si possibile est*, &c.

99. Ionæ 3. *Oratio cum humilitate fundata.*

Imminentem ciuitatis interitum Niniuitis denunciat Ionas. Quo audito, *Rex indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit: Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine*, Ionæ 3. n. 6. De vrbis subuersione nuntium percipit Rex. Cur non statim præ animi dolore erumpit in voces; sed prius induitur sacco, & sedet in cinere? Cur & similiter homines, cùm illa audiunt, non statim gemitus, & preces fundant, sed prius eis mandatur: *Operiantur saccis, & clament ad Dominum?* Alto sanè regimine gubernabatur Rex, vt tam ipse, quàm eius conciues sub contemptibili, ac vili indumento deiecti, clamarent ad Dominum: Valde enim fortiter ex humiliatione profertur oratio. Victor Cartennensis lib. de pœnitent. c. 6. *Omnes*, ait, *audiebant per mœnia Niniue ciuitatis diffarium naturarum, & per omnia tecta vrbis flebilia resonabant lamenta plangentium. Impletum est, quod scriptum est. Oratio humiliantes se nubes penetrabit. Denique sic placauit offensum Deum, sic miserum fecit.* Victor. Cart.

QVÆSTIO XI.

Quare Dominus tantis cunctatur cum Chananæa?

100. VALDE mirum, quòd Dominus tãtas moras connectat in huius mulieris petitione annuenda, cum, qui citò dat, bis det. Illa sequitur

per viam; ille abſens fugit: illa clamat; ille tacet: illa ad pedes prouoluta humiliter deprecatur; ille ſeuer repulſam impingit. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum*, &c. Si Domine in has terras donaturus aduenisti, ad quid huic afflictæ miſereri differs? Pulchre D. Baſil. Seleuc. orat. 20. *Parturiem*, ait, *donationem veram laxare ſtudet, licèt ardentius ipſe dare deſideraret, quam, qua adulcubatur genibus, accipere.* Expende verbum, *Parturiens donationem*: quod dolores parientis innuit. Deus vehementius deſiderat nobis concedere, quam nos accipere; tametſi aliquando ex grandi myſterio differat. *Parturiens donationem*: ſicut mulier partus doloribus angitur, ac cruciatur, dum gemitum non emittit; ſic quodammodo, vt ita dicam, Chriſtus, dono non edito, cùm pia, & fidelis anima petit.

Baſil Sel. — *Chriſtus quodammodo angitur, dū noſtris poſtulatis nō annuit, ſed differt.*

101. De hac ergo myſterioſa mora nobis eſt inquirendum. De quæſtione autem inter hanc fœminam, & Centurionem, cuius petitioni citò Chriſtus annuit. V. de tom. 3. cap. 11. q. 11. Ad præſentem quæſtionem.

102. Reſpondeo primò. Quod Deus aliquando differat dona ſua largiri, vt noſtra virtus, fides, patientia, ac perſeuerantia, & humilitas declaretur. Ait Deus Abrahamo: *Faciámque te in gentem magnam & benedicam tibi*, Geneſ. 12. num. 2. Cur Deus non ſtatim promiſſa dona concedit, ſed in longum tempus differt, ſpes enim, quæ differtur, affligit animam? Ad quid ergo tantum tempus interponitur? Ita Deus alta ſua diſpoſitione ſe ſolet exhibere, vt doni dilatione magis virtus exerceatur, ac probetur. D. Chryſoſt. hom. 31. in Geneſ. *Cum promiſſionem*, ait, *promiſſionibus adiunxiſſet, iterum paruam moram facit, & differt, vt hac potiſſimum ratione Patriarcha pietas demonſtretur.*

Geneſ. 12. — *Dilatione dū virtus exercetur.* — Chryſoſt.

103. Secundò multum ponderandum, quanta cum mora ſe Chriſtus habeat erga hanc mulierem. Primò non reſpondit ei verbum. Secundò rogatus ab Apoſtolus ait: *Non ſum miſſus, niſi ad oues.* Deinde cum ipſa clamat: *Adiuua me*: magnam dat repulſam: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum*, &c. At poſitus in Cruce ad vnum verbum Latronem exaudit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*, Luc. 23. num. 42. Cur tam incunctanter cum Latrone; tam morosè verò cum hac muliere? Chriſtus Dominus ſeceſſit in partes Tyri, & Sydonis, veluti ſingularem perſonam, ac priuatum doctorem repræſentans, vnde & ibi latere voluit, vt ait D. Marc. 7. n. 24. At in Cruce diſtentus pubi cum regem, iudicem, ac magiſtrum præferebat, vt ait Godfridus ſerm. 5. de Reſurrectione Domini: *Verè poſitus in Cruce Dominus iudicabat, iam agnos ab hœdis regia poteſtate ſeparabat; vbi Latronem alterum in dextris poſitum vocauit ad gloriam: alterum poſitum in ſiniſtris in pœna dimiſit, cenſura iuſtitiæ.* Vnde & nobis magnum datur documentum. Quod ſi veluti dura perſona priuata exiſtit, in pauperum petitionibus lentùs ſe exhibeat, tolerandum. At verò, cum vt iudex, & rex ſe habet, afflictorum precibus indilatè opituletur, pauperémque iuuet: ideo enim honoratur rex vt miſeris conſulat, nullàſque in cunctatione habeat excuſationes. Hinc Chriſtus, cum veluti particularem gerit perſonam, non in momento indutus ſit Chananææ: in Cruce vero, vt publicus rex, citò ſubuenit Latroni.

Luc. 23. — D. Marcus — Godfrid. — *Rex citò ſubueniat miſerorum caſui, ac poſtulationibus.*

104. Æternum Verbum per Dauid canit: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, Pſalm. 44. num. 2. ſeu, vt alii legunt *Feſtinanter, ſeu promptè loquentis.* Æternum Verbum Æterni Patris lingua, per quod ipſe Pater dixit, & fecit omnia. vt in citato Pſalmo interpretantur D. Auguſtinus, D. Hieronymus, D. Chryſoſtomus, S. Thomas, noſter Incognitus. Sic ait D. Paſchaſius in expoſitione huius Pſalmi. *Vox Patris continuatur, qui prædicat de Filio, quod ei ſua indicet opera, iuxta illud: Ipſe dixit, & facta ſunt.* Quomodo tanta agilitas in hac voce proferenda? Solemniter ſolent graues perſonæ, vt reges, ac dynaſtæ, morosè, ac cunctanter loqui. Sic & ſapientum mos eſt, vt circunſpectè tardi, ac moroſi ſint in ſua declaranda mente. Cur ergo Æternus Filius tam feſtinus, ac celeratus in dicendo? Introducitur ipſe, vt totius Orbis Rex? *Dico ego opera mea Regi*: Valde ergo conuenienter, cùm ipſæ vniuerſæ præſtet creaturæ celeratus, & feſtinus in aliorum cauſis audiendis; ac deſudicandis, miſeriſque ſubueniendis exprimitur. Citatus Paſchaſius: *Hoc quippe, ait, eſt, illi dicere opera ſua regi, quod eſt genuiſſe regem, non ſolum per quem crearet omnia, verùm per quem redimeret, & regeret vniuerſa: & ideo hoc in loco potius regem cui ſua indicat opera, dixit nominare*: In hac proportione explicabis id, quod de Chriſto ait Iſai. 8. num. 1. *Velociter ſpolia detrahe, cito prædare.* Ait D. Irenæus lib. 3. c. 18. *Hæc ſunt opera Chriſti*, vtpote Regis, & Domini.

Angeſt. Hieron. Chryſoſt. D. Thom. Incogn. Paſchaſ. — *Rex ſit ſolitus in ſuorū cauſis audiendis, & ſubueniendis.* D. Paſchaſ. — Iſai 8. D. Iren.

Matth. 15. num. 7. At illa dixit; Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

VERSIONES.

Vatablus, Certè Domine etenim.
Theophylactus Etenim catelli comedunt.
Syriacus. Et Domine mi: quinimo canes edunt de micis, quæ cadunt à menſis dominorum ſuorum, & viuunt.
Arias. De micis cadentibus.

Alter Textus.

Marc. 7. *vi.* 28. At illa reſpondens dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli comedunt ſub mēſa de micis puerorum.

EXPOSITIO VI.

105. Euthym. — *Mulier ex dictis Chriſti argumentatum pro ſe confecit.*

Recte ait Euthym. *Quod adeo repulſa Chananæa, non diſceſſit, fidei erat: quod verò ſe catellam eſt confeſſa, humilitatis: quod autem a Chriſti ſermonibus patrocinium ſibi aptauerit, prudentiæ.* Quæres valde mira eſtmam ex dictis Chriſti pro ſe veluti arguendo argumentum fecit. *Etiam Domine*, hoc eſt confirmo, & admitto id, quod dicis; non enim conuenit, vt mihi Gentili præbeas panem filiorum, hoc eſt gratiam miraculorum, Iudæis promiſſam; ſed vtpotè catella, veluti ſtans ſub menſa, cum ſim pars familiæ Domini mei, nutrienda ſum micis filiorum, ſeu domi

dominorum. Sanationem filiæ suæ tanquam micam dicit factam inter Gentiles, collatione cum ingenti copia miraculorum, quæ Christus per singula momenta inter Iudæos perfundebat.

QVÆSTIO XII.

Quare Chananæa canis nomine repulsa, adhuc efficaciter pro filia salute deprecanda instat?

106. DVRAM repulsam Dominus dat Chananææ, eam canem dicens: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.* At illa, tam aspero percepto, non recedit, sed efficaciter instat. *Etiam Domine, nam & catelli,* &c. quòd potiùs humilitatis, quàm fidei videbatur indicium; etsi humilitas hic enituit, multò magis & fides resplenduit. Vnde & Dominus de fide eam laudat. *O mulier, magna est fides tua!* nam canis abiecto appellata nomine, iniuriosam intuita repulsam, fidem conseruat. Hæc magna est fides, illiúsque magna probata celsitudo. A Deo veluti repulsam pati, & Deum exquirere flagellari, & libenter sufferre, affligi, & fidem retinere. Hæc est enim fidei præclara magnitudo. Excellentem virum Marcum deprecabantur quidam amici, vt actione quadam non admodum decora imminens periculum fugeret, minantémque mortem euaderet: Ipse autem sic respondet, vt testatur Plutarchus in eius vita. *Honesta agere, ait; sine periculo, omnibus commune; cum discrimine verò, hoc propriè boni viri officium est.*

Magna fides à Deo pati repulsã, & Deũ sequi.

Plutarch.

107. Secundò D. Ambrosius in c. 16. Lucæ. *Agnouit.* ait, *Chananitis illa mysterium cui dicitur: Nemo tollit panem filiorum, & mittit canibus. Agnouit hunc panem, non panem esse, qui videtur, sed illum, qui intelligitur; & ideo respondet: Vtique Domine, nam & catelli edunt de micis, qua cadunt de mensa dominorum suorum.* Dixerat Iesus, panem filiorum canibus non esse exhibendum. E contra, mulier affirmat, illis porrigendum. Si Christus denegat, quomodo tu mulier affirmare audes? Alta mente mulier attendebat, non ad panem vsualem, cuius similitudinem Dominus exprimebat; sed ad supersubstantialem diuinæ mensæ panem sub cuius figura Dominus hic agebat, vt ex D. Theophylo dixi superiori expositione 5. Cùm ergo mulier perceperit, ibi diuinum illum panem esse intelligendum, statim est argumentata, non solùm pro filiis, dominis, ac principibus esse diuendendum, sed etiam pro seruis, humilibus, ac catellis, si ad patris familiam pertineant. Hæc enim cœlestis mensa nullum familiæ suæ etiam abiectum excludit. *Manducat pauper seruus & humilis.*

Ambros.

Mensa Eucharistica filios, & seruos excipit.

108. Tertiò D. Basilius Seleuc. orat. 20. sic introducit fœminam loquentem. *Canem vocasti,* ait, *cum sim familiæ pars, Domini fruar mensa, inter filios partem micarum adipiscitur canis.* Auditis Christi verbis: *Non est bonum sumere panem,* &c. Non iniuriosam repulsam cogitat mulier, sed magnam concipit spem. Canem se mulier audit appellari: ex quo sagaciter, ac prudenter magnam sibi intulit felicitatem. Canis est pars familiæ domini, & licet ad mensam domini non accumbat, tamen cadentibus micis è manu Domini pascitur, ac nutritur. Tam liberalis enim est manus Dei, vt dum filiis porrigit panem sinat etiam assistentibus canibus decidere micas. Tam copiosa est Dei misericordia, vt, dum ad quosdam diffunditur, etiam ad vicinos, ac proximos se extendat. *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum; secundùm magnitudinem brachij tui possîde filios mortificatorum;* Psalm. 78. n. 12. Pro sanctis Martyribus exorat Ecclesia, qui per Apostolorum prædicationem in Christo sunt regenerati. Et statim subdit: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* Vt inquiunt Angelus, Brunonius, Noster Incognitus, *Non contra illos, sed pro illis rogat Ecclesia.* Non vltionem, sed misericordiam Dauid exorat; sciebat enim Dei benignitatem, quæ nescit in vnum se diffundere, quin etiam stagnet in alios.

Misericordia Dei sic in vnum desinit, vt etiã se porrigat ad alios.

Psalm 78. Angel. Brunon. Incogn.

Quarto D. Basil. Seleuc. orat. 20. sic in persona Chananææ loquitur: *Etiam Domine, contumeliam teneo curationis pignus. Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Spondet mihi salutem canis appellatio.* Reiicitur mulier vt canis; & inde magno feruore concepto validius instat. Vnde tanta mulieri spes? Ex ipsa sanè contumelia: sciebat enim, quod, vbi amor viget, seueritas, ac asperitas, est benevolentiæ, ac gratiæ pignus. Cùm ergo diuini amoris diuitias agnosceret, ex ipsa contumelia indulgentiam gratiarum coniecturam. Deinde quia optimè præcallebat, quòd Deus illa contumelia non affligit, vt deserat, sed vt probata potentia magna dona conferat.

109. *Basil. Sel.*

Seueritas in amante, benevolentiæ pignus.

Cùm portantes frumenta fratres discederent ex Ægypto, mandauit Ioseph suo procuratori: *Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore sacci iunioris,* Genes. 44. n. 20. Postea verò cùm ex Ægypto profecti parum itineris haberent, comprehensi in via de furto arguuntur. Inito pacto, quod apud quem fuisset inuentus, moreretur; apertis omnium saccis, apud Beniamin repertus est scyphus. Qualisnam omnium perturbatio? Qualisnam angustia, ac afflicto animum Beniamin cruciabat? Veluti reus astringitur, seuerúmque ante iudicem defertur, ac in perpetuam damnatur seruitutem. Ad quid huiusmodi rerum tragœdia? Ad quid tot pressuras, afflictiones, ac opprobria congerunt in dilectissimum iuuenem? Non sanè vt opprobria, ac afflictiones, sed vt certissimum gratiæ pignus, quam breuiter erga illos erat exhibiturus, vt fratres scilicet suos recognoscens, eosque apud se retinens, & honorificans. D. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 16. *Reum flauit rapina,* ait, *vt obsidem teneret gratia.* Et D. Gregorius homil. 22. in Ezech. *Mitis,* ait, *vt reducantur addicti in seruitutem. O tormenta misericordiæ!*

110. *Genes. 44.*

Inducitur afflictio, vt conferatur gratia.

Ambros. Gregor.

Ait Oseas c. 6. n. 2. de Deo: *Ipse cœpit, & sanabit: percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: in tertia die suscitabit nos.* Expende verbum, *percutiet, & curabit nos, viuificabit nos.* Nam percutio, & flagellatio signum est nostræ curationis, ac viuificationis, quæ suscitabit nos. Pro quo expende locum Ioannis 2. num. 15. quod ingressus Iesus templum, cum inuenisset vendentes; & ementes, facto flagello omnes eiecit è templo. Et statim subdit: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Per templum intelligit suum corpus mysticum, vt in sensu morali interpretatur D. Dionysius Alexandrinus Epist. contra Paulum Samositan. q. 3. vt retuli tom. 2. cap. 2. q. 17. num. 87. vbi de vero sensu morali egi: nunc sententiam Dionysij prosequamur. Quare post homines opprobrio, ac flagellatione eiectos, statim de ipsorum hominum gloria, ac resurrectione

111. *Osee 6.*

Ioan. 2.

ne ingerit sermonem? In amantissimo Iesu illa iniquorum flagellatio, erat in iustos velut gratiæ, ac benevolentiæ pignus: illáque percussio malorum quodammodo obses erat exaratæ unis bonorum. D.Paschasius in Psalm. 44. *Cum sanit, ait, divina ira, ipsamet Dei bonitas, eius pietatem, ac clementiam magnopere declarat.*

Suavitas in Iesu clementia obses Paschas.

QVÆSTIO XIII.

Quare mulier Iudæos dominos appellat, se verò canem dicit?

112. IN hac sua locutione prudens mulier ait: *Etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Iudæos filios, ac dominos appellat, vt notarunt D. Chrysostomus homil. 53. *Vide*, ait, *magnitudinem animi, atque constantiam, filios ipse Iudæos vocavit, illa dominos.* Hoc enim bona fœmina ex sequela, ac halitu Iesu hausit, vt alios tanquam Dominos recognosceret, ac veneraretur. Vel cum eos accumbentes audivit ad mensam Domini, ipsos tanquam dominos, ac principes recolit: illa enim cœlestis mensa dominos, ac principes creat, & constituit. Vide tom. 3. cap. 35. num. 91. & 284. 285. & 286.

Chrysost.

Ex spiritu Christi alios recognoscimus magnos. Christi mensa dominos facit.

113. Secunda quæstionis pars inquirit. Quare mulier se catellum dicit: Pro quo primò sapienter, ait D. Chrysostomus homil. 33. *Vide*, ait, *prudentiam mulieris? Vide, quomodo non contradixerit, nec aliorum laudibus doluit, nec quia contemni videbatur, molestè tulit.* Magna, & mirabilis mulieris prudentia: nec aliena laude, nec proprio contemptu aliquam invidiam, de quo suprà q. 12. nec aliquam animi molestiam perpessa est, sed semper firma, & stabilis stetit, nullâque in se illata contumelia commota est.

Chrysost.

Animi magnitudo nullo opprobrio commovetur.

114. Secundum filius sagacitatem multis admiratur D. Paschasius lib. 7. in Matth. *Non solùm*, ait, *non refugit se canem vocari, verum proponit humilius; catellos nonnè quam de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, quàm frequenter edere, sicque opprobrium sibi illatum vertit efficaciter in supplicationis suæ blandimentum.* Tantum abest vt mulier, data repulsa, canis appellatione conquesta sit, quod potius se humilius quid dicat, nempe catellum, totúmque opprobrium illatum vertit in supplicationis suæ argumentum. Nam Domini est, catellos suos de magnifica sua mensa alere; ac proinde, vt catella, particeps debet fieri magnitudinis Domini sui.

Paschas.

Prudentia opprobrium vertit in suum argumentum.

115. Tertiò D. Hieronymus, *Scio me*, inquit Chananæa, *filiorum panem non meruisse, nec integros posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum Patre, sed contenta sum reliquiis catellorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.* Cognoscit vilitatem ac indignitatem suam, quod non panem integrum, sed tantum micas promereatur; per istam tamen humilitatem sperat ascendere ad mensam, vt integro filiorum pane fruatur. Ecclesiasticus 3. n. 30. *Quanto magnus humiliare in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Godfridus in Allegoriis Tilmani, *Humilitas*, ait, *sine honore ipsa sufficit ad honorem; honor verò sine humilitate se producit ad confusionem.*

Hieron.

Recognitio propria humilitatis ad altiora ascensus.

Eccles. 3.

Godfrid.

116. Quartò D. Antonius Vlyssiponensis in feria 5. post Domin. 1. Quadragesi. *O stupenda*, ait, *& humilitas, & constantia mulieris! Christus eam vocavit canem, & ipsa sibi hoc nomen noluit arrogare, quia canis aliquid habet industriæ, quia cognoscit dominum suum, & ipsa non præsumpsit hoc dicere. Rē dominum custodit, & furis ingressum arcet, & etiam matrem tegit. Hæc non sic de se dicit, quia nec dominum conscientia custodire se fateri voluit, nec latratum confessionis habere, quo hostis depellatur, sed se nominavit catellam.* Magna sanè humilitas, ac prudentia mulieris: à Christo appellata est canis; ipsa se catellum profitetur. Canis multa obsequia erga dominum præstat; ipsum agnoscit, atque custodit; aduentumque furis prohibet. At catellus vberibus matris alitur. Hæc autem mulier, quamuis Christi diuinitatem profiteatur, sicque dicat: *Domine fili David*; nullum tamen in se erga Dominum recognoscit obsequium, sed solum magnam in se miseriam habet; vnde clamabat: *Miserere mei*; proindéque tota ad Domini benignitatem confugit.

Ant. Vlyssip.

Magna humilitas, quæ nullum in se meritū recognoscit.

117. Quintò D. Chrysostomus homil. 17. ex variis in Matth. in persona mulieris sic loquitur: *Non respuit opprobrium*, ait, *tantum accipiam vel escam panis. Tu fac, quod debetur cani: quia canem me vocas, da mihi micas. O Domine, aduocatus meæ factus es postulationis, abnegando promittis.* Quid elegantius? Preme vltima verba: *Abnegando promittis.* Dominus mulieri dat repulsam, & canem dicit: inde ipsa argutè cum recognoscit suæ petitionis aduocatum? nam si canis, alendus est è mensa Domini; proindéque tantam recognoscit Christi benignitatem, quod etiam, dum denegat, petitum concedit. *Abnegando promittis.*

Chrysost.

Dei liberalitas etiam, dum denegat, promittit.

118. Pro qua magnifica Dei pietate, ac liberalitate eleganter dixit Tertullianus in Scorpiaco cap. 5. *Deum verò, & quidem zelotem culpandum existimabis, si voluit certare cum causa, & iniuria æmulando prodesse, mortem morte dissoluere, occasionum occasione dispergere, tormentis tormenta discutere, supplicia suppliciis evaporare, vitam auferendo conferre, carnem lædendo iuvare, animam eripiendo servare; perversitas, quam putas, ratio est; quod, sævitiam existimas, gratia est.* Perpendera vltima verba, & illa: *iniuria æmulando prodesse.* Eximia Dei bonitas, & pietas, quæ dum inferre videtur sævitiam, gratia est; dum mortem infligere, vitam largitur; dúmque supplicia diffundere, illa dissipat, ac exulare facit.

Tertull.

Ex Deo aliquando sævitia gratia est.

119. Fabricato ac adorato vitulo ab Israëlitis, ait Deus Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Exod. 32. num. 10. Quisnam est iste modus loquendi? Deus omnibus dominatur, à nulla creata manu impediri, ac detineri potest. Quid est ergo, quod ait seruo suo: *Dimitte me*: hoc est, vt habet communis interpretatio, cessa ab oratione tua; noli pro eis intercedere, sic habet Chaldæus: *Dimitte deprecationem tuam.* Si Deus minatur denegationem veniæ, & inflictionem pœnæ, ad quid ait Moysi, vt suam orationem dimittat, tanquam quod Deus illa impediatur? Ad quid ergo tendit iste loquendi modus? Vt ostendatur Dei clementia, quod dum videtur, se velle veniam denegare, & supplicia diffundere, indicat viam, vt veniam concedat, & supplicia auferat. D. Augustinus quæst. 14. in Exod. *Licet eos* ait, *diligeret Moyses, tamen illos occultius Deus diligebat, dum manifesta voce terrebat, qui scilicet illud, Dimitte, monendo dixit.* Et D. Greg. Magnus lib. 9. moralium cap. 12. *Quid est aliud, Dimitte me, quam deprecandi ansam præbere?* Dicis Moysi, vt cesset

Exod. 32.

Chald.

Deus dum minatur supplicium, venia ansam ostendit.

August.

Greg. Mag.

cessset ab oratione, vt inde ipse magis excitetur ad orandum, vt sic Deus veniam concedat, & suppl cia intermittat.

QVÆSTIO XIV.

Quare mulier è mensa Domini sui micas tantum petit?

120. Theophyl. *Ratio litteralis.*

VNAM micam è mensa Domini petit mulier, hoc est, vt iam dixi in expositione, & notauit Theophylactus, non postulat mulier, vt apud ipsos Gentiles, & Tyros fiant illa magna mirabilia, illaque ingens miraculorum copia, quæ apud Iudæos facta sunt; sed vt tantum apud ipsos Tyros è mensa Domini excidat vna mica, nempe sanitas filiæ suæ à Dæmonio liberatæ. Quare autem Chananæa micas petit, Magdalena vero totum vitæ panem est amplexata? disputaui tom. 2. c. 15. q. 16.

121. D. Nazanz. *Vehementer esuriens quid minutè appetit.*

Secundò D. Gregorius Nazianzenus Orat. in Epiphaniam. *Quid denique*, ait, *Chananæa more deprimitur, misericordiam implorat, & micas deposcit, hoc est canis vehementissimi fame corrupti pabulum.* Si mulier magna fame premebatur, cur non petit panem integrum, aut saltem partem panis? Cur tantum quid minutissimum? Dicam. Primò. Per hoc declarabat mulier vehementiam suæ famis. Qui enim grauiter esuriunt, vel sitiunt, non res magnas, sed quid minutum exoptant; Vt helluo cum peracuta siti in inferno cruciaretur, Lazarum in sui solatium desiderabat, petens solum, vt intingeret extremum digiti sui in aquam ad refrigerandam linguam eius. Luc. 16. n. 24.

122. D. Hieron. *Temporalia dantur per partes, solus Christus integer.*

Tertiò D. Hieronymus, iam alia consideratione supra datus. *Scio*, ait, *me filiorum panem non meruisse, nec integros capere posse cibos, sed fœnenta esse reliquiis catulorum.* Admirabilis mulieris acumen! scit enim in sua entitate quid temporale, & humanum optat, perbellè dicit, se non posse integros capere cibos; solus enim Christus integer datur; cætera verò omnia scinduntur in frusta, comminuuntúrque in micas. Vel hæc dicebat mulier ex verecundia, ac humilitate, qua se reputabat indignam, vt explicaui superiori quæstione.

123. Basil. Sel. Luc. 11. *In vna mica panis Christus integer ipse accipitur.*

Quartò D. Basilius Seleucus Orat. 20. *O mulier magna est fides tua*, ait, *Ideo tibi gratificari distuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem. Totam tibi curationis meæ summam explico: non vt canis micas, sed vt filia totum panem largior.* Mirabar sane, cur mulier micas peteret, cum aliàs integro pane indigeret. Cur non pro integro pane instat, vt ille amicus pro tribus panibus media nocte Luc. 11. num. 8. Cur totam Dei potentiam ad tantum perperrandum opus non expostulat? Agnouit mulier Christi ingenium, qui nunquam sui micam exhibet, quin etiam se totum præbeat. Firmiter credidit mulier, quod si è mensa Domini vnam micam acciperet, totam cælestem mensam ellet acceptura; in qualibet enim diuini panis portione integer Christus communicatur: *Non vt canis micas, sed vt filia totum panem largior*, non enim ipse parcita dona largitur.

124. D. Ambros. *Quæ à Christo veniunt, omni bono replent.*

Quintò D. Ambrosius lib. 8. in Luc. cap. 16. *O vbertas micæ*, ait, *quæ repellit à ieiunium sempiternum, quæ colligentem pauperem æterno expletis alimento!* Magna, & peracuta fame laborabat mulier, vt in secunda ratione dixi ex Nazianzeno; & tamen ad expellendam Dæmonum potestatem solũ micas è mensa Iesu postulat: pro certo enim habebat, illas venire non posse micas, quin omne simul ie unium, ac desiderium repleretur, omnémque beneficiorum vbertatem conferrent.

125. *Panis Christi dat omne bonum, & depellit omne malum.*

Sextò ad eadem Ambrosij verba. Non petit mulier è mensa Domini piscem, vel ouum, vel poma, sed panis micas. Cur potius micas panis petit, quam aliud edulium? Diuini panis Christi micas desiderabat mulier, vt iam dixi; sciebat enim, quod vna mica viuifici Sacramenti abundantissima erat ad quamcumque famem depellẽdam, Dæmonésque fugandos, omnéque bonum conferendum. *Dominus præcedebat Israel per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis.* Exod. 13. n. 21. Cum Apostolus dicat, quod omnia in figura contingebant illis, rectè Drogo Hostiens. libello de Sacramento Dominicæ Passionis, interpretatur hæc, quod præcesserint in typo Corporis, & sanguinis Domini in Sacramento Altaris; sicut enim Dominus occultabatur in nube; sic caro, & sanguis Christi in viuifico mysterio nube accidentium tegitur, & absconditur. Sed cur potius per diem in nube, quam per noctem? Et cur per diem in nube, per noctem in igne? Nubes in die custodit ab æstu, ac ardore: Ignis verò in nocte illuminat, ac propulsato frigore calefacit: sic caro, & sanguis Christi in sacramento, velut nubes in die nos protegit, ac tuetur ab æstu tentationum luxuriæ, Auaritiæ, ac concupiscentiæ, & tanquam ignis in nocte illuminat intellectum, & inflammat voluntatem diuino desiderio, ac amore. Citatus Drogo Hostiensis. *Quæ nubes*, ait, *quæ præcedit vires Israelitas, nisi verissimum, & sanctissimum corpus tuum quod in altari sumimus, in quo velatur nobis altitudo Dei, immensitas maiestatis tuæ?* Et postea subdit. *Mediatrix nubes interposita, & ardorem temperat desuper, & tutam subitus te viam præmonstrat.* Vide tom. 3. Verbo *Eucharistia*, *Effectus illius.*

Exod. 13. *Sacra Eucharistia custodit à tentationibus, & illuminat mentem.* Drogo.

126. Vict. Ant. *Minimum Dei donum ætat vniuersum.*

Septimò. Victor Antiochenus in c. 7. Marci: Nam & catelli edunt de micis. *Minimam virtutis illius partem*, ait, *hoc enim mica nomine significabatur ad præstandam integram filiæ sanitatem, arbitrata est.* Integram, & perfectam filiæ salutem mulier vehementer petebat; & tamen è Christi mensa, non integrum panem; sed vnam micam quærit. Optimè illa nouerat, quod vna mica è manibus Dei abundantissima erat ad totam integram bonorum plenitudinem conferendam.

127. Cantic. 5. D. Nyssen. Catena trium Patrum. D. Ambros. D. Paulinus. Aponius. Carpathius. Richard. de S. Victor. Isaiæ 26. Ioan. 7. Psalm. 23.

Ad ostium Dilectæ pulsat Christus: *Aperi mihi, qui caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cantic. 5. num. 2. Per rorem ac guttas noctium, gratiam, ac cælestia dona interpretantur D. Gregorius Nyssenus, homil. 11. Catena trium Patrum, D. Ambrosius lib. de Virginibus, D. Paulinus Epistol. 4. ad Seuerum; Aponius, Philo Carpathius, Richardus de S. Victore, & alij iuxta illud Isaiæ 26. n. 19. *Ros, qui a te est, est illis curatio.* Ros, & gutta quid minutissimum est: quomodo ergo cælestia dona sic nuncupantur, cùm aliàs flumina, ac maria dicantur: *Si quis, sitit, veniat ad me, & bibat, & flumina fluent de ventre eius*: ait Christus Ioan. 7. n. 37. Et Dauid: *super maria fundauit eam.* Psal. 23. n. 2. si maria, & flumina, quomodo gutta, vel minutissimum roris granum? Ros, & gutta, si Dei conferentis maiestas, ac potestas consideretur; maria verò, & flumina dicuntur, cum superabundanter totum hominem repleant;

repleant, & satient. D.Gregor.Nyssen.citata homil.11. *Unusquisque*, ait, *quantum capere potuit hauriens ex obscuris, occultis, & insp ctabilibus thesauris, nobis quidem sunt fluuij pleni aquis. Si autem res spectetur veritas, sunt guttæ vocis, etiamsi restagnent multitudine, & magnitudine.*

Divina dona etiã minima totũ hominẽ replent. Nyssen.

128. Cantic.8. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Cant.3.n.7. Per lectulum Salomonis immensam Beatitudinis requiem, ac supremam illam felicitatem interpretantur D. Gregorius Nyssenus hom.1.6.Richard.de S.Vict. Per sexaginta fortes, Christi athletas intelligunt, qui pro æterna patria desudantes vigilia, animi constantia, ac labore illam comparant. Quorsum tamen illa amplissima Beatitudo lectulus nuncupatur? Cur non potius ciuitas, vt Ioan.in Apoc. c.22. vel palatium, aula, seu stratum, vel lectus, ad quid lectulus, hoc est paruus lectus, appellatur? Rectè citatus Richard. *Quia minimum est*, ait, *quod de illa quiete cognoscere possunt, per diminutivum exprimitur; nec tam lectus, quàm lectulus nominatur.* Optimè per diminutiuum lectulus dicitur: quod enim minimum, ac exiguum est Dei, superabundans existit, vt perenni vbertate omnes creaturas satiaret, & expleat.

Nyssen. Rich.Vict. Apoc.22. Rich.Vict. *Exiguum Dei omnes creaturas satiat.*

*Matth.*15. *num.*28. Tunc Iesus ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

VERSIONES.

Vatablus. Sanata fuit filia eius ex hora illa.

Arias. Sanata ab illa hora.

Alter Textus.

*Marc.*7.*n.*29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Et cum abiisset domum suã, inuenit eam iacentem super lectum, & dæmonium exiisse.

EXPOSITIO VII.

129. D.Marc. Chrysost. Chrysol. *VNC respondens Iesus ait illi*, Declarata tanta mulieris fide, iam non decens erat, vt amplius dissimularet Dominus. Sic ait D.Marcus: *Propter hunc sermonem.* Et huc vsque Christus distulit, inquit Chrysost.hom.53. *Vt fulgente corona mulierem coronaret*, meritò nempe, præmio ac laude. *O mulier.* Vox est exterius admirationem indicantis, cum interius re vera in Christo non daretur, vt ex communi Theologorum placito dixi tom.3.cap.11.n.117. Antea canem appellauerat Dominus: *Non est bonum sumere panem filiorum*, &c. nunc verò mulierem vocat. D.Chrysologus serm.100. Fœmina hæc gentilitatis errore canis erat? nunc vero fide in hominem, nec filiam commutatur: & iustè commutantur in canes Iudæi, qui se filios esse noluerunt. Et D.Augustinus serm.64.de tempore. *O mulier*, ait, *tu te cognouisti canem, ego te iam agnosco hominem.* Tunc mulier apud Deum creuit in tantam gloriam, cùm ex se nihil habere reputat, se inter viles catellos annumerat. Non dicit Chananæam, sed mulierem. Idem D. Augustinus lib.de fide, & operibus. *Mutauit vocabulum*, ait, *quia mutauit affectum.* Res in melius commutatæ, nouo nomine sunt condecorandæ. Vel quia Chananæorum genus valde despectum; & tanta fuit vnius istius mulieris virtus, vt totius sui generis apud Deum offensiones obtegere, & obnubilare potuerit. D. Basilius Seleucus Orat. 20. *Mulier Chananæa, sed animi probitate genus refutauit, naturam vicit fides. Nemo Chananæos accuset; soluit mulier maiores suos ab impietatis crimine.*

August. *Humilitas maximè non excellit apud eum.* August. *Virgo enim obtegit generis maculas.* Basil. Sel.

Magna est fides tua; tum in se, quia, cùm extitisset Gentilis, Christum credidit Deum saluatorem, & verum Messiam; tum etiam in affectibus, quia firmam, humilem; alienamque ab omni inuidia orationem protulit: *fiat tibi, sicut vis.* Præclarè D.Ambrosius lib 5.in Lucam. *Verè*, ait, *hac regnum coëgit, pertinax in precibus. Præterentem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat.* Tanta est orationis vis, vt durè negantem emolliat: *fiat tibi, sicut vis*: hoc est, sit sana filia tua, vt petis. Origenes existimat, quod propter fidei magnitudinem Christus ad sanandam filiam mulieri potestatem concessit. Melius tamen dicendum cum Abulensi q.81. quod Christus ed derit miraculum, non enim dixit, fac, vt vis, sed fiat tibi, nempe virtute mea. Et Marcus, quod Christus dixerit illi: *Vade, propter hunc sermonem exiit dæmonium à filia tua.* Ergo non commissum est mulieri, quod sanaret filiam, sed quod iret, & inueniret eam sanam. *Sanata est filia eius ab illa hora*, ab illo nempe momento, quo verba illa Christus protulit; quibus auditis statim mulier à sua petitione cessauit: nam quamis filia eius absens esset, tamen ex voce Christi ita credidit, ac si præsentialiter eam sanam vidisset. Considera hic magnam mulieris prudentiam, nam concessa ei magna potestate sub illo verbo *fiat*, vt ex Chrysostomo dicam q.18.in secunda ratione, illa tamen solum sibi necessarium assumit, eoque contenta est.

130. Ambros. *Oratio emollit durè negantem.* Ongen. Abulens. D.Marc. *Fides mulieris.* Chrysost.

Dubitabis tamen: Quomodo Matthæus, & Marcus in hoc facto narrando cohæreant: nam D. Matthæus scribit, quod Christus dixerit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis* Marcus refert, quod sic est locutus: *Propter hunc sermonem, vade, exiit dæmonium a filia tua* Abulensis quæst.85.Barradas existimat, vtrumque à Christo D.fuisse prolatum, hoc pacto: Christus dixit: *O mulier, magna est fides tua! Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.* Dicendum tamen puto, quod Marcus narrat miraculum concessum ob preces, Matthæus vero ob fidem. Verum est, Chananæam precibus impetrasse petita, hoc tamen rectè fidei eius adscribitur, quoniam fides præbuit orationi efficaciam. Victor Antiochenus in cap.7.Marci. *Matthæus*, ait, *sanationis causam fidei, Marcus sermonis virtuti adscribit: sed in idem redit: efficax enim sermo ex efficaci fide prodibat.* Oratio sine fide claudicat; cum fide verò multum efficax est.

131. *Concordia inter D. Matthæ. & Marcũ.* Abulens. Barradas. *Oratio sine fide claudicat, cum fide efficax est.* Antioch.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XV.

Quare Christus non annuit Apostolorum petitioni pro muliere, sed modò precibus eius?

132. SVPRA Apostoli pro muliere sunt deprecati: *Rogabant eum dicentes, Dimitte eam, quia clamat post nos*: vt late supra explicaui q. 8. Et tamen eorum petitioni non assentitur Dominus, vt modò precibus Chananæ legimus factum. Cur quod Apostolis, ac intimè Christi affectis est denegatum, Gentili fœminæ conceditur?

Ratio dubitandi.

133. Respondet primò Euthym. *Tu autem considera, ait, quomodo cum Apostoli pro illa deprecati fuissent, nihil effecissent, ipsa potius perfecit. Hinc enim discimus, quod Deus magnum, nos pro nobis ipsis obsecrare.* Efficacius erga Deum nostrum proprium meritum pro nobis, quàm aliorum preces negotiatur.

Euthym.

Nostrum meritum valet Deus.

134. Secundò. D. Chrysostomus homil. 53. *Nam quamuis, ait, Apostoli ad Christum potiebantur libertate, magnam tamen mulier patientiam ostendit.* Etsi à principio Apostoli pro muliere rogarunt, cur non modo, cum vident ei tot repulsas datas: *Non sum missus nisi ad oues Israël.* Et iterum: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Hoc non erat Apostolorum defectus, sed ingens mulieris virtus, quæ cum inter tot aduersa præclara patientia extitisset, iam Apostolorum suffragio non indigebat, sed totam Dei virtutem in se trahebat, ac inclinabat.

Chrysost.

Patientia erga Deum non indiget aliorum suffragio.

135. Tertiò Gerson 3. part. tr. 9. super Magnificat. explicans illa verba: *Et surientes implent bonis*: sic ait: *Curre iam ô anima pœnitens: clama post Christum cum Chananæa, qui si fortè à matre comite rogatus, vt dimittat te, sileat, & præcedat; vnne festinatione tota, præueni faciem eius in adoratione dicens: Domine, adiuua me. Si rursus opposuerit confundens te, quia panis filiorum non est dandus canibus: respondè tota fiducia: Etiam, Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tandem miraberis audire; fiat tibi sicut vis.* Clamat mulier, *Miserere mei*: non respondet Dominus. Intercedunt Apostoli, & non flectitur. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Prouoluta genitrix adorat; & tamen adhuc non inclinatur Dominus. Suggerit verò ipsa: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Non distulit vlterius Christus, sed magna pietate flexus ait ei: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis.* Cur modo tanta pietate annuit, qui antea tam rigidum se exhibuerat. Cur antea nec oratio Apostolorum, nec fletus, adoratio, humilitas, ac perseuerantia mulieris valuit impetrare, quod modo tam largiter conceditur. Vnde ergo tanta efficacia? Eo nunc deducta sunt verba, vt panis commemoratio fieret: *Non est bonum, sumere panem filiorum.* Et iterum: *Etiam catelli edunt de micis.* Mox vbi panis nomen interpositum fuit, ob reuerentiam futuri conuiuij, statim iras deposuit, & benignus concessit, quantum ipsa mulier voluit; & quod nec oratio Apostolorum, nec tot mulieris virtutes impetrarunt, vna diuini epuli vmbra obtinuit.

Gerson.

Vna Eucharistia vmbra plus obtinet, quàm omnes virtutes.

136. Quartò. Non annuit Christus petitioni Apostolorum. sed tantum Chananææ; cum tamen ipsa multo subl miores sanctitate essent Apostoli. Iustitia, ac sanctitate Apostoli valde præclari? Chananæa verò pro filio sanitate multa angustia, ac afflictione laborabat; & qui magna vexatione, ac molestia oppr muntur. valdè apti, vt pro labotantibus loquantur; sæpè enim h: melius intercedunt. quàm alij qui multa virtute, ac probitate eminent.

Afflictus magis efficax in interc ssione, quam probus.

137. Postulat Abrahamus, vt ira Dei d'mittatur à ciuitatibus Sodoma, & Gomarrha; & tamen ei non conceditur, nisi ibi inuentus sit certus iustorum numerus. Genes. 18. n. 26. Rogat verò Loth pro Segor, absque pacto, vel conuentione, quod ibi iustus repériatur & mox datur postulatum. Angelus dixit ad eum: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam urbem, pro qua locutus es.* Genes. 19. num. 21. Quod totum in gratiam Loth factum est, vt rectè ibi explicat Chrysostomus. *Petitionem tuam, ait, tibi exhibeo propter te, etiam ciuitati parcam: quasi diceret, non solum annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pœna habitatoribus infligenda.* Multo sanctior Abrahamus, quàm Loth; & tamen huic sine pacto, non verò illi, vna ciuitas conceditur. Vnde tanta differentia? Verum est, quod illustrior probitate Abrahamus, tamen Loth suarum ciuitatum diuastat onem vidēs multa molestia, ac vexatione premebatur: & animus afflictus valde efficax in precibus, & eloquens in intercessione.

Genes. 18.

Genes. 19. Chrysost.

Angustiatus eloquentior in precibus, quam magis probus.

138. Scribens Apostolus ad Philemonem sic Epistolæ facit initium. *Paulus vinctus Christi Iesu.* n. 1. Cur nomen Apostoli: quo in aliis Epistolis vtitur, hic prætermisit vt notat D. Remigius. Cur non se scribit Apostolum? Rogabat Paulus Philemonem pro Onesimo seruo suo, qui compilatis, ac subtractis quibusdam rebus domini sui Roma transfugerat, vt colligunt D. Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, S. Thomas, & alij ex ipsa Epistol. num. 9. *Paulus senex, nunc autem & vinctus Iesu Christi: Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit.* Cum ergo Gentium Doctor pro seruo fugitiuo rogaret, præclarum sanctitatis nomen Apostoli non dixit, sed addidit nomen laboriosi, ac vexati, detenti nempe in vinculis: *Paulus vinctus*: vt sic facilius Philemonem commoneret, ac postulatum impetraret. D. Remigius. *Ideirco, ait, toties repetit se vinctum Christi Iesu esse, vt positus in tribulatione, saltem quod obsecrabat pro seruo facilius impetraret.*

Ad Philem.

Hieron. Theodor. Theophyl. D. Thom.

Detentus in vinculis facilius impetrat.

D. Remig.

QVÆSTIO XVI.

Quare Christus Dominus tam mirificè mulierem laudat?

139. IN limine quæstionis illud maximè notandum, quod nullius hominis, nisi tantum Gentilium, vt huius mulieris, ac Centurionis Matth. 8. n. 10. Christus Dominus exter us admirationem ostendit. In ipso non fuit propria admiratio, vt sæpe dixi. Tamen in præfatis locis visus est admirari exterius, cum quia maior extitit fides Gentium, quàm Iudæorum; tum etiam, ait Abulensis q. 79. hoc factum est ad confusionem Iudæorum: nam Iudæi, qui quotidiana miracula videbant, vix aliquid credebant; hæc autem ante-

Matth. 8.

Abulens.

quam miracula videret credidit excellenter, & in fide constanter stetit. Tandem quia maior extitit fides Gentilium, quàm Iudæorum, cum illæ veri Dei, Scripturæ ac Prophetarum notitiam non haberent; & sic minus ab illis expectabatur. Et hæc sit prima ratio ad quæstionem. Vnde tanta Gentilis mulieris declarata fides extitit maximè digna laude. Curatis decē leprosis, vnus ex eis alienigena rediit ad Christum, ei gratias agens. Tūc ait Christus: *Nonne decem mundati sunt; & nonem vbi sunt? Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, quia fides tua te saluum fecit* Luc.17.num.18.

Maximè gratificandū id quod minus expectatur.

Luc.17.

140. Secundò D. Chrysost. homil. 53. in Matth. *Tu verò*, ait, *diligenter considera, cùm nihil ab Apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum, tantum quippe potest ingens, & feruens oratio* Rogabat, pro illaque etiam Discipuli intercedebant: *Accedentes Discipuli eius, rogabant eum, dimitte eam*, &c. Distulit prouidus Dominus quoadusque ingens mulieris innotesceret fides, quam in præsenti laudat. Tunc ad donum postulatum concedendum processit. *O mulier, magna est fides tua! Fiat tibi, sicut vis*: Vt cunctis fieret euidens, quòd nec rogatu Discipulorum, nec alicuius fauore, sed propria virtute Chananæa filiæ salutem à Domino obtinuerit, vt ita nulieris gloria sine aliqua obseruationis labe omnibus esset conspicua.

140. Chrysost.

Quæ ex merito, & non ex alterius fauore, vtal de condecorant.

141. Tertiò. Laudat Dominus fidem huius mulieris, non verò Latronis in Cruce pendentis, Luc. 23. Nam hæc mulier dixerat: *Etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*: petebat enim micas e sacra Christi mensa; Latro verò Domini regnum: *Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum*, Luc.23. num.42. Inde fides huius mulieris grandior, & præstantior, cum è Christi mensa micas expoſcat, quàm Latronis fides regnum Domini affectantis. Hanc rationem latius apposui, & explicaui tom.3. cap.35. q.38. num.256.

141.

Luc.23. *Fides Eucharistiæ generosior, quàm regni cœlestis affectus.*

142. Quartò D. Chrysostomus homil.17. ex variis in Matth. *Propterea*, inquit Deus, *laudo constantiam eius, laudo fidem, quia inuiolata permansit, & ratione extorsit.* Quid valde mirabile apparet in hac muliere: quid Dominus in ea tantopere laudat? an quod mater pro filia infirmante preces fundat? minimè; hoc cuicumque matri commune, ac vulgare. Quid ergo in hac peculiare? Ex eo sanè existimat Chrysostomus, quòd Domino maximè placuit, quia ratione præmissa filiæ sanitatem procurauit, ac extorsit. Nam Christus dans illi repulsam dixerat: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus*: Inde verò ipsa pro se argumento deducto intulit: *Nam & catelli edunt de micis*: Catellus, cùm sit pars familiæ Domini, ex eius mensa alendus est, rationéque apposita multum profecit, donumque compatauit.

142. Chrysost.

Donū, quod ratione cōparatur, maximè plausibile.

143. Edit Rachel filium suum, & vocat nomen eius Ioseph dicens: *Addat mihi Dominus filium alterum* Gen.30.num.24. Cur nec Lia, nec Zelpha, nec Bala aliæ Iacob vxores hæc dicunt, sed sola Rachel, quælibet enim plures filios suscipere optabat? Rachel interpretatur Ratio. Sola hæc ait. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Vbi enim ratio intercessit, ac res ratione disponitur, ibi tantum datur certa spes, ac confidentia, vt bona augeantur, ac multiplicentur dona. Richardus Victorinus lib. qui dicitur Benjamin. minor c.48.

Gen.30.

Ratione intercedente multa dona assequimur. Rich. Vict.

Cur ancillarum nulla, ait, *cur nec ipsa quidem Lia, sed Rachel sola potuerit talem filium gignere? Per Rachel rationem intelligimus; Cur nonnisi de Rachel Ioseph nasci potuit citius inuenimus, quòd de sola ratione discretio oriatur, minimè dubitamus; talis proles de tali matre; Ioseph de Rachel, discretio de ratione.* Discretio in donis obtinendis à ratione prouenit,

144. Ait Deus Abrahamo: *Tolle filium tuum, & vade in terram visionis, quàm monstrauero tibi* Gen. 22. n.2. Cur vult Deus, vt Abrahamus exeat è terra sua, & sumpto itinere trium dierum ad montem *Moria* perueniat. Cur eo die, quo sacrificium ei mandatur, non perficitur, hoc enim videbatur ad maioris obedientiæ argumentum. Ad quid tres dies interponuntur? Illa sacrificij oblatio futura erat Deo maximè grata, ob illamque Abrahamo multa dona impertienda: meritò ergo inter mandatum, & holocaustum non exiguum, sed trium dierum tempus destinatur, vt inde omnibus fiat exploratum, quod illa non præcipiti animo, sed alta consideratione, magnoque rationis iudicio ab Abrahamo exequebantur, ex quo ipsa oblatio maximè perjucunda coram Deo apparebat. D. Ambrosius lib.1. de Abrahamo cap.8. *Interponitur spatium*, ait, *ne præcipitari subito videretur affectus.* Vide tom.2. cap.17. quæst.9. num. 53. & 54. & tom.3. cap.22. n.12. 13. & 14. & cap. 25. num.44.

144. Genes.22.

Oblatio, si præcipiti, sed considerato animo facta, Deo maximè grata.

Ambros.

QVÆSTIO XVII.

Quare, cùm multæ virtutes in muliere radiauerint; sola tamen eius fides à Christo laudatur?

MVLTÆ virtutes enitebant in hac fœmina, fides scilicet, charitas, sedulitas, perseuerantia, humilitas, patientia, prudentia, vt iam notaui supra q.7. Tamen in præsenti Christus D. solùm illius fidem commemorat, eamque laudat. *O mulier, magna est fides tua.* Cur non potius alias virtutes, sed solam fidem celebrat?

145. *Ratio difficultatis.*

146. Respondet Primò Abulensis q. 80. Quòd hìc fides laudatur, quia sola ipsa fuit hic veluti propter se; cæteræ vero fuerunt propter ipsam: illa enim fuit quasi imperans actibus aliarum virtutum; vnde actus omnium illarum dicuntur esse actus fidei; sicut actus à charitate imperatos vocare possumus actus charitatis, licet etiam sint imperati ab aliquibus virtutibus particularibus. Et patet hoc: quia ideo mulier ista à principio iuit ad Christum, quia credidit, quod ipse poterat filiam suam sanare; firmiterque etiam perseuerauit, quia sciebat filiæ curationem è manu Christi pendere: propter hoc etiam se humiliauit, vocans se catellam; & tam prudenter se habuit, vt per hæc obtinere posset a Christo, quod ab eo fieri credebat: si autem non crederet, nihil istorum feciſſet: ideóque omnes isti actus sunt à fide imperati, & ita melius vocantur actus fidei, quam particularium virtutum. Et hæc ratio dicitur ab Abulensi potissima, ob quam de sola fide hìc fit mentio. Et pro hoc fundamento facit id quod dicit Victor Antiochenus à me citatus in expositione pro Euangelistarum concordia.

146. Abulens.

Omnes virtutes mulieris à fide procedebāt.

147. Secundò. Fides tantum mulieris hic laudatur à Christo, hanc enim virtutem ipse prædicando maximè

maximè introducere nitebatur, vt scilicet omnes crederent in eum; de cæteris autem virtutibus non erat immediatè tanta solicitudo, vt notat citatus Abulensis; & hoc maximè, quia fides est fundamentum, cùm sine illa *impossibile sit placere Deo*. Hebræor. 11. n. 8. sine fide enim, vel nullæ sunt virtutes, vel saltem sunt inutiles ad placendum Deo. Ex quo tota tam scripturæ prædictio, quàm series dictorum, ac gestorum Christi extitit directè propter fidem introducendam, & conseruandam. Sic ait Ioan. 20. n. 30. *Multa alia signa fecit Iesus, quæ in hoc libro scripta non sunt, vt credatis, quia Christus est Filius Dei, & credentes vitam habeatis.* Et non fit ibi mentio, quod illa scriptura sit propter aliam virtutem. Sicque de Baptista dicitur: *Venit, vt omnes crederent per illum*: Ioan. 1. n. 7. Aduentus enim Præcursoris quædam fuit præparatio ad Christi aduentum.

Abulens. Hebr. 11. — *Scopus Euangelij introducere Christi fidem.* — Ioan. 20. — Ioan. 1.

148. Tertiò. D. Basilius Seleucus Orat. 20. sic introducit Christum mulieri loquentem. *Totam tibi*, ait, *curationis mensam explico: non vt canis micas, sed vt filia panem largior. Tu quidem Iudæos fide vicisti: ego verò datu meo tua postulata.* Contraria iuxta se opposita maximè elucescunt: Cum inter incredulitatem; ac obstinationem Iudæorum, & Gentilitate hæc magna fides mulieris prodiret, vt eum, quem Iudæi repudiabant, ipsa venerabunda adoraret, ac publicè confiteretur; hoc Christi oculos rapuit, ac ad se attraxit, vt illam mirificè laudibus celebraret, illique super postulata dona concederet. *Tu quidem Iudæos fide vicisti: ego vero datu meo tua postulata,*

Basil. Sel. — *Virtus inter iniquissima maximè laudabilis.*

149. Quartò. Idem D. Basilius Seleucus citata Orat. 20. *Canem vocasti*, ait, *cum sim familiæ pars, Domi fruar mensa. O fides! O prudentia! O Chananæa pietas!* Pro salute filiæ clamat mulier, intercedentibúsque pro ipsa Apostolis, eam Dominus à se abiiciebat dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Inde ipsa pro se verba facit. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Tunc Dominus subnectit, eiúsque fidem laudat. Cur ergo modo mulieris fides excellentior manifestatur? Audit illa se à filiorum gloria excludi, & inter abiectos, ac minimos familiæ canes computari, & tamen de filiæ salute non desperat, sed adhuc de illa fortiter confidit. O grandis fides, qua Christum credidit, non terrenum, sed cælestem Dominum! Non enim mundialis principis est, de minimis, & abiectis seruis curam habere, vt illis necessaria prouideantur; hoc enim ad diuinum tantum moderatorem spectat. Cùm ergo mulier se inter minimos computari audiret, & tamen adhuc de necessaria alimonia speraret, non temporalem, sed diuinum prouisorem Christum recognoscit. O magnum fidei elogium! *Cum sim familiæ pars*, ait, *Domini fruar mensa. O fides*, &c.

Basil. Sel. — *Mundialis princeps de minimis seruis curã non habet.*

150. Quintò. Idem D. Basilius Seleucus allegato loco: *Grauius silentio responsum*, ait, *& fidei Chananææ bene congruens: nisi enim talis fuisset mulier fortè inhumanitatis, ac impotentiæ saluatorem condemnans aualasset. Non dixit: Canis in tanta hominum turba, audio; forte humilitatis, tenuitatisque suæ confessionem celat obtutu contumeliarum. O mulieris fides in Euãgeliis descripta.* Contumeliam quandam Dominus extorserat in mulierem canem appellans: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et adhuc illa instanter Dominum vocat, Omnipotentem recognoscit, salutem filiæ expostulans: *Etiam Domine, nam & catelli.* Tunc Christus eius fidem commendans ait: *O mulier magna est fides tua.* Cur potius modò, quàm antea huius mulieris clarior fides? Audit mulier Dominum in externa apparentia contumeliosum, eam canem dicendo; & tamen regia progenie natum credit, suprémúmque Dominum recognoscit. O magna fidei celsitudo! Alios enim deuenustare, ac iniuriosis verbis afficere, valde a viro nobili deuiat: hæc enim rusticitas in ignobili consita est. Audiens hæc fœmina illam contumeliam ad speciem in Christi ore; non eum humilem, nec tenuem suspicatur: Non dixit: *Humilitatis tenuitatisque suæ confessionem celat obtutu contumeliarum*: & tamen adhuc ex illustri sobole progenitum reueretur. O robusta fides contumeliosum in externa apparentia experiri, & adhuc illustrem confiteri. *O mulieris fides in Euangelijs* descripta.

Alios deuenustare alienum à viro nobili, hoc ignobilitatis est character.

151. Sextò D. Hieronymus. *Mira*, ait, *Chananitidis fides, patientia, & humilitas prædicatur: fides, qua credidit, sanari posse filiam suam. Patientia, qua totius contempta in precibus perseueranit. Humilitas, qua se non canibus, sed catellis comparat. Nota, quòd ista Chananitis perseueranter primùm filium Dauid, deinde Dominum vocat, ad extremum adorat vt Deum.* Commota mulier fama miraculorum Christi, ad ipsum fide multa accessit in sua perurgente necessitate, eius misericordiam, ac clementiam implorans: *Miserere mei, Domine fili Dauid.* Tũc Christus eius fidem nec laudat, imò eam à se reiicit, primò, nullo dato responso: *Non respondit ei verbum*: Secundò duris verbis: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Et cum illa feruide cum adorans, ac Dominum recognoscens deprecaretur. *Etiam Domine, nam & catelli*, &c. Tunc Dominus pro illius fide magnum protulit elogium. *O mulier! magna est fides tua.* Quid in hac fide grande? Venerat mulier vrgenti necessitate oppressa, multáque afflictione laborans, ad Christi misericordiam confugiens: & tamen ipsum in apparentia rigidum, ac inexorabilé experitur; attamen eum non impotentem, ac imbecillem cogitat, nec vulgarem hominem existimat sed adhuc Deum credit. *Dominum vocat, ad extremum adorat vt Deum.* O præclara fides! Nam sicut humanæ vilitatis proprium argumentum est, visa aliorum oppressione esse durum, & seuerum; ita proprium diuinitatis index, esse pium, & misericordem. Cum ergo expositisset mulier sui animi mœrorem; & videret Christum in specie valdè rigidum, & inexorabilem; & nihilominus, non hominem, sed Dominum, ac Deum fatetur: Multa sanè fides, multis elogiis celebranda.

Hieron. — *Pietas, ac clementia proprium diuinitatis index.*

152. Septimò. Laudatur mulieris fides; per ipsam enim obtinuit mulier id quod petebat. Inter cæteras virtutes fides aptior ad impetrandum fieri miraculum; per fidem enim obtinemus quidquid à Deo petimus, & desideramus, itaut nihil sit nobis impossibile, dicente Domino: *Omnia possibilia sunt credenti.* Marc. 9. n. 23.

Marc 9.

153. Cùm Petrus è suo nauigio cognosceret Dominum ambulantem super aquas, ait illi: *Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas.* Atque illi Dominus: *Veni* Matth. 14. n. 28. Tunc Petrus è naui descendens, res valdè mirabilis, siccis pedibus super æquora deambulat. Multa consideratione dignum: Quorsum Petrus hæc petat; & Dominus annuat: nam Petrus postulat, ambulare super mare, nulla necessitate vrgente, nauigio

Matth. 14.

enim suo ad Dominum poterat appropinquare, Deinde quomodo Dominus hoc postulatum concedit; videbatur enim Petrus reprehendendus, vel ut rem supervacuam postulans, cùm illud industria humana assequi valeret; non enim solet Deus, sua signa, ac miracula præter necessitatem edere. Cur ergo illius preces exaudit? Apostolus multa fide armatus id a Domino postulauit, vt ex communi Patrum sententia dixi tom. 3. c. 34. Cùm in fide esset, orat o statim obtinuit, quidquid petebat, ne vnquam diceretur quidquam, intercedente fide, denegatum. Pulchrè D. Gaudentius serm. 19. & vltimo. *Petrus rogat*, ait, *Iube me, ad te venire super aquas: at ipse, ne quid fidei negaret desiderio*, ait, *veni.*

Fides omnia impetrat, nisi ei denegatur.

Gaudent.

154. Grauitimore correptus stabat Gedeon in area, ita vt à facie Madiã meditaretur fugam. Apparet ei Angelus Domini dicens: *Dominus tecum fortissime virorum.* Cui ille: *Si Dominus nobiscum, vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt, de Ægypto liberauit nos Dominus.* Quibus auditis statim ait Angelus ei: *Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian.*

Iud. 6.

Iudic. 6. n. 14. In his duo faciunt magnam difficultatem. Primò. Quomodo dicat Angelus: *In hac fortitudine tua.* In quò erat illius fortitudo ad hostes debellandos, qui tanta imbecillitate premebatur, vt fugam haberet in animo? Secundò. Cur hæc ei non dixit Angelus statim quando apparuit, sed postquam audiit Gedeonis verba, tunc ait: *In hac fortitudine tua*: In Gedeonis sermonibus sese eius robur declarauit, cum credens Dei opera dicebat: *Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri.* Cùm fides explicatur, tunc fortitudo, ac robusta manus apparet, vt aduersarios subiiciat, ac deuincat; cunctaque in magna felicitate componat. Theodor. quæst. 12. *Quoniam*, ait, *memor erat mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, si vellet, eos facilè liberare posset, meruit, vt audiret ab Angelo; proficiscere in robore fidei huius, & vinces*, &c. Vide to. 3. cap. 11. num. 142. 143. 144. & 179.

Fides cor robat ad vincendum & ad omnia bona.

Theodor.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Christus non dixit dæmonio, vt exiret à filia huius mulieris; sed ait illi: Fiat tibi, sicut vis?

155. QVÆRE Christus D. dæmones ab hominum corporibus verbo suo eiiciebat. In regione Gerasenorum ab homine dæmoniaco expellens dæmonium, ait illi: *Exi spiritus immunde ab homine.* Marc. 5. num. 8. Et in Capharnaum, alterum dæmone obsessum sanans, ait dæmonio: *Obmutesce, & exi ab homine.* Marc. 1. n. 5. At in hoc miraculo perpetrando, nouo, & mirabili modo vsus est Christus; non enim dixit, exi dæmonium à filia huius mulieris; sed ait mulieri, *fiat tibi, sicut vis.*

Marc. 6.

Marc. 1.

Ratio difficultatis.

156. Chrysost. Respondet Primò D. Chrysostomus homil. 17. ex variis in Matth. *O mulier, magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis: non dixit*, ait, *sanetur filia tua, sed sicut vis. Tu*, inquit, *eam cura, esto medicus, tibi remitto medicamentum, vt imponas ei: fiat tibi, sicut vis; voluntas tua curet eam: neque iussit mulier, neque imperat dæmoni, sed sola mulieris voluntas curauit filiam, dæmonemque fugauit.* Non ait Christus: Ego sano filiam tuam, ab eáque dæmonium expello, sed tuus ingens feruor in petendo, tuaque magna declarata fides, non solum salutem filiæ tuæ à me impetrat, sed etiam obtinet, vt vices meæ potestatis tibi committantur, vt tu absque alterius sententia, & calculo ei medicamẽ impendas, non tantum iussu, & imperio, sed etiam leui tuæ voluntatis nutu: si vis, sine alterius interuentu, iam filia tua est sana; non modò eius salus, sed etiam modus illius sub tua potestate est. O ingens liberalitas, in qua non solum res beneficij, sed etiam illius modus potentis arbitrio defertur. Et Christus verbis exaggerauit mulieris fidem, dono exaggerauit beneficium.

Ingens liberalitas, in qua non solùm beneficium sed modus illius odem concedituc.

Secundò. Idem D. Chrysostomus homil. 53. in Matth. *Fiat tibi, sicut vis: ac si diceret*, ait, *fides quidem tua, maiora, quàm petis, poterat impetrare, verumtamen fiat, vt vis. Hæc vox illi affinis est, qua dictum est, fiat cælum, & factum est cælum.* Tam præclara, ac ingens fuit huius piæ mulieris fides vnà cum perseuerantia, ad illius remunerationẽ in eius arbitrio ponatur à Deo magna illa vox *fiat*, dicens: *fiat tibi sicut vis*: qua voce Omnipotens condidit cælum, terram, ac luminaria magna. *Hæc vox illi affinis est, qua dictum est, fiat cælum.* Vt inde manifestetur, quantum valeat efficere voluntas humana, præditi fide insignita, cum illi detur præpotens verbum *fiat*, quo omne visibile conditum est. At mulier, tanta sibi tradita potestate, sola filiæ salute contenta est: *Sanata est filia eius in illa hora.* Christus vt magnus, ac magnificus Dominus, amplam committit mulieri potestatem; ipsa verò, vt limitato, ac angusto animo pollens, parum sibi eligit, ac assumit.

157. Chrysost.

Vices dignæ potestati committuntur vehementi cum fide Dei data, vt magnificus homo accipit vt limitatus.

Tertiò. Nouo inusitato modo donum huic mulieri conceditur, *Fiat tibi, sicut vis.* Quorsum tam extraordinarium priuilegium; nam forsitan simile non inuenies alteri concessum, vt huic mulieri impertitur. Hæc mulier nouum quoddam certamen cum Christo sine exemplo in suo obtinendo beneficio sustinuit: nam cùm humilis, ac supplex accessisset, dedecus ac repulsam ab eo est passa. Primò. Silẽtio veluti eam despectam habuit Dominus: *Non respondit ei verbum.* Deinde eius interpellatores non admittit: *Non sum missus, nisi ad oues.* Tandem infami canis appellatione eam à se excludit: *Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Quando Christus humiles, ac feruidos in fide sic à se abiecit? Haud dubio, nunquam. Ergo cum hæc mulier esset prima, quæ insolita hac repulsa, ac ignominia inflicta cum Christo patiẽter certamen sustinuit: inde insolito, ac nouo præmio fuit sublimanda. Origen. hom. 7. de Diuers. *Miseream hanc mulierem Chananæam despicit deprecantem, qui est hoc verbum? inauditum miraculum.* Qui primos inuios alicuius calamitatis, ac molestiæ scopos inuadit, inusitata mercede est condecorandus.

158.

Primum in aqua virtute, maximè condecorandum.

Origen.

Quartò Albertus Magnus. *Fiat tibi, sicut vis; Non ponit metam*, ait, *quæ in fide terminum non habuit.* Prouer. 10. n. 25. *Desiderium suum iustis dabitur.* Proportionatur præmium merito. Et sicut mulier inter tot repulsas, ac calumnias, cùm canis appellatur, metam non posuit, nec destitit à sua oratione; sic etiam Christus in præmiando terminum non præfixit, sed totum eius voluntati credidit.

159. Alb. Magn. Prouerb. 10.

Præmium proportionetur merito.

Quintò D. Basilius Seleucus Orat. 20. sic disserit in persona Christi. *Ideo*, ait, *tibi gratificari destiti,*

160. Basil. Sel.

fiuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem totam tibi curationis mensam explico, non vt cani micas, sed vt filiæ totum panem largior. Hucusque Dominus valdè rigidè abiecerat mulierem: *Non est bonum sumere panem filiorum*, &c. Nunc verò magnifica liberalitate se erga illam explicat: *fiat tibi, sicut vis.* Vnde ergo tam diuersa mutatio? Christus, vt supremus Dominus, ideo tantisper postulatum, videtur denegasse, vt inde largius concederet, ad suæque diuinitatis normam largiretur: diuinæ enim magnificentiæ est, non solum necessarium suppeditare, sed etiam cum magna exuberantia, vt profluat, & redundet. Bene ergo postquam mulieri misereri decreuit, tam copiosè concessit, vt nihil esset in desiderio, cuius copiam non faceret: *Non vt cani micas, sed vt filiæ totum panem largior.*

Deus vltra postulata exuberanter concedit.

161. Sextò. Maximè expendendum, quòd Christus suo omnipotenti imperio non eiicit dæmonium, nec sua omnipotenti voluntate roborat infirmitati, vt solet, ac sanitatem impendit; sed totum hoc ipse omittens, totum voluntati orantis fœminæ committit: *fiat tibi, sicut vis.* O præclara supplicis orationis commendatio, vt ipsi veluti Omnipotentiæ priuilegium concedatur: *fiat tibi, sicut vis*: Ac si illi diceretur: Voluntas tua quasi mea sit Omnipotentia; & tuum velle, quodammodo meum posse: nec enim minora potes tu tanta fide suppliciter exorando, quàm ego supremè imperando. Vnde præclarè ait Theodoretus in historia Religionis. *Omnipotens oratio, cùm sit vna, omnia potest.*

Oratio humilis Omnipotentiæ vice fungitur.

Theodor.

162. Præcipit Deus Ieremiæ 7. num. 16. *Tu*, ait, *noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eo laudem, & orationem, & non obsistas mihi.* Vnde imbelli homini tanta fortitudo, vt Omnipotenti Deo obsistere valeat? Vndenam debili homini tot vires, vt diuinæ Omnipotentiæ viribus sese opponere queat? Vnde? Ex oratione. *Tu noli orare.* Etiam oratio suas quodammodo habet Omnipotentiæ functiones, vt Omnipotenti humiliter deprecando valeat obsistere, eumque rogando ad pietatem inflectere. Vnde pulchrè dicebat Tertullianus in Apologia cap. 39. *Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes: hæc vis gratia Dei est.* Expende verba: *Manu facta precationibus ambiamus*: quasi diceret, cum nostris precibus vndique circumcingimus, ac tenemus.

Jeremiæ 7.

Oratio Omnipotentia vicè quasi obtinet. Tertull.

163. Septimò. D. Basilius Seleucus Orat. 10. *O quot myriadibus*, ait, *Iudæorum persanatis, ab iis ipsis, qui persanati, Christum sibi reponi illud audiuit: Hic vnde sit, nescimus: mulier verò Chananæa, etiam ante curationem, fide elata, ad Euangelistæ dignitatem peruenit.* In quonam hæc mulier ad Euangelistæ dignitatem peruenit? Euangelistæ laus in veritate dicenda, atque diuinis reuelatis testificandis constituitur. Hæc autem mulier Chananæa nihil asserit, aut testificat, sed tantum animosa fide petit. In quo ergo Euangelistæ dignitate gaudet, vt scribit Seleucus? Hoc dictum est ad exaggerationem efficaciæ orationis, quæ dum feruide, spe, ac fide petit, ibi quodammodo annuntiat postulatum impetrandum, ac si Deus illud daturum iam reuelasset; ac ita oratio elata fide prolata, veluti Euangelistæ fruitur priuilegio, vt iam audiat, *fiat tibi, sicut vis.*

Basil. Sel.

Feruida oratio de obtinendo dono, ita certa, ac si haberetur reuelatio.

164. In certamen descendunt Dauid, & Goliath. Cui Dauid, ac si esset iam in parta victoria, loquitur *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te* 1. Reg. 17. num 45. Nondum erat initum certamen; & belli est varius euentus, vt ipsemet Dauid postea dixit. Quomodo ergo iam sibi cãtat victoriam; nec enim super hoc ipsum habuisse aliquam reuelationem apparet, vt docere videntur Iosephus, Theodoretus, Serarius, & alii. Vnde ergo ante trophæum illius gloriam ita decantat, ac si iam sibi esset reuelatum? Tu inermis, & absque gladio procedis, quomodo dicis, *auferam caput tuum*? Quis tibi ministraturus est ensem ad amputandum caput? Ipse dicebat. *Ego venio ad te in nomine Domini*: nempe totus confidens in Deo, cuius auxilium inuoco. Cum ergo in prece erga Deum veniret, veluti Euangelistæ priuilegio potitus, ante victoriam illius glorias celebrat; ac si iam sibi esset reuelata: tantam enim fiduciam, ac certitudinem ex oratione hausit, vt iam felicem euentum sibi, ac aliis euangelizaret. D. Chrysostomus homil. de Dauid & Goliath. *Tu venis ad me*, ait, *fidens in gladio, ego in Deo; tu in clypeo, ego in prece; tu venis in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur.* Expende illud. *Ego in prece, in te tua arma vertentur.*

1. Reg. 17.

Ioseph. Theodor. Serarius.

Chrysost.

CAPVT III.

Iesus transiens inter fines Decapoleos.

Marc. 7. n. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri: venit per Sydonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

VERSIONES.

Theophylact. Euthymius, & multi. Rursum egressus de finibus Tyri, ac Sydonis, venit ad mare.

Græcus. Per medium finium Decapoleos.

Syriacus. Venit ad mare Galilææ ad confinium Decapoleos.

ALTER TEXTVS.

Matth. 15. num. 29. Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi.

Num. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.

EXPOSITIO I.

1. Theophyl.

ANATA filia mulieris Chananææ, vt ait Theophylactus, *non moratur diu in Gentilium locis, sed statim trãsit, ne daret occasionem Iudæis dicendi quod vna uaricaretur legem Gentilibus se miscens.* Qua de causa ait Theodor. *Ideo statim reuertitur*: Quamuis regionibus illis Dominus in sanctis, ac pijs negotijs versaretur, statim reuertitur, suo exemplo nos informans, ne aliis scandali occasionem præstemus. *Et iterum*, hoc est protinus, ac est ingressus regiones illas, statim exiit *de finibus Tyri*. Græci communiter, vt Euthymius, Theophylactus, Varabl. Arias, habent; *Exiens è finibus Tyri, & Sydonis*, quam lectionem probant Iansenius, Maldonatus. Tamen nostra lectio verior est: *Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem*: cùm habeatur in Bibliis iussu Romani Pontificis correcta. Sensus est: Exiens Christus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare. Duo obiicit Iansenius. Primò. Quomodo Christus venit per Sidonem, qui prohibuerat Apostolis Gentium ciuitates ingredi? Respondemus, quod Dominus solum transiit. Vide tom. 2. cap. 5. q. 8. Vel transit per Sidonem, hoc est loca propinqua Sidoni. Secundò obiicit: Quomodo egressus de finibus Tyri per Sidonem iter instituit ad mare Galilææ, à quo Sidonem longius multo abesse constat, quàm Tyrum? Respondeo, quod diuinus Magister non parcebat suo labori, ac itineri, vt nostro commodo consuleret, & ideò fortè per Sidonem inflexit iter, vt per viam aliquos lucrifaceret.

Theod. r. *Intuitu causæ fit non est dandum scandalum.*

Euthym. Theophyl. Varabl. Arias. Iansen. Maldonat.

Iansen.

Bonus Rex labori suo non parcit, vt suorum commodo consulat.

2. Matt. 4. & 5. Marc. 1. & 3. Ant. Vlyssip

Ad mare Galilææ, id est stagnum, apud quod frequenter diuersabatur Dominus Matth. 14. n. 18. & 5. num. 39. Marc. 2. num. 13. & cap. 3. n. 7. &c. D. Antonius Vlyssipponensis Dominica 2. post Trinit. ait, quod Tyrus significat angustiam; Sidon venationem tristitiæ; mare amaritudinem pœnitentiæ, Galilæa verò transmigrationem dicit. Vt morali documento instruamur, quod ab angustia, ac venatione tristitiæ rerum huius sæculi transmigrandum sit ad pœnitentiæ amaritudinem *Inter medios fines*, hoc est iter habens per medium finium. Vt optimus princeps, non magis in hanc; vel illam partem inclinabat, sed medium tenebat, vt æqualiter omnibus dona, ac bona sua diffunderet. *Decapoleos*, hoc est decem ciuitatum, quæ mare Galilææ erant adiacentes. *Decapoleos* decem ciuitates significat, vt iam explico.

Bonus Princeps æquanimis in omnes in suæ fauoribus distribuendis.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus per fines Decapoleos veniebat? Et quid sit Decapoleos.

1. Euseb.

EVSEBIVS Emissenus homil. in Domin. 12. post Pentecosten. ait, quod sicut Pentapolis à quinque; ita Decapoleos à decem ciuitatibus nominatur. Nam, vt obseruant omnes, & rectè notauit D. Antonius Vlyssipponensis Domin. 12. post Trinit. Decapolis dicitur à *Deca*, quod Græcè est decem; *polis*, quod Græcè etiam est ciuitas; ac proinde Decapolis est regio decem vrbium.

Ant. Vlyssip

4. *Decapolis vbi sita.*

Hæc autem regio Decapolis, decem vrbium scilicet, sita est ex parte Orientali à Sidone trans mare Galilææ, & Iordanem, vt referunt D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, Beda, & Haymon in præsenti, & Plinius lib. 1. cap. 18. Borcardus 1. part. cap. 6. §. Quia tamen auctores in referendis nominibus harum ciuitatum aliquantum discrepant. Quod parum ad nostrum institutum attinet. Iosephus verò lib. 2. de Bello. cap. 16. ait. Decapoleos est citra Iordanem. Vnde Lyranus inquit, quod Regio Decapolitana partim cis Iordanem est constituta, partim vltra Iordanem: quod Iansenio placet.

Hieron. Beda. Haymon. Plin. Borcard. Iosephus. Lyran. Iansen.

Igitur Christus D. à Tyro per Sidonem: deinde per medios fines, seu per medium finium, vt habet Græcus, regionis Decapolitanæ, venit ad mare Galilææ, nempe ad oues, quæ perierant domus Israël. Cur autem per medium finium venit? iam dixi in expositione. Nunc verò inquiro: cur per fines Decapoleos: poterat enim alia via incedere, per illamque in Galilæam deuenire?

5. *Ratio difficultatis.*

Respondeo Primò. Quod Christus per Decapoleos instituit iter, quia illa via erat communis, & vulgaris à Sidone in Galilæam, docens nos, communes, & non extraordinarias vias esse quærendas. Vide tom. 2. c. 5. quæst. 8. num. 40. tom. 3. c. 1. num. 128. & 129. & cap. 19. num. 24.

6. *Per viam communem incedendũ.*

Secundò D. Antonius Vlyssipponensis citata Domin. 12. post Trinit. ait, quod istæ decem ciuitates, sunt decem illæ virtutes, quas numerat sapiens Ecclesiast. 50. num. 1. in laudem Simeonis. *Simeon*, ait, *Onia filius, sacerdos magnus fuit, qui quasi stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol refulgens: sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus refulgens*, &c. Quod latè ipse S. Antonius explicat, & concludit. Si ergo cum his virtutibus de finibus Tyri, hoc est de mundo, exieris, sufficientiam, & fiduciam, quæ in Deo est cum Apostolis obtinebis vt Christum sequaris. De mundo exire, ac Christum sequi, vt in schola Christi, ac inter eius Discipulos numeremur, oportet.

7. Ant. Vlyssip. Eccles. 50.

In Christi schola vacatur sanctitas multa.

Tertiò Interlinealis. *Inter fines Decapoleos*: habet; *Mandata Decalogi*. Decem illæ ciuitates decem Decalogi præcepta denotant, per quas Christus exiens de Tyro cum suis Apostolis, ad mare Galilææ exiit. Qui ergo exiens de Tyro nempe de mũdo, & Christo adhæret, veniat ad mare pœnitentiæ, & contritionis, degat adimplens decem Decalogi præcepta: nec enim sat est, vnum, vel alterum obseruare; perfecta enim iustitia omnium adimpletione consistit, ac vnius transgressione tota deperditur, ac euacuatur.

8. Interlin.

Sanctitas deperditur vnius præcepti violatione.

Quartò Haymon in homilia. *Venit*, ait, *per medios fines Decapoleos ad mare Galilææ. Per Decapolim designantur Iudæi propter Decalogum legis. Per mare Galilææ designantur Gentiles, qui tumidi erant. Veniens Dominus in mundum reliquit Iudæos, qui de præceptis legis erant imbuti; & venit ad tumentia corda Gentium, vt gratiam eius quam Iudæi amittebant, non credendo, Gentiles reciperent credendo.* Per quod denotabatur, quòd Dominus relinquebat superbos, ac electos Iudæos, & transibat ad Gentes quæ quamuis tumentia haberent corda, visa tamen Christi humilitate, sese deprimebant, ac humiliabant.

9. Haymon.

Relictis Iudæis fit ordinatus ad Gentes.

Quintò. Venit Iesus inter medios fines Decapoleos, hoc est inter fines decem ciuitatum; non per fines vnius, vel alterius, sed decem, quòd quãdam vniuersitatem significat. Magnum documentum.

10.

Rex omnibus sit sua beneficia largiens.

mentum. Optimus, princeps, ac rex, non per vnius, vel a terius, sed omnium fines incedat, vt non vni, vel alteri, sed omnibus sua impertiatur dona, hoc enim maximè proprium est beneficiorum Dei, vt dicit D. Ambrosius lib. 6. in Lucam, *Christi munera, parua videntur, & maxima sunt; denique non vni collata, sed populis.*

Ambros.

11. Cum peruenisset Eleazarus in Mesopotamiam quærens sponsam domino suo Isaac, vt sciret, quænam esset in vxorem a Deo præparata, sic diuinum numen exorauit. *Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa respondèrit, bibe; quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac*, Genes. 24. num. 4. Vix erant completa verba, cum aderat Rebecca, quæ, cum ille aquam peteret, sereno vultu respondit: Bibe Domine mi: celeritérque deposuit hydriam, & adiecit, quin & camelis tuis aquam dabo, eámque in canalibus effundens cunctis potum ministrauit. Tunc ait Textus: *Ipse autem*, scilicet seruus Abrahæ, *contemplabatur eam tacitus, scire volens, vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus.* Multam contemplationem nobis ingerit huius boni serui contemplatio. Habes, ô homo, in puella abundanter omne expetitum signum, quod à Deo postulasti nam ipsa non solùm tibi, sed etiam tuis camelis aquam dedit; & hoc cum celeritate, ac diligentia: quid ergo, ô homo, vltra cunctaris? Cur ipsam non habes, vt à Deo plenam, ab eóque in vxorem Isaac designatam? quid vltra requiris; Pulchrè Theodoretus quæst. 37. *Cum illa*, ait, *hausisset aquam, & camelis præbuisset fluentum; expectabat ille, vt videret, an omnibus præberet, quantum opus erat.* Quamuis seruus Abrahæ viditset, quod illa aquam camelis ministrabat, tamen de Dei assistentia in puella, ac de expetito signo non reddebatur homo certus, quoadusque inspiceret, quod omnibus præbebat, quantum opus erat: Dei enim est, nemini sua dona denegare. Et sicut humani est spiritus, sua quibusdam elargiri beneficia, esurientibus aliis; ita proprium afflatus diuini, neminem à sua beneficentia relinquere vacuum, sed omnibus, quantum necessarium est affluenter suppeditare.

Genes. 24.

Theodor.

Deus omnibus denegat sua dona, sed omnibus elargitur.

12. Ait Paulus 1. Corinth. 10. num. 16. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Hoc est, vt communiter explicant expositores. Theodoretus, Iustinus, Cornelius. Ipse eius panis, quem frangimus, communicat nobis ipsum Christi corpus: vt illud re vera singuli in Eucharistia participemus. Præfata Apostoli verba commentans Chrysostomus homil. 24. in 1. Corinth. sic ait: *Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet. In Cruce autem minimè, sed omnino contra: Os enim eius, inquit, non comminuetur ex eo. Sed quod in Cruce passus non est, in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet?* Vt habetur in marginali ipsius Chrysostomi, maximè ipsius sancti Doctoris mens ponderanda. In Cruce non admisit Dominus fractionem, quam tamè in Eucharistico pane sustinet, vt omnes satiet. Altaris Sacramentum in memoriam, ac repræsentationem mortis Christi est institutum: quomodo ergo in Eucharistico pane datur fractio, quam in suo corpore in Cruce non pertulit? In Crucis patibulo inferiorum, ac subditorum personam repræsentabat Dominus, pro quibus plenariam Patri de rigore iustitiæ satisfactionem persoluebat, ideóque integer in omnium

1. Cor. 10.

Theodor. Iustin. Cornel.

Chrysost.

Marginalia Chrysostomi.

pretium offerebatur. At in Eucharistia principis, parentis, ac pastoris, suos pascentis, gerit personam; & ideo tunc frangitur, vt inde deprehendatur, quod hic cœlestis panis, non vni tantum est datus, sed omnibus præparatus, nullúsque cogitet, sibi soli totum integrum Dominum attumere, ipsúmque in se solum retinere; ideo enim in fruta diuiditur, vt omnes satiet, omnésque huius cœlestis conuiuij fiat participes; in quo sic quilibet integrum Dominum accipit, vt etiam alij sub qualibet minima particula integrum sumant. Pro quo vide multa t. 2. & 3. verbo, *Communicare.*

Christus in Eucharistia omnes satiat.

Marc. 7. n. 32. Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

VERSIONES.

Syriacus. Et adducunt ei surdum, & quendam, difficiliter loquentem, & flagitabant ab eo

Euthymius. Theophyl. Et adferunt ei surdum, impeditæque linguæ.

Arias. Ferunt ei surdum, ægrè loquentem, & inuocãt eum.

Pagninus, Caietanus. Adducunt surdum impeditæ linguæ.

Vatablus. Adducunt surdum impeditum ad loquendum.

EXPOSITIO II.

13. VAMVIS. D. Matthæus cap. 15. n. 30. generatim multa miracula hoc loco recenseat; tamè D. Marcus hoc vnum, vt valde insigne, sibi scribendum elegit, vt notant Maldonatus, Burgensis, & alij. Et historia est omnino diuersa ab ea, quam narrant D. Matthæus 9. num. 32. & Lucas 11. num. 14. vt patet ex circunstantiis vtriusque. *Et adducunt* hoc est ducatum manibus præbebant, cum iam nempe Dominus esset circa mare Galilææ, quidam de turba, forrè amici, & cognati, vt inquit Beda, qui ad hoc commoti fuerant fama miraculorum Christi. *Surdum, & mutum.* Radix Græca habet, *difficiliter loquentem*, hoc est impeditæ linguæ, ac valde balbum. Quod ex eo confirmant Interpretes, quia Euangelista postea subdit: *Loquebatur rectè*, hoc est expeditè absque aliquo impedimento. Hunc autem esse surdum, & mutum ex Dæmonis ope, existimat Theophylactus. At si hoc ita esset, Euangelista expressisset, vt in aliis miraculis communiter id fieri solet à sacris Scriptoribus, cum Dæmonis eiectio maximè ad miraculi commendationem spectaret. *Deprecabantur eum.* Græcus habet, deprecantur, rogant, in præsenti: tamen Noster Latinus, & Syrus vtuntur præterito imperfecto; preces enim nostræ ad obtinenda à Deo beneficia, valdè imperfectæ sunt. *Vt imponat illi manum* frequenter hunc vsum obseruauit Christus Dominus in operandis miraculis, vt dicam quæst. 5.

Matth. 15.

Maldon. Burgens. Matth. 9. Luc. 11.

Beda.

Græcus.

Theophyl.

Nostræ preces valde imperfectæ ad obtinendum à Deo.

QVÆSTIO II.

Quare hic homo surdus, & mutus describitur.

14. EX Euangelistis solus D. Marcus, vt iam notaui, hanc historiam scribit, & hoc in magnam nostram eruditionem: Nam hic morbus, vel contigit huic homini ex malo Dæmone, vt existimat Theophylactus; Vel communiter, vt innuunt sancti Patres ex peccatis ipsius hominis. Vnde allegoricè Primò Beda homil. 2. & Haymon sic inquiunt. Iste homo surdus, & mutus signat genus humanum, quod obsurduit, & obmutuit in primo homine Adam. Ipsi namque dixit Deus: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Dum huic præcepto non obedinit, quasi surdus effectus est. Dum verò pomum interdictum comedit, quasi mutus factus, à laude sui Creatoris cessauit. Antea laudabat Deum inter Angelos; postea non meruit dignè laudare, quia non est speciosa laus in ore peccatoris: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas?* Psalm. 49.num.16. Ita Haymon. Peccator surdus, & mutus; surdus, dum non obedit diuino præcepto; mutus quia Dei laudes digne proferre non valet.

Theophyl. Bela. Haymon. *Peccator surdus, & mutus.* Psalm.49.

15. Secundò. Hæc mala inuenerunt hunc hominem ob sua peccata, de ipso enim sanato dicitur: *Loquebatur rectè*, quod interpretari potest, non solum expeditè, & absque balbutione, sed etiam benè, & consonè, quasi quod antea esset lingnosus, & mala proferret verba; modò verò infirmitate depulsa morigeratus, ac in sermone prudens; ideò ergo mala eum apprehenderunt, vt ipse tua castigatione emendaretur, ac ab ipsis vitiis resipiscetet. *Supplicia docent homines.*

16. Vehementissimo aquæ cisternæ Bethleem Danid desiderio flagrauit: per medium castrorum aduersariorum erumpunt tres fortissimi milites, qui ei illam attulerunt aquam. Qui noluit eam bibere dicens. *Absit, vt in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarũ attulerunt mihi aquam.* 1.Paral.11. num.19. Ob periculum militum non vult bibere aquam: Nonne ipse Vriæ, ac multorum militum sanguinem hausit 2.Reg.11.n. 17. Cur ergo illã non vult gustare aquam, quæ periculo vitæ, ac sanguinis militum est obtenta? Ex supplicio sibi inflicto ob Vriæ, aliorumque fortium demortuorum vitam, & sanguinem haustum adeò cautus, edoctúsque euasit, vt etiam, in qua exprimebatur discrimen vitæ, ac sanguinis viuentium militum aquam degustare noluerit. D. Gregorius Magnus lib.9. Indict.4. cap.39. *Licebat bibere*, ait, *si voluisset, sed qui prius culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit; postmodum, si aquam biberet, etiam viuentium militum sanguinem fudisse iudicauit.*

1.Paral.11. 2.Reg.11. *Supplicio homo auertus, vt à peccatis cesset.* Gregor.

17. Tertiò Proponitur hic homo surdus, & mutus; quæ mala ob vitia sua ei à Diabolo fuerant illata; vt nos ne talibus vexationibus torqueamur, similia fugere peccata, alienis oppressionibus discamus. Ait Regius Vates: *Consumetur nequitia peccatorum, & dirigus iustum* Psalm.7.num.10. D. Chrysostomus ibi ait: *Alius dixit: Peragretur vexatio aduersus impios, & stabilior iustus.* Alij legunt apud Brunonium: *Confirmabis iustum.* Ex vexatione in peruersos inflicta confirmatur, & stabilitur iustus? maximè. Nam ex impiorum castigata nequitia attentior, & cautior fit iustus, ne à sua iustitia discedat, & in talia incidat peccata, ob quæ pares reportabit pœnas: & ex hac consideratione iustus sic magis stabilitur, ac corroboratur in sua iustitia. *Supplicia docent homines.* Psalm.7. Chrysost. Brunon.

18. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus lauabit in sanguine peccatoris.* Psalm. 57.num. 11. Charitas maximè dolet de alterna vindicta, ac pœna, maximèque fugit aliorum sanguinem: quomodo ergo lætabitur iustus ex alterius vindicta, manúsque suas in eius sanguine lauabit? Lætatur non ex pœna imposita in malo, sed ex sibi proueniente documento, vt malum fugiat, in bonoque persistat. *Lauabit manus suas*, hoc est, iustus sua opera, suos actus mundiores, ac purificatiores proferet, consideratione impiorum sanguini, ac supplicii, vt eorum scelera detestetur. D. Augustinus ibi, *Iustus*, ait, *cum viderit vindictam, manus suas lauat, id est opera sua mundiora efficit, in sanguine, hoc est in exitio peccatorum, sumens inde, non alieni mali gaudium, sed diuina admonitionis exemplum* Brunonius ait: *Cum sanguis peccatoris effunditur, tunc manus, id est actus iusti hominis corriguntur. Impio enim pereunte, commouetur iustus, se cautius, diligentiúsque custodire.* Psalm.57. *Aliorum pœna fit cautior iustus.* August. Brunon.

19. Et quo graui pœna à Deo afficiuntur, qui viso aliorum supplicio non emendantur, nec meliores fiunt. Ait Lameth: *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum; septuplum vltio dabitur de Cain; de Lameth vero septuagesies septies* Gen.4.num.24. Quonam fundamento ducitur Lameth, vt se multo maiori pœna dignum existimet, quàm Caïn, vt dicat quod Caïn septies sit puniendus, ipse vero septuagies septies, quod multo maius est; cum tamen Caïn peccatum grauius ex omni conditione extiterit; nam Caïn fuit primus homicida, ac fratricida in toto Orbe, occidit fratrem suum Abel sanctum, & iustum, Lameth verò hominem iniquum, abiectum à facie Dei, & tantum consanguineum. Vnde ergo ex suo delicto tam rigidiorem pœnam coniecturauit? Caïn occidit fratrem, quin viderit punitum homicidium; cuius cognitionem habens Lameth, se à cæde non abstinuit, sed in ipsum facinus se præcipitauit, & inde est duriori castigatione affectus. D. Chrysostomus homil. 20. in Genes. *Licet eadem*, ait, *Cain patrauerit, idque fratris, attamen nullo ante conspecto, qui hoc fecerat, neque alio viso, qui pœnam dederat huiusmodi facinoris, & tantam iram fuerat expertus, qui vtraque mihi pœnas augent. Quia & ante oculos habens, quod ab illo perpetratum, & pœnam videns sic immedicabilem esse, cautior factus non sum. Propterea licet septuagies septies magis, quàm ille, punirer: attamen neque sic dignam luerem pœnam.* Genes.4. *Grauissimè punitur, quòd post visum peccati pœnam deliquit.* Chrysost.

QVÆSTIO III.

Quinam essent hi adducentes? quantóque charitatis ingenio pollerent

20. NOTAT explicat Euangelista, quinam essent hi, qui hunc hominem adduxerunt, ac pro eo sunt deprecati. Tamen quantum colligo ex textu, erant de turba; subdit enim Euangelista, cum de perpetrando miraculo facit mentionem: *Apprehendens eum de turba seorsum*; nempe fortè ab his, qui hominem adduxerunt, genus enim de turba *Qui adducentes.*

turba maximè pietate commouetur, ac cùm frequenter proprias miserias sust neat, aliorum necessitatibus maximè compatitur. Beda existimat, quòd erant amici, ac consanguinei huius hominis; & inde maximè laudandi, quia charitatis affectum huic misero non denegarunt. Eusebius Gallicanus homil. in Domin. 12. post Pentecosten, & Haymon, per hos adducentes interpretantur Apostolos, ac Doctores, viros que Apostolicos, qui alios sanari desiderant; ac proinde hi, qui adducebant, erant viri pij ac probi; sic sæpe contingit, vt hominis miseri recordentur, non amici, & cognati, sed tantum recti, & iusti.

Beda. Eusebius Gallicanus. Haymon. *Miserorum recordantur probi, & non amici.*

21. Ad quæstionem respondet Beda: *Quia iste surdus*, ait, *Saluatorem agnoscere, & mutus rogare nequibat, adducunt eum, & pro eius salute Domino supplicant.* Cùm iste homo tanta miseria laboraret, vtpote surdus, & mutus, qui nec pro se loqui, nec Saluatorem audire valebat; sani adducunt eum. Quo instruimur, vt qui rectè se habent, miseros non despiciant, sed eis consulant, eósque verbis, & consilio, ac ope adiuuent: nam isti adducentes auxiliabantur verbis, pro illo enim deprecebantur; & etiam ope, nempe *adducunt eum*, veluti, manibus tenentes.

Beda. *Miseri adiuuandi verbo, & opere.*

22. *Postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos, & vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam ex Hebræis*, Exod. 2. num. 11. quem ipse interfecit. Erat enim tunc Moyses quadraginta annorum, vt ait D. Stephanus Actor. 7. num. 23. Nunquid tantus Moyses post quadraginta annos nunc primò fratres suos visitauit? Nunc primò de afflictis condoluit, vt eos aspiceret? Absque dubio sæpe ad eos veniebat, eósque inuisebat consolandi gratia, vt testatur Philo lib. 1. de Moyse: *Hebræos*, ait, *oppressos verbis quantum poterat subleuabat, vt præsentem statum ferrent fortiter, sicut viros decet, neque animis deficerent, & sperarent mutationem in melius.* Tamen huius visitationis post quadragesimum suæ ætatis annum Scriptura facit expressam mentionem, quia tunc non solùm verbis, sed etiam opere adiuuamen præstitit, vt Hebræum ab iniuria, ac oppressione illata ab Ægyptio liberat, & eximit. De hac re vide multa tam in hoc tomo, quàm 1. 2. & 3. verbo, *Miser, Necessitas, Afflictus.*

Exod. 2. Act. 7. Philo. *Miseris subueniendum, non solùm verbis, sed etiã operibus.*

Qvæstio IV.

Quare Christus Dominus pro hoc infirmo voluit deprecari, vtque coram se adduceretur?

23. PRIMO. Isti boni viri deprecantur pro hoc infirmo, non vt Centurio pro suo puero: *Puer meus iacet in domo paralyticus*; nec vt Chananæa pro filia. *Miserere mei, filia mea malè à daemonio vexatur*: nam etiam coram Christo Domino hunc infirmum adducunt. Fortè adducentes isti non erant tanta fide præditi, ac illi, vt crederent, quòd virtus Christi posset operari in distans, ac remotum, absentémque sanare. Vnde illorum fidem Christus maximè laudauit. De Centurione dixit: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel*, Matth. 8. num. 10. De Chananæa verò: *O mulier magna est fides tua*, Matth. 15. n. 18.

Matth. 8. Matth. 15. *Maior fides Centurionis, & Chananæa.*

24. Secundò. Non tantùm deprecantur pro hoc surdo, & muto, vt Regulus pro suo filio: *Rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius*, Ioannis 4. num. 47. Et Archisynagogus pro filia: *Deprecabatur eum multum dicens: Quoniam filia mea in extremis est; veni, impone manum super eam, vt salua sit, & viuat*, Marc. 5. num. 23. At hi viri, non tantùm rogant, sed etiam surdum, & mutum adducunt, ac eum Domino præsentant. Quænam huius rei causa? Illi erant iam in vltimo spiritu constituti: nam filius Reguli *incipiebat iam mori*: filia autem Archisynagogi *erat in extremis*; & ita non poterant commodè coram Iesu adduci, ac conueniri. At hic mutus, & surdus valebat adduci, ac gressu corporis deambulare. Dominus autem Iesus in tantum ab vnoquoque vult, quod ipse præstare valet. Filius Reguli, ac filia illius principis non poterant commodè adduci; sat est, quod pro eis intercessores coram Domino adsint. At hic mutus, & surdus potest iter arripere; veniat ipse, coram Domino præsentetur.

Ioan. 4. Marc. 5. *Dom vult ab vnoquoque id, quod ipse valet præstare.*

25. Tertiò. Non sunt contenti homines isti, quod pro absenti loquerentur, sed ipsum etiam adducunt, ac ante oculos Christi præsentant. Ex humanis sic coniecturabant, quòd visa tot malis depressa hominis conditio diuinam pietatem alliceret. Intelligebant enim isti homines, quanto efficacius visa miseria propriis oculis in sui ad inamen commoueat, & excitet. De quo multa vide tom. 2. & 3. verbo *Videre*.

Visa miseria maximè mouet.

26. Quartò. Sæpe non rogatus Christus Dominus facit miracula ad quid volunt, vt hic homo suis gressibus ambulans adduceretur, pro eóque adducentes deprecarentur? Vt in his instruamur, quod Deus vult, vt quantum est in nobis laboremus operationi mque nostram exhibeamus; & tunc ipse præstans suum adiuuamen, totum perficit, complet, & absoluit. D. Chrysostomus hom. 53. in Genes. *Considera*, ait, *quando, quod a nobis est, offerimus, largiter diuinam operationem consequimur: nam ne desides, & supini simus, vult etiam nos aliquid conferre: quo sic sua declaret, & non totum sit superni auxilij, sed oporteat etiam nos aliquid simul afferre: neque à nobis iterum exigit totum, sciens infirmitatis nostræ excellentiam, & suam seruans misericordiam, & volens occasionem aliquam offerre, vt suam declaret liberalitatem, expectat, vt offeramus, quæ à nobis sunt.*

Debemus cooperari Dei auxilio. Chrysost.

27. *Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius*, Genes. 30. num. 22. Non sat erat dicere, quod recordatus est Dominus Rachelis, seu, vt habet Chaldæus, *Venit memoria Rachelis in conspectu Dei.* Ex diuina enim recordatione, ac intuitu omnia bona in nos defluunt, diuinus enim aspectus omnes gratiarum fontes secum affert. Ad quid ergo, vt Racheli concedatur filius, oratio eius exprimitur ac declaratur, *exaudiuit eam?* Vt ex hoc deprehendamus, quod ad optata dona assequenda, necesse est, vt diuinæ benenolentiæ cooperemur, nostráque preces Dei memoriæ, ac conspectui coniungamus, vt sterilitatis vitium propulsemus, optatáque prole fruamur. Caietanus, *Non solùm*, ait, *ex parte Dei gratia velut recordatio, sed etiam ex parte Rachelis eadem gratia, velut exauditio precum Rachelis describitur, vt vtrumque perfectum esse effectum insinuetur.*

Genes. 30. Chald. *Dei beneuolentiæ cooperatio nostra coniungenda.* Caiet.

28. Ait Ioannes 1. num. 11. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Summa hominum dignitas filios Dei fieri. Cur ergo non ait Ioannes, quod Christus veniens in mundum nos filios Dei fecit, sed ait, quod potestatem nobis dederit? Vt denotetur quod ad ipsam dignitatem obtinendam, nostra

Ioan. 3.

opera

Cum Dei auxilio nostra opera coniungamus.

operatione, ac labore opus est: nam per gratiam, quam Deus nobis communicat, potestatem præbet, vt fili Dei efficiamus; ac verò dum nos ipsi gratiæ consentimus, bonúmque opus cum illa producimus, tunc filij Dei actu reddimur, ac efficimur. D. Chrysostomus homil. 9. in Ioan. *Cur non dixit, fecit nos filios Dei fieri? Vt ostenderet, multa nobis opus esse diligentia, vt adoptionis nobis, per baptisma impressam, imaginem puram seruemus, atque intactam.*

Chrysost.

QVÆSTIO V.

Quare non petunt hi homines, vt Christus sanet infirmum, sed vt imponat illi manum.

29. *Ratio difficultatis.*

MANIFESTA erat horum hominum intentio; volebant enim, vt sanitas homini huic concederetur: Cur ergo eam expressè non poscunt, sed tantum vt super infirmum manum imponat?

30. Marc. 1. 5 6. & 8 Matth. 8 9. & 19. Luc. 13.

Respondeo. Quòd hi homines impositionem manus deprecantur à Domino, ipsi enim agnoscebant, alios ab eo impositione manuum fuisse curatos. Marc. 1. num. 31. & 5. num. 41. & 6. n. 5. & 8. num. 23. & 25. Matth. 8. n. 3. & 15. & cap. 9. num. 25. & 19. num. 15. Luc. 13. num. 13. Modum, quo aliis impertiebatur salus, petunt isti homines, suóque infirmo exoptant à communi, ac vulgari hominum vsu in beneficiis obtinendis discedere nolunt. Viam enim, quam tuis cognoscis vtilem, sequere. Vide tom. 2. cap. 29. quæst. 4. n. 26. 27. & 28. vbi similem quæstionem tractani.

Via alias tutas sequenda.

31. *Caro Christi vinifica. Christum antiquorũ consuetudinẽ tenebat.*

Si verò quæras: Cur Christus Dominus impositione manuum salutem daret? Respondeo, Hoc fieri, vt saluriferam virtutem suæ sacratissimæ carnis nobis manifestaret, omnésque scirent vinificam vim, quam suum corpus exhalabat. Deinde quia vetus erat antiquorum Patrum consuetudo, corporis sui tactu alios sanare. sic Parentes Elias, & Elisæus pueros suscitarunt, 3. Regum 17. n. 21. & 4. Regum. 4. num. 36. Vnde hoc etiam fortè cognouit Gentilis ille Naaman Syrus, vt obseruat Maldonatus. *Iratus Naaman recedebat dicens: Putabam, quod egrederetur ad me, & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me* 4. Regum. 5. num. 11. Et hanc veterum consuetudinem Christus Dominus non sprenit, sed tenuit.

3 Reg. 17. 4. Reg 4.

Maldon. 4. Reg 5.

32. *Ignorantia nostra præsumit præscribere modum in diuinis beneficiis.*

Secundò ad quæstionem. Petunt sanitatem, & assignant modum, quod obtinenda sit, nempe impositione manus: non committunt hoc diuinæ prouidentiæ, sed ipsi præscribunt modum. O magna hominum ignorantia, vt non solùm dona sibi appetant; sed etiam illorum affectent determinare formam. In admirabili Domini transfiguratione ait Petrus: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.* Matth. 17. num. 4. Exprimit D. Lucas 9. num. 34. *Nesciens, quid diceret* Cur Petrus in tantam censuram incurrit? Fortè, quia ipsius mansionis in gloria locum, & modum determinare voluit. Locum, *faciamus hic*, modum, *tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, &c.*

Matth. 17. Luc. 9.

33. *Silua.*

Tertiò. Simon Cassianus lib. 5. cap. 25. *Habet autem*, ait, *quod occulti mysterij, & moralis, quod manus expetitur imponenda, & eadem manus sit plasmans, & liberans: Manus tuæ, Domine, fecerunt me, & plasmauerunt me*, Iob. 10. num. 18. Bene conscij erant viri isti, quòd Deus in primo molimine rerum suis manibus è puluere terræ hominem in elegantem Dei imaginem formauerit: petunt ergo, vt ipsasmet manus admoueat, vt hominem à tanta infirmitatis oppressione liberet; sciebant enim, quod Deus solet opus suum non deserere, sed multis donis cumulare & quibus semel benefecit, multiplici largitate replere. *Manus tuæ fecerunt me plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua*, Psalm. 118. num. 73. Quid pro se allegat, vt Deus ei det intellectum, ac cognitionem supernaturalem salutis viæ? *Manus tuæ fecerunt me.* D. Ambrosius in citatum Psalm. serm. 10. ad prædicta verba sic ait: *Magno commendationis exordio vsus est, vt opus Dei se esse diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur Auctoris. Grandis enim prærogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus, & beneficiis faueat suis, nec meritum spectet alienum, sed in sua gratia munus intendat, nec videatur abrogare, quod ipse donauit.* Quod argumentum sanctus Pater latè prosequitur.

Iob. 10. *Nondecet magnos, opus suum deserere.* Psalm. 118. Ambros.

34. *Vna Dei manus secũ affert omnia bona.*

Quartò. Non rogant eum, vt sanet mutum, & surdum, cùm hoc maximè intenderent; sed vt imponat illi manum. Certe enim sciebant, quòd cui Deus tantum beneficium præstaret, vt super eum manum suam imponeret, statim totius salutis, ac sanitatis in eum fluxus descenderet, omníque bonorum largitate replendus esset: semper enim vna Dei misericordia multas secum adducit.

35. Luc. 1. *Exvna Dei gratia collata sperantur multa.*

Nato Ioanne, cum multa mirabilia eius ortu effulsissent, scribit Lucas 1. num. 66. *Posuerunt omnes, qui audierunt in corde suo dicentes, quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Magna admiratione rapiebantur ex puero nato, non tamen tantum ex his, quæ actu videbantur in puero; sed ex his, quæ præsumebant in illo esse futura. *Quis putas puer iste erit?* Et cur maiora autumant in illo futura, quàm vident de præsenti, cum tot mirabilia essent perpetrata: sterilis parit, mutus loquitur, Zacharias prophetat? dicebant: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Et cum manifestaretur, Dei manum illi adesse; iam inde pro certo statuebant, quod ibi non sisteret, sed puerum in consummatam, ac absolutam perfectionem produceret: sicque ipsa manus, quæ hominem formauerat, ac produxerat, multis maioribus donis eum repleret, ac cumularet. Carthusianus: *Quis putas puer iste erit? quasi dicerent, Notabilis valde erit, & crescet in virum eximium; ideo subditur: Etenim manus Domini erat cum illo.* Ex eo, quod manus Domini illi aderat, suspicabantur, quod excresceret in virum præclarum.

Carthus.

36. Iob 10. Pineda.

Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; & sic repente præcipitas me? Iob. 10. num. 8. Totum se diuinis manibus dicit efformatum, ac plasmatum, *totum circuitu*, hoc est ab intus, & extra; intus, & in cute; à capite ad pedes: vel, vt alij Expositores explicant cum Pineda, vt per circuitum intelligat facultates, liberos, familiam, quæ hominem cingunt, & comitantur. Cùm autem hæc dona Dei sibi concessa concederet, & aliunde se modo videat multis miseriis, amissis bonis, filiis interemptis, salute deperdita, Iobus oppressus per admirationem, ac veluti conquerens ait, *Et sic repente præcipitas me?* hoc est ita

me abiicis à tua pietate, & multis miseriis finis devorari? Expende illud: *Et sic.* Vnde Iobe admiraris? vnde conquereris ex tot calamitatibus? *Manus Domini fecerunt me.* Ipsisne Dei manibus incumbit, vt tibi semper faueant, tēque semper tueantur? *Manus Domini fecerunt me.* Non enim solent diuinæ manus, suam ei clementiam denegare, cui assuetæ sunt benefacere. Cum ergo ipse contrarium experiatur, tanquam de re noua, atque inaudita admiratur, ac conqueritur. D. Gregorius Magnus lib. 9. in Iob cap. 36. *Et sic repentè precipitas me?* ait: *Ac si apertè dicat, cur tanta vilitate despicis, quem cum tanta dignitate condidisti: & quem ratione rebus cæteris præfers, cur ex dolore supponis?*

Valde mirabile, quod Deus primis donu alia deneget.

Greg. Mag

Marc. 7. n. 33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius; & expuens tetigit linguam eius.

VERSIONES.

Theophylact. Vatablus. Et cum seduxisset eum de turba seorsum, misit digitos suos in aures eius. & sputo emisso tetigit linguam eius.

Græcus apud Caietan. Misit digitos suos expuens in aures, & expuens tetigit linguam.

Arias. Et assumens eum de turba priuatim, iecit digitos.

EXPOSITIO III.

37. Græcus.

Manibus offerentium, ac deprecantium accepit Christus Dominus surdum, & mutum, *de turba seorsum.* Græci habent, *cùm seduxisset eum de turba seorsum*, hoc est extra turbam populi, non tamen extra suorum Discipulorum consortium, ac etiam fortè illorum, qui illum offerebant; nec enim omnia omnibus æqualiter sunt committenda, ac credenda. Extra turbam miraculum operatur, ne videretur popularem laudem affectare. *Misit digitos suos.* Simon Cassian. minimos digitos interpretatur. Communis tamen Auctorum sententia, digitos indices fuisse, autumat. Euthym. ait, quod misit digitos suos in aures eius: vnum dexteræ manus in dexteram aurem, vnumque sinistræ in sinistram. Contra hoc tamen vrget ratio. Quia Christus aduersus stabat surdo; & inde necesse erat, vt dexterum eius latus surdi sinistro, & sinistrum dextro lateri correspon-

Nec omnibus omnia sunt credēda.

Cassian.

Euthym.

Sub crucis signaculo Christus miraculum operatur.

deret. Poterit aliquis dicere, vt effugiat argumentum, quod Christus posuit brachia transuersa in crucis similitudinem, vt Patriarcha Iacob benedicens filiis Ioseph, Genes. 48. num. 14. Vt inde virtus sanctæ Crucis indicaretur, sub cuius signaculo omnium Dominus miracula operabatur.

38. Christus Dominus duos digitos in duas aures illius immisit; vtrique essim auri restituit audiendi facultatem. Verisimilius est ergo, quod immiserit indicem dexteræ manus in aurem illius sinistram; indicem verò sinistræ in aurem illius dexteram. *Et expuens tetigit linguam eius.* Non expuit Christus in os muti, sed in suum ipsius digitum, ac digito saliuam ori muti admouit, vt colligitur ex Græco, hoc enim honestas, & decor exigebant, cum quibus Christus Dominus cuncta operabatur.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus audita horum hominum deprecatione, nullo verbo dato, statim ad miraculum operandum processit?

ACCEDVNT homines adducentes surdum, & mutum, & pro eius sanitate Dominum deprecantur: qui statim apprehendens eum manu, missis digitis in auriculas, ac sputo in linguam, sanauit eum. Cur non miscet Dominus cum his hominibus aliquot verba? Cur hic non interponit aliquam moram, vt superiori capite factum vidimus cum Chananæa, ac cum duabus cæcis clamantibus per totam viam, Matth. 9. num. 27.

39. *Ratio difficultatis.*

Matt. 9.

Respondeo. Primò. Pro filia Dominum rogat Chananæa multa fide, vt ei dicatur: *O mulier magna est fides tua.* Cum ipsa tamen Dominus iterum, atque iterum multam moram connectit. At cum his deprecantibus absque cunctatione ad miraculum perpetrandum accedit. Chananæa vna erat pro filia rogans: at hic multi aderant exorantes. Oratio autem multorum valde efficax est in Dei conspectu, ipsumque tenet, vt eam plurimum videatur reuereri Deus, vt nihil ei deneget. Multas tribulationes passus est Paulus in Asia, & multæ aliæ imminebant. *Deus*, ait ipse, *de tantis periculis nos eripuit, & eruit, quem sperauimus, quoniam adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis*, 2. Corinth. 1. num. 10. Paulus suis discipulis multò sanè excellentior; & tamen se dicit eorum orationibus seruatum, vt notat Chrysost. homil. in citata Epistola: *Ipse quidem*, ait, *erat illis sublimior, eorum tamen precibus seruatus fuit.* Quomodo ergo illorum precibus seruatus est Paulus? Chrysostomus citatus, paulo post, sic ait: *Deus frequenter reuereretur multitudinem vnanimem, & consentientem in precando, vt veluti pudore victus non ausit illi denegare.* Paulus Apostolus præclarissimum Ecclesiæ lumen, illique discipuli meritis & valde impares; vnanimi tamen oratione adiuti incolumitatem Pauli à periculis impetrant, quam aliàs non ita vna illius obtineret oratio. Vnde egregiè ait D. Ambrosius lib. de pœnitentia: *Multi animi, dum congregantur vnanimes, fiunt magni: & multorum preces impossibile est contemni.* Vide infrà.

40.

Multorum oratio efficax.

2. Cor. 1.

Chrysost.

Multorum orationem veluti reuereretur Deus.

Ambrosi

41. Secundò. Christus in hoc euentu multa miracula operabatur, vt scribit D. Matth. 15. n. 30. *Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.* Cum Christus Dominus oblatos à turbis curaret infirmos, accesserunt homines isti pro hoc surdo, & muto deprecantes: tunc Christus ad hoc processit miraculum. Non enim decet, quod, dum princeps totus beneficum se prodit, ac vniuersis sine cunctatione

Matth. 15.

Cum rex multis benefacit, nō decet, vt vni sua dona deneget.

ctatione dona sua largiter præbet, cum quibusdam deprecantibus interponat moras, idque quod omnibus concedit, quibusdam deneget. Cùm meus Iesus, hostiam salutarem se Patri pro omnibus offerens, in Cruce penderet, ad illius pietatem confugiens vnus bonus Latro misericordiam impetrat.

42. In illo civili bello, postquam debellatus est Absalon cum magna parte Iudææ, quæ contra regem Dauid rebellauerat; tunc Rex eis veniam concedit, ac impunitatem pollicetur, vt communiter notant Expositores, Abulensis, Sanchez, Cornelius in 2. Regum cap. 19. n. 12. Accedit Semei, qui maledixerat regi, pro se misericordiam postulans. Cui, cum testitisset Abisai, ait Dauid: *Quid efficiemini mihi hodie in Satan? Ergo ne hodie interficietur vir in Israël*, ibid. n. 22. Cur in illa die nullus erat occidendus, si aliàs morte dignus extitisset? Aderat Rex omnibus indulgentiam præbens; non decens videbatur, vt vni benignitatem postulanti denegaret. Abulensis qu. 25. *Noluit*, ait, *quod occideretur aliquis in illa die ex sola benignitate, quia ipse remisit liberaliter iniuriam omnibus, qui eum contempserant, & nec vindicauit illam.*

Abulens. Sanchez. Cornel. 2. Reg. 19.

Si omnibus indulgentiam dat vni ne deneget.

43. Tertiò. Christus Dominus veniebat ex finibus Tyri, & Sydonis, vbi Chananææ filiam à Dæmonio liberauerat. Cum ergo ad mare Galilææ multa edidisset miracula, vt narrat D. Matthæus c. 15. n. 30. inter quæ hunc surdum, & mutum, his hominibus deprecantibus, tam prompte sanauit: ne dicerent Iudæi, quòd apud Gentes miracula faciebat, non verò apud eos, cùm ad ipsos esset missus. Vt ergo impiorum ora obturaret, eisque calumniandi ansam amputaret, tam festinanter, ac sine cunctatione miraculum perpetrauit

Matth. 15.

Iniqui calumniandi ansa amputanda.

44. Quartò. Audita supplicatione eorum, qui surdum, & mutum adducebant, nullo dato verbo, miraculum operatur. Sed cur non aliquod interponit verbum? Volebat beneficium conferre, & gratiam dare? & vbi beneficentia se prodit, ac manifestat, verba minimè requiruntur, aut exoptantur.

45. Percusso Goliath præcinebant mulieres per choros dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia. Postea verò, *Percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea regi*, 1. Regum 18. num. 27. Inter quos vitos occidit multos duces, & fortes milites: nulla tamen ab aliquo fit laudatoria proclamatio. Cur illic tot voces resonant; hic verò nulla vox intonat? Gigante occiso nullum beneficium collatum est Dauid, cùm aliàs ipse esset pauper quidam pastor; vocibus enim egregium facinus persoluebatur. At interfectis ducentis Philisthæis, Michol filia Regis data est ei in vxorem; cum eaque multæ possessiones, ac redditus sunt ei attributi, vt generum Regis decebat. Et cum tam larga est in Dauidem beneficiorum manus expansa, inde subtracta sunt verba; nec enim hæc exoptantur, vbi dona diffunduntur. Præclarè Cassiodorus lib. 5. variarum cap. 3. *Illustrissimum verbum concessum donum*

1. Reg. 18.

Præclarum verbum, concessum donum Cassiodor.

QVÆSTIO VII.

Quare Dominus, non in media turba miraculum operatur, sed seorsum apprehendit surdum, & mutum?

MAXIME videbatur expediens, quod Christi diuinitas ab omnibus perciperetur ex eo, quòd ipse in omniũ præsentia miraculũ perpetraret, vt sæpe fecisse, ex Euangelio constat. Ad quid extra turbam hunc abduxit infirmum?

46. *Ratio difficultatis.*

Respondet. Primò Euthymius. *Quandoque miracula coram multis operabatur propter spectantium vtilitatem: interdum verò separatim vt laudem fugeret.* Christus in edendis miraculis, non sui ostentationi, sed nostræ vtilitati consulebat; & sic aliquando inspectante turba, ob illius magnum bonum miracula faciebat, aliquando verò priuatim, ne popularem applausum affectare videretur; instruens nos ad sectandam humilitatem, quæ maximè ad magna perpetranda inserit. D. Chrysostomus in Catena aurea: *Seorsum*: ait, *à turba oblatum surdum, & mutum apprehendit, vt diuina miracula non faceret manifesta; instruens nos vanam gloriam eiicere, & tumorem. Nihil enim est, ex quo aliquis sic miracula operetur, sicut si humilitatem colat, ac modestiam sequatur.* Vide tom. 2. & 3. verbo, *Iactantia.*

47. Euthym. *Iactantia fugienda.*

Chrysost. *Humilitas ad miracula operanda*

Secundò. Idem Euthymius: *Apprehendit eum à turba seorsum, hoc est, assumpsit, separauit, ne miracula videretur spectaculo exponere, & maximè cognoscens multitudini quosdam immixtos esse, qui reprehenderent.* Seorsum seduxit Dominus hominem ad perpetrandum miraculum, aderant enim multi in turba, qui miraculum calumniarentur. Sic sæpe contingit, vt ex beneficio illato homines ansam detrahendi arripiant. Hanc occasionem euitans Dominus mutum seorsum apprehendit.

48. Euthym. *Ex beneficiis sæpè oritur detractio.*

Tertiò. D. Hieronymus, Beda, Haymon, Eusebius Gallicanus homil. in Domin. 12. post Pentecost. *Hac enim turba*, ait, *de qua hic homo à Domino trahitur, vitiorum est multitudo, & malignorum spirituum turbulentus exercitus. Qui enim de hac turba non trahitur, à Domino non sanatur.* Hoc facto indicat Dominus, quod si quis infirmatur spiritu, vt mereatur sanari, debet separari à turba, quæ vt inquit D. Antonius Vlyssipon. in præfata Dominica, *dicitur à turbando, quia dissona est.* A turbulentis cogitationibus, actibus inordinatis, sermonibúsque incompositis educatur homo, vt in spiritualem salutem conualescat.

49. D. Hieron. Beda. Euseb. Gall. *A vitiis separetur homo, vt sanetur.* Ant. Vlyss.

Quartò. Glossa Interlinealis. Apprehendit eum de turba seorsum. Hoc est, *de strepitu mundi.* Cardinalis Hugo. *Qui vult sanari à peccatis, debet tumultum mundi euitare.* Vt homo à vitiis, ac peccatis sanetur, debet fugere, ac euitare mundanos strepitus, ac mundialia negotia, quæ potissimè animum distrahunt, ac salutis viam impediunt: maximè enim expedit, ab his mundialibus segregari.

50. Glossa. Hugo. *A mundi negotiis separandum.*

Quintò. Simon Cassianus lib. 5. cap. 23. *Prouidus medendi archiatrus*, ait, *primò sanandum retrahit à prohibentibus sanitatem.* Nempe ab occasione peccati, ac societate malorum, quæ frequentissime spirituali vitæ obsunt, ac in obstaculo sunt: occurrunt enim animæ ad Deum redeunti, & perstrepunt

51. Cassian. *Mala societas vitanda.*

strepunt valde in auribus cordis nostri, vt nec possimus intelligere potiora,

52. Cathus. Sextò, Carthusianus. *De turba seorsum*, ait, *vel quia digna non erat videre mysterium huius miraculi: vel ad designandum, quòd spiritualiter surdi, & muti secretè admonendi sunt, atque docendi, ne ex humano rubore retrahantur ab aduertentia, & pœnitentia.* Ad surdum & murum in suis vitiis sanandum, optimum medicamentum priuata correctio; publica enim reprehensione aliquando fit homo impudentior, & obstinatior: seorsim admonendus est, ne verecundia afficiatur, qua hebes, & tardus ad pœnitentiam fiat.

Reprehensio vnius in secreto, & non in publico fiat.

53. Pro filio dæmoniaco vnus de turba Christum rogabat dicens: *Si quid potes, adiuua nos.* Ad quem Christus: *Si potes credere; omnia possibilia sunt credenti.* Cúmque pater multis lachrymis, ac vocibus pro filij salute instaret, iis vocibus turba commota ad spectaculum euolauit. Quid tunc Christus Dominus? ait Euangelista: *Cum videret concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & muta spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo*, Marc. 9. nu. 24. Ac si diceretur: Concurrenti populo Dominus præcucurrit, & antequam multi spectatores aduentarent, puerum sanauit. Quorsum tamen populum conuolantem non expectauit, vt plures suæ potentiæ testes adessent? Theophylactus in catena aurea ait: *Ideo autem Iesus, cum videret, turbam concurrere, cõminatus est spiritui immundo, quia nolebat coram turba curare, vt ostentationem fugere doceret.* Optima sanè ratio. Dicam tamen in rem nostram. Quod hoc facto monet Christus Dominus, qualiter homo vitiis, & peccatis à Dæmone possessus curandus sit: *Comminatus est spiritui immundo*: commination, ac increpatione. Lucas scribens eandem historiam c. 9. n. 43. *Increpauit Iesus spiritum* Increpandus est in secreto, & non in publico, ac coram multis, ne sui infamia cognita, ac verecundia deposita, inutilis, ac incorrigibilis ad disciplinam euadat. Et ideo concurrente populo Dominus præcurrit increpatione.

Marc. 9.

Theophyl.

Infamia fugienda.

Luc. 9. *Increpatio non coram multis facienda.*

54. Valde periculosa est vnius coram multis reprehensio. Pro quo magnum documentum nobis præbet omniũ Magister. Ad Patrem orauit Christus in Horto: & tunc reuersus ad Discipulos suos, cum inuenisset eos dormiẽtes, *Dicit Petro: Sic non potuisti vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. n. 40. In exordio orationis cum Petro loquitur: *Dicit Petro*: tamen statim ad omnes conuerit sermonem: *Sic non potuistis vna hora.* In plurali est verbum, & cum omnibus suis Discipulis verba facit, vt rectè notarunt Moldonatus, Barradas Lucas Burgensis, Cornelius. Cum Christus in præsenti inuenisset suos Discipulos dormientes, inchoat increpare Petrum, vt notarunt D. Hieron. D. Chrysost. Paschasius, Beda, Theophyl. & Euthymius, quia ipse paulo ante in Cœnaculo audacter dixerat: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. 26. n. 35. Si increpatio in Petrum inchoata est: *Dicit Petro*: cur diuinus Magister veluti, ac vt nostro dicendi modo, reuocat gradum, & ipsam increpationem iaculatur in omnes, ac si dicat: Vos omnes Discipuli mei non potuistis vna hora vigilare mecum? Ad quid tendit huiusmodi orationis dispositio? Vt præclarum documentum nobis præbeat diuina Sapientia, quàm cauenda sit vnius reprehensio, vtpote valde periculosa coram multis: & ideo increpationem, quæ incœpta erat proferri in Petrum, quodammodo reducit, ac in omnes Discipulis conrorquet, ac iaculatur, ne coram aliis Petrum reprehendere videatur.

Matth. 26

Maldon. Barradas. Burgens. Cornel. Haymon. Chrysost. Paschas. Beda. Theophyl. Euthym. Matth. 26.

Reprehensio vnius in publico vitanda.

QVÆSTIO VIII.

Quare ad hoc miraculum perpetrandum vtitur Christus Dominus digitis, & saliua?

VARIÆ sunt modi, variæque ceremoniæ, quas Christus in miraculo edendo adhibuit; cum tamen solo verbo id operari potuerit. Primò, apprehendit eum de turba seorsum, vt iam explicaui superiori quæstione. Secundò, ait Simon Cassianus lib. 5. cap. 25. *Conuertit illum Saluator ad se, vt faciem matris esset aspectus, ac si ad notitiam inuitaretur Creatoris eius, ad cuius imaginem factus est: sæpe enim fixo intuitu cauſatur amor, & cognito beneficia largiente, si non diligebat, saltem rependit amorem.* Vt habita cognitione sui Saluatoris, suique benefactoris, eximio amoris affectu in ipsum rapiatur. Tertiò, misit digitos in auriculas eius. Quartò, expuens tetigit linguam eius. Quintò, eleuat oculos in cœlum. Sextò, ingemuit. Septimò, adhibet verbum Ephpheta. De tribus his vltimis cæremoniis dicam in sequentibus, de tertia, & quarta in præsenti est agendum.

55. *Cæremoniæ quæ in hoc miraculo interuenerunt.* Cassian. *Cognitio Creatoris amorem excitat.*

Primò, Victor Antiochenus, *Infert digitos in aures*, ait, *cùm solo verbo miraculum patrare voluerit, quò corpus modo, qui verbis exprimi nequit? ipsi vnitum, animáque intelligenti, ac rationali informatum, diuina virtutis vim, & energiam obtinere commonstret.* Idem docent Theophylactus, & Euthymius. Poterat Dominus solo suo verbo, ac nutu hominem sanare; tamen vtitur digitis, & salina, vt ostendat, carnem suam esse vnificatricem, & sua omnia salutifera. Non semper Christus Dominus vno, & eodem modo, sed variis valuit nobis suam diuinitatem, ac potentiam manifestare. Aliquando mortuos, dæmoniacos, ac ægros solo verbo sanauit. Aliqnando verò impositione manus, tactu, salina, & luto. Et quantum in his coniecturari possimus, etsi præcipuæ rationes nos lateant. Disposuit Christus Dominus suam diuinam potentiam quodammodo accommodare ad modum naturalium agentium, ac ad hominum morem. Qui enim surdi existunt, aliquo impedimento videntur obturatas habere aures: ideò immissis digitis eas quodammodo ostendit aperire. Et qui mutus est, seu potius balbus, vt erat iste homo, præ nimia oris siccitate, lingua palaro, ac faucibus ei adhærebat, ideò loqui nequibat. Quo sensu dicebat Dauid: *Lingua mea adhæsit faucibus meis*, Psal. 21. n. 16. Et ideò Iesus salina humectat linguam, vt ad loquendum fiat expediens. Diuina Sapientia sic disponebat res, vt communi agentium modo condescenderet. Hæc mihi videtur potissima ratio.

56. Victor Ant. Theoph. Euthym. *Suprema potentia communi modo agendi se accommodat.* Psam. 21.

Secundò, D. Hieron. Strabus, Beda, D. Gregorius hom. 10. in Ezech. Euseb. Gallicanus, hom. 10. in Domin. 12. post Pentecost, astruunt, Digito Christi Spiritum sanctum significari, nam Lucas 11. num. 20. scribit. Christum dixisse: *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, Matth. 12. nu. 28. narrat, dixisse: *Si in spiritu Dei eiicio dæmonia.* Nemo po-

57. Hieron. Strabus. Beda. Gregor. Euseb. Gall. Luc 11. Matth. 12.

test intelligere, ac capere recta, vt oportet, nisi diuinis inspirationibus imbuatur. Salua autem, quæ à capite defluunt, diuina sapientia denotatur. Nullus enim valeret cœlestia, ac salubria meritorie, ac perfunctorie loqui, nisi diuina sapientia perfundatur. Vnde instantissimè Salomon eam à Deo postulabat: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, mecum laboret,* Sap. 9. n. 10. Magna energia transferunt Septuaginta: *Mitte illam de sanctis cœlis, & a sede gloriæ tuæ; mitte illam.* præ vehementia desiderij non contentus fuit semel dicere, *mitte*, sed duplicat verbum, *mitte, mitte*, vtpotè rem sibi maxime necessariam postulans.

Diuina sapientia ad recte agendum à Deo petenda.

Sap. 9. Septuag.

58. Euseb. Gal. Tertò, citatus Euseb. *Expuit*, ait, *& tangit linguam eius, vt per hoc eum doceat, superflua omnia abiicere, si linguam vult habere solutam, & ad loquendum idoneam. Sæpe enim fluxum ad loquendum lingua facit impedimentum. Est enim fluxum superfluitas quædam.* Sputum quid humani corporis superfluum est, linguæque ad loquendum impedimentum. Hæc est allegoria diuinæ Sapientiæ, vt impedimentum impedimento soluat; & id, quod censetur obstaculum, si è manu Christi veniat, nobis est vtæ, & salutis medicamen.

Diuina sapientia impedimento impedimentum soluit.

59. Haymon. Quartò Haymon. Per curationem huius infirmi conuersionem Gentium interpretatur, quæ dæmonum cultui cenebantur. Per sputum ex ore doctrinam Euangelicam intelligit per quam Dominus populum Gentilem ad fidei cognitionem traduxit. Per digitos autem in aures immissos Spiritus sancti dona in Gentium animos infusa exponit, vt ipsi in cordibus suis veram haberent fidem, confessio enim fidei, nisi & in corde sit, in ore non prodest.

Nemo ad fidei confessionem in ore, nisi sit in corde.

60. Caietan. Quintò Caietanus. Nihil, ait, de huius surdi fide, ac deuotione apparet. Offerentium autem illum minor fides significatur, quum describuntur precantes, vt imponat illi manum. Vndique ergo deficiente fide, supplet Iesus gemitu, suspectione in cœlum, & applicatione propriæ carnis, ac sputi, tanquam instrumenta sancta adhibendo; nam sancta erant omnia, quæ Iesu erant. Et instruxit per hoc Discipulos ad suppliendum quandoque orationibus, & adhibitione sacrarum rerum ea, quæ desunt ex parte aliorum. Hæc Caietanus.

Defectum deuotionum adhibitione sacrarum rerum supplendum.

61. Sextò. In sanando hoc infirmo tot cæremonias adhibet Christus Dominus, vt instruat suos Discipulos, vt in spirituali fidelium salute administranda cæremonias imponant, tam cùm Baptismum, quàm dum alia sacramenta, réliquæ sacras administrant. Ex quo maximè venerandæ, ac recolendæ sunt cæremoniæ Ecclesiæ, in eis enim multa latent mysteria.

Cæremonia Ecclesiæ venerandæ.

62. Septimò. Misit digitos in auriculas eius ad sanandum hominem hunc. At cum Daniel magno pauore teneretur, Angelus eum manu corroborat. *Non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea.* Dan. 10. n. 8. Et iterum n. 9. *Nil in me remansit virium, sed & halitus meus intercludebatur. Rursus ergo tetigit me, quasi visio hominis, & confortauit me.* Huic Dæmoniaco duo admouentur digiti, vt dixi in expositione; Prophetæ verò non tantum vnus, vel alter digitus, sed tota manus semel, & iterum. Moraliter. Manus, quæ erexit Prophetam, manus erat ministri, nempe Angeli. Digiti autem in hunc hominem immissi, digiti erant Domini, estò minimi digiti, vt vult Cassianus item citatus in expositione. Et plus præstat vnus minimus digitus Domini, quàm tota manus ministri. Vel dic, quòd Propheta timore erat correptus: iste autem homo à Dæmone possessus, vt vult Theophylactus. Digiti huic homini admouentur; tota verò manus Prophetæ. Quodammodo, vt ita dicam, plus exigitur ad expellendum metum ab animo formidoloso, quam Dæmonium à corpore obsesso.

Dan. 10.

Cassian. *Plus valet minimus Domini digitus, quàm tota manus ministri. Plus requiritur ad expellendū metū, quàm dæmonium aliquando.*

Octauò Carthusianus. Misit digitos? *Per digitos, ait, ratione articulationum, & distinctionis ipsorum, significatur discretio: ad aperiendum autem aures interioris hominis, spiritualiter surdi, discretio magna exigitur. Et expuens tetigit suo fluxu linguam eius; quia per salinam, sine qua verba formari non possunt perfectè, sapientia figuratur.* Ad perpetrandum miraculum digitos, ac sputum adhibet, per quæ discretio, ac sapientia denotatur, quo altè instruimur, vt recta sit operatio, discretione, ac prudentia esse vtendum.

63. Carthus. *Nostræ actiones discretione sunt dirigendæ.*

Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos, Genes. 37. n. 3. Quænam huius dilectionis causa, vt plus cæteris diligeretur, cum communiter primogenitus in maiori soleat haberi pretio, imò plus diligi, quàm alij? Si autem dicatur, quod ex eo plus diligebatur, quia erat filius senectutis, vt Scriptura innuit, *eo quòd in senectute genuisset eum*, hac de causa plus diligendus Benjamin, vtpote iunior. Quæ ergo tanti amoris ratio? *Eo quòd in senectute genuisset eum*; seu, vt explicant Rupertus apud Lippomanum, in matura senectute, hoc est in consummatione, ac perfectione virtutum. Cui morali expositioni fauent Burgensis, cum Iosepho, & Theodoreto. Et tunc diligitur Ioseph, qui discretio, ac prudentia interpretatur, teste Richardo de S. Victore. Nihil enim magis intenditur, ac diligitur à consummata, ac perfecta virtute, quàm discretio, ac prudentia in suis actionibus, nam cum ipsa consistit virtutum consummatio, sine ipsa verò virtutes corruunt, & vertuntur in vitia. Richardus de S. Victore de præparatione, ac contemplatione lib. 1. c. 48. *Quia, ait, quis nescit vera animi bona sine discretione, nec posse acquiri nec posse conseruari: merito ergo illa virtus singulariter diligitur, sine qua nulla conquiritur, nulla consummatur, nulla conseruatur.*

64. Genes. 37. Rupert. Burgens. Ioseph. Theodor. *Sine discretione virtutes deperduntur.* Rich. Vict.

Multo cultu magnóque vestium apparatu summum Sacerdotum exornari, auro, hyacintho, cocco bis tincto, & multis aliis iussit, tandémque ait Moysi Deus: *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere calatoris sanctum Domino ligabisque eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram imminens fronti Pontificis.* Exod. 28. n. 37. Ad quid super tot ornamenta ponitur lamina aurea imminens fronti, ac oculis Pontificis, in eo insculptum sanctum Domino? hoc est scientia ac sapientia Dei? Quia, vt quis rectè in se habeat aurum iustitiæ, hyacinthum puritatis, coccum bis tinctum, nempe charitatem erga Deum, & proximum, ac baltheum fortitudinis, debet habere ante oculos, ac in mente fixam veram scientiam, ac sapientiam Dei, qua in omnibus suis actionibus dirigatur, sine qua omnes aliæ virtutes nec consistunt, nec conseruantur. D. Hieron. Epist. ad Fabiol. *Lamina aurea, ait, rutilat in fronte: nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi scientia coronemur: lauis induimur, ornamur hyacinthinis: sacro baltheo cingimur, dantur nobis opera, rationale in pectore ponitur, accipimus veritatem, proferi sermo doctrinam, imperfecta*

65. Exod. 28. *Parum prosunt animi ornamenta, nisi superna sapientia dirigantur.* Hieron.

facta sunt vniuersa, nisi tam decoro curru dignus quæratur auriga; super Creaturas Creator insistens, regat ipsa, quæ condidit. Expende verbum, *Nisi scientia coronemur.* Et si hac coronamur, Creatur insilit, & regit.

Marc.7.v.34. Et suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire.

VERSIONES

Syriacus. Et suspexit in cælum, ac suspirauit, dixitque ei: adaperitor.

EXPOSITIO IV.

66. QVINTA circunstantia, *Suspiciens in cælum*, nempe ad Patrem regnantem in cælo, à quo, vt à fonte, omnia nostra bona, omniáque malorum medicamenta fluent. *Ingemuit.* Sexta circunstantia. Gemitus fuit per modum cuiusdam vehementissimæ orationis, vt suo exemplo nos doceret, ad magna impetranda, Deo cum efficacia exorandum. *Et ait illi*, scilicet surdo, & muto, *Ephpheta, quod est aperire*, quod idem valet, vt habet Syriac. ac *adaperitor*, vel esto apertus. Quod refertur tam ad aures, quas tenebat clausas, quàm ad linguam, & os, quod impeditum habebat, vt Deus, qui vno verbo hominem fecerat, vno & verbo restauraret. Interlinealis, *Vno verbo curauit, quia Deus.* Deus vno verbo cuncta sanat; homines verò multa dant verba, & in illo medicamen præbent.

Syriac.

Interlin.

67. Syriacum vocabulum, quo Saluator ad edendum miraculum est vsus, apponit Euangelista, non quia illud vocabulum in ea lingua maiorem vim retineat, quam si in alia lingua foisset expressum; quamuis enim Christi verba multæ essent efficaciæ, vtpote instrumentum suæ Omnipotentis voluntatis; tamen illa efficacitas inest, non solùm Hebraicarum, vel Syriacarum litterarum sono, sed significationi, quæ Christi voluntatis est interpres, vt iam alibi dixi. Vtitur ergo Euangelista tali verbo, vt historiæ maiorem fidem cóciliare valeat; plus enim maiestatis, ac auctoritatis, p'usque venerationis ipsum, à Christo Chaldaicè prolatum verbum habere videtur. Quemadmodum cum alicuius eminentis viri, v.g. Aristotelis sententias pronuncianus, eo proferimus idiomate, quo editæ sunt; vt sic enim plus gratiæ, ac ponderis videntur habere.

Cur Syriace verbo vtitur Euangelista.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus suspiciens in cælum ingemuit?

68. RESPONDENT primò ad has circunstantias huius miraculi, quæ non ita in aliis sunt adhibitæ, D. Gregorius homil. 10. Beda, Theophylactus, Euthymius, quòd Christus orans Patrem suspexit in cælum, ac ingemuit; nam, vt ait Beda, *Suspexit in cælum, vt inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cunctis infirmitatibus medelam daret quærendam. Ingemuit, non quia ipsi opus esset, cum gemitu aliquid à Patre petere, qui cuncta petentibus donat cum Patre, sed vt nobis gemendi daret exemplum, cum vel pro nostris necessitatibus, vel pro nostrorum errantibus proximorum superna pietatis præsidia imploramus.* Orat, non pro se, sed pro nostra doctrina, vt instruamur in nostris necessitatibus è cælo remedium quærendum, & cùm orandi modum docet, suspexit in cælum, ac ingemuit, vt habeamus documentum, quod oratio debet fieri semoto animo à terra, eleuata mente in Deum, ac magna cordis compunctione, vt medelam in nostris necessitatibus impetrare valeamus.

Gregor. Beda. Theophyl. Euthym.

Orandum semoto animo à terra, & in cælum eleuato.

69. Secundò. Orat, vt vult Maldonatus, vt se ostendat missum à patre. Suscitaturus Lazarum orat Christus. Cuius rei causa ab ipso Christo redditur Ioan. 11. n. 41. *Pater* ait, *gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis? sed propter populum, qui circunstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.* Ergo propterea Christus nunc, si ex vno exemplo coniecturam facere licet, facturus miraculum Patrem orat, vt qui aderant, intelligerent, se ab eo missum esse, ad ipsumque omnia sua referre. Victor Antiochenus, *Cælum respicit, ait, ea quidem quæ faciebat, ad cælestem Patrem, tanquam ad primarium auctorem referens.*

Maldon.

Ioan. 11.

Omnia nostra Deo referenda.

Victor. Ant.

70. Tertiò. Idem Victor Antiochenus, *Ingemuit*, ait, *humana natura casum dolore, & commiseratione prosequens. Expendebat enim, in quantam calamitatem, & miseriam omnis bona, honestaque actionis hostis diabolus, primorumque parentum incuria, & lapsus illam deiecisset.* Ingemuit compatiens super miserias, tam spirituales, quàm corporales huius: ac cæterorum hominum, in quas ob peccata humani generis ipsi inciderant. Christus ingemuit pro nostris peccatis, & miseriis, nos autem & vnum pro illis nescimus edere gemitum.

Victor. Ant.

Pro nostris miseriis gemendum.

71. Quartò. D. Chrysostomus in Catena aurea, *Simul ingemuit*, ait, *nostram causam suscipiens in seipso.* Christus Dominus ingemuit, quia hominis causam in se suscepit. Nos verò in aliorum miseriis minimè gemimus, aut compatimur; quia aliorum miserias, non vt nostras, sed vt alienas consideramus; si autem eas tanquam proprias habuerimus, maximè super illas dolebimus, & gemitum dabimus.

Chrysost.

Aliorum miserias suscipiamus, & condolebimus.

72. Quintò. Beda, *Suspiciens quidem*, ait, *in cælum, quasi bonus Deum deprecaturus ingemuit, sed mox vno sermone, quasi potens diuina maiestate curauit.* In cunctis operibus Christus Dominus se Deum, & hominem manifestabat: vt homo orat, ac ingemuit, vt Deus vno verbo imperat, & dat sanitatem.

Beda.

Christus se Deum, & hominem manifestabat.

73. Sextò. Ingemuit Dominus, cùm ad perpetrandum miraculum processit, fortè quia ad soluendam, ac restituendam homini linguam accedebat, tanquam prænoscens, quantum malum sit hominis lingua, quantúmque eius saluti obsit. Et ideò dicitur à D. Luca 11. *Erat Iesus eiiciens Dæmonium.* Veluti quasdam moras interponebat in restituenda hominis lingua, cum illa sit multorum malorum instrumentum. Vide ibi dicta tom. 3.

Lingua grande hominis malum.

Luc. 11.

74. Vnus de turba accessit ad Christum dicens: *Magister attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum.* Marc. 9. n. 16. Mandat Dominus *Discipulis suis, vt eicerent illum, & non potuerunt.* Tunc incipit Christus reprehendere obstinationem Iudæorum: *O generatio incredula, quandiu apud vos ero*, vt exponunt D. Hilarius, D. Chrysostomus, D. Hieronymus, D. Paschasius. Deinde iubet Dominus: *Afferte eum ad me.* Quem cùm attulis-

Marc. 9.

Hilar. Chrysost. Hieron. Paschas.

sent, *statim spiritus conturbauit illum*, scilicet puerum; *& elisus in terram volutabatur spumans.* Permittit Saluator, vt per aliquod tempus tot molestias patiatur puer. Tandem sermonem interponit cum patre: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Et tunc patre respondente, ac fidem suam protestante, sanat Iesus puerum. Ad quid tot moras in hoc miraculo connectit Dominus,

Chrysolog. ex quibus aliquis sinistrè quandam impotentiam in eo suspicari poterat, vt notauit Chrysologus serm. 51. *Tarditatem*, ait, *curæ, non causæ deputans*, scilicet pater, *sed curandi impossibilitatem Magistri imperitiæ assignans.* Cur ergo sic cunctatur Dominus, cùm aliàs sit in nostrum remedium velocissimus? In hoc euentu ex vno latere vrgebat auctoritas Christi ad miraculum operandum, vt cunctis diuina eius potestas innotesceret: ex altero autem apparebat, quòd apertum os, & restituta lingua, vade frequenter multorum malorum sit origo. Cunctatur ergo Dominus, permittitque quod ille spiritus nequam conturbet puerum, in terramque illidat, per eàmque volutari cum spumantem faciat: sciebat enim, quod aliquando vehementius torquet vna mala lingua animum, quàm vnus malignus spiritus cruciat corpus, hâcque de causa moras ponit, cum tantorum malorum vna lingua sit paratum instrumentum. Eusebius citatus à D. Ioanne Damasceno lib. 1. Paral. cap. 79. *Equum*, ait, *duriori cervice frænum domat, malam autem linguam nullus domare potest, truculenta fera facilè cicuratur: mala autem lingua leniri nequit: nihil in mundo lingua mala peius est; nihil non mali per linguam oritur.*

Non torquet animam vna mala lingua, quàm diabolus corpus.

Euseb. *Nil peius mala lingua.*

75. Iacobi 3. Ait Iacobus in sua Canonica 3. num. 6. *Lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam nativitatis nostræ inflammata à gehenna.* Postea verò de aliis malis, ac vitiis pertractans, illorum causam concupiscentiam assignat. *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?*

Iacobi 4. cap. 4. num. 1. Inflammatur homo ad lites, contentiones, ac rixas, vt explicat Lyranus. Inflammatur & lingua ad turpiloquium, ac ad maledicentiam. Sed vnde incenditur homo ad contentiones, & rixas? *A concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Incenditur & lingua, sed non exprimitur à Iacobo succensa à concupiscentiis nostris, vt in aliis dixerat, sed *inflammata à gehenna*, nempe ab infernali incendio, vtpote dæmonum domicilio. Tanta est enim iniquæ linguæ turpitudo, vt non ab humana concupiscentia, sed ab incendio gehennali, ac tota malignitate dæmonum, videatur inflammata: quasi ad quam venenosa se lingua diffundit prauitatem concupiscentia humana non sufficiat, nisi totus dæmonum adsit concursus. Gilbertus Abbas in Appendice ad Canticum S. Bernardi serm. 24. *Quid lingua nequam cordi tuo talem adhibet flammam? sufficit illi flamma sua. Ignem hunc, quem euomis, hauris de gehenna: inde incipit, & inde rapit. Lingua, inquit, inflammata à gehenna. Malè succendit, qui succidit vitta, qui dissidij verba scintillat: & flamma talis de inferis est.*

Lyran.

Tota dæmonum malitia in vna lingua armatur.

Gilbert.

Marc. 7. n. 35. Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

VERSIONES.

Syriacus. Atque in illa hora adapertæ sunt eius auriculæ, solutúmque est vinculum linguæ ipsius, & locutus est facillimè.

EXPOSITIO V.

76. Antioch. *STatim*, prolato diuino verbo, illico secuta est hominis sanitas. Victor Antiochenus, *Vnà cum verbo miraculum in opus abiit.* Ipse dixit, & facta sunt. *Aperta sunt aures eius.* Metaphoricus est sermo; videbantur enim clausæ, ac obstructæ: veluti clauis carneis, id est prauis humoribus. *Et solutum est vinculum linguæ eius*; quia balbutiendo, veluti vinculis lingua tenebatur. *Et loquebantur rectè*; hoc est expeditè, ac promptè, sine vlla nempe balbutione. Syriacus habet, *facillimè.* Hinc firmatur, vt bene inquiunt Caietanus, Maldonatus, quod non erat absolutè mutus, sed impeditus in modo loquendi. Ex quo etiam cõsequenter deducitur, quòd non erat surdus à natiuitate; nam tales surdi, neque rectè, neque non rectè sciunt aliquid loqui.

Syriacus Caietan. Maldon.

77. Antioch. Beda. *Et loquebatur rectè.* Victor Antiochenus, *Quomodo*, ait, *non rectè loqueretur, rectèque audiret, cum natura opifex id suppleret, quod natura deerat?* Beda, *Ille solus*, ait, *rectè loquitur, qui linguam tactu sapientiæ, quæ est ad loquendum instituit.* Quasi quod impedimentum, quod ob deprauata verba habuit homo, tunc soluatur, cum diuinæ sapientiæ afflatu bona refert verba. Expende, *Rectè loquebatur.* Ex longo namque silentio in bonam loquelam venit homo: tarditas enim linguæ pulchram, ac elegantem conficit orationem. *Tempus tacendi, & tempus loquendi* Ecclesiast. 3. num. 7. Priùs Sapiens præmisit tempus ad tacendum, & postea ad loquendum. D. Hieronymus, *Discamus itaque*, ait, *& nos prius non loqui, vt postea ad loquendum ora referemus.* Magnum silentium alta est instructio ad rectè verba proferenda.

Ex longo silentio bona locutio. Ecclesiast. 3. Hieron.

QVÆSTIO X.

Quare dicitur, quod prius apertæ fuerint aures, quàm solutum vinculum linguæ?

78. *Ratio difficultatis.* QVÆRITVR est, quod in re totum simul est operatum, aures apertæ sunt, & vinculum linguæ solutum: tamen quæstionem excitamus de stylo Euangelistæ. Cur primò ait, aures apertas fuisse, & linguæ impedimentum ablatum, quàm potius è contra?

79. Cassian. Isai. 35. *Cohærentia noui, & veteris testamenti.* Respondet primò Simon Cassianus lib. 1. c. 25. Sic quippe propheratum erat, quod aperturus esset aures surdorum, & linguas mutorum facturus disertas. *Tunc verò aures surdorum patebunt; tunc saliet, sicut cervus, claudus; & aperta erit lingua mutorum*, Isai. 35. num. 5. Ac proinde eandem methodum, quam tenet Propheta in factis recensendis, ac miraculis Christi, tenet etiam Euangelista, vt vtriusque paginæ appareat cohærentia, & quod illius facta, quæ prænuntiauit Propheta, scribat & Euangelista.

Secun

80. Secundò Hugo. *Prius audit homo, postea loquitur, sic enim faciendum est; qui enim prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat*, Prouerb.18. n.13. *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Hebraïcus habet: *Reddens verbum, antequam audiat, stultitia est ei, & ignominia.* Salomonem secutus Siracides Ecclesiastic.11.num.8. *Priusquam audias, nec respondeas verbum, & in medio sermonem ne adycias.*

Hugo. *Prius homo audiat, & postea respondeat.* Prou.18. Hebr. Eccles.11.

81. Tertiò. Prius dicuntur aures apertæ, & postea vinculum linguæ solutum, vt significetur, quod promptior sit homo ad audiendum, quàm ad loquendum. Hinc Sapiens admonet: *Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua custodiant*, Prou.5.n.1. Exhortatur Sapiens, vt Audamus diuinam sapientiam, ac audita silentio teneamus, & custodiamus: nam audiens fit sciens, & tacens fit magis intelligens, dum audita profundè ruminat, & considerat. Salazar, *Labia tua custodiam, vel contineant*, ait, *vt scilicet ea, quæ audieris à me, ita optimè cavias, & de cætero sileas; nam silentium disciplinæ custodia est.* Ex quo Pythagoras suis discipulis silentium quinquennium indicebat, vt tradunt D.Ambros.lib.1. offic.c.10. D. Chrysost. hom.1. in epist. ad Tim. Vnde Christianos admonet D. Hieron. in cap.3. Ecclesiastes: *Discamus igitur*, ait, *ab eo nos prius non loqui, vt postea ad loquendum ora referemus. Sileamus certo tempore, & ad præceptoris eloquia pandamus. Nil nobis videtur rectum esse, nisi quod discimus, vt post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.*

Prompter sit homo ad audiendum, quàm ad loquendum. Prou.5.

Salazar.

Silentium discipuli, disciplina magistri. Ambros. Chrysost. Hieron.

82. Ait Regius Vates Psal.84.n.5. *Inclinabo in parabolam aurem meum: aperiam in psalterio propositionem meam. Cur timebo in die mala?* Psal.48.n.5. Primò ait, quod aurem suam extendet ad audiendum in parabolam, hoc est per ænigmata, vt inquiunt D. Augustinus, & Remigius. Quando enim in hac vita per fidem ambulamus, per ænigma intelligimus. Deinde, ait, quod aperiet os suum. Tandem subinfert: *Non timebo a die malo.* Qui enim, quæ à Deo audit, loquitur, securus est ab omni nocumento, & malo. D. Augustinus, *Inclinemus*, inquit, *in parabolam aurem nostram, & sic aperiemus in psalterio propositionem nostram. Audiamus, quod dicimus: faciamus, quod præcipimus: & qui dicit: Cur timebo in die mala?* Ecce quanta vtilitas, si homo loquatur ea, quæ ex Dei afflatu audit.

Psal.48. Augustin. Remig. *Qui prius audit, & postea loquitur, securus à malo.* Augustin.

83. Psal.33. n.12. *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Et subinfert: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Vocat nos Psalmographus, nempe Christianos, vt apertas habeamus aures, vt ait D. Augustinus, ad audiendum ea, quæ Dei sunt; & vt silentio suppressa habeamus labia ad loquendum. Vt inde instruamur, quòd homo promptus sit ad audiendum, & valde cautus ad loquendum. Redeo ad proximè citatum Isaiæ locum 35.n.5. *Tunc aures surdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum.* Aures inquit in plurali, lingua verò in singulari. Sed si multi erant muti sanandi, cur non dicuntur linguæ, sicut de auribus dictum est: *Aures surdorum patebunt.* Cur linguam in singulari: *Aperta erit lingua mutorum?* Velociores sint homines ad audiendum, quàm ad loquendum: Multas habeant aures, vt percipiant; vnam verò linguam, vt parcè, ac modestè loquantur.

Psalm.33. Augustin. *Promptus sit homo ad audiendum, & cautus ad loquendum.* Isai.35.

Marc.7.n.36. Et præcepit illis, ne cui dicerent: Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.

VERSIONES.

Syriacus. Et admonuit eos, ne id cuiquam dicerent.

Vatablus. Ac interdixit eis, ne cui dicerent. Sed quò magis ille eis interdixerat, eò magis, ac amplius prædicabant.

Theophylact. Hoc amplius prædicabant.

EXPOSITIO VI.

84. NARRATO miraculo illius secretum effectum, tam ex parte Christi, quàm aliorum scribit Euangelista. Ex parte Christi: *recepit eum*, tam scilicet homini sanato, quàm iis, qui eum adduxerant, ac astabant. Præcepta æqualiter in omnes proferenda. *Ne cui dicerent*, editum scilicet miraculum. Operibus factis frequenter Iesus silentium imperabat, vt dicam quæst. seq. *Quanto autem eis præcipiebat*, ne cui dicerent, sed vt tacerent. *Tanto magis plus*, ad exaggerandum, quanta vehementia, ac feruore restitutam hominis sanitatem proclamabant. Apponitur illud *plus*, hoc est magis amplius, quàm si ille non prohibuisset, prædicabant D.Hieron. *Ciuitas in monte posita, vndique circumspecta, abscondi non potest, & humilitas semper præcedit gloriam.* Christus Dominus tunc maior apparet hominibus, cum magis se deiicit, ac humiliat. Hugo, *Quanto enim minus*, ait, *quis appetit gloriam, tanto magis habet; & quanto magis appetit, tanto magis fugit illa.* Vt de pecunia dicitur Ecclesiastic. 11. n.10. *Si secutus fueris, non apprehendes; & non effugies, si præcurreris.*

Hieron.

Hugo.

Eccles.11.

QVÆSTIO XI.

Quare Christus Dominus vetat, miraculum diuulgari, cum ipse sciret ab hominibus diuulgandum? Et ad quid apprehendit hominem seorsum, cùm opus esset proclamandum?

85. MVLTOTIES eximiæ humilitatis Magister Dominus Iesus factis miraculis silentium imperauit. Vt sanato Leproso Matth.8. num.4. Marc.1. num. 44. Sic & duobus cæcis sanatis: *Comminatus est illis Iesus dicens: Videte, ne quis sciat*, Matth.9. n.30. At hoc mandato non obstante, tam leprosus Marc.1.num.44. quàm cæci cœperunt Domini miracula prædicare, & per totam regionem diffamare; sicut & in præsenti isti homines de surdo: & muto sanato, qui silentium sibi impositum minimè obseruarunt. Tamen in hoc non peccarunt; nam illud non fuit propriè præceptum ad culpam obligans; sed veluti vrbanitas, quædam, ac quoddam modestiæ iudicium, ac apertum testimonium, quòd ipse vanæ homini-

Matth. 8. Marc.1. Matth. 9. Marc.1.

num gloriæ erat valde alienus, vt explicaui to.2. c.2.q.12.n.8.eodemque c.q.10.Commendationis huius silentij multas dedi rationes, quæ hic adaptari possunt, & ibi videndæ sunt.

86. Quæstio præsens inquirit: Cur Dominus his hominibus præcipiebat, vt miraculosum opus tacerent, cum ipse optimè prænosceret, eos tanto magis prædicaturos, quanto magis silentium commendabat; Et ad quid ad miraculum perpetrandum apprehendit hominem seorsum à turba, cùm ipse sciret, opus esse diuulgandum?

87. Euseb. Gal. Beda. Haymon. Carthus. Respondent primò Eusebius Gallicanus homil.in Domin.12.post Pentecosten, Beda, Haymon, Carthusianus. Quod præceperit, miraculum taceri, vt ostenderet se à iactantia, ac vana hominum gloria valde alienum; quamuis enim ipse optimè sciret, quod homines miraculum essent prædicaturi; ipse tamen fecit ob sui modestiam, quantum in se erat, ad illud occultándum, ac ad omnem ostentationem fugiendum: & ad opus virtutis nil amplius defideratur, quàm quantum in nobis est, exhibeamus.

Ad opus virtutis sat est, id fieri, quod in nobis est.

88. Beda. Secundò Beda, *Nobis*, inquit, *dare exemplum voluit, vt virtutum opera facientes, vitium iactantiæ, gloriamque vitemus humanam, ne in nobis nostra actio per inanem vulgi fauorem superna retributionis munere priuetur: & tamen sciamus opera nostra, si diuina imitatione fiunt, nullatenus posse celari, sed ad vtilitatem fraternæ correptionis, ipso dispensante, patefieri, qui dicit: Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Dat nobis Dominus suo facto documentum, vt opera nostra abscondamus, ne illa faciamus ac intentione, vt gloriam hominum quærentes à retributione æternæ mercedis exulemus. Si autem necesse fuerit ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem, vt manifestentur, tunc ipso dispensante patefient, qui dicit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum*, Matt.5. n.16. Vid. quæ dixi to.2.c.11.q.21.

Opera nostra occultanda Deo ad gloriam suam manifestabit.

Matth.5.

89. Theophyl. Tertiò Theophylactus, *Discimus hoc loco*, ait, *quod quando benefacturi sumus, ne plausus, vel celebritates ex beneficiis quæramus: quum autem beneficia acceperimus, vt benefactores, licet ipsi recusent, laudemus, & prædicemus.* Christus beneficium mandat taceri; homines verò magnis vocibus acclamant, & laudant: nam sicut hominis mirificè benefici est, suum concessum munus velle occultare; ita proprium animi grati, donum acceptum extollere, publicare, ac applaudere.

Animi benefici est, occultare beneficium, grati publicare.

90. Antioch. Quartò Victor Antiochenus, *Præcepit, ne cui dicerent: Vt rem tacitam* ait, *apud se contineant, grauiter iniungit. Fecit hoc ea de causa, vt Iudæorum animos, in eadem accensos, ante tempus contra se inflammaret, & concitaret, etiamsi certo sciret, eos opus vsque adeo admirabile, & inusitatum minimè tacituros, sed passim inuulgaturos.* Tantopere miraculi silentium commendat, adhortans nos, vt nostra illustria opera, ac facta aliquando ne diuulgemus, sed taceamus, vt inimicorum nostrorum iram, ac inuidiam non excitamus, hoc enim multis est periculis expositum. Ac etiam quod ante tempus nil operandum, sed omnia ad conueniens, & proportionatum remittendum. Et ideo ne à Iudæis ex inuidia ante tempus ei mors infligeretur, miraculi silentium præcipit.

Inimicorum inuidia declinanda.

Quintò D. Augustinus lib.4. de consensu Euangelistar. cap.4. præclarè sic addubitat. *Si autem Iesus sciebat (sicut ille, qui notas habebat & præsentes, & futuras hominum voluntates) tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent, eis præcipiebat, vt quid hoc præcipiebat?* Multum ponderandum, quòd tantis Dominus taciturnitatem in hoc opere intendat, seorsum à turba mutum sanare; circumstantibus silentium commendat. Præsenti dubio ex Beda respondet Maldonat. *Videtur non seriò Christum prohibuisse, ne quid dicerent sed potius vt magis ad dicendum incitaret.* Idem innuunt D. D. Augustinus citatus, & Haymon in præsenti. Dicebat Christi sapientia, vt hoc præclarum miraculum ad sui Patris gloriam publicaretur; ideo non patenter mutum, & surdum sanat, sed *apprehendit eum seorsum a turba, astantibusque præcepit, ne cui dicerent.* Ad quid? *Vt magis ad dicendum incitaret.* Quæ enim in secreto creduntur, maximè homines euulgare appetunt, de ipsisque occultis garrire super modum affectant; ac ipsum secretum veluti publicandi lenocinium est, vehemensque referendi stimulus, multúmque ad publicandum humanum cor subornat, vt veluti ad promulgationem magnum artificium sit ipsa fides sub secreto commissa. Hominem ergo seorsum curat, taciturnitatémque inspectantibus indicit, vt ad propalandum humana voluntas alliciatur.

Beda. Maldon. August. Haymon.

Qui secretum commendat publicationi subornat.

92. Eccl.10. Ait Ecclesiastes 10.n.20. *In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledicas diuiti: quia aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.* Magnum nobis præbet documentum, ne calumniam contra regem, vel diuitem in intimo secreto proferamus; nam illud valde festinanter, ac celeriter ad aures regis perueniet. Hoc denotat apposita sententia. *Aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit.* Quod explicans Lyranus inquit: *Quicumque relator verborum velox ad talia referendum.* Sed si in tam profundo secreto est dictum: *In secreto cubiculi tui*; quomodo tanta festinatione, ac volatu pertransiit ad regem? Ipsum secretum publicationis est subornatio, referendique fomes, vt quanto magis sub occulto est prolatum, tanto magis habeat euulgationis arbitrium, ac propalationis ingenium. Nota, quod non recommendat Ecclesiastes, ne de rege in publico malum dicas, sed, *In cogitatione tua, in secreto cubiculi tui.* Quæ enim sub sigillo proferuntur, in manus veniunt euulgationis discrimen, quam illa, quæ absque aliqua clausula astruuntur: nam quæ publica sunt, vtpote vulgaria, sæpe homines dicere contemnunt, de occultis verò garrire, eis libido maximè inest, cum rem nouam, & inauditam annuntiantes, quam multum gratum fore sperent.

Lyran.

Secretum referendi fomes alat ad dicendū sapiē. instruat.

93. Exod.2. *In diebus illis, postquam creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos: vidit que afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis: circumspexitque huc, atque illuc; & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo*, Exod.2.n.11.& 12. Quæ nunciata sunt Pharaoni. *Audiuitque Pharao hunc sermonem*, ibidem, num.15. Ex quibus tam Pharao, quàm aulici suspectum habuerunt Moysem erga populum Hebræum, vt testatur Philo lib.1.de Moyse. *Nati purpurati suspectum habentes iuuenem*, &c. Solum Pharao, ac aulici Ægyptium necatum audiunt, vt suspectum habeant Moysem, cùm tamen ipse Moyses, vt testatur Philo, lib.citat. *Hebræos oppressos verbis, quantum poterat, subleuabat, præfectos admonens, vt modestiam tenerent, laxaréntque nimiam in vrgendo duritiem: operarios verò vt præsentem statum ferrent fortiter, sicut viros decet, neque animis deficerent, & sperarent mutationem*

Philo.

in

Bas. *in medium.* Idem tradit D. Basilius homil. 1. in Hexamer. Cur hæ visitationes, consolationésque Moysis in Hebræos, obiurgationésque in præfectos non dicuntur auditæ in aula Pharaonis, vt mors illa Ægyptij? Nam accessus illi frequenter fiebant; mors verò extitit occasionalis, & ex quadam generositate Principis accidere poterat? Accessus illi ad Hebræos, & obiurgationes in operum magistratus patenter fiebant: mors verò Ægyptij sub secreti cautela perpetrata est. *Circumspexit huc, atque illuc, & cum nullum adesse vidisset.* Sic sæpè accidit, vt celerius volitent, quæ sub secreto vendantur clausa, quàm illa, quæ sub nulla custodia habentur. Cautela circunspectionis Moysis veluti quoddam fomentum fuit, vt alij attenderent ac viderent, atque factum ipsum ad regem deferrent; multum enim frequenter ipsa occultatio promulgationem procurat, & propalationi auxiliatur, delationémque subornat.

Secreti cautela propalationis fomentum.

Marc. 7. n. 36. Et eò amplius admirabantur dicentes: Bene omnia fecit; & surdos fecit audire, & mutos loqui.

VERSIONES.

Syriacus. Magisque obstupescebant dicentes: Omnia bene facit surdos facit, vt audiant; & non loquentes, vt loquantur.

Arias. Suprà modum percellebantur dicentes: Pulchrè.

Hebraic apud Cornelium. Beneficè omnia fecit.

Maldonatus ex Græco Et surdos facere solet audire etc.

Cajetanus ex radice Græc. Et elingues, seu non potentes loqui, facit loqui.

EXPOSITIO VII.

94. ET eò amplius *admirabantur*, seu percellebantur, ac obstupescebát omnes, non solùm qui infirmum adduxerant, sed etiam omnes astantes; nam licet multa præclara miracula ex Christi fama percepissent; hoc tamè suis oculis viderant: & multo magis nos mouent, ac in admirationem rapiunt ea, quæ vidimus, quàm illa, quæ ex aliorum relatu accipimus. Stabántque omnes attoniti, non solùm ex miraculi magnitudine, sed etiam ex virtutis Christi eximia celsitudine, qui cum talia præstitisset, nõ solùm nil præmij exigebat, sed etiam omnem humanam gloriam ac applausum vitare cupiebat. *Bene omnia fecit.* Fausta acclamatio est istorum hominum; omnia admirantium, ac comprobantium à Christo gesta astruétiúmque nihil in eo esse, quod reprehensionem, qualem fingunt Pharisæi, promereatur; quidquid enim operatur, bonum est, ac maximè hominibus beneficum. Sic legit Hebræus *beneficè.* Græcus habet non præteritum, sed præsens. *Bene omnia facit.* Animus gratus semper beneficia sibi collata habet in præsenti, ac in intimis, vt ea recogitet, & consideret.

Hebræus. Græcus. *Græcus semper beneficia habet in præsenti.*

Surdos fecit audire, & mutos loqui. Balbum hunc inter mutos annumerant, vt obseruat Lucas Burgensis parum enim discriminis est. præcipuè cum hic valde insigniter balbutie laborasset. Et dicunt puraliter surdos, & mutos, quia Dominus Iesus hic non solùm hunc balbum, sed etiam multos alios mutos, surdos, ac cæcos sanauit, vt testatur D. Matthæus 15. num. 30. 95. Lucas Burgens. Matth. 15.

QVÆSTIO XII.

Quare omnes, qui aderant, admirantur; & nullus est, qui contradicat?

96. CLAMANT vniuersi: *Bene omnia fecit.* Omnia enim, quæ Christi erant: eximia, & valde præclara consistebant. Mandat Deus Moysi: *Arcam de lignis Sethim compingite. & deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris*, Exod. 26. num. 9. Intus mandatur deaurari; nam in ea erant recludendæ legis tabulæ, ac Mana vrna: ob tantarum rerum venerationem, conueniens erat, vt interiora aureis laminis tegerentur. Ad quid etiam ipsa deauratio foris in Arca debebat apparere? Arca fœderis typum gerebat Christi Domini, vt docent Beda lib. de Tabernacul. c. 2. Bruno in Allegor. apud Tilm. Merito ergo Arca illa tam intus, quàm foris auro mundissimo deauratur; quidquid enim in Christo erat, siue intus, siue foris apparens in opere, & actione totum eximium, excellentissimum, ac aureum erat. Sic allegorizat noster D. Cyrillus Alexandrinus lib 4. in Ioan. cap. 28. *Auro*, ait, *puro intra & extra fuit Arca deaurata: quia pretiosa, & regalia omnia in ipso*, scilicet Christo, *sunt: non solùm quæ Deitati, verum etiam, quæ humanitati eius attribuuntur. In omnibus enim primus est*, ait Paulus ad Colossenses 1. *Et aurum honoris, atque præstantiæ loco super omnes accipitur.* 96. Exod. 25. Beda. Bruno. *Omne quod est in Christo, aureum est.* Cyrill. Alex. Ad Coloss. 1.

97. Ad quæstionem. Admirabantur vniuersi, qui aderant, laudant, & glorificant dicentes: *Bene omnia fecit.* Sic omnes magno clamore celebrant. Fortè extabant omnes, tanquam de turba, pij, & probi; & si aliquis iniquus aderat, tacebat; & non audebat aliquid in contrarium proferre. *Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas opilabit os suum*, Psalm. 106. num. 42. D. Hieronymus, *Iniquitas contrahet os suum.* Alij, *Obstruet, claudet.* Recti, hoc est, pij, & iusti, vt interpretantur D. Remig. Arnobus, & alij Pij vident, & lætantur, iniqui tacent. Probi, cùm multa polleant virtute, multisque donis fulgeant, in aliorum bono exultant, & lætantur. At iniqui cùm sint omni decore expoliari, in aliorum gloria obmutescunt, & nec vnum verbum proferunt. Brunonius: *Videbunt recti qui sunt conuersi prædicatione, & omnis iniquitas, id est, Hæretici, consumescent.* Psalm. 106. Hieron. Remig. Arnob. *Egregia facta laudant boni, obmutescunt verò mali.* Brunon.

98. Secundò. Omnes glorificant, & nullus est, qui contradicat. Pergit Brunonius citatus. *Iniquitas opilabit os suum, quando Electus Domini non erit, qui possit opponi.* Non erat, quid posset opponi: tum ob magnitudinem miraculi, quod à Domino erat perpetratum, tum ob sinceram animositatem, qua contempto Pharisæorum odio cuncti laudabant, ac glorificabant: quæ enim generosè fiunt, nullus eis repugnare audet: Cum Bethleem esset cincta statione Philisthinorum, desiderauit David aquam de cisterna Bethleem. *Irruperunt ergo* 2. Reg. 23. Brunonius.

tra forte castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam: & attulerunt ad Dauid, 2. Regum 23. num. 16. Valde mirum, quod tres homines pertranseant per cõglomerata hostilia agmina, & nullus eis se opponat, vámque intercludere conetur. Ioseph. apud Abulensem: *Reuersi sunt per media inimicorum castra, obstupescentibus Philisthæis, eorum fiduciam, ac animositatem.* Quæ enim audenter, ac animosè fiunt, alios in admirationem rapiunt, vt nullus eis obsistere, ac repugnare audeat, sed cuncti cedunt, & acquiescunt.

Quod generosè fit, nullum ei contradicere audet. Ioseph.

QVÆSTIO XIII.

Quare cum vnus surdus, & mutus ab Euangelista scribatur sanatus, tamen pluraliter clamant: surdos fecit audire, & mutos loqui?

99. Catthus. Matth 15.

RESPONDET primò Carthusianus, quod *quamuis D. Marcus non exprimat, hic nisi curationem vnius, tamen quando Christus illum curauit, sanauit & alios multos surdos, & mutos, ac cæcos, & debiles,* vt habetur Matth. 15. n 30. *sed D. Marcus scribit de vno, cuius curatio solemnius facta est, & multa mysteria figuranit, eratque mirabilior, quia in vno homine tria signa simul facta videntur, dum obsessus liberatur, surdus, auditum, & mutus loquelam recuperat.* Ac proinde, cum multi surdi, & muti hic fuissent sanitati restituti, ideo populus proclamat, vt dixi in expositione, *surdos fecit audire, & mutos loqui.*

Ratio litteralis.

100. Anselm.

Secundò D. Anselmus. Vnum opus vident, vnum hominem mutum, & surdum sanatum; & tamen turbæ proclamant: *Bene omnia fecit.* Ex hoc enim opere præclarè gesto, quod vident, bona, & religiosa suspicione quadam, omnia reliqua antea facta proba & iusta præsumunt, & astruũt. Ex præsentibus bene peractis, quæ cõspiciũt; omnia retroacta, perlucidè, ac pulchrè, pia cõiectura, inde deducunt, & censent. Discant, discant ex hoc homines documentum magnum, ne vagè, ac sinistrè de aliis iudicent, vt cùm probum opus in proximo intueantur, inde, quadam pia illatione, præterita illius facta ritè, ac decenter persoluta autument, atque rimentur.

Ex vno bono opere reliqua antea facta bona iudicentur.

101. Barradas. *Gratus vnum beneficium tanquam multa appẽdit.*

Tertiò Barradas ait: *Sumi numerum singularem pro plurali.* Animus gratus semper adauget, & amplificat beneficium; & cùm vnus esset sanatus, proclamationes, ac gratiarum actiones, tanquam si plures essent sanitati restituti, persoluuntur; vnum enim beneficium tanquam multa æstimant ac appendunt.

102. *Gratus iterum accepta beneficia gratificat.*

Quartò. Pluraliter loquuntur; nam quamuis hòc miraculum esset valde magnum; tamen illorum mens erat, non ea tantùm commemorare, ac gratificare, quæ nunc in præsenti, sed etiam ea, quæ aliàs scilicet præterito tempore acciderant. Mens grata semper ante oculos habet concessa dona, vt pro illis astrictam se agnoscat, sempérque gratias persoluat.

103. Ierem 32.

Recensens Ieremias beneficia populo suo exhibita, ait cap. 32. num. 20. *Qui posuisti signa, & portenta in terra Ægypti vsque in diem hanc* Quomodo dicit vsque in diem hanc, cum iam per tot centurias annorum illa essent perpetrata? Fortè quia portẽta illa, apud Ægyptios facta, modo perseuerant? Nonne omnia illa transierunt? transierunt quidem, vt conuersio aquarum in sanguinem; tenebræ factæ, muscæ, ranæ, grandines, & mortes. Quomodo vsque in hodiernum diem? Transierunt quidem, sed eorum memoria ita erat alta Prophetæ mente defixa, vt pro illis gratum se exhiberet, ac si in præsenti extarent, ac facta fuissent. Fauet D. Thomas: *Ponit,* inquit, *Propheta beneficiorum exhibitionem in liberatione miraculosa, vsque in diem hanc tua signa complentur.*

Gratus iterum tenet in memoria beneficia facta.

S Thom.

CAPVT IV.

Saturantur quatuor millia.

Marci 8. *n.* 1. In diebus illis iterum cùm turba multa esset, nec haberent, quod manducarẽt, conuocatis Discipulis, ait illis.

VERSIONES.

Theophylact. Vatablus. In diebus illis, cùm turba admodum multa esset, nec haberent, quod manducarent, accersitis ad se Iesus Discipulis suis, ait illis.

Arias. Omnino multa turba existente.

Syriacus. Nec esset quidquam, quod ederent.

Græcus. Cum aduocasset Discipulos suos.

ALTER TEXTVS.

Matth. 15. *num.* 32. Iesus autem conuocatis Discipulis suis dicit.

EXPOSITIO I.

I.

POSTQVAM Dominus quàm plures mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos sanauerat, de quo maximè admiratæ fuerunt turbæ, vt scribit D. Matthæus c. 15. num. 31. & immediatè narrat hoc magnum miraculum, in quo Dominus saturauit quatuor millia hominum præter mulieres, & paruulos; quod, vt notat D. Chrysostomus homil. 8. in Marcum distinctum est ab illo alio de quinque panibus Matth. 14. Ioan. 6. num. 1. vt consideranti ex multis circunstantiis patebit.

Matth. 15. *Miraculum hoc distinctum ab illo Ioannis.* Chrysost. Matth. 14. Ioan 6.

2.

In diebus illis, hoc est, non eodem die, quo Dominus venit ad mare Galilææ, de quo Euangelista egit supra cap. 7. num. 31. sed trium dierum spatio interposito, vt patet ex versu sequenti, & Matth. 15. num. 30. In quibus diebus Dominus multos sanauit. *Iterum* respicit Euangelista superius miraculum de quinque panibus cap. 6. n. 34.

Matth. 15.

vt

Vt denotet; hoc esse ab illo distinctum miraculum

Varablus. *Cùm turba multa esset.* Varablus. *Cùm turba admodum multa.* Facit hoc Euangelista, vt miraculi amplitudinem consideremus. *Ne haberem, quod manducarent.* Quod secum asportauerant, tribus diebus consumptum erat. *Conuocatis Discipulis.* Priusquam aliquid agat, negotium vult cum suis Discipulis conferre, verbis vltro, citróque prolatis, vt ad miraculum ipsos faciat attentiores.

QVÆSTIO I.

Quare tanta turba Christum sequebatur?

3. RATIONES, quas dedi in miraculo de quinque panibus tom. 3. c. 33. n. 16. hìc omnes possunt adaptari. *Turba*, ait D. Basilius Seleucus Orat. 33. *sequebatur morborum depulsorem*, nam, vt ait D. Matth. 15. num. 30. *& accesserunt ad eum turba multa habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turba admirarentur.* Cùm ergo Dominus salutem, ac sanitatem, totque beneficia in turbas conferret, inde omnes maximè mouebantur; vt eum sequerentur. Plurimum enim beneficentia animos allicit, ac attrahit, vt alteri adhæreas, ab eoque non recedas: ipsa enim valdè pulchrum, ac elegantem suum reddit largitorem.

Seleucus. Matth. 15.

Suo lucro, ac commodo homines maximè trahuntur.

4. Cantic. 5. Magno amore vulnerata è domo sua exiit sponsa, multáque sedulitate Dilectum suum quærit: *Quæsiui, & non inueni.* Cantic. 5. num. 6. maximéque eius elegantiam, ac pulchritudinem apud filias Ierusalem celebrat: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus* num. 10. Et iterum num. 16. *Totus desiderabilis.* Eius corporis partes, vt valde speciosas decantat. *Caput aureum; coma eius sicut elata palmarum.* De manibus. *Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* numer. 14. Cur anima sancta modò tam vehementissimè suum persecutatur Dilectum, eiúsque speciosam formam decantat? *Manus eius tornatiles*, dicit, seu vt habet Hebræus, *rotunditates.* Tigurina, *Manus eius orbes aurei*, propter promptitudinem, ac facilitatem ad largiendum, *plena hyacinthis*, id est donis, beneficiis, ac miraculis. Iustus Orgelitanus ibi. *Tornatiles plena hyacinthis.* Quia, scilicet Christi manus, *assidue se versabant, & voluebant ad varia, & omnigena opera misericordiæ: nunc enim suscitabant mortuos, nunc illuminabant cæcos, nunc multiplicabant panes, nunc aquam mutabant in vinum, nunc Eucharistiam dabant.* Ecce cur modò tam raro, ac miro affectu, vt forte similis non inueniatur, inter custodes à quibus vulneratur, suum Dilectum inquirit. Ecce cur modò tam eximiè eius decorem decantat. *Manus eius tornatiles, plena hyacinthis.* Cum tam beneficum donis, & miraculis recogitet, supra modum ardentissimo nixu ipsum quærit, ac scrutatur, ipsúmque vult sequi, ipsique adhærere. Dilectus, in quo tanta donorum largitas prodibat, ac apparebat, modò sponsæ valde suauis, ac pulcher visus; qui nunquam ante similiter tam decorus, ac modò, cum *Manus eius plena hyacinthis*, tanta munerum exhibitione se se diffundens.

Hebræus. Tigurina. Orgelitan. *Beneficiis impellit, vt alterè vehementer sequamur.*

5. Mendicus ille, claudus ab vtero matris suæ, qui ad portam templi sedebat, cùm sanitatem ab Apostolis accepisset, *Intrauit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Actor. 3. num. 8. cur cum bases eius consolidatæ sunt, non statim in domum suam vadit, vt ille alius sanatus paralyticus Luc. 5. num. 25. Vel cur non cucurrit ad parentes, cognatos, & amicos, vt suam felicem recuperatam valetudinem illis aperiat, & manifestet? Vel cur non statim ipse primò volat ad templum gratias acturus Deo; sed cum illis intrat? Chrysostomus homil. 8. in Acta. *Et qui sanatus est, deinde cum Apostolis erat; & ingressus est cum illis, ambulans in templo. Vide quomodo non solus erat.* Cùm homo vidisset tantam potestatem, virtutem, beneficentiam in Apostolis, non solus erat, sed cum illis intrat, eos sequitur, eorum comitatui vult adhærere.

Actor. 3. Luc. 5. Chrysost. *Ex nostro bono mentem ad alterum sequendum.*

6. *Inierunt Dauid, & Ionathas fœdus; diligebat enim eum quasi animam suam. Nam expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid* 1. Reg. 18. num. 3. Ponderandum tempus, quo familiaritatis iura celebrantur. *Expoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid.* Cùm dona conferuntur, statim amicitiæ copulatur nexus, atque firmatur.

1 Reg 18. *Si dona dantur, amicitia firmatur.*

QVÆSTIO II.

Quare Christus D. Apostolos vocat in consilium?

7. NON statim Christus D. ad miraculum procedit, sed Apostolos suos vocat, veluti cum illis rem pertractans. Ad quid hoc? Respondet primò. D. Chrysostomus homil. 54. in Matth. *Cur miraculum non facit? Vt, inquit, verbis de hac re vltro, citróque datis attentiores fiant Discipuli, & fidem suam ostendentes, peterent panes produci.* Adeo tarda est humana conditio ad percipienda Dei beneficia, vt necesse sit, modos quærere, vt illa videat, & consideret. Vocat Discipulos suos, vt attentiores fiant ad percipiendum miraculum. Deinde perpendera Dei benignitatem, *vt & fidem suam ostendentes peterent panes produci.* Maximè vult Deus nostris orationibus exorari, quò nobis offerat occasiones, vt ab eo dona tua petamus, quibus datis saturemur.

Chrysost. *Vult Deus vt eum pro donis exoremus.*

8. Secundo. D. Hieronymus. *Conuocat Discipulos suos, & quod facturus est, loquitur. Vt magistris exemplum tribuat, cum minoribus, atque discipulis communicanda esse consilia.* Dat exemplum Dominus, vt principes, ac magistri non dedignentur colloqui cum inferioribus, ac discipulis, & capere cum eis rerum agendarum consilium, cùm ipse de turbæ saturatione cum Discipulis rem pertractet. Tanto documento ne pudeant magni à minoribus suscipere consilia. Sic Pharao a Ioseph accepit, Genes. 40. num. 37. Et Moyses à Iethro socero suo Exod. 18. num. 24. Quicumque enim à prudenti debet consilium sumere, & non contemnere. D. Antiochus homil. 85. *In quocumque*, ait, *negotio non mediocris opera feceris pretium, remque Deo magnopere acceptam, si consilium expectes. Nemo enim inuenitur, qui non indigus sit consiliariis, nisi Deus solus, penes quem est omnis sapientia; nam omnis homo indigus est probæ consultationis, vt pro habitu, quem ore efflat, ac spirat, vt nos diuina scriptura erudiunt. Omnia fac cum consilio; qui talis est, nunquam aberrat à scopo*

Hieron. *Principes ac Magistri accipiunt consilium ab inferioribus.* Genes. 40. Exod. 18. Antiochus. *Sulus Deus consilio non eget.*

Consilium enim à quocumque congregare, & expetere, planè argumentum est hominum, qui superbiam ederint, & de se modestè sentiant.

9. Paschas. Tertiò. D. Paschasius l.b.7. in Matth. *Benignus Dominus*, inquit, *convocat Discipulos suos, cùm quibus init consilium de refectione plebis, vt in nullo essent insci, quæ facturus erat; vt ex confabulatione commendaretur facti ratio, & concordia societas.* Obiter expende illud, *vt ex confabulatione commendaretur facti ratio.* Præclarum hic inculcatur documentum. Commendatur res, quæ præuio fit consilio. Deinde diuinus Magister rem cum suis Discipulis; vtpotè suis familiaribus, pertractat, illisque ea, quæ facturus erat, tanquam amicis innuit; hoc enim amicitiæ, ac familiaritatis ius exigit, vt quæ à nobis fiunt, cum amicis communicemus, eósque nostrarum actionum participes faciamus. Carthus. in cap. 15. Matth. *Conuocat discipulos*, ait, *cùm quibus tanquam familiaribus, & amicis secreta sua pandebat*: Præcipuè, quia, vt inquit Abulensis in cap. 15. Matth. quæst. 102. cibus populo ministrandus erat per Apostolos de panibus, quos ipsi habebant, & ideò necesse erat, quod Christus, & Apostoli colloquerentur de his, & sic oportebat.

Quod nobis est agendū, cum amicis communi eundum.

Carthus.

Abulens.

10. Cùm sublata esset Sara in domum Abimelech, apparuit huic Dominus per somnium, dicens: *Redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit pro te, & viues: si autem nolueris reddere, scito, quod morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt.* Genes. 20. num. 7. Quo oraculo percepto, subdit Textus num. 8. *Statim de nocte consurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos, & locutus est vniuersa verba hac in auribus eorum.* Ad quid sapiens rex seruos vocat? Dei præceptum instat: *Redde viro suo vxorem.* Mortis comminatio imminet: *Si nolueris reddere, morte morieris.* Ad quid moraris, sapiens rex, in conuocandis seruis: vt statim eam à domo tua non expellis, Abrahæque viro suo non restituis? Serui, quos congregat, domestici sui, ac familiares erant, vt est communis interpretum vox. Cardinalis Hugo. *Vocauit eos*, ait, *vt ab eis acciperet consilium, nihil enim sine consilio faciendum.* Licet diuinum vrgeret mandatum, & strictéque esset intimata mortis sententia, tamen ita sibi præcepta adimplere voluit, vt & amicitiæ simul obseruaret iura, domesticos suos conuocans, illisque sibi iuncta, ac facienda aperiens, cum illisque tractans, & consulens modum, ac dispositionem quomodo esset Sara viro suo restituenda, illique largienda munera, præcipuè cum per ipsos seruos, & domesticos res eadem esset in executione agenda, vt notant Lyranus, & Abulensis.

Genes. 20.

Lugo. *Quæ facimus, cum domesticis tractanda.*

Lyran. Abulens.

11. Cùm Petrus totius Ecclesiæ regimen teneret, vellétque, vt pro Iuda alius eligeretur Apostolus, *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum. Viri fratres; oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda::: Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos.* Actor. 1. num. 15. Optimè sciebat D. Petrus, vt ait in præfato loco Cornelius à Lapide: non tantum fidelium, sed & Apostolorum, sibi, quasi præsidi, ac Primati, curam à Christo commissam, cum ab eo audiuit: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Luc. 22. num. 32. Cur ergo Petrus suo eminentissimo munere non fungitur, ac per se solùm viros eligit; sed hoc Apostolorum cœtui committit, eorúmque iudicium expectat? D. Chrysostomus homil. 3. in Acta. *Illud considera*, ait, *quam Petrus agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio.* O magna viri Apostolici sapientia! Sic primatum tenet, vt & Apostolis familiaritatem, ac debitum honorem deferat. Exurgit: *Exurgens Petrus*: vt princeps, statu, gradúque excelsior, vt ait Oecumenius, Apostolis vnum eligendum ex scripturæ testimonio proponit: honorem etiam, & familiaritatem cum illis seruat, vt eos fratres dicat: *Viri fratres.* Totum faciendum ita illis aperit, & manifestat, cum illisque negotium tractat, vt nihil per se solum velit agere, sed omnia eorum iudicio, ac suffragio discernenda constituat, ac determinet. *Agit omnia ex communi Discipulorum sententia, nihil sua authoritate, nihil sua imperio.*

Chrysost.

Oecumen. *Cuncta ex condiscipulorum suffragio facienda.*

Quæstio III.

Quare in præsenti non vnum, vt in cœlo conuiuio, sed omnes Apostolos vocat Dominus in consilium.

12. *Ratio difficultatis.* IN celebri illo conuiuio, transacto Galilææ mari, de quinque panibus, quod non multo antea fuit elargitum, Philippus à Domino in consilium est vocatus. *Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi.* Ioannis 6. numero 5. hic verò non cum Philippo, vel alio Apostolo res tractatur, sed omnium exoptatur sententia: *Vocauitque Discipulos suos.*

Ioan. 6.

13. Respondeo primò, quod in alio conuiuio vocatur Philippus ad consilium, quia fortè de illo bono magnam habebat experientiam, tanquam in vicino natus, vt dixi tom. 3. cap. 33. quæst. 8. Hic verò cum omnibus res pertractatur, quia fortè quoad illud desertum omnes æquali pollebant notitia; & ideò æqualiter omnes fuere vocandi. Secundò. Omnes hic aduocantur, & cum eis res pertractatur, vt de præterito panum miraculo recordati ad diuinam pietatem confugerent; ac vt inquit Chrysostomus homil. 54. in Matth. *peterent panes produci, sed illi non intellexerunt, quamobrem ita locutus esset: vnde postea dixit ad eos. Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?* Marc. 8. num. 17. Apostoli adhuc summa virtute non erant expoliti; & tam hebes est humanum ingenium ad recognóscenda diuina dona, vt cùm illa habeat præ oculis, ea minimè videat, & consideret.

Chrysost.

Marc. 8. *Homo donum Dei præ oculis habens, ea non videt.*

14. Tertiò. In illo alio conuiuio respondit Philippus: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat.* Ioan. 6. num. 7. Sic loquitur Philippus, diuinæ virtutis immemor, solùm humana subsidia, non præterita miracula considerans. Cùm ergo Philippus ibi non probum, ac rectum protulisset consilium, alios consiliarios Dominus hic quærit, & vocat, vt magnum omnium Magister cunctis daret documentum. Nam si consiliarij suffragium probum non esse, à veritatéque deflectere agnoscimus, magna prudentia est, talem omittere, & alium quærere, ac adhibere, quamuis enim ille sit amicus, non est bonus consiliarius; sunt enim valdè

Ioan. 6.

Mutandus consiliarius, qui bonum suffragium nō profert.

valde dissimilia intra, nam ad amicum sat est sinceritas animi, ad consiliarium autem magna prudentia, ac experientia exoptatur.

15. Cùm Arca Domini esset captiua in terra Philisthiim, ipsique multis plagis vexarentur, *aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* 1.Reg 5. 1.Regum 5.n.6. Cùm ergo vidissent in arcto positos, semel, & iterum *Mittentes congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israel?* ibidem n. 8.& 11. Cùm tamen vidissent Philisthiim, quòd suorum sapientum consilio, in executione adimpleto, plaga interfectionis magnæ nimis non cessaret, sed potiùs grauius grassaretur, *Vocauerunt Sacerdotes, & diuinos, dicētes: Quid faciemus de Arca Domini?* 1.Sam.6. 1.Regum 6.n.2. Liceat coniecturari, quòd hi Sacerdotes fortè erāt ex Israel, qui apud eos captiuitate detinebantur: hos Philisthiim sibi in consiliarios adhibent. Crudele sane bellum, magnúmque inter eos, ac Israëlitas inimicitiæ dissidiū interiacebat. Quomodo in negocio propriæ vitæ hos sibi adhibent consiliarios? Carthus. *Vocant Sacerdotes, tanquam aliis prudentiores.* O præclarum virorum ingenium! Vident, suorum amicorum, ac sapientū consilio siniſtrè sibi contingere, rémque suam in deterius vergere: hos ergo omittunt, & alios, quamuis alias viderentur esse ex inimicis, quærunt, qui recta proferunt, & bene instruant ac veritatem indicent.

Carthus. *Prudentia malū emittere consultorem, & alium quærere, esse nō sit amicus.*

16. Videt Pharao per somnium septem boues pingues, & septem tenues, qui priores deuorauerunt. *Tunc expergefactus misit ad omnes cōiectores Aegypti cunctosque sapientes, & accersitis narrauit somnium, nec erat, qui interpretaretur.* Gen.41.num.8. Cúmque maximè anxiaretur Pharao, Pincernarum magister narrauit, quomodo, cum ipse, & socius eius in carcerem detrusi viderent somnia, *Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus, cui narrātes sōnia audiuimus, quidquid postea rei probauit euentus.* ibidem n.12. Statim regis imperio educitur Ioseph è carcere; explicat somnium, profert consilium de congregando tritico. *Placuit Pharaoni, & cunctis ministris eius consilium.* ibidem n.37. Res valde mirabilis! Senes domestici, ac amici nesciunt capere & intelligere, & tamen, ô Rex, vnius pueri (erat enim triginta annorum) Hebræi ac famuli statim dictis credis, illisque fidem adhibes? Tam citò credere, videbitur hoc alicui insipientia? Scientiæ Ioseph iam dabatur experimentum in his, quæ Pincernarum magistro, ac socio exposuit: Magna Regis prudentia! Domestici, senes, ac sapientes non valent intelligere, & apprehendere, adnoctetur vnus puer extraneus, & famulus, qui cuncta possit penetrare, salubria dicere, & sana indicare. Præclarè ait Tertullianus lib. de Corona militis. cap.4. *Hanc* scilicet rationem, *expostula, saluo traditionis respectu, quecumque traditore censetur, nec auctorem respicias, sed auctoritatem.* Ac si dicat. Non consiliarius considerandus, sed consilium, non persona attendenda, sed sententia.

Gen.41.

Non senex, sed qui intelligat, quærendus est consultor.

Tertull.

QVÆSTIO IV.

Quare Discipuli hic non sunt locuti pro turbis, sicut in alio panum conuiuio?

17. IN illo alio præclaro conuiuio, in quo Dominus saturauit quinque millia hominum, narrant Euangelistæ, quod, cùm Dominus abiret in desertum locum, secutæ sunt eum turbæ de ciuitatibus exeuntes. Ait D. Matthæus 14. num.15. *Vespere autem facto accesserunt ad eum Discipuli eius dicentes: Desertus est locus, & hora iam præteriit: dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.* Matth.14. Et Marc. 6.n.35. *Cùm iam hora multa fieret, accesserunt Discipuli eius dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præteriit: dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos, emant sibi cibos.* Marc.6. Cur ergo in hoc euentu pro comitatu vnius diei de mane vsque ad vesperam pro turbis curam habēt Apostoli, pro illisque Dominum loquuntur, vt eas ad escas quærendas dimittat, non verò in hoc nostro casu per triduum turba cum Domino perseuerante?

Ratio difficultatis.

18. Respondeo primò ex mente Abulens. in c.15. Matth.qu.101. Quòd Apostoli in prædicto conuiuio non petierunt, quòd Dominus saturaret turbas, sed quod permitteret, eas ire ad proxima loca ad quærendas escas. Turbæ enim exierunt tunc de ciuitatibus Christum sequentes absque aliquo cibi prouiso alimento. Et cùm Dominus, & diuinus Magister in deserta per longum extenderet sermonem vltra meridiem, sic ait Marcus: *Hora enim iam præterijt:* tunc Discipuli dixerunt Domino, vt turbas dimitteret: At verò in præsenti populus sequebatur Dominum per triduum, asportato sibi pane, & aliquo viatico, vt dicam versu sequenti, pro solitudine, & deserto; Discipulique forte nescierunt, quod illa iam erant consumpta, ac proinde pro turbis nihil rogarunt. Illarum tamen necessitatem optimè agnouit Dominus, omnium prouisor, qui cunctorum penuriam prospicit, ac proinde solus ille de illarum ope, ac leuamine agit.

Abulens.

Solus Dominus necessitates nostras agnoscit, & leuat.

19. Secundò D. Chrysost. hom.8. in Marcum. *Vide,* ait, *quæ sit differentia inter vnum diem, & tres: ibi ab Apostolis Dominus rogatus, vt pascat: hic Apostolos commonet Dominus, vt pascant. Hic quid dicit? si dimisero eos ieiunos in domum suam: deficient. Digni erant sollicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominum.* Multum ponderanda differentia. In alio conuiuio pro turbis Apostolorum cœtus Dominum rogat, vt eas dimittat ad comparandos cibos. Hic verò non Discipuli, sed Iesus earum suscipit patrocinium. Et omnibus tacentibus Iesus Discipulos conuocat, illisque ait: *Misereor super turbam.* Cur qui pro vnius diei expectatione tam solicitè Dominum exorant; modò pro trium perseuerantia obmutescunt, & nec vnum verbum proferunt? Non manauit hoc ab aliqua incuria, ac negligentia, sed ab eximia triduanæ expectationis virtute. Perseuerans, ac longanimis turbarum fiducia, qua per totum triduum nullam sui curam habentes se totas Domino commiserunt, vnum solùm Dominum Iesum spectantes: hæc, inquam, tam præclara perseuerantia maius, quàm quod à Discipulis exhiberetur, exoptabat patrocinium, solùm Iesum aduocatum promerebatur. Et si vnius diei expectationi valeant Discipuli suffragari: triduana verò longanimitas multò dignior, quæ ipsiusmet Dei solicitudinem in se inclinet, & trahat. *Digni erant sollicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerunt Dominum.*

Chrysost.

Longanimis perseuerantia ipsummet Deum sibi habet patronum.

Tertiò D. Paschasius lib. 7. in Matth. *Mirer,* 20.
quid sit, ait, *quod Apostoli supra soliciti esse dicuntur post ieiunium vnius diei de refectione plebis. Hic autem iam triduo perdurante populo cum Domino*

Paschas.

nil

nil tale dicam. Videtur mihi quòd refectio illa salutem Israëlitica plebis significabat. Ideò fauor fuerit Apostolorum, vt salutem gentis suæ quærerẽt. Cæterum gentibus nulla salus ex Prophetis, sed per solam Christi gratiam. In illa saturatione de quinque panibus hordeaceis, qui quinque Moysis libros significabant, salus, ac conuersio Israëlitici populi denotabatur, quæ per Apostolos, eiusdem plebis filios ministrata est. At in hoc conuiuio ex pane triticeo, vt ex Chrysostomo, ac ipso Paschasio infra dicam, præfigurabatur spiritualis refectio, ac salus gentibus danda, quarum cura Iesus ex suo eximio amore afficiebatur, illique incumbebat.

Christum ex suo amore gentium salutis curã habebas.

21. Euthym. Quartò. Euthymius. *Quare autem*, inquit, *tacent Discipuli, & non dicunt, vt prius, dimitte turbas, idque tribus iam elapsis diebus? quia videbant illos perseuerantes, ac gaudentes super sanitatibus infirmorum, nec famem penitus sentientes.* Non rogant pro illis, videbant eos perseuerantes. Ipsa perseuerantia valdè efficaciter pro eis patrocinium solicitabat: vel quia ita præ gaudio salutis adeptæ mira lætitia turbæ exultabant, vt nullam famem, nullamque panis penuriam sentirent, nihilque de cibo, & potu curarent: ac ideò Apostoli de prouidenda esca non tractarunt. At Christus Dominus, vt omnium Pater, videns imminentem necessitatem, de illius subleuamine peragit.

Gaudium facit, vt penuriam, aut famem non sentiamus.

22. Matth. 15. Quintò. Non rogant hic Apostoli pro turbis, vt in alio conuiuio præstiterunt; Iuxta textum D. Matthæi 15. n. 23. immediatè ante historiam hanc pro Chananæa deprecati sunt Apostoli. *Accedentes Discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos.* Rogabant eum dicentes, dimitte eam, concessa filiæ suæ sanitate, vt latè explicaui supra c. 2. q. 8. Immediatè ante fuerant interpellati Discipuli pro filiæ Chananææ salute: modo nolunt se interponere pro his turbis saturandis; veluti ex humanis coniecturantes, ne tot intercessionibus, ac precibus graues, ac molesti viderentur esse. Fame vexabatur turba hæc: cur à Domino panes non postulat? D. Chrysost. hom. 54. in Matthæum; *Turba quidem*, ait, *quæ ob morborum curam suorum ipsum petierant, non audebant panes petere.* Gens hæc rogatu suo, vt narrat D. Matthæus 15. n. 30. à Domino in præsentiarum suis infirmitatibus impetrauit salutem. Quæ ergo petendo sanitatem obtinuit, non audet modo panes expoſcere, ne tot, tantisque flagitationibus grauis censeatur.

Homo nõ sit molestus petitionibus ac intercessionibus.

Chrysost.

23. 1. Reg. 25. *Saul dedit Michol filiam suam, vxorem Dauid, Phalti filio Laisi* 1. Reg. 29. n. 44. Quod inter omnes persecutiones, quas Saul in Dauidem armauit, hoc ipse durissimè tulit: ablata est ab eo vxor quam ipse summè diligebat 1. Reg. 18. n. 20. Et quæ in suorum facinorum, ac laborum præmium ei est data. In aliis infectationibus machinabatur Saul Dauidi mortem infligere, in hoc verò maximè eius auctoritas, & honor læditur, cum expolietur vxor sua, quæ alteri in nuptias traditur. Cur ergo Dauid non suggerit intimo, ac familiari amico suo principi Ionathæ, vt regi exponat iniuriam, ipsi Dauidi illatam; ac tandem quod negotium illud legi aduersatur, in qua erat prohibitum, ne viuente viro vxor ad alterius coniugium transiret. Leuitici 20. n. 10. Et notant Abulensis quæst. 18. Hugo, & alij. Si ergo tot vrgentes causæ interueniunt, cur nullam ex eis Ionathæ Dauid insinuat? Dauid suæ innocentiæ tanquam patronum, ac tutelarem elegerat Ionatham, vt regi proponeret præclara eius merita, tam in ipsum regem, quàm in regnum 1. Reg. 20. n. 5. & quod nulla in eo esset iniquitas. Ideò autem noluit ab eo expoſcere, vt pro vxore sua Michol loqueretur, ne tantis ei esset rogationibus importunus. Nam quamuis Ionathas expostulatum à Dauide regi explicaret; tamen Dauidis prudentia cauta se habuit, ne tot flagitationibus, ac intercessionibus esset importuna.

1. Reg. 20. *Amici intercessionibus non sunt grauandi.*

Leuit. 20. Abulens. Hugo.

Multa Deus Abrahæ contulit dona, séque illius protectorem, ac scutum, multámque mercedem, ac stipendium suorum operum, & liberûm est ei pollicitus, vt explicant D. Chrysost. D. Ambrosius, Caietanus, & alij. Tunc Abrahamus ait, *Ego vadam absque liberis; mihi non dedisti semen.* Genes. 15. n. 2. Si Deus tam beneuolus extabat Abrahamo, cur tantum illi suum exponit desiderium? cur clarè, & apertè sobolem non postulat? Multa Abrahamus fuerat à Domino impetratus; ne nimius in precibus videatur, abstinet se, ne vltra expoſcat, solúmque suum exprimit affectum. Lippomanus ibi ad citata verba. *Mihi semen non dedisti*: sic ait: *Quasi hærens inter postulandum ex nimio desiderio; & quasi non audens fatigare amicum precando, iterum incipit loqui, Ecce mandum mihi dedisti semen.*

24. Chrysost. Ambros. Caietan. Genes. 15. *Amicum precationibus non est fatigandum.*

Lippom.

Cùm cognouisset Centurio, Christum Dominum aduenisse Capharnaum, & puer quidam suus, illi valdè pretiosus, & charus, graui morbo laboraret; misit Centurio Iudæorum principes, ac seniores deprecantes, vt infirmo daret salutem, Qui statim. *Cùm venissent ad Iesum, rogabant eum solicitè dicentes ei, quia dignus est, vt hoc illi præstes, diligit gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Luc. 7. n. 4. Quo audito, annuit Christus eorum precibus, ac cum illis ibat. Quod cùm agnouisset Centurio, *Misit ad eum amicos dicens, Domine noli vexari*, ibid. n. 26. quia ipse non erat dignus, vt tantam maiestatem in domum suam reciperet. Centurio duas habuit petitiones cum Christo, vt planum est. Vna de salute pueri obtinenda: alia, quòd in domum ipse non accederet. Pro prima solicitè seniores Synagogæ fuere deprecati, *dignus est, vt hoc illi præstes*, &c. benignéque à Domino sunt excepti: *Iesus ibat cum illis.* Cur ergo, ô Centurio, secundam tuam petitionem per hos seniores non exponis? ad quid alios quæris? Præclarè sanè adhibet alios rogatores, ne primi tot postulationibus grauarentur. Nam re adepta ex vna postulatione facta, aliam statim proferre, & affectare, videtur quid valdè importunum, & molestum. Ioannes Episcopus Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum; de terreno principe agens ait: *Qui ei frequens est in precibus, importunus est, & abnegationem solicitat.* Et sic se habeant, quoad temporalem principem, & regem. Tamen supremus Dominus instanter omni tempore à nobis vult exorari, vt sæpe dixi. Et differentia est, quia Dominus temporalis ex vno dono dato ansam arripit ad aliud negandum; at Deus ex vno concesso elicit motiuum ad aliud exhibendum. Cuius ingenium in præsenti euentu homines isti, cum adhuc in schola Christi non essent consummati; non optimè percepérunt.

25.

Luc. 7.

Homo multa rogationibus ne fiat ambitiosus importunus.

Ionas Episc.

Marci 8.*n.*2. Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.

VERSIONES.

Syriacus. Misericordia commoueor super turbam, quippe qui iam triduum congregati sunt apud me.

Theophylact. Misericordia tangor erga turbam.

Vatablus. Intimè misereor turbæ, quia iam triduo manent apud me, nec habent, quod edant.

Arias. Visceribus commoueor super turbam, quia iam dies tres manent apud me.

Hebraicus. Intimis visceribus commoueor super turbam.

ALTER TEXTUS.

*Matth.*15.*n.*32. Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent, quod manducent.

EXPOSITIO II.

26. Glossa. Anselm.

PRIVS, vt inquiunt Glossa, & D. Anselm. *Dominus aufert debilitates & postea cibat, quia prius remouenda sunt peccata, & postea anima verbis Dei nutrienda.* Ait Dominus in præsenti suis Discipulis: *Misereor super turbam*: seu, *intimis visceribus commoueor*, vt habet Hebraicus, super necessitatem, & famem huius turbæ. Verus pontifex, ac pastor, qui suorum miseria tangitur, Ad Hebræos 4.n.5. Et ponitur, ait D. Tho. motiuum miserandi triplex. Primò perseuerantia, *quia ecce iam triduo sustinent me*; seu, vt habet D. Matth. *perseuerant mecum.* Qui perseuerat cum Christo, pane eius reficitur. Preme verbum: *Quia ecce iam triduo.* Ecce rem grandem denotat. Magnus Dominus suorum obsequia in magnum, ac multum appendit: quàm aliter reges sæculi, qui in paruo solent reputare. *Triduo.* Considerandus ingens populi ardor erga Christum, qui omnium oblitus tanto tempore Christi doctrinæ erat intentus. Simúlque consideranda eximia Christi charitas, quæ toto triduo sine quiete, refectione, ac somno prædicet, & sanet ægrotos. Secundum motiuum, ait D. Thom, *nec habent, quod manducent*; nam viatica, quæ asportauerant turbæ, iam consumpta erant, vt dicam q.6. Et sic maximè patebat necessitas; quia, vt ait Albert. Magn. in c.15. Matth. non poterant dicere Discipuli, quod secum asportarunt cibos de villis. Tertium motiuum periculum, *ne deficiant in via.* De quo sequenti expositione.

Hebr 4. Thom. *Christus suorum obsequia in multis appendit.*

Thom. Alb. Magn.

QVÆSTIO V.

Quare tam intimè Dominus misericordia commouetur super hanc turbam?

RESPONDET primò D. Thom. in cap. 15. Matth. *Ostendit Dominus humanitatem conuenientem diuinitati. Misericordia est passio, quia misericors, est miserum cor habens, qui reputat alienam miseriam suam, & quam reputat vt suam, repellere debet vt suam.* Piissimus Dominus ex suis intimis misericordiæ visceribus commouetur super famescentem turbam; habet enim humanitatem conuenientem pietati diuinæ. Populique necessitatem vt suam cogitat; nam nos vt semetipsum æstimat; & ideò vt suam repellere intendit. At principes sæculi subditorum miserias valde alienas, ac extraneas censent. 27. Thom. *Christum nostram miseriam vt suam reputabat.*

Secundò Abulensis in cap. 15. Matth. q. 103. *Misereor eis*, ait, *quasi dicat, Ipsi non petunt panes; sed erubescunt.* Sic ait Chrysostomus citatus superiori quæst. quod turbæ non audebant panes petere. Nec ego, ac si dicat Christus, dare volo tanquam petentibus, sed quia misereor illis, etiamsi ipsi non petant. Ipse enim amator hominum, & omnium curam gerens, allectus nostra necessitate, etiam non petentibus dat, propter quod dicit. *Misereor turbæ.* Vide tom. 3. cap. 33. quæst. 6. & 7. 28. Abulens. Chrysost. *Deus allicitur à necessitate ad subueniendum.*

Tertiò Theophylactus. *Nunc*, ait, *nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, nequaquam fecisset miraculum.* Multus alimenti instabat defectus, vnde ad tantum opus edendum commouetur Dominus, ne populus in famem incidat. Ad multa enim mala fames, ac rerum penuria nos impellit. Vide citatam q.7. Quartò. Commouetur Dominus misericordia super turbam famescentem amore ipsius Christi, ipsum per desertum sequentem, quæ tam longum ieiunium sustinuerat. Qui enim tui causa in ærumnam, ac angustiam deuenerunt, illis subuenire teneris. Vide tom. 3. c. 34. n. 40. 41. 42. & 43. 29. Theophyl. *Fames multis malis occasionem præbet.*

Quintò D. Paschasius lib. 7. in Matth. *Non ipse Dominus*, ait, *recordatur in vno saltem laborantis die, sed Discipuli. Hic autem ipse Dominus recordatur eorum, & misereri dicitur, causamque miserationis exponit, quia triduo, inquit, perseuerant mecum.* Mouet S. Pater dubium, quod superiori quæst. 4. tractaui, quare scilicet Apostoli in illo conuiuio post iter vnius diei pro turbis fuere locuti; non vero in præsenti pro triduo. Tam ingens perseuerantia, tam largo ieiunio, tantóque incommodo per desertum subdiu diuinam pietatem solicitauit, vt ipsis calamitatibus, ac ærumnis imponeret terminum. Dabit Deus his quoque finem. Si Dauid Saül occidisset, cùm ipse cum in manibus tenebat in spelunca 1. Reg. 24. nu. 7. tot persecutiones euaderet, & sibi promissum assequeretur regni clauum 1. Reg. 16. numer. 13. A cæde tamen abstinuit, longanimiter Dei dispositionem in cunctis expectans, vt Deus corona regni concessa finem laboribus daret. D. Ambros. in Apologia Dauid cap. 6. *Debuum*, ait, *sibi imperium diu distulit, quod sciebat Deo auctore debuisse. Quo solo docuit omnes homines, non præripiendum regnum, etiamsi debeatur, sed expectandum, vt suo tempore deferatur,* 30. Paschas. *Omni Deus dat finem labori.* 1. Reg. 24. 1. Reg. 16. Ambros.

Sextò. Glossa Interlinealis. *Quia verus homo, misereatur, & compatitur humanæ fragilitati.* Haymon *Quia homo erat, misericordia motus est.* Qui se hominem cogitat, maximè mouetur, ac compatitur super aliorum miserias, ac ærumnas. Hunc affectum super aliorum laborum explicat D. Cyprianus lib. de lapsis. *Doleo,* ait, *vobiscum, cum singulis copulo pectus meum, & mœroris, & funeris luctuosa pondera participo, cum flentibus fleo, cum tacentibus iacere me credo; in prostratis hominibus & me prostratum affectus.*

31. Interlin. Haymon. Cyprian.

Septimò. Ait: *Misereor super turbam.* Cassianus commentatur: *Hæc inquit vt pius Dominus, & misericors Pater.* Cuius proprium est, suorum necessitates videre, illisque prouidere leuamen. Fame premebatur totus Orbis, *Audiens autem Iacob, quòd alimenta venderentur in Ægypto.* Gen. 42. n. 1. Iacob domus valde ampla extabat, in eaque multi erant filij ac famuli, qui per publicas vias vagabantur; & tamen nullus audit, vbi sit frumentum, sed solus Iacob. Septuaginta, Pagninus, Arias legunt: *Videns Iacob.* Terra Israël valde distabat ab Ægypto; & tamen è loco tam distanti videt vbi sit triticum. Iacob totius familiæ pater, ac proinde quamuis in ea multi essent famuli, atque ministri, solus vnus pater, ac princeps videt suorum necessitates, vt illis etiam è longinquo remedium prouideat. Oleaster. *Locutus ille,* ait, *pulchrè ostendit, quanta sit cura parentum in filios, etiam prouectos, qui non curant sibi alimenta quærere, nec sentiunt sibi deesse frumentum, sed pater hæc omnia videt.*

32. Cassian. Genes. 42. Septuag. Chald. Pagnin. Arias. Oleaster.

Octauò D. Hieronymus in cap. 15. Matth. *Vult enim,* scilicet Dominus, *pascere, quos curauerat, & ablatis debilitatibus iam sanis offert cibos.* His turbis in suis infirmitatibus salutem Dominus dedit, eósque postea, vt ait D. Anselm. sua spirituali doctrina docet ac pascit, tandem nunc ipsis famescentibus cibos ac alimenta prouidet. Ex vno beneficio pignoratur Dominus ad largiendũ aliud.

33. Hieron. Anselm. *Deus ex vno dono pignoratur ad aliud.*

De Israelitis itinerantibus per desertum inquit Apostolus 1. Cor. 10. n. 4. *Bibebant de spirituali, consequente eos petra. Petra autem erat Christus.* In ipsis aquis bibebant Israëlitæ in typo, & figura spiritum, quem nos eramus accepturi in Eucharistico potu. Et bibebant, ait Apostolus, *Consequente eos petra*: nunquid ipsa rupes per desertum ac itinera eos sequebatur, vt multi volunt cum Tertulliano lib. de Baptismo c. 9. & lib. 3. contra Marcion. c. 5. Explicat Apostolus. *Petra autem erat Christus.* Ipsa nempe Christi diuina virtus comes erat per desertum, vt commentantur D. Chrysost. D. Ambios. Oecumenius, eis assistens, vt quibus sui potum dederat, eos à periculis eriueret, eorumque necessitatibus prouideret. Iam quasi consequens erat ex dato potu assistentia in necessitatibus non deneganda. D. Anselmus. *Sequebatur eos per desertum petra spiritualis: quia aderat Christus. Qui ideo sequebatur, vt vbi defecissent, illis subueniret. Non enim petra, sed Christus aquam dedit.* Expende verbum, *vt vbi defecissent, illis subueniret.* Vide supra c. 3. n. 34. 35. & 36.

34. 1. Cor. 10. Tertul. Chrysost. & Ambros. Oecumen. *Vnum Dei beneficium consequitur aliud.* Anselm.

At contra homines ex vno dato dono argumentum sibi accipiunt ad nihil vltra dandum. Cùm quadam nocte Assuerus esset insomnis, iussit sit perlegi præteriti temporis historias. *Venium est ad illum locum, vbi scriptum erat quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathæ, & Tharæ eunuchorum regum Assueri insidiari cupientium; quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus consecutus est?* Esther 6. n. 2. Ingens fides, præclarum hominis obsequium in regem perlegitur; & quærit rex, quodnam honorificum præmium pro tanta fide sit datum. Num forsitan quærit, vt, supra datum, nouum adaugeat? non hæc cogitatio tangit mentem eius: sed quærit minimè profectò datums, si datum agnouisset: ex vna enim mercede exhibita sibi impedimentum obiicere intendebat, ne aliam largiretur.

35. Esther 6. *Ex vno dono sumit homo impedimentum ad aliud dandum.*

QVÆSTIO VI.

Quare in triduo Dominus misereatur? agiturque de viatico turbæ pro itinere.

PRÆCIPVA pars huius quæstionis dependet ab hoc secundo puncto. In quo Lucas Burgensis, & Cornel. à Lapide existimant, in tanta multitudine valde verisimile esse, multos nil eiborum secum tulisse; ideo per triduum mansisse ieiunos, vtpote illectos charitate, & dulcedine Christi. Constans tamen est Patrum sententia D. Chrysost. hom. 54. Theophyl. Euthym. Alberti Magni in Matth. Abulensis q. 103. Caietan. Maldon. & aliorum. Quòd turba hæc secum panes tulerit: nam aliàs absque miraculo, tam longo ieiunio valde vexaretur; atque ipsa natura tanta inedia multum deficeret, ac tabesceret; & esto quidam nil secum tulerint, tamen qui asportarunt, ex habitu charitatis Christi illis impertiebantur. Vnde,

36. Burgens. Cornel. *An habuerit viaticũ* Chrysost. Theophyl. Euthym. Alb. Magn. Abulens. Caietan. Maldon.

Primò ad quæstionem respondet Chrysost. homil. 54. in Matth. *Non in prima, neque secunda die id fecit, sed expectauit, vt omnibus consumptis, indigentia coacti, maiori admiratione factum persequerentur.* Quæ enim dantur in necessitate constitutis, valde grata, ac periucunda, maximéque in admirationem, ac venerationem suscipiuntur. Præterea *Expectauit*, inquit Chrysostomus, *vt omnibus consumptis.* Tunc cibum præbuit Dominus, cùm turba alimento carens maximè indigebat: non enim miracula, nisi vrgente necessitate faciebat.

37. Chrysost. *In necessitate donum valde gratum.*

Secundò Victor Antiochenus. *Ea erat in præsenti loco ratio*, ait, *inuicta plebis, quæ eum sequebatur, perseuerantia, nam triduo vt hic scribitur illum iam sustinuerat.* Vbi tridui longanimitas in virtute apparuit, simul, & ratio prodit efficax pro diuina misericordia sollicitanda. Valde enim sacratus est ternarius numerus, vt ex multis scripturæ locis patet, & hic allegorizant Patres. Perseuerantia in triduo. Primò ait Beda, *significat fidem Trinitatis, qua dona assequuntur.* Theophylact. in Marcum, *Triduum hic*, ait, *significat Baptismum, qui tribus mersionibus fit: & qui in hoc triduo manent, illuminantur, & dona Dei suscipiunt.* Tertiò Eusebius Gallicanus homil. 2. post Pentecosten ait, quod tres dies tria sæculi tempora sunt, ante legem scilicet, sub lege, & sub gratia. Hoc tertio suæ Incarnationis tempore turbas reficit, nec vlterius eas fame perire patitur. Quartò Simon Cassianus lib. 5. cap. 4. ait: Tribus diebus exprimitur triniras virtutum fidei, spei, & charitatis, hoc enim triduo reuiuiscitur, & pascimur æternis. Quintò S. Thomas in Matth. c. 15. & hic Hugo astruunt, hic significari triduum mortis Christi. Illi Dominum triduo sustinent, qui morti Christi se confirmarunt. Ex quo per mortem

38. Antioch. *Multa huius triduĩ allegoria.* Beda. Theophyl. Euseb. Gall. Cassian. D. Thom. Hugo.

rem Christi iustificationis nostræ expectamus refectionem. Sextò Albert. Magnus veram pœnitentiam dicit hoc triduum, quæ fit contritione, confessione, & satisfactione, & hac pœnitentia præmissa ad Christi mensam venimus. Beda, Haymon. Triduo convertuntur homines ad pœnitentiam, opere, cogitatione, locutione. Clamabat Ionas, iuxta lectionem Septuaginta, 3. num. 4. *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur.* D. Basilius Seleucus. *Angustis dierum terminis, communicatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.* In ipso enim termino trium dierum lata via ad pœnitentiam aperitur, nimirum opere, locutione, ac cogitatione.

Alb. Magn. Beda. Haymon. Septuaginta. Iust. Seleuc.

39. Tertiò. *Triduo sustinent me,* Numerat Dominus dies perseuerantiæ turbæ; quia dies obsequij nostri ipse numeratos habet, vt retributionis mercedem exhibeat. *Malitia est vita hominis super terram. Et sicut mercenarij dies eius,* Iob. 7. num. 1. Dies ponitur pro tempore vitæ hominis, vt notat Pineda. Ad quid vita hominis confertur cum diebus mercenarij? Sicut enim dies mercenarij omnes sedulò computantur, vt laboris stipendium persoluatur, ita cuiuslibet hominis à Deo dies numerantur, vt vnusquisque recipiat suorum operum mercedem. S. Gregorius lib. 8. moral. c. 7. *Sancti viri,* ait, *quot labores nunc veritati commendant, exhibent, tot iam remunerationis suæ pignora inter spei cubiculum tenent.*

Iob. 7. Pineda. *Deus numerat dies nostri obsequij ad præmium.* S. Gregor.

40. Quartò. *Triduo sustinent me,* Christus Dominus sumum his hominibus vult panem præbere; priùs tamen in illis triduo laboris itineris, vitæque austeræ deserti, ac diuturni ieiunij mentionem facit. Vt enim quis Christi pane fruatur, optima dispositio, vt prius in laboribus, ac incommoditatibus huius sæculi se exerceat. Christo Domino ait Sancta Anima: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas,* Cantic. 1. num. 7. Quod de pastu sui sacratissimi corporis, & sanguinis interpretatur D. Gregor. Nyssenus in homil. 2. in Cantica. Respondet Sponsus: *Si ignoras te,* seu, *me* (vt ait Del-Rius) propter identitatem, *abi, & egredere post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum,* ibidem num. 8. Magna difficultas est expositoribus. Ghislerius expositione 1. Qua consequentia hæc ad Sponsæ quæsita dicantur? Ipsa interrogauerat locum sui pastus: *vbi pascas?* Ad quid ipse ait, quod, si ipsum ignorat, post greges suos abeat, hœdosque constituat iuxta tabernacula pastorem? Potius, ac maiori consequentia videbatur dicendum: Si me, meique pastus locum ignoras, veni post vestigia mea, locáque hœdos tuos iuxta tabernaculum meum; & sic facilè ad mei pastum ingredieris. Ad quid mandat, quod post greges suos abeat: hœdósq; cubare faciat iuxta tabernaculum pastorum? Iuxta D. Bernardum, Cornelium ibi. Hi greges sunt sancti, & iusti; tabernacula pastorum est vita sanctorum Patrum, qui multis laboribus, ac incommoditatibus, & abstinentiis fuere vexati, vt ait Paulus ad Hebræos 11. nu. 37. Vt ergo Christus Dominus animæ dilectæ indicet locum sui sacratissimi pastus, eam docet, vt se exerceat in molestiis, ac pressuris, in quibus sancti Patres se exercuerunt, quibus optimè aperitur aditus, ac ingressus, quod cœleste, ac diuinum pabulum deuenitur. Cassiodorius, & Beda apud Ghislerium in Appendice ad illa verba: Indica mihi. *Denotatur,* inquiunt, *æstus persecutionum, tentationum, ac æruminarum, quibus in hoc sæculo aduritur ipsa Ecclesia. Christus autem pascit oues suas, & inter eas cubat.* Vide tom. 3. cap. 35. num. 11. 12. 13. 14. & 15.

Praparatio ad Eucharistiæ exercitatio in laboribus, & æruminis. Cantic. 1. Nyssen. Del Rius. Ghislerius. Bernardus. Cornel. Ad Hebr. 11. Cassiod. Beda.

41. Quintò. *Triduo sustinent me,* Hoc dicit Dominus, tanquam illius gentis magnum obsequium referens. Gens autem hæc Dominum sequebatur ob sanitatem in suis infirmitatibus obtinendam, vt testatur D. Matthæus 15. nu. 30. & 31. & sæpe dixi. Quomodo ergò Christus Dominus hoc, tanquam magnum sibi præstitum obsequium profert cum turba sui cõmodi ergo moueretur? Hæc est ingens Domini pietas: hæc magna illius benignitas, vt ea, quæ principaliter ex vtilitate sua turbæ præstabant, ipse tanquam sui magnum reputet famulatum, solúmque ante oculos ponat gentis effectum, quo erga ipsum tenebatur: non vero cõmoditatem qua primò exierat, & sequebatur. Matth 15. *Sequuntur ob proprium commodum, & Deum vt obsequium compensat.*

42. Ait Paulus ad Hebræos 11. num. 7. *Fide Noë metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quem damnauit mundum; & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus.* Ex Dei mandato fabricauit arcam in salutem domus suæ, & tamen per ipsam fidem, ac obedientiam, qua Deo credidit, iustitiæ est hæres institutus. Ex hac fide præstita magnus ei comparatus est prouentus; nam pereuntibus cæteris omnibus hominibus, ipse cum tota domo sua euasit incolumis. Quomodo ergo Noë per rẽ tam sibi commodam, iustitiæ instituitur hæres? Hæc est Dei bonitas, vt fidem, per quam Noë cùm filiis suis tantam salutem est assecutus, in magnum eius meritum ipse Deus adscripserit, in magnum sibi præstitum obsequium acceptauerit. S. Thomas. *Secundum dispositionem Dei conuenientem fecit Noë arcam in salutem familiæ suæ, propter quam iustitiæ hæres est institutus.* Hebr. 11. *Quod sit ex Dei mandato, esto cedat in bonũ nostrum, ipse in meritũ computat.* S. Thomas

QVÆSTIO VII.

Quare in tanta penuria nullus è turba meminit cibi?

43. IN tanta multitudine cibus non erat, & iam tanto ieiunio prope erat, vt homines deficerent. Cur ergo nullus è turba cibi recordatus? Poterit ad hæc Primo respondeti ex Chrysostomo dato supra q. 4. Quod *turba quidem, quæ ob morborum curam suorum ipsum petierant, non audebant panes petere,* Vide dicta eadem quæst. 4. in solutione 5. Deinde, Chrysost.

44. Respondeo, quod turba astabat audiens Christi sermonem. Quid mirum ergo, quod nullus escarum meminerit? Vox enim Dei valdè præpotens, ac efficax, vt hominem reficiat, ipsum sustentet, vt nulla in eo famis sẽtiatur pressura. Sic de turba Christum sequenti canit Prudẽtius in Apotheosi. Prudent. *Verbum Dei cibum reficiens.*

— *Qui forte Magistrum*
Non reuocante fame, stipabant vndique sæptum:
Immemoresque cibi, vicos, castella, macellum,
Oppida, mercatus, & conciliabula, & vrbes
Respuerant, largo commenti dogmate vesci.

Vox diuina in humanis auribus sonãs, magnũ est nomini alimẽtũ, vt nullus vlterius egestate laboret

45. Ascendit Moyses in mentem absque cibo, & potu, ibique per sex dies astat; septima autem die iam adueniente vocem Dei, ipsum vocantis audiuit, *Septimo autem die vocauit eum de medio caliginis,* Exod. 24. numer. 15. ibique per quadraginta dies in colloquio Domini astans sine alimento, cibo, & potu perseuerat, quin inedia consumatur, Exod. 24.

Iuxta Physicos per septem dies potest homo durare sine cibo,& potu,& septima die hominis vita deficit, Astat Moyses absque vlla refectione per sex dies. *Tegens illum nube sex diebus*, Septima autem die, quàdo hominis vita sine aliméto deficit,diuinum aduenit verbum, Prophetam pascẽs, & reficiens,ab eoque inediam omnem propulsãs, vt absque vlla esurie per quadraginta dies admirabiliter recreatus perseueret. Rupertus lib.3.de Trinitate cap. 45. *Si quaras*, ait, *quomodo tam diu durauit homo sine cibo,& sine potu,cum vltra septem dies natura humana durare non possit? Septimo autem die,inquit,vocauit eum de medio caliginis, cuius vox suauis, & super mel, & fauum dulcis, & vocatione sua sic inopem naturam hominis ditauit, vt vsque ad quadragesimum diem. non solum cibi,& potus,sed totius humanæ conditionis posset oblinisci.*

Diuino verbo deficitur homo, vt necessitatem non sentiat. Rupertus.

46. Cum Diabolus esurientem vidisset Dominum in deserto, offert illi, vt ex lapidibus faciat panes, Cui ait Dominus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Matth. 4.num. 4. Cur diuinus Magister pro hominis alimẽto ad Dei verbum recurrit? Cur non potius ad diuinam Omnipotentiam;ac si dicat, quod panis non est necessarius semper,nam Deus sua virtute sine cibo, & potu potest hominem sustentare? Ad Dei verbum recurrit, tanquam ad medium valde frequens, & regulare, quod dum animam pascit, ipsam valde delectabiliter reficit, in illáque omnium ciborum obliuionem generat. Pulchrè D.Ambrosius lib.3.in Lucam c.4.*Non enim*, ait, *quasi Deus vitam potestate, sed quasi homo commune sibi arcessit auxilium, vt diuina pabulo locutionis intentus, famem corporis negligat, alimentum verbi cælestis acquirat. Non enim potest, qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cum substantiam panis cælestis accipiat.* Expende verbum.*Commune sibi arcessit auxilium.*

Matth.4. Dei verbũ regulare medium ad expellendam famem. Ambros.

47. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Cantic.8.num.13.Septuaginta habent: *Qui sedes in hortis*, Vox est dilectæ animæ Christum alloquentis, vt tenet Philo Carpath. Tres Patres apud Theodoretum,D.Ambrosius in Psalm.118. qui ait. *Delectabatur Ecclesia, quod in hortis Christus sederet, & in hortis positi amici intendebant voci.* Hoc tamen maximè considerandum,quòd cùm Christus sederet in hortis,anima sancta non exposcit ab eo olera, fructus, poma malogranata, vel punica ipsorum hortorum, sed tantum vocem eius: *fac me audire vocem tuam*, Consequens videbatur, vt ab hortis peteret fructus. Cur his prætermissis solum ad vocem exposcendam rapitur? Maius ei erat alimentum diuina vox,quàm quilibet hortorum fructus, plusque,ac delectabilius reficiebatur vno diuino verbo,aure excepto, quàm quocumque ore degustato pomo;Ideò hoc omisso, illius tantum æstuabat desiderio.

Cantic.8. Septuagint. Carpath. Theodoret. Ambros.

Diuina vox plus alit, quam quilibet fructus.

*Marc.*18.*n.*3.Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via;quidam enim ex eis de longè venerunt.

VERSIONES.

Syriacus. Cum ieiuni sint,deficient in via.
Arias. Si absoluam eos ieiunos in domum suam, exoluentur in via.

ALTER TEXTVS

*Matth.*15.*num.*32. Dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

EXPOSITIO VI.

CONSIDERA,ait Theoph. in Marc. *hoc,quod Christus nullum vult dimittere ieiunum, omnes vult deliciis suorum donorum alere. Si autem aliquis ab eo recedit ieiunus,* inquit Simon Cassianus lib.5.cap.4. *Non est paritas damni, sed negligentia non accipientis,* Ipse enim ex se est valde prõptus, vt omnibus largiatur; ex nostra verò prava affectione impedimentum prouenit. *Si dimisero eos ieiunos,* absque cibo,*in domum suam.* Quatuor erant hominum millia, ideò videbatur dicendum, In domos suas. Tamen Hebraico more singulare collect nè acceptum pro plurali. Moraliter. Ita charitate Christi extabant coadunati, ac vniti,vt iam non multi, sed vnum quid reputarentur, vt iam non multas domos, sed vnam habere videantur. *Deficient in via,* seu,vt habet Græcus, *exoluentur,* quod animi nerui resoluantur.

48. Theophyl. Cassian. *Charitas Christi vnionem parit.* Græcus.

Quidam enim ex eis, Non ait, omnes, sed quidam: diuinum ingenium, vt ex quorundam meritis, ac necessitatibus alliciatur, vt omnibus subueniat. E contra homines ex demeritis, ac opulentiis quorundam inducuntur, vt vniuersis dona sua denegent. *De longè venerunt*, Christi scilicet more attracti. De longe nempe, ab occasione peccati, vt ait Beda. Hi enim veniunt ad Christum, qui à longè habent peccatum, & occasiones illius. Glossa Interlinealis, Haymon. De longe venerunt,inquiunt, *iudaï prorè, de lege & Prophetis: Genus vero de longè, nempe à cultu idolorum.*

49. *Deus ab quorundam in vita omnibus bona facit.* Beda. Interlin. Haymon.

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus tot hic apponit rationes, vt his hominibus subueniat?

IAM supra ad miserandum quandam rationem præmiserat Dominus. *Triduo sustinent me*, Nunc alias suggerit, Quia ieiuni, Quia deficient in via,Quia de longe venerunt. Vt ostendat quod,quamuis supremus Dominus,cuncta disponebat,non potentia,sed ratione;qua ostendit conuenientem necessitatem operandi miraculum:nam aliter illud non ederet. Rationes hic appositas moraliter expendamus.

50. *Rationes appositæ.*

Primò ait Christus: Misereor super turbam,... *nec habent, quod manducent*, Maximè mouetur Dominus ad illis suum panem porrigendum,quia videt eos ieiunos. Panis à Christo datus, typus erat sacræ Eucharistiæ, vt allegorizant D.Hieronymus,D.Paschasius, Eusebius, Beda, Haymon infra dandi. Mouetur Dominus, vt eos suo cælesti pane pascat, quia inspicit illos ieiunos, à cibo abstinentes. Vt moraliter instruaris,ieiunium optimam esse ad Eucharistiam præparationem. Liberalius enim Christus in Eucharistia se tradit illis qui non solùm à culpa,sed etiam à corporali superfluo cibo pridie se abstinent; Cuius rei rationem præclarè assignat D. Paschasius lib.de corpore,& sangui. cap.20. *Veruntamen*, ait, *quod ieiuni communicamus, & satis prouidè, vt dum sobrietas*

51. Hieron. Paschas. Euseb. Beda. Haymon. *Ieiunium præparatio ad Eucharistiam.* Paschas.

sobrietas flagrat in corpore, dum omnis feruor carnis quieſcit; & omnes animi ſenſus intelligentia, & diſcernendi ratione fortius vigent. Corpus ieiunat; acutior eſt intellectus, vt hic perſpicacius celſitudinem tanti myſterij valeat conſiderare.

52. Secundò. *Ne deficiant in via*, Cur magis præcauet Dominus, ac veluti noſtro dicendi modo videtur timere, ne hi deficiant in via, quàm illi: qui in alio conuiuio interfuerunt? In præfato conuiuio aſtiterunt homines per vnum diem abſque cibo. *Veſpere autem facto acceſſerunt ad eum Diſcipuli eius dicentes: Deſertus eſt locus, &c.* Matth. 14. num. 15. At in præſenti per triduum, vt multi opinantur, ieiunabant, quod denotat multum tempus. Qui autem per triduum, diuturnum nempe tempus, à viuifico Chriſti pane ieiunat ac ſe abſtinet, maximè timendum, ne in via ſalutis deficiat, vt nec ad optatam felicitatem valeat peruenire. D. Hieron. in cap. 15. Matth. *Non vult*, ait, *Ieſus eos dimittere ieiunos, ne deficiant in via. Periclitatur ergo, qui ſine cœleſti pane ad optatam manſionem peruenire feſtinat*, Hinc dicebat Moyſes Pharaoni Exod. 5. n. 3. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino Deo noſtro, ne forte accidat nobis peſtis, aut gladius.* Expende verbum *ne forte*, quod timentis eſt. Verentur enim, ne, ſi per totos tres integros dies, ideſt per multum tempus, ſe abſtineant à ſacrificio adumbratiuo Euchariſtiæ, peſtis, aut gladius in illo irruat; per quod vniuerſitas malorum exprimitur, vt aduertunt ibi expoſitores. Quòd vno, vel altero die homo de hoc viuifico ſacrificio non participet, pro infirmitate humana diſſimulari poterit: at quòd per totos tres integros dies non accedat, omnia ſine dubio mala illi comminantur. Sic ait Abulenſis in perſona Moyſis. *Nos volumus facere iſta ſacrificia, vt liberemur a malis.*

Matth. 14.

Hieron.

Exod. 5.

Qui abſtinet ſe ab Euchariſtia, omnia mala illi comminantur.

Abulenſ.

53. Tertiò. *De longè venerunt*, Ad horum verborum conſiderationem nos exhortatur Beda. *Valde autem*, ait, *penſanda eſt pia ſententia, quæ proceſſit ex ore veritatis, quæ dicitur, Quidam ex eis de longè venerunt*, In his enim verbis ſubiicit Dominus miſerendi rationem; ac ſi illis panem non eſſet daturus, niſi longum arripuiſſent iter. Panis hic figuram ſacræ Euchariſtiæ exprimebat. Huius autem viuifici panis non fit particeps homo; quin prius egrediatur, & longè à ſe habeat peccata, & vitia. Non enim ad hanc menſam fit acceſſus, niſi multum à delictorum illecebris recedas. Citatus Beda. *Aly poſt illatas iniurias, & violentia eſt; aly poſt perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad Omnipotentis Dei ſeruitium conuertuntur. Hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt, Quanto enim quiſque plus in prauo opere erranit, tanto ab Omnipotente Domino longius receſſit.*

Beda.

Longè fiat homo à vitiis, ac peccatis, vt veniat ad Euchariſtiam.

Beda.

54. Perpende pabula, quæ Deus populo Iſraëlitico in deſerto præbuit. Dedit Manna, & dedit coturnices. De Manna, *Dixit Dominus ad Moyſen. Ecce ego vobis pluam panes de cœlo; egrediatur populus & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies*, Exod. 16. n. 4. De illis autem volucribus dicitur. *Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & dimiſit in caſtra*, Numer. 11. n. 31. Cur ad Manna colligendum populus mandatur egredi à tabernaculo ſuo, ac è caſtris; Coturnix vero defertur in caſtra, & in medium illorum. Vide quanta differentia interſit inter vnum cibum, & & alterum. Coturnix cibus corporalis, ac materialis habetur inter caſtra, inter tumultus, nempe, ac delicias mundi. At Manna cibus ſpiritualis, Euchar. præfiguratus, vt colligatur neceſſe eſt, exire à tabernaculo, ac caſtris; vt his inſtruamur, quod Chriſti menſa non præparatur, niſi homini iam egreſſo ab antiqua veruſtate, ac mundi oblectamentis. Rup. lib. 3. in Exod. c. 11. *Et egrediatur populus*, ait, *& colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies: profectò & nobis ſpiritualiter egrediendum eſt, vt colligamus, quantum ſufficere poteſt. Vnde egrediendum de priſtina conuerſatione, de veruſtate vitæ; nondum enim depoſito vetere homine, non eſt nobis, hoc Manna colligere; non eſt nobis, hunc panem domini cum manducare.*

Numer. 11.

Exod. 16.

Marc. 8. *n.* 4. Et reſponderunt ei Diſcipuli ſui: Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?

Num. 5. Et interrogauit eos: Quot panes habetis? qui dixerunt, ſeptem.

VERSIONES.

Syriacus, n. 4. Vndénam poteſt aliquis hic in deſerto ſaturare pane illos omnes?

Arabicus. Vnde inueniemus panem in deſerto, qui ſatiet hanc turbam?

Vatablus, n. 5. Et interrogabat eos.

Alter Textus.

Matth. 15. *num.* 33. Et dicunt ei Diſcipuli: Vnde ergo nobis in deſerto panes tantos, vt ſaturemus turbam tantam?

Num. 34. Et ait illis Ieſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt ſeptem, & paucos piſciculos.

EXPOSITIO III.

55. AD Chriſti verba reſpondent Diſcipuli per interrogationem ad exaggerandam difficultatem. *Vnde illos*, ſeu, vt habet D. Matth. *tantam turbam*, poterit ſaturare panibus. D. Matth. *Vnde nobis in deſerto panes tantos?* Carthuſ. *Diſcipuli tanquam ſuo Magiſtro familiariſſimi pluraliter reſponderunt. Chriſtus quippe ſingulariter dixit: dimittere eos ieiunos nolo, Diſcipuli vero in perſona ſua, ac Chriſti reſponderunt.* Ad turbam ſubueniendam Chriſtus de ſe tantum egit, *dimittere eos ieiunos nolo*: at Diſcipuli in hac prouiſione exhibenda, de ſe, ac Chriſto tractant, difficultatem opponentes. *Vnde nobis panes*, Miniſtrorum conditio, quòd in obiiciendis impedimentis plus reſpondeant, quàm interrogantur. *In ſolitudine*, tam in hoc miraculo, quàm in alio de deſerto faciunt mentionem. Chryſoſt. hom. 54. *Sic & prius*, ait, *& nunc ſolitudinis meminerunt quod quamuis ipſi ex imbecillitate dicebant, hinc tamen miraculum ab*

Carthuſ.

Miniſtri proni ad obiicienda impedimenta.

Chryſoſt.

omni sinistra abiiciunt liberant. Cùm dicunt; In solitudine, euidentia miraculi declaratur.

56. *Christus ex proprijs passit suos.*

Interrogabat eos. Cùm ipse omnia optime nosceret, interrogat pro maiori euidentia miraculi. *Quot panes habetis?* comparatos nempe in alimentum nostræ familiæ. Christus valde frequenter cum Discipulis suis ibat in desertum. Hinc Discipuli prouisionem aliquid moderatum secum ferebant. Matth. 16. n. 2. Magnus Princeps quærit, quot panes sint in familia sua: suos enim pane subditos pascere curat. Nos Discipulos quærit, ait Albertus Magnus, tanquam seminarium huius præambulæ multiplicationis. Ex paucis, quæ Deo damus, multa recipimus. *Qui dixerunt: septem.* Quia, vt volunt D. Chrysostomus, & Paschasius cibandi, non erant panes hordeacei, sed frumentarij. D. Matth. scribit: *Et panes piscibus.* Syriac. *Et modicum piscium minutorum.*

Matth. 16.

Alb. Magn. Chrys. Paschas. *Panes frumentary.* Matth. Syriac.

QVÆSTIO IX.

Quare Dominus hic interrogat suos Discipulos?

57. Chrysost.

QVOT panes habebant; ad quid interrogat: Respondet primò D. Chrysostom. homil. 54. iam supra datus. *Si non vis, quispiam obiiciet, ieiunos dimittere, cur miraculum non facit? Vt, inquit verbis de hac re vtrosque datis attentiores fiant Discipuli, & fidem suam ostendentes, petierunt panes produci.* Interrogat, vt eos inducat ad eius misericordiam implorandam, ac ad petendum panes. Deinde vt quo magis factum inter Christum, & Apostolos discuteretur, eo altius eorum memoriæ imprimeretur, & minus de miraculo dubitarent.

Res agenda manet in memoria.

58. Anselm.

Secundò D. Anselmus. *Interrogat*, ait, *non ignarus, sed docendo respondere.* Interrogat veluti dissimulans, se scire, vt inde respondens occasionem sumat, vt eos magis doceat, & instruat. Bonus Magister aliquando dissimulat ignorantiam, vt inde magis doceat, maioraque det documenta. tom. 3. c. 13. n. 54. & 55.

Bonus Magister ignorantiam dissimulat.

59. Abulens.

Tertiò Abulensis q. 102. Quærit Dominus, quia voluit ostendere, quòd istud miraculum non faciebat ex sua voluntate, sed ex necessitate quadam, quia erat vrgens inopia, quæ aliter non poterat sublevari. Et dicò, vt notat ipse Abulensis quæst. 102. cum Dominus sæpe cæcos, claudos, ac debiles sanaret, ac etiam mortuos suscitaret, bis tamen panes multiplicauit, ac turbas saturauit: nam ad illa prima mirabilia sæpe ipsa exigentia instabat, quia sine miraculo sanitatem, ac vitam consequi non valebant, at ad multiplicationem panum bis in deserto interceßit grauis necessitas; vnde bis ipsos multiplicauit, ac turbas saturauit.

Miraculum operandum cum necessitate.

60. Paschas. S. Thom. Remig. *Deus vult vt miracula sint euidentia sub sensibus.* Marc. 6.

Quartò D. Paschasius, S. Thomas, D. Remig. & alij communiter. Interrogat Discipulos, vt ipsimet miraculi magnitudo euidentius constaret. Nam cùm quæsiti respondeant, septem tantum panes habere, postea tanta turba saturata, de miraculo dubitare non poterant. Si autem non quæreret, aliquis eorum forte existimaret, quòd multò plures extiterant panes; & sic de miraculo, vel de illius magnitudine anceps redderetur opinio. Deus enim sic sua mirabilia operatur, vt cunctis fiant manifesta. Vnde in alio conuiuio Christus dixit suis Discipulis. *Quot panes habetis? ite, & videte.* Marc. 6. n. 38. vt visu cognoscerent paucitatem panis; & inde miraculi magnitudinem perspectam haberent.

Egressus populus de Ægypto, cum castrametatus esset in Raphidim, aquarum penuria multum pressus obmurmurauit contra Moysen. Cui ad Dominum clamanti ait Deus: *Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel, & virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua,* &c. Exod. 17. n. 5. Mandatur Moysi, vt antecedat populum; nam ob sui murmurationem valde indignus erat Moysis comitatu, spectaculóque miraculi. Cur ergo ei imperatur, vt cum senioribus pergat? Ad quid socij huiusmodi designantur? Iudæi, vtpote increduli, poterant in dubium vertere, an iuxta petram præextitissent aquæ, quæ fluxerunt. Vt ergo omnis hæc amouearur suspicio, iubet Deus Moysi, vt secum assumat testes, qui videntes ariditatem loci, plenam facerent certitudinem, ac magnitudinem miraculi aquarum fluxus. Abulensis ibi. *Seniores*, ait, *quia maioris auctoritatis erant apud reliquum populum, mandauit Deus accipi in testes miraculi nouæ, qui possent dicere Israëlitæ, quòd ibi aquæ præexiterant, negantes miraculum; mandauit Deus seniores adduci, vt contemplarentur primùm locum illum, viderent aquarum nulla præfuisse indicia, & subitò de percussis silicibus aquarum abundantiam effluxisse.*

61. *Fiunt increduli testes miraculi.* Abulens.

Promisit Deus Abrahamo filium ex Sara, & ait textus. *Erant autem ambo senes, prouectæque ætatis, & desinerant Sara fieri muliebria*, Genes. 18. num. 11. Caietanus. *Desierat esse Saræ consuetudo mulierum*, Per triplicem phrasim Saræ infœcunditas exprimitur. Senex, prouectæ ætatis, fieri muliebria. Ad quid per tot modos declaratur; satis enim erat dicere, quod prouectæ esset ætatis; vel quod ei desierant fieri muliebria? Nil superfluè ponitur, ait Interlinealis. *Vt commendaretur miraculum, si fuerit*, Vt Dei miraculum in concedenda prole ex Sara, sit euidentissimum absque vlla suspicione, tot verbis Saræ sterilitas inculcatur.

62. Genes. 18. Caietan. *Maximè explicatur Sara sterilitas.* Interlin.

QVÆSTIO X.

Quare cùm Discipuli non recordarentur de primo miraculoso conuiuio, hic à Domino non reprehenduntur?

63. *Quomodo Discipuli de priori miraculo obliti?*

PRIMO in hac quæstione quæro: Quomodo cum Christus dicat, se misereri super hanc turbam; nolléque, eam ieiunam dimittere; dicant Apostoli: *Vnde illos quis poterit hic saturari?* Cur de miraculoso alio conuiuio non recordantur, vt panes petant multiplicari?

64. Abulens.

Respondet primò Abulensis in cap. 15. Matth. q. 105. Quòd adhuc corda Discipulorum erant turbata, & imperfectè disposita, vt non intelligerent Christi miracula, licet ea viderent; quia fortè putabant, quòd non posset illa facere; & cùm fieri videbant, stupebant; & tamen propter hoc non sibi determinarè persuadebant, quòd posset postea similia facere. Vnde post primam saturationem, cùm Christus ambularet super mare, & Discipuli eum non cognoscerent, dicitur Marc. 6. n. 52. *Non intellexerunt de panibus, erat cor eorum obcæcatum.* Sic sunt homines, vt videntes Marc. 6.

Dei

Dei mirabilia, adhuc non percipiant, nec intelligant. Secundò. Permissum est, vt Discipuli sic respondeant, vt fieret euidens, quod nõ habebant panum copiam, sed tantum septem panes. Tertiò. Sic respondent, non coniiciebant oculos Discipuli in Christi potentiam, sed in propriam imbecillitatem, ac penuriam; inde valde difficillimum reputabant, tantæ turbæ panes suppeditare.

Homines sæpe oculos non in Dei potentiam, sed in propriam imbecillitatem coniiciunt

65. *Quomodo non reprehendantur statim?*

Secundò quæro, Quare cum Christi D. Discipuli hic nimis deficiant in cognitione, ac recordatione operum illius, quare, inquam, ab ipso non reprehenduntur; Respondeo primò. Disponebat Dominus, vniuersæ huic turbæ panes porrigere, illique benignitatem suam impertire; noluit ergo tunc Discipuli reprehensione contristare, ne tunc eos molestia afficeret, cùm aliis benefacere parabat.

66.

Secundò. De oblitione saturationis panum iam Discipuli sunt reprehensi citato cap. 6. Marci & iterum à Christo obiurgantur Marc. 8. num. 17. *Quid cogitatis*, ait illis diuinus Magister, *quia panes non habetis? nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum, nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia: Quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis?* Ergo hic non fuerunt increpandi? nec enim semper eadem culpa est obiicienda, nec reprehensio semper infligenda, sed aliquando dissimulanda, ac in accommodatius tempus remittenda. D. Isidorus lib. 3. sentent. cap. 50. *Plerumque*, ait, *Princeps iustus etiam malorum errores dissimulare nouit; non quod iniquitati eorum consentiat, sed quod aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia vel emendare valeat, vel punire.*

Marc. 8.

Non semper reprehensioni instandum.

Isidor.

67.

Tertiò. Cùm tam immemores diuinorum beneficiorum respondeant, non statim increpantur à Domino, sed in aliud tempus reseruatur reprehensio, vt patet ex citato cap. 8. num. 17. Marci. Sæpe multa prudentia est, quod facta culpa, non statim arguatur, reprehendatur, ac puniatur, sed permittatur, quod aliquod tempus interiaceat, vt aptius mens, sua ignorantia deposita, valeat in factum suum reflectere, illudque appendere ac considerare.

Inter culpæ & reprehensionem interponatur tempus.

68.

Peccarunt primi Parentes. Tunc scribit Moyses: *Cùm audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. num. 8. Septuaginta *ad vesperam.* Symmach. & alij: *inclinante iam die.* Delictum commiserunt Primi Parentes matutino tempore: *Inclinante iam die*, quinque horas, vel sex post peccatum perpetratum, vt multi interpretes autumant, vocatur Adamus ad iudicium, illiúsque peccatum ei obiicitur: *De ligno quod præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Pœnáque ei infligitur. *In laboribus comedes.* Cur tantum spatium inter crimen, & iudicium interponitur? Cur absque dilatione sententia aduersus eum non promulgatur; Eleganter D. Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 14. *Quid est ad vesperam*, ait, *nisi quia culpam suam serò cognouit, & serò venit quædam erroris præteriti verecundia, qua errorem præuenire debuerat? nam dum culpa seruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sedsus errantis.* Commisso scelere, non statim aduolat sententia, sed datur spatium, vt appetitus inordinati ardor, concupiscentiæque stimulus sedetur, vt mens, tanta deposita nebula, in verecundiam veniat, sensimque grauitatem sui lapsus agnoscat, vt facilius Deum cogitans ex detestatione sui criminis in pœnitentiam ascendat. *Dum culpa fermet in corpore*, &c.

Genes. 3.

Septuag. Symmach.

Ambros.

Datur spatium, vt frenor appetitus sedeant.

QVÆSTIO XI.

Quare hic non scribitur numerus piscium, sicut in alio conuiuio?

69. IN alio conuiuio scribit Ioannes 6. num. 9. *Est puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* At in præsenti piscium numerus non adnotatus: *Et pauca piscicula.* Respondet Abulensis in cap. 15. Matth. quæst. 107. Quòd pisces primæ saturationis erant magni, & ideo duo dicti sunt. At in præsenti erant parui, ita vt forte viginti ex eis non æquiualerent vni pisci, & iuxta communem vsum, solùm computantur numericè pisces magni, non verò parui, sed dicuntur pisciculi quidam: frequenter enim solùm magni pro sua multa æstimatione inter homines computationem habent; parui autem summatim tantum, ac cæteruatim referuntur.

Ioan 6.

Abulens.

Magni in æstimatione, parui in contemptu.

70. Secundò. Per primum conuiuium de quinque panibus hordeaceis significatur lex vetus, vt inquiunt Eusebius Gallicanus, Beda, Haymon, & alij, de quo late infra quæst. 12. At per hoc conuiuium de septem panibus, & etiam frumentariis, vt iam dixi, intelligitur lex Gratiæ. Tunc ad quæstionem, Respondet D. Augustinus serm. 209. de Tempore, & S. Thomas, quòd per pisces, quibus homo pascitur, ac nutritur, denotantur dona Gratiæ, & dicuntur duo pisces in primo conuiuio, quia in lege veteri pauca, & rarà fuerunt dona gratiæ in exiguo numero. At in lege Euangelica, in hoc conuiuio adumbrata, multi pisces multa dona supernaturalia. D. Augustinus citatus. *Hic*, ait, *indefinitus numerus ponitur, quæ sunt dona gratiarum.* Non scribitur numerus, sed indefinite dicuntur pisciculi, quia tot sunt dona, quæ in lege Euangelica nobis communicantur, vt non valeant à nobis recenseri. Dicuntur *pisciculos quosdam*, Dona enim Christianæ paupertatis, humilitatis, castitatisque, his, qui rem perfectè non capiunt, nec intelligunt, videntur parua, & humilia, cùm tamen in se sint valde magna, præclara, & excelsa. Et cùm Discipuli adhuc non essent summa perfectione expoliti, pisciculos dicunt.

Eusch. Beda. Haymon.

August. B Thom.

In lege veteri pauca dona: in Euangelica multa.

August.

71. Itinerantes filij Israel per desertum veniunt in Mara, vbi tantum erat aqui amarissimæ, à qua & locum nomen accipit, quodam tamen in aquam immisso ligno dulcis facta est. Postea vero; *Venerunt in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ.* Exod. 15. num. 27. Cur tanta differentia inter primum, & secundum locum? Cur egressi à sterilitate primi loci, tantam in secundo inueniunt fœcunditatem? In primo denotatur lex Vetus, in qua tantum erat vnus fons aquæ, & amaræ ob rigorem, ac austeritatem illius legis, qua pœna talionis cuncta persoluebantur. *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Matth. 5. num. 38. vt ibi dixi tom. 2. cap. 13. Et vnum tantũ ibi erat lignum, nempe Virga Moysis, quæ percutiebat, vt & vulnerabat. Ab hoc loco deuenitur in Elim, in quo non est vnus fons, sed duodecim; non aquæ amaræ, sed dulcissimæ; duodecim nempe fontes Apostolorum ad totum mundum innumeris gratiæ donis irrigandum; septuagintaque palmæ, Discipulorum nempe Christi,

Exod 15.

Matth. 5.

Lex vetus austera, lex gratia multa dona effundens.

ri, vt vniuersum orbem sua doctrina satient, & repleant, qua tanquam victores palmis coronantur. D.Ambros. ser.38. qui est de Dom.2.Quadragesi. *Videre mysterium*, ait, *quemadmodum post amaritudinem legis, fluenta pietatis Euangelicæ exuberant. Ibi fons vnus austerus ad bibendum, hic pluvia, & omnia dulcia sunt ad potandum. Ibi post fatigationem nulla refectio; hic post laborem refrigerium atque victoria, sitientibus enim fontes ministrantur, palma vincentibus offeruntur.* Ecce quanta abundantia in lege Gratiæ, multa aquarum copia ad bibendū multique fructus ad comedendum, multiplicésque palmæ ad coronam proponuntur. Ambros.

72. Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Cantic.1.num.1. inquit Dilecta anima Christo D. Per vinum legem, per vbera vero legem gratiæ interpretantur Catena tr'um Patrum, Origen.hom.1.ex quatuor, Apon.Beda, Iustus Orgelitan.Anselm.Haymon, D.Thom. & alij. Cur lex vetus comparatur cum vua, vel vino; lex vero Gratiæ cum vberibus? Communiter respondent citati Patres: lex antiqua dicitur vinum, quia austera; lex Euangelica vberibus comparatur, quia suauis. Pulchram rationem excogitauit D.Bernard.ser.9. in Cantic. comparans Synagogam cum vua, quam per Synodechen velut per vinum intelligit, *Vua*, ait, *semel expressa non habet iam, quod denno fundat, sed perpetua ariditate damnatur, vbera non sic: hac enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus.* Vua breuem, arctum liquorem præbet; vbera vero perennem, ac perseuerantem exhibent. Viguit & lex vetus; sed ad tempus, & parum gratiæ dedit liquorem; at omninò periit, & arida facta est. Lex autem Euangelica perpetuum, & continuum habet donorum fluxum, & sic veluti vbera fundit, vt ex materno Christi pectore semper reficiatur; vt indeficienter, abundantem vsque in finem sæculi fluat.

Catena PP. Origen. Aponius. Beda. Orgelitan. Anselm. Haymon. D.Thom. Bernard.

Synagoga arida, lex Euangelica secunda.

Marc.8.n.6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiēs septē panes, gratias agens, fregit, & dabat Discipulis suis, vt apponerēt, & apposuerunt turbæ.

Num.7. Et habebant piscículos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi.

VERSIONES.

Syriacus. Et præcepit turbis, vt discumberent humi; & accipit illos septem panes, & benedixit.

Syriac. apud Matth. Accepit illos septem panes, & pisces, & laudauit Deum.

Arabicus. Accipiens septem panes benedixit, ac fregit.

Vatablus. Et acceptis septem panibus, cum gratias egisset, fregit.

ALTER TEXTVS.

Matth.15.num.35. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram.

Num.36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit Discipulis suis, & Discipuli dederunt populo.

EXPOSITIO IV.

VICTOR Antiochen. *Tanta potentia Christi vis, & promptitudo erat.* ait, *vt audito tantum panum numero, multitudinem statim ad epulandum accumbere iusserit.* Nullis aliis interpositis verbis: qui enim vult dare, non conterit sermonibus tempus: *Præcepit turbæ*, per Discipulos suos *discumbere super terram*, eo situ, & modo, quos veteres pransuri solebant, à qua consuetudine Christus noluit recedere. Non exprimitur in littera, quòd turba discubuerit, non enim ait Euangelista, & discubuit: nam prompta erat ad obediendum, vt idem esset, quod Christus præciperet, ac quod illa exequeretur. In quo etiam notatur eius eximia fides: non enim discumberet, nisi reficiendi crederet. *Et accipiens septem panes.* Alb.Mag. *Vt*, ait, *tactu manus fieret multiplicatus panis, & virtutem acciperet diuini saporis & condimentum.* Accepit panes, veluti Deo Patri offerens. 73. Antioch. Christi liberalitas. Alb.Magn.

Gratias agens; Græcus, *Cum gratias egisset.* Deo scilicet Patri pro data sibi facultate panes ac pisces multiplicandi. Syriacus habet, *laudauit Deum.* D.Paschas.lib.7.in Matth. Ostendens, quantum ipse gaudet de salute humani generis. Haymon. Docens nos pro cibo, ac beneficiis gratias Deo agere: *Benedixit*, vt eius benedictione panes crescerent. *Fregit*, non dat integros panes, sed fractos: panis, si frangitur, ad multorum inseruit saturitatem. Moraliter Beda: *fregit*, quia ipse spirituales panes diuini eloquij nobis reserauit, & aperuit. *Dabat Discipulis suis*; non vendebat, ait Hugo ex D.August. vt ipsi similiter faciant. *Discipulis suis*, tanquam suis ministris fidelibus. *Et apposuerunt turbæ.* O rara virtus Apostolorum, qui cùm essent ministri, id, quod à Domino acceperunt, populo dederunt. 74. Græcus. Syriac. Paschas. Haymon. Beda. Hugo.

Et habebant pisciculos paucos, quos mandat apponere, non adducit perdices, vel cornices; quia Deus non gulæ, sed suorum necessitati vult satisfacere. Si quæras: vnde aquam habebant? Respondetur. Vel de fontibus; vel ex ipso Galilææ lacu. Vinum autem præbere noluit, sicut in nuptiis ob earum honorem: nam in hoc deserto sat erat aqua, sicut populo Israëlitico in deserto non nisi aquam dedit. Exod.17. num.6. Cuius rei rationem dat D. Ambros. lib. de Esca, & ieiunio. *Moysen cognouimus*, ait, *sitienti populo amaritudines aquarum temperasse, non vina, petra aquam vomuit, potus & vini abundantia non deesse. Denique dixit Deus; percutiet petram, & exibit aqua ex ea, & bibet populus; non dixit: exibit vinum populo, periculosum enim erat vinum populo ministrare, quod fortiora ferre vix possunt.* 75. Cur non vinum? Exod.17. Ambros.

QVÆSTIO XII.

Explicatur excellentia huius Conuiuij super aliud de quinque panibus.

BIS Dominus Iesus conuiuia in deserto turbis parauit, eásque miraculosè bis saturauit. Primò 76.

Abulens. Primò in altero conuiuio de quinque panibus Ioan.6.Secundò hic.Et non plus cibos turbis dedit,vt ait Abulensis q.100.in cap.15. Matth. Bis enim necessitas in deserto turbas vrgebat; Christus D.autem non faciebat miracula, nisi necessitate vrgente; & ideo cum multoties mortuos, ac infirmos sanauerit ob instantē necessitatem, quia sine miraculo vitam, ac salutem recuperare non valebant; bis tamen turbas saturauit Deinde, vt ait Theophylactus in 8.Marc. Non enim semper miraculum facit in alimentis, vt ne putent,quòd propter cibos populus illum sequebatur.Ne daretur locus calumniæ contra Discipulos: fortè existimaretur, quod ob escam ipsum sequebantur, ideo has saturationes tam raro edidit.Tandem D. Paschasius lib. 7.in Matth. Duo dedit conuiuia, ait, quia duas leges statuit, quibus animæ fideli pabulum ministrauit; vnam veterem, in primo conuiuio adumbratum; alteram nouam in hoc secundo. De quibus Iustus Orgellitanus, Philo Carpathius, D. Anselmus intelligunt illud Cantic.4.num.5. *Duo vbera tua,sicut duo hinnuli.*

Quare duas refectiones.

Theophyl.

In decorum. quòd homo cibus ducatur.

Paschas.

Orgellitan. Carpathius. Anselm. Cantic.4.

77. Chrysost. *Ecclesia excellentior Synagoga.*

Hanc autem significationem in vtroque conuiuio ex multis combinationibus colligunt sancti Patres.Primò D.Chrysostomus homil.8.in Marc. *In illa historia legimus, quod qui pasti sunt, pasti sunt in deserto, in ista vero legimus, quod qui pasti sunt, in monte pasti sunt.* Ob celsitudinem legis gratiæ.Secundò.D.Hieronymus in c.15. Matth. In superiori signo quinque millia hominum fuerunt designantes quinque sensus, nam populus ille materialis, ac carnalis erat. In hoc autem posteriori quatuor millia,qui est numerus perfectus, & semper in laude ponitur; & quadrangulus lapis non fluctuat, & non est instabilis;& ob hanc causam etiam Euangelia in hoc numero consecrata sunt, quo significatur, quanta firmitate nostra Ecclesia sit Christo adunata. Vel, vt ait ipse D. Hieronymus in Marcum, Quatuor millia significant annum Euangelicum,qui ex quatuor temporibus constat;vel denotant quatuor virtutes Cardinales,vt inquiunt Beda, & Haymon, D. Augustinus serm. 209. de tempore. *Hic autem*, ait, *quatuor millia, hoc est de tota terra omnes gentes à quatuor cardinibus Cœli de septiformis sancti Spiritu gratia esse repletas vitam æternam.* De triduo vide, quæ dixi quæst.6.num38.

Hieron.

Beda. Haymon. August.

78. Beda. Haymon.

Tertiò. In primo conuiuio quinque fuerunt panes hordeacei, per quos Beda, & Haymon quinque libros Moysis intelligunt; & dicuntur panes hordeacei propter imperfectionem, & duritiem legis per duos autem pisces, qui saporem pani dabant, interpretatur Psalmorum, ac Prophetarum doctrina. Vide, quæ dixi tom.3. c.33. quæst.16.At in hoc conuiuio, in quo exprimitur lex Gratiæ, sunt panes frumentarij non hordeacei, vt inquiunt D. Chrysostomus homil. 8.in Matth.D. Paschasius lib. 7. qui ait: *Tritícei fuisse creduntur*, scilicet panes, *vt & alatur Christi Ecclesia grano frumenti.*

Chrysost. Paschas.

79. Eusseb.

Septem panes,& pauci pisciculi. Eusebius Gallic.in Domin.7.Post.Pentecost.ait,quod *Septē panes septē sunt dona Spiritus sancti. Pauci vero pisciculi pauci libri noui Testamēti cōparatione Veteris. Isti tamen pauci si illis septem panibus coniunganturs, cunctis hominibus ad animarū refectionem sufficiunt. Sine illis enim neque comedi possunt, neque saturitatem,vt vel fortitudinem comedentibus tribuunt. Sunt enim illi septem panes Sapientia, & intellectus, Consilium, & Fortitudo, Scientia, & Pietas, & Timor Domini.Non enim illi pisces sine illis panibus comedi possunt. Et merito pisces libri isti dicuntur: quoniam nouo fonte natant, de quo scriptum est, Quoniam apud te est fons vitæ.* Sine Diuini Spiritus donis sacra mysteria,in nouo testamento contenta,nec intelligi,nec penetrari possunt.Et postea subdit. *Fregit autem Dominus panes, & pisces, quoniam pro vt vult, & sancti Spiritus gratias vnicuique tribuit, & profunda sanctarum Scripturarum mysteria pandit.*S. Bernardus serm.de septem panibus,per eos etiam dona Sancti Spiritus, vel septem opera misericordiæ intelligit. Aliqui, vt Beda, etiam interpretantur septem Ecclesias.Sed de hoc infra, cum de septem sportulis fuerit sermo.

Bernardus.

Beda.

80. *In Sacra Eucharistia omnia bona.*

Meritò in hoc pane triticeo,quì panem Eucharisticum Ecclesiæ adumbrabat, septem dona Spiritus sancti, septem misericordiæ opera, septemque Ecclesiæ, ac omnia bona intelliguntur, quia sub hoc diuino pane omnes gratiæ, ac deliciæ, ac omnia dona continentur,& claudunt.Et ideo hunc panem pro omnium refectione suis Dominus hic apposuit.

81. Marc.6.

Mittens Christus D. suos Apostolos ad prædicandum Euangelium, *Præcepit, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum; non panem, neque in Zona æs.*Marc. 6.num.8. Quomodo sic suos mandat Dominus tendere per viam,ab omni re, pera, pane, ac pecunia destitutos, sed solùm cum virga,quasi ipsa virga pro omni re illis esset. Virga illa Christus D. *Virga de radice Iesse*, & qui hunc diuinum fructum secum habet, nulla alia re indiget, ibi abundanter omnia retinet. D.Paschanus lib. 6. in Matth. *Nil ferendum in via*,ait, *nisi virgam tantum, mandatur: ex cuius profecto potestate, quæ necessaria sunt adfutura. Ipsa est enim virga de radice Iesse, quam Moyses olim secum tulit, & in cuius potestate plurima signorum gessit.* Qui ergo hanc virgam, hunc que fructum salutiferum in Sacramento Altaris participat, nihil habet vltra quod concupiscat, cùm ibi omnia,quæ sub cœlo, in cœlo & supra cœlum sunt, contineantur.

Paschas.

In Eucharistia omnes fructus.

82. Exod.12.

Israelitis mandat Dominus comedere Agnum Paschalem accinctis lumbis, calceamentis in pedibus, baculis in manibus,& ait: *Comedetis festinantes, est enim Phase, id est transitus Domini.* Exod. 12. num. 11. Dabatur ille Agnus populo Hebræo pro viatico, & transitu ex Ægypto in terram Promissionis. In magnalium transitu multa solent præparari, tam pro commoditate ciborum, quàm pro pompa, comitatu equorum,curruum,ac aliorum.Sic Ioseph pro transferendo patre suo in Ægyptum multa tradidit fratribus suis, *Quibus dedit Ioseph plaustra secundum Pharaonis imperium, & cibaria in itinere. Singuli quoque iussit proferri binas stolas: addens asinos decem, & totidem asinas, triticum in itinere, panésque portantes.*Genes. 45.n. 21. Quomodo ergo magnificus Dominus pro transitu sui dilecti populi multa eis non præbet cibaria,indumenta, currus,equos, & aurigas? solùm pro transitu vnus agnus paratur? Vnus ille Agnus Christum Dominum in Eucharistia adumbrabat; & cum vnus talis esset ibi omnia cibaria,condimenta,panes,vituli, aues currus continebantur,ibique magnifice omne indumentum, pompa, ac ornatus inueniebatur. Garricus Abbas serm.1.de Resurrectione; postquā dixerat,quod in Christo sunt omnia, sic subdit: *Vt nec Iacob, nec aliquis de domo Iacob se excu-*

Genes.45.

In Eucharistia omnia desiderabilia.

Garricus.

sare

faret à via, pater alia munera, missa sum pauperi sibi sumptus, & vehicula, ne quis videlicet, aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est ei-cus, ipse currus Israel, & auriga eius.

QVÆSTIO XIII.

Quare in alio Conuiuio sedent super fœnum: hîc verò super terram?

83. Ioan. 6. Ratio difficultatis.

IN alio conuiuio super fœnum sedet turba Ioan. 5. num. 10. *Dixit Iesus, facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco.* At in præsenti super nudam terram. *Precipit turbæ discumbere super terram.* Cur hic non prouidetur turbis herbosus discubitus, vt in priori loco, quod ex mysterio accidisse autumant Patres?

84. Beda. In nouo Testamento firma spes in Christo.

Respondet primò Beda in Homiliario in Marc. *Ibi turba*, ait, *super fœnum, hic super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines carnali spe, & desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, conuiuas noui Testamenti spei permanentis firmamentum, tanquam ipsius montis soliditas, nullo fœno interposito, continebat.* In priori miraculo designabantur homines carnales, in statu imperfecto veteris legis, vt dixi superiori qu. quorum spes multis carnalibus figurarum inuolucris agebatur; & ideo super fœnum residunt. At in hac nostra refectionne noui Testamenti, ac cœlestis prandij conuiuæ significabantur, quos stabile permanentis spei fundamentum, ac vera Christi soliditas excipit: non enim in infirmo, ac tenui fœno, sed in firmo monte, ac rupe nituntur, qui ad Christi epulas veniunt: hoc enim conuiuium celebratum est in monte, vt ex Chrysostomo dixi superiori quæst.

85. Beda. Haymon. In lege Gratia omnia pro Christo relinquenda.

Secundò. Idem Beda, Haymon. *In refectione quinque panum*, ait Beda, *turba super fœnum viride discumbebam, hic autem super terram; quia per scripturam legis desideria carnis comprimere iubemur. In nouo autem Testamento ipsam quoque terram, ac facultates temporales relinquere præcipimur.* In lege solùm mandabatur, carnis voluptates coarctare, & ideo fœnum ipsas designans conculcant homines. At in nouo Testamento non solùm carnis desideria, sed etiam terrenas facultates relinquere iubetur, & ideo nostri conuiuæ, non solùm fœnum, sed & terram calcant.

86. D. Anselm. Perfecti terrena relinquunt.

Tertiò D. Anselmus. *Præcipitur actiui*, ait, *vt fœnum calcent, id est desideria carnis, contemplatiui verò terram: id est terrenas facultates relinquere, & conculcare præcipitur.* In priori miraculo actiui designantur; in hoc verò secundo contemplatiui, qui, vtpote perfectiores, omnia terrena bona contemnunt, ac abiiciunt propter Deũ, illi soli adhærentes. Quartò. Hugo. *Præcipitur turba*, ait, *discumbere super terram nudam, quo constantia designatur in contemptu mundi.* In eo, quòd sedent humi, contemptus temporalium denotatur: in eo autem, quod non super herbam, sed super nudam terram residunt, constantiam, ac firmitatem in ipso contemptu declarant.

Hugo.

87. D Paschas. In Christi disciplina non delicia, sed labores.

Quintò D. Paschasius lib. 7. in Matth. excitato dubio sic respondet. *Idco tanquam in ipsius montis Christi soliditate locati, nullo fœno interposito, emolliebantur.* Isti conuiuæ, nos Christianos adumbrantes, non recumbunt super molle, & tenerum fœnum, sed super duram, & asperam terram, non enim sub Christi schola, delicioſa, sed acerba, & austera vita inculcatur; & qui hac aspera vritur vita, fructu, ac pane Christi fruitur.

88. Genes. 27.

Benedicens Isaac filium suum Iacob, ait: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini.* Gen. 27. n. 26. Cur pater filium benedicens ait, quod odor illius, sit odor agri? Cur non potius odor hortorum: Pro quo subiicio id, quod Sponsus de se ait; *Ego flos campi.* Cantic. 2. num. 3. Vbi quæstio agitatur; cur non potius flos hortorum? Inter vtrumque florem magnum interiacet discrimen: nam hortorum flos deliciosè seritur, erumpit, ac crescit; torum sibi indulgentem habet hortulanum, qui terram fodit, eamque benigne, ac molliter scalpat, blanda irrigatione fœcundat, ipsumque veluti obumbraculo appositio à temporum inclementia protegit. At agri flos, inculta, dura, & inarata terra pullulat, nullis blanditiis fouetur, temporum iniuriis exposita illorum agitationes, ac incommoditates suffert. Pro quo ait D. Ambrosius in Apologia 2. de David. *Ego, inquit, flos campi: flos enim humiliatis est Christus, non luxuriæ, non voluptatum, non lasciuiæ, sed flos simplicitatis, flos humilitatis, tanquam lilium in medio spinarum, nonne inter asperitates laborum, contritionesque animorum boni flos odoris assurgit?* Ecce vt Isaac daret filio suo in benedictionem abundantiam frumenti, & vini Christi, vt interpretatur D. Augustinus serm. 44. de Diuersis, quid in eo agnouit, & sentit: non odorem hortorum, in quo deliciosè, & blande degitur; sed odorem agri, in quo asperè, & dure multis incommoditatibus peragitur. D. Ambrosius lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 1. *Hos igitur fructus vedolebat Iacob, qui Deum per pericula sequebatur, & tutum se eius vbique deductione credebat.*

Cantic. 2.

D. Ambros.

Paulo Christi non participatur in delitiis, sed in laboribus.

D. Augustin.

D. Ambros.

89. 1. Petri 4. Syriacus.

Scribens Petrus suis discipulis Epistol. 1. cap. 4. n. 12. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi nouj aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete.* Syriacus sic habet. *Ne miramini in tentationibus, quas habetis, quasi aliquid nouum vobis acciderit.* Exhortatur Apostolus Petrus suos fideles ad sufferendos labores, ac tentationes, proponens eis, hoc viro Christiano, ac Christi assecla non esse rem nouam, & alienam, sed quid esse valde proprium, & connaturale, vt in persecutionibus, ac pressuris, à tyrannis inflictis exerceatur.

Pressura, non aliena, sed connaturales Christianis.

90. Luc. 22. Syriacus.

Tempore suæ passionis, ad tolerantiam exhortans Christus Dominus suos, ait illis: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Et subdit: *Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus regnum meum.* Luc. 22. num. 29. Syriacus. *Ego promitto vobis regnum, sicut promisit mihi Pater.* Maxime expendenda particula *sicut.* Ac si Christus dicat: Ea conditione per labores, ac mortem Crucis, nempe per quam mihi Pater disposuit, vt peruenirem ad regnum, eadem etiam conditione per crucem, & mortem ego dispono vobis, vt regnum obtineatis: ac proinde vos, qui estis mei cohæredes, necesse est, vt participes faciam meæ crucis, ac mortis, & passionis, Beda conferens hæc verba cum illis Pauli: *Propter quod Deus & exaltauit illum*: sic ait: *Sicut ergo Pater disposuit filio regnum, quem factum obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis, exaltauit, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; sic & filius idem permanentes fœnum in tentationibus*

Christi regnum cum laboribus promittitur, & datur.

Beda.

clonibus æternum ducit ad regnum. Preme verbum *disponere*, quod innuit ius datum per pactum, vel testamentum. *Dispone domui tuæ* Isai. 31. num. 1. quo apud homines nil est solemnius. Rupertus in cap. 5. Apocalypsis ait: *Hoc ius legatæ apud cœlestem regem, vt sicut ipsi disposuit Pater regnum: ita nobis disponat præmium, permanentibus cum illo in tentationibus eius.*

Isai 31. Rupertus.

Marc. 8. *n.* 8. Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt, quod superauerat de fragmentis, septem sportas.

VERSIONES.

Arias Comederunt, & saturati sunt, & sustulerunt redundantia fragmentorum.

Syriacus. Aribicus. Sustulerunt reliquias fragmentorum septem cophynos.

Alter Textus.

Matth. 15. *num.* 37. Et comederunt omnes, & saturati sunt, & quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

EXPOSITIO V.

91. Manducaverunt, & *saturati sunt.* D. Matth. *Comederũt omnes.* De Christi donis omnes comedunt, & saturãtur, nullusque ieiunus remanet. *Et sustulerũt quod superauerat de fragmentis*: non exprimunt hic expresse Euangelistæ, quod Christus Discipulis præceperit colligere fragmenta, vt in alio cõuiuio Ioan. 6. n. 12. est mandatum. Tamen quod hic similiter fuerit iussum, communiter tenent Patres, ac expositores: & esto non fuisset hoc à Domino hic imperatum, Discipuli tamen valdè obedientes ex vno præcepto sibi dato idem in simili facto exequuntur. Colligunt autem fragmenta; tum in memoriam miraculi, tum vt nihil de donis Dei deperiret, tum vt etiam instruerentur, quod in cibis temperantiam teneamus, vt ita etiam comedamus, vt aliis ad comedendum superfit. *Septem sportas.* D. Matthæus habet, *plenas.* Sporta est quoddam vas æquale, vel capacius cophino. de quo qu. 15. in initio: fuerunt autem sportæ septem habita proportione ad numerum septem panum.

Ioan. 6.

Obedientia ex vno mandato colligit aliud.

Quæstio XIV.

Quare Panis fuerit in tanta abundantia, vt super essent septem sporta, nec plures, nec pauciores?

92. D. Antonius Vlyssipp. Haymon. Sporta, vt inquiunt S. Antonius Vlyssipponensis Dom. 6. post Trinitatem, & Haymon, est veluti quoddam vas, texitur ex iuncis, & foliis palmarum, & per eas Electi designantur. Iuncus enim nascitur supra fontem; sic Electus suam radicem, id est intentionem habet defixam in vero fonte Christo Iesu, ne ab humore æternitatis separatus arescat. Palma verò ornat victrices manus; sic Electi vitiorum victores in præsenti sæculo immarcescibilem coronam percipiunt. Septem sportæ, inquiunt D. Hieron. & Beda, quòd denotant septem candelabra, vel septem Ecclesias. In præsenti excitamur in quæstionem: Cur in hoc conuiuio disposuerit septem Dominus, vt supererent septem sportæ de fragmentis, cùm in alio duodecim cophyni fuerint repleti?

Quid sporta & quid significet.

D. Hieron. Beda.

Respondet Primò D. Chrysostom. hom. 54. in Matth. quòd sic Christus Dominus ordinauerit, *reliquiarum æqualitas miraculi confunderet, & oblionẽ obduceret; hoc discrimine, ac differentiam virtusque signi memoriam voluit confirmare; propterea tunc quidem Discipulorum numero corbium numerum; nũc verò panibus sportas exæquauit.* Vult Dominus, vt suorum beneficiorum in nobis indelebilis sit memoria, & ita inter vtrumque miraculum voluit hoc esse discrimen, vt in primo superfuerint duodecim cophyni correspondentes duodenario numero Apostolorum; in hoc verò septem sportæ numero proportionatæ septem panibus. In vtroque ergo signo simul ostendit suam potentiam, & scientiam: potentiam, dum de tam paruo cibo tantam turbam pauit, & saturauit; scientiam etiam ostendit, quia quamuis tanta hominum comederit multitudo, non est turbatus numerus, sed quantitas fragmentorum determinatè tanta superfuit, quantum ipse cum mysterio superesse volebat. At potentes sæculi sic ostentant potentiam suam, vt omnem rationem, omnémque iuris prudentiam confundant, atque perturbent. Sic Nabuchodonosor fecit statuam magnam auream, quam ab omnibus præcepit adorari, cùm esset enim miser homo; tanquam Deus venerari volebat. Daniel. 3. n.

93. D. Chrysost.

Memoria diuinorum beneficiorũ fit in nobis.

Deus in suis operibus ostendit potentiam & scientiam.

Daniel 3.

Voluit autem Christus Dominus quod in hoc miraculo tanta esset abundantia panis; tum quia Dei dona ingentia; tum quia aderat Deus, ex cuius præsentia ingens in nos defluit vbertas. D. Basilius Seleucus, *Aderat enim*, ait, *qui terræ latera ad fructificandum excitat; aderat, qui cœlum nubibus circunnectit; aderat qui artis industriam mortalibus est elargitus; aderat, qui portat omnia verbo virtutis suæ; aderat in ea, quam gestauerat carnem, fidem præsentia faciens.*

94. *Ex præsentia Dei multa bona.*

D. Basilius Seleuc.

Tandem vt videatur, quanta Deus persoluit pro paruis, quæ pro eo damus: Septem panes præstiterunt homines; pro quibus tot millia Christus saturauit, & tanta abundantia, vt septem sportæ plenæ supererent. Ecce quanta Deus pro nostro confert. Peracto diluuio, ait Deus Noë: *Terror vester, ac timor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram; omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum*, Gen. 9. n. 20. Perlege exordium creationis mundi; & quamuis Adamo in statu Innocentiæ fuerit datus amplior dominatus super omnia animantia, non tamen hac præeminentia: vt ei diceretur, *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Cur ergo Noë tam latum imperium ei confertur super omnia animãtia terrestria, & volatilia, ac aquatilia, eique dicitur, *Omnes manui vestræ traditi sunt, omne, quod viuit, erit vobis in cibum?* Immediatè antea cap. 8. num. 20. Noë erexit altare Domino, & tollens,

95. *Deus pro paruo, quæ ei damus, multa persoluit.*

Genes.

tollens de pecoribus, & volucribus mundi obtulit holocaustum; quod sacrificium non legimus ab Adamo factum. Ecce cur Noë omnia animantia in cibum conceduntur. Qui enim animalia pauca Deo in sacrificium præstitit, multo adducto fœnore omnia in cibum recipit.

QVÆSTIO XV.

Quare in alio Conuiuio superfuerunt duodecim cophyni; hic verò septem sporta?

96. Chrysost. D Thom. Burgens. Actor. 9.

RESPONDETVR primò. Vt probabile existimat D. Chrysostomus homil. 54. D. Thomas, sportã vas esse maius cophyno. Imò Lucas Burgensis arbitratur, vnam sportã esse capaciorem, duplum fortè, aut amplius continentem, quàm cophynum: Nam Actor. 9. n. 25. Paulus in sporta submissus dicitur; & tam Græcè, quàm Syriacè, latinè eadem vox legitur citato Actorum loco, ac hic. Ergo, cum sporta esset capax, vt vnum hominem reciperet, ex hac coniectura infertur, quid maius esset cophyno, ac proinde plures fragmentorum reliquias superfuisse in hoc conuiuio, quàm in alio.

Sporta maior cophyno.

97. Ambros.

Secundò. Esto sporta, & cophynus sint æqualia vasa. Respondet D. Ambrosius in c. 9. Luc. l. 6. *Cur*, ait, *quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? Quia quatuor milla ista triduo cum Christo fuerunt, & ideò ampliorem cœlestis pabuli alimoniam receperunt*, In alio conuinio adfuerunt homines cum Christo per vnum diem; vt sæpè dixi, & patet ex Matth. 14 nu. 15. Marc. 6. num. 35. Luc. 9. num. 12. At in præsenti per triduum inediam, ac ieiunium sustinentes Domino assistebant. Et qui per tres integros dies, omnis terrestris cibi immemores Dominum sequuntur, ac cum ipso perseuerant, ampliorem diuini pabuli alimoniam, ac gratiam participant. Quod vt denotaretur, hi, qui cum Christo triduum consumunt, plus de cœlesti pane recipiunt, & comedunt.

Matth 14. Marc 6. Luc 9

Quæ maior ad Eucharistiam dispositio, & maior de illius fructu participatio.

98.

Tertiò. Fuerunt in primo miraculo duodecim cophyni fragmentorum propter duodecim Apostolos, in quibus exprimebãtur duodecim tribus. In hoc verò conuiuio septem sportæ propter septem panes, in quibus denotabantur septem dona Spiritus sancti, vt latè dixi quæst. 12. in qua etiam quæst. explicaui, quod in primo conuiuio de quinque panibus hordeaceis significata fuit Lex Vetus; in hoc verò de septem panibus Lex Gratiæ. In primo conuiuio, cum Lex Vetus esset materialis, ac carnalis, superfuerunt cophyni in ordine ad homines: in præsenti autem conuiuio, vbi Lex Gratiæ significabatur, quæ tota ordinata est ad spiritualia, replentur septem sportæ de panibus, propter septem dona supernaturalia Spiritus sancti; vt sic nos, ad illa tantum esse intentos, instrueremur, de illisque tantum agendum. D. Thomas in Matth. *In primo miraculo*, ait, *tot reliquiæ, quot Apostoli. Hic autem secundum numerum panum, in quo significatur, quod spirituales homines reficiendi debent septiformi gratia Dei.* 1. Corinth 2 n. 14. *Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Idem Angelicus Doctor ait, quòd in primo miraculo fuerunt quinque millia, quia vacabant quinque sensibus; hic autem quatuor millia propter quatuor virtutes Cardinales. Quartò. In alio conuiuio quinque millibus, in hoc vero quatuor millibus cibaria dantur; & pauciora supersunt fragmenta, cum tamen plures essent panes, quanto enim pluribus dona dantur, tanto magis crescunt, suppetunt, & habentur.

Lex Gratia tota intenta ad spiritualia.

Thom.

1 Corinth 2 Thom.

99.

Quintò. In primo miraculo ex quinque panibus quinque millia hominum comedunt, duodecimque fragmentorum cophyni supererant; in præsenti verò ex septem panibus quatuor millia vescuntur, & septem sportæ colliguntur: imò & in primo voluntas accipientis modum ponebat: *Quantum volebat*: in secundo verò arbitrium dantis. Cur in primo tanta maior affluentia, ac vbertas, quàm in secundo? In primo miraculo, *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus similiter & ex piscibus, quantum volebant*, Ioan. 6. num. 11. Facio vim in his verbis Ioannis, nam Euangelistæ habent modum scribendi ex mystica, & vera ratione, vt ait D. Paschasius l. 6. in Matth. c. 10, ad illa verba *Neque virgam.* At in præsenti Discipuli ministrabant; *Accipiens Iesus septem panes, gratias agens, fregit, & dabat Discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit, & iussit apponi.* Ecce tantæ maioris in vno, quàm in alio affluentiæ iam euidens est ratio: Manus Iesu, qui est dives in omnibus, panem in primo largiebantur miraculo, *Accipit Iesus panes, & distribuit discumbentibus*; & in manibus Iesu maximè multiplicantur panes. At in altero ministrabant Discipuli, *Et dabant Discipulis suis, vt apponerent & apposuerunt turbæ*, Etsi Discipuli fidelissimi ministri, integerrimæ puritatis, vt nihil rapinis darent, sed omne, quod accipiebant, apponerent; tamen vt aliqualiter homines intelligerent, quales essent ministrorum manus, etiam puræ, & rectæ conscientiæ; & quòd, ex ipsa ministrorum conditione dona marcescunt, ac minuuntur; inde ibi ex pluribus panibus pauciores comedunt, & minora supersunt; præcipue cùm inter eos vnus adesset Iudas, bonorum auidissimus, nullus enim est tam sanctorum ministrorum cœtus, qui in societate secum Iudam vnum non habeat. In manibus autem Domini multo magis panes augentur. D. Basil. Seleucus Orat. 33. *O quas tunc*, ait, *res videre fuit! Panes pariebant panes, & mensa alimento extemporario differta erant, panes absque rusticano sudore parti, non de spicis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant*, E manibus Iesu, qui dives est in omnibus, è panibus pullulant panes, & in tantum crescunt, vt ex paucioribus plures vescantur, maioráque fragmenta colligantur. At vbi interuenit ministrorum negotium, qui etiam fortè ex triduo fame laborabant, vt quodammodo ministrorum conditio ab hominibus agnoscatur, ac deprehendatur, in eorum manibus dona coarctantur, & in tam amplum augmentum non excrescunt.

Loan. 6.

Paschas.

Manibus Domini crescunt res, at ministrorum minuuntur.

Basil. Seleuc.

100. 3. Reg. 17.

Cùm Parens meus Elias degit apud torrentem Carith, *Corui deferebant ei panem, & carnes manè; similiter panem, & carnes vesperi.* 3. Reg. 17. n. 6. At cum iterum ipse esset sub Iunipero dormiens, *Angelus Domini tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* 3. Reg. 19. n. 7. Cur apud Carith ita fameſcit

3. Reg. 19.

Elias

Elias, vt necesse sit, quod bis in die ei ministrentur panes, & carnes; at sub Iunipero vna brevis refectiuncula pro quadraginta diebus sufficit; Cur panis sub Iunipero tantam præbet alimoniam, qua panis Carith caret? D. Aug. lib. de mirabilibus Sacræ Scripturæ. *Panis iste*, ait scilicet datus ab Angelo, *erat confectus manibus Angelorum & ob hoc habebat virtutem reficiendi per multos dies semel sumptus*, In Carith ministrabant corui, sub Iunipero Angeli: Corui ciborum auidissimi, ac fame vexabantur; Angeli verò satiati, valdè Dei donis diuites. Et cum ministri famescunt licet multa præbeant, ab eorum manibus penuriam, ac famem dona cibunt; & ita extenuantur, vt nec multum satient, nec abundent. At vero minister est satians, veluti ab eius manibus dona, quantumuis videantur parua, satietatem, ac quandam vim hauriunt, vt multum satisfaciant, & repleant.

August.

Sanctos ministros exercent dona, famelicos torquentur.

101.

Quærens Saül asinas patris sui, cum eas non inuenisset, dixit ei puer eius socius, vt tenderent ad Prophetam, qui propè aderat, vt super illud negotium aliquid eis indicaret, cui restitit Saül, se non habere aliquid, quod ferret ad virum Dei, *Nam panis deficit in citercio nostro*, hoc est in pera: Cui famulus: *Rursum puer respondit Saulis, & ait, Ecce inuenta est in manu mea quarta pars stateris argenti.* 1. Reg. 9. num. 8. Quarta pars stateris, vt vult Villalpandus tom. 3. lib. 2. de ponderibus, & mensuris, disput. 2. cap. 9. vna drachma, hoc est vnum regale hispanicum, vel dimidium, vt alij volunt. Cis pater Saül habebat familiam valde amplam, vt vult Abulensis, & licet filium multa in pera non detulerit ob laborem itineris; tamen pro viatico valdè sufficientem pecuniam asportauit, quomodo ergo tam parum est inuentum? Perpende rem. Non dixit puer, inuenta est quarta pars stateris in meo marsupio, vel crumena, sed in manu mea. Vbi ex tantis tam paucum, ac exile erat inueniendum; nisi in manu vnius ministri, quæ multum propensa est, vt rem extenuet, atque hæc vt in ipsa marcescat.

2. Reg. 9. Villalpand.

Abulens.

In manu ministri minuuntur dona.

Marc. 8. *n.* 9. Erant autem, qui manducauerunt, quasi quatuor millia; & dimisit eos.

Num. 10. Et statim ascendens nauim cum Discipulis suis venit in partes Dalmanutha.

VERSIONES.

Syriacus. Erant autem homines qui comederunt, circiter quatuor millia.

Græcus. Erant comedentes quatuor mille viri.

Arias Quatuor millia.

ALTER TEXTVS.

Matth. 15. *n.* 38. Erant autè, qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos, & mulieres.

Num. 39. Et dimissa turba ascendit in nauiculam, & venit in fines Magedan.

EXPOSITIO VI.

101.

CRIBIT Euangelista numerum eorũ, qui manducauerunt, *quasi*, seu vt habet Scyriacus, *Circiter*, & sũt *quatuor millia* propter quatuor Euangelia, vel quatuor virtutes Cardinales, vt sæpe dixi; vide supra quæst. 12. vbi explicaui, quod in hoc conuiuio significatur Lex Gratiæ; in alio verò de quinque panibus Lex Vetus. Et ideò in hoc conuiuio in minori sunt numero quatuor millia, semper perfectiores pauciores existunt. Scribit D. Matthæus, *extra paruulos, & mulieres*, qui etiam comederunt, saturati sunt. Paruuli, & mulieres non numerantur, ait Eusebius Gallicanus homil. in Dom. 7. post Pentecostèn, *quia in Dei populo computari digni non sunt, qui vel paruulos in stultitia & fatuitate, vel mulieres in mollitie, & debilitate imitantur.* Peracto autem miraculo homines non sunt conati, Christum regem acclamare, sicut in alia saturitate, quia Dominus ex sua eximia humilitate omnem ad hoc occasionem subtraxit, nam, vt inquiunt Theophylactus, & Abulensis in cap. 15. Matth. q. 111. postquam Dominus operatus est miraculum panum: statim in alium secessit locum, ne propter hoc caperent eum turbæ, & facerent regem.

Syriac.

Iusti, ac perfecti pauci existunt.

Gallicus.

Theophyl. Abulens.

Et statim ascendens nauim, Euthymius in c. 15. Matth. ait: non abiit pedestri itinere, ne sequentes glorificarent eum turbæ. *In partes*, seu *in fines*, vt habet D. Matthæus, *Dalmanutha*, siue *Magedan.* vt scribit Matthæus, vnus enim, & idem locus erat binominus, vt ait D. Augustinus lib. 2. de consen. Euangelist. cap. 51. & ideò aliqui codices in Marco pro *Dalmanutha* legunt Magedan. Siue, vt alij contendunt, hæc erant duo loca seu duo oppida, & vicina; Christus in vtriusque fines venit.

103.

Euthym.

August.

CAPVT V.

Petri Confessio.

Matthæi 16. Venit autem Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis?

VERSIONES.

Syriacus. Quum autem veniisset Iesus in regionẽ Cæsareæ Philippi, interrogauit Discipulos suos inquiens: Quid dicunt de me homines, me esse filium hominis?

Græcus. In oppida circunuicina Cæsareæ.

Vatablus, Arias. Quem me dicunt homines esse filium hominis?

ALTER TEXTVS.

Marci 7.n.27. Et egressus Iesus, & Discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat Discipulos suos dicens eis: Quem me dicunt esse homines?

Luca 9.n.18. Et factum est, cùm solus esset orans: erant cum illo & Discipuli: & interrogauit illos dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

EXPOSITIO I.

1. *Connexio textus.*

VM esset Iesus Magedan, vt dixi in fine superioris Capitis, accesserũt Pharisæi, & Saducæi, vt narrat D. Matthæus cap. 16. in principio, tentantes eum, & signum de cælo postulantes. Quos Dominus reprehendit, illos appellans generationẽ malã, & adulteram, quibus non est dandum aliud signũ, nisi signũ Ionæ prophetæ. Similem huic historiã explicaui iam to. 3. c. 24. ideo hic ab illa supersedeo. Deinde Iesus transfretauit mare Galilææ, & tunc,

2. Marc.

Venit Iesus in partes, nempe in fines, ac loca circumuicina, vt habet Græcus, sicque D. Marcus scribit, *in castella*, id est oppida aliqua *Cæsarea Philippi*, vrbis Cæsareæ, sic dictæ in honorem Tiberij Cæsaris, à Philippo tetrarcha maxime amplificata, de quo qu. sequenti in principio. *Interrogabat Discipulos suos*, non ignorans, sed vt maximè solidarentur in fide. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* non de primatibus Iudæorum, aduersariis, ac calumniatoribus quærit, quid sentirent; sed de simplici multitudine, quid diceret, vt ait Theophylactus, sicque D. Lucas scribit, *Quem dicunt turbæ?*

Theophyl. Lucas.

3. *Concordia Euangelistarum.* Euthym Augustin. Beda.

Textus sacrorum Euangelistarum sic explicandus est. D. Lucas ait; *factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & Discipuli*: quod Euthymius in Matth. sic enucleat, quòd Dominus segregatus à Discipulis suis simul in via ambulabat, & orabat. D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 53. & Beda inquiunt, quod in via separatus à Discipulis suis orauerit; & tunc postea cùm esset cum Discipulis suis, vt scribit ipse D. Lucas, eos interrogauerit, degens in via per castella Cæsareæ, vt refert D. Marcus. Legendum est etiam, vt habet nostra Vulgata, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Multa Græca exemplaria habent, *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Illud enim *me*, quod veluti subintelligitur, exprimunt, vt sit sensus. Quem me dicunt esse, qui ex humilitate soleo, *me filium hominis* nuncupare, Sicque D. Lucas scribit, *Quem me esse turbæ.* Minus quæ recta mihi cum Cornelio à Lapide videtur lectio Syriaca, *Quid dicunt de me homines, me esse filium hominis?* Hæc enim lectio tantum intendit, vt Christus roget, & simul de se asserat, esse filium hominis. At in præsenti Domini intentio est, vt sic se dicat filium hominis, vt vlterius quærat, quid de ipso sentiant homines

Græcus.

Cornel. Syriacus

QVÆSTIO I.

Quare non in alio loco, sed cùm Christus esset apud Cæsaream cum suis Discipulis, sic eos quærit?

4 *Duplex Cæsarea.*

DVAS extitisse Cæsareas: valde notum est apud omnes: vnam perantiquam, quæ antea Turris Stratonis nuncupabatur, ad litus maris Mediterranei inter Dnram, & Ioppen sitam. Hanc autem Herodes Rex magnis ædificiis amplificauit, & ad Augusti Cæsaris gratiam promerendam, Cæsaream eam appellauit, vt refert Iosephus l. 1. de bello Iudaico c. 16. & lib. 15. c. 13. Hæc autem ob suam antiquitatem, ac nobilitatem simpliciter Cæsarea dicta est, de eaque sæpe fit mentio in actis Apostolorum.

Ioseph.

Altera extitit Cæsarea, & recentior in Phœnicia, ad radicem Libani montis, vnde Iordanis fluuius erumpebat; olimque, cùm esset occupata à tribu *Dan*, ab illius parente nomen sortita est, vt *Dan* diceretur. Iosue 17. num. 49. Iudic. 18. num. 29. A Gentilibus autem, quibus notior erat *Pan* Deus pastorum, quàm Dan tribus Hebræa, *Paneas* dicta est. Hanc autem ciuitatem Philippus Herodis Archelaitæ filius, Ituriæ, & Trachonitidis tetrarcha, maximè adauxit, metropolimque suæ tetrarchiæ constituit, parentemque suum imitatus ad captandam gratiam Tiberij Cæsaris, Cæsaream nuncupauit, & ad distinctionem alterius à suo amplificatore Cæsarea Philippi est dicta. Hæc autem ciuitas ad septentrionalem partem erat in vltimis finibus, & terminis Iudææ; sicut Bersabee ex parte Australi, vnde pro terminis totius regni Israël frequenter dicitur in Scriptura. *A Dan, vsque Bersabee.* 1. Reg. 3. num. 20. Hæc autem ciuitas postea ab Herode Agrippa, Neronis gratiam captante, dicta est *Neronia* siue *Neronias*; nunc a Turcis obtenta *Belinas* appellatur.

5. Cæsar. Phil. Iosue. 19. Iudic. 18.

1. Reg. 3.

Ad quæstionem principalem: Cur in tali loco fit hæc interrogatio? Respondent primò D. Chrysostomus homil. 55. in Matth. & Theophylactus, qui ait: *Non in illa*, scilicet Cæsarea Herodis. *sed in hac*, scilicet *Philippi, illos interrogat, procul enim à Iudæis adduxit Discipulos, vt nullum timentes libere, ac fidenter dicant.* Euthymius *Procul à Iudæis abductos*, ait, *Discipulos interrogauit, vt sine timore responderent, ac ad id quod interrogabam.* Similiter Beda, & Thomas, Carthusianus, & alij. Procul à Ierosolymis, ac à malignitate Iudæorum, qui maximè Dominum auersabantur; ac in eorum confinibus, vbi multi Gentiles versabantur, Christi Discipulos de sua persona interrogat, vt ipsi libere, ac confidenter, quid sentiant, dicant, ac protestentur: maximè enim laborandum, vt interrogata, ac responsa liberè, ac sine timore proferantur, vt sic quilibet aperte, quid sentiat, astruat: O quàm diuerso, ac maligno consilio Pharisæi, vt caperent Iesum in sermone, *mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Dic nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari?* Matth. 22. num. 16. Herodiani, vt testantur ibi Origenes, D. Hieronymus, D. Paschasius lib. 10. illi erant, qui Cæsaris tributa colligebant, sibi persuadentes, quod coram ipsis Herodianis Christus Dominus diserte nõ astrueret suam sententiam, ac libere solutionem tribu-

6. Chrysost. Theophyl.

Euthym.

Beda. Thomas. Carthus.

Interrogata & responsa debent libere & sine timore.

Matth. 22. Origen. Hieron. Paschas.

ri denegarer; sed Domini sapientia eorum iniquitas dissipata est, vt suo loco dicam.

7. Abulens. Salmer. Contra hanc Patrum sententiam stant Abulensis quæst. 36. in cap. 16. Matth. & Salmeiron tom. 4. lib. 4. tract. 1. Quia hæc confessio facta est inter Christum, ac eius Discipulos veluti in secreto, & non coràm Iudæis; & ita vbique fieri poterat sine periculo; ac proinde ad hoc non necesse fuit, abducere Discipulos ad fines Iudææ. At hoc non eneruat Patrum sententiam, nam magnorum præsentia, etiam in his, quæ secreto fiunt, sæpe multum timorem incutit. Deinde etiam quæ secreto dicuntur, si Principum voluntati aduersantur, maximè timendum, quod ad eorum volitent aures, ab ipsisque omnia capiantur, ac principiantur vt sæpè fit, & ideo ad hunc timorem remouendum, ad hanc interrogationem faciendam cum suis Discipulis venit Iesus ad Iudææ fines. Vide quæ dixi supra cap. 3. quæst. 11. num. 91. 92. & 93.

Quæ fere in dicuntur, sæpe ad magnum aures deuenium.

8. Secundò ad quæstionem. Cùm hæc Cæsarea Philippi esset in confinibus, ac terminis Iudææ, multi vicini Gentiles, præcipue Phœnices ad illam confluebant, vt in limitibus regionum solet fieri; ideo ad hanc confessionem exhibendam Christus cum suis Discipulis se contulit, vt Gentiles pariter, ac Iudæos doceret, omnibusque veræ confessionis formam præberet. Tertio. Hæc Cæsarea Philippi, olim Dan nuncupata, sedes, ac domicilium idololatriæ extiterat, vt patet Iudic. 18. n. 29. & 30. Christus ergo, qui omnes suo aduētu voluit condecorare, ac hac labe eam dispositi purificare; imò & Dei cultricem, ab Christianorum Gentium exordium matricem efficere. De quo possumus dicere id, quod D. Leò de Roma in solemnitate S. Petri serm. 1. celebrat. *Qua erat magistra erroris; facta est discipula veritatis.*

Christus Iudæis, ac Gentes docet. Iudic. 18.

Abiectæ decorantur in Christo. Leo.

9. Quartò. Huius vrbis Cæsareæ; vt testatur Eusebius Cæsariensis lib. 5. cap. 20. extitit ciuis Hæmorrhoissa, quæ à sanguinis fluxu liberata est; cuius magna fides maximè enituit, de illaque dat Christus ingens testimonium: *Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Matth. 9. num. 22. Marc. 5. num. 34. Hæc ergo præclara mulieris fides suæ ciuitati promeruit, vt nobilissima Petri confessione, qua Christum verum filium Dei confessus est, condecoraretur, ac sublimaretur: semper enim meritum boni ciuis multum splendoris, ac honoris suæ patriæ contulit, ac comparauit.

Euseb. Cæs.

Matth. 9. Marc. 5.

Ex meritis vnius ciuis tota ciuitas honoratur.

10. Quinto. In hac ciuitate pro illius magnitudine amplificanda, vt testatur Iosephus, constitutum fuit à Philippo, vt tributa colligerentur, quæ Cæsari persoluebantur. Hanc ergo vrbem elegit Dominus, vt in ea Petro potestas aperiendi cœlos conferatur, vt omnibus nota, ac manifesta sit differentia, quæ inter terrenos, ac cœlestes ministros interiacet; nam terreni constituuntur, vt à populo accipiant, & auferant: at vero cœlestes, vt absque aliquo lucri, ac emolumenti intuitu spiritualia dona vitæ, & salutis communicent, & conferant.

Ioseph.

Terreni ministri insensi; vt recipiant.

11. Benedicens Iacob filium suum Dan, ait illi, *Dan iudicabit populum suum, fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo, Domine.* Gen. 49. num. 17. Quid est, quod Dan dicatur index, ac coluber in via, & statim Patriarcha declinet verbis ad salutare Dei, scilicet Christum Dominum expectandum? Quid sibi vult hæc connexio, ac series verborum? Quid habet index cum colubro in via? Coluber in via vult absumere, ac deuorare: sic & qui iudicis munus obtinet, cuncta affectat comedere, & deglutire, veluti famelicus helluo, & tanquam cerastes in semita omnibus tetendit insidias, vt mordeat; & comedat. Procopius. *Dan gubernabit, erit vt serpens via obsidēs, & morsum infigens vngula equina, id est grauis, & laberiosos dans morsus*: Tamen vt ab his malis liberemur, ait Patriarcha, *Expectabo Saluare tuum, Domine*, à quo erit salus, & vita absque vlla molestia, aut vexatione in nos diffusa.

Index temporalia omnia denotat, & deglutit.

Procop.

12. Idem Iacob filium Ioseph benedicens, ait illi: *Inde pastor egressus est lapis Israel, Deus patris tui erit adiutor tuus.* Gen. 49. num. 24. Ioseph è carcere eductus totam Ægyptum similiter ac familiam patris sui per septennium cibauit, ac alimentauit, vt aduertunt Commentatores Lyranus, Carthusianus, Abulensis, Cornelius, & alij. Cur ergo Iacob filium tantum pastorem Israël decantat, vt exponit Caietanus, *Ex diuina operatione constitutus est Ioseph lapis Israël pascēdo.* Ex diuina etiam operatione extitit totus Ægypti prouisor. Cur ergo hoc munus in illo prætermittitur, & solum illud Israelis prædicatur: *Inde pastor egressus lapis Israel?* Perpende rem. Ioseph magna differentia præbuit alimenta Ægypto, ac Israeli: Ægypto sic ministrauit; vt omnia illius bona expoliaret, cunctaque sub regis potestate redigeret; at verò Israëli sic præbuit, vt illius bona non minueret, nec aliquid ab eo acciperet. Cum ergo pastor ex diuina operatione constitutus decantatur, non Ægypti, sed Israelis lapis prædicatur; nam in Ægypto habuit se veluti terrenum ministrum; sic enim illi alimenta præbebat, vt simul & illius acciperet bona; & Israeli veluti cœlestis pastor sic panem exhibebat, vt minimè ab eo aliquid exigeret, vel reciperet.

Lyran. Carthus. Abulens. Cornel. Caietan.

Terrenus minister omnia ex suo emolumento operatur, non sic Dei minister.

13. Cùm Naaman maximè lepra premeretur, veniens in terram Israël multa talenta auri, & argenti, ac prerioſas vestes secum tulit, vt illa Elisæo offerens, ab eo sanitatem impetraret. Quod cum præcognouisset Elisæus, misit ad eum per seruum dicens: *Vade, & lauare septies in Iordane.* 4. Reg. 5. num. 10. Quomodo Naaman, cum valde magnam sanctitatis Elisæi notitiam habuisset, & quod ipse rerum contemptor esset eximius, ad illum fert munera? Et quomodo Elisæus sic erga virum se habet, vt nec eum ad suam præsentiam admittat? S. Nilus in Ascetico *Venit quidem*, ait, *ad Elisæum dux Naaman Syrus, multaque munera secum attulit. Quid igitur? Propheta num illi processit obviam? statimne illi occurrit? An per puerum causam, per quam venerat, aperuit? nec ad præsentiam suam illum admisit, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur.* Naamam pro obtinenda sanitate fert munera, quæ omnia etiam quoad præsentiam suam contemnit Elisæus. Naaman, vtpotè regius, ac temporalis ministeer, nil concedere, ac donare solebat; nisi prius munera acciperet; ex suóque solito more de Propheta coniectu rauit Naaman. At Elisæus, tanquam diuinus ministeer, non solùm ipsa aurea dona contemnit, sed etiam omnem illorum non admittit intuitum, vt absque vllo humano respectu eximium salutis donum ab ipso largiri, omnibus perspicuum fiat. *Nec ad præsentiam quidem suam illum admisit, ne muneribus, quæ attulerat, eum curasse videretur*: Vel Noluit Elisæus illa videre, vt cunctis daret præclarum documentum, quod integer ministeer diuitiarum intuitum fugiat; nam earum aspectus aliquando

Naaman maximè lepra premitur.

4. Reg. 5.

S. Nilus.

Aulici ex lucro cupida faciunt.

Diuitiarū intuitum subornat.

talem enim dispositionem, sua Ecclesia præscribit, ac ordinat diuinus Magister.

Quæstio III.

Quare Christus quærit, quod dicant homines seu turbæ, non vero Principes, & Pharisæi?

19. Abulens. Abulensis quæst. 39. existimat Christum Dominũ quærere, quid de ipso omnes homines sine vlla distinctione sentirent, voluisséque, omnes opiniones, quæ de ipso erãt, audire? ideóque in responsione Discipuli varias opiniones retulerũt: *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam.* Sũt etiã, qui hic per homines intelligant regẽ Herodẽ, qui Christũ Ioannem existimat; de quo quæst. 8. infra in tertia resolutione. Theophylactus verò ait: *Non interrogat*, scilicet Dominus, *quòd me dicunt Pharisæi, sed homines, de simplici multitudine dicens.* Et hoc maximè confirmatur ex textu D. Lucæ, qui refert Dominũ dixisse, *Quem me dicunt turbæ?* Et hæc sententia mihi est vera, & eam secutus sum in expositione.

Theophyl. *De simplici turba quærebat Dominus.*

Lucæ.

20. *Inimici semper malè de nobis sentiunt.*

Respondeo primò. Non quærit Dominus, quid de ipso sentiant, ac dicant Scribæ, & Pharisæi, quia, vtpote inimici, apertum, ac euidens erat, quod de eo nihil boni prædicabant. Inimici semper malè sentiunt, ac loquuntur de nobis, & nihil boni ab eis sperandum. Instat Abulensis citatus: Quia si hæc ratio subsisteret, etiam turbarum iudicium circa Christum non erat requirendum, quia de illo verum dicere nesciebant. Respondet ipsemet Abulensis ex D. Chrysostomo, *quod etsi turba non perfectè, tamen saltem sine peruersitate de eo testimonium ferebant; at Pharisæi, qui erant pleni iniquitate, non poterant, nisi mala dicere, quia ex abundantia cordis os loquitur*: Quærit Dominus, quid de eo sentiant turbæ, non verò Pharisæi, ac Scribæ: Pharisæi de Christo sinistrè opinabantur ex sua peruersitate, ac præsumptione, qua eum contemnebant. At verò turbæ simplices, si verum de Christo iudicium non collimabant, ex quadam earum ignorantia, ac tenuitate pullulabat. Et si errores ex ignorantia sustineri, ac dissimulari possunt; minimè verò ij qui ex præsumptione, ac elatione nascuntur.

Abulens. Chrysost. *Errores ex ignorantia dissimulantur, non ex præsumptione.*

21. Dupliciter Petrus Christi morti intentauit obsistere. Primò immediatè post hanc præclaram confessionem, dum ab ore Domini audiuit, quod oportebat, eum ire Ierosoymam, & multa pati à senioribus, & occidi. *Tunc assumens eum Petrus, ait illi: Absit à te, Domine, non erit tibi hoc*, Quo audito, grauiter à Domino increpatur: *Vade post me, satana, scandalum es mihi*, Matth. 16. num. 23. Secundò Christum à sua morte auertere conatur, dum in gloria Taboris ait; *Domine, bonum est, nos hic esse.* Matth. 17. num. 3. Et tamen tunc ab ore Domini nullam audit reprehensionem. Cur in primo casu tam rigida obiurgatio; non verò in hoc secundo? In Tabor dicebat illa Petrus ex ignorantia, vt de eo scribit D. Lucas 9. num. 33. *Nesciens quid diceret*, At in præsenti euentu sic Petrus loquebatur ex quadam libertatis confidentia, cum à Christo beatum se appellari audisset: *Beatus es Simon Bar-iona*, regiménque Ecclesiæ ille ab eo esset commissum. Euthymius in cap. 19. Matth. ad illa verba: *Assumens eum Petrus*: sic ait: *Ideo quasi iam assumpta libertate, eo quod beatificatus esset, seorsim increpauit illum, sine reprehendit.* Etsi, quæ ex ignorantia sunt, dissimulentur, non verò quæ ex nimia libertate, ac veluti, quadam præsumptione pullulabant. Venia cõceditur peccato primi hominis; nõ verò Angelorum delicto homo enim ex ignorantia, ac fragilitate prolapsus est; Angelus verò ex nimia elatione, ac præsumptione ruit. De quo latè Suar. lib. 7. de Angelis. cap. 15. num. 9.

Matth. 16. Matth. 17. Luc. 9. Euthym. *Sustinetur ignorantia Petri, non verò nimia confidentia.* Suar.

22. Damian. Secundò. Petrus Damianus lib. 7. Epistol. 12. Cùm Apostoli varias opiniones de Domino exprimerent *Ipse addit: Vos autem, quem me esse dicitis? Scilicet, vt Rex Angelorum*, ait, *formam daret rectoribus hominum quatenus non quid in os eorum adulatoriè dicatur, attendant; sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant: sicque quod in se reprehensibile ex eorum fama deprehenderint, corrigant; ad exequenda verò bona, quæ de se dicere cognouerint, auidius inualescant.* Non quærit Christus, quid Scribæ, ac Pharisæi dicant, vt iam notaui in limine quæstionis; sed quid de ipso homines, seu turbæ, vt ait Lucas, autument. Optimè sciebat Dominus, quod turbæ de eo testificabantur; nam in eius præsentia clamarunt: *Propheta magnus surrexit in nobis*, Luc. 7. num. 16. Et iterum. *Hic verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ioan. 6. num. 14. Et homines in naui: *Verè filius Dei es.* Matth. 14. num. 33. Ad quid ergo interrogat? Vt cunctis regibus, ac principibus daret formam, ne sint contenti, nec acquiescant iis, quæ in eorum facie, ac præsentia astruuntur; sed valdè solliciti sint ad inquirendum, ac inuestigandum, quod in eorum absentia, ac post terga dicatur. Sicut enim valdè facile est, vt Princeps, etiam tyrannus, in eius præsentia laudetur; sic valdè difficillimum, vt in eius absentia dignus approbatione, ac laude inueniatur.

Luc. 7. Ioan 6. Matth. 14. *Quærat princeps, quid in eius absentia dicatur.*

23. Chrysost. Theophyl. *Simplices valdè apti ad diuina percipienda* Tertiò. Quærit Iesus, quid de ipso sentiant non Principes, ac Pharisæi; sed homines de populo, vt ait Chrysostomus, ac simplices, vt notat Theophylactus, & D. Lucas scribit. *Quem me dicunt turbæ?* Interrogat, quid de ipso dicunt, ac sentiant simplices: hi enim valdè apti ad diuina mysteria addiscenda, ac penetranda; cùm enim dolo, ac fallacia careant, maximè proportionantur diuinæ simplicitati, puritati, vt de illa multa hauriant, atque bibant.

24. Psalm 54. Desiderio cœlestium flagrans Regius Vates ait: *Quis dabit mihi pennas, sicut columnæ, & volabo?* Psam. 54. num. 6. ad volandum pennas petit. Sed cur potius columbæ, aquilæ, vel accipitris, vt dubitant Theodoretus, Brunonius, cum hæ multò altius, ac velocius, quàm columbæ volitent? Columba simplicitatis typum gerit, vt valdè notum est, & in præsenti sic ait D. Hieronymus. *In columba spiritualem vitam designat. Columba simplex animal est absque felle.* Ad in altum volandum, non pennas aquilæ, magnorum nempe, ac superborum, desiderat, ac petit; sed columbæ, humilium scilicet, ac simplicium cogitationes vehementer exoptat; his enim pennis altissima mysteria penetrantur, & assequuntur.

Theodoret. Bruno. Hieron. *Simplices volant ad diuina.*

25. Prouerb. 3. Chald. Pagnin. Ait Sapiens Prouerb. 3. num. 32. *Cum simplicibus sermocinatio eius* Chaldæus *Colloquium eius.* Pagninus. *Secretum eius*, Cur sermocinatio colloquium, ac secretum eius potius est cum simplicibus, quàm cum sapientibus, ac doctoribus?

Simplicibus maximè Deus reluear, & communicat, tam per Scripturam, quàm per internas inspirationes, ac illustrationes secreta sua, atque mysteria, cùm eorum mentes sint valde aptæ ad idonea percipienda. D. Gregorius 3. part. Pastoral. admonit. 12. *Cum simplicibus*, ait, „ *Deus sermocinari dicitur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio sua visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat.* Beda ibidem. *Sermocinatio Domini*, ait, *cum simplicibus est, quia illos sapientia cœlestis secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitatis nihil habere considerat.* Hinc enim dicit: *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Matth. 11.

Simplicibus Deus reuelat sua secreta.

Gregor.

Beda.

Matth. 11.

QVÆSTIO IV.

Quare, cùm Christus interrogat, de se quid homines dicant, se filium hominis, & non aliter nominat,

26. *Ratio dubitandi.*

CHRISTVS D. interrogat ab Apostolis, Quem ipsum esse dicant homines, vt ab ipsis Apostolis ipsum esse filium Dei profiteatur? Cur ergo non dixit, quem me esse dicunt; vel cuius filium autumant. Ad quid ipse intendit vt filium Dei fateatur, cùm se ipse esse filium hominis asseueret? Domine, vnum dicis, & aliud vis audire? Dicis te esse filium hominis, & tamen vt filius Dei vis agnosci?

27. Hilar.

Fidei confessio sit de omnibus mysteriis.

Respondet primò D. Hilarius: *Hæc*, ait, *confessionis tenenda est ratio, vt sicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus, quia alterum sine altero nihil fidei tribuit ad salutem.* Fidei confessio debet esse de omnibus mysteriis, nam qui omnia fatetur, si peccat in vno, vt ait Iacobus, *factus est omnium reus.*

28. Hilar.

Vera fides non regulatur sensibus.

Secundò. Idem Hilarius: *Quem dicunt homines filium hominis esse? & certè filium hominis contemplatio corporis præferebat. Sed addendo, quem me esse dicunt, significavit, præter id, quod in se videbatur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat? non illud arbitramur, quod de se ipso confessus est; sed occultum erat, de quo quærebatur, in quod se credentium fidei debebat extendere.* Christus se dicit filium hominis, vt videbatur in hominum oculis; & tamen ad hoc interrogatio dirigebatur, vt eius Diuinitas, quæ occultabatur, profiteretur. Hæc est celsitudo, ac sublimitas fidei, quod cum oculus corporeus videat filium hominis, auditúsque idem audiat dici; tamen interius diuina fide intellectus illustratus agnoscat, & credat Dei filium, nónque externis sensibus, sed interna fide dicatur.

29. Hieron.

Adulatio vitanda.

Tertio. Ait D. Hieronymus. *Non dixit, quem me dicunt esse homines: ne iactanter de se quærere videretur.* Non dixit, quem dicunt esse filium Dei, vel tot, tantorumque miraculorum operatorem; sed quem dicunt esse filium hominis. Occultat magnitudinem suæ diuinitatis, humilitatem nostræ humanitatis manifestat, ne aliquam iactantiam, vel etiam adulationem captare videretur: valde enim frequenter adulatio in hominibus pullulat, si ipsi in aliquo magnitudinem videant, ab eoque in ipsis inesse dependentiam.

30. Basil. Seleuc.

Quarto. D. Basilius Seleucus Orat. 25. *Non à se ipso loquitur*, ait, *nec se ipsum manifesto proclamat. Etenim dicere erat, si voluisset, Ego Deus de Deo; Ego cœlum vnà cum Patre fabricatus sum, terram punxi, aerem diffudi, solares radios illuminaui*, &c. *Quid agat tandem? Primum aliis res suas vt diuulgent finit; alienis vocibus prædicatione credita.* Non dicit Christus Dominus de se, quòd sit filius Dei, quódque multa hominibus præstiterit, quantaque operatus sit; vt agnoscatur, quòd non decet, vt homo magnalia sua proprio ore decantet, sed alienis vocibus hoc sinat, & committat. Pergit immediatè citatus Seleucus. *Ideo namque vel a principio miracula cum partu concurrebant: Stella peregrino cursu manifestabat inopinatum infantem.* Non dicit, quot, & quanta miracula sit operatus, ac operaturus; quot, & quanta opera præstiterit, ac præstiturus esset; hæc enim de se ens gare, longe abest à Christi spiritu, cuius est non tam dicere, quàm præclara virtutis monumenta edere.

Nũ ore proprio, sed alieno laudatur homo.

Christi est, factis agere quàm loqui

31.

Quintò. Se filium hominis dicit Christus, cum suæ diuinæ filiationis testimonium ab Apostolis vult haurire: nónne sat erat dicere, quem homines dicunt me esse; vel cuius filium me autumant? Ad quid in ipsa interrogatione se filium hominis astruit: *dicunt esse filium hominis?* O altum Dei consilium! Pro magna Mariæ prærogatiua. Responsurus erat Petrus? *Tu es Christus filius Dei viui:* ne ergo aliquis errando existimaret, quod in hac Petri confessione Mariæ maternitas erat exclusa, Christique integra substantia à solo Patre fuerat dimanata; vt ergo hanc impiam insultationem reprimat Dominus, in ipsa percontatione Mariæ statutam præmittit dignitatem, se illius filium denuntians: *Quem dicunt homines esse filium hominis*, filium nempe Mariæ. D. Ildephonsus serm. 2. de Assumptione. *Cùm diceret* ait, *beato Petro vnà cum cæteris Apostolis*, Quem dicunt homines esse filium hominis; *Ac deinde refert*, Vos autem quem me esse dicitis? *Ait ergo Petrus pro omnibus* Tu ex Christus filius Dei viui, *non quod eum negaret filium Beatissimæ Virginis Mariæ, quod ait Christus, sed vt demonstraret vnum, eundemque filium hominis esse filium Dei.* Ac si dicat Petrus, Quem ego dico filium Dei viui, est ille idem, quem, vt Domine, dicis filium hominis, scilicet Mariæ. Magna celsitudo Mariæ, vt eadem sit illius, ac Dei viui proles; nec enim Mariæ Virginitati alius filius conueniebat, nisi filius Dei.

Ildephons.

Sic Christus dicitur filius Dei, vt & dicatur Mariæ filius.

32. Abulens. Matth. 9. n. 6. & cap. 12. num. 8. & cap. 24. n. 30. & cap. 25. n. 31. Ioan. 3.

Sextò Abulensis quæst. 40 quòd se dicit hic filium hominis ex sua communi consuetudine, qua se solet filium hominis vocare Matth. 9. n. 6. & cap. 12. num. 8. & cap. 24. n. 30. & cap. 25. n. 31. Ioan. 3. num. 3. Valde mirum, quòd cùm Christus Dominus haberet agnomina multa, quibus suam ab omni re independentem demonstraret celsitudinem, recurrat toties ad filij hominis nomen, quo ex hominibus assumpta significabatur natura. seque illis quodammodo exhibebat astrictum. Cur, Domine, non dissimulas id minimum, quod ex hominibus retines? Acceptum dissimulat seruilis conditio, quæ nullis obligatur muneribus; at præclarus accepta fateri non refugit, vt ad multo maiora præstandi inducatur ex illis. D. Athanasius homil. de Incarnatione Verbi. *Ipse*, ait, *in sublimi procreatus ex Deo*, &c. *matrem duntaxat habet in terris, & non duntaxat patrem habemus in cœlo, eaque de causa filium hominis se ipsum appellat, vt homines Deum cœlestem patrem suum appellarent.* Nota verba; *Eaque de causa filium hominis se ipsum appellat.* Non recusat Dominus se filium hominis profiteri, ex hominibusque acceptam habere humanitatem, vt inde

Ingenuus minimum, quod accesit, commemorat, & repetit. Athanas.

hominibus

hominibus concedat, vt cœlestem Deum dicant patrem. Vide de hac re multa to. 2. c. 3. quæst. 32.

33. *Ingenuum de sua humilitate recordatur, de honore obliuiscitur.*

Septimò. Non dicit Christus, quem dicunt homines esse filium Dei, vel quem me dicũt esse; sed, ait, *quem dicunt esse filium hominis.* Cur sic sciscitatur, cum ipse intendat, vt filius Dei fateatur? Eximius Christi splẽdor in eo extabat, quòd ipse esset filius Dei; summa autem humilitas, quòd filius hominis existeret. Quando ergo de se quærit, interrogat, quem dicunt esse filium hominis; vt his instruamur, quod ante oculos, ac in ore summam nostram abiectionem circumferamus; & quod supremum nostrum honorem oblitioni demus, aliorum testimonio, ac verbis illum remittentes.

34. 4. Reg. 19. Isai. 37.

Cùm Rex Ezechias magno bello premeretur ab Assyriis, *Misit*, ait Textus, *senes de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetam, filium Amos.* 4. Reg. 19. num. 2. Eandemque historiam scribens ipse Isaias 38. num. 2. iuxta lectionem D. Hieronymi, ait, *Misit seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam, filium Amos Prophetæ.* Valde mirum. Dicitur, quod miserit ad Isaiam Prophetam; at cùm ipse iterum scribit historiam, solùm se Isaiam nominat. Et iterum ibidem num. 5. *Et venerunt serui Regis Ezechiæ ad Isaiam.* Cùm ipse, vtpote tam valde sanctitate conspicuus, refert historiam, solum se cognoscit Isaiam veluti hominem quendam vulgarem absque aliquo titulo, ac nomenclatura, ipsum enim speciosum Prophetæ nomen aliis committit, & relinquit, vt dicant, & scribant. D. Hieronymus. *Hic*, ait, *quia ipse de se Isaias scribebat historiam, non se appellauit Prophetam sed filium Prophetæ: Ibi verò, quia aliter erat scriptor historiæ, ipsum scribit Prophetam.*

Isaias de se sine honore loquitur, quem alijs dicendum committit. Hieron.

35. Genes. 32. & 35. August. Lyran. Abulens.

Bis à Deo dicitur Iacob: *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.* Gen. 32. num. 28. & Gen. 35. num. 10. Merito addubitabant D. Augustinus in quæstionibus super Genesim q. 114. Lyranus, Abulensis, quomodo ipse postea Iacob nuncuparet; at quando ipse de se loquitur, primò & ante omnia se Iacob nominat. *Dixit pater Iacob* Gen. 42. num. 36. Benedicensque filiis suis ait: *Congregamini, & audite filij Iacob.* Genes. 49. num. 2. Et iterum in benedictione Ioseph ait ibidem num. 24. *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob.* Quomodo ergo sic se appellat? *Iacob* humilitatem dicit, nomenque pastoris importat: at *Israel* nomen est valde gloriosum, iuxta D. Hieronymum, idest *Rectus Dei*, iuxta verò D. Augustinum 16. de ciuitate Dei cap. 39. Philonem, Nazianzenum, Hilarium, Euseb. Prosperum, Procopium, ac alios, *Vir videns Deum*; iuxta verò Theodotion, Symmachum, Aquilam, *Princeps Dei* sonat. Quamuis igitur Patriarchæ esset dictum: *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum*, tamen ipse quodam veluti impulsu humilitatis, quo semper ad sui minimam, ac infimam conditionem erat intentus, se *Iacob* tanquam quid abiectum nuncupat, magnum *Israel* nomen omittens, ac veluti aliis relinquens, vt dicant, atque diuulgent.

Genes. 49. Hieron. August. Philon. Nazianz. Hilar. Euseb. Prosp. Procopius. Theodot. Symmac. Aquila.

Iacob nõ de glorijare, sed de abiectione recordatur.

36. Genes. 20. Caietan.

Dixit Abrahamus Sarræ vxori suæ, *Dic, quod soror mea sit.* Qua fama ductus Ab melech eam in domum suam sustulit. Tunc illi apparens Deus ait: *Redde viro suo vxorem, quia Propheta est.* Genes. 20. num. 7. Vbi notat Caietanus, quod Abrahamus sit primus, qui præclarissimo Prophetæ titulo in Scriptura fuerit insignitus. Postea vero cum Abrahamus loqueretur cum Rege, reddens rationem, cur eam sororem suam dixerit, ait: *Cogitaui mecum dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto.* ibidem num. 11. Quæ verba dubitando, & non affirmando protulit Patriarcha, ait Lippomanus. Quæ præsumptio orta est in Abrahamo ex eo, quod ipse optimè non calleret futurum rei euentum. Deus ipsum vocat Prophetam, qui apprimè tem futuram, & præsentem deprehendit: ille autem suam tantum imperfectam circa futurum rei euentum commemorat cognitionẽ? Abrahamus, vtpote iustus in consummata sanctitate, id in se solum considerabat, quod imperfectum, ac veluti quandam ignorantiam innuere videbatur: suæ autem propheticæ cognitionis excellentiam tacet, & dissimulat, diuinæque prouidentiæ ad publicandum submittit D. Paschasius in Psal. 41. *Iustus scientiam suam ignorat, ignorantiam agnoscit.* Vide quandam ponderationem circa textum Matthæi, & Marci infra.

Lyppom.

Iustus scientiam suam ignorat, ignorantiam agnoscit.

Paschas.

Matth. 16. *num.* 14. At illi dixerunt Alij Ioannem Baptistam; alij autem Eliam; alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

VERSIONES.

Theophylact. Illi verò dicebant.

Syriacus. Sunt, qui dicunt, Ioannem.

Arias. Illi dixerunt: Hi Ioannem, alij Eliam.

Vatablus. Aut vnum ex numero Prophetarum.

Alter Textus.

Marc. 8. *n.* 27. Qui responderunt illi dicẽtes: Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij verò quasi vnum de Prophetis.

Luc. 9. *n.* 19 At illi responderunt, & dixerunt: Ioannẽ Baptistam, alij autem Eliam, alij verò, quia vnus Propheta de prioribus surrexit.

EXPOSITIO II.

37. Ambros.

Perivnt Discipuli, vt fuerant imperati, quid de Domino dicerẽt homines. *At illi dixerunt.* D. Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento cap. 4. existimat, Petrum ad hãc primam interrogationem siluisse; & sic in persona Petri ait: *Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam.* Tamen valde verisimile est, Petrum cum aliis respondisse, *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam*, de quo quæst. sequenti. Turbarum varias opiniones referunt Discipuli: & in his sententiis, etsi omnes illi veritatem non attingerent, ac minus de Christo sentirent, tamen præclaram de eo concipiebant opinionem, tanquam cæteros homines superante. *Aut vnum ex Propheris.* Albertus Magnus, Hugo, & alij Eli-

Alb. Magn. Hugo.

sæum, interpretantur, propter operationem miraculorum, quia nullus Prophetarum veteris Testamenti tot, ac tanta miracula perpetrauit, vt ille, qui duos mortuos suscitauit 4. Reg. 4. num. 36. & cap. 13. num. 21. quod nullus alius Propheta fecit. Melius tamen dicendum est cum Abulensi quæst. 50. Carthusiano, quod. cum Prophetam nominauerint, intelligebant aliquem ex antiquis Prophetis, vt Moysem, Samuelem, Isaiam, vel alium quem alium; & sic expressit D. Lucas: *Propheta de prioribus.*

4. Reg. 4. & 13. Abulens. Carthus. Luc.

38. Cur his auditis opinionibus Dominus non subsistit, ac illas refutat; sicut audita Petri confessione veritatem attingentis, magno encomio approbauit? Tam apertus in his sententiis erat error, vt illis abiiciendis labor veluti superuacaneus videretur: quæ enim apertè sunt falsa dogmata, præstat potius contemnere, quàm refellendo discutere. D. Chrysostomus tom. 5. Orat. de sigillis. *Apostoli quidem*, ait, *primùm vulgi opiniones respondebant, aly quidem aiunt Eliam, aly Ieremiam, aut vnum è Prophetis: quid igitur Seruator? Ad opiniones illas falsas nihil ille respondet, vtpote quas indignas responsione duceret.*

Quæ apertè sunt falsa contemnenda.

Chrysost.

QVÆSTIO V.

Quare turba Christum Dominum, non nouum Prophetam, sed vnum ex veteribus autumant?

39. CVm turbarum sententias referunt Discipuli, solum commemorant, quòd homines arbitrati sunt, Christum esse aliquem ex prioribus Prophetis, & cur non potius aliquem Prophetam denuò missum? Cur tantum ad priores Prophetas coniiciunt oculos?

Ratio dubitandi.

40. Respondet primò Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 21. *Nullum Deum nouum*, ait, *à Christo probatum illa etiam opinio declarauit, quia Christum Iesum aly Ioannem, aly Eliam, aly vnum aliquem ex veteribus Prophetis Herodi affeuerabant.* Sic Dominus Iesus in suis actionibus se veterum moribus conformabat, vt cùm homines eum Prophetam autumarent, non nouum aliquem Prophetam, sed veterem suspicarentur; maximè enim alienum est à vero Deo, quidquid nouitatem sapit, ac refert.

Tertull.

Noua à Deo aliena.

41. Secundò Rabanus, Abulensis quæst. 51. Sic loquebantur, quia hoc competebat motiuo Iudæorum, ideò namque nominauerunt illos Prophetas mortuos, scilicet Ioannem, Ieremiam, quia putabant, sanctos post resurrectionem futuros potentiores: & quia Christus talia faciebat, qualia nemo viuens fecerat; putauerunt, quòd non poterat esse aliquis Propheta nouiter natus, sed aliquis ex mortuis, qui surrexerit.

Raban. Abulens. *Existimabant Iudæi mortuos potentiores.*

42. Tertiò Toletus in cap. 9. Luc. Annotat. 36. existimat, Iudæos deceptos fuisse in illo loco Deut. 18. *Prophetam suscitabit tibi Dominus de medio fratrum tuorum.* Cùm enim de ipso Messia, ac Christo hæc essent intelligenda, putabant, aliquem Prophetam venturum prope tempus aduentus Christi: quidam autem arbitrabantur futurum aliquem insignem, denuò mittendum; alij, vnum ex antiquis magni nominis surrecturum: quam opinionum varietatem ex eo colligit citatus auctor, quod missi à Iudæis ad Ioannem, interrogauerunt: *Propheta es tu?* Ioan. 1. num. 21. id est ille insignis, qui Christum præueniet.

Tolet. Deuter. 18. *Iudæorum opiniones.*

Ioan. 1.

43. Quartò. Non sibi persuadebant homines, nouum esse Prophetam. Tam magna, ac præclara erant, quæ Christus Dominus gerebat, vt illa non permitteret inuidia considerare in homine sibi contemporaneo; ac ætatis suæ æquali; & ideò ad antiquos, & mortuos confugiebant.

43. *Inuidus non patitur alium sua ætatis æqualem.*

44. Quinto. Non aliquem Prophetam nouum, ac denuò venientem, sed vnum ex antiquis, ac mortuis opinabantur; sine dubio reuerentiæ causa: semper enim plus veneramur absentia, quàm præsentia, maiorique cultu prosequimur mortuos, quàm viuos. Ingeniosè D. Bernardus sermone ad milites templi cap. 11. ponderat. *Inter sancta, ac desiderabilia loca sepulchrum tenet quodammodo principatum? & deuotionis plus nescio quid sentitur, vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuersatus est.* Illustrissimæ actiones à viuentibus exercentur: Cadauer nil operatur, nil enim ipsum à trunco quodam distat. Cur ergo Domini sepulchrum in maiori æstimatione, quam ea loca, quæ ipse, dum inter viuos ageret, perlustrauit? Præsepe, Cœnaculum, Caluariæ mons, aliique similes situs Christum viuum, ac præsentem habuerunt: at sepulchrum ipsum Dominum Iesum iam mortuum, ac velut iabsentem retinuit; cadauer enim hominis non est ipse homo. Cur autem humana conditio plus reuerentiæ, ac amoris impendat absenti, quàm præsenti; mortuo, quàm viuo, eadem causa sepulchrum, quod ipsum Dominum iam mortuum, ac tanquam absentem exprimebat, maiorem sibi apud homines cultum reconciliauit, quàm illa præclarissima loca, quæ ipsum Dominum in viuis tam alta mysteria operantem, ac perpetrantem dicebant. *Deuotionis plus nescio quid sentitur, vbi mortuus requieuit, quàm vbi viuens conuersatus est.*

44. *Viuos, ac præsentes contemnimus, mortuos veneramur.* Bernard.

45. De sacerdote Heli dicitur: *Nec poterat videre lucernam Domini, antequam extingueretur.* 1. Reg. 3. num. 2. Vt legunt D. Ephrem in Apologia de Heli, D. Isidorus ad Messanum, de lapsu sacerdotis, & D. Bonauentura in cap. 12. Ecclesiast. & in eam maximè inclinant Rabanus, Rupertus, Beda, Abulensis, Hugo, Caietanus, & alij, qui ita legunt, *Lucernam clarè lucentem, antequam extingueretur, videre non poterat*, Ergo neć poterat videre, postquam extingueretur. Oculus caliginosus lucernam lucentem, saltem subobscure, ac confusè aliquantulum videt; nam ipsa splendida lux maximè ipsam potentiam mouet, & excitat: at postquam lucerna ipsa penitus est extincta, nil illius valet percipi, cùm cuncta magna obscuritate inuoluantur. O magnum humanæ conditionis emblema. Heli veluti terrenus homo aliorum lucernam, virtute, operibus, ac factis mirificè splendentem, cum in viuis degit intuetur, nec videt: at postquam lucerna est extincta, iam peracta vita, ac mortis tenebris inuoluta, tunc eorum lucem, ac præclara facinorum monumenta videt, recognoscit, ac veneratur. Venerabilis Stephanus Cantuariensis in Allegor. Tylmani. *Multi modo sunt*, ait, *tales, vt Heli, qui nunquam laudabunt probitatem in alio, nisi post mortem.*

45. t. Reg. 3. Ephrem. Isidor. Bonauent. Rabanus. Rupert. Beda Abulens. Hugo. Caietan.

Viros gloriosos non agnoscimus viuos, sed mortuos.

Stephan.

Tota nocte Iacob cùm Angelo luctatur, qui se ei exhibuit in specie viri. Cum surgente iam aurora Angelus recessum pararet, desiderio illius præsentiæ permotus Iacob multas lachrymas profudit

46.

fudit. *Inualuit ad Angelum, fleuit, & rogauit eum*, vt scribit Oseas 12. num. 4. seu, vt alij legunt, *ploratus est*, Res valde mira. Quando cum Angelo magno certamine colluctatur, cúmque brachiis prælentem tenet, lacertis astringit, cum eo totis viribus pugnat, ac terram allidere satagit: ac cum eum ad tecessum intentum videt, tunc de eius absentia magno tangitur dolore, vehementique illius desiderio æstuat, & eum precibus, lachrymis, ac manibus detinere conatur. Vnde ergo tam subita mutatio? Depingebatur in Iacob humana conditio. Quandiu enim viros præclaros virtute, scientia, ac donis veluti quosdam Angelos præsentes possidemus, ac tanquam manibus tenemus sic res tunc agitur, vt cùm illis contendamus, eosque vilificando, ac contemnendo ad terram prosternere conemur: at verò cùm eos abire videmus, tunc illorum virtutes recognoscentes, multum de eorum carentia, ac absentia dolemus; feruenti eorum desiderio tenemur, eosque multis lachrymis prosequimur. Sic Iacob cùm Angelum manibus habet, cum eo luctatur, eumque superare contendit: at cùm eius necessum audit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*: rogatu, ac fletu ei obsistit. Thomas Angelicus: *Cumque*, ait, *ille fingeret, se omnino velle discedere, tunc eum vehementius, & firmius Iacob retinebat, & ad se retrahebat, quasi nimis, apud se ipsum illum retinere.*

Viros magnos præsentes tenemus, mortuos venerantur.

Thom. Anglic.

QVÆSTIO VI.

Quare peculiariter dicitur, quòd Christus existimabatur Ioannes Baptista, vel Elias, vel Ieremias, aut vnus ex Prophetis?

47. Caietan. Iansen. Baron.

CAIETANVS, Iansenius, Baronius in Annalibus anno Domini 33. existimant, hos, qui Christum dicebant Ioannem Baptistam, vel Ieremiam, excepta opinione Eliæ, fuisse in errore Pythagorico, astruentes regressum animarum in corpora: nam Ioannes, Ieremias, aut vnus ex prioribus Prophetis defuncti erant; intelligebant ergo, animam alicuius ex his in Christum migrasse.

48. Hieron. Theophyl. Beda. Abulens. Hugo. Carthus. Bonauent. Tolet. Matth. 14.

In hac tamen non sum sententia, sed dicendum potius existimo cum D. Hieronymo, Theophylacto, Bedâ, Abulensi quæst. 44. Hugone, Carthusiano, & in cap. 9. Luc. D. Bonauentura, Toleto, & aliis, hos, qui talia astruebant, sibi persuasisse, Ioannem vel Ieremiam surrexisse à mortuis. Hoc sua sententia indicat Herodes de Christo dicens: *Hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo*, Matth. 14. num. 2. Non enim dixit, anima eius in Christum migrauit, sed ipse surrexit à mortuis; nam resurrectio mortuorum Iudæis erat nota ex scripturis, & idem autumabant de Ieremia, aut de vno ex antiquis Prophetis. Eliam autem venturum credebant iuxta Malach. 4. num. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam.*

Malach. 4.

49. Hieron. Abulens.

D. Hieronymus miratur, quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum. Quare Dominum nostrum Iesum Christum, alij Ioannem putauerint, alij Eliam, alij Ieremiam. Tamen, vt ait Abulensis, licèt errantes non habuissent causam ad errandum, quia si illam haberent, non esset error, tamen vendicauerunt saltem aliqua fictitia motiua colorata, & illa pro maiori doctrinæ gratia inquirimus.

Christus Dominus existimatus est à turbis Ioannes Baptista, vt inquiunt Albertus Magn. S. Thomas, Carthusianus, vel propter perfectionem vitæ; vel propter auctoritatem, ac similitudinem sermonis; nam sicut Ioannes prædicabat: *Pœnitentiam agite*: Matth. 3. num. 2. sic & Christus eodem themate: *Pœnitentiam agite*: suam inchoauit prædicationem. Matth. 4. n. 17. Abulensis quæst. 45. tenet, quòd Christus Dominus reputatus est Ioannes propter magnitudinem miraculorum; nam talia audierat Herodes de Christo, vt putauit, quòd nullus hominum illa facere posset, nisi solus Ioannes. Et sic dixit Herodes Luc. 9. n. 9. *Ioannem ego decollaui; quis est iste, de quo ego talia audio?* Si verò dicas, quod Ioannes nullũ fecit signum; facilè respondet ipse Abulens. q. 46. ex Rabano, quòd antiqui existimabant sanctos post resurrectionem potentiores, quàm viuentes.

50. Alb. Magn. S. Thom. Carthusian. *Cur Ioannes?* Matth. 3. Matth 4. Abulens. Luc. 9.

Deinde ait Theophylactus: *Qui Christum Ioannem existimabant, cum Herode sentiebant, qui dixit: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit*, Et inde hæc opinio de Ioan. prima ante omnes alias refertur: semper enim principum error aliorum animos rapit, ac ad se trahit, vt eis adulantes, cum illis consentiant. Tandem egregie notat Euseb. Gallic. homil. in natali S. Petri: *Stultissimus populus*, ait, *qui nunc Ioannem Christum*, ab eo enim interrogabat: Tu es, qui venturus es? *nunc verò Christum Ioannem esse putabat*, Tantum fluctuat, & errat populi sententia.

51. Theophyl. *Principum error populum ad se trahit.* Euseb. Gall.

Christus reputatus est Elias, ait Carthusianus, nam sicut sacerdotes suspicati sunt Ioannem esse Eliam, *Elias es tu?* propter solitariæ vitæ austeritatem, & vestium paritatem: ita etiam aliqui putarunt Christum esse Eliam. Primò quia Elias credebatur rediturus ad populum Iudæorum iuxta citatum Malachiæ locum. Secundò propter miraculorum eminentiam. Tertiò propter veritatis, ac iustitiæ insuperabilem zelum. Quartò Albertus Magnus, propter eminentiam potestatis, nam ter ignem de cœlo deiecit 4. Reg. 1. num. 9. Cùm Iudæi sua delicta non recognoscerent, tam feruidum zelatorem non verebantur, qui eos ob sua peccata combureret.

52. Carthus. *Cur Elias?* Alb. Magn. 4. Reg. 1.

Christus habitus est Ieremias propter eius eximiam misericordiam, ac charitatem in populum, cuius peccata multis lachrymis plangebat. *Quis dabit oculis meis fontem lachrymarum?* Ierem. 9. num. 1. Deinde quia, vt ait Abulensis quæst. 49. Ieremias erat præcipuus intercessor, & orator apud Deum pro Iudæis, & vrbe Ierusalem; tum quia ipse veniebat ad confortandum eos, quando erant in aduersitate; tum etiam quia contra hostes arma dabat. 2. Machabæor. 15. nu. 14. *Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta. Extendit autem Ieremias dexteram, & dedit Iudæ gladium aureum, dicens: Accipe sanctum gladium, munus à Deo, in quo deicies aduersarios populi mei Israel.* Cùm ergo Iudæi essent in multa oppressione sub iugo Romanorum; sibi persuadebant, quòd eis in auxilium deueniret Ieremias. Tandem Ieremiam desiderabant, vt populi peccata plangeret; tamen de eius remedio prouidendo minimè curabant.

53. *Cur Ieremias?* Ierem. Abulens. 2. Mach. 15

Pro calce huius quæstionis quæro: Quomodo populus 54.

Insurgens difficultas.

populus potuit sibi persuadere, Christum esse Ioannem Baptistam, vel Eliam, vel Ieremiam, videtur enim, multam repugnantiam inuoluere, quòd Christus, vnus ex illis existimaretur; nam Baptista nullum edidit miraculum; Christus Dominus multa operatus. Elias per multum tempus clausit cœlum, Christus illud aperuit; vnde in. eius baptismate cœli aperti sunt, Ieremias totus intentus erat, vt Babylonicam captiuitatem Iudæis exponeret; Christus Dominus versabatur in vniuerso populo, humani generis redemptionem explicando. *Predicare captiuis redemptionem.* Luc.4. num.19. Cùm Christi actiones tantam cum illorum hominum actionibus haberent dissimilitudinem, quomodo vnus ex illis existimatur à populo? Moraliter dicam, ex Pharisæorum doctrina huiusmodi persuasio emanabat. Pharisæi Christi inimici, multaque in eum inuidia commouebantur: & inde fiebat, vt magna Christi miracula, tanquam Baptistæ nulla iudicarentur, & quod Christus aperiens cœlum, ipsum tanquam Elias claudere videretur; & quòd Christus de libertate agens, veluti Ieremias de captiuitate pertractare opinaretur. Inimicis, ac inuidis oculis præclara miracula, tanquam nulla apparent, & alta mirabila, tanquam res infimæ appenduntur.

Luc.4.

Inimicus quid valde mirabile exiguum reputat.

55. Moriens meus Iesus erat in Cruce. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.* Matth.27.num.54. At de principibus sacerdotum, ac Pharisæis scribit idem Euangelista num.62. *Conuenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes, Domine recordati sumus quia seductor ille dixit*, &c. Centurio cum suis militibus, principes sacerdotum, ac Pharisæi viderunt terræmotum, solem obscuratum, vocem magnam à Iesu editam: & tamen Centurio cum suis militibus, verum esse Deum, proclamat; principes autem, & Pharisæi seductorem esse affeuerabant. Romanus miles sine notitia legis Deum clamat; & Pharisæi in Scriptura, ac lege periti, Deum eum esse negant, & seductorem, seu vt legit D. Augustinus *impositorem* astruunt? Centurio sincere, vt res exigebat, indicabat; & Pharisæi odio, & inuidia agitati, ac obtenebrati, cum apertè tanta miracula viderent, iuxta suam malitiam depranato animo rem censebant, vt non mirabilia reputarent, sed impositiones impudicè asseuerarent. D. Chrysostomus hom.89. postquam de fide Centurionis agit, subdit: *Iesu vtes suas in elementis ostendens, Iudæos ex dementia saluare volebat: sed non fuerunt illis remissiones. Talis quippe protectus inuidia est, vt non facilè terminetur; sed tunc quidem aduersus ea, quæ mirificè fiebant, imprudentissimè resistebant.*

Matth.27.

Odium, ac inuidia facit, vt mirabilia non videantur. August.

Chrysost.

56. Tanquam mortis reus proponitur D. Stephanus à Iudæis in Concilio. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Actor.6. num.15. hoc est vt explicant D. Augustinus serm.6. de sanctis. D. Hilarius Arelatensis homil. de S. Steph. & ibi Caietanus, Lorinus, Cornelius, facies Angeli significat quid eximium, augustum, & cœleste in vultu Stephani, nempe vt facies eius speciem, ac maiestatem angelicam referebat. Et D. Augustinus serm.69. de diuersis ait, *Faciem Stephani radiasse instar Solis.* Et tamen adducitur Stephanus extra ciuitatem, vt lapidetur. Sic facies Stephani sedentibus in concilio pulcherrima, vt facies Angeli, ac instar Solis radians apparebat, quomodo ab ipsismet dijudicatur, vt facies rei, crimi nibus, ac delictis deturpata? Tanta ira, & inuidia in Stephanum stridebant, vt maiestatem ac elegantiam angeli ei vultus eius tanquam extremam deformitatem reputarent, splendoremque illius instar Solis, veluti densissimas tenebras appenderant. Petrus Damianus serm.63. de S. Stephano. *Mirandum, ait, quia non venocantur inuenti nouitate miraculi, quod luminosa Protomartyris facies non refranat insanos. Quid est, Iudæi? lumine vultus De, insigniuntur glorioso Leuita, & vibranti splendore Stephanus serenatur, reuerebantur oculi vestri, & tamen inuidia magnitudo visionis maiestatem occludit.*

Actor.6. August. Hilar. Arelatens. Caietan. Lorin. Cornel. August.

Odium, & inuidia facit, vt splendores tenebræ videantur. Petrus Dam.

QVÆSTIO V.

Quare inter has populi sententias non referunt Apostoli, quòd quidam Christum Messiam existimabant?

57 QVÆRIMVS in præsenti: Cur sicut Apostoli referentes populi sententiã inquiunt, quod alij Christum existimabant Ioannem, alij Ieremiam, non dicunt etiam, alij Messiam, verum filium Dei, verumque Dauidis filium? multi enim de populo sic de Christo fuere locuti Matth. 12.num.23. *Nunquid hic est filius Dauid?* Luc.7. num.16. clamat populus, *Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* Ioan.6. Ioan.6. num.14. similiter dicebat populus: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Cur ergo de hac sententia nil commemorant?

Ratio dubitandi.

Matth.12. Luc.7. Ioan.6.

58. Respondet primò Abulensis quæst.52. Quòd hic non fit mentio, nisi de opinionibus, quæ constanter, ac firmiter apud populares homines tenebantur. Vox autem illa, qua Christus est acclamatus verus Messias, vernsque Prophera venturus in mundum, fuit transiens, & subitaneè exorta ex præsentibus miraculis, & non constans, ac perseuerans; vulgus enim valdè mobile est, & ad omnem flectitur auram. Quod confirmatur: nam citato loco Ioan.6. cùm populus acclamasset *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* altera die exhortanti eos Domino ad operandum opera Dei, dixerunt ipsi, *Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit Iesus eis: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Ergo iam non permanent in illa sententia, quam habuerunt præcedenti die: *Hic est vere Propheta*: ac proinde duobus diebus in illa sententia non persistunt. Quando vero dixerunt: *Nunquid hic est filius Dauid?* Hoc factum est veluti dubitando, & non affirmando. Cùm etiam dixerunt, *Quia propheta magnus surrexit in nobis*: fortè intelligabant de aliquo Propheta mortuo, qui resurrexerit.

Abulens.

Sententia quæ non est permanens, nihil æstimanda.

Ioan.6.

59. Secundò. Sententia quòd Christus verus esset Messias, non erat communis opinio vulgi, sed Apostolorum, ac paucorum rectè sentientium, vt duorum cæcorum, quibus dixit Christus, *Secundùm fidem vestram fiat vobis.* Matth.9.num.29. De Centurione, ac Chananæa non loquor; hi enim erant Gentiles. Ergo hæc sententia, quòd Christus Dominus esset verus Messias, valde particularis aliquorum extitit, & ideo non fuit inter communes populi, ac vulgares sententias referenda.

Matth.9.

Tertiò.

60. Tertiò. Quòd Christus Dominus esset vnigenitus filius Dei, Messiasque in lege promissus, vera, ac certa erat sententia. Quod autem Christus esset Ioannes Baptista, Elias, vel Ieremias, aut vnus ex Prophetis, apertum mendacium consistebat, à recto iudicio penitus aberrans. Sacri ergo Apostoli sententias populi numerantes abstinuerunt se, ne inter inepras, & falsas sententias illud admiscerent verissimum dogma, pro certo sibi statuentes, quod illa suprema veritas, Christum nempe esse filium Dei, aliquantulum, vt ita dicam, deturpata videretur, si tot, tamque associaretur mendacijs; ac proinde cùm dissonas populi sententias proponunt, quòd esset Ioannes, vel Elias, præclarum Christi diuinitatis supprimunt assertum, ne eius auctoritati, ex tot mendaciorum comitatu aliquid minus decens proueniret, ac diiudicarent.

Veritas inter mendacia difficiliter dignoscitur.

61. Primo rerum molimine creauit Deus lucem, & videns eam optimam esse: *Diuisit lucem a tenebris.* Genes. 1. num. 4. Ad quid huiusmodi diuisio; hæ enim natura sua diuiduntur, cùm lux, & tenebræ simul minimè compatiantur, nam luce accedente necessariò tenebræ disparent, quoniam tenebræ sunt lucis priuationes, quæ omnino simul esse repugnat. D. Augustinus lib. 11. de ciuitate. cap. 7. & 19. Rabanus, Rupertus, l. 1. in Genes. c. 13. per lucem Angelos sanctos, per tenebras iniquos angelos autumant. Modò grauior insurgit difficultas: nam si Angeli sancti sunt veluti splendidæ luces; & iniqui angeli densæ tenebræ; ad quid necesse est huiusmodi separatio? Ipsi ex sua conditione semetipsos discernunt. Sancti Angeli se exhibebant erga Deum eximia submissione, iniqui verò multa elatione, ac superbia. Angeli sancti intonabant vera, & sancta cõfessione: *Quis sicut Dominus Deus noster?* At vero iniqui superbia, ac mendacio resonabant: *In cœlum conscendam, similis ero Altissimo.* Similitudo, & dissimilitudo se maximè dirimunt: ad quid ergo dicitur, quòd Deus diuisit lucem à tenebris? Perbelle D. Augustinus citatus. *Solus ille*, ait, *ista discernere potuit, qui potuit etiam, priusquam caderent, præscire casuros, & lumine priuatos veritatis in tenebrosa superbia remansuros.* Sancti Angeli veritatem astruebant: *Quis sicut Dominus*, &c. Iniqui superbiam, & mendacium proferebant: *Similis ero*, &c. Coniunctio; ac approximatio mendacij iniquorum spirituum sic obnubilauit, ac veluti obfuscauit sanctam, & veram bonorum Angelorum confessionem, vt quodammodo illa infinita perspicacia, & acuties diuini intellectus exigi videretur, vt inter tot, quænam esset veritas, quodnamve mendacium introspiceret, vnumque ab alio discerneret, ac diuideret: *Diuisitque lucem a tenebris.*

Gen. 1.

August. Raban. Rupert.

Diuini intellectus est inter mendacia veritatem dignoscere.

August.

62. Crudele Saulis odium fugiens Dauid venit ad Achimelech sacerdotem, vt eum de suo futuro euentu consuleret 1. Reg. 22. num. 10. nam huiusmodi responsa sacerdos frequenter dabat. Et vt facilius sacerdos ei esset propitius, causam sui itineris ei celat dicens: *Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, & huiusmodi præcepta tibi dederim.* 1. Reg. 21. num. 2. Grandis insurgit difficultas: Dauid agnoscebat, sacerdotem habere lumen, & perspicaciam ad futura annuncianda, cur non timet causam suæ viæ abscondere, eique mendacium dicere, ab eo enim de ipsa fallacia conuinci, ac redargui poterat, nam qui habebat lumen ad agnoscenda futura, facilè præsens mendacium deprehenderet? Abulensis l. 3. Reg. c. 14. qu. 5. *Dauid fatus putabat*, ait *quod poterat mentiri impunè, hoc est quod quanquam mentiretur, & consuleret Achimelech Dominum pro eo, non posse cognoscere ex responsione Dei, an mentiretur.* Dauid, quamuis illud mendacium diceret, quòd Rex talem viam præceperit, cùm ipse ab eius facie fugeret, multa etiam vera proferebat, nempe quòd ipse, & pueri eius se cõtinuerint, *ab heri, & nudiustertius*: quod ipse, & sui multa fame laborarent: & tam obnubilata manet vna præclara veritas inter multa mendacia, vt ad ipsam veritatem agnoscendam, eamque à fallaciis discernendam, longe maius lumen exoptetur, quàm ad futura prædicenda; ac proinde quamuis hoc in Achimelech experiretur Dauid, adhuc sperabat, suum mendacium tot veritatibus permistum à sacerdote deprehendi non posse.

1. Reg. 22.

1. Reg. 21.

Abulens.

Altum lumen requiritur ad veritatem inter mendacia agnoscendam.

QVÆSTIO VIII.

Quare Apostoli alias sententias Pharisæorum, ac Scribarum non referunt?

63. SÆPE Pharisæi, & Scribæ videntes Christi miracula, eum blasphemo ore dæmoniacum appellarunt: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Luc. 11. n. 15. Eumque etiam Samaritanum dixerunt Ioan. 8. num. 48. Eumque Sabbati transgressorem testificati sunt. Ioan. 5. num. 10. Ioan. 8. nu. 15. Cur ergo inter alias, has etiam sententias non narrant Apostoli?

Luc. 11. Ioan. 8. Ioan. 5.

64. Respondeo primò, quòd supradictas blasphemias, non turbæ, sed Scribæ, & Pharisæi, vtpote inimici maligno spiritu vociferabant. Christus autem, vt dixi supra q. 3. non quæsiuit, quem me dicunt Pharisæi, & Scribæ, sed quem me dicunt turbæ? Nam, vt ait D. Chrysostom. homil. 55. *Quoniam etsi turba deiectior esset, procul tamen ab omni erat malitia, quæ Pharisæi, & Scribæ maximè peruertebantur.* Apostoli ergo satis prudenter non respondent vltra interrogata, sed tantum ad sibi proposita circa populi, ac turbarum sententias.

Chrysost. *Non respondendum vltra interrogata.*

65. Secundò Abulens. q. 53. Illæ blasphemiæ erant Scribarum, ac Pharisæorum; & illi non poterant conuenienter recipi in testes, nam manifestè constat, illos malignos, ac Christi æmulos esse: aperta enim Christi detestabantur miracula, & quantò ille maiora faciebat, tanto illi deteriora de eo dicebant, & nitebantur grauius ei nocere. Ergo eorum testimonium non fuit, commemorandum, sed vtpote inimicorum prætermittendum.

Abulens. *Inimicorum testimonia maligna.*

66. Tertiò Apostoli, vt probi, ac sancti, eas sententias retulerunt, quæ minus asperæ videbantur; quæ verò minus acerbæ consistebat, quòd nempe dæmoniacus, vel Samaritanus appellaretur, tacent, ac supprimunt; ne relata tanta blasphemia, pronunciata ab hominibus, qui eorum proximi, conciues, ac etiam consanguinei erant, eos multum dedecorarent, ac impudentiæ nota afficerent.

Sancti bona dicunt, mala tacent.

67. Quartò. Interrogationi respondent Apostoli *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, aut Ieremiam*, & præfatas calumnias silentio premunt. Et satis prudenter: optimè enim deprehendebant, maiorem alicui iniuriam irrogare, non illum, qui opprobrium, ac calumniam in eius absentia impingit,

Valdè iniustum, qui detractionem prælatam in absentia refert in præsentia.

git, sed qui in eius præsentia id refert: & ideò detractiones, ac obmurmurationes Pharisæorum in eius facie non commemorant, nec repetunt.

68. 1.Reg.10. Caietan. Carthus. 1.Reg.10. Abulens.

Electo Saule in regem *filij Belial*, hoc est viri furiosi, & indomiti: vt explicant Caietanus, Carthusianus, & alij, *dixerunt: num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* 1.Reg.10.num.27. Ettamen pro tunc, vt notat Abulensis qu. 28. nemo increpauit eos, nec de eorum verbis aliquid retulit Saul. Postea verò cùm Dauid venisset in Nobe ad Achimelech sacerdotem, à quo benignè est exceptus, eius subueniens necessitati; deditque ei sacerdos panem,& gladium.1. Reg.21. n.6. Quæ omnia, vt gesta erant Saul narrauit Doeg Idumæus, *qui erat primus inter pastores Saul. Vidi, inquit, filium Iesai in Nobe apud Achimelech, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei, & gladium.* 1.Reg. 22. n.9. Beneficentia Achimelech in Dauid statim Saul denuntiatur: & tamen maledicta, ac opprobria in eum iactata à filiis Belial, nullus est, qui Regi referat. Beneuolentiæ signa, in inimicum collata, in præsentia Regis possunt aperiri; non tamen detractiones, ipso absente, in eum irrogatæ: hoc enim est magnam in eum iniuriam impingere; nam quod alius non audet, nisi post tergum,& subsurrando dicere; ea autem repræsentare ante faciem impudenter non veteris.

2.Reg.22. *Calumnia, in absentia prolata non sunt referenda.*

*Matth.*16. *num.*15. Dicit illis Iesus: Vos autem, quem me esse, dicitis?

VERSIONES.

Vatablus. At vos, quem me dicitis esse?

Alter Textus.

*Marc.*8.*n.*20. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis?

Luce 9.*n.*20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis?

EXPOSITIO III.

69. DIXIT *illis Iesus.* Optimè sciebat Dominus, quid Apostoli sentirent: Tamen eos interrogat, vt confitendo mereantur, & confessione ipsa laudata, in ea confirmentur; & nos eorum sententiam,& fidem cognoscentes, eos, vtpote Orbis destinatos doctores, imitemur, ac sequamur. De quo plura supra qu. 2. *Vos autem*, Pronomen *vos* multam emphasim habet, qua Discipuli opponuntur, & separantur ab hominum turba. *Vos autem*, ait, qui continui fuistis, & operum meorum spectatores, & doctrinæ meæ auditores; qui familiariter mecum publicè, priuatimque individui socij estis; qui sal terræ, & lux mundi vocati estis, qui in nomine meo plurimas ipsi quoque fecistis virtutes, qui super turbas, & supra homines esse debetis, *Quem me esse dicitis?*

QVÆSTIO IX.

Quare Christus separatim à turbis Discipulos interrogat; & non ait: Vos, quem filium hominis, sed quem me esse dicitis?

70. AB hoc secundo quæstionem incipio. Quare sic quando Dominus supra a suis Discipulis quæsiuit, quid de eo dicerent homines, se filium hominis vocauit? *Quem dicunt homines esse filium hominis?* modò verò cum Discipulos interrogat, non sic se nominat; sed de persona ponit quæstionem, *Vos autem, quem me esse dicitis?*

71. Bernard. D. Bernardus de gradibus Humilitatis. col. 4. *Hominum de se opinionem à Discipulis inquirens, Quem dicunt, inquit, homines esse, non me, sed filium hominis? Rursus eosdem interrogans. Quid de se ipsi quoque sentirent, Vos autem, non quem filium hominis, sed quem me, ait, esse dicitis? Carnalis videlicet populi sententiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est filius hominis, posuit; spirituales verò Discipulos de sua diuinitate interrogans, non filium hominis, sed signanter,me dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc, quod dixerat,me, requisiti fuissent, sua responsione aperuit: Tu es, inquiens, non Iesus filius Virginis, sed Christus, filius Dei.* Cùm Christus quærit, quid homines carnales sentiant, quid carnis in eo erat, nempe filius hominis, proponit: cùm verò spirituales suos Discipulos interrogat, de persona ponit quæstionem: *Vos, quem me esse dicitis?* Ipso interrogationis modo eos, vtpote Discipulos suos, instruens, ac veluti manuducens, vt de sua ferant diuinitate testimonium, & quid de eo sentiant, aperiant. Quod Petrus intelligens non ait, Tu es Christus filius hominis, sed filius Dei viui. Perspicax intellectus ex modo quærendi penetrat interrogationis scopum.

Ex modo interrogationis deprehenditur scopus illius.

72. Chrysost. Venio ad primam quæstionis partem: Cur singillatim, ac separatè à turbis eos interrogat? Respondet primò D. Chrysost. hom.55. *Hac secunda interrogatione monuit Dominus discipulos, vt maiora de ipso cogitarent, ipso enim interrogationis modo ostendit, illas vulgares opiniones multum à sua dignitate abesse.* Cùm eos auditis populi sententiis interrogat, ipsos ab illis opinionibus trahebat, innuens, quid respondendum esset, vt non eandem sententiam,ac turba tenerent, sed vt qui tot,ac tanta ab eo viderant mirabilia, de eodem altiora dicerent, ac profiterentur. Idem docent Victor Antiochenus, Euthymius, & alij. Et hac etiam de causa, ait Antiochenus, eos interrogauit, non quid sentirent, sed primò qnid turbæ de illo dicerent. Simul quoque nec in exordio prædicationis hæc quæsiuit, sed post multa miracula,& signa facta, multaque de rebus sublimibus, eiusque diuinitate data documenta; quibus omnibus optimè instruebantur, qui de eo sentire deberent, quidque respondere. De quo latè idem Chrysostomus.

Christus cùm interrogat, innuit, quid dicere Discipuli. Vict. Ant. Paschas.

73. Paul. Emil. Secundò Paulus Emissenus hom.de natiuitate, habita Concilio Ephesino tom. 6. c.13. dicens. *Vos, qui me tres iam annos secuti estis, & qui meam virtutem, & prodigia vidistis, & super mare ambulantem*

Qui de Christi parte participat, alios homines cognitione excedit.

balsamum spicatum, & in eadem mensa mecum communicasti, quem me esse dicis? Rectè Christus suos Discipulos à multitudine hominum extrahit, & tanquam nostram excedens segregat; erant enim iam per tres annos Christum sequentes, in eiusque comitatu perseuerantes, panémque sacrum de eius manu communicantes: vnde de illis valdè magna, & sublimia erant speranda: de illis enim, qui de Christi affluentia tantum hauriebant, excellentiora erant, in scientia ac cognitione, quam de cæteris hominibus suspicanda.

74. Marc. 6. Theophyl.

Tertiò. Cùm Christus quærit, quid de eo dicant homines, sub hominum appellatione Herodem regem comprehendit: *Audiuit Herodes rex, & dicebat, quia Ioannes Baptista surrexit à mortuis.* Marc. 6. n. 14. Vnde ait Theophylactus in præsenti. *Qui Ioannem ilium nominabant, eram ex iis, qui cum Herode putabant, Ioannem post resurrectionem etiam donum accepisse operandi miracula.* Modo quæro: Si sub hominum appellatione Herodes rex denotabatur, cur etiam Apostoli, homines pauperculi non se arbitrantur intelligi, vt etiam ipsi suam sententiam proferant? Ad quid necesse est, vt Christus Dominus eos tanquam ab hominibus excipiens, singulariter interroget, *Vos quem me esse dicitis?* Herodes, etsi rex, communi tamen hominum vulgo includitur; at Discipuli, etsi conditione humiles, ab hominum multitudine extrahuntur, & tanquam humanam excedentes naturam ab aliis discriminantur. Hoc documento docemur, veram nobilitatem, veramque dignitatem, non à purpura, ac splendore regio, sed ab optimis moribus, ac virtutis meritis pensandam, ac censendam esse. Et si Herodes corona esset redimitus, cùm tamen vitiorum turpitudine exitteret sordatus, inter plebeios, ac infimos homines indistinctus adscribitur. Apostoli verò diuini Spiritus luce illustrati, virtutum fastigio sublimati, etsi pauperculi viderentur; tanquam si iam essent ab humana conditione segregati, cum illis res agitur, ac quæritur.

In Christi schola, non attenditur dignitas, sed merita.

Abulens.

Abulensis q. 55. *Hoc fuit, ait, ad ostendendam dignitatem Apostolorum, quia illi non erant, vt homines, sed vt Dij, quia aliquid de Christi Deitate sentiebant. Et ideò turbas vocauit homines, quia de Christo sentiebant esse hominem. Istos autem, quia plus humanitate de Christo sentiebant, non vocauit homines, sed à cæteris segregando, dixit, Vos; sic Hieronymus.* Cuius verba statim subiicio.

75. Hieron.

Quartò D. Hieron. *Qui de filio hominis loquuntur, homines sunt; qui diuinitatem eius intelligunt, non homines, sed Dij appellantur. Prudens lector, attende, quòd ex consequentibus, textúque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur;* Quæsiuit Christus prius, quid de eo dicerent homines; postea verò interrogat Apostolos, quid de eo sentiant. Et tunc Apostoli, ait D. Hieronymus, *nequaquam homines, Sed Dij appellantur.* Et cur non homines, sed Dij dicendi sunt? Rationem iam præmiserat S. Doctor: *Qui de filio hominis loquuntur, homines sunt; qui diuinitatem eius intelligunt, non homines, sed Dij appellantur,* Qui Christi diuinitatem agnoscunt, de illáque loquuntur humanam massam veluti exuunt, & in supernam conditionem euehuntur: O præclarum Theologicæ disciplinæ encomium, quæ, cùm in diuinitatis cognitione versetur, de illáque differat, quodammodo creaturæ metas superexcedit.

Excellentia Theologiæ.

76. Hieron.

Quintò. Idem D. Hieronymus. *Prudens lector, attende*, ait: *quòd ex consequentibus, textúque sermonis Apostoli nequaquam homines sed Dij appellantur: cùm enim dixisset, quem dicunt homines esse filium hominis? subiecit: vos autem, quem me esse dicitis? illis, quia homines sunt, humana opinantibus: vos, quia Dij estis, quem me esse existimatis,* Interrogauit Dominus Discipulos suos, *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Statim specialiter ad ipsos conuersus, *Vos, quem me esse dicitis?* Si quid de eo sentirent homines, iam erat indicatum, ad quid rursum percontatur Apostolos? cùm etiam illi homines extiterint. *Subiecit: Vos, quem me esse dicitis? illis quia homines sunt humana opinantibus: Vos, quia estis Dij, quem me esse existimatis?* Tam insitum, ac affixum est hominibus, aliorum magnalia ignorare, & solum nimia videre, vt dicatur, & prædicetur, quòd, vt Apostoli diuinitatis Christi celsitudinē agnoscant, interrogandi modo innuitur, quòd ipsi supra naturam humanam euolant, ac nostram conditionem transgrediuntur, vt de Christi diuinitate ferant testimonium.

Homo aliorum gloriā videre, ac dicere nescit

77. *Prædicationis munus adeo sublime, vt non hominis, sed Dei esse videatur.*

Sextò. Ad eadem Hieronymi verba: *Attende, prudens lector, quod ex consequentibus, textúque sermonis Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur.* Interrogabantur hic Apostoli, vt de Christi diuinitate darent testimonium, ad quam per totum terrarum orbem prædicandam erant electi; prædicare autem diuina mysteria, veritatémque annunciare, adeo humanas vires superexcedit, vt tanto muneri destinati, non homines, sed tanquam quid superius reputentur *Apostoli nequaquam homines, sed Dij appellantur.*

78. Matth. 1. Marc. 1.

Maximè ponderandus diuersus exordij modus apud Matthæum, & Marcum; nam ille sic initium ponit: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*: Hic verò sic incipit: *Initium Euangelij Iesu Christi filij Dei.* Cur D. Matthæus Christi generationem per anos, ac atauos intexit; at verò D. Marcus nil de carne commemorans in titulo Christum ex Deo Patre natum scribit? D. Matthæus valdè aptè ad suam intentionem sic exordiur: intendebat ostendere Christum filium Dauid, ab Abrahæ, quod per tam longam generationis declarat. At D. Marcus ad quid statim in limine Verbum incarnatum ex Deo natū dixit, cū ille de æterna processione, ac emanatione diuinarū personarum non agat; hoc enim in initio sui Euangelij explicandum proponit Ioannes; Ad quid ergo Marcus tam solerter in titulo Christum dicit filium Dei? Inter cæteros Euangelistas hoc habet D. Marcus peculiare, vt in principio suæ historicæ initia, ac fundamenta prædicationis Euangelicæ proponat, quomodo gentes erant exhortandæ, ac vocandæ ad baptisma, ac pœnitentiam: *Baptizans, & prædicans pœnitentiam in remissionem peccatorū*, Hoc, quod est prædicare, adeo super humanas vires perexcelsum est munus, solóque Deo dignum, vt de tanto munere dicturus Euangelista, quidquid est humanæ fragilitatis, diuinitatem Christi commemorans, prætermiserit nobis innuens, quòd ex solo diuinitatis afflatu initia, ac fundamenta prædicationis prouenire valebant. Beda in exordio Euangelij Marci. *Aptè*, ait, *qui scilicet Matthæus, humanam eius generationem descripturus, a filio hominis cœpit Dauid videlicet, siue Abrahæ, de quorum stirpe subsistentiam carnis assumpsit: aptè is*, scilicet Marcus, *qui librum suum ab initio Euangelicæ prædicationis inchoabat, filium magis Dei appellare Dominum nostrum Iesum Christum: quia nimirum*

Prædicandi munus super vires humanas, solo Deo dignum.

Beda.

diuina fuit potentia, Euangelium mundo prædicare.

79. Matth.3. In Baptismo dat Pater de filio testimonium, de eóque prædicat *Hic est filius meus dilectus.* Matth.3.n.17. Cùm Ioannes videt Iesum ambulantem, ac venientem ad se, suis discipulis ait: *Ecce Agnus Dei. Ioan.1.n.29.* Quæ inter se conferens D. Chrysost. apud Photium pag.1523. fragmentis homiliarum de Baptistæ decollatione. *Ioannem prædicabo*, ait, *& eius sapientiam omnibus vobis notam faciam: Ioannem, qui diuisit cum Patre prædicationem Vnigeniti: etenim ille, Hic est filius meus dilectus, desuper è cœlo testatus est, hic verò infra in terra, Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: & Pater per columbam Dilectum suum ostendit, ille digito ostendit mundo Redemptorem.* Prædicat Pater Filij diuinitatem; prædicat & Ioannes mundi Redemptorem: & in ipso prædicationis negotio tantum extollitur Ioannes, vt videatur, eum à Patre tanquam comitem adsciscí: *Qui diuisit cum Patre prædicationem Vnigeniti*: Adeo sublime est, Christum prædicare, ac annuntiare, vt qui tali muneri incumbit; Patrem quodammodo videatur habere comitem, illiusque diuinæ vocis vices gerere, cum Patréque Vnigeniti prædicationem diuidere.

Ioan.1. Chrysost. Ioannes Baptista cum Patre diuisit prædicationem Vnigeniti.

Matth.16. Respondens Simon Petrus
num.16. dixit: Tu es Christus filius Dei viui.

VERSIONES.

Syriacus. Tu es Meschicho filius Dei viui.
Euthymius. Tu es Christus filius ille Dei
Theophylactus. viuentis.
D.Basil.homil. Filius Dei excelsi.
de pœnit.
Salmeyron. Tu es ille Christus, ille fi-
tom.4.part.3. lius illius Dei, illius vi-
tract.1.ex uentis.
Græco.

ALTER TEXTVS.

Marc.8.n.29. Respondens Petrus ait ei: Tu es Christus.
Luc.9.n.20. Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.

EXPOSITIO IV.

80. IN Euangelio tantum nominatur Petrus, at verò hic, quando excellentissimam protulit confessionem qua ad summum apicem est euectus, non solùm dicitur Petrus, sed Simon Petrus. Albertus magnus. *Simon, ideſt obediens, per quod significatur, meritum ad congruentem responsionem.* Psalm.118.n.104. A mandatis tuis intellexi. *Obedientia ei mandatorum plus dat intellectum, quam labor studiarum.* Cùm interrogatus à Domino, ex obedientia respondet, tunc præclarum edidit verbum, valdeque illustrem profert confessionem. *Petrus.* Idem Albertus Magnus. *Petrus.* Persica lingua, ideſt cognoscens, illum enim cognouit, de quo dicitur Isai.45.n.15. *Vere tu es Deus abscondítus.*

Alb. Magnus. Psalm.118. Obedientia dat intellectum. Isiæ 45.

81. Thaum. *Tu es Christus.* D.Gregor.Thaumaturgus serm. de Christi Baptismo. *Istis verbis*, ait, *cœlitus tonitrui in modum prædicantibus illuminatum est humanum genus, cognouerunt que omnes differentiam Creatoris, & creaturæ, Regis & militis, fidéque confirmati accesserunt per Baptisma ad Christum verum Deum nostrum.* Lucem fulgentissimi radij, ac splendoris horum verborum intueamur. Fatetur Petrus Christum verum Messiam. *Tu es Christus*, id est Messias, vt habet Syriacus, vnctus à Deo vnctione Vnionis Hypostaticæ cum Verbo in vnitate personæ, constitutus summus Orbis Pontifex, Doctor, Rex & Propheta. Fateturque Christum Dominum verum Deum, vt inquit D. Thom. nam Christus dicit naturam humanam subsistentem in persona Verbi. *Tu es Christus*, ideſt vnctus oleo Spiritus sancti; vnctio enim non conuenit ei, secundum diuinitatem, quia ab illa procedit, sed secundum humanitatem. Penetrat & Petrus ad Christi diuinitatem, dum ait: *filius Dei viui*, per æternam scilicet generationem. Et articulus in Græco multam habet emphasim: *Ille fuit*: scilicet vnicus, & naturalis Patri. Articulus appositus singularitatem importat: non enim est Christus filius, vt Baptista, Elias, & Prophetæ qui erant filij adoptiui, quibus hic Petrus apponit, & anteponit Christum.

Confessio Petri radius mundi. Syriacus. Thomas.

82. *Viui*, seu *Viuentis*, qui formaliter vivit vita increata, & beata: & ponitur pro distinctione fictorum deorũ, qui mortui sunt, vt ait D.Hieron. Confitetúrque Petrus, inquit D. Paschasius, totam Trinitatem. Pater, & Filius prædicatur, cùm dicitur filius Dei viui, cum verò Christus asseritur, ideſt vnctus à Spiritu Sancto dicitur omni plenitudine gratiæ. Ipse enim plenus est gratiæ, & veritatis: à Ioan.1.n.14. testificatur. Et notandum, quòd hic simpliciter ait: *Tu es Christus filius Dei.* At homines in naui Matth.14.n.33. *dixerunt*: *Vere filius Dei es.* Sicut & in Caluario Centurio Matth.37.n.54. clamauit: *Verè filius Dei erat iste.* Agebant enim isti coram inimicis, & ideo assertione, ac veluti iramento *Verè* vtuntur. At Petrus dabat testimonium coram Discipulis, ac amicis, quibus vna simplex assertio sat erat. An verò Petrus primus cognouerit Christi diuinitatem? dicam qu.13.

Hieron. Paschas. Ioan.1. Matth.14. Matth.27. *Coram inimicis multa obseruationis vtendum.*

QVÆSTIO X.

Quare Petrus solus respondet? & an pro se solo; vel etiam pro omnibus aliis?

83. GRAVES sunt antiqui patres asserentes, Petrum, quasi Apostolorum os, non pro se solo, sed pro omnibus respondisse. D. Hieronymus: *Petrus*, ait, *ex persona omnium Apostolorum profitetur: Tu es Christus filius Dei viui.* D. Augustinus serm.15. de verbis Domini *Petrus*, inquit, *vnus pro multis dedit responsum.* Idem docent D. Ambrosius lib. de Incarnat. cap.4. Ioannes Cassianus lib.3. de Incarnat. D. Paschasius lib.8. in Matth. D. Anselmus, Albertus magnus, S. Thomas, Glossa Interlinealis. D. Dionysius Carthusianus, Lyranus, Iansenius, & alij.

Hieron. Augustin. Ambros. Cassian. Paschas. Anselm. Alb.magn. Thomas. Carthusian. Interlineal. Lyranus. Iansenius.

84. D. Hilarius verò, Abulensis quæst.57. Maldonatus, Lucas Burgensis, Barradas, Cornelius à Lapide tenent, Petrum pro se solo respondisse. Quæ sententia mihi est probabilior. Probatur, quia

Hilar. Abulens. Maldon.

Quapropter Petri verba Christus solum Petrum tenuerat, ad eumque solum dirigit termonem: *Ergo dicebat*: Eumque solum beatum appellat: *Beatus Simon*. Eique soli promittit claues, nullam de reliquis Apostolis faciens mentionem. Ergo Petrus pro se solo loquutus est, suumque meritum in hac confessione explicauit, cui soli condignum præmium datum est à Domino. Dicitur autem pro cæteris Apostolis respondisse, qua aliis Apostolis tacentibus, & forte de responsione hæsitantibus ipse primus pro omnibus dixit, quod alij respondere debebant; non quòd sciret, hoc omnium esse iudicium, siquidem cum nullo de hac re habuerat sermonem; sed quia volebat, suam sententiam omnibus esse communem, & ita omnes sentire, vt ipse sentiebat: & audita hac sententia Petri, omnes illi acquieuerunt, & eidem sententiæ subscripserunt.

Ruperti Barradi Comel.

85. Cur ergo Petrus solus respondet? Dico, quòd Ratio à priori est diuina gratia, quæ sic illuminauit eius mentem, vt primus omnium clarè, & distincte cognosceret Christum Dominum verum filium Dei per æternam generationem, vt dicam quæst. 13. Vnde D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Beatus Petrus plusquam homo erat, qui vltra hominem sapiebat, cùm qui Dei filium in hominem videret, vltra humanos oculos vidit, & intellexit.*

Paschas. Plusquam hom.

86. Congruentiæ multæ sunt. Primò D. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 64. *Præueniebat*, inquit, *alios Petrus, ardore namque Christi præcipuo feruens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. Vnde tarditatem nauigij videns*, Ioan. 21. *tunica succinctus in mare exiliit.* D. Chrysostom. hom. 55. in Matth. *Quid igitur Petrus*, ait, *omnium Apostolorum os, vertex consortij totius? Cùm omnes interrogati essent, ipse solus respondet. Et quandoquidem de sententia vulgi petebat, omnes responderunt. Cùm verò de sua eos rogat, Petrus confestim prosiluit.* D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Petrus*, inquit, *prior præ omnibus respondit, prioratus officij est, & ardor fidei nimius.* Petrus, præ amore erga Christum, in his, quæ ad eius auctoritatem, & honorem, ac fidem spectabant, nimio ardore feruidus erat: & ideò, cùm Apostoli interrogarentur de sua sententia: *Vos quem me esse dicitis?* Petrus moras non sustinet, sed statim prosilit, ac Christum verum filium Dei confitetur. Amor enim non patitur moras, nec in dilecti negotio alteri cedit, sed primas rapit.

Cyrill. Ioan. 12. Chrysost. Paschas.

87. Secundò. S. Leo serm. 2. *Ille primus est*, ait, *in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate*. Non quòd modo in illa esset, siquidem hic hæc illi promittitur; sed quia ad illam erat designatus. Qui eminet dignitate, debet & merito eminere, vt quanto magis in eo meritum resplendet, tanto magis sit honorifica dignitas, omnibus plausibilis, & nulli inuidiosa. Cùm Apostoli viderent idem tributum pro Domino, & Petro esse redditum, ex quadam ambitionis specie commoti, accedentes ad Dominum dicunt: *Quis putas, maior est in regno cælorum?* Matth. 18. num. 1. Sicut & in Cœna facta est inter eos contentio, *Quis eorum videretur esse maior.* Luc. 22. num. 24. At in præsenti, cùm audiunt Petrum beatũ vocari, fundamentumque Ecclesiæ dici, clauésque regni cœlorum ei promitti, cur nulla inuidia, vel ambitione in eum commouentur? Enidens, ac excellens meritum Confessionis illius omnem ambitionem, ac inuidiam ab aliorum animis propulsabat, vt nullo modo affectu erga illum raperentur. Vide. tom. 2. cap. 10 quæst. 11. n. 78. 79. 80.

Tertiò Abulensis q. 56. Cùm essent Apostoli quæsiti de opinione populi, omnes responderunt, eo quòd nemo dubitabat, quid respondendum esset, cùm planum esset, quid populus de Christo sentiret. Interrogati autem de propria sententia, fuerunt tardi in respondendo, fortè quia timuerunt, quòd discordarent in respondendo; & nolebant redargui à Christo, sicut solitus erat arguere eos in similibus erroribus, vt patet hoc cap. 16. Matth. num. 8. Et quia volebant cautè respondere, ideò morabantur; & tunc quia Petrus erat cæteris feruentior, respondit, quia ipsa gratia ministrabat vires, ac animum, vt tam animosè asseueranter diceret: *Tu es Christus filius Dei viui.*

88. Abulens. Matth. 16. *Gratia dat vires ad animum.*

Quartò. Idem Abulensis. Petrus erat futurus pastor, & præsul totius Orbis; vt igitur innueretur, quòd populus deber tenere talem fidem, qualem eius pastor profitetur, ideò Petrus, qui futurus erat vniuersalis pastor, solus respondet. Deinde voluit Christus, vt fidei Confessio esset per solum Petrum, vt denotaretur, quòd talis fides tenenda est, qualem prædicat Romana Ecclesia, quæ est caput, & mater omnium Ecclesiarum, cui Petrus præfuit, cuiusque successor est Romanus Pontifex.

89. Abulens. *Populus sequatur pastorem suum in fide, & doctrina.*

Quintò. Cum Petrus ambulans super mare vidisset ventum validum, ac cœpisset mergi, aliquantulum hæsitans dubitauit, an à tempestate premeretur, ac deuoraretur. Tunc Christus, reprehendens eum, ait illi: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Matth. 14. num. 30. Inde tanta obiurgatione cautus iam omnem reiicit hæsitationem, ac dubietatem, ne in similem increpationem incidat; & indilatè prosilit, ac Christi diuinitatem profitetur. Magnorum virorum est, vt vna reprehensione multum proficiant ad alias euitandas.

90. Matth. 14. *Nobilis vnà reprehensione fit cautus ad alia euitanda.*

Sextò. Facta interrogatione à Christo: *Vos quem me esse dicitis?* Vidit Petrus suos condiscipulos tacentes, & aliquantulum dubitantes, quid dicerent. Deinde sciebat, quòd apud aliquos commilitones suos aliqua erat tarditas in fide: nam Iudas multum torpescebat; Philippus dicebat: *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, Ioan. 14. num. 8. Ne ergo aliquis ex condiscipulis aliquid minus decens, ac idoneum de Christo proferret, ipse prior responsum præripuit, ac vt ait Chrysostomus, prosiliuit, & pro omnibus tanta sedulitate respondit. Valdè insita est animo nobili festinatio ne aliorum defectus, ac imbecillitates videantur, nec appareant.

91. Ioan. 14. *Nobilis valdè sedulus, ne aliorum defectus videantur.* Chrysost.

92. Conueniunt Pharisæi ad Christum Dominum in Horto comprehendendum, quibus Dominus obuiam procedens dixit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*, Ioan. 18. num. 8. Ad quid Dominus hoc eis dixit? ad quid tanquam in pactum eis proponit: *Sinite hos abire*? optimè enim sciebat, quòd Iudæi tantùm ipsum quærebant, & quod ad hoc missi erant à principibus sacerdotum. Deinde ipse sua potestate Discipulos ab eorum manibus facile eruere poterat: nam verba hæc: *Sinite hos abire*, per imperium sunt dicta. D. Cyrillus lib. 11. in Ioan. c. 34. *Iussit, Sinite Discipulos abire*, Tandem cur de se priùs non conqueritur, quòd tanquam ad latronem cum gladiis, & fustibus venerint ad eum comprehendendum. Ante omnia imperat: *Sinite hos abire*? Abire iubet, ne fugienti timi-

Ioan. 18. Cyrill.

ditas notaretur, sed factum ex magistri facultate, ac imperio putaretur. Prævidebat Dominus, relicto eo, omnes Discipulos in fugam se esse daturos, quod erat valde indignum, & res nulla reprehensione digna. Ne ergo tantus Discipulorum defectus oculis eorum esset apertus, sed potius occultatus, & absconditus; mandat, *Sinite hos abire*, vt fuga ipsa, non timori, sed potius promptæ obedientiæ adscriberetur; nam cum Iudæi, illud ab ore Domini audientes, Discipulos fugere viderent, facilè sibi poterant persuadere, quòd fuga ex imperio, ac dispositione Magistri proueniebat.

Suorum discipulorũ defectum occultat bonus magister.

93. Luc. 15. Videns bonus ille Pater filium Prodigum ad se reuertentem, occurrens illi benignè eum excepit: *Cecidit super collum eius, dixit ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum*, &c. Luc. 15. num. 22. Valdè mirum, quòd veniebat inuenis ille multa fame, sitique vexatus, & quasi semimortuus, de qua ipse præcipue fuerat conquestus: *fame pereo*: veniebatque multo squalore, ac nuditate deformis, cur pius Pater illi occurrens primo, & ante omnia eum amplexu tenet, cum festinatione mandat vestimenta afferri: *Cito proferte stolam*: & postea de eo reficiendo cibo cogitat: *Adducite vitulum saginatum*? Fames interius torquebat iuuenem: at nuditas, vtpote externa, exposita erat omnium oculis. Benignus Pater occurrens filio ante omnia mandat afferri vestimenta, & interim iuuenem amplexu tenet, veluti brachiis, ac pallio eius deformitatem, ac maculas celans, ne quis præter ipsum illius squalorem, ac nuditatem videret; & ipse ex benignitate videt, vt vestimenta præparet, & tribuat. D. Chrysost. Chrysologus serm. 3. de Prodigo. *Ante*, ait, *vestiri voluit filium, quàm videri, vt soli Patri nota esset nuditas, quia Pater solus videre filij non poterat nuditatem.* Vide de his multa tom. 1. 2. & 3. Verb. Defectus.

Nuditatem filij abscondit Pater.

Chrysost.

QVÆSTIO XI.

Quare non omnes Discipuli respondent, sicut omnes in camino ignis laudabant?

94. *Ratio difficultatis.* CVm Christus quæreret à suis Discipulis: *Vos quem me esse dicitis?* Vnus respondet Petrus, eius diuinitatem confitens: *Tu es Christus, filius Dei*: Cur non omnes respondent, & confitentur, sicut in fornace Babylonica tres pueri quasi ex vno ore Deum laudabant, & benedicebant? Daniel. 3. num. 51.

Daniel. 1.

95. Abulens. Respondeo primò, quòd in laudibus multæ resonent voces, Deus enim multis modis est glorificandus, at in Confessione fidei, pro fidei vnitate inuenda, vna sit vox. Sic ait Abulensis quæst. 16. Vnus Petrus respondet, ad ostendendam vnitatem Ecclesiæ: fides Ecclesiæ indeficiens est, & vnica est, licet sit dispersa per totum Orbem; & ideo ad designandam istam vnitatem debuit confessio fieri per vnum.

Fides Ecclesiæ vna

96. Gaud. Secundò respondet D. Gaudentius serm. 1. Ordinationis suæ, qui dubium excitans ait: *Dicat fortasse aliquis: sicut illos tres in camino fideles pueros ita in hoc examine Apostolos consona voce debuisse eadem profiteri: sed considerandum, quia Iudas ille Iscariotes, quod corde non credebat, ore confiteri non poterat.* In fornace aderant pauci, tres scilicet tantum iusti; at hic in præsenti erat turba Discipulorum; & vbi pluralitas intervenit, rarò deficit vnus Iudas, qui errores, ac pranitates aliquat, & proferat.

vbi pluralitas, ibi vnus, qui errores dicat.

Pro hac veritate confirmanda accipe, quod ponderat in præfati Euang. D. Leo serm 3. in Anniuersario Assumptionis. *Omnes Apostolos*, ait, *Dominus, quid de se homines opinarentur, interrogat, & tandiu sermo respondentium communis est, quandiu humana intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi, quid habeat sensus Discipulorum, exquiritur, primus est in Domini cõfessione, qui primus est in Apostolica dignitate.* Cùm Dominus quærit, quid de se ipso homines sentiant, tunc omnes Discipuli respondent: *Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Ieremiam.* Cùm incerta, ambigua ac falsa proferuntur; tunc omnes communiter dicunt; *tandiu sermo respondentium communis est, quandiu humana intelligentiæ ambiguitas explicatur.* At cum ad verum, & certum deuenitur, vnius, & primaris vox auditur. Ambiguitas, & falsitas in multorum ore inuenitur; veritas, & certitudo in vna tantum lingua constituitur.

97. Leo.

Error in multorum ore, veritas in vnius lingua.

98. Isai 6. Origen. Diuini spiritus Seraphim apud Isaiam 6. n. 3. *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Perbelle notat Origenes ibi homil. 5. *Non alter ad plures, sed alter ad alterum.* Confessione Summæ Trinitatis resonabant spiritus; hæc autem erat alter ad alterum, & non ad plures, valde enim frequenter pluralitas suspecta est in confessione, ac assueratione veræ doctrinæ, quæ ad raros, scilicet ad vnum, vel alterum referuatur.

Confessio veritatis in vno, vel altero.

99. Præstantissimus homo Caleb memorans facinus suum; quo post exploratam terram promissioni, inter aliorum exploratorum murmura; ipse solus cum Iosue pro bonitate terræ, ac pro facili ingressu in illam existens ait: *Misit me Moyses famulus Domini, vt considerarem terram, nunciauique ei, quod mihi verum videbatur: fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissoluerũt cor populi.* Ioſue. 14. num. 8. Duodecim viros, ac tribuum principes misit Moyses ad explorandam terram, Num. 13. num. 4. Et tamen ex eis vnus Caleb cum Iosue verum testificant; alij vero omnes, dissoluerunt cor populi: Hugo, *Dicentes, nequaquam ad hunc populum valemus ascendere*, Abulensis, *detrahentes terra Chanaan.* quod scilicet deuorat habitatores suos. Iosue, & Caleb tantum verum dicunt; cæteri verò omnes falsa proferunt. Sic sanè contingit, quod veritas in ore vnius, vel alterius inuenitur; falsitas, ac mendacium per multorum linguas diuagatur.

Ioſue. 14.

Numer. 14.

Hugo. Abulens.

QVÆSTIO XII.

Quare, cùm Christus Dominus se dixisset filium hominis, Petrus eum fatetur filium Dei?

CHRISTVS, suos Apostolos interrogando, se dixit filiũ hominis, *Quem dicunt esse filium hominis?* Petrus vero eum profitetur Dei filium: *Tu es filius Dei*: Ratio huius tantæ confessionis, diuina gratia, vt dixi superiori quæst.

100.

Primò

101. Fulgentius.

Primò D. Fulgentius lib. 3. de Trasimund. Reg. cap. 15. sic ait: *Neque hoc prætereundum existimo, quod Christo primum se filium hominis nuncupanti Petrus dicit, Tu es Christus filius Dei vivi. Etenim Dei filius carnis humanitate susceptâ debuit in se sacramentum magnæ pietatis ostendere: homo verò redemptus debuit in humanâ filio veram divinæ naturitatis substantiam prædicare, vt dum à Redemptore beneficium gratuitæ miserationis ostenditur, à redempto divinæ confessionis obsequium redderetur.* Christus se dicit filium hominis, Domini enim est, se ad nostram humilitatem, ac infirmitatem ex sua eximia misericordia demittere, vt hominem perditum restauraret. Petrus verò ait: *Tu es Christus filius Dei*: Confessio est hominis grato animo se habentis, celsitudinem divinitatis in suo Redemptore recognoscentis, vt videns tantam celsitudinem sic demissam, inde magis astrictum, ac obligatum se censeat, ac fateatur.

Domini est propter suos se demittere: vt sui memores sint tanti beneficij, eique grati.

102. Anselm.

Secundò D. Anselmus. *Notandum est*, ait, *quia cùm Dominus assumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de se intimauit, quod minus est; Discipulus verò de eo intimauit, quod maius est.* Christus Dominus, vt valde magnus, tacet sui diuinitatem, & solùm dicit, & publicat humanitatem, quod est multo minus. Petrus verò, vt Incarnationis sacramento gratus, dicit id, quod in Domino est excellentius, scilicet eius diuinitatem, vt inde maximè alliciatur ad recognitionem, ac reuerentiam tanti sacramenti.

Nobilia de se dicit minora, & suppressis maiora.

103.

Tertiò. Dum Petrus in hac sua confessione Christi ingenium imitatur, quædam veluti æmulario inter vtrumque videtur interuenire: nam Christus, vt valde excelsus, in sua interrogatione supprimit suam diuinitatem, quæ naturæ humanæ est impartita, ac vnita, & solùm commemorat nostram humanitatem, quam à nobis accepit: *Quem dicunt esse filium hominis?* Petrus etiam, ac si totius humanæ naturæ personam ageret; in Christo recognoscit eius diuinitatem: *Tu es filius Dei*: quæ in alto Incarnationis mysterio humanæ naturæ hypostaticè est communicata, & data. Expressè autem, & apertè subiacet Petrus humanitatem, quam nostra natura diuino Verbo subministrauit. Sicut enim excelsi animi est, silere, quæ donat; ita & memoria, ac ore tenere, quod accipit. Appositè ait Seneca. lib. 2. de Beneficiis. cap. 10. *Qui dedit beneficium taceat, narret, qui accepit.*

Magnum obliuiscitur dati, recordatur accepti.

Seneca.

104. Ioan. 19.

Pendens meus Iesus in Cruce, cùm in manus Patris commendans animam suam sacratissimam exhalaret, Ioannes 19. num. 49. ait: *Inclinato capite tradidit spiritum.* Ad quid meus Iesus caput inclinat: Ad quid cœlestis spiritus vult terram aspicere? Sicut erecto capite Patri cõmendat animam, cur sic etiam non emisit spiritum? Et sicut alto clamore, cur etiam non sic elato capite spirat? Ad quid inclinat caput? Arnoldus Carnotensis tract. de verbo illo Domini: *Mulier ecce filius tuus*, præclarè ait: *Filius ad pectus Matris, & vbera, Pater ad Filij crucem, & vulnera respiciebat.* Inclinat Christus caput, vt respiciat pectus, non vt intueatur suum, statim lanceæ cuspide aperiendum, ingentemque daturum sanguinis copiam, ex quo gratiæ fontes, scilicet septem sacramenta emanabunt, ait Arnoldus, *vt respiciat ad pectus Matris, & vbera.* O diuinum ingenium, ingensque gratitudinis, ac liberalitatis norma! Non attendit meus Iesus ad suum pectus, vberes gratiæ fontes statim daturum, sed ad pectus, & Matris vbera, ex quibus retro iã multis annis lactis guttas susceperit. In hoc autem eventu quid Pater peculiariter intuens, nostro dicendi modo describitur? At præsentissimam sibi diuinitatem, quam ab æterno pro omni instanti Filio communicat? *Pater*, inquit Arnoldus, *ad Filij crucem, & vulnera respiciebat.* O magna nostræ informationis idea! Æternus Pater non introducitur intuens suam diuinitatem, quam ineffabili generatione Filio communicat, sed aspiciens obsequium à Filio in sui honorem oblatum, quantumcunque præclaræ eius obedientiæ ad remunerationem veluti debeatur. Filius proponitur aliquando dati, nunquam verò accepti oblitus: Pater vero non quod Filio communicat, sed quod Filius in eius gratiam offert adspicere commemorat.

Domini est propter suos se demittere: vt sui memores sint tanti beneficij, eique grati.

Divinum ingenium non attendere ad datum, sed ad accipium.

Arnoldus.

Benedicens Iacob nepotes suos Ephraim, & Manasses, ait: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem, benedicat pueris istis.* Genes. 48. num. 15. Valde mirabile, cùm Patriarcha deprecaretur Deum, vt esset propitius, cur ad hoc non proponit præclara sua obsequia per tot annorum spatium, vt communiter solet fieri, cum propitiationem Dei exoptamus? Cur non commemorat votum suum exhibitum, tot altaria à se erecta, totque sacrificia præstita, tot tantosque labores tanta patientia supportatos? Cur solum in oratione meminit de Deo, eum pascente, nutriente, ac custodiente à sua iuuentute, ac infantia? O bona viri indoles! Proponit accepta, prætermittit obsequia persoluta. D. Chrysostomus homil. 66. *Qui pascit me à iuuentute mea*, &c. sic subdit. *Grata anime, ac pia, & bene memoris beneficiorum Dei verba. Ille, inquit, qui me à iuuentute mea vsque in præsentem diem educauit, qui me ab initio ab omnibus malis liberauit, qui tantam erga me declarauit prouidentiam.*

105. Gen. 47.

Iacob commemorat, nõ obsequia exhibita, sed dona accepta.

Chrysost.

QVÆSTIO XIII.

Quare Petrus Christum Dominum potius appellat filium Dei vivi, quàm Dei Omnipotentis, Immensi, ac Æterni.

106. *Ratio difficultatis.*

DIXIT Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cur non dixit potius, Dei Æterni, Immensi, ac Omnipotentis? Per hæc attributa satis apertè suprema Diuinitatis maiestatem explicabat aliquid potius ait, *Dei vivi*?

107. Hieron.

Primò D. Hieronymus. *Tu es Christus filius Dei vivi, Deum vivum appellat*, ait, *ad distinctionem eorum Deorum, qui putantur Dei; sed mortui, Saturnum, Iouem, Cererem*, &c. *& cætera idolorum portenta significans.* Deum vivum appellat, id est Deum verum denotans, Scripturarum more, vt ab idolis distinguat: *putantur Dij, & mortui sunt.*

108. Origenes. *Deus vita sua.*

Secundò Origenes Filius Dei vivi, scilicet qui per Prophetas dixerat: *Vivo ego, dicit Dominus.* Et ideo dicebatur vivus secundum superexcellẽtiam, quæ supereminet omnibus habentibus vitam, solus enim Deus propriè habet vitam, & immortalitatem, quia esse est viuere; & sicut Deus proprie, & absolutè est, de eoque propriè, & absolutè prædicatur esse, *Ego sum, qui sum.* Exod. 3. Sic Deus propriè, & absolutè viuit, de eóque vita prædicatur, & ita Deus viuit formaliter vita diuina, & beata, vt causaliter omnibus rebus à se

Exod 3.

creatis suam vim,ac vigorem;viuentibusque animam,& vitam inspiret;ab ipso enim velut à fonte omnium vita emanat. Vide quæ dixi ad illa verba Ioan.1.num.4. *In ipso vita erat.*

109. Abulens. Terriò Abulensis quæst. 58.Dicitur filius Dei viui, ad imitandum modum loquendi Scripturæ, quæ, vt expliçet excellentiam, ac maiestatem Dei, Deum viuum appellat. Sic dicebat Dominus de se, *Viuo ego, dicit Dominus.* Et ita iurantes dicebant, *Viuit Dominus, & viuit anima tua* 3. Reg. 71.num.1.& 12.& 4. Reg.2. num.24. & cap.3. num.14. Ita & Petrus ad explicandam celsitudinem Dei, cuius filium Christum appellat, cum dicit filium Dei viui,antiquam suæ gentis consuetudinem tenens, & seruans.

3.Reg 17. 4.Reg.2. & 3. *Antiqua consuetudo suæ gentis seruanda.*

110. *Christum filium naturalem fatetur D.Petrus.* Quartò:D. Petrus in præsenti appellans Christum *filium Dei viui*, aperto argumento coniungitur,quòd eum dicit filium Dei naturalem.Nam Petrus filium Dei vocans Christum Ioanni, Eliæ, & Ieremiæ, & Prophetis opponit, quos vtpote iustos, certum est filios Dei adoptiuos extitisse: ergo cùm per distinctiones ad eos Christum dicit filium Dei, non intelligit filium adoptiuum, sed naturalem.Hoc argumento ad probandam Christi diuinitatem vtuntur antiqui Patres D.Hilar.in Comment.hoc loco.& lib.6. de Trinit. D. Athanasius serm.3. contra Arianos, & in Epistola de sententia Dionysij Alexand. contra Arianos. D. Gaudentius serm.1. Ordinationis suæ, Ioannes Cassianus lib.3.de Incarnatione Domini.

Hilarius. Athanasius. Gaudentius. Ioan.Cassi.

111. Confirmatur.Quia ideo non dixit Petrus filium Dei Omnipotentis,seu benedicti, ne filiatio adoptiua, ex Omnipotentia, aut benedictione Dei facta significaretur; sed dixit filium Dei viui, ad explicandum, quòd est filius Dei naturalis, procedens naturalissimo viuentis opere, quod est per generationem. Sic commentantur hic Caietanus, & Lucas Burgensis. Obiicit Salmeyron tom.4. part.31. tract.1. Quod etiam filij adoptiui nuncupantur filij Dei viuentis. *Et erit in loco, &c. vbi & dicitur filius Dei viuentis.* Osee 1. num.10. Respondetur tamen, quod Propheta de filiis Ecclesiæ ait: quod *dicetur eis.* At Petrus in præsenti loquitur per verbum substantiuum proprium diuinitatis,opponens filiationem naturalem filiationi adoptiuæ.

Caietan. Burgens. *Obiectio Salmeronis.* Osee. 1.

112. Quinrò.Cur potius ait Petrus, filius Dei viui, quàm Dei Æterni, Immensi, Infiniti,seu Omnipotentis? Æternitas, Immensitas, infinitas, Omnipotentia sunt attributa,quibus Deus mirificè gaudet,& fruitur. At vita ita est superexcellentia Dei,vt eam Deus homini communicet, illiúsque homo fiat particeps, *Insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ.*Gen.2.n.7.Publicatur ergo Christus potius filius Dei viui,quàm Æterni, seu Immensi: magis enim Deus quodammodo vult cognosci,ac manifestari per ea, quæ nobis communicat,quàm per illa,quæ ipse solus possidet, ac sibi retinet.

Gen.1. *Christus magis gloriatur de his, quæ communicat, quam de his quæ possidet.*

113. Gen.1. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Gen.1. num. 4. Inuestigandum est à nobis: Cur quando hominem formauit,nomen Domini ei attribuitur, cum in productione aliarum creaturarũ Dei nomine solum gaudeat? De creatione cæli, & terræ dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram*,non Dominus. *Dixit Deus, fiat lux*; non,dixit Dominus;& sic vsque ad hominis creationem. Cur ergo potius in præsenti hoc nomine gaudet, quàm in productione aliarum rerum?Ante hominis formationem, non dabatur in hac visibili machina, quispiam, cui Deus dominationem communicaret: at producto homine, iam persona existebat, quæ dominationis particeps fieret: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli*, Tunc Deus nomen Domini sibi adscribit, seque Dominum nominari vult, cùm iam sit productus homo,cui tale nomen conferat, quemque illius participem reddat. Tertullianus lib.aduersus Hermonem cap. 5. *In principio*, ait, *fecit cælum, & terram, & dicit Deus, fecit Deus, & vidit Deus, nusquam Dominus; at vbi vniuersa perfecit, ipsum quoque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam appellatur; ac inde Dominus, qui retro Deus tantum ex quo habuit eius esse.*Quasi diceret,Creato homine Dominus vocatur,cum iam homo habeat eius esse per participationem, vt possit aliis dominari. *Ex quo habuit eius esse.*

Deus quos Dominus vult dici, cum dominationem homini communicat. Tertull.

Matth.16. num.17. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona: quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cælis.

VERSIONES.

Syriacus. Et dicit ei: Felix es, Schemeoun Bere de Iauno, siquidem caro, & sanguis.

D.Anselmus. O Simeon Beatus es.

EXPOSITIO V.

TATIM,ac Petrus confessus est Christum Dominum verũ Deum, ac hominem absque vlla dilatione, vt ait D. Hieronymus, *mercedem recepit vera confessio*, dum eum beatum dicit, multisque promissionibus replet, Et, vt ait Theophylactus, *Petrum approbans*, scilicet Dominus, *ostendit consequenter, aliorum hominum opiniones esse falsas*, Sic Christus Petro respondet. 114. Hieron. Theophyl.

Beatus es,seu vt legit Syriacus, *felix*, ob tuam de me fidem, Petre. Fides enim est basis, ac initium omnis gratiæ, & gloriæ per illamque ducimur in vitam æternam. *Bar-iona* per contractionem, vt multi,teste D.Hieronymo;& Paschasio, volunt,pro Bar-Iohanna;nam Syriace Bar, id est filius, vt notat Euthymius, hoc est filius Iona, seu Iohanna, quod erat nomen patri Petri Io.21. num.15.*Simon Ioannis*, magno cum mysterio,vt inquiunt Paschasius, Eusebius Gallicanus; nam Iohanna, seu Ioannes, id est gratia, seu misericordia, per quam illuminatus est. Vel ponitur nomen patris piscatoris pro humilitate inculcanda in dignitate.Iona vero propriè columbã significat,ad denotandum, quòd non tantum est filius Ioannis, seu patris, sed etiam est filius gratiæ, filiúsque diuini Spiritus, qui in specie columbæ apparuit, quique illum in tantam fidem induxit, & illuminauit. *Caro, & sanguis non reuelabit tibi*; hoc est homines, constantes carne, & sanguine, non reuelauerunt tibi, nec te hanc meam diuinitatem docuerunt. Et non dixit, vobis, sed, tibi, vt notat Caietanus, vt innuatur, quòd hæc 115. Syriac. Hieron. Paschas. Euthym. Ioan.21. Euseb. Gall. Caietan.

reuelatio

Conbus. Deus curã habet de paruulis, & humilibus.

revelatio soli Petro facta sit. *Sed Pater meus, qui est in cœlis*: à quo est omne bonum, vt cõmentatur Carthusianus; *qui in cœlo est*, vbi maximè suam gloriam manifestat. In quo etiam significatur ingens cura diuini Patris de nobis, qui ita in cœlis cum suis Electis, ac beatis regnat, vt etiam recorderur de humilibus, ac paruulis in terram degentibus, verbi gratia, de Petro, vt eos doceat, ac illuminet, multisque donis repleat, & ditet.

116. Cur Marcus Petri laudes non scribit

Hic maximè notandum, quòd cùm hanc historiam scribant D. Matthæus, & Marcus, qui penè descriptor, seu breuiator Matthæi videatur, has Petri laudes in suo Euangelio D. Marcus non ponit; præcipuè cùm Petri discipulus fuerit, & hoc ad magnam Petri gloriã faceret. Cur Marce, tui amantissimi Magistri gloriam dissimulas, & abscondis? Rationem inculcat Eusebius Cæsariensis l. 3. Demonstrat. Euangel. cap. 7. *Cùm*, ait, *tam multa dicta sint Petro à Iesu, Marcus nihil horum commemorat: propterea quod nec Petrus quidem talia in suis enarrationibus enuntiauit*, Idem etiam docet D. Chrysostomus homil. 59. in Matth. D. Marcus scribebat in historia Euangelica, quæ à suo Magistro Petro percipiebat; Petrus autem in suis sermonibus maximè supprimebat, quidquid propriam laudem redolere videbatur; quæ autem ad eius humilitatem, ac negationem spectabant, valdè minutim, ac speciosè dicebat. Vnde inter cæteros Euãgelistas Marcus exactius Petri negationem scribit, vt notat Petrus Damianus serm. 14. de Euangelista Marco, solus enim ipse vitur verbo anathematizandi, quod valdè acerbissimum est: *Cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis*, Marc. 14. num. 71. Cuius rationem subdit citatus Eusebius. *Omnia enim, quæ apud Marcum leguntur, narrationum, sermonumque Petri dicuntur esse*, Magnus Petrus suas laudes diligenter abscondit; suas vero ignominias, vtpote negationem dilectissimi Magistri, clarissimè euulgat.

Euseb. Cæsar.

Chrysost.

Damian.

Marth 14. Euseb.

Petrus suas laudes tacet, ignominias diuulgat.

QVÆSTIO XVI.

Quare Christus Dominus apellat Petrum beatum, cùm adhuc viueret; esset que moriturus, eumque negaturus?

117. Tertullian. Leo.

PRIMO, vt docet Tertullianus lib. 4. contra Marcion. & D. Leo serm. 2. in Anniuersario Assumptionis eius. D. Petrus, cùm adhuc viueret, à Christo prædicatur beatus, seu felix ob præclaram fidem, constantemque, ac firmam illius confessionem, qua primus inter cæteros eminet: per fidem enim ducimur in beatitudinem, illaque est initium nostræ salutis assequendæ. Et cùm Petrus in hac tanta virtute, ac fidei confessione esset primus, vt tenet D. Hilarius quæst. sequenti citandus, inde maximè vt felix decantandus, ac glorificandus est.

Hilar. Primus in aliqua virtute honorandus maximè.

118. Alb. Mag. S. Thomas. Cognitio Dei facit beatum.

Secundò Albertus magnus, S. Thomas, quod cùm Petrus supernaturaliter illuminatus à Patre cognouerit veram Christi diuinitatem, ac humanitatem, inde beatus prædicatur, vera enim beatitudo est, Deum cognoscere, & intelligere, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ioan. 17. num. 3. *Beatus homo qui inuenit sapientiam*. Prouerbior. 3. num. 13. Tigurina. *O felicem hominem, qui inuenit*

Ioan. 17. Prouerb. 3. Tigurina.

sapientiam. Qui hac cognitione incipit esse beatus, vt ait D. Thomas.

D. Thomas.

119. Abulens.

Tertiò Abulensis quæst. 62. Petrus, ait, quamuis esset moriturus, multasque miserias toleraturus, tamen dicitur beatus spe, per fidem enim habebat certam, & infallibilem spem beatitudinis, Sic ait Apostolus de se, suisque sociis Rom. 8. num. 24. *Spe salui facti sumus*. Non actualiter salui, sed spe. Qui ergo hanc certam, & infallibilem spem habent, dicuntur beati, & salui spe. Sic Matth. 5. num. 2. dicuntur. *Beati pauperes spiritu, beati mites*, &c. per has excellentes virtutes habent homines spem, & approximationem ad beatitudinem; indeque beati dicuntur: Iorum enim illi, qui habent merita, spem & habeant.

Rom. 8.

Matth 5. Qui habent merita, beati.

120. Abulens. Pro fidei confessione præmium.

Quartò. Idem Abulensis quæst. 90. Pro confessione fidei Petrus beatus vocatur, vt inde deprehendatur, quòd Deus pro fidei cõfessione dat beatitudinem, vt inde nos ad similem fidei confessionem maximè alliciamur, vt non timeamus, nec erubescamus, Christum confiteri, quia idem retribuet, vt Petro. Sic Matth. 10. num. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Et Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc & filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua*.

Matth. 10.

Luc. 9.

121. Cant. 1. Aponius.

Quintò Aponius ad illa verba Cant. cor. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascat*. Sic ait ipse *Manifestum est, vbi pascua Apostolorum Principi reuelata sint Petro: dũ interroganti Christo respondit: Tu es Christus filius Dei viui. Ecce quomodo oues ad vocem veri pastoris pascua vitæ æternæ, in Petro inueniunt: & ideo Petrus tantis laudibus coronatur, cum ei dicitur: Beatus es Simon Bar-Iona, quia in te eius, reuelante Spiritu sancto, gloriosa pascua, & requiei sempiternæ cubicula Ecclesiæ indicata sunt*. Ecce pascua; ac spiritualis cibus, quem per reuelationem Æternus Pater Petro dedit, veram, nempe fidem, veramque agnitionem Diuinitatis ei infundens. Ipse tamen, vt verus pastor, talem cibum, non in se retinuit, sed filiis Ecclesiæ tribuit, eos instruens, ac docens in tali fide, talique eius confessione. Ecce quo modo oues ad vocem veri pastoris pascua inueniunt. Qui autem pabula cælestis doctrinæ in se non cohibet, sed in alios, eos erudiens, effundit, merito beatus, ac felix iudicandus, & acclamandus est. *Beatus, qui inuenit sapientiam*. Prouerbior. 3. num. 13. Chaldæus. *Beatus, qui profert, vel erudit intelligentiam*. Pagninus *Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & homo, qui eduxerit eam in lucem*

Aponius.

Qui alios docet, ac illuminat, beatus.

Prouerb. 3. Chaldæus. Pagninus.

122. Matth. 4.

Sextò. Ad Christi vocem dimissis omnibus eum sequitur Petrus. *Relictis retibus secuti sunt eũ*. Matth. 4. num. 20. Postea verò cùm esset adscriptus in Apostolorum numero, & Christus Dominus eos interrogaret, quid de ipso homines dicerent; Illi respondernnt. *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam*. Cúmque deinde suos sciscitaretur, quid de eo censerent, Petrus asseueranter attestatur: *Tu es Christus filius Dei viui*. Tunc Dominus illi ait: *Beatus es Simon Bar-Iona*, caputque suæ Ecclesiæ constituit. Cur non nuncupatur beatus, vniuersalisque pastor creatur, quando spretis naui, & retibus secutus est eum, sed modò quando ipsum confitetur? Plus ille beati conditione fruitur, illiusque nomen promeretur qui alterius fatetur magnitudinem, quàm qui pomposas sæculi diuitias, illiusque cupiditatem contemnit. Plus enim est, inter varias, ac diuersas opiniones veritatem deprehendere, quàm in-

ter mundanos tumultus relinquere bona sæculi. Indèque Petrus, non beatus acclamatur princepsque Ecclesiæ creatur, quando omnia sua dimittit sed cùm Christi celsitudinem attestatur, inter tot támque diversas opiniones: *alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam*: veritatem deprehendit, ac cognoscit: *Tu es Christus filius Dei*, D. Hilarius Canon. 16. in Matth. *Dignum autem confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset, unde sequitur, respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Barjona.*

Hilarius.

123. *Sacerdos, etiam iniquus venerandus.*

Septimò. Quamuis Petrus Dominum esset negaturus, ab eo tamen beatus prædicatur, Constituebatur Petrus totius sacerdotalis dignitatis caput, in eoque omnes Ecclesiastici intelligebantur, quorum dignitatem vult Deus in tanto honore haberi, vt vnus sacerdos, quamuis aliàs peccator, ita venerandus, ac colendus, ac si vnus esset beatus. Hac etiam fortè de causa tam in præsenti, quando sacerdotalis dignitas ei promittitur, ac quando post Resurrectionem ei conferrur Io. 21. n. 15. non tantùm Petrus, vel Simon appellatur, vt fieri solebat, sed addito cognomine *Simon Ioannis*; vt maiori honore, ac reuerentia eum prosequi videatur.

Ioan. 21.

124. Describens Regius Vates, quomodo Dathan, ac Abiron ob principatus ambitionem se se conspirauerint, ac erexerint contra Moysen, & Aaron, ait: *Irritauerunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini*, Psalm. 105. nu. 16. Mirum valdè est, quod præexcellsum sanctitatis nomen, non Moysi, sed Aaron adscribitur. *Aaron sanctum Domini*, Cùm Moyses ab ore diuini Spiritus canonizatus habeatur, de eoque dicatur, *Similem illum fecit in gloria sanctorum*, Ecclesiast. 45. n. 2. Aaron verò in aliquot peccata sit prolapsus: Vitulum fabricauit, contra fratrem murmurauit. Et tamen nomen sanctitatis, non Moysi, sed Aaroni apponitur. Noster Incognitus, *Aaron summus sacerdos cæteros Ecclesiæ prælatos significabat.* Non Moyses, sed Aaron, quamuis aliquibus delictis infectus, cùm tamen sacerdos extitisset, sacerdotes repræsentans, sanctus acclamatur, vt inde instrueremur, quantus honor, quantáque reuerentia deferenda sit sacerdoti, etiam delinquenti, quodammodo plusquam viro iusto & sancto ab ore Dei approbato, & testificato; tantum ille nobis est ob dignitatem colendus.

Psalm. 105. Eccles. 45. Incognitus. *Sacerdos iniquus multum etiã venerandus.*

125. In ipso sacro Resurrectionis die Magdalena summo amoris affectu Iesum quærebat, cúmque ipsũ recognosceret ad illúmque appropinquaret, ei dicitur: *Noli me tangere*, Ioan. 20. numer. 17. Et tamen hoc conceditur Thomæ, cùm incredulus existeret, post dies enim octo apparens Iesus ait illi: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*, Ioan. 20. num. 27. Quod ponderans D. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 58. ait: *Recordamur Magdalenam à tactu Christi prohibitam, Noli, inquit, me tangere; Thomas honoratur, vt & latus, & clauorum fixuras diligentius tangendo, & manum, aut digitum immittendo perquirat.* Maximè animum pulsat, scire, cur Thomæ, qui commiserat peccata, incredulitatis scilicet, pertinaciæ, irreuerentiæ, ac præsumptionis, vt notant Expositores ad citatum Ioannis locum, conceditur, non solùm vt Iesum tangat, sed etiam manus mittat in vulnera eius seruata post Resurrectionẽ, cùm tamen Magdalena, quæ feruido charitatis igne æstuabat, à tactu prohibeatur. Rationem præbet citatus noster Cyrillus. *Thomæ*, ait, *hoc licebat, quia vna cum alijs Spiritum fuit consecutus, ad vniuersum namque Discipulorum consortium, liberalitate donantis, vox illa transiit: Accipite Spiritum sanctum*, &c. Thomas à Domino fuit consecratus sacerdos cum potestate peccata remittendi, *Thomas honoratur, vt latus, & clauorum fixuras diligentius tangendo perquirat.* Cum ergo Thomas inauguratus esset sacerdos, quamuis alias delinquens, inde tanto in honore, ac respectu habetur, vt Dominum Iesum tangat quod Magdalenæ summè dilectrici, ac eximio amore æstuanti denegatur.

Ioan. 20. Ioan. 20. Cyrillus. Cyrillus. *Sacerdos quamuis aliis peccator, etiam honorandus.*

QVÆSTIO XV.

Quare, cùm alij; imò etiam ipse Petrus in alia occasione Christum filium Dei acclamassent, nullus tamen eorum ita remuneratur, vt Petrus in præsenti?

126. MVLTI confessi sunt Christum filium Dei; vt Nathanaël: *Rabbi, tu es filius Dei* Ioan. 1. num. 49. Illi, qui cum Apostolis erant in naui cula dixerunt. *Verè filius Dei es*, Matth. 14. numer. 34. Ipse Petrus post admirabilem sermonem de Eucharistia ait: *Domine, nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Ioann. 6. numer. 66. Martha etiam dixit; *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti*, Ioan. 11. num. 27. Cur ergo non ita remunerantur isti, vt Petrus in præsenti?

Ioan. 1. Matth. 14. Ioan. 6. Ioan 11. *Ratio difficultatis.*

127. Respondent primò ad hanc quæstionem Chrysostomus homil. 55. in Matth. & in cap. 1. Ioan. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, S. Thomas, Lyranus, Caietan. D. Bonau. quòd Nathan. & qui erant in naui, non sunt beatificati vt Petrus, quia Petrus existimauit Christum filiũ Dei naturalem; illi vero filium Dei adoptiuum, licet valde præcipuum. Alij tamen, vt Tertullianus lib. contra Praxeam c. 21. Glossa Ordinaria, & Interlinealis. D. Cyrillus, D. Augustinus, & alij in Ioan. probabile existimant, Nathanaëlem Christum cognouisse filium Dei naturalem.

Chrysost. Theophyl. Euthym. Alb. Magn. Thom. Lyran. Caiet. Bonauent. Tertull. Gloss. Ord. & Inter. Cyrillus. Augustl.

128. Dicendum est, iuxta ea, quæ dixi tom. 1. lib. 3. cap. 6. quæst. 15. num. 106. quòd Nathanaël Apostoli ante hanc Petri confessionem; & idem fortè dicendum de Mattha, cognouerunt ex sermonibus Christi, ac eius operibus, & ex Scriptura ipsum esse verum Deum, & filium Dei naturalem hoc tamen conceptu valdè obscuro, confuso, ac tenui; & qua ratione id esset, an per generationem, seu alium modum, seu denominationem, ignorabant, clarè, ac distinctè hoc concipere, ac explicare non valebant. Et etiam ait Abulensis quæst. 59. quod licet Discipuli cognouerint Christum verum filium Dei; tamen ista cognitio non fuit permanens, & firma vsque ad Christi mortem. At D. Petrus, ex reuelatione Dei Patris illuminatus, clarè, distinctè, ac valde perexcelsè cognouit Christum Dominum verum Deum, æternum à Deo Patre per generationem æternam illi consubstantialiter genitum; idque pleno ore, ac constanter omnium primus in aliorum præsentia est confessus, & attestatus, indèque tam magno præmio remuneratus.

Vera fides Petri. Abulens. *Petrus primus clarè, & distinctè cognouit Christũ filium Dei naturalem.*

129. Secundò D. Hilarius in Matth. can. 16. *Dignus iudicatus,*

Hilar.

iudicatus, ait, *qui, quod in Christo Dei esset, primus agnosceret. O in nuncupatione nouo nomine felix Ecclesia fundamentum, dignaque edificatione illius petra, qua infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret!* Et idem fere habet lib.6.de Trinit. Petrus ex eo, quòd confessus est Christum Dominum filium naturalem Dei, promeruit, vt totius Ecclesiæ caput constitueretur. Cur non potius Ioannes, qui altiori, & sublimiori methodo vniuerso Orbi aperuit, explicauit, ac scripsit Christum filium Dei naturalem per æternam generationem à Patre, illique consubstantialem, cùm intonuit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, &c Ioan.1. Petrus extitit primus Apostolorũ, qui Christi diuinitatem agnouit, & prædicauit: inde tam excellenti prærogatiua sublimãdus fuit, vt in eius fide Ecclesia ædificaretur, & qui sua cõfessione tartareos errores solueret, potestate tibi tradita illius portas confringeret. Dignus indicatur, qui primus fuerat in Domini confessione, primus esset in dignitate. Vid.to.3.verb.Primus.

Ioan.1. *Primus in aliqua veritate valdè remunerandus.*

130. Tertiò. Dæmones Christum Iesum filium Dei clamarunt, nam vnus dæmoniacus. *Videns Iesum à longe cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit, Quid mihi, & tibi, Iesu fili Dei altissimi?* Marc. 5. num.7. Cùm hoc testimonium videretur magni ponderis, vtpote ab inimicis, tantum abest, quòd Dæmones remunerationem obtinuerint, vt silentium illis imperatum sit. *Obmutesce.* Marc. 1.num. 25. Cur ergo Petrus pro hac confessione tam eximio præmio est sublimatus? D. Augustinus homil. 17. ex Quinquaginta. *ô Domine*, ait, *hoc tibi dixerunt & dæmones, quare illi non sunt beati? Quare? Quia dæmones hoc dixerunt timore: Petrus amore.* Confessio diuinitatis Christi extorta est à Dæmone ex timore, *Dæmones credunt, & contremiscunt*: at Petrus ex charitate in Christum eximia, eum verum Deum confessus est. Sicut enim, quod nil amoris obtinet, repulsam patitur: sic quod amoris est, Deo maximè iucundum, & gratum apparet.

Marc.5. Marc.1. Augus. *Valde perjucunda, non quæ ex timore, sed quæ ex amore sunt.*

131 Damascen. Quartò D. Damascenus Orat. de Transfigur. *Cùm primum*, ait, *Discipulorum suorum consilium coegisset, atque illa viua petra cathedram sibi in petra quadam ex tempore struxisset, interrogabat Discipulos, Quem dicunt homines*, &c. Discipuli in nani clamant, *Verè filius Dei es*: & tamen nec beati vocantur, nec Ecclesiæ principatum accipiunt; quibus omnibus cumulatissimè Petrus remuneratur. Vnde eius confessio tam plausibilis, & grata? Alij inter mirabilia, ac miracula, quæ diuinitatem Christi testificabantur, opportunè, ac veluti ex occasione signorum impulsi, eius diuinitatem recognoscunt. At Petrus inter varias hominum opiniones, & cùm nullus naturam diuinam in Christo recognosceret, sed eum, vt referebatur, quidam dicerent Ioannem, alij Eliam, aut Ieremiam; tunc Petrus, cùm res est inopinata, ac sine signorum occasione prosiliit, ac clamauit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Inde confessio Petri tam plausibilis: res enim inopinata periucundior, & gratior. *Cathedram sibi in petra quadam ex tempore struxisset*, Sedem suam ædificabat ex tempore, hoc est sine tempore, quando variæ opiniones referebantur: vt tunc talis confessio esset inopinata, & sperari non posset.

Res inopinata, gratior, & periucundior.

132. Qui nerò. Post Eucharisticum sermonem Petrus Christum confitetur filium Dei: *Nos credimus, & cognouimus, quia Tu es Christus filius Dei.* Ioan. 6. num.69. Et tamen tunc nil in præmium accipit, vt in præsenti respondet Toletus ad citatum Ioannis locum annot.35. *Fatium id esse existimo, quia hu verbis potius Dominus Discipul. in humilitate continere intendebat, & aliis recedentibus, ipsi tanquam perseuerantes superbirent.* Apud Cæsaream ex sua Confessione laudatur Petrus, confitens Christi diuinitatem, quia videbatur sibi, idem cum aliis Discipulis de Domino sentire, vt putat Chrysostomus, qui omnes firmiter suo Magistro adhærebant; vnde quamuis à Domino laudaretur; nõ erat ansa, vt inaniter exultaret. At apud Ioannem multi à Domino recedebant: *Ex hoc multi Discipulorum abierunt retro.* Quando ergo Petrus inter tot, tanquam multos transfugas firmus in fide cum Domino perseuerat, nec recessum cogitat, sed in admirabilem confessionem prorumpit, non laudibus celebratur, nec ex sua perseuerantia, ac confessione aliquantulum superbiret, ac aliis se præferret. Præclarum diuini Magistri documentum, vt semper Discipulis arrogantiæ ansa amputetur.

Toletus. Chrysost. *Arrogantiæ ansa in Discipulis amputanda*

333. Sextò. Pro hac magna Confessione: *Tu es filius Dei*: nec Nathanaël, nec Discipuli in naui, vt notaui in limine quæstionis, tanto sunt munere nobilitati, vt Petrus pro hac sua confessione. Petrus in alia occasione, cùm, iubente Domino, ad ipsum super mare deambulans veniret, cùm cœpisset mergi, hæsitauit in fide; vnde ei dicitur: *Modica fidei quare dubitasti?* Matth.14.nu. 31. Ex hac reprehensione Petrus in fidei negotio valde cautus euasit, vt data occasione, iam non fluctuet, sed firmus persistens magnam fidei confessionem proferat: *Tu es filius Dei.* Inde merito regimen Ecclesiæ illi confertur: qui enim reprehensionis est capax, illaque melior redditur, gubernaculo, ac imperij regimini valdè aptus inuenitur.

Matth.14. *Vir reprehensionis capax, aptus imperio.*

134. Cùm Nathan ex Dei mandato sub proposita parabola ouis argueret Dauidem de suo peccato; dixissetque Rex: *Filius mortis est vir, qui hoc fecit; ouem reddet in quadruplum.* Statim Nathan ad eum ait: *Tu es ille; Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vnxi te in regem super Israel: ego erui te de manu Saul, dedique tibi domum Israël, & Iudæ: & si parua sunt ista adiiciam tibi maiora.* 2.Reg.12. num.7. Res maximè examinanda. Accedit Propheta, vt Regem ob suum delictum increpet; & minæ, ac terrores, à quibus exoritur, sunt nouæ donorum pollicitationes, quot scilicet, & quanta acceperit è manu Dei, & quod si illa pauca censentur, multò maiora duplicabuntur? *Et si parua sunt ista, adiiciam multo maiora* Rabbi Salomon existimat, quod quando Propheta dixit illa verba. *Tu es ipse Rex*: statim ille dimisit vultum, totus in lachrymas profusus. Sicque colligit ex Hebræo Caietanus. *Quod antequam hec verba Propheta proferret, Dominus fecit transire peccatum tuum, Deus condonauit illud.* Merito ergo ei dicitur: *Si parua sunt ista, adiiciam multo maiora.* Qui enim admonitione, ac reprehensione ita resipiscit, melioreque est effectus, vnum integrum Israel parum est illi; totius Orbis regna, & imperia promeretur. Vsque modo merita Dauidis vno Israel regno videbantur compensata, at cùm ita arguitione acquieuit, iam vnum illi est inæquale regnum, omnia regna promeretur.

2.Reg.12. Rabbi. Sal. Caietan. *Qui reprehensione profecit, imperio dignus.*

Perpende Patriarcharum gesta, & deprehendes, quod antequam quilibet eorũ ad magna esset sublimatus, per multos labores à Deo est probatus

135.

Sic

Sic Iacob per multas moleſtias requiem Ægypti potitur. Ioſeph per carceres, odia fratrum, falſa teſtimonia, ad ſecundum poſt Pharaonem locum deuenit. Dauid per varias perſecutiones corona regni inſignitur: At Moyſes antequam à Deo eſſet vocatus, totiuſque populi dux conſtitutus, illud nobis de eo narrat Scriptura, quòd cùm vidiſſet vnum Ægyptium inferentem iniuriam cuidam Hebræo, Ægyptium interfecit, & abſcondit ſabulo; cumque altera die duos Hebræos rixantes vidiſſet, eoſque pacificare vellet, dixit illi vnus ex illis: *Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos? num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?* Exod. 2. num. 14. Ac ſi diceret, vt explicat Lippomanus. *Quaſi dicat, tu es violentus, & homicida: idcirco emenda te ipſum.* Quo audito ſtatim Moyſes abiit, & fugit. Non eſt electus Moyſes dux populi ob Ægypti cædem, in eo enim caſu ipſe peccauit, vt docent D. Auguſtinus, Caietanus, & alij. Nec etiam videtur electus ob fugam, illa enim cuiuſdam timiditatis eſt indicium. Tamen D. Stephanus in Actis Apoſtolorũ cap. 7. num. 35. videtur innuere, quod ob ſecundum euentum conſtitutus eſt populi dux: *Hunc Moyſem, quem negauerant, dicentes, Quis te conſtituit principem, & iudicem? hunc Deus principem, & redemptorem miſit.* Quid ergo in hoc facto, in hoc receſſu apparet ad tantum rerum apicem? multum ſanè. Qui enim, cùm regni eſſet reputatus princeps, tamen admonitioni vnius Hebræi captiui acquieuit, ac ob illam deſtitit, cautiorque factus eſt, valdè idoneus, ac proportionatus inuenitur, vt vniuerſo populo præficiatur, Deúſque Pharaonis ſit deſignatus.

Exod. 2. Lippoman.

Auguſt. Caietan.

Actor. 7.

Dignus imperio, qui alterius ad monitioni acquieſcit.

QVÆSTIO XVI.

Quare, cùm hæc reuelatio facta fuerit à tota Trinitate, tamen ſoli Patri tribuitur?

136. AIT Chriſtus Dominus Petro, quòd Cœleſtis Pater ipſius cũ illo cõſubſtantialitatẽ reuelauerit. Pro quo D. Hieronymus de vera circunciſione ſic loquitur: *Quãdo reuelauit Pater? Quo tẽpore Deus cùm Petro locutus eſt? Reuelauit, inquit, Pater meus, hoc eſt dicere, operibus credidiſti, quæ loquuntur filium Dei.* Videbitur mirum, quòd diuinus Pater dicatur Petro manifeſtaſſe filij ſui diuinitatem. Quando Pater verba habuit cum Petro? quandóque Petro indicauit ſui filij generationem? Aperuit diuinus Pater Petri oculos, vt agnoſceret, & intelligeret Chriſti opera; & in ipſis operibus oſtenſis Ieſus diuinitatem agnouit. Tam patenter Chriſti opera eius conſubſtantialitatem indicabant, ac ſi alicui cœleſtia ſecreta fuiſſent reſerata.

Hieron.

Chriſti opera eius diuinitatem indicabant.

137. Veniamus magis ad quæſtionẽ. Dicitur, quòd Pater Petro reuelauerit. Sumitur Pater pro ipſo Deo vel pro prima perſona, quæ à nulla procedit, & reliquæ ab eo procedunt, ab eoque omne bonum proficiſcitur, & omne verum lumẽ ab eo deſcendere dicitur. Iacob. 1. num. 17. De Spiritu ſancto non fit mentio, quia pro tunc non erat tempus proportionatum ad illius manifeſtationem: poſt Reſurrectionem tertia perſona expreſsè fuit detegenda, vt notat Salmeiron tractat. 1. §. *Sed Pater?* quando dixit Dominus: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. num. 19. Hæc ad litteram dicta ſunt.

Iacob. 1.

Salmeiron.

Matth. 28.

Deinde magis ſic quæro: Actiones ad extra ſunt communes toti Trinitati, vt eſt commune proloquium Theologorum, & in præſenti notat D. Anſelmus: Reuelatio autem hæc quid ad extra erat; ac proinde à tribus diuinis perſonis: quomodo ergo Chriſtus Dominus eam ſoli Patri refert, & non etiam ſibi, cùm eſſet filius Dei vnigenitus, ac ſecunda perſona Trinitatis? Cur non ait, Hoc tibi reuelauit Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſeu tota Trinitas? Cur hoc tantum Patri adſcribit? Hæc reuelatio facta eſt in Chriſti gloriam, & laudem ad publicandam eius diuinitatem: non ergo ſe, ſed Patrem, vtpote perſonam realiter diſtinctam aſſignat auctorem, vt hoc ſuo exemplo nos informaret, quòd in noſtris magnalibus euulgandis, nullus ſit ſuorum proclamator, ſed alius eſt diſtinctus exorator aſſumendus.

138. Anſelm.

Nemo ſit ſuarũ laudum proclamator.

139. Videt Ioannes in manu Dei librum ſignatum ſigillis ſeptem, quod *nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum*, Apocal. 5. num. 3. *neque reſpicere*, Græcè. *Neque euoluere, legere, ſeu explanare librum*, ſeu ea, quæ in libro erant ſcripta, vt annotat Cornelius à Lapide. Tunc Agnus, qui aſtabat in medio ſeniorum, accepit librum, & illum aperuit: indéque intonant Angeli: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, diuinitatem, & Sapientiam, & fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem.* Multum ponderandum, quòd de libro referuntur duo, *Nemo poterat aperire librum, neque reſpicere*. hoc eſt legere, ſeu explanare. Si Agnus aperit librum, cur etiam non illum legit, & explanat? Libet ille continebat geſta, ac opera Chriſti Domini. vt tradunt Andreas Cæſarienſis, Aretas, Primaſ. Anſbertus, Richardus, & alij. Agnus aperit librum, Chriſtus Dominus aperit, ac manifeſtat ſua præclara geſta, miracula, vitam, mortem, & paſſionem; ſuam tamen magnitudinem, ac excellentiã explanare, aq dicere, hoc ipſe tacet, & prætermittit, aliiſque proclamandum committit, vt decantent: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem*, hoc eſt prædicari de eo virtutem, & diuinitatem. Vide ſupra num. 36. & multa tom. 2. & 3. Verb. *Laus.*

Apocal. 5. Græcus.

Cornelius.

Andreas Aretas. Primaſius. Anſbertus. Richardus.

QVÆSTIO XVII.

Quare non ſolùm dicitur, quod Pater reuelauerit, ſed ponitur excluſiua: Caro & ſanguis non reuelauit?

140. AIT Chriſtus Dominus Petro: *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis*, Nonne ſufficiebat dicere, Pater reuelauit tibi? ad quid vlterius additur illa excluſiua, *Non caro, & ſanguis*? Hæc confeſſio meritum extitit, ob quod Petrus Eccleſiaſticam dignitatem eſt aſſecutus: benè exprimitur, quod non à carne, & ſanguine prouenerit; merita enim ad Eccleſ. prælaturas, non ab humana conditione, ſed ab inſpiratione, ac infuſione diuinæ gratiæ debent in nobis oriri, ac pullulare. D. Leo ſerm. 2. in

Dignitas Eccleſiaſtica, non ſanguine, ſed meritis obtinenda.

Leo. in die suæ Assumptionis. *Vniuersitas sacerdotalis, non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnctionem, sed dignatio cœlestis gratiæ signet antistitem.*

141. Hieron. Theodor. August. Ambros. Prosper. Gregor. Genes. 24. Certum est apud sanctos Patres, D. Hieronym. Theodoretum, Augustinum serm. 75. Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. vlt. Prosperum 1. part. prædiction. cap. 7. D. Gregorium, & alios, quòd quando antiqui Patres vrebantur forma iurandi, sub femur meum, vt Abrahamus Gen. 24. num. 2. *Pone manum tuam sub femur meum, vt iurem te per Deum cæli*, quòd idem erat, ac iurare per generationem Messiæ. Cùm autem acciderit, quòd Iacob luctaretur cum Angelo, & Angelus videret, *quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius, & statim emarcuit.* Genes. 32. n. 25. Et postea Angelus *benedixit ei in eodem.* Cur Angelus, postquam nervus Iacob stupidus, ac inutilis factus est, eum benedixit, & non antea? ad quid postquam à suo loco motus, & luxatus est nervus, obtinet benedictionem? Thomas Anglicus. *Non ex sobole, sed ex luctamine, ac fletu benedictionis munere dignatur,* Grande mysterium! tetigit nervum, & emarcuit. Vt ipse sanctus Iacob agnosceret, se non à Messiæ consanguinitate, sed à longo, atque assiduo luctamine benedictionem promereri. Indéque antequam benedictionem accipiat, emarcuit nervus femoris, per quod generationis propago designabatur; ac proinde non quia atauus Christi, sed quia tantis virtutibus nobilitatus, tot, tantisque donis cumulatus.

Thom. Aeg. Iacob, non sanguine, sed luctæ benedictionem obtinet.

142. Matth. 25. Homo peregrè proficiscens *Vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, & alij duo*, Matth. 25. num. 13. Dona, ac talenta hæc, dignitates sunt Ecclesiasticæ, vt Episcopatus, presbyteratus, diaconatus, vt interpretantur Imperfectus homil. 52. & ibi D. Hieronymus, D. Paschasius, Beda, & alij. Quomodo ergo hos seruos vocat, cum filij sint designati, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioan. 1. nu. 12. *Dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus,* 1. Ioan. 3. num. 1. De Ecclesiasticis dicitur, *Genus electum, regale Sacerdotium, Gens sancta*, 1. Petri cap. 2. n. 9. Cur ergo non filij sed serui vocantur? Dispari iure bonus Paterfamilias distribuit bona sua inter filios, & seruos: filios vocat ad suas possessiones iure generis è nexu consanguinitatis; at seruos ob merita, v. gr. fidelitatem, solertiam de suis bonis eos participes facit. Vt ergo omnibus fiat apertum, non iure sanguinis, sed meritorum impulsu ad Ecclesiasticas præbendas esse promouendum, cùm de hac distributione agit, non filios, sed seruos vocat; non cognatos, sed genere extraneos dicit. Imperfectus citata hom. *Vocauit seruos. Manifestum est*, ait, *quòd in danda gratia non personas aspexit, sed virtutem vniuscuiusque considerauit.*

Imperfectus Hieron. Paschas. Beda.

Ioan. 1. 1. Ioan. 3. 2. Petri 2. Ad munia Ecclesiastica, non filios, sed seruos vocat.

Matth. 16. *n.* 18. Et ego dico tibi, Quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

VERSIONES.

Vatablus Et ego vicissim dico tibi.

Syriacus. Quinetiam ego dico tibi. Tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ infernorum non prævalebunt ei.

Radix Hebr. apud Luc. Burgens. Tu es rupes, & super hanc rupem.

S. Pacianus Epistol. 3. Et portæ infernorum non cõualescent aduersus eã.

Hebraic. apud Cornelium. Et portæ inferi non poterunt ei resistere.

Græcus. Et portæ inferi non vincent eam.

Vatablus. Portæ infernorum non prævalebunt ei.

EXPOSITIO II.

141. Hieron. Vatablus. DIVVS Hieron. *Testimonio de se Apostoli recidit vicem Petrus dixerat, Tu es Christus filius Dei viui: ideo eam recepit vera cõfessione*, Christus ait: *Ego dico tibi*, seu, vt habet Vatablus, *Vicissim dico tibi*, Tu es Petrus. Ego qui sum filius Dei, dico tibi. nõ casso sermone, sed quæ res ipsa cõsequitur. *Tu es Petrus*, Syriac. quo idiomate Christus locutus est, habet, *Tu es Cepha, & super hanc Cepham.* Idest, Tu es Petra, & super hanc petram. Sic habent omnes versiones Originales, & Orientales. Tamen interpres Græcus, quem Latinus secutus est, retento vero sensu, non potuit fœmininum, sed masculinum; nam, quia Petrus vir erat, accommodauit ei interpres nomen masculinum, dicens, *Tu es Petrus*, quod idem vnum est cum petra, quæ huic nomini tuo Petro respondet, quod nomen à me tibi prædictum est. *vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, Ioan. 1. n. 42. Tu es Petrus. Hebraicus habet *Selah*, quod significat, non quamlibet petram, sed durissimam petram, seu rupem, quod dictum est Petro ob illius firmitatem, & constantiam.

Syriacus. Ioan. 1. Hebraic.

144. 1. Cor. 10. *Et super hanc petram*, Perperam, & iniquè Caluinus lib. 4. Institut. cap. 6. n. 6. *Super hanc petram*, hoc est, ac si dicat Christus, ait, super me ipsum, quia petra erat Christus 1. Cor. 10. n. 4. Tamen constanter omnes Patres per hanc petram Petrum principem Apostolorum denotari docent, quos latè referunt Maldon hic, Bellarminus lib. 1. de Roman. Pont. cap. 10. Suarez contra regem Angliæ lib. 3. cap. 10. à nu. 8. Vbi late adducunt omnes Patres. Et patet ex textu Syriaco, & Hebraico, *Tu es petra, & super hanc petram.* Et Christus loquitur cum Petro, & ad ipsum spectant antecedentia, & consequentia verba: *Tu es Petrus, & super hanc petram, & tibi dabo claues regni cælorum*, Quæ verba omnia eandem promissionem Petro continuant.

Maldon. Bellarmin. Suarez.

145. Ioan. 21. Chrysost. August. Cyprian. Sensus ergo est. O Petre, ob hanc sublimem fidem, ac confessionem tuam te constituo, vt post mortem, & resurrectionem meam sis fundamentum meæ Ecclesiæ: quem ei tradidit post Resurrectionem, cùm dixit: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. num. 16. Quæ verba sunt dicta Petro, eiusque successoribus, vt est perpetua traditio Ecclesiæ, & docent D. Chrysostomus lib. 2. de sacerdotio, D. Augustinus libr. 11. contra Faustum capit. 2. D. Cyprianus

Cyprian. Leo. D.Cyprianus Epiſtol.27. D.Leo Papa ſerm.2.de ſua aſſumptione; & communiter Patres. Nam ſi hoc tantum eſſet dictum perſonæ Petri, vt volunt Hæretici, mortuo Petro extincta eſſet Eccleſia; nam deſtructo fundamento, deſtruitur res. Ergo, cum Eccleſia ſit duratura vſque in finem mundi, vt intelligunt ſancti Patres ad illa Chriſti verba: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi* Matth.28.n.20.eius fundamentum durabit vſque ad conſummationem ſæculi, quod optime colligitur, & intelligitur conſtitui ex Petro, eiuſque ſucceſſoribus, Romanis nempe Pontificibus, qui ſunt veri, & legitimi ſucceſſores Petri, vt docet ſancta fides Catholica, & latè oſtendit Suarius citatus à c.13.

Matth.28. *Petrus, & eius ſucceſſores Eccleſiæ fundamentum.*

146. Ad Ephe.2 & 4. 1.Timot.1. 2.Petri 2. *Ædificabo Eccleſiam meam.* Vtitur Dominus verbo ædificare, valdè familiare ipſi Chriſto Domino ac eius Apoſtolis. Epheſ.2.n.2.& 4.n.12.& Timoth.1.n.4.& 1.Petri.2.n.5. *Eccleſiam.* Vox eſt Græca, & ſignificat hominum cœtum ad certum aliquid agendum, vel audiendum euocatum. Quæ vox iam communiter appropriata eſt fidelium cœtui, Chriſtum Ieſum confitenti. Relinquitur Iudæis antiquum Synagogæ vocabulum. *Et porta inferi*, ideſt omnis ciuitas infernorum, ſeu omnis exercitus dæmonum, cum omni ſua potentia, ac impetu vitiorum, ac neqùitiarum, *non præualebunt aduerſus eam*, non poterunt ſcilicet Eccleſiam meam vincere, ſubuertere, ac ei reſiſtere: ſemper enim ipſa contra omnem dæmonum poteſtatem præualitura eſt; valde ſtabiliter ipſa Eccleſia in Petro, eiuſque ſucceſſoribus fundata eſt, tanquam in firmiſſima petra, vt nulla vi ſubuerti, ac ſeparari à Chriſto queat.

ac ſi inneret, Quia tu, Petre, meam diuinitatem confitendo, dixiſti id, quod ego ſum, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; ideo ego cumulatiſſimè remunerans tuam hanc fidem, dicendo faciam tibi, id, quod non eras, vt conſtituam te firmiſſimam petram, vt tu angularem, totius meæ Eccleſiæ fundamentum. D.Hieronymus. *Ego dico tibi, non ſermone laſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe, feciſſe eſt.*

Chriſtus cumulatiſſimè obſequia noſtra remunerat. Hieron.

Pro ſobole deprecabatur Dominum Anna, cui ait ſacerdos Heli: *Deus det tibi petitionem, quam rogaſti.* 1.Reg.1.nu.17. Poſtea verò nato Samuele, cùm eum adduxiſſet mulier in templum, eumque ibi ad obſequium Domini conſecraſſet, viro eius Elcana, ait Sacerdos: *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino.* 1.Reg.2. num.20. Cur Sacerdos non ait hoc ſecundo loco, *Det tibi*; ſicut dixerat in primo; ſed inquit. *Reddat tibi*; iam modò vnum filium miniſterio templi emancipauerat; indeque iam ſibi Deum quodammodo debitorem conſtituerat, vt non tam ſibi donare, quam reddere, ſeu ſoluere diceretur; & hoc non ſimpliciter, ſed fœnore, hoc eſt multo adaucto, & multiplicato dono, pro vno filio Deo oblato tres filios, duaſque filias reciperet. 1.Reg.2.num.21. D.Chryſoſtomus homil. de Anna, & Samuelis educatione ſic loquitur. *Initio dixerat, Det tibi, ſed quid? Det tibi Dominus, quidquid poſtulas: verum poſtquam illa Deum fecerat debitorem, Reddat tibi?* Præclaram rationem ſubiicit S.Doctor: *Etenim ſi dedit, cum nihil deberet, multo magis redditurus eſt, poſtquam accepit*, Vide tom.2.cap.7. quæſt.10. num.68. 69. & cap. 26. quæſt.3.num.15.& 16.

149. 1.Reg.1. 1.Reg.2. *Quæ Deo damus, ad aucta recipimus.* 1.Reg.2. Chryſoſt.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Chriſtus Dominus in euulgandis laudibus Petri ponit coniunctionem, dicens: Et ego dico tibi?

147. Leo. ET *ego dico tibi*, ait Chriſtus Petro. Quæ verba expendens D.Leo ſerm.3.de Petro, ait: *Et ego, inquit Ieſus; dico tibi, hoc eſt, ſicut Pater meus tibi manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus.* Maximè expendenda eſt illa coniunctio. *Et ego dico tibi*; quæ habet multam ſimilitudinem in prædicando Petro; & in prædicando Chriſto. Ac ſi dicat Chriſtus: Caro, & ſanguis, ô Petre, non reuelauit tibi meam originem, meamque natiuitatem, ſed Pater meus cœleſtis; ſic non caro, & ſanguis, ſed ego æterni Patris Filius, æternaque eius ſapientia explico, & declaro tuas laudes. Veluti ſicut vnus æternus Pater poteſt Filij diuinitatem manifeſtare, ſic vnus æternus Filius poteſt Petri præcellentias dicere, ac publicare, vt in hoc Petrus Chriſtum adumbret, quod diuino egeat decantatore.

Sola diuina Sapientia poteſt Petri laudes euulgare.

148. Auguſt. Secundò D. Auguſtinus ſerm.13. de verbis Domini eandem energiam verborum notans, ait: *Reſpondet Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui: tunc ei Dominus ait: Et ego dico tibi, tanquam ſi diceret: Quia tu dixiſti, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ego dico tibi, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ait Saluator, *Et ego dico tibi* veluti notans occaſionem, & motiuum dicendi,

QVÆSTIO XIX.

An minuatur gloria Petri, quod à Chriſto ſit laudatus poſt proclamata Chriſti encomia ab ipſo Petro?

150. RESPONDEBIT forſitan aliquis ſiniſtrè cogitare, quòd gloria Petri in ſuis encomiis ſit imminuta; laudatur enim à Chriſto, *Tu es Petrus*, poſtquam ipſe Chriſti præexcellentias proclamauit, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: ac proinde videbitur, quòd laus laude perſoluitur, ac recompenſatur. Inutilis, & friuola eſt obiectio. Primò. Nam, ſi Chriſtus modò Petrum laudat pro præclara eius confeſſione; etiam illum aeriter reprehendit, cùm occaſio poſtulat, & eius dicta exigunt. Vnde infrà Matth.16.num.23.ei dixit: *Vade poſt me Satana.* Ergo cùm à Chriſto laudatur, pro ſuis meritis laudatur.

Vere laudat qui & reprehendit. Matth.16.

151. Pſalm.21. *Qui proprias laudes contemnit, in alterius præconio veriſſimus.*

Secundò Chriſtus Dominus ſuo præconio extollit Petrũ, qui de ſe ipſo teſtificat, *Ego ſum vermis, & non homo.* Pſal.21.n.7. Et qui propriam gloriam contemnit, cùm aliorum laudes teſtificat, ac celebrat, valde certæ, ſecuræ, ac veræ huiuſmodi laudes comprobantur, ab omnique ſuſpicione alienæ perſiſtunt.

152. Ioan.1. Miſerunt Iudæi Sacerdotes, & Leuitas ad Baptiſtam, vt interrogarent eum, *Tu quis es?* an ſcilicet ipſe eſſet verus Meſſias. Ioannes autem *confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus.* Ioan.1. n.20. Poſtea vero Chriſti magnalia cœpit prædicare, ac euulgare, triaq; de eo dat præclara teſtimonia

monia dicens: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*, ibidem num. 27. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vidi Spiritum descendentem de cælo sicut columbam, & mansit super eum*, &c. ibidem n. 32. Et iterum. Altera die respiciens Ioannes Iesum ambulantem dixit. *Ecce Agnus Dei*, n. 35. Series rerum ex alto Dei consilio maximè notanda est. Cur Ioannes omnia de Christo dat testimonia post abiectum à se Messiæ dignitatem? Cur saltem vnum non profert, antequam eam à se excluderet? Vt inde testificata de Christo cunctis apertè certa, & vera apparerent. Perbelle D. Chrysostom. *Qui Messiam se esse negauerat, in tantum non descenderet testimonium, nisi Christus verus Deus esset.* Quomodo fieri potest, vt qui proprias acclamationes contempsit, alteri immerito eas tribuat, & concedat? Prius negat Ioannes in persona sua Regis, ac Messiæ celsitudinem, vt cùm eam tot, tantisque testimoniis in Christo testificet, res vniuersis fiat certa, & indubitabilis.

Maximè Ioannis testimonio Messiæ dignitas in Christo cõprobatur.

Chrysost.

153 Ad Hebr. 11 Philo.

Moyses grandu factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Ad Hebræos 11. num. 24. Qui, vt ait Philo lib. de vita Moysis, cùm futurus esset dux, & liberator populi Israëlitici, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, & coronam, quam in capite habebat, proiecit, pedibusque conculcauit. Meritissimè hic eligitur dux, ac gubernator totius populi, vt munera, ac officia distribuat: fieri enim non potest, vt qui propriam coronam despiciebat, coronam indigno, ac immerito conferret, sed eam tantum illi concederet, qui radiantibus meritis præclarissimè fulgeret.

QVÆSTIO XX.

Quare Principi Apostolorum hoc nouum nomen imponitur?

154. NOMEN nouum datur Simoni, vt ipso nomine indicaretur, qualis futura erat eius dignitas. De quo latius dicam qu. sequenti. Deinde ad præsens dubium. Respondeo ex verbis Olimpij Monachi in Eccles. cap. 5. pertractantis de Caino, & Abele, qui sic ait: *Nomen nouum nouam rem innuit, & declarat*, Cùm Petrus ad apicem summi Sacerdotij, ac Apostolicæ dignitatis euehitur, nomen nouum ei datur, vt denoteur, quòd qui ad Ecclesiasticum ordinem, seu sacerdotium euehitur, nouus sit res, nouus sit homo vita, & moribus, vt de antiquis consuetudinibus, rebus, ac iniuriis non recordetur. Dignitas enim hæc non est ad iniquè agendum, sed ad strictè viuendum, vt ait D. Chrysostomus lib. de sacerdotio.

Olimpius.

Qui Ecclesiasticum, ac sacerdos ordinatur, nouus sit homo.

Chrysost.

155. Secundò. Nominis impositio, in conferente dominij signum, in accipiente verò subiectionis nota. *Formatis igitur Dominus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea* Genes. 2. n. 19. Si Deus cuncta per se ipsum creauit, cur & illis non dat nomina? Ad quid ad hoc adduxit ea ad Adam? Vt ex tali distributione homo suum principatum intelligeret, animantiáque hominem suum dominum recognoscerent. D. Chrysostomus hom. 14. in Genes. *Factum est hoc*, ait, *vt & symbolum dominij per nominum impositionem cognoscamus: vnde & Adam instruitur, vt animalibus brutis tanquam dominus nomina indat.* Cùm Petrus eligitur in Pontificatum, nomen ei datur, vt in nominis impositione insculptum haberet symbolum suæ subiectionis, vt in ipso rerum apice sic se gerat, vt alteri subiectum, sciátque, de rebus à se gestis, redditurum esse rationem.

Genes. 2.

Chrysost.

Prælatus cogitet se alteri esse subiectum.

156. Tertiò. Magna laus Principis Apostolorum, quòd Christus, sapientia Patris, illi nomen imponit. Nomina dicere, ac proferre quilibet poterit. At nomen imponere proportionatum, ac conueniens naturæ rerum, solius Dei est, ab eiusque afflatu tantum potest prouenire.

Magnagloria Petri quòd à Christo nomen accipiat.

157. Cùm Adamus esset in felicissimo statu iustitiæ originalis, ac in Paradiso, appellauit cuncta animantia nominibus suis. *Omne enim, quod vocauit Adam anima viuentis, ipsum est nomen eius*, Gen. 2. n. 19. Postea vero prolabitur in peccatum, eiicitur è Paradiso, & tunc vxori suæ nomen indit, eamque Euam appellat. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Euæ, eo quod mater esset cunctorum viuentium*, Genes. 3. num. 20. Cur appellatio nominis Euæ non approbatur à diuino Spiritu, vt approbantur nomina animalibus concessa: *Omne enim, quod vocauit Adam anima viuentis ipsum est nomen eius.* Cùm Adamus nomina distribuit animalibus, fulgebat ipse gratia, iustitia originali, scientia, ac prophetia, Deique nutu in illo negotio dirigebatur, vt docent D. Chrysostomus hom. 14. in Genes. D. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 11. ibi Euthymius, Rupertus, & alij. At verò cùm nomen dat Euæ, iam peccato commisso, à donis gratiæ, scientiæ, ac prophetiæ ceciderat, suóque iudicio, ac ratione ducebatur, sicque, vt alicui videbitur, aberrauit, proprietatémque nominis non attigit, vt eam diceret matrem viuentium, quæ erat mater omnium morientium per peccatum. Rupertus lib. 3. cap. 26. *Mira*, ait, *peccatoris surditas: quid infamius, quam in tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam?* Et paulo post iterum inquit. *Quid insanius, quam in illo tali causa iudicio illam nuncupare Euam; ideſt vitam, quæ non habet vitam; dicere matrem cunctorum viuentium eam, quæ potius est mater omnium morientium?* sic decipitur, dum ex suo iudicio nomina dat.

Genes. 3.

Solùm ex nutu Dei, & non ex hominis ratione venit verum.

Chrysost. Ambros. Euthym. Rupertus.

Rupertus.

Peperit Eua duos filios. Primus extitit fratricida, ac nefandus traditor, eumque Cain appellauit, dicens *Possedi hominem per Deum*, Genes. 4. n. 1. Cain enim id est possessus Dei. Peperit secundum filium, qui fuit iustus, sanctus, ac primus martyr, eumque Abel nominauit, qui vanitas interpretatur. Quomodo hæc conueniunt, ac inter se cohærent, vt Abel sanctus dicatur vanitas; Cain verò iniquus possessus, & datur à Deo astruatur? Quæ nomina imponebat, erat mulier iam propter peccatum à Paradiso expulsa, indéque multum à vera scientia, ac cognitione rerum ecciderat. Philo lib. de Cherub. ait:

158.

Genes. 4.

Homo in nominum impositione aberrat.

Philo.

Vulgus hominum nomina imponere rebus
diuersa ab ipsis solet, vt aliud
ipsa sint, aliud
sonent.

QVÆSTIO XXI.

Quare Principi Apostolorum datur nomen potius deductum à petra, quàm à saxo, vel columna?

159. Ioan. 1. MVLTI volunt, quòd magnum nomen Petrus antea Simoni fuerit promissum. Ioan. 1.n.42. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: hic ei à Domino datum, vt perfectè videatur diuina promissio adimpleta. Tamen nomen Petrus impositum fuisse Simoni in Electione Apostolorum, dixit cum Euthymio, D. Bonauentura, Caietano, & aliis tom. 1. lib. 3. cap. 9. n. 57. Ibi dicta videnda, & quamuis de nomine Petri ibi aliqua dixerim, hic multa alia sunt addenda.

Euthymius. Bonauent. Caietan.

160. Hieron. Primò. Princeps Apostolorum vocatur Petrus. D. Hieron. hic *Quid est, quod ait. Ego dico tibi, non sermone cassò, & nullum habente opus, at dico tibi, quia meum dixisse, fecisse est.* Imponit Dominus Simoni nomen Petrus, vt ipse inte ligat nomine suo in quanta dignitate sit à Deo constitutus, vt sit petra, & fundamentum Ecclesiæ, & quòd talem dignitatem à Christo recognoscat acceptam, ideo Dominus ei ait, Ego dico tibi: non enim verba Dei sunt vacua, sed semper coniuncta cum effectu. *Cunctus populus videbat voces.* Exod. 20. n. 18. Philo lib. de Decalogo. *Vniuersus populus*, ait, *videbat vocem apertissimè. Humana enim vox auditur, diuina visu percipitur. Quare? Quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera.*

Idem est. Deum dicere ac facere

Exod. 20. Philo.

161. Maxim. Secundò. D. Maximus hom. 4. de S. Petro. *Petra dicitur*, ait, *eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat.* Vltima verba expende. Caput Ecclesiæ constituitur Petrus, simul que lapis illius fundamentalis: Valde diuerso situ caput, & fundamentum aptantur, caput collocatur in superiori parte; fundamentum in inferiori, caput eminet omnibus; fundamentum sub omnibus substernitur, in illoque vniuersa innitũtur. O morale documentũ? Cùm quis se videt inauguratum caput, cogitet se veluti lapidẽ fundamentalem. Lapis fundamentalis omnes ædificij partes super se continet, molis põdus sustinet: sicque qui prælatus creatur, omnium suorum subditorum bainlus est; quot enim subditos habet, tot supra se positos sciat: non enim dignitas est leuamẽ, sed grauamen, nec enim ipsa alicui confertur, vt requiescat, sed vt onere, curis, ac sollicitudine fatigetur. Sicque cùm Petrus prælatus auguratur, nõ caput dicitur, sed lapis fundamentalis, cui tota ædificij machina incumbit, *tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molémque contineat.* Et D. Ambrosius serm. 4. eadem habet verba dicens, *vt Petrus totius operis Christiani compagem molémque sustineat.* Vide multa tom. 3. verb. *Dignitas.*

Maxim.

Prælatus subditorum bainlus.

Ambros.

162. Psalm. 117. Isai 28. Matth. 21. Petri 2. Tertiò. Præ multis aliis nominibus columnæ, basis, turris, anchoræ, nomen deriuatum à petra datur Principi Apostolorum, quia in Scriptura ipsius Christi nomen maximè celebratum est petra. Psal. 117. n. 22. *Lapidem, quem reprobauerunt, ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Isai 28. n. 16. & Matth. 12. n. 42. & 1. Petri. 2. n. 4. *Ad quem accedentes lapidem viuum.* & aliis multis. D Gregorius in Psalm. 7. Pœnit. *Christus est petra*, ait, *à qua Petrus nomen accipit, & supra quem se ædificaturum dicit.* D Paschasius l. 8. in Matth. *Super eodem fundamento Apostolorum primus*, ait, *Petrus rectè potius creditur: tamen in ea petra, de qua nomen sibi dono traxit.* D. Leo serm. 3. in Anniuersario assumptionis suæ. Qui ita Christum cum Petro loquentem introducit. *Cùm ego*, ait, *sim petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es; quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, tua sint mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum.* D. Maximus hom. 4. de S. Petro, postquam notauit, quòd Christus dicitur petra, Petra & Petrus, sic subiicit. *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.* Magna excellentia Petri: nominis ac dignitatis Christus fit particeps. Magnaque æquitas Christi, vt Petrum, quem participem fecerat oneris, ac ponderis sui officij, participem gloriæ, ac excellentiæ sui nominis constitueret.

Pascha. Leo. Maxim. *Socius onoris fiat particeps honoris.*

163. Thom. Notandum est ex D. Thoma 1. Corinth. 3. lectione 2. Quòd Christus dicitur petra, ac fundamentum, & Petrus etiam petra, & fundamentum, & super hanc petram *ædificabo Ecclesiam meam*: tamen Christus est petra principalissima, veluti rupes, ait Angelicus Doctor, in qua lapis fundamentalis, verbi gratia Petrus constituitur & innititur, vt totam molem ædificij Ecclesiæ sustineat, & fulciat.

164. Augustin. Quartò. Petrus dicitur petra à Christo, qui est vera petra, sic ait D. Augustinus serm. de Cathedra Petri. *Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur.* sicut ait Apostolus. *Bibebant de spirituali consequente eos petra, Petra autem erat Christus*, 1. Corinth. 10. n. 4. Hæc petra, quæ in deserto Hebræis dedit aquam, figura exitit Christi Domini, à quo & Petrus dicitur petra, multa cunctis prælatis dat.

1. Corint. 10

165. Syrus. Tertullian. *Consequente eos petra.* Hanc petram per miraculum Iudæos in deserto assiduè secutam fuisse vsque in Chanaan, eisque aquam dedisse, multi Hebræi existimant. Vnde Syrus vertit, *Bibebant de petra spirituali, quæ cum ipsis veniebat.* Et Tertullianus lib. de Baptismo c. 9. ait: *Hæc est aqua, quæ de comite petra populo defluebat.* Sic bonus prælatus suos sequatur, eos concomitetur, eum illis assistat, ab eisque non discedat. Secundò Photius pro *consequente petra*, vertit, *Obsequente petra*, hæc obsequebatur Hebræorum siti, ac necessitati. Sic & prælatus suorum indigẽtiæ seruitium præstet, vt eos consilio, ac ope adiuuet. Tertio. Petra abundantiam aquarum, quibus replebatur, non in se claudebat, & continebat: sed largiter effundebat, vt cuncti biberent, ac recrearentur. Sic & prælatus bona sua nõ retineat, sed subditis communicet, & in eos exundet. Quartò. Petra vniuersis dabat aquam absque acceptatione, & diuersitate personarum. Sic & prælatus æqualis sit in omnes, vt multa æqualitate cunctis bona pertiatur. Origenes hom. 5. in Matth. *Omnes enim*, ait, *qui imitatores sunt Christi, similiter petra cognominantur, quemadmodum Christus, & de omnibus talibus bibunt spiritualem potum homines spirituales.* Cùm Petrus constituitur præsul, petra dicitur, vt istius ingenium bibat.

Photius. *Prælatus sua obsequatur.* *Prælatus sua bona in suos diffundat.* Origen.

Quinto. D. Augustinus tract. 7. in Ioan. *Magnum*, ait, *quia meruit ei*, scilicet Petro, *nomen, & fecit de Simone Petrum, Petrus autem à petra, petra vero Ecclesia: Ergo in Petri nomine figuratur Ecclesia*

166. Augustin.

Ecclesia. Petra Ecclesiam significat Iob. 29. nu. 6. *Petra fundebat mihi riuos olei.* Zachar. 12. num. 3. Nomen indicat naturam rei. Cùm Simon pastor Ecclesiæ creatur, dicitur Petrus à petra, quæ est Ecclesiæ, vt insinuaretur, quod tam proprium, ac insitum erat ei munus, ac obligatio Ecclesiæ, tamque id in eius naturam transformatum, vt ab ipsa Ecclesia eius conditio denotaretur, ab illaque nomen haberet.

Zachar. 12. — Obligatio officij in patrono sit ecclesia.

167. Abulens. *Petrus pro confessione fundamentū Ecclesiæ.* August.

Sexto. Abulensis quæst. 67. ait, quòd Petrus dicitur à petra, seu firmitate fidei, seu confessionis fidei, quæ in Petro fuit tam præclara, & excelsa, vt super illam Christus Dominus Ecclesiam suam fundauerit, ac ædificauerit. D. Augustinus serm. de Cathedra Petri. *Petrus*, ait, *fundamentum* scilicet Ecclesiæ, *ponit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat.*

168. Matth. 16. Græcus.

Facta hac confessione Petri, statim subdit Euangelista: *Exinde cœpit Iesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati a senioribus, & Scribis principibus sacerdotum, & occidi.* hoc cap. Matth. 16. num. 21. Perpende illam particulam, *Exinde*, Græcus habet *Ex tunc*, vel *Ex eo tempore*, quo scilicet Petrus Domini diuinitatem est confessus, suamque fidem declarauit, statim cœpit Iesus pertractare de morte sua, & quòd *oportebat eum ire Ierosolymam; & multa pati à senioribus, & Scribis.* Cur non antea, sed modo post Petri confessionem, de sua morte differit, ac agit? Aspexit Dominus magnam fidem Petri, illustremque eius confessionem, indeque visum est, iam adesse tempus, quo mors, & passio eius accelleraretur, seque eius crucifixoribus tradi permitteret, cū iam excellēs Petri fides esset declarata, cui optime tota Ecclesiæ committi poterat, supra quam fidem optime ipsa Ecclesia fundata, ac ædificata consisteret, iamque ex tali fide erat designatus fidelissimus Pontifex. Albertus magnus. *Habita*, ait, *fide, & confessione Deitatis, supra quam fundatur Ecclesia, tangitur passionis futuræ reuelatio.*

Declarata Petri fide Christus de sua morte tractat.

Alb. Magn.

169 Actor. 12. Arabicus.

Erat Petrus dormiens in carcere, Angelus Domini astitit iuxta eum, *Percussóque latere Petri excitauit eum.* Actor. 12. n. 7. Arabicus vertit, *Pupugit ei pectus.* Cur Angelus ad Petrum excitandum à somno ad eius latus conuolat? Cur non potius apprehensa manu, brachio, vel pede eum à somno auocat? Omnibus aliis partibus omissis, ad latus Petri, tanquam ad rem valde sacram, & pretiosam, cucurrit Angelus; sciebat enim, quòd sicut è latere Christi emanauit Ecclesia, sic etiam è latere Petri sua fidei confessione defluxit fundamentum, decus, ac ornamentum ipsius Ecclesiæ. Beda apud Lorinum. *Percusso latere Petri*, ait, *defuncto latere Christi fluxit Ecclesia, vt Petrus intelligat, omne in se decus Ecclesiæ consistere.*

A fide Petri decus, & honor Ecclesiæ.

Beda. Lorinus.

170. Actor. 12. Syrus.

Ad eadem historia non decedamus. Venit Angelus ad Petrum in carcere. *Et lumen refulsit in habitaculo.* Actor. 12. n. 7. Syrus. *Et lux defluxit in totam domum.* Notatu dignum, Cur Angelus nec apparet in luce, ac splendore in veteri Testamento, nec etiam aliis apparitionibus in nouo, vt quando Angelus, iuxta probabilem sententiam, ducatum præbet Magis; ac quando Angelus loquitur ad Philippum Actor. 8. num. 26. Sed tantùm Angeli in radiante luce, totum spatium circunstans illuminante, apparent in sacratissima Natiuitatis nocte. *Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circunfulsit illos.* Luc. 2. n. 9. Ac in præsenti, cum se Angelus exhibet Petro

Actor. 8. — Luc. 2.

Lumen refulsit in habitaculo. Ad quid in hia euentibus refulgens lux diffunditur? Vt vniuersis fieret manifestum, quod Christi aduentus in mundum, & Petrus sua confessione tenebras à sæculo depulerunt, ac cunctis Gentibus lumen, ac lucem fidei ministrarunt. Beda apud eundem Lorinum. *Haud dubium*, ait, *quin externas noctis tenebras nuntius natalis Christi, & hic visitator Petri Angelus sua voluerit luce depellere.*

Fides Petri illuminauit mundum. Beda.

QVÆSTIO XXII.

Quare Petrus constituitur Prælatus Ecclesiæ tanta stabilitate fundatæ?

171. DE hac difficultate iam aliqua dixi supra q. 14. Prima ratio huius rei: Quia, vt notaui q. 15. in prima solutione, Petrus primus omnium credidit, & protulit claram, & distinctam confessionem Diuinitatis Christi; ideo ad primā Ecclesiæ dignitatem ab ipso Christo Domino sublimatus est. Et quia fides est fundamentum totius ædificij spiritualis, ac omnium virtutum; ideo Petrus, qui primus fuit in clara, & distincta fide Christi, Ecclesiæ solidum, ac firmum fundamentum constituitur.

Fides fūdamentum totius spiritualis ædificij.

172. Chrysost. Secundò. D. Chrysostomus serm. de Pentecoste ait: *Nec enim est insensibilis ista ædificatio, quòd si talis esset, solueretur tempore; confessionem autem pietatis, neque Dæmones, neque vlla creatura vincere potest. Testantur Martyres, quorum latera radebantur, sed fides non frangebatur? O noua rerum materies! Paries effoditur, & Thesaurus non aufertur. Etenim super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Expende verba. *Paries effoditur, & thesaurus non aufertur.* Valde firmissimè ædificatur Christi Ecclesia, vt nulla potestas, nec omnis Dæmonum vis possit contra illam præualere. *Et porta inferi.* Et vnde tanta soliditas, ac firmitas? nam Ecclesia ædificatur super Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc Petram*, id est, vt explicat S. Pater citato loco, *non super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam.* Petrus homo carneus: non ergo caro, sed fides hominis iacitur pro fundamento, quod stabilius est quocumque marmoreo, vel æneo cæmento, ita vt nulla potestas ei valeat nocere. Conueniant omnes Dæmonum acies, omnesque tyranni coadunentur: *Paries effoditur.* Transfigantur Martyrum corpora lanceis, clauis, gladiolis, comburantur latera, diuidantur membra in frusta; tamen fides, æternæ vitæ thesaurus, nec potest deprædari, nec auferri, sed integer, & salus remanet.

Nil firmius ac stabilius fide.

173. Chrysost. Tertiò. Chrysostomus hom. 55. *Animaduertitis*, ait, *quo pacto seipsum his duabus pollicitationibus filium esse Dei reuelat, & ostendit: nam qua Deus concedere solus potest, peccatorum remissionem, & vt Ecclesia tot, tantisque fluctibus irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator homo, atque ignobilis; terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet: hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.* Deo promittit Dominus Petro, Primum potestatem ad remittenda peccata. *Quodcúmque ligaueris super terram*, Alterum firmitatem, & stabilitatem, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vnde fieri potuit, vt vnus homo piscator, atque ignobilis inter tot rerum fluctus, tótque difficul-

tatum voragines, ac abyssos, tótque regum, ac principũ contratietates, intérque ipsus supremæ dignitatis elationes firmus, ac immobilis super adamantem persisteret, nisi a solo Deo, qui sicut solus potest concedere remissionem peccatorum Matth. 9. n. 6. ita solus Deus homini ignobili inter tantus rerum diuersitatem firmitatem, ac stabilitatem dare. Quo argumento vtitur D. Chrysost. contra Hæreticos ad probandam Christi diuinitatem, cuius index, sicut est remissio peccatorũ, sic firmitas hominis ignobili concessa. *Se ipsu hic duabus pollicitationibus filiũ esse Dei reuelat.*

Matth. 9.

Chrysost.

174. Maximus. Quartò D. Maximus hom. 4. *Petrus, ait, tentationibus proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Tanquam bonus enim pastor Petrus gregem accipit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum,* Vltima verba notanda. Quomodo constituitur Petrus Ecclesiæ fundamentum, cùm sit iam petra effracta, quæ ad vocem vnius ancillæ nutauit? Ita Petrus tentationibus profecit, periculis creuit; pœnitentia, ac fletibus suis solidata, ac conglutinata est petra, vt nulla vi concuti, aut commoueri valeat. *Vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamẽtum,* Sic Petrus suis fletibus gaudet, vt ex infirmo creatus sit omnium robustissimum fundamentum, veluti ab infirmitate firmitatem, ac stabilitatem mutuans. Ex hoc communiter deducitur ratio, ob quam Christus Dominus primatum Ecclesiæ potius Petro tribuit, quàm Ioanni, quem intimè diligebat. Ioannes innocẽtiam tetinuerat; Petrus vero ad pœnitentiam confugerat: regendis autem peccaturum animis magis aliqualiter pœnitens quàm innocens inseruire videtur. Indéque fortè, alta dispositione ordinatum est, vt Deus contulerit pontificatum veteris, ac nouæ legis, hominibus, non in statu innocentiæ, sed pœnitentiæ cõstitutis, vt Aaroni post peccatum commissum vituli fabricati Exod. 32. n. 2. ac D. Petro postquã negationis peccatum lachrymis deleuit. Ioan. 21. n. 17. Philippus solitarius l. 1. Deopteæ Dign. *Petro potissimum, qui ter eum negauerat, claues cœlestes dedit, vt ille, si alios deinceps cecidisse, & per pœnitentiam pulcherrimè resurgere audiret, verborum Domini ad se, & quomodo statim cecidisset, cribratus vt triticum, memor, & exemplo ad compassionem promptior: lapsis, iterumque se erigentibus, sine molestia, ac promptè cælestem ianuam reseraret.*

Super lachrymis Petri fundatur Ecclesia

Petrus pœnitens eligitur Pontifex.

Exod. 32. Ioan. 21.

Philip. Sol.

175. Alcuinus. Quantò Alcuinus in c. 1. Ioan. ad illa verba n. 42. *Adduxit eum ad Iesum*, Sic ait: *Adduxit eum ad Iesum*, scilicet Andreas adduxit Petrum *ad Iesum, & ait. Tu es Simon filius Ioanna. Ioanna gratia, Iona columba. Quasi dicat, Tu es obediens filius gratiæ, vel filius columbæ, id est Spiritus sancti, quia humilitatem de Spiritu sancto accepisti, vt vocante Andrea, me videre desideraret. Non enim dedignatus es maior minorem sequi*, Firmatur Ecclesia in Petro capútque illius constituitur: nam, cùm Petrus esset senior Andrea, vt tradunt C. Chrysost. Beda. Thomas. Beda. S. Thomas, à me citati tom. 1. l. 3. cap. 6. qu. 8. num. 48. tamen tantam à diuino Spiritu humilitatem hausit, vt præ amore veritatis, præeminentias ætatis contemnens, non est dedignatus minorem fratrem Andream sequi, eius ductu ad Christum venire: *non enim dedignatus est maior, minorem se quia:* Et qui tam humilis est, támque sinceræ veritatis generosus amator, vt in re doctrinæ fastum ætatis deponens, non erubescant magistrum iuniorem, dignissimum est fundamentum Ecclesiastici ædificij, aptissimumque vt totius vniuersi caput augeretur.

Chrysost. Beda. Thomas.

Qui præ amore veritatis præcellentiam ætatis deposuit, dignus Christi vicarius.

Sextò Hildebertus Cænomanensis Episcopus Epist. 12. Electo Andegauensi. *In summis, ait, sacerdotibus etas integra postulatur, vnde ne periculum Religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat: Christus Ioannem supra Petrum dilexit, Petro tamen, non Ioanni concessa est potestas ligandi, ac soluendi,* Non eligit Dominus in Pontificem Ioannem virginem, ac sibi valdè familiarem, sed Petrum, æuo iam maturam: nunquid in Ioanne aliquid Pontificatui defuturum erat minimè. Sed vt Dominus futuris sæculis præberet exemplum, quod ad magnas dignitates seniles anni requiruntur; nam quamuis iuuenes multis fulgeant virtutibus, frequenter tamen carent prudentia, ac matura discretione, & experientia, quæ longo annorum spatio crebris actibus acquiritur, quibus maiori ex parte prædicti sunt senes, cùm iam per tot rerum casus sint edocti, ac exercitati.

176. Hildebert. Dignitas conferenda, non adolescentiæ, sed senibus.

Septimò. Firmissimè fundatur Ecclesia super Petrum ob suum eximium amorem erga Christum, obque ipsum amorem Christi vicarius inaugurtaur. Nam, cùm Pontificatus ei traderetur, ait illi Christus: *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas*, Ioan. 21. n. 16. Id est diligit me plus quam hi, qui hic tecum sunt: Discipuli mei me diligunt; sed ad committendam tibi Ecclesiam meam, tantum amorem in te requiro, vt diligas me plusquam hi. D. Augustin. tract. 124. *Sciebat*, ait, *Dominus, quòd plus aliis Discipulis Petrus eum diligeret*, indéque ei suam Ecclesiam tradidit. Tantóque amore in Christum Petrus ferebatur, vt quæ ipse in cœnaculo pollicebatur, *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Et Ioan. 13. num. 38. *Animam meam pono pro te*, ex feruido quodam amore, vt notant ibi D. Cyrillus, & D. Augustinus, prodibant, veluti ex quadam amoris fornace.

177. Petrus ob amorem in Christum eligitur Pontifex.

Ioan. 21.

Augustin. Ioan. 13. Cyrill. Augustin.

In vltima Cœna ait Dominus suis Discipulis, quod vnum ex illis erat eum traditurus. *Innuit ergo huic*, scilicet Ioanni, *Simon Petrus: & dixit ei, Quis est de quo dixit?* Ioan. 13. num. 24. Cur ipse Petrus per se hoc non interrogat; ipse enim valdè frequenter in Euangelio respondet, & loquitur. Cur hic ipse per se non agit? ad quid interponit Ioannem? Prudens senex optimè sciebat, quòd Christus Dominus traditiorem non erat illi manifestaturus, nam eius eximius affectus valdè notus erat, quòd si Petrus eum agnouisset, sine dubio eum interfecisset, ac in frusta cæderet. Hac de causa semper tam obscurè Christus Dominus de Proditore fuit locutus. *Amen, amen dico vobis, quòd vnus ex vobis tradet me*, Ioan. 13. n. 21; Theophylactus. *Proditor*, ait, *non est manifestatus: aliquin eum discerpsisset Petrus, forte & occidisset eum*, D. Thomas in Ioan. *Ita*, inquit, *feruidus in amore Christi erat Petrus, quod si pro certo sciuisset, Iudam fuisse Christum traditurum, statim occidisset eum.*

178. Ioan. 13. Petrus in Christum amore feruidus. Ioan. 13. Theophyl. Thomas.

Propter hunc intimum amorem, quo Petrus Dominum prosequebatur, ei tradidit Dominus oues suas; quia si ipsum summè diligebat, summè & eius oues diligeret. D. Augustin. tract. 123. in Ioan. *Si me diligis, pasce oues meas: ac si diceretur, Si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas, sicut oues meas pasce, non sicut tuas*, Sic ait D. Ambrosius in cap. 24. Luc. *Interrogabat*, Dominus scilicet *Petrum, non vt disceret sed vt doceret, quem eleuandum in cælum amoris sui nobis vicarium reliquebat.* Designatus est Petrus vicarius, ac tanquam Christi vices gerens, tum Pontificatus, tum amoris,

179. Ex amore committuntur oues Petro. Augustin. Ambros. Petrus Christi vicarius in Pontificatu & amore.

amoris, quo oues pascebat. Pastor Christi, ouium Christi imitabatur amorem.

180. Ioan 19. Matth. 27. Actor. 10. Cùm meus Iesus penderet in Cruce, dixit, *Sitio*, Ioan. 19. n. 29. Quod, vt colligunt communiter Interpretes ex Matth. 27. n. 45. & 46. ortigit hora sexta. In Actis Apostolorum refertur, quòd *Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam, & cùm esuriret, voluit gustare*, Actor. 10. n. 9. Valde mirum, quod eadem hora sexta, quæ est prandij. Christus patitur sitim, & Petrus famem. Si sitis Christum adurget hora sexta, cur non & Petrum; & si Petrus illa hora fame cruciatur, cur non & Christus? Ad quid hora meridiana

Chrysost. siti vnus, alter fame anxiatur? Recte D. Chrysostomus ad citatum Actorum locum. *Vide*, ait, *quomodo Spiritus conuictia, tempora; neque enim, neque tardius facit hoc* Sitis, qua Dominus permebatur, sitis erat conuersionis animarum, vt est communis vox Patrum, ac Interpretum: fames verò

Ambros. Beda. Petri, esuries spiritualis animarum erat, vt docent D. Ambrosius serm. 10. Beda, & alij ibi; sic vidit in aperto cœlo linteum plenum quadrupedibus, ac serpentibus, eique dictum est: *Occide & manduca*. Modo idem redit dubium: si idem erat significatum, cur Christus siti, Petrus verò fame stimulatur? Alimentum Charitatis quandam habet veluti proportionem, & analogiam ad alimentū naturale. Alimentum naturale componitur ex cibo, & potu; illius verò appetitus ex siti, & fame coalescit. Christus constituit Petrum sui vicarium,

Christus Petro concessit quandam veluti societatem in animarum sollicitudine. & successorem, non solum in Pontificatu, sed etiam in anxietate animarum: Pro ergo explicanda hac eximia charitatea, & sollicitudine Petri dignatus est Dominus quandam cum eo veluti partiri societatem. Christus pro alimento Charitatis, ac conuersionis animarum sustinet sitim; Petro verò reseruatur altera pars alimenti, scilicet fames. Vt inde deprehendatur summa Apostoli animarum cura, qui quandam quodammodo partitionem, ac societatem cum Christi infinita, & summa charitate adumbrabat.

QVÆSTIO XIII.

Quare nequitiarum acies, portæ inferi dicantur? Et quid per inferni portas denotetur?

181. Abulens. INFERNVS propriè non habet portas, vt est certum, & notat Abulens. quæst. 69. Quia est subtus terram, & ibi ex Dei ordinatione

Cur dicuntur portæ inferi vitia. dæmones, ac homines damnati tanquam alligati detinétur. Dicitur nequitiarum exercitus portæ inferi, tum quia sicut per portam ingreditur in aliquem locum; ita per dæmonum tentationes, peccata ac vitia ingreditur in infernum; tum quia Christus Dominus loquitur hic de Ecclesia sua, veluti de quadam arce, ac vrbe super firmissimam rupem fundata, cui opposita est ciuitas altera, nempe tartarea, cum suis militibus, scilicet dæmonibus, ad Ecclesiam oppugnandam; sed non

August. prævalebunt, ab Ecclesia posternuntur, & vincuntur. Sic D. Augustinus scripsit libros ciuitatis Dei, in quorum initio duas constituit ciuitates sibi oppositas, vnam nempe Dei, quæ est Ecclesia; alteram diaboli, scilicet infernum. Dicuntur autem portæ per metonymiam. Continens pro contento, quia ad portas confluunt fortissimi milites ad pugnam, & per hoc indicatur rigidum bellum commotum ab inferis contra Ecclesiam, sed non prævalebunt, nec vincent eam.

Quærimus in præsenti: Quid per portas inferni denoteretur? Omnes vnanimes antiqui Patres, quòd demonum potentia intelligatur. Varie explicant Theophylactus hic, & Abulensis q. 70. Homines pravos, ac princeps sæculi, qui contra Ecclesiam pugnant, sed non prævalebunt, designati volunt. Secundò Rabanus, Glossa ordinaria, D. Anselmus. *Portæ inferi*, inquiunt, *& tormenta sunt & blanditia persecutorum*, Lenociniis enim maximè decipiuntur homines. Tertiò D. Chrysostomus tom. 5. in Demonstratione: Quòd Christus sit Deus. *Portæ inferi*, ait, *pericula sunt, quæ mortem generant, pericula, quæ ad infernum deducunt*, Occasio proxima, periculúmque peccandi, porta est inferni, per quam homo ruit in Tartara, vt contra Ecclesiam arma nequitiæ, ac peccatorum sumat.

181. Varia sententia. Theophyl. Abulens. Rabanus. Glossa. Anselm. Chrysost.

Quartò D. Epiphanius in Anchorato. D. Gregorius in Psal. 7. Pœnit. D. Thomas, & alij hæreticos, ac hæresiarchas intelligunt, qui homines decipiunt & ad Tartara ducunt. Quintò D. Ambrosius in lib de bono mortis cap. 12. & Comm. in cap. 9. Luc. D. Paschasius lib. 8. in Matth. Carthusianus, per portas inferni vitia & peccata dicunt denotari, per hæc enim homo tendit, & intrat infernum, tanquam per portam. Sextò D. Hieronymus per has portas intelligit tam vitia, quàm hæreses.

181. Epiphanius. Gregor. Thom. Ambros. Paschas. Carthus. Hieronym.

Septimò. De Hypocrisi videtur Origenes interpretari tract. 1. in Matth. ante medium. *Portæ inferni non prævalebūt aduersus eam*, Sic ait: *singula spiritualis nequitiæ in cœlestibus portæ sunt infernorum, quibus contrariantur portæ iustitiæ*. Quænam sunt spirituales nequitiæ, quem loquendi modum induxit Paulus ad Ephes. 6. num. 12. Spirituales nequitiæ si sunt in cœlestibus quomodo poterunt esse infernorum ianuæ? Spirituales nequitiæ sunt quædam versutiæ, & calliditates Spirituales. Sic apud Paulū pro *nequitiæ* vertit Erasmus *versutiæ*, Vatablus *astutiæ*. Hæ ergo nequitiæ, versutiæ ac fallaciæ spirituales in cœlestibus hypocrisis sunt figmenta, quæ veram virtutem in cœlestibus intendunt figere, ac simulare. Dúmque conantur veram paupertatem, humilitatem, pœnitentiam, ac castitatem depingere, videntur in cœlestibus residere. Et tamen ex ipsis versutiis, tanquam ex insidiis Iustitiam oppugnant. *Quibus contrariantur portæ Iustitiæ*, Ex ipsisque figmentis tanquam clauibus inferni ianuas aperiunt, vt ibi in æternum sepeliantur. *Singula spiritualis nequitiæ in cœlestibus portæ sunt inferiorum.*

184. Origenes. Ad Ephes. 6. Etasmus. Vatablus. *Hypocrisis porta inferi ad interitum.*

Maneat ergo, quòd per portas inferni omnipotentia dæmonum significatur. Cur ergo dixit potius porta, quam potestatem inferni, vel diaboli? Ratio est data in limine quæstionis. Loquitur enim de Inferno vt de vrbe aliqua opposita cœlesti Ierusalem. Sic Psal. 106. num. 16. *Qui contriuit portas æreas; & vectes ferreos confregit.*

185. *Cur dicitur porta inferi & non potestas diaboli.*

Deinde ad denotandam firmitatem suæ Ecclesiæ, durúmque inferni bellum contra ipsam, portarum nomine vtitur. Satis vulgare apud Scripturas, quòd iudices, ac tribunalia olim apud portas residebant, per ipsasque significabantur. Non ait Christus in præsenti, quòd dæmonum potestas, ac exercitus pugnabunt, sed quod *portæ inferi*, quibus iudices, ministros, ac tribunalia infernorum indicat, vt durissimum bellum contra Ecclesiam denotet, ipsiúsque Ecclesiæ robustam firmitatem innuat, contra quam non solum dæmones, sed etiam dæmones iudices, ac tribunalia tartarea non prævalebunt. Tanquam si ratio depraua iudicis,

186. Psalm. 106

maligni tribunalis aliquod super infernorum rabiem, & furorem videatur augere. Nil enim petu antius, ac licentiosus, quàm vnus iniquus iudex, itaut etiam ex illo, aliquid potentiæ, ac virium censeatur infernorum furiis accrescere; indéque ad magnum robur Ecclesiæ commendandum, non ait Dominus, quòd dæmonum potestates, sed quod portæ inferi non prævalebũt aduersus eam.

187. Notandum, quòd de Ecclesia sua ait Dominus: *Et portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*, Cur potius non ait; Portæ inferi habebunt pacem, & quietem cum ea? Cur Princeps pacis non ponit pacem in sua Ecclesia cum infernorum furiis? *Porta inferi non prævalebunt*: ait, quod certamen, ac pugnam denotat, in qua ab Ecclesia prosternentur. Hoc sanè pro magno Ecclesiæ splendore dicitur. Nil illi gloriosius obuenire poterat, quàm cum tartarea nequitia habere bellum, & non pacem: nam pax cum similibus, durissimum bellum est. Deinde quia victoriæ corona non obtinetur, nisi præmisso luctamine, ac labore. Vt ergo sui milites gloriosè coronentur, cum infernorum furiis certamen habeant.

Pax cum nequitia durum bellum.

188. Ait Dominus Ierem. 1. num. 8. *Non timeas à facie eorum*? scilicet peccatorum, ac tyrannorum. Et postea subdit num. 19. *Et bellabunt aduersum te, & non prævalebunt*, Bonum, non superari: nònne melius, non impugnari, ac in quiete degere? Cur contra puerum, qui non sciebat loqui, certamen principum, ac tyrannorum, permittitur? Cur non potius cum illis pax datur? Cum talibus pax, nullum periculosius bellum: bellum sit cum illis, vt pax habeatur cum Deo, victoriæque in omnium oculis irradiet gloria. Theodoretus ad citatum Ieremiæ locum. *Pollicetur ei*, ait, *non pacem, nec quietem, sed certamen, & victoriam: pugnabunt enim*, ait, *tecum & non prævalebunt*, &c. *Quam quidem pollicitationem fecit etiam Ecclesiæ: nam Petro diuinissimo dixit*, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. *Non dixit, non pugnabunt, sed pugnando non prævalebunt, quoniam ex aduerso pugnantes non sine labore victoriam comparant.*

Ieremiæ. 1.

Ex bello, & luctamine palma.

Theodoret

Matth. 16. Et tibi dabo claues regni
num. 19. cœlorum. Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.

VERSIONES.

Tertull. de Pudic. c. 12. Claues regni cœlestis.

Vatablus. Quidquid alligaueris in terra.

EXPOSITIO V.

189. *Tibi*, ô scilicet Petre, & non alteri. Cũ ipso Simone filio Ioannis loquitur Dominus, quẽ ob suã magnã fidẽ constituerat Christus Dominus petram, ac fundamentum suæ Ecclesiæ. *Super hanc petram ædificabo.* Ipsum verò eius dẽsignat caput, ac summum Rectorem. *Dabo*, non ait, do, nam hic tantum pontificatus fiebat promissio; illius collatio post Resurrectionem est facta Ioan. 21. num. 15. *Pasce oues meas*, Nam cùm Christus adesset præsens, non conueniebat, sui vicarium creari; hoc eius absentiæ erat reseruatum, cùm ipse esset abiturus ad Patrem. Nec ait, Tibi dabuntur, sed *tibi dabo*. vt sciens, ac videns auctorem beneficij, se illi astrictum recognoscat. Non ait, vt inquit Chrysostomus homil. 55. Rogabo Patrem, vt det; sed ait, tibi dabo, magna sua potestate vtens, vt asserit Theophylactus, seque verum Deum declarans, vt confessus fuerat Petrus, qui enim fidei articulos confitetur, statim ipsius fidei magnalibus nobilitatur. Et ait Chrysostomus citatus: *Quemadmodum Pater tibi dedit, vt me cognosceres, sic & ego tibi dabo.* Omnes tres personæ Trinitatis conueniunt ad Petrum condecorandum. Pater reuelat filiationem naturalem Vnigenjti, *Pater meus reuelauit tibi*, Filius dat ei supremam iurisdictionem in Ecclesia, *Tibi dabo claues*, Spiritus sanctus illuminat, nam dicitur filius *Barjona*, id est filius columbæ, diuini nempè Spiritus, qui mentem illuminauit, voluntatem inflammauit, ac in tantam confessionem induxit, vt diceret, *Tu es Christus Dei viui.*

Ioan. *Prælatus in sui præsentia non creet sui vicarium.*

Chrysost.

Theophyl.

Tres diuinæ personæ conueniunt ad Petrum cõdecorandũ

190. *Claues regni cœlorum*, Per claues intelligitur hic summa, & absoluta potestas; tum Ordinis, tum iurisdictionis in vniuersam Ecclesiam Petro, ac suis vicariis in præsenti à Christo promissa, ac tradita Ioã. vltimo. n. 16. Sumitur metaphora à regibus, ac Dominis, quibus vrbiũ claues traduntur, vt eorum summa potestas significetur: qui enim claues domus, vel ciuitatis habet, illius dominus est, ad libitúmque eam aperit, & claudit, & provt ipse vult, ac iudicat, ad illámque admittit, vel ab illa expellit: fitque alluſio ad Isai. 22. n. 2. vbi promittens Deus veterem principatum sacerdotij Eliakim, ait: *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat*, Dicuntur claues regni cœlorum, id est Ecclesiæ, ea ex parte, quæ in terris militat. Et dicitur regni cœlorum, vt intelligat Petrus, potestatem sibi traditã propriè, & directè ordinari ad spiritualia, qtiæ spectant ad regnum cœlorum; ad temporalia verò non nisi indirectè pro vt ad spiritualia, vel necessaria, vel vtilia consistunt. Vnde ait D. Chrysostomus homil. 4. de verbis Isaiæ. *Regi ea, quæ hic sunt*, scilicet in terra, *commissa sunt, mihi cœlestia: mihi autem dico, sacerdotem intelligo*, circa autem hæc verba *regni cœlorum* quandam adnotationem dabo quæst. sequenti.

Ioan. 21.

Isaiæ. 22.

Chrysost.

p. 13. Sophy

191. *Et quodcumque.* Relicta clauiũ metaphora, trãsit saluator ad aliam valdè similem; nam claudere, & ligare; rursus aperire, & soluere, sibi mutuò admodum vicina sunt; sicque variis modis, ac metaphoris summam potestatem Petro traditam explicat Dominus. Et non ait, Quemcumque ligaueris, sed *Quocumque ligaueris*: nam neutrum genus est vniuersalius masculino. Pontifex autem non tantum homines ligat, ac soluit, sed etiam peccata, vota, ac iuramenta, &c. Nam Pontifex aliquando culpam, ac peccatum absoluit; aliquando retinet, absolutionem sacramentalem denegando iuxta pœnitentis dispositionem. *Super terram*, refertur ad Petrum, ciúsque successores degentes in terra. Ac si dicatur: Quidquid, ô Petre, tuique successores existentes super terram, ligaueritis,

Variis modis explicatur Petri auctoritas.

ligaueris, vel solueris. *Erit ligatum in cœlis*, id est Deus illud ratum, ac firmum habebit, censebitque ligatum, vel solutum in cœlo. O mira Petri potestas, vt quodcunque ipse iudicauerit in terris, idem suprema Dei maiestas iudicatura sit in cœlo sententiam enim Petri Deus non reuocat, sed vt iuste approbat, ac confirmat. Ex quo exclamat D. Hilar. *O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo.* Et D. Chrysost. homil. 5. de verbis Isaiæ. *Quid*, ait, *cum hoc honore, scilicet sacerdotali, conferri potest? a terra iudicandi principalem auctoritatem sumis cœlum: nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum; & quidquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat.* Circa hanc litteram vide sequentem quæst. in limine.

Mira Petri potestas.

Hilarius.

Chrysost.

QVÆSTIO XXIV.

Quare in hac ampla iurisdictione Petro tradita, vsus est Dominus potius voce clauium, quàm potestatis?

192. RESPONDEO primò ad quæstionem, vt dixi in expositione, & superiori quæst. Explicat Dominus in præsenti suam Ecclesiam per modum cuiusdam ciuitatis super rupem ac petram fundatæ: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Eandem ciuitatis metaphoram prosequens de clauibus mentionem facit, per clauium enim traditionem quilibet recognoscitur, ac constituitur iuxta leges ciuiles ciuitatis, vel domi dominus, & qui ciuitatis claues, & in illam habet potestatem. Hac igitur de causa ad iurisdictionem Petri in vniuersa Ecclesia exprimendam, clauium voce vsus est Dominus.

Ratio litteralis.

193. Secundò. Glossa Ordinaria, Albertus Magnus, Hugo, & alij. *Tibi dabo claues*, ait, *scilicet discretionis, & potestatis*, hoc est potentia & scientia discernendi, quia dignos recipere, & indignos excludere debeat à regno. In præsule, ac pastore sit potestas, & scientia discernendi. Potestas, vt præmium, vel supplicium conferat; Scientia verò, vt vnicuique tribuat, prout eius facta condignè promerentur.

Gloss. Ord. Alb. Magn. Hugo. *In præsule scientia discernendi.*

194. Tertiò. S. Thom. Tibi dabo claues, *duo sunt*, ait, *quia duo requiruntur, potestas, & scientia.* In pastore simul cum potentia resplendeat scientia, vt non prout vult, cuncta disponat, sed vt ratio, iustitia, ac scientia dictant, & dirigunt, vniuersa ordinet. Quartò. Non ait Dominus Petro, do tibi homines, do potestatem, vel Ecclesiam meam; sed dabo tibi claues: vt inde ipse Petrus instruatur, quod non tam se recogitet Dominum, nec sit sibi in mente tam defixa potestas, quam sapientiæ clauis, quæ omnibus est præferenda, illa enim ab ipso cuncta erant tractanda; ac gubernanda.

Thomas. *Scientia ac ratione dispensantur omnia.*

195. Quintò. D. Paschasius lib. 8. in Matth. sic moralizat. *In secundo loco*, ait, *claues regni cœlorum dantur ei, qui poterit virtutibus obstruere portas infernorum, vt ipse sibi aperiat portas regni cœlorum. Omnis namque species virtutum, cùm ex corde fuerit adimpleta, quasi ipsa clauis regni videtur, ita vt inueniatur eadem virtus, & clauis esse porta simul & porta, per quam introitur ad regnum. Idcirco nec immeritò tot dicuntur claues, quot fuerint habita virtutes.* Primò, dat Dominus Petro claues supremæ, ac plenariæ iurisdictionis in vniuersa Ecclesia. Secundò etiam vnicuique dantur suæ regni cœlestis claues, virtutes nempe, & bonæ actiones. Vnaquæque virtus veluti clauis est regni cœlorum, per quam aperitur porta cœlestis, & ad illud ingreditur. *Ita vt inueniatur eadem virtus, & clauis esse porta, simul & porta.*

Paschas. *Virtus clauis est porta cœlestis.*

Sextò, Christus Dominus dicitur habere claues Apocal. 1. num. 18. *Ego habeo claues mortis, & inferni.* Apocal. 3. num. 7. *Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Sic & Dominus Petro dat claues, vt quidquid ligauerit in terra ligatum sit & in cœlis, vt Petro suæ præeminentiæ, ac excellentiæ partic'pationem impertiatur, vtque ipsi cum Domino, cuius vices gerit, in dignitatis munere aliqualis comparatio, quantum fas est seruo, concedatur. 196. Apocal. 1. Apocal 3. *Petrus in dignitate aliqualem cum Domino comparationem habet.*

Venditur Ioseph Madianitis *viginti argenteis.* Genes. 37. num. 28. Cùm tamen Christus Dominus triginta sit venditus. *Illi constituerunt ei triginta argenteos.* Matth. 26. num. 15. Planum est apud Sanctos Patres, quod Ioseph in hac re venditionem Christi adumbrauerit. Cur ergo figura cum figurato non proportionatur, nec respondet? S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto. *Viginti argenteis*, ait, *in vetri Testamento venditur, triginta in Euangelio: pretiosior enim typo veritas.* Perpende vltima verba. At verò quando Dominus mandat soluere didrachma pro se, & Petro, ait illi: *Da eis pro me, & te.* Matth. 17. num. 26. æqualiter pro Domino, & seruo soluendum est. Vnde ait D. Hieronymus. *Quia viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus.* Combinatur cum Domino in redditione tributi, quod non permittitur Ioseph in typo. O magna Petri celsitudo! Æqualitas cum Domino, quæ aliis in figura denegatur, hæc in redditione tributi, ac vice dignitatis, ex ineffabili & diuina dispensatione, ei datur, & conceditur. 197. Gen. 37. Matth. 26. Ambros. Matth. 17. *Æqualitas conceditur Petro, quæ alijs denegatur.* Hieron.

QVÆSTIO XXV.

Quare cùm Christus Dominus habeat claues mortis, & inferni, Petro tamen dat claues regni cœlorum?

198. AIT Christus Dominus de se Apocalypseos 1. numer. 18. *Fui mortuus, & ecce sum viuens, & habeo claues mortis, & inferni.* Et tamen Petro dat claues regni cœlorum ad Ecclesiæ regimen, & gubernationem. Christus autem dicitur habere claues mortis, & inferni, vt Christianos muniat, & corroboret contra minacia tyrannorum, ac gentilium verba, quibus se iactabant, Christi Discipulos mittere in mortem, & infernum. Cùm ait Dominus: *Ecce fui mortuus, & ecce sum viuens, & habeo claues mortis & inferni.* Ac si dicat Christus: Non vos terreant illa inimicorum verba: Ego sum plenus Dominus mortis, & inferni, & sicut ego fui mortuus, & triumphans à morte, & inferno, resurrexi, ita vos possum à morte eripere, mortuosque ad vitam euocare. Ita explicant citatum Apocalypseos locum Pannonius, Alcasar, Cornelius, & alij. Apoc. 1. *Explicatur citatum locum Apocalypseos.* Pannon. Alcasar. Cornel.

199. Secundò. Dominus dat Petro claues regni cœlorum, quæ sunt maximè ad viuificandum, & benefac endum, vt illis cœlestem ianuam hominibus aperiat. Nam cùm Petrus summè diligeret Christum, etiam oues eius summè diligebat. At ipse Dominus sibi retinet claues mortis, & inferni, hoc est vt explicant Andreas Cæsariensis, Richardus V ctorinus potestatem, vt Iudæos, Gentiles, ac tyrannos, hostes suos, suæque Ecclesiæ, morte, ac gehenna puniat, eosque morte, ac inferno æquè, ac diabolum in æternum concludat. Iurisdictionem, vt homines regat tanquam oues fouendo, curando medicamenque, variis modis adhibendo, Petro concedit. At potestatem in aduersarios, vt eos extrema morte, sententia ac damnatione, & inferno obstruat; sibi Christus reseruat & homini non concedit. Nam si homini talis potestas daretur, fortè cuncta in magno discrimine versarentur, & in interitum, ac præcipitium ruerent. Cùm aliquando Petrus inter medios hostes cum ense se vidisset, *Exemit gladium suum, & percutiens seruum principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Matth. 26. n. 51. Et nisi Domini præceptum vrgeret, multos percuteret, & occideret.

Andreas. Richardus.

Potestas ad extrema supplicia in aduersarios valde periculosa in homine.

Matth. 26.

200. Cùm Christus Dominus iter faceret, voluit introire ciuitates Samaritanorum, cúmque noluerunt recipere, quod *cum vidissent Discipuli eius Iacobus, & Ioannes dixerunt; Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cœlo, & consumat illos,* Luc. 9. n. 54. Quæstio est omnibus expositoribus, Quòd cum omnes Discipuli hæc vidissent, cur solum peculiariter Iacobus, & Ioannes sunt indignati, locuti, ac ignem mittere voluerunt? Respondet D. Ambrosius ad citatum locum. *Præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de cœlo descenderet, quia filij sunt tonitrui,* Iacobo, & Ioanni in designatione Apostolorum *imposuit Dominus nomen Boanerges, id est filij tonitrui.* Marc. 4. num. 13. Communis est Patrum vox, quòd nomina imposita à Christo, non erant inania, & vacua, sed simul cum nomine dabatur virtus per ipsum designata. Cùm ergo Iacobus & Ioannes ex suo nomine suam virtutem recognoscerent, magno affectu præsumunt, ac volunt, tanquam tonitrui filij innare, fulgurare, ignem in aduersarios mittere, vt eos disperderent, comburerent, ac in cineres redigerent.

Luc. 9.

Ambros.

Marc. 3. Potestas in homine ad desolandū.

QVÆSTIO XXVI.

Quare, cùm potestas traditur alijs Apostolis, dicitur dari in cœlo: at Petro dicitur in regno cœlorum?

201. DAT Dominus potestatem suis Apostolis in toto Orbe, & ait illis: *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt & in cœlo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Matth. 18. num. 18. Confert Dominus potestatem Petro, & exprimitur dari ei in regno cœlorum. *Tibi dabo claues regni cœlorū,* Et iterum. *Et quodcumque ligaueris, erit ligatum & in cœlis.* Et iterum. *Et quodcumque solueris, erit solutum & in cœlo.* Cur aliis dicitur dari potestatem in cœlo singulariter, Petro verò in cœlis pluraliter?

Matth. 18. Ratio difficultatis.

202. Dubium excitat, & soluit Origenes homil. 9. in Matth. *Non modica differentia est,* ait, *quod Petro data sunt claues, non vnius cœli, sed multorum cœlorum, vt quæcumque ligauerit super terram, sint ligata non tantum in vno cœlo, sed in omnibus cœlis. Ad eos autem, qui multi sunt ligatores, & soluatores in terra, sic dicit, vt soluant, vel alligent, non in cœlis, sicut Petrus, sed in vno cœlo, quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, vt alligent, & soluant in omnibus cœlis.* Confer modo potestatem Petri, & cæterorum Apostolorum: nam his dicitur dari potestas in cœlo, illi autem, non in cœlo, sed in cœlis, cœlorumque regno: nullum est enim cœlum, nullumque cœlorum regnum, nullaque Christi Ecclesia, in qua nó ruriet Princeps Apostolorum, supra omnia enim regna cœlorum, super omnes Ecclesias super omnes homines.

Origenes.

Potestas Petri in omni Ecclesia.

Quamuis enim Apostoli acceperint à Christo Domino immediatè, iuxta citatum Matthæi locum, iurisdictionem, & potestatem necessariam ad suum munus administrandum in toto Orbe: Tamen hæc potestas data fuit Petro cum quadam supereminentia, & excellentia: nam potestas ita fuit data Petro, vt solus ipse haberet successores; aliis vero Apostolis data fuit per modum cuiusdam legationis personalis, quæ cum persona finitur; non enim Apostoli Apostolos creabant, sed Episcopos. Deinde Petro fuit data potestas super alios Apostolos: nam ipsi dictum est à Domino: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. Apostoli oues erant Christi, & ideo dicitur cap. In nouo Testamento. dist. 21. & cap. Ita Dominus dist. 19. Petro esse datam potestatem vt capiti, cæteris vt membris. Idem habetur in cap. Cùm beatissimus, & cap. loquitur. 24. quæst. 1. Et hæc cum multis doctoribus latè explicant Sot. in 4. dist. 1. art. 2. & lib. 1. de Iustitia quæst. 1. art. 3. Bellarminus lib. 4. de Pontif. cap. 23. Suarius lib. 4. de legibus cap. 3. num. 1. & 3.

203. Matth. 18.

Potestas Petri quadam excellentia supra alios.

Ioan. 21.

Sotus. Bellarmin. Suarius.

Hæc ampla potestas data est Petro, eiusque successoribus. Primò vt sacramentalem absolutionem peccatorum in sacramento Pœnitentiæ dignis concedant, indignis verò denegent; æque vt & Eucharistiam, ac alia sacramenta, prout præexistit recipientis dispositio, administrent, vel prohibeant. Secundò vt lapsis pœnitentiam iniungant. Tertiò, vt Excommunicatione, aliisque censuris Ecclesiasticis reum innodent. Quartò, vt legibus, ac præceptis, verbi gratia festorum, ieiuniorum, decimarum, &c. fideles constringant. Quintò, vt obligent Christianos fidei definitionibus, dum Pontifex è cathedra definit, & declarat, quid credendum, quidve, vt erroneum, ac hæreticum, respuendum sit. Sextò vt hominibus, fidelibus concedant indulgentias, quæ sunt quædam relaxationes pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis. Septimò vt & concedant indulgentias pro defunctis, non per modum iurisdictæ absolutionis, quia defuncti illis amplius non sunt subditi, sed *per modum suffragij*, vt Pontifex apertè solet exprimere in bullis, soluendo scilicet pro illis tantum ex thesauro Ecclesiæ, cuius Pontifex est dispensator, quantum pœnarum defuncti Deo debent. Ita S. Thom. Bonauentura, Alensis, Gabriel, Maior, Dominicus Soto, Petrus Soto, & alij, quos citant Suarius tom. 4. ad 3. p. disp. 51. sect. 1. numer. 3. Bonacina disp. 6. de Indulg. punct. 6. num. 6.

204. *Valde ampla Pontificis potestas.*

S. Thom. S. Bonau. Alensis. Gabriel. Maior. Dom. Soto. Petr. Soto. Suarius. Bonacina.

205. *Venerandus Petrus ob suam potestatem.*

Hinc Petrus ob tam amplam potestatem, à Deo datam, in omni Ecclesia, in omni cœlorum regno maximè venerãdus est. Cũ Princeps Apostolorum esset in carcere detentus, astat Angelus, &

& ait illi: *Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius*, Actor. 12. num. 7. Et post hæc statim Angelus cunctanter se habuit, ait enim illi: *Præcinge te, & calcea te caligas tuas, & dixit illi: circumda tibi vestimentum tuum*, Qui velocitatem imperabat, *Surge velociter*, quomodo statim tot moras nectit, vt præcipiat ei, cingere vestes, calceos, seu sandalia, vt alij volunt, assumere, & vestimentum circumdare; hoc est, vt explicat Cornelius, Tunicæ, seu super tunicam iniicè pallium. Vnde ait D. Chrysostomus homil. 20. *Nullus festinans, & euadere volens, tantam diligentiam adhibet, itaut etiam sandalia accipiat, & se præcingat*, Aduerte, quòd Angelus festinationem imperabat, quamdiu manus Petri vinculis erant ligatæ; at postquam catenæ ceciderunt de manibus eius, ab illisque sunt excussiæ, statim cum mora ac cunctatione se habet Angelus. Valde durum, ac insupportabile erat illi vt sacræ illæ manus, tam ampla potestate plenæ, vinculis essent astrictæ, ac alligatæ.

Actor 12.

Cornel. Chrysost.

QVÆSTIO XXVII.

Quare in hac potestate Petro tradita prius dixit Dominus ligare, quàm soluere?

206. AIT Christus Dominus Petro *Quodcumque ligaueris super terram*, Deinde & secundo loco: *Quodcumque solueris*, Cur priùs posuit ligare quàm soluere? cum hoc videatur cuiusdam benignitatis, illud vero rigoris signum, & Christus Dominus magno affectu rapiatur ad ea, quæ benignitatis sunt?

207. Respondeo primò. Et natura rei prius est ligare, quam soluere; nam quidquid soluitur supponitur ligatum. Indéque vt Dominus sermonem suum naturæ rei accommodaret, prius dixit ligare, quam soluere. Secundò. Cùm soluere benignitatis sit; tamen ligare cuiusdam rigoris, ac austeritatis est: Agebat Dominus in præsenti de firmitate, ac constantia Ecclesiæ suæ, aduersus quam portæ infernorum non præualebunt, seu non vincent eam; & vt aduersariæ potestates non præualeant, sed vt vincantur, ac prosternantur, plus proficit rigor, quàm benignitas; punitio, quàm clementia; nam cùm inimici non ferantur amore, sed odio, inde non benignitatis signis, sed rigoris disciplinæ acquiescunt.

Inimici ut benignitate sed rigore subiiciantur

208. De Christo Domino vaticinatur Psalmographus: *Reges eos in virga ferrea*, Psalm. 2. num. 9. seu, vt legit D. Hilarius, *Contera eos*; alij apud Lorinum, *Vinces eos*, Quomodo in virga ferrea dicitur eius regnum, cùm de eius aduentu esset prædictum: *Dominus dabit benignitatem*, Psal. 84. num. 13. *Descendet sicut pluuia in vellus*, Psal. 71. num. 6. Agitur in præsenti de Domini gubernatione, quoad potestatem iniquam, & tyrannicam, vt commentantur Brunonius, & alij. Indéque, non benignitas, sed durissimus rigor in virga ferrea prædicatur eis, vt ait D. Hieronymus. *Reges eos in virga ferrea, id est in dura disciplina, quia corda illorum tortuosa erant*, ac proinde non clementia fuerunt emolliendæ, sed austeritate, ac duritie compescendæ.

Psalm. 2. Hilarius. Lorinus. Psal. 74. Psal. 71. *Inimici ferro domantur.* Brunon. Hieron.

CAPVT VI.

Increpatur Petrus à Iesu.

Matth. 16. n. 20. Tunc præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus.

VERSIONES.

Vatablus. Tunc dixit Discipulis suis, ne cui dicerent, quòd ipse esset ille Christus.

Syriacus. Vt nemini dicerent, ipsum esse Meschicho.

D. Chrysostom. homil. 55. Quia ipse est Christus.

ALTER TEXTVS.

Marci 8. n. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

Luca 9. n. 21. At ille increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc.

EXPOSITIO VI.

CONFESSVS fuerat Petrus, vt notat Euthymius, Christum verum esse Messiam; verúmque Dei filium naturalem: cui confessioni Discipuli consenserant, quam & Christus Dominus probauit, commendauit, ac remuneraut dicens, *Beatus es Simon Bar-jona*; eamque à Patre fuisse inspiratam, testificauit, *Quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*, Quibus narratis, & his, quæ de Pontificatu Petri sunt, immediatè scribit D. Matthæus, *Præcepit*, D. Marcus, *Comminatus est*, D. Lucas, *Increpans*: Græcus habet *Interminatus est illi*, hoc est astrictis, ac rigidis verbis adhibitis præcepit; nam illa verba comminatus, interminans, increpans, quandam vim in ipso præcepto imposito indicant, qua Dominus mandauit suis Discipulis, cognoscentibus, & confitentibus filium Dei, vt tacerent, & aliis non manifestarent vsque ad tempus prædefinitum, quando post Resurrectionem eius, vt palam id prædicarent, in mundum mittendi erant: Pro explicando huius prohibitionis motiuo sit:

1. Euthym. *Concordia summa inter Euangelistas.* Græcus.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus præcepit hîc, vt nemini dicant, ipsum esse Iesum Christum?

2. QVANQVAM nec D. Marcus, nec Lucas admodum apertè expressérint id, quod Christus prohibuit Discipulis, ne aliis dicerent; tamen expressius scribit D. Matthæus, *vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus Christus*. Et quamuis D. Chrysostomus homil. 45. in Matth. & D. Ambr. in

Chrysost. Ambros.

Vet. Ant. Latinus. Græcus. Hieron. Origen. Paschas.

in cap.9. Luc. citans Matthæi locum, sic & Victor Antiochenus Marci 8. non legant illud *Iesu*: tamen illud habent Biblia latina, Correcta, & Græca, & D. Hieron. Origen. Paschas. & communiter alij, & idem est sensus. Prohibuit ergo, ne cui dicerent, se, quia proprio nomine dicebatur Iesus, esse Christum, & Messiam, ac filium naturalem Dei, vt confessus fuerat D. Petrus. Rationem huius prohibitionis inquirimus.

3. Ratio difficultatis. Ioan.1.5.7. & 8.

Cur Christus prohibet modo suis Discipulis, prædicare, & annuntiare, ipsum esse verum Messiam, verumque filium Dei, cùm, Ioannes Baptista sit præmissus, hoc annuntians, & testificans Ioan.1. à num.23. Et Christus idem de se palam dixerit, ac pronunciauerit Ioan.5. à num.17. & Ioan.7.8. & aliis in locis?

4. Abulens. Carthus. Toletus. Ne passioni poneretur impedimentum.

Primò. Respondent Abulensis quæst.94. Carthusianus, Toletus in c.9. Luc. ann.42. Christum præcepisse Discipulis, vt nemini diceret, ipsũ esse Christum, ac filium Dei, ne passioni opponeretur impedimentum. Si enim cognouissent, nunquam gloriæ dominum crucifixissent. Tamẽ hæc ratio non multum vrget: quamuis enim Discipuli aperte testificarent, suum Magistrum esse verum Messiam, & filium Dei, nec hoc ita persuaderent, vt vehemens Pharisæorum, & Scribarum odium, & inuidiam extingueret; nec enim illud mitigauit præclara Christi prædicatio locis citatis; nec Ioannis Baptistæ annuntiatio; nec vox populi proclamantis: *Hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Ioan.6. num.14. Et iterum: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.* Luc.7. num.16. nec pueri clamantes. *Hosanna filio Dauid.* Matth.21. n.16. Quæ Messiæ erat propria proclamatio. Nec contra hoc obstat textus Lucæ. *Et increpans illos, præcepit, ne cui dicerent hoc: dicens, quia oportet filium hominis multa pati.* Illud *Quia* videretur reddere causam prohibitionis, *oportet multa* pati: non obstat, *ne cui dicerent hoc*, quòd scilicet Petrus testificauerat; deinde Euangelista scribit dicens, tanquam addens, & subiiciens nouam rem. Particula *Quia* non indicat causam, sed est veluti declaratio. & idem est, ac quod, vt frequenter fit in Scriptura.

Ioan.6.

Luc.7. Matth.21.

Explicatur textus D. Luc.

5. Origen. Chrysost. Hieron. Euthym. Theophyl. Paschas. Beda. Thomas. Caietan. Maldon. Barrad. Burgens. Cornel. Chrysost.

Secunda, & est valdè celebris sententia Patrum, Origenis tract.1. in Matth. D. Chrysostomi homil.55. in Matth. D. Hieronymi hoc loco, Euthymij, Theophylacti, Paschasij, Bedæ, D. Thomæ, Caietani, & aliorum, quam sequuntur Recentiores Maldonatus, Barradas, Lucas Burgensis, Cornelius, & alij qui docent, quòd ante passionem voluit Dominus palam per Apostolos euulgari, ac prædicari, ne tenera fides, hominum animis insita, ab eis esset euulsa scandalo imminentis mortis, ac passionis eius: quæ fides semel deperdita, valde difficillimum esset, vt postea in auditorum animos reuocaretur, nam, vt ait D. Chrysost. citatus, *Quod iam radicem agit, si euulsum fuerit, non facile potest iterum plantatum pullulare.* Ad hanc ergo prædicationem Apostolorum expectandum fuit opportunum tempus, vt non solùm fides mortis, sed etiam resurrectionis, ac gloriæ, ac omnium aliorum mysteriorum prædicaretur, vt sic facilius retineretur. Quantum autem fides tempestate mortis, ac crucis sit perturbata, ipsa Discipulorum facta, è quibus vnus negauit, cæteri fugerunt, satis probant. Hæc sententia ob tantos Patres maximè veneranda est.

Fides semel amissa difficilè recuperatur.

6. Tertiò. Sic rem explico. Voluit Christus Dominus à principio ea agere, per quæ rebus ipse se ostenderet verum esse Messiam, ac verum filium Dei naturalem, & hoc etiam ipse, qui est sapientia æterna, & facile Iudæos confundebat, sæpè dixit, ac prædicauit, vt tanta veritas Catholica suo testimonio esset comprobata. Hanc autem veritatem suis Discipulis ante Diuini Paracliti aduentum, noluit committere ad prædicandum. Discipuli optimè cognoscebant, & credebant Christi diuinitatem; tamen si ipsi hanc veritatem apertè prædicarent, malignantium Iudæorum inuidia multa argumenta contra hanc veritatem opponeret, & obiiceret, vt fiebat Christo prædicante, à quibus argumentis tunc Discipuli, vtpote adhuc imperfecti, non facilè se expedirent, non enim pro eo tempore capiebant Scripturas, nam post Resurrectionem *Aperuit illis sensum, vt Scripturas intelligerent.* Luc.24. n.45. nec adhuc erant edocti à Diuino Spiritu. Ergo ad hanc prædicationem Apostolorum expectandum fuit opportunum tempus, vt ipsi à Sancto Spiritu illustrati Scripturas intelligentes Christum Iesum verum esse Messiam prædicarent. ac annuntiarent, quando tunc ipsi optimè difficultates contra fidem oppositas soluebant, extricabant, ac comminuebant. Sic ait Euthymius in cap.16. Matth. *Immissurus erat Spiritus sanctus intellectum Discipulis, & tunc omnibus publicari volebat diuinitatis, & passionis sua mysterium.*

Verior expositio.

Luc. *Prædicatio committenda, vsque illustrato & Scripturas intelligenti.*

Euthym.

7. Confirmatur. Nam post Resurrectionem Christus mandauit Discipulis, Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris. Et paulo post ait illis: *Accipietis virtutem supernenientis in vos Spiritus sancti, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ* Actor.1. num.8. Postquam acceperint virtutem supernenientis Spiritus, tunc mandat eis, vt sint sui prædicatores, & annuntiatores: de qua re disserens D. Bernardus serm.3. in Cantica, ait: *Indutum virtute ex alto nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit, vel frontem deuincere, vel subiicere dominantem.*

Actor.1.

Bernard.

8. Hanc sententiam me docuit magnus Ambrosius in cap.9. Lucæ, explicans, Quare Dominus præceperit vt nemini diceret hoc. Sic ait: *Multis ex causis Christus iubet tacere Discipulos, vt fallat principem mundi, vt declinet iactantiam, doceat humilitatem, simul ne rudes, & imperfecti adhuc Discipuli maxime prædicationis molibus opprimantur.* Pŏdera vltima verba pro nostro statuto. Ergo ne rudes Discipuli tanta mole prædicationis, opprimerentur, induendi fuerunt virtute supernenientis Spiritus, vt postea dicerent, & prædicarent.

Ambros.

QVÆSTIO II.

Tractatur eadem quæstio quoad sensum moralem.

9. SVPERIORI quæst. tractata est difficultas in sensu litterali, nunc de sensu morali agimus. Et respondet Primò D. Hieronymus in Epist. de vera circumcisione. *Mauult, se inuentum esse, quàm proditum, vt virtus sua illum, non fauor manifestet alienus.* Venit Dominus Iesus in mundum, vt se esse Christum, & verum filium Dei omnibus manifestaret: tamen mandat Discipulis, *vt nemini dicerẽt, quia ipse esset Iesus Christus.*

Hieronym.

Inten

Intendebat Dominus, vt sui notitia non deberetur humanis, ac alienis fauoribus, decreuitque se propria virtute, ac operibus monstrari, *vt virtus sua tuum, non fauor manifestet alienum*, Magnorum virorum est, vt propriæ gloriæ diuulgatio; non alienæ gratiæ, ac acclamationi, sed propriæ virtuti credatur. Et hoc magnus decor, vt eorum decantatio alterius fauori non debeatur, cùm propria virtus, quandiu præsens existit. ad eorum publicationem large abundans consistat.

Magnum decor, quòd propriæ gloriæ alterius fauor non quæ.

10. Origenes.

Secundò Origenes tract. 1. in Matth. *Mandat*, ait, *Discipulis, vt nemini dicant. Inutile enim est, ipsum prædicare. Crucem autem eius tacere. Propterea volens postmodum perfectius prædicari, præcipit. vt nemini dicerem, quia ipse est Christus: & præparabat eos, vt postmodum dicant, Quoniam ipse est, qui Crucifixus, & mortuus est.* Duas rationes subiicit ingeniosus Doctor, cur Dominus tam rigidè præcepit Discipulis, vt nemini dicerent, ipsum esse filium. Vnam, *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere*, Altera, *Volens postmodum perfectius prædicari.* Si de eo prædicaretur, ac testificaretur, quòd esset Christus filius Dei naturalis, ac verus Messias, inutilis, & imperfecta esset prædicatio. Quid maius, & sublimius dici poterat? In tantum præ amoris magnitudine æstimat, ac appendit Crucis, mortis, ac passionis ærumnas, vt omnem glgriam, ac honorem, ei delatum, quodammodo inutilem, ac imperfectum censeat, nisi Crucis, ac passionis suæ ornamentis condecoretur. *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere.* Quandiu, ergo contumeliæ mortis differuntur, & Crucem non ascendit, Discipulis præcipit, vt taceant, *volens postmodum perfectius prædicari*, Quasi quòd supremæ maiestatis gloria non videatur ei vtilis, & perfecta, nisi à passione condecoretur. Mandat, vt nemini dicant, quòd ipse est Iesus Christus; non enim vult, vt gloria sua quodammodo imperfecta annuntietur; sine Cruce, ac morte eam veluti plenam, ac consummatam non reputat, cuius eximium decus ab ipsa passione purpurascit.

Christum præ amore sine Cruce, & passione suam gloriã perfectam, ac plenam non iudicat

11. Passio gloriæ ornamentum.

Tertiò ad eadem verba, *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere*, Mandat, vt nemini dicant, quòd ipse est Iesus Christus, ideſt verus filius Dei, verúsque Messias; ac si omnis gloria ærumnis passionis condecoretur, quasi supremæ maiestatis gloria, ante expertas mortis contumelias, inutilis quodammodo censeatur, ac si antecedentes ignominiæ sint præclarum felicitatis ornamentum, & à dolorum acerbitate gloriæ decus venustetur: nam si felicitas ante passionem contingat, non condecorat possessorem, vt benemeritum, sed vt felicem; felicitas apud homines fortunæ casus reputatur, non verò meriti dignitas: hæc enim per pressuras comparatur. *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. num. 26.

Luc. 24.

12. Crux lucerna, & lux ad intelligenda fidei mysteria.

Quartò ad eadem verba. *Inutile est, ipsum prædicare, Crucem autem eius tacere; præcipit, vt nemini dicerent, quia ipse est Christus, & præparabat eos, vt postmodum dicant, Quoniam ipse est Christus, qui crucifixus est.* Vetat Dominus, vt ipse à suis Discipulis annuntietur in mundo, quandiu ipse Crucem non ascendit, quandiuque ipsa crux non est prædicanda; nam sine Cruce perfectè non prædicatur: ipsaque Crux præparat intellectum ad eius verba percipienda, & tanquã lux inseruit ad sermones eius intelligendos, ac percipiendos.

Cùm Paulus multis erroribus teneretur, à Domino in via est prostratus. Et cùm exindè tanquam cæcus nihil videret, mittitur ad eum Ananias, vt ab ipso confortatus, manuum impositione, visum recipiat. Cumque ille venisset ad eum, *Imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu sancto: & confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squammæ, & visum recepit.* Actor. 9. num. 17. Vt infidelitatis squammæ, quæ erant tanquam piscis squammæ, vt volunt Lyranus, & Caietanus, à Paulo depellantur, manus ei imponuntur, nam impositione manuum visum recepit, vt docent Chrysostom. & Carthusianus. Cur ad hoc Ananias non potius insufflauit, vt Parens meus Elias ad vitam puero dandam: vel cur non amouit baculum, vel pallium suum extendit, vt Eliseus pallium Eliæ? Cur manus imponit? Impositio manus signo Crucis exhibito, quo nihil est vtilius, ac prius ad infidelitatis tenebras propulsandas, ad lucem, ac cognitionem in fide, ac rebus supernaturalibus infundendam. Germanus Ierololymitanus Orat. In Crucis adoratione apud Grethserum tom. 2. *Oculus priuatus Paulus*, ait, *qui recta non intueretur, sed solum distorta, obliqua, & reflexa diligeret: nam squammæ, quæ de oculis eius deciderant, serpentinæ squammæ esse videbantur, & totum Christum in se receptum, & simul cum Cruce leuatum.* Cum signo Crucis à cæcitate admirabilium cognitionem elenatur.

13. Actor. 9. Lyran. Caietan. Chrysost. Carthus. *Signo Crucis illuminatur Paulus.* Germanus.

Agens Dominus de Iudicis aduentu, in cuius conspectu omnia sunt manifestanda, ait: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ de cælo cadent, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc apparebit signum filij hominis*, Matth. 24. num. 29. Veniet Iudex, vt omnium intima, ac etiam occulta cordium patefiant: & tamen omnes mundi lampades extinguuntur, Sol, Luna, & stellæ a suo fulgore spoliantur: nunquid sine luce aliquid potest manifestari? Si omnia mundi lumina suo splendore priuantur, quomodo patebunt vniuersa omnium corda? Apparebit tunc signum filij hominis, apparebit Crux quæ splendidior est Sole, Luna, astris, in cuius comparatione eclipsantur mundi lumina abscondita manent, & minimè valent etiam tenuiter scintillare. D. Chrysostom. homil. in Crucem, & Latronem tom. 6. *Tunc*, ait, *Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum. Tanta erit tunc lucis copia, vt etiam lucidissima sydera sint abscondenda, Nam & stellæ cadent, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Vides quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantus fulgor? Sol obtenebrabitur, Luna non splendebit, astra cadent, illud verò solum appareat, vt intelligas, illud & Luna splendidius, & Sole fulgentius esse.*

14. Matth. 24. *Crux splendidior Sole, & Luna.* Chrysost.

QVÆSTIO III.

Quare Dominus hic præcipit, vt nemini dicant, ipsum esse Iesum Christum, cum Matth. 10. mandauerit annunciare, regnum Dei appropinquare?

15. HÆc difficultas valdè communis est. Præcipit hic Dominus, vt Discipuli nemini dicant, ipsum esse Christum, hoc est verum Messiam. At

Matth. 10.

Matth.10.n.7.ſuis Diſcipulis mãdauit. *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum Cœlorum* Quod de ſacratiſſimo eius aduentu intelligitur.

16. Matth 10. Ambroſ. Origen. Paſchaſ. Beda. Thom. *Vera interpretatio.* Matthæus.

Reſpondetur cum D.Ambroſio in cap.9.Luc. Origen.tr.1.in Matth. & hic D.Hieronym. Paſchaſio,Beda,S.Thom.& aliis,Chriſtum imperaſſe ſuis Diſcipulis prædicare, regnum Dei appropinquaſſe, ac proinde annuntiare, illud eſſe tempus deſignatum aduentus Meſſiæ, de ſe autem vt teſtificarent tanquam de viro magno, & inſigni, non tamen vt publicarent, ipſum eſſe verum Meſſiam promiſſum;& hoc in præſenti prohibet, vt exprimit D.Matth. *vt nemini dicerent, quòd ipſe eſſet Ieſus Chriſtus*, hoc eſt quòd ipſe, qui nomine appellabatur Ieſus, eſſet Chriſtus, ſeu Meſſias, vt habet Syriac. Huiuſmodi enim prædicatio reſeruabatur ad tempus poſt Reſurrectionem. Ac proinde ſolum mandauit annuntiare, regnum Dei appropinquare, vt paulatim homines præpararentur ad Euangelicam doctrinam; ac cùm poſtea prædicaretur, quòd ipſe eſſet verus Meſſ. facilius reciperetur. Magna, & inopinata, non ſubitò ſunt dicenda, ſed ſenſim ad illa animi diſponantur.

Syriac.

Magna paulatim dicenda.

17. Origen. Thom. Matth.10.

Origenes citatus, & D.Thom. exiſtimant prohibitionem appoſitam reſpicere, ac extendi vſque ad tempora poſt Reſurrectionem; de hoc enim tempore intelliguntur multa, quæ cit. Matth.10. prædicuntur: *In Synagogis ſuis flagellabunt vos, ante reges, & præſides ducemini propter me*, &c. Prima tamen interpretatio verior, & communior.

Matth.16.n.21. Exinde cœpit Ieſus oſtendere Diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.

VERSIONES.

Syriacus. Ex eo tempore cœpit Ieſchua indicare Diſcipulis ſuis, ſe profecturum, &c.

Arias. Et tunc cœpit Ieſus oſtendere: & tertia die excitari.

ALTER TEXTVS.

Marc.8.n.31. Et cœpit docere eos, quoniã oportet filium hominis pati multa, & reprobari à Senioribus, & à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi. & poſt tres dies reſurgere.

Luca 9.n.22. Dicens, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus Sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die reſurgere.

EXPOSITIO II.

18. Græcus.

EXinde, Græcus, *Ex eo tempore*, quo ſcilicet Petrus eum confeſſus fuerat filium naturalem Dei, & tam illuſtri confeſſione, vt dignus ſit inuentus, qui Eccleſiæ fieret fundamentum, Tunc Dominus de ſua morte cœpit agere. Vel *Exinde*, Quaſi ex eo tempore, quo ipſe eſt habitus, & cognitus vt Deus, ad oſtenſionem ſuæ bonitatis, pro ſalute hominum pati, ac crucifigi quodammodo teneretur. *Exinde*, quo ipſe firmiter cognitus, & confeſſus eſt à Diſcipulis ſuis verus Deus, *Cœpit Ieſus oſtendere Diſcipulis ſuis.* Antea obſcure, & ſub parabolarum inuolucris ſuam paſſionem inſinuauerat Ioan.2. num.19. & 3. numer. 14. Nunc autem clarè, & aperte. Et cur non antea? Quia, cùm filium Dei iam confeſſi erant, digni inueniebantur: quibus myſterium paſſionis explicaretur. Quia duo ſunt principia fidei: Chriſti diuinitas, & humanitas, ac paſſio, quam in ſua humanitate pertulit, vt nos redemit. Et ita apud Lucam habetur, *Oportet filium hominis*, quia moriturus erat, non vt Deus, ſed vt homo, ac filius hominis. Tandem cùm cognoſcerent Diſcipuli Chriſtum verum Deum, apertè deprehendebant, quòd ipſe morti tradebatur, non ex imbecillitate, ſed ex ſua voluntate. Et etiam hac de cauſa hìc eis ea prædicit, vt notarunt D.Chryſoſt.Euthym.& Theophyl.qui ait: *Prædicit Chriſtus paſſionem, ne inexpectata illa veniente offendantur, putantes, quòd inuitus, & non præſciens paſſus eſſet.*

Proprium Dei pro ſuorum ſalute mori.

Ioan.2.& 3.

Luc.9.

Euthym. Theophyl. Chryſoſt.

Quia oportet, non abſolutè, ſed ex decreto.Patris. Primò vt pro peccato generis humani contra Deum infinitum commiſſo fieret ſatisfactio de rigore iuſtitiæ, quam ſolus filius Dei factus homo congrua ratione ſoluere valebat. Secundò. Quia ita oportebat, *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc.24. n.26. Tertiò vt homines per Chriſti mortem redempti inſtruerentur ad imitandum, ferendamque eius crucem.

19.

Luc.24.

Matth.16. Et aſſumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Abſit à te, Domine, non erit tibi hoc.

VERSIONES.

Syriacus. Et prehendens eum Petrus, cœpit eum obiurgare, inquiens: Propitius eſto tibi, Domine mi, quominus hoc tibi contingat.

Euthymius. Aſſumens eum Petrus cœpit reprehendere illum.

Theophylact. Et cùm abduxiſſet illum Petrus, cœpit increpare.

Græcus. Parce tibi, non erit tibi hoc.

Arias. Clemens tibi ſis, Domine.

D.Athan.de humanit.contra Appollin. Miſereris tui, Domine.

ALTER TEXTVS.

Marc.8.n.32. Et apprehẽdens eum Petrus cœpit increpare illum.

EXPOSITIO III.

ASſumens eum, D. Marcus ſcribit, *Apprehendens eum*, ſcilicet Ieſum, ſummè ſibi dilectum,

dilectum, *Petrum*, vt seorsim secretius, ac familiarius cum increparet, vt solemus agere cum amicis, vt exponunt D. Chrysost. D. Hieron. Beda, Euthymius, & alii. Nampræsentibus Discipulis temeratium iudicauit Petrus, ait D. Paschasius, Dominum arguere. *Capit increpare illum*, non obiurgantis auctoritate, sed ardenti amantis, ac condolentis affectu, eo quòd Dominus diceret, se oportere pati, & occidi. Nam Petrus ex diuina reuelatione cognoscebat Christum filium Dei, proinde credebat, facile posse omnia illa vitare; quæ autem hæc dixit, non ex reuelatione, sed à se ipse locutus, *Capit increpare illum*. D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Hic error Apostolicus de confidentia venit*. De quo quæst. sequenti. Et quia modò Petrus multis fauoribus à Domino fuerat cumulatus, vt ab eo esset dictus Beatus, fuitque Ecclesiæ fundamentum constitutus. Euthymius, *Increpauit eum, quasi sumpta libertate, eo quòd beatificatus esset*. Quis non videat, quòd principum fauores multum animum, & confidentiam suis familiaribus ingerant?

Chrysost. Hieron. Beda. Euthym.

Paschas.

Euthym. *Principum fauores dat confidentiam.*

21. Græcus. Syrus.

Absit à te, Domine, vt mors tam indigna, & crudelis tibi obueniat. Quis enim posset ferre, filium Dei crucifigi, & mori Græcus habet, *Propitius tibi esto*. Syrus, *Parce tibi*, seu *Prohibitio tibi*, eodem sensu, vt talis mors tibi accidat, atque crucis patibulum tibi contingat. Hæ voces, Phrases sunt Hebraicæ, quæ eundem habent sensum Genes. 18. num. 25. & 44. num. 7. 1. Reg. 20. n. 2. & 3. Reg. 23, num. 17. Arias transfert, *Clemens esto tibi*, vt velis tam dura tibi assumere. Et dum Petrus ait, vt inquit D. Paschasius, *Propitius esto tibi*, intelligit, quia si nolueris, non erit tibi talis mors.

Gen. 18. 44. 1. Reg. 20. 2. Reg. 23. Arias. Paschas.

Quæstio IV.

Quare magnus Petrus hîc cum tanta ignorantia loquitur, vt dicat, Absit à te, Domine?

22. Origen. Chrysost.

ORIGENES tract. 1. in Matth. D. Chrysostomus hom. 55. testantur D. Petrum hæc dixisse, *amoris ardore*. Sicque communiter omnes referunt hæc ad eius eximium amorem, & zelum: nam amici maximè sibi desiderant bona, scilicet esse, & viuere, Ethicor. 8. Et Petrus, cum in hoc negotio non saperet, quæ Dei sunt, sed quæ hominum, cogitabat, bonum esse Christo viuere, & non mori. D. Hieronymus sic ait: *Assumit eum in affectum suum, & cæpit increpare illum amantis affectu, & optantis dicere, Absit à te, Domine, non erit tibi hoc: non potest fieri, nec recipiunt aures meæ, vt Dei filius occidendus sit*. Et postea subdit, quòd Petrus sic fatur ex pietatis affectu. Euthymius, ex quadam libertate, & confidentia amicitiæ. Cardinalis Hugo, *Fortè hoc dixit*, ait, *ex perturbatione mentis, sicut amicus audito grandi malo amici, dicit: nunquid hoc erit?* Ex quo deducitur ratio, ob quam ex omnibus Discipulis Petrus Dominum increpat, quia, vt ait Abulensis qu. 106. Petrus cæteris erat audacior, ac amore erga Christum feruentior. Deinde moraliter, qua D. Petrus pro sua confessione à Domino modò fuerat beatificatus, maximumq; ei præmium promissum? indéque maximè se astrictum agnouit, vt pro Domino staret, pro illóque vt sibi persuadebat, verba faceret.

Ethicor. 8. Hieron. Euthym. Hugo. Abulens. *Magis obligatus pro Domino loquitur.*

Secundò. Quia, vt patet ex subiunctis, ei dixit, *Quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum*: non considerabat altum Dei consilium, sed ea, quæ humano appetitui proportionata videbantur. De quo latius expositione sequenti. Tertiò Theophylactus, *Id, quod reuelatum erat*, ait, *Petrus rectè confessus est; in eo autem, quod non reuelatum, lapsus: vt sciamus, quod absque Deo, neque ille locutus est magnum quiddam*. Cùm D. Petrus ex afflatu Dei verba profert, *Tu es Christus filius Dei viui*, rectè dicit: cùm verò à se loquitur, *Absit à te Domine*, statim errat. Ex Dei gratia, vt inquiunt D. Chrysost. S. Thomas, multum homo euolat, ac penetrat; cùm verò iudicio suo ducitur, statim prolabitur, ac in eo defectus apparet.

23. Theoph. Chrysost. D. Thom. *Homo ex suo iudicio errat.*

Quartò D. Augustinus in Psal. 55. premens verba Apostoli, *Absit à te Domine, non erit tibi, hoc*. sic eleganter fatur: *Dicis, Absit, & dicis, Domine? vtique, si Dominus est potestate facit*. Seruus non debet dominò suo præscribere leges, sed eius beneplacitũ expectare, & sequi. Cùm ergo D. Petrus à sua sphæra velit prosilire, & Domino modum assignare, statim cum ignorantia agit, & errat.

24. August. *Erat seruum cum vult leges domino dare.*

Quintò. Idem D. Augustinus in Psalm. 64. *Non sapis*, ait, *qua Dei sunt, sed qua hominum. Quare qua sunt hominum? Quia antecedere me vis, Redi post me, vt sequaris me*. Vnde D. Petrus in tantam venit ignorantiam, vt sapiat quæ hominum sunt, non quæ Dei: forsitan quia primatum crucis sibi ambiebat, ac prius crucis glorias volebat arripere. *Quia antecedere me vis*. Valde ingenitum homini, in omnibus primatum velle tenere, in vniuersisque illum intendere.

25. August. *Homo vult primatum ambire.*

Sextò. Germanus Patriarcha Orat. in Exaltatione crucis contra Bogomillos: *Quid Petro firmius*, ait, *cui nec caro, nec sanguis filium Dei reuelauit? Nihilominus, cùm Magistrum ad crucis patibulum festinantem intelligeret, conatus quidem est, cursum illum, & festinationem prohibere. Sed contrà audit: Vade post me, Satana. O miraculum ingens! Satanas appellatur magnus Petrus, quod crucem detrectet; & vt petra scandali, & lapis offensionis retrò abiicitur infractum illud Ecclesiæ fundamentum*. Valde firmus extitit Petrus in sua confessione, *Tu es Christus filius Dei viui*, vt inde promeruerit constitui firmissimum Ecclesiæ fundamentum, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. At verò modò cùm à magistro crucem dimouere intendit, statim valde infirmus, ac veluti petra scandali apparet, *Vade Satana, scandalum es mihi* Vnde tam firmus tam infirmus factus? Cùm Petrus Christi diuinitatem fatetur, valde firmus consistit; at cùm crucem cœpit recusare, ac detractare, statim labilis, ac infirmus apparet. Omnis enim cognitio diuinorum, ac omnium supernaturalium bonorum vbertas à præsidio, ac tutamine Crucis in nobis firmatur, ac corroboratur.

26. German. *Præsidio crucis in omni bono roboramur.*

Ait Paulus ad Rom. 6. n. 13. *Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo*. Ex hortatur nos Apostolus, quòd cùm olim essemus mortui per peccatum, nunc autem viui per gratiam Christi, vt exhibeamus membra nostra tanquam arma iustitiæ. Sed quo gratiam per Christum adeptam conseruabimus, & quibus armis munientur membra nostra ad iustitiam retinendam? Præstantissima arma nobis sunt ad hic omnia crucis signaculum. D. Meth. apud Grethser. tom. 2. de cruce. *Primogenitum Verbum Dei*,

27. Rom. 6. *Crux nobis arma ad gratiam conseruandam.* D. Meth.

ait, *munitis animis iuſtitia hominum, in quo habitauit; poteſtatibus, qua nos in ſeruitutem redegerant, per*
Crux victoria firmamentū. *crucis figuram ſuperatis::: Eſt enim Crux victoria firmamentum: machina, per quam ij, qui ad Eccleſia ædificium adaptati ſunt, lapides quadrati inſtar attrahuntur ſurſum adaptandi diuino Verbo.* Expende: *Eſt crux victoria firmamentum*, & etiam *machina, qua homines ſurſum trahuntur*, Veluti in quotidianis ædificiis per machinam lapides dolati ex imo ferunter in altum; ſic per Crucem ex imo terræ ſubleuamur in cœlum.

Matth. 16. *n.* 13. Qui conuerſus dixit Petro: Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi; quia non ſapis, ea quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.

VERSIONES.

D. Aug. ſer. 13. *de verbis Domini ſecundùm Matth.* Redi poſt me Satanas.

D. Athanaſ. de humana nat. cont. Apollin. Apage retrorſum, Satana, ſcandalum es, eo quòd non ſapias.

Syriacus. Abi retrorſum à me, Satana: offendiculo es mihi: quippe qui non ſapis, quæ Dei ſunt:::

Græcus apud Luc. Burg. Abſcede ſeu faceſſe hinc è conſpectu meo.

Vatablus. Abi poſt me, Satana: obſtaculo es mihi.

Arabicus. Non cogitas, quæ Dei ſunt.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. *num.* 33. Qui conuerſus, & videns Diſcipulos ſuos comminatus eſt Petro, dicens: Vade retro me, Satana, quoniam non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

EXPOSITIO.

28. VT *conuerſus dixit Petro*, à latere ſibi aſtanti, itaut alij Diſcipuli ſcirent increpationem Petri, quod innuit D. Marcus, *Qui conuerſus videns Diſcipulos ſuos*, quia erant in eadem ſententia cum D. Petro, vt ex hoc cauerent, ne ſimilia dicerent; nam idem cum eo patiebantur, vt ait Euthym. *Vade poſt me, Satana, ſcandalum es mihi*, D. Hilar. & & D. Chryſoſtom. ſerm. 27. *Vade poſt me*, refert ad Petrum, *Satana ſcandalum es mihi*, refert, non ad D. Petrum, ſed ad diabolum, qui talia ſuggeſſerat Petro, vt diceret, *Abſit à te Domine.* In eadem ſententia videntur eſſe Origenes tract. 1. in Matth. D. Hieronymus hic, D. Auguſt. ſerm. 13. de verbis Domini ſecundum Matth. Abulenſis q. 112. qui ſic explicant. Vade poſt me, ſequendo potius meam voluntatem, quam tuam, imitandóque meam paſſionem, & Crucem.

Marc. Euthym. Hilar. Chryſoſt. Origenes. Hieron. Ambroſ. Abulenſ.

Communis tamen hodie ſententia Maldonat. Barradæ, Burgenſis, Comelij vtrumque coniungit, & totum dictum Petro aſcribit. Ac ſi dicat Chriſtus, Vade poſt me, id eſt, Recede, ſeu faceſſe à me, ſeu abi à conſpectu meo, quia in his, quæ dicis, non te præbes mihi amicum, ſed Satan, id eſt aduerſarium, hoc enim Hebraicè ſignificat *Satan*, & *ſcandalum es mihi*, id eſt, *offendiculum*, vt habet Syriacus, *es mihi*; vis enim impedire meam paſſionem, redemptionémque generis humani, adimpletionémque præcepti, mihi impoſiti à Patre meo. Ita ſancti Patres Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Beda, Paſchaſius, Albertus Magnus, D. Hieronymus, qui ait: *Mea voluntatis eſt, & Patris, vt pro hominum ſalute moriar; tu tuam tantum conſideras voluntatem, non vis, grauem tristi cadere in terram, vt multos afferat fructus.* 29. Maldon. Barrad. Burgenſ. Comel. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Beda. Paſchaſ. Hieron.

Quia non ſapis, ſeu, *non conſideras ea*, quæ Deus probat, & alto conſilio ordinat; *ſed ea, qua hominum*, nempe illa, quæ caro, & ſanguis ſuggerunt. Euthym. *Etenim ſi aquina guſtares, vtique dignum me iudicares, qui moriar pro mundo; quia verò humana ſapis, potius indignum me iudicas, qui moriar.* 1. Corinth. 2. n. 14. *Animalis homo non percipit ea, qua ſunt Spiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere.* 30. Euthym. 1. Cor. 2.

QVÆSTIO V.

Quare Diuum Petrum tam mirificè antea laudatum, nunc tamen ſeuerè increpat Dominus?

VALDE mirum videtur, quod eundem D. Petrum tam breui interuallo Chriſtus beatum, ac Satanam appellet; & eum, quem conſtituerat ſuæ Eccleſiæ fundamentum, nunc ſibi eſſe ſcandalum dicat. Reſpondet primò D. Hieronymus, D. Paſchaſius, Illam benedictionem, ac poteſtatem, & ædificationem Eccleſiæ ſuper eum, in futurum promiſſam, non in præſenti datam. *Super te ædificabo Eccleſiam meam. Tibi dabo claues regni cœlorum.* At pro præſenti tempore, quo aduerſabatur Chriſto volenti mori, & crucifigi, tunc vocari Satanam, id eſt aduerſarium. Secundò D. Auguſt. ſerm. 13. de verbis Domini ſecundum Matth, Theophylact. Albert. Magnus, & alij reſpondent, Petrum dici beatum, & petram Eccleſiæ conſtitui, prout non ex carne, & ſanguine, ſed ex Deo reuelante loquitur, ac Chriſti diuinitatem confitetur: Satanam verò vocari, prout ſapit, non ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum, humanúmque affectum ſequitur, & ſecundùm illum verba profert. Hæc iuxta literam: tamen aliàs rationes, & mores valde vtiles ſubiiciamus. 31. Hieron. Paſchaſ. Auguſt. Theophyl. Alb. Mag. *Petrus ex reuelatione dicit verè, ex ſe lugnè errat.*

Secunda. Euthym. *Tu verò*, ait, *mihi conſidera eū, qui paulo ante maximè beatus prædicatus eſt, nunc maximè increpatum ad correctionem ſuæ audaciæ, vt intelligas, quod ſaluator non ſit perſonarum acceptor: cùm enim rectè locutus eſt, beatum prædicauit illum: quando autem non rectè, increpauit.* Petrum, quem paulo antea tantis ſublimauerat, vt beatum dixerit, fundamentúmque ſuæ Eccleſiæ conſtituerit 32. Euthym.

cum

cum ampla potestate ligandi ; ac soluendi , quomodo nunc tam dura animaduersione percutit ? Diuini principis ingenium , personas non respicit, officia in amicis renuntiat, vt defectus , si in eis appareant,castiget : errores enim in quocumque sint, æqualiter persequitur.

Christus in amicos castigat errores.

Tertia.Cardinalis Petrus Damianus l.7.Epist. 11. *Saluator noster* , ait , *qui tanquam mitis agnus apparuit,mox vt Petro cœlo, terræque iura commisit, protinus cum dura redargutione corripit : Vade post me, Satana.* Et rationem subiicit.*Quia in hac mortalitate rectè non viuitur, si blandis, ac mollibus asperitas non miscetur:nam vbi penitus disciplina postponitur, necesse est, vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio relaxetur* Quid est,quòd cùm Petrus Ecclesiæ præsul inauguratur , magnis fauoribus à Domino sublimatur, *Beatus es, & super hanc petram*: & statim dura reprehensione corripitur, *Vade post me.Satana?* Ad quid hoc tendit, nisi vt ipse Ecclesiæ pastor,in eoque vniuersi pastores simul instruantur, vt blandis dura , fauoribus rigores admisceant , nec dissimulent errores: nam si prælati subditis indulgeant , pro nostra miseria semper humana fragilitas in deterius prolabitur. Sic pergit citatus Cardinalis. *Inordinata potest principi quid est aliud , quàm confusio plebis ? nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur , subiecti quoque velut effrenes equi per abrupta raptantur.* Et ad hunc sensum explicat locum Pauli Rom.13. num. 4. *Non enim sine causa gladium portat : Dei minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.*

33. Damianus.

Prælatus cum blandis det verba rigoris.

Rom. 13.

Quarta. Origenes tract.1.in Matth. *Si Petrus scandalum à Christo dictus est*,inquit, *quasi qui non saperet,quæ Dei sunt,sed quæ hominis, quid est dicendum de hominibus,qui profitentur se Discipulos Christi,non autem sapiunt , quæ Dei sunt , sed quæ hominum sunt;aspiciunt,quæ videntur, & temporalia sunt? non est ergo leue peccatum,sapere,quæ hominum sunt, cum debeat quis in omnibus sapere,quæ Dei sunt.* Petrus , qui tantis diuinis muneribus fuerat modo sublimatus, tam rigidè nunc obiurgatur, vt ei dicatur, *Vade post me, Satana* ; grauissimum crimen est, vt illi, qui cùm deberent spititualia, ac æterna meditari ; his omissis, toti se in temporalibus, ac caducis rebus immergunt. O quam miser est, qui in cunctis solum habet sæculi , non Dei saporem !

34. Origen.

Quicunque spiritualibus debet attendere multum errat , si temporalibus se tradat.

Quinta. D.Paschasius lib.8. in Matth. *Monetur Petrus*, inquit, *vt impleat quod ei, à Domino in principio suæ vocationis iussum fuerat. Dixerat enim, Venite post me , faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth.4. n.19. Vocauerat Dominus Petrum, vt ipsum sequeretur ; Petrus autem veluti intentans mutare vicem, volebat monitis, & consiliis præcedere,vt illa Dominus sequeretur : ideò hic ipse adhortatur à Domino , vt in sua vocatione persistat, & ab illa non recedat , ne inde in grauiora mala incidat.

35. Paschas.

Matth. 4. *Quilibet perfectus in sua vocatione.*

Sexta.D.Basil.Seleucus Orat.31.pulchrè differens de Petro, & Iuda, sic ait : *Quæ hæc asperitas verborum, Domine ? Quæ hæc formidanda in Petrum increpatio ? Modò audiuit Petrus , Beatus es Simon Bar-Iona , & nunc Satanam vocas Apostolum , & scandalum , diabolique appellas instrumentum ? Etsi Iudas venditionem molitur,eadem facit,secontra cum Iudæis compositione transigit : non tamen increpatur, nec dixisti,Vade post me,Satana,sed inquis illi, Amice,ad quid venisti?* Matth.26.n.50.Res magnà indagine digna. Scelestissimum extabat Iudæ crimen ; & tamen in Horto cum eo Dominus, non rigidè, sed benèuol agit , amicumque appellat, *Amice,ad quid venisti ?* Culpa verò D.Petri orta ex nimio amoris zelo, vt inquit D.Chrysost. vel ex amicitiæ libertate, vt ait Euthym. vel ex fidei confidentia , vt astruit D.Paschas. à Domino tamen durissimè increpatur , *Vade post me, Satana, scandalum es mihi.* Cur , Domine cum execrando traditore tam mitis , cum amanti Discipulo tam rigidus? Scelus Iudæ etsi turpissimum,ad eum cruci, & morti tradendum disponebatur, à qua cum Petri ignorantia diuertere intendebat.Licet Iudæ nefas omnium esset scelestissimum , mortem tamen, & crucem vehementer desideratam Domino præparabat ; indeque diuinus amor aliquantulum cum eo rigorem dissimulat , cum illoque nunc leniter agit. At verò ignorantia Petri, etsi, ex nimia charitate , mortem tamen Saluatori retrahere conabatur ; quem affectum , vtpote delicias,ac blanditias eius impedientem , ægrè tulit diuinus amor, indeque in eum asperrimè inuehitur , seueréque illum obiurgat : obsistere enim morti eius , nec verbis dici , nec audire auribus patiebatur.

36. Basil. Sel.

Matth.26.

Durissimè diuino amori , quid à morte retardetur.

Septima. Idem D.Basilius Seleucus citata. *Vidisti*, ait, *Domine cum militibus, & armis inuadentem,nec dixisti, Vade post me, Satana,non verbis increpasti,sed ais,Amice,ad quid venisti ? Et contra Iudam talis,& Petrus amoris præmium fert contumeliã ? feritur, qui parcit, & ex ignoratione offendens verbis vapulat : ne, inquit, perhumanus Saluator : vbi enim vlcus est immedicabile , ibi pharmacum inutile ; vbi autem curationis spes , sectionem induco curationi.* Quid est hoc ? Petrum Satanæ nomine ferit , & Iudam amici agnomine exornat ? Cur magis, quàm Petrum diuinus Iudex verbis non percutit Iudam ? Vbi vulnus est incurabile,& nulla reprehensionis vstio profutura est , ibi omnino ab illa abstinet : at vbi spes est medicaminis , illud adhibet,flagellum admouet,vt resecatis vitiis, nouo augmento pullulet virtus.

37. Basil. Sel.

Reprehensio danda vbi est emendationis spes.

Ibat Paulus furens,& anhelans in Christianos, & cùm appropinquaret Damasco , *Subitò circumfulsit eum lux de cœlo , & cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris ? Ego sum Iesus, quem tu persequeris, durum tibi contra stimulum calcitrare.* Actor.9.n.4. Cur prius cadit in terram?& postea audit vocem , *Ego sum Iesus, quem tu persequeris , durum est tibi contra stimulum calcitrare ?* Stimuli erant miracula, prædicationes,ac doctrinæ Apostolorum, & Stephani ; contra quæ Paulus hactenus calcitrauerat. Cur hæc vox non auditur ante casum, sed post illum? Vox illa erat increpationis vox. Antequam caderet , in furore insaniæ , & nequitiæ ibat obstinatus,& anhelans;prostratus autem in terra, optimè erat dispositus , & præparatus ad correptionis stimulos ; iam enim à sua nequitia desierat,& luce diuina erat perculsus , quam Deus etiam in suo corde infundebat , vt errore depositio veritatem agnosceret ; & cum tam mutatus tunc existeret , correptionis vox cum suis aculeis in eum optimè vibrans magnum illi medicamen adhibebat. Franconius Abbas tom.12.de Gratia. *Ne prius* , inquit , *diuinæ correptionis vocem audire meruit , quàm supplantato pede superbiæ prorsus in terram corruit.* Vide tom.3.c.16.n.93.

38.

Actor. 9.

Reprehensio dãda,quando profectò potest.

Franconius.

Quæstio IV.

Quare Christus Dominus increpans Petrum, hic Satanam vocat?

39. Origen. Paschas.

RECTE adnotarunt Origen. tr.2.in Matth. & D.Paschas. lib.8. quòd *Dominus suscipiens Petri affectum, ignorantiam autem exprobrans dixit, Vade post me Satana.* An verò Christus iisdem verbis Petrum hoc loco,& diabolum Matth.4.n.10.repulerit? dubitatur. Iansenius, & Caietanus, dictum contendunt etiam dæmoni, *Vade post me Satana.* Sed in nostra Biblia correcta iussu Romani Pontificis tantum habetur dictum diabolo, *Vade Satana*; at D.Petro, *Vade post me Satana.* Pro quo subiicio verba D.Thomæ,commentantis ea, quæ hic dicuntur Petro. *Non, ut plerique putant,* ait, *eadem Satanas, & Petrus sententia condemnatur: Petro enim dicitur, Vade retro me Satana, id est sequere me, qui contrarius es voluntati meæ: ille audit, Vade Satana,non ei dicitur retro, ut subauditur,vade in ignem æternum.* Vide quæ dixi tom.2.lib.3.c.3.qu.41.

Matth.4. Iansen. Caietan. *An eadem verba fint dicta Petro ac diabolo.*

Thom.

40. Hilar. Chrysol. Theophyl.

Quare Christus Dominus in præsenti magnũ Petrum vocauit Satanã, inquirit nostra quæstio. D.Hilar.hic,& D.Chrys.ser.27.docét sic dictum quia à Satana instigatus fuerat, vt illa diceret, *Absit à te Domine*, &c. Theoph.videtur innuere, sic nuncupatum,quòd eadem,ac Satanas,seu diabolus volebat,vt Christus non pateretur.

41. *Vera sententia.* 3.Reg.5.

Communis,& vera sententia est, Quod Satan est nomen commune,& Hebraico idiomate propriè significat aduersarium: *Non est Satan, neque occursus malus.* 3.Reg.5.n.4.id est aduersarius,qui impediat templi fabricam. Dicitur autem Petrus à Christo Domino Satan, id est aduersarius,quia eius verbis resistebat,suæque moriendi voluntati contrariabat. D.Hieron. *Satanas interpretatur adversarius,sive contrarius*; *quia contraria*, inquit, *loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari.* Idem docent D. Augustinus serm.13. de verbis Domini secundum Matth.D.Chrysost.D.Paschasius, Euthym. Theophylactus, Beda, Carthus. Albertus Magnus, S.Thomas, Abulensis q.111. Nam quamvis modo apud nos Satan sumatur per appropriationem, ac antonomasiam pro aduersario generis humani,scilicet Diabolo; tamen Hebraicè,quo idiomate Christus est locutus, significat in genere aduersarium? Omnis enim,qui aduersatur,Satanas dicitur,vt ait Caietanus. Moraliter alias rationes subiicio.

Hieron. August. Chrysost. Paschas. Euthym. Theophyl. Beda. Carthus. Alb.Magn. Thom. Abulens.

Caietan.

42. Cyrillus.

Secundò D. Cyrillus Alexandrinus lib.12. in Ioan.cap.28. *Discimus inde*, ait, *quando tempus ad certamina vocat, ne si ipsi etiam, qui charissimi nobis sunt, prohibeant, turpe forsan putantes, mentem ullo modo illis adhibeamus: Non enim à Satana differt, qui scandala ponit.* Intendebat Petrus prohibere Dominum à Crucis victoria, & gloria, à Patrisque sui imposito adimplendo præcepto.tunc ille, non vt amicus, consideratur, sed tanquam inimicus, aduersariúsque reiicitur. Vt hoc nobis sit documentum,quod si amicus,vel consanguineus a recto ob aliquod commodum temporale nos retrahere affectet, illi à nobis sint, non tanquam amici,aut consanguinei, sed crudeles aduersarij reputandi, indéque à similibus fugiendum, & declinandum,

Qui nos à recto vult deviare,non vt amicum habendus.

43. Chrysost.

Tertiò D.Petrus Chrysol. serm.27. *Respondens Petrus*, ait, *non erit tibi hoc. Ventrum quam dulces serpentis: ante facit militem regis sui negare victoriam,servum ipse Dominum quam negaret. Vnde Dominus servum post se mittit, Vade post me.* Diabolus suggesserat Petro, Vt Crucem ac mortem Domino impediret,crucifixúmque ab eius mente excludens ipsius regis victoriam denegaret,& inde ad negationis nefas disponeretur. *Ante facit, militem regis sui negare victoriam, servum, ipse Dominum quam negaret.* Ob quæ Dominus in eum graviter insurgit,durèque increpat, *Vade post me Satana.scandalum es mihi.* Docens nos, quòd nunquam mentem nostram à Christo Crucifixo, eiusque morte separemus,ne inde in nobis prauæ dispositiones ad malum generentur, quæ nos in omne nequitiæ barathrum demergant; ad quas omnes euellendas efficax medicamentum mortis, ac passionis Christi meditatio.

Mentem à Christo Crucifixo recedit, in peccatorum labitur.

44. Matth.4.

Quartò.Dicet aliquis,quòd maior vis,& energia secundum speciem inest in his verbis modò hic dictis Petro, quàm in illis Dæmoni præfatis in deserto Matth.4.n.10. *Vade Satana.* Nam hic dicitur Petro,*Scandalum es mihi.* Cur hic tam durè increpat Petrum? Diabolus per se ipsum tentauerat Dominum in deserto; hic autem suggesserat Petro verba illa,vt diceret, *Absit à te Domine*; vt docent D.Hilar.D.Chrysolog. qui etiam tenent, illud dictum,*Satana scandalum es mihi*, ad diabolum referendum, vt ex citatis Patribus annotaui in expositione: inde Dominus tam asperè, ac severè in ipsum inuehitur. Magnum documentum morale nobis præbens, plus timendum ab ipso diabolo, cùm sub amico nos tentat, quàm cùm per se omnibus machinamentis nos impetit. Cùm sub prætextu familiaritatis decertat, confidentius accedit,vtpote bene noscens, quàm periculosa sint amicitiæ arma. Ex quo dixit Boëtius lib.3. de consolatione: *Nulla pestis est periculosior ad nocendum,quàm familiaris amicus.*

Hilar. Chrysol.

Plus fugiendus diabolus pugnans per hominẽ, quam per se.

Boëtius.

45. Hilar.

Quintò D.Hilarius in Psalm. 131. *Memento, Domine, David*, sic loquitur. *Tanta enim si Religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, Cœlestis regni ianitorem,& in terreno iudicio iudicem cœli, Satana conuicio nuncuparet.* Instante morte Domini negat Petrus Magistrum Matth.26. n.7. Et tamen nunc non eum redarguit. At verò modo cùm passioni intentat obsistere, statim durissimè increpatur. *Vade post me Satana,scandalum es mihi.* Cur hic rigiditas in Petrum? Procurabat D. Petrus prohibere diuitias diuini amoris, eiusque summæ charitatis testimonium, quod in morte, quam summè desiderabat, declaratum est. Vnde quamvis tacuerit ad negationis lapsum, dissimulare noluit auertentem à patibulo; sed tunc valdè aspera reprehensione suggillauit.

Matth.26.

Durum diuino amori eius testificationem impedire.

46. Cant.3.

Multa, & præclara amoris signa in suum dilectum diuulgat anima sancta, quòd cum quæsiuerit per noctes in lectulo sui Cantic. 3. num. 1. Quod cum inuitauerit, *Veniat dilectus meus in hortum suum* Canticor.5.n.1.quòd,cùm ipsa dormiret, cor eius super ipsum vigilaret, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Canticor.5.num.2. At nunquam obiurauit filias Ierusalem, vt dicerent dilecto, quòd ipsa, præ eius desiderio, amore tabescebat, seu deficiebat, nisi postquam à custodibus ciuitatis fuit inuenta, qui eam percusserunt, & vulnerauerunt, ac tulerunt pallium suum. Tunc immediatè inquit, *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum,*

Cant.5.

vt

Cantic. 2. Græca. *ve annuntietis ei, quia amore langueo*, Canticor. 5. num. 8. seu, vt habet Græcus, *Quoniam charitate vulnerata sum.* Cur non antea ausa est gloriari de Sponsi amore? Et cur non antea suum sic amorem vult diuulgari? Modo perculsa; & vulnerata est, & tunc audenter pronuntiat, *Annunciate quia amore langueo.* Iniurias, vulnera, incommodáque pro dilecto tolerare, veri amoris efficax téstificatio, ærumnarum patientia; amoris præclara probatio; vbi enim tanta est tolerantia, fictio subesse non potest. Gillebertus serm. 45. in Cantica. *Iam exuta sum*, ait, *iam expoliata sum me ipsa, iam idonea dilecto vestiri: spoliata, exoccupata mens languet amore, nunciate dilecto, quia amore langueo.*

Perfuris, ac laboribus probatur amor.

Gillebert.

CAPVT VII.

Propria sui ipsius abnegatio.

Matthæi 16. *num.* 24. Tunc Iesus dixit Discipulis suis: Si quis vult post me venire: abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis voluerit venire post me, abneget animam suam, & baiulet crucem suam, & veniat post me.

Vatabl. Beda. Si quis vult me subsequi, abneget.

Lucifer. Caral. moriendum. pro Dei filio. Abneget se sibi, & tollat crucem.

S. Sixt. lib. de Caritate. Abneget semetipsum sibi, tollat.

S. Valer. de bono martyrij. Tolle crucem tuam, & sequere me.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. *n.* 34. Et conuocata turba cum Discipulis suis, dixit eis: Si quis vult, me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Luc. 9. *n.* 23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

EXPOSITIO.

1. VNC *Iesus dixit*, finita increpatione Diui Petri; adiungit Dominus præsentia. Ac si dixisset, Tu, ô Petre, vis impedire meam passionem, meámque crucem: tantum abest, quòd ipsa sit impedienda, vt tu, & cæteri omnes me in mea passione, ac cruce sequi, & imitari debeatis, æquo animo mortem, ac diuersitates tolerantes, vt saluari possitis, sicut ait Chrysost. *Dixit Discipulis suis*, vt exprimit D. Marcus, *Conuocata turba cum Discipulis suis*, vt notat D. Luc. *Dixit ad omnes.* Quod ad omnes spectabat, omnibúsque erat necessarium, omnibus proposuit, & dixit. Quæ verba, cùm sint tam necessaria, vt ait D. Augustinus hom. 47. de Diuersis, *Non solum vir sive mulier, sive is, qui præest, sive is, qui alteri paret: sed vniuersa Ecclesia, vniuersum corpus, vniuersa membra per officia propria distincta, & distributa audire debent.* Notandum maximè, quòd immediatè antea cùm Petrus excederet modum, obsisteréque morti inquiens, *Absit à te Domine*, non omnes, sed solum Petrum increpat, *Vade post me satana:* At verò cùm hic agitur res omnibus necessaria ad salutem; omnes conuocat, omnibúsque dicit. *Dicebat ad omnes*, Magnum documentum. Cùm res ad vnum spectat, qui delinquit, vni loquatur, vnus arguatur, cùm verò res cunctis est necessaria, omnibus proponatur, & dicatur.

Chrysost. Marc. Luc. Augustin. *Qui delinquit corripiendus; quod omnibus necessarium omnibus dicatur.*

2. *Si quis vult.* Qui modus loquendi, ait Albertus Magnus, denotat, quam rarus sit, qui de salute agit: *Multi vocati, pauci electi.* Matth. 20. n. 16. *Nolite timere pusillus grex.* Luc. 12. num. 36. *Vult salute auenire post me.* Non cogit, non compellit quemquam, sed omnes aduocat, & inuitat. Christus vnicuique post ipsum eundi libertatem relinquit, hácque sententia eos ad se vehementius allicit; potentior enim est oratio mitis, quam aspera, & violenta, *Venire post me*, non pedibus, seu gressu córporis, sed imitatione, sequendo, & amplectendo meam doctrinam. Deinde dixerat Dominus supra Petro, *Vade post me*, nunc, vt notant D. Paschas. & Beda, aperit, quomodo debeant post ipsum venire, nempe abnegando se, & tollendo crucem suam.

Alb. Mag. *Pauci &, salute agunt.* Matth 20. Luc. 12. Paschas. Beda.

3. *Abneget semetipsum*, Tria hic mandat Christus Dominus; vt notat D. Chrysostomus homil. 56. Abneget, tollat crucem, sequatur me. *Abneget semetipsum*, hoc est, se ipsum propriis desideriis, ac appetitibus, qui legi Dei aduersantur, deneget, illis contradicat, eósque à se abiiciat, & amputet, illísque minimè consentiat. Petrus per nimium affectum obsistebat morti saluatoris: hunc affectum mandat Dominus, vt ipse à se excludat, & reiiciat. Syriacus habet, *animam suam*, hoc est deneget suam voluntatem, ac consensum huiusmodi appetitibus Matth. 10. n. 36. Luc. 14. n. 26. *Tollat crucem suam.* Crux à cruciando, seu torquendo dicta: æquo animo ferat quilibet crucem suam, nempe quamcumque aduersitatem, ac tribulationem, quam sibi à Deo datam consideret. D. Lucas scribit *Tollat crucem suam quotidie*, hoc aduerbium quandam in laboribus denotat perpetuitatem, in quibus significantur multiplices, & variæ tribulationes iustorum, quas Petrus recusat & ad illas Christus vocat, & exhortatur. *Et sequatur me*; meo exemplo, qui me ipsum abnego, & crucem meam fero. *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*, Ioan. 7. n. 38. & de sua morte dicebat Patri: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Matth. 26. n. 39.

Chrysost. Syriac. Matth. 10. Luc. 14. Ioan. 6. Matth. 26.

Quæstio I.

Quare post increpatum Petrum Christus Dominus immediatè connectit hæc verba:
Si quis vult venire post me?

4. Ratio difficultatis.

Dixit Christus Dominus sermonem cum suis Discipulis de sua morte, & passione, quòd *oportebat eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & occidi.* Quo audito, D. Petrus eum assumpsit, & increpauit, dicens, *Absit à te Domine, non erit tibi hoc,* Non enim intelligebat mysterium nostræ redemptionis in morte ac passione Christi esse positum. Petro talia dicenti, durè, ac asperè respondit Dominus, eum reprehendens, seu, vt scribit D.Marc. *Comminatus est eum, Vade inquit, post me, Satana, scandalum es mihi,* vt vidimus superiori cap. Quibus narratis, scribit D. Matthæus, *Tunc dixit Iesus Discipulis suis, si quis vult,* &c. Valde notanter Euangelista posuit illud, *Tunc*, vt magnum mysterium indicaret, seriemque historiæ significaret. Cuius mysterij, ac connexionis verborum præsens quæstio rationem inquirit.

5. Euthym.

Primò respondet Euthymius in cap.16.Matth. *Dixit hæc*, ait, *confirmans, non solum non esse indecens, vt ipse moriatur, sed neque posse quempiam suum esse Discipulum, nisi & ille moriatur.* Non fuit Dominus sola Petri increpatione contentus, sed superabundantia ostendit inconuenientiam dictorum à Petro & fructum suæ passionis esse necessarium, Ac si diceret: Tu ô Petre, sic mihi inquis, *Absit a te Domine*: Ego autem dico tibi, quoniam non solum prohibere me à passione nocumentum est, sed nec tu, nec alius, poteris salnari, nisi patiaris, & morianis. D.Chrysost.hom. 56.in Matth. D.Paschas. Perbellè D.Basil.Seleu. orat.31. *Tu Petre, ait, quod mortem recusem, consulis: ego verò tibi consulo, mortem meam imiteris, crucem subeas, passionem sustineas. Via ad salutem passio, & crux regni reconciliatrix.*

Chrysost. Paschas. Basil sel. Passio, & mors via ad salutē.

6. Abulens.

Secundò Abulensis quæst.115. Potest intelligi, quòd sit doctrina tollens dubium præcedentium, quia supra Christus, increpans Petrum, dixit, *Vade post me Satana*; in quo admonebat desistere à sua intentione, & magis sequi eum, seu ire post ipsum; & quia dubitari poterat, quid erat ire post Christum; ipse aperit, hoc quomodo fiat, dicens: *Si quis vult venire post me*, Quæ necessaria maximè explicanda.

Valdè necessaria aperiè dicenda.

7. Marc.8.

Tertiò Christus valdè seuerè increpanit Petrũ, cum eius morti obsisteret, dixitque ei, *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Quod scribens D.Marc.8. n.33.ait: *Comminatus est Petro*, id est rigorosè, ac asperrimè eum est interminatus, vt explicaui superiori cap. Et statim, ac immediatè Dominus nuntiat nostrum Euangelium, vt notat D.Matth. *Tunc dixit Discipulis suis, Si quis vult venire post me* &c. Quando se tam seuerum, ac rigidum declarabat cum totius Collegij Apostolici, ac vniuersæ Ecclesiæ capite; magno mysterio, tunc leni vultu, suaui, ac blanda voce eructat nostrum Euangelium. *Si quis vult*, &c. quod valde vtile, ac necessarium ad salutem continet documentum, Vt ostenderetur, quod Christi Domini ira, optimi parentis, ac veri pastoris error crastinum abest, vt ira patris in filios, ac subditos nocumentum diffundat, quòd exinde omne bonum in eos dimanat, ac pullulat, in eorúmque salutifera vtilitate resoluitur, ac sistit. Si enim huiusmodi ira fuisset nouercalis, magnum damnum ex illa formidandum; at cum parentis sit ira, procul sit timor, filiorum ignorantiam patienter sustinebit, vt eos in sana doctrina erudiat, eisque viam salutis ostendat.

Patris ira in pietate, ac misericordia conuertitur.

8. Psal.134.

Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit, Psal.134.n.7. Cœlum nubibus operit, ignitas congelationes emittit, quas in aquas conuertit. Quis cùm viderit fulgura, & coruscа, vniuersalem, ac imminentem non timeat ruinam? tamen *fulgura in pluuiam fecit*, quæ humectat, ac irrigat terram: sunt enim fulgura, & coruscа è manu patris vibrata, quæ non cædunt, vt consumant, & deuorent, sed vt terram rore repleant, ac fœcundent, ad nouos, & vberes fructus producendos. Sic in præsenti per fulgura, minacia Prophetarum verba, v. g. *Adhuc & post quadraginta dies, & Ninive subuertetur*; interpretatur Brunonius pluuias, salutares pœnitentiæ aquas, per quas mundantur. *Fulgura*, ait, *sunt prophetarum prædicationes, cum terrendo conuertantur peccatores: quia pluuiæ sunt cum diluunt delinquentes à peccatis, & imbrem salutarem infundunt, vnde spirituales fructus germinent.*

Fulgura in rem piscatu Deus vertit. Brunon.

9. Iob 4. Osee 3. Cyrill. Rupert. Haymon.

Duos rapidos, ac vehementes ventos, qui è regione deserti immissi sunt, commemorat Sacra Scriptura. Vnus exprimitur Iob 1.n.9. *Repentè venitus irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus*; quæ magna ruina statim corruit, & oppressit omnes filios, & filias Iob. Alter refertur ab Osea 3.n.15. *Adducet*, inquit, *orantem ventum Dominus de deserto.* Suscitauit Dominus ventum orantem, scilicet gratiam, vt interpretantur D. Cyrillus, Rupertus, Haymon, ad siccandum, & abolendum omne peccatum, & vitium, vt spiritualiter in Dei charitate, & amicitia viuamus. Cur apud Iob è deserto venit ventus ad interitum, & desolationem: apud Oseam verò euolat è deserto ad salutem, & vitam communicandam? D. Hieron. *Neque in Iob scriptum est*, ait, *quod ventum de deserto Dominus adduxeris, vt venti, qui domorum fundamenta subuertunt, vtique ad bonam partem non poterunt referri*, Iam aperta est ratio, Cur huiusmodi venti tam dispares producunt effectus: nam ventus apud Iob monetur & excitatur à spiritu maligno, & dæmoniaco; at ventus, cuius meminit Oseas, adducitur ab optimo, ac beneuolo parente. Nam vbi nostra Vulgata habet, *Adducet Dominus*, Interlinealis legit, *Adducet Pater.* Ventus commotus ab aduersario; ac inimico cuiusnam futurus erat effectus, nisi ingentis ruinæ, & desolationis: Ventus autem excitatus à Patre, quem effectum erat productus, nisi salutem, & vitam? Quamuis enim huiusmodi ventus sua vehementia aliud forsitan minaretur tamen, vt parentis ventus; salutiferum tantùm rorem dimanat, atque diffundit.

Hieron. Interlin. Ventus excitatus à Patre misericordiæ adducit.

10. Isai.1.

Magno furore iratscitur Deus contra Israëlem, quam præ ira Sodomam, & Gomorrham vocat. *Audite verbum Domini, principes Sodomorum percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ*, Isai. 1. num. 10. statim eorum sacrificia reiicit: *non auferatis vltra sacrificium frustra.* Deinde eorum orationes repellit. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Et immediatè subdit num.16. *Lauamini, mundi estote, auferte*

ferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite, agere perverse? discite benefacere, &c. Et subiungit. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi dealbabuntur.* Quomodo post tot itæ signa, post tot reprobrolas abiectiones, post tot sacrificiorum, ac orationum repulsas, tot statim amicabiles benevolentiæ, ac pietatis? Ira est optimi parentis, qui licet in illa tantisper insurgat, vt filij terrefacti resipiscant, ac de commissis doleant? tamen indilate illam deponens, quantum ex furore conceperat, tantum, & multo plus in clementiam, ac pietatem commutat, vt misereatur, ac indulgentiam tribuat. D. Hilarius in Psalm. 2. *Sequitur terrorem benignitas*; ait, *& quibus iam vltio criminis debita est, iis adhuc superest pœnitentiæ conscientiæ beata confessio. Non statim Deus in ira sua perimit, sed loquitur, & dissimulata pœna tantum in indignatione perturbat.*

Pater licet iratus filium, tamen in clementiam vertit.

Hilar.

QVÆSTIO II.

Quare, cùm nemo veniat ad Christum, nisi tractus à Patre, hîc dicitur, hoc esse homini liberum?

II. Ioan. 6.

QVÆSTIO difficultas insurgit ex verbis Christi Domini Ioan. 6. num. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* Et iterum num. 66. *Nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum a Patre meo.* Si ergo nemo potest venire ad Christum, nisi tractus à Patre, quomodo est liberum homini, ad ipsum venire, vt hic dicatur: *Si quis vult venire post me?* Respondetur, iuxta Catholicam, Apostolicam, ac Romanam doctrinam, quòd hæc duo intercueniunt in negotio nostræ salutis; & quòd minimè sint inter se contraria, sed valdè consona. Nam requiritur ad hoc libera voluntas, vt consentiat, & veniat? & cùm hominis voluntas non sit per se solùm potens, & sufficiens, vt ad Christum veniat per fidem, & dilectionem, necessaria est Dei gratia excitans, & adiuuans, quæ cum voluntate concurrit ad credendum, & diligendum absque vlla suæ libertatis læsione: Sicut si quis iuuet alterum ad portandum onus, quod solus non potest, dicitur eum iuuare, non tamen cogere.

Ratio difficultatis.

12. Ioan. 6.

Sed adhuc mihi est quædam difficultas? Quare apud citatum Ioan. cap. 6. vocatio refertur ad Patrem, de eóque solum fit expressa mentio. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* At verò in præsenti Euangelio interuentus voluntatis in hoc negotio cõmemoratur: *Si quis vult venire post me?* Apud citatum Ioannis locum refertur Patri nostra vocatio, ad Christumque venire; nam citato loco, vt docet ibi Toletus annot. 35. & supra retuli cap. 5. quæst. 15. num. 148. *Intendebat Dominus suos Discipulos in humilitate continere, ne aliis recedentibus, ipsi tanquam perseuerantes superbirent.* Nam ex ibi data doctrina de admirabili Eucharistia multi scandalizati abierunt retro, & cum Domino non ambulabant. Ne ergo inter tot transfugas, & fidei desertores cum Discipulis in fide perseuerarent, & defectionem non cogitarent; ne inde inaniter exultarent, eorum perseuerantia, ac persistentia Patri adscribitur. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* At verò in nostro præsenti contextu disponebat Dominus meritum suorum Discipulorum qui per propriam crucem, & abnegationem eum sequebantur, condecorare, ac sublimare, indeque illud ad voluntatem reducit. *Si quis vult venire post me.* Ex voluntatis libertate, ac libero consensu insigniter meritum nobilitatur. Quamuis ergo in nostra vocatione, ac iustificatione intercurrant simul Dei gratia, ac nostræ voluntatis libertas: tamen Dominus Magister in sua doctrina aperienda, & explicanda sese occasioni, ac tempori accommodat: nam cum iactantia reprimitur, negotium Patri refertur; cùm verò meritum sublimatur, vo untati adscribitur.

Magister optimus dat doctrinam tempore, & loco propertionatam.

13. Maximè ponderandus loquendi modus, qui forsitan alicui videbitur diuersus, cùm sit valde consonus, quem habuit Paulus in Epistolis suis ad Corinthios, ac habuerunt Prophetæ in suis proclamationibus ad populum. Nam Doctor Gentium nostræ vocationis, ac iustificationis negotium Deo tribuit. *Quis est, qui te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis,* 1. Corinth. 4. num. 7. *Non sufficientes sumus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Corinth. 3. num. 5. At verò Prophetæ cùm clamarent ad populum, frequenter de voluntate videbantur facere mentionem. *Conuertimini ad me & salui eritis.* Ezechiel. 18. n. 11. *Conuertimini, conuertimini a viis vestris pessimis, & quare morieimini domus Israel.* Ioel. 2. num. 13. *Conuertmini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est.* Ionæ 3. num. 8. *Conuertatur vir a via sua mala.* Et similia aliis in locis. Voces D. Pauli, ac Prophetarum à Spiritu sancto dirigebantur: quomodo ergo hæc sic intonabant? Veritas certa, ac Catholica est, quòd ad hominis conuersionem necessaria est Dei gratia, ac simul nostræ voluntatis liber consensus. D. Paulus scribens Corinthiis, qui multum de sua scientia gloriabantur; totum nostræ salutis Dei gratiæ adscribit, ne ipsi Corinthii tanquam sapientes, ac sua scientia inflati sibi persuaderent, quòd ipsi Christianæ fidei mysteria auscultabant, illisque credebant, seque Christi discipulos publicè fatebantur, hoc illis ex sua humana sapientia, ex suique ingenij perspicacia prouenire; inde Apostolus ad hanc superbiam reprimendam, ad Dei gratiam disertè vocationem refert. D. Chrysostom. Epist. 1. ad Corinth. cap. 4. homil. 12. *Non sic*, ait, *oportet superbia efferri, quippe qui non ex te habes, sed a Deo accepisti.* At verò Prophetæ ad populum prædicantes, cùm Deus simul cum eorum prædicatione gratiæ impulsus infunderet, ad hominis arbitrium loquebantur. *Conuertimini ad me.* Vt declarata eorum obduratione, ac obstinatione fieret manifestum, quòd non per Deum, sed per ipsos peccatores stabat, quod in tot supplicia incidarent, ac in æternum damnarentur. Diuini prædicatores ad reprimendam iactantiam, Dei gratiam commemorant: vt verò peccatores suorum malorum causa ostendant, eorum voluntates arguunt.

Chrysost.

Prout occasio exigit Dei prædicatores dant doctrinam.

14. Eleganter D. Chrysostomus homil. de Turture, & Ecclesia, introducit animam sanctam, Christum quærentem, Prophetásque scisciantem, per quodnam signum dignoscere illum valeat. *Inter omnia Isaiam*, ait, S. Doctor, *& dixit mihi, Sicut pastor congregat gregem suum.* Isaiæ. 40. num. 11. Ac si diceret Isaias, pastor est, congregans gregem, & per hoc signum facile inuenies. Iterum ait ipsa: *Quæsiui Ioannem.* Qui ei respondit, suum dilectũ esse agnum, Ioan. 1. num. 29. Et inde per hoc

Chrysost.

Isaiæ. 40.

Ioan. 1.

Chryſoſt. ſignũ facile illum indagare vales. *Et cùm audiſſet*, ait Chryſoſtomus, *Agnum à Ioanne, paſtorem ab Iſaia, hæſitat Sponſa, dicens ad ſemetipſam, Cui credam?* Cùm anima ſancta audiſſet ab Iſaia paſtorem, à Ioanne Agnum, hæſitat Sponſa, Quomodo tuum dilectum perquirere queat; nulla enim maior, quem inter paſtorem, & agnum differentia: Paſtor paſcit, agnus verò paſcitur. Reſpondet S. Doctor. *Videt Dominus, quoniam dubitat, & clamat, Ego ſum paſtor bonus, & uno ſermone ſoluit omnem hæſitationem eius.* Facilè, ô Sponſa, tum dilectum reperire vales: ſimul agnus, & paſtor eſt; non tamen eodem tempore, & loco, ſed prout occaſio, ac temporis circumſtantia exigit. Vt humiles benevolè excipiat, agnus eſt. Vt verò peccatores deprauitos; ac deuios à via ſalutis exquirat, tanquam paſtor ſe habet, qui imponens eos humeris ſuis reducit ad gregem.

Accommodandum tempori & loco.

QVÆSTIO III.

Quare Chriſtus non præcipit, ſed libera voluntati relinquit, vt poſt eum veniamus, eumque ſequamur?

15. Chryſoſt. RESPONDET primò D. Chryſoſt. homil. 56. *Perpende, quæſo, Quomodo nullo pacto cogit orationem enim dixit, oportet illos pati, vellem nollem. Sed quid? Si quis*, ait, *poſt me venire vult, non impello, non vrgeo, ſed liberam ſingulorum voluntatem efficiens, dico, Si quis vult.* Et paulo poſt. *Ideo dixit*, ait, *vehementius eos attraxit: nam ſicut qui vim infert, plerumque auertit, ſic qui liberos audientes conſtituit, multo magis attrahit: potentior enim eſt oratio mitis, quàm violenta.* Non cogit, non compellit: ſed inuitat liberam vniuſcuiuſque voluntatem relinquens, *Liberam ſingulorum voluntatem efficiens.* Deinde quia ſæpè efficacius trahitur à potente bona indoles, cum ſuæ electioni relinquitur, quàm dum mandato compellitur: nam ipſa vis frequenter auertit voluntatem, quam ſuauis vrbanitas imperantis inclinat, & allicit. Huic Chriſtus non imperat, ſed rogat Petrum, puſillum reducere nauim Luc. 5. num. 3.

Efficacius trahitur bona indoles voluntate, quàm præcepto.

Luc 5.

16. Chryſoſto. Secundò. Idem Chryſoſtom. citatus ſic pergit. *Non ad afflictiones, & onera, nec ad ſupplicia, & pœnas, vt cogere mihi opus ſit, ſed ad ineffabilia bona conuoco; quorum ea natura eſt, vt facilè per ſe ipſam vos inuitare poſſit.* Et poſt pauca ſubdit. *Non enim ſi quis aurum, atque argentum proponeret, vim inferret; quanto igitur magis in cœleſtibus bonis inferenda non eſt.* Ad crucem, & labores videbantur cogendi, hoc Chriſtus non fecit, ſed ſolum inuitat, *Si quis vult.* Adeo glorioſa eſt crux, adeóque glorioſus labor, vt ipſa eorum natura pro ſingulari munere, ac beneficio habeatur, vt per ſe ſit ſufficiens ad magnos animos alliciendos. Ioannes Xiphilinus, Antiites Conſtantinopolitanus Orat. de feſto Crucis apud Coſterum. *Ad bonum enim voco*, ait, *non ad mala, non ad pœnam, vt etiam cogere oporteat, ſiquidem ipſa natura rei potens eſt attrahere.*

Crux, & labor per ſe attrahunt.

Xiphilin.

17. S. Valerian. Tertiò S. Valerianus de bono martyrij. *Qui*, ait, *de corporis ſui fragilitate deſperat, ad arma iuſtitiæ confugiat, quæ voluntario deputatur officio. Facile autem ſuperuenientis mortis impetum ſuſtinet, quem ad pugnam voluntas armauerit: nec expauefcit cruenti litoris gladium, quem munit virtus animarum.* Non præcipit, non coarctat Chriſtus, voluntarios milites quærit: vocat enim ad crucem, mortem, & labores, indèque liberos athletas comparare vult. Conflictus, vel labor ſuſceptus rigorem minuit, facilitatem præbet, magnumque conſolationis adiuuamen in aſperitatibus confert; ip'a enim voluntas optauit, ac elegit. Vnde inquit Chryſoſtomus in initio quæſtionis datus. *Nam ſicut: qui vim infert, plerumque auertit, ſic qui liberos auditores conſtituit, multò magis attrahit.* Non præcipit, ſed voluntatem exquirit. *Si quis vult*: nam coactione ſæpe retardatur, ac impeditur voluntas, quæ libertate allicitur, & monetur. Aptè D. Chryſologus ſerm. 135. ait. *Qui eſt, qui timeat volens? Quis eſt, qui amet nolens?*

Labor voluntariè ſuſceptus, facile ſuſtinetur.

Chryſoſt.

Quartò Victor Antiochenus in cap. 8. Marci. *Sed quomodo*, inquit, *Si quis vult me ſequi? Quaſi diceret, ad bona, & honeſta prouoco, non ad mala, & odioſa: nec quemquam huc compello, ſed amicè tantum inuito. Hæc autem dicens: magis attrahit. Qui enim vim affert, decorum non ſeruat. Qui autem adiutori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim, & obſequium, quamuis violentia fortiora ſunt.* Mandato non obligat, nec præcepto aſtringit. ſed voluntati vniuſcuiuſque committit, *Si quis vult*; Vt ſuorum Diſcipulorum præclara indoles demonſtraretur, qui libertate ſua velociores fuerunt in currendo, quàm ſi diſtinctè iubentis impoſita eſſet neceſſitas. Præclara eſt famulorum generoſitas, à Domino non compelli, ſed eius agnita voluntate cuncta perficere, & adimplere, *Qui vim affert, decorum non ſeruat.*

18. Chryſoſt. Vict. Ant.

Generoſi famuli à Domino non compelluntur.

Cùm Deus legatum miſſurus eſſet ad populum, ac loqueretur cum Iſaia 6. num. 8. dicit, *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Quid eſt, quod vniuerſi Dominus interrogat, *Quem mittam?* non enim ei miniſtrant decies centena millia Angelorum, & ſeruorum eius non eſt numerus; nonne optimè ipſe ſciebat, qui mittendus eſſet? ad quid interrogat? Deſtinandus erat ſeruus ad laboriosam legationem, ad populumque rebellem, duræque ceruicis, in quo Dei legati alij ſecti ſunt, alij lapidati, alij in ore gladij occiſi, alij ſiti, fame, ac frigore vexati; ad hæc tanta vult Dominus, vt generoſitas ſui famuli pateſiat, qui non cogente Domino, pro eius honore, amoris impulſu, tot, & tam ardua ſponte aggrediatur, ac illámque ſe mittendum libenter offerat dicens, Ecce ego, mitte me. D. Hieronymus ibi. *Propterea*, ait, *non dixit Dominus, quem ire præcipiat, ſed proponit audientibus, vt voluntas præmium conſequatur.* Quintò quamuis Chriſtus ſit ſupremus Dominus, neminem diſponit potentia ſua cogere, ſed benignè libera voluntate vnumquemque allicit, ac attrahit, Ideo ait: *Si quis vult venire poſt me.*

19. Iſai 6.

Magnus ſeruus ſponte pro Domino in difficillimas ſtat.

Hieron.

Sextò. Vt notat Toletus in cap. 9. Luc. annot. 56. *Quod conſideratio eorum, quæ Chriſtus Dominus pro nobis geſſit, ac paſſus eſt debeat omnes nos poſſe trahere ſponte, ac abſque vlla coactione, etiam non habita ratione promiſſorum bonorum. Atque hæc cauſa inſinuatur, poſt me.* Ac ſi dicat, quòd Dominus nec præcepto cogit, nec promiſſo præmio exhortatur. Vnde ergo excitanda voluntas, vt ſui abnegationes, cruces, ac labores amplectatur? Ad hæc efficaciſſima ratio apponitur in illo, *Sequatur me.* Qui enim conſideret omnia quæ pro nobis Chriſtus Dominus geſſit, ac paſſus eſt, & ad eorum intimum omnes mundi fallacias, & illecebras non abiiciat, omnemque laborem pro Deo libentiſſimè amplectatur?

20. Toletus.

Chriſti exemplum efficax ad trahendum.

21. Psalm. 4. August.

Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium: Psalm. 4. n. 3. Ad quæ verba eleganter D. August. *Saltem vsque ad aduentum*, inquit, *filij Dei error vester duraverit. Quid vltra grauis corde estis? Quando habituri finem fallaciarum, si veritatem præsentem habetis?* Ac si diceret, duravit fallacia, ac error in mundo vsque ad Christi aduentum: at cum iam apparuerit humanitas Dei Saluatoris nostri tanta paupertate, humilitate, ac laborum patientia, antiquam hominis memoriam damnans; iam nulla in nobis imago mundi appareat, sed omnis abigatur error, in nobisque diuini principis, ad quam conformemur, sit tantum similitudo.

Postquam Christus apparuit, iam in mundo nulla sit vanitas.

22.

Septimò. Nec ponit Dominus præceptum, nec præmio exhortatur; sed tantùm puram libertatem ad tantas rerum difficultates quærit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Quo ergo ad tam arduas actiones propriæ abnegationis, & crucis trahatur? Ipsa nempe rerum difficultate disponebat, vt sui tanquam generosi milites ei adhærerent. Solum ergo rerum difficultates illi aperit. Maximè probatur militum nobilitas, ac robur ad durum bellum aggrediendum, cùm ipsa rerum difficultate non supprimitur, sed potius illa moueatur, ac attrahitur.

Generosos labor ipse mouet.

23. Psalm. 77. Osee 10. Vatablus.

Tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda. Psal. 77. n. 67. Cur potius Iudas quàm Ephraim ad regimen, regnumque vocatur? Ait Oleas 10. n. 11. *Ephraim vitula docta diligere triturare*: *arabit Iudas.* Ephraim, vt explicat Vatablus, maluit triturare, quam arare; idest maluit comedere triticum, quàm laborare. Vnde est Ephraim instar vitulæ saginatæ, pinguis. At *Iudas arabit*, phrasis est Hebræa, & significat operari, laborare. Ecce cur elegit tribum Iuda, & non Ephraim: nam Ephraim maluit commoditates in area; at Iudas, his omissis, solum laboribus intentus est, ad hos sponte volat. Optimus est ergo ad regnum, cùm non vtilitate præmij, sed asperitate laboris moueatur. D. Hieron. *Ephraim vt vacca lasciviens laborare non vult*: *Iudas arabit stirpe sua, & roborabitur sibi.* Inde sibi habet robur ad magna, & alta, quia sponte se labori submittit, ipsamet eorum difficultate allectus.

Generosi ad præmio, sed labore mouentur.

Hieron.

QVÆSTIO IV.

Quare Christus Dominus vocat ad veniendum, cùm Sponsa exhortetur ad currendum?

24. Chrysost. *Regnum cœlorum datur fortibus, sed laboriosis.*

IN limine huius quæstionis aduertam id, quod præclarè notauit D. Chrysost. hom. 76. Quod Christus Dominus dixit. *Si quis vult venire post me.* Non enim dixit; si quis vult stare, quia regnum cœlorum, non stantibus, & otiosis conceditur, sed ambulantibus, gradientibus, & proficientibus; ac tendentibus ad ea, quæ anteriora, & perfectiora sunt. De quo multa aliis locis dixi. Præsens verò quæstio inquirit: Quomodo Christus Dominus totius perfectionis magister solùm mandat post se ire: *Si quis vult venire post me*, & tamen Sponsa non contenta est venire, sed ad currendum sodales suas exhortatur: *Trahe me post te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. num. 4.

Cant. 1.

Ad quæstionem respondeo ex his, quæ docet Theodoretus ad citatum Canticorum locum. *Anima strenua*, inquit, *amore tui Deus, sic incensa fuit, vt cursu id fecerint, ne relinquerentur, nève seiungerentur à dilecto suo.* Christus Dominus optimus magister, omnium imbecillitati condescendens, vocans ad se omnes, non ad currendum, sed veniendum eos exhortatur. At animæ strenuæ, amore Dei incensæ, de sua salute maximè sollicitæ, determinant post Iesum ire, eúmque sequi; non ambulatione, sed cursu: ait enim, *Cursu id faciunt, ne relinquerentur, nève seiungerentur à dilecto*: hoc est non sunt contentæ Iesu adhærere communibus, ac minimis virtutibus, sed id faciunt summis: & excellentioribus, vt ipsas adimplentes securè teneant Iesum, quem per nimia opera, facile amittere poterunt.

25. Theod.

Perfecti, non minima virtutibus, sed summis acquiescit.

Ait Paul. ad Tit. 2. n. 14. quòd Christus Dominus *mundauit sibi populum sectatorem bonorum operum.* Græcus, vt etiam habent D. Hieron. Ambr. & August. legit, *æmulatorem.* Quid est, quod Christus sibi mundauit populum æmulatorem? Qui enim æmulatione aguntur, non vulgaribus, ac communibus operibus acquiescunt, sed semper maiora, ac sublimiora intendunt: talem igitur populum Christus sibi mundauit, & Paulus desiderat, vt in spis factis habeat quandam vehementiam, & ingens studium, cum quadam veluti superabundantia, ne fortè aliqua subrepserit incuria. D. Chrysostom. ibi: *Vides*, inquit, *vt non simpliciter à nobis opera virtutis exigantur: addidit nempe sectatorem, hoc est magna cum alacritate, atque ingenti studio, & animo virtutis opera capescentem, qua in re vehementia quædam adsit necesse est omnino laudabilis.*

26. Ad Tit. 2. Græcus. Hieron. Ambros. August.

Magna vehementia sublimiora virtutum intendamus. Chrysost.

Laodicensis Præsul tepidus in virtute, vt explicant Alcasar, & Cornelius a Lapide, quia minutis quidem virtutum operibus contentus erat, purioris, ac perfectioris vitæ studium negligebat. Et quia multum de virtutibus gloriabatur, dicitur ei Apocal. 3. num. 17. *Quia dicis, quod diues sum, & locupletatus & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus, suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias.* Vnde iste tepidus se reputat diuitem, & locupletem, cum aliàs sit pauper, & miser, ac miserabilis. Ratio iam est assignata ex Alcasar, quam tradidit Ansbertus: *Idcirco nullius egere se dicit, quia rectè credens, mala cauet, & mala cauens, nonnullis bonis insistit.* Quibusdam paruis operibus, ac minutis virtutum factis, quibus acquiescebat, se putat ditem, & locupletem, & inde non locuples, sed pauper, & nudus erat? Parua, ac tenui negotiatione nullus fit diues, sed qualibet minuta tempestate, ac diuersitate, omnium iacturam facit, pauperrimúsque euadit. Ideo ei dicitur ab Angelo: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum*: hoc est prima, & excellentissima Charitatis opera, vt commentantur Richardus, Beda, Ansbertus. Qui enim mediis virtutibus tepidus est, & perfectionis viam contemnit, se facilè propriis concupiscentiis permittit, & quæuis peccata deuorat, vt ait Alcasar; & inde miser, & miserabilis. Vt ergo locuples fiat, summis virtutibus intendat, quarum suppellectili maximè ditabitur.

27. Alcasar. Cornel.

Apocal. 3.

Ansbert.

Qui minimus negotiatur diues non fit.

Richard. Be da Ansbert.

Alcasar.

Commendat Sapiens Eccles. 7. n. 17. *Noli esse iustus multum.* Quid est, quod, cum iustitia maximè commenderur, tamen districtè præcipit, vt non sis multum iustus: hoc est, ne tam

28. Eccles. 7.

solli

sollicitus sis de seruando iure, vt nescias, vltra debitum, aliquid iuxta prudentiæ regulas exhibere: imò semper rigorosi debiti terminos per præclara opera extende. D. Isidor. Pelusiota lib. 3. Epist. 13. *Noli*, inquit, *ius tuum seuerè, ac rigidè persequi, verùm per benitatem exupera.* Illiberaliter, ac sordide cum discrimine viuit, qui solum studet, ius suum non frangere, sed in illo tantum se continere: inde sæpè contingit, vt extra stricti iuris metas transuagetur. Ille verò securus degit, qui totus incumbit, debita cum magno operis additamento superare; nam si aliquando ab ipso apice decidit, in ipsius iuris terminis persistit.

Pelusiot.

Vltra præceptū additum.

QVÆSTIO V.

Quid est abnegare seipsum? & quomodo hoc fiat?

29. ABNEGARE proprie significat repellere, repudiare, *Abnegantes impietatem, & sæcularia desideria.* Ad Titum 2 num. 2. Abulensis quæst. 227. vult ex Aristotele 8. Ethic. cap. vlt. quòd abnegare est, quando quis negat, se quidquam alteri debere. *Illum quippe*, ait, *abnegamus, cui profitemur, nos nihil debere.* Aduertendum est ex Chrysostomo homil. 56. in Matth. quòd plus habet emphaseos hoc verbum compositum *abnegare*, quàm simplex *negare*; supra hoc addit compositum *omnino* seu totaliter; abnegat, idest omnino negat, totaliter non norit.

Ad Tit. 2. Abulens. Aristotel.

Chrysost.

Quid dicat abnegare.

30. *Abneget semetipsum*, hoc est suos affectus, suos appetitus, sua desideria, suamque voluntatem, suamque humanam rationem, & omne, quod in homine carnali viuit, & vegetat, qui vult post Christum venire, omnino, ac totaliter amputet, deponat, ac abiiciat; omniaque hæc submittat, ac conformet diuinæ voluntati, itavt in homine non sit mundanus appetitus, sed tantum in eo regnet diuina voluntas, à qua ducitur, & regitur; in eóque nullus sit affectus, ac amor mundi, sed tantum solius Dei. Amor enim in mundum, & Deum diuisus ipsi Domino displicet, in eóque omnis affectus noster collocandus est, atque firmandus. Quod confirmatur ex Patrum sententiis.

Quid significet abnegare seipsum?

31. Primò D. Basilius In regulis fusius explicatis ad Interrog. 6. *Abnegatio sui*, inquit, *nihil est aliud nisi summa rerum omnium superioris vitæ oblitio, atque à sui ipsius voluntatibus recessio.* Quæ descriptio duas habet partes. Prima, Oblitio superioris vitæ, non quòd omnino excidat è memoria, sed quod ita è memoria deleatur, vt illam minimè diligamus, Secunda pars, Vt ab omni voluntate, affectu, & desiderio, quæ ad illicita nos compellunt, recedamus, eis resistentes, contradicentes ac mentis consensum auertentes. De hac abnegatione loquitur Paulus ad Galat. 5. n. 18. postquam dixerat, *Caro concupiscit aduersus spiritum*, subdit num. 24. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Carnem suam, idest suam naturam, suam voluntatem vitiis deprauatam, vt interpretatur D. Augustinus. Ille ergo perfectè se abnegat, qui suum intellectum rebus mundanis abnegat, vt super illas morosè discurrat, qui suam voluntatem, vt eas diligat, qui & suam memoriam, vt de illis recordetur, aut mente teneat. Mortuo Holopherne, *Iudith vniuersa vasa Holophernis, quæ dedes illi populus, & conopæum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblitionis.* Iudith. 16. num. 23. Cùm enim essent spolia mundani hominis, turpiter diligentiis, ipsa in perpetuam oblitionem sepelit, & consecrat. Dat Pharao populo facultatem ad sacrificandum in monte, vt remaneant tamen cuncti greges in Ægypto. Cui ait Moyses: *Non remanebit ex eis vngula.* Exod. 10. n. 26. Cùm essent profecturi ex Ægypto in terram Promissionis, nec vngula patitur vt remaneat in Ægypto, quæ memoriam excitet, ac prouocet ipsis Ægypti, hoc est mundi.

Potentiæ nostræ abnegandæ. Ad Galat. 5.

Quæ mundi oblitiscantur.

Iudith 16.

Exod. 10.

Secundò D. Chrysostomus homil. 58. in Matth. sic explicat. *Si intelligis*, ait, *quid sit, alium abnegare, tunc rectè percipies, quid sit, abnegare se ipsum. Qui alium abnegauit, si cæci eum virgæ videant; si coerceri vinculis, quidquid aliud mali pati cum consuerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, seu ille, qui penitus ab eo alienatus est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si caditur, neque si pellitur, neque si vritur, neque si quid aliud huiusmodi patiatur, ei parcamus.* Ex aliorum abnegatione bene intelligitur, quid sit se ipsum abnegare. Tunc enim aliis abnegamus, quando eos contemninus, deserimus, itavt nullam eorum habeamus rationem, aut curam, nec vllo eorum incommodo ad illis subueniendum mouemur. Similiter tunc nosmet ipsos abnegamus, cùm nullam nostri gerimus rationem, nullóque nostro incommodo, ac crde mouemur, sed vitam nostram, omniáque nostra pro Christo, cùm opus est, contemnimus, ac si à nobis essemus alieni. Idem Chrysostomus serm. de Cruce. *Hoc est enim se abnegare, id est nihil rei suum habere, atque eo modo esse affectum, quasi quis alius putaretur.* Victor Antiochenus in c. 8. Marc. *Non dixit ille, ne nimium sibi indulgeat, aut ne nimium carni suæ parcat. Sed vehementius insurgens, abneget, vel abiuret semetipsum, hoc est nihil cum se ipso, vel sua carne commercij habeat, verum ita se gerat, ac si non ipse, sed alius quispiam crucem tolleret.*

32. Chrysost.

Homo fit à se velut alienus, vt pro Christo vitam det.

Chrysost.

Victor. Ant.

Tertiò D. Hieronymus. *Qui deponit*, inquit, *veterem hominem cum operibus suis, abnegat semetipsum, dicens: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Quod etiam post D. Gregor. Papam homil. 32. docet Faustus Rhegiensis Galliarum Episcopus Epist. 3. ad Felicem. *Vicem sibi*, ait, *factura est anima, vt ex alio alter factus homo, ad illam Domini præceptionem aptus inueniatur.* Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. *Si quis ex iracundo patiens efficitur, comunens ex luxurioso,* &c. *Totos nos negamus, quotics ad meliora conuertimus: & ideò vt ad hoc assurgamus, quod esse debemus, prius studeamus edisse, quod fuimus, oportet, vt hic prius mutetur ad vitam, quod illic mutari optat ad gloriam.* Non ait Christus, vt homo abneget opes suas, sed *abneget semetipsum*, itavt homo exeat à se, & fiat à se alienus; imò & desinat esse, quod erat, & incipiat esse, quod non erat, fiatque quasi nouus, & alter homo, vt ait Paulus ad Colossens. 3. num. 9. *Expoliantes veterem hominem cum actibus suis.* Quæ denudatio debet fieri cum detestatione ipsius antiqui hominis, vt ad præterita facta amplius non redeas, sed omnino ea odio habeas.

33. Hieron.

Gregor. Faustus.

Homo exeat à se, & fiat nouus homo, vt Christo adhæreat. Ad Colos. 3.

Ad hunc sensum explicat Isidorus Pelusiota Epist. 239. illud Psalmi 4. n. 5. *Irascimini, & nolite peccare.* Vt contra nosmet ipsos excandescere debeamus

34. Pelusiota. Psalm. 4.

debeamus. *Gladium Spiritus*, inquit, *assumit, quo voluptuosa, & tortuosa trucidamus, & coram Deo immolemus, quasi abnegantes nostra, dum eadem, ac si aliena essent, tractamus. Irascimini, inquit, huic affectui, qui vobis molestus, ac infestus est, & non peccabitis, si vos fractos, & dissolutos inuenat, nullo negotio superabit vos; si autem vigilantes, ipsique irascentes, quamprimum discedet. Ob eam enim causam nobis ira insita est, non vt turbidus motus, ac morbosus; verum vt vitiosarum affectionum medicina.* Quæ præclare sunt dicta. Iraſcatur homo, gladium assumat contra antiqui hominis facta, vimque sibi faciat, vt Faustus dicit, ac si bellum intestinum moueat, vt antiqua sua vitia amputet, & à se abiiciat.

bum, & bellum habeat homo contra vitia sua.

35. Nil pace vtilius, nil vnione melius; at quando pax exitialis, & nocua est, multo melius bellum, quam talis pax. In præclaro innocentiæ statu, quando summa videbat tranquillitas inter potentias superiores, & inferiores, optima erat earum pax, & vnio, erant enim cuncta suo ordine bene consona, inferior appetitus superiori subiiciebatur, superiorque, cui imperium debebatur, imperabat. At verò modò in hoc miserrimo naturæ lapsæ statu, in quo totus inuertitur ordo, appetitus inferior rebellat contra superiorem, eique prædominare affectat. Pax, & tranquillitas inter has potentias valdè præiudicialis extat, multóque ipsa melior est dissensio, & discordia, vt homo sibi vim faciat, huiusmodi pullulantes amputet affectus, eisque contradicat, & resistat, vt intonat vox Euangelica: *Abneget semetipsum*, cum illisque intestinum bellum gerat, ab eisque omnino recedat, vt ait D. Basilius citatus.

Bellum est bellum, quam pax iniqua.

36. Cùm Paulus vinctus adductus esset in Concilio, in quo simul aderant Pharisæi, & Sadducæi, qui, licèt in secta, & opinione diuisi, maximè tamen in perniciem, & mortem Paulo inferendam erant vniti. Quod cùm Apostolus bene agnosceret, habita dicendi facultate, exorsus est sermonem, dicens: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe, & resurrectione mortuorum ego iudicor: & cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & Sadducæos, & soluta est multitudo.* Act. 23. Nam Sadducæi dicebant, male locutum fuisse Paulum, cùm ipsi resurrectionem negarent. Et contra verò Pharisæi, qui immortalitatem animæ credebant, pro verbis Apostoli pugnabant. Et ita facta est dissensio magna inter eos, Paulus autem, vt est constans interpretum sententia, Bedæ, Lyrani, Caietani, Lorini, Cornelii, hunc sermonem habuit, vt inter Pharisæos, & Sadducæos qui in necem eius conspiranerant, discordiã sereret, vt inter se disputantes, & contendentes ipse vinus euaderet. Quomodo Doctor Gẽtium, Apostolus Christi, qui dicitur princeps pacis, & dicebat *Pacem meam do vobis, pacẽ meam relinquo vobis.* Ioan. 14. n. 27. dissẽsiones, & discordias seminat? Erant enim dissensiones, inter homines depranatos, Sadducæos scilicet, & Pharisæos, qui coadunabantur in damnum totius Ecclesiæ, vt Paulum immaturæ morte è medio tollerent. Et talem vnionem dissecare, ac diiungere, præclarum Deo obsequium, & magnum totius Orbis bonum. Eleganter Beda ad eundem Actorum locum. *Sicut vnitas, ait, bonorum semper est vtilis, sic malorum vnitas semper est bonis noxia. Vnde nunc Apostolus perfecturos suos dissociare satagit, vt quem vniti cinxerant, diuisi laxarent.* Perpende vltima verba. Diuidatur iniquitatum cœtus, *vt quem vniti cinxerant, diuisi laxarent.*

Act. 23.

Beda. Lyranus. Caietan. Lorinus. Cornel.

Ioan. 14.

Iniquam vnitatem dissecare, magnum Deo obsequium. Beda.

Pergit eleganter citatus Beda *Sic mare rubrum, quod solidum filios Israël arctauerat, diuisum ab Ægypto liberauit.* Dum aquæ maris rubri, per quas mundiales deliciæ, ac appetitus communiter significantur, sunt vnitæ, Israëlem coarctant, & impellunt in Ægyptum: cùm verò diuiduntur, tunc Israël liberatur ab Ægypto, hoc est ab omni vitiorum inquinamento, & spurcitia, per Ægyptum denotata. Diuisio ergo aliquando bona, cùm nos separat à malis. 37. Beda.

Diuisio aliquando bona.

De Simeone, & Leui inquit Iacob, eos benedicens, *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, dispergam eos in Israël.* Gen. 49. n. 7. Quæstionem facit Origenes. Ad quid S. Patriarcha geminat voces *diuidam, & dispergam*, cum vtraque hic iniquorum eundem habeat significatum. Inculcatur diiunctio. Oleaster. *Quia consultum est reipublicæ, vt qui in ea facile ad malum sociantur, in ea diuidantur.* Sed adhuc instat difficultas. Ad quid illæ voces *diuidam, dispergam* repetuntur? Multiplicantur huiusmodi voces, vt tu multiplicare discas diuisionem quasi quod ab iniquis vna diuisio non sufficiat, sed multiplex desideretur. Et dicitur. *In Iacob, & in Israël.* Et cùm eandem personam denotent hæc nomina, vt diuersa repetuntur. Iacob, id est supplantator Gen. 27. n. 36. Israël autẽ, ideſt fortis Gen. 32. num. 28. Vt diuisio ab iniquis fiat cum luctamine, & fortitudine, cum lucta, vt prosternantur in terra, & cum tanta fortitudine, vt inde amplius non redeant, neque resurgant. 38. Gen. 49. Oleaster. *Ab iniquis diuisio multiplex cum lucta, & fortitudine.* Gen. 27. Gen. 32.

QVÆSTIO VI.

Quid sit tollere crucem? Et quare portari mandatur?

CRVX dicitur à cruciatu, vt aduertit Christianus Grammaticus, & olim significabat lignum, in quo malefactores affigebantur. In præsenti autem cùm mandatur, vt vnusquisque tollat crucem, non sumitur Crux presse pro ligno, seu patibulo, vt ex D. Gregorio notat Abulensis, quæst. 181. non mandat, *vt imponat trabem super humeros.* Sed accipitur latius, & per metaphoram. 39. Christianus. *Quid significet Crux* Gregor. Abulens.

Tollere crucem, significat, quòd vnusquisque patienter sustineat omne detrimentum, persecutionem, ac tribulationem, quæ ex virtute amplectenda, ac via Christi sequenda proueniunt. De hac cruce dicitur 2. Timoth. 3. n. 12. *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patiuntur.* Actor. 14. n. 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hæc autem tribulationis crux, non pro tempore determinato, ferenda est, sed per omne tempus, hanc enim perpetuitatem indicat verbum indefinitum apud D. Lucam, *Tollat crucem suam quotidie.* Vel Crux quotidie ferri præcipitur, vt tali spiritu quotidie feratur, ac si tunc primo portanda acciperetur. 40. 2. Timoth. 3. Actor 14. *Crux, ideſt tribulatio quotidie ferenda.*

Hæc autem Crux non est in singulis, sed diuersæ rationis iuxta altum Dei Consilium. In aliquibus est dira tyrannorum persecutio, & martyrium vsque ad mortem turpissimam, vt ponderat D. Chrysost. hom. 56. Secundò. In aliis est immissa à Deo afflictio, & tribulatio, verbi gratia, morbus, ignominia; iactura rei. Tertiò. Est etiam Dæmonis tentatio à Deo permissa ad nostram 41. Chrysost.

ſtram probationem, humilitatem, & virtutem exercendam, ad eorúmque gloriam promerendam, & augendam. Quartò. Eſt propria abnegatio cupiditatum, ac appetituum ingens mortificatio, vt latinis dicam q. 8. Ita D. Hieron. *Tollit crucem suam, qui mundo crucifigitur.*

Hieron.

42. Auguſt. Latius eandem ſententiam docet D. Auguſt. ſerm. 47. de Diuerſis. *Tollat crucem ſuam*, inquit, *ferat, quidquid moleſtum eſt: ſic me ſequatur. Cum enim cœperis, me moribus, & præceptis meis ſequi, multos habebis contradictores, multos habebit prohibitores, multos habebit diſſuaſores, & hoc de ipſis quaſi comitibus Chriſti. Sine ergo minas, ſine blandimenta, ſine quaſlibet prohibitiones, ſi ſequi vis in crucem, tolera, perta, vt non ſuccumbere. Videntur his verbis exhortata martyria.* Vbi ſatis apertè noſtram ſententiam docet; in crucem enim vertitur, quidquid moleſtum pro Domino ſuſtines. Et cum hæc exhortantur, *Videntur exhortata martyria.*

In crucem vertitur quidquid moleſtum

43. Duplex martyrium Auguſt. Duplex enim eſt martyrium: vnum, quo corpus pro Deo morti offertur; alterum, quo animi appetitus domantur, ac in ſeruitutem redigúntur, contrarietatéſque mundi vincuntur. D. Auguſt. ſer. 32. de ſanctis. *Tota vita Chriſti hominis, ſi ſecundum Euangelium vivat, crux eſt, atque martyrium.* Cuius rei præclaram citato loco S. Doctor aſſignat rationem. *Martyr Græcè, Latinè teſtis dicitur; igitur quotieſcumque bona affectibus mandatum Chriſti facimus, toties Chriſto teſtimonium perhibemus.* Martyr vox Græca, idem eſt ac Latinè teſtis. Et ſicut ille, qui propter fidem Chriſti morte afficitur, dat teſtimonium, quod credit in Chriſtum; ita etiam qui amore Chriſti ſe ipſum abnegat, ſuóſque appetitus trucidat, verè teſtificat, Deum ſuum eſſe Chriſtum, ſéque eius eſſe diſcipulum. Concluditque citatus D. Auguſt. explicans illud Pauli ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus eſt. Hoc autem dicit, vt intelligas, crucem, non ligni eſſe patibulum, ſed vitia, virtutiſque propoſitum.*

Martyr quid ſignificet.

Auguſt. Ad Gal. 6.

44. Gregor. Secundò D. Gregorius hom. 32. in Euangelia. *Duobus modis*, ait, *crux tollitur, cùm aut per abſtinentiam affligitur corpus, aut per compaſſionem proximi affligitur animus. Penſemus, qualiter vtróque modo Paulus crucem ſuam tulerat, qui dicebat:* Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo 1. Cor. 9. n. 27. *Ecce in afflictione corporis audiuimus crucem carnis: audiamus nunc in compaſſione proximi crucem mentis*, ait enim: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizetur, & ego non vror? 2. Cor. 11. n. 29. *Perfectus quippe predicator, vt exemplum daret abſtinentia, crucem portabat in corpore. Et quia in ſe trahebat damna infirmitatis aliene, crucem portabat in corde.* Magnus Paulus crucem portabat propriam, & alienam: propriam, dum corpus ſuum verberabat, flagellis cædebat, ac in ſpiritus ſeruitutem redigebat; crucem ferebat alienam, cùm eximio charitatis affectu maximè dolebat, anxiabatur, ac affligebatur ſuper aliorum incommoda, alienáque detrimenta, vt ſua reportabat. *Et quia in ſe trahebat damna infirmitatis aliena, crucem portabat in corde.* Magnus Doctor Gentium ſuam crucem ferebat in corpore; alienam verò tanquam ei pretioſiorem in corde, vtpote nobiliori parte.

1. Cor. 9.

2. Cor. 11.

Magnus Paulus crucem propriam, & alienam ferebat.

45. Chryſoſt. Tertiò D. Chryſoſt. Orat. de Adoratione ſanctæ Crucis in media Quadrageſ. habita apud Grethſerum tom. 2. de Cruce. *Quid vero*, ait, *ſibi vult dictum illud: Tollat crucem ſuam, & ſequatur me: Num vt quinis portemus lignum? nequaquam; ſed vt ad pericula ſimus promptis, ſanguinem noſtrum in animis noſtris circumferentes, parati in ſingulos dies ad mortem, ita omnia agamus, quaſi nunquam vitam noſtram vſque ad veſperam duraturam, ſed certiſſimè nos morituros arbitremur.* Mandatur homini, vt tollat crucem, ſeu, vt habet Lucas, *Quotidie tollat crucem*, mortis inſtrumentum, vt quotidie in mortis contemplationem intendat, *quaſi nunquam vitam noſtram vſque ad veſperam duraturam.* Et tunc facilè ſe ipſum abnegabit, omnia quæcumque mundana, etiam ſpecioſa, & allicientia deſpiciet, propriáſque voluptates, ac appetitus calcabit, hácque cognitione mortis munitus, facilè omnia humana in vna cruce appendet, ſicque expeditus prompte viam arripiet, Chriſtum ſequetur, & ab eo non diſcedet. Et dum propria abnegatio commendatur; ad illius facilem executionem quotidiana mortis contemplatio inculcatur.

Lucas.

Si contempletur quis mortem, contemnet mundum.

46. Quartò. Antequam Dominus præciperet vnicuique, vt ipſum ſequeretur, *ſequatur me*, priùs ei mandat, vt tollat crucem ſuam. Quando quiſque alterum ſequitur, neceſſe eſt, vt eum attenta oculorum acie teneat, illúmque à conſpectu ſuo non diſperdat. Antequam Dominus dicat, quod quilibet eum ſequatur, prius imperat, *tollat crucem ſuam* hoc eſt patienter, æquo animo ferat, quidquid moleſtum, ac durum eſt, ſuſtineátque exortas contradictiones, ac perſecutiones contra ſe; nam huiuſmodi preſſuræ maximè aperiunt oculos, acuunt viſum, vt quiſquis videat, omnia temporalia eſſe caduca, ſolum Deum ſuper omnia eſſe ſequendum, ac amplectendum, in eoque omnia eſſe vera, & certa.

Crux laborem dat Dei cognitioni, atque notitiæ.

47. Iob. 42. Cùm Iob volueretur inter ſuas miſerias, ac calamitates, dicebat cap. 42. num. 5. *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* De cognitione Dei, diuinarúmque rerum loquitur, vt planum eſt apud omnes. Cur, cùm antea ſolùm audierit, nunc verò dicitur quod videat? Ex quo motiuo in tam ſublimem cognitionem deuenit? Antea cùm eſſet rex, in ſummáque rerum abundantia, ac felicitate verſaretur, ſolum cognoſcebat Deum, tamquam ad autem loquentem. At verò poſtea aſſumpta ærumnarum, ac aduerſitatum cruce, ita cum illa mens eius eſt exacuta, & purificata, tamque cum huiuſmodi cruce in cognitione profecit, tantóque cum illa ſe ipſo melior euaſit, quantum viſus excellit auditum. D. Gregor. l. 35. moral. ad citatum locum Iob. *Nunc oculus meus videt te.* Sic ait, *His nimirum verbis apertè indicat, quia quanto viſu eſt ſuperior auditu, tanto differt ab eo, quod prius extulit, & hoc, quod poſtmodum per flagella profecit.*

Preſſuræ maximè ſublevant hominem à ſtatu auersionis ad Dei cognitionem.

Gregor.

48. Exod. 7. Magnam quæſtionem excitant Theologi, id quod Deus ait de Pharaone. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Exod. 7. n. 3. Quomodo Deus, qui neminem vult perire, ſed omnes ſaluos facere, omnibúſque media ad ſalutem neceſſaria prouidet, dicatur indurare cor Pharaonis? Præclarè reſpondet D. Aug. ſerm. 88. de tempore feria quarta poſt. 3. Dom. Quadrag. *Quoties eum Deus plaga percuſſit, afflictus pœnituit; at vbi ei remiſſio diuina indulgentiam dedit, iterum ſe in ſuperbiam elatus erexit.* Induratur Pharaonis cor remiſſione, ac indulgentia. Quoties Deus eum plagis cædebat, pœnitebat illum, ac aliquantùm ipſe reſipiſcebat, eique oculos flagella aperiebant. At cùm Deus ſuſpendit verbera, in iniquitate obduratus maximè firmatur, in omnique malo abſque vlla emendatione obſtinatus perſiſtit.

Auguſt.

Indulgentia obdurat ſæpe hominem, caſtigatione emendatur.

QVÆSTIO VII.

Quare prius præcipit Dominus, vt homo se ipsum abneget, & postea vt tollat crucem?

49. IN hoc ordine Euangelico mandat Dominus vt homo abneget se ipsum, & tollat crucem. Cur abnegatio debet præcedere, vt tollat crucem? Tollere crucem significat sufferre omnem laborem, molestiam, & pressuram, vt dixi superiori quæst. & quamuis hoc valdè arduum sit; tamen talis crux est admodum facilis his, qui se abnegauerunt, & proprios appetitus, atque affectus conculcauerunt, ac trucidarunt: ideo prius mandatur, *abneget semetipsum*, & postea, *tollat crucem*. Ea enim Deus solet à nobis exigere, ac requirere, ad quæ iam homo est dispositus, ac facilis redactus. Luctans Angelus cùm Iacob ait illi: *Dimitte me*. Genes. 32. num. 26. Hoc Iacob debebat petere, hoc ille desiderabat, cum in luctamine claudus esset factus, vt notat Lippomanus. Tamen cùm Angelus videret affectum Iacob taliter dispositum, & præparatum, vt benedictione accepta, terminaretur lucta, inde ab eo expostulat, *Dimitte me*, vt benedictione concessa abeat, & recedat.

Deus ea mandat, ad quæ est homo iam dispositus, & facilis inuentus. Genes. 32. Lippom.

50. Secundò D. Chrysost. Orat. de Adoratione S. Crucis, habita apud Grethserum tom. 2. de Cruce. *Vides*, ait, *quemadmodum eum militem, qui ipsum sequitur, Rex cœlorum armauit? non scutum dedit, non galeam, non sagittam, non thoracem, non ocreas, non quidpiam aliud eiusdem generis: sed quod his omnibus est fortius præsidium, quod à Cruce proficiscitur signum victoriæ, qua contra dæmonia parta est.* Cùm Christus Dominus dixisset, quòd homo abneget se ipsum: promulgatur, vt quoddam bellum gerat aduersus suam carnem, ac voluntatem, aduersúsque suos appetitus, & affectus, quos debet domare, ac in seruitutem redigere; quodque debeat dimicare contra potestates tenebrarum harum, contra rectores mundi huius, qui sunt spirituales nequitiæ. Sed suos milites ad tantum bellum congredientes, quibus armis corroborat cœlestis Rex? Scuto ferreo, vel galea, lancea, vel ense? minimè: alio sublimiori præsidio eos communit, nempe signo Crucis, quod est nostræ victoriæ trophæum, & quo omnis nequitia deuincitur, ac prosternitur. D. Bernard. serm. 2. de S. Andrea. *Et nos armemur*, ait, *imitemur arma Regis nostri, vt tollamus & nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi, quid Psalmista promisit; imò Spiritus sanctus per os eius. Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas eius*. Psalm. 90. n. 5. Crux supremi nostri Regis scutum.

Cruce armamur vitra aduersa potestates. Chrysost. Bernard. Psalm. 90. *Crux scutũ nostrum.*

51. Tertiò. Compone modò id, quòd Dominus vniuersis præcipit, cum illo quod dictum est Zachæo, arborem ascendenti: *Festinans descende*. Luc. 19. n. 5. Cur mandatur homini, vt ab arbore, quæ typum gerebat crucis, festinanter descendat, cùm hic omnibus præcipiatur; vt vnusquisque tollat crucem suam, & sequatur me? Ascenderat Zachæus crucem ante vocationem, cùm adhuc non se abnegaret, nec adhuc ablata restitueret, & cum tam improportionatus esset cruci, imperatur ei, vt descendat. Ardua Crucis negotia viris imperfectis non proficiunt, sed potius officiunt, cum rem suis viribus multo maiorem, ac superiorem aggrediantur. D. Petrus Chrysolog. serm. 54. *Descende*, ait, *vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vsurarum molem, magisterium publicani: expeditus intra pauperis scholam, discipulatum misericordiæ, studia virtutum, philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus ascendas.* Res tam sublimis, ac ardua, vt crux, non nisi à perfecto ascendenda est viro, qui iam cupiditatum pondera deposuerit; aliàs a tanta difficultate opprimetur, & in offensionem incidet.

Luc. 9. Chrysol. *Laborum crux sumẽda non est nisi à viro perfecto.*

52. Quartò. Prius dicitur abneget semetipsum, & postea tollat crucem suam. *Abneget semetipsum*, hoc est propriam suam voluntatem, suósque appetitus abscindat, ac abiiciat à se, illorúmque affectus amputet, ac trucidet: & tunc *tollat crucem suam*, hoc est molestiam, mortificationem, ac passionem, de qua ait D. Basilius Seleucus Orat. 31. *Via ad salutem passio, & crux regni reconciliatrix.* Mandat ergo Christus Dominus, vt quilibet renuntiet propriam voluntatem; & tunc viam suæ salutis, sibi ostensam, assumat, & accipiat, vt per eam gradiatur, illámque sequatur. Quo monemur, saluationis medium, non ex propriæ voluntatis electione determinandum, sed ex alto Dei consilio designandum. Cum enim quis sua voluntate ducitur, in multa ruit præcipitia. Si vero Dei nutu, ac inspiratione regitur, multum proficit, & facilè ad optatam metam deuenit. Quod eleganter exemplo enucleat D. Ambrosius Psalm. 118. serm. 5. in principio. *Miles*, ait, *qui ingreditur iter, viandi ordinem non ipse disponit, nec proprio arbitrio viam carpit, sed itinerarium ab imperatore accipit, & custodit illud; præscripto incedit ordine, cum armis suis ambulat, rectáque via conficit iter, vt inueniat commeatum parata sibi subsidia. Si alio ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit, quia imperator iis iubet hæc præparari omnia, qui sequantur, nec dextera, nec sinistra à præscripto itinere declinant: meritóque non deficit qui imperatorem sequitur suum.* Miles, qui determinatam ab imperatore viam deserit, & aliam arbitrio suo eligit, valdè ineptus est, & subsidiis sui imperatoris necesse est vt careat, non enim tenetur imperator pro quibuscúmque viis commeatuum subsidia parata habere; illis ergo fruitur, qui præscripto itinere pergit, & incedit.

Basil Sel. *In salutis negotio, non propria voluntas, sed Dei nutus sequendus.* Ambros.

53. Ait Christus Dominus Ioan. 6. num. 37. *Eum, qui venit ad me, non eiciam foras, quia descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me.* Multa consideratione dignum, quod dicat se neminem eiecturum foras; & subdens rationem inquit, quia non venit facere voluntatem suam, sed Patris, qui misit eum. Quod ingenioſe expendit D. Euchirius in lib. 1. Reg. cap. 15. *Quis autem nesciat, quod voluntas Filij à Patris voluntate non discrepat? sed quoniam primus homo, qui suam facere voluntatem voluit, à paradisi gaudio exiuit; secundus homo ad redemptionem hominum veniens, cùm voluntatem se Patris, & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subdit, viam nobis egressionis claudit.* Christus Dominus omnes vult ad salutem reducere; eiusque voluntas maximè vniformis est cum Patris voluntate: Cur ergo ait, quòd neminem eiiciet foras, quia non venit facere suam voluntatem, sed Patris, qui misit eum? Hæc pro

Ioan. 6. Euchirius. *Iuxta salutis non nostra, sed Dei voluntas sequenda.*

magno documento noſtro ſunt dicta, Vt oſtendatur, quàm periculoſum ſit, quòd homo nutum ſuæ voluntatis, & non Dei Patris ſequatur. Si homo ſua voluntate ducitur, ea quæ ſunt ſalutis facilè eiicit foras. Vt ergo illam teneat, ac amplectatur, Dei Patris beneplacito regatur.

54. Ionæ 1. Mandat Deus Ionæ, vt pergat in Niniuem ciuitatem, qui *Surrexit, vt fugeret in Tharſis, & inuenit nauem euntem in Tharſis, & aſcendit in eam.* Ionæ 1.num.3. Cum nauis per pelagus vela daret, ſubitò exorta eſt vehemens procella, irruentibus ventis, magna commotione reuoluitur mare;& nauis multum periclitabatur,vt ab aquis abſorberetur: educta ſorte proiicitur Ionas in mare; ſtatímque ferinæ voraginis excipitur hoſpitio,à quo, cum tertius dies ageretur, euomitur in littus Niniuæ. *Et dixit Dominus piſci: & euomit* Ionæ 2. *Ionam in aridam.* Ioan.2. n.11. Mira prorſus res! Aſcendit Ionas nauem, quæ præ munimine vitæ fabricatur ab hominibus; & ibi compugnantium ventorum impulſæ periclitatur, & ad certam mortem proi citur in mare. Cùm autem deglutitur à bellua, ac tranſmittitur in eius vterum, horrendæ mortis ſepulchrum, & duræ ſæuitiæ carcerem, ibi reſpiraculum vitæ inuenit. Quod Zeno. notans D.Zeno ſerm. de Iona inquit: *Alio deflexus itinere nauem Tharſeos perituras aſcendit. Mira tamen res, poſt naufragium, poſt natatile ſepulchrum incolumis tertio die Niniuitas illuſtrat.* Totus rerum ordo commutatur. In naui, quæ pro vitæ auxilio habetur. Cùm tamen in illam propria voluntate aſcenderit, ibi certo, & inuitabile interitus periculo laborat. In feræ autem alno mortis indubitabili fomento, cum res ex Dei alto ageretur conſilio, felici fruitur ſorte ſalutis, vinus euaſit, in aridamque proſiliit incolumis. Vbi propria voluntas, inuitabile periculum adeſt: vbi Dei nutus, certa, & ſecura ſalus.

Noſtra voluntate periclitamur. Dei nutu, cuſtodimur.

Qvæstio VIII.

Quare vnicuique non tantùm mandat Dominus portare crucem, ſed addit crucem ſuam?

55. Hugo. PRo quo rectè reſpondet Primò Cardinal. Hugo. Dixit Dominus, tollat crucem ſuam *non meam, ne putes, Chriſti crucem ſufficere ſine tua.* Crux Chriſti valdè nobis proficua; in ea ipſe Dominus ſuo pretioſiſſimo ſanguine nos redemit: ipſa tamen nobis non ſufficit, niſi nos & ſimul cum illa cooperationem noſtram coniungamus, in multa patientia, & ſuſtinentia inſurgentium laborum, cum abnegatione propriæ voluntatis, ac noſtrorum affectuum.

Chriſti Crux non prodeſt nobis ſine noſtra.

56. Secundò. Præcipit Dominus, vt quilibet tollat crucem, res ſatis ardua, ſed inde maximè facilis redditur, cùm præcipiatur, vt tollat crucem, non alienam, ſed ſuam. Res maximè notatu digna. Ad montem Caluariæ pergunt Dominus meus Ieſus, & ſimul duo latrones, vt crucifigerétur; & omnes ſuas ferebant cruces, moris enim erat, vt homines crucifigendi cruces ſuas portarent, vt teſtantur Plutarchus lib.de ſera Numinis vindicta. Lipſius, & Grethſerus de Cruce, & alij Auctores. Ex quo inſurgit difficultas: Cur ex his tribus Dominus Ieſus ita cruce fatigatur, vt neceſſe fuerit, de aduenamine ei prouidere? *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Matth.27.n.32. Cur Dominus Ieſus, Dei fortitudo eget, vt ei detur ſocius in aſportanda cruce: non vero alij duo homines? D. Athanaſius ſerm. de Cruce. *Geſtauit,* Athanaſ. inquit, *crucem Simon homo, vt omnibus notum fieret, quod non ſuam ipſius, ſed hominum mortem meretur Dominus.* Crux, quæ à Domino ferebatur, non erat crux propria, ſed aliena; crux nempe omnium noſtrorum peccatorum. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Iſai. 53. num.6. Iſaiæ 53. Cùm ergo eſſet crux aliena, inde valdè ponderoſa, & grauis, vt alium ſimul portitorem exquireret. *Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* At Latrones geſtabant ſuorum ſcelerum, ac malefactorum cruces; & cum eſſent propriæ, illo tanto pondere non premebantur.

Cùm Dauid vellet procedere ab bellum contra 57. Philiſthæum, ſuis armis *Induit eum Saul; accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare, ſi armatus poſſet incidere, non enim habebat conſuetudinem* 1. Reg.17. n.39. Cùm rerum euentus euoluerentur, & Dauid ſe abſque gladio, & haſta reperiiſſet, ab Achimelech ſacerdote expoſtulauit enſem, qui dixit ei: *Ecce hic gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſiſti in valle Terebinthi: ſi iſtum vis tollere, tolle, neque enim eſt hic alius abſque eo.* 1.Reg. 21.n.9. Quo audito dixit Dauid: *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Lyranus, non eſt huic ſimilis, *non eſt ei æqualis.* Iam in promptu eſt difficultas. Cum armis Saul, qui quamuis proceræ, non tamen communis hominum ſtaturæ terminos excedebat, incedere non poteſt; & tamen de Goliath gladio, qui erat ingens quædam moles corporea, ait, quod ſit ei ſimilis, id eſt tam bonus, & aptus vt ille? Vnde tanta differentia, quòd cum vno accinctus non poteſt incedere; de altero verò teſtificat, quod non ſit ei alius tam promptus, ac conueniens? Indumenta, ac arma Saul, aliena, ac extranea Dauid erant: inde ei maximè improportionata, ac grauia. Cùm autem illa, quæ Gigantis fuerant indumenta, Dauid, victoriæ iure, tanquam ſpolia ſibi comparaſſet, vt aduertit Abulenſis q.21; inde euenit, vt gladius Philiſtæi, licet alias eſſet ingens, tamen vtpote res propria, Dauid erat valdè leuis, & expeditus, vt ſumma cum dexteritate in illo pugnaret. 1.Reg.17. Lyran. *Alienus valdè grauia, propria leuia.* Abulenſ.

Qvæstio IX.

Quare abnegatione, & cruce ſequendus eſt Chriſtus? & quomodo?

IN hac voce, qua Chriſtus ad ſe vocat: *Si* 58. *quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Priùs mandat, vt quilibet ſeipſum abneget, tollat crucem, & tunc eum ſequatur.

Ad quod reſpondent Primò Origenes tract.1. 59. in Matth. *Nemo poteſt ire poſt Chriſtum, niſi qui ſe ipſum negauerit.* Beda. *Niſi quis à ſe ipſo deficiat, ad eum, qui ſupra ipſum eſt, non appropinquat.* Idem D. Paſchaſius lib. 8. in Matth. Scala, ac gradus vt ad eum, qui ſupra te, perueniàs, eſt propriæ voluntatis, appetitus, ac concupiſcentiæ abnegatio. Chriſtus dixit Adoleſcentulo: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & veni ſequere me.* Matth.19.num.21. Ita habes apud D.Thomam; qui inquit, *Non dixit, vende aliqua, ſicut* Origenes. Beda Paſchaſ. Matth.19. D.Thom.

Relictis omnibus sequendus est Christus. Hieron.

sicut Ananias, & Saphira, sed omnia, id est omnes affectus, omnésque opes vnde, & commuta pro magnis, ac sanctis operibus, vt Christum sequaris. Hinc diuites huius sæculi pungit D. Hiero. Epist. ad Heliod. *Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet, & tu amplas porticus, & ingentia tectorum spatia metiris? Hæreditatem expectans sæculi, cohæres Christi esse non poteris. Vociferatur ille sæpe:* Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me: *Et ego onustus auro arbitror, me Christum sequi.*

60. Secundò. Ad quid ad sequendum Christum præmittitur propria abnegatio, ac crucis asportatio? Necesse est enim, vt omnia temporalia ab animis nostris excludantur, vt mereamur Christum sequi, eiúsque conspectu frui. Temporalia enim, vtpotè maximè grauia, magna interponũt impedimenta ad Christi sequelam; terrenáque omnia multum hebetant, ac obfuscant oculos, vt Christus suspiciatur. D. Ambros. lib. de fuga sæculi c. 2. *Venit plenitudo*, ait, *reliquia cessabunt, Christus enim omnes vocat: omnibus patet, vt omnes sequamur; omnibus regnum propositum, & vita æterna: ergo cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis manere.* Cum terrena sint impedimenta, tanquam duæ alæ ad Christum sequendum inseruiunt, propria omnium appetituum abnegatio, ac crucis, id est omnium laborum tolerantia.

Ad Christi sequelam solum Deum debemus intendere.

Ambros.

61. Tertiò. Præcipit Christus, vt quilibet se ipsum abneget, tollat crucem suam, ac eum sequatur. Valdè enim miserrimum est, vt quis se ipsum abneget, proprios, affectus, ac voluntates conculcando, tollátque crucem suam, mortificationes, labores, ac pressuras sustinendo, & non Christum sed mundum, mundanásque glorias sequatur. Quid infelicius quàm in sudore, ac lucta esse participem, & socium cum sanctis, ab eorum verò corona, & gloriam dissociari, & excludi. D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum. *Væ semel*, inquit, *& væ iterum pauperibus superbis! Væ, inquam, semel, & væ iterum portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum, qui nimirum, cuius passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quidem contritione conterentur, quando & hic temporaliter se affligunt, & in futuro ad æterna supplicia pertrahuntur. Laborant cum Christo, sed cum Christo non regnant. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in Patria. Lugent nunc, sed tunc non consolabuntur.* Illud Ieremiæ 17. n. 18. *Duplici contritione contere eos.* De Hypocritis interpretatur S. Doctor: alia peccata vno supplicio æternæ damnationis afficiuntur. Dives ille helluo auarus epulabatur quotidie splendidè, & sepultus est in inferno, Luc. 16. n. 22. At Hypocritis vitium plectitur in hac vita molestia, ac pressura iniunij, & mortificationis; & in altera, æterna pœna, ac damnatione.

Infelix, qui laborem fugiens, & Christo non fruitur.

Bernard.

Ierem. 17.

Luc. 16.

Hypocrita duplici pœna afficitur.

62. Quartò D. Gregorius Nyssenus lib. 1. de vita Moysi, explicans id quod dictum est Moysi, Dum videre desideranti. *Ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea: faciem meam videre non poteris.* Exod. 33. num. 23. Sic fatur S. Pater *Dominus, qui Moysi oracula dedit, qui ad implendam legem suam venit, ænigma id enodans apertissimè, similiter ad Discipulos ait:* Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & sequatur me. *Qui sequitur, non faciem, sed tergum aspicit. Docetur igitur Moyses desiderans Deum videre, quomodo possit Deus videri. Sequi enim Deum corde, & animo semper, quoque ducat; id ipsum est Deum videre. Etenim transitus ille Dei, Deum esse ducem sequentis significat Dux præeundo sequenti viam monstrat.* In hoc nostro Euangelio explicat Christus id, quod in ænigmate dictum fuit Moysi, cùm videndi Deum magno desiderio teneretur. *Videbis posteriora mea; faciem meam videre non poteris.* Qui sequitur, non faciem; sed posteriora videt: nam si ipsum sequatur, per eiúsque vestigia imitatione gradiatur, ipso iam fruitur, ipsúmque iam videt. Inquit Dauid: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. num. 15. In Originalibus habetur: *Satiabor, cum euigilauero similitudine tua*: Ipsum surgere, ac euigilare Christi similitudine, ac imitatione, est satiari gloria eius. Sequi Christum, eiúsque imitatione tenere, magnum leuamen ad abnegationem, & crucem. Hinc nullum proponitur præmium se abneganti, ac crucem ferenti: nam ipsum sequi Iesum, illique adhærere, Iesúmque spectare, suprema omnium merces est.

Exod. 33. Nyssenus.

Sequi Christum, est, ipsum videre, ac frui ipso.

Psalm. 16.

63. Quintò D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Dicit nunc omnibus, vt omnes eum sequantur ad militiam, non prosè, sed pro nobis præliantem, omnes sequantur, nemo antecedere velit, nemo contraire, nemo declinare, nemo retrorsum abire, sed omnes eum sequantur, quoniam ipse solus est, qui pugnat, vincit, & coronat.* Monet Paschasius, *vt omnes sequantur, & nemo antecedere velit*: nam, qui antecedit, propria voluntate regitur; quid vero subsequitur, alterius electione mouetur: si nostra voluntas per se regitur, errat; qui verò Christi designationem amplectitur, recto, ac tuto itinere graditur. Sequamur ergo Christum, viam monstrantem, vt nemo aberret, sed omnes vmbra illius cupiamus. D. Gregorius Nyssenus modò supra citatus. *Qui peruenit*, ait, *is audiet vocantem, is in posterioribus vocantis constituitur, vt Scriptura monet:* Psalm. 9. num. 4. Scapulis suis obumbrabit tibi; *quod est post Deum esse constitutum: nam scapulæ posteriora sunt.* Vnde Hebræus pro scapulis habet *posteriora dorsi*, vt ex Patribus explicat Lorinus, *auersis scapulis, humerisque nos protegit Deus.* Dicitur, quòd protegit, non facie, vt manu, sed scapulis, quia qui Christum sequitur, hic abumbratur ac custoditur. Dauid Psalm. 62. num. 9. *Adhæsit anima post te, & suscepit me dextera tua.*

Paschas.

Nyssenus. Psalm. 9. Hebr. Lorinus.

Qui sequitur Christum, custoditur ab omni malo.

Psalm. 62.

64. Sextò. Valdè mirum, quòd Christus Dominus qui ob suam eximiam humilitatem se appellat *nouissimum virorum.* Isai. 53. n. 3. qui & suis dicebat, *Cùm inuitatus fueris, recumbe in nouissimo loco:* in præsenti tamen determinat primam, tenere, ducatúque gerere. *Si quis vult venire post me, & sequatur me.* Considera, quòd meus Iesus, qui dicebat de se, *Ego sum vermis, & non homo*: sibi eligit, ac adscribit principatum in cruce ferenda, in passione, ac morte amplectenda, in pressuris, ac iniuriis sustinendis. *Tollat crucem suam, ac sequatur.* Hæc est enim eximiæ virtutis conditio, vt in deiectione, ac depressione sibi eligat, & assumat primos gradus.

Iesaiæ 53.

Christus in humilitate, ac deiectione sibi eligit primum locum.

65. *Instante partu, apparuerunt gemini in vtero, atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in quo obstetrix ligauit coccinium. Ille autem retrahente manum, egressus est alter.* Genes. 38. numer. 10. Phares, & Zaram colluctabantur in vtero, quisnam eorum prior ex materno aluco esset nasciturus. Zaram, quasi victoriam obtinens, protulit manum, in qua innotui-

Genes. 38.

ter ligatura coccineâ, quam vt ipse sensit, statim contrahit manum, locum dat alteri, vt prior exeat, ac primogenituram obtineat. Si propiori egressu imbat certamen cum fratre, cur modò adepto signo coccineo ita placatus quiescit, & libenter alteri permittit principatum? S. Ioannes Chrysost. D. Irenæus, ac Theodoretus per Zaram Christianos Gentiles, & per Phares Iudæos interpretantur. Vnde ait D. Irenæus l. 4. contra hæreses c. 42. *Signum coccineum passio Christi.* Magno nisu concurrebat Zaram, seu populus Christianus, vt obtineret primas in habenda nota humilitatis passionis, ac mortis Christi: hac autem adepta ita placidè contentus est, vt nihil iam amplius curet, sed omnem primogenituram, principatum, ac maioratum contemnat, & libenter fratri relinquat, atque concedat.

Chrysost. Irenæus. Theodoret. Irenæus. *Fidelis in humilitate Christi primus.*

66. Concurrens Zachæus ascendit in arborem, vt videret transeuntem Iesum; quem suspiciens Dominus, ait illi: *Zachæe, festinans descende.* Luc. 19. num. 5. Vbi pulchrè dubitat Chrysologus serm 54. *Si bene ascenderat, quare ei dicitur, descende?* Arbor illa typum gerebat Crucis, vt communiter Patres interpretantur. Mandatur ergo Zachæo vt festinanter descendat; quia in cruce ascendenda non vult Christus, vt aliquis, etiam in figura, ei præcedat, priórque illo crucem teneat. Vnde in nostro Evangelio iubet, *tollat crucem suam? & sequatur me*; non vt antecedat, sed vt subsequatur. Sic pergit citatus Chrysologus: *Sic dicitur in Euangelio: Præcurrens ascendit arborem, præcurris seruus Dominum, & ante Zachæus ascendit arborem, quàm crucem Dominator ascenderet; hinc ei dicitur, festinans descende, vt post crucem dominica passionis ascendat. Nisi quis tulerit crucem suam, & secutus me fuerit: non dixit, præcesserit me.*

Luc. 19. Chrysol. *Christus non patitur, vt alius prior ipso crucem ascendat.* Chrysol.

67. Scribens D. Paulus ad Corinth. 1. cap. 1. n. 12. ait: *Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo; ego vero Cephæ.* Magno animi dolore conqueritur Apostolus, quòd inter Corinthios Baptismi effectum, quem recipiebant, quidam tribuerent Paulo, alij vero Apollo, alij autem Cephæ, id est Petro, qui dictus est Cephas. Merito dubitat ibi D. Chrysostomus, quomodo Paulus spiritu valdè humilis, qui se minimum omnium Apostolorum dicebat; hic tamen se in primo loco constituit, ac se capiti Apostolorum D. Petro præfert. Considera tempus, & occasionem. Intendebat magnus Paulus in præsenti se, & Apollo, ac Petrum ostendere esse immeritos, ac incapaces, vt in eorum nomine Baptismus conferretur, ac fides prædicaretur: & cùm de hac indignitate agitur, Paulus primas arripit, séque primo loco affigit tanquam cæteris tanti muneris, ac dignitatis indignior, ac incapacior prædicatus; & vt se altius deiiceret, ac humiliaret, se in prima fronte apponit. D. Chrysost. ibi. *Primo in loco,* inquit, *se constituit, nullo honoris desiderio, sed contemptu potius. Primum igitur impetum in se accipit, & tunc Apollo inde Cephum subdit.*

1. Cor. 1. Chrysost. *Humilis in humilitate vult primas tenere.*

Qvæstio V.

Quare, cùm Christus Dominus liberos nos ad se aduocet, tamen hic modò multa præcepta imponit?

68. VT ad Christum veniamus, libertati vniuscuiusque committitur: ipse enim dicit: *Si quis vult venire post me*: ad se autem venientibus tria præcepta imponit, vt ex D. Gregorio notaui in expositione: *Abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Vt quisque ad Christum accedat, ac inter eius discipulos annumeretur, libertati vniuscuiusque relinquitur: at verò postquam Christo adhæret, eique nomen dedit, ad obseruantiã præceptorũ illius scholæ tenetur, a quibus nec in minimo licet discedere. Liberum vnicuique est, cum altero amicitiã inire; at familiaritate inita ad amicitiæ iura, fœderáque tenetur.

Libertas in amicitia contrahenda; obligatio in illius iure seruanda.

69. Cùm Paulus spirans minarum, & cædis in Christi discipulos pergeret in Damascum, apparuit ei Dominus in via dicens: *Saule, Saule quid me persequeris? Ego sum Iesus, quem tu persequeris.* Actor. 9. n. 4. *Non dicit illi,* inquit D. Chrysost. *crede, vel suscipe fidem meam; sed tantum, Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Quid mali,* ait citatus Doctor, *quod aut magnum, aut parumper tibi fecit, quod hæc facis?* contra me, contráque meum mysticum corpus, scilicet Ecclesiam meam. Quæ verba tam benigne ei dixit Dominus Iesus, vt norant D. Chrysost. & D. August. l. 1. ad Simplicianum; vt ipse Saulus liberè, ac sponte à proposito discederet. ac desisteret, & se conuerteret, fidémque eius susciperet, atque in illam admirabilem vocem prorumperet: *Domine, quid me vis facere?* postea vero scribens ad Ephesios c. 3. n. 1. ait *Ego Paulus vinctus Christi Iesu.* & c. 4. n. 1. *Ego vinctus in Domino.* Si, ô Doctor Gentium, ad Christum venire, intérque eius discipulos recensèri, liberum tibi fuit, quomodo te ita vinxit ac colligauit tam strictè, vt dicas *Ego vinctus in Domino?* Vt ad Christum se conuertat, libertati eius relinquitur, vt ipse sponte se offerat, & dicat, *Domine, quid me vis facere?* At verò postquam in catalogo Discipulorum est adscriptus, iam multis manet & vinctus, & astrictus: Vt Christi fidem coram regibus, & gentibus prædicet, corpúsque suum in seruitutem redigat, ac alia similia faciat.

Actor. 9. Chrysost. Chrysost. Augusti. Ad Ephes 3. Ad Ephes. 4 *Libere fit discipulus Christi; facto iam astringitur legibus.*

Mandabat Deus in Lege, quòd emptus seruus septimo anno libertate donaretur. *Quod si dixerit. Diligo dominum meum, non egrediar liber, dominus perforabit aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* Exod. 21. n. 5. Arbitrio serui relinquitur, vt à Domino suo exeat, excusso seruitutis iugo: tamen si sub illo manere voluerit, perforandæ sunt aures eius: vt admoneatur seruus, ait Theodoretus, perpetuæ obedientiæ, qua heri mandata excipere, & exequi debet. Sed sicut ei liberum extitit, sub domini sui esse dominio; cur etiam non erit illi liberum iussa ea adimplere, sed necessario suæ subiectionis symbolum portabit? Esse seruum, sit homini spontaneum; at verò postquam captiuitati se subiecit, ita propriam libertatem renuntiet, séque seruitutis legibus submittat, vt in perpetuum illis sit addictus, à quibus resilire non valeat. *Et erit ei seruus in seculum.* Hócque publico sigillo, ac symbolo omnium oculis manifestet.

70. Exod. 21. Theodor. *Homo fit seruus liberè, factus domini imperio subditur.*

Matth.

Matth.16. Qui enim voluerit animam
num.25. suam saluam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis enim voluerit seruare animam suam.

Vatablus. Rursus; qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam.

D.Paschas.l.8. in Matth. In vitam æternam inueniet eam.

ALTER TEXTVS.

Marc.6.n.35. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam.

Luca.9.n.24. Qui autem voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.

EXPOSITIO II.

71. Paschas.

APPONIT Dominus rationem, vt notat D.Paschas.lib.8.in Matth. Cur homo se ipsum debeat abnegare, tollere crucem, ac Christum sequi Crucifixum. *Qui enim*, quicumque enim *voluerit animam suam*, hoc est se ipsum synecdoche partis nobilioris pro toto, vt explicat Abulens.quæst.119. Vel animam suam, id est vitam suam, vt vult D.Thomas, siquidem anima principium est vitæ; *Saluam facere* in hoc mundo, dum mortificationem fugiens, voluptatibus, appetitibus, ac huius sæculi commodis indulget, Crucémque laborum, sibi à Deo datam abiicit, meámque fidem in persecutione denegat, ne moriatur, *perdet eam* in futuro sæculo æterna damnatione in gehenna.

Abulens. D.Thom.

72. *Qui autem perdiderit animam suam propter me*, sen,vt scribit D. Marcus, *propter me, & Euangelium*. Qui propter Christum, ac eius fidem in Euangelio explicatam, in persecutione pro eo moritur, vel eius amore se abnegat, mortificationem amplectendo, propriásque concupiscentias, ac appetitus refrænando, *inueniet eam*, hoc est saluam faciet illam in æterna vita, ac beatitudine. Vnde exclamat D. Paschasius lib.8.in Matth. *O beatum damnum, & felix iactura, saluare nos vult cum detrimento animæ & corporis, & esse sui similes nos hortatur. Quia ipse in Dei forma cùm esset, vsque ad mortem humilis factus est, & obediens,*

Paschas. *Beata iactura corporis, quæ recuperatur animæ.*

QVÆSTIO II.

Quare cœlestis beatitudo, cùm sit alto Dei consilio dispositæ, dicitur inuentæ.

73. *Ratio difficultatis.*

AIT Christus Dominus. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, scilicet saluam in æterna beatitudine, ac gloria, vt est communis interpretatio. Ex quo insurgit difficultas: Quomodo ipsa æterna vita dicatur inuenta, cum sit alta, ac profunda mediorum sorte à Deo disposita, & ordinata? Vnde Paulus ad Ephes. 1. numer. 5. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* Et idem num.11. ait: *Prædestinati secundùm propositum eius, qui operatur omnia, secundùm consilium suæ voluntatis.* Cuius inscrutabilia secreta considerans ipse Paulus exclamat: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius!* Rom.11.num.3. Quomodo ergo beatitudo dicitur inuenta; quod enim inuenitur, veluti casu, ac fortuitò habetur?

Ad Ephes.1 Rom.11.

74. Abulens. *Deperditum vita temporalis, vt inueniatur æterna.* Anselm.

Respondet Primò Abulensis hic. *Inueniet eam*, scilicet in vita æterna, vbi dicitur inueniri, quia res non inuenitur, nisi priùs perdita fuerit, & quia qui habituri sunt gloriam, priùs moriuntur, dicuntur postea vitam inuenire. Vel perdunt hic priùs vitam, dum eam laboribus subiiciunt, quia hoc est viuere, ac si non viuant; & post talem vitam perditam inueniunt veram vitam. O felix commutatio, in qua pro vna vita temporali æterna vita comparatur! vt ponderat D. Anselmus. Secundò. Dicitur inuenta ob eximium gaudium, quo obtinetur, ac possidetur, eius enim magnitudo transcendit omnem nostram cogitationem, & captum.

75. *Liberali, qua donat, videntur pauca.*

Tertiò. Hoc discrimen interiacet inter magnanimum virum, ac miserum: miser enim exigua, quæ præbet, in multa appendit; at magnanimus, quamuis plura largiatur, in pauca reputat. Christus dicit in præsenti, beatitudinem esse inuentam, *Inueniet eam.* Licet enim ipsa merces sit valdè magna, & ampla; tamen comparatione habita ad eius voluntatem, veluti angusta videtur ac proinde tam ingens, & supereminens beneficium quodammodo extenuans, id, tanquam rem inuentam, & non ex alto consilio dispositam, ac ordinatam dicit.

76.

Cùm Abraham sederet in ostio tabernaculi sui, apparuerunt ei tres Angeli sub virorum specie: quibus occurrens Patriarcha, domum suam illis in hospitium offerens ait: *Afferam paxillum aquæ, & lauate pedes vestros, ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Genes.18.num.4. Abrahamus, vtpote valdè potens, & diues, magnum, & lautum conuiuium intendebat illis apponere. Sic currens ad tabernaculum Sarræ: *Dixit ei, accelera tria sata similæ commisce*, quod, vt multi volunt, in satis tribus farinæ, centum & octo libras esse, profectò ingens fuit copia panis, *& ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*, quem lacte, & butyro coctum, illis ministrans, mensæ imponit. Si tot, & tanta animo præparabat, quomodo in obsequium illis pollicetur, non aquam, sed *paxillum aquæ*, seu, vt habet Pagninus, *parum aquæ*, & ad lauandos pedes, vt notat Chrysost, non dicit

Gen.18. Pagninus, Chrysost.

aquam calidam,ſed aquam: offert buccellam panis,ſeu fragmen panis,qui iam largam rerum copiam diſponebat? Abrahamus liberalitate, ac magnitudine præclarus;vt liberalis, ampla, & ingetia præſtabat; vt vero valdè magnus, tantam rerum abundantiam deprimit, ac attenuat, veluti nihilum reputans. D. Chryſoſtom. ibi. *Dicit Abrahamus, qua illis exhibiturus ſit, extenuans res, & nihil eſſe vocans.* Lippomanus inquit. *Liberalis hoſpes attenuat verbis officij impenſas.*

Abraham extenuat, quæ dat.

Chryſoſt.

Lippoman.

77. Recenſentur Dauid à Nathan Propheta multa, & magna dona, quæ Deus liberali manu illi contulit, & poſtea nomine ipſius Dei dicitur Dauidi: *Si parua ſunt iſta, adiiciam tibi multò maiora* 2. Reg. 12. num. 8. Ad quæ verba ait Abulenſis q. 4. *Quod ſi ipſe Dauid indicaret in aliquo caſu, illa eſſe parua, adiiciam maiora.* Ex quo mihi inſurgit dubium, an Dei beneficia ſint magna, vel parua, cur committitur Dauid iudicandum? cur Deus ſua infinita ſapientia hoc non ſtatuit, ac decernit? Ad quid Dauidis ſententia exquiritur? Multa, & ampla beneficia Dauidi largitus eſt Deus; à Saul odio liberauit, ad coronam regni euexit, numeroſa filiorum turba locupletauit, gloriosiſque inimicorum trophæis inſignuit; hæc omnia ei à manu Dei erant conceſſa; & vtpote dona propria, ſi ab ipſomet Domino appenderentur, quodammodo noſtro dicendi modo, conſiderata ſua celſitudine, ac magnitudine, ſuóque erga hominem eximio amore, non tam lata, & ampla centerentur: eligatur ergo Dauid, cuius iudicio res committatur, qui eorum præclaram eminentiam veneretur; nam ſi menſurentur per immenſam Dei largitatem, qui valdè magnus, & mirabilis eſt in donis ſuis, aliquantulum parua iuxta ſuam benefaciendi voluntatem, dicerentur.

2. Reg. 12. Abulenſ.

Multa Dei dona pro magnitudine liberalitatis ſuæ dicuntur parua.

Matth. 16. *num.* 26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

VERSIONES.

Syriacum. Quid enim lucratur homo, ſi mundum vniuerſum poſſideat, anima verò eius detrimentum patiatur?

Vatablus. Quid enim profuerit homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, animæ verò ſuæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam ſuam?

Arias. Quid enim iuuatur homo, ſi mundum vniuerſum lucretur; at animam ſuam mulctetur? Aut quam dabit homo permutationem animæ ſuæ?

Hebraicus. Quam dabit quiſquam.

ALTER TEXTVS.

Marci. 8. *n.* 36. Quid enim proderit homini, ſi lucretur mũdum totum: & detrimentum animæ ſuæ faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?

Luca 6. *n.* 25. Quid enim proficit homo, ſi lucretur vniuerſum mundum, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat?

EXPOSITIO III.

VNCTA Dominus ratione connectit, & diſponit; & nunc reddit rationem ſuperioris ſententiæ, cur ſcilicet, qui in hoc ſæculo ſaluam facit animam ſuam, in futuro eam perdet, hoc indicat in textu illa particula. *Enim.* Dicitur *Quid prodeſt homini* ſeu, vt habet Græcus, *quid iuuat*, ſeu Vatablus, *profuerit*, *Si vniuerſum mundum lucretur*, ſi in hoc ſæculo vniuerſa mundi bona totius Orbis dominationem, opus, delicias, dignitatéſque acquirat, *anima verò ſuæ detrimentũ patiatur*, ſeu, vt habet Græcus, *iacturam fecerit*, D. Lucas ſcribit, *Se autem ipſum perdat, & detrimentum ſui faciat*, in futuro ſæculo priuans ſe regno cœlorum, addictúſque manens æterno ſupplicio? illa enim mundialia, ſunt externa, & breui tranſeunt; quæ autem ad animam ſpectant, intrinſeca exiſtunt, & in perpetuum perſeuerant. 78.

Græcus. Vatablus.

Lucas.

Aut quam commutationem dabit homo pro anima ſua, quam compenſationem, aut pretium, ſeu, vt habet Græcus, *permutationem*, dabit homo, vt à gehennali damnatione liberetur? Theophylactus, Vatablus, *Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam ſuam?* cuius damnum in altero ſæculo eſt irreparabile. Egregiè ponderauit Ioannes Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus Orat. de Cruce. *Aduerte, quemadmodum non dixerit: Quam dat homo commutationem pro anima ſua? ſed quam dabit? Tunc enim non habebit, quod dat: Cuius rei non neſcius doloſus hoſtis nocte, ſemper mulcet nos vita ſuauitatibus, tempuſque paulatim procraſtinando ſuffuratur, vt ita tardantes ad pœnitentiam abripiat nos ſuperueniens, quando non eſt, qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Non dicitur, quam dat homo, ſed *quam dabit*? nam in præſenti ſæculo, dum tempus eſt operandi, temporalibus ſuauitatibus procraſtinando excæcat hominem aduerſarius noſter, ne pœnitentiæ incumbat. At vero in futuro ſæculo, quando iam viſus eſt expeditus à ſenſibus, nec habet homo, quod det, nec eſt, qui ſaluum faciat, tunc dabit? Demus ergo, cooperando bonum, dum tempus habemus. 79.

Græcus. Theophyl. Vatablus.

Xiphilinus.

In futuro ſæculo quãdo non eſt tempus, homo de ſalute cogitat.

QVÆ

QVÆSTIO XII.

Quare dicitur, Quam commutationem dabit homo pro anima sua?

80. DIXIT Christus Dominus in præsenti, *Quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Anima enim hominis omnem compensationem, ac omne pretium superat; empta est enim pretioso sanguine Christi Domini. Proindéque omne damnum mundi vitæ, honoris, diuitiarum, ac, ac voluptatum, posthabendum, ac contemnendum est, vt saluti animæ consulamus, ac Christo adhæreamus. Vnde ait Paulus Rom. 8. num. 38. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

Pro salute animæ huius facili contemnenda.

Rom. 8.

81. Omnia mundialia contemnenda pro animæ salute. D. Ambrosius lib. de bono mortis cap. 51. *Exiguus tibi*, inquit, *totus terrarum Orbis est pro vnius anima dispendio.* Euthymius in Psal. 48. *Pro vnius hominis anima vniuersus mundus sufficiens pretium non est.* Ex quo ait Paulus ad Philip. 3. num. 8. *Propter quem*, scilicet Christum, *omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Vt stercora Græci Patres Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus legunt, *paleas*, seu *aristas*. Quæ verba eleganter cõponit D. Bernardus in Alleg. Gotfridi Tilmani in Eccles. Iastic. 22. n. 2. cum illis, quæ ibi dicuntur, *De stercore boum lapidatus est piger.* Quid est, quod de stercore, seu aristis boum lapidatur piger? De paleis, ac stercore boum, quæ sunt mundialia bona, quæ comparatione spiritualium, sunt veluti aristæ, ac stercora, percutitur ac obruitur piger in via suæ salutis. Sic ait citatus Bernard. *His ergo stercoribus lapidatur piger, quia ea*, scilicet mundialia, *amplexatur, & Christum lucrifacere negligens, corde vacuo, & deserto foras cogitur euagari.* D. Gregorius lib. 15. moral. cap. 3. *Qui ex terrenarum rerum percussione afficitur, quid aliud, quã de bouis stercore lapidatur?*

Bona mundi veluti aristæ.

Ambros.

Euthym.

Ad Philip 3.

Chrysost. Theophyl. Theodor. Bernard. Eccles. 22.

Bernard.

Gregor.

82. Contra laudatam iustitiam, probitatem, ac virtutem Iob obiicit Satan, quod ipse multis bonis, quibus abundabat, vallatus, ac circundatus extabat. Deinde ait Deo: *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet*, Iob. 1. num. 11. Sub illo aduerbio *paululum* intelliguntur à Dæmone omnia terrena bona, quibus florebat Iob, vt interpretantur D. Gregorius lib. 2. moral. cap. 5. D. Thomas, Pineda, Cornelius, & alij. Ac si diceret Satan. Extende aduersus eum manum tuam, auferendo, & detrahendo ab illo ea, quæ ei dixisti. Ex quo mihi oritur difficultas. Cur opulentia Iob, diuitiæ, regnum, ingentes armentorum possessiones, numerosa filiorum turba, sub hoc nomine *paululum* comprehenduntur? Quomodo tot, ac tanta paululum dicuntur? Cum enim illa vniuersa, totum scilicet regnum, tot greges, ac filij, essent bona corporis, & non animæ, essentque mundialia, & non spiritualia, omnia illa paululum, ac parum, & exiguum etiam ab ipso Dæmone iudicantur, ac reputantur. Accipe S. Odonem lib. 2. moral. *Paululum manum postulat extendi, cùm exteriora appetit conteri, quia facere multum non se putat, nisi cum animam saucias, vt feriendo eam à cœlesti patria reuocaret.*

Iob. 1.

Gregor. Thom. Pineda. Cornel.

In comparatione animæ omnia bona parum.

Odon.

Hoc argumentum pertractans Eusebius Emissenus homil. 1. in natali vnius martyris, sic loquitur: *Si diceretur tibi, sis hoc mense dives, & potens, facias quidquid velis; viere carnis voluptatibus, sicut placet, ea tamen conditione, vt tibi oculi postea eruantur, omne solatium tollatur, & toto tempore vitæ tuæ in fame, & siti, in omni cruciatu, & miseria viuas: nunquid tale illud bonum cum hoc temerè susciperes? Et quidem tota hac vita, nec mensis est, nec vnius diei, vel horæ spatium ad illius æterna felicitatis computationem, cui miseriæ neque finis est, neque similis inuenitur.* Vide tom. 2. cap. 19. quæst. 7. num. 36. 37. & 38. 83. Euseb.

Matth. 16. *num.* 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

VERSIONES.

Syriacus. Futurum est enim, vt veniat filius hominis in gloria Patris sui cum Angelis suis sanctis: & tunc respondet vnicuique secundum opera eius.

Euthymius. Iuxta id, quod operatus est.

Arabicus. Secundum operationem suã.

Vatab. Theoph. Iuxta facta eius.

ALTER TEXTVS.

Marc. 8. n. 31. Qui enim me confusus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice, filius hominis confundetur eum, cùm venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis.

Luca. 9. n. 26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc & filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.

EXPOSITIO IV.

POSTQVAM dixerat Dominus supra: *Quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Subiungit: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui.* Ac si diceret, vt vult Maldonatus, Quid dabit homo pro anima sua, & si multum daret: Habent tamen homines iudicem Christum: qui cum venturus sit in tanta gloria Patris sui cum suis Angelis, bonorum nostrorum non indiget, ac proinde, cum tam dives sit, nullis muneribus patietur subornari. Adeo frequens est apud homines, vt iudex corrumpatur, quòd cùm Christus, personam iudicis agit, expressè de se attestatur nullis dõnis esse subornandum. 84.

Maldon.

Apud homines indices sæpe corrumpuntur.

D. Hieronymus, & D. Paschasius lib. 8. in 85.

Hieron. Paschas.

Matth. sic, & aptius connectunt: Vsque modo prædixerat Dominus suis Discipulis ardua, & tristia, vt se ipsos abnegarent, tollerent crucem, eúmque sequerentur, ac propter ipsum animam suam perderent, & quia, vt ait D. Paschasius, *tristibus læta succedunt*, eos maximè consolatur, ac recreat reuerendæ suæ gloriæ prædictione, ac reddendæ ipsis mercedis promissione, quibus ad tam difficilia, & heroïca opera excitentur, ac animentur. Et quia Discipuli interrogare poterant, quando, & quomodo hæc erunt, vt notant Abulensis q. 121. & Caietanus; ideo ipse præoccupans ait, Quando *filius hominis venturus est*, & quomodo *reddet vnicuique secundum opera sua.*

Paschasius.

Abulens. Caietan.

86. *Filius enim hominis*: frequenter de se sic loquitur per tertiam personam, *venturus est*, in extremo nempe die iudicij, *in gloria*, seu, vt habet Lucas, *in maiestate*, & dicitur *in gloria Patris*, tam creata, quam Christus sibi à Patre habet tam anima, quàm corpore, & exterius magno comitatu Angelorum accipiet in die iudicij, tum etiam increata, quam, vt Deus, vnam, & eandem habet cum Patre, sicut cum illo habet eandem, vnam naturam. Et dicitur *gloria Patris*, quia vnà cum natura est illi communicata à Patre: hanc autem gloriam tunc toto mundo manifestabit, & declarabit, se habere, vt notant Chrysostomus, & Euthymius, & alij. Vel moraliter, & aptè, dicitur *in gloria Patris sui*; quia, cùm venturus sit, vt reddat vnicuique secundùm opera sua, hoc, quod est benemeritos remunerare, non est huius sæculi, sed tantùm in gloria Patris sui.

Lucas.

Chrysost. Euthym.

Dare præmia bene meritis, non huius sæculi.

87. *Cum Angelis suis.* Dicuntur Angeli sui, tãquam sui ministri, & hic innumerabilium Angelorum comitatus multum conducit, tum ad declarandam magnam gloriam, & maiestatem Christi; sicut ex apparatu familiarium declaratur maiestas terreni principis; tum etiam ad commendandam Beatorum gloriam: nam coram multis laudari, & approbari, valde speciosum. *Et tunc reddet* iusta æquitate, siue premium, siue supplicium, secundùm operationem vniuscuiusque.

Coràm multis laudari speciosum.

88. D. Marcus addit, *Qui me confusus fuerit.* D. Lucas, *Qui me erubuerit.* In vtroque Euangelista, in Græca, est idem verbum, *Qui puduerit me.* D. Marcus ait, *Et filius hominis confundetur eum*; D. Lucas, *hunc filius hominis erubescet.* In vtroque, in Græca, est idem verbum, *filius hominis pudebit eum.* Sensus est: Qui puduerit, seu erubuerit coram hominibus confiteri me, meosque sermones; Ego quoque in extremo iudicij die illum coram Angelis confiteri erubescam, & me pudebit, qui enim me negarunt, illos & ego negabo.

Explicatur Marcus, & Lucas.

QVÆSTIO XIII.

Quare, cùm Christus Dominus in exordio apertè de se sit locutus, nunc verò agit de se per tertiam personam dicens: Filius hominis reddet vnicuique.

89. QVARE Christus Dominus frequenter se filium hominis appellet, tractaui tom. 2. cap. 3. quæst. 32. nunc in dubium vocamus: Quare, eùm in exordio huius sermonis Christus Dominus de se expresè fecerit mentionem. *Si quis vult venire post me*: & iterum *sequatur me*; deinde, *Qui perdiderit animam suam propter me.* Hìc verò mutat stylum, & de se non apertè loquitur, sed per tertiam personam agit, appellans se filium hominis?

Difficultas quæstionis.

90. Ad quod primò clara est solutio, quæ eius humilitati est adscribenda. Cùm enim de se agit inter ignominias, ac crucis pressuras, ibi se apertè nominat, *Tollat crucem suam, & sequatur me*, meam crucem ferentem: Cùm verò ad splendorem gloriæ vertit sermonem, *Venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis*: ibi variata loquendi methodo se abscondit, & occultat, cùm inter ignominias maximè se prodat, & manifestet.

Christus ignominias manifestat, occultat gloriam.

91. Secundò. Cùm distincte, ac speciatim commemorat obsequia sibi præstita, se apertè dicit, & nominat: *Vadat post me, sequatur me, perdiderit animam suam propter me.* Cùm verò ad remunerationem dirigitur sermo, se veluti abscondit, & per tertiam personam loquitur, *filius hominis venturus est in gloria Patris sui.* In obsequiis præstitis ipse se prodit, & exprimit, tanquam illis astrictum, & obligatum: at in recompensatione reddenda, tanquam de tertia alia persona agitur, vt maximè iusti, ac benemeriti nobilitentur, cum donentur præmio, non tanquam à persona illis obligata, sed veluti à recto iudice, ac rege, cum æquitate, ac iustitia persoluente. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum*, Ioan. 14. num. 23. Se obligarum dilectioni, ac obseruationi mandatorum declarat: remunerationem verò Patri, tanquam omnium supremo Regi, ac Domino adscribit. Sub dilectione autem Patris omnia comprehenduntur bona, vt notant Expositores, & ibi latius dicemus.

Christus in obsequiis sibi præstitis se declarat obligatum.

Ioan. 14.

92. Et dicitur *reddet*, non verò dabit, sed reddet, hoc est iterum dare. Appositè, cùm benemeritorum mercede agitur, sic loquitur: nam benemeritus per propriam actionem facit suum præmium. *Qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Rom. 4. n. 4. Cùm autem rex, vel iudex præmium confert, in illius possessionem eum introducit.

Iustus per meritum facit suum præmium.

Rom. 4.

93. Et dicitur, quod *reddet vnicuique*; non vni omnia confert, vt intendebat Diabolus, Matth. 4. num. 9. Sed vnicuique dat, ac per omnes distribuit bona sua, iuxta cuiuslibet meritum. Facta conuentione inter Iacob, & Laban, quòd oues, quæ nascerentur respersæ vario, & diuerso colore essent ipsius Iacob; hic industria sua vtens posuit in canalibus virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, quas ex parte decorticauit. Ex quo euenit, quòd oues concipientes, cùm intuerentur tam varium colorem, mira dispersos varietate edebant fœtus. Hoc tamen notat Scriptura. *Quando primo tempore ascendebant oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent: quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas*, Genes. 30. num. 41. Iacob alta Dei directione regebatur: Cur ergo sic disponitur, vt virgas diuersi coloris ante cóspectum ouium ponat in primo partu, nõ verò secundo? Mira prudentia cuncta dirigebantur. Ex perspectis ramis prouenichant oues in sortem Iacob, vel Laban: & sicut æquum erat, quòd Iacob aliquas haberet oues, ita iniquum, vt illi obuenirent omnes: aliter ergo res ordinabatur, vt Iacob suas obtineat oues, vtque etiam aliquæ relinquantur Laban. D. August. Quæstionibus in Genesim quæst. 93. *Qua cùm perperissent, non ponebat*

Omnia non sunt vni danda.

Matth. 4.

Genes. 30.

nobis: *quod intelligitur*, *cùm primum peperissent*, *vt iam non solere ponere intelligatur*, *cùm secundo parituræ essent*, *ne ipse auferret omnem fœtum*, *quod iniquum foret.*

Matth. 16. *n.* 28. Amen dico vobis: sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.

VERSIONES.

Vatablus. Sunt quidam hîc stantes.
Hebraicus. Qui non videbunt mortem.
Syriacus. Donec viderint filium hominis venientem in regnum suum.
Basilius Seleucus Orat. 43. Venientem in gloria Patris sui.

ALTER TEXTUS.

Marc. 8. *n.* 39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

Luca 9. *n.* 27. Dico autem vobis verè: sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

EXPOSITIO V.

94. Ambros. Gregor. Xpulinus.

DIVVS Ambros. lib. 6. in Lucam, & D. Gregorius homil. 32. in Euangelia; Ioannes Xiphilinus Orat. de Cruce, sic connectunt hæc verba cum præcedentibus, in quibus Dominus propriam abnegationem, & mortem subire mandauit, quasi nunc promissione futuræ gloriæ velit confirmare, ac allicere. Aptius tamen cum D. Hieronymo, & Paschasio lib. 8. in Matth. dices, Quod immediatè antea Dominus promisit Discipulis suorum laborum mercedem redditurum in die iudicij; & ne nimis longus videretur dies ille nouissimus, cùm pericula essent in promptu, ac imminentia, ideo eos fiducia erigit, quòd scilicet aliquibus ex illis breue post tempus, nimirum post sex dies futuræ suæ gloriæ specimen daturus sit.

Hieron. Paschas.

95. Lucas. Vltrà quòd non datur præmium.

Amen dico vobis. D. Lucas, quasi interpretans particulam Hebræam *Amen* scripsit, *Dico vobis verè.* Hæc iurandi forma interponitur, cùm de reddendis iustorum præmiis agitur; adeo enim rarum est inter homines, vt moraliter dicã, quòd cum æquitate præmia persoluantur, quod, vt credatur, iurandi methodo vtitur Dominus. *Sunt de hîc stantibus*, scilicet de his præsentibus, *qui non gustabunt mortem.* D. Ambrosius in cap. 9. Luc.

Ambros. Origenes.

Origenes tract. 3. in Matth. in morte animæ, hoc est de mortali peccato interpretantur, vt sit sensus. Sunt de hîc stantibus, qui non peccabunt mortaliter vsque ad Resurrectionis gloriam, sed vitam animæ conseruabant, etiamsi corpore morientur. Expositio procedit in sensu spirituali, & non in litterali, qui simpliciter est de morte corporea. Phrasis Scripturæ, *non gustabunt mortem*, id est non morientur, *Donec videant filium hominis venientem*, seu, vt explicat Euthymius, apparentem. *In regno suo*; hoc est in gloria sua, vt in gloria regni sui. D. Marcus scripsit, *donec videant regnum Dei veniens in virtute*, hoc est in virtute gloriæ; & maiestatis suæ. Quod etiam Lucas, *videant regnum Dei*, gloriam scilicet ipsius regni. Et ita omnes Euangelistæ eundem referunt sensum. Quod dictum est ad distinctionem regni Ecclesiæ militantis, in quo gloria illa nondum apparet. Euthym

QVÆSTIO XIV.

Quodnam sit regnum istud, in quo Christus à multis ex astantibus videndus est?

96. Gregor. Beda.

PRIMÒ D. Gregorius homil. 32. in Euangelia, Beda in Matth. interpretantur, regnum hoc esse Ecclesiam Christi militantem, quam auctam miraculorum, ac doctrinæ virtute multi ex iis, qui astabant, antequam morerentur, viderunt. Dicitur autem Christus in regno suo veniens, quia per Euangelicam prædicationem eius diuinitas, & maiestas mundo est declarata. Hæc expositio videtur potius mystica, quàm litteralis.

97. Damascen.

Secundò, sunt alij, & viri eruditione pleni, vt testatur D. Damascenus Orat. de Transfigurat. qui sententiam interpretantur de vltimò Iudicij tempore propter Ioannem Euangelistam, qui nõ gustauit mortem vsque ad Christi secundum aduentum. Hæc sententia falso nititur fundamento: nam Ioannes obiit, vt est communis sententia, suo loco dicam Ioan. 21. Etiam, hoc admisso, opinio illa nil probat, quia Ioannes cum Elia, & Enoch esset moriturus, antequam Christus veniret in gloria maiestatis suæ ad iudicandum. Ioan. 21.

98.

Tertiò Caietanus existimat, quòd Dominus promiserit, aliquos ex astantibus, omnes scilicet Apostolos, præter Iudã, qui modo cum aliis astabat, quando hæc Christus dicebat, visuros filium hominis venientem in regno suo post Resurrectionem. Tunc enim ipse regnare cœpit in Ecclesia, omni potestate accepta, in cœlo, & in terra.

99. Caietan. Hilar. Chrysost. Epiphan. Damascen. Leo. Hieron. Euthym. Theophyl. Glossa Interl. Alb. Mag. D Thom. Carthus. Lyranus. *Vera sententia.*

Multò tamen probabilior est sententia, quam tradunt communiter Patres D. Hilarius canon. in Matth. 17. D. Chrysost. homil. 257. Epiphanius hæresi 69. prope finem; Damascenus Orat. de Transfigur. Leo. serm. de Transfigurat. & in c. 16. Matth. D. Hieron. Euthym. Theophylact. Glossa Interlinealis, Albertus Magnus, D Thomas, Carthusianus, Lyranus, & alij communiter, qui omnes de gloria Transfigurationis sententiam exponunt. Sensus est, ac si dicat Christus: Dixi vobis, filium hominis venturum in gloria Patris sui. Huius gloriæ specimen vobis ostendam; sunt enim aliqui hîc astantium, videlicet Petrus, Iacobus, & Ioannes, qui, *Speculatores facti illius magnitudinis*, non gustabunt mortem, donec illius specimen videant in mea Transfiguratione. Tunc enim ipse ab eis est visus fulgens, ac irradians cœlesti planè, ac diuina claritate, stipatus comitatu Moysis, & Eliæ, *Et accipiens à Deo Patre honorem*

norem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria. Hic est filius meus dilectus 2. Petri 1.numer. 17. Et confirmatur, Quia valde notantur D. Matthæus, D. Marcus, D. Lucas, narrata hac historia, aduertunt dies, post quos Domini Transfiguratio in monte contingit, vt scilicet ostenderent Domini promissionem breuiter completam.

2.Petri 1.

QVÆSTIO XV.

Quare Christus Dominus ad explicandum diem obitus, vsus est phrasi, gustandi mortem?

100. Ad Hebr.2. Ioan.8.

GVSTARE mortem, Hebraismus est & idem valet, quod mori. Paulus ad Hebræos 2.n. 9.de Christo ait: *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Et Ioan.8. num.52. Desumpta videtur metaphora à calice venenoso, seu mortem continente, qui morituro, seu morti damnato porrigitur.

Paschas.

Secundò. D.Paschasius lib.8. in Matth. *Ea*, scilicet regna, *viderunt Apostoli, & perfecti quique, vt non dubitarent deinceps, pro his gustare mortem.* Expendenda sunt Christi verba, ait enim. quod *non gustabunt mortem, donec videant.* Ac si post visa cœlestia regna, post visam gloriam filii hominis, iam mors, quæ antea mortuo suo erat rigida, & aspera, suauis, ac leuis sit facta, vt tantùm gustu quodam attingatur, Vnde citatus Paulus, *Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.* Explicat ibi Benedictus Iustinianus, vt gustare mortem sit idem, ac ex ea lætitiam, vel gaudium percipere.

Gustare cœleste um dulcedine mors suauis.

Benedictus. Iustin.

101. Origen.

Tertiò Origenes homil. 3. in Matth. *Quæ autem videntur*, ait, *mihi in loco præsenti, sunt ista: Erant quidem stantes vbi stabat Iesus, fundatas habentes apud Christum anima bases. Isti ergo stabant ibidem apud Iesum, id est verbum Dei.* Perponderandum, de quibus Christus loquatur: *Sunt hic stantes.* Stantes cum sua præsentia adnectit. Qui enim firmi, ac stabiles erant cum Christo; *fundatas habentes apud Christum anima bases*, hi Christo associantur, ac eius diuino donantur intuitu, vt expulsa mortis formidine, illis non sit dura, & aspera, sed leuis, ac suauis.

Firmi, ac stantes fruuntur Dei præsentia.

103. Chrysost. *Stantibus mors suauis.*

Quartò D. Chrysostomus homil.10.in Matth. *Pulchre de his qui stant, dicitur: non gustabunt mortem. Qui enim stat, in eo quod stat, non gustat mortem.* Magnam promissionem facit Dominus in præsenti, quod mortis acerbitas in quendam veluti gustum verteretur, sed quibus? non sedentibus, ac iacentibus, sed stantibus. *Qui enim stat, in eo quod stat, non gustat mortem.* Qui enim stat expeditus, ac alacris in via virtutis omni bono, ac felicitate donatur, vt etiam in mortis angustiis quandam sentiat suauitatem, ac dulcedinem percipiat.

104. Deut.10.

Ait Moyses Israëli Deuteron.10.num.10. *Ego steti in monte sicut prius quadraginta diebus, ac noctibus: exaudiuitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.* Multa, & magna bona à Deo se accepisse commemorat. Quod scilicet oratio eius fuerit exaudita; & quod ipse iterum legem acceperit; Israëlique veniam impetrauerit, ac vt ipsum populum in promissam terram deduceret. Vt autem ipse tot, ac tantis beneficiis cumularetur, quid in se commemorat? *Ego steti in monte*: hic veluti meritum assignat, ad tot, ac tanta dona promerenda. Qui in virtute stat, multum sibi sollicitat de diuina largitate, multámque de ea sperare valet. Chrysostomus homil. citata. *Solus steterit Moyses*, inquit, *quadraginta diebus, & ideo meruit legem accipere. Stantibus datur, iacentibus non datur.*

Multum promereretur, qui stat in via virtutis.

Chrysost.

CAPVT VIII.

Transfiguratur Iesus.

*Matth.*17.*n.*1. Et post dies sex assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & duxit illos in montem excelsum seorsum.

VERSIONES.

Syriacus. Accepit Iesus Petrum, Iacobus, & Ioannem fratrem eius, & adduxit eos in montem excelsum solos.

Alij Codices. Assumpsit Iesus.

*D.Basil. Seleuc. Orat.*34. Adsumit tres discipulos Petrum, &c.

*D.Chrysost. homil.*57. Subducit illos in montem.

*Origen.hom.*3. *in Matth.* Ducit illos supra montem.

Arias. Duxit illos in montem priuatè.

ALTER TEXTVS.

Marci 9.*n.*2. Post dies sex assumit Petrum, Iacobum, & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum seorsum solos.

Luca 9.*n.*28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, & assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem, vt oraret.

EXPOSITIO I.

1.

POST *dies sex*, vt notat D.Matth.à promissione facta, & in fine superioris explicata: *sunt quidam de hic stantibus*, &c. nam, vt aduertit, D.Hilar.non tardat Dominus promissum soluere, sed illud adimplet, ostendens aliquibus eorum regnum suum, scilicet suam gloriam. D. Lucas scribit: *Factum est autem post hæc verba fere dies octo.* In hoc dierum numero nulla est discrepantia inter sacros Euangelistas, vt rectè docent D. Chrysostomus homil. 57. in Matth. D. Epiphanius hæresi 59. ad finem; D. Augustinus lib. 2. de consensu Euangel. cap. 56. & in præsenti D. Hieronymus, Theophylactus, Euthym.

Hieron. *Dominus festinat in promissis soluendis.*

Chrysost. Epiphan. August. Hieron. Theophyl.

Euthym. Paschas. *Cohært in historia D. Matthæum, & Lucam.*

Euthymius, D. Paschasius lib. 8. in Matth. Nam D. Matthæus, & Marcus numerat dies inter medios, prætermissis eo, in quo Christus prædixit visionem regi, & eo, in quo transfiguratus est; quos etiam Lucas cõputauit, & hac de causa narrat octo fere dies interfuisse. Apponit autem particulam minuentem, *ferè*, quia primus, & octauus non fuerunt dies integri: nam quando illa dixit Dominus, iam dies erat inceptus, & quando se transfiguravit, nondum finitur.

1. Chrysost.

Post illa verba, non statim se transfiguravit, sed transactis sex diebus; nam, vt ait D. Chrysostomus, si statim eos assumpsisset: cæteri turbarentur, veluti ex temporis continuatione coniecturantes, illos ea de causa assumptos, vt regnum Dei viderent: ac proinde, vt notat D. Thomas in fine cap. 16. Matth. aliqua inuidiæ ansa daretur. Secundò, vt docet D. Ambrosius in cap. 9. Luc. quod est desumptum ex Origene homil. 3. in Matth. Per sex dies factus est mundus Gen. 1. Innuitur ergo, quòd solum ille potest ascendere super montem excelsum, & gloriam aspicere verbi Dei, qui omnes mundi res firmus adhærens Christo, transcendit.

D. Thomas. Ambros. Origen. Genes. *Vt Deo fruaris, transcende mundialia.*

3. *Magnũ donum absque precibus.*

Assumit Iesus, sine dubio ex antecedentibus verbis in fine superioris cap *Sunt de hic stantibus.* accensi fuerunt Discipuli desiderio videndi regnum Dei, id est eius gloriam. Vnde suorum maiorum Apostolorum desiderio satisfaciens, absque precibus, eos adducit in montem suæ gloriæ, vt beneficij excellentia vndequaque clarescceret; & non præmisit eos, vt expectarent, sed secum adducit. *Assumit Iesum.* D. Antonius Vlyssipponensis in Domin. 2. Quadrag. *Non aliter*, inquit; *beatitudinis visio acquiritur, nisi Deo assumente.* Hoc verbũ *Assumit*, seu *Assumpsit*, vt habent alij Codices, videbitur alicui, quandam veluti vim denotare; nam magna Apostolorum modestia peculiares fauores recusabat. Sic Sponsa ad coronam ter vocatur, Cantic. 3. n. 8. & propriè hic assumi, vocare denotat, vt notat Abulens. Quod Apostoli prompta obẽdientia præstiterunt *Petrum* primum Apostolum; *Iacobum*, filium scilicet Zebedæi, *& Ioannem* Euangelistam *fratrem eius.* Non dicitur Andreas frater Petri, qui totius Ecclesiæ pastor extabat inauguratus, vt inde discceret, quòd ad fauores nemo eligatur respectu sanguinis, sed meritorum. *In montem excelsum*, scilicet Thabor, *seorsum*, seu *priuatè*, à præsentia scilicet hominum, ac aliorum Discipulorum.

Antonius Vlyss. *Iustus difficilis ad fauores.* Can. 3. Abulens. *Honores ne tribuendi sunt respectu sanguinis.*

4. Lucas. *Reuelationes non sunt quærendæ.*

Vt oraret, scilicet D. Lucas. Dum autem Christus de suo more ascendit cum tribus Discipulis, vt oraret, mysterium futuræ Transfigurationis occultatum est remanentibus Discipulis. Et enarrat Euangelista, quòd ascendit, non vt se transfiguraret, sed vt oraret. Quo docemur, futuras revelationes, ac splenderos gloriæ non esse à nobis quærendos, sed accipiendos, cùm Deus Pater ordinauerit, ac disposuerit.

QVÆSTIO I.

Quare tres discipulos, nec plures, nec pauciores eligit Christus ad montis Thaboris gloriam, non verò ad ignominias suæ passionis?

5. *Duplex quæstio.*

DVo inquirit præsens quæstio. Et primò: Cur hic tres eligantur? Secundò. Cur ad passionem nullus à Domino est assumptus in socium? Ad primam partem.

Respondet primò. D. Hilarius. Vt denotaretur, quod ex tribus filiis Noe, ac proinde ex origine omnium, ad visionem diuinæ claritatis aliqui vocandi essent. Secundò Rabanus. Vt fides Trinitatis per tres designaretur, sine qua nemo potest recipi ad Beatitudinem. Tertiò. Aliqui apud Abulensem qu. 11. dicunt, hoc esse ad ostendendum, quòd multi sunt vocati, pauci verò electi. Hæ rationes sunt valde mysticæ.

6. Hilar. Rabanus. *Fides Trinitatis ad salutem necessaria.* Abulens.

Quartò ratio litteralis est Tertulliani lib. 4. contra Marcion. & lib. de Præscriptione, D. Damasceni Orat. de Transfigurat. Quia in Deutoronomio cap. 9. num. 15. *In ore duorum, aut trium testium stabat omne verbum.* Quia ergo Apostoli post Resurrectionem reddituri erant testimoniũ de hac glorioſa Transfiguratione, vtpotè de re valde magna, ac excedente humanas vires, ac conditionem status huius vitæ, ideo expediens fuit, vt maximus testium numerus à lege datus adhiberetur, vt scilicet tres essent oculati testes.

7. Tertull. Damascen. Deuter. 19. *In magnis negotiis multi testes adhibendi.*

Secundò. Pars quæstionis inquirit: Cur hic ad glorias Thaboris assumit tres Discipuli, non verò ad Caluariæ ignominias? Ad quod pulchrè respondet D. Bernardus serm. 3. de Passione. *Ea hostia, sicut sola prodesse potuit, sic sola sufficit, neque Christum decuit simul alium Discipulum assumere, vt montem ascenderet passurus pro nobis, si. ut assumpsit, cùm se glorioſum exhibuit. Imò crucifixi sunt cum eo duo alij, sed duo alij nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, quod ex eis minus efficax sacrificium suppleretur.* Et D. Ambrosius exponens illa verba, Ioan. 18. n. 8. *Sinite hos abire.* In comment. Psalm. 61. sic ait: *Non quæro consortem passionis, qui ad salutem omnium adiutore non egeo.* Ad glorias admittit Christus Dominus socios, non verò ad mortem, ac passionem, vtpote rem valde maximam sui diuini amoris, in cuius negotio totum se ipse exhibere determinat.

8. Bernard. *Christi passio ad nostram salutem nõ egeo consortio.* Ambros. Ioan. 18.

Secundò. Christus Dominus glorias suis communicat; passiones verò, ac dolores sibi assumit. Loquens Isaias 63. n. 3. in persona Christi Domini de sua passione ait: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum.* Et tamen cùm ad suam Resurrectionem properat, *Multa corpora Sanctorum qui dormierunt, surrexerunt.* Matth. 27. n. 52. Tempestuosum passionis mare solus ingreditur in splendore verò Resurrectionis multis concomitatus exurgit. Conueniens rerum dispositio videbatur, vt qui solus passionis calicem biberat, solus & Resurrectionis diuitias degustaret. O altum, & diuinum ingenium! mortis angustias, ac oppressiones solus sibi retinet; ad suscitationis verò fulgores, multos secum socios admittit, vt eos tantæ opulentiæ participes efficiat. D. Paschasius lib. 12. in Matth. *Quamuis Christus vnus sit mortuus*, inquit, *& solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum pluribus, vt primum testes haberet Resurrectionis: deinde ipse vna cum multis, vt spem refunderet de fratribus.*

8. Isaiæ 63. Matth. 27. *Christus sibi fidi retinet dolores, nobis vero cõmunicat glorias.* Paschas.

10.

Celebris illa Rebecca filium Iacob ad paternã benedictionem assequendam exhortebatur. Cum autem ille pro benedictione maledictionem timeret, ei mater respondet, *In me sit ista maledictio, fili mi.* Genes. 27. n. 13. Græcus, *Super me sit ista execratio.* Benedictio præparabatur filio: cur ipsa maledictionis discrimen subire non dubitat? Æqua lancea est, vt qui sentit commodum, sentiat & onus: si benedictionis commodum Iacob

Genes 27. Græcus.

disponi

disponitur, cur & ipse solus maledictionis oneri non subiicietur? Rebecca in hoc negotio diuino nutu, vt ait D.Ambrosius, regebatur, de cuius afflatu hauserat, vt Iacob vellet benedictionis dulcedinem, sibi verò maledictionis acerbum, & asperum non detractaret. D.Isid.Pelus. lib. 2. epistol. 58. *Rebecca apostolica*, inquit, *vt sic loquar, animi magnitudine predita, imprecationem suscipere minimè dubitauit, vt ipsius filius benedictionem consequeretur. Atque bonis quidem ipsi cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat.* Vide tom. 1. lib. 2. c. 10. quæst. 16. num. 52. & tom. 3. cap. 26. quæst. 3. num. 22. 23. & 24.

Vir apostolicus alijs vult benedictiones; sibi vero maledictiones. Ambros. Pelusiota.

QVÆSTIO II.

Quare ex omnibus Apostolis hos tres potiùs eligit Dominus quàm alios?

II. *Beneficium, aliis denegatum, magnum.*

EXIMIVM beneficium videndi Transfigurationis glorias Christus Dominus hic tribus Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanni concessit quod aliis est denegatum, qui ad montis radicem relicti sunt; inter quos relictus est etiam D.Matth. cuius admirabilis virtus nitet, quia nomina eorum, qui sibi prælati sunt, non tacuit, sed apertè expressit. Quòd notauit Euthym. *Vide quomodo Matthæus non occultauit illos, qui sibi præpositi sunt. Hoc autem & Ioannes plerisque in locis facit, præcipuè Petri encomia libenter describens Apostolorum namque chorus expers erat inuidiæ.* Ad quæstionem

Euthym.

12. Chrysost. *Prælarior est meritis*

Respondet primò D.Chrysostomus homil. 57. in Matth. *Quamobrem hos solos accepit, quia excellentiores cæteris erant*, in meritis, ac virtute scilicet; quod ex multis excellentiis, ac priuilegiis quibus cæteris anteibant, coniecturari potest: nam Petrus cæteris erat ardentior, ac feruentior in amore, vt ait D. Hieronymus, & ideo cæteris præcessit, diuinitatem Christi confitendo Matth. 16. num. 16. indéque moras non sustinens, natando venit ad Christum in mari, vt citius ad illum perueniret Ioan. 21. num. 7. cùm alij nauigio venerint; ac proinde dominici gregis est ei data cura. *Pasce oues meas.* Ioannes cæteros priuilegio excessit: quia Christus in cruce matrem suam ei commendauit, dicens eum filium Virginis Ioan 19. num. 26. Deinde Christus eum summe dilexerat, vnde per excellentiam dicitur Discipulus, quem diligebat Iesus; priuilegioque virginitatis inter cæteros resplendebat, de aliorum enim Apostolorum virginitate ante vocationem aperte non constat, vt notat Abulensis quæst. 12. Iacobus vero excessit cæteros priuilegio martyrij. Ipse enim ante omnes martyrio laureatus est, Act. 12. n. 2. D.Thomas ait, Iacobus assumptus est, quia præcipuus debellator erat aduersariorum fidei. Vnde in magnum obsequium Iudæorum Herodes eum occidit, Theophylus. *Assumit tres*, inquit, *verticem Apostolorum, Petrum tanquam confitentem, & diligentem, Ioannem tanquam dilectum, Iacobum tanquã Alcimotion, & Theologum.* Hosque tres semper ad magna adhibuit: Cùm puellam suscitat Marc. 5. n. 37. Quandóque in Horto agonem cum horrore mortis iniit Matth. 26. n. 37. Indéque, quando Apostolos creauit, his tribus noua nomina imposuit Marc.; n. 6. & 7.

Ioan. 21.

Ioan. 19.

Abulens.

Act. 12. D.Thom.

Theophyl.

Marc. 5. Matth. 26.

Marc. 3.

13. Theophyl

Secundò. Theophylactus in c. 9. Luc. *Assumpsit*, ait, *hos tres solos, velut magis taciturnos, & silere valentes.* Quod etiam docet Abulensis q. 12. Disponebat Dominus, rem istam occultam manere vsque ad suam Resurrectionem? subiecit enim postea, vt patet in littera; *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Debuerunt ergo assumi illi, qui magis capaces essent ad secretum retinendum. Cuius maxime obseruatores ob suam magnanimitatem hi tres Apostoli extabant, sicque secretum commendatum minime diuulgauerunt.

Abulens.

Magnanimitas Sancta est vir secreti capax.

14. Paschas.

Tertiò. D.Paschasius lib. 8. in Matth. *Eligitur Petrus*, inquit, *quoniam ipse prior claues regni cælorum accepit. Deinde est Ioannes, cui Virgo Mater committitur ob priuilegium Virginitatis. Iacobus quoque, qui primus ex collegio Apostolorum solium sacerdotale, proprio purpuratus sanguine, dealbatus in Christo, victor ascendit.* Quid resplendet in his tribus Apostolis, quo sic placuerunt diuinæ Maiestati, vt eos cæteris anteponeret? Quisquis enim illorum primaria quadam præeminentia, ac virtute efflorebat. Petrus Christus diuinitatē est confessus, primusque Pontificiæ dignitatis claues accepit. Iacobus primus Apostolicam togam sanguine purpurauit, Protomartyrque inter Apostolos inuenitur. Ioannes verò inter Christi Discipulos Virginitatem insigniter amauit. Vnde dicit Chrysostomus homil. 7. in Marcum; de hac re agens: *Eligitur Ioannes, qui virginitatis est exordium.* Cùm ergo hi tres Apostoli in diuersis ordinibus primaria quadam virtute excellerent, inde speciali priuilegio, ac maioribus fauoribus à Christo honorantur, & inuenti sunt digni, qui tanquam magis familiares, ac clariores, in maioribus semper adhæreant.

Primi in virtute, magno præmio remunerantur. Chrysost.

15. Paschas.

Quartò. Idem Paschasius. *Quare Petrus, & Iacobus, & Ioannes in quibusdam Euangeliorum locis sequestrantur à cæteris? Res in aperto est, Firmitas virtutum compensatur, quoniam ipsi sunt, qui videbantur columnæ immobiles, de quibus dixerat, Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Matth. 16. num. 28. vbi sermo est de gloria Transfigurationis, vt explicaui superiori c. quæst. 13. Cuius visionem Dominus promittit stantibus, hoc est firmis, ac persistentibus in fide. Hi tres Apostoli in hac constantia fidei veluti immobiles columnæ perstiterunt: nam Petrus fuit firmissima petra, super quam tota Ecclesia fundatur. Iacobus, & Ioannes ita fuerunt stabiles, vt cùm primò ad Christum venirent, statim pro ei adhærendo omnia mortis tormenta conculcarint: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt, possumus.* Matth. 20. num. 22. Sicque pro sequendo Christum omnia abiiciunt, vt notat ipse Paschasius. *Statim relictis retibus, & patre secuti sunt eum* Matthæi 4. num. 12. Ita protinus firmati sunt in Christo, vt nullo mortis metu, nulloque affectu carnis, & sanguinis, ac temporalium, à Christo diuelli possent, Meritò ergo tam stabilis firmitas peculiaribus fauoribus cumulatur.

Matth 16.

Firmi, ac constantes maximè venerandi.

Matt. 20.

16. Anton. Vlyss.

Quintò. D. Antonius Vlyssipponensis serm. in Domin. 2. Quadragesi. *Quare isti determinate? Respondetur, quod specialiter ad designandum, quòd non nisi per soliditatem fidei, & est in Petro, longanimitatem spei, qua erat in Iacobo, & feruorem charitatis, qua erat in Ioanne, ad diuinam visionem peruenire potest.* Ratio est mystica. Tres Theologicæ virtutes in illis tribus denotantur, fides in Petro; spes in Iacob, qui relictis retibus, & Patre secutus est Dominum. Charitas significabatur in Ioanne,

Per virtutes Theologicas designatur in Beatitudine.

Ioanne, in qua præclarè eminebat. Vt inde instrueremur, quod his virtutibus ad Dei visionem
Alb. Magn. peruenitur. Sextò. Albertus Magnus dicit, quòd *Petrus prælatos, Iacobus actiuos, Ioannes contemplatiuos significat.* Deus enim ex omnibus ordinibus assumit, ac eligit ad gloriam.

17. Ambros. Septimò. D. Ambrosius in c. 9. Luc. *Petrus ascendit, qui claues regni cælorum accepit; Ioannes verò, cui committitur Mater; Iacobus, qui primus solium sacerdotale conscendit.* Assumitur Petrus, vt beatam gloriam videat, qui potestatem dimittendi peccata, quæ nos à superna felicitate priuant, est accepturus, vt à magnitudine gloriæ turpitudinem peccatorum perpendat, ac æstimet. Eligitur Iacobus, *qui primus solium sacerdotale conscendit*, quod etiam habet Glossa Interlinealis, & D. Augustinus in expositione Epistolæ ad Galat. cap. 2. At valdè perspicuum est, Ierosolymorum Episcopum fuisse Iacobum minorem. Hic autem, qui Transfigurationi interfuit, Iacobus est maior, Ioannis frater, vt testatur D. Matthæus. Sensum tamen D. Ambrosij prosequamur, *Qui primus solium sacerdotale conscendit* Vt ex ipsa manifestata gloria instruatur, quanta sit sacerdotalis dignitas, quantáque puritas exigatur, vt Eucharistiæ sacramentum, in quo adest corpus Christi conficiatur, cùm scilicet eum, in quem oculi nostri non potuerunt intendere, sacerdos manibus tractet, oréque suo sumat.

Interlin. August. *A beatitudine distat tàm quàm sacerdotes sacerdotalis.*

18. *Ioannes verò, cui committitur mater.* Disponebatur Ioannes, vt eius curæ Virgo Mater committeretur, & vt cum ea familiariter tanquam filius degeret, vtque de illa multa, & magna in sua Apocalypsi scriberet. Eligitur ergo ipse ad Transfigurationis gloriam, vt à beata maiestate, ac splendida gloria filij instruatur, quanta sit Mariæ celsitudo, quantáque cum reuerentia, ac cultu ipsa cœli Domina, ac Regina Angelorum debeat tractari, ac agi; quod solum à visa filij maiestate potest cognosci, ac deprehendi.

Celsitudo Mariæ à gloria filij dignoscitur

19. Prou. 31. De muliere forti ait Sapiens. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Prouerb. 31. num. 10. Per quam mulierem fortem B. Virginem interpretantur D. Bernard. serm. 9. inter paruos. *Adeo fortis fuit*, inquit, *vt illius serpentis caput contereret, cui à Domino dictum est. Ipsa conteret caput tuum.* Illud verò præcipuè ad nostrum scopum ponderandum, quod dicitur, *Procul, & de vltimis finibus pretium eius.* Cur non dicitur, quòd eius æstimatio, ac pretium sit maximum, & excellens super totum Orbem, supráque omnem humanam, & angelicam creaturam? Ad quid astruitur quòd *de vltimis finibus* sit sumendum? Vnaquæque res finem habet finem proximum, & immediatum: at Deus est omnium vltimus finis, sic enim de se
Bernard. Apocal. 22. ipse dicit: *Ego sum Alpha, & Omega.* Apocal. 22. num 13. Quod latè ad 1. 2. ostendunt Theologi. Tam præcellens, ac eximia est æstimatio, ac pretium Mariæ, vt nec à Terra, nec à cœlo, nec ab vniuersis hominibus, ac Angelis simul sumptis, nec ab omni dono gratiæ, & gloriæ perponderandum, ac sumendum sit, sed solùm ab ipso vltimo fine, ab ipsoque Deo vero, qui amplissima eam manu locupletauit, vtpote Matrem suam. Fauet D. Bernard. serm. 2. super *Missus est.* sic loquens. *Procul, & de vltimis finibus pretium eius. Hoc est, non vile, non paruum, non mediocre, non denique de terra, sed de cælo: non de cælo proximo terris pretium fortis huius mulieris, scilicet Mariæ, sed à summo Cælo.*

Ex solo Deo Mariæ celsitudo potest intelligi & explicari.

Bernard.

Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan. Habacuc. 3. num. 3. Septuaginta. *& sanctus de monte umbroso, & condenso.* Montem hunc vmbrosum interpretantur, esse B. Virginem, D. Athanasius q. 117. *Et sanctus de monte opaco, & denso*, inquit: *mons autem ibi dicitur Virgo Maria.* Eundem sensum sequuntur Euthymius, Theophylactus, Rupertus, & Agellius. Statim tamen insurgit difficultas. Quia ipsa Virgo, iuxta multorum sententiam, est illa mulier, quæ apparuit in Apocalypsi 12. num. 1. *Amicta Sole*, seu, vt habet Arabicus, *Indutta Sole.* Qui Sol, verus Sol iustitiæ Christus Deus noster existimatur à D. Bernardo serm. de verbis Apocal. *Vestu eum*, inquit, *& vestiris ab eo. Vestu eum substantia carnis; & vestit ille te gloria sua maiestatis. Vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.* Si Virgo Maria est mons vmbrosus, opacus, & condensus, quomodo ipsa deserbitur induta radiis, ac lumine Solis; lux enim omnem condensitatem, ac opacitatem depellit, & excludit. O ingens Mariæ excellentia! Mons est vmbrosus, tot, ac tantis virtutibus, & donis supernaturalibus vt à nullo nostro intellectu per medium creatum valeat perspici, ac deprehendi. Vestitur tamen Sole iustitiæ, hic enim ingens mons tantummodo potest lumine, ac luce diuinitatis discooperiri, manifestari, ac inueniri. Lumine Diuinitatis Marianus splendor cognoscitur, ac propalatur.

20. Habac. 3. Septuagint. Athanas. Euthym. Theophyl. Rupert. Agellius. Apocal. 12. Arabic. Bernard. *Maria solum ex radiis Diuinitatis potest cognosci.*

QVÆSTIO III.

Quare non omnes Apostoli assumuntur ad hanc Transfigurationis gloriam?

21. QVÆSTIO hæc satis resoluta manet ex 1. & 2. quæst. Tamen pro maiori claritate, ac multis documentis ad mores singillatim eam discutiamus. In qua re Abulens. q. 8. existimat, quòd cùm adesse mysterio Transfigurationis, esset res altissima, vtpote degustare primordia quædam futuræ beatitudinis; ad hoc autem non erant omnes Apostoli dispositi: ideo eos solos, qui magis dispositi erant, assumpsit Christus. Ac si dicat, quòd quamuis omnes essent amici, ac familiares, illi tamen, qui meritis digni inueniebantur, assumuntur. Nec potest dici, ait Abulensis, quòd propter Iudam, non omnes sunt electi: nam, inquit ille, quòd, cùm Iudas esset dispensator, mitti poterat ad emenda necessaria; & quod quando occupatus in suo officio esset absens, tunc mysterium Transfigurationis coram omnibus fieri poterat. Abulens.

22. Damasc. Petrus Blesc. Beda. Dicendum est cum D. Damasceno serm. de Transfig. & Petro Blesensi tract. de eodem; Beda, & aliis, quòd omnes Apostoli, excepto Iuda, erant valdè apti, & dispositi ad gloriæ arcanum videndum: tamen ob Iudam non omnes sunt admissi. Nec id, quod Abulensis subiicit, vrget: nam ad Transfigurationem præcessit multa orationis præparatio, ad quam breuis absentia Iudæ non erat spatium conueniens. Deinde quia si ipse solus non adesset, aliquid sinistrum de eo suspicari posset.

23. Damasc. Secundò. D. Damascenus Orat. de Transfigur. *Quidnam causa est*, ait, *quamobrem quidam duntaxat*

non omnes parem gratiam consecuti sint ? An non omnes Discipuli, & Apostoli ? An non Dominus à personarum acceptione alienus est ? Omnes quidem Discipuli, at non omnes auaritiæ morbo cæcutientes. Omnes quidem Discipuli, at non omnes pra inuidiæ lippitudine oculorũ perspicacia priuati. Omnes Discipuli, at non omnes proditores. Tanquam si dicat, quòd omnes quidem digni erant, vt ad hoc magnum mysterium assumerentur: cùm tamen inter eos Iudas existeret, qui auaritiæ morbo, ac inuidiæ lippitudine, vel proditoris scelere deturpatus esset, minimè poterat in re visionis interesse: Nam quodlibet ex his, auaritia nempe, vel inuidia, seu proditoris nefas, oculos obturat, visum deperdit, ne quid cœleste perspici queat. D. Chrysost. serm. contra Gulam. *Agendi*, inquit, *cupidissima tenuientia hominem planè in res huiusmodi impingit, occludit aures, excæcat oculos, meniem multa caligine obtenebrat.*

Auaritia, inuidia, & proditoris nefas excæcant ne cœlestia videantur.

Chrysost.

24. Damasc.

Tertiò. Pergit idem Damascenus citato loco. *Omnes Christi amore præduti; at vnus pecuniæ studio flagrans, Iudas, inquam, Iscariotes. Vnus hic duntaxat, indignus erat, qui diuinitatem spectaret. Tollatur, inquit, impius, vt non videat gloriam Dei. Oportebat autem, omnes gloriæ spectatores fieri, qui cruciatuum postea futuri erant. Idcircò Apostolorum principes suæ gloriæ, & claritatis testes adsciscit: tres porrò numero, vt venerandum Trinitatis mysterium subindicaret. Ad hunc modum quidem proditoris crimen occludit; Apostolis autem suam diuinitatem patefacit.* Apostoli, laborum Christi participes, valdè digni, qui & tanti mysterij fierent consortes: sed ne malitia proditoris declaretur, multi cum eo remanebant. Iudæ pectus æstuabat pecuniæ cupiditate, quæ est radix omnium malorum: *At vnus pecuniæ studio flagrans*: & tanti mali pondere prælius apicem montis ascendere non valebat si aurem solus remaneret, criminis nota esset onustus, eiusque scelus declaratum. Tunc Diuinus Magister nouem reliquit, volens potius gratiam optimis Discipulis denegare, quàm vnius nefas publicari.

Cupiditas pecuniæ impedit incœlu conscendere.

Aliorum defectu occultandi.

25. Damasc.

Quartò. Idem Damascenus sic vlterius disserit. *Si solus ergo Iudas esset omissus, tanquam inuidus, ad maiorem esset malitiam prouocatus. Proinde proditori tollit proditionis occasionem, cùm dimisit inferius reliquam Apostolorum turbam.* Si relicto vno Iuda, reliqui Apostoli ad Thaboris gloriam ducerentur; ex tali casu, & omissione iam vulgata esset indignitas, ac malitia Iudæ, hæcque publicata nota aliqualis illi esset occasio tradendi suum Magistrum: nam qui se iam infamatũ videt, honorémque suum in aliorum opinione deturpatũ agnoscit, nullum est nefas, nullúmque facinus, quod timeat, aut pudeat perpetrare. *Proinde proditori tollit occasionem*, &c. Relictis ergo aliis occulteretur malitia Iudæ, eiúsque honor seruetur illæsus, ne ex publicata contumelia in ingentem instigetur prodendi Christum temeritatem.

Publicata infamia ad scelerum temeritatem instigat.

26. Proculus.

Quintò. D. Proculus serm. de Transfigur. *Cùm Iudas*, ait, *qui ipsum erat proditurus, indignus esset, qui diuinum hoc spectaculum, & tremendam visionem spectaret. Hac de causa ipsum, & reliquum Apostolorum chorum infra reliquit, vt hac ratione illi, tanquam non-soli relicto, omnem in posterum excusationis prætextum eriperet.* Omittuntur alij cum Iuda, ne ipse solus minus honoratus, ac muneratus appareret: nam si omnes essent admissi, & Iudas se videret solum omissum, ac despectum, aliquam excusationis causam in suo delicto fingere posset, quod scilicet talia moliebatur in Magistrum, eum despicientem. Vt ergo talis iniqua excusatio amputetur, alij simul cum Iuda relinquantur. *Vt hac ratione illo tanquam non soli relicto, omnem in posterum excusationis prætextum eriperet.* Aliqualis prætenditur in crimine excusatio, cum se quis videt à domino suo despectum.

Despectu homo vltra crimina aggreditur.

27.

Propter pecuniã nullus admittitur ad Dei regnũ.

Sextò. Relinquuntur nouem Apostoli, nam cùm Iudas esset indignus, qui tanto mysterio interesset, simul cum eo & alij Discipuli remanent ad montis radicem. Sed cur Iudas non admittitur? Habebat ipse marsupium, ac pecuniam; & ex hac causa forsitan recogitaret aliquis, quod quamuis Iudas esset indignus, tamen ad tantum rerum spectaculum admittebatur. Omittatur ergo ipse; in hoc enim cœlesti choro ex meritis, & non ex auro, vel argento quis sibi obtinet locum, vt contingit apud principum aulas, & palatia. Multa aurea dona dedit Eleazar Rebeccæ, *Cúmque Laban vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ, dixit ad eum: Ingredere, Benedicte Domini, cur foris stas.* Genes. 24. n. 30. Oleaster. *Parant munera hospitium.*

Genes. 24.

Oleaster.

28.

Dominationis est multos habere subditos, paucis magna committere.

Septimò. Duodecim sunt Discipuli: tres eliguntur, & nouem relinquuntur. Magni principis, ac Magistri est, multos habere subditos, & discipulos: magnæ etiam prudentiæ est, summa, & alta negotia paucis, & prælectis committere. Innumera Angelorum millia assistunt ei: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei* Daniel. 7. n. 10. Et tamen ad suprema, & alta negotia, tres tantum, scilicet Raphaëlem, Gabrielem, ac Michaëlem in Scriptura legimus esse missos. Vide infra c. 24. q. 8.

Daniel. 7.

29.

Inimicus nulla euidentia mitigatur, ac odium deponit.

Octauò. Ad has Thaboris glorias, in quibus Christus Dominus suæ diuinitatis apertum testimonium exhibebat, cur Pharisæos non adduxit, vt re tam euidenti odium deponerent, eumque, vtpote Deum verum, venerarentur? Ad quid solum tres intimi amici eliguntur? O magnum diuini Magistri documentum! Vt certò instruamur, ne multum solliciti simus, vt in inimicorum conspectu magnalia nostra propalemus, ac manifestemus; tantum enim abest, vt tali euidenti aspectu emolescant, ac mitigentur, quod potius in suo odio magis firmantur, ac obdurescunt. Persoluantur ergo huiusmodi rationes, ac ostentationes nostræ magnificentiæ coram amicis, qui bono affectu illas vident, & considerant, ac maximè de suorum amicorum consortio, ac familiaritate lætantur. Moyses ad eius glorias in monte intuendas non adduxit secum fratrem suum Aaron, qui obmurmuraverat, sed suum ministrum Iosue, qui valdè familiariter, ac intimè eum diligebat. Exod. 24. num. 13.

Exod. 24.

30.

Cùm meus Iesus in cruce penderet, multis, ac manifestis signis Æternus Pater declaranit, ac manifestanit, ipsum esse filium suum Vnigenitum, ac consubstantialem. *Sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram. Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt* Matth. 27. n. 51. Et Centurio clamat: *Verè filius Dei erat iste.* At his visis perfidi Iudæi conueniunt ad Pilatum *Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit* Matth. 27. n. 63. seu, vt est in Græco, & legit D. Augustin. hom. 36. inter Quinquaginta, *Impostor*: Nunc seductorem, seu impositorem dicunt, quod erat quid *probrosissimum*, vt ait Chrysost.

Matth. 27.

Græcus.

Augustin.

Chrysost. Chrysost. homil. 90. in Matth. & quo conuicio antea tam apertè nunquam vsi fuerant. Tantum abfuit, quòd apertis Diuinitatis declarationibus, quæ exhibitiæ sunt, eorum odium mitescceret, & multò durius, ac obstinatius factum nouas contumelias machinetur, nouáque aduersus Dominum Iesum iaculetur opprobria. At Centurio, qui iam ex Dei gratia illuminatus erat, ac amicus, clamat: *Vere hic homo filius Dei erat*

Odium nulla euidentia mitescit.

31. Cùm accepisset Iezabel, quòd Parens meus Elias gladio occidisset prophetas Baal; per nuntium mandat ei dicere. *Hac mihi faciant Dij, & hac addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis* 3. Reg. 19. n. 2. Ad quem locum ait Abulens. q. 2. quod mulier sic est locuta, quia sibi persuasit, quòd Elias non posset fugere à facie eius. Sed ex hoc suboritur magna quæstio: Quomodo hæc mulier potuerit in similem cogitationem venire; nam multis, & miris signis potestas Eliæ erat declarata, & euidēs? Ipse enim clausit cœlum per tres annos, & dimidium; ad eiúsque verbum reseratum est, & dedit pluuiam. Ipse primus omnium mortuum suscitauit. Ad eius orationem ignis super sacrificium è cælo descendit. Sicque Spiritus Dominus eum rapuit, vt missis multis exploratoribus Achab in omnem terram, nunquam potuerit Elias reperiri. Sic etiam, cùm ei factus fuisset obuiam Abdias, cadens in faciem suam, eum veneratus, dixit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quo non miserit dominus meus, te requirens, & respondentibus cunctis, non est hic* 3. Reg. 18. n. 10. Et tamen mulier ait, quòd hac hora cras eum tenebit. Perpondera differentiam inter Iezabel, & Abdiam. Iezabel incredibili odio erat affecta in magnum Eliam. Indéque factum est, quod agnita eius potestate in cœlo, ac in terra, dominationéque in mortē, & magno impulsu, quo à spiritu Domini rapiebatur, minime eius odium quiesceret, ac sedaretur, sed inde magis obstinata audacter pollicetur, quòd eum, quem rex per tres annos, & dimidium non valuit reperiri, ipsa intra spatium viginti quatuor horarum sit capturа, vt eum morti tradat. At Abdias, vtpote Dei seruus, ac multum ei familiaris, ac tanta eius potestate inducitur, vt Eliam magnopere reuereatur, ac amplo cultu prosequatur, in eoque impulsum diuini Spiritus recognoscat.

3. Reg. 19. Abulens.

3. Reg. 18.

Odium nulla re quiescit.

QVÆSTIO VI.

Quare Transfiguratio facta est in monte excelso, & seorsum; & quisnam sit iste mons?

32. *Mons Thabor Diffus.* Cyrillus. Lippoman. Damasc. Procul. Beda.

NVLLVS sacrorum Euangelistarū, quisnā esset iste mons, exprimit. Cōmunis, & recepta Patrum sententia est, quòd fuerit Thabor. Ita D. Cyrillus Ierosolymitanus. Catech. 12. D. Hieron. Epist. ad Eustochium; D. Damascenus, & D. Proculus serm. de Transfigur. Beda de locis sanctis; & communiter Recētiores. Hocque confirmat communis frequentia peregrinorum religiosè Thabor visitantiū, vt Caluarium, ac Bethleem. De quo meminit D. Hier. Epist. 27. Sicque, iuxta Damasc. explicatur illud Psal. 88. n. 13. *Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Thabor exultauit in Transfiguratione; Hermon in Baptismo. Nec obstat, quod obiicit Lucas Burg.

Psalm. 88.

Burgens.

Nam Marc. 9. n. 30. post narratam Transfigurationem refert Christi transitum in Galilæam, in qua est mons Thabor; nam sæpè illud faciunt Euangelistæ per anticipationem.

Marc 9.

33. *Cur Thabor? Etymologia. Hieronym. Pagninus.*

Thabor electus à Christi Domino ad hoc mysterium? tum ex suo nomine; tum etiam ex situ, ac item ex natura sua. Ex nomine, nam Thabor, iuxta Hieronym. in c. 5. Oseæ, id est *Lumen viuens.* Ibi apparet Christus in lum ne suæ gloriæ. Pagninus ex Hebræo ait? Thabor, in est thalamus cisternæ, & sepulchri. Ibi enim locuti sunt Moyses, & Elias de excessu, hoc est de morte, ac sepultura Christi: hac enim via Christus tendit in gloriam, & in cœlum. Alij ex Hebræo: Thabor, id est thalamus puritatis: quia per puritatē ascenditur ad gloriā. Montis situs iuxta Capharnaum, vbi Christus frequenter prædicabat. Gloriam Transfigurationis suam prædicationem voluit confirmare. Montis natura describitur à Beda tract. de locis sanctis c. 18. Mons Thabor, ait, in medio Galilææ campo, à Genesareth tribus millibus passuum ad Boream distat; ex omni parte rotundus, & æqualiter assurgens, herbosus, floribus, & valdè amœnus. Vnde speciem habet paradisi.

Beda.

34.

Nostra quæstio principaliter inquirit: Cur Transfiguratio facta sit à Christo Domino in monte? Ratio prima huius rei desumitur ex D. Luca dicente: *Ascendit in montem, vt oraret.* Vt ibi ait Toletus, in c. 9. Luc. finis proximus ascensus in montem fuit, vt oraret; vltimus tamen, ac præcipuus, vt Transfigurationis mysterium manifestaretur. Ad orandum ascendit montem excelsum seorsum; nam huiusmodi locus sequestratus aptissimus ad orandum, ac contemplandum, vt notat D. Chrysost. hom. 41. in Ioan.

Toletus.

Locus remotus aptus ad orandum.

Chrysost.

53. Remig.

Secundò D. Remigius in cap. 17. Matth. sic inquit. *Quia necesse est omnibus, qui Deum contemplare desiderant, vt non in infimis voluptatibus iaceant, sed amore supernorum semper ad cœlestia eriganter, & vt ostendat Discipulis suis, quatenus gloriam diuinæ claritatis, non in huius sæculi profundo, quærant, sed in cœlestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsum, quia sancti viri toto animo, & fidei intentione separati sunt à malis, funditúsque separabuntur in futuro.* In montem excelsum ducit, vt mons sua celsitudine exprimat sublimitatem, patriæ cœlestis: seorsum tendit, vt manifestetur, quòd ad percipiendum cœlestis gloriæ fructum necesse est, terrena dimittere, & in excelsis contemplatione inhabitare. Ita Beda, & Haymon. De Moyse refertur Exod. 33. n. 7. quod. *Tollens tabernaculum tetendit extra castra procul, vocauitque nomen loci illius tabernaculum fœderis.* Res mira, quòd, cùm Moyses amplissimum populum regeret, non in medio populi suum collocat tabernaculum, vt solent iudices; nec solum extra castra, sed etiam procul, ac valdè distantes. Ratio innuitur eodem cap. versu 11. vbi dicitur, quòd Deus loquebatur ad Moysem sicut *solet homo loqui ad amicum suum.* Vt ergo Dei colloquio, ac diuina dulcedine frueretur Moyses, elegit sedem extra, & procul populum. D. Ambrosius Epist. 82. ad Vercellensem Ecclesiam *Moysi*, ait, *solus, qui Deum videbat, extra castra habebat tabernaculum, quando loquebatur cum Deo*

Vt degustet cœlestia, dimitte terrena.

Beda. Haymon. Exod. 33.

Ambros.

Tertiò Theophylactus. *In montem excelsum seorsum. Solitus enim,* inquit, *est Christus, clariora miracula in occulto facere: ne si apud multitudinem, vt Deus conspiceretur, homo secundum apparentiam*

36. Theoph.

reputaretur. Ad ſuam Transfiguratione in ſemotum locum tendit Chriſtus; ſic excellentiora miracula operabatur. Ita æſtimabat, ſe eſſe hominẽ. eſſéque verum Virginis filium, vt, ne à multitudine Deus verus tantum reputaretur, & homo; non verus, ſed ſolum ſecundum apparentiã, ideo maiora ipſa abſconderet miracula, ne quis minus quam par erat, de eius humanitate ſentiret.

Chriſtum multi æſtimabat, eſſe hominem, & filium Virginis.

37. Quartò D. Damaſcenus Orat. de Transfigurat. *Quid autem eſt, ait, cur Diſcipulos in montem excelſum ſeducat? Montes figurato ſenſu virtutes Scriptura nominat. Omnium porrò virtutum apex, ac veluti dux quidam, eſt Charitas. Et qui ad ſummam Charitatis verticem peruenit, quodammodo à ſe excedens, cum, qui cerni non poteſt, perſpicit, atque in anima veritate conſtituta, in iuſtitiæ Solem liquidius oculos defigit, tametſi non prorſus huiuſmodi ſpectaculo expleri queat.* In montem excelſum ducit Dominus ſuos Diſcipulos, vt Transfigurationis gloriam videant. Mons ille excelſus charitatem adumbrat, quæ excelſior eſt ſuper cæteros montes, cæteras nẽpe virtutes. Vt denotetur, quod ad Deum intuendum, neceſſarium eſt, vt homo in perfecta Charitate exiſtat. Charitas enim non qualibet Dei cognitione conquieſcit, ſed ſemper ad claram, & intuitiuam tendit. Ait Moyſes ad Deum: *Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciẽ tuam.* Exod. 33. n. 13. De Moyſe dicitur ibidem n. 11. quod *loquebatur ad Dominũ facie ad faciem, ſicut homo ſolet loqui ad amicum ſuum.* Cur tam familiari colloquio non conquieſcit Moyſes? Cur tam amicabili conuerſatione per quadraginta dies, & noctes in monte non ſatisfit? In Moyſis pectore æſtuabat Charitas; & ideo nulla cognitione ſatiabatur, ſed ſemper ad claram impellebatur. Theodoretus q. 68. *Moyſes*, inquit, *veluti amore quodam probo inebriatus, rogauit Deum, quod humanum captum ſuperabat, nempe vt naturam, & ſubſtantiam Diuinam intueretur.*

Charitas ſumma virtus ad Dei videndum.

Exod.

Charitas ſolum intuetur à Dei cognitione conquieſcit.

Theodor.

38. Quintò. Ducit eos in montem excelſum ſeorſum, hoc eſt valdè ſeparatum, & diſtantem ab hominum commercio. Et ſub noctium tenebris, cum Apoſtolis tendit in montem. Imò, & Græcus habet *ſubducit*, id eſt occultè ducit. Ad quid ad oſtendendas Transfigurationis glorias Apoſtolis, tam abſconditè vult myſterium peragere? præcipuè cum hi tres Apoſtoli electi *eſſent cæteris excellentiores*, vt docet D. Chryſoſt. q. 2. Mira, & alta prouidentia cuncta Dominus gubernabat: ita enim diſpoſuit dare debitum probioribus, ac dignis, vt euitaretur inuidia, ac calumnia aliorum, qui tantæ viſionis non erant capaces, ſed minus digni inuenirentur. *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte.* Pſal. 16. n. 3. ait Regius Vates. Quæ verba ſic explanat D. Thom. *Probaſti cor meum, id eſt probatum oſtendiſti; & viſitaſti nocte, id eſt ſilentio per conſolationes.* Si coram omnibus cor eius probatum oſtendit in omni virtute, & ſanctitate; cur etiam coram omnibus non dat conſolationes? Ad quid ſub noctis tenebris, & ſilentio? Alta ſapientia condignè probatam virtutem remunerat, ſed nocte, & ſilentio, vt malignantium declinetur inuidia, ac malenolentia.

Græcus.

Chryſoſt. *Digni præmiantur, ita vt aliorũ virtutes inuidia.*

Pſalm. 16. D. Thom.

39. Sextò. Transfiguratur Chriſtus ſub nocte in monte excelſo ſeorſum: patitur verò in Ieruſalem aperta, & manifeſta die. Valdè acerba pœna Chriſtus inimicis eius glorias videre, magna verò eis gloria Domini pœnas, ac dolores intueri. Cùm ergo alienum ſit à Chriſto Domino; vt integro, & recto iudice, ſuis inimicis æternam gloriam conferre, permiſit. vt lætitiam ex ſua viſa paſſione, quæ illis obuenire poterat, perciperent, indéque coram omnibus clara die in Ieruſalem paterentur. Et quia etiam vt rectus iudex ab æterna condemnatione non erat decens, vt inimicos ſuos eximeret, diſponit, vt immunes ſint ab ea pœna, qua ex viſa eius gloria premerentur; indéque Transfigurationis maieſtatem ſub alto ſilentio in monte excelſo manifeſtat.

Inimici Chriſti dolent de eius gloria, lætantur de eius paſſione.

Cùm D. Stephanus à Iudæis lapidaretur, dicit: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Actor. 7. n. 55. Vulgaris quæſtio: Cur non ait, quod viderit ſedentem; ipſe enim ſedet ad dexteram Patris? Cur etiam non ait, quod viderit eum ſtipatum multitudine Angelorum, vt deſcribitur à D. Auguſt. ſerm. 99. de Diuerſis. *Quanta fuerit Sancto Stephano gratia condonata! Videbat exercitum cæleſtis militiæ ſtantem: Videbat Filium hominis ad dexteram Patris ſedentem.* Idémque D. Gregor. Nyſſenus Orat. de Stephano. & Petrus Damianus de eodem; & D. Lucas de eo narrat: Stephanus, *plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei.* Cur ergo in publicatione facta coram Iudæis tantum dicit, *Video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei.* Cur non aſſerit ſedentem? cur exercitus Angelorum, ad celſitudinem gloriæ ſubiacet, & ſolum ait, quòd viderit ſtantem, quod eſt veluti habitus miniſtrantis? In hac viſione exprimenda ſic ſe habent Stephanus, ne quis ſibi perſuaderet, Stephanum in hoc negotio aliquali vindictæ ſpiritu commoueri: nam enarrata amplitudine gloriæ Chriſti, maiori, ac acerbiori pœna ſui carnifices cruciarentur, quàm ea, qua ipſum Protomartyrem afficiebant; in Iudæos enim ex euulgata, ac explicata Chriſti gloria lapides retorquerentur duriores, quàm illi, quos Iudæi in Stephanum mittebant. Ne ergo tanta premerentur auguſtia, celſitudinem Chriſti tacet Stephanus; cuius gloria etſi Iudæis erat tormentum, pœna tamen, viſa eximia delectatio. Vnde per Pſalmiſtam ait Dominus Pſalm. 34. num. 15. *Aduerſus me lætati ſunt, & congregauerunt; congregata ſunt ſuper me flagella.* D. Hieronymus. *Lætati ſunt Iudæi, quando Chriſtum apprehenderunt, vt eum crucifigerent.*

40 Actor. 7.

Auguſt.

Nyſſen. Damian. Lucas.

Magnum tormentum Chriſti inimicis addere eius gloriam.

Pſalm. 34.

Hieron.

41. Hinc Chriſtus Dominus ſemper abſcõdit glorias ſuas; manifeſtat verò paſſiones? ac opprobria. Mandat Deus Moyſi: *Pones altare aureum, in quo adoletur incenſum coram arca teſtimonij; tentorium in introitu tabernaculi ponet, & ante illud altare holocauſti.* Exod. 40. n. 5. Vbi nos habemus *Tentorium in introitu*, Septuaginta legunt, *Operatorium velaminis.* Chaldæus. *Pones velum.* Maximè ponderandum, quòd altare aureum mandatur operiri velo, ac tegumento; minimè verò altare holocauſti, quod erat foris, & omnibus patebat, vtroque altari Chriſtus Dominus ſignificabatur. Altare aureum denotabat Chriſti gloriam: altare autem holocauſtorum, eius mortem, & paſſionem. Ipſe verò ſuam gloriam, ac maieſtatem maximè abſcondit, & ab hominum oculis tegit. At verò ſuas infirmitates, & ignominias apertiſſimè omnibus declarat, atque patefacit. D. Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioan. cap. 28. ad finem poſtquam multipliciter oſtendit, quod in vtroque altari Chriſtus adumbrabatur, ſic ſubdit. *Celebratur vero primum, quia occulta: atque recondita eſt gloria Chriſti. Alterum autem vulgo patebat, quia mors eius omnibus patet,*

Exod. 40. Septuag. Chaldæus.

Chriſtus abſcondit ſuam gloriam manifeſtat paſſiones.

Cyrillus

Matth.

Matth.17. num.2. Et transfiguratus est ante eos: & resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

VERSIONES.

Syriacus Et tranformatus est Ieschua coram eis: & splenduit facies eius sicut Sol: vestimẽta verò ipsius facta sunt candida vt lux.

Ægyptius Et rutilauit facies eius sicut Sol: vestimenta quoque splenduerunt forma solis.

Faust Presbyt. lib. contra. Arrian. Refulsit facies eius sicut Sol.

Theophylact. Vestimenta eius facta sunt candida sicut lumen.

Hyus Et *Æthiopicus.* Vestimenta eius sicut crystallus.

ALTER TEXTVS.

Marc.9.n.1. Et tranfiguratus est coram illis.

Num.2. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida nimis, velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

Luca.9.n.29. Facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus, & refulgens.

EXPOSITIO II.

DIE sexta Augusti, & die facto, vt volunt Euthymius hic in Matth. & D.Ephrem Orat.de Transfigur.qui ait, quòd videbant *Apostoli duos Soles*: tamen Transfiguatio facta est nocte, vt colligunt Interpretes ex D.Luca.9. n.37.& circa mediam noctem, vt est magis recepta sententia. Cùm esset Christus in planitie montis Thabor non sedens, non genu flexo insistens, sed stans, transfiguratus est, vt deducitur ex D.Luc. *Erigilantes viderunt maiestatẽ eius, & duos viros, qui stabant cum eo*, similiter scilicet stantes. Vnd.Christus nõ est sublatus in aëra, vt aliqui depingunt, sed pedibus insistens transfiguratus est, vt docent Thyraeus c.9.de Transfigurat. in fine, Hieronymus Natali Sabbato 2.Quadragesi.Cornelius, & alij hic. Et scribit D. Lucas, quòd *dum oraret*. Oratio enim apta via ad animæ transfigurationem; nam in oratione anima à Deo lumen accipit, quo clarius Deum, ac diuina cognoscit. *Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est.* 1.Corint. 6.num17.

42 Euthym. Epiuem. — *Quo tempore Transfiguratio acciderit.* — Lucas. — Thyraeus. Hieron. Cornel. — Corint 6

43. Abulens. *Transfiguratus est.* Transfigurari significat figuram transmutari, vt notat Abulensis quæst. 21. Dicitur Christus Dominus Transfiguratus, non quòd lineamenta faciei, aut corporis mutata sint; sed quòd secundum quandam habitudinem externam habuerint mutationẽ. Nam facies, aut vestis Christi antea minimè coruscabant, modo verò insolito quodam splendore irradiabant? & secundum hunc spendorẽ, ait D.Lucas, *Facta est species vultus eius altera*? de quo qu.sequenti. *Ante eos*, hoc est coram eis, ipsísque Discipulis cernentibus facta est mutatio, ne aliqua suspicio subreperet, quòd alius in loco Christi esset substitutus, notauit Euthymius. Ita meus Iesus humilis, ac alienus ab omni ostentatione, vt, cum transfiguratus in gloria apparet, ne alius existimetur, necesse sit, intuentibus Discipulis mysterium operetur. — Lucas. — Euthym.

Et resplenduit facies eius, quæ est præcipua pars corporis, *sicut Sol*, instar Solis, non quouis splendore illustrata est facies: sed tanquam solari, ac ineffabili; *Et vestimenta eius*; non solum facies eius splenduit, sed etiam vestimenta nitorem miserunt, *Alba*. Albedo est omniũ perfectissimus color, & est symbolum lætitiæ, ac gloriæ beatorum, Apocal.4.n.4.& c.6.cum.11.& aliis in locis. *Sicut nix*, quæ est albissima Græc.habet, *sicut lux*; alij; *sicut lumen*? id est *sicut lux*, vel *lumen* à Sole in aërem, vel aliam in rem diffusum. Facie comparatur Solis splendori; vestimenta lucis ipsius Solis. D.Marc.habet: *Qualia fullo non potest super terram candida facere*. Nullus est artifex fullo in terra, qui vestimenta queat in eum nitorem expurgare, multóque minus alius homo. Vnde Syriacus legit. *Quales homines dealbare in terram non possunt.* — Apoc 4 &.6 Græcus. — Marc. — Syriacus.

QVÆSTIO V.

Quomodo admirabilis Domini Transfiguratio facta sit?

CHRISTVS Dominus quãdiu inter homines vixit, fuit simul viator, & comprehensor & sicut à primo instanti creationis suæ sacratissimæ animæ, ac vnionis cum Verb. ipsa anima fruebatur Dei visione, beatáque erat: ita & ipsa beatitudo poterat in corpus redundare secundum suas dotes; sed ex alto Dei consilio reprellã est, vt nos redimeret. Tamen variis in occasionibus, dotibus ipsius beatitudinis vsus est, vt notant Hugo de S. Victore, Carthusianus, & alij. Quatuor sunt dotes, subtilitas, agilitas, claritas, impassibilitas; subtilitate vsus est, cùm nascitur ex purissimo Virginis vtero, ad Discipulósque clausis ianuis est ingressus: agilitate, cùm ambulat super aquas: claritate in Transfiguratione: impassibilitate verò vtitur, cùm corpus suũ sub sacramento dat Discipulis. Quia tamen multò communior est opinio D.Thomæ, 3.p.q.76.art.4.& 3.ad 3 & q.81.art.4 Corpus Christi datum Discipulis in cœnaculo sub speciebus sacramentalibus, cùm diceret ordinem ad corpus naturale, fuisse passibile. Dicimus, quòd licet Christus aliis beatorum dotibus vteretur, non tamen impassibilitate; adeo enim æstimabat, esse passibilem, vt pro nobis pateretur, ac moreretur, vt nec pro breui instanti, quandiu vixit, passibilitatem suspenderit, sed semper tanquam rem pretiosissimam sibi retinuerit. — 44. — Hugo. Carthus. — D.Thom. — *Christus maxime æstimabat pati, ac mori pro hominibus.* — 45.

Transfiguratio importat mutationem formæ, vt dixi in expositione: cùm autem Christus vrebatur agilitate, ac subtilitate corporis glorioſi

Abulenſ. nulla fiebat mutatio in forma, ac figura; & ideò tunc non dicitur transfigurari, vt notat Abulenſis quæſt. 29. maximè verò in hoc myſterio peracto in monte Thabor, vbi mira claritate Chriſti ſpecies reſplenduit, ac radiauit. Circa quam claritatem quatuor quæro. Primò: Quid eſſet? Secundò: A quo emanabat? Tertiò: In quo ſubiectabatur? Quartò: Quos effectus ediderit?

Quatuor in quæ. ruuntur.

47. Primò. Claritas, in hoc myſterio apparens, non proueniebat ab ipſa natura diuina clarè viſa, ſicut in Beatitudine ſe præbet Beatis. Nam Diuinitas oculis corporeis per nullam potentiã videri poteſt, vt communiter tenẽt Theologi. Dicendum eſt ergo, quòd charitas illa viſa in corpore Chriſti in Transfiguratione, eſſet eiuſdem ſpeciei cum claritate corporum beatorum, vt docet D. Auguſtinus lib. contra Adamantium Manichæum cap. 28. & apertè ſupponit lib. 22. de ciuitate Dei cap. 19. ſequuntur. Suarius tom. 2. ad 2. par. diſp. 32. ſect. 1. §. Secundò, & §. Sed poſſunt. Ægydius Luſitanus tom. 3. de Beatit. lib. 5. q. 4. art. 7. & 8 timo n. 1. & 2. Probatur. Quia Chriſtus Dominus dixit ſuis Diſcipulis Matthæi 16. in fine. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo.* Alij legunt, *Venientem in gloria Patris ſui*, vt dixi in fine ſuperioris cap. vbi cum multis Patribus quæſt. 13. prædictum locum expoſui de claritate viſa in Transfiguratione. Ergo erat eiuſdẽ ſpeciei cum illa, quæ eſt in gloria Patris in corporibus Beatorum. Ad hanc autem claritatem intuendam, vtpote ſupernaturalem, de quo infra in hac quæſt. confortati ſunt Apoſtolorum oculi, vt docent citatus Auguſtinus, & D. Thomas in 4. d. 44. q. 1. art. 4. q. 2.

Quid eſſet hæc claritas.

Auguſt.

Suar.

Ægydius.

Matth. 16.

Auguſt. D. Thomas.

48. Secundò. A quo hæc claritas emanabat in corpore Chriſti? Ab ipſa anima, ſcilicet, vtpote beata, ac hypoſtaticè Deo vnita. Hæc ergo gloria erat debita corpori Chriſti duplici titulo, ſcilicet Vnionis Hypoſtaticæ, & beatitudinis animæ, tertio etiam titulo meriti eam obtinuit per mortem, & labores Luc. 24. n. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Cùm autem gloria corporis veluti naturaliter emanaret ab anima beata, & vnita, tanquam quoddam miraculum extitit, quòd eſſet repreſſa pro myſterio noſtræ ſalutis. In Transfiguratione autem, dum gloria illa diffunditur in corpus, fuit ceſſatio repreſſionis, ac miraculi. Si autem D. Damaſcenus Orat. de Transfigur. D. Epiphanius hæreſi 69. D. Nazianzenus Orat. 49. & Anſelmus in Elucidario dicunt, corpus Chriſti ſemper habuiſſe gloriam, in via tamen abſconditam Apoſtolis, & hominibus: loquuntur de Vnione Hypoſtatica, quæ eſt fons, & origo gloriæ, & claritatis.

Claritas à quo emanabat.

Luc. 24.

Damaſc. Epiphan. Nazianz. Anſelm.

49. Tertiò. Hic ſplendor non eſt ſubiectatus in aëre, nec in oculis Apoſtolorum, vt aliqui dixerunt, ſed in ſola Chriſti facie, vt tenent Abulenſis quæſt. 47. & Toletus in cap. 9. Luc. annot. 18. Salmeron, & alij, qui aſtruunt, ſolam Chriſti faciem reſplenduiſſe. Huiuſmodi ergo fulgor faciei, manibus, pedibus & toti corpori Chriſti inhæſit. Hanc ſententiam apertè docet D. Ephrem Orat. de Transfigur. *Facta ſunt*, inquit, *veſtimenta eius alba, etenim oſtendit Euangeliſta, quòd ex toto eius corpore eius gloria ſcaturit: & tota eius carne reſplenduit eius facies, & ex totis eius membris reſplenduerunt radij*, &c. Et iterum. *Chriſtus toto ſuo tempore tanquam Sol ſuis radijs reſplenduit gloria ſua Diuinitatis.* Idẽ docent D. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium, & D. Auguſtinus lib. 22. de ciuitate Dei cap. 9. Origenes in cap. 9. Luc. D. Ambroſius in ſymbolo cap. 22. Suarius citato loco Barradius, Cornelius, & alij. Ratio eſt. Quia Chriſti Transfiguratio fuit perfecta, & plena: ergo totum eius corpus nitore reſplenduit. Cùm autem D. Matthæus, & D. Marcus ſolum faciem commemorant, ſub facie, tanquam parte principali ori, ac magis ſpectabili, cætera membra intelligunt, & ob multas rationes dandas quæſt.

In quo ſubiectabatur.

Abulenſ. Toletus. Salmeron.

Epiphan.

Aliqui autumant, Claritatem hanc totum corpus Chriſti penetraſſe, illúdque feciſſe perlucens, ac perſpicuum, acſi eſſet Chryſtallus, aut aliud ſimile corpus. Contrarium docet D. Thomas. 3. part. q. 45. art. 1. ad 2. Nam Transfiguratio, id eſt figuræ mutatio, immutatio autem figuræ fit in ſuperficie exteriori, ſeu in termino, vt ait D. Thomas.

50.

D. Thomas.

Quartò. Effectus huius ſplendoris explicat Euangeliſta. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol*, Lux illa in facie, ac corpore Chriſti multo auguſtior, ac magnificentior, quam Sol erat; nam ille fulgor ſupernaturalis, vt docet D. Thomas in 3. d. 16. quæſt. 2. art. 1. ad 4. Durandus ibidem quæſt. 2. Scotus in 3. diſp. 49. quæſt. 15. Richardus ibidem art. 4. quæſt. 6. Scotus ibidem quæſt. 4. art. 8. Suarius citata diſp. 32. ſect. 1. §. ſed poſſunt. Ratio eſt. Quia illas claritas proueniebat à principio, ac radice ſupernaturali, à beatitudine nempe animæ, ac ab Vnione hypoſtatica. Ergo ipſa ſupernaturalis erat. Cùm autem Euangeliſta ait, quòd reſplenduit facies eius vt Sol; ex eo hoc eſt, vt notant Interlinealis, Beda, & D. Anſelmus, & alij; quia in ſenſibilibus nil eſt clarius, ac lucidius Sole. Scriptura ſolet per ſenſibilia nos ad alta, & ſublimia ducere.

51. *Effectus ſplendoris.*

D. Thom. Durand. Scotus Richard. Sotus. Suarius. *Splendor ſupernaturalis.*

Interlin. Beda. Anſelm.

Facies autem ſic mirificè reſplẽduit, vt nec vultus eſſentia, nec forma, nec figura, nec lineamenta, nec color, nec aliæ qualitates immutatæ ſint, quæ omnia valdè nota erant Diſcipulis; ex quibus Chriſtum etiam transfiguratum optimè agnouerunt. Tertullianus lib. de Reſurrectione caruit. *Dominus*, ait, *in receſſu montis veſtimenta luce mutauerat, ſed lineamenta agnoſcibilia Petro ſeruauerat.* Theophylactus in c. 9. Marc. *Maneme caractere, qualis prius, ineffabilis lucis factum ſit augmentum.* Idem etiam habent Victor Antiochenus in Marcum, & Euthymius in Matth. Cùm D. Luc. ſcribit, *Facta eſt ſpecies vultus eius altera*, id eſt fulgens, & reſplendens.

25. *Caracter vultus non eſt immutatus.*

Tertullian.

Theophyl. Vict. Antioch. Euthym.

Alter eius lucis effectus deſcribitur ab Euangeliſta in veſtibus. *Et veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix.* Abulenſis quæſt. 42. & Salmeyron exiſtimant, albedinem inditam fuiſſe veſtibus Chriſti; ac proinde ſi prius veſtes Chriſti erant nigræ, vel violaceæ; in Transfiguratione factæ ſunt albæ: & ſi prius erant albæ, vult Abulenſis, factæ ſunt albiores: peracta verò Transfiguratione, ad ſuum priſtinum colorem redierunt.

35. Abulenſ. Salmeyron.

Abulenſ.

Dicendum tamen eſt cum Tertulliano lib. 4. contra Marcion. cap. 22. ac S. Auguſtino, ſeu Auctore, quiſquis ille ſit, lib. 3. de Mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 10. S. Ephrem citato; D. Paſchaſio lib. 8. in Matt. Albertus Magnus, in cap. 9. Marc. & Luc. Euthymio, Gloſſa, Caietano, Luca Burgenſi, & aliis, Huiuſmodi candorem emanaſſe à corpore Chriſti in veſtes. Nam ipſe ſplendor raidabat in facie Chriſti velut Sol aureus, &

54. Tertull. Auguſt. Ephrem. Paſchaſ. Alb. Mag. Euthym. Gloſſ. Caiet. Burgenſ.

& fulua, transfusus verò in vestes factus est albus, sicut lux solis, dum diffunditur a sole, apparet aurea, & fulua, at verò visa in re altera excipiente, à Sole diuersa, sensibus alba apparet. Sic Luna, cùm exceptis radiis Solis illuminatur, alba videtur. Sicque nubes Soli obiectæ, colorem album, ac lacteum reddunt: ingens enim fulgor, si per medium obscurum, vtpote vestes, percipiatur, non rutilans splendor, sed albicans, candor apparet; nam obiecti intermedij corporis interuentu aliquantulum radij eius franguntur, ac debilitantur.

Quando vestimenta alba.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus transfigurari voluit?

55. Abulens.

QVANQVAM non defuerint aliqui, quos tacito nomine citat Abulensis quæst. 25. qui dixerunt, quòd sicut Christus Dominus ad ostensionem suæ potentiæ sæpe multa miracula faciebat, verbi gratia, mortuos suscitare, oculos cæcis restituere, sic etiam sæpè ad ostensionem suæ potestatis fuisse transfiguratum. Sed cùm Scriptura solùm de vna Transfiguratione faciat mentionem, semel tantum fuisse transfiguratum dicimus. Et hoc sufficiebat in testimonium suæ maiestatis. Ad obiectionem, Respondemus. Quòd Transfiguratio facta est in signum potestatis, & maiestatis Christi: miracula autem perpetrata sunt, non solùm ad ostensionem potestatis, verùm etiam in commodum, ac vtilitatem populi, vt à suis miseriis subleuaretur. Clementissimus autem Iesus ea, quæ ad ostensionem gloriæ, suæque maiestatis spectabant, vno actu adimplet, & semel tantum ea ex altis motiuis edidit; quæ verò ad vtilitatem populi conducebant, ex sua intima pietate sæpè, ac multiplicatis vicibus est operatus.

Christus propensior in vestrum commodum, quam in gloriam suam.

56. Matth. 16.

Ad quæstionem Respondeo multiplici ratione deducta ex superiori cap. 26. Nam, vt ibi refertur, num. 16. Petrus confessus est Christi Diuinitatem, dicens: *Tu es Christus filius Dei viui.* Transfiguratur ergo Christus, vt hanc confessionem confirmaret, seque Dei filium magnifico illo splendore indicaret, ac manifestaret. Secundò. Petro, Christum filium Dei confitenti, dixit Dominus; *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Ad confirmandum ergo quòd, cognoscere eum filium Dei, ex afflatu Patris venit, transfiguratur ostensa sua gloria, in qua auditur vox de nube, dicens: *Hic est filius meus dilectus.* Tertiò Christo de sua morte pertractanti ait Petrus: ex nimio amore: *Absit à te, Domine, non erit tibi hoc*, ibidem num. 22, tanquam quòd mori, ac crucifigi ei esset indecens. Transfiguratur ergo Iesus habitu glorioso regio, ibique cum Moyse, & Elia de sua morte, ac passione differitur, vt appareat euidens, quòd ei pro hominibus mori, non est indecens, sed maximè conueniens, hocque valde beneplacitum suis intimis familiaribus, ac Prophetis.

Christus nè ferret quod mortis indecus videretur.

57. *Premie proprie animæ Discipuli à Christo.*

Quartò quia superiori cap. 16. num. 24. inuitat ad abnegationem propriam, ac ad tollendam crucem. & adiicit Dominus: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Ad animandos ergo homines ad dura, & aspera subeunda. Transfiguratur, vt ex visa gloria certò sciant, maiora bona esse recipienda, quàm exiterint mala, quæ pertulerint. Quintò. Ibidem num. 27. dixerat: *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Transfiguratur, vt ostendat Discipulis, in qua gloria venturus est, vtque etiam suis Discipulis manifestet, quale præmium electis suis est redditurus: cognitione enim præmij maximè animantur homines ad dura, & aspera sustinenda. Sextò. Dixerat Christus ibidem num. 28. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*, Quod de Transfiguratione intelligitur à multis Patribus, vt dixi superiori cap. quæst. 13. Promissum adimplet Dominus, ostendens in Transfiguratione gloriam suam. Qui promissum cito soluit, nouum beneficium confert.

Beneficium cito datum, magnum.

58. *Manifestat Christus suam potentiam.*

Septimò. Transfiguratur Christus, vt excellentiam suæ potestatis ostendat. Ipse enim sponte, prout volebat, gloriam corporis reprimebat pro operanda humani generis salute, & etiam sponte, prout volebat, animæ gloria in corpus redundabat. Eximiè etiam declaratur ipsa potentia ex præsencia Prophetarum Moysis, & Eliæ; nemo enim poterat eos illuc adducere, nisi solus Deus. Fiebat etiam ostentatio, quòd sponte contumeliam crucis, & mortis subibat, vt clarè patebat ex colloquio ipsius Christi cum Moyse, & Elia.

59. Leo.

Octauò. D. Leo serm. de Transfigur. *Transfiguratur*, inquit, *vt de cordibus Discipulorum crucis scandalum tolleretur, ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus reuelata esset abscondita excellentia dignitatis.* Sua transfiguratione præmunuit Christus Dominus suos Discipulos, ne eorum fides in suæ passionis tempestate fluctuaret, sed vt agnoscentes suam eximiam maiestatem, quam in gloria viderant, illius eximias amoris diuitias venerarentur? nam cùm tanta polleret, pro eorum salute humilitatem crucis non reiecit, sed libenter amplectitur.

Christum corroborat Discipulorum fidem, ne in periculo fluctuet.

60. Abulens.

Nonò. Abulensis quæst. 22. Transfiguratur, ait, *ad maiorem auctoritatem dandam verbis, ac gestis eius, nam cùm isti Discipuli viderent eum transfiguratum ad imaginem gloriæ, venerarentur eum magis de cætero, tanquam esset in eo aliquid maius, quàm prius crediderant.* Et ideo hìc vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Christi gloria hic Discipulis ostenditur, vt maximè reconderent Christi personam, dicta, & facta. Multum enim facit personæ auctoritas, vt eius verba, ac opera in multa æstimatione habeantur, Hinc intelliges, cur cum Iordane Christus baptizatur, ac in Thabor transfiguratus, & in vtroque loco vox Patris resonat: *Hic est filius meus dilectus*: in Thabor, & non in Iordane additur, *ipsum audite.* In Iordane aderat Dominus tanquam subditus, & obediens, dicens Ioanni: *Sic decet nos implere omnem iustitiam.* Matth. 3. num. 15. At in Thabor apparebat in gloria, tunc ei datur purpura, & cathedra, vt imperet, & doceat, *ipsum audite*, Vt ex ostensa gloria, ac maiestate multum auctoritatis, & reuerentiæ ei reconcilietur.

Auctoritas personæ multum facit, vt eius dicta, & facta æstimentur.

Matth. 3.

61. Ephrem.

Decimò. D. Ephrem Orat. de Transfigur. *Duxit Discipulos in montem, & gloriam Diuinitatis suæ ipsis ante Resurrectionem suam ostendit, vt quando à mortuis in gloriam naturæ suæ diuinæ resurrexerit, sciant, ipsum non accepisse quasi mercedem laboris sui, gloriam, vt qui illa indigeret, sed eam ab æterno illum habuisse cum Patre.* Cur Christus Dominus qui venit in mundum in humili habitu, qui & permittebat vt facies sua esset cæsa, corpusque flagellis vulneratum, ac tandem morte affectum, pallidum,

pallidum, & obſcurum cadaret, ad quid homo in Transfiguratione vult tanta gloria, ac nitore reſplendeſcere? Intendebat Dominus, vt cùm denuncta morte rediuiuus in illa gloria, ac maieſtate à ſuis Diſcipulis videretur, nullus eam recogitaret, vt denuo arte, vel ope partam, ſed ſcirent cuncti, à principio illi eſſe congenitam, ac innatam: non enim erat huiuſmodi maieſtas denuò accepta, ſed antiquitus cum Patre, & ex Patre habita. Maximè nobilitat hominem, quòd decor, ac honor non ſit ei denuo additus, vel acquiſitus ſed ex longa annorum ſerie adnatus.

Magna nobilitas, quòd homini non ſit honor adventitius, ſed ex maioribus veluti adnatus.

61. Genes.49. Benedicens Iacob filium ſuum Iudam dicit ei: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti, vt leo.* Geneſ.49. num.9. Multa magna,& præclara prædicit Patriarcha Iudæ. Quòd ipſe nempe ſceptrum, & regnum tenebit. Ad hoc tamen non ſat erat dicere eum leonem, qui fortitudine, ac generoſitate regalem principatum inter cætera animantia obtinet? Ad quid eum dicit catulum leonis, filium leonis? Ad eximium decorem Iudæ veluti non ſat erat, quod virtutem, robur, animoſitatem tanquam leo haberet, ſed etiam vt filius leonis, qui huiuſmodi animi dotes, non vt aduentitias, ſed veluti à parentibus transfuſas, ac hauſtas vendicat. Caſſiodorus lib.2. variar.cap.2. de Optimo Principe ait: *Curras quintino honorum gratia per parentes.*

Ingens decor, virtus à maioribus hauſta.

Caſſiodorus.

63. Luc 1. Beda. De parentibus Ioannis Baptiſtæ ſcribit D. Lucas 1. num.6. *Erant autem iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, ac iuſtificationibus Domini ſine querela.* Quæ verba commentans Beda inquit: *Iuſti autem parentibus Ioannis eſt genitus, vt eo confidentius iuſtitiæ præcepta populis daret, quòd hæc ipſa non quaſi nouitia didiciſſe, ſed velut hereditario iure à progenitoribus accepta ſeruaret. Vnde ſequitur, Erant iuſti ambo, apud Deum.* Aq quid tam ſollicitè tracturus Euangeliſta de Ioanne Baptiſta, ſtatim in limine virtutes parentum eius commemorat? Ordinabat Euangeliſta deſcribere Ioannis prædicationem omni populo: *Venit in omnem ripam Iordanis prædicens baptiſmum pœnitentiæ.* Luc.3.n.3. Scribit ergo Euangeliſta parentũ virtutes, vt doctrinæ documenta, ac præclara virtutum monumenta, quibus Ioann. radiabat in vita, eo ſanctiora, ac auguſtiora viderentur, quo erant antiquiora, cùm ipſa admirabilis viuendi virtus, non fuerit in eo nouitia, ſed peruetuſta, à parentibus accepta: quod eſt magnum nobilitatis elogium. *Quo hæc ipſa, non quaſi nouitia didiciſſe, ſed velut hereditario iure à progenitoribus accepta ſeruaret.* Magnopere conducebat, vt Ioannes haberet multam fiduciam in docendo, & populus magnam reuerentiam, ac Ioannes æſtimationem in audiendo.

Luc.3.

Virtus à maioribus, nobilitatis elogium.

64. Iudic.13. Matri Sanſonis apparet Angelus dicens: *Caue, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas: quia concipies, & paries filium, cuius nec tanget caput nouacula, erit enim Nazaræus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero.* Iudic.13. n.4. Obſeruantia rerum, quæ in filio futura erat, ad quid prærequiritur in matre? quòd filius à vino, & ſicera, ac immundo abſtineret, cùm inter Nazaræos eſſet adſcribendus, maximè ſe res habet: ſed ad quid hoc mandatur matri? &, vt vult Abulenſis citandus, vſque ad ablactationem pueri? Abulenſis quæſt.10. *Voluit*, inquit, *ad reuerentiam pueri naſciturі matrem eſſe mundam, & obſeruare omnia hæc, quæ pertinebant ad quandam excellentiam mundiciæ.* Deſtinabat Deus Sanſonem in magnum gubernatorem, ducem ſui populi: decreuit ergò, vt re[illegible] obſeruantia, non ſolùm reperiretur in puero; ſed etiam vt præcederet in matre, vt ex tam perantiqua, ac innata religione ipſa Sanſonis virtus maior, ac venerabilior cunctis appareret.

Abulenſ.

Venerabilior eſt virtus, ſi à parentibus accepta.

QVÆSTIO VII.

Quare dicitur, quòd Chriſtus transfiguratus eſt, & non potius, quòd ipſe ſe transfiguraverit?

GLORIA debita erat corpori Chriſti Domini tam ratione vnionis hypoſtaticæ, quàm ratione beatitudinis animæ: & huiuſmodi gloria in corpus naturaliter erat transfundenda, niſi miraculoſe eſſet à Deo impedita. Quærimus ergo, cur dicitur, quòd transfiguratus eſt Chriſtus, & non potius, quod ipſe ſe transfiguraverit? 65.

Reſpondeo primò. Rectè dicitur, quòd Chriſtus transfiguratus eſt. Ex alta enim ordinatione Patris, ad cuius beneplacitum Chriſtus omnia ſua diſponebat, data eſt ei in Transfiguratione gloria, & honor Gloria, vt reſplendeſceret facies eius ſicut Sol, & veſtimenta vt eſſent alba tanquam nix; quæ gloria ei eſt elargita, quaſi primitiæ, ac ſpecimen Reſurrectionis, ac gloriæ æternæ. Honor datus eſt ei, cùm vox Patris intonuit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Dum ait, *ipſum audite*, eum conſtituit legiſtatorem, principem, ac doctorem, cui omnes obedire tenentur. In hoc ſenſu loquitur ad Hebræ. 5. num.5. *Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ verba ſic explanat ibi D. Anſelmus. *Non ſemetipſum quaſi decretum à cæteris clarificauit, id eſt clarum fecit, ſublimando in honorem Pontificatus, ſed Pater eum clarificauit, vt Pontificem conſtitueret, & totius mundi magiſtrum oſtenderet, quando dixit. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Ad hunc ſenſum loquitur D. Petrus 2.c.1. num.17. *Accipiens enim à Patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſmodi à magnifica gloria. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Accip.enim gloriam in ſplendore vultus, & veſtium; honorem verò in voce Patris ad ipſum delapſa. 66.

Chriſtus non ſumit ſibi honorem pontificij, ac doctoris.

Hebræor.5.

Anſelm.

Chriſtus non procurabat ſibi honorem.

2. Petri 2.

Secundò. D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm.2. in 2. Dom. Quadrageſ. *Transfiguratus eſt ante eos*: ſic inquit: *In hoc notatur humilitas; ſed Angelus Satana per ſuperbiam transfiguratur in Angelum lucis.* 2. Corinth.11. num.14. *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Chriſti humilitas, quamuis ex ſe habeat lucem; non tamen transfigurat ſe ſed transfiguratur. At Sataras cùm non habeat, fulgur per ſuperbiam ſibi arripit. Sicut enim proprium eſt filij, habere ex ſe lucem, & tamen non niſi prout ei eſt datum à Patre, nitere; ſic etiam valde ingenitum Satanæ, cùm careat ſplendore, velle lucere, ac radiare. Expende verba Pauli: *Ipſe enim Satanas*; nullus enim alius hoc poteſt affectare, ac facere, niſi ipſe Sataras. 67.

Anton Vlyſ

2. Corint.11.

Satanas per ſuperbiã ſibi ſplendorem arripit.

Tertio. Dicitur, quòd transfiguratus eſt, & non quòd ſe transfiguraverit, vt fiat euidens, quòd 68.

trans

Transfigurationis honores ipse sibi non affectabat, nec procurabat; sed quod tales splendores ob eius excelsa merita ipsum exquirebant, ad eumque conuolabant. De Christo Domino scribit D. Marcus: *Assumptus est in cœlum.* Marc. vltimo n. 19. Cur Euangelista non ait, Assumpsit se Iesus; ipse enim propria virtute ascendit. Cur ergo dicitur, Assumptus est? Vtitur Euangelista hac dicendi methodo, vt manifestum fit vniuersis, quòd ipse Iesus non sibi assumpsit gloriam, sed quòd ipsa gloriæ maiestas, ob eius excelsa merita, eum quærit, atque ad se assumit.

Christus sibi honorem, sed ei defertur.

Marc. 16.

QVÆSTIO VIII.

Quare signanter dicitur, quòd facies eius resplenduerit?

69. NOn solùm ait Euangelista, quòd facies resplenduit, sed dicitur, *faciem eius.* Quia resplendore facies non est immutata, sed secundùm sua lineamenta eadem, ac vt antea erat, permansit. Euthymius. *Transformatus est*, inquit, *corpore quidem in propria figura manente, diuino autem splendore modicum quiddam in eo detegente, ac faciem eius illustrante, spectemus illius ad maiorem Dei similitudinem immutante.* Idem docent D. Hieronymus, D. Paschasius, S. Thomas, & alij, vt latius explicaui quæst. 5.

Euthym.

Hieron. Paschas. D. Thom.

70. Secundò Gilliberrus Abbas serm. 15. in Cant. *Altera facta est corporalis Domini species, cùm oraret, & voluit per hoc in mente tua orationis commendare virtutem, quod illa sit, quæ te in intimis alterum faciat, & nouum commutet in hominem. Nos, inquit Apostolus, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur.* 2. Corinth. 3. n. 18. hoc est in eandem, quam intuemur, transformamur. Asserit D. Lucas, quòd, cùm Dominus oraret, facta est species vultus eius altera, altera non secundùm effigiem; sed secundùm splendorem. Perpende Orationis vim, quæ nos facit in alteros commutari; cum enim per orationem, ac contemplationem in mente Deum teneamus, ipsum speculantes, in Dei imaginem transformamur. Paulus 1. Corinth. 6. num. 16. *Qui autem adhæret Deo, vnus spiritus est.*

Gilliberrus.

2. Corint. 3. Per orationem homo in Deimaginem transformatur.

1. Corint. 6.

71. Tertiò *resplenduit facies eius.* Manifestum est, quòd cùm Christus Iesus transfiguraretur, facies eius resplenduerit: ad quid hoc exprimit Euangelista? Vt fieret euidens, quòd quamuis Dominus Iesus appareret in gloria, ac maiestate: tamen ipse non est mutatus, sed eandem vultus faciem retinuit, ac antea habebat.

Christus pro gloria status non mutatur. Ioan. 20.

72. Cùm gaudentes Discipuli annunciassent Thomæ, quòd Dominum à mortuis gloriosè rediuiuum vidissent, ille dicit: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Ioan. 20. n. 25. Meritò dubitatur: Quisnam, ô Thoma, tibi indicauit, quòd Dominus in suo corpore glorioso clauorum, ac lanceæ signa reportabat? Quamuis communiter dicatur, quòd ex relatu Discipulorum hoc accepit; tamen non incongruè dici potest. Optimè sciebat Thomas naturam, ac ingenium sui diuini Magistri, nimirum quod pro varietate status minimè sui conditionem, ac figuram mutabat. Ille enim in corpore mortali, ac passibili admisit vulnerum characteres: ergo & hos in ipso corpore, gloriâ splendente, non dimisit, sed apertissimè retinuit. Fauet D. Augustinus serm. 156. de tempore. *Sciebat enim* ait, *Iesus in Cruce confixum, sciebat lancea latus percussum, hac signa quærebat.* Illa vulnerum vestigia, quæ agnouerat in cruce Dominum sustinuisse, eadem ipsa in corpore iam impassibili, ac beatitudine nitente exquirebat, pro certo habens, Dominum pro splendenti maiestate minimè immutari.

Mutatestatu Christus non mutatur.

Augustin.

Ipsa resurrectionis die, duobus Discipulis in Emmaus apparet Dominus in peregrini habitu. Quod narrans D. Lucas cap. 24. n. 15. ait: *Et ipse Iesus appropinquans ibat cum illis.* Non sat erat dicere, Iesus ibat cum illis? ad quid vlterius additur *ipse?* Vt liquidò vniuersis fieret euidens, quòd quamuis iam esset in sublimitate Resurrectionis gloriæ, non tamen mutatus, sed ipse idem omnino extabat, ac antea erat. 73.

Luc. 24. Id ipsum Iesum in gloria ac passione.

QVÆSTIO IX.

Quare dicitur, quòd resplenduerit facies eius sicut Sol, & non potiùs super Solem?

74. EXplicans Euangelista Christi Transfigurationem astruit, quòd *resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba, sicut nix.* In limine huius quæstionis dubitari potest: Cur prius de facie, & postea de vestitu facit mentionem? De illa muliere? quæ apparuit in Apocalypsi 12. num. 1. ait D. Ioannes: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Prius vestitus, ac calceatus exprimitur, & postea capitis ornamentum. In Transfiguratione autem prius de vultu, & postea de veste Christi agitur. Pertractans Isaias cap. 53. num. 2. de passione Christi, inquit: *Vidimus eum, & non erat aspectus.* Postea verò cap. 63. n. 2. de eius vestimento differit: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Cùm ergo de gloria Christi venit sermo; meritò facies, quæ prior eclypsim passa est, summque decorem, ac pulchritudinem prior amisit, ipsa prior splendore irradiet, & fulgeat. Qui enim prior est in labore, ac angustia sustinenda, primum etiam obtineat locum, vt præmio nobiliretur.

Apoc. 12.

Isaiæ 53.

Isaiæ 63.

Prior in labore, in requie prior.

Ad nostram quæstionem: Quare dicitur, quòd facies Christi resplenduit vt Sol, cùm splendor vultus Saluatoris, vt notat D. Antonius Vlyssipponensis serm. in 2. Domin. Quadragesimæ fuerit alterius rationis, ac ordinis à splendore Solis: nam fulgor vultus Christi supernaturalis erat, proueniens à beatitudine animæ, quæ est supernaturalis, vt latius explicant quæst. 5. ac proinde huiusmodi splendor Solis lucem superabat. 75.

Anto. Vlyss.

Respondent primò ad quæstionem D. Remigius, Glossa Interlinealis, D. Thomas, D. Anselmus, D. Antonius citatus, Abulensis quæst. 40. Quòd splendor vultus Christi excellentior erat Solis luce, quia in his sensibilibus non est quod clarius, ac lucidius, cui posset comparari; ideo Soli comparatur, vt per hoc palpabile exemplum splendoris Christi magnitudinem inuestigare valeamus. Qua etiam phrasi vsus est Ioannes Apoc. 1. num. 16. *Et facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.* Dicitur Sicut Sol, non sicut Luna, tum quia lux 76.

Remig. Interlin. D. Thomas. Anselm. Anton. Vlyss. Abulens.

Apocal. 1.

lux ſolis maior eſt : etiam quia Sol propria virtute lucet, non autem Luna.

77. Ansbertus. Secundò Ansbertus Abbas lib. 5. in Apocalypſim ad c. 10. eius ad illa verba. *Et facies eius erat vt Sol.* Sic ipſe inquit : *Abſit, vt tantam faciei Chriſti tribuamus claritatem, quantum habere Solem iſtum viſibilem cernimus. præſertim cum de membris ſuis ipſe dicat.* Fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris eorum Matth. 13. n. 43. Matth. 13. *Equidem erunt electi æquales Angelis Dei, non tamen filio Dei* Ansbertus. Solutionem ſubiicit citatus Ansbertus. *Nam quod in monte coram tribus Diſcipulis transfiguratus faciem ſuam in Solis claritatem commutauit, futura membra ſua iam tunc in ſe ipſo oſtendit.* Idem habet Beda. Beda. Chriſti ſplendor incomparabiliter multò maior, quam Solis lux. Cur ego huic ſimilis dicitur: *Reſplenduit facies eius ſicut Sol?* De ſuis Electis dixerat Dominus. *Fulgebunt iuſti ſicut Sol* Quando ſuæ gloriæ manifeſtationem exhibet, non oſtentat illam, quam ipſe, vt vnigenitus Dei filius, ſibi habet debitam, ſed illi ſimilem, quam ipſe Electis ſuo ſanguine comparauit : anguſtius quodammodo, vt ita dicam, ducens, niteſcere gloria, & maieſtate, quam ſuis communicat, & tribuit, quàm illa excellentiori, quàm ipſe ex propriis ſibi vindicat. Quis ignorat, quod principis, ac regis gloria inter nos plus vennſtatur donis in ſuos diffuſis, quàm multa rerum copia ſibi ſoli retenta?

Regis gloria, ſuis ſua communicare dona.

78. Cyril. Alex. Tertiò. Noſter D. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Ioan. 16. *Tunc*, ait, *fulgebunt iuſti ſicut Sol in regno Patris ſui. Quod vt firmiter crederetur, prauenit, & in monte hanc gloriam Diſcipulis monſtrauit* Pollicitus fuerat Dominus, quòd iuſti in regno cœlorum fulgerent ſicut Sol. Oſtendit ergo ipſe gloriam ſuam in Thabor ad inſtar Solis ; tum vt Diſcipuli firmiter crederent, quòd, cùm Dominus illa maieſtate potiretur, ipſi ad ſimilem eſſent eleuandi ; bona enim, quæ Chriſtus poſſidet, largiter in ſuos diffundit : tum etiam ad ſpeciem Solis oſtendit faciem ſuam, vt promiſſioni ſuæ de Beatorum fulgore ad inſtar Solis, multam fidem reconciliaret ; in multum enim æſtimantur promiſſiones de futuro, cùm de præſenti aliquid exhibetur. *Quod vt firmiter crederétur, prauenit, & in monte hanc gloriam Diſcipulis monſtrauit.* Ad quod etiam tendit D. Baſilius Seleucus Orat. 43. Baſil. Sel. *Iuuiſſe mea maieſtatis partem aliquam vobis remelabo, & hoc ſpectaculo futuri ſtatus concitabo.*

Cùm de præſenti aliquid datur, æſtimatur ſpes de futuro.

79. Quartò. Multa ſocietas videtur intereſſe inter verum Solem iuſtitiæ, ac noſtrum hunc Solem materialem. In monte Thabor transfiguratur Ieſus, & *reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Tunc ipſe materialis Sol valde perlucidè fulget. In monte verò Caluariæ, cùm paſſionum tenebris eclypſatur verus Sol iuſtitiæ, ipſe materialis Sol radios ſuos contrahit. *Obſcuratus eſt Sol.* Luc. 23. Lucas 23. num. 45. Vnde tam admirabiliter ſociantur? D. Baſilius Seleucus Orat. 43. Baſil. Sel. *Diuina vi ex humana forma radij promicabant. Vidit Sol, qua prius non didicerat, alienæ lucis fulgoribus occuli doctus eſt.* Chriſtus in Transfiguratione d uina luce refulget ; & tamen tanto ſplendore, quem nunquam antea materialis Sol didicerat, minimè ſe obſcuratum agnouit, ſed ei, perlucidè fulgere, conceſſum eſt. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol.* Cùm ergo à tanta claritate nullo modo contemnitur Sol, ſed potius ad illius conſortium admittitur ; his fulgoribus alienæ lucis Redemptoris noſtri doctus eſt materialis Sol occuli, ſeu obſcurari, quando ipſum verum iuſtitiæ lumen in Calmario abſcondi intuitus eſt. Solem materialem, quem Chriſtus in Transfiguratonis pompa, ac maieſtate non reiicit, nec ſpernit conſortem, in paſſionis preſſura habet ſocium: *alienæ lucis fulgoribus occuli*, ſeu abſcondi, *doctus eſt.* Quos in proſperitate tui participes retines, in ærumna, ac labore tui amicos, ac ſequaces inuenies: & quibus, in felicitate, tuæ gloriæ partem dediſti, in aduerſitate immunes tuæ obſcuritatis non euadent.

Qui admittit ſocios in felicitate, hos & habebit in aduerſitate.

80. Quintò. Pro noſtro morali documento: Noluit Dominus Solis ſplendorem ſuperaſſe, ne noua, ac ſingulari luce niteret, ſed ea, quæ aliqualem ſocietatem, ac conſuetudinem cum communi habet. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol.* Dum enim ad inſtar Solis fulget, de illius communione gratiam, & amorem reconciliat, aſſimiliatur ; & ſimul odium, & inuidiam einſdem deuitat ; cuius ſæpe ſingularitas magnum extat fomentum. Vide tom. 2. & 3. Verbum *Singularitas* ibi multa.

Singularitas odij fomentum.

81. Damaſc. Sextò. D. Damaſcenus Orat. de Transfigur. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol*, inquit, *non quod Sole ſplendidior non eſſet, ſed quantum intueri poterant ſpectatores: nam ſi vniuerſam gloriæ claritatem oſtendiſſet, illi penitus exarſiſſent.* Excellentiori luce ſuper Solem reſplendebat Dominus, & tamen ſic moderauit claritatem, vt tanquam Sol nitens videretur : non etiam menſus eſt Dominus oſtentationis pompam pro potentia, ac maieſtate propria, ſed pro D ſe pulorum, quibus manifeſtabatur, fragilitate : nam ſi totum diuinæ gloriæ fulgur coram illis exh buiſſet, cum adhuc pro humanæ vitæ conditione incapaces exiſterent, non eos mira conditione lætificaret, ſed potius obcæcaret ; neque ingenti eos gaudio recrearet, ſed potius vehementiſſimè conſumeret. *Nam ſi vniuerſam gloriæ claritatem oſtendiſſet, illi penitus exarſiſſent.* Luces, ac fauores ſic communicentur, vt accipientium capacitati adaptentur. Vnde perbelle de hoc myſterio ait D. Paſchaſius lib. 8. in Paſchaſ. Matth. *Sic temperauit diuina maieſtas huius viſionis formam, vt & mirabilis eſſet viſio, qua Diuinitas prædicaretur in Chriſto, & humanus eum mortalium ferre poſſit viſus.*

Dona ſint proportionata capacitati eorũ, quibus dantur.

82. Nyſſenus. Tres Patres Alanus. Pſellius. Canticor. Septuaginta Ad Verbum Incarnatum, vt explicant D. Gregorius Nyſſenus, & Catena trium Patrum apud Theodoretum ; Alanus, Pſellius, & alij ; loquitur Anima Sancta, dicens : *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus : lectulus noſter floridus.* Cantic. 1. num. 16. Septuaginta transferunt. *Lectulus noſter vmbroſus.* Et rectè verbum Incarnatum dicitur lectulus noſter: in eo enim ſancti, & iuſti requieſcunt. Vnde modulatur Dauid: *In pace in idipſum, dormiam, & requieſcam.* Pſal. 4. num. 9. Verum ſi tam pulcher, ac elegans, cur non lectulus manifeſtus, ſed vmbroſus? Si Deus veniens in mundum, totum decorem, ac pulchritudinẽ ſuæ Diuinitatis manifeſtaſſet, ſine dubio tantum ſplendorem nullus ferre poſſet, ſed omnes obcæcaret; pro fragilitate hominum, ad quos veniebat vmbra noſtræ carnis tegitur, vt tantum Diuinitatis fulgur homo valeat ſuſtinere. Michaël Pſellius in Bibliotech. to. 11. ſic ait nomine Sponſæ. *Acceſſiſti, ait, ad infirmum, & imbecillem lectulum, tegens quodam artificio, & obumbrans tremendum Diuinitatis ſplendorem : niſi enim texiſſet iis, quos ſolus tu noſti, modis, diuini fortè luminis inbare præſtricti, extincti eſſemus.* Nota, quòd Verbum Incarnatum, iuxta noſtram Vulgatam, dicitur *lectulus floridus*, iuxta, Septuaginta, *vmbroſus.* Iis quibus

Pſalm. 4.

Pro fragilitate hominum, ad quos veniebat, tegitur Verbum. Pſellius.

in

in patria facie ad faciem manifestantur, veluti lectulus floridus est; intuentur in ipso Diuinitatis attributorum flores. Nobis verò in hac mortali vita, ob nostram conditionem, lectulus vmbrosus, carnis vmbra obuelatus. In distributione donorum, tanta gratia, sua proportione seruata confertur his, quibus dantur, cum apti inueniuntur, ac illis, quibus ob eorum incapacitatem subtrahuntur.

83. Isaias 6. num. 1. asserit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum; Seraphim stabant super illud, sex ala vni, & sex ala alteri; duabus velabant faciem eius.* Per quam D. Cyrillus Alexandrinus intelligit Diuinitatem, sicut per pedes abyssum, & incomprehensibilitatem iudiciorum Dei. Valde diffunduntur Patres in explicandis fauoribus Isaiæ in hac visione concessis. Ibi ei datur notitia mysterij Trinitatis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: reuelatur Incarnationis arcanum eique datur cognotio vitæ, miraculorum ac prædicationis Christi. Sicque explicant D. Cyrillus, D. Hieronymus, Haymon. & alij. *Plena est omnis terra gloria eius.* Et alia mysteria ei manifestantur. Cur ergo facies Domini, seu eius Diuinitas obuelatur? Cur aperte ei non ostenditur. Inter tot fauores eximius extitit, quòd ipsa Diuinitas esset velata, ac cooperta: nam si ei apertè monstraretur, radiis tantæ claritatis oppressus obcæcaretur potius, quam tanta diuinorum cognitione illustraretur. Illa enim suprema Diuinitatis intuitio solùm Beatis in Patria, non verò homini in mortali vita degenti conceditur. Ait enim ipse Deus: *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33. num. 20. Quod rectè confirmat, & probat D. Chrysostomus homil. de Incomprehensibili Dei natura, exemplo Danielis cap. 10. n. 7. qui aspectu Angeli vnius de se inquit: *Non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.* Sic dicit præfatus Chrysostomus. *Si Daniel præsentiam sui Angeli conferri ferre nequiuit, sed defectissimus viribus, atque exanimatus iacuit; quomodo ipsam Dei substantiam sustinere quis poterit?*

Cyrillus. Hieron. Haymon. Grandis error, quòd Isaias thesaurata apparerat Diuinitas.

Exod 33. Chrysost. Daniel. 10.

Chrysost.

84. Ait Isaias 9. num. 2. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* non dicit, habitantibus in regione mortis, seu tenebrarum, sed *in regione vmbræ mortis.* Vmbra medium quoddam est inter lucem, & tenebras; non enim ipse splendor effulget iis, qui in densitate obscuritatis residebant, sed illis, qui à tenebrarum profunditate in vmbram processerunt, vt exinde, tanquam iam magis habiles, ad lucem deuenirent. Fauet Origenes homil. 2. in Cantica. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est, transeamus ab vmbra mortis ad vmbram vitæ. Semper istiusmodi sunt profectus, vt in exordio desideret quisquam saltem in virtutum vmbra consistere.* Expende, quod ait, *vt transeamus ab vmbra mortis ad vmbram vitæ*, non ad vitam, sed ad vmbram vitæ, vt ita ipsi vitæ proportionemur.

Isai. 9.

Origen.

Non immediate de tenebris ad lucem, sed ad vmbram.

QVÆSTIO X.

Quare cum gloria Moysis tantùm esset in facie; Christi autem in facie, & in vestimentis resplenduit?

58. DE albedine, ac splendore vestium Christi dixi quæst. 5. Hæ autem factæ sunt albæ, & emicantes, vt ait D. Marcus, *Vestimenta eius facta sunt splendentia, & candida*; ex fulgore corporis. Per hæc autem vestimenta D. Gregorius lib. 32. moral. Beda, Haymon, Glossa, D. Thomas, Cajetanus, & alij Iustos Christo adhærentes interpretantur, quos Dominus sibi adiungit, iuxta illud Isaiæ 49. num. 18. *Omnibus his velut ornamento vestiarò.* Cùm Christus gloriæ indumento se induit, non tantum sibi retinet, sed etiam suis Electis illud tribuit, & communicat.

Marc. Gregor. Beda. Aymon. Glossa. D. Thomas Cajetan. Isai. 49. *Christus suam gloriam suis communicat.*

Præsens quæstio exoritur à splendore vultus Moysis: nam cùm descenderet de monte, portans duas tabulas, dicitur de eo: *Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Exod. 43. num. 29. Cornuta, idest lucida facies, vt radios luminis vibraret, eiusque quasi cornua emitteret, vt explicant Carthusianus, Cajetanus, Lyppomanus, Pererius, Cornelius, & alij. Chaldæus habet, *ignorabat Moyses, quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus eius.* Septuaginta, & multi ex Græco. *Non sciebat Moyses, quod glorificatus fuerit aspectus cutis eius, vel coloris faciei suæ.* Sicque Paulus loquitur 2. Corinth. 3. n. 7. *Gloriam vultus Moysis.* Quæst o præsens est: Cur gloria Moysis tantum resplendebat in vultu, Christi autem gloria, non solùm in facie, sed etiam in toto corpore, vt etiam in vestimentum redundaret?

86.

Exod 43. Carthus. Cajetan. Lyppoman. Pererius. Cornel. Chaldæus. Septuaginta.

2. Cor 3.

87. Hoc dubium excitat, & monet D. Ephren Orat. de Transfigurat. sic dicens: *Vestimenta autem sua ostendit eis alba instar lucis; quia ex toto corpore eius gloria Diuinitatis sua scaturibat, & ex omnibus membris suis lux eius refulgebat. Non enim vt Moysi, resplenduit eius facies extrinsecus.* Et post pauca subdit: *Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Moysis enim faciei eius apparitione vultus fuit decore; Iesus autem toto suo corpore, tanquam Sol suis radiis resplenduit gloria sua Diuinitatis.* In quibus verbis multas rationes, & valde aptas ad mores nobis inculcat S. Pater.

Ephrem.

88. Primò. *Vestimenta autem sua ostendit eis alba, quia ex toto corpore eius gloria Diuinitatis sua scaturibat; non enim, vt Moysis: resplenduit eius facies.* Quàm latum est discrimen inter Dei, & hominis gloriam! Gloria Moysis solũ sibi tantum erat, solúmq; faciei suæ adhærebat, minimèque in velamen vultus, super vultũ impositum, transibat. At gloria Dei Christi Iesu non solùm in faciem, nec solum in corpus, sed etiã in vestes transfundebatur. Secundò. Lux Dei omnia replet; lux verò hominis defectuosa. Splendore gloriæ Christi, totum eius corpus fulget: *Ex toto corpore eius gloria Diuinitatis scaturibat.* At gloria Moysis sic nitebat in facie, vt deesset in aliis membris, aliæque corporis partes sub sua obscuritate, ac densitate remanerent. Gloria Dei ex toto à pedibus vsque ad caput se extendit: gloria verò hominis dimidiatè procedit; in vna tantum parte nitet.

Gloria hominis sibi tantum, gloria verò Dei aliis communicatur.

89. Tertiò. *Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria.* Gloria Domini, ac gloria serui multum discrepant. Dominus apparet in gloria *toto suo corpore, tanquam Sol, suis radiis resplenduit.* At verò *Moyses, faciei eius apparitione vultus fuit decore.* Habeant seruus, & dominus suas glorias, suosque splendores, discrimine interiecto, vt plus nitear, plusque se extendat gloria domini, quam serui. Quarto. *Non enim sicut Moyses fuit decorus extrinsecus, sed tanquam Deus fulgebat in gloria.* Gloria Moysis

sis extrinseca, gloria Christi innata, ac ab intrinseco. Splendor extrinsecus, ac aduentitius, non per omnes partes se extendit, sed sic nobilitat vnam, vt in altera defectum patiatur. At gloria propria, & ingenita omnes partes nobilitat, per omnésque exuberat. Quintò. *Moysen enim facies eius apparitione vultus sui decere. Iesum autem toto suo corpore, tanquam Sol suus radius.* Gloria Iesu solida, & vera cùm esset in toto corpore. Gloria autem Moysis transiens, & apparens, cùm esset in sola facie. Valde suspecta est elegantia, quæ tantum in facie, ac exterior. nitet.

Gloria aduentitia defectuosa, non sic innata.

Solum Iesu gloria vera.

90. Abulens. Sextò. Gloria Christi, vt ait Abulensis q.14. dabatur in præsenti perfectè, ac futuræ gloriæ specimen: nam gloria vndiq; perficit hominem. Et ideo non in sola facie, sed etiam in vestibus enituit Christus. Vt eo enderetur, quòd non sola facies, quæ nuda erat, sed etiam totum corpus, quod vestibus tegebatur, resplendebat. At gloria Moysis, de qua attulit Paulus 2. Cor. 3. n. 7. quod *euacuatur*, huius sæcul. splendores denotat, qui valde diminuti, ac defectuosi existunt.

2. Cor. 3.

91. Septimò, & ad litteram: Respondeo. Quòd ille splendor datus est à Deo in facie Moysis, ad indicandam sanctitatem, ac puritatem illius animi, ad reconciliandamque ei multam auctoritatem in populo obstinato, quam promulgaturus erat, vt docent Lyranus Abulensis, Lippomanus, Pererius, Cornelius, & alij. Et ad hoc fatis erat fulgur in facie, quæ est index animi hominis, cuiusque maiestas multum auctoritatis sibi comparat. Hinc de Beato Stephano dicitur *Intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Actor. 6. n. 15. Hoc est viderunt faciem Stephani radiantem ad instar Angeli, vt explicat D. Augustinus serm. 6. de S. Stephano, & serm. 99. de Diuersis asserit, *faciem Stephani radiasse ad instar Solis.* D. Hilarius, Arelatensis homil. de S. Stephano, ait, ei huiusmodi splendorem in facie infusum fuisse ad manifestandum animi eius candorem, ac vt ille in suis verbis multa auctoritate emineret. At splendor gloriæ Christi proueniebat ab eius sanctissima anima, quæ sicut totum corpus informabat, ita & eius gloria toto corpore diffundebatur. Ex quo magnum degustemus morale documentum. Princeps in republica est veluti illius anima, seu vita, vt inquit Ennodius in Panegyric. Qui Theodoricum *vitam, & animam* Reipublicæ appellat. Et sicut anima totum corpus viuificat, totumque in Christo facit resplendescere in gloria, nullamque illius partem sui experrem relinquit: sic Princeps omnes suos illustret, nullumque absque eius radiis omittat.

Lyran. Abulens. Lippoman. Pererius. Cornel.

Actor. 6.

Augustin. Hilar. Arelatensis.

Ennodius. *Princeps anima Reipublicæ.*

92. Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apocal. 12. n. 12. Excellentissima hæc mulier apparet *induta* Sole, vt habet Arabicus seu *circumamicta Sole*, vt legit Græcus. Cur non alio ornamento exornatur, quàm Sole? Cur non potius ex auro purissimo, vt nitebant plateæ ciuitatis cœlestis? Vel non potius ex lapidibus pretiosis, vt erant illius portæ, & fundamenta murorum Apocal. 22. num. 19. Ad quid Sole vestitur mulier? Introducitur nobilis fœmina corona redimita: *In capite eius corona stellarum duodecim*, tanquam princeps, & regina, inde Sole componitur. Hoc enim habet Sol, vt ita peragat suum cursum, vt cunctos suis radiis illuminet, omnes foueat, cunctos calefaciat, nullúmque à sua beneficentia excludat. Vnde sic de eo Saluator loquitur: *Solem suum facit oriri super bonos, & malos.* Matth. 5. num. 45. Hanc ergo naturam imitetur Princeps, vt in vniuersos suum splendorem immittat, nul umque ab eo vacuum dimittat. D. Bernardus serm. de verbis Apocal. alias in signum magnum. Sic ait: *Ea est, qua velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur. Sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnibúsque necessitatis amplissimo quodam miseratur affectu.*

Arabic. Græcus.

Apoc 21.

Princeps per omnes sua dona diffundat.

Matth. 5.

Bernad.

Suo dilecto inquit Anima Sancta. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1. num. 7. Cur tam sollicitè suum Sponsum quærit in meridie? Cur non potius matutino tempore, quando depulsa tenebrarum caligine Sol suis radiis perlucundat? Vel ob vespertino tempore, quando à nobis recedit, suique absentia magnum in nobis excitat desiderium? Ad quid in meridie. Sol matutino ac vespertino tempore quadam partiali vice nitet: sibi propinqua magno splendore illuminat, sub vmbra, ac obscuritate aliis relictis, At in meridie Sol æqualiter omnia suo fulgore illustrat, omnibusque ex æquo se diffundit, suámque lucem à nullo diuertit. Huiusmodi in suo Sponso, vtpote omnium Principe, affectat, & exoptat Anima sancta, vt cuncto suo gregi vitæ fomenta præbeat, qui in pascendis omnibus valde communissima sua dispartitur bona. Iustus Orgletanus. *Christus in Ecclesia Catholica*, inquit, *tanquam in meridie cubans, mundum vniuersum suo fulgore perfudit, & in spiritu feruentibus requiescit: atque ex ea charitate, qua orbem vniuersum irradiat, credentes in se populos quotidie pascit.*

93. Cantic. 1. *Principes aquæ lucent omnibus.*

Orgelitan.

Quæstio XI.

Quare vestium albedo potius niui, quàm alteri rei conferatur?

94. Facta *sunt vestimenta eius alba sicut nix*, ait Euangelista, hoc est albissima sunt reddita, ac splendidissima: niue nihil est in rebus naturæ albius, proindéque nec splendidius; omnium enim colorum splendidissimus est albus. Sensum moralem inquirimus. Et primò. In limine superioris quæstionis diximus, per Christi vestimenta Sanctos denotari. Hæc autè vestimẽta niui comparantur. D. Anselmus. *Quia sancti virtutibus candidi sunt, & omnium vitiorum æstus ab eis remotus.*

Anselm. *Puritas Sanctorum.*

95. Origenes. Secundò. Origenes, legens *alba sicut lumen*, sic ait: *vestimenta Domini sunt candida sicut lumen, quæ sunt sermones, & littera Euangeliorum, quibus Christus indutus est: non sunt qualitercumque candida, sed candida sicut lumen.* Olim Deus Synagogæ ænigmaticè, & per figuras loquebatur; nunc verò suis Discipulis suæque Ecclesiæ tam clare fatur per Euangeliorum dicta, vt eis fiant manifesta, ac aperta sicut lumen, seu lux.

Verba Euangeliorum clara sicut lumen.

96. Ambros. Tertiò. Ambrosius lib. 7. in Luc. ad hunc locum. *Forsasse*, inquit, *vestimenta Verbi, sermones sunt Scripturarum, & quædam intellectus indumenta diuini.* Cur autem Scriptura niui comparetur, statim explicat citatus Ambrosius. *Vere hic solus sermo nuribus comparandus, qui ac cœlo missus in terram*

terram ieiuna nostrorum arua peccatorum fœcundauit. Comparatur diuinus sermo niui, vt canit Moyses Deuteron. 32. num. 2. *Concrescat vt pluuia, doctrina mea; sicut ros, eloquium meum; quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Sicut enim nix fœcundat agros ad magnos fructuum cumulos; sic Scriptura sacra fœcundat animos ad magnos edendos prouentus. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt ea.* Psal. 118. n. 1. Simul beati nuncupantur, qui scrutantur diuina testimonia, ac qui ambulant in lege Domini: si quis enim lectioni diuinæ Scripturæ incumbat, eamque scrutetur; ipsam spiritu retinebit, ac diuinæ Legi adhærens in ea ambulabit. D. Ambrosius serm. 1. in dictum Psalmum, *Si quis ergo in via ambulat, scrutetur testimonia Domini: quoniam melius potest ambulare qui scrutatur Domini testimonia.*

Deuter. 32.

Scriptura animos virtutibus fœcundat.

Psalm. 118.

Lectio Scripturæ facit ambulare in Lege Dei.

Ambros.

97. Quartò. Maximè perponderandum, quod facies Christi splendet sicut Sol, *vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Cur non eodem modo, sed tam diuerso fulgent? Cur vestimenta velut Sol non irradiant sicut facies? Ad quid niueum colorem reddunt? Ad quid tam dispar fulgur in facie, ac veste? Sol parua, ac valde minuta lustrat, & maximè abscondita penetrat, ac intuetur. Nix verò decidens in terram, illam vestit, ac cooperit. Christus in hoc monte personam summi principis, ac magistri agebat. Hinc vox Patris resonat, *Ipsum audite.* Alto consilio facies resplendet vt Sol; vestimenta candida apparent, vt nix. Princeps, velut Sol, vniuersa lustret, videat, ac introspiciat: vestimenta autem eius ad niuis morem se gerant, vt aliorum defectus, ac squallores obnubeãt, & tegant, veluti candore niuis respersa aliorũ turpitudines cohonestè aliquando cooperiant.

Princeps vniuersa videat, ac suorum defectus cooperiat.

98. *Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apocal. 12. num. 1. seu, vt habet Græcus, *Circumamicta Sole.* Planum est, quod corona multò eminentior est veste: cum ergo multò nobilior sit stellis, cur corona mulieris non componitur ex Sole, sed ex stellis? Ad quid vestitur Sole. Introducitur mulier vt regina, ac princeps, vt corona in eius capite indicat. Rectè veste ex Sole confecta induitur; vt ibi principis conditio exprimatur. In Sole acuties, & perspicacia, vt vniuersa vndequaque circunspiciat, & intueatur; in veste autem benignitas, vt aliorum lapsus, & culpas, tanquam tegumento cooperiat. Hinc ait Carolus Regius in Oratore Christiano, lib. 3. cap. 4. *Vestitur Rex purpura, ex gentium more, valde lata, & ampla, non solùm vt regalis magnificentia nota, sed etiam vt illius amplitudine aliorum casus, ac miserias, tanquam tegumento inuolto, abscondat, & operiat.*

Apoc. 12. Græcus.

Carol.

Matth. 17. *n.* 3. Et ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.

VERSIONES.

Græcus. Et ecce visi sunt illis.

Vatablus. Et ecce conspecti sunt illis Moyses, & Elias cum illo colloquentes.

Syriacus. Quum oquerentur cum illo.

Altera Textus.

Marci 9 *n.* 3. Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Iesu.

Lucæ 9. *n.* 30. Et ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyses, & Elias.

Num. 31. Visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.

EXPOSITIO III.

99. Particula *&*, denotat, quòd statim, ac Dominus transfiguratus est; *ecce* rem magnam, ac subitaneam innuit, vt ait Albertus Magnus, *apparuerunt illis*, seu, vt habet Græcus, *visi sunt* ab illis, scilicet ab Apostolis astantibus, qui ipsos viros clarè, & apertè videbant. D. Lucas scribit: *Visi in maiestate*; Syriacus legit, *Visi in gloria*, corporibus nempe, & vestimentis splendentibus, ac glorioſis. Moyses, & Elias, magni proceres veteris Testamenti, *Cum eo loquentes.* Notandum, quòd tunc Moyses, & Elias cum Iesu loquuntur, quando ipse suo diuino fulgore coruscat: nisi enim Iesus radios suæ diuinæ lucis immittat, Lex, & Prophetæ minimè intelliguntur. D. Chrysost. homil. 10. in Marcum. *Nisi Iesum*, inquit, *vidissent transformatum, Moysen, & Eliam videre non poterant loquentes cum Iesu. Quandiu Iudaico intelligimus, & litteram sequimur occidentem, Moyses, & Elias cum Iesu non loquuntur, Euangelium nesciunt. Si autem Iesum sequuti fuerint, & videre Dominum meruerint transformatum, statim Moyses, & Elias venient, ideſt Lex, & Propheta, & colloquuntur cum Euangelio.*

Alb. Magn. Græcus.

Lucas. Syriacus.

Ex gratia Christi venit vt ipse agnoscatur. Chrysost.

100. *Cum eo loquentes*, seu *colloquentes.* Quod autem pertractarent, explicat D. Luc. *Dicebant excessum eius*; loquebantur de Cruce, ac morte eius, quam Euangelista excessum vocat, seu exitum Lucas Burgensis ex Græco legit, *dicebant exodum eius*, vt vox Græca faciat allusionem ad exodum, seu expeditionem, quam olim Moyses gesserat educto Israël ex Ægypto. Aliqui apud Chrysost. hom. 57. & Euthymium ex Græco legunt, *Dicebant gloriam eius*, mors, seu crux gloria eius. Si verò vim facias in verbo Latino apud nostram Vulgatam, innuitur, quod per crucẽ, & mortẽ excessus, ac magnitudo diuinæ pietatis, ac amoris erga nos est manifestatus. *Quem completurus erat*, futurũ enim erat, vt breuiter illum perficeret, *in Ierusalem*, totius regni metropoli, ac capite. Et mors dicitur excessus, seu exitus: præ amoris vi mors illi, non vt mors, sed tanquam exitus, ac transitus videbatur.

Lucas Burgensis.

Chrysost. Euthym.

Crux & mors gloria Christi.

Mors Christo non vt nobis reputabatur.

Quæstio XII.

Circa apparitionem Moysis, & Elia hîc factam aliqua quæstiuncula resoluuntur.

101. Prima quæstiuncula: Quomodo Elias hîc apparuerit? Facilis est solutio; nam Elias raptus est viuus in curru igneo, & adhuc viuit in certo loco deputato à Deo, ex quo loco

Elias quomodo venit.

non in curru igneo, vt aliqui dixerunt apud Abulenſem quæſt. 53. ſed per Angelum ad locum Transfigurationis tranſlatus eſt.

Abulenſ. 102. *Difficultas de Moyſe.* Deuter. 34

Secunda quæſtiuncula de Moyſe; Quomodo in Transfiguratione præſens fuerit, eſt tota difficultas. Nam de fide certum eſt, quidquid aliqui dixerint, quòd Moyſes verè mortuus eſt. Deuter. 34. n. 5. *Mortuus eſt ibi Moyſes*, &c. *Et ſepelinit eum in valle*, &c. Id autem, quod aſtruitur in quadam Gloſſa apud Lucam 9. in Transfiguratione non verum Moyſen, ſed Angelum in ſpecie, ac figura Moyſis apparuiſſe: eſt apertè falſum. Imò Suarius tom. 2. ad 3. p. diſp. 32. ſect. 2. in principio talem ſententiam erroneam appellat: nam D. Matthæus ſcribit, *Et apparuerunt Moyſes & Elias cum eo loquentes*: & D. Lucas, *Ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyſes, & Elias.* Quæ verba in ſua proprietate ſunt intelligenda, vt veritas hiſtoriæ requirit.

Suar.

103. Anima ergo Moyſis per Angelum educta eſt, & tranſlata eſt in terram, venitque ad Chriſtum in Thabor: An in ſuo corpore vero, & naturali: an aëreo? dubitatur. In corpore aëreo, per Angelum efformato veniſſe. docent D. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. ad 2. & hoc loco in Matthæum, & hic Lyranus, Abulenſis q. 54. Salmeyron, & alij.

D. Thom. Lyran. Abulenſ. Salmeyron.

104. *Verior ſententia.* Hieron. Origen. Tertull. Damaſcen. Suarius. Tolet. Thyræus. Maldonat. Barradas. Burgenſ.

Secunda ſententia eſt, Moyſen in proprio, ac ſuo naturali corpore apparuiſſe in Thabor, ac verè a mortuis ſurrexiſſe. Ita docent D. Hieronym. hic, Origenes homil. 12. in Exodum, Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 22. & lib. 4. contra Praxeam, c. 14. D. Damaſcenus Orat. de Transfig. & alij Patres, quos citat, & ſequitur Suarius citata diſp. 32. ſect. 2. §. ſecunda ſententia. Toletus cap. 9. in Luc. annot. 61. Thyræus de Apparit. Chriſti, lib. de Transfigur. c. 3. §. 56. & hic Maldonatus, Barradas, Lucas Burgenſis, & alij.

105. *Comprobatur ſuperior ſententia.*

Probatur hæc ſententia. Omnia, quæ in myſterio Transfigurationis interuenerunt, vera, ac ſolida fuerunt; non enim decebat, vt veritas tanti myſterij fictione, ac mendacio probaretur, ſed veritate, ac integritate rei: ergo perſona Moyſis, hic apparens, ac teſtificans de Chriſto, non fuit aërea, & fictitia. Deinde maximè rationi erat conſentaneum, vt quemadmodum Chriſtus, non falſam, & adumbratam, ſed veram, & expreſſam gloriam oſtendebat: ſic non falſis, & imaginariis, ſed veris confirmaretur teſtimoniis. Venit ergo Moyſes in ſuo vero corpore, vt mihi eſt probabilius; ſicut in Reſurrectionis Chriſti tempore multa corpora ſanctorum reſurrexiſſe dicuntur, & multis apparuiſſe, quos certũ eſt in proprio corpore apparuiſſe, animabus iterum vnitis cum corporibus, vt teſtes veræ reſurrectionis Chriſti exiſtérent, quos peracto myſterio abſq; aliquo dolore corpora depoſuiſſe, verior eſt ſententia.

106. *Moyſes, & Elias viſi in gloria.* Tertull.

Tertia quæſtiuncula: Quomodo Moyſes, & Elias viſi ſunt? Reſpondetur. Quod hoc explicat D. Lucas *in maieſtate*, ſeu, vt habet Syriacus, *in gloria* glorioſis nempe, ac fulgentibus corporibus. Sic docent Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 22. quod Moyſes, & Elias viſi ſunt *in conſortio claritatis*. Et Origen. hom. 12. ait de Moyſe, quòd *totus glorificatus aſcendit in montem*. Si autem Euangeliſtæ ſolum de Chriſto dicunt, quod *reſplenduit facies eius vt Sol, veſtimenta vt nix*, ex eo eſt, quia ſolus Chriſtus transfiguratus eſt: & quia ſolus ipſe reſplenduit gloria propria proueniente, tam ab vnione hypoſtatica, quàm ab anima beata. Moyſes autem, & Elias nitebant ex redundantia corporis Chriſti, vt Apoſtoli viderent conſeruorum gloriam, vt tanta eis remuneratione data, Diſcipuli in laboribus fortioribus redderentur.

Origen.

Præmio exſeruus dato multùm alij animantur.

Quarta quæſtiuncula: Quomodo Moyſes, & Elias loquebantur? Reſpondetur cum Caiet. Sermonem habuiſſe, non ſpiritualiter, & intellectualiter, vt aliqui dixerunt, ſed humano, ac articulo modo, cùm quilibet eorum verum, ac proprium habuiſſet humanum corpus, vt ſupra diximus.

107. *Quomodo loquerentur* Caiet.

Quinta quæſtiuncula: Quomodo Apoſtoli cognouerunt Moyſen, & Eliam: ſiquidem ex lineamentis facierum non agnouerant, nam apud Hebræos imagines non erant in vſu, vt notant Tertull. ſupra citatus, & Theop. hic. Reſpondetur. Quòd Apoſtoli hos viros agnouerunt ex diuina reuelatione, qua ſunt illuſtrati: apparebant enim vt teſtes Chriſti, ac proinde expediebat, vt ab Apoſtolis agnoſcerentur. Valdè etiam veriſimile eſt, eos fuiſſe agnitos ex propriis ſermonibus; tum quia ſub proprio nomine ſunt appellati; tum etiam quia Moyſes fortè dicebat: Tu es, cuius ego paſſionem, occiſo agno, & celebrato Paſcha, præfigurani. Elias verò: Tu es, cuius ego reſurrectionem, ſuſcitato viduæ filio, ſignificaui. Ita Theophylactus in præſenti.

108. *Quomodo Apoſtoli eos agnouerint?* Tertull. Theophyl.

Sexta quæſtiuncula: An in Transfiguratione Angeli viſi fuerint? Reſpondet negatiuè S. Thom. 3. p. q. 45. art. 4. ad 1. Nam ſi ibi interfuiſſent Angeli, vt ait Abulenſ. q. 65. dé eis facerent Euangel. mentionem, ſicut Moyſen, & Eliam expreſſerunt. Deinde, quia, vt ait D. Thom. citatus, Chriſtus in Transfiguratione ſuis Diſcipulis manifeſtauit gloriam corporis, quæ ad ſolos homines pertinebat: & ideo conuenienter, non Angeli, ſed homines ad hoc pro teſtibus inducuntur.

109. *An apparuerint Angeli?* D. Thom. Abulenſ. D. Thom.

QVÆSTIO XIII.

Quare hîc ad Concilium vocantur Patres Veteris Teſtamenti; & non potius ſublimes Angeli è cælo?

AD hoc magnum concilium celebratum inter Transfigurationis glorias conueniunt ex paradiſo Elias, ex inferno, ſeu ſinu Abrahæ, Moyſes, ex terra tres Apoſtoli. Quod notauit Timothæus Antiochenus Orat. de cruce, ac Transfig. apud Grethſerum to. 2. *Quid verò aſſumit, tres tantùm in montem ducere, & ex Prophetis neminem, niſi Moyſen, & Eliam? Et cur illos quidem tres, hos autem duos? Vt impleretur dictum Pauli, In nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ. Ex inferno ſubduxit Moyſen, ex cœleſtibus deduxit Eliam, ex terreſtribus Petrum, Iacobum, & Ioannem.*

110. Timoth.

Ad Chriſti glorias videndas, ad altum conſilium eius mortis inſpectandum aduocantur ex paradiſo Elias, ex inferno Moyſes, ex terra tres Apoſtoli; cùm enim in omni parte Chriſti nomen ſit adorandum, ac celebrandum; ex omni etiam parte teſtes eius gloriæ conueniunt. Sed cur plures ex terrenis laboribus, ac puluerulento luctamine contra aduerſarios ad Chriſtum accedunt, quàm ex requie, ac felicitate paradiſi, vel Abrahæ ſinus ſemper ad Chriſtum plures tranſmiſit labor, ac preſſura, quàm felicitas, & requies: ſempérque plures ad gaudium gloriæ Chriſti conuolant ex ſudore, ac corona meritorum, quàm ex placida, ac ſecura aliquali bonorum poſſeſſione.

Plures ex laboribus, quàm ex requie ad Chriſtum veniunt.

Plures ad gloriã conuolant ex merito, quã ex poſſeſſione.

Ad

111. Ad nostram quæstionem. Si ex omni parte properant, cur ex a tero sæculo veniunt Patres Veteris Testamenti; & non potius Angeli? Respondeo primò. Veniunt Patres antiqui, vt inter vtrumque Testamentum manifestetur concordia, & vnitas. D. Anselmus. *Moyses, & Elias apparuerunt*, inquit, *quia Lex, & Prophetæ in alto celsioris intelligentiæ cernuntur cum Euangelio; ac concordant in dictis suis cum eo.* Moyses Legem, Elias Prophetas, ac proinde vterque totum antiquum Testamentum denotabat; ideò concorditer apparent in monte cum Auctore noui Testamenti Christo Iesu; vt vtriusque Testamenti vniformitas, ac cohærentia exprimatur. Vt fidelis anima Deum sibi loquentem audiat, ait ei Sponsus eius: *Murenulas aureas faciemus tibi.* Cantic. 1. num. 10. Aponius lib. 3. in Cantica legit: *Catenulas aureas.* Quod ipse explicans inquit: *Noui, & Veteris Testamenti verba, quæ prænotauerunt, vel ostenderunt Saluatorem mundi venisse concatenata sunt. Et quasi vna veritatis catenula, sermo effectus per concordiam fidei, per vnanimitatis sensum Ecclesia collum decorat.*

Anselm.

Aliæ concordiæ, vnitas noui, & veteris Testamenti.

Cantic. 1. Aponius.

112. Secundò. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22. *Tradidit Pater filio Discipulos nouos, ostensit prius cum illo Moysen & Eliam in claritatis prærogatiua, atque ita dimissis, quasi iam officio, & honore disiunctis.* Hoc est, vt explicat eius Scholiastes, *perfectis, absolutisque.* Ad Thaboris gloriam assumpsit Dominus tres suos Apostolos, quos ad prædicandum suam Legem nouam elegerat; duos magnos viros Moysen, & Eliam ex Lege veteri etiam aduocat: vt fieret planum, quod sic nouos suos alumnos, ac prædicatores miris donis, ac excellentiis sublimabat, vt minimè absque honore antiquos Patres, qui pro Lege Dei maximè decertauerant, dimitteret, miniméque eis suum debitum decorē minueret; sed eorum auctoritati consulens ad sublime eos euocat Transfigurationis mysterium. Circumcisionem mandat Deus Abrahamo, & posteris eius. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis* Genes. 17. num. 12. Conueniunt Expositores, ac Theologi, quod si infans in periculo vitæ fuisset constitutus ante octauum diem, illud signum ad expiationem peccati originalis adhibebatur; illud scilicet, quod ante circumcisionem fuerat institutum, dicebatur Remedium Legis naturæ, quod erat parentum fidei protestatio. Si Deus hoc dat Abrahamo in signum distinctum populi sui, ac in remedium peccati originalis, cur ei non dat vnum Sacramentum, quod esset pro omni casu applicandum? Per illud Legis naturæ remedium fuerunt Patres coadunati in fide, ac cultu Dei. Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. *Sacramentum Circumcisionis induxit, ita tamen, vt per antiquum Patrum remedium abiectum sine honore non remaneret.*

Tertullian.

Ob nouos fructus non absque honore dimittuntur antiqui.

Genes. 17.

Ob vnus antiqua non tollitur.

Paludanus.

113. Tertiò, & maximè ad quæstionem. Conuocantur ad Concilium Moyses, & Elias, in quo res altissima pertractabatur, quæ nempè spectabat ad Christi vitam, & mortem. *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem.* Cur potius non aduocantur Angeli, seu Cherubim, qui alto, & sublimi pollent intellectu? Agebatur hic de Christi morte; Angeli, verum est, quod magna intellectus acutie sunt præditi; tamen angustia, ac plaga mortis sunt immunes, minimè enim moriuntur, homines autem acerbissimis mortis doloribus opprimuntur, ac passim illis circundantur. Ad Concilium ergo, in quo causa mortis ventilatur, non accedant Angeli; licet enim natura, ac intellectu illustrissimi, non tamen obitum experiuntur; & ad suffragium, non nobilitas personæ, sed experientia est attendenda.

Concilium expertæ ætatis adhibendæ.

114. Cum Regina Vasthi contemneret regis Assueri imperium, ad eiúsque mandatum aduocata nollet venire. Ad consilium Rex Assuerus, ait textus, *Interrogauit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant.* Esther. 1. num. 13. Pagninus ex Hebræo legit. *Dixit rex sapientibus, scientibus tempora.* Ad tantum negotium suæ auctoritatis non adhibet regni primates, non sapientiores quærit; sed scientes tempora, qui de tempotibus, ac eorum euentibus largam habebant notitiam, ac experimentum.

Esth. vt. Pagnin. Consilium cum experientia quærendum.

115. Cum Michæas Propheta cap. 7. num. 7. vidisset populum suum multis calamitatibus à Chaldæis oppressum, vt interpretantur D. Hieron. Theod. Rupertus, & alij, sic ait: *Expectabo Deum saluatorem meum.* Cur auxilium quærit, non a Deo Creatore, seu institicatore, sed à Deo saluatore? Agnoscebat se Propheta multis malis vulneratum: Deus Creator, Deus impassibilis est: Deus verò saluator, Deus plagatus, *Propter scelera nostra attritus est.* Hunc ergo quærit sibi aduocatū, & iudicem, vt illius caulam iudicet, & cognoscat, cùm nostras oppressiones, ac miserias large esset expertus. Vide tom. 3. cap. 35. q. 8. n. 65.

Hieronym. Theodor. Rupert. Michæ 7.

Aduocatus, & iudex per necessitatem expertus.

QVÆSTIO XIV.

Quare ex omnibus Patribus Moyses, & Elias potius; quàm alij aduocantur?

116. APPARENT hic Moyses, & Elias, non verò in Baptismo cùm vox Patris resonat. *Hic est filius meus dilectus.* Marc. 1. num. 12. Et apparent, vt scribit D. Lucas, *visi in maiestate.* Nitebat Dominus in gloria, & forte, vt plenior esset gloria, ac voluptas Christi; nam voluptatis gloriæque sociis carere, lætitiæ detrimentum est. Et fortè etiam apparent in maiestate, vt Apostolos ad labores excitent: nil enim sic seruire suadet, vt præcedentium conspecta seruorum præmia.

Marc. 1. Lucas. *In gloria socios habere, lætitia multa.*

117. Ad quæstionem respondet Primò D. Chrysostomus homil. 57. Quoniam turbæ dicebant, Alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex prophetis, *idcirco Moysem, & Eliam cæterorum prophetarum vertices produxit, vt, quam magnum sit inter seruos & Dominum discrimen, oculis cerneremus.* Vt ita ex collatione eorum in gloria appareat, se esse Dominum, illos autem seruos. Et subiicit Chrysost. *Vtique velle laudatum chederent Petrum, qui filium Dei cum confessus est.* Secundò. Idem Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, S. Thomas 3. p. q. 45. art. 3. ad 3. Quia Moyses Legem dedit, Elias pro gloria Domini æmulator fuit. Vnde per hoc, quod simul cum Christo apparent, excluditur calumnia Iudæorum, accusantium Christum, tanquam transgressorem Legis, & blasphemum, Dei sibi gloriam vsurpantem. Si enim talis esset, vtique Moyses, & Elias non probarent eum, nec testimonium honorificum de illo redderent.

Chrysost. *Differentia inter Dominum, & seruos.*

Euthym. Theophy. D. Thom.

118. Tertiò. Idem D. Chrysostomus. *Vt discant*, ait, *quoniam mortis, & vitæ potestatem habet, propterea & Moysen, qui morte defecerat; & Eliam qui nondum mortem passus fuerat, in medium adduxit.* Vt se mortis, ac vitæ declaret, auctorem.

Chrysost. *Christus mortis, & vitæ Dominus.*

Iacob dicit Deus: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Gen. 28. n. 13. Abraham iam mortuus, vt patet Genes. 25. num. 8. Isaac adhuc viuus, vt colligitur Genes. 35. num. 28. Vt ita se Deum viuorum, ac mortuorum ostendat. Quartò. Idem S. Doctor. *Vt crucis gloriam ostendat, tam Petrum, quàm reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, & ad sublimius erigerent; non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Ierusalem, de Cruce videlicet, ac passione; sic enim ipsam semper appellabant.* Ita ille. Vt ita Discipulorum animos promoueret, ac induceret, vt se morti pro Deo exponerent: nam Moyses periculo mortis se obtulit Pharaoni; Elias verò regi Achab.

Genes. 28. Genes. 25 Genes. 35. Chrysost. Pro mira extenuanda.

119. Chrysost. Quintò. Idem Chrysostomus apud Catenam D. Thomæ. *Ducit enim*, ait, *propter hoc Moysen, & Eliam in medium: volebat enim, quòd Discipuli illorum priuilegia zelarent.* In maiestate, vt ait D. Lucas, seu gloria apparent altissimi vertices antiquæ Legis in conspectu Apostolorum, seu procerum Euangelicæ Legis, *Vt Discipuli illorum priuilegia zelarent.* Si enim illi in statu antiquo, & imperfecto suis meritis tantam gloriam sunt adepti, viuacius ipsi magnates Legis nouæ, in excellentiori ordine constituti, stimulari debebant, ad altius fastigium assequendum. Quis enim dubitat quòd merces quibusdam concessa, aliis ad illustriorem coronam sit aculeus? Sextò. D. Hilarius Cantic. 17. in Matth. & D. Thomas 3. p. quæst. 45. art. 3. ad 3. *Vt ostendat scilicet, se per Legem, quam dedit Moysen, & per prophetas, inter quos fuit Elias præcipuus, esse prædicatum.*

Aliorum præmium viili venit animus. Hilar. D Thom.

120. Chrysost. Septimò. Idem Chrysostomus homil. 57. in Matth. *Producit illos*, inquit, *propter hoc, vt eos, qui maximè populares fuerunt, imitarentur, & animi robur, atque constantiam sequerentur; fierentque mites vt Moyses, zelotes vt Elias.* Cùm Christus Dominus suam Legem nouam ordinaret, conspectui suorum Apostolorum Moysen, & Eliam obiicit. Moyses *omnium mitissimus.* Num. 12. num. 3. Elias valdè seuerus, & rigidus in peccatoribus puniendis 3. Reg. 19. num. 10. Vt ex hoc altissimo tribunali Christi principes instruantur, vt lic in stitiam adimpleant, vt humanitatis recordentur; siue, vt iustitiam suam multa pietate commendent. *Virga directionis, virga regni tui.* Psalm. 44. num. 6 Quem locum citans Paulus ad Hebr. 1. num. 8. ait: *Virga æquitatis, virga regni tui.* Quod commentans Agellius ad citata verba Psalmi. *Virgam æquitatis appellat*, inquit, *censuram, atque seueritatem æquitate, & clementia temperatam.*

Num. 12. 3. Reg. 19. In principe iustitia, & pietas. Psal. 44. Hebr. 2. et. 1. Agellius.

121. Hieron. Octauò. D. Hieronymus in cap. 17. Matth. *Scribis*, ait, *& Pharisæis tentantibus se, & de cœlo signa poscentibus dare noluit: sed prauam postulationem confutauit responsione prudenti. Hic verò, vt Apostolorum augeat fidem, dat signum de cœlo, Elia inde descendente, quo ascenderat, & Moyse ab inferius resurgente.* Iudæis signa petentibus de cœlo, vt ea calumniarentur, dare noluit, Matth. 12. n. 39. Hic verò non petentibus Discipulis, ad eos tamen in fide suæ potestatis roborandum, dat signum de cœlo, Elia ab eo descendente; & etiam inferno, Moyse ab illo consurgente. Sicut enim iustum, ac sanctum est exhibere ostentationem, & signa, quando ad salutem nostram conducunt; ita & illa denegare, cùm ob nostram nequitiam inutilia, ac noxia reddunturs sicut enim singularis benignitas est, dare beneficium, cùm proficit; ita & illud denegare, cùm officit.

Matth. 12. Ita conuenit aliquando negare beneficium, ac illud.

Nonò. D. Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinian. *Ob ieiunium*, inquit, *consortia Moysen, & Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* Et Tertullianus lib. aduersus Psychicos. *Merito igitur*, ait, *etiam in carne se Dominus Moysi ostendit collega ieiuniorum suorum, non minus & Elia.* Ex tot, tantisque Patribus magnis Abrahamo, Isaac, Iacob, Dauid, ac aliis Moysen, & Eliam eligit Dominus ad Transfigurationis gloriam; hi enim eundem ieiuniorum numerum cum Iesu obseruarunt. Et qui in obseruatione ieiunij collegæ extiterunt, insigniter ad consortium, ac participationem suæ gloriæ euocat. Curru rapitur Elias in cœlum 4. Reg. 2. num. 11. Cur sic Elias potius, quàm alij magnates antiquæ Legis? D. Petrus Chrysostomus serm. 2. ait: *Elias Domini continuatione ieiunij defœcatus à carnali pondere, mortis victor euolauit in cœlum.*

122. Hieron. Tertullian. Ieiunium gloriæ fecit consortes.

4. Reg. 2. Chrysost.

Decimò. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 23. *Cum*, ait, *visus est Christus gloriam suam communicare, à quibus Dominus gloriæ nuncupabatur cum principalibus suis, quorum alter, populi informator aliquando; alter reformator quandoque: alter initiator veteris Testamenti, alter consummator noui,* Illud verbum, *Cum principalibus suis*, explicat Pamelius. *Ita vocat auctor, quod Moyses, & Elias præcipui, & primi fuerint prophetarum veterum, iam dudum ante illos, quos maiores vocamus.* Ex tot antiquorum Patrum cœtu Moyses, & Elias ad Thaboris gloriam accedunt, illiúsque participes fiunt. Moyses quidem primus fuit populi institutor, ac legifer; Elias vero primus reformator, ac antiqui honoris, & cultus restaurator. Cùm enim quodam prioritatis honore fulgerent; peculiariter ex omnibus antiquis ad hanc gloriam eliguntur. Qui enim primi sunt in virtute, multùm honorandi.

123. Tertullian. Pamelius. Primus in virtute honorandus.

Vndecimò. Ad eadem verba: *Cum principalibus suis*, iterum, *Quod Moyses, & Elias præcipui, & primi fuerint prophetarum veterum.* In terris constituebat Christus Dominus regnum suæ Ecclesiæ, in eoque gloriam suæ maiestatis in Transfiguratione ostendebat, ad eámque Moysen, & Eliam antiquitatis apices inducit, eámque cum suis principalibus communicat. Regium enim est, splendores, ac suæ celsitudinis radios ad suos proceres, & magnates extendere, eósque sui decoris habere participes, & consortes. Duodecimò. Moyses, & Elias maximè pro Dei honore solliciti, etiam cum populi, ac suorum damno, & iactura. Sic dicebat Moyses, rogans pro populo. *Cur irascitur furor tuus? ne, quæso, dicant Ægyptij, callidè eduxit eos.* Exod. 32. Et ibi iussit occidi triginta millia virorum. Elias eximius Dei zelotes, cœlum clausit 3. Reg. 18. num. 2. Qui maximè ad Regis honorem, suorum contempta commoditate, intendit, maximè ab ipso Rege honoratur.

124. Princeps suam cum suis magnatibus cõmunicet maiestatem. Exod. 32. 3. Reg. 18. Qui sua pro Rege constituunt, maximè ab ipso honorandi.

Decimotertiò. D. Ambrosius lib. 1. de Iacob, & vita Beata cap. 8. *Operationes*, ait, *bono commendantur affectu. Neque enim minus beatus Elias, quàm Moyses, cùm alter cibi indigus, meloti denili, sine filiis, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, latus sobole, succinctus potentia, diuerso genere meritum æquale fundarunt, quando cum Domino in Resurrectionis gloria refulserunt.* Valde dispares erant in actionibus, ac moribus Moyses & Elias, vt discurrit S. Pater; & tamen æqualiter in maiestate Transfigurationis cum Domino apparent. Et quomodo inæqualibus operibus tam æquale præmium? Deus enim non id, quod fit, sed potius, quo animo ac affectu fiat, contemplatur. Pergit citatus

125. Ambros. Non operis magnitudo, sed animus pensandus.

citatus Ambros. *Nec minus beatus Elisæus, quàm Dauid, dum alter regibus subditus, alter regali potestate praditus, prophetica significationis haud parem adepti sunt gratiam.*

116. Cyrill. Ierosol. Decimoquartò. D. Cyrillus Ierosolymitanus Cathec. 12. *Duos testes exhibeamus, eos, qui in monte Sina Domino assistebant. Moyses erat in foramine petræ, & Elias in ostio spelunca; Olim in transfigurato præsente facti in monte Thabor, dicebant Discipulis excessum, eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Ex illustrissimo præcedentium iustorum numero Moyses, & Elias conueniunt ad Transfigurationis pompam, in qua magna rerum negotia, erant pertractanda. *Dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Cur ergo hi duo potius electi sunt, quam alij? Hi Patres, dimissis terrenis rebus, à sæculi curis vacui, ab illisque se abdicantes: interiora deserti ad contemplandum penetrarunt: Moyses in foramine petræ latitans: Elias in spelunca se recipiens: inde apti inueniuntur, vt ad spectandam Dei gloriam ac ad colloquendum de magnis mysteriis, tanquam commilitones à Christo assumatur, quos secessus magnopere commendabat.

Quis commodat aptos ad magna negotia.

117. Abulens. Decimoquintò. Abulens. q. 47. Ex tam amplo veterum Patrum cœtu Moyses, & Elias ad Transfigurationis gloriam, ac ad colloquendũ de Christi morte assumuntur ob magnam similitudinem, ac conuenientiam, quam inter se habuerunt. Moyses ieiunauit quadraginta diebus sine cibo. Exod. 34. num. 28. Totidémque & ieiunauit Elias 3. Reg. 19. num. 8. Vtérque idololatras interfecit; Moyses Exod. 32. n. 28. Elias 3 Reg. 18. num. 40. Vtérque iniquo Regi restitit: Moyses Pharaoni Exod. 5. Elias Achab 3. Reg. 18. Vtérque magnus in Lege: Moyses eius legislator; Elias illius defensor, propugnator, ac zelator. Hos vt nõ dispares moribus, sed vt valdè similes vita, ad nostræ salutis negotium pertractãdum adducit Christus Thabor: multum enim expediens est, vt, quos ad consilium conuocas, non discrepent vita, sed vt magnopere motibus, ac conditione conueniant.

Exod. 34. 3. Reg. 19. Exod. 32. 3. Reg. 18. Exod. 5. 3. Reg. 18.

Ad Concilium euangelandi similes, ac coharentes homines.

118. Decimosextò. Cur ex tam amplo numero tot præcedentium Patrum Moysen, & Eliam hic Christus produxit in medium ad causam nostræ salutis discutiendam? *Loquebantur de excessu, quem completurus erat in Ierusalem.* Hos tantum præ cæteris adducit Christus. Volebat pro nostra redemptione mori. Moyses mortem pro populi incolumitate sibi elegerat, Exod. 32. n. 32. Elias spiritum vitæ suæ voluit filio viduæ communicare: nam cum se expandit super puerum. 3. Reg. 17. n. 21. hoc faciebat, ait Lyran. ostendens, quòd vellet illi infundere partem vitæ suæ, si fieri posset. Homines qui pro aliorum bono voluerunt vitam suam profundere, quodnam erant Christo daturi consilium, nisi vt etiam ipse pro hominum salute vitam suam impenderet? Hos ergo potiùs, quàm alios conuocat Christus Dominus ad negotium redemptionis generis humani pertractandum. Ardentissimè enim ipse exoptabat pro nostro remedio propriam vitam elargiri. Ex consiliariis, quos quilibet sibi associat facile mens eius agnoscitur, ac deprehenditur. Cùm Saul haberet in consilio Doëg Idumæum crudelem Dauidis inimicum, statim ego intellexi, sacerdotes Dauidis familiares crudeli morte esse interimendos. 1. Reg. 22. n. 9. Et cùm Iudas super suum scelus interrogat Principes Sacerdotum, quodnam consilium erant daturi, nisi proclive ad interitum, & perditionem?

Exod. 32. 3. Reg. 17. Lyranus.

Ex consiliariis, quos adhibes, facilè mens tua deprehenditur.

1. Reg. 22.

1. Matth. 27. num. 6.

Cùm meus Iesus teneretur cõprehensus, principes sacerdotum? ac seniores populi interrogat iniquus iudex Pilatus: *Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* Clamant omnes, vt crucifigatur. Et subnectit textus: *Tunc Iesum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur*, Matth. 27. n. 26. Maximè notanda illa particula *Tunc*; hoc est pro illo euentu, & occasione. Valdè mirum, quòd Iesus morti traditur, non quando proferuntur duo falsi testes astruentes: *Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Nec quando Pontifex scidit vestimenta sua, dicens: *Blasphemauit*: nec quando *Accusabant eum summi Sacerdotes in multis*, Marc. 15. n. 3. sed quando Pilatus interrogat: *Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* Tunc in ipso temporis articulo tradidit Dominum Iesum, vt crucifigeretur. Euthym. *Interrogat ponens rem in illorum potestate.* Si interrogantur summi sacerdotes de vita Domini Iesu, qui erant responsuri nisi vt Iesus crucifigeretur? Ergo cùm Pilatus Iudæos interrogat, tunc tradidit Iesum, vt crucifigeretur. Nam, vt rectè argumentatur ibi D. Chrysost. Theoph. D. Paschas. si ipse ob timiditatem, ac animi debilitatem nollet Iesum morti tradere, Iudæos minimè interrogasset, quorum aperta voluntas, sed eum liberaret, vt Tribunus quidam Paulum de seditione Iudæorum liberauit Actor. 22. n. 30. Vide tom. 3. cap. 33. q. 4. n. 76.

Matth. 27. 129. Matth. 27. Marc. 15. Euthym. *Qui suos inimicos interrogat, in te malum molitur.* Chrysost. Theophyl. Paschas. Actor. 22.

QVÆSTIO XV.

Quare prius ponitur Moyses, quàm magnus parens Elias?

130. COmmuniter in hac historia narranda prius sacri Euangelistæ commemorant Moysen, & postea Eliam. Sic scribit D. Matth. *Et ecce apparuerunt cum eo Moyses, & Elias*, D. Lucas. *Erant Moyses, & Elias.* Et quamuis D. Marcus prius scribat Eliam: *Et apparuit illis Elias cum Moyse*, hoc tamen est per anticipationem. Cur ergo prius exprimitur Moyses, cum primus locus ex multis debitus videatur magno Eliæ? tum quia ipse virgo erat, tum quia ipse monastica ac religiosa vita degebat reseruabatúrque vt in vltimo Christi aduentu futurus eius precursor, ac tunc insignis, & glorioſus martyr. Sic ergo tot, ac tanta eminebant in Elia, cur illi non datur primus locus?

Ratio dubitandi.

131. Respondeo primò. Moyses antiquior Elia, ideóque ob venerationem primus illi defertur locus. Secundò. Aderat Christus in Transfiguratione, vt supremus Dom. & Rex, sic Pater testificat; *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Moyses mitissimus omnium; Elias vero valdè rigidus. Et cum astant supremo Regi Christo, primò ponitur Moyses: semper in principe clementia primas habeat; sempérque in rege pietas maiores vices obtineat. Per. Cluniacens. ser. de Transfig. *Vnde*, inquit, *congruè scriptura, non prius Eliam & postea Moysen: sed ante Moysen, & post modo Eliam ponit.*

In principe pietas primas habeat.

Cluniac.

132. Hilar. Tertiò D. Hilar. in Psal. 52. *His*, ait, *qua volumus, propitiatus est, quam his, qua non possumus, tatus est. Nam Moysi fideli vtique amico suo dixisset, quia non glorificasti me in aquis contradictionis, ascende in montem, & morere: hunc sibi postea vna*

cum Elia ab Apoſtolis in monte conſpectum beati regni ſui conſortem reſeruauit. Durè, ac aſperè pupugerat Dominus olim Moyſen ob peccatum commiſſum ad aquas contradictionis Numer. 20. num. 12. indéque Promiſſionis terræ ingreſſus ei non eſt conceſſus. Deuter. 32. num. 49. nec ergo dilectus Dei ſeruos Moyſe ſemper ex illis rigidis verbis ſibi amaricatus, ac moleſtus aliquantulum adeſſet; ideò antequam reſurrectionis gloria adueniret, mirificè Transfigurationis ſpectaculo, fauoréque tam inſigni fuit recreandus, ac lætificandus, & ita inſigniter, vt ipſi Moyſi primus aſſignetur locus, tam in relatis Euangeliſtarum verbis, quàm in D. Petri dictis; *Tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.*

Numer 20. Deuter. 32. *Amicus clarè reiectus, aliquo fauore recreandus.*

133. Numer. 20. *Pœnitens innocentibus anteferetur.*

Quartò. Elias purus, & innocens. Moyſes verò apud aquas contradictionis deliquit. Numer. 20. n. 12. Ex qua culpa ita, dolore innouatus, pulcher, ac conſpicuus reſurgit, vt ad ſe maximè diuinæ maieſtatis oculos attrahat, vt non innocentiæ, ſed pœnitentiæ tantæ primus locus referatur. Currunt ad ſepulchrum Petrus, & Ioannes: & tamen in Reſurrectionis gloria Dominus reſplendens non dicitur, quòd ſe manifeſtauerit puro, ac innocenti Ioanni, ſed Petro contrito, ac pœnitenti, iuxta: *Surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni.* Luc. 24. n. 24. Ioanni, quantum conſtat ex textu Euangelico, poſtea apparuit cum aliis Diſcipulis. 24. num. 37.

Luc. 24.

134. Ezechiel. 4. Reg. 19. 3 Reg. 15. 4. Reg. 8. & 20. *Plus conceditur ob pœnitentem quàm ob innocentem.*

Ait Deus: *Si fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob. Viuo ego, dicit Dominus, quia nec filios, nec filias liberabunt, ſed ipſi ſoli liberabuntur, terra autem deſolabitur.* Ezech. 14. num. 16. Valdè mirum, quod ſi tres viri illi ſanctiſſimi ſteterint orantes coram Domino, non liberabunt filios ſuos, nec terram à peſtilentia, ac perditione, ſed ſolum ſemetipſos. Et tamen paſſim Scriptura Deus dicitur miſereri, ac parcere filiis Dauid, ac regno Iſraël ob ipſum Dauidem. *Protegam vrbem hanc, & ſaluabo eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* 4. Reg. 19. num. 14. & 3. Reg. 15. num. 4. & 4. Reg. 8. n. 19. & 20. num. 6. & alibi ſæpè. Cur tres illi viri ſanctiſſimi non eripient filios ſuos ab interitu, & perditione; ſicut ipſa Dauidis memoria valet protegere? Illi puri, & innocentes, Dauid peccator pœnitens, & contritus. Vt ergo oſtendatur, quàm beneuolo animo Deus erga pœnitentes afficiatur, hinc aliquando plus fauoris, ac honoris pœnitentibus, quàm innocentibus defertur; & cùm trium ſanctiſſimorum virorum preces non admittat, maximè verò vnius pœnitentis oratione ad pietatem inclinatur, ac ad miſericordiam flectitur. Pro hoc argumento facit id, quod dicit Bacharius epiſt. de recipiendis lapſis. *Illi Nazaræus eſt repromiſſione natus, quem cum in perniciem ſui mulieris blandimenta viciſſet, poſtmodum in fine obitus ſui, ſub martyrij paſſione, maiorem inimicorum exercitum proſtrauiſſe, quàm ante quando Nazaræus, hoc eſt, immaculatus fuerat, reperitur.* Perpende vltima verba. Maiorem Sanſon de hoſtibus obtinuit victoriam, poſtquam blandimentis mulieris fuit victus, ac antequam illis eſſet ſuperatus. Vide to. 3. cap. 15. q. 24. n. 194.

Bacharius.

QVÆSTIO XVI.

Quare in tanta gloria de exceſſu, ac morte Domini ſit ſermo?

135. Pſalm. 115. Hebræus. Lyran. *Durior mortis timor, quam illius actualis tolerantia.*

QVæſtio præſens eſt: Quare in tanta gloria de exceſſu, ac morte Chriſti erat ſermo? nam exceſſus, id eſt exitus, vt dixi in expoſitione. *Ego dixi in exceſſu meo.* Pſal. 115. n. 2. In Hebræo. *Ego dixi in fuga, ac exitu meo.* Et notandum, quòd Chriſti paſſio non dicitur exceſſus, ſeu exceſſiua, quando actualiter eam ſuſtinet, ſed modò hic cum à longè ſpectatur, ac conſideratur, vt notauit Lyranus. *Dicebant exceſſum eius, ideſt paſſionem eius futuram, quæ dicitur hic exceſſiua.* Cùm Chriſti paſſio actu toleratur, non dicitur exceſſus, ſeu exceſſiua, ſed quando vt futura repræſentatur. Calamitas imminens magis multiplicat timorem, ac exaggerat agoniam, quàm dum ipſa patitur, ac ſuſtinetur. Durior calamitatis timor, quàm ipſius actualis tolerantia. Chriſtus fortiter paſſionem reportat, ac tolerat; & tamen illius pauore præ agonia in Horto ſanguinem ſudat. Ad quæſtionem,

136. Chryſoſt. Euthym. Euthym. *Crux, ac mors pro nobis gloria Chriſti.* Ioan. 1. Chryſoſt.

Reſpondeo primò. Quod pro exceſſu, vt eſt in noſtra vulgata, aliqui apud Chryſoſt. hom. 57. & Euthym. legunt, dicebant *gloriam eius.* Pro nobis pati, ac crucifigi, ipſe magnam ſui gloriam, ac maieſtatem reputauit. *Gloria*, inquit Euthym. *appellatur crux; altis ſiquidem omnibus probrum erat, vtpote magnorum pœna criminum; ſoli verò Chriſto gloria facta eſt; magni videlicet erga nos amoris præmium.* Hinc de Chriſto veniente in hunc mundum dicit Ioan. 1. n. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre.* Gloriam autem eius viſam, Crucem, & paſſionẽ eius interpretatur D. Chryſ. homil. 11. *Neque miraculorum gratiam Chriſtum duntaxat admiramur, ſed etiam paſſionis, vt cùm affixus eſt cruci, flagellis, & alapis cæſus, & inſputus ab eis, de quibus tam bene merebatur; ſiquidem in his ipſis, quæ probri, & ignominiæ plena eſſe videbantur, ipſum rurſus Verbum clariſſimum apparuit. Hoc Ioannes gloriam appellauit.*

137. *Optimi cõſiliarij non de propria iucunditate, ſed de bono cõmuni agunt.* Geneſ. 24.

Secundò. Moyſes, & Elias in gloria conſtituti cum Chriſto loquuntur, non de propriis commoditatibus, nec de ipſa gloria, cuius recreatione, ac iucunditate maximè perfundebatur, ſed de Chriſti morte; tanquam optimi conſiliarij, non de eo, quo animus delectebatur, ſed de illo, quod maximè expediens erat, vtpote mors Chriſti, loquebantur. Cùm ille Abrahami ſeruus Eleazar hoſpitio eſſet receptus in domo Laban, eique appoſitus eſſet panis ad edendum, ait: *Non comedam, donec loquar ſermones meos.* Geneſ. 24. num. 33. Ex largo, longóque itinere ipſe multum fatigatus aduenerat, & ſine dubio fame, & ſiti premebatur, Cur non potius, panem degustat panem, & peracta cœna ſuum negotium exponit Fidelis, & verus ſeruus erat domini ſui, & ideo illius negotia propriæ vtilitati, ac recreationi præfert; ac proinde prius de domini iuſſu, quã de ſui refectione agit. D. Chryſ. ibi in eius perſona ſic fatur, *Vos quidem,* inquit, *officium veſtrum in me declaraſtis, ego autem nequequam antea quietis meæ rationem habebo, donec cauſã vos docuero propter quã in hanc vitã ſum miſſus.*

Chryſoſt.

Tertiò Dupliciter mors Chriſto Domino repræſentata eſt: in Horto, ac in Thabor. In Horto præ agonia *cœpit cõtriſtari ac mœſtus eſſe* Matt. 26. n. 37. At in Thabor vehemẽter refulgebat in gloria.

Matth. 26.

ria. *Resplenduit facies eius, vt Sol, & vestimenta eius facta sunt alba, vt nix.* Quænam huius rei tanta differentia? In Horto præuidebat Dominus, talem futuram esse sui desertionem, vt se tanquam à Patre derelictum conquereretur, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. n. 46. At in Thabor Pater maximè se declarabat illi assistens: *Vox Patris audita est*: filius autem, cùm sibi habet patrem patrocinantem, ac assistentem, omnem mortem, ac dolorem suauem, facilémque reputat, & æstimat.

Matth. 27. *Filius cum Patre suo sibi assistente nil timet.*

139. *Præsentia cœlestis gloriæ temporalis vita nihil reputatur.*

Quartò. Ad quid in gloriæ maiestate mors Christi in consilium vocatur? Homines vitam in magna æstimatione reputant: ne ergo pro conseruanda Domini vita, morteque vitanda aliquod feratur suffragium, sed vt resolutio certa, & secura habeatur, res ipsa, diuina gloria fulgente, discutiatur, ad cuius intuitum temporalis vita, omniaque terrena pro nihilo habentur.

140. Ezechiel.

Ait Ezechiel 3. num. 14. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus mei.* Fatetur Propheta, quod à Dei spiritu per Angelum raptus sit ad cœlestem, & sublimé visionem currus gloriæ Domini Cherubim clamantibus voce magna: *Benedicta gloria Domini de loco isto?* & tamen subdit Propheta, *Abij amarus*, scilicet amaricatus, & tristis. Quomodo ex tam celebri, ac periucunda illa visione, de qua egerat num. 12. ac cap. 2 in tantam tristitiam descendit? Quomodo non esset tristis, qui post visam illam cœlestem gloriam, iterum in hoc temporali sæculo versari se inspiciebat illius miseriis circunseptum, ac circundatum. D. Gregorius homil. 10. in Ezechiel *Si quis*, ait, *iam cordis ore gustauerit quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum: qua incomprehensibilis visio sanctæ Trinitatis: huic quamò illud dulce sit, quod intus videt; tanto in amaritudinem vertitur omne, quod foris sustinet.*

Post visam gloriam tot alia amara.

Gregor.

141. Psalm. 83.

Beatus vir, cuius est auxilium ante te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lachrymarum in loco, quem posuit. Psal. 83. num. 6. Ecce vir iustus Dei gratia adiutus habuit in corde suo ascensiones ad Deum, eiusque cœlestem beatitudinem; sed in hac valle lachrymarũ, seu plorationis, vt legit D. Augustinus in loco, in quo Deus eum posuit. Quid sibi assumit, ac elegit, nisi gemitus, & fletus, vtpote in valle lachrymarum. Sed quomodo ex tanta occasione in tot dolores, & luctus incidit? Meritò sanè qui iam cœlestia gustauit, ac corde est amplexus, iam omnia terrena ei vilescunt, illaque vt minima ac stercora reputantur. Quid mirum ergo, cùm se videat adhuc in istis detineri, quod in lachrymas, ac gemitus prorumpat? Theodoretus: *Qui ascensiones*, inquit, *in corde suo admisit, & legislatoris benedictionem est adeptus; non risui, deliciisque, sed luctui, & lachrymis se ipsum dat, ex hoc corpore liberari cupiens.*

August.

Theodor.

QVÆSTIO XVII.

Quare in hoc concilio ad colloquium, ac suffragium non vocantur etiam Apostoli Petrus, Iacobus, & Ioannes?

142. IN Transfigurationis mysterio aderant præsentes Apostoli, & apparent loquentes cum Domino Moyses, & Elias de excessu, quem completurus erat in Ierusalem: Cur ergo etiam cum Apostolis de eadem re non loquitur, ac in tali negotio eorum sententia non exquiritur?

Respondeo primò. Quòd Petri, Iacobi, & Ioannis multum interesse videbatur, quod Christus in monte perseueraret: erant tunc ipsi in gloria, immune, a cruce, morte, ac laboribus huius vitæ: si in hoc negotio proferrent suffragium, absque dubio eorum sententia esset, vt Christus à monte non discederet Homo proprio emolumento deditus, ineptus sane ad consilium.

143. *Homo ex se: commodo inserui ad consilium.*

Secundò. Omnes tres isti Apostoli alicuius negotij sibi erant solicitinam Petrus dicebat: *Domine, bonum est, nos hic esse.* Iacobus, & Ioannes primas cathedras ambiebant. *Dic, vt sedeant hi duo filij mei: vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram.* Matth. 20. num. 20. Non ergo eorum suffragium exquiritur, sed aduocantur Moyses, & Elias, qui nullius proprij lucri, aut commodi affectu tenebantur.

144. *Solicitus negotij interni ad suffragium.* Matth. 20.

Tertiò non aduocatur Petrus tanquam consiliarius; aperta enim erat eius mens pro Christi vita, Matth. 16. num. 22. non verò pro eius honore conseruando. Christum autem maximè decebat, pro hominibus vitam dare. Ex hoc enim capite, cùm Petrus obsisteret, ne Dominus de monte descenderet, Vox Patris audita est, *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Ac si diceret. Hic meus filius mihi placet, vt pro hominibus moriatur Pater, qui in immensum plus, quam Petrus, eum diligebat, vt pro hominibus vitam profunderet, volebat. Cùm enim Pater perfectissimo amore filium prosequeretur, potius honori, quàm vitæ eius consulebat; ac proinde, vt ipse obiret, disponebat.

145. Matth. 16. *Verus amor honori, non vitæ consulit.*

Sapiens ille rex Pharao, cùm constituit Ioseph totius sui regni gubernatorem. *Vertit nomen eius, & vocauit lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi,* Genes. 41. num. 45. Constituit, vt amplius non diceretur Ioseph, quod interpretatur augmentum domini sui; sed vocaretur Saluator mundi. Agnouit prudens rex, maximè esse indecens honori suo, talem in domo habere ministrum, qui populi commoditate contemptu, solum suæ vtilitati attenderet; ideo ergo præcipit, vt transmutetur nomen, mundique Saluator nuncupetur. Ac si diceret, non patitur meus animus regius dispensatorem, qui meæ vtilitati, non verò honori consulat. Vide multa tom. 1. 2. & 3. Verbo *Honor.*

146. Genes. 46. *Plus ad honorem, quàm ad emolumentum attendat Rex.*

Matth. 17. *num.* 4. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum Domine, bonum est nos hìc esse; si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.

VERSIONES.

Syriacus.	Domine mi.
Arabicus.	Bonum est, vt maneamus hîc.
Arias.	Pulchrum est: nos hîc esse, si vis faciamus hîc tria vmbracula.

ALTER TEXTVS.

Marc. 9. n. 4. Et respondens Petrus, ait

Iesu : Rabbi, bonum est, nos hîc esse, & faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.

*Num.*5. Non enim sciebat, quid diceret: erant enim timore exterriti.

*Lucæ.9.n.*32. Petrus verò, & qui cum illo erant grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo.

*Num.*33. Et factum est, cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum : Præceptor, bonum est, nos hic esse: & faciamus tria tabernacula; vnum tibi, vnum Moysi, & vnum Eliæ: nescions, quid diceret.

EXPOSITIO IV.

147. Toletus. *Ordo Tolet. figurationis.*

NARRAT D. Lucas, quòd Petrus, *& qui cum illo erant, grauati erant somno.* Notanter dicitur, quod Petrus, cuius, cùm esset præsul, erat euig lare, cum cæteris dormiebat. Hæc omnia, vt vult Tolet. in c.9. Luc. per anticipationem narrant Euangelistæ, nam ordo Transfigurationis talis est. Sub vesperum ascendit Christus cum Discipulis in montem, & cùm omnes orarent, somnus obrepsit Discipulis, sicut in Horto : ipsis dormientibus, cùm Christus Dominus oraret, ipse in gloria transfiguratur, eique adfuerunt Moyses, & Elias, Tunc euigilarunt Discipuli, & Dominum transfiguratum viderunt cum Moyse, & Elia de sua morte, ac passione habentem colloquium. Túncque ad vocem Patris timuerunt Discipuli. Sed de fide infra quæst.28.

148. Chrysost. Euthym. Theophyl. *Et qui cum illo erant grauati erant somno.* D. Chrysostom. homil.58. in Matth. hunc somnum interpretatur virium resolutionem à visione derivatam. Euthymius, Theophylactus obfuscationem oculorum dicunt à nimio splendore gloriæ. Tamen communior est sententia, quod intelligitur somnus naturalis. In hac resolutione est etiam D. Ambrosius, Caietanus, Iansenius, Toletus, Barradas, & alij. Erant enim Discipuli fatigati à diuino labore, nec obfuscatio oculorum proprie dicitur somnus. De hoc somno infra agam q. 30. *Et euigilantes viderunt maiestatem eius*, gloriam, & decus Christi, *& duos viros, qui stabant cum illo*, non solùm viderunt, sed etiam eos audierunt loquentes. Si enim à carnali somno vigilemus, Dominum cum suis Sanctis in gloria videbimus. Nota Christi mansuetudinem, quod non statim hic increpat Discipulos ob somnum, sed patientes sustinet, paulatim ad perfectiora producens. *Et factum est, cùm discederent ab illo.* Quandiu Moyses, & Elias erant cum Domino, nihil dixit Petrus, at *cum discederent ab illo.* hoc est, cum parerent discedere ab eo, vt explicant D. Anselmus, Caietanus, Toletus, & alij. Sic habet Syriacus. *Cum capissent discedere.*

Ambros. Caietan. Iansenius. Barradas. *Præsul aliquando dissimulat suorum defectum.*

Anselm. Caietan. Toletus. Syriacus.

Respondens, more Hebraico, vt notat Abulensis quæst.59. pro dixit *Petrus*: ex omnibus Discipulis ipse loquitur, quia, vt ait D. Hieronymus in cap.16. Matth. cæteris feruentior erat. *Bonum est*, seu, vt Græcus, *Pulchrum*, hoc est, nobis est periucundum, & gratum. Beda. Si ad punctum tantum delectat visa gloria Christi inter duos Prophetas, quid erit felicitatis visionis Deitatis inter choros Angelorum? *Hic esse*, seu, *vt hic maneamus.* Theophylactus. Ne dicat cum Petro, bonum est, nos hic esse; oportet semper proficere, & in vno gradu virtutis non permanere, sed semper ad vlteriora procedere. *Si vis.* Iam, vt notat D. Paschas. lib.8. in Matth. Albertus Magnus: non loquitur absolute Petrus, vt antea obsistens passioni dixerat, *Absit à te Domine*, Matth.16. n.22. Sed nunc, increpatione prudentior factus, diuinæ voluntati sese submittit. Hic etiam quædam animositas Patri notanda est. Dixit enim, *Domine, bonum est, nos hic esse*, quòd scil cet Dominus in monte permaneret. Et tamen ipse Dominum de monte descendentem est associatus; ac in Horto pro eius defensione pugnam euaginato gladio seruum pontificis percussit. Et hodie ad pugnam te multi exhortantur, & in ipso conflictu te deserunt. *Bonum est, nos hic esse* Hæc dicebat Petrus ex stupore humanæ fragilitatis. *Tria tabernacula*, seu *umbracula*, seu tentoria ne aliqua loci incómoditate tanto bono priuemur. *Nesciebat, quid diceret*, Erat enim extra se raptus, tum ob magnitudinem gloriæ; tum ob timorem, vt exprimit D. Marcus. *Erant enim timore exterriti.* Et ideo instar hominis attoniti non considerabat ea, quæ dicebat.

149. Abulens. Hieron. Græcus. Beda.

Theophyl.

P schas. Alb. Mag. Matth.16. *Increpatione fit homo prudens. Etsi Petrus obstitit Domino defic. denti sui, tamen post. ea pro eo pugnat.*

Marc.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Petrus tam pro se, quam pro alijs loquitur.

150. NOTANDVM in limine huius quæstionis quòd cùm olim Deus descendisset cum gloria in nube ad dandam legem Moysi in monte Sinai. Exod.19. n.22. cumque populus vidisset voces, lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, *Perterriti, ac pauore concussi steterunt procul, dicentes Moysi, loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, Exod.20. num.18. At Apostoli in præsenti ita visa gloria Domini, ac audito eius colloquio de excessu delectantur, vt dicat Petrus : *Domine, bonum est, nos hic esse, si vis faciamus hic tria*, &c. Cur illic tantus timor : hic verò tanta iucunditas, & suauitas? In Sinai, etsi aderat Dei dimissio descendentis in terram; tamen illa suprema maiestas nube, & gloria abscondebatur. At in Thabor ipsa Domini dimissio. *Loquebantur de excessu, seu morte*: erat patens, & manifesta. Humilitas autem, & dimissio, maiestate abscondita, terret: ipsa verò humilitas inter glorias manifestata, lætificat, & dat animos. In Sina resonat vox Domini, in Thabor vox Patris resonat: *Hic est filius meus.* Ausculta Damasc. orat. de Transfig. *Equidem olim in monte Sina fumus, procella, & caligo, & ignis terrorem inferens summam illam dimissionem occultabant. Nunc autem omnia splendere, ac luce profundantur, etenim ipse Dominus ex paterno sinu, accessit, ad seruos indulgenter se demittens, ac serui formam suscipiens, habituque homo factus.*

Exod.19.

Exod.20.

Humilitas abscondita maiestate terret, manifestata dat animos. Damasc.

Ad

Ad quæstionem respondeo primò. Quòd Petrus de suo more pro omnibus loquitur, vt passim fit in toto Euangelij discursu. Nam siue homo in sæculi miseria, siue in summa felicitate degat, semper in suam consuetudinem propendit, & prodit. Secundò. Dici potest ex D. Chrysostom. ac Abulensi quæst. 60. Quod alij duo Apostoli Iacobus, & Ioannes vehementer desiderarunt in tanta illa gloria permanere, quantam antea nunquam fuerant experti: quorum desiderium ex facie, quæ est animi iudex deprehendit Petrus, proindeque ipse vt omnibus fernentior, pro se, ac aliis loquitur.

151. *Semper homo in suam consuetudinem propendit.* Chrysost. Abulens.

Tertiò. Erat Petrus constitutus præsul ac princeps Apostolorum; imò hoc est vulgare hominũ ingenium, vt ex suo animo velint aliorum voluntates diiudicare, ac appendere, & quod eis placet, omnibus, placere sibi persuadent; sicut quod eis displicet, omnibus esse in odio. Cùm Petrum maximè delectaretur montis permanentia, ex suo desiderio aliorum voluntates diiudicauit. Post commissum peccatum primorum parentum, venit Deus vocans Adamum, qui ait: *Vocem tuam audiui, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me.* Genes. 3. n. 10. Inepte satis respondit. Vnde cognouit ipse, quòd nuditas esset Deo inuisa, qui hominem nudum condiderat? Præclare D. Isidorus relatus in glossa. *Stulte respondit, quasi Deo nudus displiceret, quem nudum fecerat: sed quod cuique displicet, hoc Deo displicere arbitratur.*

152. *Sua dilecti voluntatem, omnibus displicere putat.* Genes. 3. Isidorus.

153. Cantic. 2.

Suo Dilecto ait Anima sancta: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cantic. 1. n. 3. Duo asserit Sponsa in præsenti. Vnum, quòd ipsa vult ire post Sponsum: alterum, quod adolescentulæ post ipsum current. Quod ipsa velit associari Sponso, bene intelligitur, & quod ab eo discedere nolit, rectè habet: ipsa enim dicebat de se: *Fructus eius dulcis gutturi.* Cant. 2. n. 4. Vnde ait D. Bernardus serm. 48. *Fructus eius dulcis gutturi meo: meritò eius desiderauerat vmbram.* Volebat ire, esseque cum illo, ex cuius fructibus tantam dulcedinem percipiebat. At ex quo principio intulit, quòd adolescentulæ currens, illius adhærentes vestigiis. Ex dulcedine, quam ipsa degustabat in fructibus Sponsi, perpendit, quod & adolescentulæ eandem haurirent, ac proinde sicut ob suauitatem ipsa volebat ire, sic & cogitauit, quod & adolescentulæ currere vellent.

Cantic. 1. Bernard. *Quid sibi fieri, eum sibi placere, putat.*

154. Psalm. 118. Genebrard.

Hinc prudentissimè Dauid ait Psal. 118. n. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Genebrardus. *Afflixisti me.* Non ait, bonum nobis, quia non humiliasti, seu afflixisti, sed bonum mihi. Fieri enim poterat, vt huiusmodi afflictiones, & plagæ, aliis illatæ, ad exacerbationem, ac obdurationem eis inseruirent: mihi verò valde bonum, quia afflixisti me, *vt discam iustificationes tuas.*

QVÆSTIO XIX.

Quare Petrus volebat, quod fierent tabernacula?

155. NOTANDVM est, quòd Petrus non dixit, faciamus hic domos, sed tabernacula. Inter quæ hoc inest discrimen, quòd domus ædificatur, vt fixum, ac permanens domicilium; tabernaculum autem, seu tentorium, vt quid more viatorum ad non diu, sed breuiter manendum constituitur. Illa gloria corporis, illéque vestium candor, vt ait D. Hieronymus hic, quid *corporale est, & tactui subiacet.* Cùm ergo illa gloria, licet esset quædam particula cœlestis beatitudinis; cùm tamen in terra appareret, esset que subiecta oculorum tactui, sensuique humanus illa in hoc sæculo frueretur, etsi nesciens quid diceret Petrus, in hoc tamen caute loquitur, *bonum est*, seu *pulchrum*, vt legit Græcus, id est gratum, & iucundum nobis, non vt faciamus tres domos permanentes, sed tria tabernacula transitoria, tum quia, cum illa gloria appareret in hoc sæculo, valde abbreuiata, ac non diu permanens esset, tum etiam quia in illa diuturna non perjucundarentur: oblectationes enim in hac mortali vita multum degustatæ quantocius in fastidium vertuntur. Solùm supernæ patriæ æterna felicitas in sempiternum beat.

Hieron. Græcus. *Bona in hoc sæculo transitoria, & in tædiũ vertuntur*

156.

Ad quæst. Cur Petrus hic de faciendis tabernaculis agit? Primò existimat Orig. tr. 3. in Matth. Petrum hæc dixisse per mentis excessum à Dæmone permotum, per eum loquente: intendebat enim Dæmon specie illius boni Christũ auertere à morte subeunda pro redẽptione generis humani. Hæc sententia est reiicienda: nam eo tempore Dæmon ignorabat, Christi mortem futuram esse in redemptionem generis humani; imò maxime instigabat Iudæos, vt Christum occiderent: dicitur Ioan. 13. n. 2. *Cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* Et Ioan. 8. n. 44. ait Christus Iudæis: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*

Origen. Ioan. 13. Ioan. 8.

157.

Secundò. D. Damasc. Orat. de Transfig. existimat, quòd Petrus locutus est ex Spiritus sancti instinctu futura prædicentis, & veluti prophetauit Petrus, quòd in Ecclesia essent à fidelibus extruẽda tabernacula, seu templa Christo Domino, ac eius seruis Moysi, & Eliæ, quamuis ipse Petrus nesciret, quid diceret. Hæc sententia non est probanda: nam licet postea in monte Thabor, vt referunt Beda de locis sanctis. c. 17. & Nicephorus lib. 8. c. 30. in loco Transfig. ædificatæ fuerint tres Ecclesiæ, vna Christo Domino, alia Moysi, alia Eliæ; tamen D. Petrus obstupefactus ex magnitudine gloriæ, vt explicant Sancti Patres, hæc dixit: *faciamus tria tabernacula*, nil aliud intendens, nec sciens quid diceret. Si autem ipse in hoc propheraret, aliquis Euangelistarum non taceret, vt de Caipha exprimit Ioannes 11.

Damasc. *Petrus in hoc nõ prophetauit.* Beda. Nicephorus Ioan. 11.

158.

Tertiò. D. Chrysost. homil. 57. asserit, quòd Petrus hæc dixerit ex amore erga Christum, vt illum diuerteret à morte subeunda: & hoc non audet palam, & apertè persuadere, ne iterum reprehẽdatur, *Vade post me Satanas.* Matth. 16. n. 23. sed occulte, ac per alia verba hoc suggerit, obiecta specie præsentis boni. Idem docent Euthymius, ac Theophylactus. Hæc etiam sententia non est amplectenda: nam Apostolus, tam apprimè in schola Christi enutritus, non ageret cum eo artificiosè, optimè sciebat Petrus, nil Christum latere, sed omnia illi esse aperta.

Chrysost. Matth. 16. Euthym. Theophyl.

159.

Quartò. D. Gregorius in libros Reg. lib. 2. c. 3. ait: *Petrus cum Domino assumptus in gloria, seorsum sic esse semper cupiebat, & pro redemptione communi cum ad ignominiam crucis descendere nolebat. Nesciebat ergo quid diceret, sed ardenter, quod videbat, amabat: quia profectò tantum bonum videbat, quod sic non amari nullatenus poterat.* Astruit hæc sententia, Petrum pro priuato suo commodo, vt ibi permaneret, totius mundi redemptionem velle impe-

Gregor. *Petrus non volebat impedire redẽptionẽ.*

impedire; & ideò hæc sententia non est probanda, cùm hoc sit valde alienum à charitate Petri, & cùm ad hoc nulla nos ratio cogat, & Scriptura aliter exponi possit. Deinde si Petrus intendens obsistere Christi passioni ex amore ipsius Christi grauiter est reprehensus. *Vade post me Satana*; Matth. 16. n. 23. quomodo fieri posset, quod ex proprio commodo eam impedire auderet?

Matth. 16.

150. Quintò. Petrus nil cogitans de morte Christi impedienda, sed obstupefactus tanta visa maiestate, ac illectus tantæ gloriæ fruitione, volens in ea perseuerare, nesciens quid dicebat, in hæc verba prorupit: *Bonum est nos hic esse.* Ita D. Hieronymus in cap. 17. Matth. D. Ambrosius in cap. 9. Luc. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22. D. Leo serm. de Transfigur. ait: *Petrus Apostolus in æternorum desiderio, quodam mentis rapiebatur excessu, & gaudio totius visionis impletus, ibi cum Iesu optabat habitare, vbi manifesta eius gloria latabatur, vnde ait. Domine, bonum est nos hic esse.* Et cum hac sententia soluuntur multæ implicationes, vt notat Abulensis. qu. 62. & 63. in his dictis Petri. Nam ipse volebat, fieri tria tabernacula, aut opere diuino, vel humano, si diuino, non debebat dicere, faciamus, sed Domine, fac, impera, si humano, multus labor, multáque paramenta, ac expensæ, multorúmque dierum exercitatio, necessaria erant, gloriáque illa, à qua Petrus separari nolebat, interrumpenda foret. Quæ omnia inconuenientia cessant, si astruatur, quod Petrus mentis excessu à se raptus, seu timore exterritus, vt colligitur ex textu Marci, hæc dixit, vt inquit citatus Abulensis,

Vera sentētia.

Hieron. Ambros. Tertullian. Leo.

Abulens.

Petrus à se raptus hæc dixit.

151. Sextò, & iam moraliter. D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Offerebat Petrus*, ait, *seruitutis officiū accommodare sibi, cupiens mercedem laboris.* Cur Petrus tam sollicite se offert ad tria tabernacula fabricanda? Viderat Petrus tam amplam mercedem prophetis Moysi, & Eliæ datam ob sua merita, inde maxime mouetur, vt velit suo labore meritum comparare, quo similem mercedem valeat recipere, qualem Prophetis distributam videt. Tam efficax est, aliis exhibitæ remunerationis agnitio, vt pauper piscator ad tentoria facienda libentur se offerat, & impellat.

151. Paschas.

Merces aly data, maximè nos impellit ad opus.

152. Septimò. De his, qui sunt in gloria, dicitur. *Neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus.* Apocal. 7. num. 16. Ad quid ergo Petrus in gloria offert obumbracula, quæ veluti valent protegere à Sole, ac temporum inclementia. Pro munimine, ac securitate illius status, quodammodo videtur, quòd Petrus tabernacula facere optabat, vt ita Elias, & Moyses minimè discederent, & ne Pharisæi videntes gloriam, in illam se intromittere conarentur; ex quo felix ille status perturbaretur, *Quoniam confortauit seras portarum tuarum.* Psalm. 147. num. 2. seu, vt alij legunt, *muniuit.* Ad quid tot vectibus fulcimit, ac vallauit clausas portas? D. Augustin. *Tantum confortauit vectes portarum tuarum. Nemo exeat, nemo intret.* id est, vt non exeat amicus, nec intret inimicus, Sicque Petrus intendebat tabernacula fabricare, ne vllus ex amicis exiret, vel aliquis ex inimicis intraret.

152. Apocal. 7. Tabernacula, ne amicus exeat, vel inimicus intret.

Psalm. 147.

August.

153. Octauò. Ait Petrus: *Bonū est, nos hic esse.* Ipse, vt inquit Euangelista, *nesciebat quid diceret.* Magnam tamen habere potest excusationem: volebat enim ille esse in illa felici quiete, ac gloria, cùm magister, & dominus suus in gloria aderat. Si magister, ac rex indulget deliciis, ac voluptatibus, quomodo miles ab bellum perget, laboribus incumbet, ac discrimini se committet? Nam, vt ait Valerius Maximus *Principis exemplum, minorum est informatio vitæ.* Petrus audiebat sermonem de morte, magistrum tamen videbat in gloria: parum valent verba persuadere ad luctamen virtutum, si opera quietam gloriæ indulgentiam ostendunt.

153. Rege in gloria viuente miles non bellum, sed gloriam appetit.

Valer. Max.

Cùm rex Ochozias grauí morbo infirmaretur, misit nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron. Quibus occurrens Elias ait: *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus. De lectulo, super quem ascendisti, non descendas, sed morte morieris.* 4. Reg. 1. num 4 Qui reuersi cùm hæc Regi nuntiassent, multo suo dolore fidem dedit verbis Eliæ. Postea verò multis elapsis annis adductæ sunt epistolæ ab Elia ad regem Ioram: *Allata sunt ei litteræ ab Elia propheta,* 2. Paralip. 21. num. 12. In quibus multa futura mala Regi prædicebat. Illa autem omnia Ioram rex contempsit, illique minime fidem adhibuit. Magnum est dubium: Ex quo loco huiusmodi litteræ deuenerint? Multi iam erant lapsi anni post transitum Eliæ. Hebræi in Seder Olam cap 17. Genebrardus lib. 1. Chron. Lyranus, Serarius, Sanchez, Bellarminus, Salianus, Cornelius a Lapide putant, quòd fuerunt missæ ab Elia è paradiso terrestri, in quo degebat. Sed nunc iterum maior insurgit difficultas: Quare rex Ochozias fidem præstitit dictis Eliæ, non verò rex Ioram, cùm vtrique à Propheta prænunciata sit aduersa? Ratio diuersitatis ex circunstantiis aperte deducitur: nam quando Elias remisit nuntios regi Ochoziæ, aderat Parens Elias, *Zona pellicea accinctus renibus.* 4. Reg. 1. num. 8. Homo cilicio, ac pœnitentiæ habitu indutus, facile mortem, ac austera valet persuadere. At quando Ioram transmissæ sunt epistolæ; in quibus multæ calamitates lamentabiles continebantur inter paradisi delicias versabatur Elias, & qui inter oblectationes degit, non multum efficax in laboribus, ac ærumnis suadendis. Elias, cilicio, ac pellibus, non verò paradisi oblectationibus accinctus dura, & austera in hominum mentes indicit.

164.

4. Reg. 1.

Hebræi. Genebrard. Lyranus. Serarius. Sanchez. Bellarm. Salianus. Cornel.

4. Reg. 1. Austera, ac inter oblectationes, sed in statu pœnitentiæ persuadentur.

Satis vulgare est in toto Euangelio, quod ad quemcumque locum se Christus Dominus conferebat, secuti sunt eum Discipuli eius. Tamen finito illo magno conuiuio, in quo Christus Dominus quinque panibus saturauit quinque millia hominum, vt eius Discipuli ratem conscenderent. Matth. 14. n. 22. *Compulit Iesus Discipulos ascendere in nauiculam*, Marc. 6. n. 45. *Coëgit Discipulos suos ascendere nauim.* Discipuli prompta obedientia Domino obtemperabant, quomodo tunc necesse fuit eos cogere, ac compellere. Perpondera, quæ scribit D. Marc. ibid. n. 57. *Ipse solus in terra.* Vnde ait Abulensis in cap. 14. Matth. quæst. 134. *Compulit præcipue, quia per hoc, quod Christus iubebat Discipulis, præcedere trans fretum sine eo.* Ideo necesse fuit vim verbo, mandatoque inferre Discipulis quia, ipse Dominus remanebat in terra. Quando Dominus præcedebat eos, vt in ascensu ad Ierosolymam, scribit D. Marcus 10. num. 32. expedite, ac facile omnes sequebantur. At cùm Dominus secutus consistit in terra, vt Discipuli tempestatibus, periculis maris se committant, necesse est, vt vis mandato adhibeatur.

165.

Matth. 14. Marc. 6.

Abulens.

Marc. 10. Princeps in re quie difficiliter suadet militi, ad discrimina.

QVÆSTIO XX.

Quare Petrus pro Domino, ac Patribus offert tria tabernacula, de se verò, ac aliis Apostolis non agit?

166. VALDE mirum, quòd D. Petrus pro Domino, & seruis æqualiter offerat tria tabernacula, *Tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.* Pro quo respondet Tertullianus lib. de Ieiun. aduers. Psich. cap. 6. *Merito igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit collegæ ieiuniorum suorum, non minus & Eliæ.* Et paucis interpositis subdit: *Tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari. Si enim Deus æternus non esuriet, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo vixit.* Ex omnibus antiquis patribus assumuntur à Domino Moyses, & Elias ad mysterium Transfigurationis, quia hi duo per quadraginta dies collegæ Domini in ieiunando exiterunt. Sed quomodo Petrus æque offert Domino, ac seruis tabernacula tria, cùm sine dubio multo maius erat Domino parandum. *Tanta est circumscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari.* Tanta est ipsa ieiunij virtus; vt sit veluti quoddam Diuinitatis collegium, ipsumque Diuinitatem æmulari videatur. *Vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari.* Qui ergo fuerunt in ieiunando collegæ, sint & collegæ, vt eodem modo pro ipsis contubernia construantur. *Hoc erit tempus, quomodo Deo adæquetur, cum sine pabulo vixit.* Expende exaggerationem *adæquetur* pro quodammodo æmulari. Rectè D. Chrysolog. serm. 13. ad id, quod Diabolus dixit Christo Domino ieiunanti: *Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. num. 3. ait S. Pater: *Videtis, quia iam non hominem, sed Dei filium credit, quem liberum à ventris conspexerat seruitute.*

Tertullian.

Ieiunium facit æmulari diuinã naturam.

Chrysolog.

Matth. 4.

167. Secundò respondet Abulens. q. 64. quòd Moyses, & Elias non erant adinuicem subiecti; & ideo cuilibet dabit vnam domum, vt non videretur vnus alteri subiectus, vnusque alteri anteponi; ac proinde vt cuilibet placeret, tria tabernacula offert. Tertiò. Christus apparebat transfiguratus in gloria. *Moyses, & Elias visi sunt in maiestate,* seu gloria, vt scribit D. Lucas: ergo pro eorum maiestate offert tria tabernacula, ideò tres thronos pro pompa vniuscuiusque, more humano rem iudicans; vna enim maiestas alteram secum non compatitur inter homines. Quartò. Hæc Petrus dixit inaduertenter, nescius quid diceret.

Abulens.

Vna maiestas alterã seruum non patitur.

168. Secunda quæstionis pars inquirit: Cur Petrus pro se, ac condiscipulis tabernaculum non petit? Respondet Lyranus. Non loquitur D. Petrus de tabernaculo pro se, ac sociis, qui valebat cum Christo esse in ipsius tabernaculo, & socij eius cũ aliis duobus, scilicet Moyse, & Elia. Abul. q. 64. existimat, quòd ideo Petrus de huiusmodi tabernaculis siluerit, quod in eodem cum Christo tabernaculo ipsum, & condiscipulos habitaturos arbitrabatur, quia ipsi erant soliti manere cum suo magistro, à quo vllo modo nolebant separari. Tertiò. Quia cùm Apostoli hic non niterent in gloria, vt Moyses, & Elias, bene poterant in alterius tabernaculo sese recipere. Quartò. Quia vt iam dixi in expositione, Moysen, & Eliam abeuntes volebat Petrus retinere, vnde de eis, non verò de se, ac sociis erat sollicitus, quia erant ibi permanentes.

Lyranus.

Abulens.

Nemo fixe maiestate in quolibet loco.

Quintò. Quia Apostoli, in quocumque loco, seu angulo à suo magistro collocarentur, ibi benè & aptè se haberent. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Matth. 6. n. 12. Expende illud, *sicut & nos*: nam nos pauca, & imperfectè dimittimus; ipse verò multa, & perfectissimè. Illud *Sicut & nos* non dicit certam mensuram, sed veluti quandam rationem inductiuam, vt docent D. Augustin. D. Paschasius, D. Gregorius Nyssenus, & alij à me citati tom. 2. c. 15. qu. 17. Si enim ipse inducatur ad dimittendum, non parcè, ac imperfectè vt nos dimittimus, sed amplissimè, ac omnibus modis absolutè dimittet. 169.

Matth. 6.

Augustin. Paschas. Nyssenus.

Deus, quæ donat, largissimè donat.

Probabilius tamen mihi dicendum videtur, quòd Petrus inconsideratè, ac sui, suorúmque condiscipulorum oblitus præ gloriæ magnitudine, nescius quæ dicebat, in hæc verba prorumpit: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula:* intendens, quòd Christus cum ipso ibi permaneret, vt ille tanta gloria frueretur, non aduertés, quòd si Christus à monte illo non descenderet, nec ipse, nec alij homines redimerentur, sed captiui sub potestate antiqui hostis remanerent. 170.

Petrus sibi disconuenienS petit.

O quàm sæpè homines ea petunt, ac quærunt, quæ ipsis sunt deteriora, ac in eorum damnum, ac detrimentum conuertuntur! Duorum puerorum grauida erat Rebecca, de quibus prædictum erat: *Maior seruiet minori.* Genes. 25. n. 23. Aduenientem autem partu collidebantur pueri veluti inter se inuicem pugnantes, quisnam eorum prior esset egressurus: & in ipsa puerorum effusione adhuc vnus alteri non cedebat: Iacob enim *plantam fratris tenebat manu.* O magna ignorantia! Qui prior egredietur, erit famulus, & seruus. Procopius. *Qui affectat*, ait, *maior esse, & se maiorem iactat, subiicietur illi, qui minor habetur.* Et tamen pueruli pro primo exitu magnopere decertantes concurrebant. Hæc est sæpè hominũ innata natura, vt pro ipsis deterioribus, & quæ in eorum detrimentum vergent, sæpè contendant, & anhelent. 171.

Homines, quæ sibi sũt deteriora, petunt.

Genes. 25.

Procop.

QVÆSTIO XVI.

Quare Petrus inscientiæ notæ suggillatur?

172. DIVVS Petrus suum placitum Magistro exponens ait: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*, &c. De inscientia notatur. De eo scribit D. Marcus: *Non enim sciebat, quid diceret.* Et D. Lucas. *Nescient quid diceret.* Huius ignorantiæ causam assignat D. Marcus dicens: *Non enim sciebat, quid diceret; erant enim omnes timore exterriti.* Illa particula *enim* indicat causam præcedentis sententiæ: *non sciebat, quid diceret:* vt notarunt Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22. Damascenus Orat. de Transfigur. D. Chrysostomus homil. 57. in Matth. Euthymius in c. 9. Marc. Qui asserit, hunc Petri timorem ex eo esse ortum, quia tacitè mortem Domini impediebat. Superiori quæst. hanc sententiam nõ approbaui. Fuit ergo iste timor exortus ex admiratione, ac stupore præ magnitudine illius visionis. Qui timor optimè potest consistere cum ingenti gaudio de eodem bono.

Timor inscientiæ causa.

Tertullian Damasc. Chrysost. Euthym.

Longa,

173. Longa, & satis agitata difficultas: Cur Petrus nescius dicatur? Cur scilicet, quando Petrus negat, non vocatur nescius, sed quando de tabernaculis construendis tractat? Respondet primò D.Basilius Seleucus Orat.43. *Suam ipse socordiam arguit, cùm Dominum cum seruis annumerat; Subiectos pari honore cum Domino putauit esse.* Idem docent D.Proculus & D.Ephren.Orat.de Transfigur. & D.Chrysost.serm.5. de Petri negatione, Alienum à recta ratione, eadem mensura dominum, & seruum; regem, ac subditum metiri: Et cùm in faciendis tabernaculis nullum discrimen interponat Petrus inter Dominum, & seruos, ideo, vt tantum facinus à Petro alienum credatur, necesse est, eum ignorantem exprimi, & in medelam sententiæ Petri, vox Patris statim intonuit: *Hic est filius meus dilectus*: alios seruos declarans, hunc, scilicet Christum, filium essentia, & natura, vt notat citatus Seleucus, & infrà dicam.

Basil.Sel.

Proculus. Ephren. Chrysost. *Dominus & seruus non est metiendus.*

174. Secundò. D.Proculus serm.de Transfigur. *Ex piscatore*, inquit, *factus tabernaculorum fabricator, dum Seruatorem hîc compellat verbis: faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Eliæ vnum, & Moysi vnum, nescient quid diceret.* Petrus in piscatoris officio se exercuerat, nunc ædificatoris arti se ingerit: quid mirum, si in ignorantiam cadat, insciusque dicatur? Tertiò. Idem D.Proculus sic ait: *Petrus more suo semper præceps; quos mentis oculis nunquam ante vsurpasset, conspectus colloquentes cum ipso magnitudinem miraculi haud perpendens, neque considerans diuini splendoris insolentiam, & nouitatem, locum istum desertum bonum vocat.* Petrus nunquam videtur similem gloriam, Moysemque, & Eliam nunquam agnouerat; & tamen ad tantæ rei nouitatis primum aspectum ita statim capitur, vt absque vlla consideratione velit in illo loco permanere; ac fingere tabernacula, eosque in socios habere. Qui autem ad primum rei insolitæ intuitum maximè afficitur, frequenter inscientiæ notam non effugit.

Proculus. *Ignorantia, in alieno se officio intromittere.* Proculus. *Ad rem nouam non statim sine consideratione afficiatur homo.*

175. Quartò. Idem D. Proculus citato serm. *Petri sententiam impugnans*, sic fatur: *Frustra ergo in hanc terram peruenit, si perpetuo in hac terra manet: frustra sese ipse exinaniuit, formámque serui accepit, nisi crucem apud vos pertulerit; & proprio sanguine mundum redemerit.* Ac si dicat: Frustra Dei filius veniret in mundum, frustráque nostra humanitate assumpta se exinaniret, si perpetuò in gloria Thaboris maneret, sicque inchoatum redemptionis opus non consummaretur. Qui autem vult, vt Deus opus inceptum non perficiat, & absoluat, nescius meritò vocitatur.

Proculus. *Opus inceptum perficiendum.*

176. Quintò. D.Hieron.Epist.ad Marcellam in fine. *Peregrinamur ad tabernacula Saluatoris, non vt Petrus quondam voluit cum Moyse, & Elia, sed vt cum Patre cernamus, & Spiritu sancto.* Rectè Petrus vt ignorans arguitur, qui habens secum Iesum, ad Moysen, & Eliam respexit, illorumque meminit: & quæ maior ignorantia, quàm Deo præsente ad creaturam dirigere visum? Sextò. Idem D. Hieron.in c.17.Matth. *Erras, Petre, ait, sicut alius Euangelista testatur, nescis, quid dicas: noli tria tabernacula quærere, cùm sit tabernaculum Euangelij, in quo Lex, & Prophetæ recipiendi sunt.* Per hos tres Euangelium, Lex, & Prophetæ designantur; horum autem trium singularis est ad inuicem concordia, ac vnio: non ergo his, quasi pluribus, multa sunt construenda tentoria: sed ob vnitatem vna est illa assignata domus, quæ est Ecclesia, vt ait Origenes homil.6. in Leuitic.

Hieron. *Errat, qui Iesum habens, creaturam respicit.* Hieron. *Lex, & Prophetæ cohærent in Euangelio.* Origenes.

177. Septimò. D.Cyprian.serm.de Resurrect.agens de splendore Transfigurationis, sic subdit. *Momentaneus ille decor imaginem, non speciem; similitudinem, non substantiam; partem, non plenitudinem transformationis mirificè explicauit.* Accusatur Petrus vt ignorans, cum ad monumentum Transfigurationis resplendorem sic afficiebatur, vt nihil aliud requireret: de stultitia enim venit, quod momentanea requiramus, nil aliud attendentes. Octauò. D.Remigius. *Errauit etiam Petrus*, ait, *qui voluit, vt regnum cælorum constitueretur in terra, quod Dominus promiserat dare in cælis.* Intentare, rerum ordinem inuertere, magna ignorantia, sicut & quod min mus apex in Dei verbis deficiat.

Cyprianus. *Ignorantia, pro momentaneum intuere cælestia.* Remigius. *Rerum ordo non est inuertendus.*

178. Nonò. Idem D.Remigius. *Errauit etiam Petrus, quia oblitus est se, & socios suos esse mortales, & absque gustu mortis voluit subire æternam fœlicitatem.* De ignorantia accusatur Petrus dicens, *Bonum est nos, hîc esse*: non enim æterno gaudio fruitur, nisi prius mortis acerbitas degustetur. Decimò, Rabanus. *Errauit Petrus etiam in eo*, inquit, *quod cœlesti conuersationi tabernacula facienda putauit, in qua domus necessaria non erat, cùm scriptum sit, Templum non vidi in ea, Dominus Deus omnipotens templum illius est, & Agnus.* Apocal.21. num.22. Deus non indiget templo, seu tabernaculo; ac consequenter nec beati; quia ipsemet Deus sibi est templum: nam in se ipso videtur à beatis, & in se ipso maiestatem omnem templi continet; eamque veluti totam, licet non totaliter beatis fruendam, & possidendam communicat.

Remigius. *Mors gustata, fruitur æterna.* Rabanus. Apocal.21. *Deus sibi templum.*

179. Vndecimò. D.Paschasius l.8. in Matth. *Error in causa est*, ait, *quod tria se repromisit facere tabernacula, vnum scilicet, ac si primatim Iesu, alterum Moysi, & aliud Elia, quasi non eos caperet vnum tabernaculũ, seu in vno simul consistere possent.* Ignorantiam committit Petrus, dum cogitat, Iesum separare à Moyse, & Elia: cùm ipse Dominus sit suis valdè præsentissimus. Deinde quia in gloria vult, Iesu facere tabernaculum separatum à Moyse, & Elia: & quale bonum ipsis, à Iesu separatis, potest obuenire? Sic dicit idé Paschasius. *Neque cogitat, quòd Moyses, & Elias nunquam, & nusquam velint esse sine Deo Domino?* Deinde quia error est, cogitare, ministros constituere in tabernaculis distinctis à Domino suo, cùm ipsi debeant esse coniunctissimi in eadem domo, vt facile ad illum aditum habeant.

Paschas. *Nullum bonum sine Iesu.* *Ministri non sunt à domino separati.*

180. Duodecimò. D.Damascenus Orat.de Transfig. *An non bonum est*, ait, *a bono minimè seiungi? Non absurdè sanè Petrus hoc prolocutus fuit. Verum quoniam omnia tempore sua bona sunt, oportebat verò, non iis duntaxat, qui illic erant, bonum circumscribi, sed ad omnes, qui fide præditi essent, diffundi, quo plures essent, qui beneficium perciperent, quod quidem per Crucem, ad mortem perficiendum erat.* Suggillatur Petrus, vt nescius, dum Iesu gloriam in paucis, qui illic aderant, coarctare vult, quæ in omnes diffundenda erat; *Oportebat verò, non iis duntaxat, qui illic erant, bonum circumscribi.* Deinde quia Petrus cogitat, gloriam Iesu sine Cruce, & morte posse consistere. *Quod quidem per Crucem, & mortem perficiendum erat.* Exinde in nescientis notam incurrit.

Damasc. *Gloria Christi ab æterno sine cruce, & passione.*

181. Decimotertiò. D.Bernardus serm.ad fratres de monte Dei ait. *Petrus in eo quidem abreptus sibi, & nescius quid diceret, quia visa Dei maiestate com-*

Bernard.

Ignorantia, cùm bonum inter priuatos concludere. Abulens.

monne bonum intra primum suum visus est concludisse. Criminatur Petrus, vt nesciens: commune enim bonum, scilicet Christi maiestatem, sibi tantum voluit retinere, totúmque intra se concludere; nám, vt etiam ait Abulensis quæst. 72. Si Christus non descenderet, solum qui erant in monte, eius gratia fruerentur. Ex quo nota, quòd Petrus hic loquebatur, vt Pótifex, ac caput Apostolorum; & de eo scribitur, *nesciebat quid diceret.* De Caipha autem dicente de Christi morte: *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo*: cùm ipse nesciret, quid loqueretur? subdit tamen Euangelista: *Prophetauit*, Ioan. 11. n. 51. *cum esset Pontifex anni illius.* Et Petrus etiam, iuxta Tertullianum, & Damascenum supra relatos qu. 19. prophetauit, cum ait: *faciamus hic tria tabernacula*, Cur de eo tantum asseritur, *Nesciebat, quid diceret*, non vero, prophetauit? Petrus in præsenti agebat de bono particularium: *Bonum est, nos hic esse*: indéque nesciens vocatur. At vero Caiphas de bono communi pertractabat: *Vt vnus homo moriatur pro populo*: indéque nobilitatur, quòd prophetauerit.

Ioan. 11.

Aliam illustris de bono communi agit.

182. Theophyl.

Decimoquartò. Theophylactus sic introducit Petrum desiderantem, vt Moyses, & Elias diu adessent in monte, tanquá fortissimi bellatores, vt si quid contra Christum ab aduersariis machinaretur, ipsi repellerent; sic ait Theophyl. *Si quis huc venerit, habemus Moysen, & Eliam nos adiuuantes*; *Moysi quidam Ægyptios deiecit*: *Elias autem ignem è cœlo deduxit*: *& tales erunt in inimicos, si qui huc contra nos venturi sunt. Hæc autem pra timore loquebatur, sicut Lucas inquit, nesciens quid diceret.* Aderat Christus in Thabor orans, vt scribit D. Lucas, *facta est, dum oraret, species vultus eius altera.* Erátque tractans de adimplendo mortis præcepto, sibi à Patre impósito: agebátque de communi bono, ac redemptione totius generis humani. *Dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem*: reiicitur Petrus vt nesciens, dum Christo oranti, ac de obedientia adimplenda, bonóque communi cogitanti externa adiuuamina intendit conferre; ac si plus prævalerent ad profternendos hostes Moyses, & Elias, quam Christi oratio, obedientia, ac charitas. Errat ergo Petrus, cùm potentiorem existimat Moysis manum, Eliæ ignem, quam Christi obedientiam, orationem, ac charitatem; quælibet enim ex his virtutibus multum robustior omnibus armis ad hostes repellendos, ac conculcandos.

Oratio, vel obedientia, seu Charitas, omnib. armis potentior.

183. Leo.

Decimoquinto. D. Leo serm. de Transfig. expendens verba Petri: *Domine, bonum est, nos hic esse*: sic ait: *Huic suggestioni Dominus non respondit, significans, non quidem improbum: sed inordinatum esse, quod cuperet. Vt intelligeremus, inter tentationes huius vitæ prius nobis tolerantiam postulandam esse, quam gloriam, quia tempora patiendi non potest felicitas præuenire regnandi.* Errauit Petrus, quia gloriam præcurrere passioni voluit, & præmium meritis.

Non obtinetur gloria, sine præmium sine meritis.

184. Anton. Vlyss.

Decimosextò. D. Antonius Vlyssippon. serm. in Dom. 2. Quadrag. *Quia*, ait, *tabernaculum est mansio transmutabilis*: *firmam autem Deo habitationem facere oportet*: *Deo autem competit æterna.* Nesciebat Petrus quid diceret, cùm conatur Domino parare tabernaculum, quod breuiter, ac transeunter à viatoribus habitatur: Deo autem competit fixa, ac perpetua domus. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Psalm. 92. num. 7.

Psalm. 92. *Anima recipiens Eucharistiam.*

Qui ad mensam Domini conueniunt, vt ipsi in anima sua præparent habitaculum, non sit ad vnum, vel alterum diem, sed *in longitudinem dierum.* Hinc sponsum suum inuitans Anima sancta dicebat illi. *Tecta domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cantic. 1. nu. 16. Cur potius ex huiusmodi lignis, quàm ex aliis fabricata erat domus? Ligna illa sunt incorruptibilia: Deo autem non placent, nisi perennia, ac perpetua tabernacula. D. Iustinus Orgelitanus in Cantic. *Domus ista*, inquit, *in quibus Christus habitat, Sancti sunt*; *sicut Propheta dicit, Quoniam inhabitabo in eis. Tecta autem, & laquearia domorum istarum cedrina, & cypressina, quæ incorruptibilia dignoscuntur.*

Cant. 1. Orgelitan.

Decimo septimò. Vt nesciens loquitur Petrus, cùm enim esset in gloria, ait: *faciamus tria tabernacula*: faciendum, ac laborandũ, non cùm sumus in gloria, sed antequam ad illam deueniamus, vt per opera nostra illam obtineamus, ac veluti per gradus illã ascendamus. De Christo Domino, ait Paulus ad Hebræ. 1. n. 3. *Purgationem peccatorum faciens sedet ad dexteram maiestatis in excelsis*, seu, vt legit D. Chrysostomus, *Per semetipsum, mundatione peccatorum facta, consedit in dextera maiestatis in excelsis.* Vt explicant ipse Chrysost. Theodoretus, & Theophylact. Christus sanguine suo purgauit peccata nostra, & huius expiationis merito consedit ad dexteram Dei. Hinc de Iustis in gloria regnantibus inquit Ioannes Apocal. 14. num. 13. *Opera enim illorum sequuntur illos.*

185. *Aut ascensionem gloriæ operandum.*

Hebr. 1. Chrysost. Theodor. Theophyl. Apoc. 14.

Decimooctauò. Vt nescius reiicitur Petrus, dũ ait: *Domine, bonum est, nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula.* Omnium vota per suum iudicium diiudicare conatur, & quod sibi placet, omnibus esse complacitum, autumat. Audiens Caiphas Christum Dominum differentem de aduentu suo ad iudicandum in nubibus cœli, *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens, blasphemauit*; *quid adhuc egemus testibus* Matt. 26. n. 65. Auditis Christi verbis tacent omnes; & tamen iniquus iudex omniũ nomine loquitur, *blasphemauit, quid adhuc egemus testibus?* Cur suum tantum non profert iudicium, ac veluti si diceret, mihi iam non est necessarius testis? Cur pro omnibus respondet, *quid adhuc egemus testibus?* Cum nefarius iudex Christum tanquam blasphemum, ac reum mortis iudicaret; à sua sententia neminem discrepare, indubitanter tenet, ac præsumit. Vide multa de hac re tom. 1. 2. & 3. Verb. *Iudicare*, seu *Præsumere.*

186. *Quilibet ex se alios iudicat.*

Matth. 26.

QVÆSTIO XXII.

Quare censuram D. Petri de inscientia non scribit D. Matthæus, sed Marcus, & Lucas eam referunt?

187. *Electus à te ad bonores, non à dedecorandus, ac contristandus.*

IN limine huius quæstionis notandum Cénsuram nescientis, impositam Petro in hoc loco, ei à Spiritu sancto, qui Euangelistarum linguas dirigebat, impingi. Et cur non à Christo D. forsitan Christus respiciebat personam hominũ? nonne ei dixit aliquando, *Vade post me Satana*, Matt. 16. n. 23. Cur in præsenti eum nescium non vocat? Huius rei solutio petenda est ex exordio Euangelij: *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum*, &c. Cũ ergo Christus D. Petrũ assúpsisset, ac elegisset maximè eũ honorans, ac nobilitans, vt illũ secũ in monte adduceret, inde canet, eũ insciétis nota

Matth. 16.

aliquantulum deuenuſtare, ac aliquali doloris vulnere afficere. Ex Domini mandato tẽdit Ananias in domum Iudæ, vt manus ſuper Saulum imponat, & ingreſſus ait illi: *Saule frater, Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via.* Act.9.n.17. Non dixit Ananias, Dominus Ieſus, quem tu es perſecutus, vel qui te proſtrauit in via, vel obcæcauit, ſed qui tibi apparuit. Audiuit Ananias à Domino, *Vade, quoniam vas electionis eſt mihi.* Cùm ergo agnoſceret eum à Domino electum, obcæcationis, ac deiectionis prætermittit verba, ne illorum memoria eum acerbè contriſtaret, ac aliqualiter denenuſtare videretur; ſed ea, quæ honoris, ac nobilitatis erant, exprimit. Qui tibi apparuit. Oecumen. *Dominum miſit me, qui apparuit tibi; non dixit, ait, qui te excæcauit, impropervium declinans; ſed qui apparuit tibi.*

Act.9.

Oecum.

188. Ad quæſtionem. Cenſuram inſcientis Petro non adſcribit Matth. ſed Marc. *neſciebat quid diceret*; & D. Luc. *neſciens quid diceret.* Cur autem hanc notam illi impingat Marcus, deſumi poteſt ratio ex Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 5. *Euangelium, ait, quod Marcus edidit, Petri affirmatur, cuius interpres Marcus.* Cùm Petrus fuerit auctor Euangelij quod Marci appellatur; Marcus autem tantum interpres extiterit: non tam Marcum Petro, quàm Petrum ſibi ipſi cenſuram imponere, exiſtimatur, vt ita ſuam patefaceret ignorantiam, quam Matthæus abſcondebat.

Tertull.

Petri humilitas in ſua ignorantia manifeſtanda.

189. Secundò. Cur D. Marcus, ac Lucas neſcientes Petri cẽſuram ſcribant, cùm ſolus D. Matth. illam prætermittat? Cuius rei ratio ea mihi videtur eſſe. Cùm D. Matth. exiſteret vnus ex nouem Apoſtolis, qui relicti ſunt ad pedem montis, abſtinuit, vt defectum Petri, qui ei prælatus eſt propalaret. Vt fiat euidens, quantum diſtat Apoſtolicum ingenium à conditione huius ſæculi hominum, qui maximè toto pectore incumbunt, vt culpas eorum, qui eis ſunt antepoſiti, euulgent, & dictitent: ſolent enim frequenter habere in ore: Cogitate, qualiſnam mihi præpoſitus eſt homo neſcius, & ſuo emolumento deditus. Si ego ad talem dignitatem eſſem aſſumptus, nunquam talia perpetrarem. Etſi ipſi, qui hæc dicunt, ad illum honorem eneherentur, abſque dubio in multo graniora, ac deteriora inciderent crimina.

Iuſtus non dedecorat eos, qui ſibi ſunt antepoſiti.

190. Percuſſio Philiſthæo, per choros præcinebant mulieres dicentes: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem miſlia. Iratus eſt Saul, & diſplicuit in oculis eius ſermo iſte.* 1. Reg. 18. n. 7. Indéque paſſim per contumeliam eum filium Iſai vocabãt 1. Reg. 20. n. 30. Cùm maximè doleret Saul, quòd Dauid ei eſſet antepoſitus, ad nihil aliud reſpiciebat, nec aliquid aliud habebat in ore, niſi quòd Dauid cõtumelioſum, ac ignominioſum reputabat: indéque per opprobrium filium ſuum Iſai hominis Bethlehemitis dictitabat. At quam aliter Samuel iuſtus, & ſanctus! cum enim ei à populo Saul eſſet prælatus, maximè illius crimina, ac vitia deplorabat, itaut ei à Deo eſſet dictum: *Vſquequo tu lugu Saul?* 1. Reg. 16. n. 1. Sic & D. Matth. cenſuram Petri ſilentio premit, ne aliquis putet, ab eo exprimi, quia in montem aſcendens ei eſt antepoſitus. Hanc neſcientis notam Marc. & Lucas referant, qui, cùm eſſent Diſcipuli, cum Apoſtolorum choro ad radicem montis non remanſerunt.

1. Reg. 18.

1 Reg. 20.

Homines ignominia afficiũt eos, qui ſibi tũt prælati.

1. Reg. 16.

Matth.7.n.5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos; & ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.

VERSIONES.

Syriacus. Ecce nubes lucida operuit eos. Et vox facta eſt de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus.

Fauſtus Presb. l. contr. Arr. Nullus lucida inumbrauit eos.

Tert. aduerſus Prax. c. 23. In quo bene ſenſi.

Vatablus. In quo mihi bene complacitum eſt.

Arias. In quo bene acquieui.

ALTER TEXTVS.

Marc.9.n.6. Et facta eſt nubes obumbrans eos: & venit vox de nube dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus; audire illum.

Luc.9.n.34. Hæc autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt intrantibus illis in nubem. Et vox facta eſt de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus; ipſum audite.

EXPOSITIO V.

191. RECTE inquiunt D. Hieron. & S. Thom. in c. 17. Matth. Quia Petrus inſipienter loquebatur, *faciamus hic tria tabernacula*; ideò indignus fuit Domini reſponſione. *Adhuc eo loquente.* Expende vim illius aduerbij *Adhuc*. cùm nempe Petrus loqueretur. Sic explicat D. Ambr. in c. 9. Luc. inter hæc verba facta eſt nubes. *Ecce* rem grandem, & mirabilem denotat, *nubes lucida obumbrauit eos; nubes* tanquam Dei ſedes agentis cum hominibus; *lucida*, quia non erat ad terrendum, vt fuerat olim, vt in monte Sinai, vt notarunt Chryſoſtomus, & alij.

Hieron. D. Thom.

Ambroſ.

Chryſoſt.

192. *Obumbrauit eos*, omnes, qui præſentes aderant, ſcilicet Ieſum, Moyſen, & Eliam, & tres Diſcipulos. Nam hæc nubes, vt ait Chryſoſt. erat valdè lata, & profunda, ab ipſo cœlo ad terram vſque diffuſa. Hæc autem nubes circa Moyſen, & Eliam ſeſe condenſauit, ac conglomerauit, vt eos ab oculis Diſcipulorum ſubduxerit, & abduxerit, vt explicant Euthymius Lucas, Burgenſis; nam, vt ait D. Lucas, *factum eſt, cum diſcederent ab illo.* cùm ſcilicet Moyſes, & Elias ab eo pararent diſceſſum: vnde Arabicus vertit, *Cùm vellent diſcedere ab eo.* Locutus eſt Petrus, *Bonum eſt nos hic eſſe*, &c. quo loquente eos cinxit nubes, & ab oculis Diſcipulorum abſtulit Moyſen, & Eliam D. Lucas ait, *& timuerunt intrantibus illis in nubem.* Id eſt, cùm Ieſus, Moyſes, & Elias intrarent in nubem, timuerunt Diſcipuli tanquam rem nouam, mirabilem, ac diuinam. Huius vero timoris cauſam explicabo infra q. 128.

Chryſoſt.

Euthym. Burgenſ. Lucas. Arabic.

Lucas.

193. *Et ecce*: ſemper in his, quæ à Deo fiunt, magnis magna, mirabilibus mirabilia ſuccedunt; *Vox de*

nube

1. Petri 1. *nube, vox, inquam maiestatis plena, quæ efformata est in superiori parte nubis. Sic dicitur 2. Petri 1. n. 18. quòd vox fuerit a Deo Patre elapsa de cœlo. Et quamuis vox, quoad efficientiam, fuerit à tota Trinitate, tamen quoad attributionem, & significationem refertur Deo Patri, cùm solius Patris sit habere filium. Hic*, pronomen est demonstrans Christi personam, *filius meus*. Cùm dicitur per demonstrationem, ac singulariter filius, vt distinctus ab aliis, intelligitur filius naturalis, non verò adoptiuus; nam Moyses, & Elias, & tres Apostoli, qui aderant, per adoptionem filij erant

Syriac. Marc. Chrysost. *Dilectus*. Syriac. *dilectissimus*, D. Marc. *charissimus*, D. Chrysost. vt hom. 57. in Matth. Triplex est dilectio Patris erga filium, Quia filius, quia singulariter dilectus, quia in ipso bene complacuit. D.

D. Thom. Thomas sic inquit. *Tangitur Christi dignitas ex proprietate filiationis, ex perfectione dilectionis, ex conformitate operationis.* Et dicitur filius dilectus, non solum vt Deus, cuius vna est voluntas, vnusque amor cum Patre, sed etiam vt homo, cuius voluntas obediens, ac conformis est Patri.

194. Chrysost. Euthym. Damasc. Remig. Tolet. *In quo mihi bene placui*, qui mihi singulariter placet, in quo nihil displicet, sed omnia summè, & perfectè placent. Vel vt explicat D. Chrysost. Euthym. in quo ego acquiesco, ac summè oblector, & delector. Seu, vt interpretantur D. Damasc. Orat. de Transfig. D. Remig. Tolet in c. 9. Luc. annot. 31. In quo mihi bene complacui, id est, in quo perficiendum est beneplacitum meum, & per quod decreui, salutem hominum operari. *Ipsum audite*, vt vniuersalem doctorem; atque magistrum. Audire autem hic non simplicem auditum significat, sed audire credendo, & obediendo. Quam significationem habet apud Ioan. 8. n. 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.*

Ioan. 8.

QVÆSTIO XXIII.

Quare in Transfiguratione apparuit nubes?

195. Tertull. *Vnde nubes facta.* HÆc nubes, vt ait Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 22. facta est à Deo per ministerium Angeli ex conglomeratione aëris, ac vaporum illic existentium. Ipsáq; vt dixi in expositione, suscepit Iesum, Moysen, & Eliam, ac tres Apostolos, vt ipsi suo tempore certum testimonium redderet cæteris Apostolis, ac fidelibus eorũ, quæ in nube gerebãtur circa Christum, & præcipuè vocis elapsæ à Patre. *Hic est filius meus*. Cur autẽ hæc nubes hic interuenit, hæc præsẽs quæstio indagitat.

196. Chrysost. Respondet primò D. Chrysost. hom. 57. *Quãobrem ex nube? sic ferè semper Deus videtur.* Vt ita Discipuli certi redderentur de Dei præsentia, vtque intelligerent, factam vocem esse ex Deo: frequenter enim Deus in nube apparere, & audiri solebat. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* Psalm. 96.

Psalm. 96. Psalm. 103. n. 2. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* Psal. 103. n. 3.

197. Druthmar. Secundò Druthmarus, *Quia visitatissimum*, inquit, *erat genus locutionis Dei per nubem ad electos suos, vt ad Iacob, & ad ipsum Moysen: quia per nubẽ designatur lene blandimentum.* Cum hac coincidit

Abulens. ratio, quam Abulens. q. 75. existimat præcipuam. Ad hoc, ait, nubes facta est, vt in ea efficerentur vox & organa, quibus vox ipsa formabatur, vtque ille, qui loquebatur, sub occulta nubis condensatione remaneret. Sic enim fiebat in veteri Testamento: nam quandocumq; Deus Moysi, ac aliis etiam publicè semper de nube loquebatur. Exod.

Exod. 16. 19. & 33. 16. n. 10. & 20. n. 21. & 33. n. 9. & 40. n. 32. Deut. 4. n. 11. & sæpè alibi. Antiquum ergo morem, quo Deus suam gloriam manifestabat, ac loquebatur, in præsenti Æternus Pater, ac filius eius Christus Dominus retinent; & ab eo minimè recedunt, vt ex actionum conformitate idem Deus in vtroque Testamento ostendatur.

Deuter. 4. *Antiqua consuetudo retinenda.*

198. Hieron. Tertiò D. Hieronymus. *Nubes lucida obumbrat eos*, ait, *vt qui carnale è frondibus, aut tentoriis quærebant tabernaculum, nubis lucidæ operiantur vmbraculo.* Theophylactus, *Tu quidem*, inquit, *ô Petre, tabernacula quæris manufacta, vt fiant: Pater autem aliud tabernaculum, non manufactum, nubem constituit.* Deus plura concedit, quàm nos ab eo petimus. Petrus suggesserat, *Domine faciamus hic tria tabernacula*; quæ construenda erant ex lignis, seu frondibus. At Dominus parat vmbracula, non ex illa materia, sed ex alia excellentiore, nempè ex nube lucida, & præclara.

Theophyl. *Deus maiora concedit, quam ab eo petimus.*

199. Beda. Quartò Beda. *Quia verò Petrus*, ait, *materiale quæsiuit tabernaculum; vt discat, in resurrectione, non tegmine domorum, sed Spiritus sancti gloria eos esse protegendos, sequitur, quod facta est nubes obumbrans eos.* Vt discat Petrus, quòd in Beatitudine non sunt necessaria tabernacula; gloria enim operit sanctos. Quintò, Idem Beda, & facit combinationem cum Baptismo Iordanis, in quo visus est Spiritus sanctus: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Matt. 3. n. 16. in Transfiguratione nubes lucida se exhibet. Tunc ipse Beda. *Hic Spiritus sanctus in nube lucida; illic in columba: quia qui nunc simplici corde fidem seruat, tunc aperta luce contemplabitur, quod crediderat.* Lux ponitur pro fidei mercede: qui columbæ simplicitate, ac sinceritate fidei mysteria credit, luce aperta, ac manifesta, ipsa mysteria contemplabitur, ac intuebitur.

Beda. Beda. Matth. 3. *Quæ fide creditur, luce manifesta contemplabimur.*

200. Abulens. Sextò. Abulensis citata q. 75. Venit nubes ad occultandam cessationem claritatis Christi: sicut enim Christus noluit, quòd Discipuli viderent, quando ipse incepit transfigurari, sumendo fulgorem; tunc enim immisit in eos soporem, vt ait Lucas 9. n. 32. & tunc quando postea euigilarunt, eum transfiguratum viderunt: ita & quando deposuit radios, reducendo se in pristinum statum? occultauit se, & illos in nube, vt non viderent, quod fiebat. De quo latius infra. Septimò. Tolet.

Lucas 9. Tolet. in c. 9. Luc. ad hæc verba: *facta est nubes* in Comment. & annot. 73. ait quòd nubes in Transfiguratione interuenit, vt significetur, Christum eundem esse, quem Deus olim, sub nube loquens, promisit, dans Legem in monte: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum.* Exod. 20. n. 21. Deuter. 18. n. 15. Vt fiat euidens infallibilis veritas diuina, eundem modum obseruat Deus in promissis præstandis, ac adimplendis. Hoc latius explicabitur quæst. 29.

Exod. 20. Deuter. 18. *Infallibilis diuina veritas in promissionibus.*

201. Origen. Octauò. Origen. homil. 3. Matth. *Nubes lucida*, ait, *obumbrat sanctos, ex qua venit vox Patris, dans testimonium filio quasi dilecto, & exhortans eos, qui obumbrantur ab eo, ipsi, non alij, obedire.* Dicebat Petrus, Christo Iesu, *faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnũ, Eliæ vnum*; attendebatque simul ad Christi, Moysis, & Eliæ maiestatẽ, eique obiicitur nubes de cœlo, vt ab ipsa nube discat, Soli vni Deo attendere, ipsique soli placere: hoc enim nubes perpetuo suo cursu, ac ordine protestantur, non hominibus, sed Deo auscultandum esse.

Origen. *Deo, non hominibus attendendum, ac obediendum.*

202. Baruch. 6. Baruch. 6. num. 61. *Nubes, quibus cùm imperatum fuerit à Deo perambulare vniuersum Orbem,*

perficiunt, quod imperatum est eis. Perfectè obsequentis Deo imaginem exprimunt nubes: non hominis, seu terræ desiderium, sed tantum Dei nutum expectant; cui maximè se conformare intenduut, cùm huc, atque illuc discurrunt, & ad cuius voluntatem se totas impendunt, & super expendunt, vsque adeo vt semetipsas consumant, & pereant.

Nubes Dei nutui, & non hominis se conformant.

203. Dupliciter venit in animum Iacob, recedere à domo Laban, & pergere in terrã suam Chanaan. Primò, nato Ioseph, dixit Laban: *Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.* Gen. 30. n. 25. Secundò verò iam multis elapsis annis, omninò occultè à domo illa profiscitur: *Noluit itaque Iacob confiteri socero suo, quod fugeret.* Gen. 31. n. 21. Sed cur prima vice rem tractat, ac agit cum socero; secunda autem minimè? Primò ex se, ac ex animo suo Iacob disposuit, se conferre in patriam suam; & ideò ei visum est, non esse decens, vt Laban inscio discederet: at verò posterius vrgebat Dei mandatum: *Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ,* Cùm autem Dei iussum instaret, nil aliud fuit expectandum, ac considerandam, sed prætermissis omnibus, Dei imperata adimplenda, D. Chrysost. hom. 57. *Non vltra,* ait, *sicut prius interrogare eum voluit: sed quod imperatum erat à Domino, implenit.*

Genes. 30.

Genes. 31.

Vbi est Dei vox, hominibus nõ est acquiescendũ. Chrysost.

QVÆSTIO XXIV.

Quare nubes, cùm esset lucida, obumbrabat eos?

204. Chrysost. RESPONDET primò ad quæstionem D. Chrys. hom. 10. in Matc. *O Petre,* inquit, *quid vis tria facere tabernacula, respice vnum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit. Si feciſſes tabernacula: vtique feciſſes: humana, quæ lucem excluderent, & vmbram includerent. Nubes autem ipsa lucida, & obumbrant, hoc est vnum tabernaculum, non excludit solem iustitiæ, sed includit.* Postulauerat Petrus dicens: *faciamus hic tria tabernacula,* in quibus distinctim Iesus, Moyses, & Elias habitarent. Cùm ille hæc proferet, *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Tunc Deus dat nubem, tanquam vnum tabernaculum, omnes in se recipientem, ac suscipientem. Nubes ergo, quæ trium tabernaculorum diuisionem excludit, eorumque memoriam abradit, lucida, & obumbrans nuncupatur: obumbrans, cùm suscipit; lucida, cùm diuisionem tollit. Semota diuisione, cùm vnitas viget, tunc lucis radij maximè fulgent, & nitent. *Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est vnum tabernaculum, non excludit solem iustitiæ, sed includit.* Cùm enim nubes vnum constituit tabernaculum, à quo solem iustitiæ cum Moyse, & Elia non excludit, sed includit; tunc nubes lucida.

Vultus cum fieret, tunc omnia fulgent.

205. Damasc. Secundò, D. Damasc. Orat. de Transfigur. *Nubes autem,* ait, *obumbrant, Spiritus nimirum fulgorem depingens. Omnia autem lucida, atque eximio quodam ac singulari splendore prædita sunt, qui lucis capaces sunt: quorumque animus conscientiæ turpitudine haud quaquam inquinatus est.* Ænigma est, quòd nubes esset lucida, & obumbrans. In nube hac Diuini Spiritus virtus exprimebatur; & quem Diuini Spiritus virtus obumbrat, ac protegit quandam communicans munditiem, omnia ei lucida, ac splendentia contingent: *Nubes obumbrauit, Spiritus nimirum fulgorem depingens.*

Protectione diuini Spiritus omnia nitent.

Tertiò. Ingeniosè Hugo Cardinalis: *Nubes lucida obumbrauit eos. Ex luciditate obumbrantur.* Ipsa enim nubes luciditate sua obumbrat: Nubes illa terrenis condensata vaporibus erat, & fumantiũ nebuloso montium humore conglomerata, Thaboris gloriam, cùm esset lucida, obumbrabat tanquam sit agnata, & cognata affectio lucidioris luminis, lucẽdo obumbrare, vt magis luceat. Nescit autẽ nitescere mundialis lux, nisi alios obscurando. Quàm verò diuersum sit diuinum ingenium perpende. Transfigur. Iesus, vt suæ Diuinitatis specimen præbeat, *Resplenduit facies eius vt Sol, & vestimenta eius sicut nix.* Quid tunc? Vt scribit Lucas, *Apparuerunt Moyses, & Elias visi in maiestate,* seu, vt legit Syriac. *in gloria.* Si Christus erat in gloria, quomodo etiam coram eo in gloria, ac maiestate se exhibent Moyses, & Elias? Argute Zeno Veronensis serm. de natiuit. Mariæ. *Christus totum sua luce resplẽdens corpus sine vmbra gestabat.* Christi Diuinitatem testificant radij, non solum proprij in facie, sed & alieni Moysis, & Eliæ. *Christus corpus sine vmbra gestabat.* Proprio splendore nitescere, sine alicuius obtenebratione, sinéque detrimento, ac diminutione alterius lucis proprius est Diuinitatis caracter, per commodaque diuinæ generationis laus, non vero humana perpensio, ac conditio. Solus enim Christus sine alicuius damno maior, sine alicuius obscuritate lucidus. Eius enim nobilitas non alieno nitebatur dedecore, eiusque gloria non fundebatur aliena infamia, nec eius splendor aliena obtenebratione fulgebat: hoc enim vulgarium hominum est ingenium.

206. Hugo.

Terrena lux nitet alios obscurando.

Syrianus.

Zeno.

Diuinitatis caracter, sine alterius obtenebratione lucere.

Quartò. De Christo sub Sacramentalibus speciebus in mysterio altaris moralizat hunc locum Drogo Hostiens. serm. de Sacramento Dominicæ Passionis. *Quoniam Moyses, & Elias,* ait, *tecum apparuerunt in monte, sed nubes obumbrauit eos: illis sicut amicis, & domesticis (imò domesticorum, & amicorum tuorum præcipuis) Sacramenti tui nubes erat per lucida, qua nobis tacentibus, & proiectis à facie oculorum tuorum, valdè subobscura est.* Cùm Christus adesset in monte cum Moyse, & Elia, venit nubes lucida obumbrans eos. Nubes illa species Sacramentales, Christum in Eucharistico mysterio occultantes, repræsentabat: quæ specierum nubes iustis, ac amicis, vt Moysi, & Eliæ est valdè perlucida, & fulgida; Christum enim ibi oculis viuæ fidei, ac cœlestibus inspirationibus agnoscunt, & introspiciunt; quæ specierum nubes valdè densissima est proiectis in peccato, cùm ab ipsa cœlestium recreatione multum distent. *Qua proiectis à facie oculorum tuorum valde subobscura est.*

207. Drogo.

Christus in Eucharistia substantierum nube iustis lucida.

Quintò. *Nubes lucida obumbranit eos.* Lucida, & obumbrans, ac obscurans? valde mirum. Affectabat Petrus, vt ipse cum aliis in gloria alto illo in vertice persisteret, remanentibus cæteris in montis radice: & quisquis in suo fulgore, ac nitore proprias tantum commoditates intendit, in ipsomet suo splendore, ac radiis obfuscationem, ac obtenebrationem inuenit, atque reportat.

208. *Qui proprias commoditates intendit, in sua maiestate obfuscatur.*

Sextò. Maximè notandum, quò nubes tunc dicitur lucida, quando in eos vmbram diffundit. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* At verò, quando vox Patris à nube prodit, nubes tantum, absque lucidi additamento, astruitur. *Et ecce vox de nube dicens, Hic est filius,* &c. Sed quare nubes lucida, quãdo eos abscõdit; non vero, quando ab illa vox Æterni Patris resonat? Perpende textum. *Adhuc eo loquente,* scil. Petro, *ecce nubes lucida obumbrauit eos,*

209.

Quid

Quid loquebatur Petrus? Ignorantias sanè; de illo ait D.Lucas, *nesciens quid diceret.* Licèt ergo valdè perillustris esset nubes, cùm de illa Æterni Patris vox intonat; tamen tunc non publicatur lucida, sed quando ignorantias Petri obuelat, & occultat; tanquam si ab alterius vitij occultatione ipsa nubes super modum fulgeat, & luceat, quàm à quocumque alio munere etiam diuino. Vt hoc mundi commentarium nostra sit instructio, quàm nobile, ac excellens, quàm Deo gratum, & acceptabile sit caliginare, ac condenso velamine aliorum defectus recondere.

Lucæ. *Alterũ defectus velare, præcessit quodcũque tectus meus.*

110. Acerbo animi congressu luctabatur sanctus Ioseph, cùm videret prægnantem sacratissimam Virginem, cuius ingeniosus non nouerat causam, & aliunde criminis indicia turgebant: tamen ipse, scribit D.Matth.cap.1.num.18. *Ioseph autem cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Postea verò cum agnouisset mysterium, Æterno verbo ex Virginis vtero nato, illius necem machinabitur Herodes. Tunc apparuit Angelus Domini Ioseph in somnis dicens: *Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth.2.n.13. Et tamen in hoc secundo euentu non commemoratur iustus, sicut de eo in primo est enarratum, cum tunc potius videatur iustus dicendus, quando illius custodiæ, ac solertiæ æternum Verbum Incarnatum, eiúsque purissima Mater committebantur. Considera mysterium. Ait Euangelista: *Ioseph vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere*; seu, vt legit D.August. ser.16. de verbis Domini, & *nollet eam diuulgare.* Subditur: *Voluit occultè dimittere eam.* Cùm sui honoris perplexa cogitatione, huc atque illuc iactatus esset, elegit potius sæuissimum deglutire dolorem, quàm illud in publicum cum aliquali iactura famæ suæ sanctissimæ coniugis euomere. Ex alto afflatu tunc potius ab Euangelista iustus nominatur, quam dum Æterni Patris filij custos, ac nutritius constituitur, illiúsque suscipit curam, vt ipsum cum matre in Ægyptum deferat: ac si illius iustitia, & virtus perlucidius niteseeret, cùm alterius supprimebat crimen, nec de eo leuiter mussitare disponebat, quam dum ad alta negotia Æterni Incarnati Verbi fidus assumebatur minister. Tam magnus probitatis index, est alterius delictum non prodere, sed abscondere, vt in præsenti Ioseph facto expendit D.Augustinus citato ser.16. *Restabat itaque*, ait, *certa adulterij suspicio; & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat. Quid de illo ait Euangelium? Ioseph autem cùm esset vir iustus & nollet eam diuulgare: maritus dolor non vindictam quæsiuit. Voluit prodesse peccanti, non punire peccantem. Cùm nollet eam diuulgare, voluit eam occultè dimittere.*

Matth.1. Matth.2. Augus. *Alterũ defectum recedere subitò earum declarat.* August.

QVÆSTIO XXV.

Quare in gloria Thaboris Christus à Patre filius proclamatur?

111. NOTA in hoc mysterio diuina Trinitas apparet. Pater intonat in voce, & non, sicut olim, Angelus loquens, se Abrahamo exhibet Gen.22.n.12. sed ipse Pater hic adest testificans: tanta enim est æternæ generationis profunditas, tantúmque superat creatam intelligentiam, vt nulli creaturæ committatur; sed solùm Æternus Pater illius sit declarator. D.Chrysol.serm.118. *Ipse sui testis filij, ipse assertor assistit: Hic est filius meus dilectus: quia alterum, qui testimonium diceret, non habebat: testem generatio nescit diuina, ipse filio dicente: nemo nouit filium, nisi Pater; neque Patrem quis nouit, nisi filius.* Hic filius resplendet in gloria. Spiritus apparet in nube. Per nubem Spiritus sanctus adumbratur, quia ipse, vt nubes fulgida, hominem illuminat, tegit, obumbrat, & fœcundat ad omne opus bonum. Ita Ambros.in c.9. Luc. Orig.Beda, D.Thom.in Matth. Hinc in Baptismo Christi Spiritus sanctus apparuit in columbæ specie; quia in Baptismo dat innocentiam nobis. In Transfiguratione autem, quæ est typus resurrectionis apparuit in specie nubis, quia tunc dedit, dabítque ab omnibus malis securitatem.

Chrysol. *Cur Spiritus sanctus in nube.* Ambros. Origen. Beda. D.Thom.

Genes.22. *Æternæ generationis profunditas mysterium.*

112. Præsens quæstio inquirit: Cur Pater inter Thaboris glorias Christum filium suum esse proclamat, ac testificat; cùm hoc iam esset notum Discipulis, tum ex ipsa Transfigurationis maiestate; tum etiam ex testimonio Moysis, & Eliæ, itémque ex confessione Petri: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth.16.n.16. Pro hac re vide varia dubia, quæ in simili voce, prolata in Iordane, resoluí tom.1. lib.3.c.2.q.23.24.25.26.27. & 28.

Difficultas quæstionis. Matth.16.

113. Ad quæstionem respondent primò D.Chrysost. hom.57. in Matth.Euthym. Hanc vocem fuisse prolatam à Patre, præcipuè propter Petrum ad excludendum eius timorem: nam Christo timens prætendebat eius mortem impedire. Ac si diceret Æternus Pater, ô Petre, quid times mortem Christi? agnosce ipsum esse Omnipotentem, & esto certus de resurrectione eius, cùm filius meus sit. Tamen iam superiori q.19. hanc sententiam de timore non probaui ob rationes ibi dictas.

Chrysost. Euthym.

114. Secundò, & ad litteram. Abulens.q.83. & 84. Quod hæc vox emissa est ab Æterno Patre ad confirmandum Discipulos in his, quæ Christus dixerat Matth.16.n.27. *Filius quidem hominis venturus est in gloria Patris sui: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Ad comprobandam confessionem Petri eod.cap.anteced. *Tu es Christus filius Dei viui*: nam quamuis esset valde sufficienter Christi testimonio, Petrique assueratione verificata, ac ostensa, tamen quia, vt ait citatus Abulensis, poterat esse dubitabile, quòd Christus, qui in infirmitate nostræ carnis apparebat, tantus Dei filius naturalis esset, tantáque, ac tam magna posset præstare: ideò maximè conueniens fuit, quòd iterum fieret alia ostensio huius rei ad maiorem confirmationem, ac corroborationem: sicut Christus faciebat multa miracula eiusdem rationis ad maiorem confirmationem; cùm tamen primum sufficeret. Sicut etiam duo dantur somnia Pharaonis idem significantia, scilicet de septem vaccis, & septem spicis; vt dixit Ioseph: *quod autem vidisti secundo, ad eandem rem pertinens somnium firmitatis indicium est.* Gen.41.n.32. Conuenienter venit vox Patris: *Hic est filius meus dilectus*: ad maiorem firmitatem sententiæ Petri, ac eloquij Christi: *filius hominis venturus est*, &c. Multa declaratio potestatis exigitur in magna, & & alta pollicente, ad amplas eius promissiones acceptandas, ac credendas.

Abulens. Matth.16. *Potestas necessaria in promittente.* Genes.41.

115. Tertiò. Vt docet D. Leo serm.de transfigur. *In qua Transfiguratione*, ait, *illud quidem primò actum est, vt de cordibus Discipulorum scandalum crucis tolleretur: ne conturbaret eorum fidem voluntaria humilitas passionis, quibus reuelata esset absconditæ excellentia dignitatis.* Vt Æternus Pater

Leo.

Præcauendum scandalum.

Discipulos in fide continere, ac præcaueret, ne futura filij passione: ac morte perturbarentur, ait, *Hic est filius meus dilectus.* Ac si diceret: Ne existimetis, illum ex infirmitate, impotentia, aut culpa mortem subiturum, de qua Moyses, & Elias sunt locuti. Ecce filius meus naturalis est hic, ac proinde nulla in eo infirmitas, seu impotentia, aut culpa inueniri potest, cùm sit mihi summe dilectus, in quo mihi omnia complacent, & nihil displicet; ad mortemque traditur ex summa mea delictione erga genus humanum, ex summáque mea dilectione erga ipsum, seu quia ipsum intimè diligo, illius voluntati satisfaciens, quia ardenter affectat mori pro hominum salute, ipsum mortem subire, alto meo consilio disponitur, & ordinatur.

Christum traditur morti ex summa dilectione patris erga ipsum.

216. Ambros.

Quartò. D. Ambrosius lib. 1 de fide cap. 5. *Quoniam*, inquit, *vel tabernaculorum numerum deferendum tribus, simpliciter æstimauit, emendatur Dei Patris auctoritate, dicentis* Hic est filius meus, &c. *id est: Quid conseruas cum Domino socias tuo.* D. Basilius Seleucus Orat. 43. *Quid Dominum in seruorum ordinem redigitis? Eius ne auctis excellentiam nosse?* Hic est filius meus dilectus. *Illos ego seruos feci; hunc ex essentia filium genui.* Indiscriminatim Petrus tria tabernacula ædificare affectat: vnum pro Christo, & aliud pro Moyse; & aliud pro Elia: statim ab Euangelista reprehenditur, *nesciebat quid diceret*; statimque etiam, vt ait D. Ambrosius, *emendatur Dei Patris auctoritate.* Ac si diceret Æternus Pater: num ignoras, ô Petre, hunc esse filium meum dilectissimum? Quid ergo ipsum æquali honore cum seruis numeras? summa enim insipientia est, quod nulla habita personæ cõsideratione, nullâque meritorum distinctione facta, æquali Dominum, ac seruos magistrum, & discipulos honore afficere velis. Hinc sua voce occurrit Pater secernens filium à seruis, non sustinens, quòd in honore deferendo nulla habeatur differentia.

Basil. Seleuc.

Pro distinctione meritorum, & personarum honor deferendus.

217.

Quintò. Thabor fuisse montem illum, ad quem diabolus tentans Christum assumpsit, cùm omnia ei esse daturum policebatur: *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde*: Matth. 4. num. 8. autumat Christianus Grammaticus cap. 6. in Matth. *Istum montem*, ait, *vel Thabor, vel Hermon intelligimus, sed verius Thabor.* In hoc ergo monte paterna vox intonat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Valde conueniens erat, vt vbi omnia mundi spreuerat bona, ibi Dei filius per naturam declararetur, omniúmque designaretur hæres; vt nobis esset apertum, qui pro Deo omnia reliquerunt, filios Dei per gratiam, ac omnium hærede esse futuros.

Matt. 4. Grammat.

Qui pro Deo omnia reliquunt, filij, ac hæredes constituuntur.

218. Abulens.

Sextò. Abulensis quæst. 83. Ne quis putaret, quòd Domini Transfiguratio phantasticè appareret; sed vt esset manifestum, quòd verè fieret, & quòd ille qui transfigurabatur, talis erat, qui posset hæc facere, ad hoc proderat testimonium Moysis, & Eliæ; ad hócque declarandum venit vox Patris dicens. *Hic est filius meus*: quia Deus, cùm sit verus, & fidelis, non attestatur falsitati, nec mentiri potest. Ita ferè Abulensis. Cùm enim valde nota esset summa Christi humilitas, paupertas, ac modestia, quid multum nouum, ac extraordinarium apparebat, quòd ipse, in gloria, ac maiestate transfiguratus sese exhiberet. Ne ergo pro rei nouitate Domini Transfiguratio quid apparens, ac phantasticum iudicetur, testificat Pater: *Hic est filius meus.*

Nouitas rerum valde suspecta.

219. Septimò. Multa indagine discutiendum ad quid Æternus Pater inter Thaboris glorias tam specialiter Christum Dominum vt filium suum recognoscit, eumque alta voce suum filium esse testificat: *Hic est filius meus dilectus*: multo enim opportunior videbatur huiusmodi commendatio, cùm in humili præsepio iacet; vel cùm in Circumcisione peccatoris caractere notatur; seu quando tanquam infirmus in Ægyptum fugit; vel quando, tanquam pauper, siti ac fame degit; seu quando in passione saliuæ, colapha, ac calumniæ in eum iactantur; seu quando in Cruce suspensus vitam exhalat: quid est, quod inter hæc silet Æternus Pater; inter autẽ Thaboris glorias aperta voce intonat? O magna, & præclara patiẽdi celsitudo! ipsa tã magna, & alta patiendi tolerantia inter tot abiectiones, flagella, & opprobria, vox erat eius Diuinitatis testificans, de illáque reddebat testimonium. Cùm verò ipsa patiendi gloria in Thaboris maiestate tantisper intermittitur, tunc valde congruenter adest Dei Patris vox, veluti pro passionis gloria subtituta, Christi Diuinitatem clamans. Huc venit ingeniosus Tertullianus lib. de Patientia cap. 3. Quòd, pendente Iesu in Cruce, dicunt ei Iudæi: *Si rex Israel est, descendat de cruce, & credimus ei.* Matth. 27. num. 42. Sponsione facta, quod si de cruce descenderet, cum pro vero Deo susciperent. Tunc sic ait Tertull. *Hic vel maximè, Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis: patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* Ac ipsa dolorum crucis tolerantia, esset manifesta diuinitatis attestatio ac proclamatio, ac proinde superuacaneè alia exoptatur comprobatio.

Patientia in pressura, quædam diuinitatis testificatio.

Matth. 27.

Tertullian.

220. Celada.

Octauò. R. P. Didacus de Celada in cap. 12. Iudith §. 2. num. 8. ait, quòd inter pressuras præsepis, circumcisionis, fugæ in Ægyptum, intérque acerbos mortis, ac crucis cruciatus, cùm se vltrò à propria corporis gloria viduaret, vt aliis benefaceret, tunc tacet Pater: cùm verò ad breue tempus ipsam gloriam resumit; tunc valde opportunè adest Dei Patris commendatio: *Hic est filius meus dilectus*: Ac si illa eximia charitas, qua se pro bono communi, ac vt aliis benefaceret, à propria gloria orbauerat, vices gerat in Christo paternæ vocis, illum magnificentissimè commendantis, nam ipsum exinaniri pro aliorum salute, summæ liberalitatis elogium, in Christo vices habens paternæ vocis.

Se exinanire pro aliorum salute, Diuinitatis elogium.

221. Luc. 22.

Nonò. In horto apparet Angelus Luc. 22. n. 43. Hic verò Patris vox interuenit: *Hic est filius meus dilectus.* In horto Christus Dominus se verum hominem ostentans, secundum partem inferiorẽ, de morte tristabatur, eamque vt malum naturæ refugiebat, inde dicens: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Matth. 26. num. 39. Inpræsentiarum verò cum summa lætitia de morte loquebatur, moríque dignoscebat: mori autem multo glorioſior actio, quàm viuere, multóque opportunius in his potius, quæ ad vitam spectant, filius à Patre agnoscitur. Cum Abrahamus supponit vitam Isaac, eumque vt viuum considerat, puerum vocat, sicque dicit famulis suis: *Expectate hic cum asino, ego, & puer illuc properantes.* Genes. 22. n. 5. Postea verò, cum ad mortem properat, filium dicit: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum*, ibidem n. 6. Et iterum sic ei loquitur Abrahamus. *Quid vis fili.* ibidem, num. 7. Dauid, cùm pro vita Absalon loquitur, de eoque vt regnũ agente, ac sollicitatũ agit; puerũ vocat: *Seruate mihi puerum Absalon.* 2. Reg. 18. n. 5. At verò cùm de mortuum accipit, sic lamentatur: *Fili mi Absalon, Absalon, fili mi.* 2. Reg. 18. n. 33. Adeò nobile, & excelsum

Mors glorioſior, quàm vita.

Matth. 26.

Genes. 22.

2. Reg. 18.

excelsum est, in bello lancea occumbere; vt etiam demortuum Absalon pro infami, & turpi causa, non pudeat Dauid, eum filium recognoscere, ac appellare, quanto magis erit ille, vt filius in monte a Patre reputandus, qui pro excelsa, & illustri causa vitam diffudit.

222. Decimò, *Adhuc eo*, scilicet Petro, *loquente*. Cùm Petrus intentat obsistere Christi morti, Moyses, & Elias, *loquebantur de excessu*, seu morte (*quam completurus erat in Ierusalem*. Tunc Pater proclamat: *Hic est filius meus dilectus*. Cùm de morte est sermo, tunc à Patre filius diuulgatur, vt certo sciat Petrus, Christum essemoriturum, essèque propriissimam Dei filij actionem, pro aliorum salute vitam dare.

223. Cùm Christus Dominus de sua magna potestate iudiciario pertractaret, te filium hominis dicit, *Dedit illi potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*. Ioan. 5. num. 27. *Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo*. Matth. 24. num. 29. *Et videbant filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate*. ibidem: num. 30. At verò cùm de primo Christi aduentu ad mortem, & passionem pro saluti generis humani, est sermo, se Dei filium nuncupat. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Ioan. 3. num. 16. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*. Ioan. 1. num. 14. quam gloriam, crucem, ignominias, ac flagella interpretatur Chrysostomus ad citata verba homil. 11. *Siquidem, at, in his ipsis, quæ probri, & ignominia plena esse videbantur, ipsum versus Verbum clarissimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit*. In maiestate filius hominis, in Cruce verò filius Dei vocatur: ac si ipsa filij Dei maiestas magis manifestetur Cruce, & morte pro aliorum salute, quàm qualibet regali, ac triumphali pompa.

Ioan. 1. Ioan. 1. Chrysost. Filius Dei magis conspicitur morte quàm maiestate

224. Cùm Christus Dominus de sua maiestate ad iudicandum loquitur: *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli*. Matth. 26. n. 64. tunc milites dabant ei alapas in faciem. Et subdit Euangelista: *Expuerunt in faciem eius & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt*, ibidem num. 67. At verò in cruce, eius Diuinitatem fili, Dei recognoscit Centurio: *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset*, ait: *Verè hic homo filius Dei erat*. Marc. 15. num. 39. Quomodo ex rebus tam oppositis tam diuersi effectus proueniunt? Cùm gloria, & maiestas auditur, alapæ, ac ignominiæ impinguntur in eum. Cùm verò mors, & crux intercenit, Diuinitatis testificatio proclamatur? Magis sanè superna Dei filij altitudo dolore, ac cruce, quàm gloriæ, & maiestatis signis declarabatur: magisque filij Dei adorationem, ac honorem sibi Christus cruce, & morte comparabat, quàm ostensa, ac declarata omni celsitudinis magnitudine.

Matth. 26. Marc. 15. Filius Dei magis declaratur cruce, quàm gloria.

QVÆSTIO XXVI.

Quare Pater mandat in Thabor, vt filius audiatur?

225. MANDATVR hìc Christum audiri, non tamen Moysen, & Eliam, seu prophetas, vt de fratribus Diuitis epulonis est pronuntiatum: *Habent Moysen, & prophetas, audiant illos*. Luc. 16. num. 29. Et tamen his fratribus nihil de Iesu audiendo dicitur, vt notauit Tertullianus lib. 4. contra Marcio. cap. 34. Propinqui enim Diuitis, impij, & iniqui consistebant; ac proinde satis illis erat, vt Moysen, & prophetas audirent. At verò Petrus, & condiscipuli, cùm essent abundanter versari in Moysis, & prophetarum doctrina, ad maiora euocantur, vt iam imperfectionibus illis non inhærent, sed ad altiora, ac sublimiora, nempe ad Iesum sequendum ascendant, & euolent. De hac difficultate latius, cùm de Diuite epulone fuerit sermo.

Luc. 16. Tertullian. *Perfecti semper ad maiora promouentur.*

226. Ad nostram quæstionem respondet. Primò D. Hilarius. *Ipsum audite*, inquit, *ac si alius verbis dicerent, recedant vmbra legalis, & typi prophetarum, & solum coruscum lumen Euangelij sequimini*. Hoc loco, cùm Pater ait, *Ipsum audite*: suum filium constituit legislatorem, ac doctorem vniuersalem iuxta Psalm. 2. num. 6. *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius*. Mandat ergo Pater, ipsum scilicet filium audiri, id est non Moysen, neque Eliam, hoc est non attendatis ad legem veterem, quam Moyses attulit, neque ad æniginata Prophetarum, qui in Elia exprimebantur, sed solùm attendite ad Christum, in quo omnia complebuntur; ille ergo solus audiendus est. Et audire, hoc loco, est obedire, vt dixi in expositione.

Hilar. Psalm. 2. *Solus Christus audiendus, non lex, & prophetæ.*

227. Secundò. Vt ostendatur, Christum Dominum verum esse Messiam: de eo enim prædictum erat Deuteron. 18. num. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*. Quem locum referens D. Petrus Actor. 3. num. 22. ait, *Tanquam me ipsum audietis*. Hoc autem fuit ad plenam testificationē de Christo, vt ex omni genere testes haberet. D. Remigius. *Sic ergo Dominus*, inquit, *vndique habuit testes, ex cœlo vocem Patris, ex Paradiso Eliam, ex infernis Moysen, ex hominibus Apostolos, vt in nomine Iesu omne genus flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*.

Deuter. 18. Actor. 3. *Ex omni genere testes Christus habuit.* Remigius.

228. Tertiò, & maximè notandum, Quod Æternus Pater ait: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*: non ait, ipsum videte. Obiectum visus extabat gloria, & maiestas, in qua Christus apparebat: id autem, quod audiebatur, sermo erat de morte: *loquebantur de excessu*: Vt his instrueremur, quòd semper mortis memoria nobis sit in mente fixa, non autem gloriæ, & maiestatis visus, & recordatio.

Non maiestatis visa, sed recordatio sit in mente.

229. Cap. 14. Videt Ioannes in sua Apocalypsi Agnum stantem supra mentem Sion; & cum eo centum quadraginta quatuor millia seniores cantantes quasi canticum nouum, Angelosque volantes. Ex quibus, ait ipse Ioannes, *Audiui vocem de cœlo dicentem mihi, scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Apocal. 14. num. 15. Non mandatur hic peculiariter scribit Agni maiestatem, numerum astantiū, canticum seniorum, Angelósque volantes, sed mortem; quæ iustis accidit. Ansbertus. *Hoc ille*, ait, *iussus expressit litteris, hoc commendauit memoriæ, hoc nos stylo scribimus, memoriæ infigimus: hoc vt in cordibus suis Spiritu Dei viui scribat, omnes admonemur*. Non gloria Agni, sed mors iustorum mandatur scribi, vt cunctis altius remaneret in mente reposita mors; quæ nobis contingit, quàm triumphus, ac maiestas visæ gloriæ.

Apocal. 14. Ansbertus. *Potius mors ac rendenda, quàm triumphus.*

QVÆSTIO XXVII.

Quare non in Iordane, sed in Thabor præcipitur, vt Christum audiatur?

230. Matth 3. SIMILIS vox à Patre supra Christum in Iordane audita est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*; non tamen ibi additum est, *ipsum audite*; sicut modò in Thabor.

231. Abulens. *Quorundā sententia. In Iordane Solus Baptista vocē audierat.* Respondent primò aliqui apud Abulensem quæst. 90. Quòd illa apparitio: & vox facta in Iordane nullo audita, aut visa est, nisi à Ioanne Baptista, qui ostensurus erat Christum populo, & respectu illius non erat opus dici, ipsum audite, ideo ibi non est dictum: nunc verò vox audita fuit à tribus Discipulis, quibus competebat obedire Christo, & ideo appositum est, *ipsum audite*. Hæc sententia supponit, in Iordane à solo Ioanne vocem Patris fuisse auditam; at contrarium communis tenet doctorum resolutio, vt dixi tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæst. 3. ad finem.

232. Abulens. *Testimonii conuenienti tempore dandum.* Secundò. Idem Abulensis cicato loco. In Baptismo illud verbum *Ipsum audite*: non videbatur pro tunc conueniens tempori; nam antequam Christus baptizaretur, nunquam prædicauerat; & etiam nox post Baptismum non prædicauit, non statim ascendit in desertum, vbi quadraginta diebus ieiunauit, & postea cœpit prædicare in Galilæa, & ideo pro tunc non erat opus dici, *Ipsum audite*. At verò modò ante, & post Transfigurationem, semper prædicauerat, & valde opus erat, vt ei crederetur; & ideo tunc dictum est, *Ipsum audite*.

233. Abulens. Ioan. 1. Tertiò. Idem Abulensis Quòd in Iordane solùm ostentatio facta est ad declarandum Iesum, quòd esset Messias, & filius Dei, vt Baptista eum cognosceret, & prædicaret Iudæis, vt colligitur ex Ioan. 1. n. 32. & 33. Et ad hoc tantùm necessaria erant verba demonstratiua, & non imperatiua, & ideo ibi tantum dictum est: *Hic est filius meus: in quo mihi complacui*. At transfiguratio non solùm facta est ad notificandum Christum, sed & ad declarandam eius auctoritatem in gestis ac verbis suis, & ideo nunc dictum est, *Ipsum audite*.

234. *Christus constitutus à Deo omnium doctor.* Quartò & ad litteram. In Baptismo venit testimonium Patris ad ostendendum, Christum esse eum, per quem homo reconciliandus erat Deo, & ad iustificationem, ac Dei filiationem promouendus, quod primum per Baptismum Christi fit; per hunc enim renascimur, & renouamur. Transfiguratio autem ordinata est ad ostendendū Christum esse constitutum doctorem, & præceptorem, per quem Deus promiserat populo loqui ac verba vitæ dare, & ideo non in Baptismo, sed in Transfiguratione additum est, *Ipsum audite*.

235. *Qui docet, in probitate vitæ eminear.* Quintò. Cùm in Iordane, & Thabor Pater det testimonium de filio; tamen solum, in Thabor mandat, *Ipsum audite*. In Baptismo quandam peccatoris vmbram repræsentabat Dominus. In Transfiguratione verò eximiam prædicatoris sanctitatem exprimebat. Vt ipso discrimine nobis inueret Æternus Pater nullam labem, sed summam sanctitatem in eo esse oportere, qui aliis audiendus proponitur.

236. Hilarius. Sextò. D. Hilarius can. 17. in Matth. *Hunc esse filium*, ait, *hunc dilectum, bene complacitum, hunc audiendum vox de nube significat, vt idoneus ipse præceptorum talium auctor est, qui post sæculum damnatum, post crucis voluntatem, post obitum corporeum regni cœlestis gloriam ex mortuorum resurrectione facti confirmasset exemplo.* Valde congruè, non in Baptismo, sed in Transfiguratione designatur Christus à Patre audiendus, *Ipsum audite*, cùm non cum Baptista, sed cū Moyse, & Elia in Transfiguratione de morte subeunda agebat: *Dicebat excessum eius*: scilicet crucem, & mortem; vt crucem, & mortem, ad quam alios exhortatus erat. *Tollat crucem suam: Qui perdiderit animam suam*; Matth. 16. num. 25. ipse in se adimpleret, & teneret. *Vt ideoneus ipse præceptorum talium auctor esse.* Cùm non solùm verbis, sed etiam rebus, ac exemplis, signāterque mortis suæ firmaret exemplo. Solus enim ille opportunus magister ad probitatem, ac crucem persuadendam, qui non solùm verbis, sed etiá factis, & exemplis documenta præbet. Vnde ait Cassianus Coll. 11. cap. 4. *Nunquam erit efficax institutionis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.*

Bonus magister, non solùm verbis, sed & factis docet. Matth. 16. Cassianus.

237. Isaiæ 40. *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam.* Isai. 40. num. 2. Sermo Domini dirigitur. Quid est, quòd Dominus mādat sacerdotibus ad cor loqui, cùm audientium corda non sint in manu sacerdotum, sed solum in Dei manu? Videbatur potius dicendum. Loquimini ad aures Ierusalem: sicut inquit Balam loquens Regi Balac ait. *Sta Balac, & ausculta, audi fili Sephor.* Numer. 23. num. 18. In Hebræo legitur, *auscultа auribus tuis.* Quid est, quod Balam ad aures dirigit sermonem, & sacerdotes ad cor ex Dei mandato? Magister, qui tantum habet verba, & non opera, circa aures obstrepat. At bonus præceptor, vtpote probi sacerdotes Domini, non solùm verbo, sed etiam exemplo, sermoneque præclaris actionibus animato loquuntur, & tunc non solùm circa aures sonant, sed interius animum attingunt, & pulsant. D. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistol. 202. *Quandoquidem*, ait, *sermo actione destitutus non vlra aurem grassatur: qui autem ab actione animatus est, vt qui acris, & efficax, alte penetrat, animumque attingit: eam ob causam Deus sacerdotibus eduxit, vt ad cor Ierusalem loquerentur. Nam qui ad aures verba faciunt, permulti quidem sunt, & Sacerdotio indigni: qui autem ad cor, pauci omnino, at qui sacerdotali dignitate reduniri merentur.*

Numer. 23. Hebræus.

Verba adiuncta cum actione, cor penetrant.

Pelusiota.

Matth. 17. *num.* 6. Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.

VERSIONES.

Syriacus. Quod quum audissent Discipuli, prociderunt in facies suas.

Theophylact. Vatablus, Et cùm hæc audissent Discipuli, prociderunt in faciem suam, & territi sunt vehementer.

EXPOSITIO VI.

ET *audientes Discipuli, vocem* scilicet Æterni Patris è nube resonantem: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*: à maiestate ipsius diuinæ vocis, quæ inter tonitrui resonauit, *ceciderunt in faciem suam*, tanquam expauescentes

Discipuli Domini coadunati.

pauescentes à voce Dei, *audite*. Preme verba nostræ vulgatæ; non ait, quòd prociderunt in facies suas, sed *in faciem suam*. Ita erant sancti Domini Discipuli vniti, & coadunati, vt eorum veluti vna esset facies. *Et timuerunt valde*. Ita Discipuli Iesu sunt exterriti, vt ipsos timor non pernaserit, ac turbauerit, quin quieta mente aperte

2. Petri. intelligerent, quid vox illa Patris diceret, & significaret. teste D. Petro 2. Epist. 1. n. 18. *Hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam.*

QVÆSTIO XXVIII.

Quare Apostoli timuerunt in Transfiguratione, & quotuplex in eis fuit timor iuxta textum Euangelistarum?

239. Matth. 9. Primus timor.

TRIPLICI timore Apostolos fuisse in Transfiguratione detentos, videtur colligi ex contextu Euãgelistarum. Nam primò D. Marcus c. 9. n. 5. scribit, timorem ante ostensionem nubis: narrat enim, quòd cùm Christus esset transfiguratus, cum eoque apparerent Moyses, & Elias, diceretque Petrus: *Rabbi, bonum est, nos hic esse: & faciamus tria tabernacula*, &c. subditque, *non enim sciebãt, quid diceret, erant enim timore exterriti. Et fuita est nubes obumbrans eos.* &c. Itaque Marcus ponit timorem antequam nubes descenderet, cumque narrat, vt causam insipientiæ Petri.

240. Luc. 9. Secundus timor. Damasc.

Secundò. D. Lucas refert timorem post nubis apparitionem: ait enim c. 9. n. 34. *Hæc autem illo loquente, scilicet* Petro, *facta est nubes, & obumbrauit eos, & timuerunt, intrantibus illis in nubem.* Itaque iuxta Lucam ostensio nubis præcessit timorem. Sicque, inquit D. Damascenus Orat. de Transfig. *Discipuli maiore timore obsessi sunt, Iesum Saluatorem, ac Dominum cum Moyse, & Elia intra nubem conspicientes.* Deum dicit, *maiore timore*, supponit, eos iam antea habuisse timorem.

241. Bonauent. Ex Dei præsentia timor. Pasch.

Causam huius timoris, existimat D. Bonauentura, extitisse Dei præsentiam; sciebant enim ex Scripturis, Deum per nubem manifestari; ac proinde ex Dei aduẽtu timent magis, quàm ex visa Transfiguratione gloria. Secundò D. Paschasius l. 8. in Matth. *Timent*, ait, *quia non poterant sustinere claritatem ipsius nubis, qua obumbratur Christus videlicet.* Cùm enim claritatis nubis Christi conspectum ab eorum oculis arceret; inde ex tanta præsumpta absentia maximè timore consternantur. Tertiò quidem Recentiores autumant, quòd Discipuli pauebant, ne ipsis relictis, Iesus cum Moyse, & Elia, ingredientibus nubem, abiret.

Timor ex Christi absentia.

Syrus. Quartò, vt habet Syrus, videbant Moysen, & Eliam abeuntes in nubem intrare, timueruntque ne Moyses è nube fulmina, & tonitrua iacularetur, vt olim fecerat, cùm legem à Deo acciperet, & populo traderet, Exod. 19. n. 16. & ne Elias è nube ignes vibraret, vt olim fecerat 4. Reg. 1. n. 10. Et hoc mihi minus probabile videtur, non enim erat causa, cur Apostoli aliquid mali sibi timerent. Quintò, probabilius, quòd, cum Apostoli se vidissent eadem nube obumbrari vnà cum Iesu, Moyse, & Elia, vt explicaui supra exposit. 5. n. 192. & ait D. Hieron. hic c. 17. Matth.

Exod 19. 4. Reg 1.

Hieron. Pasch. *Pauent, quia nubes lucida operuerat eos.* Cùm ergo se vidissent eodem tabernaculo, ac nube recepti simul cum Christo, Moyse, & Elia, inde pauore concutiuntur. Fauet D. Paschasius citato lib. 8. *Nec tamen*, inquit, *sine causa mens pauet, quæ præmium tanti pauoris per gratiam iam habet.* Semper enim viris cordatis ingens concessa gratia causa pauoris extitit.

Ingens gratia cordato viro causa timoris.

242. Tertius timor. Matthæus.

Tertius timor assignatur à D. Matthæo procedens à voce Patris resonante è nube: *Hic est filius meus dilectus. Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt.* Correpti sunt Apostoli timore ex audita voce Patris. Infirmitas enim humana ex voce Dei resonante maximè pauescit. Sicque dicebat populus Israëliticus. Deuter. 5. n. 26. *Quid est enim omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis.* Præcipuè cùm vox illa esset facta instar tonitrui, vt inquiunt D. Paschasius citatus, Abulensis qu. 92. tamen non erat cum strepitu, sed cum quadam suauitate resonans, & corroborans eos sic terrefecit. D. Ephren. Orat. de Transfig. *Ad hanc*, ait, *vocem proni ceciderunt Apostoli in terram, erat enim tonitru terribilior. Quamobrem voce eius tremuit terra, & ij ceciderunt.* D. Hieronymus: *Terrentur*, inquit, *quia Dei Patris vocem loquentis audierant; quia humana fragilitas conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet; ac toto animo, & corpore contremiscens ad terram cadit.*

Deuter. 5. *Timor ex Dei voce.* Pasch. Abulens. Ephren. Hieron.

243. Toletus. *Triplex timor, probabilior est sententia.*

Toletus in cap. 9. Luc. annot. 76. existimat probabile, eundem fuisse timorem in Apostolis, quem D. Lucas, & D. Matthæus exprimunt. Lucas vero vsus est anticipatione quadam, quæ apud Euangelistas frequens est. Tamen probabilius ex textu Euangelico colligitur, distinctum esse timorem; diuersa enim causa assignatur; nam apud Lucam ex ingressu in nubem, apud Matthæum ex voce audita.

244. *Apostoli multa veneratione prosequebantur diuina.*

Tanto enim cultu, ac reuerentia Apostoli prosequebantur diuina, vt ex alicuius exhibitione maximè pauerent. Sic cùm Christum transfiguratum cum Moyse, & Elia vident, vt narrat D. Marcus. Sicque cùm aspiciunt lucidam nubem obumbrantem, vt refert D. Lucas. Sicque cùm Patris vocem audiunt, vt scribit D. Matthæus Secundò hunc aduoco id quod docet Abulens. citata q. 92. quod ordinatum est, vt Apostoli ita essent tremefacti, ad ostendendum magnitudinem futuræ gloriæ, nam Transfiguratio extitit quædam futuræ gloriæ manifestatio: illa enim talis est, vt excedat omnem facultatem humanam, sensibus vtentem; ita vt nullus sensus possit eam tolerare. Ideo ex Transfiguratione Christi, ex nubéque lucida, ac voce Patris pauent Discipuli, vt ex his valeant coniecturare gloriæ magnitudinem, quæ per illa designabatur.

Abulens.

Ingens futura gloria.

245. *Deus cum ministris timorem incutit.* Damasc.

Tertiò. Quare ex visa Christi gloria ita tremefacti sunt Apostoli cùm ex ea maximè esset gaudendum? Videbant Iesum cum adiunctis sibi Moyse, & Elia? videbántque Regem cum ministris, Dominúmque famulis stipatum, indéque tanto timore concutiuntur. Hue veniat D. Damascenus supra hac quæst. datus. *Discipuli maiore terrore obsessi sunt, Iesum Saluatorem, ac Dominum cum Moyse & Elia intra nubem conspicientes.*

246. Actor. 7. Genes. 28.

A suis persecutoribus lapidabatur Stephanus, *Qui intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait. Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Actor. 7. n. 54. Maxime glorioſus miles Dei visione recreatur. At Iacob. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum. Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ: Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco*

loco iſto, & ego neſciebam, quenſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte. Geneſ. 28. n. 12. Stephanus, & Iacob Dei viſione illuſtrantur: Cur à Dei conſpectu tanta dulcedine perfunditur Stephanus, Iacob verò tanto pauore terretur? Dei athletæ ſolùm Ieſum vidiſſe aſtruitur; at Iacob vedit Dominum circundatum ſuis miniſtris, ac familiaribus Angelis ſcilicet; indeque tam vehementi timore tenetur. Huc ſpectat Caietanus. *Iacob*, ait, *timuit conſiderando ſe ipſum relatiuè ad præſentiam Dei, & frequentiam Angelorum, ne impunarentur ſibi defectus ſui.* Expende vltima verba; non enim ſolùm timuit à conſpectu Dei, ſed etiam à frequentia, ac concomitatu Angelorum.

Ex præſentia Dei cum frequentia miniſtrorū timet. Caietan.

QVÆSTIO XXIX.

Quare exaudita voce Patris in Iordane nullus timet, in Thabor maximè contremiſcunt Apoſtoli?

247. Abulenſ. HAnc quæſtionem iam tractaui tom. 1. l. 3. c. 2. quæſt. 28. Videnda ibi dicta; nunc aliqua addenda. Primò Abulenſis cap. 17. Matth. quæſt. 93. exiſtimat, quòd vox, quæ in Thabor inſonuit, terribilior extitit, quam illa; quæ audita eſt in Baptiſmo: nam in Thabor vox illa facta eſt ad exprimendam magnitudinem futuræ gloriæ, cuius typus erat Transfiguratio; futura autem gloria exuperat omnem ſenſum humanum, itaut nullus ſenſus eam poſſit ſuſtinere. At in Iordane vox illa efformata eſt, vt Chriſtus cognoſceretur à Ioanne, ac à populo, vt eum digne reciperent: ad hoc autem non erat conueniens timor; & ideò vox illa non fuit terribilis; vnde ibi nemo corruit, nec timuit.

148. Tolet. Secundò. Toletus in c. 9. Luc. annot. 84. Quod timor in hoc Transfigurationis myſterio interuenit ad denotandum, quòd hîc agebatur, quod olim promiſſum fuit in monte, quando lex data eſt. Populus enim præ timore nolebat audire vocem Domini, vnde conuenerunt omnes, vt Moyſes auſcultaret Dei verba, quæ poſtea ad eos refert. Tunc Moyſes ait eis, quod per Prophetam eis loqueretur Dominus, vt ipſi petierunt; prænuntianſque de Chriſto Domino ait: *Prophetam de gente tua ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in Horeb.* Deuteron. 18. n. 15. Volens ergo Pater oſtendere; Chriſtum eſſe illum, de quo olim pactum celebratum eſt, ea renocat, quæ olim in Sina interfuerunt, per Moyſem, nempe, montem, lucem nubem, & timorem, in hoc Diſcipulorum pauore repræſentatum, ac idem verbum, *Ipſum audite*, vt ex geſtorum combinatione veritas promiſſi myſterij patefieret.

Deuter. 18. *Ex cõbinatione geſtorum veritas manifeſtatur*

249. Tertiò dicam, quod mihi videtur probabilius. In Iordane, ac Thabor Patris vox reſonat: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui*: additur tamen in Tabor, *Ipſum audite*, & inde tanti Apoſtolorum timoris cauſa auſpicanda eſt. Sed quid noui in hac voce apparet, vt tanto pauore Apoſtolos terreat, qui toties Chriſtum audire ſoliti erant? Diſcipuli vſquemodo conſueuerant Chriſti verba audire, tanquam ſponte ſua, ac beneplacito ducti; at cùm modo ſe vident Æterni Patris præcepto aſtrictos, maximè tremunt, ac contremiſcunt, au ipſi digni, & capaces inueniãtur, vt Chriſtum audiant, & ſequantur, eiuſque dicta obediendo adimpleant. Cùm enim optimè ſcirent Apoſtoli, quantum debeat excoli, & præparari terra cordis humani, vt Chriſtum ſequantur; & aliunde cùm eſſent bene conſcij humanæ fragilitatis, inde maximè timent, & expaueſcunt. Terull. Fauet Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 22. inquiens. *Domine audiui auditum tuum, & timui: Quam magis, quam vocis cœleſtis illius, Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite* Expende, timui auditum tuum, *hunc audite*.

Maximè timendum ne in ſequela Chriſti deficiamus.

250. Quartò. D. Hilarius in præſenti. *Ipſum audite*, ait, *vt ſcilicet idoneus ipſe præceptorum talium auctor eſſet.* Quod moraliter ſic expendo. Expaueſcunt, & contremiſcunt Diſcipuli, cùm ex præcepto Patris Chriſtus glorioſus, & impaſſibilis eis conſtituitur idoneus præceptorũ magiſter. Quid enim magis difficile, & arduum, quàm obtemperare homini glorioſo, & impaſſibili, qui ex beatitudinis dono incapax eſt experiendi in ſe difficultatem, quam aliis mandat. Hinc, licet vox Patris reſonet in Iordane, nullus ibi expaueſcit, vt Apoſtoli in Thabor cadunt in faciem ſuam, cùm hic eis præcipiatur, vt Chriſto Domino in gloria Thaboris apparenti, ac proinde pro illo ſtatu impoſſibili, obtemperent. Quid enim magis notum, quam quod beatitudinis maieſtas ab aliorum miſeriis, ac ærumnis expers ſit? Hilar.

Valde difficile obedire homini glorioſo, & immuni à laboribus.

251. Valde frequenter in toto veteri Teſtamento, diuino præcepto intimatur, vt populus Dominum Deum ſuum ſequatur, *Dominum Deum veſtrum ſequimini.* Deuterõ. 13. n. 4. Ioſue 14. n. 14. & 1. Reg. 12. n. 14. & ſæpè. At in Apocal. 14. n. 4. de virginibus dicitur: *Hi ſequuntur Agnum, quocumque ierit.* Cur in veteri Teſtamento ad Deum ſequendum tot, & tanta præcepta multiplicantur; at in Nouo tam expeditè, ac promptè Agni veſtigiis inſiſtitur: *quocumque ierit*? Aderat Deus olim in ſuæ beatitudinis maieſtate; indéque ad Dominum glorioſum ſequendum multa præcepta proferebantur. At nunc iam Agnus, homóque factus, particeps tribulationum noſtrarum, qui prætulit in corpore ſuo infirmitates noſtras, tantóque exemplo inſpecto, expeditum, ac facile redditur, vt quilibet a veſtigiis eius non recedat, ſed illis inſiſtat. Anſbertus lib. 6. in Apocal. *Quid eſt*, ait, *eum ſequi, niſi imitari? Quia Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, ſicut ait Petrus, vt ſequamini veſtigia eius; qua oportebat, ipſe præbuit imitanda.*

Deuter. 13. Ioſue. 14. 1 Reg. 12. Apoc. 14.

Facile ſequimur noſtra miſeria participem.

Anſbertus.

QVÆSTIO XXX

Quare Diſcipuli cadunt in faciem? Et cur Transfigurationis initium, ac finis Diſcipulis eſt occultatus?

252. AVDITA Patris voce Apoſtolis præ ſimio panore, ac terrore ceciderunt in faciem ſuam, vt Daniel, cùm ei apparuiſſet Angelus, de ſe ait: *Audiens iacebam conſternatus ſuper faciem meam, & vultus meus hærebat terræ*, Daniel. 10. num. 9. Origenes, D. Chryſoſtomus, Euthymius inquiunt, quòd Apoſtoli *ceciderunt trementes, ſimul-que adorantes* Chriſti maieſtatem. Ipſi enim optimè intellexerunt vocem Patris reſonantem, *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. Aliter cùm vox Patris erga Chriſtum intonaret, populares-

Daniel. 10.

Origen. Chryſoſt. Euthym.

pulares dicebant, tonitrum præstrepere. *Venit vox de cælo, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo, qua stabat, & audiebat, dicebat tonitruum esse factum.* Ioan. 11. n. 28. Quid est, quod Apostoli vocem percipiunt. non verò turbæ? Discipuli tanquam amici, ac benevoli, Patris honorificam erga Christum vocem bene capiunt, & intelligunt. Ad populares, vtpote infesti hostes, Patris vocem dicentem, *Clarificaui, & iterum clarificabo*, nec distinctè audiunt, nec intelligunt. Aduersarij enim præ odio, quæ honoris sunt, minimè percipiunt, nec capiunt. Vel fortè Populus præ superbia contemnit cœlestem vocem, quam humilitas Discipulorum veneratur. D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Quid est*, ait, *quod ibi tonitruum audiens turba non cadit; hic autē audita voce, Discipuli in faciem cadunt? nisi quia ibi superbia tumet, hic autem humilitas pauet.*

Ioan. 12.

Solus amicus tam laudat percipit, non turba inimica.

Paschas.

253. Abulens. Loc. 9. Abstinuit Apostolis initium, & finis Transfigurationis.

Tertiò, vt Abulens. qu. 69. Quòd quando Dominus incepit transfigurari, Discipuli erant somno grauati, vt aduertit D. Lucas 9. n. 32. nunc verò quando deponit transfigurationem, cecidêrunt in faciem suam, vt ita nec viderent incipere, aut desinere Domini transfigurationem. Cuius rei ipse assignat rationem qu. 68. Quod ita factum, ne discipulis esset causa erroris, ne fortè putarent, esse aliquid phantasticum, cùm subito deponi viderentur prior status vultus, & vestium; & sumeretur nouus fulgor.

254

Quæ subito apparent, mirabiliora.

Deinde aliquāndo apud viros saltem simplices, melius est, vt eis aliquid occultetur, nec omnia simul manifestentur, sed vt subito illis res appareat, quin videant eius initium, & finem; vt inde maiori in æstimatione, ac reuerentia illam appendāt, & habeant. Et ideò incognitus fuit Apostolis, cum incepit, ac desiit fulgor in vultu, ac vestibus Christi; præcipuè quia sunt aliqui, qui existimant, in Transfigurationis mysterio gloriā animæ in corpus Christi, non subito, sed sensim confluxisse eo modo, quo Sol lente quodammodo mundo exoritur. Vnde dispositum est, vt Apostoli solum ingentem splendoris plenitudinem pro maiori reuerentia in Christo cernerent. & viderent. Abulens. citata qu. 68. *Vt discipuli*, ait, *magis venerentur, quod non videbant, voluit, hoc esse incognitum, & ita depressit eos somno à principio, vt non viderent incipere; & in fine exterruit eos, ne viderent desinere.* Sicque cum Apostoli dormiunt, veniunt Moyses, & Elias Luc. 9. n. 32. cùm recedunt, nube inuoluuntur. Luc. citato loco n. 34.

Luc. 9.

255. Exod. 3.

Apparet Deus Moysi in Rubo. Qui cùm videret, quod Rubus arderet, & non combureretur, ait: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Exod. 3. n. 3. Postea verò cùm Deus descenderet, vt daret legem Moysi in monte Sinai, ait textus: *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, & clangor buccinæ vehementius perstrepebat. Totus autem mons Sinai, fumabat, eo quòd descendisset Dominus super eum in igne,* Exod. 19. n. 16. Nil in tota Scriptura magis decantatum, quàm hic Domini descensus in Sinai: Cur ergo non dicitur visio magna, sicut illa Rubi? D. Bonauent. parte 1. de Ecclesiastic. Hierarchia. c. 1. *Visio Rubi magna, quæ tota simul apparebat.* At de illo gloriæ apparatu in Sinai. *Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur.* Citato Exodi n. 19. Illa ergo visio Rubi, quæ subito tota simul se exhibuit, vt magna, & grandis emulgatur; non verò illa in Sinai, quæ paulatim crescebat, & augebatur.

Exod. 19.

Bonauent.

Ita vt magis laudentur, quæ repentè se exhibent.

QVÆSTIO XXXI.

Quare iusti cadant in faciem; iniqui verò retrorsum?

PONDERANDVM cum D. Hieronymo in c. 2. Ezechiel, quàm diuerso modo iusti, & iniqui cadant. Nam iusti dicuntur cadere in faciē suam. Sic Abraham, cùm Dominus ei apparuisset, *Cecidit pronus in faciem suam.* Gen. 17. n. 3. & iterum audita nativitate Isaac ibidem n. 17. Et Ezechiel. 2. n. 1. ait: *Vade, & cecidi in faciem meam.* Et Daniel. 10. n. 9. *Audiens*, ait, *iacebam consternatus super faciem meam.* Sic & in præsenti Apostoli cecidêrunt in faciem suam. At iniqui retrorsum dicuntur cadere. Sic Heli. *Cecidit de sella retrorsum iuxta ostium.* 1. Reg. 4. n. 18. Sic Iudæi, qui cum Proditore ad Dominum comprehendendum venerunt, cùm Dominus dixisset. Ego sum, *Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Ioan. 18. n. 6. Et Isaias de peccatoribus ait 28. n. 13. *Vt cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur.*

256. Hieron. Quanta differentia cadant, iustus, & impius. Genes. 17. Ezechiel 2. Daniel. 10.

1. Reg 4.

Ioan. 18. Isaiæ 28.

Ad quòd pulchram, & elegantem rationem apponit D. Gregor. magnus hom. 9. in Ezechiel. *Quid autem hoc, quod electi in faciem, & reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis, qui post se cadit, ibi cadit, vbi non videt: qui verò ante se ceciderit, ibi cadit, vbi videt.* Quamuis iustus aliquando cadat, tamen, vt electus, cadit in faciem suam, vt malitiam, ac turpitudinem peccati contra Deum summè bonum præ oculis habeat, & consideret, vt diuina gratia adiuuante illam malitiam detestetur, ab illāque resurgat, & se expediat. *Qui verò ante se ceciderit, ibi cadit, vbi videt.* At verò iniquus in signum suæ reprobationis, & damnationis, cadit retro, vbi minime videt, & attendit miseriarum barathrum, in quod præcipitatur; ac ruit. *Omnis qui post se cadit, ibi cadit, vbi non videt.* Iustus cadit in faciem, intuens turpitudinem peccati, vt ab ea resurgat. Impius autem cadit retrorsum, minimè ad sui sceleris malitiam attendens, vt ibi consepultus permaneat, & iaceat.

257. Gregor.

Iustificè cadunt, vt peccati malitiam videant, ad quam iniquè caligant.

Iuxta lectionem Catenæ Græcorum, dicitur Prouerb. 24. num. 16. *Septies in die cadit iustus, & resurget.* Quæ verba elegantèr expendit D. Bernadus serm. 17. in Cantic. *Septies in die cadit iustus, & septies resurgit, inquit, resurgit, si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat.* Ac si dicat, quod in eo stat iustorum erectio, ac gloriosa victoria; à peccatis, quod suos casus videant, & sciant; vt ille, qui cadit in die, & non in tenebris, vt inde ab illa iniquitatum colluuie se valeant expedire, ac purgare. Vide tom. 2. & 3. verb. *Cognitio.* Ibi multa.

258. Cat. Græc. Prouerb. 24. Bernard.

Matth. 17. num. 7. Et accessit Iesus, & tetigit eos; dixitque eis: Surgite, & nolite timere.

VERSIONES.

Arias. Et accedens Iesus.

Syriacus. Ne timeas.

EXPOSITIO VII.

CVM prostrati essent Discipuli à voce Patris, tria egit Iesus: vt notat Albertus magnus,

gnus, Accessit, tetigit, & dixit. *Et*, mox scilicet, ac illi ceciderunt: non enim diu sinit Dominus suos esse in timore, ac casus, sed citò, vt ait Euthymius, soluit timorem, & subuenit. D. Chrysost. hom. 57, *Ne ex timore diuturniore oblivio fieret, citò eos liberauit.* Et tunc accessit Iesus clementia, & gressu corporis. *Et tetigit eos*, non solùm sermone, sed etiam tactu, & opere Discipulos animat, & confirmat D. Paschas. l. 8. in Matth. *Porrò*: ait, *quod accedit post tantam gloriam clementia est; quod tangit, potentia reformantis: Vt ea manu recrearentur ad fidem, qua creati erant ad vitam.* Vt manus, quæ dedit vitam, animaret ad fidem. *Dicitque eis*: nota, ac familiari loquela. Et aduerte, quod Discipuli, si voce Patris instar tonitrui timent, ac in faciem suam cadunt; voce tamen Christi conualescunt, animos resumunt, ac eriguntur D. Ephren. Orat. de Transfigurat. *Quomodo enim*, inquit, *vox Patris eos deiecit; sic etiam vox Filij virtute sua Diuinitatis eos fecit surgere.* Ait illis Christus: *nolite timere.* Quia, vt ait D. Hieronym. *Primum timor expellitur, vt postea doctrina tribuatur.* Volebat Christus instruere Discipulos, vt tacerent ea, quæ viderant, ideo prius timorem aufert, vt ita monita audiant, & intelligant. Deinde Abulensis qu. 98. sic ait. Dixit Iesus, nolite timere, quia nulla erat timoris causa, cùm talem doctorem, & magistrum haberent, qui eos sic recreabat.

Euthym. Chrysost. Paschas. *Manum, qua fecit, erigat.* Ephrem. Hieron. Abulens.

Matth. 17. Leuantes autem oculos neminem viderunt, nisi solum Iesum.
num. 8.

VERSIONES.

Syriacus. Sustulerúntque oculos suos.
Vatablus. Sublatis verò oculis suis, neminem videbant, nisi solum Iesum.

Alter Textus.

Marci. 9. *n.* 8. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantùm secum.
Luca 9. *n.* 36. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus.

EXPOSITIO VIII.

260. D. Thom. RECTE D. Thom. ait: *Penitus effectus confortationis diuinæ, quia à Christo confortati non vident, nisi Iesum, nec in alio gaudent, vel confortãtur, nisi in ipso.* Vnde dicitur, quòd ad Christi vocem, *Leuantes oculos*, statim oculos sustulerunt, antequam se erexissent in pedes. Nam, vt ait Abulensis qu. 100. *Prius ex timore oculos non audebant attollere, sed super facies suas collapsi erant in terra, nunc autem, cùm timor cessauerit, oculos leuauerunt.* D. Marcus scribit: *Statim circumspicientes*, huc, atque illuc magna indagine scrutantes, an Moyses, & Elias adessent. Tamen, *neminem viderunt, nisi solùm Iesum*, vt latius explicabo quæst. sequenti. Et quamuis aperte non exprimatur in littera, quòd Apostoli se erexissent, vt eis erat imperatum à Christo: *Surgite*: tamen hoc manifestè ex eorum prompta obedientia, ac affectu constat: cùm Christo de monte descenderunt.

Abulens. Marcus.

QVÆSTIO XXXII.

Quare dicitur, quòd Apostoli, leuantes oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum?

DICENDVM est primò cum Abulensi q. 99. Exprimitur in textu, quòd Apostoli, leuantes oculos, neminem viderunt eorum, quos antea viderant, scilicet, nec Moysen, nec Eliam, sed solum Iesum: nam quamuis Discipuli, antequam in faciem suam ceciderint, vidissent Moysen, atque Eliam discedentes, nube illos ex oculis eorum amouente, vt norant D. Chrysost. hom. 57. in Matth. & D. Ambrosius Comment. in Lucam, & dixi supra exposit. 5. Tamen, vt mox Discipuli oculos sustollere ausi sunt, circumspexerunt, an forte illi iterum adessent, tamen neque illos duos viros, neque nubem, neque gloriam vultus, aut vestium Iesus amplius viderunt. 261. Abulens. Chrysost. Ambrosius.

Secundò. Solus Iesus inuentus est. Nam, cùm tres, Iesus, Moyses, & Elias visi essent in maiestate, vt ait D. Lucas, poterant Discipuli dubitare, quem vox Patris designasset, cùm dixit: *Hic est filius meus, ipsum audite*: si omnes tres remanerent, ideo post vocem solus Christus est inuentus, vt manifestum fiat, quòd de ipso solo Patris vox est locuta: ipséque solus constitutus præceptor, & doctor, vt audiatur. D. Hieron. *Rationabiliter, postquam surrexerunt, non viderunt, nisi solum Iesum: ne si Moysen, & Eliam perseuerassent cum Domino. Patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium.* Beda. *Vbi*, ait, *cæpit filius designari, mox serui discesserunt: nec ad illos paterna vox emissa putaretur.* Idem habent Euthymius, Theophylactus, D. Thomas, & alij. 262. *Testimonium Patris de Christo solo.* Hieron. Beda. Euthym. Theoph. D. Thom.

Tertiò, & moraliter Origenes. *Facti fuerunt*, inquit, *vnum Moyses, id est lex, & Elias, id est prophetæ, conuersi ambo in Euangelium Christi; & non sicut prius fuerunt tres, sic & manserunt; sed tres vnum sunt facti.* Quia transierunt in Christum, sicut lex, & prophetæ in Euangelium. 263. Origenes. *Lex, & prophetæ in Euangelio.*

Quartò. D. Ambros. lib. 7. in Luc. *Itaque*, ait, *cùm tres essent, vnus est factus. Tres in principio videntur, vnus in fine. Perfecta enim fide vnum sunt. Denique hoc etiam Dominus Patrem orat, vt omnes vnum simus.* Sub gloria Thaboris tres apparent, Iesus, Moyses, & Elias: & tamen postea solus Iesus est inuentus. Circà Iesum, non diuisa multitudo, sed vnius viget perfecta fide, ac charitate, qua omnes in Christo Iesu vnum sumus, animorum concordia, ac pace: Omnes enim nos, vt subdit S. Pater, *Vnum corpus sumus Christi*. Qui ergo ab vnione charitatis discedit, à corpore Christi se segregat. 264. Ambros. *Iesus habetur, nõ cùm diuisime, sed vnitate.*

Quintò. D. Chrysost. homil. 11. in Marc. ait: *Tres perdentes, vnum inueniunt. Imò, vt amplius dicam, in vno tres reperiunt; magis enim reperitur Moyses, & Elias, si in Christo conglomerentur.* A conspectu suo perdunt Apostoli Moysen, & Eliam: sed cùm Iesum secum habeant, non illos perdunt, sed magis illos apud se retinent, in eisque gaudent, secum habentes Iesum, in quo solo sunt omnia bona, & cum eum aspiciunt, omnium oblectamenta hauriunt. 265. Chrysost. *In Iesu omnia bona habentur.*

Ego

266. Cantic. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illũ mater sua in die desponsationis illius.* Cant. 3. n. 11. Hæc sapientis Regis sunt verba; & maximè notandum, quòd in die magni Regis desponsationis multa sunt spectabilia, multique rerum apparatus, ac pompæ, ad quæ aspicienda vniuersum regnum confluit: Cur ergo solum ad Salomonem videndum inuitantur populi? Cur non simul inuitantur, vt Regem, ac alias magnificas ostentationes, quæ prodeunt, contemplentur? Meritò vt Christum Regem respiciant, exhortantur animæ sanctæ; quia si eum solum spectent, in eo cumulatissimè omnia reperient omniúmque gaudia degustabunt. D. Ambrosius serm. 15. in Psal. 118. *Quæ est*, ait, *corona, qua coronatur Christus, nisi corona gloriæ? Solus Christus habet coronam gloriæ, qua eum Ecclesia coronauit. In hac corona omnes corona sunt; quia gloria eius, non portio vnius corona, sed primum omnium coronarum est.*

In Iesu omnes corona gloriæ.

Ambros.

Matth. 17. n. 9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Iesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

VERSIONES.

Vatablus. Cùm descenderent de monte.

Syriacus. Eisque dixit: Coram nemine dixeritis visionem hanc donec surrexerit filius hominis à mortuis.

Alter Textus.

Marci n. 8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis, ne cuiquam, quæ vidissent, narrarent, nisi cùm filius hominis à mortuis resurrexerit.

Num. 9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes, quid hoc esset, Cùm à mortuis resurrexerit.

Lucæ 9. n. 36. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant.

EXPOSITIO IX.

267. *Præceptum inuiolandum, cùm animus sit quietus, & sedatus.*

PEracto Transfigurationis mysterio, *Descendentibus illis de mõte*, cùm nempè ipsi Apostoli cũ Iesu descenderent de monte, antequã ad cæteros Discipulos in pede montis relictos peruenissent, *præcepit eis*; aliqui Codices omittunt *eis*, sic accipientes præcepit, scilicet, illis descendentibus. Non statim ac Apostoli surrexerunt à loco, quo ceciderant in faciem suam, eis mandat, vt nemini dicant; sed descendentibus illis, cùm tam magis à præterito timore, qui eto, ac sedato animo erant. Cùm ergo à mõte exeunt, præcepit obseruari, quæ in monte sunt visa: *Nemini dixeritis visionem.* Huius mandati motiua multa dabò quæst. sequenti. *Donec filius hominis à mortuis resurgat* Non vult Iesus abscondita omninò manere miracula sua, sed ea vult manifestà reddi opportuno, ac congruo tempore, quando cum fructu queant aperiri. Post Resurrectionem; tunc enim scandalum crucis cessàbat, & luculenter suis Discipulis Dominus futuræ gloriæ specimen dabat. D. Lucas addit, quòd *ipsi*, scilicet Discipuli, *tacuerunt*, vt illis erat imperatum. D. Marcus air, quod *verbum continuerunt apud se*, id-est, iuxta Græcum, tenuerunt, nec condiscipulis narrauerunt; *Quærentes inter se*; hi tres nempè mutuò; *Quid est, Cum à mortuis resurrexerit?* Nam quamuis Apostoli scirent, quòd aliquando esset futura resurrectio mortuorum? non tamen intelligebant, quid Iesus vellet dicere de sua peculiari resurrectione, quando, & quomodo ipsa futura, vt post illam ipsi rem visam narrarent.

Lucas. Marcus. Græcus.

QVÆSTIO XXXIII.

Quare Christus mandat visionem taceri?

268. IN limine huius quæstionis prænotandum, quòd in Thabor duo valde notatu digna se exhibuerunt. Christus Dominus in gloria Transfigurationis apparuit cũ Moyse, & Elia, visis in maiestate, vt ait D. Lucas. Deinde auditum est, quòd loquebantur de excessu, seu morte, quam completurus erat in Ierusalem. Tamen Christus mandat, silentio retineri, quæ sunt visa, non verò quæ audita. Cur illa prohibet & non hæc? Nam etsi Christus suæ gloriæ ostentationes disposuit absc ondere; minimè verò sui eximij amoris affectus; hi enim per se manifestantur, & prodeunt. Vel quia decreuit, homines ad se attrahere, ac astringere magis amoris nexu, quàm præmij expectatione. Hinc Domini gloria vni declaratur: *Vidi Dominum sedentem super solium.* Isai. 6. n. 1. At amoris excessus omnibus proponuntur. *Vidimus eum, & nõ erat aspectus.* Isai. 53. n. 2. Ad quæstionẽ,

Christus abscondit gloriam, manifestat amoris affectus.

Isaiæ 6.

Isaiæ 53.

269. Respondet primò D. Hieronym. *Non vult hoc*, scilicet Transfigurationem, *in populis prædicari, ne & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos sequens crucis scandalũ faceret.* Causa, cur Christus prohibet, ne Visio ante Resurrectionem euulgetur, ea est, quia tunc adesset tempus opportunum hoc mysterium reuelandi. Tum propter rei magnitudinem, quia cùm esset ibi declaratus filius Dei, hoc nondum crederetur de ipso, quia nondum in tanta opinione habebatur, saltem apud populum: cùm autem resurgeret, nihil erat, quod de eo facile credi non posset, cum tanta gloria rediturus triumphator exsteret. Sic Dicit D. Chrysost. homil. 57. *Mandauit, vt nemini dicant, quia in populis rudibus id videretur incredibile.*

Hieron.

Res magnâ proportionato tẽpore manifestanda.

Chrysost.

270. Secundò, vt dicunt Hieron. Chrysost. Præcepit taceri propter scandalum; audientes enim homines, Christum ad tantam gloriam in Transfig. fuisse sublimatum, si viderent eum postea crucifixum, turbarentur, & dicerent, quòd non poterant credere tam excelsa de eo; quem tam infirma, & opprobriosa pati conspiciebant. Idem etiam docent D. Paschas. Beda, Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas. Vnde ait Toletus in cap. 9. Luc. annot. 85. quòd hos tres Apostolos, tanquam capaciores, ad Transfigurationis mysterium videndum elegit Dominus.

Hieron. Chrysost. Paschas. Beda Theophyl. Alb. Magn. D. Thomas. Tolet.

271. Hilar. *Res magna annuntiatorē magnæ auctoritatis requirit.*

Tertiò. D. Hilarius. *Silentium*, ait, *etiam rerum gestarum, quas viderant, imperat vt cùm essent Spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent*, Res ita valde ardua erat; & ante Spiritus sancti aduentum Discipuli erant adhuc infirmi, & paruæ auctoritatis, vt in re tanta eis fides adhiberetur, ideo fuit conueniens subticeri vsque post Resurrectionem, & aduentum Spiritus sancti, quando iam Apostoli magnæ auctoritatis facti essent.

272. Remigius. *Christus nõ passitur, vt passio eius differatur.*

Quartò. D. Remigius. *Siue*, ait, *quia si maiestas illius diuulgaretur in populo, populi impedirent dispensationem passionis eius, resistendo principibus sacerdotum; & sic redemptio humani generis retardaretur.* Si Transfigurationis gloria fieret nota populo, per hoc Christus crederetur Deus, & sic populus impediret passionem eius, quam ipse perficere intendebat; hácque de causa, postquam comminatus est Discipulis, ne cui dicerent, ipsum esse Christum, tanquam subdens rationem ait Euangelista: *Capit docere eos, quoniam oportet, filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus.* Marc. 8. num. 3. Quintò. E contra Euthymius ait, quod *iubet visionem hanc ab illis occultari, ne Iudæi magis exasperetur.* Cùm tot magnalia de eo audirent, ob odium, quo ipsum persequebantur.

Marc. 8. Euthym.

273. Damasc. *Princeps speciales fauores abscondat.*

Sextò D. Damascenus apud Catenam in c. 9. Lucæ. *Hoc præcepit Dominus*, ait, *sciens Discipulos adhuc imperfectos, ne corda aliorum, qui non viderant, subuerterentur tristitia. Et ne Proditor incitaretur ad inuidiæ rabiem.* In his sancti Patris verbis duo põderanda. Et primò quòd cùm Christus vniuersi Dominus, & Princeps paucis exhibet specialem fauorem, illum præcipit abscondi, ne cæteri Apostoli, qui neglecti, ac electi fuerunt, *subuerterentur tristitia*, neque eorum constantia in desperationis discrimen poneretur; nam paucorum approbatio, multorum reprobatio est. Secundò. *Sciens Discipulos imperfectos, ne Proditor incitaretur ad inuidiæ rabiem.* Prohibet Dominus, tantam visionem eunlgari inter alios Discipulos; erat enim ibi Iudas, ne inuidiæ rabie accenderetur. Deinde sciebat diuinus Magister Discipulos adhuc imperfectos, ideo non permittit eos in inuidiæ certamen descendere, quæ imperfectos capit, & inficit. Vnde post Resurrectionem disponit mysterium publicari, quando iam Apostoli perfecti, diuino Spiritu communiti, omnem inuidiæ morbum conculcabant.

Inuidia superat imperfectos à perfecto superatur.

274. Theophyl. Carthus.

Septimò Theophylactus. *Propter humilitatem denuntiat, nulli dicendum.* Octauò Carthusianus. *Hoc*, scilicet tacere, *Christus præcipit*, ait, *vt doceat, nos occultare propriam excellentiam, quousque in præsenti viuimus sæculo.* Et ideo ait, quousque filius hominis à mortuis resurgit.

275. Lyranus. *Opus, ac meritum nõ ex facto, sed ex persona iudicatur.*

Nonò Lyranus. *Præcepit eis Iesus*, ait, *ne visionem prædictam aliis diuulgarent ante Resurrectionem suam, ne alij audientes, Christum eis apparuisse in forma gloriosa: scandalizarentur postea.* Tantam maiestatis pompam silentio retineri disponit, quoadusque ipse Resurrectionis triumpho Thaboris glorias veras demonstret: hominum enim est ingenium, non ex facto, sed ex persona rem considerari; vnde tantam gloriam à Christi humilitate alienam iudicarent: ne ergo Transfigurationis pompa scandalizarentur, dum illam incredibilem æstimant, non dicatur quoadusque publicata Resurrectionis fama testibus oculatis verissimã Thaboris gloriam ostenderet, ac indicaret

Decimò. Vt visionem silentio tegant, imperat, ne alij, qui ad pedem montis relicti sunt, cum se viderent à tanta visione exclusos scandalizarentur: nam quamuis Christus Dominus, vt ait D. Chryſ. secum in montem assumpserit meliores; tamen Discipuli, qui à Domino non fuerunt assumpti, ægre, & durè ferrent, quòd ad tantum spectaculum non essent electi. Vnusquisque enim se aliis probitate meliorem, ac ad quodlibet negotium capaciorem, aptiorémque iudicat. 276. Chrysost. *Quilibet de se præsumit esse meliorem.*

De se ait Sponsa: *Introduxit me Rex in cellaria sua exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Cantic. 1. n. 3. 277. Cantic. 2.

Vltima verba maximè ponderanda. Cur non ait, Omnes diligunt te, quod maius encomium videri poterat? Cur ergo ait, Recti, seu perfecti diligunt te? Virtutes sanctæ animæ ad speciales fauores obtinendos, *Introduxit me Rex in cellaria sua*, illiúsque diligentiam, ac sedulitatem, vt Sponsum sequeretur, vtque post ipsum curreret, non omnes agnoscebant, sed solum recti, ac perfecti: nam impefecti præ inuidia illa non aspiciebant, sed in his omnibus eam præcedere autumabant. Quod autem ipsa sola amplissimo munere fulgeret, vt tantum esset introducta, illis detrahendi erat occasio, tanquam si eorum locus ab illa esset ablatus. D. Bernard. serm. 24. in Cantica. *Recti diligunt te*, ait, *puto propter aliquas de numero ipsarum, quæ non id saperent, licet pariter currere viderentur, quæ sua sunt quærentes, & non ambulantes simpliciter, neque sincerè, sed specialiter gloriæ matris inuidentes, & captantes occasionem murmurandi aduersus eam, ex eo nimirum, quòd sola in cellaria introisset.* *Imperfectus excellentiã alterius non videt.* Bernard.

QVÆSTIO XXXIV.

Quare Moyses asportat gloriam in vultu de Sinai? non verò Apostoli de Thabor?

278. Exod. 34.

SEtit Moyses in monte loquens cum Deo in gloria sua, *Cumque descenderet de monte Sinai tenebat duas tabulas testimonij; & ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Exod. 34. n. 29. At Apostoli in Thabor vident gloriam, & nihil illius maiestatis præ se ferunt. Cur in vultu Moysis è monte descendentis nitent splendoris radij; non verò in facie Apostolorum. *Ratio difficultatis.*

279. Ramig.

Rectè respondet D. Remigius 2. ad Corinth. cap. 3. *Gloria Euangelij, quæ datur ministratoribus, & obseruatoribus eius, maior est gloria Legis, quæ splenduit in facie Moysis, quia fuit temporalis, & quocumque fieri potuit, & videri ab illis: ista autem æterna erit; nec potuit ferri ab Apostolis, quando à Domino ostensa est in monte, qua statim lapsi sunt in terra velut mortui.* Legis gloria, cùm esset valde exigua, ab vno homine in vultu ferri valebat; & inde facies Moysis nitet, Iesus autem gloria tam magna, & ampla, vt nec à tribus Apostolis ad breue sustineri posset; indéque tanto oneri succumbunt, in faciem cadentes. *Gloria Legis exigua, Christi vero valde ampla.*

280. Isaiæ. 6. Apocal. 7.

Videt Isaias. 6. num. 1. *Dominum sedentem super solium excelsum*, seu super *thronum.* Postea verò Ioannes Apocal. 7. n. 9. ait: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribus, & populis, & linguis; stantes ante thronum & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus*

manibus eorum. Cur antiquitus ante thronum vnus tantum astat; modò verò tam ingens multitudo, vt supputari non valeat? Gloria, quæ in lege Veteri apparebat, valde pusilla, vtpote in vno terminaretur: at gloria, quæ est à vero Agno Iesu Christo, tam ampla, vt ad vnum tantum populum, vel tribum extendatur, sed etiam ad omnes nationes, ad omnémque hominum multitudinem, vt à nemine numerari possit. Marius Victorinus lib. 1. aduersus Arium. *Superabundat Christi gratia Olim vnus assumitur, vt sistat ante thronum; modo verò turba magna, quæ dinumerari non potest, de qua Dauid aiebat* Enumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Psalm. 138. *qui profuso sanguine stolas suas in sanguine Agni dealbauerunt.*

CAPVT IX.

Prosequitur reliqua pars cap. 17. Matthæi.

Elias, & Ioannes.

Matth. 17. Et interrogauerunt eum Di-
num. 10. scipuli dicētes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primùm venire?
Num. 11. At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est & restituet omnia.

VERSIONES.

Græcus n. 11. Elias veniet.
Syriacus. Ilyo venturus est prius, vt omnia restituat.
Arabicus. Elias venturus est, & docebit vos omnia.
Arias. Instaurabit omnia.

ALTER TEXTVS.

Marc. 9. Et interrogabant eum dicen-
num. 10. tes, quid ergo dicunt Pharisæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm.
Num. 11. Qui respondens ait illis: Elias cùm venerit, primò restituet omnia.

EXPOSITIO V.

ET *interrogauerunt eum.* Illa coniunctio. *Et*, connectit hæc cum superioribus *Descendentibus illis*, &c. ac proinde in ipso montis descensu, antequam ad cæteros Apostolos, ac reliquam turbam deuenissent, vt patet infra ex n. 14. *Cum venisset ad turbam.* Tres illi Apostoli, qui adfuerunt in Transfiguratione, interrogant. *Quid ergo Scribæ dicunt.* Marcus habet, *Pharisæi, & Scribæ*: nam Scribæ, tanquam Doctores, tractabant de Legis doctrina; Pharisæi de religione, vt hic aduertit Abulensis q. 130. Et cum Apostoli essent homines piscatores, non quærunt ex se, sed ex communi opinione vulgi, quæ à Scribis, & Pharisæis diuulgabatur. Abulens.

Eliam oportere primum venire? Occasio interrogationis extitit: A Scribis intellexerant Apostoli, iuxta Malach. 4. n. 6. quod Elias esset venturus ante Messiæ aduentum, Ab ipso verò Elia, & Moyse audierant in monte, Iesu veri Messiæ passionē, & mortem imminere, *Dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Viderántque, Eliam recessisse, & abiisse. Vnde non intelligebant, quomodo Eliam tunc esset venturus; propterea quærunt, quomodo hæc cohærent? Ita D. Hieron. D. Paschas. Beda, Caiet. Iansen. Duplicem Christi aduentum expressum in Scriptura; vnum in carne, qui iam præcessit; alterum in gloria, qui futurus est, postquam aduenerit Elias, malitiosè Iudæi confundebant. Huic dubitationi, vt ait D. Thom. occurrit Dominus, primò tangens aduentum futurum, deinde præteritum, & iam suum in carne. 2. Malach. 4. Hieron. Paschas. Beda. Caietan. Iansen. D. Thom.

At ille respondens, ait Elias, in propria scilicet persona *venturus est*, seu, vt habeat Græcus, *veniet*, ante aduentum filij Dei ad iudicandum in fine sæculi, vt expressè prophetat Malach. 4. n. 5. *Mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* id est dies filij Dei, auctoritate à Patre accepta ad iudicandum Orbem terrarum in iustitia, *Et restituet omnia*, seu, *instaurabit*, seu, vt habet Syriac, ad textum Marc. *Recuperabit* omnia, cùm vniuersum Israëlem adducet ad fidem Christi veri Messiæ, qui eorum parentibus promissus fuit, de quo quæst. seq. 3. Græcus. Malach. 4. Syriac.

QVÆSTIO I.

Quomodo dicat, quòd Elias restituet omnia?

RESpondet primò D. Chrysost. hom. 58. *Restituet omnia, id est incredulitatem Iudæorum, qui tunc erunt residui, ad fidem conuertet.* Sicque exponunt D. Hilar. Euthym. Theophyl. Paschas. lib. 8. in Matth. D. Anselm. D. Thom. & alij Elias, cùm venerit ante vltimum aduentum filij Dei in fine sæculi ad prædicandum, omnes Iudæos, quos tunc inuenerit, ad fidem conuertet. In hisque duabus vocibus *Restituet omnia* exponit Saluator id, quod Malachias 4. n. 6. dixerat, *Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Septuaginta transtulerunt, *Restituet cor patrum ad filios.* Efficiet enim Elias sua prædicatione, vt Iudæi suos antiquos Patriarchas imitentur, qui sicut hi crediderunt in Christum venturum, eumque summè amarunt: sic & ipsi Iudæi, qui tunc erunt, credant, & summè ament Christum iam præteritum, qui pro eorum salute iam in carne venit, ac mortuus est. Et ita cor patrum, à filiis obstinatis ante aduersum, ad eos iam credentes restituet, & conuertet. 4. Chrysost. Hilar. Euthym. Theoph. Paschas. Anselm. D. Thom. Malach. 4. Septuag.

Secundò. Origenes explicat de debito mortis. *Restituet*, quia si aliquis debet, quod non soluit, debet restituere; sed quilibet est debitor mortis, & quia Elias nondum est mortuus, cùm veniat, *restituet omnia*, id est soluet, ac reddet moriendo debitum mortis. In eadem sententia est D. Augustinus citandus. Hæc tamen potius pertinet ad sensum moralem, quàm literalem: nam restituere omnia plus denotat, quam restituere debitum mortis; proindéque iuxta Malachiæ prophetiam est exponendum, vt dixi in superiori sententia. 5. Origen. August.

6. August. Tertiò D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangelic. cap. 21. *Quod dixit Dominus*, ait, *Elias restituet omnia, id est, eos, quos persecutio Antichristi conturbauerit; vel vt ipse restituat moriendo, quod debet.* Ac si dicat S. Pater in prima parte suæ sententiæ. Doctrina, ac tribulatione Antichristi multi à Christi fide deficient; Elias autem veniens docebit eos, cuius prædicatione ad fidem reducentur. Ad hunc modum.

7. D. Thom. D. Thomas inquit: *Restituet omnia, quia veniente Antichristo omnes seducentur, sed mortuo Antichristo, omnes restituentur ad fidem per prædicationem Eliæ* Maximè in hac sententia ponderandum est, quomodo Angelicus Doctor dicat, quod mortuo Antichristo, omnes restituentur ad fidem per prædicationem Eliæ, cùm Elias sit interficiendus ab Antichristo Apocal. 11. n. 7. & ibi notant omnes expositores Lyranus, Viegas, Ribeyra, Cornelius, & alij. Si quando Antichristus perimetur, Elias iam erit demortuus, quomodo mortuo Antichristo, omnes collapsi restituentur ad fidem prædicatione Eliæ? O eximius spiritus magni Patris Eliæ! mors valuit efficere, vt eius corpus mortuum, vitalibus actionibus priuatum iaceret, vt non videret, non audiret, non deambularet; tamen mors non valuit efficere, vt, ipsa interueniente, charitas eximij eius spiritus extingueretur, efficaciáque eius verborum periret: sed quamuis mortuus, adhuc eius spiritus viget, adhúcque eius verba, omni gladio acutiora, hominum corda penetrant, vt virtute eius prædicationis omnes deficientes ad fidem restituantur.

Apoc. 11. Lyran. Viegas. Rib. Yra. Cornel.

Spiritus Eliæ etiam post mor. em prædicabit.

8. Iansen. Iansenius in sua Concord a cap. 67. componit hæc Christi Domini verba: Venturus est Elias, *& restituet omnia*, seu, *instaurabit omnia*, cum illis Apostoli ad Ephs. 1. n. 10. *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlo, & quæ in terra sunt.* Sic ait Iansen. *Intelligendum est, quod dicitur Elias omnia restauraturus, quòmodo Christus dicitur à Paulo instaurasse omnia, quæ in cœlis, & quæ in terrâ, nimirum quia homines inter se, & cum Angelis, atque Deo pacificauit; sic enim & Elias restituet, quando incredulos Iudæos Gentibus credentibus vniet, ad fidem Patriarcharum redire faciet.* Christus, vt omnium Saluator, instaurauit omnia; quæ sunt in cœlis, dum id, quod ex Angelis corruit, ex hominibus adimpleuit: instaurauit, quæ sunt in terris, cùm id, quod erat deprauatum in hominibus, à sua antiqua corruptione purificauit. Elias autem à Deo missus, conuertendo corda patrum in filios, iuxta Malachiam citatum in principio quæstionis, excitandóque in filiis fidem parentum, restituet omnia, pacificabitque homines cum Deo.

Ad Eph. 1.

Elias ad imitationẽ Christi instaurabit omnia

9. Apoc 7. Victorin. Ait Ioann. Apoc. 7. n. 2. *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui.* Quæ verba explicans Victorinus inquit. *Angelum ascendentem ab oriente Eliam dicit, qui anticipatus est tempora Antichristi ad restituendas Ecclesias, & stabiliendas à magna, & intolerabili persecutione.* Angelus vocatur ob puritatem, ac sanctitatem vitæ. Ab ortu solis dicitur ascendere, veluti nouam lucem afferens. *Nusci enim ab oriente idem est, quod exoriri*, vt ait Cornel. à Lapide, *tanquam nouum Solem*, ad illustrandos eos, qui in vmbra mortis, ac vexatione sedebant; quomodo de Iudæis, ab Aman, & morte liberatis, dicitur, quod eis *noua lux orta visa est.* Esther 8. n. 16. Dicitur autem, hunc Angelum habere signum Dei viui, quia eos, quos conuertet ad Christum, crucis Christi signabit, ac insigniet.

Elias velut noua lux.

Esth. 8.

Matth. 17. *num.* 12. Dico autem vobis, quòd Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo, quæcumque voluerunt; sic & filius hominis passurus est ab eis.

Num. 13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

VERSIONES.

Syriac. n. 12. Iam venit Illyo, neque nouerunt eum, & fecerunt in eum, quidquid valuerunt. Ita & filius hominis vim passuros est ab eis.

Vatablus. Et non agnouerunt eum, sed perpetrauerunt in eum, quæcumque valuerunt.

ALTER TEXTVS.

Marc. 9. n. 11. Et quomodo scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur.

Num. 12. Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi, quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.

EXPOSITIO II.

10. DIco *autem vobis, quia Elias iam venit.* Scribæ malignè non distinguebant primum Christi aduentum à secundo; & inde negabant, Christum venisse, quia nondum Elias apparuerat. Diuinus veritatis Magister Iesus Scribis satisfacit, distinguens vtrúmque Christi aduentum. Et concedit, quòd ante secundum aduentum in gloria, verus, & realis Elias præcedet, de quo egit superiori versu. *Venturus est Elias, & restituet omnia.* Iuxta Malach. 4. n. 5. vt est explicatum superiori quæst. Nunc etiam concedit, quòd ante sum primum aduentum aliquis Elias, non verus, & realis, sed mysticus, & typicus processit, quidam nempè præcursor, Ioannes Baptista scilicet in spiritu, & virtute Eliæ Luc. 1. n. 17. qui ante Christum præcurrit; eum digito ostendens, de quo per Malach. cap. 3. n. 1. dicitur: *Ecce ego mitto Angelum meum.* Ab Isai. 40. num. 3. *Vox clamantis in deserto; parate viam Domini*, vt ipse Baptista de se testatur Ioan. 1. n. 23.

Malach. 4.

Luc. 1.

Malach. 3. Isai. 40. Ioan. 1.

11. Iudæi Ioanni credere noluerunt. Vnde subdit Christus. *Et non cognouerunt eum*: id est Scribæ noluerunt Ioannem agnoscere ipsum esse prænuntiũ, Christi à Deo missum, tanquam alterum Eliam. *Sed fecerunt in eum, quæcumque voluerunt.* Ioannem nempè, Iudæorum vitia arguentem, ex maleuolentia sunt persecuti, eius mortem procurantes, tradiderunt Herodi, qui eum ad necem quærebat; à quo tandem est occisus, ipsis Iudæis applaudentibus

Matth.4. & 24. tibus Matth.4.n.12.& c.14.n.9.& 10:*Sic & filium hominis passurus est ab eis*; id est pari modo me, eorum scelera taxantem, persequuntur,& persequentur,tandémque cruce,& morte afficient. *Et tunc intellexerunt Discipuli*, quod Ioan. Baptista erat mysticus Elias præcursor, ac prænuntius Christi.

Puer Lunaticus.

Matthæi 17. num. 14. Et cùm venissent ad turbam accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum dicens; Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & male patitur: nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam.

VERSIONES.

Arias. Venientibus eis ad turbam.

Syriacus. Accedit ad eum homo, & procidens super genua sua, dixit ei: Domine mi, miserere mei, & filij mei, quippe qui lunaticus sit, & male afficitur: sæpissimè enim in ignem cadit, & sæpissimè in aquam.

Arabicus. Vexatur valide in principiis lunationum.

Vatablus. Pagnin. Accessit ad eum homo quidam flectens genua illi: Domine, miserere filij mei, quoniam lunaticus est, & miserè affligitur.

Euthymius. Procidens ad genua eius.

ALTERA TEXTUS.

Marc.9.n.16. Et respondens vnus de turba, dixit: Magister,attuli filium meum ad te,habentem spiritum mutum.

Num.31. Qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.

Luca 9.n.37. Et factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

Num.38. Et ecce vir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi.

Num.39. Et ecce spiritus apprehendit eum,& subito clamat, & elidit, & disipat eum cum spuma, & vix discedit, dilanians eum.

EXPOSITIO III.

AIT D.Lucas, *sequenti die*,ab eo scilicet, in quo ad montem ascendit, & Transfiguratus est, Et cùm venisset, vt scribit D.Marcus, *Vidit scribas conquirentes* cum Discipulis, cur scil.cet; vt explicat Toletus in cap. 9. Luc. annot.87.ipsi Discipuli nó potuerint sanare hunc puerum,quem pater attulerat.Et omnis populus, videns Iesum, vt ait D.Marcus,est admiratus, vt ait ibi Euthymius,propter opportunitatem, quia in auxilium suis venerat Christus. Tunc,cùm venisset Dominus ad turbam, ait D. Matthæus, *Accessit ad eum homo.* Recte D. Paschasius l.8. in Matth.Nisi Christus descenderet de móte, homo ad eum non accederet.Condescendant magnates, vt humiles accedant. *Genibus prouolutus ante eis*, seu, vt habet Vatablus, *flectens genua illi.* Genua flectit,quia veniebat supplicans pro salute filij;& tantum donum ab eo intendebat impetrare. Vel quia,vt ait Abulensis q.144.miseria,& oppressio facit hominem humiliari. 12. Toletus. Euthym. Paschas. Vatablus. Abulens.

Et dixit iuxta D.Matth. *Domine*,iuxta Lucam, *Magister*.Vtrumque dixit homo, *Domine*,& *Magister*, & eum talem nuncupat;causam innuit,cur ad eum venerit, quia cùm Discipuli nó potuerint filium curare, ad Magistrum, ac Dominum confugit,cuius virtus maior futura credebatur;magister enim maior discipulo est.Moraliter dic, Dominum, & Magistrum vocat, venerat enim ad ipsum rogans, ac proinde honorifica, & speciosa ingeminat, vt more hominum facilius alliciat eũ, quem exorat. Non puer pro se rogat, vt aduertit Abulensis quæst.146.quia erat mutus,vt patet ex D.Marco: habentem spiritum mutum. *Miserere filio meo.* At Chananæa pro filia deprecans ait: *Miserere mei Domine* Matth.15.num.22.Syriacus vtrumque hic coniunxit, *Miserere mei,& filij mei*, miseria enim filij calamitas est patris, & pater in miseria filij torquetur.D.Luc.posuit, quòd homo dixit,*Obsecro te,respice in filium meum.* Vtrumque dixit homo. *Miserere filij mei*,&, *obsecro, respice in eum*: miseria enim visa maximè solet excitare ad compatiendum, ac subueniendum. Sic dicebat Dauid: *Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam.*Psal.30.n.8. 13. *Qui rogat, honorifica ingeminat.* Abulens. Matth.15. Syriac. *Miseria visa ad pietatem monet.* Psalm.30.

D.Lucas ait: *Quia vnicus est mihi.* Exponit homo causas, cur petat misericordiam.Prima. *Quia vnicus est mihi*:magna miseria patris; vnicũ filium habere tanto morbo oppressum. D.Matth. *Quia lunaticus est*; id est lunationibus afficitur, iuxta Lunæ mutationes morbo comitiali agitatur.Causa autem radicalis infirmitatis erat Dæmonis malenolentia,à quo possidebatur,vt patet ex discursu Euangelistarum. Sic ait Lucas, *Et ecce spiritus apprehendit eum.* D.Matthæus, *malè patitur*, hoc est miserè affligitur cum frequenti vitæ periculo. Vnde subdit; nam sæpè Dæmon eum agit in ignem,vt comburat:& frequenter in aquas, vt demergat,vt suffocet. 14. Lucas. Matthæus.

QVÆSTIO II.

Quare, cùm puer iste esset dæmoniacus, dicitur lunaticus? 15. *Dæmonis vexatio morbi tamen.*

CVM pater,iuxta Matth.dixerit filium lunaticum, fuerunt auctores, qui existimarunt

morbum hunc fuisse in eo naturalem ; tamen inuectum esse Dæmonis vexatione, communis est Patrum sententia, Origenis tract. 4. in Matth. D.Chrysostomi hom.58 D.Chrysologi serm.51. D.Hieronymi, Theophylacti, Euthymij, Alberti Magni, S. Thomæ in cap.17.Matth.Abulensis quæst.4. Probatur.Quia Christus, puerum sanans, iuxta Marcum . dixit : *Surde, & muте spiritus, ergo præcipio tibi, exi ab eo.* Et Matthæus ait *Exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Si ergo Dæmonis eiectione tantum, puer sanitatem recuperauit, fit manifestum,quòd non naturali morbo, sed dæmonis vexatione laborabat. Si autem pater eum lunaticum appellauit, potest dici cum D.Thoma,quia talem eum existimabat dæmonis ope deceptus.Vnde ait D. Chrysostomus citatus.*Non turbetur, si lunaticus est appellatus, patris enim dæmoniaci hæc vox fuit.* Vel quia communi consuetudine, dæmoniaci nuncupabantur lunatici,Matth.4.li.24. Et ideo D.Lucas appellat hunc puerum dæmoniacum dicens. Et *Ecce spiritus apprehendit eum,& subito clamat*, &c.

Origen. Chrysost. Chrysolog Hieron. Theophyl. Euthym. Alb Magn. D. Thom. Abulens.

D.Thom. Chrysost.

Matth.4.

16. Inquirendum tamen est : Cur Dæmon faciebat, vt dæmoniaci , seu ab ipso possessi, lunatici dicerentur,ac reputarentur. Respondet D.Hieronymus ad finem c.4. Matth. *Non erant verè lunatici, sed reputabantur lunatici ob dæmonum fallaciam : qui obseruantes lunaria tempora creaturam infamare cupiebant; vt in creatorem blasphemia redundaret.* Idem docent Origenes , Chrysostomus, Albertus Magnus , & alij citati. Intendebat Dæmon,Lunam infamare,vt morborum causam.Secundò Euthymius ait : *Vt dum Luna mali causa videretur , eius creator calumniæ exponeretur.* Similiter Theophylactus , Beda , & alij. Tantum malum diabolus creaturæ tribui faciebat , vt creator in inuidia,& odio esset apud homines,vtque eum blasphemarent.

Hieron.

Origen. Chrysost. Alb Magn. *Diabolus creaturas Dei vult infamare.* Euthym. Theophyl. Beda.

17. Tertiò D.Remigius,*Lunatici à Luna dicti sunt quæ dum menstruis temporibus crescit , & decrescit, ipsi vexantur.*Crescente,vel decrescente luna omne humidum mutatur ; cerebrum, cùm sit humidissimum , per lunæ cursus alteratur:quòd explorabat dæmon : vt lateret , quod ipse totius damni erat causa : semper ipse intendit , vt malum. quod infert,in alterum referatur. D.Chrysologus serm.53. *Aperuit*, ait, *Luna cursibus hominis passiones , vexabat corpus lunaribus incrementis : vt esse lunæ crederetur , quod erat diabolici criminis , & furoris.* Sic inquit D. Paschasius lib. 3. in Matth. *Sæpe diabolus homines per homines tentat , vt malum hominis homini tribuatur.* Sicque per filias Moab Israëlitas ad idololatriam prouocat. Num. 25.num.1.

Remig. *Diabolus explorat, vt malum, quod infert, alteri referatur.* Chrysol.

Paschas.

Numer.25.

QVÆSTIO III.

Quare puer instigatus à dæmone , crebrò in ignem , & in aquam se proiiciebat ?

18. PVER iste, vt notat Abulensis quæst.149. non solùm se præcipitabat in ignem , & aquam , sed etiam in terram , ac in quemcumque locum , quando à dæmone torquebatur. Sic ait D. Marcus : *Attuli filium meum ad te , habentem spiritum mutum , qui vbicumque apprehendit eum, illidit illum,& spumat*, &c. Tamen iuxta D.Matth. diabolus sæpe impellebat puerum , vt caderet in ignem, & aquam. Cur crebro ad lapsum in ignem , & aquam instigabat ?

Abulens.

Marc.

Respondet primò D.Chrysostomus homil.58. *Iam diu mortuus homo esset , nisi diuina prouidentia fuisset protectus ; nam qui in ignem , & aquam eum immittebat , interfecisset profectò , nisi diuinitus frenaretur.* Considera magnam Dei prouidentiam circa hunc arreptitium : nam nisi specialiter esset à Deo seruatus , iam sæpe à dæmone in igne , & aqua esset occisus.Secundò Abulensis citata q.149. *Ponitur* : ait, *ad monendum,ac ad miserandum; erat enim magna miseria , quod iste esset continue iuxta mortem.* Vt ex tãta oppressione magis allicceretur diuina bonitas ad subueniendum homini,qui tot, tantisque calamitatibus , ac periculis vexabatur. Tertiò. *Cadit in ignem, & aquam* ; vt summa dæmonis crudelitas manifestetur : quia quos possidet , ac obtinet, ad extremam ruinam , ac præcipitium promouet , ac impellit.

19. Chrysost. *Dei prouidentia nos custodit à dæmonis machinatione.* Abulens. *Miseria allicit diuinam bonitatem.* *Diabolus suos ad ruinam impellit.*

Quartò D. Hieronymus. *Mihi autem* , inquit, *videtur iuxta tropologiam , lunaticus esse , qui per horarum momenta mutatur ad vitia , nec persistit in incepto:sed crescit, atque decrescit : & nunc in ignem furit , quo adulterantium corda succensa sunt ? nunc in aquas,quæ non valent extinguere charitatem.* Miser homo de vno vitio in aliud prolabitur , & de vno peccato in alterum cadit;modò libidinis igne quo corda succenduntur ; modo voluptatum ,ac cupiditatum aquis , quibus animus decipitur ; vt ita peccatorum catenis detentus,nunquam homo sistat in malis, sed semper de vno in alterum malum ruat.

20. Haymon. *Qui in vnũ peccatum labitur in alia incidet.*

Instante populo , fabricauit Aaron vitulum *Dixeruntque omnes: Hi sunt dij tui Israel*, Exod. 32. n.4.Vnus tantum conflatus est vitulus ; & tamen ac si plures essent, sic proclamant ; *Hi sunt dij tui.* Vnum aspicitur,& tamen plura prædicantur.Miser populus facti consequentiã iam prænoscebat, quòd qui vnum idolum admittit, iam multis subiicitur. Fuge homo ab idolis , fuge à vitiis ; qui enim ad vnum rapitur , iam in multa deturbatur. D.Chrysostomus homil.5. de pœnitent. *Respicit*, scilicet populus , ait, *vnum factum vitulum , quare igitur hic duos dicit ? Vt ostendat , quod non modo eum , quem vidit , adorat , sed & deorum pluralitatem annuntiat.* Perpende vltimum verbum *annuntiat* , quod ille , qui vni idolo , vnique vitio se tradit , iam tibi multis se implicandi præsagium habet. Hinc ait Seneca de Benefic.cap.10.*Idem semper de nobis pronunciare debebimus* : *malos esse nos , malos fuisse , & inuitus adiiciam , & malos futuros esse.* Ex præsenti malitia futuram licet prænosticari.

21. Exod.32.

Homo ex vno peccato in aliud prolabitur. Chrysost.

Seneca.

*Matth.*17. Et obtuli eum Discipulis
*num.*25. tuis,& non potuerunt curare eum.

VERSIONES.

Syriacus. Et non potuerunt eum sanare.

ALTER TEXTVS.

Marci 9.*n.*15. Et dixi Discipulis tuis , vt eiicerent illum , & non potuerunt.

Luca 9.*n.*40. Et rogaui Discipulos tuos,

vt

vt eiicerent illum, & non potuerunt.

EXPOSITIO IV.

ETVLI *Discipulis tuis.* Notat Abulensis quæst. 151. quòd quando iste homo aduenit cum filio suo, Christus erat in monte Thabor, & nesciebatur, vbi esset; & fortè iste homo putauit, quòd non cito veniret, & ideò, cùm grauaretur diu expectare, obulit puerum Discipulis ad curandum; nam Discipulis à Iesu data erat potestas dæmonia eiiciẽdi, omnémque languorem curandi Matth. 10. nu. 1. Marc. 3. num. 15. & ipsi Apostoli eiecerunt multa dæmonia, de quo gaudebant. *Non potuerunt curare eum*, D. Chrysost. homil. 58. in Matth. D. Hieronymus, D. Thomas in cap. 17. Matth. inquiũt, quòd homo hoc dixit volens latẽter accusare Discipulos Domini, quòd cùm ipsi à Domino accepissent potestatem eiiciendi dæmonia, hoc non eiecerint, quod ex aliquo eorum defectu proueniebat. Tamen probabilius mihi est id, quod ait Abulensis quæst. 150. quòd cùm iste homo tanta humilitate, ac genu flexũ, & lachrymis à Christo peteret filij sanitatem, non intendebat aliquem accusare, sed solùm rei gestæ seriem referre, innuens rationem, cur ad Magistrum confugeret, cuius nempe maior virtus futura credebatur.

21. Abulens. Matthæus. Marc. 3. Chrysost. Hieron. D. Thomas. Abulens.

QVÆSTIO IV.

Quare, cum Discipuli haberent potestatem ejiciendi dæmonium, hunc puerum tamen non curarunt?

23. Euthym. Theophylact. Marc. 9. Chrysost. Alb. Magn.

APOSTOLI habebãt potestatẽ dæmonia eiiciendi, vt ex Euangeliis ostendi in expositione; Cur ergo puerum non curauerunt? Respondent Euthymius, Theophylactus, quòd hoc factum est propter defectum fidei petentis; carebat enim fide requisita ad tantum petitum obtinendum. Vnde dixit illi Christus Dominus Marc. 9. num. 22. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Continuo exclamans pater pueri aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Alij verò, vt Chrysostomus homil. 58. Albertus Magnus inquiunt, quòd Discipuli non potuerunt puerum curare propter defectum fidei ipsorum. Sicque quando ipsi quæsierunt; quare & nos non potuimus eiicere illum; Christus ait: *Propter incredulitatem vestram.*

24. Strabus. Carthus. D. Thom. Abulens. Hieronym. Ex defectu fidei parentis aut Discipulorum curationem differtur.

Dicendum tamen est, quòd propter defectum fidei vtrorúmque miraculum non est factum. Ita Strabus, Carthusianus, D. Thomas, Abulensis quæst. 152. Probatur. Quia in primis; vt miraculum fiat, maximè expedit fides petentis, vt credat, quòd Deus illud potest facere; & confidat, quòd illud ex sua pietate velit facere, vt inde meretur tantum donum, ac fauorem accipere. Vnde ait D. Hieronymus in præsenti. *Impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem, sed ad incredulitatem eorum, qui curandi sunt, referatur.* Et ideo Christus, vt puerum curaret, à patre exigit fidem. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Deinde etiam requiritur fides illius, per quem operandum est miraculum; exigitur enim, vt firmiter credat, quòd Deus illud facere potest; & quòd dignabitur per eum facere, vt ita mereatur accipere illam magnam excellentiam, vt Deus per manum eius miraculum operetur. Et ita postquam Christus increpauit fidem patris, ac astantium, dicens: *O generatio incredula!* increpat Discipulorum fidem, quod non potuerit puerum sanare *Propter incredulitatem vestram*, vt ibi dicam.

25. Paschas.

Secundò, etiam alias rationes mysticas subiiciamus. D. Paschasius lib. 8. in Matth. Ipsi, scilicet Discipuli, inquit, *non potuerunt curare eum, forte vt sola omnipotentia Christi prædicaretur, & Apostolorum commendaretur infirmitas, qua fortè infirmitate detenti, altiora cum Domino ascendere non meruerunt.* Cur discipuli hoc dæmonium non eiecerunt? nunquid Christus concessum donum abstulit? minimè; Dei dona pœnitentiam nesciunt. Ex alta tamen prouidentia puero sanitatem impendere non valent Discipuli. Vt apertum redderetur, quòd ipsi ad Thaboris glorias inspectandas non fuerunt assumpti, ex eo quòd Magistri affectus, aut beneuolentia deesset; sed quia eorum infirmitas in fide in causa extitit, vt tam magnifici spectaculi non essent inuenti digni. Vnde ait D. Chrysost. homil. 57. in Matth. quòd Christus meliores assumpsit ad mentem.

Ex fidei defectu excludantur à donis.

Chrysost.

26. Hilarius.

Tertiò. Hilarius in cap. 17. Matth. *Domino*, ait, *in monte demorante, & ipsis cum turba residentibus, quidam torpor eorum fidem retardauerat.* Quæ verba multipliciter sunt expendenda. Primò. Quo fascino elanguit virtus Apostolorum, non omnium, sed eorum, qui exortes Domini beneuolentiæ veluti neglecti, inter turbas sunt relicti? Ex paucorum fauore, aliorum animus, ac virtus enigoratur, ac hebetatur. Specialis beneuolentia, quibusdam collata, in aliis diffidentiam, ac torporem erga dominum generat, ac parit. Secundò. Tres ascendũt cum Domino ad Thaboris glorias; cæteri vero Discipuli relinquuntur cum turbis? quibus autem non conceditur ascendendi locus, inde eorum virtus infirmatur, vt dæmonia non eiiciant: maximè elanguet virtus, si ad ampliora non promoueatur. Tertiò. Ex improborum consortio fides contagium, ac defectum patitur, vt miraculum non operetur.

Ex fauore in vnum elanguet virtus in alio.

Enigoratur virtus si ad ampliora non promouetur

27. Isaiæ 6.

At Isaias: *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum.* cap. 6. num. 5. Et rationem suæ immunditiæ subiiciens inquit: *Ex in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Et conuersatione nempe eorum, qui polluta labia habebant, contagium contraxit, vt & ipse polluta labia haberet. D Hieronymus ibi. *Peccauit*, ait, *non suo vitio, sed societate populi habentis polluta labia, cum quo loqui sæpissimè cogebatur. Ex quo ostenditur, noxium esse viuere cum peccatoribus.*

Ex mala societate contagium iniquitatis.

28. Genes. 33. Societas iniquorum fugienda. Lyran.

Cuius rei bene conscius Iacob digressus à fratre suo Esau, *Transiuit in Salem vrbem Sichimorum, & habitauit iuxta oppidum*, Genes. 33. num. 18. Cur ad oppidum se non recepit, vbi commodiora essent hospitia? Cur in campo sub diu, & æstu, incommoditatibúsque temporum expositus remanet? Agnouerat, in vrbe esse idololatras, indeque eorum contagium formidans deuitauit. Lyranus. *Non ingreditur oppidum, quia erant ibi idololatræ.*

Matthæi 17. num. 16. Respondent autem Iesus, ait: O Generatio incredula, & peruersa, quousque

ero vobiſcum? Vſquequo patiar vos? afferte huc illum ad me.

VERSIONES.

Syriacus. O vos, generatio infidelis? quouſque tandem ero vobiſcum, quouſque tandem tolerabo vos.

Theophylact. O natio incredula, & diſtorta,

Vatablus. quouſque tandem?

ALTER TEXTVS.

Marc.9.n.18. Qui reſpondens eis, dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quando vos patiar? afferte illum ad me.

Luc 9.n.41. Reſpondens autem Ieſus dixit: O generatio infidelis, & peruerſa, vſquequo ero apud vos, & patiar vos? adhuc huc filium tuum.

EXPOSITIO V.

29. PER hæc verba arguit Dominus incredulitatem Patris Lunatici, ac Scribarum, qui tunc aderant; tacitéque reſpondet ad id, quod dixerat homo: *Obtuli Diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Tunc exclamat: *O generatio incredula!* Ac ſi dicat Dominus: Cauſa, cur Diſcipuli mei non valuerunt ſanare filium tuum, non eſt impotentia mea, vel illorum; nam à me habent poteſtatem eiiciendi dæmonia; ſed tua incredulitas, ac tuorum Iudæorum obicem ponit Dei gratiæ, quia non creditis, ſed hæſitatis, de quo, quæſt. ſequenti. *O generatio!* Hoc incredulitatis vitium, non ſolùm præſentibus inerat, ſed etiam eorum progenitoribus commune extiterat, vt dixi D. Stephanus: Actor 7. *Vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto; ſicut & patres veſtri, ita & vos.* Actor.7.num. 51. *Incredula*, ſeu infidelis, vt habet D. Lucas, ſiquidem multis argumentis ad credendum conuicta, adhuc pertinax non credit, *& peruerſa*, ſeu diſtorta, antiquum gentis epitheton. *Generatio prauа, atque peruerſa.* Deuter. 32 Deuteron. 32. num. 5. *peruerſa*, habens mentem auerſam à vero ſcopo, vt non intueatur, ad quæ debet aſpitere attendere.

30. *Vſquequo ero vobiſcum?* Hæc dixit Dominus ex quadam ſancta indignatione, non in perſonas, ſed in vitium incredulitatis. Ac ſi diceret: Ego veni in mundum, vt vos docerem, & ad hoc vobis dedi verba, ac operibus abundantiſſima ſigna, quibus credere debuiſtis: & tamen adhuc reſiſtitis. Hieronym. Quid ergo amplius expectatis? quandiu me apud vos manere vultis? D. Hieronymus, mitis, ac manſuetus Ieſus hæc dixit, *non quod tedio eſſet ſuperatus, ſed ad ſimilitudinem medici, ſi agrotum videat contra ſua præcepta ſe gerere, dicat: Vſquequo accedam ad domum tuam: quouſque artis perdam induſtriam; me aliud iubente, & te aliud perpetrante?* Myſticè aliter exponit Chryſoſtomus ho Chryſoſt. mil.58. *Cùm dicis Chriſtus, quouſque ero vobiſcum? quam mori ſitiat, quantumque ad Patrem redire deſideret; & quia non ſit ſibi moleſta paſſio, ſed cum huiuſmodi hominibus conuerſatio, oſtendit.* Chriſti mors multis acerbiſſimis tormentis præparabatur tamen ſuper omnia ipſa tormenta grauius erat Chriſto iniquorum conſortium, vt potius velit crucifigi, quàm cùm illis morari, ac verba habere. *Mors cruce tolerabilior*

Afferte huc illum ad me. Rigorem ſuperioris increpationis pietate commiſcet; puerum mandat adduci, vt ſanitatis beneficium impendat: mandat ergo puerum affetri, vt virtutem ſuam, quæ in dubium vocata fuerat, ab opprobrio vendicet, miſeróque puero ſanitate ſubueniat. 31.

QVÆSTIO V.

Quare Chriſtus appellat Iudæos generationē peruerſam, & incredulam? & quibus hoc dixit?

32. AB hoc ſecundo exordiamur. Origenes tract.4. in Matth. hæc verba dicta tantum Diſcipulis autumat. Tamen, vt rectè obſeruat Abulenſis quæſt. 155. etſi Diſcipuli habuiſſent aliquam incredulitatem, vnde infra eis dicit Chriſtus, quòd puerum non potuerunt ſanare *propter incredulitatem veſtram*; tamen de eis non dicitur generario peruerſa, non enim habebant præuaricationem morum; erant enim omnes, Iuda excepto, probi. Origenes. Abulenſ.

At verò D. Hilarius, D. Hieronymus, Beda, Strabus, D. Paſchaſius, Theophylactus, D. Thomas Commentariis in Matth. Victor Antiochenus in Marc. de Patre Lunatici, ac de toto genere Iudæorū hæc dicta exiſtimant. Et probatur. Quia pater adoleſcentis, tanquam dubitans de Chriſti poteſtate dixit: *Si quid potes, adiuua nos*, Marc.9. num.22. Et Chriſtus ait ei: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Et Chriſtus, ne conturbaret hominem, illum, non ſpecialiter, ſed generaliter cum cæteris Iudæis reprehendit. De cæteris etiam comprobatur. Quia licèt aliquid peculiariter de eis in littera non ſcribetur in hoc facto; tamen ſemper more ſuo de Chriſti, ac Diſcipulorum virtute, & potentia malè cogitabant, ei quo detrahebant. Vnde Syriacus legit: *O vos generatio incredula?* Et Marcus ſcribit, quòd cùm Chriſtus deſcendiſſet de monte, inuenit ſuos Diſcipulos, & Scribas *conquirentes cum illis*, de eorum nempe potentia, ac poteſtate, vt dixi expoſitione 3. Lyranus in Matt & Toletus in cap.4. Luc. annot.94. ad Diſcipulos, & Iudæos hæc verba adſcribunt. Sed probabilior ſecunda ſententia, præcipuè cùm ſit Patrum. Hilarius. Chryſoſt. Hieronym. Beda. Strabus. Paſchaſ. Theophyl. Antioch. Marc.9. Syriacus. Lyran. Toletus.

33. Ad ſecundam quæſtionis partem veniam, cur ſcilicet Iudæos generationem incredulam, & peruerſam vocet? Vt oſtendat Chriſtus Dominus, inquiunt communiter Sancti Patres citati, & verbis Theophylacti vtar, quod miraculum eſt impeditum, *non eſt tantum infirmitatis illorum*, ſcilicet meorum Diſcipulorum, *quantum tua incredulitatis delictum.* Defectu fidei hominum magna, & larga beneficia in ipſos homines à Deo non conferuntur. Incredulitas detinet, quominus Dei efficientiam in rebus etiam difficillimis ſentiamus præſertim cum is, qui poſtulat miraculum, incredulus eſt, & etiam incredeli ſunt adſtantes, pro quorum Theophyl. *Incredulitas obicem ponit diuinæ gratiæ.*

quorum commodo, ac propitiatione edendum esset miraculum; vt dixi in expositione.

31. Secundò D. Petrus Chrysologus serm. 51. *Quid est*, ait, *quod conquirente vno, incredulitatis notantur omnes? Quid est, quod ad vnius vocem tota generatio superba perfidiæ nuncupatur? Quid est? Quia iste, non ad Deum venerat, sed ad Magistrum venerat? curam, non à virtute exigens, sed ab arte.* Vnde tantum crimen iste homo habuit in Deum? Vnde tam grauiter cum offendit, quòd veniens multa humilitate, & genu flectens audiat sibi dictum: *O generatio incredula, & peruersa!* Accessit iste homo ad Christum dicens: *Magister, attuli filium meum*; non Deum dicit, sed Magistrum, quasi plus confidens, & sperans ab eius arte curandi, quam ab infinita pietate diuina. Inde grandis hominis culpa, cum plus de alio, quàm de diuina clemencia cogitat, & autumat, quod obseruauit Chrysologus serm. 52.

Grandis culpa, de alio plus sperare, quam de Deo clementia.

36. Tertiò. Valde mirum, quod tam asperè se habeat mitis Iesus erga hunc hominem, qui cum humilitate, ac genuflexo, & lachrymis venerat deprecans, *miserere filio meo*, vt ei responsione dicatur. *O generatio incredula!* Venerat iste homo malè sanus in fide; sic enim, vt dubitans de Christi potestate: dixit: *Si quid potes, adiuua nos*; vt statim patebit ex sequentibus. Et tamen cùm appropinquaret ad Christum, de suo puero ait: *Obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum.* Quod dixerat, iuxta Chrysostomum, D. Hieronymum, S. Thomam, à me citatos expos. 4. latenter accusans Discipulos Domini, quòd, cùm ipsi accepissent potestatem eiiciendi dæmonia, hunc puerum ex aliquo eorum defectu non valuerunt sanare. Tunc Christus immediatè, seuerè, & asperè respondet: *O generatio incredula!* Non tulit Christus hominem sic detrahentem, vt id, quod suæ incredulitatis culpæ potius, aut certè non minus quam Discipulorum, id totum in Discipulos retorquet: & cum propriam culpam aliis adscribit, sine dilatione audit: *O generatio incredula, & peruersa!* Isidorus Clarus. *Præsertim*, ait, *cùm is, qui rogat, crimen incredulitatis suæ in Christi Discipulos reiiceret.*

Valde dictum, quod quis propriam culpam in alios.

Isid. Clar.

37. Quartò. Quænam culpa istius hominis, vt tam acri reprehensione dignus iudicetur? Titus Bostrensis rationem nobis inculcat ad illa verba. *Et rogaui Discipulos tuos*, &c. *Quasi dicat*, ait, *non potui, quod leuiter ad te peruenerim, stupenda est dignitas tua, nec statim te molestaui, ad Discipulos tuos accessi primò; nunc quia non curauerunt, cogor proficisci ad te.* Ecce grande hominis crimen, vt ei dicatur, *Generatio incredula.* Primò accessit rogans alios, & tunc venit ad Christum. Deinde sibi persuadet, Christum Dominum esse veluti temporalem regem, quia *ob suam stupendam dignitatem*, petitionibus molestantur. Et cum homo tantum aberrat à Saluatoris ingenio, quod ex tot, tantisque rebus maximè illi exploratum esse debebat; inde promeruit audire, *O generatio incredula.* Diuini Magistri conditio, non precibus molestatur, sed eis potius maximè iucundatur, ac delectatur; nihil ei gratius, quam orationes nostræ, quibus valde exaltatur, ac sublimatur.

Bestrensis.

Deus non honoratur, sed dishonoratur importunis precibus nostris.

38. Ad impium Achaz ait Isaias 7. num. 12. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo. Et dixit Achaz: non petam, & non tentabo Dominum.* Cur tanta optione data oblatum signum non vult petere Achaz? D. Hieronymus inquit: *Non tentabo Dominum: possit legi, non exaltabo Dominum.* Alij vero transferunt: *non petam, & non laudabo Dominum.* Iniquus rex, idolorum cultor decreuit apud se, à sua postulatione abstinere, ne ipse sua petitione Deum exaltaret, ac laudaret. Optimè sciebat iniquus, quòd exoratio erga Deum, illius erat magnifica exaltatio, ac sublimatio. D. Hieronymus citatus, *Sciebat rex impius, quod si signum peteret, acceptarus esset, & glorificaretur Dominus. Ergo quasi idolorum cultor, non vult signum petere.* Vnde ob suam malitiam, & incredulitatem grauiter reprehenditur tacitim, *Nunquid parum vobis, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo*, Vt notant Expositores Pinto, Forerius, Sanchez, Cornelius.

Isai. 7.

Hieron.

Pinto. Forerius. Sanchez. Cornelius.

Marc. 9. n. 19. Et attulerunt eum. Et cùm vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum; & elisus in terram volutabatur spumans.

Num. 20. Et interrogauit patrem eius: quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia.

Num. 21. Et frequenter eum in ignem, & aquas misit, vt eum perderet; sed, si quid potes, adiuua nos, misertus nostri.

VERSIONES.

Syriacus n. 19 Quumque vidisset eum, spiritus eo momento contriuit eum: ceciditque in terram, & volutabatur, atque discerpebat.

Vatablus. At ille dixit, à puero, seu pue-
Euthym. n. 20. ritia.

Syriacus n. 21. Si quid potes, adiuua me, & miserere mei.

Vatablus. Age, si quid potes, subueni nobis, intimè misertus nostri.

Arias. Succurre nobis, viscеribus commotus super nos.

ALTER TEXTVS.

Luca 9. n. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmoniũ, & dissipauit.

EXPOSITIO VI.

39. *ET attulerunt eum*; ad vocem Christi; *afferte illum ad me*, pater cum aliis adduxerunt puerum ad Iesum. *Et cum vidisset eum*, cum, scilicet, Iesus intuitus esset puerum, *statim spiritus conturbauit illum*. eoque momento malignus spiritus discerpsit, seu, vt alij vertunt, *lacerauit*, puerum, conuulsitque totum illius corpus, quod alta prouidentia permissum est, pro maiori euidentia miraculi, vt esset euidens, quòd diabolus adhuc in puero persistebat, & ab eo non exierat. Deinde vt etiam fieret manifestum, quantum diabolus

diabolus timebat Iesum, ab eiúsque præsentia abhorrebat. *Et elisus in terram*, seu deiectus, *volutabatur spumans.* Quo enim propinquior est salus à Iesu conferenda, eo magis diabolus sæuit, ac tumultuatur.

Quo propinquior est salus, eo magis diabolus sæuit.

40. *Et interrogauit patrem eius.* Quærit Iesus, ex quo tempore puer huic malo cœpit esse obnoxius. *At ille ait, ab infantia*, seu vt alij legunt, *a puero*, seu *pueritia.* Ad quid tamen omnium Dominus, qui omnia nosci, quærit tempus, ex quo adolescenti tantum malum accidit? D. Chrysostomus serm. 51. *Requirit*, ait, *passionis tempus auctor temporis, non vt nesciat, sed vt sciens nescientibus prodat. Denique interrogatione tali tempus aperit, ætatem pandit, reuoluit infantiam, vt tanti mali causa non tangat fœbolem, sed parentem, quia à Deo sibi datum pignus ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem.* Pater incredulus filium habuit à dæmone obsessum: tempus ergo infirmitatis exquiritur, quia dum pater fatetur, à pueritia hoc illi accidisse, fit apertum, quod mali causa, non prolem, sed parentem tangit. Nam si adulto malum accidisset, filij profecto culpæ deputaretur. At cùm ab infantia dæmonis sit domicilium, patris crimen est, qui nullo virtutum documento animum pueri formauerat, sed turpi indulgentia in omni vitio errare permiserat. Et sicut ipse pater praua sua vitia, sœ eratísque actionibus in animo suo dæmoni aditum præbuit: sic in corpore, ac animo filij aditum referauit. *Quia à Deo sibi datum pignus, ad diaboli gratiam, dæmonum retulit ad honorem.*

Chrysost.

Filiorum crimina, ac damna à parentum vitiis originantur.

41. *Et frequenter eum in ignem, & aquas misit*, seu impellit, vt alij legunt, *vt eum perderet*, hoc est interficeret, quod iam supra explicatum manet expositione 3. *Sed si quid potes, adiuua nos*, Ecce incredulitas, quam Christus in homine taxauerat dubitat enim de Christi potentia, an par esset, vt morbum adeo grauem, & inueteratum posset auferre.

Marc. 9. *n.* 22. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Num 23. Et continuo exclamans pater pueri, cùm lachrymis aiebat: Credo, Domine, adiua incredulitatem meam.

VERSIONES.

Syriacus n. 22. Omnia possunt fieri credenti.

Num 23. Et confestim clamauit pater pueri flens, & ait: Credo ego, succurre defectui fidei meæ.

Arias, Vatabl. Succurre incredulitati meæ,

Euthymius. Auxiliare incredulitati meæ.

EXPOSITIO VII.

42. Theophyl. RECTE ait Theophylactus, quòd Dominus *non subsistit in hoc, quod eos reprehendit, sed etiã medicinam addidit.* Nã supra reprehendit Christus hominis incredulitatem: *O generatio incredula!* nunc verò de quærendo fidei remedio admonet. Vnde dicit: *Si potes credere.* Oblique culpam in hominem retorquet, ob quam eius filius non sit sanatus. Ac si diceret, vt inquiunt Carthusianus, & Beda: Ille, si salutem non obtinet, non est ex defectu meæ potentiæ, meorúmque Discipulorum, sed ex defectu fidei tuæ. Et cùm ait: *Si potes credere*, non docet hominem, à se ipso solo posse credere; vt oportet enim, non potest homo credere sine Deo, ac eius gratia, sed docet, quòd, si homo non credat, tota culpa est in hominem refundenda, cùm ipse diuinæ inspirationi sua obduratione obicem ponat.

Carthusian. Beda.

43. *Omnia possibilia sunt credenti.* Fides, ex parte petentis, omnia, quæ à me exigit, impetrat, ac adipiscitur. Et rectè Christus Dominus ad eius beneficia obtinenda, expoſcit parentis fidem; non enim congruebat, vt non credentes, vel dubitantes de se sanaret, ac beneficia sua indignis, & à se auersis communicaret. Et cùm ait: *Omnia possibilia sunt credenti*, seu, vt habet Syriacus, *Omnia possum fieri credenti*, ac si reponeretur omnis potentia in fide postulantis, inquit Theophylactus, *Vt cùm summa modestia sanaret puerum. Vide autem, quomodo non sua virtuti, sed illius fidei sanitatem tribuat, dicens: Omnia possibilia sunt credenti.* Non dixit, Omnia possibilia sunt mihi operanti; sed tibi credenti: Vt potentiam expellendi dæmones, non sibi arroganter assumere, sed alteri modestè tribuere videretur.

Bona conferuntur credenti.

Syriacus.

Theophyl.

Christi modestè sua magnalia abscondit.

44. *Continuò exclamans pater pueri.* Vt enim ille intellexit, totum negotium filij sanitatis à sua fide pendere ad genua Christi prouolutus, vt ait D. Matthæus, cùm lachrymis angustiam animi sui declarans aiebat: *Credo, Domine*: non cunctatur in fide amplectenda, sed cum clamore profitetur. Et subdit, *Adiuua incredulitatem meam*, id est supple id, quod deest fidei meæ admodum imperfectæ, metuo enim, vt ob suam imperfectionem, fidei nomen non mereatur, & ideo incredulitatem dico, ac proinde à te perficiendam exoro.

Postulat, vt eius fides perficiatur.

QVÆSTIO VI.

Quare, cùm homo, se credere dicat, adhuc se incredulum fateatur?

45. VALDE mira est istius hominis sententia, ait enim: *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.* In his dictis prima fronte forsitan videbitur quædam repugnantia inuolui: incredulum enim se esse fatetur, & credere se affirmat.

Ratio difficultatis.

46. Antiochen. Respondet primò Victor Antiochenus. *Atqui si credebat, vt se credere aiebat*: Credo: *qua ratione*, Adiuua, Domine incredulitatem meam, *dicit? Non vnius rationis est fides: est enim fides inchoata, est rursus consummata: exorsus igitur credere, vt Dominus virtute sua, quod deerat, adijceret, opus habebat, aiebant Discipuli quoque ad Seruatorem: Adauge nobis fidem*, Luc. 27. num. 5. Quamuis homo crederet, vt ipse dicit credere, tamen adhuc debilis, & infirmus erat in fide: postulat ergo, vt Christus eius fidem corroboret, ac perficiat, & quidquid in ipso est incredulitatis, & hæsitantiæ auferat, vt filij sanitatem mereatur obtinere. Nam sicut incredulitas patris fuit origo infirmitatis, ita & fides illius sanitatis sit causa. D. Chryso ogus serm. 51. *Patris liberatur fide*, ait, *qui patris fuerat infidelitate damnatus: nam eius genitoris fides profuit, quomodo ei genitoris perfidia potuit non obesse?*

Luc. 17.

Aliorum merita filijs prosunt, sicut & demerita obsunt. Chrysolog.

Secundò

47. Secundò. D. Gregorius moral. lib. 10. c. 8. *Quid itaque est*, inquit, *quod & se credere asserit, & adiuuari in se incredulitatem quærit, nisi quod coarctari in suis cogitationibus terram cum mari deprehenderat, qui & exorare certus iam per fidem cœperat, & adhuc incertus undas perfidiæ ex incredulitate tolerabat.* Contraria, videtur, quod homo dicat, *Credo*, & inde, *adiuua incredulitatem meam.* Perpende, vt solues quæstionis nodum. Homo credebat Christi potentiam efficacem ad sanandum filium suum, ideo hunc ad illum attulit; sicque dicebat, *Credo.* Quia tamen de efficacia ipsius potentiæ erat dubius, vt ipse de se testificat apud Marcum num. 21. *Si quid potes, adiuua nos, miserere nostri*, ex sua ergo hæsitatione adhuc in incredulitate detinebatur, nam fides nutans, infidelitas est; & qui in fide dubitat, incredulus censetur. *Qui & exorare iam per fidem cœperat, adhuc incertus undas perfidiæ ex incredulitate tolerabat.*

Greg. — Dubitans in fide, infidelis. — Marc. 21.

48. Tertiò. Beda; *Si enim credebat homo, cur incredulitatem dicebat? Si verò incredulitatem habere se nouerat, quomodo credebat?* Et statim subdit. *Vno, eodémque tempore is, qui nec dum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat.* Ac si dicat. Tunc incredulus erat pater pueri, & petebat fidem; & tamen tunc audenter de se affirmat credere. Incredulus adhuc est, *Adiuua incredulitatem meam*, & tamen de se veluti permatura fide ait, *Credo Domine.* Vel forte quia ipsa virtus tam potens est, vt breui spatio suæ durationis non coarctetur, sed fructu, ac efficacia ad ampliora, ac maiora sui spatia sese extendat. Vnde ait Philo lib. de sacrificio Abel. *Virtutes carent tempore*, nempe quoad sui fructum.

48. Beda. — Fructu suo virtutes carent tempore. Philo.

49. Quartò. Vel, cùm audit homo à Christo: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*: accensus habendi fidem desiderio, ab illo se credere affirmat; sciebat enim, quòd efficax fidei votum fidem à Deo sollicitat, ab ipsóque desiderio deriuatur meritum obtinendi fidem; desideria autem nostra cœlestium donorum pro merito Deus reputat, vt nobis ipsa conferat dona. Vnde pater ex voto credere se affirmat ad filij salutem impetrandam, simulque exorat, *Adiuua incredulitatem meam*, vt ipsam incredulitatem deleat Christus fidem illi consummatam infundens, *Vno eodémque tempore*, vt ait citatus Beda.

49. Nostrum desiderium pro merito reputat Deus.

50. Quintò. Simul ait: *Credo*, & *Adiuua incredulitatem meam.* Homo à Christo illuminatus credidit, & accensus colloquio, ac verbis Domini, iam cum lachrymis ad multam humilitatem, ac virtutis perfectionem euehitur; & inde fidem, quam conceperat, tam imperfectam, & diminutam iudicat, vt incredulitatem dicat; ita eam tam paruam reputat, vt adhuc se in incredulitate detineri præsumat: proprium est enim viri iusti, vt in suis maximè diffidat, nihilque boni de se audeat sperare.

50. Iustus sua reputat exigua.

51. In vltima Cœna dixerat Dominus, se ab vno Discipulorum suorum esse tradendum. Quid tunc Discipuli? *Et contristari valde cœperunt singuli dicere, nunquid ego sum Domine? At ille respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Matth. 26. n. 22. De vno audiunt tantum nefas perpetrandum; & tamen omnes turbantur, & singuli de se quærunt. Quare sic singuli de se dubitant? Maximè ipsi videbant suum affectum erga suum Magistrum longissimè à proditione distantem, videbant affectum esse suum, qui licet in omnibus, vno Iuda excepto, esset valde seruidus; & constans; tamen cùm suum agnoscerent, de eo quodammodo diffidebant, ac etiam verebantur, ne minus verum esset, quod de se putabant. D. Leo serm. 7. de Passione. *Omnes sibi*, inquit, *non edito impietatis auctore formidant. Contristati enim sunt, non de conscientia reatus, sed de humanæ mutabilitatis incerto; timentes, ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat.* Leo.

51. Matth. 26. Iudas se dixit.

Matth. 17. num. 17. Et increpauit illum Iesus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.

VERSIONES.

Euthymius. Et imperauit illi Iesus.
Patablus. Et increpauit illud Iesus.
Græcus. Et comminatus est illi.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. n. 24. Et cùm videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum.

Num. 25. Et exclamans multum, discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus ita vt multi dicerent, quia mortuus est.

Num. 26. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.

Luca 9. n. 43. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri suo.

EXPOSITIO VIII.

SCRIBIT D. Marc. quòd *cùm videret Iesus concurrentem turbam*; multæ turbæ aderant in illo loco, quæ clamore patris Lunatici excitatæ, vt propius, exactiúsque omnem rem pectarent, ad Iesum magno impetu concurrerunt, Dei prouidentia ordinante, vt omnes per miraculum inducerentur ad credendum in Christum verum Messiam; & ideo puer tantisper vt mortuus iacuit; donec Christi manu eleuatur; & vt etiam omnes agnoscerent, quantum vita fides valeat impetrare, spiritui mandat exire. Hæc expositio videtur germana. Vel dic cum Theophylacto. *Nolebat enim coram turba curare, vt ostentationem fugere doceret.* Populo concurrenti Dominus præcucurrit, & antequam plures spectatores aduenirent, puerum sanauit. Noluit expectare paulisper populum conuolantem, cùm plures suæ potentiæ testes esset habiturus; vt ostentationem fugere doceat. *Comminatus est*, seuere præcepit. *Surde, & mute spiritus*, sic vocatus ab effectu cùm puerum, 52. Theophyl. — Ostentatio fugienda.

puerum, mutum, & surdum redderet. Et notandum, quòd cùm discerpit, ac dilaniat puerum, dicitur spiritus, cùm verò seminat zizaniam, inimicus homo, Matth. 13 n. 52. Cùm discerpit, eius furor in corporali vexatione versabatur; cum autè zizaniam seminat, ostentat se corrumpente mores, & trahente homines ad vitia, in quo eius hostilitas, ac inimicitia maximè declaratur. *Ego præcipio tibi*; vt distinctè cognosceretur tanti miraculi auctor. *Et amplius ne introeas in eum.* Hoc addit, nam per intervalla exire, & redire videbatur in puerum. Stabilivit ergo Dominus suum beneficium, vt non temporaneum sit, sed perpetuum; talia enim sunt Dei dona.

Matth. 13. Status hostilitas in viris excitata, quàm in corpora vexatione.

53. *Et exclamans.* Edidit nempe terribilem rugitum vocis inarticulatæ. *Et multum discerpens eum*, seu cùm discerpsisset, seu dilaniasset, convulsisset puerum, ab illo recessit. Et factus est sicut mortuus: permisit hoc Iesus, vt dæmonis malitia patefieret, qui compulsus exire, adhuc nocet, quantum potest. Vt multi dicerent, quia mortuus est. Quæ verba moralizat D. Gregor. l. 10. c. 17. *Velut mortuus, quippe ostenditur, quia à maligni spiritus potestate liberatur, quia quisque iam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis extinguit, & mundo mortuus apparet. Quem multi mortuum dicunt: quia qui spiritualiter viuere nesciunt, eum, qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.* Iam mundanus spiritus exclusus erat à corpore pueri; & tamen adhuc puer circumstantibus Iudæis mortuus iudicatur. Si multi mundiales Iudæos imitantur; plangunt eos, qui renuntiantes temporalibus, Religioni se tradiderunt. *Quia qui spiritualiter viuere nesciunt, eum, qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.*

Gregor.

Mundani erant, qui renuntiantes temporalibus, mortuos iudicant.

54. *Iesus autem tenens manum eius*, seu, vt est in Græco, apprehensa manu eius, *surrexit* puer iam sanus, & incolumis, hoc sic est ordinatum à Deo ad maximè miraculum illustrandum. Nam cum illo horribili spectaculo pueri desperati, attoniti facti sunt homines: tunc manifestior illis facta est Iesu potentia, quando omnia maligni spiritus nocumenta vno manus tactu depellit, Scribarum proteruia mirabiliter deuicta.

Matthæi 17. Tunc accesserunt Discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt? Quare nos non potuimus eiicere illum?

Num. 18. Dixit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram: Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis.

VERSIONES.

Syriac. n. 18. Tunc adierunt Discipuli priuatim.

Arabic. n. 19. Propter paruitatem fidei vestræ.

Syriacus. Si fuisset in vobis fides instar grani sinapis: diceretis monti huic: Decede hinc, & decederet, & nihil prævaleret nobis.

Vatablus. Dicetis monti huic: Demigra hinc illuc, & demigrabit.

Alter Textus.

Marc. 9. n. 27. Et cùm introisset in domum, Discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eiicere eum?

EXPOSITIO IX.

IVNC *accesserunt Discipuli ad Iesum.* Illi scilicet nouem, qui in mysterio Transfigurationis relicti sunt ad montis pedem, & dæmonium non potuerunt eiicere, *Secretò*, seu seorsim à turba, ac domi, vt addidit D. Marcus. Verebantur, vt inquit Abulens. qu. 160. ne aliquam suam culpam eis obiiceret Christus, ob quam dæmonium expellere non valuerunt, ne inde maximè pudore afficerentur coram multitudine populi, ideo seorsim quærunt. 55. Abulens.

Dixit eis Iesus: *propter incredulitatem vestram.* Arabicus vertit: *Propter paruitatem fidei vestræ.* Apostoli habebant fidem; sed ad dæmonium tam potens expellendum maior fides requirebatur. Ad miraculi operationem, vt iam supra dixi qu. 4. requiritur fides vtriusque partis, tam eius, qui illud habet edere, quàm eius, qui conceditur. Huius peccatum, scilicet parentis, cùm esset notorium, publice increpat Dominus supra. *O generatio incredula!* Discipulorum autem defectum, quo apud se fide fluctuare cœperunt circa hoc dæmonium crudeliter sæuum, ac inueteratum eiiciendum, cùm alias multa iam eiecissent, vt illorum auctoritati consuleret, seorsim arguit. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis*, id est fidem humilem, ostentationémque declinantem; & inde hominum iudicio paruam, & exiguam; in se tamen viuam, acrem, vehementem, ac perfectam, & ardentem instar grani sinapis, *Dicetis monti huic, Transi hinc illuc*; monti huic, Thabor scilicet, explicat Abulens. ex quo ego descendo. Quod germanicè est dictum. D. Hieron. D. Paschasius, D. Thom. Lyranus per montem Dæmonem interpretantur, dicetis, transi hinc, scilicet à corpore huius pueri Lunatici. D. August. per montem grauem tentationem, præsertim ambitionis, & superbiæ, quæ vincitur fide, ac spe, Deum orando, ac fiduciam, & spem in eo reponendo. 56. Arabicus. *Peccata publicata publicè increpanda.* Abulens. Hieron. Paschas. D. Thom. Lyran. August.

QVÆSTIO VII.

Quare fides ad montes transferendos cum grano sinapis comparatur?

DE magna, ac excellenti fide agit hic Dominus, vt notauit D. Hieronymus. *Magna est fides, quæ grano sinapis comparatur.* Et idem docent Origenes, D. Paschasius, Beda, Theophylactus, S. Thom. 57. Hieron. Origen. Paschas. Beda. Theophyl.

S.Thom. S.Thomas,& alij. Quod rectè probat D.Hieron. ex eo quòd regnum cælorum grano sinapis cõparatur; & Apostolus dicat 1.Cor.13. 2.Cor.13. 1.Cor.13.n.12. *Si habuero omnem fidem* seu, vt legit D Hieron. *Si habuero totam fidem, ita vt montes transferam.* Ad montes ergo transmigrandos requiritur omnis, seu tota fides; ac proinde magna, & excelsa fides. Vnde non mihi placet interpretatio, quam in præsenti Maldon. Maldon. etsi ingeniosè, voluit afferre. Quòd Dominus, cùm ait Apostolis, si habueritis fidem sicut granum sinapi, id est, si habueritis minimam fidem, quam vobis habere par est, mecum tandiu Barrad. Barrad. versatis; nam, vt notauit Barrad. non dixit Dominus minimam fidem, sed fidem sicut granum sinapi. Hæc autem, iuxta sanctos PP. magna est.

58. *Germana interpretatio.* Duplex est expositio. Prima, & valde celebris Patrum. *Si habueritis fidem sicut granum sinapi*, id est fidem humilem, vt dixi in expositione, minimèque se ostentantem; ac proinde hominũ oculis paruam, sed virtute viuam, acrem, vehementẽ, feruidam instar grani sinapis, quòd aspectui exiguum, & vile est; attritum autem, & contusum monstrant quantæ sit acrimoniæ, quantique feruoris, non enim à sola quantitate grani sinapis deducitur ista similitudo, sed etiam simul ab eius interiori virtute. Sic intetpretatur D. Chrysost. Chrysost. homil.86.in Matth. *Sinapu memorat Christus, cuius maxima est virtus: Nam cùm minima sit, magnitudine virtutis vehementior est cæterò omnibus.* Euth. sic Euthym. S.Thom. exponit. *Si habueritis fidem adeo acrem, & vehementem, ac feruentem sicut granum sinapi.* D.Thom. ait, *Granum sinapi, antequam conteratur, nullum feruorem habere videtur; cùm conteritur feruere incipit: sic homo fidelis, antequam probetur, despectibilis videtur quando vero atteritur, tunc apparet, eius sanctitas.*

59. S.Thom. D.Thomas citatus asserit, quòd fides comparatur grano sinapi etiam fructu, & effectu: nam cum huiusmodi granni sit quid minimũ, ita fœcundat, vt crescat, & fiat arbor magna, itavt volucres cæli habitent in ea, qua de causa fides, & Matth.13. Euangelium grano sinapis comparantur. Matth. 23.n.32. sic fides, quamuis videatur parua, paucisque contenta articulis; tamen per sanctam operationem ita crescit, vt omnes fructus iustitiæ in ea habitent. Vnde dicitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones*, ad Hebræos 11.n.33.

60. Matth.17. Fides ad huiusmodi miracula impetrãda, ea est quæ constantissimè Dei Omnipotentiã credit, & de Dei bonitate tantam concipit fiduciam impetrandi id, quòd petit, vt nihil vacillet, & hæsitet: sed summa firmitate persistat. Hæc autem fides ad huiusmodi opera edenda, dicitur fides miraculorum, quam aliqui, vt Abulens. q.165. existimant Abulens. distinctam esse a fide Theologica. Melius tamen dicendum est cum D.Hilario, Caietan. hic, Soto, & aliis, quos citat, & sequitur Suar. de fide disp. 8.sect.1.n.2.& 6. Fidem, quam Scriptura requirit ad miracula operanda, quoad substantiã, & essentiam, esse actum fidei Theologiæ, ita elicitum, & applicatum ad hoc particulare factum, vt possit producere illam fiduciam, & alios actus ad miraculum impetrandũ; de hac enim fide in præsenti Christus loquitur, & increpat Discipulorũ incredulitatem, id est fidei imperfectionem; non autem illos reprehendit, quòd fidem miraculorum, quæ donum est gratis datum, non haberent, sed quòd frigidi essent in fauore sanctæ fidei catholicæ.

61. Dices. Cùm data sit Apostolis tanta virtus. cur nunquam illa vsi sunt, vt montes transferrent? Respondetur cum D.Chrysost. hom.58. Euthym. D.Paschas. S.Thom. Primò. Quòd si hoc non inuenitur ab Apostolis perpetratum, ab Apostolicis viris tamen est factum. Nam D.Greg. Thaumaturgus montem, templi fabricam impedientem, transtulit, vt refert Euseb. lib.7. Histor. cap.25. Et Christiani etiam in Tartarea, cùm Lyran. id exigeret, oratione etiam quendam montem transmigrarunt, vt testatur Paulus Venat. in Tartarea, Vel Secundò. Apostoli fortè fecerunt; sed non est scriptũ. Vel Tertiò. Non fecerunt Apostoli, quod non fuit propter impossibilitatem; sed quia ad hoc nulla fuit necessitas, & ideo non fecerunt. Potestas in agente, magna excellentia est; & illius insignis decor omni potestate non vti, nisi quando occasio, & opportunitas exigit.

Chrysost. Euthym. Paschas. D.Thomas. *Quare Apostoli id fecerint.* Eusebius. Paul.Venat. *Magna potestatis excellentia, omni potestate non vti.*

*Matth.*17. *num.*20. Hoc autem genus non eiicitur, nisi per orationem, & ieiunium.

VERSIONES.

Syriacus. Hoc verò genus (dæmoniorum) non egreditur, nisi ieiunio, & oratione.

Alter Textus.

*Marc.*9.*n.*28 Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & ieiunio.

EXPOSITIO X.

SECVNDAM adhibet Dominus rationẽ, cur Apostoli non potuerint eicere dæmonium. Prima enim fuit incredulitas, seu parua fides: nunc verò secunda apponitur. *Hoc genus*, scilicet dæmoniorum. D.Chrysost. Euthym. S.Thomas omne genus dæmonum significari intelligunt. Abulensis q.172. in quod etiam inclinat D. Paschas. Lunaticorum dæmonum genus esse astruit. Lyran. dæmones, qui ad libidinem prouocãt. Stapletonus aduersus Hæreticos affirmat, esse dæmones, qui diu quempiam possederunt. Caietan. dæmones denotari vult, qui homines reddunt surdos, & mutos. Addit Abulensis citato loco, apud Iudæos pessimum fuisse habitum dæmonium surdum, & mutum, quale hoc erat; idque ex eo probat, quia Iudæi admirati sunt, eo quòd Christus eiecisset dæmonem surdum, & mutum. Dixerúntque. *Nunquam apparuit sic in Israël.* Matth.9.n.33.& c.12.n.22.& 23. Et ratio est. Quia surdus, & mutus destituitur omni adiutorio, nam cùm sit surdus, non intelligit, quæ dicis; & cùm sit mutus, respondere non potest. In hac re in hi probabilius, Christum locutum fuisse de aliquo dæmonum genere potentiore, & cæteris nocentiore, vt sentit D.Leo serm.2. de Ieiunio Septimi mensis, quale erat hoc dæmonium, quod reddebat hominem Lunaticum surdum, & mutum, cúmque præcipitabat in ignem, & aquam.

62. Chrysost. Euthym. S.Thom. Abulens. Paschas. Lyran. Staplet. Caietan. Abulens. Matth.9. & 12. Leo.

Nisi per orationem, & ieiunium. Oratio, & ieiunium non requiritur in vtroque in eo scilicet, qui miraculum operatur, ac in eo, qui illius donum suscipit, vt volunt D.Chrysost. & Theophyl. sed in eo duntaxat, qui illud patratur, vt docet Origenes, qui etiam aduertit optimè, quòd ad miraculi fructum obtinendum, oratio, & ieiunium percipientis multum conducat. Ad hanc autem

63. Chrysost. Theophyl. Origen.

dæmonum expulsionem plurimum proficiunt oratio, & ieiunium; vt recte explicat Chrys. Oratio enim postulat, & ieiunium hanc fugationem promeretur, & ex se dæmonem cruciando fugat, & diuinum adiutorium maximè sollicitat. Vnde ait Tertull. aduersus Physicos c.7. explicat hunc locum Matthæi: *Docuit* Christus, *aduersus daemonia ieiunio praeliandum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus educatur, qua sanctus inducitur.* Ab ipso enim ieiunio maximè armatur oratio. Imperfectus homil. 15. *Sicut nec miles sine armis est aliquid, nec arma sine milite: sic nec oratio sine ieiunio.*

Tertull. *Ieiunium efficax ad daemones expellendos.* Imperfect. *Oratio cum ieiunio armata.*

Didrachma solvitur.

Matth. 17. *n.* 23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerũt ei: Magister vester non soluit didrachma.

VERSIONES.

Syriacus. Qui accipiebant binas zuzim (binas drachmas) argenti capitatim, & dixerunt ei: Magister vester non tradit duas drachmas suas.

Arias. Didrachma sumentes.

Arabicus. Qui accipiebant vectigales ad Petrum dicentes: Quare Magister vester non soluit debitum.

EXPOSITIO II.

64. CVM *venissent Capharnaum*, scilicet Discipuli cum Iesu. Parabat Dominus discessum à Galilæa in Iudæam; noluit præterire ciuitatẽ suam Capharnaum. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant.* Didrachma, quam Syrus vocat zizim, erat dimidium sicli, id est duo regales Hispanici; siue duo Iulij Italici. Siclus enim ponderabat duas didrachmas, id est quatuor regales Hispanicos, seu quatuor Iulios. *Ad Petrum.* Optimè obseruant D. Chrysost. Hieron. Paschas. Beda, Theophyl. Euthym. S. Thomas, quòd reuerentiæ causa propter miraculorum magnitudinem hi tributorum exactores non sunt ausi ad Christum accedere: tamen tanta reuerentia omissa ob lucrum didrachma non dissimulabant. Et *ad Petrum* potius, quàm ad alium Discipulorum conueniunt, vel quia fortè solum ipsum foris repererunt; vel quia agnoscebant, ipsum esse caput, & primarium inter cæteros.

Syrus. Chrysost. Hieron. Paschas. Beda. Theophyl. Euthym. D. Thomas. *Ob nullam reuerẽtiam lucrum dimittitur.*

65. *Magister vester.* Per interrogationem quærunt quia, vt obseruant Lucas Burgensis, Cornel. à Lapide, isti exactores, vel forte erant noui, vel nouos ministros habebant, qui non sciebant, vel non recordabantur; an Christus elapso anno, quo Capharnaum habitauerat, cæterorum more, didrachma soluisset, ideóque pro inuestiganda veritate interrogationem ponunt. Et bene notauit D. Chrysostomus homil. 59. *Petro nulla fere acrimonia, nec vt criminantes, sed vt interrogantes dixerunt Magister vester non soluit didrachma?* Pacatis, ac modestis verbis vsi fuerunt exactores. *Magister vester*, &c. Quod notatur ab Euangelista, vt exactores Christiani ex impiis discant Iudæis, non acriter cum solutoribus agere, sed modestè censa repetere.

Burgens. Cornel. Chrysost. *Cum modestia exigendum tributum.*

QVÆSTIO VIII.

Quodnam tributum Iudæorum exactores à Christo peterent?

PARCISSIMI sunt auctores in hac materia. Breuiter resoluenda. Prima sententia est Chrysost. Theophyl. Euthym. qui existimant, hoc tributum fuisse illud, quod Iudæi propter Ægyptiorum primogenita interfecta iussi sunt Domino dare Num. 3. n. 46. & 47. Merito sententia ab omnibus Recentioribus reiicitur. Nam hoc tributum pro interfectione Ægyptiorum siclis persoluebatur, & semel tantum, & à solis primogenitis. Secundò D. Hilarius, Baronius anno Christi 33. autumant, hoc didrachma fuisse sacrum, quod pendẽdum erat templo, iuxta Legem à Deo datam Exod. 30. n. 13. Ibi enim mandauit, vt singuli à viginti annis, & supra soluerent didrachma templo Iudæi deinde, vt huic legi ex sua deuotione plene satisfacerent, sanxerunt, vt singuli, singulis annis soluerent didrachma templo ad sustentandos tot sacerdotes, ministrósque ad fabricam, ornatum, ac vsum illius, vt omnia valde decenter; & opportunè prouiderentur.

66. Chrysost. Theophyl. Euthym. Num. 3. Hilar. Baron. Exod. 30.

Tamen hoc tributum non fuisse sacrum pro tẽplo soluendum, sed prophanum, Romanis, vel Herodi Antipæ, à Romanis Galilææ regi constituto, multò verior est sentẽtia. quæ est D. Hieron. D. Paschas. Bedæ in c. 17. Matth. & Recentiorum, Maldon. Barrad. Suar. contra Regem Angliæ lib. 4. c. 5. n. 1. Et probatur ex verbis Christi n. seq. ad Petrum: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum.* Ergo hoc tributum erat regium, & pro regibus exigebatur. Et idem confirmatur ex his, quæ Herodiani, seu ministri Herodis tentantes exquirunt à Christo: An liceat censum dare Cæsari?

67. *Tributum non sacrum* Hieron. Paschas. Beda. Maldon. Barrad. Syracus.

Aliqui, vt Lyran. Abulens. tenẽt, hoc tributum tantum persolui à patribus familias, seu à capitibus familiarum. Tamen melius tenendum est cum Iansen. Claudio, ac communiter Recentioribus, à singulis Iudæis persolui esse solitum. Et probatur, ex translatione Syriaca. *Accesserunt ij, qui accipiebant binas drachmas argenti capitatim.* Et Dominus statim pro se, & Petro iussit solui staterem, in ore piscis repertum, idest duo didrachma; vnum pro se, alterum pro Petro. Ergo pro vnoquoque vnum soluebatur didrachma.

68. Lyran. Abulens. Iansen. Claudius. Syriacus.

Causa, & origo huius tributi extitit, vt referunt Ioseph. l. 14. Antiq. c. 8. Hegesipp. lib. 1. c. 7. quòd, Pompeius, victis Iudæis, eos Romanis subiecit, eisque tributum imposuit; & quia Iudæi templo pendebant quotannis didrachma, iussi sunt à Romanis, pariter illis pendere didrachma. Et cùm rebellaret Ierosolyma, eámque Vespasianus cepisset, templum euertit: & tunc didrachma solitum templo pendi, imperauit ipse Romano Capitulo solui. Ioseph. lib. belli 7. c. 26. in fine de Vespasiano sic ait: *Stipendium Iudæis, vbicumque degerent, indixit, binasque drachmas singulis annis deferre in Capitolium iussit, ita vt ante hac Ierosolymorum templo pendebant.*

69. Ioseph. Hegesippus. Iosepha

Matth.

*Matth.*17. *num.*25. Ait: Etiam. Et cùm intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum; à filiis ſuis, an ab alienis?

Num 26. Et ille dixit: ab alienis. Dicit illi Ieſus: Ergo liberi ſunt filij.

VERSIONES.

D. Chryſoſtom. Vtique ait.
*homil.*59.

Vatablus. Et cùm ingreſſus fuiſſet in ædes.

Syriacus. Præoccupauit eum Ieſchua & ait illi: Quid tibi videtur Schemeoũ; Reges terræ à quo accipiunt tributum, aut pecuniam capitatim; à filiis ſuis, an ab extraneis?

EXPOSITIO XII.

70. Ab Magn. Matth. 5. Lyran. Intetlin. Abulenſ. Caietan. D Thom. Titelm. Ianſen. Chryſoſt.

ETIAM Albertus Magnus ait. Simplicem confiteatur veritatem Petrus, ſicut à Magiſtro didicerat: *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non* Matth. 5. n. 37. Lyranus, Intetlinealis, Abulenſis, Caietanus neganter interpretantur *Etiam*, id eſt ac ſi dicat Petrus: Verũ eſt, quod dicitis, Magiſter non ſolnit tributum. Aptius tamen. D. Thomas, Titel. Ianſ. affirmanter exponunt. *Etiam*, hoc eſt ſoluit, ſiue conſueuit ſoluere. Sic inquit Chryſoſt. Petrus dixit illis, ſoluturum. *Præuenit eum*, præoccupauit prior Chriſtus, antequam Petrus loqueretur, oſtendens ſe Dei filium, quem nil lateret. Vel fortè quia Petrus erubeſcebat, negotium de tributo exponere, cùm ipſum agnoſceret Dei filium; tamen Chriſtus præuenit *Tributum* nomen eſt generale eorum, quæ ſoluuntur pro defenſione ac adminiſtratione regnorum. Vel *cenſum*, Latina vox eſt, qua etiam Græcus vtitur, quam, veriſimile eſt, tunc etiam apud Iudæos in vſu fuiſſe, cùm Romanis, ſeu Latinis tributa ſoluerẽt, *à filiis ſuis*, ſuorum regnorum conſortibus, *an ab alienis?* à filiis ſuis, qui non ſunt filij eorum. Chryſoſtom. *Ideo*, ait, *diſtinguendo, alienos oppoſuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab aliis regibus nati non ſunt; ſuos vero, quos ex ſe genuerunt.*

Græcus. Chryſoſt.

71. Syrus. *Mirabile Chriſtum de ſe loquitur.* Hilar. Euthym. Chryſoſt.

At ille dixit: an ab alienis, id eſt ab extraneis, vt habet Syriacus. Tunc per conſequentiam infert Ieſus. *Ergo liberi ſunt filij.* Valdè modeſtè ſemper Ieſus de ſe ipſo loquitur: Non dicit, Ergo liber ſum ego; ſed tantùm poſuit propoſitionem generalem, ſub qua ſe intelligi voluit, ac per exemplum à filiis terreni regis, vt notarũt D. Hilar. Euthym. demonſtrauit, ſe ad tributũ, aut cenſum nõ teneri: & eſt argumentum à minori ad mains; vt aduerti: D. Chryſ. Ac ſi diceret, filij temporalium regum cum ſua familia immunes ſunt à tributo, per regẽ impoſito: Ergo multo magis ego, qui ſum ſupremi Regis, id eſt ipſius Dei naturalis filius vnigenitus, cum meis Apoſtolis, ac mea familia immunis ſum ab omni tributo, quod terreni reges ſuis ſubditis imponunt. Ita communiter ſancti Patres. D. Hieron. D. Paſchaſ. qui ex hoc deducunt in confuſionem noſtram, dicentes: *O quàm infelices nos ſumus, qui Chriſtiano cenſemur nomine, cum ille pro nobis crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit; non vero pro illius amore vota nec tributa reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus.*

Hieron. Paſchaſ.

*Matth.*17. *num.*26. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcẽ, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem: illum ſume, da eis pro me, & te.

VERSIONES.

Vatablus. Verum, ne ſimus illis offendiculo, profectus ad mare, mitte hamum & eum piſcẽ, qui prodierit primus.

Arias. Et aperiens os eius, inuenies.

Syriacus. Ipſum accipe, & offer pro me, & te.

EXPOSITIO XIII.

72. Chryſoſt.

RECTE D. Chryſoſtomus homil. 59. ait *Vide, quemadmodum nec omnino recuſat, nec ſimpliciter iubet dare tributum: ſed primo monſtrauit, non eſſe hic vectigalium legibus ſubiectum; tunc demum dare iuſſit: alterum, ne diſcipuli; alterum, ne exactores ſcandalum paterentur* Ait Dominus: *Vt autem non ſcandalizemus eos*, hoc eſt, vt alij legunt, ne ſcandalo, ſeu offendiculo ipſis ſimus; ne ipſi exactores nos reputent tanquã regalia, ac imperialia mandata aſpernentes. *Vade ad mare*, nempe Galilææ, *& eum piſcem, qui primus aſcenderit*, ad hamum ineſcatus, *tolle*, à mari extrahe. An iſte piſcis, poſtquam obtulit monetam, permiſſus ſit viuus redire in mare, commodius dicam q. 11. n. 88. *Et inuenies in ore eius ſtaterem. Stater*, Græce, ideſt, quod Hebraice *ſiclus*, ſcilicet *pondus*. Olim enim pecunia non conſignata ſtato ponderi appendebatur, & ſolnebatur. *Stater*, ſeu ſiclus habebat duas didrachmas, hoc eſt quatuor regales Hiſpanicos. Liberalius ſoluit Ieſus, quam fuerat rogatus; ab eo exquirebant vnam didrachmam ipſe duas ſoluit.

Ieſus plura dat quam petimus.

Da eis pro me, & te. Pro me, quia quamuis ſim liber, vtpote filius Regis regum, formam ſerui accepi. Pro quo præclarè ait D. Gregor. Nazian. Orat. 6. *Ipſe didrachma dat pro tributo, quoniam pro nobis homo factus eſt, & ſerui formam aſſumpſit, & propter iniquitates noſtras mortem quoque ſuſtinuit.* Qui enim pro nobis ſe hoſtiam obtulit, quomodo minimis parceret, vt vnam monetam non perſolueret? *Et pro te*, qui etiam es libet, vtpote de mea familia, meorum Apoſtolorum caput deſignatum.

73. *Accommodandum. ſtatui.* Nazian. *Qui maiora exhibet, minoribus non parcat.*

Ex hoc loco rectè colligitur ab omni tributo, ac exactione regali quædam exemptio, ac immunitas Petri, & ſucceſſorum eius, qui verè, & legitimè ſunt Romani Põtifices. Cum enim Chriſtus D. hic docuerit, ſe eſſe filium Dei naturalẽ; & ideo non eſſe obnoxium ſolutionis tributi; ſed tãtum propter vitandum ſcandalum præcepiſſe, vt ſolueretur; & in hac prærogatiua, & modo tributum ſoluendi Petrum ſibi ſpecialiter coniunxerit; *Da eis pro me, & te*, ſine dubio ſignificare voluit,

74. *Immunitas Eccleſiæ.*

se communicare Petro, tanquam de eius familia, ac sui Vicario iam designato, quandam participationem sui priuilegij ratione cuius ipse etiam non esset debitor tributi, nisi fortè propter aliquod scandalum vitandum, *Ne scandalizemus eos.* Cùm autem hoc priuilegium daretur Petro, tanquam Christi futuro Vicario, hoc priuilegium non fuit solum personale in Petro, sed etiam reale ratione dignitatis, atque ex vi diuini iuris ordinationisque Christi ad Petri successores transiens, vt satis significant D. Hieron. D. Chrysostomus, Theophyl. Euthymius, & alij; quatenus docent, hanc prærogatiuam fuisse concessam Petro, quia erat caput Apostolorum; & quatenus æquiparant hunc locum illis aliis: *Tibi dabo claues regni cælorum*: & etiam, *Ego rogaui pro te*; in quibus Christus loquens ad Petrum, cum illo, & successoribus eius loquitur. De hac re latè Abulēs. hoc c. 17. Matth. Caiet. 2. 2. p. 104. art. 6. Bellarm. lib. de cler. c. 28. & specialiter Surius contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 5. n. 9. 10. & 11. De hac re latè egi in tractatu, quem edidi de Immunitate Ecclesiæ, cùm essem procurator Apostolicus Ecclesiæ huius libertatis huius regni Portugalliæ, in Curia Catholicæ Maiestatis, anno Domini 1636. De quo Deo dante alibi latius disseram.

Hieron. in Chrysost. Theophyl. Euthym.

Abulens. Caietan. Bellarm. Suar.

QVÆSTIO IX.

Quare ad didrachma soluendum misit Dominus Petrum ad mare?

RESPONDET primò Chrysost. & ad literam homil. 59. *Vt rerum omnium Dominum se ostenderet, vtque mari ipsius ditionem habere videretur, nō a reconditis, sed mirabili quodā modo inuentā pecuniā deferri iubet.* Voluit Christus Dominus hoc facto totam suam doctrinam comprobare, vt ait Abulēsis q. 194. Dixerat enim ipse: *Liberi sunt filij*: ac proinde quòd, cū ipse esset filius Dei, liber erat tributo; & quod illud soluebat: *Ne scandalizemus eos.* Disponit ergo censum dare, non ex his, quæ habebat sub ditione sua in communi sportula Discipulorum, quà homo; sed miraculosè vt filius Dei educit pecuniā ex ore piscis à mari, vt ex hoc fieret euidens, quòd pecuniam exhibebat, cùm esset Dei filius, qui Cæsaris legibus nō erat subiectus, sed illis omnibus superior, ac proinde tributū indebitum soluebat, vt scandalum euitaretur, non enim vt filius Dei ab exactoribus cognoscebatur.

75. Chrysost.

Abulens.

Demonstrat Christus in suis dictis veritatem.

Secundò. Origen. homil. 3. in Matt. *Nam*, inquit, *quia neque ipse habebat eam imaginem, qua pensebatur, Neque discipulus suus? docet, vbi valeat reperiri imago, quae quaeritur. Vade, inquit, ad mare, &c. neque ego habeo hanc imaginem, neque tu: si tamen vere discipulus meus es si porta inferi non praualent aduersus te.* Mittitur Petrus ad mare, vt de ore piscis denarium requirat. Ita enim a Christo, & a Christi Discipulis pecuniæ absunt, vt neque in sagulo, neque in crumena, sed in mari habeantur, hoc est distantissimè a corde suo, ab affectúque suo. Et qui talis est Christi discipulus, vt eas longissimè a se habeat repositas, portæ inferi aduersus eum non prævalent.

76. Origen.

Pecunia amor longè à Christi Discipulis.

Tertiò. D. Thomas. 1. 2. q. 188 art. 7. in corpore sic ait: *Neque obstat, quod D. Hieron. dicit super Matt. Si quis obiicere voluerit, quoniam Iudas pecunias in loculis portabat. Respondemus, quod res pauperum in vsus suos conuertere, nefas putauit, scilicet soluendo tributum.* Si dicatur, quòd Iudas portabat marsupium, & pecuniam pro pauperibus alendis, ac cùm necessitas exegisset pro Discipulorum alimentis; tamen misit ad mare, vt tributum, quod ab ipso exquirebatur, solueret: tanquam optimus princeps noluit suorum censum in aliquo minuere, nec aliquid minimum à suis auferre, vt in proprios vsus conuerteret, ac consumeret, Nam, vt ait Cassiodorus lib. 10. Variar. 13. *Vltra omnes crudelitates est diutem velle fieri de exiguitate mendici: pauperiem potius ad se trahit, si exigentium pecuniam non repellit.*

77. D. Thomas.

Bonus princeps suorum res in proprios vsus nō conuertit.

Cassiodor.

Quartò. D. Ambros. in cap. 4. Luc. ad illa verba: *Laxate retia vestra*: sic ait: *Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autem, qui sæculi sequeris lucrum, cur sæculi obsequium non recognoscas? Cur te supra sæculum quadam animi arrogantia feras, cùm sæculo sis misera cupiditate subiectus* Ordinat Christus, vt tam ipse, quàm Petrus, Ecclesiæ suæ caput, censum soluant, cùm aliàs essent immunes, vt patet ex dictis in expositione; & etiam nihil habent. Vt forte nobis præberet documenta, vt vrgente graui reipublicæ periculo, alienum ab Ecclesiæ maiestate non esse, suis aliquo subsidio adiuuare, annuentes ipso Ecclesiæ capite, Romano scilicet Pontifice cap. *aduersus*, de Immunitate Ecclesiæ.

78. Ambros.

Non alienum est ab Ecclesia reipublicæ necessitate subuenire.

Grauem ruinam minabatur Rex Assyriorum vniuerso Israeli, ad quem placandum, ex eius expostulatione, *Dedit Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris Regis. In tempore illo confregit Ezechias valuas templi Domini, & laminas aureas quas ipse affixerat, & dedit eas Regi Assyriorum.* 4. Reg. 18. n. 15. Quomodo piissimus Rex, cuius probitas maximè laudatur in Scriptura, argentum domus Domini, & laminas aureas, quas ex diuini cultus religione templo dederat, nunc ab illo aufert, & sacrilego, ac Idololatræ regi mandat? Ex religione aufert, & dat Assyriorum Regi, ne ipse cum hostili manu aduenies, non solùm vrbem, sed etiam templum destrueret, ac prophanaret. Pro tuenda religione domus Dominus, illius dona dat Ezechias. Abulensis q. 26. *Quia*, ait, *non habebat nunc, vnde alias solueret impositionem, quam fecerat Rex Assyriorum, oportuit, quod acciperet aurum, & argentum, quod erat in domo Domini; & inter cætera accepit laminas aureas, quas dederat.*

79.

4. Reg. 18. *Ob defensionem templi Ezechias das laminas Regi Assyriorum.*

Abulens.

QVÆSTIO X.

Quare Petrum iubetur, hamum, & non retia mittere?

OMNIVNITER Apostolis ex Christi mandato mittebant retia in mare Luc. 5. num. 4. *Laxate retia vestra in capturam.* Et Ioan. 21. n. 6. ait illis Christus: *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Vnde optimè inquit D. Ambrosius ad citatum locum cap. 5. Luc. *Bene Apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quæ non capios perimunt sed reseruant.* At verò Petro dicitur. *Mitte hamum.* Quod notans Ambrosius citatus ait: *Ono gentere solu Petrum piscari Dominus iubet.* Apostolis committuntur retia, quæ pisces absque aliqua

83. Luc. 5. Ioan. 21. Ambros.

crumena

eruentatione extrahunt, *quæ non captos perimunt, ſed reſernant.* At Petro Apoſtolorum principi, & futurorum in Eccleſia Prælatorum primo poſt Chriſtum Dominum exemplari datur hamus, qui pungit, eruentat, ac vulnerat: quia ad Prælatum ſpectat, ſubditos, non ſolùm ſuauitate demulcere; ſed etiam aliquando aculeo, ac ferro coercere. Hinc ex omnibus Apoſtolis ſolus Petrus in Horto, diſtricto gladio, percutit ſeruum Pontificis Ioan. 18. n. 10. ad Prælatum etiam Eccleſiaſticum ſpectabat, aliorum inſolentiam reprimere.

Prælatum ſubditis ſuauitate, ac ferro coercendi.

Ioan. 18.

81. Hieron.

Secundò. D. Hieronym. in Catena D. Thomæ: *Iſte piſcis, qui primus captus eſt, eſt primus Adam,* In quo piſcis iſte, qui primus hamo extractus eſt à D. Petro, adumbrat primum Adamum? Quæ cõbinatio inter vnum, & alterum? Hamus mittitur in mare, vermiculo, vel quadam minutiſſima cibi parte tectus, ac ineſcatus, cuius aſpectu piſces ingenti voluptate, ac cupiditate inflãmatus, cæteris citius præcurrit ad deuorandum, ipſa cupiditate cæcus non aduertens, quanti ille cibus ſoluendus eſt; nã ſub illo vermiculo latet ferrum, quo piſcis transfigitur, totúſque ſanguine eruentatur, nummis ſuis ſpoliatur, vitam perdit, & mortẽ abſorber. Non diſſimili caſu, ac auiditate infelici Adamus obiecto pomo ad deglutiendum properat, quod magnis doloribus luit; ſub fucatis illis illiciis inueniens ferrum peccati, quo lethaliter vulneratus vitam ſimul cum nummis, ſeu totius Orbis principatu miſerrimè perdidit.

Primissima voluptate tecta, ac auri deperditi.

82. Hugo.

Tertiò. Cardinalis Hugo. *Hamus*, ait, *Chriſtus, ferrum Deitas, eſca cãro.* Petrus mittit hamum in mare, vt piſcem extrahat, & ſubleuet in aerem. Præfigurabatur ibi, quòd ipſe Petrus, vt ſacerdos, ac Pontifex, adhibiturus erat hamum ad extrahendos homines à terra, ac ſubleuandos in cælum. Sed quanam virtute hic hamus in manu Petri tantam obtinebit vim? *Eſca caro Chriſti*, de qua dicitur, *Eſcam dedit timentibus ſe.* Hæc enim pro noſtra ſubleuatione tantam habet efficaciam, vt cùm è manu ſacerdotis in os intrat, vehementer nos capiat, ac à terra exaltet, & in cælum reponat, ac euolare faciat.

Sacra Eucharistia nos eleuat à terra.

83. Pſalm. 64. Vatablus. Hieron. Vincent. Fer. *Eucharistia erigit nos in cælum.*

Canit Regius Vates: *Pingueſcent ſpecioſa deſerti.* Pſalm. 64. n. 13. Legit Vatablus. *Speciosa paſcua deſerti.* Et D. Hieronymus pro *ſpecioſa* ponit *paſcua*, Quænam hæc paſcua ſpecioſa? D. Vincentius Ferreira ſerm. fer. 5. poſt Inuocationem ait: *Paſcua eſt ſacramentum altaris.* Hæc humiles, ſimplices commorantes in terra inſtar ouium paſcit, & nutrit. Sed quid inde ex hac paſcua? Subiungit Pſalmiſta: *Exultatione colles accingentur*, ſeu, vt Legit D. Hilarius, *erigentur.* Hæc paſcua dignè recepta, quos humi preſſos inuenit, erigit, ac ſubleuat in cælum.

Hilar.

QVÆSTIO II.

Quare ordinatur, vt moneta in ore piſcis inueniatur?

84. Chryſoſt. Theophyl. Euthym.

Hieron. *An moneta ſortis creata.*

HOc facto, vt rectè notarunt D. Chryſoſtom. Theophyl. Euthym. ſe oſtẽdit Chriſtus Dominus dominum maris, mandans mari, vt piſcem cum tributo deferat; oſtenditque ſuam etiam infinitam præſcientiam, vt ait D. Hieron. quod ſcilicet noterit, piſcem habere in ore ſtaterem, quodque primus ipſe capiendus eſſet. An verò hæc pecunia fuerit creata in ore piſcis, dubitatur. Gloſſa Interlinealis. *Mira potentia, quia, hoc dicendo, creauit ſtaterem.* Quod etiam tradit D. Hieronymus. Vel, vt aliis placet, miniſterio Angelorum in ore piſcis repoſita eſt. Vel etiam potuit à piſce inueniri; & ne deglutiret, à Domino eſt impeditus. Ad quæſtionem.

Gloſſ. Int. Hieron.

Reſpondet primò Clemens Alex. 2. Pædag. c. 1. *Monet auferre luxuriam, & auaritiam, tanquam piſcis nummum, vt ſuperet vanam gloriam.* Duplex ponderatio: piſcis in mari hominem in fonte baptiſmali denotat. Et cur ab ipſo mandat Dominus extrahere pecuniam? Vt ſobriè, & caſtè viuat. *Monet auferre luxuriam, & auaritiam, tanquam piſcis nummum.* Aurum luxuriæ, & auaritiæ mater: qui enim rerum copia viuit, ſæpè luxuria fœdatur, & licentiosè ad cupiditates laxat habenas. Vel *Tanquam piſcis nummum, vt ſaperet vanam gloriam.* Ingentes diuitiæ, inanis gloriæ fomentum, ex eorum luxu frequenter homo ſupra ſe rapitur, & aliud ſe cogitat, quàm par eſt. Vt ergo iam, aqua luſtrali mundatus homo luxuria, aut inani gloria non maculetur, ab ipſo mandat Dominus nummos auferre.

85. Clem. Alex.

Pecunia mater luxuriæ, auaritiæ, ac inanis gloriæ.

Secundò. D. Ambroſius lib. 4. in Luc. cap. 5. Poſtquam didrachma pretium noſtræ ſalutis appellauit, ſic ſubdit: *Non otioſe in ore piſcis inuentum: ex ore enim tuo iuſtificaberis. Etenim pretium immortalitatis eſt nobis noſtra confeſſio. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem.* Rom. 10. n. 10. Piſcis hic, vt modo dixi ſupra, denotat Chriſtianum eductum è luſtrali aqua: nummum ergo, quem Petrus ab eo poſtulat, non portat in viſceribus, vbi reconduntur, quæ à piſce deuorantur, ſed in ore, vbi nullam moram trahunt, quæ à piſcibus arripiuntur. Cur ergo potius in ore, quàm in viſceribus didrachma ſoluendum inuenitur? Quia pretium noſtræ immortalitatis, quod ex diſpoſitione diuina ſacerdos requirit à luſtrali fonte Baptiſmatis, ſunt peccata, quaſi non occultata in cordis inuentiantur latebris, ſed confitendo illa ore manifeſtent, atque enomant. *Etenim pretium immortalitatis eſt nobis noſtra confeſſio.* Ergo pro immortalitate comparanda ſolue illius pretium, nempè tuorum peccatorum confeſſionem.

86. Ambroſ.

Rom. 10. *Confeſſio pretium noſtra immortalitatis.*

Tertiò. Idem D. Ambr. lib. 1. Epiſt. 1. *Hic ſtater in ore piſcis inuenitur, illius piſcis quem capiunt piſcatores hominum; illius piſcis, qui ponderat ſermones ſuos vt igne examinatos proferat.* Piſcis qui portat aurũ in ore, denotat illũ, qui bonos ſermones eructat. Nullus ditior theſaurus, quam bona lingua, quæ nouit verba ſua ſanctitatis trutina ponderare.

87. Ambroſ.

Bona lingua aurum.

Quartò. D. Hilar. apud Catenam D. Thomæ. *Piſcis iſte*, inquit, *beatus ille primus martyr Stephanus, primus aſcendit, & ſtaterem in ore conſtituit.* Grande mihi dubium: quodnam fundamentum habuit S. Pater, vt nobis hanc proponeret cõcluſionem, quod piſcis iſte ille primus martyr Stephanus? Nam Stephanus ſuſtinuit martyriũ, quo dedit ſanguinem, ac perdidit vitam: at piſcis iſte, vbi obtulit ſtaterem, permiſſus eſt redire in mare; Petrus enim ob ſuam eximiam obedientiam id ſolum fecit, quod ei à Chriſto erat mandatum. *Aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſume.* Ac proinde Petrus ſolùm ſumit ſtaterem, piſcem dimiſit. In quo ergo *piſcis iſte ille primus martyr*; qui crudelium ſaxorũ imbre lapidatur? Nil viuacius potuit primum martyrem adumbrare, quã piſcis iſte: nam hic primus de mari aſcendens auro ſuo viduatur; & nullum rigidius homini martyrium, quàm quod auro ſuo ſpolietur. Stephanus primus

88. Hilar.

Spoliatio auri hominis martyrium, & vitæ primatus.

primus fundit sanguinem, & dat vitam: piscis iste primus offert aurum, quod est nobilissimus sanguis, & charissima hominis vita. Prima ergo auri oblatio perbelle exprimit primò effusum martyrio sanguinem, ac vitam.

89. Ambros. Quintò. D. Ambrosius lib.5. Exam.c.6. *Misit Petrus retia*, ait, *& complexus est Stephanum, quia de Euangelio primus ascendit, habens in ore suo staterem iustitiæ. Pro hoc pisce stabat Iesus, sciebat enim, esse in ore suo pretiũ sui census.* Cur sub huius piscis typo intelligitur Stephanus, qui primus de Euangelij sagena per martyrium ad regna cœlorum ascẽdit, & quomodo ab eius ore educitur aureus nummus Erat in ore Stephani Oratio pro inimicis qua de aduersariorũ hostilitate ingentia lucra percipiebat, omneque referebat Christianum talentum. Expende illud *primum sui census*. Etsi alij habeant census suos in vineis, oliuetis, ac thesauris; Iesus vero habet census suos in inimicorum venia, quæ à sanctis offertur ei.

Oratio pro inimicis pretiosum census aureus Iesus.

90. Sextò. Piscis tributum defert, nõ intra viscera, sed in ore: nonne melius esset, illud in ventre portare? potuit enim deglutire gestarèq; in aluo? Piscis iste, vt iam dixi in solutione 4. hamo extractus, statim, ac monetam euomit, Christo sic disponente, solutus est, ac mare adire permissus: si autem staterem recluisset in ventre, euiscerandus esset, vt tributum extraheretur. Ergo prehensus hic piscis mactandus non est, cùm omnes, qui capiuntur, enecentur. Hoc magno documento nos voluit Dominus informare, quòd eũ, à quo tributum extorquetur, cruentate, Dei ministrorum nõ est. Tributorum exactores ne nimia crudelitate excorient eos, quorum bona expiscãtur, & à quo exiguntur, sic soluat reddens, vt non pereat, nec suffocari videatur. Dedignantur enim pecunia, suorum sanguine conspersa, principes.

Tributa ne crudelitate extorquentur.

91. Septimò. Nummus hic de piscis ore extrahitur, vt tributum soluatur. Cur non præparatur aliqua marina bellua, vt manibus illud deferat; sed ab ore piscis eruitur? O quam frequenter, cùm tributum exigitur, cibus ex ore plebiculæ extrahitur, & tributum, quod soluitur, potius ex ore, quam è manu cadit.

Tributum sæpè cibus ex ore extractus.

92. Deuter.27. Hinc mandauit Deus Israëli, quod, cùm accederet ad aliquam ciuitatem expugnandam, si acceperint pacem eius, *Cunctus populus, qui in ea est; saluabitur, & seruiet tibi sub tributo.* Deuter.20.n. 11. Cur non iubetur, vt hostis in seruitutem redactus, seruiat sub tributis, sed sub tributo? Dei dispositio, vt vnum sit tributum singulare, non vero multiplex, ne nimis vexetur populus, ac inopia, & fame torqueatur. Philo in loco docet, bonos esse principes, *Qui suis parcunt prouincialibus, vno contenti tributo, ne subditos redigant cito ad extremam inopiam.*

Tributum sit vnum, & non multiplex. Philo.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus pro se, & Petro, & non etiam pro aliis Apostolis mandat soluere tributũ?

93. FACILE poterat illa pecunia comparari, qua Dominus pro se, Petro, ac etiam aliis Apostoli soluere: cum omnibus venit Dominus Capharnaum, vbi tributum exigebatur: Cur non pro omnibus soluit? Lucas Burgens. ait, quòd alij Discipuli excusari sunt à solutione tributi titulo inopiæ. Abulensis vero quæst.200. quod pro aliis Discipulis solutum est ex communibus loculis, quos portabat Iudas; vel ex eleemosynis amicorum. Matthæus autem solum narrat inuentum per miraculum in ore piscis, quod Dominus pro se, & Petro soluere voluit, ostendens se omnium dominatorem, & Legi minimè esse subiectum, sed liberum, vt dixi supra q.9. in principio. Vel tertio, vt ait Lyranus, ad tributum solum obligabantur capita familiarum; non autem singuli de familia, vt erant Apostoli, Petro excepto, de quo statim.

Lucas Burgens. *Abulens.* *Lyran.*

94. Primò. Dominus pro se, & Petro soluit tributum; tũ quia Petrus huius ex actionis, ac solutionis erat minister; tum etiam quia Petrus domum, & familiam habebat Capharnaum, vt aït Abul. & patet Matth.8.n.5.& 14.Luc.4.n.31.& 33.tum etiam honoris causa, vt innueret, à se destinatum cæterorum Apostolorum caput, ac principem, & ipsum suæ familiæ, ac Ecclesiæ esse constitutum Vicarium, vt commentantur Origenes, Hieronymus, Paschasius, ac Chrysostom. homil.59. *Da eis pro me, & te*, inquit, *Vidisti honoris excellentiam? Vide nunc quama philosophia vtitur Petrus, hunc enim locum Marcus, qui Petri discipulus fuit, ideo non scripsisse videtur, quoniam ingens hic honor magistro deferebatur; sed negationem quidem ille quoque diligentissimè scripsit. Hæc vero, quæ ad Magistri laudem pertinent, ipso forsan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omninò soluit.*

Abulens. Matth.8. Luc.4. *Origen. Hieron. Paschas. Chrysost.* *Petri humilitas in suo honore abscondendo.*

95. Secundò. D. Chrysostom. citato loco. *Mirare*, ait, *Christi potentiam? mirare etiam Discipuli fidem, qui ad rem naturæ incredibilem illico paruit: fide retributionem confestim habuit, Christo in solutione tributi coniunctus.* Petrus præclara fide, ac obedientia enituit: nam re tam difficili, supra naturæ cursum, non dubitat, nec cunctatur, sed statim Domini mandatum exequitur. Inde dignus inuentus est, vt cuiusdam veluti æqualitatis cum Deo particeps fieret in redditione tributi.

Chrysost. *Per fidem, aut obedientiam curbitur homo ad diuina.*

96. Tertiò. D. Augustinus q.75. ex Nouo Testamento. *Saluator*, inquit, *cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur; quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis dominici.* Cur singillatim Christus, ac Petrus, non verò alij Discipuli tributa soluunt? Multi hoc ad insignem Petri dignitatem referunt, quam Christus quodammodo parem suæ dignitati effecit: potius tamen referendum existimo ad Petri munus; quod proprium Prælatorum sit, subditorum onera ferre, ac pro ipsis debita tributa persoluere: & dum Petrus pastor dominici gregis pro se tributum pendit, pro omni grege soluit.

August. *Prælati est, subditorum onera ferre.*

97. Quartò. D. Hieronymus in præsenti. *Pulchrè*, ait, *illud ipsum quidem datur pretium? sed diuisum est, quia pro Petro quasi pro peccatore pretium reddebatur; Dominus autem noster peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ostenditur autem similitudo carnis, duo eodem, & Dominus, & seruus, pretio liberantur.* Valdè mirabile, quòd pro Domino & Petro æquale pendatur tributum; cùm tamen Christus, vt Dei filius naturalis, sit liber, alter verò, scilicet, Petrus, sit homo vectigalis, & saltem ex sua conditione subditus; *Da eis, vt non scandalizemus eos.* Vt obtiaret scandalis, ab externis actionibus non vult diuinus Magister discrepare, etsi interna virtute multũ ab aliis distinguatur. In soluendo tributo seruulo assimilatur, cùm in vectigalis debito multum distet à seruo. Vt suo exẽplo

Hieron. *Etsi interius virtute eminens, in exterioribus conformare cũ aliis.*

plo nos Dominus informaret, quòd etsi internis donis superiores aliis simus: externis tamen actionibus, vt scandala deuitentur, ab aliis minimè declinemus, sed cum illis, quantum fas est, conformemur.

98. Hieron. Quintò. Eadem verba D. Hieron. iterum premo. *Eodem pretio Dominus, & seruus liberantur.* Si à solo Christo didrachma, id est duo regales exiguntur, cur etiam aliud didrachma, seu alij duo regales pro Petro soluuntur; nam vnus stater continebat duplex didrachma, id est quatuor regale, vt ait Glossa apud Catenam D. Thom. Glossa. *Consuetudo erat, vt vnusquisque pro se didrachma solueret; stater verò est pondus duorum didrachmarum.* Cur ergo pro Petro soluitur, cùm pro ipso non exigatur? Et cur non distincta moneta, sed vna eadem cum Domino. *Eodem pretio Dominus, & seruus liberantur.* Vnus stater, non verò duo didrachma, in ore piscis reperitur, vt idem indiuiduum pretium pro vtroque soluatur; vt inde discamus, quòd in eo, quòd Christo obsequia præstamus, nobismet ipsis benefacimus. Cum Petrus pro Christo soluit, sibimet subuenit, ac consulit, suóque debito satisfacit, à quo absolutus manet.

Qui in Deo et proximo damna, nobis profutura.

99. 1. Reg. 21. Vrgente Saulis furore fugit Dauid ad Achimelech, dissimulata sui aduentus causa, à sacerdote panes, & gladium petit, qui illi dixit: *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod, si istum vis tollere, tolle* 1. Reg. 21. n. 9. Cur statim Dauid ait: *Non est huic alter similis, da mihi eum.* Cur gladius Goliath ita extollitur, vt nullus aptior putetur; nam forsitan ex tanta temporis diuturnitate otiosus rubiginem contraxisset; vel ex iugulato Gigante acies eius retusa, & hebetata esset: quomodo ergo præ cæteris illum probiorem existimat? Parta victoria Dauid Goliath Gladium Deo consecrauit, ac in Domini tabernaculo posuit; indéque ipse gladius ad eius vitæ tutelam aptior est inuentus: quæ enim Deo dedit, sibi maxime in suum adiumamen retinuit, vt nil aptius ei adesset in sui auxilium. D. Basilius Seleucus orat. 15. *Dauid omnia gratia tribuit*, ait, *neque gladium infert in pugnam, inermis pugnator, sublato Goliath gladio, glady dominum diuidit, armis in vsum debitos versis.* Qui totam pugnam ad Dei gloriam, & obsequium destinabat, in ipsa pugna inuenit arma in vsu debitos suos.

Quæ Deo consecrata, nobis sunt vtilia.

Basil. Sel.

CAPVT X.

Maior in Regno cælorum.

Matth. 18. *num.* 1. In illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?

VERSIONES.

D. Hilar. Orig. In illa die accesserunt.
Vatablus. In illo tempore.
Syriacus. Et inquiunt: Quisnam est maximus in regno cælorum.

ALTERA TEXTVS.

Marc. 9. *n.* 32. Et venerunt Capharnaum. Qui, cùm domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?
Num. 33. At illi tacebant, siquidem in via inter se disputauerant, quis eorum maior esset.
Luc. 9. *n.* 46. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

EXPOSITIO I.

1. QVM Dominus concomitantibus Discipulis peteret Capharnaum, in ipsa vita altercarunt Discipuli, quis eorum cæteris essent maior, vt narrat D. Marcus; cùmque essent Domi, misit Iesus Petrum ad mare, vt piscem ex piscaretur, & tributum solueret, vt vidimus sup. cap. Cùm Petrus rependito tributo, domum rediisset, & adessent omnes duodecim, vt patet ex 9. Marc. num. 34. quæsiuit ab eis Christus: *Quid in via tractabatis? At illi* verecundia suffusi *tacuerunt*, & merito, quod in comitatu tam humilis Magistri de primatu contenderent. Postea verò, vt scribit D. Lucas, *Intrauit in eos cogitatio, quis eorum esset maior* Cúmque ipsi considerassent, cogitationes suas Christo esse apertas: & notas, ac ei minimè posse abscondi, hanc quæstionem ponunt. Ex quo rectè inferunt D. Chrysostomus, homil. 59. in Matth, Euthymius, Theophylactus, D. Paschasius, Apostolos, cùm adhuc essent imperfecti, sæpe ambitione fuisse adustos, tum in via, tum etiam in domo. Marc. 9. Chrysost. Euthym. Theophyl. Pasch.

2. *In illa hora*, frequens Hebraismus est, & significat sub idem tempus, quo erat Iesus Capharnaum domi. *Accesserunt Discipuli*, duodecim nempe Apostoli, vt colligitur ex Marc. 9. num. 34. *Quis putas maior est*, seu, vt habet Syriacus, *Quisnam maximus est*. Et quamuis inter eos esset disputatio, & cogitatio, *Quis eorum esset maior*; tamen coram diuino Magistro non dicunt: Quis nostrum maior est, sed modestius loquuntur: ac propositionem vniuersalem ponunt, & absolutè *Quis maior est?* Et cùm hæc quæstio ex priuilegiis Petri orta esset, tamen, vt notat Chrysost. citatus, *Veriti turbationem profiteri suam, non apertè, quare Petrum ipsis præponeret, sed confuse, Quis ergo maior est, interrogant.* Vt sic magis suam imperfectionem abscondant, & maiorem modestiam coram Magistro ostendant, ac aliqualem erga Petrum exhibeant reuerentiam, eius nomen supprimentes. Et notandum, quòd Apostoli stimulati ex fauoribus Petri hanc quæstionem excitant, vt iuxta multos Patres infra dicam quæst. 5. Tamen illam non proponunt suo Magistro, cùm Petrus in piscatione esset absens, sed cum ipse præsens adesset, vt modo suprà notaui. O quantum distat hoc ingenium à conditione hominum huius sæculi, qui etsi dona aliis concessa, in eorum præsentia applaudant, illa verò, in eorum absentia malignè corrodunt. *In regno cælorum*, hoc est in regno Messiæ, seu in Ecclesia, quæ ab ipso instruebatur; & consequenter deinde in regno cælorum

Modestia Apostolorum.

Non dicunt absente, sed præsente eatro.

lorum, seu Patriæ, ad hoc enim regnum Christus dirigit sermonem, num. 3.

Quæstio I.

Quare Discipuli hic accedunt interrogantes, cùm de hac re quæsiti, iuxta D. Marc. primi tacuerint?

3. *Difficultas quæstionis.*

Primo in hac quæstione inquirendum est: Quomodo stat id, quod Matthæus scribit, quòd scilicet Discipuli accesserunt: nam Marcus refert, quòd Christus quæsiuit ab eis, quid tractarent in via, ipsi autem tractabant, *quis eorum esset maior*. Et Lucas ait, quod *intrauit in eos cogitatio, quis eorum esset maior*, quam videris Iesus videtur, quod eos præueniret, ac vocauerit, & quod ipsi non accesserunt.

4. *Abulensis sententia reijcitur.*

Abulensis t. 18. Matth. q. 3. existimat, quòd Apostoli propriè non accesserunt: tamen cùm D. Matthæus, ait ipse, voluerit euitare totam narrationem, ac illius principium descriptum à Marco, ideo expediens fuit, vt eos introduceret accedentes, & quærentes. Hæc sententia est reijcienda, vtpote aliena à fideli, ac sincera veritate Euangelica: nõ enim in historia enarranda Euangelistæ ponunt aliquod verbum, quòd in facto non contigerit. Ergo cùm Euangelista dicat, quòd accesserunt, re vera de facto accesserunt. Secundò Euseb. Gallic. homin. Dedicatione S. Michaëlis, Euseb. Gall. ait, quòd *Accesserunt vtique Discipuli ad Iesum, non loquendo, sed cogitando. Audiebat enim Dominus eorum cogitationes* Quæ, vt scribit D. Lucas, erant, Lucas. *Quis eorum esset maior.* At sensus est valde extortus: quod referantur accessisse ad Christum, dicentes hæc, quia illa cogitabant, & quòd huiusmodi cogitationes notæ essent Christo. Si hoc verum esset, etiam nos diceremur semper accedere ad Christum, quia omni tempore cogitationes nostræ sunt illi apertæ.

5. *Barradas. Burgensis.*

Tertiò. Barradas, Lucas Burgensis dicunt, quòd Apostoli accesserunt vocati à Domino. Postquam enim Petrus rediit à piscatione quæsiuit ab eis Dominus, quid tractarent in via, illi vero ex pudore tacuerunt sedens autem Dominus vocauit eos; & tunc accedentes Apostoli, vt scribit Matthæus, dixerunt: *Quis putas maior est in regno cælorum.* Hæc sententia videtur fundari in textu Marci cap. 9. num. 34. vbi dicitur, quòd Dominus Marci. *residens vocauit duodecim, & ait illis, Si quis vult primus esse, erit nouissimus.* Hic dicendi modus est probabilis; tamen habet difficultatem, quia si Christus vocasset suos Discipulos, ad hoc esset, vt ipsi ab eo audirent doctrinã, vt narrat D. Marcus, & dicam sequenti §. Ergo cùm Matthæus dicat, quòd accesserunt quærentes; Quis maior est, innuit, quòd non fuerunt vocati, quia tunc audirent loquentem Christum, & nihil ab eo quærerent, sed quod accesserunt, tanquam ad quærendum aliquid à Christo. *Reijcitur hæc sententia.*

6. *Vera sententia, ac intelligentia.*

Quartò. Probabilius mihi videtur dicendum, iuxta textum Euangelistarum, quòd, cùm omnes Apostoli, ac etiam Petrus veniens de piscatione, essent domi, Christus, vt scribit Marcus, ab eis quæsiuit, *Quid in via tractabatis?* At ipsi præ verecundia, quòd ambitione essent adusti, *tacuerunt.* Postea verò, vt refert D. Lucas. iterum. *Intrauit in eos cogitatio, quis eorum esset maior.* Cúmque ipsi Apostoli viderent, altercationes suas, ac cogitationes esse Christo apertas, miniméque ei posse abscondi: tunc, vt ait D. Matthæus, *Accesserunt ad Iesum dicentes, Quis putas maior est in regno cælorum?* Et deinde *residens vocauit duodecim.* vt scribit Marcus, vt altius, & sublimius attenderent ad doctrinam: quam tradebat de puero, ac humilitate, de qua sequitur in toto hoc Euangelio. Inde hæc expositio mihi aptior, quia omnia dicta Euangelistarum in ea optimè concinnunt, & cohærent.

7. Accedunt ergo interrogantes ad Iesum. Primò quia videbant æmulationem suam omnino latere non posse, quam suppressam esse optabant. Sic sæpè plerique multa dicunt, & faciunt, non à suo beneplacito moti, sed potius à vi, qua se vident in arcto positos. Secundò Apostoli, vt gens sancta, & proba, quærit, Quis sit maior, vt disceptatio inde inter eos exorta amoueretur, & iam amplius inter eos nulla esset contentio. Tertiò. Videbant se Apostoli in hac re, *Quis maior esset*, valde incertos, ac dubios, & ne amplius humano arbitrio fluctuantes, ac inconstantes sint; accedunt ad Magistrum, & ab eo quærunt: *Quis maior in regno cælorum?* vt ita omni dubietate deposita rem certò teneant, ne amplius in sententia instabiles, aut vagi sint. Sæpe enim hæsitatio in voto, ac iudicio premit magnos viros, & pro huiusmodi re deponenda ad multa se exponunt.

Disceptatio amputanda.

Dubietas animi deponenda.

8. Videt Moyses ardentem rubum absque eo, quòd ab igne aliquam læsionem patiatur, sed solita sua viriditate, ac consuetis floribus totus pulcher stabat. Tantæ rei visione commotus ait: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Exod. 3. n. 3. Cúmque maximè Exod. 4. citato cursu properaret ad locum, audiuit Dominum clamantem, ac ei dicentem: *Non appropries huc; solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Statim detractis calceis, vt ei erat imperatum, & aduertunt Expositores Abulensis, Lyppomanus, Pereira, & alij, Abulens. Lyppoman. Pereira. per illam terram totam spinis, ac tribulis sparsam; ac peracutis lapidibus repletam præcucurrit ad rem tam mirabilem spectandam. Quomodo tot vehementibus aculeis, qui aspertimè pungebant, ac cruentabant, non retardatur? Et quod magis est, cùm illam audit terram sanctam. eur per eam incedere non refugit? Philo lib. de Philo. Profugis. *Olim*, ait, *discendi cupidus, sollicitus est desiderio cognoscendi causas, quibus efficiuntur res in mundo maximè necessariæ, cùm enim videret, quidquid creatum est, corrumpi gignique, tum ea, quæ pereunt, qua permanent, obstupefactus exclamauit dicens, rubus vritur, & non comburitur, locum enim antea inaccessum scrutatur curiosus.* Videns magnum illud spectaculum Moyses totus dubius, & anceps extitit in inuestiganda causa, cur ille rubus arderet, & non combureretur; rem magnam, & mirabilem toto animo versat; & tamen illius principium minimè capit. *Sollicitus est desiderio cognoscendi causas.* Elegit tunc, potius tot spinis, ac tribulis, & lapidibus pungi, quàm fluctuante animo dubius, ac anceps persistere; & ideo tot aculeis contemptis præcucurrit, vt mirabilis rei agnoscat originem. *Locum antea inaccessum scrutatur curiosus.* *Homo vult potius in corpore cruciari, quã dubio in mente premi.*

Fluctuatio, ac anceps in vtramque partem 9. agitatio maximè ab schola, ac templo Dei exulat. Olim in veteri sacerdotio præscribit Deus ritus hostiæ offerendæ, & quasdam animalis partes immolandas,

molandas, quaſve negligendas ſore: *Offerent*, ait Deus, *de pacificorum hoſtia ſacrificium Domino: adipem, & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque vniuerſa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe, qui eſt iuxta reticulũ iecoris cum renunculis*, Leuit. 3. n. 9. & 10. Valde minutim diſcurrit legiſlator, ac membratim portionem in animali, ſibi dignam aſſignat iecur, renunculos, rete culum iecoris, & caudam. At maximè notatu dignum, quòd cor, regium membrum, ac cæterorum facile princeps, vtpote totius vitæ principium, reiicit, ac negligit. Quid magis mirabile? mauult caudam, quæ ſatis eſt contemptibilis, & repudiat cor, cùm ſit electiſſima pars, & cæteris præferenda? Philo Hebræus lib. de Sacrific. Abel, & Cain. *Equidem tria video*, ait, *in ſacrificiorum ordine præcipi, vt offerantur præcæteris victimæ partibus adeps, renes, fibra iecoris, nuſquam cor, quæ alias conſecrari oportebat.* Rationem apponit cur cor excludatur. *Quia*, inquit, *principalis illa vis*, cor inquam, *ſingulis temporis momentis, vel ad melius, vel ad deterius mutabilis non manet eodem loco, quandoquidem nunc probata, nunc damnata mente cenſeatur.* Pie, ſanctè procul à Dei ara relegatur inſtabile, ac fluctuans cor, cùm valde anceps, ac incertans ſit *ſingulis momentis, vel ad melius, vel ad deterius mutabilis.* Seligat Deus ſibi deteriorem animalis partem, quæ conſtanter ſuam habet boniratem; reſpuat verò præexcelſam, variam, & incertam, cùm modò huc, modò illuc in varias vices reciprocetur. Valde ſuſpecta eſt bonitas, quæ inconſtantia laborat.

Leuit. 3.

Philo

Varius, & inconſtans reiicitur à domo Dei.

QVÆSTIO II.

Quare Diſcipuli hic accedunt ad Chriſtum, cùm in horto ab eo fugiant?

10. Matth. 26. *Initio difficultatis.*

ACCEDVNT hic omnes duodecim Apoſtoli ad Chriſtum; & tamen in horto, *Relicto eo omnes fugerunt*, Matth. 26. num. 56. Vnde tanta diuerſitas, vt modò tanta promptitudine ad Dominum conueniant, cùm in alio euentu tam celeriter ab ipſo recedant?

11. *Omnes conueniunt ad dona dantem, recedũt verò à patiente.*

In præſenti lete veluti oſtentabat Dominus ad præclara, & excelſa munera concedenda, magnaque, & ſublimia dona largienda, nempe ad maioratum in regno cælorum prouidendum. In horto autem properabat ad crucem, & mortem ſubeundam. Et cùm quis manus donis plenas habet ſtatim omnes ad eum conuolant, & currunt; a quo maximè recedunt, cùm aliquid doloris, ac afflictionis ei imminere vident: nam ſicut dona cunctos illiciunt ad ſui participationem; ita triſtia vniuerſos remouent, ne eos apprehendant.

21. Iſaiæ 6.

Videt Iſaias cap. 6. num. 1. gloriam Domino, ac maieſtatem, & ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex ala vni, & ſex ala alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius.* Apparet Deus in ipſo maieſtatis throno, & circa illum ſtant, & velant Seraphin cantantes: *Plena eſt omnis terra gloria eius.* Poſtea verò ipſemet Propheta conuertit oculos ad laboriosam Domini mortis, ac paſſionis tempeſtatem, in qua tanquam ouis ad occiſionem ducebatur; de quo ait: *Vidimus eum: & non erat aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, & nouiſſimum virorum dolorum, & ſcientem infirmitatem*, Iſaiæ 53. num. 3. ſtatim ſubbit Propheta, *Vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* ibidem num. 6. Cur, cùm Dominus apparet in ſolio, circa illum ſtant, & ſuis alis volant altiſſimi ſpiritus, Seraphin nempe; at verò in paſſione ad omnibus eſt derelictus, & vnuſquiſque ab eo recedit? Cùm Dominus ſe exhibet in throno, deſcribitur etiam, *Et ea, quæ ſub ipſo erant: replebat templum.* Et iterum, *Plena eſt omnis terra gloria eius.* D. Thomas ibi. *Quia uſque ad vltimas creaturas, quæ per terrena intelliguntur, extendit diffuſione ſua bonitatis.* Cùm ergo circa ſolium multa rerum copia appareret, vt ſuis largiretur, in eoſque diffunderet; inde tam vehementi conatu circa illud ſtant, & volant Seraphin. At verò in paſſione, cùm multa eſſent ibi ſuſtinenda tormenta, & in qua tanquam vir dolorum, ac vt ouis ad occiſionẽ duceretur, etſi omnium cauſam agat, nullus tamen ei aſtat, ab omnibus derelinquitur, & *vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.*

Iſaiæ 53.

D. Thom.

Ad dona currunt, à laboribus fugiunt.

Per noctem venit dilectus ad oſtium Animæ ſanctæ, pulſáque dicẽs: *Aperi mihi, ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctiũ.* Quæ ſtatim cœpit ſe excuſare dicens: *Expoliaui me tunica mea quomodo induar illa?* Cantic. 5. num. 2. & 3. Valde mirum, quod cùm anima maximè flagraret deſiderio ſui dilecti præſentiæ, modò multis ſe excuſat, vt eum ad ſe intromittat. ac in domo habeat. Per noctem hanc D. Paulinus Epiſt. 5. ad Severum intelligit noctem paſſionis Domini. Et Rupertus Abbas per guttas noctium interpretatur blaſphemias, & cõtumelias Iudæorum in Chriſtũ iactatas, quas cùm anima audit; ſtatim ſe claudit, vt eas declinet, & euadat; ac proinde multas excuſationes profert, vt Dilecto non aperiat. D. Ambroſius lib. de Iſaac, & Anima cap. 6. *Audiens Anima*, ait Aperi mihi, & caput roris plenum, *ſubito turbata, & quaſi ſurrectura, quæ ſurgere iubebatur, cũ aloem redoleret, & myrrham, inſignia ſepultura*, ait, *Exui tunicam meam* At verò, cùm de ipſo Dilecto audiant. *Caput eius, aurum optimum*: ibidem. n. 11. *Manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*, num. 14. ſtatim ſodales ad Animam dilectã dicunt: *Quo abiit Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quo declinauit Dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* ibidem. n. 17. Cùm in eius capite, & manibus multa bona aurea apparent, vt ſuis præbeat, & communicet; ſtatim omnes ſe exhortantur vt eum ſequantur, eique adhæreant, ab illóque minimè recedant, quem cùm guttis paſſionum plenum audiunt, vt eum declinent oſtium non aperiunt.

13. Cantic. 5. Paulin. Rupertus. *Anima paſſionem declinat, eamque quærit.* Ambroſ.

QVÆSTIO III.

Qui fuerint iſti Diſcipuli, qui hanc quæſtionem Chriſto poſuerunt?

NOMINE Diſcipulorum hic intelliguntur Apoſtoli, hi enim erant conſtituti à Chriſto principes, ac primates totius Orbis, ac proinde ſolũ inter eos poterat eſſet quæſtio, *Quis eſſet maior in regno calorum*? Hæc autem diſputatio excitata eſt inter ipſos Apoſtolos, aut inter eorum magnam partem, vt tenet Abulenſis p. 6. & patet ex D. Marco, nam Chriſtus interrogauit eos, *Quid*

14. *Quæſtio inter Apoſtolos.* Abulenſ.

in via tractabatis. Tractatio autem, & contentio non est vnius ad se ipsum, sed vnius ad alterũ, ac proinde plures denotat.

15. Idem Abulensis citato loco refert quorumdam sententiam, asserentium, hanc contentionem, & interrogationem factam fuisse à solo Iuda, vtpote nequissimo. Et pro hac sententia videtur stare D. Cyrillus, ab eodem Abulensi citatus, qui ait: *Passio inanu gloriæ invasit quemdam Discipulorum.* Et sic sæpe contingit quòd ille, qui deterior est, se probiorem, ac cæteris meliorem iudicat; ac reputat.

Cyrillus. *Deterior multum de se præsumit.*

16. Narrans Ioannes Euangelista, quando Christus Dominus suorum Discipulorũ pedes abluit, dicit: *Venit ergo ad Simonem Petrum.* cap. 13. n. 6. Hic modus loquendi denotat, quòd alius prior lotus fuerit Sed quis ausus est ante Petrũ in pelui̇m pedem mittere? D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus opinantur, quòd Iudæ pedes, prius abluti sint, Cur ergo ille ante Petrum, ac alios Apostolos ad huiusmodi lauacrum venit? cum ille esset valde nequissimus, sua præsumptione deceptus, audenter sibi primum occupat locũ.

Ioan. 13. Chrysost. Euthym. Theophyl. *Iudas ad primum lotum currit.*

17. Iuxta aliquorum lectionem, dicitur in parabola Iudic. 9 num. 8. *Iuerunt ligna sylua, vt ungerent sibi regem.* Quænam conueniunt, vt ipsi̇smet eligant regem? Elegantur Niles in Ascetico. *Nec enim*, inquit *paradisi, sed sylua ligna vectoris indigere, dixit similitudo.* In paradiso extabant optimæ, & excellentissimæ arbores; valde celebris vi̇tæ arbor, & etiam non minus præclara scientiæ planta; & tamen hæ in suo loco defixæ manent, nimisque de principatu curant. Arbores verò, seu deserti, inutiles, & infructiferæ maximè pro regno contendunt. Sic res se habet, vt inferior meritis principatum procuret; imò sibi esset debitum, constanter autumet.

Iudic. 9. Nilus. *Inferior meritis sibi meliora deberi autumat.*

Qvæstio VI.

Quare Apostoli hanc quæstionem de principatu excitant, & mouent?

18. Ansam, ac originem huius contentionis, ac interrogationis quæstio hæc inquirit: In qua multi sunt dicendi modi, & quilibet suam habet probabilitatem. Primò Iansenius ait, causam disputationis fuisse ipsam mortis, & resurrectionis prædictonem. Christus enim, antequam veniret Capharnaum, mortem, & resurrectionem suam Discipulis prædixit, vt patet ex Matth. supra cap. 17. num. 21. & Marc. 9. num. 30. Et statim immediate sequitur, quòd cùm ipsi venissent Capharnaum, ac essent domi, *Interrogabat eos: Quid in via tractabatis?* Post ergo prædictionem mortis in via de primatu inter se disceptauerunt. Cùm enim morituru̇m audissent; quærere cœperunt, quis post eius mortem inter eos principatum habiturus esset; sicque, cùm Christus de sua morte ageret Matth. 20. n. 18. & 19. statim subdit Euangelista n. 20. quòd accesserit Mater filiorum Zebedæi filiis primas sedes in regno Christi petens. Sicque in vltima cœna, cùm Christus Dominus suis Discipulis aperuisset suam imminentem mortem, & passionem, *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.* Luc. 22. num. 24. Tunc oritur hæc quæstio, quando præposita passione Dominus omnia videbantur contemnenda, Valde familiare est humano ingenio, velle scire, quinnam, mortuo principe, regiminis clauum sit habiturus.

Iansenius. Matth. 19. Marc. 9. Matth. 20. Luc. 22. *Scire affectatur quisque mortuo principe regnabit.*

Secundò. Theophylact. in cap. 9. Lucæ ad hæc verba. *Intrauit in eos cogitatio*: sic ait. *Mibi videtur ortum id inter illos, ex quòd damoniacum non sanarint. Verisimile enim, quòd super hoc contenderint, dicentibus singulis, quòd non propter suam, sed alterius cuiusdam infirmitatem, puer ille sanatus non fuerit: & inde accersa lis est quis eorum maior esset.* Hæc cõtentio, ac interrogatio orta est propter curationẽ arreptitij, quem Discipuli curare non valuerunt, quod propter suam incredulitatem factum fuerat, vt illis dixit Christus; patet supra Matth. 17. n. 19. Tunc ipsi gradientes per viam, quilibet in alterum incredulitatis culpam refundere volebat, quibusdam dicentibus, non hoc euenit propter incredulitatem meam, sed tuam culpam, & aliis è contra asserentibus: inde ventum est ad hoc; vt contenderent de maioritate, ac vt in hanc interrogationẽ proponendam proderent. Vide tom. 3. cap. 27. num. 55.

19. Theophyl. *Quilibet in alterum vult refundere culpã.*

Tertiò. Abulensis qu. 7. existimat, quòd tota hæc disputatio, ac interrogatio facta fuerit propter Petrum, quem Christus inter cæteros maximè honorauit, cùm eum beatum appellasset. Matth. 16. num. 19. Quartò Beda ait: *Inde autem videtur orta disputatione Discipulorum de primatu, quia viderant, Petrum, Iacobum, & Ioannem seorsum ductos in montem; secretumque eis aliquod esse creditum.* Valde dure ferunt homines, quòd in negotiis, ac secretis committendis alij eis præferantur.

20. Abulens. Matth. 16. Beda. *Dure ferit quidam homines quòd secreta alijs, non ipsis committantur.*

Quintò. E contra D. Chrysostomus homil. 59. cùm existimet, quòd huius contentionis, ac interrogationis flamma excitata fuerit in cordibus Discipulorum: eo quòd vnum, scilicet Petrum, viderint in redditione tributi cunctis præpositum. de quo 9. sequenti; sic subdit: *Quando tres illos præferri conspexerunt: nihil tale passi sunt: cùm verò ad vnum delatus honor est, tunc nimirum doluerunt.* Multoties Petrus, Iacobus, & Ioannes cæteris præpositi sint; nec tamen in hanc quæstionem deuenerunt sicut modò, quondo in redditione tributi Petrus cæteris est præpositus: quia valde durum communitati, quod totus fauor, ac honor in vno coarctetur; secus verò quando ad plures stagnatur, tunc enim quilibet de sua bona spe bene præsumit. Vnde Christus Dominus instituit, vt in Oratione Dominica non diceretur, Pater meus, sed *Pater noster qui es in cœlis.* Matth. 6 num. 9. Vt ita vnusquisque sciret, Deum esse patrem suum, vt simul & cognoscat, esse alionum parentem, ac proinde à tanto parente, si quilibet rectè se habeat multum speret.

21. Chrysost. *Honor vni collatus, durũ communitati; secus si in multos diuidatur.* Matth. 6.

Sextò. D. Hieronymus ait, huius disputationis causam fuisse, quia idem tributum pro Christo, & Petro persolutum fuerat, sic inquit: *Quia viderant Apostoli pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt. Petrum omnibus Apostolis prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus Ideo interrogant, quis maior sit in regno cœlorum.* Idẽ docent Origenes tract. 5. in Matth. D. Paschasius lib. 8. in Matth. Theophylactus, Albertus Magnus. D. Thomas, Carthusianus, & alij. Qui Patres intelligendi sunt de proxima causa huius quæstionis, ac interrogationis, nam de hac quæstione Apostoli semper tractarunt, vt rectè notat Chrysostomus homil. 59. & etiam in via, cùm peterent

22. Hieronym. Origen. Paschas. Theophyl. Alb. Magn. D. Thom. Carthus.

Caphar

Capharnaũ Marc.9.n.31. In qua domini mandatũ est, pendere tributum. Et ad hãc quæstiones radix pullulauit fortasse ex promissione clauium facta Petro; assumptione eius in montem Thabor; & frequenti cum eo Christi colloquio. Hic autem in præsenti agimus de proxima origine huius quæstionis, & interrogationis, quòd pro Christo, & Petro idem statuer sit solutus. Quod rectè notauit Chrysostomus citato loco. *Humanum quid, aito passi Discipuli, quod Euangelista quoque significauit, dicens*: In illa hora, *quando scilicet cæteris omnibus Petrum prætulit*, &c. Ac proinde cùm eum prælatũ viderunt, doluerunt; ac adeo quilibet pro se cæpit esse sollicitus, vt inter primos promoueretur.

Chrysost.

23. Valde mirum, quòd Apostoli, qui nimio honore fulgebant, quique principes, ac rectores mundi creati sunt, adhuc non quieſcunt, sed nimis auide inter se magno conatu contendunt, & disputant, quis eorum esset maior, cuique primatus esset deferendus. O misera humana conditio, vt nullo sibi sufficiat, sed semper ad maiora deuorandum, indomita cupiditate rapiatur homo. Sanctus Clemens Romanus lib.4. Recognition. *Sicut ignis*, ait, *quantum magis ligna acceperit, tantò amplius accenditur, & inualescit: ita & cupiditatis vobies per ea, quæ adipiscitur, reficitur, & auctior, & vehementior efficitur.*

Ambitio humana nulla diligentia quietis, sed altum quærit. Clemens.

24. Genes.10. De nepotibus Iaphet ait Sacer textus: *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis.* Gen.10. num.5: Pauci homines tunc degebant in orbe, nepotes nempe, & pronepotes Noë, qui ad totum orbem occupandum rati, & pauci erant. Cur ergo, vt inhabitent, alto procelloso mari se committunt? Ad quid tot, & tantis periculis se exponunt, naues conficiunt, nauticam artem inuestigant, mare transnauigant, vt insulas inhabitent? Ad quid tantis laboribus fatigantur, cùm omnes vnus terræ angulus caperet. Iam tunc in exordio orbis humana ambitio depingebatur. Quamuis enim spatiosissimam, ac latam terram in continenti haberent, quam vnquam rari imperatores sub ditione sua obtinuerunt; tamen eam non sat esse sibi arbitrati, sunt sed vlterius, contemptis omnibus periculis marinas aquas progressi nouas terras scrutantur, & quærunt, ac si totus orbis pro eorum ambitione illis esset angustus. D. Chrysostomus homil.30. in Genesi. *Vide*, ait, *quomodo humanum genus non potest subsistere intra suos limites, sed amplius concupiscens, maiora supra se appetit, atque hoc est, quod humanum genus potissimum perdit, quia non vult natura sua mensuram agnoscere, sed semper maiora desiderat.*

Nulla prin cipatus satisfacit humanæ cupiditati.

Chrysost.

25. Cùm Israël premeretur sub seruitute Pharaonis, præfecturæ præsides *ad amaritudinem producebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris.* Exod.1. num.14. Maximè expendendum, cur huiusmodi opera luti, & lateris dicantur dura: si Israel incumberet in excauandis marmoribus, vel ferro contundendo, aut fabricanda ex ære aliqua machina, non mirum, quod diceretur duro opere grauari. At quomodo durum opus, cùm Israël sit addictus luteis lateribus, qui conficiuntur ex materia valde molli, & languida, infusa aqua, & adhibita quadam lignea forma, quæ, cum vno luto impletur, non sic permittitur esse, sed protinus illo euacuatur, vt alio implearur: Merito sane durum opus nuncupatur: adumbrabatur ibi dura, ac insatiabilis humana conditio, quæ veluti illa lignea forma lutei lateris, cum vno diuitiarũ, seu honorum huius sæculi luto impinguatur, statim illo videatur, in arca, vel thesauro recondens, seu in fastidium vertens, & omni affectu aliud, & aliud procurat, vt nunquam vllo bonorum huius sæculi luto quieſcat, sed veluti laterum forma in perpetuo motu versatur, vt & euacuari, & impleri semper possit D. Gregor. Nyssenus lib. de vita Moysis: *Quemadmodum, ait, laterum fictor aliud aliud luti forma, quæ lateris figuram, imponit adeo vt forma semper, & vacua luti semper dici possit; sic appetendi vis; si quis eam bis terrenis cupiditatibus replere studeat, si quod in dies capit, assequatur, eoque se repleat, vacua tamen semper est, cùm ea, quæ habuit, respuat; & in aliud comitme feratur, nec finis miserrimi ardoris esse potest.* Et quid magis durum, quam nunquam quieſcere, sed perpetuæ siti, ac fame vexari?

Diuitiæ in fastidium vertuntur.

Nyssenus.

QVÆSTIO V.

Quare cùm in Petro multa excellentia effulgerent, de eius principatu dolent, & dubitant Discipuli?

26. Hieron. VENIAT; & primò D. Hieronymus. *Quia viderant*, scilicet Discipuli, *pro Petro, & Domino idem tributum redditum: ex æqualitate pretij arbitrati sunt Petrum omnibus esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus; ideo interrogant, quis maior sit in regno cælorum.* Quid magis consideratione dignum, quàm, cùm Petrus ab ore Christi beatus nuncupatur: *Beatus es Simon Bar-Iona*: Claueſque regni ei dantur, supremusque pontificatus illi promittitur Matt.16. n.18. proindéque omnium pastor, & rector creatur? nullus inuidet, sed omnes conquieſcunt, & applaudunt; hic verò dolent, quia *in redditione tributi Domino fuerat comparatus* Et ex inuidia. *Humanum quid*, vt ait Chrysostomus, *passi sunt*. Apud partes Cæsareæ manifestata est insignis Petri confessio. *Tu es Christus filius Dei viui.* At verò modò in Capharnaum nil peculiare viderunt Discipuli in Petro, & inde pro tanto honore, quòd in solutione tributi cum Domino esset comparatus, alij Discipuli plurimum dolent. Cùm meritum illustre clarè fulget, inuidiæ malum dissipatur; quòd tunc maximè conglomeratur, cùm præclara absconditur virtus. Vide tom.3.cap.29.num.89.

Matth.16.

Chrysost.

Si meritum fulget, inuidia dissipatur.

27. Chrysost. Secundò. D. Chrysostomus sæpe citatus. Da illis pro me, & te. *Vidisti*, ait, *honoris excellentiam?* Et subdit: *Humanum quid passi sunt Discipuli, quod Euangelista quoque significat dicens*, In illa hora, *quando scilicet cæteri, omnibus Petrum prætulit.* Discipuli inuident Petro, quòd pro se, & Domino tributum pendere iubeatur. Immunitas à tributo plebi communiter est inuidiæ ansa. At quis vnquam alicuius habuit inuidiam, quod vectigalis sit, & obnoxius tributo, hoc enim seruile est opus, & subiectionis nota? Non dolent Discipuli, cùm audiunt, Petrum vocari beatum; & vident ad Thaboris montem assumi? ipsi tamen inuident tributa pendenti? Perpende. Dixerat Christus Petro: *Da illis pro me, & te.* Bene agnouerunt Discipuli, nobilius existere, vectigalem esse cum Christo, quàm liberum à tributo cum regibus, ac principibus; cùm enim viderent, Petrum ab humili subiectione cum Iesu non fugere, sed libentissimè illi submitti, inde eius celsitudinem, ac principatum optimè auspicantur.

Humilitas cum Christo, magna celsitudo.

Tertiò.

28. Tertiò. In tanta æstimatione habeatur Petrus apud omnes, vt abiectionis caracterem ipse decoruerit. Et cùm apud homines, obnoxium tributis esse, quid vilissimum reputaretur; id tamen in Petro adeo excellens diiudicatur, vt & cæteri ipsam tributi expensi humilitatem illi inideant, iuxta citatum Chrysostomum: Facilius sibi persuaderent Discipuli; vectigal rependere, esse quid excelsum, & illustre, quàm in Petro quid vile, & abiectum considerari. Sic Petrus in tanta opinione præcellebat, vt illius exiguitates, ac minoritates tanquam illustrissimæ notæ ab aliis opinarentur. Non dissimile est, quod dixit D. Nazarius de suo Basilio. *Tanta enim Basilij virtus gloriaque præstantior fuit, vt multa etiam ex parvis illius virtutibus, atque adeo corporis defectibus ab aliis ad gloriam, nominisque claritatem parandam excogitata sint.*

Petri exiguitates pro magnis ab aliis reputantur.

Nazarius.

29. Quartò. Idem Chrysostomus citato loco post præfata verba. *Quamvis non ex hac re solùm*, quòd scilicet Petrus esset assumpti ad Thabor, *sed ex aliis quoque multis inflammati fuere: tum quia dixit illi, Dabo tibi claves regni cœlorum: tum quia, Beatus es Simon Bar-Iona: tum etiam hic Deum pro me, & te: tum denique quia liberius cum Christo colloqui conspiciebant.* Ex tot, tantisque fauoribus in Petrum cumulatis Discipuli æmulationis flamma adurebantur, quod corde premere non valentes, interrogatione depromunt, *Quis maior est in regno cœlorum.* Qui enim plurimis Domini fauoribus repletur; consequens est, vt reliquorum inuidiam patiatur. *Inflammati fuere, quia liberius cum multo Christo colloqui conspiciebant.*

Chrysost.

Fauoribus sublimatus inuidia exponitur.

30. Quintò. Gratiarum multitudo Petro concessa omnibus erat manifesta, & à Christo coram omnibus ei dictum: *Tibi dabo claves regni cœlorum*: quod erat, eum Pontificem, ac principem suæ Ecclesiæ creari. Quomodo ergo dubitant Discipuli, vt quærunt, *Quis maior est in regno cœlorum?* cùm res tam aperta esset pro Petro? Nulla euidentia potest homo sibi persuadere, quod alius meritis, ac donis eum præcellat, ac sibi præponatur, sed semper rationes excogitat, vt rem in dubium, ac quæstionem reuocet.

Nulla euidentia sibi persuadet homo, quòd alius eum præcellat.

31. Sextò. Viderant Discipuli: Petro claues regni cœlorum esse promissas. Tibi dabo claues regni cœlorum, proindéque totius orbis supremum caput, ac Pontificem creari. Quo ergo motiuo, dubitant, & quærunt: Quis sit maior? Cùm iam maioratus ipse in Ecclesia à Christo sit delatus Petro? Hoc optimè sciebant discipuli; viderant tamen, quòd Christus Petrum aliquando Satanam, ac scandalum nuncupasset: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi.* Matth. 16. num. 23. Discipuli hac in re quid humanum passi sunt, non respicientes ad præclara Petri merita, sed eius ad ignorantiam, ob quam in tantam censuram incurrit; inde de primatu dubitant, & quærunt. *Quis maior sit?* Humanum sanè ingenium, quòd quamuis quis luce meridiana clarius tua merita, tuaque dona, ac præcellentias videat; tamen si aliquando tui aliquem defectum, vel quid minus decens audiuit, vel agnouit, illud ei peculiariter semper ante oculos obuersatur, vt ex eius næuo velit omnia tua illustria facta denigrare, exindéque omnia tua appendere, & diiudicare. ad huiusmodi defectum attendens, magnalia omnia prætermittens. *Verum oculis facilius vmbram, quam lucem percipit*, vt habet Lipsius lib. 1. de Monitio. Politic.

Matth. 16.

Homines, nō ad virtutes, sed ad defectū attendunt, vt te iudicent.

Lipsius.

32. Vniuersis suis sodalibus ait Anima Sancta: *Nolite me considerare quòd fulca sim, quia decoloranit me Sol.* Cantic. 1. num. 5. Tota nixu vetat Sponsa, ne homines attendant ad eius obfuscationem, ac denigredinem, neve de illa obmurmurent. Cur non potius omnes conuocat, vt eius eximiam contemplentur pulchritudinem, quam maximè Sponsus toto Canticorum cap. 7. laudat, & decantat. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis: iunctura femorum tuorum sicut mollia: vmbilicus tuus crater tornatilis: venter tuus sicut acervus tritici: duo vbera tua sicut duo hinnuli: collum tuum sicut turris eburnea: caput tuum vt Carmelus*, &c. *Labia tua sicut vitta coccinea.* Hac tanta pulchritudine omissa, solùm admonet, ne eius denigredinem aspiciant, illamve admirentur; imò eius reddit rationem; *Quia decoloranit me Sol.* Agnoscebat Sponsa, se cum hóminibus agere, qui nesciunt ad virtutem, & decorem attendere, sed tantum vitium, & defectum meditari. Ideo tam sollicita est, vt intercludat, ne eius denigredinem intueantur, sed illius teneant notam originem D. Bernardus serm. 24. in Cant. *Cùm vbique penè*, ait, *in choro adolescentarū talia inueniam, qua acta Sponsa curiosè obseruent, derogandi non imitandi causa. Torquentur in bonis malis pascuntur.* Perpende, quantum distat humana conditio à diuina. Christus considerat in Sancta Anima eius venustatem, & decorem; homines verò ad maculas permeditandas aduolant. Vnde Sponsa admonitione, ac ratione eorum intuitum à se arcet. *Nolite me considerare, quòd fulca sim, quia decoloranit me Sol.*

Canticor. 1.

Canticor. 7.

Bernard.

Homines solùm attendunt ad defectus, Deus verò ad virtutes.

33. Cùm exercitus Angelorum Domino suo assisterent, apparuit etiam inter eos Satan. *Quadam die cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Iob. 1. num. 6. Quia a Domino requisitus vnde venisset, ait: *Circuiui terram.* Quod explicans Origenes homil. 1. Iob. inquit: *Circuiui circuitionibus iniquitatis, & speculans transitu subito, quid tractetur in animis.* Suo iactantiæ gloriatu mentitur Satanas: ipse enim minime penetrat, quæ in intimo animi fiunt; nam hoc soli diuino intuitu est apertum. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*, 3. Reg. 8. n. 39. Quomodo ergo audet dicere, quòd circuit *speculans, quid tractetur in animis?* Disponebat inimicus Iob virtutem corrodere. *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Cùm autem Iobi vita esset sanctissima, & vndique inculpabilis, ita vt in his, quæ apparebant, nulla esset calumniæ ansa; de corde, ac intentione opinari, ac fabulari inimicus intentat, vt inde Patriarchæ virtutem maligno tribuens mordeat. O quanti sunt, qui hoc diaboli ingenium ebibunt, qui cùm in aliorum proba, & recta vita non habeant, quid arrodant, de corde, ac intentione pensitant, vt inde detrahant, ac suæ maledicentiæ venenum diffundant.

Iob. 1.

Origenes.

3. Reg. 8.

Homines, vt obmurmurent, sæpè de corde, ac intentione opinantur.

QVÆSTIO VI.

Quare Discipuli non dicunt, Quem vis esse maiorem; sed, Quem putas maiorem esse?

34. NON dicunt Discipuli, quem vis, Domine; esse maiorem, sed quem putas, seu iudicas esse maiorem; & nulla sanè prudentia: quamuis enim ambitione essent adulti, ac effectu commoti; tamen

tamen in promotione ad officia, non aliqua beneuolentia inclinantur, sed rationis impulsu diriguntur, & non qualicumque iudicio feruntur, sed diuinum dictamen explorant: non enim dicunt Christo Domino in cuius voluntate omnia esse posita agnoscebant, Quem vis esse maiorem, sed quem putas, seu iudicas maiorem, esse? Valde eis perspectum erat quòd Christus Dominus non puro affectu, sed alto rationis pondere cuncta faciebat, ac disponebat, donáque sua proximè, & immediatè secundum merita impertiebatur.

Cauda ſ. ſimilia nõ ex amore, ſed ex rectum iudicio.

35. Genes. 3. Expulso homine de augustissimo felicitatis loco, Deus *collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendum viam Ligni vitæ.* Gen. 3. n. 24. Res hæc summi ponderis erat, tunc enim prima pœna infligebatur homini, túncq; primò Paradisus gladio custodiebatur, ac ingressus ad Lignum vitæ præcludebatur. Cur ergo hoc negotium Seraphino non committitur, cùm sit natura, ac conditione superior, sed Cherubino, qui ordine est inferior? Seraphim amoris zelum denotat; Cherubim verò scientiæ magisterium; indéque ad huiusmodi custodiam eligitur. Rabanus. *Cherubim*, ait, *scientiæ multitudo, seu scientia multiplex interpretatur; bene Cherubim collocatus esse prohibetur, quia nimirum per disciplinam nobis scientiam cælestis reditus ad supernam patriam patet.* Cum gladio versatili statuitur Angelus in ingressu Paradisi, vt peccantes repellat; tollis verò viam aperiat; quod erga Enoch, & Eliá teste Strabo, factum est. Et non ponitur Seraphim sed Cherubim, vt innuatur, quòd huiusmodi via, non ex amoris affectu, sed ex profundo iudicii, ac rationis dictamine immediatè conceditur. Ideo huiusmodi negotium dispensatur, non per Seraphim, in quo beneuolentiæ impulsus denotatur, sed per Cherubim, in quo est plenitudo scientiæ, qua vnicuiusque merita librantur.

Rabanus.

Strabus. *A Deo dantur dona non affectu, sed virtutum merita appendente.*

36. Apoc. 4. In supremo solio suæ maiestatis apparet Deus in Apocal. cap. 4. n. 3. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, & circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas.* Deus autem in eorum medio residens tenet in manu librum, vt ipse Ioannes explicat cap. 4. num. 1. *Et vidi in dexterâ sedentis super thronum librum scriptum.* Cur quando Deo assistunt vicini seniores sedentes super thronos vestiri vestimentis albis ob suum eximium fulgorem, vt notat Cornelius, habentes coronas in capite, Deus in sublimi sede residet tenens librum in manu. Ad quid liber ille? Andreas Cæsariensis, ac Aureolus autumant, quòd in illo libro descripta erant opera, ac facta omnium hominum. Ideo quando seniores in tam nobili loco cum purpura, ac corona assistunt Deo proximi, hic libet in manu cernitur; vt fiat apertum, quòd senes ad tantum apicem euehuntur, non ex aliquo affectu, sed ex recto iudicio, illorum discutiente facta, & merita, quæ in illo libro videbantur, ac apertè legebantur. Andr. Cæsariensis. *Per hos seniores*, ait, *accipiuntur viginti quatuor, qui altiore, & cognitione præ cæteris excelluerunt.* Ansbertus inquit: *Qui cum Domino sedent, sedes eius esse, cum quo sedent, sicut scriptum est: Illic sederunt sedes in iudicio.* Psal. 121. n. 3. Vide multa tom. 1. 2. ac 3. verb. *Ratio*, vel *Meritum*.

Apoc. 5.

Cornel.

Cæſar. Aurol. *Loca ſcripturæ, in quibus merita diſcutiũtur.*

Andr. Cæſ.

Ansbert.

Pſal. 121.

QVÆSTIO VII.

Quid hic Regnum cælorum denotet?

COmmune dubium, Quid hic significet Regnum cælorum, de quo discipuli in præsenti loquuntur? Abulensis q. 9. Maldonat. opinantur, sumi hic pro Ecclesia militante; quia videbant, Petrum in omnibus rebus præferri; ac proinde cogitauerunt, omnium futurum esse caput in Ecclesia. Secundò alij, quod verissimile iudicat Barradas, regnum cælorum in præsenti interpretantur regnum Messiæ, quod temporale fore arbitrabantur Discipuli. Ideo Mater Iacobi, & Ioannis inquit, *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, &c. in regno tuo* Matth. 20. n. 21. Et est sensus: Qui maior erit in regno tuo, quod in terris erit post Resurrectionem? Tertiò Interlinealis pro collegio iustorum accipit. Quartò Origen. D. Chrysost. D. Hieron. D. Paschas. Euthym. Albert. Magn. D. Thom. pro cælestis Patriæ regno sumunt.

37. Abulenſ. Maldonat.

Barrad.

Matth. 20. Interlin. Origen. Chryſoſt. Hieron. Paſchaſ. Euthym. Alb. Magn. D Thom.

Quintò. Lyran. Carthus. Caiet. & alij regnum cælorum dicunt significare, tam militantem, quàm triumphantem Ecclesiam. Hæc sententia mihi est probabilior. Ecclesia militant in terris tendit ad Ecclesiam triumphantem in cælis, vt ad regnum sibi à Christo promissum. Probatur primò, quia Christus interrogationi Discipulorum respondens de regno cælestis Patriæ instituit serm. n. 3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Ergo ipsum regnum Patriæ in interrogatione inuoluebatur. Secundò, quia Discipuli de primatu in terris constituto pertractabant, quia viderant, Petro claues Ecclesiæ militantis esse promissas. Et, vt scribunt D. Marcus, & Lucas, Discipuli disputabant, & cogitabant, *Quis eorum esset maior?* non quis futurus esset maior; sed quis iam esset in præsenti. Quia tamen præ verecundia non sunt ausi, talem suam contentionem, ambitione notatam, Magistro exponere; quandam quæstionem generalem, vtrumque regnum inuoluentem, ei proponunt, vt solent facere illi, qui aliquem defectum suum obtegere intendunt, valde enim in genere, ac in communi loquuntur.

38. Lyran. Carthuſ. Caietan.

Peracutè D. Chrysost. hom. 59. premit verbum *Regnum cælorum* intelligens pro cœlesti Patria. Sic ait: *Non solummodo crimen considera, sed illud quoque secum verte, quod nulla eis de rebus huius sæculi quæstio est. Nos autem neque ad hos defectus eorum deuenire possumus, nec quis futurus sit maior in regno cælorum, sed quis in terris maior sit, quis ditior, quis potentior, quæremus.* Errant, cùm contendunt Discipuli, quis maior sit: tamen non erat eis concertatio de aliquo imperio, sed de cælesti æternæ Patriæ regno, vt interpretatur Chrysostomus, etiam cùm errant Christi scholæ alumni, nil mundiale sibi præponunt, sed tantum ad diuina sunt intenti; nos verò pro nostra miseria *ad eorum defectus deuenire non possumus*, cùm in nobis nulla sit consideratio de cælesti regno, sed solum, quis in terris ditior, vel potentior sit.

39. Chryſoſt. *Diſcipuli, etiam cùm errant, nil mundiale quærunt.*

Caietanus. *Discipuli*, ait, *huius erubescentes loqui de primatu inter se, inde stimulante passione, mutant, seu honestant quæstionem, & non quærunt; quis est maximus inter nos, sed in regno cælorum.* Ab affectu dominandi orta est huiusmodi contentio, quam teste Hieronymo, vt refert Abulensis q. 8. verecundati sunt Discipuli coram humili Magistro passionem suam profiteri. Hæc autem nota

40. Caietan. Abulenſ. *Vir Aoeſtolicus de ambitione verecundatur.*

tam fœda erat Discipulis, vt vanæ mentis ambitionem tegant, & abscondant adeundæ Patriæ affectu.

41. Matth 16. Prima sedes promissa erat Petro in Ecclesia: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Matth. 16. n. 19. Et tamen filij Zebedæi primas cathedras ambientes submittunt Matrem, quæ accedens ad Christum, adorans, & petens ab eo, ait: *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram.* Matth. 20. num. 21. Cur ipsi fratres, cùm essent Domini consanguinei, ac eius Apostoli, eũ in omnibus sequentes, per se ipsos negotium non expediunt, ac accedentes ad Dominum pro se petunt, & loquuntur? D. Chrysostom. homil. 66. *Cùm hæc ab ipsis excogitata petitio fuerit, pudore victi, matris patrocinium assumpserunt.* Verecundabantur, quòd cùm essent Christi Discipuli, ambitionis nota essent deturpati: ideo non apertè per se, sed sub tegumento per matrem totam rem explicant. De quo latius suo loco.

Filij Zebedæi de ambitione verecundantur.

42. Genes. 28. Iacob adepta benedictione à parente Isaac, à domo paterna discedens, *Profectus pernenit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban.* Genes. 28. n. 5. Cur adepta benedictione, statim à domo paterna discedit? Cur potius, vt totius illius hæres, non ibi residet, matri assistens, quæ ipsam benedictionem negotiari incepetat, vt totam rem ad statum perfectum deduceret? Cur tam cito abiit? Iacob vt benemeritus accepit benedictionem, Deo disponente; tamen, ne eius simplicitas, ac probitas aliqua ambitionis nota deuenustaretur, à domo proficiscitur. Altáque prouidentia merito, ac famæ Patriarchæ consulitur. Merito, cùm impetrat benedictionem: famæ verò, cùm ab ambitionis nota expurgatur: sicque merebatur, nulla tamen ambitione detentus illius, quod promerebatur. D. Zeno serm. de Patientia. *Mitis*, ait, *discedit Iacob, vt probet, se meruisse, & non ambiisse, quod meruit.*

Iacob ab ambitione declaratur immunis.

Zeno.

Matth. 18. *num.* 2. Et aduocans puerulum, statuit eum in medio eorum.

Num. 3. Et dixit: Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum Cœlorum.

VERSIONES.

Syriacus n. 2. Et vocauit Ieschua puerulum, eúmque statuit inter ipsos.

Vatablus n. 3. Nisi conuersi fueritis, & effecti similes puellorum, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.

ALTER TEXTVS.

Marci. 9. n. 35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum, quem cùm complexus esset, ait illis.

Luce. 9. n. 47. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se.

EXPOSITIO II.

43. Exorto malo statim occurrendum. Cyrillus. Abulens. Græcus. Paschas. Morbi radici occurrendum. Chrysost. Verbis, ac rebus docendum. Alb. Magn. Hugo.

VIDENS *Iesus cogitationes cordis illorum*, vt ait D. Lucas statim occurrit, ne ipsa contentio paulatim increscat, & ad grauiora deueniat; nam, vt inquit D. Cyrillus, inchoata passio facilè deuincitur, aucta, ac inueterata difficiliter amouetur. Et in hoc, vt dicit Abulensis quæst. 10. se verum Deum ostendens, qui corda secreta penetrabat. *Aduocans puerulum*, seu, vt est in Græco, *puerulum*, quod significat admodum puerum. Rectè D. Paschasius. Diuinus Magister, occurrit morbi causæ qui ex ambitione, ac quadam vanitate est ortus, medicamentum humilitatis applicat. *Statuit puerum*, seu collocauit, vt, quemadmodum obseruat Chrysost. homil. 59. non solùm verbis, sed etiam rebus ipsis præsentibus humilitatem, ac simplicitatem doceret. Preme verbum *Statuit*, Albertus Magnus, hoc est firmiter collocauit, vt tradita doctrina de humilitate à mente nunquam excideret. Seu *Statuit*, Cardinal. Hugo, quia vera humilitas est stabilis, & non declinat in vanitatem. *In medio eorum*, vt faciliter ab omnibus videretur; & quia mandatum de humilitate in puero repræsentatum æqualiter Diuinus princeps ad omnes dirigebat. Seu, vt inquiunt Albertus Magnus, & Hugo *In medio*, quia humilitas centrum est omnium virtutum.

Humilitas firma, & centrum virtutis.

44. Concordia Euangelistarum. Syriacus. Pagninus. Euthym.

D. Matthæus ait, quòd puerum *statuit in medio*; D. Marcus, quòd illum *amplexus est*, seu, vt vertit Syriacus, *Cum recepisset eum super brachia sua*, Pagninus vero, *In vlnas accepit*. D. Lucas scribit, *Statuit eum iuxta se*. Rectè Euthym. sic explicat, Primum statuit puerum in medio illorum. Deinde iuxta se. Postmodum amplexus est inter brachia. Puellus iste, teste Glos. in c. vnic. de Sacra Vnct. §. *Propter hostiam*; & D. Ant. D. Th. I yr. Ianf. & aliis, asseritur fuisse D. Martialis discipulus D. Petri; qui ab eo in Galliam missus conuertit Lemouicenses, quorum & Episcopus fuit. Simon Metaph. & alij astruũt in eius vita, fuisse D. Ignat. sed vt ait Abul. de hoc non constat, ideo liberum est opinari.

Quis ista puer. Glossa. Anselm. D. Thom. Lyranus. Iansenius. Metaphrast. Abulens.

45. Apocal. 21.

Amen dico vobis, valdè asseueranter tradit Dominus hanc doctrinam, *nisi conuersi fueritis*, ab hac scilicet æmulatione, & contentione, ac aliquali vanitate, quæ in Apostolis non fuit valde magna, & excessiua, ac proinde tantum extitit veniale peccatum, vt communiter Recentiores arbitrantur; indéque tamen impediens ingressum in regnum Cœlorum. *in quo nihil intrabit coinquinatum.* Ap. 21. n. 27. & ideo purgatorio prius expiandum. *Efficiamini sicut paruuli.* Bene obseruat D. Paschas. lib. 8. in Matth. non dixit, sicut iste paruulus. non enim aliquem paruulum determinate designabat, sed naturam paruulorum, quia sua conditione sunt simplices, modesti, humiles, & alieni ab ambitione. De quo quæst. sequenti. *Non intrabitis in regnum cœlorum*, meis fidelibus loco præmij promissuminam, vt ait Carthusianus, Hoc dicitur Apostolis in persona omnium Christianorum.

Paschas. Carthus.

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus non posuit in medio aliquem adolescentem, sed paruulum, cui nos mandat assimilari?

46. Hieron.

DIuus Hieronymus ait, quòd *puerulum statuit in medio eorum se ipsum, qui non ministrari, sed*

sed ministrare venerat, vt eis tribueret humilitatis exemplum, vel alij, inquit, *parvulum interpretamur spiritum, quem posuit in cordibus Discipulorum, vt superbiam in humilitatem mutaret.* Cui sententiæ assipulatur D. Bernardus homil. 4. super Missus est. *Studeamus*, ait, *effici sicut parvulus iste, discamus ab ipso, quia mitis est, & humilis corde.* Hæc sententia multum moralis est, nam, cùm dicitur, vt obseruat D. Paschasius homil. 8. in Matth. *Statuit puerum in medio*, vel, *amplexatus est illum*, seu, posuit super brachia sua, seu statuit illum secus se, puer aliquis à se distinctus denotatur, ac significatur.

Bernard. Pschas.

47. Mandat Dominus nos effici sicut parvuli, non vt ad infantiam redeamus; vnde Nicodemus, sic verba Christi intelligens, ab ipso redarguitur. Io. 3. n. 10. sed vt naturam parvulorum imitemur: non enim, vt ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. Epist. 207. dixit *Effici.mini* parvuli, sed, *sicut parvuli.* Et Paulus 1. Corinth. 14. n. 20 ait: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Et non admonet Dominus, vt simus sicut parvuli in omnibus, sed secundum aliquid. Nam, vt latè discurrit Abulensis quæst. 14. parvuli secundùm ætatem sunt imprudentes, & facilè credunt, & citò ab opinione trahuntur. Sed tantum admonet, vt simus sicut parvuli in innocentia, humilitate, ac vitæ puritate. Sic dixit Christus Dominus suis Discipulis: *Estote prudentes sicut serpentes.* Matth. 10. n. 15. *Cùm multa sint in his, quæ cauenda sunt*, docet Dominus, ait D. Paschasius, serpentis prudentiam imitaris illius vero fraudulentiam, & venenũ fugere, & declinare. Quod bonum est, tibi assume; quod malum vero est, expelle. O vtinam homines hoc genium exiberent erga proximos. Vide supra quæst. 5.

Iesus. Petrus. 1. Cor. 14. Abulens. Matth. 10. Paschas. In homine, quod tanum est, tibi assume, malũ expelle

48. Proposita interpretatio est de mente sanctorum Patrum, D. Hilar. ait. *Pueri patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt; non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur; dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Reuertendum est igitur ad simplicitatem puerorum: quia in ea collocati speciem humilitatis dominicæ circumferemus.* D. Basilius Seleucus Orat. 18. inquit: *Puerorum mores imitemini, morum simplicitatem assumite; nulla illis de dignitate vox; illi primas non ambiunt, hac ægritudine non laborant, non norunt efflorescentem nobilitatem, non super diuitiis elatione vana gloriantur. Insuper consuescunt cum iis, qui vna secum sunt ætate: videbis dominum simul, & famulum in omnibus conuersantes: videbis pauperem puerum, & opulentum ignaros discriminis, quo distant inter se, sedis celsioris ignaros, ignaros diuersæ educationis. Verum manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermixta malitiæ, voluntas à versutia libera, ratio à malitia aliena, animus ad malitiam inexercitatus.* Et satis eleganter multa de hac re prosequitur. Quod etiam multis de puritiæ innocentia incolcant D. Hieronymus, Euthymius, Beda, D. Thomas, & alij.

Hilar. Puritia eundo ad crescit. Basil. Hieron. Euthym. Beda. D. Thomas.

Secundò. D. Leo serm. 7. de Epiphania. *Amat Christus*, ait, *infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, quæ maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Res mira! Ad parvulorum formam mandat nos Dominus componere ad cælestè regnum obtinendum. *Non intrabitis in regnum Cælorum.* Et cur ad tantum regnum expugnandum, non mandat nos potius crescere instar armati adolescentis, seu fortis gigantis? Ad quid mensuram parvuli requirit? Merito sanè in sola humilitate illa tota nostra fortitudo, vt alta, & suprema regna acquiramus. Totum enim Christiani regni negotium in hoc consistit, vt humilitate parvuli fieri sciamus. Perbelle Chrysost. homil. 59. in Matth. *Recte autem*, inquit, *ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit.* Perpende, in quo posuit Dominus totam rem imperij Christiani, non in copioso exercitu, vel ingenti classe, sed in monstratione parvuli, seu in humilitatis documento.

49. Leo. Dei regnum intrare nisi humiliter non licet. Chrysost.

50. Tertiò. Eusebius Gallicanus homil. de S. Michaële. *Meritò*, ait, *parvulum Dominus vocat, vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volunt.* Compone vtramque rem Discipuli magnalia Cæli quærunt: Christus eis obiicit puerum parvulum: optimè sanè, & ad suum propositum Discipuli instruebantur; Cùm in parvulo vigeat puritatis candor, & ibi aperta ostendatur via, qua ad Dei magnalia ascenderent. *Vt eius exemplo instruantur, qui maiores videri volunt.* Euseb. Gall. *Puritas ad Cæli via.*

51. Quartò. Tertullianus lib. 4. contra Marcion. *Ecce Christus*, ait, *diligit parvulos, tales esse docens, debere eos, qui semper maiores esse velint.* Quid inuenitur in parvulis, sine quorum similitud. ne regno cælorum non obtinetur? Hoc parvulis est valde naturale, vt omni tempore, siue dormiant, siue vigilent; siue comedant, siue otientur, semper ingenitis crescant augmentis. Ecce conditio insinuata quærentibus regna cælorum, vt nunquam à virtutum profectu cessent, sed semper nouis progrediantur augmentis, donec ad cælorum regnum perueniant. Tertull. *In virtute nunquam cessandum, sed semper progrediendum.*

52. Quintò. S Max. homil. de S. Michaële post quam dixerit de parvulo illo tuto in medio, sic subiicit: *Hac enim nostra Christianitatis summa est, vt amantibus vicissitudinem, ladentibus patientiam rependamus. Qui ergo patientior fuerit ad iniuriam, potentior constituetur in regno.* Regni sublimitas illum petit, qui se parvulis adaptat. Sed quid habet parvulus, quod nos ad regnum euehat? Parvulus opprobriis, vel alapis, seu flagellis cæsus, statim obliuiscitur, & ridet, & gaudet. Qui & hoc ingenio sunt præditi, vt iniurias à memoria deponant; sciúntque iniuriantibus referre gratiam, ingenti gloria ponuntur in Cælo. S. Maxim. *Qui iniurias remittunt, cœlestes sunt.*

53. Sextò. D. Basil. Seleucus Orat. 28. *Quid tandem Saluator?* ait, *Eam fert offensionem & mores corrigit: Nam demutato responso procedit ad monitionem, & puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit.* Desiderio regni flagrabant Discipuli: puero obiecto, tanquam cum pueris agit Christus. Et cur eos tãquam pueros in hoc negotio reputat: *puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit?* Regni, ac dominatus appetitio, quædam puerilis ratiocinatio, quædam infantilis ignorantia est; ipse enim dominatus magni oneris, ac multorum laborum subiectio præexistit. Qui ergo ad regnum anhelat, non multa, & alta notitia, sed valde debili, ac tenui pollet; indéque infantili ignorantia laborans, puero apposito emendatur: *puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit.* Basil. Sel. *Appetitus regni ignorantia est.*

54. Septimò. Paulus Orosius in Apologia contra Pelagium. *Infans*, ait: *nihil in se habet; nisi quòd diligit blandientem, & quòd panem suum, non in sudore suo, sed in precibus sperans alimoniam vitæ simplici petitione consequitur, quem fiduciali opere non meretur: qua tu comparatione commotus conuertere ad infantiam, vt reuertaris ad vitam.* Cur ad regna cœlestia capescenda nos mandat Dominus potius adaptari sicut parvulos, Oros.

quàm sicut gigantes, et de ipso Verbo Incarnato dicatur Ps.18.n.7. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Cur ergo Dominus nobis pueros in exemplo obiicit? Pueri hoc habent, quòd ad panem obtinendum non fidunt propriis viribus, sed tantum precibus. Sicque hoc documento informamur, quòd ad cælestia capescenda, non in nostris viribus, sed in oratione spes nostra reponatur.

Ps.18. *Ad vesticem cursu gaudendum, in qua sit tota spes.*

55. Octauò. Theoph. *Pueri*, inquit, *neque in prosperis molestus sit, neque in tristibus deijcitur.* Imitatores paruulorum nos vult Dominus, vt cælestia comparemus. Pueri nec prosperis efferuntur, nec aduersis tristitia afficiuntur; aliquando in dilectissimæ matris morte irridentes tales ad regna cælestia optat Dominus, vt nec felici euentu superbia euehantur, néve infausto casu mœstitia comprimantur, sed vbiq; in omnibus æquo animo se habeant.

Theophyl. *Seruus Dei in omnibus æquo animo.*

56. Nonò. Clem. Alex. r. Pædagog. 5. *Rerum*, ait, *ac negotiorum, quæ his sunt, subeas curam abijcere, & suadens solùm Patrem attendere, puellos imitandos, quasi alioqui non probauerimus nos filios Cælestis Patris, de nobis admodum sollicitè, si sollicitudinem de terrenis habuerimus.* Conuersionem in puerilem ætatem in vobis vult Dominus; nam sicut teneri parnuli nil proprium habent, nullâque est eis cura de acquirenda, retinenda, ac conseruanda re aliqua, sed solùm ad effectum, ac indulgentiam erga genitorem propensione quadam sunt dediti: simile ingenium in nobis exquirit Dominus, vt omni terrenorum cura dimissa, solum in diuinum Parentem simus intenti, vt ad cæleste regnum perueniamus.

Clem. Alex. *Omnia terrena dimittenda, vt cælestia cuolemus.*

57. Canebat Regius Vates: *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt* Ps.46.n.10. Cultores Dei, ac obseruatores diuinæ Legis Dij fortes terræ voeantur. Sed vnde, quóve principio tantopere eleuati sunt? An quia sua fortitudine multa terrena bona conquisierunt, eáque sub dominatu suo obtinuerunt? minimè; sed quia tanta fortitudine sunt præditi, vt omnia terrena contempserint, & abiecerint, nullóque mundialium appetitu eorum inuictus animus expugnari, ac deuinci potuerit; indéque tam sublimati sunt, vt ad supernam Patriam euolarint. Noster D. Cyrill. lib. 11. in Ioan. c. 29. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*; *fortes enim*, ait, *propter Deum terrenis omnibus spretis, ad superiora nimium animo eleuati sunt.*

Ps.46. *Eleuatur homo, cum terrena dimittit.*

Cyrillus.

58. Dilectam Animam introduxit Christus Dominus in cellaria sua, in cellaria suæ æternæ beatitudinis, ac fœlicitatis, sicque ait illi: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. n.8. Cur dilecta anima magis à Domino dicitur assimilata equitatui suo in curribus Pharaonis, quam exercitui Madiã, per Gedeonem deuastato Iud.7.21. vel exercitui Assyriorum percusso per Angelum sub Sennacherib. 4. Reg. 19. n. 35. Quid magis bene visum est in curribus Pharaonis? In castris Madian aliqui, licet pauci, subterfugerunt: in exercitu Assyriorum euasit rex vnus. At currus Pharaonis omnes descenderunt in profundum, sicut plumbum, operuítque eos aqua maris: *nec vnus quidem superfuit ex eis.* Exod. 15. n. 28. Inde ex hoc maximè placuit Sponsa Christo, vt introduceretur in cellaria sua, quia in ea omnis affectus vitiosus Ægypti, ac terrenorum penitus extinctus, ac suffocatus est, vt nec vnus quidem, licet paruus, & exiguus superessent: sed omnis omninò sublatus, ac peremptus est D. Greg. Nyss. hom. 3. in Cantica, *Fieri non potest*, ait, *vt assimiletur quispiam equis, per quos in profundum sunt demersi currus Ægyptiorum, nisi per aquam mysticam liberatus à seruitute aduersarij omni sensu Ægyptiaco, & omni externo vitio, & peccato in aqua relicto, purè emergat, Ægyptiaca conscientia nihil secum adducens in vitam postea futuram.*

Cant.1. *Indic.7. 4.Reg.19.*

Exod.15. *Cum alliciatur terrenorum affectus, in cælum anima introducitur.*

Nyssen.

Matth. 18. *num.* 12. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cœlorum.

Num. 5. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.

VERSIONES.

Syriacus n. 4. Quisquis autem deprimit seipsum sicut iste puerulus, is erit maximus in regno cælorum.

Vatablus. Quisquis igitur demiserit seipsum, similiter puello isti.

Syriacus n. 5. Et quisquis exceperit quasi puerulum hunc in nomine meo, is me excipit.

Alij ex Syro. Qui suscepit vnum paruulum, tanquam hunc, in nomine meo.

Alter Textus.

Marc. 9. *n.* 36. Et quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumquẽ me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.

Luc. 9. *n.* 48. Et ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicumque me recipit, recipit eum, qui me misit: nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

EXPOSITIO III.

59. DIVS docuit Christus, humilitatem esse necessariam ad regnũ, ad eámq; suos Discipulos exhortatus est superiori versu. *Efficiamini sicut paruuli*, &c. Nunc verò, vt notat Caiet. ad quæsitum Discipulorum respondendo docet, humilitatem meritoriam esse maioritatis. Et cùm de maioritate, ac premio agit, iam non cum solis Discipulis, sed cum omnibus loquitur. *Quicumque ergo*, siue ex vestro numero, siue non, *humiliauerit se.* Syriac. *deprimit seipsum.* Vatabl. Euth. *dimiserit se, ipsum*, hoc est qui demisse senserit de se ipso, vt nulli, quantumuis contemptibili, se existimet præferendum. Et non ait, humiliauerit verba sua, gestum suum, sed *se* hoc est animum suum, affectum suum; *sicut paruulus iste*, qui verè, & non fictè est alienus à fastu vanitatis, ac superbiæ nullósq; ambit honores. *Hic est maior in regno cælorũ*, seu, vt alij vertunt: Hic est ille maximus, de quo vos quæritis.

Caietan. Syriac. Vatabl. Euthym.

Et

60. Bela. Celarentia fortunis cum præcedentibus.

Et qui susceperit, Beda sic hanc sententiam cum superiori connectit, quòd voluit Dominus præter humilitatem inculcare alium modum, scilicet hospitalitatem ad obtinendam maioritatem in regno cælorum. Mihi aptius videtur dicendũ, quod hic Dominus probat, paruulum esse maiorem in regno cælorum. Ac si dicat: Tantæ dignitatis est, tãmque mei simillimus, meámque personam ita refert, vt qui vnum paruulum excipit, me recipit. *Qui susceperit*, non solùm hospitalitate, sed quocumque beneuolentiæ genere, *paruulum talem*, id est qui talis est affectu, ac animo, scilicet simplicitate, innocentia, ac humilitate, qualis iste paruulus est ætate, ac statura; sic Syrus veriti, *paruulum tanquam puerum istum*, idest humilitate, ac modestia similem huic paruulo. Ita exponunt Euthymius, Carthusianus, Iansenius, Lucas Burgensis, & alij. Et cùm D. Lucas scribat *puerum istum*. Christus primò loquitur de puero vere paruulo, secundo de paruulo mysticè, scilicet humili, & abiecto, in quem dirigit sermonem principaliter. Et notat Albertus Magnus, quod ait Christus. *Qui susciperit vnum*, & non dixit plures: nam plures excipere, difficile, vnum verò facile: facilia autẽ Deus à nobis requirit. *In nomine meo*, mei causa, seu quia meus est, *me suscipit* in mẽbro meo mystico. Marcus, & Lucas addunt, *Recipit eum, qui misit me*, per me enim suscipit eum, qui misit me Euthymius. *Pater siquidem appropriat sibi eum, qui mihi defertur, honorem. Ego vero delatum illi qui factus est velut puer.*

Eutbym. Carthus. Lucas. Burgens. Alb. Magn. Deus à nobis facilia requirit.

QVÆSTIO IX.

Quare maioratus in regno cælorum tribuatur humilitati, cùm potiùs Charitati videatur referendus?

61. HVmilitas virtus est moralis; Charitas virtus Theologica, vt planum est: virtus autem Theologica, cùm habeat Deum pro obiecto immediato, multò nobilior morali virtute; & docet D. Thomas 1.2.q.62.art.2. imò inter ipsas virtutes Theologicas charitas excellentior est, vt docet Paulus 1. Corint. 13. n. 13. *Nunc autem manẽt Fides, Spes, Charitas; tria hæc: maior autem horum est Charitas.* Ergo vbi est Charitas, maior est perfectio, maiúsque meritum est. Quomodo igitur maioratus in regno cælorum tribuitur humilitati: *Qui humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum?*

D. Thom. 2. Corint.

61. D. Thom.

Respondet primò D. Thom. ad citatum Matthæi locum, Charitatem necessario comitatur humilitas; sicut enim in superbia sunt duo, affectus inordinatus, & æstimatio inordinata de se; ita & è cõtrario est in humilitate, quæ propriam excellentiam non curat; item non reputat se dignum: ergo homo quò plus humilitatis habet, eò magis diligit Deum & magis excellentiam sui cõtemnit minúsque sibi attribuit: sic quo plus Charitatis, eo magis humilitatis habet. Ita D. Thomas. Vere humilis valde feruidus est Charitate; nam vere humilis nil boni in se videt, aut recognoscit, sed totum Deo refert, indéque mouetur ad eum summè diligendum, qui ob suam infinitam misericordiam, ac pietatem tot, ac tantam illi concessit.

Humilitas Charitatẽ comitatur.

63. Lyra. Humilitas virtutum fundatis.

Secundò. Lyra. Humilitas non est maior omnibus virtutibus, vt patet ex dictis ad initium quæstionis. Tamen quia humilitas est fundamentum totius perfectionis: & ex magnitudine fundamenti colligitur magnitudo ædificij; ideo magnitudo præmij quod debetur omnibus virtutibus, attribuitur humilitati, quia illa est fundamentum omnium. Et quia Discipuli ex aliquali vanitate contendebant, Quisnam maior esset in regno; ideo Christus opportune illis occurrit obiiciens fundamentum virtutum, humilitatem scilicet, per quam maioratum obtinere poterat.

Tertiò. D. Paul. Epist. 14. ad Celantiam. *Nihil* 64. Paschas. ait, *habeas humilitate præstantius, nihil amabilius, hæc enim præcipua conseruatrix & quasi custos quadam virtutum omnium: nihilque est, quod nos ita & hominibus gratos, & Deo faciat, qua, si vita merito magni, humilitate infimi simus.* Inde ait Abulensis citata q. 22. quòd humilitas magis inseruit ad custodiam virtutum, per quas habetur regnum, quã quæcumque alia virtus: ideo rectè dicitur, quòd per ipsam efficitur quis maior in regno cælorum.

Humilitas virtutum custos.

65. Cùm Dauid virtutibus, victoriis, ac regno esset valdè gloriosus, ita tamen se deiecit, vt coram Dei arca saltaret, cuius rei rationem reddẽs irridenti Michol: sic ait: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quam patrem tuum, & quàm omnem domum eius: & præcepit mihi, vt essem dux super populum Domini in Israel, & ludam, & vilior fiam, plusquam factus sum* 2. Reg. 6. n. 21. Cur cum tantis excellentiis immineret, tanta abiectione se dimittit: imò sua antiqua humilitate non contentus, de maiori, ac viliori cogitat, & *vilior fiam plusquam factus sum?* Cùm Dauid se videret donis, ac virtutibus adauctum, ad profũdiorem humilitatem se conuertit, vt ipsa firmaret, ac stabiliret ea, quæ habebat, illáque ab omni maligno vanitatis incursu custodiret. D. Gregorius Magnus lib. 6. in Iob. cap. 10. *Coram Deo*, ait, *egit debilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.* Expende: *Vt illa ex humilitate solidaret.* Et cùm dona crescerent, non prima sua depressione quiescit, sed maiorem pro munimine intendit.

2. Reg. 6.

Humilitas munimen virtutum.

Gregor.

66. Post interfectos sacerdotes Baal; cùm Iezabel minaretur mortem Eliæ, timuit, fugitque in desertum. *Proiecit se, & obdormiuit sub vmbra ieiunipeni: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, surge, comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis* 3. Reg. 19. num. 5. Valde mirum, quòd tantus Dei athleta timeat, dormiátque sub arbore, non quacumque, sed iunipero: panísque ei offeratur, non alius, sed subcinericius. Quid in hoc mysterij. Timet? Theodoretus, *Concessit Dei gratia naturæ, vt timorem susciperet, vt suam cognosceret imbecillitatem.* Dormit sub iunipero, quæ, vt ait Cornelius à Lapide, arbor parua est, & humilitatem denotat. Datur panis subcinericius. Stephanus Cãmarensis in Allegoriis Titelmani. *Panis subcinericius, qui datus est Elia*, ait, *nostræ scilicet abiectionis memoria.* Cineres enim nostrum puluerem menti obiiciebant. Sed ad quid modo, & non antea tot humilitatis motiua ex imbecillitatis timore, ex arbore, & ex pane excitantur in magno Parente Elia? Disponebatur ipse, vt ad sublimes virtutes, ac magna rerum magnalia eueheretur, nimirum vt per quadraginta dies, & noctes sine vllo cibo ieiunaret; vt quæ per totidem dies magna fortitudine deambularet absque vlla parua quietis mora; ac etiam vt per omne id tempus altissima meditatione, ac contemplatione versaretur, vt ponderat ibi Abulensis: ac tandem deueniens ad montem Horeb, ibi

3. Reg. 19.

Theodor.

Cornel.

Stephan.

Eliæ humilitas peruenit ad sua magnalia.

charitate, & zelo feruens, Dei apparitione recreatur. Antequam ergo Elias ad tantum rerum apicem euocetur, pro tot donorum custodia, ei multa humilitatis excitamenta subiiciuntur, vt in tam sublimi fastigio absque vlla vanitatis aura firmus, & securus degat Propheta. S.Euchirius. *Sancti viri, ait, qui, subleuante spiritu, ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur. Hinc est, quòd Elias, dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum postmodum Iezabel fugit.*

S.Euchir.

QVÆSTIO X.

Quare Christus dixit, quòd ipsummet recipiat, qui paruulum recipit?

67. Carthus. *Christus suis data sibi facta reputat reges verò terræ è contra* Matth.25.

CArthusianus Primò respondet. *Me suscipit, ait, id membro meo mystico, quamuis non in me ipso. Itaque suscipit me, idest mihi fieri indico, quod illi fit; & tam gratum est mihi, ac si mihi in propria persona exhiberetur.* O ingens Christi magnitudo! Obsequia famulis præstita sibi facta reputat, vt illa ipse persoluat. *Quandiu fecistis, vni ex his fratribus meis, mihi fecistis.* Matth.25.n.40. At verò reges terræ famulatum illis delatum ex seruorum bonis rependere disponunt, & imperant. Cùm Dauid fugeret à facie Absalon, venit ei in occursum Siba portans secum cibaria quædam, quæ Regi obtulit. Cui ait Dauid: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth* 2.Reg.16.num.4. Cui tam largiter omnia illa sic concessit, ac sic datum alimentum rebus Miphiboseth recompensare non dubitat.

2.Reg.16.

68. Hieron. *Christus in suis seruis honoratur.*

Secundò. D. Hieronymus. *Qui talis fuerit, inquit, qui Christi imitetur humilitatem, & innocentiam; in eo Christus suscipitur, Et prudenter, ne, cùm delatum fuerit Apostolis, se putent honoratos, adiecit: non illos sui merito, sed Magistri honore suscipiendos.* Ne Discipuli cogitent, quòd hospitalitas illis delata, ob eorum merita ipsis obueniret, explicat Christus, quòd non illorum causa, sed Magistri honore suscipiuntur. Vt inde fiat manifestum, quod Dominus in suis seruis honoratur, & quòd reuerentia, illis præstita ob Dominum, ipsi Domino defertur.

69. Abulens. *Charitas sine bonis sine malis exhibita, remuneratur.*

Tertiò. Abulens. q.28. Dixit hoc Christus, ait, ad tollendam nobis suspicionem de bono, vel malo, quia essent homines dubij in bono suo in susceptione hospitium, credentes, quòd si interdū malos reciperent, tunc nihil mererentur: tollit hoc Christus dicēs, me suscipit, id est si in nomine meo suscipiatur quis, siue bonus siue malus sit, ego suscipior. Ita Abul. De charitate propter Dominum proximis exhibita, sine sint boni, siue mali, reddimur certi, quia cùm Dominus in ipsis suscipiatur, à Domino mercedem habebimus.

70. Paschas. *Christus in humilibus habitat.*

Quartò. D. Paschasius lib.8. in Matth. *Ac si diceret Dominus,* inquit. *me suscipit, quia in talibus ipse sum, qui se ipsos ita deiciunt, vt propter me ad tantam innocentiam redire velint, vt ad habitudinem, quam habent pueri ex ætate, ipsi per rationem, & fidem suscipiant* Expende verbum. *Quia in talibus ipse sum.* Qui suscipit humilē sub puerorum typo, hic expressum Christum recipit; Christus enim in humilibus inest, & habitat; ita ei complacet humilitas, vt in ea constituat suam sedē, & habitationē

Dilecto suo, vbi Christus requiescere solebat, ait Sponsa: *Lectulus noster floridus.* Cantic.1.n.16. Lectulus, est diminutiuum, hoc est paruus lectus. Planum est, quòd lectus debet proportionari suo locato: Cur ergo Sponsa ad tam immensum Dominum excipiendum, cuius magnitudinem totus non capit orbis, non offert amplum, & latum lectum, sed augustum, & exiguum lectulum? Sponsa optimè callebat suu Dilecti ingenium, qui ad sui sedem, & requiem, non magnos & excelsos requirit; inde non offert amplum, sed exiguum lectum: optimè enim sciebat, quòd nullo aptiori modo poterat eum ad se attrahere, ac allicere, vt in ea habitaret, ac requiesceret, quàm si omnia sua, aliàs valde magna, in paruo, ac minimo iudicasset; ipsa namque eius demissio, ac humilitas, Dilecti præsentiæ, ac sedis efficax erat negotium. Card. Hugo, *Argutia insinuatione*, ait, *inuitat Sponsa Sponsum ad amplexum ex sui opinione, qua semper se minuit: nam proprium solet esse humilium, vt semper de se semiant infra quàm sint.*

71. Cantic.1. *Humilitas solicitat Christum, vt in ea habitet in anima.* Hugo.

Rediuius, ac triumphator de morte occurrit Dominus Iesus sanctis mulieribus. Quæ cùm ipsum agnouissent; *Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Matth.28.n.9. In hoc enim facto adimpletum est illud Animæ sanctæ dictum Cantic.3. num.4. *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Sic ait D. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. *Tenuerunt illum vt implerentur: Tenui eum, nec dimittam.* Vnde illis tanta efficacia, vt sic Deum tenuerint, vt nunquam amplius dimitterent? Perpende, quòd non dexteram petunt, sed ad pedes connolant, Theophylactus. *Ille*, inquit, *præ multa reuerentia pedes eius tenet, non audentes aliam corporis partem contingere, quàm extremas illas.* Et cùm tanta sint humilitate præditæ sanctæ mulieres, inde tam vehementer tenuerunt, & astrinxerunt Dominum ad se, vt nunquam amplius eum dimitterent.

72. Matth.28. Cantic.3. Cyrill.Ierosol. Theophyl. *Humilitas Deum ad se attrahit.*

Matthæi 18. num.8. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis autem offendiculo fuerit vni ex istis minimis, qui credunt in me, satius ei fuerit, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, ac demergatur in profundis maris.

D.Paul.Ep. 6. *ad Seuer.* Væ qui scandalizauerunt vnum ex modicis istis.

D.Antiochus homil. 18. Melius est ei, vt lapis molaris pendat à collo, & is proiiciatur in mare.

Arias. Confert ei, vt demergatur in pelago maris.

ALTERA TEXTVS.

*Marc.*9.n.42. Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis, credentibus

dentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur.

Luca.17.n.2. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.

VERSIONES.

SVo sermone pergit Dominus ostendens, in quanta æstimatione sint apud eum humiles. Hucvsque egit appositio præmio humiles honorantibus; nunc verò designata pœna eos contemnentibus, ac reiicientibus. *Qui autem scandalizauerit*, Syriacus, *offendiculo fuerit*.seu vt legit Vatabl. *offenderit*.Quod explicans D.Chrysost.homil.59.ait,*Qui deliquerit*, Theophylactus, *iniuria affecerit*; quod etiam tradunt Euthymius, D.Thomas.At verò D.Hieronymus interpretatur malum exemplum prælatorum. Ita ait: *Si in hoc vitio*, scilicet ambitionis, Discipuli *permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere.* Aptius dicendum est cum Ianfenio.Verbum *scandalizare*, hoc loco significat offendiculum alicui opponere, in quod impingat, & cadat, siue iniuria, siue prauo opere, exemplo, vel consilio, siue alio modo scandalum, seu offendiculum exhibeatur.Hoc enim modo sumitur hic scandalum, ac in sequentibus. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te*, &c. Præclara tunc patet Antithesis; ac si dicat Christus: Qui vnum paruulum susceperit in meo nomine, scilicet in mea fide, vel benignitate, ac amore fouerit, me suscipit: sic qui scandalizauerit vnum ex his pusillis verbo,& exemplo, melius est,illi demergi in profundum.

Vnum de pusillis. Sicque vnum scandalizat, seu offendit verbo, exemplo, & opere; seu retrahit à fide,vt ait Petrus Damianus lib.6.Epist.32.tanta pœna ei infligitur. *Quale sit iudicium subituros*, inquit S.Leo Epist.52.ad Anatolium.*qui tot Ecclesiis, tot sacerdotibus scandalum inferre non timet.* Preme verbum *de pusillis*. D. Hieronymus. *Nota*, ait *quòd qui scandalizatur, parvulus est maiores, enim scandala non recipiunt*, Offendunt, ac scandalizantur contumelia, prauo opere, vel exemplo parvuli; at verò magni, & procerès in virtute in omnibus stant firmi, nulloque commouentur. *Qui me credunt*, hi scandalizantur mala doctrina, malo opere, & exemplo.

*Expedit ei.*Horum verborum sensus rectè colligitur ex D.Marco, qui habet: *Bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria*, & ex D. Luca scribente: *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur.* Significat Christus Dominus, vt rectè ponderat D.Paschasius, quòd vtilius est scandalizatori, in pelagus demergi, seu morte corporali etiam infami affici, quàm quempiam scandalizare; hic enim Deum offendit,tartareique ignis supplicium incurrit, quod multò grauius est, quam quælibet submersio corporalis. *Mola asinaria.* Mola leuis, quæ manu truditur, dicitur trusatilis, seu manualis, quæ verò asinaria appellatur, est valde prægrandis, quæ ab asino circum agatur. Hæc erat, vt referunt D.Hieronymus,D.Paschasius,Albertus Magnus, maiorum criminum pœna apud Iudæos, & Palæstinos, vt reus ligato saxo in mare præcipitaretur.*In profundum*, vt homo cæno peccatorum inuolutus irreuocabiliter absumatur. Syriacus habet, *In profundu*! Ac si melius sit in multa supplicia temporalia demergi, quàm in vnum peccatum mortale prolabi.

QVÆSTIO XI.

Quare scandalizatori non alia assignatur pœna, nisi mola asinaria suspensa in collo?

MOla asinaria est lapis magnus ad molendũ triticum, verbi gratia. Vnde D. Lucas scribit *lapis molarij*. Dicitur autem à Matthæo, & Marco, *Asinaria*, quia ob sui magnitudinem solet trahi ab asinis, & non ab homine. Lucas Burgensis,& Cornelius à Lapide volũt,quod hic intelligatur inferiòr lapis molaris; qui superiore maior est. Circa ipsum lapidem inferiorem immotum superior rotatur. Inferior enim Græce appellatur asinus, eo quod instar asini omne superioris pondus sustineat.

Saxo alligato ad collum demergi in profundum, pro maximis criminibus dabatur in terra Chanaan, ideo præ cæteris hanc pœnam hic assignat Dominus, quia melius erat, quòd illa homo premeretur in hac vita, quam quòd, peccando, vnum ex pusillis offenderet, quia vt ait D. Hieronymus, *Melius est pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis seruari cruciatibus.*

Maximè ponderandum, vt rectè notarunt D.Chrysostomus homil.59. & Abulensis q. 34. Quòd,sicut superius dixit,Dominus, *Qui suscipit vnum paruulum, me suscipit*,hic, vt videbatur consequens, non dixit,Qui scandalizat vnum de pusillis illis, me non recipit; sed supplicium temporale assignat, vt suspendatur mola asinaria, *Quia*; ait Abulensis, *cùm Discipuli adhuc rudes extarent, nesciebant,qualis pœna esset, non habere secum Christum spiritualiter habitantem*; *posuit pœnam illam temporalem, qua maximè eos mouere poterat.* Aliquando homines magis deterrentur pœna corporali quam damno spirituali.

Ad quæstionem respondet primò Origenes homil.5.in Matth. *Asinaria mola imponitur scandalizanti vnum de pusillis in Christum credentibus,vt demergatur in profundum maris. Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum hominis mali, quod semper deorsum trahit, vt demergatur in abyssum.* Hoc supplicium assignatur præ cæteris ob summam grauedinem molæ asinariæ, qua homo demergitur in profundum, vt denotetur ingens pondus, quod secum peccatum importat,vt præcipitetur miser homo in abyssum.Creato homini præcepit Deus: *Ex omni ligno Paradisi comede.*Genes.2.num.17.At post peccatum ait illi: *Comedes herbam terræ.* Genes.3.num.18. Quod ponderans Novarius Epistol. de Cibis Iudaicis cap.2.inquit: *A pomi esu ad fruges contulit culpa conditionem conscientia ipsò situ corporis approbante, nam & innocentia decerpturos alimenta ex arboribus adhuc sibi bene conscios homines ad superna subere-*

73. Chrysost. Theophyl. Euthym. D.Thomas. Hieronym. Ianfenius. Quid sit scandalizare. 74. Damasc. Leo. Hieron. Non magni, sed ipsi scandalizantur. 75. Paschas. Melius est supplicium corporale, quàm infame, quàm infernale. 76. Mola asinaria. Burgensis. Cornelius. 77. Hieron. 78. Chrysost. Abulens. Aliquando homines plus mouentur pœna corporali, quàm damno spirituali. Abulens. 79. Origenes. Peccatum pondus grauissimum.

xit, & commissum delictum ad conquirenda frumenta homines, è terra soloque deiecit. In alimento concesso naturam status expressit Deus. Perseuerante innocentia dantur fructus arborum, vt ex conditione innocentiæ ad superna eleuet oculos. Post peccatum verò assignatur fructus terræ; ac si peccati pondere oppressus, ad alta non valeat erigi, sed ad ima, ac inferiora ruat.

86. Ambros. Secundò. D. Ambrosius lib. 8. in Lucam c. 18. *Nonne*. ait, *tibi videtur tanquam molam asinariam volvere quandiu in imperitiæ suæ errore versatur*, scilicet homo, *operta mentis cæcitate suffusus, vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis aperire non nouerit? & ideo sine vlla alacritate, vestigiis in se sæpe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno.* Cur non alio pondere submergitur, sed mola asinaria? Vt ibi conditio peccatoris similis iumento, molam versanti, exprimatur. Iumentum hoc opertis oculis agitur, & in eisdem vestigiis semper circumuoluitur: ita & peccator, tanquam insipiens iumentum, à sua libidine agitatus, suâque turpitudine obcæcatus semper suis vitiis insistens circumuoluitur, in illisque ex vno in aliud se præcipitat.

Peccator tanquam iumentum obcæcatum in suis vitiis circumuoluitur.

87. Chrysost. Tertiò. D. Petrus Chrysologus serm. 27. inquit: *Bene ergo illi, sicut alibi, dixit, vt mola asinaria colligetur collo eius, & inde sumat pœnam, vnde sumpsit & sensum; & exaquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus, superna sapientibus comparari.* Peccator, tanquam iumentum, collo alligatur ad molam, vt demergatur. Sed cur potius collo, quàm manu, vel pede astringitur? Per guttur hauritur gustus inde & ibi pœna infligitur. Vbi enim peccator dulcedinem suarum voluptatum inuenit, ibi & simul sibi pœnam comparat. *Et inde sumat pœnam, vnde sumpsit sensum.*

Peccatori vbi est gustus eius, ibi & pœna.

88. Chrysolog. Quartò. Idem D. Chrysolog. *Quare non lapis, sed lapis molaris? Quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat, Bene ergo illi, qui elegit minister scandali magis esse, quàm pacis, ad collum lapis alligatur molaris: vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Lapis molaris, dum girat, à nobili farina *furfurem secernit*: bene ergo scandalizatori lapis molaris alligatur ad collum. Siquidem degens in hoc sæculo, in quo erat farina probitatis, & furfur iniquitatis, neglecta probitate elegit malitiam; satis congruè mola illi suspenditur, vt pro sua magna miseria inde habeat mortem, vnde reportare poterat vitam.

Magna miseria, inde quis habere mortem, vnde poterat habere vitam.

89. Ambros. Quintò. D. Ambrosius citato lib. 8. in Lucam, cap. 18. Expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius: *Plus enim*, ait, *proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis, ac deformis belluina quædam pompa supplicij.* Cur in scandalizatorem non aliam pœnam minatur Dominus? Vel, cur gehennæ flammam ei non obiicit? Cur molam asinariam collo suspensam opponit? Hæc pœna valde infamis reputabatur, vtpote iumentorum, ac brutorum propria, indéque specialiter Christus illam commemorat ad reprimenda scandala. Infamiæ nota maximum horrorem ingerit; grauiter enim ingeniros viros à quolibet facinore deterret, ac continet, ne tanquam degeneres habeantur. Nulla autem maior infamia, quam omissa humana conditione, tanquam bellua reputari.

90. Ob magna peccata, multasque idololatriæ abominationes, óbque sancta prophanata, ac contemplata, grauia minatus est Deus supplicia Babylonico populo, vt sic forte resipiscens, à delictis suis retraharur, dicens: *Descende, sede in pulvere, Virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Isaiæ 47. num. 1. Mandatur filiæ Babyloniæ, vt suum decorem deponat, descendátque à regali solio, & in pulvere sedet; ac inde adiungitur, vt molæ alligetur, hócque illi assignatur tanquam omnium miseriarum compendium. Nonne erat maior calamitas, quòd in montem abiret, filiósque suos interfectos videret? Hoc tamen omisso, molæ alligatio apponitur, & nulla maior miseria, quàm quòd reiecta humana conditione, seruilem, ac infamem brutorum resumeret. D. Cyrillus Alexandrinus. *Volens, nolens*, ait, *seruitutis miseriam subibit, molet farinam, apparebit nuda? Retegetur ignominia tua, apparebunt dedecora tua.* Sicque Sanson pro magno opprobrio comprehensus ad aduersariis hoc supplicio afficitur, vt ad molam alligatus triticum tereret. Iudic. 16. num. 21. Vide tom. 3. cap. 9. num. 107.

Infamia nota ingens supplicium, vt terrent. Cyrill. Alex.

Isaiæ 47.

Iudic. 16.

Matthæi 18. *num.* 7. Væ mundo à scandalis: necesse est enim, vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

VERSIONES.

Vatablus. Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim, vt veniant offendicula: veruntamen væ homini illi, per quem offendiculum venit.

Euthymius. Væ mundo per scandala. Necesse est venire scandala.

Arabicus.

Syriacus.

Alter Textus.

Lucæ 17. *n.* 1. Et ait ad Discipulos suos: Impossibile est, vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.

EXPOSITIO V.

85. Occasione superioris sententiæ pertractat Diuinus Magister de scandalo, vt pestè valdè nociua, quo instruat omnes, tam bonos, quam malos, vt sollicitè fugiant, & dare, & pati scandala: boni ne à sua bonitate decidant; mali verò, ne in peius ruant. Datur autem scandalum, seu offendiculum ambitione, malo exemplo, deprauato verbo, ac doctrina; persecutione, & irrisione iustorum. Hi autè rei sunt Gehennæ. Scandalizantur autem, & offendicula patiuntur, qui aliorum iniqua exempla, ac prauos mores verbo, & facto sequuntur: & hi, tanquam iniquorum sequaces, æternaliter pereunt. *Væ mundo à scandalis.* Deplorat Dominus miseram mundi conditionem, cum plenus sit hominibus iniquis, qui suas cupiditates sectantur. Per mundum intelligit amores

Hilar. Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

amatores mundi,& eos,qui ſunt in mundo,vt explicant D.Hilarius,D.Chryſoſtomus,Euthymius, Theophylactus: Mundani enim quanis occaſione,ac ſcandali,& periculi vmbra mouétur,ac rapiuntur ad malum.

Mundani quanis occaſione mouentur ad malum.

86.

Origen. Hieron. Chryſoſt. Beda. D.Thom. 1.Corin 11.

Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala. Neceſſe dicit, non abſolutè,ſed ſuppoſita hominum peruerſitate, vt indicant Origenes,D.Hieronymus, D.Chryſoſtomus Beda,Euthymius, D. Thomas, & alij.Sicut Paulus dicit 1.Corinth. 11.num.19. *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Sic eodem modo conſiderata humana malitia,ab pronitate, inſtigante Dæmone, oportet, ſeu neceſſe eſt, vt ſint ſcandala,ſeu offendicula ab Hæreticis, ſuperbis, & iniquis hominibus,vt manifeſtentur ſancti, & humiles viri.*Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Illud *væ* magnum ſupplicium Gehennæ denuntiat ſcandalizatoribus,cùm tantum crimen libere, ac voluntate ſua perpetrent.*Homini illi.*D.Hilarius,D.Remigius,D.Paſchaſius,D.Hieron. hominem hunc putant Iudam, qui proditorio crimine ſui ſanctiſſimi Magiſtri ſummum ſcandalum, in toto Orbe dedit. Tamen ſententia hæc eſt generalis, quæ omnibus ſcandala dantibus æternæ condemnationis væ prænuntiat.

Hilar. Remigius. Paſchaſ. Hieron.

QVÆSTIO XII.

Quare ex viſa Diſcipulorum ambitione, totius Orbis conditionem deflet Dominus?

87. *Quæſtionis difficultas*

CVM inter Apoſtolos,adhuc rudes,quædam de primatu ambitioſa contentio pullulaſſet, *Quis maior eſſet in regno cælorum?* Reſpondens Dominus largam de eradicanda ambitione, ſcandalóque vitando habuit concionem; & tandem deflens miſeram Orbis conditionem exclamans ait: *Væ mundo à ſcandalis!* Qua conſequentia ex illa Diſcipulorum ambitione tenui ad totius mundi lamentum deflectit? Quænam, Domine,facinora vides,quæ tuis;ac vniuerſo mundo extremam ruinam pertimeſcere faciant, ingemiſcis enim ſuper vniuerſum Orbem: *Væ mundo a ſcandalis?*

88. Paſchaſ.

Reſpondet ad quæſtionem D.Paſchaſius lib.8. in Matth.*Contra Apoſtolos*, ait, *id dictum intelligi poteſt,qui interrogando, Quis maior eſſet in regno cælorum,videbantur de dignitate inter ſe contendere. Et ſi in hoc vitio permanſiſſent, poterant proculdubio eos, quos ad fidem vocabant,ſuo ſcandalo perdere:dum viderent eos adhuc in fide infirmos inter ſe honore ſuperare.* De contentione Apoſtolorum totius Orbis interitum lachrymatur Dominus, *Væ mundo à ſcandalis.* Illud enim *Væ*, quandam vniuerſalem ruinam prænuntiat, vt dixi in expoſitione. Cur tanta iactura ex paucorum contentione timetur? Erat enim huiuſmodi concertatio pro honoribus obtinendis in Apoſtolicis viris? in quibus res eſt adeo periculoſa, vt inde in vniuerſis iactura imminere videatur. *Et ſi in hoc vitio permanſiſſent,poterant procul dubio eos, quos ad fidem vocabant,ſuo ſcandalo perdere.* Et ideo tantus eſt Dominus ab exordio Euangelij vſque modo per varios diſcurſus exhortans ad humilitatem, ac ad vitandum ſcandalum,vt ſic à ſuo collegio talis eradicata repellatur contentio,ne illa forte totus inficiatur, ac deperdatur Orbis.

Contentio de honoribus in Eccleſiaſticis rebus inficit, & perdit orbem.

Venit vir Dei,ad Heli,prænuntians deſtructionem domus ſuæ. Et ait illi. *Hoc erit tibi ſignum,quod* 89. 1.Reg. 2. *ventura eſt duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* 1.Reg.2.num.34.In Ægypto pro ſuis magnis delictis in vnaquaque familia vnus tantum moriebatur primogenitus: Cur familiæ Heli acerbior pœna infligitur, vt vna die duo filij occumbant? In Ægypto regnabat Idolatria, rebellio, ac obſtinatio contra Dei mandata?& tamen vnius primogeniti morte in vnaquaque familia Dominus eſt contentus: at verò filij Heli erant ſacerdotes, multa ambitione adulti; bona enim ſacrificantium ſibi auferebant eod. cap.2.num. 12. &c. Deus autem nouo regimine Samuëlis diſponebat, rempublicam à prauis moribus reſtaurare, ac reformare. Moriantur ambo filij Heli vna die, nam ſi vno mortuo alius ſuperſtes exiſteret,ambitionis peſtis,in illo vigens, totum regnum,ac orbem inficeret, & deperderet: occumbant ambo ſimul,vt deſtructis vitiis cuncta rectè ordinentur,ac virtutes floreant.D. Gregorius Magnus ſupra citatum cap.2. Reg. Vna die morientur ambo. *Hoc*,ait, *itaque de officio ſuſcepit culminis, temporalem felicitatem amantes, audiant, & reatus ſui magnitudinem pertimeſcant: quia, dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus ſui peſtem ad ſequentium ſe multitudinem tranſmittunt,* Greg. Mag. *Ambitio in Eccleſiaſtico,peſtis eſt, quæ alios enecat.* Preme verbum *potus ſui peſtem.* Qui in Eccleſiaſtico culmine de ſuo faſtigio elationem,ac ambitionem ebibunt, peſtem effundunt,quæ alios valeat inficere, ac enecare.

90.

Magna contentione contra Aaron,& Moyſen ſurrexerunt Core, Dathan, & Abiron pro ſacerdotali dignitate ambienda:in quos nouo, & inuſitato modo diuina vltio deſæuiit. *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum; & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderúntque viui in infernum operti humo.* Numer.16. *Ambitio, vt peſtis, totum orbē coinquinat.* Ambroſ. Numer.16.num.32.Cur viui tam præcipiti lapſu ab inferno abſorbentur? Cur non more omnium creaturarum moriuntur ſuper terram? Gauit omnium Auctor, ne illorum peſtiferæ ambitionis contagium orbem totum inficeret,ac contaminaret; ideo diſpoſuit, vt viui à gehenna deglutirentur.D.Ambroſius Epiſt.82. *Ingemens terra*,ait, *in medio plebis ſcinditur,aperitur in profundum ſinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis,vt nec aërem hauſtu, nec cælum viſu, nec mare tactu,nec terram contaminaret ſepulchro.* Et pro magis confirmanda hac noſtra aſſertione expende,quòd terra *deuorauit illos cum tabernaculis ſuis,& vniuerſa ſubſtantia eorum.* Abſorbentur cum filiis, vxoribus,ac cuncta familia. *Et vniuerſa ſubſtantia*,hoc eſt,vt transfertur ex Hebræico,*cum omni re ſua*: ne quid ex tanta peſte ſupereſſet, quod totum coinquinaret, ac corrumperat orbem. Hebraum

QVÆSTIO XIII.

Quare Dominus luget ſcandala mundi, & ab ipſo illa non removet?

PEr ſcandala hîc præcipuè intelliguntur perſecutiones, vexationes,ac afflictiones iniquorum contra iuſtos, vt dixi in expoſitione. Hæc autem ſcandala dicit Dominus neceſſaria, ſuppoſita hominum depravatione, vt iam eſt explicatum 91.

plicatum. Cur verò hæc scandala non remouet? inquirit quæstio præsens.

92. Theophyl. Respondet primò Theophylactus. *Quid oportet lachrymari, vbi opus est succurrere, & manum porrigere? Dicimus igitur, quòd & ipsum legere, quædam iuuandi species est. Sæpe enim quibus admonitio nostra non profuit, illis profuimus, dum eos lugemus, quo sensum mali sui accipiant.* Dum Dominus lamentatur super hominum scandala, ac contentiones, maximè illis subuenit; nam lachrymæ profusæ à tanto Domino maximè inseruiunt, vt quilibet nostrum resipiscat, ac reiectis scandalis modestè, & piè sine ambitione viuat.

Cùm Christus delicta luget, quæ hominũ non emendantur.

93. Chrysost. Secundò D. Chrysostomus homil. 60. quæstionem sic excitat, & resoluit. *Quamobrem ipse scandala non eiicit? inquio.* Et *cuius rei gratia, tollenda erant! an propter eos, qui detrimento afficiuntur? sed non inde, qui detrimentum patiuntur, pereunt, sed desidia, & ignauia sua: quod virtutis cultores verum esse ostendunt, qui non modo nullam à scandalis iniuriam patiuntur, sed plurimum etiam lucrantur.* Pro magno bono Dominus hæc permittit esse scandala quibus nullus periit, nisi ex ignauia sua; iustus autem illis multum proficit, & lucratur, dum in patientia, humilitate, ac charitate erga Deum se exercet. Quod clarius constabit ex sequenti ratione.

Persecutione iniquus ex ignauia sua perit, iustus verò proficit.

94. Origenes. Tertio, & pulchrè Origenes tract. 5. in Matth. *Nec putes*, ait, *secundum naturam, vel substantiam esse huiusmodi scandala: sed libertas arbitrij in quibusdam genuit scandalum, nolens suscipere pro virtute laborem* (alte recogita sequentia verba) *non potest autem esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali.* Pro cuius rei argumento attentè posita Domini verba, ait: *Necesse est, vt veniant scandala*: non enim dixit (sensum moralem prosequor) huiusmodi impugnationes esse vtiles, sed necessarias, vt iustitiæ, ac virtutis regnum in hominibus firmetur, quod aliquando in summa prosperitate, ac tranquillitate collapsum inuenitur. Scandalum iustorũ, persecutio ac boni impugnatio, mala est in se; bonitas tamen impugnatione defœcatur, humanorúmque affectuum excrementa despumat, & ad valde purum excrescit; qui verò à malo impugnationẽ non patitur, in lubrico degit, & aliquando, vt deses, prolabitur, & ad iniquorum castra deflectit.

Non est vt vnum bonum sine impugnatione mali.

95. Chrysost. Quòd grauiter, & erudite confirmat. D. Chrysostomus citata homil. 60. in Matth. *Quod si vis à primo statim homine id considera, nam si, cum breui tempore, nec die fortasse integra, in paradiso deliciarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit, vt æqualitatem Dei falsa cogitatione sperauerit, & seductorem huius beneficij auctorem opinatus, vnum præceptum seruare non potuit: quid ille non fecisset, si longissimo in tranquillitate illa tempore vixisset?* Summa prosperitate, tranquillitate, ac subiectione potentiarum, ac omnium rerum, nec fortè per vnum diem stetit primus homo, quin falsa præsumptione cogitaret, se esse æqualem Deo; indéque turpiter deliquit, ac totum genus suum fœdauit. Quid verò ille non perpetraret, si prosperitas illa per longas moras traheretur. Postea autem à paradiso expulsus, appetituum, ac inimicorum inuisibilium conflictu multa vigilantia pugnans, magna pœnitentia resipiscit, & viuit, magnisque virtutibus exornatur, ac tandem regnum cœleste promeretur.

In prosperitate ruina, in bello victoria.

96. Exod. 4. Israëlitæ ante transitum maris rubri Deum adorantes reuerebantur, Exod. 4. nu. 31. Vnde digna-

ti sunt, vt eorum clamor à Deo exaudiretur; Exod. 3. num. 9. At verò post transitum maris in turpissimum Idololatriæ vitium prolapsi sunt, vt vitulum adorarẽt. *Fecit eis vitulum conflatilem, dixerúntque: Hi sunt Dij tui, Israël.* Exod. 32. num. 4. Cur, qui ante erant Dei cultores, modo Idololatræ facti ipsum contemnunt; cùm potius ex mirabili maris diuisione, re nunquam antea visa, Diuinam maximè deberent reuereri maiestatem? Ante transitum maris habebant Israëlitæ Ægyptios sui aduersarios, quorum oppugnatione, tanquam fortes milites vigilantes, in timore Dei se continebant: at tranfacto mari viderunt Ægyptios in littore demortuos, Exod. 14. num. 31. Cùm se tunc agnouissent in summa trãquillitate, ac prosperitate, suffocatis suis aduersariis, & iam nullum timerent, qui eis bellum posse inferre; inde maxime naufragentur, ac in omne vitium præcipites ruunt. D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 74. *Postea quam*, ait, *Ægyptij defuncti sunt, eósque mare pro sepulchro habere consp exerunt Iudæi, tunc verò ad idolorum cultum se conuerterunt. Nam cùm mare transissent, nec periculi quicquam subiissent; vbi terram attigerunt, naufragium pertulerunt.*

Exod. 9.

Exod. 32.

Exod. 14. *Inter aduersarios firmitas, illis extinctis lapsus.* Pelusiota.

Matth. 18. *num.* 8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

Num. 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

VERSIONES.

Syriacus n. 8. Si verò manus tua, aut pes tuus offendiculo tibi fuerit, amputa eum.

Arias. Pulchrum est tibi, ad vitam ingredi debilem.

Vatablus. Melius est tibi, ad vitam ingredi claudum, aut mutilum.

S. Chromatius. Aquilens. Epis. Conc. 1. *de Beatitudine.* Quòd si oculus tuus scãdalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus eat in gehennam.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. *n.* 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est

est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam igni inextinguibilis.

EXPOSITIO VI.

97. DOcet Dominus, quanto studio, ac diligentia sint scandala à nobis vitanda, fugiendique scandalizatores etiamsi instar oculorum, manuum, vel pedum sint charissimi amici summéque coniuncti consanguinei, vt docent, D. Chrysostomus, Theophylactus, & alij citandi quæst. sequenti. Hanc eandem sententiam iam Dominus dixerat Matth. 5. num. 31. & 32. quæ à nobis iam sunt explicata ibidem tom. 3. c. 13. in exposit. n. 22. & 23. ibi videnda dicta. Repetit autem illa, tum fortè propter nouos auditores, vt ait Abulensis quæst. 40. tum etiam propter grauitatem, ac necessitatem doctrinæ.

Chrysost. Theophyl. Matth. 5.

Abulens.

98. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te.* Cùm hæc iam sint explicata citato loco, breuissimè dicã. *Si manus tua*, per tactum, vel per quamcumque operationem; *pes* per gressum, seu per cursum, *te scandalizat*, hoc est, offendit te, ac ducit ad illicita, & peccata; *abscinde eum*: non est sermo de mẽbris materialibus corporis, vt late probat Abulensis q. 41. sed de his, quæ sunt veluti membra, vt iam dixi ex Chrysostomo, *Abscinde eum*, hoc est, inordinatum vsum horum membrorum vitando amputa, & *proiice abs te*; separa nempe à te, seu longe fac à te vitiosos membrorum istorum actus: *bonum tibi est*, id est melius, vt legit Vatablus; nam Hebræi carent comparatiuo. Et est sensus: melius est tibi, ad vitam æternam transire, *debilem, vel claudum*, illicitis actibus manuum, vel pedum in hac vita carentem, *quàm duas manus, vel duos pedes habentem*, inordinatum vsum horum membrorum pro sua libidine habentem, mitti in æternam damnationem.

Abulens. Chrysost. Vatabl.

99. *Et si oculus tuus.* Hæc sententia ad idem spectat, quò superior, eodémque modo exponenda: per oculum autem intelligitur vanus, ac impudicus aspectus, seu immoderata, ac illicita cogitatio: *bonum est tibi cum uno oculo*: id est, melius est tibi, cum moderato, ac reformato oculorum vsu ad æternam felicitatem ire *quàm duos oculos habentem*, eis ad libitum vtentem, & circunspicientem, in ignem æternum mitti.

QVÆSTIO XIV.

Quare Dominus non solùm præcipit, manum, vel pedem, ac oculum abscindere; sed etiam proiicere?

100. PEr oculum, manum, vel pedem, non intelligunt corporis membra naturalia, sed metaphoricè illa, quæ nobis sunt offendicula, & in damnum spirituale vergunt. Origenes. Quod Sacerdotes rationabiliter possint dici Ecclesiæ oculus: quoniam speculatores habentur: Diaconi autem manus, quia per eos opera spiritualia gerantur. Populus autem pedes, quia sicut pes tendit, quò oculus dirigit, sic populus debet incedere per ea, quæ sacerdotes demonstrant, quos deuitare oportet, si, vt membra putrida, scandalum Ecclesiæ facti fuerint.

Origenes.

101. Secundò. D. Chryso. tomus homil. 60. *Non* ait, *hæc de membris dicta sunt: sed de amicis, ac necessariis, quos quasi membra nobis coniunctos ducimus: nihil ita pernicio sum, ac pestiferum est, vt consuetudo prauorum hominum, & conuersatio.* Per manus ac pedes intelligit Dominus amicos, & consanguineos, vt etiam docent Theophylactus, Euthymius, D. Paschasius, Albertus Magnus, & alij, his enim tanquam nostris membris ad actiones vtimur; nam, vt ait D. Thomas, homo homini necessarius ad operandum, ad supportandum, ad docendum, ac alia. Sic ait D. Hieronymus. *Si quis est tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, si scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam; melius est, vt & propinquitate eum, & emolumentis carnalibus careas,* &c.

Chrysost. Amici, ac sanguinei improbi fugiendi. Theophyl. Euthym. Paschas. D. Thom. Hieron.

102. Bene notat Cajetanus, *Quod, non caput, nec ambas manus, ambosque pedes, seu oculos euellendos censuit Dominus: vt significaret, quòd possibiles, ac tolerabiles abdicationes præcipit.* Duos oculos, manus, ac pedes habemus: vnus oculus, pes, & manus, sunt amici, ac consanguinei; alter verò oculus, manus & pes, est tuum iudicium, tua operatio, tuusque gressus: Si Dominus, ambos oculos, manus, & pedes, præciperet abscindere, & eruere, valde difficilia imponeret: at cùm mandat, vt iniquam conuersationem, ac familiaritatem vitemus, non impossibile, sed tolerabile, ac suaue tradit præceptum.

Caietan. Domini mandatum possibile, ac tolerabile.

103. Non solùm mandat Dominus manum, vel pedem scandalizantem abscindere, sed etiam addit, *& proiice abs te*: non solùm præcipit, vt peccatum, seu peccandi occasio abscindatur; sed etiam & procul abiiciatur. Sic magnus ille prædicator Ioannes clamabat: *Iam securis ad radicem arborum posita sit*, Matth. 3. num. 10. Non ait, quòd securis applicata sit ad ramos, vel frondes tondendas, sed ad radices extirpandas, vt penitus peccati malum excidatur. D. Bernard. serm. 2. de Assumpt. Virg. *An verò*, inquit, *aliud est, quàm fibrio execranda; si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus radices? Certus esto, quoniam pullulabit vberius. Excisam, non extirpatam arborem in Sylua pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus, necesse est, ad radices arborum non ad ramos.*

Matth. 3. Peccati radix euellenda. Bernard.

104. Tandem Venerabilis Balduinus in Allegoriis Gotfrid. Tilm. ad præsentia verba: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Sic ad contemplandum Venerabile Eucharistiæ mysterium subdit: *Habet humana ratio oculum suum, habet Fides & suum. Oculus rationis quasi lippus est, & sæpe visibilia, & prope posita videre non potest. Oculus autem Fidei acutus est.* Quo inuisibilia Dei intellecta conspiciuntur. *Circa virtutem Sacramenti meut habet, oculus rationis caligat.* Tunc subijcit: Si oculus tuus, inquit Dominus, scandalizat te, erue eum, &c. *Hoc de oculo humanæ rationis non incommodè accipitur, qui pietati fidei scandalum est vnde & merito eruendus est: melius est enim, vnum oculum sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quam duos oculos habentem, alterum humanæ rationis, alterum fidei, mitti in gehennam ignis.* Habet, homo oculum humanæ rationis, & oculum fidei, cùm ad Eucharistiæ Sacramentum accedit: oculus humanæ

Balduinus. Gotfridus. Excluditur rationis oculo, cùm fidei lumine ad Eucharistiam accedo.

manæ rationis, cùm indicet ex rebus sibi notis, scandalum est fidei, huiusmodi mentis oculum, ac illius vsum, & discursum a te amputa, & abiice, & erige tantum fidei oculum ad tam sublime mysterium, vt illud penetrare, ac intelligere valeas.

105 Videt Isaias Dominum residentem in solio Altaris: ideo ad hoc significandum dicitur: Et ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim vndique stabant, Deum collaudantia. *Seraphim stabant super illud, sex ala uni, & sex ala alteri: duabus velabant faciem eius.* Isai. 6. num. 2. Hebraïcus legit, *duabus velabat vnusquisque faciem suam.* Chaldæus, Forerius, Sanchez, D. Chrysostomus homil. 4. in hanc visionem. *Duobus velabant faciem suam.* Aduocantur Seraphim ad contemplandum, ac videndum Dei vultum, vt tantæ maiestatis aspectu repleantur summo gaudio: ad quid ergo velant facies suas, cùm potius eas deberent discooperire, ac, si aliquod inuolucrum obstaret, illud reiicere oporteret, vt aperta acie Dei vultu gauderent? Seraphim fidei um figuram exprimebant, vt astruit D. Bonauentura lib. lumin. Eccles. Consid. 2. *Fides facit*, ait *animam Seraphicam.* Vt anima fidelis Deum in throno Altaris valeat contemplari, debet faciem suam, oculos nempe naturales obuelare, & extendere tantum fidei alas, vt ad hoc sublime mysterium valeat euolare, illúdq; intueri. Alas enim volantes, fidei esse, interpretatur. D. Dionysius de cœlesti Hierarchia c. 4. & 13. *Absolutissimam, summámque in Deum intentionem signat*, volatus, scilicet, alarum. Vnde tom. 3. c. 35. num. 20. 21. & 22. & num. 36. & 37.

Isaiæ 6. Hebraicus. Chaldæus Forerius. Sanchez Chrysost.

Bonauent. *Non naturalis sensus, sed sola fides Christum in Eucharistia recognoscit.* Dionysius.

Matthæi 18. *num.* 10. Videte, ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

VERSIONES.

Anastasius Sinaita lib. 5. in Hexam. Videte, ne despiciatis vnum ex pusillis istis, qui in me credunt. Dico enim vobis, quòd Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem Patris mei.

Arias. Videte, ne despiciatis vnum paruulorum istorum: Angeli eorum per omne tempus vident:::

EXPOSITIO VII.

106. Caietan. QVÆ modo prohibet Dominus, ne paruuli scandalizentur, modò ne despiciatur. Nam, vt ait Caietanus: vtrumque crimen facilè in humiles exercet humanum genus: nam & offendicula ponere ad ruinam humilium pro nihilo habetur; & despicere humiles, seu abiectos, valde morale est. *Vnum ex pusillis.* Per pusillos, pauperes interpretantur D. Chrysostomus, Theophylactus. Imperfectos fideles Carthusianus. Humiles verò, & simplices, ac aptius ad literam, Origenes, Beda, & alij communiter. *Dico enim vobis.* Nouo argumento reuocat homines ab humilium contemptu, docétque quanti sunt æstimandi, cùm à Deo in tanto habeantur pretio, vt vnicuique vnum ad custodiam deputet Angelum. *Angeli eorum*, dati scilicet ad eorum custodiam, vt explicant D. Hieronymus; Paschasius; vel conciues eorum, vt interpretatur D. Thomas. *In cælis*, hoc est, Angeli cælestes, quorum habitatio est in cælis; hoc enim epitheto à malis Angelis distinguuntur, quorum habitatio est in inferno.

Chrysost. Theophyl. Carthus. Origen. Beda. Hieron. Paschas. D. Thom.

Semper, id est *perpetuò*, seu *per omne tempus*. Sic enim sancti Angeli pusillis adsunt, & intendunt illorum custodiæ, vt eos seruent, ac vbique fruantur Dei facie præsentis, qui etiam vbique est. *Vident faciem Patris mei.* Intuentur scilicet nudam naturam, seu essentiam, facies enim manifestam visionem declarat, quæ non per speculum fit, aut in ænigmate; hoc est, vident Deum, sicuti est, vt loquitur Ioan. 1. Epist. 3. num. 2.

107. Ioan. 3.

QVÆSTIO XV.

Quare particulariter dicitur de Angelis tutelaribus paruulorum, quòd videant faciem Patris, cùm omnes Angeli beati, illius aspectu fruantur?

108. AIt in præsenti Christus Dominus: *Angeli eorum*, scilicet paruulorum, *semper vident faciem Patris mei*; tanquam quid peculiare in hoc paruulorum Angelis attribuat, quasi cæteri Angeli minores sint, & quasi illi faciem Dei non intueantur. Ex quo Origenes homil. 35. in Luc. suum corroborat errorem. Ac si Angeli etiam beati propter aliquam negligentiam in custodiendis hominibus, suam aliquando beatitudinem amittant. Error hic est manifestus, & apertus, in eiúsque refutatione non est hic immorandum; quam Theologi variis in locis impugnant, atque reiiciunt.

Origen.

109. Suarez. Magister Suarez lib. 6. de Angelis cap. 2. n. 5. existimat, quòd per hæc verba satis Christus cõmendauerit, vel etiam exaggerauerit, quanti Deus faciat pusillos infantes, quorum Angeli, non est necesse, vt illis speciale sit videre faciem Dei, sed satis, superque est, quòd sint videntes Dei faciem, & quod in hoc cum supremis Angelis Deo assistentibus conueniant. Sic ille. Ac si dicat, quòd pusilli tantum æstimantur à Deo, vt ad sui custodiam habeant Angelos deputatos, qui faciem Dei Patris vident. Tamen Patres, ac multi Doctores tenent, quòd Angelis patronis paruulorum aliqua excellentia hic à Christo Domino assignatur supra reliquorum hominum Angelos.

110. Chrysost. Secundò rectè respondet D. Chrysostomus homil. 60. *Hic verò*, ait, *non de Angelis simpliciter dicitur: sed de Angelis excellentioribus, ac supremis; nihil enim aliud designatur, cùm faciem dicit Patris mei aspiciunt, quam summa fiducia eorum, & honor præcipuus.* Quod latius explicant in præsenti Maldonatus, Lucas Burgensis: Ac maiores, & honorabiliores esse paruulorum, quàm aliorum hominum Angelos ex effectu Christus probet, quia semper vident faciem Dei, non quòd alij Angeli non videant; sed quod ea phrasi Hebræi significant:

Maldonat. Burgensis.

cant, Deo aliquem esse propinquum, & familiarem: sumpta autem est metaphora ex aulæ consuetudine; vbi quò quis honoratior, eò propinquior est Regi, eoque frequentior in eius conspectu versari solet, vt de seruis Salomonis legimus 3.Reg.10.num.8. Ac si dicat Christus sitanti paruuli, ac humiles æstimantur a Deo Patre, ac habentur in cælesti Regno, vt ad eorum tutelam, non qualiscunque Angelus destinetur; sed in suo ordine excellentior, ac honorabilior, qui propius, ac immediatius Dei throno adstat, eique semper assidet: sumpta est enim ex aulæ consuetudine metaphora.

3.Reg.10.

Angelus tutelaris paruulorum honorabilior.

111. Tertiò, Theophylactus. *Peccatorum Angeli*, ait, *quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam libere videre faciem Dei, & precari forsitan pro nobis. Humilium autem Angeli, hi semper vident Dei faciem, & fortè pro nobis orant.* Hæc metaphorico, ac humano more intelligenda sunt. Angeli enim sancti Dei conspectu perenniter summo gaudio fruuntur. Tamen ex nostro dicendi more verecundantur, vt non multum fidenter quodammodo audiant ante Dei thronum comparere pro ipsis delinquentibus deprecaturi, ac pro illis supplicationes facturi: *neque ipsi possunt tam libere videre faciem Dei, & precari forsitan pro nobis.* At humilium Angeli audaci quadam licentia libere diuinos adeunt oculos, dulciqne quodam lenocinio adstant diuino tribunali, vt humilium vota, tanquam quid Deo valde gratum, offerant. Et hoc est, quod dicitur: *Vident faciem Patris mei*, multa nempe confidentia ac audacia, vt pro ipsis humilibus loquantur. *Humilium autem Angeli, hi semper vident faciem Dei, & forte pro nobis orant.* Et D. Chrysostomus supra citatus. *Nihil aliud designatur, cùm faciem dicat Patris mei aspiciunt, quàm summa fiducia eorum.*

Theophyl. *Angeli humilium fidenter pro illis orant.*

Chrysost.

112. Quis dubitat, quòd ex causa, quæ agitur, vires, animus, ac fiducia minuant, vel augeantur. Antequam Iacob perueniret ad patrē sum, vt magnis bonis ditaretur. *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Genes. 32.n.24. Multi auctores, quos citat, ac sequitur Franciscus Georgius 10.1.sess.3. Problemate 234. dicunt, hunc virum fuisse Angelum bonum Esau, qui Iacob à terræ promissionis ingressu arcebat, quo Esau maioribus benedictionibus locupletaretur, indéque cum eo luctabatur. Tamē Iacob præualuit in Angelum, victoriæque palmam obtinuit. Angelus multo fortior homine; quomodo potuit ab vno homine superari? Causa ipsa, quæ agebatur, suppeditabat, ac vires subtrahebat. Causa Iacob multo melior, quàm Esau. Pro Iacob stabant præexcelsa merita, quæ non sic pro Esau militabant. Cùm ergo causa Iacob melior, ac illustrior, quàm fratris existeret, ab ipsa ei ministrantur vires, vt victor euadat, & trophæa erigat. At verò Esau causa multo inferior erat: inde ad magnum nostrum documentū, cùm pro sui munere patronatus Angelus ad speciē eum tuetur (nondum Dei determinatio erat manifesta) ipsa elanguet, ac minuitur viribus, vt Iacob aduersus eum præualeat, ac triumphator existat. Considerationē insinuat Abulensis. ibi qu.5. *Dicunt plures Hebræorum, quòd iste fuit Angelus bonus Esau, qui volebat impedire Iacob, ne intraret in terram promissionis, & vt non complerentur in eo benedictiones, sed in semine Esau. Ideóque luctabatur cùm eo putans præualere aduersus eum, sed ad vltimum non potens præualere, tetigit nerui femoris, & fecit eū claudū.*

Genes. 32. Iste Georg.

Ex peccatis hominum elanguet vis in Angelis tutelaribus

Abulens.

113. Venerūt duo Angeli Sodomæ, dicuntque Loth: *Delebimus locum istum.* Gen. 19. num. 13. Ciuitas illa Sodomis multorum millibus hominum abundabat, & cuilibet ciuium destinatus erat Angelus ad custodiam: quomodo duo Angeli tam copiosam hominum multitudinem perdere poterunt; quilibet enim Angelus ciuem sibi commissum proteget; tamen duo Angeli ciuitatem cum omni populo delebunt. D. Basilius in Psalm. 33. ait: *Cuilibet credenti in Dominum assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala opera effugauerimus, nam sicut ignis fugat fumum, & columbas abigit malus odor; ita etiam vitæ nostræ custodem Angelum abducit, & amouet lachrimabile, fœtidumque peccatum.* In rem nostram eamen dicam. Multa erant millia Angelorum, qui tot millia hominum, habitantium in ciuitate, custodiebant; vnusquisque suum Angelum patronum habebat; tamen ob turpissima ipsorum hominum peccata, eorum Angelorum virtus in protegendo frigescit, & remissior fit; vt duo Angeli contra tot millia præualeant, totamque ciuitatem solo æquare potentes sint.

Genes. 19.

Basilius.

Ex peccatis hominum frigescit, virtus in patronis Angelis.

QVÆSTIO XVI.

Ad quid dicitur, quòd Angeli custodes videant faciem Patris?

114. OB magnam sanctorum Angelorum excellentiam, obque magnam humilium, ac simplicium curam hoc est assertum, vt satis iam à nobis est dictum, ac explicatum. Deinde D. Laurentius Iustinianus lib. de Comnb. cap. 16. *Semper vident faciem Patris mei*, ait, *scilicet in Sapientiæ speculo contemplantes, qualiter suum perficiant munus.* Quanti Dens facit homines, vt Angeli eorum patroni à Deo destinati, ab ipso Deo supremo magistro agendæ custodiæ discāt rationes. Ait Ioannes: *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.* Apocal. 8. num. 2. Hi sunt septem primores Angelorū in aula cœlesti, & principes Ecclesiæ, quibus cura hominum, & Ecclesiæ est à Deo demandata, vt docent, Aretas, Andreas, Ribeyra, Tirinus, Cornelius, & alij. Peculiariter autem dicuntur astare in conspectu Dei, vt tradunt Iacobus Soar. l. 3. Ioannes Fontana Episcopus Ferrar. part. 3. auct. 64. Stephanus Veberus de officio Angelor. cap. 3. num. 8. Fidelis Danielius lib. 1. de Diuina Prouidentia cap. 2. tanquam immediatius, & propius cæteris astantes Dei throno, vt summa eorua excellentia, eximiàque familiaritas cum Deo, alta, ac profunda contemplatio eorum, quæ agenda sunt, denotetur.

Laur. Iustin.

Apocal. 8.

Aretas. Andreas. Ribeyra. Tirinus. Cornel. Iacob. Soar. Fontana. Danielius.

Angelus tutelaris valde excellens, & Deo familiaris.

115. Videns Deus hominum superbiam, qui ædificabant turrim, cuius culmen pertingeret ad cælum: ait, *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Gen. 11.n.7. D. Aug. lib. 16. de ciuitate c. 9. Philo citandus, Caietanus, Pererius, & alij existimāt, Deum sermonem dirigere ad Angelos. Nullo interueniente Angelo Deus valebat confundere linguam illorum? Cur ergo ad idiomatum confusionem eos conuocat? Tantæ sunt Angeli dignitatis, vt Deus eos quasi socios operationis suæ assumat. Philo lib. de confusi. Lingnar. *Videtur*, ait, *illis verbis Deus, quosdam*, scilicet Angelos, *alloqui tanquam operationis socios.* Hinc ad omne negocium Deus tanquam sui ministros aduocat Angelos. Canebat Dauid Psalm. 102. num. 18. *Benedicite Domino omnes Angeli eius,*

Genes. 11. August. Caietan. Pererius.

Angeli illi quodammodo socij diuinarum operationū. Philo.

Psalm. 102.

eius, potentes virtute faciũt verbum illius. Ex quo inquit Sophronius Archiep. Ierosol. orat de Angelorũ excellentia. *Angeli rerum diuinarũ sunt interpretes, & custodes, & præsides, cõseruatores, & conductores, & vias duces, & curatores & illuminatores.*

Sophron.

118. Tamen vt sanctorum Angelorum patrocinia, ac custodiam promereamur, nostrum studium, ac cooperatio exigitur. Valde timidus extabat Israël iuxta mare rubrum, cùm vidisset veniens contra se Ægyptios. Ex diuino afflatu ait illis Moyses: *Dominus pugnabit pro vobis, & tacebitis.* Exod. 14. num. 15. Non patitur Deus quempiam Hebræorum aliquid in hac re moliri, sed totam integram rem sibi absoluendam reseruat: & tantum disponit, vt Hebræi tanquã spectatores adsint. At verò postquam recesserunt ab Ægypto, cælesti cibo iam pasti, cùm bellum instat aduersùs Amalech, inclamat Angelus, qui Dei iussu populum ductitabat: *Dixit Moysi ad Iosue: elige viros, & egressus pugna contra Amalech*, Exod 17. num. 9. Non iam spectatores belli inquiruntur, sed milites, qui educentes gladios pugnent, ac armata manu cum hostibus decertent. Cur non deuastantur Amalechitæ, sicut Ægyptij? Cùm egreditur Israël de Ægypto, erant Hebræi, tanquam pauuli sub pueritia sua; & ideo totam rem Angelus exequebatur; at verò iam decursu temporis cùm processissent, ac tanquam maiores facti eorum opera, ac concertatio mandatur interponi. Origenes homil. 6. in Iudices: *Initiis nostris*, ait, *à principibus Angelis adiuuamur, caterùm processu temporis oportet nos exire armatos, ad prælia.*

Nostra operatio exigitur, vt Angeli nos adiuuent.

Exod. 14.

Exod. 17.

Origenes.

QVÆSTIO XVII.

Quare, cùm Angeli patroni adsint in terris homines custodientes, dicuntur in cælo videre faciem Patris?

117. *Difficultas quæstionis.*

ANgeli nostri tutelares in terris adsunt custodientes homines, sibi ex diuina dispensatione commissos: quomodo ergo dicitur, quod semper in cœlis vident faciem Patris? Nunquid Angeli simul sunt in terris, & in cœlis: non enim adeo amplificata videtur præsentia Angeli, vt simul duo naturaliter occupet loca: si ergo pro hominibus defendendis astant in terris; quomodo semper vident in cœlis.

118. Solutio patet ex dictis in expositione. Angeli beati, ac cœlestes spiritus, quocumque loco sint, Dei præsentia delectantur, cùm Deus omnem locum repleat, & in omni loco adsit. Dicuntur autem in cœlis, quia vbi Deus se manifestat, cœlum frequenter nuncupatur. Seu, vt ait Albertus Magnus. In cœlis, hoc est in cœlestibus per contemplationem: exeuntes enim, quocumque currant per ministerium, semper tamen assistunt initimus per contemplationem. *Ego sum Raphael vnus ex septem, qui astamus ante Deum*, Tob. 12. num. 15.

Alb. Magn. *Angeli in cælo per contemplationem.* Tob. 2.

119. Tertiò, & mortalissimè. Tantò enim Angeli paruulorum, id est simplicium, ac humilium custodia deliantur, vt ipsam custodiam quasi cœlum reputent, ex ipsáque semper velut in cœlum ascendant, humilium, ac simplicium vota coram Deo deferentes D. Sophronius Ierosol. Archiepis. lib. de excellentia Angelor. *Vos estis*, ait, *qui cœlum cursu expeditissimo transmittitis, quia motu celerrimo, incitatissimoque per aërem discurritis, hominum negotia agentes.*

Angeli nostra custodia delectantur.

Sophron.

Profectus Iacob è domo patris sui, cùm obdormisset vidit in somnijs scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, *Angelos quoque ascendentes & descendentes per eam.* Gen. 28. n. 12. Si Angeli ascendebant, quomodo & descendebant? Ad quid huiusmodi cursus sursum, & deorsum, in cælum, & in terram? Conscendebant præ Dei amore, vt eius maiestatem contemplarentur, & nostra vota ei auferrent: descendebant verò affectu erga nos compassionis. D. Gregor. Magn. lib. 5. moral. *Angelos ascendentes*, ait, *cernere est, superna patria contemplationi, vel quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant; vel quanta compassione charitatis infirmitatibus nostris condescendat.* Caietanus, *In ea*, inquit, *nempe scala continuè Angeli ascendunt à nobis, referenda nostra in Deum, & descendunt ad nos, afferendo diuina nobis.* Immortales gratias sanctis Angelis referamus: ascendunt, vt deferant preces nostras ad Deum; & descendunt, vt consulant bono nostro, ad nósque Dei bona adducant.

120. Gen. 28.

Greg. Magn.

Caietan.

Angeli nostras preces Deo deferunt.

121. Post beatifici obiecti fruitionem nil gratius, quam sanctorum Angelorum societas. Cur ergo Angeli ob Iacob, angelicos spiritus relinquentes in cœlo, ad terram sic conuolant. vt eum aliqua consolatione dignarentur? Sic Angeli nostro bono sunt intenti, de eóque solliciti; vt suum commodum nostro solamini postponant, nostrámque vtilitatem maximè suam reputent. D. Chrysostomus serm de Ascensione. *Nostra bona*, ait, *Angeli suas vtilitates arbitrantur.*

Angeli nostra bona suam reputant vtilitatem.

Chrysost.

122. Stans Abraham ad ostium tabernaculi, vt peregrinos exciperet, *Cumque eleuasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*, Genes. 18. n. 2. Si Abrahamus stabat, vt videns venientes peregrinos in domum suam introduceret, cur eos vidit non à longè, sed prope se? Tres viri illi sancti erant Angeli, vt est sententia D. Augustini, Ruperti, D. Algeri, & aliorum, qui ad Patriarcham veniebant, vt eum, ac domum eius multis donis replerent; inde non à longè, sed propè videntur: Angeli enim sancti, vt beneficia nobis conferant, semper sunt propè, & nunquam à longè.

Genes. 18.

August. Rupertus. Algerus.

Angeli prope nos ad auxiliandum.

123. Perpende, quantum nobis prosit Angelorum patrocinium Cùm esset Christus in Horto, maximo mœrore efficitur, vt ipse ad Discipulos suos dicat: *Tristis est anima mea vsque ad mortẽ.* Matth. 26. Tristabatur Dominus, non propter se, sed propter Discipulos, vt inquiunt D. Hieronymus ibi, & D. Hilar citandus, propter nempe scandalum, & perturbationem Apostolorum. Quibus ipse dixerat: *Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista.* Tunc progressus orat ipse, surgénsque ab oratione, cùm venisset ad Discipulos suos inuenisséque eos dormiéties, ait: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*, Matth. 26. n. 41. Mandat vigilate aduersus tartareas potestates, quæ maximè eis insidiabantur. Iterum orauit secundo; & reuersus ad Discipulos, cùm eos inuenisset dormientes, saltem præsentia sua reprehendit eos, quod ipso vigilante, illi dormirent. Marc. 14. n. 40. Orat tandem tertiò Dominus; apparet Angelus de cœlo confortans eum. Tunc facta hac tertia oratione, scribit D. Matth cit. cap. 26. n. 45. Ait illis Dominus: *Dormite iam, & requiescite.* Cur qui modò mandabat vigilare, & orare, iam ad requiem, & dormitionem exhortatur? Præclarè D. Hilarius lib. 10. de Trinit. expendens, quòd post multam Domini precem Angelus astitit confortans eum, sic ait: *Misso enim ad Apostolorum tuitionẽ Angelo, &*

Hieron. Hilar.

Marc. 14.

Hilar.

& par cum confortato Domino, ne pro his tristitia esset, iam sine tristitia metu existens ait: Dormite iam & requiescite. Attetè pensita verba, quæ posit pauca subijcit S. Pacer. *Non ex nihilo dormientium adhortatio subsecuta est, nisi quòd, cum abfuturus ab his esset, & indulti Angeli confortatus auxilio, securitate custodiæ custodiendos permittebat in somnum.* In tertia oratione venit Angelus confortans cum, proponens Discipulorum trophæa, *missoipso ad Apostolorum tuitionem.* Tunc ait illis Christus: *Dormite iam & requiescite.* Quandiu ipsi, vt Apostoli, ac Discipuli, sub Domini disciplina, ac cura degebant, procorum salute omnium Saluator maximè anxiabatur. At verò, cùm iam sub Angeli tutela apparent tũc Christus ad honorãdos Sãctos Apostolos, adque significandum, quantum eorum patrocinia nobis prosint, ait illis: *Dormite iam, & requiescite.* Cùm enim illi Angelorum tutela communiti existerent, iam nulla aduersùs eos tartarea potestas prævalitura, nullúmque impendens malum illis formidandum esset; inde tanquam ab omnibus custoditi obdormire mandantur. *Securitate custodiæ custodiendos permittebat in somnum.*

Sub Angeli tutela mandat Dominus Discipulos dormire, vt securos ab omni malo.

124. *Gratificandũ Angelo pro nostra custodia.* Gene. 48.

Pro beneficiis nobis collatis primò debemus gratias agere Deo, à quo vt ab vniuersali Auctore omnia bona in nos diffunduntur? deinde Angelo nostro custodi, à quo ministrantur. Sic faciebat Iacob. Benedicturus nepotibus suis inquit: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem. Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Gen. 48. n. 16. Referens gratias pro beneficiis sibi concessis, primò ea recognoscit accepta à Deo deinde ab Angelo suo, vt Domini ministro. Póderat Caiet. *quod iuxta Hebraum, habetur præsenti temporis ad significandum perseuerantiam Angelicæ custodiæ vtitur præsenti tempore.* Tutela Angeli pro nobis, pro omni tempore est durans, & perseuerans.

Caietan.

125. Ad hoc autem maximè allicere nos debet ipsorum Sanctorum Angelorum benignitas, qui summopere nobis rependunt ea, quæ in illorum obsequio præstamus. Venit duo Angeli Sodomæ, habẽtes in commissione, vt Loth cũ tota familia sua ab incendio incolumes præseruent, sicque ei dicunt: *Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias, & omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac, delebimus enim locum istum.* Gen. 19. n. 12. Postea verò, cũ egrederetur Loth, postulat ipse ab Angelo pro Segor. Cui Angelus ait, *Etiam in hoc suscipi preces tuas, vt non subuerterem vrbem, pro qua locutus es.* Angelus enim, audita oratione Loth, eã, Omnipotẽti Deo obtulit, ex cuius inspiratione, vt ait Carthus. ciuitatem illam ei concessit Angelus. Nónc sat erat, vt Angelus seruaret Loth cum tota sua familia, vt ei erat mandatum? ad quid vltra pro Segor postulat, vt expers ab incendio in mãsionem tribuatur Loth? Quando Angeli accesserunt Sodomæ, recepit eos Loth hospitio cum multa festiuitate & applausu, *fecitque eis conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Indéque Angeli ex gratitudine hospitalitatis astricti, non solùm Loth, & familiam suam seruare curant, sed etiam ciuitatem, quam vir bonus desiderat, ex Dei benignitate precibus impetrant, ac obtinent.

Gen. 19.

Carthus.

Angelimaximè gratus seruis obsequia.

CAPVT XI.

Fraterna correptio.

Matth. 18. *Luce.* 17. Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsũ solum: si te audierit lucratus eris fratrẽ tuum.

VERSIONES.

Syriacus. Si verò errauerit in te frater tuus; ito, argue eum.

S. Pacian. Ep. 3. *ad Sympr.* Si peccauerit in te frater tuus; vade, & corripe eum solus cum solo.

Vatablus. Abi, redargue eum solus ipse solum.

ALTER TEXTVS.

Luce. 17. *n.* 3. Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

EXPOSITIO I.

126. Chrysost. Euthym. Abulens. Matth. 18.

SVPRA, vt rectè notarunt D. Chrysost. hom. 61. Euthym & Abul. q. 76. egit Dominus de scandalizatoribus, seu scandala inferentibus: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18. n. 7. Nunc agit de scandalizatis, seu scandala patientibus; ne scandalizatores per superbiam, & contemptum, quo ergo alios efferuntur, obdormientes in suis vitiis pereãt; & ne scandalizati per negligentiam, ac defectum Charitatis delinquant; sicque eos admonet, vt de peccantis fratris salute curẽt. Ante exhortationem Dominus posuit documentum sub similitudine pastoris, deprediti cuem quærentis, n. 12. vt mandatum facilè redderet; cùm enim princeps præcedit, valde promptè alios suo exemplo allicit, & attrahit. De hac autem parabola commodius infra c. 16. Ex quo instrueris quòd vnusquisque in suo ordine inuigilet; peccator vt surgat; Iustus vt aliorum miseriis consulendo compatiatur.

Cùm Princeps præcedit, facilè sequuntur alij.

D. Lucas ait: *Attendite vobis*; quòd Dominus dixit, vt hanc doctrinam maximè commendaret, simúlque inculcaret, quòd in eo, in quo aliis attendimus, nobis consulimus. *Si peccauerit.* Syriac. *Si errauerit*, iniurioso scilicet verbo, facto, aut malo exemplo; siue per ignorantiam, siue errorem. *In te.* Aliqui sic exposuerunt, *te scientem.* Christus tamen absolutè loquitur, vt interpretẽtur D. Hil. Chrys. Aug. serm. 16. de verb. Dom. Pasch. D. Thom. de eo qui nos offendit, ac lædit quocumque modo. Ad hoc tẽdit interrogatio Petri infra posita: *Quoties peccabit in me frater meus, dimittam ei?* & apposita parabola à Christo de oue perdita, *frater tuus*, id est Christianus, vt interpretantur Euthym. Theophyl. Alber. Magn. Carthus & patet ex v. 17 *Dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ethnicum enim & publicanum

127. Syriacus. Hilar. Chrysost. Paschas. D. Thom. Euthym. Theophyl. Alb. Magn. Carthus.

charitate, & zelo feruens, Dei apparitione recreatur. Antequam ergo Elias ad tantum rerum apicem euocetur, pro tot donorum custodia, ei multa humilitatis excitamenta subiiciuntur, vt in tam sublimi fastigio absque vlla vanitatis aura firmus, & securus degat Propheta. S.Euchirius. *Sancti viri, ait, qui, subleuante spiritu, ad summa rapiuntur, quandiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur. Hinc est, quòd Elias, dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum postmodum Iezabel fugit.*

S.Euchir.

QVÆSTIO X.

Quare Christus dixit, quòd ipsummet recipiat, qui parvulum recipit?

67. Carthus. *Christus suis data sibi facta reputat reges verò terræ à contra Matth.25.*

CArthusianus Primò respondet. *Me suscipit, ait, id membro meo mystico, quamuis non in me ipso. Itaque suscipit me, ideſt mihi fieri iudico, quod illi fit; & tam gratum est mihi, ac si mihi in propria persona exhiberetur.* O ingens Christi magnitudo! Obsequia famulis præstita sibi facta reputat, vt illa ipse persolnat. *Quandiu fecistis, vni ex his fratribus meis, mihi fecistis.* Matth.25.n.40. At verò reges terræ famulatum illis delatum ex seruorum bonis rependere disponunt, & imperant. Cùm Dauid fugeret à facie Absalon, venit ei in occursum Siba portans secum cibaria quædam, quæ Regi obtulit. Cui ait Dauid: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth* 2.Reg.16.num.4. Cui tam largiter omnia illa sic concessit, ac sic datum alimentum rebus Miphiboseth recompensare non dubitat.

2.Reg.16.

68. Hieron. *Christus in suis seruis honoratur.*

Secundò. D. Hieronymus. *Qui talis fuerit, inquit, qui Christi imitetur humilitatem, & innocentiam, in eo Christus suscipitur. Et prudenter, ne, cùm delatum fuerit Apostolis, se putent honoratos, adiecit: non illos sui merito, sed Magistri honore suscipiendos.* Ne Discipuli cogitent, quòd hospitalitas illis delata, ob eorum merita ipsis obueniret, explicat Christus, quòd non illorum causa, sed Magistri honore suscipiuntur. Vt inde fiat manifestum, quod Dominus in suis seruis honoratur, & quòd reuerentia, illis præstita ob Dominum, ipsi Domino defertur.

69. Abulens. *Charitas sine bonis sine malis exhibita, remuneratur.*

Tertiò. Abulens.q.28. Dixit hoc Christus, ait, ad tollendam nobis suspicionem de bono, vel malo, quia essent homines dubij in bono suo in susceptione hospitium, credentes, quòd si interdũ malos reciperent, tunc nihil mererentur: tollit hoc Christus dicẽs, me suscipit, id est si in nomine meo suscipiatur quis, siue bonus siue malus sit, ego suscipior. Ita Abul. De charitate propter Dominum proximis exhibita, sine sint boni, siue mali, reddimur certi, quia cùm Dominus in ipsis suscipiatur, à Domino mercedem habebimus.

70. Paschas. *Christus in humilibus habitat.*

Quartò. D. Paschasius lib.8.in Matth. *Ac si diceret Dominus*, inquit. *me suscipit, quia in talibus ipse sum, qui se ipsos ita deiecit, vt propter me ad tantam innocentiam redire velint, vt ad habitudinem, quam habent pueri ex ætate, ipsi per rationem, & fidem suscipiunt.* Expende verbum. *Quia in talibus ipse sum.* Qui suscipit humilẽ sub puerorum typo, hic expressum Christum recipit; Christus enim in humilibus ineſt, & habitat: ita ei complacet humilitas, vt in ea constituat suam sedẽ, & habitationẽ

Dilecto suo, vbi Christus requiescere solebat, ait Sponsa: *Lectulus noster floridus.* Cantic.1.n.16. Lectulus, est diminutiuum, hoc est parvus lectus. Planum est, quòd lectus debet proportionari suo locato: Cur ergo Sponsa ad tam immensum Dominum excipiendum, cuius magnitudinem totus non capit orbis, non offert amplum, & latum lectum, sed augustum, & exiguum lectulum? Sponsa optimè callebat sui Dilecti ingenium, qui ad sui sedem, & requiem, non magnos & excelsos requirit; inde non offert amplum, sed exiguum lectum: optimè enim sciebat, quòd nullo aptiori modo poterat eum ad se attrahere, ac allicere, vt in ea habitaret, ac requiesceret, quàm si omnia sua, aliàs valde magna in parvo, ac minimo iudicaret; ipsa námque eius demissio, ac humilitas, Dilecti præsentiæ, ac sedis efficax erat negotium. Card. Hugo, *Arguta insinuatione*, ait, *imitat Sponsa Sponsum ad amplexum ex sui opinione, qua semper se minuit: nam proprium solet esse humilium, vt semper de se sentiant infra quàm sint.*

71. Cantic.1. *Humilitas sollicitat Christum, vt habitet in anima.* Hugo.

Redeuntis, ac triumphatoris de morte occurrit Dominus Iesus sanctis mulieribus. Quæ cùm ipsum agnouissent; *Illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Matth.28.n.9. In hoc enim facto adimpletum est illud Animæ sanctæ dictum Cantic.3. num.4. *Inueni, quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Sic ait D. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. *Tenuerunt illum vt impleretur: Tenuimus eum, nec dimittam.* Vnde illis tanta efficacia, vt sic Deum tenuerint, vt nunquam amplius dimitterent? Perpende, quòd non dexteram petunt, sed ad pedes conuolant, Theophylactus. *Ille*, inquit, *pra multa reuerentia pedes eius tenet, non audentes aliam corporis partem contingere, quàm extremas illas.* Et cùm tanta sint humilitate præditæ sanctæ mulieres, inde tam vehementer tenuerunt, & astrinxerunt Dominum ad se, vt nunquam amplius eum dimitterent.

72. Matth.28. Cantic.3. Cyrill.Ierosol. Theophyl. *Humilitas Deum ad se attrahit.*

Matthæi 18. *num.*8. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

VERSIONES.

Syriacus. Quisquis autem offendiculo fuerit vni ex istis minimis, qui credunt in me, satius ei fuerit, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, ac demergatur in profundis maris.

D.Paul.Ep. 6. *ad Seuer.* Væ qui scandalizauerunt vnum ex modicis istis.

*D.Antiochius. homil.*18. Melius est ei, vt lapis molaris pendat à collo, & is proiiciatur in mare.

Arias. Confert ei, vt demergatur in pelago maris.

ALTER TEXTVS.

*Marc.9.v.*42. Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis, credentibus

dentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur.

Luca.17.n.2. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, & proiiciatur in mare quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.

VERSIONES.

73. SVo sermone pergit Dominus ostendens, in quanta æstimatione sint apud eum humiles. Hucvsque egit apposito præmio humiles honorantibus; nunc verò designata pœna eos contemnentibus, ac reiicientibus. *Qui autem scandalizauerit*, Syriacus, *offendiculo fuerit*, seu vt legit Vatabl. *offenderit*. Quod explicans D. Chrysost. homil. 59 ait, *Qui despexerit*, Theophylactus, *iniuria affecerit*; quod etiam tradunt Euthymius, D. Thomas. At verò D. Hieronymus interpretatur malum exemplum prælatorum. Ita ait: *Si in hoc vitio*, scilicet ambitionis, Discipuli *permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere.* Aptius dicendum est cum Iansenio. Verbum *scandalizare*, hoc loco significat offendiculum alicui opponere, in quod impingat, & cadat, siue iniuria, siue prauo opere, exemplo, vel consilio, siue alio modo scandalum, seu offendiculum exhibeatur. Hoc enim modo sumitur hic scandalum, ac in sequentibus. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te*, &c. Præclara tunc patet Antithesis; ac si dicat Christus: Qui vnum paruulum suscipit in meo nomine, scilicet in mea fide, vel benignitate, ac amore fouerit, me suscipit: sic qui scandalizauerit vnum ex his pusillis verbo, & exemplo, melius est, illi demergi in profundum.

Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thomas. Hieronym.

Iansenius.

Quid sit scandalizare.

74. *Vnum de pusillis.* Sicque vnum scandalizat, seu offendit verbo, exemplo, & opere; seu retrahit à fide, vt ait Petrus Damianus lib. 6. Epist. 32. tanta pœna ei infligitur. *Quale sit iudicium subituros*, inquit S. Leo Epist. 52. ad Anatolium. *qui tot Ecclesiis, tot sacerdotibus scandalum inferre non timet.* Preme verbum *de pusillis*. D. Hieronymus. *Nota*, ait *quòd qui scandalizatur, paruulus est maiores enim scandala non recipiunt*, Offendunt, ac scandalizantur contumelia, prauo opere, vel exemplo paruuli; at verò magni, & procerès in virtute in omnibus stant firmi, nulloque commouentur. *Qui me credunt*, hi scandalizantur mala doctrina, malo opere, & exemplo.

Damian. Leo.

Hieron. *Non magni, sed pusilli scandalizantur.*

75. *Expedit ei.* Horum verborum sensus rectè colligitur ex D. Marco, qui habet: *Bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria*, & ex D. Luca scribente: *Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur.* Significat Christus Dominus, vt rectè ponderat D. Paschasius, quòd vtilius est scandalizatori, in pelagus demergi, seu morte corporali etiam infami affici, quàm quempiam scandalizare; hic enim Deum offendit, tartareique ignis supplicium incurrit, quod multò grauius est, quam quælibet submersio corporalis. *Mola asinaria.* Mola leuis, quæ manu truditur, dicitur trusatilis, seu manualis, quæ verò asinaria appellatur, est valde prægrandis, quæ ab asino circum agatur. Hæc erat, vt referunt D. Hieronymus, D. Paschasius, Albertus Magnus, maiorum criminum pœna apud Iudæos, & Palæstinos, vt reus ligato saxo in mare præcipitaretur. *In profundum*, vt homo cæno peccatorum innolutus irreuocabiliter absumatur. Syriacus habet, *In profundu!* Ac si melius sit in multa supplicia temporalia demergi, quàm in vnum peccatum mortale prolabi.

Paschas. *Melius est supplicium corporale, etiã infame, quã inforne pœna.*

Hieron. Paschas. Alb. Magn.

Syriacus.

QVÆSTIO XI.

Quare scandalizatori non alia assignatur pœna, nisi mola asinaria suspensa in collo?

76. MOla asinaria est lapis magnus ad molendũ triticum, verbi gratia. Vnde D. Lucas scribit *lapis molaris*. Dicitur autem à Matthæo, & Marco, *Asinaria*, quia ob sui magnitudinem solet trahi ab asinis, & non ab homine. Lucas Burgensis, & Cornelius à Lapide volũt, quod hic intelligatur inferiòr lapis molaris; qui superiore maior est. Circa ipsum lapidem inferiorem immotum superior rotatur. Inferior enim Græce appellatur asinus, eo quod instar asini omne superioris pondus sustineat.

Mola asinaria. Burgensis. Cornelius.

77. Saxo alligato ad collum demergi in profundum, pro maximis criminibus dabatur in terra Chanaan, ideo præ cæteris hanc pœnam hic assignat Dominus, quia melius erat, quòd illa homo premeretur in hac vita, quam quòd, peccando, vnum ex pusillis offenderet, quia vt ait D. Hieronymus, *Melius est pro culpa breuem recipere pœnam, quam æternis seruari cruciatibus.*

Hieron.

78. Maximè ponderandum, vt rectè notarunt D. Chrysostomus homil. 59. & Abulensis q. 34. Quòd, sicut superius dixit, Dominus, *Qui suscipit vnum paruulum, me suscipit*, hic, vt videbatur consequens, non dixit, Qui scandalizat vnum de pusillis illis, me non recipit; sed supplicium temporale assignat, vt suspendatur mola asinaria, *Quia*; ait Abulensis, *cùm Discipuli adhuc rudes extarent, nesciebant, qualis pœna esset, non habere secum Christum spiritualiter habitantem*; *posuit pœnam illam temporalem, qua maximè eos mouere poterat.* Aliquando homines magis deterrentur pœna corporali quam damno spirituali.

Chrysost. Abulens.

Aliquando homines plus mouentur pœna corporali, quàm damno spirituali. Abulens.

79. Ad quæstionem respondet primò Origenes homil. 5. in Matth. *Asinaria mola imponitur scandalizanti vnum de pusillis in Christum credentibus, vt demergatur in profundum maris. Asinaria autem mola non irrationabiliter dici potest corpus grauissimum hominis mali, quod semper deorsum trahit, vt demergatur in abyssum.* Hoc supplicium assignatur præ cæteris ob summam grauedinem molæ asinariæ, qua homo demergitur in profundum, vt denotetur ingens pondus, quod secum peccatum importat, vt præcipitetur miser homo in abyssum. Creato homini præcepit Deus: *Ex omni ligno Paradisi comede.* Genes. 2. num. 17. At post peccatum ait illi: *Comedes herbam terræ.* Genes. 3. num. 18. Quod ponderans Nouarius Epistol. de Cibis Iudaicis cap. 2. inquit: *A pomi esu ad fruges contulit culpa conditionem conscientia ipsa sibi corporis approbante, nam & innocentia decerpturos alimenta ex arboribus adhuc sibi bene conscios homines ad superna subere-*

Origenes.

Peccatum pondus grauissimum.

Genes. 3.

xit, & commissum delictum ad conquirenda frumenta homines, è terra sibique deiecit. In alimento concesso naturam status expressit Deus. Perseuerante innocentia datur fructus arborum, vt ex conditione innocentiæ ad superna eleuet oculos. Post peccatum verò assignatur fructus terræ; ac si peccàti pondere oppressus, ad alta non valeat erigi, sed ad ima, ac inferiora ruat.

86. Ambros. Secundò. D. Ambrosius lib. 8. in Lucam c. 18. *Nonne*, ait, *tibi videtur tanquam molam asinariam voluere quandiu in imperitiæ suæ errore versatur*, scilicet homo, *operta mentis cæcitate suffusus, vt vultum animi erigere ad Deum, & oculos cordis aperire non noueris? & ideo sine vlla alacritate, vestigiis in se sæpe redeuntibus inuitus vsui laborat alieno.* Cur non alio pondere submergitur, sed mola asinaria? Vt ibi conditio peccatoris similis iumento, molam versanti, exprimatur. Inmentum hoc opertis oculis agitur, & in eisdem vestigiis semper circumuoluitur: ita & peccator, tanquam insipiens iumentum, à sua libidine agitatus, suáque turpitudine obcæcatus semper suis vitiis insistens circumuoluitur, in illisque ex vno in aliud se præcipitat.

Peccator tanquam iumentum obcæcatum in suis vitiis circumuoluitur.

81. Chrysost. Tertiò. D. Petrus Chrysologus serm. 27. inquit: *Bene ergo illi, sicut alibi, dixit, vt mola asinaria colligetur collo eius, & inde sumat pœnam, vnde sumpsit & sensum; & exaquetur iumentis insipientibus, qui noluit hominibus, superna sapientibus comparari.* Peccator, tanquam iumentum, collo alligatur ad molam, vt demergatur. Sed cur potius collo, quàm manu, vel pede astringitur? Per guttur hauritur gustus inde & ibi pœna infligitur. Vbi enim peccator dulcedinem suarum voluptatum inuenit, ibi & simul sibi pœnam comparat. *Et inde sumat pœnam, vnde sumpsit sensum.*

Peccatori vbi est gustus eius, ibi & pœna.

82. Chrysolog. Quartò. Idem D. Chrysolog. *Quare non lapis, sed lapis molaris? Quia lapis molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit, panem pie laborantibus subministrat, Bene ergo illi, qui elegit minister scandali magis esse, quàm pacis, ad collum lapis alligatur molaris: vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitam.* Lapis molaris, dum girat, à nobili farina furfurem secernit: bene ergo scandalizatori lapis molaris alligatur ad collum. Siquidem degens in hoc sæculo, in quo erat farina probitatis, & furfur iniquitatis, neglecta probitate elegit malitiam; satis congruè mola illi suspenditur, vt pro sua magna miseria inde habeat mortem, vnde reportare poterat vitam.

Magna miseria, inde quis habere mortem, vnde poterat habere vitam.

83. Ambros. Quintò. D. Ambrosius citato lib. 8. in Lucam, cap. 18. Expedit ei, vt mola asinaria suspendatur in collo eius: *Plus enim*, ait, *proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis, ac deformis belluina quædam pompa supplicij.* Cur in scandalizatorem non aliam pœnam minatur Dominus? Vel, cur gehennæ flammam ei non obiicit? Cur molam asinariam collo suspensam opponit? Hæc pœna valde infamis reputabatur, vt pote iumentorum, ac brutorum propria, indéque specialiter Christus illam commemorat ad reprimenda scandala. Infamiæ nota maximum horrorem ingerit; grauiter enim ingenitos viros à quolibet facinore deterret, ac continet, ne tanquam degeneres habeantur. Nulla autem maior infamia, quàm omissa humana conditione, tanquam bellua reputari.

84. Ob magna peccata, multasque idololatriæ abominationes, óbque sancta prophanata, ac conculcata, grauia minatus est Deus supplicia Babylonico populo, vt sic forte resipiscens, à delictis suis retrahatur, dicens: *Descende, sede in puluere, Virgo filia Babylon, sede in terra: non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Isaiæ 47. num. 1. Isaiæ 47. Mandatur filiæ Babyloniæ, vt suum decorem deponat, descendátque à regali solio, & in puluere sedet; ac inde adiungitur, vt molæ alligetur, hócque illi assignatur tanquam omnium miseriarum compendium. Nonne erat maior calamitas, quòd in montem abiret, filiósque suos interfectos videret? Hoc tamen omisso, molæ alligatio apponitur, & nulla maior miseria, quàm quòd reiecta humana conditione, seruilem, ac infamem brutorum resumeret. D. Cyrillus Alexandrinus. *Volens, nolens*, ait, *seruitutis miseriam subibis, molæ farinam, apparebit nuda? Retegetur ignominia tua, apparebunt dedecora tua.* Sicque Sanson pro magno opprobrio comprehensus ad aduersariis hoc supplicio afficitur, vt ad molam alligatus triticum tereret. Iudic. 16. num. 21. Vide tom. 3. cap. 9. num. 107. Iudic. 16.

Infamia vera ingens supplicium, vt terrent. Cyrill. Alex.

Matthæi 18. *num.* 7. Væ mundo à scandalis: necesse est enim, vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.

VERSIONES.

Vatablus. Væ mundo ab offendiculis: necesse est enim, vt veniant offendicula: veruntamen væ homini illi, per quem offendiculum venit.

Euthymius. Væ mundo per scandala. Necesse est venire scandala.

Arabicus.

Syriacus.

Alter Textus.

Lucæ 17. *n.* 1. Et ait ad Discipulos suos: Impossibile est, vt non veniant scandala: væ autem illi, per quem veniunt.

EXPOSITIO V.

85. OCCASIONE superioris sententiæ pertractat Diuinus Magister de scandalo, vt peste valde nociua, quo instruat omnes, tam bonos, quam malos, vt sollicitè fugiant, & dare, & pati scandala: boni, ne à sua bonitate decidant; mali verò, ne in peius ruant. Datur autem scandalum, seu offendiculum ambitione, malo exemplo, deprauato verbo, ac doctrina; persecutione, & irrisione iustorum. Hi autè rei sunt Gehennæ. Scandalizantur autem, & offendicula patiuntur, qui aliorum iniqua exempla, ac prauos mores verbo, & facto sequuntur: & hi, tanquam iniquorum sequaces, æternaliter pereunt. *Væ mundo à scandalis.* Deplorat Dominus miseram mundi conditionem, cum plenus sit hominibus iniquis, qui suas cupiditates sectantur. Per mundum intelligit amores

amatores mundi,& eos,qui sunt in mundo,vt explicant D.Hilarius,D.Chrysostomus,Euthymius, Theophylactus: Mundani enim quamis occasione,ac scandali,& periculi vmbra mouetur,ac rapiuntur ad malum.

Hilar. Chrysost. Euthym. Theophyl. *Mundani quamis occasione mouentur ad malum.*

86. *Necesse est enim, vt veniant scandala.* Necesse dicit, non absolutè,sed suppositâ hominum peruersitate, vt indicant Origenes,D.Hieronymus, D.Chrysostomus Beda,Euthymius, D. Thomas, & alij.Sicut Paulus dicit 1.Corinth. 11.num.19. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Sic eodem modo considerata humana malitia,ab pronitate, instigante Dæmone, oportet, seu necesse est, vt sint scandala,seu offendicula ab Hæreticis, superbis, & iniquis hominibus,vt manifestentur sancti, & humiles viri. *Veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit.* Illud *væ* magnum supplicium Gehennæ denuntiat scandalizatoribus,cùm tantum crimen libere, ac voluntate sua perpetrent. *Homini illi.* D.Hilarius,D.Remigius,D.Paschasius,D.Hieron. hominem hunc putant Iudam, qui proditorio crimine sui sanctissimi Magistri summum scandalum, in toto Orbe dedit. Tamen sententia hæc est generalis, quæ omnibus scandala dantibus æternæ condemnationis væ prænuntiat.

Origen. Hieron. Chrysost. Beda. D.Thom. 1.Corin 11.

Hilar. Remigius. Paschas. Hieron.

QVÆSTIO XII.

Quare ex visa Discipulorum ambitione, totius Orbis conditionem deflet Dominus?

87. *Quæstionis difficultas*

CVM inter Apostolos,adhuc rudes,quædam de primatu ambitiosa contentio pullulasset, *Quis maior esset in regno cælorum?* Respondens Dominus largam de eradicanda ambitione, scandalóque vitando habuit concionem; & tandem defletus miseram Orbis conditionem exclamans ait: *Væ mundo à scandalis!* Qua consequentia ex illa Discipulorum ambitione tenui ad totius mundi lamentum deflectit? Quænam, Domine,facinora vides,quæ tuis;ac vniuerso mundo extremam ruinam pertimescere faciant, ingemiscis enim super vniuersum Orbem: *Væ mundo a scandalis?*

88. Paschas. Respondet ad quæstionem D.Paschasius lib.8. in Matth. *Contra Apostolos*, ait, *id dictum intelligi potest, qui interrogando, Quis maior esset in regno cælorum, videbantur de dignitate inter se contendere. Et si in hoc vitio permansissent, poterant procul dubio eos, quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere: dum viderent eos adhuc in fide infirmos inter se honore pugnare.* De contentione Apostolorum totius Orbis interitum lachrymatur Dominus, *Væ mundo à scandalis.* Illud enim *Væ*, quandam vniuersalem ruinam prænuntiat, vt dixi in expositione. Cur tanta iactura ex pancorum contentione timetur? Erat enim huiusmodi concertatio pro honoribus obtinendis in Apostolicis viris? in quibus res est adeo periculosa, vt inde in vniuersis iactura imminere videatur. *Et si in hoc vitio permansissent, poterant procul dubio eos, quos ad fidem vocabant, suo scandalo perdere.* Et ideo tantus est Dominus ab exordio Euangelij vsque modo per varios discursus exhortans ad humilitatem, ac ad vitandum scandalum, vt sic à suo collegio talis eradicata repellatur contentio, ne illa forte totus inficiatur, ac deperdatur Orbis.

Contentio de honoribus in Ecclesiastico statum instituit, & perdit orbem.

Venit vir Dei,ad Heli,prænuntians destructionem domus suæ. Et ait illi. *Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees, in die vno morientur ambo.* 1.Reg.2.num.34. In Ægypto pro suis magnis delictis in vnaquaque familia vnus tantum moriebatur primogenitus: Cur familiæ Heli acerbior pœna infligitur, vt vna die duo filij occumbant? In Ægypto regnabat Idolatria, rebellio, ac obstinatio contra Dei mandata? & tamen vnius primogeniti morte in vnaquaque familia Dominus est contentus: at verò filij Heli erant sacerdotes, multa ambitione adusti; bona enim sacrificantium sibi auferebant eod. cap.2.num. 12. &c. Deus autem nouo regimine Samuëlis disponebat, rempublicam à prauis moribus restaurare, ac reformare. Moriantur ambo filij Heli vna die, nam si vno mortuo alius superstes existeret,ambitionis pestis,in illo vigens, totum regnum,ac orbem inficeret, & deperderet: occumbant ambo simul,vt destructis vitiis cuncta rectè instaurentur,ac virtutes floreant. D. Gregorius Magnus supra citatum cap.2. Reg. Vna die morientur ambo. *Hoc*, ait, *itaque de officio suscepit culminis, temporalem felicitatem amantes, audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescant: quia, dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt.* Preme verbum *potus sui pestem.* Qui in Ecclesiastico culmine de suo fastigio elationem,ac ambitionem ebibunt, pestem effundunt,quæ alios valeat inficere, ac enecare.

89. 1.Reg. 2.

Greg. Magn.

Ambitio in Ecclesiastico, pestis est, qua alios enecat.

90.

Magna contentione contra Aaron,& Moysen surrexerunt Core, Dathan, & Abiron pro sacerdotali dignitate ambienda: in quos nouo, & inusitato modo diuina vltio desæuiit. *Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum operti humo.* Numer.16.num.32. Cur vini tam præcipiti lapsu ab inferno absorbentur? Cur non more omnium creaturarum moriuntur super terram? Gauit omnium Auctor, ne illorum pestiferæ ambitionis contagium orbem totum inficeret,ac contaminaret; ideo disposuit, vt vini à gehenna deglutirentur. D.Ambrosius Epist.82. *Ingemens terra*, ait, *in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem hausta, nec cælum visa, nec mare tacta, nec terram contaminaret sepulchro.* Et pro magis confirmanda hac nostra assertione expende,quòd terra *deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum.* Absorbentur cum filiis, vxoribus,ac cuncta familia. *Et vniuersa substantia*, hoc est,vt transfertur ex Hebraico, *cum omni re sua*: ne quid ex tanta peste superesset, quod totum coinquinaret, ac corrumperat orbem.

Numer.16. *Ambitio, vt pestis, totum orbem coinquinat.* Ambros.

Hebraum

QVÆSTIO XIII.

Quare Dominus luget scandala mundi, & ab ipso illa non removet?

91. BEt scandala hîc præcipuè intelliguntur persecutiones, vexationes,ac afflictiones iniquorum contra iustos, vt dixi in expositione. Hæc autem scandala dicit Dominus necessaria, suppositâ hominum depravatione, vt iam est explicatum

plicatum. Cur verò hæc scandala non removet? inquirit quæstio præsens.

92. Theophyl. Respondet primò Theophylactus. *Quid oportet lachrymari, vbi opus est succurrere, & manum porrigere? Dicimus igitur, quòd & ipsum legere, quadam iuuandi species est. Sæpe enim quibus admonitio nulla non profuit, illis profuimus, dum eos lugemus, quo sensum mali sui accipiant.* Dum Dominus lamentatur super hominum scandala ac contentiones, maximè illis subuenit; nam lachrymæ profusæ à tanto Domino maximè inseruiunt, vt quilibet nostrum resipiscat, ac reiectis scandalis modestè, & piè sine ambitione viuat.

Cum Christus delicta lugeat, quæ leuiùs non reprehendantur.

39. Chrysost. Secundò D. Chrysostomus homil. 60. quæstionem sic excitat, & resoluit. *Quamobrem ipse scandala non excidit? inquies.* Et *cuius rei gratia, tollenda erant! an propter eos, qui detrimento afficiuntur? sed non inde, qui detrimentum patiuntur, pereunt, sed desidia, & ignauia sua: quod virtutis cultores verum esse ostendunt, qui non modo nullam à scandalis iniuriam patiuntur, sed plurimum etiam lucrantur.* Pro magno bono Dominus hæc permittit esse scandala quibus nullus periit, nisi ex ignauia sua; iustus autem illis multum proficit, & lucratur, dum in patientia, humilitate, ac charitate erga Deum se exercet. Quod clarius constabit ex sequenti ratione.

Persecutione iniusti ex ignauia sua perit, iustus verò proficit.

94. Origenes. Tertio, & pulchrè Origenes tract. 5. in Matth. *Nec putes*, ait, *secundum naturam, vel substantiam esse huiusmodi scandala: sed libertas arbitrij in quibusdam genuit scandalum, nolens suscipere pro virtute laborem* (alte recogita sequentia verba) *non potest autem esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali.* Pro cuius rei argumento attentè posita Domini verba, ait: *Necesse est, vt veniant scandala*: non enim dixit (sensum moralem prosequor) huiusmodi impugnationes esse vtiles, sed necessarias, vt iustitiæ, ac virtutis regnum in hominibus firmetur, quod aliquando in summa prosperitate, ac tranquillitate collapsum inuenitur. Scandalum iustorũ, persecutio ac boni impugnatio, mala est in se; bonitas tamen impugnatione defœcatur, humanorúmque affectuum excrementa despumat, & ad valde purum excrescit; qui verò à malo impugnationẽ non patitur, in lubrico degit, & aliquando, vt deses, prolabitur, & ad iniquorum castra deflectit.

Nam si vt verum verum sine impugnatione mali.

95. Chrysost. Quòd grauiter, & erudite confirmat D. Chrysostomus citata homil. 60. in Matth. *Quod si vis à primo statim homine id considera, nam si, cum breui tempore, nec die fortasse integra, in paradiso deliciarum vixerit, ad tantum prauitatis deuenit, vt æqualitatem Dei falsa cogitatione sperauerit, & seductorem huius beneficij auctorem opinatus, vnum præceptum seruare non potuit: quid ille non fecisset, si longissimo in tranquillitate illa tempore vixisset?* Summa prosperitate, tranquillitate, ac subiectione potentiarum, ac omnium rerum, nec fortè per vnum diem stetit primus homo, quin falsa præsumptione cogitaret, se esse æqualem Deo; indéque turpiter deliquit, ac totum genus suum fœdauit. Quid verò ille non perpetraret, si prosperitas illa per longas moras traheretur. Postea autem à paradiso expulsus, appetituum, ac inimicorum inuisibilium conflictu multa vigilantia pugnans, magna pœnitentia resipiscit, & viuit, magnisque virtutibus exornatur, ac tandem regnum cæleste promeretur.

In prosperitate ruina, in bello victoria.

96. Exod 4. Israelitæ ante transitum maris rubri Deum adorantes reuerebantur, Exod. 4. nu. 31. Vnde digna-

ti sunt, vt eorum clamor à Deo exaudiretur; Exod. 3. num. 9. At verò post transitum maris in turpissimum Idololatriæ vitium prolapsi sunt, vt vitulum adorarẽt. *Fecit eis vitulum conflatilem, dixerúntque: Hi sunt Dij tui, Israël.* Exod. 32. num. 4. Cur, qui ante erant Dei cultores, modo Idololatræ facti ipsum contemnunt; cùm potius ex mirabili maris diuisione, re nunquam antea visa, Diuinam maximè deberent reuereri maiestatem? Ante transitum maris habebant Israëlitæ Ægyptios sui aduersarios, quorum oppugnatione, tanquam fortes milites vigilantes, in timore Dei se continebant: at tranfacto mari viderunt Ægyptios in littore demortuos, Exod. 14. num. 31. Cùm se tunc agnouissent in summa trãquillitate, ac prosperitate, suffocatis suis aduersariis, & iam nullum timerent, qui eis bellum posse inferre; inde maxime naufragentur, ac in omne vitium præcipites ruunt. D. Isidorus Peluſiota lib. 2. Epist. 74. *Postcaquam*, ait, *Ægyptij defuncti sunt, eósque mare pro sepulchro habere conspexerunt Iudæi, tunc verò ad idolorum cultum se conuerterunt. Nam cùm mare transissent, nec periculi quicquam subiissent; vbi terram attigerunt, naufragium pertulerunt.*

Exod. 3.

Exod. 32.

Exod. 14. *Inter aduersarios firmitas, illis extinctis lapsus.*

Peluſiota.

Matth. 18. *num.* 8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est, ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

Num. 9. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est, cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

VERSIONES.

Syriacus n. 8. Si verò manus tua, aut pes tuus offendiculo tibi fuerit, amputa eum.

Arias. Pulchrum est tibi, ad vitam ingredi debilem.

Vatablus. Melius est tibi, ad vitam ingredi claudum, aut mutilum.

S. Chromatius. Aquilens. Epis. Conc. 1. *de Beatitudine.* Quòd si oculus tuus scãdalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus eat in gehennam.

ALTER TEXTVS.

Marci 9. *n.* 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: bonum est

est tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam igni inextinguibilis.

EXPOSITIO VI.

97. DOCET Dominus, quanto studio, ac diligentia sint scandala à nobis vitanda, fugiendique scandalizatores etiamsi instar oculorum, manuum, vel pedum sint charissimi amici summéque coniuncti consanguinei, vt docent, D. Chrysostomus, Theophylactus, & alij citandi quæst. sequenti. Hanc eandem sententiam iam Dominus dixerat Matth. 5. num. 31. & 32. quæ à nobis iam sunt explicata ibidem tom. 3. c. 13. in exposit. n. 22. & 23. ibi videnda dicta. Repetit autem illa, tum fortè propter nouos auditores, vt ait Abulensis quæst. 40. tum etiam propter grauitatem, ac necessitatem doctrinæ.

Chrysost. Theophyl. Matth. 5.

Abulens.

98. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te.* Cùm hæc iam sint explicata citato loco, breuissimè dicã. *Si manus tua*, per tactum, vel per quamcumque operationem; *seu* per gressum, seu per cursum, *te scandalizat*, hoc est, offendit te, ac ducit ad illicita, & peccata; *abscinde eum*: non est sermo de mẽbris materialibus corporis, vt late probat Abulensis q. 41. sed de his, quæ sunt veluti membra, vt iam dixi ex Chrysostomo, *Abscinde eum*, hoc est, inordinatum vsum horum membrorum vitando amputa, & *proiice abs te*; separa nempe à te, seu longe fac à te vitiosos membrorum istorum actus:

Abulens.

Chrysost.

Vatabl. *bonum tibi est*, id est melius, vt legit Vatablus; nam Hebræi carent comparatiuo. Est sensus: melius est tibi, ad vitam æternam transire, *debilem, vel claudum*, illicitis actibus manuum, vel pedum in hac vita carentem, *quàm duas manus, vel duos pedes habentem*, inordinatum vsum horum membrorum pro sua libidine habentem, mitti in æternam damnationem.

99. *Et si oculus tuus.* Hæc sententia ad idem spectat, quò superior, eodémque modo exponenda: per oculum autem intelligitur vanus, ac impudicus aspectus, seu immoderata, ac illicita cogitatio: *bonum est tibi cum vno oculo*: id est, melius est tibi, cum moderato, ac reformato oculorum vsu ad æternam felicitatem ire *quàm duos oculos habentem*, eis ad libitum vtentem, & circunspicientem, in ignem æternum mitti.

QVÆSTIO XIV.

Quare Dominus non solùm præcipit manum, vel pedem, ac oculum abscindere; sed etiam proiicere?

100. HÆC oculum, manum, vel pedem, non intelligunt corporis membra naturalia, sed metaphoricè illa, quæ nobis sunt offendicula, & in damnum spirituale vergunt. Origenes. Quod Sacerdotes rationabiliter possint dici Ecclesiæ oculus: quoniam speculatores habentur: Diaconi autem manus, quia per eos opera spiritualia geruntur. Populus autem pedes, quia sicut pes tendit, quò oculus dirigit, sic populus debet incedere per ea, quæ sacerdotes demonstrant, quos deuitare oporteat, si, vt membra putrida, scandalum Ecclesiæ facti fuerint.

Origenes.

Secundò. D. Chrysostomus homil. 60. *Non* ait, *hæc de membris dicta sunt: sed de amicis, ac necessariis, quos quasi membra nobis coniunctos ducimus: mihi ita pernicie sum, ac pestiferum est, vt consuetudo prauorum hominum, & conuersatio.* Per manus ac pedes intelligit Dominus amicos, & consanguineos, vt etiam docent Theophylactus, Euthymius, D. Paschasius, Albertus Magnus, & alij, his enim tanquam nostris membris ad actiones vtimur; nam, vt ait D. Thomas, homo homini necessarius ad operandum, ad supportandum, ad docendum, ac alia. Sic ait D. Hieronymus. *Si quis est tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum, scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam; melius est, vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas,* &c.

101. Chrysost. *Amici, ac sanguinei improbi fugiendi.*

Theophyl. Euthym. Paschas. D. Thom.

Hieron.

Bene notat Caietanus, *Quod, non caput, nec ambas manus, amboſque pedes, seu oculos euellendos censuit Dominus: vt significaret, quòd possibiles, ac tolerabiles abdicationes præcipit.* Duos oculos, manus, ac pedes habemus: vnus oculus, pes, & manus, sunt amici, ac consanguinei; alter verò oculus, manus & pes, est cum iudicium, tum operatio, tumque gressus. Si Dominus, ambos oculos, manus, & pedes, præciperet abscindere, & eruere, valde difficilia imponeret: at cùm mandat, vt iniquam conuersationem, ac familiaritatem vitemus, non impossibile, sed tolerabile, ac suaue tradit præceptum.

102. Caietan. *Domini mandatum possibile, ac tolerabile.*

Non solùm mandat Dominus manum, vel pedem scandalizantem abscindere, sed etiam addit, *& proiice abs te*: non solùm præcipit, vt peccatum, seu peccandi occasio abscindatur; sed etiam & procul abiiciatur. Sic magnus ille prædicator Ioannes clamabat: *Iam securis ad radicem arborum posita sit*, Matth. 3. num. 10. Non ait, quòd securis applicata sit ad ramos, vel frondes tondendas, sed ad radices extirpandas, vt penitus peccati malum excidatur. D. Bernard. serm. 2. de Assumpt. Virg. *An verò*, inquit, *aliud est, quàm fictio execranda; si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto, quoniam pullulabis vberius. Excisam, non extirpatam arborem in Sylua pullulare videas densiorem. Quod periculum si vitamus declinare, fecerim ponamus, necesse est, ad radices arborum non ad ramos.*

103. Matth. 3. *Peccati radix euellenda.* Bernard.

Tandem Venerabilis Balduinus in Allegorijs Gotfrid. Tilm. ad præsentia verba: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Sic ad contemplandum Venerabile Eucharistiæ mysterium subdit: *Habet humana ratio oculum suum, habet Fides & suum. Oculus rationis quasi lippus est, & sæpe visibilia, & prope posita videre non potest. Oculus autem Fidei acutus est.* Quo inuisibilia Dei intellecta conspiciuntur. *Circa virtutem Sacramenti meminerit, oculus rationis caligat.* Tunc subijcit: Si oculus tuus, inquit Dominus, scandalizat te, erue eum, &c. *Hoc de oculo humanæ rationis non inconuenienter accipitur, qui pietati fidei scandalum est vnde & merito eruendus est: melius est enim, vnum oculum sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quàm duos oculos habentem, alterum humanæ rationis, alterum fidei, mitti in gehennam ignis.* Habet, homo oculum humanæ rationis, & oculum fidei, cùm ad Eucharistiæ Sacramentum accedit: oculus humanæ

104. Balduinus. Gotfridus.

vt

Exclusa rationis oculo, cùm fidei lumine ad Eucharistiam accedo.

manæ nationis, cùm iudicet ex rebus sibi notis, scandalum est fidei, huiusmodi mentis oculum, ac illius vsum, & discursum a te amputa, & abiice, & erige tantum fidei oculum ad tam sublime mysterium, vt illud penetrare, ac intelligere valeas.

105 Videt Isaias Dominum residentem in solio Altaris: ideo ad hoc significandum dicitur: Et ea, quæ sub ipso erant replebant templum. Seraphim vndique stabant, Deum collaudantia. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius.* Isai. 6. num. 2. Hebræicus legit, *duabus velabat vnusquisque faciem suam.* Chaldæus, Forerius, Sanchez, D. Chrysostomus homil. 4. in hanc visionem. *Duobus velabant faciem suas.* Aduocantur Seraphim ad contemplandum, ac videndum Dei vultum, vt tantæ maiestatis aspectu repleantur summo gaudio: ad quid ergo velant facies suas, cùm potius eas deberent discooperire; ac, si aliquod inuolucrum obstaret, illud reiicere oporteret, vt aperta acie Dei vultu gauderent? Seraphim fidelium figuram exprimebant, vt astruit D. Bonauentura l. b. lumin. Eccles. Consid. 2. *Fides facit*, ait *animam Seraphicam.* Vt anima fidelis Deum in throno Altaris valeat contemplari, debet faciem suam, oculos nempe naturales obuelare, & extendere tantum fidei alas, vt ad hoc sublime mysterium valeat euolate, illúdq; intueri. Alas enim volantes, fidei esse, interpretatur D. Dionysius de cœlesti Hierarchia c. 4. & 13. *Absolutissimam, summámque in Deum intentionem signat*, volatus, scilicet, alarum. Vnde tom. 3. c. 35. num. 20. 21. & 22. & num. 36. & 37.

Isaiæ 6. Hebræus. Chaldæus Forerius. Sanchez Chrysost.

Bonauent. *Non naturalis sensus, sed sola fides Christum in Eucharistia recognoscit.* Dionysius.

Matthæi 18. *num.* 10. Videte, ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.

VERSIONES.

Anastasius Sinaita lib. 5. in Hexam. Videte, ne despiciatis vnum ex pusillis istis, qui in me credunt. Dico enim vobis, quòd Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem Patris mei.

Arias. Videte, ne despiciatis vnum paruulorum istorum: Angeli eorum per omne tempus vident:::

EXPOSITIO VII.

106. Caietan. VSQVE modo prohibet Dominus, ne parvuli scandalizentur, modò ne despiciatur. Nam, vt ait Caietanus: vtrumque crimen facilè in humiles exercet humanum genus: nam & offendiculo ponere ad ruinam humilium pro nihilo habetur; & despicere humiles, seu abiectos, valde morale est. *Vnum ex pusillis.* Per pusillos, pauperes interpretantur D. Chrysostomus, Theophylactus. Imperfectos fideles Carthusianus. Humiles verò, & simplices, ac aptius ad literam, Origenes, Beda, & alij communiter. *Dico enim vobis.* Nouo argumento reuocat homines ab humilium contemptu, docétque quanti sunt æstimandi, cùm à Deo in tanto habeantur pretio, vt vnicuique vnum ad custodiam deputet Angelum. *Angeli eorum*, dati scilicet ad eorum custodiam, vt explicant D. Hieronymus; Paschasius; vel concines eorum, vt interpretatur D. Thomas. *In cælis*, hoc est, Angeli cælestes, quorum habitatio est in cælis; hoc enim epitheto à malis Angelis distinguuntur, quorum habitatio est in inferno.

Chrysost. Theophyl. Carthus. Origen. Beda. Hieron. Paschas. D. Thom.

107. *Semper*, id est *perpetuò*, seu *per omne tempus*. Sic enim sancti Angeli pusillis adsunt, & intendunt illorum custodiæ, vt eos seruent, ac vbique fruantur Dei facie præsentis, qui etiam vbique est. *Vident faciem Patris mei.* Intuentur scilicet nudam naturam, seu essentiam, facies enim manifestam visionem declarat, quæ non per speculum fit, atte in ænigmate; hoc est, vident Deum, sicuti est, vt loquitur Ioan. 1. Epist. 3. num. 2. Ioan. 3.

QVÆSTIO XV.

Quare particulariter dicitur de Angelis tutelaribus paruulorum, quòd videant faciem Patris, cùm omnes Angeli beati, illius aspectu fruantur?

108. AIt in præsenti Christus Dominus: *Angeli eorum*, scilicet paruulorum, *semper vident faciem Patris mei*; tanquam quid peculiare in hoc paruulorum Angelis attribuat, quasi cæteri Angeli minores sint, & quasi illi faciem Dei non intueantur. Ex quo Origenes homil. 55. in Luc. suum corroborat errorem. Ac si Angeli etiam beati propter aliquam negligentiam in custodiendis hominibus, suam aliquando beatitudinem amittant. Error hic est manifestus, & apertus, in eiúsque refutatione non est hic immorandum; quam Theologi variis in locis impugnant, atque reiiciunt.

Origen.

109. Suarez. Magister Suarez lib. 6. de Angelis cap. 2. n. 5. existimat, quòd per hæc verba satis Christus cõmendauerit, vel etiam exaggerauerit, quanti Deus faciat pusillos infantes, quorum Angeli, non est necesse, vt illis speciale sit videre faciem Dei, sed satis, superque est, quòd sint videntes Dei faciem, & quod in hoc cum supremis Angelis Deo assistentibus conueniant. Sic ille. Ac si dicat, quòd pusilli tantum æstimantur à Deo, vt ad sui custodiam habeant Angelos deputatos, qui faciem Dei Patris vident. Tamen Patres, ac multi Doctores tenent, quòd Angelis patronis paruulorum aliqua excellentia hic à Christo Domino assignatur supra reliquorum hominum Angelos.

110. Chrysost. Secundò rectè respondet D. Chrysostomus homil. 60. *His verò*, ait, *non de Angelis simpliciter dicitur: sed de Angelis excellentioribus, ac supremis; nihil enim aliud designatur, cùm faciem dicit Patris mei aspiciunt, quam summa fiducia eorum, & honor præcipuus:* Quod latius explicant in præsenti Maldonatus, Lucas Burgensis: Ac maiores, & honorabiliores esse paruulorum, quàm aliorum hominum Angelos ex effectu Christus probet, quia semper vident faciem Dei, non quòd alij Angeli non videant; sed quod ea phrasi Hebræi significant:

Maldonat. Burgensis.

cant, Deo aliquem esse propinquum, & familiarem: sumpta autem est metaphora ex aulæ consuetudine; vbi quò quis honoratior, eò propinquior est Regi, eoque frequentior in eius conspectu versari solet, vt de seruis Salomonis legimus 3.Reg.10.num.8. Ac si dicat Christus itanti paruuli, ac humiles æstimantur à Deo Patre, ac habentur in cælesti Regno, vt ad eorum tutelam, non qualiscumque Angelus destinetur; sed in suo ordine excellentior, ac honorabilior, qui propius, ac immediatius Dei throno adstat, eique semper assidet: sumpta est enim ex aulæ consuetudine metaphora.

3.Reg.10.

Angelus tutelaris paruulorum honorabilior.

111. Tertiò, Theophylactus. *Peccatorum Angeli*, ait, *quasi propter nos confusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam libere videre faciem Dei, & precari forsitan pro nobis. Humilium autem Angeli, hi semper vident Dei faciem, & fortè pro nobis erant.* Hæc metaphorico, ac humano more intelligenda sunt. Angeli enim sancti Dei conspectu perenniter summo gaudio fruuntur. Tamen ex nostro dicendi more verecundantur, vt non multum fidenter quodammodo audiant ante Dei thronum comparere pro ipsis delinquentibus deprecaturi, ac pro illis supplicationes facturi: *neque ipsi possunt tam libere videre faciem Dei, & precari forsitan pro nobis.* At humilium Angeli audaci quadam licentia libere diuinos adeunt oculos, dulcique quodam lenocinio adstant diuino tribunali, vt humilium vota, tanquam quid Deo valde gratum, offerant. Et hoc est, quod dicitur: *Vident faciem Patris mei*, multa nempe confidentia ac audacia, vt pro ipsis humilibus loquantur. *Humilium autem Angeli, hi semper vident faciem Dei, & forte pro nobis erant.* Et D. Chrysostomus supra citatus. *Nihil aliud designatur, cùm faciem dicat Patris mei assistunt, quàm summa fiducia eorum.*

Theophyl. *Angeli humilium fidenter pro illis erant.*

Chrysost.

112. Quis dubitat, quòd ex causa, quæ agitur, vires, animus, ac fiducia minuant, vel augeantur. Antequam Iacob perueniret ad patrē suum, vt magnis bonis ditaretur. *Ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Genes. 32.n.24. Multi auctores, quos citat, ac sequitur Franciscus Georgius 10.1.sess.3. Problemate 234. dicunt, hunc virum fuisse Angelum bonum Esau, qui Iacob à terræ promissionis ingressu arcebat, quo Esau maioribus benedictionibus locupletaretur, indéque cum eo luctabatur. Tamē Iacob prævaluit in Angelum, victoriæque palmam obtinuit. Angelus multo fortior homine; quomodo potuit ab vno homine superari? Causa ipsa, quæ agebatur, suppeditabat, ac vires subtrahebat. Causa Iacob multo melior, quàm Esau. Pro Iacob stabant præexcelsa merita, quæ non sic pro Esau militabant. Cùm ergo causa Iacob melior, ac illustrior, quàm fratris existeret, ab ipsa ei ministrantur vires, vt victor euadat, & trophæa erigat. At verò Esau causa multo inferior erat; inde ad magnum nostrum documentū, cùm pro sui munere patronatus Angelus ad speciē eum tuetur (nondum Dei determinatio erat manifesta) ipsa elanguet, ac minuitur viribus, vt Iacob aduersus eum prævaleat, ac triumphator existat. Considerationē insinuat Abulens. ibi qu.5. *Dicunt plures Hebræorum, quòd iste fuit Angelus bonus Esau, qui volebat impedire Iacob, ne intraret in terram promissionis, & vt non complerentur in eo benedictiones, sed in semine Esau. Ideóque luctabatur cum eo putans prævalere aduersus eum, sed ad vltimum non potens prævalere, tetigit nervū femoris, & fecit eū claudū.*

Genes. 32. Ribe. Georg.

Ex peccatis hominum elanguet vis in Angelis tutelaribus

Abulens.

113. Venerūt duo Angeli Sodomæ, dicuntque Loth: *Delebimus locum istum.* Gen. 19. num. 13. Ciuitas illa Sodomis multorum millibus hominum abundabat, & cuilibet ciuium destinatus erat Angelus ad custodiam: quomodo duo Angeli tam copiosam hominum multitudinem perdere poterunt; quilibet enim Angelus ciuem sibi commissum proteget; tamen duo Angeli ciuitatem cum omni populo delebunt. D. Basilius in Psalm. 33. ait: *Cuilibet credenti in Dominum assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala opera effugauerimus, nam sicut opus fugat fumus, & columbas abigit malus odor; ita etiam vitæ nostræ custodem Angelum abducit, & amouet lachrimabile, fœtidumque peccatum.* In rem nostram eamen dicam. Multa erant millia Angelorum, qui tot millia hominum, habitantium in ciuitate, custodiebant; vnusquisque suum Angelum patronum habebat; tamen ob turpissima ipsorum hominum peccata, eorum Angelorum virtus in protegendo frigescit, & remissior fit; vt duo Angeli contra tot millia prævaleant, totamque ciuitatem solo æquare potentes sint.

Genes. 19. Basilius. *Ex peccatis hominum frigescit, virtus in patronis Angelis.*

QVÆSTIO XVI.

Ad quid dicitur, quòd Angeli custodes videant faciem Patris?

114. OB magnam sanctorum Angelorum excellentiam, obque magnam humilium, ac simplicium curam hoc est assertum, vt satis iam à nobis est dictum, ac explicatum. Deinde D. Laurentius Iustinianus lib. de Connub. cap. 16. *Semper vident faciem Patris mei*, ait, *scilicet in Sapientiæ speculo contemplantes, qualiter suum perficiant munus.* Quanti Deus facit homines, vt Angeli eorum patroni à Deo destinati, ab ipso Deo supremo magistro agendæ custodiæ discāt rationes. Ait Ioannes: *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei.* Apocal. 8. num. 2. Hi sunt septem primores Angelorū in aula cœlesti, & principes Ecclesiæ, quibus cura hominum, & Ecclesiæ est à Deo demandata, vt docent, Aretas, Andreas, Ribeyra, Tirinus, Cornelius, & alii. Peculiariter autem dicuntur astare in conspectu Dei, vt tradunt Iacobus Soar. l. 3. Ioannes Fontana Episcopus Ferrar. part. 3. auct. 64. Stephanus Veberus de officio Angelor. cap. 3. num. 8. Fidelis Danielius lib. 1. de Diuina Prouidentia cap. 2. tanquam immediatius, & propius cæteris astantes Dei throno, vt summa eorum excellentia, eximiāque familiaritas cum Deo, alta, ac profunda contemplatio eorum, quæ agenda sunt, denotetur.

Laur. Iustin. Apocal 8. Aretas. Andreas. Ribeyra. Tirinus. Cornel. Iacob. Soar. Fontana. Danielius. *Angelus tutelaris valde excellens, & Deo familiaris.*

115. Videns Deus hominum superbiam, qui ædificabant turrim, cuius culmen pertingeret ad cælum: ait, *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Gen. 11.n.7. D. Aug. lib. 16. de ciuitate c. 9. Philo citandus, Caietanus, Pereria, & alij existimāt, Deum sermonem dirigere ad Angelos. Nullo interueniente Angelo Deus valebat confundere linguam illorum? Cur ergo ad idiomatum confusionem eos conuocat? Tantæ sunt Angeli dignitatis, vt Deus eos quasi socios operationis suæ assumat. Philo lib. de confusi. Lingnar. *Videtur*, ait, *illis verbis Deus, quosdam*, scilicet Angelos, *alloqui tanquam operationis socios.* Hinc ad omne negocium Deus tanquam sui ministros aduocat Angelos. Canebat Dauid Psalm. 102. num. 18. *Benedicite Domino omnes Angeli eius,*

Genes. 11. Aug. Caietan. Pereria. *Angeli illi quodammodo socij diuinarum operationū.* Philo. Psalm. 102.

& per eum confortato Domino; ne pro his tristiis esset, iam sine tristitia metu existens ait: Dormite iam & requiescite. Attétè pensita verba, quæ post pauca subijcit S. Pater. *Non ex nihilo dormientium adhortatio subsecuta est, nisi quòd, cum abfuturus ab his esset, & indulti Angeli confortatus auxilio, securitate custodia custodiendos permittebat in somnum.* In tertia oratione venit Angelus confortans eum, proponens Discipulorum trophæa, *missoipso ad Apostolorum tuitionem.* Tunc ait illis Christus: *Dormite iam & requiescite.* Quandiu ipsi, vt Apostoli, ac Discipuli, sub Domini disciplina, ac cura degebant, procorum salute omnium Saluator maximè anxiabatur. At verò, cùm iam sub Angeli tutela apparent tũc Christus ad honorãdos Sãctos Apostolos, adque significandum, quantum eorum patrocinia nobis prosint, ait illis: *Dormite iam, & requiescite.* Cùm enim illi Angelorum tutela communiti existerent, iam nulla aduersùs eos tartarea potestas prævalitura, nullúmque impendens malum illis formidándum esset; inde tanquam ab omnibus custoditi obdormire mandantur. *Securitate custodia custodiendos permittebat in somnum.*

Sub Angeli tutela mandat Dominus Discipulos dormire, vt securos ab omni malo.

124. Pro beneficiis nobis collatis primò debemus gratias agere Deo, à quo vt ab vniuersali Auctore omnia bona in nos diffunduntur? deinde Angelo nostro custodi, à quo ministrantur. Sic faciebat Iacob. Benedicturus nepotibus suis inquit: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem. Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Gen. 48. n. 16. Referens gratias pro beneficiis sibi concessis, primò ea recognoscit accepta à Deo deinde ab Angelo suo, vt Domini ministro. Põderat Caiet. *quod iuxta Hebraum, habetur præsenti tempore ad significandum perseuerentiam Angelica custodia datur præsenti tempore.* Tutela Angeli pro nobis, pro omni tempore est durans, & perseuerans.

Gratificandũ Angelo pro nostra custodia. Gene. 48.

Caietan.

125. Ad hoc autem maximè allicere nos debet ipsorum Sanctorum Angelorum benignitas, qui summopere nobis rependunt ea, quæ in illorum obsequio præstamus. Veniũt duo Angeli Sodomæ, habẽtes in commissione, vt Loth cũ tota familia sua ab incendio incolumes præseruent, sicque ei dicunt: *Habes hic quempiam tuorum generum, aut filios, aut filias, & omnes, qui tui sunt, educ de urbe hac, delebimus enim locum istum.* Gen. 19. n. 12. Postea verò, cũ egrederetur Loth, postulat ipse ab Angelo pro Segor. Cui Angelus ait, *Etiam in hoc suscipi preces tuas, vt non subuerterem urbem, pro qua locutus es.* Angelus enim, audita oratione Loth, eã, Omnipotẽti Deo obtulit, ex cuius inspiratione, vt ait Carthus. ciuitatem illam ei concessit Angelus. Nõne fas erat, vt Angelus seruaret Loth cum tota sua familia, vt ei erat mandatum? ad quid vltra pro Segor postulat, vt expers ab incendio in mãsionem tribuatur Loth? Quando Angeli accesserunt Sodomã, recepit eos Loth hospitio cum multa festinitate & applausu, *fecitque eis conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Indéque Angeli ex gratitudine hospitalitatis astricti, non solùm Loth, & familiam suam seruare curant, sed etiam ciuitatem, quam vir bonus desiderat, ex Dei benignitate precibus impetrant, ac obtinent.

Gen. 19.

Carthus.

Angeli maximè gratis sibi obsequia.

CAPVT XI.

Fraterna correptio.

Matth. 18. *num.* 15. Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsũ solum: si te audierit lucratus eris fratrẽ tuum.

VERSIONES.

Syriacus. Si verò errauerit in te frater tuus; ito, argue eum.

S. Pacian. Ep. 3. ad Sympr. Si peccauerit in te frater tuus; vade, & corripe eum solus cum solo.

Vatablus. Abi, redargue eum solus ipse solum.

ALTER TEXTVS.

Luca. 17. *n.* 3. Attendite vobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum; & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

EXPOSITIO I.

SVPRA, vt rectè notarunt D. Chrysh. 61. Euthym & Abul. q. 76. egit Dominus de scandalizatoribus, seu scandala inferentibus: *Væ homini illi, per quem scandalum venit.* Matth. 18. n. 7. Nunc agit de scandalizatis, seu scandala patientibus; ne scandalizatores per superbiam, & contemptum, quo ergo alios efferuntur, obdormientes in suis vitiis pereãt; & ne scandalizati per negligentiam, ac defectum Charitatis delinquant; sicque eos admonet, vt de peccantis fratris salute curẽt. Ante exhortationem Dominus posuit documentum sub similitudine pastoris, deprediã ouem quærentis, n. 12. vt mandatum facilè redderet; cùm enim princeps præcedit, valdè promptè alios suo exemplo allicit, & attrahit. De hac autem parabola commodius infra c. 16. Ex quo instrueris quòd vnusquisque in suo ordine inuigilet; peccator vt surgat; Iustus vt aliorum miseriis consulendo compatiatur.

126. *Chrysost. Euthym. Abulens. Matth. 18.*

Cùm Princeps præcedit, facilè sequuntur alij.

D. Lucas ait: *Attendite vobis*; quòd Dominus dixit, vt hanc doctrinam maximè commendaret, simúlque inculcaret, quòd in eo, in quo aliis attendimus, nobis consulimus. *Si peccauerit.* Syriac. *Si errauerit*, iniurioso scilicet verbo, facto, aut malo exemplo; siue per ignorantiam, siue errorem. *In te.* Aliqui sic exposuerunt, *te sciente.* Christus tamen absolutè loquitur, vt interpretẽtur D. Hil. Chrys. Aug. serm. 16. de verb. Dom. Pasch. D. Thom. de eo qui nos offendit, ac lædit quocumque modo. Ad hoc tẽdit interrogatio Petri infra posita: *Quoties peccabit in me frater meus, dimittam ei?* & apposita parabola à Christo de oue perdita, *frater tuus*, id est Christianus, vt interpretantur Euthym. Theophyl. Alber. Magn. Carthus. & patet ex v. 17 *Dic Ecclesiæ; & si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ethnicum enim & publicanum

127. *Syriacus. Hilar. Chrysost. Paschas. D. Thom. Euthym. Theophyl. Alb. Magn. Carthus.*

blicanum fratri opponit. Ecclesiae enim nō iudicat de iis quæ foris sūt, 1. ad Cor. 5. n. 12. Nō dixit, si peccauerit homo, vel proximus, vel frater vester, sed frater tuus, vt teste Paschas. lib. 8. in Matth. erga illum charitatem commendaret, innueretque, quanta benignitate ac mansuetudine eum prosequi debeamus, ac si tibi tantum esset frater vnicus.

Paschas.

3. Chrysost. Theophyl.

Vade, non solùm animi effectus, sed etiam motu progressiuo corporis, *Corripe eum*. D. Chrysostomus homil. 61. *Non dicit, increpa, neque vindictam expete, neque accusa.* Non enim frater debet accusare fratrem. Theophylactus. *Non dixit, conuicia, sed argue*, Charitatiuè, modestis verbis. *Inter te, & ipsum solum.* Secreta admonitio studet emendationi, & parcit pudori. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Cùm illius saluti incumbis, tuum lucrum facis. Caietanus ait: *Vt fratris salutem, tuum lucrum æstimes, & non secus quàm tuum lucrum inquiras.* Deinde superiori antecedenti versu 14. quos pusillos vocauit. *Vt pereat vnus de pusillis istis*, nunc eos fratres nuncupat: virtus non est rusticana, sed valde vrbana, & omnes condecorat.

Fratris salus lucrum quæritis Caietan.

QVÆSTIO I.

Quare dicitur: Si peccauerit in te frater tuus: *cùm de omni peccato, siue contra te immediatè, siue non, exponendus sit textus?*

4. Chrysost. Hieron. Hilar. Ambros. August.

RAtiones Partes hoc Christi præceptū de peccato, quod contra singulos fit & singulis iniungitur, intelligunt, vt cùm me contumelia aliquis affecerit, ego illum corripiam. Ita Dimus Chrysostomus, D. Hieronymus in præsenti, D. Hilarius Cantic. 17. D. Ambrosius in cap. 17. Luc. D. Augustinus serm. 15. de verbis Domini; Qui sic ait: *Peccauit in te frater tuus: sed si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccauit: nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitati facit; ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius.* In eadem sententia sunt Euthymius, Beda, & alij. Ac si dicant Sanctus Pater. Vis scire, quando aliquis te vnum, vel plures offendi? Quando iniuria est irrogata in te, te solo agnoscente, te vnum læsit *Peccauit in te frater tuus: sed si tu solus nosti, tunc verè in te solum peccauit*: At verò, si frater peccauit in te aliis spectantibus? ipsa audita, oculatáque iniuria in te propagatur, vt alios offendat, & lædat: quilibet enim proximi iniuriam, vt suam propriam reputet, & æstimet. *Nam si multis audientibus tibi facit iniuriam, & in illos peccauit.*

Euthym. Beda.

Quilibet proximi iniuriā, vt suam repu tet.

5. De omni peccato præceptū intelligitur. Valen. Bannes. Suarez. Malderus. Becanus.

Tamen communis Scholasticorum sententia de quocumque peccato præceptum exponit, siue sit contra me, siue non sit contra me immediate. Ita Valentia tom. 3. disput. 5. quæst. 10. punct. 2. Bannes. 2. 2. quæst. 35. artic. 3. dub. 1. & 3 & Suarez tomo de fide tractat. 3. disput. 8. de Præcepto correptionis. sectione. 2. numero. 2. Malderus. 2. 2. quæstione. 33. articulo. 2. dubio. 1. Becanus. 2. 2. capite 21. numero 25. Hæc interpretatio optimè deducitur ex Christi Domini mente. Non enim exposuit præceptum hoc, vt quis amoueat à se propriam iniuriam, sed vt lucretur fratrem: qui finis locum habet in omni peccato; omne enim mortale peccatum tollit vitam spiritualem proximi; ergo de se sufficientem inducit necessitatem, vt lucremur illum, cúmque corripiamus.

6.

Deinde quòd omne peccatum contra te, hoc etiam dicursu ostendo. Si qui contra Deum peccat, contra te etiam peccat. Deum teneris diligere supra omnia, & supra te ipsum. Præterea si quis lædit tuum parentem, te lædit; quanto magis, qui Deum optimum omnium parentem offendit, te ipsum offendit. Si quis contra proximum peccat, quem sicut te ipsum teneris diligere, in te etiam peccat; damnum enim proximi, vt tuum pensitare debet; vt ex Diuo Augustino dixi ad initium quæstionis Si quis contra Prælatum delinquit, offensam infert subditis. Non, vt ait D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Maiorum iniuria, minorum est opprobrium.* Si quis verò inferioribus grauatur, de eo ait Eusebius Gallicanus homil. in feria 3. post Dom. 3. Quadrag. *Peccat in Pastores, qui oues afflixit: peccat in Episcopum, qui populo sibi commisso iniuriam facit.* Bonus Præsul suorum damnum, vt proprium pensitat.

Prælati iniuriam ej probrium est subditorum. Paschas.

Eusseb. Gall. Superior subditorum damnum, vt suū æstimet

7.

Christus Dominus tamen meminit expressè peccati contra non admissi, *si peccauerit in te*, vt vindictæ, ac odio frænum iniiceret. Nam, vt ait D. Hieronymus in præsenti, *nos in Dei iniuria benigni sumus, in nostra contumelia exercemus odia.* Illorúmque loco subrogauit Christus charitatem ex eáque fraternam correptionem. Secundò, Quamuis quodcumque peccatum intelligatur, tamen omnium Saluator dixit, *si peccauerit in te*, vt hac doctrina nobis declararet, quòd nimirum, quodcumque peccatum fuerit, vniuersis nocet cunctisque exitiale est Abul. quæst. 85. *Quicumque peccat*, ait, *coram nobis, vel nobis scientibus, malum nobis infert, scilicet scandalizet nos, quantum in se est, & istud est graue malum*

Plus dolent homines de iniuria extra se, quam contra Deū. Hieron. Peccatum cuiusque omnibus nocet.

Abulens.

8. Cantic. 2. Origen. Theodor. Cassiodor. Bernard. Rupert. Anselm.

Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Cant. 1. num. 5. Vt explicant Origenes, Theodoretus, Cassiodorus, Diuus Gregorius, Rupertus, Diuus Bernardus, D. Anselmus, & alij, *Nigra sum, sicut Tabernabula Cedar*, id est Arabum. Cedar fuit filius Ismaëlis, & pater Arabum *formosa sicut pelles*, seu pellium tabernacula *Salomonis*, quæ auro, & gemmis, ac magnis picturis erant exornata. Valde mirum, quod cùm esset tam formosa, & decora, obfuscationem extraxerit; de quo trito colore ipsa conqueritur, *nigra sum.* Sed vnde illi huiusmodi labes obuenit, ipsa insinuat sequenti versu 6. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*, id est hæretici, & peccatores, cum quibus in domestica pugna versabatur. Quamuis Sponsa esset in castris indicto bello cum eis decertans; tamen ex eorum nigredine aliqualem nigredinis fæcem leuiter ipsa passa est. D. Gregorius Nyssen. Oratione. 4. *Nigra*, ait, *propter prauitatis commercium reddita est.* Et D. Paulin. Ep. 4. ad Seuerum. *Anima*, ait, *nigra vero non, non de peccato, vt puto, magisque adhuc, vel de inhabitatione corporea, vel de exercitationis interna quasi bellico puluere nigrantes*

Etiam ex pugna cum aliquatis nigredo.

Nyssen.

Paulin.

De Diabolo, seu de Antichristo, vt est sententia S. Odonis, loquens Iob ait: *Cùm sublatus fuerit timebunt Angeli, & terrori purgabuntur.* Iob. 41. num. 16. Et quando, in Angelis nihil purgandum relictū est? Per Angelos intelliguntur prædicatores

9. Iob. 41.

catores, & doctores sancti, annuntiantes Euangelicam doctrinam; qui, cùm Angelicam vitam æmulentur, Angeli dicuntur Malach.2. n.7. Sed si sunt veluti Angeli in vita, quomodo quando Antichristus *sublatus fuerit, timebunt, & territi purgabuntur?* Etsi Angeli in vita, ac moribus, tamen ex contractu, ac assistentia ministrorum Antichristi aliquales maculas contraxerunt, à quibus agnita Antichristi morte, timore diuinæ iustitiæ concepto purgabuntur. S. Odo Abbas Cluniacensis lib.34. in Iob. *Prædicatores sancti*, inquit, *territi purgantur, quia si qua eis inesse potuit tenuis rubigo vitiorum, hoc pauore excoquitur.*

Malach.2.

Ex iniquorum assistentia maculæ in alios.

S. Odo

QVÆSTIO II.

Quare non solùm præcipit Dominus, vt peccantem fratrem corripiam, sed etiam vt ego ad illum vadam?

10. *Difficultas quæstionis.*

AIt Dominus in præsenti: *Vade, & corripe eum.* Dicet tamen aliquis: Cur ego, qui offensus sum, vadam? Cur ille non veniet ad me, qui in me peccauit, mihique iniuriam intulit? sat enim est, si venienti ignoscam, benignéque eum recipiam. Cur ego vadam? Imò, vt ait Caietanus, *Non expectes, vt veniat ad petendam veniam a te, aut vt prius ipse veniat ad te, aut obniet tibi, sed tu vade.*

Caietan.

11. Chrysost.

Respondet primò D. Chrysostomus homil.61: *Nam cum ille*, scilicet qui te offendit, *partim ira, partim rubore, quasi vino sopitus, non videat, opus est, vt tu, qui rectè valeas, ad ægrotum proficiscaris, & priuato quodam iudicio constituto remedium facilius inferas.* Ille, qui in te peccauit, ex ira, ex suóque proprio peccato infirmus, & cæcus est, *quasi vino sopitus non videas*; ex pudoréque etiam verecundatur, vt ad te veniat, vt loquitur D. Antonius Vlyssiponensis serm. in fer.3. post Dom. 3. Quadragesi. Cùm ergo his detineatur, *tu cùm rectè valeas, ad ægrotum proficiscaris*, tanquam medicus illius saluti consulas, non enim ægro, sed medico dicitur, *Vade*; ergo, cùm tu sis rectè valens, & tanquam medicus, ex tua bona valetudine, ac arte teneris, vt illius salutis negotium agas, ad eúmque vadas.

Antoni. Vlyss

Qui rectè valet, de ægroto curat.

12. Alb. Magn.

Secundò. Albertus Magnus *Vade*, inquit, *duobus pedibus, compassionis, & charitatis.* Ad fratrem, qui te offendit, accede, non tantum mente, sed etiam gressu corporis, quo compassione, ac charitate moueris compassione de illius miseria; charitate verò illius salutis, & quamuis sis offensus, ac magna dignitate præcellas, ad illum vade, nam charitatis, ac pietatis affectus, non de præeminentia, ac excellentia curant; sed tantum de lucro, ac remedio fratris sunt soliciti.

Charitas non de præeminentia, sed de remedio curat.

13. Hugo.

Tertiò. Cardinalis Hugo. *Vade, non solùm per scriptum corripe. Quin (vt dicit Hieronymus) nescio, quid latentis energiæ viua vocis actus habet. Energia est vis, efficacia, effectus.* Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Psal.118.n.74. D. Ambrosius ibi. *Plerisque*, ait, *iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectiombus lætitia est.*

Psalm.118. Ambros.

14.

Duo valde præclarè docet Hugo. Et ab hoc secundo incipiamus. Vade, ait Dominus quia sancti præsentia stimulus correptionis est. Triplicitèr meus Iesus oranit in Horto. Et surgens à prima oratione, cùm inuenisset suos Discipulos, dormientes, ait illis: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Marc.14. num.38. Postea cùm secundò orasset, reuersus ad Discipulos suos, *Denuo inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati, & ignorabant, quid responderent ei.* Marc.14. num.40. Cùm secundò nunc Dominus venit ad Discipulos, nihil eis dixit, vt tenent ibi Barradas, & alij expositores. Quænam igitur respondendi erat necessitas; & quid eos ad hoc cogebat, vt dicat Euangelista, quòd *ignorabant, quid responderent?* cum omnium Saluator nihil eis dixisset? Ipsa Saluatoris præsentia cum tanta oratione, ac vigilantia loquebatur, eósque arguebat Lucas Burgensis. *Si non voce, at præsentia sua.* Et Victor Antiochenus. *Redu ad illos, quo ingentem eorum infirmitatem omnibus ob oculos ponat: siquidem semel reprehensi, & admoniti, adhuc in vigiliâ perstare, & à somno se continere non potuerunt.* Ipsa Domini præsentia maximè eos vrgebat, vt aliquid pro se, próque tam profunda dormitione, ex humana fragilitate proueniente, loquerentur; at illi, cùm essent somno grauati, *Ignorabant, quid responderent.*

Marc.14.

Barrad.

Præsentia viri sancti iniquos arguit, & increpat.

Burgens.

Victor Ant. *Vt multùm habet latentis energiæ.*

15.

Ad primum, quod docet Hugo, veniamus. *Vade, non solùm per scriptum corripe, quia, vt dicit Hieronymus, nescit, quid latentis energiæ viua vocis actus habet.* In Cænaculo ait Christus Dominus Petro: *Amen dico tibi, quia tu hodie in hac nocte, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Marc. 14. num.30. Cur pro signo sui peccati, vt ab illo reuocetur, Petro datur cantus galli? Cur potius ei non dicitur, in hac nocte, seu media nocte, vel in atrio Pontificis me es negaturus? Ad quid tantum galli vox? Vt Petrus à torpore, ac lapsu peccati euocaretur, ac excitaretur, vna vox illi destinatur: & nullus sanè efficacior stimulus; quamuis enim inde articulatus esset galli cantus, cùm tamen vox, multam latentis energiæ habens vehementiam, ideo pro signo præ omnibus aliis Petro datur, vt à peccati barathro extrahatur. Vnde Victor Antiochenus ad citatum Marc.14. ad illa verba: *Statim gallus cantauit*: sic loquitur: *Petrum galli cantu admonitum, quasi à graui somno excitatur.*

Marc.14.

Victor Ant.

QVÆSTIO III.

Quare, cùm corripis fratrem, mandat Dominus, vt sit inter ter & ipsum solum?

16. *Ratio difficultatis.*

MAxime commendat Dominus, vt correptio absque arbitris fiat: *Inter te, & ipsum solum.* seu, vt alij legunt, *solus cum solo.* Nonne increpatione publica efficacius nocens mulctatus inhiberetur; tunc enim fortius offensor publicati delicti pudore confunderetur, & plures alij eius flagitium præcauerent?

17. Ambros.

Respondet primò D. Ambrosius ad cap.17. Luc. *Plus enim proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit; hac indignationem mouet. Seruetur pœnus, quod prodi metuat, qui monetur. Bonum quippe est vt amicum magis te, qui corripuit, credas, quàm inimicum; facilius enim consiliis acquiescitur, quam iniuriæ succumbitur.* Sit correptio secreta; plus enim proficit

Plus proficit secreta, quàm publica correptio.

abscondita reprehensio, quàm publica: secreta consulit pudori, ac honori; indéque tanquam ab amico excipitur: publica verò dedecori, ac iniuriæ inservit, exindeque indignationem mouet, ac tãquam ab inimico creditur. Vnde inquit D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini. *Nam si solus nosti, quia peccauit in te, & eum vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor.*

August.

18. August.

Secundò. D. Augustinus proximè citatus. *Corripe eum inter te, & ipsum solum, studens correptioni, parcens pudori: fortè enim pro verecundia incipit defendere peccatum suum; & quem vis facere correctorem, facis peiorem.* In secreto, & non publico delinquens arguatur; nam sæpè publicatione delicti homo verecundia affectus, ne suum factum reprobet, ipsum satagit patrocinare, & defendere; & dum procuras, vt delictum correptione condemnetur, facis ob publicationem, vt damnandum delictum defendatur, & cum emendare cupis, reddis fratrem impœnitentem, & obduratum.

Publicata correptio aliquando sui scelveris non damnatorem, sed defensorem reddit.

19. August.

Tertiò. Expende citata Augustini verba. *Studens correptioni, parcens pudori.* Magnum correptionis fraternæ est beneficium, sed sanè minueretur, si cùm verecundia, & rubore hominis offendentis præstaretur: vt ergo vndique perfectum appareat Charitatis donum, secluſa erubescentia, studeat salutis bono, sicque Christianæ perfectionis geminata sit benignitas, iniurijs agnoscens, ac simul lædentis pudori parcens.

Perfectum beneficium paretit pudori.

20. Chrysost.

Quartò. Quærit citatus D. Augustinus: Quomodo dicat Christus Dominus. *Corripe eum inter te, & ipsum solum*: cùm Apostolus scribat 1. ad Timoth. 5. n. 20. *Peccantes coram omnibus* arguet? Respondet allegatus. S. Pater. *Si aliquando aliud, aliquando aliud fecerimus: concordiam Scripturarum tenebimus.* Christus dominus loquitur de peccato occulto, quòd priuatim est corrigendum, vt requirit Iustitia, & Charitas. Apostolus autem de publico peccato loquitur, vt docent Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, D. Paschasius. Medicina proportionanda est morbo iuxta illius qualitatem, & indigentiam.

1. Tim. 5.

Chrysost. Theophyl. Oecumen.

Medicina morbo proportionanda.

21. Alb. Magn. Ierem. 3.

Quintò. Albertus Magnus. *Inter te, & ipsum solum*, ait, *Ne fortè publicatus humanam amittat verecundiam, & tunc non curet corrigi.* Ierem. 3. n. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi, & noluisti erubescere.* Frons meretricis, cùm sic publicata & cuulgata meretrix, quid inde sequitur? *Noluisti erubescere* Vt explicat D. Hieronymus, *Nunc arguit*, ait, *quasi mulierem procacem, & nimia impudentia, vt non ad vnum, vel alterum procaci vultu feratur, sed nullum erubescat.*

Publicatus peccator verecundiam amittit, & respuit emendationem. Hieron.

22. Genes. 19.

Postquam filiæ Loth cum parẽte suo incestum commisere, *Peperit maior filium, & vocauit nomen eius Moab, ipse est pater Moabitarum* Genes. 19. n. 37. Moab interpretatur *filius ex patre meo*: Valde mirum, quòd tale nomen mulier suo nato imponat. Cur sic appellari voluit? Mulier valde inverecunda erat, & tantum abest, vt de suo peccato erubesceret, quòd etiam se de illo iactare videretur; indeque in perpetuam publicationem illud in nomine filij infixit, vt diceretur *filius ex patre meo.* Lyranus, *Patet*, inquit, *quod ipsa inverecunda fuit, quia turpitudinem, quàm operata fuerat cum patre, exposuit, & revelauit in nomine filij, ostendens, quòd ex patre filio conceperat.* Notandum, quòd ex hac fœmina nascitur gens Moabitarum, de quâ scribit. Theodoretus quæst. 70. Genes. *Quia*, filiæ scilicet, Loth, *non rectè, ac secundum Legem, patrem secum cognouerunt, inde genus impietatis maximè infamis propagatum est: Moabita enim Idolo Chamos seruierunt, quos etiam diuina Lex vsque ad decimam generationem Ecclesiam Dei ingredi, vetuit in aternum.* Deuteron. 23. n. 3. Quid est, quòd cum parentum peccata vsque in tertiam, & quartam generationem Deus visitare soleat; Exod. 20. n. m. 5. delicta autem Moabitarum vsque ad decimam generationem inueniantur? Vndenam hic populus coram Deo execrabilior apparuit? Ortus est populus hic ex muliere adeo impudente, vt de suo peccato minime erubesceret, de eiúsque publicatione gloriaretur; & inde tam inuisum, ac exosum factum est genus, vt eius pœna vsque ad decimam generationem extendatur. *Inde genus impietatis maximè infamis propagatum est*, Moabitæ scilicet, *quod diuina Lex vsque ad decimam generationem*, &c.

Lyran.

Theodoret.

Deuter. 23.

Exod. 20.

De suo peccato non erubescens extraordinario supplicio afficitur.

Qvæstio IV.

Quare peccanti fratri, non suadet hic Dominus dari veniam, sed correptionem?

23.

Arguam iniuriarum indulgentiam inimicis concedentem sæpè docuit Christus Dominus. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos* Matth. 5. n. 44. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cælestis.* Matth. 6. n. 14. Cur etiam hic non suadet, iniuriam oblivisci, vt inimicis parcamus, ac illis benefaciamus; sed mandat: *Vade, corripe eum*: res enim videtur periculi plena, quòd qui læsione exacerbatus est, lædentem alloquatur, fieri enim potest, vt aliquod verbum incautè excidat: Nonne prius foret, os profunda patientia obturare, quàm correptione veterem dolorem aliquantulum repetere?

Matth. 5. Matth. 6.

Ratio difficultatis.

24. Abulens.

Respondet primò Abulens. q. 92. Offensus non solum tenetur, remittere rancorem, quod est auferre de seipso peccatum; vel, non dare ei locum; sed etiam tenetur, quantum potest, prouidere, ne proximus peccet, aut quòd in peccato pereat. Et quia quidam, postquam peccauerunt, non intendunt reuerti à peccato, & nunquam auertuntur, nisi ab illis traherentur: tenentur proximi agere, quantum est in eis, vt illos auertant, & ad hoc datur præceptum de correptione fraterna.

Tenentur agere de proximi salute.

25. August.

Secundò. D. August. serm. 16. de verbis Domini. *Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est, iniuriam oblivisci: sed oblivisce iniuriam tuam, non vulnus fratris tui: ergo corripe eum inter te, & ipsum solum.* Commendat Dominus, vt à mente excidat iniuria nostra, renouata enim iniuriarum memoria animum perturbat, & inquietat; & aliquando aliquid mali euaporare facit. *Oblivisce iniuriam tuam, non vulnus fratris tui.* Illius vulnus, & peccatũ sit tibi ante oculos, vt fratri subuenias, illiúsque saluti studeas. O magna Christiana charitas disponens, & ordinans, vt tui iniuriarum obliuiscaris: miseriæ verò fratris recorderis, vt eum ab illa sublenes.

Iniuria memoria inquietat.

26. *Iniuria condonatio non solum verbis fiat, sed etiam facto.*

Tertiò. In exordio suæ prædicationis mandauit Dominus suis Discipulis iniuriam offendentis condonare, ac remittere: nunc verò, vt iam proiectioribus, & perfectioribus altius dat documentum, vt illius salutis curam gerant. *Corripe eum, inter te, & ipsum.* Maiori namque documento

firmat

firmat suam doctrinam Dominus, vt ipsa iniuriarum indulgentia fiat, non tantum verbis, sed & factis, cùm erga offensorem, illius salutis, ac vitæ spiritualis ostendatur solicitudo.

27. August. Quartò. D. Aug. cit. ser. 16. de verbis Domini. *Corripe eum inter te, & ipsum solum. Si neglexerit, peior es. Ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui seipsum vulnere percussit. Tu vulnus fratris tui contemnis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando.* Si peccat frater, corrige eum, non studio nocendi, sed auiditate emendandi, & si contempseris peior factus es: qui enim alterius crimen, tacendo, non impedit, ac corripit, cùm possit, sua taciturnitate proprium facit, ac illius reus censetur.

Qui alterius crimen non reprehendit illud, suum facit.

28. Genes. 16. Cùm Sara se vidisset liberorum expertem, dedit ancillam suam Ægyptiam Agar marito suo, vt ex illa filiis ditaretur. Cùm autem se Agar cognouisset prole fœcundatam, despexit dominam suam. Vnde ait Sara Abraham: *Iniqua agis contra me; Quæ videns, quòd conceperit, despectui me habet. Iudicet Dominus inter me, & te.* Gen. 16. n. 5. Cur Sara Abrahamum criminatur ob tumescentem Agar superbiam? Abrahamo, vtpote familiæ capiti, incumbebat, suorum defectus emendare; indéque merito conqueritur Sara: quia videret iniurias, quas Agar illi inferebat, & absque increpatione præteriret, ac dissimularet. D. Chrysost. hom. 37. in Gen. *Nam quamuis*, ait, *ego* scilicet Sara, *dederim, sed videns eius temeritatem, debebas cohibere mentem eius tam petulantem.* Indéque Sara Abrahamum, vt parum solicitum in reprehendendo, tanquam in crimine comprehensum arguit: *Iniqua agis contra me*, seu, vt alia littera habet, *iniuria a te afficior.*

Chrysost.

Qui crimen dissimulat, vt illius reus arguitur.

29. Genes. 12. Ingreditur Abrahamus Ægyptum cum Sara vxore sua. Videntes Principes Pharaonis illius eximiam pulchritudinem. Pharaoni eam denunciauerunt, indéque mulier introducta est ad regis domum. Quid inde? *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis magnis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.* Gen. 12. n. 27. Dicet tamen aliquis: Magnates Pharaonis, qui Sarai rapuit sunt cooperati, iustè puniuntur; at cur pœna affligitur tota eius domus, cùm plures alios sub se contineret, qui minimè ad crimen conuenerunt? Iustissimè sanè, qui cum tenerentur, regis voluntati obsistere, eúmque reprehendere, illius impudicitiæ assentientes obturauerunt ora; indéque magni supplicij facti sunt rei. Philo lib. de Abraham. *Regis pœnam*, inquit, *sensit & tota regia, propterea quod nemo se tanta iniquitati opposuerat, sed omnes regis libidini assensi, & obsecuti sunt.*

In magnam pœnam incurrit, qui crimen non reprehendit.

Philo.

Matth. 18. *num.* 16. Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.

VERSIONES.

Euth. Theoph. Assume tecum:
Syriacus. Constet omne verbum.
Vatablus. Consistat omne verbum.

EXPOSITIO II.

30. Cassian. IN negotio salutis proximi, ait Simon Cassian. lib. 9. c. 44. non residendum, sed insistendum maioribus argumentis: *Si te non audierit*, si nempe reiecerit tuam correptionem in peccato perseuerans; *adhibe tecum vnum: vel duos*, vt inquiunt D. Hieron. & D. Paschas. primò, & seorsim vnus testis, & si non audierit, adhibeatur & alius tertius. Vel alio modo dicitur, de quo Abulens. q. 102. Adducantur simul siue vnus, siue duo testes. Qui etiam subinfert quæst. seq. 103. quòd non sunt plures testes adhibendi: nam ille numerus sufficiens est ad testificationem rei, cuius causam assignat Christus Dominus: *in ore duorum, vel trium stat omne verbum*, Deut. 19. n. 11.

De proximi salute agendum. Hieron. Paschas. Abulens.

Deut. 19.

Mandat hos testes adhibere, ait D. Ant. Vlyss. ser. in Fer. 5. post Dom. 3. Quadrag. vt qui noluit corrigi occulta admonitione, nunc coactus corrigatur mediocri pudore, qui non progreditur ad infamiam publicam. Secundò, inquit, Euthym. vt testibus constet, quòd ille; qui corrigit, suo fuisse functum officio, ac debita lenitate. D. Chrysost. hom. 61. D. Augustin. serm. 16. de verb. Domi. Theophylact. Paschas. lib. 8. in Matth. Vt facilius persuadeatur ei, qui deliquit, se peccasse, cùm id non solùm iudicet offensus, ac qui sustinuit iniuriam (nam in causa propria valde prompte decipitur homo) sed etiam id affirment duo, vel tres alij. Quartò: hunc numerum testium assignat Christus ad faciendam plenariam fidem, quòd delinquens noluit se corrigere, idque Ecclesiæ attestentur.

31. Ant. Vlyss. Euthym. Chrysost. Theoph. Paschas.

In causa propria quilibet decipitur.

Matth. 18. *num.* 17. Si autem non audierit eos dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus, & publicanus.

VERSIONES.

Arias. Si neglexerit eos: Si neglexerit Ecclesiam.
D. Paul. Ep. 6. ad Seuer. Sit tibi, vt extraneus, & publicanus.
Syriacus. Sit tibi tanquam publicanus & tanquam ethnicus.

EXPOSITIO III.

31. SI non audierit eos, seu; *neglexerit.* Phrasis Hebræa. Si contempserit tuæ, ac testium admonitioni obedire *Dic Ecclesiæ.* Aperi eius obdurationem Ecclesiæ. Nomine autem Ecclesiæ D. Hilarius, D. Anselmus, D. Thomas hic, D. Gregorius lib. 4. Epist. 38. intelligunt fidelium congregationem. Ac si Christus velit, vt coram ea talis arguatur, vt inde prudens fiat, ac emendetur. Sic ait Euseb. Gallicanus citata homil. in fer. 3. Dic Ecclesiæ, *vt omnium obiurgatione erubescat, qui paucorum humili admonitione satisfacere noluit.* Interlinealis Dic Ecclesiæ, *vt obiurgatio plurium non corripiat.* Tamen dicendum est cum D. Chrysostomo hom. 61. Euthymio, Theophylacto, Hugone, Caietano, & aliis, quòd sub nomine Ecclesiæ significatur hic pastores, & gubernatores Ecclesiæ, vt habet vniuersus Ecclesiæ vsus, & Christus Dominus denotauit, cùm statim subiunxerit: *Quæcumque alligaueris.* Ac si dicerct:

Hilar. Anselm. D. Thom. Gregor. Euseb. Gal. Interlin. Chrysost. Euthym. Theoph. Caiet. Hugo.

ceret: Dic Ecclesiæ, illius nempe præsuli, apud quem est auctoritas ligandi pœnis, & censuris, huiusmodi contumacem. Sensus ergo est: vt obstinatus ad prælatum deferatur, vt, qui primatos despexit, prælatum ob eius dignitatem, & potestatem reuereatur, eique corripienti obediat. Nec aliud volunt sancti Patres citati: nam dicere toti Ecclesiæ per orbem diffusæ; fieri facilè non poterat: ergo Ecclesiæ præposito, seu illius ministris dicendum est. Et maximè notandum, quòd non apposuit Christus hic: Vade, dic Ecclesiæ: sicut superius dixit: *Vade, corripe eum*, &c. Quia etsi ad pietatis opus diligenter eundum sit, tamen ad denuntiationem, ac iudicium lento, & moroso gradu progrediendum est.

Ad pietatis opus diligenter, ad iudicium tardiùs eundum.

33. *Si Ecclesiam*, illius nempe pastorem, *non audierit*, seu neglexerit, *sit tibi sicut ethnicus*, hoc est, vt homo à Dei cognitione, ac veræ religionis cultu extraneus, & alienus. Prohibet Dominus illorum consortium, non simpliciter; sed tanquam cum fratre Christiano; nam negotium, eorum salutem non vult negligi. D. Augustinus serm. 16. de verb. Domini: *Ipsos ethnicos*, ait, *in numero quidem fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus.* Deinde subditur; *& publicanus*, hoc est homo rapinis, ac pauperum oppressionibus infamis; mensa enim, ac consortio ethnicorum, ac publicanorum maximè se Iudæi pollui arbitrabantur. Ad exemplum summæ malitiæ ethnici, & publicani ponuntur Matth. 5. num. 46. & 47. Illorum consortium mandat Christus euitare, ne illorum participatione alij polluantur. Et aduertendum, quòd post ethnicos apposuit publicanos, tanquam quid maius adaugens. Euthymius. *Ethnicus autem infidelibus connumerat publicanos propter pecuniæ amorem, & auaritiam.* Homo enim auri cupidus super ethnicum, & gentilem multo maiora mala perpetrare audet.

Augustin.

Matth. 5.

Euthym.

Auri cupidus maiora mala perpetrat, quàm gentilis.

Quæstio V.

Quare ab Ecclesia admonitus, & non emendatus, vt Ethnicus, & Publicanus sit habendus? Agitúrque de materia correptionis fraternæ.

34. Suarez. IN ordine à Christo Domino assignato quinque actus sunt notandi, vt ait Suar. tom. de fide tract. 3. disp. 8. sect. 6. num. 1. Primus. Admonitio secreta; *Corripe eum inter te, & ipsum.* Secundus. Correptio, *coram vno, vel duobus.* Tertius. Denunciatio, *Dic Ecclesiæ.* Quartus. Correptio Prælati, *Si Ecclesiam non audierit.* Quintus coactio per excommunicationem, *Sit tibi, vt Ethnicus, & Publicanus.*

35. Theophyl. Euthym. Ad quæstionem respondet primò Theophylactus. *Si Ecclesiam non audierit tunc abiiciatur, ne sua malitia participes faciat alios.* Euthymius. *Sit tibi deinceps incommunicabilis, cum quo nullam ineas societatem, tanquam immedicabilis.* Hos mandat Dominus euitare, ne, qui sani sunt, eorum consortio contagium contrahant. Vnde ait Apostolus 1. Cor. 5. n. 11. *Nec cibum cum eo sumpseris.* 1. Cor. 5. 2. Ioan. Ioan. epist. 2. n. 10. *Nec aue ei dixeris.*

36. Paulin. Secundò. D. Paulin. ep. 6. ad Seuerum. *Sit licet frater, & amicus tunc lior tibi dextera tua, & charior lumine; si alienus est, & inimicus Christo*, sit tibi, vt extraneus, & publicanus, *abscindatur, vt inutilis, dextera à corpore tuo, qui tibi in Christi corpore non cohæret.* Quamuis enim amicus sit veluti dextera, & oculus, vt explicaui superiori cap. quæst. 14. n. 101. ex D. Chrysostomo, & aliis; si tamen hic vita, moribus, ac doctrina alienus est à Christo, sit & tibi extraneus, & alienus, vt ab eo discedas, & fugias. Tertiò. Simon Cassianus lib. 9. c. 44. Sit tibi vt Publicanus. *Eorum*, inquit, *est desperanda salus, quibus est odiosa correctio.* Cùm ergo iste contumax monitionem contemnat, illius salutis non est spes, indéque vt publicanus fugiendus.

Illius desperanda salus, qui correptionem non profitetur. Cassian.

37. Origen. Quartò. Origenes homil. 6. in Matth. *Nouissimè autem, quia non pariter dixit, sicut ethnicus, & publicanus, sed ita, sit tibi: qui ergo in peccato leui correptus ter, secundum quod diximus, non se emendat, nos quidem sic eum debemus habere quasi publicanum, & ethnicum.* Quæ sententia Origenis simpliciter non est probanda: nam præceptum correptionis fraternæ, de quo Dominus hic agit, versatur circa peccatum mortale, de quo etiam communiter ipsa correptio datur, vt cum D. Augustino de verb. Dom. serm. 16. docent Bannes 2. 2. q. 33. art. 2. Suar citata d sput. 8. sect. 2. num. 5. Et apertè colligitur ex ipsius Christi Domini verbis. *Lucratus es fratrem tuum.* Et ex pœna apposita. *Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Tamen graues Theologi asserunt, quòd correptio venialium obligat; quando ipsa venialia disponunt proximè ad mortalia, aut magnum aliis afferunt detrimentum. Ita citatus Bannez; Graffius 1. p. decis. lib. 2. cap. 60. Azor. lib. 12. cap. 4. q. 4. Reginald. lib. 4. cap. 25. num. 333. Sylvester, Malderus, Becanus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina tom. 2. disp. 3. q. 4. punct. 7. n. 3.

Materia correptionis.

Augustin. Bannez. Suarez.

Graffius. Azorius. Reginald. Sylvester. Malder. Becan. Bonacin.

Indéque mens Origenis benignè explicanda est. *Qui ergo in peccato leui correptus ter non se emendat*, &c. Adeo enim periculosa est contumacia in peccato, etiã minimo, & leui, vt qui ter de illo admonitus, ab eo non desistit, & emendatur, sed adhuc in illo pertinax persistit, vt maximè timendum sit, ne in maiora: ac graniora prolabatur, vt inde tanquam ethnicus, & publicanus censendus sit. Euitentur ergo leuia, & minima peccata, ne ex illis ad maiora, gentilitiaque crimina ascensus præparetur. Tertul. lib. de Idololat. c. 1. *Sine dubio*, inquit, *idololatriam admittit, quicumque delinquit.* Perpetratum crimen valde erroris suspectum est, & quodammodo viam ad idololatriam, ac apostasiam aperit D. Gregor. lib. 10. mor. c. 14. *Prius*, ait, *per leuia delicta defleximus, vt usu cuncta leuigante, nequaquam post commutere etiam grauiora timeamus. Cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit.* Seditque populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Exod. 32. n. 6. Sic pergit magnus Pontifex. *Esus quippe potúsque ad lusum impulit: lusus ad idololatriam traxit.*

38. *Contumax timendum, ne fiat infidelis.*

Minora peccata gradus ad maiora. Tertull.

Gregor.

Exod. 32.

39. *Cúmque Salomon iam esset senex, depranatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* 3. Reg. 11. n. 4. Cunctis res valde admiranda, quòd Salomon, qui cum vero Deo locutus est, quique tanta sapientia, ac donis ab ipso est locupletatus, quique Deo magnificum, ac valdè in toto orbe celebre templum ædificauit, ac consecrauit; fieri tamen potuerit, vt tantus hic homo in tantam nequitiam deuenerit. Existimat Iosephus, quòd ipse antea in religione deliquit, cùm æreos boues ad æneum mare sustinendum. 3. Reg. 7. num. 44. in templum

3. Reg. 11.

4. Reg. 7.

templum introduxit. Sic ait ipse lib.8. cap.7. *Salomon deinde ætate prouectior, & mente iam paulatim senescente, magis etiam patriæ religionis oblitus, cultum Dei sui neglexit, & mulierum exterarum ritibus assuevit; quamuis iam antea quoque à præscripto legum discesserat, quando æreas boûm effigies basi maris addiderat.* Non statim Salomon in idololatriæ nequitiam prosiliuit, sed prius aliqualiter errasse creditur, æreas boûm figuras in Templo collocans, ad quorum deprauatum cultum populus erat propensus, & inde ex vno aliquali errore admisso ad summum malum prolapsus est, vt apostata, & idololatra factus sit.

De minimis venitur ad maiora delicta.

*Matth.*18. *numer.*18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

VERSIONES.

Syriacus. Equidem ego dico vobis, quidquid ligaueritis.

EXPOSITIO IV.

40. *Connexio textus.*

DIXERAT Dominus suprà, quod qui Ecclesiam, seu illius Prælatos non audierit, habendus sit vt Ethnicus, & Publicanus: nunc autem ostendit Christus Dominus quantam vim ac potestatem ab ipso acceptam habeant Ecclesiæ Præsules, ne quis eis repugnare audeat, cùm vniuersi sciant, quòd quidquid ob eis ligatum, aut solutum fuerit in terris, erit & in cælo. D. Hil. *Ad terrorem*, inquit, *metus maximi, quo in præsens omnes continemur, immobile Apostolicæ fœneratis iudicium præmisit.* Vt quos benignitas fraternæ correptionis non allicit, timor seueri iudicij compellat.

41. Theophyl. Origen. Anastasius.

Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis. Theophyl. Origen. Anastas. Nicæn. q.2. in Scripturam existimant, hæc verba esse dicta omnibus fidelibus nam si ipsi offensam pœnitentibus remittunt, remittet & Deus in cælis: si verò non remittunt, nec Deus remittet. Hæc sententia est omninò falsa, & aliena à vero sensu Catholico. Vnde dicendum est cum D. Augustin. serm.16. de verb. Dom. D. Hilar. D. Chrys. D. Paschas. Alber. Magn. D. Tho. ac omnibus Catholicis, quòd hæc verba dicta sunt tantùm Pastoribus Ecclesiæ. Probatur ex ipso contextu. Quia Christus hic loquitur de potestate data Ecclesiæ, de quo dixerat suprà *Die Ecclesiæ*, id est illius gubernatoribus, vt dixi superiori expositione: ergo eis tantùm data est hæc potestas. Deinde Christus loquens cum suis Apostolis ait eis: *Amen dico vobis*, Apostolis meis, vestrisque successoribus; *Quæcumque alligaueritis*, tam in foro externo, quàm interno, vt rectè notarunt Abul. qu.113. & q.115. Caiet. Iansenius, Maldonat. & alij. Dicitur enim in textu: *Ligata erunt in cælo: soluta erunt in cælo*: id est apud Deum, quod enim apud Deum ligatur, & soluitur, non solùm extrinsecus, & hominum opinione, sed etiam intrinsecus, & re vera ligatur, & soluitur. Apponitur: *super terram*; ad declarandum, materiam ligandam, ait Caietanus, aut soluendam esse illam, quæ est super terram. Dicitur autem *ligata, vel soluta in cælo*, quia, vt ait D. Hieronym. *vt sciant, qui ab ipsis*, scilicet Ecclesiæ Prælatis, *condemnantur, hominum sententiam diuina sententia corroborari.* Vide suprà cap.5. expos.7. numer.201. & 202.

August. Hilar. Chrysost. Paschas. Alb. Magn. D. Thom.

Abulens. Caietan. Iansen. Maldon.

Caietan.

Hieron.

*Matth.*18. *num.*19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.

VERSIONES.

Syriacus. Rursum ego dico vobis, si duo ex vobis vnanimes fuerint in terra, quidquid voluerint petere, fiet eis.

*D. Cyprianus. Epist.*8. Si duobus ex vobis conuenerit.

*D. Cyrill. Iero-sol. Catec.*6. De omni re, quamcumque petierint, succedet eis.

Græcus. Si duo ex vobis conuenerint.

Vatablus. Continget illis à Patre meo.

EXPOSITIO V.

42. Chrysost. Euthym. Ant. Nicæn. Origenes. D. Thom. Canthus.

SI duo. Chrysostomus, Euthymius id ad solos Apostolos restringunt. Anastasius Nicænus quæst. 74. in Scripturam, ad correptum, & corripientem. Ait: *Qui arguit, & qui arguitur.* Origenes ad vxorem, & virum, si fuerint consentientes, & orationi vacauerint. D. Thomas, & Carthusianus ad omnes Christianos & fideles, quorum personam repræsentabant Apostoli.

43. Euthym. Græcus.

Ex vobis, Euthymius; *non simpliciter dixit, si duo consenserint, sed si duo ex vobis, hoc est similes vobis, virtutem colentes.* Textus. *Consenserint.* Græcè verbum est, *consono*, quod tam de voce, quàm de cantu dicitur: *De omni re.* Valde magnificum donum; nullam rem excludit, sed ad omnia se extendit diuina promissio. *De omni re*, honesta scilicet, ad salutem, & bonum conducente, *petierint* piè, deuotè in fide, spe, humilitate, ac perseuerantia. Syriac. vertit: *Quidquid voluerint petere*: ac si voluntas petendi sit meritum impetrandi, & semper diuina largitas nostras antecedat preces: *Fiet illis à Patre meo.* Si res petita eis conueniat; nam si illis est disconueniens, Deus, non quod petunt, sed quod eis vtilius est daturus. *Qui in cælis est.* Glossa. *Per hoc autem, quod dicit, Qui in cælis est, eum super omnia ostendit: & per hoc, complere eum posse quod petitur.* Petrum posse dare omnia, quæ ab eo postulantur, ostendit Christus, cùm dicat, quod ipse regnat in cælis. *Patrem super omnia esse.* In quorum solùm manifestat eius omnipotentiam, sed etiam largitatem, nam cum in cælis habitet, nulla re indiget; sæpè enim indigentia liberalitatem minuit, & cohibet.

Syriacus.

Deus preces nostras antecedit. Glossa.

Indigentia liberalitatem cohibet.

QVÆST.

QVÆSTIO VI.

Explicatur connexio præsentis Textus cum superioribus.

44. Maldonat. Abulens. *Iudex ante tribunal præmittat orationem.*

CIRCA cohærentiam huius textus cum antecedentibus, magna lis est inter Expositores. Primò, aliqui dicunt cum Maldonato, quibus fauere videtur Abulensis quæst.118. Vt instruerentur Apostoli, cæterique omnes, qui ligandi, ac soluendi potestatem haberent, ea nunquam fore vsuros, nisi præmissa oratione, vt Deus eis gratiam rectè, ac iustè iudicandi concedat. Secundò, Iansenius in Concordia ait: Si quidquid duo à Deo postulauerint, Deus id eis concederet; quanto magis idem ipse Ecclesiæ ligantis, vel soluentis iudicium ratum habebit.

Iansen.

45. Burgensis. *Beneficia Deus beneficia commendat.*

Tertiò, Lucas Burgensis. Vobis, Apostoli mei, do, non tantùm potestatem ligandi, & soluendi, sed etiam aliud magnificum donum, vt scilicet, si duo ex vobis contendant, petantque aliquid à Deo, id ipsum sint impetraturi; semper enim Deus beneficiis exhibitis noua accumulat. Vide Verbum *Beneficium* in Indice.

46. Hilar. Chrysost. Hieron. Theophyl. Euthym. Paschas.

Quartò, & valdè germane. D. Hilar. D. Chrys. D. Hieron. Theophylact. Euthym. D. Paschas. hoc referunt ad bonum concordiæ. Suprà enim n.15. Dominus posuit præceptum correptionis fraternæ, vt offendentem, non odio, sed beneuolentia prosequeremur: & si verò nostræ admonitioni, etiam coram testibus, ac iudicio Ecclesiæ non acquieuerit, ac emendetur, in pœnam imponit; quod vt Ethnicus & Publicanus habeatur. Nunc autem si nostræ admonitioni, nobisque concorditer consenserit, vt in præmium assignat, quod si hi duo vnanimes, ac cohærentes aliquid à Deo petierint totum ab ipso impetrabunt, D. Chrys. *Nam postquam*, inquit, *contemnionis extrema supplicia posuit, magna concordiæ præmia exponit, cum & à Patre qui consensu, & charitate coniuncti sunt, facilè impetrent, quod petunt.* Euthymius. *Magna*, ait, *minatus est his, qui non corriguntur: rursum magna promittit his, qui diligunt: vt tum minis, tum promissis ad amorem congreget Christianos.* Vide *Benignitas*, *Rigor*.

Chrysost.

Euthym. *Minis, & promissis Deus nos ducit.*

QVÆSTIO VII.

Quare dicitur, quòd si duo consentientes petierint, de omni re impetrabunt?

47. DE conditione postulantis; de amplitudine promissi *de omnire*, cùm nihil sit, quod sub illa non contineatur ac etiam de liberalitate Dei concedentis, & cur etiam aliquando postulata deneget; iam satis explicauimus in expositione superiori num.43. Nunc verò de radice, vt valeant de quacumque re impetrare, inquirimus.

48. Hil. Pasch. *Vnitas ac concordia industria obtinendi.*

Primò, D. Hilar. *In tantum*, ait, *humanæ pacis studuit concordia, vt vnanimis merito omnia, quæ à Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet.* Idem docet D. Paschas. lib.8. in Matth. Promittit Christus, quòd de omni re petita postulantes impetrabunt. Sed quibus hoc spondet; his nempe, qui concordi, ac vnanimi mente inter se fuerint; ipsa enim vnitas magna est industria obtinendi. Ait Psal.121.n.7. O Ierusalem, *fiat pax in virtute tua.* Quæ verba explicans. D. Aug. sic ait: *Fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua: quia virtus tua dilectio tua.* Hic defectu huius dilectionis, ac concordiæ animorum deducit Origen. tract.6. in Matth. explicans citata Euangelistæ verba, cur sæpè à Deo nostræ orationes non exaudiantur. *Sicut enim*, inquit, *in musicis, nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem; sic in Ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.*

Psal.121. Augustin. Origen.

49. Cyprian. *Multorum oratio valdè efficax.*

Secundò, D. Cypr. Epist.28. *Quodsi duo vnanimes tantum possunt, quid si vnanimitas apud omnes esset? Iampridem de diuina misericordia impetrassemus; quod petimus, nec tandiu in hoc salutis, & fidei periculis fluctuaremus.* Altè enim hoc documento nos docet Dominus, quam efficax sit multorum oratio. Si enim duobus concorditer vnitis in oratione totum conceditur, quod à Patre expostulatur; quid non impetrabit multitudo concors facta? vt etiam docet D. Chrysost. serm.132. *Qui nihil hominibus tam paucis negat, quid conciliis postentibus denegabit?*

Chrysost.

50. Matth.26.

Ingressus Christus Dominus in hortum Gethsemani, Petro, Ioanni, & Iacobo imperat: *Sustinete hic, & vigilate mecum.* Matth.26.n.39. Deinde ab eis progressus Patrem orat, vt ab eo calix transeat, non voluntate efficaci, sed conditionali, vt inquiunt Theologi; semper enim per omnia Patri maximè conformabatur; vnde ipse in oratione ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Tamen orat, vt transeat passionis calix, vt se verum hominem, humanóque timori obnoxium ostendat. Cúmque alto decreto Patris amaras calicis angustias à se auerti non impetrasset, ad Discipulos veniens, ait illis: *Vigilate, & orate.* ibid. n.41. Antea in aditu mandauit tantum, vt vigilarent, *Sustinete hic, & vigilate.* Ad quid modo imperat, Discipulos orare; quod enim Filij orationi non est delatum, seruorum precibus minimè videtur concedendum. Pater semper Filium efficaciter orantem exaudit, vt ipsemet dixit: *Ego autem sciebam, quia semper me exaudis.* Ioan.11. numer.42. Et Pater per Filium largitur, quidquid orantibus seruis tribuit. Præcipit, Discipulos orare, non vt humanam exquirat opem, sed vt diuinum, ac sublime præbeat documentum quo cuncti instruantur, vt id, quod vnius, etiam charissimi, ac dilectissimi orationi non annuitur, aliquando multorum rogationibus impetrabitur, Origenes in Catena D. Tho. ex Christi persona, sic loquitur. *Cæteros quidem iussi sedere, quasi infirmiores, ab agone isto seruans eos securos: vos autem, quasi firmiores, adduxi, vt collaboretis mecum in vigiliis, & orationibus.* Expende vltima verba. *Vt collaboretis mecum in orationibus.* Christi oratio per se solum abundantissima, & efficacissima super omnium preces ad omnia à Patre suo obtinenda. Tamen diuinus Magister præcipit suis Apostolis, *Vt collaboretis mecum in orationibus.* Vt suam vniuersam Ecclesiã doceret, quòd in re ardua ac difficili multorum orationes interponat, ad multorum rogationes confugiat.

Ioan.11. *Decet nos Christum, quam efficax sit multorum oratio.* Origen.

51. Ioan.4.

Venit Regulus ad Christum Dominum filij sui salutem exambiens. Et rogabat eum, *vt descenderet, & sanaret filium eius.* Ioan.4. num.47. Regulum Christus graui sermone arguit. *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.* In domúmque eius non tèdit, nec à loco illo discedit Dominus. Venit autem Centurio de salute famuli sollicitus, *Dicens Domi*

Matth 8. *Multi impetrant, quod vnus non obtinet.*

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Cui Christus ait: *Ego veniam, & curabo eum*, Matth. 8. num. 5. In domumque eius pergit, vt eam mirificè condecoraret. Cur expostulatus non accedit in domum Reguli; in centurionis habitaculum non expetitus progreditur; Regulus vnus tantum venerat orans; at verò pro duce multi instabant intercessores. *Misit ad eum seniores rogans eum.* Luc. 7. num. 5. Quod vnius orationi non annuitur, multorum precibus obtinetur. Vnde ait D. Ambrosius lib. 2. de Pœnit. cap. 10. *Amat Deus, vt multi rogent.*

Luc. 7.

Ambros.

Matthæi. 18. *Num.* 21. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

VERSIONES.

Arias. Duo, vel tres coacti.
Syriacus. Illic sum inter eos.

EXPOSITIO VI.

25. CONfirmat Dominus superiorũ doctrinam, redditque rationẽ, ob quã quidquid duo cõsentiẽtes petierint, sint impetraturi; quia ipse in medio eorum est? Tantam præbens, ait Caietanus, efficaciam eorum petitioni, ac si quasi iam non ipsi petant, sed ipse pro ipsis petat, eorumque ore loquatur, vt inquit Maldonatus, *vbi enim sunt duo, vel tres congregati.* Tam paruum numerum posuit, vt doceat, se non solùm esse in medio plurium, sed etiam paucorum, si congregentur in fide, ac charitate ad rem aliquam postulandam; *in nomine meo*, hoc est propter me, mei causa, ac intuitu meique amore, non quærentes aliquam amicitiam, ac vtilitatem humanam, sed solùm intendentes meam gloriam, ac honorem, vt explicat D. Hilarius, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius. Vel, *In nomine meo*, hoc est auctoritate mea, vt ait Abulensis, ad ligandum, & soluendum, de quo supra egerat. num. 18. *Ibi sum.* Non dicit, vt notant Origenes, D. Paschasius, ero, sed *ibi sum, non enim tardat, vel cunctatur: sed sum, hoc est iam illic inuenior.* Ita enim summe oblectatur concordia, ac vnione, vt ea interueniente, sine vlla mora ibi adsit Dominus.

Caietan. Maldonat. Hilarius. Chrysost. Theophyl. Euthym. Abulens. Origenes. Paschas.

35. *In medio eorum.* Significatur, Christum Dominum speciali modo esse in medio congregatorum ac aliorum, qui non sunt congregati. Ait ergo: *In medio eorum*; inter eos operans intus in eis, eorum vota, ac desideria dirigens, annuens, & adimplens: & si adhuc de hoc aliqua extiterit hæsitatio, ego sum in medio vnanimiter orantium, quasi pignus pro re impetranda. *In medio eorum*, in eis inhabitans, tanquam eorum nexus, veluti ad eam similitudinem, qua Spiritus Sanctus dicitur esse in Patrem, & Filium, quasi vtrinsque nexus, & amor. Causam assignat D. Hilarius Can. 18. in Matth. *In tãtum Iesus humana pacis studuit concordia, vt vnitatis merito omnia, qua à Deo precanda sunt, impetranda esse confirmet. Et vbi duo, vel tres pari spiritu, ac voluntate collecti sunt, ibi se medium eorum pollicetur futurum. Ipse enim, qui pax, atque charitas est, sedem in bonis, ac pacificis voluntatibus collocauit.* Tanti est vnitas, vt Iesus ibi gratissimam sedem constituat. *In medio eorum*: Albertus Magnus. Ligando, & soluendo tanquam supremus Iudex. Iuxta antiquam Iudæorum consuetudinem, iudex in medio sui iudicij munus exercebat. *Deus stetit in Synagoga Deorum*, id est iudicium; *in medio autem Deos diiudicat.* Psal. 81. num. 1. Est ergo in medio prælatorum Ecclesiæ, firmans, ac ratum habens quidquid ab ipsis ligatum, & solutum fuerit in terris, iuxta quod dixerat num. 16.

Vbi vnitas, ibi Christus pro pignore impetrandi. Hilarius. *In vnione Christus sua sedem constituit.* Alb. Mag. Psalm. 81.

Moraliter D. Hieronymus. *Possumus*, ait, *hoc spiritualiter intelligere, quod vbi spiritus, & anima, corpusque consenserint, & non inter se bellum diuersarum habuerint voluntatum, de omni re, quam petierint, impetrent à Patre: nulli enim dubium est, quin bonarum rerum postulatio sit, vbi corpus vult habere ea, qua spiritus.* D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Tres vtique*, inquit, *vnanimes in vnitate Christi inueniuntur. Præsertim quia lex, & Prophetæ non sunt diuisæ, sed quasi ex vno spiritu, & vna voce consentiunt in Euangelio.* 54. Hieron. Paschas.

QVÆSTIO VIII.

Quare duos, vel tres assignauerit Christus, & non potius maiorem multitudinem congregatorum, vt esset in medio eorum?

55. NOtandum in limine quæstionis, quod ait Christus: *Vbi sunt duo, vel tres congregati*: quod intellige, non tantum corpore, sed etiam corde, ac voluntate; parum enim prodest, quod quis inter Religionis claustra degat, si voto extra vagetur, animoque ab aliis discrepet, & dissentiat. Valde enim alienus est à diuino consortio, qui cùm sit præsens corpore in Monasterio, à se ipso diuisus per diuersa, ac sæcularia distrahitur. Eusebius Gallicanus homil. super hæc verba, quæ est 12. ad Plebem. *Quomodo probabitur congregatus, si à semetipso cogitationum euagatione dispersus est? aut quomodo erit Deus in medio tui, si tecum ipse non fuerit? Si deest ille, qui posci, quo, modo aderit ille, qui poscitur?* Desine peregrinari desiderio extra claustrum in sæculo; collige mentem ad te, vt Deum inuenias, & tecum habeas. Nam, vt ait idem Eusebius homil. 3. ad Monach. *Ille*, scilicet *Deus, tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indeuotum. Lentum, & parum gratum quærere gratiam diuini muneris, maxima est iniuria remunerationis.* Expende vltima verba, *lentum, & parum gratum*, &c.

Miser, qui corpore in monasteriis desiderio extra vagatur. Euseb. Gall.

56. Ad quæstionem respondeo primò. Posuit Christus numerum duorum, vel trium; hic enim numerus in ordine charitatis, quæ est ad alterum, est minimus & inferior. Si ergo Christus est in medio duorum, qui nomine ipsius congregantur, multo magis erit in medio totius Ecclesiæ, seu fidelium congregationis sub nomine ipsius Christi adiũctæ ad publicas preces, ad negotiáque pietatis, morúmque reformationes. vt fit in conciliis, quæ ab Ecclesiæ prælatis indicuntur. Concilia enim propriè congregantur in nomine Christi, id est auctoritate, & virtute Christi, vt Christi nomen, eiusque gloriam, ac puram sanctam fidem Catholicam vbique propagent, & illustrent.

Christum inter vnitos habeas.

Studeamus vnioni, vt Christum nobiscum habeamus. Hinc Ioseph, cùm euocaret patrem per fratres

fratres suos, prius eos pacificauit dicens, *ne irascemini in via*, Genes. 45. n. 24. timens, ne prudens pater inter discordes fratres venire recusaret. Tertullianus lib. de oratione, cap. 10. *Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem? nam & Ioseph dimittens fratres suos ad producendum patrem, & ne*, inquit, *irascamini in via*. Quo pacto igitur Christus inter dissentientes fratres habebitur? Vnde D. Chrysostomus homil. 9. in Epist. ad Rom. ponderans nostrum textum: *Vbi sunt duo, vel tres*: admirabundus quærit: *Quis ita miser est, vt nolit Christum ipsum medium habere?* Et respondet. *Certe nos illi sumus, qui mutuis inter nos seditionibus confligamur.* Sicut enim à concordia fratrum allicitur Christus ad commercium cum illis, sic à discordia expellitur, ne inter eos adsit.

Genes. 45. Tertullian.

Seditioni studens non vult secum habere Christum. Chrysost.

58. Secundò D. Chrysostomus homil. 26. in Acta. *Vbi sunt duo in nomine meo, inquit Dominus, ibi sum in medio eorum. Vbi Christus medius, magna multitudo est.* Congregati nomen multitudinem dicit; sed duo quomodo referent multitudinem, & non potius paucitatem? *Ibi sum in medio eorum.* Quamuis duo sint soli, cùm tamen secum habeant Deum, innumerabilem multitudinem dicunt, & superant. Ecclesiastici. 16. n. 3. *Melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij.* Ex quo ait D. Chrysostomus homil. 8. in Acta Apost. ad finem. *Vellem, vt multitudine ornetur Ecclesia; sed multitudine probata: si autem hoc fieri nequit, saltem pauci illi probati sint: non videtis, quòd melius sit, habere vnum lapidem pretiosum, quàm mille obolos?*

58. Chrysost.

Qui Christum habet, quamuis pauci, multi sunt.

Eccles. 16. Chrysost.

59. Tertio D. Ennodius lib. 2. Epist. 14. *Regnat adhuc Christus in numero vestro, qui sibi non tam in multitudine, quàm in deuotione complacuit.* In tam parvo numero duorum, vel trium congregatorum supremus cunctorum Dominus sibi sedem constituit. Maximè ei grata, non ingens multitudo, sed feruida animi charitas: indéque non illa, sed hac valde suauiter delectatur, in eáque suam sedem ponit. *Non tam in multitudine, quàm in deuotione complacuit*

59. Ennodius.

Pauci iusti Deo pro magna multitudine sunt.

60. Suis Discipulis ait Christus Dominus: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Matt. 16. n. 28. Ibi per regnum intelligitur Domini Transfiguratio, vt supra explicaui cap. 7. q. 1. 3. ex communi Patrũ sententia. Quomodo Transfiguratio cum regno comparatur? Regnum copiosam subditorum dicit multitudinem: in Transfiguratione autem tantum duo serui cum Domino apparuerunt Moyses, & Elias: quid ergo, hæc cum regno? Moyses, & Elias valde sãctitate illustres; & quamuis duo tam pauci numero essent, tamẽ amplissimum regnum Domino referebãt, inter illósque Dominus adstabat, tãquam si in totius Orbis imperij corde adesset. Ioãnes Xiphilinus Patriarcha Constantinopolit. Orat. de Cruce. *Viso*, ait, *Iesu transfigurato, & Moyse, atque Elia, seu satellitibus quibusdam, viderunt Christum in regno.*

60. Matth. 16.

Iustus pro integro regno.

Xiphilinus.

61. Quartò. Sicut supra dixerat Dominus num. 16. *In ore duorum, vel trium stat omne verbũ*: Sic nunc ad sui præsentiam, *Ibi sum in medio eorum*; duos vel tres congregatos assignat. Tanta est inter Deum, ac veritatem connexio, vt in eodem numero, in quo veritas inest, ibi & Dei præsentia, ac assistentia adsit. Valde enim Deus, & veritas inter se mutuo adhærent.

61. *Deus, & veritas maximè cohærent.*

62. Prosequens Dominus promissionem de admirabili Incarnationis mysterio, testes omni exceptione maiores apponit. Quinam essent hi testes ait Isaias 8. num. 2. *Et adhibui mihi testes fideles, Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Ex quonam principio in re tam graui in his testibus conquæsitis veritas, ac fidelitas comprobatur? In eorum nempe nominibus veritatis fides designatur. Vrias enim idem valet, ac *splendor*, seu *lux Dei*; Zacharias verò *memoria Dei*: & in quibus Deus in animo insitus est, statim veritas in ore sonat. Ita sociantur Deus, & veritas, vt nec Deus sine veritate, nec veritas sine Deo reperiantur. Procopius, post appositam prædictorum nominum ethymologiam, sic subdit: *Qui autem ea testis fide dignior, qui sit diuino splendore illustratus, qui sit memoriam Dei consecus.*

Isaiæ 8.

Ibi veritas vbi Deus.

Procopius.

Matthæi 18. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi Iesus; non dico tibi, vsque septies; sed vsque septuagies septies.

Num. 21.

VERSIONES.

Syriacum. n. 21. Dixit ei: Domine mi, quoties, si errauerit in me frater meus, remittam ei? vsque septies?

Num. 22. Ait illi Ieschua: non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Vatablus. Vsque ad septuagies septenas vices.

ALTER TEXTVS.

Lucæ 17. n. 4. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.

EXPOSITIO VII.

63. HÆC, quæ hîc scribuntur ab Euangelista, continuata sunt cum antecedentibus, vt notat Abulensis qu. 124. & patet ex illa particula *Tunc*, scilicet auditis, quæ Dominus dixerat. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum.* Supra num. 15. ex cuius occasione, vt D. Hieronymus, Euthymius, D. Paschasius, D. Thomas notant, Petrus dubitat, quoties peccanti fratri contra se sit dimittendum; & ideo generosus Petri animus, scrupuli, ac dubij impatiens quærit, quoties veniam indulgeat. Ex his deducito cum Augustino lib. 2. de Consen. Euangelist. cap. 61. quòd ea, quæ D. Lucas narrat cap. 17. num. 4. alio tempore, & loco fuere dicta, quidquid reclamet Moldonatus, nam si Christus Dominus in præsenti affirmabat, septies in die offendenti fratri remittendum, quorsum Petrus interrogaret. Parcamne fratri vsque septies? Ergo alio tempore illa D. Lucæ verba sunt dicta, vt etiam docent Barradas, & alij.

63. Abulens.

Hieron. Euthymius. Paschas. D. Thom.

Generosus animus dubij impatiens. Augustin.

Maldonat.

Barradas.

Accedens,

64. Chryſoſt. *Accedens*, ſcilicet propiùs, quod magnum in interrogando innuit affectum; *Petrus*, quia, vt ait D. Chryſoſtomus, cæteri, erat feruentior, & vbique præcipuus, ac os totius collegij; & cùm tantis emineret, tamen diſcendi cupidiſſimus erat. Theophyl. *Quoties peccabit in me frater meus.* Notat Theophylactus, quòd dixerit, ſi in me peccauerit; nam ſi in alterum ab ipſo indulgentia eſt exhibenda. Alb. Magn. Prouerb. 24. Abulenſ. *Dimittam ei vſque ſepties?* Hunc numerum ſeptenarium, vt valde multum ex ſenſu carnis aſſignauit Petrus. Quia, vt ait Albert. Magn. legerat Petrus Prouerb. 24. num. 16. *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit.* Putauitque, ſe hac remiſſione debere eſſe contentum. Abul. quæ. 127. præter hanc rationẽ aſſignat aliã, quia cùm expiatio, ſeu propitiatio pro peccato fieret ſeptea aſperſione ſanguinis victimæ, Leuit. 4. & 16. Numer. 19. Leuit. 4. n. 6. & 17. Leuit. 16. n. 4. & 19. Num. 19. n. 4. inde exiſtimauit Petrus quòd Deus non remittebat offenſam vltra ſeptenarium; nec etiam homo remitteret. Hæc tamen coniectura de ſeptena aſperſione in expiatione vnius peccati debilis eſt, vt haberetur quòd Deus vltra ſeptenariũ non remittebat peccatũ. Prima ergo ratio aptior, quam etiam tradit ipſe Abul.

65. Chryſoſt. Euthym. *Dixit illi Ieſus.* D. Petrus, vt inquiunt D. Chryſ. Euthy. valde gloriabundus, ac magnam de pietate, & miſericordia opinionẽ capturus dixerat, vſque ſepties dimittendum: nunc verò Domini reſponſione deprimitur. Et ſic ſæpè contingit, quòd quis cùm ſe putat ſublimari, ibi & humilietur, arguatur, ac increpetur. Sapè qui humiliatur, vnde ſe præſumebat exaltari. Carthuſ. *Non dico tibi*, & in tui perſona, ait Carthuſ. omni fideli, *vſque ſepties*, vt tu dicis. Et retenta vocis etymologia reſpõdet Chriſtus, *ſed vſque ſeptuagies ſepties*; altè eleuans multiplicatum numerum. Et quamuis ſepuagies ſepties videatur certus numerus, ponitur hic pro incerto, vt Charitas Chriſtiana in remittendo iniuriã nullum habeat terminum. De quo latius quæſtione ſequenti. Origen. Hieron. Beda. Origen. D. Hieron. Beda ex Græco ponunt. *Septuageſies ſepties*, id eſt 490. Multiplica 70 per ſeptem, & efficies 490. Hoc numero ſeptenario ſeptuagies multiplicato indeterminatus numerus denotatur, vt communiter dicere ſolemus, ſexcenties, vt vulgaris phraſis Græca, & Latina nobis adſignificat.

Dicet tamen: Hæc dicta de numero ſeptenario 67.
rectè concluderent, ſi, cùm Petrus dixiſſet, *Dimittam ei vſque ſepties*; Chriſtus reſponderet, Dimittevſque ſepties. At Chriſtus Dominus non ſic eſt locutus, ſed, *Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties* Reſpondetur cum Abulenſe quæſtion. 131. Quòd Chriſtus poſuit hunc numerum, vt reſponderet numero, quẽ Petrus poſuerat, ipſe enim aſſignauerat vſque ſepties; & quia numerus in ſe paruus videbatur, ideò Chriſtus poſuit maiorem numerum, qui conſtaret ex ſeptem; vt in re tam neceſſaria extra omne dubiũ fieret vniuerſis manifeſtum, quòd iniuriauit fratri innumerabilibus vicibus ſine vllo termino dimittendum; ideò protulit, non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties. Vt ſi Dominus, cùm commendat rem aliquam ſeruo, & ipſe reſpondet, faciam tribus vicibus; Dominus indignatus, cùm pluries fieri velit, dicat, non tribus vicibus ſed centum & tribus vicibus facies: vt denotet, quòd multis, & duplicatis vicibus faciat, ſimiliter cùm Chriſtus quaſi indignatus videretur, quia Petrus Charitatem tantùm anctaret vſque ſepties; ideò reſpondet, vſque ſeptuagies ſepties. Et hunc numerum potius poſuit, quam centies, vel ducenties, vt ſeruaret cùm dictis Petri analogiam, & proportionem. Abulenſ. *Rei neceſſariam non in dubio explicanda.*

68. Gen. 4. Chryſoſt. Rupert. Theophyl. Secundò. D. Hilarius ait, quòd Chriſtus alludit ad id, quod dicit Scriptura Geneſ. 4. num. 24. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lameth verò ſeptuagies ſepties.* Vbi iuxta phraſim Hebraicam, vt explicant D. Chryſoſt. Rupert. Theophyl. ſepties ſignificat ibi grauiter puniri, & ſeptuagies ſepties puniri grauiſſimè, & quaſi in immenſum. Ideò Chriſtus iuxta familiarem Hebræorum loquendi modum dixit, vt remiſſio fieret ſeptuagies ſepties.

69. Tertull. Ex quo eleganter dixit Tertullianus lib. de Orat. cap. 7. *Cum interrogaſſet Petrus, ſi ſepties eſſet remittendum fratri: imò*, inquit, *ſeptuagies ſepties, vt legem in melius reformaret, quod in Geneſi de Cain ſepties, de Lameth autem ſeptuagies ſepties vltio repetenda eſt.* Vſque ſeptuagies ſepties mandat Dominus dari remiſſionem, *Vt legem in melius reformaret*, vt pro menſura antiquæ ſeueritatis eſſet menſura Chriſtianæ indulgẽtiæ & pietatis: multo enim maior ad condonandum eſt in Chriſto clementia, quàm eſſet ad puniendum antiqua ſeuẽritas. *Vt legem in melius reformaret.* Ac ſi illam timoris legem, multis ſuppliciis formidoloſam, in hanc gratiæ, & amoris legem, multis beneficiis amabilem transferret. *Chriſtus antiquam ſeueritatem trãſtulit in amoris legem.*

Tertiò, D. Aug. lib. 2. de Conſ. Euãgeliſt. cap. 4. 70. Auguſt. *Nec fruſtra iſte numerus*, ſcilicet ſeptuagies ſepties *ad peccatorum omnium pertinet mundationem, ſi diligentius inquiratur. Denarius quippe, tanquam iuſtitiæ numerus, in decem præceptis Legis oſtenditur. Porrò peccatum eſt Legis tranſgreſſio. Et vtique tranſgreſſio denarij numeri congruenter vndenario figuratur. Ac per hoc quia vniuerſum tempus ſeptenario dierum numero volvitur, conuenienter vndenarius ſepties multiplicato ad numerum ſeptuageſimum, & ſeptimum cuncta peccata perueniunt.* Tota Lex, ſeu Decalogum in denario denotatur, tranſgreſſio autem denarij eſt vndecim: ſepties autem vniuerſitatem quandam, vt dixi in principio quæſtionis: & quia vndecim ſepties multiplicatum efficit ſeptuagies ſepties, ideò in hoc numero omnium peccatorum collectio adſignificatur; ad quam remittendam nos Chriſtus hic admonet. Vnde ait Diuus Auguſtinus ſerm. 16. de verbis *Parcendum fratri in omni tranſgreſſione.*

QVÆSTIO IX.

Quare Chriſtus dixit, quòd non ſolùm ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties eſſet dimittendum?

66. Aug. Chryſoſt. Hieron. D. Thom. Euthym. Theophyl. Beda. Carthuſ. Leuit. 26. COmmunis ſolutio eſt cum D. Auguſtino, ſerm. 16. de verb. Dom. D. Chryſ. D. Hier. Euthym. Theophylactus, Beda, Diuus Thomas, Carthuſianus, & aliis, Quòd ponitur hic numerus certus pro incerto, vt doceat, quòd iniuria fratris offendentis dimittẽda ſit innumerabilibus vicibus ſine vlla meta, ac termino. Sic Leuit. 26. n. 18. *Si nec obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra.* Et num. 24. *Percutiam vos ſepties propter peccata veſtra.* Id eſt, percutiam vos multiplici plaga, Iſychus, Lyranus, Hugo, Abulenſis. ſeptenarius enim numerus Symbolum eſt totius vniuerſitatis: ſeptem namque primis mundi diebus tota euoluitur, ac conficitur hebdomada, vt latius diſcurrit D. Chryſologus. ſerm. 139. Iſychus. Lyranus. Hugo. Abulenſ. Chryſol.

Aug. Domini. *Si enim Christus millia peccatorum inuenis & tamen omnia donauit: noli subducere misericordiam. Ait enim Apostolus: Donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam sicut Deus in Christo donauit vobis*

71. Hieron. Quartò, D. Hieronym. *Petro respondens Dominus ait, non vsque septies, sed vsque septuagies septies, id est quadringentis nonaginta vicibus: vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset.* Hoc est dimitte fratris iniuriam sine vllo termino, & meta. Maximè tamen est expendenda D. Hieronymi ratio. *Vt toties peccanti fratri dimitteret in die, quoties ille peccare non posset.* O eximia Christi charitas, vt peccandi potestatem vincat miserationum magnitudo ab ipso diffusa! Parũ enim est in nouæ Legis excellenti pietate, peractas indulgere offensas, vt quidquid inimicus hostili animo in te machinetur, indulgeas; ad possibilia etiã se debet animosè extendere pia virtutis audacia, & quicquid ille offendendo infestare potest, tu remittendo debes ignoscere, ad Christianæ pietatis redundantiam.

Pietas Christiana non solùm offensas, sed potestatem offendendi superat.

72. Chrysost. Quinto, D. Chrysostom. homil. 62. *Magnum quid se allaturum D. Petrus putauit: idcirco gloriabundus vsque septies intulit: sed facilis, & misericors Dominus vsque septuagies septies ait, qua quidem oratione nullum omnino numerum posuit, sed indefinitè, continuè, ac semper significauit.* Petrus ex septena remissione concessa, inde negandam esse reconciliationẽ inferebat. *Dimittam vsque septies.* At magnus, & misericors Dominus nullum assignat terminum. ex vnáque gratia facta maiorem esse concedendam docet. *Vsque septuagies septies.* Homo ex vno dono dato aliud negat. At Deus ex vno beneficio impenso, ad multò maiora multiplicanda facit argumentum.

Homo ex vna gratia aliam negat, Deus verò ex vna data concedit.

73. Clem Alex. Sextò, Clemens Alexandrin. l. 7. Stromat. c. 8. *Qui Deo assimilari contendit per maximam iniuriæ acceptæ oblitionem, remittens septuagies septies, vtpote per totam vitam, est benignus, & clemens in quemlibet.* Petrus, vt ait D. Nazianzen. Ep. 82. *Præparcus, ac nimium restrictus videtur.* Sed Christus ad sui imitationem exhortatur Petrum, vt condonandæ iniuriæ non ponat fidem. Qui enim talem se exhibet in iniuriarum oblitione, ipsi Deo assimilatur. *Qui Deo assimilari contendit.*

Nazianz. *Qui iniuriã condonat, Deo similis.*

74. Septimò, Dixerat Petrus Domino: *Si peccauerit in me frater meus, dimittam ei vsque septies?* Respondet Christus: *Vsque septuagies septies.* Cùm enim sit frater tuus, sine termino ac mẽsura debes dimittere offensam, solus namque ille verus frater, qui scit iniuriam condonare: ille autem, quamuis aliàs sanguine sit frater, hoc tamen indignus nimine, si nesciat offensam remittere. Christianæ enim pietatis est, vt fraternitatis vinculũ memoria teneatur, iniuria verò oblitione deleatur,

Qui iniuriã condonat, frater; minimè verò, qui non remittit.

75. Missus Ioseph à patre, vt visitaret fratres suos; cúmque eum errantem inuenisset quidam vir, interrogauit eum, quid quæreret. Qui ait illi: *Fratres meos quæro* Genes. 37. num. 15. Postea verò, cùm appropinquaret iuxta illos, qui eum videntes dixerunt: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Cur Ioseph eos fratres appellat: ipsi non fratrem, sed somniatorem dicunt? Ioseph summa benevolentia, ac charitate fratres prosequebatur, vt ponderant D. Chrysostomus, D. Bernard serm. de multiplici bono; Rupert. Hugo: at illi econtra *Oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Rectè ergo Ioseph, qui quamuis inuidia, & odio impetitus, offensas tamen Simeonis, & Leui, Iudæ, ac aliorum multa benevolentia condonabat, ita vt eos inuiseret, ac quæreret, illos fratres dicit: *Fratres meos quæro.* Ipsi verò, cùm sinistro ac malevolo animo essent affecti in innocuum sanctum, vt mortem illi machinarentur, non fratrem, sed somniatorem nominant. Abulensis *Satis apparet*, inquit, *modus iste loquendi mordax, & hostilis, quia eum non fratrem, quod natura, & amoris nomen erat, sed somniatorem, tanquam quod hoc aliquid criminosum esset, vocabant.* Qui, etsi offensus, iniurias condonat, frater est; qui verò hoc nescit vindictam cogitat, multum ab hoc nomine distat.

Chrysost. Bernard. Rupert. Hugo. *Qui remittit iniuriã*

frater, minimè verò, qui nõ condonat.

Abulens.

76. Nato ex Eua Cain, ait Scriptura: *Rursum peperit fratrem eius Abel.* Genes. 4. numer. 2. Ad quidnam tendit hic modus loquendi? Cur non dicitur, peperit filium suum Abel, vt in edito partu aliorum filiorum communiter ex aliis matribus solet dici? Cur Abel frater Cain nominatur? sicut & in eius obitu profertus ad Cain: *Vbi est Abel frater tuus?* Et iterum *Vox sanguinis fratris tui.* Cur iam frequenter Abel frater Cain appellatur in toto illo cap. 4. At verò Cain frater Abelis non vocatur? Cur, cum re vera essent fratres, sicut frater Cain nuncupatur vnus, quare & non alter Abelis frater? Cùm maximè truculento vultu, ac aduerso animo Cain in germanum suum esset, Abel tamen serena facie ei cuncta ignoscebat, seque ei per omnia placidum exhibebat, indéque prælarè ab ortu suo vsque ad mortem fratris Cain nomine insignitur, à quo & meritò ipse Cain expoliatur, cùm aduerso animo esset in Abel, ita vt vindictam cogitaret, illique mortem pararet. Tanta malevolentia fratris nomen excludebat, quod in Abel gratia, & benignitas firmabat. Dinus Ambrosius lib. 2. de Abel, & Cain capit. 9. loquens de amore Abelis erga Cain, sic ait: *Non frater clamat. Hoc innocentia, & gratia germanitatis, etiam in ipsa morte seruat: Non accusat frater, sed vox sanguinis, quem ipse effudisti.*

Genes. 4.

Solus dicitur frater, qui remittit iniuriam, nõ vero qui vlciscitur.

Ambros.

QVÆSTIO X.

Quare Christus in præsenti nos exhortatur, vt septuagies septies offensa fratri remittatur, cùm suprà mandauerit, vt post tres admonitiones relinquatur?

77. SVpra hoc c. 18. Matth. vt antecedẽti capit. explicauimus, mandauit Dominus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si autem non audierit te, adhibe tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ecce post tria monita cassa peccator tanquã incurabilis relinquitur. Et modò septuagies septies, imò & millies foueri mandat. Quomodo qũ septuagies septies recipiendus dicitur, post tres admonitiones relinquetur? Nunquid Dominus sibi est cõtrarius? Absit hoc. Pro cuius solutione.

Ratio dubitandi.

Respond. primò, Quod in his duobus locis duo præcepta nobis tradidit Dominus. Primò, in hoc præsenti

78.

Distincta mandata tradantur.

præsenti textu dat mandatum de dilectione, & Charitate proximorum, etiam inimicorum. Vt si frater per millies nos iniuria, ac opprobrio infestauerit; has omnes offensas millies etiam illi dimittamus, nil de vindicta cogitantes, sed in summa Charitate, ac amore eum habentes iuxta illud: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Cùm Christus maximus esset suorum inimicorũ amator, inde toties, ac tam repetitis vicibus hanc dilectionem suis Discipulis commendat. In superiori verò docet Correptionem fraternam, explicatque ad quid ex vi illius teneamur? Primò. Vt remotis arbitris, cùm sit spes emendationis. Deinde vno, vel altero testibus adhibitis, postea aduocata Ecclesia. Si verò adhuc obstinatus perstiterit, & Ecclesiam non audierit; vt ethnicus, & publicanus dimittendus, vtpote immedicabilis, de cuius lucratione non est spes.

79. Chrysost.

Secundò. respondet D. Chrysostomus in Ps. 49. ad illa verba. *Si videbas furem*: sic inquit. *Hic posit duas admonitiones ostendit, magnum esse delictum, nec eum cogit rursus expectari. Quid ergo? sunt hæc contraria? Absit, sed illud septuagies septies dicit, si eum pœnituerit.* In prima parte egerat Dominus de peccatore in suis delictis obfirmato, qui ob sui obdurationẽ tanquam remedij expers relinquitur. In secunda verò parte tractat de peccatore, qui compunctus ingemiscit; qui, etsi super septuagies septies delinquat, si tamen toties vere pœniteat, toties singulis horis, atque momentis à miseræ seruitutis iugo liberabitur, atque super niuem dealbabitur.

Per pœnitentiam statim à peccatis liberamur.

80. Iustinus.

De Pœnitentia ait D. Iustinus Respons. 9 *Hanc constituit in mundo probum peccatorum medicum, videlicet Pœnitentiam, qua potest iis etiam mederi, qui septuagies septies deliquerint.* Magna Dei pietas ad ignoscendum; non enim patitur, delictis hominum iteratis patientiam suam vinci; nam etsi multiplicentur peccata; tamen si afflante Dei gratia homo verè pœniteat, repetita scelerum venia mundabitur. Si iterum ergo per peccatum inquinatus est, non iterum te pudeat ad lauacrum pœnitentiæ currere. Pulchrè Tertullianus cap. 7. de Pœnit. *Non statim*, inquit, *succidendus, ac subruendus est animus desperatione, si secunda quis pœnitentia debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari: iterata valetudini iteranda medicina est.*

Cùm peccata iterantur, iteranda pœnitentia medicina.

Tertullian.

81. Threnor. 1.

Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi vidua domina Gentium? Threnor. 1. n. 1. Maximè notandum, quòd cùm Ierusalem esset omnino deuastata, omnibusque bonis ipsóque Deo spoliata; tamen adhuc non simpliciter vidua nuncupatur, sed *quasi vidua* Quid vltra ad eius viduitatem absolutam requirebatur? Merito sanè dicitur *quasi vidua*; Quia in manu eius erat, Deo auxiliante, per pœnitentiam viduitatis luctus deponere, iterúmque sponsalia inire, veróque spõso suo Deo copulari, vt omnibus ornamentis ditaretur. D. Paschasius lib. 1. in Lamen. sic ait. *Notandum, quòd quasi vidua, & non vere vidua dicitur: quoniam etsi ab sponso despicitur, sponsalitatis tamen eius iura manent; vt si redierit, vtriusque dilectionis opera impleuerit, sponsum saltem per pœnitentiam recipiat.*

In manu peccatoris est, per pœnitentiam redire ad antiquũ decorem.

Paschas.

CAPVT XII.

Seruus Nequam.

Matt. 18 *num.* 23. Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

Num. 24. Et cùm cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.

VERSIONES.

Syriacus n. 23. Propterea assimilatum est regnum cælorum viro regi, volenti recipere rationem à seruis suis.

Euth. Theoph. Qui voluit conferre rationem.

Syriacus n. 24. Et cùm incepisset recipere, obtulerunt ei quemdam debitorem.

Arias. Incipiente verò ipso conferre rationem.

EXPOSITIO I.

81. CHRISTVS Dominus communis Magister communi doctrinæ, ac methodo se accommodat. Quia, vt ait D. Hieronymus, *Palæstinorum, Syrorumque secutus est morem, qui ad omnem sermonem parabolas iungunt, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem, & exempli teneatur, alteque cordibus infigatur.* Vtpote res valde necessaria, dixerat Dominus supra, septuagies septies dimittendum, vt inquit D. Chrysostom. *Ne videatur onerosum, toties dimittere, adiecit parabolam, & comparationem serui.* Cui debitori tantam auri copiam dimisit summus Rex. Deinde vt etiam instruamur, vt patet ex vers. 35. Deum nobis peccata nostra non esse remissurũ, nisi & nos iniurias fratribus remittamus. Si enim Deus Omnipotens Dominus condonat delicta homini, quantò magis miser homo homini debet condonare.

Hieron. *Communi doctrina accommodandum.*

Chrysost.

83. *Ideò*, quia scilicet toties dimittendum est, *Assimilatum est regnum cælorum, nempè à me.* Regnum autem cælorum est Christi doctrina, vt interpretatur Theophylactus. Vel est via iustorum, vt ait Hugo. Aptius verò intelligitur Ecclesia militans, vt exponunt D. Gregorius, D. Remigius, Origenes, D. Thomas. Carthusianus, Abulensis q. 126. Dicitur autem Regnum cælorum, quia in ea regnant omnes virtutes, per quas homines facti sunt cæli, in cælúmque ascendunt. *Homini regi.* Vel est Pater Æternus, vt interpretatur D. Remigius Vel, & aptius, est ipse Christus, vt docent Origenes, D. Paschasius, & alij; qui est supremus Rex, vtpote Dei filius, & homo factus per Incarnationem. Et prius dicitur homo, & postea Rex; sicque gloriatur de natura assumpta ex vtero Virginis, in qua venit ad salũtem

Theophyl. Hugo. Gregor. Remig. Origenes. D. Thom. Carthus. Abulens. Remig. Origenes. Paschas.

Christus gloriatur de naturâ humanâ.

generis humani. Dicitúrque etiam homo ob miserationem. Rexque ob generositatem, qua debitum condonauit. Ille autem, qui noluit conseruo compati, sed eum suffocauit, seruus nuncupatur. *Qui volunt.* Quod denotat, vt ait Albertus Magnus, magnam considerationem, & consilium in multa prudentia? *Rationem ponere*, seu, vt Græcus habet. *eo ferre.* Inire scilicet computationem. Interlinealis. Qui merita examinat, scilicet in iudicio. Theophylactus. Non enim absque iudicio punit. *Cum seruis suis.* Qui sunt omnes homines, quando vitam, mores, & actus singulorum discutit, vt ait D. Remigius. Vel sunt illi, quibus bonorum suorum administrationem credidit, vt explicat Abulensis.

Alb. Magn. Græcus. Interlin. Theophyl. Remigius. Abulens.

3. *Et cùm cœpisset.* Alta supremi Principis dispositio. Vbi primùm voluit ponere rationem non moras traxit, nec procrastinauit, sed rem statim feliciter exequitur, ac reum conuincit. Et ponderandum, quòd per se ipsum, & non per ministros computum init. Omne debitum ex sua pietate dimittere cogitabat, ministri autem clementiam nesciunt, sed totam rem vsque ad vltimum quadrantem colligunt. *Oblatus est ei vnus.* A quonam iste adductus? A suo nempe magno, & ingenti debito. Peccata enim nostra nos accusant, & arguunt coram Deo. *Qui debebat decem millia talenta.* Iuxta computationem Hebraicam idem valent, ac centum viginti milliones aureorum. De quo quæst. sequenti ad initium. Et cùm tanta rerum summa esset huic seruo commissa, sine dubio ipse erat magnus, & vnus ex primis familiæ Domini sui. Et tamen ab his supremi Regis iustitia incipit; secùs apud homines, hos magnates, & diuites prætermittunt; tantumque ad humiles, & paruos suam exactionem, & rigorem conuertunt.

Ministri pietatem nesciunt.

Peccata nos accusant coram Deo.

QVÆSTIO I.

Quare hic seruus tanto debito est onustus?

4. 2. Paralip. 25.

IN decem millibus talentorũ denotatur hic magna, & ingens auri summa. Pro quo lege id, quod 2. Paralip. 25. n. 6. scribitur, *Amasiam rex in Iuda in expeditionem, quam parabat aduersus Idumæos, mercede conduxisset de Israël centum millia robustorum centum talentis argenti*, id est mille robustos vno talento. Talentum atticum, vt refert Budæus lib. de Asse, valebat sexcentos aureos. Ex quo patet, centum talenta esse sexaginta millia aureorum. Mille talenta continent sexcenta millia aureorum. Decem millia talenta efficiunt sex milliones aureorum. Multo tamen maior est summa, si Hebræorum supputationem sequamur. Hebraicum enim talentum continebat duodecim millia aureorum. Indéque decem millia talenta auri sunt centum viginti milliones aureorum. Christus Dominus habebat hic sermonem, non cum Græcis, sed Hebræis; exindéque non Græco, sed Hebraico talenti significato vtebatur.

Budæus. *Quid sit talentum.*

5. *Grauitas vnius peccati mortalis.*

Quo supposito respondeo primò ad quæstionem. Quod tanta auri summa congruit optimè ad exprimendam criminum grauitatem contra Dei maiestatem. Plus enim exigit Deus ab eo, qui vnum peccatum mortale commisit, quam si à seruo paupere Dominus exegisset centum viginti milliones aureorum. Vnum enim peccatum mortale, cum sit contra Deum commissum, Deóque iniustosum; imò, quantum in suo affectu, Deum est spolians sua diuinitate: longè autem multò maior est iniuria Dei, quàm sit omnis iniuria in vniuersos reges perpetrata; multóque maius est debitum, quàm sint omnia cunctorum hominum debita, quæ ab aliis hominibus debentur. Sicut enim Deus infinite superat omnes homines; sic iniuria in Deum infinite superat iniurias in omnes homines.

6. *Offensa fratrum condonanda.*

Secundò. Tanta auri summa maximè congruit antecedẽti doctrinæ, in qua docuerat Dominus, fratri iniuriam dimittendam septuagies septies. Si enim Deus nobis condonat tantam peccatorum multitudinem, quæ longè excedit decem millia talentorum, id est centum viginti milliones aureorum; ergo multo magis omnes proximorum contra nos offensas eis dimittere debemus, quæ numero pauciores, & qualitate sua multo inferiores sunt; præsertim cùm Deus hac lege, & conditione, nostra grauissima, & plura crimina remittat, vt & nos exiguas, & paruas offensas proximis condonemus. Matth. 6. num. 14.

Matth. 6.

7. Origen.

Tertiò. Origenes tract. 6. in Matth. *In principio ergo ponenda rationis oblatus est ei debitor talentorum multorum, qui scilicet multa fecerat damna, & magna ei erant inuicta, & nullum attulit fructum, qui forsitan tot talenta perdidit, quantos perdidit homines.* Seruus iste prælatorum personã exprimebant, vt docent D. Paschasius, D. Thomas, Abulensis, & alij. Talenta autem credita sunt subditi. Quot ergo incuria sua subditi perierunt, tot talentorum factus est debitor, vt de illis redderet rationem, pro eisque pœnas solueret.

Paschas. D. Thom. Abulens. *Prælatus pro subditis dabit rationem.*

8. Origenes?

Quartò. Origenes citato loco sic pergit. *Ideo talentorum multorum factus est debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas.* Vnde hic seruus tot millia talenta, centum viginti scilicet milliones aureorum, potuit consumere, ac deuorare? Cùm enim apud mulierem sedentem super talentum plumbi, de qua meminit Zach. 5. num. 7. esset diuersatus, iam tantæ effusæ pecuniæ apparet causa. Quæ enim scelerata perditio non inest, vbi vna iniqua mulier inuenitur?

Zach. 5. *Mulier perditionis.*

9. Origenes. *Cogitemus, nos reddituros rationem.*

Quintò. Idem Origenes citato loco. *Nihil immodicum, sed omnia maxima, & pessima peccauit iste, qui oblatus est regi.* Tot seruus iste peccatis implicatur, excidit enim ei è memorias computum coram rege esse subiturum. O quot peccata euitarentur, si homines recordarentur, se ipsos de suis factis rationem reddituros? Sextò. Theophyl. *Decem millium talentorum debitores nos sumus, qui quotidie multis beneficiis afficimur, & nil boni rependimus.* Ex ingratitudine in bonis acceptis tot, tantaque debita excreuerunt.

Theophyl.

10. August. *Vnum peccatum aliud grauius parturit.*

Septimò. D. Augustin. serm. 15. de Verb. Domi. *Ideo dicendum est, quòd, quia Lex in decem præceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum, per quod omnia peccata significantur, quæ secundum Legem fiunt.* Ex vno peccato in aliud cecidit homo, vt in tantam delictorum multitudinẽ contra omnẽ legem deueniret, semper enim peccata parturiunt grauiora peccata.

11. Isaiæ 14. Hebraicus. Arabicus.

Ait Isaias cap. 14. numero. 29. *De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrẽ*, Hebraicus vertit, *De radice serpentis egredietur regulus, & fructus eius serpens ignitus volans.* Arabicus

bicus Alexandrinus. *De serpente egredietur Basiliscus, & serpens volans deuorans primogenitos.* Quid est, quòd Propheta ait, quòd venenosus coluber generat regulum; seu Basiliscum, qui suo intuitu alia interficit animalia, ex basilico prodit serpens, seu vipera, volans ignitus, qui non solum suo aspectu enecat, sed etiam volans, cuncta quærit, vt suo sparso igne illa comburat, ac consumat. Ad hoc tendit Prophetæ sermo, quòd semper venenum peccati aliud noxius, & magis pestiferum producat. Peccatum tanquam venenum hausum occidit animam, ex ipsoque veneno pullulat scãdalum, quod sui cognitione, tanquam suo aspectu alios in peccatum pertrahit, indèque sæpè oritur mala doctrina, ac prauus sermo, qui in alios mille errores diffundit. D. Hieronymus ibi. *De semine pessimo*, inquit, *nascetur regulus, qui rex serpentum est: & afflatu suo, atque conspectu hominis occidere dicitur: sine genimina aspidum, qua peccata sunt varia, de cogitationum pessimo thesauro in mala opera prorumpunt. Cumque regnauerit in hominibus alienigenis, qui à Deo alieni sunt, statim egrediuntur serpentes pennati; vt non sufficiat, cogitasse, & fecisse, qua mala sunt, nisi patrocinium quoque malorum operum quæsierint, & diuersas finxerint hæreses.*

Ex vno peccato aliud malum pullulat.

Hieron.

12. 2. Reg. 15. Acclamatur Absalon rex totius Israël in Hebron. *Venit nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalon. Eo ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo in Ierusalem: Surgite, fugiamus; neque erit nobis effugium à facie Absalon.* 2. Reg. 15. num. 13. Quis non miretur, quòd Dauid, gloriosus princeps in bello, sic expauescat Absalon, vt festinet à facie eius fugere? Dauid fortissimus in certamine secum habebat robustissimos, ac valde exercitatos duces Ioab, & alios; Cur ergo non cogitat munire ciuitatem, ac sagacitate belli adhibita hostem profligare? Cur sic delicatum, ac indisciplinatum puerum Absalon formidat? Olim Absalon fratrem Ammon occiderat, de quo veniam à patre obtinuit; & cum vnum fratricidium iam commisisset, pro certo habebat Dauid, quòd ibi non quiesceret, sed parricidium, ac mortem suorum omnium fratrum perpetraret. Iosephus relatus in Glossa. *Ad Absalon*, ait, *multus populus, eo inuitante, confluxit, & rex ab omnibus ordinatus est. Dauid metuens impietatem eius, & præsumptionem miratus, quia nec peccati veniam recordatus est, sed scelera potiora committeret, deliberauit fugere.*

Vnum peccatum via ad aliud grauius.

Ioseph.

QVÆSTIO II.

Quare hic primus est oblatus?

13. *Eus. Emiss.* HAnc quæstionem mouet Eusebius Emissen. Dom. 22. post Pentecost. *Quare cum hoc primus Dominus rationem ponere voluit?* Respondet, considerando, in hoc denario numero omnium peccatorum grauitatem contineri. *Omnes enim numeri in hoc numero continentur, cum enim vsque ad decem numeramus, nisi iterum ab vno incipiamus, nihil habemus, quod dicamus. Hoc igitur debito maius debitum non est.* Ad quid ergo summus debitor, seu peccator introducitur? Subdit ipse Eusebius. *Vt huius exemplo ceteri intelligerent, quantam spem habere potuissent.* Ex diuina dispositione hic tantorum talentorum debitor in primo limine coram Domino adest, vt cùm alij peccatores viderint, huic tanto debito indulgentiam, ac remissionem concessam, nullus desperet, sed omnes animum concipiant, quod et am in suis magnis delictis veniam impetrabunt.

Nullus peccatorum de venia desperet.

Secundò. Iuxta Chrysostomum homil. 2. in parabolam decem millium talent. dicitur: *Non solum in hoc periculo versabatur, quod quidquid illi munus datum erat, id omne absumpserat, sed etiam in eo, quod primus oblatus est Domino.* Cùm hic primus ante Dominum adhibetur, maxime eius discrimen significatur; nam si alius hunc debitorem antecederet, qui deteriorem redderet rationem, hic poterat sibi facilè indulgentiam sperare. At cùm hic primus in computo ram iniquus esset, in magno discrimine constituebatur. Qui enim primi sunt in iudicio, primi & in periculo reputantur.

14. *Chrysost.*

Primus in iudicio in magno periculo versatur.

15. *Genes. 3.* Adamus ob paruam sibi quantitatem comestam rigida mulctatus est pœna, itavt ei dicatur: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*, &c. Genes. 3. num. 16. Cur Dominus tam seuerus in Adam ob vnum delictum commissum, cùm tamen in eius descendentibus, qui passim multis criminibus implicantur, valde sit benignus, in multa patientia dissimulans magna. Adamus primus præcepti præuaricator, primúsque qui ante tribunal ad iudicium stetit: non mirum ergò, quòd tam acri pœna puniatur. Qui primus in solitudine inuentus est in die sabbati colligens ligna, ex diuina sententia, *Obruatur lapidibus omnis turba extra castra.* Numer. 15. num. 35. Et postea alij similiter delinquentes non tali supplicio castigantur. Inde illi tanta pœna, quia primus de crimine iudicatur: Theodoretus quæst. 37. in Genes. *Considerandum est*, inquit, *quòd primis legum transgressoribus fine venia supplicia infliguntur, quòd & factum est circa legem de sabbato latam. Cum enim, qui die sabbati ligna colligere ausus erat, & ita primus legem transgredi, populus vniuersus lapidauit; id enim Deus præceperat, vt qui suis manibus de nocente supplicium sumpserant, deinceps legem transgredi reformidarent, tanquam supplicij causam. Longe verò post tempore cum permulti legem de sabbato violauerint, id patienter legislator tulit. Conueniebat igitur, Adamum, qui primus legem acceperat, & eam quidem leuissimam, luere pœnam delicti, ad vtilitatem generis humani.*

Qui primus de crimine iudicatur, rigidam subit pœnam.

Numer. 15.

Theodoret.

Matth. 18. num. 5. Cùm autem non haberet; vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari; & vxorem eius, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi.

Num. 26. prostratus ergo seruus ille orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

VERSIONES.

Vatablus n. 25. Et omnia quæ habebat, & fieri solutionem.

Euthym. n. 26. Prostratus ergo seruus ille adorabat eum, dicens:

Domine, patiens, ac lenis esto erga me, & omnia tibi reddam.

Syriacus. Domine mi, longanimis esto erga me, & omnia tibi rependam.

Arabicus. Patiens esto, & ego dabo tibi, quod tuum est.

EXPOSITIO II.

16. Haymon.

VT autem non haberet, unde redderet. Rectè, ait Haymon, nostra voluntate peccare possumus, sed nostris viribus non possumus Deo satisfacere, nisi illius misericordia adfuerit, quæ vocat peccatores ad pœnitentiam: *Iussit eum Dominus venundari.* Qui enim peccat, libertatem amittit, & seruus est peccati. Ioan. 8. n. 34.

Peccator seruus. Ioan 8.

Vxorem eius & filios. Viguit antiquitus consuetudo aliquorum regnorum, vt cùm debitor soluendo aliter non esset, creditor posset vendere etiam ipsum debitorẽ, vxorémque eius, & filios. Huiusmodi quid legitur 4. Regum 4. n. 1. vbi cuiusdam prophetæ mortui vxor sic ait Elisæo: *Ecce creditor veniet, vt tollat duos filios meos ad seruiendum sibi.*

4. Reg. 4.

Fortè mandantur vxor, & filij vendi, ipsi enim ob superfluum cultum contracti debiti causæ extiterunt. Per vxorem D. Remigius, Albertus Magnus, S. Thomas intelligunt concupiscentiam, seu prauam voluntatem; per filios verò magna opera, *& omnia, quæ habebat*, vt nempe à suis vniuersis expoliaretur: peccata enim extremam omnium paupertatem inducunt; *& reddi*, quantum scilicet esset ex conflata omnium pecunia.

Remig. Alb. Magn. D. Thom.

17. Remig.

Procidens autem. Hic apparet, vt ait D. Remigius, humiliatio, confessio, & satisfactio. Humiliatio *procidens.* Confessio, cùm ait: *Patientiam habe in me*, profitetur suorum peccatorum multitudinem, ad quam Domini patientiam requirit. Satisfactio, cùm ait, *Reddam tibi.* Iterum premamus verba *Procidens*, ad genua scilicet Domini, ab humilitate enim incipit in sua conuersione. *Vide pœnitentia robur, facis seruum cadere à malitia, qui firmiter in illa stabat.* Deinde qui sequitur? *Rogabat eum*, seu, vt habet Græcus, *orabat eum.* Ad orationem confugit, vt largam Dei pietatem inueniat, vt ait D. Chrysostomus, *Patientiam habe in me*, seu, vt habet Græcus, *Longanimis esto in me.* Differ iram tuam erga me, seu, vt iniquiunt D. Remigius, Albertus Magnus. Vox est peccatoris poscentis tempus corrigendi, tempus mihi concede, vt pœnitens clamen, *Et omnia reddam tibi*, quantum scilicet debeo.

Græcus.

Chrysost.

Remig. Alb. Magn.

QVÆSTIO III.

Quare tam seuere benignus Dominus mandat seruum, & omnia illius vendere?

18. Cur per ministros mandat venundari.

NON solùm hìc apparet seueritas in eo, quòd seruus, & illius vxor, & filij traduntur venditioni, sed etiam quòd per ministros hoc mãdatur exequi, vt communiter intelligitur illud, *Iussit eum Dominus venundari.* Supra enim per se ipsum posuit rationem cum seruo, vt misericordiæ gratiã illi impertiret. Cùm autem venditionẽ, vtpote summi rigoris opus deuenitur, hoc totum ministris committit; in eis enim nulla pietas, sed ingens seueritas præualet, vt sic vndique in hoc negotio districta se exhiberet. Ad quid tantus rigor?

19. Chrysost.

Respondet primò D. Chrysostomus homil. 2. in Parabolam decem talent. tom. 5. *Quamobrem ante rationem positam non remisit debitum? volens, vt disceret, quantis eum debitis liberaret* Euthymius. *Si valde facile*, inquit, *remissionem percepisset*, scilicet seruus, *futurum erat, vt gratiæ magnitudinem non cognosceret: propter hoc ergo in magnam necessitatem eum redigit, vt ad memoriam in posterum reuocare posset, qua condemnatione absolutus esset.* Vltimis miseriæ terminis seruus à Domino contingitur, vt cognoscat excellentiam beneficij, cùm à tot debitis, quibus erat onustus, se ereptum videat. Tanta est enim humana ingratitudo, vt necesse sit, veluti quodam artificio ad recognitionem donorum compelli. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 14. *Gratissimum*, ait, *videri solet beneficium, quando imminente periculo, necessario expectatur: aliter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoscit.*

Euthym.

Ex rigore cognoscitur benignitas.

Cyr. Alex.

20. *Quot mala peccata inferunt.*

Secundò, Tanta seueritas, vt peccator coactus miseram sui status conditionem recognoscat. Cùm mandatur venundari, iam amittit Dominũ suum, scilicet Deum, deindéque omnia gratiæ bona, & ad Diaboli transit mancipium. Cùm venundatur, iam sibi deperdit vsum propriæ vitæ, cùm alterius sit, alterique viuat. Cùm venundatur, iam suum perdit honorem, seruus enim constituitur. Cùm venundatur, vxoris, ac filiorum fit expers. Cùm venundatur, etiam omnia bona sua, quæ habebat, deperdit. O vtinam homines recogitarent, quot mala illis inferunt peccata, tam in ordine supernaturali, quàm naturali. In supernaturali amittit Deum, indéque omnia gratiæ bona. In naturali verò propriam vitam, honorem, & omnia quæ habet homo. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. *Libertas*, ait, *& diuitia in sola mandati obseruatione sita sunt, quemadmodum contra paupertas, & mala in illius violatione.*

Nazianz.

21. Chrysost.

Tertiò D. Chrysostomus homil. 2. super hanc Parabol. tom. 5. *Non ex credulitate, aut in humanitate in eum rursus damnum conuertebantur; sed ex ineffabili in eum prouidentia. Volebat enim illum huiusmodi terreri minis, quoad sibi supplicandum, ne venundaretur, excitaret.* Volebat Dominus seruo misereri districto rigore erga eum se exhibet, vt seruus tanta sua miseria excitetur, vt exorando ad Domini pietatem confugiat, indulgentiamque obtineat.

Deus supplicia minatur, vt peramus veniam.

22. Exod. 32.

Post commissum magnum Idololatriæ scelus in adoratione vituli, ait Deus Moysi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos*, Exod. 32. num. 11. Deus à nullo dependet; quomodo sic loquitur, quasi Moysi voluntati subordinatus? Cur commisso illo infami, & stupendo crimine, illico non vibrat fulgura in perfidorum capita? Ad quid se dicit veluti ligatum? Ne ob grauitatem execrandi delicti frigesceret Moyses, rogationes multiplicare non audens, se pronuntiat Deus illius precibus tanquam astrictum, vt inde maiori fiducia cõcepta feruidius orationibus instaret pro populo, illique indulgentiam impetraret. Stephanus Cantuariensis apud Tilman. *Dimitte me*, ait, *Quasi tu tenes me, vel tenere potest: per hoc ergo dedit fiduciam exorandi, & impetrandi pro eis: si enim vellet verberare filium, & diceret sedenti iuxta te, dimitte*

Deus, vt auertat iram, occasiones exorandi præbet.

Steph. Can.

dimine me, vt verberem filium meum; nonne quodammodo hortareris, vt te exoraret, ne verberaret eum? Temuit ergo Moysis Deum; seruus Dominum, creatura Creatorem.

23. 2. Reg. 24. Districto gladio percutiebat Angelos Ierusalem pestilentia, atque Deus *Angelo percutienti populum, sufficit: nunc continе manum tuam.* 2. Reg. 24. num. 16. Statim sequitur: *Dixitque Dauid ad Dominum, cùm vidisset Angelum percutientem populum, Ego sum, qui peccaui.* Si Angelus iussu Dei iam sisterat in Plaga, cur se Dauid ostentat vultu truci; & igneo, quasi cùm euaginato gladio minans adhuc populum feriret? Ad quid tendit huiusmodi terrifica præsentia, tanquam mortem incutiens? Volebat Deus pestis sagittas à populo auertere, hoc tamen disponebat, Dauid oratione fieri: exhibet se Angelus adhuc mortifero morbo populum cædentem, vt exinde excitaretur Rex, vt pro ouibus preces effunderet, vt illis misericordiam impetraret. Pulchre Ambrosius commentat. in Psalm. 37. *Si mandauerat Dominus*, inquit, *Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus, nisi quia Dominus, & si vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur, hortatur.*

Deus cùm vult parcere, nos hortatur, vt oremus

Ambros.

QVÆSTIO IV.

Quare pauper seruus audet spondere, se omnia Domino suo redditurum?

24. Nazian. RESpondet primò D. Gregorius Nazianzenus Orat. 17. *Ad bonum enim, & facilem Dominum accesserat.* In multa talentorũ sũma deprehensus erat seruus debitor: & tamen audax rogat, *Patientiam habe in me*, &c. Vnde iniquo seruo tanta præsidentia, vt herum sibi iratum precibus aggrediatur, & bona spe credat flecti posse ad pietatem? Agnoscebat seruus herum suum esse Deum, natura bonum, & pium, flectique facilem; magnum, & excelsum in misericordia; de cuius adiuuamine sperabat, se posse pro omnibus suis debitis reddendis impetrare patientiam, indéque reus audax est in poscenda venia.

Ex Domini pietate spes venia concipitur.

25. Chrysosto. Secundò D. Chrysostomus homil. in Parabol. decem millium talent. tom. 3. fol. 804. *Non fuisse est, se nihil habere, quod redderet: sed hic mos est debitorum, vt in summa inopia, promittant tamen, quo præsens periculum elabi possint.* Quomodo pauper seruus, & ad magnas angustias redactus solueret mille ducentos milliones aureorum? Sagaciter tamen tempus extrahit, moras nectit, dicens, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Magnæ enim prudentiæ est, in re eximij ponderis tempus interponere, vt totum negotium in meliorem fortunam commutetur, vt ita *præsens periculum elabi possint.*

In magno negotio tempus interponendum.

26. Chrysosto. Tertiò idem D. Chrysost. *Audiamus, quotquot ignaui sumus ad preces, quàta sit obsecrationum vis, non ieiunium ostentauit, non vltroneam paupertatem, aut aliquid istiusmodi, sed desertus, sed nudus omnis virtutis, vbi se ad obsecrandum conuertit, eo solo potuit Dominum ad misericordiam pertrahere.* Cùm multo debito onustus esset homo, & non haberet, quid redderet, nõ paupertatẽ suam proposuit, nec ieiunium ostentauit, nec quid aliud simile dixit, sed tantum ad orationem confugit. *Patientiam habe in me.* Sicque illa sola remissione impetrauit, omniaque est assecutus. *Dimisit illi omne debitum.*

Oratio impetrat absolutorem delictorum.

Quartò. Palatius. *Adeo confidenter promittebat iste satisfactionem operum, quia nouit, per pœnitentiam applicare sanguinem Christi, qui cùm sit infiniti valoris, profectò omnia talenta valet.* Non mirum, quòd iste seruus, quamuis valde pauper esset, & multum pecuniæ deberet, tamen confidenter dicat, se omnia redditurum; pollicebatur enim, se Redemptoris sanguinis participem fieri, indéque, etsi extrema degeret paupertate confidenter tamen sperabat, se decem millia talentorum persoluturum; qui enim hoc Sacratissimo sanguine reficitur, omnibus diuitiis abundat, vt omnia talenta valeat exoluere. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Prouerb. 8. num. 35. De Sacra Eucharistia sermo est, vnde ait Hugo. *Hauriet salutem à Domino, quasi à puteo pleno deliciis, ac diuitiis,*

27. Palatius.

Sanguine Christi locupletatur homo.

Prou. 8.

Hugo.

Quintò. Valde mirum, quòd seruus iste, qui laute, ac opulenter cum vxore, ac liberis vixerat, vt decem millia talentorum consumeret, modò tam submissus ad Domini pedes prouolutus, eius clementiam deprecatur. Vnde illi tanta dejectio? Quis dubitat, quòd contraria fortuna, casuúmque aduersitas intellectum acuat, vt hominem in sanam mentem reducat, vt de præteritis resipiscat, ac emendetur; dicátque cum Dauid Psalm. 118. num. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.*

28. *Humiliatio adducit ad pœnitentiã.*

Psalm. 118.

Rebellauerat Absalon cõtra patrem suum Dauid, omnique nixu intendebat, parentem à regno, ac vita exspoliare. Dauid tamen omni exercitui suo commendabat, *Seruate mihi puerum Absalon.* 2. Reg. 18. n. 5. Tandem cùm ipsum interfectum acciperet, magno fletu, ac lamentatu ipsum est prosecutus. Sed ad quid tendunt huiusmodi lachrymæ? Volebatne Dauid, vt Absalon victor existeret, triumphator euaderet? Non volebat bonus pater, vt Absalon vinceret, sed vt victus, ac humiliatus degeret. Optimè enim præcallebat prudens Rex, quòd ipsa humiliatio magnum esset depredito iuueni excitamentum, vt eum ad salutis vitam perduceret. D. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 66. *Cùm innocentem puerum*, ait *mortem Dauid non luxerit, idem iuuenem filium parricidali furore præcipitem; qui & paternum cubile stupris nefariis maculauerat, & contra patrem scelestum bellum gerebat, & vellet conseruatum, & fleret occisum; anima scilicet tantis criminibus inuoluta sempiternis prauidens pœnas, quibus euadendis, eum per pœnitentiam corrigendum, viuere cupiebat humiliatum.* Expende vltima verba: *Eum per pœnitentiam*, &c. Humiliatio magna doctrina, vt dirigat in salutem.

29. 2. Reg. 18.

Directio rem vocat ad salutem.

Augustin.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt. Psalm. 15. num. 4. D. Augustinus. *Post multiplicatas infirmitates accelerauerunt, vt sanarentur.* D. Thomas. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. *Id est pœnalitates ex peccato; & consequenter conati sunt ad curandam vitam, vt redimerent tempus perditum.* Psalm. 82. n. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.*

30. Psalm. 15. Augustin.

S. Thom.

Psalm. 82.

Matth. 18 *num.* 27. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

VERSIONES.

Vatablus. Intimè autem misertus Dominus serui illius, absol-

Euthymius.

uit eum, & æs alienum remisit ei.

Arias. Commotus viscceribus absoluit eum, & mutuum dimisit ei.

EXPOSITIO III.

31. DEprecatione, humilitate, ac pœnitentia serui, cum promissione emendationis, & restituendi omnia *Misertus est Dominus serui illius.* Dei infinita bonitas valde propensa ad miserandum, ac indulgendum, *Dimisit eum*, liberum scilicet à captiuitate, ac venditione, ad quam eum condemnauerat, *Debitum.* Græcus habet *mutuum.* Sic enim vocatur id, quod ex facultatibus Domini ad se translatum, suis vsibus appropriauerat. *Dimisit ei.* Ingens Domini liberalitas. Seruus obsecrauerat, vt exactionem, ac tempus differret; Dominus excedens vota, totum debitum condonauit.

Græcus.

QVÆSTIO V.

Quare Dominus non nisi post humiliationem & preces seruo dimisit debitum?

31. *Difficultas quæstionis.* MAxime, vt vulgo dicitur, ad doni magnitudinem pertinet, vt ante preces sit concessum: Cur ergo magnificus Dominus non largitur, antequam sit expostulatum; Et prima solutio patet ex dictis superioribus quæstionibus 3. & 4. Quæ omnia hic possunt accommodari. Deinde ad hanc quæstionem.

33. Chrysosto. Respondet primò D. Chrysostomus homil. 62. in Matth. *Commotus misericordia dimisit eum, nec antequam supplicaret, vt calamitate sua perductus, facilis ad ignoscendum conseruo fieret.* In tantum angorem permittitur hic seruus venire, vt multa prece Dominum roga ret, vt sic primò agnosceret sui delicti gravitatem; deinde vt sua propria miseria haberet remedium; vt in conseruos fieret patiens, & misericors: ipsa enim calamitas optima est doctrina, vt aliis misereatur. Vide tom. 2. cap. 3. quæst. 32. num. 179. ibi. cap. 5. q. 11. num. 68.

Propria calamitas doctrina ad misereudum.

34. Chrysost. Secundò. idem D. Chrysostomus citato loco. *Volebat autem Rex à principio dare, sed nolebat, solum suum esse donum, sed & supplicationis illius vt non incoronatus abscedat.* Rogari vult hic magnus Rex, antequam large donet; nam, etsi gratiora sint beneficia, quæ non supplicantium interuentu sed spontaneo affectu proueniunt, tamen quod tunc liberalitati dantis impenditur, meritorum gloria accipientis subtrahitur. Præmittat seruus deprecationem, humiliationem, ac pœnitentiam, vt non solùm talentorum remissione muneretur, sed etiam meritorum gloria & honore magnifice laureatus recedat.

Donum ex meritis gloriosius.

35. *Venia facilitas aliquando peccandi incitamentum.* Tertiò. Disponebat Dominus dare indulgentiã seruo tamen antecedenter mandat, eum simulcũ vxore, ac filiis venũdari; vt inde ipse genuflexo multisque lachrymis ac magno humilitatis affectu Domini pietatem deprecetur, eiusque misericordiam assequatur. Ad quid tanta seueritas, vbi tanta clementia parabatur? Vt seruus deprehendat, quòd non facile ei dimissio concedebatur; aliquando enim multa venit facilitas, crimimum est incitatium, ac adhortamentum.

36. Cùm Moyses esset in monte cum Domino, prolapsus est populus in turpissimum Idololatriæ nefas. Iratus est furor Domini aduersus eum, sicque ait Moysi: *Dimitte me, vt trascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Multa deprecatione restitit Moyses. *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* Descenditque Moyses de monte mandátque filiis Leui, quòd per medii castrorum incedentes vnusquisque interficiat proximum, & amicum suum. Ceciderúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Tunc ait Moyses vniuerso populo: *Peccastis peccatum maximum; ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero, eum deprecari pro scelere vestro.* Exod. 32. num. 30. Cur Moyses sic loquitur? nonne iam antea in monte pro populo rogauerat, iamque à Domino de scelere erat concessa venia. *Placatusque est Dominus, ne faceret malum.* &c. Cur populum ex visis tot occisis hominum millibus afflictum non consolatur? manifestata remissione, quam iam obtinuerat, sed adhuc suspensum relinquit, loquens sub dubio: *Si quomodo quiuero, eum deprecari?* Magna prudentia sic fatur Moyses, vt peccati grauitatem agnosceret populus, cùm adhuc tot millibus interfectis necesse esset, multiplicare preces ad indulgentiam impetrandam; nam si populus sciret, peccatum facile dimissum, vt in alia multa rueret, magna via pateretur. Oleaster ait; *Placauerat iam vir sanctus Deum, veniamque precatus obtinuerat; noluit hoc tamen populo indicare, ne incentiuum peccati fieret postmodum venia facilitas.*

Exod. 32.

Venia facilitas aliquando via ad maiora peccata.

Oleaster.

37. Peccauit Dauid magno adulterij crimine cum Bersabeth. Quòd cùm ei expositum esset per Nathan prophetam, ait Dauid: *Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Post tamen tantum indulgentiam factam subdit Nathan: *filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Ibidem. n. 14. Et quòd etiam Absalon crudeli bello, ac persecutione contra eum insurgeret. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua,* &c. num. 11. Sed cur à magno, ac magnifico Domino non datur in omnibus absoluta remissio pro tam præclarissimo contritionis actu? Cur, si condonatur culpa, non omnino etiam relaxatur pœna, sed conceditur remissionis donum cum veluti pensione pœnæ: *filius, qui natus est tibi, morte morietur?* Sublimis Dei dispositio. Ingens Dauidis pœnitentia, vt omnino deleretur culpa, à Domino obtinuerat: at optimi medici, ac parentis cautela præueniebat, ne totaliter pœna esset extincta, ne inde fragilitas humana, castigationem non formidans, plusquam par erat, delinquendi ansam arriperet. Pro quo monet D. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. *Peccantibus non omnino ignoscit, ne benignitate deteriores fiant.*

2. Reg. 12.

Præuenitur ne indulgentia sit occasio delicti.

Nazianzen.

QVÆSTIO VI.

Expenditur magnifica Domini in seruum liberalitas.

38. HÆC ingens magnificentia Domini erga hunc seruum ex multis declaratur. Et primò donum citò datum: Quia cùm se seruus vidisset tantis debitis onustum, prouidens orabat Dominum

Dominum ſuum. Ille autem illico, *miſertus autem Dominus ſerui illius dimiſit eum*, &c. In venia impendenda Herus non moras interponit, ſed, vt pote magnus princeps, & Rex, *ad imitatum eſt regnum cælorum homini regi*. tantum beneficium ſine vlla dilatione effudit, *Et debitum dimiſit ei*.

Iuuant ſe beneficium ſine mora.

Abulenſ. Abulenſis quæſt. 132. *Rex ſcilicet*, ait, *quia nobilis erat, cito miſertus eſt*.

36. Chryſoſt. Secundò. Magnitudo doni vltra poſtulatum. Quod perbellè ponderat. D. Chryſoſtomus homil. 28. in Geneſ. *Vidiſti*, inquit, *miſericordiam Domini? Ille procidit, ſupplicat, orat, vt longum ſibi tempus præfiniatur: longanimus eſto in me, inquit, & omnia reddam tibi. Sed bonus Dominus, miſericors noſtrique curam agens, ſupplicij benevolus, non ſolùm quantum petiit, ſed quantum nec cogitare quidem auſus fuit, dedit*. Seruus inducias temporis à Domino poſtulauerat, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. At excellens Dominus, non contentus eſt mi nora concedere, ſed multò præſtantiora ſupra poſtulatum largitur, *Dimiſit eum, ac debitum dimiſit illi*. Non tantum dat, quod petitur, ſed etiam ſupra id, quod cogitari poterat à petente.

Dei liberalitas concedit ſupra id quod petitur.

40. Alb. Mag. Tertiò. Non ſolùm præbet donum, ſed etiam honorem. Albertus Magnus: *Ne amplius eſſet ſeruus, dimiſit eum, hoc eſt filium fecit, & liberum*. Pro delicto commiſſo, & pecunia deperdita damnatus erat homo, vt ipſe cum omnibus ſuis venundaretur, & captiuus fieret. At præclariſſimus herus, non ſolùm debitū condonauit, ſed etiam à captiuitatis ignominia liberauit. *Dimiſit eum*, excellentique honore ſublimauit, vt filius & liber eſſet.

Deus ſeruū ſuū dum honorat.

41. Haymon. *Excellentia beneficij ex temporis angustia.* Quartò. Excellentia doni ex temporis opportunitate. Haymon. *Iuſſit, eum venundari, & tunc miſertus eſt*. Ex congruitate temporis maximè beneficium commendatur. Extrema miſeria ſeruus conſtringebatur, ipſe enim cum ſuis omnibus venundari iubebatur; tunc in hac vehementi miſeria adfuit Domini pietas, vt reum abſolueret, & liberum faceret.

42. Ant. Vlyſſ. Quintò. Magnitudinem doni nobis explanat D. Antonius Vlyſſipponenſis ſerm. in Dom. 22. poſt Trinit *Tria facit*, ait, *miſericordia Dei, ſcilicet purificat animam à vitiis, locupletat Charismatum diuitiis, accumulat cæleſtium gaudiorum delitiis*. Dei miſericordia *purificat animam à vitiis*, ſicque huic ſeruo remiſit debitum. *Locupletat Charismatum donis*; non ſolùm Dei pietas, interueniente noſtra pœnitentia, culpam noſtrorū delictorum remittit, ſed etiam multa, quibus anima ditatur, interiora gratiæ communicat dona. Quinta autem fuerint huic ſeruo dona conceſſa, non explicantur; ſunt enim tot, ac tanta, vt ſint enarratu valde difficilia, *Accumulat cæleſtium gaudiorum delitiis* cùm maximè ſe videat homo à captiuitate diaboli liberatum, & in ſortem filiorum Dei aſſumptum.

Multa bona nobis diuina pietas confert.

43. Sextò. Excellens Domini magnitudo nil à ſeruo volnit accipere, ſed vniuerſa ei donauit. Cùm enim Deus aliquid, licet exiguum accipit, tunc quodammodo videtur exinaniri, cùm verò vniuerſa tribuit, tunc maximè glorioſus, exaltatuſque apparet.

44. Ad Philip. 2. De Chriſto Domino ait Paulus ad Philipp. 2. num. 6. *Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*. Quid eſt, quòd cùm Deus aſſumpſit naturam humanam dicitur quòd ſe *exinaniuit*, ſeu, vt legit Tertullianus, *exhauſit*, id eſt euacuauit ſe: at verò quando ad nos venit, vt nobis ſuam diu nā naturam communicaret, hominéque illius per filiorum adoptionem participes faceret, dicitur nimis exaltatus Pſalm. 96. agens Propheta de aduentu Chriſti in carne, vt explicant Caſſiodorus, D. Auguſtinus, & Remigius, Haymon, Hugo, & alij, dicit: *Viderunt omnes populi gloriam eius*. Et ſubdit: *nimis exaltatus eſt ſuper omnes Deos* ibidem num. 10. ſeu, vt legit Græcus; *Valde ſuperexaltatus eſt*. Quid eſt, quod cū Deus ad nos deſcendit, decantatur, quòd *viderunt omnes populi gloriam eius*, donaſcilicet gratiæ, quæ in vniuerſos diffundebat, tunc nimis ſuperexaltatus, ac ſublimatus ſuper principes, ac magnates decantatur: At verò quando Deus formam ſerui accepit, tunc exinanitus, ac veluti minoratus aſtruitur à Paulo: *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*? Cùm Deus ſe communicat, non minuitur, nec euacuatur, ſed tunc ſublimior, & excellentior apparet. At cùm valde exiguum, & abiectum humanæ naturæ ſibi aſſumit munuſculum, *formam ſerui accipiens*; tunc exinanitus ab Apoſtolo aſſeritur. In præſenti expendenda eſt D. Ambroſij ponderatio in Comment. *Chriſtus ſciens*, inquit, *in forma Dei ſe eſſe, æqualem ſe oſtendit Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, hoc eſt poteſtatem ſuam ab opere retraxit, vt humilianus infirmari videretur, formam ſerui accipiens*.

Caſſiod. Auguſt. Remigius. Haymon. Hugo. Pſalm. 69. Græcus.

Ambroſ.

45. De Chriſto Domino ait Angelus ad Mariam Virginem: *Dabit illi Dominus Deus ſedem patris eius*. Luc. 1. num. 32. Cùm Angelus dicit, *Dominus Deus*, Æternum Patrem intelligit; Cur ergo non aſtruitur nomen Æterni Parentis in præſēti, & dicitur, *Dabit illi Dominus Deus* Pater eius; ſed tantum filius patris ſui Dauid nuncupatur expreſsè, *ſedem Dauid patris ſui*? Paſſim Chriſtus in tota Scriptura Filius Æterni Patris dicitur, *Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*. Ioan. 1. n. 18. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenium daret, vt omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Ioan. 3. n. 16. Cur ergo in præſentia, nō æterni Patris, ſed Dauid filius ab Angelo expreſsè proclamatur? Cùm diuinum Verbum venit, vt hominibus diffunderet cæleſtis doctrinæ eloquia, *vt omnis, qui credit in ipſum non pereat*, eiſque gratiam, & æternam vitam communicaret, tunc Vnigenitus Diuini Parentis nuncupatur. At verò, cùm accipit ſedem Dauid, iam non Dei filius, ſed hominis debuit nominari. Sicut enim dare ad Dei maieſtatem refertur; ſic & accipere ad hominis exiguitatem ſpectat. D. Chryſologus ſerm. 144. *Vides*, inquit, *quia, quando accipit, Dauid filius dicitur, quando dat, Dei filius nuncupatur*.

Lucæ. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Cùm Chriſtus dat, filius Dei acclamatur non verò, cùm accipit. Chryſolog.

Matth. 18. *num.* 28. Egreſſus autem ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde, quod debes.

Num. 29. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Et prehenſum eum ſuffocabat

cabat, & dicebat, dc mihi, quod mihi debes.

Theophylactus. Et iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens, solue, quod debes;

Arias. Redde, si quid mihi debes:

Græcus. Prostratus ergo seuus ad

Euthymius num. 29. pedes eius rogabat eum dicens, Patiens, ac lenis esto erga me.

Syriacus. Et omnia tibi rependam.

EXPOSITIO VI.

46. IX Domini præsentia multa bona hausit seruus, vt esset mitis; & humilis; at vbi à facie Domini recedit, in multa mala incurrit. *Egressus seruus ille* vtpote iam, ait Hugo, à captiuitate liberatus, multisque Domini bonis re-

Hugo.

Alb. Mag. fertus. Et egreditur à conspectu Domini, inquit Albertus Magnus, cùm semper in illo debuisset permanere in gratiarum actionem *Inuenit*, fortè adhuc in ipsa regia, seu non longe ab illa, *vnum de conseruis*. Notandum, quòd omnes homines dicuntur conserui, vtpote eiusdem Domini cultui, ac famulatui natura sua obstricti. *Centum denarios.* Denarius, id est Iulius, vel Regalis Hispanicus, & ita decem aureos efficiunt centum denarij.

47. *Et tenens*, rigide apprehensum, vt explicat

Abulens. Abulensis, ne effugeret, *suffocabat eum*, id est premebat illi fauces, D. Gregorius Nazianzenus Orat.

Nazianzen. 16. *Vides*, ait, *quemadmodum multorum talentorum debitor adducatur, ac debito liberetur, ad bonum enim, & facilem Dominum acceserat. At non, vt ei remissum fuerat, ita & ipse quoque remittit. nam animi etiam inductione seruus erat.* Domini magnificentia, ac liberalitas seruo condonauit decem millia talentorum, hoc est centum viginti milliones aureorũ. Serui autem miseria & auaritia ob decem aureos strangulabat conser-

Seruorum, in ministrorum ingenium molestias augere. uum. Sicut enim à regio, ac nobili animo benignitas prodit; sic à seruili corde austeritas ac rigor. Deinde pondera, quòd seruus à conseruo non solùm exigebat pecunias, sed etiam ei iniuriam inferebat, *Suffocabat eum.* Seruorum ingenium est, premere, vexare, ac pœnas augere.

48. *Procidens conseruus eius*, Alij Codices addunt,

Græcus. *ad pedes eius*, vt significetur valde profunda conserui humilitas. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Fortè iste sciebat, qnomodo Rex remiserat totum debitum procidenti, & dicenti hæc

Abulens. verba; ideo & ipse voluit eadem facere, putans quòd similiter ille remitteret. Magna enim prudentia est vitam sequi, quam aliis vtilem esse cognoscis. Vel quia indicauit, non esse alia verba aptiora ad impetrandam pietatem à seruo. Sed hæc nihil valuerunt apud ferrea viscera. De quo expositione sequenti.

QVÆSTIO VII.

Quare egressus seruus tam durus in conseruum, vt eum suffocaret?

49. VNde tanta crudelitas in homine hoc aduersus summ conseruum, & familiarẽ, qui paulò antea corã Rege adeo se exhibuerat humilem; vt ante eum prosterneretur; quique à Rege impetrauerat largam misericordiam, quomodo in conseruos durum se ostendit.

§ 0. Theophyl. Respondet primò Theophylactus *Egressus seruus, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conseruum: nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expers est, sed ille egressus erat, & à Deo mane alienus erat: magna autem erat crudelitatis.* Rationem tantæ crudelitatis indicant verba illa, nimirum. *Egressus autem.* Qui enim abscesserat à Domino, iam seruus erat, & omnem filialem amorẽ deposuerat: si enim vt filius in patre permaneret, multis pietatis visceribus in alios esset propẽsus; in nullo enim magis ostenditur filialis ingenuitas, qua quis Deo maximè adhæret, quàm in eo, quòd affectet, proximis prodesse, eisque impendere benenolentiam.

Serui ingenium crudelitas, filij autẽ pietas.

§ 1. Pasch. Secundò D. Paschasius lib. 8. in Matth. *Si egressus non fuisset, minime suffocasset, suffocabat autem, & suffocat adhuc hodie, quoniam à rege exierat.* Quandiu se seruus in Domini præsentia consideranit, rationabiliter, ac virtuose cum pietate, & humilitate se habuit. At, cùm à Domino exiuit, multa sæuitia, crudelitate, ac tyrannide se se in conserum declarauit, in illaque perseuerans *suffocabat eum, & suffocat adhuc hodie.* Quandiu homo in Domini sui oculis se considerat, valde composite degi; at si se ab illo elongatũ recogitat, nũquam in peccatis sistit, sed semper vlterius ruit.

Si bene se cogitat in Dei præsentia, composite, ac virtuose viuit.

§ 2. Tertiò Illustrissimus Dominus famulo suo, decem millia talentorum donauit; & tamen ille non solùm conseruo suo centum denarios noluit remittere, sed nimis crudeliter *tenens suffocabat eum.* Cur iste famulus tam ferus, & inhumanus? Erat seruus Domini fauore, benignitate, ac indulgentia multum sublimatus: & qui tales conditione sunt, cum ad sublimia, & glorioſa euehuntur, valde superbi, & immites esse consuescunt, vt perbellè cecinit Claudius lib. 1. in Eutropiam.

Seruus elatus valde crudelis.

Claudius.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet; desuit in omnes,
Vt se posse putent, nec bellua terror vllo est.
Quàm serui rabies in libera colla furentis.

§ 3. Proverb. 19. Ait Sapiens: *Non decent stultum deliciæ; nec seruum dominari principibus.* Prouerb. 19. num. 10. Maximè notandum, quòd comparat Sapiens stultum seruo. Quænam huiusmodi combinatio? Quid habet seruus in principatu cum stulto in deliciis? Respondens Salazar, Cornelius, & alij. Quòd sicut stultus instar bruti intemperans est; nam cùm aliquid concupiscit, absque vllo rationis dictamine statim suas cõcupiscentias sequitur, illisque postposito omni diuino, ac humano iure inebriatur; sic stultus à dominatu inebriatur vt absq; iudicij fræno propriam concupiscentiam, quæ nũquam in suis satiatur rebus valde impensè sequatur, vt superbiat, insolescat, ac tyrannice dominetur; nam semper maiora appetens omnium aliorum iura contemnit, ac conculcat. Non decent ergo stultum deliciæ, nec seruum dominatus. Quæ ergo eis conueniunt? Virga, castigatio, ac vapulatio, vt ab inordinato affectu reprimantur. Hinc dicitur. Prouerb. 29. n. 21. *Qui delicate à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Salazar. Cornelius.

Seruus in dominatu indomitus.

Prouerb. 29.

Cap. 30. Prouerb. num. 21. dicitur: *Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere.* Mouetur, tremit, fremit terra, vt habent Hebraicus, ac aliæ translationes Sed quænã sunt ista, quæ totus orbis horret, formidat, ac contremiscit? *Per ser-*

§ 4. Prouerb. 29. Hebraicus.

Serui principatus excidium orbi.

num, cùm regnauerit; per ancillam, cùm fuerit heres domina sua. Alia duo omitto, quæ præsenti instituto non inseruiunt. Sed quare regnum serui & hæreditatem ancillæ sic expauescit orbis: Per illa enim tot rerum iniuriæ, ac tyrannides inferuntur, vt totus orbis in interitum rui videatur.

Salvian. Saluianus ad initium lib. 4. de Gubernatione Dei. *Vnius* scilicet serui, *boni, orbis excidium est.* Serui enim, & ancillæ dominantes non aguntur ratione, sed passione, & concupiscentia, quæ dum amatur potestate, & imperio, & in omnes impunè, iniquè, ac imperiosè grassatur.

Matth. 18. *num.* 30. Ille autem noluit, sed abiit & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Num. 31. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valdè & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.

VERSIONES.

Arias n. 30. Coniecit eum in custodiam.

Chrysostomus homil. 16. Donec redderet debitum illud.

Syriacus n. 31. Cùm autem vidissent conserui eorum, quod factum fuerat ægrè tulerunt admodum.

Theophylactus. Cùm vidissent conserui eius, quæ fiebant, indoluerunt valdè; & venerunt, aperueruntque Domino suo omnia.

EXPOSITIO V.

55. Chrysost. ILLE *autem noluit*, facere quod ei rogabatur Chrysostom. hom. 62. *Nec verba quidem ipsa* ait, *veritus est seruus, quibus salutem acquisiuit: his enim ipse dixit.* Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: *decem millium talentorum debitum euitauit; ita nec pœnam quidem cognouit, quo tutatus à naufragio euasit; nec modum ipse supplicationis ad misericordis Domini memoriam eum reduxit.*

Homines sibi vnam legem affectant, diuersam aliis adscribunt. Mirum hominum ingenium nec per verba, quibus salutem obtinent, eam ab iis concedunt, vnam legem sibi volunt, alteram aliis adscribunt. Seruus iste per illa verba: *Patientiam habe in me*: sibi affectauit, ac sollicitauit debiti ingentis remissionem per eadem met verba noluit in minimis conseruo impendere. *Et abiit* à loco in quo inuenit suum conseruum. Albert. Magnus, *abiit*, ab humana scilicet pietate & clementia. *Et misit eum in carcerem*, seu in custodiam, donec solueret, nec effugeret, *redderet debitum*, centum scilicet denarios.

Albert. Magn.

56. Syriac. *Nuntianda quæ videntur.* *Videntes autem conserui eius*, erant enim omnes eiusdem Domini serui. Syriacus habet, *conserui eorum in pluralí*, tam eius qui opprimebat, quàm illius qui opprimebatur. *Videntes*, non enim narrauerunt Domino, quæ audierunt, vel quæ suspicati sunt; sed quæ viderunt. *Contristati sunt valde*, tanquam boni, & pij, qui maximè solent odio prosequi crudelitatem, ingratitudinem, & omnem malitiam. Origenes homil. 6. in Matth. *Sunt autem conserui, qui videntes, quæ facta sunt à conserno immisericorde, habentes videlicet misericordiam similem Regis, contristati sunt; & volentes iuuare missum in carcerem, enarrauerunt Domino quæ facta fuerant.* Perpende, *misericordiam similem Regis.* Boni serui à bono domino ebibunt misericordiam, & pietatem, quam miseris impertiuntur. Secus malus seruus domini clementia nil proficit, sed à sua malitia in sæuitiam, & impietatem impellitur. Per hos autem seruos Theophylact. D. Remigius, Carthusianus, & alij intelligunt nostros Angelos custodes, qui sicut de nostro profectu verè lætantur; ita de nostris peccatis, & afflictionibus metaphoricè cõtristati dicuntur, quia per modum dolentis se habent, dum displicet eis, quod impiè agimus, vel quod sinistre nobis contingit. Hi narrãt Christo, non quasi ignoranti, sed vt iudicanti opera nostra, & verba, & vt etiam pro nobis loquantur, & exorent.

Origenes.

Boni serui à Domino pietatem ebibunt.

Theophyl. Remig. Carthus.

Angeli custodes pro nobis intercedunt.

Matth. 18. *num.* 32. Tunc vocauit illum Dominus suus; & ait illi: serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

Num. 33. Nonne ergo oportuit, & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui misertus sum.

VERSIONES.

Vatablus n. 32. Tunc accersiuit illum Dominus suus, & ait illi, serue scelestę, totum debitum illud dimisi tibi, quũ obsecrasses me.

Arias. Remisi tibi, quoniam aduocasti me.

Alij Codices apud Lucam Burgensem. Dimiseram tibi, quoniam rogaueras me.

Syriacus n. 33. Nonne oportuit, & te misericordia commoueri erga conseruum tuum; sicut ego commotus fueram erga te.

Arabicus. Secundum misericordiam meam erga te?

EXPOSITIO VI.

57. Abulens. *Obiurgatio culpæ, pœna.* VOCAVIT *illum Dominus suus* ad eum puniendum; *& ait illi.* Quamuis seruus, vt ait Abulens. in hoc facto nullam haberet excusationem; tamen vt ille videret, quàm iustè eum condemnaret Rex, voluit eum prius obiurgari: tum etiam quia ista obiurgatio erat pars pœnæ, ad magnam eius confusionem spectã

ſpectabat, quòd publicè argueretur, *ſerue nequam.*

Chryſoſto. Notādum cum D. Chryſoſt. hom. 27. in Geneſ. & 26. in Matth. Quòd, quando ſeruus conuincebatur debito decem millium talentorum, nihil conuiti; Dominus in illum protulit: at poſtquā ingratus inhumanitatem in conſeruum exercuit, tunc ſeruum nequam, & improbum Dominus vocat.

58. *Nonne ergo.* Benignus Dominus ex æquo diſceptat cum ſeruo, *ergo oportuit, & te miſereri.*

Caietan. Notat Caietanus, quòd non dixit Dominus, oportuit, te donare conſeruo tuo debitum, ſicut ego donaui tibi? ſed dixit, oportuit te miſereri. Seruus autem iſte tenebatur ad miſericordiam conſerui ſui ex debito morali, atque decentiæ, vt rectè

Carthuſ. Caietan. explicant Carthuſianus, ac Caietanus; honeſtas enim moralis non admittit, vexari hominem impotētem ſoluere debitum pecuniarium, præcipuè cùm ipſe rogaret pro dilatione temporis cum promiſſione ſoluendi omnia. Secundò, æquitas moralis poſtulabat, vt ſeruus præclariſſimum Domini exemplum non contemneret, ſed vt ipſum imitaretur, & ſicut ipſe ſupplicans, Domini clementiam in ingenti debito obtinuit; ſic & ipſe in paruo debito conſeruo roganti comederet, & minimè eum ſuffocaret; lex enim naturalis dictat: Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias. *Sicut & ego tui miſertus ſum.* Tribus membris conſtat hæc exprobratio. Opponitur in ea Dominus ſeruo. Ingens debitum valde minúto. Summa clementia magnæ crudelitati. Hiſque denotatur tota parabolæ ſententia. Nos quid tantillum, ac valde paruum ſumus, ſi cum Deo conferimur. Fratrum in nos offenſæ valde minutæ ſunt, ſi expendatur noſtra erga Deum obligatio, noſtrúmque debitum erga ſuam diuinam Maieſtatem. Deinde quòd ſi rogantibus delictorum in nos admiſſorum veniam negauerimus, Deus viciſſim nobis rogantibus peccatorum in ſe admiſſorum remiſſionem, ac miſericordiam denegabit.

Scopus totius parabolæ.

QVÆSTIO VIII.

Quare, cùm iniquus ſeruus damnatur, Dominus ſuam pietatem teſtatur?

59. DOMINVS vocat ſeruum, vt ſuæ crudelitatis ei pœnam inferat; & tunc ait illi. *Nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui, ſicut ego tui miſertus ſum?* Ad quid, antequam bonus Rex procedat ad pœnam infligendam, coram omnibus teſtatur, quomodo ſerui precibus annuens, illius fuerat miſertus? Ad quid modò ſuam magnam pietatem in tanto debito remittendo euulgat?

Ratio diſſicultatis.

60. Chryſoſt. Primò reſpondet Diuus Chryſoſtomus homilia 62. *Animaduertite, quàm miti ſit Dominus, quaſi conſtitutus in iudicio ſatisfactionem reddit, quare donationem illam vniuerſam reuocauit; imò verò non ipſe reuocauit, ſed ille, qui accepit, euertit.* Adeò alienum eſt à bono Principe, quòd donum ſemel datum reuocet, quodque multo rigore in ſuos ſe habeat, vt bonus Rex, antequam inhumanum ſeruum damnet, eúmque indulgentia facta prius, publicum prius rigoris ſui det teſtimonium, ſuæque mititatis ac clementiæ præbeat manifeſtam ſatisfactionem, quòd ſcilicet donationem ipſe non reuocat, ſed potiùs illa ſe ſeruus declarauit indignum. Diſcant etiam ex his Principes in magnis operibus, etiam rudibus popularibus ſuorum factorum aliquam manifeſtare ſatisfactionem.

Princeps donum non reuocat.

Princeps ſuorum operum det ſatisfactionem.

Secundò Theophylact. *In iudicium intrat cum ſeruo Dominus propter immiſericordiam: vt oſtendat, quod non ipſe, ſed ſeruus crudelitas, & ingratitudo donationem irritet.* Deum non pœnitet de donis ſuis; tamen ingratitudinis tanta eſt turpitudo, vt ipſa domum irritet, & gratiam conceſſam amitti faciat. Sed quomodo iſte ſeruus à Theoph. dicitur ingratus: Quidnam debiti Domino ſuo defraudauit? In eo enim quòd iſte fuit inhumanus in conſeruum; inde ingratus erga Dominum extitit. Pro beneficiis in nos collatis vult Deus, vt pietatem, & clementiam pauperibus, & miſeris exhibeamus: & ſi hanc illis denegamus, erga Deum ingrati conſtituimur.

61. Theophyl.

Grati ſumus Deo, cùm miſeriam proximo impendimus.

Tertiò, D. Paſchaſ. l. 8. in Matth. Ait Dominus: *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me quanto magis oportuit, &c. Quod ſi iſta veniunt in opprobrium, qua dimiſit bonus Rex, & pius; quanto magis ea, qua poſtea commiſit ſeruus ingratus, & malus, cui nulla alia cauſa fuit, vt diuitteret ei niſi quia bonus Dominus erat, & qua rogauit adorans.* Antequam Dominus pœnam inferat: *Tradidit eum tortoribus*: ſeruo delictum obiicit. Quomodo poſt acceptam inſignem Domini clementiam, valde rigidam in conſeruum exercuerat crudelitatem, *Oportuit te miſereri.* Ad quid delictum repetit? Non pœna, ſed potius delictum, cauſaque pœnæ hominem deturpat, multáque iniuria afficit: indéque pro maiori opprobrio, ac confuſione ſerui eius crimen diuulgatur, ac reperitur.

62. Paſchaſ.

Plus decet: pat culpa, quàm pœna.

Cùm Abrahamus ex variis victimis Deo ſacrificaret, dupliciter dicitur quòd in ipſo ſacrificio Sol occubuiſſet. Primò, *Cúmque Sol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* Gen. 15. num. 12. Et iterum poſtquam ei declaratur ſui ſeminis dura ſeruitus in Ægypto, dicitur, *Cùm ergo occubuiſſet Sol facta eſt caligo tenebroſa.* ibid. n. 17. Cur in hoc duplici Solis occaſu, in primò timet & horret Abrahamus, non verò in ſecundò, cùm in hoc poſteriori exprimatur, quòd facta fuerit caligo tenebroſa, quæ ex ſe magnam formidinem incutere valebat? Rupert. l. 5. in Geneſ. cap. 22. *Hac tenebrarum iteratio*, inquit, *geminam ſeminis Abrahæ aduerſitatem ſignificat. Primam ſcilicet, qua fratrem ſuum Ioſeph vendiderunt, qua cauſa fuit ſeruitutis illorum, ſecundam, qua poſt mortem Ioſeph à Pharaone tribulati ſunt. Prior quidem aduerſitas, res fuit iniquitatis, propter quod ſignanter dictum eſt, horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum.* Primus ſolis occaſus venditionem Ioſeph, à poſteris Abrahæ factam denotabat, in qua grauiſſimè peccauerunt: ſecundus verò occaſus, exinde ſubſecutam captiuitatem eorum in Ægypto ſub duro Pharaonis iugo repræſentabat: hinc Abrahamus vtpote iuſtus, & ſanctus, cùm peccatum venditionis vidit in poſteris, pauet, & horret; minimè verò cùm ex illo pœnam vexationis, & ſeruitutis Ægyptiacæ agnoſcit. *Prior quidem aduerſitas, res fuit iniquitatis, propter quod dictum eſt, horror magnus & tenebroſus inuaſit eum.*

63. Geneſ. 15.

Rupert.

Iuſtus plus timet culpam, quàm pœnam. Matth. 26.

Cùm adeſſet Chriſtus in vltima cœna cum ſuis diſcipulis, ait illis: *Vnus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valdè cœperunt ſinguli dicere: numquid ego ſum Domine?* Matth. 26. n. 21. Poſtea verò Dominus pœnam diuulgat in proditorem. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum*

64. Matth. 26.

erat

erat ei, si natus non fuisset homo ille. Tunc impudenter. *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi?* ibidem num. 25. Cùm Christus Dominus proditoris crimẽ aperit, tunc, tacente Iuda, cæteri Apostoli interrogant: *Nunquid ego sum Domine?* at cùm Diuinus Magister pœnam in traditorem comminatur: *Va homini illi*: cæteri Apostoli tacent, & vnus Iudas tunc quærit, & interrogat, vt astruunt Carthusianus; Barradas, & alij. Quid est quod audito crimine, *Vnus vestrum me traditurus est*, tunc Apostoli respondent, *Nunquid ergo sum, Domine*; & Iudas, veluti parui pendens tantum nefas, tacet; at audita pœna, tunc Iudas occurrit, *Nunquid ego sum, Rabbi*; & tunc cæteri Apostoli, ipsam pœnam pro nihilo ducentes, tacent? Perpende, quantum discrepat ingenium viri sancti, & pij ab improbi, & impij genio. Cùm Apostoli audiunt proditoris nefas, *Vnus vestrum me traditurus est*; tunc ex tanto scelere horrent, & expauescunt, *Et contristati valde cœperunt singuli dicere, nunquid ego sum, Domine?* Timebat quilibet, ne ex humana fragilitate in tantum nefas incideret. Euthym. *Timebat quisque, ne fortè talis euaderet meme excaecatus.* At de pœna maximè conturbatur, & dolens Iudas ait, *Nunquid ego sum.* Proposita culpa, quam contemnit, tacet Iudas; multum tamen de pœna timet, & dolet; ad quam non loquuntur Apostoli, sed culpam formidant, & horrent, ad ipsámque respondent dicentes, *Nunquid ego sum, Domine.*

Carthusian. Barradas.

Euthym. *Iusti horrent culpam potius, quam pœnam: iniqui verò contra.*

Matthæi 18. num. 34. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.

Num. 35. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

VERSIONES.

Syriacus n. 35. Proinde excanduit Dominus eius.

D. Chrysostom. Donec persolueret.
homil. 62.

Patabius. Quousque redderet totum quod debebatur ipsi.

Euthymius, Theophyl. Fratri suo de cordibus vestris delicta eorum.
num. 35.

Arias. Lapsus eorum.

Syriacus. Errata eius.

EXPOSITIO VII.

65. Chrysost.

VIA, ait D. Chrysostomus in Catena, *seruus beneficio non est factus melior, relinquitur, vt pœna corrigatur.* Textus. *Et iratus Dominus*, extrema, & implacabili ira; hic autem dicitur irasci, & non antea, de quo quæstion. sequenti *tradidit eum tortoribus.* Ex historiis constat, iure antiquo Romanorum, quibus Iudæi tempore Christi erant subiecti, solitum esse debitores à creditoribus tradi tortoribus in carcerem trudendos, & verberibus flagellandos. Primus tamen Constantinus Imperator ex Christiana benignitate à plumborum ictibus debitores exemit. Porrò tortores, inquiunt D. Remigius, & Carthusianus, sunt dæmones, qui peccatorum animas mille modis durissimè torquent, & cruciant in inferno. *Quoadusque redderet*, id est in æternum torqueretur, perpetuo punietur; nunquam tamen totam pœnam persoluet. Ita D. Chrysostomus, D. Remigius, D. Paschasius, Euthymius, Theophylactus, qui ait: *Hoc significat, quod tandiu puniatur, donec reddat: nunquam autem reddet, quod debebat, videlicet pœnam, quam meruerat: semper ergo punietur.*

Qui beneficium profecit, pœna dignus.

Remig. Carthus.

Chrysost. Remig. Paschas. Euthym. Theophyl.

Sic Pater meus. Hac conclusione totius parabolæ sensus aperitur; quæ docet, Deum illis non parcere, qui non parcunt. *Sic*, sicut Rex ille, faciet, seu aget vobiscum *Pater meus.* Theophylactus notat. *Non dixit Pater vester, sed Pater meus. Indigni enim sunt tales, qui Deum habeant Patrem.* Deus valde propitius, vt iniurias remittat; qui ergo has non condonat, valde degener filius inuenitur, indéque indignus est, qui Deum patrem suum appellet. Vnde perbellè ait D. Augustinus sermon. 15. de verbis Domini. *Inuenis, imitare Patrem; si enim imitari non vis, exheredari dignis.* Sequitur textus, *de cordibus vestris.* Græcus addit *delicta*, vel *errata.* Non sufficit, quòd ore tenus remittas, nisi etiam corde, ac animo hoc præstes; omnéque, vindictæ desiderium, iniuriæ recordationem, iram, odium, ac amaritudinem ab animo expellas. Vnde ait D. Hieronymus. *Omnem itaque ficta pacis simulationem euertit.* Et D. Augustinus citato loco *Melius est*, inquit, *vt clamet ore, & dimittas corde; quam sit blandus ore, & crudelis corde. Ideo enim Dominus subdit, de cordibus vestris, vt si per charitatem imponitis disciplinam, de corde tenuis non recedat.*

66.

Theophyl.

Qui iniuriam non remittit, indignus, qui Dei filius nominetur. August.

Græcus.

Heron. August.

QVÆSTIO IX.

Quare seruus, cùm videt Dominum in se iratum, non recurrit ad preces, per quas antea misericordiam impetrauerat?

67. *Ratio difficultatis.*

PRIMO cùm Dominus mandasset, seruum venundari; ipse prostratus, patientiam supplicans, misericordiam impetrauit: *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & omne debitum dimisit illi.* Modo autem cùm iratus Dominus *tradidit eum tortoribus*, nil pro se loquitur. Cur modò sic tacet, & pro sui causa preces non offert, per quas antea clementiã fuerat allectus?

Respondet primò D. Chrysostomus homil. 62. *Modo ira commotus eum tradidit. Quando enim vendi eum iussit, nulla ira fuit in verbis eius, & ideo non vendidit; sed humanitatis maxima fuit occasio; nunc autem hæc sententia non parua cum molestia ad supplicium terminatur.* Cur non aliquid facit homo, vt antea genua flectens, vel misericordiam implorans? In primo euentu non se exemerat diuinæ iustitiæ gladius, sed ex multa pietate fuerat veluti quædam comminatio, vt homo misericordiam deprecaretur. At modò

68. Chrysost.

Diuina ira timore conturbantur peccatores ad pœnam.

diuinæ iræ lancea se se strinxerat, quæ sic miserum confregit, ac terrefecit, vt nihil seruare excogitaret, sed totus sua iniquitate constrictus in pœnam rueret. De impio, ac peccatore sub gladio diuinæ iustitiæ loquens Iob ait cap. 15. n. 21. *Semitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur, non credit, quòd reuerti possit tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.* Terrore diuinæ iræ correpti peccatores nil salutare audent.

Iob. 15.

69. Chrysost.

Secundò. Idem D. Chrysostomus homil. 27. in Genes. *Magna, & ineffabilis Dei misericordia: cùm in se quidem peccatum est, ad nudas tantum preces totum remittit; cùm autem in conseruum videt crudelem, & inhumanum, suam reuocat liberalitatem.* Quando seruus in Regem delinquit; de eiúsque re decem millia talentorum, hoc est centum viginti millia aureorum, consumpserat, non irascitur Dominus in eum, sed seruo datur occasio, vt pro se roget, ac misericordiam obtineat. At cum nimia crudelitas valde supercilioſe in conseruum se prodit, & manifestat, *suffocabat eum*, tunc iratus Dominus puniendum tutoribus tradit: Vt hoc emblemate declaretur, quòd Deus proximi offensas magis punit, quàm suas, vt etiam ipse Chrysostomus docet in quadam homil. de parabola hac tom. 3. pag. 806. *Vt discas*, ait, *facilius ipsum, quod in se peccetur, quàm quod aduersus alios, remittere solere.*

Deus proximi offensas magis punit quàm suas.

Chrysost.

70. Origenes.

Tertiò. Origenes homil. 7. in Matth. *Iratus* ait, *tradidit eum tortoribus, & iam non iussit, eum venundari, & vxorem eius, & filios eius, quia peius eum oportebat pati propter malitiam suam traditum tortoribus.* Cur non mandat Dominus, serum sicut prius venundari, sed modò indilatè tortoribus tradit? Cur etiam nunc suam illi, sicut prius, misericordiam non impendit? In primo, & magno decem millium talentorum debito benignè agit cum illo humiliato Dominus; at verò cùm in secundum debitum, & crimen post pœnitentiam prolabitur, iam pietas recedit, & districta in hominem se se seueritas explicat. Cùm enim reincidentia interuenit, iam mititas abscedit, & dura supplicia succedunt. D. Ambrosius serm. 18. in Psalm. 118. ad illa Apostoli verba: *Christus mortuus est semel.* Rom. 6. *Cane*, inquit, *ne cùm mortuus fueris semel, moriaris iterum: iam non peccato morieris, sed venia.*

Reincidentia in peccatis maiorem Dei excitat iram

Ambros. Roman. 6.

71. Cùm Achab in morte Naboth grauiter deliquisset, ex Dei mandato mortem illi denuntiat Magnus patens Elias: *Ecce ego inducam super te malum.* 3. Reg. 21. num. 21. Tamen cùm ipse se pœnitentem exhiberet, Deus illi veniam promisit. *Quia igitur Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius*, ibidem num. 29. Et tamen, vt constat ex sequent. cap. 22. num. 35. ipse rex Israël cum exercitu suo deuastatus occubuit, & periit. Nunquid Dei verbum est immutatum? minimè: Sed ipsa pœnitentia regis est immutata, in eaque non perseueranit; sed antiqua, & noua repetens in magnam Dei iram incidit; non solùm in mortem, sed simul etiam in deuicti ignominiam, suique exercitus, suorúmque omnium deuastationem incurrit. D. Ambrosius lib. de Naboth. cap. 17. sic quærit: Oraculum falsum ne est, nam Achab & victus est, & occisus? *Sed considera*, ait, *quia Iezabel habuit vxorem, cuius ducebatur arbitrio, quæ auerrit cor eius, & nimiis sacrilegiis execrabilem fecit, & hunc eius pœnitentia reuocauit affectum. Dominum autem non posse mutabilis æstimari, si confessionis immemori non putabat esse seruandum, quod promiserat confitenti.*

3. Reg. 21.

Relapsus in peccata Dei furorem concitat.

Ambros.

Ait Amos cap. 1. numer. 3. *Hæc dicit Dominus super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum.* Quid est, super tribus, & super quatuor non conuertam eum? Id est, ac si dicat Deus, inquiunt Leo à Castro, Cornelius, & alij, Cùm semel iterum, & tertiò pepercerim Damascenis, quartò enormi sceleri, quod cæteris addiderunt, nequaquam parcam, sed poniam. D. Hieronymus sic loquens in Dei persona ait: *Expectaui multo tempore vt Damasceni de suis sceleribus agerem pœnitentiam, & ideo nolui punire peccantes, vt aliquando conuersi reciperem famulatum; verùm quia tertio, & quarto eadem faciunt, cogar mutare sententiam, & plagis corrigere delinquentes.*

72. Amos. 1.

Leo à Castro

Cornelius.

Hieron.

QVÆSTIO X.

Quare cùm debitum iam dimissum esset seruo à Domino suo, tamen ipse dicitur tradit tortoribus quoad vsque illud redderet?

SVPRA dicitur num. 27. quòd *Misertus Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Cùm autem seruus esset crudelis in conseruum, vt eum suffocaret *tradidit eum Dominus tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* Quodnam erat vniuersum debitum illud? An Dominus talenta semel dimissa iterum repetebat? minimè: nam licet Theologi cum D. Thoma 3. part. quæstion. 89. artic. 5. meritorum reuiuiscentiam concedant, tamen quæstione 88. reuiuiscentiam peccatorum non admittunt. Quodnam igitur erat illud vniuersum debitum?

73. *Ratio difficultatis*

D. Thom.

Rectè respondet Isidorus Clarus. *Intellige vniuersum debitum, peccatum illud: quo ingratus tanta Domini beneficentia nec exiguum debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam graue fuit, vt illud prius decem millium talentorum æquauerit.* Quod etiam docet D. Thomas citata quæstione 88. articul. 3. ad 3. *Propter subsequentem ingratitudinem*, ait, *redit vniuersum debitum, in quantum quantitas peccatorum præcedentium proportionaliter inuenitur in ingratitudine subsequenti, non autem absolute.* Et quamvis opus non sit, vt hoc posterius peccatum illi priori, ac antecedenti omnino æquetur, vt docet D. Thomas citato loco, illud tamen saltem efficitur, vt peccatum nouum, aliàs ex obiecto suo non ita graue, ac antecedens peccatum: tamen ex circunstantia ingratitudinis ob ingens beneficium acceptum, grauissimum euadat, maioríque pœna reddatur dignum; præcipuè cùm ipsa ingratitudo ferat secum immisericordiam proximo veniam petenti, cui valdè communiter annexa est malevolentia, & odium fratris, vt innuit D. Thomas quæst. 88. art. 2. in corpore.

74. Isidor. Clar

D. Thom.

Ex acceptis beneficiis crescit ingratitudo.

Pro explicanda ingratitudinis malitia audiendus est D. Bernardus serm. de septem misericordiis. *Peremptoria res*, inquit, *est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico vobis, quoniam pro meo sapere, nihil ita displicet Deo, præsertim*

75. Bernard.

præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conuersionis, quemadmodum ingratitudo. Via enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.

76. Post graue illud idololatriæ commissum peccatum in adoratione vituli, ait Deus ad Moysen: Exod. 33. *Vade, descende de loco isto tu, & populus tuus, & mittam præcursorem tui Angelum: non enim ascendam tecum, quia populus dure cervicis es, ne forte disperdam te in via.* Exod. 33. à numer. 1. At quorsum dicitur populus dispergendus, si à Deo; non verò, si ab Angelo ducatur? An ad misericordiam pronior esset Angelus, quàm ipse Deus? minimè quidem: sed si Deus, multis donis elargitis, se præsentem populo exhiberet; tunc ex tantis beneficiis acceptis maximè populi ingratitudo in suis delictis sese declararet, diuinámque iram vindicem contra se sollicitaret. Lyranus. *Non est*, inquit, *per hoc intelligendum, quòd Angelus de quo dixerat, quòd esset eius ductor, esset misericordior ipso Deo: sed quod: si adesset Dei præsentia modo prædicto (hoc est peculiaribus beneficiis exhibita) ex hoc rebellio populi esset grauior, & per consequens grauius punienda.*

Quo maiora beneficia, eo grauiora in beneficiorū peccata.

Lyran.

77. Benedicens Iacob filiis suis ait ad Ruben: Genes. 49. *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, prior in donis, maior in imperio.* Genes. 49. num. 4. Et postea subdit sanctus Patriarcha. *Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* ibidem num. 4. Si pius pater disponebat, fœdum peccatum, contra ipsum commissum, filio obiicere. Ad quid commemorat beneficia in ipsum collata, quòd esset primogenitus, fortitudinis suæ virtus, *prior in donis, maior in imperio.* Quorsum hæc tanta in filij memoriam reuocat, ac ante eius oculos proponit? Vt ex tot donis datis maximè peccatis turpitudo, ac filij ingratitudo accresceret, ac execrabilior appareret. Origenes. Origenes. *Quod*, ait, *in initio, laudi ei aliquid videatur ascribere, dicens: Tu virtus mea: idcirco fit, vt grauis notetur in crimine, qui, cùm virtus patris haberetur, & initium filiorum, nescivit seruare reuerentiam patri.*

Ex initio beneficiorum grauior peccati malitia.

Origenes.

CAPVT XIII.

Decem Leprosi curantur.

Luca 17. n. 11. Et factum est, dum iret Iesus in Ierusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam.

Num. 12. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri Lesi, qui steterunt à longe.

VERSIONES.

Vatablus. Et euenit, dum iret in Ierusalem.

Syriacus. Et factum est, cùm proficisceretur Ieschua ad Ourischlem, vt transierit per Schamaritanos in Galilæam.

Syriacus n. 12. Cúmque propè ingrederetur vicum quendam.

Euth. Theoph. Steterunt procul.

EXPOSITIO I.

1. *ET factum est.* Cùm Christus de finibus Cæsareæ Philippi, aut Panea- Matth. 17. dis, vt patet ex Matth. 17. n. 21. *Dirigeret in Ierusalem*, ad festum nempe Tabernaculorū Ioan. 7. n. 2. Hic au- Ioan. 7. tem fuit vltimus Domini descensus in Ierusalem, ad mortem nimirum, & passionem suam. De hoc ergo itinere D. Lucas hic agit, in quo Dominus sanauit Decem Leprosos, vt communiter docent Caietanus, Iansenius, Barradas, Lucas Burgensis, Cornelius à Lapide in sua Chronotax. *Trãsibat*, vt mundaret scilicet Leprosos, docens nos, quòd etiã in itinere nunquam ab opere virtutis cessandum, sed semper illi incumbendum, cum occasio sese obtulerit. *Transibat*; hæc enim erat trita, & communis via, à qua Dominus non discedit. *Transibat per mediam Samariam*, vbi erant idololatræ, & Gẽtiles; erudiens nos, inter malos non diu immorandum. Samariæ meminit Euangelista, vt ostendat, qua occasione inter Leprosos à Christo sanatos, vt sequitur, vnus fuit Samaritanus. *Per mediam Samariam, & Galilæam*; Israelitarum regio, vt iam multis in locis dixi, in tres prouincias diuidebatur. In Galilæam septentrionalem, Iudæam australem; & Samariam, quæ inter vtramque media est. Et cum Galilæa prior esset transeunda à proficiscente recta via à Cæsarea in Ierusalem; Samaria tamen præponitur, & prior nominatur ab Euãgelista. Cuius ratio ea mihi videtur: Vnus ex his Leprosis Samaritanus probus, ac rectus, & gratus extitit: ob probitatem vnius ciuis tota ciuitas, patria, ac religio sic nobilitatur, vt cæteris omnibus anteponatur.

Cornelius.

Inter malos non diu immorandum.

Bonus ciuis honor patriæ.

2. *Cum ingrederetur quoddam castellum*, seu, vt clarius habet Syriacus, *Cùm prope ingrederetur vicum quendam* extra locum, vt notant D. Cyrillus in Catena Græca, Theophylactus, & alij, *Occurrerunt decem Leprosi*, hi enim non poterãt ingredi vrbes, castella, & oppida, ne eorum habitatoribus suam Leprã, immunditiémque legalem (quam in veteri Lege participabatur ex Leprosi contactu) communicarent, vt liquet Numer. 5. num. 2. *Decẽ Leprosi*, hi enim ex aliorum relatu Christi virtutem agnoscebant. *Steterunt à longè*, agnoscentes morbum, & immunditiam suam, de ipsáque erubescentes, vt inquiũt Theophylactus, Carthusianus, propter Christi reuerentiam ad eum non audebãt accedere, suspicantes, quòd Christo, sicut & aliis essent abominabiles, vt ait citatus Theophylactus. Sed falluntur, quia Christus miserorum pater oppressos, & afflictos non despicit: nec fastidit. *Steterunt à longè.* In hoc, ait Hugo, significatur humilitas pœnitentis, qui se reputat indignum accedere ad Iesum; sicut Publicanus ille stans à longè non audebat oculos suos leuare ad cœlum. Luc. 18.

Syriac. Cyrillus. Theophyl.

Numer. 5.

Theophyl. Carthus. *Peccator sẽ reputet indignum, qui ad Christum accedit.* Hugo.

Luc. 18.

QVÆSTIO I.

Quare tendens Christus in Ierusalem transit per mediam Samariam, & Galilæam?

3. RATIONEM litteralem iam dedi in expositione. Erat enim hæc via communis, & recta in Ierusalem. Et transibat per medium, vt omnibus æqualiter suam diuinam virtutem diffunderet. Rationes morales quæro.

4. Primò. Titus Bostrensis, *Erat discordia*, inquit, *inter Samaritanos, & Iudæos, quam ipse quasi componens per vtrosque transit, vt vtrosque in vnum nouum hominem compingat.* Samaritani, ac Galilæi magno odio, ac inimicitia inter se diffidebant; per eos transit Pacis auctor Iesus, vt vtrumque populum in se charitate, ac fide coadunaret, ac pacificaret, eósque maximè vnitos, ac concordes redderet.

Titus Bostr.

Christus vult, nos esse concordes.

5. Secundò. Eusebius Gallicanus homil. in Do. 14. post Pentecosten. *Quid per Galilæam*, ait, *nisi Iudæos; & quid per Samariam, nisi Gētiles intelligamus? Inde est, quod dicitur, non coutuntur Iudæi Samaritanis. Per medium autem illorum transibat Iesus, quia hos & illos vocabat, ad hos & illos prædicabat: hos & illos sanabat, & ad fidem conuertebat.* Inter Iudæos, & Gentiles benefaciendo transit Iesus, quia pro omnibus de cælo descendit, vt per seipsum Æterno Patri omnes homines reconciliaret, sine personarum respectu; ipse enim, cùm sit omnium saluator, omnium salutem vult: apud eum enim, *Non est Iudæus, neque Græcus; non est seruus, neque liber: non est masculus, neque fœmina.* Ad Galat. 3. num. 28.

Euseb. Gall.

Christus sua dona omnibus communicat.

Ad Galat. 3.

6. Tertiò. D. Antonius Vyssipponensis serm. 14. post Trinit. ait, Quòd Ierusalem interpretatur *Visio pacis*; Samaria verò *custodia*; Galilæa verò *transmigratio facta*. Ideo per mediam Samariam, & Galilæam transit Iesus, dum vadit in Ierusalem; quia quilibet volens peruenire ad cælestem patriam, oportet, vt transmigrando mundum, custodiam cordis, & sensuum habeat. Prouerb. 4. num. 23. *Omni custodia serua cor tuum.*

Anton. Vyss.

Custodienda anima à vitiis.

Prouerb. 4

7. Quartò. Cardinalis Hugo inquit, quòd Galilæa interpretatur rota. Triplex autem est rota. Prima rota est solicitudo mundana, quia rotantur anari de prosperis in aduersa, de summis ad ima, de lætis in tristia, vel e contrario relabentes. Eccleiast. 34. num. 5. *Precordia fatui quasi rota currus; & quasi axus versatilis cogitatus illius.* Secunda rota est caro nostra, quæ ad modum rotæ circulariter fertur, nam ad terram reuertitur, vnde progreditur. Eccleiast. 12. num. 7. *Confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Tertia rota est dignitatum ambitio, quæ quando magis eleuatur à posteriori, tanto amplius demergitur in parte anteriori. De quibus dicitur in Psalm. 72. num. 18. *Deiecisti eos, dum allenarentur.* Et Psalm. 82. num. 14. *Deus meus pone illos vt rotam.* Bene ergo dicitur Iesus, transire per Samariam & Galilæam vadens in Ierusalem: vt ad eius exemplum, qui ad æternæ pacis visionem venire desiderat, custodiens animam suam, pertranseat mundanam solitudinem, seque à carnis appetitu abstineat, neque se immisceat ambitioni honorum, ac dignitatum, & sic perueniet ad desideratam patriam.

Hugo.

Eccles. 33.

Psalm. 72. Psalm. 82.

Terrena dimittenda, vt ad Patriam perueniamus.

8. Quintò Samaritani Dominum Iesum euntem in Ierusalem noluerunt hospitio recipere, sed à quodam vico suo cum exclusserunt Luc. 9. n. 53. Galilæi eiecerunt Dominum extra suam ciuitatem, & cum intentarunt de supercilio montis præcipitare Luc. 4. num. 29. Samaritanos, & Galilæos carare voluit. Vt pro malefic m rependeret beneficium. Haymon. in Epist. 1. ad Corinth. cap. 13. *Charitas*, inquit, *etiamsi lasa fuerit, non prouocatur ad iracundiam, seu furorem, non cogitur ad vindictam, vt malum pro malo reddat, sed bonum pro malo.*

8. Luc. 9.

Luc. 4.

Pro malo rependendū beneficium. Haymon.

9. Cùm Dominus appropinquaret Iericho, cœcus sedens secus viam clamabat: *Iesu fili Dauid miserere mei.* Luc. 18. num. 38. Cœcus à Christo sanitatis donum exoptabat. Ad quid ergo cum Dauid filium vocat, cùm Dauid maximè aliquando persecutus fuisset à cœcis, qui ei prohibebant, ac intercludebant aditum arcis Sion; vnde dicitur, quòd abstulisset cœcos, & claudos odientes animam Dauid 2. Reg. 5. num. 8. Quorsum ergo cœcus Christum dicit filium Dauid, qui maximè ab ipsis cœcis aliquando persecutus fuerat? Dauid non solùm de inimicis suis non vlciscebatur, sed etiam illis vitæ donum concederat, vt factum est cum Semei 2. Regum 16. num. 10. & cap. 19. n. 16. In hoc ergo Christus ex Dauid se natum ostenderet, si cœcis olim suo parenti offensis, non solum malum non inferret, sed etiam exoptatum præberet oculorum lumen. Hinc cœcus, visum sibi solicitans, Christum filium Dauid clamat: *Miserere mei fili Dauid.* Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 36. referens, quæ docebat prauus Marcion. contra Christum, vt eum filium Dauid negaret. *Nam si aliquando Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cœci resistentes, quominus admitteretur; ideo Christus, ex diuerso, cœco subuenit, vt hinc se ostenderet, non esse filium Dauid, & ex animi diuersitate bonus cœcis, quos ille iusserat cædi?* Cui rectè occurrit Tertullianus. *At quin & hoc filius Dauid. Nam & quid Dauid offenderant cœci: nunc verò eiusdem indecoris homo supplicem se obtulerat filio Dauid, ideirco ei satisfaciendi quodammodo placatus filius Dauid, restituit lumina.*

9. Luc. 18.

2. Reg. 5.

Pro malis dona, ac beneficia sunt reddenda.

Tertullian.

10. Pacem ab Isaaco petebat Abimelech, & ineundæ pacis fœdera apponit. *Vt non facias nobis quidquam mali.* Rationem subdit. *Sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te laderet.* Genes. 26. num. 29. Mentitur sanè Princeps: nam clientes eius, scilicet Geraræ concines, multa mala, multásque iniurias Isaaco intulerunt; puteos enim, quos parens eius Abraham foderat, implentes humo obstruxerunt, ibidem num. 15. torrentémque aquarum, quam foderunt pastores Isaac, vi abstulerunt Palæstini, ibidem num. 20. Quomodo audiens Patriarcha, quòd nullum malum ab eis illi sit illatum, *Sicut & nos nihil tuorum attigimus*, quieuit, nil obiicit; sed pacem cum eis firmat; magnúmque illis præbet conuiuium ibidem numer. 30. Sanctus Isaacus plenus diuino spiritu minimè de iniuriis, ac malis, sibi subministratis recordatur, concedit multa dona, pacem iniens, magnum conuiuium exhibens, multásque cibaria proferens. D. Chrysostomus. *Vide*, ait, *iusti benignitatem, quomodo cum eis vltiscendi cupiditate laguitur: & non solum obliuiscitur eorum,*

10. Genes. 26.

Iustus pro malis dat bona.

Chrysost.

quæ

quæ in se facta, sed magna hospitalitate eos excipit; fecit eis conuiuium, & comederunt, & biberunt. Conuiuio satis certa dat argumenta, se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant. Vide tom.1.cap.14.quæst.9.10.11.ac 12.

Quæstio II.

Quare Leprosi denario numero existunt? & quid sit Lepra?

11. Leuit.13. *Quid sit lepra, & quomodo peccatum adumbret.*

Quod Lepra sit morbus incurabilis, & contagiosus, inde liquet, quòd Leprosi, & Lege veteri Leuit. 13. n.44. & vsu omnium Gentium ab hominum consortio arceantur. In Leprosis enim est contagium, imò & cõtagij quoddam seminarium, quo sanos attactu, vicerum fœtore, & respiratione putrida inficere possunt. His proinde à morbi labe deturpatur facies, pili dicidunt, dilatantur nares, exeduntur ossa, lingua tumet, fœtet respiratio, corpúsque horrido, & vario colore respergitur; omne denique morbi genus, omnéque symptoma in Leproso reperitur. Meritóque lepra, vt ait Simon Cassianus lib.5. cap.31. cum sua varietate omne vitium, omnémque turpitudinem designat. Multo enim maiora mala peccatum corpori infert: proindéque dilenquenti vimperium est in hac vita (nam lepra antiquitus magnum erat dedecus) & tormentum superabundantius in alia vita erit. Infirmitas ipsa horror patienti, & aspicientibus est; & non solum visum, sed etiam olfactum ex fœtore offendit, & tactus illam abhorret gustúsque tumore linguæ hebetatur; lepráque ficut & iniquitas omni sensui horror est, ac nocumentum.

Cassianus.

12. August. Gregor. Rupertus. Beda. Hugo.

D. Augustinus lib.3.qnæst. Euangel.quæst.40. D. Gregorius in fine cap.3.Iob. Rupertus Leuit. 13. Beda, Hugo, & alij in præsenti opinantur, per lepram hæresim significari; nam lepra contagione serpit; sic hæresis latè vagans populum miserandum contaminat: lepra varium colorem per totum corpus diffundit; sic hæretici varios errores miscent in eãdem prædicatione, Lepra eiiciebat leprosum extra castra; sic & hæresis eiicit hæreticum extra Ecclesiam.

13. Cassianus. Hugo.

Præcipua pars quæstionis: Cur decem Leprosi? Respondeo primò cum Cassiano, Hugone citatis, quòd decem viri leprosi vniuersitatẽ delictorum, ac peccatorum pronuncient: nam numerus denarius Catalogum dicit, cuius morbus, ac lepra omnem transgressionem importat, vt in nullo præcepto desit præuaricatio. Quòd autem essent viri, & non fœminæ; ex sexu fortiori morbi grauitas maxime obfirmata, & validata innuitur, vt ex ipsa magnitudine mali maxime pensetur diuini beneficij magnitudo.

Vniuersitas peccatorũ.

14. 4.Reg.5.

Secundò. Olim ab Elisæo vnus Naaman sanatur. *Descendit, lauitque in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei*, scilicet Elisæi, *& restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est.* 4.Regum.5.num.14. Ex quo opinabatur hæreticus Marcion, curationem horum decem leprosorum ad diuersum Deum spectare, ab illo, qui Naaman curauit; quasi quòd ille Deus, qui vnum curauit per Elisæum, non valuisset decem per Iesum sanitati restituere. Tunc recte contra ipsum argumentatur Tertullianus lib.4 contra Marcion. *Quis enim dubitauit*, inquit, *plura potuisse curari ab eo, qui vnum curasset, quam ab illo decem, qui nunquam vetro vnum?* imò, ô hæretice, ex eo quòd illic vnus sanatus est, hic & decem sanatio ad eundem Deum pertinere comprobatur. Nam in minima vnius curatione se se effectorem magnæ alterius manifestauit Deus; qui valde difficile crederetur magnæ sanitatis auctor, si nunquam in aliqua parua fuisse ostenderetur. Tunc quis recte persuaderetur in magnis verlari, si se valde probum in minimis declarauit.

Tertull.

Ex bona operatione in minimis, recte verificatur & in magnis

Tertiò. Considera, quanta sit differentia inter ministrum, & Dominum. Salus ministrata per Elisæum ad vnum Naaman extenditur, per Iesum verò supremum Dominum stagnatur in decem; imo & in omnes, denarius enim numerus vniuersitatem quandam significat.

15. *Manus ministri exigua, Domini larga.*

Quarto. Titus Bostrensis, *Conuersabantur autem*, ait, *adinuicem Leprosi, quia fecerat eos vnanimes communicatio passionis.* Euthymius ait: *Morbi communicatio tunc eos adunauerat.* Afflictio, ac persecutio in eadem vexatione detento, maximè socios, ac vnitos reddit. Sic & de Dauide, cùm persequeretur à Saule, dicitur: *Conuenerant ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi are alieno, & amaro animo* 1. Regum 22. num. 1. seu, vt explicat Lyranus: omnes, qui erant in persecutione. Ipsa persecutio, quæ à Saule inferebatur, omnes eam sustinentes, inter se aduocauit, ac vniuit, vt maximè essent associati cum Dauide, qui vehementer à Rege infectabatur.

16. Titus Bostr. Euthym. *Communicatio morbi, ac pressura facit homines vnitos.* 1.Reg.22. Lyran.

Vrgente iam Diluuij tempore, cum Noë ingrederetur Arcam, *De animantibus mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni, quod mouetur super terram, duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam.* Genes.7.num.8. Intrant in aream leones, & tigrides, ac vrsi; tauri, & leopardi; lupi, & oues. Communis quæstio: Quomodo hæc animantia, quæ valde duro bello inter se decertant, valde amicabiliter in area degunt? De quo multum miratur D. Chrysostomus homil.25. qui ad aliam thesim spectat; tamen ad rem præsentem præclarè D. Bruno de laudibus Ecclesiæ. *Quos natura*, ait, *dissidentes procreauerat, potius Orbis calamitas eadem in pabulo pacificauit.* Feræ illæ indomitæ insito odio maximè inter se aduersantur, voracique pugna rigidè inter se decertant: tamen illa vniuersalis pressura Orbis, qua tanquam in ergastulo reclusæ continebantur, illas sic associauit, vt commutato odio in amorem, valde amicabiliter simul degerent, ac eodem pabulo pascerentur.

17. Genes.7. Chrysost. Bruno. *Oppressi, etiam natura repugnantes, vniuntur.*

Fame vexati, quærentes alimoniam, veniunt filij Iacob in Ægyptum. Quos cùm cognouisset frater suus Ioseph, multis cibariis, ac donis datis, remittit ad patrem. *Et proficiscentibus ait, ne iratamini in via.* Genes.45. n.24. Hæc recommendatio inutilis videtur: nam ipsi fratres multo amore coadunati in Ægyptum veniunt. Cur ergo in regressu diffidium in eis timetur? Cùm descendunt in Ægyptum, fame opprimebantur; cùm verò redeunt, saturitate exuberabant; & meritò timebatur, vt eos, quos fames vniuerat, saturitas discordaret. D. Ambrosius lib. de Ioseph cap. 13. agens de iracundia ex donis datis inquit: *Quod & etiam posset amantes sui separare germanos.*

18. Gen.45. Ambros.

QVÆSTIO III.

Quare prætereunti Christo Leprosi occurrunt?

19. *Ad dona cœlestia exigitur nostra in-operatio.*

OGNITO Christi aduentu, cuius fama totam impleuerat Orbem, ei occurrunt decem Leprosi, qui quamuis tam graui morbo essent oppressi, & ideo forsasse nõ ab aliquo adducuntur; tamen ipsi venjũt. Vt nobis fiat apertum, quòd ad diuina beneficia recipienda, nostra interponenda sit cooperatio, vt per hanc reddatur homo habilis ad cœlestia dona.

20. Ad quæstionem respondeo, quòd, cùm audissent Leprosi Christum Dominum aduenientem, ei occurrunt, ne scilicet, si transiret Iesus ipsi remotius priuati remanerent, prætereunte occasione, quæ à tergo calua est, & cùm præterit, reuocari non potest. In lectulo quærit Anima Sancta suum dilectum. Surgit inquirens ipsum inter custodes, & vigiles ciuitatis. *Paululum cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam,* &c. Cantic. 3. n. 4. Postea verò cùm Sancta Anima dormiret, ait: *Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea.* Cantic. 5. n. 2. Cœpitque ipsa excusationes prætendere. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induam illam.* Tandem amore eius vulnerata ait, *Surrexi vt aperirem dilecto meo, ille declinauerat, atque transierat.* Cœpitque diligentissimè illum inuestigare. *Quæsiui, & non inueni illum; vocaui, & non respondit mihi.* Sed incidit in custodes ciuitatis, qui eam vulneraverunt, & percusserunt. Cur Anima Sancta in primo euentu tam facile dilectum inuenit, non verò in secundo? In primo casu ex interna dilecti pulsatione, vt commentantur Origenes, Orgilitanus, Rupertus, & alij; mota dilectum quæsiuit; sicque occasione oblata, ipsam arripiens Sponsum inuenit. *Tenui eum, nec dimittam.* At in secundo euentu, cùm dilectus ad ostium pulsaret, obstacula posuit, ne ei aperiret; sicque pertransiens Sponsus, pertransiit & occasio, & aliam similem non inuenit, *at ille declinauerat, atque transierat:* solúmque multa mala reperit, nam custodes percusserunt, & vulneranerunt eam. D. Hieronymus Epist. 22. *Vox*, ait, *fratrelis mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea. Nec est, vt dicas, dispoliaui me tunica mea, quomodo induam illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Illico consurge, & aperi, ne te morante pertransiat, & postea conqueraris, & dicas: Aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.*

Cantic. 3.

Cantic. 5.

Occasio capienda, ne præmittatur.

Origenes. Orgilitan. Rupert.

Hieron.

21. Determinato consilio statuit Iacob fugere à domo Laban. Quod narrans Sacer textus ait: *Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues suas.* Genes. 31. n. 19. Eo euentu Iacob se se abdicat à domo soceri sui. Quando scilicet Laban occupatus erat in tondendis suis ouibus. Et cur hoc notatur ab Spiritu Sancto? Vt solertia, ac prudentia Iacob denoretur; qui, non quouis tempore tantam rem molitur, sed oblata opportuna occasione discessus à Laban, vt securius fugeret, iras declinaret, eam arripuit. Dionys. Carthusianus. *Nactus est Iacob*, ait, *magis opportunum tempus ad fugam, locus enim ille, in quo Laban occupatus erat in tonsione ouium, remotè distabat.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 29. & tom. 2. cap. 22. qu. 8. n. 55. tom. 3. cap. 1. quæst. 9. num. 62. 63. & 64.

Genes. 31.

Dona occasio oblata non prætermittenda.

Carthus.

QVÆSTIO IV.

Quare ab his hominibus Leprósis Christus deuitat consortium.

LEPROSI sinæ immunditiæ bene conscij summam Christi puritatem venerantes, ad eum appropinquare non audent; sed Christus Dominus eorum consortia non abhorruit, sed ex alta sui dispositione se illis obuiam præbet. Primò quia nemo potest venire ad Deum, nisi Deus prius ad eum veniat: ipse enim prior nos quærit, vt nos eum quæramus. Ex quo perpende summam Christi pietatem. Hi, cùm essent Leprosi, à cæteris omnibus despectui habebantur, omnésque ob eorum lepram eos deuitabant: at Christus eorum miseria commotus eis occurrit, vt subueniat, salutisque remed a diffundat.

22. *Nisi Deus ad nos veniat, ad eũ venire non possumus.*

23. Secundò. Christus Dominus valde alienus ab omni immunditia, ab omnique lapide purissimus, his Leprosis in eorum salutem se obuiam, ipse enim ex sua eximia pietate & sanctitate factus est nobis remedium, ac propitiatorium. Mandauit Deus *Moysi, facies propitiatorium de auro mundissimo.* Exod. 25. num. 17. Chaldæus legit, *ex auro purissimo.* Dicebatur autem propitiatorium, seu, vt Septuaginta legunt, *placatorium*; quia Deus ibi Moysi apparens, & cum eo loquens placabatur, & propitiabitur populo. Hoc autem propitiatorium Christum dominum significabat, vt docent D. Bernardus serm. 20. & 22. in Cantica. D. Gregorius homil. 4. in Ezechiel, iuxta illud Pauli 3. n. 21. *Quem posuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, seu, vt alij legunt, *propitiatorem.* Sed cur huiusmodi propitiatorium mandatur fieri non ex quolibet auro, sed ex auro purissimo, ac mundissimo? Ex eo enim, quod Christus Dominus ab omni labe, ac inquinamento est purissimus, inde factus est nobis propitiatorium, ac placatorium in remissionem omnium delictorum. Petrus Cellensis lib. de Tabernaculo. *Aurum*, inquit, *diuinæ in Christo substantiæ significat pretium, signanter, & expresse dixit, mundissimo, qui videlicet ex eo, quòd Deus est, ex omni labe mundissimus, ex eo, inquam, propitiatorium nobis factus est Christus Dei filius, ex eo peccata mundi tollere potuit Agnus Dei sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælo.*

Bernardus. Gregor. Rom. 3.

Christus quia purissimus, inde nobis est propitiatorium pro peccatis.

Petrus Cell.

24. De Christo Domino ait Paul. ad Philipp. 2. n. 8. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem.* Ad quid, intendens explanare mysterium nostræ redemptionis per Christum operatum, *factus obediens vsque ad mortem*, prius tamen præmittit, quòd cùm esset in Dei natura, ac essentia, non est arbitratus, se rapinam facere, cùm se dicit, ac prædicat æqualem Deo. *Ego, & Pater vnum sumus.* Ioan. 17. Sed tunc, cùm tantus, ac talis esset supremus omnium Dominus, semetipsum exinaniuit, euacuauit, ac humiliauit, formam serui accipiens, vt nos redimeret. Quænam connexio intercedit, quod cùm Deus esset, formam serui accepit? Quia ergo non rapina, sed natura, cunctorum Dominus erat, ideo seruilia officia non respuit, nec horruit, sed libenter sustinuit, vt cunctis propitius fieret, dans salutis remedia. D. Athanasius homil. de semente. *Seruator*, Rex, ait,

Ad Philipp.

Ioan. 17.

Christus, quia verus Deus, de nostro remedio agit.

Athanasius

ait, *genitus ante sæcula, nec temporarium regnum possidens, sed ante sæcula, Rex ex Rege Deo genitus; & ipse quoque seruire sustinuit, non animo rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Luc.17.n.13. Et leuauerunt vocem, dicentes: Iesu Præceptor, miserere nostri.

Num.14. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dùm irent, mundati sunt.

VERSIONES.

Theophyl.n.13. Intenta voce dixerunt, Iesu præceptor.

Syriacus. Magister noster Ieschua, miserere nostri.

Vatablus n.14. Profecti ostendite vos sacerdotibus. Euenitque, vt interabeundum mundati sint.

EXPOSITIO II.

25. Theophyl. *ET leuauerunt*, seu, intenderunt, atraque voce clamarunt; tum etiam quia longe aberant; tum etiã quia magno salutis desiderio mouebantur. Ait Theophylactus. *Loco quidem procul astant; oratione autem appropinquant: prope est enim Dominus omnibus inuocantibus se in veritate*, Psalm. 144.n.18. *Vocem*, vna nempe voce clamant: non vnusquisque pro se, sed omnes pro omnibus erant orantes, ad quod magna est coniectura, vt magis numero, & communi causa, quasi adiunctis viribus, quadamque veluti conspiratione facta Christum ad misericordiam commouerent. *Hæc via Deo grata est*, vt in simili ait Chrysostomus Orat. 4. de Incomprehensibili Dei natura. Et quia etiam multorum oratio valde efficax est ad impetrandum. *Iesu præceptor.* Breuis, & elegans oratio non multas habet verborum ambages, sed compendiosè concluditur: nomen Iesu dicunt, & felici auspicio totam rem lucrifaciunt.

Grata est Deo vis in oratione. Chrysosto.

26. Theophyl. *Præceptor.* Vox Græca quid amplius significat, quàm doctorem, nempe, vt ait Theophylactus, *Dominum creatorem, id, quod est, putare illum prope Deum.* Vnde ex Græco Lucas Burgensis, Cornelius à lapide, *Prefette*, seu *præsta*, cui est, cuncta imperare. hunc morbum impera, vt à nobis discedat. Si verò facias vim in verbo Præceptor, dic, quòd Christus de se dixerat: *Spiritus Domini euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem*, Luc. 4.n.18. Indéque Leprosi eum præceptorem vocant, vt id, quod de se prædicabant, ei salutem dando, opere adimpleret. *Miserere nostri*, suam magnam miseriam agnoscunt, & confitentur. Et quia nulla possunt allegare sua merita, ad misericordiæ tutum asylum confugiunt, Daniel.9.n.18. Et non quilibet ait, *miserere mei*, sed omnes, *nostri.*

Burgensis. Cornel.

Luc.4. Magister, quid verbo dicas adimplens opere.

Daniel.9.

27. Hugo. *Quos vt vidit*, ait Hugo, non solùm exteriori aspectu, sed etiam interno compassionis affectu *Vidit*, de salute eorum sollicitus, eisque misertus.

August. Sic dicit D. Augustinus in Psalm. 62. Quòd, Deum respicere, pro diligere, seu misereri, poni quotidianum est. *Ite*, id est profecti ad templum Ierosolymitanum, *Ostendite vos sacerdotibus*, ad hos enim spectabat, iudicare, an Hebræi essent lepra infecti? Leuit.13.num.2. vel ab illa immunes. Cùm ergo hi essent sanandi, ad sacerdotes mittũtur, vt eos sanos iudicent, de quo latius quæst. sequenti. Notat Carthusianus, quòd non dixit Christus, Iubeo, vos sanari, sed *ostendite vos sacerdotibus*, sua modestia docent nos, magnalia nostra abscondere, ne magna agamus propter hominum applausum, & laudem. In his tribus verbis tria ponderat D. Antonius Vlyssipponensis Dom.14. post Trinit. *Ite*, cordis contritio ab occasione exiens; *Ostendite*, oris confessio; *Sacerdotibus*, per quos Leprosi erant expiandi, operis satisfactio. *Factum est autem, dum irent.* Cùm Domini præceptum audissent, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, non respondent, nec dubitant, sed statim viam arripiunt, *Factum est, dum irem*, non casu, sed magna Christi virtute, & dispositione, *mundati sunt.* Leprosi, cùm sanantur, dicuntur mundari: non enim solum statuto Mosaïco, sed etiam omnium nationum ritu valde immundi iudicantur, ab hominúmque consortio, ac oppidis excluduntur.

Carthus.

Ant. Vlyssip

Perfecta obedientia nil respuendo.

QVÆSTIO V.

Quare hi Leprosi sanandi mittantur ad sacerdotes?

28. *Varia quæstiones in hos decem, & alium Leprosum.*

VAriæ quæstiones possunt excitari inter curationem horum decem Leprosorum, & illius Leprosi, quem Dominus descendens de monte curauit. Nam hic antequam ad sacerdotem mitteretur, à Domino ob eius ingentem fidem curatur, Christo illi dicente: *Volo, mundare.* Hi autem decem sanantur, postquam ad sacerdotes mittuntur. Secundò. Illum Leprosum mandat Dominus ad sacerdotem, *Vade, ostende te sacerdoti*, Matthæi 8. num.4. seu, *Ostende te principi sacerdotum*, vt scribit D. Marcus 1. num.44. ad principem enim sacerdotum, tanquam ad caput, ad reliquos sacerdotes, vt ministros, spectabat, iudicium ferre de lepra: de quo egi tom.2.cap 20. qu.11.n.71. Decem autem Leprosos, de quo in præsenti, ad sacerdotes destinat, *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Fortè ponitur numerus pluralis pro singulari, sicut dicitur, Ite ad medicos, id est ad medicum, vel etiam ob honoris causam, siquidem princeps sacerdotum venerandus erat, non tanquam vnus; sed tanquam plures. Vel quia ille primus, cum esset vnus, destinatur ad principem sacerdotum; hi autem, cùm essent decem, & multi, ad eius ministros. Tertiò. Illi Leproso imperat Dominus secretum: *Vide, nemini dixeris*, Matth.8.num.9. Sicut & duobus cæcis curatis ait, *Vide, ne quis sciat*, Matth.9.n.30. His autem decem nullum tacendi imponit præceptum, secretum enim inter vnum, & alterum retineri potest, minimè verò inter plures, & decem.

Matth.8.

Matt.1.

Vnus facilius deus velerandus est plures.

Matth 8.

Matth.9. *Inter multos secretũ non seruatur.*

29. Ad quæstionem communis solutio est, quam tradunt Beda, Hericus, Haymon, Carthusianus, & communiter expositores. Quia Leuit.12.n.2. ad sacerdotes pertinebat, iudicium ferre, an Hebræi essent lepra coinquinati, vel ab illa liberi; ad hoc enim, vt notat Theophylactus habebãt certa

Beda. Hericus. Haymon. Carthus. Leuit.13. Theophyl.

Matth. 8. Marc. 1.

signa ; quos autem ab illa mundos indicabant, sacrificio oblato expiabantur. Matth. 8. num. 4. & Marc 1. num. 44. Publico testimonio eos vrbi, ac aliorum consortio restituebant. Cùm ergo hi decem essent sanandi, ad sacerdotes mittuntur, vt de eorum sanitate iudicent, eosque præscriptis à lege ritibus purificent: vt ait Christus, qui venerat legem adimplere, legem in omnibus obseruaret.

Communi legi se Dominus ac commodat.

30. Secundò. Mandat Leprosis, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, vt & sacerdotibus, etiam iniquis, quales hi erant, suam reuerentiam, suum honorem, ac ius illæsum seruaret, ne defraudari aliquo lucro, ex sacrificio oblato proueniente, inde sacerdotes, fictum zelum pertendentes, calumniandi eius opera aliquam arriperent occasionem. Ericus in præsenti: *Misit eos ad sacerdotes*, ait, *vt eis aditum calumniandi obstrueret, illis magis parcens, quis illorum garrula curabant.* Tertiò. Si isti Leprosi cogniti erant ab omnibus, vt Leprosi, ingredientes vrbem absque sacerdotum testimonio, à ciuibus excluderentur; ipsi autem; cùm se defenderent, dicentes, se iam esse mundos, posset dari aliqua contentionis occasio, quæ vt euitetur ad sacerdotum iudicium eos Dominus remittit.

Aliquando ab iurum fugitur zelus.

Ericus.

Contentio euitanda.

31. Quartò. D. Cyrillus in Catena Græca: *Ire eos iussit*, ait, *vt hac ratione testarentur sacerdotibus, & Iudæorum prædicatoribus, eius gloriæ æmulis, quod inopinatè, atque mirificè sanati essent, Christo eis sanitatem concedenti.* Non solùm hos decem Leprosos voluit Christus, sed etiam Iudæorum odiũ curare: nam Iudæorum sacerdotes, Christi aduersarij, videntes eius virtutem, miraculo, ac testimonio decem Leprosorum comprobatam, ipsam venerarentur: & odium deponentes, Christi maiestatem recognoscerent. Sed proh dolor! nulla euidentia, nullóque testimonio cœcum odium mitigatur. Quintò. Vt etiam ipsi Iudæi, æmuli Christi, de eius eximia virtute, ac potentia redderent testimonium; quæ sic hoc homines sanauit, ac mundauit, vt in eis nullum lepræ signum esset.

Cyrillus.

Odium nullo testimonio mitigatur.

32. Sextò. Euthymius. Mittit eos ad sacerdotes. *Hoc fecit*, inquit, *probans fidem illorum. Illi verò credendo, quod eundo posset illos mundare, ibant non iudicantes de eius præcepto.* Vt Leprosorum probaretur fides, & obedientia, ad sacerdotes mittuntur. Ipsi enim bene cognoscebant, se esse Leprosos, & à sacerdotibus non posse curari, sed declarari Leprosos, vel à lepra mundatos. Tamen audito Christi imperio non dubitant, sed firmiter credentes ibant, quòd antequam ad sacerdotes peruenirent, Domini virtute sanarentur: nisi enim hoc sibi certò persuasissent, ad sacerdotes minimè pergerent, vt ab eis lepra mundati publicarentur: fide ergo repleti ibant, & sic mundantur. Vnde Christus dixit Samaritano, *fides tua te saluum fecit.* Hæc ratio mihi videtur maximè litteralis,

Euthym.

Testimonij ab inimicis magnum.

Ex fide mundantur Leprosi.

33. Septimò. D. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. refertur dist. 1. de Pœnit. *Præcepit*, ait, *Dominus mundatis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata. Dixit enim, ora monstrata, & omnes, non vnus pro omnibus, vt qui per vos peccastis, per vos erubescatis: erubescentia enim partem habet remissionis.* Mandat Dominus, vt omnes, non vnus pro omnibus, vadant ad sacerdotes, siquidem omnes sua lepra, ac peccato coinquinati extabant? omnes ergo pro se ipsis pœnitentiam exoluant, & si in itinere fit labor, in declaranda lepra erubescentia, hæc inseruiant satisfactionis parti. Per hoc autem

Augustin.

Qui peccauit, per se ipsum satisfaciat.

mysticos Leprosos, inquit D. Chrysostomus lib. 3. de sacerdot. voluit Dominus significare peccatores in lege noua debere, sacerdotes adire, vt in pœnitentiæ Sacramento à peccati lepra absolutur: sacerdotum enim legis gratiæ, non lepram declarare, vt suis in lege veteri, sed probatam peccatorum lepram expiare, ac purgare,

Chrysost.

34. Octauò. Leprosis præcipit Dominus, vt se ipsos sacerdotibus ostendat, vt à lepræ immunditia expiarentur; & si in illa essent detenti, tanquam incurabiles, ne eorum contagione sani inficiarentur, ab hominum consortio hoc facto excluderentur: vt denotaretur peculiare sacerdotum munus esse, vt vulnerati, & plagati curentur, ac sani fiant; sicut & qui bene incolumes se habent, in sua recta valetudine conseruentur, ac proficiant. post seditionem Core, & Dathan, murmurante populo contra Moysen, & Aaron, egressus est ignis ab ira Domini, magnámque partem multitudinis incendio deuastabat; ait Moyses ad Aaron, vt tollat thuribulum, & misso incenso currat ad populum, pro eóque roget. Tunc Aaron *stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit*, Numer. 16. n. 48. Cur non alium locum eligit sacerdos, sed inter mortuos, ac viuos se collocat? Cur non potiùs in principio, seu fine castrorum? D. Gregorius Magnus relatus in Glossa: *Aaron*, inquit, *vt iram Dei placaret, thuribulum sumpsit, atque inter viuos, & mortuos stetit, quia sacerdotis negotium est, Deo orationem fundere, & pro iustis, ne cadant, & pro peccatoribus, vt resurgant.*

Sacerdotis munus, plagatos curare, sanos verò cõseruare.

Numer. 16.

Greg. Magn.

35. Nonò, Carthusianus: *Vt legem sponte seruando, humilitatis, & obedientiæ nobis præberet exempla.* Quamuis Christus esset omnium Dominus; tamẽ vt legem adimpleret, Leuitic. 13. num. 2. Leprosos ad sacerdotes destinat, vt de eorum munditia iudicium ferant; vniuersos nos diuinus Magister docens, quòd quamuis alta, & eminenti dignitate brælfulgeamus, ab illa aliquando deflectamus, animúmque nostrum submittamus, ac incuruemus, & tunc statim munus nostrum adimplebimus, obligationíque nostræ satisfaciemus.

Carthus.

Leuit. 13.

A dignitate animũ submittentes nostro muneri satisfaciemus.

36. Cùm meus Iesus penderet in Cruce, posuerunt super caput eius scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Postea verò scribit Ioannes Euangelista cap. 19. n. 30. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et tamen, vt rectè notat Chrysostomus ibi homil. 84. *Atqui non post inclinatum caput expiratur, sed post expirationem, caput inclinatur*: Veruntamen meus Iesus antequam emittat spiritum, inclinat caput ex magno sanè, & alto mysterio. Tradidit Christus spiritum adimplens præceptum Patris, *factus obediens vsque ad mortem*: à regio ergo ipso titulo inclinat, & admouet capit; suo documento nos instruens, quòd vt de mandato nostro muneri satisfaciamus, aliquãdo ab ipsa alta & superna dignitate inflectendus, ac dimouendus est animus, vt ipsa abiectione humilia amplectente; quæ nostri muneris sunt, persoluamus.

Ioan. 19.

Chrysost.

Deflectit animum ab alto titulo, & humilia sibi præcepta præstabit.

37. Ad instantiam Aman ad communem Indæorum cædem concedit Assuerus decretum, cuius exordium est: *Rex maximus Artaxerxes ab India vsque Æthyopiam*, Esther. 13. num. 1. Postea verò mandatum ipsum abrogat, vt ratio, & iustitia exigebat, sicque scribitur. *Rex magnus Artaxerxes ab India vsque Æthyopiam*, Esther. 16. n. 1. Cur modò omittit illud superlatiuum, *Rex maximus*, & tantùm minori titulo vtitur? Cùm homines conliciunt oculos ad supernum suæ dignitatis apicem,

Esther 13.

Esther 16.

apicem, statim omnia iura humana; & diuina violant ac conculcant. At verò cùm ab illa altitudine deflectuntur, tunc iustitiæ debito se continent, & astringunt. Cùm Assuerus, contra omne ius, mandatum de Iudæorum cæde firmat, superlatiuo titulo *Rex maximus* nominatur, ac si supereminentia sua tantum velit obumbrare crudelitatem. Cùm autem ab illa altitudine declinat, & iam superlatiuo omisso, *Rex magnus* scribitur, iustitiæ metas tenens, illisque correspondens, mandatum reuocat, indulgentiam vitæ concedit, vt iustitia exigebat.

Si cessatio à suprema dignitate inclinatur, iustitiæ seruatur.

QVÆSTIO VI.

Quare in via dum vadunt, antequam ad sacerdotes veniant Leprosi sanantur?

38. *Difficultas quæstionis.* MAndauit Dominus his Leprosis, vt in templum pergerent, seque sacerdotibus ostenderent: *Factum est*, ait Euangelista, *dum irent, mundati sunt*, seu vt legit Vatablus, *inter eundum.* Cur in via abiit lepra? Cur non expectat accessum templi, vt ad sacerdotes peruenirent, sed statim in itinere; imò cùm adhuc à Christo nondum longe recessissent, ab ipso sanantur.

39. Euthym. Respondeo primò. Quòd hoc promeruit coru fides, quam Dominus probare voluit, vt ait Euthymius, & ideo, vt ipse inquit, *ibant non aliud dicentes de eius præcepto*, sed firmiter credentes, inde sine delatione: tanta fides probata, & declarata miracu um obtinuit. Secundò. Antequam ad sacerdotes deueniant, Leprosi sanantur, vt ita aperte dignosceretur Christi potentia, & imperium, qui eos abire mandauerat; & ne miraculum alicui sacerdotum virtuti perperam tribueretur, vtque distincte cognitus miraculi auctor veneratur, ne debitus Christo honor aliis impenderetur, ideo in via curantur.

Non vult Deus, vt suus, alteri tribuatur honor.

40. Euseb. Galli. Tertiò Eusebius Gallicanus homil. in Dō. 14. post Pentecosten. *Vide*, inquit, *cuius obedientia fuerint isti Leprosi. Ad sacerdotes eos ire, Dominus iussit. Adhuc se Leprosos videbant, tamen ad sacerdotes pergebant, quia, non frustra hoc eis Dominus iussisse, credebant.* Ad sacerdotes mandantur ire, & quamuis se immundos viderent, adhuc ad sacerdotes tendebant. Cur tunc sanantur, quando à Iesu recedunt, & non antea? Sciuerunt isti, relinquere Iesum, vt euntes ad sacerdotes, eius obtemperarent imperiis; & cùm obedire incipiunt, à Iesu ex obedientia recedentes, tunc propriam negotiantur salutem.

Qui obedit Deo vt linquit, salutem habet.

41. Basil. Seleuc. Quartò D. Basilius Seleucus Orat. 36. *Quo*, ait *ad oculos vsque Domini tyrannidem exercuerat Lepra, videndo tyrannidem desiit, nec vltra apparet, celeriter ad imperium fugiens patientiam.* Cur non expectat Lepra templi accessum? Cur statim in via, cùm non longe à Christo absunt, sine mora abit, & recedit? Vbi primum Iesus oculos sustinuit, Lepra non contraxit moras, sed celeriter abscessit, nec amplius homines vexat; Iesus enim præsentia omne malum fugitat, & excludit.

Christo præsentia omne malū fugatur.

42. *Dei liberalitas citius indulget dum, quàm videbatur promissum.* Quintò. His Leprosis dicit Dominus: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Videntur, tanquam si diceret, quòd ipsi, cùm ad sacerdotes peruenissent, sanitati tunc restituendi forent. Et tamen, vt dictum in præsenti: *Factum est, dum irent, mundati sunt.* In ipso itinere, antequam ad sacerdotes accessissent, virtute Domini præsanantur. Semper magnifica Dei liberalitas moras rumpit, & præfixum ingredientiæ sanitati tempus anteuertit.

Postquam Samuel vnxit Saul in regem Israël, 43.
suæ à Deo factæ electionis tria ei dat signa. Primum, quòd iuxta sepulchrum Rachel duos inueniet viros. Secundum quòd iuxta quercū Thabor reperiet tres viros. Tertium, quòd in ciuitatis ingressu obuius ei fiet Prophetarum chorus, & tunc, quòd ipse Saul mutabitur in virum alterum: finitóque sermone. *Itaque cùm auertisset humerum suum, vt abiret à Samuele, immutauit ei Deus cor aliud.* 1. Regum 10. num. 9. Id est, Statim ac Saul auertit humerum, seu faciem suam, vt iter arriperet, seu, vt explicatius habet Hebraeus, *ciim vertit exiit ad abeundum*, hoc est, prima corporis motione, primóque ad iter oculorum intuitu, *immutauit ei Deus cor aliud*, hoc est dedit ei cor regium, & magnum ad gubernandum, vt explicant Theodoret. D. Gregorius, Abulensis, Carthusianus, Hugo, & alij; vtque etiam ait Tertullianus lib. de anima cap. 11. Saulem Dei Spiritus antea vertit in alium virum, vt tanquam prophera Dei laudes caneret. Nonne ei dictum erat à Domino, quòd postquā illa ei tria accidissent signa, *tunc mutaberis in virum alium?* Quomodo nunc antè omnia ipsa signa, cúmque primum, vt à Samuele recedat, pedem mouet, in ipsóque oculorum primo reflexu *immutauit ei Deus cor aliud*, ipséque mutatus est in alterum virum? Pulchrè Caietanus: *Vide*, ait, *benignitatem Dei, non expectauit tempus præfixum à Samuele, sed statim vt à Samuele, abiit Saul, immutauit ei cor.* Diuina liberalitas citius, quàm promisit, promissum exoluit, & implet; donúmque quòd pollicitum fuerat post tertium signum, ante omne signum magnifice largitur, & concedit.

Exod. 10. Theodor. Gregor. Abulens. Carthus. Hugo. Tertullian. Caietan.

Post finitum colloquium iniunctæ legationis 44.
Moysis ad Pharaonem, cùm per desertū in Ægyptum pergeret, *Dixit Dominus ad Aaron, Vade in occursum Moysi in desertum* Exod. 4. num. 27. In illo colloquio legationis cùm se Moyses excusasset ob impedimentum linguæ, ait ei Deus: *Aaron frater tuus Leuites, scio quod eloquens sit; ecce ipse egredietur in occursum tuum, loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius.* Ibidem n. 14. Pollicitum est Moysi, quòd in congressu ad Pharaonem frater eius Aaron erit ei obuius, vt pro eo tanquam loquenti loquatur ad Regem, & populum: Cur ergo antequam Moyses attingat Ægyptū, ac perueniat ad Pharaonem, præcipit Deus Aaron, *Vade in occursum Moysi in desertum*? R. P. Ioannes de la Haye Exod. 4. num. 197. *Deus* inquit, *promissa citius, & abundantius adimplet, quam promisit.* Non solùm Aaron datur in auxilium Moysi in congressu ad Pharaonem loquendum cum Rege, vt stabat in promissis, quod post aliquot dies erat futurum, sed etiam statim, ac proximo, & sequenti die mandatur Aaron, vt fiat in occursum Moysi in via, tanquam magnum eius solatium, vtpote consortium, ac societas tanti, ac talis fratris in loco deserto, cùm ipse, ab omnibus destitutus in Ægyptum pergeret. Vide tom. lib. 1. cap. 6. num. 53. & tom. 2. cap. 6. quæst. 12. n. 84. & tom. 3. cap. 19. expos. 2. num. 2.

Exod. 4. Ioann. de la Haye. *Deus citius quam petitur, citius est, promissa adimplens.*

Luc. 17. n. 15. Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum

num. 16.

Num.16. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

VERSIONES.

Arias n.15. Vt vidit, quia sanatus est.
Syriacus Alta voce glorificabat Deũ.
Vatabl. Theophil.n.16. Et procidit in faciem ad pedes eius.
Syriacus. Gratias agens ei.

EXPOSITIO III.

45. VNVS autẽ exillis. Exprimitur vnus qui venit agens gratias, suũ debitum adimplens. Semper iusti rari, & pauci, qui suo muneri satisfaciant. D. Anselmus in præsenti ait: *Quod dicitur vnus, intelligendum est, non diuersis voluntatibus se varians, sed in vna perdurans.* Et sic dicitur vnus, quasi minimè diuisus, minimè se partiens in diuersa, in Deum, & in mundum; sed vnus integer, & totus, vt hilarem decet datorem, se se præsentat Deo. *Vt vidit*, Carthusianus, per experientiam, ac corporalem intuitum, carne sua in colore, ac dispositionem tam euidenter, ac mirabiliter subitò mutata. *Quia mundatus est.* Græcus, *Sanatus est.* Recognouit in se beneficium acceptum. Inde multi in donis acceptis ingrati persistunt, quia beneficia, in se ipsos collata, non considerant. *Mundatus est*: Carthusianus, à Lepra corporali, imò & spirituali, quia, vt creditur, Christus mente curauit, quos corporaliter sanauit; nam ex Dei gratia in eis excitabatur actus contritionis, quo iustificabantur. *Regressus est* ex medio itinere ad Iesum, eum agnoscens suæ sanitatis auctorem. Quatuor facit homo: Regressus est; magnificat Deum; cadit ante pedes; gratias agit. *Regressus est* ad Christum, vt ei firmiter adhæreat, ab ipsoque minimè separetur. *Cùm magna voce*, per quam, ait Hugo exprimebatur gaudij magnitudo, beneficij excellentia, cuius testes volebat esse omnes. *Glorificans Deum*, à quo per Iesum curationem à Lepra acceperat.

Anselm. — Homo se Deo totum offerat. — Carthus. — Græcus. — Carthus. — Hugo.

46. *Cecidit in faciem.* Adhuc Iesus ab eo loco, in quo eum homo reliquerat, non discesserat: semper bonus pastor nos expectat; aut certe iam Castellum erat ingressus. *Cecidit in faciem* summa reuerentia, ac submissione recolens tanti beneficij auctorem. *Cecidit in faciem*, iam non à longe vt antea *Steterũt à longe*; sed appropriat ad Iesum. Titus Bostrensis. *Dederat illi appropinquandi fiduciam suscepta purgatio.* Quia iam se viderat mundum, Dominique beneficio muneratum, inde accedendi concipit animum. *Cecidit in faciem suam ante pedes eius.* Simon Cassianus lib. 5. cap. 31. Vt assũpta humanitas in assumente Deitate adoraretur latriæ cultu. *Cecidit in faciem suam.* Beda, Zacharias Episcopus Christopolit, Haymon, D. Antonius Vlyssipp. in Dom. 14. Qui cadit in faciem suam, propriam miseriam videt, ac de malis perpetratis erubescit. Vnde cadere in faciem dicitur proprius casus Iustorum, de quo egi supra cap. 8. quæst. 31. *Ante pedes eius*, tanquam se valde infirmum recognoscens, nihilque, ait Hugo, sibi attribuens, sed quidquid habet, ab eo se habere intelliget. *Gratias agens.* Additur Syriacè, & Græcè, ei, à quo tantum acceperat beneficiũ. Nota, quòd hic homo tantum satisfaciat suo muneri, vt pro se det gratias, socios autem, qui abierunt, de ingratitudine non accusat. *Hic erat Samaritanus*, de quo plura infra.

Bostrensis. — Cassian. — Beda. Zacharias. Haymon. Ant. Vlyssip. — Hugo. *Homo suo officio satisfaciat alios non accuset.*

QVÆSTIO VII.

Quare iste Samaritanus, vt se vidit mundatum, reuertitur ad Christum, non curans eius præceptum de adeundo sacerdote?

47. DOminus mandauit Leprosis, vt irent, & se ostenderent sacerdotibus; cùm autem irent, seu inter eundum, mundati sunt; hoc est, cùm non longe essent à Christo, & tanquam ad sacerdotes peruenirent, in via mundantur. Vnus autem ex illis, cùm se mundatum agnouisset, ex ipsa media via reflectens iter venit ad Iesum, suæ sanitatis auctorem. Cur iste Samaritanus non adimplet Domini præceptum, vt ad sacerdotes pergat eisque se ostendat, & tunc reuertatur ad Christum?

Difficultas quæstionis.

48. Respondet primò Ericus monachus in homiliario. *Iste solus mundatori suo gratias acturus rediit, sacerdotum, ad quos missus fuerat, conspectibus sese, ostendere, parupendens, vero sacerdoti, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quique Pontifex pontificum, sua ora studuit præsentare.* Quod etiam docet Simon Cassianus lib. 5. cap. 31. Cùm iste homo, vt dixi expositione, ex Carthusiano; simul cum sanitate corporis reciperet mentis sanitatem, iam sanè mente cognouit Christum suæ sanitatis auctorem, cognouitque eius diuinam potentiam, ipsúmque esse verum sacerdotem, & pontificem; indéque iam parui pendet cæteros legis antiquæ sacerdotes, solúmque studet se Christo præsentare, eique adhærere: nam ob Christum cætera omnia sunt omittenda, & contemnenda, solúmque curandum, vt semper Christum teneamus, illóque minimè discedamus.

Ericus. — Cassianus. — *Ob Christũ omnia contemnenda, & omittenda.*

49. Secundò. Titus Bostrensis. *Samaritanus*, ait, *solus ad Saluatorem reuersus gratiam agnouit, & gratiarum retulit actiones, sanitatem stabiliens, ne forte inquiens, propter ingratitudinem, recidiuam patiatur.* Vbi se vidit alienigena iste sanitatis beneficio donatum, statim omissa via, qua ad sacerdotes pergebat, ad Christum reuertitur. Timebat, ne in aliquam ingratitudinis notam incideret, ob quam totam adeptam gratiam deperderet. D. Laurentius Iustinianus lib. de Humil. cap. 15. *Ingratitudo*, ait, *disperdit vtique aggregatas cum sudore maximo spirituales diuitias, obstruit contra se ostium diuinæ bonitatis, misericordiarum Dei exsiccat fontem, & charismatum cælestium communicatione se priuat.*

Bostrensis. — *Gratitudine firmantur beneficia in gratitudine deperduntur.* Laur. Iustin.

50. Tertiò. Vt Samaritanus se mundum videt, statim absque vlla mora in Dei laudes prorumpit, & omisso ad sacerdotes itinere ad Christum reuertitur, cum vt sum sanatorem cognoscens, illique pro tanto beneficio gratias persoluens: pro donis etiam acceptis illico gratiæ sunt referendæ. Seneca lib. 3. de Beneficiis sic ait: *Qui gratias statim non persoluit, nullum habet, quo lateat, patrocinium.*

Gratiarum actiones illico pro beneficiis exhibendæ. Seneca.

51. Componit Dauid Psalmum in laudem Dei, qui eum

Psalm. 56. eum liberauit de manu Saul in spelunca. Sicque dixit Psalm. 56. num. 3. *Clamabo ad Deum altissimum, qui benefecit mihi.* Tandem Dauid per varios discursus considerans magnitudinem diuinorum beneficiorum erga se, ait num. 9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Exhortatus seipsum, animámque suam, ac sua musica instrumẽta ad reddendas pro tantis donis gratias. Dauid in decantandis diuinis laudibus diligentissimus erat, vt ipse de se testatur, *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.* Psal. 118. n. 62. Quomodò ergo nunc pro gratiarum actione se excitat? Verum est, quòd Dauid in Dei laudibus decantandis valde sedulus, ac studiosus erat: tamen pro tam magnis beneficiis acceptis tanta solertia in referẽdis gratiis exigitur, vt quæuis nostra diligentia, quædam veluti pigritia, ac tarditas videatur, & esto multa cura huiusmodi gratitudinem fieri iudicemus tamen pro nostro munere morose adimpletur. Vnde Dauid de sua magna diligentia non multum securus se exhortat dicens: *Exurge gloria mea, exurge psalterium, & cithara.* Pro sequeque respondet, *Exurgam diliculo*, seu vt explicat Carthusianus, *Valde diliculo confitebor tibi in populis, Domine.* Hugo. *Sic alauda, vt alia aues, quæ diliculo surgunt, statim incipiunt laudare Creatorem suum.*

In reddida gratiarum actione omnis diligentia fora est.

Psalm. 118.

Carthus.

Hugo.

52. In monte accepit Moyses legem à Deo, multâque ei sunt facta diuina promissa, de Angelo in ducem itineris præmittendo; de terra Chanaan, inimicis expulsis, possidenda. Cúmque Moyses de monte venisset ad Populum, *Scripsit vniuersos sermones Domini. Et mane consurgens ædificauit altare ad radices montis.* Exod. 24. num. 4. *mane consurgens*, legit Arias, *magnificauit in mane* id est, valde diliculo surrexit, reædificauit altare. Ad quid summo mane ante Solis ortum altare extruit? Cur non potius alta die, relucente Sole altare ædificatur, vt tunc omnis populus magno applausu ac festiuitate adesset? Post diuinam legem acceptam, postque tanta diuina beneficia in se, ac Populum collata, bene cõscius Moyses diuinorum mysteriorum, non moras patitur, nec aliquam tarditatem sustinet, sed summo mane inuigilat, altare erigit, vt debitam gratiarum actionem reddat. Lyranus, *Ædificauit*, inquit, *altare ad gratiarum actionem.*

Exod. 24. Arias.

Gratiarum actio sine mora exhibenda.

Lyra.

Luca. 17 n. 17. Respondens autem Iesus dixit: nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?

Num. 18. Non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

VERSIONES.

Vatablus n. 17. Nonne illi decem mundati sunt? nouem autem illi vbi?

Arias. At nouem vbi? non sunt inuenti redeuntes dare gloriam Deo.

Syriacus n. 18. Quare separati sunt, quin redierint daturi gloriam Deo, nisi iste, qui est ex populo extraneo.

EXPOSITIO IV.

53. RESPONDENS autem Iesus, verbis scilicet, ac factis Samaritani. *Nonne decem mundati sunt?* Non solet Deus beneficia data improperare Iacobi cap. 1. n. 5. *Qui dat omnibus, affluenter, & non improperat.* Tamen nostra ingratitudo eum ad hoc quodammodo cogit, vt Deuteron. 19. num. 5. beneficia Populo collata refert Dominus: *Non sunt attrita vestimenta vestra.* Et ad Dauid 2. Reg. 12. num. 7. *Ego vnxi te in regem.* Et loquitur Christus in præsenti per interrogationem ad maiorem emphasim, ac energiam orationis. Acsi dicat: Cur etiam illi, sicut & tu, non agnouerunt beneficium, vt ad me redirent, mihique benefactori suo gratias referrent? sed læta nouem pergebant ad sacerdotes, vt ab eis declararetur mundi, ac hominum consortio restituerentur. *Et nouem vbi sunt?* Optimè sciebat Dominus, vbi ipsi existebant; tamen tali modo loquendi vtitur. Interlinealis sic habet: *Ingratos, quasi ignotos, vbi sunt? inquirit Dominus.* Quasi à Deo non cognoscerentur, qui beneficia diuinitus sibi collata non recognoscunt.

Iacobi 1.

Deuter. 19. 2. Reg. 12.

Interlin. *Ingrati non agnoscuntur à Deo.*

54. *Non est inuentus*, ideſt inter tot, non extitit, nec fuit, *qui rediret, & daret gloriam Deo*, qui veritatem testificaret, confitendo, ac prædicando, se à Deo per Iesum à Lepra sanatum; quæ erat magna, & ingens Dei gloria. Et notandum quòd non dixit Christus, non est, qui rediret, & daret gloriam mihi: sed *non est, qui rediret, & daret laudem Deo.* Instruens nos, vt omnia nostra opera Deo adscribamus; & pro omnibus bonis, quæ optamus, Deo gratias referamus. *Nisi hic alienigena*, hoc est nisi hic Samaritanus alienus à gente, & religione Iudaica. Erant enim Samaritani, genere Babylonij, Assyrij & Medi, quos Salmanasar rex Assyriorũ adduxerat, & collocauerat in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israël ad Assyrios trãslaris 4. Reg. 17. num. 24. *Nisi hic alienigena.* Non solùm nouem ingratos arguit Dominus, sed etiam hunc alienigenam maximè laudat. Gratitudo sic Deo placet, vt non esset silentio inuoluenda, sed maximè prædicanda. Ingrati autem illi nouem Leprosi non sunt à Domino puniti, quia, vt ait Hugo, *Misericordia exspectat ad pœnitentiam*; sicut & nos, qui, cùm quotidie tanta eius beneficia accipiamus, valde nos ingratos exhibemus.

Nostra opera Deo referenda.

4. Reg. 17.

Hugo. *Dei misericordia non expectat.*

QVÆSTIO VIII.

Quare illi nouem Leprosi non sunt ad Dominum regressi?

55. PRIMÒ respondet Titus Bostrensis. *Nouem Leprosi, in ingratam obliuionem lapsi, non sunt reuersi.* D. Bonauentura. *In hoc manifestè ostenditur Iudæorum ingratitudo, quia, cùm essent nouem, nullus ex eis rediit.* Similiter alij Patres, Euthymius, Theophylactus, Beda, Haymon hoc eorum ingratitudini referunt, qua solent homines post accepta beneficia sui benefactoris obliuisci. *Filios enutrini, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini*

Bostrensis. Bonauent.

Euthym. Theophyl. Beda. Haymon. *Ingrati de beneficiis non recordantur.*

Isaiæ 1. Zeno Veron.

domini sui, Israël autem me non cognouit. Isai. 1. n. 3. D. Zeno Veronensis serm. 5. de Iaia. *Exaltatos appellat*, inquit, *vt ingratos ostendat, bonem illos, assimãque præponit, vt grauius possint, si resipiscant, comparatione torqueri, quam pœna.* Vide superiori cap. 12. quæst. 10.

56. Secundò. Depingitur in his Leprosis humana conditio, quantúmque animæ saluti prosit omnis fortunæ aduersitas; quantúmque obsit felicitas: quandiu enim isti infirmitate, ac illius oppressione vexabantur, Christum quærunt, eique occurrũtur, ac ad ipsũ clamãt: *Iesu præceptor miserere nostri* At postquam sanitatem impetrarunt, simul cũ morbo beneficij memoriam deposuerunt, vt iam amplius non Christum quærant, nec de ei gratificanda salute sint soliciti.

Morbo ac labore de Deo recordamur; oblitiscimur.

57. Tertiò. Iudæi non veniũt ad Christum. Sic sæpe contingit: vt patritij, ac conciues suo benefactori donum non gratulentur; existimat enim, iure patriæ sibi debere beneficium. Quartò. Quia sæpe pudet homines, coram suo conciue se humiliare, ac suam miseriam, qua ab illo liberati sunt, agnoscere. De his vide, quæ dixi tom. 3. cap. 31. quæst. 8. vbi multa, quæ faciunt ad hoc statutum.

Homines nolunt coram suo cõcive humiliari.

58. Quintò Carthusianus. *Quæritur*, ait, *quomodo isti nouem reuersi non sunt, si à Christo non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter curati fuerunt? Ad quod quis respondere posset, quòd simul corporaliter, spiritualiterque in via ad sacerdotes mũdati sunt, sed postquam sacerdotibus sunt locuti, ab eisdem seducti fuerunt, sicque ingrati effecti sunt, & reciderunt.* Vna mala societas, pessima conuersatio multa mala intulit: à malis templi ministris malignam ingratitudinem ebiberunt.

Carthusian

Mala societas multum nocet.

59. Sextò. Leprosi Iudæi, homines ex suo genere peruersi, & mali, tamen iam à Christo sanati, ad templũm, ac ad sacerdotes pergebant, & tamen incidunt in ingratitudinis vitium, vt nec è via, nec è templo ad Christum regrediantur, sanitatem ab ipso acceptam gratificantes. Malignus valde infelix est, quocumque se verterit, malum suum secum defert. venenáque sua illi semper insunt, eumque concomitantur. Qui morbo premitur, illiusque doloribus torquetur, etiamsi per vices lectum, domum, vel locum alternet, quocumque se vertat, morbi angustiis vexatur. Seneca lib. de Paupertat. *Quemadmodum nihil refert*, inquit, *vtrum agrum in lecto ligneo, aut in aureo colloces; quocumque illum transtuleris morbum suum secum affert: vtrum ager animus in diuitiis, vel in paupertate sit, malum suum illum sequitur.*

Iniquum semper malitiã suam secum defert.

Seneca.

60. Vexatur Ægyptus plagis septem. Veniunt scyniphes, muscæ, grandines, & tenebræ. Tamen ait Deus: *Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen in qua populus meus est, vt non sit ibi musca.* Exod. 8. n. 22. Pluit Dominus grandinem super terram Ægypti: *Tamum in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grando non cecidit.* Exod. 9. num. 26. Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. *Vbicumque autem habitabant filij Israel lux erat.* Exod. 10. n. 22. Ex quibus, & aliis locis colligunt Doctores, quod domus Hebræorum immunes erant ab huiusmodi plagis. Merito dubitabis: Cur ergo Ægyptij, cùm tot malis, ac vexationibus torquerentur, ad Hebræorum domos se non recipiebãt? Valde verisimile, quòd multi ad illas cõfugiebant, sed calamitates illæ, muscæ, scyniphes, &c. eos ibi infectabantur. Abulensis Exod. 8. quæst 11. *Ægyptius*, inquit, *domũ Hebræi, quasi refocillaturus, intrare, musca eum illuc persequebantur.* Nonne domus illa, ad quam se Ægyptius recipiebat, habitaculum erat gentis sanctæ, & à Deo electæ, ex ipsóque ab omni illa oppressione priuilegiatum? Maximè quidem, fugiens tamen Ægyptius iniquus, & peruersus erat, ab eoque non fugiebant, sed ipsum insequebantur scyniphes, muscæ, ranæ, grandines, ac tenebræ, vt aperte tormentum hoc, non loci, sed hominum sceleris agnosceretur; quod scelus quilibet in pectore suo infertum secũ deferebat.

Exod. 8.

Exod 9.

Exod 10.

Abulens.

Iniquus quocumque vadat, sua cum affligit malitia.

61. Inito bello inter Iesum, & reges Amorrhæos, deuicti Amorrhæi fugam cœperunt; quos lapidosa inusitatæ magnitudinis grãdo, immissa à Domino, vt explicat Caietanus, insectabatur, cui, vt ait Iosephus lib. 5. Antiquit. c. 2. addita erant fulgura, & tonitrua. *Cùm fugerent filios Israël, & essẽt in descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo vsque ad Azeca,* Iosue 10. num. 11. Dubitatur: An sæua, illa, & dura grando solùm in via percuteret homines, an etiam in quocumque loco se reciperent? Abulensis quæst. *In loco illis*, ait, *quæ Chananæi fugiemes, nondum attigerant, non cadebant lapides: cùm verò illuc accederent, lapides cadebant, ita vt consequerentur eos lapides, quocũque irent, quasi essem iacula hostilia.* Quocumque ibant Iesu hostes, eos dirus ille turbo comitabatur, nec cùm incederent, nec cùm starent, ab eis diiungebatur; sed sicut malitia eorum individuus comes erat, ita & asper ille cruciatus ab eis non discedebat, vt apertè deprehenderetur, quòd tempestas, non loca, sed fugientium crimina insectabantur.

Caietan. Iosephus. Iosue 10. Abulens.

Malitiæ inimici comitatur pœna.

QVÆSTIO IX.

Quare tam accuratè exprimitur, quòd iste, qui venit, dans gratias, fuerit alienigena?

62. NOTAT D. Epiphanius hæresi 66. contra Manichæos. *Vnus Leprosus à Domino prædicatur. Vides, quod propterea, quod intellexerit beneficium, & propter gratitudinis opus, vnus pro decem mentionem facit.* Decem mundati sunt, ait Dominus, & nouem vbi sunt? Et tamé pro his omnibus vnus alienigena ponitur: Vnus enim iustus bonus, ac gratus pro pluribus superabundat: *Vnus pro decem mentionem facit.*

Epiphanius

Vnus iustus pro multis.

63. Ad quæstionem primò respondent communiter Patres; Titus Bostrensis, Theophylactus, Beda, Bonauentura, quòd hic homo ad Christum redierit glorificans Deum, ex eius gratitudine fuisse factum: Euthymius *Fideles*, inquit, *decem Leprosi fuerunt, solus autem hic gratus fuit.* Vnde rectè notarunt D. Antonius Vlyssipponensis Dom. 14. post Trinit. Cardinalis Hugo, quòd hic homo erat, & dicitur Samaritanus, interpretatur enim *Samari anus* custos donorum Dei; qui bene ea custodit, quod totum Deo, & nihil sibi attribuit. Psalm. 58. num. 10. *Fortitudinem meam ad te*, id est tibi attribuendo, ait D. Antonius, *custodiam.* D. Anselmus in propria homil. *Custos, qui percepta beneficia seruabat per humilitatis custodiam.* D. Bernardus serm. contra vitium Ingratitudinis. *Felix Samaritanus illi*, ait, *qui cognouit, se nihil habere, quod non accepisset, idcirco conseruauit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reuersus.*

Bostrensis. Theophyl. Beda. Bonauent. Euthym. Anton. Vlyss. Hugo. Psalm. 58. Anselm. Bernard.

Secun

64. Anselm.

Secundò D. Anselmus citatus, premens, cur hic homo, veniens cum gratiarum actione, alienigena dicatur. *Qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Sic subdit: *Quia non invenitur, qui post acceptam veniam recordetur divinæ pietatis, & ei gratias devoto corde rependens, perseveret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filiis terrenæ Babylonis, sed ex filiis Ierusalem cælestis.* Ex omnibus illis decem non aliquis conciuis, sed vnus tantum alienigena reperitur, qui recognoscés beneficium acceptum, pro eo veniat Deo referens gratiam. Adeo mirabile est, quòd quis gratum in perceptis donis se exhibeat, vt non videatur huius sæculi habitator, sed ab eo prorsus alienus, ac cælestis patriæ ciuis, qui suum in hoc negotio munus persoluit. *Qui non sit ex filiis terrenæ babylonis, sed ex filiis Ierusalem cælestis.* Ex quo de hoc alienigena dicunt Beda, Glossa Ordinaria: *Ille qui gratias egit, vnica Ecclesiæ significatione approbatus, ac laudatus est.* Ipsa declarata gratitudine, quodammodo hic humanæ naturæ terminos transcendit, vt iam non hominem ageret, sed Ecclesiam, Christi sponsam repræsentaret.

Retributio pro bonis acceptis nō sit ab hominibus huius sæculi.

Beda. Gloss.

65. Theophyl. *Nullus ex humili genere desperet.* Gen. 17. 1. Reg. 13. 4. Reg. 16. 4. Reg. 21. Act. 16. Matth. 1. Damian.

Tertiò Theophylactus: *Samaritanus*, inquit, *cùm esset generis alterius reuersus est, vocem gratitudinis emisit: vt nullus Gentilis desperet, & nullus de sanctis parentibus glorietur.* Sic sæpe inuenimus optimos filios ex pessimis parentibus natos: Abraham ex Thare Genes. 11. num. 29. Ionatham ex Saule 1. Regum 13. n. 3. Ezechiam ex Achaz 3. Regum. 16. num. 20. Iosiam ex Ammone 4. Regum 21. num. 24. Timotheum ex patre Gentili Actorum 16. n. 24. Chrystum Dominum ex Thamar, Ruth. & Bersabee Matth. 1. n. 3. Pro quo argumento optimè fatur Petrus Damianus opuscul. 6. qui est liber gratissimus, c. 19. *Etsi fur sit ille, qui seminat, terra tamen, auctore Deo, vicia germinandi frugibus administrat. Licet sordida sit manus, aut leprosa, qua plantas; mundus certè fructus decerpitur, cùm ad maturitatis plenitudinem pervenitur. Ex adulterino sæpe coniugio pulchra soboles nascitur, & ex obscœna voluptate parentum spectabilis oritur species liberorum.*

66. Theophyl.

Quartò Theophylus in Catena aurea. *Hinc poteris*, inquit, *quisque coniicere, quòd nihil impedit, quemquam placere Deo, etsi de genere prophano processeris dummodo bonum geras propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat: nouem enim, qui Israelita erant, ingrati fuerunt.* Et hoc facto nullus ex humili genere desperet, vt proximè dictum: nam alienigena ex Gentilico sanguine natus erat; nullusque ex sanctis parentibus ortus superbiat: nouem enim Leprosi ex illustri Abrahæ genere orti erãt, & tamen ingrati defecerunt, nec suum munus adimpleuerunt.

67. Deũ quo minus ex pellatur, gratias.

Quintò. Non solùm notatur, quòd quidam homo venerit, sed etiam quòd alienigena esset, vt à Christo vocatur: *Inuentus est nisi hic alienigena.* Vt magis aliorum culpa amplificaretur, eo quod is gloriam dederit, à quo id minus quàm à cæteris expectandum foret. Indéque gratificatio à Samaritano persoluta, magis grata, ac perjucunda fiebat.

68. Bostrensis.

Sextò. Titus Bostrensis: *Vnus autem solus*, ait, *& ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit: promptiores namque fuerunt bi semper ad fidem amplectendam, quam ingrati Iudæi.* Euthymius: *Hic ostendit*, inquit, *quod magis grati sunt Gentiles, quam Iudæi, bi enim beneficiorum eorum oblivioni traditi, & ingrati erga Patrem, & Filium apparebant.* Nouem illi Leprosi Israëlitæ Iudæos exprimebant, qui Christo ingrati, & increduli fuerunt. Solus Samaritanus, qui Gentiles credentes repræsentabat, quòd Deo, & Christo debebat professus religiosa gratitudine Iudæus deuicit.

Euthym.

Iudæus ingratus ad beneficia, ad quæ recolenda Gentilis proponsus.

Innumera sunt beneficia, quæ Deus populo Israëlitico contulit, vt dicat Regius Vates Psalm. 67. n. 10. *Pluuiam voluntariam segregauit Deus hereditati suæ*, seu, vt legitur ex Hebræo apud Lotinum, *Pluuiam liberalitatum*, multorum scilicet donorum, quæ in eos diffudit, vt oculis aperte viderentur, manibus tangerentur, palatóque gustarentur, vt in Manna misso de cælo, in aqua mirabiliter de petra erumpente. Et tamen subdit Psalmista: *Et infirmata est.* Brunonius: *Hæreditas ipsius fuit populus Hebræorum, quæ infirmata est, Domino minimè credendo.* Ita vt in Horeb fecerint vitulum, quem adorauerunt. *Sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.* Exod. 32. n. 6. Cajetanus legit, *illudere*, vero nempe numini falsum sacrificium venerantes. Et tamen Rahab meretrix, cùm ex auditu percepisset illa mirabilia, credidit in Deum, sicut ipsa dixit Iosue 2. numer. 10. *Audiuimus, quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum.* Et num. 11. subdit: *Dominus Deus vester, ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Cur tot signis visis, & palpatis populus Hebræus non credit, maximè verò ex auditu Rhabab Gentilis? Hebræus incredulus ad fidem veram Dei, Gentilis verò ad illam maximè propensus. D. Chrysostomus homil. 4. de laudibus Pauli tom. 3. *Quotiès autem Iudæi*, ait, *vocem audiere de cælo, in Nouo, & Veteri Testamento, nec tamen facti sunt idcirco meliores: nam in Veteri Iudæi post mille miracula, pro Deo vitulum, quem fecerant, adorauerunt. At verò Hierichontina meretrix, quæ nihil omnino ex mirabilibus viderat; ostendit tamen fidem in explorationum susceptione mirabilem.* Quod multis exemplis confirmat idem Chrysostomus sic pergens: *In terra quoque repromissionis, Iudæi signa cernentes, permanebant lapidibus duriores: Niniuitæ vero Ionam solum videntes crediderunt, & egerunt pœnitentiam: in Nouo etiam Testamento sub præsentia ipsius Christi, latro quidem, cùm crucifixum cerneret, adorauit. Iudæi verò, qui cum spectauerunt mortuos suscitatem, & vinxerunt, & affixerunt cruci.*

Beda. Bruno. Exod 32. Caietan. Iosue 2. *Iudæi increduli ad fidem, Gentiles propensi ad illam.* Chrysost.

Ad Christum Dominum loquitur Anima sancta, & ait: *Oleum effusum nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis*, Cantic. 1. num. 2. *oleum effusum*, vbi nomen tuum fuit effusum, ac euulgatum in toto orbe; exinde *adolescentulæ*, seu, vt alij legunt ex Hebræo, *virgines*, seu *puellæ*, dilexerunt te nimis. Cur potiùs non ait, senes dilexerunt te; hoc enim maximè videbatur spectare ad eius commendationem, quòd à senibus esset dilectus? Seu cur non ait, vniuersi te dilexerunt, sed tantùm adolescentulæ? Senes, seu senior frater apud Lucam 15. num. 25. Populum Iudæorum significat, vt docent D. Hieronymus, D. Ambrosius, D. Augustinus, Beda, & alij. Adolescentulæ autem, seu iunior frater populum gentilicum repræsentat; optimè ergo tantùm dicitur. Adolescentulæ dilexerunt te nimis; nam senex, seu antiquus populus Christum nimis odio habuit: Adolescentulus autem, Gentilicus populus nimis, ac supra modum eum dilexit. Hoc aduoco D. Paschasium lib. 1. in Matthæum, pertractantem Christi fugam in Ægyptum;

70. Cant. 2. Hebr. Luc. 15. Hieron. Ambros. August. Beda. *Populus Hebræicus Christum habuit in odio, Gentilicus in amore.* Paschas.

ptum; *Ab odio Iudæorum*, ait, *fugit Iesu in gentium terram, quæ iam ab incunabulis multo affectu eum venerabatur.*

Luc. 17. n. 19. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te saluum fecit.

VERSIONES.

Syriacus. Surge, abi, fides tua te seruauit.

EXPOSITIO V.

71. AIT *illi Iesus*. Samaritano nempe: *Surge*. Prociderat enim in terra ad pedes Iesu, vt dictum est supra num. 16. *Vade*. Abi quo libet securus iam de recuperata sanitate.

Hugo. Cardinalis Hugo: *Surge*, ait, *credendo, vade operando, vel surge incipiendo, vade proficiendo, vel surge per mali declinationem, vade pro boni operationem; vel surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem.*

Beda. *In virtute proficiendum.* Beda, *Quia*, inquit, *infirmitatem suam cognoscens, humiliter ante Deum iacuit: diuina consolutione surgere ad fortiora opera, & ire crescendo vsque ad perfectionem iubetur.* Quia humiliter prostratus est, humilitas autem fundamentum est virtutum, ideò ei mandatur ad magna opera surgere, ita tamen vt ibi non sistat, sed vt crescendo vadat ad excellentiora.

27. *Quia*, omittitur Græcè, & Syriacè. *Fides tua* Postquam de gratitudine Christus hominem laudauit, quòd venerit glorificans Deum, laudat etiam eius fidem, quæ non fuit mortua.

Glossa. sed cum operibus. *Fides tua*, Glossa ordinaria, *qua ad agendas gratias inclinauit: è contra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati.*

Euthym. Nam quamuis, vt ait Euthymius: *Fideles quidem decem fuerint.* Tamen, vt iam dixi ex

Fides viua cum actibus virtutum. Rara virtus quæ malo exemplo non seducitur. Carthusiano, nouem fuerunt à Sacerdotibus decepti, vt fidem Christi amittentes, ingrati effecti sunt: *Fides tua.* Valde magna; quæ in operibus suis non est minuta exemplo Iudæorum sociorum: *Fides tua.* Qua dictis meis firmiter credens ad sacerdotes pergebas, eximia Christi modestia deuitans vanam gloriam, fidei Samaritani, & non sibi adscribit miraculum; nam quamuis ipse fuerit præcipuus miraculi Auctor (vt fides Samaritani fatetur) tamen disposuit, vt fides esset cooperata, præparant Samaritanum, & capacem efficiens tanti beneficij, nisi homo credidisset à Christo non fuisset sanatus. *Saluum fecit.* Non solùm à lepra corporis, sed etiam à lepra animæ, nempe à peccatis. Nam Dei gratia in homine excitatus est actus contritionis, quo iustificatus est, & relinquens errorem Samaritanorum Christo adhæsit, eiúsque baptismum postea recepit.

QVÆSTIO X.

Quare isti Leproso ante curationem, & non postea mandat Dominus, vt se ostendat Sacerdotibus?

ISTE proselytus postquam datis Christo gratiis iussus est abire, vt notat Lucas Burgensis, iam amplius non accessit ad Sacerdotes Samaritanos, vt testificaretur sacrificio peracto ipsius mundities, sed ad Ierosolymitanos, quibus promulgauit virtutem Iesu, quam cæteri nouem Iudæi silentio forsasse suppresserunt. 73. *Samaritanus postea recendit ad Sacerdotes*

Quæstio tamen inquirit, quòd cùm in exordio huius historiæ Leprosi Christo occurrerent, ab ipso sanitatem expostulantes. *Iesu præceptor miserere nostri.* Dominus ei mandauit, vt se Sacerdotibus ostenderent, vt in templo pro adepta sanitate sacrificia offerrent, vt præceptum erat in lege, Leuitic. 14. num. 4. At verò, postquam hic Samaritanus gratias agens de sua curatione reuersus est, iam non ei iubet, vt offerat præscriptas victimas, sed tantum absolutè, *Vade*, illi ait. 74. Leuit. 14.

Ad quæstionem respondet Tertullianus: *Vnum illum*, ait, *solutum ex decem memorem diuinæ gratiæ Samaritem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam reddens Deo.* 75. Tertull.

Et si antea ei mandauit, vt pergeret ad Sacerdotes, & legalia persolueret, tamen iam nihil eorum præcipit Dominus, cùm enim eum vidisset gratias tribuentem, nil aliud abeo exigit, gratiarum enim actio victima præstantissima, sacrificium suauissimum, in quo omnia legalia abundantissimè præsoluebantur. *Gratiarum actio præstantissima sacrificium.*

Destructo Amalech *Ædificauit Moyses altare Domino, vocauitque nomen eius exaltatio mea.* Exod. 17. num. 15. huicque altari, vt testatur Iosephus, inscriptum est nomen: *Victori Deo.* 76. Exod. 17. Ioseph.

Et licet aliqui existiment victimas in hoc altari fuisse Deo oblatas. Tamen Cornelius à Lapide, & alij constanter tenent hoc altare extructum fuisse pro titulo gratitudinis, non verò pro sacrificiis peragendis, & ad hoc est optima coniectura, quia victimarum nulla hic fit mentio, vt in aliis locis exprimitur, & titulus affixus, gratitudinis trophæum indicat. Cur pro prima parta victoria ab Israële, pro inimico rege destructo, pro multisque spoliis comparatis magna animalium sacrificia à Deo non offeruntur? Cur solùm illud altare tantùm erigitur? Apponebatur illud tanquam gratitudinis monumentum, actionúmque gratiarum memoriale perenne; gratiarum actiones, gratitudinisque signa omnis victima sunt excellentiora. Philo Alexandrinus lib. de victimas offerentibus: *Quamuis enim*, ait, *præstat lapidibus, tum acceptior est sustitus gratiarum actionis, quam mactata victima.* Gratiarum actio tam suauissimum odorem Deo mittit, vt victimarum sustitus nullus exoptetur. Cornelius *Gratiarum actio sublimior victima.* Philo.

Benedicens Iacob filios suos ait: *Nephthali cerua emissa, dans eloquia pulchritudinis*, Genes. 49. num. 21. Seu, vt legit Vatablus, *Cerua celeris*: per quod, vt multis placet, denotatur huius 77. Genes. 49. Vatablus.

tribus

tribus terræ summa fertilitas, atque agilitas, & celeritas in maturandis fructibus, ita vt prius in illa, quam in cæteris maturi fructus colligerentur; hoc enim significat similitudo cerui emissi, seu celeris, qui sicut tanta currendi præstat dexteritate, vt suo cursu cætera animantia facilè antecedat, sic fruges tribus Nephtali, priusquam aliarum tribuum nascebantur: indeque ex ipsis maximè deferebantur in templum oblationes primitiarum pro gratiarum actione ex perceptis terræ prouentibus. Sed cur additur de Nephtali, *dans eloquia pulchritudinis*? quenam connexio inter fructus citò matures centes, ac *eloquia pulchritudinis*? Germinabat Nephtali fructus, qui inferiebant ad gratiarum actionem in Templo, indéque dabat eloquia pulchritudinis. Nullum elegantius, ac præiucundius eloquium, quàm illud, quod resonat in gratiarum actione, quæ cum huiusmodi prouentibus à Sacerdotibus in templo decantabantur. Abulensis, *De illis*, ait, *nouis fructibus, & frugibus, quæ nascebantur in sorte Nephtali, offerebantur oblationes primitiuorum in Templo, & propter has pulchras laudes, Domino personabant, quæ vocantur eloquia pulchritudinis.*

Gratiarum actio pulcherrimum eloquium.

Abulens.

CAPVT XIV.

Iesus in festo Scenopegiæ, seu Tabernaculorum.

Ioannis 7. n. 1. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare: quia quærebãt eum Iudæi interficere.

Num. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia.

VERSIONES.

Vatablus n. 1. Versabatur autem Iesus post hæc in Galilæa, non enim volebat in Iudæa versari.

D. Chrysostom. Non enim poterat in Iu-
Euthymius. dæa versari.

Syriacus. Propter Iudæos: quippe qui studerent eum trucidare.

Arabicus n. 2. Cùm propinquasset dies festus Tabernaculorum Iudæorum.

Syrus. Propè erat festum Iudæorum, Conopea.

EXPOSITIO I.

1. Ioan. 6.

POST hæc. Quæ scilicet, Ioannes narrat cap. 6. de multiplicatione panum, ac de admirabili Eucharistiæ sermone: non tamen immediatè. Nam multiplicatio panum accidit propè Pascha, Ioannis 6. num. 4. quod celebratur mense Martij; hæc autem acciderunt in festo Scenopegiæ, quæ incidebat mense Septembri; & ideò cum Euangelista hoc festum hic exprimat, vt docent Chrysostomus, S. Thomas, D. Bonauentura, Carthusianus, denotat, quòd multum temporis interiecit ab his, quæ hic describuntur; ab illis, quæ cap. 6. narrantur, sex scilicet menses, in quibus Christus Dominus egit quæ refert Matth. cap. 15. 16. & 17. ac 18. quæ huc vsque à nobis sunt explicata. Ex his etiam aperte constat, quòd post multiplicationem quinque panum, ad celebrandum sequens Pascha, sicut & Pentecostes festum non profectus fuerit Iesus in Ierusalem, sed remanserit in Galilæa; non enim ita rigidè obseruabatur illud præceptum de adeundo locum, quem elegisset Dominus ter in anno. Exod. 23. num. 17. Deuter. 16. num. 16. vt ille transgressor legis iudicaretur, qui deesset; sed multas multorum admittebat excusationes, vt ad citata loca aduertunt Expositores.

Chrysost. D. Thom. Bonauent. Carthus.

Matth. 15.

Exo. 23. Deuter. 16.

Ambulabat Iesus in Galilæam, seu in Galilæa, hoc est versabatur, degebátque per Galilæam, *non enim volebat in Iudæam ambulare, seu illuc proficisci.* Chrysostomus, Euthymius legunt: *Non poterat versari*, hoc est nolebat; sæpè enim, vt notat D. Gregorius Nazianzenus orar. 4. de Theologia, non posse, ponitur pro nolle. Marc. 6. numer. 5. *Non poterat ibi virtutem vllam facere.* D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioannem, cap. 13. *Magna*, ait, *profectò hæc Iudæorum accusatio est, quorum crudelitate fiebat, vt apud alienigenas degeret.* Sequitur textus: *Quia quærebant eum Iudæi interficere*: assignat Euangelista rationem, vt aduertunt D. Th. D. Bonauentura; quam ob causam Christus non sit profectus ad Pascha, quia in Iudæa tutus non versabatur. Iudæi enim quærebant occasionem ad eum interficiendum, dicebant enim, quòd Sabbatum non custodiebat. Suprà Ioannis 5. numer. 18. & quanquam Dominus si vellet in medio Iudæorum stans poterat eorum furorem declinare, ac euitare, vt fecit quando Nazareni eum præcipitare voluerunt, Luc. 4. numer. 3. tamen noluit hoc in præsenti facere, sed duabus de causis apud Galilæos demorarur. Primò, vt docent D. Augustinus tract. 28. Beda, D. Thom. exemplum nobis exhibere voluisse pericula euitanda, persecutionésque fugiendi. Secundò, D. Chrysostomus, Ammonius, Theophylactus, Euthymius, Carthusianus, se voluisse verum hominem, & non phantasticum demonstrare. Theophylactus, *Timuit Dominus*, ait, *volens in hoc se hominem ostendere.* Maiestas Christi non respuit ostendere humilitatem naturæ assumptæ.

2.

Chrysost. Euthym. Nazianz.

Marc. 6. Cyrill. *Homo apud exteros acceptior.*

D. Thom. Bonauent.

Ioan. 5. Luc. 4.

Luc. 4.

Augustin. Beda. D. Thom. Chrysost. Ammon. Theophyl. Euthym. Carthusian.

Erat autem in proximo. Ex his patet, quod hæc non acciderunt immediatè post dicta cap. 6. vt iam notaui. *Dies festus Scenopegiæ.* Hæc Ioannes scribit, vt aperiat occasionem sequentis historiæ, quo scilicet motiuo incitatus fuisset Iesus, vt in Iudæam tenderet, prætextu scilicet celebrandi festum Scenopegiæ, quod Græcè Tabernaculorum fixionem significat: de quo quæstione sequenti.

QVÆSTIO I.

Explicatur qualenam esset festum Scenopegiæ.

VT in hac re distinctè procedamus, de quo multa valde permixtim dixerunt Auctores, ab etymologia nominis incipiamus. 4. *Nominis etymologia.* Improbabiliter Abul. & Radulph. Leuit. 23. volunt nomen deduci à verbo Græco, *Scena*, quòd significat comedere, eo quod Hebræi in hoc festo comedebant in publico, ac communi loco; certum tamen est, quòd Scenopegia deriuatur à verbo Græco, *Scenam*; & significat tabernaculum, seu vmbraculum, seu tabernaculorum fixio, vt alij volunt. Ita Caiet. Iansenius, Maldonat. Tolet. Barradas, & alij. Syrus autem legit, *Conopea*. Conopeum propriè est velum quoddam lineum, vel sericum, quo lecticuli circundantur; & inde per metaphoram denotantur tentoria quædam.

Abulens. Radulph. Caietan. Iansenius. Maldonat. Tolet Barrad.

5. *Tres solemnitates.* Festum Scenopegiæ erat valde celebre, & vnũ ex tribus, quibus omnis Israëlita, nisi aliàs daretur legitima excusatio, tenebatur venire in Ierusalem, vt patet ex citatis locis in expositione. Primum festum erat Paschæ, quod solemnizatur mense primo die decimaquarta, Leuit. 23. num. 5. in memoriam, quod volens Deus eripere Israëlem de Ægypto, Angelus transibat percutiens primogenita Ægyptiorum; parcens Hebræarum primogenitis. Secundum festum erat Pentecostes, quod quinquagesima die à festo Paschæ celebrabatur, Leuitic. 23. numer. 15. & Deuteronom. 16. numer. 10. Tertium festum erat Scenopegiæ, seu tabernaculorum, quod fiebat à die decimoquinto mensis septimi, Leuit. 23. num. 34. & Deuter. 16. num. 13. scilicet Septembris.

Leuit. 23. Deuter. 16.

6. *Festum Scenopegiæ.* Hoc autem festum primò institutum fuit, in memoriam diuinæ Protectionis, quæ per quadraginta annos Hebræos per desertum protexit, vt sine domibus in tabernaculis hyeme, & æstate vixerint. Vnde in deserto nunquam hoc festum fuit solemnizatum, quia ibi ipsa rei veritas, & quasi cõtinuum tabernaculorum festum agebatur, postquam autem venerunt in terram Promissionis, hoc festum quotannis celebrabatur. Hæc autem tabernacula construebantur ex lignis, vel ramis, vel pellibus, vel ex linteis, vt fit in tentoriis castrensibus: loca autem, in quibus fiebant partim erant in vrbe, verbi gratia in plateis, foris, atriis, hortis, quin etiam in domatibus, id est super domorum tecta. Esdræ lib. 2. c. 8. n. 16. Partim etiam fiebant extra vrbem per agros, & montes, provt quisque volebat.

Esdr. 2. c. 8.

7. Coniectura huius rei est manifesta; nam cùm omnes Hebræi ex tota Iudæa conuenerint Hierosolymam ad hoc festum, singulæ familiæ singula fabricabantur tentoria, seu tabernacula, vt ait Ioseph. lib. 3. Antiquit. cap. 10. Neque enim tot intra vrbem construi poterant: est enim valde probabile, tabernacula ita fuisse disposita, vt singulæ familiæ seorsim, omnésque per vicos & plateas distinctæ, & ordinatæ habitarent, ita enim fiebat cum per desertum incederent, in cuius rei memoriam talis dispositio aptabatur.

Ioseph.

8. Secundò, hoc festum institutum fuit in fine anni, puta Septembri, post collectas omnes fruges, vt de eis gratias agerent Domino. Vnde ait Theophylactus, quod multi existimant, Psalmi verbi gratia, 8. & 80. & 83. Qui inscribuntur pro torcularibus, qui pro hoc festo compositi dicuntur à Dauid. Per singulos septem dies huius festiuitatis victimæ, & Sacrificia offerebantur. Vt præscribitur Num. 29. num. 14. Denique octauus dies festi tabernaculorum, seu Scenopegiæ erat celeberrimus, & à Ioanne infrà num. 37. vocatur dies magnus festiuitatis, in eoque fiebant cœtus, seu collectæ, Leuit. 23. numer. 36. quas collectas fuisse eleemosynarum, seu pecuniarum ad templi expensas existimant ibi Abulensis, Lyranus, Caietanus, Oleaster, & hic in Ioannem Toletus, has autem collectas fuisse communem gratiarum actionem, ac magnum applausum, quo festiuitas tabernaculorum claudebatur; ex multis tenet & probat Cornelius à Lapide citato Leuitici loco.

Theophyl. Numer 29. Leuit. 23. Abulens. Lyran. Caietan. Oleaster. Tolet. Corneli.

Ioannis 7. n. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt discipuli tui videant opera tua quæ facis.

Num. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta te ipsum mundo.

Num. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

VERSIONES.

Syriacus n. 3. Decede hinc, & vade in Iudæam.

Græcus. Vt discipuli tui aspiciant opera tua.

Græcus n. 4. Et quærit ipse in libertate dicendi esse.

Vatablus. Declara te ipsum mundo.

EXPOSITIO II.

9. *Qui fratres* DIXERVNT *autem ad eum fratres eius*, id est consanguinei, vt multoties explicaui variis in locis. Vide tomo tertio, capite 25. expositione prima numero secundo. Hi autem consanguinei non erant filij Ioseph, vt opinantur Diuus Cyrillus, Leontius, & Euthymius. Nam Ioseph semper virgo permansit, tomo 1. libro 1. capite 10. Nec etiam fuerunt Iacobus Alphæi, & Iudas fratres eius, vt vult Chrysostomus homilia 47. Nam hic dicitur statim numero 5. *Neque fratres eius credebant in eum.* De Apostolis autem dicitur suprà capite 6. num. 70. *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei viui.* Hi ergo fratres, qui hæc dixerunt, cùm non essent credentes, non erant de numero duodecim, qui credentes erant, vt docent D. Hieronymus Epistol. ad Galat. cap. 1. D. Augustinus tract. 18. in Ioannem, D. Thom. hic: Toletus annot. 5. Erant ergo quidam consanguinei ab Apostolis diuersi.

Cyrill. Leont. Euthym. Chrysost. Ioan. 6. Hieron. August. D. Thom. Tolet.

Transit

10. Chrysost. *Transi hinc.* D. Chrysostomus citato loco. *Fratres eius, ait, intempestiua quadam cupidinis locuti sunt; putabant cognationis gratia oportere se fidenter loqui.* Consanguinitatis, ac amicitiæ prætextu multam confidentiam in dicendo concepe-

Ex consanguinitate, ac amicitia oritur confidentia ad loquendum.

rant. *Transi hinc.* A Galilæa, ac Capharnæo ignobili loco. *Et vade in Iudæam.* Proficiscere nobiscum in Iudæam ad Ierosolymam, totius gentis Israëliticæ caput; in illa enim festum Scenopegiæ, ad cuius solemnitatem Iudæi vndique confluxuri sunt. *Vt discipuli tui*: id est tui studiosi, mæque doctrinæ sectatores; vt explicat D. Chrysostomus, D. Bonauent. quos ibi nuper prædicando tibi comparasti. *Videant.* Græcus, *θεάσονται, opera quæ facis*, Valde miranda, vt illis cognitis maximè in fide confirmentur; nouæ plantæ, ac incipientes in virtute, multis documentis sunt irrigandi, ac fouendi. Notandum, quòd non exhortantur dist nctè; vt edat in Iudæa miracula, *sed vt videant opera tua, quæ facis.* Monent scilicet vt ea, quæ operabatur in Galilæa faceret, & in Iudæa; seu cùm Christus iret in Iudæam secum deferebat suam pietatem & clementiam, vt multis donis in cunctos diffunderet.

Chrysost. Bonauent. Græcus.

Vbi Christus vadit, ibi eius pietas vadit, vt inuitos diffundatur.

11. *Nemo quippe.* Addunt consanguinei alteram rationem ad inducendum Christum Dominum, vt pergat in Iudæam. *Nemo in occulto quid facit*: id est nemo, quod facit abscondite, ac priuato in loco *Quærit.* Desiderat, cupit, & affectat; *in palam esse*, hoc est apertè dici, & euulgari; qui enim vult, vt aliquid sui in omnium ore habeatur, ac fateatur, debet illud in omnium oculis edere, sensus totius sententiæ est, ac si dicant, Tu ô Christe quæris ab hominibus recipi, & coli tanquam verus Christus, ac Messias, fac opera tua non in obscura Galilææ regione, sed in loco, & tempore valde publico, vt omnibus sint nota. Alij legunt: *Et quærit in libertate dicendi esse*: hoc est, nemo in occulto facit quid magnum, & vult liberè, & palam prædicari ab hominibus. Si hæc facit. D. Chrysostomus homil. 47. Euthymius, D. Thomas, D. Carthusianus & alij exponunt per modum dubij, id est si verè, & non apparenter hæc facis, seu si veram virtutem hæc mira perpetrandi habes? Aptius tamen dicendum cum D. Augustino tractat. 28. D. Cyrillo lib. 4. cap. 32. Toleto, & aliis hæc verba idem valere, cùm tam admiranda facias opera, omnibus te manifesta, vt suis oculis videant opera tua. In hoc maximè hominum temeritas, ac præsumptio notanda est, quæ Christum admonere, ac taxare intentabat in his, quæ ad suum munus spectabant, tanquam si in illis non se rectè gereret.

Chrysost. Euthym. D. Thom. Carthus.

Augustin. Cyrill. Tolet.

Hominis præsumptio existimat Deum posse admoneri.

12. *Neque enim fratres eius.* Tacitæ obiectioni occurrit Euangelista ostendens, quòd ex incredulitate processit, quòd Christum tam audenter, ac confidenter admonerent. *Credebant in eum.* Ideoque secum volebant Christum ire in Hierusalem, vt ibi sua mirabilia opera ederet, nam licet ipsi crederent, illa esse verè miracula, tamen ob eius humilitatem, & paupertatem dubitabant, an ipse esset verus Messias, ideo exhortabantur ire secum in Hierusalem, vt ibi Pontifices, ac legis periti eius opera examinarent, ipsúmquè. esse Christum declararent.

QVÆSTIO II.

Quo animo Christi consanguinei, suadent eum ascendere Hierosolymam.

13. IN limine huius quæstionis notandum est, quòd cùm tres essent festiuitates, Paschatis scilicet, & Pentecostes, ac Scenopegiæ, vt notaui superiori quæstione in quibus omnes Israëlitæ tenebantur deuenire in Hierusalem, tamen Christi consanguinei non suadent, illùc petere, nec in Paschate, quod incidebat mense Martio, nec in Pentecoste, quod erat quinquaginta diebus post Pascha, sed in hoc festo Scenopegiæ, quod in fine mensis Septembris celebrabatur, Abscesserat Christus Dominus a Iudæa, quia quærebãt eum Iudæi interficere. Ioan. hoc cap. num. 1. in mense Martio scilicet in Paschate, & etiam Pentecoste, adhuc multum videbatur vigere, & feruescere odium Iudæorum ob paralyticum sanatum, in Sabbato. Hoc cap Ioan. 7. num. 23. At verò in Scenopegia, seu fine mensis Septembris tanto tempore intercedente, odium iam mitigatum, ac sedatum præsumebatur, & ideo tunc suggerunt, vt vadat in Hierusalem; seu quia pro tanto negotio eius aduentus in Iudæam, iam sufficiens tempus videbatur interpositum. Vide supra cap. 12. num. 25.

In magnis rebus tempus interponendum.

14. Ad nostram quæstionem respondet primò Toletus annot. 4. quòd Christi consanguinei, videbant eius excellentissima opera; dubitabant tamen an ipse esset Messias? ideo sua incredulitate ducti suadebant Iudæam petere, vbi erant Scribæ, ac Doctores legis, vt eo in loco res discuteretur, ac ipsi dubium deponerent, quo perplexi torquebantur. Vide supra cap. 8. num. 12.

Toletus.

Dubium maximè torquet animum.

15. Secundò. D. Augustinus tractat. 29. in Ioannem, existimat hæc dixisse Christi consanguineos affectu inanis gloriæ ductos. Idem docet D. Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. 32. *Videntes*, ait, *propinqui Christi miracula ab eo occultius in Galilæa fieri, ad inanem gloriam hortantur, quasi ad hoc ille signa faceret, vt laudem ab hominibus consequeretur.* Idem etiam docent Beda, Rupertus S. Thomas, D. Bonauentura, D. Carthusianus, Hugo, & alij, qui sic explicant. Christi consanguinei optabant, vt ipse per miracula, ac opera sua clarescceret, vt inde ipsi tanquam eius consanguinei maximè à populo honorarentur, ac multis muneribus afficerentur; insuper gratiam Principum, ac Pontificum sibi conciliarentur, à quibus ad magna reipublicæ officia, ac beneficia promoueri sperabant. Perpende horum hominum ingenium, non enim suadet, vt ad diem festum deueniat, orandi gratia, sed vt honorem, ac famam apud homines comparet, in quo maximè decipiuntur, non enim famæ, sed iustitiæ consulendum est; quod eleganter dixit D. Laurentius Iustinianus lib. de Humil. cap. 9. *Consultius*, ait, *itaque ac eligibilius introrsus per humilitatem Dei, ac propriæ conscientiæ gaudere testimonio, quam exterius, ad tempus per elationem humana opinione atque dignitate florere.*

Augustin. Cyrill. Beda. Rupertus. D. Thom. Bonauent. Carthus. Hugo

Homines studiosi inanis gloriæ.

Non famæ, sed consilio iustitiæ consulendum. Laurent.

Obiicies contra hanc tantorum Patrum sententiam. Euangelista innuit hanc suasionem ex incredulitate exortam: subdit assignans rationem, *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Respon-

16.

detur, hunc esse Ioannis sensum. Christi propinqui sic illi suaserunt, vt inanem captaret gloriam quia Deum, & Messiam esse non credebant. Si enim hoc credidissent, non talia illi persuaderent.

Cyrill. Sic ait citatus Cyrillus: *Miracula videntes occultius ab eo fieri in Galilæa, inanem gloriam hortantur. Addit autem necessario Ioannes, nondum etiam illos in Iesu credidisse, ne tam frivola, deiectaque verba credentes dicere viderentur.* Humanam gloriolam quærebant, quia Christo non credebant,

Qui Dei magnalia cognoscit, prompte mundialia despicit. qui enim diuina cognoscit, ac penetrat facillime omnem mundanam æstimationem, omniáque temporalia bona despicit, ac à se abiicit.

17. Euthym. Tertiò Euthymius, *Finis eorum*, scilicet Christi propinquorum, ait, *pravus erat, ab invidia procedens, conabantur siquidem illum in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant interficere.* Hanc sententiam deprompsit ex Chrys.

Chrysost. Theophyl. & eam etiã docet Theophylact. Christi propinqui maximè præ invidia eius gloria, ac famat abescebãt, suadét ergo illi, vt transeat, & vadat in Iudæam; optime enim callebant, quòd Iudæi toto affectu anhelabant eum capere, vt eorum manibus crucifigeretur: sicque Christi propinqui, eius

Propinquitas invidiã generat. gloria pertæsi, vt ait D. Augustin. tract. 28. in Ioann. *Credere autem in eum, ipsa propinquitate fastidierunt*; fortè simulatione quadam intentant eum inducere in Hierusalem, vt ibi vitam diffundat, quòd Dominus agnoscens; qui omnium corda intuetur, adiecit, *tempus meum nondum aduenit*:

Chrysost. vt scilicet pro vobis patiar D. Chrysost. homil. citata. 47. *Hic & aliud*, ait, *quiddam videtur posse significari: fortasse enim eum tradere Iudæis consultabant; & ad hoc respondit, tempus meum nondum aduenit; hoc est crucis & mortis. Quid autem tempus vt moriar properatis* Vide tom. 3. cap. 22. quæst. 14. num. 77. 78. & 79. & cap. 15. quæst. 1. n. 45. & 6. ac 7.

18. D. Thom. *Impius ex se iudicat alios.* Quartò D. Thomas *Hoc est*, ait, *proprium malorum, vt credant alios similes eis animi passiones habere.* Ili Domini propinqui maximè anhelabãt inanem gloriam, vt dixi hac quæstione in secunda ratione ex D. Augustin. Cyrillo, & aliis. Exinde certò sibi persuadebant, Christum Dominum eodem teneri affectu, semper enim impius ex se de aliis diiudicat. Quilibet enim de aliis iuxta suam conditionem iudicium format; sic celebris est do-

Augustin. ctrina D. Augustini cap. *Nonnulli*, dist. 46. Malus malum, bonus semper bonum præsumit.

19. Ob fratricidium commissum in Abel, diuina sententia punitur Cain, eique à Domino dicitur *Maledictus eris super terram* Quod audiens Cain, ait, *Ecce eiicis me hodie à facie tua, omnis igitur,*

Genes. 4. *qui invenerit me, occidet me.* Genes. 4. num. 14. Vnde venit huic misero tam dira cogitatio, vt esset occidendus, à quolibet, qui eum inuenisset? Nam solùm inter viuentes in hoc sæculo erant eius pater, mater, fratres, & consobrini filij, ac nepotes eius; si ergo omnes in terra degentes tanto sanguinis nexu ei erant astricti, à quibus mors inferẽda timebatur? Cain extiti crudelis homicida, vt

Homo ex suo animo de alijs præsumit. nec propria mansuetissimo fratri pepercerit, sed in eum violentas manus iniecit, indéque existimabat, quod etiam pater, mater, fratres, filij, ac nepotes, & consobrini eandem crudelitatem in eum exercerent, suasque manus in eius sanguine fœ-

Chrysosto. darent. D. Chrysost. homil. de Dauid, & Saul. *Plerumque*, inquit, *vulgus hominum ex suo animo de aliis iudicat, velut qui sæpe inebriatur, haud facilè credere possit esse quempiam hominem sobriè frugaliterque viuentem: qui scortis indulget, etiam pudicè viuentes habet pro incontinentibus.* Vide supra cap. 8. num. 186. & tom. 1. lib. 3. cap. 13. quæst. 46. num. 123. & tom. 3. cap. 16. quæst. 5. n. 29. & tom. 3. cap. 15. quæst. 17. num. 135. & cap. 35. expos. 14. num. 369.

Ioan. 7. n. 6. Dixit ergo eis Iesus: tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

Num. 7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.

Num. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

Num. 9. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa.

VERSIONES.

Vatablus. Tempus meum nondum
Theophyl. n. 6. adest.
Gracus. Tempus meum idoneum nondum aduenit.
Arias n. 7. Me autem odit: quoniam ego testor de illo.
Euthymius. Testimonium fero.
Græcus n. 8. Ego autẽ nondũ ascendo.
Arabicus. Nunc non ascendo
Alij Codices. Ego autem non ascendã.
Syriacus n. 9. Et quieuit in Galilæa.

EXPOSITIO III.

DIXIT ergo eis Iesus. Cum multa mansuetudine respondit Dominus, nec fratrum audaciam arguit, quòd eum admonere præsũpserint. Chry- 20. Chr
sost. *Non dixit*, ait, *qui estis vos, qui mihi consulitis, & me docetis?* Tanta documento instruimur, fratrum ignorantias patienter sustinere, Theophyl. & quamuis iuxta Theophylact. & Euthymium Euthym datos superiori quæstione optime sciret Dominus, quòd propinqui suadebant ei, vt transiret in Hierusalem, vt à Iudæis comprehenderetur ad mortem, tamen non irascitur in eos, sed leniter re-

Ignorantia fratrũ patienter sustinenda. spondet Euthym. *Tu vero mihi considera*, ait, *quam mansuetè tulerit fratrum consilium, quo insidijs appetebatur.* Ipsis autem fratribus quamuis audacibus, ac incredulis non negat responsum, sed placatè respondet, incipiendo ab vltimo, quod dixerat, *manifesta te ipsum mundo.* Vt notat Caie- Caietan.
tan. ait eis, *tempus meum nondum aduenit*, id est tempus meum, vt proficiscar in Hierusalem ad festum Scenopegiæ, nondum aduenit, quia tempus meum prædistinitum est à Patre, à quo est statu-

tum,

tum, vt post paucos dies palam ob odium Iudæorum illuc ascendam, *tempus autem vestrum*, in Iudæam adeundi, *semper est paratum*, aptum, & commodum, cùm vos crudeli odio non prosequantur Iudæi.

21. Chrysost. Euthym. D. Thom. *Non potest mundus odisse vos.* Assignat Dominus rationem, vt notant D. Chrysost. Euthym. D. Thomas; Cur tempus propinquorum sit paratum, suum vero tempus nondum adsit. *Non potest*, id est non habet causam, nec motiuum. *Mundus*: mundiales homines Scribæ, & Pharisæi *odisse vos.* Cyrill. Non possunt mundi amatores odisse vos sibi similes. Nam vt ait D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 34. *Similis similem diligit.* Non arguitis mundi amatorum facta, ac proinde quocumque libuerit tempore Hierosolymam potestis ascendere, nullum enim vobis ibi imminet periculum, nullúsque vobis ibi mortem machinatur. *Me autem odit.* Cuius rei causam reddit, *quia ego testimonium perhibeo de illo*, hoc est de mundialibus hominibus testor, eosque arguo, *quòd mala eius opera sunt* Contraria nempe legi Dei, ac rationi. Ac si dicat Christus, ego eorum vitia arguo, ideo ipsi me persequuntur. Theophylact. *Liberior enim reprehensio odium parit.* Et D. Cyrill. *Animus enim*, inquit, *voluptati deditus, graviter fert, si à voluptate revocetur.* Quia ergo Iudæi nolebant relinquere sua vitia, ac iniqua facta, ideo odio Christum persequebantur, eique pernicie moliebantur. Iuxta Sap ēt. affātum. 1. n. 12. *Dixerunt impij: Circūueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.*

Reprehensio generat odium in mundialibus. Theophyl. Cyrillus.

Sapient. 1.

22. Euthym. *Vos ascendite ad diem festum hunc. Vos*, ait Euthym. *qui nullum periculum timetis.* Proficiscimini ad diem festum Scenopegiæ celebrandū. Græcus. Arabicus. *Ego autem non ascendo.* Græcus legit: *Ego nondum ascendo.* Arabicus. *Nunc non ascendo.* Quæ lectiones licet sint clariores, tamen nostra lectio præferēda est. Nam si Christus dixisset: *Ego nondum ascendo*, seu *Nunc non ascendo.* Instarent Christi consanguinei, quo tempore es iturus, vt nos expectemus & tecum simul ascendamus? *Ego autem non ascendo.* Modò, & apertè vobiscū, sed expecto paulisper, vt refrigescat Iudæorum ira, qui me magno impetu in exordio festi expectant, vt me interficiant. Post tres autem dies cū minori periculo illuc me manifestabo: vt dicam infra quæst. 5. n. 10.. Cyrill. *Quia meum tempus nondum est impletum.* Vt opportunè, ac commodè ascendam. D. Cyrillus, lib. 4. in Ioan. cap. 35. *Hac dixit Saluator*, ait, *non quia nullo sē modo in solemnitatem ascensurum ostendere velit, nec quia ab vtili redargutione animum remouerit, sed quia opportuno tempore cuncta erat facturus.*

Græcus. Arabicus.

Cyrill.

QVÆSTIO III.

Quare Christus omnium temporum Dominus dixerit, tempus suum eundi in Hierusalem nondum esse paratum?

23. Chrysost Leont. Theophyl. Albert. Bonau. AD quæstionem respondet primò D. Chrysostom. homil. 47. *Tempus meum*, ait, *nondum aduenit, hoc est crucis, & mortis.* Similiter exponunt Leontius, Theophylact. Albertus Magnus D. Bonauent. interpretantur Christum dixisse, nondum venisse moriendi tempus, quod sibi à Patre prædeterminatum erat. Hoc enim tempus suum, sicut & horam suam Christus vocare solet. Vt infra hoc cap. num. 30. & cap. 8. num. 20. & cap. 13. num. 1. Quamuis enim Christus summè affectaret mori, tamen magis consulebat Patris obedientiæ, quàm propriæ voluntati, magisque attēdebat ad commune bonum, quod requirebat, vt pro magnis documentis dandis, adhuc viueret, quàm ad propriam inclinationem dandi vitam.

Tempus mortis peculiare Christi tempus.

24. Augustin. Secundò D. Augustin. tract. 28. in Ioan. *Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus eius nondum venerat.* Respondet in persona Christi: *Tempus gloriæ meæ nondum venit; videte quam profundum sit. De gloria illa admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere.* Ita Beda, Rupertus, & alij. Qui cum D. Augustino existimat, vt retuli superiori quæst. quòd fratres suadebāt, vt Ierosolymam peteret, vt diuulgata miraculis sua potestate gloriam quæreret, Tunc Christus ait illis, quod tempus suæ glorificationis nondum aduenit. Nolebat enim fructum gloriæ, & maiestatis nisi post crucem & mortem decerpere. *In monte sublimi Israël plantabo illud; & erumpet germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnum*, Ezech. 17. n. 23. *In monte sublimi Israël plantabo illud.* Transferunt Septuaginta. *Plantabo super montem excelsum, & suspendam illud in monte sublimi Israël* Quæ verba de Christo interpretantur D. Hieron. Theodoret. Ex eo quod crucifixus est in mōte, vide quid sequitur, *faciet fructum, & erit in Cedrum magnum.* Theodoret. *Excelsus*, ait, *Golgothis est, vbi salutaris infixa crux est: Deinde post passionem resurrectionem, euangelij propagationem, & producet germen, & faciet fructum, quem orbis terrarum vindemians, & depascens, æternam vitam sperat.*

Beda. Rupertus.

Christum voluit gloriam nisi per mortem, & passionē.

Ezech. 17.

Septuaginta

Hieron. Theodor.

25. Cyrill. Tertiò D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 33. Ac si dicat Christus: *nondum palam faciendi omnia tempus adest: nec etiam vt gentibus hæc omnia tradantur, quum nondum penitus à gratia Iudæi resilierint. Mea igitur*, inquit, *manifestationis tempus nondum adest.* De tempore manifestationis Christi sententiam interpretatur, ac si ipse respondeat ad id, quod vltimo fratres dixerant: *Ostende te ipsum mundo.* Tunc ait ipse: *Nondum aduenit tempus meum.* Quando scilicet gentibus, ac toti mundo sum manifestaturus, hoc autem fiet, postquam à Iudæis repellar, vt determinatum est à Patre meo: hoc autem meum tempus tantæ prædicationis, ac conuersionis gentium nondum aduenit, vestrum autem tempus, in quo non multum est negotij, semper est paratum. Cuius rei optimam rationem assignat citatus D. Cyrillus. *Quæcumque maiori dispensationi res subiacent, non omni tempore commodè aguntur. Quales Christi res erant: res autem eorum, qui maiora negligunt, & humiliora sequuntur quouis tempore suscipi possunt.* Magna non omni tempori subiacent, parua verò quodlibet tempus habent opportunum. Saluian. Massili. lib. 4. ad eccles. fin. *Seminis*, ait, *expectat tempus agricola, vt colligat fructum, vt autem fructus pereat, omne tempus sufficiens.*

Res magna non omni tempori subiacent sicut res parua.

Saluian.

26. Ammon. Quartò. Ammonius in Catena Græca sic ait. *Vos*, inquit, *temere agitis, quod vultis. Non sic ego, eo quod singula geram viriliter.* Cum iudicio, & ratione, magna enim prædēria erat, tunc quòd Christus ad diem festum non ascenderet, vt latius explicabo sequenti ratione. Ait Moyses: *In princi-*

Genes. 1. Origenes. *Omnia agenda cũ ratione.*

pio creauit Deus cælum, & terram. Genes. 1. n. 1. seu, vt legit Origenes: *in verbo.* Non sat erat dicere quòd Deus cuncta creauerit per semetipsum? Ad quid dicitur, quod in verbo condiderit? Verbum sapientiam donorat. Pro ergo magno documento nostra statim in limine Scripturæ dicitur, quòd Deus in verbo creauit omnia, vt non his erud amur sapientia, ac iudicio cuncta agere, & disponere. D. Ambrosius sermon. 22. *Esto imitator Dei, quomodo imitator? Nunquid potes facere, aut terram, aut mare? Non vtique, sed omnia per verbum facias, nihil sine verbo, omnia cum ratione, nihil sine ratione.* Vide supra cap. 10. num. 34. 35. 36. & tom. 1. 2. & 3. verb. *Ratio*, ibi multa.

Ambros.

27. Carthus. Caietan. Titelman. Iansen. Toletus, Burgens. Barrad. Cornel.

Quintò. Dionysius Carthusian. Caietan. Titelman. Iansen. Toletus, Lucas Burg. Barradas, Cornel. & alij de tempore eundi in Hierusalem explicant sententiam, quam nos secuti sumus in expositione. Et probatur ex sequentibus. *Tempus vestrum semper est paratum*: petendi scilicet Iudæam, ergo de itinere in illam vtrobique est sermo. Ac si dicat Christus meum tempus palam ascendendi Ierosolymam nondum adest, nam in primis diebus maximè æstuabit ira Iudæorum in me, vestrũ autem tempus semper est paratum, vt in illam liberè, ac patenter proficiscamini.

28. *Opportuno tempore iũcta faciẽda.* Psalm. 44.

Non acquieuit Christus Dominus persuasioni fratrum, vt vadat in Hierusalem, sed temporis opportunitatem expectat. Hæc enim semper in omni actione inquirenda, & exoptanda est: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Psalm. 144. num. 15. Non ait, præbes cibum citò, vel abundanter, sed tempore opportuno; opportunitas enim in munere super omnia dantis magnificentiam extollit. D. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 170. *Non enim donaxas alit*, ait, *sed etiam tempestiue. Hoc quippe potissimum est, quòd omnia alit, & quòd tempestiuè porrigatur.* Præmiserat enim S. Doctor in eadem Epist. *Opportunitas, enim id, quod datur, maius & amabilius reddit. Quocirca non tantum dare conuenit (exiguum enim istud fortasse) sed etiã opportune. Hoc quippe, & parum munus augebit* Vide tom. 1. c. 1. q. 17. n. 66. & tom. 3. cap. 12. quæst. 10. num. 51. 52. & 53.

Pelusiot. *Opportunè datum magnum donũ.*

QVÆSTIO IV.

Quare dixit Dominus se non ascendere ad diem festum, cùm ad illud postea ipse ascenderit?

10. *Ratio difficultatis.*

DIFFICVLTAS est manifesta, & vulgaris. Dixit enim in hac præsenti sententia Christus suis Discipulis: *Non ascendam ad diem festum.* & tamen postea ascendit, vt patet ex vers. 10. quod in varias sententias facit abire Doctores.

30. Chrysost. Theophyl. Euthym. Tolet.

Primò respondent D. Chrysost. homil. 47. Euthym. Theophylact. Tolet. Non ascendam vobiscum palam, ac manifestè; quia modo non est tempus meum adimplendum adeundi festum, & hanc sententiam secutus sum in expositione. Postquam enim fratres eius abierunt: tunc ipse ascendit.

31. Chrysost. Euthic. Ammon. Carthus. Lyranus.

Secundò Idem D. Chrysost. homil. 48. D. Euthimius in quæstionibus in Ioan. Ammonius, Carthusianus, Lyranus, sic explicant. Ait Dominus: *Non ascendo ad diẽ festum istum.* Hoc est ad primos dies festi instantes, quia tunc maximè feruescebat ira Iudæorum, qui inquirebant eum dicentes: *Vbi est?* n. 11. At verò sub diem quartum festi, vt dicitur, vers. 14. *Festo die mediante.* Tunc ipse ascendit, quia iam tunc ira Iudæorum erat sedata, & aliquantulum remissa. Theophylact. *In principio quidem ascendere detrahebat, vtpote feruentibus furore Iudæis: post hæc autem, cùm festum solemnandum esset, ascendit, quando & insaniam illorum verisimile erat mitigatam esse.* Magna enim prudentia est dare locum ira, ac illi cedere. Pro hoc vide multa tom. 1. 2. & 3. verb. *Ira.*

Dandus est locus iræ.

32. August. Beda. D. Thom. Bonau. Maldon.

Tertiò. D. Augustin. tract. 28. in Ioan. Beda, D. Thomas, D. Bonau. sic interpretentur: *Ego non ascendam ad diem festum istum.* Quærens gloriam meam, ad quam fratres exhortabantur. In qua sententia est etiam Maldonatus, qui sic eam explicat. Ego non ascendo, subintelligitur, sicut vos, ô cognati mei, existimatis, ac cupitis, scilicet vt purus homo, ac vt Ierosolymis à populo mihi honorem, & gloriam conciliem, sed ascendam vt verus Messias, ac filius Dei, erudiens populum in via salutis, vt ita non meam, sed Dei Patris gloriam quæram. Vide tom. 2. cap. 11. q. 21. n. 143. & tom. 3. cap. 17. quæst. 1. num. 6. & 7.

33. August.

Quartò. Idem D. Augustin. quæst. 78. Noui Testam. *Ascendit*, scilicet Dominus, ait, *non quasi ad diem festum, sed quasi ad lucem: illi enim omnes lati ascenderunt, quasi ad perfruendas delitias diei festi? certum est enim, quòd non ascendit ad diem festum; is enim illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem.* Præpondera. Quod non dixit Christus. Non ascendo ad diem festum, sed ait, *ad diẽ festum istum*, scilicet. Scenopegiæ, ac Iudæorum, in quo homines deliciis, otio, ac gaudio exultabant; non enim talem diem festum reputabat; solúmque illi fuit celeberrimus dies festus, ad illúmque festum gaudens ascendit, quando crucifixus & mortuus nos redemit, ac à seruitute dæmonis liberauit. *Is enim illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum.* Vide supra cap. 6. num. 10. & n. 36. & cap. 8. num. 36. & aliis locis.

Dies Christi festus, dies mortis eius.

34. Cyrill.

Quintò. N. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 35. sic loquitur in persona Christi ad fratres: *Vos igitur*, inquit, *qui vmbris adhuc inhæretis, qui Iudaicè affecti estis ascendite in hunc festum diem per vmbras celebraturi. Ego verò cui vmbræ iam cordi non sunt, non ascendo: quia figuras celebrare iucundum non est. Expecto autem, vera solemnitatis tempus, quod nondum est impletum. Tunc enim in splendore Sanctorum cum eis conuiuam in gloria Patris, qua super omnia fulget.* Inuitatur Christus à fratribus, vt tendat ad festum; Ipse ait *Non ascendo ad diem festum istum, vos ascendite.* Quorsum mandat fratres accedere ad festum, cui ipse pro tunc non ascendebat? *Fratres*, ait hîc Ioan. n. 5. *Adhuc non credebant in eum.* Cùm non crederent in Christum, ad solidam veritatem erant affecti, sed vmbris, ac figuris Iudæorum adhuc tenebantur, ideo ad talia festa sine Iesu mittuntur, in quo refulget omnium solida veritas; indéque Iesus ad festum non venit, nam ipse in vmbris non est. *Ego vero cui vmbræ iã cordi non sunt, non ascendo.* Sed in æterno vero gaudio, ac gloria cum Sanctis suis apparet, ac fulget.

In filo Iesu solida veritas inuenitur, in aliis vmbra.

35. Ezech. 23.

De Odolla meretrice pertractans Exechiel. 23. num. 14. *Cùm vidisset*, ait, *viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiras tinctas in capitibus eorum, insanuit super eos concupiscentia oculorum suorum,* Totum quod in eis videtur figuræ quædam depictæ,

ctæ, ac imagines tractæ sunt; at verò anima sancta considerans suum sponsum Iesum, sic ait: Cant. 5. *Caput eius aurum optimum: coma eius sicut elatæ palmarum: oculi eius sicut columbæ: gena illius sicut areola aromatum: labia illius lilia distillantia: manus eius tornatiles aureæ, venter eius eburneus, distinctus saphiris: crura illius columnæ marmoreæ: species eius vt Libani: guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis*, Cantic. 5. num. 16. Quæ vltima verba legit Vatablus, *Et quantus, quantus est, res sunt expetibiles.* Vatabl. Quid est, quòd Odolla nil aliud reperit in suis amatoribus nisi figuras, & picturas. At verò anima totum, quod inuenit in meo Iesu, sunt res veræ, solidæ, primæ, ac optimæ, aurum, palmæ, hyacinthi, ebur, columnæ marmoreæ, *& quantus, quantus est, sunt res expetibiles.* In mundo, figura, & pictura coloribus tantùm apparentia, at in Christo Iesu nihil aliud reluceat nisi vera, & integra res, solidissimáque omnium perfectionum perfectio. Rupertus ad vltima tractata Canticorum verba: *Quomodo potuit*, ait, *sermo describere Iesum amabilem, dilectum, desiderabilem; non talis pictura hæc, qualem respexit illa Odolla, de qua scriptum est*: Cùm vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, &c. *Non inquam talis pictura hæc; verumtamen amulamini melius visum illum, sicut illa exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, ita nunc exhibete oculos vestros, videre dilectum, videre caput aurum eius, oculos vitreos, reverendas genas, gratiosa labia, tornatiles manus. De omnibus rectum iudicium iudicate.*

In mundo figura apparens, in Iesu solidissima veritas. Rupert.

35. Osee 4. Conqueritur Deus, quod populus suus idola lignea adoranerit, & ait: *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona vmbra eius.* Osee 4. num. 13. Statuas ligneas adorabant, vt interpretantur Rupertus, Lyranus, maximè tamen ponderanda est causa. *Quia bona erat vmbra eius.* Quia vmbram, ac obscuritatem in eis inueniebant, ideò illã adorabant. Qui enim reliquerãt verum Solem iustitiæ Deum nostrum, ab eóque recesserant, consequens erat, vt in vmbras, ac tenebras inciderent. Ruffinus libro 1. in Oseam: *Repudiantes*, ait, *lucis, & luminis conditorem, verè quasi filij tenebrarum nemoris capiebantur vmbra.* Et post pauca subdit: *Hanc igitur impietatem calamitatis vltima dispungat illatio.*

In mundialibus vmbra & tenebræ. Ruffin.

Ioan. 7. n. 10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.

Num. 11. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: vbi est ille?

Num. 12. Et murmur multum erat in turba de eo, quidam enim dicebant: quia bonus est, alij autem dicebant: non, sed seducit turbas.

Num. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

VERSIONES.

Syriacus n. 12. Et murmur multum propter eum fuit in turba. Erant autem, qui dicebant: bonus est; alij verò dicebant: minimè, sed seducit populum.

Arabicus. Murmuratio multa erat.

Euthymius. Seducit mundum.

Græcus n. 13. Nullus tamen liberè.

EXPOSITIO IV.

VT autem ascenderunt fratres eius, Abierunt Christi consanguinei Hierosolymam turmatim, vt solebãt ire Iudæi ad suas festiuitates per cognationes, & familias suas, & ideò secum intentauerunt adducere Iesum. Ille autem pro tunc remansit in Galilæa. *Tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Rectè notat D. Chrys. hom. 48. *Hæc particula vt ascenderunt fratres eius, ostendit noluisse cum illis ascendere, & ideò remansisse.* Decreuit enim cum illis non ascendere ad primos dies festi; tunc enim maximè æstuabat ira Iudæorum, & hac de causa quarto die festi se ostendit in templo, vt dicitur infrà vers. 14. vt latè dixi superiori quæstione in 2. solutione. *Nõ manifestè.* Ita vt doceret, ac miracula ederet *Sed quasi occultè*, veluti persona priuata, absque strepitu & significatione præsentiæ suæ; quare ex Galilæa nõ recto itinere profectus est, sed deueniens per Samariam, transmisso Iordane iter fecit, dimisso populo, vel cum discipulis suis, vt inquiunt Tolet. Lucas Burgensis, vel præmittendo discipulos suos ad præparandos auditores, vt ait Caiet. semper ad magna præuia dispositio antecedat. Nota quod non dicitur absolutè; occultè, sed quasi occultè, quia eximia Christi virtus semper sui radios spargebat.

36. Chrysost. Tolet. Burgensis. Caietan. *Christi virtus semper se manifestabat.*

Iudæi ergo quærebant eum. Quidam, vt inquiunt Albert. Magn. & D. Thom. bono animo, vt eius doctrinam audirent; quidam malo animo, vt inquiũt D. Chrys. Theophylact. Euthym. vt cum interficerent, vt patet infrà n. 25. Hi erant Pharisæi, & Principes Sacerdotũ, alij curiositate cum quærebant, vt notant Leõtius, & D. Cyril. quales erãt incolæ, qui denuo confluxerant, vt verba eius audirent, vel aliquod eius miraculum viderent. *In festo.* Iniquitas nullam sanctitatem reueretur, diem festum sanctificare tenebantur, & in illo tantum malum perpetrare intendebant. Euthym. *Pulchrè sanè illorum opera* ait, in diebus festis, *cum illos cædis facere occasionem.* Et dicebant inquirentes eum, *Vbi est ille?* Ex nimio odio cum nominatim non appellãt. Et vt notat Caiet. Principes Sacerdotum non aperiebant venenum suum turbis: sed non videntes eum, more solito interrogabant, *Vbi est ille?*

37. Alb. Magn. D. Thom. Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. Cyrill. Euthym. Caietan.

Et murmur multum erat in turba de eo. Quod explicans Euthym. ait: *Turbatio & contentio.* Cum murmure, ac strepitu magno de eo loquebatur; nam vt ait Theophylact. variæ de eo erant sententiæ: *Quidam enim dicebant, quia bonus est.* Hi erant, ait Euthym. *Qui mente corrupti non erant;* quales fuerant, qui cum eo in Galilæa conuersati fuerant: *Alij autem dicebant, non.* Putat Chrysost. hos

38. Euthym. Theophyl.

hos esse Principes Sacerdotum,& partem turbæ, quæ illos sequebatur. *Seduxit turbas.* Sua nempe doctrina indoctum vulgus,& rudem pertrit.

39. Beda. Sensus Christi malè iudicatur ab hominibus.

Nemo tamen palam loquebatur de eo. Hoc referendum est ad eos,qui benedicebant,vt adnotauit Beda.Vnde ait D.Aug.tract.28.in Ioannē: *Seduxit turbas, clarius sonabant; bonus est pressius susurabant.* Et hoc etiam de viris religiosis, ac sanctis frequenter dici subdit.Idem D.Aug. *De omnibus seruis eius,ait,hoc dicitur modo, quicumque eminet in aliqua gratia, siue munere, siue profectu, alij dicunt,quia bonus est;alij non: sed seducit turbas. Vnde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo.* Textus Euangelij: *Propter metum Iudæorum*, scilicet Pontificum, Principum,ac Scribarum,qui malè de Christo Domino sentiebant,& ideò Euāgelista eos Iudæos,non autē Pontifices, & Sacerdotes nominauit,vtpote tanta dignitate indignos.D. Cyrill.l.4.in Ioannem.cap.... *Præcipuè*, ait, *hic Iudæos,Iudæorum Principes appellauit: indignum enim iudicauit, homines adeò à pietate remotos Sacerdotes, aut Seniores populi appellare.*

Cyrill. *Si malus, indignus est homo vt Sacerdotis nomine gaudeat.*

QVÆSTIO V.

Quo die Christus ascenderit ad festum? Et quare Iudæi quærebant eum dicentes vbi est ille?

40. Lyranus. Carthus. Hugo. Maldon. Cornel. Barrad.

QVæstio duas vendicat partes.Prima est de die, secunda de Iudæorum interrogatione Quantum ad primam,Lyran. Carthus. Hugo,& alij existimāt,quòd Dominus ascenderit Ierosolymam die festi quarto. Nam infrà n. 14. dicitur: *Die festo mediante.* Maldonat.n.11. Tolet.Barradas, Cornelius vers. 14 quod Christus ascenderit paulò post cognatos,ita,vt primo festi die Ierosolymis interfuerit.

41. Deuter. 16 Christum in primo festo die adfuit.

Secunda sententia mihi videtur probabilior,& primò nititur optima coniectura: Christus Dominus venit Ierosolymam,vt legi satisfaceret;lex autem præcipiebat,vt illud festum per septē dies celebraretur: *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus.* Deuter.16. n.15.Ergo Christus Dominus legis obseruator in omnibus integer legē obseruauit. Confirmatur ex contextu Euangelistæ,n.10.ait: *Cum autem ascendissent fratres eius tunc & ipse ascendit ad diem festū.* Illa particula,*tunc*, denotat statim,seu paulò post fratres suos ascēdisse;fieri enim potuit,quod vno,vel altero die post fratres esset profectus, & tamen quod ad primum diem festi veniret:nec aliquid contra hoc colligitur ex Euāgelista,vers.14. Non enim ait: *Die festo mediante ascendit Iesus* Ierosolymam,sed *in templum*;festum autem hoc Scenopegiæ,vt dixi quæst.1.non celebrabatur in tēplo,sed vel in campo, vel vrbe constructis tabernaculis.

42. Christi sanctitatis magna opinio.

Secundæ quæstionis pars de interrogatione facta,*Vbi est ille?* Et dubitari potest statim,qua occasione Iudæi Christum inquisierunt,cùm vidisset eum cum suis cognatis ad festū non venisse. Respōdetur,quod tanta erat Christi sanctitatis opinio quod quamuis Iudæi eum non vidissent cum suis propinquis,tamen pro certo habebant eum festo non defuturum;vel potest etiam dici,quod inquirebant eum, postquam cognouerunt, quod in Ierosolyma versabatur.

Interrogabant, *Vbi est ille?* Nomen proprium non dicunt,sed per contemptum de eo loquuntur. D. Chrysost. *Ex nimio enim odio*, ait, *nominatim appellare non patiebantur.* Rupertus ad hunc locum Ioan. *Vide nunc*, inquit, *genimina viperarum, quanto fauiant veneni præcordialis ardore; non enim dicunt:Vbi est Iesus?sed vbi est ille? Nunquid eius, quem quærebant interficere, poterant nomen nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida Diabolus,sic eos agebant, vt odio dilitante nomen salutis non possent,imò nollent attingere.* Vehemens odium nomē pronuntiare non sinebat.Vide to.1. lib.3.cap.3.quæ.1.num.6.& 7.tom.2.cap.5.q.38 num. 234. & cap. 6. num.2. tom.3. cap. 1. q.23. num.160.& 161.

43. Chrysost. *Ex odio nomē ignoratur.* Chrysost. Rupert.

44. Alb. Magn. *In eadem interrogatione diuersa iudicandum,*

Secundò,nomē eius non exprimunt, vt ait Albert.Magn.& patet ex supradictis,quidam inquirebant eum bona intentione, quidam verò mala, & tamē nullus ex his eius nomen dicit:Boni, cùm recognoscerent maiestatem, & excellentiam sanctissimi nominis Iesu, ex veneratione illud pronuntiare non audent;Mali verò ex multo odio eū proprio nomine non appellant.

45. Exod.15. *Ex eodem verbo diuersa iudicia.*

Cecidit manna è cælo superficiem terræ cooperiens, *quod cùm vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem Manu,quid est hoc?* Exod. 16. numer.15. Heri promisit Moyses,ô Israelitæ vobis panem de cælo daturum matutino tempore:hic autem,quem conspicitis, nullus alius potest esse. Cur ergo tāta contentione quæritis quid est hoc. cū ex pollicitatione facta, facilè deprehendatur quid sit & Moyses optimè illud agnouit dicens, *iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Et tamen omnes quærunt,cùm in eis existerent boni, & mali. Mali interrogabant, quia eximium beneficium ante oculos positum ignorabāt, & illud fateri nolebant;boni etiam interrogant,quia tāto beneficio se indignos iudicabant; ac si dicerent, quid est hoc? Quod fecit nobis Deus? Oleaster: *Quia hoc interest*, ait, *inter pios, & impios, quod impij ignorant dona sibi concessa; pij verò optimè norunt,quæ à Deo donata sunt, non solum sibi, sed & aliis.* Vide tom.3.cap.22.q.16.num.91. & 92. Oleaster.

Ioan.7.n.14. Iam autēm die festo mediante, ascendit Iesus in Templum, & docebat.

Num.15. Et mirabantur Iudæi, dicentes: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

Num.16. Respondit Iesus, & dixit: mea doctrina non est mea; sed eius, qui misit me.

VERSIONES.

Syriac.& Ara. Cùm autem dimidiati essent dies festi.

Vatablus Enth. Cùm autem iam dimidium festi esset peractum.

Arias.n.15. Quomodo hic litteras scit. cum non sit doctus?

Syriacus. Quomodo nouit iste litteras,cum non didicerit?

EXPOSI

EXPOSITIO VIII.

46. IN *A Mdie festo mediante.* Circa dimidium festi, seu cum iam dimidium festi esset transactum, quarto nimirum festiuitatis die, vt obseruarunt Euthymius, Carthusianus, Hugo. & alij; constabat enim solemnitas hæc diebus octo, vt constat Leuit. 23. num. 36. quanquam septem tantum dies agerentur sub tabernaculis. *Ascendit Iesus in templum.* Erat enim in monte situm. Notandum est, quòd in alta dicitur ingredi. *Cum ingrederetur Iesus Ierosolymam*, Matth. 21. num. 10. *Cùm intrasset Iesus in domum cuiusdam Principis*, Luc. 14. n. 1. *Cùm ingrederetur Iesus quoddam castellum*, Luc. 17. n. 12. Ex quo ponderat hîc D. Cyrillus lib. 4. in Ioã. cap. 40. *Non dixit*, inquit, *Euangelista Christum ingressum fuisse in templum, sed ascendisse. Ardua sanè res est, atque sublimis loca ingredi sancta, & docendi munus rectè suscipere.* Vt ingrediaris Sancta, oportet moribus ascendere; *& docebat.* Rectè notarunt Chrysostomus, Leontius, Theophylactus: *Quid doceret silentio præterit Euangelista.* Tamen cùm Christus doceret, res alta, & sublimis erat ad nostram salutem spectans, quod etiam constat ex sequenti vers. Nam Iudæi contrarij, & inimici de illius sublimitate admirabantur

Ehthymius. Carthusian. Hugo. Leuit. 23.

Matth. 21.

Luc. 17. *Ingredi sancta, & prædicare res difficilis.* Cyrill.

47. *Et mirabantur Iudæi.* Vt scribit D. Cyrill. lib. 4. cap. 41. *Mirabantur orationis, & prudentiæ inauditam in eo vim videntes.* Quæ tam excellens, & vehemens erat, vt Iudæorum rabiem in amorem, & admirationem Christi conuerterit, Theophylact. *Mirabilia dixit*, ait, *per quæ illos cohibuit, & mentem eorum in miraculum mutauit.* Subiungitur admirationis causa. *Quomodo hic scit literas*, scilicet sacram Scripturam, *cum non didicerit*, sciicet scholas suas frequentasset. D. Augustinus, *Nunquam eum viderant, literas discentem, & audiebant de lege disputantem, legis testimonia proferentem.* Sic quam multi, cùm non videant scholas suas frequentare, doctrinam suam sequi, existimant alios nil scire.

Chrysost. Leont. Theophyl.

Augus.

48. Iudæi cæci non considerãt sublimitatem Christi doctrinæ, sed ad minora attendunt, quomodo scit, cum non didicerit. D. Chrysost. homil. 48. *Vides*, inquit, *eorum plenam malitia admirationem? Non enim doctrinam admirabantur; sed alia eos mouebat admiratio. Vnde id sciret: cùm potius hinc cognoscere debuissent, nil humani in eo esse.* Calumnia quam Iudæi cõtra Christum armabant in ipsos reflectitur, si enim Christus tam admirabilem doctrinam dabat, cum literas non didicisset, profectò conuincebatur, quòd talis doctrina non ex humano ingenio, sed ex Dei afflatu proueniebat. Pro euidenti huius rei testimonio, ac reprimenda Pharisæorum calumnia ordinauit diuina Sapientia, vt Christus scholas non intraret. Arnoldus Carnot. tract. 5. de 7. verbis Domini: *Quis ignorantia locus erat, cùm ipsis inquirentibus, quomodo literas nosset? quas non didicerat, diuina sapientia hoc ipsum documentum esse, quod te, quem in scholis nunquam viderant eruditum, in lege probarent.*

Chrysost. *Iniquus contra se arguit.*

Præmunitur Deus cõtra malorũ calumniam. Arnold.

49. *Respondit Iesus.* Ad eorum, nempe murmur, ac interrogationem *Quomodo hic literas scit?* Ait Christus: *Doctrina mea*, hoc est dogmata mea, quæ ego prædico, & doceo, *non est mea*, id est, non est inuentum meum, nec à me comparata, & acquisita, *sed eius qui misit me* id est, Dei patris, qui mihi nunquam vero Deo, & homini hanc scientiam dedit, tanquam Deo: per æternam enim generationem cum ipsa natura diuina omniscientiam communicauit; & etiam tanquam homini, mihi suam scientiam beatificam, & infusam omnium rerum indidit. Iuxta illud Isai. 11. n. m. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis.* Vtroque modo, ac de vtraque scientia, quã vt Deus, ac homo habet Christus: textum interpretantur D. Chrysostomus homil. 48. D. Augustinus lib. 2. de Trinitate c. 2. & tractat. 27. in Ioan. D. Cyrillus. 4. in Ioan. cap. 42. Albertus Magnus, S. Thomas, Toletus, & alij. Et notandum cum D. Chrysostomo citato, quòd totam suam doctrinam Deo tribuit. Neve Deo contrarius, neve se extollere videretur; & vt etiam modestiam seruans neminem se iactare debere doceret, & vt auditorum imbecillitati consuleret.

Isai. 11.

Chrysost. August. Cyrill. Alb. Magn. D. Thom. Tolet.

QVÆSTIO VI.

Quare Christum Dominus non se manifestauit in primo die festi, sed in quarto.

§ 0. *Ratio dissimulationis.*

ASCendit Christus in Hierusalem ad primum diem festi, hic autem ascensus fuit omnino occultus, quarto die festi, seu festo mediante ascendit in templum, vt in præsenti scribit Ioannes, hic autem ascensus in templum fuit manifestus, patentérque ibi docuit populum, cur autem non se manifestauit primo die, sed quarto, inquirit hæc quæstio.

§ 1. Chrysost. Leont. Euthym. Theophyl. *Ira danda est locum.*

Respõdent primò D. Chrysostomus Leontius, Euthymius, Theophylactus, qui ait? In principio quidem ascendere detrahebat, *vtpote feruentibus furore Iudæis. Post hæc autem, cum festum soluendum esset, ascendit, quando & in insaniam illorum, verisimile erat mitigatam esse.* Tunc ascendit quando & Iudæorum ira aliquantulum sedata, ac remissa; magna est enim prudentia dare locũ iræ, ac illi cedere. Vide multa tom. 1. 2. & 3. verbo *Ira.*

§ 2. August. Beda. *Declarat Dominus se esse verum hominem.*

Secundò. D. Augustinus tract. 29. in Ioannem, *Illud*, ait, *vt lateret, erat causa exempli, hoc protestatio.* Beda, & alij, latet, vt humano timore se verum hominem ostenderet, & vt etiam nobis daret exemplum, quòd abscondi aliquando erubescamus; manifestat autem se ipsum ex sua potestate, qua potuit Iudæorum corda refrænare, ac mutare.

§ 3. Theophyl. *Ex delatione desiderium.* Theophyl.

Tertiò. Theophylactus: *Quare ascendit*, ait, *cùm esset dimidium festi, vt maiori attentione audirent ea, quæ ab ipso docebantur* Vt vehementius audiendi desiderium per tot dierum moram, & expectationem, in auditoribus cum expectantibus cresceret. Quartò idem Theophylactus: *Ascendit cùm esset dimidium festi, ne festi strepitus illorum aures occluderet. Nam in principio festi, verisimile est, eos in his, quæ festi erant occupatos fuisse.* Vsque ad dimidium festi distulit suam manifestationẽ, & prædicationem; nã in primis diebus occupabantur homines in tabernaculis adornãdis, rebúsque ad festum necessariis comparandis.

§ 4. Alb. Magn. *Deus illuminat homines ad vitam.*

Quintò. Albertus Magnus. Die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat. *Quod fuit*, ait, *quarta die*, quando etiam Deus ab initio mundi coruscare fecit lumen in cælis In signum quod quarto die festi (quod significabat peregrinationem

ntem mundi huius (illuminare debebat de cælis eos, qui sedebant in tenebris, & in vmbra mortis. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*, Dniel. 12. num. 3.

Dniel. 12.

55. Sextò. Ammonius: *Non erat æquum*, ait, *vt sub initium festiuitatis ascenderet Iudæis eius odio æstuantibus.* In principio festiuitatis, præ ira, & furore Iudæi erant omnino incapaces, vt sublimia Christi mysteria, ac verba audirent, ac intelligerent, ideóque differt Diuinus Magister suum ascensum, suámque doctrinam ad dimidium festiuitatis, vt ira iam quiescente cum maiori sua vtilitate, quæ Christi sunt, audiant, & videant.

55. Ammon. *Ira excæcat mentem, vt beneficia nõ videas.*

56. Cùm meus Iesus penderet in Cruce, Matth. 27. n. 39. *Prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum: si filius Dei es, descende de Cruce: similiter, & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*, &c. *Id ipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt.* Illud maximè venit notandum in Euangelistæ textu, quòd prius scribuntur blasphemiæ, ac contumeliæ in Christum iactatæ, & postea Sol obscuratus, ac tenebræ super terram narrantur. Cur hoc magnum mirabile? quòd Sol obtenebretur in plenilunio, nõ fit, cùm opprobria in Christum iactantur, sed postquam blasphematores suum venenum eructarunt, & quieuerunt; cùm persequutorum ira, ac furor blasphemiis, ac contumeliis æstuaret; minimè tantum miraculum præter omnem rerum ordinem erat respiciendum, inde Diuinus gubernator ab illo pro tunc abstinet, & ad aliud commodius tempus illud reseruat, quando cum maiori opportunitate aliquid lucrifacere valeat. Euthymius ibi: *Post*, ait, *petulantiæ, ac scommatum satietatem id factum est, vt quiescente iam furore, aliquid à miraculis lucrifieri posset.*

Matth. 27.

Vt inimici profectum beneficij, eorum ira prius quiescat.

Euthym.

57. Ait Deus per Moysem ad Pharaonem: *Pluam erat hac ipsa hora grandinem: mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines, & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fuerint foris*, &c. *Qui autem neglexit sermonem Domini misit seruos suos, & iumenta in agris*, Exod. 9. num. 21. Et postea subditur: *Percussit grando in omni terra Ægypti, cuncta quæ fuerunt in agris*, num. 16. Magna Dei bonitas; imminens plaga denuntiatur, vt effugium quæratur. Illud tamen maximè notandum, quòd admonet Deus de effugio, quod vnicuique erat euidentissimum, & promptissimum, quòd scilicet homo congregaret sua pecora, ac domi retineret, & tamen fuit Ægyptius, qui hoc contemneret; quis audiens imminere tempestatem lethali grandine plenam, non præcaueret pecoribus suis, & in domo facilia, & prompta effugia quæreret, tanto furore ac rabie, erant aliqui in Ægypto succensi in Moysem, ac cæteros Hebræos, vt corũ verba contemnerent, & potius vellẽt sua interemptioni exponere; quàm credere, eorúmque verbis attẽdere, indéque manifesta effugia ab illorum mente effugit, vt illis nec agant, nec curent. Abulensis; *Erant multi de seruis Pharaonis*, ait, *plagis non correcti; sed peiores effecti, qui adhuc non credebant verbis Domini.*

Exod. 9.

Ira nõ finit hominẽ vti beneficijs oblatis.

Abulens.

Qvæstio VII.

Quare Christus ait: Doctrina mea non est mea, *si mea, quomodo non mea?*

58. Hanc quæstionem excitant D. Augustinus, D. Chrysostomus, S. Thomas D. Bonauentura, & alij Patres, & Doctores statim citãdi; nam ipsi dicunt, in his Domini verbis videtur quædam contradictio inuoluj; nam si ipse dixisset: Doctrina, quam ego prædico, non est mea, nulla esset difficultas; at ipse ait: *Doctrina non est mea.* D. Augustinus tractat. 29. in Ioannem, *Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & tua, & non tua? nam si dixisset, ista doctrina est mea, nulla esset quæstio.*

58. August. Chrysost. D. Thom. Bonauent. *Ratio difficultatis.*

59. Respondetur primò cum Carthusiano, Caietano, Iansenio, Maldonato, Toleto, Barrada; & aliis. Quòd Christus vocat doctrinam suam quia eam in se habebat, eámque dicebat, ac loquebatur; & etiam non suam vocet, quia eam non à se ipso excogitauerat, ac inuenerat, nec à se ipso loquebatur, sed à Patre acceperat, quod dicebat, qui per illum, & in illo loquebatur; sicque Iudæis respondet Christus, ostendens à quo didicerit literas suæ doctrinæ, declaratque illius originem esse purissimam ab omni falsitate, & errore, cùm sit à Deo Patre, à quo talem doctrinam vt homo accepit, sic ait Ioan. 8. num. 28. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor in mundo.* Sic & Apostoli dicere poterant, doctrina nostra non est nostra, sed eius, qui misit nos, & loquitur in nobis. Iuxta Illud Matth. 10. num. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris, qui loquitur in vobis.* Hæc interpretatio mihi videtur legitima, & eam secutus sum in expositione.

59. Carthus. Caietan. Iansen. Maldon. Tolet. Barrad.

Vera expositio.

Ioan. 8.

Matth. 10.

90. Secundò. D. Augustinus tract. 29. in Ioannem, Beda, Strabus; D. Thomas, D. Bonauẽtura & alij. qui sic exponũt, Christum ipsum esse doctrinam, quia Verbum erat Patris, ac proinde: *Mea doctrina non est mea.* Idem est, ac si diceret: Ergo non sum Verbum meum, sed verbum eius, qui me misit. Tamen contra hanc interpretationem facit: quia Curistus Dominus de doctrina loquebatur, quam externis verbis docebat. Ipse erat sapientia Patris à quo doctrina emanabat, non tamen erat ipsa doctrina, quæ externis verbis ore tradebatur.

90. August. Beda. Strabus. D. Thom. Bonauent.

91. Tertiò. Idem D. Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Doctrina mea non est mea. *Quomodo istud verum est*, ait, *nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam. Secundum formam Dei suam, secundum formam serui non suam.* Et D. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Mea doctrina non est mea. *Non est enim*, ait, *secundum carnem mea, quia quæ diuina sunt, non sunt carnis eloquia*, &c. Similiter D. Thomas, Hugo & alij, vocat Dominus doctrinam suam, vt Dei est, non suam vt hominis. Ex quo depromitur morale documentum. Christus verus Deus & homo, tamen vt sua doctrina credatur, ait, quòd loquitur, vt Deus, non vt homo, quod valde mirum est; nam cùm eius humanitas esset vnita diuinitati, in ea nec leue vitium incidere poterat, & tamen vt omnino illi fides adhibeatur, de se ait, quòd loquitur vt Deus, non vt homo; ita enim homo apud homines mendax reputatur, vt sanctissima Christi humanitas, ab omni inquinamenti labe omnino extranea, si sermo

91. August. Ambros. D. Thom. Hugo

Verus si ab humanitate Christi præcisè ætum esset suspectus. foret.

ab

ab illa procederet, præcisè vt est mera humanitas, adhuc alicui nutantis fidei suspecta videretur vt ergo iniquorum ora obturentur, ait Christus doctr nam esse, *secundum formam Dei, suam secundum formam serui non suam.*

62. Ioan. 5 Ambros. *Humanitas testimonium præcisè refutat credimulli.*

Iudæis dixit Christus Dominus Ioan. 5. n. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quæ verba commentans D. Ambrosius tom. 4. lib. 5. cap. 4. ait: *Quomodo ergo non est verum testimonium tuum Domine, nisi secundum fragilitatem hominum? Omnis enim homo mendax.* De hoc vide tom. 3. cap. 2. quæst. 10. Magna sanè est exaggeratio, ita homo habetur ex se mendax, vt ipsa humanitas, ex fragili nostra conditione ab aliquo maleuolo eius testimonium non in alto veritatis fastigio reputabitur, vt ait Ambrosius.

63. Chrysost.

Quartò. D. Chrysostomus homil. 48. *Hoc*, ait, *verum non est meum; maiorem in modum Patris, & suam vnam esse doctrinam indicat; nihil habet diuersum, tanquam alterius. Quid si persona alia sum, idem tamen dico, & facio, vt non existimetis aliud a Patre, sed idem me dicere, & facere.* Similiter docet Ammonius, D. Cyrillus, Leontius, Euthymius, Theophylactus, Qui ait, *Ixerat, mea doctrina non est mea, hoc est aduersaria Deo,* Ostendit vnam, eandémque doctrinam suam esse cum Patris doctrina, eámque dicit suam, quia in se illam habet, nõ suámque vocat, ac si dicat, non est ita mea, vt sit diuersa à Patre, sed idem dico, & facio, quæ Pater dicit, & facit; & ita totum in loquelam, ac testimonium Patris refert, à quo vniuersa acceperat. Ioan. 12. n. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.*

Ammon. Cyrill. Leont. Euthym. Theophyl. *Christi, & Patris vna eadémque, doctrina.*

Ioan. 12.

64. *Bonum communicandum.*

Quintò ait Christus Dominus: *Doctrina mea, non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Totam suam doctrinam non sibi, sed Patri refert, quasi inde fiat manifesta consequentia, vt nobis eam tradat, quod enim a Deo habemus bonum, id aliis communicare, ac præstare tenemur. Vnde dicitur, *Et docebat in templo.* B. Virgini dicitur Cantic. 4. num. 5. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Virginis Mariæ vberibus vnus tantum hinnulus inhæserat, meus nempe Iesvs: si ergo vnus tantum hinnulus ad lac labia infigens, quo modo duo scribuntur hinnuli. Ecce sanctissimi Iesv ingenium, vbi ipse accessit ad matris vbera, vt lac sugeret, simul & fecit, vt humanum genus accederet, vt idem lac spiritualiter perciperet, vt tanto misericordiæ fonte, simul homines in æternam vitam nutriretur. Richard. Victorinus in Cantic. part. 2. cap. 23. *Carnalia in te*, ait, *ô Virgo Christus vbera fuxit: vt per te nobis spiritualia fluerent. Sicut carnem nostram in te sumpsit, & spiritum sanctum nobis dedit. Cùm materiale lac ex te Deus fuxit, spirituale pariter filiis Dei per te fluere cœpit.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæst. 5. num. 91. & tom. 2. cap. 16. qu. 32. num. 255. & 256. cap. 27. q. 12. num. 72. & 73.

Cant. 4. *Virginis præfectione nutriuntur homines in vitam æternam.*

Rich. Vict.

Ioannis 7. n. 17 Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Num. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Num. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

Num. 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

VERSIONES.

Vatablus n. 17. Si quis voluerit voluntati eius obtemperare.

Arabicus. Si qui voluerit placita eius facere.

Syriacus. Qui noluerit exequi voluntatem eius, intelliget doctrinam meam, num ex Deo sit, an ego ex voluntate mei ipsius loquar.

Idem n. 18. Qui ex voluntate mentis suæ loquitur, gloriam sui ipsius quærit: is autem, qui gloriam eius, qui misit ipsum quærit, verax est, & iniquitas in corde eius non est.

Idem n. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis custodit legem?

EXPOSITIO VI.

65. *Voluntas pro merito reputabitur.*

PONITVR signum, per quod cognoscitur Christi doctrina à Patre accepta, ciúsque voluntati in omnibus congrua. *Si quis noluerit*; non ait, faciat, sed voluerit; voluntas enim nostra pro opere à Deo reputatur, tamen voluntas, quæ hic ponitur, non est voluntas otiosa, & frigida, sed efficax operis in qualibet occasione, *Voluntatem eius facere*: generaliter voluntatem Patris mei in omnibus facere, vt interpretantur D. Augustinus, D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, D. Thomas, D. Bonauentura, *Cognoscet de doctrina.* Facilè percipiet, ac intelliget vim doctrinæ meæ, quòd scilicet ipsa non sit quid inuentum meum, nec aliquid dissonum, ac diuersum à voluntate Patris; nam, vt ait Chrysostomus: *Si quis sit amator virtutis, verborum meorum vim intelliget*; quod scilicet à Deo sit, & nihil humanum in ea appareat; qui ergo faciendo Dei mandata obseruat, & amat, mea pariter verba amabit, & obseruabit, quia ego nil aliud prædico, & dico, nisi ea, quæ Deo sunt placita, ab eóque mandata. Tacitè eos pungit Christus, vt ex Chrysostomo notant Lucas Burgensis & alij, quòd ideo Iudæi Deo, ac sibi, & vtriusque doctrinæ sint aduersarij, quia non virtutes, sed vitia sectantur.

Augusti. Chrysost. Theophyl. Euthym. Rupertus. D. Thom. Bonauent.

Chrysost. Lucas Burg

66. Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom

Qui à semetipso loquitur. Hæc secunda ratio est, vt aduertunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, qua Christus ostendit se à

seipso loqui. Et doctrinam suam à Patre esse acceptam, & non inventum humanum. Quod sic probat hoc Syllogismo, vt ait Euthymius. *Quia a semetipso loquitur.* Id est vt explicat Theophyl. *Qui vult propriam statuere doctrinam.* Quique est auctor, & inventor suæ doctrinæ. *Gloriam propriam quærit.* Id est, suæ inventionis ac ingenij appetit gloriam, & laudem, ob idque vult ab omnibus magnificari; nam vt ait Cajet. *Gloria præcipuum appetibile ex doctrina.* Hinc discipuli Platonis, Aristotelis, Pythagoræ, vt magistros suos celebrarent, ab eorum nomine sunt vocati. *Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum.* Posita maiore syllogismi propositione, hanc maiorem ponit Iesus, & simul subinfert consequentiam; *Ego non quæro gloriam meam, sed gloriam eius, qui misit me,* ergo à me ipso non loquor, sed verax sū, & iniustitia nō est in me. Et cùm Christus loquatur in re virtutis, modestiæ causa loquitur de se per tertiā personam. *Hic verax est* in docendo. Deus enim non glorificatur mendaciis. *Et iniustitia in eo non est.* Syr.acus. *In corde eius,* scilicet fraus, dolus, & deceptio nulla est in eo, quia sincere & simpliciter docet ea, quæ Deo sunt placita. D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap 45. ait: *gloriam Dei non quærit, sed suam, is mendax simul, & iniustissimus est. Mendax quidem, quia simulatione legis seruanda, suam voluntatem audiri proponit: iniustissimus vero quia legislatoris dignitate neglecta, dominicis præceptis sua præferre audet.* D. August. tract. 29. in Ioan. Propositionem: *Qui gloriam quærit,* de Antichristo interpretatur, qui à semetipso loquetur, sed de omni seductore impio est explicanda. Ex quo pūguntur prædicatores ac doctores, qui non gloriā Dei, sed suam quærunt.

Theophyl. Cajetan. *In Doctore gloria appetibilis.* Syriacus. Cyrill. August. *Punguntur prædicatores applausum quærentes.*

67. *Nonne Moyses dedit vobis legem?* Proponit illis legē promulgatam à Moyse, in quo Patris volūtas erat contenta. *Et nemo ex vobis facit legem.* Idest nullus ex vobis, sed omnes legem violatis. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 46. *Non vnum, aut alterum, sed totum Iudæorum genus, Mosaicam legem parui facere ostendit.* Ex quo nota; quòd quando Christus loquitur de obseruatione legis ponit, nomen singulare, vers. 17. *Si quis voluerit voluntatem.* Quando verò de violatore propositionē vniuersalem apponit. *Nemo ex vobis facit legem* Iustus rarus, & singularis, iniqui, ac peruersi multi. Nota, quod ait, *facit legem,* quia lex adimplendo fit; parum prodest lex in codice, si non est in corde, ac opera. *Qui me vultis interficere?* Opportunitatem captatis ad me occidendum. Ad Pharisæos, ac principes eorum Christus dirigebat sermonem, & tamen loquitur generaliter, & in communi: ne specialiter nominati peiores, ac deteriores fiant, vt in simili ait D. Gregor. lib. 13. moral. cap. 3. *De solo ille argui non potest, ne deterior fiat, tamen cùm generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorant, quod sibi hoc specialiter dicatur.* De conexione huius textus cum superioribus, in quo est tota difficultas, dicam infra quæst. 9.

Cyrillus. *Iustum vnum reperiri qui multi sint.* Gregor. *Contra magnates reprehensio in communi, ne peiores fiant.*

68. *Respondit turba.* Non omnis omnino, quidam enim dicebant: *Bonus est,* supra vers. 12. sed ea turba, quæ erat ex colligatione, & factione Pharisæorū. & quia hæc erat maior pars, ideo absolutè dicitur turbæ. *Dæmonium habes.* Hæc ingēs blasphemia familiaris erat turbæ, ac pessimis hominibus. Vt infra Ioan. 8. num. 41. Matth. 11. num. 18. & sæpe alibi. *Quis te quærit interficere?* D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 43. *Senserunt,* ait, *illata manifestæ crimini, quumque ad negationem refugiant, summopere student, ne mandata legis præterire videantur.* Iniqui cùm se vident conuictos, ad negationem confugiunt, Postea subdit D. Cyrillus. *Malignitatis hæc negatio fuit, quum quasi mendacem eum appellent, iniquitatem iniquitati, vt scribitur, adiiciunt* Ecclesiast. 5. num. 5. Ioan. 8. Matth. 11. Cyrillus. Ecclesiast. 5.

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus ait, quòd si quis voluerit facere voluntatem Patris, cognoscet, ac percipiet doctrinam suam?

69. IN limine quæstionis expendendum est id, quod ait Christus Dominus. *Si quis voluerit;* voluntario, milites quærit. Nam vt ait Tertulliā. in Apologet. 24. *Nemo ab inuito cibi vellet, ne homo quidem,* &c. Cuius rationem assignat Seneca epistol. 67. *Honestum non est,* ait, *quod ab inuito fit; admisce illi pigritiam, tergiuersationem, metum: quod habet in se optimum, perdit.* Vnde Victor Antioch. in persona Christi ad suos milites sic loquitur, cap. 8. Marc. *Nec quemquam huc compello, sed amicè tantum inuito.* Vide supra c. 7. n. 18. & 19. Tertullian. Seneca. *Ab inuito nihil fit honestū.* Victor.

70. Ad quæstionem respondet primò Chrysostom. hom. 48. in. Ioan. *Qui facit voluntatem Patris, cognoscet de doctrina. Hoc est, si quis sit amator virtutis meorum verborum vim intelliget.* Ad Christi doctrinam percipiendam acuitur mens; nō studio, sed virtute; nam, vt ait Euthymius. *Virtus purgat mentem.* Ex quo admonet D. Augustinus tract. 29. in Ioan. præsentem textum explanans. *Si non intellexisti, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere, vt credas; sed crede vt intelligas. quoniam nisi credideritis, non intelligetis.* Chrysost. *Virtute acuitur intellectus.* Euthym. August.

71. Secundò Theophylactus. *Si quis virtutem amplexatus fuerit, & inuidia non seruierit, neque odio contra me obtenebratus fuerit, sciet meorum sermonum virtutem; num ea, quæ Patris sunt, loquar. Voluntatem autem Dei facit, qui & Scripturas, & Prophetas scrutatur. Igitur, qui talis est, poterit scire de doctrina Domini, quod ex Deo sit.* Vt quis intelligat Dei sermonem, oportet vt deponat odium, inuidiam. ac malenolentiam, quæ mentem excæcant, & obtenebrant. *Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, Og regem Basan, cœpit Moyses explanare legem Domini.* Deuter. 1. num. 4. Septuaginta. *Declarare.* Et cur non antea nisi expugnatis his duobus regibus? Glossa. *Notandum,* ait, *quod interfectis duobus Amorrhæorum regibus, lex recapitulatur, & populus instruitur, qua remotis scandalis, ac superatis vitiorum turmis competenter doctrina insistitur, & fidei lumen digne desiderantibus aperitur. Debemus prius in nobis vitia occidere, & sic mandata diuina populis tradere.* Theophyl. *Extinguuntur vitia, vt diuinam doctrinam intelligas.* Deuter. 2. Glossa.

72. Tertiò. Caietanus. *Sicut bona dispositio gustus,* ait, *dat gustui discernere differentias saporum: sic bona dispositio voluntatis, si verò est bona dat intellectui discernere doctrinam ex Deo à doctrina, quæ non est ex Deo.* Recta, & pura conscientia ministrat intelligentiam diuinorum, & dat discernere ea, quæ Dei sunt, ab illis, quæ non sunt Dei, scientia enim mandatorum Dei crescit, & perficitur ex puritate conscientiæ, sine qua nulla cœlestium cognitio communicatur. Caietan. *Puritas conscientia dat scientiam mandatorū Dei.*

De

84. *Si circumcisionem*, quod est quoddam opus ex genere suo seruile, ac molestum. Sub nomine circumcisionis intelligit illa omnia, quæ in ipsa erant coniuncta, vt vulneris inflictio, & illius vitatio. *Accepit homo in sabbato.* Quoties est illi octauus dies à natiuitate sua; *Vt non soluatur lex Moysis.* Et idem valet, *ac itaque.* Vt Ioann. 5. num. 9. & 2. Corinth. 11. num. 17. Et satis apertè ponit Syriacus *ab idque.* Non violatur lex Moysis de obseruatione sabbati. *Mihi indignamini quia totum hominem;* D. Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 50. Euthymius. *Totum hominem dixit Christus*, ait, *nam cum totum eius corpus paralysi dissolutum fuisset, totum reddidit sanum.* D. Augustinus tract. 31. Euthymius, D. Thomas, Caietanus, & alij totum hominem, quia non solum curauit Dominus eius corpus, sed animam; nam vt ait D. Thomas 1. 2. part. q. 44. art. 3. Dei opera sunt perfecta. *Non conueniebat*, ait, *Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam.* Sequitur textus. Sanum feci in sabbato. Non enim minus diuinum est hoc meum opus, ac illud circuncisionis, quæ fiebat ex Dei præcepto, hoc autem meum opus sanationis sit ex iussu, ac virtute Dei, in momento ipso Deo supra naturam operante; in circuncisione autem multa seruilia opera intercueniebant, gladiolo vulneris inflictio, præputij abscissio, medicamenti applicatio. Ergo ac si dicat Christus, si vobis licet ô Iudæi in sabbato hominem circuncidere in vna parte corporis, & ibi medicamentum imponere, cur irascimini contra me, quòd totum hominem in sabbato sanauerim vno verbo? Præcipue cùm hoc opus curationis sit ex beneficentia & pietate, qua est ex iure naturæ, cui omne positiuum ius sabbati cedere debet.

Ioan. 5. 2 Corinth. 11 Syriacus. Cyrill. Euthym. D. Thom. August.

85. *Nolite iudicare secundum faciem.* Alij legunt, *secundum aspectum*, seu *speciem.* Syriacus: *per acceptionem vultus.* Quod de Christo pronuntiauit Isaias 11. num. 3. *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Ait Christus. *Nolite iudicare secundum faciem*, idest nolite in iudicando habere respectum facierum, seu personarum nolite habere acceptionem personarum; nam circuncisionem in sabbato, quam multo prolixo apparatu, ac emplastris facitis vos, & principes vestri, ac Pharisæi, ex amore, ac reuerentia erga eos approbaris; sanationem autem hominis in sabbato, quam solo vno verbo edidi, ex odio, ac contemptu, quo me vilem iudicatis, vt ait Chrysostomus, reprobatis, ac condemnatis D. Augustinus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus existimant, se Christum conferre cum Moyse; verisimilius tamen mihi est Christum in præsenti, non Moysi, sed Iudæis se comparare; nunquam enim Moyses expresse mandauit hominem in sabbato circuncidi, sed Magistri Iudæorum, ex eo quòd lex disponebat, vt infantulus octauo die circumcideretur, inde inferebant, quod si dies octauus esset sabbatum, quòd in illo esset puer circuncidendus. *Sed rectum iudicium iudicate.* Non personarum acceptione sed secundum merita, & naturam rei, vos manu, & opere circuncidistis in sabbato, ego autem verbo curaui in sabbato.

Syriacus. Matth. 7. Chrysost. August. Cyrill. Euthym. Theophyl.

Ioannis 7. n. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis; Nonne hic est, quem quærunt interficere?

Num. 26. Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus.

Num. 27. Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit.

VERSIONES.

D. Chrysostom. homil. 49. Euthym. Quidam ex Ierosolymitanis.

Arabicus. Homines aliqui ex Hierusalem.

Caietan. n. 26. Ecce liberè loquitur.

Syriacus. Nunquid norunt seniores nostri?

Syriacus n. 27. Nemo cognoscitur est vnde sit.

EXPOSITIO VIII.

86. DICEBANT *quidam.* Audito efficaci argumento, quo Christus se defendebat, arguebatque eos, qui ipsum iniuste ad mortem quærebant, *Quidam ex Hierusalem*; seu ciues Ierosolymitani, qui hoc dicebant, erant ex Ierosolymis, quia, vt notant Albertus Magnus, & Leontius, hi bene nouerant suorum Principum concilia. Deinde Euangelista aduertit hos fuisse ex Hierusalem, vt inquiunt Chrysostomus, Theophylactus, D. Bonauentura, vt noretur eorum miserrima conditio, quia cùm ibi frequenter audissent Christum in templo prædicantem, multaque miracula operantem ibi vidissent, tamen adhuc erant credituli dubitantes in fide num. 26. infra. *quem quærunt interficere.* D. Augustinus tract. 31. *Hi nouerant*, ait, *qua sæuitia Iesus quæreretur.* Et loquuntur per tertiam personam, vt ait Caietanus, qui a quamuis hi essent increduli, tamen non erant de numero eorum; qui Iesum quærebant interficere. Hi autem Iudæi dum dicunt, *quem quærebant interficere*, mendaces arguunt eos, qui supra num. 20. dixerunt. *Quis te quærit interficere.*

Alb. Magn. Leont. Chrysost. Theophyl. Bonauent. August. Caietan. *Iudæi semetipsos mendaces ostendunt.*

87. Ecce rem miram, & grandem denotat. *Palam loquitur.* Libere audacter, publicè, ac patenter; proprium est enim veritatis angulos fugere, publicum quærere. *Et nihil ei dicunt.* Nullus eius dictis, ac verbis, & argumentis respondet, sed omnes obmutescunt, cùm antea in eius absentia multi aduersus eum fremerent; Verbum autem *dicunt* hoc loco non solum respicit verba, sed etiam facta, idest nihil aduersus eum inermem dicunt, & faciunt, cum antea magno studio vellent eum comprehendere. *Nunquid verè* Insolita mutatio ad sui indaginem animum excitat; *Verè cognouerunt principes nostri.* Syriacus: *seniores nostri.* Scripturas scrutando, eius verba auscultando didicerunt, ac cognouerunt, *quia hic est Christus*, Messias in lege promissus, quòd multis, & manifestis euidentiis bene potuerunt Iudæi cognoscere, & in præsenti, vt inquiunt D. Chrys. hom. 49. Chrysost. Theoph.

Iudæi in Christi præsentia tacent, in absentia multa dicunt. Syriacus.

detur, hunc esse Ioannis sensum. Christi propinqui sic illi suaserunt, vt inanem captaret gloriam quia Deum, & Messiam esse non credebant. Si enim hoc credidissent, non talia illi persuaderent.

Cyrill. Sic ait citatus Cyrillus: *Miracula videntes occultius ab eo fieri in Galilæa, inanem gloriam hortantur. Addit autem necessario Ioannes, nondum etiam illos in Iesu credidisse, ne tam frivola, deiectaque verba credentes dicere viderentur.* Humanam gloriolam quærebant, quia Christo non credebant, qui enim diuina cognoscit, ac penetrat facillime omnem mundanam æstimationem, omniáque temporalia bona despicit, ac à se abiicit.

Qui Dei magnalia cognoscit, promptè mundialia despicit.

17. Euthym. Tertiò Euthymius, *Finis eorum*, scilicet Christi propinquorum, ait, *prauus erat, ab inuidia procedens, conabantur siquidem illum in Iudæam pellicere, vt ab illis occideretur, qui eum quærebant interficere.* Hanc sententiam deprompsit ex Chrys. & eam etiã docet Theophylact. Christi propinqui maximè præ inuidia eius gloria, ac famæ abescebãt, suadét ergo illi, vt transeat, & vadat in Iudæam; optime enim callebant, quòd Iudæi toto affectu anhelabant eum capere, vt eorum manibus crucifigeretur: ficque Christi propinqui, eius gloria pertæsi, vt ait D. Augustin. tract. 28. in Ioann. *Credere autem in eum, ipsa propinquitate fastidierunt*; fortè simulatione quadam intentant eum inducere in Hierusalem, vt ibi vitam diffundat, quòd Dominus agnoscens; qui omnium corda intuetur, adiecit, *tempus meum nondum aduenit*: vt scilicet pro vobis patiar D. Chrysost. homil. citata. 47. *Hic & aliud*, ait, *quiddam videtur posse significari: fortasse enim eum tradere Iudæis consultabant; & ad hoc respondit, tempus meum nondum aduenit, hoc est crucis & mortis. Quid autem tempus vt moriar properatis* Vide tom. 3. cap. 22. quæst. 14. num. 77. 78. &. 79. & cap. 15. quæst. 1. n. 45. &. 6. ac 7.

Propinquitas inuidiã generat.

Chrysost.

18. D. Thom. Quartò D. Thomas *Hoc est*, ait, *proprium malorum, vt credant alios simile eis animi passiones habere.* Ideò Domini propinqui maximè anhelabãt inanem gloriam, vt dixi hac quæstione in secunda ratione ex D. Augustin. Cyrillo, & aliis. Exinde certò sibi persuadebant, Christum Dominum eodem teneri affectu, semper enim impius ex se de aliis diiudicat. Quilibet enim de aliis iuxta suam conditionem iudicium format; sic celebris est doctrina D. Augustini cap. *Nonnulli*, dist. 46. Malus malum, bonus semper bonum præsumit.

Impius ex se indicat alios.

August.

19. Ob fratricidium commissum in Abel, diuina sententia punitur Cain, eique à Domino dicitur *Maledictus eris super terram* Quod audiens Cain, ait, *Ecce eiicis me hodie à facie tua, omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Genes. 4. num. 14. Vnde venit huic misero tam dira cogitatio, vt esset occidendus, à quolibet, qui eum inuenisset? Nam solùm inter viuentes in hoc sæculo erant eius pater, mater, fratres, & consobrini filij, ac nepotes eius; si ergo omnes in terra degentes tanto sanguinis nexu ei erant astricti, à quibus mors inferẽda timebatur? Cain extiti crudelis homicida, vt nec propria mansuetissimo fratri pepercerit, sed in eum violentas manus iniecit, indéque existimabat, quod etiam pater, mater, fratres, filij, ac nepotes, & consobrini eandem crudelitatem in eum exercerent, suasque manus in eius sanguine fœdarent. D. Chrysost. homil. de Dauid, & Saul. *Plerumque*, inquit, *vultum hominum ex suo animo de aliis iudicat, velut qui sæpe inebriatur, haud facilè credere possit esse quempiam hominem sobriè frugaliterque viuentem: qui scortis indulget, etiam pudicè viuentes habet pro incontinentibus.* Vide supra cap. 8. num. 186. & tom. 1. lib. 3. cap. 13. quæst. 46. num. 125. & tom. 3. cap. 26. quæst. 5. n. 29. & tom. 3. cap. 15. quæst. 17. num. 135. & cap. 35. expos. 14. num. 369.

Genes. 4.

Homo ex suo animo de aliis præsumit.

Chrysosto.

Ioan. 7. n. 6. Dixit ergo eis Iesus: tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

Num. 7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt.

Num. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

Num. 9. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa.

VERSIONES.

Vatablus. Tempus meum nondum
Theophyl. n. 6. adest.
Græcus. Tempus meum idoneum nondum aduenit.
Arias n. 7. Me autem odit: quoniam ego testor de illo.
Euthymius. Testimonium fero.
Græcus n. 8. Ego autẽ nondũ ascendo.
Arabicus. Nunc non ascendo
Alij Codices. Ego autem non ascendã.
Syriacus. n. 9. Et quieuit in Galilæa.

EXPOSITIO III.

20. DIXIT *ergo eis Iesus.* Cum multa mansuetudine respondit Dominus, nec fratrum audaciam arguit, quòd eum admonere præsũpserint. Chrysost. *Non dixit*, ait, *qui estis vos, qui mihi consulitis, & me docetis?* Tanta documento instruimur, fratrum ignorantias patiẽter sustinere, & quamuis iuxta Theophylact. & Euthymium datos superiori quæstione optime sciret Dominus, quòd propinqui suadebant ei, vt transiret in Hierusalem, vt à Iudæis comprehenderetur ad mortem, tamen non irascitur in eos, sed leniter respondet Euthym. *Tu vero mihi considera*, ait, *quam mansuete tulerit fratrum consilium, quo insidiis appetebatur.* Ipsis autem fratribus quamuis audacibus, ac incredulis non negat responsum, sed placatè respondet, incipiendo ab vltimo, quod dixerat, *manifesta te ipsum mundo.* Vt notat Caietan. ait eis, *tempus meum nondum aduenit*, id est tempus meum, vt proficiscar in Hierusalem ad festum Scenopegiæ, nondum aduenit, quia tempus meum prædistinitum est à Patre, à quo est statutum,

Chr

Theophyl. Euthym

Ignorantia fratrũ patienter sustinenda.

Caietan.

tum, vt post paucos dies palam ob odium Iudæorum illuc ascendam, *tempus autem vestrum*, in Iudæam adeundi, *semper est paratum*, aptum, & commodum, cùm vos crudeli odio non prosequantur Iudæi.

21. Chrysost. Euthym. D. Thom.

Non potest mundus odisse vos. Assignat Dominus rationem, vt notant D. Chrysost. Euthym. D. Thomas; Cur tempus propinquorum sit paratum, suum vero tempus nondum adsit. *Non potest*, id est non habet causam, nec motiuum. *Mundus*: mundiales homines Scribæ, & Pharisæi *odisse vos*. Non possunt mundi amatores odisse vos sibi similes. Nam vt ait D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 34. *Similia similem diligit.* Non arguitis mundi amatorum facta, ac proinde quocumque libuerit tempore Hierosolymam potestis ascendere, nullum enim vobis ibi imminet periculum, nullúsque vobis ibi mortem machinatur. *Me autem odit.* Cuius rei causam reddit, *quia ego testimonium perhibeo de illo*, hoc est de mundialibus hominibus testor, eosque arguo, *quod mala eius opera sunt* Contraria nempe legi Dei, ac rationi. Ac si dicat Christus, ego eorum vitia arguo, ideo ipsi me persequuntur. Theophylact. *Liberior enim reprehensio odium parit.* Et D. Cyrill. *Animus enim*, inquit, *voluptati deditus, graviter fert, si à voluptate revocetur.* Quia ergo Iudæi nolebant relinquere sua vitia, ac iniqua facta, ideo odio Christum persequebantur, eique pernicie moliebantur. Iuxta Sap ēt. affatum. 1. n. 12. *Dixerunt impij: Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis.*

Cyrill. — Reprehensio generat odium in mundialibus. Theophyl. Cyrillus. — Sapient. 1.

22. Euthym. — *Vos ascendite ad diem festum hunc. Vos*, ait Euthym. *qui nullum periculum timetis.* Proficiscimini ad diem festum Scenopegiæ celebrandū. *Ego autem non ascendo.* Græcus legit: *Ego nondum ascendo.* Arabicus. *Nunc non ascendo.* Quæ lectiones licet sint clariores, tamen nostra lectio præferēda est. Nam si Christus dixisset: *Ego nondum ascendo*, seu *Nunc non ascendo.* Irritarent Christi consanguinei, quo tempore es iturus, vt nos expectemus & tecum simul ascendamus? *Ego autem non ascendo.* Modò, & apertè vobiscū, sed expecto paulisper, vt refrigescat Iudæorum ira, qui me magno impetu in exordio festi expectant, vt me interficiant. Post tres autem dies cū minori periculo illuc me manifestabo: vt dicam infra quæst. 5. n. 10.. *Quia meum tempus nondum est impletum.* Vt opportunè, ac commodè ascendam. D. Cyrillus, lib. 4. in Ioan. cap. 35. *Hæc dixit Saluator*, ait, *non quia nullo sē modo in solemnitatem ascensurum ostendere velit, nec quia ab vtili redargutione animum remouerit, sed quia opportuno tempore cuncta erat facturus.*

Græcus. Arabicus. — Cyrill.

QVÆSTIO III.

Quare Christus omnium temporum Dominus dixerit, tempus suum eundi in Hierusalem nondum esse paratum?

23. Chrysost Leont. Theophyl. Albert. Bonau.

AD quæstionem respondet primò D. Chrysostom. homil. 47. *Tempus meum*, ait, *nondum aduenit, hoc est crucis, & mortis.* Similiter exponunt Leontius, Theophylact. Albertus Magnus D. Bonauent. interpretantur Christum dixisse, nondum venisse moriendi tempus, quod sibi à Patre prædeterminatum erat. Hoc enim tempus suum, sicut & horam suam Christus vocare solet. Vt infra hoc cap. num. 30. & cap. 8. num. 20. & cap. 13. num. 1. Quamuis enim Christus summè affectaret mori, tamen magis consulebat Patris obedientiæ, quàm propriæ voluntati, magísque attēdebat ad commune bonum, quod requirebat, vt pro magnis documentis dandis, adhuc viueret, quàm ad propriam inclinationem dandi vitam.

Tempus mortem peculiare Christi tempus.

Secundò D. Augustt. tract. 28. in Ioan. *Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christum venerat, si tempus eius nondum venerat.* Respondet in persona Christi: *Tempus gloriæ meæ nondum venit; videte quam profundum sit. De gloria illa admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, & ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere.* Ita Beda, Rupertus, & alij. Qui cum D. Augustino existimat, vt retuli superiori quæst. quòd fratres suadebāt, vt Ierosolymam peteret, vt diuulgata miraculis sua potestate gloriam quæreret, Tunc Christus ait illis, quod tempus suæ glorificationis nondum aduenit. Nolebat enim fructum gloriæ, & maiestatis nisi post crucem & mortem decerpere. *In monte sublimi Isr. raël plantabo illud; & erumpet germen, & faciet fructum, & erit in Cedrum magnum*, Ezech. 17. n. 23. *In monte sublimi Israël plantabo illud.* Transferunt Septuaginta. *Plantabo super montem excelsum, & suspendam illud in monte sublimi Israël* Quæ verba de Christo interpretantur D. Hieron. Theodoret. Ex eo quod crucifixus est in mōte, vide quid sequitur, *faciet fructum, & erit in Cedrum magnum.* Theodoret. *Excelsum*, ait, *Golgothis est, vbi salutaris infixa crux est: Deinde post passionem resurrectionem, euangelij propagationem, & producet germen, & faciet fructum, quem orbis terrarum vindemians, & depascens, æternam vitam sperat.*

Beda. Rupertus. — *Christum noluit gloriam nisi per mortem, & passionē.* — Ezech. 17. — Septuaginta — Hieron. Theodor.

Tertiò. D. Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 33. Ac si dicat Christus: *nondum palam faciendi omnia tempus adest: nec etiam vt gentibus hæc omnia tradantur, quum nondum penitus à gratia Iudæi resilierint. Mea igitur, inquit, manifestationis tempus nondum adest.* De tempore manifestationis Christi sententiam interpretatur, ac si ipse respondeat ad id, quod vltimo fratres dixerant: *Ostende te ipsum mundo.* Tunc ait ipse: *Nondum aduenit tempus meum.* Quando scilicet gentibus, ac toti mundo sum manifestaturus, hoc autem fiet, postquam à Iudæis repellar, vt determinatum est à Patre meo: hoc autem meum tempus tantæ prædicationis, ac conuersionis gentium nondum aduenit, vestrum autem tempus, in quo non multum est negotij, semper est paratum. Cuius rei optimam rationem assignat citatus D. Cyrillus. *Quæcumque maiori dispensationi res subiacent, non omni tempore commodè aguntur. Quales Christi res erant: res autem eorum, qui maiora negligunt, & humiliora sequuntur quonus tempore susi ipi possunt.* Magna non omni tempori subiacent, parua verò quodlibet tempus habent opportunum. Saluian. Massili. lib. 4. ad eccles. fin. *Seminis*, ait, *expectat tempus agricola, vt colligat fructum, vt autem fructus pereat, omne tempus sufficiens.*

25. Cyrill. — *Res magna non omni tempori subiacent res parua.* — Saluian.

Quartò. Ammonius in Catena Græca sic ait. *Vos*, inquit, *temere agitis, quod vultis. Non sic ego, eo quod singula geram vtiliter.* Cum iudicio, & ratione, magna enim prudētia erat, tunc quòd Christus ad diem festum non ascenderet, vt latius explicabo sequenti ratione. Ait Moyses: *In princi-*

26. Ammon.

Genes. 1. Origenes. *Omnia agenda cũ ratione.*

pio creauit Deus cælum, & terram. Genes. 1. n. 1. seu, vt legit Origenes: *in verbo.* Non sat erat dicere quòd Deus cuncta creauerit per semetipsum? Ad quid dicitur, quod in verbo condiderit? Verbum sapientiam donorat. Pro ergo magno documento nostra statim in limine Scripturæ dicitur, quòd Deus in verbo creauit omnia, vt non his crud amur sapientia, ac iudicio cuncta agere, & disponere. D. Ambrosius sermon. 22. *Esto imitator Dei, quomodo imitator? Nunquid potes facere, aut terram, aut mare? Non vtique, sed omnia per verbum facias, nihil sine verbo, omnia cum ratione, nihil sine ratione.* Vide supra cap. 10. num. 34. 35. 36. & tom. 1. 2. & 3. verb. *Ratio*, ibi multa.

Ambros.

27. Carthus. Caietan. Titelman. Iansen. Tolet. Burgens. Barrad. Cornel.

Quintò. Dionysius Carthusian. Caietan. Titelman. Iansen. Toletus, Lucas Burg. Barradas, Cornel. & alij de tempore eundi in Hierusalem explicant sententiam, quam nos secuti sumus in expositione. Et probatur ex sequentibus, *Tempus vestrum semper est paratum*: petendi scilicet Iudæam, ergo de itinere in illam vtrobique est sermo. Ac si dicat Christus meum tempus palam ascendendi Ierosolymam nondum adest, nam in primis diebus maximè æstuabit ira Iudæorum in me, vestrũ autem tempus semper est paratum, vt in illam liberè, ac patenter proficiscamini.

28. *Opportuno tempore cũcta facienda.* Psalm. 44.

Non acquieuit Christus Dominus persuasioni fratrum, vt vadat in Hierusalem, sed temporis opportunitatem expectat. Hæc enim semper in omni actione inquirenda, & exoptanda est: *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Psalm. 144. num. 15. Non ait, præbes cibum citò, vel abundanter, sed tempore opportuno; opportunitas enim in munere super omnia dantis magnificentiam extollit. D. Isidorus Pelus. lib. 2. Epist. 170. *Non enim duntaxat alit,* ait, *sed etiam tempestiue. Hoc quippe perfectissimum est, quòd omnia alit, & quòd tempestiuè porrigatur.* Præmiserat enim S. Doctor in eadem Epist. *Opportunitas, enim id, quod datur, maius & amabilius reddit. Quocirca non tantum dare conueniet (exiguum enim istud fortasse) sed etiã opportune. Hoc quippe, & parum munus augebit.* Vide t. 1. c. 1. q. 17. n. 66. & tom. 3. cap. 12. quæst. 10. num. 51. 52. & 53.

Pelusiot.

Opportunè datum magnum donũ.

QVÆSTIO IV.

Quare dixit Dominus se non ascendere ad diem festum, cùm ad illud postea ipse ascenderit?

29. *Ratio difficultatis.*

DIFFICVLTAS est manifesta, & vulgaris. Dixit enim in hac præsenti sententia Christus suis Discipulis: *Non ascendam ad diem festum.* & tamen postea ascendit, vt patet ex vers. 10. quod in varias sententias facit abire Doctores.

30. Chrysost. Theophyl. Euthym. Tolet.

Primò respondent D. Chrysost. homil. 47. Euthym. Theophylact. Tolet. Non ascendam vobiscum palam, ac manifestè; quia modo non est tempus meum adimplendum ad eundi festum, & hanc sententiam secutus sum in expositione. Postquam enim fratres eius abierunt: tunc ipse ascendit.

31. Chrysost. Euchir. Ammon. Carthus. Lyranus.

Secundò Idem D. Chrysost. homil. 48. D. Euchirius in quæstionibus in Ioan. Ammonius, Carthusianus, Lyranus, sic explicant. Ait Dominus: *Non ascendo ad diẽ festum istum.* Hoc est ad primos dies festi instantes, quia tunc maximè ferescebat ira Iudæorum, qui inquirebant eum dicentes: *Vbi est?* n. 11. At verò sub diem quartum festi, vt dicitur, vers. 14. *Festo die mediante.* Tunc ipse ascendit, quia iam tunc ira Iudæorum erat sedata, & aliquantulum remissa. Theophylact. *In principio quidem ascendere detrahebat, vtpote feruentibus furore Iudæis: post hæc autem, cùm festum solemnandum esset, ascendit, quando & insaniam illorum verisimile erat mitigatam esse.* Magna enim prudentia est dare locum ira, ac illi cedere. Pro hoc vide multa tom. 1. 2. & 3. verb. *Ira.*

Dandus est locus iræ.

32. Augustin. Beda D. Thom. Bonau. Maldon.

Tertiò. D. Augustin. tract. 28. in Ioan. Beda, D. Thomas, D Bonau. sic interpretentur: *Ego non ascendam ad diem festum istum.* Quærens gloriam meam, ad quam fratres exhortabantur. In qua sententia est etiam Maldonatus, qui sic eam explicat. Ego non ascendo, subintelligitur, sicut vos, ô cognati mei, existimatis, ac cupiris, scilicet vt purus homo, ac vt Ierosolymis à populo mihi honorem, & gloriam conciliem, sed ascendam vt verus Messias, ac filius Dei, erudiens populum in via salutis, vt ita non meam, sed Dei Patris gloriam quæram. Vide tom. 2. cap. 11. q. 21. n. 143. & tom. 3. cap. 17. quæst. 1. num. 6. & 7.

33. Augustin.

Quartò. Idem D. Augustin. quæst. 78. Noui Testam. *Ascendit*, scilicet Dominus, ait, *non quasi ad diem festum, sed quasi ad luem: illi enim omnes læti ascenderunt, quasi ad perfruendas delitias diei festi? certum est enim, quòd non ascendit ad diem festum; is enim illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Hic dies festus eius, in quo vicit mortem.* Præpondera. Quod non dixit Christus. Non ascendo ad diem festum, sed ait, *ad diẽ festum istum*, scilicet. Scenopegiæ, ac Iudæorum, in quo homines deliciis, otio, ac gaudio exultabant; non enim talem diem festum reputabat; solúmque illi fuit celeberrimus dies festus, ad illúmque festum gaudens ascendit, quando crucifixus & mortuus nos redemit, ac à seruitute dæmonis liberauit. *Is enim illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum.* Vide supra cap. 6. num. 10. & n. 36. & cap. 8. num. 36. & aliis locis.

Dies Christi festus, dies mortis eius.

34. Cyrill.

Quintò. N. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 35. sic loquitur in persona Christi ad fratres: *Vos igitur,* inquit, *qui vmbris adhuc inhæretis, qui Iudaicè affecti estis ascendite in hunc festum diem per vmbras celebraturi. Ego verò cui vmbræ iam cordi non sunt, non ascendo: quia figuras celebrare iucundum non est. Expecto autem vera solemnitatis tempus, quod nondum est implerum. Tunc enim in splendore Sanctorum cum eis conuiuam in gloria Patris, qua super omnia fulget.* Inuitatur Christus à fratribus, vt tendat ad festum; Ipse ait *Non ascendo ad diem festum istum, vos ascendite.* Quorsum mandat fratres accedere ad festum, cui ipse pro tunc non ascendebat? *Fratres,* ait hic Ioan. n. 5. *Adhuc non credebant in eum.* Cùm non crederent in Christum, ad solidam veritatem erant affecti, sed vmbris, ac figuris Iudæorum adhuc tenebantur, ideo ad talia festa sine Iesu mittuntur, in quo refulget omnium solida veritas; indéque Iesus ad festum non venit, nam ipse in vmbris non est. *Ego vero cui vmbræ iã cordi non sunt, non ascendo.* Sed in æterno vero gaudio, ac gloria cum Sanctis suis apparet, ac fulget.

In solo Iesu solida veritas inuenitur, in aliis vmbra.

35. Ezech. 23.

De Odolla meretrice pertractans Exechiel. 23. num. 14. *Cùm vidisset,* ait, *viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiras tinctas in capitibus eorum, insanuit super eos concupiscentia oculorum suorum,* Totum quod in eis videtur figuræ quædam depictæ,

ctæ, ac imagines tractæ sunt; at verò anima sancta considerans sponsum Iesum, sic ait: *Caput eius aurum optimum: coma eius sicut elata palmarum: oculi eius sicut columba: gena illius sicut areola aromatum: labia illius lilia distillantia: manus eius tornatiles aureæ, venter eius eburneus, distinctus sapphiris: crura illius columnæ marmoreæ: species eius vt Libani: guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis*, Cantic. 5. num. 16. Quæ vltima verba legit Vatablus, *Et quantus, quantus est, res sunt experibiles*. Quid est, quòd Odolla nil aliud reperit in suis amatoribus nisi figuras, & picturas. At verò anima totum, quod inuenit in meo Iesu, sunt res veræ, solidæ, primæ, ac optimæ, aurum, palmæ, hyacinthi, cbur, columnæ marmoreæ, *& quantus, quantus est, sunt res experibiles*. In mundo, figura, & pictura coloribus tantùm apparentia, at in Christo Iesu nihil aliud relucet nisi vera, & integra res, solidissimáque omnium perfectionum perfectio. Rupertus ad vltima tractata Canticorum verba: *Quomodo potuit*, ait, *ferme describit Iesum amabilem, dilectum, desiderabilem; non talis pictura hac, qualem respexit illa Odolla, de qua scriptum est*: Cùm vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, &c. *Non inquam, talis pictura hac; verumtamen emulamini melius visum illum, sicut illa exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, ita nunc exhibete oculos vestros, videre dilectum, videre capita aurea eius, oculos nitentes, reuerendas genas, gratiosa labia, tornatiles manus. De omnibus rectum iudicium iudicate.*

Cant. 5.

Vatabl.

In mundo figura apparens, in Iesu solidissima veritas.

Rupert.

35. Osee 4.

Conqueritur Deus, quod populus suus idola lignea adorauerit, & ait: *Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona vmbra eius.* Osee 4. num. 13. Statuas ligneas adorabant, vt interpretantur Rupertus, Lyranus, maximè tamen ponderanda est causa. *Quia bona erat vmbra eius.* Quia vmbram, ac obscuritatem in ejs inueniebant, ideò illâ adorabant. Qui enim reliquerât verum Solem iustitiæ Deum nostrum, ab eóque recesserant, consequens erat, vt in vmbras, ac tenebras inciderent. Ruffinus libro 1. in Oseam: *Repudiamus*, ait, *lucis, & luminis conditorem, verè quasi filij tenebrarum nemoris capiebantur vmbra.* Et post pauca subdit: *Hanc igitur impietatem calamitatis vltima dispungat illatio.*

In mundialibus vmbra & tenebræ. Ruffin.

Ioan. 7. n. 10. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.

Num. 11. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: vbi est ille?

Num. 12. Et murmur multum erat in turba de eo, quidam enim dicebant: quia bonus est, alij autem dicebant: non, sed seducit turbas.

Num. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

VERSIONES.

Syriacus n. 12. Et murmur multum propter eum fuit in turba. Erant autem, qui dicebant: bonus est; alij verò dicebant: minimè, sed seducit populum.

Arabicus. Murmuratio multa erat.

Euthymius. Seducit mundum.

Græcus n. 13. Nullus tamen liberè.

EXPOSITIO IV.

T autem ascenderunt fratres eius, Abierunt Christi consanguinei Ierosolymam turmatim, vt solebât ire Iudæi ad suas festiuitates per cognationes, & familias suas, & ideò secum intentauerunt adducere Iesum. Ille autem pro tunc remansit in Galilæa. *Tunc & ipse ascendit ad diem festum.* Rectè notat D. Chrys. hom. 48. *Hæc particula vt ascenderunt fratres eius, ostendit noluisse cum illis ascendere, & ideò remansisse.* Decreuit enim cum illis non ascendere ad primos dies festi; tunc enim maximè æstuabat ira Iudæorum, & hac de causa quarto die festi se ostendit in templo, vt dicitur infrà vers. 14. vt latè dixi superiori quæstione in 2. solutione. *Nõ manifestè.* Ita vt doceret, ac miracula ederet. *Sed quasi occultè*, veluti persona priuata, absque strepitu & significatione præsentiæ suæ; quare ex Galilæa nõ recto itinere profectus est, sed deueniens per Samariam, transmisso Iordane iter fecit, dimisso populo, vel cum discipulis suis, vt inquiunt Tolet. Lucas Burgensis, vel præmittendo discipulos suos ad præparandos auditores, vt ait Caiet. semper ad magna præuia dispositio antecedat. Nota quod non dicitur absolutè; occultè, sed quasi occultè, quia eximia Christi virtus semper sui radios spargebat.

36. Chrysost. Tolet. Burgens. Caietan. *Christi virtus semper se manifestabat.*

Iudæi ergo quærebant eum. Quidam, vt inquiunt Albert. Magn. & D. Thom. bono animo, vt eius doctrinam audirent; quidam malo animo, vt inquiũt D. Chrys. Theophylact. Euthym. vt cum interficerent, vt patet infrà n. 25. Hi erant Pharisæi, & Principes Sacerdotũ, alij curiositate eum quærebant, vt notant Leõtius, & D. Cyril. quales erãt incolæ, qui denuo confluxerant, vt verba eius audirent, vel aliquod eius miraculum viderent. *In festo.* Iniquitas nullam sanctitatem reuereretur, diem festum sanctificare tenebantur, & in illo tantum malum perpetrare intendebant. Euthym. *Pulchrè sanè illorum opera* ait, in diebus festis, *cum illos cædis facere occasionem.* Et dicebant inquirentes eum, *Vbi est ille?* Ex nimio odio cum nominatim non appellãt. Et vt notat Caiet. Principes Sacerdotum non aperiebant venenum suum turbis: sed non videntes eum, more solito interrogabant, *Vbi est ille?*

37. Alb. Magn. D. Thom. Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. Cyrill. Euthym. Caietan.

Et murmur multum erat in turba de eo. Quod explicans Euthym. ait: *Turbatio & contradictio.* Cum murmure, ac strepitu magno de eo loquebatur; nam vt ait Theophylact. variæ de eo erant sententiæ: *Quidam enim dicebant, quia bonus est.* Hi erant, ait Euthym. *Qui mente corrupti non erant*; quales fuerant, qui cum eo in Galilæa conuersati fuerant: *Alij autem dicebant, non.* Putat Chrysost.

38. Euthym. Theophyl.

hos

hos esse Principes Sacerdotum,& partem turbæ, quæ illos sequebatur. *Sed seduxit turbas.* Sua nempe doctrina indoctum vulgus,& rudem peruertit.

39. Beda. *Serui Christi malè indicantur ab hominibus.* *Nemo tamen palam loquebatur de eo.* Hoc referendum est ad eos,qui benedicebant,vt adnotauit Beda.Vnde ait D.Aug.tract.28.in Ioannē: *seducit turbas, clarius sonabant, bonus est prossus susurabam.*Et hoc etiam de viris religiosis, ac sanctis frequenter dici subdit.Idem D.Aug. *De omnibus serus eius,ait,hoc dicitur modo, quicumque eminet in aliqua gratia, spiritu aue profectu, alij dicunt,quia bonus est;alij non: sed seducit turbas. Vnde hoc? Quia vita nostra abscondita est cum Christo.* Textus Euangelij: *Propter metum Iudæorum*, scilicet Pontificum,principum,ac Scribarum.qui male de Christo Domino sentiebant,& ideò Euāgelista eos Iudæos,non autē Pontifices, & Sacerdotes nominauit,vtpote tanta dignitate indignos.D.

Cyrill. *Si malus, indignus est homo vt Sacerdotis nomine gaudeat.* Cyrill.l.4.in Ioannem.cap.... *Præcipuè*, ait, *hic Iudæos, Iudæorum Principes appellauit: indignum enim iudicans, homines adeò à pietate remotos Sacerdotes, aut Seniores populi appellare.*

QVÆSTIO V.

Quo die Christus ascenderit ad festum? Et quare Iudæi quærebant eum dicentes vbi est ille?

40. Lyranus. Carthus. Hugo. Maldon. Cornel Barrad. QVæstio duas verò habet partes.Prima est de die, secunda de Iudæorum interrogatione Quantum ad primam,Lyran. Carthus. Hugo,& alij existimāt,quòd Dominus ascenderit Ierosolymam die festi quarto. Nam infrà n. 14. dicitur: *Die festo mediante*.Maldonat.n.11. Tolet.Barradas, Cornelius vers. 14 quod Christus ascenderit paulò post cognatos,ita.vt primo festidie Ierosolymis interfuerit.

41. Deuter. 16 *Christus in primo festi die adfuit.* Secunda sententia mihi videtur probabilior,& primò nititur optima coniectura: Christus Dominus venit Ierosolymam,vt legi satisfaceret:ex autem præcipiebat,vt illud festum per septē dies celebraretur: *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis in loco, quem elegerit Dominus*.Deuter.16. n.13.Ergo Christus Dominus legis obseruator in omnibus integer legē obseruauit. Confirmatur ex contextu Euangelistæ,n.10.ait: *Cum autem ascendissent fratres eius tunc & ipse ascendit ad diem festum*.Illa particula,*tunc*, denotat statim,seu paulò post fratres suos ascēdisse;fieri enim potuit,quod vno,vel altero die post fratres esset profectus, & tamen quod ad primum diem festi veniret:nec aliquid contra hoc colligitur ex Euāgelista,vers.14. Non enim ait: *Die festo mediante ascendit Iesus* Ierosolymam,sed *in templum*;festum autem hoc Scenopegiæ,vt dixi quæst.1.non celebrabatur in templo,sed vel in campo, vel vrbe constructis tabernaculis.

42. *Christi sanctitatis magna opinio.* Secundæ quæstionis pars de interrogatione facta,*Vbi est ille?*Et dubitari potest statim,qua occasione Iudæi Christum inquisierunt,cùm vidissent eum cum suis cognatis ad festū non venisse. Respondetur,quod tanta erat Christi sanctitatis opinio quos quamuis Iudæi eum non vidissent cum suis propinquis,tamen pro certo habebant eum festo non defuturum;vel potest etiam dici,quod inquirebant eum, postquam cognouerunt, quod in Ierosolyma versabatur.

Interrogabant, *Vbi est ille?* Nomen proprium non dicunt,sed per contemptum de eo loquuntur. D. Chrysost. *Ex nimio enim odio*, ait, *nominatim appellare non patiebantur.* Rupertus ad hunc locum Ioan. *Vide nunc*, inquit, *genimina viperarum, quanto seniant veneni præcordialis ardore; non enim dicunt:Vbi est Iesus?sed vbi est ille? Nunquid eius, quem quærebant interficere, poterant nomen nescire? Ergo cordis illorum habitator homicida Diabolus,sic eos agebant, vt odio distillante nomen salutis non possent,imò nollent attingere.* Vehemens odium nomē pronuntiare non sinebat.Vide to.1. lib.3.cap.3.quæ.1.num.6.& 7.tom.2.cap.5.q.38 num. 234.& cap. 6. num.2. tom.3. cap. 1 q.23. num.160.& 161.

43. Chrysost. *Ira odio nomē ignorat.* Chrysost. Rupert.

Secundò,nomē eius non exprimunt, vt ait Albert.Magn.& patet ex suprad ictis,quidam inquirebant eum bona intentione, quidam verò mala, & tamē nullus ex his eius nomen dicit:Boni, cùm recognoscerent maiestatem, & excellentiam sanctissimi nominis Iesu, ex veneratione illud pronuntiare non audent;Mali verò ex multo odio cū proprio nomine non appellant.

44. Alb Magn. *In eadem interrogatione diuersio diiudicandum,*

Cecidit manna è cælo superficiem terræ cooperiens, *quod cum vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem Manu,quid est hoc* Exod. 16. numer.15. Heri promisit Moyses,ô Israelitæ vobis panem de cælo daturum matutinotempore:hic autem,quem conspicitis, nullus alius potest esse. Cur ergo tāta contentione quæritis quid est hoc. cū ex pollicitatione facta, facilè deprehendatur quid sit & Moyses optimè illud agnouit dicens, *iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* Et tamen omnes quærunt,cùm in eis existerent boni, & mali. Mali interrogabant, quia eximium beneficium ante oculos positum ignorabāt, & illud fateri nolebant;boni etiam interrogant,quia tāto beneficio se indignos iudicabant; ac si dicerent, quid est hoc? Quod fecit nobis Deus? Oleaster: *Quia hoc interest*, ait, *inter pios, & impios, quod impij ignorant dona sibi concessa; pij verò optimè norunt,quæ à Deo donata sunt,non solùm sibi, sed & alijs.* Vide tom.3.cap.22.q.16.num.91.& 92.

45. Exod.15. *Ex eodem verbo diuersa iudicia.* Oleaster.

Ioan.7.n.14. Iam autēm die festo mediante, ascendit Iesus in Templum, & docebat.
Num.15. Et mirabantur Iudæi, dicentes: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?
Num.16. Respondit Iesus, & dixit: mea doctrina non est mea; sed eius, qui misit me.

VERSIONES.

Syriac.& Ara. Cùm autem dimidiati essent dies festi.
Vatablus Euth. Cùm autem iam dimidium festi esset peractum.
Arias.n.15. Quomodo hic litteras scit, cum non sit doctus?
Syriacus. Quomodo nouit iste litteras,cum non didicerit?

EXPOSI

EXPOSITIO VIII.

46. IAM die festo mediante. Circa dimidium festi, seu cum iam dimidium festi esset transactum, quarto nimirum festivitatis die, vt obseruarunt Euthymius, Carthusianus, Hugo. & alij; constabat enim solemnitas hæc diebus octo, vt constat Leuit. 23. num. 36. quanquam septem tantum dies agerentur sub tabernaculis. *Ascendit Iesus in templum.* Erat enim in monte situm. Notandum est, quòd in alia dicitur ingredi. *Cum ingrederetur Iesus Ierosolymam*, Matth. 21. num. 10. *Cùm intrasset Iesus in domum cuiusdam Principis*, Luc. 14. n. 1. *Cùm ingrederetur Iesus quoddam castellum*, Luc. 17. n. 12. Ex quo ponderat hìc D. Cyrillus lib. 4. in Ioã. cap. 40. *Non dixit*, inquit, *Euangelista Christum ingressum fuisse in templum, sed ascendisse. Ardua sanè res est, atque sublimis loca ingredi sancta, & docendi munus rectè suscipere.* Vt ingrediaris Sancta, oportet moribus ascendere; *& docebat.* Rectè notarunt Chrysostomus, Leontius, Theophylactus: *Quid doceret silentio præterit Euangelista.* Tamen cùm Christus doceret, res alta, & sublimis erat ad nostram salutem spectans, quod etiam constat ex sequenti vers. Nam Iudæi contrarij, & inimici de illius sublimitate admirabantur

Ebthymius. Carthusian. Hugo. Leuit. 23.

Matth. 21.

Luc. 17. *Ingredi sancta, & prædicare res difficilis.* Cyrill.

Chrysost. Leont. Theophyl.

47. *Et mirabantur Iudæi.* Vt scribit D. Cyrill. lib. 4. cap. 41. *Mirabantur eruditionis, & prudentiæ inauditam in eo vim videntes.* Quæ tam excellens, & vehemens erat, vt Iudæorum rabiem in amorem, & admirationem Christi conuerterit, Theophylact. *Mirabilia dixit*, ait, *per quæ illos cohibuit, & mentem eorum in miraculum mutauit.* Subiungitur admirationis causa. *Quomodo hic scit literas*, scilicet sacram Scripturam, *cum non didicerit*, scilicet scholas suas frequentasset. D. Augustinus, *Nunquam eum videram, literas discentem, & audiebant de lege disputantem, legis testimonia proferentem.* Sic quam multi, cùm non videant scholas suas frequentare, doctrinam suam sequi, existimant alios nil scire.

Cyrillus.

Theophyl.

Augus.

48. Iudæi cæci non considerãt sublimitatem Christi doctrinæ, sed ad minora attendunt, quomodo scit, cum non didicerit. D. Chrysost. homil. 48. *Vides*, inquit, *eorum plenam malitia admirationem? Non enim doctrinam admirabantur; sed alia eos mouebat admiratio. Vnde id sciret: cùm potius hinc cognoscere debuissent, nil humani in eo esse.* Calumnia quam Iudæi cõtra Christum armabant in ipsos reflectitur, si enim Christus tam admirabilem doctrinam dabat, cum literas non didicisset, profectò conuincebatur, quòd talis doctrina non ex humano ingenio, sed ex Dei afflatu proueniebat. Pro euidenti huius rei testimonio, ac reprimenda Pharisæorum calumnia ordinauit diuina Sapientia, vt Christus scholas non intraret. Arnoldus Carnot. tract. 5. de 7. verbis Domini: *Quis ignorantia locus erat, cùm ipsis inquirentibus, quomodo literas nosset quas non didicerat, diuina sapientia hoc ipsum documentum esse, quod te, quem in scholis nunquam viderant eruditum, in lege probarem.*

Chrysost.

Iniquum contra se arguit.

Præuenitur Dei cõtra malorũ calumniam. Arnold.

49. *Respondit Iesus.* Ad eorum, nempe murmur, ac interrogationem *Quomodo hic literas scit?* Ait Christus: *Doctrina mea*, hoc est dogmata mea, quæ ego prædico, & doceo, *non est mea*, id est, non est inuentum meum, nec à me comparata, & acquisita, *sed eius qui misit me* id est, Dei patris, qui mihi tanquam vero Deo, & homini hanc scientiam dedit, tanquam Deo: per æternam enim generationem cum ipsa natura diuina omniscientiam communicauit; & etiam tanquam homini, mihi suam scientiam beatificam, & infusam omnium rerum indidit. Iuxta illud Isai. 11. num. 2. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis.* Vtroque modo, ac de vtraque scientia, quã vt Deus, ac homo habet Christus: textum interpretantur D. Chrysostomus homil. 48. D. Augustinus lib. 2. de Trinitate c. 2. & tractat. 27. in Ioan. D. Cyrillus. 4. in Ioan. cap. 42. Albertus Magnus, S. Thomas, Toletus, & alij. Et notandum cum D. Chrysostomo citato, quòd totam suam doctrinam Deo tribuit. Neve Deo contrarius, neve se extollere videretur; & vt etiam modestiam seruans neminem se iactare debere doceret, & vt auditorum imbecillitati consuleret.

Isai. 11.

Chrysost. August. Cyrill. Alb. Magn. D. Thom. Tolet.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus non se manifestauit in primo die festi, sed in quarto.

§ 0. *Ratio difficultatis.*

ASCendit Christus in Hierusalem ad primum diem festi, hic autem ascensus fuit omnino occultus, quarto die festi, seu festo mediante ascendit in templum, vt in præsenti scribit Ioannes, hic autem ascensus in templum fuit manifestus, patentérque ibi docuit populum, cur autem non se manifestauit primo die, sed quarto, inquirit hæc quæstio.

§ 1. Chrysost. Leont. Euthym. Theophyl. *Ira danda est locus.*

Respõdent primò D. Chrysostomus Leontius, Euthymius, Theophylactus, qui ait? In principio quidem ascendere detrahebat, *vtpote feruentibus furore Iudæis. Post hæc autem, cum festum soluendum esset, ascendit, quando & insaniam illorum, verisimile erat mitigatam esse.* Tunc ascendit quando & Iudæorum ira erat aliquantulum sedata, ac remissa; magna est enim prudentia dare locũ iræ, ac illi cedere. Vide multa tom. 1. 2. & 3. verbo *Ira.*

§ 2. August. Beda. *Declarat Dominus se esse verum hominem.*

Secundò. D. Augustinus tract. 29. in Ioannem, *Illud*, ait, *vt lateret, erat causa exempli, hoc protestatio.* Beda, & alij, latet, vt humano timore se verum hominem ostenderet, & vt etiam nobis daret exemplum, quòd abscondi aliquando erubescamus; manifestat autem se ipsum ex sua potestate, qua potuit Iudæorum corda refrænare, ac mutare.

§ 3. Theophyl. *Ex delatione desiderium.* Theophyl.

Tertiò. Theophylactus: *Quare ascendit*, ait, *cùm esset dimidium festi, vt maiori attentione audirem ea, quæ ab ipso dicebantur.* Vt vehementius audiendi desiderium per tot dierum moram, & expectationem, in auditoribus cum expectantibus cresceret. Quartò idem Theophylactus: *Ascendit cùm esset dimidium festi, ne festi strepitus illorum aures occluderet. Nam in principio festi, verisimile est, eos in his, quæ festi erant occupatos fuisse.* Vsque ad dimidium festi distulit suam manifestationẽ, & prædicationem; nã in primis diebus occupabantur homines in tabernaculis adornãdis, rebúsque ad festum necessariis comparandis.

§ 4. Alb. Magn. *Deus illuminat homines ad vitam.*

Quintò. Albertus Magnus. Die festo mediante ascendit Iesus in templum, & docebat. *Quod fuit*, ait, *quarta die*, quando etiam Deus ab initio mundi coruscare fecit lumen in cælis In signum quod quarto die festi (quod significabat peregrinationem

nem mundi huius (illuminare debebat de cælis eos, qui sedebant in tenebris, & in vmbra mortis. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Dniel. 12. num. 3.

Dniel. 12.

55. Ammon. *Irā excæcat mentem, vt beneficia nō videas.*

Sextò. Ammonius: *Non erat aquum*, ait, *vt sub initium festinitatis ascenderet Iudæus eius odio æstuantibus.* In principio festinitatis, præ ira, & furore Iudæi erant omnino incapaces, vt sublimia Christi mysteria, ac verba audirent, ac intelligerent, ideóque differt Diuinus Magister suum ascensum, sánque doctrinam ad dimidium festinitatis, vt ira iam quiescente cum maiori sua vtilitate, quæ Christi sunt, audiant, & videant.

56. Matth. 27.

Cùm meus Iesus penderet in Cruce, Matth. 27. n. 39. *Prætereuntes blasphemabant eum monentes capita sua, & dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, salua temetipsum: si filius Dei es, descende de Cruce: similiter, & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis, & senioribus dicebant: alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere*, &c. *Id ipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt.* Illud maximè venit notandum in Euangelistæ textu, quòd prius scribuntur blasphemiæ, ac contumeliæ in Christum iactatæ, & postea Sol obscuratus, ac tenebræ super terram narrantur. Cur hoc magnum mirabile? quòd Sol obtenebretur in plenilunio, nō fit, cùm opprobria in Christum iactantur, sed postquam blasphematores suum venenum eructarunt, & quieuerunt; cùm persequutorum ira, ac furor blasphemiis, ac contumeliis æstuaret; minimè tantum miraculum præter omnem rerum ordinem erat respiciendum, inde Diuinus gubernator ab illo pro tunc abstinet, & ad aliud commodius tempus illud reseruat, quando cum maiori opportunitate aliquid lucrifacere valeat. Euthymius ibi: *Post*, ait, *pestilentia, ac scommatum satietatem id factum est, vt quiescente iam furore, aliquid à miraculis lucrifieri posset.*

Vt inimici profciant beneficijs, eorum ira prius quiescat.

Euthym.

57. Exod. 9.

Ait Deus per Moysem ad Pharaonem: *Pluam erat hac ipsa hora grandinem: mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines, & iumenta, & vniuersa quæ inuenta fuerint foris*, &c. *Qui autem neglexit sermonem Domini misit seruos suos, & iumenta in agris*, Exod. 9. num. 21. Et postea subditur: *Percussit grando in omni terra Ægypti, cuncta quæ fuerunt in agris*, num. 16. Magna Dei bonitas; imminens plaga denuntiatur, vt effugium quæratur. Illud tamen maximè notandum, quòd admonet Deus de effugio, quod vnicuique erat euidentissimum, & promptissimum, quòd scilicet homo congregaret sua pecora, ac domi retineret, & tamen fuit Ægyptius, qui hoc contemneret; quis audiens imminere tempestatem lethali grandine plenam, non præcaueret pecoribus suis, & in domo facilia, & prompta effugia quæreret, tanto furore ac rabie, erant aliqui in Ægypto succensi in Moysem, ac cæteros Hebræos, vt corū verba contemnerent, & potius vellēt sua interemptioni exponere; quàm credere, eorúmque verbis attēdere, indéque manifesta effugia ab illorum mente effugit, vt illis nec agant, nec curent. Abulensis; *Erant multi de seruis Pharaonis*, ait, *plagis non correcti; sed peiores effecti, qui adhuc non credebant verbis Domini.*

Iram sinit homini vti beneficijs concessis.

Abulens.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus ait: Doctrina mea non est mea; *si mea, quomodo non mea?*

58. Augustin. Chrysost. D. Thom. Bonauent. *Ratio difficultatis.*

HAnc quæstionem excitant D. Augustinus, D. Chrysostomus, S. Thomas D. Bonauentura, & alij Patres, & Doctores statim citādi; nam ipsi dicunt, in his Domini verbis videtur quædam contradictio inuoluī; nam si ipse dixisset: Doctrina, quam ego prædico, non est mea, nulla esset difficultas; at ipse ait: *Doctrina non est mea.* D. Augustinus tractat. 29. in Ioannem, *Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis vtrumque, & mea, & non mea? nam si dixisset, ista doctrina est mea, nulla esset quæstio.*

59. Carthus. Caietan. Iansen. Maldon. Tolet. Barrad. *Vera expositio.*

Respondetur primò cum Carthusiano, Caietano, Iansenio, Maldonato, Toleto, Barrada; & aliis. Quòd Christus vocat doctrinam suam quia eam in se habebat, eámque dicebat, ac loquebatur; & etiam non suam vocet, quia eam non à se ipso excogitauerat, ac inuenerat, nec à se ipso loquebatur, sed à Patre acceperat, quod dicebat, qui per illum, & in illo loquebatur; sicque Iudæis respondet Christus, ostendens à quo didicerit literas suæ doctrinæ, declaratque illus originem esse purissimam ab omni falsitate, & errore, cùm sit à Deo Patre, à quo talem doctrinam vt homo accepit, sic ait Ioan. 8. num. 28. *Sicut docuit me Pater, hæc loquor in mundo.* Sic & Apostoli dicere poterant, doctrina nostra non est nostra, sed eius, qui misit nos, & loquitur in nobis. Iuxta Illud Matth. 10. num. 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris, qui loquitur in vobis.* Hæc interpretatio mihi videtur legitima, & eam secutus sum in expositione.

Ioan. 8.

Matth. 10.

60. Augustin. Beda. Strabus. D. Thom. Bonauent.

Secundò. D. Augustinus tract. 29. in Ioannem, Beda, Strabus; D. Thomas, D. Bonauētura & alij. qui sic exponūt, Christum ipsum esse doctrinam, quia Verbum erat Patris, ac proinde: *Mea doctrina non est mea.* Idem est, ac si diceret: Ergo non sum Verbum meum, sed verbum eius, qui me misit. Tamen contra hanc interpretationem facit: quia Christus Dominus de doctrina loquebatur, quam externis verbis docebat. Ipse erat sapientia Patris à quo doctrina emanabat, non tamen erat ipsa doctrina, quæ externis verbis ore tradebatur.

61. Augustin. Ambros. D. Thom. Hugo

Tertiò. Idem D. Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 12. Doctrina mea non est mea. *Quomodo istud verum est*, ait, *nisi secundum aliud suam dixerit, secundum aliud non suam. Secundum formam Dei suam, secundum formam serui non suam.* Et D. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Mea doctrina non est mea. *Non est enim*, ait, *secundum carnem mea, quia quæ diuina sunt, non sunt carnis eloquia*, &c. Similiter D. Thomas, Hugo & alij, vocat Dominus doctrinam suam, vt Dei est, non suam vt hominis. Ex quo depromitur morale documentum. Christus verus Deus & homo, tamen vt sua doctrina credatur, ait, quòd loquitur, vt Deus, non vt homo, quod valde mirum est; nam cùm eius humanitas esset vnita diuinitati, in ea nec leue vitium incidere poterat, & tamen vt omnino illi fides adhibeatur, de se ait, quòd loquitur vt Deus, non vt homo; ita enim homo apud homines mendax reputatur, vt sanctissima Christi humanitas, ab omni inquinamenti labe omnino extranea, si sermo

Verum si ab humanitate Christi præcisè id actum esset suspectum foret.

ab

ab illa procederet, præcisè vt est mera humanitas, adhuc a ieui nutantis fidei suspecta videretur, vt ergo inquorum ora obturentur, ait Christus doctr nam esse, *secundum formam Dei, suam secundum formam serui non suam.*

62. Ioan. 5 Ambros. *Humanitatem testimonium præcisè refutat credimulis.*

Iudæis dixit Christus Dominus Ioan. 5. n. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quæ verba commentans D. Ambrosius tom. 4. lib. 5. cap. 4. ait: *Quomodo ergo non est verum testimonium tuum Domine, nisi secundum fragilitatem hominum? Omnis enim homo mendax.* De hoc vide tom. 3. cap. 2. quæst. 10. Magna sanè est exaggeratio, ita homo habetur ex se mendax, vt ipsa humanitas, ex fragili nostra conditione ab aliquo malevolo eius testimonium non in alto veritatis fastigio reputabitur, vt ait Ambrosius.

63. Chrysost.

Quartò. D. Chrysostomus homil. 48. *Hoc*, ait, *verum non est mea; maiorem in modum Patris, & suam vnam esse doctrinam indicat; nihil habet diuersum, tanquam alterius. Quid si persona alia sum, idem tamen dico, & facio, vt non existimetis aliud a Patre, sed idem me dicere, & facere.* Similiter docet Ammonius, D. Cyrillus, Leontius, Euthymius, Theophylactus, Qui ait, *Dixerat, mea doctrina non est mea, hoc est aduersatia Deo,* Ostendit vnam, eandémque doctrinam suam esse cum Patris doctrina, eámque dicit suam, quia in se illam habet, nõ suámque vocat, ac si dicat, non est ita mea, vt sit diuersa à Patre, sed idem dico, & facio, quæ Pater dicit, & facit; & ita totum in loquelam, ac testimonium Patris refert, à quo vniuersa acceperat. Ioan. 12. n. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.*

Ammon. Cyrill. Leont. Euthym. Theophyl. *Christi, & Patris vna eadémque, doctrina.*

Ioan. 12.

64. *Bonum cõmunicandum.*

Quintò ait Christus Dominus: *Doctrina mea, non est mea, sed eius qui misit me Patris.* Totam suam doctrinam non sibi, sed Patri refert, quasi inde fiat manifesta consequentia, vt nobis eam tradat, quod enim a Deo habemus bonum, id aliis communicare, ac præstare tenemur. Vnde dicitur, *Erat docebat in templo.* B. Virgini dicitur Cantic. 4. num. 5. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli caprea gemelli.* Virginis Mariæ vberibus vnus tantum hinnulus inhæserat, meus nempe IESVS; si ergo vnus tantum hinnulus ad lac labia infigens, quo modo duo scribuntur hinnuli. Ecce sanctissimi IESV ingenium, vbi ipse accessit ad matris vbera, vt lac sugeret, simul & fecit, vt humanum genus accederet, vt idem lac spiritualiter perciperet, vt tanto misericordiæ fonte, simul homines in æternam vitam nutrirentur. Richard. Victorinus in Cant. c. part. 2. cap. 23. *Carnalia in te*, ait, *ô Virgo Christus vbera suxit: vt per te nobis spiritualia fluerent. Sicut carnem nostram in te sumpsit, & spiritum sanctum nobis dedit. Cùm materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter filii Dei per te fluere cœpit.* Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. quæst. 3. num. 91. & tom. 2. cap. 16. qu. 32. num. 255. & 256. cap. 27. q. 12. num. 72. & 73.

Cant. 4. *Virginis præfectione nutriuntur homines in vitam æternam.*

Rich. Vict.

Ioannis 7. n. 17 Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.

Num. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: Qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Num. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

Num. 20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

VERSIONES.

Vatablus n. 17. Si quis voluerit voluntati eius obtemperare.

Arabicus. Si qui voluerit placita eius facere.

Syriacus. Qui noluerit exequi voluntatem eius, intelliget doctrinam meam, num ex Deo sit, an ego ex voluntate mei ipsius loquar.

Idem v. 18. Qui ex voluntate mentis suæ loquitur, gloriam sui ipsius quærit: is autem, qui gloriam eius, qui misit ipsum quærit, verax est, & iniquitas in corde eius non est.

Idem n. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis custodit legem?

EXPOSITIO VI.

65. *Voluntas pro merito reputabatur.*

APONITVR signum, per quod cognoscitur Christi doctrina à Patre accepta, eiúsque voluntati in omnibus congrua. *Si quis noluerit*; non ait, faciat, sed voluerit; voluntas enim nostra pro opere à Deo reputatur, tamen voluntas, quæ hic ponitur, non est voluntas otiosa, & frigida, sed efficax operis in qualibet occasione, *Voluntatem eius facere*: generaliter voluntatem Patris mei in omnibus facere, vt interpretantur D. Augustinus, D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, D. Thomas, D. Bonauentura, *Cognoscet de doctrina.* Facilè percipiet, ac intelliget vim doctrinæ meæ, quòd scilicet ipsa non sit quid inuentum meum, nec aliquid dissonum, ac diuersum à voluntate Patris; nam, vt ait Chrysostomus: *Si quis sit amator virtutis, verborum meorum vim intelliget*; quod scilicet à Deo sit, & nihil humanum in ea appareat; qui ergo faciendo Dei mandata obseruat, & amat, mea patiter verba amabit, & obseruabit, quia ego nil aliud prædico, & dico, nisi ea, quæ Deo sunt placita, ab eóque mandata. Tacitè eos pungit Christus, vt ex Chrysostomo notant Lucas Burgensis & alij, quòd ideo Iudæi Deo, ac sibi, & vtriusque doctrinæ sint aduersarij, quia non virtutes, sed vitia sectantur.

Augustin. Chrysost. Theophyl. Euthym. Rupertus. D. Thom. Bonauent.

Chrysost. Lucas Burg

66. Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom.

Qui à semetipso loquitur. Hæc secunda ratio est, vt aduertunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, D. Thomas, qua Christus ostendit se à seipso

84. *Si circumcisionem*, quod est quoddam opus ex genere suo seruile, ac molestum. Sub nomine circumcisionis intelligit illa omnia, quæ in ipsa erant coniuncta, vt vulneris inflictio, & illius vitatio. *Accepit homo in sabbato.* Quoties est illi octauus dies à natiuitate sua; *Vt non soluatur lex Moysis.* Et idem valet, *ac itaque.* Vt Ioann. 5. num. 9. & 2. Corinth. 11. num. 17. Et satis apertè ponit Syriacus *ab idque.* Non violatur lex Moysis de obseruatione sabbati. *Mihi indignamini quia totum hominem;* D. Cyrillus l. 4. in Ioan. c. 50. Euthymius. *Totum hominem dixit Christus*, ait, *nam cum totum eius corpus paralysi dissolutum fuisset, totum reddidit sanum.* D. Augustinus tract. 31. Euthymius, D. Thomas, Caietanus, & alij totum hominem, quia non solum curauit Dominus eius corpus, sed animam; nam vt ait D. Thomas 3. part. q. 44. art. 3. Dei opera sunt perfecta. *Non conueniebat*, ait, *Christo, vt alicuius corpus curaret, nisi eius curaret animam.* Sequitur textus. Sanum feci in sabbato. Non enim minus diuinum est hoc meum opus, ac illud circuncisionis, quæ fiebat ex Dei præcepto, hoc autem meum opus sanationis sit ex iussu, ac virtute Dei, in momento ipso Deo supra naturam operante; in circuncisione autem multa seruilia opera intercedebant, gladiolo vulneris inflictio, præputij abscissio, medicamenti applicatio. Ergo ac si dicat Christus, si vobis licet ô Iudæi in sabbato hominem circuncidere in vna parte corporis, & ibi medicamentum imponere, cur irascimini contra me, quòd totum hominem in sabbato sanauerim vno verbo? Præcipue cùm hoc opus curationis sit ex beneficentia & pietate, qua est ex iure naturæ, cui omne positiuum ius sabbati cedere debet.

Ioan. 5. 2 Corinth. 3 Syr. cur. Cyrill. Euthym. D. Thom. August.

85. *Nolite iudicare secundum faciem.* Alij legunt, *secundum aspectum*, seu *speciem.* Syriacus: *per acceptionem vultus.* Quod de Christo pronuntiauit Isaias 11. num. 3. *Non secundum visionem oculorum iudicabit.* Ait Christus. *Nolite iudicare secundum faciem*, idest nolite in iudicando habere respectum facierum, seu personarum nolite habere acceptionem personarum; nam circuncisionem in sabbato, quam multo prolixo apparatu, ac emplastris facitis vos, & principes vestri, ac Pharisæi, ex amore, ac reuerentia erga eos approbaris; sanationem autem hominis in sabbato, quam solo vno verbo edidi, ex odio, ac contemptu, quo me vilem iudicatis, vt ait Chrysostomus, reprobatis, ac condemnatis D. Augustinus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus existimant, se Christum conferre cum Moyse; verisimilius tamen mihi est Christum in præsenti, non Moysi, sed Iudæis se comparare; nunquam enim Moyses expresse mandauit hominem in sabbato circuncidi, sed Magistri Iudæorum, ex eo quòd lex disponebat, vt infantulus octauo die circumcideretur, inde inferebant, quod si dies octauus esset sabbatum, quòd in illo esset puer circuncidendus. *Sed rectum iudicium iudicate.* Non personarum acceptione sed secundum merita, & naturam rei, vos manu, & opere circuncidistis in sabbato, ego autem verbo curaui in sabbato.

Syriacus. Isaiæ 11. Chrysost. August. Cyrill. Euthym. Theophyl.

Ioannis 7. n. 25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis; Nonne hic est, quem quærunt interficere?

Num. 26. Ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes, quia hic est Christus.

Num. 27. Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit.

VERSIONES.

D. Chrysostom. homil. 49. Euthym. Quidam ex Ierosolymitanis.

Arabicus. Homines aliqui ex Hierusalem.

Caietan. n. 26. Ecce liberè loquitur.

Syriacus. Nunquid norunt seniores nostri?

Syriacus n. 27. Nemo cognoturus est vnde sit.

EXPOSITIO VIII.

86. DICEBANT *quidam.* Audito efficaci argumento, quo Christus se defendebat, arguebatque eos, qui ipsum iniuste ad mortem quærebant, *Quidam ex Hierusalem*; seu ciues Ierosolymitani, qui hoc dicebant, erant ex Ierosolymis, quia, vt notant Albertus Magnus, & Leontius, hi bene nouerant suorum Principum concilia. Deinde Euangelista aduertit hos fuisse ex Hierusalem, vt inquiunt Chrysostomus, Theophylactus, D. Bonauentura, vt noretur eorum miserrima conditio, quia cùm ibi frequenter audissent Christum in templo prædicantem, multaque miracula operantem ibi vidissent, tamen adhuc erant creduli dubitantes in fide num. 26. infra. *quem quærunt interficere.* D. Augustinus tract. 31. *Hi nouerant*, ait, *qua sanctia Iesus quæreretur.* Et loquuntur per tertiam personam, vt ait Caietanus, quia quamuis hi essent increduli, tamen non erant de numero eorum; qui Iesum quærebant interficere. Hi autem Iudæi dum dicunt, *quem quærebant interficere*, mendaces arguunt eos, qui supra num. 20. dixerunt. *Quis te quærit interficere.*

Alb. Magn. Leont. Chrysost. Theophyl. Bonauent. August. Caietan. *Iudæi semetipsos mendaces ostendunt.*

87. Ecce rem miram, & grandem denotat. *Palam loquitur.* Libere audacter, publicè, ac patenter; proprium est enim veritatis angulos fugere, publicum quærere. *Et nihil ei dicunt.* Nullus eius dictis, ac verbis, & argumentis respondet, sed omnes obmutescunt, cùm antea in eius absentia multi aduersus eum fremerent; Verbum autem *dicunt* hoc loco non solum respicit verba, sed etiam facta, idest nihil aduersus eum inermem dicunt, & faciunt, cùm antea magno studio vellent eum comprehendere. *Nunquid verè* Insolita mutatio ad sui indaginem animum excitat; *Verè cognouerunt principes nostri.* Syriacus: *seniores nostri.* Scripturas scrutando, eius verba auscultando didicerunt, ac cognouerunt, *quia hic est Christus*, Messias in lege promissus, quòd multis, & manifestis euidentiis bene potuerunt Iudæi cognoscere, & in præsenti, vt inquiunt D. Chrys. hom. 49. Theoph.

Iudæi in Christi præsentia tacent, in absentia multa dicunt. Syriacus. Chrysost.

Theophyl. Euthym. Alb. Magn. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus. Nam cùm ipsi haberét concitatos animos aduersus Dominum tamen Iesus pauper, & indefensus stabat coram eis, & tamen manus extendere in eum non potuerunt, nisi quando ipse voluit, quod magnum diuinitatis erat signum. Sed Iudæi inuidia, & odio obcæcati non cognoscunt, sed eximiam potentiam Iesu ignorant.

88. *Hunc scimus vnde sit.* Ac si dicant, nouimus Iesum, parentes, ac cognatos eius pauperes in Nazareth. Sic enim dicebant. *Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem?* Ioan. 6. Supra Ioan. 6. num. 42. Sic aliquando contigit, vt magni viri ob sua natalitia minus habeantur. *Christus cum venerit.* Scilicet Messias tandiu desideratus; *Nemo scit*, præsens pro futuro, nemo sciet, vt notarunt Lucas Burgens. Cornelius à Lapide: falso enim sibi persuadebant multi Iudæi rudes, & imperiti, quod quando Christus veniret, neminem eius parentes cogniturum, sed repente ignotis progenitoribus appariturum; de quo quæst. sequenti.

Lucas Burg. Cornelius.

QVÆSTIO X.

Quare Iudæi dicunt, quòd quando Christus venerit, nemo sciet vnde sit, cùm ipsi contrarium fateantur hoc eodem capite, & sermone?

89. NOTANDVM est in limine huius quæstionis, quòd cùm multi Iudæi propensi essent, vt Christum recognoscerent, ac crederent verum esse Messiam, obiecerunt Pharisæi quòd Principes ei non adhærebant. *Nunquid ex principibus aliquis credit in eum?* infra num. 48. Nunc verò in præsenti, cùm principes ad Christi verba sileant, eisque acquiescere videantur, cùm ei nil respondeant. *Nunquid vere cognouerunt principes, quia hic est Christus?* Iudæorum malitia non quiescit, sed contra principum sententiam, nouam, & iniquam parat rationem, vt à Christo deficiat, ne eum vt verum Deum, ac Messiam agnoscat. D. Chrysostomus homil. 49. in Ioan. *O malitiam, ô pertinaciam*, ait, *non sequuntur principum sententiam, sed aliam corruptam afferunt propria stultitia consentaneum. Scimus hunc, inquiunt, vnde sit*; Ecce perfidorum ingenium, quod cùm in vno conuincitur, non quiescit, sed aliud subterfugium quærit.

Chrysost.

Iniquorum perfidia nunquam quiescit.

90. *Difficultas quæstionis.* Quæstio præsens est, quomodo quidam Ierosolymitani in præsenti dicant, quòd cùm *Christus venerit, nemo sciet vnde sit.* Nempe ex quo loco vel ex quo patre: vel matre natus sit, cùm tamen hoc ipso capite. Ioan. 7. infra num. 42. fateantur. *Nonne Scriptura dixit, quia ex semine Dauid; & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?*

91. Euthym. Ad quæstionem respondet primò Euthymius. *Quòd malitia*, ait, *non intelligit, quòd sibi ipsi contradicat, ac plane mentiatur; est enim quædam anima ebrietas.* Iudæi odio, & ira obcæcati non sibi constabant, vt accidit his, qui non ratione, sed affectu mouentur. Secundò Maldonatus existimat, quòd diuersi fuerunt, qui tam diuersa testimonia de Christo protulerunt; ac proinde hi, qui dixerunt. *Nemo scit vnde sit*, ignorantes erant, nescientes scripturas; at verò qui postea dixerunt. *Ex semine Dauid, & de Bethlehem Castello*, erant doctores, siquidem genus, & patriam Christi ex Scriptura probarunt.

Maldonat.

Tertiò, multi graues Recentiores. Toletus, Iansenius, Lucas Burgensis, Cornelius à Lapide, inquiunt quòd verba hæc fuerint vulgi imperiti, quod fabellam quamdam fingebat de Christo, putabat enim quòd quando Christus veniret, neminem cogniturum eius parentes, ac propinquos, se Deum repente ignotis progenitoribus mundo appariturum, quare sibi persuadebat eum in Bethlehem nasciturum, ibidémque occultè latiturum, vel transferendum in longinquas regiones, ibique alendum vsque ad virilem ætatem, ac tum ex improuiso in Iudæa appariturum; ad hoc inductum fuit vulgus verbis Prophetarum, qui cùm de Christi diuinitate agerent, dicebant. *Gressus eius à diebus æternitatis.* Quam diuinitatem, cùm vulgus nec intelligeret, nec caperet in Christo, ideo has fabellas fabricabat. 92. Tolet. Iansenius. Lucas Burg. Cornel.

Quartò. D. Augustin. tract. 31. in Ioan. D. Chrysostomus homil. 49. Theophylactus, D. Thomas, D. Bonauentura & alij, quod mihi est verisimilius, dicunt, quòd cùm in Christo Domino sit duplex natura, Diuina: & humana. quædam sunt testimonia in Scriptura de natura, ac generatione diuina, vt Isaias 53. num. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Michæas 5. n. 2. *egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Psalm. 109. num. 4. *ex vtero ante luciferum genui te.* Et alia sunt testimonia de natura, ac generatione humana. Ad Dauid dicitur Psalm. 131. num. 11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* Mich. 5. n. 2. *Et tu Bethlehem, &c. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Iudæi vtpote rudes, paruuli, ac cæci, has duas naturas in Christo non agnoscebant, nec capiebant, sed tantum vt purum hominem credebant, & ideo testimonia vt vtraque natura inter se confundebant, ac præmiscebant, & vt est perfidorum, ac hæreticorum ingenium in suis dictis, ac verbis minimè erant constantes, sed maximè fluctuantes, idque modò concedebant, iterum modò negabant; sicque dicebant: *Christus cùm venerit, nemo scit vnde sit.* Et infra num. 42. è contra asserunt. *De Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus.* Et iterum modo. *Hunc scimus vnde sit.* E contra verò Ioan. 9. num. 29. *Hunc autem nescimus vnde sit.* Ecce perfidi valde inconstantes modo concedunt, modo negant. Vnde in præsenti ait Caietanus: *Iudei confundentes origines, confusum habentes intellectum, sicut & confusum habebant affectum.* 93. Augustin. Chrysost. Theophyl. D. Thom. Bonauent. Isai. 53. Mich. 5. Psalm. 109. Psalm. 131. Mich. 5. *Iudæi ac Hæretici modò concedunt modò negant.* Ioan. 9. Caietan.

Videt Isaias 6. num. 4. Dominum sedentem in solio maiestatis. *Plena est omnis terra gloria eius: & domus repleta est fumo.* Si omnis terra tanto gloriæ splendore illustratur, quomodo impletur fumo, & caligine? Cùm Æternum Verbum Incarnatum ad nos venit, terra nostra gloria emicuit. *Verbum caro factum est, vidimus gloriam eius.* Ioan. 1. At verè domus Israël; *regnabit in domo Iacob*, ob suum parum affectum, & depranatum intellectum densitate, ac cæcitate scripturarum circumfunditur, & impletur. D. Hieronymus. *Postquam terra*, ait, *repleta est gloria Domini Iudæorum templum impletum est ignorantia tenebris, & fumo, qui noxius est oculis.* 94. Isai. 6. *Iudæi repleti ignorantia caligine.* Ioan. 1. Hieron.

Ioannis 7. v. 28. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens

cens: & me scitis, & vnde sim scitis; & à me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis:

Num. 29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

Num. 30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manum, quia nondũ venerat hora eius.

Num. 31. De turba multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit nunquid plura signa faciet, quã quæ hic facit?

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Et extulit Ieschua vocem suam dum doceret in templo: aitque, & me nostis, & vnde sim, nostis: & ex voluntate mei ipsius non veni.

Theop. Arias. Quem vos non nouistis.

Tertull. lib. ad uersus Prax. c. 22. num. 29. Ego noui illum, qui ab ipso sum.

Vatablus n. 30. Nemo autem iniecit in eum manus.

Syriacus. 31. Num maiora signa edet hic, quæ ille edit?

EXPOSITIO IX.

95. CLAMABAT ergo Iesus Patricula, *ergo*, illatiua est, quia Iesus quamuis longè distans sciebat, quæ Ierosolymitani obiecerant. *Clamabat*: obmurmurationi tacitæ Iudæorũ opponitur Iesu clamor. D. Chrysostomus. *Quæ secretò loquebantur, in medium adducit, aperte eos confundens.* Exsollit vocem, vt feruorem sui animi indicaret, pondúsque suis verbis adderet, mentésque auditorum, vtpote ad rem magni momenti excitaret. Quomodo autem dicatur clamare, cum propheta vaticinetur: *non clamabit*, Isa. 42. num. 2. explicaui tom. 3. cap. 4. quæst. 6. Et quia Ierosolymitani obiecerant. *Hunc scimus vnde sit*, tanquam ex concessis argumentatur Dominus. *& me scitis.* Agnoscitis ex facie, & vultu; explicat D. Augustinus tract. 31. in Ioan. *& vnde sim scitis*: vt exponunt citat. Augustinus, Beda, Rupertus, D. Thomas, D. Bonau. Lyran. idest vos dicitis me nosse secundum humanitatem, ex qua scilicet prouincia, patria, ac parentibus natus sim; agnoscebant sacratissimam Mariam matrem, & Ioseph putabant patrem, cùm reuera non esset, Iudæi Christum secundùm diuinitatem ignorabant. Aliter interpretantur D. Chrysostomus, Euthym. Theophyl. Maldonat. & alij. *Me scitis*, hoc est me agnoscere potestis, & debetis, quod ego sim verus Messias Dei filius, id enim vobis ostendunt Prophetæ, & mea miracula. Prima expositio aptior. *A me ipso non veni.* Syriacus, *ex voluntate.* Explicat Christus suum verum Patrem, quam ipsi ignorant; omniáque Patri refert. A me ipso non veni in mundum ad eum illuminandum. *Sed est verus.* In suis promissis, qui vt pollicitus est, sic adimpleuit. Rom. 15. n. 8. Scilicet meus æternus Pater, *quem vos nescitis*, quẽ vos non nouistis, quòd ego ab ipso sum, & ipse me misit, de quo statim.

Chrysost. Iſai. 42. Augusti. Beda. Rupertus. D. Thom. Bonauent. Lyran. Chrysost. Euthym. Theophyl. Maldonat. Syriac. Rom. 15.

96. *Ego scio eum.* Certa, perfecta, ac comprehensiua cognitione. *Qua ab ipso sum*: per diuinam, ac æternam generationem, *filius de Patre* vt ait D. Augustin. *Et ipse me misit*, per incarnationem in mundum. Theophylactus. *Vide*, inquit, *hoc loco duas naturas in Christo manifestari: per hoc enim, quòd ait, ab ipso sum, substantia diuina declaratur, cùm verò ait, ille me misit, humana.* Retorquet Christus Dominus argumentum contra Ierosolymitanos, ipsi enim obiiciebant, ne eum vt Messiam reciperent; quia dicebant supra vers. 27. *Christus cùm venerit, nemo scit, vnde sit.* Ipsi autem Christi parentes agnoscebant; ostenditque Iesus, quòd nemo ex illis eius originem sciat, nam omnes eius diuinam, & æternam generationem ab æterno Parente ignorabant, sicut etiam & humanam? nam eum putabant filium Ioseph, cùm non ex Ioseph, sed ex Spiritu sancto virtute Altissimi obumbrante esset formatus, & incarnatus; ac proinde cùm eius origo esset tam ignota; ex eorum concessis nihil obstabant quominus in eũ vt Messiam crederent.

Augusti. Theophyl. *Retorquet Christus argumentum contra Ierosolymitanos.*

97. *Quærebant ergo eum.* Ergo, illatiua præpositio est ex superioribus. *Eum apprehendere.* D. Chrys. interrogat. *Quærebant, quinam?* ait, *non multitudo, quæ non affectabat principatum, neque capiebatur inuidia, sed sacerdotes* Seu principes Iudæorum. Ita Rupertus, Carthusian. Hugo, Toletus; quemquam enim comprehendere non spectabat ad priuatos, sed ad principes, ac sacerdotes, sub quibus etiam eorum sequaces intelliguntur, qui vt principibus gratificarent, non verebantur tantum facinus perpetrare. Cur tamen volebant comprehendere Cajetanus, & Toletus inquiunt, quia Patrem suum dicebat Deum, *qui misit me* ex motiuo, quo dicebant conuerti ad fidem, in obdurationis, ac multiplicandi sceleris argumentum sumunt. Christus vt notat Barradas in præsẽti obscure aperuit Deum esse Patrẽ suum. Probabilior sententia Chrysostomi, qui ait Iudæos fuisse irritatos, quia dixerat illos Deum nescire. Euthym. *Quærebant eum apprehendere*, ait, *agre audierant dicentem, quem vos nescitis.* Nota quòd quando Christus Dominus eis dixit. *Vos ex patre Diabolo estis.* Ioan. 8. num. 54. non dicitur, quòd cum volnerint apprehendere, vt modo, quando nescientes appellat; sunt enim homines, qui maiori patientia sustinebunt filios diaboli dici quàm ignorantes, ac inscientes vocari. *Nemo misit in illum manus.* Nam cùm voluissent violentas manus iniicere, diuina virtute Iesus, vt notant Euthym. Theophylact. Albertus Magnus cohibiti sunt. *Quia nondum venerat hora eius*; tempus nempe opportunum, ac conueniens à Patre destinatum moriendi pro salute generis humani.

Rupertus. Carthus. Tolet. Caiẽtan. Tolet. Chrysost. Euthym. Ioan. 8. *Aliqui magis sustinebunt filios diaboli dici, quam ignorantes vocari.* Euthym. Theoph. Albert.

98. *De turba.* Etsi principes Christum quærerent ad mortem, tamen turba simplex, ac bonæ conscientiæ prædita ipsum venerabatur. *Multi crediderunt in eum.* Chrysost. & alij, de imperfecta, ac cum dubitatione obsequentia verba interpretantur. Tamen cùm Euangelista scribat multos credidisse

Chrysost.

Chrysost. Greg. Naz. Augst. Basil Gregor. Chrysost. Cyrill. Origen. Alb. Mag.

eius. D. Chrysostom. de corde; D. Gregor. citatus in catena, de mente eius. D. Augustin. de conscientia. *Aqua viua*, id est charitatis, vt explicat D. Augustinus. Secundò lætitiæ spiritualis, vt ait D. Basil. in Psal. 45. iuxta id, quod dicitur ibi *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Tertiò doctrinæ Euangelicæ, vt docent D. Ambros. & D. Gregor. Quartò omnium donorum gratiæ, & gloriæ, ac omnium charismatum spiritualium, vt interpretantur. D. Chrysostom. D. Cyrill. Origen. Albertus Magn. & alij.

111. *Hæc autem dixit de Spiritu Sancto.* Verba sunt Euangelistæ exponentis Christi sententiam de Spiritu Sancto, qui communicandus erat credentibus; ipsúmque Spiritum sanctum assignat vt fontem aquæ viuæ. Ioan. 4. n. 14. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* A quo copiosa flumina ad credentes irrigandos redundabunt. *Nondum.* Adhuc Euangelista exponit Christi verba cur de futuro loquatur. *Erat Spiritus datus.* Aliqui codices Græci habent; *Nondum erat Spiritus sanctus*, intelligitur datus; huiusmodi codices sunt emendandi, & legendum cum nostra vulgata, ac cum aliis Patribus Græcis, & Latinis, Chrysosto. homil. 50. Dydamo de Spiritu sanct. lib. 2. D. Cyrill. D. August. l. 1. Leont. serm. 2. de Pentecost. *Nondum datus Spiritus.* Cuius rei rationem subdit Euangelista. Quia IESVS nondum erat glorificatus, D. Chrysost. Leont. Euthym. Rupert. glorificationem exponunt Christi mortem, & crucem eius. D. Hieron. Epistol. ad Hedibiam q. 9. *Gloria Saluatoris*, ait, *patibulum triumphantis est.* Theophylactus. *Gloriam hoc loco*, inquit, *crucem nominauit Euangelista. Per crucem enim deiecit Christus tyrannum* Rupertus hic ait. *Obedientia Christi, qua Deo Patri semetipsum obtulit glorificatio eius est.* D. Augustinus tractat. 32. Beda. Christi glorificationem eius resurrectionem interpretantur. D. Leo. serm. 2. de Pentecost. Cum communi sententia, in qua est etiam D. Augustin. Domini Ascensionem dicunt, sensus ergo est. Spiritus sanctus nondum in linguis igneis, ac mirabili aduentu erat datus, quia nondum Christus resurrexerat, ac in cœlos ascenderat, tunc enim maximè est glorificatus.

Loan. 4.

Græci. Chrysost. Dydam. August. Leo. Chrysost. Leont. Euthym. Rupertus. *Christi mors, & crux eius glorificatio.* August. Beda. Leo.

QVÆSTIO XII.

In quanam Scriptura reperiantur Christi verba allegata: Flumina de eius ventre fluent?

112. MAxime soliciti sunt Auctores inquirentes, in quanam Scriptura hoc testimonium à Christo Domino allegatum: *Flumina de ventre eius aqua viua.* Reperiatur. Primò Caietanus ait hoc testimonium non habent in libris Prophetarum, quos modo habemus, & tempore Christi habebantur; nam fortè iniuria temporum multi perierunt, tamen ad hoc necessitas non cogit, vt patebit, ex dicendis.

Caietan.

113. Secundò D. Chrysostom. homil. 50. Leontius, Euthymius, Theophylact. hæc verba cum antecedentibus coniungunt *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura.* Et tunc fingunt punctum. Omnis enim Scriptura clamet in Christum sicut oportet credendum esse, vtpote in verum Deum, ac Messiam. Aptius tamen est expositio, quod verba; *sicut dicit Scriptura*, Ad subsequentia referantur? *flumina de ventre eius.*

Chrysost. Leontius. Euthym. Theophyl.

Tertiò D. Hieron. Præfatione in Genesim. Origen. homil. 12. in Numer. Rupertus. S. Thomas, Toletus existimant id scriptum Prouerb. 5. num. 16. *Bibe aquam de cisterna tua; & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Hæc tamen sententia procedit in sensu mystico, nam literalis alius est, vt ibi tradunt commentatores, & aduertit Cornelius à Lapide.

114. Hieron. Origenes. Rupert. D. Thom. Tolet. Corn.

Quartò, plenissimè Recentiores. Maldonatus, Barradas, Lucas Burgens. Cornelius à Lapide, & alij tenent id non in vno, sed in multis locis Scripturæ contineri; idque non omnino quoad verba, sed quoad sensum, & rem. Ioel. 2. num. 28. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri.* Isai. 41. num. 18. *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes*; & 44. num. 3. *Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam.* Similia habentur cap. 55. n. 2. Ezechiel. 86. num. 25. & 39. num. 29. Eccles. 24. n. 40. Cantic. 4. num. 15.

115. Maldonat. Barrad. Lucas Burg. Cornel. Ioel 2. Isai. 41.

Hæc sententia inde mihi verior, quia aliquando citantur testimonia Scripturæ; non quòd eadem verba in ipsa reperiantur, sed quod idem sensus in illa sit contentus D. Matth. 2. num. 23. De Christo Domino ait. *Vt impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazaræus vocabitur*; & tamen apud Prophetas non inuenitur Christus expressis verbis dictus Nazaræus, sed sensu; Nam Nazaræus sanctus interpretatur; Christum autem sanctum futurum omnis Scriptura commemorat. Sic exponunt D. Hieron. D. Pasch. Albert. Magn. D. Thomas, Caietan. & alij, vt dixi tom. 1. lib. 2. cap. 9. qu. 9 num. 34.

116. *Verior sententia.* Matth. 2.

Hieron. Paschas. Albert. D. Thom. Caietan.

QVÆSTIO XIII.

Quare sitientes vocat ad se Christus?

117. QVIT Christus Dominus in præsenti. *Si quis sitit veniat ad me.* Via, per quam ad Christum eundum est, vt eius salutare poculum bibamus, est Deus Pater; qui facit, vt de IESV bonis participemus. D. Hieronymus in capite 1. Aggæi Prophetæ. *Clamabat Iesus*, ait, *si quis sitit veniat ad me. Et hunc ipsum tunc poterimus bibere, cùm petierimus à Deo Patre. Nemo venit ad me: nisi eum adduxerit Pater.*

117. *Per Patrem ad Christum venimus.* Hieron.

Præsens quæstio inquirit cur Christus sitientes ad se vocat. Pro quo aduerte, quòd omnes ad se vocat, cùm ait: *Si quis sitit* Nam vt ait Toletus. Nemo in hoc sæculo ita est omnibus numeris perfectus; qui non adhuc impleri, & perfici possit, & esto esset aliquis ita perfectus, adhuc iste vocatus, quia in via virtutis nullus debet sistere, sed semper ad maiorem perfectionem tendere. Sic dicitur Eccles. 24. n. 29. *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient.* Non determinat autem IESVS, de quo sit huiusmodi sitis, quia sub salute, gratia, ac vita æterna, de qua intelligitur sitit, omne bonum, & appetibile denotatur.

118. Tolet. *Nullus in hoc sæculo perfectus.* Eccles. 24.

Maximè de quæstionem respondeo. Vehementissimus est bibendi appetitus, & cùm sub similitudine aquæ, vt patet ex sequenti versu. *Flumina de ventre eius fluent*: promissurus esset nobis

119. bonum

bonum nostrum, metaphora sitis explicat desiderium illius boni, quod est valde frequens in Scriptura. Hinc mulier illa Samaritana, quæ de sua salute iam custos esse inceperat. Vt ait Albertus Magnus segressa est ad hauriendam aquam Ioã. 4. num. 7. Dauid desiderauit aquam cisternæ Bethlehem. 2. Reg. 23. n. 14. Per quam aquã Christum respiciebat. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Psalm. 41. num. 3. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Isai. 55. num. 1. Euthymius. *Neque enim*, sic ait in persona Christi, *eos conuoco, qui non sitiunt, sed qui ardenter appetunt huiusmodi potionem*, sitientes, ac soliciros de sua salute, & qui in illa operantur, non autem desides vocat Christus.

Desiderium salutis per sitim explicatur. Ioan. 4. 2. Reg. Psalm. 14. Euthym.

120. Chrysost. *Voluntas pro pretio est Deo.* Apocal. 21.

D. Chrysostomus homil. 5. *Neminem vim facio; neminem trahо; sed si quis libens, & promptus accedat: si quis ardet desiderio, hunc ego aduoco;* Volentes, ac sitientes quærit, ipsa enim voluntas, ac sitis magnum est ei pretium, vt nobis aquã vitæ ad propinandum largiatur. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ.* Apocalyps. 21. num. 6. vide tom. 3. cap. 1. quæst. 13. num. 91. & c. 30. quæst. 11. num. 6.

121. Cyrill. Damasc. Eccles. 15. Prouerb. 18. Deut. 41. Rupertus. *Sapientia dei Patrum sordes abluit.*

Tertiò. D. Cyrillus lib. 5. in Ioan. c. 20. *Omnes*, ait, *veram sitientes doctrinam dulciter inuitat, vt ad se veniant, & bibant potum i um salutarem, qui animam reficiat, & omnem ab ea cupiditatum restinguat.* Idem ferè Damascen. lib. 4. fidei cap. 18. aquas ad quas inuitat sunt sapientiæ, & doctrinæ, frequenter in sacro textu sapientia per aquam significatur. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum.* Ecclesiast. 15. n. 3. *Torrens redundans fons sapientiæ.* Prouerb. 18. num. 4. *Concrescat vt pluuia doctrina mea.* Deuter. 32. n. 2. Puteus aquarum viuentium. Cantic. 4. num. 14. Rupertus lib. 4. *Aquarum viuentium puteus est sanctarum Scripturarum sacrarium.* Et rectè sapientia aquæ comparatur, ablnit enim delictorum sordes.

122. 3 Reg. 8. Hebr. cor 9 *In Christo vniuersum bonum.* Anselm

Ad se vocat Christus. *Si quis sitit, veniat ad me.* In ipso est enim vniuersum bonum, quod satiat, & replet omnem appetitum 3. Reg. cap. 8. num. 9. dicitur. *In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.* Paulus autem ad Hebræos 9. num. 4. ait. *Arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, tabulæ testamenti.* Ecce manifesta est difficultas. In primò textu solæ lapideæ tabulæ asseruntur esse in arca; at Paulus non solum tabulæ, sed etiam manna, ac virgam floridam Aaron in illa præextitisse testificat, si omnia illa, quæ commemorat Apostolus erant intus in arca, quomodo in libris Regum dicatur, quòd solùm in illa erãt tabulæ lapideæ? Spectabat Paulus in arca Christum Dominum quem ipsa repræsentabat, indéque non solùm in arca legis directionem in tabulis intuetur, sed etiam omnium dulcedinem, ac saporem manna, florémque in virga Aaronis, vt recreet fructus, vt satiet; folia vt vestiat. D. Anselmus in Paulum. *Apostolus*, ait, *ad spiritualem sensum magis aspiciebat intelligens per arcam Christum, in quo spiritualiter sunt tabulæ testamenti, & virga Aaron, & urna cum manna.*

123. Osee. 14. Cyrill. Damasc. Rupertus.

Ait Deus per Oseam cap. 14. num. 6. *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius, vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua, gloria eius & odor eius vt Libani: conuertentur sedentes in umbra eius, viuent tritico, & germinabunt quasi vinea.* Omnium rerum felicitas promittitur Israëli *Germinabit*, seu, *florebit*, vt legit Castro. *Sicut lilium.* Arabicus. *Rosa*, in quo pulchritudinem insinuat. *Erumpet radix eius vt Libani.* Multa nempe altitudine, profunditate mittet radices, vt Libani cedrus, in quo perseuerantia, ac constantia denotatur. *Ibunt rami eius.* Filij eius scilicet valdè perfusè extendentur; *quasi oliua gloria eius.* charitate, ac misericordia repleburtur. *Conuertentur sedentes*, nimirum vt interpretantur D. Hieronymus, Rupertus, Lyranus, à captiuitate liberabuntur afflicti, *viuent tritico*, spirituali alimento; *germinabunt quasi vinea*: propagabuntur, multa nimirum felicitate. Sed vnde tanta rerum abundantia Israëli? *Ero quasi ros.* Ros mysterium Incarnationis denotat, Christum significat. *Rorate cœli desuper.* Isai. 45. n. 8. Iudic. 6. n. 37. Vt obseruant Rupertus, Lyranus apud Galat. n. lib. 3. cap. 17. Cùm autem Christus adest, statim parturiuntur flores, fructus, perseuerantiæ, protect ones, ac omnia bona. Ruffin. ibi. *Incarnationis siquidem sacramento vos gratia in Ecclesiarum area descendit, vt passim diuersis virtutibus fructuosa vitis, liliáque prodirent, & fieret multiplicationis fidelium tanta felicitas, quanta esset agri pleni frugibus floribus gloriantis.*

Castro. Arabicus. Hieron. Rupertus. Lyran. *Ex Christi præsentia omne bonũ manat.* Isai 45. Galati. Ruffin.

QVÆSTIO XIV.

Quare de credente dicitur, quòd flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ?

124. Psal. 35. Ioan. 4. *Omnium bonorum vnus fons Christus.* Chrysost. Theophyl.

CHRISTVS est fons aquæ viuæ, idest viuificæ gratiæ, vt habetur Psalm. 35. num. 10. *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ex hoc fonte potamus omnes, qui Christo credimus, ac obtemperamus, fietque in nobis *fons aquæ saliemis in vitam æternam*, vt Christus dixit Samaritanæ, Ioan. 4. num. 14. Hic autem fons est Spiritus sanctus, siue eius gratia valdè copiosa in nobis, ex qua manant omnia supernaturalia dona gratiæ, & ideo ob eius magnam copiam, & largitatem, vt notaui in Expositione, ex D. Chrysostomo, Theophylacto, non dicitur in singulari flumen, sed in plurali, flumina fluent. Tamen rectè notauit Chrysostomus homi. 2. de Anna. *Multa flumina*, ait, *sed vnus est fons.* Christus scilicet Iesus, à quo omnia illa scaturiunt.

125. Chrysost. Cyrill. Euthym. Alb. Magn. D. Thom. Bonauent. Psal. 64. Apocal. 22.

Per hæc autem flumina cœlestia dona fidei, spei, charitatis, gratiæ, ac aliorum charismatum spiritualium communiter interpretantur sancti Patres N. D. Cyrillus, Chrysostomus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonauentura, & alij. Et frequenter in Scriptura per flumina huiusmodi donorum largitas significatur. Psa. 45. num. 5. *fluminis impetus lætificauit ciuitatem Dei.* Psalm. 64. num 11. *Riuos eius inebria, multiplica genimina eius.* Apocalyps. 22 num. 1. *Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum, tanquam crystallum procedentem de sede Dei, & Agni.* Non guttatim, sed tam abundanter spiritualia bona à Deo in nos descendunt.

126. Cyrill. Damasc. Rupertus.

Et dicitur. Quòd *fluent de ventre eius.* Per hæc flumina eloquia sacræ doctrinæ, ac prædicationis interpretantur D. Cyrillus, Damascenus, & alij. Sed cur non dicitur, quod fluent ab ore, sed ex ventre, seu intimis visceribus? Rupertus hoc loco. *Flumina*, ait, *de ventre eius*, ideſt *de intimis animæ, vbi Deus interno sensitur, amore, seipsum*

anima

anima infundens, vbi hunc Spiritum imbibit de Dei pectore. Quod dum fit, multum differt ab eis, quæ ſolum ex ore, verbo tenus fluit vbertas doctrinæ; corde intrinſecus oris ſuimet verba per amorẽ non ſentiente. De quibus Dominus, ait populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Matth. 15. num. 8. Vt Eccleſiaſticus Magiſter proficiat doctrina ſua auditoribus prius illam debet in ſe aſſidua meditatione decore, quæ vt ex intimo cordis affectu, ac intimis pietatis viſceribus procedens audientium corda valeat inflammare.

Doctrina prædicationis potius procedat ex corde quã ex ore.

Matth. 15.

127. Ezech. 3.

Mittitur Ezechiel à Deo ad prædicandum, eique dicitur cap. 3. num. 3. *Fili hominis venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto, quod ego do tibi, & comedi illud.* Et ſtatim ſubditur num. 4. *Et dixit ad me: fili hominis, vade ad domum Iſraël, & loqueris verba mea ad eos.* Poſtquam comedit, ac viſceribus recondidit, tunc ex viſceribus loqui iubetur. D. Gregorius homil. 11. in Ezechiel. *Vt ex dono cæleſtis gratiæ, ait, etiam verbum doctrinæ percipiant, atque de veritatis pabulo, quod ipſi intrinſecus dulciter ruminant, proximos ſuauiter paſcant.* Hinc prophetarum verba dicuntur eructus. *Eructauit cor meum verbum bonum.* Pſalm. 44. numero 1. eructus autem ex cibo cocto exhalatur.

Ex corde ſit ſermo.

Gregor.

Pſal. 44.

128. Hieron. D. Thom. Alb. Magn. Auguſt.

Hæc autem fluminà, quæ fluunt de ventre, ad quem locum fluent? in alios nempe, non ſibi ſolus iuſtus retinet bona; Sic D. Hieron. D. Thomas, Albertus Magnus, & alij relati quæſt. 12. exiſtimant hunc Chriſti locum deſumptum ex Proverb. 5. num. 16. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.*

129. Iuſtus bona ſua in alios derivat, & defluit.

Sitque ait D. Auguſt. tract. 32. in Ioan. *Quid eſt, ait, fons, & fluvius, qui manat de ventre interioris hominis? Benevolentia, qua vult conſulere proximo.* Ex pectore Apoſtolorum, ac ſanctorum virorum emanarunt flumina, quæ totum orbem irrigarunt, nec enim iuſti volunt bona in ſe continere, ſed etiam vt in alios redundent.

130. Geneſ. 9.

Peracto diluuio ait Deus Noëmo. *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos.* Geneſ. 9. num. 9. & ſtatim ſubiungit Deus: *hoc ſignum fœderis, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ eſt vobiſcum*, tam in volucribus, quam in iumentis, & pecoribus terræ; ad quid firmitas diuinæ pietatis non ſolum Noëmi poſteritati, ſed etiam omnibus animalibus promittitur? Nonne ſufficeret Noëmo, ſi diuina benignitas ſibi, ac filiis præexiſteret ſecuta? ad quid vltra de animalibus commemoratur? Cum Noëmus eſſet iuſtus, ſuam felicitatem non magnam reputare, ſi in ſe, ac ſuis filiis clauderetur, niſi in alios, ac etiam bruta animalia deflueret, ac ſe ſe extenderet, inde & ei dicitur, quod Dei benignitas ipſi, & omnibus exhibetur. D. Chryſoſtomus homil. 28. in Geneſ:

Iuſtus ſuam felicitatem reputat magnam, ſi aliis communicatur. Chryſoſt.

Et homini, ait, ſolatio fuit, quod non ſolum in ſe collocarentur beneficia, ſed propter ſe, & in alia animalia extenderetur liberalitas. Vide hoc tom. 1. & 2. ac 3. verbum *communicare.*

QVÆSTIO XV.

Quare ante Aſcenſionem non fuerit Spiritus ſanctus datus diſcipulis, vt poſtea?

ANte Aſcenſionem datus eſt ſpiritus ſanctus Prophetis, 2. Petri 1. n. 21. *Non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines.* Ioannes Baptiſta repletus eſt Spiritu ſancto adhuc ex vtero matris ſuæ, Luc. 1. num. 15. Et ſpiritus ſanctus dicitur eſſe in Simeon, Luc. 2. num. 25. Imò & poſt Reſurrectionem datus eſt Apoſtolis, Chriſto eis dicente: *Accipite Spiritum ſanctum. quorum remiſeritis peccata; remittuntur eis*, &c. Ioan. 20. num. 22. Quomodo dicitur in præſenti. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat Ieſus glorificatus?

131. 2. Petri. Luc. 1. Luc. 2. Ioan. 20.

Ad hoc reſpondetur cum D. Hieronymo Epiſt. ad Hedib. quæſt. 9. D. Auguſtino tract. 32. N. D. Cyrillo lib. 5. in Ioan. cap. 10. D. Thoma, D. Bonauent. & aliis, quod ante Chriſti glorificationem multis fuit datus Spiritus ſanctus; tamen poſt Domini Aſcenſionem plenitudo Spiritus ſancti data eſt, quando viſibiliter linguis igneis deſcendit, & dona ſua communicauit ad largam effuſionem, & abundantiam, tunc enim donum linguarum, operationes virtutum, gratiæ ſanitatum, & ſcientia, fortitudo, ac omnes gratiæ copioſè ac ſuperaffluenter datæ ſunt; & ſi in hac donatione credentibus promiſſa, ſinguli non habeant omnia hæc, tamen hæc omnia in ipſa Eccleſia præexiſtunt, cuius fideles ſunt membra, ipſiſque iuſtis datur Spiritus ſanctus, vt ex ventre eius flumina fluant, licet in ſingulis non ſint æqualia.

132. Hieron. Auguſt. Cyrill. D. Thom. Bonauent. *Per aduentum Spiritus ſancti gratiarum plenitudo.*

Ad præcipuam noſtram quæſtionem, cur ante Aſcenſionem non fuerit Spiritus tam largiter datus, reſpondet primò D. Leo ſermon. 2. de Pentecoſte cap. 8. Explanant hæc præſentia Ioan. verba: *Nondum erat Spiritus datus*, ſic ait, *Domini Aſcenſio, dandi Spiritus fuit ratio*, Poſt Aſcenſionem mittitur Spiritus ſancti largitio, vt cognoſcatur extitiſſe fructum paſſionis, Reſurrectionis, ac Aſcenſionis Chriſti. Solent enim Reges deuictis hoſtibus, cum triumphum agunt, magna dona in ſuos diſtribuere. Sic Chriſtus Dominus in cœlo triumphator exiſtens magnam gratiæ copiam diuini Spiritus in ſuos fideles diffundit. Iuxta illud Act. 3. n. 3. *Dextera Dei igitur exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre effudit hunc, quem vos videtis & auditis.*

133. Leo. *Chriſtus in ſua Aſcenſione magnificum dona conceſſit.*

Act. 3.

Secundò. Albertus Magnus, poſt Reſurrectionem, & Aſcenſionem mittitur Spiritus ſanctus: *Tota gloria Chriſti*, ait, *oſtenſa eſt in Spiritus ſancti miſſione, quia tunc apparuit quanta gloria fuit: qui tantum, & talem mittere potuit, & dare, quantus ipſe fuit.* Chriſti gloria declaratur maximè per Spiritus ſancti miſſionem, per cuius dona Apoſtoli mira operantes, totum orbem illuſtrarunt, ac ad fidem adduxerunt.

134. Alb Mag. *Chriſti maieſtas.*

Tertiò. Clichtoueus: *Non æque*, ait, *commodum fuit, & tempeſtiuum, Spiritum ante Chriſti glorificationem dari, tum quod vnus Chriſtus aderat, carne præſens conſolator, & illuminator, cuius doctrina, & lux tunc ſufficiebat ad hominum illuſtrationem. Tum & quarto*, & hoc etiam tradit D. Thomas, quod Spiritus ſanctus potiſſimum

135. Clichtou. D. Thom.

missus est, vt hominum corda, ab amore præsentis vitæ ad bona futuræ vitæ traduceret, & inuisibilium amorem induceret: id autem non vsque adeo opportunè factum fuisset. Cum homines nullo adhuc exemplo extitissent edocti, quo homines inflammarentur ad speranda æternæ vitæ præmia. Cum verò per Resurrectionem Christi, & in cœlos ascensum viderint in capite præcessisse futuræ vitæ gloriam, & exemplum, facilius persuaderi potuerunt, hæc quoque in membris esse speranda, & tunc missus est Spiritus sanctus, qui hanc spem iactis iam à Christo fundamentis stabiliret & corroboraret.

Ex Christi Ascensione nobis spes illinc ascendendi.

136. Quintò; valdè conueniens fuit, vt post Ascensionem Spiritus sanctus mitteretur à Filio, sedente ad dexteram Patris, vt inde perspicuum fieret Spiritum sanctum nõn solum à Patre, sed etiam à Filio procedere, & mitti, atque adeo Christum verum Deum esse, qui Spiritum sanctum mittebat. Sextò. Valde alta dispositione sic est ordinatum, vt ostenderetur Christum in cœlo existere, & regnare, ideo non ex terra, sed ex cœlo Spiritum palam cum vehementi sonitu edito emisit.

136. *Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedit.*

137. Cum Dauid fugeret à facie Absalonis filij sui, vtque valde eminens periculum declinaret. *Ascendebat clinum oliuarum*, 2. Reg. 15. num. 30. Cur sperans auxilium è cœlo à furore inimici, non per alium montem pergit, sed tantum *per clinum oliuarum*? D. Cyrillus, Cathec. 2. *Per oliuetum*, ait, *fugere maluit, firma innocans mente liberatorem illum, qui isthinc cœlos erat ascensurus.* Spiritu prophetico agnouerat Dauid è monte illo Christum cœlos ascensurum, inde ibi specialiter è cœlo protectionem sperabat.

137. 2. Reg. 15

Cyrill. *Ex Christi Ascensione obis eius vocatio emittitur.*

Ioan. 8. v. 40. Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant: hic est verè Propheta.

Num. 41. Alij dicebant; hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa venit Christus?

Num. 42. Nonne Scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?

Num. 43. Et dissensio itaque facta est in turba propter eum.

VERSIONES.

Vatablus n. 40. Multi ergo de turba cùm audissent hunc sermonem.

Græcus. Hic est ille Propheta.

Syriacus n. 42. Ex Bethlehem pago ipsius Dauid.

Arias. Ex vice ipsius Dauid,

Syriacus n. 43. Factum est dissidium propter eum.

Euthymius. Seditio itaque orta est in turba.

EXPOSITIO XII.

138. EX illa ergo turba. Describit Euangelista, quod ex superiori mirabili Christi doctrina variæ pupullauerint vulgi opiniones, hoc enim denotat Euangelista, cum ait, de turba. *Ex illa ergo turba*, scilicet multi, vt habetur in Syriac. & Græco. Referuntur turbæ sententiæ. Dicebant quidam. *Hic est verè Propheta.* In Græco est articulus, *illi*, ille propheta nempe promissus. Deuter. 23. n. 15. *Prophetam de gente tua.* Ac per hoc denotabatur, non qualiscumque Prophetam, sed valde singularis, & eximius.

Deuter 18.

139. Alij dicebant. *Hic est Christus*, id est verus Messias, & hi verum dicebant; Quidam autem contradicebant. *Nunquid a Galilæa venit Christus?* quo etiam argumento vsus fuit Nathanaël, vt non facile cum crederet esset Christum Ioan. 1. num. 46. à *Nazareth potest aliquid boni esse?* At vt notat Theophylactus Nathanaël hoc dixit sine dolo, discendi veritatem studio, ideo à Domino laudatur, vt vir sine dolo, & ab ipso illuminatur. Iudæi autem dixerunt malignè, & peruersè, vt Christi maiestatem detraherent, & ideo eis Dominus, vt ait Chrysostomus non respondit. Dicunt etiam Chrysostomus, Euthym. Theophylact. quod Iudæi licet agnoscerent Christum nutritum in Galilæa, tamen sciebant in Bethlehem natum, ex communi autem opinione vulgi eum Galilæum vocabant, ne eius locum natiuitatis dicentes, cogerentur eius Messiæ dignitatem fateri. Tamen vt placet Maldonato non certò sciebant eum natum Bethlehem, nam in statuto editus est, & statim in Ægyptum fugit, notat verò D. Cyrillus in Codice Romano, quod Iudæi euidenter videbant omnia Messiæ signa in Christo Iesu exactissimè adimpleta, si de loco natiuitatis dubitabant aliquantulum, vt inquiunt Leontius, & Theophyl. hoc tenebantur inquirere, & ipsum Iesum interrogare, vt in veritate instruerentur, sed cum verum nolunt intelligere in suo errore obdormierunt.

Ioan. 1. Theophyl. Chrysost. Euthym. Theophyl. Maldonat. Cyrill. Leon. Theophyl.

140. *Nonne Scriptura dixit?* suam sententiam Scripturæ auctoritate communiunt. *Quia ex semine Dauid?* Psalm. 131. num. 11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Deinde sequitur textus. *Et de Bethlehem.* Michæas 5. num. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, &c. ex te egredietur, qui sit dominator in Israel.* Textus, *Castello.* Græcus, *Vico*, seu *pago.* Erat enim oppidulum quoddam. Vnde Michæas subdit: *parvulus, & in millibus Iuda.* Ideo Castellum, seu Vicus dicitur: *Vbi erat Dauid*, seu habitabat; & hoc dicitur, vt distinguatur ab altera Bethlehem, quæ erat in Galilæa. *Venit Christus.* Scilicet Messias, non verò ex Galilæa. Duo secundùm Scripturas in Christo requirebantur, quod esset de semine Dauid, & in Bethlehem natus. Ideo Scripturam allegant vtrumque amplectentem. De semine nullum inter eos erat dubium, quia agnoscebant Iesum ex progenie Dauid esse; ideo locum opponunt, quia illi deesse, credebant, natiuitatis patriam Bethlehem, in quo apertè decipiebantur, & ex sua malitia inuestigare veritatem nolebant, vt dixi modò in superiori numero.

Psalm. 131. Mich. 5.

141. *Dissensio itaque facta est.* Rixa, seu contentio inter eos est exorta; singuli singulas suas partes defendebant. *In turba.* In populo nempe. Theophylactus. *Non Principibus, nam principes vnius*

Theophyl.

sent entia

sententia fuerunt, ne susciperetur ipse vt Christus. Sic in malum inter se coadunantur.

Ioan. 7. n 44. Quidam autem ex ipsis volebãt apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

Num. 45. Venerunt ergo Ministri ad Pontifices, & Pharisæos: & dixerunt eis illi: quare non adduxistis eum?

Num. 45. Responderunt Ministri: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

VERSIONES.

Vatabl. n. 44. Nemo conjecit in eum manus.

Euth. n. 45. Venerunt ergo Ministri ad Principes sacerdotum & Pharisæos.

Syriacus. Venerunt Ministri illi ad summos Sacerdotes, & Pharisæos, dixeruntque ei Sacerdotes.

Syriac. n. 46. Vt loquitur vir iste.

EXPOSITIO XIII.

141. QVIDAM *autem ex ipsis.* Quidam hoc referunt ad homines de turba, qui supra dicebant: *seducit turbas.* Qui præ odio, vt ait Toletus absque aliâ maiori auctoritate eum volebant capere. Tamen hoc aptius referendum est ad ministros, qui missi fuerant à principibus ad eum apprehendendum, vt patet ex subsequentibus. *Nemo misit super eum manus.* Nullus eorum præstitit, quod animo cogitauerat; diuina virtus maiestate verborum, ac vultus Christi eos cohibuit, ne in eum manus iniicerent; nec dum hora patiendi ab eo determinata aduenerat.

Toler.

142. *Venerunt ergo Ministri.* Die festo mediante docebat Iesus in templo. Supra num. 14. Miserunt Pontifices postridie satellites ad eum tenendum. Supra num. 32. tunc cum nihil fecissent, modò in hoc vltimo, & octauo die festiuitatis redeunt, sed Iesu verbis admirati ad Pontifices tanquam ad heros reuertuntur. D. Chrysostomus. *Quod venerunt*, ait, *longe maius fuit, quàm si apud Christum remansissent. Sic enim liberati fuissent eorum, scilicet Pharisæorum molestia, nunc præconia fiunt sapientiæ Christi, & maiorem præ se ferunt animum.* Pontifices eos vocat; & Syriacus: *summos Sacerdotes* dicit, vt eorum malitia miseria reipublicæ arguatur, nam illi cum in tanto dignitatis apice fulgerent, tenebantur populum docere, & tamen illum seducebant; *Quare non adduxistis illum?* scilicet seductorem, ad quem capiendum missi estis. Illum dicunt præ odio ex suo more, nomine proprio Iesum illum non vocant.

Chrysost.

Syriac.

143. *Responderunt ministri* Sicut multo animo, ac libertate ministri redierunt Christi præcones facti, sic & eodem animo Pontificibus respondent, non enim aliquod subterfugium quærunt asserentes, quod propter turbam vel aliquam seditionem declinandam eum non tenuerint; sed sincere, & aperte veritatem fateantur. D. Chrysost. homil. 51. *Neque*, ait, *excusant se propter turbam non potuisse quæ eum tanquam Prophetam sequuntur, sed animi ostendunt rectitudinem.* Similiter Euthym. Theophylactus docent: *Nunquam sic locutus est homo.* Rectè D. Augustin. & Beda. *Non enim*, aiunt, *quisquam sic loquitur homo; ille autem sic locutus est, quia Deus erat, & homo*, inde subdunt, *sicut hic homo.* Non enim erat homo tantum, sed Deus, & homo. Multum hic considerandæ diuinæ vis, ac efficacia verborum Christi, quæ sui aduersarios, qui missi fuerant ad eum apprehendendum, reddit sui cultores, ac amatores. Euthymius. *abierunt*, ait, *quidem eum ligaturi: reuersi sunt autem admiratione sermonum eius alligati.*

Chrysost. Euthym. Theophyl. Augustin. Beda. Euthym.

QVÆSTIO XVI.

Quare ministri cum tanta audacia sacerdotibus dixerunt de Christo: Nunquam sic locutus est homo?

144. IN limine huius quæstionis inquirendum est, an isti ministri missi Christum audientes in eum crediderint? Affirmitatiuam sententiam tenent multi Patres, D. Chrysostomus homil. 51. *Signa non egerunt*, ait, *sed sola doctrina crediderunt.* D. Augustinus tract. 33. Missi sunt tenere, & maluerunt credere. D. Thomas, *Ministri*, ait, *dimisso malo infidelitatis ad veritatem fidei sunt adducti.* Idem docent Theophylactus, Euthym. Glossa, Clichthoueus, Cardinalis Hugo, D. Bonauent. & alij. Sententia est pia, & probabilis, & quia vt ait Carthusianus, Pontifices ministrorum animos agnouerunt, ideo eos à fide auertere conantur, vt patet ex his, quæ proximè sequuntur in textu. *Nunquid vos seducti estis?* Nunquid, *aliquis ex principibus*, &c.

Chrysost. Augustin. D. Thom. Theophyl. Euthym. Glossa. Clichthou. Hugo. Bonauent. Carthusian.

145. Quæstio inquirit; Cur ministri cum tanta audacia coram Pontificibus Christi sapientiam laudant, ac dicunt? *Nunquam sic locutus est homo?* Ratio à priori Dei voluntas, quæ per efficacissima Christi verba, sic eos illuminauit, ac attraxit; multa enim gratia diffusa erat in labiis eius. Ps. 44. n. 3. *Verbaque gratiæ procedebant de ore eius.* Luc. 4. num. 22. Denique *erat docens sicut potestatem habens.* Matth. 7. n. 29. *Ex quo dicitur quòd omnis populus suspensus erat audiens illum.* Luc. 19. n. 48. Vnde ministri audita fama miraculorum Christi adhuc ad eum comprehendendum peragunt, pecuniarum amore capti; vt ait Albertus Magnus, modo verò vi eius verborum percepta, à sua cogitatione desistunt; & Christi maiestatem adorantes recedunt. Theophyl. *Illi*, ait, *absque signo, à sola doctrina persuasi fuerunt.*

Psal. 44. Luc. 4. Matth. 7. Luc. 19. *Dei verbum miraculis efficacius.* Alb. Magn. Theophyl.

146. Secundò. Theophylactus. *Oportet*, ait, *illorum admirari libertatem. Neque enim curauerunt iram Pharisæorum, neque quia vt serui missi fuerant, quæ placita erant principibus, dixerunt: sed testabantur veritatem.* Horum libertatem maximè extollunt Beda, Euthymius, D. Thomas, D. Bonauentura, quamuis enim serui, tamen non studuerunt dicere dominis suis placentia, sed etiam ipsis inuitis veritatem annuntiare. Deinde ad horum seruorum exemplum imitandum nos exhortatur Theophyl.

Theophyl. Beda. Euthym. D. Thom. Bonauent. *Serui non dicunt placentia sed veritatem.*

Sic loquens. *Hos omnes principum ministros imitari oportebat, & non obedire in his, quæ Deo sunt aduersa, sicut & Saul non est obtemperatum, quum adstantibus imperasset, vt contra legem sacerdotes interimerentur.* 1. Regum. 22. num. 17. *Ait rex emissariis, qui circumstabant eum, conuertimini, & interficite sacerdotes Domini. Noluerunt autem serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.*

1. Reg. 22. Obediendum domino in licitis.

147. Chrysost. Tertiò. D. Chrysost. homil. 51. *Neque tantum,* ait, *se illum admirari, quam qui se miserant ad eum ligandum, quem audire debuissent, accusare visi sunt.* Alto Dei inspiramine tot, & tanta de Christo testificantur ministri, vt maximè eos arguerent, qui tantum, & talem magistrum audire contemnentes eum ligare volebant; sicque factum, vt quos Pontifices cogitarunt habere suæ malitiæ ministros, & executores, illos aperti eiusdem malitiæ testes, & accusatores.

Ministri malitiæ reddantur illius accusatores.

148. Chrysost. Quartò D. Chrysostomus proximè citato loco. *Atqui,* ait, *breuem Christi audierunt orationem. Tanti enim veritas est, vt in corrupto animo longis sermonibus minimè opus sit.* Multa multis repetitis exaggerationibus audierant ministri à Pontificibus. & Pharisæis aduersus Christum Dominum à Christo autem breuissima ac simplicissima verba percipiunt. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent.* Et tamen ad Christi pauca verba admirantur, illisque acquiescunt, & credunt, Pontificum auctoritate contempta. Vnde paucis Christi verbis tenentur, tam multis Pontificum spretis. Erat in Iesu verbis veritas, & hæc simplex, & nuda omnium animos deuincit, ac captos reddit; pluspque potest vna simplex veritas, quàm mendacium multo fuco compositum, & adornatum.

Plus potest vna simplex veritas, quam mendacium multis adornatum.

149. Quintò. Valde nota erat apud ministros fama miraculorum Christi, eiusque operum, ac sermonum, & tamen ad eum ligandum tendunt, veluti illa omnia contemnentes; modo verò cum ad eum accedunt, eius maiestatem vident, illius verba audiunt, non solùm aduersus eum nihil audent, sed etiam illius maiestatem recolunt, eiúsque mirabilia prædicant, vnde hoc; Quis dubitat, quod efficaciora sunt visa, quàm audita, & qui auditis rebus Christi non sunt persuasi, illius mira inspicientes commouentur.

Plus mouentur animo obiectis visis, quàm auditis.

150. Exod. 32. Cum Moyses descendisset de monte, portans legis tabulas: *Vidit vitulum, & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit ad radices montis.* Exod. 32. num. 19. Cur sic iratscitur Moyses cum videt vitulum, ac populum choreas agentem, totum hoc ei reuelauit Dominus in monte; dicens ei. *Vade descende; peccauit populus tuus: fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt; isti sunt Dij tui Israël.* Ibidem num. 8. Totum hoc à Deo reuelatum Moyses credidit, cur tunc non tabulas confregit, cum hæc ei è Deo manifestantur, sed quando descendens vidit vitulum, ac populum illi applaudum, ac adorationem præsentantem? Multò vehementius mouetur animus rebus visis, quam auditis, etiamsi vt quid certissimum proponatur tanquam de fide, & à Deo reuelatum. Lippoman. *Non quod crediderit Domino,* ait, *priusquam videret, sed non ita pium pectus auditu permouebatur, vt visu caruerit, vt zelus diuina gloria vicerit instinctum, etiam religiosum, & pium.*

Magis mouetur homo re visa, quàm audita etiam per reuelationem.

Lippoman.

Ioan. 7. n. 47. Respondérunt ergo eis Pharisæi. Nunquid & vos seducti estis?

Num. 48. Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum: aut ex Pharisæis?

Num. 49. Sed turba hæc non nouit legem, maledicti sunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 48. Num quis ex proceribus?

Syriacus n. 49. Nisi populus iste, qui nescit legem.

Theoph. Vat. Execrabiles sunt.

Euthymius. Execrandi sunt.

EXPOSITIO XIV.

151. RESponderunt *ergo Pharisæi.* Ministri vt patet ex vers. 45. venerunt ad Pontifices, seu summos Sacerdotes, vt ibi habet Syriacus, & ad Pharisæos; & tamen Pharisæi potius quam pontifices respondent, ait Nonius, *vtpote implacabiles,* Pharisæi legis zelum prætexebãt, & nullus acerbior hostis, quam ille, qui ficto zelo tangitur, & ferrur. *Nunquid vos seducti estis?* Theophylact. *Num vos, qui ex nostris sapientioribus, & nobis legis peritiis semper adhæretis, seduxi estis?* Non rigide in eos inuehuntur, nec austere increpant, nec affirmatiue dicunt seductos, sed placide per interrogationem loquuntur, ne fortè reprehensione offensi ab ipsis deficiant; ex Chrysostom. Theophylact. *Quia timebant,* ait, *ne illi prorsus auerterentur, & sequerentur Christum: ideo mitius, & adulantius eos alloquuntur.* Auditis ministris. *Nunquam sic locutus est homo.* Conueniens erat, vt interrogarent. Quid Christus dixisset? Sed inuidia, & odio obcæcati, eius verba audire, ac ferre non poterant Euthymius. *Vide inuidiæ,* ait, *dementiam. Nam cum interrogare oportuisset, ac dicere, quid locutus esset, ipsi nihil horum præstolantur.*

Nonius. Crudelis hostis fictus zelo.

Theophyl.

Chrysost. Theophyl.

Ex odio nõ audiuntur verba.

Euthym.

152. *Nunquid ex Principibus aliquis?* siue Sacerdotum, siue populi, siue legis, *aut ex Pharisæis,* qui maximè se existimabant religione, ac legis obseruatione imminere, *Credit in eum.* Tanquam si dicant: nullus sine; nullusque assignari potest. Apertè tamen fallantur: Nam Nicodemus ex principibus erat, & Iesum sequebatur. Ioan. 3. num. 1. tamen cum esset occultus, ac nocte venisset, ignorabant eum; seu quia amicus occultus tanquam nullus reputatur. Ab auctoritate formant argumentum contra Christum, quod erat valde inefficax, & ineptũ, nam Principes, & Pharisæi erãt Christi hostes declarati ira, odio, & inuidia contra eum obcæcati. De quibus ait Christus Mat. 15. n. 14. *Cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

Ioan. 3.

Amicus occultus vt nullus reputatur.

Matth. 15.

153. *Sed turba hæc.* Populi, ac vulgi, quæ scilicet credit in eum. Quæ non nouit legem, vtpote imperita, & rudis. Euthym. *Legem simpliciter appellant,* ait, *totam sacram Scripturam.* Cum Pharisæi facti increduli dicunt turbam credere, semetipsos accusant, & arguunt, vt docet D. Augustinus tract. 53. D. Chrysostomus homil. 41. Euthymius, qui ait. *Hæc maior vestri accusatio, quod turba*

Euthym.

August. Chrysost. Euthym.

turba credidit, vos autem non credidistis. Deinde in plurali dicunt. *Maledicti sunt.* In turba multi credentes. Turbam Pharisæi maledictam dicunt, eo quod existimabant non seruare legem, non seruantes autem legem maledicti appellantur. Deut. 27. n. 26. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* Turba cùm Christum sequeretur, benedicta erat, ipsi verò Pharisæi, & Sacerdotes incredul maledicti extabant, & tamen turbam maledictam appellant, Theophylact. *Maledictam turbam aiunt eo quod credidit, ipsi innumeros maledictos digni, & alios incredulitatis auctore.* Rupert. *Profectò* ait, *turba illa verius contradixisset, istud vanitatis concilium, & hæc Ecclesia malignantium, quæ non facit legem, maledicti sunt.*

Deuter. 27.

Theophyl.

Rupert.

Ioan. 7. *n.* 50. Dixit Nicodemus ad eos: ille, qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis.

Num. 51. Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit, quid faciat.

Num. 52. Responderunt, & dixerunt ei: Nunquid tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.

Num. 53. Et reuersi sunt, vnusquisque in domum suam.

VERSIONES.

Arias n. 50. Ille profectus ad eum nocte.

Syriacus n. 51. Num lex nostra reum peragit quempiam?

Euthymius. Num lex nostra condemnat hominem?

Græcus n. 52. Nunquid tu ex Galilæa es? Scrutare, & vide Prophetam ex Galilæa non surrexisse.

EXPOSITIO XV.

154. DIXIT *Nicodemus ad eos.* Ecce contradictores veritatis, omnibus sese opponit; Pharisæi veritatem oppugnabant, inde contra se habent ministros, quos quærunt, an seducti sint suprà n. 47. Deinde contra se habent turbam quam maledictam vocant n. 48. Nunc vltimò inter ipsos Principes dissidium exponitur, vt notat Caiet. *Ille venit ad eum nocte.* Hæc dicit Euangelista, vt denotet personã, & quod erat ille, de quo Ioan. 3. n. 1. ait. *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, Princeps Iudæorum,* Ecce quàm citò mendaces deprehenduntur Pharisæi. Dixerũt enim n. 48. *Nunquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis?* Theoph. *Quia dixerant,* ait, *quod nullus Principum credidit in illum, ostendit Euangelista, quod in hoc mentiantur, ecce enim Nicodemus, cum Princeps esset & vnus ex eis, credidit in Christum.*

Caietan.

Ioan. 3.

Theophyl.

155. *Lex nostra.* Id est praxis, vsus, ac consuetudo nostræ Reipublicæ, quæ desumpta est ex lege naturæ, ac iure Gentium, quod vigebat apud Rom. Actor. 25. n. 16. tum etiam ex conformitate ad legem Mosaïcam quæ præcipit examinari crimen, antequam quis condemnetur Deut. 13. num. 14. & 19. n. 18. licet expressis verbis non determinet, vt nemo inaudi tus damnetur. *Iudicat hominem* Euthymius *Condemnat.* Cum enim quis iudicium subit condemnationi proximus est; inde, pro condemnare ponitur iudicare. *Nisi prius cognouerit ab ipso* Qui damnandus est, sui rationẽ, defensionem, ac excusationem. *Et cognouerit quid faciat* quid agat, & doceat. Valdè generaliter, & in communi loquitur Nicodemus, quia adhuc ait D. Thom. erat discipulus occultus, N. D. Cyrill. in Codice Romano. *Noxia*, ait, *adhuc verecundia laborans, nec zelo loquendi libertatem admittens non finit inhærentẽ in se fidem nudam conspici, sed obscuro quodam pallio, simulatione se obtegens, adhuc aliquo modo latet Christi confessor.* Maldonatus expositione superioris ver. ait, quod Nicodemus non se profitebatur discipulum Christi, sed Pharisæum, siue metu Iudæorum, siue magis ea ratione Christum iuuaret. Conuenit aliquando aliquem esse Nicodemum vt Principes suos apud hostes habeat exploratores. Tamen, vt notat D. Aug. tract. 33. eos instigabat Nicodemus ad Christum audiendum. *Sciebat Nicodemus*, ait Aug. *vel potius credebat, quia si tantummodo eum vellent patienter audire, fortè fierent similes illis, qui missi sunt tenere, & maluerunt credere.*

Euthym.

D. Thom.

Cyrill.

Maldonat. *Valdè expeditus vt inter inimicos habeas, qui loquantur.*

August.

156. *Responderunt, & dixerunt ei.* Ecce iniquorum consuetudo, non ad dicta respondẽt; dixerat enim Nicodemus quod Christus audiendus esset, sed ad improperia confugiunt, vt notat Caiet. Non respondent obiectioni, sed in collegam insurgunt. *Nunquid tu Galilæus es?* Benè agnoscebant Nicodemum Ierosolymis natum, tamẽ veluti Galilæum dicunt, quia hominem Galilæum, qualem Christum existimabãt, sequebatur, ac ei adhærebat. Vt docent D. Thom. D. Bonauent. Carthus. & alij. Et per contumeliam Galilæum vocant, sicut & Iulianus Apostata, per ignominiam Christianos Galilæos dicebat. D. Nazianz. orat. 1. in Iulian. *Scrutare Scripturas.* Syriacus, Græcus, Pagnin. tantùm habent. *Scrutare.* Inter doctos erat sermo, ac proinde ad Scripturas inuestigandas dirigebatur. Dicunt Scrutare Scripturas ex D. Chrysost. Theoph. *Ignominia eum afficientes*, ait, *quasi imperitum, dicunt Scrutare Scripturas, hoc est vade, disce, quia adhuc vsque tempus non didicisti.* Et subiiciunt. *Et vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* Nostes Interpres de præsenti legit. At Græcus de præterito. *Surrexit* Ex præteritis præsentia colligunt. ac ex antiquis præsentia iudicant, tanquam si dicant; Non consueuit Deum ex Galilæa Prophetas eligere: Ergo Iesus, qui est ex Galilæa, non est Propheta, ex multis principiis falsissimum est argumentũ Pharisæorum, vt dicã quæstione sequenti.

Caietan.

Inimici de præteritis colligunt præsentia.

D. Thom.

Bonauent.

Carthus.

Nazianz.

Syriacus.

Græcus.

Pagnin.

Chrysost.

Theophyl.

157. *Et ita reuersi sunt.* Valdè efficax est verbum iustitiæ, & veritatis etiam ab vno inter multos prolatum, Ecce breuis Nicodemi sermo totũ dissoluit concilium malignantium, quod de Iesu comprehendendo, & damnando actum fuerat. Euthym. *Indignati sunt*, ait, *ob sermonem Nicodemi, timentes, ne fortè etiam quispiam alius similia diceret.* Deinde dicitur. *In domum suam*; vt nihil amplius eo die contra Iesum intentarẽt. Glos. moraliter exponit: *Reuersi sunt in domum suam*, id est in malitiam suã, nam malitia propria iniquorum domus.

Euthym.

Inimici de præteritis colligunt præsentia.

QVÆSTIO XVII.

Ostenditur quam falsum fuerit Pharisæorum axioma : A Galilæa Propheta non surgit.

158. VALDE insipiens,& stulta extitit Pharisæorum responsio,Iesum scilicet non esse audiendum vt Prophetam, quia à Galilæa Prophera non surgit & primò esto ex abundantia axioma concedamus, adhuc nihil conficiebat aduersus Iesum,nam licet conuersatione, ac educatione esset Galilæus,tamen natiuitate erat Bethlehemites in Bethlehem Iudæ natus, quod facilè Pharisæi scire poterant,si vellent veritatem inuestigare.

159. Secundò. Illud axioma Pharisæorum omninò falsum erat. Debora enim Prophetissa fuit Galilææ nata extribu Nephtali, vel Zabulon. Iud.4.n. Iudic. 4. 5. & 6. Sic & Anna Prophetissa fuit a Galilæa, Luc.2. erat enim ex tribu Aser. Luc. 2.n.36. Hæ enim tribus in Galilæa inhabitabant. Sic & Nahum Propheta fuit Elisæus, id est natus in Elueſe Galilææ Hieron. vico, vt tradit D.Hieron. in proœmio Nahum. Sicque cũ Galilæa esset magna pars regni Israël, vicina regioni Samariæ, in qua sita erat regni Metropolis,in eo autem regno multi fuerunt Prophetæ tempore parentis Eliæ, vt Abdias dispensator domus Achab cum Iezabel interficeret Prophetas Domini, absconderit centum Prophetas 3.Reg. 18. in speluncis 3.Reg.18.n.4.Quomodo credi potest nullum ex eis natiuitate Galilæum fuisse?

160. Tertiò. Manus Domini non est alligata:valdè insipiens est dicere,vsque ad id tẽpus non surrexit Propheta ex Galilæa, ergo etiam nec ex tali loco potest nasci;quis nó videt,quam hoc temerarium sit?Eodemque pacto obiici poterat Eliæ Thesbitæ: ex Thesbi huc vsque non surrexit Propheta,ergo Elias natus in Thesbi non est Propheta.

161. Quartò. Solet Deus aliquando vilia,& abiecta loca magnis viris sublimare, & extollere,ac proinde quamuis Galilæa esset valdè humilis,& indecora, inde non poterat fieri argumentum, quod Deus aliquando ex ea magnos viros non sibi eligeret. Acriter pessimam Betsaidam exprobrauit Matth. 11. Dominus.Matth.11.n.21. *Va tibi Corozain,va tibi Bethsaida*,&c.Et tamẽ ex illa quinque suos Apostolos elegit: Petrum,& Andræam, Ioannem, & Iacobum,ac Philippũ,vt patet Ioan.1.n.44. *Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ, & Philippi*.Matth.4.n.21. Cur ex tam abiecta, ac pessima vrbe, tam præclaros sibi coaptarit discipulos, nisi vt apertè declararetur,fieri posse,vt ex vili,& mala etiam ciuitate optimi ciues nascerentur? Præclarè D.Chrysost. homil.38. in Matth. Chrysost. agens de iniquis Betsaidæ ciuibus. *Vt* ait, *videas, non natura illos tales fuisse; nomen illius vrbis posuit Christus; vnde quinque emicuerunt Apostoli. Nam Philippus, & duo illa paria, quæ Apostolatus verticem tenuerunt, inde fuisse dicuntur.* Vide tom.1. lib.3.c.6.quæst.10.

Deus loca vilia magnis viris extollit.

Ioan.1. Matth.4.

CAPVT XV.

Mulier adultera.

Ioan.8.n.1. Iesus autem perrexit in montem Oliueti.

Num.2. Et diluculo iterum venit in Templum, & omnis populus venit ad eum,& sedens docebat eos.

VERSIONES.

Vat. Pag. 1. In montem Oliuarum.

Græcus n.2. Valdè manè adfuit in Templo.

Arias. Accessit in Templum.

EXPOSITIO I.

ISTORIA hæc mulieris adulteræ, neque à Chrysostomo, neque Theophylacto exponitur, qui ait, quod in exactioribus exemplaribus aut non inuenitur, aut obelo confossa est. Tamen tempore D.Hieronymi,vt ipse testatur l.2.contra Pelag.in multis Græcis,& Latinis codicibus extabat, eamque recipiunt D. Ambrosius.Epist.76.& lib.3. de Spiritu Sancto c.1. & aliis locis.D. Augustin.tract.33.in Ioan.D.Athanas.in Synopsi,Ammonius in Harmonia c.12.D. Greg.l.1.Moral. c.5. D.Prosper de Promissionib. p.2.c.22. & hoc loco Sedulius, Glossa. D.Thom. D.Bonauent.& alij communiter. Et res est hodie certa sine vlla controuersia;nam hæc historia habetur in nostra Biblia vulgata approbata à Sacro Concilio Tridentino. 1. Chrysost. Theophyl. Hieron. Ambros. Augustin. Athanasius. Ammon. Gregor. Prosper. Sedul. Glossa. D.Thom. Bonauent.

Iesum autem. Tota die octaua, & vltima festi Tabernaculorum docuit Iesus Ierosolymis in Templo,vt patet ex superiori cap.7.Ioan.Instante nocte ad splendidã cœnam Pontifices,ac Pharisæi ad ædes suas se receperunt, cum autem ob Principum metum nullus Iesum inuitaret, Ipse *perrexit in montem Olineti*; vt ibi per noctem oraret.Glossa ordinaria, D. Thom. D. Bonauent. Hugo,Caier.D.Anton.Vlyssipon.in sabbato ante Dominic.4.Quadrag.existimant petiuisse Marthæ domum,quæ in Bethania erat.Bethania autem ad radicem orientalem montis Oliueti sita erat; ac proinde cum Euangelista dicat,*perrexit in montem Olineti*,id est in Bethaniam,quæ constituta erat in Monte Oliueti:tamẽ quamuis Christus aliquãdo excurreret ad proximam Bethaniam, cœnæ causa Matth.26.num.6.Ioan.12.n.2. tamen in præsẽti, sicut & frequenter tenendũ,quod in monte Oliueti noctes agebat,hoc simpliciter indicãt verba Euangelistæ.Et Luc.21.num.37. dicitur. *Erat autem diebus docens in Templo: noctibus vero exiens morabatur in monte Oliueti.* Hanc eius consuetudinẽ sciens Iudas, hunc locum explorauit vt eum proderet Iudæis Ioan. 18.n.m. 2. Hunc montem seu hortum oliuarum, tãquam nocturnum hospitium,seu oratoriũ elegit diuinus Magister, & sibi 2. Glossa. D.Thom. Bonauent. Hugo. Caier. Anton.Vlyss. Matth.26. Ioan 12. Luc 21.

designauit

Cyrill. designauit sex mensibus ante mortem, vt ibi pernoctans oraret. D. Cyrill. lib. 5. in Ioã. c. 14. póderans, cur potius Christus in hoc monte orauerit, quam in alio ait: *Mons vero Oliueti, & altitudinem, & copiam diuina significat misericordia per filij Dei in carne aduentum nobis affluenter ostensã. Oleo nomine in Scripturis Dei misericordia sæpius exprimitur.* Quod multis prosequitur. Cum Dominus esset in monte Oliueti, cibus ei, vel a Martha ex vicina Bethania submissus erat, vel a discipulis Ierosolymæ coemptus.

3. *Et diluculo.* Id est summo manè diei subsequentis ad festum Tabernaculorum. *Iterum venit.* Hominum salutem ardenter sitiens, colligationes Phariſæorum contra se nil curans. *Venit in Templum.* Hugo: Qui ibi, ait: Multitudo congregabatur, & quia ibi erat locus docendi: & vt palam se Phariſæis ostenderet, quasi ipso facto de pertinacia eos argueret, eo quod ei insidiabantur. *Et omnis populus venit ad eum.* Notatur & auditorum diligentia. Maximè enim omnes Christi doctrina ac verborum efficacia commouebantur. *Omnis populus manicabat*, id est summo manè *ibat ad eum in Templum audire eum*, Luc. 21. n. 37. *Et sedens docebat eos.* In die magno festiuitatis stabat, ac clamabat, supra Ioan. 7. n. 37. In præsenti sedés docet, quãdo enim aliquid vehementi, ac alta voce docendum erat, stabat, vt inter nos frequenter fieri solet. Rupert. lib. 8 in Ioan. *De præterito*, inquit, *stabat Iesu, ait Euangelista, & clamabat, nunc autem sedens docebat, quia videlicet sic futurum erat, vt prius stans in Passione agonizans clamaret, & postmodum gloriam suam ingressio, atque ad dexteram Patris residens misso Spiritu veritatis doceret nos omnem veritatem.*

Hugo. Luc. 21. Ioan. 7. Rupert.

Ioannis 8. n. 3. Adducunt autem Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio.

Num 4. Et dixerunt ei: Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

VERSIONES.

Græcus n. 3. Adducunt ad eum.

Arias n. 4. Hanc inuenimus in ipso furto adulterantem.

Pagn. Caiet. Deprehensa est in ipso facto cùm adulteraretur.

Vatablus. Deprehensa est in ipso facinore adulterium committens.

Euthymius. Hanc inuenimus actu adulterium perpetrantem.

EXPOSITIO II.

4. *Adducũt autem* Ad eum legit Græcus. Cum Christus prædicaret, & populum doceret. *Scribæ*, qui legis doctrinam, & *Phariſæi*, qui legis, ac religionis obseruantiam profitebantur: & isti inter se ad malum, vt decipiant, & tentent, facilè coadunantur. Veniúntque cum multa turba; quæ simul venerat, vt videret, & audiret; semper enim Populus nouitatis auidus est. *Mulierem ad adulterio deprehensam.* Adducunt eam multo cum gaudio. Ericus in homiliario: *cum inuenissent*, ait, *mulierem in adulterio, exultant.* Mali Gubernatores, mali Principes in subditorũ delictis, ac pœnis lætitiæ causas inueniunt. *Statuerunt eam in medio.* Ita vt mulier ab omnibus videretur. & sententia Iesu ab omnibus audiretur. Hugo, vt Christi responsis omnes obuiarent, & contradicerent. D. Thom. *In medio.* Personam peccantem repræsentant vt magis eum ad misericordiam commoueant, vt inde cum valeant accusare tanquam legis transgressorem.

Ericus. *Iniqui gubernatores lætantur in delictis subditorum.* Hugo. D. Thom.

5. Augusti.

Et dixerunt ei. Cum ipsi essent iudices, accusatoris munus suscipiunt, vt D. Aug. Epist. 54. notat; iniquè cùm à culmine sui honoris se demittũt, sine dubio aliis laqueos tendunt. *Magister.* Blandè alloquuntur, vt verborum lenocinio capiant. Sicut frequenter faciunt. Matth. 22. num. 16. *Mollita sũt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula* Psal. 54. num. 22. Præsentem nunc vocant Magistrum, quem, vt ait D. Cyrill. lib. 5. in Ioan. cap. 5. *Improbis vocibus populi seductorem esse delatrant.* Ioann. 7. numer. 12. & 47. Varium iniquorum os vnum à facie, alterum à tergo profert verbum. *Hæc mulier.* Vt ait Alb. Magn A molli nomen habet; cum eam accusare velint, præter suam intentionem in ipso nomine excusationem assignant. *Modo deprehensa est.* Ex Græco legitur. In ipso facto, seu actu adulterans reperta est. Vel quia ipsi Scribæ, & Phariſæi hanc in crimine repererũt, & sic legunt Arias, & Euthym. *hanc inuenimus.* Vel quia per testes conuicta est, vel quia à suo marito deprehensa est, qui eam ad Scribas, & Phariſæos tanquam ad iudices deduxit, vt condemnaretur, qui ex composito eam ad Christum deferunt. *In adulterio*: vt nulla ratione negari possit. Notat D. Thomas, quod ex tribus culpam exaggerant, quæ Christum commouere poterant à sua mansuetudine. Primò. Ex culpæ nouitate: vnde dicunt: modò; nam quando est antiqua non tantùm mouet, quia fortè præcessit correctio. Secundò deprehẽsa, ita vt non possit se excusare, excusatio enim familiaris mulieribus. Tertiò ex culpæ grauitate, in adulterio, quod est exectabile nefas.

Cum accusant, excusant. Arias. D. Thom.

QVÆSTIO I.

Quare Scribæ, & Phariſæi veniunt conglomerati cum multa turba mulierem adducentes, postea verò vnus post vnum singillatim discedunt?

6. Concurrunt Scribæ, & Phariſæi cum multa turba totius ciuitatis, vt est communis Interpretum vox, mulierem adulteram ad Christum adducentes; at verò postea Christi responsione confusi: *Qui sine peccato est in illam lapidem mittat*: subdit Euangelista, *vnus post vnum exibant.* De quo latius inferius suo loco. Si omnes venerunt simul colligati, imò & exultantes lætitia, vt ait Ericus Abbas datus in expositione, cur sic singillatim recedant *vnus post vnum*:

Conueniunt omnes cum mulierem adducunt, nã tunc eius crimen diuulgabant, eámque vtpote in actu adulterij comprehensam accusabant, recedũt autem, vt libera, & soluta fuit mulier. Cum autem accusatio sit valdè proportionata, & procliuis humano ingenio, ad illam alacriter concurrunt Scribæ, & Pharisæi cum omni ciuitatis turba. At vera solutio, & dimissio, vtpote ægra, & dura homini, tanquam in re difficili post vnum abiit.

7. Ad Sacramentum Pœnitentiæ duæ conueniunt personæ, Pœnitens, & Sacerdos, & ex vtriusque parte Spiritus sancti virtus interuenit; ex parte Pœnitentis definit Concil. Trid. sess. 6. can. 3. *Sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione hominem non posse pœnitere, sicut oportet.* Quantum verò ad Sacerdotem apertè Christus Dominus dixit, num instituens Sacramentum: *Insufflauit, & dixit Apostolis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ioan. 20. num. 22. Cum instituit Sacramentum in vsu flando dat Spiritum Sanctum D. Augustin. lib. 4. de Trinit. cap. 20. *In Apostolos insufflans*, ait, *Dominus, eisque Spiritum flatu donans indicauit*, Tolet. in commentar. *Vt autem*, ait, *signo exteriori significaret se interius illis Spiritum Sanctum communicare, insufflat in eos: vt per flatum exteriorem cognoscant interius Spiritum Sanctum infundi.* Si in vtroque Spiritus Sancti virtus adest, cur quando Sacramentum instituitur, signo exteriori denotatur in Sacerdote potius, quam in Pœnitente? In Sacramento Pœnitens conuenit accusans peccatáque manifestãs, at Sacerdos absoluens, & remittens. Accusatio homini valde facilis, & prona, indéque nulla diuini Spiritus infusionis exterior nota ad hoc in eo pro tunc necessaria visa est; maximè verò requisita in ministro, cum absoluat, quod homini multum repugnat, ideoque vt credatur signo exteriori diuinitatis flatu Spiritum Sanctũ Apostolis Christum communicat. *Vt signa exteriori significaret se interius illis Spiritum Sanctum communicare.*

Trident. Ioan. 20. Tolet. *In homine facilis accusatio, difficilis absolutio.*

8. Apparuit Deus Moysi in monte Sinai, totúsque mõs fumabat; in aere verò cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & clãgor buccinæ vehemẽtius perstrepebat, ac paulatim crescebat in maius, Dominúsque in densa nube descendebat. *Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Exod. 20. n. 21 Confer modò hæc cum his, quæ acciderunt in Horeb. Cum videret Moyses, quod rubus arderet, & non combureretur, ex quodã vehementi desiderio rem videndi, magno impetu cucurrit; cui clamans Deus ait: *Ne appropies huc.* Exod. 3. n. 5 Cùm Deus adest in mõte Sinai in multa Majestate apertus adeus conceditur Moysi. In Horeb verò intercludit. *Ne appropies huc.* In Sanai, vt notãt Abulens. & Caiet. *Apparuit Deus, vt legislator, & iudex.* Vt legislator præscribens leges, vt iudex transgressoribus assignãs pœnas. At in Horeb, vt ipsemet Dominus dixit. *Sciens dolorem populi mei descendi vt liberem eum.* Exod. 3. n. 8 In Sinai tribunal iudicis constituit Dominus, & tũc promptus, & expeditus datur aditus Moysi, vt ipse de populo conquerens conueniat, quod solus nõ potest sustinere põdus illius, eo quod gens dura cervicis sit; at verò cum ad illius libertatem descẽdit Deus, magna tũc offertur ne appropiet difficultas, ipse enim accedens obstacula exponet, obiectionesque interponet. *Non credent mihi, neque audient vocem meam.* Exod. 4. n. 1. Et iterum. *Non sum eloquens ab heri, & nudius tertius.* ibid. n. 10.

Exod. 20. Exod. 3. Abulens. Caietan. *Homo facilis ad crimina dirigenda, ad liberatorem obstacula obiicit.*

Quæstio II.

Quare nec de homine mulieris, nec de adultero aliqua fit hic expressa mentio?

9. Adducitur hæc mulier ad Christum, & tamen eius nomen, ac parentũ omninò tacetur; non dicitur hæc talis nomine mulier, vel hæc illius filia, sed tantùm mulier nuncupatur. Non sic depranati senes erga Susannam. *Dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helciæ vxorem Ioachim.* Daniel. 13. numero 29. In vtroque casu inquit adstant iudices, & tamen in adultera proprium nomen, ac parentes prætermittunt, omnia verò in Susanna exprimunt: Castitas ex omni circunstantia condecoratur, ac nobilitatur, ideò vt de persona valdè insigni suum nomen, ac parentum in Susanna scribitur, qui inter viros Iuda valdè illustrissimi ipsi extabant, vt norant Diuus Hieronymus, Theodoretus, Diuus Thomas, Lyranus, qui ait: *Susanna describitur à nobilitate generis.* At luxuria ex omni circunstantia deturpatur, sicque Adultera, vt mulier ignobilis, & sine nomine, ac genere introducitur, vel quia virginitas reddit filios suis parentibus notos, quos luxuria facit extraneos, vel quia Dei nutu senes Susannam accusantes, cum Helciæ filiam dicunt, eam ab omni labe puram fatentur. Nam Helcias idem valet, ac pars, seu portio Domini, vt ait Arias de interpretatione nominum.

Daniel. 13. *Castitas nobilitatur, luxuria deturpatur.* Hieron. Theodot. D. Thom. Lyranus. Arias.

10. Secunda quæstionis pars inquirit, cur adulter non adducetur? cum secundum legem Leuit. 20. n. 10. Deut. 22. n. 22. eadem esset pœna plectẽdus? Respõdet primò Lyran. Potest dici, quod per hoc noluerunt ponere suspicionem in corde populi, quod fuisset aliquis discipulus eius, & ideò non adduxerunt eum ad eius iudicium. Contrarium tenendum est. Nam Iudæi maximè affectabant Christum diffamare, si inuenissent aliquem discipulorum eius in tanto crimine, illum maximè publicassent, ac produxissent in medium, quatenus crimen discipuli in magistrum redundaret; sicut enim filius sapiens est gloria Patris, sic bonus discipulus est sui Magistri honor.

Leuit 20. Deuter 22. Lyranus.

11. Secundò, Carthusianus. Quia Scribæ, & Pharisæi maiorem in muliere, quàm in viro Christum calumniandi se materiam habituros præsumebãt. Christum facilius sperabant mulieris, quàm viri commiseratione ab statuta lege rectóque iudicio discessurum. Vade enim consuetum est iudicibus magis fœminis compati, illísque facilius indulgere, quam viris; in eis enim fragilitas est maior, carnalitas fortior, intellectus debilior. Quod confirmari potest: quia ideò tantùm quæstionem de muliere adultera proposuerunt, vt alibi fecerunt. *Si licet homini dimittere vxorem suam, quacumque ex causa?* Matth. 19. numero 3. Sed mulierem in adulterio deprehẽsam statuerunt coram Christo, vt eius aspectu commoueretur ad pietatem. Plus mouent visa, quàm exposita, & audita. Vide superiori capit. quæstion. 16. num. 149. & 150.

Carthus. *Plus mouentur ad pietatem re visa quam audita.* Matth. 19.

12. Tertiò. Maldonatus. Non adulterium, sed mulierem

Maldon. mulierem adducunt Scribæ; solent enim viri, aut vi, aut arte se se propripere: fœminæ sexus imbellis facile tenetur; ad similitudinem viri senes illi Susannam accusantes, suum mendacium composuerunt; adolescentem, qui, cum ea simul aderat, vtpote qui ipsis fortior erat, capere non potuisse; Susannam autem tenuisse Daniel. 13. num. 39. 40. Sic frequenter contingit, vt homines hujus sæculi sint fortes in mites, humiles autem, & mansueti in fortes. Vide tom. 3. cap. 8. q. 4. num. 22. 23. & 24.

Homo fortis in mitem, mitis in fortem.

13. Lyran. Quartò Lyran. Quòd fortè. Adulter erat dives, vel aliquis vir magnus, & potens, & ideo pretio, seu potentia se liberauit; mulier verò pauper, & ideo deprehensa adducitur. O quam frequenter huiusmodi peruersitas in iudicibus inuenitur? Ait Regius vates Psal. 81. num. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diudicat.* Deos, id est iudices, & potentes sæculi, vt communiter interpretantur. Patres. Et quid cum eis agit? *Vsquequo iudicetis iniquitatem?* Hoc est iudices estis iniquitatis. D. Hieron. *Qui iudicat iniquitatem iudex iniquitatis est.* In quo est huiusmodi iniquitas? *Facies peccatorum sumitis.* Brunon. *Ac si dicat. Si venerit pauper habens iustum negotium, & iterum dives habens peruersum, vos personam aspicitis, non negotium*: Subdit Psalmista. *Iudicate egeno, & pupillo, humilem, ac pauperem iustificate.* Explicat Arnobius: Non iudicatis pupillo & egeno, humilem & pauperem non iustificatis. Cardinalis Hugo. *Iustificate, id est iustum credite pauperem, & iustum predicate. Non vt iniustum condemnate.* Valde difficile est, vt homines sibi persuadeant, & credant pauperem esse iustum, & vt talem eum dicant, & non condemnent.

Index iniquum opprimit pauperem, dimittit dilitem. Hieron. Brunon. Psalm. 81. Hugo.

Concludit Regius vates. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Horum iudicum ignorantiam maximè triplici verbo exaggerat. *Nescierunt, neque intellexerunt in tenebris ambulant.* Tanquam extra legem, à recta ratione, ac iustitia, Et quid tandem sequitur. *Mouentur omnia fundamenta terræ.* ibidem num. 6. D. Hieronym. *Propter malos*, ait, *iudices terræ fundamenta quatiuntur.* Hoc enim malo iudice totus inuertitur, & concutitur orbis; Dives, qui dignus erat vt supprimeretur, exaltatur; & pauper benemeritus vt sublimatur, deiicitur, & suffocatur, omniáque recto ordine perturbantur.

14. Hieron. *Index accipiens personam conturbat orbem.*

Fornicatus est Israël cum Madianitis, inter quæ scelera cum vnus Israëlita ingressus est ad scortũ Madianitidem, quòd cùm vidisset Phinees, zelo Domini succensus arrepto pugione verumque simul perfodit. Ob quod factum summi sacerdotij donum ei, ac semini eius concessit Deus. *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Num. 25. num. 13. Cum luxuria in hoc crimine ferueſceret Israël ex Domini iussione mandauit Moyses. *Dixitque Moyses ad iudices Israel, occidat vnusquisque proximos suos.* ibidem n. 4. Et postea subdit textus. *Occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Et tamen ipsis iudicibus, qui tantam stragem ediderunt, nulla laus defertur, nullum donum eis pollicetur. Cur Phinees pro duobus interfectis summopere multis encomiis extollitur, magnóque munere sublimatur? Cum tamen iudicibus, qui tot millia hominum peremerunt, nulla laus, nullaque remuneratio deferatur. Nota quod cum textus ait, *Occisi sunt viginti quatuor millia hominum* Addit Arabicum *de populo.* At eos, quos Phinees interfecit, erant Principes. *Erat autem nomine viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & Tribu Simeonis. Porrò Mulier Madianitis, quis pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum.* ibid. n 14. Et quod iudices de populo interficiant, res valde frequens, & vsitata, & quod ad principes, & magnates gladius extendatur, omni gloria, & laude decantandum. Petrus Damianus lib. 1. Epistol. 7. *Ecce hic Phinees*, ait, *diuini Spiritu zelo succensus, non in despectos quoscumque, vel infirmos diuinæ legis prepugnator insiluit: sed excellentiores, & clariores in populo, quos ad terrendum cæteros, trucidaret, elegit, & qui talis commotus vlciscitur, pacem superni iudicis, & gratiam non modò sibi, sed & populo promeretur.*

Arabic. *Iudices ex-munitos populares plectantur. principes verò.* Damian.

15. Numer. 25.

Ioannis. 5. n. 8. In lege autem Moyses mandauit nobis, huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

Num. 9. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. IESVS autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.

VERSIONES.

Pagnin. Caiet. num. 5. Mandauit nobis, eas, quæ sunt huiusmodi, lapidarn.

Euthymius. Et huiusmodi, lapidarentur, vt ergo quid ait de illa?

Arias num. 6. Vt haberent occasionem aduersum eum.

Euthymius. Iesus verò deorsum inclinatus.

Tolet. ex Græco. Scribebat in terra non fingens, seu non dissimulans.

Corn. ex Græco. Scribebat in terra, non sibi attrahens.

EXPOSITIO III.

16. *IN lege* Christum tentantes Scribæ, & Pharisæi legem non abscondunt, sed Christo repræsentant. De quo quæst. sequenti *In lege.* Scilicet nobis data Moyses mandauit huiusmodi lapidare, seu lapidari, vt habent aliqui codices Græci Leuit. 20. num. 10. Deuer. 22. num. 22. iubentur adulteri occidi, occisionis autem genus nec declaratur, nec exprimitur; tamen ex simili lege quæ præcipiebat sponsam fornicantem lapidari Deuter. 22. num. 24. Rectè inde intulerunt Doctores, vt vxores adulterantes, cum earum crimen sit maius, lapidandas esse; Hinc Susannam quasi adulteram senes lapidare voluerunt. Daniel. 13. num. 52. Nota, quod dicunt: *Mandauit nobis.* Quamuis Scribæ, & Pharisei essent iniqui iudices, tamen fatebantur, quod lex eis mandabat, non autem quod ipsi dominarentur, ac imperarent legi. *Tu ergo quid dicis?* Inquirunt tam de

Leuit. 20. Deuter. 22. Daniel. 13. *Lex nobis mandat, non autem nos legi.*

de iure, quàm de facto. De iure indagant quid de lege, eiúsque intelligentia sentiat; de facto, quænam sententia ferenda sit in hanc mulierem.

17. *Hoc autem dicebant tentantes eum.* Non discendi studio sed tentandi causa quæstionem interponunt; *vt possent eum accusare.* Scribæ, & Pharisæi, perversi, & iniqui iudices, studium, quod applicare tenebantur ad veritatem indagandam, transferunt ad laqueos tẽdendos. In eo eorum voluntas inundatur, quod accusationis occasione eum possint obseruare, & culpas mulieris deferant, iniqui iudicis animus in delatis culpis exultet, & oblectetur. *Iesus autem inclinans se deorsum,* vt ab ipsis dolosis accusatoribus multum auerteret, ac declinaret; *Digito scribebat in terra*; vt hoc diuerso facto ostenderet se eis nolle respõdere; ac tanquam si eis diceret; Quid ad me defertis accusantes adulteram, cum ego non venerim, vt peccatorum damnator, sed vt eorum medicus, ac saluator? vt exponunt D. Augustinus, Euthym. D. Thomas, D. Bonan. Iansenius. & alij: vnde notat Cornelius à Lapide, quod aliqui codices Græci addunt. *Non sibi attrahens*, id est non sibi tale munus vsurpans, sed auertens se ab eis, & eorum accusatione. Toletus, & alij transferunt. *Non fingens.* Se scribere, sed reuera scribebat in terra. Vox Græca vtrumque significat, & huic loco congruè adaptari potest.

Augustin. Euthym. D. Thom. Bonauent. Iansen. Cornelius. Tolet.

QVÆSTIO III.

Quomodo tentantes quærunt Scribæ, & Pharisæi à Christo, quid circa adulteram dicat?

18. RESpondet primò D. Bernard. serm. 13. de Annuntiat. *Suauis, ait, & mitis est Christus, & copiosa misericordia, credamus inimicis, qui in eo nihil aliud inuenerunt, vnde occasionem struerent de calumnia caperent, Compatietur, aiunt, peccatrici, neque sibi oblatam occidi patietur, tenebitur itaque, manifestus aduersarius legis, cum absoluerit lege damnatam.* Tam nota, & manifesta erat Christi ingens pietas, & misericordia, vt eius aduersarij apud se statuerint, quod in nullo alio possent calumniæ occasionem aduersus eum venari, nisi in sua multa misericordia qua absoluta peccatrice adultera, eum de lege violata arguant.

Bernard. *Multa Christi pietas.*

19. Pro cuius confirmatione præclarè ait D. Augustinus tract. 33. in Ioan. statim in hac quæstion. largè referendus. *Animaduerterunt eum*, inquit, *Pharisæi nimium esse mitem, nimium esse mansuetum.* Adducunt Pharisæi mulierem ad Christum, quia eum reputant esse nimium mitem, & mansuetum, vt inde accusationem de transgressione legis captent, quo modo in Christo potuit aliquis excessus inueniri, virtus in mediocritate consistit; vnde si moralis nimia sit, in vitium prolabitur, & quantum mediocritatem excedit, tantum à rectæ virtutis ratione recedit; in Christo Domino omnia summè perfecta, in eóque nec leuis vitij vmbra nunquam inuestigabilis extitit. Tamersi quid minimum in illo humana ratio mendosè cogitare valuit, ex sua multa pietate occasio desumpta est, tam enim larga, & superabundans est, vt omnes terminos, omnésque metas videatur excedere, & transcendere iuxta nostrum captum, tantaque indulgentia reos absoluit, eisque veniam largitur. Dicant humani iudices, vt in suis sententiis ferendis, potius de excessu pietatis, quàm de rigore iustitiæ sugillentur.

Augustin. *Christi pietatem, vt nimiam notant aduersarij.*

Iudices potius de pietate, quam de rigore notentur.

20. Secundò. D. Ambrosius lib. 7. Epistol. 58. *Obtulerunt*, ait, *mulierem Saluatori, captantes, vt si ab soluret eam videretur legem soluere; si damnaret, videretur aduersus finem venisse propositi sui*; finis autem propositi Christi erat, peccata hominibus remittere, vt ipse Ambrosius explicat lib. 9. Epistol. 76. Oblata adultera volunt explorare, an Christus dimittendo legem solueret, ac condemnando à proposito finis sui discederet; nam damnabilis est mutabilitas in re iusta, & sancta, vt quodammodo æqua nota videatur in viro magno legem violare, ac à proposito suo, réque concepta resilire, ex vtroque enim maximè nobilis animus deuenustatur.

Ambros. *Mutabilitas notata in homine.*

21. Tertiò. Toletus ait, quòd superiori cap. 7. n. 21. audierunt Pharisæi, & Scribæ Christum Dominum legem sabbati declarantem, nouámque doctrinam, quantum eis videbatur proferentem, quod scilicet licebat in sabbato curare: indéque autumarunt aliquid noui in hoc casu, vbi de vita adulteræ agebatur dicturum, & docturum, ex quo arriperent ac ipsum arguendum, ac accusandum motiuum.

Tolet. *Doctrina noua aliquando suspecta iudicatur.*

22. Quartò. D. Augustin. tract. 33. in Ioan. Animaduerterunt, ait, Pharisæi eum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum: de illo quippe fuerat antea prædictum. *Accingere gladio tuo circa femur tuum potentissimè. Specie tua, & pulchritudine tua, intende prospere, procede, & regna propter veritatem, & mansuetudinem.* Psal. 44. num. 4. Ergo attulit veritatem vt doctor, mansuetudinem vt liberator, iustitiam vt cognitor. Cum loqueretur veritas agnoscebatur: cum aduersus inimicos non moueretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est de veritate, & mansuetudine eius inimici liuore, & inuidia torquerentur: in iustitia scandalum posuerunt. Quare? Quia lex iusserat adulteros lapidari: dixerunt ergo offeramus ei mulierem adulterio deprehensam, dicamus quid de illa in lege præceptum sit. Si eam iusserit lapidare mansuetudinem non habebit. Si eam dimitti censuerit, iustitiam nõ tenebit. Vt autem mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti dicturus est Hæc D. Augustin. Idem docent D. Thomas, Albertus Magnus, D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij. Cum Pharisæi accederent Christum tentantes, videbatur quod potius debebant legem tacere, quam illam ei proponere, vt si fortè aliquid diceret contra legem, inde validius eum arguere possent; tamen legem ei proponunt, quod ipse ne opinionem clementiæ, & pietatis, quam apud populum sibi conciliauerat, deperderet, pro muliere absoluenda eum sententiam esse laturum, indéque vehementius eum arguerent, siquidem, lege proposita ipsam contempsit, & mulierem absoluit. *Vt autem mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti dicturus est.*

Psalm. 44. D. Thom. Alb. Magn. Bonauent. Carthus. Hugo. *Homo conseruationis suæ fama valdè auidus.*

23. Postquam Daniel explicauit Nabuchodonosori somnium visionis statuæ, in qua quatuor mundi imperia denotabantur; aliam suam totam auream erexit. *Et præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis. Cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor Rex.*

Rex. Daniel. 3. num. 5. Quo motiuo barbarus iste contra omne naturale dictamen rationis, & contra id, quod ipsemet fatlus est Daniel. 2. num. 47. *Verè Deus vester, Deus Deorum est.* Se cũ homo esset, vt Deum præcepit adorari. In explicatione Visionis statuæ ei dictum est regnum suum euertendum esse à Persis. *Post te consurget regnum aliud.* Daniel. 2. num. 39. Quod cum rex audisset, ægrè tulit, vt notat Maldonatus, quod etiam idem dici potest de his, quæ Daniel prædixerat de Christi regno ibidem num. 44. & subiiciunt idem Maldonatus, & Cornelius in cap. 3. Daniel. §. Verisimiliter. *Quod Chaldæi suaserunt regi, vt talem statuam fabricaret, vt per eam illa, quæ prædixerat Daniel de Persis Babylonem euersuris refutarent; sicque significarent, solum ipsum fore perennem Orbis Monarcham.* Cum Nabuchodonosor accepit à Propheta regnum suum perituru̇m, aliudque ipso maius erigendum fore, grauiter, ac intimè indoluit, iudicauitque nomen suum, famamque suã maximè imminui, multúmque à sua celsitud'ne deprimi, vt ergo suo honori, ac nomini consuleret, se vt Deum mandat adorari, tanquam denotans, quod sicut nullum imperium stabilius, ac perennius firmari posset, quam Dei solium, suo regno nullum esset amplius duraturum, misérque naturali lumini repugnans pro suo nomine pugnat, tanta dementia insaniens, quod cum esset mortalis homo, se vt Deum proponit adorandum.

Daniel 2. Daniel 2. Maldon. Cornel. *Homo pro tuenda sua fama nullis facinus refugit.*

24. Premebatur Israël ciuili bello, cùm fugeret Dauid facie Absalon occurrit regi Siba offerens ei cibos simúlque multas quærimonias, multaque crimina opponens contra Dominum suum Miphiboset; quod cum audisset Dauid, absque alio exarbine, causæ cognitione pronuntiat sententiam dicens Sibæ. *Tua sint omnia quæ fuerũt Miphibosethi.* 2. Reg. 16. num. 4. In qua sententia proferenda cum esset contra inauditam partem, in ea Dauid grauiter peccauit, vt docent Lyrã. Abulens. Carthusian. Caietan. & alij. Postea verò cum belli triumphator Dauid in Ierusalem venisse, ei obuiam factus Miphibosethi, habitu, gestúque, ac sermonibus illi suam innocentiam manifestauit, simúlque falsò fuisse accusatum à seruo suo multis ostendit. Tamen dixit ei Dauid *Quid vltrà loqueris? fixum est, quod locutus sum, tu et Siba, diuidite possessiones* 2. Reg. 19. n. 19. vnde rectè inquiunt Lyran. & Caietan. quod priùs Dauid fuit præceps dando totum Sibæ inaudita parte, modò verò indiscussa veritate manifestè iniustus inuenitur; quomodo Dauid, qui pius erat, in hoc negotio semel, & iterum tam rigidus est? Obijciuntur animo Dauid in hoc negotio regalis auctoritas, & ratio iustitiæ. Anthoritas regalis in verbo dato, *tua sint, quæ fuerunt Miphibosethi*, ratio iustitiæ exigens, vt res magno examine discuteretur. Elegit potius Dauid violare iustitiam, quàm fidem regij verbi frangere, ne regalis auctoritas mutata videretur. Abulens. ad citat. cap. 19. q. 29. *Cum primo Dauid*, ait, *incautè sententiasset dando totam possessionem Miphibosethi Siba, visum est sibi verecundum valdè, quòd sententiam istam totaliter mutaret, quia in hoc ostendisset se valdè errasse.* Et ne errasse videretur, in errore persisti t

2. Reg. 16. Lyran. Abulens. Carthus. Caietan. *Violatur iustitia ne violetur auctoritas regia.* Abulens.

QVÆSTIO IV.

Quare accusantibus Scribis mulierem, Iesus inclinat se deorsum?

IN limine huius quæstionis notandum est, quod cũ in præsenti Scribæ, & Pharisæi Dominum tentantes edducerent hanc adulteram *Iesus autem inclinans se deorsum scribebat in terra.* At vero cum iidem Pharisæi Dominũ etiã tentãtes obtulerint ei hominem habentem manũ aridam, & quærentes an liceat sabbatis curare? Scribit Marcus. 3. num. 5. *Circumspiciens eos cum ira contristatus est super malitiam eorum.* In vtroque casu sublatet dolosa intentio in Pharisæis, & tamen in sabbati obseruatores iratos Dominus mittit oculos, ab accusatoribus verò adulteræ misericordiam distillantes conuertit in terram, vnde huius rei tanta diuersitas? Notat Ioannes hoc cap. 8. num. 20. *Hæc locutus est Iesus in Gazophilacio.* Apud quod res Adulteræ agebatur, ex quo huius rei rationem deprompsit D. Ambros. Epistol. 76. *Hoc adultera iudicium*, ait, *in templo Dei positu exercet: sicut scriptum est infra: Hæc verba locutus est Iesus in Gazophilacio docens in templo. Quid est Gazophilacium? Collatio fidelium sumptus pauperum, requies egenorum.* Stabat Iesus iuxta pietatis, ac misericordiæ pauperum ærarium, inde Iesus clemens, & propitius se exhibet, vt non solum peccata mulieris dissimulet, sed etiam eximiam benignitatem in eius accusatores manifestet, & ostentet.

15. Marc 3. Ambros. *Ex pauperũ misericordia Deus propitius.*

26. Chrysol. *Iesus declinat occasiones puniendi, quarie indulgendi*

Ad quæstionem respondet primò D. Chrysologus 115. *Auertit faciem suam Deus, & inclinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret.* Accusatur mulier, inclinat se Iesus in terram, semper benignus Dominus ab omni puniendi, ac iudicandi occasione sese præscindit, & ipsa corporis inflexione abscondit faciem suam, quasi erubuerit, quod iudex ad puniendum eligeretur, qui totus venerat omnem indulgentiam spirandam. Hinc cum mulier accusatur faciem suam vertit Iesus ad terram quam erigit, cum mulier sit absoluenda, & dimittenda. Infra num. 11. quòd notat D. Ambros. Epistol. 52. *Vide*, ait, *diuina mysteria, & clementiam Christi, cum accusatur mulier, caput Christus inclinat; eleuat, vbi deficit accusator: ita nullum damnari vult, absolui omnes.* Nota, cum accusatur mulier, inclinat caput; vt lutum videns, & considerans de lutea fragilitate affectum pietatis erga miseram mulierem elicuat.

Ambros.

27. *A litibus semper Christus abhorruit*

Secundò. Accusatur mulier, vt deprehensa in adulterio, inclinat Iesus faciem in terram, ne in illa excitata lite, in qua accusatio proferebatur, & pars erat audienda, iudex existeret; ab huiusmodi litibus iudicandis semper abhorruit Dominus, cum duo litigantes ad eum tanquam iudicem conuenirent, dixit. *Quis me constituit iudicem super vos* Luc. 12. n. 14. ibi. D. Ambros. *Nec iudex*, ait, *esse dignatur litium, & arbiter facultatum* De lege gratiæ vaticinauit Isaïas 2. n. 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Cardinalis Hugo. *Propheta est*, ait, *de destructione litium, & causarum aduocatorum, & legislatorum, qui non quærunt nisi lites, & bella.* Pinto. Per gladios, & lanceas intelligit hominum membra, sensus, ac

Ambros. Isai 2. Hugo. Pinto

etiam calamos scribentium, qui aduentu Christi effecti sunt operibus, verbis, ac scriptis vomeres, quibus affectu charitatis scinduntur humana corda, ac falces pietatis fructus Deo gratissimos metentes.

Anton. Tertiò. D. Antonius Vlyssipponens. in sabbato post Dominicam tertiam Quadrages. *Inclinauit se*, ait, *vt significaret, quod non statim iudex debet porrigere aures cuilibet delicto, nec etiam cum gaudio, sed cum displicentia suscipere; & quia accusatio consideranda est, & discutienda cum maturitate, vt testis bene examinemur.* Inclinat se Dominus tanquam displicens in re audita, in eáque diiudicanda interponens tempus, vt significaret, quod iudex delinquentium delicta non suscipiat cum gaudio, nec sit festinus, sed morosus in illis examinandis. Quartò. D. Ambrosius lib. 6. Epist. 51. *Se inclinat Iesus*, ait, *ideo inclinat, vt iacentes eleuet, inclinat se Iesus vt mulierem in miseria iacentem subleuet*; inclinat se Dei celsitudo, vt nos erigamus, descensus eius subleuatio nostra. Quintò. Hugo. *Inclinat se Iesus, vt det eis tempus respiscendi à quæstione tali, talique iniusta accusatione*; Deus semper concedit peccatori tempus ad pœnitentiam, & emendationem.

Iudex displicent in audita culpa.

Ambros.

Hugo.

29. Sextò. Idem D. Antonius citato loco. *Sententia res est*, ait, *cum benignitate, & pietate, vt homo iudicando sit inclinatus ad misericordiam, & non erectus ad iustitiam.* Albertus Magnus *Inclinans se*, ait, *à rigiditate inflexibilis iustitiæ*: Vt ipso nimirum corporis gestu, ac habitu diceret summum ius, summámque seueritatem tantisper inflectendam, & pietate mitigandam, ac emolliendam fore, ideo semel, iterum se inclinat. Pulchre Seneca ad Neronem. *Hæc est*, ait, *in maxima potestate, verissima animi temperantia, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum principum* (scilicet Caligulæ, Claudij) *exemplis corrumpi, quantum in cines suos liceat experiendo tentare, sed hebetare aciem imperij*; perpende. *Hebetare aciem*, potestatis gladius non est acuendus, ac eliminandus, vt penetrabilius transigat, sed est hebetandus, ac obtundendus, vt ferri rigor mitigetur, ac minuatur.

Anton.

Alb. Magn.

Rigor iustitiæ misericordia mitigandus.

Seneca.

30. Scribens Paulus ad Timotheum. 1. cap. 1. n. 2. sic initium facit: *Timotheo dilecto filio in fide, gratia, misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.* Et Epistol. 4. cap. 1. n. 1. Sic loquitur. *Timotheo charissimo filio sit gratia; misericordia, pax à Deo Patre.* Valdè mirum, quod in aliis Epistolis suis siue ad Romanos, vel Corinthios, Galatas, & Ephesios, nec ad Titum, vel Philæmonem scriptis similem initium præfixit Paulus, ac in his Timotheum, vt obseruarunt Chrysostom. Theophylact & alij. Cur statim in ipso limine Timotheo misericordiam, gratiam, & pacem commemorat. Erat Timotheus vtpote iuuenis valdè feruens ardentissimo religionis Christianæ Zelo, indéque multum rigidus in subditos delinquentes; exoptabat autem Apostolus, vt seueritatem cum misericordia ille admisceret, indéque statim in exordio gratiam, ac misericordiam Dei illi obiecit, vt illa edoctus de sua austeritate descenderet, & iustitiæ acredinem cum misericordiæ suauitate emolliret. Ruppertus, in cap. 1. Apocalyps. *Paulus*, ait, *in Timotheo Episcopos omnes informabat, cuius officij summum, & necessarium decus est misericordia, & ille* (scilicet Timotheus) *vt fertur, zeli erat feruentioris: idcirco rectè, & opportunè visce-*

1. ad Tim. 1. ad Tim.

Chrysost. Theophyl.

Feruor iustitiæ mitigandus misericordia.

Rupertus.

ra misericordiæ illi, vt haberet, præoptat. Perpende verbum, *summum, & necessarium decus.* 31.

Ait Regius Vates. Psal. 74. num. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc; verum tamen fex eius non est exinanita.* Magna difficultas insurgit in præcitatis verbis, si calix in manu Domini est vini meri, seu puri, quomodo potest esse plenus vino misto aqua; Non enim comparjuntur in eodem vasculo vinum purum, & vinum aquosum, nam per vnum destruitur aliud. Ob quam difficultatem Euthym. & alij duplicem calicem in manu Domini constituunt. Melius tamen Patres communiter ad sensum moralem confugiunt; de quo variis in locis. Nunc verò in præsenti per vinum merum, seu purum ob sui austeritatem intelligimus rigorem diuinæ iustitiæ, per mixtum verò interpretamur mixtionem aquæ diuinæ pietatis, sicque rigor diuinæ iustitiæ mixtus est misericordia, *inclinauit ex hoc in hoc.* Ex illa scilicet seueritate ad hanc pietatem inclinat, vnde subdit. *Verumtamen fex eius non est exinanita.* Fex id est extrema acerbitas iustitiæ. Isai. 51. num. 17. Ezech. 23. num. 34. ab ipsa enim diuina pietate mitigatur, vt non omnino effundatur. Sic locum interpretatur D. Ambrosius in Psal. 37. in expositione primi versiculi, ad aptans ad Angelum percutientem pestilentia Ierusalem. *Calix in manu Domini*, &c. *Ad terrendum plenus est*, ait, *ad feriendum non est exinanitus; plenus erat, calix cum meri per triduum mandaretur: sed occurris misericordia Dei, tenuit manum Angeli, priusquam calicem istum exinaniret. Imitamini, Imperatores, exemplum diuinum, vt sitis in statuendis legibus seueriores, in exigendis suppliciis misericordes.*

Psalm. 74.

Euthym.

Iustitia pietate sit mista.

Isai. 51. Ezech. 23.

Ambros.

QVÆSTIO V.

Quare Christus Dominus auditâ quæstione Pharisæorum, scribebat.

32. RPonunt Scribæ, & Pharisæi Christo Domino quæstionem circa mulierem adulteram, quia de illa agendum esset secundùm legem; non eis Dominus voce, ac verbis respondet, vt frequenter faciebat, sed extraordinario modo inclinat se & digito scribebat in terra, quod hic tantum fecisse legimus.

33. Respondet primò Euthymius. *Hoc frequenter*, ait, *facere solent, qui respondere nolunt importuna, indignaque rogantibus: cogita enim illorum machinatione, fingebat se in terra scribere, nec his attendere quæ dicebantur.* Idem docent Beda, Montanus, Maldonatus, Lucas Burgens. & mihi videtur germanior interpretatio. Scribendo igitur Iesus, & tanquam aliud agendo, ac maioribus rebus animum applicando, voluit declinare quæstionem fraudibus plenam. Sic solent sæpè facere viri prudentes, cum importunè interrogatio respondere nolunt, vt nimirum vultum aliò vertant, aliúdque cogitare, ac agere simulent, vt ab incongrua postulatione abstineant. Vnde ex Græco, vt iam dixi, aliqui legunt. *Scribebat in terra, non ad se attrahens*, vel *assumens*, illam quæstionem.

Euthym.

Beda. Montan. Maldonat. Lucas Burg.

Qui non vult respondere facit, quod non attendit.

34. Secundò. Augustinus tract. 33. in Ioann. *Quid vobis* ait, *aliud significat Dominus, cum digito scribit in terram, digno lex scripta est sed*

August.

propter

Caiet.

propter duros in lapide scripta est. Nunc iam Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat. Scripsit Dominus, vt ait Caietanus, vt hoc facto se se ostenderet esse eundem Deum, qui olim digito scripserat in tabulis lapideis mandata Decalogi, non in lapide, sed in terra, vt explicant D. Thom. D. Bonauent. Carthus. Hugo. Lex vetus in tabulis lapideis scripta est propter eius duritiem, qui violabat legem Moysis absque vlla miseratione occidebatur. Hebræor. 10. n. 28. Terra verò cum sit mollis significat dulcedinem, ac mollitiem legis nouæ, ideò Christus eam tradens in terra scribebat, vt ipsa suauitate perciperet fructum, in hoc nouo statu gratiæ, quem lex vetus ob suum rigorem non attulit.

D. Thom. Bonauent. Carthus. Hugo.

Hebr. 10. *Non rigore sed suauitate recipitur fructus.*

35. Tertiò. D. Ambrosius Epistol. 76. *Scribebat*, ait, *Christus in terra digito, quo legem scripserat: Peccatores in terra scribantur, Insti in cœlo, sicut habes dictum ad discipulos*, Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Luc. 10. Quod etiam docent D. Augustinus lib. 4. de consensu. Euangel. cap. 10. D. Thomas, D. Bonau. Toletus, & alij. Quartò. Idem D. Augustinus proxime citato loco. Vt ostenderet, quod signa faceret in terra, nam qui scribit signa facit. Quintò. D. Antonius Vlyssiponensis in sabbato ante Dominicam quartam Quadragesi. *Vt terra*, ait, *esset finaliter contra illos.* Ierem. 22. numer. 29. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini. Hac dicit Dominus, scribe virum istum sterilem.* Septuaginta habent *scribe viros istos abdicatos.* Vt terra propter quam deliquerunt, ipsamet eos accuset, & arguat. Cardinalis Hugo: *In terra scripsit ad significandum, quod terra in iudicio Domini affert suum libellum conquerendo de malis, & terrenis, & testificabitur contra eos*, sapient. 5. num. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.*

35. Ambr. *Peccatores scribantur in terra.* Luc. 10. Aug. D. Thom.

Ant. Vlyss.

Ierem. 22. *Terra terro mos arguit, & accusat.* Hugo. Sapient. 5.

36. Sextò. Idem Cardinalis Hugo: *scripsit, quia noluit voce prodere peccata eorum: sed voluit vt scripta latenter legerent: præcipue cum scriptura illa non fuerit communis, vt vnus ex ea legere posset peccatum alterius: sed tantum vnusquisque suum. Et in hoc docet corripientes quantum cauere debeant, ne peccatum latens publicent ne infament personas.* Expediebat, vt Dominus his accusatoribus obiiceret sua peccata, vt mulier libera euaderet, non respondet voce, quæ patenter ab omnibus audienda erat, sed latenter, & cum silentio scriptis; in quibus vnusquisque suum peccatum, & non alterius legebat, vt ita exemplo diuini Magistri cæteri Prælati tanto documento instruantur, vt quantum fieri possit subditorum defectus occultent, & abscondant. Vide multa hoc tomo, & 1. 2. ac 3. Verbo *Defectus.*

Hugo.

Alterius defectus occultandi.

37. Septimò. Cùm Pharisæi, & Scribæ tentantes arguerent mulierem, eis respondet Dominus, non verbo, sed scriptis, vt monstraret quantam efficaciam, ac acrimoniam habeat ad perfidos reuincendos, efficiendosque elingues sacri scriptoris manus. Sæpe Iesus prædicabat, ac clamabat in templo; & tamen multa contra eum Iudæi obiecerunt, patet ex toto cap. 7. & 8. Ioan. Dixerunt enim ei, *dæmonium habes, Samaritanus es tu*, & iterum; *quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* At verò modò, quando hic scripsit, omnes obmutuerunt, *& vnus post vnum exibant. incipientes a senioribus.* Cur modò non aliquid dicunt vt antea, sed ora comprimentes abeunt? Vt hoc facto demonstretur, quod ad perfidos confundendos, ac coërcendos vehementior extitit scriptoris manus, quam lingua prædicantis, ac clamantis; scriptorum calami, quasi æneæ tormenta ignitos verborum, & sententiarum globos in hæreticos explodunt, vt eos proiiciant, & conterant.

Ioan 7.

Efficacior scriptoris manus, quàm vox prædicatoris.

38. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro?* dicebat sanctus Iob cap. 19. numer. 23. optat vt scribantur sermones sui, quos eructauerat de fide, auctore Resurrectionis, ac beatitudine pro sua patientia largienda, vt docent D. Hieron. Epistol. 61. ad Pammach. Philippus Abbas, D. Thomas, Penedo, & alij. Cur tanto desiderio tenetur, vt sua verba scriptis mandentur? Antiqui Patres per communem vocem, & traditionem res fidei ad posteros traducebant, vt fecerũt Adam, Seth, Enos, Cainã, Noë, Sem, & alij, quæ dicitur fides Patrum. Cur his non acquieuit S. Iob, sed sua verba scripta desiderat stylo ferreo, aut plumbi lamina. Patres, vt Adam, Seth rem agebant cum filiis, & nepotibus. At Iob loquebatur cum Eliphaz, Baldad, & Sophar, qui dictis Iob repugnabant, & contra dicebant. Vnde Iob eos arguit: *Quare detraxistis sermonibus veritatis?* cap. 6. n. 25. Et dominus eos de hac re increpat, dicens Eliphaz: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum* cap 42. n. 7. Inde Sanctus verba sua tam alta methodo exarata exoptat; nam etsi filiis, nepotibus, ac beneuolè affectis vos per traditionem loquens sufficiebat, tamen obsistentibus, ac repugnantibus acutior scripturæ stylus exigebatur, vt literis obiectis obstinata durities emolliretur; quo respexit S. Odonius Cluniacens. lib. 14. in Iob: *Forti sententia*, ait, *duris cordibus loquitur, stylo ferreo in plumbi lamina, vel certe in silice scribit.*

Iob 19.

Hieron. Philip. abb. D Thom. Pened.

Iob. 42.

Scriptura acutior, quàm vox ad rebelles domandos.

S. Odon.

39. In magna templi fabrica Salomon *posuit Cherubim in medio templi interioris, extendebat alas suas Cherubim, & tangebat ala vna parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum.* 3. Reg. 6. num. 27. In medio oraculi, quod intelligit per interiorem partem templi, positi fuerunt Cherubini, qui expansis alis suis tangebant vtramque interioris templi parietem, ita vt sub alis oraculum, & arcam obumbrantes haberent, cur potius illa alis, quàm vultu tegebant? Cherubim Spiritus sunt scientiarum, per faciem non incongrue sermo oris significatur, at alis scriptorum calami denotantur, quib. maximè corroboratur, ac protegitur Ecclesia. D. Bruno de laudibus Ecclesiæ *Bene autem*, ait, *sub alis Cherubim arca testamenti stare dicitur? Quia nihil est, quod sic Ecclesiam Dei defendat, & muniat, sicut scientia scripturarum a sanctis Patribus tradita.*

39.

3. Reg. 6.

Bruno.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus scribebat in terra, & non in lapide, digito verò, & non potius alio instrumento?

40. DVBITARI potest, in quonam subiecto Dñs scribebat, nam mulier adducta est, cum ipse existeret in templo. Simon Cass. l. 11. cap. 34. & hic Ioan. Maior, Carth. existimant, quod miraculosè in lapide aliquo templi digito suo scripserit, qui diuina virtute sulcationem literarum suscepit; tamen, cum D. Augustino D. Ambrosio, D. Thoma, D. Bonaventura,

Cassian. Carth. August. Ambros. D Thom. Bonauent.

Christus scribebat in terra.

& aliis citatis superiori quæstione dicendum est, quod scribebat in puluere, qui præexistebat super lapides pauimenti, ducto digito litteras deliniens, & ad hoc cogunt verba Euangelistæ. *Scribebat in terra.*

41. Illud tamen notandum, quod quando Baltazar iussit in suo conuiuio, vt afferrentur vasa aurea, & argentea templi Ierosolymitani. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis in superficie parietis aulæ regiæ*, Danielis 5. num. 5. Et vt aduertunt Albertus Magnus, Carthusianus, non atramento, sed excauatis lapidibus per scissionem fiebat scriptura, modo verò in puluere scribit Christus peccata illorum hominum, vel mulieris, de quo quæstione sequenti. Delicta mulieris, vel illorum hominum ex debilitate nostræ conditionis. Baltazaris verò crimen contra cultum, & templum Dei, etsi peccata ex humana fragilitate, tanquam in puluere depicta cito prætereunt, & obliuiscuntur: quæ autem sunt contra Religionem indelebiliter exarata, tanquam insculpta in lapide perpetuò perseuerant, & durant.

Dan. 5. Alb. Mag. Carth.

Peccata contra religionē, & templum indelebilia manent.

42. Ad quæstionem cur in puluere scripserit, multas dedi de hac re rationes superiori quæstione, subiiciam tamen hîc Diuum Chrysostomum, sermone 115. de synagoga iniquitatibus plena agens ait: *Quam cùm virtantum*, (scilicet Deus) *visam insita indignatione despiceret, & eam procul à sua societate propelleret, atque toto execraretur iudicio grauitatis, illa nec despecta erubuit, nec contempta se correxit, nec respuit sic repulsa, sed tota præceps ad idolorum lupanaria conuolauit: hinc est, fratres, quod cùm in Euangelio à Scribis, & Doctoribus legis apud Dominum ista accusaretur adultera, auertit faciem suam Dominus, & declinauit in terram, ne crimen cerneret, quod puniret; maluit in puluere scribere veniam, quàm dare in carne sententiam.* Multis suppliciis Deus synagogam puniuit, vt habes cùm iter ageret per desertum, ac eum sub iudicibus regeretur. Tamen nec ideo melior effecta, nec à fornicatoribus abhorruit, sed frequenter in adulteria idololatriæ prolapsa est; hinc cùm videret Dominus mulierem adulteram accusatam, se inclinat in terra scribens, eligens magis ex puluere, quo formata erat mulier occasionem ad indulgentiam sumere, quàm seuerā sententiam in illam exercere, sciens quod sæpe plus proficit ad emendationem commiseratio, quàm damnatio: nam rigor aliquando obduratum reddit, quem benignitatis suauitas emollit, ac correptum facit.

Chryſol.

Plus proficit ad emendationem commiseratio, quàm rigor.

43. Cur digito scripsit? Respondet Diuus Cyrillus Alexandrin. lib. 5. in Ioan. cap. 16. *Digito*, ait, *scribebat in terra, quo nobis ostendat, quod antequam iudicium feramus de proximo, ad veritatis inuestigationem condescendere, & animum inclinare debemus, & discretionis digito singula ad rem præsentem attinentia prius discutere: alioquin rectè iudicare non possumus, si prætermissa indagine veritatis, & examine diligenti proximum in publico iudicio, aut absoluimus, aut damnamus.* Idem habent Glossa, D. Antonius Vlyssiponensis in sabbatho ante Dominicam 4. & alij. Audita accusatione mulieris inclinat se Iesus, & scribit digito, qui digito scribit singula meritur, & ponderat, instruimur à diuino Magistro, quòd antequam quis de proximo ferat iudicium, prius singula discretionis digito habeat in pondere, & mensura, vt bene perspecta veritate sententiam dicat.

Cyril.

Ante sententiam res altè examināda. Glossa. Ant. Vlyſ.

Tres Angeli ab Abrahamo recipiuntur hospitio in domo sua, postea verò peragunt ad puniendam Sodomam; ait sacer textus. *Cùm ergo inde surrexissent, direxerunt oculos contra Sodomam.* Genes. 18. num. 16. si Sodomam petebant ad quid notat diuinus Spiritus, quod, in illam direxerunt oculos, qui enim aliquò tēdit, eò oculos conuertit, vt satis planum est. Quorsum ergo illa exprimūtur? *Direxerunt oculos.* Secundum suam radicem non solùm denotat quocumque modo aspicere, sed attentè, & multa efficacia, cùm enim irent ad sententiam ferendam, ac ad supplicium infligendum infami ciuitati, dicitur quod *direxerunt oculos*, vt eos multa consideratione, ac examine cuncta inspexisse innuatur. Pondera, quod direxerunt oculos, non tantum cùm ingressi sunt Sodomam, sed cùm egrederentur è domo Abrahæ, quæ iuxta Andriomach, & alios plusquam vna leuca distabat à ciuitate, quia iudex totam rem debet rimare, non solùm è proximo, sed etiam e longinquo, ac remoto, tanquam à sua prima radice; & processerunt ad hoc negotium non vnus Angelus, sed tres, quia quamuis iudex sit pollens scientia, veluti Angelus, tamen in inuestiganda causa, debet agere non vt vnus, sed vt tres, & plures: sic tam circunspectè peragunt in hoc negotio Angeli Dei ministri, quamuis multiplicatus clamor Sodomæ ad eum peruenerit, ibidem n. 20. vnde ait Innocentius 3. in quadam decretali *Quod si per clamorem, vel famam ad aures superioris peruenerit defectus alicuius, nec semel tantum, sed sæpe, quod clamor, & diffamatio innuunt, quod & debet coram Ecclesia superioribus veritatem diligentius perscrutari, & si rei poposcit æqualitas canonica, vltio fiat de culpa delinquentis.*

44. Gen. 18.

Iudex prudēs fundè mul. ripliciter se discutiat.

Andriom.

Innoc.

QVÆSTIO VII.

Quid Dominus scribebat?

45. MALDONATVS in præsenti existimat Christum Dominum nihil scripsisse quod legi posset, nec certos aliquos characteres formasse, sed incertas, nihilque significantes figuras delineasse, quales homines meditabundi solent facere: tamen quod teuera Christus Dñs aliquid scripserat significatiuum communiter docent Patres, vt patebit ex dictis in hac quæstione Deinde quiā vt multi codices Græci habent: *Non fingens, non simulans*, significat quod Dominus nō fictè illud fecit, sed quod verè scripsit litteras.

Mald.

Christus verè scribebat.

46. Primò respondet Diuus Hieronymus lib. 2. contra Pelagian. cap. 6. ait: *Digito Iesus scribebat in terra; eorum videlicet, qui accusabant, & omnium peccata mortalium* Glossa Interlineal. *Scribebat in terra peccata eorum.* D. Bonauent. lib. de vita Christi cap. 68. *Erat igitur illa scriptura tanta veritatis, vt quilibet eorum cognosceret in ea sua peccata.* Idem docent Diuus Antonius Vlyssiponensis homil. in sabbatho ante Dominic. 4. Quadragesi. Albertus Magnus, Lyranus, Hugo, & alij, qui dicunt, quòd erant veræ literæ, vel figuræ quędam, vt inquiunt Lyranus, Hugo, quæ diuina virtute habuit efficaciam, & vim repræsentandi vnicuiq; sua peccata, per quæ iudicandus erat, ita vt quilibet sua propria delicta legeret, non verò alterius: sicut vox Apostolorum, quæ licet tantum fuisset Hebraica, tamen secundum quod proferebatur ad diuersos audien

Hieron. Interlin. Bonauent. Ant. Vlyſ. Alb. Magn. Lyran. Hugo.

Scribebat peccata accusantium.

audientes habuit virtutem immutandi auditum secundum diuersa genera linguarum, vt factum legitur die Pentecostes.

47. *Superior sententia probabilior.* Luc.12.

Hæc sententia inter cæteras referendas mihi probabilior, quia si Christus Dominus tantum à se repellere volebat iudicium, poterat dicere, vt respondit apud Luc.12. *Quis me constituit iudicem super vos?* Atqui in præsenti quidam rari, & admirabiles effectus apparent. Nam Pharisæi venerant tentantes, subitò, & inopinatò obmutescentes recedunt, & cum adduxerunt mulierem, quàm ex lege nouerant damnatam, eam solutam absque vllo supplicio relinquunt, valde miri sunt hi effectus, quænam eorum causa, nisi quod Deus in illa Scriptura, ac literis eorum peccata illorum menti obiecit, ex quorum notitia multo pudore, ac confusione repleti abscesserunt, Instabis. Christus Dominus eis dixit. *Qui sine peccato est vestrum*, &c. Et Euangelista subdit. *Audientes hæc omnes post vnum exibant.* Vbi discessum Phariszorum his verbis tribuit. Respondetur, quod Christus dixerat. *Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat.* In illa Scriptura viderunt sua peccata, ac proinde cum apertè agnoscerent se non esse sine peccato, ideo eorum conscientia stimulante, & diuina virtute operante perculsi abierunt.

48. D.Thom. Lyran. Ambros. Ierem.22. Carthus. Solutorie nõ in perniciem mulierũ addu.

Secundò. Aliqui apud D.Thomam, quod ipse iudicat probabilius. Scripsit eadem verba, quæ protulit scilicet, *qui sine peccato est vestrum*, &c. quod etiam existimat Lyranus, quando primò scripsit. Tertiò. D. Ambrosius Epistol.56. *Quid, ait, scribebat, nisi illud propheticum.* Ierem.22.num. 29. iuxta Septuaginta: *Terra, terra scribe hos viros, abdicatos*, Quod de Iechonia ad literam dictum est, per quod significabat Dominus Pharisæos esse damnatos. Quartò. Carthusianus ait quod scripserit. *Terra iudicat terram*, idest peccator peccatorem. Quintò. Horum accusantium peccata non voce proferuntur, vt circa alios legimus factum, sed scriptura exarantur indelebiliter, ad eorum æternam damnationem designandam, sed cur tam acerbè erga illos se Dominus habet? Conuenerunt ipsi ad dominum mulierem adducentes, & dicebant. *Moyses mandauit nobis in lege huiusmodi lapidare, tu ergo quid dicis? hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare.* Legem habent in ore, non vt illius obseruantiæ, ac intelligentiæ studerent, sed vt Christum accusarent; meritò ergo rigide Dominus in eos inuehitur, cum legem, quæ erat pro omnium salute data, ipsi in ansam detractionis, & calumniæ inuerterent. Vide cap.17. quæst.1.

49. Hugo. Luxuria semel gustata illecebra relapsus.

Quintò. Hugo Catensis ait: *Dicunt alij quod secundò scripserat pœnitentiam mulieris*, Mulieris pœnitentia in puluere scribitur, quæ facilè leui aura, vel prætereuntium vestigiis obliteratur, cur non potius in marmore, vel in silice ad perpetuam memoriam, & perenne exemplum? O facilis relapsus præsagium, etsi aliorum delictorum pœnitentia, vt valde firma in adamante exaretur, tamen mulieris adulteræ in puluere scribitur; valde periculosa est perseuerantia illius pœnitentiæ, qui libidini indulsit, etsi breui momento ab scortis se abstineat, tamen leui tentationis aura totum aboletur, & ad vomitum redditur: nã semel gustata libidinis voluptas; illecebra est, vt facilè ad luxũ relabatur. Vide infra c.23. q.4.

50. Ambros.

Sextò. D. Ambrosius Epistol.76. *Scribebat in terra, ait, quid? vtique dicens festucam, qua in oculo fratris tui est, vides; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non vides*, Quodnam erat crimen, quod Pharisæi mulieri obiiciebant, & Christus Dominus festucam in præsenti appellat; adulterium nempe Adulterium valde execrabile est nefas apud omnes nationes; quomodo ergo à puritatis magistro festuca appellatur? Circumleptastabat mulier suis accusatoribus omni nequitia, & malitia repletis, & quę alias multo supplicio erat digna, inter scelestos illos quasi munda apparebat.

Ex tirannorum crudelitate mirum apparet peccatum mulieris. 51.

Fugit Dauid à facie. Absalon, quod cum agnouissent Sacerdotes, & Leuitæ portantes arcam fœderis Domini exierunt ei obuiam, vt regem comitarentur: *Et dixit rex ad Sadoc. Reporta arcam Dei in vrbem*, 2. Reg.15.n.25. & postea subditur n.29. *Reportauerunt arcam Dei in Hierusalem*, Cur Dauid tanta necessitate, ac periculo vrgente, non vult secum habere arcam Dei quę totius populi erat tutamen, ac munimen? Theodor. quæst. 30. sic loquitur in persona Dauid: *Non possum*, ait, *mecum circumferre accusatorem. Hinc audio non mœchaberis, non occides: ego venerandam conculcaui legem.* Ipsa arcæ sanctitas, ipsaque lex in ea inclusa Dauidis peccata arguebant, vnde legit potius tanto præsidio carere, quàm suæ iniquitatis habere testem, & proclamatorem.

2.Reg.15. Theodor. *Sanctitas rei vicina arguit iniquitatem.*

Ficulneam habebat vir ille bonus plantatam cum sua vinea, & cum veniret quærens fructus, & non inuenisset, *dixit ad culторem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: succide ergo illam.* Luc.13.num. 7. Cur tam benignus, & clemens Dominus patiens in multa misericordia sic tanto furore exardescit infici arborem, cur in sua ira non interponit maiorem temporis moram; Stabat ficulnea in fertili, & pingui vnica, cuius florentes palmites arborem infructiferam accusabant, & damnabant. Gillebertus Abbas serm.23. in Cant. *Forsitan*, ait, *ficulneam illam sterilem, quam Dominus iussit succidi fertilęs de vicino vineæ condemnabant.*

52. Luc.13. *Approximata fertilitas damnat sterilitatem.* Gillebert.

Ioan.8. num.7. Cùm ergo perseuerent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

Num.8. Et iterum se inclinans scribebat in terra.

VERSIONES.

Græcus n.7. Et erectus ait ad eos.

Vatablus. Quis vestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat.

Arias. Iterum deorsum se inclinãs.

EXPOSITIO IV.

53. VM *ergo perseuerarent interrogantes* Arbitrabantur Pharisæi Christum Dominum responsum differre, eo quod anxius esset quid responderet, nam si mulierem absolueret, legem violaret; si eam condemnaret, suam solitam misericordiam offenderet; ideo insolentes facti Pharisæi tanquam si eum tenerent in captiosa

quæstionem vrgent ad responsum. *Erexit se.* Albertus Magnus: *Iudicis rectitudine.* Hugo: *Iudicans eis vt legerũt quod scripserat,* & ait, ad eos, *Qui sine peccato est.* Vox Græca duo significat. Primò eum qui est impeccabilis, qualis est solus Deus. Secundò eum qui caret peccato, & hoc modo hic accipitur. *Primus.* Deuter.17.numer.7. percipiebatur, *Vt manus testium prima interficiat eum,* scilicet delinquentem, & Pharisæi adduxerant mulierem tanquam testes deprehendentes eam in delicto, & ideo eis mandatur, quod ille, qui sine peccato est primus lapidem mittat. Notant tamen Lucas Burgensis,& alij,quod hæc lex testium non perpetuò videtur obseruata; ideò potest esse sensus:Quis ex vobis,siue sit testis siue non qui immunis est à peccato.*Primus in illam lapidem mittat.* Glossa, Beda,Haymon inquiunt, *iustitia est hac sententia,* ô ineffabilis Dei sapientia committens misericordiam cum iustitia, obstruxit os loquentium iniqua;legem seruauit, mulierem absoluit, & Pharisæos confudit. In eóque vincti sunt, in quo Christum vincere cogitauerunt, nam volentes Christum ostendere contrarium legis,ipsi legis transgressores sunt probati, multis iniquitatibus obstricti.

Alb. Magn. Hugo. Græc. Deut.17. Luc.Burg. Glos. Beda. Haym.

54. Iterum se inclinans, tanquam rediens ad illud suum opus meditatum, à quo eorum importuna interrogatione fuerat reuocatus. Et vt primò ait D.Hieron.lib.2.aduers.Pelagian.cap.6.*Dedit,* ait, *verecundia eorum clementissimus iudex spatium recedendi.* Alcuinus: *Potest intelligi,* ait, *fecisse hoc Dominus iuxta consuetudinem, aut quasi aliud agens, vultu intendens in aliud liberam eis exeunda facultatem daret,* oculos defixit in terra dans spatium, vt absque verecundia recedant. D. Thomas præter hanc alias duas assignat rationes. Primò, ait, *vt ostendat sua sententiæ firmitatem.* Num.23.n.19. *Non est Deus quasi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur,* Quasi innuat Sanct. Doctor, quod Christus suam sententiam scribebat.Secundò, vt ostendat eos sua visione indignos. Vnde cum eos zelo iustitiæ percussisset, non dignatus est eos attendere,sed auertit ab eis faciem.Augustinus sermon.94. de tempore,ait,quod Christus leuauit oculos suos, inspexit terram,& fecit eam tremere;de quo quæst.10.dicam.

Hieron. Alcuin. D. Thom. Num.23. August.

Qvæstio VIII.

Quare Christus mandauit, quòd ille, qui sine peccato esset, primus in mulierem lapidem iniceret?

55. VR,Primus,dixerit, in expositione explicaui, nisi velis dicere, quod ille, qui primus est in aliquo actu, debet quadam pœnitentia cæteros antecellere. Et eum ait lapidem in illam mittat, vt ait Carthus. ad iustitiam, ac obseruationem legis pertinet, quod verò per talem sententiam peccatrix de manu eorum eripiatur,misericordiæ fuit,sicque Christi sapientia laqueos iniquorum dissoluit.Prouerb.21.numer. 31. *Non est sapientia,non est prudentia,non est consilium contra Dominum.*

Carth. Prou.21.

56. Ad quæstionem respondet primò D. Augustinus tractat.33. *O responsio sapientiæ,* ait, *quomodo eos intromisit in se, foris enim calumniabantur seipsos intrinsecus non perscrutabantur. Adulterum videbant, si non respiciebant,* Insultabant Pharisæi super mulierem adultetam, eam accusantes, Christus Dominus sua responsione, *Qui sine peccato,* &c. eos cogit vt in semetipsos intromittant, séque metipsos conciderent, qui enim seipsum introspicit, à multis circa alios se abstinet.

Augustin. *Qui alios accusat, seipsũ consideret.*

57. Ex his soluitur incidens dubium,nam ex dictis Christi:Qui sine peccato,primus in illam lapidẽ mittat, videtur sequi, quod nullus potest munus iudicis exequi, omnes enim homines sunt infirmi,& peccatores,de quo dubio tractat D. Antoninus Vlyssiponen. Sabbatho ante Dominic.4.& missis multis respondeo, quod Christus Dominus hãc sententiam non retorquet in iudices, sed in Scribas,& Pharisæos, qui quasi homines priuati, tanquam magni legis zelatores non valentes aliquem illius transgressorem sustinere, hanc mulierem ad Christum adducebant, vt eum arguerent tanquam dicentem contra legem, vel contra suam solitam misericordiam,tunc præclarè Christus Dominus, qui venerat omnes peccatores saluos facere, in eo reflectit argumentum, acsi diceret: Vos qui tantum gloriamini de custodia legis,vt magni illius obseruatores, qui sine peccato est ex vobis,primus,&c.quod illis obiecit Christus,vt mulierem liberaret,nam si Pharisæi eam condemnassent,Christus illam non absoluisset.

Incidens dubium. Ant.Vlyss.

58. Secundò respondet Carthusianus. Quod cùm Christus dixisset: *Qui sine peccato est primus,*&c. Ideſt, si vultis vt puniatur delinquens secundum rigorem legis, puniatur, & secundum congruum ordinem iuris,decet enim iustitia à iustis exequutioni mandari.D.Ambr. Epist.76. *Quid tam diuinum,* ait, *quàm ista sententia, vt is peccata puniat, qui ipse experti sit peccati, quomodo enim feras alieni ultorem, & proprij criminis defensorem.* D.Cyrillus Alexandrinus l.5.in Ioan.c.16. *Iussit,* ait, *Moyses adulteras lapidari secundum legem; sed ab iis duntaxat,qui sunt obseruatores legis, non prauaricatores. Non enim fas est,neque iura sinunt transgressorem legis ab eisdem trangressoribus vindicari.Non prohibeo lapidari mœchum; sed nolim, id ab iis fieri, qui non minus,quam ipsa, aut grauius legem conculcauerint.* D.Augustinus tract.33.in Ioann. *Audistis,*ait,*impleatur lex,lapidetur adultera:sed numquid in illa lex puniendæ est à puniendis?* Valde indecens est, vt iudex si sit reus,alium eiusdem criminis reum damnet,his admonentur iudices à Christo,vt puram, & innocentem vitam agant.

Carth. Ambr. *Qui alios ex qui ipse sit primò scelere abiicias.* Cyrill. August.

59. Satis notum est, vt patet Numer. 25. num.1. Quod Madianitæ per filias suas prouocauerunt Israëlitas ad fornicationem, ad idololatriã Beelphegor ea intentione, & mente, vt eos postea, vtpote à Deo desertos, vt notant ibi Abulensis, Lyranus, & alij, eos inuaderent, & cæderent; postea verò quatuor, vel quinque annis elapsis, vel etiam plus iuxta varias computationes, quas modò non discutio: Ait Deus Moysi: *Vlciscere priùs filios Israël de Madianitis, & colligeris ad populum tuum.* Numer.31. num.1. Cur hæc vltio non statim sumpta est ex Madiantis, quando tunc scelus perpetrarunt; siquidem sub eo tempore, qui ex Israëlitis deliquerunt statim pœnas exoluerunt, peste, igne, vel alia simili plaga immissa à Deo, vt colligunt Expositores ex illo Numer.25. numer.8. *Cessauit plaga à filiis Israël.* Cur non etiam cõtra Madianitas statim mouetur bellum

Num.25. Abul. Lyran. Num.31. Num.25.

bellum, ad quid illis pœna, & mors differtur? Per tantum tempus vitio Madianitarum dilatata est, donec priùs vltores à peccatis mandarentur. Cùm enim Israëlitæ multo scelere essent coinquinati, interponitur tempus, vt prius ipsi castigentur, ac vindictam contra Madianitas procederent. D. Greg. l. 1. Moral. c. 13. *Ordo, ait, erectionis in bono est: vt primum contranos, postmodum contra erigamus. Contra nos erigimus, quando mala propria recognoscentes, districta nos pœnitentia vltione ferimus.*

Qui alios punit, expiatus fit à crimine. Gregor.

90. Ad pugnam eligit Gedeon bellatores: *Diuisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.* Iudic. 7. num. 16. Et Gedeon contra suos inimicos procedens, eorum reges Oreb, & Zeb, apprehendit, & interfecit. Nouum belli genus, cur primò suos milites non armat gladiis, hastis, sed lampadibus, tubis, ac lagenis, quas mandat confringere, & tunc postea districto ferro inimicos percutit? Omnibus scelerum vendicatorib. dabatur hic documentum, vt priùs se communiant virtutum splendore, bonæque famæ voce, & tunc eximant gladiòs, vt in alios supplicium, ac vindictam exerceant. Hinc Gedeon prius suos milites lucernis exornat, & postea lagenas mandat confringere, in quo aliorum pœna innuebatur, & ideò post fulgorem luminum ad necem se accingit. Philippus Abbas Præmonstraten. Epist. 19. *Video, ait, in tubis, hydriis, & lampadibus pugnantium fortitudinem, quia in tubis figuratur vox hortatoria, & sonora prædicatio Prælatorũ; in confractis hydriis carnis castigatio, & depressio motuum leuiorum: in ostensis lampadibus bona opinio, & forma bene lucens, & illuminans oculos subiectorum.*

Iudic. 7.

Aliorũ effectores virtũ sint expertes.

Philip. Abb.

QVÆSTIO IX.

Quare cùm in alio euentu officium iudicis Christus à se repulerit, illud hìc in negotio adulteræ, agit?

61. VM de paterna hæreditate duo fratres inter se contenderet, & vnus circa hanc rem conuenisset ad Christũ, vt alteri fratri suo imperasset, vt cum eo faceret diuisionem, Christus iudicium à se abiicit dicens: *O Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Luc. 12. n. 14. At in præsenti casu mulieris adulteræ vices iudicis agit, dicens. *Qui sine peccato est primus in illam lapidem mittat.* Vbi Beda. *Ecce iterum iustitia iudicandi.* Glossa, Haymon, & alij inquiunt. Iustitiæ est hæc sententia. Inter duos fratres agebatur de temporalibus bonis. Hinc in eis Christus iudicium non exercet, vtpote ab eo res valde aliena. At in præsenti cum negotium incidisset de remedio huius mulieris, ac de salute eius animæ, non valuit se cohibere diuina pietas absque eo quod subueniret, & auxilium conferret.

Luc. 12.

Beda. Glossa. Haym.

Christus ad temporalia morosus, valde solutus ad spiritualia.

62. Facta est Dei promissio, quod in quacumque hora peccator ingemuerit; exaudietur. Isai. 65. numer. 24. *Adhuc illis loquentibus ego audiam.* Ezech. 23. num. 9. *Ipse inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eum.* Quomodo huiusmodi promissiones compatiuntur cum illa parabola, quam proponit Christus, quod cum amicus quidam alta nocte concurrisset ad ostium sui amici, & pulsans eum excitasset, ac tres panes petisset, quod ei in illa hora quidam hospes superuenerat; tunc ille intus respondit. *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Luc. 11. n. 7. Cur modò tot difficultates in dando interponuntur, cum homini contrito tanta diligentia adsit diuina benignitas? In parabola petuntur panes, at in contritione salus animæ exquiritur; & si in largitione panis, ac temporalium mora interfit, difficultatésque obiiciantur: At in spirituali remedio animæ, vt per contritionem mundetur, sine vlla dilatione, valde festinanter præsto adest Dei clementia condonans peccatum, & suam gratiam dans, & communicans, qua mirificè animam condecorat, ac locupletatur.

Isai. 65. Ezech 33.

Luc 11. *Deum multũ festinare ad spiritualia, morosum ad bona temporalia danda.*

63. E contra verò homines huius sæculi, vt se se terrenis committant, omnia illis apparent præuia, & facilia; at verò vt se spiritualibus tradant, multa obstacula, ac contrarietates se se illis opponunt, quibus retardantur ne de salute animæ suæ agant; Cùm ob murmurationem cõtra Dominum serpentum morsibus multi e populo perirent, ex Dei mandato fecit Moyses serpentem æneum, *& posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. n. 9. Serpentis aspectui nullus ex populo contradicit, nullúsque in eo aliquid inuenit quod ei displiceret, sed omnes magno applausu approbant, ac certatim oculos ad serpentem erigunt. Exaltatur filius Dei in cruce pro omnium salute. Tunc ait Paulus: *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia,* 1. Cor. 1. n. 23. Valde mirum, quòd serpens patibulo affixa omnibus placuit, omnibúsque bene visa est; At filius Dei crucifixus quibusdam fuit scandalum, aliis stultitia. Quod notans D. Ephrem ait, *Serpentem adorant, Christum auersantur, propter serpentem crucem colunt, & crucifixum Christum non adorant.* In serpentis aspectu temporalis vita in columnis inerat, inde omnibus plausibilis, ac grata visa est; at verò ex Christo crucifixo vita, & salus omnium spiritualis manabat, cuius vbertatem homines non agnoscentes quibusdam fuit scandalum, aliis stultitia.

Homines de bono temporali, non de spirituali agunt. Num. 21.

1. Cor. 1.

Ephrem.

Ioan. 8. n 9. Audientes autem vnus post vnum exibant incipientes à senioribus: & remãsit solus Iesus, & mulier in medio stans.

VERSIONES.

Græcus. Audientes autem à conscientia redarguti.

Arabicus. Cùm audissent hæc, ex eo intelligẽtes ignominiam cœperunt exire.

Vatabl. At illi audientes hæc singulatim alius post alium exibant initio facto à senioribus.

Pagn. Arias. A senioribus vsque ad extremos, & relictus est solus Iesus.

EXPOSITIO V.

64. Græcus. AVDIENTES *autem.* Scilicèt ſupradicta Chriſti verba, vt habet Græcus: *à conſcientia redarguti*, qua vnuſquiſque ſe bene agnoſcebat non eſſe immunem à peccato, imò fortè in eis, quæ Chriſtus ſcripſerat, & legebat, maximè de ſuis ſceleribus confuſi, adulterã damnare non audientes. D. Auguſt. tract. Auguſt. 33. in Io. *Attendentes ſe*, inquit, *& abſceſſu ipſo confeſſi de ſe*, Imò & timentes ne Chriſtus vlterius pergeret, & eorum peccata argueret, vt fecit Matth. 23. n. 15. *Vnus poſt vnum*, ſeu, vt legit Vatablus *ſingillatim exibant*. Hugo. Secũdùm quod ſucceſſi jè fortè legerant Scripturam; ſimul venerũt, ſed diſperſi recedunt; aptius explicandum videtur, quod ſingillatim, & non ſimul, ne victi, atq; confuſi fugere viderentur, ſed ſenſim quaſi quiſque ſuo conſilio, ac nutu recederet; Hæc autem intelligimtur de omnibus accuſatoribus, etiam Auguſt. de adulteræ marito, ſi aderat. D. Auguſt. Epiſt. 54. *Puto* ait, *quod hæc ſententia Domini audita, ſi præſens fuit etiam maritus ipſe, qui violatam ſui thori fidem vindicari poſtulabat, exterritus, animum ad voluntatem parcendi, ac vlciſcendi capiditate deflexit.*

65. Pagnin. Arias. *Incipientes à ſenioribus.* Addunt Pagnin. Arias: *Vſque ad extremos*, Nam vt ſenes, vtpote prudentiores maiorem confuſionem, ac verecundiam ex Chriſti verbis perceperunt. De quo quæſt. 11 *Remanſit ſolus Ieſus*, ſeu, *relictus eſt ſolus*, rectè notarunt D. Antonius Vlyſſippon. ſabbatho ante Anton. Vlyſ. Carthuſ. Caietan. Hugo. Domin. 4. Carthuſianus, Caietanus, & Hugo, qui ait: *Remanſit ſolus Ieſus abſque Phariſæis, non tamen diſcipulis, dicto excluſiua non excludit, niſi contrarios Ieſu, ſcilicet Scribas, & Phariſæos*, Remanſit ſolus Ieſus abſque mulieris nempe accuſatoribus, & ſui calumniatoribus; tamen remanſit cum ſuis diſcipulis, ac multo populo, qui aderat ſtipatus. Moraliter abeuntibus cæteris manet Ieſus cum duodecim Apoſtolis, ac Septuaginta duobus diſcipulis, & ſolus manere dicitur, tam arcta, & intima vnio erat inter Chriſtum, & ſuos diſcipulos, & ita ipſe cum ſuis diſcipulis vnus erat, & diſcipuli cum eo, quaſi Chriſtus vnum cum diſcipulis compotetur, & cum abſque Phariſæis cum eis remanet, dicitur quod ſolus relictus eſt, vel *dicto excluſiua non excludit niſi contrarios Ieſu, ſcilicet Scribas, & Phariſæos.* Sic Chriſtus calumniatores expectat, ac exambit, ſic perſecutiones præcupit, vt in magno tuorum comitatu, abeuntibus eius aduerſariis, & perſecutoribus Phariſæis, & Scribis ſolus remanere dicatur. *Et mulier in medio ſtans.* Verecunda, & gemebunda expectans Chriſti ſententiam.

Iuſtus vnio inter Chriſtum, & ſuos diſcipulos.

Ieſus præcipit perſecutiones.

QVÆSTIO X.

Quare Phariſæi, & Scribæ, qui mulierem victam adduxerant, ea tamen relicta abeunt, & recedunt?

66. *Ratio diſcutienda.* MIRVM eſt, quòd Scribæ, & Phariſæi ſecum ferentes mulierem adulteram cõprehẽſam, ſic tamẽ abſceſſerunt, vt nec eam ſecum referant, nec amplius de ea, ac eius damnationis ſententia cõgitent, ex quonam principio hæc vis orta eſt, ex qua ſic abire feſtinarunt? D. Auguſt. ſerm. 94. de tempore ait, quod Chriſtus *leuauit oculos ſuos, & inſpexit terram, & fecit eam tremere; At illi compuncti tremefacti ſunt, & vnus poſt alterum receſſerunt*, ſententia magni Patris veneranda; tamen ipſemet Auguſtinus receſſum Scribarum, & Phariſæorum præcipuè Domini voci adſcribit, vt dicam in hac quæſt. Auguſt.

Reſpondet primò Beda: *Nemo peccatricem fœminam damnare auſus eſt, quia in ſe cernere cœperunt ſinguli, quod magis dãnandum cognoſcerent*; efficacia virtutis Chriſti viderunt iſti in ſe ſcelera ſua, & multa confuſione, ac ignominia conuicti, Chriſti aſpectum non ferentes, qui mulierem victam adduxerant, eam liberam relinquentes reddunt. 67. Beda. *A propria conſcientia conuincuntur.*

Secundò. D. Ambroſius Epiſtol. 8. *Denique diſcedentibus illis*, ait, *remanſit ſolus Ieſus, & mulier in medio ſtans. Donatum peccatum, ſolus Ieſus remanet, ſicut ipſe ait, Ecce venit hora, & iam venit, diſpergimini vnuſquiſque in ſua, & me ſolum relinquatis. Solus remanet, quia non poteſt hoc cuiquam hominum, cùm Chriſto eſſe commune, vt peccata condonet.* Cùm mulier accuſator, vt pœna, ac ignominia afficiatur, aſtant Scribæ, Phariſæi; at cum venia, & ſalus reis ſit impendenda, ac procuranda, ne pereant, nullus alius interuenit, ac reperitur niſi ſolus Ieſus, à cuius bonitate, ac miſericordia venit, vt homines non in interitum, ſed in ſalutem veniant, & quantò maior eſt miſeria hominis, tanto magis mouetur Diuina clementia ad pietatem, ac indulgentiam. D. Auguſtinus in præſenti: *Relicti ſunt duo*, ait, *miſeria, & miſericordia*, Quia nimirum, *Abyſſus abyſſum inuocat.* Abyſſus peccatorum mulieris inuocabat abyſſum miſericordiæ & pietatis Ieſus. 68. Ambr. *Solus, & vera non ab homine, ſed à ſolo Ieſu venit.*

Tertiò. D. Auguſtinus tract. 33. *Vox iuſtitiæ eſt*, ait, *puniatur peccatrix, ſed non à peccatoribus. Impleatur lex, ſed non à prævaricantibus legem. Hæc vox omninò iuſtitiæ eſt: qua iuſtitia illi, tanquam trabali telo, percuſſi, ſeſe inſpicientes, & reos inuenientes vnus poſt vnum omnes receſſerunt.* Audita Chriſti voce, *qui ſine peccato eſt*, &c. ſeipſos multis criminibus infectos agnoſcentes, vices iudicis exercere non audent, ille enim, qui ob eadem, quæ agit, alterum damnat, iam ſe à iudicis munere deponit, & reum conſtituit, ipſa enim opera eum reum declarant, & demonſtrant. 69. Auguſt. *A iudicio vltro ſe deponit ille, qui talia, qua punit, agit.*

Aduerſus Iehu clamat Deus per Oſeam 1. n. 4. *Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrael ſuper domum Iehu.* Viſitabo, Syrus habet *Vlciſcar.* Magna hic inſurgit difficultas. Iehu ex Dei iuſſu per Parẽtem Eliſæum miniſterio vnius filij Prophetarum 4. Reg. 9. num. 6. Achabi, & Iezabelis, ac filiorum eius ſanguinem apud Iezrael, vt explicant Haymon, Albertus, Hugo, Sanch. & Cornel. profudit; quare ergo pro morte impio Achab, ac cæteris inflicta, & pro eorum ſanguine effuſo denunciatur vindicta ſumenda ex Iehu? Creatus eſt à Deo Iehu rex, vt domum Achab ob eius iniquitatem, & idololatriã occideret ac ſpeliret in valle Iezrael, ille verò tam ſeueræ vltionis miniſter, non eſt veritus in eundem lapidem ſe impingere, eadem idola colere, ac ſimilem iniquitatem perpetrare; cum ergo ille in eodem crimine eſſet cum illis, quos puniebat, tantum diſtabat à debito recti iudicis, & miniſtri munere, vt ſimili pœna tanquam eiuſdẽ criminis reus fuerit à Deo caſtigandus. Ruffinus lib. 1. in Oſeam: *In Iehu poſteros qui ex Achab familiam deleuerat, idèo dicitur ira conſurgere: non quod cades fuiſſet iniuſta: ſed quoniam, qui illam feciſſent, per imitationem criminum. deum* 70. Oſe. 1. Syr. 4. Reg. 9. Haym. Alb. Hugo. Sanch. Cornel. Ruffin. *Iudicium exuit qui committit crimina, quæ punit.*

iudicum

iudicum perdidissent. Expende pro nostro instituto vltima verba.

71. Quartò. Scribæ, & Pharisæi veluti iustitiæ ministri, & quodammodo specie zeli legis hanc mulierem comprehensam adduxerant, eam tamen modò solutam relinquunt. Christus iuxta D. Ambros. ac alios Patres, vt dixi suprà, quæst. 7. in terra eorum peccata scripsit; quamuis fortè zelo legis hanc peccatricem fœminam Scribæ attulissent, tamen cùm Christus Dominus eos pungeret particulariter, eorum crimina eis obiiciendo statim ab iuncto sui muneris onere obliuiscuntur, sunt enim multi ministri, qui licet multum zelum pertendant, si tamen alienis eorum peculiaria momordit statim omnem sui officij obligationem prætermittunt, & contemnunt, vt sibi consulant, suisque attendant.

Ambr. *Adulti sui Muneris obligationem omittunt, vt sibi consulant.*

72. In sacerdote Heli legis zelus vigebat, nam cùm audisset arcam Dei captam esse, de sella retrorsum cecidit, & mortuus est; communiter tamen culpatur, quòd deses extiterit in reprehendendis filiis suis ob sacrilegia, quæ committebant in templo, tamen ex scriptura constat, quod eos reprehenderit: eis enim dixit: *Quare facitis res huiusce modi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio.* 1. Reg. 2. n. 23. Ecce aperta est reprehensio, in quo ergo deliquit? Petrus Damianus lib. 1. Epistol. 6. ad Nicolaum Pontificem. *Heli filios quidem,* ait, *redarguit, & corruit, sed lenitate, ac mansuetudine Patris, non seueritate, & auctoritate Pontificis; & quos inimicos Dei, vidit in perniciem suam filios recognouit.* Heli Dei zelum habebat, & vt vidit filios suos contra Deum delinquentes; *Nolite filij mei,* tanquam suos, ac filios suos corripuit, sed multa blanditie, ac ignauia. Heli simul erat Pater, & iudex, in redarguendis filiis recordatus est, quòd esset Pater. *Nolite filij mei,* & oblitus est muneris, ac seueritatis iudicis; & minister, qui quamuis multo zelo exardescat, tamen in suæ functionis rebus, oculos potius coniicit ad consanguinitatem, amicitiam, ac cognationem, quàm ad suam iniunctam obligationem, non persistet in munere, sed ab illo cadet, & deturbabitur, vt factum legimus in Heli.

1. Reg. 2. Damian. *Qui ob cognationem carnis eam sui muneris reliquit, periit.*

QVÆSTIO II.

Quare audita Christi sententia primi, qui recedunt, sunt seniores?

73. Ratio difficultatis. VIT Euangelista, quod auditis Christi verbis, *qui sine peccato est,* &c. *Vnus post vnum exibant incipientes à senioribus.* Quæstio inquirit, cur senes sunt primi, qui recedunt, & non potius iuniores, vel etiam turba populi, nam hæc facilè qualibet re mouetur.

74. Ambr. Rupert. Respondent primò Diuus Ambrosius Epistola 58. *Vel quod,* ait, *ipsi plura habuerent crimina, qui diu vixerant, vel quia priores vim intellexerunt sententiæ, quasi prudentiores.* Et Rupertus hic. *Seniores,* ait, *primum persenserunt responsum validum, & inexpugnabile esse quod calumniari nequirent, vtpote ad intelligendum perspicaciores, idcirco primi loco cesserunt.* Quæ verba altius sunt præmeditanda.

75. Primò exierunt senes. Primò, vt ait Diuus Ambrosius, *quod ipsi plura haberent crimina.* Ob longiorem vitam maioribus criminibus inficiebantur, frequenter in creatis antiquitas multis erroribus sordet. Sic Danielis 13. numero 52 Susannæ accusatores appellat; *Inueterate dierum malorum.* Vel secundò senes primi recedunt, vt qui in vitæ emendatione alacriores esse debeant. Prædicata pœnitentia à Iona in Niniue ciuitate 3. num. 5. *Vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* Diuus Hieron. *ibi maior ætas incipit, & vsque ad minorem pertenuit.* Cùm enim negotium esset de vitæ emendatione, ac morum reformatione, seniores dant exordium. Daniel. 13. *Senes in vita emendatione alacriores.* Ioan. 3. Hieron.

Tertiò. Quia senes vtpote prudentiores vim sententiæ Christi priores intellexerunt, valdè enim senibus prudentia germana est. Diuus Hieronymus in Ecclesiastes 10. numero 6. *Væ tibi terra.* Sic ait. *Lege Danielem* 7. numero 9. *Vestitum dierum inuenies Deum. Lege Apocalypsim.* 1. numero 14. *Et caput saluatoris candidum, vt niuem reperies.* Cur tantis Scriptura Deum in habitu senis exprimit, ac repræsentat? vt ipsa senectute eius summa prudentia, ac sapientia denotetur, ac monstretur. 76. *Prudentia in senibus.* Hieron. Daniel. 7. Apoc. 1.

Ioan. 8. *n.* 10. Erigens autem se IESVS, dixit ei: Mulier vbi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnauit.

Num. 11. Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem IESVS: nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare.

VERSIONES.

Pagnin. Arias num. 10. Erectus IESVS, & neminem spectans præter mulierem, dixit ei: Vbi sunt illi accusatores tui?

D. Ambrosius. Nemo te lapidauit.

Vatablus n. 11. Dixit autem IESVS. Nec ego te condemno.

Græcum. Nunc ne amplius pecces.

Arabicum. Vade, & ex nunc ne reuertaris ad peccatum.

D. Ambrosius. Vade, & amodò vide, ne pecces.

EXPOSITIO I.

77. ERIGENS *se autem Iesus.* Eleuans in illam suæ misericordiæ oculos, qui lingua iustitiæ a fuertarios expulerat. Præclarè D. Augustinus tractatu 33. in Ioannem. *Quia illa audierat,* ait, *qui sine peccato est, prior in illum lapidem mittat, ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inuenire non potera.. Ille, qui aduersarios eius repulerat lingua iustitia, leuans in eam oculos mansuetudinis, interrogauit eam.* Ecce quantum nostrum captum diutna superat pietas, mulier ex auditis Christi verbis, timebat ab ipso lapidari, qui sine peccato est, ab ipso tamen misericordiam obtinuit? *Mulier vbi sunt, qui te accusabant?* Optimè sciebat Christus vbi illi essent. Interrogat eam tamen, vt mulier ipsa interrogatione pronocata clarè, & apertè cognoscat suum benefactorem, cuius iustitiæ lingua eius accusatores abigere fecerat. Dein- August.

de vt fiat omnibus euidens, quod valet eam dimittere, cuius accusatores incœpta causa dimiserant. *Nemo te condemnauit*, vt fiat notorium, quòd cùm nullius sententia sit mulier damnata, liberum esset ei eam absoluere.

78. *Qua dixit. Nemo.* Nullus Scribarum, & Pharisæorum mortis sententiam in eam dixerat, ad hoc adduxerant eam ad Christum, vt ipse in eam proferret sententiam. *Nemo.* Quia nullus immunis à peccato eam ad lapidandum se obtulerat, sed omnes suo recessu se peccatores confessi sunt. *Nemo.* Cùm mulier multos contra se haberet accusatores, qui eam vt morte dignam conclamabant, tamen eos neminem dicit; nam illi mulieris infamatione, ac depressione se se sublimare volebant, & qui talis sunt ingenij, meritò tanquam neminem reputat prudens fœmina. *Domine.* Honoris vocabulo eius beneuolentiam sibi mulier conciliare intenrat, ne ab ipso damnetur. Cardinalis Hugo ait, quòd mulier credidit, cùm Christum Dominum professa sit.

Qui alterius depressione se vult nobilitare, idem est ac nemo.

Hugo.

79. *Nec ego te condemno.* Græcè de præsenti. *Condemno*, etsi Pharisæi recessérint conscientia remordente, ego tamen, qui immunis sum ab omni peccato, & vt omnium iudex, qui te poteram condemnare, nolo tamen, quia veni non vt iudicem mundum, sed vt saluem. Ioannis 3. numero 17. *Vade.* Libera nempe ab omni culpa, & pœna, vt dicam ad initium quæstionis sequentis nullam mulieri iniungit pœnitentiam, dona Dei sunt vndique perfecta, & absoluta; sed tantum caucre præcipit à futuris. *Noli amplius peccare.* Non solum illi prohibet adulterij peccatum, sed etiam quodcunque aliud. Imò non solum peccatum prohibet, sed etiam voluntatem illius, ideo ait: Noli peccare.

Græc.

Ioan. 3.

Qvæstio XII.

Quare tam plenariè Christus mulierem absoluit ab omni culpa, & pœna?

80. VAt Christus Dominus dixerit mulieri. *Vade.* Eam dimittit liberam ab omni peccato. Nam interius illi inspirauit contritionis actum, per quem meruit mulier iustificari. Et cùm etiam illi dixit. *Vade*, eam dimittit liberam ab omni mortis pœna, nam vt supremus Dominus eam illi relaxauit, ac sua diuina virtute repressit Iudæos, ne in mulierem quid amplius auderent. Pro hac sententia sunt Diuus Ambrosius Epistola 76. & hîc Beda, Diuus Thomas, Lyranus, Carthusianus, Iansenius, Toletus, Barradas, & alij. Pro quo eleganter ait Euthymius. *Satis erat coram tot aduersariis erubescentia pro supplicio, maxime, cùm sciret, quod illam toto corde pœniteret.* In viro nobili erubescentia æquiualet mortis supplicio.

Mulier libera à pœna, & culpa.

Ambr. Beda. D. Thom. Lyranus. Barrad. Euthym.

Erubescentia pro pœna.

81. Ad quæstionem respondet primò Diuus Ambrosius, Epistola 58. *Non damnat*, ait, *quasi redemptio, corrigit quasi vita, quasi fons abluit.* Ratio à priori huius rei est diuina misericordia, & pietas, Christus Dominus ipse erat redemptio, & propitiatio pro peccatis nostris, ideò mulierem non damnat, sed absoluit; erat vita, inde mulierem non perimit, sed corrigendo viuificat in vitam, & cùm Christus sit fons eam mundat, & lauat ab omni inquinamento. Et maximè notandum. Quòd Scribæ, Pharisæi pleni malitia, & vasa iniquitates mulierem accusant, & damnant: Iesvs filius Dei, in quo non est peccatum, nec dolus, eam absoluit, & liberat.

Ambr.

Pharisæi condemnãt, Iesus absoluit.

Secundò, D. Helredus serm. 2. in Isaiam. *Vnus post vnum exierunt.* Scilicet Pharisæi, ait, *cum sola misericordia solam miseram relinquentes.* Mulier erat tacens, & nil pro se rogat. Scribæ, & Pharisæi multis contra ipsam proclamabant. *Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.* Et tamen mulier absoluit, & misericordiam impetrat. Vnde hoc? Præsentata erat illa Christi oculis; & sufficit misero, si per se ipsum miserationum pelago astet. Vehementius clamabat erga Christum miseria tacentis mulieris, quàm voces Scribarum accusantium. *Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare.*

82. Helred.

Ipsa miseria vehementissime clamat ad Deum.

Tertiò. D. Ambrosius Epistol. 76. *Aduerte*, ait, *quomodo propriam sententiam temperauit, vt Iudæi de mulieris absolutione calumniari nihil possent, sed in se magis calumniam retorquerent, si quari vellent. Dimittitur enim mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, non quia innocens probatur. Quid ergo quærerentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij desliterant?* Cum mulier hic à Christo dimittitur, videtur, quod detur occasio Iudæis Christum accusandi, nam cum ipsi audirent, vel viderent adulteram a Christo dimissam, eum vt diuinæ legis transgressorem arguunt. Alta Dei sapientia os obstruitur illis, nihil enim Iesvs in hoc fecit, quod ipsi prius non fecissent; Prius illi à damnatione se abstinent, ac mulierem adulteram liberam dimittunt, & tunc post illos Iesvs mulierem dimittit, ac abire iubet, quo rerum ordine eorum venenosa lingua refrænatur; quis enim in aliis condemnet, quod prius ipse fecit? *Quid ergo quærerentur, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicij desliterant?*

83. Ambr.

Particeps criminis eius dem reum damnare non potest.

Quartò. D. Ambrosius proximè citatus. *Dimittitur mulier, non absoluitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur.* Liberatur mulier non quia non peccauerat, sed quia accusator deerat, vt nullam inde Iudæi accusandi Christum haberent euasionem; nam prius ipsi ab accusatione discedentes dimiserunt mulierem. *Vbi sunt, qui te accusant? Nemo Domine.* Et tunc Christus eam abire mandauit. Hanc rationem literalem existimant Toletus, Lucas Burgensis, Cornelius, & alij.

84. Ambr.

Dimittitur mulier, quia deerat accusator.

Toletus. Lucas Burg. Cornel.

Quintò. D. Petrus Chrysologus serm. 49. illudens, quòd Iudæi pertinaci inquisitione Christi dicta, & facta discutiebant, ipse circa crimen mulieris adulteræ nil inquirit; sic ait sanctus Pater. *Iudicatur hic solus*, scilicet Christus, *qui solus iudicare noluit ne puniret: improba fœcritate discutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit: cum solus innocens inuenerit omnes reos, ad iudicium pietatis immensa suscipere maluit, quam rogare sententiam.* Valdè extraordinaria, ac contentiosa inquisitione Iudæi opera, ac verba Christi timabantur, ac inuestigabant; *Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Ioan. 7. Præsentata hac muliere adultera Christus nihil de eius crimine, ac circunstantia exquirit, nec testes adduci, nec eorum numerum, ac qualitatem examinat, nec perscrutatur, an esset assueta, vel prima vice prolapsa; Iudæi tam nimia contentione facta Christi timantur, quia volebant iudicare, volebántque

85. Chrysol.

Vt veniam Christus largiatur, nil scrutatur.

cum

eum condemnare, at Christus Dominus decreuerat mulieri indulgentiam concedere; *Qui vt largiretur veniam, nil quæsiuit.* Qui damnare intentat multus est ad inquisitionem, quam prætermittit, qui indulgentiam concedere disponit.

86. Sextò. Mulier, licèt nihil ore protulerit, tamen vbi comprehensa est, statim rubore vultus, verecundia faciei, sua taciturnitate, ac multa compunctione, qua tacendo crimen confitebatur, veniam promeruit. Diuus Ambrosius in Psalm. 37. *Plurimum*, ait, *suffragatur reo verecunda confessio; & pœnam, quam euitare non possumus, pudore subleuamus.* Ex quo colligo rationem, ob quam Achan licèt suum crimen confessus sit; *Verè ego peccaui Domino.* Iosue 7. numero 20. lapidatur a populo. *Lapidauit eum omnis populus Israël.* Et tamen hæc mulier, quæ tali pœna erat obnoxia, liberatur. Nam Achan licèt peccatum confessus sit, tamen valde morosus fuit in illo propalando, & inde tantæ pœnæ reus est factus. Rupertus in Iosue, cap. 11 *Confitendo respondit*, ait, *verè ego peccaui Domino Deo Israël, & sic feci; non tamen vllam meruit veniam debuit, quia videlicet confessio nimium tarda fuit.* At verò hæc mulier in culpa non perseuerauit, sed quantum colligimus statim vbi comprehensa est, sua verecundia, qua non audebat loqui, sine mora crimen fatebatur: supplicium autem, quod obdurata pertinacia in occultando delicto vindicauit, festina criminis protestatio sustulit, ac diluit.

Ambr. *Verecundia sublenat pœnam.*

Iosue 7. *Festina confessio veniam obtinet.*

Rupert.

87. Septimò. Mulier per vehementem dolorem, ac ingentem contritionis actum ei à Christo interius infusum promeruit obtinere veniam, non solum sui peccati culpæ, sed etiam illius pœnæ, vt est satis probabile; felix mulier, quæ talem nacta est iudicè, vt in iustitia, ac veritate iudicaret; hoc tanquam magnum beneficium celebrat Diuus Ambrosius serm. 1. de Susanna, in hac sancta fœmina, quæ ob sui pudicitiam promeruit à Deo sanctum Danielem sui iudicem, cap. 13. num 45. cuius probitate de vtili sententia secura, & certa erat Susanna, de qua hîc loquitur sanctus Doctor. *Multum de Deo pudicitia consequitur, cum iudicem virginem promeretur: Secura est enim de victoria Castitas, cui est iudicatura virginitas.*

Ambr. Daniel. 13. *Magna felicitas bonum habere iudicem.*

88. Idem D. Ambrosius serm. 2. de Susanna præclarè notat, quod Christus, & Susanna comprehenduntur, ac in iudicium trahuntur, Susanna dum de adulterio obiurgat senes, ipsa tanquam adultera retinetur: at Christus dum de sacrilegio arguit Pharisæos, ipse tanquam sacrilegus accusatur vterque falso crimine ducitur. Tamen Susanna absoluitur, Daniel. 13. num. 60. Christus verò condemnatur. Pulchrè Diuus Ambrosius *Similis erat in vtraque causa iudicij, nisi quod meliore vsa est iudice Susanna, quàm Dominus. Hunc enim Prases indicat, hanc Propheta.*

Ambr. *Ob disparitatem iudicis Susanna absoluitur, Christus condemnatur.* Daniel. 13.

QVÆSTIO XIII.

Quare Christus dixerit mulieri: Noli amplius peccare?

89. COmmendat Dominus mulieri vt peccatorum relapsum caueat; pro quo audiendus est Diuus Cyrillus lib. 5. cap. 17. *Mulierem absolutam iubet Dominus abire, id solum ei iniungens, quod à modò sibi à peccato caueret, & ne in priora relabatur mala, summo studio vigilaret. Num relapsus in agritudinem periculosior esse solet, & exitio propior, quàm prior lãguor. Et quos prima valetudo aduersa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio substulit è vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præterita vitæ sordes redditur.* Quòd multis exemplis confirmat citatus Cyrillus. Vxor Lot retro respiciens, *Versa est in statuam salis.* Genes. 19. num. 26. Cur non quando habitat in Sodomis, sed quando ad illam coniicit oculos? vt hoc documento instruamur grauiùs puniri relabentem in peccatum, quàm in ipsum primò cadentem. Citatus Cyrillus. *Inde sumendum nobis esse exemplum ne ad deplorata reuertamur peccatorum illecebras.*

Cyrill. *Facilius remittitur peccatum quàm illius relapsus.* Gen 19. Cyrill.

Semel mittebat lapides contra Dauid, & eum pessima maledictione detestans, dicebat: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.* 2. Regum 16. numero 7. tamen à Rege veniam obtinuit; postea verò negligens mandatum Salomonis exiens ab Ierusalem morte damnatur. 3. Regum. 2. numero 36. Cur in primo delicto habuit veniam, non in secundo? cùm tamen primum ex suo obiecto esset grauius, importabat enim rebellionem, iniuriam, odium, & contumeliam, ac scandalum in regem; at verò in secundo crimine ad excusandum extabat excusatio; ne suos seruos fugitiuos pateretur. Vnde ergo tanta hîc pœna? Quamuis secunda culpa ex obiecto esset leuior tamen ex relapsus circunstantia duriori supplicio punienda fuit. Citatus Diuus Cyrillus. *Quid aliud*, ait, *nobis hic Semei casus innuit, nisi timendam esse, & grauiter formidandam Dei iram, si iterum, atque iterum eadem perpetremus flagitia?*

90. 2. Reg. 16. 3. Reg. 2. *Culpa ex relapsu grauior.* Cyril.

Secundò. Diuus Augustinus tractatu 33. in Ioannem. *Nec ego te condemnabo: quid Domine? fanes ergo peccatis? Non planè ita: attende quod sequitur, vade, deinceps iam noli peccare; ergo Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem.* Duo erant in muliere ista, natura, & culpa; vtrumque poterat Dominus condemnare: naturam, si iussisset mulierem lapidare; culpam, si nõ absoluisset. Poterat, & vtrumque absoluere, si dixisset, vt ait Diuus Thomas. Vade, viue vt vis, esto de mea liberatione secura; ego, quantuncunque peccaueris, etiam à gehenna, & ab inferni tortoribus liberabo; sed iustus Dominus naturam absoluit, *nec ego te condemnabo*, peccatis verò non fauens, illa enim damnauit: dicens; *Noli amplius peccare.* Pergit citatus Diuus Augustinus. *Dulcis, & rectus Dominus.* Psalm. 24. numero 8 *Ama quod dulcis est, time quod rectus est.* Vt dulcis pepercit mulieri, vt rectus prohibet peccata, ne in noua incidendo maiorem pœnam incurrat.

91. August. D Thom. *Christus absoluit naturam, condemnat verò pœnam.* August. Psalm. 24.

Tertiò. Hugo Victorinus lib. 1. Miscellan. 2. tit. 19. *Venit ergo*, ait, *Iesus, & ita se omni mansuetudine exhibuit, vt peccatricem animam septem dæmoniis adulteram de manibus lapidantium eriperet.* Perpende *septem dæmoniis adulteram.* Mulier solo de adulterij crimine accusabatur, & tamen absolutè ait illi Christus Dominus. *Noli peccare.* Quod de omni peccato intelligitur, si tantum de adulterio agebatur, cur de omnibus peccatis admonitionem das Dominus? In vno enim adulterij, ac lasciuiæ crimine omnia peccata tanquam in compendio continebantur: *septem dæmoniis adulteram.* Per septem dæmonia omnia vitia denotantur, quæ enim luxuriæ erat dedita, omni vitio, ac turpitudine laborabat. Pro causa Dauidis. *Iratus autem Saül*

92. Hug. Vict. *In lasciuia omne vitium claudatur.*

Saül aduersus Ionathan dixit ei; fili mulieris vlcro virum rapientis. 1.Reg.20.num.20. Id est filij meretricis, ac lasciuæ fœminæ, vt communiter explicant expositores Lyranus, Caietanus, Abulensis, Sanchez, Cornelius, & alij. Pagninus ex Hebræo vertit, *filij peruersæ rebellionis.* Et sicut in vna peruersa rebellione omnia mala inuoluuntur, sic cum vna luxuriante fœmina omnia vitia defluunt.

1.Reg 20. Lyran. Caietan. Abul. Sanch. Cornel. Pagnin.

93. Cùm Abrahamus prope esset, vt ingrederetur Ægyptum, & agnouisset Saram esse pulchertimam, ait ei; *Cùm viderint te Ægyptij, dicturi sunt, uxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt,* Genes.12.numero 12. Cur Abrahamus ab Ægyptiis timet mortem, cùm nullam iniuriam, ac crimen erga eos commisisset? agnoscebat illos Patriarcha libidine infectos, inde meritò ab eis homicidium, ac omne malum pertimescebat. Sapiéter astruit Gildas libro de excidio Britanniæ. *Auditur fornicatio*, ait, *qualis nec inter gentes, non solum verò hoc vitium, sed & omnia, quæ humanæ naturæ accidere solent.* Et Diuus Damascenus lib. Gomorrhiano siue Opuscul.7.cap.20. *Non à sano intellectu abhorrere meritò creditur, si quòd dictum manus vestræ plena sunt de pelle immunditiæ dictum esse videatur.* Vide tom.2.cap.5.quæst.39. numero 257. 258. & tom.3. cap.15. quæst.5. numero 37. & 38.

Gen.12.

Ex animo luxuriante omne malum timendum. Gildas Damasc.

Caput XVI.

Disputat JESVS cum Iudæis.

Ioan.7. n.12. Iterum ergo locutus est eis Iesvs, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Num.13. Dixerunt ergo ei Pharisęi: tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.

VERSIONES.

Marius Victor. Ergo sum lumen mundi.
Affric.lib.1. contra Arium.

Arabicus. Deinde locutus est eis Iesvs iterum.

Syriacus. Qui post me venit, non ambulabit in tenebris, sed inueniet sibi lumen vitæ.

Vatablus. Nequaquam ambulauerit.

Arias n.13. Tu de te ipso testaris.

EXPOSITIO I.

1. *Connexio cum præcedentibus.*

IRÆSENS Domini sermo cum antecedentibus dupliciter cõnecti potest. Primò cum præcedenti absolutione de adultera, vt Glossa D.Anton. Vlyssiponens. in sabbatho post Dominic.4. Quadragesi. Diuus Thomas, Carthusianus. Dixerat Dominus mulieri, absoluens eam à crimine: *Nec ego te condemnabo. Vade in pace.* Et quia dubitare poterant quomodo ipse peccata dimitteret, apertius explicat Diuinitatis suæ potentiam, dicens se esse lucem non creatam, sed increatam, totius nempe mundi, qui peccati tenebras potest depellere. Secundò continuatur littera. Cum Diuo Chrysostomo, Theophylacto, Leõtio, Ammonio, & etiam diuo Thoma, ac diuo Bonauentura. Dixerunt Pharisæi suprà, c.7.n.52. Nicodemo antecedenti die. *Scrutare scripturas, & videbis, quòd à Galilæa Propheta non surgit.* Negabant esse eum Prophetam, vtpote Galilæum, ad quod alludens Christus, cùm venisset diluculo in templum, sedens docebat eos, vt dicitur hoc c.8. n.1. se nempe esse lucem vniuersalem, non Galilææ, vel Palęstinæ, seu Iudææ, sed totius mundi. Hunc sermonem Scribæ, & Pharisæi venientes cum muliere adultera interruperunt, finita quæstione cum eis, dimissáque muliere, suum sermonem inceptum prosequitur Dominus. In hac sententia sunt Recentiores, Toletus, Lucas Burgensis, Cornelius: fauet illa dictio in textu, *Iterum.* Et maximè Arabicus vertens. *Deinde locutus est eis Iesus iterum.*

Gloss. D.Thom. Anton. Carth. Chrysost. Theoph. Leontius. Ammon. D.Thom. Bonauent. Ioan.7. Tolet. Luc.Burg. Cornel. Arabic.

2. *Iterum ergo.* Ergo, particula illatiua est, & est sensus. Postquam Dominus absoluit negotium mulieris adulteræ, iterum reassumit suũ sermonem; quo cœperat concionari. *Ego sum lux mundi.* Ego qui sum verus Filius Dei, non sum lux alicuius prouinciæ particularis, vt Prophetæ, Galilææ, verbi gratia, vel Iudææ, & etiam Apostoli; nam vt notat Carthusianus, quilibet eorum ad peculiares regiones missus est; nec sum lux per participationem, quo sensu. Matthæi 5.num.14. Apostoli dicuntur lux mundi, sed sum ipsamet lux per naturam, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt aduertunt Chrysostomus, Theophylactus. Ac proinde significat vniuersum mundum extra se esse constitutum in tenebris, & obscuritate. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam,* Isaiæ 9. n.2. *Qui sequitur me.* Glossa, fide, dilectione, adimpletione meorum præceptorum. D.Cyprian. lib. de zelo, & liuore. *Sequitur autem Christum,* ait, *qui præceptis eius insistit, qui per magisterij eius viam graditur, qui vestigia eius, ac itinera sectatur.* Subditur. *Non ambulat in tenebris,* peccati, ignorantię, ac errorum. *Sed habebit lumen.* Diuus Augustinus, Euthymius, Beda, Heticus: lumen gloriæ beans fideles, ecce quanto præmio afficitur, qui Christum sequitur, vno in hac vita, altero in futuro; tamen pleniſſimè. Per lumen vitæ, intelligitur lumen fidei cum prudentia, ac sapientia Christiana; cum magna cognitione, ac intelligentia rerum diuinarum, dicitur lumen vitæ, quia fides sicut fax ducit nos inoffenso pede in vitam. Diuus Cyrillus in codice Romano. *Qui sequitur me,* ait, *vita lucem lucrabitur, id est, eorum, quæ in me sunt mysteriorum reuelationem, ipsum in vitam æternam potentem ducere.*

Ioan.7. n.12. Matth.5. Isai.9. Glossa. Cyprian. Augustin. Euthym. Beda. Heric. Cyril.

3. *Dixerunt ergo Pharisæi.* Ex responsione data in causa mulieris Adulteræ, Pharisæi vnus post vnũ discesserunt, qui nempe mulierem accusabant, hi autem erãt alij distincti ab accusatoribus; ad impugnandam veritatem nunquam desunt Pharisæi, nec maligni absunt. *Tu de te ipso testimonium perhibes.* De te ipso testaris, téque ipsum laudas,

vt

Beda. Carthus. vt inquiunt Beda, Carthusian. de téque ipso magnam rem testificaris, quòd scilicet sis lux mundi. *Testimonium tuum non est verum.* Id est non est legitimum, ac fide dignum; Nam lege humana cautũ est, ne quis in te propria credatur. Iudæi de suo more in hoc multum errant, quia Christus pro se multos testes adduxerat; vnde Theoph. ait Theophylactus. *O insipientiam! ipse sursum, deorsumque scripturas trahit, qua testantur, & ipsi arguunt eum quasi de se testetur.*

QVÆSTIO I.

Quare Christus Dominus se lucem mundi appellat?

4. Augus. RECIPIEBANTVR Manichæi existimantes Christum esse hunc solem visibilem. Sol enim lux est mundi; hanc eorum fatuitatem, & dementiam refutat D. Augustinus tract. 34. in Ioan. *Non est*, ait, *Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Est ergo lux, qua facit hanc lucem, hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus, vt ad ipsam lucem aliquando veniamus.* Ad quæstionem illius rationes inquiramus.

5. Carth. Respondet primò Carthus. Christus Dominus secundum quòd Deus est, lux est increata, æterna, infinita, essentialis, fontana, omnem mentem creatam intus illustrans lumine naturæ, gratiæ, vel gloriæ. Secundúmque naturam assumptam est lux mundi, scilicet hominum vniuersorum. Lux, inquam, participata non substantialiter, sed propter plenitudinem gratiæ, sapientiæ, & sanctitatis sibi infusæ, de cuius plenitudine nos accipiendo illuminamur ab eo. Illuminauit enim Christus omnem mundum docendo, conuersando, & miracula faciendo, documentaque suæ sanctissimæ vitæ exhibendo.

6. Gregor. Pro quo argumento multum facit id, quod notat D. Gregor. Magn. Præfatione in Iob cap. 6. ait: quod in veteri lege tanquam in quadam nocte antiqui Patres veluti astra quædam præcesserint, quousque Christus Dominus in fine noctis surrexit. Ad ostendendam innocentiam venit Abel, iniustè à fratre occisus; ad manifestandam obedientiam venit Abraham, qui ex Dei mandato filium suum in holocaustum offert; ad insinuándam longanimitatem spei, & operis venit Noë, qui in arca inclusus, à diluuio fit superstes: ad demonstrandam coniugalis vitæ castimoniam venit Isaac; ad persuadendam laborum tolerantiã venit Iacob, qui sole ac gelu vrebatur. Venit Moyses in mansuetudinis exemplum, & sic de cæteris. In fine huius noctis venit Christus Iesus verus Sol, in quo fulget omnis virtus, omnis iustitia, omnis sanctitas, quam non imitari debemus & ad eius normam omnes nostras actiones componere.

Patres antiqui ante in nocte, Christus sol refulsit.

7. Augus. Secundò. D. Augustinus in Psalm. 84. *Qui dixit*, ait, *ego sum lux mundi, vocat te ad se; cum vocat te, conuertit te; cum conuerterit te, sanat te; cum sanauerit te, videbis conuersorem tuum, cui dicitur: Plebs tua lætabitur in te.* Christus lux est mundi, non sibi, sed nobis, sua luce vocat nos ad se, conuertit ad se, vt nos sanet, vt éúmque videamus, in eóque omne gaudium habeamus, ac in ipso lætemur.

Deus nos ad se vocat, vt in eo exulte-mur.

Tertiò. Rupertus in Ioan. *Vide*, ait, *quàm breuiter, quámque magnificè expressit Dominus, nihil inuidiam impiorum hominum posse nocere gloriæ Dei, ac si diceret: non deridendi effectu, si solem istum exsufflando extinguere, vel aerem pugno verberando, de magno cœli candelabro deiicere, & sub modium condere conemini? Nempe huic simile est hoc, quod meum nomen delere, vel famam meam extinguere contenditis.* Ego enim sum lux mundi, &c. Sic se appellauit Christus Dominus, vt ostendat suam supereminentiam & excellentiam, cui à nulla creatura aliquod nocumentum siue in se, siue in suo nomine, vel fama potest inferri. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Psalm. 90. 8. Rupert. *Christo non potest creatura inferre nocumentum.* Psalm. 90.

Quartò. D. Cyrillus Alexandr. lib 5. in Ioann. cap. 19. *Sum lux vera*, ait, *non lux alternationem noctis sustinens, aut luminis interpolationem, vel succedentes vicissim habens tenebras: sed perpetuò radians, intima cordis nouans, semperque fulgenti claritate perlustrans. Non item lux certis constricta finibus, neque Galilæa conclusa limitibus, sed totius mundi spatium meo lumine replens.* Christus Dominus dicitur lux mundi, lux perennis, continua, quæ nullis noctium tenebris in benefaciendo interrumpitur, sed in nos perpetuò sua dona diffundit, & hoc non aliquo limite concluditur, sed ad omnes extenditur. 9. Cyrill. *Dei dona in nos sine interruptione.*

Quintò. D. Dionysius Alexandr. contra Paulum Samosaten. *Ego sum lux mundi*, ait, *qui est Dominus mundi.* Vt hoc exemplo discant principes, vt in omnes, etiam humiles, & abiectos extendant suos radios, omnes enim lux æqualiter lustrat, omnémque locum etiam vilem vniformiter penetrat. Sextò. D. Thomas. *Lux*, ait, *facit res omnes actu intelligibiles.* Per lucem Christi omnia fiunt intelligibilia; diuina, vt eorum excellentiam agnoscamus; temporalia, vt eorum vilitatem, & abiectionem penetremus; nam illa diuina celsitudo considerata, omnia huiusmodi stercora arbitrantur, vt ait Paulus ad Philip. 3. vers. 8. 10. Dionys. *Rex ad omnes æqualiter sua dona extendat.* D. Thom. Philip 3.

Septimò. Sancta Ecclesia in symbolo profitetur. *Lumen de lumine.* Si ergo ipse est lumen de lumine, quomodo se vocat lucem mundi? Optimè sanè; ex eo enim, quòd ipse est lumen de lumine, bene sequitur quod sit lux mundi, afflatus enim diuini Spiritus est, vt dona obtenta aliis communicentur. Vnde Christus Dominus cum sit lux mundi, suos Apostolos appellat lucem mundi Matth. 5. n. 14. Excellentiam enim præludendi vita, & exemplo, ac doctrina, non in se omnino continuit, sed etiam ad alios extendit, eámque illis communicauit. 11. *Diuinitatis est bona sua aliis communicare.* Matth 5.

Octauò: & etiam moraliter. Lux mundi dicit lux; lux huius sæculi quotidiano cursu se se in noctem abscondit; sicque diuini fauores aliquando intermittuntur, vt homo magis exerceatur, ac probetur. Ex suauitate diuinæ præsentiæ delectata sponsa dicebat. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie*, Cantic. 1. numero 7. statim c. 3. n. 1. ait. *in lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni* Valdè, mirum, quòd sponsa, quæ inter meridiana pascua, meridianósque accubitus dilectũ indagabat, iam per noctes valdè solicitè ipsum quærat: & nó inueniat forsitan per noctes quærit, quia sub meridie non inuenit? Inuenit sanè, sed non potita desiderio 12. *Felicitatibus succedit aduersitates.* Cant. 1. Cant. 3.

desiderio est; sed vbi sub meridie tenuit eum, statim ad noctem declinauit, ad noctem, inquam, tribulationis, & persecutionis, vt exponũt Theodoretus, & D. Ambrosius serm. 7. in Psalm. 118. vers. 7. Vt tribulationum pressuris anima maximè exercitaretur. Diuus Bernardus serm. 32. in Cant. *Desiderium*, ait, *cordis eius tribuetur ei. Ex parte tamen, idque ad tempus, & tempus medicum. Nam cum multo labore quæsitus adfuerit, subito dum teneri putatur, illabitur: ita ergo potest esse de præsenti sponsi lætitia, sed non copiæ: quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo.*

Theodor. Ambr. Bernard:

13. Cùm ingrederetur Iacob terram Chanaan. *Fuerunt ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset*, ait: *castra Dei sunt hæc.* Genes. 32. num. 1. Qui Angeli, vt explicant Origenes, Procopius, Rupertus: erant Angeli custodes Prouinciarum, qui multa beneuolentia Iacob salutantes ei occurrerunt; postea verò traductis omnibus suis nocte remansit solus; *& ecce vir luctabitur cum eo vsque mane.* Genes. 32. num. 24. Quid est, quod in die habet Angelos cum multa gratulatione ei occurrentes, nocte verò luctamine manus conserit cum Angelo? Denotabatur; quod si & aliquando eius nepotes in die felici multa prospera in terra illa essent habituri, tamen aliquando luctaminis, ac tribulationis nox erat eis successura. Lyppom in. *Ingrediebatur*, ait, *Iacob nocte illa terram promissam, & cognoscebat in Spiritu aduersitates, ac prosperitates suorum, pro quibus, orabat.*

Gen 32. Origen. Procop. Rupert.

Post prospera eueniunt aduersa.

Lyppoman.

Qvæstio II.

Quare Christus Dominus dicitur, Lux mundi, & non potius, Sol mundi?

14. August. AD quæstionem potest primò responderi ex D. Augustino tract. 33. in Ioan. *Etsi nolueris*, ait, *solem deserere, ipse te deseret: seruiunt tu sua necessitate peragens diem. Deus tuus vbique totus est, si non ab illo facies casum, nunquam à te ipse facit occasum.* Lux Christi multum discrepat à luce solis, quamuis nolueris lux solis aliquando te deserit sui cursus necessitate. At si tu volueris nũquam Christus te deserit, si enim tu ab ipso non discedas, ipse nunquam à te discedit. Vnde ait: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*

Ob nostrum recessum à Deo Deus à nobis recedit.

15. Secundò. Sol multum inæqualis est in suo effectu præstando, quosdam enim homines facit albos, alios nigros; quædam loca fœcundat magnis fructibus, alia replet auro, argento, ac gemmis pretiosis; quædam verò loca sterilia, ac infructifera reddit: lux verò ad omnes æqualiter se extendit, omniaque vniformiter lustrat; Christus Dominus totius orbis princeps dicitur Lux mundi, vt ab ipso discant vniuersi Reges æqualitatem in suis fauoribus repartiendis obseruare.

Princeps tenetur æqualitatem in suis donis distribuendis.

16. Gen. 1. Hugo. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* Genes. 1. numero 3. Quæstionem excitat Hugo à sancto Victore lib. 1. de Sacrament. cap. 8. Cur Deus distinctè incipiens sua opera à luce incœpit? cùm quodlibet animal in perfectione lucem excedat, si quidem vita, sensúque caret. Cur ergo Deus exordium primi diei à nobiliori specie non desumit? Inter cætera, quæ creata sunt lux cum omnibus maiorem æqualitatem seruat; nam quodlibet animal magis est sibi, suæque speciei, quàm aliis; aqua maximè est conueniens piscibus, terra animalibus, aër volucribus, sicque sol, luna, ac planetæ maiorem influctiam habent in quibusdam, quàm in aliis, at lux maximè vniformiter per omnes spargitur, in omnésque irradiat, hinc Deus ab ipsa in suis operibus particularibus sumit initium, vt hoc sit documentum cunctis principibus, quod æqualitas in fauoribus sit initium, ac mensura suarum actionum. Dracontius insignis Poëta lib. 1. de opere sex dierum: sic canit.

Æqualia dicuntur omnia.

Dracont.

Qua totum præcessit opus, quod continet Orbis,
Qua cunctis præuenit iter: lucémque coruscam.

17. Enarrat sacer Textus, quod Paradisi fons in quatuor flumina diuiditur, vnus est fluuius Phison, qui circuit terram Heuilath. Secũdus est Gehon illabens per terram Ægypti. Tertius est Tygris, qui per Assyrios vadit. *Fluuius autem quartus est Euphrates.* Genes. 2. n. 14. Quæstio agitata est, cur de aliis fluuiis exprimitur terra, per quam defluunt, minimè verò huius quarti fluuij fit regionis mentio, per quam pergit? Euphrates idem sonat, ac fœcunditas, & abundantia: non assignatur ergo sui locus cursus, quia fœcunditas, ac abundantia Dei per omnes æqualiter diffunditur, ac incedit, nec in vna regione coarctatur, sed per omnes extenditur, ac dilatatur. D. Ambrosius lib. de Paradiso. cap. 3. *Euphrates Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam insigne iustitiæ, qua omnem pascit animam, nulla enim virtus abundantiores videtur habere fructus, quàm æquitas.* Vide multa hoc tomo, & 1. 2. ac 3. verbo, *Communicare.*

Genes. 2.

Ambr.

Qæstio III.

Judæi cùm dicunt Christi testimonium non esse verum, inde comprobant esse verum.

18. BIBEBANT Christo Domino Iudæi. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum.* Dicũt, quòd Christus Dominus de seipso testabatur; Cùm tamen Christus Dominus multos testes pro se produxisset, Baptistam Ioannem, Patris vocem in Baptismo, Spiritum sanctum in columbæ speciem apparentem, miracula infinita, temporis circunstantias, Scripturæ testimonia, quæ omnia illum mundi Lucem verumque Messiam esse prædicabant; sed Pharisæi cæci iuxta mundi lucem erant, & tamen eam non videbant, sed suam maleuolentiam declarantes, hoc illi opposuerunt, vt eum pudefacerent, & confunderent. Diuus Cyrillus. *In ignorantia enutriti, Emanuelem non intelligentes, ipsam gloriam affectare suspicantur, & tanquam in vnum ex nostris inuehuntur.*

Christus pro se producebat multos testes.

Cyrill.

19. Ad quæstionem respondeo primò, quod cum Iudæi essent mendaces, & falsi in ferendis testimoniis, inde Iesum in suo testimonio credunt mendacem, semper enim aliorum mores, & actiones ex nostris diiudicamus. Vide supra c. 8. num. 186. & c. 14. n. 18. & 19. Et de quo etiam iterum c. sequenti.

Quilibet ex præsumit de alio.

20. Secundò. Cùm Iudæi astruunt, quod Christi testimonium non sit verum, inde vehementer verum esse comprobatur, cùm ab eis reiiciatur:

nam

tiam erga illos communi calculo esset approbatum, si falsum consisteret, nam apud Mundiales principes falsitas magno applausu excipitur, veritas verò multo conamine expellitur; stetit Diabolus ad decipiendum Achabum coram Domino, & ait: *Ego spiritus mendax in ore omnium Prophetarum*, 3.Reg.22.n.22. Cui statim dixit Dominus. *Decipies, & prævalebis.* Vndenam astruitur certo, quod futurum sit, quod prævaleat, & decipiat; fieri enim poterat, vt regis voluntas mendaciis adversaretur; adeo falsitas in regnum curiis dominatur, quod cum vnum mendacium esset egressum, quamuis etiam regi nocium, tamen cum mendacium existeret, tam efficax esset apud omnes, vt cuncti ei adhærerent, eumque magno applausu sequerentur. Caietanus. *Manifestat Deus*, ait, *efficaciam huius medij, nempè mendacij in curia, & hoc officium diabolicum mentiendi, vsque adeo versatur in curia, vt Diogenes diffinierit curiam esse locum ad decipiendum, & prævalendum.*

Mendacia à mundialibus approbantur. 3.Reg.22. Caiet.

De sanctis Prophetis ait Paulus ad Hebr. 11. num. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti.* Ait Paulus quod cum pergeret per Macedoniam: *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando.* Actor. 16. *Habentem spiritum Pythonem*, legit Syrus, *spiritum diuinationis*, scilicet Dæmonem familiarem, vt explicant Caietan. Hugo, Lorinus, Cornelius, & alij. Hæc autem puella multas diuitias, ac pecunias comparabat; sed qua arte, quæve industria? Diuinando scilicet. At Prophetæ multa, & alta prædicabant, & tamen nil auri, & argenti habebant, sed egentes, aut angustiati, & afflicti versabantur; Quænam huius rei differentia? Propheta vera annunciabant; at puella falsa, & mendacia spargebat; apud autem mundiales veritas odium, & contemptum peperit, falsitas verò voluntates seduxit, & diuitias, ac animos sibi comparauit. D. Aldhelmus Epist. cap. 11. *Pythonissa per spiritum falsitatis friuola vaticinatur, & ob hoc sumptuosas procerum opulentias affluenter cumulans, gazasque quæstuum deliciosas affatim locuplebatur.*

21. Hebr.11. Syr. Caiet. Hugo. Lorin. Corn. Actor.16. *Mundialibus falsitas est in pretio, veritas in odio.* Aldhelm.

*Ioan.*8. *n.* 14. Respondit Iesvs, & dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio, vnde veni, & quò vado, vos autem nescitis, vnde venio, aut quò vado.

Num 15. Vos secundùm carnem iudicatis: ego non iudico quemquam.

VERSIONES.

Tertul. n. 14. Etsi ego de me testificor, verum est testimonium meum, quia scio, vnde venerim, & quò eam.

Syriacus n. 15. Vos corporaliter iudicatis, ego neminem iudico.

Arabicus. Vos corporeum iudicatis.

EXPOSITIO IV.

RESPONDIT IESVS ad obiectionem oppositam. *Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum.* Non negat se de se ipso testificari, sed consequentiam refutat; nam vt recte ait D. Augustin. *Verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia*; lux non indiget alia luce, quia clarè se ipsam, ac vniuersa alia ostendit. Christus ergo cum sit mundi lux per sua opera, miracula, ac verba se mundo manifestat; quomodo hoc cohæreat cum his quæ dixerat cap. 5. Ioan. 31. *Testimonium meum non est verum.* Late explicaui tom. 3. cap. 2. qu. 10. ibi loquitur de se vt puro homine. hic verò, agit de se vt vero Deo, vt notarunt D. Chrysostom. D. Augustinus, Leontius, Beda, Theophylact. Euthymius, D. Bonau. D. Thomas, & alij. Ideò subdit: *Quia scio vnde veni*, certa, & infallibili cognitione, quia ex Deo veni, D. August. *Patrem enim volebat intelligi, scio quod ex Deo sum, & Deus; Deus autem sibi ipsi idoneus testis est.* D. Chrysostom. *Scio me esse filium Dei.* Euthym. *Scio quod à Patre Deo venerim, & ad eum ipsum vado, vtique filius Dei sum, & Deus. Itaque fide dignus sum, & ipsa fides sicut, & ipsa veritas.* Deinde subdit: *& quò vado*; peragens negocia commissa Patris mei ad eum vado, vt sedeam ad eius dexteram. In his duobus verbis; *Vnde veni, & quò vado*, explicantur omnia, quæ de Christo testificanda erant, in ordine ad salutem generis humani. Cùm ait: *Veni*, explicatur mysterium Incarnationis; Cùm dixit: *Vado*, illius fructus exprimitur. Obscure Christus Dominus hic de suis magnalibus loquitur ne se iactare videretur. *Vos autem nescitis.* Cùm enim mihi dicenti, ac affirmanti non vultis credere me esse Dei filium, à Deo vero missum, peractáque legatione breuiter ad eum redituru[m].

22. Ioan.8. Chrys. Aug. Leont. Beda. Theoph. Euthym. D. Thom. Bonau. *Modestia supprimit Christus suas laudes.*

Vos secundùm carnem. Rectè D. Cyrill. ait, quod Christus Dominus hic se habet, sicut optimus medicus, qui non attendit ad phrenetici ægrotantis contumelias; v. g. *testimonium tuũ non est verum.* sed congruentem adhibet medicinam, ostendens suum testimonium esse verum, & legitimũ, simúlq; ostendit id, quod immediatè dixerat; *Vos nescitis vnde venio, aut quò vado.* Et subdit, *Vos secundùm carnem iudicatis.* D. Chrysostom. homil. 51. in Ioan. Sicut, ait, secundum carnem viuere, est malè viuere, sic secundùm carnem iudicare, est iniustè, & inique iudicare, non verò secundum rectam rationem. Secundò Rupertus. Iudicatis secundùm carnem id est exiguitatem parentum meorum, aut propinquorum secundùm carnem. Tertiò. Theophylact. Ammon. Leont. Euthym. D. Thom. secundùm carnem, quam in me videtis, me iudicatis esse hominem tantum, & non Deum. Theophylact. *Carnem contemptam, & non Deum me suspicamini.* D. Augustin. tract. 36. in Ioan. Euthymius, Albert. Magn. *secundùm carnem.* Nempè secundùm oculos, ac vestros sensus carneos, secundum id, quod externis oculis videtis me iudicatis, existimantes me esse hominem humilem, & non Messiam, nec Deum, ac proinde me arguitis, quod me dicam Dei filium Gloss *Hominem putant, ait, cui in laude sua credendum non sit.*

23. Cyrill. Chrys. Rup. Theoph. Ammon. Leont. Euthym. D. Thom. Aug. Euthym. Alb Magn. Glotia.

Qvæstio IV.

Quomodo Christus dicat, Ego non iudico quemquam?

24. Augustin. Beda. Rupert. Ericus.

Obiicit D.August.tract.36. in Ioan.Nos dicimus Christum venturum iudicem viuorum,& mortuorum,quomodo ergo ipse ait, ego non iudico quemquam,quæ videntur contraria?Respondet primò D. August. citatus.Beda,Rupertus,Ericus;Non iudico quemquã secundùm carnem,indéque falsò,& iniquè,vt vos facitis,sed iudico secundùm rationem, & spiritum,ideóque certè,ac rectè iudico.

25. Chrys. Leont. Theoph. Euthym. Alb Magn. D.Thom. Caiet. Hugo. Ioan.3.

Secundò.D.Chrysost.homil.51.Leont. Theop. Euthym. Albertus Magnus, D. Thom.Caietan. Hugo,& alij, qui sic explicant. *Non iudico quenquam:* modo scilicet hoc primo meo aduentu. Sicut ipse dixit; *Non enim misit Deus filium suum in mundum,vt iudicet mundum,sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan.3.num.17.sed iudicabo postea aduentu secundo,sícque non negat de se iudiciũ, sed illud differt. Poterant enim Iudæi obiicere Christo, si te malè secundùm carnem iudicamus, cur nos non arguis,aut condemnas? Respondet Christus: Ego non veni in mundum, modò ad iudicium, postea iudicabo vos in die iudicij, si enim vos modò iudicarem, vtique vos condemnatem,sed nunc non est iudicij tempus. Tertiò. Elias Cretensis Orat.4.de Theolog.Greg.Nazianzen.sic interpretantur.Ego non iudico quenquam quatenus homo sum.

Elias Cret.

26. Mald. Barrad. Burg. Corn. Ambr.

Communiter Recentiores Maldonat. Barrad, Lucas Burgens.Cornelius à Lapide, & pro se adducunt D.Ambr.lib.5. Epist.20. asserunt; Quod iudicare, non solùm significat sententiã ferre ex tribunali iudicij,sed etiam aliorũ facta, ac animi sensa perpendere,ac existimare;sic & Pharisæi secundum carnem,non tãquam iudices è tribunali in Christum dicebant sententiam, statuentes eũ tantummodo esse hominem,quia externa caro id testabatur,ait tunc Christus. *Ego non iudico quenquam.*Id est ego non testificor quidquã de aliquo, vel neminem accuso,vel damno,videlicet ore,vel sermone:vel etiam ex his,quæ exterius apparent, sed mea scientia,ac cognitione ingenita, & infinita,qua vos culpo,& condemno.

27. Christus venit ad salũdum, & non ad damnandum. Tolet. Act.10. Ioan.5.

Ait Christus Dominus. *Ego non iudico quenquã.* Quia ipse valdè pronus est ad misericordiam, & salutem;non verò ad condemnationem. Meritò dubitat Tolet.Ioan.1.annot.75.Quod cum Christus Dominus,*sit constitutus à Deo iudex viuorum, ac mortuorum.*Act.10.n.42.& Ioan.5.n.12.dicatur. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.*Cur potius nomen à saluando, quam à iudicando sumptum est; maximè quia omnes iudicabit,non tamen omnes saluabit effectu,multi enim peribunt.Respondet ipse Cardinalis. *Est nomen acceptum à saluando, quia quamuis venturus sit iudicare, tamen non assumpsit carnem passibilem, nec factus est homo,nisi vt saluet.*

28. Matth.24: D.Thom.

Agens Christus Dominus de die iudicij ait, *De die illa,vel hora,nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.* Matth.24.n.36.Quæ verba maximè examinant Theologi cum D.Thom.3.p. qu.10.art.2. Quando Christus Dominus in quo sunt omnes thesauri sapientiæ,& scientiæ Dei,de se ait,quod diem illum furoris,ac iudicij nesciat. Respondet Palodanus ad citatum locum D.Tho. *Non nouit,* ait, *diem ire ipse clemens, neque diem furoris ipse patiens: Nouit sanè diem illum,sed non nosse dicitur, quia dolet, refugit, exhorret. Planè cum Christus primum venit, non venit, vt iudicet,sed vt saluet.Saluator igitur nescit iram, non nouit furorem.* Paland.

Hinc Iesus rigide obmutescere imperauit Dæmonem illum importune clamantem. *Venisti perdere nos* Luc.4.n 34. Tertul. lib.4.aduers. Marcio.c.6. *quia iudicis, & vltoris,* ait, *& vt ita dixerim, sani Dei agnouerat Iesum,non optimi illius, & perdere,& punire nescientis.* Christus tunc ad misericordiam,& non ad iram. Luc 4. Tertull.

Ioan.8.n.16. Et si iudico Ego, iudicium meum verum est,quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.

Num.17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

Num.18. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso: & testimonium perhibet de me,qui misit me Pater.

VERSIONES.

Syriacus n.16. Veruntamen si iudicauero, iudicium meum verum est.

Vatabl.n.18 Qui testimonium fero de me ipso.

Græcus. Qui testor de me ipso.

EXPOSITIO III.

29. Et *si iudico Ego*, Supra dixerat Dominus, *Non iudico quemquam.* Nunc verò subiecit. *Et si iudico ego*, id est admittamus, quod ego iudico, testor, siue affirmo tam de me, quam de aliquo alio: *iudicium meum verum est*, legitimum nempè, ac fide dignum. Multas iniurias in se iactatas patienter sustinuit Dominus. Ioan.7.num.20. Ioan.7. Tamen quod eius testimonium de mendacio arguatur,minimè dissimulat,sed multis eius veritatem ostendit. *Quia solus non sum*: iudicans,& testificans,*sed ego,& qui misit me*, in mundum *Pater.* Nam,vt ait Interlin. *Et si homo sum,Patrem tamen non deserui.*Quamuis enim missus sim per carnem in mundo tamen ego, & Pater semper simul sumus per deitatem: vnde vtriusque idem est iudicium;ac testificatio,& voluntas. Euthymius. *Omnia,* ait, *nobis sunt communia: & quidquid ego iudico, hoc & Pater; vna enim amborum est voluntas.* *Magnus non patitur vt de mendacio arguatur.* Interlin. Euthym.

30. Obiicit D.August. tract.36.in Ioan. *Dominus si solus esset, falsum esset iudicium tuum, & ideò verum iudicas, quia solus non es,sed tu, & qui te misit Pater.* Responderur Christi testimonium nunquam falsum potuisse esse, sed semper verissimum consistere: Christus autem sic loquitur, vt ostendat opera Trinitatis ad extra inseparabilia esse, & suum testimonium esse simul cum Patre,& Spiritu sancto, ac simul duarum personarum,vt lex præscribit. Augustt.

31. *Et in lege vestra.* Vbi à Deo data, vt exponunt D.August.

August. Beda. Rup. Alb.Mag. Euthym.

D.August.Beda,Rupert. Albert. Magnus. Vel in lege vestra, de cuius obseruantia vos Pharisæi maximè gloriamini,vt ait Euthym. *Quia duorum hominum testimonium verum est*, scilicet legitimũ, ac fide dignum, & quamuis aliquando possit esse falsum, vt patet de historia Naboth.3. Regum c.21.n.11. Et de historia Susannæ, Dan.13. n.3. Et de Stephano,Actor.6.n.11. tamen regulariter loquendo è iudice debet haberi pro vero, nisi euidenter de falsitate deprehendatur.

3.Reg.21. Dan.13. Act.6.

32. *Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso.* Nullus de se ipso iudicium, ac legitimum testimonium perhibet; ad hanc tamen obiectionem, quæ fieri poterat, respondemus; quod Christus Dominus,vt Deus testificatur de se provt homine, ac proinde dupliciter seipsum Christus Dominus considerat, vt Deus, ac homo;vt Deus testimonium dat de se secundum naturam humanam.Meritóque Patres ex hoc loco contra Nestorianos & Eutychianos comprobant in Christo vnam esse personam diuinam,& duas naturas,scilicet diuinam, & humanam; sic in præsenti D. Cyrill.D.Chrys. Theoph.Leont. Ammon.in Catena Græca.D.Ambr.lib.5.de fide c.1.D.Fulgent. lib.3. Thrali: *Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*, Per vocem auditam in Iordane. *Hic est filius meus dilectus*, &c. vt notat Beda; Deinde per opera diuina, miracula scil.à Christo facta.Tandem etiam per ipsam vocem humanam,quidquid enim Christus loquebatur,loquebatur etiam,& agebat Deus filius per humanam naturam suam,vt per instrumentum sibi coniunctum vnitate personæ, hoc idem loquebatur, & agebat Deus Pater per eandem naturam, vt per instrumentum à se separatum. *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor: Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Ioan.14.n.10.

Cyril. Chrys. Theoph. Leont. Ammon. Ambr. Fulg. Beda.

Ioan.14.

Ioan.8.num.19. Dicebant ergo ei; vbi est Pater tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque patrem meum, & si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

Num.20. Hæc verba locutus est Iesus in Gazophylacio docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia nec dum venerat hora eius.

VERSIONES.

Nonnus n.19. Quis est Pater tuus.

Syriacus. Si me nosseetis, & Patrem meum noscetis.

Euthym.Mald. Caietanus. Vtique & Patrem meum cognouissetis.

Græc.n.20. Locutus est Iesus in arca, seu custodia gazæ, seu pecuniarum.

Hebraicus. Locutus est Iesus in Corbona, seu Orario.

EXPOSITIO. IV.

33. DICEBANT *ergo ei. Vbi est Pater tuus.* Quonam animo interrogassent Iudæi D.Cyrill.in Catena Græca Leont.asserunt, quod per contemptum,& irrisionem hæc dixerunt, si bẽ enim persuadebant, quod Patrem suum eis non posset ostendere, nam fortè Christum esse spurium,& ex adulterio natum existimabant.Secundò D.August.,Beda,D.Thomas, Albert.Magn. censent eos de patre carnali locutos, nempè de S.Ioseph, vt inde eum arguerent, quod sic se iactaret de patre humili,& fabro. Tertiò D.Chrys. Theophylact. Euthym. Rupert. Carthus. rectè astruunt: Quod Pharisæi intelligant Christum Patrem suum dicere Deum, vt ante intellexerunt cap.5.num.10. tamen fingunt se non intelligere, vt inde clarius aliquid ab eo coniiciant, quo audito eum vt blasphemum accusent, ac lapidare faciant: Nunquam malignitas Iudæorum a sua nequitia destitit.

Cyril. Leont. Aug. D. Thom. Alb. Chrys. Theoph. Euth. Rup. Carthus.

Vbi est Pater tuus? Caietan. De loco quærunt Dei,quem credebant vbiq; esse, & propterea non meruerunt responsum ad quæsitum, sed ad ignorantiam; iniqui dum arguunt,suammet ignorantiam ostentant. *Respondit Iesus.* Quia captiosè proposuerunt quæstionem,vt eum caperent,non apertè dixit Christus, quod Pater suus esset in cœlo, sed indirectè respondet Iudæorum calumniam declinans, eorum ignorantiam arguens. *Neque me scitis, neque Patrem meum.* Nam cum me iudicatis purum hominem, & deinde non alium habere patrem, quam hominem in terra, omninò erratis, & non me scitis, qui sum Deus verus natus ex Deo vero. Cùm autem ait Ioan.7. n.28. *Et me scitis, & vnde sim, scitis.* Ibi agit,de se vt homo est, hic de se loquitur vt verus Deus. Origenes in præsenti ait, quod Ioan.7. loquebatur Christus Ieroſolymitanis,qui eum nouerant, hîc verò agit cum Pharisæis, qui eum non agnoscebant, & eius hostes erant;inimici enim nunquam tua magnalia agnoscunt; *si me sciretis*, per mea opera,virtutes,ac scripturas, vt explicant D. Thom. Alb.Mag. me esse verum Deum. *Forsitan.* Græcè idem valet,*ac vtique*.Et vt notant D.Aug. Beda,Rupert. D.Bonau. Forsitan in præsenti,non est verbum dubietatis;nam diuinitas non opinatur,sed ponitur pro admonitione nostræ libertatis,ac etiam vt dubietas hominum arguatur;Ac si dominus dicat seruo:Contemnis me, vide, quod forsitan dominus tuus sum. *Et Patrem meum sciretis.*Quod sit deus æternus,qui me filium suum misit in mundum D.Cyrill. in Codice Vaticano Manuscripto. *Ianua quædam*, ait, *filius est ducens in cognitionem Patris.*Ioan.14 num.6 *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Origenes in præsenti, *nosse*, vel, *scire* sumit pro amare: id est, si me amaretis, vtique & Patrem meum amaretis.

34. Caiet. *Iniqui dum arguunt, suã ignorantiam detegunt.*

Ioan.7.

Orig.

D.Thom. Albert. Aug. Beda. Rupert. Bonau.

Cyril.

Ioan.14.

Orig.

35. Hæc verba alta,& sublimia;Ego sum lux mundi ex Patre Deo natus,ex ipso consentiente omnia loquens, *locutus est Iesus in Gazophylacio.* Notat Euangelista sermonis locum. Gazophylacium,id est repositorium, seu arca, in qua ad pia opera mittebatur pecunia, hîc verò non sumitur pro ipsa arca,sed pro loco, in quo erat ipsa, vbi frequenter magna populi multitudo conuenerat,de quo quæstione sequenti *Et nemo apprehendit eum*, scilicet ex Pharisæis,licèt id maximè vellent;*quia nondum venerat hora eius.* Quam ipse cum Deo Patre sibi constituerat. Pulchrè ponderat Origenes in Ioan. tom.28. *Eius enim verba*, ait, *valentiora erant iis, qui eum volebant comprehendere. Et quandiu dicit, nemo eum comprehendit eorum,*

Orig.

qui ei insidiabantur, sed si taceat, tum denique teneatur. Itaque dum in eum Pilatus inquirit, eumque flagris cædit, tacet; si enim locutus esset, in crucem ex infirmitate sublatus non esset, quandoquidem infirmitas non inest in eis, in quibus verbum loquitur. Perpende quanta sit Diuini verbi efficacia.

Verbum Dei multum efficax.

QVÆSTIO V.

Quare Christus Dominus docebat iuxta Gazophylacium.

16. D. Thom. *Gazophylacij nomen.*

DIVVS Thomas in præsentiarum, quod Persica lingua Gaza dicuntur diuitiæ, *phylaxe*, verò seruare; vnde Gazophylacium ponitur frequenter in Scriptura, pro arca, seu loco, in quo diuitiæ, seu pecuniæ asseruabantur 4 Reg. 12. n. 9. & 10. Hebraicè verò dicebantur, *Corban*, id est, oblatio, vt ait Barrad. & significabatur locus, in quem pecunia oblata mittebatur.

4 Reg. 12. Barrad.

37. Gazophylacium apud Hebræos significabat primò exedram; seu cubicula, seu cellas thesaurorum templi, quæ erant ædificatæ in appendicibus templi, quæ tantum sacerdotibus patebant, & hæc multa, & varia erant. Ierem. 35. num 4. *Et introduxit eos in domum Domini ad Gazophilacium filiorum Hanam, quod erat iuxta Gazophylacium Principum*, Idest vbi dona oblata à Principibus recondebantur, vt exponunt Hugo, Lyran, *Super thesaurum Maasia filij Sellum*, super thesaurum, super Gazophylacium, in Hebræo eadem est vox, vt notat Cornelius, & Sanchez. Aliud erat de quo 4. Regum. 12. num. 9. *Tulit Ioiada Pontifex Gazophylacium vnum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo Sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.*

Ierem 35. Hugo. Lyran. Corn. Sanch. 4. Reg. 12.

38. *De quo Gazophylacio sit sermo?* Cùm ait Euangelista, quod Christus locutus est in Gazophylacio; non intelligitur de illis, in quibus diuitiæ, ac opes templi seruabantur, nam hæc erant recondita, & clausa, est ergo sermo de Gazophylacio, id est de loco, in quo illud erat, in quo mittebantur eleemosynæ ad pia opera, hoc erat constitutum inter vtrumque atrium, Israëlis scilicet, & prophanorum, & erat locus valde publicus, & à multis frequentatus. Marc. 12. num. 41. & ibi: *Legit Baruch ex volumine sermones Ieremiæ in domo Domini, In Gazophylacio Gamaria, filij Saphan Scribæ in vestibulo Superiori, in introitu portæ nouæ domus Domini, audiente omni populo.* Ieremiæ 36. numero 10. Ibi prædicans ex vtroque atrio audiebatur. Sic docent Albertus Magnus, Toletus, Maldonatus, Lucas Burgensis, & alij. Ad quæstionem cur Euangelista notar, quod iuxta Gazophylacium locutus est.

Marc. 12. Ierem 36. Alb. Mag. Tolet. Mald. Burgens.

39. Euthym. Auguſt. *Veritatis prædicator sine timore.* Respondet primò Euthym. *Significauit autem locum Euangelista, ostendens dicendi libertatem ipsius Doctoris*; Et addit D. Augustinus tract. 37. in Ioan. *Docens in templo magna fiducia, & sine timore.* Explicat Euangelista locum prædicationis ad manifestandam Christi Domini libertatē, siquidem non obstante Iudæorum furore, publicè, non in obscuro aliquo templi loco, sed in valde illustri, ac maximè frequentato, vbi facillimè à toto populo, & à Principibus capi posset, intrepide, & sine timore de se prædicauit, quod erat ab æterno Dei Filius.

40. Theoph. *Mors Christi ostenditur illi voluntariò.* Secundò. Theophylactus: *Loquebatur Iesus*, ait, *in Gazophylacio in medio templo, & ita liberè loquebatur. Tamen qui occidere illum quærebant, & in manibus illum habebant, non audebant apprehendere eum, quia nondum venerat hora eius*, Ostendit Euangelista tantam Christi libertatem in prædicando coram suis inimicis in loco valdè manifesto, vt omnibus fiat euidens, quod ipse voluntate sua quando voluit ad mortem traditus est, quandiu autem noluit diuina virtute suos inimicos cohibuit, ne eum apprehenderent, quia nondum venerat hora à se destinata.

41. Orig. *Christum inquirebant Iudæi in parabolis.* Tertiò Origenes, mysticam rationem assignat. Cur in Gazophylacio Dominus docuerit; Gazophylacium ait diuinos esse sermones, imaginem magni Regis impressam habentes, sicut pecunia, quæ in illo ærario conlciebatur, effigiem Cæsaris habebat. Quartò; Beda. Christus, ait, loquitur in Gazophylacio, quod erat arca quædam tecta, & clausa; quia in parabolis tectis, & clausis loquebatur ad Iudæos. Cœpit autem tunc Gazophylaciū quasi aperiri, cū discipulis Scripturas explicauit, ac diuina mysteria in eis contenta reserauit.

42. *Christus ex loco petatis inducitur ad pietatem.* Quintò. In Gazophylacio tanquam in loco valde publico, & frequentato docebat Iesus, vt lucem suæ sacræ doctrinæ in omnes diffunderet, & extenderet. Sextò. In Gazophylacio mittebantur eleemosynæ ad templi sumptus, ac ad opera pia, indéque ex ipso pietatis loco mouebatur Christus, vt clementer adulteram absolueret, & vt errorem tenebras, ac caligines totum mundum occupantes luce suæ doctrinæ destrueret, ac dissiparet. Vide superiori cap. q. 4. n. 25.

43. *Ex Christi præsentia, ac doctrina destruuntur vitia.* Septimò. Gazophylacium erat latebra tenebrarum, ac officina auaritiæ, rapinæ, sacrilegij, ac aliorum vitiorum Pharisæis, ac Sacerdotibus, qui amore pecuniæ omnia depopulabantur. Iuxta ergo illud Christus Dominus docet, & se ostendit lucem mundi, vt sua præsentia, ac luce Pharisæorum scelera, ac peccata argueret, & condemnaret.

44. Deut. 34. Mortuo Moyse, *Sepelinit eum Dominus in valle terræ Moab contra Phogor.* Deut. 34. n. 5. Phogor idolum erat Moabitarum, ad quid propè eum cōstituitur S. Moyses, ac humatur? Vt eius approximatio, ac aspectus argueret, ac destrueret turpitudinem idoli Phogor, & barbararum gentium cultum, ac nequit iam Sacerdotum, qua per idolum gentes decipiebant. Procopius: *Sepelinit eum*, ait, *Dominus propè domum Phogor, vt cum propè esset, impostura dæmonis dissolueret.* Procop.

Ioan. 8. *n.* 21. Dixit ergo iterum eis Iesus: ego vado, & quæretis me & in peccato vestro moriemini: quò ego vado, vos non potestis venire.

Num. 22. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum; quia dixit: quò ego vado, vos non potestis venire.

VERSIONES.

Syriacus n. 21. Moriemini in peccatis vestris.

Græcus n. 22. Num ergo interfecturus est seipsum; quia dicit.

EXPO

EXPOSITIO V.

45. Dixit *ergo iterum eis.* Dubium est quid illud illatiuum, Ergo, hic significet? Aliqui existimant esse exordium noui sermonis, & quod præcedens fuerit terminatus in antecedentibus verbis. Aptius tamen Origenes autumat esse eundem sermonem continuatum. Vnde Rup. Tolet. & alij referunt ad id, quod proximè præcessit: *Nemo apprehendit eum*, agnouerat Christus, quod Pharisæi intelligentes eius verba, licèt obscura persistebant in sua iniqua voluntate eum capiendi, tamen solum diuina virtute erant prohibiti. *Dixit iterum.* Hoc enim iam eis dixerat in festo Scenopegiæ supra Ioan.7. num.32. quod enim Christus ibi dixerat coram famulis: hic repetit coram Dominus. *Ego vado.* Interlin. futura quasi præsentia denuntiat. Ego vado breui, non post multos hos dies abiturus sum per mortem, & crucem ad Patrem; *Et quæretis me.* D. Chrysost. Euthym. exponunt sicut supra cap.7.num.34 Vide ibi dicta. Quæretis me ad auxilium, & defensionem vestram, absens bonum vehementer exoptamus. Aptius explicatur cum Origene, D. Cyrillo, D. Augustin. *Quæretis me*, ait, *non desiderio sed odio: quasierunt Christum postquam abscessit ab oculis hominum, & qui oderant & qui amabant, illi persequendo, isti habere cupiendo.* Alb.Magn. Caiet. D.Bonau. *Quæretis me*, in membris meis; Apostolis scilicet meis persequendo. *Saule, Saule, quid me persequeris?*

46. *Et in peccato vestro moriemini.* Vtpote obstinati in vestra infidelitate, ac nequitia, & ideò in ea moriemini damnati in æternum. Euthym. sic interpretatur: *In peccato vestro*, idest, propter peccatum vestrum incredulitatis, *moriemini*, occisi à Tito, ac Romanis, indéque in æternam damnationem ibitis. D. Cyrillus lib.5. in Ioan. cap.22. *Si grauè*, ait, *interminum perpeti supplicium vespisti, dum datur hora, à prauis studiis vestris.* Subdit textus. *Quò ego vado vos non potestis venire*, ego regnaturus in cœlum apud Patrem vado, vos autem exclusi, & damnati peccato vestro in tartara *Non potestis me sequi.* Præclarè D. Cyrillus citato loco: *Cum igitur*, ait, *me sequi venisti ad virtutis laborem non potestis me sequi ad pramium.* Origen. interpretatur: *Non potestis*, quia non vultis; si enim voluissent, omninò poterant, quò ipse ibat, venire, & non eis dixisset; in peccato vestro moriemini. Omne enim peccatum voluntarium est. De hoc vide cap.17.sup.ad cap.7.Ioan.vers.33.& 34.

47. *Dicebant ergo Iudæi.* præ superbia nolunt interrogare, sed inter se mussitant; nam, vt ait Hugo, maximè eos perturbauerat id quod audierat; quò ego vado, non potestis venire, *Nunquid interficies se ipsum*; ac si dicant, nunquam manus nostras ita effugiet, vt inuenire illum non possimus, aut sequi, nisi ipse sibi mortem inferat, sicque ille se à manibus nostris subducet.

Orig. Rupert. Tolet. Ioan.7. Interl. Chryf. Euth. Orig. Cyrill. Aug. Albert. Bonau. Euth. Cyrill. *Qui venit ad laborem expers est pramij.* Origen. Hugo.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus de sua morte loquens, ait: Ego vado?

48. COMMVNIS solutio est Diui Augustini, D. Chrysostomi, Diui Cyrilli, & aliorum, vt ostendat mortem suam sibi esse voluntariam. Theophylactus: *Ego vado*, ait, *vt monstret, quod præsciat suam mortem, & quod non illorum virtutis opus crux sit, sed eiusdem voluntatis sua*, frequenter hoc verbo, *Vado*, suam mortem significat Christus, vt suam mortem voluntariam, & non vt cæterorum hominum esse indicet; crux, ac passio illius, non Iudæorum potestati, ac coactioni, sed altæ diuinæ dispositioni, ac consilio adscribenda est. Theoph.

Secundò. D. Augustinus: *Christo mors*, ait, *profectio fuit, qui in illa non manfit, sed per illam profectus est in Cœlum ad vitam immortalem.* Quod explicans D. Thomas ait, mors Christi erat quædam profectio illuc vnde venerat, & vnde non discesserat, sicut enim qui vadit in anteriora proficiscitur: ita Christus per mortem peruenit ad gloriam, vt ait Paulus. *Obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum.* 49. August. D.Thom. *Per mortē ad anteriora vadit Christus.*

Tertiò. D. Chrysostom. homil.52. *Ego vado, cur hoc*, ait, *frequenter repetit? Vt eorum animos commoueat, atque perterreat*; Leontius, Theophyl. hoc multoties Christus repetit: *Ego vado*, ostendens quod futurus sit ipse quidem in gloria, & accessurus ad dexteram Patris. Diuinus Magister multa pietate, ac benignitate vsus erat, vt Iudæos deterreret à sua nequitia, ac malitia, & non sunt emendati, inde eos deterret, quod ipse rediuiuus futurus sit ad dexteram Patris, vt qui benignitate non sunt mulieres effecti, pœnæ metu, ac terrore emendentur. Vnde eis ait Dominus. *In peccato vestro moriemini.* Quod ponderans D. Cyrill. lib. 5. in Ioan. cap. 22. *Adhibuit admiranda signa*, ait, *quibus adducerentur, qua omnia vbi nihil eis conducere conspicit: nunc asperam eis comminationem infert, & aternam interminatur mortem.* 50. Chryf. Leont. Theoph. *Qui benignitate non emendatur, pœnis coercetur.* Cyrill.

Quartò. Origenes in Catena apud D. Thom. *Præsens autem verbum*, scilicet Ego vado, ait: *Minatur Christi recessum, sed quamdiu seruamus ea, qua anima nostra sunt insita veritatis semina, nequaquam recedit à nobis verbum Dei.* Ait Christus in præsenti Pharisæis, *Ego vado, & quo ego vado, vos non potestis venire*, Se Christus dicit abiturum, sui absentia magnum supplicium Christus miseris hominibus minatur, vt eis dicatur. *Quò ego vado, vos non potestis venire*, Sed tanta hæc pœna, omnibus distinctè indicitur? Minimè sanè, sed ait. *Vos non potestis venire.* Vos ô Pharisæi, in quorum corde, & ore regnat falsitas, & mendacium, quibus maximè auersi, ac separati estis à Iesu; at illi qui animo, & labiis veritatem retinent, *qua anima nostra sunt insita veritatis semina, nequaquam recedit à nobis verbum Dei.* Valde tenaciter apud se Deum retinebunt, minimèque eius absentiam metuent, sed perpetuò eius præsentia fruentur, nescit enim ipse à veritate se declinare. Idem Origenes citat: *Vbi scilicet veritas, & sapientia est, hoc est enim vbi est Iesus.* Pro quo facit illud Sapientiæ 9. numero 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Cum enim sapientia veritatum sit indagatrix, inde merito Salomon eam assistricem sedium diuinarum vocat. 51. Orig. *Vbi veritas ibi Iesus.* Sap.9.

Ait Oseas cap.4. num.1. *Non est veritas, non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Id est vt explicant Haymo, Albertus, Hugo, Vatablus, Arias, non est qui habeat veritatem in dictis, & factis non qui misereatur egenti, nec est qui habeat 52. Ose 4. Haym. Alb.Mag. Hugo.

habeat cognitionem, ac scientiam Dei practicè, scilicèt, vt eius maiestatem reuereatur, colat, ac adoret, vt par est; sed vnde deducitur, quod tanta Dei scientia, ac notitia desit in terra? præmiserat Propheta, non est veritas, & inde valde consequens erat, vt Dei afflatus, ac scientia in terris deesset; quandiu erat veritas, erat & Deus: at cum veritas abfuit, nihil Dei mansisse videtur, neque misericordia, neque scientia. Theophylactus ibi: *Qui mandaces diuitias amat, & vanas opes, & fraudulentam gloriam, veritatem non habet: vnde neque misericordiam à Deo suscipit, neque agnoscit ipsum in die reuelationis.*

Vbi deest veritas, & Iesus deest.

Theoph.

53. Dicebat sancta Anima: *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni: surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem.* Cant. 3. n. 1. Valde solicitè anima sancta suum dilectum inuestigabat, & tamen ipsum non inuenit, sed potius custodes inuenit; cur tam pius, ac feruidus Sponsæ affectus absque vlla mora sui dilecti præsentia non remuneratur, sed priùs incidit in custodes? Custodes isti vel erant Angeli, vt astruùt Theodoretus, Nyssenus homil. 6. S. Ambr. lib. de Isaac, c. 5. Psellus, & alij. Vel erãt Apostoli, Prælati, & Doctores Ecclesiastici, vt astruunt D. Gregorius, Theodor. Cassiod. Beda, Philo, S. Anselmus. Ante Sponsum ad hos deuenit anima sancta, vt ab illis in veritate edocta, & instructa, ipsius veritas affectu aptaretur ad inueniendum sponsum, via enim ad ipsum veritatis est. D. Bernard. serm. 77. *Et misit in occursum eius, ait, qui eam enutrirent, & confirmarent in omni certitudine veritatis, hoc est indicarent illi, certamque redderent de dilecto: quia veritas est, quam quærit, & quam verè diligit anima eius. Et reuera quis fidus, verusue anima amor, nisi vtique is, quo veritas adamatur? Non sum securus à securi, si absque eo inuenior.*

Cant. 3.

Theod. Nyssen. Ambr. Psellus. Gregor. Theodor. Cassiod. Beda.

Barrad. *Veritas via, per quam cognoscitur Christus.*

Qvæstio VII.

Quare Ministri de Christo cogitant, quod iturus sit ad dispersionem gentium, Pharisæi verò, quod seipsum interficiet?

54. DIXIT Christus in præsenti Phatisæis: *Quò ego vado vos non potestis venire*, Et cum eadem ferè verba dixisset ministris Pharisæorum: inter se sic ipsi loquebantur. *Quò hic iturus est, quia nõ inuenietmus eum, nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes.* Ioan. 7. numero 35. At Pharisæi de Christo mortem cogitant, & quod se ipsum interficiet. Eorum stultitiam arguit D. Augustin. tract. 38. in Ioan. Nam etiam Iudæi poterant seipsos interficere, sibique vltro mortem inferre, & hac via venissent quidem quò Christus abiisse autumabant. Ad nostram quæstionem.

Ioan. 7.

Augustin.

55. Respondet primò D. Cyrillus lib. 5. in Ioan. cap. 23. *Nunquid*, ait, *se ipsum est interfecturus; sed vnde hæc tanta exoritur intelligendi absurditas? profecto ex sola animi eorum nequitia.* Ministri vtpote de turba erant homines simplices, ac Christi odio carebant, cũ audiunt: *Vbi ego sum, vos non potestis venire*, In bonam partem rem interpretantur, quod iturus sit, *& docturus gentes.* Pharisæi tamen vtpote nequissimi, ferè eisdem verbis auditis rem in malam partem detorquent, & tantum nefas contra omne naturæ ius de Christo cogitant; quod sibi mortem inferat. Animus peruersus omnia in malum refert; quilibet ex suo animo de aliis præsumit; ac ratiocinatur; vide in indice verbo *Iudicare*, vel *Præsumere.*

Cyril.

Malus omnia in malum interpretatur, & de se præsumit de alijs.

Secundò. D. Anton. Vlyssipponensis serm. in feria 2. post Dominicam 2. Quadragesimæ. *Ex abundantia cordis*, ait, *os loquitur, quia igitur, sanguinem eius, & mortem omninò cordibus suis habebant impressum; ideò quasi nihil aliud loqui, aut pertractare poterant de eo.* Rectè dicitur quod lingua sit animi index, & id quod quilibet habet animo, eructat ore, cum ergo Pharisæi mortem Christi haberent infixam in animo, inde omnem Christi sententiam de morte interpretantur. Tertiò semper iniqui in deterius ruunt, ac præcipitantur. Iudæi primò tanquam fugillando Christũ dicũt, quod in dispersionem gentium iturus est; nunc verò de eo asseuerant, quod seipsum interficiet.

56. Ant. Vlyss.

Lingua animi index.

Iniqui omnia in deterius interpretantur.

Quartò. Communis interpretatio est, quod ita Pharisæi odio, ac inuidia fremebant in Christum, vt sibi persuaderent, quod nullo loco, nullibique terrarum gentium eum eorum manus posse euadere, nisi ipse semet interficeret, tam stulta præsumptione se iniquitas contra Deum opponit. De Gigante illo Nemrod ait sacer Textus: *Erat robustus venator coram Domino.* Genes. 10. num. 9. Septuaginta legunt: *Contra Dominum*, Quomodo humilis creatura contra Dominum se se erigebat; sic enim sua fortitudine, ac potentia fatuus Gigas erat inflatus, vt vires suas contra Deum ostentare præsumeret. D. Augustin. lib. 16. de ciuit. Dei c. 4. Erigebat cum suis populis turrim contra Dominum, quæ est impia significata superbia.

57. *Superbus extra Deum præsumit se posse stare.*

Gen. 10.

Aug.

Post commissum Adæ peccatum denuncians Deus illi sententiam mortis ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Statim, & immediatè subiungit sacer Textus. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Euæ, eò quòd mater esset cunctorum viuentium*, Gen. 3. n. 20. Maximè sanè admiranda est hæc verborum series & dispositio, cum Adam audit in se sententiam mortis prolatam, statim vxorem suam appellat Euam, id est vitam, matrem nempe omnium viuentium, cum potius tunc matrem mortuorum dicendam videretur. In hoc maxima hominis superbia declaratur, qui cum audisset ex ore dei sententiam mortis in se, ac in omnes prolatam, non acquieuit, sed vxorem suam vitam, ac viuentium matrem dicit, quasi quod ipse intentet dei decretum mutare, eique resistere. Rupertus lib. 3. capit. 26. *Mira peccatoris*, ait, *surditas, & superba mentis eius duritia breuiter deprompta est; quid enim infamius, quam in tali articulo Euam dicere Euam, qua non habebat vitam? Eua namque transferetur in vitam, dixerat enim Deus in quocunque die comederis ex eo, morte morieris, & illa comederat, & viro suo dederat, & dando occiderat, & nunc in præsentiarum dicebat, quia puluis es, & in puluerem reuerteris, & sic vterque morte corporis scilicet, & anima iam mortuus, & adhuc moriturus erat; quid ergo insanius, quam in illa talis causa iudicio illam nuncupare Euam, id est vitam, qua vitam non habebat.*

Gen. 3.

Hominis superbia Dei sententiam inuertat ipse.

Rupert.

Videt

59. Videt Nabuchodonosor in somnis statuam, cuius caput ex auro componebatur, pectus ex argento, femora ex ære, tibiæ ex ferro, & tandem pedes testacei extabant, quos vbi lapis leui ictu percussit, totam machinam in fauillam redegit; *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta, quasi in fauillam æstiua area,* Daniel. 2. num. 24. Tunc Nabuchodonosor euigilans, quandam statuam totam fabricauit auream: *fecit statuam auream.* Hæc statua constituitur ad similitudinem illius apparentis in somnis, huius pedes erant fictiles: Cur ergo hæc statua tota ex auro fabricatur? Viderat Barbarus rex, quod lapis abscissus sine manibus, hoc est, Dei prouidentia, ac potentia ductus, totum illam molem contriuit, ac in fauillam redegit, imperat ergo in sua noua statua, vt pedes toti ex auro solidentur, vt si alius lapis sine manibus, id est, & Dei prouidentia, ac potentia impulsus in ipsos pedes impingatur; illi robusti, ac inconcussi persistant, ac resistant ei, & tanquam firmi, ac stabiles contra Dei propositum perdurent. Theodoretus ad illa verba: *Fecit statuam auream.* Sic loquitur: *Deus in somnis maximam illi ostenderat imaginem è quadrupli materia confectam, ipse proprium fastum, quasi castra Deo opponens, statuam construit, non ipsam ex auro, argento, ære, ferro adificat, sed ex vna auri materia conficiendam curat: ratus infelix iste falsus ostensurum se Dei praditiones.*

Daniel. 3.

Superbus cogitat Dei decretum mutare posse.

Theod.

Ioan. 8 *num.* 3. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

Num. 42. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

VERSIONES.

Vatabl. Euthy-mius n. 23. Vos ex infernis estis, ego è supernis sum.

Caietanus. Vos ex iis, quæ deorsum estis.

Theophylact. Vos ab infernis estis.

Syriacus n. 24. Nisi enim credideritis mecum esse, moriemini in peccatis vestris.

EXPOSITIO. VI.

60. *ET dicebat eis.* Connexio verborum sumitur ex sinistra Iudæorum interpretatione, qua verba Christi, *quo vado vos non poteritis venire*, intellexerunt de interfectione, cum ipse de eius ascensu in cœlum loqueretur, de quo quæstione sequenti, & non dicitur, quod respondebat, sed quod dicebat, tam deprauatæ suspicioni de eius interfectione, indignum iudicat responsum, sed continuando sermonem dat rationem, de eorum mala cogitatione. Exponit discrimen inter se, & illos. *Vos deorsum estis:* id est ex inferioribus locis, ac ex tetra, & ideo affectu omnes cogitationes vestras, ad terrena dirigitis. *Ego de supernis sum.* Id est ex supernis locis, scilicet ex cœlo sum, & ideò quæ sursum sunt sapio, & solum cœlestia intendo, vos autem tantum de terrenis cogitatis. *Vos de mundo hoc estis.* Explicat Dominus id quod superius dixerat *Vos deorsum estis.* Superbis eorum abiectio multis modis præponenda, & adhuc eam percipere nolunt. *Vos de mundo hoc estis:* id est vos ad mundana tantum estis intenti, solúmque mundana quæritis, illis spretis, quæ Dei sunt; notat Albertus Magnus quod non dixit simpliciter, vos de mundo estis, sed addidit *de hoc mundo*, signanter addidit de hoc mundo in malitia fundato. *Ego non sum de hoc mundo.* Theoph. Euth. *Et non sicut vos sapio, vt me ipsum interficiam.*

Deprauata suspicioni non respondendum.

Alb. Magn.

Theoph.

61. *Dixi ergo vobis.* Illud, ergo, illatio est ex proximè dictis, dixerat enim, quod ipsi erant de deorsum, ac de hoc mundo, ac proinde tanquam mundani eis pronunciat eorum damnationem. Euthymius. *Adhuc eos exterret volens persuadere.* Sequitur textus: *Moriemini in peccatis vestris.* Scilicet infidelitatis, odij, inuidiæ, simúlque docet, quod solum per fidem in ipsum sit remissio peccatorum. Nota ordinem textus; ait Christus. *Ego non sum de hoc mundo, dixi vobis, quia moriemini in peccatis vestris*, quando hîc eis promulgat mortem in peccatis suis, prius de se testatur: *Ego non sum de hoc mundo*, vt hoc documento nos doceat, quod solum ille, qui hominem exuit, scit veritatem manifestare, eámque in facie principibus annuntiare, de quo infra.

Euthym.

Veritas solum dicitur ab his, qui non sunt de hoc mundo.

62. *Nisi credideritis quod ego sum:* scilicet verus mundi Saluator, ac Messias promissus vt per tot signa, miracula, ac scripturas ostendo, ac demonstro. Ita Theophylact. Carthusian. Lyran. Iansen. Maldonatus, aliter Rupertus. *Quod ego sum*, scilicet de supernis, ex quibus descendi in hominum salutem. Altius interpretantur D. Augustin. tract. 38. Beda, Albertus Magnus, Caietan. Toletus. *Quia ego sum*, intellige, qui sum, id est sum Deus, hoc enim nomen proprium est Dei. Exod. 3. num. 14. Non dixit Christus, vt notat D. Augustin. Ego sum Dei filius, Verbum Patris, sed absolutè. *Ego sum.* Intellige, qui sum, quod nomen proprium est Patris, per quod significat Christus se esse omninò æqualem cum Patre; & quia hoc nomen maximè explicat ipsum esse diuinitatis. *Moriemini in peccato vestro.* Multoties hanc pœnam repetit, vt eos perterreat; superius in plurali dicit peccata, nunc verò in singulari, in Græco in vtroque loco semper est in plurali, vt legunt D. Chrysostomus, Euthymius, & ex Latinis D. Augustin. Cyprian. lib. 1. contra Iud. cap. 5. retenta nostra vulgata in peccato vestro, id est infidelitatis, nam vt ait D. Antonius Vlyssiponensis feria 2. post Domin. 1. ad hoc peccatum omnia alia consequuntur. Cum autem ait. *Nisi credideritis moriemini in peccato vestro.* Ostendit, ait Hugo; quod si vellent credere, saluarentur.

Euthym. Theophyl. Carth. Lyran. Iansen. Mald. August. Beda Alb Magn. Caiet. Tolet. Exod. 3.

Chrys. Cyprian. Anton. August. Cyp.

Hugo.

Qvæstio VIII.

Quare Christus dixit Iudæos esse de deorsum, ac de hoc mundo, se verò de supernis, & non de hoc mundo?

63. *Ratio diffi cultatis.*

ANTECEDENTER dixerat Dominus, Quò ego vado, vos non potestis venire. Vnde Iudæi sinistrè suspicatisunt. *Nunquid interficiet seipsum?* tunc dicebat illis Iesvs, *vos deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo.* Dubitatur an hæc verba referantur ad suspicionem Iudæorum, *interficiet seipsum*, an ad Christi sententiam, *quo ego vado?* &c.

64. Chryf. Ammon. Appollin. Leont. Theoph. Euthym. Aug. Beda D. Thom. Bonau.

Primò. D. Chrysostom. Ammonius, Appollinarius, Leontius, Theophylactus, Euthymius, D. Augustinus, Beda, D. Thomas, D. Bonauent. existimant, quod in præsenti Christus assignat rationem, ob quam Pharisæi eius verba, quò ego vado vos non potestis venire, quæ ipse de suo in cœlos reditu dixerat, illi prauè de sui ipsius interfectione interpretati sunt, quia cum essent mundani, ac terreni, quæ de cœlo erant, non capiebant sed tantum ad terrena detorquebant, semper enim quilibet secundum suum animum de aliis cogitat & pensitat.

65. Rup. Alb. Magn. Hugo Barrad.

Secundò. Rupertus, Albertus Magnus, Hugo, Barradas, censent; quod in præsenti Dominus apponat causam, cur quò ipse vadit, Pharisæi non possint venire; nam cum vos sitis de terra, ac mundo mundanam vitam agitis, in vestris peccatis, ac vitiis detenti, in deorsum ac profundum demergimini, ego verò cum cœlo descenderim cœlestia sapio, cœlestem vitam ago, ego vt sublimis aquila in altissimis æternitatis montibus habito, & ideo post mortem meam in cœlum redibo, vos verò tanquam vermes repratis in terra, & inde non potestis ad me euolare. D. Augustin. & ex eo Rupertus, ac Hugo. *Vos deorsum estis: ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis, id est terrenis pascimini, terrenis delectamini, sursum corda non habetis.* A terrenis separandum, vt sursum eleuemur. *Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea.* Psal. 130. num. 2. Chaldæus vertit. *Sicut ablactatus super mammas matris sua, sic roboratus sum in lege.* Robur virtutis spectat ad ablactatos, sicut infirmitas ad illos, qui auelli nequeunt.

Aug. Rup. Hugo.

Psal. 130. Chald.

Separatus à mundo habet robur virtutis.

66.

Tertiò. Vos de deorsum estis, ac de hoc mundo, ex terreno, ac peccatore Adamo in hoc mundo nati, mundiabilibúsque moribus, ac vitiis educati, & ideo non cœlestia, sed caduca curatis, ac diligitis; Ego verò è supernis sum, & non de hoc mundo, nam & si in hoc mundo secundum naturam humanam natus sim, tamen quà Deus ex terreno parente, sed ex Spiritu sancto conceptus sum, quare mihi cœlestis est indoles, cœlestibúsque moribus imbutus sum, cœlestem ago vitam, & ideo ad cœlum, ad quod ego vado vos non potestis venire, vtpote detenti, ac depressi vestris moribus, quibus estis educati, ac enutriti, à quibus exui, ac euelli valdè prædifficile est. Theodoretus ad illud Ierem. 13. num. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didicerritis malum.* ibi Theodoretus. *Verum*, ait, *profectò firmo consuetudinem esse alteram naturam, omnia enim, quæ longa consuetudine comparamus animus paria censetur cum naturalibus.*

Theodor. Ierem. 13.

Vitia adolescentia difficiliter emittuntur.

Cur fugeret Iacob è domo soceri sui Laban. *Rachel furata est idola patris sui.* Gen. 31. num. 19. Valdè mirum est, quod è domo opulenta patris sui Laban, nil aliud furto abstulit Rachel, nisi illius idola; cur non potius aliquam pretiosam suppellectilem ex auro, vel argento, sed tantum idola, quæ maximè in contemptu esse habenda desiderat à marito suo Iacob, & adhuc in domo tam sancta viri sui ad idola extendit mulier manus. Rachel sub potestate patris sui Laban in cultu idolorum enutrita est; quamuis ergo data esset in nuptiis Iacob, & cum ipso versaretur maximè instructa in fide, ac religione veri Dei, tamen cum appetit aliquid de domo patris sui, nil aliud vult secum habere sua antiqua inclinatione impellente, nisi idola quæ secum defert, & asportat. Chrysostomus homil. 57. in Genes. *Non sine causa*, ait, *dictum est, nobisque propositum furatam esse Rachel idola patris sui, sed vt sciamus mulieres illas adhuc paternam habentes consuetudinem; idolorum cultui addictas fuisse, animaduerte enim, quantum in hoc studium impenderint, cum nihil aliud patri auferri voluerint, nisi idola eius.*

67. Gen. 31.

Semper quilibet inclinatur ad mores iuuentutis.

Chryf.

De impio ait Sophar vnus ex amicis Iob. *Ossa eius implebuntur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*, Iob 20. num. 11. Multa sunt expendenda. Non ait, quòd caro, sed ossa eius carnis portio vtpote fluxibilis faciliter dimittitur; at vero ossa obdurescunt, & diutius durant: sic vitia adolescentiæ non facilè dimittuntur, sed semper magis quotidie obdurescunt, ac robustius perseuerant. Vatablus præfata verba legit. *Ado lescentia vitia tenacissimè illi inhærent, eúmque comitantur ad sepulchri puluerem*, Perpende verba *ad sepulchri puluerem*, tantum abest, quod adueniente senectute vitia frigescant, quod tunc vehementi incendio in eo ardescant, vt etiam ad sepulchrum comitentur, vt in ipso puluere vitiorum semina vigeant, tantus est vigor vitij adolescentiæ, vt in ipsa senectute iuueneſcat. Accipe S. Odonem Abbatem Cluniacen. lib. 15. in Iob *Libidinem in eo*, ait, *adulantium blanda fomenta multiplicant, robustiorem reddunt, & quasi in ossa conuertunt. Hoc enim, quòd malè cœpit, peius quotidie per consuetudinem roborat: qua nimirum ossa cum eo in puluere dormient, quia eo vsque in illo iniqua consuetudines perdurant, quo hunc ad mortis puluerem pertrahant.*

68. Iob. 20.

Vatabl.

Vitia iuuenum comitantur ad sepulchrum.

Odo.

Vitia intimè inhærent etiã in puluere.

Ioan. 8. *n.* 25. Dicebant ergo ei: tu quis es? Dixit eis Iesvs principium, qui & loquor vobis.

Num. 26. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo hæc loquor in mundo.

Num. 27. Et non cognouerunt, quia Patrem eius, dicebat Deum.

VERSIC

VERSIONES.

Hebraic.n.25. In principio, vel à principio sum, qui vobis loquor.

Græcus. Principium (in accusatiuo) quod vobis loquor.

Vatabl. Euthymius, Theoph. In primis, quod exloquor vobis.

Syriacus. Etiam id, quod cœpi loqui vobis.

D. Ambr. l. 6. Hexamer. c. 2. Initium quod & loquor vobis.

Euthym. n. 26. Multa possum de vobis loqui.

Græcus n. 27. Quòd Patrem suum eis dicebat.

EXPOSITIO VII.

69. DICEBANT ergo ei. Dixerat eis. Christus, nisi credideris, quod ego sum, absolutè, & vt ait D. Augustinus. *Non addidisti, quis esses.* Non dixit ego sum: sæpè enim eis explicauerat, quisnam esset, nempe Dei filius à Deo Patre missus, ac mundi lux, sed inimici nunquam tua magnalia percipiunt, & quamuis sæpè audiant, non acquiescunt. Theophylact. *Post tantum tempus, post tantorum miraculorum ostensionem interrogant eum. Tu quis es? Ita fuerunt insipientes, & irrisores,* quærebant non vt crederent, sed vt carperent, & irriderent. *Tu quis es?* De nomine, & persona quærebant, vt ait Hugo; Christus autem, vt notat D. Thom. eos inducit ad sublimitatis suæ naturæ cognitionem. Maiestas enim naturæ illa omnia apertè eximit, & declarat. *Dixit eis Iesus.* Vna, eadémque responsione, vt inquit Rup. designat, & manifestat suam naturam diuinam, & humanam. Diuinam cum ait. *Principium.* Subintellige, verbum, sum, quod fuerat in quæstione positum, ex quo controuersia est exorta; id est ego secundum naturam diuinam sum primum principium vniuersorum, tanquam Creator, & omnipotens, qui cum Patre, & Spiritu sancto, sum vnum principum? vnus creator, vnusque finis omnium rerum. Suam significat humanitatem cum ait. *Qui loquor vobis.* Glossa. *factum homo propter vos vt possetis me intelligere.* Dei vocem homo immediatè ferre non poterat.

Inimici nunquam tua magnalia percipiunt.

Theoph. Hugo. D. Thom.

Rupert.

Glossa.

70. *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*; D. Augustin. Beda, Toletus hoc referunt ad futurum diem iudicij, ac si Christus dixisset, quamuis modo dissimulem peccata vestra, tamen in extremo die iudicij manifestabo, iudicabo, ac condemnabo, quia tempus dissimulandi, & est tempus puniendi. D. Chrysostom. Theophylactus, Euthym. Leont. Hugo, D Bonauent. ad occasionem præsentem, in qua Christus loquebatur, hæc ordinant. Quòd sic explico. Dixerat Christus Dominus. *Ego sum principium, qui loquor vobis*; scilicet quod sim Lux mundi, quod sum, qui sum; scilicet Deus, & principium vniuersorum, & subiicit: *de vobis multa habeo loqui, & iudicare*, Loqui, id est reprehendere, arguere vt Chrysostom. Euthym. & Theophylact. interpretantur; & iudicare, id est punire, ac condemnare. D. Cyrillus in catena Græca. *Non vnum tantum, ait, sed multa accusabo, & in nulla re mentiar, sicut vos: possum condemnare tanquam incredulos, & infideles, tanquam arrogantes, tanquam contumeliosos, tanquam Deo repugnantes,* &c.

Augustt. Beda. Tolet. Chrys. Theoph. Euthym. Leont. Hugo. Bonau.

Cyril.

Sed qui misit me verax est. Satis difficilè, quomodo hæc cum antecedentibus cohærent? D. Augustin. ad diem iudicij refert: Maldonatus ad præsentia. Ac si dicat Christus, multa possum de vobis verè dicere, ac iudicare, quod si fecero, vt faciam in die iudicij; nemo poterit meum iudicium reprehendere, quia *qui me misit, verax est, & ego quæ ab eo audiui, loquor.* Rupertus, ad principium refert; si vos admiramini, quod ego me dixerim omnium principium, scitote hoc verum esse, quia qui me misit verax est. Tertiò. D. Chrysostom. Theophylact. Euthym. D. Thomas, D. Bonauent. Toletus, inquiunt quod Christus reddit causam, cur eos modò non iudicet, ac puniat, quia Pater meus verus est in promissis suis, promisit autem hunc meum primum aduentum, non ad iudicandum, sed ad saluandum mundum, & ita veraciter adimplet, iubétque me, vt id faciam, & ideo solum de salute vestra loquor, & ago, iudicium verò reseruo in futurum sæculum. Plenissimè dicam. Dixerat Christus: *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* Hoc est arguere, & condemnare, & hoc ait Christus ad confusionem vestræ incredulitatis, qua meam doctrinam irridetis, dicam quod verissimè facio, quia nihil aliud dico, & facio, nisi, *quæ audiui ab eo*, D. Augustin. ait: *Ideo verus in iudicio ago, quia filius veritatis sum.* Et ait: *audiui ab eo*: Interlineal. *Idem est audire ab eo, ac esse ab eo.* Et ait in præterito: *Audiui.* Rupertus, Toletus inquiunt, vt insinuet se audisse, antequam in mundum veniret. Non ait, vidi, sed *audiui*, vt se accommodet communi modo loquendi, cognitio enim, ac scientia rerum, quæ ab aliquo nobis communicatur, dicitur ab eo audiri. Appollinarius in Catena græca; *auditus autem humano more mentionem facit.* Deinde dicitur: *Mundo*, quia quæ in Iudæa prædicabat, nota fieri disponebat per suos Apostolos in toto mundo.

71. *Furor inimicorum docendi.*

Augustt. Mald. Rupert. Chrys. Theophyl. Euthym. D. Thom. Bonau. Tolet. Augustt. Interlin. Rupert. Tolet. Communi modo loquendi accommodandum. Appolin.

72. *Et non cognouerunt.* Verba sunt Euangelistæ explicantis subsecutum effectum ex verbis Christi. *Quia* More Græco, id est quod *Patrem eius*, scilicet suum, *Dicebat Deum:* Græcus, & Syriacus. & Chrysostom. Theophylact Euthym. & etiam D. Augustin. & Beda legunt, quod *Patrem suum eos dicebat.* Intelligunt scilic. Deum, quod nostra vulgata clarius expressit. *Dicebat Deum.* Quòd autem Iudæi non intelligerent, ex duplici capite prouenit; primò, vt ait Rupertus ex eorum malitia, ac nequitia, ob quam eius dicta aduertere nolebant, nam iam eis apertè dixerat Patrem suum esse Deum. Vnde ipsi dixerunt. Ioan. 5. n. 18. *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo:* Si ergo dicta Christi obseruassent, clarè cognoscerent, quòd Patrem suum dicebat Deum. Secundò, Christus subobscure, ac rectè est locutus, ne vehementer ita, & odium Iudæorum contra ipsum commoueretur; si enim clarè dixisset se esse Dei filium, eum tanquam blasphemum lapidassent, & magna prudentia est inimicorum

Cyril. Chrys. Theoph. Euthym. Aug. Beda. Rupert. Ioan. 5.

furorem

furorem declinare: Deinde Christus alto consilio subtectè loquitur, vt eius cognitio esset abscondita, nam si esset manifesta, impediretur passio ac redemptio generis humani, sic ait Paulus 1. Cor. 2. n. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Vnde inquit D. August tr. 40. in Ioan. *Differo cognitionem, vt impleam passionem meam.*

1. Cor. 2. August.

Qvæstio IX.

Quomodo sit explicandum, Principium, in textu iuxta radicem Latinam, Græcam, ac Hebraicam?

73. Interrogatvs Christus Dominus à Iudæis, quis esset, ait eis: *Principium, qui & loquor vobis,* Quæ sententia multas inuoluit difficultates, propter varias lectiones huius loci, ac diuersas Patrum, & Doctorum interpretationes.

74. August. Ambr. Fulg. Prosp. Bernard. Cassian. Rupert. Alb. Mago. Lyran. Carth. Primò D. Augustinus libro 1. de Genes. ad Liter. cap. 5. & lib. 5. de Trinit. cap. 13. & lib. 11. Confessio. cap. 8. D. Ambros. lib. 6. Hexamer. cap. 2. & 4. D. Fulgent. lib. 2. ad Thrasim. D. Prosper in Psal. 109. D. Bernard. lib. 5. de Considerat. Simon Cassian. Rupert. Albert. Magn. Lyran. Carthusian. Hugo, & alij explicant. Quæritis me, quis sum, dico vobis, quod ego sum principium rerum vniuersarum, ac Deus, qui vos ac cætera omnia condidi. Sic dicitur Christus, *Alpha, & Omega, principium, & finis.* Apocalyps. 1. num. 8. *Qui est principium creatura Dei.* cap. 13. num. 14. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est primogenitus ex mortuis.* Ad Colossens. 1. num. 18 Dicitur diuinum Verbum principium omnium rerum, quia *per ipsum facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil.* Ioann. 1. num. 3. De quo latè ibi egi. Accipe Glos. in hoc cap. 8. Ioann. *Pater,* ait, *est principium, non de principio: filius est principium à principio, id est a Patre, qui omnia per filium operatus est. Ipse est enim manus dextera fortitudo, sapientia, & Verbum Patris.* Sicut enim artifex omnia per artem, & sapientia operatur, ita Pater per filium omnia producit; ex quo patet, quòd conuenientius dicitur Pater operari per Verbum, cum sit eius sapientia, quàm per Spiritum sanctum, qui est amor: de quo egi tomo 1. libro 1. cap. 1. quæstione 23.

Apoc. 1. Apoc. 3. Colos. 1. Ioan. 1. Glossa. *Verbum principium omnium.*

75. Græc. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. August. Ambr. D. Thom. Bonau. Secundò, & tota difficultas est. Quia in Græco Principium est in accusatiuo, ita habet Textus Græcus, & legunt D. Chrysostom. Leont. Theophylact. Euthym. Ad quod D. August. tract. 38. in Ioann. D. Ambrosius, D. Thomas, D. Bonauent. & alij, vt se expediant ab hac difficultate, addunt Credite; & sic explicant, credite me esse principium, quj loquor vobis. Hæc expositio addit textui illud *credite*, quod non est in ipso.

76. *Legitima explanatio.* Aptius ergo legendum est iuxta radicem Græcam, cum propositione, iuxta principium, vel à principio, id est quæritis à me: *Tu quis es;* Ego sum à principio, id est ab æterno, Deus verus de Deo vero antequam Abraham fieret, vt ipse explicat num. 58. sic etiam ex radice Hebraïca legitur à principio. Psalm. 92. num. 2. *à sæculo tu es:* ex Hebræo legitur, ab initio tu es, ita explicant hanc difficultatem communiter Recentiores, Toletus, Lucas Burgens. Barradas, Cornelius à Lapide, & alij.

Psalm. 92. Tolet. Luc. Burg. Barrad. Corn.

77. Nonius. Vatabl. Mald. Nonius Poëta, Vatabl. Maldonatus, sic vertunt, & rem expendunt, *à principio.* Id est. Ego sum ille, qui à principio vobis loquor, & prædico, me scilicet esse vestrum Messiam promissum, quem ex mea doctrina, & mea loquela cognoscere potuissetis, sic explanatur lectio Syriaca. *Etiam id, quod incepi loqui vobis.* Et Vatabl. *Principio, vel in primis, quod & loquor vobis.* Quod ipse sic se explicat, *quod omnino hoc ipsum sum, quod à principio dixi,* videlicet Lux mundi, omnium salus, & subintelligitur, & non creditis mihi; tamen hic dicendi modus videtur insolitus, & non multum cohærens cum interrogatione.

78. Isid. Clar. Iansen. Isidorus Clarus, Iansenius, & alij; Cum consequentibus coniungunt, & sic construunt. *In primis.* Seu ante omnia, *quia loquor vobis,* & subauditur. *Non creditis mihi.* Et tunc sequitur, propterea *multa habeo de vobis loqui, & iudicare.* Hæc sententia multa addit textui, & nil facit ad quæstionem Pharisæorum, qui quærebant, *tu quis es?*

79. Aliqui legunt ex Græco, non principium, sed *principatum.* Et tunc est sensus, ego sum principium, cui competit Dominium, ac imperium, principatus totius vniuersi, ac omnium rerum, & tunc videtur allusio fieri ad id, quod dicitur Psal. 109. num. 8. *Tecum principium,* Græcus *principatus in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum.* Et 1. Gen. 1. *In principio creauit Deus.* Legit Tert. *In principatu.*

Psalm. 109. Græc. Gen. 1.

Qvæstio X.

Quare interrogationi Iudæorum respondit Christus se esse Principium?

80. Ambros. Respondent primò D. Ambrosius, lib. 3. de fide cap. 14. *Ex hoc,* ait, *Deum se probauit æternum, quia omnium ipse principium est, & vniuscuiusque virtutis auctor est.* & D. August. lib. 1. de Gen. ad liter. cap. 5. *Principium,* ait, *creatura intellectualis est æterna sapientia; ideóque rogatus Dominus, quis esset: respondit: Principium qui loquor vobis.* Dixerat Dominus de se. *Ego sum,* scilicet qui sum, quod est nomen proprium Dei, cum interrogaretur à Iudæis, vt magis se explicaret, quis esset, ait Principium, se nempè Deum verum, ac omnium auctorem demonstrans; nam per sapientiam condita sunt vniuersa, vt explicaui superiori qu. in prima sententia, sicq; suam diuinam essentiam per beneficentiam declarat, qua maximè homines deuinciat, ac ad se alliciat.

August. *Beneficentia maximè allicit.*

81. Gen. 1. Bruno. Secundò. Christus dicitur principium tanquam quid valdè manifestum in Scriptura, & videtur fieri allusio ad id, quod 1. Genes. 1. dicitur: *In principio creauit Deus.* D. Bruno serm. 1. de Trinitat. *In principio,* inquit, *fecit Deus cælum, & terram, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, conueniens fortè fuerat, vt nomen Patris prius poneretur, qui vbique maximè ab ipso filio honoratur. Sed noluit hoc Moyses, imò Spiritus sanctus, qui loquebatur in Moyse, sed primum nomen filij posuit, ne quærendo erraret Iudæus.* Cum dicitur *in principio creauit*

Hilar. Origen.

creauit Deus, id est, *in filio creauit Deus*; vt legit D. Hilarius; seu *in sapientia creauit*, vt habet Origenes, creauit Deus, id est Pater, sed cur non solum ante vniuersi historiam, aut ante Spiritum sanctum, imò etiam ante Patrem Deum prima voce filius significatur? Pater æternus prior est origine filio, cur ergo saltem eum non nominat ante filium Moyses? Ideo in prima voce filius intelligitur, vt inde maximè comprobetur, quàm patens sit ipse in Scriptura, vt nec Iudæus, nec infidelis quærat errando, cum ipse tam facilè inueniatur, vt statim in primo limine, in primo verbo se ante omnium oculos obiiciat.

Christus maximè notus in Scriptura.

82. Bruno. Carth.

Tertiò. Idem Bruno Carthusian. citato serm. 1. de Trinitat. *Idem ergo per Verbum*, ait, *& principium significatur. Sed nobis verbum vocari debuit, qui docibiles sumus, qui ipsum verbum, & doctrinam audire, & discere parati sumus. Illis verò certè debuit vocari principium, qui eum principium esse non credebant.* Valdè mirum quod loquens Christus cum incredulis Iudæis se principium se appellat; at verò cum suis fidelibus proponitur, dicitur Verbum. *In principio erat Verbum.* Ioan. 1. n. 1. Illis cum essent increduli, dicitur principium, vt eius maiestate deuicti eum vt Deum recognoscant; nobis verò, qui sumus eius discipuli, dicitur Verbum, siquidem eius salutiferis verbis edocti, eum vt magistrum, ac Doctorem vitæ habemus.

Ioan. 1. *Fidelis Christi doctrina instruuntur.*

83. *Deum primo vult cognosci per suam beneficentiam quàm per maiestatem.*

Quartò. Dixerat Christus Dominus de se, *Ego sum*. Scilicet qui sum, nempè verus Deus interrogatus à Pharisæis, quis esset, ait, Principium, scilicet totius vniuersi, ac omnium rerum, cur non potius explicat suam essentiam per sua excellentissima attributa immensitatis, infinitatis, ac incomprehensibilitatis, cur nihil aliud dicit de se, nisi quod sit principium, ac auctor omnium rerum? *Qui loquor vobis.* Tam peculiariter æstimat Deus suam beneficentiam, ac largitatem erga homines, vt magis per ipsam, quam per quæcumque alia attributa, supereminentiam, ac excellentiam suæ essentiæ, nobis aperire, ac declarare noluerit. Quintò ait. *Principium, qui loquor vobis.* ac si ex vno beneficio ad aliud induceretur, ex eo enim quod ipse esset principium, ac auctor omnium rerum mouebatur, vt suas creaturas per suam loquelam, ac doctrinam doceret, ac illuminaret.

84. *Omnia nostra bona Deo referenda.*

Sextò. Dicitur Christus principium; ex hoc instruimur, vt ad ipsum, tanquam omnium principium, & finem omnia nostra referamus, eique omnia nobis data offeramus, pro cunctisque gratias exhibeamus. Concepto Æterno Verbo, cum visitaret sanctissima Virgo Elizabeth multis encomiis ab ipsa extollitur. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini ad me.* Luc. 1. n. 42. Quibus minimè Virgo acquieuit, nec consanguineam pro tantis proclamationibus gratulatur, sed tota ad eum intenta eius laudes celebrat, & decantat. *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo.* Vbi perbelle Nicolaus de Lyra. *O Elisabeth tu me magnificas: sed ego totum Deo attribuens ipsum magnifacio in hoc crimine.* Virgo laudata statim in creatoris encomia prorumpit, cui nempè omne sui decus, & honorem adscribi cupit.

Luc. 1.

Lyran.

85. Moriturus Iacob à filio suo Ioseph vehementer expostulat, vt eum non sepeliat in Ægypto, sed in terra Chanaan cum patribus suis Abraham, & Isaac, quod cum promisisset Ioseph, promissumque iuramento confirmasset, *Adorauit Israël Deũ conuersus ad lectuli caput.* Genes. 47. num. 31. Quisnam pater multis benevolentiæ signis filium non prosequeretur pro tanto obsequio sibi cum iuramento stipulato, tamen ne verbum vnum habet erga filium, sed totus conuersus ad lectuli caput Deum adorat, agnouerat bonus senex, quod prima radix, & fons tanti doni, non erat Ioseph, sed Deus, à quo omne nostrum bonum descendit, & ideo non Ioseph, sed à Deo vtpote primò auctori vniuersa gratulatur; Caietan. *Senex*, ait, *in lectulo iacens super caput lectuli se incurvauit, gratias agens Deo.* Vide de hac re multa tom. 3. cap. 27. quæst. 9. num. 56. 57. 58. & alia ibi loca citata.

Gen 47.

Omne bonum à Deo.

Ioan. 8. n. 28. Dixit ergo eis IESVS: cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor.

Num. 29. Et qui me misit, mecum est, & non relinquit me solum: quia quæ placita sunt ei, facio semper.

Num. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Cùm extuleritis filium hominis, tunc cognoscetis mecum esse, nihilque ex voluntate mei ipsius facere, sed sicut docuit me Pater meus, similiter ipse loquor.

Num. 29. Neque relinquit me solum Pater meus: quoniã ego quod gratum est ei, facio semper.

EXPOSITIO VIII.

86.

DIXIT *ergo eis Iesus.* Non intellexerunt Pharisæi superiora Domini verba. *Ego sum*, scilicet qui sum. *Ego sum principium.* Tunc subdit eis Dominus *Cum exaltaueritis filium hominis.* Id est, cum me in cruce affixeritis. Præclare notat Lyps. l. 1. de cruce c. 3. & 4. & l. 2. c. 5 Quod núquam apud veteres de cruce agentes talis modus loquendi per exaltationem reperiatur, quo Christus suam crucis mortem significauit, nam talis loquutio significat honorem, & non ignominiam, vt omnis crux apud veteres denotabat; & rectè Christus suam crucem dicit exaltationẽ; fuit enim eius eximius decor. D. Augustin. tract 40. in Ioann. *Exaltationem*, ait, *dicit passionis, non glorificationis: Crucis: non cœli: quia & ibi exaltatus est, quando pependit in ligno.* Ad Philip. 2. num.

Lypsius. *Christus non modo loquitur de sua cruce.*

Aug.

Ad Philip. 2.

num.9. *filium hominis.* Modestiæ causa tantam exaltationem suam in cruce per tertiam personam loquitur. *Tunc cognoscetis.* Ex multitudine signorum in mea Morte Sol obscuratus est, terra tremuit, petræ scissæ sunt, tunc etiam ex mea Resurrectione, & Ascensione; de quo quæst. sequenti. Quia *ego sum* verus filius Dei, vt interpretantur
Chrys. August. Cyrill. D. Thom. Euthym. D. Chrysostom. D. Augustin. D. Cyrillus in catena Græca, D. Thomas, Euthymius. *Tanquam Deus dixit ego sum.* Beda. *Quid est ego sum*, ait, *nisi vnius substantiæ cum patre, sicut ad Moysen dictum est, ego sum, qui sum. Verbo substantiali vtitur de seipso Dominus, vt intelligatur, æternam esse substantiam, & vnam esse substantiam Patris, & Filij.* Vel cognoscetis, quod ego sum verus Messias in lege promissus.

Beda.

87. Toler. Chrys. *Et à me ipso facio nihil.* Pergit Dominus, vt ait Toletus, explicare, quæ post ipsius exaltationem credenda erant; & totum, vt ait Chrysost. homil. 52. propter Patris reuerentiam, & in eum refert: tum etiam propter maiorem suæ doctrinæ auctoritatem. Significátque doctrinam, & opera sua esse diuina, & tam à Deo Patre, quam à se Deo, & homine profecta; *à me ipso facio nihil*; nam sicut filius Dei à Patre habet communicatam essentiam, sic & potentiam ad faciendum. *Et sicut me docuit Pater, hæc loquor.* Cognoscetis me ita loqui, sicut me docet Pater, nam à Patre habeo communicatam sapientiam, per quam loquor, & docet D. Augustinus, *hoc est*, inquit, docuit *me Pater, quod est scientem me genuit Pater.*

August.

88. Chrys. Euthym. Theophyl. Alb. Magn. Bonau Carthus. August. *Et qui me misit mecum est.* Hæc addidit Dominus, vt notarunt D. Chrysostom. Euthym. Theophylact. Albert. Magn. D. Bonauent. Carthusian. Ne quis existimaret eum minorem Patre, quem docentem dixerat, neque separatum à Patre, sicut inter homines legatus est disiunctus, ac separatus à mittente. *Qui misit me.* Per Incarnationem. Nam vt ait D. Augustin. *Missio Incarnatio est, & ipsa incarnatio Filij est tantum, & non Patris.* Et sic dicitur Filius missus à Patre. *Mecum est*: Non solum per eandem numero Deitatis essentiam, voluntatem, & potentiam, vt communiter hic explicant sancti Patris, sed etiam per peculiarem prouidentiam, & gubernationem, qua Deus dirigit, & gubernat humanitatem ab eo assumptã, ad omne opus, quod fiebat, ita vt vniuersa Christi opera essent excellentissima, & valdè perfecta, ac diuina. Ita docent hic Euthym. & Rupertus, & D. Cyprian. lib. de Cardinalib. Christi operibus cap. de Iciun. & D. Thom. in 3. dist. 12. quæst. 2. art. 1. & alij multi Patres apud Suarez to. 1. ad 3. part. disp. 33. sect. 2. §. quæ ratio. Vasquez 3. part. disp. 51. cap. 3. *Et non reliquit me solum.* Non solum quatenus Deus Filius non potest deseri, aut separari à Deo Patri, sed etiam prout homo nunquam deseretur, aut separabitur, nam humana, natura semel à Filio Dei assumpta, nunquam dimittetur ab eo. *Quia ego quæ placita, seu grata sunt, facio semper*, non aliquando, sed semper. Sicque ab effectu probat Christus, se à Patre non deseri, ex eo quia, quæ placita sunt ei, facit semper. Qui autem à Deo deseritur, nil rectè agit. Exclamat in præsenti D. Ignat. Epist. 14. *Igitur*, ait, *& nos oportet viuere iuxta voluntatem Dei in Christo, & eum sectari.* Vt caput nostrum imitemur.

Euthym. Rupert. D. Thom. Cyprian. Suar. Vasq.

Ignat.

89. *Hæc illo loquente.* Altissimam, & profundam doctrinam tradiderat Dominus, & tamen non propter signa, sed propter ipsa verba. *Multi crediderunt in eum.* Multi ex simplici turba, pauci verò ex superbis Pharisæis, crediderunt, tum conuicti pondere rationum, tum etiam commoti efficacia diuini verbi, ac tandem allecti gratia, & spiritu eius sermonum; vnde proclamabant *nunquam sic locutus est homo.*

QVÆSTIO XL.

Quare Christus ait, quod eius exaltatio in cruce erit signum, & nota ad eius diuinitatem cognoscendam.

MALDE ignominiosa, ac contumeliosa erat crux apud antiquos. Vnde ait D. Paulus ad Galat. 3. n. 13. *Maledictus homo qui pendet in ligno*: id est valdè execrabilis est, qui tali morte afficitur. Quomodo ergo Christus Dominus suam crucifixionem dicat exaltationem commodius explicabo infra cap. 43. In præsenti tantum inquirimus, quomodo eius crucifixio extiterit signum, & nota vt homines eius diuinitatem cognoscerent. 90. Galat. 3.

Respondet primò D. Chrysostom. homil. 52. *Quando exaltaueritis filium hominis, nonne vos tunc maximè fore putatis, vt me sublato libere agatis, tunc me nihil metuentes? Ego autem dico, quod tunc maximè scietis, quia ego sum: & per signa, & resurrectionem, & captiuitatem; quæ omnia sufficientia erant eius virtutem demonstrare.* Idem docent Ammonius, D. Cyrillus, Leont. Euthym. Theophylact. Beda, Rupertus, & alij: Cum Christus Dominus actus est in cruce, maximè eius diuinitas est manifestata ex euentu rei à se prædicto, vt pronuntiatum fuit ab eo in signo Ionæ Prophetæ. Matth. 12. num. 40. Et cum Dominus esset in cruce, sol obscuratus est, & tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, & terra tremuit, petræque scissæ sunt, & tunc qui aderãt. *Videntes, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Luc. 23. num. 48. Et Centurio, qui ex aduerso stabat; scilicet crucis, *videns quia sic clamans expirasset, ait: verè hic homo filius Dei erat.* Marc. 15. num. 39. In Resurrectione, vt ait Chrysostom. Viderunt, quod per mortem nihil est passus, sed quod glorioſus triumphator exurrexit. Vnde post datum Spiritum sanctum victi Apostolorum miraculis, ac doctrina vno die ter, alio quinque mille homines in Christum crediderunt. Actor. 2. n 41. 91. Chrys. Ammon. Cyrill. Leont. Euthym. Theophyl. Rupert. Beda. *Signa in passione Dei demonstrarunt.* Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. Actor. 2.

Et etiam Iudæi Christum cognouerunt ob magnam captiuitatem, & supplicium in eos illatum à Tito Vespasiano: vt testatur Iosephus l. 7. c. 17. & ab Adriano Imperatore obsidente ciuitatem. *Better*, vt refert Galatin. lib. 4. cap. 21. & etiam à Constantino Magno, vt ait Chrysostom. tr. 2. aduersus Iudæos. Vnde ipsi sui sceleris conscij præclamabant semetipsos tantis castigationibus vexari ob mortem filij Dei ab illis inique inflictam, perbelle ait Hugo. *Vt quem curati noluistis agnoscere, cruciati sciatis.* 92. Ioseph. Galat. Chrys. *Cruciatus aperiunt intellectum.* Hugo.

Secundò D. Augustin. tract. 40. in Ioan. *Tunc cognoscetis, quia ego sum, Quare hoc*, ait, *nisi vt nemo desperet in quocumque scelere malè sibi conscius, quando videat eis donari homicidium, qui occiderant Christum.* Idem etiam docent D. Thomas, D. Bonauentura, & alij. Hoc nobis ingerit magnam 93. August. *Nullus de graui peccato desperet.* D. Thom. Bonau.

fidu

fiduciam,& ſpem;ait Chriſtus:*Cùm exaltaueritis, tunc cognoſcetis*,cùm qui eum exultarunt,ac crucifixerunt,tantum facinus dimittat,eſſque ſuam fidem,ac cognitionem præbeat.

94. Tertiò.Ipſa patientia,ac tolerantia in tot,tantiſque preſſuris, eum non purum hominem, ſed hominem Deum apertè demonſtrabant,ac agnoſcere faciebant,& quem ex tot,tantiſque miraculis Deum non agnouerant, ex tanta patientia in Cruce eum Deum fateri compellebantur.Tertullianus lib.de Patientia,c.2. *Deſpuitur*,ait,*verberatur, deridetur, fadis veſtitur, fadioribus coronatur. Mira aquanimitatis fides, qui hominis figura propoſuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis,patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret.*

Patientia Chriſtum Deum demonſtrat. Tertul.

95. Quartò.Dixerat Dominus in hac concione ſuprà num.24.*Ego ſum*,ſcilicet *qui ſum*,quod eſt nomen proprium Dei, & tamen eum non agnouerunt;deinde de ſe dixerat,num.25.ſe eſſe vniuerſorum principium,*principium,qui & loquor vobis*, & cùm non agnouerunt;modò ait,*Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum.* Per proprium Deitatis nomen;& per id quod eſſet totius vniuerſi auctor, non agnouerunt eius Deitatem;ac maieſtatem,& per crucem,& paſſionem,quæ erat valde ignominioſa,agnoſcent.*Tũc cognoſcetis:*Maiores diuinitatis radios nobis præbuit,ac communicauit mors,paſſio,ac crux Chriſti,quam totius vniuerſi opificium,ac ipſius proprium Deitatis nomen, *Ego ſum, qui ſum.* Vnde meritò Ioannes Aurelianus lib.2.de Cultu imag. ex D.Chryſoſtom.ſic de Cruce ſcribit. *Sola Chriſti crux eſt, qua diſſoluit tenebras, & regnum Dæmonis diſſipauit, Crux nobis ſol iuſtitiæ facta eſt, crúxque cæterorum dux eſt.*

Crux Chriſti maxima reſplendet ſuper omnia opera cæli.

Aurelian.

96. De æterno Verbo loquens Ioan. ait. *In mundo erat,& mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.*1.n.10. Erat in mundo Dei Filius, tanquam illius auctor, & fabricator, & tamen mundus eum non cognouit. Poſtea verò ſubdit Euangeliſt.*Et Verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, ibi num.14. Poſtquam ad nos factus homo deſcendit, & tunc vidimus gloriam eius,quænam eſt eius hæc gloria?niſi iuxta Chryſoſtomum eius paſſio, mors, & crux, & cùm hæc mortis, & crucis gloria, eum agnouimus, quaſi vnigenitum à Patre, *gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Quem totius orbis ſtructura non valuit demonſtrare,mortis, ac crucis gloria, quæ aliàs vilebatur valde contumelioſa eum in omnium oculis declarauit,ac manifeſtauit. Diuus Chryſoſtomus homil.11.in Ioan.*Cùm affixus eſt cruci flagellis, & alapis cæſus, & inſputus ab his, de quibus tam bene merebatur. Siquidem in his ipſis, quæ probri, & ignominiæ plena eſſe videbantur, ipſum Verbum clariſſimum apparuit, hoc Ioannes gloriam appellauit.*

Ioan.1.

Chryſoſt.

Crux, & paſſio faciunt nos videre Dei Verbum. Chryſoſt.

97. Ait anima ſancta:*Aſcendam in palmam, & colligam fructus eius.*Cantic.7.num.8.per palmam crucem intelligunt D.Cyprian.de Paſſione Chriſti, D.Ambr. ſerm.38 D.Thomas,Hugo,& alij multi,ſed quid habet palma, vt ſimilitudinem crucis referat, vt exinde percipiantur fructus eius, fructus eius,fructus ſcilicet Paſſionis Chriſti? Polchrè Caſſiodor.in Pſalm.91. *Palma*,ait,*quaſi quibuſdam radiis ornata diſtenditur. Quid verò cruce ſplendidius? Quod radiantius? certè extremo iudicij tempore cùm Sol obſcurabitur,& Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo, tunc apparebit ſignum filij hominis.* Matth.24.nu.30. Ad ſimilitudinem palmæ veluti quibuſdam radiis circũcingitur crux, qui adeo fulgentiſſimi ſunt, quod quamuis alia lumina obſcurentur,illis crux valde mirabiliter reſplendet. D.Chryſoſtomus homil. de cruce,& latrone. *Vidiſti*,ait *gloriam ſigni*,id eſt crucis,*ſolis lumen reddetur obſcurum,luna non dabitur gratia, ſed illud lumen radiabit, & lucebit, tanta enim lux ipſius luminis præclareſcet.* Et ideo fortaſſe in Chriſti morte ad tanti luminis aſpectum ſol ſuos abſcondidit radios.

Cyp. Ambr. D.Thom. Hugo.

Caſſiod. Pſalm.91.

Matth.24. Crux miriſicè reſplẽdet.

Ioan.8.num.31. Dicebat ergo Ieſus ad eos, qui crediderunt ei Iudæos:ſi vos manſeritis in ſermone meo,verè diſcipuli mei eritis,

Num.32. Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Num.33. Reſponderunt ei: ſemen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam; quomodo tu dicis: liberi eritis?

VERSIONES.

Græcus n.31. Si vos perſiſteritis in ſermone meo.

D.Athan. l.de Incarnat. Reuera liberi eritis.

Vatablus n.32. Et intelligetis veritatem.

Syriacus n.33. Et nunquam ſeruitutem cuiquã ſeruiuimus. Quomodo tu dicis: eritis filij ingenui?

Theophylact. Quomodo tu dicis, liberi redimemini?

Euthymius. Liberi efficiemini.

EXPOSITIO. IX.

98. DICEBAT *ergo Ieſus ad eos.* Illa particula, *ergo*, connectit hæc cum ſuperioribus, de quib.immediatè ſuperiori verſu.Dixerat Euangeliſta.*Quod multi crediderũt in eo.* Ad hoc loquitur Ieſus, *qui crediderunt ei.* ſuperficialiter,ſcilicet,ac fide imperfecta,vt docet D.Chryſ. Leont.Euthym.Theophyl.D.Thom.D. Bonauent,Hugo,& alij;ea enim quæ Chriſtus dixerat de ſuo Patre,de ſuáque diuinitate,ac paſſione non perceperunt,vt patet ex ſuperiorib. verſ. 27. & 28. *Iudæos*,ſiue ex Iudæa propriè dicta,ſiue ex Galilæa. Et cùm Iudæos dicit, homines plebeios intelligit, provt diſtinguuntur à principibus,& Phariſæis. *Si vos manſeritis in ſermone meo.* Hoc eſt ſi perſeuerãtes,ac conſtantes ſteteritis in mea fide,ac doctrina,cùm enim agnouiſſet inconſtantiam humanam, maximè eos ad perſeuerantiam exhortatur, qua opus bonum perficitur, & conſummatur. *Verè diſcipuli mei eritis.* Euthym. *Eritis*,ait,*nondum eſtis.*Et ait,*vere diſcipuli mei eritis.* Fructuosè nempe,ſunt enim qui ad tempus credunt

Chryſoſt. Leont. Euthym. Theophyl. D.Thom. Bonau. Hugo.

Euthym.

Luc.9. *Proposito præmio excitantur.*

cedunt, sed in tempore tentationis recedunt. Luc.8.n.13. Hi nimirum nomen discipuli Christi non merentur, cùm fructum, ac finem discipuli non assequantur, æternam scilicet vitam; & hoc hîc apposuit Christus Dominus propter eos, qui crediderunt, sed cirò recesserunt, de quibus Ioan. 6.num.66. *Et quia*, vt ait Hugo, *sciebat Dominus corda istorum debilia adhuc, ideo magna eis promittit, scilicet discipulatus honorem in præsenti, & in futuro veritatis cognitionem.*

Ioan.6. Hugo.

99. *Et cognoscetis veritatem.* Promiserat Dominus perseuerantibus in eius doctrina, quod fierent eius discipuli, nũc explicat duplici pronuntiatione, quam vtilitatem eius discipuli assequantur. *Primò cognoscetis veritatem.* Diuus Cyprianus lib. de bono patientiæ, Diuus Augustinus, Beda hic hoc referunt ad cognitionẽ futuram in patria, in qua ait August. veritas cognoscitur non per sonantia verba, sed per lumen splendens. Rupertus, Cajetanus, Lucas Burgens. hoc referunt ad ampliorem cognitionem habendam in die Pentecostes omnes Græci, D. Chrysost. Ammonius, D. Cyrill. in Catena Græca, Leontius, Theophyl. Euthym. de ipso Christo sententiam interpretantur, ac si ipse dicat, cognoscetis me esse ipsam veritatem in vmbris, ac figuris legis veteris contentam. Aptius tamen ad Christi mẽtem explicandus est locus cum D. Thoma, Iansenio, Maldonato, Cornel. à Lapide, ac si dicat Christus. Si permanseritis in mea doctrina, per ipsammet doctrinam, ac eius experientiam agnoscetis, & gustabitis illius veritatem, sinceritatem, ac puritatem, in nullóque vos esse deceptos iudicabitis, sed plenissimè omnia, quæ de me credidistis esse vera agnoscetis.

Cyprian. Auguſt. Beda. Rupert. Caietan. Luc.Burg. Chryſoſt. Ammon Cyril. Leontius. Theophil. Euthym. D. Thom. Iansen. Maldonat. Cornel.

100. *Et veritas liberabit vos.* Proponit Dominus secundam vtilitatem prouenientem ex eius doctrina, ac discipulatu. Libertatem nempe; quia vt ait D. August. serm.48. de verbis Domini secundum Ioan. *Si non delectat veritas, delectet libertas. Hæc doctrina Christi liberos, & ingenuos nos facit, educens à statu seruorum in statum filiorum adoptionis.* At Galat.4.n.5. Quæ libertas tres libertates secum inuoluit, à peccati, legis veteris, & corruptionis seruitute. Lex Euangelica liberat à peccato, de qua libertate principaliter hîc locus intelligitur, vt docent D. Augustin. D. Chrysostom. Euthym. Theophylact. Nam licèt in lege veteri daretur libertas à peccato, hoc tamen non fiebat remedio proprio ipsius legis veteris, seu scriptæ, sed per fidẽ Christi venturi, quæ ab Adamo incœpit trade in posteros, imò & circumcisio non fuit propria legis scriptæ, nam data fuit Abrahamo per quadringentos annos Gen.17.n.10. antequam lex daretur Moysi, & sic dicitur Ioan.7.n.22. Circumcisionem non fuisse ex Moyse, sed ex PP. vt obseruant Iosephus Angles in 4.dist.3.art. vlt. cõcl. 3. Fauent. ibid. dist.3.cap.3.n.41. Pitig. in 4 dist.1. q.6.art.9. & nos ad citatum Ioan. locum diximus cap.14. At in lege gratiæ datur libertas à peccato per propria Sacramenta ipsius legis. Secunda libertas est à ingo, ac onere legis veteris, quæ seruorum propria erat. *In seruitutem generans.* Ad Gal.4.n.22. à quo iugo nos Christus liberauit, vt ibi dicatur. Tertia libertas est à corruptione, ac morte, scilicet à mortalitate, illiusque miseriis, à quibus liberamur per resurrectionem, & gloriã, quam nobis Christus confert, vt præsentem rectum interpretantur D. Athan. serm.3. contra Arium. D. Cyprian. libro de bono patientiæ, tamen præcipua intelligentia est de libertate à peccato.

Auguſt. Galat.4. Auguſt. Chryſoſt. Euthym. Theoph. Gen.17. Ioan.7. Angles. Fauent. Pitig. Galat 4. Athan. Cyprian.

Vers.33. *Responderunt ei.* Origenes, D. Chrysostomus, Theophylact. existimant fuisse illos, qui crediderunt. D. verò August. tract.41. & communiter Recentiores, alios fuisse asseuerant, erant enim omnes credentes, & non credentes permixti in illa turba; & solùm à Iesu cogniti; quod autem hæc responsio non fuisset credentium, sed rebellium ex eo patet, quia ipsum Iesum quærebant occidere infrà n.37. & 40. quomodo enim tam subitò mutati essent? *Semen Abrahæ sumus*, maximè de tanto Progenitore gloriantur, quod apud eos erat præcipua nobilitas. Duo eis dixerat Dominus. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Notabatur in eis ignorantia, & seruitus, de ignorantia nil curant, ad tuendam tamen libertatem, ac nobilitatem prosiliunt; sic ianè vt notarunt Chrysostomus, Leontius, Euthymius, Theophyl. Multi Christiani, si de suis moribus arguãtur, quod sunt improbi, impuri, maledici, dissimulant, & contemnunt: at si eorum nobilitas, vel prosapia leuiter attingatur, tanquam feroces leones fremunt, ac irascuntur. *Nemini vnquam seruiuimus*; Christus non de seruitute, ac libertate ciuili, sed spirituali loquebatur, at ipsi temporalibus intenti de seruitute ciuili intellexerunt: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* 1. Cor.2.num.14. *Nemini vnquam seruiuimus.* Tanquam mancipia vendita, de quo quæstione sequenti.

101. Origen. Chryſoſt. Theoph. Auguſt. *Homines non dolent si de vitijs arguuntur, sed si de sua nobilitate.* Chryſoſt. Leont. Euthym. Theoph. 1.Corio.4.

QVÆSTIO XII.

Quare Iudæi dicunt se nemini vnquam seruisse, cùm constet eos seruisse in Ægypto, & Babylonia?

101. *Ratio difficultatis.* Auguſt. DICVNT Iudæi in præsenti, *Nemini vnquam seruiuimus*, & ratio difficultatis est in promptu, quia eorum patres in Ægypto seruiebant regibus, vt ait D. August. citandus non in auro, & argento, sed in luto facientes latera; vnde ait D. Aug. tr.41 in Ioan. *O ingrati quid est quod assiduè vobis imputat Deus, quod vos de domo seruitutis liberauerit?* Exod.13.num.14. similiter à Babyloniis captiui eis seruiebant, quod etiam dici potest de tempore Iudicum, ab eis enim à diuersis rationibus fuerunt libertati, imò & Ioseph venditus est, vt apertè ex Scriptura constat, quomodo ergo dicunt se nemini vnquam seruisse? Exod.13.

103. Caietan. Ianſen. Toler. Barrad. Respondent primò ad quæstionem Caietanus, Iansen. Tolet. Barrad. quod Iudæi in præsenti non loquuntur de suis parentibus, quia valde in confesso erat, quod ipsi in Ægypto, ac Babylonia seruierint; sed isti loquuntur de suismet personis, quia nunquam ipsi seruierant, & si sub potestate Romanorum erant, non tamen eorum erant serui, ac mancipia vendita, sed subditi duntaxat parentes illorum Imperio.

104. Chryſoſt. Auguſt. Leont. Beda. Euthym. Theoph. Rupert. Alb. Mag. D. Thom. Bonauent. Secunda sententia, & valde communis Patrum, D. Chrysost. D. Augustin. Leontij, Bedæ, Euthym. Theophylact. Ruperti, Alberti Magni, D. Thomæ, D. Bonauent. est eos falsum dixisse, ac mentitos esse, dum suum genus plus æquo volunt extollere, sic enim fieri solet, vt qui multum gloriantur, mendaces fiant, si autem eos de minus de mendacio non urguit, noluit eos statim multo rubore,

ac

ac verecundia afficere, sed dissimulat, & inceptum sermonem prosequitur.

105. Hæc secunda sententia mihi verisimilior est. Primò propter communem consensum Patrum, secundò quia si Iudæi de suis personis tãtum loquerentur, dixissent, nos nemini vnquam seruiuimus, at cùm semen Abrahæ commemorant: *semen Abrahæ sumus*; ad suos parentes videntur extendere sermonem. Deinde Iudæorum dictũ in hoc videtur subsistere verum, quia licèt eorum maiores fuerint subacti in Ægypto, & Babylonia, nunquam fuerunt distracti, & venditi in seruos, & mancipia. Tandem si seruierunt in Ægypto, & Babylonia, hoc non ex eo fuit, quia essent serui natura, & conditione, sed vario casu: sicut si vir illustris bello in seruitutem redigatur, absolutè ipse non dicitur seruus, cùm non fuerit seruus natura, & conditione, sed fortuna, & casu, ac eius filij non dicuntur ex genere seruili, sed libero; sic Iudæi se dicunt nunquã nemini seruire iure seruitutis, séq; opponunt filiis Chanaan, *qui maledictus seruus seruorum erit fratribus suis*. Gen. 9. n. 25.

Explicatur vt verisimilior secunda sententia.

Gen. 9.

106. Preme id, quod dicunt: *semen Abrahæ sumus*: loquebatur Christus de seruitute spirituali, scilicet peccati, non respondent ostẽdendo proprias virtutes, quibus à peccato essent liberi, sed confugiunt ad radicem sui generis, & ad gloriam sui parentis, sic sæpe contigit vt qui vacuus est in se, valde inflatus est de suis maioribus, multusque in illis recensendis. Interrogata Rebecca ab Abrahami seruo quænam esset? Respondit. *Filia sum Bathuelu, filij Melcha, quem peperit ipsi Nachor*. Gen. 24. n. 24. Non solùm parentem, sed auũ, ac atauũ nominat. At Dauid interrogatus à Saule, quisnam esset dixit. *Filius serui tui Isai Bethlemitis ego sum* 1. Regum 17. num. 58. Cur illa tanta est in referendis suis maioribus, Dauid verò tam parcus? habebat Dauid in manibus Goliath caput, simul cum illo gladio, quem à Gigante abstulerat, & qui tanto facinore irradiabat, non cutat maiorem splendore, ac gloria, sed propriis factis nitere. At Rebeca hydriam tantum in manibus tenebat, & quæ in se penè nihil habebat, maiorum gloria illustrari volebat, hoc enim homines facere frequenter, cùm in se nil laudabile agnoscant. Imperfectus homil. 3. in Matth. *Ipse*, ait, *se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus.*

Gen. 24.

1. Reg. 17.

Vacuus est virtute, qui de maioribus se iactat.

Imperfect.

Ioan. 8 num. 34. Respondit eis Iesus: amen, amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.

Num. 35. Seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

Num. 36. Si ergo filius vos liberauerit, verè liberi eritis.

Num. 37. Scio quia filij Abrahę estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

Num. 38. Ergo quod vidi apud Patrem meum loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum facitis.

VERSIONES.

Syriacus n. 35. Seruus autem non permanet in æuum in domo: filius verò in æuum permanet.

Num. 36. Si ergo ipse filius asseruerit vos in libertatem, verè eritis filij ingenui.

Num. 37. Quæritis me interficere, propterea quod sermoni meo capiendo non sufficiatis.

Vatablus. Quia sermo meus non habet locum in vobis.

Arabicus. Sermo meus non est firmus in vobis.

EXPOSITIO. X.

RESPONDIT *eis Iesus*. Non ad primum, quod dixerunt gloriantes se de semine, quod nemini vnquam seruierant, sed explicat, de qua seruitute loquebatur, non de ciuili nempe, sed de spirituali scilicet peccati, vt adnotarunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthym. *Amen, amen dico vobis*, Hæc vocis geminatio superlatiuum est apud Hebræos, & ponitur pro re verissima. Et vt ait Diuus Augustinus tract. 41. *Multum commendat, quod ita pronunciat, & si dici fas est, iuratio eius est*; & hac voce etiam vtitur vt eos attentiores faciat. *Quia omnis*. Id est nullum excipio, etiamsi filius sit Abrahæ, vel non, etiamsi nulli vnquam hominum seruierit, qui, & viderut alludere ad id, quod dixerant, nemini vnquam seruiuimus. *Omnis qui facit peccatum*, id est qui committit peccatum siue internum, siue externum; sermo est de peccato mortali, nam hoc absolutè, & simpliciter dicitur peccatum, vnde non est sermo, vt ait Carth. de peccato veniali, quia hoc nõ tollit charitatis libertatem; *seruus est peccati*. Peccãdo subiicitur homo peccato, à quo non potest se expedire, nisi adsit diuina gratia. Nota quod Christus cum multa prudentia, ac modestia loquatur in genere, ac in tertia persona, cùm posset dicere, vos estis serui peccati, sed noluit eos ita nominatim verecundia afficere: quo loquendi modo etiam vtuntur Paulus. Rom. 6. num. 14. & Petrus 2. Epist. capite 1. numero 19. Et Salomon Prouerb. 5. numero 22. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

107.

Chrysost. Theophyl. Euthym.

Augusti.

Carth.

Rom. 6.

2. Petr. 2.

Prou. 5.

Seruus autem. Dixerat Dominus, *qui facit peccatum, seruus est peccati*. Nunc explicat huius seruitutis grauissimam pœnam, quam Theologi pœnam vocant damni: *Non manet in domo in æternum*. Et est sensus, seruus non habet ius manendi semper in domo heri, id est, vt interpretantur Diuus Augustinus, Beda, Diuus Thomas in Ecclesia Dei, quia licèt pro aliquo tempore sit de populo Dei, tamen post mortem, vt explicat D. Cyrillus, eijcitur in tenebras exteriores gehennæ. *Filius autem manet in æternum*, hoc est semper manet apud Deum patrem in sua Ecclesia; in hac vita, in Ecclesia militanti, in altera in triumphante. Similitudo autem stat in hoc, quod apud Iudæos post septem annos, Iubilæi nempe anno serui dimittebantur liberi. Exod. 21. numero 2.

108.

August. Beda. D. Thom. Cyril.

Exod. 21.

Deut.15. Deuteron.15. numero 12. & apud alias nationes ſerui venundantur,& paſſim de domo in domum tranſeunt, analogia ſtat in eo ,,quod plerúmque fieri ſolet ; at filius tanquam hæres ſemper retinet ſui Patris domum.

109. *Si ergo* vos peccati eſtis ſerui vtpote origine ex Adamo extorti,*vos filium liberauerit*. Si ergo natura filius Dei, omnium peccatorum remiſſionem faciens, de ſe per tertiam perſonam loquitur, dans gratiam,& auxilia ad expurganda, ac ſuperanda peccata,*vere liberi eritis*. Id eſt verè, perfectè,ac ſolidè.Et duo hoc verbum videtur hic denotare, vnum libertatem, nempe ex Abrahamo, vel Moyſe, de qua ipſi multum gloriabantur veram non eſſe,vt in præſenti ponderant Chryſoſt. D.Cyril.S.Thom. D.Bonau. & alij ; alterum eos non poſſe alia ratione veram obtinere libertatem, niſi eos filius Dei ipſe Ieſus Chriſtus omnium redemptor liberauerit ; ipſe enim ſolum habet ius liberandi, alij enim omnes ſunt ſerui,& ſolùm per ipſum liberantur.

Chryſoſt. Cyril. D Thom. Bonauent.

110. *Scio quia filij Abraha eſtis*. Duo dixerunt Iudæi verſ.33. *Semen Abraha ſumus, nemini vnquam ſeruiuimus*. De ſeruitute hactenus Dominus egit, eos verè ſeruos oſtendens, vt notant Rupertus, Albertus Magnus,cum ſub peccato eſſent venundati,nunc verò eorum gloriationem de nobilitate Abrahæ patris refutat. *Scio quia filij Abraha eſtis*. Vos nempè agnoſco originem habere ſecundum carnem ab Abrahamo, & vt notant D. Chryſ.Theod.Heracleotes,Leontius,Euthymius, Theophyl. & non ſtatim in eos inuehitur, ſed priùs eis blanditur, ac eos demulcet, dicens eos à ſe cognoſci filios Abrahæ, & poſtea eorum vitia aliena ab Abrahamo arguit. D.Chryſoſtom. *Placide, & pedetentim eos ab Abraha cognitione abſcindens*. Et ſubdit : *ſed quæritis me interficere*. Quod valde alienum eſt à filiis Abrahæ ; *quia ſermo meus non capit in vobis*. Non habet locum in vobis,nec illum intelligitis,nec percipitis, vt illi ſubditi ſitis,& obediatis.Ac proinde totus ſenſus eſt, fateor vos ab Abrahamo originem trahere, ſed cum me vultis occidere,quia veritatem dico, facti eſtis Abrahamo degeneres.

Rupert. Alb.Magn.

Chryſoſt Theodor. Leont. Euthym. Theophyl.

111. *Ego quod vidi*. Aſſignat Chriſtus Dominus rationem,cur Iudæi cum quærant interficere,ac ſua doctrina in eis non capiat. *Vidi apud Patrem loquor*:tota nempè mea doctrina,ac ſermo eſt cœleſtis,& diuinus. Nam ego ea loquor, & prædico, quæ apud Deum Patrem vidi, ſicque hoc ſermone vt obſeruarunt D.Aug.Beda,D.Thom. Tolet. ſuam diuinitatem declarat, quod cum filius Dei ſit apud Patrem ſemper exiſtens, in eſſentia diuina, vna cum Patre omnia videat, & quæcumque etiam, vt homo loquitur in ipſa eſſentia diuina, per ſcientiam creatam videt, & intuetur;& quãuis ſemper videat in Patre, de præterito tamen loquitur,*vidit*, vt humano mori ſe accommodet, humanæque infirmitati condeſcendat,*Et vos quæ vidiſtis*. Aliqui codices Græci habent. Audiſtis. Sed idem eſt ſenſus vt notarunt Appollinarius, & Theophyl.nam idem valent audire, & videre, vtrumque enim ſignificat cognoſcere, ac ſcire: *Vidiſtis apud Patrem veſtrum*, Non quod Iudæi viderint Diabolum, ſed quod ipſo inſtigante viderint peccata, in quibus diabolus, eiuſque malitia exprimitur,ac ſignificatur. *Facitis*. Dum me quæritis interficere, meámque doctrinam reprobatis.

Aug. Beda. D.Thom. Tolet.

Appoll. Theoph.

QVÆSTIO XIII.

Quare peccans dicitur peccati ſeruus?

RESPONDEO primò ex mente S. Auguſt.citandi tract.41.D.Gregorius lib.4. Moral. cap.42.& l.25.c.20.Theophylact.Alberti Magni, D.Thomæ, D.Bonau. Tolet. ac aliorum ; Seruitus iſta in hoc ſtat,quod à peccato commiſſo nullus homo ſuis viribus ſe poſſit liberare ; quamuis enim peccati actio, illiuſque comes delectatio facilè habeantur, macula tamen peccati remanet infixa anima, tanquam ſtigma in fronte ſerui, ratione cuius homo conſtituitur,ac agnoſcitur à Deo, vt exoſus, inuiſus, inimicus, ac peccator.Remanet etiam reatus æternæ pœnæ, nam per peccatum homo illius afficitur dignus,remanet etiam continuus conſcientiæ ſtimulus, & morſus, quo peccatoris animus per ſingula momenta diu,noctuque premitur,ac torquetur, hiſque tanquam quibuſdam vinculis miſer homo vt captiuus, & ſeruus aſtrictus tenetur, ab illiſque minimè ſuis viribus ſe valet eripere,quam ſeruitutem explicans D. Aug. citatus, exclamans ait : *O miſerabilis ſeruitus, ſeruus hominis aliquando ſui domini duris imperijs fatigatus,fugiendo quieſcit:ſeruus peccati quò fugit:ſecum ſe trahit quocumque fugerit.Non fugit ſeipſum mala conſcientia,non eſt quo eat, ſequitur ſe, imò non recedit a ſe, peccatum enim quod facit,intus eſt*. Hoc durum iugum peccati ſolùm poteſt homo excutere à ſe Dei gratia, & auxilio,quo excitatur ad contritionem,& pœnitentiã, ex qua ſeruo peccati fit filius Dei adoptiuus.

112. Ang. Greg. Theoph. Alb Mag. D.Thom. Bonau. Tolet.

Peccator vt ſeruus aſtringitur peccati macula reatu pœnæ, & morſu conſcientiæ.

113. Secundò. D. Hieron. in cap.2. Ierem.num.14. *Nunquid ſeruus eſt Iſrael* ; ſic ait, *Neſciebam quod omnis, qui facit peccatum, ſeruus peccati ſit : & ſeruiat vnuſquiſque ei a quo vincitur. Nati ergo de amico Dei Abraham ; vitio ſuo facti ſunt quaſi filij Cham, cui dictum eſt, maledictus Chanaan, ſeruus erit fratribus ſuis*. Cùm homo à peccato ſit deiectus,ac proſtratus, hinc fit vt illius ſeruus efficiatur,nam vt ait D.Petrus Epiſt.2.c.2.n.19. *A quo quis ſuperatus eſt,huius & ſeruus eſt*.Hoc eſt in ſeruitutem addictus eſt:Hinc mancipium dictum eſt quaſi manu captum in bello, & ſeruus quaſi ſeruatus ab hoſte,vt ait D.Auguſt.lib.19. ciuit.c.15. Iure enim ſic inducta eſt ſeruitus, dum victores hoſtibus bello captis,quod occidere poterant vitam condonarunt,necémque in ſeruitutem commutarunt,vt docet Iuſt. In inſtit.de iure perſ.l.4. §.1. Vnde cit.loc.Petri ſic legit.D.Auguſt. *A quo enim quis deictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt*.

Hieron. Ierem.2.

Homo ſeruus peccati, à quo eſt victus. 2.Petri 2.

Aug.

Iuſt.

114. Tertiò.Vnum peccatum ſemel admiſsũ ſemper ſollicitat, ac inſtigat hominem ad noua peccata committenda, nec facilè valet homo ei reſiſtere, quin moueatur ad imperium peccati tanquam Domini ſui contra rationem, tãta eſt enim debilitas hominis per peccatum, vt facilè ſuccumbat nouis peccatis, tanquam vinculis quibuſdam detentus, & peccato tanquam domino ſuo traditus, vt ei ſeruiat,& obediat,ſicait Paul. Rom.7. n.14. *Carnalis ſum venditus ſub peccato*.Syr.*Venditus peccato*. Vendere iuxta radicem Hebraicam tradere ſignificat, quod enim venditur, traditur ementi tanquam domino, vt ei ſeruiat.Et cõfirmatur totus diſcurſus ex eodem Paulo citato loco num.8. vbi ait : *occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*.

Homo vt ſeruus peccati multa peccatis ſuccũbit.

Rom.7. Syriacus.

Hoc

Anselm. Hoc est, vt explicat D. Anselm. vno peccato admisso concupiscentia, ac fomes peccati, quasi sopitus, vt canis dormiens, occasione legis sibi aduersæ per suum mandatum excitatus, & irritatus exarsit in omnes prauos motus, scilicet superbiæ, gulæ, & cæterorum vitiorum.

115. Ambr. Quartò. D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 4. *seruile, ait, est omne peccatum libera innocentia, quomodo enim non seruus omnis auarus; qui pro exiguo pecuniæ lucello seipsum auctionatur? quomodo non & ille seruus, qui subditus est libidini? Primum suis ardet incendiis, & peccati sui facibus exuritur, suscipit omnes metus; insidiatur somnis singulorum, vt vnus cupiditate potiatur, fit seruus omnium. Seruit igitur, ac miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominos facit, ipse vult habere, quos timeat.* Per peccatum valde rigidam, & duram seruitutem habet homo, omnes in se suscipit timores, vigilias amplectitur, labores, ac molestias non refugit, se multis tãquã dominis submittit, vt vnius cupiditate potiatur, ac iucundetur, sicque miser, vt suis vitiis subsequatur, ex Domino fit seruus.

Peccator sub dura seruitute generi.

116. Septuag. Gen. 39. Iuxta Septuag. *Iniecit vxor Domini sui oculos in Ioseph.* Genes. 30. num. 7. & iterum. *Dixit vxori Domini sui*, num. 8. Vxor viri priuilegio gaudet, si maritus dominus, etiam, & illa domina erat, cur ergo non domina, sed vxor Domini dicitur; Putiphar cum libidine luxuriæ non esset infectus, dominus nuncupatur; At illa quomodo domina esset dicenda, quæ adulterij inundatione à dominatu ceciderat, ac peccato seruierat? D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 5. *Rectè*, inquit, *vxor domini, nõ ipsa domina dicitur: nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat officium, quæ disciplinam domina non tenebat, ille dominus, qui amantis non excepit facet*, &c.

Peccator à dominatu cadit.

117. Cùm Israël pergeret per desertum clamat populus contra Dominum, *recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia, anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Num. 11. n. 5. Cur qui Angelorum pane recreabantur tam affectuosè cupiunt escas, quibus in Ægypto sub Pharaonis iugo vtebantur? Manna cibus filiorum, vtpote panis Angelorum. Porri, cepe, & allia, & similia eiusdẽ generis, quibus in Ægypto vescebantur, propria extabant seruorum alimenta; Cùm autem Israëlitæ per suam concupiscentiam, à filiorum iure seruorum conditionem cecidissent, inde eorum seruitute impellente, filiorum escas respuunt, & seruorum tantum concupiscunt. Nouatianus Epistol. de cibis Iudaicis cap. 4. apud Tertul. *Diuinè Manna epulis vilissimos Ægyptiorum cibos præferre ausi sunt, carnes iurulentas inimicorum, atque dominorum ante libertatem ponentes, digni sanè, quos optata seruitus saginaret, quibus malè displicuit, & melior, & liber cibus.*

Num. 11.

Peccator à sua conditione pellitur in rem seruorum.

Nouat.

QVÆSTIO XIV.

Quare Christus ait, Sermo meus non capit in vobis; scilicet Pharisæis?

118. Theoph. HEOPHYLACTVS in præsenti: *Sermo meus non capit in vobis. Sermo meus*, ait, *sublimior est vestra cogitatione, & à vobis capi nequit.* Sed quamuis valde sublimis esset Christi doctrina, tamen si Iudęi pium exhibuissent animum, ac benevolum affectum erga Christum deposita malevolentia, ab ipso illuminarentur, vt depulsa tenebrarum caligine ex mõte verba eius perciperent.

Secundò. Augustinus tract. 42. *Sermo meus*, 119. Aug. ait, *non capit in vobis; si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, inter retia fidei tanquam pisces concluderemini. Quid est ergo non capit in vobis? non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus; tunc capit, quando capitur.* Expende vltima verba, *tunc capit, quando capitur.* Tunc enim sermo Dei capit in aliquo, quando aliquem ingreditur, eiusque cor penetrat, & tunc capitur verbum, quando ab homine tenetur, ac ab illo inter se cõtinetur, nec enim sat est, vt quis verbum sono tantum aurib. excipiat, sed in cor, ac intima viscera transmittendum est, vt ab illo hominis viscera confingantur, ac moueantur; quemadmodum enim piscis in viscеribus trahit hamum, per hamumque ex pelago in litus extrahitur: sic bonus verbi auditor inter viscera sua trahit Dei verbum, per illudque tanquam per hamum ex lethali peccati profundo in præiucundum gratia litus transmittitur.

Sermone Dei suscepto ex peccato ducimur in vitã.

Tertiò. D. Chrysostom. homil. 53. *Non dixit*, 120. Chrysost. ait, *non capitis sermonem, sed sermo meus non capit in vobis, ad doctrinæ magnitudinem significandam*, vt explicatur in margine S. Doctoris, ac etiam habet Beda non in vobis, hoc est *non habet locum in vobis.* Vnde Syriacus legit: *sermoni meo capiendo non sufficitis.* Ac si dicat Christus, quod sermo meus non capit in vobis, vestra quidem hæc, & non mea culpa est. Corda enim vestra plena sunt inuidia, & odio mei, vt sermõ meus nequeat in illis recipi, sed reiiciatur; quemadmodum cibus stomacho vitiosis pleno non valet excipi, sed euomitur, est enim mẽtaphora sumpta à simili huiusmodi re, expurgandus est animus à vitiis, vt illum Christi sermo penetret, quod etiam Gentilis Seneca de sapientia asseruit. Epistol. 88 *Magna, & spatiosa res est sapientia vacuo illi locus opus est.* Et post nonnulla ait: *Hæc tam multa, & tam magna vt habere possit liberum hospitium, supernacua ex animo tollenda sunt. Non dabit, se in has angustias virtus: laxum spatiumve magna desiderat: expellantur omnia: totum pectus illi vacet.*

Beda. Syrus.

Vt sermo Dei suscipiatur, cor à peccatis euacuandum.

Seneca.

Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, ait Psalmista 118 num. 112. opposita verbo legit D. Hilarius. *Declinaui cor meum*, qui se inclinat appropinquat, ac accedit; qui verò declinat, recedit, ac se retrorsum reflectit; quomodo ergo vtraque lectio subsistit; optimè, sanè vna alteram explicat, qui se enim inclinat, ac admouet ad faciendas Dei iustificationes, eiusque mandata adimplenda, necesse est, vt à se, suisque vitiis, ac concupiscentiis declinet, ac recedat, vt his euacuatus aptum vas reddatur ad Dei præcepta capienda, ac suscipienda. Citatus D. Hilarius: *Cor suum ipse declinat*, ait, *& ex natura humana peccatis in obedientiam Dei inflexit. Natura quidem, & origo carnis sua eum detinebat: sed renuntians, & religio cor eius ex eo, in quo manebat originis vitio ad iustificationum opera declinat.*

121. Psalm. 118.

Abiide peccata vt pateat animã ad Dei doctrinam.

Hilar.

A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum. Idem regius Vates. Psalm. 60. num. 2. Nunquid Dauid aliquando accessit ad Indos, vel ad nostros Lusitanos; nunquam ipse legitur egressus ex Iudæa, quæ in medio terræ consistit,

122. Psalm. 60.

Psal.73.n.13. Quomodo ergo è finibus terræ ipse clamare dicitur; sine dubio figurata est locutio, per terram ergo terrenam substantiam intelligit, ait ergo quod ita à se, terrenáq; concupiscentia, ac sæculi desiderio erat segregatus, tanquam, si iam à tota terrena machina exiisset, ad extremósque carnis fines deuenit, sícque esset in carne, ac si à carne esset egressus, & tunc tanquam maximè dispositus dicitur ad Dominum clamare. D. Hilarius: *Non hic*, ait, *extrema solitudinum, aut contigua Oceani incolabat: sed sciens se in carne quidem, qua terra est degentem iam in fine carnis habitare: dum secundum Apostolum habitans in corpore peregrinatur a Domino; dum viuens iam non sibi vivit, sed vivit in eo Christus.*

Psalm.37. *Dimitte terræ vt ad Deum exeas.*

Hilar.

*Ioan.*8.*n.*39. Respondérunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est; Dixit eis Iesus: si filij Abrahę estis, opera Abrahæ facite.

*Num.*40. Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit.

*Num.*41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati: vnum Patrẽ habemus Deum.

VERSIONES.

*Chrysost.Orig. num.*39. Si filij Abraham essetis, opera Abrahæ faceretis.

*Syriacus n.*40. Nunc autem ecce studetis me interficere.

*Syriacus n.*41. Nos ex scortatione non sumus: vnus est nobis Pater Deus.

Euthym.Vat. Nos è stupro non sumus nati.

Arius. Nos ex fornicatione non sumus facti.

EXPOSITIO II.

123. RESPONDERVNT, & *dixerunt ei: Pater noster Abraham est.* Quia Christus videbatur alium assignare parentem, & eum tamen non nominauerat, ideo ipsi occurrunt se alium parentem non cognoscere, nisi Abraham, tum de ipso gloriantes, tum etiam affirmantes, quod antea dixerant: *Semen Abrahæ sumus.* D. Augustin. existimat eos hoc protulisse existimantes, quod Christus aliquid mali de Abrahamo diceret, vt inde eum occideret Rupertus ait, sperabant quod Christus negaret eorum Parentem Abraham, vt inde eum calumniarentur. Valde prudenter Christus contra eos eorum retorquet argumentum. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* D. August. tract. 42. *Non negat*, ait, *eorum originem, sed facta condemnant, caro eorum ex illo, scilicet Abrahamo, erat, vita non erat.*

Aug.

Rupert.

Aug.

Sic ait Apostolus Rom.4.num.9. *Non enim omnes, qui ex Israel sunt, ij sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.* D. Chrysostom. serm. de Zachæo; sicut & multi Græci legunt. *Si filij Abrahæ essetis, facta patris vestri faceretis.* D. Cyrillus in cap. 9. Amos. *Non enim Deus*, ait, *carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit*; & post pauca: *apud Deum quippe nobilitas censetur boni mores, cum religione maiorum contendere soliti.*

Rom.4. Chrys. *Nobilitas generis boni mores.* Cyril.

124. *Nunc autem.* Probat eos non facere opera Abrahami, cuius origine gloriabantur. *Quæritis me interficere.* Innocentem, benefactorem vestrũ, ac pro vestra salute à Deo missum, *qui veritatem vobis locutus sum.* Et non ob aliam causam mortẽ cogitatis, nisi quia fideliter vobis veritatẽ locutus sum, pro quo multa obsequia à vobis rependenda erant; *quam audiui à Deo.* Et non qualemcumque veritatem vobis prædico, sed eam, quam vobis annuntiandam accepi à Deo, in quo maximè eorum malitiam, & ingratitudinem arguit; *Hoc Abraham non fecit.* Ecce quomodo opera vestra contraria sunt operibus Abrahæ, ille enim nullum interfecit, sed quantum potuit, pro Lot, ac ceteris laborauit, vt eos saluaret.

Ingratitudo in obsequiis acceptis.

125. *Vos facitis opera patris vestri.* Cùm dixisset Dominus immediatè antea eos non facere opera Abrahæ, *Quæritis me interficere, hoc Abraham non fecit.* Immediatè tunc subdit. *Vos facitis opera patris vestri.* Apertè denotauit eos non esse filios Abrahæ, sed alterius: *Dixerunt ei*, bene intellexerunt Iudęi ex verbis Christi, vt obseruat Tolet. quod ipse loquebatur de Patre nõ secundum carnalem generationem. Nam supra num.37. dixit. *Scio quia filij Abrahæ estis*, sed quod agebat de patre spirituali, & quia suspicati sunt quod Christus aliquem sceleratum eis patrem adscriberet, ideò subdunt.

Tolet.

126. *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Primò. Origenes, D. Cyrillus in Catena Græca, Leontius existimant Iudæos tacitè conuitium retorquere in Christum, nam multi turpiter aberrantes, ac Christo inuidentes dicebant ipsum ex adulterio natum. Origenes: *Astrucius respondent, latenter designantes ex adulterio natum Christum.* Secundò. Euthym. Rupertus, astruunt quod sic respondent, tanquam asserentes se non esse natos ex Agar ancilla. Tertiò alij de fornicatione carnali exponunt, tanquam si dicant, nos non sumus nati ex fornicatione, vt alium patrem diuersum ab Abrahamo habeamus. Quarto. D. Augustin. D. Thom. Caietanus, Toletus, Maldonatus de fornicatione spirituali interpretantur, id est non sumus nati ex idololatria, ex parentibus nempè gentilibus, vnum enim Patrem Deum verum habemus, valde frequenter in Scriptura per fornicationem idololatria subintelligitur: Ose.1. n.2. Ierem.3. num.9.

Origen. Cyril. Leont.

Euthym. Rupert.

Aug. D.Thom. Caiet. Tolet. Mald.

Ose.1. Ierem.3.

127. Vltimò satis aptè, vt mihi videtur, explicatur textus, viderant ipsi, quod Christus eos dixerat secundùm carnem filios Abrahæ, *scio quia filij Abrahæ estis*, tamen spiritualiter affirmauerat, quod alium parentem haberent, ac si iuxta phrasim Scripturę denotaretur, quòd essent fornicati, relinquentes, ac si violantes fidem veri Dei quem coluit Abrahamus, tunc dicunt ipsi non sumus nati ex fornicatione, ac fidem, ac pietatem Abrahami relinquimus, sed illum, eiusque opera imitamur, ac tanquam ipsius filij vnum Deum habemus, Patrem, ideò indignè tanquam

Probabilior interpretatio.

quàm adulterinos, ac spurios nos facis à fide Abrahæ.

Ioan.8.n.42. Dixit ergo eis IESVS: si Deus Pater vester esset: diligeretis vtique me: ego enim ex Deo processi, & veni neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.

Num.43. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.

Num.44. Vos ex patre Diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio: & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius,

Num.45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

VERSIONES.

Syriacus n.49. Ego enim à Deo exij, & veni: neque ex voluntate mei ipsius veni, sed ille misit me.

Arias. Ego ex Deo profectus sum.

Vatabl.n.43. Quare dicta mea non agnoscitis?

Vatablus n.44. Vos ex patre diabolo estis, & desideriis patris vestri vultis obsequi.

Euthymius. Desideria patris vultis explere.

Syriacus. Vos ex patre criminatore (diabolo) estis: & cupiditatem patris vestri vultis exequi: is est, qui à principio fuit homicida, & in veritate non præstitit: quia non est veritas in eo, & quotiescumque loquitur mendacium de suo loquitur, quoniam mendax est, & pater ipsius mendacij.

Arabicus. Occisor hominum fuit ab initio: quando loquitur mendacium, tantummodo loquitur, quod est illi.

EXPOSITIO III.

DIXIT *ergo eis Iesus.* Duo de se affirmarũt Iudæi antecedenti num. Primum se non esse natos ex fornicatione, secundum Deum habere patrem. Et quamuis multi eorum, vt obseruat D. Chrysostomus essent nati ex fornicatione, hoc tamen tanquam infame, turpe, ac iniuriosum prætermisit Christus; ad secundum respondet, ostendens eos non habere patrem Deum; *si Deus pater vester esset, diligeritis vtique me*; sicque rem declarat hoc syllogismo. Qui diligit Deum, diligit & filium Dei, atqui vos non diligitis Filium Dei, me scilicet tot signis, ac Scripturis eius filium manifestatum: ergo neque diligitis Deum. *Ego enim ex Deo processi, & veni*, Græcus *exiui*: D. Hilarius libro 6. de Trinitate. D. Augustinus, Leontius, Ammonius in catena Græca, Beda, D. Thomas, docent hîc denotari, vtramque Christi generationem, ita vt *processi* referatur ad æternam à Patre? *Veni* verò ad Incarnationem. Origenes tamen, Euthymius, Theophylactus, Rupertus, Iansenius, Maldonatus, vtrumque verbum referunt ad Incarnationem, ita vt Christi diuinitas etiam denoteur, vt sit sensus, exiui à Deo, & veni in mundum, qui sum Dei Filius ab æterno. *Neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Loquide se, vt notat Rupertus, vt homo, qua ratione à se ipso non venit, sed à Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto missus est. Voluit etiam Origenes, & diuus Hilarius citati, vt fiat hîc allusio ad quosdam Prophetas venientes ad populum: de quibus ait Ieremiæ 23. num. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: & non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* 128. Græc. Hilar. Aug. Leont. Ammon. Beda. D.Thom. Orig. Euthym. Theoph. pere. Iansen. Mald. Orig. Ierem.23.

Quare loquelam meam non cognoscitis? Vt quid non percipitis meum idioma, modúmq; loquendi? cùm sit valdè consonus loquelæ, ciúsque verba referat; sicut enim vnaquæque gens cognoscitur ex sua loquela, vt diuersa ab alia, vnde Petro dixerunt, quod eius loquela faciebat eum manifestum Galilæum. Matthæi 26. numero 73. Sic ipsa Christi vox, ciúsque loquela eum manifestabant Filium Dei, eius vox vocem Dei Patris repræsentabat; tum ex sublimitate eorum, quæ dicebat; vnde Ioannis 7. numero 46. *Proclamarunt: nunquam sic loquutus est homo.* Tum ex authoritate, & imperio dicendi. Matthæi 7. numero 29. *Erat docens sicut potestatem habens.* Tum ex gratia. Psalm 44. numero 3. Tandem quia omnia eius verba resonabant Dei eloquium in Scriptura contentum. Nota, quod inter tot signa diuinitatis, eos maximè arguit Christus, quod eum ex loquela non agnoscat, hæc maximè vnumquemque declarat. *Quia non potestis.* Rectè diuus Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, *Non potestis, id est non vultis. Non posse enim pro non velle ponitur.* Subditur. *Audire sermonem meum*, Patres proximè citati, & Origenes, diuus Augustinus. Beda, & alij sic interpretantur, vt audire idem valeat, ac intelligere, & capere; maiori vi Maldonatus ex diuo Gregorio, Nazianzeno Orat. 4. de Theologia explicat, vt idem sit, ac auribus excipere; & tunc est sensus tanto odio, inuidia, ac malcuolentia ferimini in me, vt non velitis vestras aures ad mea verba adaptare, Rupertus. *Pra odij magnitudine grauis sum vobis, ego ad videndum, & sermo meus ad audiendum.* Nam vt ait Glossa: *qui ex diabolo estis, in eo perseuerare.* 129. Matth.16. Ioan.7. Matth.16. Ps.44. Chrysost. Euthym. Theoph. Orig. Aug. Beda. Mald. Nazianz.

130. *Vos ex patre diabolo estis.* Hactenus obscurè Christus de eorum parente egit suprà. versu 38. & 41. Nunc verò ex eorum impudicitia, ac maleuolentia maximè manifestata, eis dicit eorum parentem, nec esse Deum, nec Abraham, sed Diabolum, cùm eius suggestionem, ac nutum sequantur; seu, vt ait D. Epiphan. hæres. 38. ex patre Diabolo, *non natura, sed imitatione.* Ambr. Diuus Ambrosius libro 4. in Lucam: *Non carnis successione, sed criminis.* Tert. Cum apertis inimicis apertè agendum est. Tertullianus lib. de carne Christi cap. 17. Auct. Auctor. qq. noui, & veteris Testamenti apud D. Augustin. quæst. 98. Per Diabolum intelligunt Cain, qui fratrem suum Abelem occidit. Epiph. D. Epiphan. hæres. 38. & 40. Iudam proditorem interpretatur, nam Ioan. 6. num. 70. Diabolus vocatur. Ioan 6. At ex consequentibus satis apertè constat, quod per Diabolum in præsenti intelligatur princeps Dæmonum, qui primus Angelorum peccauit, aliísque fuit peccandi auctor. *Et desideria*, seu alij legunt (concupiscentias, seu cupiditates) *Patris vestri, vultis facere.* Causam assignat, cur eos Diaboli filios dicit, nam eius nutum, ac suggestionem in omnibus sequuntur. Chrys. Diuus Chrysostomus homil. 53. *Non dixit*, ait, *opera, sed desideria eius facitis* Potentia suis terminis determinatur; at desiderium vagabunde, multa, & etiam impossibilia fingit; Tanta est hominum malitia, vt quò Diabolus audenter desiderádo venit, homo peruenisse operando præsumat & ad id, quod Diabolus aliquando non executione, sed desiderio machinatur, homo festinanter operando se extendat: aliter explicant Caietan. *In quo*, ait, *ostendit eos obsequentissimos filios Diaboli, vtpote, qui non expectant præcepta patris, sed spontanei sunt ad implendum desiderium Patris.*

Quod Diabolus nō executione, sed desiderio iuuetur, homo operatur.

Caiet.

131. *Ille homicida est ab initio*; scilicet mundi, nam eodem die, quo Adamus creatus est, cúmque ad peccatum prouocauit, eadémque die ipsum, omnésque eius posteros occidit. *Et in veritate non stetit.* In integritate, ac rectitudine morum, ac præceptorum Dei. Chryf. Ita diuus Chrysostomus homilia 54. Leo. Sanctus Leo, sermone 10. de Quadrag. Beda. Beda, & Augustin. Sanctus Thomas, Euthymius. Auguſt. D. Thom. Euthym. *In vera via*, ait, *non quieuit*; Lyranus *in obedientia ad Deum*; Caietanus *in veritate fidei*. Irin. diuus verò Irinæus lib. 5. cap. 22. & 23. Toletus, Lucas Burg. pro veritate intelligunt veritatem, quæ mendacio opponitur, id est, ab initio non fuit verax, sed mendax, nam mentiendo hominem decepit, hæc tamen sententia ex prima sequitur, quia non stetit in lege Dei inde in mendacium deflexit. *Non stetit.* Ex hoc colligit diuus Augustinus libro 11. de Ciuitate Dei. cap. 14. Diabolum in gratia conditum fuisse, nam his verbis apertè mutatio in deterius significatur. *Quia non est veritas in eo.* Illud, *quia*, vt ait diuus Augustinus lib. 11. de Ciuitate, cap. 14. assignat causam, quare in veritate non steterit; quia ex eo quod peccare cœpit, nulla in eo est veritas tam morum, quàm etiam veracitas, quæ maximè propriè hîc significatur, quæ est studiosa virtus dicendæ veritatis, nunquam enim amat dicere verum, omninò alienus est à veritate, quantus enim ipse est, totus mendax est, & si Diabolus aliquando aliquod verum dicit, totum illud, vt notat D. Thomas 1. part. q. 64. art. 2. ad 6. in mendacium, fallaciam, ac deceptionem, & damnum dirigit, & ordinat.

Chryf. Leo. Beda. Auguſt. D. Thom. Euthym. Irin. Tolet. Luc Burg. Lyran. Caiet.

Aug.

D. Thom.

132. *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* In hoc sensu ferè conueniunt Patres, n. Chrysostomus, diuus Augustinus, Origenes, Leont. Beda, Rupertus, Diuus Thomas, diuus Bonauentura. Ex propriis loquitur, hoc est ex sua propria malitia, ex suáque propria fictione, ac inuentione; ex suóque intimo affectu homines perdèdi, illud loquitur, & dicit; diabolus enim extitit primus mendacij auctor, primúsque fuit, quid illud inuenit, ac in orbem introduxit. Sicque ait Chrysostomus. *Mendacio primus vsus est*; Euthymius, Theophylactus. *Homines mendacio vsi, quasi re aliena vtuntur: Diabolus autem, quando mendacio vtitur, re propria vtitur.* Ipse enim illius est inuentor. *Quia mendax est.* Totus enim inclinatione, affectu, vsu ac officio mendaciis est applicatus, mendaciísque delectatur. *Et pater eius*; scilicet mendacij: vt clariùs habet Syriacus. *Et pater ipsius mendacij.* Quòd subintelligitur in nomine mendax, dicitur autè diabolus pater mendacij, quia ipsius est fabricator, sicut figulus ex luto format vasa testacea: sic & diabolus est pater, & figulus mendacij, vel quia ipse fuit illius inuentor, sicut primi atrium inuentores illarum dicuntur Patres. Sic Iabel dicitur Pater habitantium in tentoriis. Genes. 4. numero 20. Sic eius frater Tubal nuncupatur. Pater canentium cithara, & organo. Ibidem n. 21. d. Augustinus tract. 42. *Diaboli lapsu, sic genuit quasi filium mendacium. Nam tu fortè mendax es, quia mendacium loqueris: sed non es pater eius, quia à Diabolo accepisti. Ille verò quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret. pater est mendacij.*

Aug. Orig. Leont. Beda. Rup. D. Thom. Bonau. Euthym. Theoph. Syr. Gen 4. Aug.

133. *Ego autem si veritatem dico.* Opponítque se Iesus diabolo; & idem valet, ac si dominus loqueretur, ait Euthymius. *Si mendacium dicerem, crederetis vtique mihi tanquam id dicenti, quod proprium est Patris vestri: quia autem dico veritatem, non creditis mihi vtpote alienum ab eo docenti.* De quo plura cap. sequenti. Euthym.

QVÆSTIO XV.

Quare Diabolus dicitur homicida ab initio?

134. DE homicidio spirituali, vel corporali sententia interpretari potest. De spirituali homicidio hanc sententiam intelligunt diuus Augustinus libro 2. contra Pelagium, cap. 13. & in præsenti diuus Hieronymus in cap. 14. Iob. & hic diuus Chrysostomus, Theophylactus, Beda, diuus Thomas, Albertus Magnus, diuus Bonauentura. Diabolus enim ab initio, ac exordio mundi homini inuidens, eodem die, quo creatus est, primos parentes occidit, eósque ad peccandum induxit.

Aug. Hieron. Chryf. Theoph. Beda. D. Thom. Bonau.

135. Secundò. Alij de morte corporali explicant. Primò Rupertus de odio, quod habuit diabolus in Filium Dei ab initio, vt eius homicidium per Iudæos exequeretur. *Mox*, ait, *vt contra Dei Filium, qui solus similitudo Patris est, superbo tumescens odio, opere. dixit in corde suo*: similis ero Altissimo; *quoniam odium illud per manus Iudæorum consummandum erat: iam tunc in conspectu Patris, & ipsius, qui hoc loquitur, filij homicida erat.* Coacta nimis est interpretatio, non enim ab initio diabolus Dei filium occidit, nisi sic intelligas, quòd voluntas pro opere reputatur. Rup. *Voluntas pro opere.*

136. Aliter verò Theodorus Heracleen. in catena Græca

Græca, Euthymius, Diuus Hilarius, citandus Maldonatus, Lucas Burgensis de morte corporali etiam verba Christi intelligunt; quia Diabolus primis parentibus per peccatum; deinde vniuerso generi humano causa extitit, vt etiam corpore morerentur, sicque hoc prauo suo studio semper homines ab initio ad homicidium instigauit. Citatus Theodoretus. *Ille primum*, ait, *decipiendo per eius praeuaricationem totum genus humanum fecit obnoxium: Ille Cainum ad fratricidium armauit: Ille generosum sanguinem iustorum, per impios effundi curauit, cuius ipsi malitiam imitati insidias Domino struebant.* Hæc sententia explicata de morte corporali inde mihi probabilior. *Desideria patris vestri vultis facere.* Quibus verbis Christus Dominus denotat, quod Iudæi desiderium Diaboli exequentes ipsum volebant occidere, non spiritualiter, sed corporaliter, ergo cùm ad hoc dicat Diabolum homicidam ab initio, non de spirituali, sed corporali homicidio intelligendus est.

Grec. Euthym. Hilar. Mald. Burgens.

Probabilior sententia.

137. Tertiò. Diuus Hilarius libro contra Arrium. *Hæc ille*, ait, *pater tuus artifex humanarum mortium docuit, iugulare sine gladio: persequi sine infamia, odisse sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fine, blandiri sine bonitate, agere quod velis, nec manifestare qua velis.* Cùm in exordio mundi Diabolus loquitur Euæ: *Eritis sicut dij.* Mortem in omne genus humanum induxit. Sed quibus armis tantam desolationem inuexit, exercitu-ne copioso comparato, lancea, gladio, armisve? Minimè: sed blanditiis, dum enim plausibiliter, ac amica verba protulit, totum genus humanum morte astrinxit, potentiores ad perdendum inueniuntur blanditiæ quàm omne armorum robur.

Hilar.

Blanditiæ potentiores ad perdendum quàm robur exercitus.

138. Quartò. Iterum expendo moraliter citata Ruperti verba: *Superbo tumescens odio dixit in corde suo, similis ero Altissimo, iam tunc in conspectu patris, & ipsius, qui hæc loquitur filij, homicida erat.* Dicitur Diabolus à Christo Domino homicida ab initio, & tamen si eius primam vocem consideres, nullius sanguinis effusionem importare videtur: Ecce prima Diabolj vox apud Isaiam 14. numero 13. *Dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* In hac voce nec leuiter homicidium videbitur insinuari, quomodo ergo homicida ab initio, eo ipso, quòd ascensiones cogitabat in corde suo, thronúmque obtinere affectabat, ac Altissimi similitudine nitere ambiebat? Iam inde homicidium meditabatur, cùm enim ambitio creatum pectus ingreditur, iam ex ipsa tanquam à radice homicidium, ac aliorum interitus pullulat, vt affectuosis suis optatis saginetur. De Absalon mortem patris machinante ob imperium. 2. Regum 15. numero 10. sic ait Diuus Chrysostomus in Psalm. 7. ad eius initium. *Amor principatus, omnem eiecit paternam reuerentiam; & vt homo, fera esset, effecit.*

Ruperte.

Isai. 14.

Ambitio crudelissima ad mortem infligendam.

Chrysost.

139. Magnam deuastationem indicens Deus Ierusalem, ait; *Gladius, gladius exacutus est, & limatus: vt cadat victima; exacutus est: vt splendeat, limatus est.* Ezechiel. 21. num. 9. Maximè terribilis, ac ad necem promptissimus describitur gladius à Prophetâ, vt notant Diuus Hieronymus, Theodoretus, ac communiter Commentatores, & ideo non semel, sed geminatè dicitur gladius, quia ita erat vnus vt efficacitate esset multiplex, & ad hoc maximè exprimendum, dicitur quòd gladius erat *exacutus, & limatus*, sed ad quid insuper additur, quod splendore nitebat? *vt splendeat limatus est*; nil maius sanè dici potuit ad exaggerandam gladij crudelitatem, ad cunctósque homines perterrefaciendo; exacutus, & limatus est gladius, vt splendeat, ipsa splendoris ambitio vehementiorem, ac penetrabiliorem reddet gladium ad vniuersorum occisionem, quàm quæcumque artificis acutio, & elimatio, ambitio enim super omnem humanam artem instrumentum præparat, & aptum efficit ad necem. Petrus Damianus libro 1. Epistola 20. ad Cadaloum Episcopum multa ambitione inflammatum sic scribit. *Cur autem duo hæc iste gladius habeat, hoc est, vt limatus sit, & acutus, sequutus exponit: vt cadat, inquit, victimas, exacutus est, vt splendeat limatus est: Nonne videntur in te ista congruere, qui videlicet, vt solus valeas dignitate splendere, totum regnum laboras in prælium, velut occisionis victimas congregare.*

Ambitio splendoris crudelis.

Damian.

CAPVT XVII.

Veritas prædicatur.

Ioan 8. *n.* 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.

VERSIONES.

D. Athan. lib. de comman. essent. Patr. Fil. & Spir. sanct. Quis ex vobis conuincet me de peccato?

Haymon Episc. in homil. Quis ex vobis ostendet me de peccato?

Simon. Cassian. lib. 11. c. 40. Arguet me de quocunque peccato.

Arias Pagnin. Quis ex vobis arguit me de peccato? propter quod si veritatem dico.

Vatablus in schol. Quis ex vobis redarguit me de peccato?

Græcus. Si ergo veritatem

EXPOSITIO I.

1. PROSEQVITVR Christus Dominus suum sermonem; & ait Iudæis, cum quibus loquebatur. *Quis ex vobis?* Origenes tomo 15. in Ioannem existima quod Christus hic habet sermonem cum Iudæis, qui crediderunt in eum. Hoc cap. 8. Ioan. 30. tamen, vt mihi est probabilius, & dixi Superiori capite ad versum 40. loquebatur Dominus cum omnibus Iudæis, qui aderant, & etiam cum omni genere Iudæorum, imò, vt vult ipse Origenes citatus, verba hic haben

Orig.

habentur non ſolum præſentibus,ſed etiam cum
Caſſian. vniuerſis hominibus:*arguet me de peccato.* Caſſianus,quocumque ſiue originali,ſiue actuali, tam
veniali,quàm mortali,id eſt ſi aliquis ſibi perſuadet in me aliquando fuiſſe peccatum, ſiue defe-
Chryſoſt. Orig. ctum, illud dicat, & prodeat in medium. Rectè D.Chryſoſtom.Origenes. *Hoc verbum nullum hominum fiducialiter dicere poſſit, niſi ſolus Dominus noſter;qui peccatum non fecit.* Noſtra vulgata habet
Arias. Euthym. *arguet*, Arias, Euthymius Pagnin. *arguit*, vtraque lectio maximè conducit ad ſenſum,ac ſi
Athan. Græcus. dicatur,nec arguit, nec arguet de peccato. diuus Athan.& Codex Græcus legit,*Conuincet.* Quod
Carthuſ. iuxta radicem Græcam ſignificat conuincere rationibus, ac argumentis; nam vt notat Carthuſian.Iudæi Chriſtum accuſabant, vt ſabbati vio-
Ioan.5. Ioan.9. latorem. Ioan.5. num.61.& 9. n.16. hanc autem calumniam dicebant, non veritate, ſed odio,inuidia,ac falſitate.

25. *Si*,ſeu vt habet radix Græca; *ſi ergo*, quæ coniunctio *ſi* multum facit ad energiam argumenti;
Theoph. Hugo. Beda Haym. Alb Magn. *veritatem dico.* Theophylact. Hugo,illam nempè veritatem,ſe eſſe Dei filium,quod eſt veriſſimum. Beda, Haymon.Albert.Magn. veritatem in omni ſua doctrina, verbis, ac promiſſionibus. *Quare non creditis mihi?* Quamobrem quæ cauſa eſt, vt
Anton. Vlyſ. mihi non credatis. Notat enim D.Anton.Vlyſſiponenſ.ſerm.in Domin. Paſſionis, quod doctrina vna ex triplici cauſa contemnitur; vel primo propter peccatum, ſiue malitiam Doctoris, vel ſecundo propter falſitatem, & errorem doctrinæ, vel tertio propter obſtinationem auditorum. Ait ergo Chriſtus,Mea doctrina ſi non recipitur,non eſt ob aliquem Doctoris defectum,mea enim vita,ita pura,& ſancta eſt, vt vobis confidenter dicam;*Quis ex vobis arguet me de peccato?*Mea etiam doctrina ſi non recipitur, non eſt ob aliquam ſui falſitatem, illa enim eſt veriſſima, & ipſa veritas. *Veritatem dico vobis.* Sequitur ergo, quod mea doctrina non recipitur ob obdurationem,ac obſtinationē mentis veſtræ,qua auditum veſtrum obturatis, ne eam recipiatis. Vnde ſubditur ſequenti verſu. *Propterea vos non auditis,*
Prou.18. *quia ex Deo non eſtis*, vnde dicitur Prouerb.18. n.2.*Non recipit ſtultus verba prudentiæ.*

Qvæstio I.

Quare Chriſtus Dominus hic ingerit ſermonem de ſuæ puritatis integritate, ac doctrinæ veritate?

3. DIXIT Chriſtus Dominus immediatè antecedenti verſ.43. *Quare loquelam meam non cognoſcitis?* Meam ſcilicet doctrinam non recipitis. Cuius rei rationem reddit ſequenti verſ.44. *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo.Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.* Tunc immediatè ſubdicit Chriſtus.*Ego autem ſi veritatem dico, non creditis mihi: Quis ex vobis arguet me de peccato?* ſenſus eſt? Arguit Iudæos Chriſtus, cur eius doctrinam non recipiant, ac percipiant? cauſa huius rei ea eſt, *quia vos ex patre Diabolo eſtis*, cum eius ſuggeſtionem, ac placitum, & nutum in omnibus ſequamini, cum tamen *ille ſit homicida ab initio.* Qui ſpiritualiter, & corporaliter mortem adducit, ſeu pro homicida habet Syriacus. Syriac.
Criminator omnium, ſcilicet malorum, & ipſe *in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo,quia mendax eſt.*Totus eſt mendax,nullúmque eſt verbum veritatis in ore eius, & tamen, *Deſideria patris veſtri vultis facere.* In omnibus eius deſiderium ſequi,& exequi; mihi verò, ait Chriſtus, in quo eſt ſumma puritas, & ſanctitas, ita vt, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Mœque dō- *Explicatur ſeries connexionis textus.*
ctrinæ, quæ eſt ſumma veritas; *veritatem dico.* Et tamen ita eſtis obdurati,vt non credatis;Quare ergo vos non creditis mihi? Sicque obiicit eis Chriſtus, eorum ſummam miſeriam, malitiam, quia Diabolum homicidam,criminatorem,mendacem, ac mendacij patrem ſine vlla veritate recipiant,& ſequantur,ſe verò vtpote verum Deum ſummè ſanctum,purum, veracem cum omni veritate reiiciant;& reprobent.Et hic eſt genuinus connexionis ſenſus; repletus dæmon malitia ineptus ad eloquia Dei capeſcenda.Vide Superiori cap.quæſt.14. Ex hoc aliqua documenta moralia percipiamus.

Primò Origenes tom. 25. in Ioan. ait: *ſi me-* 4.
mores ſumus ad quos loquitur, nempè ad eos,qui cre- Orig.
diderunt ei Iudæos, qui promiſſionem acceperunt. De quibus facit Euangeliſta mentionem hoc cap.8.num.31. *Dicebat ergo Ieſus ad eos,qui crediderant ei ſi manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis.* Magna ſanè dubitatio. Quare eos, qui in eum crediderant, rigidè, & aſperè filios diaboli appellat, *vos ex patre Diabolo eſtis,* cum tamen fide ſe eius diſcipulos profiterentur;& quomodo ei loquens, ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*nam ſi ipſi cum recognoſcebant vt Meſſiam,ac Filium Dei,immunem eum ab omni peccato venerabantur; & tandem, vt ait Euangeliſta, *crediderant ei:* qua ratione eis dicitur. *Quare non creditis mihi?* Iſta Iudæi crediderunt in Chriſtum ſuperficialiter,& imperfectè, vt docent D.Chryſoſtom.Leontius, Euthymius,Theophylactus, D. Thomas, D. Bonauent. à me citati Superiori cap.expoſ.9.num.98. & fortè etiam fictè ſe exhibuerunt credentes, vt intimius obſeruarent Chriſti actiones, & opera; vtque facilius eum poſſent accuſare,ac calumniare; inde Chriſtus Dominus tam durè, ac acerbè in eos inuehitur,vt eis dicatur. *Vos ex patre Diabolo eſtis;* quod aliis Iudæis non legitur tam apertè dixiſſe tum quia amicus fictus, & ſimulatus aliis crudelior; tum quia ipſi ſequela, comitatu, ac credulitate Chriſti, qui eſt totius vitæ fons, abutentes, interitum,ac ruinam malitia ſua ſibi parabant, Dominum ſequi volebant, non vt in eius doctrina firmarentur, ſed vt latius in detractione diffunderentur. Nil magis peſtiferum, quàm ex remedio vitæ venenum extorquere. Vnde monet.D.Auguſtinus ſerm.246.de tempore. *Cauete* Auguſt.
ne in domo vitæ mortem quæratis.
Chryſ. Leont. Euthym. Theoph. D.Thom. Bonau. *Inimicum ſimulatum crudelior cæteris.* *Execrabile medium vitæ in damnum transferre.*

Morituro Iacob benedicens filios ſuos ait: 5.
Simeon, & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia: maledictus furor eorum, diuidam eos in Iacob, diſpergam eos in Iſrael. Geneſ.49. num. 5. iuxta com- Geneſ.49.
munem ſententiam alludit hic ſanctus Patriarcha ad necem perpetratam in Sichem,cuius auctores, & duces fuerūt Simeon,& Leui.Cur propter hoc crimen tam durè eos percutit Iacob? Cur non potius propter venditionem Ioſeph, quæ vehementiſſimo

mentissimo dolore eius animum penetrauit; vel cur non potius propter crimen pessimum, de quo accusati sunt à fratre suo Ioseph, sed tantum ob interfectionem Sichem? *In furore suo occiderunt virum, suffoderunt murum.* Hoc malum perpetrarunt Simeon, & Leui persuadentes Sichimitas, vt se circuncideren, pro facto tunc tertia die, quando dolor est vehementissimus ciuitatem inuaserunt, ac omnes gladio peremerunt. Genes. 34. num. 45. Simeon, & Leui in fœdus ad suam nequitiam perpetrandam assignarunt circuncisionem, quæ pro illa ætate ante Christi aduentum Sacramentum vitæ, actus religionis, & diuini cultus extabat; dissimulantes alia peeccata, at verò medium vitæ, religionis in damnum, & ruinam transferre, hoc super omnia execrabile, omnémque maledictionem, ac detestationem sibi comparat. D. Ambrosius lib. de benedictionibus c. 3. *Isti duò præcæteris fratribus*, ait, *vltum ire cupientes, oportere circũcidi eos suaserunt illis, vt religione concordi pax inter eos firmaretur: sed circuncisos adorsi, Dei superuenientes tertio necauerunt.* Vide supra c. 15. q. 7. n. 48.

Genes. 34.

Damnabile si ex medio vitæ interitum felicitas.

Ambr.

6. Secundò. Christus Dominus iuxta citatum Origenem loquitur in præsenti cum his, *qui crediderũt in eum*: fide nempè superficiali, sed cur hos filios Diaboli appellat, de eísque conqueritur? *Quare non creditis mihi?* Cur potius hanc querelam non facit de Scribis, & Pharisæis, sed de his, qui crediderunt in eum? quibus & fecit promissionem, verè *discipuli mei eritis*; maiori enim dolore animã sauciat iniuria de obligato beneficio, quam quodlibet crimen crudelioris inimici. Qui enim crediderunt maximè erant astricti beneficio ex diuina benevolentia accepto, inde eorum crimen grauius illi est, quàm quodcumque aliud Pharisæorum. Ait Adamus Deo: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Genes. 3. num. 12. Cur de muliere, & non potius de serpente conqueritur? Cur non ait: serpens decepit nos? Mulier ei maximè erat astricta, vtpote de eius costa creata, qui ipse multam benevolentiam estenderat, *Os de ossibus meis, & caro de carne mea*; vt ponderat D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum. At serpens infaustus, & sæuus aduersarius; durius autem primo fuit Parenti, quod mulier tam sibi obligata fomitem peccati ministraret; quam quòd serpens crudelis hostis iacula tenderet, à quo non nisi malum, & pernicioſum sperandum erat.

2 Infirmis ex obligato grauiter, & durius.

Gen. 3.

Bernard.

7. Tertiò. Vt est probabilius, & dixi in expositione, hæc verba dixit Christus Dominus Scribis, Pharisæis, ac omnibus Iudæis, quibus obiicit Christus. *Vos ex patre Diabolo estis*, &c. Quod Diabolo homicidæ, criminatori, ac mendaci, sibi verò omnimodè sancto, ac veraci, nolint credere, *si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Et sic se res habet apud mundiales, vt mendacia sequantur, veritatem fugeant, & vt mendaciis indulgeant, veritatem exercentur, vndè præclarè in persona Christi ait Euthymius in antecedenti vers. 45 *Si mendacium loquerer, crederetis vtique mihi tanquam id dicenti, quod proprium est patris vestri, quia autem doceo veritatem, non creditis mihi vtpote alienum ab eo docenti.*

Homines mendacia sequũtur, veritatem fugiunt.

Euthym.

8. Meum Iesum adstantem interrogat Pilatus. *Quid est veritas?* Ioann. 18. num. 38. valdè mirum, quod ille, qui affectu propensus erat ad veritatem, quantum enim potuit, laborauit, vt Dominũ Iesum ab iniquorum manibus eriperet, quíque pro tribunali stans omnium iura dicebat, omniúmque causas discernebat, tanquam veritatis ignarus à Diuino Magistro interrogat, *quid est veritas?* Euthym. *Discere cupiens interrogat, quid est veritas?* Vnde in præside, ac iudice tanta ignorantia? Erat ipse totus immersus, ac implicatus mundialibus rebus, ac negotiis, ex quorum habitu veritatem omnino ignorabat, falsitatem apprimè percallebat. Ex his, in quibus quilibet versatur facilè ingenium depromitur, quid enim parerent mentita negotia, nisi mendax ingenium. D. Hieron. Epistol. ad filias Geruntij. *Certè Euangelista*, ait, *adeo iustum fuisse Pilatum commemorant, vt innocentem mallet absoluere, quam punire, & tamen veritatem quasi discere cupiat, inquirit: Quid ergo dicemus? Inanes sine dubio mortalium curas, & vniformem mundialium rerum prodidit falsitatem; vbique vera iudicia non esse; vbique sint mentita negotia.* Et Theophylact. *Interrogat*, ait, *Pilatus quid sit veritas: fermè inter homines abolita erat.* Vide Superiori c. 16. q. 3. n. 20. & 21.

Euthym.

Homines veritatem ignorant, mendacia agnoscũt.

Hieron.

Theoph.

QVÆSTIO II.

Quare Christus se hic immunem à peccato ostendit, non signis, & prodigiis, sed argumentis, & ratione?

9. OSTERAT Dominus multis signis, & prodigiis se immunẽ ostendere ab omni crimine, & peccato, de quo à nullo posset argui, sic & pro declaranda sanctitate Moysis factem est, contra Dathan, & Abiron, vt consueta morte non perirent. Numer. 16 num. 29. Sic & pro Samuele tonitrua facta sunt. 1. Reg 12. n. 17. sic pro sui defensione multo maiora signa Dominus edere valebat, sed illis omissis ratione, ac argumento vtitur Dominus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Deinde subiungit: *si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Et postea. *Qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vt recte notauit D. Gregor. homil. 18. in Euangelia. *Non dedignatur Dominus ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute diuinitatis poterat peccatores iustificare.* Dispossuit Dominus suam puritatem, ac sanctitatem manifestate non exhibita potentia, & maiestate, sed interposita iustitia, & ratione vt suo exemplo principes, ac magnates sæculi informaret, vt eorum facta non potestatis excellentia, sed rationis dispositione probentur.

Num. 16. 1. Reg. 12.

Greg.

Ratione, ac iustitia, non potestate ostenditur sanctitas.

10. Cum sacra Pentecostes die, accepto diuino Spiritu, Apostoli variis linguis loquerentur, obmurmurant Iudæi dicentes, *quia musto pleni sunt isti.* Occurrit Petrus, & multis ostendit eos non esse ebrios. *Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.* Actor. 2. num. 16. quod erat efficacissimum argumentum; nam Iudæi diebus festis non poterant comedere ante horam sextam, hoc est ante meridianam, vt ex Iosepho, ac aliis notat Lorinus; cur in re tanti ponderis argumenta interponit Apostolus? cur miracula non operatur; vt pro suo honore tuendo vsus est Elisæus contra pueros illudentes *si en de calue* 4. Reg 2. num. 24. Ex quibus duo vti irruentes quinquaginta duos interfecerunt.

Actor. 2.

Lorin.

4. Reg. 2.

Ad

Ad quid signis prætermissis argumenta producit in medium Apostolus; cum Ecclesia pro tunc esset in suo exordio; pro certo habuit Princeps Apostolorum, quòd plus attrahendum, ac deuincendum erat rationis suauitate, quàm potestis violentia: Oecumenius. *Ratione*, ait, *viam illis muniebat ad conuersionem, & pœnitentiam.*

Oecumen.

11. Cum falso senium testimonio duceretur Susanna ad mortem. *Suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel*, Daniel c.13. num.45. Syriacus legit *super puerum parvum*. Per quod denotatur quod Daniel erat iuuenis impuber, vt notant D. Augustin. serm.118. de tempore, & D. Ambrosius serm.1. de Susanna. Ad reuocandam senium sententiam hunc puerum eligit Dominus, cum tamen filli duo senes essent iudices in populo, citato cap.13. num.5. ac proinde de tribu Iuda, notant D. Thomas, Hugo, & alij. Erant ergo nobilitate magni, ætate venerabiles, & officio conspicui, ad eorum tamen impudicitiã reprimendam, ac ad sanctam fœminam de eorum manibus eripiendam suscitatur à Domino spiritus vnius pueri, cur ad hoc negotium non assumitur aliquis vir magnus, & potens, ac etiam ætate grauis? Cur iuuenis quidam; Hebræus, & captiuus? Voluit Deus in omnium oculis manifestam facere pudicitiam, sanctitatem, ac probitatem Susannæ, inde ac eius tutamen, & defensionem non eligitur aliquis vir magnus, & præpotens, sed puer quidem parvulus, & captiuus, vt inde, ab omnibus conspicuè deprehenderetur, quod ipsa immunis capitali pœna euaserat, non vi, ac potentia alicuius, sed iustitia, & ratione, quæ pro ipsa pugnabat, ac decertabat. Sic ait D. Thomas quod Daniel arguebat populum: *Allegans, quod nec auctoritati, nec ætati sine examine quiescendum.* Id est potius ratione, quam auctoritate, & ætate standum est. Vide multa hoc tomo in Indice. Verb. *Ratio*. Et tom.3. eodem verbo.

Daniel.13. Syr.

Aug.

Ambr.

D. Thom. Hugo.

Ratione, & non ætatis liberatur iustus.

D. Thom.

QVÆSTIO III.

Quomodo tam confidenter inter suos maleuolos aduersarios dicat Christus Dominus, Si quis est, qui eum de peccato arguat?

12. NVLLVS aduersarios in multo discrimine versatur innocentia, ipsi enim, facilè terminos commutant, & astruunt, non quod res habet, sed quod eorum odium, ac maleuolentia fingit, & fabricatur. De accusatoribus Domini Scribit D. Matth.26. num.61. *Nouissimè venerunt duo falsi testes, & dixerunt: hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Rectè Hieronymus citatus in catena D. Thomæ ad hunc locum. *Quomodo*, ait, *falsi testes sunt, si eadem dicunt, quæ Dominum dixisse legimus. Sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur: Dominus enim dixerat de templo corporis sui, sed in ipsis verbis calumniantur, aut pauca addita, vel mutatis quasi iustam calumniam faciant.* In substantia Christus illa dixerat, sed illi praua intentione terminos mutant, & inde mendaces, ac falsi testes sunt. Vide: Christus Dominus dixit, *Soluite templum hoc.* Ioan. 2. num. 19. de corpore suo agebat, hoc est soluite hoc meum corpus, ipsi verò commutant, & asserunt Christum dixisse, *Possum destruere templum.* Subdit D. Hieron. *Vos inquit, soluite; non ego, quia illicitum est, vt nobis ipsis inferamus manus.* Deinde Christus suam resurrectionem significans protulit, *& in tribus diebus excitabo illud.* Ipsi verò inuertunt, *reædificare illud.* Quod propriè denotat ædificiorum machinam extruere; sic inimici pro suo nutu, ac voluntate res mutuant, & commutant. Et tamen inter eos, ait Christus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Ioan.2.

Inimicum mutare verba, vt accusare valeat.

Respondent primò D Chrysostom. Origenes, Beda, D. Thomas, quod *Solus Iesus fiduciali ter hoc dicere potuit, quis ex vobis arguet me de peccato? ipse enim Solus Dominus Deus noster, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* 1. Petri 2. numero 22. *In sole posuit tabernaculum suum.* Psal.18. num.6. suum tabernaculum, id est humanitatem, quam apertissimè Deus posuit in omnium oculis in sole videndam Euthym. *In sole posuit tabernaculum illic; quod Christus in homine habitat, in eo, inquam, homine, qui virtutum radiis corruscauerit.* Eximia virtute in tanta luce sic effulsit, vt eius inimici nec minutissimum defectum in eo viderent. *Princeps autem sacerdotum, & omne concilium quærebat falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent, & non inuenerunt. Cum multi falsi testes accessissent* Matth.26.num.59. Multi mendaces, & falsi testes conuolant, & tamen Principes Sacerdotum ita, & odio feruentes nullum falsum testimonium, nec aliquid defectuosum ore, vel opere prolatum contra Iesum inueniunt. O eximius puritatis candor? sic perspicuus etiam inter mendaces, & falsos testes; perbellè Origenes tract.35. in Ioan. *Quærebant*, ait, *falsum testimonium; falsa enim testimonia tunc locum habent. quando cum colore aliquo proferuntur, sed nec color inueniebatur, qui posset contra Iesum adiuuare mendacia quamuis essent, multi gratiam tribuere volentes Principibus Sacerdotum: quod maximam laudem exhibet Iesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit, & fecit, vt nullam verisimilitudinem inuenirent in eo reprehensionis, & mali, & multi æstuti.*

13. Chrysost. Orig. Beda. D.Thom. 1.Petr.2. Ps.18. Euthym. Matth.26. *Contra puritatem Iesu inuidia non potuit aliquid inuenire.* Orig.

Euthymius. *Quis ex vobis arguit me de peccato?* *Si ita est*, ait, *quod quia veritatem dico non creditis mihi, dicite: quis vestrum arguit me de peccato, quod à me fiat, vt propter illud videamini non credere.* Ait suis inimicis Dominus, quod si in eo agnoscunt aliquem defectum, illum proferant, & dicant; cùm autem non habeant, quod dicant, & quia valeant notare, manifestum est; quod si ipsi nolunt credere suæ doctrinæ, hoc non prouenit ex defectu personæ, sed ex sua malitia, & nequitia, qua veritati nolunt assentiri. Theophylactus. *Si nemo*, ait, *me potest arguere, manifestum est, quod propter veritatem exosum habetis.* Dicebant filij Israël. Numero 22. num.5. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Manna in fastidium vertebatur filiis Israël, cum esset panis Angelorũ, & vt dicitur Sapient. 16. n.21. *Deseruiens vnius cuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Quòd non solum de pijs, & sanctis intelligitur, vt vult Lyranus, sed etiam de omnibus indifferenter, vt docent D. Gregor. Nissenus, Iansenius, Lorinus, & alij, & ad hoc littera textus, *Vnius cuiusque voluntati* compellit. Sic cœlestis cibus vertebatur in nauseam, & hoc non prouc

14. Euthym. Theoph. Num.21. *Doctrina non recipitur ob prauitatem audientium.* Lyran. Nissen. Iansen. Lorin.

proueniebat, ex illius natura sed ex praua manducantium dispositione. D. Anton. Olyssipp. serm. in Dominica Passione: *Illis cibus diuinus generabat fastidiũ, quod illis veniebat de secretario peccatorum.*

15. Tertiò. Christus Dominus Dei filius suos inimicos conuocat, & ab eis inquirendo ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Se liberum, & immunem ab omni inquinamento ostendit, sic & Deus olim suam probitatem, ac rectitudinem ab aduersariis defendebat. Ierem. 2. num. 4. *Hæc dicit Dominus: quid inuenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me?* Isai. 5. num. 3. *Quid est quod vltra debui facere vineæ meæ? & non feci?* Mich. 6. num. 2. *Populus meus, quid feci tibi? aut quid molestus fui tibi? Responde mihi.* Quod etiam fecerunt viri sancti, Moyses Num. 16 n. 15. *Tu scis quod nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis.* Et Iob. 31. num. 7. *Si declinauit gressus meos de via,* &c. Vt eorum exemplo nos discamus famæ, ac bono nomini consulere, quod *ingeniosi viri est prima cura*, vt ait Seneca. Cum Daniel esset iniectus in lacum leonum, magna cura astitit ei diuina prouidentia, vt ab eorum morsibus esset liber, ita vt nulla læsio in eo esset inuenta; quod factum est tum ob sanctitatem Prophetæ: tum etiam non incongruè astrui potest ob Darium regem, dixerat enim Danieli 6. n. 16. *Deus tuus, quem colis semper ipse liberabit te.* Quod audenter, & confidenter dixerat, vt notarunt D. Hier. Theodoretus, & alij, vt fama, & sententia, quæ communiter de Deo diuulgabatur, quod liberabat confidentes in se, absque sui diminutione conseruata haberetur.

Propria fama consulendum. Senec. Dan. 6. Iob. 31. Mich. 6. Num. 6. Isai. 8. Ierem. 2. Hier. Theod.

16. Quartò. Se proponit Dominus suis aduersariis. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Tamen antecedenter, & subsequenter ad hanc sententiam veritate se munit, ac circundat. Vide Ioan. textum. *Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi; quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Veritate circundatus, & ac communitus Dominus suis aduersariis ait; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nil fortius, ac efficacius ad inimicos conculcandos, quàm ipsa veritas. *Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno,* Psal. 90. num. 7. sicut enim scutum protegit, ac circundat totum corpus, sic Dei veritas circundat omnia tua opera, omnésque tuas actiones, sed inde quid sequitur? *Non timebis à timore nocturno.* Per timorem nocturnum interpretatur D. Hieron. mendacium; nam mendacium est valde timidum, & pallido colore in tenebris versatur. Ait ergo Dauid. *Non timebis à timore nocturno*; Qui enim Dei veritate tanquam scuto munitus est, nullum timet mendacium, nullámque falsitatem contra se insurgentem. D. Hieronymus. *Scuto circundat nos veritas eius, ne ardentibus sagittis diaboli percutiamur. Propterea Christus qui veritas est, supponit scutum suum, vt scuto veritatis superet mendacium.*

Munitus veritate nullum mendacium timet. Psal. 90. Hier.

17. De Deo canit Dauid. *Magnus, & terribilis, super omnes, qui in circuitu eius sunt.* Psal. 88. num. 8. D. Hieron. legit: *Horrendus.* Alij apud Lorinum, *timendus*, seu *formidandus.* Quibusnam sit terribilis: ac horrendus explicat Propheta dicens: *Super omnes, qui in circuitu eius sunt*; id est, vt explicat D. Augustin. super omnes gentes, infideles, ac idololatras, sed per quid est eis horrendus, & terribilis, quo gentes comprimit, ac eorum linguas coërcet. Pergit Propheta: *Potens es Domine, & veritas tua in circuitu tua,* ibid. num. 9. id est, potens es Domine tua veritate, quæ te tanquã scuto, ac muro, circundat. Quomodo dicitur potens veritate, quæ est in circuitu eius; aptius videbatur dicendum: potens es Domine, & potentia, vel iustitia tua in circuitu tuo, nam potentia facit signa, & prodigia, quibus horrendus es hominibus, vel iustitia punit impios, qua formidabilis, ac terribilis es illis, cur ergo non potentia, vel iustitia, sed veritate? Ad gentes à suis erroribus coërcendas, ad eorúmque ora, quæ etiam in cœlo posuerunt obturanda, efficacior est sanè Dei veritas in suis verbis, & promissionibus, quam Dei potentia ostensis signis, & prodigiis, vel iustitia inflicto in impios supplicio. D. Augustin. Concione 1. in ipsum Psalm. *Cum cœpisset*, ait, *veritas tua in circuitu prædicari, vtique fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: occurrit leo fremens, & suffocatus est à te*, veritate scilicet tua, quæ est in circuitu tuo.

Aug. *Veritas fortior potentia ad refrænandos inimicos.* Aug.

QVÆSTIO IV.

Quare Christus non absolutè dixit: Quis arguet me de peccato? *sed, cùm addito,* Quis ex vobis?

PRIMO respondet ad quæstionem D. Cyrillus l. 6 in Ioan. c. 7. Verbis autem dico, *Disquirite vitam meam, verba, & opera mea discutite: nihil omnino, quod iure redarguere possitis, occurret.* Summa Christi puritas, & innocentia, quæ non solùm dixit; quis arguet me de peccato, sed addidit. *Quis ex vobis*, meis inimicis, & aduersariis, inueniet aliquid, quod in me iure arguat; nam si dixisset tantum. Quis arguet me de peccato? forsitan existimaret aliquis, quod ad suos discipulos dirigebat sermonem, cum quib. versabatur, ac degebat, at verò ait, vobis, illis scilicet cum quibus loquebatur, qui erãt eius inimici, & aduersarij, vt ita præclara Christi sanctitas magis demonstraretur, quæ à suis inimicis testimonium exquirebat. Vide suprà cap. 13. n. 31.

18. Cyril. *Magnum testimonium ab inimicis.*

19. Secundò Rupertus. *Eo namque tendit, vt agnoscant, quod in die iudicij nullã inde sint excusationem habituri, quia non crediderint illi, præsertim, cum nec eodem sic proponente obiicere fecisti, aut facis hoc vel illud. Proinde nec poterant in eum iactare illud, quod vulgo dicitur, cuius vita despicitur, res stat, vt & prædicatio eius contemnatur.* Interrogat, ac Pharisæos testes in hoc negotio compellit, vt si quid habent aduersus eum proferant, vt inde nulla superfit eis excusatio in die iudicij, ob quam eius veritati non crediderunt, sicque hac euidens, quàm iusta pœna damnantur.

Rup. *Obstinatus pœnæ à Deo inflictæ insistit.*

20. Tertiò. *Quis ex vobis.* Iam de Christi innocentia egi, modo ad nostrum documentum morale. Quis ex vobis cum sitis Pharisæi, hypocritæ, vsurarij, ac legis transgressores, quis ergo ex vobis cum tales sitis potest habere os, & linguam ad arguendum, ac accusandum me, vel aliquem meorum, nam vt ait D. Paschasius l. 5. in Matth. *Conscientia criminis accusatrix frænum est propriæ linguæ.*

Infectum crimine non potest alios accusare ac arguere.

21. Ait Regius Vates de se; *Obmutui, & silui à bonis: & dolor meus renouatus est.* Psalm. 38. num. 3. Iob. verò de se sic loquitur: *Derelictæ sunt tantummodo labia circa dentes meos.* cap. 19. num. 20. Quid

Psal. 38. Iob. 19.

est quod Dauid cum esset Rex, regalique culmine immineret, de se testatur, quod obmutuit, & siluit, solùm innouato dolore ingemuit; At verò Iob ab omnibus suis expoliatus, in sterquilinio sedens, habet labia, & linquam vt loquatur? D. Gregorius lib. 14. moral. c. 24 *Quid enim circa dentes aliud quam labia habemus? Sed quid per labia nisi locutio designatur?* Dauid homicida fuit, Vriam interfecit? Adulter, Bersabeth in suam domum introduxit. At verò Iob innocens, & purus, de séque affirmabat; *Non peccaui.* Qui peccator olim extitit, obmutescat, & taceat, solumque innouato dolore super crimina sua persusis lachrymis ingemiscat. At verò Iob innocens es, & linguam habeat, vt dicat, & loquatur; nam iniquitas comprimit os, quam innocentia dissoluit, & aperit.

Greg. *Iniquitas etiã præterita claudit os, innocentia aperit.*

22. D. Matthæus, ac D. Ioannes ambo extiterunt Christi Apostoli, Euangelistæ, & eximij eius assectæ, ambóque nutu, ac afflatu Spiritus sancti scripserunt; tamen Diuinus Spiritus direxit Ioannis calamum, vt de Iuda scriberet: *Fur erat, & loculos habens.* Ioan. 12. num. 6. Cur Ioannes hoc tantum de Iuda scribit, & non etiam D. Matthæus? vt notauit D. Cyrillus lib. 8. in Ioan. cap. 7. *Ioannes autem, ait, de solo illo id commemorare voluit, cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.* Cur solus Ioannes hoc scribit, & non etiam Matth. D. Matthæus etsi Apostolus Christi sanctissimus, modò, tamen ante suam conuersionem fuit publicanus sedens in telonio, vbi vsuræ exercebantur; at Ioannes purus, eximia probitate præclarus furta, latrociniáque ei scribenda committuntur, non verò illi, qui similibus olim fuit deditus.

Ioan. 12. Cyrill. *Qui olim habuit delicta taceat, & solùm innocens scribat.*

23. Viso Deo in throno excelso, & stantibus Seraphim, qui alternatim dicebant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, De se ait Isaias. 6. num. 5. *Va mihi!* seu, vt habent Septuaginta, *miser mihi, quia tacui, quia pollutus labiis ego sum!* se miserum proclamat, quia se tacendum iudicauit; & causa huius taciturnitatis subditur: *Quia vir pollutis labiis ego sum.* Vt notauit D. Hieron. *O miser ego!* ait, *quia compunctus sum: non ob alia crimina, sed quia labia haberet immunda.* Quod vel contraxit, vt ait D. Hieron. societate populi habentis labia pollura, vel vt volunt D. Cyrill. & Haym. ex aliqua taciturnitate, eo quod peccata populi, ac procerum insectari destiterit, quod tantùm, vt inquiunt Sanchez, & Cornelius, fuit veniale peccatum, & tamen ob illud in tam præclara visione, quia nulla fortasse est illustrior in toto veteri Testamento, nam in illa apparuit Dei maiestas, communicata est notitia sanctissimæ Trinitatis, ac Incarnationis, & tamen Propheta tacet, & non audet loqui; in omni fauore, ac celsitudine ex culpa etiam leui ante facta sic comprimitur os, & lingua obmutescit, vt nec vnũ verbũ dicere, ac proferre audeat.

Isai. 6. Septuag. Hieron. Cyrill. Haymon. Sanch. Cornel. *Leuis culpa præterita obmutescere facit.*

QVÆSTIO V.

Quo motiuo, vel principio comprobat Christus se verum dicere?

24. Toled. RESPONDEO primò ad quæstionem cum Toleto in commentario, quod veritatẽ dicere hoc loco non solùm significat simplicem veritatis enuntiationem; omne enim verum, est probabile, & credibile, sed etiam denotat veritatis enuntiationem cum ipsius demonstratione: vt sit sensus: dico veritatem, multis, & efficacissimis signis, ac argumentis eam demonstrans, vt quicumque voluerit credere, apertè cognoscet, & intelliget eam esse Dei veritatem, sub illaque nullam falsitatem latere, hoc enim significat dicere, ac docere veritatem. *Dicitur veritas signis demonstrata.*

Secundò. Cur ad comprobationem suæ veritatis, quam Christus prædicabat; multos testes non adduxit? Testimonium Baptistæ, vocem Patris in Iordane, & multa eius miracula, ac opera; sed tantùm ait. *Veritatem dico vobis.* Veritas per se est patens, manifesta, ac credibilis, nec multorum, sed paucorum eget testimonio. Hoc enim discrepat inter veritatem, & mendacium. Nam veritas, vt suadeatur, paucis contenta est, at mendacium multis magnis exquisitis, ac eminentis auctoritatis exigit testibus. Erigit Nabuchodonosor statuam suam, in qua se præcipit vt Deum adorari, ad cuius dedicationem, *Misit rex ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ.* Daniel 3. num. 2. Et Dan. 3. postea subditur. *Et præco clamabat valenter: vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, in hora, qua audieritis sonitum tubæ, adorate statuam.* Postea verò cum Rex audisset Dei magnalia à tribus pueris Sidrach, Misach, & Abdenago constituit decretũ, vt verus Deus Israël in toto orbe prædicaretur. *Placuit ergo mihi prædicare eius signa, quia magna sunt, & mirabilia eius* Daniel. 3. num. 100. Quid est quod vt persuadetur adoratio statuæ, voce præconis totus congregatur orbis cum suis magnatibus ac principibus, vt verò introducatur adoratio, ac prædicatio veri Dei in toto orbe, sufficiunt tres pueri ignoti, captiui, extranei, ac Hebræi? Quod Nabuchodonosor tanquam Deus haberetur apertum erat mendacium, manifesta falsitas, proindeque vt persuaderetur necesse erat, vt totus orbis conuocaretur simul cum magistratibus, satrapis, ducibus, ac principibus. D. Hieron. *Principes, ait, ad adorandam statuam congregantur, vt per principes, seducantur & gentes.* At quod Deus Israël tanquam supremum nomen ab omnibus cognosceretur, cum esset clara, ac perspicua veritas, non multorum exigebatur, sed paucorum sufficiens, & abundans erat assertio. Pro quo perpende, quod ad venerationem statuæ cum esset mendosa, quamuis totus orbis conueniret, obsistunt tres pueri; ad adorationem veri Dei à tribus pueris proclamatam, nullus contradicit, sed omnes consentiunt. Vide supra c. 14. q. 16. n. 48. *Veritas per se sufficiunt, mendacium multos testes quærit.* Hieron.

Tertiò. *Veritatem dico vobis*, ait Christus, illam scilicet, vt obseruarunt D. Chrysost. D. Augustin. de qua dixerat in hoc sermone: *Nunc autem quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo*, Ioan. 8. num. 40. Alij Codices habent, *à Deo Patre.* Iterum redit difficultas; vnde Iudæi poterant deprehendere, quod ipse dicebat veritatem ex Deo Patre acceptam, ac ex Deo auditam; ex eo debebant eum cognoscere; quia vt ipse dicebat: *Opera Patris mei ego facio.* In omnibusque referebat Patris sui similitudinem in Prophetis prædicatam, in Scriptura contentã, ex traditione acceptam. Postquam tres pueri iniecti fuerunt in medio ignis, accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis ardentis, & ait: *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulãtes in medio ignis, & speciem quarti similis filio Dei*, Daniel. 3. num. 92. 26. Chrysost. August. Ioan. 8. Dan. 3.

num.92. Inde Rex, vt meritò dubitat D. Hieron. agnouit filium Dei, vt dicat quod quartus sit ille similis, cum Raguel intuitu esset iuniorem Tobiam, *dixit Anna vxori suæ, quam similis est iuuenis iste consobrino meo* seniori scilicet Tobiæ cap. 7. num. 2. cùm Raguel nunquam vidisset iuniorem Tobiam, vt est latis probabile. Agebat enim ille, tunc ætatis suæ annum quadragesimum quartum, vt obseruant Chronologi; & per tot annos, vel plures Tobias senior, & Raguel inter se discesserant. Tobias senior ductus est in Babyloniam; Raguel in ciuitatem Ragues, quæ maxime inter se distabant; vnde ergo agnouit Raguel, quod erat seniori similis? Carthusianus: *similis moribus consobrino meo.* Ex iuuenis actionibus, ex loquela, modo quoque dicendi deprehendit eum valde timidum parenti suo Tobiæ seniori; sicque Nabuchodonosor, vt valdè verisimile est, audierat à Daniele, quod populus Israëliticus expectaret aduentum filij Dei in terris, audierat etiam quod Deus olim apparuisset in flamma ignis in Ægypto, vt populum suum liberaret ex captiuitate Pharaonis ergo cum accessisset Nabuchodonosor ad ostium fornacis, & vidisset quatuor viros, & quod vnus descenderat, vt tres immunes ab igne seruaret, intelligit illum esse Dei filium, qui & olim pro populo à iugo seruitutis eximendo in rubo ignis se se exhibuerat Moysi.

Carth. — Ex similitudine affinis quæritur fides ex fine.

27. Quartò Quonam motiuo comprobat Christus se verum dicere, hoc namque per altissima principia verificare poterat, tum ex sua persona, quod scilicet ipse esset filius Dei, qui mentiri nó poterat, tum etiam ex scripturis, quia iuxta illas omnia ipse dicebat, & prædicabat; tamè his omissis, nulla alia probatione adhibita solùm ait se dicere verum, nulla enim efficacior comprobatio dicendi verum, quàm verum dicere, ipsa locutio veritatis index veritatis est; Qui enim verum dicit multa confidentia, magna energia, ac animi constantia loquitur, vt statim ex ipso sermone vox vera deprehendatur.

Dicere verum efficax demonstratio dicendi verum.

28. Ex industria Philistinorum vehementer quæsiit Dalila à Samsone *Dic mihi obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quis sit quo ligatus erumpere nequeas?* Iudic. 16. n. 6. Respondit ei Samson. Si septem neruiceis funibus necdum siccis ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri homines, quibus cùm esset vinctus, rumpit vincula veluti filum de stupæ torum putamine. Iterum Dalila instauit, inquirens, in quo sit eius fortitudo, cui respondit Samson, *Si ligatus fuero nouis funibus, infirmus ero, & aliorum hominum similis.* Quibus vinctus sic rupit quasi fila telarum: mulier iterum obsecrat, vt aperiat ei rei secretum; qui ait: *Si septem crines capitis mei cum licio plexeris, infirmus ero.* Quo facto, abillo se facillimè expediunt. Tandem mulier valde molesta importunis precibus ab eo obtinuit totum, quod vrabat, eique confessus est veritatem, fortitudinémque suam in capillis esse constitutam, cum Nazaræus esset, aitque illi: *si rasum fuerit caput meum: recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque sicut cæteri homines.* Quibus auditis statim conuocat ad se principes Philistinorum, dicens: *Ascendite ad hunc semel, quia nunc aperuit mihi cor suum:* ibidem, num. 18. seu vt alij legunt: *animam suam;* cur quando Samson dicit quod si ipse allegatus fuisset septem neruis, aut funibus, quòd videbatur conforme humanæ rationi ac communi experientiæ, tunc non assenit Mulier, quod ei aperuit animam suam, & cor suum; sed quam ait fortitudinem suam esse in crinibus, quod poterat videri apochryphum vt; ote præter communem vsum. Vnde ergo hoc? Quando ille dicebat, quod si esset ligatus neruis, vel funibus infirmus haberentur, quamuis hoc ita communiter accidat, tamé cum esset falsum, ex modo loquendi deprehendit mulier mendacium; & ideo tunc non ait, *aperuit mihi cor suum.* At verò quando dixit. *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea,* quamuis videretur extra communé vsum, ex ipso modo dicendi intellexit mulier veritatem simpliciter fateri. Carthusianus; *Confessim est,* ait, *Samson omne cor suum de ista materia, hoc namque ex modo loquendi illius perpendit mulier.*

Ex modo dicendi deprehenditur veritas. — Carth.

Cùm audisset Laban venisse Iacob, *Cucurrit obuiam ei, complexúsque in oscula ruens duxit eum in domum suam, auditis causis itineris: Respondit, os meum, & caro mea es,* Genes. 24. num. 13. eique dat Laban in matrimonium filias suas. Irrident hæretici Laban simplicitatem, quod ad vnam vocem absque epistola, & chyrographo credidit iuueni peregrino asserenti se esse eius consobrinum, filium potentissimi Isaac, ita vt statim eum introduceret in suam domum, os, & carnem suam appellaret, eique matrimonio copularet filias suas, cum iuuenis paupertas, nulliúsque comitatus potius indicarent ipsum non esse filium diuitis Isaac, nec consobrinum suum, Quibus ergo persuasus est Laban, vt iuueni narranti fidem adhibuerit? Magno sanè fundamento. Ipsa enim Iacob, simplicitas illius sinceritatem animi declarabat, eius gestus, candórque verborum, modúsque dicendi apertè demonstrabant nullam sibi latere falsitatem, sed omnia sincere esse narrata. Lyppomanus *Retulit*, ait, *Iacob Laban quæque acciderant in itinere, qua ratione dimissus esset a patre; & de vxore ducenda ad patris mandatum ex filiabus ipsius, simplici autem animo vtrimque omnia dicta sunt, & credita* Cùm enim simplici animo fuissent dicta, sic & credita fuerunt. 29 Gen. 29. — *Similitudo loquendi efficax veritatis.* — Lyppom.

QVÆSTIO XI.

Quare Christus Dominus conqueritur, quod ipsi veritatem dicendi non credant?

30. STANDVM est in limine huius quæstionis; quòd Christus ait: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.* Non ait, si veritatem dico vobis quare me contemnitis, odio habetis, ac inhonoratis; Christus non mutat terminos, ac fines rerum, finis autem dicendi veritatem est, vt illi fides, ac assensus præbeatur; at verò odio passim multi querimonias excitant, quod ex eo, quòd veritatem, ac ea, quæ expediant, dicant, in dedecore, ac odio habeantur, apud enim mundiales paupertas, & contemptus veritatis comites sunt, vnde dicebat Mimus Publius. *Si in clientelam felicis hominis, potentisque perueneris; aut veritas, aut amicitia perdenda est.* — *Christum non inuertit finis rerum.* — Mim. Publ.

31. Ad quæstionem primò. Ad quid Dominus quærit à Iudæis, cur eius doctrinæ non assentiantur? *Quare non creditis mihi?* Ipse Saluator optimè agnouerat, quod Iudæi nullam poterant pertendere excusationem, cur ergo hoc ab eis scisciatur, vt ipsi reflexo animo semetipsos considerantes, nullam se posse assignare excusationem, inde confundan-

lib.4.in Lucam,nõ carnis successiones, sed criminis ; quod confirm. ex B. Basilio ad Eustachium Sebastiæ Episcopum , *Mendacium*, ait, *est diaboli fœtus*. Ait David. Psalm.17. n.41. *Filij alieni mentiti sunt mihi* Genebrardus ex Hebræo legit : *filij adulterini*,cùm enim essent sub Christo principe, ac parente defecerunt ad diabolum tyrannum, ac atrocem inimicum,cuius ingenium , ac imitationem sequentes mendaciis delectantur.

Basil. Ps.17.

Genebr. *Mundani nõ credunt veritati.*

37. *Filij hominum usquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psalm.4. num.3.Non appellat eos,ait Chrysostomus,filios Dei,sed filios hominum. Videntes filij Dei filias hominum,scilicet vitiorum, prauitatis,ac iniqui patentis dæmonis.*Graui corde*, pondere, ac onere suorum peccatorum, vt interpretantur D.Remigius,Brunonius, & alij;& postea addit : *Vt quid diligitis vanitatem , & quæritis mendacium*, tanquam insinuans quod ex dilectione vanitatis, seu rerum temporalium,quæ sunt vanæ, vacuæ, ac sine substantia proueniat quòd tot mendacia dicant,faciant,& sequantur.D.Augustinus : *Vt quid ergo*, ait,*temporalium rerum amore detinemini ? Vt quid tanquam prima , extrema sectamini ? quod est vanitas,& mendacium*. Ecce pro rebus temporalibus homines mendacia sequuntur,cùm nihil vno mendacio grauius sit.

Pſ.4. Chryſ.

Remig. Brun. *Mundani sequuntur mẽdacia.*

Auguſt.

38. Vehementer instat Dalila cum Samsone,vt ei aperiat,in quo sit sua maxima fortitudo , & quo ligatus erumpere nequeat, cui ille dixit , quòd si septem neruiceis funibus colligaretur, quod cum illa eo obdormiente fecisset,exclamasset:*Philisthin super te Samson* , facillimè ille ea vincula rupit;cùm mulier iterum instasset pro indaganda veritate , cùm illéque dixisset , septem nouis funibus astringeretur , quòd cùm fecisset mulier ita ille ea rupit , ac veluti si essent fila telarum; cùm tertiò mulier multiplicaret preces,dixit illi Samson,si septem crines capitis mei cum licio plexueris ; à quibus ille facillimè se expediuit, Tunc adiunxit ei mulier dicens : *Per tres vices mentitus es mihi , & noluisti indicare, in quo sit maxima fortitudo tua*,Iudic.16. num.15. Vatablus legit , *Iam ter me fefellisti*. Quo audito obmutuit quidem Samson, & nec verbum quidem respondit. Res valde mira,arguitur ille cũ esset persona grauissima,iudex ac caput totius populi Israëlitici de mendacio,ac falsitate? Cur tacet,& non respondet ? Siquidem nunquam nullus alius potuit maiorem excusationem proferre pro se : poterat enim ille dicere, arguis me de mendacio erga te, optimè sanè in hoc facio;nam tu me vis prodere in manus inimicorum meorum,vt me morte, ignominia, ac approbrio afficiant , vt inde morte mea totus meus populus pereat,ac deleatur.Attamen Samson tacet , & premit eos. Apud se fixum statuit Samson mendaciũ adeo turpe,& enorme esse,quod etiam euitatio, ac declinatio cuiusdam proditionis mortis,contumeliarum,ac damni totius Reipublicæ,ac vniuersi populi non esset sufficiens excusatio , ac satisfactio,vnius mendacij, ac falsitatis , & proinde veluti homo, qui pro se non habet adæquatam rationem, ac purgationẽ, non respondet,sed omninò silet;tantam deformitatem secum vnum mendacium importat,vt dicit Anonymus citatus à S. Damasceno lib.4. Paralel. cap.17. *Extrema improbitatis linea est mendacium.*

Iudic.16. Vatabl.

Exitatio mortis, ac detrimenti totius Reipublicæ non excusat vllũ mẽdacium.

Anonym. Damasc.

39. Arguit Abimelech Abrahamum,quòd cùm ingrederetur Geratum dixisset quod Sara esset soror sua;cùm cuidens fieret, quòd coniux eius existeret;cui respondit Abrahamus,*Cogitaui quod interficiant me propter vxorem meam. Et ideo dixi quod soror mea esset , & addit Abrahamus : Alias autem & verè soror mea est*,Genes.20. numero 12. More gentis suæ hoc dixit;consanguineos,ac nepotes fratres vocabãt,Sara enim filia erat fratris sui Aran.Sufficiens videbatur , quòd ad excusandum se Abrahamus dixisset illud fuisse, à se dictum ad euitandum imminens mortis periculum propter eximiam Saræ pulchritudinem ; quia quamuis soror non esset, videbatur sufficiens satisfactio ad illud asserendum mortis discrimen effugere,ad quid addidit Abrahamus , quod alias soror sua esset? tam ignominiosum mendacium iudicauit , vt illius adæquatam expurgationem mortis declinationem non reputauerit, nisi alias rei veritas ita subsisteret ; & ita alias pro suo honore tuendo addidit : *Quod alias soror mea est.* Diuus Odo libro 18. moralium, capite 27. *Scriptum est,os quod mentitur, occidit animam,& perdes eos, qui loquuntur mendacium . hoc mendacy genus* (scilicet leuioris culpæ) *perfecti viri summopere fugiunt,vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur,nec sua anima noceant,dum præstare carni nituntur aliena.*

Gen.20.

Mortis declinatio non excusat mendacium.

D.Odo.

Ioan.n.47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis,quia ex Deo non estis.

VERSIO.

Arias. Qui ex Deo existens.

EXPOSITIO II.

40. POSTQVAM se Christus Dominus ostendit purum,ac immunem ab omni culpa , & crimine,aliorum improba facta argnit; & optimo sanè ordine,nam efficacia correctionis integritas , ac puritas est corrigentis. Et quia, vt notaui ex D.Antonio in fine Superioris expositionis , cùm Christus iam manifestasset suæ doctrinæ veritatem,suæque vitæ sanctitatem;nunc declarat,quod ipsum non audiant ob eorum malitiam,ac duritiẽ. *Qui ex Deo est*. Hoc est qui Dei spiritum, instinctum, ac nutum sequuntur,ad ipsum, eiúsque mandata dirigunt mentem *Quicumque enim spiritu Dei aguntur,ij sunt filij Dei*.Roman.8. sicut supra n.44. hoc c.8.Ioan.dicuntur ex patre diabolo, qui eius suggestionem sectantur,sic dicuntur ex Deo,qui eius spiritu mouentur. *Verba Dei audit*, Intelligit, recipit,ac credit ; seu vt ait Hugo,obedit.Ex his ad quæ quis mouetur , ac applicatur , optimè eius animus deprehenditur. *Propterea vos non auditis*. Assignat Dominus causam cur non ipsum , sed diabolum tanquam suum parentem sequantur : *Propterea vos non auditis*,recipitis,ac creditis. Notat Caietanus quod non dixit propterea vos non auditis verba Dei,sed ait.*non auditis*.Vt intelligamus eadem esse verba ipsius;& verba Dei, & qui non credit verbis Iesu,non audit verba Dei.*Quia ex Deo non estis* : quod explicans Diuus Augustinus ait,tractat.42.*Sunt illi natura a Deo, vitio non ex Deo.*

Efficacia correctionis mi. tegritas corrigentis.

Rom.8.

Hugo.

Caiet.

Aug.

41. Aug. Greg. Titelm. Carth. Toled. Mald. Diuus Augustinus citatus, Diuus Gregorius homil.18. in Euangel. Titelmanus, Carthusianus & alij interpretantur, quòd ille dicitur esse ex Deo, qui à Deo prædestinatus, & electus est, quod hic verba Dei audit, & propterea vos nō auditis, quia non prædestinati, sed reprobati estis à Deo. At hic sensus quamuis sit accommodatitiuus, non tamen est literalis, vt obseruarunt Toletus, & Maldonatus. Nam causa, cur Iudæi non audiebāt Christum, non erat eorum prædestinatio, vel reprobatio, sed eorum obturatio; nam multi ex his, qui tunc non crediderunt, postea prædicante Petro, ac Apostolis crediderunt, & salutem sunt ascuti, vt constat Actorum 2. num.41. & vice versa, aliqui qui pro tunc credebant Christo, postea à fide defecerunt, ideóque damnati sunt, vt colligitur Ioan.6.num.67. ergo causa cur quando Christus hæc prædicabat, Iudæi non audiebant, non erat quod ipsi non essent prædestinati, sed eorum obstinatio, quæ in eis præexistebat.

Act.2.

Ioan.6.

QVÆSTIO VIII.

Quid sit Dei audire verbum?

42. Bernard. Luc.11. Deut.6. 1.Reg.3. Ps.84. EST illud, vt iam dixi in expositione, mente, ac animo recipere, illúdque opere adimplere, illíque credere, ac obedire. Pro quo accipe D. Bernard. serm.28. in Cantica. Agens de illo auditu, quo dicuntur. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, Luc.11. n.28. tunc sic pergit S. Pater: *Talem*, ait, *requirit auditum qui mandat: audi Israël*. Deut.6.n.3. *Talem offert, qui ait: Loquere Domine, quia audit seruus tuus*, 1 Reg.3 n. 9 & 10. *Talem spondet, qui dicit, audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, Psalm.84. n.9.

43. Greg. *Me verò audit, qui opere adimplet audita.* Pro quo ad hæc nostra verba Euangelij ait D. Greg. hom.18. *Sunt nonnulli, qui libenter verba Dei suscipiunt, ita vt etiam in fletibus compungantur: sed post lachrymarum tempus ad iniquitatem redeunt, hi profectò verba Dei non audiunt, quia hæc exercere in opere contemnunt.* Quis enim magis dicetur audire verbum Dei, quàm ille, qui ex eius auditu in lachrymarum imbres se profundit? Is ergo dicetur verus verbi Dei auditor? Minimè sanè. Vt enim quis sit verus Dei auditor, ac ad portum salutis veniat, non tantùm sufficiunt lachrymę, sed simul cum ipsis virtutum opera requiruntur, tunc verè auribus percipit Dei verbum, quando simul manus ad opus adhibetur.

44. Gen.24. Chald. *Audita opere adimplenda.* Tacitè Rebeccam contemplabatur Eliezer, quę postquam potum ministrauit eius camelis: *Tulit vir inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem*, Gen.24. n.22. seu vt clariùs habet Chaldæicus: *duas armillas super manus eius*. Pro exigua aqua tam liberaliter se habet homo, vt non solùm inaures aureas, sed etiam insuper aureas armillas largitur? Et cur cum inauribus aureis non obtulit alia dona, sed armillas aureas. Rebecca animam fidelem significabat; inaures verò auditum, & armillæ operationem adumbrabant; meritò Rebecca inauribus, ac armillis adornatur, quia anima fidelis dum aures præstat ad audiendum Dei verbum, simul manus applicat, vt opere adimpleat, quæ audiuit. D. Ambros. lib.1. de Abraham, c.9. *Inaures*, ait, *Rebecca pij auditus insignia, & viria.* (id est armillæ) *Rebecca ornamenta factorum sunt. Has inaures habebat, qua non grauarent aurem, sed demulcerent: has viriis, qua manum non materiali auro ornarent, sed spirituali actu leuarent. Et tu sume inaures; quas ibi Abraham reliquit: sume, quas transmisit viriis. Audi verba Domini Dei tui, sicut ipse audiebat: exequere iussa, sicut ipse properauit implere.* Vide multa tom.1.2. ac 3. verbo *Audire*.

Ambros.

Aduerte pro maiori doctrina, quod Glossa Interlinealis habet: *Qui ex Deo est, verba Dei amat*, tanquam idem sit amare ac audire; solus ille, qui, verè amat, audit: tam efficax est interior affectus vt in exteriores sensus exuberet; & quod solius est intellectus, ac voluntatis proprium exteriori sensu percipi dicatur. Cantant mulieres. Percussit Saül mille, Dauid decem millia. Subdit sacer Textus: *Iratus est autem Saül nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste*, 1.Regum 18.n.8. Sermo non displicet nisi tantum intellectui: sic ait Carthusianus: *Intellectui suo displicens fuit sermo iste.* Sic etiam exposita legatione Machabæorum Romanis dicitur. *Placuit sermo in conspectu eorum*, 1. Machabæorum 8.num 21. Quod ad intellectum spectat, scilicet placere, vel displicere oculis tribuitur, sic affectus interior aperit, vel obturat externos sensus, vt illis dicatur intelligere, placere, vel displicere.

45. Glossa. *Voluntas exuberat in sensus externos.* 1.Reg.18. Carth. 1.Mach.8.

Ioan.8 num.48. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt, nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmoniū habes?

VERSIONES.

Arias.	Nónne pulchrè dicimus nos?
Syriacus.	Nónne bene dicimus nos te Samaritanum esse?
Theophyl. Euthymius.	Quod Samaritanus es tu.

EXPOSITIO III.

46. RESPONDERVNT *ergo Iudæi*: multo tumultu vociferantes, vt alto vocum clamore suā falsitatem, ac malitiā obtegerent. Et quia cùm ex Deo non essent, verba Dei non audiebāt; stimulati enim erant Iudæi, cùm Dominus eis eorum peruersitatem obiecerit. Hoc cap.8. vers.43. *Vos ex Patre diabolo estis*: tum etiam quia Dominus eis suam innocentiam ac puritatem declarauerat. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et propria malitia obiecta, ac alterius innocentia declarata grauiter percutit, ac vulnerat inuidos inimicos, qui maximè de alterius sanctitate dolent; vt ait D. Cyrillus lib.8. *Tanquam furore exagitati prorumpunt in iniurias, & falsis eum probris lacessunt: quia vera, quæ illi possent ingerere, non inueniunt. Nonne bene dicimus nos.* Hoc est verè dicimus, & dicere solemus. Nam cùm, vt Origen. tom.26. in Ioan. Chrysost. Alcuin. D Thom. D Bonau. aiunt, non legatur alio in loco Dominum à Iudæis Samaritanum vocatum, tamen datur hîc intelligi quod consueuerunt Dominum Samaritanum vocare, sicut de eo dicebant, quod dęmonium habebat. *Samaritanus es tu*; Samaritanus à Iudęis reputabatur

Ex sanctitate alterius dolet inuidiosus. Cyril. Origen. Chrysost. Alcuin. D Thom. Bonau.

tabatur tanquam schismaticus, qui res Iudaicas adulterabat. *Et dæmonium habes.* In cuius nempe virtute operaris miracula. Cùm ergo non possent Iudæi innocentiam, ac sanctitatem de aliquo peccato arguere, ad conuitia falsò se conuertunt, vt iam dixi ex D. Cyrillo, & iterum statim dico.

QVÆSTIO IX.

Quare tam contumeliosè respondent Iudæi: Nónne bene dicimus nos, *& expenduntur hæc verba?*

47. VSQVE multa modestia, ac mansuetudine dixit Christus Dominus in sua concione. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Tunc Iudæi multis contumeliis respondent: *Nonne bene dicimus nos,* &c. tunc quia vt pote inuidi dolebant, ac irascebãtur de tãta excellẽtia innocẽtię Christi manifestata, vt dixi in expositione, tum etiam cum in contumelias erumpunt etiam inuiti se victos fatentur. Pulchrè Cassiodor lib.1. Epistol.27. *Quando ad iniurias tunc prosiliunt, cum se superatos turpiter erubescunt.* Sua Cœlesti sapientia multa alta, & sublimia dixerat Paulus de sua conuersione, ad quæ cum Festus Præses nil haberet ad respondendum; *Festus magna voce dixit; Insanis Paule, multæ te litera ad insaniam conuertunt.* Actor.26. num.24. Si Festus conuictus est sapientia, quomodo eum insanum vocat? quia sane conuictus est, ideo iniurias irrogat, ac ad contumelias conuertitur: *Quando ad iniurias tunc prosiliunt,* &c.

Conuictus in iniurias prorumpit.

Cassiodor.

Actor.26.

48. Respondent, & dicunt Iudæi: *Nonne benedicimus nos*; per interrogationem loquuntur, ad maiorem rei firmitatem, ac si nullus contrariare valeat, tantum præ nimio odio in sua blasphemia complacebant, vt aliis plausibilem existimarent. Secundò astruunt se bene, rectè, ac verè dicere: *Nonne bene dicimus?* Christi doctrinam sanctam, veram, ac bonam reiiciunt, & reprobant; *non creditis mihi.* At suam doctrinam iniquam, malam, ac mendacem Iudæi approbant, & applaudunt; *bene dicimus nos.* Tantùm affectio propriæ voluntatis iudiciũ peruertit, vt complaceat in iniquitate, displiceat verò in probitate, ac sanctitate. Tertiò. Vt dixi in expositione ex sanctis Patribus, & notat D. Thomas. *Datur intelligi*, ait, *quod hoc verbum,* scilicet Samaritanus es tu, & dæmonium habes, *frequenter Domino improperabant.* Modo se ostendunt in sua iniquitate tenacius perseuerantes, ac persistentes. Quartò. Vt notat Caietan. *Non aiunt, bene dicunt,* alij scilicet, *sed bene dicimus nos,* scilicet nos maiores, ac seniores populi. *Quare discipuli transgrediuntur traditiones seniorum?* Ma.15. num.2. Vt calumnia, quæ ex se sine fundamento erat inutilis, seniorum traditione grauior fieret. Quintò. *Nos*, inquiunt, valde prompte improbi ad iniquitatem conueniunt. D. Bernard. serm. 25. in Cantic. *Ineunt*, ait, *familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam.*

Christi veritas reiicitur, mendacium approbatur.

D. Thom.

Caietan. Perseuerantia in malo.

Matth.15.

Bernard.

49. Sextò. Christus Dominus singulari numero locutus est. *Quis ex vobis arguet me? si veritatem dico vobis.* At Pharisæi non sic loquuntur, vt vnus alteri suo amico, ac proximo dicat: bene dico ego, quod iste Samaritanus est: sed plurali numero vocẽ proferunt: *bene dicimus nos.* Cùm enim eorum verba essent mendacia, & falsa, multitudine, ac numerositate palliare, ac cohonestare voluerunt.

Mendacium multitudine obtegere volunt Pharisæi.

Vt meum Iesum è domo Pontificis adducerent Iudæi ad Pilatum ait D. Lucas 23.num.1. *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum.* Stabat innocentissimus Agnus inter carnifices comprehensus, ac funibus ligatus, ad quid ad eum adducendum confluit omnis multitudo seniorum Pharisæorum, Scribarum, ac Iudæorum, cum ad hoc pauci homines sufficerent, vel saltem parua pars? Ad quid omnis multitudo, Præclare D. Bonaũ. *Multitudo venit*, ait, *vt quem ratione superare non poterant, saltem vincerent multitudine.* Factum illud comprehensionis Iesu totum peruersum, ac malignum erat contra omnem iustitiam, ac rationem; cum ergo nec iustitia, nec ratione posset comprobari, saltem omni concursu, multitudine maiorum, & minorum stabilire, ac nobilitare iniquè prætendunt. 50. Luc.13. Bonauent. *Mendacium multitudine palliatur.*

Vrgẽte bello postulat Saul à muliere Pythonissa, id est, habente dæmonem familiarem, *Samuelem mihi suscita*: aitque illi mulier; *Deos vidi ascendentes de terra*, 1. Reg.28. num.3. Mulier vnum tantum senem Samuelem vidit, vt ipsa postea sub ecit: *Vir senex ascendit.* Quomodo ergo ait Pythonissa cùm vnum viderit, quod multi essent, eosque Deos appellat Caietanus *Cùm tamen vnum viderit. sed veneranda specie propterea honorabiliter loquẽs appellat eũ in numero plurali Deos ascẽdentes.* Cùm vnus se exhiberet multos, appellat venefica. *Video Deos ascendentes* Intentauit illa suam iniquitatem, dæmonis pactum, ac veneficium obiecta multitudine inuoluere, ac obtegere. 51. 1.Reg.28. Caietan. *Iniquitas multitudine obtegitur.*

QVÆSTIO X.

Quare proposita veritate à Christo, Iudæi se obiciunt blasphemiis, & lapidibus?

DIXERAT Dominus: *Si veritatem dico vobis*, blasphemiis, ac tandẽ ad lapides cõcurrentes respondent Iudæi. Res valdè mir., olim cum Deus in vmbra, ac forma quadam apparenti se exhiberet, in multa veneratione erat apud antiquos Patres. Sic Abrahamus cecidit in faciem suã, Genes.17.n.3. & 17. similiter Isaac. Iob. & alij. Veniq; ipse Dei filius in veritate carnis in mundum, tũc multis iniuriis, blasphemiis, lapidibus, cruce, ac morte exosus habetur. Eleganter D. Chrysolog. serm.131. *Si toties*, ait, *Deus in figura hominis videtur, quid est cur Iudæus hominem videns Christum, sic exasperatur? nisi forte figura, honor, veritas putatur iniuria* vmbra, & figura deputatur honori firma, & stabilis in iniuria habetur. 52. Genes.17. *Veritas reputatur iniuria.* Chrysolog.

Ad nostram quæstionem tria in præsenti Euangelio continentur: veritas, blasphemiæ, ac lapides. Veritas, ait Christus Dominus: *si veritatem dico vobis.* Blasphemiæ inquiunt Iudæi: *Nonne bene dicimus, nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* Lapides. *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Tria hæc non diiuncta sed multum connexa, ac cohærentia sunt inter se ex audita veritate frequens consequentia, vt ex circumstantium ore, ac manibus blasphemię & lapides prosiliunt. Vnde eleganter dixit Cassiodorus lib.2. Variar. *Cùm veritatem proclamas, constantia, ac potentia circumcinge. Constantia ne ab illa retrocedas, patientia vt pro illa multa patiaris.* 53. *Veritatem infestantur blasphemiæ, & lapides.* Cassiodor.

54. Cùm Stephanus staret in Concilio Iudæorum prædicans Christi magnalia. *Intuentes eum omnes, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*, Actor. 6. num. 15. quomodo autem ipse tanquam Angelus videretur, explicat D. August. serm. 99. de Diuersis, ait, *faciem Stephani radiasse instar solis.* Et D. Hilarius Arelatens. homil. de S. Stephano, inquit: *Cum haberet in se Spiritum sanctum, es per se gestabat Angelicũ.* Vnde inquiunt communiter Recentiores; Lorinus, Cornelius à Lapide, quod Deus contulit D. Stephano nouum, & mirum splendorem, & quasi radios corporis glorioſi. Tamen contra eum insurgunt viri iniqui, qui proteruè asseuerãt se audisse *eum dicentem verba blasphemia, in Moysen, & in Deum*, ibidem. num. 11. Et postea extra ciuitatem eiecerunt; cúmque lapidauerunt; facies Angeli apparebat nimia luce, ac veluti supernaturali emicabat, & tamen è concilio maligno impetu Iudæi in eum insurgunt, vt blasphemiis, ac lapidibus eum appetant. D. Augustin. serm. 93. de diuersis cap. 2. *Amicus Christi Stephanus cum dixisset causam suam, predicauit veritatem Domini sui; moriturus erat.* Post pauca subdit: *qui in agone suo lapidabatur.* Andita veritate ex ore Stephani, efficacior fuit circunstantium malitia, vt eorum linguas ad blasphemias, manúsque ad lapides prouocaret, quam præsentia Angeli radiis, ac nimia luce fulgens, vt sibi reuerentiam, ac venerationem conciliaret; & compararet.

Actor. 6.

August. Hilar.

Lorin. Cornel.

Præsentia Angeli non corrigit, ne lapides, ac blasphemia in veritatem iactentur.

August.

QVÆSTIO XI.

Quare Dominum Iesum Iudæi Samaritanum vocant?

55. AD quęstionem respondet primò Ammonius in catena Græca: *Dominum*, ait, *vocabant Samaritanum Iudæi, quia legalia mandata non obseruabat, ac Sabbathum soluebat: Samaritani namque non omnino accuratè iudaizabant.* Euthym. *Vocabant*, inquit, *Iudæi Christum Samaritanum, vtpote non exactè seruantem legem, sicut illis videbatur, neque traditiones seniorum, tales siquidem erant Samaritani.* Idem docent Theophylact. Leont. D. Thomas, D. Bonauent. & ait, dominum Iesum pro magno opprobrio, ac contumelia Samaritanum dixerunt, nam Samaritanus, idem erat apud Iudæos ac hæreticus, schismaticus. & apostata; nam Samaritanus partim erat Iudæis, & partim Gentilis; Samaritani enim à Iudęis deficientes extruxerunt templum in monte Garizim, tanquam æmulum, & oppositum templo Iudæorum Ierosolymitano, in cóq; simul cum vero Deo Iudæorum adorabant falsos deos Assyriorum, à quibus originem trahebant 4. Reg. 17. de hoc latè tractaui tom. 2. c. 5. quæst. 4. & 16. Cùm ergo Christus dominus videretur Scribis, Pharisæis partim Iudæus, partim & alienus, nouam enim fidem, ac religionem prędicabãt, videbaturque legum, ac maiorum traditiones adulterare, sicut Samaritani, qui Iudaismum miscebant, & corrumpebant Gentilismo. Et hæc est præcipua, ac germana ratio.

Ammon. Euthym. Theoph. Leont. D. Thom. Bonauent. *Samaritani legem adulterabant.* 4. Reg. 17.

56. Secundò. Rupertus lib. 9. in Ioann. *Pro eo*, ait, *quod apud Samaritanos biduo mansit, & docuit.* Ioann. 4. numer. 40. *ideo Dominum Samaritanum sunt nuncupati.* Oculos coniiciunt Iudæi ad loquelam cum muliere Samaritana, vt inde ipsi calumniam expiscati sibi videbantur, non tamen considerant mirabilem conuictionem, quam dominus in ipsa muliere egit, eripiens eam à suis prauis moribus, ac erroribus, & ad fidẽ adducẽs; iniquorum hominum sanè ingenium, qui solùm mente aduertunt ad id, quod ex sua falsa pręsumptione defectuosum eis iniquè videtur, non verò ad id quod iustum, rectum, ac sanctum apparet. Curato cæco à natiuitate dicebant quidam ex Pharisæis, *Non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* Ioan 9. num. 16. Vt calumnientur dominí facta sabbathum commemorant, diuinã, ac admirabilem curationem homini impensam prętermittunt, vt cap. sequenti ex Chrysost. multis expendam.

Rupert. Ioan. 4. Ioan. 9.

Iniqui non considerant virtutem, sed id quod defectum indicant.

57. Tertiò. Albertus Magn. *Dominum in parabolis Samaritanes laudauit, & extulit in miraculis.* In parabolis. Samaritanus quidam descendit appropiãs: & alligauit vulnera eius, qui incidit in latrones, cùm à Leuita pertranseunte derelictus esset, Luc. 10. num. 32. In miraculis sicut in curatione decem Leprosorum, vbi laudauit eũ, qui rediit, cum gratiarum actione. Et dixit illum esse Samaritanum, Luc 17. numer. 16. Ex his dixerunt eum factum esse Samaritanum: ex illis enim quæ quis approbat, & loquitur, eius animus multoties appenditur, ac æstimatur, præcipuè quia multùm dolebant Iudæi, quod dominus Samaritanos inimicos suos eis anteponeret.

Alb. Mag. Luc. 10. Luc. 17.

Quilibet iudicatur ex his, quæ approbat.

58. Quartò. D. Thomas. *Iudæi*, ait, *hoc de Christo dicebant. Samaritanus es tu, quia Samaritana gens odiosa erat populo Israëlitico, eo quod decem tribus in captiuitatem ductæ, terram eorum possidebant.* Vt diximus tom. 1. citato cap. 5. Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Ioan. 4 num. 9. *Quia ergo Christus Iudæos arguens credebatur à Iudæis, quod hoc ex odio faceret, idcò eum Samaritanum, & quasi aduersarium reputabant.* Ex eo quod Christus D. Iudæorum peccata argueret, eisque monita salutis dabant, inde iniquo odio in ipsum insurgebant, eumque tanquam inimicum reputabant.

D. Thom. Ioan 4.

Iudæi persequuntur eos arguentem.

59. Quintò. Maldonatus. Iudæi Christum vocarunt Galilæum, Ioann. 7. numer. 41. & 52. eo quòd conceptus, & educatus erat in Nazareth, quæ est vrbis Galilææ. Galilæi autem vicini erant Samaritanis, vnde quasi similes, vel iidem pari loco, & vilitate à Iudæis habebãtur ex suis vicinis eos diiudicabant. Deinde perpende, quàm inconstantes sint iniqui, nam Iudæi modò Christum vocabant Galilæum, modò Samaritanum.

Maldonat.

Iniqui inconstantes.

60. Sextò. Origenes tom. 20. in Ioan. *Dignum est quærere*, ait, *quomodo cum Samaritani sæcula futura denegent, nec animæ durabilitatem accipiant; ausi sunt Iudæi Samaritanum dicere Saluatorem, qui de Resurrectione, & iudicio tot, & tanta docuit:* perpende sequentia verba: *Sed forsitan velut impræparatos illi hoc dicunt, dum quæ sentiunt ipsi non docet.* Qua mente, vel consideratione vocarunt Iudæi Christum Samaritanum, nam Samaritani corporum resurrectionem, animæ immortalitatem, ac vitam futuram denegabant; Christus autem dominus frequentissime corporum resurrectionem, animæ immortalitatem, ac futuram vitam prædicabat, Ioan. 5. num. 26. *Et procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala in resurrectionem Iudicij.* Ioann. 6. num. 40. *Vt qui credit in eum habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Et iterum ibidem. num. 59. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quomodo

Origen. Ioan. 5. Ioan. 6.

Nihil dicunt hæreticum doctrinæ suæ scholæ contrarium,

modo ergo cum, qui tam contrariam doctrinam Samaritanis docebat, Samaritanum, seu hæreticum, idem enim apud eos sonabat, appellant-ait Origenes. *Sed forsitan velut impreperantes illi hoc dicunt, dum quæ sentiunt ipsi, non docet.* Christus altam, & sublimem doctrinam dabat supra legem, ac contra depravatum intellectum Iudæorum circa legem, cum autem ipse essent enutriti in lege, ac in suis erroribus, cum nouam doctrinam, etiamsi verissimam audiant, in eius Doctorem insurgunt, cúmque Samaritanum, ac hæreticum suggillant. O Sapientiæ error, qui apud aliquos literatos serpit, sicque suæ scholæ suorúmque magistrorum doctrinæ tenaciter adhærent, quod cum nouam, etiamsi verissimam audiant, eam tanquam schismaticam, ac hæreticam inclamant, ac diffamant.

61. Origen.

Septimò: ad eadem Origenis verba: Si Christus Dominus tam aduersam doctrinam erroribus Samaritanorum de corporum resurrectione, animæ immortalitate, ac vita æterna docebat, vt modò expendi, quomodo Samaritanum nuncupant eum Iudæi? *Sed forsitan*, ait Origenes, *velut impreperantes illi hoc dicunt, dum quæ sentiunt ipsi, non docet.* Multa maleuolentia Iudæi Christo aduersabantur; & qui te odio infestantur, tua magnalia, & egregia facta, ac sublimem doctrinam & sapientiam non intelligunt, & capiunt, imò omnia in contrarium sensum extorquent, & percipiunt. Dicebat Christus homines surrecturos in nouissimo die: Iudæi autem odio obtenebrari, non solùm verba non intelligebant, sed etiam maligne in contrario sensu interpretabantur, vt eis videretur cum Samaritanis conuenire, & resurrectionem negare. Tanta caligine, ac tenebrarum confusione odium mentem opprimit, & inuoluit, vt præclara aliena facta, & verba, aliter ac sunt appretientur, & credátur. Perbellè Plutarch. lib. de odio, & inuidia. Odium appellauit *ægritudinem oculorum.*

Odium virtutem etiam vitium reputat,

Plutarch.

62. Seneca.

Ait Seneca Epistol. 71. *Aliquorum videbitur vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima, cum in aquam dimissa sunt, speciem curui, prafractique videntibus reddunt, non tantùm quid videas, sed quemadmodum refert animus noster ad vera perspicienda caligat.* Illud, quod rectum, & integrum est visum turbine aquarum fractum, & dissolutum censetur. Sic odium res mutat, & transuertit, vt id quod rectum est, maleuolentiæ caligine fractum videatur. Cùm Aman intellexisset à Rege Assuero sibi paratum esse malum mortis, corruit super lectula, genibus flexis Reginæ pietatem, & clementiam implorans, quod cum vidisset Rex ait: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo mea*, Esther. 7. num. 8. Ex gestu, & verbis siebat cuidens, quomodo Aman commiserationem, ac intercessionem exposcebat. Tamen animus Assueri cum odio fœuescceret pietatis verba instrumenta curdelitatis reputauit. D. Athanas. in synopsi: *Aman*, ait, *cum regem mœrore affectum, & ira commotum propter indignum contra Iudæos facinus vidisset; illo absente, regina supplicanis, ad genua illius procumbens. Rex cum ingressus videret Aman genua reginæ contingere, suspicatus, quod id turpitudinis causa faceret, iussit eum in ligno suspendi.*

Iniquus rectum iudicat fractum.

Esther. 7.

Athanas.

73. Iob. 3.

Iobus multis calamitatibus oppressus ait: Pereat nox, in qua dictum est, conceptus est homo, sit nox illa solitaria nec laude digna, & tunc subdit. *Maledicant ei, qui maledicunt diei.* Iob. 3. num. 8. Multam indaginem locus requirit, quid est quod cum Iobus noctem suæ natiuitatis maximè execrabilem exoptet, non maledicentes nocti, sed diei conuocat? *Qui maledicunt diei.* Cur non potiùs probra in noctem iactantes? nam tanquam illius maximè aduersarij, multa aduersus suæ natiuitatis noctem buccinabunt; cur solum adsciscit clare diei vituperatores? Perquirebat Iobus summum odium, summam maleuolentiam, extremámque linguæ maledicentiam in suam noctem. Non noctis, sed diei vituperatores conuocat. Qui enim noctem execrationibus infectantur, multa maledicta in eam coniiciunt, eius tamen tenebras, & earum obscuritatem, vt tenebras iudicant; at diei detractores, eius lucem, ac meridianum splendorem tanquam tenebras noctis mediæ appendunt; nullum enim potest esse acerbius maledicendi genus, quàm illud, quod lucem satagit vertere in tenebras, & opprobria, quæ in noctem ob suam densam obscuritatem iactantur, in diei fulgorem transuertat, sicque virtutem obnubilare intendat, vt in eum, tanquam in vitium maledicta contorqueat. D. Thomas: *Qui maledicunt diei, vult significare lucem esse malu odiosam.*

Extremá malitia luce appendere in tenebras.

D. Thom.

64.

Vehementer Satrapæ, ac principes prouinciarum instarunt cum Dario Rege, vt Daniel mitteretur in lacum leonum, ex quo mirabiliter diuina virtute illæsus exiuit; qui autè accusauerunt Danielem missi in lacum statim à leonibus deuorati sunt, Daniel. 6. num. 24. Postea verò euolutis aliquibus annis, regnante Cyro, vel Balthasare iuxta veras opiniones, cum Daniel euertisset idolum Belem, & Draconem quendam, quem Babylonici adorabant, occidisset; irruerunt sacerdotes in Regem, *& Danielem miserunt in lacum leonum.* c. 14. num. 30. Quomodo fieri potest, vt tam vehementer sacerdotes instarent, vt Daniel in lacum mitteretur? ipsi optimè agnouerant, quomodo iam semel Propheta à tanto periculo superstes euasisset, & quod eum accusantes damnati interierunt; ac proinde bene poterant coniecturare, quod similiter, & secundò res euentura esset; cur ergo pro eo coniiciendo in foueam tanto conatu verba faciunt? Tanta est rei difficultas, vt existimauerint aliqui apud D. Hieronymum in Prologo duplicem fuisse Danielem, vnum sub Dario leonibus expositum, alterum sub Cyro; communiter tamen Ecclesia tenet vnum tantùm fuisse Danielem, & optimè soluitur nodus quæstionis, si textus expendatur. Nam primò Daniel sub Dario in leonum ergastulo est clausus per vnam tantum noctem; nam rex vsque ad occasum Solis laborauit pro liberando Daniele. c. 6. n. 14. Et sequenti die primo diluculo festinus perrexit ad lacum. At verò secunda vice sub Cyro, vel Balthasare, *miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex*, cap. 14. num 30. Cur modò sex diebus, cum antea vna tantum nocte fuerit; Sacerdotes cum essent crudeles Danielis hostes forsitan putarunt, quod ipse à leonibus prima vice euaserit, nó virtute, ac iustitia sua, sed amici regis arte, & industria, nã sub occasu Solis in cloachá missus est, cum leones essent abundè saturati, quo maximè mites sunt, vt ex Aristotele, Plinio, Gellio, Peretio, refert Cornelius à Lapide, cap. 6. Danielis vers. 22. & ideò antequam fames subresceret, valde diluculo à rege ereptus est; decreuerunt ergo sex diebus ibi cum manere, vt fame vrgente Daniel à leonibus dilaceratus periret, pro certo statuentes Prophetam illæsum ex primo con-

Daniel. 6.

Hieron.

Daniel. 14.

Aristot. Plin. Gel. Cornelius. Daniel. 14.

flictu

Iniquus vir tutem cum miraculis reputat inuentionem.

affectu exiisse non sua probitate, sed industria; taliter odium animum exacerbat vt virtutem, ac iustitiam miraculis comprobatam, non virtutem, sed artem, & inuentionem reputet.

QVÆSTIO XII.

Quare de Christo Domino dixerunt eum Dæmonium habere?

65. D.Thom. Tolet.

IVDÆI dixerunt de Christo Domino esse Samaritanum, ac dæmonium habere, vt inquiunt D Thomas, Toletus, & alij, vt arguant eum de peccato contra illud, quod dixerat, *quis ex vobis arguet me de peccato.* Mendaciis, blasphemiis, ac contumeliis se Iudæi contra veritatem opponunt, & valde impudenter dicunt eum dæmonium habere.

66. Theophyl. Alb. Magn. Bonau. Hugo.

Primò. Theophylact. Albertus Magn. D. Bonau. Hugo & alij, quod Iudæi sic blasphemarunt; quia miracula, quæ faciebat Christus Dominus, ac cogitationes eorum, quæ reuelabat, non attribuebant virtuti diuinæ in Christo, sed arte dæmonum ipsum ea facere suspicabantur. Vnde dicebãt: *In Beelzebuth principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Luc.11.n.15. tanto odio cæcutiebant, vt claram Christi virtutem tantis miraculis demonstratam arti dæmonum tribuerent. De quo dixi in fine superioris quæstionis.

Luc.11.

67. Leont. Euthym.

Secundò. Leontius, Euthymius, qui ait; *Dæmonium habentem dicunt, tanquam Dei honorem in se ipsum derivantem.* Christus prædicabat se Deum esse, Luciferantem appetiuit, quod Deus esset, Deique gloriam sibi vendicare effectauit. Sed vt subdit Euthym. Christus Dominus in veritate Deus erat, Dæmones verò falli seductores; Iudæi autem hoc conuitium dicunt in Christum, nam cùm ipsi furati essent optimorum Magistrorum, ac Doctorum legis honorem. *Amant primas Cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi,* Matth.23. num.6. Cùm tamẽ non essent veri, sed iniqui magistri, inde ex se ipsis falsò de Christo coniecturant, quod Dei honorem sibi arriperet: sicut ipsi magisterij primatum furabantur.

Matth.23. *Pharisæi ex se iudicãt de aliis.*

68. D.Thom. Orig.

Tertiò. Origenes tom.20.in Ioann. *Dæmonium illum habere dicebant Iudæi propter eius sermones transcendentes capacitatem humanam, quibus Deum Patrem suum asserebant, & se de cœlo descendisse, & cætera huiusmodi.* Nam vt subiicit D.Thom. consuetudo autem rudium est, quod cùm talia audiunt, quæ ipsi non capiunt, diabolica, ac deliramenta reputant.

Quod non percipimus deliramenta putamus.

69. Greg. Naz.

Quartò. Diuus Gregorius Nazianzen. Orat.1. contra Iulian. Dæmonium habes, dicunt, veluti si dicerent; delitas, insanis, perinde ac lunatici, & energumeni à Dæmone agitari delirant, & insaniunt. Sic enim dicitur infra cap.10.Ioan.20. *Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis?* & cap.7. Ioan.num.20. *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Proh dolor! cùm verus Magister viam salutis ostendit, ab iniquis reputatur insanire, & delirare. Vide tom.1. lib.3. cap 3. quæst.5.num.25. & 26.

Ioan.10. Ioan.7.

Qui verum dicit insanus reputatur.

70.

Quartò. Christum Iudæi appellant Samaritanum, & Dæmonium habere, ac si diuina opera, præclara miracula, infinitam sapientiam, quæ in Christo Domino relucebat, dæmonio attribuerent, seu arte dæmonis edita esse astruerent, iuxta Patres relatos in prima ratione huius quæstionis; ex hoc tamen magna pullulat difficultas, potiùs volebant Iudæi, vt magna Christi opera extraneis, ac alienis Samaritanis, diabolóque etiam attribuerentur, quàm Christo Domino eorum patricio, conciui, amico, & consanguineo? Sæpe sæpius tam deprauata est humana cõditio, vt magna, & præclara potius in extraneo, & etiam diabolo gratiora sint, quàm in patricio, & consanguineo, de cuius præcellentia multoties grauiter dolemus. Cùm Saül vnctus esset in Regem, & repetisset patruum suum, ei aperuit causas sui itineris, ac inuentas asinas. *De sermone autem regni, non indicauit ei quem loquutus fuerat Samuel,* 1. Reg.10. n.16. Quamuis enim vniuersus populus Regem postulasset à Samuele, 1.Reg.8.num.4. tamen Saul patruo suo non manifestauit suam electionem; timens ne patruo gratior esset promotio alicuius extranei, quàm ipsiusmet consobrini. Ioseph.l.6. Antiq.cap.4. *De regno eius, ait, & eius euentibus, quæ etiam audirentur, & inuidiam, & incredulitatem parerent, tacendum decreuit! quod amico, & amplius sanguini vicinitate coniuncto, tantum, vt sapiens credidit non indicare, dubitans, vt reor, de humana natura, quippe cum verùm sit, quod perfectè nemo deuotus est, neque amicus, neque cognatus, neque vsquam in Dei donis purum aliquis seruat affectum, sed circa proiectus sublimium, maleuoli, & inuidiosi esse nesciunt.*

Aliqui potius exoptant honores extranei, quàm patricio.

1.Reg.10. 1.Reg.8. Ioseph.

Sacratissimo Passionis tempore ostendit Pilatus Christum Iesum populo dicens: *Ecce Rex vester.* Instanter clamant omnes: *Crucifige eum.* Tunc ait illis Pilatus, *regem vestrum crucifigam?* Illi verò magnis vocibus clamant: *Non habemus regem nisi Cæsarem,* Ioan.19. num.15. Res valde mira! Christus Iesus ipsamet sanctitas, ac puritas. Cæsar tyrãnus, vitiosus, ac diaboli membrum; Christus patricius, naturalis, ac cognatus; Cæsar verò alienus, & extraneus: tamen tãto odio Christum prosequebantur, vt potiùs sibi vellent regem extraneum, tyrannum, diaboli membrum, quàm Iesum eorum patricium, omni sanctitate, ac mãsuetudine præclarum. Albert. Mag *Ecce negant Christum regem, & dicunt Cæsarem, qui erat alienigena.*

71.

Ioan.19.

Iudæi potius volebãt Cæsarem alienigenam Regẽ, quàm Christum.

Alb. Magn.

Duo illi celebres parentes tribus Leui Amarã scil. & vxor eius Iochabed duos habuerunt filios, cùm in Ægypto impia quædam lex vigeret, quod omnes masculi Hebræorum partu editi interficerentur. Nascitur puer Aaron, suorum parentum industria occultatur per cognatos, amicos, & vicinos, ne morti tradatur. Nascitur, & puer Moyses; tamẽ eius parentes illum non valent abscondere, nisi tantum tribus mensibus, postea verò flumini exponunt: *abscondit tribus mensibus, cumque iam celare non posset, exposuit eum in carecto ripa fluminis,* Exod.2 n.2. Grauis mihi difficultas. Cur sicut hi optimi parentes absconderũt puerum Aaron per familiares, & consanguineos, ne morti occumberet, cur eadem iam explorata via puerũ Moysem non occultãt? Et sicut cognati, ac amici misericordi â sunt commoti super Aaron, cur eandem Moysi non impendunt commiserationem? Nota: quod Aaron speciem quandam cuiusdam hominis vulgarẽ præ se ferebat; at de Moyse dicitur: *Videns eum elegantem aspectu.* Erat valde pulcherrimus, ita vt ait Ioseph. lib. 2. Antiquit. cap.5. quòd eius aspectu omnes obstupescerent. Philo Iudæus de eo testatur, libro 1. de Moyse: *Natus infans, ait, vrbaniorem pra se ferebat vultum,*

Exod 2. Ioseph. Phil.

tum, quàm quis de primato homine suspicari posset.

Contra prælarum virũ omnes qui & vulgari hominũ sunt defensores.

Sicque omnes virientes Moysem dicebant illum puerum futurum præclarissimum virum, ac magnarum rerum operatorem. Aaron qui tanquam quidam vulgaris homo apparebat amici, & cognati sunt in eius tutamen, & auxilium, ne pereatur. At verò Moyses, qui præ se magnarum rerum prognosticum fert, ab omnibus deseritur, nullus est familiaris, ac vicinus, qui ei velit opitulari, sed ab omnibus destituitur, & in flumen proiicitur, & nisi adsit aliqua Dei prouidẽtia particularis suffocabitur, ac vita priuabitur. Huc respexit Rupertus l. 1. in Exod. c. 8. reddens causam cur puer flumini traditur, & inter cognatos non seruatur, ait: *Ne propter elegantiam eius, quam iam ardere cœperat, magis inflammaretur inuidia.*

Rup.

Ioan. 8. num. 48. Respõdit Iesus: ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.

VERSIONES.

Pagninus. Honore afficio Patrem meum, & vos ignominia affecistis me.

Vatablus. Cohonesto Patrem meum:

Syriacus. Vos autem opprobrio me affecistis.

EXPOSITIO IV.

73. RESPONDIT Iesu, ac serena voce. Magnus animus inter opprobria stat firmus, ac imperturbatus; & falsam calumniam vera responsione confutat. *Ego dæmonium non habeo.* Nihil enim facio, & dico dæmone auctore, quod optimo, & efficaci argumento probat. Sed *honorifico Patrem meum.* Verum scil. Deum honorifico. Primò S. Aug. Beda, Per opera sancta, iusta, & aliena à peccato, ac dæmone. Secundò Theophyl. honorifico, cùm vlciscor, ac damno homicidia, mendacia, &c. dæmoniſque opera. Tertiò valde genuinè Leont. *Dæmonium non habeo.* Ego gloriam Dei non mihi vsurpo, vt facit Dæmon vig. Lucifer. Sed honorifico Patrem meum, omnia enim mea dicta, & facta in ipsum refero, méque ab eo esse missum testor, méque illi in omnibus obedire prædico; *doctrina mea non est mea, sed eius qui misit me.* Ioan. 7. n. 16. Hoc syllogismo totã rem declaro. Qui dæmoniũ habet, non honorat Deũ, sed honorẽ detrahit à Deo, Christus honorat Patrem, ergo nó habet dæmonium, sed est verus Filius Dei. *Et vos inhonorastis me.* Supplet Euthym. *Appellãtes Samaritanum, & dæmoniacum.* Et sensus est, vt ait Hugo. Vos inhonorastis me, qui me debetis honorare, saltẽ propter hoc quod honoro Patrẽ, qui n. Deũ honorat, multũ venerandus est.

Aug. Beda. Theoph.

Leont.

Ioan. 7.

Euthym.

Hugo.

QVÆSTIO XIII.

Quare auditis tot blasphemiis Christus non durè, vt alibi fecerat, sed mansuetè respondet?

74. MIRABILIS est Christi mansuetudo in tantis blasphemiis, & contumeliis audi-

Christi mansuetudo.

tis, cùm veraciter, quod falsò in eum Iudæi obiecerant, posset retorquere, vos dæmonium habetis, nil tale fecit, ac dixit, multa mansuetudine sustinuit, vt tanto eius præposito exemplo. Quilibet nostrum ait D. Aug. tract. 43. *eius imitetur patientiam.* Ad quæstionem.

Aug.

Respondet Diuus Chrysostomus homilia 54. in Ioannem. *Dicentibus illis, ait, Patrem Deum, & Abraham habemus: in eos insectus est vehementius: Cùm verò habere dominium insimulatur; lenissimum se exhibet: ad nos erudiendum, vt qua ad Deum pertinent, maiorem in modum defendamus: qua ad nos, contemnamus.* Cùm Iudæi in isto sermone dixerunt suprà, *Pater noster Abraham est*; hoc capite 8. Ioann. num. 39. & iterum *vnum Patrem habemus Deum*, ibidem, numero 41. graniter, & durè eos increpat Christus. *Vos ex Patre Diabolo estis.* Cùm verò hìc blasphemant de Christo, *Dæmonium habes*, cùm multa lenitate sustinet opprobrium; docens nos plus dolendum de Dei iniuria, quàm de nostra: nostram dissimulandam, ac prætereundam, pro Deo verò acriter pugnandum, ac decertandum esse.

75. Chrysost.

Plus dolendum de Dei iniuria, quã de nostra.

Secundò. Idem Diuus Chrysostomus homilia 44. in Matthæum componens hunc nostrum textum, cum illo Matth. 12. numero 5. vbi dicitur: *Accesserunt ad Iesum Scribæ, & Pharisæi; dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: generatio mala, & adultera signum quærit.* Tunc sic subiecit Sanctus Chrysostomus. *Ita cùm illi asperè, & contumelioſè loquuntur, incundius, atque humilius respondet: cùm verò assentantur, tunc non mediocri vtitur acrimonia, omni se perturbatione superiorem ostendens. Veluti enim tunc nullaira concitatur, eodem nunc modo adulationibus non delinitur.* Cùm Dominus Samaritanus, ac dęmoniacus nũcupatur, placidè respondet, dęmonium non habeo, cùm verò proclamatoria voce Magister nuncupatur, ac laudatur: *Magister volumus à te signum videre*, Valde acrem se præbet, docens nos plus cauendum esse à laudibus, ac adulationibus, quam ab iniuriis, & contumeliis. Prouerb. 27. num. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Tigurina habet: *Laudanti proximum suum magna voce.* Septuaginta: *a maledicente nihil differre videtur.* Quod R. Leui sic exponit, tum quis elata voce amicum suum sic solemniter laudat, vt singulis diebus summo mane ad hoc consurgat, similem maledicenti producit effectum, sicut enim à maledictione extrema ariditas prouenit, sic & ab huiusmodi laudatoria voce. Beda. *Qui amicum suum fauore superflua laudis extollit, hic maledicenti assimilatur, quia plurimum ladit eum.*

76. Chrysost. Matth. 12.

Plus cauẽdum ab adulatione, quã ab iniuria.

Prou. 27.

Tig. Septuag. R. Leui

Beda.

Tertiò. D. Gregorius homil. 18. in Euangelia. *Ecce iniuriam*, inquit, *suscipiens Deus, non contumelioſa verba respondet, cùm à proximis contumeliam acceptus, etiam eorum vera mala tacere debes, ne ministerium iusta correptionis in arma vertatur furoris.* Christus Dominus datus est à Deo Patre omnium Doctor & Magister. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius.* Psalm. 2. num. 6. Erat Christus in præsenti exercens suum prædicatoris munus, tunc multis iniuriis appetitur à Iudæis, ipse autẽ placidè dissimulat, ne videretur munus sibi commissum in instrumentum vlciscendæ iniuriæ vertere. Iudicabat Moyses populum suum.

77. Greg.

Psa.

Officium non sit instrumẽtũ ad vlciscendum.

Sedis

Sedit Moyses, vt iudicaret populum, Exod. 18. num. 13. dicebat vnicuique ius suum tam circa propriã rem, quàm etiam vt iniuriam in alterum illatam puniret, tamen cùm populus esset commotus contra Moysem, vel pro penuria aquarum; vt vellet eum quasi lapidare. Exod. 17. n. 4. vel pro seditione Core, Num. 16. n. 1. pro se, qui erat totius populi caput, ac dux, non agit, nec de pœna sumenda cogitat, sed totum negotium diuino iudicio committit. *Ne ministerium iusta correptionis in arma vertatur furoris.*

Exod. 18.

Exod. 17.

78. Quartò. Diuus Cyrillus lib. 6. in Ioan. c. 9. *A veris etiam contumeliis se Dominus temperauit, & mansuete vnum ei obiectum negauit, dicens: Ego dæmonium non habeo, hac dulci verborum mansuetudine eos ad lenitatem animi reducere curans.* Grauem, ac falsam iniuriam illatam habuit Dominus à suis inimicis quàm verè in eos retorquere poterat, verè enim de eis dixisset, quod dæmonio erant pleni, tamen Dominus patienter sustinet, multa mansuetudine respondet; nam vt ait Sapiens Prouerb. 15. num. 1. *Responsio mollis.* Septuaginta submissa; Tigurina. *Mitis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* Eccles. 6. *Verbum dulce*; Syriac. *Os suaue multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Pulchrè quadam similitudine rem explicat D. Chrysostom. hom. 3. de Dauide, & Saüle *Sicut*, ait, *si insles in scintillam ignis, excitas incendium. si inspuis, extinguis: Idem fit in inimicitia proximi: si inflatos, ac vecordes ingeras sermones, excitas ignem: si mites, ac moderatos, iram omnino extinxeris.*

78. Cyrill.

Sermo lenis mitigat inimicos.

Tigur. Eccl. 6. Syr. Chrys.

79. Quintò. Audita tanta blasphemia, tanta mansuetudine respondet Christus. *Ego dæmonium non habeo.* Cùm se gloriantur, ac iactant, quod filij Abrahæ sint, acerbè à Christo obiurgantur. *Vos ex patre diabolo estis.* vers. 44. vt iam notaui ad initium quæstionis. Et modo inflicta tanta blasphemia, tam lenem se exhiberi facilius dissimulat Dominus hominem perperam de sua diuinitate sententiam, quàm elatum, & superbum multum de se præsumentem; cùm proteruè de Christo Iudæi asserui essent cum dæmonium habere, in multa patientia sustinuit, at verò cum inflata mente feruntur, supra id, quod erant, non dissimulat Dominus, sed acriter ac seuerè in eos inuehitur.

Iniuria sustinetur, nõ verò superbia.

80. Cùm audiuisset Caiphas Christi verba circa suam diuinitatem, ac potestatem. *Scidit vestimenta sua dicens: blasphemauit.* Matth. 26. num. 65. tantam contumeliam interrogatam, multa patientia tolerat, & nullum dat responsum; postea verò cùm tacente Domino Pilatus ei dixisset. *Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*, Ioan. 10. n. 10. statim ac inde latè Christus respondet: *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Quid est quod cum de blasphemia arguitur meus Iesus, tacet; at auditis Pilati verbis festinanter respondet. Diutiùs accepit Iesus iactantiam Pilati, qua se gloriabatur de potestate, quam non habebat, circa eius vitam, & necem, quàm quod Pontifex tam siniſtrum iudicium de sua persona, ac loquela proferret; & ideo silentium præstat, cùm blasphemus iudicatur, respondet tamen, cùm audet Pilatus iudicis dignitatem, cuius erat expers, vsurpare. Euthymius, *Respondit Iesus*, ait, *Pilato; sed tum obiurgans, qui illi ob potestatem accrescebat.*

Matth. 27.

Ioan. 19.

Intolerabilia superbus supra suam dignitatem, ac potestatis indicat.

Euthym.

QVÆSTIO XIV.

Quare Christus Dominus præterierit iniuriam illatam, cum Samaritanus vocatur, & ad illam non respondet?

81. DVo pro magna contumelia obiecerunt Iudæi Christo Domino, quod nempè esset Samaritanus, & dæmonium haberet; primum tacitum præteriit, sed secundum respondet, cùm tamen quòd Samaritanus nuncuparetur, grauissima erat iniuria, & ideo fortasse eam primo loco protulerunt, nam Samaritanus idem erat, quod homo pessimus, hæreticus, ac schismaticus, & homo malus, peior dæmone, & ex grauitate conuitij prius dicunt Samaritanum; deinde dæmonium habere; quare ergo dissimulat Christus nomẽ Samaritani, & ad illud non respondet?

Homo malus peior dæmone

82. Respondetur primò iuxta D. Chrysostomum, D. Augustin. Leont. Bedam, Theophyl. Rupertum, D. Bonauent. qui dicunt, quod Christus negauit se dæmonium habere, non autem esse Samaritanum quia hoc erat propria contumelia in se inflicta, quam magna patientia dissimulauit, id autem quod spectabat ad Dei honorem defendit, quod scilicet ipse dæmonium non haberet, & Dei honorem sibi vsurparet, vt Lucifer intentauit, & ideo ait: *Honorifico Patrem meum*, ad cuius honorem omnia mea refero: & ideo subdit versu sequenti, *Ego autem non quæro gloriam meam.* De quo Superiori quæstione dixi.

82. Chrysost. Aug. Leont. Beda. Theoph. Rup. Bonau.

83. Secundò Origenes homil. 25 D. Thomas, *Quia Iudæi*, ait, *semper volebant se à Gentibus separare. Iam autem venerat tempus, quo removenda erat distinctio Gentilium, & Iudæorum, & omnes ad viam salutis revocandi, & ideo Dominus, vt ostendat se venisse pro salute omnium, vt magis quam Paulus omnes nanciscatur.* 1. Corinth. 9. num. 20. ideo non negauit se esse Samaritanum, qui pro omnibus venerat; omnes ad vnum ouile absque distinctione vocabat, vt omnibus etiam sine distinctione Iudæis, & Græcis dona sua impertiretur.

83. Orig. D. Thom.

1. Cor. 9.

84. Tertiò. Diuus Gregorius homil. 18. *Samaritanus*, inquit, *interpretatur custos, & ipse veraciter custos est, de quo Psalmista ait, nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilant, qui custodiunt eam; & cui per Isaiam dicitur; custos quid de nocte? Respondere noluit Dominus, Samaritanus non sum: sed ego dæmonium non habeo. Duo quippe ei illata fuerunt: vnum negauit, aliud tacendo non sensit. Custos namque est humani generis; & si Samaritanum se non esse diceret, esse se custodem negaret.* Quod etiam docent Diuus Augustinus tract. 43. in Ioann. Beda, Haymon, iuxta hanc Patrum mentem, & Iudæorum intentionem Samaritanus duo significata importabat; Vnum honorificum, alterum ignominiosum. Honorificum denotabat custodem, & defensorem, vt Patres dicunt: ignominiosum innuebat hominem hæreticum, & schismaticum, quo sensu Iudæi Christum Samaritanum appellabant. Christus eximia prudentia, verbum ambiguum ignominiosè ab aduersariis iactatum, in meliorem partem interpretatus est, vt altius suo honori attenderet, iniuriam dissimularet, ac vlciscendæ calumniæ occasionem euitaret.

84. Greg.

Aug. Beda. Haym.

Prudẽs iniuriã in bonam partem interpretatur.

85. Quartò. Hugo. *Dominus*, ait, *non negauit se esse Samaritanum, quia omnes bene sciebant, quia Iudæus*

85. Hugo.

dam erat, nec de hoc dubitabant. Omnes agnouerant Christum esse Galilæum è Nazareth; qui reputabatur filius Ioseph. Ioan. 1. num. 45. Ioan. 7. n. 12. Etiam moribus, ac doctrina contrarius erat Samaritanis; vt dixi suprà hoc cap. q. 11. cùm ergo illa contumelia esset tam euidenter falsa contra illud, quod erat omnibus notum, ideò fuit contemnenda, & in illius refutatione non fuit immorandum, hæc & prima ratio genuinæ videntur.

Ioan. 1. Ioan. 7. *In manifestis refutandis non immorandum.*

86. Hugo. Quintò. Idem Hugo. Non reputauit, ait, Christus Dominus hoc opprobrium, nec negauit, ne significare videretur, quod ipsi essent despiciẽdi, sicut Iudæi putabant. Neminem enim despicit Christus, qui dicit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, Matth. 11. Sextò. Toletus in Commentario, quòd Christus non negauit apertis verbis se esse Samaritanum, quia illi talem eum appellabant non patria, sed moribus, & quia Samaritanus Deum non honorat moribus, sed contradicit; ideò hanc calumniam excludens ait, honoro patrem meum, quod Samaritanus non facit.

Matth. 11. *Homo despiciendus.* Tolet.

87. Septimò. Laudauerat olim Christus Dominus Samaritanos, quia non est inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi vnus Samaritanus, Luc. 17. num. 16. Noluit Dominus huic assertioni contradicere, cum se esse Samaritanum negaret, quod magnam nobis ingerit instructionem, illud enim, quod semel approbando admisisti indecens est, vt reprobando excludas; hoc enim in electione voluntatis multam indicat varietatem; & in iudicio intellectus magnam dicit inconstantiam.

Luc. 17. *Quod elegisti non est reprobandum.*

88. Caiet. Octauò. Caietanus: *Respondit Iesus*, ait, *non ad contumeliam propriam, qua appellatus est Samaritanus: sed quia dictum est, dæmonium habes. Hæc enim directè tollebat fidem credentium, tollebat veritatem doctrina, nocebat populo.* Quòd Christus Samaritanus diceretur, videbatur quædam particularis iniuria contra Christum, non verò aduersus totius orbis commune bonum; nam vt Christus Dominus tanquam filius Dei ab omnibus adoraretur, parum ad hoc referebat, quòd in Iudæa, vel Samaria esset natus, si ita à Patre fuisset dispositum; hoc autem quod dæmonium habet, omnimodè auctoritati personæ, ac doctrinæ repugnabat, ne tanquam verus Deus haberetur, ac crederetur; quod maximè in omnium perniciem vertebatur; Christus autem Dominus, vt verus Magister, priuatam contumeliam contra se dissimulat; ad illud verò, quod communi bono, ac vniuersali saluti obsistebat, indilatè, ac efficaciter respondit, & soluit: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum.*

Bono cõmuni consulendum.

89. Cùm Dauid cum suis militibus pergeret per desertum missis nuntiis expostulauit à Nabal aliquam alimoniam tam sibi quàm suis. *Quodcumque inuenerit manus tua de seruis tuis.* Audita tam vrbana legatione, valde atrociter, ac acerbè respondit Nabal: *Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Quod fuit acris, & dura contumelia in Dauidem, ac suos, ac si diceret, hodie multiplicantur serui fugitiui, vt domino suo se opponant; quod cum accepisset Dauid, ait pueris suis: *Accingatur vnusquisque gladio suo: & accincti sunt singuli gladiis suis*, 1. Regum cap. 25. num. 13. sicque se præparant omnes, vt Nabal, ac domum eius in frusta cædant. Pulchrum dubium hîc excitat Theodoretus quæst. 57. *Quomodo*

1. Reg. 25. Theod.

obrem is, qui in Saulem tantam ostendit lenitatem, & patientiam, Nabalem tentauit occidere? Toto conatu Saul graui persecutione insectabatur Dauid ad eum interficiendum, & tamen Dauid, cum bis eum haberet in manibus, vt eum occideret tam in spelunca, quàm in tentorio ipso rege dormiente, nil mali in eum est operatus, & cum multa reuerentia ei loquebatur appellans Dominum & Regem, 1. Regum 24. num. 13. & 26. n. 18. Saul multis peculiaribus iniuriis Dauidem prosecutus est, appellabat eum filium Isai; mortémque illi machinatus est, quæ omnia contra Dauidis personam militabant. At verò Nabal non solùm contumeliam irrogauit in Dauidem, sed etiam in eius socios. *Hodie increuerunt serui, qui fugiunt dominos suos.* Quandiu iniuria peculiaris extitit, eam patienter sustinuit Dauid, at cum milites suos læsit, eorúmque commune bonum, ac auctoritatem offendit, iam eam non valuit dissimulare Dauid, sed stricto ense ad vindictam processit. Abulens. quæst. 5. *Dauid, ait, motus fuit ad vltionem contra Nabal principaliter, quia exprobrauerat ei, & seruis suis.*

1. Reg. 24. *Iniuria particularis dissimulanda fit, non verò qua bonum commune offendit.* Abul.

Iniquus, & peruersus rex erat Saul, omni nixu omnia moliebatur, vt Dauidem manibus teneret, ac interficeret, vt eius occubitu regnum in se, ac filio suo, suáque progenie stabiliret, successu euenit, vt in deserto Maon Saul cum exercitu suo Dauidem circumcingeret, vt iam iam ab eo capiendus esset, *Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul.* Et cùm hæc ita essent. *Nuntius venit ad Saul dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthim super terram. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid.* 1. Regum 23. num. 27. Saul vehementissimè optabat apprehendere, ac tenere Dauid. Cur saltem pro breui tempore non immoratur, vt ipsum capiat, & ad firmandum regnum; vt ipse sibi persuadebat in filio, ac progenie sua? Cur ex re tam expetita sic desistit Saul? etiamsi ambitio regni, & odium in Dauidem vehementer stimularent Saul ad mortem illi inferendam: tamen communis boni conseruatio sic feruescebat in corde regis, vt ne pro breui tempore respublica aliquod graue damnum ab inimicis illatum pateretur, ideò omni ambitione ac odio postposito, vt suis consuleret à Dauidis persecutione destitit, & contra aduersarios proficiscitur. Abulens. quæst. 34. *Saul, ait, habuit rationem omittendi captionem Dauid, vt consuleret Reipublicæ.* Et postea subdit: *Ne inimici se extenderent super omnem partem terræ, & ciò possent facere aliqua tam grauia damna, quod postea illis occurri non posset.* Quamuis iniquus Saul plus consulit suis, suóque regno, quàm sibi.

90. *Pro bono cõmuni omnia contemnda.* Abul.

1. Reg. 23.

Ioan. 8. num. 50. Ego autem nõ quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.

Num. 51. Amen, amen dico vobis: Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

VERSIONES.

Vatabl. n. 50. Est qui quærit, & iudicat.
Arias. Est quærens, & iudicans.

Syriac.n.51. Quicumque sermonem meum custodierit.

EXPOSITIO. V.

91. EGO *autem non quæro gloriam meam.* Confirmat magis Dominus id, quod supra dixerat: *Honorifico Patrem meum.* Modò subdit: *Non quæro gloriam meam:* vt explicat Leont. ita vt vlurpem diuinum honorem, vt vos existimatis, cùm me dæmonium habere dicitis. Aliter explicant Diuus Chrysost. Theophylact. Euthym. *Non quæro gloriam meam.* Euthym. vindictam contumeliæ meæ; sicque explicant, non vindico iniuriam istam, quam in me facitis, quia non quæro gloriam meam. Qui enim propriam gloriam quærit, de vindicta cogitat, qui autem gloriam suam contemnit, is vindictam omittit. *Est qui quærat, & iudicet.* Patrem suum intelligit, *ad quem*, vt ait Euthym. *Filij ignominia transire cernitur.* Ipsum nomen patris non exprimit, ad illius veneration-nem attendens, ne Iudæi, vtpote multorum criminum rei contra suum iudicem obmurmurent, & loquantur; *est qui quærat & iudicet*, etsi ego nihil faciam hominum gloriam, est tamen Pater, qui multum de ea agit, multúmque eam ab hominibus requirit; *vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, Ioan. 5. n. 23.

Leont. Chrys. Theoph. Euthym. Idem. *Rei de iudice malè loquuntur.* Ioan. 5.

92. *Amen, amen dico vobis.* Vindicta suarum contumeliarum Deo relicta, ad doctrinam redit. Caietanus, *Lacessitus iniuria*, inquit, *non desistit à prædicatione, proponendo ea, quæ erant salutis humani generis.* Nulla iniuria, nulla causa Christus desistit à suo munere, nostráque salute consulenda, & docet eam nos, vt ait D. Gregorius homil. 18. in Euangel. propter impiorum peruersitatem diuini Verbi prædicationem non esse deserendam. *Si quis*, quicumque ille sit, cuiusuis ætatis, vel generis, *sermonem meum seruauerit:* credens, ac obediens meis mandatis. D. Chrysost. *Hic non modo fides intelligenda est, sed & vita etiam puritas.* Quod etiam notarunt Ammon. Euthym. *Mortem non videbit*, id est, non experietur, ac sentiet, *in æternum:* qui enim seruat Dei mandata, non morietur æterna morte, nec animæ, nec corporis. Non animæ; nam licèt ipsa sit immortalis, illius mors spiritualis est peccatum. Qui autem adimplet Dei mandata degit absque peccato, in Dei gratia. Nec etiam mortem corporis videbit æternam, mors corporis temporaria est, tamen ambulans in lege Domini suscitatur in extremo die ad vitam æternam in omni beatitudinis felicitate.

Caietan. *Christus nulla iniuria destitit à benefaciendo.* Greg. Chrys. Ammon. Euthym.

QVÆSTIO XV.

Quare cum Christus assereret se gloriam suam non quærere, addidit tamen, est qui quærat, & iudicet?

93. IN limine huius quæstionis venit illa celebris difficultas, quomodo hæc verba; *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet:* cohæreant cum illo quod dicitur Ioan. 5. n. 22. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Vbi sermo est de vltimo, ac vniuersali iudicio, vt latiùs cum multis aliis explicationibus dixi tom. 3. c. 2. q. 6. vide ibi dicta. Ad quæst. propositam.

Respondeo, quòd cum sæpè multa iniuriarum patientia, ac facilis venia det occasionem, vt auctoritas magni viri contemnatur, ac vt eam læde re quisquam non vereatur. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen*, Num. 12. num. 1. statimque subiungitur. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Ad quid post obmurmurationem fratrũ hęc adiunguntur, nisi vt veluti insinuetur ratio cur contra illum conspirare non dubitauerint? Abul. *Si scirent*, ait, *illum tam mitem non esse, non auderent murmurare, timentes vicissitudinem.* Cùm ergo Christus Dominus dixisset se gloriam suam non quærere, vindictam suarum iniuriarum non sumere, ne tanta eius lenitate homines ansam arriperent ad suam temeritatem, ad multas contumelias in eum infetendas. Addit, *est, qui quærat, & iudicet*, vt præposito iudicio, ac supplicio Iudæorum petulantiam coërceret. Theophylact. *Quamuis ego*, ait, *me ipsum non vindico, sed quum iniuria afficior, sustineo: ne existimetis inultam fore iniuriam hanc: est enim Pater, qui me vlciscatur.*

94. *Multa modestia aliquando dat occasionem ad iniurias.* Num. 12. Abul. Theoph.

Pro magis hac re explicanda. Expende quod ait Christus: *Ego non quæro gloriam meam: est, qui quærat, & iudicet.* Et tamen dicitur Ioann. 5. n. 22: *Pater omne iudicium dedit Filio.* Cùm ergo omne iudicium sit datum Filio, cur ipse non iudicat, sed hoc Patri remittit? Eleganter D. Greg. hom. 18. in Euangel. *Illatas contumelias*, ait, *Patris iudicio reseruat, vt nobis insinuet, quantum nos esse patientes debemus, dum se adhuc vlcisci non vult, & ipse, qui iudicat.* Poterat Iesus omnium iudex iniurias in se illatas vindicare; ad hoc enim in eo dabatur potestas, & etiam puniendi ratio intercesserat, ab hoc tamen abstinet, vt suo exemplo præfectos, ac vniuersos informet, quòd si aliquando à subdito, vel ab aliquo pungantur, patienter sustineant, & non intentent iniuriam iniuria retundendam esse, ait Seneca lib. 2. de Ira, cap. 34. *Pusilli hominis & miseri est, repetere mordentem: mures, & formica si manum admouerus, ora conuertunt: imbecillia se ladi putant, si tanguntur.*

95. Ioan. 5. Greg. *Iniuria subditi patitur sufficienda.* Seneca.

Cùm Israel incederet per desertum, occurrit ei Amalech, qui magnis calamitatibus illum affecit, extremos agminis, qui lassierant, occidit. Deuter. 25. n. 17. Mandat Deus Moysi. *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue*, Exod. 17. num. 14. Valde mirum quod multa alia magnalia non mandat Deus scribere, & tamẽ bellum commotum ab Amalech disponit, vt in monumentum Scripturæ tradatur ad vindictam de tantis iniuriis sumendam. *Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo:* vt significetur quã alienus sit Deus à vindicta, ne quodammodo vltio in obliuionem abeat, ordinat Deus vt literis exaretur. Oleaster: *Expende*, ait, *qualiter pius Pater se ostendit in nostra punitione obliuiosum, vt libro sit opus ad memorandum.*

96. Deut. 25. Exod. 17. *Deus facilè obliuiscitur iniuriæ.* Oleast.

Secundò. Hac de causa dissimulauit se iudicem esse in suis propriis iniuriis: ne calumniatores suos perterrefaceret, & ab opprobriis irrogandis retardaret: sed licentiosius eis permitteret, quæcumque vellent conuitia in se vnum vibrari: adeò illis audiendis delectabatur. Non quod ipsæ contumeliæ, quæ peccata erant, sed contumeliarum patientia eximiam illi afferret delectationem. Pro quo accipe Tertullian. lib. de patientia, cap. 3. *Saginari*, ait, *voluptate patientiæ discessurum volebat.* Sagina autem, nõ vno tantùm, sed pluribus ferculis efficitur; non vnam tantũ,

97. *Iesus opprobriis delectatur.*

sed

sed plures contumelias patientissimus Iesus summa cum voluptate excepit.

98. Thren. 3. Ambr. *Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobriis, ponet in pulvere os suum.* Thren. 3. n. 30. Præclarè D. Ambros. expendens præfata verba serm. 10. in Psalm. 118. *Non dixit*, ait, *subibit opprobrium: facilè est enim vnam, vel alteram contumeliam sustinere. Addidit, satiabitur opprobriis. Quo facilius Domini moneat misericordiam, opprobriorum complurium deformitate miserabilis.* Non vnum opprobrium, sed multorum congeriem sustinuit Dominus, & tunc expende quod sequitur: *Ponet in pulvere os suum.* Quæ verba sic legit Ambros. citato loco: *Dabit in sepulture fossuram os suum.* Et tunc sic pergit sanctus Doctor: *Ostendit*, ait, *quandam supra modum patientia taciturnitatem; vt tanquam sepeliat os proprium, ne loquatur & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat.* Tantis opprobriis circumdatus posuit os suum veluti sepulchrum, quod solum mortuum excipit; sic omnia illa conuitia, tanquam quid mortuum, quod non habet viuacem spiritum ad commouendum, excipit, obturans os suum pleno omnium virtutum aggere; tanta enim patientia inter tot opprobria, plenus est omnium virtutum cumulus.

Ambr. *Patientia miranda Iesu inter opprobria.*

Ioan. 8. n. 52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus, quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

Num. 53. Nunquid tu maior es patre nostro Abrahã, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?

VERSIONES.

Syriacus. Nunc nouimus te dæmonium habere: & tu dicis, qui sermonem meum custodierit.

Vatablus. Quem facis tu te ipsum.

EXPOSITIO VI.

99. Cajet. DIXERVNT ergo Iudæi, non discendi, sed contradicēdi affectu. *Nunc cognouimus.* Caietan. sic explicat: *Vide Iudæorum furorem*, ait, *non solum à contumelia inchoant responsionem, sed proprij honoris oblitiscuntur, manifestantes se temerè hactenus dixisse, dæmoniū habes.* Tamen plenissimè sic cum Euthymio, Lyrano, explicatur: hactenus opinabamur, nunc verò certi sumus, te dæmonium habere, cum dicas: *Si quis sermonem meum seruauerit*, &c. Theophylact. *Profectò aiunt, nunc cognouimus multis, & copiosis argumentis, quod dæmonium actus hac dicas.* Sequitur Textus: *Quia dæmonium habes.* Diabolus tibi suggerit, vt tam impia superbia, ac blasphemia loquaris, & dicas, cum promittas æternam vitam, tuum sermonem obseruanti.

Euthym. Lyran. Theoph.

Abraham mortuus est. Sæpè illum commemorant, tanquam de eius stirpe gloriantes. *Et Prophetæ.* Qui frequenter, vt explicant D. Chrysostom. D. August. D. Bonau. cum Deo loquebantur, eiusque mandata custodiebant. Theophyl. *Et tu dicis quòd qui tuum audierint sermonem, non morientur.* Cùm tamen scriptum sit: *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Psal. 88. n. 49. Iudæi autem tanquam carnales, vt inquit Albert. Magn. totum intelligebant de morte corporali, quod de spirituali, & æterna morte erat dictum. Et Abraham, ac Prophetæ licèt essent mortui corpore, non tamen quoad animam, sed resuscitandi erant cum Christo ad æternam vitam. Sicque responsio Iudæorum in omnibus futilis extitit. 100. Chrys. Aug. Bonau. Theoph. Ps. 88. Alb. Magn.

Numquid tu maiores? Consequens videbatur inferendum; si Abraham, & Prophetæ seruantes Dei verbum mortui sunt, & qui audiunt tuum verbum non moriuntur; ergo tu maior es Deo. D. Chrysost. *Consequens erat, vt dicerent: Numquid tu maior es Deo, aut qui te audiunt, maior es tu, quam Abraham? sed istud non dicunt, quandoquidem ipsum Abrahamo minorem esse arbitrantur.* Similiter Euthym. Theophyl. vel dici potest, quod hoc non dixerunt, ne Iesum honorarent; si eum cum Deo compararent. Notat D. Chrys. loc. cit. hom. 54. quòd Iudæi contumeliosè, ac superbè dicunt; *Dæmonium habes, nunquid tu maior es patre nostro Abraham?* at verò Samaritana cum audisset Christi verba promittentis aquam viuam, simplici affectu ait: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob?* Ioan. 4. n. 12. ait tunc Chrys. *Illa discendi cupida, ideò dubitauit, & debita cum modestia respondit, & Dominum appella.* Subditur: *Quem te ipsum facis?* id est, quem te iactas, te præsumis esse. Alb. Magn. *Christus*, ait, *non se fecit magnum: sed Pater genuit eum magnum: & tempore formam hominis accipiens fecit se parvum.* Ad Philip. 2. n. 7. *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* 101. Chrys. Euth. Theoph. Ioan. 4. Chrys. Alb. Magn. Ad Phil. 2.

QVÆSTIO XVI.

Quare ingenti beneficio ex Christi ore audito blasphemè respondent Iudæi: dæmonium habes?

102. IRROMISIT Dominus suum sermonem adimpleti vitam æternam. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum*, tunc tanto beneficio audito non gratulantur, sed in blasphemias prorumpunt. Dæmonium habes. Cuius rei rationem literalem dedi in expositione. Et est de mente D. Thomæ. *Hoc*, ait, *ideò dixerunt, quia notum erat apud Iudæos, diabolum peccatorum esse inuentorem, & præcipuè mendacij, quia autem videbatur eis, hoc quod Dominus dixit, esse mendacium, & contrarium Scripturæ.* Quis est homo, qui non videbit mortem? *Ideò dicunt, Dæmonium habes, quasi dicant ex instinctu dæmonis, mendacium loqueris.* Eandem rationem reddunt Lyranus, Carthusianus, & alij. D. Thom. Lyran. Carth.

103. Theoph. Ioan. 10. Tolet. Respondet secundò Theophylactus: *Dæmonio ipsum agi putant quod aliena quædam quasi mente captus diceret*, Ioan. 10. num. 20. *Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit; quid eum auditis?* Tertiò. Toletus. Quia omnibus Prophetis, & Patribus anteponere se videbatur Chri-

stus, quos cum illi homines Dei fuisse crederent, Christum autem inferiorem multo reputarent, alienum à Deo talem putabant sermonem: similiter alienum ab omni homine, cum homo non possit mortem impedire.

104. Chrys. Quartò. Grauiter hos Iudæos pungit D. Chrysologus serm. 131. *Dæmon*, ait, *mali auctor mala promittit, non bona: occidere non viuificare consuevit: ergo non est dæmon, sed Deus est Christus, qui redonat, quam donauerat vitam.* Valde insipiens est argumentum Iudæorum, vt probent in Iesu esse dæmonium, ex eo quòd ipse dicat se vitam æternam daturum, si enim ipse è contra assereret à se mortem esse infligendam, validius tunc formaretur argumentum. Nam dæmon promittit mortem, Deus autem vitam; atqui Christus non promittit mortem; sed vitam: ergo non est dæmon, sed Deus. Medium ergo quod Iudæi interposuerunt ad comprobandum Iesum non esse Deum, sed dæmonium, eo conuicti sunt non esse dæmonium, sed verum Deum, qui veram vitam donat; medium enim quod iniqui sibi eligunt ad

Iniqui eodem medio conuincuntur, quo conuincere volebãt.

iustos opprobrio afficiendos, eos ipsimet iniqui confunduntur, ac redarguuntur. Cùm mulier impudica esset importuna Ioseph, operíque nefario resisteret, illa iniecit in eum manus, apprehenso pallio ipse fugit, cúmque mulier se videret contemptam, totum crimen retorquere vult in Ioseph, atque quod ille ad eam extenderit manus, ipsáque clamante Ioseph foras fugit. *In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito*

Gen. 39. *reuertenti dominum*, Gen. 39. num. 16. argumento, quo mulier vult crimen imponere Ioseph totum in se conuertit; nam si mulier ostendisset crines diffusos, vestes scissas signum erat, quòd adolescens ei vim intulisset, at cum illa ostendit pallium in manibus, manifesta est demonstratio, quod ipsa cum voluerit, ad se traheret; in illius enim manu inuenitur pignus, qui tenere curauit, tu ô mulier habes pignus in manu; ergo tu vim

Phil. Hebr. intulisti ad tenendum. Philo Hebræus lib. de Ioseph. *Vestis*, ait, *relicta ab adolescente indicium erat violentiæ, sed muliebris.*

105. Cyril. Quintò. Perbellè hos Iudæos arguit D. Cyril. lib. 6. in Ioan. cap. 10. *Malus de beneficio fit peior, & odientes Deum omnia etiam bona conuertunt in malum.* Valde mirum quod cum Christus illis dixisset se eis vitam communicaturum, sic durè blasphement, *nunc cognoscimus*, id est, nunc certè; ac resolutiuè cognoscimus te dæmonium habere, si Christus assereret illis mortem facturum, cùm hæc sit valde horribilis, aliquod poterat esse subterfugium, quòd sic exasperarentur: sed cum illis

Malus beneficio non obligatur, sed peior fit.

pollicetur vitam, quam summopere homines appetunt, quomodo tam petulanter, ac acerbè respondent? *Malus de beneficio fit peior.* Hi proteruí Iudæi, de eorum numero erant, quod tantum abest, vt ex appositis beneficiis mitescant, quod etiam ex illo ansam arripiant, vt magis in sua præuaricatione obfirmati de nouis contumeliis, ac iniuriis infectentur, & offendant.

106. Psal. 105. Theod. Commemorans Regius Vates illud horribile idololatriæ nefas à populo commissum in deserto ait: *Fecerunt vitulum in Horeb: & adorauerunt sculptile*, Psalm. 105. num. 19. Non solùm exprimit fabricatum vitulum, sed etiam adorationis locú Horeb, qui est locus in quo Deus apparuit, idem enim est Horeb, ac mons Sinai, Theodoretus: *Non temere*, ait, *de monte mentionem fecit, sed vt impietatis hyperbolem doceret; quandoquidem Deminus vniuersitatis in monte illo apparuit: in hoc igitur monte impietatem patrare ausi sunt.* Assignatur criminis locus, in magnam malitiæ exaggerationem, iniquitatem in eo loco perpetrarunt, qui proclamando magna dei beneficia populo concessa testificabat, quorum monumento, ac memoria minimè à suo peccato sunt cohibiti, sed ibi in tantam turpitudinem sunt prolapsi. *De monte mentionem fecit, vt impietatis hyperbolem doceret.*

107. Ose. 4. Ait deus per Oseam c. 4. n. 15. *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen.* Magna quæstio est expositoribus, cur deus populo suo tam rigidè intercludat ingressum in Galgala: forsitan, quia ibi vigebat idololatria, illa tota terra plena erat, vt ipse Propheta eodem cap. commemorat n. 2. *Maledictum, & mendacium, homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Cur ergo ascensus in Galgalam prohibetur. In Galgalis posuit Iosue duodecim lapides, quos tulerat de medio Iordanis alueo, idque vt ibi essent in perpetuum monumentum transitus miraculosi, quo duodecim tribus sicco pede per fluuium Iordanem transierunt in Chananæam, vt constat Iosue 4. num. 20. Iosue 4.

Summa malitia consequebatur beneficia peccare.

Quamuis ergo peccata in magno cumulo excreuerint, ita vt totam terram opprimerent, tamen grauior, ac execrabilior erat offensa eo in loco vbi tot erant memoriæ, ac lapides testificantes

Magna iniquitas in loco beneficij crimen.

diuinam in populum largitatem, ex qua tanta beneficentia populus debebat excitari ad deum amandum, ac seruiendum, quod ergo ibi tot peccata committerentur, maximè in hoc nostra malitia declarabatur, ac diuina ira prouocabatur. Theodoretus: *In Galgalis*, ait, *duodecim lapides reposuit Iesus filius Nun, quos ex medio Iordanis alueo accipiendos iusserat Dominus, vt beneficij accepti essent monumentum, atque per hos lapides posteri nosce-*

Theod.

rent, vt siccato alueo populus flumen transisset. Maximè ingrati animi signum est, vrbem illam, in qua tanta diuina benignitatis accepissent monumenta, impietatis esse factam metropolim.

Ioan. 8. num. 54. Respondit IESVS: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.

Num. 55. Et non cognouistis eum: & si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

VERSIONES.

Tertull. lib. adu. Prax. cap. 22. Et si ego me ipse glorificem.

Arabicus. Non est gloria mea quicquam.

Syriacus 55. Et si dixero me eum non nosse, ego ero mendax sicut vos.

D. Chrysost. homil. 54. Et itidem ego mendax essem, si eum me nescire, dicerem.

EXPO

EXPOSITIO VII.

108. RESPONDIT Iesus: solita sua modestia; & quia Iudæi dixerunt, *quem te ipsum facis?* præsumis, ac iactas, Christus Dominus prius à se repellit iactantiæ suspicionem. D. Augustinus. *Hoc aliis* (inquit sanctus Doctor) *propter illud quod dixerunt, quem te ipsum facis; refert enim gloriam suam ad patrem suum, de quo dixerat, qui Deus est.* Sequitur textus: *Si ego glorifico me ipsum:* magna, ac præclara de me ipso dico, & prædico, *gloria mea nihil est*; nullius momenti, ac ponderis est; hîc ait D. Chrysost. *Secundum eorum opinionem locutus est.* Quod etiam docet Euthym. Theoph. ac Leontius; imò aptius dicam, secundum communem opinionem est locutus, qua nemini creditur de se dicenti: *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum,* Ioan. 5. n. 31. *Est Pater meus qui glorificat me.* Explicat Theophylactus, *Per Prophetas, per testimonia de cœlo, per innumera, & immensa miracula.* Explicatque quisnam sit suus Pater: *Quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Hoc addidit, ne refutarent illius testimonium, quem Deum suum esse fatebantur. Opponebant Arriani; Pater glorificabat Filium; ergo ipso Filio maior est. Rectè respondet D. Augustinus: *Hæretice, ait, non legisti ipsum Filium dicentem quod glorificat Patrem suum: sed & ille Filium glorificat, & Filius Patrem glorificat; pone perniciem, agnosce æqualitatem, corrige perversitatem.*

Chrysost. Euthym. Theoph. Leont. Ioan. 5. Theoph. Aug.

109. *Et non cognovistis eum.* Iudæi Deum fide, ac Scripturis agnoscebant. *Notus in Iudæa Deus.* Psal. 75. num. 1. ait tamen Christus: *Non cognovistis eum*, Deum. Primò D. Chrysostomus, Theophylactus, Beda, D. Thomas, D. Bonauent. non agnoscitis eum vt vnum in essentia, & trinum in personis, si enim id sciretis, sine dubio agnoscetis, & credideretis me esse Messiam dei filium. Secundò. D. Augustinus. Non cognoscitis eum, id est non vidistis, nec audistis illum. Ioan. 5. num. 37. *Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem vidistis.* E contra verò de se ait Christus: *Ego noui eum*, non solùm qua deus, sed etiam qua homo sum per scientiam mihi communicatam. Tertiò. *Non cognovistis eum*, id est non agnoscitis illius sublimitatem, & maiestatem, nec creditis illi testimonium de me prohibenti. Quartò, & vltimò. Ait illis Christus, quod deum suum ignorabant. Aptius inquit D. Cyrillus Alexand. lib. 5. in Ioan. cap. 11. *Nam soli cognoscere Deum suum dicuntur, qui viam mandatorum eius perambulant; neque ab ea declinant.* Quod comprobat testimonio Apostoli dicentis. Tit. 1. num. 16. *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Sic subiicit: *Iudæi quia Dei præcepta non obseruabant, in cæde Saluatoris cæca mente ruentes, recte dicuntur non cognouisse Patrem.* Quod clariùs patebit ex proximè dicendis.

Psalm. 75. Chrys. Theoph. Beda. D. Thom. Bonau. Aug. Ioan. 5. Cyrill. Tit. 1.

110. *Et si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* Maldonatus existimat Iudæos vocari à Christo mendaces, quia dixerunt: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Quod erat apertum mendacium, & magna blasphemia. Apertissimè tamen D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, astruunt à Christo dici mendaces, quia mentiebantur astruentes se deum agnoscere, cum mandata eius non seruarent, ac Filium à Patre missum non agnoscerent; *sed scio eum, & mandata eius seruo.* Ecce probationem, quam adducit sciendi Deum, quia mandata eius seruat. D. Chrysostomus, Euthymius: *Vides quod sermonem Dei seruare, signum sit, quod quis Deum agnoscat* Ioan. 1. Epist. 1. cap. 2 & 4. *Et in hoc scimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus, qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

Mald. Chrysost. Theoph. Euthym. Chrys. Ioan epist. 1. cap. 2.

QVÆSTIO XVII.

Quare superbi Iudæi, cum vocantur à Christo mendaces tacent, & non respondent ad hoc?

111. VALDE mirum, quòd cum Iudæi valde impudicè, ac blasphemè contra Christum loquerentur, cum existimarent, quòd Abrahamo se anteponeret, tamen modò cum ab ipso mendaces vocantur, tacent, & non respondet; cum tamen mendacium sit magnum hominis dedecus, ac infamia. Ad optimates, ac maiores natu Israël scripsit Iezabel epistolam ad surripiendam vineã Naboth, dicens: *Submitte duos filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant,* 3. Reg. 21. num. 10. eos ad obsequium suæ voluntatis aduocare mandat, & tamen filios Belial, seu diaboli, vt explicat Abulensis, cum tamen Saul traditores Ziphæos, qui ei promiserunt prodere Dauid, benedictos vocat, *Benedicti vos a Domino*, 1. Reg. 23. n. 21. Saul traditores, qui eius voluntati obsequebantur, benedictos nuncupat; & Iezabel eius mandata exequentes, filios diaboli appellat. Hi enim mendacium dicturi erant; adeò mendacium execrabile existit, vt etiam iniquissima fœmina non audeat, os cum honore, sed potiùs multo cum dedecore nominare.

3. Reg. 21. Abul. *Mendax valdè infamis.* 1. Reg. 23.

112. Ad nostram quæstionem, Cur cum mendaces vocantur, tacent? Respondeo primò, quòd ipsi iniquo, ac blasphemo ore Christum appellarunt Samaritanum, ac dæmoniacum, & qui alios iniuria afficit, patientia armetur, vt opprobria in se collata audiat, præcipuè cum tales multa turpitudine, ac nequitia sunt repleti. Inter multa mala, quæ in Herode exundabant, illud non est prætereundum, quod de eo scribit Matth. 2. n. 16. *Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis iratus est valde.* De quo iratcetis impie Tyranne? Nonne tu prius sanctis Magis illusisti, cum dixisti: *Ite, interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis; renuntiate mihi, vt ego veniens adorem eum*; & tamen non adorare, sed interficere conabaris; si tu ergo tres reges priùs derisisti, quid mirum, si ipsi te irrideant, vt tuam malitiam, ac nequitiam euitent? Vnde ait D. Chrysost. in Imperfecto hom. 2. *Herodes dum vellet deludere, delusus est.*

Conuicia illorum, etiam conuicia de se audiet. Matth. 2. Chrys.

113. Secundò. Non incongruè affirmare possumus hos Pharisæos esse humiles, viles, & ignobiles, cum appellarentur à Christo mendaces, nihil de hoc curauerunt, sed furore rapiuntur, quod se Abrahamo antiquiorem dixisset: *Priusquã Abraham fieret ego sum.* Homines autem, qui non verecundantur, cum in mendacio deprehenduntur, signum apertum hominis infimæ notæ, & humilis conditionis. In primitiua Ecclesia omnia bona communia erant. Cùm Ananias vendidisset agrũ, cuius pretij partem attulit ad pedes Apostolorũ, aliam verò defraudans sibi retinuit, ait, illi Petrus: *Non es mentitus hominibus, sed Deo: Audiens*

Homines viles non verecundantur de mendacij nota.

autem Ananias hæc verba audiit, & expiravit. Act.5.n.4. Iniquitas Ananiæ magna extitit, tamẽ grauí, & inopinata Petri increpatione perculsus, quod mentitus esset, sic verecundia, ac pudore affectus est, vt animam exhalauerit, Deo sic disponente in sui peccati pœnam. Orig. hom.8. in Mat. Origen.

Puto autem, ait, *quoniam audiens Ananias hæc verba ideo cadens expiravit, quoniam non sustinuit arguitionem Petri: cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto.*

114. Tertiò. Cùm Iudæi de mendacio arguuntur, mendacésque nuncupantur, tacent, & non respõdent, eorum iniquitas obturabat os, ne quid dicere ac respondere auderent, *omnis iniquitas oppilabit os suum*, Psal.106.n.42. Pagnin. *omnis iniquitas clausit os suum.* Cùm Christus D. in vltima Cœna prædixisset, quod vnus ex discipulis eum erat traditurus: *Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi?* Tunc ait illi Iesus: *Tu dixisti*, Matth.26.n.25. Tunc Iudas silet, & nec verbum profert. Cùm autem Christus dixisset Petro: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Statim Petrus multo feruore respondit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth.26.n.35. Quid est, Iudas tacet; at Petrus statim prosilit, ac respondet? Iudas iam sui criminis conscius erat, ac venditionem sui Magistri cum Iudæis perttractauerat; & ideò obmutescit, & altè comprimit os. At Petrus pro tunc in cœnaculo nihil de negatione Magistri cogitauerat, cum à crimine modo alienus extaret multo animo concepto, instanter respondet, & asseuerat: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Alb. Magn. *Verbum Petri*, ait, *nec est mendacium, nec temeritas, sed feruor dilectionis. Accepit fiduciam ab eo, quod* Ioann.6. *quod multis retro abeuntibus ipse tunc præstiterat, putabat se in æternum non commouendum.*

Pſalm.106. Pagnin. *Iniquitas obturat os, & non ſinit loqui.* Matth.26. Matth.26. *Alienus à crimine valde confiſus.* Alb.Mag. Ioan.6.

Ioan.8.num.56. Abrahã pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.

Num 57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

VERSIONES.

Syriac.n.56. Abraham pater vester desiderabat.

Arabicus. Desiderauit videre.

D.Prosper p.1. de promiss. cap.17. Concupiuit videre diem meum.

Syriac.n.27. Nondũ quinquaginta annos natus es.

EXPOSITIO. VIII.

115. POSTQUAM Christus à se exclusit iactantiæ opinionem, Iudæorum iactantiam reprimit, ostendens eos veros filios Abrahæ nõ esse, de quo tantum ipsi gloriabantur, siquidem vt notarunt Chrysost. Ammonius, de eius præsentia Abraham maximè gauisus est, de qua illi tristantur. Veri enim filij Abrahæ Christi aduentu multa lætitia sunt perfusi, vt Pastores in nocte natiuitatis, & spiritus Mariæ exultauit, vt ponderat D.Iren. l.4. c.15. *Desiderante*, ait, *quidem exultatione Abraha in eos, qui erant ex semine eius, exigilantes, & videntes Christum, & credentes ei.* Deinde probat Christus se esse maiorem Abrahamo, vt aduertunt Euth. Theophylactus; nam Abrahamus magnopere optauit videre diem eius, vtpote sui maioris, ac redemptoris, quo respondet ad illud, quod dixerũt suprà numer.53. *Nunquid tu maior es patre nostro Abraham?*

Chryſ. Ammon. *Veri filij Abrahæ exultant Chriſti præſentia.* D.Iren. Euthym. Theoph.

Abraham pater vester. De quo maximè gloriamini: Non ait pater noster, quia ipso Abrahamo se ostendebat maiorem, & quia habebat aliũ parentem, scilicet Deum, ad quem omnia referebat. Suprà vers.54. & 55. *Exultauit.* Vehementi, ac flagranti desiderio præoptauit, vt etiam motibus, ac gestibus corporis declararet; *videre diem meum.* Hunc scilicet tempus mei aduentus, quo ego filius Dei, ex semine eius secundùm carnem natus mundo apparui, ac redemptoris meum munus adimpleo, mysteriúmque salutis generis humani operor, ex phrasi Hebraica, totum vitæ tẽpus dies nuncupatur. De quo quæstione sequenti. *Vidit.* Huic tanto desiderio Abrahæ satisfactum est, non quandiu ipse in carne vixit, sed post multa sæcula quando ego natus sum secundùm carnem in mundo, tunc anima eius existens in limbo vidit, & cognouit meum aduentum, ac præsentiam, non fide tantum, vt prophetica reuelatione, sed per speciem in ipsam, non solùm abstractiuè, sed potiùs intuitiuè. De quo quæst.19. *Et gauisus est*, maximopere vt vidit, & agnouit, tum quia Christi aduentu, ipsi, ac cæteris iustis in limbo agentibus dabitur aditus ad cœlestem patriam, ac Dei visionem, tunc etiam quia posteris ipsius ac omnibus mortalibus patefit ianua ad iustitiam, ac salutem æternam. 116. *Magna Abrahæ exultatio.*

Dixerunt ergo Iudæi ad eum. Theophylactus: *Iudæi non poterant*, ait, *pertingere ad sublimitatem dictorum, neque dignabantur interrogare, vel discere quis esset dies, ille quem vidit Abraham: imò irridebant eum, vt insania quadam loquentem.* Dicunt ipsi: *Quinquaginta annos nondum habes.* Quinquaginta annos exprimunt, non quod Iesus annum quinquagesimum attigisset; cum tantum trigesimumtertium expleret; sed vt maiori numero obiecto efficacius in Christi verba insurgerent, vt sermonem eius refutarent, quod Abrahamo ante bis mille annos emortuo se æqualem fecisset, cum nondum quinquagenarius existeret. 117. Theoph.

QVÆSTIO XVIII.

Quisnam sit iste dies Domini, quem Abrahamus videns exultauit.

PRIMO D.Augustinus tract.43. D.Hieron. in c.8. Daniel. D.Gregorius hom.in Euangel. Beda, D.Thom. D.Bonau. Carthusian. Hugo, Caietan. & alij interpretantur intelligi hic diem æternitatis, quo ab æterno Filius à Patre est genitus; vehementer optauerat Abraham hanc meam æternam generationem, ac diuinitatem cognoscere, vt eam crederet, & per eam salutem consequeretur æternam. *Vidit*, inquit D. Augustinus, 118. Auguſt. Hieron. Greg. Beda. D Thom. Bonauent. Carth. Hugo. Caiet.

guſt. *Diem meum, quia myſterium Trinitatis agnouit.* Hunc autem diem aſtruunt eſſe illum, quo Abrahamus tres Angelos apparentes hoſpicio ſuſpiciens vnum tantùm loquentem habuit, & tunc quaſi per ſymbolum illis reuelatum eſt myſterium Trinitatis, tres enim vidit, & vnum adorauit. Gen. 18. num. 2.

Gen. 18.

119. Aug. Ireo. Cyril. Bern.

Secundò. Idem D. Auguſt. D. Irenæus libro 4. cap. 15. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 6. c. 11. D. Bernard. ſerm. 6. de vigil. Natiuit. qui hunc diem referunt ad diem Incarnat. quando poſt nouem menſes Chriſtus natus, tunc omnes Prophetæ, ac Patriarchæ ſummo gaudio exultarunt: cum vehementer deſiderarent Verbi incarnationem, ac Chriſti aduentum, vt à peccatis, ac limbo liberarentur; dicitur autem peculiariter, quod Abraham exultauerit, quia erat caput, ac pater totius populi, & ad hunc Chriſti aduentum reſpexit ille, quando manu admota fœmori adiurauit ſeruum ſuum ſignificans ex ſuo fœmore Chriſtum naſciturum. Gen. 24. n. 2.

Gen. 24.

120. Chryſ.

Tertiò. D. Chryſoſtom. hom. 54. Diem meum, ait, hoc in loco crucem mihi ſignificare videtur, quem diem in arietis oblationem: & in Iſaac, Abraham præfigurauit. Geneſ. 22. num. 10. & 18.

Gen. 22.

Proſp.

D. Proſper. part. 4. de Prædictionibus. c. 17. *Abraham pater veſter concupiuit videre diem meum, & vidit, & gauiſus eſt: diem ſcilicet Paſſionis filij Dei in ſuo filio figuratum vidit Abraham, quod vnico filio non pepercit: quod velut ad aram crucis triduo cum inſonti victima conualuit.* Idem docent D. Ambroſ. lib. 5. de Abraham, c. 8. Baſil. Seleuc. orat. 32. Ammonius, Leontius, Euthym. Theophylact qui interpretantur diem Chriſti, diem Paſſionis, ac mortis, quem diem maximè optauit videre, & prophetica reuelatione ipſum vidit præfiguratum in holocauſto filij ſui Iſaac, & quamuis nihil in humanis rebus nati acerbius more contingere poterat, tamen gaudio exultauit ob redemptionem humani generis. Euth. *Gauiſus eſt Abraham propter Salutem mundi.*

Amb. Baſil. Seleuc. Ammon. Leont. Euthym. Theoph.

121. Eucher.

Quartò. D. Eucherius in cap. 28. Geneſ. *Vidit Abraham diem Domini, quando futurum aſpexit myſterium Sacramenti, vnde & pedes eorum lauit, vt in extremo mundi, lauacri purificationem demonſtraret futuram, pedes enim nouiſſima ſignificant.* Quando ergo Abraham lauauit Angelorum pedes in ſpecie iuuenum apparentium, ibi in typo agnouit arcanum, quo Chriſtus in lauacrum genetis humani ſuorum pedes abluit. Quintò. Turrianus lib. 8. Conſt. Clementis, cap. 12. numero 3. *Diem ſuum*, ait, vocauit Dominus diem Reſurrectionis, quia fuit reſurrectio quædam, noua eius natiuitas Chriſtum oſtendit Deus Pater Abrahæ in Iſaac à morte ad vitam reuocato, & diem reſurrectionis Chriſti oſtendit in die illo liberationis Iſaac.

Turr.

122. Maldon. Burgenſ.

Sextò. Maldonatus, Lucas Burgenſ. docent per diem Chriſti ſignificari diem aduentus ſui in mundum, totúmque vitæ tempus, quo in hoc ſæculo vixit; nam ex idiomate Hebræorum dies alicuius denotat ſpacium vitæ ipſius, ſic etiam, vt moraliter dicam, totus diſcurſus vitæ Chriſti ob eius eximium amorem dies dicitur. Secunda ſententia, & hæc ſexta mihi videntur probabiliores, nam Chriſtus loquitur hîc de ſe vt homine, prout etiam maior erat Abrahamo, ad quod hæc Chriſti ſententia reſpicit. Et cum autem dicat, in præterito vidit & gauiſus eſt, ad actiones præteritas ſuæ natiuitatis, ac vitæ referuntur.

QVÆSTIO XIX.

Quomodo Abrahamus viderit diem Domini, de quo gauiſus eſt?

123. PRIMO Sancti Patres communiter dicunt, quod viderit diem natiuitatis Domini figura, typo ac cognitione Prophetica; At deſideria antiquorum Patrum non tantum ferebantur ad figuras, ac cognitiones propheticas, ſed etiam præcipuè ad ipſam Chriſti præſentiam, & exiſtentiam. Sic Chriſtus Dominus dixit ſuis diſcipulis. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*, Luc. 10. num. 24. Voluerunt videre non tantùm ſpiritu, & reuelatione, ſed etiam oculis corporeis, vt vos videtis, & corroboratur hîc ſenſus ex antecedentibus verbis: *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Vbi ſermo eſt de oculis corporalibus.

Luc. 10.

124. Maldon. Barrad Burgenſ.

Secundò communiter Recentiores. Maldonatus, Salmeiron, Barradas, Lucas Burgenſ. dicunt quod Abrahamus in limbo Patrum conſtitutus agnouerit Chriſtum natum ex relatione alicuius animæ ſanctæ è corpore exeuntis, & in illum ſignum demigrantis; v. g. S. Simeonis; vel ex reuelatione Angelorum, qui ſicut Paſtoribus, ita & ſanctis illis Patribus felicisſimum Domini natalem euangelizauerunt: & tunc Abrahamus gauiſus eſt de Chriſto iam nato, quem antea ſperabat naſciturum, & ſperando exultabat, & quamuis aliqui ex his Doctoribus dicant nullum inueniſſe huius interpretationis antiquum auctorem, eam tamen expreſſè docet D. Cyrillus Alexandrin. lib. 6. in Ioan. cap. 11. *Abraham*, ait, *vidit diem Domini, Quando iam in placida ſanctorum Patrum requie poſitus cognouit filium Dei eſſe incarnatum.* Et poſt pauca ſubdit: *Id quidem cognouit Abraham completum eſſe per teſtificationem iuſti Simeonis, qui poſt Dominum ſuſceptum in vlnis, requieuit in pace, & intimauit ſanctis Patribus eum natum, aut per denuntiationem Angelorum ſanctos Patres viſitantium ſæpius.* Et poſtea ſubdit: *Cùm itaque editus eſt in mundum virgineo partu Dominus noſter, quis addubitauerit, Angelos antiquis illis Patribus annunciaſſe Saluatoris ortum: ſicut & in terris nuntiauerunt Paſtoribus; & tunc ſanè Abraham vidit diem Domini.*

Abraham agnouit ex relatu, vel reuelatione.

Cyril.

125. *Propria ſententia.*

Dicam tamè quod mihi probabilius eſt. Quòd Abrahamus reſidens in limbo agnouit tempus, & diem, quo Chriſtus eſt incarnatus, & natus non tantum per relationem aliquorum iuſtorum, v. g. Annæ Prophetiſſæ, ſeu per reuelationem Angelorum, ſed etiam per cognitionem claram, & intuitiuam, hoc enim in ſua propria, & rigoroſa ſignificatione ſignificat illud verbũ, Vidit; Abrahamo ergo in limbo conſtituto infundit Deus quandam ſpeciem, per quam cognouit non ſolùm abſtractiuè, ſed etiam intuitiuè Chriſtum natum. Sicut anima Chriſti, ac Angeli per ſpeciem inditam, videnr intuitiuè, quæ fiunt in terra, & quæ ſunt ſub terra; ſicut & B. Thereſia vidit animam cuiuſdam viri in Purgatorio, & Sanctus Franciſcus Xauerius noſtros Luſitanos pugnantes cum Indis in loco valde diſtanti, ſic Abrahamus è limbo vidit Chriſtum natum, & eximia lætitia gauiſus eſt.

126. Sic etiam olim Abrahamus cum in promissione accepisset Christum Dominum eximia iucunditate lætatus est. Cùm enim illi dixisset Deus ex illa, scilicet Sarai, dabo tibi filium, cui benedicturus sum. Ait textus: *cecidit Abraham in faciem suam, & risit.* Genes. 17. n. 17. D. Ambros. lib. 2. de Abrah. c. 11. *Risus*, ait, *lætitiam declarat viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis.* Et iure quidem, in solo enim Iesu vera, solida, ac permanens lætitia.

In Christo verum gaudium.

Gen. 17. Ambr.

127. Ait Christus Dominus suis discipulis in vltima cœna: *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Ioann. 16. n. 22. Expende verbum, *Gaudebit cor vestrum, & nemo tollet à vobis.* Duo prædicuntur, gaudium in corde, & quod nemo illud auferet; gaudia, quæ à creaturis pullulant, corda non penetrant; nec ibi radicantur, sed facilè expelluntur; vnde & gaudia mundi tantùm in facie, ac super facie describuntur. *In hilaritate vultus Regis.* Prou. 16. num. 15. At gaudia Iesus intima cordis replent, & ibi perpetuò durant. Rupert. lib. 12. in Ioann. *Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum certum, & verum, nemo tollet à vobis. Quod si corpus occiderint, sic quoque cor vestrum gaudebit, quia gaudium vestrum non in carne, quæ potest occidi, sed in corde, vt anima, quam persecutor occidere non potest repositum erit; vestrum igitur gaudium nemo tollet à vobis.*

Ioan. 16.

Prouerb. 16.

In Iesu gaudium permanens.

Rupert.

QVÆSTIO XX.

Quare Iudæi, Quinquaginta annos *dixerunt, & valde incongruè loquuntur?*

128. DVAS difficultates inuoluit præsens quæstio. Prima est, quare quinquaginta annos dixerunt? Secunda quàm incongrua fuerit Iudæorum locutio. Ad primam difficultatem D. Iræneus lib. 2. c. 14. existimat Iudæos sic locutos, quia Christus iam tunc temporis quadragesimũ annum excesserat, & quinquagesimum adhuc nõ attigerat, ait enim Christum in terris ad annos vixisse 50. D. Chrysost. Euthym. legunt quadraginta annos, communiter tamen Codices Latini, Græci, Syriaci, Arabici legunt *quinquaginta.* Vnde Seuerus Antiochenus in Catena Græca, cui fauet D. Thomas, inquit, quod idem est, ac si Iudæi dicerent. Tu ô Iesu nondum excessisti spatium vnius Iubilæi, seu sæculi, & Abraham vidisti? Nam iubilæus incedebat anno quinquagesimo. Tertiò Euthym. ait; Putabant eum quinquagenarium, propter multam eius peritiam, & experientiam. Lyran. Quartò Lyranus: Propter labores, & ieiunia videbatur Christus longè maioris ætatis, quàm esset. Quintò. Multorum est opinio, quod Christus Dominus propter labores prædicandi, & docendi, sic affectus erat corpore, vt prope quinquagenarius videretur. Germana solutio ea est, quod Iudæi, illum terminum ætatis Christi assignarunt, ad quem certo sciebant eum non peruenire, ne fortè si dixisset: quadraginta, errarent, & a Christo redarguerentur. Sic ait Caietanus, *Vt in tuto loquerentur.* Deinde vt validius contra Christum formarent argumentum, cum ei multo plures annos concederent, quàm eos, quos ille habebat, & tamen Abraham videre non poterat.

Quare quinquaginta annos.

Iren.

Chrys. Euth. Seu. Antioc. D. Thom.

Euthym.

Lyran.

Germana solutio.

Caiet.

129. Secunda difficultas, quàm inepta fuerit Iudæorum responsio; dixerunt enim *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* Legitima consequentia dicendum erat; quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidit diem tuum; nam Christus non asseruit se vidisse Abrahamũ, sed potiùs Abrahamum vidisse diem suum. Quomodo hi, qui magistri, ac doctores legis erant, tam ineptè, & incongruè loquuntur? At Iudæi pro eodem acceperunt videri ab Abraham, & illũ videre. Ammonius ait, quod Iudæorum oratio propter eorum stoliditatem insulsa prorsus fuerit. Dicam etiam quod Iudæi inuertunt orationẽ, ac si Christus dixisset, quod ipse viderit Abraham, hoc enim maiorem eis præbebat occasionem, vt aduersus Christum obloquerentur, ac obmurmurarent, & hi impij Iudæi non dubitarunt in notam inscientium absque consequentia loquentium incurrere, dummodo maior eis daretur occasio ad calumniandum, ac detrahendum Christum Dominum. Tale est multorum ingenium, qui sibi vnam notam non recusant, dummodo alij multas inurant.

Inepta Iudæorũ locutio.

Ammon.

Impius in se vnũ defectũ nõ reiicit, vt in alios multos imponat.

130. Reuersi sunt ad populum exploratores illi terræ promissionis, asserentes se terram illam non posse obtinere; ac dicentes. *Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere Gigantes: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Num. 13. vers. 33. Quomodo viri isti tantam timiditatem, ac debilitatem de se confitentur? viderant quot mirabilia pro eorum defensione Deus esset operatus, ex quibus certi fiebant, quod in illam terram introducerentur, sed omisso hoc Superiori motiuo, etiam politica ratione, quomodo isti exploratores tantam infirmitatem de se testantur, cum hi essent Duces, qui multo robore præclara facinora ediderunt, ac contra Amalech validè pugnauerunt? cur sic eorum animus eneruatur, vt se locustis comparent, & alios esse Gigantes aperta voce protestentur? præcipuè quia amplificando supra veritatem hæc dixerunt, vt adnotarunt Lyran. Abulensis, Carthusianus, & alij, non enim erant homines illi tam proceræ staturæ, vt illi asseruerunt; Intendebant isti Moysen, & Aaron calumniare, quod eos induxisset in vastam illam solitudinem, non ergo refugiunt sibi vnum infirmitatis defectum adscribere, vt mille obmurmurationes in Moysen infligant, quod eos nempe perturbauerit, ac inquietauerit, vt ad mortis locum perduret. Pro quo expende, quod exploratores pro vna tantùm vice suam infirmitatem declararunt. At contra Moysen, & Aaron per totam noctem mille calumnias iaculatunt. *Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysen, & Aaron.* Num. 14. n. 1.

Num. 16.

Lyran.

Abulens. Carth.

Exploratores fidem rabiẽs, vt alteri contra Moysem obmurmurarent.

Num. 14.

131. Multis præpositis vrget Aman regem Assuerum, vt Iudæorum necis exeat decretum; aitque ei. *Si tibi placet, decerne, vt pereant, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Ester. 3. n. 9. Offert Regi ex re sua; vt nõ est improbabile. Vnde ait Caiet. *quasi emere volebat Iudæorum vitam* decem millibus talentorum, quæ talenta si Hebræa erant, efficiebant summam decem millionum aureorum. Quomodo Aman homo ambitiosus, & miser tantam auri copiam pendere volebat, quod sine dubio erat dimidium, vel plus suarum rerum? Adeo iniquus, & peruersus erat Aman, vt eligeret dimidietatem bonorum suorũ profundere, dummodo alij omnia bona sua, vitam, ac honorem perderent.

Ester. 3.

Caiet.

Amãdat dimidietatẽ bonorum, vt alij omnia deperdant.

Ioan.

Ioan.8.v.58. Dixit eis IESVS: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

Num.59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: IESVS autem abscondit se, & exiuit de templo.

VERSIONES.

Pagnin.n.58. Antequam Abraham nasceretur, ego sum.

Agobardus Episcopus Lugdun. ad Ludouic. Ante Abraham ego sum.

Vatabl.n.50. Tollebant ergo lapides.

Syriacus. Et sustulerunt lapides, vt obruerent eum: Iesus verò abdidit se, & exiuit de templo, transiitque per medium eorum, & abiit.

Euthym. Iesus autem occultatus est, & exiuit de templo, pertransiens per medium illorum, & ita præteribat.

D.Chrysost. hom.54. Acceperunt lapides, vt iacerent in eum, fugit ergo iterum IESVS.

EXPOSITIO IX.

132. DIXIT *eis Iesus:* Christo Domino obiecerunt Iudæi, *Quinquaginta annos nondum habens, & Abraham vidisti?* Respondet Christus se largissimè potuisse videre Abrahamum, cum multò antiquior sit Abrahamo, vtpote æternus, sine vlla mensura temporis; & omnis mutationis expers. *Antequam Abraham fieret*, Nasceretur, seu in rerum natura existeret. Et non dixit ante omnia sæcula, sed ante Abraham, de illo enim tantum processerat quæstio, & sat fuit ad præposita, & non vltra respondere: *Ego sum*, ab æterno scilicet. Tria in hoc verbo ponderanda sunt. De Abraham, ait, *fieret*, quia factus est, quod est proprium creaturæ; de se verò ait: *sum*, quia Christus secundùm diuinitatem *est, qui est*, Exod. 3. quod ponderauit, D. Augustin. tr. 43. *Intellige*, ait, *fieret, ad humanam facturam: sum, verò ad diuinam pertinere substantiam*: quod etiam adnotarunt omnes Leontius, Beda, Theophylactus, Euthymius, Rupert. D. Bonau. & alij. Secundò ait Christus: *Ego sum.* Cùm tamen consequuntur ad verbum antecedens, *Antequam Abraham fieret.* Videbatur dicendum. Ego eram. Rectè Chrysostom. hom. 54. *quemadmodum*, ait, *Pater hoc verbo, sum, vtitur, ita & Iesus.* Hoc verbum, sum, proprium est deitatis, quæ habet existentiam per essentiam, & sicut Deus Pater hoc verbo vtitur, ita & Iesus; quilibet ex loquendi modo cognoscitur filius sui Patris. Tertiò. Non ait Christus: Ego fui vel eram sed sum. Deo enim, nec est præteritum, nec futurum, sed vnum solum inuariabile præsens

Exod 3. Aug. Leont. Beda. Theoph. Euth. Rup. Bonau.

Chryf.

D.Greg.hom.18. *Præteritum, & futurum diuinitas non habet, sed semper esse habet: non ait ante Abraham ego fui, sed ante Abraham ego sum.* Greg.

Tulerunt ergo lapides, hi, qui tulerunt lapides; non fuerunt, vt existimat Theophyl. illi, de quibus dicitur supra vers. 30. *Qui crediderunt in eum* Sed sunt alij distincti, vt est communis sententia. Illud, ergo, indicat consequentiam de antecedentibus, illud, sum, in verbis Christi intellexerunt Iudæi, quod non solùm se maiorem Abrahamo faciebat, sed etiam se verum Deum æternum ostendebat: *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* 133. Theoph.

Syr. *Vt obruerent eum*; tanquam blasphemum cum æquaret se Deo, lex blasphemos iubebat lapidari. Syr.

Leuit.24.n.16. *Iesus autem abscondit se.* Illorum furori cedens, & inuisibilem se præstans, vt docent Theodor. Heracleensis, Leontius, Euthym. Theophylact. Quia ait. *Non in angulum templi se coniecit, nec in domunculam aliquem fugit, neque post parietem, vel columnam se incuruauit, sed sua magna potestate inuisibilem se fecit insidiatoribus, quamuis per medium illorum exiret.* Sic quoque inuisibilis absconditus est. *Et exiuit de templo.* D. Chrys. *Impleto officio suo cùm satis eos admonuisset.* Syriacè. & Græcè additur: *Et transiit per medium eorum*, & præteriit sic; quod Euthym. ita explicat: *Ambulabat ita non apparens eis*: hoc adiectum non habetur in nostro codice Latino, & satis sine illo explicatur res. Leuit 24. Theod. Leont. Euth. Theoph. Chryf. Euthym.

QVÆSTIO XXI.

Quare Iudæi hîc currunt ad lapides, & non quando Christus eos flagellis eiecit de templo, vel filios Diaboli nuncupauit?

EIECIT Iesus Iudæos flagellis de templo, Ioan. 2. num. 15. & nihil ei contradicere ausi sunt, & in hoc præsenti sermone eos filios Diaboli nuncupauit. *Vos ex patre Diabolo estis.* Et tamen contra Dominum tunc non insurgunt, vt modo fecerunt, cùm eis dixisset: *antequam Abraham fieret ego sum*, Quo audito, *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* 134. Ioann. *Ratio dissimilitudinis.*

Respondet primò D. Augustin. tr. 43. *Iudæis*, ait, *blasphemare visus est Dominus, quoniam dixit, antequam Abraham fieret, ego sum.* Idem docent D. Chrysost. Euthym. Theophyl Glossa. Interlineal. Alb. Magn. D. Thom. D. Bonauent. Lyran. & alij communiter. Cognouerunt Iudæi, vt ait Euthy. Christum Dominum Dei æternitatem sibi vindicasse, eum ergo tanquam blasphemum lapidibus cædere voluerunt, hæc enim lapidationis pœna huiusmodi criminibus erat proposita. Leuit 24. num. 16. Iudæorum durities, & obstinatio contra Deum ad quid se verteret nisi ad saxa. D. Augustin. citato loco. *Tanta*, inquit, *duritia, quo curret, nisi ad similes? scilicet lapides.* 135. Aug. Chryf. Euth. Theoph. Gloss. Alb. Magn. D. Thom. Bonau. Lyran. Leuit. 24. Aug.

Secundò. D. Chrysostom. homil. 54. *Animo enim*, ait, *desperato nihil peius, quamuis signa, quamuis miracula videat, in eadem præstat pertinacia.* Videbant Dominum multa miracula operantem, ex quibus apertè cognoscere debebant: Ipsum esse verum Deum, verúmque Messiam in lege promissam, sed eorum depranatus animus minimè tot, tantísque beneficiis mitescit, sed obstinatior 136. Chryf. *Depranatus animus, minimè beneficiis emollescit.*

factus

factus ad lapides confluit. Vnde subdit idem Chrys. *Sicut v.g. in defuncto, vires corporis moriuntur, & omnem sensum amittunt: ita anima cum multis detinetur affectibus, virtuti moritur.*

137. Greg. Tertiò D. Gregor. homil. 18. *Sustinere ista*, ait. *æternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt: & quem intelligere non poterant, obruere quærebant.* Audiunt à Christi ore æternitatis verba, *si sermonem meum seruauerit is, non gustabit mortem in æternum*; Cùm in Christo tantam sapientiæ eminentiam vident aduersus illum ad lapides confluunt, eximia enim sapientia malignis, ac inuidentibus aculeus est; vt aduersus Doctorem arma sumant, eum perimant, ac obruant.

Sapientia aliquando aculeus aduersus nos.

138. Quartò. Res valde mira? Multum rigidè, & aspere se habuit Christus erga hos homines. Eos Diaboli filios nuncupauit? *Vos ex patre Diabolo estis.* num. 44. & patienter audiunt. Eosque homines ignorantes, ac hæreticos dixit. num. 54. *Est Pater meus, quem vos dicitis, quia Deus vester est*; *& non cognouistis eum*, Et quietè sustinent Iudæi; Christus eos mendaces appellauit: *Ero similis vobis mendax*, Et mansuerè hoc auribus excipiunt; & tamen cum eis proponit, quod ipse ætate præcedit Abraham; *Antequam Abraham fieret ego sum*: sic ita fremunt, vt lapides prosiliant, vt eum obruant. *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Inuidi, ac peruersi Iudæi sua mala patienter sustinebant; alterius verò gloriam respicere non valebant, cùm eis suæ iniquitates obiiciuntur, mansuetè sustinent: cùm verò Christi maiestatem audiunt, *Antequam Abraham fieret ego sum*, ira, & furore agitati tumultuantur, manibúsque ad lapides currunt. Hoc est multorum ingenium, vt in suis malis, ac iniuriis audiendis multam præstent patientiam, cuius omninò experres sunt, cum alterius gloria eorum oculis, vel auribus obiiciunt.

Iniqui patiùs audiunt sua opprobria non verò honores alterius.

139. Deut. 9. Sæpè Moïses valdè acerbè se habuit erga populum illum dicens: *Populus durissimæ cervicis.* Deut. 9. num. 6. Illiúsque homines incredulos, ac rebelles alta voce declarans. *Audite increduli, & rebelles*, Num. 20. num. 10. Quieto animo hæc audiunt, & nullus ex eis mussitat. At verò vbi primùm Moyses tanquam summum sacerdotem Aaronem populo præposuit, multa rebellio, ac contentio in populo facta est, & aduersus Moysem surrexerunt Coreb, Dathan, & Abiron, cum ducentis, & quinquaginta viris. Num. 16. num. 16. Totius seditionis causa extitit inuidia summi sacerdotis Aaronis, vt docent Abulensis quæst. 2. & 3. Carthusian. Lyran. Hugo, & alij. Quorsum tam moderatè se habent inter tam aspera verba Moysis in eos verberata, & tanto furore exardescunt visa Aaronis dignitate ex Dei mandato illi collata? Et si auditis, propriis opprobriis patientiam retinent, visa tamen Aaronis gloria deperditur, ac si plus hac, quàm illis vulnerentur.

Num. 20. Num. 16. Abulens. Carthus. Lyran. Hugo.

Homines non sua opprobria sed alterius honore tabescunt.

140. Matth. 12. Matth. 23. Matth. 15. Valde durè multoties Christus Dominus habuit in Iudæos, eósque appellauit: *Generatio mala, & adultera*, Matth. 12. num. 39. eósque comparauit, *Sepulchris dealbatis*, Matth. 23. num. 27. eósque sæpè hypocritas dixit: *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias*, Matth 15. num. 7. & 22. num. 18. & 23. n. 14. & 15 Nunquam tunc aduersus eum clamauerunt, vt crucifigeretur, At verò Passionis tempore. Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum, & dixit eis scilicet Pilatus, *Ecce homo, cum ergo vidissent eum Pontifices, & Ministri clamabant dicentes: Crucifige crucifige eum.* Ioan. 19. num 5. Res sanè omni admiratione digna, cũ eis proponitur Iesus rex factus per ludibrium corona spinea in capite arundine in manu, ac purpureo vestimento præuetusto, ac dilacerato circundatus, omnes tunc clamant, *Crucifige, crucifige eum*; ad quod respiciens Regius Vates ait: *Exacuerunt vt gladium linguas suas*, Psalm. 63. num. 4. Cùm tot plagæ, ac vulnera, & tam larga sanguinis effusio omnium viscera ad pietatem commouere debebãt, tamen sic dirè exasperantur; Cùm Christus duris, ac asperis verbis in eos inuehitur, patienter sustinent: at regis vmbram, præeminentiæ vestigium in Christo videre eorum peruersus animus minimè patiebatur, sed tunc dirè contra eum fremunt, & tanquam crudeles serpentes, suæ maledicentiæ venenum euomunt aduersus eum clamantes: *Crucifige, crucifige eum.* D. August. serm. 116. *spinis coronatus est*, ait, *ludibriosa veste amictus, amaris conuitiis illusus est, alapis cæsus est, feruet ignominia, frigescat inuidia; sed non frigescit, inardescit potiùs, & increscit.*

Ioan. 19. Psalm. 63. *Visa regia Christi dignitate contra eum fremunt.* August.

QVÆSTIO XXII.

Vnde Iudæi in Templo habuerunt lapides, vt iacerent in Iesum?

141. EMPLVM, eiúsque pauimentum multis lapidibus miro ordine dispositis erat ornatum. Vnde ergo Iudæi habuerunt lapides, vt ad illos confluerent. Respondetur primò cum Luca Burgensi fortè multi lapides sparsim iacebant in area atrij prophani, vel secundò ex pauimento extraxerunt Iudæi; erat enim atrium lapidibus stratum, frequenter solent furiosi tabie acti quiduis obuium rapere, vt illud in aliquem impingant, & proiiciant.

Luc. Burg. *Ratio literalis.*

142. Tertiò, & moraliter. Quamuis templum esset lapidibus stratum, tamen cum saxa assumuntur à Iudæis, vt Christum lapidarent, inde ibi non deficiunt, sed valde prompte ad iniquorum manus habentur; In omni enim loco nunquam desunt, sed semper ad damnum, & perniciem inferendam abundant instrumenta. Præclarè Plinius in Panegyr. *Furor cum ferueſcit gignit ferrum, parturis gladios, ſpargit lapides.*

Ad nocumentum alterius paratum instrumentum. Plinius.

143. Ex Dei mandato conuertit Moyses omnem aquam Ægypti in sanguinem: *fecerunt que similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis.* Exod. 7. num. 22. communis, & trita difficultas, si omnis aqua Ægypti versa est in sanguinem, tam ea, quæ in Nilo, quàm quæ erat in lacunis, paludibus, in vasis ligneis, & saxeis, & patet ibi num. 19. Vnde ergo habuerunt malefici aquam, quam in sanguinem mutarent? Multæ, & variæ sunt Doctorum sententiæ, Lyranus, Abulensis inquiunt, quod dæmones adiuuabant maleficos, & celerrimè aliunde asportarunt aquam in Ægyptum, quæ cum esset Magis oblata ab eis in sanguinem versa est; non est aqua in Ægypto, & aliunde defertur? Ad quid sanè? Vt impediatur libertas populo Israëlitico: Ægyptiisque vexatio, ac oppressio multiplicetur, quia si ad huiusmodi oppressionem dilatandam, deficit aqua in Ægypto, non deficit dæmonis malitia, ad eam ex diuerso, ac remoto loco transmutandam.

Exod. 7. Lyran. Abulens. *Ad aliorum damnum diabolus dat materiam.*

144. Descendit Iudith ad castra Assyriorum. *Impo-*

suit

fuit Abra sua aſcoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caſeum, & profecta eſt. Iudith 10.num.5. Sancta, & pia fœmina, ad quid pergis ad caſtra Babilonica, nili ad necem Holofernis inferendam, cur tecum non aſportas breuem gladiolum, ſaltem ſub tegumento ad frangendum panem? Cur quando ad Ducis tabernaculum accedis, aliquem pugionem tecum non defers? Iudith 13.num.1. præcipuè cum ipſa tenderat ad Holofernis exercitus, vt docent Serarius, & alij abſque aliqua præuia reuelatione inſcia futuri euentus; cur ergo Iudith inarmata accedis? Pergebat ipſa vt mortem Holoferni infligeret, inde certa, & ſecura pergebat, quod gladiolus non deficeret, ſed quod facile mortis inſtrumentum ad manum inueniretur; ſicque expende quod in nocte illa, in qua totum negotium erat peragendum, acceſſit ipſa in ſilentio ad lectum in quo Dux iacebat, vt mortem illi daret, ſed nunquid hæc manibus erat miniſtranda? vbi eſt enſis? ſciebat illa, quod non deficeret, ſed in columna, quæ ad caput lectuli erat, pugionem inueniret.

Iudith.10.

Iudith.13. Serarius.

Ad nutū parentum inuenit inſtrumentum.

QVÆSTIO XXIII.

Quare cum in Templo eſſet prohibita ſanguinis effuſio, Iudæi in illo tollunt lapides aduerſus Chriſtum?

145. VOD Templum antiquum gauderet immunitate tam pro delinquentibus, quā vetita effuſione ſanguinis in illo docēt aliqui apud Cou. lib. 2. Variar. c. 20. n. 2. in fine. Suar. to. 1. de Relig. lib. 3. c. 9. n. 9. & n. 10. ad finem, aīt quod non ſit improbabilis ex c. 21. Exod n. 14. *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.* Inde Adonias timens Salomonem in templum confugit 3. Reg. 1. num. 51. tanquam in locum tutum, ac ſecurum, vt ibi obſeruant Lyran. Abulenſ Cathuſian. & alij. Si autem Ioab. 3. Reg. 2. num. 34. occiſus eſt, per inſidias enim commiterat homicidium.

Couar. Suar.

Exod. 21. *Effuſio ſanguinis vetita in templo.* 3. Reg. 1. 3. Reg. 2. Lyran. Carth. Abul.

146. Difficultas ergo eſt, quomodo in templo contra illius immunitatem Iudæi intentant Chriſtum lapidare, eiuſque ſanguinem effunderet? Reſpondeo; Notum erat Iudæis quod omnis iniuria, pœna, ac mors illata Chriſto prægrata futura eſſet ſummis ſacerdotibus, ac principibus ſynagogæ, ipſa, magnorum voluntati blanditio magnam licentiam popularibus Iudæis omne ius, ac legem violandi concedebat, vt locum ſacrum contemnentes aduerſus Chriſtum Dominum inſurgerent. Si frequenter humana ſapientia homines exagitat, cum aliorum pœnas principibus, ac regibus præiucundas iudicat.

Magnorū voluntas populoribus dat licentiam.

147. Mandauit Pilatus Dominum Ieſum flagellare; poſt flagellationem verò, *Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius: & veſte purpurea, circumdederunt eum, & veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas.* Ioan. 19. num. 2. Præſes ſolùm iuſſit verbera, cur milites ſic illius mandatum excedunt, vt coronā ſpineam cum alapis illius capiti infigant? quæ extitit magna iniuria, & grauiſſimus dolor Chriſto, imò rigidum tormentum, nunquam viſum, ac auditum in orbe, vt ſuo loco Deo dante dicam. Quomodo milites ſic audent iudicis ſententiam excedere, cum tamen grauiſſimum eſſet crimen, vt notat Greſetus lib. 1. de cruce, vt miniſtri in caſtigatione infligenda præſidis mandatum tranſgrederentur, vt pœna accumularent, ludibria congererent? Nouerant Iudæi omnem pœnam Ieſu irrogatam principibus ſacerdotū valde gratam futuram, hæc eis gratia præſtandi obſequiū, multam audaciam, ac licentiam popularibus conceſſit, vt aduerſus Chriſtum inſurgerent, nullíq; iniuriæ, ac contumeliæ parcerent. Pulchè D. Leo ſerm. 3. de Paſſione, cap. 6. *Multas illuſiones Domino, ait, ſacerdotalibus ſeruiens oculis, licentia popularis ingeſſit; & in manſuetudinem eius, qui hæc ſponte tolerabat, furiens turba ſæuiit.* Expende verbum *ſacerdotalibus ſeruiens oculis.*

Greſ.

Licentia popularis inſeruit magnorū oculis. Leo.

Celebri ſuo conuiuio cum rex Aſſuerus multum hilaris vino incaluiſſet per Eunuchos mandauit vocari Reginam Vaſthi, vt cunctis populis, ac principibus illius pulchritudinem oſtenderet; quæ renuit venire, ex quo maximè furore ſuccenſus rex, interrogat ſapientes, qui ex more regio ei aderant, quid faciendum eſſet; cui reſpondet Mamuchan. *Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarum, atque Medorum, quàm præterire illicitum eſt, vt nequaquam vltra Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed regnum illius, altera, quæ melior eſt illa, accipiat.* Eſth. 1. num. 19. Valde mirum, quod tam grauiter omnes regij ſapientes Vaſthi factum condemnent, cum ipſa vocata ad conuiuium non venerit ex pudicitia, ac verecundia muliebri, vt adnotarunt Lyran. Cathuſianus, imò pro obſeruandis Perſarum legibus. Ioſeph. lib. 11. Antiquitatum cap. 6. *Vaſthi*, ait, *volens Perſarum leges ſeruare, qua vxores vetant ab aliis, præter domeſticos conſpici, non iuit ad regem.* De quibus Perſarum legibus, quæ fœminas à conſpectu virorum arcebant, etiam teſtantur Iuſtin. lib. 41. Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. 1. quomodo ergo Doctores, ac ſapientes legis Vaſthi modeſtiam iuxta leges Perſarum ſic condemnant, ac in malum detorquent, vt inobedientiæ aſcribant, cùm potius eis incumbebat leges pertendere, quas præuaricari non licere fatentur? Viderant ſapientes regis furorem, cui omnis pœna Vaſthi valdè grata futura erat; inde ergo contra omne ius, ac ſtatutum licentia deſumpta, obſeruantiam legum Vaſthi præuaricationem dicunt, eiuſque pudorem commune malum reputant, vt illam graui ſupplicio obnoxiam diſcernant.

148.

Eſth. 1.

Lyran. Carth. Ioſeph.

Iuſtin. Macrob.

Ius violatum vt blandiatur regi voluntati.

QVÆSTIO XXIV.

Quare Chriſtus Dominus receſſit à lapidantibus non inflicto aliquo ſupplicio?

149. DVo breuiter in hac quæſtione inquiro. Primò cur lapides arripientes Chriſtus nō punierit? Secundò cur ab eis abiit, & receſſit? Ad primam partem quæſtionis reſpondet D. Aug. tr. 43: *Cùm Iudæi, ait, lapides tollerent, quid magnum erat, vt eos continuò terra deuiſcens abſorberet, & pro lapidibus infernos inuenirent? Non erat magnum Deo: ſed magna erat commendanda patientia, quam exercenda potentia.* Cùm pro tam graui iniuria, ac inſolentia Iudæorum Chriſtus D. poſſet pœnam

Aug.

pœnam infligere, elegit tamen, quod glorioſius eſt patientiam exercere, quàm puniendo potentiam oſtendere.

150. Secundò. D. Gregorius homil. 18. in Euangel. *Qui pati venerat*, ait, *exercere iudicium nolebat.* Non ſunt permiſcendi rerum fines; Chriſti aduẽtus in carne, tempus pietatis, ac miſericordiæ; pœna autem, & caſtigatio ad tempus iudicij reſeruatur. *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Pſalm. 74. num. 3. noluit rerum ordines inter ſe commiſcere.

151. Secunda quæſtionis pars inquirit, cur Chriſtus ab his hominibus recedit, ac ſe abſcondit. Cuius rei rationem literalem aſſignat Albertus Magn. *Abſcondit ſe*, ait, *cedens furori eorum, vſque dum veniret hora paſſionis: quam præfinuit Pater: docens nos furorem hominum pro tempore declinare*; & ad hunc ſenſum intelligendus eſt D. Auguſt. citat. cùm ait: *Tanquam homo à lapidibus fugit.* Et D. Chryſoſt. *fugit Ieſus vt hominem ſe præſtaret.* Ac proinde hominem ſe oſtendens, & declarans Ieſus furorem hominum fugit, & declinat.

Cedendum furori.

Aug.

Chryſ.

152. Secundò D. Chryſoſt. *Tumultuarium genus necis eſt lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri vltima Chriſti mandata.* Semel, & bis lapidibus Chriſtus impetitur, hîc, & Ioan. 10. num. 31. tamen ſemper Chriſtus noluit inter lapidantium manus ſpiritum emittere, præuidebat enim quod inter lapidantium tumultus vltima eius verba non poterant exaudiri, & ſciebat eſſe valde neceſſarium, vt illa auribus perciperentur, vt illis multa verba infunderentur, ac in poſterum pleraque mala euitarentur.

Chryſ.

Valde vtile verba Dei audire.

Ioan. 10.

153. Tertiò. Rupert. lib. 9. in Ioan. *In eo quoque*, inquit, *quo quaſi infirmus ſe abſcondit, & exiuit, victoria totius perfectionem expreſſit: quia non tam à lapidibus, quàm à lapideis Iudæorum cordibus fugit.* Abiit, & abſcondit ſe Ieſus non à lapidibus iaciendis, ſed ab obſtinatis, ac lapideis cordibus Iudæorum; Inter enim duros lapides deſerti degebat, ac recumbebat, at à cordibus Iudæorum iniuriosè expellebatur, ac multa machinatione ad mortem, ac crucem quærebatur.

Rup.

Fugit Ieſus à cordibus lapideis.

154. Ita Daniel inter Palatinos ab eis tanquam capitis reus accuſatur, mittitur ad leones, inter eos quietus, & ſecurus ſedet; *Venit Rex ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonum.* Daniel. 15. num. 39. Ibant tres pueri Hebræi inter miniſtros Babylonicos; à quibus tanquam regij decreti præuaricatores arguuntur. Vincti verò proiiciuntur in fornacem ardentem, in qua flamma eis non nocet, ſed potius inſeruit, vt combuſtis ligaturis ſecuti ambulent. Daniel. 3. n. 14. Ad quid hæc Dei miracula tendunt, niſi vt oſtendatur, quod Sancti, qui inter impios homines periclitabantur, inter indomitas feras, ac voraces ignes ſecuriores, ac placidè degant, & quos homines poſcebant ad mortem, leones, ac ignes immunes ſeruent ad vitam Elegãter cecinit D. Paul. in Natali octauo Sancti Felicis, dicens.

Dan. 14.

Securior homo inter feras, quam inter homines.

Paul.

Ceu quandoque fera circum iacuere Prophetam,
Orantiſque pedes linguis mulcere benignis,
Naturam mutante Deo, vt damnaret acerba
Mentes feros homines humana pace ferarum.
Sic & crudelem confugit flamma tyrannum,
Sanctis ſpectantem pueris ſeruire camines.

155. Vrgente tempeſtate, *Nauta tulerunt Ionam, & miſerunt in mare.* Ioan. 1. num. 15. à ceto grandi deglutus eſt, ac euomitus eſt in aridam; quid eſt hoc, ab hominibus datur morti, à bellua excipitur ad vitam. D. Hieron. Epiſtol. 29. de Reſurr. Domini. *Quem malitia*, ait, *hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit.*

Ioan. 1

Cuſtodit fera.

Hieron.

QVÆSTIO XXV.

Quare Ieſus non ſolùm ſe abſcondit, ſed etiam exiuit de Templo?

156. ALBERTVS Magnus. *Exiuit de templo deſignans derelictionem illorum.* Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Matth. 23. *Et abſcondi faciem meam ab eis. Et ſic diſpenſatiuè receſſit Dominus.* Vnde ſic in præſenti loquitur Rupert. *Mala ſubſequentia probauerunt, verè & de templo illo exiiſſe, & de ciuitate illa abiiſſe Ieſum & ab vtroque migraſſe omne Angelorum præſidium.* In vltima cœna dixit Chriſtus ſuis diſcipulis. *Surgite eamus hinc.* Ioan. 14. n. 31. Non ordinat vt aliquis Apoſtolorum remaneat in domo, ſed omnes mandat ſurgere, & abire, vt denotaretur Ieroſolymam derelictam à ſuo, ac omnium Sanctorũ Apoſtolorum præſidio. Rupert. lib. 10 in Matth. *Cùm terribilibus, ac reuerendis verbis illis. Quid enim erat dicere, ſurgite eamus hinc: quando Iudas loquebatur cum ſenioribus, ſtatim venturus cum cohorte, & miniſtris: niſi relinquere ciuitatem illam: quemadmodum per Prophetam Ieremiam prædixit. Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam: facta eſt mihi hæreditas, quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem ſuam, ideo odiui eam.* Ierem. 14. num. 31.

Alb. Magn. Matth. 23.

Rup.

Ioan. 14.

Ieroſolyma derelicta à præſidio Dei ac Sanctorũ.

Ierem. 14.

157. Secundò. *Abſcondit ſe Ieſus, & exiuit de templo.* Multa enim ſupplicia ex diuina iuſtitia in illum locum & ciuitatem ob malitiam ſuam parabantur, ideo recedit, & abiit Ieſus, vt puniat, quia ſi adeſſet non caſtigaret, ſed miſereretur. Cùm Moyſes, ne occideretur à Pharaone flumini exponitur, ex Dei ordinatione ad Pharaonis manus deducitur. *Adultum tradidit filia Pharaonis: quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyſes.* Exod. 2. n. 10. At cùm Herodes armatur aduerſus puerum Ieſum, ex monitu Angeli mandatur Ioſeph fuga in Ægyptum, *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. n. 13. Puero Ieſu, vt ab Herode liberetur, præcipitur fuga, cur in aula Herodis non cuſtoditur, vt Moyſes in Palatio Pharaonis; æqualiter diuina potentia ſicut potuit vnum inter vlnas tyranni illæſum ſeruare, ſic potuit & alium? Moyſes vt creatura ſit in aula illius, quem poſtea ipſe eſt percuſſurus, hoc enim ſolent homines in valde ſibi coniũctos facere; At Ieſus vt Deus neceſſe eſt vt ab Herode fugiat, & recedat, vt eum ob ſua magna ſcelera ſit puniturus. Non enim diuina pietas inſpiceret hominem morte, & ſupplicio cruciatum, abſque eo, quod ei ſubueniret, & protegeret D. Chryſolog. ſerm. 135. *Herodes hoſtis naturæ, omnibus malus, ſuis peior, peſſimus ſibi, quem Chriſtus, non vt euaderet, ſed vt videret aufugit.* De hac re vide multa tom. 3. verb. *Oculus.*

Matth. 2.

Deus recedit, vt puniat.

Deus ſi videt pœnam, miſeretur.

Chryſ.

QVÆSTIO XXVI.

Quare lapidantibus Iudæis non occurrit, ac respõdit Dominus aliquod verbum, vt in alio simili euentu fecit?

158. Ioan.10. CVM Iesus esset in porticu Salomonis, ac loqueretur cum Iudæis. *Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis, propter quod eorum opus me lapidatis?* Ioan.10.n.31. Cùm in hoc euentu essent Iudæi lapidibus armati aduersus Iesum; non ab eis fugit Dominus, sed eorum furori verbis occurrit. At in præsenti valde diuerso modo se habet, nihil eis dixit, sed ab eis se abscondit, & recedit.

Ratio difficultatis.

159. Greg. D.Gregorius homil.18.in Euangel.ait: *Imitatione etenim Dei glorioſius est iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare.* Suo exemplo nos voluit Dominus informare, vt ab iratis aduersariis potiùs curemus tacendo fugere, quàm respõdendo deuincere, ac triumphare. Cùm vidisset Iacob fratrem suum Esau aduersus se iratũ ob benedictionem parentis ei concessam, *Fugit, & abiit in Mesopotamiam*, Gen.28.n.4. Cur fratrem suum Iacob non studet demulcere, illud enim euenerat ex Dei iudicio sicut dictum erat: *Maior seruiet minori*. Deinde Esau iam vendiderat primogenita sua Iacob. Gen.25.n.34. Cur his rationibus non cogitat Iacob iratum fratrem deuincere, sed absq; aliquo verbo cum eo habito recedit, & fugit? voluit potiùs tacendo fugere, quàm respondendo superare. D.Ambrosius de fuga sæculi, cap.3. *Non erubescamus*, ait, *fugere, gloriosa enim hæc fuga est fugere a facie peccati, sic fugit Iacob.* Gen.18.

Potiùs fugere tacendo, quàm vincere respõdendo.

Gen.28.

Gen.25.

Ambr.

160. Cyril. Ioan.10. Secundò respondet D.Cyrillus Alexandrinus lib.7.in Ioannem, cap.11. *Iesus*, ait, *nullo cum ipsis communicato sermone abscondit se, & exiuit de templo. Ioan. verò 10. Cum Iudæi eadem laborarent insania, more peritissimi Medici, aliud ipsis adhibet medicamentum: vt nihil non tentatum relinqueret, quod eorum saluti conducere putaretur.* Optimus Medicus pro varietate morborum scit varia remedia adhibere, vt furiosi declinentur, aliquando ad fugam, aliquando ad placida verba recurrit Dominus: sicut enim furibundi sæpe fuga euitantur, sic & sæpe pro loco, & tempore leni, ac suauí verbo mitigantur; quod pergens confirmat D.Cyrillus, *Quod nobis*, ait, *ipse Dauid suo prodit exemplo, cuius districtum mucronem, ipsa Abigail vxor eius suauí eloquentia, & humanitate, vagina recondit.* Dixitque ei Dauid: *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem.* 1. Regum 25. n.32.

Pro diuersitate infirmitatis remedium applicandum.

1.Reg.25.

161. Tertiò, & propius ad præpositam quæstionem accedamus. Cur in porticu Iudæis sumentibus lapides occurrit verbis Christus, hic verò in templo nil respondet, sed abscondit se, & exiuit de templo? Ex ipsa circunstantia loci ratio sumenda est. Porticus erat extra templum, ante illius faciem, 3.Reg.6.n.3. At Christus in nostro textu erat intra templum docens; & qui extra templum delinquit, eius salus non est desperanda, sed multis curanda est. At qui intra templum criminatur, ita eius malitia execrabilis, vt immedicabilis quodammodo videatur. Vnde ait Origen.homil.4.in Leuitic. *Interest enim*, ait, *peccare in Sanctis, & peccare extra Sancta.* Quid enim grauius etiam apud homines, quàm in propria domo quempiam aggredi, iniuria afficere, & indignis modis tractare.

Peccatum in templo grauissimum.

3.Reg.6.

Orig.

Ait Deus ad Ezechielem 8.num.6. *Fili hominis, vides tu quod faciunt isti, abominationes magnas?* & ostendit ei omnem similitudinem reptilium, & animalium; & rursus num.13. *Et dixit ad me: adhuc conuersus videbis abominationes maiores: quàs isti faciunt.* Et respexit. Ecce mulieres sedebant plangentes Adonidem, id est res mundiales, vt explicat D.Hieron Et rursus num.15. *Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis: adhuc conuersus videbis abominationes maiores his.* Et introductus. Vidit quasi viginti quinque viros dorsa habentes contra templum Domini: & statim subdit Deus num.18. *Ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec misereor: & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.* Cur versantibus in hac vltima abominatione tantum supplicium infligitur, vt dicatur: *Non parcet oculus meus, nec misereor?* Vnde crescebat malitia posterior super priores abominationes? licèt in omnib.aliis spurcitia idololatriæ, ac vitiorum, tamen peculiariter in vltima abominatione contemptus templi inueniebatur. *Viginti viri dorsa habentes contra templum*, ex qua templi irreuerentia sic augebatur malitia, vt diuinæ pietatis viscera clausa viderẽtur. Dionysius Carthusianus, *Dorsum*, ait, *contra Deum, & eius templum vertentes, grauissima sunt ista peccata, ego faciam in rigore iustitiæ vltionem in eos, & ad misericordiam non exaudiam.*

162. Ezech.8. Hier. *Culpa ex circũstantia tẽpli grauior.* Carth.

Quis dubitat, quod ex circunstantia loci multum augeatur culpa, sententia est Diui Ambrosij, quod grauior extiterit culpa Adami, quàm Diui Petri. Cum culpa Diui Petri ex multis circunstantiis maior appareret; ipse erat princeps Apostolorum, totius Ecclesiæ Pontifex designatus, & commisit crimen tempore Passionis, quando salus totius generis humani negotiabatur. Præclarè Diuus Ambrosius in cap.23. Luc. ad illa verba: *Petrus verò sequebatur à longe*, sic loquitur: *Adamus in paradiso labitur, vbi non venialis culpa: Petrus in prætorio Iudæorum, vbi difficilis innocentia.*

163. *Grauior culpa Adami, quàm Petri.* Luc.23. Ambr.

CAPVT XVIII.

Cæcus à natiuitate.

Ioan.9.num.1. Et præteriens Iesus vidit hominem cęcum à natiuitate.

Num.2. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur.

VERSIONES.

Syriacus n.1. Vidit hominem cæcum ab vtero matris suæ.

Arabicus. Vidit hominem cæcum natum.

Syriacus. n.1. Dicentes, Magister noster quis peccauit?

Ioan. Cassian. Quid peccauit hic, aut pa-
lib.5.c.33. rentes eius?

EXPOSITIO I.

1. Caiet. Iansen. Hugo.

CAIETANVS, ac Iansenius, & Hugo existimant, quòd hæc non sint consequentia cum antecedentibus, ac proinde, quòd cùm Christus exierit de templo, tunc quod cæcum à natiuitate non viderit; nam Christus abscondit se, & exiuit de templo, & quando cæcum sanauit, aderant discipuli. Communiter tamen Diuus Chrysostomus homilia 55. Diuus Cyrillus in Catena Græca Euthymius, Theophylactus, Beda, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, Toletus, & alij, dicunt esse connexa: hoc indicat Euangelista in illa particula, *&*, continuat enim hæc sequentia cum antecedentibus; & facilè intelligitur, quod cùm Iesus in templo se abscondisset, discipuli videntes magistrum suum non apparere, simul egressi sunt, eumque habuerunt obuium in via.

Chrys. Cyrill. Euth. Theoph. Beda. D. Thom. Bonau. Tolet.

2. Chrys.

Prætereiens Iesus. Locum quendam, vel per viam, vt aliqui volunt, vel per ianuam templi, in qua, vt vult Chrysostomus homilia 56. *Cæcus hic*, ait, *mendicabat, & sedebat ad templi ianuam.* De quo infrà. *Vidit hominem.* Vidit non casu, sed alta prouidentia, ac pietate; & tam defixis oculis, ac diligenter Christus eum est contemplatus, ait Diuus Chrysostomus homilia 55. *Vt discipulos ad interrogandum conuerteret.* Explicatur hominis miseria, quæ Christum prouocauit ad eum intuendum. *Cæcum à natiuitate.* Syriacus: *Cæcum ab vtero matris suæ.* Hoc dicitur ad explicandam magnitudinem miraculi; nam qui nati cæci fiunt, multis remediis à Medicis, & Chirurgis curari possunt; & si ab eis actualiter non assequatur, cæcus à natiuitate à solo Authore naturæ sanari valet. Vt docet D. Ambrosius Epistola 75. ad Bellarium.

Syr. Ambr.

3. Isidor. Syr. Aug.

Interrogauerunt eum discipuli eius. Id est, Apostoli: Oculi Domini, ait Isidorus in Catena Græca, vehementer defixi in cæcum prouocarunt discipulos ad interrogandum. *Rabbi.* Syriacus, *Magister noster.* Diuus Augustinus: *Magistrum*, ait, *appellant, quia discere desiderabant.* Et optimè à Magistro quærunt, qui nouit omnia nouissima, & antiqua. *Quis peccauit.* Ex opinione vulgi morbos censent esse pœnas peccatorum. Diuus Ambrosius Epistola 75. Debilitates corporum referunt ad mèrita delictorum. Quod etiam Pharisæi infrà dixerunt versu 34. *In peccatis natus est totus.* Et subiiciunt. *Hic, aut parentes eius.* Quod ex quadam simplicitate est dictum, de quo latiùs quæst. 4.

Ambr.

QVÆSTIO I.

Quare Christus Dominus pertransiens sanat cæcum, cùm sedens doceret in templo?

4. PERTRANSIENS Dominus sanat cæcum. Diuus Ambrosius Epist. 75. *Ergo*, ait, *nec nos quidem prætereundum Dominum nos putamus.* Suo exemplo nos informat Dominus, vt morbo, ac necessitate oppressos absque subleuamine cum possimus, ne prætereamus; sicut Dominus non prætergreditur cæcum sine concessu sanitatis dono, ac salutis documento dato. *Credis in filium Dei?* Psalm. 18. num. 6. *Exultauit, vt gigas ad currendam viam.* Quomodo Christus Dominus vt gigas, vt explicat Brunonius, magnitudine suæ potentiæ superans omnia humana; cucurrit ergo viam suam solum beneficentia, an etiam simul & doctrina? Vtraque sanè simul; vnde subdit Psalmista num. 7. *Nec est, qui se abscondat à calore eius.* Et postea num. 8. *Sapientiam præstans parvulis.* Quod notauit D. Augustinus lib. 5. confess. cap. 12. *Ad currendam viam*, ait, *non enim tardauit, sed cucurrit clamans dictis, & factis.*

Christus doctrina ac beneficentia pertransit omnes terminos.

Psalm. 18.

Bruno.

Aug.

5. *Christus non fecit stare in vno loco, qui benefaciat.* Act. 10. Matth. 8. Matth. 9.

Secundò. *Prætereiens.* Nescit mundi redemptor in vno loco stare, sed multa lustrat, ac percurrit, vt omnibus beneficentiæ suæ dona largiatur. *Qui pertransit benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo*, Actor. 10. num. 38. per terram Gerasenorum ambulans meus Iesus homines à dæmonio liberat. Matth. 8. num. 32. Et statim cap. 9. num. 1. subdit Euangelista: *Et ascendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Scilicet Capharnaum, ad quid omnium Saluator tot terras, ac maria cursitat? nunquid videndi noua loca affectu, vel amore patriæ detentus, vt sæpè apud homines contingit? minimè, sed vt misertimo paralytico salutem prouideat. Vnde sic scribit immediatè Euangelista num. 2. *Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto* D. Chrysostom. serm. 16. *Christus*, ait, *quod loca circuit quod maria transfretat, non est res humani desiderij, causa est humanæ salutis.* De magnis viris ait Seneca de tranquillit. cap. 2. *Magno animo*, ait, *non non vnius vrbis mœnibus clausimus, sed in totius vrbis commercium emisimus, vt liceret latiorem virtutibus campum dare.*

Chrys. Seneca.

6. Ioan. 8.

Tertiò. Maximè ad nostram quæstionem superiori cap. 8. num. 2. scribit noster Ioannes, quòd Christus Dominus *venit in templum, & sedens docebat eos*, hic verò *prætereiens vidit cæcum*, quem sanat. Cur illic sedet, hic verò velut per viam transiens sanat; Vbi communi saluti, ac totius populi bono consulitur, moras trahit, ac veluti magno consilio agens sedet: at cum vnius causa pertractatur, tanquam pertransiens illi prouideret, ac sanitatem impartitur, vt totus rei communi, non particulari negotio deditus videatur.

Christus sedens agit de omnibus, transiens de particulari.

7. Exod. 3. D. Basil.

Vt educeret Dominus populum suum de captiuitate Ægypti, ac tyrannide Pharaonis, qua grauissimè premebatur. *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi*, Exod. 3. num. 2. quod explicans D. Basilius Magnus in cap. 6. Isaiæ: *Incumbebat*, ait, *Domibus planta, neque tamen exurebat.* Erat Dominus in rubo, tanquam moras habens, ac veluti sedens; postea, verò cum Moyses maximè flagraret videndi Dei faciem desiderio; ait illi Deus: *Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea*, Exod. 33. num. 22. Ad quid tanta rei differentia; in rubo apparet incumbens Dominus, at in petra pertransiens se habet; ad quid tanta diuersitas? In planta res erat de totius populi salute, ac libertate. In foramine verò petræ se exhibebat Dominus, vt optatis Moysis satisfaceret, & sic incumbens omnium votis, ac saluti attendit, pertransiens

Deus in rubo incumbit, in foramine pertransit.

Exod. 33.

pertranſiens verò vnius petitioni, ac deſiderio condeſcendit.

8. Vt populus Iſraëliticus poſſideret Promiſſionis terram, contra quinque reges pugnat Ioſuë, ad victoriam complendam, Soli ac Lunæ indixit ſtationem. *Sol contra Gabaon ne moueatur, & Luna contra vallem Aialon.* Et ſubditur: *Steteruntque Sol & Luna*, Ioſue 10. num. 13. Aliter factum eſt cum rege Ezechia, cui pro ſalute conceſſa in ſignum datur, vt Sol retrocedat. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, & per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole*, Iſa. 38. n. 8. Cur in primo euentu Sol, & Luna fixo gradu ſtant; in ſecundo verò non ſuo ſitu permanent, ſed continuo motu retrocedunt? In Ioſue communis populi res agebatur; in Ezechia verò ſuæ ſalutis certitudini reſpiciebatur; quæ enim communia ſtabili, & alto conſilio fiunt, quæ autem particularia veluti obiter, ac tranſitorio gradu diſponuntur.

Ioſue 10.

Iſai. 38. *Sol ſtat Ioſue ſtat, apud Ezechiam retrocedit.*

QVÆSTIO II.

Quiſnam eſſet iſte cæcus, & quid ſignificet?

9. *Quis & quo tempore fuerit iſte cæcus?*

CÆCVS iſte vocabatur Cedoninus, ſiue Celidonius; fuit vir ſanctus, & Apoſtolicus, vt patet ex eius verbis infrà numer. 39. *Credo Domine, & procidens adorauit eum.* Cuius vitam ſcripſit Petrus de Natalibus Epiſcopus Eſquilinus in Cathalogo Sanctorum, lib. 5. cap. 105. *Cedonius Epiſcopus*, ait, *vel Sidonius fuit ille cæcus à Natiuitate, quem Dominus lutum ex ſputo faciens, & oculos liniens illuminauit, vt habetur Ioan. 9. qui & ab aliquibus dicitur fuiſſe vnus ex 72. Chriſti diſcipulis. Sine autem ex numero illorum fuerit, ſiue non; planum habetur ex Chronicis, & geſtis diſcipulorum, quod Chriſti diſcipulus fuit. Et poſt Aſcenſionem Domini ab Apoſtolis baptizatus, ſancto Maximino ſpecialiter adhæſit; & cum eodem, & Lazaro, atque ſororibus eius nauicula impoſitus, à finibus Iudæorum expulſus fuit.* Et poſt pauca ſubdit: *Ipſe in miniſterio Maximini Aquenſis ciuitatis Epiſcopi permanſit; & eiuſdem prædicationis coadiutor: vbi & poſt dies multos in pace quieuit, & iuxta Magiſtrum recondituſ iacuit.* Quod etiam tradunt Carthuſianus & alij.

Petr. de Nat.

Carth.

10. Cæcus autem valde miro, & extraordinario modo cæcus erat, vt de illo affirmat D. Chryſoſtomus in Imperfecto, homil. 32. *Cæcus iſte*, ait, *contra regulam naturæ ſine oculis creatus erat.* Quod ita intelligo, vt palpebræ eſſent conglutinatæ cum maxillis, quod maximè inſeruit ad commendationem miraculi.

Chryſ.

Cæcus ſine oculis.

11. Myſticè cæcus iſte, vt exiſtimant D. Cyrillus, Rupertus, Albertus Magnus, Carthuſianus, Hugo, & alij, populum gentilem deſignabat; nam exiens Chriſtus Dominus de templo Iudæorum, cum noluiſſent recipere Euangelium, ſe tranſtulit ad populum gentilem, qui nulla à maioribus accepta vera Dei cognitione quaſi cæcus à natiuitate extabat, eúmque prætereundo curauit Dominus, quia ad eum miſſus non erat, *ſed ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, Matth. 15. numer. 24. Sícque dixerunt Paulus, & Barnabas, Actorum 13. num. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes* D. verò Auguſtinus tractat. 44. Beda, Haymon & alij, totum genus humanum ſignificare hunc cæcum autumant; cæcus enim à natiuitate ſua eſt, quia omnes ſumus *Natura filij iræ*, Ad Epheſ. 2. num. 3.

Cyrill. Rup. Alb. Magn. Carth. Hugo.

Matth. 15. *Populus gentilicus.* Actor. 13.

Aug. Beda. Haym. Ad Epheſ. 2.

12. Tertiò, hic homo naturaliter cæcus miſerum hominis ſtatum exprimebat, ſed præter hanc ſunt aliæ duæ ſpecies cæcitatis. Vna, quæ non viſa, viſa æſtimantur; altera verò, qua viſa reputantur non viſa, quod notauit Tertullianus in Apolog. cap. 10. *Duæ ſpecies*, ait, *facilè concurrunt: vt qui non vident, qua ſunt, videre videantur, qua non ſunt.* Miſit rex Syriæ milites armatos, vt caperent Eliſæum; orante Propheta percuſſit eos Dominus cæcitate, ne viderent, tunc Eliſæus eis obuiam ait, non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas. *Sequimini me, & oſtendam vobis virum, quem quæritis: Duxit ergo eos in Samariam*, 4. Regum cap. 6. numero 19. poſuítque eos in medio inimicorum ſuorum: Ecce miſeri milites, cum captiui eſſent inter ſuos hoſtes ſuam captiuitatem non videbant; & cum in Samaria non eſſet domus Prophetæ, ibi tanquam eam viſam, & obtentam reputabant.

Tertull. *Non viſa, viſa æſtimantur.* 4. Reg. 6.

13. Quartò. In hoc cæco à natiuitate, *ſeu ab vtero matris ſuæ*, vt habet Syriacus, grauiter exprimitur malorum velocitas, ſic in illo noxa manicauit, vt priùs illum inuaderet, ac teneret, quàm quod ipſe communem lucem videret. Aſcendebant in templum Petrus, & Ioannes. *Et quidem vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ*, Actorum 3. num. 2. Valde ſignanter dicitur claudus ex vtero matris ſuæ; non ſat erat dicere, quod homo ille claudus erat, ad quid exprimitur, ex vtero matris ſuæ? vt denotetur quàm antelucanus fuerit defectus, & vitium in homine, quod ſic præuigilanerit, vt natiuitatem non expectaret, ſed antecederet, vt hominem opprimeret, & vexaret. D. Baſilius Seleucus orat. 21. *Sic in natura officina præuenerat, Vitium natiuitatem non expectauit, ſed mixum anticipauit noxa.* Sic vitium feſtinauit, vt natiuitatem anteuerteret.

Syr. *Malum velox de velox in hominem.* Actor. 3. Baſil.

14. Alloquens Ioannes cum Iudæis exprobrat illis dicens: *Progenies viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*, Matth. 3. num. 7. Non viperas appellat, ſed progenies viperarum dicit, vt antelucanam in eis malitiam exprimat, quòd non ſolùm patrum præceſſit, ſed tanquam filij viperarum ſimul cum ipſo naturæ conceptu venenum, ac vitium hauſerint, tam innata in eis malitia, ac nequitia apparebat. D. Petrus Chryſologus ſermone 137. *Progenies viperarum*, ait, *quia quos Deus creauerat homines; malitia peperit, & conuertit in viperas.*

Matth. 3. *Malum hominis à conceptu.* Chryſ.

QVÆSTIO III.

Quare Chriſtus exiens de templo videt cæcum, quem ſanat?

15. PERBELLE notat D. Chryſoſtomus homil. 55. *Quod cum Iudæi ſermonum ipſius altitudi-* Chryſ.

Beneficia plusquàm verba alliciunt.

distendinem non acciperent, sed dæmonium habere dicerent, & interficere conarentur, egressum è templo cæcum sanauit, non vt absentia sua eorum iram sedaret, sed vt miraculi beneficio eorum duritiem, & immanitatem placaret. Auditis Christi verbis ipsum voluerunt lapidare Iudæi, nunc Dominus eorum furori cedit, in ipsáque via cæcum curat, vt quos verbis ac salutiferis documentis non traxerat, beneficiis alliceret.

16. Chryſ. *Deſcendant magnates ad miſeros.*

Ad quæstionem primò respondet diuus Chrysostomus homilia 55. *Ipse*, ait, scilicet Christus, *videt cæcum, non ad ipsum cæcum accessit.* Christus videt hominem, à quo videri non poterat, accedit ad hominem, qui ipsum accedere non valebat; discant & magnates, vt ad illos condescendant, qui ad eorum celsitudinem pertingere non possunt. Secundò diuus Ambrosius epistola 75. *Quasi lux Christus tetigit cæcum, & lumen infudit.* Dixerat Dominus de se superiori cap. 8. numero 12. *Ego sum lux mundi*, id, quod de se dixerat verbo, nunc opere adimplet, & suum munus lucis præstat illuminando, lucémque cæco infundendo.

Ambr.

17. Ant. Vlyſſ. *Quis contemplatur infirmitates miſeretur.*

Tertiò. Diuus Antonius Vlyssiponensis serm. in Feria 4. post Dominicam 4. *Ad cæcum aspiciendum Dominus subsistit, quasi diligenter vellet eius infirmitatem contemplari.* Videt Dominus cæcum, eiúsque miseriam contemplatur, indéque ad eius remedium mouetur; sæculi magnates cum inferiorum infirmitates non intueantur, inde minimè de illis prouidendis, ac subleuandis curant.

18. *Iuſtum iniquorum ſupplicio non eſt inuoluendus.*

Quartò. Exiens Iesus de templo, relinquénsque obstinatos, ac blasphemos Iudæos, præteriens, videt hunc hominem in via, quem curat, ac illuminat, erat iste ab iniquorum Iudæorum crimine omninò, alienus; nec enim ob multorum delicta, alij, & innocentes puniendi, ac vexandi sunt. *Tulit Moyses vxorem suam, & filios suos portans virgam Dei in manu sua*, Exod. 4. numero 2. In Hebræo redditur virga *Elohim*, hoc est Dei iudicis. Quod virga Dei appellaretur, in promptu est ratio; illa enim Dei miracula erant edenda, quæ à solo Deo fieri possunt, sed cur dicitur virga Elohim, Dei iudicis? Caietanus: *Aptè dicitur Elohim, quia virga erat ad facienda mirabilia iudicia Dei.* Adhuc inquirendum est, in quonam virga operando ostendebat hoc mirabile Dei iudicium; virga aquas percutiente Moyse ipsæ versæ sunt in sanguinem. *Affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis*, Exod. 7. numero 18. hac tam rigida pœna, vt aquæ verterentur in sanguinem; solùm plectebantur impij, ac rebelles Ægyptij, non verò pij, ac fideles Hebræi, quibus valde perlucidæ, ac potabiles erant aquæ, hoc est mirabile Dei iudicium, quòd cùm punit iniustos, iustos seruat, fouet, ac custodit. Iosephus: *Primum*, ait, *omnis sanguineis fluentis prolabens ad potus inopiam eos redegit, cùm præterea nullum fontem habeant, nec coloris tantum id erat vitium, sed si quis siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur, erátque talis Ægyptiis, salis Hebræis verò dulcis, ac potabilis, & omninò pristinam naturam retinens.* Expende verbum, *Ægyptiis salis.*

Exod. 4.

Caiet.

Exod. 7. *Puniuntur Ægyptij, & non Hebræi.*

Ioſeph.

19. Gen. 7. *A communi ſupplicio liberatur Noë.*

Cùm iam aduenirent diluuij tempus ait Deus Noë: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac*, Genes. 7. num. 1. Cur Noë dicitur iustus in generatione illa, quod nec de Abrahamo, nec de Isaac, vel Iacob scribitur? generatio illa omnino aquis diluuij perimenda erat. At verò Noë incolumis seruandus; vt euidens appareat, quòd mala hominum generatio ob sui delicta plectenda sit; at iustus non supplicio inuoluendus, se saluus præseruatur; & etiam cùm dicitur: *In generatione illa.* Ratio innuitur, ob quam non priscis temporibus, sed tali sæculo tanta pœna infligatur, quia tunc vitiorum iniquitas maximè grassabatur, & homines omni turpitudini dediti degebant. Diuus Ambrosius lib. de Arca, & Noë c. 11. *Perpende*, ait, *addidit in generatione hac, vt neque Superiores condemnaret, neque præsentes excluderet, vtrúmque dilectum falsum astrueret.* Ambr.

QVÆSTIO IV.

Quare ſecundum literalem intelligentiam hominis cæcitas peccato, & non alteri cauſæ referatur?

20. *Vulnus ad aperiendum, qui poteſt remedium dare.*

DISCIPVLI nō inter se mutuò, sed tantùm à Christo quærunt. *Quis peccauit hic, aut parentes eius?* Solus enim Christus cæcitati, ac peccato hominis valebat medicamen, ac sanitatem dare, illi enim soli vulnus aperiendum, qui & potest remedium exhibere. Vide tom. 2. cap. 1. quæstion. 15. numer. 55. & tom. 3. quæst. 3. numer. 13. 14. & 15. & cap. 31. quæst. 2. numer 9. 10. & 11. De ipsa interrogatione discipulorum est præsens quæstio, multam enim difficultatem continet, videtur enim intendere posse aliquem committere peccatum, antequam nasceretur.

21. Cyrill. Ianſen.

Primò. diuus Cyrillus in Catena Græca, Ianſenius, & alij existimant discipulos infectos fuisse errore Pythagoræ, & Platonis, qui putabant animas ante corpora extitisse, & ob peccata sua in corpore migrare; certum tamé mihi est, quod discipuli in doctrina Christi instructi, maximè ab huiusmodi errore distauerint. Secundò. Leontius astruit discipulos loqui de peccato cæci, non ante natiuitatem præterito, sed post eam futuro, ac si illud futurum præuidens Deus præuia cæcitate puniuerit. Etiam ab hac sententia distabant discipuli, non enim Deus punit peccata futura, sed præterita.

Leont.

22. Chryſ. Theoph. D. Thom. Bonau.

Tertiò. diuus Chrysostomus homilia 55. in Ioannem: *Absurda*, ait, *interrogatio, quomodo enim peccauit, antequam natus esset.* Idem habent Theophylactus, diuus Thomas, Diuus Bonauentura, & alij. Nam etsi sæpè ob peccata veniant infirmitates, non tamen semper. Nam Iob cùm innocens esset multis morbis, ac calamitatibus est afflictus; sicut & Tobias cæcitate percussus; deinde homo iste antequam natus esset nullum habuit peccatum actuale, vt est euidens, sed solùm originale, quod & licet sit causa omnium pœnarum, ac malorum, quæ nobis in hac vita obueniunt, & nominatim morborum, qui infantibus accidunt, vt docet Diuus Augustinus libro 3. contra Iulianum, capite 4. tamen ipsum originale non fuit causa propria, cur iste præ aliis infantibus cæcus nasceretur, vt etiam notat idem diuus Augustinus tractatu 44. in Ioannem, cùm alij infantes eodem originali non nascantur cæci. Aug.

Qui

23. Qui etiam ibi notat, quod licèt parentes huius hominis habuissent peccatum, non tamen inde factum est, vt iste cæcus nasceretur. Etsi discipuli dixerunt, *quis peccauit hic, aut parentes eius?* Ex eo hoc dixerunt, quia scriptum legerant: *Ego sum Deus Zelotes visitans iniquitates patrum in filios usque ad tertiam & quartam generationem.* Exod.20. num.5. Sic & aliquando peccata parentum in filiis, re omnium ipsis charissima puniuntur, vt peccatum Dauid morte filij, 2. Regum 12. n. 14. Et peccata parentum in filiis in subuersione Sodomorum, ac inundatione diluuij. Tamen etiam scriptum est: *Filius non portabit iniquitatem patris*, Ezech. 18. num. 20. Ac proinde licèt aliquando huiusmodi afflictiones ob peccata parentum filiis infligantur, non tamen semper, sed multoties ex concursu causarum naturalium, & sæpe ex alta Dei prouidentia, vt probat subsequens Textus: *Vt manifestentur opera Dei in illo.*

Exod.20. 2.Reg.12. Ezech.18.

24. Vnde valde aptè, vt mihi videtur, respondet Carthusianus, quòd *discipuli, cum essent simpliciter quæsierunt.* Admirati de hominis cæcitate, quam altè contemplantem viderant suum Magistrum, vt docent D. Chrysostomus, D. Antonius Vlyssipponensis; ideò ex quodam animi candore, ac simplicitate quærunt, non perpendentes minutim omnium rerum difficultates. Sicut & Petrus dixerat in Thabor: *Domine bonum est nos hic esse.* vt dixi suprà cap. 8. quæst. 19. n. 160. & Philippus dixerat; *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, Ioan. 14. n. 8. de quo suo loco rationes morales quæramus.

Carthus. Chrysost. Ant. Vlyss. *Ratio difficultatis.* Ioan.14.

QVÆSTIO V.

Quare morali sensu cæcitas hominis, suo vel maiorum peccato adscribitur.

25. RESPONDET primò Ammonius in Catena Græca: *Erronea, ait, est ista interrogatio, cum nemo peccet, antequam natus sit, cum tunc omnino non existat.* De hac sententia iam dixi superiori quæstione. Nunc moraliter bene erronea opinio nuncupatur, cũ astruat ob peccata tantum hominibus mala, ac oppressiones aduenire. Sæpè sæpius iustus affligitur, vt in virtute proficiat, ac in officio suo contineatur, vt vexationibus maximè ad Deum accedat, illiúsque cognitione illuminetur. *Sumens Tobias de felle piscis, linuit oculos patris sui, & sustinuit quasi ferè dimidiam horam: statimque visum recepit*, Tobiæ 11. num. 13. Cui fel assumitur vt medium ad illuminandos oculos, cum ob sui nigredinem, ac densitatem videatur valde ineptum ad huiusmodi affectum præstandum, & licèt aliàs medicamentum esset, vt volunt Lyranus, Carthusianus, Tyrinus, & alij, tamen quod tam citò operaretur salutem, miraculum extitit; vt notat Serarius quæst. 1. Vnde ergo illi tanta vis in felle exprimitur laborum, ac pressurarum amaritudo, & hæc valde efficax ad lucem, & perspicaciam administrandam, vt lumen cæli intueatur. D. Bernardinus serm. 8. *Quia per hæc, ait, mens iusti illuminatur ad maiorem cognitionem Dei: nam tribulatio est illud amarum fel, quo oculi Tobiæ, id est viri iusti ad Dei cognitionem fuerunt illuminati.* Vnde Iudic. 13.

Ammon. *Labores mentem illuminant.* Tob.11. Lyran. Carth. Tyrin. Serar. Bern.

dic. 5. num. 1. *Scriptum est: Has sunt gentes, quas dereliquit Dominus in terra Promissionis, vt per eas erudiret Israëlem scilicet ad Dei cognitionem.*

Secundò. D. Cyrillus lib. 6. in Ioannem, cap. 13. 26. *Quia meminerunt scilicet discipuli*, ait, *langnido ad probaticam piscinam à diuturna ægritudine curato dictum esse à Domino: Vade, & amplius noli peccare, vt deterius tibi contingat. Ioan. 5. Et paralytico iacenti in grabato, qui in domo ei oblitus fuerat: fili, dimittuntur tibi peccata tua: arbitrati sunt cæcitatem huic homini inflictam fuisse propter peccatum, aut suum, aut suorum parentum.* Ex indicio ergo vtriusque paralytici, indubitanter statuunt, & affirmant hanc cæcitatem hominis alicuius peccati extitisse pœnam; sunt aliqui, qui ita suis coniecturis se credunt, vt id, quod illi timantur, ac præsumunt, pro certo præponant, & asseuerẽt. Cùm Iacob fugeret è domo Laban secum ferens Liam, & Rachelem vxores suas, ac filias eius cumque eum comperisset, ait ei Laban: *Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas tanquam captiuas gladio?* Genes. 31. num. 26. Quid dicis, ô homo, quomodo affirmas quod filias tuas vt captiuas ducat, cum satis esset euidens, quod Iacob valde tenerè eas diligeret, nihilque absque earum consilio ageret? Vnde ergo in hanc conclusionem deuenit Laban? *& abigeres filias meas tanquam captiuas gladio*, & non vt vxores. Cùm videret Laban, quòd ipsas clam, ac ipso inconsulto secum Iacob deferret, inde ex hac leui coniectura indubitanter affirmat, eas non vt vxores, sed vt gladio captiuas è domo sua educi.

Cyril. Ioan.5. *Quod homines coniecturant, affirmant.* Gen.31.

27. Tertiò. Rupertus lib. 9. in Ioannem: *Temerarium*, ait, *iactantes iudicium, quod vel propter suam, vel propter parentum proprierum culpam hoc euenerit.* Poterit quidem cæcitas à peccato esse; potuit & à Dei consilio venire infirmitas, homines tamen more suo solito, quos peius est, cogitant, & affirmant. Dixerunt Moyses, & Aaron Pharaoni. *Hæc dixit Dominus Deus Israel: dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto*, Exod. 5. num. 1. Ex quo iratus Pharao suis ministris præcepit, vt non datis paleis Israël filij cogerentur suum consuetum laterum opus adimplere. Ex quo *venerunt præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes: Cur sic agis contra seruos tuos? Palea non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cadimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* ibidem num. 15. Cur tam prægrande, ac veluti impossibile laboris opus imponitur populo causa tam ditæ sæuitiæ ipsi explicant cum dicunt: *Iniustè agitur contra populum tuum.* Ex radice Hebraïca hic enucleat Lyppomanus. *Quasi dicant, populus tuus, peccati reus indicatur, vel punitur perinde quasi peccari in regiam maiestatem detrectando mandatum Regis.* Vnde potuerunt Pharaonis ministri in hanc cogitationem deuenire, vt Israël tanquam læsæ maiestatis reus plecteretur? Motiuum tam duræ seruitutis ortum est ex eo quòd vellent Deo sacrificare in deserto, hoc autem erat opus religiosum, & sanctum, ex dei mandato ordinatum, multisque signis stabilitum; quomodo ergo tanquam grauissimum scelus reputatur? Sic solent homines aliorum opus, quamuis pium, temeraria præsumptione, non virtuti adscribere, sed culpæ, ac crimini, & non cuicumque crimini, sed grauissimo, ac maximè execrabili, vtpote offensæ læsæ Maiestatis.

Rup. *Homines temerariè quod peius est existimant.* Exod.5. Lyppom. *Opus pium in crimen læsæ Maiestatis detorquent homines.*

28. Oleast. Quartò Oleaster in cap.42.Genes.numero 21. Explanans illa verba filiorum Iacob. *Meritò hæc patimur,quia peccauimus in fratrem nostrum.* Sic ait ipse,*Optima consideratio, cùm senseris, pœnam, culpæ meminisse, cùm enim Christi discipuli.* Ioan.9. *hominem à nativitate cæcum vidissent, statim culparum memores, Christo dixerunt, quid peccauit hic, aut parentes eius,vt cæcus nasceretur? licet enim aliquando pœna sine culpa homini eueniat, nihil tamen mali est, si se propter culpam castigatum putet, vt in se aliquid emendandum corrigat.* Discipuli cùm intuentur hominis cæcitatem,ac morbum,peccatis adscribunt,vt hoc magnum nobis sit documentum,cùm mala,quæ patimur, memores peccatorum nostrorum,non alteri causæ,nisi nostris delictis referamus. Rectè Diuus Chrysostomus homilia 24.de peccato,& confessione habita tom.6. *Multi frequenter dicunt malo loco esse rerum, & ciuitatis statum, causámque ex imprudentia dominantium esse perhibent. Ego verò dico non magistratuum imprudentia, sed nostrum peccatum, illud omnia subuertit,illud omnes calamitates inuexit, nec aliunde rerum tristium examina nobis superfusa sunt.*

Mala quæ patimur peccatis attribuamus.

Chrys.

29. Thren.5. Deplorans Ieremias miseriam Ierusalem, ait: Threnor.5.numero 16. *Cecidit Corona capitis nostri;væ nobis quia peccauimus.* Maximè ponderandum;non ait,Cecidit Corona capitis nostri, væ nobis,quia perdidimus regnum, quia fumus absque rege:sed ait, *Væ nobis,quia peccauimus!* Non lachrymis lamentatur effectum depositionis coronæ,quæ est regis priuatio,sed causam tanti mali fletu prosequitur,quæ peccatum extitit. Lyranus. *Væ nobis quia peccauimus! Hoc malum, & alia propter peccata nostra incurrimus.* Agnoscamus in nostris calamitatibus peccatum esse eorum originem.

Mala peccatis deputentur.

Lyran.

30. Dan.6. Ex mandato Darij Regis coniectus est Daniel in lacum leonum, nullúmque nocumentum ab eis passus est.Postea. *Tunc adducti sunt viri illi, qui accusauerunt Danielem: & in lacum leonum missi sunt,ipsi, & filij, & vxores: & non peruenerunt ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, omnia ossa eorum comminuerent.* Daniel.6.n.24. Ex Regis imperio Daniel, & accusatores eius leonibus obiiciuntur. Daniel absque læsione saluus est, accusatores verò eius continuò dilaniantur,ac deuorantur;vnde tanta diuersitas? forsitan ex leonum fame? minimè;vnde ergo; Iustitia Danielis eum custodiuit, malitia verò accusatorum eos perdidit, ac à feris deuorati fecit.Iosephus libro 10. Antiquit. c.12. *Eos sine mora,* ait,*dilaniarunt: acuit enim fratrum rabiem,non vexatio famis;sed obtrectatorum malitia.* Vide plura de hac re tom.3.c.22. q.5.n.28.29.30.& 31.

Peccata malorum causa.

Ioseph.

VERSIONES.

Ioan.9.n.3. Respondit Iesus, neque hic peccauit, neque parentes eius:sed vt manifestentur opera Dei in illo.

Num.4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

Num.5. Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.

D.Chrysost.homil.55.n.3. Neque hic peccauit, neque parentes eius,vt cæcus nasceretur, sed vt glorificetur Filius Dei.

Syriacus. Sed vt spectentur opera Dei in eo.

Tertul lib.aduers.Prax. c.22.n.4. Me oportet operari opera Patris.

Pagn.Vatabl. Quandiu in mundo fuero.

EXPOSITIO II.

31. Chrys. Theoph. Euth. Beda. D.Thom. Bonau. SECVNDVM interrogationem factam discipulorum limitat Christus suam responsionem.*Neque hic peccauit, neque parentes eius.* Vt rectè notarunt Diuus Chrysostomus, Theophylactus,Euthymius,Beda,Diuus Thomas, Diuus Bonauentura,& alij: Non negat Dominus cæcum in vtero suæ matris peccatum contraxisse ac parentes eius multa actualia delicta perpetrasse,ob quæ aliquando infans diuina iustitia puniente monstrum nascitur, sed solùm negat hunc hominem,ob hæc peccata, præ aliis,qui eisdem, vel maioribus fuerunt coinquinati, cæcitati dānatum esse.Diuus Augustinus tractatu 44. *Habebant peccatum parentes eius, sed non ipse peccato fœtum est,vt cæcus nasceretur.* Aug. Sequitur textus.*Sed vt:* Theophylactus existimat,quod illa particula, *vt*, non causam,sed euentum designaret,vt sit sensus. Quòd cùm ille homo esset captus oculis,euenisset,vt in illo opera Dei manifestarentur. Aptius tamen dicendum est cum Chrysostomo, Euthymio,Lyrano,Toleto, Barrada,& aliis, non euentum,sed causam significare; Apostoli quæsierunt causam cæcitatis hominis,& ad hoc Christus respõdet.Potuit quidem Deus humorem expellere, vel quid illud erat, quod cæcitatem effecit, sed expellere noluit,vt tanto miraculo materiã præberet,& ait *opera Dei* in plurali,quia in hoc vno miraculo multa fuerunt miracula,vt dicam quæstione sequenti; & non ait opera mea, sed *opera Dei:* omnia in gloriam Dei Patris referebat,vt nos eius exemplo Dei gloriam quæramus in omnibus.

Chrys. Euth. Lyran. Toled. Barrad.

32. D.Thom. *Me oportet operari:* fecerat Dominus mentionem, vt notat Diuus Thomas de operibus Dei manifestandis, nunc declarat opportunitatem operandi Dei manifestãdi,& iniuncta sibi legatione à Patre in salutem nostram. Sicque subiungit rationem illuminandi cæcum,qui non petebat curari,vt notat Caietanus; sicque Christus omnia ratione,disponebat;vt etiam de edendis miraculis reddat rationem. *Me oportet operari.* Oportet,non significat necessitatem absolutam, vt dicunt Theologi,sed ex decreto, ac præcepto Patris ex legationéque sibi impositu,cui fideliter satisfaciendum. *Opera eius,qui misit me.* Hoc dicit,ait D. Augustinus tractatu 44. Et vniuersam gloriam Patri suo adscribebat.Notat tamen, quod non dicit opera Dei, vel Patris, *sed eius, qui misit me.* Quod expendens Maldonatus,ait,*vt obligationem faciendi miracula, ipse missionis nomine declararet.*

Caiet. *Christus de miraculis edendis dat rationem.*

Aug.

Mald.

Vt

Iesus se cognoscit obligatum, vt nobis benefaciat. Theod.

Vt nobis benefaciat Iesus, in se cognoscit obligationem, *me oportet operari opera eius qui misit me.* Ex quo Theodorus Mopsuest. in Catena Græca aduertit, quod cum Sabbathum esset, quando illuminauit cæcum, ex qua diei circunstantia Iudæi illud opus erant calumniaturi, ideo antequã faceret opus illius excusationem interponit, quia oportebat facere, & adimplere opus eius, qui misit eum. Et tanta extitit Iesus obedientia, quod potiùs voluit se exponere calumniæ, quàm obligationem sui muneris prætermittere.

33. *Donec dies est.* Sumpta est methaphorica locutio à tempore conuenienti operandi, in die solent homines operari, in nocte verò vacant ab opere. Diem hîc appellat Christus tempus vitæ suæ, quandiu inter nos in hoc sæculo viuus degit; noctem verò dicit opus suæ mortis; ait ergo quandiu dies est, hoc est vitam ago inter vos, me oportet operari opera patris mei, ac miracula facere. *Venit vox.* Tempus scilicet meæ mortis; postquam tunc visibiliter vt inter vos viuus degens nõ operabor, de quo latius quæst. 8. *Quando nemo potest operari*; non significatur impossibilitas, sed importunitas operandi, quando nemo scilicet solet operari.

34. *Quandiu sum in mundo.* Seu quandiu ero, & vitam mortalem agam. D. Aug. Beda, & alij existimant, quod Dominus reddit rationem, cur præsentiam suam in hac vita diem vocauerit; tamen videtur assignare rationem, cur oporteat miraculum operari, quandiu dies est, quandiu vitam agit, quia cum sit lux mundi, non debet esse otiosa sub modio, sed debet illuminare. *Lux sum mundi*, homines illuminans meo Euangelio, mea prædicatione, ac miraculis, & operibus. Quærit Euthym. *Quid ergo cum in cælo est, non est lux mundi? Est vtique, sed nunc de conuersione sua in terra dicit.* Semper Christus est in mundo, & lux est mundi, sed nunc post mortem suam illuminat occulta virtute, nõ visibili præsentia: nec exterioti verbo, opere, ac manu faciendo, sed inuisibili potestate, & abdita sua virtute.

Aug. Beda.

Euthym.

QVÆSTIO VI.

Quare ex amissa cæcitate Dei opera in hoc homine manifestatur?

35. NOTANDVM est in limine huius quæstionis, quòd Dominus non loquitur in singulari, sed plurali, non ait: vt manifestetur opus Dei, sed opera Dei; quod notauit Carthusian. *Posuit*, ait, *Saluator plurale pro singulari, quia per opera Dei designat supernaturalem illuminationem cæci istius; vel potest pluraliter accipi, intelligendo per opera Dei omnia, quæ ad illuminationem huius cæci concurrebant, videlicet lenitionem oculorum eius ex sputo.* Vtraque ratio Carthusiani eadem est. In hoc vno miraculo multa Dei opera manifestata sunt, vt cæcus natus sine oculis oculos haberet, visum reciperet, & lutum valdè improportionatum ei esset medicamentum, & quod simul interius illuminaretur, vt Christum verum Dei filium, verumque Messiam cognosceret, ac confiteretur; semper vnum Dei beneficium multa secum defert. Vndè ait Chrys. hom. 55. *Ex cæcitate beneficium accepisse dico.* Vide com. 12. & 3. Verbum, *Beneficii.*

Carth.

Vnum beneficium multa secum defert. Chryſ.

Ad quæstionem respondet primò Theophyl. *Plane*, ait, *non parua erat gloria, vt manifestaretur, quod ipse, qui nunc apparuit homo, sicut Deus in principio condideris hominem.* Maximè in hac curatione manifestata est gloria Dei, vt Christus à Deo Patre missus cognosceretur, vt eius filius naturalis? ac vt verus Messias in lege promissus. Dices. Si hæc cæcitas permissa est huic homini, vt gloria Dei manifestaretur: ergo Deus ea causa potest affligere hominem, vt ipse glorificetur. Hoc dubium excitant D. Chrysostom. & Euthym. ac alij. Respondemus tamen, quod cum homo peccato originali factus sit mortalis, multisque miseriis obnoxius, potest Deus ipso homine vti pro conditione naturæ eius ad talé finem, qualis ipsi videtur, quia vtique semper est maius bonum, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 69. art. 3. Deinde in generatione istius hominis talis fuit concursus causarum naturalium, vt cæcus nasceretur, Deus autem noluit ipsas causas secundas impedire, vt postea ablato impedimento, restitutis oculis maximè Dei gloria manifestaretur; sic solet Deus ex malis, ac pressuris nostris bona educere, ac præparare.

36. Theoph.

Chryſ. Euthym. *Deus ex malis multa bona educit.*

D. Thom.

Secundò. D. Chrysostom. homil. 32. in Imperfecto. De hoc cæco, sic ait: *quia contra regulam naturæ fine oculis erat creatus, & in transuersione naturæ opus Dei intelligatur, dum emendatur natura.* Homo ex sua misera conditione sine oculis natus est, cum autem natura deficit, auctoris naturæ est eam perficere, ac reformare filius Dei, qui est imago Patris, & per quem fecit & sæcula. Ad Hebræ. 1. num. 2. vt quod perdideramus in Adam, in ipso, qui auctor erat naturæ recuperaremus. S. Irenæus l. 3. aduersus hæreses. c. 22. *Quando incarnatus, & homo factus, longam hominum expositionem in se recapitulauit, in compendio nobis salutem præstans, vt quod perdideramus in Adam, id est secundum imaginem, & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu reciperemus.*

37. Chryſ.

Hebr. 1. *Cùm natura deficit, eius auctoris est eam reformare.* Iren.

Tertiò Rupertus lib. 9. *Notandum*, ait, *quod lux mundi non expectauit, vt clamaret tale quid dicens; miserere mei*, Marc. 10. num. 48. *Sed vltro natura indigenti se accommodauit, & gratuito beneficio, tacenti subuenit, nam hoc ad opera Dei manifestanda pertinuit.* Maximè pertinuit ad opera Dei manifestanda, quòd Christus non rogatus, tantum beneficium homini concederet, preces enim multum liberalitatem dantis minuunt. De Christo Domino ait Augustinus. *Regnabit in domo Iacob.* Luc. 1. num. 32. vulgaris difficultas, cur potius in domo Iacob, quàm Isaac? In domo Isaac duo filij fuerunt, qui benedictionem à parente expostularunt, vt eam impetrarent, *surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat tibi anima tua*, Genes. 27. num. 19. & iterum num. 31. At Iacob benedictionem duodecim filiis dedit absque aliqua præuia eorũ petitione: *Congregamini, vt annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Genes. 49. num. 1. Dicitur ergo, regnabit in domo Iacob; ibi peculiariter, ac insigniter Deus regnat, vbi dona absque postulatione liberalissime diffunduntur, quo maximè beneficia commendantur. Pro quo accipe Arnulphum Episcopum Lexouiensem Epistola ad Laurentium Abbatem. *Pulchrum sane*, ait, *& prædicandum beneficium nulla suspensum dilatione, nullis redemptum precibus, nullis meritis comparatum; nihil in eo fuit, quod beneficij minueris maiestatem.*

38. Marc. 10. Rupert.

Excellens beneficium datum sine precibus.

Arnulph.

39. Gloſſa.

Quartò. Glossa. *Vt cæcum illuminando*, ait, *& per*

eum, quid in cæcitate generis humani facturus significando, filium Dei manifestaretur. In hoc præ aliis mitifice Dei virtus declaratur, cùm depellit cæcitatem à natiuitate contractam, sic prædifficile est vitia adulta resecare, ac medicamen eis præbere. Vnde monet Theodorius 5. variar. 39. *More medicorum*, ait, *sanioribus morbis accelerata remedia tribuamus, quando, & hoc pietatis genus est coercere infantiam criminis, ne inueneſcat augmentis.*

Peccatorum inueteratum reformare Dei est. Theod.

40. Leuit. 1. Sæpe Deus mandauit sibi offerre sacrificium de vitulo, agno, & hirco. Leuit. 1. numer. 5. & 3. num. 7. At verò Elias vnum bouem diuisum obtulit in sacrificium. *Diuisit per membra bouem, & posuit super ligna.* 1. Regum 3. cap. 18. num. 33. Quid est hoc, quod recentes victimas offerunt alij; at Elias & semel tantum bouem inueteratũ? Vt denotaretur, quod si peccata denuo pullulantia, quæ altas radices in animo adhuc non diffundunt per ordinaria Dei auxilia non multa difficultate auferãtur, at vetusta, & antiqua tam difficilia sunt, vt expellantur, quod hoc tantum Christo Domino sit reseruatũ, cuius typum gerebat Elias. Bachiarius epist. de recipiendis lapsibus. *Aspice*, ait, *quod nunquam in sacrificiis pecora senio confecta ingulantur, sed vbique aut Agnus, aut vitulus, aut hircus, aut hœdus immolatur, tenera adhuc, & parua, vel modica peccata; in vno tamen loco Heliam bouem legimus obtuliſſe, sed hoc semel tantum. Hoc vni licuit Saluatori, qui inueterata totius populi ingulauit.*

1. 2. Reg. 3. *Peccata inueterata à solo Christo expelluntur.* Bachiar. *Elias in figura Christi peccata inueterata ingulat.*

41. Gen. 3. Postquam primi Parentes peccarunt; *Cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram post meridiem abſcondit ſe Adam, & vxor eius a facie Domini Dei, in medio ligni paradiſi. Vocauitque Dominus Deus Adam.* Genes. 3. n. 3. A facie Domini fugiunt miseri peccatores. Postquam Diuus Petrus Dominum Iesum denegauit, *continuò adhuc ille loquente gallus cantauit. Et conuerſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: quia priuſquam gallus cantet, ter me negabis, & egreſſus foras flenit amarè.* Luc. 22. num. 60. Combinemus nunc Petrum cum Adamo. Vterque peccat; at Adamus à facie Domini fugit, abſcondit ſe, renuitque apparere, ita vt neceſſe ſit, quod Dominus multiplicet voces, vt ipse ad eius conſpectum veniat. At Petrus ſolo Domini intuitu, ſolóque illius oculorum ictu ad delicti detestationem trahitur, & totus in lachrymas prorumpit. Cur solus nutus oculorum Domini Petrum in pœnitentiam mouet, non verò sic quælibet vox Domini Adamum ad pœnitentiam rapit. Domini intuitus erga Petrum valde festinus in galli cantu manicabit. *Continuò adhuc ille loquente gallus cantauit.* Voces verò ad Adamum fuerunt post meridiem circa vesperam. Non ergo mirum quod Petrus tam celeriter vocatus, indilatè ad contritionem rapiatur, Cùm Adamus post aliquam peccati moram multiplicatis in pœnitentiam impellatur. Diuus Maximus homilia 3. de pœnitentia Petri. *Transgrediens*, ait, *vterque præceptum pari modo delinquunt: tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ prauaricatio. Citiùs enim Apoſtolo, quàm Protoplaſto ſubuenitur; hunc enim Deus ad veſperum requirit errantem, illum Dominus pullorum cantu denegantem: Ille tanquam deprehenſus feſtinat ad latebras: Petrus verò prorumpit ad lachrymas, nihil voce precatus.*

Luc. 22. *Etsi facile peccata recentia, difficile inueterata auferuntur.*

Maxim.

Qvæstio VII.

Quare tantus est Dominus vt ostendat, hũc hominem, ac eius parentes immunes esse à peccato, ob quod cæcitas contigit?

42. Interrogationi Discipulorum, *Quid peccauit hic, aut parentes eius?* Indilate occurrit Dominus, *neq; hic peccauit, nec parentes eius, vt cæcus naſceretur.* Cur tam celeriter; ac aperte hominem ostendit à peccato liberum?

Respondeo primò, quod disponebat Dominus huic homini dare visum, meritò ergo ab eo peccati notam excludit; quem enim suis donis Christus honore volebat, obiectis criminibus noluit deturpare. Cùm Dominus promisisset Abrahamo filium ex Sara, quod cùm illa audisset, risit, tanquam impossibilem rem iudicans anum, & sterilem parituram, vt ait D. Aug. quæst. 36. in Genes. Pro quo etiam arguit Dominus, quod illa negauit. *Negauit Sara dicens, non nisi timore perterrita.* Genes. 18. num. 13. Ad quid in Scriptura non solùm defectus Saræ scribitur, quod riserit, & negauerit, sed etiam statim exprimitur eius excusatio, timore perterrito. Quod notauit Lyppoman. *Non leuis fuit*, ait, *sed terribilis Domini correptio ad Saram, ſed excuſatur etiam ab ipſa Scriptura, quia timore erat perterrita.* Elegit Dominus Saram, vt esset vxor Abrahami, ac Patriarchatum, & totius populi electi mater, & quem Deus tanto honore sublimauit, ne aliquo crimine deturpata sit, eam à crimine excusat, ac purgat.

Aug. *Quem vh honorare vult, ne dedecoret.* Gen. 18. Lyppom.

44. Notam peccati remouet Dominus ab hoc homine, ac eius parentibus, & tamen cæcus natus est, vt hoc nobis sit documentum, vt maximè abstineamus, ne suprema Dei iudicia, eiusque dispositiones velimus pro nostro captu inuestigare, ac diiudicare, ne in multos errores incidamus. Cur arca Domini defertetur, *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum.* 2. Reg. 6. num. 6. Cùm boues recalcitrarent, ne arca corrueret, tenuit eam Oza manu, cum esset Leuites, vt docent D. Hieron. Epistol. 48. Theodoretus, Lyranus, & alij, cui videbatur ex officio competere arcam manu tenere, & tamen in hoc delinquit, & iratscitur Dominus contra eum, cuius rei estò sint plures rationes; tamen si nolumus errare, ab illis Dei iudicia venerantes, abstineamus, nec enim pro nostro tenui captu Dei decreta ponderanda sunt.

Iudicia Dei veneranda, & non illa iudicanda à nobis. 2. Reg. 6. Hieron. Theod. Lyran.

45. Abrahamus ab Angelis, quos hospitio susce-pit, multis donis, ac promissionibus muneratur. *Cùm inde ſurrexiſſent viri, direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham ſimul gradiebatur deducens eos.* Genes. 18. num. 16. Si Abrahamus videt Angelos viam suam instituere in Sodomam, cur ab eis non quærit, qua de causa illuc proficiscantur? Si socius est itineris, cur illius causas non interrogat? Non audet Dei iudicia, ac vias inuestigare, ac inquirere, sed omnia alto silentio veneratur. Lyppoman. *Et nos diſcamus non curioſi eſſe, quid Deus cum aliis acturus sit.*

Gen. 18. *Iudicia Dei non sunt inuestiganda.*

46. Egrediens Lot cum vxore sua, ac duabus filiabus, cum plueret Dominus ignem, & sulphur super Sodomam, *reſpicienſque vxor eius poſt ſe verſa*

Gen.19. *ſi eſt in ſtatuam Salis.* Geneſ.19.num.26.Quænam culpa fuit, quod hæc mulier retroſpexerit inflictam pœnam Sodomitis,vt tam rigidam pœnam ſubiret; præcipuè cum multorum ſit ſententia apud Cornelium à Lapide culpam hanc fuiſſe venialem;cū ergo tanto ſupplicio punitur?Ex multa curioſitate reſpexit mulier Sodomā,quod nō ſolùm fuit ipſam intueri, ſed etiā radicē,ac originē tātæ ſubuerſionis inquirere,ac perſcrutari,& cur potiùs tali pœna,quā aliā plectitur?qui *in* Dei iudiciis ſe vult intromittere,tam rigide punitur,vt aliis ſit in documentum,ac exemplum, veluti ſal ad aliorum mentes condiendas,ac præſeruandas.

Cornel. *Punitur qui Dei iudicia vult inueſtigare.*

Procop. Procopius. *Non veſtrum*, ait, *omnia ſcrupuloſius rimari, & exquirere, ſi Deus peccatores pœnis implicat, ſufficit noſſe Deum illos puniuiſſe, quos pœnas ob ſcelerum enormitatem dare oportebat, velle perſcrutari modum, ſecundùm quem, pœnam luerint; proterua,& audacia,nec pietatis eſt.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Chriſtus dixit,quod ei oporteat operari opera eius,qui miſit eum?

47. QVIT Chriſtus in præſenti, *me oportet operari opera eius, qui miſit me donec dies eſt, venit nox, quando nemo poteſt operari.* Quorum verborum duplex eſt ſenſus.Et primus Origenis homil.3. in Pſalm.36. D. Auguſtinus, tract.44.D.Chryſoſtom.D.Cyrill.Euthym.Theophylact. Leont. Rupertus, Beda, & aliorum, qui docent, diem hic denotare totum humanæ vitæ tempus vſque ad conſummationem ſæculi;noctē verò alteram vitam, in qua iam non eſt tempus operandi.Senſus ergo eſt;me oportet operari miracula,ad fidem vocare homines,eoſque docere. & eis gratiam donare, *donec dies eſt:* hoc eſt donec hunc mundum illuſtro meo lumine; iuxta illud, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Matth.28.numero 20. & iuxta ſequentia verba. *Quandiu enim ſum in mundo lux ſum mundi.* Sicque diem officio. *Venit nox*, impus ſcilicet poſt diem iudicij; *In qua nemo poterit operari*; quia tunc nec fient miracula, nec opera ſalutis. Ioann.12.numer.35. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant.*

Orig. Aug. Chryſ. Euthym. Theoph. Leont. Rup. Beda.

Matth.28.

48. Altera ſententia eſt, quam tradunt Lyranus, Titelman.Ianſenius,Salmeiron, Toletus,Maldonatus,Lucas Burgenſ.Cornelius,& alij; quam & ſecutus ſum in expoſitione; Qui per diem accipiunt tempus vitæ Chriſti,quo corporaliter præſens erat in mūdo;iuxta illud Ioan.8 n.56.*Abraham exultauit,vt videret diem meum:* Noctem verò dicunt mortem, & tempus abſentiæ Chriſti: ſicut præſente ſole dies eſt, ipſo verò recedente, nox; ſenſus ergo eſt. Quandiu dies eſt, hoc eſt vita corporali inter vos dego,me oportet operari opera ſalutis, ad quæ perficienda miſſus ſum à Patre,ac proinde cæcos illuminare,ſicque Chriſtus præparat viam ad cæcum hunc illuminandum,& ad hoc ſpectant ſequentia verba. *Quandiu ſum in mundo lux ſum mundi*; Et ſubdit Chriſtus, venit nox, tempus ſcilicet mortis meæ, ac meæ abſentiæ poſtquā viſibiliter externo verbo, ac opere nihil eorum eadem,quæ nunc pro ſalute, & redemptione hominum operor. Non negat tamen Chriſtus quod tunc poſtea operabitur, vt de facto operatur, per ſuos Apoſtolos, & miniſtros;ſicut die Sol per ſuam præſentiam illuminat, nocte verò non per ſe ipſum,ſed per lunam, & ſtellas, vt hic notat Toletus annotat.5. Chriſtus modo per ſuos miniſtros mūdum illuminat.

Lyran. Titelm. Ianſen. Salmeir. Tolet. Mald. Cornel. Ioan.8.

Altera interpretatio.

Toletus.

Gloſſa Interlinealis. *Nox*, ait, *eſt perſecutio Apoſtolorum,& maximè perſecutio Anti-Chriſti.* In ipſa nocte; in qua multa tribulatio, ac vexatio ſuis imminet,ait Chriſtus quod tunc non operabitur, & ab operando ceſſabit, vt tanta preſſura eorum præclara virtus maximè firmetur, ac probetur;Tertullian.lib.ad Martyres cap.3.*Quia*, ait,*virtus duritie extruitur, mollitie deſtruitur.*

49. Gloſſa.

Virtus in tribulatione declaratur.

Tert.

Tropologicè ait Chriſtus, quandiu dies eſt operandum, opus ſcilicet bonum,vt vitam æternam mereamur, cùm verò venerit nox, mors ſcilicet iam non eſt tempus operandi. Vnde ait ſapiens Eccleſiaſt.9. num.10. *Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec oratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos,quò tu properas.* Et quamuis anima à corpore expedita multa ſcientia polleat, tamen dicitur, quòd non eſt ſcientia apud inferos,vt ab illa miſeria ſe valeat homo expedire, quæ ſcientia, & ſapientia habet locum in hac vita, vt bene operando vitemus damnationem æternam, & glorią conſequamur ſempiternam.D.Auguſtin.tract.44. in Ioan. *Operatur ergo homo dum vivit,ne illa nocte præueniatur, vbi nemo poſſet operari.*

50.

Eccleſ.9.

Dum ſumus in hac vita operemur bonum.

Aug.

Maximè notandum quod ait Chriſtus. *Me oportet operari donec dies eſt,venit nox.* Cùm dicit, *dies eſt*, ſcilicet vita viget,& ſubdit *venit nox*:non ait de futuro, veniet, ſed de præſenti venit, quia ſimul cum ipſa vita coniuncta eſt mors, & dum exoritur dies vitæ noſtræ, ſimul iam inſtat hora mortis.

51.

Vita huius ſæculi breuiſſima.

Poſtquam deſcribitur mors filiorum Hebræorum in flumine Exod.1. num. vltimo,ſtatim immediate narratur conceptus,generatio Aaronis, & Moyſis. *Egreſſus eſt poſt hac*, mortem ſcilicet puerorum, *Vir de domo Leui, & accepit vxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit filium.* Exod.2. num.1. Sed ad quid poſt aliorum interitum,immediate horum natiuitas nobis proponitur?vt ex Scripturæ ſerie deprehendatur,quod nihil magis eſt coniunctum, ac immediatum cum hominis ortu,quām illius occaſus.D.Baſilius Seleucus oratio.9. *Infantium ingulator,*ait,*erat flumina, pariter & ſepulchrum, ac gemitus morti coæuus ſtrageſque cum generatione concurrebat.*Expende verbum *Gemitus morti coæuus.*Sic copulantur mors,& vita,vt videatur mors vitæ coæua,ac ſimul cum illa adeſſe.*Strageſque cum generatione concurrebat.*

52. Exod.1.

Exod.2.

Seleuc.

Mors vitæ coæua.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ,& inſpiranit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Geneſ.2. n.7. D.Hieron.ſcripſit verbum quod Hebraice ſignificat *inſpirare*, & ſimul *ſpiritum emittere.* Vt alto documento Moyſes ſimul vitæ exordium, ac illius extremum finem declararet, ſicque vita hominis breuis eſt, vt principium vitæ prognoſticum funeris inuoluat,ac denotet.Pręme verbum. *ſpiraculum vitæ*;non ait inſpirauit animam ſpiritualem,& immortalem,ſed ſpiraculum vitæ Deus in creatione hominis multus eſt in exprimenda eius nobilitate,quod ſit elegans Dei opus: *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Cur ergo pro eximia nobilitate declaranda, non dicitur inſpirauit animam ſpiritualē, ſed

53. Gen.2.

Hieron.

Principium, vita prognoſticum mortis.

Vita valdè tranſiens.

inſpi

in ſpiraculum vitæ? Anima rationalis eſt ſpiritus immortalis,æternus,ſpiraculum vitæ ſignificabat flatum quendam,vt in vitę exordio eius breuitas exprimatur,flatus nuncupatur. Procopius. *Spiraculum*,ait,*ſub tempus cadit,ſpiritus verò æternus perhibetur, ſpiraculum exiguo viget tempore, & deinde addit, adimes omnis ſpirandi, & reſpirandi vim, ſeu potentiam corpori, in quo prius hærebat,ſpiritus verò ſtabilis manet.*

Procop.

54. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit.* Cant.2.n.1. Diuerſo tempore flores apparent, diuersóq; colliguntur, quomodo ergo idem tempus aſſignatur, quo flores apparent: & quo ſimul inſtat tempus putationis, vt marceſcant? Cùm apparent, natiuitas,cùm verò putantur,mors deſignatur,vt docent Philo Carpatius, Aponius,& alij,vt apertè denotetur,quod natiuitas,& mors vno, & eodem tempore conueniunt ac veniunt.

54. Cant.4.

Carp. Apon.

Ioan.8.num.6. Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo,& leniuit lutum ſuper oculos eius.

Num 7. Et dixit ei: Vade laua in Natatoria Siloë,quod interpretatur Miſſus. Abiit ergo, & lauit,& venit videns.

VERSIONES.

Syriacus n.6. Quúmque hæc dixiſſet, cõſpuit in terram, & pinſuit lutum ex ſputo, & illeuit oculis illius cæci.

Arias. Expuit humi.

Euthym. Laua in piſcina Siloë.

Theophyl.n.7.

Syrus. Laua in baptiſterio.

Vatablus. Vade, & laua te in fonte Siloë,cuius interpretatio eſt Miſſus.

EXPOSITIO III.

55. HÆC *cùm dixiſſet* magno,& alto conſilio, vt viam aperiret ad miraculum edendum,cùm enim ipſe eſſet lux mũdi, ei incumbebat cæcum illuminare. Tres actiones in præſenti egit Chriſtus,*expuit in terram.* Deinde *fecit lutum.* Et tandem *leniuit lutum ſuper oculos.* Hoc eſt vnxit, & extendit lutum digito ſuper oculos. Dubitabis an Dominus poſuerit lutum ſuper ipſum organum viſus. Iuxta Chryſoſt. datum q.2. Cæcus natus eſt ſine oculis, quaſi quod palpebræ eſſent contiguæ maxillis, ac proinde poſuit lutum in loco, in quo ſolent eſſe oculi.Communiter tamen expoſitores, vt Carth.Ianſ.Maldon. Tolet.& alij,tenent quod homo iſte habebat oculos, imperfectos tamen, aridos,ſeu humoribus repletos,& in hac ſententia Barradas docet, quod Dominus poſuit lutum non ſuper palpebras, ſed ſuper organum clauſum,atque impeditum huius cæci.

Chryſ.

Carth. Ianſen. Mald Tolet. Barrad.

Et dixit ei,vade. Perge,& iter arripe;egredere, & recede ab hoc loco cæcitatis tuæ;*laua*, te ſcilicet faciem, & oculos; per quod denotatur, quod maximè interna puritas requiritur,vt diuinæ beneficentię fructus percipiatur,ad quod etiam obtinendum, noſtræ manus cooperatio exigitur, & ideò ait Chriſtus *laua*,ſcilicet tu te ipſum *in Natatoria.* Arabicus: *in fonte.* Alij *in piſcina*; & quæ hæc Siloë. De quo q.11.*quod interpretatur Miſſus.* Hoc in Syriaco non habetur, & propriè à radice Hebraica detinatur etymologia. Fontem autem ſic dictum exiſtimat D.Epiphan.in lib.de vita,& interitu Prophetarum,quia ad preces Iſaię à Deo fuerit miſſus,& datus;Ioan.Mercerus ex R.Dauide Kimchi,quia ex tali fonte emittebantur riuuli ad rigandos hortos vicinos.Albert.Magn.quia in piſcina illa erant aquę de pluuiis miſſæ cælo.Euthym. Hugo. Præſignabatur quod Chriſtus ibi mitteret ſuam virtutem ad ſanandum cæcum, Theo *Vt dicas*,ait,*quod Siloë ſit figura Chriſti,ſicut enim ſpiritualis petra eſt Chriſtus, ita & ſpiritualis Siloë.* Ita D.Th. D.Bonauent.Caiet.& alij. Chriſtus eſt ille miſſus,& legatus à Patre nobis datus ad illuminandos,& ſaluandos homines,tanquam omnium bonorum perẽnis fons.Ideò ergo Euangeliſta ponit fontis nomen,*miſſus*: vt denotaretur quod in ipſo fonte,qui Chriſti figura erat,qui eſt ille per antonomaſiam Miſſus, Chriſti virtutem cæcus reciperet, vt illuminaretur; in ſolo enim Chriſto eſt noſtra lux,& illuminatio.

56. *Cur Euangeliſta ponit interpretationem.* Epiph. Mercer. Albert. Euthym. Hugo. Theoph. D.Thom. Bonauent. Caiet. *In ſolo Chriſto lux,& illuminatio.*

Abiit ergo. Per longam viam verſus Siloam facie ſua luto linitus,omnium oculos ad ſe trahẽs, vt plures tanti miraculi fierent teſtes. Euthym. *Abiit nihil hæſitans, ſed confeſtim obediens, & ſimpliciter credens, quod quæ ad ſalutem ſuam conuenirent,& feciſſet Ieſus,& iuſſiſſet.Veriſimile eſt enim, quodetiam prius de miraculo eius audierit, ideóque incunctanter paruit.* Cæcus cognouit Chriſtum, vel ex circunſtante turba, ex eius diſcipulis; de cuius admirabili virtute nihil quæſiuit,nec dubitauit,ſed prompta obedientia,vt ait D.Chryſoſt. hom.55.in Ioan.*Nihil tale repetiuit,&c.illud dumtaxat curauit,vt pareret in omnibus.* Et ſubditur,*& venit videns.* Perfecta obedientia indilatè,ac ſine mora ſuum præmium,ac donum aſſequitur.Innituit in hoc homine fides,cùm nihil dubitauerit; obedientia cùm promptè vadit; gratitudo cùm venit ſine dubio Chriſti magnalia teſtificans.

57. Euthym. Chryſ. *Perfecta obedientia ſtatim obtinet præmium.*

QVÆSTIO IX.

Quare Chriſtus Dominus hunc cæcum ſanauerit non verbo, ſed luto?

LAZARVM ſuſcitat Dñs verbo,& cæco viſum verbo donat.Luc.18.n.42.*Reſpice,fides tua te ſaluum fecit.* At verò hunc non ſic ſanauit,non tantùm verbo,*vade, & lauа*, nec tãtũ manu adhibita,ſed etiã impoſito luto,quod nullo alio miraculo Chriſtum feciſſe, legimus.

58. Luc.18.

Primò.D.Irenæus.lib.5.cap.15.*Sumpſit*,ait,*Dominus limum de terra, & plaſmauit hominem, quapropter Dominus exput in terram,& fecit lutum,& ſuperlinuit illud oculis,oſtendens antiquam plaſmationem,& manum Dei oſtendens,nec iam alteram requiremus manum, nec alterum patrem ſcientes, quoniam qui plaſmauit nos ab initio, hic in nouiſſimis temporibus perditos exquiſiuit nos.* Vt lucidiſſimos

59. Ireo.

oculos

Gen.1. *Deus creator hominis ipsũ reformat.* Chrysost. Euthym. Theoph. Cyril. Beda. D.Thom. Bonau.

oculos Dominus daret, lutum assumit in materiam, vt denotaretur se esse eum Deum, qui in mundi exordio, tanquam figulum è luto hominem formauerat. Genes.1. ac proinde suum esse, hominem à se fabricatum, cæcitate deturpatum, illuminando refingere, ac formare. Ita D.Chrysost. Euthym. Theoph. D.Cyril. Beda, D.Thom. D.Bonau.& alij communiter.

60. *Deus ex vno beneficio mouetur ad aliud.*

Secundò. Preme Irenæi verba: *ostendens antiquam plasmationem, & manum Dei ostendens.* Maximè in hoc ostenditur Dei manus, quod nunquam in benefaciendo cesset, sed semper aliorum beneficiorum sit auctrix: Deus benefaciendo hominem formauit, exindeque ad secundum beneficium mouetur, vt hominem deformatum reformet, ac lumine expoliatum ad lucem restituat; vide multa tom.1. 2.& 3. verbo *Beneficium.*

61. *Materia, ac via nobis vtili vtendum.*

Tertiò. Ad eadem verba. *Sumpsit Dominus limum de terra.* Præsens fuit Iesu, quod lutum à manu Dei sumptum valde profecit, vt hominem plasmando conderet, vt ergo homini oculos concederet, ad lutum manu sua tractum recurrit; vt nobis sit documentum, quod ad proficiendum, nullum aliud instrumentum, vt materiam requiramus, nisi illam, quæ semel in nostra vtilitate, ac augmento probata, ac vtilis inuenta. Vide supra cap.4.num.47.& 89.& c.3.n.3.& tom.1.2.& 3. verbo, *Via.*

62. Iren.

Quartò. Idem D. Irenæus citato loco. *Et per hoc*, ait, *hic cæcus lotus venit videns vt sui cognosceret plasmatorem, & discerneret homo eum, qui donauit ei vitam.* Dicendum erat. Dedit ei oculos quomodo ergo donatur vita? Ad lumen oculorum præbendum lutum applicatur; luto oculi obturantur, quomodo luto dantur oculi, & vita; cum efformantur oculi, vt filium Dei contemplentur, & videant, inde & vita æterna participatur. Meritò ergo cum donantur oculi, donatur & vita, quæ in eo quod Deum videat, æternatur, in eoque constituitur, quod Deum contempletur.

Qui Deum videt, vitam habet.

63. Aug.

Quintò, D. Augustin. tract.44. in Ioan. *Venit Dominus*, ait, *quid fecit? magnum mysterium commendauit: exspuit in terram: de saliua sua lutum fecit, qui verbum caro factum est, & inunxit oculos cæci; inunctus erat, & nondum videbat.* Lutum diuina saliua conglutinatum, significabat Incarnatum Verbum; saliua verò à capite descendens filium Dei adumbrabat à Patre procedentem, qui vnitus est fragili humanæ naturæ puluери, quo figurabatur humanum genus cœcum, cuius typum hic homo gerebat per mysterium Incarnationis illuminari, ac visum recipere. Ex quo Toletus annotat.6. deducit rationem, quod cùm homo in sua creatione Genes.2. fuerit formatus ex puluere tantùm; hic tamen cœco luto saliua commixto visus restituitur, vt tali documento exprimatur, quod solùm per Verbum Incarnatum homo à sua miseria reparatur, ac ad verum lumen eleuatur.

Per Verbi Incarnationem illuminamur. Toled. Gen.2.

64. Ambr.

Sextò, D. Ambrosius Epistol.75.lib.9. *Quid sibi vult*, inquit, *quod is, qui vitam refundebat imperio, salutem præcepto dabat, dicens mortuo: exi foras, & egressus est Lazarus de sepulchro. Dicens paralytico: surge, tolle grabatum tuum, & surrexit oculos cæci? Quid ista ratio est? Magna, ni fallor: plus enim videt, quem Iesus tangit.* Præclarè videt quem Iesus verbo sanat, *at plus videt, quem Iesus tangit.* Tactus carnis Christi efficacior ad visum acuendum, ac vt alta, & sublimia intueamur, ac penetremus, ac proinde ex summa miseria huius hominis, cùm esset cœcus à natiuitate, excitata est diuina pietas, vt huic homini tactu suo præstantiorem visum concederet.

Tactus carnis Christi efficacissimus ad acuendũ intellectum.

Septimò. D.Chrysostom. in Catena D.Thom. *Lutum solet magis excæcare; sic igitur Christus manifestauit suam gloriam.* Lutum suffragium erat cœcitati, & obstaculum visui, & tamen Christus per lutum lumen infundit, vt glorioſior esset de cœcitate victoria, & præclarior de tenebrositate trophæum, dum cœcitatis adiutorio, ac instrumento cœcitas deuincitur, ac superatur: sicque cœcitas non armis denudata, sed illis maximè munita, ac adaucta prosternitur, & dicitur. Vide Corn.1. lib.1. cap.5. quæst.15. num.28. & eodem lib.1.cap.6.quæst.12.n.37.& lib.2.cap.1.quæst.2. num.5. 65. Chrys. *Gloriosa victoria obtenta armis inimici.*

Octauò, Glossa Interlin. *Ecce*, ait, *collyrium, quo vngitur genus humanum.* Cognitio scilicet propriæ vtilitatis, quod ex luto factum sit, vt per eam superbia, quæ homines excæcauit, curetur. Instante obsidione Chaldæorum, ait Deus ad Ezechiel.4.c.4. n.1. *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem.* Cur potiùs pressura Ierusalem mandatur scribi in latere, quàm in lapide, ferro, vel tabula? D.Hieron. *Possumus*, ait, *laterem in sigillationem accipere, eo quod in luto, & latere seruierant Pharaoni.* In luto, & non cocto, vt notat Lyranus, disponitur vt ipsa ciuitas sancta depingatur, vt obiecta vili lateris materia, in qua eorum parentes seruierunt in Ægypto, elatione, ac vanitate abiecta, cum omni humilitate moribus reformarentur, vt tantam cladem, ac deuastationem effugerent, & euitarent. 66. Interlin. *Cognitio propria vtilitatis efficax ad acuendum intellectum.* Ezech 4. Hieron. Lyran.

Nonò, D.Chrysostomus homil.4. in 2.Epistol. Corinth. Quod ad restituendum visum homini, vsus est Christus Dominus luto, quod oculos maximè obturat, & excæcat, vt hoc modo summopere manifestarentur mirabilia Dei, visque miraculi pateret, cùm luto curauerit, quod nil magis contrarium est oculis, vt inde fieret apertiũ quod nõ naturali virtute, sed diuina Christi ope curatio fiebat, hacque de causa sæpe solet Deus ad miracula præstanda vti rebus maximè contrariis, & improportionatis. Quid magis potest reddere aquas amaras, & impotabiles, quam sal? & tamen immisso sale aquas amaras, dulces, ac gustabiles effecit Elizæus 4.Reg.2.n.20.21.& 22. 67. Chrysost. 4.Reg.2.

Volens Deus liberare populum suum de manu Ægyptiorum. *Dixit Dominus ad Moysem, ingredere ad Pharaonem, ego enim indurani cor eius, & seruorum illius, & faciam signa mea hæc in eo: & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum.* Exod. 10. num.1. Res valde mira? decreuerat Deus dare libertatem populo suo, ad quid permittit cor Pharaonis indurari, subtrahendo illi auxilia, quibus facillime obediret? Cor eius potius videbatur molliendum, vt minimè reluctaret, & absque contradictione populum dimitteret? Ecce alta, & ineffabilis Dei prouidentia, vt obduratio Pharaonis, quæ videbatur maximè repugnans libertati Israël, multúmque illi erat impedimentum, assumitur tamen à Deo, vt medium valde aptum, & proportionatũ, vt populus suus tam gloriosè, & magnificè excutiat captiuitatis iugum, vt cunctis sæculis de generatione in generationes fiat memorabile. Lyppoman. *Et in hoc*, ait, *intuenda est Dei incomprehensibilis sapientia, & bonitas, qui adeo malorum hominum impietatem non probat, vt non tantùm impios illorum conatus penitus frustretur, sed eisdem etiam, ad bonum, & gloriam nominis sui,* 68. Exod.10. *Per impedimentum libertatis libertatem dat populo.* Lyppom.

vt

vt ita dicam, abutatur, quod non siluit Scriptura.

69. Post Christi flagellationem, milites *plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Matth. 27. n.22. Quæ verba commentans D.Hilarius ait; *Plectentes coronam de spinis, spinis quoque, idest compungentium quoddam peccatis gentium coronatus: est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoria corona contexitur.* Perpende vltima verba. In illa sacra spinarum corona, aculei gentium peccata exprimebantur, quibus maximè probrosè, ac acerbè Christus offensus vulnerabatur. Quomodo ergo ex talibus spinis, quæ inseruiebant ad Christi tempora vehementer lacerandæ triumphalis corona construitur? *Ex quibus Christo victoriæ corona contexitur.* Sublime Dei consilium, vt spinæ, quæ gentium peccata exprimebant, ipsismet Christus destrueret, ac confringeret peccata, in signumque victoriæ ex illis fabricaretur triumphalem coronam.

Matth.27. Hilar.

Aculeis peccatorum peccata deuincitur.

QVÆSTIO X.

Quare non ex aqua, sed ex sputo lutum fecit Dominus?

70. AD quæstionem respondet primò Chrysostom. *Cur non aqua, ait, sed sputo ad lutum vsus est? Missurus enim erat in Siloam, ne quid ergo fonti adscriberetur, sed vxore eius virtutem processisse intelligeretur, qua oculos, & finxit, & aperuit.* Vt agnosceretur, quod nec ex fonte virtus sanatiua processerit, in qua multi fuerunt abluti, & non sanati. Expuit in terra; nam vt ait Albertus Magnus, *de saliua virtus sanatiua fuit in luto.* Exindeque Christus cognosceretur, vt actor beneficij, & salutis. Idem docent D.Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthym. Beda, & alij.

Chryſ. Albert.

Dei honor non est alteri tribuendus.

Cyril. Leont. Theoph. Euthym. Beda.

71. Secundò, Idem D.Cyril. in catena Græca. *Cæcus, ait, per sputum, sacra illius carnis particeps effectus est.* Voluitque Christus in hoc ostendere carnem suam esse salutarem, cuius sola saliua cœcum sanabat. Tertiò. Voluit opere ostendere se ipsum esse, qui hominem creauerat, nam per lutum humanum corpus, ex quo est formatum, designatur: per saliuam verò, quæ ex ore procedit, inspirationem, per quam Deus in mundi exordio animam homini infudit. Alij hoc ad mysterium Incarnationis referunt, vt dixi superiori quæst. ex D.August.

Cyrill.

Christi caro salutifera.

72. Quartò. D.Greg. l.8. in Iob. c.21. Puluerem carnem nostram, carnalesq; nostras cogitationes denotare dicit, saliuam verò diuinam gratiam, quæ nos illuminat, ac sanat. Quinto. Gloss. Saliua, ait, est sapientia, quæ ex ore altissimi prodiit: terra est caro Christi. Vngere oculos, est catechumenum facere, qui enim credit Verbum factum carnem, mittitur, vt abluat se, id est baptizetur in Siloë, hoc est in Misso, scilicet Christo: baptizatus autem lumen mentis recipit per fidem, & gratiam, ac charitatem, quæ in baptismo infunduntur.

Greg.

Baptizatus recipit lumen mentis.

73. Sextò. Saliua symbolum est prudentiæ; saliua enim ex cerebro vbi sedes prudentiæ, ac iudicij residet, descendit, saliuáq; ciborum sapores diiudicamus; sicque saliua à sale dicitur, eò quòd fere salis saporem retineat; sal autem sapientiæ symbolum est; saliuam ergo emittit in terrâ ad illuminandos oculos, vt inde instruantur, quod prudentia, ac sapientia omnia sunt componenda, ac dirigenda, vt in cunctis actionibus lumen, & iucundum recipiamus. Vide multa hoc tom. 1. & 2. ac 3. verb. *Dare.*

74. Septimò. D.Asterius in Catena Græca ad cap. Luc. 18. *Vt detestari faciat eos, ait, qui illum paulò post sputis fudebant.* Ad quid sputum adhibet Dominus in medicinam oculorum; vt exinde maximè fierent execrabiles, ac damnabiles illi, qui agnoscentes, sputo oculos cæcorum à Iesu fuisse sanatos, sputo tamen voluerunt Iesu inferre contumeliam. *Expuentes in eum.* Matth. 27. n. 27. Christus hominem sputo sanauit, homines sputo eum voluerunt deturpare, ac iniuria afficere.

Aster.

Execrabile, quod ex acceptis beneficiis sis inuentiosus benefactori.

Matth.27.

75. De se ait Nabuchodonosor. Videbã in somniis. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersa terræ.* Daniel. 4. num. 8. Et postea subditur. *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit. Clamauit fortiter, & sic ait: succidite arborem.* Ibidem num. 10. Cur tam citò tanta pœna infligitur arbori, si nimis alta est; Cur primò eius rami non amputantur? Quare ergo sine vlla mora, ac spatio interposito clamatur? *Succidite arborem.* Arbor illa nimis excreuit, quia multa aquâ erat irrigata, ac fœcundata, multóque benigno rore cœli impinguata, & quæ ex tanta beneuolentia, ac fauore nimis excreuit, vt contra cœlum se erigeret, & extenderet, tam execrabilis effecta est, vt statim securi tradita sit, vt omnino præscinderetur, ac in terra prosterneretur.

Dan.4.

Seuerè punitur malè vsus de beneficiis acceptis.

76. Conqueritur Deus de populo suo Israël per Oseam 2. n. 8. dicens. *Argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* Id est, dedi eis argentum, & aurum, ex quibus fabricati sunt, & ornauerunt Baal; vnde in Hebræo vertitur. *Aurum fecerunt Baal.* Cur potiùs obiicit eis Dominus, quod Baal confecerint ex auro, vel argento, quàm ex lapide, vel ligno? Ex quacumque enim materia construeretur idolum, valde detestabile reddebatur ipsum idololatriæ nefas; ad quid ergo potius opponit, quod ex auro, & argento? Considera id, quod ait Deus. *Argentum multiplicaui ei*, quod in tanta abundantia, ac copia erat in populo Israëlitico, vt dicatur: *fecit, vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum.* 3. Reg. 9. num. 27. De nullo alio populo tanta argenti affluentia narratur. Meritò ergo exinde de ipso populo conqueritur Deus, cum ex tanta auri multitudine, qua super omnes nationes ditatus est; in tantam dementiam deuenerit, vt ex ipso auro, & argento idola aduersus Deum erigeret, ac fabricaret. Rupert. lib. 1. in Oseam. *Cum ergo dixisset, ait, & argentum multiplicaui ei: quæ fecerunt sibi Baal. O dira ingratitudo! De auro, & argento meo fecerunt mihi contraria vitulos, & Baal cætera deorum portenta.*

Osc.2.

3.Reg.9.

Lethale quod Dei dona sint occasio ad eis offendendum.

Rup.

QVÆSTIO XI.

Quare hunc cæcum non illico Dominus curauit, sed misit in Natatoriam Siloë?

77. OLEASTER annotat. 7. existimat Siloë nomen esse piscinæ, non autem fontis; tamen fontem esse scribit D.Hier. in c.8. Isaiæ n.7. Siloam

Quid esset Siloë.

Tolet. Hier.

Siloam, ait, *fontem esse ad radices montis Sion, quia nō ingibus aquis, sed incertis horis, diebúsque ebulliat, & per terrarum concana, & antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus; nos præsertim, qui in hac habitamus prouincia.* Et fontem esse clarè scribit Iosephus libro 6. de bello, cap. 6. Siloë, id est missus, vt interpretatur Euangelista, de cuius etymologia multa dixi in expositione. Ex hoc ergo fonte aquæ defluebant in quandam natatoriā, seu piscinam, vt scribit Adrichomius in descriptione terræ Sanctæ numero 200. ait: *Siloë fons, cui piscina, siue natatoria Siloë, qua & piscina inferior nuncupatur, coniuncta est in Occidentali latere vallis Iosaphat è radice montis Sion scaturit. Aqua eius dulcis, clara, & vberrima, cum silentio fluit in torrentem Cedron.* Et postea subdit, huius aquæ; *Turca magni faciunt, quod eius vsum oculorum visui conferre experiantur.* Cùm enim per aquas Siloë illuminauerit cæcum, aliquam similem alios illuminandi vim eiusdem aquis communicasse videtur.

Ioseph. Adrichom.

78. Quæstio tamen principaliter inquirit. Cur Christus Dominus hunc cæcum, quem sine dubio statim curare poterat, ad piscinam Siloë oculis luto delinitis ad abluendum miserit? Respondent primò D. Chrysost. homil. 56. Theophylact Leontius, D. Thomas, D. Bonauentura id factum esse, vt Christi miraculum diuulgaretur: homo enim cæcus mediâ ciuitate luto oculis impositò incedens, omnium prætereuntium oculos ad se conuertebat; quos veniens, & reuertens cum visu testes oculatos tanti facti habebat; volebat enim Deus vt opera Christi fierent omnibus nota, ac manifesta, vt Christi potentia, ac maiestas ab omnibus agnosceretur, & veneraretur. Non enim hominis sanitas virtuti aquæ tribui poterat, multi erant in ea abluti, & non sanati.

Chrys. Theoph. Leont. D. Thom. Bonau.

Deus vult vt opera sua fiat omnibus nota.

79. Secundò mittitur iste homo potiùs ad fontem Siloë, quàm ad alium, vt docent D. Chrysostomus cit. D. Iren. lib. 4. c. 19. Albert. Magnus, & alij, quia fons iste peculiariter erat typus Christi. Nam Siloë, vt latè explicaui in expositione, & adnotat Euangelista; id est missus; Christus autem erat missus à Patre in salutem nostram. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, Gen. 49. n. 10. Hebraicè legitur: *Donec veniat Siloach.* Pro quo corruptè legitur *Siloh.* Deinde, quia aquæ Siloë vadunt cum silentio, vt ait Isaias c. 8. n. 6. sic Christus est lenis, & mansuetus, & quasi agnus, qui non aperuit os suū, ductus ad mortem. Tertiò, quia ex fonte Siloë irrigabantur omnes campi, & horti Ierusalem, sic ex Christo gratiarum, ac donorum flumine irrigantur, ac fœcundantur, omnes Ecclesiæ horti; *Ostendit mihi fluuium aquis viua procedentē de sede Dei, & agni*, Apoc. 22. n. 1. Mittitur homo in Siloë, vt fieret euidens, quòd solùm in Christo recipimus visum, & oculos.

Cyrill. 79. Chrys. Iren. Albert. Gen. 49. *Salus in Christo visus, & salus.* Isai. 8. Apoc. 22.

80. Quartò. Fons Siloë aliquādo guttatim, aliquādo plenè fluebat. Per eámque pœnitentiam denotatur, ad hanc ergo natatoriā mittitur cæcus, per lauacrum pœnitentiæ, ac lachrymarum purificatur mens, & aperiuntur oculi ad diuina, ac cœlestia videnda, iuxta Septuag. Prou. 24. n. 32. *Nouissimè ego egi pœnitentiam, respexi vt eligerem disciplinam.* Expende: *Egi pœnitentiā*, & tunc subditur respexi.

Per pœnitentiam aperitur visus. Septuag. Prou. 24.

81. Quintò Siloë fons idem est, ac Geon, vtroque enim nomine fons iste vocabatur, vt tradunt ad 3. Reg. c. 1. Abulens. q. 36. & Hebræi apud Lyran. ib. Idem opinatur Vatabl. sicque etiam habetur in apparatu Bibliæ regiæ. Salomon autem vnctus est in Regem apud Geon, 3. Reg. 1. n. 45. Vt hoc facto denotaretur, quod electio, ac vnctio regis præparatur, ac ordinatur non ad eruendos, sed ad dādos subditis oculos, ad multáq; bona in eos trāsferēda.

Abulens. Lyran. Vatabl. Bibl. Reg. *Rex vngitur vt subditis faueat.* 3. Reg. 1.

Sextò. D. August. hom. 23. ex quinquagita, ait, *Ideò venit Christus illuminator, quia diabolus fuerat excæcator, omnes cæcos nasci fecit, qui primum hominem decepit. Currant ad illuminatorem, currant, credant. Ecce Siloë, lauate faciem, baptizamini, vt & illuminemini, & videatis, quod antea non videbatis.* Idem docent D. Ambr. ep. 75. Beda, Rupert. & alij. Significabatur hoc mysterio, quod cùm homines essent obcæcati à dæmone luto errorum, ac peccatorum, vt lumen, ac lucem reciperent, necesse erat, vt ad natatoria Siloë scilicet missi accederēt, ad Baptismum nēpe Christi, quo omnes illustramur, ac lucem recipimus, 2. Cor. 3. n. 18. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem.* Baptismi aquis speculatores reddimur, & à claritate Baptismi transformamur in claritatem gloriæ. D. Chrysost. homil. 7. ibi: *Simul enim*, ait, *vt baptizamur, etiam vltra Solem refulget anima spiritu perpurgata: ac non solùm intuemur in gloria Dei, verum etiam inde recipimus splendorem quendam.*

82. Aug. Ambr. Beda. Rup. *Per Baptismum lumen recipimus.* 2. Cor. 3. Chrys.

QVÆSTIO XII.

Quare Naaman mandatur lauari septies in Iordane; hic verò cæcus tantùm semel in Natatoria?

83. LEPROSO Naamano ait Elisæus: *Vade, & lauare septies in Iordane*, 4. Reg. 5. n. 10. At Iesus huic cæco ait: *Vade & laua in Natatoria Siloë.* Non dixit: laua septies, sed laua te tantū semel, vno nempe lauacro, cur ergo ille septies, hic tantum semel lauari mandatur?

4. Reg. 5. *Ratio dubitandi.*

84. Prima solutio sumenda est ex Christi Domini verbis. Neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur. Ex quibus verbis aperte constat, quod cæcitas non contigerat huic homini in peccati pœnam. At lepra Naaman, saltem pœnarum, quæ ex peccatis pullulant, typus erat, vt Angelomus, & Hugo adnotarunt; & ante eos eleganter dixit Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 9. *Syro*, ait, *facilius emundato, significato per nationes emundationis in Christo, qua septem maculis capitalium delictorum inhorrerent. Quapropter septies, quasi per singulos titulos in Iordane lauit: simul & vt totius hebdomadis caneret expiationem.* Cæcitas ergo, quæ sine peccato veniebat facilè curatur, ac expellitur, at verò lepra, quæ saltem in typo in peccatis fundabatur, multa, & magna diligentia erat adhibenda, vt homo ab illa mundaretur, ac perfectā sanitate esset donatus.

Damna ex peccato difficiliter expelluntur. Angelom. Hugo. Tert.

85. Secundò. Sic pergit cit. Tertul. *Et vt totius hebdomadis caneret expiationē: quia vnius lauacri vis, & plenitudo Christi soli dicebatur facturo in terris sicut sermonem compendiatum, ita & lauacrum.* Sanitas dabatur Syro per Elisei manus, visus verò Iesu ope cæco restituebatur, quæ per manus ministri descendunt, magnā dilatione, ac multis interpositis fiunt; quæ verò à Domino concedūtur, largiter, & sine mora multa cum facilitate communicantur.

Idem. *Dona à Domine facili, à seruo verò difficiliter veniunt.*

Duos illustrissimos viros, ac reges grauissimè

Iob.2. ægrotantes inuenimus in Scriptura, Iobum scilicet, & Ezechiam regem. Iobus omni morbo, ac vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem percussus est à Satana, Iob.2.num.7. Ezechias etiam grauiter ægrotauit vsque ad mortem. At Iob vno momento, ac verbo sanatur à Domino, vt docent. Caietan. Titelman. Osorius Episcopus Algarbiens. quando ipse scilicet pro suis amicis orauit. Iob.42.num.10. *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob.* Vel vt volunt Theophanes epist.2.de patientia. Nazianzenus orat.21. quando Dominus ei dixit cap.29.n.3. iuxta Septuaginta: *Putas me aliter respondisse tibi, quam vt appareas iustus.* At verò Ezechias sanitatem recuperat adhibito emplastro ex ficubus confecto. *Et iussit Isaias vt tollerent Massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur*, Isai.38. n.21. quo applicato sanitatem comparauit, ita vt tertia die aditet in templum. Cur Iob tam facilè, ac momentaneè comparat salutem? Ezechias verò tam morosè, ac tanto medicamine? vtraque salus miraculosè conferebatur à Deo: Iob datur immediatè ab ipso Deo; Ezechiæ verò per Isaiæ manus, etsi præclarus sanctitate, tamen cum minister esset, sanitatem absque mora, & multa diligentia non confert. Citatus Theophanes: *Post tolerantiam tentationum Iob dignus habitus est, qui Deum videret, audiretque illum diuinum præconium dicens illi: Putas ne me aliam ob causam allocutum te esse, nisi vt iustus appareas. Oratio hæc morbum illum doloribus plenum illico dissoluit.*

Caiet. Titelm. Osorius. Iob.42. Theophan. Nazianz. Sept.

Isai.38.

Dominus sine mora, seruus multa dilatione dat. Theophan.

87. Serpentum morsibus lethaliter vulneratus erat Israël, tamen Dominus *misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, Psal.106.n.20. Per quod iuxta Lorinum, ac alios explicatur vis, ac efficacia diuini Verbi, ac imperij, tanquam persona missa de cœlo, per quam populus salutem est adeptus. At vt Elisæus suscitaret filium mulieris viduæ: *Ascendit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus deambulauit in domo semel huc, atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitauit puer septies, aperuitque oculos*, 4.Reg.4. à n.34. Tanta cura adhibita contraxit se ad mensuram pueri, & insufflauit eum, interque simul deambulat per cœnaculum. Quid est, quod sanitas vniuerso populo datur vno Dei verbo; salus verò puero tanta rerum varietate adiecta ab Elisæo administratur? Quæ immediatè à Deo veniunt, promptè, ac expeditè sine vlla mora conceduntur. Quæ verò à Ministro fiunt multa impensa cura, ac diligentia, & labore comparantur: ad quod respicit D. Aug. serm.106. de tempore: *Videte*, ait, *fratres, quàm se vir ille contraxit, vt paruulo mortuo, & iacenti congrueret.* Vide suprà c.3. n.62. & tom.3. c.33. q.21.n.149.150.

Psal.106.

4.Reg.4. *Dominus facilè, seruus multis interpositis dat.*

Qvæstio XIII.

An cum cæcus se lauauerit, lutum fuerit eiectum ab oculis eius, vel potiùs in oculos transmutatum?

88. Chrysost. LVTVM ablutione aquæ eiectum fuisse ob oculis hominis affirmat D. Chrysost. hom.55. in Ioan. *Dixit Dominus*, ait, *vade, & lauare, vt intelligas nihil mihi luto opus esse.* Sicque agnosceretur miraculum non ex luto, sed ex Christi virtute emanasse.

89. Aliter docet D. Iren. l.5.c.15. *Ex qua terra*, ait, *Deus formauit cæco oculos: ex hac plasmatus est homo.* Et D. Chrysol. serm.176. *Christus*, inquit, *imposuit lutum, vt creante manu, inde supplere homini lumina vnde hominem fecerat totum.* Huius sententiæ mentionem facit Theophyl. *Quidam*, ait, *dicunt, quod lutum sit formatum in oculos*, &c. Quam sententiam sequuntur aliqui Recentiores, Lucas Burgens. & alij, quòd nempe hac lotione non eiectum, aut absterstum fuerit lutum ipsum ab oculis, sed in oculos mutatum, diuina Iesu virtute. Quæ sententia est valde conformis menti sanctorum Patrum, quos retuli quæst 9. qui docent; quòd sicut Deus ex luto fabricatus est hominem, sic & ex luto formauit oculos; deinde ex hoc maximè clarescit excellentia miraculi, cum abluendo se homo lutum non deiecerit, sed in oculos eius fuerit mutatum.

Iren. Chrysol. Theoph. Burgens.

90. Christi virtute claudi ambulant, leprosi mundantur. Matth.11.n.5. manus datur habenti eam aridâ Matt.12.n.13. tamen huic cæco tantum ex imposito luto oculi formãtur. Cur in his miraculis potiùs oculi, quàm pedes, vel manus à Christo ex luto componuntur? vt tanto documento maximè instruamur inter magna beneficia, ac dona in oculis repræsentatum habere lutum, & puluerem, ex quo sumus fabricati; ipsa enim memoria mortis præ omnibus nobis vtilis, & proficua.

Matth.11. Matth.12. *Mortis memoria valde vtilis.*

91. Postquam Adam imposuit nomen cunctis animantibus terræ, ac vniuersis volatilibus cœli *Immisit Dominus Deus soporem in Adam*, Genes.2. num.21. Quare post tanta nomina data sopore deprimitur? Impositio nominum, illius principatus super omnia animantia erat iudex, statim ergo post nomina: *immisit Dominus Deus soporem.* Seu, vt legit Vatablus, *Profundum somnum.* in lethargi similitudinem, vt veluti mortui imaginẽ redderet. Vt statim inter rerum primordia, ipsa effigie mortis obiecta à quacunque vana elatione, ac inordinata cogitatione homo comprimeretur, ac refrænaretur. Præclarè Tertullian. lib.de Anima c.43. *Inde deducimur*, ait, *imaginem mortis iam tunc cum recenseri.* Et subdit post pauca ipse Africanus, *Ideò & somnus tam salutaris, tam rationalis, etiam in publica, & communis iam mortis effingitur exemplar, voluit enim Deus, & alias nihil sine exemplaribus in sua dispositione molitus humani, vel maximi initij, ac finis lineas quotidie agere nobiscum.* Tanquam salutare, & vtile medicamentum contra humanam vanitatem inditus est somnus quotidie humanæ naturæ, vt secum haberet imaginem, ac repræsentationem mortis, qua humiliaretur, ac deprimeretur.

Genes.2. Vatabl. Tertul. *In nobis insita est mortis imago.*

92. Ait Deus Israëli: *Dedi conturbationem gladij acuti, & limati ad fulgendum, amicti ad cædem*, Ezech 21.n.15. seu inuoluti, vt legit Vatabl. multa contradictio in his videtur sublatere; quod nẽpe gladius vtpote limatus *fulgeat sicut fulgur*; vt habent Septuaginta, ac si extractus esset ex vagina, & quod sit reconditus tanquam amictus sub pallio, vt explicat Pardo; vel sub baltheo, vt ait Maldonatus; quomodo hæc tam opposita cohærẽt; inter multas oppressiones, ac miserias Ierusalem, Deus illi suã pietatem explicat, & declarat. Gladius exactus fulget ad conturbationem, vt mortis repræsentationẽ ingerat; & amictus est ad cædem

Ezech.21. Vatabl. Septuag. Pardo. Maldon. *Magnum Dei beneficium vita, & mortis repræsentatio.*

cædem inferendam, vt vitam concedat. Ecce magna duo Dei beneficia, mortis repræsentatio, & vitæ largitio, imò illa præcessit, & primo ponitur loco, vt ex mortis cogitatu tota vita nostra bene regatur, ac componatur.

93. Deut.32. *Ex mortis memoria vita stipenditur.* Ait Deus: *Ego occidam, & ego viuere faciam,* Deuter.32.n.39. Priùs præmittit, quod occidat; & postea, quod vitam homini concedat, vt ex mortis memoria parui affectus proiiciantur, & tota vita nostra in rectitudine, ac bonitate dirigatur. D.Nicæn. de forma hominis Christiani. *Ex persona Dei,* ait, *in Prophetæ dictum est: Ego occidam, & ego viuere faciam. Nullo enim pacto id quod in nobis est bonum, potest viuere, nisi ex aduersarij morte vita illi comparetur.*

Nicæn.

*Ioan.9.n.*8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: quia hic est.

*Num.*9. Alij autem nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat quia ego sum.

*Num.*10. Dicebant ergo ei: quomodo aperti sunt tibi oculi?

*Num.*11. Respondit: ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua. Et abij, laui, & video.

VERSIONES.

*Arias n.*8. Spectantes eum prius, quia cæcus erat.

*Syriac.n.*9. Et erant qui dicerent: non, sed quispiam, perquàm ei similis.

Vatablus. Et dixit mihi: Vade ad piscinam Siloam, & laua: vt autem abij, ac laui, visum recepi.

EXPOSITIO IV.

94. TAQVE *vicini.* Describitur quomodo miraculum publicatum fuerit, ac innotuerit primò popularibus, deinde magnatibus, à quib. cæcus detentus est, ne suũ benefactorẽ quæreret, ac pro tãto beneficio gratias ageret. *Itaque vicini.* Primò qui dubitant de hominis felicitate sunt vicini, ac amici. *Et qui viderant eum prius,* tam sedentem, quàm prætereuntẽ, quia mendicus erat. Arias, Syriac. *Quia cæcus.* Et dicebant: *Hic est, qui sedebat,* hoc est, sedere solitus erat; & vt rectè ait D.Chrys. *Non ostiatim hic mendicebat, sed sedebat ad templi ianuam.* Et si die sedebat ad ianuã templi, nocte tamen in propriam domunculam se recipiebat, ob quam vicinos habebat. *Et mendicabat.* Bene ait Theoph. *Nõ temerè autem hoc adnotauit Euangelista, quod mendicus fuerit, sed vt ostendat infallibilem Domini misericordiã, qua se ad infimos vsque dimittat, ita vt mendicum summa diligentia curaret, & vt inde etiam ipsi disceremus, ne contemnamus minimos.*

Arias. Syriac. Chrys.

Theoph. *Minimi non contemnãdi.*

Alij dicebant: Quia hic est. Rei nouitas præ sui admiratione tem certam vertit in dubium. *Alij autem nequaquam, sed similis est ei.* Non enim poterant sibi persuadere, quod cæcus à natiuitate visum recuperasset; Dei dona superant semper nostrum captum, nostramque intelligentiam. At verò ipse cæcus pleno ore publicè dicebat: *Ego sum.* Et si visus ei esset donatus, tamen antiqua cæcitatis miseria non obliuiscitur, sed contemnens, Iudæorum inuidiam, eam publicè fatetur, vt hoc modo magis beneficium acceptum recognoscat, & prædicet. Rup.l.9.in Ioan. *Eligens,* ait, *magis inuidiam cum illo sustinere, quam ingrato silentio, Dei laudi, ac gloriæ damnum inferre.*

95. *Dei dona superant nostrũ captum.*

Rupert. *Gratus contemnit aliorum iudicia.*

Respondit: breui, & compendiosa oratione totam narrat historiam cæcus. *Ille homo.* Aperit rei gestæ ordinem, & simpliciter, & sine vlla gratiæ significatione eius nomen pronuntiat, & absque vlla honorificentia prout cupiebat tanquam ii de alieno, & de eo, qui sibi solo nomine notus erat, loquitur D.Chrys. *Neque illum,* ait, *qui se curasset, nouerat, vt omnis signorum dubitatio tolleretur.* Vt hoc modo se alienum ab omni suspicione ostenderet, & hæc est germana explicatio; licèt Euthym. Theophyl. Toletus astruant cæcum sic locutum, quia nondum sciebat Iesum esse Deum. *Qui dicitur Iesus.* Cæcus nomen Iesus dedicerat, vel ex communi fama, vel interrogando à circumstãntibus, vel etiam, vt ait Hugo, ex colloquio Iesu cum discipulis. *Quis peccauit.* Vel moraliter dic: Quod tam perspicax est animus gratus, vt quamuis oculis, ac visu careat, tamen suum benefactorem semper videt, & recognoscit.

96. Chrys. Euthym. Theoph. Tolet. Hugo.

Lutum fecit, & vnxit oculos meos. Non dixit expsuto: bene D.Chrys. *Verax sanè,* ait, *non dixit, vnde fecerat, quod non viderat; sensérat autem vngi.* Quod etiam notarunt Theoph. Euthym. Leont. Vngi oculos sensérat homo, sputum autem cùm esset cæcus non viderat, nec fortè ex relatu aliorum intellexerat; ideò illud prætermisit. *Et misit ad natatoria.* Seu vt alij legunt: *ad natatoriam.* Idem tamen semper est sensus.

97. Chrysost. Theoph. Euthym. Leont.

QVÆSTIO XIV.

Quare circa personam cæci tanta exorta est dubitatio, vt multi dicerent non esse eundem, sed diuersum hominem?

98. VDÆI intuentes hominem cæcum restituto sibi visu; dicebant: nequaquam est idem, scilicet: *sed similis illi.* Vnde potuit oriri tanta disceptatio circa hominis personam, cum illius vultus esset idem?

99. Respondet primò D.Augustinus in præsenti. *Aperti oculi,* ait, *vultum mutarunt.* Nam etsi facies eundem exprimeret, aperti oculi veluti diuersum indicabant. Secundò forsitan Iudæi facilius sibi persuadebant, duos inter se valde similes inuenire, quàm cæcum à natiuitate visum recuperare. Tertiò, valde sinistra est hominis conditio, vt aliorum bonæ fortunæ credat; nullus de hominis cæcitate dubitat, quã plures verò de illius visu restituto ambigũt. Cæcũ omnes fatẽtur, videntẽ verò multi sunt, qui nõ credãt. Quartò, illũ

Aug. *Homines aliorum felicitatem nõ credunt, maximè verò infortunia.*

esse hominem cæcum negabant, vt Christi miraculum obnubilarent, hoc enim agnatum est humanæ superbiæ aperta, & euidentiæ abscurare, vt aliorum gloria diminuere, ac inficiari valeat.

100. *Non ex præsenti, sed ex antiquis indicant homines.*

Quintò. Hic homo extiterat antea cæcus, modò iam videns est, indéque multi astruunt, quod nequaquam sit idem homo sed alius similis illi, nolebant enim eum iudicare ex his, quæ in illo intuebantur, sed ex his quæ antea habuerat homo, ac a quibus detentus fuerat.

101. 1.Reg.10. Ambr. *Ex antiquis indicatur Saul.*

Electus Saul in Regem, cum inuenisset obviam chorum Prophetarum, simúlque cum eis assistens, descenditque in eum Spiritus Domini, vt cum aliis simul prophetaret. *Videtes autem omnes, qui nouerant eum heri, & nudiustertius, quod esset cum Propheta, & prophetaret, dixerunt ad inuicem: Quidnam accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas?* 1.Reg.10.n.10. Cùm autem dicunt. *Num & Saul inter Prophetas?* Id est, quomodo homo tam indignus etiam prophetat. Vt explicat D. Ambros. lib.1.Offic.cap.43 *Saul*, ait, *vallatus choro Prophetarum, etiam ipse prophetauit: & de solo quasi indigno memoratum est: etiam Saul inter Prophetas?* Saul cum vnctus est in regem, a Samuele mutatus est in virum alterum. Eodem c.10.n.6. indéq; factum vt Spiritus Dei instinctu prophetaret; & cum omnes viderent tantum suę mutationis signum, vtpotè dono prophetandi ditatum; tamen cum antea omnes eum indignum appenderent, etiam post donum acceptum indignum iudicant. Ad hæc vide multa tom.3. c.15. q.17. n.140.141. 142.& 143.& c.22.q.8.n.53.

*Ioan.9.num.*12. Et dixerunt vbi est ille? ait, nescio.

*Num.*13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

*Num.*14. Erat autem Sabbathum, quãdo lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

*Num.*15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

VERSIONES.

*Syriac.n.*13. Adduxerũt eum, qui prius cæcus fuerat.

Euthym. Qui quondam cæcus fuerat.

Arias. Illum nuper cæcum.

*Syriacus n.*13. Lutum imposuit oculis meis, & laui, & recepi visum.

EXPOSITIO. V.

102. Chrys. Leont. Tolet.

ET dixerunt vbi est ille? Hoc vt notant D.Chrys.Leont.Tolet. non recto animo dicebant, vt Christum audirent, & crederent, sed sinistra, & mala mẽte, vt Christum tanquam Sabbathi violatorem adducerent, & accusarent apud Pharisæos, quod ex eo probatur; nam cum Dominum, quem quærebant, non inuenirent, hunc cæcum loco illius ad Pharisæos deferunt, vt ab eo profundè & subtiliter examinato altè veritatem agnoscant. *Vbi est ille?* præ odio proprium nomẽ prætermittunt, & non pronuntiant. *Ait, nescio.* Nam cæcus iussus statim abiit in Natatoriam, & illo digresso illico Iesus discessit. Editis enim miraculis non morabatur, alienus enim erat ab omni gloriæ applausu ex D.Chrys. Theoph. *Quoniam Dominus*, ait, *sanans, & miraculum faciens, consueuerat, eo quòd alienus esset ab ostentatione, secedere: interrogatus cæcus, vbi est ille? dicit: Nescio.* Chrys. Theoph.

103. *Adducunt eum*, scilicet vicini, noti, & illi, qui cum illo habuerunt superiorem quæstionem, qui enim magis tibi sũt propinqui, sæpe tuo bono, ac commodo maximè torquentur, ac de illo, quamplurimum controuertunt. *Qui cæcus fuerat.* Seu vt legit Arias: Illum nuper cæcum. *Ad Pharisæos*, tanquam ad iudices, ac seniores. Ex quibus maximè constabat magnum concilium Synederij, qui causas, & controuersias de religione audiebant, & decidebant. Causam autem, cur cæcum adduxerunt, exponit Euangelista cùm ait: *Erat autem sabbathum.* Vt rectè notarunt Chrysost.hom.56. Euthym.Theophyl.Leont.Albert.Magn.& alij. Dubitabant enim an Christi miraculum esset probandum, cùm factum fuisset die Sabbathi, in quo omnia seruilia prohibita erãt. Et ideo suum prauũ animum declarantes, eum ad Pharisæos adducũt. Arias. Chrys. Euth. Theoph. Leont. Albert.

104. *Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi.* Licèt vicini prius rogauerint, & responsum Pharisæis retulerint, tamen Pharisęi iterum iuridicè interrogant, vt iudicis prætextu faciliùs suam malitiam tegant, & diffundant. Theod. Heracleensis in Catena Græca notat, quod hoc factum est in domo iudicij, scilicet Cõcilij Synederij; res enim fidei, ac religionis ibi agebantur. Et hoc Dei cõsilio factum est, vt Christi miraculum valde notorium, ac manifestum fieret. Vndè ait D.Augst. tr.39. *Cæcus confitebatur, & cor impiorũ frãgebatur.* Theod. Aug.

*Ioan.9.num.*16. Dicebant ergo ex Pharisęis quidam: non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit. Alij autem dicebant: quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

*Num.*17. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autẽ: quia Propheta est.

*Num.*18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset: donec vocauerunt parẽtes eius, qui viderat.

*Num.*19. Et interrogauerunt eos dicentes: hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est: Quomodo ergo nunc videt.

VERSIO

VERSIONES.

*Syriac.n.*16. Et dissidium erat inter eos.
Euth.Theoph. Et dissensio erat inter eos.
*Syriac.n.*17. Ego dico eum Prophetam esse.
*Arias n.*18. Non crediderunt, quia cæcus erat, & vidit.

EXPOSITIO VI.

105. DICEBANT *ergo quidam ex Pharisæis.* Proponitur varia sententia, tum ex Pharisæis, scilicet iudicibus, tum etiam ex aliis popularibus, & quilibet iuxta suum affectum, ac propensionem loquebatur. *Ex Pharisæis quidam,* vt ait Chryfost. D.Chrys. *pertinaciores.* Qui ita erant odio obcæcati erga Iesum, vt nullo diuinæ omnipotentiæ euidenti opere mitigarentur. *Non est hic homo à Deo,* scilicet missus à Deo, nec eius adiutorio, ac afflatu operatur. *Qui Sabbathū non custodit,* scilicet non obseruat. Malignè loquebantur, miraculum silentes, & eam, quæ æstimant legis præuaricationem, vt obseruant Hugo, Tolet. pauxillum luti pinsere in mediū proferebant. Non enim dicunt in Sabbatho curat, sed quoniam Sabbathum non custodit. *Alij autem dicebant,* tanquam opponentes; *quomodo potest homo peccator,* sumitur pro iniquo, & scelerato, *hæc signa facere,* tam magna, & eximia miracula edere; dubitantes, & admirantes loquuntur, cùm sine vlla hæsitatione excellentiam miraculi debebant constanter affirmare. Chryfost. *Nemo tamen,* ait Chrys. *horum audebat sententiam suam palam facere, sed dubitant partim timore, partim ambitione.* Propriæ scilicet gloriæ, & ideò alterius excellentiam nolebant simpliciter fateri. *Et schisma erat inter eos.* Dissidium, ac opinionum differentia, iustitiæ causa omninò non est deserta, sed semper pro se habet propugnatores.

106. *Dicunt ergo cæco.* Cæcum vocat Euangelista, quia cæcus fuerat, quamuis iam non esset cæcus, sicut vocatur aqua, quæ vinum erat, quia aqua fuerat, Ioan.2.n.29. Et virga Aaron, quæ iam erat serpens, Exod.7.n.12. Qui autem fuerint, hic, qui hæc cæco dixerunt. Chryfost.homil.57. Euthym. Theophyl. existimant factam fuisse interrogationem à Christi fautoribus, quod potest corroborari, quia sic loquuntur: *Quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos?* Non enim dixerunt: Qui Sabbathum non custodit. Et hoc sensu interrogarunt, vt cæcus de Christo magna prædicaret. Theodor. Mopsuet, Cyril. in Catena Græca, D.August. Beda, Rupert. D.Th. D.Bonau. astruunt hoc quæsitum fuisse à Christi contrariis, qui dixerunt: *Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* & ideò eo consilio sæpè Pharisæi cæcum interrogarunt, vt notat Leont. vt experirentur an ipse sibi esset constans in dictis, vel varius, & anceps, vt inde cæcum arguerent, ac extra Synagogam eicerent, & hanc partem comprobat Maldonat. ex his, quæ adiungit Euangelista: *Non crediderūt ergo Iudæi.* Tamen potius mihi videtur dicendum cum Carthus. ab illis duabus partibus inter se discordantibus factam fuisse quæstionem, quia cùm inter se discordarent, recurrebant ad testimonium eius, qui expertus fuerat Christi potentiam, vt ab illo exactius agnoscerent rei ordinem. *Ille autem dixit,* rectè Chrys. *Nihil perterritus prauo Iudæorum iudicio.* Addit Beda, *Constanter, quod sentiebat, expressit.* Et testificans cæcus de Christo, *quia Propheta est.* Id est vir sanctus & præclarus. Sic Abrahamus dicitur Propheta, Genes.20.n.7. Propheram autem vocat, quia nondum cognouerat eum Filium Dei, vt postea n.38. confessus est tamen, vt ait D.Aug. tr.44. in Ioan. Cùm cæcus Prophetam vocat, non mentitur, ipse enim Dominus de se ait; *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.*

Chryfost. Hugo. Tolet. Chryfost. Theodor. Cyril. Aug. Beda. Rupert. D.Thom. Bonau. Leont. Maldon. Carthus. Chrys. Beda Gen.20. Aug. Hugo. *Iniqui cōtrà se loquūtur.* Chrys.

107. *Non crediderunt ergo Iudæi de illo.* Contra Christum sentientes, non crediderunt cæco Christi magnalia prædicantē, aliter sanè fieret, si vituperia dixisset, *quia cæcus fuisset, & vidisset.* Primum testimonium à vicinis ad se allatum crediderunt, sed considerantes, quod eo admisso non dabatur, quo se tuerentur, in dubium totam rem vocare sibi melius iudicarunt. Tamen, vt ait Hugo, si nō credebant eum fuisse cæcum, & illuminatum, qualiter accusabant, quod Sabbathum, nō obseruaret; quia in Sabbatho curabat. Ecce quomodo iniquitas sibi est repugnans, & contraria. *Donec vocauerunt parentes eius, qui viderat.* Vt ab eis veritatem inquirant, & sic maiestas miraculi magis patescat, hæc enim est veritatis natura, vt quo magis impugnatur, inde magis cōfirmetur. Chrys. hom.57. *Cōsidera,* ait, *quot modis miraculū tegere, & abolere conātur: verū huiusmodi est veritatis natura, vt unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur.*

108. *Interrogauerunt eos.* D.Chrys.hom.57. *Aduocatis in medium parentibus, vt metum incuterent, quadam cum vehementia, & indignatione, interrogant eos. Nam cum cæcum perterrere non possent, quia audenter acceptum beneficium publicaret, per parentes infirmare miraculum conati sunt.* Ab eis tria quærunt. Primò, an ille esset filius eorum? Secundò, an cæcus natus? Tertiò, quomodo in præsenti videt? Et dicunt: *Quem vos dicitis, quia cæcus natus est.* Non inquiunt, qui cæcus natus est, sed quem vos dicitis, veluti asserentes, vt notant Theoph. D.Th. Hugo, quem vos fingitis maligantes contra nos, & Christum applaudentes, cæcum esse, cùm reuera talis non extaret. Chryf. Theoph. D.Thom. Hugo.

QVÆSTIO XV.

Quare ex tanto edito miraculo Iudæi Christum arguant, quod Sabbathum non custodiret?

109. SALVS mihi. Quod dæmones videntes Christi miracula exclamant sanctū Dei, ac Filium Dei eum appellantes. *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene venisti perdere nos? Scio, quia sis sanctus Dei,* Marc.1.n.24. & iterum: *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei?* Matt.8.n.29. At verò modò homines intuentes Christi mirabilia, impudice asserunt ipsum non esse missum à Deo, sed esse peccatorem. *Non est hic homo missus à Deo, qui Sabbathū non custodit.* Et iterum. Nos scimus, *quia peccator est.* Tanta est hominis malitia, eiúsque inuidia, vt dæmonis nequitiam superexcedat, & quem ob miracula dæmones sanctum Dei, homines eum peccatorem, ac Dei aduersarium temeraria præsumptione asseuerant. Marc 1. Matth.8. *Homo alibi homo peccator est.* *quādo dicit, quod diabolus nō audet.*

110. Ad nostram quæstionem, prima solutio desumitur ex D.Gaudentio homil.in Feria 6. post Dominicam 1.Quadrag. Postquam varia Christi mi- D.Gaud.

racula numerat, filium Reguli sanatum: quinque mille homines quinque panibus saturatos: Dominum super mare ambulantem; tunc subdit: *In catalogo iste virtutum adhuc vnum fecerat opus, quod frementi contra se imperito populo Iudæorum, quasi verisimilem faciendi aditum dedisse videbatur, quod scilicet hominem curasset in Sabbatho, cum lex etiam Sabbathi imperasset. Itaque Christus, qui legem caeterem soluere non venerat, sed implere tanquam violati Sabbathi reus in sectionem perpetuitur Iudæorum.* Apertè, & clarè viderant Iudæi multa Christi miracula, ac mirabilia, quæ euidèter eum filium Dei demonstrabant; tamen ob pauxillum luti Sabbatho confectum iniquè, ac sine fundamento suspicabantur Sabbathum esse violatum, tantum apud eos prævaluit eorum iniqua suspicio, vt eam miraculis non deponant, sed potiùs suspicione miracula obnubilare cogitent: *In catalogo iste virtutum*, &c. Maximè aperta erat fides, ac beneuolentia Dauid erga Saulem, eum à periculo Goliath liberauit; cúmque eum haberet in spelunca liberum dimisit, & tamen crudeliter Saul Dauidem per deserta, ac omnia loca insectabatur, immissáque lancea eum voluit occidere, sed quęnam tanta persecutionis causa? Cum audisset Saul mulieres canentes. *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*, 1. Regum 18. num. 7. ait D. Chrysost. homil. de Dauide, & Saule: *Ab illo die suspectum habuit Dauid, & ab illo metuit*, tanquam quod ipse vellet regnum impetere, plus deferens suæ suspicioni, quàm fidei, ac beneuolétię, tot tantísque testificatæ. Subdit Chrysost. *Erga eum, qui animam impendit, vitam dedit, qua poterat esse iusta suspicionis causa?* Ac si dicat nulla.

Plus apud homines valet aliquãdo eorum suspicio, quam clara euidentia.

1. Reg. 18. Chrys.

111. Secundò. Inuidiosa iniquitas contra se arma sumit, dum enim Iudæi Christum violatorem Sabbathi dicunt, ibi eius magnalia prædicant, ac eximij miraculi operatorem publicãt, dum enim iniqua sua intentione corrodere volunt, ibi præter suam intentionem eum extollunt, ac eius diuinam potentiam euulgant. Tertiò. Inuidiosa iniquitas. Ex facto miraculo debebant homines Christo impendere reuerentiam, eíque gratias agere, inde tamen crudelis maledicentiæ ansam arripiunt, vt inaniſſimè violatorem Sabbathi dicant, vnde enim debebant esse astricti; inde reduntur offensi. Cassiodorus lib. 4. epist. 44. *Inuidiosa est*, ait, *contra eum querela, cui sunt reuerentia iura seruanda: quia nescio, quid admissum grane creditur, vbi contra tales silentium non tenetur.*

Homines offensi qui debebant esse obligati.

Cass.

112. Chrys. Quartò. D. Chrysost. hom. 41. 57. *Omisso miraculo*, ait, *adducunt in medium, id quod transgressio videbatur: non enim dicunt, in Sabbatho curat, sed Sabbathum non custodit.* Peruersi, & maligni Iudæi nó considerant, nec publicant eximiam Christi potestatem, præclarum donum desperati visus concessum, sed tantum ad id, quod defectuosum putabant oculos coniiciunt; ad miraculum cæci, ad Sabbathi putatam violationem attenti sunt. Sic sanatus paralyticus apud piscinam cum interrogaretur à Iudæis, cur grabatum tolleret die Sabbathi, respondet ipse: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum, & ambula.* Cui illi respondent: *Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Ioan. 5. num. 12. Vbi rectè pondexat Cardinalis Hugo: *Non dixerunt*, inquit, *quis est qui te sanum fecit: sed hoc bonum tacuerunt, quod eos torquebat; & eam, qua æstimabatur, transgressionem in medium dicunt. Quis est, inquiunt, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?* Paralyticus duo dixerat: *Qui me sanum fecit.* Secundò dixit: *Tolle grabatum.* Perfidi Iudæi admirabilem hominis sanitatem concessam nec vident, nec intelligunt, sed solam æstimatam Sabbathi transgressionem cernunt, & commemorant.

Homines soli aduertunt ad id quod corpore possunt, nil verò ad id quod laudabile.

Ioan. 5. Hugo.

Ad Pilatum clamant Iudæi Christum accusantes: *Nos habemus legem, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit*, Ioan. 10. num. 7. Cur non dicunt filium Dei se fecit, qui mortuos suscitat, super mare ambulat, morbos depellit, & turbas mirabiliter pascit? cur solùm nudè filium Dei dicunt, illa verò mira, quę filium Dei demonstrabant, tacent? quod vnus homo nudè se filium Dei diceret, reprehensione dignum videbatur; quod verò homo tanta potestate, ac excellentia se filium Dei testificaretur, satis conueniens & congruum erat; maligni ac peruersi Iudæi, quod reprehensioni subiectum iudicabant, hoc in medio proponunt, & obiiciunt, quod autem diuinam filiationem indicabant, hoc omnino supprimunt, & prætereunt. D. Cyrill. Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 19. *Cur inquisitione omni contempta, & sacrarum litterarum testimoniis spretis, solummodo contradictis, & veritatem crimini datis? Oportebat sanè, quando Pilato dixistis, quia filium Dei se ipsum fecit: tunc quoque opera ipsius in medium afferre. Oportebat quatriduo iam mortuum voce sola in vitam restitutum narrare. Oportebat vnigenitum viduæ filium non relinquere.* Et postquam alia miracula commemorat, subdit: *Hæc cæteraque huiusmodi, quibus verè Deus monstrari poterat, malueriste prætereuntes, cauillationibus solummodo vtuntur.*

113. Ioan. 10.

Homines dicũt quod reprehensibile iudicãt, magnum prætermittunt.

Cyrill.

Dato testimonio Patris in Iordane. *Ductus est Iesus in desertum, & cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus postea esuriit: & accedens tentator*, Matth. 4. num. 2. Accedit tunc ad tentandum, quia ex fame percepta hominem cogitat, sed cur, cum audit vocem Patris: *Hic est filius meus.* Et cum rigida abstinentia eum videt ieiunantem per quadraginta dies, cur ex tam aperta diuinitatis nota, non eum æstimat filium Dei? Cur ex tanto testimonio, ac tam largo ieiunio omnem dubitationem circa eius diuinitatem nó deponit? Nam multò efficacior erat demonstratio cœlestis vocis, ac tam largę abstinentię, quam esuries vnius momenti; malcuolus Satanas non considerauit, nec intellexit vocem Patris nec tam largam super omnes vires humanas abstinentiã, sed solùm attendit, ac aduertit ad famen vnius breuis temporis, indéq; nó ex abstinentia Deum cogitat, sed ex esurie hominem appendit. Chrysost. in Imperfect. homil. 5. *O cæcitas Diaboli*, ait, *manifesta: quomodo suspicatus est eum non esse filium Dei, quem post quadraginta dies esurientem sentit, & per quadraginta dies non esurientem non intellexit? nam sicut esurire hominis est, ita per quadraginta dies non esurire, hominis non est.*

114. Matth. 4.

Diabolus non cõsiderat non esuriẽtẽ, sed famescentem.

Chrys.

Ioan. 9. num. 20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est.

Num. 21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet ipse de se loquatur.

Num. 22.

Num. 22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

Num. 23. Propterea parentes eius dixerunt: quia ætatem habet, ipsum interrogate.

VERSIONES.

Arias n. 21. Quomodo autem nunc videt nescimus.

Syriacus. Quin etiam ipse ad annos suos progressus est, eum interrogate.

Syriac n. 22. Constituerant enim Iudæi, vt si quis confiteretur eum esse Meschiacho, ab ipsis eiiceretur è synagoga.

EXPOSITIO VII.

115. RESPONDERVNT *parentes eius*, Ecce magna dei prouidētia, de miraculo perscrutantur Iudæi, vt euidentia miraculi magis aperta, & nota sit, de tribus fuerunt parentes, à Iudæis interrogati: Vtrum hic esset filius eorum, vtrum cæcus natus esset, & quomodo nunc videret? De primis duobus confitentur parentes eius, quod certissime ille esset filius suus, & cæcus natus.

116. *Quomodo autem nunc videat, nescimus.* Per quod respondent ad tertium quæsitum, & ignorare se dicunt quomodo videat, & quamuis parentes eius forte iam didicerant à filio, quomodo Iesus ei visum concesserit, tamen, vt rectè notarunt Euthymius, & Theophylactus, timentes Iudæos, vt patet ex sequenti versu, hoc se ignorare dicunt; sæpe ob timorem magnorum veritas supprimitur, & non denuntiatur. *Ipsum interrogate*; testem optimum filium assignant, qui sanitatem erat expertus: *ætatem habet, de se loquatur.* Quod commentans Chrysostomus ait. *Dignum fide ducunt ad sui excusationem: non est puer, neque desipit, potest de se ipso testimonium ferre.* Et etiam ad hilum totum referunt parentes, quia forte malebant filium solùm periclitari, quàm ipsos etiam cum filio.

Euth. Theoph. *Nimius timor sapè veritatem supprimit.*

Chrys.

117. *Hæc dixerunt parentes eius.* Hoc refertur ad proximè dicta. *Quomodo autem nunc videt, nescimus.* Et subdit Euangelista. *Quoniam timebant Iudæi.* Scilicet eorum magistratus, & principes, qui ex suo officio veritatis debebant esse indagatores, sua tamen malitia illius erant occultatores; & cùm hoc dicit Euangelista, vt obseruant Tolet. & Maldonatus, indicat, quod parentes miraculum intellexerunt à filio, vel vicinis, tamen ob Iudæos veritatem non aperiunt. *Iam enim conspirauerant Iudæi*, Communi consensu constituerant; *vt si quis eum confiteretur esse Christum.* Verum Messiam à Deo promissum. *Extra Synagogam fieret.* Syriacus. *Eiiceretur è Synagoga.* Esset nempe segregatus ab Israëliticis conuenientibus ad rem diuinam, & idem hoc valebat apud eos, ac apud nos Christianos excommunicatio, & sicut apud nos est magna ignominia excommunicatio, sic & apud Iudæos extra synagogam fieri.

Tolet. Maldo.

Syr.

118. *Propterea*, ne extra synagogam fierent; *parentes eius dixerunt.* Proximè dicta. *Quod ætatem habet*, Parentes eius duo dixerunt. *Quomodo nunc videt nescimus.* Secundò *Ætatem habet, ipsum interrogate.* Cur hîc Euangelista non repetit illorum integrum testimonium, sed prætermisso primo, quod dixerant, se nescire quomodo videat; solùm secundum proponit? *ætatem habet.* In primo dicto latebat aliquod mendacium, quia cùm cognouissent, quomodo vidisset, illud tamen dixerunt nescire; at verò in secundo dicto nuda veritas extabat; Euangelista autem quod mendacio, ac culpæ parentum adscribi poterat, prætermisit, ac dissimulauit, quod autem ab omni culpa erat alienum proposuit. Rupertus hic lib. 9. in Ioan. *Eam partem*, ait, *responsionis reliquit Euangelista, quæ non omnino culpa vacat, quia non omnino caret sorde falsitatis id, quod dixerant: quomodo autem nunc videt, nescimus, & illud quod irreprehensibile est, repetiit, velut attestando dicens. Propterea dixerunt, ipsum interrogate.* Apostolicum ingenium aliorum culpas præterire, non explicare, sed abscondere.

Ingenium Apostolicum aliorum defectus abscondere.

Rup.

Ioan. 9. n. 24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerat ei. Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est.

Num. 25. Dixit ergo eis ille: si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video.

Num. 26. Dixerunt ergo illi: quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

VERSIONES.

Syriac. n. 26. Et vocauerunt secunda vice virum illum, qui fuerat cæcus, ac dicunt ei. Glorifica Deum: nos enim nouimus hunc peccatorem esse?

Græcus n. 25. Vnum scio me cæcum fuisse, & ecce nunc video.

EXPOSITIO VIII.

119. VOCAVERVNT *ergo.* Illa particula, *ergo*, indicat, quod cum frustra Pharisæi laborassent in examinandis parentibus; Expectabant illi, vt ait D. Chrysost. quod parentes miraculum negarent, eorum tamen testimonio maximè miraculum corroborabatur. Tamen Pharisæi non quiescunt; sed lumen oculorum cæcodatum conantur extinguere. *Da gloriam Deo*, hoc est, fatere veritatem, quam nos testificamur, hunc nempe hominem esse peccatorem. *Dare gloriam*

Chrys.

Syr. *Deo,seu glorificare Deum,*vt habet Syriacus, idem valet, ac confiteri veritatem, is enim qui veritatem profert, Deum qui optimè omnia noſcit, gloria afficit,& hunc illi habet honorem, reuerentiæ eius maieſtatem, potius eligat verum dicere, quàm eo præſente mentiri. Vnde Strabus in Gloſſa ait; *Dare gloriam Deo, eſt veritatem de aliquo,quaſi præſente Deo dicere.* Hæc Phraſis habetur variis in locis.Ioſue 7.num.19. & 1.Reg.6. n.5. *Dubitis Deo Iſrael gloriam.* Vt ex Beda, Carthuſiano,Vatablo,Lyra,Abulenſ. docet P. Mendoza ibidem num.33.in Commentar. *Noſcimus,* qui ſumus legis Doctores, ac magiſtri, ſat eſt, quod tibi homini plebeio, ac vulgari hoc dicamus. *Quia hic homo peccator eſt.* Sceleſtus nempe, ac populi ſeductor. Diuus Chryſoſtomus, *Palam quidem ac impudenter non dicunt, negat Chriſtum te ſanaſſe,ſed pietatis vmbra id tentant.Deo, inquiunt,gloriam Deo, confitere nihil Chriſtum in te operatum.*

Strab. Ioſue 7. 1.Reg.6. Mend. Chryſ.

110. *Dixit ergo eis ille: ſi peccator eſt,neſcio*; hoc non dixit Cæcus ex timore,quaſi in re Chriſti nolit proferre ſuum iudicium, ſed abſtinere, vt notarunt Chryſoſtom. Leont. Theophyl. Euthym. D.Thomas,D.Bonau. Nam audenter ſuper n. 17. eum virum Propheram, iuſtum, ſanctum confeſſus eſt. Cùm ergo ait: *Neſcio*, ideſt ego nihil de eo dico,& pronuncio, ſed nunc ipſum beneficium mihi conceſſum vos condemnat, & eum non eſſe peccatorem oſtendit. D.Chryſoſtomus, *Volebat enim*, ait, *rei ipſius teſtimonio, non verbis ſuis,eum a crimine liberare, & defenſionem credibilem reddere,quod beneficij teſtimonium ipſos condemnaret.*

Chryſ. Leont. Theoph. Euth D.Thom. Bonau.

111. *Dixerunt ergo illi,quid fecit tibi?* Toties rogant, & quærunt ab homine rem, an ſi forte ex aliqua circumſtantia aliquid diuerſum narret,vt Sabbathum violatum aſtruant, hominem de mendacio arguant,vt aliquid contra miraculum obiiciant. Sic ait Rupertus, quod *aliud diuerſum ab eo volebant audire,& non dicta repetere.*

Rup.

QVÆSTIO XVI.

Quare tam impudenter Phariſæi Chriſtum Dominum peccatorem vocant?

112. IN limine huius quæſtionis expendendũ eſt Phariſæorum loquendi modum, *Noſ ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Ipſum proprio nomine non pronunciant,nec enim ſanctiſſim. Ieſu nomen impudicum os capiebat, & ipſi præ odio eius ſacratiſſim.nomen præteribant, imò,& pro ſua malitia ignorabant.Proponit Pilatus Iudæis,quem velint vnũ de duobus dimitti, an Ieſum,vel Barrabam. Clamant omnes: *Tolle hunc,& dimitte nobis Barrabam.* Luc.23.nu.18. Sicut nomen infami latroni pronuntiant: cur etiã Ieſum ore non exprimunt? Apud Mundiales ſolùm Barrabæ nomen agnoſcitur,minimè verò ſacratiſſimi Ieſu. Ad noſtam quæſtionem.

Luc.23. *Iniqui ſcilt Barrabam, ignorant Ieſu nomen.*

113. Primò. Videbant Iudæi ſanctiſſimam Chriſti vitam,eúmque multis miraculis irradiantem: & in præſenti viſum cæco nato concedentem, & tamen impudenter ipſum peccatorem dicunt, tam pertinax eſt inuidia, vt nullis miraculis cedat. Poſt largum Chriſti ieiuniũ accedens tentator,ait ei. *Si filius Dei es, dic,vt lapides iſti panes fiant.* Matth.4.n.3. Repellit Dominus tentatorem cui eius dictis non annuit? Parui enim momenti erat petitio,vt filij dei maieſtas declararetur;tamẽ Chriſtus eum reiecit,optimè enim ſciebat, quod diaboli malitia nullis miraculis frangeretur, plus enim prævalebat, apud eum eius inuidia, quàm omnis miraculorum euidentia. Diuus Cyprian. ſerm.de ieiunio,& tentatione. *Nec opus erat*, ait, *vt hoc facto inſidiatori innoteſceret, quia nullo ſigno eius poterat inuidia commutari.*

Matth. 4. *Inuidia miraculis frangitur.* Cypr.

114. Secundò ex facto miraculo, Mendicus elicuit motiuum, vt Chriſtum Dominum confiteretur filium Dei.*Credo Domine*,num.38.At verò Phariſæi peruerſè perſiſtunt in ſua nequitia, & peccatorem vocant. Sicque ex eadem diuina re fidelis aſſumit credendi motiuum,ex qua etiam, & infidelis ſuæ incredulitatis anſam. Poſtquam Chriſtus Dominus altè diſſeruit, de diuino Euchariſtiæ ſacramento.Multi ex diſcipulis eius dixerunt. *Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire.* Ioan.6. num.61. Et poſtea ſubditur, quod propter hoc multi ex diſcipulis abierunt retro,& iam cum Ieſu non ambulabant,tunc dixit Dominus duodecim Apoſtolis. *Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit ergo Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Ibidem num.69.Eadem verba primi dicunt durum ſermonem,& ob illa abeunt retro, ac à Domino diſcedunt; alij verò vocant æternæ vitæ verba, & ob illa firmius Chriſto adhærent. Primi increduli,ſecundi fideles,& idem ſermo,qui in fidelibus inſeruiit ad incredulitatem, fidelibus extitit motiuum ad prompte fidei aſſentiendum, & vt firmius cum Domino permanerent.

Ioan.6. *Quod infidelibus eſt motiuum ad incredulitatem fidelibus ad credendum.*

115. Tertiò. Multum mirandum, quod tot iniurias contra Dominum Ieſum congerant,ſuperiori c.8. Dæmoniatum, ac Samaritanum vocarunt: nunc peccatorem dicunt, cur puriſſimum Dominum tot iniuris appetunt? Sic ſe res habet apud mundiales,vt vna contumelia ſit præſagium alterius, & ſi ſe ſemel opprobriis afficiunt, non deſiſtunt, ſed ſemper noua multiplicant. Sacratiſſimo Paſſionis tempore milites velauerunt faciem Ieſu, eúmque colaphis cædebant dicentes. *Prophetiza nobis Chriſte,quis eſt,qui te percuſſit?* Matth.26. n. 68. Videtur quod pronuntiatio non ſit congrua. Prophetia enim communiter de re futura pronunciatur. Dicendum ergo videbatur, Prophetiza;*quis te percutiet?* At ipſi dicunt,percuſſit,quomodo prophetare cohæret cum præterito? Sic ſe res habet apud mundiales; vt vna contumelia propheta ſit alterius,cum enim ei vna alapa eſſet inflicta,ita iam certo poterat ſecundam vaticinare,ſi in re iam eam accepiſſet.

Vna iniuria alterius præſagium. Matth.26.

Ioan.9.n.27. Reſpondit eis: Dixi vobis iam,& auditis: quid iterum vultis audire? Nunquid, & vos vultis diſcipuli eius fieri?

Num.28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis: nos autem Moyſi diſcipuli ſumus.

Num.29. Nos ſcimus quia Moyſi locutus eſt Deus: hunc autem,neſcimus vnde ſit.

VER

VERSIONES.

*Pagnin.n.*27. Dixi vobis, iam nec audistis.

Caietan. Et non audistis.

*Syriac n.*28. Ipsi autem ei conuitiati sunt.

Arabicus. Opprobriis igitur affecerunt illum.

Vatablus. Tu esto illius discipulus.

Arabicus. Nos nouimus. Quia Moysi.

EXPOSITIO IX.

126. *DIXI vobis iam.* Ægrè ferebat cæcus molestas Pharisæorum interrogationes, tum ob eorum maleuolentiam, quæ in verbis redundabat, tum quia videbat eos dictis suis non credere. D. August. *Ille*, ait, *iam stomachans* aduersus duritiem Iudæorum, & ex cæco videns, non *ferens cæco*. Ex charitate volebat cæcus, vt omnes essent videntes, & intelligentes *Auditis*: ita clarè, vt benè potueritis intelligere. Græcus habet. *Nec audistis*. Id est, *nec credidistis*. Vt exponunt Diuus Chrysostomus homil. 57. Euthymius. *Quid iterum vultis audire?* Ob quodnam motiuum eandem rem toties repetam. *Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri?* Hic, vt rectè notarunt Diuus Chrysostom. D. Augustinus, Leontius, Theophylactus, cæcus se Christi discipulum profitetur; ac si dicat. Nunquid vos vultis eius discipulos fieri, sicut ego sum? Et hic sagaciter, ac ingeniosè cæcus Pharisæos pungit, ac reprehendit, quod cùm viderent tam præclarum Christi opus, ipsum non sequantur tanquam Magistrum, sed eius facta scrutentur ad arguendum, & calumniandum. Rupertus *Ergo* ait, *interrogando acutiores clauos infixit, negans eos velle discipulos eius fieri: & idcirco narratione iteratâ indignos iudicauit.*

127. *Maledixerunt ergo ei.* Multa conuicia, ac execrationes in eum conijcientes. Arabic. *Opprobriis eum affecerunt.* Dicentes v.g. esto maledictus, omnia mala in te veniant. Hæc autem execratio Pharisæorum in cæcum, non probrosa, sed gloriosa illi extitit, magna enim laus piorum est ab impijs maledici. Vnde ait D. August. tract 44. in Ioan. *Tale*, ait, *maledictum super nos sit, & super filios nostros. Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas.* Dicunt Pharisæi: *Tu discipulus illius sis.* Hoc more improperátium dicunt, ex quo magna eorum cæcitas deprehenditur, quod enim erat maximi honoris, tanquam opprobrium ipsi infligunt. Vnde perbelle aduertit D. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 1. frequenter bonum maledici, & hoc præponit exemplum: bonum isti protulerunt, nempe discipulum esse Christi, sed malè, quia nó studio benefaciendi, aut honorandi, sed conuiciandi dixerũt, quod fuit eximia malitia, & ignorantia *Nos Moysi discipuli sumus.* Hoc est, doctrinam eus sequimur, eique adhærens, habent pro contrario esse discipulum Iesu, & esse discipulum Moysi, in quo miserè falluntur. Tantum enim abest, quod sint contraria, vt sibi mutuò conueniunt, si enim Moysem intelligerent, à Moyse tanquam pædagogo dirigebantur ad Iesũ D. Chrysostom. homil. 57. *Si Moysi*, ait, *essetis, scilicet discipuli, esse tis, & Christi: ideo superius, inquis, Christus: si crederetis Moysi, crederetis & mihi. De me enim ille scripsit.* Ioan. 5. n. 46.

Ioan. 5. 128. *Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus.* Rationem interponunt cur se Moysi discipulos iactent, & Christo auersentur, vt notarunt Euthym. Maldonatus, Tolet. Quia Moysi sciunt Deum locutum fuisse, ab ipsóque esse missum ad populum. *Hunc autem nescimus vnde sit.* Id est vnde ad nos venerit, an à Deo sit missus, anque Deus ei locutus, hic est genuinus sensus, non enim loquebantur de loco natiuitatis; bene enim sciebant Christum natũ esse in Galilæa, ad hunc sensum respondet cæcus in sequentibus. Christum dicunt se nescire. *Hunc autem nescimus vnde sit*; Et tamen mulier Chananæa eum agnouit: *clamauit dicens: Miserere mei Domine fili Dauid.* Matth. 15. n. 22. Matth. 15. Ecce mundialis conditio, vt eum, quem ob eius præclara opera extranei agnoscunt, cognati, ac conciues ignorent. Vt supra cap. 2. quæst. 5. n. 48. ponderaui. Et maximè notandum, quod Moysen præferunt Christo. Scimus quia Moysi locutus est Deus, *Hunc autem nescimus vnde sit.* Moyses seruus, Christus supremus Dominus, in quo omnia diuinitatis signa radiabant, vox Patris in Iordane, Magi Ierosolymis: tamen Moyses, quamuis seruus multam sibi reconciliauit opinionem apud populum, quæ Christo supremo Domino vt præsenti denegatur. Vide quæ dixi tom. 3. c. 13. q. 10. n. 61.

Ioan. 9. n. 30. Respondit ille, & dixit eis: in hoc enim mirabile est, quia vos nescitis, vnde sit, & aperuit oculos meos.

Num. 31. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius fecit, hunc exaudit.

Num. 32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

Num. 33. Nisi esset hic Deo, non poterat facere quidquam.

VERSIONES.

Pagnin.n. 30. Mirabile quidem est.

Arabicus. Et iam aperuit oculos meos.

Syriac.n. 31. Deum vocem peccatorum non exaudire.

Arabicus. Exaudit eum, qui timet eum.

Euthym. Vat. Et voluntati eius obtemperat.

Arias n. 32. Ex sæculo non est auditum.

Athanasius de Incarnat. Verbi. Nunquam talis surrexit in Israël: ab æuo auditum non est, quod quispiam aperuerit oculos à partu cæci.

Idem

Pagnin. Caietan. Syriac n. Arabicus. Vatablus. Arabicus. Aug. Græc. Chryf. Euth. Chryf. Aug. Leont. Theoph. Rup. Arab. Execratio ab impijs laus bonorum. Aug. Greg. Chryf. Euth. Mald. Tolet. Ioan. 9. n. Num. Num. Num. Pagnin. n. Arabicus. Syriac. n. Arabicus. Euthym. Vat. Arias n. Athanasius de Incarnat. Verbi.

Idem n.33. Nisi hic esset à Deo, non posset quidpiam tale facere.

EXPOSITIO X.

129. RESPONDIT *ille homo.* Cæcus nempe,ac mendicus.Et quamuis Iudæi duo dixissent. Vnum,quia Moysi sciebant Deum locutum: *hunc autem nescimus,vnde sit.* Ad primum de Moyse nil respondet cæcus;cum in eius libris tanquam cæcus nõ esset versatus;ad secundum de Christo,cuius virtutem ac signa erat expertus conuertit sermonem. *In hoc enim,* alij legunt *certe,* & dicunt *mirabile est.* Res nẽpe mira,& omni admiratione digna.Quia vos nescitis vnde sit,& aperuit oculos meos. Mirandum est enim,quod vos,qui estis legis doctores,ac magistri nesciatis, vnde Christus sit, hoc est à quo sit missus cum eius virtus,& potestas in tot signis edẽdis, qui aperuit oculos meos sit valde notoria,nemo enim potest hæc signa edere,nisi à Deo sit missus,qui miraculorum est operator.

Mendicus ad ea, quæ erat expertus conuertit sermonem.

130. *Scimus autem quia peccatores Deus non audit.* Ostendit cæcus illuminatus aperte potuisse Iudæos ex miraculo facto deprehendere, Christum à Deo venisse, ab eóque fuisse missum; quod in hunc modum probat;Deus peccatores non audit, sed eos, à quibus pie colitur eius mandata obseruantes;Atqui Deus audit Christum ad tale miraculum perpetrandum, quale à sæculo non est auditum: ergo ille piè Deum veneratur, eius præceptis obsequens. *Sed si quis Dei cultor est,* vt nihil contra sanam doctrinam proferat; *& voluntatem eius facit.* Mendicus hic duas res assignat vero probo,& iusto Dei cultum, eiúsque diuinæ voluntati obedientiam.*Si quis,* ait, *Dei cultor est, & voluntatem eius facit.*Non enim fides,& cultus sufficit, nisi simul adsit mandatorum obseruatio? vnde ait Theophylact. *Oportet adesse vtrumque Dei cultum,& voluntatis diuinæ adimpletionem: hoc est finem, & opera.*

Theoph. *Fides,& opera.*

131. *A sæculo non est auditum.* Exaggerat cæcus miraculum,vt maiorem argumento vim præbeat,ac patres nostros sit operatus;hoc tamen nouum,& singulare, à Iesu est reseruatum, vt oculos cæci nati adaperiat. Deinde alia ratione hoc probat Mendicus,vt obseruat Theodorus Heracleënsis, quod oculi sint restituti ipsi cæco nato,& pauperi,solius enim diuinæ virtutis est, mendicum, & abiectum respicere;ipsúmque è miseria subleuare.Notarunt etiam Theodorus Mopsuet.Cyrillus, & Leontius,quòd cùm cæcus dicit, *à sæculo non est auditum.*Tacite ipsum Moysem includere, qui nullum vnquam tale miraculum ediderit, itaque Christum illi anteponit,quem paulò ante Pharisæi Christo prætulerunt. *Tu discipulus illius sis,nos autem Moysi discipuli sumus. Et nos scimus, quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit.*

Theod. *Signum diuinitatis pauperi dona largire.* Theod. Cyrill. Leont.

132. *Nisi hic esset à Deo non poterat facere quicquam.* In curanda nempe cæcitate mea. D. Chrysostom. homil.57.*Si ergo confitemini,* ait, *Deum non exaudire peccatores,& hic signum facit,* quale nemo vnquam alius;constat omnia virtute assecutum,quę humanam longe exuperat vim.

Chrys.

QVÆSTIO XVII.

Quomodo mendici verba sint explicanda: Peccatores Deus non audit?

HVius cæci pronunciatum in controuersiam cõmuniter vocatur ab Expositorib. Nam Deus peccatores etiam audit.Quorsum enim peccatores precarentur, si Deus non exauditet; vnde ait D.Aug.lib.50.homil.43. *Incumbite orationibus peccatores, confitemini peccata vestra,orate vt depellantur,*&c. Idémque docet lib. 2.contra Epistol.Parmen. cap. 8. hócque probat illo Luc.18.de publicano peccatore petẽte remissionem,& obtinente. Idémque habet aliis locis, & docent D. Basilius lib.de constitut. Monast. cap.2.& D.Thom.52.2.q.83.art.16. Deinde etiam secundum mendici dictum.*Nisi esset hic à Deo non poterat facere quidquam,* ideſt non poterat miraculum hoc edere, difficultatem inuoluit; nam etiam viri iniqui miracula aliquando perpetrare possunt ad confirmandas nempe res fidei. Quod confirmatur ex verbis Christi Domini Matth.7. num. 22. *Multi dicent mihi in illa die, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus,* &c. Quod docent D.Augustinus lib.83. quæst. q.79. D.Gregor. lib.9. Epist. 58. & lib. 20. Moral. c.9.

133. Aug. Ratio dissentiendi. Luc.18. D.Basil. D.Thom. Matth.7. Aug. Greg.

Respondet primò Iansenius. Deus ordinarie loquendo peccatores non exaudit ad miracula perpetranda, de quo erat in præsenti serm.Isai. 59.n.1. *Aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.*Prouerb.28.n.9.*Qui declinat aures suas ne audiat legem,oratio eius fiet execrabilis.*Si verò peccatores aliquando miracula operantur, id valde rarum est, propositio verò intelligitur de re, quæ frequenter accidit.

134. Iansen. Isai.59. Prou.28.

Secundò.Respondit D.August.lib.3.de Baptismo contra Donatistas cap.20.has assertiones huius mendici,esse hominis parum docti, ac proinde non ex omni parte veras;& erat,ille adhuc catechumenus, nec dum satis in fide instructus, eiusque pronunciatum non est Scripturæ,sed tantum Scriptura refert illum esse prolatum à cæco, quod est omnino verum,& canonicum; ad hunc sensum in præsenti loquitur D. August. tract. 44. in Ioan.*Hæc adhuc,* ait, *inuectus loquitur: nam & peccatores Deus audit: alioqui frustra Publicanus diceret: Deus propitius esto mihi peccatori, ex qua confessione meruit iustificationem, sicut & cæcus ille illuminationem.* Hanc sententiam sequuntur Barradas,Cornelius,ac alij Recentiores.

135. Aug. Barrad. Corn.

Tertiò.Ait mendicus,peccatores non exaudit, vt ait Euthym. *in huiusmodi videlicet miraculis,* Fieri enim non potest, vt Deus peccatores exaudiat, eisque concedat potestatem edendi miracula, quibus testatum faciant id, quod de se ipsis, ac de Deo falsum prædicant, & monstrent se missos à Deo,ac veraces esse,cùm non sint, & in hoc censu propositio mendici est verissima, non enim Deus facit miracula ad testificandã alicuius fictam ac simulatam sanctitatẽ;inde hęc sententia mihi videtur genuina,quia mendicus subdit.n.33. *Nisi hic esset à Deo non poterat facere quidquam.*Ergo cum Christus ederet miracula, vt comprobaret, se esse verum Dei filium, ac verum Messiam à Deo missum, apertè demonstratur, quod hæc testifi

136. Euth. *Probabilior sententia.*

testificatio de se ipso sit vera, nam aliàs in illius confirmationem Deus nó perpetraret miracula; Hanc sententiam tenent D.Chrysostom. Euthy. Theophyl. Lucas Burgen. Suar.tom.2.de Relig. lib.1.de orat.cap.25.*Deus,*ait,*peccatores non audit, si orent mala intentione*, v. gr. ad confirmationem hypocrisis,vel mendacij.

Chryſ. Euth. Theoph. Lucas. Suar.

QVÆSTIO XVIII.

Quare cum tanta audacia mendicus ſtat, ac loquitur contra Principes, & Phariſæos?

137. VIr Phariſæis loquitur mendicus, patet ex ſupradictis n.16. Et tamen cùm pauper eſſet multa audacia cum principibus habet ſermonem, ac ſine metu, & perturbatione,cum eis agit.

138. Chryſ. Reſpondet primò D.Chryſoſt.homil.de ęmulat. & cæco nato habita 6. tom. *Phariſæi*, ait, *& Principes Iudæorum, videntes multos ad Chriſtum Dominum miraculum cæci nati trahere poſſe, impietatis æmulatione ſtimulati, & veritatis aculeo compuncti,eum,qui cæcus fuerat,intrò vocant. Ac videre erat miſerum ſpectaculum, cum pietas exagitaretur, impij iudices diſceptarent, magnus athleta certaret,* Sola Dei protectio ab inuidia protegit ſua dona. *Deus certamini præſideret.* Aderat cęcus inter Phariſæos,ac Principes, & licet dura,ac æmulata cõtentione,multáque ſua auctoritate cum eo certarent,tamen mendicum nec opprimunt,nec confundunt,vt miraculi excellentiam denegaret. Vnde & mendacio tantum robur *aderat Deus certamini*, indęq; proueniebat,vt inuidentium,ac iniquorum telis Dei athleta non cedit:ſolùm enim à Diuina protectione fieri poteſt, vt Dei donum ab inuidia non ſuperetur.

139. Reprehendere principes diuinæ virtutis eſt. Secundò.Iterum premo Chryſoſt.verba. *Magnus Dei athleta certaret, & Deus certamini præſideret.* Non ſolùm mendicus firmus,& conſtans inter magnates ſtabat,excellentiam miraculi defendés, ſed etiam reprehenſione in eos inuehitur. *Scimus quia peccatores Deus non audit*, qua ſententia eorum temeritatem arguit,qua dixerant,*nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Reprehendere autem principes diuinæ virtutis eſt.Cùm Iudęi comprehenderent meum Ieſum in horto,percuſſit Petrus ſeruum Principis ſacerdotum,& amputauit auriculam eius;áitque illi Ieſus: *Conuerte gladium tuũ in locum ſuum.* Matt.26.n.52. Quæ verba per modum increpationis fuerunt dicta Petro,vt obſeruant Luc.Burgen.Cornel.& alij.Cur reprehenditur Petrus, qui ex multa animoſitate videbatur magna laude dignus, inter cætera, quæ increpationis nota apparent, illud vnum eſt, quia, quod omiſſis principibus, ac ducibus, percutiebat ſeruum,ac homunculum quendam.

Matth.26. Luc Burg. Cornel.

140. Chryſ. Tertiò.D.Chryſoſt.homil.57.in Ioan. *Intuere*, ait,*viri prudentiam, ſemper in ore habet miraculum.* Adſtabant Phariſæi ingentem Chriſti pietatem in cæcum denegantes, at ipſe mendicus præ gratitudine ſemper in ore nil aliud habebat niſi beneficium.Dicebat. *Impoſuit mihi lutum,& lavi,& video.* Et iterum. *Hoc vnum ſcio,quod cum cæcus eſſem,modò video.* Et modò *a ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Vnde Phariſæi negantes in incredulitate remanſerunt,mendicus verò confitęs donum,meruit illuminari interius, ac Dei Filium cognoſcere. *Credo Domine,& procidens, adorauit eum.* Multa millia Iſraëlitarum in deſerto perierunt;at vna Raab meretrix cũ tota ciuitas periret,ipſa meruit cum tota domo patris ſui vitam,& libertatem aſſequi.Vnde factum eſt hoc. Iſraëlitæ Deum authorem donorum negabant. Dixerunt enim facto verbo. *Hi ſunt dij tui Iſraël,qui te eduxerũt de terra ægypti.*Ex.32.n.4.At Exod.32. Raab ait exploratoribus *Audiuimus,quod ſi creauerit Dominus aquas maris rubri ad veſtrum intuitum,quando egreſſi eſtis ex Ægypto.* Ioſue 2. n.10. Ioſue 2. Vnde Iſraëlitæ donum inficiantes à dono ſunt excluſi, & morte damnati,Raab verò recognoſcens ſalua,& tuta in vitam ſeruatur.Diuus Chryſoſt.hom.5.de Pœnitentia. *Quid*,ait,*Raab fecit ad ſalutis augmentum? Suſcepit exploratores,& dixit eis, quanta Deus veſter fecit Ægyptiis, dicit,& Iudæus, hi Dij tui,qui eduxerunt te de terra Ægypti,& meretrix non Diis; ſed Deo ſalutem adſcribit.* Chryſ.

141. Chryſ. Idem Diuus Chryſoſtomus citata homilia 47. in Ioannem. *Nunquid timuit cæcus? minimè.* Vnde illi tanta fortitudo, vt excluſo omni timore firmus ſtaret! Pugnabat ille pro iuſtitia,veritate,ac ratione,& pro his vnus contra multos audit.Cũ filiæ ſacerdotis Madian vellent adaquare ſuos greges,ejecerũt eas paſtores ſuperuenientes. *Surrexitque Moyſes, & defenſis puellis adaquauit oues eorum.*Exod.2.num.17.Paſtores multi,& viri fortes erant,Moyſes vnus ſolus,& peregrinus,& laſſus itineris,& tamẽ prævaluit in eos;iuſtitia ſuffragium præbet,virẽſq; miniſtrat, ſtabat Moyſes pro iuſtitia, inde robuſtior aduerſus paſtores factus,eos deuicit; cùm Suſanna à ſenioribus, ac populo eſſet ad mortem damnata, vnius pueri Danielis ſententia ſuffragante abſoluitur.Diuus Ambroſius l.2.de Virginibus. *Daniel*, ait,*ſupplicium Suſannæ ſpectaturus aduenit, at quem populus damnauit,vnus abſoluit.* Pro iuſtitia pugnãs vnus contra multos prævaluit. Exod.2. Ambr.

142. Simon, & Leui interfectis omnibus maſculis magnam ſtragem fecerunt in ciuitate Sichem, quæ vt creditur magna,& populoſa erat, *depopulati ſunt vrbem in vltionem ſtupri.*1.Gen.34. Vnde illis tantum robur,ac fortitudo,vt duo homines tantam ſtragem ediderint? Decertabant illi non gladio ferri,ſed mucrone iuſtitiæ,inde pauci ergà multos pręualuerunt.Saluian.lib.7.de Prouidentia; *Vt agnoſcamus*,ait,*meritorum hoc fuiſſe,non virium.* Gen.34. Qui decertat non ferro,ſed iuſtitia, vincit. Salu.

*Ioan.9.num.*34. Reſponderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.

*Num.*35. Et audiuit Ieſus,quia ejecerunt eum foras: Et cùm inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

*Num.*36. Reſpondit ille, & dixit: quis eſt Domine, vt credam in eum?

VERSIONES.

*Euthym.n.*34. In peccatis omnino natus es.

*L.Burg n.*35. Credis in illum Filiũ Dei.

Syria

Syriacus n.36. Respondit ille, qui sanatus fuerat, & dixit: Domine mi.

Caietanus. Qui est filius Dei?

EXPOSITIO IX.

143. RESPONDERVNT, *& dixerunt ei.* Redargutionem Mendici ferre non valẽtes, in iniurias prosiliunt, ex quo liquet, vt notarunt D. Chrysost. Theophylact. Leontius, D. Cyril. quod tandiu Pharisæi modestia vsi sunt cum mendiço, quandiu illis fuit spes, vt ab eo aliquid aduersus Christum extorquerent. Cùm autem viderunt eum Christum defendere, multas contumelias in eum congerunt. *In peccatis natus es totus.* Quædam exaggeratio est. Natum in peccatis dicunt, quia non solùm quantum ad animam natum in peccato putabant. Psalm. 50. n. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Quod ordinarie commune hominibus, sed quia percussum cæcitate corporis natiua peccatum existimabant. Peccati culpa animam, pœna verò corpus infecerat. Sic exponunt. D. Aug. D. Chrys. Theoph. Euthymius, Rupertus. D. Thomas, & ait: *Vt ostendant, tam animam, quam corpore peccatorum vestigium, id est cæcitas fuerat.* Animæ deformitatem, corporis infelicitatem senserat. Maldonatus aliter explicat, hoc est ab vtero matris tuæ vsque in hodiernum diem, nil didicisti nisi peccare. *Tu doces nos?* Tu, qui es vilis, & abiectus, doces nos viros religiosos, & in lege peritos? *Eiecerunt eum foras*: à domo, in qua erant, tanquam fatuum, & indignum, vt cum eo tanti Magistri disputarent. Leontius, eiecerunt extra synagogam Chrysostom. Theoph. extra templum.

Chrys. Theoph. Leont. Cyril. Psalm. 50. Aug. Chrys. Theoph. Euthym. Rup. Maldon. D. Thom.

144. *Et audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras*: Christus verus Deus bene sciebat omnia, quæ cæco contigerant, sed etiam vt homo audiuit ab aliquo enarrante, & in eo, in quo peruersi Pharisæi cogitarunt malum inferre homini, magnum illi contulerunt beneficium, vt è synagoga eiectus in Christi Ecclesia reciperetur. Vt notauit D. Augustin. dandus quæst. sequenti. *Et cum inuenisset eum.* Non casu, & fortuna, sed alto consilio, & industria. Theophylact. *Datâ operâ*, ait, *ad hoc veniens, vt illum consolaretur, & quasi agonotheten athletam susciperet.* Voluerit Dominus dono afficere, consolari, ac simul honorare eum, qui pro se aduersa sustinuerat: eiectionem scilicet à synagoga. *Et dixit ei, tu credis?* Hoc est vis credere, paratus es credere? Perbelle notauit Theodorus Heracleotes, quod quando Christus sanauit eius oculos, nihil ab eo interrogauit; at cum animam sanare disponit interrogat, an credat, quia ad salutem corporis nulla nostra cooperatio est necessaria, maximè verò ad salutem animæ. *In filium Dei.* Scilicet in illum filium Dei, qui missus est in salutẽ generis humani. Euthymius, *Quod bonorum caput est*, ait, *ei tribuit se se ille prabens cognoscendum, ac verum efficiens discipulum.*

Aug. Theoph. Theod. *Ad salutem animæ nostra cooperatio.* Euth.

145. *Respondit ille, & dixit.* Addit Syrus, *qui sanatus fuerat.* Theophylactus, Leont. quod ille non cognoscebat Christum, nam cæcus erat, quando lutum fuit in eius oculis impositum. Tamen vterque Theodorus Heracleen. & Mopsuet. Maldonatus, quod mihi est probabilus, dicunt, quòd licet Christum non cognosceret ex facie, cognouit tamen eum voce esse suum sanatorem, & licet nondum cognosceret ipsum esse filium Dei. *Quis es Domine*; Honorificè eum vocat, à quo tantum beneficium acceperat: cuius dictis tantum deferebat, vt sola sua auctoritate declaratum filium Dei crederet. Glossa: *Habebat cæcus*, ait, *iam dudum cor paratum ad credendum, sed in quem credere deberet, ignorabat.* Christus exterius interrogabat, interius tamen virtute sua diuina operabatur, vt ille haberet cor paratum ad credendum. *Vt credam in eum.* D. Chrysostom. *Desiderantis*, ait, *& valde inquirentis anima verbum est, vt veritatis eum amatorem esse intelligas.*

Syr. Theoph. Leont. Theod. Her. The. Mops. Mald. Glossa. Chrysost.

QVÆSTIO XIX.

Quare Mẽdicus iste Christi mirabilia prædicans eiicitur de synagoga, non verò Lazarus?

146. IN limine huius quęstionis notãdum est. Quod hic exoritur multa persecutio, ac vexatio contra hunc Mendicum Christi miracula testificantem, non sic verò contra mulierem contractam, quæ ob salutem illi concessam, Deum glorificabat. Luc. 13. num. 3. Diuina sapientia vniuscuiusque vires, & non æqualiter eadem facinora ab omnibus petit, sed ab infirmioribus vult tantum voce laudari, ab illis occasiones certaminum remouet, ne in illis periclitentur, has autem rigidas occasiones vitis clarioribus, & fortioribus ad eorum maiores triumphos reseruat, & remittit. Ad quæstionem.

Luc. 13. *Deus iuxta nostras vires vult nostra opera.*

147. Primò. Eiecerunt eum è synagoga, vel ciuitate, seu domo, & in quo peruersi Pharisæi cogitarunt malum inferre homini, in hoc illi magnum contulerunt beneficium, vt è synagoga eiectus in Christi Ecclesia reciperetur. D. Augustin. tract. 44. Ioan. *iam non erat malum*, ait, *fieri extra synagogam: illi expellebant, sed Christus excipiebat, magis enim quia expulsus est, Christianus factus est.* Ait Regius Vates: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Ps. 86. n. 1. Genebrardus. *Quia scilicet de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Isai. 2. num. 3. per ipsas portas egrediens lex ad gentes deuenit.

Ex synagoga egrediens venit ad Ecclesiam. Aug. Psalm. 86. Isaiæ 2.

148. Secundò, & valde mirum, quòd homo apertè Christi miraculum testificans, ac veritatem proclamans tam malè audiatur, sed quia veritatem dicebat, inde malè auditur, & foras eiicitur, veritas enim multum odiosa est principibus, cum mẽdicitas eis maximè sit plausibilis. Cùm Petrus Angelo docente è carcere euasisset. *Herodes cùm requisisset, inquisitione factâ de custodibus iussit eos duci.* Actor. 12. num. 19. Explicat D. Chrysostom. iussit eos duci, scilicet ad supplicium; vnde Syrus legit, *iussit eos necari.* At custodes Christi sepulchri cùm eius corpus dicunt à sepulchro abesse, nil malè auditum habent à præside Pilato. Matth. 28. num. 14. Quænam causa, ob quam ex vacuato loco supplicium illis custodibus infligitur, non verò his secundis? Primi custodes veritatem testificabantur, Petrum scilicet abiisse; secundi verò mendacium astruebãt, quod ipsis dormientibus, discipuli furati fuissent Iesum. Verax assertio odiosa Regi, mendax verò plausibilis Præsidi, veritas

Veritas principibus odiosa, mendacium plausibile. Actor. 12. Chrysost. Syr. Matth. 28.

Cyril. ritas supplicium; mendacitas verò gratiam comparauit. Diuus Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 14. *Quare ſicut Petro*, ait, *de cuſtodia exeunte, condemnati ſunt cuſtodes, ſic etiam qui Ieſum cuſtodiebant, non ſunt condemnati? Sed illi quidem multati ſunt: iſti autem ſcientes veritatem, & ipſam occultantes à Principibus Sacerdotum ſeruati ſunt.*

149. Terriò & maximè ad quæſtionem: quia Phariſæi audiunt mendicum Chriſti magnalia prædicantem, foras eliciunt; & tamen cùm Lazarus multa, & magna de Chriſto proclamaret, vt colligitur Ioan. 12. n. 10. nihil mali in eum moliuntur. Homò iſte mendicus, ac pauper, Lazarus verò vnus ex primis, ac principibus, & apud mundiales omnis vexatio, ac moleſtia pauperibus infligitur, à qua diuites, & potentes immunes, & ſalui conſiſtunt. Cum Iſraël pugnaret aduerſus Amalech dicitur, *manus ſolij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech*, Exod. 17. num. 16. Sententia mortis à Domino egreſſa eſt contra Amalech, eo quòd pugnaret contra Iſraël in deſerto, ipſius autem ſententiæ executor deſignatus eſt Saul rex; qui illato bello eum ſuperauit. *Percuſſitque Saul Amalech ab Heuila, donec venias ad Sur, apprehenditque Agag regem Amalech viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij, & pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus eorum*, 1. Regum 15. numero 7. Confer vtrumque locum inter ſe, *ſi manus ſolij Domini* erat contra Amalech, quomodo & manus Saul contra eum? Manus ſolij Domini contra regem Agag Amalech, manus ſolij Saul ad cuſtodiendum regem, populúmque ad occidendum: *omne autem vulgus interfecit in ore gladij*. Sola Domini manus reges, ac potentes perimit, manus autem hominis magnates, ac principes illæſos ſinit, plebeios, ac minimos depopulans comprimit, ac interficit.

Homines venerantur potentes pauperes opprimãt.

Ioan. 12.

Exod. 17.

1. Reg. 15.

Ioan. 9 *n.* 37. Et dixit ei Ieſus: & vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe eſt.

Num. 38. At ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum.

VERSIONES.

Arias n. 37. Et loquens cum te, ipſe eſt.
Arabicus. Et iam vidiſti eum, & eſt qui loquitur tecum.
Syriacus n. 38. Credo Domine mi.
Arabicus. Iam credo Domine.

EXPOSITIO XII.

150. Euthym. *ET vidiſti eum.* Vt explicat Euthym. *Non prius ſed nunc.* Modo ſe tibi ipſe videndũ offert, quẽ hucuſque cæcus videre non potuiſti; nam ipſe abſente Chriſto in piſcina Siloë viſum receperat; vnde hucuſque Chriſtum non viderat, vt bene notat Theoph. *Videtur*, ait, *dedita opera dicere, vidiſti eum, vt omnino in memoriam ſuæ ſanationis illum reducat, & quod à ſe virtutem receperit videndi.* Quod etiam aduertunt Leontius, D. Thomas,

Theoph.

Leont. D. Thom.

D. Bonauent. & alij. Tanquam ſi diceret Dominus: Qui cæcus natus es, iam vidiſti eum, à quo illuminatus es: ex tuo ipſo viſu recepto, ex tuo, tibique beneficio collato, facilè deprehendes, quis ſit Filius Dei, ipſemet nempe à quo viſum recepiſti. *Et qui loquitur tecum ipſe eſt.* Quia enim illud verbum, *vidiſti eum*, videri poterat dubium, & valde generale; magis preſsè, ac indiuidualiter; vt ait D. Chryſoſt. *Ideò manifeſtiùs ſubdit, qui loquitur tecum, ille eſt.* Sicque paulatim Chriſtus hominem ad expreſſiorem ſui cognitionem deducit.

Bonau.

Chryſ.

151. *At ille.* Chriſti verbi efficacia illuminatus, interius credidit, exteriorique verbo fidem profitetur. *Credo Domine*, te eſſe verum Dei Filium, miſſum à Patre in ſalutem noſtram, & quamuis Phariſæi aduerſarij adeſſent, tamen magnitudine fidei repletus homo omni pudore, ac metu reiecto eorum omnibus Chriſtum Filium Dei profitetur, excellens fides nullum timet, nec veretur. *Et procidens adorauit eum.* Cùm verbo ſimul adiungit opus, quo Dei Filium reuereretur, & colit. D. Chryſoſt. *Ne quis*, ait, *verbo tenus dixiſſe arbitrari poſſet, opus etiam addidit, & affectum ſuum è veſtigio adorando prætulit, & hoc pacto diuinam eius virtutem demonſtrauit.*

Fides manifeſtatur cum opere.

Chryſoſt.

QVÆSTIO XX.

Quare poſtquam Mendicus eiectus eſt à Phariſæis, ſe Dominus illi præbet circumlocutione vtens?

152. AD hoc ſecundo in quæſtione quæſito incipio difficultatem; ſi illi Dominus hic manifeſtat eſſe verum Filium Dei dicens: *Vidiſti eum, & ipſe eſt, qui loquitur tecum.* Non dixit, ego ſum, quod clarius, & breuius erat; ſiue, vt ait diuus Chryſoſtomus, vt modeſtius loqueretur; ſiue vt autumant diuus Cyrillus, Theophylactus, diuus Thomas, Albertus Magnus, & alij, vt hoc modo doceret; in illa carne, in qua videbatur Diuinitatem Filij Dei latere, ac proinde præter id, quod exterius apparebat, aliud interius ineſſe.

Chryſ. *Chriſti modeſtia.* Cyril. Theoph. D. Thom. Alb. Mag.

153. Si autem Dominus cum Samaritana loquens, apertè, & clarè dixit: *Ego ſum*, Ioannis 4. numero 26. Reſpondet ad hoc Theodor. Mopſueſt, quòd mulieri dixit palam: *Ego ſum*: quaſi ſolus cum ſola ſibi multum propenſa loquebatur. Nunc verò, non ſic cum hoc mendico, quia ſermo erat coram aduerſariis Phariſæis, vt patet infrà verſu 40. & ideò ad euitandam horum malignantium calumniam hac circumlocutione, & non apertis verbis: *Ego ſum*, vtitur. Secundò. Mulier Samaritana; extabat piè affecta ad Dominum, indéque iam proportionata tanto beneficio inueniebatur. At Phariſæi in ſua malitia obdurati, tanta Diuinitatis notitia erant incapaces. Cæcus autem ob ſuam bonam diſpoſitionem, ſimul cum externo Chriſti verbo, interius diuina inſpiratione illuſtrabatur, vt Chriſtum verum Filium Dei agnoſceret, & profiteretur.

Ioan. 4. Theod.

Coram multitudine caute loquendum.

154. Ad primam quæſtionis partem venio. Quare poſtquam Mendicus eiectus eſt à Phariſæis, ſe dominus illi præbet, & manifeſtat? Ad hoc reſpondet primò diuus Cyrillus Alexandrinus

lib.6.in Ioannem, cap.10. *Pharisæi quidem illum prius cæcum eiiciebant, sed Christus eum suscipiebat.*

Fuge iniquos vt magna pericula. *Tunc magis mentis cognoscere Christū, cùm ejectus est de consortio inimicorum Christi.* Magna diuinitatis reuelatio, quod Christus sit verus Filius Dei non conceditur homini, cùm eius oculi aperiuntur in fonte Siloë, ac visum recipit, nec cùm valdè generòsè disputat cum Pharisæis, sed modò cùm ab eorum communione ejectus est, discessus enim ab iniquis multa ad sublimia approximatio est, & quantum quis recedit ab iniquorum consortio, tantum ad altiora euolat.

155. Idem Diuus Cyrillus citato proximè loco: *Quantum*, ait, *inter Pharisæos iste, & ignominia ab eis non est passus, non se illi denuò exhibuit, sed cùm primùm extra illorum est contubernium expulsus, & ignominia nota pro Christo affectus protinus se illi Christus præsentem ostendit.* Accepit homo à Christo beneficium oculorum, & tamen tunc diuinitatis Christi notitiam non accepit, sed modò, quando cum ignominia reiectus est à Pharisæis, qua minimè hebetatur, sed firmus in suum benefactorem perseuerat, multa enim assequitur à Deo, qui aduersitates pro Deo patitur, & sustinet, illisque non frangitur, sed immobiliter corroboratus perseuerat.

Qui aduersa patitur, magnorum fit dignus.

156. Præcepit Deus filiis Israël, quòd Agnus ab eis manducandus, aqua non coqueretur: sed igne assaretur. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igne*, Exod.12. numero 9. Cur iam districtè præcepit Deus, vt agnus aliter non comedatur, nisi tantum igne assus? Cùm carnes igne assantur, ipso igne non dissoluuntur, sed maximè coadunantur, & obdurantur, ac corroborantur, & ea virtus maximè Deo placet, eique est acceptabilis, quæ ardore ignis, ac persecutionis, non dissoluitur, & frangitur. Diuus Gregorius Magnus apud Lyppomanum. *Quæ carnes agni assanda sunt, quia nimirum dissoluit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat, carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsa vis passionis, illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, ac in incorruptionem roborauit.*

Exod.12.

Placet Deo, qui aduersitatibus non frangitur. Greg. Lippom.

Ioan.9.n.39. Et dixit Iesus: in iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant.

Num.40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus?

Num.41. Dixit eis Iesus: si cæci essetis: non haberetis peccatum, nunc verò dicitis, quia videmus. Peccatum vestrū manet.

VERSIONES.

Syriacus n.39. Ad iudicium huius mundi ego veni.

Arabicus. Vt iudicem hunc mundum ego veni.

Arabic.n.40. Audiuit hoc quidam Pharisæorum.

Arias. Existentes cum ipso, & dixerunt.

Syriac.n.41. Si cæci essetis, non esset peccatum in vobis.

Arabicus. Peccatum vestrum firmatum est.

Syriacus. Propterea peccatum vestrū præstat.

Luc.Burgens. Illud peccatum vestrum manet.

EXPOSITIO XIII.

157. IEX proximè facta cæci confessione, ex ipsóque tam in visum animæ, quàm corporis restituto; ex astantibus Pharisæis in sua obstinatione permanentibus, sumpsit Christus occasionem ad præsentem doctrinam subiiciendam. *In iudicium.* D.Chrysostomus hom.58. Euthym.Theophylactus, Leontius, iudicium pro condemnatione, & supplicio interpretantur, eorum scilicet, qui videntes eius mirabilia, ac alios credentes, ipsi immobiles in sua infidelitate permanserunt. Inde tamen mihi hæc sententia non placet; quia hîc iudicium ad vtramque partem sententiæ tam ad non videntes, quàm videntes est referendum. Secundò. D. Cyrillus, seu Clitouæus in eius supplemento, Iansenius, & alij dicunt iudicium hîc significare Dei consilium, seu decretum, quo factum est, vt gentiles cæci lumen Christi viderent; & Iudæi sua infidelitate illud non viderent. Maldonatus iudicium Dei prouidentiam denotare vult.

Chrys. Euth. Theoph. Leont.

Cyrill. Clitou. Iansen.

158. Aptior tamen mihi est sententia D. Augustini tract.44.in Ioannem, Alberti Magni, Diui Thomæ, Diui Bonauenturæ, Toleti, & aliorum hîc eximi iudicium discretionis prorum ab impiis. *Vt qui non vident, videant.* Vt illi, verbi gratia, Gentiles, ac paruuli, verbi gratia, hic mendicus, qui non videbant, & simplices nempe, ac ignorantes erāt, visum mentis credentes recipiant. *Et qui vident, cæci fiant.* Et qui videbant, vtpotè Scribæ, & Pharisæi, qui Scripturarum, & legis scientiam profitebantur, propter eorum incredulitatem cæci facti sunt. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & reuelasti ea paruulis*, Matth.11.n.25. Aduerte cum Diuo Cyrillo, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, quod illa particula, *vt*, non causam, sed consecutionem indicat, cùm non propterea venerit Christus, vt aliquis excæcaretur, sed eorum malitia ex illius sacratissimo aduentu hoc est consecutum.

Aug. Albert. D. Thom. Bonau. Tolet.

Matth.11.

Cyrill. Chrys. Theop. Euth.

159. *Et audierunt quidam ex Pharisæis*, Græcè legitur; *audiuit quidam ex Pharisæis, illi, qui cum ipso erant*: nempe in comitatu eius obseruantes eius dicta, vt eum caperent in sermone? *Nunquid & nos cæci sumus?* Leontius, Theodorus, Mopsuest. Theophylact. dicunt, quod cùm Pharisæi nil spirituale cogitarent, Christi sermonem de cæcitate corporis inuellexerunt; sed si ipsi agnouissent, quod cæcitas corporis eis obiiciebatur, potius irriderent, quàm indignati essent, quia videbant se corpore non esse cæcos; ergo cùm indignati

Cæter. Leont. Theod. Theoph.

quærunt,

quærunt, *Nunquid & nos cæci sumus?* perceperunt se ipsos à Christo pungi, vt docent D. Cyrillus, Theophyl. ipsúmque loqui non de cæcitate corporis, sed animæ, ac si dicant, nunquid nos sumus cæci scilicet insipientes, ac indocti, rerum diuinarum ignari? Itane tu venisti, vt cæcos corporaliter illumines, & nos legis DD. spiritualiter, ac intellectualiter videntes excæcos? Ostende nobis hanc cæcitatem, & amentiam. Cyril. Theoph.

160. *Dixit eis Iesus: si cæci essetis.* Primò D. Chrysostomus, Euthymius, Theophyl. interpretantur de cæcitate corporis, ac si diceret, si essetis cæci corpore peccatum non haberetis; nam tunc essetis humiles, & non superbi; nam cæcitas humiliat animum. Secundò & satis aptè D. Augustinus tract. 44. in Ioannem, Beda, Maldonatus, & alij; si vestro sensu, ac iudicio vos cæcos, ac ignorantes cognoscereris, non haberetis peccatum, quia vestræ cæcitatis remedium à me quæreretis. *Nũc verò dicitis, quia videmus.* Quia persuasi estis vos videre, ac intelligere, quæ necessaria sunt ad salutem, cum illa minimè percipiatis, ac intelligatis. Peccatum vestrum manet insanabile, & irremissibile, nullam admittens excusationem. Euthymius: *Quia dicentes*, ait, *vos videre, nec videntes, voluntariè excæcamini, ab invidia, & malitia.* Et addit Diuus Augustinus: *Quia dicendo videmus, medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis.* Chrys. Euth. Aug. Theoph. Beda. Mald. Euthym. Aug.

CAPVT XIX.

Bonus Pastor.

Ioan. 10. *n.* 1. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.

Num. 2. Qui autem intrat per ostiũ, pastor est ouium.

Num. 3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & ducit eas.

VERSIONES.

D. Cypr. n. 1. Qui non intrauit per ostiũ, sed descendit per alteram partem.

Syriacus Qui non intrat per ostium in caulam ouium, sed ascendit per locum alium: ipse fur est, & latro.

Theophyl. In stabulum ouium.

Lucifer Caretan. lib. 2. Qui intrat per ianuam.

Syriac. n. 3. Atque huic custos ostij reserat ostium, & oues audiunt vocẽ eius: & oues suas vocat nominibus suis.

Arabicus. Vocantur nominibus suis.

Arias. Vocat iuxta nomen suum.

EXPOSITIO I.

1. *AMEN, amen dico vobis.* Verba ista esse superioribus capitibus antecedentibus connexa omnium est sententia, quamuis modus explicandi non sit idem; licet omnes modi interpretandi facile inter se coincidant. D. Chrysost. hom. 58. Euthym. Theophyl. inquiunt, quod Christus hic occurrit cæcitæ Iudæorum obiectioni, quia fugiebant ipsum, non quia essent cæci, vt eos appellauerat superiori capite, num. 39. sed quia se dicebat verum Pastorem populi, cùm non esset. Diuus Augustinus, Beda, Rupertus, Albertus Magnus astruunt, quod Christus ostendit Pharisæos cæcos, quia si cæci non fuissent, eum esse verum Pastorem, ac Messiam agnouissent. Tertiò aptissimè noster D. Cyril. in Catena Græca, & Lucifer Caretanus citatus, quòd Christus in fine superioris capitis Pharisæos vocauit cæcos, eorúmque peccatum remanere indelebile dixit, quia ipsi soli se existimabant legis Doctores, maximéque dolebant quod populus Christum nouam doctrinam prædicantem sequeretur; vnde cæcum ipsum confitentem eiecerunt de Synagoga, ac de suo ouili tanquam quendam pseudoprophetam sequentem; nunc verò ostendit Christus Dominus, quòd ipse sit verus Messias, verúmq; Doctor, ac Pastor, & omnes, qui per ipsum, eiúsque doctrinam non intrant, non spectare ad ouile sui patris, ac ad suam Ecclesiam, sed esse fures, & latrones, qui cum ingrediantur per aliam doctrinam non intentant, nisi perdere, & mactare oues. Chrysost. Euthym. Theoph. Aug. Beda. Rupert. Albert. Cyril. Carelet. *Connexio cũ superioribus.*

2. *Qui non intrat per ostium.* Tum mali pastoris, ac furis, tum boni pastoris, ac veri notas proponit parabolicè Dominus. Et prius furem, & latronem, quàm verum pastorem describit: quia facilius cognoscimus, quis fur sit, quàm quis sit bonus pastor. *Qui non intrat per ostium*, per communem, ac regiam viam: *in ouile ouium.* In caulam, seu stabulum ouium, ait D. Chrysostomus. *Hoc est ad oues, earúmque curam.* Nam oues præter pastorem etiam per ostium intrant. *Sed ascendit aliunde*, vt alij legunt, per alium nempe locum, verbi gratia, per septem, vel maceriam. *Ille fur est, & latro.* Fures, vt ait Diuus Hieronymus in capit. 7. Oseæ, insidiantur, & occulta fraude decipiunt; latrones audacter aliena deripiunt. Et D. Augustinus *Fur est*, inquit, *quia quòd alienum est, suum dicit*; latro, quia quod est furatus, occidit. Fur furatur, latro mactare intentat oues; cùm ergo iste non curet legitimum introitum inde ingressus eius ad oues est suspectus. Chrysost. Hieron. Aug.

3. *Qui autem intrat per ostium.* Sex conditiones boni pastoris, quibus à fure distinguitur hìc ponit Iesus. Prima est, quòd intrat per ostium ad curandas oues; & indè audacter, ac confidenter per ostium ingreditur. E cõtra verò latro malitia sua eum accusante extraordinarium locum quærit. *Huic ostiarius aperit*; ecce secunda cõditio. Introducit hic Iesus magnum patremfamilias, in cuius villa sit cõstitutus ianitor, ac præfectus ad custodiẽdas portas, ac caulas ouium, in hoc visitur cura optimi patrisfamilias, quod scit custodire suã domum, illique optimum ostiarium prouidere. *Conditiones boni Pastoris.*

4. *Et oues vocem eius audiunt.* Tertium signum probi pastoris, quòd oues vocem eius audiunt, audiendo nempe obediunt, eúmque agnoscunt ex voce, cùm ad furis, ac latronis vocem expauescant; eúmque audiunt, & agnoscunt tam ex communi consuetudine, quam ex pastorali cura, ac beneuolentia pascendi, *& proprias oues*: id est suas, quas, vt suas diligit, de eisque agit tanquam suæ propriæ curæ commissas. *Vocat nominatim.* Hoc est quartum iudicium boni pastoris. Et ostendit summam diligentiam erga oues. Euth. Nam, vt ait Euthymius: *Neque enim illas vocat nominatim, qui singulas diligenter non agnoscit.* Quintum signum. *Et educit eas* Ad pascua scilicet. Sextum autem signum dabitur sequenti expositione.

QVÆSTIO I.

Totius parabolæ sensus secundùm suas partes explicatur.

5. INTRODVCVNTVR in hac parabola, primò ouile, & est Ecclesia, quæ olim apud Iudæos Synagoga dicebatur; nunc verò est vna Ecclesia sancta, Apostolica, & Romana. Secundò. Herus ouilis, est Deus pater totius Ecclesiæ Dominus, & gubernator, Tertiò. Aug. Oues. Licèt D. Augustinus tract. 45. Estius, & Estius. alij per eas intelligant solos prædistinatos ad gloriam. Aptiùs tamen intelliguntur omnes fideles, qui sunt in Ecclesia, siue electi ad gloriam, siue Chrys. non, vt docet D. Chrysostomus; ait enim Christus Dominus infrà num. 12. *Lupus rapit, & dispergit oues.*

6. Quartò. Pastores. Theodorus Heracleotes ait Theod. Her. hic significari vnum tantum pastorem, qui est Christus Dominus: tamen quamuis Christus sit primus, & principalis pastor hic denotatus, qui de se ait infrà: *Ego sum Pastor bonus, qui oues proprio corpore, & sanguine pascit, eásque de luporum faucibus liberauit*, Ezechiel. 34. num. 23. Tamen Ezech. 34. communiter Auctores Beda, Rupertus, Carthu- Beda. sianus, Hugo, Maldonatus, & alij interpretantur, Rup. omnes Prælatos, qui per ostium, nempe per Chri- Carth. stum intrant, ouésque ad pascua sacræ doctrinæ, Hugo. ac virtutem deducunt. E contra verò qui non in- Mald. trat per Christum in Ecclesiam, non est pastor, sed fur, & latro, qui fideles laniare, & necare conantur. Tales fuerunt Iudas Galilæus, & Theodas, Actor 5. Actorum 5. num. 36. & 37. qui falsò intenderunt Messiæ dignitatem vsurpare, vt populum Iudaicum perderent.

7. Quintò. Ostiarius. D. Chrysostomus, Euthy- Chrys. mius, existimant ostiarium esse Moysem, cui Euth. ostium, Dei eloquia sunt credita. Moyses enim Christo Domino dat testimonium, & eum vt principem totius Ecclesiæ ostendit: iuxta illud: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Diuus Cyrillus, & etiam Cyrill. Leontius, ostiarium existimant Angelum qui Leont. vniuersæ Ecclesiæ præest, v. g. D. Michaël. D. Au- Aug. gustinus existimat, quòd Christus Dominus est ostiarius, qui se ipsum aperit, sequemeipsum nobis exponit. Tandem D. Chrysostomus, D. Au- Chrys. gustinus, Theophylactus, Rupertus inquiunt, Aug. quòd ostiarius est Spiritus sanctus, qui nobis ape- Theoph. rit Scripturas, quæ ad Christum verum pastorem Rup. inducunt, à quo omnium pastorem electio pendet, vt ritè Ecclesiastica munera conferantur.

8. Sextò. Ostium D. Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, per ostium interpretantur sacras Scripturas: hæ dei cognitionem aperiunt, oues custodiunt, lupos arcent, Hæreticis nempe aditum intercludunt. Tamen diuus Augustinus hoc loco, & sermone de verbis domini 49. & diuus Cyrillus in Catena Græca, diuus Gregorius homilia 15. in Ezechielem, & libro 7. Regist. cap. 47. Beda, Rupertus, diuus Thomas, & alij communiter, per ostium intelligunt Christum Dominum. Ipse enim de se infrà num. 7. ait: *Ego sum ostium.*

9. Obiicies Christus est pastor ouium; atqui pastor intrat per ostium; ergo cum ipse sit pastor, non potest esse ostium. Respondet primò D. Augustinus & Glossa, & D. Gregorius lib. 9. epist. 41. Aug. Gloss. Greg. Christus veritas est, qui ergo vera docet, & prædicat per Christum intrat in Ecclesiam; in hoc coincidit modus dicendi Toleti annot. 2. Ipse est Tolet. ostium, quatenus per ipsius fidem ingressus patet in ouile Ecclesiæ pastoribus, & ouibus. Secundò Maldonatus ait dici Christum pastorem per Mald. ostium, id est per se ipsum intrare in Ecclesiam, quia sua auctoritate in eam intrat. Cæteri verò intrant auctoritate à Christo accepta. Tertiò. Christus dicitur Pastor, & ostium; nam ostium hoc loco idem significat, ac legitimè ad pastoris officium ingredi; ille ergo legitimè ingreditur ad munus aliquòd, quod legitima via, ac auctoritate illud assequitur. E contra verò, qui iniuste dignitatem obtinet, hic non intrat per ostium. Addo etiam quòd Christus dicitur ostium, quia non solùm sibi legitimè Messiæ dignitatem assumit, sed etiam esse ipsum ostium, per quod reliqui pastores intrare debent.

10. Tropologicè Salmeron tom. 7. tractat. 15. In Salm. Ecclesiam, ait; varij variè intrant. Primò nonnulli per ostium, siue portam Cæsaream nimirum aulici per commendationem Cæsarum, Regum, Principum. Secundò alij intrant per portam au- *Varij ingressus per tres portas.* ream, scilicet diuites. Tertiò alij per portam sanguineam, hoc est per cognatos, & parentes. Quartò alij per portam munerariam, id est, per dona, & munera. Quintò alij per portam famulatiam, scilicet serui, & famuli, qui eb obsequia promouentur ab Episcopis, & Prælatis ad dignitates.

11. Vltimò tandem. Christus Dominus est pastor, & ostium; ipse enim iustitia, probitas, ac sanctitas, qui ergo per Christum intrat, per iustitiam, probitatem, ac meritum ad munera, ac officia Ecclesiastica intrat; dicitur Ioan. Apocalyps. 22. n. Apoc. 22. 14. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas illis in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitatem.* Quinam sunt isti, qui stolas suas lauant in sanguine Agni: hi nimirum, qui crucis Christi imitationem amplectuntur. diuus Ambrosius Ambr. libro 5. in Lucam, capite 7. *Tinge*, ait, *carnem tuam in Christi sanguine, sicut scriptum est, vt intingatur pes tuus in sanguine*, Psalm. 67. n. 24. *Tinge carnem* Ps. 67. *tuam in Christi sanguine, si vitia diluas, peccata detergas, mortem Christi in tua carne circumferas.* Sed ad quid additur, quod illi, qui Christi mortificationem in carne sua sustinent: *per portas intrent in ciuitatem.* Non sat erat dicere, quod intrent in ciuitatem, non enim poterat esse ingressus per tegulas, vel murorũ mœnia, seu per foramẽ aliquod

ad

ad quid exprimitur per portas? Illi per portas aperitur aditus, qui per communem, ac regalem laborum viam ingreditur; ipsa crux, ipsáque passionis Christi mortificatio regalis clauis est, quæ ostium reserat, vt ad supremam felicitatem ingrediatur, quam furtiuè vult arripere, qui hanc viam non sequitur. Huc aduoco Tertullianum lib. de pœnit. *Furto quidem aggredi*, ait, *& propositum huius rei affirmationibus tuis circumduci facilè est: sed Deus thesauro suo prouidet, nec finit obrepere indignos.* Expende vltima verba, *prouidet thesauro suo, nec finit obrepere indignos*, sed vult vt per communem meritorum viam ingrediantur.

Qui Christi passioni imitatur per portam paradisi ingreditur. Tertull.

12. Videt Iacob in somnis cœlum apertum, & scalam à terra in cœlum, Dominumque innixum scalæ, Angelósque ascendentes, & descendentes, *cumque euigilasset de somno, pauensque ait, quam terribilis est locus iste.* Et subdit rationem, cur sit formidolosus, & terribilis: *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli*, Genes. 28. num. 13. Hæc ratio apposita multam mihi ingerit difficultatem. *Contremiscant, qui appropinquant ad portas mortis, & inferni*, Psalm. 106. num. 18. Sed qui se videt approximatum ad cœli portam, cur pauescit? Tanta visione maximè exactus erat Patriarchæ visus, indéque agnoscebat, quod per portam illam non ingrediebantur, nisi fortes milites, ac optimi bellatores, qui mortificationem Crucis Christi ferebant, indéque ne ab ea discreparet, Iacob de se ipso timebat.

Gen. 28.

Psal. 106.

Per portam paradisi non ingreditur, nisi bellator.

13. Eiectis primis parentibus de paradiso *Collocauit*, Dominus, *ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, Genes. 3. num. 24. Cur non clauditur ipsum ostium, vel alio Custode non munitur nisi Cherubim, & flammeo gladio, atque versatili? Non clauditur, ne spes illuc ingrediendi amittatur, custoditur Cherubim, id est prudentia, & flammeo gladio, vt denotetur, quòd per paradysi portam non fit ingressus, nisi qui prius probetur per duos bellorum conflictus, cum prudentia perpessos. D. Ambrosius serm. 20. in Psalm. 118. *Omnes oportet*, ait, *per ignem probari quicumque ad paradisum redire desiderant. Non enim otiosè scriptum est, quod eiectis Adam, & Eua de paradisi sede posuit Deus in exitu paradisi igneum gladium versatilem. Omnes oportet transire per flammas; sine ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum:* Sic eum volo manere, quid ad te? *Sine ille sit Petrus, qui claues accepit regni cœlorum, qui supra mare ambulauit.*

Gen. 3.

Ad portam paradisi per pugnam intratur.

Ambros.

Quæstio II.

Quare hic tantùm oues sequuntur Pastorem, cùm ad Adamum omnia animantia adducerentur?

14. FORMATIS *igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea*, Gen. 2. num. 19. Conueniunt ad Adam Leo, Vrsus, Tigris, Lupus, Bos, & Ouis, Aquila, &c. vt eius vocem audiant, eiúsque Imperio obediant; at Christus Dominus de se ipso loquens, ait: *Qui autem intrat per ostium pastor est ouium, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim.* Ecce ad secundum Adamum Christum Iesum, non leones, nec lupi, sed tantùm oues veniunt, ab eóque nominari dicuntur? Si ad primum parentem omnes sanguineolentæ bestiæ introductæ sunt, cur ad Iesum solum oues veniunt? Quo Leones, Tigres, ac cætera animantia recesserunt? Non recesserunt; sed vbi primum vocem Christi audierunt, intráque eius ouile, Ecclesiam scilicet ingrediuntur, iam ex sanguinariis bestiis omni crudelitate deposita in mites oues mutantur, & bestiarum feritas in ouium lenitatem transmutatur. D. Anastasius Sinaïta lib. 9. Hexameron: *Nominauit*, ait, *quando Deus eas adduxit ad Adam, vt videret, quid eas vocaret. Sed quando congregabantur quidem, dicebantur bestiæ: quando autem introductæ sunt in paradisum, & in stabulum boni Pastoris, effectæ conformes Agno Christo, statim Oues nominatæ sunt omnes.* Quod confirmat citatus Anastasius loquens de hoc Christi ouili, seu Ecclesia. *Hæc*, ait, *Magnos effecit Apostolos, facit publicanos Euangelistas, reddidítque meretrices virginibus honestiores.*

Gen. 2.

Qui ad Ecclesiam Dei accedunt, ex leonibus fiũt oues.

Anast.

15. Dei currum quatuor animalibus, scilicet homine, leone, boue, ac aquila euectum, quem viderat Ezech. cap. 1. num. 10. iuxta fluuium Chobar iterum videt iuxta Dei templum cap. 10. numero 14. *Facies vna, facies Cherub, & facies secunda, facies hominis, & in tertio facies leonis: & in quarto facies Aquilæ. Et elevata sunt super Cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* Maximè ponderandum, quod in hac secunda visione, videt currum ferri ab homine, leone, Aquila, non tamen à boue, vt prius, sed pro boue videt Cherubim. *Ipsum est animal, quod viderat iuxta fluuium Chobar.* Rabbi Dauid, Pagninus, Antonius Fernandius lib. de visionibus Veteris Testamenti, visione 16. sect. 2. vitulum, inquiunt, mutasse faciem suam in Cherubim; sed vnde ista mutatio facta est? Primò facta est apparitio iuxta fluuium. Secundò prope Dei templum, & animal, quod iuxta fluuium, ac mundiales aquas erat bos, & ferus taurus, vbi accessit ad Dei templum, feritate deposita, mutatur in purum, & sanctum Cherubim. Huic valde persimilis est historia de nostro sancto Andrea Corsino superioribus annis canonizato à sanctissimo Domino Vrbano VIII. cuius mater cum esset grauida: ecce quadam nocte sibi visum est in quiete continere in aluo lupum, qui tamen paulo post ad cuiusdam Ecclesiæ ingressum in agnum repentè mutatus fuit; quod postea rei euentus demonstrauit; nam cum tanquá lupus vitiis adolescentiæ indulgeret, cum ad Dei templum deuenisset fumens nostræ sacræ Religionis habitum Agnus factus est.

Ezech. 1.

R. Dauid. Pagnin. Fernand.

Ex Dei præsentia bos fit Cherubim.

S. And. Corsi.

16. *Nigra sum sed formosa*, Cantic. 1. num. 5. Quomodo fieri potuit, vt quæ nigra erat, effecta esset formosa? Verba hæc à congregatione Gentilitatis esse dicta interpretantur Origenes homil. 2. epist 4. D. Athanasius in Synopsi, Theodoretus, & alij; nam ipsa gentilitas, quæ suorum vitiorum fœditate erat valde deturpata, vbi tamen ad Christum accessit, eiúsque Ecclesiæ est vnita, valde pulchra, & elegans facta est. Theodoretus: *Qui idololatriæ, & grauissimis sceleribus prius dedita fuit, formosa tamen per id, quod*

Cant. 1.

Origen. Athan. Theod.

Gentilitas ex accessu ad Christum fit formosa.

Christo adhæsit per fidem, à quo singularem accepisse se gloriatur pulchritudinem.

Ioan. 10. *n.* 4. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.

Num. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.

Num. 6. Hoc prouerbium dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt, quid loqueretur eis.

VERSIONES.

Syriacus n. 4. Quumque emiserit oues suas, præcedit eas.

Arabicus. Cùm eduxerit oues suas.

Syriacus n. 5. Extraneum verò nequaquam sequuntur.

Lucifer Caroletan. lib. 2. Alterum verò non sequuntur.

Syriac. n. 6. Hanc parabolam dixit eis Iesus.

Theophyl. Hanc paræmiam.

Euthym. Ipsi non cognouerunt, quæ essent ea, quæ loquebatur ipsis.

Vatabl. Quid sibi vellent, quæ loqueretur eis.

EXPOSITIO II.

17. *ET cùm proprias oues.* Sicut antecedenti versu dixerat: & *proprias oues vocat nominatim.* Semper cura boni Pastoris ad proprias oues, & non ad alienas dirigetur, bonus enim Præsul de his, quæ sunt sui, agit; non verò de alienis. *Ante eas vadit.* Hoc sextum est indicium boni pastoris. Oues sua præcedit, vt eas à leone, ac latrone defendat, vt per bonũ ac rectũ iter eas ad meliora pascua deducat: *Et oues illum sequuntur.* Tanquã per vestigia eius gradientes. *Eadem incedentes via*, ait Euthym. *quia sciunt vocẽ eius.* Ex frequẽti cõsuetudine audiẽdi, agnoscunt sibilos, & nutus eius. Et nota, quòd priùs dicitur, quòd Pastor *vadit ante eas*, præcedẽs operẽ & exẽplo, & inde euenit, vt oues sciant, & audiant obedientes vocẽ eius; si Prælatus præcedit exemplo, facilè subditi obediunt, ac sequuntur.

Sextum signum boni Pastoris.

Euthym.

18. *Alienum autem*, seu *extraneum*, vt alij legunt, nempe latronem, & furem vocantem, vt exeant ab ouili, *non sequuntur*, nec audiunt vocem eius, sed fugiunt ab eo, vt potè metuentes à illo malum. Vox veri Pastoris, nempe Dei, dicitur nota ouibus, vt illam audiant, & sequantur; vox autẽ falsi Pastoris ignota est illis, vt ei minimè acquiescant; in quo ergo distinguitur vox Pastoris veri, à voce falsi Pastoris, ratione cuius illa noscitur ouibus? Sermo, qui per vocem Dei declaratur, sermo est purus, compositus, nihil habens absurditatis, & exorbitantiæ: sermo autem, qui à malo venit Pastore, semper est incompositus, per se ferens eius malitiæ fœtorem. Diuus Ephrem. sermone de Antichristo: *Quæ oues*, ait, *aperte vocem sanctam veri Pastoris agnoscunt, continuò vocem seductoris agnoscunt. Neque enim similis est sancti Pastoris voci: nam cùm sit vox furis immitis, incomposita, atque confusa protinus nascitur.* Perpende vltima verba.

Sermo Dei ouni compositione agnoscitur.

D. Ephrem.

Hoc prouerbium, seu *parabolam*, seu *paræmiam*, vt alij legunt, quæ iuxta Græcos, quandam similitudinem dicit; Christus loquebatur in parabolis, vt ait Chrysostomus, vt auditores *attentiores redderet.* Seu, vt ait Diuus Thomas, vt mysteria regni cœlestis essent improbis abscondita. *Illi autem.* Ex Phariseis, cæterisque Iudæis. *Non cognouerunt quid loqueretur eis.* Quamuis enim perciperent verba, tamen latentem sensum ex ipsius parabolæ collatione, ac similitudine non cognouerunt. Et cùm ipsi non intellexerint Christi verba, apertè se declararunt non esse ex Christi ouibus, cùm eius vocem nec audiant, nec intelligant; iniquus suis factis, & actionibus, iniquitatem suam indicat.

19. Chrysost. D. Thom.

QVÆSTIO III.

Quare dicitur, quòd Pastor præcedit oues cùm aliquando constet ex Scriptura, quod ipse Pastor eas sequatur?

EX Scriptura constat, quod pastores solent aliquando præire, & aliquando sequi oues; de primo patet Psalm. 79. n. 1. *Qui deducis velut ouem Ioseph.* Ex Hebræo legitur: *Qui ducis*, vel *dux es*, Ieremiæ 17. numero 16. *Non sum turbatus te Pastorem sequens.* De secundo etiam est manifestum. 2. Regum 7. num. 8. *Ego sustuli te de pascuis sequentem greges.* Et Psalm. 77. num. 70. *Sustulit illum de gregibus ouium, & de postfœtantes accepit eum.*

20. Psal. 79. Ierem. 17. 2. Reg. 7. Psal. 77.

Vnde D. Chrysostomus hom. 58. in Ioannem, explanans hæc Christi verba: *Ante eas vadit.* Ait, Dominum præter aliorum pastorum consuetudinem fecisse, vt se omnium ad veritatem inueniendam ducem ostenderet. In temporalibus tamen, Præit etiam quandoque pastor, vt cum educit ex ciuilibus, aut in alium transfert locum, dirigit vt ad pastum, sequitur, ne qua consistat defessa, vel recedat à grege.

21. Chrysost.

At Iesus hîc exprimit, quod vadat ante eas, non solùm vt denotet id quod perfectius est, sed etiam tanquam congruentius rei significatæ, quo admonerentur pastores ouium spiritualium, præire suis rectæ vitæ exemplo, in quod oues possint intueri, sicque eas antecedat, vt in omnes tam proximas, quàm vltimas habeat oculos, vt ait Euthymius. *Recto eas tramite deducens, & pro eis pugnans*, pro illisque se omnium periculis obiciens. De Principibus, ac Prælatis agens Regius Vates Psalm. 46. num. 10. ait: *Quoniam Dij fortes terræ vehementer elevati sunt.* D. Hieronymus: *Scuta terræ, principes fortes, siue clypei.* Chaldeus habet: *Quia Domini sunt clypei terræ, & super omnes illos vehementer elevatus est.* Aquila: *Propugnacula terræ.* Hinc Dauid per clypeum fortium Saulem ac Ionatham intellexit. *Montes Gelboë,*

22. *Prælatus præcedat exemplo.* Euthym. Psal. 46. Hierom. Chald. Aquila. 2. Reg. 1.

nec

neo ros, nec pluuia veniat super vos, quia ibi abiectus est clypeus fortium. 2. Reg. cap. 1. num. 21. Ecce Princeps, ac Prælatus denotatur per scutum, clypeum, ac propugnaculum, quod sicut recipit ictus, ac globos igneos, vt alios tueatur, sic & prælatus, ac princeps se omnium telis exponat, vt suos tueatur, ac protegat.

2. Reg. 1. Rex tyrannus ac cuius fortitudo

23. Secundò. D. Augustin. tract. 45. *Quis*, inquit, *est, qui omnes præcessit, nisi qui surgens a mortuis, iam non moritur, & patri dixit: quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Christus Iesus nos præcessit passione, & resurrectione, vt nos passionem eius sequentes, resurrectionis gaudia cum illo mereamur habere.

Aug. Imitemur passionem, vt resurrectionem habeamus.

24. Tertiò. Monet hic Christus Dominus quod Pastor suis ouibus se præbeat ad audiendum, & videndum; ad audiendum quidem per verbum Doctrinæ iuxta illud: Oues vocem eius audiunt; & ad videndum per bonum exemplum vitæ, vt late discurrit D. Cyrillus Alexandr. lib. 7. in Ioan. cap. 2. Atqui oues non possunt audire, & videre pastorem, nisi præsentem; ergo manifestè iubet Dominus, vt Bonus Pastor præsens sit suis ouibus. Ex quo docet Concilium Tridentin. sess. 23. cap. 1. de reformat. hanc prælatorum residentiam esse de iure diuino; & meritò sane, nam absentia prælatorum, subditorum interitus est.

Cyril. Prælati residentia necessaria. Tridene.

25. De D. Petro dicitur Actor. 5. num. 15. quod tam mira erat potestas in edendis miraculis, vt in plateis ponerentur infirmi; *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Petrus vmbra curat, ac sanat; corpus tantùm vbi est præsens sui vmbram diffundit, minimè verò in distans, ac vbi ipsum non adest; Petrus cum esset Ecclesiæ præsul sui vmbra sanitatem largitur, prælatus enim solum vbi est præsens valet medicamen dare: minimè verò vbi absens est valet remedium concedere. Cornelius à Lapide. *Petri vmbra*, ait, *docet prælatos debere residere, vt præsentes subditis suis, curarent; obumbrent, regant, & regant.*

Act. 5. Prælatus non curat nisi præsens adsit. Cornel.

26. Curam domus Sunamitidis gerebat Elisæus, vnde cùm eã vidisset à longe, iubet Giezi puerũ suum, vt occurrens ei quærat ab ipsa. *Recténe agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum.* Quæ accedens ad pedes patentis Elisæi lachrymatur filium suum amissum, quem precibus eius receperat. Tunc Propheta misit Giezi cum baculo suo, vt eum super faciem pueri demortui imponeret, quod cum ille fecisset, puer non reuixit. *Posuerat baculum super faciem pueri; & non erat vox, neque sensus.* 4. Regum 4. num. 31. Quod cùm agnouisset Vates surrexit de loco suo, accessitq; ad puerum, & posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eum, & calefacta est caro pueri; rediitq; eum tradidit matri suæ. Cur puer nõ resurgit quando vicarius Prophetæ cum illius baculo, hoc est cũ illius potestate, & auctoritate accedit, sed hoc tãtum fit dum Elisæus præsens astat? Pro certo habe, quod nunquam ouis, aut subditus calesit, vel ex malis resurgit aduenientè ministro à Domino misso, etiam cùm plenaria eius potestate, & auctoritate, hoc tantum reseruatur Domini præsentiæ, dum oculos ad subditos conuertit, manus admouet, halitum suum emittit, & proprio ore loquitur. D. Bernard. serm. 2. in Cantica, sic in persona pueri loquitur. *Misit Propheta*, ait, *puerum tulit baculum, & necdum est vox, neque vita. Non surgo, non suscitor, nec excutior de pulucre, non respiro in spem, si non Propheta ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui.* Vide infra in hoc cap. 9. 14. n. 104. 105. & 106. & 107.

4. Reg. 4. Subditus non resurgit ministro sed pastore. Bernard.

Ioan. 10. *num.* 7. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium.

Num. 8. Omnes quotquot venerũt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos.

VERSIONES.

Lucifer Caretan. lib. 2. Ego sum ianua ouium.

Idem. Omnes quicumque venerunt ante me, & fures sunt & latrones.

EXPOSITIO. III.

27. DIXIT ergo eis iterum IESVS, cùm Pharisæi, ac circumstantes Iudæi allegoriam superiorem non intelligerent, dignatur Dominus magis rem aperire, ac explicare, hoc indicant illæ particulæ; *ergo* & *iterum*. Vt sit sensus, quia non percepistis vim superioris sententiæ, iterum dico. *Amen amen dico vobis*: rem verissimam dico vobis. Tanta est hominũ ingratitudo, vt tam ingens Christi beneficium necesse sit, cum tanta assertione, ac iuramento proponere. *Quia ego sum ostium ouium.* Vt explicant N. D. Cyrillus, D. Chrysostomus, D. Bonauent. Beda, Carthusian. Est enim ipse porta secundum propinquitatem quandam, per quam electi intrant in societatem Ecclesiæ militantis, & deinceps ad consortium Ecclesiæ triumphantis; nemo enim iustificatur nisi per fidem Iesu Christi: vnde vt notat Caietanus, non dixit ego sum ostium ouilis, seu stabuli, sed *ouium*, quia per ipsum necesse est, vt oues ingrediantur, vt saluæ fiant. Ex quo coniice quàm angusta sit hæc porta salutis, Christus enim Dominus est *Verbũ abbreuiatum*. Rom. 8. num. 28. vt explicant Anacletus Papa Epistol. 2. D. Hieron. in Epistol. ad Algatiam quæst. 10. & alij; *ouium* Ostium ouium, quia vt ait D. Thom. Non solùm pastores per Christum introducuntur in præsentem Ecclesiam, sed etiam oues, non solùm magnatib. parat Christus ostium, sed etiam paruulis. D. August. serm. 171. *Ego sum ianua vitæ*, ait, *non horresco sordidum pulsatorẽ: non pauperem repudio petitorem: tantum nemo suam negligat paupertatem, Pulsate, & aperietur. Stant Angeli ad ianuam, vt introducant, non vt repellant: vt suggerant, non vt terreant.*

Cyril. Chrys. Bonau. Beda. Carthus. Caiet. Rom. 8. Anaclet. Hier. Porta cæli angusta. D. Thom. Aug.

28. *Omnes quotquot venerunt.* Quomodo hæc cohæreant cum præcedenti versu, multis teste Maldonato est dubium. Rem sic explico. Prosequitur Dominus parabolæ explicationem, & quia ex signis optimi Pastoris se bonum pastorẽ indicauerat; nunc qui sunt fures, & latrones demonstrat; immediatè antea dixerat se esse *ostium ouium*. Nunc autem subdit. *Omnes quotquot venerunt, non ingressi per me ostium ouilis Dominici.* Euthymius Quotquot venerunt non per prædictum ostium.

Mald. Euth.

Sed ascendentes aliunde; *fures sunt, & latrones*; & non pastores, qui conati sunt oues perdere, & laniare, tales fuerunt Iudas Galilæus, & Theodas, qui sibi Christi, ac Messiæ nomen arrogantes, Actor. 5. num. 36. populum seducere curarunt. Ita D. Cyrillus, D. Chrysostom. Euthym. Theophyl. D. Thomas, D. Bonau. quod etiam de Pariseis, ac falsis magistris bene intelligitur. *Sunt.* Verbum est absolutum à tempore, & omne tempus comprehendit, sunt, fuerunt, erunt. Vel Christus expressit tempus præsens, quia præsentia magis mouent, ac agnoscuntur, quàm præterita, & futura. *fures, & latrones?* fures, qui aliena diripiunt; latrones verò, qui occidunt, vt dixi in prima expositione, non solùm contenti direptione, malum malis addentes mortem infligunt.

Actor. 5. Cyrill. Chrys. Euth. Theoph. D. Thom. Bonau.

29. *Non audierunt eas oues*, Ad se vocantes, sed Christo adhæserunt, quod maximè, vt ait Chrysost. ad laudem ouium spectat, meritò tamen dubitat D. Augustin. tract. 45. in Ioan. Quomodo hoc possit stare, cum certum sit multos ex electis aliquo tempore deceptos extitisse Pseudo-Prophetas; Respondent aliqui, quod tunc non erant oues, sed cum hoc repugnat id, quod dicitur Ezechiel. 34. num. 5. & 8. Vbi dicuntur errantes, & dispersæ, oues ergo erant, quando dispersæ, & errantes; Respondet ergo ipse Augustin. oues non audisse eos, quia in ea voce audienda non perseuerauerunt, quamuis enim aliqui electi aliquando falsos Doctores audiuissent, cùm tamen resipiunt; inde dicitur quòd eos non audierunt, tantum resipiscentia, ac emendatio emendat animam, ac si delictum non præcessisset.

29. Chrys. Aug. Ezech. 43. *Panitentia sic mittat, ac si delictū non præcessisset.*

QVÆSTIO IV.

Quare à Christo appellantur omnes, quotquot venerunt fures, & latrones?

30. Anast. Sin. MERITO Anast. Sinaita lib. 1. in Hexameron. Cùm legerit, *omnes qui ante me venerunt fures sunt.* Continuò addubitãs exclamat. *Qui dicis Domine? Omnes, qui ante te venerunt sunt fures, & latrones? Num fures sunt, & latrones Abel, quem dixisti iustum? Et Enoch, & Noe? Nunquid latro est Abraham, & Isaac, & Iacob, & Moyses, & Aaron; Nunquid latro est Dauid, & Helias, & omnes Prophetæ?* Vnde Manichæi Prophetas reprobantes, hoc loco sinistrè abutebantur, quia quotquot ante Christum venerunt fures, & latrones fuerunt, vt testatur Diuus Augustin. lib. 5. contra aduersarium Legis, & Prophetarum cap. 4. De intelligentia ergo horum verborum differendum est.

Ratio dubitandi. Aug.

31. Anastas. Primò. Citatus Anastasius Sinaïta hæc verba intelligit de Angelis è cœlo lapsis. *Omnes, qui ex eodem cœlo venerunt ante me, sunt fures, & latrones,* nempe aduersaria potestates. Quæ sedem Dei sibi arripere sunt conatæ, diuinæque adorationis furtum introducentes, pro Diis homines coli fecerunt. Secundò Clemens Alex. lib. 1. stromat. n. 8. non solùm sub hac sententia intelligit Pseudo-Prophetas, sed etiam illos fasos Philosophos, qui dogmata erronea, & falsa tradiderunt, se hominum Magistros, & Doctores facientes. Sic etiam Caieranus, per fures, & latrones intelligit. Sectarum duces; & Titelmanus Philosophos, & Idolorum pontifices.

Damones latrones. Clem. Alex. *Latrones falsi Doctores.* Caier. Titelm.

Tertiò. D. Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 119. *Non enim dixit*, ait, *omnes, qui missi sunt; sed qui venerunt. Nam Prophetæ quidem missi sunt, Moyses quippe audiuit: Veni mittam te in Ægyptum ad Pharaonem Regem. At verò Pseudo-Prophetæ, & qui ad principes, & præfectos currebant, non missi, sed ostentationis studio flagrantes, atque ambitione laborantes suapte sponte velut transfuga desciuerũt. Quod autem de his ipsis hæc dicta sint, liquet ex eo, quod sequitur. Fur enim, inquit, non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* In multis præclarè facit vim Pelusiota. Et imprimis in illo verbo, *venerunt* non enim dicit omnes, qui missi, aut vocati sunt, vt fuerunt Prophetæ, sed dicit omnes, qui ex se ipsis non vocati venerunt, vt sunt Pseudo-Prophetæ, & falsi Doctores; hi autem cum non missi venerint, nil aliud intentabant, nisi tanquam latrones deglubere, fugere, ac laniare oues. Quod confirmat ex verbis subsequentibus. *Fur non venit, nisi vt mactet, & perdat.*

32. Pelus. *Latrones, qui ex se ipsis venerunt.*

Hàncque Doctrinam accommodat citatus D. Isidorus Pelusiota ad dicentes: *Et qui ad principes, & præfectos currebant, non missi, sed ostentationis studio flagrantes, atque ambitione laborantes sua sponte*, &c. Qui absque vlla vocatione, & missione ad principes currunt, aliorum res, & facta annuntiantes, hi tanquam Pseudo-Prophetæ sunt fures, & latrones, & nihil aliud dicunt nisi falsa, & nociua, vt alios perdant, semetipsos pascentes, quod confirmatur ex adiunctis verbis, *fur non venit, nisi vt mactet, & perdat*; Qui sine vocatione vadunt ad Principes nil sugerunt nisi in aliorum damnum. Postquam arca ducta est in domum Obededon. *Nunciatum est regi Dauid, quod benedixisset Dominus Obededon, & omnia eius propter arcam* 2. Reg. cap. 6. num. 12. Sed quinam fuerunt hi, qui nuntiauerunt regi, cum ab ipso non vocarentur; Iosephus lib. 7. cap. 4. habentes Zelum, & iterum, *quod vsque ad inuidiam eorum, qui incrementa eius viderant, felix extitisset.* Moti inuidia, & zelo non vocati ad regem se conferunt hominis prospera annunciantes, sicque illi malum machinabantur.

33. Idem. *Annunciare res regibus, latronis.* 2. Reg. 6. Ioseph.

In primis in hac re certum est, quod in præsenti sententia: Quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, non intelliguntur Prophetæ, vt est indubitabile; & docent D. Chrysostom. homil. 58. D. Augustin. lib. 16. contra Faustum cap. 12. lib. 2. contra aduersarium Legis, & Prophetarum c. 4. & D. Cyrillus, Beda, Rupertus, & omnes Catholici, sicut etiam in hac sententia veri Ecclesiarum Pastores non comprehenduntur; omnes enim hi per verum ostium Christum Iesum, in legationem, munus, ac officium pastorale ingressi sunt, qui enim intrant per ostium, pastores sunt ouium vt dixit Christus Dominus.

34. Chrysost. Aug. Cyrill. Beda. Rup.

Latrones ergo, & fures, de quibus hìc agitur, vt docent D. Thom. Iansenius, Toletus, Maldonatus, Barradas, Cornelius, sunt qui non intrant per ostium Christum Iesum, vt fuerunt, qui venerunt fingentes se verum illum pastorem, qui expectabatur, quales extiterunt Iudas Theodas, & Iudas Galilæus, & etiam omnes illi, qui falsam, & hæreticam Doctrinam disseminant, & qui ad pontificias, ac regias dignitates introducuntur non intrantes per ostium, sed ascendentes aliunde, omnes isti fures, & latrones sunt, suis lucris studentes, ouésque laniare satagunt.

35. D. Thom. Iansen. Tolet. Mald. Barrad. Corn. *Vera sententia.*

De Nabuchonosore, qui sine vllo iure omnia regna orbis inuasit ipsum Aquilæ comparat Ezechiel.

36. Ezech. 17.

Ezech.17. Septuag. chiel.17.num.3.ait enim. *Aquila grandis magnarum alarum plena plumis.* Septuaginta legunt. *Plena vnguium.* Quid hoc horrendum monstrum significet? Aquila scilicet vnguibus circumamicta, ac plena? Interlinealis. *Vnguibus propter rapacitatem.* Denotabat Aquila orbis Imperatorem, quibusnam erat accingenda nisi instrumento rapiendi, ac furandi? *Plena vnguium.*

Interlin. *Regna plena rapinis.*

37. Matth.17. Scribit Diuus Matth.cap.27.num.37. *Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est Iesus Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones; vnus à dextris, & vnus à sinistris.* Alto cõsilio aduertit Euangelista, quod in ipsomet articulo temporis, in quo affixus est regis titulus Christus Dominus simul cum eo crucifixi sunt duo latrones, vnus à dextris, alter à sinistris. *Tunc* crucifixi sunt cum eo. Expende illud, *tunc.* Perfidi, ac mundiales Iudæi, Christi regnum, vt aliorum mundialium esse iudicarunt; & cum in mundo nullum reperiatur regnum, nisi latronibus circundatum, & plenum, ideo cum regis titulum inscribunt, statim ei latrones coniungunt, & associant; In quo aperte falluntur Iudæi; cùm Christi regnum cuius dextera plena est iustitia, totum in sanctitate, ac iustitia sit fundatum.

Regnum mũdiale latronibus circũcingitur.

Ioan.10.num.9. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur: & egredietur, & pascua inueniet.

Num.10. Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant.

VERSIONES.

S.Greg.Nyssenus hom.12. in Cantica. Ego sum via, & ostium, per me si quis intrabit saluus erit.

Vatablus. Salutem consequetur.

Syrianus. Per me si quis intrabit, seruabitur.

Luc.Burgens. Pastum inueniet.

Syriac.n.10. Fur non venit, nisi vt furetur, ac vt trucidet, & perdat. Ego veni, vt vitam habeant, & quod abundantius est, habeant.

Arabicus. Ego autem tantummodo veni, vt afferatur eis vita æterna, & vt abundantius eis sit.

Græcus. Et vt vitam habeãt, & abũdantem habeant.

Vatablus. Et vt abundent pascuis.

EXPOSITIO IV.

38. Rupert. EGO *sum ostium.* Rupertus existimat hic aliud exprimi ostium à superiori num. 7. distinctum. Sed cum Christo ouile vnum sit, vt infra subiicit: *fiet vnum ouile, & vnus pastor*, idem ergo est ostium, ac superius commemoratum, id tamen, vt notant Euthym. & D.Th. & alij. Christus magis explicat, & repetitione confirmat, adhibens, vt ait D.Th. expositionem ostij, & furis. De fure agit sequenti versu, de ostio nunc. *Ego sum ostium*; ouium, ac ouilis Dei. Explicat Albertus Magnus, per doctrinam, & exemplum. *Vidi ostium apertum in cœlo*, Apoc.4. lypsi.4.num.1. *Per me*: per fidem in me Christum saluatorem mundi; *Si quis*, ait. Albertus Magnus. Modus loquendi denotat paucitatẽ intrantiũ. *Introierit.* In ouile Dei, ac Ecclesiã Dei. *Saluabitur.* Iustificabitur à peccatis, ac in æterna vita beabitur, & in omnib. suis saluus, & liber erit ab incursu noxiarum bestiarum. *Ingredietur, & egredietur.* Phrasis est Hebraica, & significat securè, tutò, ac feliciter, & liberè se habere. Alluso est ad ipsam rationem ostij, per quod oues quotidie educuntur ad pascua, ac ab illis reuocantur, ingressusque, ac egressus denotat hóminis actiones ac negotia expleto suo munere sine metu, ac perturbatione agi, omniáque feciliter adimplere. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Psal.120. Euthym. D.Thom. Albert. Apocal.4. Psalm.120. vers.vltimo.

39. D.Thom. *Fur non venit.* Postquam vt notat D.Thom. explicauit Dominus conditionem ostij, quod ad se spectabat, nunc ex contraria intentione explicat conditionem furis, ac latronis, de quibus dixerat. *Omnes quotquot venerunt fures sunt.* Et subdit. *Fur non venit.* Ait Euth. propter salutem ouium, sed propter earum damnum. *Vt furetur, mactet, & perdat.* Tria dicit. *Vt furetur.* Vt nẽpe surripiat ab ouili, ac Ecclesia Dei, cuius sunt oues propriæ; *mactet*, falsa, & peruersa doctrina, auferẽdo ab eis vitam spiritualem; *perdat*, ducat ad æternam damnationem in gehenna ignis. Caietanus ait, quod tria hęc mala parturit Doctrina sectarum hæreticarum. *Ego veni.* Ego autem è contra descendi de cœlis nõ propter meam, sed propter ouium mearum vtilitatem. *Vt vitam habeant.* Vitam non aufero, sed confero, per antithesin opponit se crudelitati furum. *Vt abundantius habeant*, seu vt alij legunt, *abundè*, seu *abundantem habeant*; vitam per gratiam in hoc sæculo, vt exponunt Chrysost. D.Aug. Euth. Theophyl. Beda, D.Th. D.Bonau. & abundantius æternam in futuro obtineant, seu vt explicat D.Cyril. Alex. in Catena Græca, vt abundantiùs habeant multiplicem Spiritus sancti donorum copiam. Et abundantiùs habeant, vt quotidie magis, & magis augeantur, & crescant in iustitia, & sanctitate. Ad Thessal.1.c.4.n.1. *Sic & ambuletis, vt abundetis magis.* Rupertus explicat, vt abundantiùs habeant nunc in lege gratiæ, quam olim habuerunt patres in lege veteri. Caiet. Chrys. Aug. Euth. Theophl. Beda. D.Thom. Bonau. Thessal.1.& Cyril. Rup.

QVÆSTIO V.

Quare de introeunte per Christum vt ostiũ dicitur, quod ingredietur, & egredietur?

40. INGREDI, & egredi phrasis est Hebraica, vt dixi in expositione, & significat securè, ac prosperè, & sine metu vbique versari, ac cum eadem securitate suo munere fungi, ac proinde tria dicit. Primò securitatem: Secundò fiduciam: Tertiò libertatem in suo munere adimplendo, quælibetque negotia peragendo. De se ipso

ipso dixit Moyses ad Deum. *Non possum ingredi*, Deuteron. 31. num. 2. id est gubernatoris muneri satisfacere. Et de Dauide dicitur 1. Reg. 18. n. 13. *Amouit eum Saul à se, & fecit eum tribunum super mille viros, & egrediebatur, & introibat in conspectu populi.* Id est gubernabat, & regebat mille viros, & de Salomone postulante sapientiam ad gubernándum populum sibi commissum dicebat ad Deú. 3. Reg. 3. num. 7. *Ego autem sum puer parvulus ignorans ingressum, & introitum meum, & seruus tuus in medio populi, quem elegisti*, &c. Vnde per ignorantiam introitus, & egressus muneri regio se ineptum fatetur, & regiminis ignarum se dicit. 2. Paralip. 1. Et 2. Paralip. 1. num. 10. *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo*, Ideò vt iustè, & rectè eum regam; feciliter ac bene eum gubernem. *Omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Hánque sententiam docent Diuus Chrysostom. *Ingredietur, & egredietur, hoc est securus erit, & liber.* Theophylact. *Ingredietur, & egredietur, hoc est magnam habebit securitatem, sicut Apostoli ingredi ebantur, & egrediebantur coram tyrannis liberè loquentes.* Idem docent Euthymius, Carthusian. D. Thom. qui sic explicat subiuncta verba. *Et pascua inueniet.* Delectationem nempe in conuersione gentium, delectationem in persecutionibus.

Deut. 31. 1. Reg. 18. 3. Reg. 3. 2. Paralip. 1. Chrysost. Theoph. Euth Carth. D. Thom.

41. Aug. Secundò exponit D. Augustin. tract. 44. in Ioan. Quilibet bene agés; ingreditur ad internam meditationem; & egreditur ad externam operationem, nam cum quis diuinas res contemplatur inde ipsum ingreditur; cùm verò operatur egreditur. Et pascua inueniet, in conscientiam munda, & deuota.

42. Greg. Rup. Tertiò. D. Gregor. homil. 13. in Ezech. & Rupertus; Ingredietur per ostium fidei in Ecclesiam militantem credendo, & egredietur ab Ecclesia scilicet militante ad triumphantem, & pascua inueniet in Ecclesia militante, doctrinæ, & gratiæ; & in Ecclesia triumphanti, scilicet gloriæ. *In pascuis uberrimis pascam eas.* Ezechiel. 34. num. 14. Quartò. Idem Augustin. lib. de spiritu, & anima, cap. 9. Ingreditur meditando diuinitatem meam, egreditur ad humanitatem, & in vtriusque contemplatione mira pascua inueniet. Quintò. Theoph. Ingreditur vt curam gerat interioris hominis conscientiam suam, scilicet dirigendo, & egreditur cum mortificauerit membra sua super terram. Sextò. D. Gregorius lib. 1. Regist. cap. 16. *Ingredientur, & egredientur, & pascua inuenient, Cum intus mentem deuotionibus impinguat, & foris se pijs operibus satient.* Septimo D. Thom. Ingreditur intra Ecclesiam cum fidelibus, & egreditur ad infideles, eorúmque conuersionem, ac prædicationem.

Ingressus in Ecclesiam militantem & triumphantem. Ezech. 34. Aug. Theoph. Greg. D. Thom.

43. Nissen. Quartò. D. Gregor. Nissenus homil. 12. In Cantica. *Ingreditur, & egreditur. Ita vt nunquam nec ingrediendi, nec egrediendi finem faciat, sed vbi proficiendo superiori est ingressus, & sæpe extra illa versetur, qua fuerint ad se cõprehensa.* Ac si per hæc verba continuum motum in proficiendo doceat nos Dominus, ita vt in re virtutis nunquam animus quiescat, sed semper ad vlteriora progrediatur. Qui enim in opere virtutis ingreditur, egrediatur semper ad vlteriora se extendens, vt quotidie magis, ac magis crescat in re virtutis.

Iustus semper crescat, & proficiat.

44. Ioan. 21. Apoc. 21. Resuscitatus Iesus iuxta mare Tyberiadis dixit discipulis suis. *Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Ioann. 21. num. 1. Apostoli principes Ecclesiæ, illúsque fundamenta. Apocalyps. 21. n. 14. A Regio vate principes totius orbis vocantur. *Constitues eos principes super omnem terram.* Ps. 44. num. 17. A D. Petro seniores appellantur. Sic ait, *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro: consenior, & testis Christi passionum.* Epistol. 1. cap. 5. n. 1. Si ergo tales erant Apostoli, quomodo à Christo pueri dicuntur? Quamuis Apostoli fidei essent fundamenta, excellentia, ac dignitate principes; & prudentia, ac maturitate senes aliquam puerorũ conditionem in eis Diuinus Magister perquirebat; Pueri hoc habent, vt in sui augmento nunquam sistant, sed semper sine intermissione crescant, & proficiant; hanc in virtute naturam ebibát Ecclesiæ proceres, vt quotidie in nouos progressus se extendant, & percurrant. D. Augustin. tract. 3. in Epistol. Ioan. tom. 9. *in hac lectione*, ait, *pueros alloquitur, vt festinent crescere; quid est crescere? Proficere. Quisquis nouit natum esse, vt audiat, quia puer est. Infans auidè inhiat vberibus matris, & cito crescit.*

Psalm. 44. *Petri prima cap. 5.* *Iustus nunquam sistat, sed semper augeatur.* Aug.

Iustus à Dauide Credo combinatur. *Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Psalm. 91. num. 13. Cur potius Cedro, quàm alteri arbori iustus comparatur? Aponius lib. 3. Commentarior. in Cantica. *Natura Cedrorum*, ait, *semper crescere fertur, neque aliquando finitur in senectutem ire.* Pro quo expende, quod comparat iustum Cedro, in multiplicatione. *Sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Cedrus nunquam in senectam abit, sed semper crescit, ac in dies augescit; sic & iustus quamuis ætate, & meritis grandæuus sit, nunquam sistit, sed semper multiplicatur, ac proficit. Vide multa hoc tom. 1. 2. & 3. Verbo, *virtus*.

45. Psalm. 91. Aponius. *Iustus vt Cedrus cresc.*

Ioan. 10. *n.* 11. Ego sum pastor bonus: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

VERSIONES.

Syriacus. Ego sum pastor ille bonus.

Arias. Ego sum pastor ille pulcher, Pastor pulcher animam suam.

Lucas Burgens. Ego sum pastor ille egregius.

D. Cyprian. Epistol. 5. Ego sum pastor bonus, qui pono animam pro ouibus meis.

EXPOSITIO V.

46. EX parabola ostij transfert Christus sermonem ad excellentiorem parabolam pastoris, semper Dominus in sermonibus suis ad maiora auditores deducebat? Ipse enim est ostium, per quod oues, id est, fideles ingrediuntur in Ecclesiam, idemipse est pastor. *Ego sum pastor bonus.* Græcè habetur: *Ille pastor bonus.* Ille scilicet per excellentiam præstantissimus, & optimus, imò vnicus, & singularis ab omni sæculo desideratus; Qui ita solus animam meam, ideſt vitam meam pro ouibus, ac fidelibus meis dabo, vt morte mea eos ab æterna morte, ac damnatione redimam, eísque non solùm præsentem, sed etiam æternam vitam cum omnibus donis gratiæ conferam, quod vt obseruant

Chryſ. Euthym. Maldon. Rup. D.Thom. Bonau.

obſeruant D.Chryſ.Euth. Theoph. Rupertus,D. Thom.D.Bonau.nec Prophetæ,nec Apoſtoli,nec alij Martyres fuerunt;nam quamuis ipſi pro ouibus ſibi a Chriſto commiſſis eſſent mortui, tamen morte ſua oues à morte non liberarunt.

47. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Hoc non tantùm parabolæ,ſed rei per parabolá denotatæ conuenit. Paſtor enim ouium materialium plus debet æſtimare vitam ſuam, vtpotè hominis,quàm ſuarum ouium : vnde non tenentur cum euidenti vitæ ſuæ periculo ſeruare ſuorum pecudum vitam, ſi autem id faciant magno affectu,declarabunt ouibus ſuis attendere.An verò in hoc ſemper peccent? Diſputant aliqui, de

Tolet. quo Toletus annot.9. At verò Paſtor animarum ex officio tenetur,& debet vitam ſuam temporalem diſcrimini exponere pro conſeruanda vita ſpiritualis ſui gregis, ac fideliũ ſibi commiſſorũ. Hinc ad eum pertinet tempore peſtis ſuis ſubditis aſſiſtere, vel de idoneo miniſtro prouidere ad ſacramenta infirmis conferenda. Et nota quod

Paſtor quotidie ſit paratus dare animam. non dixit Dominus, dabit :ſed ait, *dat animam*, quia quotidie, ac omni tempore, & momento debet eſſe paratus vitam diffundere pro ouibus: & ait,*animam ſuam dat.* Mali enim paſtores ſunt fures, ac latrones, & tantum abeſt, vt vitam dent pro ouibus,quod potius ipſas oues occidãt, & deglutiant, vt earum carne, & ſanguine ſaginentur. Hiſque verbis pungit Dominus Phariſæos oſtendens illos non eſſe paſtores, ſed fures, ac latrones,vt dixi hoc cap.expoſ.1.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus Dominus expreſsè de ſe dixerit: Ego ſum paſtor bonus,*cum de aliis rebus,quibus ſe comparauit,hoc non dixiſſet?*

48. CHRISTVS Dominus paſtori bono ſe ſe cõparat; paſtor enim nullo parcit labori,vt ouibus conſulat: ſic dicebat Iacob. *Die, noctúque æſtu vrebar,& gelu,fugiebatque ſomnus ab*

Gen.31. *oculis meis.* Geneſ.31.numer.40.Deinde bonus paſtor agros tenerè paſcit:oues infirmas conſolidat, ægrotas ſanat,confractas alligat,errantes reducit.

Ezech 43. Ezechiel.34. numero 4. omniúmque conditioni, qualitati, ac neceſſitati ſeſe accõmodat, & aptat.

Greg. Quod latè, & elegantèr explicat Diuus Gregorius in ſuo Paſtorali,vbi poſt multa ſubdit:*Sciat*, bonus ſcilicet paſtor, ait, *aliter admonendos eſſe viros, aliter fœminas; aliter iuuenes, aliter ſenes; aliter diuites, aliter pauperes; aliter lætos, aliter triſtes; aliter ſubditos, aliter prælatos; aliter ſeruos,*

Paſtor omib. conſulit, ciſque ſe accommodat. *aliter dominos; grauiora vitia præcipuè perſequatur,infirmis mentibus abſtruſa non proponat; & maxime non voce tantùm, ſed opere gregem in fide, ſpe, & charitate contineat.* Ad quæſtionem noſtram.

49. Primò in dubium vocamus. Quomodo Chriſtus de ſe dicat. *Ego ſum paſtor bonus.* Cùm ipſe etiam ſuis loquatur. Matth.10.num.16. *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Quomodo

Matth.10. bonus paſtor dimittit oues ſimplices, & inermes lupis? Optimè ſciebat, quod nulla maior proſperitas, quàm ea, quæ eſt perſecutionis, inde

Perſecutiones paſcitur grex Chriſti. bonus paſtor periculis paſcit gregem ſuum, & cum lupis ſeruat in cuſtodia virtutis, ipſa enim perſecutio tutela eſt ſalutis, peccata expellit, & virtutes corroborat,ac firmat.

Secundò ſæpe ſe Chriſtus Dominus lapidi cõparauit,vt v. g. adducens illud Pſalm. 117. n.22. 50. Pſ.117. Marc.12. Apoc.5. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Matth.21.núm.42. Sicque aſſimilatur leoni. *Vicit Leo de tribu Iuda.* Apocalypſ. 5.num.5. Nunquam tamen de ſe dixit: Ego ſum lapis, ego ſum leo, vt modo de ſe ait: *Ego ſum bonus paſtor*, ſubiiciebat enim, quod bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, amans inſigniter gloriatur dum paritur, ac vitam diffundit pro re ſibi chara. *Amans gloriatur dum patitur.*

Tertiò. Duo homines valde charitate, ac beneficentia præclari in Euangelio proponuntur. 51. Primus Samaritanus ille,qui cum iter ageret,hominem,à latronibus vulneratum inuenit; *Et videns eum miſericordiâ motus, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum*, &c. Luc.10. n.33. Alter eſt noſter Bonus Paſtor. Et Luc.10. tamẽ Chriſtus Dominus expreſſe non ſe comparauit Samaritano; ſed bono paſtori; non enim dixit de ſe: Ego ſum Samaritanus, ſed *Ego ſum bonus paſtor.* Huius rei differentia in eo ſtat,quod Samaritanus cum ſuum iter faceret in Ieruſalem, caſu in itinere inuenit hominem. At bonus pa- *Deus non caſu, ſed alto conſilio nobis confert ſua beneficia.* ſtor profunda ſolicitudine, & cura videns ouem errantem, eam quærit per omnia loca, vt ad gregem reducat. Theophylactus in præſenti. *Paſtor qualis Dominus cognoſcit ſuas oues, quia curam illarum agit.* Theoph.

In primo rerum opificio cum Deus vellet hominem condere quaſi conſilio habito ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Geneſ.1.num.26. Cur vnuerſitatis condi- Gen.1. tor, quodammodo cum conſilio non proceſſit in productione cœli, terræ, ſolis, lunæ, ſtellarum, ac aliarum rerum,vt ſe exhibet in hominis factura? Ipſum hominem multis donis erat cumulaturus,inde in eius condimento quaſi cũ cõſilio ſe habet Deus, vt fieret apertum, quod altiſſima *Deus quaſi conſilium iniit, dum hominem creat.* prouidentia cùm alias eius delicta præuideret,tãtis beneficiis eum erat exornaturus. D. Gregor. Mag.lib.9.Moral.cap.36. *De ſolo igitur homine*,ait, Greg. *faciamus, cũ de aliis creaturis legatur dixiſſe Deum vt fierent, & facta ſunt, & hoc quia rationalis creatura condebatur, vt cum conſilio facta videretur.*

Præcepit Deus Samueli vt vnum ex filiis Iſai 53. vngeret in Regem Iſraëlis,cúmque Propheta eſſet ingreſſus in domum eius repræſentati ſunt ei ſuo ordine omnes filij Iſai. Primus & ſenior Eliab,qui erat valde proceræ ſtaturæ. & magnis viribus præditus, vt notant Lyranus,Carthuſian. Lyran. Carthuſ. Abulenſ.Sanchez,Cornelius,& alij.Cúmque Samuel eum vidiſſet, ait: *Nec hunc elegit Dominus.* Abul. Sanch. Appoſitúſque eſt coram Samuel ſecundus,& tertius. Et tandem *adduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele, & ait Samuel ad Iſai: non elegit Dominus ex eſtis.* 1. Reg.16. num.10 poſtea vocatus 1. Reg.16. Dauid,qui erat paruulus,& paſcebat oues,ipſumque Propheta vnxit in principem Iſraël. Et quo grauis quæſtio oritur.Cur directè non mandatur Prophetæ,vt ſtatim Dauidem in regem deſignet? Cur priùs coram eo adducũtur alij,& ſeniores fi- *Dei alta prouidentia in beneficiis conferendis.* lij Iſai, ipſiſq; reprobatis, *nec hunc elegit Dñs, nec hunc elegit Dominus*? Tunc Dauid oleo conſecretatur. Cur priùs alij excluduntur?Hoc enim videbatur in eorum dedecus cedere.Vt Dauid auguraretur in regem, ſat erat, quod primò, & immediatè eum Samuel oleo vnxiſſet; at vt in hoc im-

notesceret,

notesceret, altitudo diuini consilij, talis rerum series ordinatur; nam cum septem fratres ætate, statura, ac elegantia maiores reprobantur, & parvulus eligitur, manifestum fit, quod non ex aliquo fortuito casu, sed profunda dispositione altitudinis, sapientiæ, ac prouidentiæ Dei procedit Propheta. Isidorus Pelusior. Ait Deus Samueli. *Secundum meum consilium decreui creare vnum ex filius Isai mihi regem.*

Pelus.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus de se tanquam vnicè dixerit. Ego sum pastor bonus. *Cum alij multi fuerint Pastores boni, qui animas suas dederunt pro ouibus?*

54. Chrys. BOnus Pastor ex magna amoris vi diffudit animam, ideſt vitam pro ouibus ſuis; vt pulchrè, ac eleganter describit Diuus Chryſ. ſerm. 40. *Bonus Pastor*, ait, *animam suam dat pro ouibus suis.* Fortem facit *vis amoris, quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum? Qua vulnera? Qua pœna? Qua mortes amorem praualent superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem videt, si amor est verus, vincit omnia.* Nil profundius, ac exaggeratius dici potuit, & ſingula verba acutiſſimi Doctoris alto examine ponderet Lector. Mors valde horribilis, ſed ita amantem fortem facit amor, vt mortem ipſam contemnat. Mors valde dura, & amara, ſed amor nil graue in ea videt. Amor impenetrabilis lorica eſt, & qui ea accingitur, mortem ridet, pericula non videt. *Si amor est vincit omnia.* D. Bernard. ſerm. 38. in Cantica. *Amor*, ait, *vbi venerit, omnes in se transfert, & captiuat affectus.*

Eximia vis, fortitudo amoris.

Bernard.

55. Difficultas quæstionis. Ad quæſtionem. Quomodo Chriſtus Dominus de ſe tanquam vnicè ait, quòd ſit paſtor Bonus, ex ea præſertim ratione, quod animam pro ouibus ſuis poſuerit? Cùm multi boni paſtores Eccleſiæ extiterint, qui animas ſuas pro ouibus ſuis cuilibet diſcrimini obiicere non recuſarunt, vel etiam pro illis mortem ſubierunt, ſic dicebat Paulus. 1. Corinth. 15. num. 31. *Quotidie morior propter vestram gloriam fratres.* 2. Corinth. 11. numero 15. *Ego autem libentissimè impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Et ad Coloſſenſ. 1. n. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionem Christi in carne mea pro corpore eius.* Diuus Ioannes Chryſoſtomus, homil. 11. tom. 5. Sic ſuis ouibus dicebat: *Ego millies*, ait, *pro vobis immolari paratus sum: non enim propter diuitias vestras mundi insidias patior, sed propter charitatem, quam erga vos habeo, quia omnia ago, vt vos proficiatis.* Sic omnes pene Pontifices Romani à S. Petro vſque ad Sanctum Syluestrum per 300. annos pro commiſſis ſibi fidelibus martyrium ſubierunt.

Cor. 15. Cor. 12. Ad Col. 1. Chryſoſt.

56. Christus sua morte redemit. Prima ſolutio patet ex dictis in Expoſitione. Quia Chriſtus Dominus fuit ſingularis, ac vnicus ille Paſtor, & princeps omnium paſtorum, qui ita pro ſuis ouibus, ac fidelibus animã poſuit, vt ſua morte eos ab æterna morte, ac damnatione eriperet, quod nullus alius paſtor, nec Apoſtolus, nec vllus alius præſtitit. Vide ibi dicta in Expoſitione.

Secundò reſpondet D. Auguſtinus, tract. 46. in Ioan. *Habet*, ait, *vnile Domino præpositos, & filios; Præpositi autem, qui filij sunt, pastores sunt; si pastores sunt, quomodo vnus pastor, nisi quia sunt isti omnes vnius membra pastoris, cuius sunt oues propria? Nam & ipsi membra sunt vnius ouis qui sicut ouis ad immolandum ductus est.* Idem docent Beda, Haymon, & alij, Prophetas, Apoſtolos, verósque Eccleſiæ prælatos vnum, eundémque paſtorem cenſeri cum Chriſto, cuius ſunt membra, ab eóq; miſſi, directi, ac protecti ſunt; omnia autem opera eorum miſſi in mittentem, protegentem, ac adiuuantem referuntur.

57. Aug. Beda. Hier. Qui mittit se protegat & tueatur.

58. Greg. Tertiò. D. Gregorius homil. 14. in Euang. ait: *Eius bonitatis formam, quam nos imitemur adiungit, dicens: Bonus Pastor animã suam dat pro ouibus suis, fecit, quod monuit, ostẽdit, quod iussit. Ostensa est nobis de conceptu mortis via, quam sequamur, apposita forma, cui imprimamur.* Vltima verba Sancti Doctoris expendenda. Chriſtus ſe dicit bonum Paſtorem Eccleſiæ, nec aliquid exigit à bonis paſtoribus Eccleſiæ, quod prius ipſe non fecerit, ſed ipſe priùs animam poſuit pro ouibus, vt cunctis ſit typus, & exemplar, vt eius veſtigia ſequentes, vitam diffundant pro ſuo grege, *oſtenſa via, quam ſequamur, appoſita forma, cui imprimamur.* Vt ita Chriſto adaptemur, ac imprimamur, vt eius mores in nobis exprimamus.

Christus suo exemplo nos informat.

59. Col. 2. De Chriſto Domino ait Paulus ad Coloſſ. 2. num. 15. *Explicans principatus, & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Spolians principatus, ac poteſtates, confidenter, ac audacter duxit in triumphũ palam ſcilicet coram Deo, & Angelis; In ſemetipſo per ſuam virtutem, ac mortem. Quæ verba aliter legit D. Auguſtin. lib. 16. cap. 19. *Exuens se carnem, principatus, & potestates exemplauit.* Quando per mortem exuit ſe à carne, & corpore, tunc exemplauit, ac ſe poſuit in exemplum principatibus, & poteſtatibus, vt etiam pro ſuis ſubditis mortem non recuſarent, ſed vt libẽter pro illis vitam darẽt. Sicque oſtendit à vera ratione principatus, omnino aberrare, qui mortis pericula pro ſubditis contẽnunt. D. Hilar. lib. 1. de Trinitate, adducens citatum Pauli locum. *Ad vltimum*, inquit, *in homine passus, vt potestates deboneſtaret, dũ immortalis ipſe, neque morte vincendus pro morientiũ æternitate moreretur.* Pro cuius maiori intelligentia nota, quod citatus D. Hilarius ſicut & Tertullianus, lib. de Trinit. cap. 16. legunt. *Exuens carnem potestates deboneſtauit.* Tanquam poſito tanto exemplo inhoneſtum ſit poteſtatibus, vt potius vitam, quàm ſubditos diligant, vt pro illis mortem ſubire recuſent.

Christus suo exemplo Prælatos docet. Aug. Hilar. Tertull.

60. Exod. 29. Mandauit Deus Moyſi, vt ſacerdos ſumeret arietem, ipſúmq; immolaret, & de ſanguine eius poneret ſuper extremum auriculæ dexteræ Aarõ, & filiorum eius, & ſuper digitos manus, ac pedis dexteri. Exod. 29. num. 20. Et poſtea ſubdit num. 31. *Arietem autem consecrationis tolles & coques carnes eius in loco sancto, quibus vescetur Aaron & filij eius.* Nonne videbatur ſatis, vt Aaron, & filij eius de ſanguine arietis lenirent aures, ad quid vltra mãdatur, vt comedãt carnes eius, & coctas? In confeſſio eſt apud omnes in illa victima, quæ pro toto populo offerebatur, quod Chriſtus Dominus deſignabatur; vt denotaretur, quod non ſatis eſt, vt Pontifex Chriſti doctrina aures intingat, ac percipiat, digitóſque ſuos adornet, ſed inſuper requiritur, vt ipſam carnem Chriſti in

Non ſolùm Christi doctrina audienda, ſed eius exemplo ſequenda.

in se comedat, in séque imprimat, ac incorporet, eiúsque exémplum ebibat. Quemadmodum Christus pro toto populo animam suam posuit, ac in sacrificium se obtulit, vt etiam Pontifex Christo informatus animam suam det pro ouibus, ac in sacrificium se offerat, & bene mandatur, vt carnes sint coctæ, vt sacerdos Christi mores in se decoquat, & alta mente ruminet. Radulph. Flauiac. cap. 8. in Leuitic. *Quid prodest*, ait, *monita legis suscipere, nisi studeamus etiam opere explere? Post factum itaque sanguinem, qui doctrinæ imbutionem designat, carnes quoque arietis comedi præcipiuntur, vt quem delectant Christi verba audire, & opera illius intueri, exempla quoque virtutum ipsius non pigeat imitari, quæ tamen antequam comedantur, coquenda sunt, vt opera Dominica solicita mente perscrutemur, & ardenti cogitatione in affectus nostros trahicianiur, vt ait D. Gregorius.* Vide tom. 2. cap. 11. q. 5. num. 45. 46 47. & cap. 3. q. 43. n. 249. & 250.

Radulph.

Greg.

QVÆSTIO VIII.

Quare Bonus Pastor dat animam pro ouibus, cum pastore extincto pereant oues?

61. *Difficultas quæstionis.*

RAtio huius difficultatis est in promptu. Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis, quomodo mors ista Pastoris potest esse commoda ouibus, nam peremte pastore, oues destitutæ manent, vt lupis tradantur, & perimantur; iuxta illud, quod ipsemet Christus dixit: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues*, Matth. 26. num. 31.

Matth. 26.

62. Chrys. *Prælatus pro suis se periculo exponat.*

Respondet primo Chrisologus serm. 40. *Idcò*, ait, *pro te pastor amorem morte probat, quia cum videat ouibus imminere discrimen, cum gregem defensare non possit, manuit mori, antequam mali de suis ouibus quid videat.* Præ vi amoris pastor vitam suam offert, seque omni periculo exponit, vt suæ oues sine saluæ, & incolumes Cùm fugeret Dauid à facie Absalon, *Egressus est ergo rex, & omnis Israël pedibus suis stetit procul à domo*, 2. Regum 15. n. 16. Cur stat rex, & simul cum aliis totis viribus non curnit? Lyran. *stetit procul à domo*, ait, *extra ciuitatem, vt transire faceret totum populum suum ante se, vt poneret se in maiori periculo si Absalon eum consequeretur.* Vide tom. 2. & 3. verb. *Prælatus.*

2. Reg. 15.

Lyran.

63. Chrysol. *Bonus Pastor suo exemplo inuitat ad martyrium.*

Secundò. Idem D. Chrysolog *Bonus Pastor*, ait, *pro ouibus cum posuit animam, non amisit, & oues taliter tenuit, non reliquit, nec destituit oues tamen, sed inuitauit: quas per mortales campos, per iter mortis, vitalia vocauit, & perduxit ad pascua.* Bonus Pastor cum animam dat pro ouibus, ipsas non derelinquit, nec in perditionem abire permittit, sed suo exemplo maximè illustrat, & informat, vt etiam ipsæ oues animam dent, vt ex hoc sæculo exeuntes vitalia præmia consequantur. Diuus Basilius homil. 20. de Sanctis Martyribus agens ait, ex puluere terræ, ac putrida, & fœtida materia resurgunt. *Cælestia, Ecclesiæ flores.*

64. Basil.

Tertiò. Si Pastor dat animam, quomodo oues inerme pecus defenduntur? sine dubio diripientur, ac dilaniabuntur à lupis? Si pastor è viuis abierit, eius cadauer in terra iacebit, iacebunt etiam eius ossa nuda, & arida, eiusque sanguis effusus stabit super terram; tanta est autem vis, ac efficacia boni pastoris, vt ipsum solum corpus demortuum, ipsáque eius ossa, vel sanguis effusus validissimè oues custodiant, defendant, ac protegant ab incursu luporum, vt nihil eis lædere, ac mordere valeant, sed vt firmæ, ac securæ in Ecclesia permaneant. Ait Deus Isaiæ 33. num. 20. *Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum.* Quinam sunt, claui isti, qui tanto robore, ac firmitate æternant tabernaculum, ac Hierusalem, Ecclesiam nempe, vt est communis interpretum vox, vt nulla vi, lædi, ac commoueri valeat? Claui isti sunt ossa, ac reliquiæ sanctorum reconditæ in terra, quæ ita Ecclesiam, ac eius filios muniunt, & roborant, vt nec eos lædat, nec aliquod nocumentum vlla aduersa potestas eis inferat. Theodoretus apud Leonem à Castro: *Quemadmodum*, ait, *paxilli in terram adacti stabile faciunt tabernaculum fixum, ac firmum, sic illi habentes corpora in terram abdita, animos in se de Beatorum ope apud superos Ecclesiam habent innixam, firmam, ac stabilem.*

Reliquiæ Sanctorum defendunt ciuitatem.

Isaiæ 33.

Theod.

65. Quartò. Moritur bonus Pastor, tamen bono Pastore extincto, charitas eius non extinguitur sed adhuc viget, & durat, vt pro suis loquatur coram Deo, pro ipsísque quos in terra relinquit, exoret, ac deprecetur: sanctus Odonius serm. de S. Martino Episcopo, ait: *Anima pertransiuit in Cælum, & non deseruit, quos in terra sinebat, sed ope, & auxilio illis præsens erat.* Sanct: Pastoris merita pro subditis astant coram Deo.

D. Odon.

66. Ait Deus per Oseam cap. 1. num. 6. *Non addam vltra misereri domui Israel, sed oblitione obliuiscar eorum; & domui Iuda misereber, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Ex quo aperte constat, quod grauius punitur Samaria, quæ erat Metropolis Regum Israël, quam Ierusalem, quæ erat sedes Regum Iuda; & tamen Iuda multo grauius peccauit, quam Samaria. Iuxta illum ipsius Dei ad Iudam. *Samaria dimidium peccatorum tuorum, non peccauit.* Ezechiel. 16. num. 48. Cur ergo Iuda, quæ grauius deliquit, leuius tamen punitur quam Samaria quæ ad dimidium iniquitatum Iuda non peruenit? Rupertus Abbas ad citatum locum Oseæ ait. *Quod si quæras rationem, vel iudicij æquitatem, cur Dominus non Israëli, sed domui Iuda misereri debuerit, sciendum tibi est magnam in regibus Israel, & regibus Iuda distantiam fuisse peccati. Regum quippe Iuda nonnulli isti ferunt, videlicet Dauid, Ezechias, & Iosias; at verò de regibus Israel, nullus exitit, qui faceret, quod rectum esset, aut placitum coram Deo.* Grauiora erant peccata Iuda, tamen cum ipsa habuisset reges, principes, ac pastores sanctissimos, qui pro ipsa coram Deo deprecarentur, inde durius supplicium euasit, & maiorem misericordiam est assecuta, ex tantorum pastorum patrocinio veluti scutum habuit Iuda, vt iram furoris Domini pro suis grauissimis delictis promeritam declinaret, ac effugeret.

Oseæ 1.

Ezech 16.

Inuocatio Sanctorum protegit à malis.

Rupert.

67. Ex diuino mandato sacrificium diuinæ maiestati obtulit Abrahamus. Tunc narrat sacer Textus: *Descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham*, Genes. 15. num. 11. Chaldæus legit: *Eiecit eas Abraham.* Quidnam volueres hæ denotabant? Theodoretus quæst. 65. Rupertus lib. 3. cap. 21. Procopius & alij autumant, quod

Gen. 15. Chald. Theod. Rup. Procop.

significabant Ægyptios, Babylonicos, & alios hostes Israëlitarum, qui eos consumere cogitabant. Isid. Lyran. Abul. Carthus. Hugo. D. Isidorus, Lyranus, Abulensis, Carthusianus, Hugo, per volucres malignos spiritus intelligi volunt, qui sæpe descendentes pastum in Hebræis sumere volebant; sed cum Abrahamus esset iam demortuus, quando huiusmodi mala per Ægyptios, ac Babylonicos sunt illata Israëliticis. Quomodo ait, quod ipse à suis huiusmodi damna abigebat: Abrahamus coram Deo rogans, ac assistés, tanquàm scutum suis erat, ab illisque suis precibus omnem afflictionem, ac calamitatem repellebat, eósque magna protectione seruabat. D. Isidorus Hispalens. *Quod illas abigebat Abraham, significat multos carnales merito Sanctorum ab angustiis liberandos.* Lyppomanus: *Quod abegit eas Abraham fide promissionis, & oratione pro fidelibus ad gloriam Dei.*

Merita Iustorum suos defendunt. Isidor. Lyppom.

QVÆSTIO IX.

Quare Christus nobis non proponit in exemplum abiectionem cum descenderit de cœlo, sed quod animam pro ouibus dederit?

68. IT Christus Dominus: *Ego sum pastor bonus. Bonus pastor dat animam suam.* Non ait, Ego sum pastor bonus sapientissimus, qui præclara doctrinæ documenta trado, sed qui dat animam suam. Verus enim superior, alios præire debet potius opere, ac integritate vitæ, quam verbo, ac sermonis elegãtia. Petrus Damianus epist. ad Firminum: *Sacerdos*, hoc est, Prælatus, ait, *qui in regno cœlorum vult esse magnus, sit in populo pranus, vt quod voce se sequentibus dictat, primus ipse vitæ operibus impleat.* Vide multa verb. *Prælatus*, tom. 1. 2. & 3.

Prælatus potiùs doceat opere, quàm verbo.

69. Ad nostram quæstionem. Cur non dixit, Ego sum bonus pastor, qui de cœlo descendi, ac me metipsum humiliaui, quod meritò dubitat Rupertus in præsenti: *Poterat*, ait, *bonitatis huius formam sumere altius, quia cum esset in Dei forma se ipsum exinaniuit.* Non suam nobis humilitatem imitandam proposuit, sed tantum dixit dat animam suam; ad quod ingeniosè respondit citatus Rupertus: *Hoc exemplum nulli imitabile est. Bene ergo dum homines ad imitationem sui informare intendit, illud omittit, quod nullatenus possit imitari, & hoc solum quod imitabile est, modo proponit.* Poterat Christus Dominus dicere, quod cum esset Dei filius formam serui acceperit, & quod cum esset in suprema gloriæ maiestate, ad nostram vtilitatem sese humiliauerit; & quod cum esset summè diues, pro nobis pauper factus est. Hæc tamen omnia prætermittit; sed tantum ait, quod sit pastor bonus, qui dat animam; quod ipse ex suæ gloriæ celsitudine se deiecerit, decorem, ac splendorem suum absconderit. *Hoc exemplum nulli est imitabile.* Quod verò animam suam pro ouibus dederit, hoc tanto documento, quid simile persuaderi potest hominibus. Hoc solùm, quod imitabile est modo proponit. Tam vehementi appetitu homo ad sui fulgorem, ac illustrationem declarandam fertur, quod facilius ei persuaderi possit, vt periculo vitæ se exponat, quàm quod sui venustatem, ac speciositatem, & splendorem abscondat, & spoliat. *Illud omittit, quod nullatenus possit imitari, & hoc solum, quod imitabile est, modo proponit.*

Rup.

Facilior hominibus vitæ diffusio, quã splendoris abiectio.

Accessit ad Christum quidam adolescens bono, ac religioso animo, vt docent D. Basilius homil. contra Auaros, D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Carthusianus, & alij. A Domino quærit, *Magister bone, quid faciam, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Cui Christus respondit ad obtinendam salutem æternam seruãda esse mandata, nempe: *Non homicidium facies, non adulterabis, & diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et neruosius Syriacus: *Sicut animam tuam.* Cui adolescens respondit: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest.* Tunc Christus Dominus illi ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis*, Matth. 19. num. 21. Res multo examine digna: fatetur iuuenis. quod diligat proximum suum, sicut se ipsum, seu sicut animam suam. In dilectione autem proximi includitur prompta voluntas dandi propriam vitam pro salute animæ proximi, si necesse fuerit, vt communiter docent Theologi cum D. Thom. 22. quæst. 26. art. 5. in corpore. Et tamen cum audit, quod bona sua pauperibus elargiatur, vilique amictu contentus sit, huic sententiæ non acquieuit, sed tristis recedit. Vnde tanta rerum differentia? Quod homo vitam suam diffundat, non recusat, maximè verò quòd ex suo rerum apparatu, ac fulgore sese dimittat, & abiiciat, totúmque suum splendorem deponat, & humili paupertate inuoluatur, facilius reputans propriæ vitæ abiectionem, quàm decoris, ac fulgoris depositionem.

70. D. Basil. Chrys. Euthym. Theoph. Carth. Syr. Matthæy. D. Thom.

Promptior homo vt abiiciat vitam, quàm splendorem.

QVÆSTIO X.

Quare character boni pastoris non est vt honoretur, sed quod pro ouibus det animam?

71. ID nostram quæstionem respondet D. Chrys. in Psalm. 113. *Hoc maximè*, ait, *ostendit principem, quod scilicet suorum curam gerat, eisque prouideat, ac prospiciat. Ideò dicebat Christus: Pastor bonus, non dixit, honoratur, & colitur, sed animam suam ponit pro ouibus suis. Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere, & eorum quos regit curam gerere.* Verus pastor omnia sua negligit, vt ouibus attendat, non quærit quomodo honoretur ab ouibus, sed omne suum commodum, ac etiam propriam vitam despicit, vt illæ custodiantur, ac saluæ, & securæ sint. Character enim optimi Pastoris animam pro ouibus offerre.

Chrys.

Pastor non quærat sui honorem, sed gregis commodum.

Cùm meus Iesus penderet in cruce, ait ei sanctus Latro: *Memento mei Domine dum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 43. Quæ verba commentans D. Chrysostomus tom. 3. homil. de Cruce, & Latrone, post medium: Sic sanctum Latronem alloquitur: *Die mihi*, ait, *regnum commemoras, quid enim regni vides? Claui, & Crux est, quod inspicis: sed ipsa Crux est*, inquit, *& regnum est, & idcò cum regem nomine, quia crucifixum video. Imperatorum est pro omnibus mori, &*

72. Luc. 23. Chrysost.

Latro regnum fecit regem, quia crucifixum.

Latro cognoscit regem, quia crucifixum.

& regis optimi pro communi vtilitate, nunquam recusare supplicium; ipse dixit; quia pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis, & ideò Imperator bonus, animam suam pro his, quos regit, offerre festinat. Quoniam igitur animam suam pro nobis posuit, ideò enim Imper. vocor. Nihil pulchriùs dici potuit.

73. Ioan. 4. Postquam Ionas prædicauit in Niniue, clamat: *Domine tolle quæsò animam meam à me, quia melior est mihi mors, quam vita*, Ioan. 4. num. 3. Quæ vox vt valde præclara digna est pastoribus, *melior est mihi mors, quàm vita.* Eámque Christi personæ accommodat D. Maximus homil. 1. de Paschate: *Dicat hoc rubus Dominus Noster Iesus Christus, quia* melior est mihi mors quam vita. *Id est, viuens vnam Iudæorum gentem saluare non potui, moriar, vt mundus vniuersus vna morte saluetur.* Maximè notandum, quod ait: *Melior est mihi mors, quàm vita.* Cùm potiùs videatur dicendum: Melior est mors mea, quàm vita iis, qui salutem consecuturi sunt, illis erat valde expediens, vtpotè necessaria, vt ait: *Melior est mihi mors, quam vita.* Adeo pro onere sui muneris conueniens est mors Pastori pro suis ouibus, vt illi quodammodo videatur opportunior, quàm ouibus, quæ tali morte salutem, ac vitam sunt adepturæ, & ideò non ait, Melior est mors ouibus, sed mihi.

D. Maxim.

Mors pro ouibus valde opportuna Pastori.

74. Isaiæ 53. De Christo Domino ait Isaias 53. numero 7. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Quomodo dicitur ouis, si Pastor ipse est, sub cuius cura, tutela, ac ductu sunt oues commissæ? ideo ouis, quia bonus Pastor, hoc enim boni Pastoris character, quod vt oues à morte custodiantur, ouis ipse fiat, vt morti, ac iugulationi pro eis se submittat. Diuus Basilius Seleucus orationis 26. *Pastor*, ait, *pro ouibus, tanquam ouis iugulum præbet, non mortem recusat, non iudicium exhorrebit.*

Pastor se offerat morti pro subditis.

D. Basil.

75. Zach. 11. Chald. Vnde maximè deplorandi sunt iniqui Pastores, qui non gregis commodum, sed sui honorem, ac cultum ab ouibus quærunt. Ad iniquissimum Pastorem loquens Zacharias cap. 11. num 17. ait: *O pastor, & idolum derelinquens gregem.* Illa interiectio, ô, multam habet vim, vt etiam habet Chaldæus. Illam malitiam deplorat Propheta in hoc pastore suum gregem deserente, quod cum esset pastor, neglecta pastoris cura, intendit à suis subditis coli, ac honorari, tanquam si esset Deus, tanto enim affectu prætendit, vt aliquis supremus cultus ei impendatur. ibi D. Hieronymus. *O pastor, & idolum*, ait, *tam sceleratus est pastor, vt non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum se appellat Deum, & vult ab omnibus adorari.*

Damnandus Pastor, qui vult honorari à subditis.

Hier.

Ioan. 10. num. 12. Mercenarius autẽ, & qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues.

Num 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

VERSIONES.

Syriac. n. 12. Quum videt lupum venientem deserit oues, & fugit; venit autem lupus, rapit, & dissipat ei oues.

D. Cyprian. Epist. 3. Et relinquens oues effugit.

Arabic. n. 13. Mercenarius tantummodo fugit: quia mercede cõductus est, & non habet curam de ouibus.

D. Augustin. Non est ei cura de ouibus.

Vatablus. Oues non sunt illi curæ.

EXPOSITIO VI.

76. D. Thom. MERCENARIVS *autem.* Hic agit vt notat Diuus Thomas, de malo Pastore ostendens ei contrarias conditiones inesse à conditionibus boni Pastoris. De quo quæstione sequenti in initio. Et tribus modis id declarat. Primò *Mercenarius*, qui nempe pro mercede, & non bono ouium laborat. Vt ait Diuus Gregorius homilia 14. Secundò. *Qui non est Pastor*; nam verus Pastor intendit ouium pascua, & non suum lucrum. Tertiò. *Cuius non sunt oues propriæ.* Possessione nempe. Nam vt ait Caietanus, contingere poterat, vt si non esset Pastor, esset Dominus ouium, & adesset præsens, cùm lupus veniret. *Vidit lupum venientem*, ad oues deuorandas. Lupus, vt docent Diuus Augustinus sermone 49. de Tempore, Beda, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, significat diabolum, vel hæreticum, vel tyrannum. *Dimittit oues, & fugit.* Ne eodem cum ouibus periculo inuoluatur. *Et lupus rapit.* Diuus Anselmus: *Lupus rapit*, ait, *quia Diabolus ea merita, quæ videbantur habere, tollit.* Et additur in textu: *Et dispergit oues.* Idem Diuus Anselmus explicat: *Quia dissipat eius actiones, vt omnia, quæ fecerit, sint incomposita, & incongrua, & dissidentia.* Studium mercenarij seminare dissidium; boni verò Pastoris vnitatem, fieri vnum ouile, & vnus Pastor.

Greg. Caiet. Aug. Beda. D. Thom. Bonau. Anselm.

Mercenarius dissidium, bonus Pastor vnitatem seminat.

77. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* Reddit Dominus causam, cur Mercenarius fugiat, quia ipse solam suam mercedem quærit, proindéque quando oues pereunt, non ipsi perdunt, sed Domino, cuius sunt oues. Diuus Gregorius homilia 14. *Sola causa est*, ait, *vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si apertè diceretur: stare in periculo ouium non potest, quia in eo, quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc, quod diligit, amittat.* Et additur in Textu: *quia non pertinet ad eum de ouibus.* Alij transferunt, *quia non sunt oues illi curæ.* Vnusquisque maiorem diligentiam, & curam habet de suis rebus, quàm de alienis.

Greg. *Mercenarius quærit lucrum & non ouium commodum.*

QVÆSTIO XI.

Quomodò malus Prælatus significatus in mercenario videt lupum venientem, & fugit, ac dimittit ouem?

78. IN his,quæ dicta sunt de bono pastore,ac dicentur in sequentibus de malo triplex inter eos apparet differentia. Et prima sumitur ex intentione,quod ex nomine ipsorum patet.Nam primus dicitur pastor, intendit enim pascere gregem. Ezech.34. n.2. *Nonne greges pascuntur à pastoribus?* Mercenarius autem pro proprio commodo laborat mercedem quærens. Secunda differentia accipitur ex sollicitudine, ac affectu,quia de bono pastore dicitur, quòd oues suæ sunt,non solùm possessione, sed etiam commissione,amore,& sollicitudine.Mercenarius verò nullam sollicitudinem gerit de ouibus, sed de suo lucro,ac cómodo: Apostoli autem,Apostolicique viri, licèt non suas oues, sed Christi pascerent, ab eóque spirituale mercedem receperint, tamen non fuerunt mercenarij, quia non sua téporalia,sed Christi fideliũ spiritualia lucra quæsierunt,eximióque affectu erga oues ferebantur, sese vt Christi vicarij, eiúsque vocem gerentes præclarè exhibentes Charitas enim, qua Deus diligitur,facit,vt quæ Dei,& Christi sunt,tanquã propria reputentur, hinc factum est, vt ipsi pro ouibus animam suam posuerint.Sic dicebat Paulus ad Philippens.1. n.7. *Eo quòd habeam vos in corde.* Sicque Dauid cum pasceret oues patris sui obiiciebat se leonibus, & vrsis, vt eas de eorum ore eriperet, 1.Reg.17. n.34.

Differentia nominum. Ezech.34. *Apostoli Pastores, & non mercenarij.* Philip.1. 1.Reg 17.

79. Tertia differentia desumitur ex D. Gregorio homil.14. in Euangel. *Verum verus pastor sit,* ait, *vel mercenarius cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest: tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam verus pastor, sic etiam stat mercenarius; sed lupus veniens indicat quo quis animo super gregis custodiam stabat.* Distinctio inter pastorem,& mercenarium maximè declaratur ex ipsa temporis occasione; nam in tranquillitatis serenitate æquales videntur se habere ad gregem pastor, & mercenarius, at vrgente periculi aduersitate, valde dispares sunt; nam pastor pro tuendis ouibus se se discrimini opponit, vt faciebat Dauid: *Veniebat leo, vel ursus,* &c. citato 1. Regum num.17. At mercenarius videt lupum venientem, & fugit, ac dimittit ouem.Vide verb. *Aduersitas,*hoc tom.2. & 3.

Greg. *In tempore aduersitatis, & non tranquillitatis declaratur amor.*

80. Pro quæstione enodanda aduertendum est. Primò ex D.Augustino, quòd lupus est diabolus. Secundò ex eodem Augustino lib.2. contra Epistolam Gaudentij hæretici, cap. 8. aliquando licitum est Prælatis fugere, quando ait D.Augustinus fugit corpore,sed non animo, nec cura, nec prouidentia, vel etiam, vt ait Toletus annotat.10. quando quæritur solus pastor, & non oues; tunc si pastor fugiat, in periculo non manent oues, in his, & similibus, si Prælati fugiunt, verè non fugiunt, nec sunt mercenarij, quod satis confirmatur ex Christi doctrina. *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam,* Matth.10. &c & Paulus per murum dimissus est.

Aug. Tolet. Matth.10.

Ad quæstionem respondeo primò. Tunc malus Prælatus,vt mercenarius, videt lupum venientem,& dimittit oues,ac fugit, quando tempore persecutionis,vel necessitatis, relinquit,ac deserit oues; hanc enim absentiam pastorum, vt ait Diuus Ambrosius in capit.10. Luc. Lupus explorat, vt gregem inuadat; nam absentia pastorum ruina est ouium. De quo si libet, videre poteris plura in hanc rem infrà hoc capite, quæst.14. 81. Ambr.

Secundò.D. Augustinus serm.49.de verbis Domini secundùm Ioannem, videt lupum venientem, & fugit. *Non fugit mercenarius,* ait, *corpore; non enim Ecclesiam deserit, aliòque abiit: sed fugit animo, quia cùm præsens sit corpore vitiis medicinam non adhibet, eniúmque mores non corrigit vigilanter.* Idem habet D. Gregorius homil.14. Tunc iniquus prælatus veluti mercenarius videt lupum, nempe diabolum venientem, & dimittit ouem, ac fugit, quando videt suum subditum à Satana multis peccatis perimi,& ipse tanquam oscitans, ac dormiens negligenter se habet, medicamen non adhibet, occasiones non amouet,& supplicium non interponit, huiusmodi ignaui,ac desides Prælati maximè arguuntur à D.Bernado epistol.178. ad Innocentium Papam, & à Petro Damiano epistol. 6. ad Nicolaum Pontificem, & à Petro Blesensi epistol.5. Ignauia enim sua de aliorum delictis delinquentes fiunt. 82. Aug. Greg. *Prælatus, qui non punit delictum, illum se rotat.* Bernard. Damian. Blef.

Ait Deus per Ieremiam: *Maledictus, qui prohibet gladium suum à sanguine,* Ierem 48.num.10. Quomodo qui ab aliorum sanguine suum abstinet gladium,erat maledictus;Cum Christus Dominus dicat Petro: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt,* Matth.26. num.52.Quonam pacto hæc cohærent inter se; Qui cum sit particularis,gladium accipit in proximum, gladio peribit; at Prælatus,qui pollet communi, & publica authoritate, si videt suum subditum delinquentem,& ignauia sua,cum non percutit,vt falce sua amputet pullulantia vitia, vt ait suprà citatus Damianus, iste talis erit maledictus, ac peribit æterna,ac perenni maledictione. Petrus Damianus Opuscul.17.cap.2. *Maledictioni,* ait, *obnoxij sunt, qui peccatoribus blandiuntur, sicut dicitur per Ieremiam. Maledictus, qui probet gladium suum à sanguine, à sanguine quippe gladium suum prohibet, qui se ab inferenda reprobis digna sententia animaduersione coërcet.* 83. Ierem.48. Matth.26. *Maledictus Prælatus, qui delinquentē non punit.* Damian.

Tertiò. Idem D.Augustinus citato sermon.49. de verbis Domini: *Si viderit mercenarius,* ait, *aliquem peccare, aut sentire secundùm perniciem animæ suæ, & tamen quia videtur haberi alicuius momenti in Ecclesia,vnde sibi sperat commoda, non reprehendit, mercenarius est. Et cùm videt hominem perire in peccato, & videt illum lupum sequi, & videt illius guttur trahi morsu ad supplicium: non illi dicit, peccas, ne perdas commoda tua, hoc est ergo cũ viderit lupum, fugit: non illi dicit scelerate facis, non corporis, sed animæ, hæc est fuga: quem videt corpore stare, fugit animo, cum videt peccatorem, & non illi dicit, peccas.* Tunc mercenarius,seu iniquus Prælatus vidit lupum venientem ad deuorandam ouem, quando vidit spiritum iniquum in suum subditum ingressum, cúmque in multa, & turpia crimina præcipitare, & dimittit ouem, cum delinquentem non arguat, & reprehendat, eique sua peccata obiiciat,vt emendetur, ob aliquod suum commodum,& lucrum,& tunc fugit, non 84. Aug. *Fugit mercenarius, cum delinquentē non reprehendit.*

non quidem corpore, cum corpore sit præsens, sed animo, cum id, quod conscientia, & animus dictat, non adimpleat.

85. Ezech. 3. Ait Deus per Ezechielem caput 3. num.18. *Si dicente me ad impium: morte morieris: non annuntiaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Sermo est Domini ad Prophetas, ac Magistros Israel, quòd si imperio delinquente non annuntiauerint, seu vt est in Hebræo nó repetierint arguendo, & increpando suam iniquitatem, vt ipse emendetur, ait Deus, quod impius peribit. *In iniquitate sua morietur.* Addit tamen, *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Hoc est eius mortem in te vlciscar, túque pro illa dabis pœnas. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus Apud Baron.tom.9.anno Christi 740. *Si peccata sua non annuntiaueris, & si eum non arguens, vt conuertatur, & viuat: & te, qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccauit, flammis perennibus tradam. Cui enim dispensatio verbi commissa est, etiamsi sanctè viuas, & tamen perdite viuentes arguere, aut erubescat, aut metuat, cum iis omnibus, qui te tacente perierint, condemnabitur; & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato.*

Hebr. Bonifac. Qui crimen non reprehendit facit suū

86. Exod.32. Septuag. Cùm Moyses descendisset de monte, ac conspexisset populum idololatrantem, ac vitulū adorantem, qui ex suis donis aureis fabricatus erat. Ait textus: *Videns Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron.* Exod.32.n.25. Septuaginta legunt: *Videns quia populus dissipatus est, dissipauit enim eos Aaron.* Valde difficilis lectio, quomodo dici potest, quod Aaron in fabricatione vituli populum dissipauit, cum populo instante, ac postulante Deos mortis metu coactus eius votis concessit? Potiùs dicendum videbatur, quòd populus, qui ex sua deprauata, voluntate Deos postulauit, ipsemet se dissipauerit, ac disperserit. Sed Aaron qui mortis metu condescendit, quomodo dissipauerit? Erat Aaron Pontifex, ac populi pastor, & tenebatur iniquæ populi petitioni resistere, populúmque arguere, ac increpare, vt à suo deprauato affectu retraheretur, Hæc omissio, ac ignauia in causa est, vt non populus, qui postulauit, sed Aaron qui non reprehendit, dicatur dissipator, totúmque delictum in ipsum refundatur. D. Augustinus quæst.146. in Exod. *Notandum*, ait, *quemadmodum illud totum, quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quod eis consenserit ad faciendum, quod malè petierant, magis enim dictum est, dissipauit eos Aaron, quoniam cessit eis: quam dissipauerunt se ipsi, qui tantum malum flagitauerunt.* Vide suprà c.11.quæst.4.n.27. 28.& 29.tom.3.c.27.quæst.9.n.53.

In Aaron retunditur culpa populi, qui nō reprehendit. Aug.

QVÆSTIO XII.

Quare Dominus potiùs lupum commemorat, quàm leonem, vel vrsum, cùm ab his omnibus oues pericula patiantur?

87. IN præsenti de mercenario ait Christus Dominus: *Videt lupum venientē, & dimittit oues, & fugit.* Cur solùm lupos Dominus expressit, cùm non solùm à lupis, sed etiam à leonibus, & vrsis periculum ouibus immineat. Sic dicebat Dauid: *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum,* 1.Regum 17.n.34. Similem quæstionem excitaui tom.3.c.8. quæst. 4. Vide ibi dicta.

Ratio difficultatis. 1.Reg.17.

88. Respondeo. Primò ad quæstionem: quòd Dominus posuit vnam speciem pro toto genere, per lupum omne periculi genus intelligit. Secundò posuit Dominus id, quod valde communiter accidit, vt oues à lupis insidientur. Tertiò, quia lupus est valde crudelis, vorax & infestus ouibus, & ideò ad multam comparationis elegantiam posuit potius lupos, quàm leones.

Lupus multum crudelis & ferox.

89. Ambr. Quartò. Quia vt ait D. Ambrosius in cap.10. Luc. *Lupi bestiæ sunt, qua insidiantur ouibus, circa pastorales versantur casas habitacula domorum intrare non audent, somnum earum, absentiam, aut desidiam pastoris explorant.* Leones, & vrsi aperto impetu oues inuadūt, ac lupi callidè, & insidiosè, ablentiam, aut desidiam pastoris explorant; & crudelior, ac durior hostis insidiosus, quàm apertus, & manifestus; & ideò lupos, vt crudeliores, ac magis timendos expressit Dominus.

Inimicus insidiosus crudelior quàm apertus.

90. Aug. Quartò Diuus Augustinus tractat.46.in Ioannem: *Ecce*, ait, *lupus guttur ouis apprehendit, diabolus fidei adulterium perficit.* Quod etiam ait D. Ambrosius proximè citatus: *Lupi ouium gutturi inuadunt, vt citò strangulent.* Sub hoc typo lupi ouem inuadentis intendit dominus explicare summum malum, quòd diabolus in anima fideli perpetratur, ad hoc adsumit lupi typum ouem inuadentis. Lupus inter cætera animantia hoc habet, vt ouis guttur primum apprehendat, ne ei gemere, aut signum suæ miseriæ edere permittat; sic & diabolus cum maximum malum parat homini, guttur inuadit, vt vocem adimat, ne confiteatur peccata sua, aut in confessione loquatur, & gemat, vt salutem assequatur, & reuiuiscat.

Ambros. Diabolus maximè intendit auertere fidelem à confessione.

91. Ananias, & Sapphira agrum vendiderunt cuius pretij partem absconderunt, aliam ad Petri pedes deferentes. Tunc Ananiæ ait Petrus: *Anania: Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit,* Actor.5.n.3. Valde mirabilis est huiusmodi historiæ series, quòd Petrus, qui ter Magistrum negauit Ananiæ, qui semel de pretio agri aliquid denegauit, irremissibiliter duram mortis pœnam infligat? Nonne Petre, tu Magistrum denegasti, & misericordiam es assecutus? Cur ergo misericordiam non concedis huic aliquid de pretio agri defraudanti? Petrus oculis domini excitatus lachrymis, ac gemitibus confessus est suum peccatum. Ac Ananias Satana in corde eius dominante, ac illius vocem suffocante nullum verbum, nec confessionis, nec pœnitentiæ edidit. Inde Petrus ex domini aspectu habens confessionem misericordiam impetrat, à qua Ananias Satana os eius claudente reiectus manet. D Basil.Magn.serm.1. de Institut. Monach. *Ananiæ*, ait, *aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt nec ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit.* Cùm enim Satanas clauderet os eius, inde aditus ad pœnitentiam exclusus est ab eo.

Actor.5. Summum malum si os claudatur ad confessionem. Basil.

92. Ecclesiast. 10. Deut. 18. Psal. 33. Dan. 5. Maximum diaboli malum inuadere, obsessum.

Ait Sapiens Ecclesiastes 10. num. 11. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Quæ verba sic transferunt Septuaginta, *Si mordeat serpens in non susurro, non est amplius incantanti.* Serpens diabolum significat, sicut, & incantator. Deut. 18. n. 11. 12. Psal. 33. n. 6. Dan. 5. n. 11. Quid est, quòd si diabolus mordeat in silentio absque susurro, nihil amplius est ei, quo valeat hominem incantare, sibique deuincere, & ad se trahere? si ita diabolus hominem mordet, ac vulnerat, vt Dei silentium imponat, ne peccata sua confiteatur, amplius nihil habet, quo maius nocumentum ei inferat, cúmque magis valeat suis veneficiis, ac venenosis artibus incantare, ac consopire, & circumseptum, ac deuictum tenere; ex tali enim silentio omnia mala in hominem conuolant. Cardinalis Hugo: *Nomine serpentis, ait, diabolus accipitur: qui in silentio mordet, cum eius suggestione occulta quis peccata sua celat: nec vult confiteri.*

Ioan. 10 *n.* 14. Ego sum Pastor bonus: & cognosco oues meas: & cognoscunt me meæ.

VERSIONES.

Pagnin. Vat.	Ego sum Pastor ille bonus.
Arias.	Ego sum Pastor ille pulcher.
Syriac.	Agnosco meas, & agnoscor à meis.
Arabicus.	Vt cognosco oues meas, quas pasco.
S. Epiphan.	Oues enim meæ cognoscunt me.

EXPOSITIO. VII.

93. Homo ingratus, vt de beneficijs recordetur,

EGO *sum Pastor bonus.* Repetit Dominus id, quod suprà dixerat se esse bonum Pastorem; tam ingratus est homo ad beneficia Dei in se collata memoria retinenda, vt necesse sit multoties repetere. Probat Dominus se esse bonum Pastorem, tum ex oppositæ mercenarij parabola, tum etiam ex conditionibus boni Pasturis. Nam mercenarius fugit, quia mercenarius est, & ad eum non pertinet de ouibus, nec de illis habet curam. At, *Ego sum Pastor bonus*, & ita ad me pertinet de ouibus, ac de illis curam ago, & cognosco oues meas, & cognoscor ab eis, pro illísque animam meam pono, vt ait sequenti versu, quæ sunt conditiones boni Pastoris.

94. Arias. Aug. Beda. Carth. Cyril.

Ego sum Pastor, à pascendo dicitur, & ita Christus est Pastor, vt non solùm pascuis, sed etiam semetipso, suáque carne, ac sanguine nos pascat. *Bonus.* Arias, *Pulcher*, cuius decore, ac pulchritudine animæ inflammantur. *Cognosco oues meas.* Quod licèt præcipuè de prædestinatis intelligatur, vt volunt D. Aug. Beda, Carthus. & alij. Tamen non de illis solis verba Christi sunt accipienda, sed etiam ad omnes fideles extendenda, qui cum sint in Ecclesia, in Christi ouili sunt. Cognoscit autem, vt notat D. Cyril. lib. 7. in Ioan. c. 6. non solùm suæ dignitatis, sed etiam suæ humanitatis oculis; Christus enim vt homo est Pastor Ecclesiæ. Hæc autem cognitio duo habet; primò, quod sit perfectissima, ac proinde non est eo modo, quo alij Pastores solent noscere oues suas, secundùm externa signa coloris, ac magnitudinis, sed est valde altissima, vt intima cordis penetret. Secundò, cognitio hæc non solùm est speculatiua, sed etiam practica; ita enim cognoscit, vt amet, curam habeat de omnibus, eísque multum prouideat, suis donis, & beneficijs eas replens.

95. Anselm. Cassian. Chrysost.

Et cognoscunt me meæ. Oculis fidei, spei, ac charitatis; vt me intimè diligant, meúmque exemplũ sequantur D. Anselm. *Me cognoscunt, mihi dilecto adhærent, nec à me etiam in aduersis separantur.* Charitas enim, qua Christus nos amat, inspirat in nobis charitatem, qua ipsum amemus. Alij legunt: *Agnoscor à meis.* Simon Cassian. lib. 7. c. 38. *Virumque*, ait, *agitur bonitate Pastoris, vt cognoscat, & cognoscatur.* Duo hîc notanda sunt. Primò, quòd bis appellat hîc Christus oues suas. *Agnosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Sic enim nos diligit Deus, tanquam si non semel tantùm, sed multipliciter, multísque titulis creationis, conseruationis, ac redemptionis; & aliorum beneficiorum sui essemus, Quærit tamen hic D. Chrysost. hom. 59. Qua gratia nunc quoque eum non accusant, vt supr. c. 8. n. 13. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum est verum.* Cùm se apertè bonum Pastorem dixisset. Respondet, quod tam efficaciter Dominus eos refutauit, vt amplius non sint ausi ei idem apponere: alia pro exacta expositione textus. Vide sequentem quæst. in limine.

QVÆSTIO XIII.

Quare priùs ait Christus, quòd ipse cognoscat oues suas, *quàm quod oues eum cognoscant?*

96. Oculus affectus Pastoris multùm attrahit.

IN limine huius quæstionis notandum est, vt dixi in expositione, & dicã quæstione sequenti, quòd verbum *cognoscere*, significat hîc simul cum cognitione amorem, & affectum voluntatis. Vnde pondera, quòd quando Christus Dominus dixit de se; *Ego sum Pastor bonus, bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Non subdit, quòd oues eum cognoscant, diligant, & sequantur, vt modo cùm ait: *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Ac si plus moueretur oues beneuolis Pastoris oculis, quàm quocumque alio maiori beneficio animam pro illis ponendi; maximè enim subditi alliciuntur benemolo, ac vrbano Pastoris affectu.

97. Theoph.

Ad nostram quæstionem ait Christus: *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Priùs ait, quod ipse cognoscat oues suas, quàm quòd illæ eum cognoscant. Ad quod respondet Theophyl. *Vide*, ait, *quòd primus ille nos cognoscit: deinde nos illum, neque aliter potest cognosci Deus, nisi cogniti fuerimus ab illo.* Priùs Christus suas oues cognoscit, quàm oues illum cognoscant; Deum quippe cognoscere nullus potest, nisi priùs ipse à Deo cognoscatur cognitione sua practica, & benefica, qua nos excitat, & præuenit, ac mouet ad sua dona promerenda, ac obtinenda.

98. Psal. 118.

Ait Regius Vates Psal. 118. n. 176. *Erraui sicut ouis, quæ perijt, quære seruum tuum.* Valde mirabilis verborum ordo; seruum se dicit & agnoscit,

&

& tamen ait. *Quare seruum tuum.* Quis nunquam videt, quod Dominus quærat seruum, conueniens rerum dispositio est, vt seruus quærat Dominum. Tamen ait; *quare seruum tuum.* Ac si dicat, quia nisi tu Domine me errantem quæsieris gratia tua excitante, ac præueniente, simul & adiuuante, ego seruus tuus non possum te quærere, ad téque accedere, & peruenire. D. Ambros. lib. de bono mortis. cap. vltimo. *Sequitur te, Domine, Iesu, sed vt sequamur; accersi, quia sine te nullus ascendit, tu enim via es, veritas, vita, possibilitas, fides præmium: suscipe nos, quasi via, confirma quasi veritas, viuifica quasi vita.*

Christus nos quærit, vt ad eum veniamus. Ambr.

99. Ait Dauid Psalm. 67. num 30. *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera.* Si ô Domine munera, quæ tibi in oblationem deferuntur, à templo tuo accipiuntur, iam antequam à regibus essent oblata tua erant, si tua, quomodo tibi offeruntur, cum ipsa oblata potiùs videantur debere fieri ab his, quæ erant regibus propria, & à te aliena? tamen ait; *à templo tuo tibi offerent reges munera.* A templo tuo, hoc est à corde nostro, in quo Christus suis donis inhabitat, à corde hoc tua gratia, & auxilijs repleto, sumuntur dona, quę tibi offeruntur, quia nisi tu ô Domine huiusmodi donis in nos descendas, nihil habet homo ex se, quod tibi tribuat, & largiatur. *In Ierusalem*: non dixit ab Ierusalem, vt solebant reges munera accipere ad offerendum. Sed ait *in Ierusalem*, hoc est ad cœlestem beatitudinem conducens, & spectans. Marcus Eremita de Baptismo tom. 4. in Bibliotech. *Ea quoque de causa*, ait, *Propheta non dixit: ab Ierusalem in templum tuum offerent tibi reges munera quod verisimile erat, & fieri solebat, sed a templo tuo in Ierusalem, quoniam animus cuiusque maximè ab occulto cordis suo templo primum sumit honestas, & bonas suggestiones, suggerunt ab inhabitante Christo, quas etiam adducit ad politiam virtutibus plenam: quam Hierusalem nominauit: iterúmque per intentionem bonam offert eas ipsi, qui donauit Christo.*

A Dei gratia veniunt munera, quæ ei offerimus. Marc. Erem.

100. Cùm Isaac esset egressus in agrum ad meditandum, & vidisset à longè Eliezerum venientem simul cum vxore sua Rebecca. *Venit per agrum in occursum.* Genes. 24. num. 65. Ad quid sanctus Adolescens egreditur eis obuiam, vt introducat in domum patris sui, cur potius eos ibi in domo non expectat? Christus Dominus designabatur in Isaac, qui nisi prior nobis occurrat, non possumus ingredi, & intromitti in domum Patris sui in cœlestem scilicet beatitudinem. Ad hoc tendit Carthusian. *Edocta nempe Rebecca qualiter Christus venit per agrum huius mundi in occursum suis electis, vt eos constringeret brachijs charitatis in patibulo crucis, vlnas suas extendit in eorum amplexus ornauit se intus per virtutem, & dona Spiritus sancti, vt cœlesti sponso præsentaretur.*

Gen. 24.

Christus non dicit in domum sui Patris.

Carth.

QVÆSTIO XIV.

Quare Christus Dominus de se expressè testatur, quod sit Bonus Pastor potius cognoscens oues suas, quàm eas diligens?

101. RESPONDEO primò ad quæstionem, quod verbum *cognosco* significat, vt dixi in expositione cognitionē practicam, ac proinde simul cùm dilectione, beneuolentia, ac prouidentia rerum omnium. Pulchrè Rupert. *Cognosco*, ait, *id est diligo: imò & magnificentius charitatem suam exprimis dicendo, cognosco, quam si dixisset, diligo; hoc enim verbum cum significatione dilectionis simul sonat affectum compassionis, iuxta quod Salomon.* Prouerbior. 10. n. 12. Nouit sapiens animas iumentorum suorum, viscera autem impiorum crudelia. Itaque sicut in Psalm. 102. Quoniam ip. se cognouit figmentum nostrum. *Sic & nunc dum dicit: & cognosco meas. Simul dilectionis, & operosæ misericordiæ signat affectum.* Cùm dicit cognosco, non nudam notitiam denotat, sed aliam cognitionem, quia nos penetrat, & intuetur, vt etiam suam dilectionem, pietatem, ac misericordiam iuxta nostram indigentiam, & necessitatem impendat, & largiatur.

Rup. Prou. 10. Ps. 102. *Christus cognoscit nostrā miseriam, vt subueniat.*

102. Secundò. Christus ait in præsenti. *Cognosco oues meas*: & non ait; diligo oues meas, vbi hic explicat suum amorē. *Ego sum bonus Pastor; Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Et iterum sequenti versu: *Ego pono animam meam pro ouibus meis.* Non dicit verbis se amare, sed operibus, verus enim amor potius declaratur operibus, quam verbis. Vide supra c. 6. q. 6. n. 45. & 46. & tom. 3. c. 15. q. 27. n. 219. & 220.

103. Tertiò. Non ait Christus, diligo, sed cognosco oues meas: dilectio actum voluntatis est, cognitio verò intellectus actus. Bonus autem Pastor oues respicit, ad eásque fertur non voluntatis affectu, sed intellectus dictamine; non enim suas oues dirigit amoris propensione, sed rationis, ac iudicij dispositione. Cùm Isaac intendit benedictionem suam conferre Esau, ait Scriptura de eo. *Isaac amabat Esau, eo quod de venatione illius vesceretur.* Genes. 25. num. 28. Et non dicitur, quod Isaac Iacob dilexerit; cum tamen scriptum sit Malach. 1. num. 2. & ad Rom. 9. num. 13. Dominus dilexit Iacob, Deus amat Iacob, non Esau, Isaac autem diligit Esau, & non exprimitur eius amor erga Iacob. Isaac diligebat Esau voluntatis affectu; *eo quod de venationibus illius vesceretur.* At Deus supremo, & alto rationis dictamine rem dirigebat, vt Iacob, ob sua præclara merita diligeret; non verò Esau in quo turpia facta apparebant. S. Cyrillus Alexandr. lib. 9. in Genes. *Israël*, ait, *nempe, qui & Iacob superna, diuinaque dilectione dignus habitus est, cum legis obseruantiam veluti quendam cibum Deo offerret.*

Bonus præsul ducitur ratione, & non affectu. Gen. 25. Matth. 1. Rom. 9. Cyrill.

104. Quartò. Theophylact. *Hoc loco*, ait, *agnoscit differentiam pastoris, & mercenarij. Nam mercenarius quidem nescit oues, quod contigit, quia non sæpè illas inuisit, nam si sæpè inuiseret, cognosceret illas: At pastor, qualis Dominus cognoscit suas oues, quia curam illarum agit: & rursus cognoscitur ab illis, quas visitatione dignatur, propter consuetudinem agnoscentium suum curatorem.* Ex loco desumit elatus auctor distinctionem inter mercenarium, & bonum pastorem; nam mercenarius cum non assistat suis ouibus, nec eas visiter, minimè eas agnoscit; at bonus pastor cum præsens sit suis ouibus, frequentérque eas visitet propter consuetudinem intimæ suæ præsentiæ, ac assiduæ visitationis fit, vt oues cognoscat, vicissimque ab illis cognoscatur. Sicque suis ouibus valde necessaria est boni prælati præsentia.

Theoph. *Mercenarius abest à grege; Pastor adest.*

105. Videt Ioannes in cœlo sedem mulæ maiestatis, & ait. *In medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante, & retro.* Apocal. 4. num. 6. Grauem difficultatem hìc excitat Ansber-

Auſbert. tus. Si animalia erant in medio ſedis, quomodo in circuitu; & ſi in circuitu; quomodo in medio? Hæc quatuor animalia denotant Doctores, ac Prælatos Eccleſiæ, qui ob ſuam multam vigilantiam dicuntur animalia plena oculis ante, & retro Erant autem in medio ſedis, & in circuitu, quia bonus Paſtor non debet eſſe contentus vno loco, ſed multiplicem ſibi comparare, vt ſimul cura, ſollicitudine, ac prouidentia, ſit in medio ſuæ ſedis, Eccleſiæ, ac diœceſis, vt ſupra gregem ſuum inuigilet, & etiam ſit in circuitu, vt ſuas oues cuſtodiat, eáſque ab iniquarum ferarum tueatur incurſu. Diuus Ambroſius, ad citatum locum Apocalypſ. *Hoc*, ait, *ſecundum hiſtoriam ſtare non poteſt neque tam paruus numerus, & ambitum ſedis, & medium obtinere poterat, ſed ſpiritualiter intelligendum eſt.* Reſpondet ſanctus Doctor. *In circuitu ſedis quatuor animalia ſtant, quia Doctores Eccleſiæ populum ſibi commiſſum, & à viſibilibus, & ab inuiſibilibus hoſtibus quanta virtute poſſunt, defendunt. In medio ſedis conſiſtunt, quia vnumquemque eorum, vt in virtutibus, omnibúſque bonis operibus proficiant, admonere non deſinunt.*

Bonus Paſtor ſit præſens in toto ſuo diœceſi.

Ambr.

106. Cùm Iſraëlitæ prope eſſent terram promiſſionis mandat Deus Moyſi. *Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, ſingulos de ſingulis tribus ex principibus* Num. 13. num. 3. Quæſtio eſt inter expoſitores, an diuinum mandatum de Principibus exponendum ſit, de aliquibus viris illuſtribus, an de primis; & ſummis, quorum quiſque toti ſuæ tribui præerat. Abulenſis conſtanter tenet, quod Dei iuſſio non de tribuum rectoribus, ſed congruentius de aliquibus viris nobilibus, ac ingenuis eſſet interpretanda: ſed qua ratione, quóve fundamento huiuſmodi interpretatio facienda, ex quove principio diuina mens colligenda, *Cùm Deus dicat ſingulos de ſingulis tribubus ex Principibus?* Valdè apertum eſt in tota ſcripturarum ſerie, quantum Deus intendat, vt illi, qui Reipublicæ clauum tenent, ei aſſiſtant, ab illáque non ſeparentur; Indéque diuinum mandatum non de tribuum gubernatoribus, ſed de aliis præclaris viris intelligendum erat, vt ait Abulenſis. Sic enim Deus vult vt rector, ac adminiſtrator populo ſuo ſit præſens, ab eóque minimè diſtet, vt etiam ad explorandam aduerſariorum terram, ad præſtandúmque ſuis tutum acceſſum, nolit, vt à ſuis diſcedat, ab illíſque abſens fiat; clauum tenentes maneant cum populo, alij verò ad inueſtigationem deſtinentur, Abulenſis citato num. loco quæſt. 13. *Quia non erat veriſimile*, ait, *quòd duodecim principes tribuum, qui erant maximi, & nobiliſſimi in toto populo mitterentur exploratores, quia iſti neceſſarij erant in caſtris, ad bonum regimen, & ſtatum tribuum ſuarum, ideò non mittuntur, ſed ſatis erat mitti aliquos alios, & miſſi ſunt aliqui de Principibus familiarum, vel domorum.*

Num. 13.

Abulenſ.

Paſtor ne præſtandis ſuis fiat abſens.

107. Cùm Ioſeph teneretur à fratribus ſuis, miſſus eſt in ciſternam veterem ſine aqua, cùm autem Ruben recederet ab illo loco ad paſcua quærēda, vt ait Ioſephus, prætereuntibus Madianitis, ludas cum ſuis fratribus vendidit Ioſeph in Ægyptum. *Reuerſúſque Ruben ad ciſternam non inuenit puerum.* Geneſ. 37. num. 29. Quid eſt quod cum Ruben adeſt, ſtatim tantum nefas perpetratur à fratribus, vt Ioſeph vendant, ipſéque iam non inueniatur? Ruben cùm eſſet primogenitus, ac ſenior vices Prælati inter fratres ſuos gerebat, cùm autem ſuperior à ſuis abeſt intendens propria paſcua, ac commoda, ſtatim à ſuis vēditur, ac recedit Ioſeph, hoc eſt ſcientia, ac directio diuinæ legis, ſtatímque omni turpiſſimo ſceleri ſe ſe ſubditi committunt. Cardinalis Hugo. *Mali Paſtores* ait, *qui malè viuunt, & malè docent, recedunt à ciſterna, à corde ſuo ad temporalia, quibus dicit Dominus per Iſaiam 46. redite prauaricatores ad cor, in horum abſentia tollitur puer, ideſt ſcientia verbi Dei, dum nimis ad temporalia intenditur.* Vide ſupra in hoc cap. q. 3. n. 24. 25. & 26.

Ioſeph.

Gen. 37.

Ex abſentia Prælati multa mala in ſubditis.

Hugo.

Iſai. 46.

Ioan. 10. n. 15. Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.

Num. 16. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.

VERSIONES.

Syriac. n. 15. Sicut nouit me Pater meus, & ego cognoſco Patrem meum.

Theophylact. Ita ego noui Patrem.

Arabicus. Et animam meam do pro ouibus.

Arabic. n. 16. Et mihi ſunt oues aliæ, quæ non ſunt de hoc ouili.

Arias. Quæ non ſunt ex hac cauſa.

Caietanus. Quæ non ſunt ex hoc ſtabulo.

S. Leo ſer. 14. *de Paſſion.* Erit vnus grex, & vnus Paſtor.

Syriacus. Fiétque grex vnus omnium, vnúſque Paſtor.

EXPOSITIO VIII.

168. *SICVT nouit me Pater.* Hæc tota ſententia, ac comparatio, vt notat Diuus Cyrillus procedit ex antecedentibus. *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me mea: ſicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem.* Sicut enim Pater diuina, ac æterna cognitione amoris plena cognoſcit me filium ſuum, & ego etiam filius eius, qua Deus diuina, ac æterna cognitione charitatis plena agnoſco Patrem: & qua homo ex tempore noſco Patrem, ſcientia beata, infuſa, & acquiſita; ſic etiam ego quà Deus cognitione diuina, & æterna charitate affluente, cognoſco oues meas, & quà homo illa triplici ſcientia, beata, infuſa, & acquiſita. Sic etiam proportione ſeruata oues meæ me ſuum dilectiſſimum Paſtorem agnoſcũt; In terris cognitione obſcura per fidem; in cœlis clariſſima, & euidente. Pro quo nota; quod illa dictio, *ſicut*, non denotat hîc æqualitatem, ſed ſimilitudinem proportionis, vt etiam multoties ſignificat, vt obſeruarunt Toletus, Maldonatus, Lucas Burgenſis, & alij. Matthæi 5. numero 48. *Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Ioannis 7. num. 22.

Cyrill.

Toſet. Mald. Luc. Burg. Matth. 5. Ioan 7.

num. 22. *Vt sint vnum, sicut nos vnum sumus.* Nam amor quo Pater, & Filius vt Deus vicissim se diligunt, est infinitus, & increatus. Amor verò, quo Filius vt homo diligit suos fideles; & simul ab eis diligitur, est finitus, & creatus.

109. *Et animam meam pono pro ouibus meis* Ostendit Christus cognitionem suam esse perfectissimam cum vero vehementissimo amore; ex eo enim, quod Patrem cognoscat, & à Patre cognoscatur, infert Dominus se animam ponere pro suis ouibus. Alcuinus. *Ac si patenter dicat,* ait, *in hoc confidat, quia & cognosco Patrem, & cognoscor à Patre; quia animam meam pono pro ouibus meis, id est, ea charitate, qua pro ouibus morior, quantum Patrem diligam, ostendo.* Rem sic explicat Diuus Thomas, ac si diceret Christus, sicut Pater agnoscit me, & omnia quæ in me sunt, sic & ego agnosco Patrem, & omnia quæ in eo sunt, ac proinde eius voluntatem, vt moriar pro hominibus; idcirco ego pono animam meam, vt Patris decretum adimpleam. *Pono* hoc est breui ponam, præ amoris vi futuram mortem, vt præsentem reputat. Et cùm ait. *Pono,* vt notat Leontius, ostendit mortem suam pro nostra salute non fuisse coactam, sed voluntariam.

Alcuin. D. Thom. Leont.

110. *Et alias oues habeo*: Adsignificat Dominus, quod præter Iudæos aliquos ex gentibus, de quibus ait Diuus Petrus 1. Epistol. 2. numero 25. *Eratis sicut oues errantes.* sibi sit congregaturus. *Habeo.* Hoc dictum est à Domino per anticipationem ad futurum, hoc est breui habeo. *Quæ non sunt ex hoc ouili.* Gentiles denotat Dominus, qui cùm Deorum cultui inseruirent, oues Christi, sed Sathanæ erant; Christus autem, ex ouili Sathanæ adduxit in ouile suum, hoc est in Ecclesiam suam, prædicitque hîc conuersionem, ac vocationem gentium, indicátque vt ait Rupert. non indigere Iudæorum fide, etiamsi illi pauci credant, plures rebelles permanentes, cùm in eorum locum sit adducturus gentes multas, & numerosissimas. *Et illas oportet,* quamuis Chrysostomus, & Theophylactus doceant, quod verbum *oportet* non necessitatem, sed quid futurum esse significare. Aptius tamen dicere cum Toleto, Maldonato quòd *oportet,* idem est, ac necesse est ex parte quidem Christi, vt Patris decreto, ac officio suo Redemptoris satisfaceret: & etiam ouium ex parte, vt illæ saluæ sint, & non pereant. *Me adducere.* Non tantùm per semetipsum, sed etiam per suos Apostolos, Ministros, & Legatos vt explicat Diuus August. *Ergo & per suos ipse,* ait, *& non aliter adducit.*

Petr. 1. 2. Rup. Chrys. Theoph. Beda. Mald. Aug.

111. *Et vocem meam.* Explicat D. August. *Ecce per suos ipse loquitur, & per eos, quos mittit vox eius auditur.* Ad fidem in me, ad credendúmque verbis meis. *Audient.* Quod explicans Euthym. ait. *Audient, id est credent, parebunt.* Perfectus obediens idem est, quod audiat, ac pareat; & non explicat Dominus quid audient, nam obediens promptus est ad obediendum in omnibus, quæ ei dicuntur. *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor,* Prædicit hîc Dominus, id quod post suam mortem futurum est; tunc enim Apostoli dispersi per totum orbem gentes ad Christi fidem adduxerunt, ex eísque simul cum Iudæis conuersis facta est vna Ecclesia, & vnum ouile, cui vnus pastor præest, nimirum Christus Iesus, eiúsque Vicarius Romanus Pontifex, qui Christi vices gerit in terris; de hoc latius quæstione sequenti.

Idem. Euth. *Perfectus obediens ad omnia paratus.*

QVÆSTIO XV.

Quomodo dicat Christus, quod Iudæis, & gentibus fiet vnum ouile, eique erit vnus Pastor?

112. ECCLESIAM futuram esse ex duobus populis congregatis Iudaico, & Gentilico vnum ouile, cum vnico supremo Pastore multi prophetæ prædixerunt. Ierem. c. 23. n. 3. Ezechiel c. 34. num. 3. & cap. 37. num. 21. Cum sequentibus; vbi ait. *Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, &c. Et faciam eos in gentem vnam, &c. Et seruus meus Dauid Rex super eos, & Pastor vnus erit omnium eorum.* Vbi superbum regis nomen Pastoris nomine mitigatur. Quæ verba Theodoretus, Lyranus, Carthusianus, Hugo, Cornelius, & alij præsentibus Domini verbis, quæ nunc explicamus, applicant; cui etiam expositioni consentit Diuus Hieronymus. Nam sub nomine Pastoris Dauid, Christum Dominum intelligit, ad quem loquens Propheta citato loco n. 17. in persona Patris, *& erunt in vnienem in manu tua;* Vnde hæc expositio multò accommodatior est, quàm illorum, qui de duobus populis Iuda, & Israël interpretantur, qui in Roboam diuisi sunt, tum quia decem tribus nunquam fuerunt restitutæ, vnde non possunt dici congregatæ in vnum; & esto ita factum concedatur, hoc totum præcessit in figura huius mysterij in Christo, & per Christum perficiendi, vnde subdit Propheta prædicto loco n. 24. *In iudiciis meis,* id est præceptis, *ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea.*

Ierem. 23. Ezech. 37. Theod. Lyran. Hugo. Corn. Hilar.

113. Ante Christi Domini aduentum lege, circumcisione, ac multis cæremoniis Iudæi à gentibus, quæ idolorum cultui erant deditæ segregabantur, veniens autem Christus Dominus abolcuit omnia, quæ Iudæorum extabant, tàm legis, quàm circumcisionis, ac cæremoniarum, & constituit vnum nouum ouile amplissimum in Ecclesia sua Catholica, quæ simul gentes, ac Iudæos recipit, vt testatur Paulus ad Ephes. 2. n. 14. *Ipse enim,* ait, *est pax nostra, qui fecit vtráque vnum, medium parietem maceriæ soluens, & legem mandatorum decretis euacuans: vt duos condat in semetipso in vno nouo homine, interficiens inimicitias.* Christus Dominus pax nostra soluit maceriam; seu vt legit Vatabl. *interstitium dissidij,* ac contentionis, quæ erat inter Iudæos, ac gentiles, vtpotè válde diuersos lege, ac religione, cósque adunauit in vno nomine, lege, cultu, ac cæremoniis, vt iam amplius non sit Iudæus, neque Græcus, circumcisio, neque præputium, sed *noua creatura.* Rom. 10. n. 12. ad Galat. 6. num. 15.

Quomodo vnum ouile. Ad Ephes. 4. Vatabl. Rom. 10. Galat. 6.

114. Vterque populus Dei prouidentia regebatur; nam in populo Iudaico fuerunt multi Prophetæ tanquam Pastores, & etiam in populo gentilico, in aliquibus fuit vera Dei cognitio, vt patet in Iob, & Sybillis. Tamen si cum statu Euangelico comparentur, ita obscurè, ac in tenebris degebant, vt sine Pastore esse viderentur, vnde Iudæis sub lege Moysis viuentibus Deus Christum promittebat tanquam verum, ac singularem Pastorem citatis locis Ierem. ac Ezechielis, vt eos regeret, duceret, ac dirigeret in pascua salutis æternæ; quæ tã amplissima in Ecclesia sua præparauit, vt iam non in Iudææ angulis includerentur, sed longè

Olim homines veluti sine Pastore.

longè, latéque ad gentes propagarentur, sic promiserat Deus Pater. *Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacób, & faces Israël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Isai. 49. num. 6. Dei dona ad omnes se extendunt: pro quo vide plura, verb. Communicare.

Isai. 49.

115. *Vnus Pastor*, sicut enim est vnum ouile, sic & vnus Pastor, vnius, & supremus gubernator Christus Iesus, post cuius Ascensionem vnus est Pastor Petrus, vnus etiam Pastor Petri successor Romanus Pontifex, qui vices Christi gerit in terris, sub quo inferiores militant multi pastores, non toti ouili, vt ille, sed singuli singulis ouilis partibus præsidentes. Quilibet ex his vnus esse debet pastor, vt à se non recedat, nec vita nec sermone discrepet, sed quod verbis dicit, opere impleat, vnus sit Pastor in prosperis, ac aduersis, ac etiam vnus sit cum subditis, vt ab illis nec cibo, nec vestitu diuidatur. Hugo Victorin. lib. 2. Miscell. tit. 130 *Vnus pastor*, ait, *vnus in se, & vnus cum grege. Vnus in se, vt quod docet verbis, impleat operibus. Vnus, vt non mutetur prosperis, vel aduersis. Vnus cum grege, vt à subditis non diuidatur per pretiosiorem cibum, vel habitum.*

Quomodo vnus Pastor.

Pastor quod verbo dicit opere impleat. Hugo.

116. Si autem aliquis ex his pastoribus sit improbus, Christum tamen repræsentat; vnde ait Diuus Augustinus tract. 46. in Ioan. *Per eos*, ait, *vox Christi auditur; & sequuntur oues; non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium*; si ergo aliquis prælatus defectuosus fuerit, cum tamen ratione officij Christum repræsentet, ei tanquam vicem Christi gerenti obtemperandum est. Petrus Damianus opuscul. 13. cap. 20. *Nolite*, ait, *de priorum vestrorum perperam fortè viuentium meritis disputare: & non qua via gradiantur, sed cuius vice fungantur, attendentes; illis in Christo humiliter obedite.*

Aug.

Prælatus improbus audiendus, & obediendus. Dam.

117. Loquutus olim Deus cùm Moyse. *Apparuit ei Dominus de medio rubi*; Exod. 3. n. 2. Et iterum *vocauit eum de medio rubi.* Cur Deus ad loquendum cum Moyse elegit rubum aridum, infœcundum frondibus, ac fructibus vacuum, spinis, & sentibus plenum, & armatum? Cur Deus ad hoc tantum negotium aliam plantam fœcúdiorem, ac iucundiorem non designat? Hac apparitione incipiebat Deus magnis documentis instruere populum suum; dat voces de rubo, hoc est de sterili, ac spinoso prælato peccatorum aculeis inhorrido, vt denotaret, voces editas de cœlesti doctrina à malo prælato etiam accipiendas, & auscultandas esse. D. Ambros. lib. 1. de Virg. *Cur desperandum*, ait, *quod Dominus loquatur in hominibus, qui locutus est in sentibus? Deus nec rubum dedignatus.* Et statim subdit. *Vtinam meas quoque illuminet spinas. Erunt fortasse, qui etiam in nostris sentibus aliquam mirentur lucere fulgorem, erunt, quos spina nostra non vret, erunt quibus de rubo audita vox nostrum soluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus.*

Exod. 3.

Deus etiam per malũ Pastorẽ dat voces.

Ambr.

Ioan. 10. n. 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.

Num. 18. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.

VERSIONES.

Syriacus n. 17. Propterea Pater meus diligit me.

Rupertus hic. Et iterum sumo eam.

Syriacus n. 18. Nemo tollet eam à me, sed ego pono eam ex mea voluntate; possum enim eam ponere: posúmque rursus eam assumere.

Arabicus. Voluntate mea pono eam: & mihi potestas est ponendi eam.

D. Hilarius. Potestatem habeo iterum accipiendi eam.

Pagnin. Hoc mandatum recepi à Patre meo.

EXPOSITIO IX.

118. PROPTERE A me diligit Pater. Declarauit Dominus pro quibus ouibus esset mortuus, ne ob ipsam mortem contemnendũ existimeut Iudæi; occurrit Christus ostendens hanc mortem sibi esse maximè optatam, & gloriosam, eo quod amore, ac obedientia Patris vltro eam subeat; ideóque à Patre ob tantam obedientiam maximè exaltandus, ac glorificandus sit. *Diligit Pater*: loquitur Christus vt homo. Et quamuis plura sint motiua, ob quæ à Patre summè diligatur; Hæc tamen est vna, & non postrema, vt notant D. Cyrill. Leont. Theophyl. Diligit, non quasi tunc incœpisset diligere, cum animam posuit, sed eum semper ante dilexit vident animum illius paratum ponendi animam pro ouibus. *Ego pono animam meam*, id est vitam meam. *Vt iterum sumam eam.* Ad breue tempus pono, vt tertia die resurgam. D. Cyrillus sic rectè explicat. Propterea me diligit Pater, quia non solùm pro ouibus meis pono animam meam, sed etiam quia iterum resurgendo sumo eam, sicque non solùm morte mea oues à morte libero, sed etiam, quia resurgendo viuifico. Albertus Magnus. *Resurgens*, ait, *sumam eam ad opus glorificationis meæ rum: sicut prius per animam operatus sum opus Redemptionis*, Rom. 4. ■ 25. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

Cyrill. Leont. Theop.

Albert.

Rom. 4.

119. *Nemo tollet eam à me.* Explicat Dominus, & cõfirmat id, quod superius dixerat. *Ego pono animam meam.* Et ait: Nemo tollet vi, ac me inuito vitam meam à me, vt explicat Euthym. *Nemo me morte tradet nolentem.* Vt subiunctis verbis explicit. *Sed ego pono eã à meipso.* Seu vt legit Arabic. *voluntate mea pono.* Vnde subdit: *potestatem habeo ponendi eam*, voluntaria, & libera morte. *Et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Per gloriosam resurrectionem, quam per vim diuinitatis hypostaticè meæ humanitati coniunctæ mirabiliter, ego faciam. Vnde, vt rectè notauit D. Cyrillus, his verbis Christus Dominus se Deum, ac hominem demonstrat, si quidem vt homo ponit animam, vt Deus resurgendo iliam reassumit. *Hoc mandatum*

Euth.

Arabic.

Cyrill.

tum accepi à Patre meo. Reddit Christus causam cur se morti offerat, quia mandatum seu præceptum habuit a Patre moriendi pro nostra salute. Ioan. 14. Ioannis 14. numero 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Ioan. 15. Ioannis 15. numero 10. *Ego Patris qui præcepta seruaui.* Ad Philip. 2. Ad Philippenses 2. *factus obediens*, Patri præcipienti, obedientia respicit, ac præsupponit mandatum, indeque eius correlatiuum est *vsque ad mortem.*

QVÆSTIO XVI.

Quare dicitur, quod Pater diligit Filium, non solùm quia mortuus est, sed etiam quia gloriosè resurrexit?

120. DVo in limine huius quæstionis notanda sunt. Primum quod ait Christus Dominus. Propterea *Pater diligit me, quia pono animam meam.* Id est, quia vitam meam pro salute ouium mearum in sacrificium offero. Sed cur non ait, Pater diligit me quia per me metipsum vniuersum Orbem condidit? Sed hæc omittens tantum ait. Pono animam meam, vt denotaret quod in maiori æstimatione est apud Deum vitam pro aliorum salute diffundere, quàm totius orbis opificium, illiúsque machinam condere. Rupertus in præsenti. *Poterat sic dicere*, ait, *propterea me diligit Pater, quia per me in principio cuncta fecit, & sine me factum est nihil. Verum hoc loco Pastorem legitimum instituere, vel erudire intendit, & illud notum facere, quod lucro animarum charius Deo nihil sit. Hoc igitur opportunè secundum rem dicit. Propterea Pater diligit, quia ego pono animam meam: subauditur, pro ouibus meis: videlicet vt sciant Pastores animarum, quanti meritiſie mori pro salute earum.*

Non Deus æstimat salutem animarum, quàm creationem orbis. Rupertus.

121. Cum Christus Dominus hîc ait. *Pono animam meam, vt iterum sumam eam*, vt ait Toletus occurrit Dominus cuidam obiectioni, quæ fieri poterat: si ponis animam tuam quomodo poteris adducere oues has, vt vocem tuam audiant, & erit vnus Pastor, & ouile, ac si respondeat. Christus, ita Pater voluit me ponere animam, vt cito eam resurgendo assumerem, & ita mea dicta maximè inter se constant; verum enim, quod ponam animam meam pro ouibus meis: & iterum sumam illam, resurgam, & sic adducam, & congregabo oues meas, & audient vocem meam, & erit vnum ouile, & vnus Pastor.

Toled.

Præcurrat obiectio.

122. In nostra tamen quæstione, illud maximè est inquirendum, quod Christus ait: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam.* Non ait Christus. Ideo me diligit Pater quia in crucis patibulo offero vitam meam pro eius gloria, ac hominum salute, sed quia ita vitam meam in morte pono, vt iterum resurgendo eam assumam, ac si ita mori, vt confestim resurgat, hic ponatur vt placendi patri gratia, ac tanquam illius amorem, ac beneuolentiam sibi conciliandi motiuum. Maximè hic est expendenda Resurrectionis gloria, eximius amor Patris erga filiũ in eo se insigniter manifestauit, quod Filium suum miserit, vt pro nobis traderetur, ac si morti offerret, & quod simul resurrectionis gloriam ei concesserit, tanta enim gloria in ipso triumpho Christo data est, vt paterni amoris erga ipsum apertum sit demonstratiuum signum. Pater diligit, quia ponit animam suam ob eximiam obedientiam erga ipsum. Et Pater diligit Filium, cum ei tantam resurrectionis gloriam concesserit.

Resurrectio, gloria magna.

123. Secundò. Summè Pater filium diligebat, tamẽ Resurrectionis gloriam Filio non concedit, nisi prius præcurrat mortis meritum. *Propterea me diligit Pater, quia pono animam meam, vt iterum assumam eam*; nec rem præbet dilecto, quia dilectus ab ipso, sed prius inquirit merita, vt gloriosè retributionem largiatur. Ait Regius vates Psalm. 92. numero 3. *Parata sedes tua Deus ex tunc, à sæculo tu es.* Cum Christo Domino esse sermonem communis est Patrum, ac Expositorum sententia, quem Deum appellat vtpote consubstantialem Filium Dei secundum Diuinitatem, quam testatur esse ab æterno vnà cum Patre. *A sæculo tu es*; seu, vt legunt Diuus Hieronymus, Diuus Augustinus *ab æterno tu es.* Illud tamen *ex tunc*, seu vt legunt vetus Psalterium, & Diuus Augustinus *ex illo*, scilicet tempore; magnam inuoluit difficultatem: ad quidnam referatur illud *Ex tunc*, seu ex illo tempore. Multi multa dicunt. Mihi tamen dicendum videtur. Quod *ex tunc*, respicit titulum Psalmi, qui sic inscribitur *Laus Cantici Dauid in die ante sabbathum.* Hoc est in Parasceue. Ex eo quod ipse feria sexta in die ante sabbathum pro omnium salute in ara crucis est oblatus, ex tunc, ex illo tempore, à Patre parata sedes eius; non præparatur à Patre sedes illius, quia Filius eius erat ab æterno cum ipso Deus, sed quia qua homo, & vnitus humanitati pro omnium salute vitam dabat Agellus in Psalmi titulo sic ait. *Ipsi Hebræi Christiani nominis hostes; Psalmum ad Christi tempora spectare confitentur. Quando autem id factum est, nisi pro sabbatho, cum in crucem sublatus insigne regium accepit.*

Datur præmium non ob amorem, sed ob meritũ.

Hier. Aug.

Non ex amore, sed merito confertur præmium.

Agel.

124. Cùm Dominus in sua sacratissima Passione astaret coram Principe Sacerdotum, ait illi. *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Matthæi 26. numero 64. Pro illa particula, *amodo*, legit Syriacus: *ab hoc tempore.* Ait Christus, quod ipsum videbunt, quem Filium hominis tantum reputant, cùm sit verus Filius Dei confidere ad dexteram Dei Patris omnipotentis; *virtutis Dei*; Legit Græcus, *potentiæ Dei*; sessio autem ad dexteram æqualitatem dignitatis, maiestatis, & gloriæ cum Patre dicit; sed à quo tempore hęc æqualitas glorię, & maiestatis in Christo, ab eo nempe momento, quo diuinitas vnita est humanitati, vel quando vt sponsus de thalamo suo processit ex vtero Virginis factus homo; tamen Pontifici ait Christus: *ab hoc tempore videbitis Filium hominis*; &c. Ab hoc tempore, quando pro vobis patior, quando à vobis condemnor ad mortem, ab hoc inquam tempore mihi parata est sedes à dextris Dei fundata, & stabilita supra virtutem, ac meritum huius meæ passionis. Diuus Paschasius libro 12. in Matthæum. *In eo*, ait, *quod dicit sedentem regnantis forma introducitur. Ac si dicat suprà virtutem fundatum, ac stabilitum.*

Matth. 26. Syr. Græc.

Dignitas filio data in meritis. Pasch.

CAPVT XX.

Petens Panes.

Luca 11.*n.*4. Quis vestrum habebit amicum,& ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes.

Num. 5. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.

VERSIONES.

*Syriac.n.*4. Et subdit eis: Quis vestrum habebit amicum: & proficiscetur ad eum media nocte, & dicet ei: amice mi, da mihi mutuò tres placentas.

Vat. Theoph. Da mihi mutuò tres panes.

Arabicus. Quis vestrum habet amicum.

D.Greg.Niss. Da mihi aliquot ex panibus tuis.

*Origenes n.*5. Quoniam amicus meus superuenit mihi.

Pagninus. Quid apponam illi?

EXPOSITIO I.

1. ARIAS parabolas narrat Diuus Lucas à capite 11. vsque ad 18. quæ in variis locis connectuntur ab Authoribus, à multis verò ponuntur post parabolam de bono Pastore, quorum ordinem nos tenemus. Postquã Dominus, vt refert Diuus Lucas cap.11. tradidit illam formam orandi, quam iam docuerat cap.6. Matth.6. Matth. *Pater noster qui es in cœlis*, vt latè explicauimus ibi tom.2. cap.15. Hic proponit parabolam de amico postulante tres panes. Cuius scopus, ac finis est, vt docent Diuus Basilius in regulis breuioribus respons.261. D. Ambrosius, Titus Rostrens. Diuus Bonauentura hîc, ac Diuus Bernardus sermone de Rogationibus, vt instruamur semper, ac omni tempore esse orandum: non frigidè, aut negligenter, sed feruenter, ac perseuerantèr: & si contingat nos citò non exaudiri, non statim ab oratione recedendum, sed valdè ardenter multipliciter instandum. D.Paul.1.ad Thes.5. n.17. *Sine intermissione orate, gratias agite.* Quod confirmat Christus hac similitudine, & exemplo satis inter homines solito.

D.Basil. Ambr. Rostrens. Bonau. Bernard.

1.Thes.5.

2. Ait ad illos: scilicèt discipulos suos, cum quibus loquebatur. *Quis vestrum.* Interrogatio posita ad maiorem energiam, ac sermonis efficaciam. *Habebit amicum.* Non dixit: si vos habetis, sed si quis *vestrûm.* Nam rarò inuenies, qui verum amicum habeat; & non dixit, habebit amicos, sed amicum. Verorum amicorum valde paruus est numerus; valde rara, ac singularis vera amicitia; & non dixit, habet, de præsenti, sed habebit de futuro. Vera enim amicitia, non solùm respicit præsentia, sed etiam quæ à longe, ac in distanti sunt. *Ibit ad illum media nocte*, tempore maximè improportionato, & incommodo, & facit argumentum à maiori ad minus; si media nocte propter amici perseuerantiam dabit, multò magis quouis alio tempore dabit. *Ibit.* Non seruum aliquem mittit, sed ipse vadit, sciebat enim, quod valde friuola sit oratio aliena, cùm ipsam propriæ necessitatis vigor non animet. Pro quo vide cap.2.num.137.& 138. *Et ait illi, Amice.* In exordio supplicationis amicum dicit, vt mutuæ dilectionis recordatione vt ait Diuus Carthusianus, ad dandum inclinaret. *Commoda mihi tres panes.* Id est, vt patet ex Græco, *mutuo da mihi.* Vt ponderat Diuus Bernardus ser. mone 17.ex parabola. *Notandum*, inquit, *quod non ait da mihi, sed commoda mihi.* Vt accipiens beneficia se Dei debitorem recognoscat. Instruimur, quod in nostris necessitatibus ad verum amicum Deum nempe, est confugiendum.

Verus amicus rarus.

Vera amicitia non in præsenti, sed in distans aspicitur.

Carth.

Bern. Græc. *Debitores sumus Dei beneficiorum.*

3. *Quoniam amicus meus*; amicum dicit, non inimicum, quod videbatur pertinere ad maiorem charitatis ardorem. Cùm Paulus dicat Rom. 12. numero 20. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum.* Esto olim inimicus fuisset, quem tamen homo in sua domo, ac hospitalitate receperat non inimicum, sed amicum reputabat. Deinde petebat homo Christi panem, qui non est cibus inimicorum existentium in mortali, sed amicorum, ac filiorum in gratia. Vide alia, quæ dixi tomo 3. capite 24.quæstione 15.numero 102. *Quoniam amicus meus venit de via.* Tres rationes assignat, ob quam tam incommodo mediæ noctis tempore venerit. Primò *amicus meus venit.* Iure amicitiæ teneor necessitati eius subuenire. Secundò *de via.* Ipsa longitudo itineris in causa est, cur hac hora defessus venerit. Tertiò, *Non habeo, quod ponam ante illum.* Tempus enim non permittit, vt aliquid emam. Dignus sane hic homo vt multa à Deo beneficia recipiat, qui indigentiam suam agnoscit, & fatetur.

Rom.12.

Eucharistia panis amicorum Dei.

Qui suam indigentiam agnoscit dignus beneficio Dei.

QVÆSTIO I.

Quare tam confidenter homo petit panes non à consanguineo, sed ab amico, & explicatur quis sit homo pulsans, & amicus?

4. ALDE audacter hic homo accessit ad ostiũ sui amici, ac pulsat petẽs panes. Vnde illi tanta fiducia? Rectè respondet D.Chrysol.ser.39. *Æstime*, ait, *hoc dixisse pulsantem, aut fortè taliter cõuenisse: feci quod iussisti, redde quod promisisti: tibi credidi dicenti.* Nolite soliciti esse in crastinum. *Vnde externo hospiti, quod apponerem non reliqui. Si tibi ego sic habenti molestus fui, quanto mihi ille extitit molestior non habenti? Et tamen ego illi excusare non potui, quia tibi obedire contendi.* In Euangelio non inuenimus alium hominem tam crebro, ac instanter ostium amici se claudentis pulsantem, vt hunc præsentem; vnde illi tanta animositas? Vt Domini mandatum impleret, omnia sua pauperibus erogauit, ita vt in crastinum nihil in domo sua relictum fuerit, vnde generosè accedit,

Chrys.

Eleemosyna confidentiam ingerit, vt à Deo multa petamus.

accedit, & promissos ex conuentione cœlestis beatitudinis panes postulat, ac si dicat, *feci quod iussisti redde quod promisisti.*

5. Theophylactus existimat quod homo pulsans est Angelus custos qui in profundo tac media nocte tentationem accipiens animam fidelis à Deo petit tres panes corporis, animæ, & spiritus. Origenes relatus in Catena Græca, ait quod homo pulsans sunt Sancti v. gr. Abraham, Moyses, Dei amici, à quo petunt pro suis subditis, & deuotis. Carthusianus, Hugo, & alij communiter. Inquiunt, quod pulsans est homo fidelis qui excipiens de via mundi, ac temporalium cor suum, & animam suam intra se. Psalm. 39. num. 13. *Cor meum dereliquit me.* Ierem. 32. num. 22. *Vsquequo delitias dissolueris filia vaga.* Qui fidelis in mediâ nocte tribulationem huius sæculi ad Deum Patrem, seu ad Filium eius Christum Iesum recurrit petens panes gratiæ, & misericordiæ. Aliter D. Augustin. serm. 171. de tempore interpretatur, quod pulsans est fidelis, qui tempore tentationum audiuit, & excepit Christum Iesum pulsantem ad ostium cordis sui, inde ipse Iesus accurrit homini pulsanti ad ianuam Patris sui, vt illum exaudiat, & excipiat, siquidem ipsum olim homo excepit in corde suo. *Quis est iste hospes*, sunt verba Diui Augustini, *qui de nocte de viâ venit ad amicum? Nonne est iste hospes, qui dicit. Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi, introibo, & cœnabo cum illo.*

Theoph. *Quis pulsat, & quis amicus.* Orig. Carth. Hugo. Psalm. 39. Ierem. 31. Aug.

6. Maximè notandum, quod cum Christus Dominus sub parabola, ac similitudine hic intelligatur, quod non appellatur Dominus Deus omnipotens, sed amicus, non enim ait pulsans, domine, Rex, Omnipotens, sed amice accommoda mihi tres panes. Amicus, vt ait D. Isidorus lib. 10. liter. A. Etymol. *Dictus est propriè amicus ab Amo, id est catena charitatis.* Cùm panis Christi petitur, ipse non dicitur rex, vel Dominus, sed amicus tam benevolus se habet Christus in suo pane, vt tanquam intimus, ac familiaris amicus se exhibeat, qui charitatis vinculis tenetur.

Isid. *Christus in Eucharistia benevolus amicus.*

7. Ad quæstionem cur iste pulsans potius petit ab amico, quam à consanguineo, vel vicino? Respondeo primò. Vt in ipso verbo amici magnæ diuinæ pietatis concedenti, quod petimus, ostentatio fiat; nam si amicus ob improbitatem postulata concedit, quanto magis annuet deus, qui Pater noster est. Secundò. Sub nomine amici subintelligitur Deus, vt ab ipso tam confidenter petamus, vt amicus ab amico; proprium est enim amici sui amici necessitati subuenire.

Magna Dei pietas erga nos.

8. Tertiò. Non à consanguineo, sed ab amico petit panes, sæpè hic tibi pronior ad subueniendum, quam ille; frequentérque in amico fideli magis paratum inuenis auxilium, quam in sanguine valde tibi propinquo. Cùm Iob multa suarum ærumnarum, laborum, ac miseriæ tempestate premeretur. *Audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, vt pariter venientes visitarent eum & consolarentur.* Iob. 2. num. 11. & tamen Iob. vt constat ex eius cap. vltim. num. 11. habebat fratres, & sorores. Et hi in eius calamitate ad eum visitandum, ac consolandum non accedunt, cur magis mouentur ad pietatem tres illi amici, quam eius sanguinei? Tres illi erant amici veri, fideles, ac veterani, vt eos appellat D. Ambros. lib. 2. de interpellat. Iob. cap. 1. Amicus autem fidelis, ac veteranus multo maioris valoris, ac ponderis est, vt in necessitate tua tibi subueniat, ac præsto adsit, quam frater, soror, ac quilibet alius sanguine coniunctus.

Amicus magis quàm frater tibi subuenit. Iob. 2. Ambr.

Cùm Gedeon contemplaretur fortissima castra Madianitarum, qui in valle vndique diffusi iacebant, & non solùm locustarum, sed etiam arenarum multitudinem superabant. Ait, Deus ad Gedeon, *Surge, descende in castra.* Iudic. 7. num. 9. vt auscultaret illa, quæ Madianitæ inter se loquerentur. Sed cùm Gedeon aliquantulum cunctanter descendere metueret, addidit illi Deus. *Sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus.* Gedeon multos habebat consanguineos, & fratres, vt communiter colligunt Abulensis, & Expositores ex illis eius verbis cap. 6. num. 15. *Ego minimus in domo patris mei.* Cur ergo in tanto rerum discrimine non assignatur ei in comitem aliquis eius frater? Quia sæpè securior, ac fidelior, maiúsque satellitium præstat vnus bonus amicus, ac socius, quam quilibet frater, ac consanguineus; vnde Gedeon tali comite stipatus non solùm inimicas acies intrepidus circuiuit, sed etiam certissimam de victoria spem lætabundus reportauit.

9. Iudic. 7. Abul. Iudic. 6. *Socius tibi securior quam frater.*

Ex quo ait Ecclesiasticus 6. num. 14. *Amicus fidelis protectio fortis. Qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum Amico fideli nulla est comparatio: & non est digna ponderatio auri, & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis.* In quibus verbis duo expende: *protectio fortis*, non qualiscúmque, sed robusta, & valida in omni discrimine, ac casu est etiam. *Medicamentum* Seu vt legit Græcus *pharmacum* in omni morbi pressura, ac necessitate vndè ait D. Chrysostom. homil. 2. Epistol. 1. ad Thessal. *Reuera*, ait, *vita pharmacum est fidus amicus: reuera protectio fortis est fidus amicus. Quantam vtilitatem, quantam securitatem generat. Si mille thesauros dixeris: nihil tamen germano correspondebunt amico.* Est etiam amicus medicamentum immortalitatis, quia vt explicat Rabbanus, si est verus amicus, agit de his, quæ ad Deum, ac salutem animæ pertinent.

10. Eccl. 6. *Amicus protectio fortis.* Græc. Chrys. Rabb.

QVÆSTIO II.

Quare non manè, vel vespere, sed media nocte accessit homo pulsans?

11. MEDIA nocte accessit hospitandus de viâ ad bonum virũ charitate plenum; statimque ille cucurrit ad suum amicum pulsãs ac petens panes, & quamuis esset media nox, vt ait D. Ambrosius in Psalm. 6. *Non timuit, ne excitaret dormientem, quem sciebat semper excubare vigilantem.* Quo documento instruimur in omni tempore, momento, ac necessitate deum deprecari. Et cùm esset media nox, inde magnam spem concepit homo, quod oratio vacua non rediret, sciebat enim, quod multum potens est oratio vigiliis noctis comitata. D. Chrysol. serm. 39: *Ista satis hora est, ait, efficax impetrandi: hoc sciens Propheta ipsum tempus suæ supplicationis asserit extitisse, cantando:*

Ambr.

media nocte surgebam ad confitendum tibi! In hac hora vigilantibus semper sponsus ille occurrit, qui dicit: media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit. Ac si oratio vigilijs associata tam valida sit vt omnia possit impetrare quæcunque voluerit, indéque tempus mediæ noctis ad orandum eligebant Paulus, & Silas Actor. 16. n. 25.

Oratio associata cum vigilijs valde potens. Chrys. Act. 16.

12. Tertull. Secundò. Tertullian. lib. 4. contra Marcion. cap. 26. *Etiam cum sero pulsatur*, ait, *Creatoris est tempus. Illius & serum cuius sæculum, & sæculi occasus. Ad Deum nouum, nemo sero pulsasset.* Non sunt plures Dij, vnus nouus, & alter antiquus, vt sinistre dicebat improbus Marcion, sed vnus tantum est Deus immutabilis in se ab æterno perseuerans, qui modò mundum gubernat, & semper erit sine termino sæculorum, sed quonam motiuo probat Africanus, quod non sit aliquis nouus Deus, sed idemmet, qui est ab antiquo. *Ad Deum nouum nemo sero pulsasset.* Venit iste homo media nocte pulsans ad ostium sui amici, nempe Dei, qui eum non repulit à se, sed postulata concessit si autem esset aliquis Deus nouus media nocte pulsantem non sustineret, sed acriter increpans reiiceret. *Ad Deum nouum nemo sero pulsasse.* Nam quilibet Deus nouus, scilicet princeps, gubernator, ac Rector valdè delicatum se exhibet, & qualibet re aliquantulum sibi incommoda multum grauatur, ac molestatur; vnde in pulsantem media nocte, ac somnum eius interrumpentem valde duros, ac rigidus esset, miniméque illi petita annueret.

Princeps, ac Rector nouus, multum delicatus.

13. Chrys. Tertiò. D Chrysolog. serm. 39. *Vadit ad illum media nocte*, sic ait, *hec tempus est, quod inter preteritos, & futuros labores ardens, animus ad diuina nihil indulget corpori, nihil quieti, sed antequam finias trasacti diei opera, inchoat, & anticipat futuri. Ita sæpe hora est efficax impetrandi.* Media nox finis est præteriti diei, & initium sequentis. Media nocte cucurrit homo potens pro suo hospite, vt benefaciens amico dié elapsum claudat, & initiet subsequentem, vt sic charitate in proximum totus dies inchoetur, ac finiatur.

Charitas in proximum sit tota die.

14. Chrys. Quartò. Ad eandem Chrysologi verba. *Ardens animus ad diuina nihil indulget corpori, nihil quieti.* Media nocte vadit homo pulsans, & non solùm impetrat tres panes, sed quot habebat necessarios. Media nocte omissis diuinis solent homines otio, ac quieti indulgere, nulla sane aptior hora ad diuinam gratiam obtinendam, quam illa, in qua reiecta communi quiete totus homo diuinis incumbit. Vnde pergit citatus Chrysolog. *Merito sic pulsanti taliter, quot quot necessarios habuit, Euangelicus iste fenerator largitus est panes.* Sic tantum apud Deum promereretur, qui ante lucem vigilat in bonis operibus. Sicut mulier ita fortis, quæ de nocte surrexit, & dedit cibaria domesticis, ac ancillis suis. Prouerb. 31. num. 15.

Qui vigilans Deum exorat impetrat.

15. Chrys. Quintò. Idem D. Petrus Chrysolog. *Plus hic inbentis Dei* ait, *quam non habentis hominis verecundia laborat.* Valdé diligens extitit homo iste, vt suum hospitem reciperet tanta charitate hospitalitatem prosequebatur, sed cur qui sic erat deditus in excipiendis hospitibus ante lucem media nocte pergit postulans? Reputauit secum fore Deo tantum verecundum, si panes ille petens, ac quærens videretur, qui tanta promptitudine sua hospiti est largitus. Ac sic quodammodo plus verecundaretur Deus, quod cibaria deficerent homini tam liberali erga egenos, quàm verecúdaretur homo penuria oppressus panes quærés;

Non vult Deus vt subueniens egeno videatur Penuria laborans.

quam non habentis hominis verecundia laborat.

16. Chrys. Sextò. Idem allegatus D. Chrysolog. *Quis vestrum*, ait, *habebit amicum, & ibit ad eum media nocte: parum est, quod facienti misericordiam nox vetabatur, quod largitatem dantis petentis obtegebat improbitas, nisi ad cumulum pietatis velanda adscriberetur; & somnus.* Media nocte homo cum multa instantia ostium amici pulsat, quem iam cum suis clausum somnus occupabat, ad quid hæc omnia tendunt nisi vt vnuscuiusque virtus maximè absondatur? Charitatem hominis pulsantis, vt suo amico subueniret, nox illa sua densitate obtegebat; liberalitatem verò dantis obuelabat improbitas petentis, ac etiam somnus, qui illi iam obuenerat.

Virtus, & probitas abscondita.

17. Sapient. 18. *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus durus debellator prosiliit.* Ait Sapientia. cap. 18. n. 13. Relinquò sentium de cæde primogenitorum Ægyptiorum Communiter locum illium non de Verbi diuini Incarnatione, sed de Natiuitate ex vtero Virginis interpretantur Tertullian. lib. 5. contra Marcion. c. 9. Tertull. D Augustin. in Psalm. 109. vers. 3. D. Anselmus in Aug. Elucidario. Petrus Blesensis serm. 6. de natiuitate Anselm. D. Bonau. serm. de Incarnat. Hugo, & alij, & Ec- Bles. clesia in Dominica infra octauam Natiuitatis in Bonauent. Antiphona ad Benedictus, hæc verba ad dictum Hugo. Mysterium accommodat. Illud tamen maximè expendendum mediæ noctis silentiũ cum Dei Verbo, quod dicitur, *Durus debellator*; seu vt habet Chaldaicus. *Dominus victor bellorum*, quanam disciplina militari hic dominus ad mundi peccata, ac dæmonis potestates debellandas ac vincendas est vsus? In eo sanè extitit instructio, ac regula militaris; quòd cũ nox medium iter suũ haberet, sub mediæ noctis densitate suam virtutem, omnipotentiam, ac maiestatem obuelauit, vt victrix gloria vndique resplendesceret. Fauet D. uus Zeno lib. 3 serm. 6. *Etenim*, ait, Deus Dei filius tempore constituto, dissimulata interim *maiestate, ab æterna sede profectus, in prædistinata Virginis templum sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur.* Sic à Iesu ordinantur sua castra, vt victricia existant, quod latenter, ac simulata maiestate procedant: & veniant.

Chald. *Virtus & potentia occultatur.* Zeno.

18. Cant. 6. Ad dilectam animam ait Christus dominus. *Sicut cortex mali punici, sic gena tua.* Canticorum 6. numero 6. Cur facies sponsæ potius cortici, quam ipsi malo punico comparantur, & cur potiùs cortici mali punici, quàm alterius pomi conferuntur? Quid peculiarius in cortice malogranati, quàm alterius inuenitur? Sub cortice in malo punice multa cooperiuntur rubicunda grana mirificè intexta, quæ animi virtutes igne charitatis inflammatas, ac ordinatas adumbrant; inde & genis iusti combinantur, nam sicut sub cortice malo granati illa grana absconduntur, ita etiam sub genis, in quibus inest amici index hilari facie, ac iucundo vultu cordis virtutes, ac rectè cogitata velantur, ac occultantur. Philo Carpatius ad eadem proximè citata verba. *Scitis enim*, ait, *intra malum punicum multitudinem granorum contineri, horum per similes bonorum operum fructus esse dicuntur, & lucentis animi, conscientiaque bene cogitata, ac facta, quæ soli sponso perspecta sint, & cognita: in die tamen nouissima cunctis proponenda.*

Animi probitas tegatur. Philo Carp.

QVÆSTIO III.

Quare homo potiùs petit tres panes, quàm vnum, vel duos?

19. *In sacra Eucharistia omnia bona.*

AMICO intimo, ac potenti amico non postulat homo multas dapes, sed tantùm panes pro excipiendo hospite, cur non pluta, vt magnificè conuiuium paret? Panis ille cùm esset Christi panis, sacram Eucharistiam adumbrabat, in qua omnia obsonia, ac bona continentur, vt nil amplius sit desiderabile.

20. Ad quæstionem cùm homo iste panes petit, fatetur nihil pacis familiæ suæ superfuisse à superiori cœnâ, cur pro amico adueniente potiùs tres panes, quàm duos, vel vnum postulat? Diuus Bernardus sermone de Rogationibus ait, quòd amicus veniens de via adduxerit secum vxorem, & mancipium, indéque homo pulsans tres panes petit pro amico, vxore, & mancipio. Tamen cũ nec de vxore, & mancipio fiat mentio. Ideo aptior est interpretatio, quòd tres panes exquirit homo, vnum hospiti suo, alterum sibi, tertium verò si fortè duo non sufficerent, abundanter volebat hospiti prouidere. Obiicies. Hic, qui panes petebat, iam vt ex dictis patet, cœnauerat, ad quid ergo sibi panem petebat? Respondeo, quòd verum est ipsum iam cœnasse, tamen decreuerat in gratiam hospitis aliquid sibi assumere. Deinde ex magno mysterio pro se etiam petit. Nam qui Deum orat pro proximo, etiam pro se orat, multúmque sui profectum impetrat, ac assequitur.

Bernard.

Qui Deũ orat pro proximo, etiam pro se orat.

21. Tertiò, & moraliter; ac allegoricè. Primò. D. Augustinus lib. 2. qq. Euangel. c. 21. ait, tres panes perũtur, hoc est sacrosanctæ Trinitatis intelligentia, qua pascitur anima fidelis, ac consolatur in omni labore, & pressura. Idem habent Origenes, Titus Bostrensis, Beda, & alij. Secundò. Diuus Bernardus citato sermone. Tres panes postulati, ait, *sunt panis veritatis, panis charitatis, panis fortitudinis. Primus, vt qua vera sunt, & agenda intelligamus; secundus, vt Deum amemus; tertius, vt virtutem caro exerceat.* Tertiò. Glossa, Carthusianus inquiunt, postulat homo tres panes secundùm fidem, spem, ac charitatem, quibus pascitur tota anima. Nam fide rationabilis; spe irascibilis; charitate pascitur concupiscibilis. De his tribus panibus dicitur 1. Regum 10. num. 3. *Inuenient te, tres viri ascendentes ad Deum in Bethel. Vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis: & alius portans lagenam vini*, His enim tribus ascendit anima ad Deum, vt ab ipso omnia obtineat.

Aug. *Fides Trinitatis.* Orig. Bostrens. Beda. Bern.

Gloss. Carth.

1. Reg. 10.

22. Quartò. Cardinalis Hugo intelligit tres gratias, scilicet, gratiam operantem, cooperantem, consummatam, seu perseuerantem. Item tres panes sunt; rationis discretio, voluntatis rectitudo, corporis fortitudo: quos Dominus nobis commodat ad vsuram, quam inde vult habere, vt secundùm rectè facta operemur, ac bonum faciamus.

Hugo *Cum Dei donis operemur.*

23. De anima iusti ait Christus Dominus: *Iunctura fœmorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis*, Cant. 7. num. 1. ex Hebræo legitur: *Opus manuum artificis*, Laudat Dominus connexionem, ac commensuratam fœmorum, qua sine claudicatione spõsa procedit, & ambulat. Per fœmorum metaphoram, vt rectè asserunt Theodor.

Cant. 7. Hebr.

Theod.

Catena trium Patrum, Sotomayor, Ghislerius expositione 3. designantur virtutes earúmque dispositio, ac connexio, per has enim iustus viam prosperè agit, illíque insigniter exornatur, sicut pectus monili; maximè tamen ponderandum, quod in hoc pretioso monili non celebrat eius materiam ex gemmis, vel auro, sed eius structuram, quæ est *opus manuum artificis*. Tanquam innuens, quod in virtutibus magis contemplatur ipsum opus manuum artificis, quàm earum supernaturalem naturam; at quænam sunt istæ manus artificis? Et manus Dei dans auxilium gratiæ, & est manus hominis consentiens, & cooperans cum ipsa gratia, ita vt à Deo, ac homine fiat vna actio, tanquàm veluti ab vno artifice, ac agente, qua prosperè procedit homo in via salutis, eiúsque anima mirificè exornatur, ac condecoratur, vt pectus monili. Ad hoc respicit Honorius Augustodunensis: *Fœmora anima*, ait, *sunt timor, & amor, per quæ gignit bonum opus: horum iunctura est fides, qua credit supplicium, quod timet, & credit gaudium, quod amat. Hæc iunctura est, sicut monilia, quia sicut monile pectus ornat, & munit, ita fides animam ornat, & munit. Hæc manu artificis est facta.* Vide supra capite 13. numero 19. & capite 18. numero 144.

Caten. Sotom. Ghisler.

Homo cooperetur cũ Deo ad suam salutem.

Hono.

Luce 11. *n.* 4. Et ille de intus respondens dicat: noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est: Et pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

VERSIONES.

Syriacus. Et ille amicus eius intus respondeat, & dicat ei: Ne mihi molestiã exhibeas, ecce enim ostium clausum est, & filij mei mecum sunt in lecto, non possum surgere, vt dem tibi.

Arias. Ne mihi molestias exhibe.

Vatablus. Ne mihi molestus sis.

Arabicus. Nam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili meo.

Tertull. lib. 4. contr. Marc. cap. 26. Ianua clausa est, & infantes mecum sunt.

Pagnin. Pueruli mei mecum sunt.

EXPOSITIO III.

24. *ET ille de intus respondens dicat*: Sine mora respondit Dominus, quia vt ait Diuus Chrysologus citandus quæstion. sequent. *Secreti sui cubile collocauit ad ianuam*, vt altius suæ familiæ ostium custodiret, ac vt ad primam hominis pulsationem eum exaudiret. *De intus.* Carthusianus, quia Deus occulta inspiratione nostris animis al-

Chrys. *Deus velociter exaudit.*

Carth.

loqui;ur,de intus reſpondet, vt mihi videtur, ne oſtij aperiendi ſtrepitu pueros excitaret. Deinde vt maiorem repulſam amico denotaret,quem ſuæ præſentiæ ad colloquium indignum iudicabat, *Noli mihi moleſtus eſſe.* Hoc eſt precibus importunis immoderatè pulſare. In ordine ad Deum metaphorica eſt locutio ex his, quæ inter homines accidunt,Deus enim nulla re moleſtari poteſt,tamen vt ait Carthuſianus, hac metaphorica phraſi denotatur quantum aliquid Deo diſpliceri videatur.Iſai.1 n.14.& c.7.n.13.

Iſai.1.& 7. 25. Arab.

Iam oſtium clauſum eſt. Seu vt legit Arabicus; *Oſtium meum*, ne Dominus nimis delicatus immemor amicitiæ,immiſericors ac irrationalis videatur,ideò datæ repulſæ apponit cauſam. *Oſtium clauſum eſt*, peſſulis ſcilicet obfirmatum.Cùm Dominus claudit oſtium ad dormiendum, poſt breues tamen horas ſtatim illud aperit,ac proinde ſi Deus ad primam pulſationem poſtulata non concedit, non exinde auferenda ſpes,nam & poſtea dabitur ingreſſus, & aperiet aures ſuas, ac exaudiet. *Et pueri mei.* Pagninus, *pueruli.* Syriacus, *filij.* Et quamuis vox Græca vtrumque ſignificet;tamen hic potius filij quam famuli denotantur, vt docent Tertullianus lib.4.contr. Marc. Titus Boſtrenſis,Euthymius, Theophylactus Maldonatus, Toletus, & alij, quia Dominus eos ſecum dicit habere in eodem lecto, aut certè cubili, quod ad filios,& non famulos ſpectat. *In cubili.* Seu in lecto,vt vertit Syrus. Vtrumque bene poteſt intelligi;nam vt teſtatur Lucas Burgenſ. Moris fuiſſe apud quaſdam nationes, vt parentes, filióſque ſimul non ſolùm in eodem cubiculo,ſed etiam lecto valde amplo, & lato cubarent. *Non poſſum ſurgere,& dare tibi.* Prouidus Pater magis ſuorum filiorum quieti conſulit,quàm ſui.Non ſe excuſat propter ſuam quietem, ſed ne filios interturbet, ac *ne eos*, vt ait Euthym. *expergefaciat.*

Pagn. *Si ſtatim petita non obtineantur, perſeuerandum in oratione.* Syr. Tert. Boſtr. Euth. Theoph. Mald. Tol. Syrus. Luc.Burg.

Euth.

QVÆSTIO IV.

Quare in parabola introducitur Dominus negans panes, vt indè eius magnifica liberalitas publicetur?

26. VERVM in hac parabola, diuina pietas, ſollicitudo, ac liberalitas declaratur,ex perbellè notatis D.Chryſol.ſerm.39. *O quam*, ait, *pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile collocauit ad ianuam: qui dormientibus ſeruulis, pulſantis neceſſitatem ſolus, & primus audiuit.* Pulſat homo ad oſtium,& dormientibus famulis ſolus Dominus *de intus reſpondens ait*, &c. Sic enim ipſe excubat, ac vigilat in ſalutem hominum, vt cubile ſuum ad ianuam collocaſſe dicatur, vt pulſantes citò audiret, poſtulata afferret. Pulſa homo cor tuum, quod eſt veluti oſtium Dei, dicens: *pecaui*, & ſtatim ipſe exaudiet: deinde preme illa verba: *Qui dormientibus ſeruulis pulſantis neceſſitatẽ ſolus, & primus audiuit.* Notatu dignißimum, quod in eodem cubili cum Domino ſerui dormiunt, quibus incumbebat attendere, quiſnam pulſaret ad ianuam, ne Domini quies interturbaretur, & tamen ſerui dormiunt, & ſolus Dominus vigilat, cum homo petens panes pulſat; pro certo habe, quod cum neceſſitate laboraueris, omnes in tui ſubſidium dormiunt, ſolus Dominus inuigilat, & præſto adeſt, vt tibi opem ferat.

Chryſ.

Ad noſtrã neceſſitatem omnes dormiunt, ſolus Deus vigilat.

Ad quæſtionem propoſitam. Poſtquam Chriſtus Dominus docuit diſcipulos ſuos orare in hoc cap.11.Luc.num.2. nobiſque ad orandum ingerit multam fiduciam expandens in hac parabola, vt eſt communis Patrum, ac Doctorum conſenſus, ſummam Dei liberalitatem concedentis quidquid in oratione petitur. Quomodo tamen hic oſtenditur Dei magnificentia, cũ Dominus introducatur,aſperi verbo, *noli mihi moleſtus eſſe*, dans repulſam amico,quia ex eo quòd amicus erat, hoc tantum titulo dignißimus extabat, vt omnia acciperet,præcipuè,cum ipſe non mitteret aliquem ſeruum ſuum, ſed ipſemet retendit ad oſtium pulſans, & mediâ nocte, quod ſatis rei neceſſitatem declarabat, ne hoſpitem ſuum incœnatum relinqueret, & ipſe rem non multi pretij,ſed tres tantum panes petit, & non datos ſed commodatos exigit,& tamen Dominus de intus tantis difficultatibus reſpondet, *oſtium clauſum, pueri dormientes mecum in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Quiſnam homo ruſticus, illiberalior, & auarus, auſteriora,ac rigidiora diceret? Quomodo ergo profuſa Dei largitas in nos exprimitur, ac declaratur?

27. *Difficultas quæſtionis.*

28. Reſpondeo primò, Ex verbis ipſius hominis pulſantis, *Amice commoda mihi tres panes.* Seu vt legit Theoph.Syriac.Vatabl. *Da mihi mutuo.* petit homo panes non gratis datos,ſed ſub fœnore cõmodatos,ac ſi diceret, ſi dederis, aucta ſolutione ſtatim reddam? Emere vis ô homo donum à Deo, & non accipere? Et quonam alio modo ab homine auariſſimo, ac vſurario petendum fore. Vnde meritò Theophyl. *impudentiam dicit orationem attentatam.* Inde Dominus,tanquam ex iniuria facta petitione illi irrogata donum ſub fœnore poſtulatum in exordio petitionis multis difficultatibus obiectis denegat;nam eius ingens magnificentia ex ſua intrinſeca bonitate gratis, & non mutuo dat, qui enim ſub mutuo concedit, liberaliter non benefacit, mutuum enim à ratione beneficij apertè diſtat; poſtquã Abraham deuictis quinquẽ regibus liberauit de eorum manibus Loth cum Sodomis,de præda oblata nihil voluit accipere, Geneſ.14.n.22. Cuius rei rationem eleganter aſſignat. D. Ambroſ. lib.1. de Abraham, cap. 8. *Minuit enim fructum triumphi mercedis ſuſpicio, & beneficij arredit gratiam.* Mercedis ſuſpicio deprimit, ac minuit, beneficium; ergo diuina liberalitas quodammodo, noſtro dicendi modo, aliqualẽ patitur iniuriam, dum ſub mercede, ac fœnore aliquid ei petitur, tamen in magnum argumentum ſuæ magnificentię petitos panes commodatos cõcedit,ne quid à Deo inſtanter ac perſeueranter petatur, quod ipſe denegare videatur.

Theop. Syr. Vatabl.

Gen.14. Ambr. *Mercedis ſuſpicio minuit, ac derogat magnitudini beneficij.*

29. Secundò mirum eſt, quòd hæc parabola proponatur vt Dei liberalitas manifeſtetur,cum tamen in primo limine repulſa detur homini, cui videbatur ex tantis circunſtantiis,vt ſuprà dixi in hac quæſtione, nihil denegandum. Summopere tamen Dei magnificentia hic exaggeratur. Acceſſit homo,& petit valdè incongruo,& importuno tempore, quod multis explicat Euangeliſta: *Ibit ad illum media nocte.* De intus reſpondet Dominus: *Noli mihi moleſtus eſſe.* De Deo loquitur parabola ſub hominis perſona ultrà humanos affectus,vt Dominus moleſtiæ incapax tam intempeſtiuâ oratione,ſecundùm humanam conditionem metaphoricè videatur moleſtari;illiq;tandẽ dicat: *Non poſſum ſurgere,& dare tibi.* Tamen tãta eſt Dei

libera

liberalitas, sicque ad misericordiam ipse pronus est, vt etiam facta perseuerante oratione incongruo tempore, inopportuna occasione, indecenti statu, nempe ab homine non amico, vt dicitur in parabola sequenti versu, *& si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit.* Non amicus, id est homo in peccato, vt cum multis dicam sequenti expositione, tamen sic Deus ipsa oratione allicitur, vt ille, qui dicebat, *noli mihi molestus esse, non possum surgere, & dare tibi*, hæc omnia prætermittat, vt postulata concedat, petita annuat.

Tibera est Dei liberalitas, vt etiã importuna petita exaudiat.

30. Tertiò. Instanter petit homo panes, vt iam in difficultate quæstionis est positum; negat tamen Dominus. *Iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Seruorum quies amici indigentiæ præfertur, & tota difficultas largiendi in eo versatur, ne molestiam pueris suis inferat. Cùm tamen pro postulatis concedendis multo plura vrgebant, vt in difficultate quæstionis dixi. Quomodo ergo hæc parabola adducitur pro magna Domini liberalitate exaggeranda? Decertabat in hoc optimo Patrefamilias cura, ac prouidentia famulorum, ne ipsi diuturni laboris lassitudine molestati interturbarentur, cum eximia sua liberalitate amico subuenienti. Vincit tamen famulorum dispendio studium beneficentiæ, & ille qui dicebat impossibile esse pueros suos inquietare, *non possum surgere, & dare tibi.* Reiecta seruorum commoditate, esto ipsi excitentur, surgit, & supplicanti amico non solùm petita, sed amplius quidquid fuerit necessarium libenter, ac magnificè offert.

Liberalitas in magnifico vincit suorũ curam.

31. Quartò. Glossa apud Catenam. *Non possum surgere, & dare tibi. Non ergo*, ait, *aufert implorandi licentiam, sed vehementius accendit desiderium orandi, absentia difficultate consequendi.* Cùm pulsanti dat Dominus repulsam multas moras interponit, difficultates obiicit. Ostium clausum, pueri mecum in cubile dormientes, non possum surgere, vt ex tanta dilatione, ac difficultate rerum ardentius desiderium obtinendi accendatur, Vide supra c. 14. n. 53.

Glossa.

Ex rerum difficultate accenditur desiderium.

32. Quintò Hugo Cardinalis. *Non possum surgere. Hoc dicit Dominus*, ait, *vt præsumptio tollatur, & quia quod maiore labore acquiritur plus amatur.* Veniebat homo multa præsumptione pulsans, tanta repulsa ei datur, à sua præsumptione deiiciatur, ac humilietur. Sextò. Vt & ipse perseuerando multum instanter laboret, vnde non statim ad primam pulsationem, sed post multiplicatas voces conceduntur, vt inde dulciores fiant, quæ enim magno labore acquiruntur, suauiùs obtinentur, ac iucundiùs possidentur.

Hugo.

Quod labore acquiritur, multum æstimatur.

33. De anima iusti ait Christus Dominus. *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in deliciis*, Canticorum 7. num. 6. & iterum *deliciis affluens, innixa super dilectum suum*, Canticorum 8. numero 5. Hæ autem delitiæ, quibus maximè abundat, ac impinguata est, sicut diuinæ dulcedines, inspirationes, ac consolationes spirituales, vt vult Cassiodor; seu ingẽs abundantia gratiarum, ac donorum; vt interpretatur Rupertus. Tamen cùm ad lauream vocatur, dicitur ei. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Canticorum 4. numero 8. vocatur, vt veniat de Libano, hoc est de candore puritatis, & coronanda dicitur ex Amana, Sanir, & Hermon, quia erant montes, in quorum vastis speluncis, ac cauernis multi degebant leones, & pardi. Per quos tres montes Diuus Gregorius, Beda, Philo Carpathius interpretantur dæmones fraudulentos, hypocritas, ac Hæreticos. Alij auctores significare volunt mundum, diabolum, ac carnem, cum quibus assiduum luctamen designatur; Illud tamen nunc est disquirendum: cur quando anima sancta ad coronam vocatur, non coronanda dicitur ex deliciis, ex consolationibus, ac inspirationibus cœlestibus, nec ex diuinis gratiis, ac fauoribus, sed ex contentione, ac pugna habita, cum leonibus, & pardis, dæmonibus scilicet peccatoribus, ac hæreticis. Vt gratior, ac æstimabilior esset corona, non intexitur ex splendoribus gratuitè acceptis, sed ex multo sudore, ac luctamine comparatis. Diuus Gregorius Nyssenus oratione 8. *Peridonicè*, ait, *leonum, ac parderum mentionem fecit, vt per adiectionem rerum molestarum, voluptatem lætitia fruentium suauiorem efficeret.*

Cassiod.

Cant. 4.

Greg. Beda. Carpat.

Ex proprio labore comparata corona gratior.

Nyssen.

Sub auunculo suo Laban diues factus est Iacob, cúmque meditaretur regressum ad antiquam patris sui Isaac domum, & Iordanem iam appropinquaret, veteris status memor dicebat. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Genes. 32. num. 10. Gratias agens Deo etiam de suo bono euentu gloriatur, quod cum duabus turmis, seu *duobus castris*, vt legunt Septuaginta, regrediatur. Et si Iacob congratulatur de donis sibi concessis, cur non magis cõgaudet de paterna hæreditate, ac benedictione, quàm de acquisita substantia in Labanis domo? Cùm sine dubio multò maiora dona in paterna benedictione essent illi cumulata. Dictũ est ei: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te Tribus: Esto Dominus fratrum tuorum.* Et Genes. 27. num. 28. vbi datur ei in hæreditatem imperia, regna, & principatus, insuper amplissima dona spiritualia, ac supernaturalia. Cur potius hæc tantis non celebrat, quàm illas duas turmas à se comparatas? Benedictio gratis data est. Paulus Rom. 9. num. 11. *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, vt secundum electionem propositum Dei maneret ex operibus dictum est ei, quia maior seruiet minori: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* At verò duæ illæ turmæ in Labanis familia assiduo multorum annorum labore fuerunt comparatæ. Vt ipse dixit *Die, nocteque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Gen. 31. num. 40. Inde de duabus turmis congaudet, illásque tanquam sibi valde iucundiores insigniter commemorat, chariora nobis sunt, quæ nostro sudore acquirimus, quàm quæ natura, vel aliena largitate comparantur.

34.

Gen. 32.

Septuag.

Gen. 37.

Rom. 9.

Gen 31.

QVÆSTIO V.

Quare serui in Domini cubili dicuntur pueri, cùm ab sponsa appellentur milites armati?

35. HOs qui in Euangelio Lucæ dicuntur pueri cubantes in cubili, seu lectulo Domini, existimat D. Greg. Nyss. hom 6. esse milites armatos custodientes lectulum Salomonis De quibus ait Sponsa, Canticorum 3. num. 8. *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi vnusquisque ensis*

Nyssen.

Cant. 3.

enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Poſtquam citatus Pater probat hos bellatores eſſe infantes illos. Sic ſubiicit: *Idem ergo eſt dicere, & armatos eſſe circa lectum, & infantes: nam iſti quidem nondum nouerunt: ibi verò ad hunc ſtatum ſe redegerunt: adeo, vt beatus in his inueniatur, vel infans, vel armatus, verus Iſraëlita in puro corde Deum videns; vt armatus quidem in puritate impatibilitatis, Regis lectum, id eſt cor ſuum cuſtodiens; vt infans autem in beato lecto quieſcens.* Ecce idem armati acres gladiatores: & ſimul pueri, ac infantes vocantur: cùm cor ſuum cuſtodiunt, ab illóque enſe iuſtitiæ, ac rectæ rationis omnem perturbationem, ac mundialem cogitationem amputant, fortes pugnatores ſunt. At verò vt omnis perturbationis expertes mira pace, ac quiete potiuntur, tanquam infantes reputãtur. Qui enim cor ſuum à mundialium anxietate cuſtodiunt, ſic in ipſomet ſuo corde, ac animo placidè, & quietè degunt, veluti innocentes infantes nulla percepta moleſtia cubantes in lectulo.

Cor expellens à ſe temporalia placidè degit.

36. Pſ.75. *Factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*, Pſal.75.n.3. Quanquam Pſalmus de Chriſto à multis interpretatur; tamen non incongruè, etiam de iuſto explicatur, qui degens in puritate, ac rectitudine ſuæ animæ, ac conſcientiæ habitet in pace, ac trãquillitate veluti in munitiſſima arce Sion. Pergit Pſalmiſta, *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium & bellum*, Diſſipauit potentias arcuum, ſcilicet dæmonum, qui omnium tentationum ſagittas emittunt, ſcutũ obſtinatæ obdurationis, gladium præſumptionis, & bellum omnium peccatorum. *Si in pace factus eſt locus eius & habitatio eius in Sion*, vt in fortiſſima. Quomodo ibi tantùm certamen eſt inditum? *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* Quia tanta eſt habita pugna cum diabolo, carne, ac mundo, inde in tanta pace, ac quiete degit pax animæ iuſti de contentione cum vitiis, & peccatis conſiſtit, ex talique pugna multum creſcit, ac effloreſcit. Ita D. Ambr. prædictum Pſalmum exponit, lib. de Naboth, c.14. *Vbi quietus*, ait, *affectus nullis diuerſarum cupiditatum exagitatur ſtimulis, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum diuitiarum igneſcit incendiis. Ipſe eſt, qui ſpeculatur æterna, & habitat in Sion, confringens omnia ſpiritualium inſtrumenta bellorum, conterens arcus, quibus diabolus ignita dirigens iacula; graues peccatoribus hominum ſolet inurere tentationes.*

Pax conſiſtit in anima iuſti ex certamine cum vitiis.

Amb.

37. Gen.3. Poſuit Deus ante paradiſum ad cuſtodiendam viam ligni vitæ Cherubim cum flammeo gladio, Geneſ.3.num.24. Ad cuius exemplar cum Abraham conſcenderet ad montem, in quo Deus viſus eſt, ad litandum domino filium ſuum, ſecum ſimulas portauit ignem & gladium. Ex quo eleganter ait Philo lib. de Cherub. *An non vide*, ait, *quid & ſapiens ille Abraham, quando incepit iuxta Deum metiri omnia nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei glady ſimilitudinem ignẽ, & gladium, reſecare cupiens quicquid mortale habebat, vt expedita cogitatione ſublimia ad Deum euolaret?* Cùm Abraham aſcendit ad montem veluti altet Cherubim defert ſecum ignem, & gladium, ſciebat vir ſapiens nihil creaturæ tribuens, quod ad peruenientum ad eã animi tranquillitatem, in qua nullum rebellem motum in concupiſcentia experiretur, vt inde fieret aptus ad dei præſentiam, & colloquium, neceſſe erat, vt prius igne, & gladio carnales omnes cupiditates amputaret, appetitus trucidaret, omniáque mundana conculcaret, vt ita expedita mente illius ſumma pace obtenta diuinæ congauderet familiaritatis conſortio.

Philo.

Ignis, & gladio amputentur carnalia, vt Deo, ac anima pax fruamur.

Luca 11.n.7. Et ſi ille perſeuerauerit pulſans: dico vobis, etſi non dabit illi ſurgẽs, eo quòd amicus eius ſit, propter improbitatem tamẽ eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.

VERSIONES.

Syriacus. Dico vobis: etiamſi propter amicitiam non dederit, at propter importunitatem ſurget, & dabit quantum ei requiritur.

Caietanus. Propter impudentiam tamen eius ſurget.

Græcus apud Barrad & Burgenſ. Propter inuerecundiam *Luc.* tamen eius ſurget.

Arias. Propter improbitatẽ eius excitatus dabit illi quotquot habet opus.

Vatablus. Dabit quocunque habet opus.

EXPOSITIO III.

38. Græc. Syr. *ET ſi ille perſeuerauerit pulſans.* Tota hæc pericope non legitur, ſiue Græcè, ſiue Syriacè, maximè tamen inſeruit ad explicandam vim parabolæ, ac proinde optimè eſt in noſtra Vulgata. *Perſeuerauerit pulſans*, repulſa amici non deſtitit à petendo, ſed maiori nauatu continuauit, & vt notat Toletus, iam non vtitur vocibus, vt antea, ſed pulſatione; excuſabat enim ſe amicus à ſurgendo, ne expergefaceret pueros, ac perturbaret, ille autem tollens excuſationis argumentum, fores pulſat, vt ſtrepitu excitentur à ſomno, indéque magis amicus compellatur ſurgere.

Tolet.

39. *Miniſtrorum manus euitande.* *Dico vobis.* Concludit parabolam, & idem eſt, ac vobis extra dubium certum facio. *Et ſi non dabit illi ſurgens.* prudens paterfamilias, quamuis multos pueros ſecum habeat in cubili, miniſtrorum manibus cauet, & ipſe per ſe ſurgens, quæ ſuorum ſunt, per ſemetipſum exercet, *eo quòd amicus eius ſit.* Rectè notat hic Toletus annot.22. & etiam ſupponunt Hugo, & Mald. quod maximè hic explicatur efficacia orationis erga Deum; *etſi non dabit, eo quòd amicus eius ſit.* Non amicus Dei, idẽ eſt ac peccator, qui enim non eſt in amicitia Dei, in peccato eſt; Deus enim non ſolùm iuſtos exaudit, ſed etiam peccatores, cùm tamen ad eũ veniũt, ac conuertũtur volũtate peccãdi abiecta. *Propter improbitatem.* Seu, vt alij legunt, *impudentiam*, ſeu, *inuerecundiam eius*, id eſt, propter importunam, vrgentẽ, & inuerecundam inſtantiam. Improbus

Toletus. Hugo. Mald.

Improbus appellatur, qui nullo dato responso recedere non vult, sed molestè vrget, ac instat, & non cessat à petendo donec accipiat, vt veluti cogat alium ad dandum; per hanc autem improbitatem in ordine ad Deum, intellige assiduam perseuerantiam. D. Augustin. lib. 2. quæstionum Euang. cap. 21. ait, quod in præsenti. *Comparatio est à minore; si enim amicus bono, surgit à recto, & dat, non amicitia, sed tædio compulsus, quanto magis Deus dat, qui sine tædio largissimè donat, quod petitur.* De quo iterum quæst. 7. *Quæquot habet necessarios.* Seu *opus. Ne iterum pro pluribus panibus postuletur, & ad lectulum reuersus denuo inquietetur.*

Aug.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus, qui est multum velox ad nostras orationes exaudiendas, tantùm in præsenti cunctatur, vt dicatur propter importunitatem dare?

40. QVAM velox sit Dominus in suorum orationibus exaudiendis multis explicat Regius vates. Psalm. 33. n. 16. *Et aures eius in preces eorum* Psalm. 17. n. 7. *Et clamor meus in conspectu eius introiuit in aures eius.* Psalm. 10. num. 17. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Quomodo ergo in præsenti se morosum ostendit erga hominem pulsantem?

Psalm. 33. Psalm. 17. Psalm. 10.

41. Respondeo primò, quod per improbitatem intelligendus est assiduus orationis feruor, indeficiénsq; instantia improbitati, ac importunitati secundum humanum iudicium; vt explicat Carthusianus, aliquid simile cótinens; si v.g. talis petitio fieret erga hominem, quod iam in expositione explicaui ex D. August. Et iterum ipse est audiendus serm. 5. de verbis Domini cap. 5. *Quid est, ait, propter improbitatem, quia pulsare non destitit, quia & cum esset negatum, non se auertit; ille, quia nolebat dare, quod petebatur, fecit, quia, ille in petendo non deficit. Quanto magis Deus bonus, qui nos hortatur, vt petamus, cui displicet si non petamus.* Ita vult Deus nos esse perseuerantes, ac instátes in oratione, vt cum quodammodo cogere, ac vrgere nostro affectu ad dandum valeamus. *Hæc vis grata est Deo,* vt ait Tertull. lib. de oratione. Vnde sponsa. Cantic. 3. num. 4. dicebat. *Tenui eum, neque dimittam, donec introducam eum in domum genitricis meæ.*

Carth. Aug. Deus orationes vult instari. Tertul. Cant. 3.

42. Secundò. D. Ennodius Epistol. 3. *Pulsanti, ait, sæpè surgit Deus, & tribuit, si non propter meritum, vel propter importunitatem. Sic vsuram cultoribus vexatus reddit terra cespitibus. Sic ad vocem vnius hominis mantis secreta respondent, & dum angustus clamor vincitur, valetudinem suam elementa manifestant.* Ait Dominus in præsenti parabola. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi.* Affectat Deus multiplicatis, ac etiam importunis vocibus in oratione pulsari: Importunitas, seu improbitas sumitur in præsenti pro quadam instantia ad bona quædam super vires orantis concedenda; nam sicut humana vox ad montium cauernas euecta per Echo se se multiplicat: & ager aliàs cassus, & infructiferus, improbo agricolarum labore vexatus, ac excultus magnis fructibus repletur: sic orantis animus cum aliàs, aut nihil, aut parum meritis polleat multiplicata voce, ac feruore in oratione meritis crescit; indéq; aptus, & capax reddit, vt magnis donis diuinæ gratiæ fœcundetur. D. Augustin. Epistol. 121. cap. 8. explicans cur Deus nos iubet instanter orare, ait, *Vult exerceri orationibus desiderium nostrum, vt possimus capere, quod præparat dare.*

Ennod. Differt Deus dare, vt animus meritis crescat. Aug.

43. Tertiò. D. Chrysolog. sermon. 39. *Indicit, ait, in hac humanitate geminam necessitatis speciem potentis, & dormientis, vt illum petere hospes, dare compellat hunc somnus: vtpotè, qui propterea se daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, sed recurrere videatur ad somnum: vt eo magis dormire liceat.* Cum introducitur media nox, quando homo cum panis indigentia pulsat ad ostium Domini, quando intra cubiculum suum clausus cum pueris suis iacebat in lecto, Deus tanto gaudio à liberalitate sua in nos dona diffundit, vt nó tantum videatur homini indigenti subuenire, sed etiam suæ propriæ commoditati accurrere. Quis dubitat, quod valde proficuum est dormienti, vt pulsáti indilatè satisfaciat, vt placatus suæ quieti indulgeat? Vnde Dominus describitur in noctis silentio molestari, ac inquietari clamore, & strepitu pulsantis ad ianuam; vt citò respondens, & superabundanter largiens, non tantùm petenti, sed etiam sibimet consulere videatur.

Chrys. Deus tam liberalis in dando, ac veluti si eò indigeret.

44. Quartò. Deus aliquando cunctatur in nostris petitionibus satisfaciendis, vt nos inde magnis vocibus instemus, cuius rei rationem assignat D. Augustin. citato serm. 5. de verbis Domini. *Cùm aliquando, ait, tardius dat, commendat donum, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: cito autem data vilescunt.* Et serm. 17. De verbis Domini, ait. *Quod dare vult, differt, vt amplius desideres dilatum, ne vilescat cito datum.* Cùm parens Elias leuaretur in cœlum, pallium suum reliquit discipulo suo Elisæo, *qui reuersus stetit super ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod acciderat ei, percussit aquas, & non sunt diuisæ. Et dixit: vbi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & diuisæ sunt huc, aquæ illuc.* 4. Reg. 2. n. 13. Illud semper erat idem pallium Eliæ, eádémque virtute pollebat, cui non prima vice, & cum tunc multo feruore, ac conatu orat Elisæus. *Vbi est Deus Eliæ etiam nunc?* Sed secunda percussione diuiduntur aquæ? Distulit diuinum Numen vsque ad secundam instantiam inuocationis adesse, nam si continuò Elisæi votis annueret, facilis illa, atque prompta diligentia miraculum diuisionis aquarum non multum æstimabile redderet, vilescunt enim quę citò, & sine multo nostro conatú adquirimus.

Aug. Deus non repellit statim orantibus, ne vilescant dona apud eos. 4. Reg. 2.

15. Quintò. Multas rationes de intus dedit Dominus, quibus firmauit negatum; *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, pueri mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Tamen quasi coactus, ac veluti inuitus, more humano de Deo sub parabola loquitur Euangelista. *Propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.* Ecce dominus, qui dicebat se non posse, aut nolle dare, tamen tam grandis est orationis potentia, vt valeat extorquere id, quod deus dixit se nolle dare, ac proinde ipsius orationis vi veluti coactus liberalissimè donat.

Grandis potentia orationis. Chrys.

D. Chrysolog. serm. 39. *O quam necessitatis esse suæ, ait, quod sua potestatis est, vult videri.* Ac proinde cum ipse decreuisset non dare, quod intelligitur, nisi instanter rogaretur, elicita, ac exposita feruida oratione valde sponte donat, ac largitur.

46. Luctatur Iacob cum Angelo illo, nempe magni

consilij Angelo, qui tetigit neruum fœmoris Iacob, & statim emarcuit, ita vt Iacob claudicaret; cùm tamen luctaretur per totam noctem protraheretur. Dixit Angelus ad Iacob. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Genes. 32. num. 26. Ostendit Angelus se velle ab illius manibus effugere, sed ab illius manibus retentum non posse. Quid facis ô Angele? Multum sane homine potentior, si discedere exoptas, sicut vnum neruũ fœmoris illius percussisti, quo claudus euasit, percute & alium, vt vtroq; claudus facile te dimittat? Cùm luctarentur tota nocte Iacob ad orationem confugit; de hoc enim certamine loquens Osee Propheta. c. 12. num. 14. ait. *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit, & confortatus est; flauit, & rogauit eum.* Ad orationem se conuertit Iacob. *Rogauit eum* Deus velut cedens viribus orationis, inducias postulat, ab illóque se petit dimittit, ab illiúsque amplexibus liberati, tanta est enim orationis potentia (humano modo loquor) vt cum Dei omnipotentia ob suã eximiam pietatem videatur certare. Oratio enim ipsum Deum ligat, detinet, ac circunciugit. Tertullianus, in Apolog. cap. 39. *Coimus in cœtum*, ait, *& congregationem, vt Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes, hac vis gratia Dei est.* Expende verba: *Quasi manu facta precationibus ambire.* Ac si dicat orationibus Deum vndique circuncingimus, ipso sic ex sua magna misericordia disponente.

Gen. 32. Osee. 12. *Oratio Dei ligat.* Tertul.

47. Iob. 33. Tygur. Ad Iob cap. 33. num. 5. ait Deus. *Si potes, responde mihi & aduersum faciem meam consiste.* In Hebræo legitur. *Dispone, ordina, instrue, & sta.* Verbum sane bellicum. Vnde Tygurina legit. *Acie directa mecum congredere, ac fortiter obtine gradum tuum.* Sed quomodo miser homo aduersus faciem Dei omnipotentis potest stare, ac tanquam acie directa congredi? Oratione nempe, vt explicant Pagninus, Vatablus, Caiet. *Dispone orationem tuam, & consiste ante me.* Verba sunt Vatabli. Tanta est orationis potentia, tantámque vim ipsa Deo infert, vt quodammodo erga faciem eius videatur aciem militarem instruere, vt Deum ad se trahat, ac incliner, nostróque modo dicendi vincat D. Hieron. Epistol. ad Damascum. *Deus ipse, ait, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur.*

Pagnin. Vatabl. Caiet. Hier.

Quæstio VII.

Quare pulsanti non solùm dantur tres panes, sed insuper quotquot erant necessarij?

48. Matth. 25. Perseuerantia omnia impetrat.

Enivnt fatuæ Virgines mediâ nocte, & cùm clamarent, Domine, domine aperi nobis. Clausa est ianua, & dicitur eis. *Nescio vos.* Matt. 25. n. 11. Venit præsens homo mediâ nocte, cum iam clausum esset ostium, tamen ei aperitur, & datur ei superabundanter nõ solùm quod petebat, sed insuper quidquid ei erat necessarium. Quenam huius rei ratio? quia in Virginibus defecit perseuerantia, quæ in pulsatore valde tenax extitit, vt dicatur propter improbitatem ei dare, de quo iterum dicam, cum de Virginibus fuerit sermo, ex quo patet solutio ad primum quæsitum quæstionis, cur scilicet huic homini panes dantur?

Ad principalem quæstionem. Primò respondet D. Chrysolog. serm. 39. *Non potuit, ait, non impetrare, quod voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti, non responderet ille, qui se in hospite suscipi confitetur, cum dicit, hospes fui, & suscepistis me.* Expende, *non potuit non impetrare, quod voluit.* Ingens hominis charitas, quæ alto noctis silentio somnos dulcissimos abrumpit, horrorem noctis non timet importunè multa cum verecundia sodalem excitare non recusat, vt hospitem esurientem reficiat, in quo & ipsum dominum recipiebat; tam grandis, & potẽs existit vt ianuam clausam etiam intempestâ horâ adaperiet, & non solùm panes, quos petebat, sed insuper & multa alia à domino impetret, & obtineat. Cùm Iob sua magna miseria premeretur, multus est in recensendis Eleemosynis à se elargitis in pauperes, egenos, pupillos, ac viduas, toto cap. 31. à num. 20. sic ait. *Si despexi pereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operimẽto pauperem:* Et iterum; *si oculos vidua expectare feci.* Ad quid tam large suæ pietatis opera refert? Vt ex illis magnum leuamen hauriret certus, quod illę eleemosynę erogatę nõ perirent, sed cum multo fœnore ad ipsum reditẽt, ex illísque multa bona sibi sperabat. D. Chrysost. homil. 3. de patientia Iob tom. 1. sub persona Iob sic loquitur. *Si ego solus indutus essem, iuste dolerem: si autem pauperes induebantur, nunquid poterit Deus pauperes despicere? Noui quoniam in sacrificium suscepit, reddet centuplum.* Et post pauca iterum subdit: *Noui quid facit Dominus, nunc veluti sacrificium meum accepit, substantiam eandem mihi augebit cum additamento virtutis.*

49. Chrys. *Eleemosyna duplicato fœnore omnia assequitur.* Iob. 31. *Eleemosyna bona augmentat.* Chrys.

Secundò. Caietanus. *Petierat tres mutuò*, ait, *victus importunitate amicus non mutuat, sed dat, non tres, sed quotquot indiget panes*; tres panes petierat homo, & mutuò: At dominus non tres illi accõmodatos præbet, sed insuper plures largitur datos. Quotquot erant necessarij. Tum quia dei dona sunt vndique perfecta, tum etiam quia semper maiora dat, quàm ea, quæ petuntur, sua eximia liberalitas multum postulantis votum excedit.

50. Caiet. *Deus plura dat, quàm petimus.*

Cùm exilio premeretur Dauid auxilium à deo postulat. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Psalm. 120. num. 1. in montes vbi scilicet erat sita Hierusalem, vel in montes scilicet cœlos, vt alij interpretantur, statímque exultat, ac gratulatur de diuino auxilio sibi concesso. *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram.* Tamen statim præter auxilium à se postulatum, alia sibi concessa decantat. num. 6. *Per dium super diem sol non vret te, neque luna per noctem.* Hoc est cum interfecerit, per diem æstus solis, nec per noctem frigoris lunæ molestias patieris; quid est, quod cum ipse tantum auxilium à domino in sua tribulatione postularet, non tantum Deus illi concedit ipsum auxilium, sed insuper vmbraculũ à calore solis, ac nociuo lunæ rore? Magna dei bonitas nostris votis non coarctatur, sed insuper supra nostras preces multo plura concedit. D. Chr. ad citat. Psalm. *Dei benignitas*, ait, *non pro modo nostra necessitatis suum præbet auxilium, sed remunerationibus nostra quoque postulata superat.* Vide in hoc libro cap. 2. num. 160. cap. 8. num. 198. & c. 9. n. 73. c. 12. n. 39.

51. Psalm. 120. *Deus sua petitiõ ultra vota dat.* Chrys.

Ea quæ deinceps hic sequuntur. *Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis*, &c. Explicata sunt à nobis

52.

nobis ad cap. 7. Matth. num. 7. tom. 2. cap. 18. à numero 43. sicut & alteram parabolam, quam scribit Diuus Lucas cap. 11. numero 3. Nemo lucernam accendit, explanata est ad cap. 5. Diui Matthæi tom. 2. c. 11. quæstione 20. & c. 16. quæstione 14. & deinceps, quæ ibi sunt videnda.

CAPVT XXI.

Diues Auarus.

Luca 12. *n.* 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit.

Num. 17. Et cogitabat intra se dicens: quid faciam, quia nõ habeo, quò congregem fructus meos.

VERSIONES.

Syriac. n. 16. Dixitque eis parabolam: Viri cuiusdã diuitis protulit terra multos prouentus.

D. Aug. lib. 50. *homil.* 48. Attulit possessio fructus.

Græcus. Viri cuiusdam diuitis protulit regio.

Euthym. Protulit prædium.

Maldonat. Protulit latifundium.

Syriacus n. 17. Et animo versabat, & dicebat: quid faciam? nec enim habeo vbi cogam prouentus meos.

Græcus. Cogitabat in anima sua.

Arias. Ratiocinabatur in se ipso.

Arabicus. Cùm non sit mihi vbi ponam triticum meum.

EXPOSITIO I.

1. Græc. DIXIT *autem similitudinem*, seu vt habet Græcus, *parabolam ad illos*. Vt persuaderet Dominus diuitias nec afferre, nec prorogare vitam, etiamsi illis quis multum abundauerit; & cum doctrina de rerum contemptu difficiliter percipiatur, ac facilè è memoria excidat, ideò vtitur parabolâ, vt clarius, ac altius mẽte retineatur. *Hominis cuiusdam diuitis.* Qui suis diuitiis fieri potuit melior, & locupletior, sed vtpotè auaritiæ plenus, illius cupiditatem diuitiæ non explere, sed irritare võluerunt. *Vberes fructus.* Burg. Luc. Burgens. deducit à verbo *exubero*. Attulit enim prouentus eius cogitatu, ac spe ampliores, & maiores. *Ager.* Græcus habet, *regio*, seu *latifundium* vt notarunt Titus Bostrensis, Theophylactus, quia non erat breuis quidam agellus, sed regio, seu magna camporum amplitudo, vt inde deprehendas, quam amplæ fuerint huius hominis possessiones, & quò prouentibus ager fertilior fuerit, eò diues auarior euaserit, à fructuum copia didicit sese fructum nullum ferre. Hugo *Noli*, ait, Hugo. *esse deterior insensibili elemento; terra fructus, quos affert, non suis vsibus indicat, sed tuis ministrat: tu verò fructus illius solus inuadis.* Auarus deterior terra, illa fert fructus non sibi sed aliis; at auarus torum sibi, & nihil aliis seruat. *Auarus terra deterior.*

Et cogitabat intra se, seu vt alij legunt: *ratiocinabatur* secum, seu in anima sua; vtpote rem clarissimam sibi *Quid faciam?* Verba sunt hominis solliciti, & anxij, Euthymius *Hæret, & angitur, tanquam admodum pauper, quia nimium locuples.* Prosequitur in sua anxietate; *quia non habeo.* Obcæcatâ mente ex auaritia hæc dicebat, nam si sano esset intellectu, sciuisset, vt ait Carthusianus, parata horrea pauperum ventres. *Quo congregem fructus meos.* Diuus Basilius homilia de hac simi- D. Basil. litudine. Hominis insipientiam suggillat. *Nõdum colligis fructus, & iam auaritia iudicium incurrit, quos enim pericula imminent, ante fructuum collectionem? Nam & grando sæpè confringit, & æstus ex mediis manibus rapit, & pluuia intempestiuè è nubibus erumpens inutiles facit.* Hominis insatiabilis feritas, quæ nondum collegerat, iam sibi, ac aliis vsurpari cogitabat, addit Diuus Basilius citat. *Nondum habebat fructus, & iam illos egenis inuidebat.* Ex quo non hic innotatum dimittam, quod venustè notauit Diuus Chrysologus serm. 105. Chrys. *Dines sic prauentus est, vt magis cogitata perderet, quam parata.* Diues non habebat bona, nec in horreis, nec in sua possessione, sed solum in cogitatione. Hæc est enim mundialium bonorum cõditio, quod magis cogitatione, quam re existant; & habeantur. 2.

QVÆSTIO I.

Quare Deus homini malo, ac auaro multa bona concedit in hoc sæculo, & adhuc ipse clamat, non habeo?

PRIMA quæstionis pars inquirit, cur Deus homini malo, ac reprobo multa bona in hoc sæculo concedat. Respond. 1. D Basi- D. Basil. lius hom. de hac parabola. D. Ambr. serm. 81. Di- Ambr. nus August. Epistol. 70. vt Dei longanimitas, ac Aug. benignitas appareat, qui solem suum facit oriri *Cur Deus improbo dat bona?* super bonos, & malos. Secundò. D. Gregor. lib. 16 Greg. moral. cap. 5. In iudicij sui manifestationem, vt iustior declaretur rigorosa damnatio, quantò maior erga tales se exhibuit misericordia, ac pietas. *Vt duriora eos tunc supplicia puniant, quorum hic malitiam nec dona vicerunt.* Tertiò. idem D. Gregorius lib 15. moral. cap. 35. Ex quadam affluentia pietatis, vt bono aliquo temporali fruantur, qui in æternum damnandi sunt. *Sæpè*, ait, *Diuina patientia tolerat, quos iam ad supplicia præscita condemnat: permittit florere, quos adhuc cernit deteriorà perpetrare. Quia enim videt ad quam damnationis feueam tendant, hoc eis pro nihilo esse existimat, quod hic peruersi relinquenda multiplicant.* 3.

Secunda pars quæstionis inquirit. Quomodo hic Diues fructuum copia plenus, ait, *Non habeo quò congregem fructus meos?* Rectè Rabbanus. *Mentitur*, ait, *nam horrea parata sunt pauperum esurientium* 4.

Carth. *esurientium ventres.* Sed addit Carthusian. nesciebat iste diues cogitare, nisi de congregatione temporali, non de cœlesti, cuius horrea sunt pauperes. D. Basilius citata homil. *Vrgent*, ait, *ipsius animam diuitiæ à promptuariis emanantes, ne forte cùm exinerint, profint egentibus.* Cùm haberet paratos pauperes salutifera horrea, ait, quod non habet, vbi congreget fructus suos: habebat illos, vt eos custodiret, non verò vt illis proficeret aliis.

D. Basil.

Auarus habet bona non vt sibi, ac aliis proficiat, sed vt custodiat.

5. D. Ambrosius lib. de Naboth. cap. 6. premit illam vocem *non habeo.* Sic disserit Sanctus Pater. *Clamat se diues non habere, paupertatis hic sermo est: de inopia queritur, abundans fructibus.* Vnde aduersus illum proclamat. D. Petrus Chrysolog. serm. 104. *Miserum*, ait, *quem vbertas sterilem? abundantia anxium, inhumanum copia diuitiæ fecerunt mendicum.* Ex tanta temporalium externa affluentia in mentis inopiã deuenit: horrea multitudine fructuum rumpebantur, & animus non explebatur. Terra se in illum liberalem: ille se in pauperes auarum præstabat; & quos illa fructus largiter ferebat: ipse infeliciter coaceruatos congregabat, non vt illis frueretur, sed vt eos tenaciter custodiret.

Ambr.

Chrys.

6. Cùm Israëlitæ exierunt de Ægypto se cum asportauerunt *oues, & armenta, animantia diuersi generis multa nimis.* Exod. 12. num. 38. Quæ nouis partubus, ac fœtibus multiplicata vsque ad ingressum in terram Promissionis conseruarũt, vt constat Num. 32. n. 1. & tamen in deserto immoderato appetitu agitati carnes suspirabant? *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Num. 11. n. 4. Difficultas iam insurgit, si tam ardenti carnium desiderio æstuabant, cur è suis gregibus agnos, vitulos, hœdos, ac boues non mactant, quos secum innumeros de Ægypto extulerant? cur carnes Ægyptiorum suspirant, quas secum habebant. Lyran. *Propter*, ait, *suam auaritiam parcebant suis animalibus.* Cùm auaritiã essent infecti, malebant potiùs fame perire, quàm aliquid de suo grege comedere, habebant pecudes, non vt illis vterentur, sed vt intacta seruarent, auaritia nõ sinebat, vt manus ad eorum obsequium aliquid iugularet. Corroboratur hęc interpretatio ex adiunctis verbis. *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* num. 5. non quod huiusmodi epulæ essent gratiores, sed quia non de suo, sed gratis erant administratæ.

Exod. 12.

Num. 32.

Lyran.

Perire volebant fame perire, quàm aliquid de grege comedere.

7. Commendat nobis Apostolus, quòd hoc pro certo intelligamus, quod auarus est *idolorum seruitus.* Ad Ephes. 5. numero 5. quod etiam iterum repetit. Ad Colossen. 3. num. 5. vbi mandat fugere auaritiam, *quæ*, ait, *est simulachrorum seruitus.* Cur auarus dicitur idolorum cultor, cum videatur omnis cultus contemptor? Habet enim suos nũmmos, non vt illos in suiobsequium expendat, sed vt illos magnâ veneratione custodiat, tantum nefas existimat illos attingere ad expendendum, ac si sacrilega manu rem diuinam profanasset. D. Chrysostomus ait: *Habent nonnulli pecunias, & tanquàm dona Deo dedicata tangere minimè audens: quod siquando coguntur, tanquàm ad nefas aliquod tunc demùm veniunt pro templo arcam præparantes.*

Ad Eph. 5. Col. 5.

Chrys.

Auarus pecunias habet, vt retineat, non vt eas expendat.

QVÆSTIO II.

Quare homo tantis diuitiis opulentus non canit, sed gemit. Quid faciam?

8. RACTVM narrat Scriptura; ager huius hominis vberes ac copiosissimos fructus parturiuit, quos visos multis cantilenis, ac festiuo applausu solent agricultores celebrare, non sic hic auarus, sed cum suos fertiles prouentus agnouisset, totus anxius dicebat; *quid faciam?* Vt notat Diuus Ambrosius lib. de Naboth. c. 6. In vbertate fructus vocem gementis, ac egentis emittit *quid faciam?*

Ambr.

9. Respondet D. Zeno serm. de duplici tentat genere dicens: *Quid inquit faciam? Quis non talem misereatur? Quis infelicitatem eius non doleat? Angustiatur ex abundantia, constringitur ex opulentia, infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. Et vt video, ager ei non tam reditus largiores, quam gemitus attulit graviores.* Eademmet verba habet D. Ambrosius serm. 81. Vt ager plenus erat fructibus, sic & animus molestia, & anxietate implebatur, & sicut semen in agro extitit ad producendos fructus, sic & fructus in animo fuerunt semen vt solicitudines ac gemitus parturirent; doléns que miser diceret, *quid faciam?* Ait Zeno. *Ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores.* Ecce bona temporalia nesciunt aliud parere, quàm spinas, & tribulos, gemitus, & dolores, & quantò magis felicitate augentur, tanto magis animum cruciant, & dilacerant. Diuus Basilius homil. de hac parabola: *Quid faciam*, inquit? *Quis non misereatur, sic misereri curis obsessi? In ipsa fertilitate miser erat, ac timidulus. Temporalia gemitum, timorem, ac perturbationem parturiunt, qua diuitem inquietant, & dormire non sinunt.* D. Ambrosius lib. de Naboth. cap. 6 *Satiato diuitiis*, ait, *non est qui eum sinat dormire. Excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil albena rapiendi torquet inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum perturbat, solicitat abundantia.*

Zeno.

Bona temporalia dolori, ac gemitum parturiunt.

Ambr.

Basil.

10. Ait Ezechiel 8. num. 14. quod ostenderit ei Dominus in templo: *Ecce ibi mulieres sedentes, plangentes Adonidem.* Qui erat iuuenis pulcher, multum diues veneris amasius, quẽ aper in fortunio quodam interfecerit. Vnde, ait Carthus. Gentilium fœminæ eius occisionem anniuersaria solemnitate plangebant. Cur Adonis festũ lachrymis prosequitur? Nam eodem cap. manifestatur Prophetæ n. 5. Altare idoli Zeli, idest Baal, qui multis sacrificiis colebatur, & num. 10. Apparent omnia idola domus Israël depicta in pariete, quæ à senioribus populi thuribulo, ac odorifero thymiamate venerabuntur, & in deserto Israëlitę vitulum adorantes multo cantu idololatrabant. Exod. 32. Exod. 32. num. 18. Cur ergo dies festus Adonidis gemitibus ac singultibus peragi ostenditur? Prophetæ? D. Hieron. Beda, Glossa, Hugo, qui ait. Per Adonidem iuuenem pulchrum, & diuitem, *Terra nascentia intelliguntur. Prosperitas mundana, & temporalis abundantia, pulchra est ad videndum, & amatur, & amat venerem.* Cùm in Adonide temporalis prosperitas, abundantia, voluptas denotaretur fletu, & non cantu colitur, omnis enim temporalium prouentus multorum dolorum, ac

Ezech. 8.

Carth.

Hier.

Beda.

Glossa.

Hugo.

lachryma

Temporalis abundantia solum spiritu imperfecti gemitum, & dolorem.

lachrymarum fons irriguus, eorúmque breuis iucunditas multo planctu edito, multáq; anxietate comparatur, emitur, & exoluitur. Vnde quamuis Gentilium fœminæ primò Adonidem lugerent, deinde redituum, vt fabulabantur, celebrarent, tamen Propheta solum videt eius mortem, & planctum, ac si in mundialibus nihil aliud visui obiicitur.

11. Psalm. 101.

Ait Dauid. *Defecerunt sicut fumus dies mei.* Ps. 101. n. 4. Quid habent dies Dauidis cum fumo? dies Dauidis, dies præclarissimi Victoris, ac triúphatoris, qui magna trophæa de hostibus obtinuit, vt mulieres per choros canerent, percussit Dauid decem millia, & nulla dies hac gratior, ac iucundior, vnde ad magnam lætitiam exprimendam dicitur, *Lætabuntur coram te: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia.* Isaiæ 9. numero 3. Dies Dauidis, dies potentissimi regis, qui per quadraginta annos clauum regni multa felicitate, ac prosperitate tenuit; Dies Dauidis, dies regis, qui vidit filium suum Salomonem sedentem super solium suum, vidit, & gauisus est. 3. Regum 1. n. 48. Quid habent tam iucundi dies cum fumo? Fumus res atra, obscura, qui cũcta denigrat, ac indecora reddit, in oculisq; lachrymas excitat, ac prouocat. Inde dies Dauidis sicut fumus; omnis enim humana prosperitas, ac felicitas marcessit, ac denigrescit, maximéque ad luctum, ac planctum mouet, & excitat; ex huiusmodi enim bonis multa mala, ac incommoda pullulant, quæ ad gemitum, ac dolorem trahunt. Diues Chrysostomus homilia 2. in Matth. *Nonne vides*, ait, *etiam corporeos oculos, cùm in fumo remorantur, lachrymas semper effundere? Talis est profectò, & mentis oculus si in fumum secularium negotiorum fuerit ingressus, ad innumera prorsus mala lachrymabitur, ac flebit.*

Isaiæ 9.

3. Reg. 1.

Humana felicitas cum tristitia, & luctu sociatur.

Chryſ.

12. 2. Tim. 6. Græc.

Hinc ait Paulus 1. ad Timoth. 6. numer. 9. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia*, &c. Et postea subdit. *Inseruerunt se doloribus multis.* Ex Græco pro inseruerunt, legitur, infixerunt, vel transfixerunt se doloribus. Amor enim diuitiarum, ac temporalium instar spinæ mentem hominis transpungit, & vulnerat aculeatis curis, vigiliis, angoribus, timoribus, laboribus, ac molestiis.

Diuitiæ mentis aculei. Athan.

Diuus Athanasius ad citatam Epistolam: *Bene*, ait, *inseruerunt se doloribus multis: sunt enim sentibus similes curæ diuitiarum, vt testatus est Dominus: qua vbi attigeris, innatis aculeis manum cruentant, & doloribus angunt.*

Qvæstio III.

Quare homo tam opulentus in consilium, nec vocat amicos, nec seruos, sed solùm seipsum?

13. Ratio diff. cultatis. Eccl. 33.

Alde mirum, quòd cùm homo fluctuet cogitatione, quid faciat, solùm secum loquatur, cur ad consilium non conuocat, nec amicos, nam vtpotè diues cùm esset, magna amicorum turba ei non deerat, vel cur non habet consiliarios suos seruos? Eccles. 33. n. 31. *Si est tibi seruus fidelis* (seu sensatus) *sit tibi quasi anima tua.* Homo tam diues sine dubio magna seruorũ copia erat stipatus. Cur ergo solus *cogitabat intra se*, vt subdit Diuus Chrysolog. serm. 104. *quasi posset extra se quispiam cogitare*, dum nempe suam cogitationem cum aliis communicat, & consulit. Chryſ.

14. Basil.

Respondet primò ad quæstionem D. Basilius homilia 6. *Ex te ipso*, ait, *capras consilium? Plane imprudenti vteris consilio? Parata tibi responsio fuerat: imitabor Ioseph, vocem emittam magnificam: quicumque panibus egetis, venite ad me, singuli futuri participes gratiæ à Deo mihi collatæ.* Impia hominis consultatio, cùm non à Deo, sed à se ipso, in tanta rerum vbertate consilium quærit, si enim homo Deum consuleret in prouentib. suis imitatur Ioseph, qui fratribus suis dicebat: *Præmisit me Deus, vt reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis.* Genes. 45. num. 7. Sicque vt Ioseph concessæ gratiæ alios participes faceret, *vocem emittam magnificam: quicumque panibus egetis, venite ad me*, sed quia se ipsum consulit, inde tenaci auaritia, cuncta sibi retinet, nullum consortem admittit.

Qui non Deũ sed se consulit, sua sibi retinet. Gen. 45.

15. *Imprudens suo vtitur consilio.* Prou. 3. Beda.

Secundò. Eadem Basilij verba. *Ex te ipso captas consilium? Planè imprudenti vteris consilio.* Ex eo quòd homo nullum aduocat magistrum, sed solum semetipsum consulit, obcæcatâ mente malè agit, à veritate deuiat, in præcipitium ruet; ait Salomon Prouerb. 3. num. 7. *Ne fis sapiens apud temetipsum.* Explicat Beda. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, seu menti tuæ, & remedium mo.bo applicans addit. *Sed Deum time.* Sapientiæ hominis arrogantiam, ac præsumptionem, nil ita coërcet. ac deprimit, vt Dei timor, Dei enim scitum est, quod fidens suo cerebro, facile erratis pateat.

16. Chryſ.

Tertiò. Diuus Petrus Chrysologus sermone 104. *Cogitabat intra se dicens, quid faciam?* &c. *Interrogantis*, ait, *vox est, quem putas interrogat iste; Erat in illo alter, quia ad eius penetralia, iam diabolus possessor insederat; & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum.* Dum diues dicebat *quid faciam?* alium interrogabat, sed quisnam erat eius consultor? diabolus sanè, qui in cor eius intrauerat, sicut & in cor Iudæ penetrauit. Auaritia enim ianitor est diabolo aperiens ostium, & vbi auaritia regnat, ibi & diabolus suam figit quietam possessionem, qui enim tantum prouentibus augendis, ac fructibus congregandis studebat, à diaboli consortio non erat alienus, sed totus ab ipso dirigebatur. Cum progenie Iudæ loquens Dauid, ait. *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Psalm. 108. n. 9 Quomodo Dauid charitate plenus, qui hostibus suis benigne indulgebat, tot maledictiones in Iudæ filios congerit, quid deliquerant filij, vt ita pro patris crimine punirentur? Non rogat hoc illis Dauid; *fiant filij eius orphani*; vt malum sustineant, sed vt magno bono fruantur, dum à parente, ac ductore auaro separantur. Diuus Basilius in cap. Isaiæ. *Votis*, ait, *apprecatur filiis Iudæ sterilitatem orbitatis, dum dicit, fiant filij eius orphani, vt ne habeant malignum scelerata vita doctorem, nempe morbum impotentis auaritiæ.*

Auarus domicilium diaboli.

Psalm. 108.

Magnum bonum ab auaro separari.

Basil.

17. Chryſ.

Quartò. Idem Diuus Chrysologus citato loco. *Digno*, ait, *Consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam.* Valde mirum, quod homo tam diues, ac potens, ita sit amicorum vacuus, vt nullum habeat collegam, omnes maximè diuitum gratiam spe lucri consiliare sibi curant, vt potissimum verum est; sed cùm hic homo esset multum diues, multúmque auarus, ex vtraq; manu, vtpotè ferus, ac horrificus, lapides spargebat, impietate enim, ac auaritiæ

ritia, superbia asper, intractabilis, ac siluester euasit, vt licet homines diuitis amicitiam concupiscant, tamen rusticitas ingenij, ac morum duricies illius eos auertebat; vnde potius eligebant omnes lucri spe defraudari, quam cum inhumano, & efsero consociari, ac conuersari; cùm ergo amicis esset denudatus *cogitabat intra se* ac si extra se neminem haberet, cum quo rem agendam conferret, & à quo in negotiis sui dirigi valeret.

Homo asper, & durus sodalibus erbatus.

18. Pro fratricidio, maleuolentia, ac mendacio infert Deus pœnam Caino, dicēs: *Cùm operatus fueris terram, non dabit tibi fructus suos, vagus, & profugus eris super terram.* Gen. 4. n. 12. Chaldæus legit: *Instabilis, & transmigrauerit in terra.* Vagari in terris, nullo termino circunscribi, in hanc, & in illam partem tēdere, hoc libertatis, ac magnæ facultatis est, si in vno loco concluderetur, tanquā in carcere detineri videretur, & quod circunferatur per orbem, valde iucūdum humano ingenio, qui semper noua appetit. Qualenam ergo supplicium? Denotabatur in maledictione hominis vita, & conditio. Nam Cainus genio suo auarus, deteriora Deo obtulit, etátque etiam truculentus, asper, & syluestris, fratrem suum occidit, indéque peccato, ac malitia creuit multum eius auaritia, ac asperitas, vnde intractabilis factus, omnib. hominibus odiosus euasit, vt cum nullo posset degere, ac habitare, sed omnes illius consortium fugientes, cogebatur ipse in nullo loco consistere, sed vnum interdiu, alium noctu perpetua instabilitate quærere. Lyranus explicans citata verba: *Vagus, & profugus*, sic, ait: *quia omnibus odiosus eris, ideò in nullo vno loco securus eris.*

Gen. 4. Chald.

Asperitas facit hominem insociabilem.

Lyran.

Luce 12. *n.* 18. Et dixit, hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea.

VERSIONES.

Syriacus. Subditque: hoc faciam: diruam horrea mea, & ędificabo, ac dilatabo ea, & cogam illic omnes fructus meos.

D. Aug. lib. 50. Homil. homil. 48 Destruam apothecas meas & horrea.

Arabicus. Et ædificabo ea, & capaciora ea faciam, & ibi congregabo omne triticum meum.

Vatablus. Maiora extruam, & illuc congregabo omnes prouentus meos.

EXPOSITIO II.

19. *Qui vult omnia seruare, omnia perdit.*

T dixit. Videns tot fructus in agro suo natos, non cogitat ad eorum conseruationem, vt Deo largitori gratias reddat, oblata ferat in templum, & decimas persoluat, sed qui sibi omnia voluit retinere, cōsequens erat, vt omnia perderet, omnibúsque destitueretur. *Hoc faciam*, ex sua superiori cogitatione, ac interrogatione. *Quid faciam?* In hoc consilium deuenit, quod nec Deus, nec charitas, nec diabolus in eius corde residens, at auaritia suggessit. *Destruam horrea mea*, scilicet vetera. Bene, ait, *destruam*, nam qui opes suas intendit coaceruare, nihil egentibus largiens, sua destruit, qui verò in pauperes distribuit, conseruat, & reædificat; *Et maiora faciam*, seu ædificabo, spe lucri auarus nullos sumptus omittit. *Et illuc congregabo.* Non ait, si Deus voluerit, si vita superstit, si fructus non perierint, sed mente obcæcata auaritia totus ad fructus colligendos erat intentus. *Qua nata sunt mihi*, hoc anno. D. Basil. in hom. Theoph. Beda, & D. Cyril. apud Diuum Thomam, qui ait: hæc dicebat. *Quasi non putaret ea diuinitus obtinere, sed fructus esse laborum suorum.* Ac si diues, apud se constituisset, quod ager tam vberes fructus parturisset, non ex Deo esse acceptum, sed ex sua industria natum. *Et bona mea.* Quæ ex superioribus annis sunt collecta, ac in antiquis horreis congregata, & vt notant D. Chrysost. Carth. In hoc multum errauit, quod cùm temporalia non sint verè bona, ea simpliciter bona vocat.

D. Basil. Theop. Beda. Cyril.

Chrys. Carth.

QVÆSTIO IV.

Quare auarus ob vberes fructus vult destruere horrea, & non potiùs ipsos fructus vendere?

RECTE de hoc diuite differens D. Zeno sermone de duplici tentationis genere, ait, *Qua à Deo prabentur, etiam in gratis ista sunt: terra fœcunditas, aëris temperies, fructuum lætitia, bonum subsidia, & omnia, quibus anni prouentus secundis successionibus adimplentur: qua verò ab homine procedunt, qualia sint, videamus: angustus animus, & parum putans, omne quod nascitur: cuius abundantia deesse aliquid computans: deinde inhumanum propositum: impartiendi cuiquam causam nullam idoneam putat.* Deus homini multa bona dat, fructuum lætitiam, terræ fœcunditatem; at verò homo suo angusto animo, sua manu, ac cogitatione semetipsum affligit, dum parum putat omne quod habet, omniáque illi defutura esse, ideóque inhumanus euasit, vt sui nihil velit aliis elargiri, indéque totus est in fructibus congregandis, vnde intendit destruere sua antiqua horrea, & maiora facere; ad quæstionem.

20. Zeno.

Deus largè dat, homo auaritia sua angustiatur.

Respondet primò diuus Ambrosius lib. de Naboth, cap. 7. *Rectè*, ait, *destruet, qui sapienter adificare non nouit. Destruet sua diues, qui nescit aterna. Destruet horrea, qui nescit sua frumenta diuidere, sed claudere.* Qui sua sibi solum vult retinere, ac solùm sibi claudere, ea conseruata non tenet, sed potiùs destruit, nunquam enim magis conseruantur opes, quam dum in pauperes diffunduntur. Et qui res suas coaceruare cogitat, omnia sua destructioni destinat.

21. Ambr.

Qui sua sibi retinet, ea destruit.

Secundò diuus Augustin. *Stulte*, ait, *qui videris esse cordatus; nostri enim destruere vetera, & adificare noua, & tu in vetustate ruina remansisti, qui vbera in te ipso destruere debuisti, vt iam terrena non superes.*

22. Aug.

Cogitat de horreis destruendis, non verò de cupiditate euadenda.

perees. Miser totus cogitabundus est de veteribus horreis destruendis, nouisque ædificandis, cum potiùs deberet cogitare de auaritia, ac cupiditate extirpanda, vt se in nouam creaturam Deo placentem reformaret.

23. Basil.

Tertiò D. Basil. in Cat. Græc. *Maiora inquit, ait, ædificabit: incertum, si non destructa successori dabit: nam ipse velocius migrabit hinc arreptus, quam illa iuxta auaritiæ ipsius cogitationem erigantur.* Ait Auarus, quod destruet, & hoc ipse faciet, minimè secundum quod astruit, & ædificabit, hoc enim breuitate vitæ non licebit, viri enim immisericordes in pauperes, non diu conseruantur, sed citissime pereunt. *Ipse velocius migrabit, hinc arreptus,*

Immisericordes citò pereunt.

24. Chrys.

Quartò D Chrysologus serm. 204. Introducit hominem auarum interrogantem. *Quid faciam? Qui non habeo, quo congregem,* &c. Tunc respondet Sanctus Petrus. *Audiamus*, quid responderit consiliarius internus. *Destruam horrea mea. Euidenter apparuit, qui latebat: quia a destructione incipit inimicus; agit, vt qua habes, destruas, & qua concupieris non reformes.* Dixerat Sanctus Patet, quod Diabolus latebat in homine, ipse ergo Diabolus, qui intus erat, suggerit consilium, vt destruat; quidquid enim ille consulit, ruina hominis est, ac illius casus, hunc enim semper intendit, semperque in omnibus procurat.

Diabolus semper intendit destructionem, & ruinam.

25. Ambr.

Quintò. D. Ambrosius citato lib. de Naboth. cap. 7. *Infelix*, ait, *mauult habere quod solus, quam quod cum omnibus vendat.* Iste miser non solus erat auarus, sed etiam ambitiosus proventus intentat coacernare, & non vendere, ne cum aliis communicet, aliique etiam eos habeant, vult enim ipse solus tales habere, illisque solus gaudere.

Auarus non vult sua aliis communicare.

26.

Sextò. Quòd miser velit noua horrea ædificare, esto; sed ad quid antiqua parat destruere? Nam intactis veteribus noua poterat fabricare. Sæpè miser auarus auaritiæ cupiditate obtenebratus maiores expensas facit, quam alioquin faceret, si ab auaritiæ studio immunis esset; plerúmque nimia cupiditas coacernandi dissipatio bonorum est, quam cordatus, ac prudens homo euitat, & declinat. Ad quod respiciens Clem. Alex. lib. 3. Strom. cap. 5. ait. *Sunt, qui seminantes multiplicant, & qui colligentes minus habent.*

Auaritia retinendo dissipatio bonorum.

Clem. Al.

27. Tolet. Mald. Barrad.

Septimò. Dixit Auarus: *Congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea*; scilicet antiquos fructus, triticum, oleum, vt communiter explicant expositores Iansen. Toletus. Maldon. Barradas, & alij. Ad quid homo intendit tot sumptus facere? Cur saltem non intendit antiquos fructus dare, vel vendere? Nam ex vetustate poterant corrumpi, vel corrodi, ac consumi, imò si noui fructus permiscerentur cum antiquis, ab illis poterant inficiari, vt putrefierent. Adeò miser est auarus, vt potius velit sua exponere, vt corrumpantur, vel perdantur, quàm ea à se alienare, vel dare, seu obsequio Dei dedicare, vt aliis proficiant ac vtiliter doneniur.

Auarus potius vult sua perdere, quam dare.

28. Aggæ. 1. Clem. Alex. Greg. Auct. antiq.

Ait Aggæus Propheta cap. 1. n. 6. *Qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Seu, vt legit Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. *In saccum perforatum.* De Auaro est sermo, vt ipsemet Auctor docet, & etiam D. Gregor. 3. Part. Pastoral. cap. 22. Si homo erat multum solicitus in congregandis diuitiis quomodo eas misit in saccum perforatum? Nam vt ait quidam Auctor antiquus relatus à Cornelio à Lapide. *Vidimus in sacco perusto nihil immissum posse diu contineri, sed quod vna ex parte ingeritur, ex altera effunditur; quidque ex superiori parte accipit, mox per inferiorem defluit.* Ad quid misit suas merces in bursam pertusam, cur potiùs eas non vendit, vel aliis dedit? Sic iniquus erat auarus, quòd potiùs elegit merces in saccum perforatum mittere, vt perderentur, quam aliis dare, vt proficerent.

Auarus perdit, sed non dat.

Mandauit Deus Saul. *Vade, percute Amalech, & demolire vniuersa eius. Non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro vsque ad mulierem,* &c. 1. Reg. 15. num. 3. Præcepit Deus, vt etiam dictum erat Exod. 17. num. 14. Vniuersa Amalech è maiori vsque ad minimum deleri, ac deuastari, Vnde pro verbo, *demolire*, iuxta Septuaginta legit Origenes homil. 19. in Num. *Anathematiza*, seu *anathemati subiice vniuersa Amalech.* Volebat enim Deus, vt rectè explicant Abulens. Cornel. P. Mendoza. Amalech statui anathema, ac funditus excidi, sicut fecerat Iericho. Iosue 6. num. 17. Tamen contra Dei decretum, ac mandatum. *Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis qua pulchra erant, nec valuerunt disperdere ea.* Ibidem n. 7. Disquisitione dignum sanc, quòd Saul, qui optimè sciebat Dei mandatum, ac decretum sibi aperte intimatum, & iam olim in Exodo promulgatum non posse immutari; quis enim valet Dei decreto resistere? Ac proinde ex Dei definitione omnia Amalech esse extinguenda, & abolenda: & tamen ipse ea sibi reseruare, ac retinere disponit. Ita Saul auaritiæ laborabat, ita illarum rerum obcœcata cupiditate captus est, vt potiùs eligeret, quod illa Dei potentia, ac manu perirent, quam quod ipse Deo obediés ea à se dimitteret, illisque priuaretur: magisque volebat, vt Dei ordinatione vniuersa Amalech funditus perirent, ac quòd ipse magno crimine inficiaretur, quàm quòd ipse manibus suis tale deuastationem in obedientiæ victimam Deo consecraret, ac offerret.

29. 1. Reg. 15. Exod. 17. Septuag. Orig. Abulens. Corn. Mendoz. Ios. 6.

Saul magis intendebat spolia perdere, quàm obedientia dare.

QVÆSTIO V.

Quare Auarus intendit facere magnos sumptus ad noua horrea ædificanda?

PRIMO. Respondet D. Basil. hom. de hac parabola: *Horrea, ait, quidem crepabant pra copia conditorum, auarus tamen animus, nequaquam implebatur: vrgens enim ipsius animam diuitia a promptuariis emanaret, ne forte cum exiuerint, prosint egentibus.* Cogitat noua horrea, vt cuncta sua nimium claudat, ne eorum alij fiat participes ac in egenorum alimentum, ac commodum cedant, quantúmque distat hoc iniquorum ingeniũ à iustorum conditione, qui omnia sua vehementer desiderant aliis communicare.

30. Basil.

Auarus omnia sibi vult & non alijs.

Secundò. D. Ambrosius serm. 81. *Quis finis*, ait, *stulti huius laboris, & instanter ædificare, & instantius destruere? Si vis ergo ostendam tibi horrea iam parata, esurientium pauperum ventres, in ipsis tuos conclude thesauros, Tales enim tibi thesauri seruabuntur in cœlis.* Ad quid ô homo tantum laborem reassumis, vt perpetuò destruas, & ædifices horrea?

31. Ambr.

Auarus pro bonis potiùs vult laborare, quam quiescere.

horrea? Habes parata horrea ventres pauperum, in quibus potes recondere tua bona, quæ te semper comitabuntur. Miser auarus pro suis bonis potius vult laborare, ac fatigari, quam illis æternam sibi requiem comparare. *Tales tibi enim seruabuntur in cœlo.*

32. Basil. Tertiò. D. Basilius citatus. *Destruam horrea mea, & maiora ædificabo. At si hoc impleueris nunquid destrues illud? Quid stultius quam infinitum laborare.* Concedo tibi homo, quod vis, destrue horrea, alia ædifica pro congregandis fructibus hoc anno tibi natis; quæro modò, & pro venturo anno hæc horrea destrues, & alia ædificabis? Sic ergo in perpetuo, ac continuo labore versaberis; hoc infelix sibi appetit, qui enim temporalibus dedicatur, nil aliud sibi comparat, nisi perpetuos labores, ac continuas fatigationes; vnde pondera, quòd cùm esset in lectulo suo noctu quiescens, ad suos prouentus mentem coniecit, statim de labore, ac sudore cogitauit.

In mundialibus nil aliud, nisi labor.

33. Zeno. Quartò. D. Zeno lib. 1. serm. 14. *Oculis patentibus*, ait, *cæcus dilatat horrea.* Non attendit homo, vt fiant firmiora horrea, sed solùm maiora, solùm de amplitudine cogitat, non verò de stabilitate; verè cum iste vigilaret, & oculos apertos haberet, cæcus erat, quæ enim maior cæcitas hominis quam quæ solùm molem corporis considerat, non verò virtutis præstantiam? solúmque attendit ad corporis magnitudinem, non verò ad animi robur?

Cæcitas attendit ad molem corporis, non ad animi virtutem.

34. Quintò. Dicebat Auarus. *Maiora faciam.* Homo pecuniarum tenacissimus ad congregãdos nouos fructus, habet apud se cõsiliũ, vt horrea destruat, & noua ædificet; Auare, quænam est tua sapientia? Vt quod cogitas, perficias. magni pecuniarum sumptus sunt erogandi? Quomodo ergo tot pecunias vis profundere? Conniciebat homo oculos ad maius lucrum ex coaceruandis fructibus, vbi autem homo spe maioris lucri allicitur, statim omnem nummorem sumptum cõtemnit, vt maiora sibi comparet, ac acquirat.

Pro maiori lucro Auarus non parcit sumptui.

35. Ambr. Sextò. D. Ambrosius libro de Naboth capite 7. *Infelix*, ait, *dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis refoluis.* Magnos aureorum sumptus determinat hic homo apud se facere in extuendis horreis, cui non potius ipsos vult elargiri in pauperes, ac egenos, vt liberalitatis gratia fulgeat, & resplendeat, & æterna bona promereatur? Infelix, qui nec sui quid minimum volebat famelicis præbere, pro sua cupiditate, ac auaritia magnos ædificationis sumptus deglutit. Sic miseri mundiales pro Deo, ac virtute minimum dispendium fugiunt, pro sua verò cupiditate omnium bonorum iacturam libenter amplectuntur.

Pro sua cupiditate implenda sumptus facit auarus.

36. Exod. 32. Indomita cupiditate instãter postulat populus ab Aaron, vt eis faciat idola, ac Deos; cui Aaron. *Tollite inaures aureas de filiorum, ac filiarum vestrarum auribus, & afferte mihi.* Exod. 32. n. 2. Statim subditur, quòd sine vlla mora, ac reluctatione vniuersi mandatum adimpleuerint: *fecitq; populus, quæ iusserat deferens inaures ad Aaron.* Valdè notum est in scriptura, quod Iudæi erant auarissimi, ac diuitiarum multum amatores; ideò Achan contra Dei mandatum furatus est de anathemate, ac spoliis Iericho regulam auream. Iosue 7. n. 21. Deinde etiam notum est, quòd mulieres inaurium sint cupidissimæ, easque in multa habeant æstimatione, præcipuè si aureæ existant? Quomodo ergo cùm mulieres essent auarissimæ, ac sui ornatus multùm studiosæ eas sibi auellunt? Ipsæ; & earum viri vehementi cupiditate perierant idola, vt ergo suæ cupiditati, ac virorum inseruirent, illíque satisfacerent, nulli suo pretiosissimo auro, nulliq; suo speciosо cultui parcunt, sed omnia contemnunt, & pessundant, vt suum appetitum compleant. Lippom. *In constituendis*, ait, *falsis Deorum cultibus liberalissimi sunt, qui alibi in instaurando, & conseruando Dei cultu sunt auarissimi & tenacissimi.* Hæc est misera mundialium conditio, quod pro voluptatibus cõparandis, pro idolis fabricandis pro adimplendis cupiditatib. omnem sumptum deuorent. Proh dolor! similes Iudæi in hoc multi Christiani existunt, qui vt carnis voluptatibus satisfaciant, omnem suã pecuniam, ac suppellectilem largissime profundunt; At verò pro Christi amore, nec vnum assem pauperibus erogant. Subiicit idem cit. Author. *Quotusquisque Christianorum est, qui non voluptates carnis, in superflua, & vana & populi auram captantia non censum omnem profundat, at in pauperes Christi ne vile obolum erogare curat.*

Exod. 32.

Non pro Deo, sed pro sua voluptate pecuniam profundit homo. Lipp.

Luc. 12. n. 19. Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

VERSIONES.

Syriacus. Anima mea, sunt tibi bona plurima reposita in multos annos: requiesce, ede, bibe, oblectare.

Vatabl. Pagn. Comede, bibe, gaude.

Clemens Alex. Bibe, lætare.

EXPOSITIO. III.

37. *Et dicam anima mea.* Postquam enim omnia bona mea, omnésque mei fructus iam nati congregati fuerint in horreis meis, tunc dicam animæ meæ; nó ait, dico, sed *dicam*, qui in præsenti multis torquetur cogitationibus, de futuro, multa sibi pollicetur gaudia, quæ antequam adueniant, euanescent. *Anima mea.* Tolet. anno. 37. Nou. existimant hic animá sumi pro ea hominis parte, in qua est ratio, & in hoc maximè apparet brutalitas hunc diuitis, ea enim quæ sunt corporis, attribuit animæ. Tamen Iansen. Mald. Luc. Burg. Paëz. in Cant. Exod. Num. 9. interpretantur pro ipso homine, seu eius vita, & est sensus; dicã mihi, seu vitę meę, & hoc maximè consonat cum phrasi Hebraïca, anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo. Num. 21. n. 5. *Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri.* Matth. 2. num. 20. vt latè explicaui to. 1. l. 2.

Tolet. Noua. Iansen. Mald. Burg. Paëz. Num. 21. Matth. 2.

38. *Anima.* Est prosopopœia quædam, vt notat Clem. Alex. lib. 3. Stromat. Qua duæ personæ introducuntur, vna loquens cum alia, hæc autem compellatio valde familiaris est Hebræis, indicíque magnum affectum, quo homo ad aliquid se ipsum excitat, & vrget. Hinc est illud Regij Vatis. *Quare tristis es anima mea.* Psalm. 41. 6. *Benedic anima mea Dominum.* Ex quo denotatur, quam vehementi cupiditatis, & auaritiæ affectu iste teneretur. *Habes multa bona posita*, seu reposita in horreis, vt illis fruatis.

Clem. Alex. Psalm. 42.

In

in annos plurimos. Quibus viuere possis. *Requiesce.* à labore; *comede, bibe, epulare.* Seu obiectare, seu delectare, per quod declarantur affectiones hominis libidinosæ, vt notat Theophyl. de his in quæst.

Theoph.

QVÆSTIO VI.

Quare diues tam impudicè, multos annos vitæ sibi promittebat?

39. Bostr.

RESPONDET primò Titus Bostr. *Quasi illa quoque*, scilicet vita; *tanquam reliqua humi nascientia, è terra decerperetur.* Putabat Auarus suis diuitiis obcæcatus, simul cùm vbertate, ac multitudine fructuum, multitudinem annorum vitæ sibi concessum, vt illis frueretur; error, qui diuites communiter apprehendit, vt præ sui superbia cogitent se fluctibus maris imperare, cùm videant iniqui sua mala impunita, indéque in suis sceleribus maximè securè se ingurgitant præsumentes omnia ad nutum euentura. Eccl. 8. n. 11. *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Ex felici, ac copioso rerum euentu longissimam, ac prosperam vitam sibi pollicebatur. Cat. Græc. *Quoniam*, ait, *Dei prouidentiam propter immensam in tolerandis malis clementiam, non statim in improbos grassetur, nec pœnas illico scelerum expetat, idcirco vir nequam, quasi sit impune lasturus peccandi sibi licentiam diutius persuadet.* Expende diutius, persuadet.

Diues cum fructibus vitam sibi dari cogitabat. Eccl. 8.

Cat. Græc.

40. Chryf. *Diabolus mortem à mente fugat.*

Secundò. D. Chrysologus iam datus serm. 104. *Erat in illo alter, quia ad eius penetralia, iam diabolus possessor intrauerat.* In illa nocte homo arripiendus, cur ergo instante morte, tanta erat mortis obliuio, tantáq; temporalium solicitudo, multáque longęuę vitę excogitatio, erat in diuitis corde Diabolus, qui mortis memoriam è mente fugabat, totúmque hominem in temporalibus implicabat, vt illum certissimè perderet.

41. Eccl. 5.

Compone hunc diuitem auarum cum illo, de quo ait Ecclesiast. cap. 5. num. 18. *Omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemq; ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet delicijs cor eius.* Ecce hic diues nec est solicitus de horreis destruendis, ac ædificandis, nec recordatur dierum, ac annorum vitæ suæ, nec de longa vita curat, sed gaudet, & exultat in bonis suis; contra verò diues auarus totus anxius, & mœstus de suis bonis, quærens *quid faciam?* ipsa rerum possessio torquet cor eius, & eum dormire non permittit, vt iam ex D. Ambrosio notaui, totúque intentus est ad fructus congregandos, nouáque ædificia extruenda, multúmque de longæua vita cogitat. *In annos multos.* Vnde tanta hominum differentia? In hoc diuite auaro. *Iam Diabolus possessor intrauerat.* Vt ait Chrysolog. datus. At verò illo alio diuite Eccles. *Eo quod Deus occupet in delitijs cor eius.* In diuite auaro cum Diabolus esset in corde, inde illi infelix, ac mœsta de temporalibus perturbatio, multáque de præsenti vita excogitatio, quæ cor hominis affligebant, ac dilacerabant; at in illo alio diuite cum Deus occuparet cor eius, inde illi nulla de temporalibus huius vitæ excogitatio, nihilque nociuum, & infaustum inueniebat, sed inter ipsas affluentes diuitias maximè iucundabatur, ac lætabatur. Caietanus ibi. *Ratio*, ait, *non recolendi huiusmodi mœsta subiungitur, quia Deus testificatio est in lætitia cordis eius. Quia Deus dando in corde diuitis ingens lætitiam est tanquam præbens testimonium felicitatis ipsius diuitis.*

Inter diuitias vbi est auaritia, regnat mœstitia; vbi autem Deus lætitia.

Chryf.

Caiet.

Tertiò. D. Augustin. lib. 50 homil. 48. *O cæcitas*, ait, *auari, vna nox ei supererat, & de multorum annorum vita cogitabat, nox ei vitam fugabat.* Notatur magna hominis stultitia, & ignorantia, quod cum nullam habeant certitudinem vitæ cupiditate temporalium vitam, & lucrum sibi in futurum promittunt. Contra quos Iacobus Apostol. in sua Cant. cap. 4. num. 13. *Ecce nunc qui dicitis hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus. Qui ignoratis quid erit in crastino,* & Paul. 1. Thess. 5. num. 3. *Cùm dixerint pax, & securitas tunc repentinus superueniet interitus.* Cùm in multa securitate, ac tranquillitate videntur degere, tunc repentinus superueniet interitus, & discessus ex hac vita.

42. Aug.

Vita præsens incerta.

1. Thess. 5.

Pollicetur Angelus in persona Dei filium Abrahamo ex Sara nasciturum dicens: *reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium vxor tua.* Gen. 18. n. 10. Promittit Angelus, anno proxime venturo illo, eodémque die, eadémque hora Saram filium habiturum, hoc tamen ait: *vita comite.* Id est, si Sara vixerit, ac superstes fuerit, vt explicant graues Auctores, inter quos Lippoman. ait: *modo loquendi hominibus vsitato loquitur Angelus si Sara ipsa annum vixerit.* Ad quid Angelus loquitur sub illa conditione? *Vita comite*, si Sara vixerit, optimè sciebat ille mulierem viuituram; adeo incerta est vita humana, adeóque quilibet incertus de vita futura, ac de illius perduratione subsequenti anno, quod Angelus, qui optimè præcognoscebat ex Dei manifestatione, tèporum articulum, de vita fœminæ agens. *Modo loquendi hominibus vsitato loquitur.* Non absolutè, sed cùm cautela, ac sub conditione, vita comite, si ipsa vixerit, ex quo fit documentum, vt nullus sibi multum promittat de vita futura.

43. Gen. 18.

Lipp.

Nullus certus de vita futura.

Ait Iob. 7. n. 1. *Militia est vita hominis super terram.* Ex Græco communiter legitur. *Piraterium est vita hominis.* Piratæ sunt fures maris, qui sæpè cum maximè mercibus onusti sunt, tunc demerguntur, & nunquam in vno certo loco consistunt, sic & mortales in vita sua, cùm magis videntur temporalibus repleri, tunc rapiuntur, eorúmque vita nũquam in vno certe loco perstitit, sed semper transmigrans velociter currit. Vnde ait Diuus Bonau. lib. Pharet. c. 46. *Hoc ipsum nostrum viuere, transire est.* Et seq. cap. 47. ait; *Iuniores, non refert non dinumerantur anni, incertum est, quo te loco mors expectet.*

44. Iob. 7.

Vita præsens miserens. Bonau.

QVÆSTIO VII.

Annotantur aliqui errores, in quos diues auarus in suis verbis inciderit. Dicam animæ meæ, &c.

AM ex dictis multi manifestantur errores in quos hic miser auar' sit prolapsus. Solùm

45.

lùm verò præsentia verba discutimus. *Dicam anima mea, habes multa bona in annos plurimos*, &c. Etiam superiori quæstione egimus de errore vitæ, quam sibi promittebat; nunc verò de aliis.

46. Greg. Primus error: *dicam anima mea*; ad quod pulchrè D.Gregor.lib.15. Moral. cap.11. *Quid*, ait, *ad recondendum loca non sufficiunt, multiplicatus dives, quid faciat, ignorat.* Cùm anima sua, tanquam cum altero distincto loquitur dives, tanto affectu ad cibum, potum, ac epulas, & delicias rapiebatur, vt non sibi placeret, quod vnus esset, sed semetipsum multiplicare volebat, & ideo nõ tanquam vnus, sed vt multiplex, ac multiplicatus homo voluptuosis delitiis se ingurgitare cupiebat, indéque gulosus cum anima sua, quasi cum altero loquitur, eámque ad epulas inuitat, vt tanquam *multiplicatus dives*, seu tanquam duo homines comedat, & bibat.

Gulosus multiplicatus vt comedat.

47. Basil. Secundus error, *Dicam anima mea requiesce, comede.* D.Basilius hom.6. *O verba stultissima*, ait, *ô dementiam singularem, nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipsi enunciare potuisses? Ita ne pecninus es, ita bonorum anima ignarus, vt eam apres carnalibus epulis, & quæcumque alui secessui recipit, anima destines?* Animæ epulæ spirituales actus intellectus, & voluntatis, ita tamen spiritus grauabatur à corpore, vt quodammodo in illum prævaleret, cúmque prauo hominis affectu veluti in suam terrenam naturam corpus transmutaret, indeque gulosus iste, vt pulchrè ait citatus Basilius in Catena aurea. *Tam improuidus est erga bona anima, vt escas corporeas anima adscribat.* Tamque ignarus est suæ animæ conditionis tanquam suis vitiis à se alienus, vt easdem escas corpori, & animæ apponat, quasi anima sua, nihil supra corpus haberet, ac proinde id, quod dicendum erat corpori, *seu animalitati suæ.* Vt ait Cardinalis Hugo, seu dicit animæ, veluti eam tanquam quoddam brutum animal appendens.

Auarus sua anima ignarus eam vt corpus reputat.

Hugo.

48. Basil. Tertius error. D. Basilius. *Circumsteterant*, ait, *iam eum illi, qui animam ab eo repetituri erant, ille tamen de edulijs cum anima differebat.* Tam addictus erat miser temporalibus bonis præsentibus, vt nihil præter ea æstimaret, vt nec ei in memoriam venirent animæ instantes futuræ pœnæ, solúmque in temporalium dispositione occupabat.

Mundiales solum præsentia cogitant.

49. Origen. Quartus error. Origenes homil. 12. in Ieremiam. *Animadvertitis*, ait, *quomodo ea etiam, & putet bona esse, qua nulla sunt, dicens: dicam anima mea, habes multa bona reposita; frumentum, & vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus regionibus.* Hunc auarum diuina vox, vt insipientem arguit. *Stulte hac nocte*, &c. In quonam apparet stultitia istius hominis? In eo sanè, quod terrena munera, bona dicat, cùm talia non existant, breui transeunt, multis calamitatibus, quibus corrumpuntur, sunt spiritualia, quæ in æternum durant, & totum hominem replent.

Terrena non possunt dici bona.

50. Beda. Luc.12. Quintus error. Beda. *non in eo reprehenditur*, ait, *quod terram coluerit, nequeve ex ea fructus in horreis collegerit, sed quod omnem vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum posuerit, fructúsque, quos vberiores solito terra protulit, suos fructus*, & sua bona computans, *non pauperibus erogare studuerit iuxta imperium Domini.* Luc.12.num.41. *Quod superest, date eleemosynam.* Maximè errat homo, cum ait, *anima mea habes*, non enim illa bona, erant nota sibi soli, sed etiam, vt ea diuideret, ac dispergeret cum pauperibus, sed vt ait Carthus. Auari malum in horreis bona sua putrescere, quam egentibus elargiri.

Auarus vult vt bona putrescant. Carth.

Sextus, ac multiplex error, & colluuies vitiorum. Ait auarus: *Anima mea requiesce.* Ecce sibi requiem promittebat in futurum, qui in præsentibus multis laborib. vexabatur. Et vnde iste gulosus sibi requiem promittebat? Ab vbertate fructuum, ac diuitiis, & frustra sanè, nam diuitiæ, non requiem, sed solitudinem, ac anxietatem pariunt. 51.

52. Hugo. Bonau. Græc. Theoph. D.Bonau. Hugo. In diuitis verbis multa vitia adnotant. Cùm ait: *Requiesce*, ecce negligentia, vel desidia. *Comede.* Gula. *bibe*, ebrietas. *Epulare* luxuria; nam pro *epulare*; legitur ex Græco. *Oblectare*, seu *lætare*, quæ voces libidinem, ac luxuriam adsignificant, quod notauit Theophylact. *clare enim Dominus*, ait, *per hoc, quod dicit lætare, affectiones declarauit libidinosas, & intemperatas, qua satietatem ciborum, & potum comitantur.* Impuras voces, quas saginatus diuitis stomachus eructabat, spurcitiasque luxuriæ, quas tumens cibo, ac mero venter iactabat, diuina cœlestis lingua non patitur apertè referre, sed commune, ac generale quoddam verbum, ad libidinem luxuriæ designandam apponit, *epulare, oblectare*, seu *lætare*, vt veluti quodam inuoluero limpitudinem petulantium verborum declinaret.

Voces immundæ luxuriæ, non refert lingua pura.

53. Sap.2. Ad diuitem gulosum redeamus, qui totus se deliciis ingurgitare cupiebat, ac illius vox cùm iniquis erat. Sapien.2.num.8. *Vino pretioso nos impleamus. Coronemus nos rosis: antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: nemo nostrum exors sit luxuria nostra. Vbique relinquamus signa lætitia. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus vidua*, &c. Nota ad rem nostram. *Vbiq; relinquamus signa lætitia.* Idest *luxuria.* Valde mirum, quod impij tam delitiosè viuentes, rosis, ac vnguento pretioso, in tantam crudelitatem deueniant, vt dicant. *Opprimamus pauperem iustum.* D. Augustinus legit, *Occidamus*: Alij ex Græco cum Lorino. *In potestatem nostram redigamus*, alij *eorum bona diripiamus.* Vnde isti tam impij, & scelerati euaserunt, vt omnes pauperes, iustos, viduas, veteranos velint occidere, captiuare, & illorum bona surripere. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Cùm luxuriæ se se committerẽt; extinde in omnem nequitiam semetipsos præcipitarunt. D. Augustinus serm.146.de tempore. *Ex hac autem enumeratione libidinum, & putredinum, videte, in qua facinora, & in quam immania scelera prosilitur, omnia horrenda facinora, qua timentur in sceleratis hominibus videte de qua labe consurgant, quid mollius, quam illa luxuria, quid dirius, quam ista crudelitas?* Expende illud, *omnia horrenda, qua timentur in sceleratis.* Quod ex luxuriæ labe pullulent, & nascantur; cùm ergo dives auarus luxuriæ irritamento teneretur, non mirum quod tantis vitiis illáqueatus sit, vt inhumanus, stolidus, ac improuidus de salute animæ euaderet, vt eam tãquam corpus suum appenderet.

Apg. Græc. Lorin. *Vbi luxuria, ibi omnis iniquitas.*

Aug.

54. Ait Paulus 1. Cor.6.num.18. *Qui fornicatur in corpus suum peccat.* Fornicarius in animam peccat, vt extra dubium est, cur ergo tantum commemoratur ab Apostolo, quod in corpus peccet? Sic in homine luxurioso ei⁹ vitiis anima cõprimitur,

vt

Luxurioſus animam, vt corpus repu. sat. Ambr.

vt nihil aliud regnet niſi cœnoſum, & purulentum corpus, cui tota infelix anima ſic eſt immerſa ſeruiendo corporis voluptatibus, vt ferè iam caro & cœnum eſſe videatur. D. Ambroſius ibi, *In tantum*, ait, *agglutinatur anima corpori, vt in ipſo momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipſam mentem captiuam ſubdit ipſa ſubmerſio, & abſorbitio libidinis, & concupiſcentia carnalis.*

Luca 12.*n.*20. Dixit autem illi Deus: ſtulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autẽ paraſti, cuius erunt?

VERSIONES.

Syriacus. Expers rationis, hac nocte animã tuam repetunt abs te: & quæ paraſti, cuiuſnam futura ſunt?

*D.Auguſt.homil.*48.*ex lib.*50.*homil. Orig.*27.*Num.* Anima tua auferetur à te.

D.Cyprian.de Orat Dom. Expoſtulatur anima tua.

*D.Iren.aduer. har.lib.*3.*c.*4. Expoſtulabunt animam tuam.

*Tertull.lib.*4. *contr.Marc. cap.*28. Hac nocte animam tuam repoſcent.

*D.Valer.homil.*10. Hac nocte anima tuã requiretur.

Theoph.Euth. Cui cedent?

Pagnin. Cui erunt?

EXPOSITIO IV.

55. Basil. Beda. Aug. Euth. *Conſcientia ſtultitiam peccatorum indicat.*

DIXIT autem illi Deus. Diues in lectulo ſuo ſecum loquebatur, & verba eius, vt ait D.Baſil. in cœlo examinabantur, nihil indiſcuſsũ coram Deo eſt, ſed de omnib. reddenda eſt ratio. *Dixit illi Deus.* Beda exiſtimat, quod non aliter ei dixerit, niſi ipſo mortis facto. Tamen cum hac ſententiã perit vis illius verbi. *Dixit*, vnde D. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Dom. in monte, exiſtimat quod Deus ei dixerit, vel per ſe, vel per Angelum, vel per Prophetam aliquem. Aptiſſimè tamen Euthym. *Deus hac ei dixit*, inquit, *per conſcientiam: tunc enim conſcientia mortem ſentiens talia differit.* Ecce conſcientiæ vox *ſtulte*, qui in conſilio tuo ſapiens videbaris, nunc te eſſe ſtultum deprehenderis in hac nocte, in qua de horreis amplificandis cogitabas; *Animam tuam.* Alluſio eſt ad ſuperiora verba: *Anima mea habes multa bona.*

56. Chryſ. Hugo. Lyran. *Repetunt à te.* Phraſis Hebræica eſt: pro anima, ſeu vita tua repetitur, ſeu auferetur à te. In quo multa ſunt notanda. Primò D. Chryſoſtomus in Catena D. Thomæ: *Expoſcebant eam terribiles quædam virtutes.* Hugo, exactores, Lyranus, dæmones, & quid terribilius, quam in terribiles virtutes, ac dæmones exactores incidere? Secundò. Non dixit Deus: Repeto, quia ſua clementia indignum iudicabat, ſupplicia exercere, ſed *repetũt*, quia exercenda miniſtris relinquebat. Tertiò. Non dicitur: Morieris vel auferent animam tuam. Sed *repetent.* Nam *repetere*, vt ait Calepinus idem valet, ac quod meum eſt exigere, ſeu repoſcere. Et ideò hoc verbo communiter vtitur, vt notat Valaſquez ad Philipp cap. 2. ann. 9. num. 9. Quando res alicui debito obſtricta, ſeu oppignorata exigitur, indéque in præſenti hoc verbum ponitur, vt ſignificetur, ait Monochius, animam alieni eſſe iuris, & nobis eſſe potiùs commodatam, quàm datam; deinde etiam denotatur quod anima tot peccatorum nexibus obligata eorúmque pœnis obſtricta iuſto dei iudicio ab eo exquiritur, vt ipſas pœnas in inferno in æternum ſoluat. Quartò repetẽdi verbo vtitur, vt innuatur, ait Theoph. quod auaro reluctante, *ac etiam inuito vtpote propter vita præſentis immodicum amorem obluctante. Angeli tributorum exactores animam illius repetent.* Quintò Dicitur de præſenti repetunt, & non de futuro repetent, quod ad ſpeciem magis conuenire videbatur, vt intimaretur auaro, ait Mald. quod mors adeò erat illi propinqua, vt iam præſens eſſe videretur.

Deus per ſe non exequitur ſupplicia. Calep. Valaſq.

Menoch.

Theoph.

Mors vt iam præſens. Mald.

QVÆSTIO VIII.

Quare diues potiùs ſtulti nomine, quàm alio nuncupatur?

57. Baſil. RESPONDET primò D. Baſil. cit. hom. 6. *Ipſis æternis cruciatibus maior eſt ſtultitiæ nota.* Et poſtea: *Audi miſer te dignam appellationem quam* nullus hominum, *ſed Dominus indidit ſtulte, hac nocte animam tuam abs te repetent: ſuperas æternam pœnam, irriſo iſta ſtultitia.* Diues apud ſe multùm gloriabatur, vt ait D. Auguſtinus ſtatim citandus, in conſilio à ſe inuento de nouis horreis extruendis, non ab alio, niſi ab ipſomet deo ſtultus nuncupatur, cùm ad inferni pœnam demergitur, & qui tantùm de ſua ſapientia gloriabatur, grauior, ac rigidior illi extitit ſtultitiæ nota, quam incendij gehennalis pœna. *Ipſis æternis cruciatibus, maior ſtultitiæ nota.*

Stultitiæ nota grauior, quàm pœna inferni diuini. Auguſt.

58. Aug. Secundò. D. Auguſt. ſerm. 19. de verbis Apoſtoli: *Cum ſe prudentiſſimum*, ait, *conſilium inuenisſe arbitraretur, de apotheeis veteribus arguſtis deiciendis, & amplioribus nouis adificandis, & omnibus ſuis fructibus colligendis, & recondendis, ait illi Deus; ſtulte, vbi tibi ſapiens videris, ibi ſtulte*, &c. Et poſtea ſubdit: *Nonne ſic Deus dicit: Stulte, quomodo homo dicit; tale in quemquam Dei verbum, indicium eſt, nunquid Deus ſtultis daturus eſt regnum cœlorum?* In quibus duo docet ſanctus doctor. Primò. Exiſtimat diues ſe prudentiſſimum conſilium inuenisſe de horreis ædificandis, ſic fallitur humana ſapientia, quod ibi in magnam ſtultitiam eſt prolapſus, & qui ſapere videbatur apud dinites dei ſententia ſtultus declaratur. *Vbi ſapiẽs videris, ibi ſtulte.* Secundò, quòd cùm ex dei ore ſtultus dicitur, ibi eius damnationis ſententia proditur, non enim ſtultis datur regnum cœlorum. Vnde reprobati à deo dicuntur ſtulti. Iob. 5. n. 3. *Vidi ſtultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius*, Pſalm 91. n. 7. *Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc*, Iſai. 19. n. 13. *Stulti facti ſunt principes Taneos*, Ierem. 4. n. 22. *Stultus populus meus me non cognouit.*

Vbi præſumitur ſapiens, ibi ſtultus.

Stultum excluſus à regno Dei. Iob. 5. Pſalm. 91. Iſai. 19. Ierem 4.

59. Augustin.

Tertiò. Idem D. August. citat. serm. 19. *Ecce* ait, *increpatus est stultus malè recondens: si stultus est, qui recondit sua, vos inuenite nomen ei, qui tollit aliena, si sordidus est reconditor suorum, vicerosus est raptor alienorum.* Iste dives non inuidebat aliena, nec ea rapere cogitabat, sed solùm sua recondere disponebat, illisque lætari volebat, & tamen audit se stultum vocari; quales illi dicendi sunt, qui toto pectore, ac affectu aliena ardenter appetunt, illáque inuadere cogitant, eáque surripiunt? *Vos*, ait D. Aug. *inuenite nomen ei.* Ac si ob enormitatem facinoris, ipse Doctorum princeps nomen non inueniat, inde aliis inueniendum relinquit.

Valde execrabile aliena rapere.

60. Valer.

Quartò. D. Valerius homil. 10. de auaritia, expendens huius hominis stultitiam. *Et verè*, ait *nihil stultius, quærere dubia, adquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solum congreganter, vt pereant? Certe, te moriente remanet cespes auaritiæ propagatus, relinquitur ampliata possessio; vt quamuis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tui sceleris seruatura.* Quid insanius quam totis viribus incumbere ad comparanda temporalia? Quæ non solùm in homine moriente relinquuntur, sed etiam in eis perpetuò manet insculptum quoddam perenne memoriale hominis ambitionis auaritiæ, ac temporalium solicitudinis. *Testimonium tui sceleris seruatura.*

In bonis relictis ab auaro eius sceleris nota.

61. Cyrill.

Quintò. D. Cyrill. in Catena: *Fructus quidem*, ait, *habes in horreis, sed annos plurimos vnde poteris obtinere? Dives igitur non paras permanentia horrea, sed caduca, & quod stultius est, vitæ longitudinem sibi taxat.* Communiter asseritur quod dives hic dicitur stultus, quia incertæ vitæ multos annos sibi promittebat. Aliquid maius dicamus; ager diuitis vberes fructus protulit, & post longam vitam oblectationibus repletam ipse sibi promittebat, stultus sanè, nesciebat enim quod vna res prospere obtenta, auspicium sit aduenientis infortunij, sic & ipsi contigit, cum de fructuum copia exultat, statim ipsa nocte atra mors cum occupat.

Vna prosperitas auspicium infelicitatis.

62. Isai. 14.

Sextò. Cùm hoc diuite componatur ille Angelus lucifer, qui dicebat in corde suo. *In cœlum conscendam: super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo.* Isai. 14. num. 13. statim ei subiungitur condemnatio in infernum. *Verumtamen in infernum detraheris, in profundum laci.* At verò dives cum cogitaret de horreis amplificandis, de suisque fructibus congregandis, in infernum relegatur. *Repetent à te animam tuam.* Vt ait Chrysost. *Expescent eam terribiles virtutes.* Et insuper stultus vocatur, quod, vt inquit D. Basilius in limine quæstionis datus: *Ipsis æternis cruciatibus maior est stultitiæ nota*, vt ibi ponderaui. Res valde digna scitu, cur superbissimus Lucifer, cum in iudicium venit, solùm inferni sententia contra eum profertur: *in infernum detraheris:* At verò dives iudicio non solum ad infernum destinatur, sed insuper stultus nuncupatur. Lucifer Dei honorem, ac solium ambiuit; Dives verò decreuit omnia sibi reponere, nil pauperibus elargiri, vt doceat communiter Patres D. August. D. Ambr. D. Greg. D. Chrysolog. Beda sæpe dati in hoc cap. Et adeo viscera ferrea in egenos à Deo abominantur, vt rigidiori pœnæ non deputetur, qui Dei cultum sibi vsurpare cogitauit, sed potius ille, qui in animo habuit, famescenti pauperi panem denegaret.

Isai. 14.

Chrys.

Basil.

Durior pœna in immisericordem, quã in ambitiosum Dei honorẽ.

Aug. Ambr. Chrys. Greg. Beda.

Septimò. Seruus ille, qui Domini sui talentum datum non multiplicauit, dicitur à Domino: *Serue male, & piger.* Matth. 25. num. 26. Et ille alius, qui in conseruum immisericors extitit, à Domino nuncupatur: *Serue nequam*, Matth. 18. num. 32. Cur ergo Dominus hunc diuitem non vocat seruum nequam, vel malum, sed stultum? Disponebat hic, vt solus suis prouentib. frueretur, qui autem in bonis habendis solus vult esse, non vt homo nuncupatur, sed vt rusticum quoddam animal, stultus, & insipiens appellatur, solitaria enim cupiditas in possessionibus obtinendis, in bestialem quandam stultitiam degenerare fecit. 63. Matth. 25. Matth. 18.

Solus in bonis stultus.

Nabuchodonosor *ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est: donec capilli eius similitudinem aquilarum crescere, & vngues eius quasi auium*, Daniel. 4. n. 30. Cur tam dira pœna punitur rex, vt ex hominibus ad bestias transeat? cur non potiùs vita, regno, vel filiis, seu oculis, ac manibus non priuatur, vt sæpè aliis hominibus contigisse notũ est? Nabuchodonosor affectauit, vt ipse solus omnium iura regnorum teneret; vt dicitur Iudith 2. n. 2. *Vocauit omnes maiores natu, omnésque duces, & bellatores suos: dixitque eis cogitationem suam in eo esse, vt omnem terram suo subingaret imperio.* Et qui possessionibus ac regnis solus voluit esse, tam stultus factus est, vt ex hominibus ad pecudes transiret, iamque non inter homines, sed inter bestias numeratus, & non inter bestias vnius speciei, sed omnium specierum, leonis, bouis, aquilæ, ac volatilium, vt omnium bestialitatum ipse referret. D. Paulin. Epistol. 4. ad Seuerum: *Nabuchodonosor*, ait, *non solùm à regnis, sed etiam à sensibus exulabat humanis: cornu trifli leonem, vncis vnguibus vulturem; sensu & pabulo bouem referens: nec vnius tantum bellue similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in maioribus.* Vide multa verb. *Perseuerantia*, hoc tom. & 1. 2. ac 3. 64. Daniel. 4.

Qui omnia solus vult habere, fuit eius infra omnium bestiarum.

Paulin.

Vineam pauperis Naboth iuxta suum palatium sitam exigebat Achab. 3. Reg. 21. Dicebat: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam.* Cur non vult habere vicinum, necalium prope se? Rectè expendit D. Ambros. lib. de Naboth cap. 3. *Pecus*, ait, *pecori adiungitur, pisces piscibus, nec damnum ducunt, sed commercium viuendi, cùm plurimum comitatum capessunt, & quoddam munimentum solatio frequentioris societatis affectant. Solus in homo consortem excludis. Productis fines terræ, ne possis habere finitimum.* Bruta animantia siue terrestria, siue aqualia aliorum suæ speciei consortio, ac societate gaudent; Achab. verò nullum nolebat habere socium, vel vicinum, sine aliorum consortio volebat esse, sic ambitione cæcus, ac insipiens factus, vt brutalitate quadam deterior campestribus brutis euaderet, vt omnium vicinitatẽ, ac societatem à se excluderet. 65. 3. Reg. 21.

Ambr.

Qui omnia possidet, deterior bestiis.

QVÆSTIO IX.

Quare nocte mors rapit Auarum?

MVLTVM distat Iustorum mors à peccatorũ morte, quod rectè ponderat P. Bacca to. 4. de Christo fig. c. vlt. 7. In morte Dauidis, & huius Auari. De primo dicitur 3. Reg. 2. num. 1. *Appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur* 66. P. Bacca. 3. Reg. 2.

tur. At huic auaro profert sententia: *hac nocte repetent à te.* Iustus in morte ingreditur in lucem ac splendorem sanctorum; at iniquus rapitur ad horribiles dæmonum tenebras; & hæc sit prima ratio, ob quam nocte auarus moritur.

67. Nissen. Secundò. D. Gregorius Nyssen. lib. de orat. Domin. orat. 4. *Quid diuiti illi*, ait, *profuit multum comitatus, & apparatus? Quid vana spei inhærescebat, & inhiabat? Diruens, ædificans, congregans, genio indulgens, longos annorum ambitus spei vanitate in horreum simul concludens? An non vna nox illam somniatam spem confutauit, & quasi vanum quoddam insomnium super re vana consultum?* Multas ipse de prouentibus, fructibus, de epulis, lætitia, ac exultatione fabricabatur dies, venit mors in nocte, cur potiùs, quam in die? Vt ostenderetur, quòd omnia illa bona, eorúmque dispositiones, ac cogitationes ad quædam nocturna somnia spectarent, & in quodam nocturno somnia terminari, ac compleri.

Bona temporalia sunt veluti quædam nocturna somnia.

68. Dam. Tertiò. Petrus Damianus opusc. 43. capite 2. *Dives*, ait, *non die, sed nocte primitur, perimogenita Ægyptiorum: nimirum qui non sprevit Ægyptum, sed obsequium præbuit rectoribus tenebrarum, qui & ipsi nocte animam eius repetunt, quoniam odiuit lucem, nec iustitiæ consecutus est veritatem.* Dives veluti primogenita Ægyptiorum relinquit iustitiæ lucem, & se rectoribus tenebrarum in obsequium tradidit, dignum sanè est, vt ab illis suum stipendium accipiat, vt in medio tenebrarum ad tenebrarum cloacam demergatur.

Ex Dæmoni obsequio tenebræ reportantur.

69. Strab. Quartò. Strabus. *In nocte*, ait, *aufertur anima, quæ in obscuritate cordis, quod poterat pati, præuidere noluit.* Nocte castigandus fuit dives iste, quia *quidquid pati poterat*, quibúsque cruciatibus se exponebat, præuidere debuerat, quod cùm obcæcatus corde non fecisset, in tantam damnationem deuenit. Quintò. D. Greg. lib. 22. moral. cap. 2. *Eadem nocte*, inquit, *sublatus est, qui interum sibi abundantia multa tempora fuerat prætolatus: vt scilicet, qui in longum sibi subsidia colligendo prospiceret subsequentem diem, vel vnum minimè videret.* Ecce quomodo fallitur humana præsumptio, quomodo contra diuinam prouocat vltionem, qui enim longam vitam per multos annos cum magna rerum copia sibi promittebat, qui multa fiducia de se plura iactabat, vt nec vnum diem, nec illam integram noctem teneat. *Nec subsequentem diem, vel vnum minimè videret.*

Qui non præuidet mala, damnatur.

Greg.

70. Ambr. Sextò. D. Ambrosius lib. de Naboth. capite 4. *Nocte*, ait, *anima auari reposcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perseuerat. Auaro semper nox.* Auarus nullum diem habet, nullam solis lucem videt, sed cupiditas rerum vniuersos dies illi eripit, qua eius mens obcæcata in tenebris ambulat, à tenebris suas cogitationes incipit, in illis perseuerat, & finitur. *Auaro semper nox est.* Cùm à luce misericordiæ, ac pietatis fugiat. D. Chrysolog. serm. 104. *Conuenienter hac nocte*, inquit, *quia fugiens misericordiæ lucem, auaritiæ tenebris se mancipauerat.*

Chrys.

71. Septimò. Nox illa, imò potius hora illa, vt terminus præfixus assignatur Auaro. *Hac nocte animam tuam repetent à te.* Et tamen auaritissimis, ac valde sceleratis Niniuitis, non statim, nec post tres dies, aut quatuor supplicium proponitur; sed quadraginta dierum meta eorum subuersioni præscribitur. *Cæpit* Ionas c. 3. n. 4. *Introire ciuitatem itinere diei vnius*, & clamauit, *& dixit; adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Cur insolentissimis viris non dantur breuiores inducíæ, cùm auaro tam strictæ proponantur? *Hac nocte repetent animam tuam.* Volebat Deus suam misericordiam Niniuitis concedere, quam auaro, ex alto suo iudicio denegabat; dantur ergo Niniuitis non vnus, vel tres dies, sed quadraginta, ac multi, quia Dei misericordia non breui termino coarctatur, sed per multa, & larga tempora se diffundit, & extendit, & hoc non nocte, sed die, non proponuntur quadraginta noctes, sed dies; cùm enim opera essent misericordiæ, & pietatis, de quibus maximè Deus gloriatur; clara dierum lux eligitur, vt suæ benignitatis affluentia ab omnib. videatur; At in auarum destrictus securioris iustitiæ rigor vibrabatur; ad breuem noctis horam seruatur, vt tempore breuis, & sub tenebrarum caligine absconditus maneat, quasi summus Deus strictioris suæ iustitiæ bonum, nostro metaphorico dicendi modo videtur aliqualiter erubescere, sicut & pœnitere dicitur.

Deus nocte abscõdit suã rigorem.

In noctis medio egreditur populus Israël de Ægypto iuxta illud Sapientiæ 18. num. 14. *Cùm nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus venit*, &c. At verò clara die in terram Promissionis transacto Iordane introducuntur *In die illo magnificauit Dominus Iosue coram omni Israël.* Iosue 4. n. 14. Quare tanta temporum differentia in exitu, ac ingressu? Egressus filiorum Israël de Ægypto ex alta Dei ordinatione omnium barbarorum primogenitorum cædem secum habebat annexam. *Vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum, & post hac dimittet vos; morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum*, &c. Exod. 11. num. 1. & 5. vt ait D. Ambrosius, Psalm. 118. serm. 8. *Non etiam Dominus Deus noster, cùm posset quocunq; momento primitiua Ægyptiorũ extinguere hoc tamen tempus opportunius indicauit; vt tanta* mortuorum strages, tantúsque omnium domorum clamor, siquidem, nulla, erat, in qua clamor non audiretur, ordinatur tamen, vt sub noctis tenebris sit absconditus: at verò magnifica Dei liberalitas in totum populum Israël, vt ipse possideret terram fluentem lac, & mel solari die prodit. Primogenitorum mors noctis obtenebritate absconditur, terra promissionis obtenta omnium oculis clarescit. Hinc ad stragem primogenitorum vnus minister Angelos exterminator mittitur citato sapientiæ loco, terræ autem promissæ ipse Dominus ingressum parat, *Cùm introduxerit te Dominus in terram, quam iurauit patribus tuis.* Exod. 12. n. 5. Deut. 6. n. 10.

72. Sap. 18.

Iosu. 4.

Exod. 11. Ambr.

Nocte inferuntur supplicia, die beneficia cõceduntur

Exod. 12. Deut. 6.

QVÆSTIO X.

Quare non solùm auaro intimatur mors, & æterna pœna, sed etiam euentus suorum bonorum?

NON solú auaro intimatur illius stultitia, mors, instãs, futura, æterna pœna inferni, sed etiã inscientia, cuius sua bona erunt, ac si ei dicatur, nec tu illis frueris, nec ea tecum asportabis, nec in cuius possessionem deueniant, tibi est notum, quo multum cruciabatur auarus, cùm eius diuitiæ multum ei essent in corde. Euthym. *Non solùm*, ait, *tibi non cedent, non tua erunt,*

73. Euthym.

sed nec tibi manifestum est, cuius erunt, verum heredis, an peregrini; amici, an inimici, quod ipsum etiam mœrorem adanget.

74. Paulin. Secundò D. Paulinus Epist. 31. *consumpta iam vita, de vita apparatibus cogitanti dictum est: stulte, hac nocte exposcitulabitur anima tua: qua parasti, cuius erunt? Cui thesaurisant, ignorant, qui nolunt intelligere, cui debeant thesauros suos: digni, qui nesciant, quo successore, dimittant, quia nescinnt, quo largitore possideant.* Cur non habet homo oculos, vt videat, ad quem bona illius deuenient: Qui in bonis obtentis Deum penitus ignorauit auctorem, vt pro acceptis donis illi gratias referret, merito sic & punitur, vt ignoret successorem; qui in suis prouentibus Deum non cognoscit auctorem; sic cæcus efficitur, vt illorum fluxum, ac euentum non videat.

Cæcus qui in bonis acceptis Deum non videt auctorem.

75. Tertiò. In hoc colloquio cum diuite maximè hic resplendet diuinæ bonitatis excellentia. Poterat nullo sermone habito cum diuite, ab eo animam repetere, æternisque cruciatibus illum relegare, in ipsa eius cogitatione. *Habes multa bona anima mea.* Eum subitò arripere, tamen volunt cum eo habere sermones, nam diuitem irridet, *stulte*; & minatur ei mortem, *animam tuam repetent à te.* Suorúmque bonorum absconditum euentum ei proponit, *& quæ parasti cuius erunt?* Dat diuiti spatium pœnitentiæ, vt cùm ipse instantem mortem audit, resipiscat, ac ad pœnitentiam confugiat, quod cùm non facit, in æternam labitur damnationem.

Deus dat locum pœnitentiæ.

76. Gen 3. Post peccatum primorum parentum, cùm ipsi *audissent vocem Domini deambulantis in paradiso.* Gen. 3. num. 7. Ad quid Deus, qui ambulat super pennas ventorum, qui in instanti totum prætuolat spatium, venit deambulans tanquam morosè, ac paulatim gressus suos dirigens? Nonne conuenientius videbatur, statim post peccatum illos subito conuenire, vt sine mora de suo delicto redarguerentur? Deambulat Deus ex sua intima pietate moras interponens, vt eis pœnitentiæ daret locum. Hugo de sancto Victore; Hugo. *Ecce*, inquit, *quanta est misericordia Dei, non vult eos subito conuenire de sua culpa, ne amissa verecundia inuerecundi fiant, & pertinaces, sed dat eis locum pœnitentiæ, & consilij, vnde deambulat, vt audiant, & sic fiant ipsius Dei memores.*

Luc. 11. *n.* 21. Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

VERSIONES.

Syriacus. Ita est qui reponit sibi thesauros: & in Deo non est diues.

Arabicus. Sic qui sibi congregat bona, & non est apud Deum diues.

Euthym. Sic qui sibi recondit, nec apud Deum ditescit.

Arias. Sic thesaurizans sibi ipsi, & non in Deum ditescens.

Theophylact. Sic qui recondit sibi, nec est erga Deum diues.

EXPOSITIO V.

77. SIC est. Accommodat Dominus similitudinem suo proposito, ac intentioni. *Sic est.* Talem nempe sortitur euentum, talíq; euenient ei. Beda. *Stultum est, & in nocte rapiendus, qui reponit sibi thesauros*: qui omni affectu reponit, ac accumulat suas diuitias, ac bona sibi soli, sulsque tantum vsibus, vt illis fruatur. *Non est in Deum diues.* Quid autem sit diues in Deum est inquirendum. Primò, & valde genuiuè. Ille est diues in Deum, qui bona opera, virtutes, tanquam aurum, & argentum congregat. Vnde ait Euthym. *Diuitiæ secundum Deum sunt acquisitio virtutum.* Sic 1. Timoth. 6. n. 17. & 18. *Præcipe*, ait, *diuitibus huius sæculi, non sublime sapere, non sperare in incerto diuitiarum; sed in Deo viuo; bene agere, diuites fieri in bonis operibus*, &c. Pro quo nos habemus. Diues in Deum, legunt Vatabl. Euthym. *ditescens in Deum.* Ac sic ab huiusmodi virtutum diuitiis nunquam Christianus cessare debeat.

Beda. Euthym. 1. Tim. 6. Vatabl. Euth.

78. Secundò. Diues in Deum est ille, qui in Deo totam suam spem habet, in eúmque amorem suũ defigit, totúsque ab eo dependet, in eóque conquiescit. Glos. *In Deum diues est*, ait, *cuius expectatio Dominus est, cuiusq; substantia est apud Deum.* Theophyl. *Audiamus*, inquit, *vt diuites fiamus in Deum, hoc est, vt illo fiduciam habeamus, & ille habet nostras diuitias, & diuitiarum cellam. Nec dicamus bona nostra, sed bona Dei; si autem Dei sunt bona, ne putemus Deum bonis suis. Hoc est ditari in Deo, credere, quod si omnia dedero, & euacuauero me totum, non mihi aliquid defuturum est.* Tertiò dicitur. *Diues in Deum.* Qui bona sua pauperibus elargitur, quod enim eis fit, Deus sibi factum reputat, & æstimat. Beda *Qui vult in Deũ esse diues, non sibi thesaurizet, sed pauperibus possessa distribuat.* Ex his expositionibus hunc colliges sensum, qui sibi soli thesaurizat, ac congregat, non est in Deo diues, cum non habeat opera bona, & virtutes, nec fiduciam in Deum, nec eleemosynas in pauperes.

Glossa. Theoph. Beda.

CAPVT XXII.

Lumbi præcincti.

Luc. 12. *n.* 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

VERSIONES.

Tertull. lib. 4. contra Marci cap. 29. Succincti lumbi vestri.

S. Prosper. de Prad. 2. cap. 18. Accincti lumbi vestri.

Syriac. Vatabl. Et accensæ lucernæ vestræ.

D. Cyril. lib. de Adoratione in spiritu. Lucernæ ardentes, & calciati in pedibus vestris.

EXPOSITIO I.

1. HOc c. 12. refert D. Luc. admirabilem Christi sermonem, quo docuit omnem auaritiam,

tiam, anxiam caducarum rerum solicitudinem esse fugiendam, eleemosynam largiter exhibendam, quæ omnia satis latè explicaui ad caput 6. Matth.tom.2.c.16. & 17. Nunc verò consequenter docet, vt sint expediti, ac prompti ad viam.

Theoph. Theophylact. *Postquam Dominus*, ait, *discipulum suum nudauit ac omni solicitudine, & cupiditate temporalium, planè leuem reddidit, & nunc ministrum suum facit.* Seu vt ait Diuus Chrysostomus

Chryſ. homil.15.in Matth.*Ostendit Dominus*, inquit, *quia nemo potest habere lumbos præcinctos ad exeundum de hoc mundo, nec lucernas ardentes, nec expectare Dominum suum, nisi qui vendunt, quod habent, & dant eleemosynas.* Tanta est eleemosynæ vis vt nos ducat in cœlum, ipsumque vt appropinquantem nos faciat expectare.

Qui dant eleemosynas facilè Dominum expectare possunt.

2. Modum præparationis assignat Dominus; *sint lumbi vestri præcincti.* Abiectis omnibus impedimentis, cum omnis virtutis, ac sanctitatis opere estote præparati ad iter faciendum. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Syriacus, Arabicus,

Syr. Arab. Vatabl. Vatabl. & alij multi prætermittunt, *in manibus vestris.* Nostra tamen vulgata optimè retinet illam dictionem, in multisque exemplaribus habetur, vt cum eis tanquam famuli Christo Domino venienti occurramus, quo denotatur Domini aduentus maximè instans, vt in sequentibus latius explicabo.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus suis mandat, vt sint lumbi eorum præcincti?

3.  YRI, ac Iudæi longioribus, ac prolixis vestibus induebãtur, indéque iter facturi laboraturi, aut ministraturi contrahebãt

Euth. vestes, illarum extrema, vel partes cingulo ad lũbos ducentes. Euthym. *Solent*, ait, *qui aliquid operantur lumbos habere præcinctos, vt expedite operentur.* Hoc patet ex num.37. *præcinget se, & transiens*

Luc.18. *ministrabit illis.* Et Luc.18. num.8. *Præcinge te, &*

3.Reg.18. *ministra.* 3.Reg.18. num.46. Elias præcinctis

4.Reg 4. lumbis currebat ante Achab. 5. Reg.4. num.29.

Tob.5. Elisæus dixit puero suo Giezi: Accinge lumbos tuos, & vade. Filius Tobiæ 5.n.5. Angelum Raphaëlem, vt iuuenem præcinctum, & quasi ad iter paratum inuenit. Hoc posito.

4. Respondeo primò ad quæstionem cum Tertulliano lib.4. contra Marci. cap.29. D.Cypriano

Tertull. Cyprian. de vnitate Eccles. & lib. de exhortat. Martyrum.

Bostrens. cap.8. Tito Bostrensi, Euthym. Theophylact. quòd

Euth. Theoph. cùm immediatè antea Dominus fecisset sermonem de Regno cœlesti, ad cuius expectationem suos discipulos exhortauerat, nunc verò docet, quo studio, qua vigilia, ac solertia illud debeant expectare, sumpta metaphora à seruis, qui nocte Dominum suum venturum expectant maxima cura, præcincti, vt attenti, ac expediti ad omne opus, ad ministrandúmque in omnibus sine vlla mora, & dilatione, cum lucernas accensas habeant, vt non sit necesse in illis accendendis aliquod tempus consumere; Ac proinde adhortatur nos Dominus, vt abiecto omni impedimento, nunquam desides, ac otiosi simus, semper occupati operibus iustitiæ, ac virtutum, omni operi bono incumbamus; agentes illa, quæ venturo Domino sint grata. Theophylactus, *Omnibus modis*, ait, *parati estote ad opera Domini vestri.*

Non debemus esse desides, sed occupati in Dei obsequio.

Theoph.

Secundò. Tertullianus lib. 4 contra Marcion 5. cap.29. *succingere debemus*, ait, *lumbos, id est, expediti esse ab impedimentis laboriosæ vitæ, & implicitæ.* Tertull. D.Augustl.lib.2.quæst.Euang.quæst.15.ait: *Docet lumbos præcingere propter continentiam ab amore rerum sæcularium.* Monet Dominus, vt simus expediti ab impedimentis earum rerum, quæ humi repunt, & laqueos nobis iniiciunt, & implicant, vt animus à vitijs expurgatus, magno nisu ad Dei obsequium, & dilectionem contendat. Hinc D. Cyrill. Alexandrinus in Catena D.Thom. ait: *Succingi significat agilitatem, & promptitudinem ad sustinenda mala intuitu diuini amoris.* Preme verba Tertulliani, *expeditos esse debemus.* Qui enim Deo seruit, moras tollat, cunctationem summoueat, alacer, ac celer sit in via Dei; placet ei diligens operatio.

Aug. *Cingenda mens, vt ad Dei obsequia feratur.*

Cyrill.

Cùm diligentia festinandum.

Tertiò. D. Basilius in Isai.15. D. Hieronymus 6. Ezechiel.16. D.Augustl. serm.39. de verb domini, Basil. D.Gregor.homil.13.in Euangel. Beda, Haymon, Hieron. D.Bonau. & alij Patres statim citandi mystice intelligunt, lumbos præcingere, carnis scilicet luxuriam, (cuius vti, & seminis origo in lumbis est) per continentiam coarctare, ac refrænare.

Aug. Greg. Beda. Haym. Bonauent.

In qua sententia Sancti Patres multa præclarè 7. dixerunt. Primò D Gregor. Nazianzen. orat.39. Nazianz. sint lumbi vestri præcincti; *Renes*, ait, *laudabilem mutationem sentiant, vim totam cupiditatis ad Deum transferentes.* Præclare sane. Lumbi, in quibus luxuriæ petulantia inuenitur, sic castitatis cingulo præcinguntur, vt tota libidinis flamma deseruiat castimoniæ, & quæ lasciuiæ fomitem ministrauit, militet castitati; dum laudabili mutatione ipsa cupiditas edomita ad Deum transferatur magno castitatis splendore, dum ex ipsa lucta lasciuiæ detestatæ, illustrior apparet castitas. Secundò, Philippus Abbas lib.in Cant.cap.16. *Prudens iste artifex*, ait, *primò velut basim ponit, iacit operis fundamentum: motus fluxus restringere fortis cinctorio castitatis, basis quadam est solida, & initium sanctitatis.* Exhortatur dominus suos ad omnem virtutem, ac iustitiam, peculiariter tamen per lumbos præcinctos eis castitatem cõmendat, hæc enim totius sanctitatis est fundamentum, ac omnis felicitatis præclarum initium; cùm ipsaque omnes virtutes confluunt. Tertiò. D. Fulgentius. serm. de hoc Euangelio. *Omnis Christianus*, ait, *præcinctos habeat lumbos, vt fugiat libidinem.* Lumbos præcingunt, vestes contrahunt, qui nullo impedimento fugere curant, omnes virtutes ad congressum pugnæ milites suos instruunt, & præparant. At verò castitas illis quos victores expetit, non congressum, sed fugam suadet, fuga enim de luxuria illius victoria est.

Ex lucta libidinis illustrior castitas.

Philip. Abb.

Castitas fontana virtutum ac felicitatis initium.

Quartò. D. Chrysolog. serm.20. *Dixisse sufficerat*: ait, *estote præcincti: cur lumbos potissimum nominat. Cur tanta iubentis reuerentia lumborum facit magnopere mentionem? Quæris quare; Quia in lumbis tota est corporis causa; ex lumbis tota carnis negotia suscitantur; in lumbis tota est humani lapsus humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros, efficit segniores. Hinc est ergo, quod principaliter Dominus lumbos nostros astringi iubet baltheo castitatis, & totum carnis nostræ pendulum fluidum, resolutum constringi mandat Zona virtutis.* Non solùm imperat Dominus, vt sui sint præcincti, sed expressè præcipit vt lumbos astringant; qui rem à lapsu, ac ruina vult reformare, ac restaurare, totum suum cogitatum, ac remedium origini,

8. Chryſ.

Radici malorum remedia applicanda.

origini, ac principio malorum applicat; cum autem in lumbis sit occasio, ac origo totius humanæ miseriæ, ac fragilitatis, inde fit quod Diuinus Magister nostræ prauitatis radici cingulo iustitiæ medicamen adhibet. *Et totum carnis nostra pendulum constringi mandat Zona virtutis.* Vide tom.1.lib.3.cap.119. & tom.2.cap.24.n.83. & tom.3.cap.22.quæst.5.num.28.29.& 30.& aliis in locis.

9. Quintò. Cùm Christus Dominus ait suis discipulis. *Sint lumbi vestri præcincti.* Mandat eis, vt carnis appetitus compescant. Suis scribebat Paulus ad Ephes. 4. num. 22. *Deponite veterem hominem.* Seu vt habet Syriacus. *Vt deponatis hominem illum veterem, qui corrumpitur concupiscentiis erroris.* Id est, abiicite à vobis veteres concupiscentias hominis antiqui Adam. At Christus non ait, vt abiiciant, & deponãt, sed vt præcingãt, & alligent. Et quamuis in eidem fere sit sensus tamen ad moralem eruditionem nostram verba litteræ expẽdamus. Cur Paulus suis scribit, vt deponant appetitus; Christus D. verò vt præcingant? Apostolus maximè desiderabat se à carnis concupiscentiis videre liberum. *Propter quod ter*; id est frequenter, vt est communis expositio; *Dominum rogaui, vt discederet à me.* 2. Corinth. 12. num.8. Inde suos discipulos admonebat, vt eas à se remouerent, & abscinderent. Christus autem ordinabat, vt de carnis petulantia sui ad eorum eximium meritum essent victores, ac triumphatores, ideo non ait, vt abiiciant, sed vt præcingendo vincant, ac refrænent appetitus, vt ex ipso luctamine eorum meritum crescat. Paulus optabat esse sine spiritu carnis, illum suos exhortabat, vt deponerent; Christus coronas intendebat, inde mandat appetitus præcingere, ac compescere iuxta vniuscuiusque affectum, ac ingenium eius doctrina, & eloquium. Cùm Christus esset in monte cum suis Apostolis. Aperiens os suum docebat eos dicens. *Beati pauperes spiritu.* Matth.5.n.2. Cùm aperit os, primum eius verbum nullum aliud, nisi: *Beati*: Affectabat Christus, vt omnes essent beati: beatitudinéque replerentur, inde prima eius vox beatitudinem dicit, sicut in rerum exordio inter prima eius verba benedictio sonat. Tertull. lib.4. contra Marc. *Iam hoc ipsum, ait, quod à benedictionibus cœpit, creatoris est, qui vniuersa prouè edidit, nulla alia voce, quam benedictionis declinauit.*

Eph.4. Syr.

2.Cor.12.

Quilibet iuxta suum affectum loquitur.

Tertull.

10. Sextò. Lumbos præcingere, habitus est se præparantis ad viam, vt notaui in ordine quæstionis ex Parente Elia, ac Angelo Raphaële, cum ergo lumbos mandat præcingere, iter incendit, ad illúdque disponit, sed cur non exprimitur, quo ituri sunt? Dum viro pio, ac fideli terminus viæ absconditur, vehementius inflammatur, vt maiori nixu, ac conatu suum cursum ad Deum intendat. Mandant Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.* Genes. 12. num.1. Cur terminus viæ non aperitur Abrahamo, vt sciat quo pergere debeat? sed veluti anceps, ac perplexus relinquitur de loco ad quem debeat peruenire. D. Basil. Seleucus orat. 7. *Metam celat*, ait, *vt cursum contendat.* Terminus itinetis Patriarchæ absconditur, vt accinctus ad iter, & totus pendulus è nutu diuino festinantius currat, & minimè quiescat donec sciat, quò vadit, ac ad quem locum pergit. Hoc est fastigium Christianæ pietatis, ac obedientiæ, vt nescientes, quò vadimus, ad metam velocius contendamus.

Abscondituritineris meta vt desiderium inflammetur

Gen.12.

Septimò. Cùm Christus Dominus suis discipulis ait. *Sint lumbi vestri præcincti.* D. Gregor. Nazianz. orat.2. de Passione intelligit, quod eis præcipiat, vt militari baltheo armentur. Quorsum Christus D. qui suis mandauit, vt non haberent *peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Matth.10. n.10. Nunc eis præcipit, vt militari armatura induantur; dicebat eis: *Lucerna ardentes in manibus vestris.* Per has autem lucernas, vt infra dicam, intelliguntur virtutum opera, ac sapientiæ, doctrinæ, & miraculorum illustria facta; qui autem inter alios virtutum actionibus nitet, necesse est vt militari baltheo accingatur, ac muniatur, vt inuidiæ, odij, ac maleuolentiæ iacula repercutere, ac reprimere valeat.

11. Nazian. Matth.10. *Qui virtute nitet contra odium, ac inuidiam armatur.*

De anima sancta ait Diuinus Spiritus. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ adificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. num. 4. Apostolus verò Petrus suis discipulis scribens Epistol.1.capite 2. num.5. ait eis: *Et ipsi tanquam lapides viui superadificamini domus spiritualis.* Idémque tradit Diuus Paulus ad Ephes.2.num.2. Principes Apostolorum suis discipulis dant documenta, vt se habeant tanquam spiritualem domum, ac habitaculum; Diuinus verò Spiritus ordinat, vt sua sponsa sit veluti turris cum propugnaculis, clypeis, ac omni armatura fortium. Gilbertus Abbas serm. 26. *Vide priuilegium sponsæ*, ait, *Apostolus Petrum hortatur nos coædificari in domos spirituales: hæc verò non tantum in domum, sed etiam in turrim adificatur, vt sublimis, & securior sit habitatio.* Apostoli disponebant, vt sui discipuli veluti domus consisterent, nam cum huiusmodi discipuli essent humilibus in locis, fat erat, vt tanquam domus existerent, vt odij, ac vanitatis vento resisterent; at anima sancta, per quam Ecclesia Catholica intelligitur, quæ eleuata est super verticem omnium montium, totius orbis princeps constituta, & vt valeat suorum inimicorum machinationi, inuidiæ, ac odio repugnare, & obsistere, necesse est, vt tanquam turris munita propugnaculis, clypeis, ac omni armatura erigatur, ac persistat.

12. Cant.4. 1.Petr.2. Eph.2. Gilb. *Excellit virtus magno propugnaculo tuetur.*

Cùm iter faceret per desertum populus Israël; vehementer Rex Balac solicitauit Prophetam Balaam, vt execrationibus impeteret Dei populum, ait ei: *Maledic Iacob: propera, & desperare Israël.* Numer.23.num.7. Septuaginta legunt. *Veni maledic mihi Iacob, & veni, & super maledic mihi Israël.* Postulat rex à Propheta, vt maledictiones contorqueat in Iacob, maledictiones verò super maledictiones in Israël. Idemmet populus significatur, in Iacob & in Israël; cur ergo provt Iacob maledictiones sufficiũt, provt verò Israël diriora aduersus eum exoptantur super maledictiones? Origenes homil. 15. in Numer. *Donec*, ait, *quis tantum Iacob est, hoc est in actibus inferioribus positus, maledictionibus impugnatur. Vbi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndum Deum reuelato mentis oculo excreuerit, tunc non solùm maledictis ab inimico, sed & supermaledictis, hoc est vehementioribus maledictorum iaculis impugnabitur.* Provt populus significabatur in Iacob, humilis, ac in minoribus potius denotabatur, indéque aduersus eum maledictiones sufficerent, reputabatur; at verò provt Israël dicebatur, in quo repræsentabatur vir magnus, & fortis, ac videns Deum; tanto robore præditus, vt per totam noctem luctamen

13. Num.23. Septuag. Orig. *Præclara magnatu de multum ab inimicis impugnatur.*

men cum Deo contulerit; vir tam præclarus, & excelsus non solùm à suis inimicis impugnatur,& impetitur maledictis,sed etiam super maledictionibus,ac etiam maioribus execrationibus.

Qvæstio II.

Quare suos alloquens Dominus non de vestitu, sed tantum de præcinctorio facit mentionem?

14. Chrys. QVÆSTIONEM hanc præclarè excitat D.Chrys. sérm.24. *Nouus ordo vigiliarum*, ait,*nouus habitus imperatur*.Sint lumbi vestri præcincti. *Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursu apparatu serui vigiles admonentur,sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in præcingendis lumbis statuitur vis præcepti:* Subdens qui in præcinctu isto insinuetur, ait: cingulum quidem est indicium seruitutis; quod & discursus expeditos reddat,& faciat obsequentes. Nihil de vestitu, ac zona, nihil de capitis operimento, ac calceamentis, nihil de ipsius occursus apparatu illis mandatur, sed tantum vna eis imponitur cura,vt expediti, vt obsequentes, vt in procinctu sint ad seruiendum, & ministrandum,vt seruire sit eorum finis, ac scopus. Hinc habitus ab Angelis in homines est delapsu, vt probat Raphaël Archangelus,de quo Tob.5.n.5. dicitur. *Inuenit Tobias iuuenem splendidum & autem præcinctum quasi paratum ad ambulandum.* Nihil de vestitu, nec mercede viatico, seu pera, sed tantum hoc vnum de illo animaduertitur, quod in procinctu esset,paratus, ac intentus ad ambulandum,ac seruiendum. Videndus locus infrà, q.11. in principio.

Vis Spiritualis sic inferre, vt seruire sit eius finis. *Tob.5.*

15. Apoc.4. Vidit Ioan. Apocal. 4. n.8. *Quatuor animalia, & singula eorum habebant alas senas: & in circuitu intus plena sunt oculis,& requiem non habebant die, ac nocte,dicentia:Sanctus,Sanctus,Sanctus*,&c. Non aliquid exprimitur de eorum ornatu,ac apparatu, sed tantum quod habebant,oculos,& alas, non vnam, vel alteram, sed quodlibet animal sex. Oculis plenum erat, vt diuinos nutus contemplaretur; alas, vt velocissime imperata faceret; pro hac verò eximia eorum promptitudine, ac velocitate exprimenda dicitur, quod habebant oculos, non autem aures: nam potentia visiua multo velocior auditu, vt experientia multis ostenditur; soluto tormento æneo prius oculus videt fulgur, quam auris percipiat tonitruum, cú tamen sonitus antecedat fulgur. Illud maximè in rem nostram notandum,quod dicitur, animalia non habere requiem die, ac nocte, cum animantibus,vt ait Aristot.lib. 2. de partu animal. requiescere ingenitum est à natura, & vnumquodque animal requiem sibi appetit; quomodo ergo animalia requiem non habebant, ac proinde assidua proclamatione quomodo non fatigabantur? Cardinalis Hugo. *Nec labor hic exprimitur*, ait, *sed continuatio laudu monstratur: hoc est summe quiescere, à Dei laude nunquam cessare.* Sic illa animalia Dei amore inflammabantur, vt tam diuturnis, ac altis vocibus nullus labor, nec fatigatio experiretur, eorum enim optata requies, ac quies Deo seruire, & ab eius laude nunquam cessare. Ita Dei obsequio erant destinati, ac addicti,vt nihil aliud intenderent, nisi obsequium præstare, ad cuius exhibitionem tota eorum quies,ac finis ordinabatur.

Prompta obedientia.

Aristot.

Hugo.

Infernum quies Deo seruire.

Maximè Iosue gloria, qui post multo labore, ac vigilia victorias partas,post introductũ Israëlem in terram promissionis,post distributas prouincias,nil sibi retinuit,nil sibi è tot terris acquisitis elegit, vt patet Iosue 19. Quod meditatus Theod.17. in Iosue ait: *Quare perdiuinus Iosue, cum aliis terram dispertiret, sibi non distribuit aliquam portionem? imitatus est in eo modestiam Domini, qui extremam expertus est inopiam, ita vt nec domum quidem haberet: filius*, inquit, *hominis non habet, vbi reclinet caput suum.* Tam sublime, & excelsum est seruire, vt seruiat, nulla sibi inde vtilitate spectata,quod dum Iosue è tot terris sibi deuictis;nil sibi comparauerit,non hoc ab humano dictamine veniebat, sed ab halitu spiritus Iesu,cuius typum gerebat: *Qui propter nos egenus factus est,cum esset dines.*2.Cor.8. n. 9. Qui modestiam, ac modestiam paupertatis libenter sustinuit,nullum sibi commodum quærens, sed tantum intendebat,vt seruiens Patri obediret,ac hominibus salutem ministret. 16. Ios.19. Theod. *Laborare nil considerato præmio ex spiritu Iesu venit.* 2. Cor.8.

Compone inter se duo Dei mandata facta Abrahamo. Primum, ait ei Deus. *Egredere de terra tua,& de cognatione tua, faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus; In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Gen.12 num.1. Secundum mandatum; ait illi Deus. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram Visionis,atque offeres ibi eum in holocaustum.* Gen.22. n.2. Ecce in primo mandato multa bona ei promittuntur, vt patet ex litteræ, imò & ipsa Diuini Verbi Incarnatio, vt communiter Patres intelligunt illa verba. *In te benedicentur omnes gentes.* At verò cùm secundum præceptum imponitur de filio sacrificando nulla merces ei assignatur. Cur ergo cùm in primo mandato tot proponantur præmia; in hoc verò secundo nullum pollicetur, cum nihil esset durius,quàm filium vnicum, & valde dilectum propriis manibus sacrificare? Cùm dicitur Abrahamo,vt exeat de terra sua, erat ipse veluti incipiens, ac in virtutis tyronicio; cum autem iubetur filium in holocausto offerre,iam multum profecerat,& in iustitia, ac sanctitate valde perfectus,ac magnus extabat: si autem vt incipiens tantis præmiis fuit animandus,ac corroborandus, minimè verò vt grandis factus in via Dei illis indigebat, sed pro mercede erat ei obedire, hoc tantum intendens vt adimpleret Domini mandatum etiam iubentis filium sacrificare. D. Chrys. hom.47. in Gen. *Grauis famulus*, ait, *omissa omni ratione humana,vnam rem tantum curabat, vt imperata impleret opere.* 17. Gen 12. Gen.22. *Perfectorum est seruire sine intuitu præmij.* Chrys.

Qvæstio III.

Quare Christus apparet in Apocalypsi præcinctus ad mammillas zona aurea, suis verò mandat lumbis præcingi?

IN hunc locum notandum est, quod dum Christus Dom.suis mandat, vt sint lumbis præcincti eos monet,vt omnibus virtutibus instructi, ac parati sint; vt late dixi. 18.

quæst.1.hoc ergo sensu litterali omisso, moralem prosequor.Et valde mirum, quod dum Christus ad virtutes hortatur,eas mandat præcingere,nũquid ipsa virtutum exuberantia comprimenda est? Potiùs laxanda videbatur, *vt videant omnes opera vestra,& glorificent Patrem vestrum.*Matth.5. n.16. Quomodo ergo eam cohibere mandat? *Sint lumbi vestri præcincti:* idest virtutes præcingantur.Vnde Tertullian. lib. de Pallio cap.5.ait: *Tunica priùs cingulo correpta.* Quod enim Euangelista dixit *præcingere*, Tertullianus ait *corripere*, ac si ipsa redundantia, ac lacinia virtutum præcingenda, & corripienda est cingulo prudentiæ, & rationis, ne in excessus abeat; ipsa enim virtus à sui excessu, ac nimia sui magnitudine sic vitiatur,vt virtutis naturam amittat,& in vitium degeneret.

Matth 5.

Tertull. *Virtutũ excessus vitãdi*

19. Ad nostram quæst.ait Ioannes Apocal.1. n.13. *Vide in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.* Ecce Christus apparet præcinctus ad mammillas, seu pectora, & suis mandat, vt lumbis præcingantur, sicut & Ioannes Matth. 3. num.3. habebat *Zonam pelliceam circa lumbos.* Quod dubium, & præposuit D. Chrysostom. homil. 1. Matc. *Dominus noster Iesus,*ait,*in Apocalypsi, qui videtur inter candelabra aurea, habebat zonam auream non in lumbis, sed in pectore. Lex in lumbis cingitur; Christus, hoc est Euangelium, & monachorum virtus, non solum in libidine: sed in mente condemnatur. Hic nec cogitare quidem expedit, ibi qui fornicatus fuerit, tenetur in crimine.*

Apoc. 1.

Matth 3.

Chryſ.

20. Primò. Per zonam, ac cinctionem in lumbis significatur lex vetus, ac status incipientium, in quibus appetitus, ac opera carnis cõstringi mandantur;in Apocalypsi verò perfecti, ac consummati in virtute Christi fideles, qui & in ipso Christo repræsentabantur,vt docent D.Ambros. Alcacer, Cornelius, & alij multi, altius præcinguntur, non in lumbis, sed in mammillis,hoc est secundum actiones intellectus,& voluntatis;nam per pectora has duas potentias intelligit Peterius, cinguntur autem zona aurea Charitatis. D. Gregor.lib.34.moral.cap.8. *Zonam,* ait, *auream circa mammillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius amoris vincula restringere.* In minoribus, seu incipientibus astringuntur lumbi zona pellicea timoris, ac tremoris, perfectioribus verò in Euangelio religantur superiores potentiæ intellectus,& voluntas zona aurea charitatis.

Ambr. Alcacer. Cornel.

Perfecti charitate accinguntur. Greg.

21. Secundò.In præsenti Christus loquebatur cum suis,qui nondum erant sacerdotio initiati. At in Apocalypsi sacerdotalis dignitatis in eo significabatur,vt latè probat Alcacer;ideò apparebat vestitus podere, hoc est veste sacerdotali sic dicta, quia vsque ad pedes descendebat, & præcinctus ad mammillas, nam veteres sacerdotes circa pectus alte succingebant se,vt tradunt Ioseph lib. 3. antiqu.cap.10. D. Hieron. Epistol. 128. Vnde Turnebus lib.15.aduersar.cap.vltim. Et Sigonius lib.3.de iudiciis,capite 19. notant morem alte se cingendi propterea fuisse sacerdotum,vt per hoc significaretur eos præ cæteris promptos, & paratos esse ad omne dei obsequium. Qui ergo Ecclesiastica dignitate non imminent in lumbis præcingantur tanquam præparati ad quælibet dei mandata,tamen qui sacerdotio sunt consecrati altius accingantur, altius enim ad omnem Dei nutum sunt destinati. Quod etiam ad monachos facile adaptabis: nam zona ad mammillas, vt ait D. Chrysostomus citatus: *Est virtus monachorum.*

Alcacer.

Ioseph. Hieron. Turneb. Sigon.

Sacerdotes plus quã seculares prõptiores ad Dei obsequium.

Tertiò. D.Gregor.lib.21. Moral.c.2.Postquam differit quod lumbi restringendi sunt à luxuriæ cogitatione.Sic subiicit. *Hinc est*, ait, *quod Angelus qui Ioannem alloquitur, Zona aurea super mammillas cinctus esse perhibetur. Quia enim testamenti noui munditia, etiam cordis luxuriam frenat Angelus,qui in eo apparuit, in pectore cinctus venit.* Persistunt Sanctus Doctor, vt per zonam auream intelligat cingulum castitatis,quo Dominus mãdat in præsenti lumbos cingere. *Etiam cordis luxuriam frenat.* Ex quo pulchrum insurgit dubium. Ad quid Angelus, qui iuxta multorum sententiam in Apocalypsi apparebat, qui omninò totius carnis appetitus est expers, omnisque illius periculi immunis, baltheo castitatis armatus se exhibet? Quamuis in Angelo nullum esset luxuriæ periculum,nobis tamen in hoc magnum dabat documentum, vt instrueremur, quod licet quis hominum in multa puritate, ac sanctitate degat, veluti vnus Angelus bonus, tamen altius zona castitatis præcinctus circunspecte, ac studiosè viuat,omnem occasionem, ac illius discrimen fugiens naufragium timeat, ne forte incaute in periculo labatur. Zona autem in Angelo est aurea. Pergit Sanctus Gregorius: *Zona aurea Angelum stringit, quia quisque superna patria ciuis est,non timore supplicij, sed amore charitatis immunditiam deserit, & non* in lumbis, sed in pectore cingitur quisquis enim purior est,custodiẽs mentem suam altius super insidia inimici inuigilet.

22. Greg.

Quilibet licet purus à luxuria peculiẽ refrenat mentem.

Quartò. Christus Dominus omnium magistet paulatim ad virtutis fastigium suos disponebat, primò docet, vt præcingantur, lumbi hoc loco, opera scilicet carnis, postea verò in Apocalypsi vestitu suo cunctos fideles admonebat, vt altius circa pectora cingerentur,vt scilicet cordis cogitationes totæ in Deum essent astrictæ, & defixæ, vt sublime Deum contemplentur. Primò corpus deinde mens puritate præcingatur. Vide supra cap.8.n.84.

23. *Paulatim ad suprema virtutum cendum.*

Quintò. In lumbis insunt libidinosa cupiditas & inclinatio ad peccandum, cum autem in discipulis huiusmodi appetitus vigerent, mandat eis Dominus lumbos præcingere,vt mortificationis, ac pœnitentiæ cingulo comprimantur;At Christus Dominus qui vtpote filius Dei omnino immunis erat ab omni fomite;ac propensione peccati alio cingulo, alióque altiori loco succingatur circa mammillas nempe, hoc est in corde,ac anima puro,ac splendido Charitatis auro,qua sanctissima eius anima inflammabatur.Quilibet iuxta suum statum,ac conditionem induatur; qui peccatis expositus est,tali componatur indumento,quod hominem obnoxium peccato decet;Qui verò innocens,& alienus ab omni peccati macula est altiori elegantia exornetur,vt summæ puritati ac innocentiæ expedit.

24.

Quilibet induatur iuxta suam conditionem, & statum.

Post deuastatam Ierosolymam cum Nabuchodonosor omnem Iudæorũ nobilitatem ipse trãsferret in Babyloniam, iussit eligi, ac segregari, pueros de semine regio,pulchros facie, & omni scientia, ac sapientia instructos, *Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino,vnde bibebat ipse.*Daniel.1.num.5. Determinat, vt eosdem cibos, & adipes, ex quibus rex

25. Dan.1.

comedebat

comedebat,comedant & ipsi pueri, sed sicut Nabuchodonosor desinat alimenta, & fercula, quibus quotidie per tres annos, vt notat D.Ephren. serm.de S.Daniele,pascendi sunt, cur etiam eorũ vestes ex quibus erant induendi,non præscribit,si tam solicitus se præbet circa annonam,cur eorum ornatum omnino prætermittit? Vtrumque enim æquè requirebatur ad assistentiam in palatio: cibos ex mensa sua assignat Imperator, de eorum qualitate graue poterat extare dubium.Nam cùm illi iuuenes essent Hebræi prohibebantur gentilium cibis vti,vnde ab illis Daniel,& socij abstinuerunt,*ne pollueretur de mensa Regis* n. 8. Circa eorum vestes nihil disponitur,planum enim, ac manifestum erat,quod cùm illi pueri essent de semine regio componendi, ac exornandi erant, vt filiis,ac nepotibus regum decebat.

D.Ephren.

Pueri vtpote de semine regio.

25. Postquam Sydrach, Misach, & Abdenago noluerunt statuam Nabuchodonosoris adorare, ex Regis iussu coniecti sunt in ignis fornacem.*Confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Dan.3.n.25. Cum omni regio ornatu,quo in palatio incedebant,vt notant Carthus.Tyrin.Monoch.braccis,nempe veste sua oblonga tibia tegente, tiaris,seu mitra capitis tegumento alto,& aucto, ac calceamentis in medium flammæ ignis proiiciuntur. At verò cùm Nabuchodonosor iusto Dei iudicio ob suam superbiam punitur,ac vt notant Gl.Interlin. S.Hier. Peter. & alij. Amens factus abiectus est ab hominibus. *Donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent.* Dan.4.30. Nudatus incedebat omni indumento, itavt corpus suum capillis in similitudinem aquilarum tegeretur, vt innuunt Chald. & Vatab. Res valde mira,tres illi iuuenes, simul ac Imperator ad supplicium vocantur,Iuuenes compositi omni splendido,ac regio ornatu;Imperator verò,non solùm à purpura, sed etiam à quolibet vili tegumento priuatus est.Iuuenes quamuis captiui tanto decore,Rex verò etiam in suo palatio tanta afficitur ignominia.Iuuenes illi, vt pulchrè ait Sedulius lib.1. de Paschate. *Vincunt incendia pœna igne animi.* Ingrediuntur fornacem ignis,vt laureati flammarum victores; Nabuchodonosor verò inter feras expellitur, vt humiliatus cũ pœnitentia, & dolore resipiscat;Iuuenes ad trophæa pergebant, induantur ergo omni purpura, & splendore,vt tanti triumphi maiestas exoptabat: Rex verò, qui Dei manu ad humilitatem,ac pœnitentiam trahitur, omni fastigio depositio in multam summissionem veniat, vt extrema eius obiectio pateſiat,nam sicut triumpho decet maiestas,sic & abiectioni vilitas.

Dan.3. Carth. Tyrin. Monoch. Glossa. Hieron. Peter. Dan.4. Chald. Vatabl.

Sedul.

Pueri vt triumphatores, Nabuchodonosor vt abiectus induuntur.

QVÆSTIO IV.

Quare Christus mandat discipulis habere lucernas in manibus?

26. RESPONDEO primò ad 1.iuxta sensum litteralem Præcipit nobis Dominus,vt lumbis præcinctis expediti essemus ad omnia opera bona,& ad iter eundum in Cœlum. Nunc verò præsenti documento monet nos semper debere esse præparatos, tanquam seruos Dominum expectantes,nó quasi de longinquo,sed de proximo iam iam aduenientem. Sumpta est metaphora à seruis præstolantibus Dominum suum.Serui, qui noctu lucernas accensas habent,& eas manibus tenent, iam Dominum suum præsentem, ac pulsantem contẽplantur ita dispositi, vt ipso veniente nihil restet faciendum, nisi ipsum Dominum excipere. Quo monemur nos maximè præparatos esse debere præcinctos mortificatione,ac abnegatione carnis, accensis spiritualibus virtutum facibus,spectantes singulis horis,ac momentis Dominum,cum ad iudicium venerit ad nos in hora mortis,& quia hæc hora est nobis valde occulta,ideo multum commendatur. *Vigilate,quia nescitis diem,neque horam.* Matth.25. n.3. in omni hora,& momento debemus esse parati, ac si iam proximè instet Domini aduentus, vt absque vlla mora occurramus.Ita Toletus,Maldonatus,Barradas, & alij. Ex hac Christi doctrina deducta est consuetudo,fidelibus in articulo mortis constitutis dandi cereos accensos in manibus,vt hoc facto ostendant se fide, charitate ardenti occurrere Christo,ad idque excitentur.Ita Durandus,Amalarius Rabbanus,& alij,qui de cæremoniis, ac rebus Ecclesiasticis scripserunt.

Præparati ad mortis horã.

Matth.25.

Tolet. Mald. Barrad. Durand. Amalar.

Cur lucernæ accensæ in manu?

Secundò,& moraliter.D.Gregor.homil.13. *Lucernas quippe,* ait, *ardentes in manibus tenemus, cùm per bona opera proximis nostris lucis exemplo monstramus.Duo sunt,quæ iubentur,& lumbos restringere,& lucernas tenere;vt munditia sit castitatis in corpore,& lumen veritatis in operatione;nec castitas ergo magna est sine bono opere, nec bonum opus aliquid est sine castitate.* Expende illud: *lumen veritatis in operatione.* Ita castitas sit in corpore, ac virtus in animo,vt verè,ac sincerè,sine fictione, ac simulatione resplendeat in opere,sicque fidem, ac iustitiam,quam mente concipimus,quaque mens, vt lucerna ardens niteat operibus exhibeamus. Ait Paulus ad Galatas 5.n.25. *Si spiritu viuimus,spiritu & ambulemus.* Docet nos,quod si internam viram gratiæ, ac iustitiæ habemus, secundum spiritus gratiæ dictamen, ducatumque incedamus ambulemus, concurramur,& operemur,externis actionibus.D.Hieron.*si per spiritum vitam habemus,* ait, *spiritualiter conuersemur.* Et tunc monet D.Gregor. quòd cùm virtus resplendet in opere:*Per bona opera proximis nostris lucis exemplo monstramus.*

27. Greg.

Gal.5.

Hieron.

Tertiò.D.Hieron.in cap.1.Ierem.n.17. *Præcipitur Apostolis,* ait, *vt accinctis lumbis lucernas teneant manibus suis,prædicationis videlicet Euangelica.Quicunque igitur sermones locuturus est Dei, debent accingere lumbos suos.*Prius Christus Dominus mandat lũbos præcingere, & postea lucernas ardentes manibus tenere; monemur,vt prius quisquis cingulo pœnitentiæ, ac mortificationis se succingat, antequam alios ad pœnitẽtiam exhortetur, multam auctoritatem dictis conciliat ratio vitæ castigatæ.Vnde scribit D.Hieron.ad Zachar. c.3.n.4.*Hic erat,* ait,*Prophetarum habitus,vt quando populum ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio.* Quod patet in Parente Elia 3.Reg.1. n.8 vir pilosus,& zona pellicea. Et in Elisæo c.2. n.13. *Qui leuauit pallium Eliæ.*Et in Ioan.Baptist. Matth.3.n.4.dicitur.Habebat vestimentum de pilis camelor.& statim n.5 subiicitur *Exibat ad eum Ierosolyma,& omnis Iudea.* Vide multa verb.*Prædicare* tom.2.& 3.in Indice.

28. Idem.

Ostendat habitã pœnitentia, qui tam prædicat.

Hieron.

4.Reg.1.

Matth.3.

Quartò. D.Augustin.lib.2. quæstionum Euangelic.cap.25. *Lucernæ ardentes,* ait, *vt hoc ipsum, quod facitis, verò fine, & recta intentione faciatis.* Non solum mandat nobis Dominus habere lumbos præcinctos,sed etiã lucernas ardentes in manibus:Non enim sufficit lumbos esse præcinctos,

29. Augustin.

vt sine impedimento operemur, sed insuper lucernæ ardentes requiruntur, vt quidquid, quod agimus, recto fine rectaque intentione exhibeamus. In exordio rerum in prima die, *dixit Deus; fiat lux.* Gen.1.n.3.Cur in primo Mundi opificio à luce incipitur rerum creatio?Præcipuè cum lux huius sæculi tota à sole deriuetur, qui creatus est quarto die, vnde satis longa est quæstio,quid esset lux in illo primo die,de quo alibi iam dixi. Ad quid ergo necessaria illa lux in prima die, numquid Deus luce indigebat, qua illustratus cuncta intueretur?Minimè,vt notum est. Lux intentionis est Symbolum.Sicut enim à luce cuncta manifestantur secundum suum esse quod habent, & vnaquæque ad operationem illi proportionatam dirigitur:Sic ab intentione omnes virtutũ actiones declarantur, in suoque esse illustrantur, ac perficiuntur,ad rectumque finem,& modum ordinantur.D.Paschas. Abbas lib.4.in Matth.*Sicut*, ait, *oculis istis carnalibus omnia corporis membra ordinate ad operationem diriguntur: ita intentione, & luce fidei cuncta virtutum genera,vt lucidum corpus perficiuntur,ac illustrãtur.*Et subdit,*Vult ergo Christus, & bonæ fieri,& ex bono mentis proposito illa oriri.* Pro nostro ergo documento voluit Deus vniuersa opera sua à luce inchoari, vt inde disceremus actiones nostras bona intentione initiari,illaque perfici,ac illustrari.Vide t.1.2.& 3.verb.*Intentio*, ibi multa.

Gen.1.

Omnis operatio fiat ex recta intentione.

Paschas.

30. Quintò. Theoph. *Considerate autem*, ait,*& hoc, quod primum lumbi vestri succincti sunt, deinde lucerna ardeant:primum enim operatio,deinde contemplatio,mentis est illustratio.* Ad expectandum Dominum,vt subditur seq.versu. *Et vos similes hominibus expectantibus;* Actio in præcinctione lumborum sit,nam huiusmodi habitus operantis est, & contemplatio in lucernis accensis,ob eius splendorem luminis, quibus duros cruciatus Domini absentiæ lenire valeant; operatio,cùm sint occupati in eius obsequio;contemplatio,cùm Dominum absentem delectabiliter, vt præsentem considerant.Postquam Christus D.ascẽdit in cœlum, multum tristitia impleuerat corda discipulorum, vt latè prosequitur D. Bernard. sem.6.de Ascens. Mittitur diuinus Spiritus, qui repleuit domum, vbi erant Apostoli sedentes. *Et apparuerunt illis dispertita lingua,tanquam ignis,seditque super singulos eorum.* Act.2.n.3. Ad quid huiusmodi linguæ. In igne datur claritas, & ardor;dantur linguæ igneæ intellectui ad intelligendum, ac contemplãdum? dantur & linguæ igneæ voluntati cum ardore zelus ad egregia facta in Domini obsequio, vt hac contemplatione,& meditatione consolarentur de Domini absentia, nam seruire,ac cogitare de dilecto multum leuamen amanti.

30. Theoph.

Actio,& contemplatio ad Dominum.

Bernard.

Act.1.

31. Sextò.Idem Theoph. *Lucerna ardentes in manibus vestris*, ait, *Hoc est,ne in tenebris,& absque iudicio versemini, sed sit vobis lumen verbi, quod monstrabit vobis, quæ facienda, quæ non facienda* Lumbos præcingere habitus est operantis;deinde præcipit Dominus,vt habeant lucernas accensas,per quas lumen rationis,ac iudicij intelligitur,vt innuatur, quod vniuersa opera nostra in iudicio,ac ratione fiant.In limbo circa pedes tunicæ summi sacerdotis Hebræorum mandauit Deus ponere *per circuitũ quasi mala punica ex hyacintho,& purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.* Exod.28.n.33.quæ verba cõmentans.D. Gregor. Nyssen. in vita Moysis ait; *Aurea tintinnabula.bonorum operum splendor sunt, malis punicis intercepta: duo enim hæc sunt studia, quibus vita tota conflatur,recta in Deum fides, & probata in hac vita conscientia. Fides igitur sacerdotis veluti tintinnabulum, vita verò naturam punicorum imitetur malorum.* Tintinnabulum fidei opera denotabat quæ cùm agitatur veluti quoddam tintinnabulum statim in fidei cõfessione sonat. Et subdit S.Doctor. *Vita verò naturam punicorum imitetur malorum.* Quænam combinatio est in vita Pontificis cum malo punico? Vt astruat S.Pater, quod ibi adumbratur.In malo granato multa insunt grana miro ordine, ac artificio Auctoris naturæ dispositi, ac inter se composita,sic licet in vita Pontificis multæ dentur actiones,omnes tamen multo iudicij,ac rationis ordine, & artificio sint directæ,ac ordinatæ,vt nihil extra iudicij metas prosiliat. Vide tam in hoc tomo,quàm in 1.2.& 3. in Indice,verbo *Ratio.*

31. Theophyl.

Contra facienda iudicio,& ratione.

Exod.28. Nyssen.

Septimò.Origenes homil.9.in lib.Iudic.Existimas hîc fieri illusionem ad lãpades, seu faces militum Gedeonis:sicut enim ipsi armati confractis lagenis,lampadibus,ac ædis micantibus,ac refulgentibus, obscura in nocte super montes micarunt in orbe.Sic Apostoli,ac Martyres,& alij viri sancti per martyrium,ac pœnitentiam,& mortificationem fractis suis corporibus super Ecclesiæ montes doctrina,sanctitate,ac miraculis, toto in mundo claruerunt,qui enim labore, pœnitentia, ac persecutione accinguntur, veluti lucernæ ardentes vndique fulgent,& splendent.De Iobo c.1. n.8.loquens Deus cum Satana ait; *Homo simplex, & rectus.* Cap.verò 2. n. 3. ait Dominus ad ipsum Sathanam.*Nunquid consideraſti seruum meum Iob, quod non sit ei vir similis in terra.*Cur in recensendis Iobi elogiis.Primò dicitur homo,postea verò vir?Plinius lib.2.*Illum dicam virum,qui instar solis fulget in moribus.* In primo colloquio extabat Iob in sua prosperitate,ac regno;in secundo verò loco erat vexatus labore, persecutione, ac innumeris malis, & cum tantis vexationibus circundatur, tum vt vir instar solis fulget virtute,& moribus.

32. Origenes.

Oppressi laboribus, & persecutione vitant,& fulgent.

Iob.1. Iob.2. Plin.

Octauò.Præcipit Dominus habere lucernas ardentes in manibus,non in corde, multi enim alta mente defixum retinent,se pœnitentiam, ac vitã bonam facturos, nunquam tamen id opere explent;totam vitam propositis, & non operibus pertranseunt. Ait Iacobus in sua canon. c.1. n.25. *Quia si quis auditor est verbi,& non factor, hic comparabitur viro considerãti vultum nativitatis suæ in speculo.* Qui auditor est verbi,& non factor est veluti ille qui suum vultum nativum maculis,ac vitiis naturæ deturpatum videt in speculo,scilicet in lege Dei,& nunquam executione agit, vt seipsum purificet,& mundet, sed in illo squalore totam vitam agit.D.Leo serm.11.Quadrag. *Artifex misericordiæ Dei*, inquit, *splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret: & quam conformis imaginis Dei, aut quàm dissimilis esset,cognosceret.*

33.

Sæpe homo proposito, & nõ opere vitã fingit vitam.

Leo.

Nonò. D. Chrysol.ser.24.*verè portant lucernas suas*, ait, *qui cum loco,proposito studio latitant, opere, virtute, meritis corruscant, ac splendent toto orbe terrarum.* Ille verè portat lucernas Euangelicas, qui bene agnoscit latere,& resplendescere; simulque occultari,ac fulgentissimis radiis coruscare Ille enim nouit,loco,& proposito,& studio latere,qui in media luce doctrinæ, virtutum, ac miraculorum,nil vehementius curat, quam ne ipse clarus appareat,ne quid sui nominis clarescat.

34. Chrys.

Ille, qui conatur abscõdi, refulget.

35. Ait Ezechiel cap.1.num.4. Vidi, *Et ecce nubes magna*

Ezech.1.

Hebr.. *magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius, & de medio ignis quasi species electri.* In Hebræo est, quasi species *Chasmal*. Quæ vox, vt vult Cornelius à Lapide, significat quasdam fauillas obtæcantes, ac visum impedientes. Ad quid diuina illa nubes huiusmodi fauillas secum asportabat. Imò potius remouendæ videbantur, vt clarius ipsa resplēdesceret. Cœlestis nubes, sic virtute, ac opere nitebat; vt simul vellet occultari, & ideò ne videretur, fauillas obtæcantes, ac visum impedtentes secum deferebat, vt ab illis tāquam muro obiecto tegeretur, ac absconderetur.

Cornel.

36. Duo propinqui extabant mariti defūcti Ruth. vnus primus & propinquior, ad quem secundum præscriptum spectabat eam ducere in vxorem, vt nomen propinqui sui suscitaret. *Qui respondit; cedo iuri propinquitatis, neq; enim posteritatem familiæ meæ delere debeo.* Rut.4. Noluit enim de legis more suum proprīū nomen celare, vt filij sub alieno nomine nascerentur. Tunc Booz, qui erat secundus propinquus, legi obediens, ac satisfaciens, suscepit Ruth in vxorem, dicens vt *suscitem nomē defuncti in hereditate sua, ne vocabulum eius de familia sua deleatur.* Ibidem n.10. Ecce primus cognatus de tui nominis splēdore auidus, Booz verò ob legis obseruantiam de illo oblitus, quid inde fecerim est? Primi cognati nomen sic sepultū, & absconditū est, vt de illo nulla extet memoria, nec reminiscentia. At verò Booz, qui studio, & proposito ob suam eximiam virtutem, ac obediētiam legi voluit latere, sic tamen enituit, ac resplendiut, vt eius nomen celebretur, non solum vt patet Regum, Patriarcharum, sed etiam ipsius-met Verbi Incarnati, in cuius catalogo meruit scribi. Petrus Damian. Epist.97. *Ille gloria cupidus, ait, propriū nomine posteritatem familiæ conabatur ostendere. Booz autem iustus famam proprij nominis parūpendens, diuinæ legis contentus est mandata seruare: sed ecce illius, qui suum post se memoriam anhelabat relinquere, ne nomen quidem agnoscitur: hic autem non solum in Patrum, sed & Patriarcharum catalogo cum gloria numeratur, & per Danidica stirpis traducem, totius mundi genuit saluatorem.*

Ruth.4.

Iustus dum nomen suum vult occultari gloriosè manifestat.

Dam.

QVÆSTIO V.

Quare lucernæ mandantur haberi non in manu, sed in manibus?

37. LVCERNÆ non circumferuntur à seruis in manibus, sed in vna manu, vt satis experientia monstrat; deindè si lucernæ perpetuò manibus teneantur impedimento sunt operantibus; Quomodo ergo Dominus præcipit habere lucernas in manibus?

38. Respondent primò. Lucas Burgen. Cornelius à Lapide. Quod liceat interpretari in manib. vestris, idest, præ manibus vestris, id est ad manus vestras, vt significentur paratæ, ad illas in manibus accipiendas, vt Domino pulsanti cum eis occurratur. Dico tamen, quod & si lucernę perpetuo manibus teneantur, impedimento sunt operantibus apud reges, ac principes temporales, qui nolunt vt serui tanquam faces fulgeant, sed hoc tātum affectant, vt toti se eorum obsequio dedicētur, extentisque manibus sint eorum nutum expectantes, vt imperata adimpleant, & exequātur. At verò lucernæ vtentium, ac boni exēpli in ma-

Luc Burg. Cornel.

Deus vult vt sui serui lucent, non verò reges seruent.

nibus, (ad hoc scopus parabolæ tendit,) vt operetur in via Dei non sunt impedimentum, sed adiumen, Deus enim maxime vult, vt eius serui niteant, & resplendeant in iustitia, ac charitate.

Secundò. Præcipit Christus D. suis discipulis, 39.
vt habeāt lucernas in manibus, futuri enim erāt ipsi ministri, vt totam Ecclesiam regerent, ac gubernarent, indéq; ordinat, vt habeant manus occupatas, ne valeant aliquid recipere. Tota reipublicæ ruina, ac ministrorū crimen ex manibus expeditis ad captanda munera nascitur. Proponit Regius vates Deum venientem ad iudiciū. *Ad faciendā vindictam in nationibus*, statim explicat quonam modo hæc pœna, ac vindicta sit infligenda. *Ad alligandos reges eorum, in compedibus, & nobiles*, legit D. Hieron inclytos, alij vertunt, principes, proceres, magistratus *eorum in manicis ferreis.* Psalm.149.n.8. sicut enim compedes sunt vincula pedum, ita manicæ sunt vincula manuum, cur reges in pedibus, nobiles, principes, ac Magistratus eorum vincuntur in manibus? Deliquerunt reges in pedibus, dum suos appetitus sequentes deambulant, suorumque ministrorum vestigia minimè seruantes. Deliquerunt nobiles, principes, ac magistratus præ manibus, dum eas expositas habēt, vt munera accipiant, ob quæ iustitiam, ac iudicium inuertunt, ac præuertunt, proportionatur pœna culpæ, reges astringantur pedibus, nobiles verò eorum manicis ferreis.

Ministri ne sint acceptatores munerū

Hieron.

Psal.149.

Tertiò. Præcipit Christus D. vt lucernas habeant, non in vna manu, sed in vtraque manu, *in manibus*; ne diuidatur homo, vt vna manu Deo, altera mundo inseruiat, totus enim homo, ac omni suo affectu se Deo debet consecrare sacrificium. Cain non placuit Deo, cuius rei rationem ipsemet Deus loquens cum Caino assignat, iuxta Septuaginta dicens. *Nonne si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti?* Gen.4.n.7. Cur cum recte offerat, non autem recte diuidens peccauit? Recte offerre, vt explicat Abul. cum D. August. lib.15. de ciuitat. cap.8. Est offerre, cui debemus, scilicet soli Deo. Ac si diceret Deus Caino, quid mirum, quod sacrificium tuum mihi displicuisset, nam quamuis mihi obtuleris, vt debebas, male tamen diuisisti, quia licet vna manu mihi hostiam dedisses, altera cor tuum, tuumque affectum tibi retinuisti. D. Bernardus serm.14. in Cāt. *Quid miraris* ô Cain, ait, *si non respicit ad te, qui ita diuisus est in te? Si manū deuotioni, quid animum* das liuori? Non concilias Deum tibi discors tecum: non placas, sed peccas. Rupertus: *Cain*, ait, *non recte diuisit, quia cum Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuit: cor suum retinuit, & fructus terræ obtulit Deo.*

40.

In obsequio Dei ne sit homo dimidiatus.

Gen. 4. Abul. Aug.

Bern.

Rup.

Cœlesti pane per desertum pauit Dominus populum suum. vt ait Regius vates Psalm.77.n 24. *Pluit illis manna ad manducandum, panē cœli dedit eis: panem Angelorum manducauit homo.* Inter tot cœlestes delicias concupierunt carnes. Numer.11. n.4. in magna abundantia dedit ei Dominus carnes coturniceas, de quibus ait Dauid. *Manducauerunt, & saturati sunt: adhuc esca eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei descendit super eos*, citato Psal. n.3. seu vt dicitur Num.11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum.* Cum carnes iniquè appetiuerunt, ac acceperunt, ita Domini non differtur, sed citissime descendit, magnáque plaga facta est in populo. Res valde mira. Idemmet populus erigit vitulum, ipsúmq; adorat, ingenti applausu, multísq; lætitiis, ac acclamationib. vitoli festa celebrātur.

41. Psalm 77.

Num.11.

Exod.32. *Qui vult firmi habere Deum, & mundum potest.*

Exod.32. & inter hæc minimè, punitur populus, nisi post aliquos dies, cùm Moyses è monte descenderit. Idololatriæ nefas multo grauius, quam carnium appetentia; cur ergo in vituli adoratione differtur ira, non verò in carnium gula? Cùm idolum venerantur, à Dei cultu omnino recedunt, mundanæque nequitiæ omnino semetipsos committunt; At verò cùm carnes appetunt, Deũ, eiusque cœlestes fauores non penitus abiiciunt, sed simul retinere affectant Deum, & mundũ; & Angelicum panem, ac carnalia alimenta; Quod in Idololatriam prolabantur grande malum, per aliquod tamen tẽpus dissimulatur; At verò quòd velint simul habere cœlum, & terram, panem cœlestem vna manu, & altera aues terrestres: res sic exectabilis, vt maximè aduersus eos diuinus furor prouocetur. Eleganter Salui anus l.1. de gubernatione. *Quia quotidie*, ait, *mauna edens explere ex illecebris ventris cupit ingluuiem, optata quidem cupiditate saturatur, in ipsa tamen saturitate torquetur.* Adhuc enim inquit Scriptura; esca erat in ore ipsorum.

Saluian.

42. Importune Dalila per singulos dies conabatur extorquere à Samsone, in quonam esset maxima eius fortitudo, eius molestis precibus lassatus, aperuit ei veritatem dicens: *Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut cæteri homines.* Iudic.16. num.17. Tunc illa conuocatis Philisthæis *Vocauitque tonsorem, & rasit septem crines eius, & cœpit abigere eum, & à se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit.* Ibidem num.19. Ex quo grande dubium insurgit. Samson dixerat, quod virtus, ac fortitudo diuina in omnibus capitis sui crinib. inerat; quomodo mulier acquieuerit, quod ei septem capilli tõdeantur, quo facto ita certo eum imbellem existimat, vt eum protinus à se repellat; bene agnouerat mulier, quod si ex tot, tantisque crinibus septem extraherentur, vt mundo inseruirent, ex omnibus aliis Dei fortitudo recederet; Deus enim non vult hominis partem, sed totum hominẽ, ita vt nec vnus capillus alterius obsequio inseruiat. Ioachimus Abbas 1. p. expositionin Apocal. *Agere*, ait, *iam fortiter vt primò, & secundò non poterit, quia veluti lasis crinibus ex parte illi spiritus, & non ex toto assistit.* Vide plura tom.1.c.3.q.7.num.34.& cap.17. q.5.n.19.& tom.3.cap.29.q.5.n.36.37.& 38.

Iudic.16.

Sic Deus vult totum hominem, & ne vnus eius capillus alteri inseruiat. Ioachim.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus mandat seruis suis, vt habeant non lucernam, sed lucernas?

43. QVÆSTIO præsens inquirit, cur præcipit Dominus seruis suis habere lucernas, & non lucernam in manibus? Cùm de seruorum more aptius, & vsitatius sit quod in manu lucernam deferant.

44. Theoph. Respondet primò Theophylactus: Serui scilicet *duas habentes lucernas ardentes, & sermonem internum in affectibus, & quem pronunciamus: & eum autem quem proferimus, vt in lingua refulgeat lucidius.* Duæ lucernæ est sermo internus, & externus, vt cũ altero cohæreat, & ne ab eo discreper, distat enim à perfectione intentio bona cum operatione mala, & vice versa operatio bona cũ intentione mala, vna ergo cum altera sit vniformis, vt totum hominem perficiant. Vide tom.1.c. 29.q.5.n.27.

Intentio cum operatione transformetur.

45. Secundò. Respondet D. Chrysologus serm.22. Lucernæ in manibus vestris. *Multiplici, ait, coruscat in lumine licium, qui requirit.* A mente virtutis plena, non vnus radius diffunditur, sed multi; non vnum lumen sed multa proueniunt, ac prosiliũt, non solum quibus aliòs lustrant, sed etiam quib. ipsimet in omni suæ vitæ actione coruscant, & fulgent: huc refero illud, quod dicit Diuus Ennodius libro 7. Epistola 13. in laudem Boëtij. *In cuius manibus*, ait, *duplicato igne rutilat, qua veteres face fulserunt. Nam, quod vix maioribus circa extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine.*

Chrys. *Lucerna vt sol. & alios illuminet.*

46. Tertiò. Idem Diuus Petrus Chrysologus citato serm.11. *Non portanti tantum lucerna lucet, sed multis, & opus bonum dum factu in vno lucet, multos illustrat exemplo.* Non lucerna, sed lucernę habeantur in manibus, vt multiplici luce sibi, & aliis fulgeat. Simon Cassianus lib.6. cap.30. *Lucernæ in manibus opera bona sunt accensa igne veritatis, & charitatis.* Mandauit Deus Moysi. *Facies & lucernas septem, & ponet eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso*, Exod.25. num.37. Septem lucernæ, septem sunt dona Spiritus sancti, vt interpretantur Glossa, Procopius, Beda, & alij. Spiritus scilicet sapientiæ, intellectus, consilij, fortitudinis, scientiæ, pietatis, ac timoris Domini. Isaiæ 11. n.2. Quibus iustus debet diffundere lumen virtutis in Ecclesia. Gennadus in Catena Græca per septem lucernas interpretatur septem sydera, quæ in cœlo denotari videntur. Iosephus libro 3. antiq.c.8. Philo libro 3. de vita Moys. inquiunt, quod septem lucernę sunt symbolum septem planetarum, quæ sic illuminant, vt miros effectus producant ad hominum generationem, conseruationem, ac salutem, & dicitur quod lucernæ lucebant ex aduerso, hoc est cõtra mensam, vt postea exprimitur, lucem ergo mittebant lucernę versus Aquilonem, cur potius versus Aquilonem, quàm versus meridiem? Imò cùm lucerna luceret aduersus Aquilonem stabat illa meridiana in parte, vt obseruat Rupertus. Diabolus suam sedem in Aquilone constituit. *Sedebo in lateribus Aquilonis.* Isaiæ 14 num.13. Innuitur ergo, quod lucerna Ecclesiæ, ac tabernaculi succensa charitate meridiana, sic fulgeat, vt dissipet tenebras Sathanæ, ac exercitium eius.

Vt respleudeat in opere bono, contra alios. Cas. Exod.25. Glossa. Procop. Beda. Isai. 11. Gennad. Ioseph. Philo. Rup. Isai. 14.

47. Mandat Dominus habere lucernas, vt quisquis sibi sic luceat, vt etiam luceat aliis. Qui enim sic lucere affectat, vt alios obscuret, in ipso suomet splendore caligines inuonit; Aderat Christus Dominus cum suis tribus discipulis in monte cum transfiguraretur, & cum discipuli gloriæ splẽdore gauderent. Scribit Diuus Matth.17. numero 5. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Si nubes lucida, quomodo obscurabat eos. Cùm alij Apostoli simul cum turba essent ad pedem montis, Ait Petrus: *Domine: Bonum est nos hic esse.* Ipse cum sociis fulgure luminis nitere affectabat. Cùm Petrus hæc diceret, inter nempe eius verba venit nubes obumbrans, vt explicat D. Th. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos*, qui enim lucere, ac splendescere vult cùm aliorum depressione inter suos radios dẽsas tenebras importat, *Nubes lucida obumbrauit eos.* Ait Card. Hugo. *Ex luciditate obũbrantur.* Ex nimio splendore, quem in illa gloria habuerunt inde obumbrantur, ac obscurãtur.

Obscurantur, qui alios non lucent, obscurare vult. Matth.17. D.Thom. Hugo.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Quare non solùm mandat Dominus habere lucernas, sed etiam vt sint ardentes?

48. Leo. RESPONDET. Primò Diuus Leo sermone 1. de Pentecost. *Ipse*, ait, *spiritus veritatis fecit domum gloriæ suæ luminis sui nitore fulgere, in templo enim suo, nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum.* Non solùm commendat Dominus lucernas, sed etiam ardentes, non vult Dominus in domo suæ habitationis aliquid obscurum, tepidum, ac ambiguum, sed maximè perlucidum, ac charitate feruentem Apocal. 3. num. 13. *Quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Diuus Hieronymus Epistol. ad Eustoch. de munusculis. *Nihil quippe*, ait, *Saluator medium amat, & sicut frigidum non refugiens calidis delectatur, ita tepidos in Apocalypsi euomere se loquitur.*

Deus non vult tepidos. Apoc. 3. Heron.

49. Bonau. Secundò D. Bonauent. *Lucerna ardens*, ait, *abscondit lumen à vento, sed non à visu, sic bona opera comparantur lucerna. Quia sic debet opus esse in publico: quatenus intentio maneat in occulto; sic velit homo aliis dare exemplum virtutis, vt tamen non quærat minimum transitorij fauoris.* Lucerna virtutum multo studio accensa maximè custodienda à vanitatis aura, ne in lucernam irruens eam extinguat, & iustitiæ stolam dilaceret. Vnde ait Diuus Gregorius Nazianzenus ad Carmin. de præceptis Virginum. *Nam gloria vana interdum tacitè viles rumpit amictus.* Hinc antiqui illi Patres sanctitate illustres. *In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis.* Ad Hebr. 11. num. 38. Cur in antris se recipiebant præmiserat Apostolus n. 37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis:* ad speluncas se recipiebant, ne eorũ vestes à vento inanis gloriolæ rumperetur. Diuus Bernard. serm. 4. in Psalm. 90. *Necesse est*, ait, *abscondere interim, si quid boni habemus: propter quod in claustris, & syluis abscondimus.* Vide multa hoc tom. 1. ac 2. & 3. verbo *Gloria vana.*

Virtus custodienda à vanitate. Hebr. 11. Bern.

50. Hugo. Tertiò. Cardinalis Hugo. Lucerna ardens *duo facit*, ait, *ceram, siue oleum comburit, & lumen diffundit, ad hoc ergo vt bonum opus sit lucerna: oportet vt ardore diuini amoris fiat, & aliis prabeat exemplum.* Iustus sic resplendeat velut lucerna ardens, ardés charitate, ac zelo animarum, ita vt suimet oleum, alimentum, ac substantiam minuat, ac consumat, vt aliis exemplo luceat, eósque in diuino amore calefaciat. Sic parens Elias dicitur ignis. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & Verbum ipsius quasi facula ardebat.* Eccles. 48. num. 1. & Ioan. Baptista dicitur *Lucerna lucens, & ardens.* Ioan. 5. n. 35. Vide quæ de hac re dixi tom. 3. cap. 2. quæst. 11. & 12. & tom. 2. cap. 11. quæst. 1. n. 45. 46. & 47.

Iustus pro aliis exinaniri facius. Eccl. 48. Ioan. 5.

51. Bruno. Quartò. Diuus Bruno Carthusiensis serm. 5. de Confessoribus. *Non possunt*, ait, *illi esse lucernæ ardentes, nisi qui lumbos præcingunt, lucerna quidem esse possunt, ardentes esse non possunt, nisi enim ignis inferior extinguatur, superior lucere non potest: inferior ignis luxuria est, superior quis alius, nisi gratia Spiritus sancti?* Rectè antequam Christus Dominus mandasset suis discipulis habere lucernas ardentes, prius eis præcepit, vt lumbis essent præcincti, castitate, ac putitate, enim Prædicator habeat scientiam, & eloquentiam cum impuritate vitæ, erit lucerna, non tamen ardens, cum aliorum corda non illuminet, nec calefaciat, nec ardere faciat igne charitatis, cùm id, quod verbis dicit, moribus contradicat, eiusque incontinentia totam suam doctrinam obnebulet; vt ergo sit lucerna ardens, necesse est, vt prius lumbos præcingat, prauos motus comprimat, & continentiam amet, vt remota caligine vitiorum, ac iniquitatum frigore excluso, eius doctrina splendidè fulgeat, magna vi calefaciat, ac vehementer inflammet, & audientium cordi ardere faciat.

Prædicator reprimat incontinentiã vt doctrina sua ardeat.

En lectulum Salomonis sexaginta forte ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Cantic. 3. num. 7. Ecce fortissimi milites describuntur custodientes lectulum Salomonis, Ecclesiam nempe, quæ est lectulus, in quo verus Salomon Rex noster Christus requiescit. Hi fortissimi sunt Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ, cur dicuntur habere gladios super femur, & non potius in manibus, vt districtæ absque vlla mora suum munus exercerent, vt de Sanctis Angelis canit Dauid Ps. 149. n. 6. *& glady ancipites in manibus eorum.* Theodoret. D. Ambros. lib. 10. in Luc. cap. 22. existimant, quod quilibet ex his fortissimis habeat duplicem gladium; vnum super femur, alterum in manu. Super femur, ex quo erumpunt libidinis incendia, ad comprimendos, ac coërcendos illius appetitus, ac stimulos *propter timores nocturnos*, occultas Dæmonum insidias in nocte præsentis huius sæculi. Alterum gladium intelligentiæ, ac doctrinæ portant in manu ad docendum, ac erudiendum alios. Hoc duplici gladio armantur DD. ad cũstodiendum lectulum Salomonis, Ecclesiam nempe. Solus enim ille, qui habet gladium super femur ad resecandos, ac amputandos suæ carnis pruritus, & libidines, valet habere in manu gladium verbi dei, vt aliorũ corda transfigat, & penetret, Richardus de sancto Victore, c. 11. *In fœnore*, ait, *notatur propagatio carnalis, dum per femur intelligi possunt motus carnales, atque cordis voluntates: quantum quisque has delectationes, vel voluptates sequitur, tantum in mente cacatur; contra hos nocturnos timores est gladius verbi Dei, habendus super femur delectationum, & voluptatum, non seponendus, vel longe ponendus.*

52. Cant. 3. Pſ. 149. Theod. Ambr. *Primi Prædicator amputet suos appetitus, vt habeat doctrinæ gladium.* Rich.

Scribit Ioannes in sua Apocalysi cap. 15. n. 6. *Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas, de templo, vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.* Multa est quæstio apud Expositores, quid hi Angeli significarent? Rupert. Beda, Haymon, Richard. Ansbertus inquiunt, cùm septenarius numerus signum sit cuiusdam vniuersitatis, quod septem Angeli denotabãt vniuersos Prædicatores, quia ab Ecclesia mittuntur, ideóque de templo exibant in terram phialas iræ dei, id est terribilia peccatoribus à deo decreta supplicia denunciant, vestiuntur lino candido, id est vitæ puritate, ac mortificatione. Linum enim, quia varie, & diu maceratur, & carminatur, nota est mortificationis. Habent zonas aureas, vt cingulo charitatis incontinentiam reprimant, ex quo idem insurgit dubiũ, vt iam superius dixi; Angeli omninò immunes ab omni luxurioſæ libidinis periculo, ita vt in eis aliquis paruus motus sit impossibilis, ad quid ergo zona continentiæ astringuntur, Gerebant ipsi symbolum Prædicatorum, zona ergo religantur, vt innuatur quod Prædicator

53. Apoc. 15. Rup. Beda. Haymon. Richard. Ausbert. *Succingatur Prædicator, vt doctrinam prabeat.*

quamuis videatur veluti Angelus, tamen ne quid incautè surrepat, priùs debet suos appetitus compescere, ac deuincere, ac antequam in sublime
Beda. prædicationis munus prodeat: Beda. *Qui prædicare*, ait, *fortia velis, corpus mortificet, certè zonis pectora stringere est cunctos mutabilium cogitationum motus per solius iam amoris vincula restringere.* Vide tom. 2. & 3. Verbum *Prædicator*, ibi multa.

Luca 12. *n.* 36. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

VERSIONES.

Arabicus. Vos similes estote.
D. Epiphan. Eritis tanquam boni serui expectantes Dominum.
Syriacus. Et estote similes viris præstolantibus Dominum suũ, quando reuersurus sit à domo conuiuij.
Tertull. lib. 4. *contr. Marc. cap.* 29. Expectantes Dominum redeuntem à nuptiis.

EXPOSITIO II.

54. Bonau. ITA dat Dominus documenta hic, & superiori versu; ob quæ, vt ait Diuus Bonauentura hoc Euangelium legitur in festo Confessorum, in quo tripliciter commendatur. Ex illo carmine Dauid Psalm. 36. num. 27. Psalm. 36. *Declina à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* Quæ tria explicat Diuus Augustinus August. serm. 39 *de verbis Domini.* Primum, quod est lumbos, seu appetitus præcingere conuenit cum illo. *Multiplex virtus Confessorum.* *Declina à malo.* Secundum, lucernas ardentes tenere, lumen nempe bonorum operum, respicit illud, *fac bonum.* Tertium quoad spem æternorum. *Expectantibus Dominum suum*, conuenit cum illo *inquire pacem, & persequere eam.* Idem etiam explicat Hugo de vno Confessore, continentia in Hugo. lumbis, iustitia in lucernis: patientia, seu longanimitas in expectatione. Tria hæc documenta dabat Paulus. Actor. 24. n. 25. Act. 24. *De iustitia, castitate, ac iudicio futuro.* De spe scilicet vitæ æternæ. Alij aliter explicant; lumbi præcincti denotant Apostolos mitti ad prædicandum, lucernæ ardentes, eos sua prædicatione mundum illuminare debere. *Expectantibus Dominum*; ob spem vitæ æternæ eos omnia terrena despicere.

55. *Et vos similes hominibus.* Ecce tertia pars parabolæ, ad quam duæ superiores lumbi præcincti, & lucernæ ardentes tendunt, ac ordinantur. Commendat Dominus, vt sui sint valde persimiles seruis bonis, ac fidelibus. *Expectantibus Dominum suum.* Multum cum vigilantia, patientia, ac diligẽtia, præstolantibus noctu Dominum. *Quando reuertetur à nuptiis.* Incertũ enim habent qua hora *Quæ sint nuptiæ istæ.* venturus sit *à nuptiis*, à conuiuio nuptiali. Respicit antiquorum consuetudinem, qua scilicet conuiuia præsertim nuptialia noctu celebrabantur, & ideo vt notat Maldonatus, potius introducit reuertentem à nuptiis, quam ab agro, vel foro, quæ Christo sic sunt applicanda. Christus in Incarnatione celebrauit sponsalia cum Ecclesia militãte, ac omnibus fidelibus per gratiam. Ascendẽs verò cœlum cum Ecclesia triumphante consummauit nuptias, per gloriam enim visionis beatificæ intime, & indiuulsè cum Beatis omnibus per æternitatem vnitur. Cùm ergo è cœlis ad iudicium cuiusque animæ venit, videtur è nuptiis cœlestibus redire, vt easdem animas ad nouam desponsationem inducat; nuptiæ enim sunt intima, & perpetua vnio, summumque gaudium, quod Christus habet in cœlo cum Beatis. Ita Diuus Gregorius homilia 31. in Euangel. Beda, Theophylactus, Euthymius, D. Cyrill. apud D. Thom. D. Bonauent. Hugo, & alij. Mald. Greg. Beda. Theoph. Euth. Cyrill. Bonauent. Hugo.

56. *Cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.* Docet nos Dominus, vt bona opera non differamus ad extremum vitæ, sed vt omnibus horis, ac momentis simus parati, vt cùm venerit hora, quæ Dominus ad nos venerit, non sit necesse ad studium noui operis nos conuertere. Preme verbum *cùm venerit, & pulsauerit.* Quis vnquam sponsus multo apparatu, ac comitatu amicorum veniens pulsauit ianuam; vt ab eo quæratur, *quis es tu?* Ianuæ apertæ sponsum venientem expectant. Præcauendum est hoc exemplo, vt cor nostrum non aperiatur cuique spiritui pulsanti, nisi prius multa cautela, ac discretione examinetur quis est ille, qui ad valuas nostras venit, vt ingrediatur. *Examinandi spiritus qui ad nos venit.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus suos discipulos hîc comparat potiùs cum hominibus, quàm cum Angelis spectantibus Dominum suum?

57. NOTANDVM in exordio quæstionis, quod ait Christus: *Et vos similes hominibus.* Loquebatur Dominus cum suis discipulis, ad quid tam aperte exprimit illud *vos?* Poterat dicere: lucernæ ardentes in manibus vestris, & similes estote hominibus. Ad quid apponit illud pronomen *vos?* Incipiebat Christus mundum à prauis moribus restringere, ac in meliorem formam redigere, voluitque hanc reformationem à suis inchoare; Vnde cùm Petrus ab eo quæreret. *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?* Hoc c. 12. num. 41. Respondet Christus numero 44. *Verè dico vobis.* Discant, & Prælati à suis, ac magnatibus strictiorem vitam inducere, mores componere, vitia amputare, ac omnem statum reformare. *A suis inchoat Prælatus reformationem.*

58. Ad quæstionem, sicut homines expectant dominum redeuntem à nuptiis, sic & Angeli expectabant Christi Ascensionem, ac eius aduentum in cœlum. vt redeuntem à nuptiis illis, ait Hugo, quas in die suæ Conceptionis celebrauit in vtero Virginis. De quibus dicitur Matth. 22. num. 1. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Et maximè in rem nostram Diuus Gregorius Nyssenus homil. 15. in Cantic. *Comparat nos Dominus cum Angelis, si quidem vigilanter Deo pareamus, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis scilicet facticis nuptiis, & in thalamum mysteriorum, admissa* *Difficultas quæstionis.* Hugo Matth. 22. Nyssen.

missa iam sponsa expectabant Angeli reditum regis Ecclesia ad naturalem beatitudinem, & gloriam. Ecce homines, & Angeli expectantes Dominum cum reuertatur à nuptiis. Quare ergo nos potius assimilat hominibus, quam Angelis?

59. Respondeo ad quæstionem. Christus loquebatur cum suis discipulis, quibus mandabat, imponit eis, vt sint similes, non Angelis, sed hominibus. cum enim homines essent volebant, quod vt homines se exhiberent, ac apparerẽt, nil enim aptius est, quam quod quisque videatur, ac in sua repræsentatione se prodeat, secundum esse, quod in se habet; homo, vt homo; Angelus, vt Angelus.

Qualis quisque est, talis apparet.

60. Quærunt Theologi. Quare è tribus diuinis personis potius persõa Filij, quam Patris, vel Spiritus sancti carnẽ assumpserit; quælibet enim persona Diuina in assumpta humanitate satisfactionẽ de rigore iustitiæ persolueret. Respondet D. Ioannes Damascen. lib 4. Orthodoxę fidei cap. *Ob eam causam*, ait, *Dei filius hominis efficitur, vt proprietati immobilitas sua constet; nam cum Dei filius esset, hominis filius effectus est.* Congruentius enim fuit, vt filius Dei assumeret humanam naturam, in tempore fieret, & appareret filius hominis, qui ab æterno erat filius Dei; Non enim dicebat, vt qui ab æterno erat Pater, in tempore proditet, ac fieret filius. Optima rerum ordinatio, vt cuiusque præsentia eius conditionem exprimat.

Dam.

Qui est filius ab æterno apparet in tempore filius hominis.

61. Ad perlustrandam terram Chanaan mittuntur à Moyse duodecim exploratores, qui dum recensentur à sacro textu; de Iosue ait. *De Tribu Ephraim Osee filium Nun.* Numer. 13. num. 9. Septuaginta legunt. *Ausem filium Naue.* Qui cum regressus esset, & vidisset populum tumultuantem, ac omnino diffidentem ad terram Chanaan expugnandam; tunc refert sacer Textus, Num. 14. num. 6. *Iosue filius Nun; & Caleb filius Iephone scidérunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra, quam circuiuimus, valde bona est: si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam.* Numer. 14. num. 6. Maximè notandum est, quod idem ipsemet homo cum mittitur ad explorandam terram, appellatur Osee, seu Auses, postea verò cùm reuertitur, & veritatem aperte, ac sincere dicit, tunc Iosue nuncupatur, cur etiam quando inter exploratores pergit, non Iosue dicitur? Verum est, quod idemmet homo erat; At exploratoris munus, vnum ostendit in facie, aliud latet in animo, præbet se in ore amicum, & in corde retinet fictionem. Alta dispositione cum exploratoris munus agit, dicitur Auses, & non Iosue, quod symbolum habet sanctissimi nominis Iesus, tantum enim nomen procul abest ab appellatione, ac officio, quod fictionem, & dolum importat, indéque inter exploratores omnino tacetur, maximè verò exprimitur, cum veritatem simpliciter profert, animum suum aperit, & id, quod retinebat corde, testatur ore Origenes homil. 1. In Iosue. *Inter eos*, ait, *qui ad explorandum missi sunt nomen eius Ause scribitur, & fortassis pro exploratoris officio, non Iesus, sed Ause dictus est. Cùm verò vidit opere expleto, & perterritis omnibus solus sublevat lapsos, tunc à Moyse Iesus nominatus est*

Num. 13. Septuag.

Num 14.

Iesus adest in veritate, longè distat à fictione.

Orig.

62. Apparuit Deus Abrahamo, aitque ei. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Genes. 17. num. 1. Septuaginta legunt. *Esto inculpabilis.* Quid ei commẽdat, cum dicit esto perfectus, inculpabilis? Explicat. Lyppoman. *Esto perfectus, fidelis, simplex, & non duplici corde mecum pergas.* Homo enim duplici facie, vna in ore, altera in corde maximè Deo displiceat.

Gen. 17. Septuag.

Lyp.

QVÆSTIO IX.

Quare Dominus reuertens à nuptiis suos vult inuenire non vt duces, ac principes, sed vt seruos?

63. IN præsenti maximè exhortatur Christus suos discipulos, vt sint præparati ad ipsũ excipiendum, ad hoc eis proponit, vt sint similes hominibus, ac seruis, *& vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis*, & iterum: *beati sunt serui illi.* Christus suos discipulos appellauerat lucem mundi: *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. num. 13. eósque constituerat principes orbis terrarum, ac principes suæ Ecclesiæ. Matth. 18. num. 18. Cùm ergo Christus in præsenti suos admoneat, vt sint præparati ad eum excipiendum tanquam Dominum reuertentem à nuptiis; cur non mandat eis, vt sint compositi, ac ornati ad illi occurrendum tãquã luces, principes orbis terrarum, pastores Ecclesiarum? Eorũ enim tantus apparatus, ac cultus præuenuste Domini maiestatem decantabat. Ad quid hoc omni ornatu omisso seruorum tantum habitum perquirit? *Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum;* & iterum: *Beati serui illi.*

Matth. 5.

Matth. 18.

Difficultas rationis.

64. Respondeo. Ad eum excipiendum non commemorat in suis principatus, sed seruitutis conditionem; magis enim pignorabatur, ac allicieba-tur, vt eos multis fauoribus, ac donis sublimaret, humilitate, ac submissione, quæ in eis apparebat, quam alia quacumque magnitudine, quæ illis manifestaretur.

Humilitas allicit ad fauores.

65. Postulat Mulier Sunamitides à parente Elisæo salutem filio suo, qui eius precibus commotus, non solùm puerum suum mandat, sed etiam ipse egressus è suo loco, ad domum mulieris, pergit, *Surrexit ergo & secutus est eam.* 4. Reg. 4. n. 3. Postea verò veniens Naaman ad ipsum, vt ab illo suæ lepræ sanitatem impetraret, non finit eum Elisæus in domum suam introire, sed per nũtium declarat ei. *Vade, & lauare septies in Iordane.* 4. Reg. 5. num. 10. Vnde tanta rei differentia, quod ad domum mulieris tetẽdit; Naaman verò in domum suam non admittit? Sunamitides venit cum multa submissione ad Prophetam. *Cumque venisset ad virum Dei montem apprehendit pedes eius.* cap. 4. num. 27. D. Paschas. lib. 11. in Matthæum *Submisse pedes tenebat.* Ad Naaman multo comitatu, ac apparatu domum Prophetæ petebat, & plus præualuit apud virum Dei humilitas viduæ, quàm splendida Aulici regij magnificentia; quod eximiæ magnitudini denegatur, hoc paruæ humilitati conceditur.

4. Reg. 4.

4. Reg. 5.

Quod maiestati denegatur, hoc humilitati conceditur.

66. Apparet Dominus Abrahamo Genes. 18. n. 2. vt ait D. Chrysostom. serm. 131. *Se ostendit hospitio in figura.* Qui ei lautum parauit conuiuium, cum vno vitulo, lacte, butyro, ac panibus. Postea verò egressus Iacob de domo patris sui cum solus iter faceret in Mesopotamiã, ac in quodam loco requiescerret, inclinans caput suum super lapidem videt cœlum apertum, *& scalam stantem super*

Gen. 18. Chrys.

super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes per eam, & Dominum innixum scalæ. Genes. 28. num. 12. Quare Abrahamo sub forma peregrini; Iacobo verò in tanta maiestate se exhibet Deus? Abrahamus erat in tabernaculo suo, in agro suo valde potens cum multa opulentia, ac rerum copia, ita vt de domo sua trecentos decem, & octo vernaculos expeditos numeraret. Genes. 14. num. 14. Iacob verò pauper, & humilis, vt ait D. Bruno in allegor. Titelm. *In culmine humilitatis.* Vt eius habitus indicabat, dormiens super lapidem. Deus autem in habitu peregrini excipitur in domo diuitis, qui in gloriosa maiestate ministrantibus Angelis apparet pauperi recumbenti super lapidem plus huius humanitatem, quam illius amplitudinem appendens.

Gen. 28. Gen. 14. Bruno.

QVÆSTIO X.

Quare serui describuntur non tanquam Dominum comitantes, sed eum expectantes?

67. Philip. RESPONDET primò Philippus Abbas l. 2. in Cant. c. 16. *Quia verò, ait, non sufficit magnis operibus quendam fulgere, nisi per hæc intendat, non hominibus, sed Deo placere: addit, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum: Intentio, vel expectatio, qua non transitoriam mercedem expectantis, quoddam est rectitudinis monumentum, & instar capitelli columnæ commendabilis ornamentum. Nuda equidem, & inconueniens est columna si non capitello superposito decoretur, & insufficiens rectitudo, qua expectatione Domini non tenetur.* Post exclusa vitia in lumborum præcinctione, post commendatas virtutes in lucernis accensis iubet eis Diuinus Magister, vt toto nixu in omnibus Deum expectent, & attendant; sicut enim columna in templo à capitello habet suum ornamentum, sic & omnis virtus inde habet suum decorum, quod in omnibus super omnia Deum spectet, ipsumque expectet. Vide cap. 13. n. 54. & cap. 16. n. 84. & 85.

In assimilibus nostru Deus spectandus.

68. Secundò. Assimilat Dominus suos non seruis quærentibus, vel comitantibus Dominum suum, sed expectantibus eum quando reuertatur à nuptiis. Cur serui non requirunt Dominum, cum hoc seruorum conditioni maximè conueniat, sed tantum dominum sunt expectantes; *Quando reuertatur.* Adeo desides sunt homines, vt ad Deum nolint accedere, nisi ipse ad eos descendat; ipsi ob animi remissionem Deum non quærunt; sed Deus ob suam eximiam pietatem eos exquirit. Vide tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 11. & tom. 2. cap. 5. n. 170. 171. & 172.

Deus quærit homines, non verò ipsi Deum.

69. Tertiò. Deiectis vitiis cum lumbi præcinguntur, virtutibusque micantibus cum lucernæ accenduntur, apponit Diuinus Magister, vt multa bona à Domino reuertente à nuptiis sperent, *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, &c.* Solus enim ille, qui debellatis vitiis, multis virtutibus fulget, dignus inuenitur, vt multa bona à Domino speret, qui enim iustitia insignitur, spe repletur, vt radiante corona splendeat. D. Laurentius Iustinian. tract. 8. de spe cap. 3. *Tunc, ait, verum esse hominis spem potest comproba-*

Solet, qui bona merita, dignus est sperare. Laur. Iust.

ri, si meritum adsit. Natus Enos, de quo ait Scriptura. *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Genes. 4. num. 26. Id est vt explicat noster doctissim. Vualdens. & ex eo Bellarm. lib. 2. Monich. c. 5. Enos instituit peculiarem, ac sublimiorem aliquè cultum Deum exorandi, venerandi, ac adorandi. Præfata tamen verba Geneseos legunt Septuaginta. *Hic sperauit inuocare nomen Domini.* Merito sanè; ex eo enim quod ipse tantum obsequium Deo præstitit, vt Auctor fuerit alicuius insignis cultus diuini honoris inde promeruit, vt sperare inuocare nomen Domini, vt sibi propitium, ac beneuolum. D. Augustinus lib. 15. de ciuitat. Dei cap. 18. *Hic sperauit, ait, inuocare nomen Domini, vt ostendat, quod non in se ipso spem ponere debeat, sed in illa immortali ciuitate beatitudinis sempiterna.* Vide tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 71. & tom. 3. cap. 1. quæst. 4. n. 30. 31. 32.

Gen. 4. Septuag. Aug.

70. Quartò. Cùm Christus mandat, vt tanquam serui simus prompti, & expediti, ac non impræparati, vt cùm Dominus pulsauerit, aperiamus ei: significat Dominus nos non debere differre opera bona ad extremum vitæ, sed continuò rectis actionibus incumbere, vt in hora mortis præparati inueniamur, & sic semper in maiori perfectione ambulemus. Mortua Sara, cumque eam sepelisset Abrahamus, ait Scriptura, *cumque surrexisset ab officio funeris.* Genes. 23. num. 3. Cur non scriptum est à Moyse, recessit, exiuit à loco funeris? sed cum surrexisset, vt scriptor canonicus denotaret, quod ex mortua vxore ad multâ mortis cõsideratione se recipit Abrahamus, & inde ad altiorem vitæ perfectionem surrexisset, quæ interpretatio ex ipsa litera colligere licet, nam ante Saræ mortem constitutus est à Deo Dominus, ac possessor terræ, iuxta illud, *possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*, post verò mortem factus est illius contemptor, statim enim sequitur. n. 4. vt diceret ad Hetthæos. *Aduena, & peregrinus sum apud vos*, ac si ex mortis consideratione ad vitæ contemptum promouereretur, quod ponderans D. Chrysostom. ait: *Monstrat nobis Scriptura virtutem Patriarchæ per omnia, spe futurorum despiciebat præsentia, & expectatione maiorum bonorum, minus curabat ea, quæ in præsenti sunt vita.* In tam alta hac consideratione versabatur Abrahamus, vt diceret Hetthæis. *Date mihi ius sepulchri vobiscum.* Idem; non ait, date mihi sepulchrum, sed ius sepulchri, cognoscebat enim, quod nihil in hoc sæculo habebat nisi tãtum ius, vt sepeliretur D. Thomas: *Nota*, ait, *quod non petat sepulchrum, sed ius sepulchri, quia volebat ibi Dominum habere, ne amodo de communi iure posset sibi auferri.*

Gen. 23. *Ex mortis consideratione crescit homo in perfectione.* Chrys. *Homo solùm in hac vita habet ius sepulchri.* D. Thom.

71. Quintò. Cùm Christus suis discipulis dicit: *Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, &c.* Eos inducit, vt multa cum spe Dominum sint præstolantes, ac etiam vt timore repleantur, formidantes ne quid in eis desit ad Dominum venientem excipiendũ; ad quod etiam infra subdit: *si sciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, non sineret perfodi domum suam.* Ordinat ergo Christus Dominus vt sui simul cum spe, ac timore degant. Iustus in omni sanctitatis apice habeat timorem, ne cadat; iniquus verò in omni peccatorum fœditate spem se exigendi retineat, totáq; nostra vita timore, ac spe componatur, ac regatur.

Beatus seruus vinit cum spe, & timore.

72. Post primi Parentis peccatum. Deus *collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*

vita. Genes. 3. num. 24. Si homo tam grauiter peccauit, cur Paradisi ianua ferreis vectibus non clauditur? Ad quid apertata relinquitur custode vno Cherubim flammeo gladio? Ostium apertum relinquitur, vt homo quàuis electus adhuc habeat ingrediendi fiduciam; apponitur custos Angelus cum gladio, vt timorem incutiat; gladius est versatilis, & flâmeus. Versatilis pro vt inclinat in vnâ partem, per aliam sine offensione patet, ingressus, talis est gladius, vt relinquatur homini fiducia ad ingressũ. Strab. *Gladius versatilis dicitur, quia potest remoueri.* Gladius verò flammeus est, vt terrorem incutiat. D. Epiphanius. *Vt Adam*, ait, *filios moueret exemplo sui, auerteret à peccatis, ob id fulminantis gladij aspectus, & Cherubim vultum terrorem præbuerunt quo vsque vixit Adam.*

Spe, vt timore remouatur homo.

Strab.

Epiphan.

73. Primus; in quo pœna mortis exequitur, extitit iustus, sanctus, ac innocens Abel, vt notarunt D. Basil. Seleuc. orat. 4. Et Theodoret. quæst. 46. in Genes. Primus, qui in regnum cœlorum ingreditur, vnus extitit latro, vt tenet D. Cyrillus Hieresol. Cathec. 13. *Nondum*, ait, *fidelis Abrahamus, ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moyses, & Prophetæ, & iam latro iniquus ingreditur.* Ad quid tam sublimis rerum dispositio? Ne Abel vt iustus multum confidat, & latro vt peccator ne nimium timeat, sicque vnius confidentia deprimatur, & alterius timor animetur.

73. Basil. Theod. Luc. 23. Cyrill.

QVÆSTIO XI.

Quare Dominus dicitur reuerti à nuptiis, cum ad desponsationem cum iusti anima veniat?

74. VIT Christus suis discipulis, *& vos similes hominib. expectantib. Dominum, quando reuertatur à nuptiis.* In præsenti sermo est de tempore horæ mortis, & ideo infra subdit. *Vigilate, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* In mortis autem articulo Christus desponsationem init cum anima iusti, vt eam ducat in æternam beatitudinem: vt communiter D. Aug. D. Hieron. Origenes, D. Gregorius explicant Virginum parabolam; quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Matt. 26. n. 10. Et in Apoc. 19. numer. 7. Angeli gaudent, & exultant. *Quia venerunt nuptiæ Agni.* Si ergo sermo est in præsenti de mortis articulo, in quo cum anima iusti desponsationes celebrantur. Cur non dicitur Vigilate, & estote similes illis, qui sponsum expectant ad contrahenda sponsalia, sed ait vt eum præstolentur vt reuertentem à nuptiis? *Quomodo reuertatur à nuptiis.* Et augetur difficultas, quia cum veniat, vt sponsus sponsi nomen supprimit, & tantum se Dominum publicat; *expectantibus Dominum suum.*

In hora mortis nuptiæ cũ Christo celebrantur. Aug. ad lit. Hier. Orig. Greg. Matth. 25. Apoc. 19.

75. Respondeo primò. Vult Dominus Magister; vt iustorum animæ sic eum expectent, non tanquam ad nuptias eum eis celebrandas; sed vt alibi habente eas contractas, vt sincerus seruorum affectus erga Dominum suum, clarissimè manifestetur, qui lumbis præcinctis, lucernis ardentibus, tanta vigilia, ac promptitudine Dominum suum expectant, non nuptiarum lucro, sed amore, ac fidelitate, qua erga Dominum suum afficiuntur; vt solum intendant ei inseruire, omnibúsque obsequia præstare. Viginti quatuor seniores: *Mittebant coronas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem.* Apocalyps. 4. num. 11. Cur ad diuinas laudes decãtandas coronas abiiciunt? Vt fiat manifestum, quod vocibus Dei magnalia resonant, non ob præmia, ac coronas acceptas, sed tantum vt inseruiant, ad Deum magno cantu glorificent. Tertullian. lib. de corona militis in fine. *Atque exinde nunquam*, ait, *coronatur: id, quod in signum habet ad probationem sui, sicubi tentatus fuerit de sacramento, statimque creditur Mithra miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit.* Vide supra in hoc cap. q. 2. per totum.

Iustus pro præmio habet inseruire, & obsequia Deo dare.

Apoc. 4.

Tert.

76. Secundò. Verum est, quod in articulo mortis Christus Dominus descendit ad desponsationem cum anima iusti celebrandam, & etiam ad eam iudicandam, merito ergo sponsi nomen tacetur, & Domini tantum publicatur. *Expectantibus Dominum suum.* Vt ex hoc magnum nobis documentum præbeatur, quod iudex cum tribunal ascendit, ac ad iudicium conuenit, solum suæ potestatis iura alta mente retineat, obliuiscens de rebus, ac nominibus, quæ amoris affectum allicere possunt, qualia matrimonia, ac desponsationem denotant.

Iustus obliuiscatur de his, quæ solicitant affectum.

77. Christus Dominus in vltima cœna: *Discumbebat cum discipulis suis, & dixit eis, vnus vestrum me traditurus est; væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matth. 26. num. 20. In his verbis Christus Dominus agit de culpa, ac pœna ludæ. Cùm de culpa pertractat, eum tanquam vnum ex suis discipulis agnoscit. *Discumbebat cum discipulis suis: vnus vestrum me traditurus est.* At quando de pœna instituit sermonem: eum non tanquam discipulum, sed vt hominem reputat. *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur?* Quotiam cum de culpa est sermo, Iudam vt discipulũ respicit, minimè verò cùm de pœna verba facit? Cùm culpa multo grauior pœna sit, culpa enim Diuinam læsit maiestatem. Quando Christus Dominus in cœna discumbebat cum discipulis suis, cum eisque loquebatur; notat D. Chrysostomus serm. 2. in feria 5. Passionis. *Ascendit*, ait, *Christus propria Deitatis tribunal, & illud comminium, velut cœlestem mensæ se constituens.* Christus Dominus vt Magister disserit de Iudæ culpa adhuc eum in discipulorum numero computat, verbis suis intendens eum à tanto crimine auertere; at verò cùm ad pœnam tanquam iudex deuenit, statim vt rectus Iudex à memoria discipuli nomẽ deponit, quod ad conciliandum amorem, ac effectum multum inducebat, sed vnum tanquam ex communibus hominibus dicit:

Matth. 26.

Chrys.

Iudex in tribunali deponat amoris affectum.

78. Cùm Iesus eiiceret dæmonium ab homine, quem dirè, ac crudeliter vexabat spiritus immundus. *Interrogabat eum Iesus, quod tibi nomen est?* Marc. 5. num. 9. Qua de causa nomen interrogat, cum ipse apprime nomen præcallebat, omnium enim nomina ipse tenet. *Qui numerat multitudinẽ stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Psalm. 146. num. 4. Christus Dominus cùm hoc dæmonio hominem opprimente se habebat veluti iudex, vt præclare docet D. Chrysolog. serm. 17. *Interrogat*, ait, *non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitorij. Nomen interrogat vt de conditione discutiat, iudicet de reatu, addiscat de crimine,* Dominus vt omnium creator, omnium nomina comprehendit, at verò vt personam iudicis gerit, sic

Marc. 5.

Psalm. 146.

Chrys.

se

se habet, tanquam si nomen non cognouisset, sed penitus ignoraret, ita sit iudex alienus ab omnibus, quæ animi affectum solicitare possunt, vt etiam rei iudicandæ nomen è memoria deponat, ac obliuiscatur.

Iudex nos rei nomen ignoscat.

QVÆSTIO XII.

Quare dies mortis dicitur dies nuptialis, & festiua?

79. IN limine quæstionis notãdum est, quod quamuis hic de die mortis sit sermo, vt dixi superiori q. nulla in præsenti timoris, sed tantum spei fit mentio, non dicitur, Vos similes hominibus timentibus Dominum suum, ne quid in eis reprehendatur; sed tantùm *Similes hominib. expectantibus.* Licèt enim tota hominis vita ordinata sit ad Dei timorem in morte, tamen potius sperandus, quàm timendus est Deus, multúmque de eius bonitate confidendum. Ex quo monet D. Ambrosius lib. de bono mortis. cap. 8. *Mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad vitam.* Sicut enim vita tempus est timoris, sic & mors spei. Vnde ait Sapiens Prouerb. 14. num. 32. *In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua.* Quod ipso emortuo à miseria, ac vexatione liberabitur.

In hora mortis potius sit spes, quàm timor.

Ambr.

Prou. 14.

80. Præsens quæstio inquirit, cur cùm hîc sit sermo de die mortis, vt dictum est, appellatur tamẽ dies nuptialis? Qui præsertim apud Reges, & principes, est omnium grauissimus, ad quod alludens Salomon cùm dixisset. *In die desponsationis eius*, subdit, *& in die lætitiæ cordis illius.* Cant. 3. num. 11. Quomodo ergo dies mortis, dies amaritudinis, dies est desponsationis?

Difficultas quæstionis.

Cant. 3.

81. Respondeo primò. Dies mortis dies festiuus, ac præiucundus est iusto, in eo enim transit ab hac terrena habitatione, vt cum Christo regnet in gloria de so ait Apostolus. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo*; Ad Philip. 1. num. 23. Pro *dissolui* legit D. Hieronymus lib. contra Ruffin. *Reuerti.* Chrysostomus, & Græci. *Migrari.* Vnde ait Tertull lib. de corona militis, c. 28. *Quod aliud est votum nostrum, quam quod & Apostoli? Exire de sæculo, & recipi apud Dominum.* Nam vt ipsemet Apostolus ait ad Philip. 3. n. 20. *Nostra conuersatio est in cælis.* Legit D. Athan. serm. in illud Profecti in pagum. *Nostra ciuitas in cælis est.* Moritur Abrahamus, & dicitur Genes. 25. num. 8. *Congregatus est ad Angelos, quorum ciuis erat.* Quod late D. Aug. lib. quæstionum super Genes. quæst. 268. Iustus cum morte non finitur, sed tunc incipit viuere, ac degere in noua ciuitate, nouáque conuersatione Angelorum.

Iusti gaudent, & exultant in morte.

Philip. 1.

Hieron.

Chrys.

Philip. 3.

Athan.

Gen. 25.

Interlin.

Aug.

82. Secundò. Dies mortis Iustorum dicitur dies nuptialis, ac festiuus Christo Domino cùm in eo suis electis præmia largiatur, nulla autem dies præiucundior, lætior Christo Domino quàm illa, in qua suis electis dona cócedit, ac communicat: vnde Theodoretus explicans illud Pauli ad Hebræos 12. numero 2. *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Sic ait: *Seruatoris nostri gaudium est salus hominum.*

Christi lætitia dare sua præmia.

Theodor.

83. Cùm vnicuique beatorum Deum conferat suam gloriam illi sub parabola talentorum ait; *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. num. 21. Non ait illi, intra in gaudium tuum, quod tibi est paratum, tibique confertur, *sed intra in gaudium Domini tui.* Quamuis enim ipsa beatitudo sit electi sempiternum gaudium, tamen multo maiori lætitia, ac iucunditate in ea electis largienda ipse Dominus afficitur, indéque potiori iure non serui, sed Domini publicanda est gloria. Reperta oue à bono Pastore, congratulationes postulat ipse ab amicis suis. *Congratulamini mihi, quia inueni ouem, quæ perierat.* Lucæ 15. numero 6. Perbelle obseruat Diuus Gregorius homilia in Euangelia. *Notandum*, ait, *quod non dicit, congratulamini inuentæ oui, sed mihi: quia videlicet eius gaudium est vita nostra, & cùm nos in cælis reducimur, solemnitatem eius lætitia implemus.* Licet magnum bonum esset oui, quod fuerit inuenta, non tamen ei, sed sibi mandat Dominus facere gratulationes, nam ex eius inuentione maiori gaudio ipse Dominus, quàm ouis perfunditur.

Matth. 25.

Plus gaudet Christus, cùm præmia dat iustis, quam ipsi iusti.

Luc. 15. Greg.

Luc. 12. n. 37. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

VERSIONES.

Syriacus. Felices serui illi, quos cùm venerit Dominus ipsorum, inueniet vigilantes: amen dico vobis præcinctus lumbos faciet, vt discumbant.

Arabicus. Præcinget medium suum, & faciet illos discumbere, & stabit ministrare illis.

Arias. Quos veniens Dominus inuenerit vigilantes; amen dico vobis, quod circuncingetur, & prodiens ministrabit illis.

EXPOSITIO. III.

84. *BEATI serui illi.* Seu, vt legit Syriacus: *felices.* Seu irreprehensibiles, seu *perfecti*, vt legit ex Græco. Theodorus in Psalm. 1. *Beatus vir.* Dicuntur autem beati beatitudine quàm vocant *vie*, & *in spe*, Cui beatitudini multæ virtutes sunt necessariæ *Serui*: quos accubantes in mensa, vt Dominus introducit, seruos vocat, vt in tanto honoris apice antiquæ conditionis non obliuiscantur. *Quos cum venerit Dominus*, prosequitur metaphoram Domini, ac seruorum, qua vsus fuerat. *Inuenerit vigilantes*; scilicet lumbis præcinctos tenentes luceruas, expectantes Dominum. *Vigilantes.* Titus Bostrensis. *Hoc est omni virtutum generi intentos.* Vnde eleganter ait Beda. *Vigilat, qui seruat operanda, quod credidit.* Paul. 1. Corinth. 15. num. 34. *Exigilate iusti, & nolite peccare.* Clemens Alexandrinus 2. Pedag. cap. 9. *Beati*,

Syr. Theodor. *Antiqua editionum seruemur.*

Bostr.

Beda.

1. Cor. 15.

Clem. Alex.

ri, ait, *qui in ipsum vigilarunt se ipsos Angelis assimilantes.* D. Hieron. in cap. 4. Daniel. num. 14. ait: Angeli dicuntur vigiles. *Quin semper vigilant, & ad Dei imperium sunt parati.* Hugo moralizat de prælatis, quos inuenerit vigilantes super gregem suum.

Hieron. *Vigilare munus Angelorum.* Hugo.

85. *Amen dico vobis.* Cùm ad assignanda præmia iustis accedit hanc formam mirę asseuerationis interponit, ne ex difficili pręmiorum distributione, quæ sit inter homines, quis inepte coniectaret de Christo, qui valde sedulus, ac verax est in suis seruis pręmiandis. *Præcinget se.* In morem scilicet ministri, vt iam dixi ex Euthym. q. 1. qui solebant lumbos præcingere, vt expeditius operarentur. *Faciet illos discumbere.* Mensę scilicet accumbere tanquam Dominos. Cùm dicit discumbere, denotat, vt ait Carthusianus, quod plenissime in cœlesti mensa diuinæ fruitionis requiescent. Theophylactus premit verbum, quod cum dicit recumbere seruos. *Toros*, ait, *per omnia quiescere facit. Nam sicut, qui recumbit, toto corpore quiescit: ita in secundo aduentu omnes sancti per omnia requiescent.* Cœlestis quies vndique plena, & perfecta, vtpote æterna, & non vt mundana, quæ est dimidiata, ac pertransiens.

Assecuratio in præmio distribuendo. Euth. Carth. Theoph. *Beatitudo requiet.*

86. *Transiens*; Vt solent ministri mensas obire, ac circuire, vtróque deambulantes, ac aspicientes, ne quidquam alicui desit. *Ministrabit.* Copiosissime largietur omnia fercula necessaria ad corũ refectionem, recreationem, ac æternam felicitatem. Hæc parabolicè sunt accipienda, vt est euidens. In cœlo propriè non sunt cingula, nec discubitus, nec transeuntes. Significat ergo Christus Dominus se suis electis multam felicitatem, ac honorem, & dignitatem exhibiturum, vt ex seruis faciat quasi Dominos, ac veluti pares sibi edentes, & bibentes super mensam suam in regno suo. Luc. 22. num. 30. Idque factorum multis ferculis, & deliciis, donis scilicet animæ, & corporis, & prouisurum ne quid necessarium iucundum, ac desideratum cuilibet desit, sed largissime omnia suppeditabit. Iuxta illud: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psalm. 35. n. 9.

Hæc parabolicè sunt dicta. Luc. 22. Psalm. 35.

QVÆSTIO XIII.

Quare supremus Dominus describitur ministrans seruis?

87. OCTISSIMVS Maldonatus existimat, quod cætera, quæ in hac parabola dicuntur, vsitata sint, quod scilicet Dominus intempesta nocte redeat, fores pulset, & serui sint accincti, cũ lucernis expectãtes; at verò, id, quod in præsenti dicit, vt Dominus transiens seruis ministret, vsitatum non est; voluit tamen Dominus significare, se tantam diligentibus, vigilantibus, atque paratis seruis gratiam daturum, vt faciat illis, quod nemo Dominorum seruis suis solet facere, vt illis discumbentibus ipse seruiat.

Maldon.

88. Probabilius mihi est, quod Christus Dominus hic allusionem faciat ad rem communem, ac vsitatam apud aliquas gentes, vt frequenter in huiusmodi comparationibus fit; Mos erat apud aliquas nationes, vt honoris, ac familiaritatis gratia Domini aliquando seruis, ac amicis discumbentibus in mensa inseruirent, vt testatur Athenæus lib. 14. Dipnosophist. cap. 17. *At non*, ait, *saturnaliorum quidem solum diebus, in quibus mos est apud Romanos, vt familiaribus conuiuium exhibeant, ipsique seruorum officio fungantur: Est autem Græca hæc consuetudo, nam per Mercurialia festa hoc ipsum fit in Creta, velut testatus est Caristius in historicis commentariis; nam conuiuantibus seruis Domini illis seruiunt, atque ministrant.* Ex Berosso eũdem esse morem Babyloniorum refert Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 12. de Mense Martio agens, *Hoc mense*, ait, *serui cœnas apponebant Matrona, vt Domini saturnalibus: illa vt principio anni ad promptum obsequium honore seruos inuitarent; hi quia gratiam perfecti operis excoluerunt.* Ad quod etiam tendit sententia Senecæ Philosophi Epist. 47. *Maiores nostri*, ait, *instituerunt diem festum, quo non solum cum seruis Domini vescerentur, sed etiam vtique honores illis in domo decernere, ius dicere permiserint.* Hoc posito, ad quæstionem.

Athen. Macrob. Seneca.

89. Primò. Ad hanc communem consuetudinem videtur Christum alluisse; ipse enim, qui est Rex regum, ac Dominus seruorum dicitur in parabola, *quos cùm venerit Dominus*; tamen vult se submittere, vt seruis suis seruiat, & qui in eius obsequio præcincti laborauerunt, ipse præcinctus dicitur eis ministrare, vt eos discumbere, ac cœnare faciat; ipse se dimittit, vt nos efferat, ac multo honore afficiat, ô mira hominis dignatio. Diuus Thomas apud Aloysium Novari. *Vt sicut*, ait, *ipsi ministrarunt ei, ita & ipse eis ministret; & ministrabit, quasi esset seruus eorum emptitius, & quilibet eorum esset Dei Deus.* Nihil maius de homine dici potest.

Iustus multum extollitur à Deo. D. Thom.

90. Secundò. Diuus Chrysologus sermone 14. Præcinget se, & faciet *illos discumbere: quia*, ait, *parumper seruus assistit in Domini sui expectatione succinctus: & sustinendi fidem breui fatigatione portauit; cui vt talionem redderet, dissimulat se in ipsa Diuinitate diuinitas.* Perpẽde verba multo acumine plena; introduxerat Dominus seruos ipsum expectantes. *Et Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum*; vt seruis expectantibus, seu meritis expectationis eorum æqualem retributionem, ac præmium rependat. *Cui cùm talionem redderet.* Cùm æternam beatitudinem sub nomine conuiuij cõfert, Christus Filius Dei, cui omnium obsequia debẽtur, ad humile ministrandi seruitium se submittit. *Quia seruus sustinendi filium breui fatigatione portauit.* Alia merita per beatitudinis collationem remunerantur. Sic fideli seruo dicitur. *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. n. 23. Viris misericordia præclaris dicitur. *Venite benedicti Patris mei possidete regnum: esurini enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. Matth. 25. n. 34. At viris expectantibus ad ministẽrium ipse se demittit. *Quia seruus sustinendi fidem breui fatigatione portauit.* Tam ardua, ac molesta res est spes, tantoque illius cruciatu animi anguntur, quod ad eam remunerandam, non solùm totam beatitudinis gloriam largietur Christus, sed etiã insuper ipse celsitudinem suę maiestatis ad vile seruorum obsequium demittat, vt viros spe plenos multo honore condecoret. *Vt talionem redderet, dissimulat se in ipsa diuinitate Diuinitas.*

Expectatis gratia cruciatus, indè magnum præmium habet. Chrys. Matth. 25. Matth. 25.

91. Tertiò. Pergit citatus Chrysolog. *Discumbenti homini*, ait, *Deus adstat, & adstat in cœlestibus epulanti, seruo seruit Dominus, & seruit accinctus; puero suo, & ministro suo ministerium facit Christus, & facit in Patris gloria constitutus.* Ecce supremi regis celsi

Chrys. *Bonus princeps in sui ostentatione seruilia non respuit.*

celsitudo. In gloria est Dei Patris cõstitutus, & tamen ibi non respuit seruilem conditionem, nec dedignatur coniungere maiestatem principis cũ seruorum habitu. Instruantur & principes sæculi, quod tunc magis fastigium eorum maiestatis clarescit, quando in ostentatione suæ magnificentiæ seruilia officia non recusant.

92. Cabas. Quartò. Auctor Græcus Nicolaus Cabasil. l. 4. de vita in Christo. *Etiam in futuro*, ait, *quando cum virtute adueniat, & cum paterna gloria apparebit in ostensione, in regno suo: præcinget se, & faciet illos discumbere, transiens ministrabit illis. Hæc quippe modo germano, verõque regno sibi regnabit, & ipse sibi ad regnum sufficiens.* Expende hæc vltima verba. Temporales reges, etsi potentissimi sint, sibi non sufficiunt, multa ministrantium turba indigent, vt regni negotia persoluant; At solus Christus sibi est abundantissimus, etsi multos habeat ministros, ipse tamen per se solùm omnia præstat, ipse suos facit discumbere, & transiens ac circunspiciens ne vnicuique aliquid desit, sed vt omnes multis donis repleantur, & ipse ea illis ministrat, solus sibi abundantissimè sufficiens.

Dei regnum sibi sufficit, alius non indiget.

93. *Christum in gloria sui antiqui muneris nõ obliuiscitur.* Ad Philip. 2. Quintò. Ad eadem verba citata. *Quando cum virtute veniat, & cum paterna gloria apparebit in ostensione, in regno suo Christus Dominus cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Ad Philip. 2. num. 7. Vt tanquam seruus hominibus ministraret, constitutus ergo in gloria Dei Patris in ostensione suæ maiestatis, non obliuiscetur antiqui sui muneris ministrandi, sed adhuc illud soluit, & adimplet. Sextò. Christus ipse est omnium Dominus, vt etiam introducitur in parabola, *cum Dominus venerit.* Cui omnes debẽt famulatum præstare, tamen ipse ministrando vult obsequia exhibere. Elegit enim potius legi amoris, quam maiestatis iuri satisfacere; nam etsi ius maiestatis exigebat, vt in throno resideret, tamen amoris vis impellebat, vt suis tanquam seruus ministeria persolueret. Septimò. Nos in hoc sæculo Christo seruimus, eique obsequia nostra deferimus, ipse etiam per semetipsum vult in nos præmia conferre; ô quantum distat ab hac ordinatione humana conditio, vni enim obsequia damus, alter verò remunerationem præstat.

Satisfacit Christus potius amori, quam maiestati.

94. Ambr. Octauò. Vt ait D. Ambrosius lib. 5. in Luc. *Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.* Quia serui maximè se præparauerunt lumbis præcinctis, lucernis ardentibus, multáque vigilia, vt Dominum, eiusq; præsentiam ac corpus excipere̅t, ideo digni fuerunt, vt dulce cõuiuium, regias epulas, suaues delicias eis ipsemet Dominus ministraret, cuius præsentia, ac corpus omnes nostræ diuitiæ sunt; Vnde Clemens Alexandrinus Christum Dominum maxime in sacramento Eucharistiæ, *sanctum lætitiæ fluentum* appellauit.

Qui digne Christum recipit, affluit delicijs.

Clem. Alex.

95. Nonò. *Cùm venerit Dominus præcinget se, & faciet eos discumbere & transiens ministrabit illis.* In quo maximè notandum, quod semel se dicit Dominum. *Cùm venerit Dominus.* Quatuor verò seruorum insignia sibi adscribit: *præcinget se*, quod proprium ministrorum erat. *faciet eos discumbere*, tribuens sedes vnicuiq; iuxta suum ordinem; *transiens.* Deambulando per mensas, vt videat, an omnibus omnia necessaria suppetant. Et tandem, *ministrabit.* Vnde præclare dixit D. Petrus Chrysologus sermon. citato 24. *Faciet eos discumbere, & ministrabit illis. En mutatio inaudita rerum, en correptio dominationis.* Vix semel se dicit Dominum, ipsúmque dominationis vocabulum quadruplici seruorum nota corripit. *En terribilis correptio dominationis.* Vt fiat manifestum celsitudinis, ac prælationis fastigium nõ dari, vt quis dominatu, ac requie gaudeat, sed vt multiplici labore ministret.

Vna dominatio multa seruorum ministeria habet annexa.

Chrys.

96. Ieremi. 1. Ait Deus Hieremiæ, cap. 1. num. 10. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Ecce Hieremias constituitur, princeps super gentes, quænam tanti principatus ei signa dantur corona, vel sceptrum, vel Thronus? Minimè. Imò nihil ei promittitur, quod dominatum sonat, sed quod laborem fabri, ac hortulani importet, *en terribilis correptio dominationis.* Semel dicitur constitutus super gentes, quod principatum inuoluere videbatur, & statim ipsa dominationis vox sex laboriosis muneribus regitur, ac emendatur, *vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Vt denotetur, quod constituitur princeps, non ad requiem, sed ad laborem, ac sudorem. D. Bernardus expendens per facta Hieremiæ verba lib. 2. de consideratione. *Vt euellas, & destruas. Quid horum*, ait, *factum sonat? Rusticani magis sudoris schemate quodam labor spiritualis expressus est. Discite exemplo Prophetæ præsidere, non tam ad imperandum, quam ad facilitandum, quod tempus requirit. Discite sarculo tibi opus esse, non sceptro.*

Dominus constituitur, vt multum seruiat.

Bern.

97. Augustin. Quærit D. Augustin. lib. 4. de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 28. Cur signum sanitatis Regi Ezechiæ concessæ datur in sole? Respondet Sanctus Doctor. *Conuenienter*, ait, *tale signum regi in mortis expectatione posito potissimum inuenit, scilicet Propheta, quod Dominus per solem fieri taliter congrua dispensatione disposuit.* Regi in sole constituitur signum, nam sol habet suum præsidendi munus, planetarúmque Rex est assignatus, & taliter præest, vt non resideat in throno, nec in vno loco fixus permaneat, sed absque vlla quiete, ac morula etiam instantanea rapidissimo cursu fertur omnibus suam lucem, ac influentiam ministrans. Et notandum; quod non postulat Ezechias, vt sol ascendat decem lineis, sed potius, *vt reuertatur totidem gradibus* .4. Reg. 20. num. 9. Quia superior non lineas, id est alios absque suæ lucis communicatione præterire, vt ipse resplendeat, sed potius debet reuerti, ac se dimittere, vt hi, qui a tergo sunt suæ beneficentiæ luce fruantur.

Rex velut sol, qui non quiescit, sed influendo currit.

4. Reg. 20.

98. Luc. 7. Dupliciter Sancta Magdalena vnctionis obsequium Christo præstitit. Primò pedibus eius in domo Simonis. *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. n. 32. Secundò in Bethania prope Passionem, quando ipsa *habens alabastrum vnguenti pretiosi effudit super caput ipsius recumbentis.* Matth. 26. num. 7. Quod ponderauit Cardinalis Petrus Damian. lib. 2. Epistol. 2. *Beata*, ait, *illa peccatrix prius pedes Domini vnguento perunxit, postmodum alabastrum vnguenti pretiosi super caput recumbentis effudit.* Cur Sancta Mulier illud sacrum ministerium prius pedibus, quam capiti adhibet? Caput dominationis potestatem denotat; pedes, verò seruiendi, ac ministrandi signa sunt. Indéque prius ad pedes, quam ad caput vnguento fertur religiosa fœmina, vt fiat euidens, quod in principe prius consideranda est seruiendi ratio, quam dominandi potestas; priúsque

Matth. 26.

Dam.

Rex eligitur, vt seruiat, & non vt fulgeat.

quæ attendendi sunt pedes, vt deambulent in ministerio, quam caput, vt corona fulgeant, ac resplendeat.

QVÆSTIO XIV.

Quarenon explicantur dapes, quæ Dominus in mensa cœlesti ministrabit?

99. NARRAT Euangelista, quod conuiuio excipiet Dominus suos in gloria, *& faciet illos discumbere*, scilicet in cœlesti mensa. Et subdit: *transiens ministrabit illis*. Cur huius conuiuij fercula non explicantur, sicut referunt ea, quæ Abrahamus Angelis apposuit Mambre? Gen.18. Genes.18. numero 6. panes scilicet, lac, vitulum, & butyrum; nec etiam describitur tempus durationis huius conuiuij, vt assignantur centum & octoginta dies in epulis Assueri, Esther 1. Esth.1. num.4.

100. Ab hoc secundo incipio. Conuiuium hoc exprimebat felicitatem æternæ beatitudinis, quæ nulla temporis duratione finitur, sed in æternum perdurat. In primo orbis artificio sex priores dies vesperè, & manè terminantur. Genes.1. num.5. Gen.1. At verò septima dies, in quo Deus requieuit ab vniuerso opere, quod patrarat, cum quietem æternæ beatitudinis exprimat, nullo vesperi claditur, Gen.2.num.2. Quod perbellè notauit D. Augustinus lib.4. de Genes. ad literam cap.18. *Requies creatura*, ait, *habet initium, sed non finem: ideo septimus dies cœpit a mane, sed nullo vespere terminatur.* Cur ergo cœleste conuiuium nullo fine claudatur, inde terminus eius durationis non assignatur.

Cœlestis beatitudo nullo fine terminatur.

101. Ad primum verò, & principale quæstionis quæsitum, cur non exprimuntur ea quæ Dominus in hac cœlesti mensa est ministraturus? Tot ac tanta sunt æternæ beatitudinis gaudia, ac dona, quæ omnem superant dicendi copiam, ac sermonem, vt nulla lingua explicari valeat illa verba 1.Cor.2. Pauli. 1. Corinth.2.nu.9. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Tractans D. Gregor. Naz. Nazianz. Apolog.3. *Quæ*, ait, *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec intellectus pro potestate, atque arbitrio beatitudinem fingens vnquam informauit.* Intellectus humanus pro sua potestate, & arbitrio veritatis terminis non coarctatur, sed habet efformare chymeram, multa fingere, ac effabulare, quæ nunquam fuerunt, nec visa, nec audita; nec à Poëtarum figmentis decantata: tamen tanta est altitudo, ac excellentia diuinæ beatitudinis, vt etiamsi intellectus noster audacissime fabuletur, ac figmẽtum quoddam valde magnum imaginetur, etiam cum multa exaggeratione mentiendo quid minimum beatitudinis non poterit investigare, nec pertingere. *Nec intellectus pro potestate, atque arbitrio beatitudinem fingens nunquam informauit.*

Diuinæ beatitudini, nec fingendo, nec fabulando potest homo explicare.

102. Mandauit Deus Moysi. *Facies & propitiatorium de auro mundissimo, duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo eius, & cubitum, ac semissem latitudo.* Exod.25. num.17. In structura propitiatorij exprimitur eius longitudo, latitudo, non verò altitudo. Cùm arca mandatur fabricari, triplex illa mensura in ea declaratur, longitudo, latitudo, & altitudo; cur ergo in propitiatorio duobus illis Exod.25. expressis, altitudo supprimitur? Sunt & graues Auctores, qui in triplici illa mensura propitiatorij, intelligant triplicem hominis statum, super quem diuina pietas erga hominem se maximè declarauit; per longitudinem interpretantur statum naturæ hominis, qui nobilitatur intellectu, voluntate, ac memoria per latitudinem, iustificationem accipiunt, quæ perficitur ex largitione diuinę gratię, & cooperatione liberi arbitrij. Per altitudinem denotare volunt glorificationem in beatitudine; inde est, quod licet longitudo, & latitudo propitiatorij apponatur, illius tamen altitudo prætermittitur, quia altitudinem, ac sublimitatem diuinę gloriæ nullus intellectus capere, ac intelligere valet, nullúque ad tantam rerum maiestatem idoneus sermo inuenitur. Richardus Victorinus: *Pertinent*, ait, *ad eius altitudinem ea, quæ sunt ad nostram glorificationem, sed quis, quæ sensu comprehendat, in quibus nostra constat? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, hinc facile perpenditur cur propitiatorij altitudo mensura non præscribitur.*

Altitudinem beatitudinis nullus intellectus potest cernere, & intelligere. Rich.

Ad illum diem septimum creationis iterum reuertamur. Ait Scriptor Canonicus, quod Deus *benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo*, Genes.2.num.3. Gen.2. Dubitabis tamen, quare non explicatur ista benedictio diei septimi, quidve importauerit? Cum maximè exprimantur benedictiones aliorum operum. Nam creatis animantibus *Benedixit eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris*, Genes.1.num.22. & creato homine, ac muliere. *Benedixit illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris*, &c. Genes.1. num.28. Cur ergo cum hæ benedictiones narrentur, illa diei septimi, quid diceret, tacetur? D. Augustinus iam datus in hac quæst. & Rupertus lib.2 in Genes. cap.14. Beda, & alij existimant diem septimum ob sui quietam æternam felicitatem adumbrare; indéque in sua benedictione tacet denotatum supernæ patriæ benedictiones adeò sublimes, vt nec verbis, nec sermone exprimi, ac capi valeant. Vide tom.1.lib.3.cap.6 quæst.5.num.35. & 36.

103. Cant.2. Aug. Rup. Beda.

Cœlestis benedictio seruo inexplicabilis.

QVÆSTIO XV.

Quare dicitur, quod Dominus præcinctus ministrabit?

104. MAXIME est explicandum illud, quod satis arduum videtur, quonam pacto Deus in cœlo ad ministrandum beatis vberrimas gloriæ delicias præcingat se; quid est Deum ad ministrandum se præcingere? Quid hæc præcinctio importat? *Difficultas quæstionis.*

105. Respondet primò Euthymius. *Præcinget se*, ait, *iustitia retributionis.* Christi præcinctorium iustitia. Isaiæ 11.num.5. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius.* Cùm præmia largitur, iustitia præcingitur, vt iusti plurimum in modum condecorentur, cum eorum præmia non amoris affectu, sed iustitiæ pondere conferantur. Euth. *Præmio ea iustitia.* Isai. 11.

106. Respondet Theophylactus in Catena D Thomæ: *Præcinget se in eo*, ait, *quod non totam vbertatem bonorum largietur, sed hanc cohibet secundum certam mensuram, quæ enim Deum capere* Theoph.

poteſt, quantus eſt! Dicitur Deus præcinctus miniſtrare, quia nullus beatorum Deum comprehendit, ſed quaſi præcinctum videt; nemo enim eorum videt adæquatè in Deo omnes eius perfectiones, ac immenſitates, & omnia quæ in eo ſunt intelligibilia, ac viſibilia. Deus enim incomprehenſibilis eſt ab intellectu creato; vbertas autem illorum bonorum vnicuique iuxta ſuorum meritorum menſuram manifeſtatur. Hanc ſententiam ſequitur Toletus in Commentario.

Deus incomprehenſibilis.

Tolet.

107. *Chryſ.* Tertiò. Diuus Petrus Chryſologus ſerm. 24. *Diſcumbenti homini*, ait, *Deus aſtat, & aſtat in cœleſtibus: epulanti ſuo ſeruit Dominus, & ſeruit accinctu: pueris ſuis miniſterium facit Chriſtus, & facit in Patris iam gloria conſtitutus. Qui tibi in terra lauando pedes extremum repræſentauit obſequium, & repromittit in cœleſtibus nouiſſimam ſeruitutem.* Cùm Ieſus degeret in vita, non ſolùm ſuis in vltima cœna parauit conuiuium, ſed etiam linteo ſe præcinxit, vt eorum pedes leuaret; ſic & in gloria Patris conſtitutus præcingit ſe, vt ſuis miniſtraret, vt fiat euidens, quod huiuſmodi miniſtratio, non ex aliquo occaſionis euentu, ſed ex ſui animi ingenuitate prouenit. Non enim meus Ieſus inſtar mundialium ex occaſione viuit, ſed ex ſua intrinſeca animi propenſione mouetur, & miniſterium, quod inter homines exhibuit, adhuc inter Angelos præſtat, ſicque delectatur, quòd præcinctus hominibus miniſtret, vt inter delicias Patris gloriæ ei delitiæ ſint ſuis præcinctus miniſtrare.

Chriſtus miniſterij quod gerebat in terra, adhuc in gloria Patris præſtat.

Suis miniſtrare delicia gloriæ Chriſti.

108. *D Thom. Theoph.* Quartò D. Thomas. Dixerat Dominus, ſint lumbi veſtri præcincti. *Ex quo*, ait, *percipimus, quod ſimilia nobis retribuet, dum ſuccinctus ſe præcinget.* Idem etiam habet Theophylactus: non patitur Dominus à ſuis vinci: talem ſe ſuis exhiber, qnales ſe ſui illi exhibuerunt. Vide tom. 2. cap. 18. quæſt. 6. num. 32. & tom. 3. cap. 9. quæſt. 14. n. 99. & c. 14. q. 5. n. 25.

Vt homo ſe exhibet Deo, & Deus illi.

109. *Theoph.* Quintò, & maximè ad literam, vt iam dixi in expoſitione ex Euthymio, & docet Theophylactus, eſſe præcinctum idem valere, ac eſſe omnibus modis paratum ad miniſtrandum, & quia Chriſtus introducebatur in parabola miniſtrans æternam beatitudinem, vt habitus muneri correſponderet, procinctus ad miniſtrandum deſcribitur.

Habitus correſpondeat muneri.

110. *Eſt. 4. & 8.* Duplici veſte valde diuerſa deſcribitur Mardochæus indutus ſacco, ac ſparſo cinere ſuper caput, Eſther. 4 num. 1 Iterum vero ſplendidiſſimo ornatu. *Mardochæus autem de palatio, & de conſpectu regis egrediens, fulgebat veſtibus regijs, hyacinthinis, & coronam auream portans in capite*, Eſther 8. 15. Vnde tanta diuerſitas, vt modo ſacco, modo purpura vteretur? quomodo purpura eum humilitate, ac modeſtia Mardochæi conueniebat? Audito decreto regis Aſſueri de nece Iudæorum ad deplorãdam ſtragem ſui populi ſacco vtitur Mardochæus; at verò quando procedit ad ſuum populum tuendum à crudeli morte, vt oſtendat ſuam poteſtatem, ac familiaritatem erga Regem, aurea, & ſplendida veſte circumponitur; nec ſemper ſacco, nec ſemper purpura, ſed ero conditione, ac ſtatu amictus variatur. Ad quod reſpiciens Petrus Damianus Opuſculo 11. cap. 19. ait: *Quidam autem*, ait, *ad tanta mortificationis celſitudinem peruenerunt, quod tam ad vtraque velut inſenſibiles facti, ſicut vilibus indui conſuetà expetunt, ita etiam vbi res exigit, pretioſa quaque vel nitida nullatenus perhorreſcunt.*

Mardochæus variè indutus pro varietate ſtatus Dam.

Multum difficilis eſt quæſtio; nam poſtquam Samuel reprehendiſſet Saül, eo quòd funditus non deleret Amalech, & Agag regem eorum vinum cum multa præda reſeruaſſet. Subdit Scriptura: *Non vidit Samuel vltra Saül vſque ad diem mortis ſuæ*, 1. Regum cap. 15. num. 35. Id eſt, non vidit eum amplius in vita ſua, vt communiter commentantur Expoſitores Abulenſ. Lyran. Carthuſianus & alij. Tamen poſtea cap. 19. num. 24 dicitur: *Expoliauit etiam ipſe (Saül) ſe veſtimentis ſuis, & prophetauit cum cæteris coram Samuele.* Angelomus: Ecce, ait, magna quæſtio, in primo loco dicitur, quod Samuel non viderit amplius Saul in vita Saul, in ſecundo verò textu aſtruitur, quod viderit eum coram ſe prophetantem, reſpondet ipſe antiquus, & eruditus Auctor, *Non vidit*, ait, *indutum habitu regio, quo indutus erat, ideóq; dictum eſt: non vidit eum vſque in diem mortis ſuæ, ſubauditur, indutum habitu regio.* Optimè cohæret vterque locus, Samuel non vidit amplius Saul; nam licèt ſecunda vice viderit, cum tamen à regali habitu eſſet ſpoliatus, non eum vt regem reputauit; ita enim indumentum debet eſſe proportionatum ſtatui, quod ſi ille homo exuatur, exui & videtur dignitatem, in qua aliàs licet conſtitutus exiſtat. Vide tom. 3 c. 5. quæſt. 2. numero 16. & cap. 14. quæſt. 11. num. 124. 126. & 127.

111. 1. Reg. 15. Abul. Lyran. Carth. Angelom. 1. Reg. 19.

Habitus correſpondeat perſonæ.

Luc. 12. n. 38. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi.

VERSIONES.

Syriacus. Si vigilia ſecunda aut tertia venerit, & ita inuenerit; felices ſerui illi.

Vatablus. Sine tertia vigilia.

Arabicus. Inuenerit eos facientes ſic.

EXPOSITIO. IV.

112. *ET ſi venerit in ſecunda vigilia.* Circa medium noctis, *Et ſi in tertia vigilia venerit.* Poſt medium noctis, vt clarius conſtabit ex quæſtione ſequenti: hac parabola admonet Chriſtus incertam mortis hominum, & aduentus Chriſti horam eſſe, quamobrem opotret continuo omnibus horis, ac momentis vigilare. Diuus Gregorius hom. 13. *Horam vltimam*, ait, *Dominus noſter idcirco voluit nobis eſſe incognitam, vt ſemper poſſit eſſe ſuſpecta: vt dum illam præuidere non poſſumus, ad illam ſine intermiſſione præparemur. Quia igitur momenta ſuæ horæ fugiunt, agite fratres chariſſimi, vt in boni operis mercede teneamur.* Sequitur textus, *Et ita inuenerit.* Seruos paratos, ac vigilantes. *Beati*, ſeu *felices*; vt habet Syriacus, *ſunt ſerui illi.* Beatiores erunt, maioraque beatitudinis præmia aſſequentur, quanto maior extitit eorum labor, vigilia, ac perſeuerantia.

Greg.

Syr.

QVÆ

QVÆSTIO XVI.

Quare exprimitur tantum secunda, & tertia vigilia, & prætermittitur prima, & quarta?

113. TRAT apud antiquos nox distincta in quatuor partes, seu vigilias, singulæque tres horas continebant. Prima vigilia incipiebat noctis initio, tribus horis exactis succedebat secunda vigilia, quæ media nocte finiebatur: à qua incipiebat tertia vigilia, durabátque per alias tres horas, post quas adueniebat quarta vigilia, perdurabátque vsque ad autoram, seu Solis ortum.

Ratio difficultatis. Quæstio præsens est, cur secundæ & tertiæ vigiliæ meminit; non verò primæ, & quartæ?

114. *Iansen. Caiet. Luc. Burg.* Respondent primò communiter Expositores Iansenius, Caietanus, Lucas Burg. & alij, vt Dominus in similitudine à nuptiis desumpta persequeretur, quia nec tam cito, nec tam sero redire à nuptiis mos erat, quia circa medium noctis vt plurimum soluebantur; & ideò nec primæ, nec quartæ vigiliæ mentionem facit; nam in parabola attenditur ad id, quod communiter accidebat.

115. *Abul.* Secundò Abulens. Matth. 24. quæst. 245. *Lucas*, ait, *secundam, & tertiam vigiliam posuit, quia in prima, & quarta non est difficile vigilare.* Et ideo expressit secundam, & tertiam vigiliam, quia in illis excubias agere est difficile; nam tunc somnus est certior & profundior, sicque admonet omni tempore vigilandum, præcipuè quando grauiór somnus, ac multum deliciarum tempus huius sæculi videntur adesse. *Media nocte*, ait Dominus Exod. 11. n. 5. *egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum.* *Exod. 12.* Cur media nocte tãta mortuorum cædes ab Angelo infligitur? pro magno cunctorum documento. *Sæpè tunc venit mors quãdò homines magis delitijs indulgent.* Tunc enim altius dormiebant, & sopor profundior vrgebat, stratisque eburneis luxuriabant, quandoque nullo perturbante insidiatore, nullóque morbo premente, iuuenilis ætas tota deliciis incumbebat, repente venit atra mors, & adolescentes Ægyptiorum filios peremit. *Rup.* Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 17. *Poterat*, ait, *media die, cunctis vigilantibus fieri cædes primogenitorum: cur ergo potius media nocte, dormientes placuit interfici? Videlicet vt historicum etiam exemplum dormientibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes, quia quisquis exempla Ægyptiorum thesaurizabit sibi iram Dei, nihilominus exemplo eorum improuisam accipiet vindictam.*

116. *Bostr. Greg. Beda. Bonau. Alb. Mag. Hugo. Carth.* Tertiò Titus Bostrens. D Gregorius homil. 13. Beda, Albertus Magnus, D. Bonauent. Hugo, & alij inquiunt. Quod prima vigilia est pueritia, secunda est iuuentus, tertia est virilis ætas, quarta existit senectus. Carthusianus sic computat. Prima vigilia, ait, est pueritia, secũda iuuentus, tertia senectus; quarta verò illa ætas, quæ decrepita nominatur. Ex his ergo cum pueritia, ac senilis ætas fragiles sint, & despectæ, multisque morbis frequenter agitatæ, noluit earum meminisse, vt denotaretur Dominum aliquando venturum ea ætate, quæ iucundior, ac floridior est, quandoque homo robustior, ac maiorib. viribus pollens videbatur. *Amos 8.* *Hoc ostendit mihi Dominus Deus* (ait Amos cap. 2. vers. 1.) *& ecce vncinus pomorum, & dixit: Quid tu vides Amos? & dixit vncinum pomorum.* Et statim subdit Deus: *Venit finis super populum meum Israël.* Quid est, quod illud instrumentum ostenditur, dicitur quod venit finis populi Israël? Vncinus pomorum instrumentum est, quo ex cacumine arborum poma trahuntur, ac capiuntur. Per hunc vncinum mortem interpretantur Ribeira Fernandius visi. 28. Cornelius, & alij. Per poma verò vitam nostram. *Dies mihi pertransierũt, quasi naues poma portantes*, Iob 9. numero 26. Mors veluti vncinum non apprehẽdit, ac deiicit poma viridia veluti puerilia, vel putrida tanquam senio confecta, sed illa, quæ candida, ac rubicunda electa ex millibus, quasi secura in capitibus arborũ gloriabantur in pulchritudine sua, sic & aliquando mors non pueros, non senes, sed robustos adolescentes in venustate sua præiucundos capit, & prostèrnit; pro quo etiam facit locus proximè adductus de primogenitis Ægyptiorum.

Rib. Fernan. Cornel. Iob. 9.

Mors sæpè inuadit adolescentes in flore iuuentutis sua.

117. *Chrys.* Quartò. Diuus Petrus Chrysologus sermone 24. ait, quòd prima vigilia extitit tempus aduentus filij Dei in mundum. *Secunda vigilia, qua nostra redit, & resuscitatur in carne. Tertia vigilia est illa, quæ expectatio tota nouissimo venientis finitur aduentu.* Quarta autem vigilia dici potest glorificatio. Nec primæ, nec quartæ vigiliæ facit mentionem; non primæ, quia iam adimpletum est tempus aduentus Filij Dei in mundum, iam enim ipse venit in salutem nostram; nec etiam quartæ vigiliæ apponitur, quia glorificationis tempore, ac in altera vita, non est status merendi. Exprimitur secunda vigilia tempus scilicet resurrectionis, quando ipse resurrexit, vt nobis sua dona largiretur; exprimitur & tertia vigilia, id est dies iudicij. Vigilandum est secunda vigilia, vt digni inueniamur retributionis præmiorum, vigilandum est & tertia, vt præparati simus ad reddendam rationẽ de vita nostra.

Præparemur ad iudicium, ac ad præmia

118. *Chrys.* Quintò. Pondera Diui Chrysologi ponderationem citato loco. *Quare*, ait, *à secunda vigilia capit, & tacuit primam.* Poterat enim dicere, & si venerit in prima, & secunda vigilia, tamen prima omittitur vigilia, & à secunda incipere voluit, vt denotetur, quod tunc quis Christi seruus reputatur, cùm proficit, ac ad altiora ascendere disponitur. Vide hoc tomo, & 1. 2. ac 3. in Indice *Virtus*, ibi multa.

Seruus Dei semper proficiat ad altiora.

119. *Drogo.* Sextò. Drogo Hostiensis lib. de Sacramento Passionis: si venerit in secunda, & tertia vigilia. *Iam prima*, ait, *& quarta vigilia nulla mentio fit; quia nec primæua ætas sensum recipit vigilandi, nec vltima spem prolixius dormiendi.* Quod primam vigiliam omiserit, non est multùm mirabile, cum enim in ea denotetur puritia, in qua ætate sẽsus sunt sopiti, & homo caret rationis vsu, inde vigilia in ea prætermittitur; at quod quartam vigiliã non apponat, res valde discussione digna, cùm in ea senectus repræsentetur quo in tempore homo multum prudentior est, tamen qui nec secunda, & tertia vigilia, seu nec ætate iuuenili, ac virili vigilauit, ad vltimamque pœnitentiam reseruauit; iam in senectute ob prauam naturæ affectionem vitiis corruptam non valet in iustitia degere, ac vigilare; sicut enim prima ætas defectu vsus rationis vigiliæ non est capax, sic nec senectus ob dominantes peccatorum morbos.

Difficilè in senectute pœnitentia.

120. *Ezech. 37. Carth. Hugo.* Sermo Domini est ad Ezechielem cap. 37. n. 1. *Dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Erant autem multa valde super faciem campi siccaq; vehementer.* Vetustate temporis, vt explicant Carthusianus, Hugo, & alij. Dumque Vates huc, atque illuc

illuc prospicit illa arida ossa. *Hæc dicit Dominus: à quatuor ventis venit Spiritus, & insufflat super interfectos istos, vt reuiuiscant.* A quatuor pelagis venit Spiritus, & insufflans, tunc reuixerunt ossa; in primo orbis molimine vno Dei flatu factus est homo in animam viuentem. Gen. 2. n. 7. Præcipuè vt dicit D. Hieronym. ad citat. locum Ezechielis: *Vt quomodo in prima conditione hominis insufflauit Deus in faciem eius, & factus est in animam viuentem: sic & secunda conditione, id est resurrectione mortuorum insufflante spiritu viuificetur.* Si ergo idem spiritus in primo opificio, ac in ossibus his aridis vegetandis, cur illic vno halitu, hîc verò à quatuor ventis venit? Cùm plasmatur Adamus, terra erat recens, ac infantilis, ac proinde valde tenera & apta ad quamcumque formam sine labore recipiendam; at verò ossa illa vetustate, ac senio vehementer sicca, & ideo vt vegetarentur, non tantum ab vna parte, sed ab omnibus orbis angulis, vocãdus fuit Spiritus, seu multiplex eius virtus, & ossa multo senio arida animarentur. Vide supr. cap. 18. quæst. 6. n. 39. 40. 41.

Gen. 2. Hieron. *Difficile reuocatur homo peccatis demersus.*

Luc. 12. n. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.

Num. 46. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

VERSIONES.

Syriac. n. 39. Hoc autem scitote, si sciret dominus domus, quanam vigilia venturus sit fur, vigilaret.

Vatabl. Pagn. Si scisset paterfamilias, qua hora fur venturus fuisset, vigilasset vtique, nec passus fuisset perfodi domum suam.

Euthymius. Non permisisset perfodi domum suam.

Arab. n. 40. Quia in qua hora non putatis.

EXPOSITIO V.

121. Beda. Ronan.

ALTERA parabola, vt notarunt Beda, & D. Bonauentur. eos inducit ad omnibus horis vigilandum, prima scilicet, secunda, & tertia, ac quarta. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret.* quæ vigilia siue secunda, siue quarta fur impetum facere disponeret; *vigilaret vtique*, omni tempore, ac hora, vt suos ab vniuersis infortunijs eriperet, noctem totam insomnem duceret, quietem placidam liberorum incolumitati postponens. *Et non sineret perfodi domum suam*; vt dona illius, ac filiorum diripiantur: non ait, non sineret spoliari domum suam, sed perfodi. Bonus paterfamilias non solùm magnum nocumentum, sed etiam paruum intendit euitare in domo sua, ne ex paruis mala, ac damna in magnum crescant.

Bonus Pater plus bona filiorũ, quam sua curabit.

122. *Et vos estote parati.* Concludit Dominus parabolam, estote vos parati vigilantes, & rationem apponit; si enim paterfamilias, agnoscens certum furis aduentum, pro conseruanda sua re tẽporali omnibus horis vigilaret; vos ergo, quib. omnino incertus est mortis articulus, omni momento vigilare debetis, *quia qua hora non putatis*, hora omnino est incognita, & occulta, *filius hominis veniet*, ad faciendum iudicium vobiscum. Ex quo nostrum torporem arguit D. Chrysost. homil. 78. in Matth. *Hæc ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur; maiorem enim diligentiam habent furem expectantes*, quàm nos salutis animæ: vigilant enim tunc, ne aliquid sibi surripiatur, nos autem, quis certo sciamus venturum Dominum, non perseueramus, neque ita vigilamus, vt possimus non impræparati ex hac vita discedere. Chryſ.

QVÆSTIO XVII.

Quare aduentus Domini aduentui furis comparatur?

123. Matth. 24. 1. Thess. 5.

SIMILIS parabola refertur Matth. 24. n. 43. Sæpè in Scriptura aduentus Domini aduentui furis assimilatur. 1. Thessal. 5. n. 4. *Fratres non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat.* Et 2. Petri 3. n. 10. *Aduenient dies Domini vt fur.* Apocal. 16. n. 15. *Ecce venio sicut fur.* Fur dicitur à furuo, id est atrox, obscuro, quod per obscuras, & atras noctes furetur, vt ex Varrone ait Nonius. Cur ergo combinatur aduentus Domini cum aduentu furis?

1. Petri 3. Apoc. 16. Nonius.

124. Theophil. Beda. Albert. *Mors sæpe inopinatè venit.*

Respondetur iuxta communem doctrinam Theophylacti, Bedæ, Alberti Magni, & aliorum, quod siue sermo sit de iudicio particulari animæ nostræ in hora mortis, siue de iudicio vniuersali omnium hominum in fine mundi, Christus Dominus comparat se furi, non quoad actum furandi, sed quoad silentium, & secretum, quo fur obseruat horam, qua vel putat herum abesse, vel dormire, itaque clam incautum inuadit, domúmque eius perfodit, bonáque illius diripit: simili enim modo multoties homines incautos, & inopinatos, quando se magis deliciarum somno ingurgitant, ad iudicium, ac mortem vocat Dominus. Et ideo dicitur citato loco Apocal. *Ecce veniet sicut fur.*

125. *Damnatori irreparabile damnum.*

Secundò dici potest, quod sit huiusmodi comparatio tanquam ad detrimentum illatum; nam sicut bona, quæ aduentu furis dormiente Domino spoliantur, & non amplius recuperantur, ita aduentu Domini damnum spirituale, quod impræparati patiũtur, nunquam amplius valent recuperare, cùm in æternum damnentur. Et ideo ad magnam vigilantiam exhortat Dominus suos, vt omnibus modis sint præparati, ac vigilantes, vt Domino reddant rationem, vt fecerunt viri sapientes, ac sanctissimi. In vitis Patrum lib. 5. libello 3. de Compunctione, numero 22. Vir senex, ac magnus sanctitate dicebat: *In omni re increpa animam tuam, dicendo ei: Memor esto, quia te oportet Deo occurrere.* Et iterum num. 23. dicitur: *Vidit senex quendam videntem, & dixit ei: coram cœli, & terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides?* *Ob diem iudicij ne rideas.*

Isboseth

126. *Isboseth dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgãs triticum, obdormiuit. Ingressi sunt autem domum latenter, & percusserunt eum in inguine Rechab, & Baana frater eius.* 2. Reg. 4. num. 5. Non ingrediuntur latrones, quando Isboseth rex dormiebat, & ostiaria vigilabat, sed obseruarunt, quando vterque dormiebat, quod forte rarò contingeret, ex D. Gregor. Papa, D. Bonau. aut *Ostiaria dormiente Isboseth interficitur, quia dum discretionis sollicitudo cessauerit, ad interficiendum animam malignus spiritibus iter pandi.* Si rationis vigilia cessat, statim anima neci spirituali, ac dæmonum direptioni committitur.

2. Reg. 4.

Bonau.

CAPVT XXIII.

Hydropicus curatur.

Luc. 14. n. 1. Et factum est cùm intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Phariseorum sabbatho mãducare panem, & ipsi obseruabant eum.

Num. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

VERSIONES.

Vatabl. n. 1. Accidit cùm introisset in domum.

Syriacus n. 1. Quum ingressus fuisset domum vnius ex primorib. Phariseis, vt ederet panem in die sabbathi, & ipsi obseruarent eum.

Theoph. Euth. Ad capiendum cibum.

Syriacus n. 2. Et ecce homo quidam, qui congregauerat aquas, hydropicus, erat coram eo.

Arabicus. Qui habebat hydropisim erat ante illum.

EXPOSITIO I.

1. *FACTVM est autem.* Quo autem tempore, vel loco acciderit omnino incertũ. *Cùm introuerat Iesus.* De præterito legit Syriac. postquam enim introuit: Hæc, quæ narrantur, acciderunt. Introuit à Principe inuitatus. Euth. Carthus. dicunt, quod bono animo eum ille inuitauerit; non enim videtur fuisse ex illis, qui Christo nimium inuidebant, & inuitauit in sabbatho, in die nempe festo. Alij dicunt, quod ex ipsa Phariseorum conditione colligunt. *In domum cuiusdam Principis.* Princeps nuncupatur, vel quia vt ex radice Græca colligitur, Magistratum gerebat, vel quia cæteris Phariseis, auctoritate, ac dignitate præcellebat. *Manducare panem.* Panis Hebræorum more per Synecdochen omnem escam, seu cibum significat. Matth. 6. num. 11. & 15.

Syr.

Euth. Carth.

Matth. 6.

num. 2. Sicut & aqua potum 4. Reg. n. 22. *Et ipsi.* Phariseí, qui simul inuitati adeant; *obseruabant eum.* At in die sabbathi faceret aliquid prohibitum, v. gr. sanare præsentem hydropicum, quod ipsi sinistrè contra legem putabant. 4. Reg.

Et ecce homo quidam hydropicus: seu, vt habet Syriacus, *qui congregauerat aquas.* Nomen verò Græcum significat aquam inter cutem colligere. *Erat ante illum.* Hic hydropicus, vel erat familiaris, vel domesticus Principi inuitanti; an verò Princeps Christum inuitauerit, vt hunc hominem sanaret omnino incertum. Certũ verò, quod hic hydropicus suæ sanitatis valde auidus, libentissimè se Christo præsentauerit, tacitè ab eo suæ miseriæ sanitatem petens, vt inquiunt D. Cyrillus, & Euthymius de cuius benignitate multum confidebat, Phariseí autem valde diuersa mente eum Christo offerri procurarunt. 2. Cyrill. Euth.

QVÆSTIO I.

Quare Christus Dominus ad manducandum panem intrat domum Phariseí, cuius & nomen tacetur ab Euangelista?

3. AB hoc secundo incipio quæstionem, cur Euangelista huius Phariseí non exprimit nomen, sicut scripsit alterius Phariseí, qui ipsum inuitauit, & obmurmurauit ob receptam peccatricem, quẽ Simonem vocari narrat Luc. 7. num. 40. Simon reprehensione Domini melior est factus, & conuersus ad Dominum. Vt dixi cum communi sententia tom. 3. c. 15. Expositione 5. num. 163. At Phariseus iste in sua inueterata malitia permansit. Ille alius bona intẽtione Dominum conuiuio excepit, & si obmurmurando peccauit, fuit veluti casu ex inopinato aduentu, quo mulier superuenit conuiuio, cuius nesciebat vehementem cõtritionem, ac eximiam futuram sanctitatem. At iste Princeps Phariseorum recocta malitia, ac deprauato animo Dominum inuitauit, vt obseruaret ad calumniam, & accusationem. Nomen autem illorum, qui non ex casu, ac ex humana fragilitate, sed ex malo, & inueterato proposito delinquunt, Deus maximè obliuiscitur. De Idololatris dicitur. *Non congregabo conuẽticula eorum, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Psalm. 15. num. 4. *Delebo nomen Amalech sub cœlo.* Exod. 17. n. 14. Si verò dicatur, quod hic Princeps Phariseorum bono animo Dominum inuitauit, adhuc indignus nomine, cum iniquis Phariseis associaretur, & eos admitteret in domo sua. Luc. 7. *Peccata inueterata difficile expelluntur.* Psal. 15. Exod. 17. *Incommoda ex mala societate.*

4. Ad Scopum quæstionis quare Dominus intrãuit domum Phariseí? Respondet primò D. Cyril. in Catena D. Thom. *Quamuis autem*, ait, *malitiam Phariseorum Dominus cognosceret: ficbat tamen eorum conuiua, vt prodesset præsentibus per verba, & miracula.* Titus Bostrensis. Ibat Iesus ad conuiuia Phariseorum. *Vt aliquam vtilitatem*, ait, *eis adferat, familiarem, & quasi domesticum se illis exhibet.* Exinia Christi benignitas, ac charitas, quia ipse accedebat ad conuiuia Phariseorum, Iudæi inmurmurantes dicebant de eo, *Ecce homo vorax, & potator vini publicanorum, & peccatorum amicus.* Matthæi 11. n. 19. Cùm Christus optimè hoc cognosceret, & quod ipsi obseruabant eum, tamen intrat 4. Cyrill. Titus. Matth. 11. *Christus potius consulabat nostræ saluti, quam suæ auctoritati.*

In conuiuium, contemnens ea, quæ de ipso dicebantur, magis consulens nostræ saluti, quam suæ auctoritati, ac honori, *vt prodesset præsentibus* propter animarum luctum de se ipso non curat, omnium murmurationes parui facit.

5. Theoph. Secundò. Theophyl. *Christus in domos Phariseorum ingreditur; cura enim ei erat animarum vtilitas. Potuissent enim vel ex doctrina, vel ex miraculis vtilitatem percipere.* Aderat Christus in huiusmodi conuiuiis, vt præsentes, tanquam verus Magister doceret verbo, & etiam facto, vt exemplo suæ sanctitatis, ac virtutis eos inescaret, ac alliceret ad iustitiam. Euthymius, *Hic Pharisæus*, ait, *tanquã Prophetam vocauit eum ad conuiuium, opinionem venari cupiens.* Cùm Christus Dominus esset maximè notus vt potens opere, & sermone, inuitat eum Pharisæus, vt multam auctoritatem sibi conciliaret, quod talem, ac tantum dignaretur habere hospitem.

Magister docet verbo, & facto.

Euth.

Pro sua auctoritate ill inuitat.

6. Bonauent. Quartò. D. Bonau. *In hoc*, ait, *quod intrauit domum alienam, commendatur Christi humilitas: in hoc, quod domum Pharisæi, Charitas. In hoc, quod manducauit panem alienum, ipsius Christi paupertas. Et in his ostenditur summa benignitas, qua altissimus voluit pro nobis humiliari. Iustissimus cũ impijs conuersari.* 2. Cor. 8. *Ditissimus inter homines pauper fieri.* 2. Corin. 8. n. 9. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, vt illius inopia vos diuites essetis.* In quolibet Christi opere omnes virtutes resplendescebant, vt in hoc, quod intrauerit domum Pharisæi ad mãducandum panem, eius humilitas, charitas, paupertas, & cum esset altissimus voluerit se humiliari, vt delecti, ac humiles sublimarentur, & exaltarentur, maiorum humiliatio, minorum est vtique exaltatio.

In quolibet Christi opere omnes virtutes nitebant.

7. Ericus. Quintò. Ericus Abbas. *Adibat*, ait, *Dominus carnalia hominum conuiuia, non tam vt exterioribus epulis vesceretur, quam vt ipse, qui est panis de cœlo descendens dapes superni conuiuij erogaret.* Christus Dominus valde exiguo, ac tenui cibo vtebatur, & inter nos tanquam peregrinus, ac egenus eleemosynã ab hominib. accipiens degebat, ad quid ad huiusmodi cõuiuia se conferebat? *Non tam vt ipse exterioribus epulis vesceretur, quam vt ipse dapes superni conuiuij erogaret.* Sumebat Dominus panem ab hominibus, vt inde quodãmodo obligaretur ad cœlestem panem hominib. dandum, voluit Dominus pane accepto ab hominibus, eis panem dare: vt homines eleemosyna ac opere charitatis præparati, dignius cœlestia beneficia exciperent.

Christus vult à nobis accipere panem, vt det panem.

8. Accessit Parens meus Elias ad Sareptam ciuitatem, multa fame oppressus à quadam muliere vidua obuiam ei facta postulat buccellam panis, cui mulier respondit, quod non habebat panem, nisi quantum pugillus capere posset farinæ; quã præparare volebat, vt ipsa, & filius eius comederent, & postea morerentur, quibus verbis significatur, quod mulier, & puer maxima penuria laborabant, ad extremum famis tempus mulier illum reseruauit, quando iam ipsa fames sustineri non poterat, ait illi Elias. *Vade, & fac sicut dixisti: veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea.* 3. Reg. 17. n. 13. Elias ingressus est in domum viduæ, vt eam multa abundantia repleret, *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Aderant tres famescentes Elias, Vidua, & filius eius. Cur Elias postulat, vt mulier ei faciat primùm, eique afferat panem, & postea sibi, & filio suo; facile enim hoc quadam impatientia, ac inurbanitate notari poterat? Quis enim vnquam sic postulauit panem, vt ipse petẽs primùm comedat, & postea Dominus panem largiens, cùm vterque tam petens, quam largiens famescant? Venerat Propheta, vt multa copia farinæ, ac olei domus viduæ abundaret, inde postulat primum sibi afferri, *Subcinericium panem paruulum.* Vt ex paruo pane sibi dato cresceret alimentum, vt abundantia vidua, ac filius eius pascerentur. D. Prosper de Prædictionibus, part. 2. num. 29. *Ex hoc ipso*, ait, *Propheta primus sibi offerri iubet, tum etiam sibi, suisque filijs præparandum: vt misericordia primum occupet locum, quam præire ante faciem Dei Scriptura testatur. Ex ipso enim omnis copia:* Ex quo nascitur omnis copia; ex ipso nempe pane dato, ac si ille cib. in stomacho Prophetæ non solùm ei esset alimentum, sed etiam viduæ, ac filio eius pabulum.

Panũ datus Eliæ pabulũ domus viduæ.

Prosp.

9. Cant. 5. Septuag. Ait Christus Dominus Cant. 5. num. 1. *Comedi fauum*, seu vt habent Septuaginta, panem, *cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, comedite amici.* Valde mirum, quod Dominus dicat se prius panem comedisse, & postea amicos ad comedendum inuitet; fœdus enim amicitiæ postulabat vt prius amici pabulo reficerentur, & tunc postea ipse Dominus pane vesceretur; tamen ipse prius vult refici pane, & tunc amicos ad escas vocat; Antequam Christus Dominus suis amicis præbeat diuinas adipes in cœlesti mensa, disponit vt prius ipsi amici ei in paupere suo panem melle charitatis, & lacte pietatis largiantur, & ait *panem meum*, quia quod datur pauperi, potius est ipsius pauperis, quam dantis, vt tali pane dato ipsi amici aptiores fiant, ad eius mensam, vt comedant panem. Indéque ait: *Comedi panem, comedite amici.* D. Gregor. Nyssenus homil. 10. in cantic. *Comedi*, ait, *panem meum.* &c. *Esurini, & dedisti mihi manducare, Panis enim lætitia est beneficentia conditus melle præcepti:* Et subdit. *Hac cum verbum dixisset sponsa, apponit mysteriorum sacramentum, comedite amici.*

Panũ datus pauperi mensa larga largiens.

Nyssen.

Qvæstio II.

Quare Hydropicus dicitur constitutus ante Iesum, & non ante alios, cuius nec situs, nec modus describitur?

10. Euth. Beda. Bonau. Hic homo non solùm deficiens virtute, & sanitate, sed etiam abundans multa paupertate erat, vt docent Euth. Beda, & D. Bonau. & alij: quo posito duo circa hunc hominem notanda sunt. Primò quod dicitur Hydropicus constitutus ante illum, scilicet Iesum; non verò ante alios conuiuas. Pauper enim, ac necessitate oppressus nõ est ante oculos hominum temporalium, sed solùm ante oculos Iesu, vt ei subueniat, ac opẽm ferat. *Qui prospexit de excelso sancto: Dominus de cœlo, in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum.* Psalm 101. n. 10. 21.

Solus Iesus ante se habet pauperem.

Psalm. 101.

11. Secundò. Ponderandum quod dicitur: *Homo ante illum.* Non verò scribitur situs hominis, an iaceret, vel sederet, staret, seu genibus flexis se haberet, vt de aliis narratur. Paralyticus iacebat, Ioann. 5. numer. 6. Cæcus sedebat secus viam

Luc.

Luc.18. Matth.9. Marc.5. Luc.18.n.35. In regione Gerasenorum dæmoniaci stabant. Matth.9. n.28. Archisynagogus prostratus ad pedes pro filia deprecabatur. Marc. 5 num 22.Solus hic Hydropicus nec habet locum, nec situm,erat in domo principis mundialis. *Pauper non habet locum in domo principis.* *Introierat in domum cuiusdam principis.*In domo autem principis terreni pauper, & miser nullum habet locum,nec situm vt stet,sed sedeat, iaceat, vel genuflectat.Pro decreto necis Iudeorum Mardochæus indutus sacco vsque ad foras palatij magno eiulatu clamabat.*Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.* Esther 4. num. 2. Esther. 4. Explicat Tyrinus ibi ; *Ne quid triste,aut miserabile incurreris in oculos regis.* Tyrin. Miseria, ac afflictione oppressus non habet aditum ad regem,sed ab illo longe distat.

12. Ad principalem quæstionem cum esset die Sabbathi constituitur hydropicus ante Christum à Pharisæis, sciebant Christi genium, quod cum oppressum miseria hominem videret, statim ei subueniret, vt ex hoc eum arguerent tanquam sabbathi violatorem, vt ipsi falso existimabant; *Consilium malignantiũ est in eorum confusionem.* Ecce quomodo confringitur malignantium consilium; Hydropico impenditur sanitatis beneficium ; gloria Christi facto miraculo diuulgatur, & ipsi Pharisæi, absque eo quod Domini dictis respondere valeant,confusi remanserunt.

13. Theoph. Secundò Teophylactus. *Sanabitur Hydropicus*,ait. *si ante Christum fuerit cogitans semper quomodo ab ipso videatur, minimè peccabit.* Hydropicus significabat hominem anima ægrotantem. Hic ex Dei prouidentia in remedium suæ salutis constituitur ante Christum,quia si homo se consideret ante Dei oculos,maximè resipisceet, ac vitam reformabit, sibique de cætero frænum iniiciat ne in alia peccata labatur. Boëtius lib. 5. de Consolation. *Magna vobis est*, ait, *si dissimulare non vultis,necessitas indicta probitatis : cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.* Boët.

14. *Ex beneficentia iniqui scandalizantur.* Tertiò constituitur hydropicus ante Christum vt ex eius sanitate impensa Phatisæi scandalizati, cum arguant,& accusent ; ex quo tamen scandalum est sumendũ?Ex quonam accusatio formanda? Ex eo quod hominem sanauerit: ô terribile hominum ingenium, vt ex beneficentia scandalum,ac offendiculum depromat, vt maleuole benefactorem detrahat,ac corrodat.

15. Matth.11. Ex Missione Ioannis quærunt eius discipuli à Christo.*Tu quis es*, quibus ipse respondit, renunciate Ioanni,quæ audistis,& vidistis. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur ; Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Matth.11. n.5. & 6.vltima verba perpendamus. In hac relatione operum Christi, ex quonam poterat scandalum pullulare? Si Christus D. manus, vel pedes fregisset, oculos, vel aures eruisset, vel viuos interfecisset dabatur fundamentum, vt homines in eius operibus scandalizarentur, at verò, si ipse dat manus, pedes, oculos, aures, ac vitam, ex quonam offendiculum potest oriri, vt dicatur *Beatus, qui in me non fuerit scandalizatus?* Explicat Carthus. *Vulgare vt ex bono opere iniquitas scandalizetur.* *In meis operibus non fuerit scandalizatus.* Adeo vulgare est hominibus, vt ex beneficentia in eos impensa, ex salute, ac vita illis data sua maleuolentia scandalum arripiant, vt detrahant, & corrodant, vt relatis Christi miraculis ipse beatum proclamat illum,qui in eis non fuerit scandalizatus ; de illisque offendiculum non desumat.

QVÆSTIO III.

Quare Hydropicus cum sit ante medicum non rogat, ac petit salutem, sed tacet?

ADERAT hydropicus ante Christum,à quo valde notum erat quod omnes salutẽ impetrabant, cur ergo pro se non petit, & rogat,sed omnino tacet ? sciebat fortè, quod sat erat suam necessitatem,ac infirmitatem,Domino præsentare,à cuius conspectu se vacuum non discedere sperabat,seu quia sibi persuadebat, quod altius eius necessitas ad Christum clamabat,quàm quæcumque eius vox. 16. *Necessitas felicitas Dei pietatem.*

Aliter respondent D. Cyrill. & Euthym. qui ait Hydropicus *erat stans, nec audens petere curationem propter sabbathum, & Pharisæos.* Pharisæi principes,ac viri potentissimi in republica;quamuis ergo homo multa necessitate laborasset,sanitatis beneficium non audet petere, ne præsentes offenderet Pharisæos;præcipuè, cum esset sabbathum, de quo ipsi ex sua malitia scãdalizari poterant Vt Luc.13.num.14. Quis dubitat, quod timor silentium indicat,& frænum ori iniiciat ? De magno Alexandro dicitur Mach.1. cap.1. num.3. *siluit terra à facie eius.* Timore concepto ab eius conspectu,ac mandato,omnes homines siluerunt, ita vt nullus mittere auderet. 17. Cyrill. Euthym. *Præmetu silet Hydropicus.* Luc.13. 1.Mach.1.

Post varios rerum euentus cum Ioseph Ægypti regnum administrasset ac minimè à fratribus suis esset agnitus,ille se eis manifestauit dicens. *Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit? Et non poterant respondere fratres.* Gen.45. num.3. non multum,quod illi fratres, qui in crimine venditionis fuerunt comprehẽsi tacerent, sed Ruben,ac Beniamin, qui omnino erant immunes à delicto; cur agnito fratre non accedunt ad eum, eique gratulantur, cum in tanta gloria, ac magnificentia viuus existat, qui mortuus putabatur ? Nec enim erat parua ratio se motuò congratulandi, quod frater suus Ægypti gubernacula administrasset. Cur ergo silent ? Textus ipse assignat rationem. *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.* Ex inopinata eius præsentia,ac voce tam extraordinatio rerum euentu omnes sunt timore percussi, vt omnium lingua sileret omniúmque os comprimeretur; nullúsque vocem aliquam proferre auderet.Philo lib.de Ioseph. *Ecce*,ait,*nunc præsentem me cernitis, ego sum, hac insperata voce percussis,perterritisque, ac sine voce stupentibus dixit.Omnes mihi sanguine coniunctos complectar.* 18. Gen. 45. *Timor stupefactos facit ac adimit vocẽ.* Philo.

Præmotus Dauid cogitatione, vel grassantis pestilentiæ,vel alterius morbi, seu etiam æternorum suppliciorum pro præteritis peccatis dicebat. *Anima mea turbata est valde :* Et in tanta anxietate remedium quærens arebat. *Sed tu Domine vsquequo.* Psalm 6.num.4. Ecce magnus vates facit orationem truncam, & non completam, cur non explicat ad quid rendit illud. *Vsquequo?* Cur non ait subuenis, vsquequo non exaudis, vt sæpe in similibus Canticis fecerat? Psalm. 12. num.1. *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem ? Vsquequo auertis faciem tuam à me ?* Psalm.78. num.5. *Vsquequo Domine irasceris in finem? accendetur velut ignis zelus tuus?* Psalm. 88. num 47. 19. Ps.6. Ps.12. Ps.78. Ps.88.

Vsquequo Domine auertis in finem? In his, & similibus oratio reddit integrum sensum, & completa fit; at verò solùm in præsenti. Cum ait, *Anima mea turbata est valde.* Oratio manca constitit, ac veluti pendula manet. Dicebat anima mea turbata est valde timore, ac terrore præsentis mali, ac futuræ pœnæ. Vt explicant D. Gregorius, Cassiodorus, Bruno, Dionysius, Richardus, Ludolphus, & alij cum Lorino. Vatablus sic legit: *Anima mea territa est vehementer, sed tu Domine quousque?* Ipse erat timore perterritus, ac proinde cùm incœpisset loqui illico illius fauces intercluse sunt, lingua adhæsit, & os compressum est, vt orationem non perficeret, nec illi finem daret Lyranus: *Modus loquendi*, ait, *est decurtatus: sicut homo anxiatus, & territus non profert suam intentionem completè, sed truncatè.*

Greg. Brun. Dion. *Timor facit orationem truncam.* Vatabl. Lyran.

QVÆSTIO IV.

Quare in Pharisæi domo curatur Hydropicus?

10. DERAT Hydropicus in domo Pharisæi, vel quia eius notus, seu familiaris erat; vel quia introductus est ab aliis Pharisæis vt Christum obseruarent, nunc rationem moralem quæro D. Gregorius lib. 14. moralium, cap. 6. *Quid est ergo*, ait, *quod ante Pharisæum hydropicus curatur: nisi quod per alterius ægritudinem corporis, ostenditur in altero exprimitur ægritudo cordis.* Hydropicus suo modo corporis denotabat morbum animi Pharisæi, in cuius domo erat, per eum, quem quisquis habet in domo, vel cum quo associatur, eius animus patefit, ac declaratur.

Greg. *Ex socio patefit animus vnuscuiusque.*

11. Ab nomine Græco *Hydor*, id est aqua, hydropicus dicitur, quem humor aqueus, siue aqua intercus vexat. Appellatur verò aqua intercus, quia inter carnem, & cutem est. Dionysius Carthusianus ait, quòd hydropicus septem suis proprietatibus septem capitalia vitia denotat. Prima proprietas est tumor corporis, & membrorum, per quem significatur superbia. Iob. 15. num. 13. *Quid timet contra Deum spiritus tuus?* Secunda proprietas est compressio spirituum, per quam significatur inuidia, quæ aliorum laudabilia comprimit, ne pandantur, ac manifestentur. Tertia est ardor sitis, quæ deliguat auaritiam. Quarta est, indigestio humorum, quæ ira significat. Quinta est pigritia, seu tarditas pedum, per quã notatur accidia. Sexta inextinguibilis sitis gulam innuit, quæ omnia denotat. Septima luxuria est, quæ per insatiabilem sitim adumbratur. Hugo: *Per hunc*, scilicet hydropicum, *significantur*, ait, *luxuriosi, quia sicut hydropicus, quando plus bibit, tanto plus sitit, ita qui se luxuriæ immergit, amplius eam appetit.* Meritò luxuriosi cum hydropicis comparantur; nam sicut in hydropico appetitus aqua non mitigatur, sed magis accenditur; ita etiam, qui se luxuriæ tradit, libidine non quiescit, sed illa magis inflammatur. Vide suprà cap. 15 quæst. 7. n. 49.

Carth. *Hydropicus septem capitalia vitia significat.* Iob. 15. Hugo. *Libidinosus luxuria non satiatur, sed inflammatur.*

12. Quæ omnes proprietates communiter Patres auaro adaptant. Primò, quia eius cupiditas, veluti aqua est fluxa. Secundò in hydropico aqua sitim accendit. Cupiditas, & auaritia, ait D. Augustinus lib. 2 qq. Euangel. quæst. 29. indulgendo accenditur, resistendo extinguitur. Tertiò hydropicus inducit tumorem sed aqueum, sic diuitiarum copia facit diuitem superbum, ac inflatum, sed ob opes fluxidas, & minimè consistentes. Quartò compressio spirituum, quia auarus omnia ad se congregat, comprimit, ac claudit. Quintò indigestio humorum, auarus habet opes indigestas, nescitque eas distribuere in pauperes, & egenos. Sextò, vt ait Glossa. Ex putrida aqua fœtorem emittit hydropicus, sic & auarus ex sua cupiditate, ore, loquela, ac toto corpore fœtorem exhalat. Septimò, vt ait D. Gregorius citatus: *Hydropicus, quo amplius biberit, amplius sitit, & omnis auarus ex potu sitim multiplicat, quia cum ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius, & amplius anhelat.*

August. *In auaro omnia vitia.* Gloss. *Sitis auari non extinguitur.*

13. Narrat Scriptura generationes Noë, ex nepotibus à filio eius Iaphet, ait: *Ab his diuisæ sunt insulæ gentium variis in regionibus*, Genes. 10. num. 5. Amplissima, ac vastissima latitudo terræ erat in possessione hominibus data ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Meridiem. Homines tunc pauci, & rari inueniebantur in mundo, & fortè vix tunc numerum centenarium expleuerant; quomodo pauci homines tanto terrarum ambitu ac spatio non conquieuerunt, sed veluti prosilientes terminos, quos natura præscripserat, multo suo labore naues conficinnt, mare nauigant, & varias insulas occupant; adeò terrarum est auida humana natura, vt tanta terrarum amplitudine Orientis, Occidentis, Aquilonis, ac Meridiei non sit satiata, sed veluti multa penuria famescens mare sit ingressa, multásque insularum terras quærat, & indigiter. D. Ambrosius lib. de Noë cap. 33. *Non his*, ait, *diuitiis contenti sunt diuites, quæ in manibus, & conspectu sunt, sed longè, latèque diffundunt suas cupiditates, dum aut pecuniarum compendium de vberioribus quæritur, aut potestas diffusior, aut cupiditas.*

Gen. 10. *Auarus nulla terrarum vastitate acquiescit.* Ambr.

14. Hinc idem D. Ambrosius lib. de Elia, cap. 19. arguit homines per mare nauigantes. *Quis vos*, ait, *homines nauigare compellit? Mare non ad nauigandum fecit Deus, sed propter elementi pulchritudinem latius pelagi fudit aquora, certè vt freto includeret terras, ne longius tu vagus, & exul errares. Piscibus dedit non hominibus perambulare semitas maris. Ad escam tibi mare datum est, non ad periculum. Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur inquietas mundi altiora secreta? O inexplebilis auaritia mercatorum!* Inexplebilis hominum cupiditas terminos naturæ inuertit; Deus dedit hominibus terram, mare verò piscibus, homines verò sua sorte non contenti mare à piscibus nolunt arripere, in illóque dominatum habere; & mare, quod concessum est ad voluptatem, ac ad escam; ipsam voluntatem homines contemnentes pericula non metuunt, vt maiora sibi acquirant.

Ambr. *Humana cupiditas suis terminis non est contenta.*

15. De Iudæorum principibus ait Isaias cap. 2. n. 7. *Repleta est terra argento, & auro, & non est finis thesaurorum eius.* Solum illud, quod est infinitum caret fine, & termino, nulla humana potestas continet sub se infinitum, hoc tantum vt proprium sibi retinet diuina potentia; quomodo ergo subsistere potest id, quod ait Propheta: *Non est finis thesaurorum eius.* Pulchrè. D. Hieronymus ibi: *Non est finis*, ait, *thesaurorum eius, non quod thesauri finem non habeant, sed quod possidentium animus non impleatur.* Esto licèt sit ingens diuitiarum copia, adhuc animus non adimpletur, sed vt satietur, veluti finem non habet. D. Augustinus lib. de salutaribus documentis, cap. 30. *Auarus*, ait, *inferno est similis.* Infernus enim quantoscumque deuora-

Isaiæ 2. Hieron. *Auaritia nullo fine, ac termino continetur.*

uerit

uerit, nunquam dicit: satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, nunquam satiabitur.

QVÆSTIO V.

Quare manifestæ Christi virtutis iniqui Pharisæi fiunt obseruatores?

26. Remigius. DIVVS Remigius in Epistol.ad Philip.c.3. n.18.aduertit. Hoc verbum,quod est *obseruare.varias obtinet significationes. Aliquando significat declinare,& cauere.* Obseruate eos, Rom 16. qui dissensiones,& offendicula faciunt. Rom.16. num. 17. *Ideſt declinate ab eis; aliquando insidias* Luc.14. *moliri.* Et ipsi obseruabant.Luc.14.num.1.*Ideſt insidias tendebant:* Aliquando imitari,vt citato loco ad Philipp *Obseruate eos, qui ita ambulant:* ideſt imitamini tales. Ac proinde iuxta Remigium. *Obseruabant*, ideſt insidias tenebant, seu vt dixi in expositione, præsentato hydropico Phatisæi erant explorantes, an in die Sabbathi ægrum sanasset?Quo ipsi falso existimabant Sabbathú violari.Præclare D.Bernardus relatus à Carthusiano, Bern. ait: *Christus in factis passus est obseruatores,in dictis contradictores,in tormentis illusores.*

27. Respondeo primò.Phatisæi maximè debebant gratulari Christo Domino pro tanto beneficio in *Ingratus ex beneficio detrahit.* eos impensso,vt Dominus dignaretur cum eis adesse in conuiuio, vt summo bono, nempe eius colloquio,ac præsentia fruerentur, & tamen illi ex tanto beneficio ansam suæ maleuolentiæ arripientes, ingrati facti conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Vide supra cap.12.n.74.75.76.& 77.& cap.17.num.105.106. & n.107.

28. Secundò. Præclara Christi virtus etiam minimæ suggillationis vmbra omnino immunis, ac *Vitiosi de iustis,ac sanctis detrahunt.* expers erat;Phatisæi omni spurcitia pleni,& facta Christi audent obseruare,vt detrahant,ac arguant eum,sic sane frequenter euenit,vt qui multis defectibus abundant, in viros sanctitate, ac probitate illustres aperiant os suum,& eos omni affecto corrodere,ac calumniare nunquam cessent. Vide supra c.3.

29. Tertiò. Valde nota erat Christi sanctitas, virtus ac beneficètia in omnes,neminique iniuriosa *Nulla euidentia mitigatur æstuantes odium.* ac nociua, & tamen Phatisæi odio, ac inuidia æstuantes,eius dicta,& facta obseruant, vt eum murmuratione, ac accusatione persequantur. In tam eximia Domini probitate, in tam præclaráque eius beneficentia,quæ poterat esse calumniæ ratio? Nulla sane, tamen tanto odio obcæcatur inimicorum animus,vt nulla euidentia factorem flectatur, sed potius magis obdurescit, ac in sua nequitia obstinatior euadit.

30. Narrauit Ioseph Patri,ac fratribus suis se somniasse vndecim manipulos circunstantes adorasse manipulum suum,& iterum per somnium se vidisse solem, lunam, ac vndecim stellas eum adorare; ex quo fratres magno odio,ac inuidia sunt concitati contra eum, ac si illis somniis præfiguraretur eorum futurus rex. Cùm verò postea fratres pascerent greges suos in Sichem; Ait Iacob. Ioseph: *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga* Gen.37. *fratres tuos,& pecora,* Genes.37. num.14. Constituitur Ioseph.internuntius inter Patrem,& filios, vt è patre ferat nuntia ad filios,& è filiis ad patrem.Iacob vir valde opulentus, multa seruorum copia abundabat, cur huiusmodi nuntia per aliquem seruorum suorum non iubet, cur patitur dilectissimi sui filij conspectu priuari? Cur cum tantis periculis, quæ facile vni puero pertampos,& agros obueneri poterant? Tamen his omnibus prætermissis mandat Iacob, vt ad fratres pergat? D.Chrysost.hom.61.in Genes. *Hæc omnia* Chrys. *facta sunt,* ait,*vt & Ioſephi erga fratres monſtraretur beneuolentia.* Cognoscebat Iacob, quod filij eius oderant fratrem suum Ioseph,quia in somnis eorũ futurus rex designatur.Ordinat prudens senex vt ipse Ioseph tanquam famulus eis ferat nuntia, ac ministret,vt fratres suismet oculis videat,quod *Fratres ob ſe. quij euidentia interficere conantur.* tantum abest vt Ioseph sit illorum Dominus,cum tanquam seruus eis obsequia præstet; ac tanta euidentia eorum odium quieuit? Minimè;sed potius maximè inflammati, dixerunt videntes eum *Ecce somniator venit. Venite occidamus eum.* Tam apertè euidentia non mitigatur odium,sed magis accenditur,vt eum interficere disponant.

31. Egressus Dauid à spelunca clamans ostendit Saul oram chlamidis, quam ei præsciderat, in magnæ occasionis testimonium, qua eum potuit occidere,aitque ei: *Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in ſpelunca: ſed pepercit tibi oculus meus.* 1.Reg.24.n.11. Ecce 1.Reg.24. Rex apertè oculis tuis vides quantum distat à meo animo,vt te interficiam, hodie enim facile hoc poteram perficere; abstinui tamen me; At Saul tanta euidentia exposita, in quid? erumpit? Ait ille: *Iura mihi in Domino ne delcas ſemen meum poſt me,neque auferas nomen meum de domo patris mei.* Ibidem.num.12. Si animus Dauid tam euidenter est apertus,vt tibi nullum inferat malum, cur ab eo iuramentum exquiris de nullo nocumento infligendum? Cum animus Saul feruesceret odio in Dauid,inde factum est, vt nulla rerum manifestatione sibi persuaderet Saul, quod Dauid eius *Saul demouit fractione ami. mi Dauid obſtinatior.* esset amicus illiúsque animus erga eum placatus, sed habita tam euidenti amicitiæ demonstratione, tunc Saul obstinatior factus, cùm tanquam inimicum reputat,ab illóque amicitiæ iuramentũ extorquet, ne in ipsum, ac semen eius malum aliquod moliatur.Abulens.q.28. *Saul fecerat*, ait, Abulens. *multa mala Dauid,propter quæ merebatur perire ipſe cum toto genere ſuo,putauit ergo,quod cum Dauid regnaret,recordaretur malorum inflictorum ſibi à Saule,deleretque eius progeniem.*

Luc.14.n.3. Et respondens Iesus dixit ad legis peritos, & Pharisæos, dicens: si licet Sabbatho curare?

Num.4. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eũ, ac dimisit.

VERSIONES.

Græcus. Et intuens Iesus.

Syriac.Arab. Dixit Scribis,& Pharisæis: licetne Sabbatho sanare?

Syriacus n.4. Et prehendit eum ipse, ac sanauit eum, dimisitque.

Arias Montã. Apprehendens sanauit eũ.

Arabs

Arabicus. Ac dimisit eum.

EXPOSITIO II.

32. ET *respondens Iesus.* Ipse Iesus eorum cogitationes, ac obseruationes intuebatur, indéque respondit, vt inquiunt Beda, Aymon, non ad vocalia verba, sed ad cordis cogitata. *Dixit ad legisperitos*, quorum erat scire, quæ ad legem, ac iura spectabant. *A legisperitis iudicium legis quærit*; vt Glossa ait *& Pharisæos*, qui multum præsumebant de rigida legis obseruatione. *Si licet Sabbatho curare?* Quærit an inter opera, quæ Sabbathum violabant, hominis sanatio includatur? Non quia ignoret, sed vt simulata ignorantia efficacius Diuus Magister instruat, ac doceat ignorantes. Vide supra cap.4. n.58. Deinde etiam vt eorum errorem tolleret, hacque præoccupatione, excludat calumniam, ne impij obseruatores miraculum corrodere audeant. Similem q. proposuerunt prius Iudæi Christo Domino Matth. 12. n.10. Et vnde responsione ibi Domini confusi; quæstionem hic repetere non sunt ore ausi, sed tantum mente voluebant, Christus Dominus eam illis obiicit, vt eorum prauas intentiones, ac obseruationes reprimat, ac confutet.

Beda. Haymon. Glos.

Matth.12.

33. *At illi tacuerunt.* Respondere non sunt ausi, ne si id negarent efficacia argumentorum Christi refutarentur, ad quæ ipsi respondere non possent. Nam vt ait Euth. *Nec enim lex id fieri prohibebat, & charitas persuadebat fieri.* De hac eorum taciturnitate dicam quæst.8. *Ipse verò apprehensum sanauit eum.* Seu apprehendens. Contempto, vt notat Theophylact. Pharisæorum scandalo de curatione in Sabbatho, quod non ex ratione, sed ex eorum malitia nascebatur, ægroto, ac egeno benefacit, docens propter iniquorum scandalum bona opera non esse omittenda. *Sanauit eum.* Non solùm verbo, sed etiam contactu manus suæ sanauit eum: arefecitque illam aquatum copiam, qua homo turgebat; *dimisitque eum.* Iussit abire. Primò vt hominis motus, & incessus restitutam sanitatem, ac miraculum testaretur. Secundò Ne eo apud se retento ad ostensionem seruire videretur, à qua humilitatis magister longissimus distabat. Tertiò. Vt homo recederet ab iniquorum consortio, nam cum esset recenter etiam in anima sanatus, ne quid ex eorum contagione mali pateretur.

Euth. Theoph.

Scandalum iniquorum contemnendum.

Ab iniquorũ consortio recedat recens conuersus.

QVÆSTIO VI.

Quare indecisa quæstione facta de obseruatione Sabbathi Christus Dominus Hydropicum sanat?

34. VM Christus Dominus vidisset cogitationes Pharisæorum obseruantium eius opera dixit ad illos, *si licet Sabbatho curare?* Bene notat Theophylactus. *Arguit*, ait, *insipientiam eorum, qui reprehensuri erant. Ideóque interrogat Licetne Sabbatho sanare? Nonne manifestè irridet eos vt insipientes? siquidem cum Deus Sabbathum benedixerit, ipsi benefacere prohibent in eo, & per hoc faciunt omnino maledictum.* In Pharisæos redargutione inuehitur Dominus, non dure, sed leniter, ac figura quadam, ne reprehensione impudentiores euadant; simúlque eorum insipientiam irridet, cum diem Sabbathi quem Dominus benedixit, maledictum faciant, cum eum omnis boni operis vacuum esse velint. In prima rerum creatione, *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum, quia cessauerat ab omni opere suo.* Genes. 12. num. 3. Nulli aliorum dierum benedictionem largitus est Dominus: nisi tantum diei septimo. Cur non illum diem benedixit, in quo hominem formauit, vel in quo solem, & lunam, ac stellas creauit; Solùm diei septimo, & non aliis diebus benedictionem confert Dominus, nam operatio in illis exhibita pro benedictione erat, eósque benedictos reddebat; at dies septimus ne otiosus, ac infelix haberetur, tanquam nullo opere ditatus, benedictione ditauit. Procopius. *Ne quis*, ait, *vt inutilem diem eam auersetur, & abominetur quasi nullo opere digna à Deo sit habita, sicuti eos dies dexteriores arbitrantur, in quibus nihil fit operis; merito subiecit, & benedixit Deus diei septimo.*

Gen.2.

Theoph.

Dies otiosa, ac opere vacuo infecta.

Procop.

35. Præsens tamen difficultas est, quod cùm Dominus præposuisset Pharisæis quæstionem de obseruatione Sabbathi. *Si licet Sabbatho curare?* Consequens erat, vt de illius religione aliqua diceret, sed quæstione irresoluta saltem homini confert. *Ipse verò apprehensum sanauit eum.*

Difficultas quæstionis.

36. Cui quæstioni recte respondet Sedulius lib.4. Paschal.cap.13. *Vidit hominem*, ait, *falso crassitudinis tumore distentum, cuius aqua redundante perspicuus vitrũ putabatur esse macies vbique dominata totum hydropem in aluum turgidam congregabat. Non tulit mundi Pater hanc speciem sẽ præsente, consistere, suáque Sabbatha, qua tunc aderant, non curauit, hominem festinans curare, quem suum magis esse desiderat.* Duo se offerebant in præsenti, Sabbathi religio, & hominis salus, tamen primo prætermisso ad salutem hominis citius festinat, Cur curationem hominis non differt tantisper, vt de religione. Sabbathi sibi consecrati differat? Vt ostendat hominibus, quod magis suum erat, magísque ad ipsum spectabat hominem miserum sanare, à suáque miseria eripere; quam ipsum diem Sabbathi tãto cultu sibi consecratum obseruare.

Sedul.

Hominem sanare maximè proprium opus Dei.

37. Intrauit Iesus Nazareth in Synagoga: Explicauit de se locum Isaiæ.61.num.1. *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum*, &c. Luc. 4.n.18. Ait Christus se esse missũ à Patre ad Euãgel. pauperibus, & dandam remissionem captiuis, visum cæcis; & tamen Christus Dominus passim se dicit missum à patre ad Deum glorificandum. *Vt glorificetur Pater in filio.* Ioan.14.n.13. ad Patrẽ loquitur Christus. *Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam.* Ioan. 17.n.4. Si Christus vnctus est sanctitate Vnionis hypostaticæ, ac gratiæ, missúsque est ad dandam salutem, ac visum hominibus, quomodo se dicit missum ad Patrem clarificandum: Cùm de hominum salute agit; ibi potissimum de glorificatione Patris est negotium, eximia Patris clarificatio, maximúmque illius opus? *opus tuum consummaui, quod dedisti mihi vt faciam*: idest hominum salute, & vita; ergo cùm sit missus ad Patrem clarificandum, rectè se dicit, vnitum, ac missum, vt homines cœlestibus bonis ditaret, D. Ambros. *Vniuersaliter vngitur*, ait, *oleo spirituali, & virtute cœlesti, vt paupertatem conditionis humanæ thesauro resurrectionis rigaret æterno.*

Luc.4.

Ioan.14.

Salus nostra Dei glorificatio.

Ambr.

Secundò ad eadem Sedulij verba. *Sua Sabbatha,* 38.

qua

qua tunc aderant non curauit, hominem festinans curare. Dies Sabbathi consectatus Dei cultui, ac venerationi, illum tamen prætermittit Christus, vt ad sanandum infirmum festinet, plus attendens hominum saluti, quàm suæ maiestatis cultui, qui in Sabbatho deferebatur: Venit Christus Dominus ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo; Ioannes verò genuflectens, ac ad Domini pedes prostratus adoratis eius diuinitatem; *prohibebat eum dicens, ego a te debeo baptizari*: ait illi Christus. *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Matth. 3. num. 15. ait, *Sine modò.* Idest, pro nunc omitte has adorationes, genuflexiones, conuenit enim, vt exhibito baptismo omnis iustitia adimpleatur. In hoc autem lauacro sacramentum Baptismi nouæ legis institutum fuisse à Christo Domino docet D. Thomas 3. p. quæst. 66. art. 2. in corpore, ac alij, quos citati tom. 1. lib. 3. cap. 2. num. 16. Nunc inquirendum est, quod cum Ioannes Christum adoret, ac reuereatur, quod maximè eius diuinæ maiestati erat debitum, tamen Christus Dominus illi imperat, *Sine modò.* Vt ab illis adorationis actibus desistat, & ad baptismum pergat. *Decet nos implere omnem iustitiam.* Ioannis genuflexiones Christi maiestatem, baptismus verò hominum salutem, & vitam respiciebant; Christus autem Dominus pro negotio nostræ salutis, cultum, ac reuerentiam suæ excellentiæ prætermitti ordinat, indéque ait Ioanni, *sine modò.* Vt ad baptismum pergatur, vt homines mundaret. D. Augustin. serm. 36. de temp. *Saluator, ait, ideo baptizari voluit, vt nobis fluenta mundaret.*

Matth. 3.

D. Thom.

Christus potius attendit ad nostrã salutem, quam ad suam maiestatem.

Augustin.

39. Vidit Daniel. 7. num. 9. Christum Dominum indutum veste alba *Vestimentum eius candidum, quasi nix*; quæ vestimenta dicuntur sanguine rubra, ac sordida ab Isaia 9. num. 5. *Vestimentum mixtum sanguine*, & 63. num. 2. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua, sicut calcantium in torculari.* Et apparet Zachar. 3. num. 3. *Iesus erat indutus vestibus sordidis.* Vestis alba gloriæ, honoris, ac maiestatis erat, hinc summus sacerdos veste byssina vtebatur. Quomodo illud indumentum Christi mutatum est in vestimẽta rubra, sanguinea, ac sordida, præcipuè cum iusti multoties videantur in vestibus albis? *Ambulabunt mecum in albis.* Apocal 3. num. 4. & statim. *Vestietur vestimentis albis.* Et Apocal. 7. num. 14. *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt?* Ita respondetur. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni.* Quomodo ergo Christi vestimentum sanguineum, ac sordidum? Vbi est vestis eius candida sicut nix? Vt homines induerentur vestimentis albis exuit se ipse vestimentis gloriæ, vt ait Cellensis citandus; deponens Christus vestimentorum suorum, decorem, elegit sibi sordidum, ac sanguineum amictum, vt homines splendida gloriæ ornatu circumponeretur. Petrus Abbas Cellensis lib. de panibus cap. 21. *In thalamo contraxit se, paulo minus minoratus ab Angelis, exuit se vestimentis gloriæ; accinctus cilicio deposuit fortitudinem circundatus infirmitate.* Claudens orationem, ait *Res quidem pia, cum infinite immensus abbreuietur, ad dejectum, se nihilominus mira, cum reparatur ad vnitatem personæ filij Dei natura filiorum Ada.* Vide tom. 1. lib. 2. c. 10. q. 16. n. 52. tom. 2. c. 27. q. 13. n. 75. & tom. 3. c. 12. q. 12. n. 62. & c. 26. q. 3. n. 22. 23. & 24. & multa verb. *Christus.*

Isaiæ 9. Haiæ 63.

Zachar. 3.

Apoc. 3. Apoc. 7.

Christus exuit se vestis multis gloriæ, vt nos illis induamur.

Cellens.

QVÆSTIO VII.

Quare eodem verbo vtitur hîc Euangelista ad explicandam hominis sanitatem, ac Paulus, cùm de mysterio Incarnationis ageret?

40. DE hydropico ait Euangelista, quod Christus Dominus *Apprehensum sanauit eum*: poterat Dominus hunc hominem solo verbo sanare, vt curauit puerum Centurionis. Matth. 9. n. 31. tamen voluit ipsum tactu curare, vt ostenderet, ait Maldonat. se non solùm vt Deum, sed etiam vt hominẽ vim curandi habere, humanitatémque suam instrumentum esse Diuinitatis multa miracula, ac mirabilia facienda.

Matth. 9. Mald. *Caro Christi salutifera.*

41. Quæstio præsens est, cur Euangelista narrans sanitatem huius hominis. Non ait, quod Christus tetigit eum, nec quod ipsum assumpsit, sed quod illum apprehendit? *Apprehensum sanauit eum* Quo verba vsus est Paulus, cũ de Incarnationis mysterio verba faceret. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraha apprehendit.* Ad Hebræ. 2. n. 16. Vim illius verbi Apprehendere, explicans Chrysostom. ait. Verbum apprehendi metaphoram habet sumptam ab eo, qui magno studio sequitur aliquem, omniáque facit, vt fugientem occupet, & teneat, nos fugiebamus à Deo, ipse nos insecutus est, & velut iniecta manu apprehendit nos, nec passus est perire.

Hebr 2. *Ratio difficultatis.* Chrys.

42. Respondeo primò ex Etymologia verbi *Apprehendere.* Nam hydropicus multis abundabat vitiis, vt explicaui quæst. 4. illíque à Deo maximè fugiebat, Christus Dominus efficacia suæ gratiæ eum vehementissimus tenuit, ac apprehendit, ad seque reducit. Secundò. Deus pro remedio, ac salute humanæ naturæ eam apprehendit, vt ait Paulus. *Semen Abraha apprehendit.* Cùm autem hunc hydropicum Christus manu capit, cúmque ad se trahit, vt illi salutem denotaret, eodem verbo vtitur Euangelista, *apprehensum sanauit eum*; vt denotaretur eximia Christi charitas, qui tam ardenti amore vnumquemque nostrum diligit, vt pro cuiúsque salute persoluat, quidquid pro vniuerso hominum genere est factum; Deus pro omnium salute apprehendit naturam humanam. Christus suo modo hunc hominem pro eius curatione apprehendit. Dico suo modo, quia non loquitur de vnione hypostatica, quæ facta est in Incarnatione, sed pro eo, quod est manu capere; qua, Christus hunc hominem tenuit.

43. In Decalogo præscribitur Deus præcepta non loquitur cum homine in plurali numero, sed in singulari. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem; non adorabis ea, neque coles.* Exod. 20. 5. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et postea *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies.* Deus cum vniuerso hominũ genere loquebatur. Cur non ait non facietis, non adorabitis, non assumetis, &c. Si locutio est ad omnes, cur per singulare fit sermo, ac si ad vnum tantum diriqeretur? Ita Deus diligit vnum suam legem obseruantem, ac omnes eam custodientes, tamque dilectus est Deo vnus legi obediens, ac omnes illam adimplens; vnde dicitur citato loco Exodi 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.* Non ait, ego sum Dominus Deus vester, sed *tuus*: ita gloriatur, quod

Exod. 20.

Ita in Dei æstimatione est vnus ille, ac omnes.

quod sit Deus vnius, ac si esset omnium. Philo
Philo. lib.de Decalogo, proponens dubium,cur non in plurali,sed in singulari dixit:*Non occides,non mœchaberis.* Sic satisfacit:*Respondendum est igitur*,ait, *ideo placuisse hanc formulam, vt lectores sacræ Scripturæ discerent,quidam valde pulchrum, & necessarium, videlicet vnumquemque, tantisper dum Deo paret, à legibus honore aquari frequentissimo populo, vel potius omnibus gentibus: adde amplius, mundo etiam vniuerso.* Quę verba præponderа pro nostro instituto. Deinde subdit idem Philo immediatè. Quoniam alicubi *quendam virum iustum laudant (ego sum, inquit, Deus tuus) ipse autem erat etiam Deus mundi totius.* Hoc grauiter confirmatur parabola de oue perdita,vt dicam cap.26.& vide de hac re tom.2.cap.3.q.47.n.262. & tom.3.cap.29. q.9.n.66.

Luc.14.n.5. Et respondens ad illos dixit: cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?

Num 6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

VERSIONES.

Syriacus n.5. Et subdit eis: quis ex vobis, si ceciderit filius eius, aut bos eius in puteum die Sabbathi, qui non statim hauriens educat eum.

Syriacus n.6. Et non poterant ei dare responsum super hac re.

Arabic. Circa hoc.

EXPOSITIO III.

44. *Et respondens ad illos.* Sanato nempe homine pergit Iesus loqui illis, cuius *vestrum asinus, aut bos.* Hæc duo animalia in exemplum adducit, vtpote maximè omnibus communia, ac domestica, & quæ frequentius in omnium vsu erant. Mald. *In puteum cadet*, Seu vt alij cum Maldonato: in foueam. Glossa. Bonau. *Et non continuò extrahet illum die Sabbathi?* efficaci exemplo est vsus, vt notant Glossa, D. Bonau. & alij;ac si diceret. Si vos ô Pharisæi asinum,aut bouem multa vi,ac conatu ex puteo, seu ex fouea extrahitis in Sabbatho, nec Sabbathũ violari putatis: cur me existimatis Sabbathi venerationem imminuere, eo quod sanitatem ægris absque vllo labore,sed solùm verbo,vel tactu confero:Rectè Beda. Beda. *Violabant*, ait, *illi Sabbathum in opere cupiditatis, qui Christum violare arguebant in opere charitatis. Et non poterant adhuc respondere.* Ecce Pharisæi,qui in conuenticulis,ac cõram populo multa aduersus Christum obtrabant dicentes, *non est hic homo à Deo, qui Sabbathum non custodit.* Ioan.9.num.16. Coram Christo obmutescunt, & nec vnum verbum dicunt. Nam vt ait Euthym. Euth. Beda. Bonau. *Cum manifesta esset veritas*, coacti sunt pudore omnino supprimere os.Deinde rectè Beda.D.Bonau.*Meritò*, ait, *tacent, qui contra se dictum,quidquid dixerunt,vident: si enim licet,cur observant?Si non licet,cur pecora curant?* Iniquus quidquid dicit, contra se producit. Vide hoc tom.1.2. & 3.verb.*Loqui.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Dominus exemplum asini,vel bouis obiicit Pharisæis ad eorum malitiam confutandam?

NE videretur,quod Dominus Pharisęorũ silentio fretus absque vlla ratione hydropicum die Sabbathi sanauerit, ideò diuinus Magister,qui alta prouidentia omnia operabatur,efficacem rationem producit; pro quo vide in Indice,verbum *Ratio*,ostenditque quod licitè,ac bene omnia facit, adducens exemplum asini,vel bonis in medium, quo eos docet, illorúmque malitiam arguit; ex quo nota quàm longe sit ab adulatorum more Iesus, quamuis enim esset inuitatus à Principibus Pharisæorum ad epulas,non tamen loquitur ad eorum placitũ, sed sincerè veritatem dicit;eos arguit, eorumque malitiam reprehendit. Ad quæstionem. 45. *Omnia rationabiliter operanda.* *Propter ofcum non omittat dicere verũ.*

Primò.Et litteralis ratio adducta est in expositione,ac si dicat Christus,si vos ô Pharisæi, bouem,aũt asinum lapsum in puteum multo sudore die Sabbati absque.eius violatione extrahitis; cur mihi obiicitis,quod solo verbo,ac tactu hominem in Sabbatho sanem? Beda. *Si vos*, ait, *In Sabbatho asinum, aut bouem, aut quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis,non animali,sed vestræ auaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est pecore, debeo liberare? illud cupiditatis,hoc charitatis est opus.* In hoc arguit Dominus Iudæorum auaritiam, quia eis maior cura erat de boue,& asino,quam de proximo, ac fratre,hunc enim in miseria infirmitatis volebant esse detentum in Sabbatho, non verò suum brutum animal in fouea. 46. Beda. *Auarus plus diligit suum asinum, quã hominem.*

Secundò.D.Dionys.Carthus. *Peruersis,& execratis*,ait,*illis legisperitis, ac Pharisæis iam in Ecclesia multi etiam Prælati, & animarum curam habentes sunt similes, quia si viderint pecoribus suis aliquid aduersitatis contingere, mox succurrunt, sed si viderint proximos suos, aut subditos spiritualiter ladi,atque occidi,scilicet peccare mortaliter, aut notabiliter,tacent,dissimulant,non curant,nec dolent: quo patet, quod veram Dei, ac proximi charitatem non habeant.* His Pharisæis multi inueniuntur prælati similes, quibus maior cura est de suo animali, quàm de suo subdito, magis soliciti sunt, magísque dolore afficiuntur ex incommodo, ac damno bruti,quàm hominis,quod totum ex defectu charitatis Dei ac proximi in eis nascitur;nam si hæc apud illos vigeret, plus curarẽt de anima subditi, quàm de vita bruti animalis. Tertiò.D.Augustin. Aug. lib.2.qq.Euangel.c.29. *congruenter autem*, ait, *hydropicum animali, quod cecidit in puteum comparauit.* Vterque enim nimio humore aquæ premitur, ac laborat,cùm dicitur *cadens in puteum.* Lapsus magnitudo,& difficultas reuocandi denotatur;In quæ mala ex immoderato gulæ stimulo deuenerunt, hydropicus ex nimio appetitu bibendi, & animal etiam tanquam impatiens vt aquam ex puteo gustaret;non mirum ergo quod in tot mala deuenerint,damna enim,quæ ex gula germinan- 47. Carth. *Iniquus Prælatus plus diligit suum animal, quã subditum.* *Mala ex gula difficulter expelluntur.*

tur,

na, multámque difficultatem reuocandi ad sanitatem gressus important.

48. Gen.2. De cibo vetito ait Deus Adamo: *In quocumque die comederis, morte morieris*, Genes.2. num.17. Per varias causas diuersa mala introierunt in orbem; libidinosa cupiditas, per oculorum concupiscentiam: *Videntes filij Dei filias hominum.* Furtum, ac rapina per ambitionem: *Idolorum cultus per hominum amorem.* At mors in mundum per gustum cibi vetiti habuit portam in mundum. Cur magis per hanc viam, quam per aliam ingreditur? Mors minimè cuitari potest, minimèque à mundo expelle valet, inexque cum sit malum perdurans ex nullo alio capite, nisi ex gula ad sui viam habuit suffragium. D. Zeno Veronens. lib.1. serm.1. de patient. *Vbi Adam*, ait, *sacra arboris pomum male dulce delibauit, lachrymas repetit: dolores, & gemitus: vltimoque sudore turbatur, posteris hereditatem indigesta mortis dereliquit.* Expende, *hereditatem indigesta mortis.* Mala, quæ ex gula pullulant, indigesta videntur, adeò vt vix extrahi ac expelli ab assuetо valeant.

Malum inextricabile per gulam. Zeno.

49. Hugo. Prou.23. *In luxuriam sapiens, & stultus ruunt.* Eccl.7. Titelm. Lorin.

Quartò. Hugo. Mysticè, ait, per asinum stultus, quilibet per bouem sapiens designatur, per foueam verò luxuriam. *Fouea profunda meretrix*, Prouerb.23. num.27. Asinus ergo, & bos in puteum cadunt, quia tam sapiens, quàm stultus aliquando in luxuriam ruunt. Ecclesiastes 7. n.27. *Inueni*, ait, *amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.* Expende magnam exaggerationem, vt notant Titelman. Lorinus, & alij, *amariorem morte mulierem.* In rem nostram. *Sagena eius*, quia quantum est ex voluntate sua, ait Hugo, veluti, *sagena omnes pisces, & magnos, & parvos capit.* Sic mulier impudica omnes ad se trahere conatur.

50. Glos. Beda. Bonau. *Primum locum nescirent, & non sapientiæ tempus.*

Quintò. Ponitur asinus, & bos, vt arguatur humana malitia, vt inquiunt Glo. Beda, D. Bonau. quia sæpè apud aliquos homines in maiori æstimatione habetur asinus, vel bos, quàm homo. Ex quo nota iuxta doctrinam Hugonis proximè citati, quod asinus denotat stultum, bos sapientem, tamen dicitur: *Quis vestrum asinus, aut bos?* Accommodatur sermo communi hominum vsui, cum quibus loquebatur. Asinus primo loco; secundo verò bos ponitur: apud enim mundiales primum locum occupat asinus, scilicet stultus, non verò bos, hoc est sapiens, aut benemeritus, seu multum laborans.

51. Apoc.13. *Corona superabundant nescio.*

Apocal. 13. num.1. ait Ioannes: *Vidi bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius diademata decem.* Ecce iam manifesta difficultas, si capita erant septem, quomodo plures coronæ? *decem diademata.* Corona in capite collocatur; cur ergo coronæ decem, & capita septem? cùm esset bestia tota coronis replebatur, multæque coronæ ei superabundabant. Maximè nota, quod diademata non erant in capitibus, sed in cornibus. *& super cornua eius diademata decem.* Caput Hieroglyphicum sapientiæ; cornua verò bruti nota. In illo autem horrendo monstro non collocabantur diademata, vbi sapientia, sed vbi brutalitas designabatur, ac notabatur.

Luc.14. n.7. Dicebat autem ad inuitatos parabolam intendēs, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos.

Num.8. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honorarior te sit inuitatus ab illo.

VERSIONES.

Syriac.n.7. Dicebat autem parabolam iis, qui fuerant illic inuitati, eo quod conspiceret eos eligentes loca primorum accubituum.

Arabicus. Quia illi eligebant primos accubitus.

Syriac.n.8. Quum inuitatus fueris ab aliquo ad domum conuiuij, ne abieris accubitū primo concessu, ne fortè illic sit inuentus aliquis te honoratior.

Arabicus. Quando vocauerit te aliquis, ne sedeas prima congregatione, ne fortè honoratiorem aliquem vocet apud se.

EXPOSITIO VI.

DICEBAT autem ad inuitatos Conuiuium Dominus miraculo condecorauit; miraculo doctrinam adiungit de humilitate. Pascitur, & pascit, conuiuio excipitur; & lautiori conuiuio excipit inuitatos, & pro pabulo corporali, cibum spiritualem animæ impēdit. Theophylactus: *Vides*, ait, *cœnas Christi, quales sint, nempe in vtilitatem animæ, & non in lætitiam ventris vertuntur.* Et dicit eis parabolā Quamuis videatur apertum documentum, parabola dicitur, quia vt notarunt Beda, Interlin. Lyran. Caiet. D. Bonau. Luc. Burg. dat Dominus doctrinam, quæ non apertè redarguit, sed rectè admonet depromptа similitudine à re præsenti, ac à mensa conuiuali, vt amputatis omnibus inanis gloriæ remis, eos in modestia humilitatis informet. Tectè, & modestè arguit. D. Ambr. lib.7. in Lucam: *Docetur humilitas, clementer tamen: vt persuasionis humilitas asperitatem correctionis excluderet, ratio proficeret ad persuasionis effectum, & correctio emendaret affectum.* Si Dominus manifestè, ac asperè increparet Pharisæos potius moueret ad vindictam, ac indignationem, quàm ad correctionem, vt autem *proficeret ad persuasionis effectum, & emendaret affectum.* Correctio sit lenis, ac tecta. Intendens, idest, attendens. Syriacus. *eo quòd conspiceret eos.* Textus, *primos accubitus eligerent.* Theophylactus tumultuabant propter primas sedes; tum ait Carthusianus, ob honoris auiditatem, tum etiam ob lautiora fercula, quæ altius sedentibus solent apponi. 52. Theoph. Beda. Interlin. Lyran. Caiet. Bonau. Burg. Ambr.

Cum inuitatus fueris ad nuptias. Exempli loco posuit nuptias, intelligens magnum aliquod conuiuiū, cum in eis soleat fieri *Non discumbas in primo loco*, seu, *in primo consessu*, vt habeat Syriac. non ambias 53. Syr.

ambias, nec te sponte ingeras in primo accubitu, hoc enim ex immoderata iactantia prouenit, D. Ambr. hic, *Appetentia loci superioris arcetur.* Ex quo ait D. Cyrill. in Cat. D. Thom. *Profilire prompte ad honores, qui nobis non conueniũt, indicat nos temerarios esse, & nostra facta vituperio replet.* Dignitas obtẽta à non merente, non in honorem, sed in dedecus illi cedit. Ex quo colligitur, quanta prudentia sit, quod quilibet suis limitibus se contineat; & electio vltimi loci, non vltima viri magni laus est.

Ambr. Cyrill.

Luc. 14. n. 9. Et veniens is, qui te, & illum vocauit, dicat tibi: da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

Num. 10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

VERSIONES.

Euthym. n. 9. Qui te, & illum inuitauit.

Syriacus. Pudore suffundaris, cum assurrexeris, & obtinueris alium locum.

Vatablus. Et incipies cum dedecore extremum locum tenere.

Theoph. n. 10. Quinpotius cum vocatus fueris.

Syriacus. Vade discubitum in vltimum locum, vt cum venerit is, qui te vocauit, dicat tibi: Amice mi: erit tibi gloria coram omnibus, qui tecum discumbunt.

EXPOSITIO V.

54. *ET veniens is, qui te, & illum vocauit,* seu inuitauit ad conuiuium; *da huic locum,* vt honoratior, & dignior te primam sedem occupet; non ait illi detrahendo, sed politicè, ac vrbanè abire facit.

Vatabl. *Et tunc incipias cum rubore*: legit Vatablus cum dedecore, *Nouissimum locum tenere.* Ex prima sede ad nouissimam, ac extremam hic recedere cogitur, cum tamen essent aliæ sedes intermediæ, secunda, tertia, vel quarta; cur ergo de prima ad vltimam. Respondet Barradas. Exclusus à primo loco non reperit alium, qui non esset occupatus; ideóque oportuit extremum tenere; vel dicitur, *nouissimum locum tenere.* Vt confusio hominis magis exprimatur, quam significare intendit parabola; ex gloria indebita captata dedecus, ac ignominia comparatur.

Barrad.

55. *Sed cum vocatus fueris.* Ad nuptias scilicet, ac ad magnum eius conuiuium. *Vade.* Perpende verbum quando vers. 8. de discumbentibus in primo loco est sermo, non dicitur, *vade,* vt modo de extremũ accubitum eligente, quia cum homo ad ima humilitatis descendit, ac vltimum locum amplectitur, tunc suprà se vadit, ac pergit. *Recumbe in nouissimo loco.* In vltima conuiuij sede. D. Bonau. *Te inferiorem omnibus reputando.* Pergit Dominus sermone parabolico, *vt cum venerit, qui te inuitauit.* Non voluit docere Dominus, vt notant Cordet. & alij, quod eo fine vltimus locus eligendus sit, vt ad superiora ascendamus, sed quid ex ipsius humiliatione consecuturum sit, indicare intendit. Consequentia enim humilitatis exaltatio est. *Amice ascende superius,* ad priorem, ac honoratiorem locum; ad optimum patremfamilias spectat, vt omnia in domo sua sint aptè, & accommodatè distributa, ne dignior sit in vltimo loco, & minus dignus in primo, cui ordini nemo debet resultare, ipsa enim recta rationis, ac iustitiæ dispositio animum coërceret, ac conuincit. *Et tunc erit tibi gloria.* Vera enim gloria est illa, quæ datur non verò quæ ambitur. Hæc enim inseruit ad ignominiam, illa verò ad honorem.

Qui se humiliat supra se, exaltatur.

Bonau.

Cordet.

QVÆSTIO IX.

Quare docet nos Dominus non quemlibet locum, sed tantum extremum eligere?

56. QVM in conuiuio varij sint locorum accubitus mandat Dominus, vt non secundum, vel tertium, seu quartum eligamus, sed vt vltimum ac extremum teneamus. Ad quod primò rectè respondet ex D. Bernardo serm. 37. in Cantic. D. Bonauent. *Si enim,* ait, *in quonam statu vnumquemque nostrum habeat Deus liquido cognoscere mus, nec supra sanè, nec infrà sedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes: nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita vt nemo sciat, si dignus sit amore, an odio, iustius iustiusque profectò, iuxta ipsius veritatis consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumimus altiorem, vnde cadere mox oporteat cum rubore.* In quo loco quisquis nostrum sit apud Deum, nobis, penitus est absconditum. Deinde in sui æstimatione homo multum errat; erigendus est ergo à nobis semper vltimus locus, vt ex illo cum honore sublimemur, & primum fugiamus, ne cum dedecore ex illo deiiciamur.

Bern. Bonau.

Homo errat in sui æstimatione, inde eligat vltimum locum.

57. Secundò. Titus Bostrensis: *Ille cordatus est,* ait, *qui cum prima sedis honorem iure promereatur, adeo illum non affectat, vt eo quoque alios deferat. Quapropter magnum, præclarumque donum est, animus modestus, sua sorte contentus.* Prudentia magna viri est, quòd quamuis valde notum sit, quod ipse honore primæ sedis dignus sit, tamen cum non sibi vsurpat, sed alijs eum sibi deferendum relinquit; qui enim primum sibi occupat locum multis periculis exponitur. Salomon Prou. 25. num. 6. *Ne glorioſus appareas,* ait, *coram rege, & in loco magnorum ne steteris. Melius est enim, vt dicatur tibi; ascende huc, quam vt humilieris coram Principe.* Nam superbia, & ostentatio omnibus quidem exosa est, maximè regibus, & dynastis: tum quia reges omnibus eminere volunt:

Bostr.

Prou. 25.

Reges omnibus eminere volunt.

cum

tum quia maiestatem suam ab omnibus agnosci, & magna omnibus in rebus submissione coli, & suscipi intentant

58. Amic. Tertiò. D. Ambrosius lib. 7. in Lucam: *Docetur humilitas*, ait, *dum in illo conuiuio nuptiali, appetentia loci superioris arcetur: clementer tamen, vt ratio proficeret ad persuasionis effectum, & correctio emendaret affectum.* Mandat Dominus humilitatem vltimi loci eligere, non solùm vt homo virtutem amplectatur, sed etiam vt suæ auctoritati, ac honori consulat, ne cum rubore à loco, quem tenebat, deiiciatur, ac expellatur.

Pro auctoritate humilitas tuenda.

59. Bern. Quartò. D. Bernard. tom. 4. serm. 19. *Recumbe in nouissimo loco: Nouissimus locus*, ait, *mors est.* Nuptiæ, ad quas homo vocatur, præfigurabant illas, quas Christus cum Ecclesia celebrauit, vt docent Beda, D. Bonauent. Hugo, & alij, conuiuium quod celebratur, est mensa sacræ Eucharistiæ; vt ergo hac cœlesti mensa fruaris recumbe in nouissimo, in consideratione nempe mortis, sic rem pensites apud te, quod nisi ad mensam dignè præparatus veneris, certissimo mortis periculo æternæ damnationis te obiicies, à quo nullo modo potest effugi. Vide supr. c. 14. n 109.

Beda. Bonau. Hugo.

Eucharistia cum mortis metu sumenda.

60. Bern. Quintò. Idem D. Bernardin. eodem tom. 4. serm. 15. *Locus nouissimus est paradisus.* Humilitas enim paradisus est omnium virtutum, seu vt in superiori de sacra Eucharistia persistamus, quia ad Christi mensam accedit, non cum hominibus in terra, sed in paradiso cum Angelis recumbere censendus est. Insignitis victoria, & palma, ait Deus: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Quod de sacra Eucharistia communiter interpretatur. Et subdit: *Quod est in paradiso Dei mei*, Apocal. 2. num. 7. Quomodo sacra Eucharistia dicitur esse in paradiso, cum in Ecclesia militante apponatur? Cum terra Deum, ac Dominum paradisi suscipiat, in cuius præsentia, ac fruitione omnes cœlestes delitiæ consistunt, inde fit, vt terra paradisus omnium bonorum reddatur. Richard. de sancto Laurent. de laudibus B. Mariæ lib. 12. *Quod est*, ait, *in paradiso Dei mei, id est in Ecclesia militante per præsentiam corporalem in sacramento altaris.* D. Chrysostomus homil. 24. 1. Corinth. *Nemo sit*, ait, *cui de hac re ambigere liceat: nam dum in hac vita sumus, vt terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium.*

Apoc 2. *Qui gustat sacrã Eucharistiam, in paradiso degit.* Rich. Chryf.

61. Bern. Sextò. D. Bernard serm. 77. in Cantic. *Propterea*, ait, *non mediocrem, non penultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit Dominus; sed recumbe, inquit, in nouissimo loco, vt solus videlicet omnium nouissimus sedeat, regnè nemini non dico præponas, sed comparare præsumas.* Perfectus humilis non solùm inter minimos locum eligit, sed omnium extremum quærit, non enim patitur, vt alius tanquam inferior ei postponatur, vel comparetur, sed sub omnium abiectione vult ipse substerni.

Verus humilis non cum aliis sed infra omnibus se vilipendit reputat.

62. Magnus, ac potens rex erat Dauid, & tamen tanquam minimus de plebe factus coram Domini arca saltabat, & superbum Micholis fastum contemnens dicebat, *Iudam, & vilior fiam, plusquam factus sum.* 2 Regum. 6. num. 22. Iam ex habitu Christi, in cuius persona dicebatur: *Ego sum vermis, & non homo.* Cuius David futurus erat pater hanc humilitatem participabat, vt non cum aliis æqualiter vilis, sed omnium vilior haberetur, vt non tam cum scurris compararetur, sed etiam infra scurris abiicibilior, ac tanquam omnium extremus reputaretur, quod pulchrè pondet

2. Reg 6.

David se in extrema vilitate reputabat.

rans D. Gregorius lib. 27. Moral. cap. 27. *Quid aliud*, ait, *sentiant ignoro, ego Dauid plus stupeo, saltantem, quam pugnantem, pugnando hostem subduxit, saltando coram Domino se ipsam vicit, & cum despiceretur, dixit Iudam, & vilior fiam plusquam factus sum: quasi diceret, vilescere coram hominibus appeto.* Greg.

Cum Gedeon in torculari purgaret frumenta, apparuit ei Angelus Domini, eúmque salutans ait: *Virorum fortissime.* Illíque denuntiat libertatem Israël per manum eius, atque gloriosam victoriam contra Madian; qui respondens ait Angelo: *In quo liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Iudith. 6. num. 15. Si Gedeon audit se ab Angelo virorum fortissimum nuncupari, quia nempe vt explicat Abulens. quæst. 11. corporis, animíque viribus præ cæteris præpollebat, deindéque grandis victoria per manum eius prædicebatur, quomodo ipse de se testatur, quod eius familia sit infima, & ipse minimus in domo patris sui? Gedeon multum humilis erat, indéque non solùm se cum aliis comparabat, nec inter alios se esse existimabat, sed etiam tam ex familia, quàm ex persona sua se abiectissimum esse dicebat, indéque non solùm se ipsum, sed etiam suæ familiæ conditionem extenuat. *Ecce familia mea infima est Manasse, & ego minimus in domo patris mei*, quod dicebat, quamuis ipse esset primogenitus, vt idem astruit Abul. hoc est humilitatis ingeniũ, vt alios meliores cogitet. Petr. Blesens. serm. 30. *Vt scilicet semper consideret homo, quid sibi abest, & quid aliis adest.* Petr. Bles.

63. Iudith 6. Abulens. *Gedeon etiam se ex tremum abiiciebat.*

QVÆSTIO X.

Quare ille homo, qui ascendit ad superiorem locum, amicus appellatur, non verò ille, qui descendit?

64. DVo homines in hac parabola introducuntur; vnus recumbens in primo loco, alter in nouissimo. Qui in primo loco sedebat, cum honoratior aduenit, ait ei paterfamilias, *da huic locum.* Non tamen amicum vocat, vt illum alium, qui in nouissimo loco est inuentus, cui ait heros conuiuij: *Amice ascende superius.* Quæstio excitatur, cur ascendentem dicit amicum, non verò descendentem.

Ratio diff. cultatis.

65. Primò. Cur amicum dicat D. Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium Pontificem, sic explicat: *Quale est hoc*, ait, *de paupere, & abiecto lenari, super gentes, super regna? Quis ego, aut qua domus patris mei, vt sedeam excelsis sublimior? Sanè qui dixit mihi: Amice ascende superius: amicum fore fidit.* Cum Deus ad dignitatem, ac honorem hominem superius sublevat, sic eum sua gratia, ac donis communit, ac firmat. *Amicum fore fidit.* Vt in ipso dignitatis culmine, tanquam verus amicus illius legi, ac voluntati in omnibus obsequator, vt suo muneri satisfaciens illius onera rectè adimpleat.

Bern. *Deus cum dignitate dat vires proportionatas.*

66. Secundò Beda: *Veniens Dominus*, ait, *quem humilem inuenerit, amici nomine beatificans, superius ascendere præcipiet. Quicumque enim humiliauerit se sicut parvulus, hic est maior in regno cœlorum.* Humilis amici Dei nomine gaudet, & tanta excellentia, vt in hac vita existens illo beatificetur, ac

Humilitas beatificat in hac vita

ex humilitate veluti beatus dicatur: *Amici nomine beatificans.*

67. Notarin. Tertiò. Notarinus sic explicat: *Amice ascende superius*; ita tamen, vt amicus esse non desinat, qui ascendit: ac si eum moneat vt in fastigio dignitatis, ab amicitiæ fastigio non cadat. Plures, antequam ad culmen honoris ascenderent, amicos habuit Christus, qui in culmine positi hostes euaserunt. Tertullianus lib. de præscriptionibus aduers. Hæretic. cap. 3. probat, quod aliqui boni, postea vero dignitate retrò exciderunt. *Saul*, ait, *bonus præcæteris, linore postea euertitur. Dauid vir bonus secundùm cor Domini, postea cadit, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur.*

Dignitate sæpè homines pejores fiunt.

68. *Superbus omnibus exosus; humilis verò vniuersis amabilis.* Quartò. Dum qui primum locum tenebat, ad inferiorem ire mandatur, amici titulus amittitur, & tantum dicitur ei, *da huic locum.* At verò qui in nouissimo loco sedebat, amici nomine insignitur, alloquens ei paterfamilias ait: *Amice ascende superius.* Quænam huius discriminis causa? Hic vt modestus, ac inanis gloriæ inimicus, omnibus erat amicus, omniúmque animos ad se conciliabat; ille verò vt superbia elatus, omnibúsque se anteponens, omnibus inimicus, ac exosus erat, omniúmque animos à se auertebat, sicut enim humilitas amorem generat, sic & superbia odium, ac sui displicentiam procreat, ac nutrit.

69. Esther. 1. Conferuntur inter se duæ Assueri vxores Vasthi, & Esther, & cum vtraque esset regis imperium transgressa, valde tamen diuersus exitus vnicuique contigit. Nam Vasthi vocata ad conuiuium, *qua venire, & ad regis imperium, quod per Eunuchos mandauerat, venire contempsit*, Esther 1. num. 12. Vnde cum rex esset iratus facto principum consilio prolata est sententia, vt non vltra Vasthi introduceretur ad regem, sed ipsius loco altera in reginam eligeretur. At verò Esther, cum extaret lex, quòd si quis non vocatus regis penetrale ingrederetur, statim sine vlla dilatione capitali pœna puniretur, cap. 4. num. 11. Introiuit tamen, & visa regis facie timore corruit, quam blandè, ac affabiliter rex amplectens brachiis tenebat, illámque omnes consilij proceres consolabantur. *Rex festinus, ac metuens exilium de Solio, & sustentans eam vlnis suis, donec rediret ad se his verbis blandiebatur: Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere*, Esther 14. num. 11. Et Esth. 14. postea subditur: *Omnes ministri eius consolabantur eum*, ibidem num. 19. Ecce vtraque fœmina regis decretum violauit, Vasthi regem, ac omnes Satrapas habet accusatores, omnes eam damnant, nullus est, qui pro illa loquatur. At verò Esther regem, & ministros sortita est aduocatos. Vnde tantum discrimen in Palatio Assueri? Vasthi ex sua multa arrogantia regis mandato non obtemperauit, vt apertè indicat illud verbum Scripturæ, *venire contempsit.* Vt sua præclara eruditione comprobat sapientissimus Magister Didacus de Celada ibidem. Esther verò ex humilitate intuens regis maiestatem exterrita est, & qnos arrogantia obtinuit aduersarios, humilitas reconciliauit patronos. Vasthi ex superbia execrabili odio omnium sententia à regio fastigio deponitur. Esther verò ex submissione sua omnium manibus subleuatur, vt petita à rege libenter obtineat. Rupertus lib. 12. de diuinis Officiis cap. 25. *Esther*, ait, *pro temperantia ponitur, qua repudiata ob arrogantiam Vasthi regina in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantia hoc indicium est singulare, quod Leonem illum, de quo ipsa dicit: Da mihi gratiam in conspectu Leonis, id est, Assueri regis, in mansuetudinem conuertit.*

Celada. *Arrogantia aduersarios creat, humilitas patronos.* Rupert.

Ad Iesum *accedens vnus Scriba, ait ille, Magister sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet*, Matth. 8. num. 19. & 20. Proposita sua paupertate hunc Scribam à se reiicit Christus, vt communiter docent Patres; vt dixi tom. 2. cap. 23. quæst. 5. & 6. Quomodo Iesus, qui venerat de cœlo ad terram discipulos, ac sectatores quærens, qui & piscatores ad littus maris vocabat; & iuuenem quenquam cupientem abire, vt patrem suum sepeliret, recedere non permisit, Matth. 8. num. 22. hunc nobilem tamen Doctorem voluntariè oblatum, sic contemnit, ac se dimittit, iste de sua superbia multum præsumebat, habebat in ore, *Sequar te quocunque ieris.* Illi verò multa humilitate in suo munere piscandi, ac sepeliendi se continebant. Et Dominus qui humilitate quærebat, & vocabat in amicos, & discipulos: fastuosum, ac elatum minimè secum degere sustinuit, sed omnino à se dimisit, ac expulit. D. Augustinus lib. 22. cap. 48. *Videbat*, ait, *eum ventosa elatione iactatum, non habere fidei locum, vbi se inclinantem doctorem humilitatis exciperet: quia in discipulatu Christi, non illius gratiam, sed suam gloriam requirebat.* Et D. Paschalius l. 5. in Matth. *Christus hunc Scribam, non volentem sequi, sed fingentem prodidit, quem exhorruit præsumentem.*

70. Matth. 8. Matth. 8. *Superbus elementitur, humilis quæritur.* Aug. Pasch.

Luc. 14. n. 11. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

VERSIONES.

Syriacus. Quoniam omnis, qui extollit se se, deprimetur: & qui se se depresserit, extolletur.

Vatablus. Quia omnis qui se extollit, deiicietur: & qui se deiicit, extolletur.

EXPOSITIO VI.

71. OTIVS superioris parabolæ hæc est clausula, ac declaratio, qua Dominus leniter conuiuas ad modestiam, ac humilitatem exhortat. *Quoniam omnis*, quicumque ille sit in suo gradu, & ordine. *Qui se exaltat* per superbiam, ac arrogantiam, vt aduertunt Carthusianus, Hugo. Nota, quòd non ait, omnis qui exaltatur; nam multi iusti, & sancti sublimantur, sed qui se exaltat præoccupando sibi honorem, & dignitatem: *humiliabitur*, per deiectionem à suo loco, vt ait D. Bonauentura, quod patet ipsa parabola, vt ait Theophylactus. Nam conuiua, qui primum locum vsurpauit, cum multa sui confusione eiectus est in extremum; ex quo ait ipse Theophylactus: *Vide quomodo*, humilitas scilicet, *à culpa hominem liberet, & quodammodo ipsum ciuilem facias.* Vrbanum scilicet, ipsúmque à sui confusione ac opprobrio eximat, ne à loco obtento expellatur. *Et qui se humiliat.* Non dixit, qui humiliatus fuerit; nam multos aduersis casibus

Carth. Hugo. Bonau. Theoph. *Humilitas facit hominem vrbanum.*

casibus vidimus humiliatos,sed non humiles; ait Dominus, *qui se humiliat*, per veram,& propriam virtutem,*exaltabitur* Dei dispositione, ac ordinatione,vt patet in centesimo in extremo loco posito cum ad superiorem vocatus sit.

QVÆSTIO XI.

Quomodo ex humilitate astruitur exaltatio, cum sæpe apud homines contrarium fieri videmus?

72. *Difficultas quæstionis.*

DIFFICVLTAS huius rei est,quia sæpè apud homines vidimus, quòd illi,qui superbi arrogantes se gerunt, ad dignitatum culmina euehuntur; è contra humiles ob sui dimissionem contemnuntur,ac deridentur.Vt in exemplo sunt sancti Prophetæ qui circuibant *egentes, angustiati,afflicti* Ad Hebræos 11.n.37. Quorum vitam impij æstimabant insanam. Sap.5.num.4. Superbi verò Pharisæi cathedas, ac primos accubitus tenebant Matth.23. n 6. Apostoli verò vt contemptibiles,ac detecti æstimabantur.1.Cor.4. num.9.

Ad Heb. 11. Sap.5.

73. D.Thom.

Rectè ad quæstionem respondet D.Thomas: *Quod dicitur intelligendum est*, ait, *secundum diuinum iudicium, non secundùm humanam consuetudinem, secundùm quam plures concupiscentes honorem consequuntur; alij verò, se humiliantes in gloria remanent.* Mundiales de humilibus non curant,hoc tantum est diuinæ altitudinis, qui humilia respicit,contemptibilia erigit, & de extremo loco ad primas sedes eleuat.

74. Psl.134. Euth. Nicephor.

Narrans Regius Vates summa Dei mirabilia quia omnia quæcumque voluit,fecit in cœlo, & in terra. Subdit: *Educens nubes ab extremo terræ*, Psalm.134.num.7. *ab extremo terræ*, id est ab infima parte terræ, seu orbis, vt explicant Euthym. Nicephorus,Lorinus, & alij,sed nubes, quæ sua varietate condecorant cœlos,suóque tore terram fœcundant? cur ab extrema,ac infima terra generantur?Cur non potiùs ex medio terræ, seu ex illius altitudine, ex cacumine nempe montium producuntur? Per nubes, Prophetas, Apostolos, ac cæteros Euangelicos prædicatores intelligunt D.Hilarius,D.Augustinus, N.Incognitus, & alij, qui subleuantur ex infima,& abiecta terra, ex sua nempe profunda humilitate, qua se extremi, ac infimi omnium reputabantur, qui tanquam nubes in cœlum eleuati sunt à Domino, vt totam suam Ecclesiam sua doctrina, ac sanguine irrigarent, ac fœcundarent, suisque meritis eam condecorarent,& qui extremi reputabantur, cõstituerentur principes super omnem terram. Origen. hom.8. in Ieremiam ad cap.10. *Vides*, ait, *quomodo ab extremis terræ educat Deus has corporeas nubes? Propterea, si volumus nubes fieri, ad quas perueniat veritas Dei,nouissimi omnium fiamus, nam,inquit Psalmus,veritas tua vsque ad nubes.*

Hilar. Aug. Incogn.

Orig.

75. Apoc.1. Isai.53.

Ait Christus Dominus de se Apocal. 1.v.8. *Ego sum Alpha,& Omega principium, & finis*; finis quidem vltimus,& extremus. Isaias c.53. num 3. eum despectum, ac nouissimum virorum vocat: quomodo tam despectus,ac nouissimus virorum, qui dicebat de se *Ego sum vermis,& non homo*,primas sedes tenet,& Alpha dicitur;nam si Christus est Omega in ordine litteratum vltimus est,sicut cum sit Alpha principium occupat. Quis ergo tam distantes terminos principium scilicet,ac finem rerum potuit inter se adunare, ac coniungere,nisi vna potens,ac artifex humilitas;quia Christus Dominus profundè sese deiecit, vt esset nouissimus, ac despectus virorum factus obediens vsq; ad crucem: propterea Pater exaltauit nomen eius super omne nomen,vt verè Alpha, & Omega,principium ac finis omnium constitueretur. Tertullian.lib.de Monogamia,cap.5. *Sic & duas*, ait,*litteras Græcia, summam, & vltimam sibi induit Dominus, initij, & finis concurrentium in se figuras: vti quemadmodum Alpha, & Omega vsque voluitur,& rursus Omega, ac Alpha replicatur; ita vt ostenderet in se initij decursum ad finem, & finis recursum ad initium, & ideò in Christo omnia reuocantur ad initium.*

Hum l'tas magnitudini connexa est.

Tert.

76. D.Thom.

Rectè ait D.Thom.quod id,quod dicitur, qui se humiliat,exaltabitur *Intelligendum sed secundum iudicium diuinum, non secundum diuinam consuetudinem humanam.* Non homo, sed solus Deus humiles,& abiectos erigit,& subleuat.Cum Ioseph esset totius Ægypti protex, peperit ei vxor eius filium primogenitum, quem Manasses vocauit. *Dicens: obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum,& domus patris mei*,Gen.41.v.51.Videbatur dicendum Phatao me fecit obliuisci,ex cius enim imperio è carcere eductus est, ac ad tantum dignitatis apicem euectus;tamen Ioseph ait: *Deus obliuisci me fecit.* Ioseph è carcere, ac ex loco infimo,& compedibus sublimatus est ad regale palatium,ad magnificum Thronum, ac ad claurem Ægypti; ex tanta autem catcetis abiectione hominem captiuum ad tantum fastigium extollere, non hominis, sed Dei est.Huc aduoco D. Chrysost.homil.42. in Genes. *Deus fortis in Consilio suo ex captiuitate ad tantam gratiam ascendere fecit populum suum, vt nomen Israel terribile esset cunctis nationibus.*

Gen.41.

Solus Deus humiles respicit, & erigit.

Chrysost.

*Luc.*14. *n.*12. Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat: cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos, neque fratres,neque cognatos, neq; vicinos diuites: ne forte te,& ipsi reinuitent,& fiat tibi retributio.

*Num.*13. Sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos,& cæcos.

*Num.*14. Beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

VERSIONES.

Syria. Arabic. num.12. Porro dixit ei, qui ipsum vocauerat.

Vatab. Et ipsi vicissim te inuitent, & fiat tibi compensatio.

*Theoph.n.*13. Imò cum facis conuiuium.

Clemens Alex. Cum feceris conuiuium, voca mendicos, propter quos maximè cœna facienda est.

Syriacus. Voca pauperes afflictos.

Caietan.n.14. Quia non possunt retribuere tibi.

Syriacus. Quia non habent, vnde tibi rependant.

Arabicus. Fiet enim tua retributio.

EXPOSITIO VII.

77. Euth. DICEBAT *autem.* Postquam enim, ait Euthymius, admonuit Christus, quæ ad inuitatos maximè pertinebant, admonet etiam, quod expedit conuiatori; nam vt ait Theo- Theoph. phylactus: *Vides cœna Christi, quales sint, nempe in vtilitatem animæ, non in satietatem ventris vertuntur.* Et vt rectè notat D. Bonau. à conuiuio, à Bonau. te nempè præsenti sumit occasionem loquendi de modo inuitandi iuxta Eccles. 27. num. 13. Eccl. 27. *In medio insensatorum serua verbum tempori.* Dixit ergo Dominus illi, *qui se*, seu cum, *inuitauerat*, Principi Phariszorum. *Noli vocare amicos tuos, fratres*, &c. Hoc Christus non præcipit quasi necessarium, sed quasi perfectius consulit: licitum est enim inuitare amicos, & si ex bono fine fiat, valde honestum, tamen perfectius, & excellentius Bostr. est conuocare ad mensam pauperes. Titus Bostr. *Hac ea de causa non monuit Dominus*, ait, *quasi sanguine, vel alia necessitudine coniunctos, conuiuio excipere non liceat, licèt enim id verum docet beneficia, quæ in amicos, vel cognatos conferuntur, in altera vita, ea mercede non pensari, neque ea commoda adferre, quæ solent ea, quæ pauperibus propter Deum impenduntur.* Idem docent Beda, Albertus Magnus, Beda. Alb. Magn. Carthus. & alij. *Ne fortè te, & ipsi renuunt.* Videtur, ait Glossa, quod hic Princeps conuiuas Interlin. inuitauerit, vt vicissim ab eis inuitaretur. *Erit tibi retributio.* In hospitalitate retributio in hoc sæculo non est spectanda, ac quærenda. *Nam*, ait, Ambr. D. Ambr. *hospitalitatem esse remuneratoriè, affectus Theoph. auaritiæ est.* Theophyl. *Hæc autem dicens Dominus*, ait, *non nos ab amicis arcet, sed benignitatem non esse vendendam docet.*

78. Burgens. *Sed cum facis conuiuium, voca pauperes.* Lucas Burgens. ait, quod hoc Epitheton ad omnes sequentes referendum est. *Debiles.* Syriacus legit, *Afflictos.* Et subdit. *Claudos, cæcos.* Non quosuis pauperes nominat, sed illos, qui multam corporis debilitatem patiuntur, & facilè cibum comparare non possunt.

79. Interlin. *Beatus eris.* Interlin. Beatificandi sunt pauperum susceptores, quia eorum inopia deputat totum illud beneficium fieri ob Dei amorem, qui ait, quod *vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Chryſ. Vnde ait D. Chrysostomus in Catena D. Thomæ: *Si pauperem vocaueris, Deum habebis debitorem, & quanto minor est frater, tanto magis per eum Christus accedit, & visitat.* Subdit Christus: *Quia non* Tert. *habent retribuere tibi.* Tertullianus libro 4 contra Marc. cap. 31. *Ne humanitatis istius vicem retribuere possent.* Beneficia non ita præstanda, vt retributio cogitetur, alioquin non liberalitas, & misericordia exercetur, sed nundinatio. *Retribuetur enim tibi*, à Deo scilicet, in cuius obsequium Chryſ. hæc facis. Nam vt ait D. Chrysostomus in Catena: *Deum nunquam obliviscentem habebis debitorem.* Et hæc merces recipienda explicatur, à Christo Domino. *In resurrectione iustorum.* Scilicet in futuro sæculo. Periphrasis est vitæ æternæ, quæ à resurrectione perfecta, & plena erit: ita & retributio perfecta, & plena erit, non solùm anima, vt modò, sed etiam corpore excipienda.

CAPVT XXIV.

Cœna Magna.

Luc.14.n.15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus dicit illi: Beatus, qui manducauit panem in regno Dei.

Num.16. At ipse dixit: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

VERSIONES.

Arabic.n.15. Hoc cum audisset vnus de simul recumbentibus.

Euthym. Beatus qui prandium sumit in regno Dei.

D.Epiph. In regno cœlorum.

Syriac.n.16. Vir quidam fecit cœnam magnam, & conuocauit multos.

Theoph.Vatab. Apparauerat cœnam magnam.

Arabic. Conuiuium magnum.

EXPOSITIO I.

1. Matth.22. SIMILEM parabolam refert Diuus Matth. cap. 22. num. 2. de homine rege, *qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos.* Adeo vna parabola cum altera assimilatur, vt Maldonatus ad citat. capit. Matth. astruat non esse similem, sed eandem. Dicendum tamen est cum D. August. lib. 2. de consensu Euang. cap. Aug. 77. D. Gregor. hom. 38. in Euang. Abulens. ad Greg. cap. 22. Matth. quæst. 3. diuersam esse parabolam, quod facilè colliget quisquis vtramque attente legerit. Abulens. *Parabola diuersa.*

2. *Hæc cum audisset.* Dixit Christus in superioribus, non diuites, sed pauperes esse vocandos ad mensam, cuius rei retributio erit in resurrectione, quidam ergo ex discumbentibus commotus tædio rerum temporalium, ac inflammatus desiderio resurrectionis iustorũ, ac vitæ æternæ, vt ait Glossa: *Dixit illi*, scilicet Iesu, *Beatus qui* Glossa. *manducauit panem*, seu cibum, seu fruetur conuiuio *in regno Dei*, Hoc idem cum Resurrectione Iustorum, vt notat Eusebius in catena reputabat iste. Vt cum esset de secta Phariszorum resurrectionem credebat, quam negabant Sadducæi. Actor. 23. num. 3. An verò iste tanquam animalis homo, vt inquiunt D. Cyrillus in Catena, Titus Act. 23. Bostrens. Theophyl. existimauerit retributiones Cyrill. Sanctorum esse corporeas, ac sensibiles delitias, Bostrens. incertum est; certum verò, quod verbi Christi Theoph.

exci

excitatus est ad desiderium resurrectionis iustorum in regno Dei.

3. Quid hic homo significet.

At ipse dixit ei. Respondet illi parabola quadam, quo ostendit verè beatos esse illos, qui æterno, ac cœlesti conuiuio fruuntur in regno Dei; cuius multi Iudæorum, qui primò vocati sunt, præ studio temporalium rerum contemptores extiterunt. *Homo quidam*, nobilis, & diues; qui homo iuxta D. Chrys. D. Cyril. in Cat. Theoph. Euth. significat æternum Patrem: iuxta verò D. Bonau. Hugonem Cardinalem denotat Christũ Dominum; & bene dicitur quidam homo, ideſt vticus, & valde singularis homo D. Bonau. Hugo inquiunt. *Homo quidam singularis: conceptus sine semine patris: natus sine dolore matris: immunis à peccato: mortuus pro peccato.* Subditur in textu: *fecit.* Non mandauit ministris facere, quæ enim nostri sunt, non aliis facienda committit Dominus, sed per semetipsum vniuersa conficit, & præstat. *Cœnam magnam.* Per quam D. Cyril. & Auctor Cæcus in Catena sacram Eucharistiam intelligunt, hanc enim cœnam Deus Pater nobis in Christo parauit. Tertull. verò l. 4. Contra Marci. c. 31. D. Greg. hom. 36 in Euang. Euthym. & alij interpretantur æternam beatitudinem; & rectè vocatur cœna, quia dabitur vespere in fine vitæ, post labores huius vitæ; & ideo non prandium. sed cœna dicitur, quia post æternam beatitudinem, nulla alia dabitur refectio.

Chrys. Cyril. Theoph. Euth. Bonau. Hugo.

Nostra per se ipsum Christus facit.

QVÆSTIO I.

Quare largiens hanc magnam cœnam non dicitur Rex, vel Paterfamilias, nec Dominus; sed tantum, quidam homo?

4. Difficultas quæstionis Matth. 22.

RATIO difficultatis est, quia præbens cõuiuium in nuptiis filij sui, dicitur rex. *Simile est regnum cœlorum homini regi.* Matth. 22. n. 2. & idemmet iste homo in hoc Euangelio: dicitur Paterfamilias n. 21. *Tum iratus Paterfamilias*, &c. infra ■ 22. Dominus appellatur. *Ait seruus, Domine factum est, vt imperasti.* Cur ergo quando splendidam cœnam hic apponit, dicitur *quidam homo.*

5. Chrys.

Respondet primò D. Chrysostom. in Catena relatus. *Quoties*, ait, *enim punitionem suam virtutem indicare vult Deus, vrsa, pardus, leo, & huiusmodi nuncupatur: quando verò misericordiam exprimere vult, dicitur homo.* Pro sua pietate, liberalitatéque exprimenda dicitur homo, quo denotatur, & clementia in homines sibi similes; In illa distincta parabola, in quo rex facit nuptias filio suo, dicitur, quod miserit seruos suos dicere. *Ecce prandium meum parani.* Matth. 22. num. 4. Prandium tantum, non verò magnum nuncupatur. Cur non regis conuiuium, sed hominis magnum publicatur? Liberalior, ac augustior extitit humanitas denotata in homine, quàm maiestas, ac potestas significata in rege. *Quidam homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.* Matth. 25. nom. 14. & infrà subditur. *Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* n. 19. Cùm bona distribuit, homo appellatur, *Homo quidam*, cùm verò computata lucra accipit, & examinat, Dominus reputatur. *Venit Dominus seruorum illorum*; Maior extitit benignitas hominis diuidens, bona quam Domini magnificentia accipiens, & cuncta velut in trutina ponderans.

Liberalior est amor, quàm maiestas.

Matth. 25.

Secundò. Maximè ponderandum, quod triplici nomine hic homo ab Euangelista insignitur, Primò appellatur homo, *homo quidam.* Secundò Paterfamilias; *Iratus autem Paterfamilias.* Tertiò. Dominus. *Domine factum est, vt imperasti.* Cur non dicitur semper, vel Paterfamilias, vel Dominus, vel Rex. Nam in illa alia parabola de nuptiis filij, semper illas faciens dicitur rex. *Simile est regnum cœlorum homini regi.* Matth. 22. & postea, *Rex autem cum audisset.* Iterum. *Intrauit Rex.* Cur ergo hic tanta nominum varietas? Cur non semper dicitur Paterfamilias, vel Dominus? Sed in primo limine dicitur *quidam homo.* Præpondera: appellatur *quidam homo*, quando *misit seruum suum dicere inuitatis.* Qui certi, ac determinati homines erant. Posteà verò nuncupatur Paterfamilias, seu Dominus, cum imperat. *Per plateas, & vicos ciuitatis, pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc hic.* Omnes sine vlla exceptione conuocat. Tunc Paterfamilias scribitur. Si enim qui regimen tenet, sua bona, ac dona in certos, ac particulares diffundit, à nomine Patrisfamilias, ac Domini euacuatur, quo maximè gaudet, si in bonis eius omnes gaudent, & replentur. Dicebat Theodohaldius Princeps apud Cassiodorum lib. 10. Variar. Epist. 5. *Priuata studia à nostro animo probantur exclusa, quia generalis custos factus sum.* Si ergo priuatis studiis incumbit, à nomine principis, ac Domini spoliatur, & tantum quidam vocatur homo. Vide multa verb. *Beneficium.*

6. Nomine principis indignũ qui beneficia in particulares demittat.

Per quadraginta annos Heli summum sacerdotium, ac totius Israëlis iudicaturam tenuit, & tamen tanto temporis spatio, cum multoties Heli nomen repetatur, semel tantum, quando Anna effudebat suam orationem sacerdos dicitur. *Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini.* 1. Reg. 1. n. 9. Vt referunt Lyranus, & Abul. *Dicunt Hebræi, quod illa die fuerat factus pontifex, & index ipse Heli, & ob hoc sedebat tanquam ad iudicandum causas.* Valde mirum! quadraginta annis habuit regimen, & sacerdotium, & in tam largo annorum cursu, sæpè commemorato eius nomine, nunquam dicitur sacerdos nisi tantum prima die? Prima die sui muneris æquitatem iustitiæ in omnes seruauit (vt facere solent multi, qui ad gubernacula euehuntur.) Postea verò permittebat, vt ex bonis oblatis, quæ ad sacerdotes, Leuitas, ac ministros templi pertinebant, filij eius omnia, vel saltem maiorem, ac meliorem partem sibi assumerent, ac arriperent, & qui sinebat, vt filij templi bona ieiunantibus, ac famescentibus aliis, sibi appropriarent, ac in se coarctarent, merito à nomine sacerdotis, iudicis, ac pontificis excluditur, & solus Heli veluti quidam vulgaris homo dicitur, & nominatur.

7. 1. Reg. 1. Lyran. Abulens.

Heli coarctans dona sacerdotis nomine priuatur.

Tertiò. Homo quidã fecit cœnã magnã; iste homo rex erat & tamen inter magnificos, ac lautos cœnæ apparatus homo dicitur, vt vnde princeps instruatur, quod tanta moderatione se gerat, ne principatu, ac purpura intumescat, sed in omni suæ dignitatis fastigio cognoscat se hominẽ esse, nam quamuis rex fortuna reliquis præsit, tamen natura omnibus æqualẽ se æstimet. Cornelius cùm adhuc esset gentilis iussu Angeli venit ad Petrũ, vt ab eo in fide instruatur, ac baptizetur. Cornelius factus obuius Petro. *Procidens ad pedes eius adora-*

8. Princeps omni sua sublimitate cognoscat se hominem.

adorauit. Petrus eum prohibens,ait,*Surge,& ego ipſe homo ſum*, Actorum 10.num.27. Cur Petrus non ſinit Principem ſibimet ſubmitti,vt fiat cunctis manifeſtum,quãta veneratio debeatur Chriſti Vicario,Pontifici Eccleſiæ? Imperat tamen ei ſurgere ; in tanto dignitatis apice,meminerat ſe eſſe hominem, & quamuis Pontifex ita ſe gerebat, ne aliquid ſupra hominem in eo videretur :

Greg. *Ego ipſe homo ſum.* D.Gregorius Papa part.2.Curę Paſtoralis capite 6. *Petrus*, ait, *auctore Deo ſanctæ Eccleſiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatius venerari recuſauit, ſeque illi ſimilem agnouit.*

9. Quartò. Hic homo erat paterfamilias,ac Dominus, vt ex ipſomet textu patet,vt notaui in limine quæſtionis. Cur eius dignitas non indicatur? Seu cur eius nomen honoris gratia non manifeſtatur? Magnifica liberalitas, ac regalis magnificentia eum regem propalabat,nec enim nomine eget,qui à liberalitate ac beneficentia condecoratur; hæc eſt enim principum, ac regum nota. Quamuis ergo nomine dicatur,homo tamen operibus, ac factis rex, princeps, ac dominus monſtrabatur, cum tanta beneficentia, ac largitate irradiaret. S. Hildebertus Cœnomen. Epiſcopus de rege ſuo valde benefico ſic ſcribit Epiſtol.3. *Nouit ille*,ait,*regiam manum melius donatiuo ſplendore, quàm ſceptro nitere, nec ſatis eſſe principi ſubditos ad bene agendum exemplis prouocare, niſi prouocentur & præmiis.*

Liberalitas regum nota.

Hildeb.

10. Cùm Iacob peteret benedictionem à Parente ſuo Iſaac recuſabat ſenex, tamẽ vt ſenſit veſtimẽtorum fragrantiam. *Benedicens illi ait : ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus.*

Gen.27. Geneſ.27.num.27.Dat ei largam benedictionem, qua princeps, ac rex populorum, & fratrum inauguratur. *Seruiant tibi populi, & adorent te Tribus,eſto Dominus fratrum tuorum.* Ibidem num.19. Maximè inquirendum eſt, quiſnam extiterit ille odor. *Ecce odor filij mei*, quo tantum Pater recreatus eſt, vt tam amplam benedictionem filio impenderet Per odorem Iacob D.Gregor.homil. 6. in Ezechiel. Procopius,Rupertus, & alij eius virtutes interpretantur.D.verò Ambroſ.eſſe odorem liberalitatis, qua cum ipſe Iacob haberet cibum paratum ad comedendum ex ore præripuit, vt fameſcentem fratrem aleret. D.Ambroſ.lib.2. de Iſaac,& vita beata cap.1. *Nam licet*,ait,*dulcis, & ſuauis odor ſit agri, eſt odor naturæ,tamen in ſancto Patriarcha virtutum ſpirabat gratia. Quam continens erat parſimonia, qui cibum ſibi paratum non expetiit, ſed petenti fratri ſine dilatione conceſſit : à quo primatus benedictionem accepit.* Redolebat animus Iacob largam beneficentiam, qua ſibi paratum cibum noluit ſumere,vt laſſum fratrem reficeret,& qui tãta liberalitate imminebat odorem regis,ac principis immittebat, & bene dicitur *odor agri pleni.* Nam ager pinguis non ſibi conſitus eſt, ſed vt aliis ferax ſit ; nec ſibi ſuos fructus parturit,ſed vt aliis largiatur,& dum frugibus repletus, ſibi vacuus ſemper eſt.

Greg. Procop. Rup. Ambr.

Beneficentia regis odorem exhalat.

11. Per Moyſen mandat Deus dicere filiis Iſraël. *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas Aquilarum.* Exod. 19. num. 4. Quæ combinatio in hoc negotio cum Aquila? Cur non ait, quod eos eduxit, vt Deus omnipotens, ac Dominus ſupremus, ac Rex Regum? De Aquila teſtatur Barthol.Anglic.lib.12. capite 1 Inter omnes auium diuerſarum ſpecies, Aquila eſt maximè liberalis;nam prædam,quam

Exod.19.

Barth. Angl.

arripit, ſola non comedit, ſed filiis, imò auibus, eam inſequentibus, quaſi communem exponit & ideo ſemper Aquilam aliæ aues ſolent inſequi, ſpectantes, quod de ipſius præda eis debeat aliquam portionem impartiri. Cùm ergo ait,quod eos ſuſtulerit, vt Aquila ; ibi denotat, quod eos vt Rex,ac Dominus aſportauerit, largiens, & diuidens in eis ſua dona, quod Domini, ac Regis proprius character eſt. D. Chryſoſt. in Pſal.113. *Hoc maximè*, ait, *principem oſtendit, quod ſcilicet ſuorum curam gerat,eiſque benefaciendo prouideat,ac proſpiciat.* Chryſ.

vbi beneficentia, ibi regalis animus.

QVÆSTIO II.

Quare non homo dicitur Magnus; ſed ſolùm cœna Magna vocatur?

12. HOmo quidam fecit cœnam magnã. Deus ſemetipſum hominem tantum appellat, cœnam verò magnam dicit. Si conſideretur Deus in ſuis operibus,ſemper per reſpectum ad ipſa opera Deus magnus,& excelſus viſus eſt; opera verò attenta Dei maieſtate parua, & angusta apparent. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Gen.2.n.7.Dominus Deus,vt eius magnitudo exprimatur; de limo verò terræ dicitur, ſeu vt explicat Procopius, de parte puluerulenta in ſuperficie terrę volitante,vt vilitas,& paruitas hominis declaretur.

Gen.2.

13. At verò in Euchariſtico ſacramento tantum eſt operis faſtigium,vt Deus ſua infinita ſapiẽtia diſponat, & ordinet, quod altaris Sacramentum magnum,& excelſum ſemper appareat, ad cuius conſpectum ipſe, qui immenſus, & infinitus eſt, veluti vnus ex vulgaribus, ac paruulis hominibus ſine vllo nominis ſplendore ſe exhibeat. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Qui cœnam parat *Homo quidam*; nomen commune, ac vulgare, quod paruulis hominibus ſolet adaptari ; at verò opus ipſum, Deus nempè ſacramentatus valde magnum, & ſublime. *Fecit cœnam magnam.* Ait D.Auguſtin.in Pſalm.33. *Verbum illud,quo paſcuntur Angeli, ſempiternum, quod eſt æquale Patri, manducauit homo : ſaginantur ergo illo Angeli, ſed ſemetipſum exinaniuit, vt manducaret panem Angelorum homo.* Sempiternus Dei filius exinanitus, ac humiliatus factus eſt, vt inſtitueretur ſupremus ille cibus Angelorum, quo homines paſcerentur.

Chriſtus non ſibi, ſed ſuæ Euchariſtiæ imposit.

Auguſtin.

14. De felici ſtatu Eccleſiæ Catholicæ loquens Iſaias cap.11.num.6 *Habitabit lupus cum agno : & pardus cum hœdo accubabit : vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur ; Vitulus, & vrſus paſcentur*, &c. Ideſt, vt eſt communis Interpretum expoſitio apud Leonem à Caſtro, Sanchez, Cornelium, homines dediti ferinis, ac lupinis, & leoninis moribus ſuſcepta Chriſti fide ac doctrina mites, ac humiles redduntur. Subdit tamen Propheta. *Puer paruulus minabat eos.* Septuaginta, Pagnin. *Ducet eos.* Iuxta communem ſentẽtiam puer paruulus Chriſtum Dominum ſignificat; ſed ipſe quomodo dicitur puer paruulus. De eo vaticinatur Dauid. *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* Pſalm.18 num.7. Tanta celeritate veluti gigas cucurrit viam noſtræ redemptionis,ac ſalutis, vt explicant D.Ambroſ. D.Auguſtinus, D.Irenæus, Caſſiodorus, & alij, in qua veluti *Saliens in montibus*,

Isai.11.

Septuag.

Pagnin.

Pſalm.18.

Ambr. Auguſt. Iren. Caſ.

Cant.2. *tibus, transiliens colles.* Cantic.2.num.8. Quosdam saltus dedit per Incarnationem, natiuitatem, vitam, miracula, ac opera, & per crucem, & mortem; si ergo in tantis mysteriis gigas, quomodo cum illos ducit puer paruulus dicitur: ait Propheta, *Vitulus, & virtus pascentur:* explicat Diuus Thomas, *cibo Sacramentorum.* Conuocantur homines ad pascua Eucharistici mysterij, in quo tota Dei gloria nitet, & irradiat, vt ait D.Ignatius Epistol.14. Cuius tanta altitudo, & sublimitas, vt cunctis aperta sit, illeque est gigas in operibus suis, tanquam puer paruulus se exhibens, ostendit viam, ducatúmque præstat ad cœleste pabulum.

D.Thom.

15. Esth.1. *Tertio anno imperij sui fecit*, scilicet Assuerus, *grande conuiuium principibus, & pueris suis* Esth.1. num.3. Maximè ponderandum, quod conuiuium dicitur grande, non verò Assuerus illud exhibés, cum tamen multis aliis in locis ille hoc nomine insignitus scribatur, vt in decreto de nece Iudæorum instáte Aman. *Rex maximus Artaxerxes.* Esth.13. Esther 13.nu.1. Et cum reuocat huiusmodi mandatum, vt alibi notaui. *Rex magnus Artaxerxes* Esther.16. Esther 16.num.1. Cur hic in suo grandi conuiuio non grandis etiam dicitur? Assuerum Christum Dominus, illius verò conuiuium Christi Eucharisticas dapes adumbrate docent ibi Cornel. & Mendoça tom.5. in 1. lib. Regum. cap.9. vers.2. num.24. Glossam allegans, & multum luculenter, ac erudite sapientissimus Magister Celada in c.1. Esther à §.41. & deinceps per plures. Cùm ergo Assuerus Christum Dominum, conuiuium illud sacram Eucharistiam adsignificaret. Conuiuium nomine grandi fulget, non verò Assuerus, quia Christus Dominus quodammodo magnitudinis nomen à se dimittit, vt illud splendidè suo conuiuio adscribat, vt illius celsitudo, ac magnitudo cunctis fiat prænia, & nota.

Cornel. Mendoça. Celada.

Christi conuiuium dicitur grande, non vero rex exhibens.

QVÆSTIO III.

Quare homo potius fecit cœnam, quàm prandium?

16. *Diff. altera quæstionis.* IN quæstione voco cur hic homo potius fecit cœnam, quam prandium. Nam rex ille in nuptiis filij sui. Misit per seruos dicere inuitatis: *Ecce prandium meum parani* Matth. 22.n.4 Ratio huius rei desumitur ex his, quæ dixi c.22. Expositione 2. vbi notaui celeberrimã, & magnifica cõuiuia apud antiquos noctu apponi, ac exhiberi, & ideo pro ampla magnitudine huius conuiuij potius cœnã, quã prandiũ appellari.

17. Glossa. Euth. Beda. Alb Magn. Bonau. Ant.Olys. Secunda, & celebris ratio depromitur ex significato. Nam vt tradunt Glossa, Euthym. Beda, Albertus Magn. D.Bonau. D.Anton. Olysip. serm. in Domin.1. post Trinitatem, denotat beatitudinem, ac cœlestem gloriam, qua in regno Dei fruimur. Et rectè cœna vocatur, quia confertur vespere, id est in fine vitæ post huius sæculi labores, post quam nulla alia communicabitur refectio, quia ipsa æterna est. Hoc ante supra citatos docuit Tertull. lib.4. contra Marc. c.31. *Cœna*, ait, *paratura vitæ æternæ saturitatem figurat.* D. Greg. homil.36. in Euangel. *Cœna dicitur*, inquit, *quia post cœnam conuiuium nullum restat. Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, vt hoc non prandium, sed cœna vocaretur.* Et sicut cœna sine lumine non celebratur, & si lumen ablit, fercula non intuentur: sic cœleste conuiuium, sine lumine, quod Theologi lumen gloriæ vocant, non exhibetur, quod necessarium est, vt Deus ipse de facto cernatur; dico de facto, vt à quæstione de possibili, quam disputant Theologi, abstraham.

Tertul. Greg. *Æterna beatitudo cœnæ comparatur.*

18. Cyril. Tertiò. D. Cyrill. in Catena Græca. *Conditor omnium, atque gloriæ Pater parauit cœnam magnam in Christo peractam. Nouissimis enim temporibus, & quasi in occasu nostri sæculi, illuxit nobis Dei filius, & mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere; vnde & agnum in vespere immolabatur iuxta legem Mosaicam; merito igitur cœna dictum est, paratum in Christo conuiuium.* Quæ sententia maxime confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ hanc parabolam legit, & adaptat festo Eucharistici sacramenti, quod rectè dicitur cœna, in hoc enim vltimo sæculo, seu in vespere vitæ Christi institutũ est, in eoq; sũt omnia spiritualia fercula, vt nihil amplius habeat homo quid desideret, & appetat; lucerna autem huius cœnæ est fides, qua hic cibus sumendus, ac gustandus est.

In cœnâ adumbratur sacra Eucharistia.

19. Psalm.77. Petra in deserto percussa dedit ingentem aquarum copiam: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ* Psalm.77.n.20. De quo loquens idem Propheta ait. *Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra mellis saturauit eos.* Psalm.80.num.17. De quo Moyses locutus ait: *Oleum de saxo durissimo.* Deuter.32. num.13. Si petra dedit adipem, seu pinguedinem, seu medullam frumenti, quomodo mel, oleum, & aquam; si erat medulla frumenti, quomodo oleum; si oleum, quomodo mel, & tandem quomodo aqua? Petra illa erat Christus 1.Corint.10. n.4. præfigurabatur ibi cib. Eucharisticus à Christo dandus Ecclesiæ suæ, in quo spiritualiter est saturitas frumẽti, dulcedo mellis, suauitas olei, & abundantia aquæ; in hoc enim pane viuo Christi, quidquid optaueris, quidquid conducere potest, vel ad saturitatẽ, vel delitias, totũ ibi plenissime inuenies, vt nihil amplius habeas, quod cõcupiscas. D. Paschas. l. de corp. ac sang. Domin. c.9. *Hoc frumentum*, ait, *corpus videlicet Christi adipem habet, & non solùm adipem, sed & omnes delitias: ita & potus sanguinis. Vnde, quod de petra mystice manauit, nunc mel, nunc oleum, nunc quoque potus dicitur: quia quidquid prægustare spiritualiter potueris, hoc totum ibidem inuenies.*

Psalm.77. Psalm.80. Deut 32. 1.Cor.10. *In sacra Eucharistia omnia desiderabilia.*

20. 1.Cor.3. Scribebat Paulus suis discipulis. 1. Corinth.3. numero 2. *Lac vobis potum dedi, tanquam infantibus.* Loquens Deus Moysi in Ægypto, promittensque egressionem ex illo loco, Exod. capit.3. num. 17. *Ducam vos in terram lacte, & melle manantem.* Ex vtroque loco inter se comparato magna quæstio exoritur, vt ait Clemen. Alexandrin. citandus. Lac à natura, ac Paulo paruulis infantibus, vt eo crescant, & nutriantur, exhibetur. Idémet lac viris robustissimis viuentium terram iam possidentibus, post bella, sudores, ac victorias, promittitur. *Ducam vos in terram fluentem lac, & mel.* Quomodo idem lac, quod pro infantiæ nutrimento paruulis conceditur, pro corona, & laurea fortissimis bellatoribus confertur? Clem. Alexandr. 1. Pædag. cap.6. *Iure instus*, ait, *lac promittitur, vt aperte Verbum esse vtrumque ostendatur Alpha, & Omega, principium, & finis, Verbum inquam, quod allegorice lac dicitur.* Illud lac allegorice denotat lacteum Verbum, seu Eucharisticum conuiuium, in quo inest Alpha, & Omega, principium, & finis, ac consummatio omnium bonorum,

Exod.3. Clem. Alex. *Omne bonum in Eucharistia.*

rum, quod cum in hoc sæculo paruulis communicetur, nil amplius in entitate, ac substantia restat, quod triumphatoribus post bella, ac certamina conferatur. Eodem lacte, ac pabulo, quo paruuli in entitate hic pascuntur, iusti in terra promissionis saginantur, diuerso tamen modo, nam hi visione fruuntur, illi verò spirituali refectione gaudent. Vide multa tom. 3. in Indice. Verb. *Effectus Eucharistiæ.*

QVÆSTIO IV.

Quare cœna ab homine facta dicitur hic magna, non verò quando iterum secundo loco commemoratur?

21. Hugo. COENA hæc, vt in præsenti ait Hugo Card. *dicitur magna propter quatuor. Primò, quia Dominus magnus, scilicet Christus. Secundò, quia conuiua magni, scilicet omnes fideles, qui digna accipiunt. Tertiò, quia fercula apposita sunt magna, scilicet corpus, & sanguis ipsius Domini. Quartò, quia seruitores magni, scilicet Angeli, qui creduntur assistere, & seruire sacerdoti, & omnibus conuiuantibus in hac mensa.* De quibus satis late agunt Expositores communiter; & nos egimus 3. tom. cap. 35.

Cur cœna magna.

22. Nunc verò inquirimus, quod cum in hoc Euangelio dupliciter fiat mentio de hac cœna, in primo loco dicitur magna, non verò in secundo. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ecce magna nuncupatur. Postea verò infra num. 24. Paterfamilias loquens introducitur, ait: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Vbi nomine magni prætermisso solùm cœna commemoratur.

Difficultas quæstionis.

23. Respondeo primò. Quod quando Euangelista vt canonicus Historiator historiam refert, cœnã magnam scribit. *Homo quidam fecit cœnam magnã.* At verò quando ipse Dominus de sua cœna loquitur, non sic de illa agit. *Gustabit cœnam meam* Cœnam tantum dicit. Non enim à suo largitore res exhibita magna appellanda est, sed ab alio sic dicenda, & publicanda; non enim, qui donum confert, ipsum extollat, sed ab alio extollatur. Vide sup. c. 5. q. 16. n. 138. & 139.

Ne qui sua Laudes dicat, sed alius.

24. Secundò. Perpende textum. *Fecit cœnam magnam, vocauit multos.* Postea verò ait: *Nemo virorum illorum gustabit cœnam meam:* Cùm ad illam multi conuocantur, magna appellatur, non sic verò quando ab illa aliquis excluditur. Tunc enim vera magnitudo splendet, cum de eius exuberãtia multi participant, & nullus vacuus inuenitur. Vide in hoc tom. 2. & 3. in Indice, Verbum. *Communicare.*

Vera magnitudo, vt nullus excludatur.

25. Tertiò. Primo loco dicitur, quod homo parauerit cœnam, & tunc magna appellatur. *Fecit cœnam magnam.* Secundo verò loco dicitur, quod Paterfamilias eam præparauit. *Gustabit cœnam meam.* Quando fecit cœnam, tunc magna nuncupatur, nam cum homo sit valde angustus, & limitatus, illius consideratione quælibet res grandis, & magna est. Non sic verò cœna dicitur secundo loco, quia cum se patrem familias multo amore æstuantem declarauit, ac manifestauit; quamuis cœna esset valde magna, & ampla, tamen respectu illius amoris non talis videtur, & ideo suppresso nomine magni cœna tantum dicitur. Ex quo perpende latum discrimen inter hominis limitationem, & amoris magnitudinem. Homo cum sit valde limitatus, quælibet res illi grandis; amor verò si grandis, omnia illi parum, nil magnum apparet.

Homini quælibet res magna, amori omnia parua.

Homo limitatus quælibet res illi grandis. Cũ Dominus oculos suæ pietatis in Iob conuerteret, vt eum restitueret in suam antiquam felicitatem, ait textus, quod venerunt ad eum omnes fratres, ac sorores eius, ac amici. *Et dederunt ei vnusquisq; ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Iob. 42. n. 11. Iob homo rex, vt tenet communis sentẽtia illius etiam fratres, sorores, ac amici diuites, & multũ potentes, vt par erat hominibus regi coniunctis. Cur ergo tam parcum, ac miserum donum, ouem vnam, conferunt amico, ac consanguineo suo extrema necessitate laboranti. Vnde ait Lyranus. *Dederunt ouem vnam cum ad reuelandum huiusmodi dona parum fecissent.* Verum est, quod illi fratres, & amici Iob diuites, & potentes extabant, ouisque vna res patua, & exigua, tamen cum essent homines multa limitatione circumscripti, & vna ouis licet res parua, ab illis tamen vt grandis & magna appendebatur. 26. Iob 42. Lyran. *Vna ouis magna hominũ.*

Amori verò nil magnum, omne paruum. Cùm Moyses videret, quod rubus arderet, & non combureretur. Dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Exod. 3. num. 3. Postea verò cum propius accederet visionem non appellat magnam, nec quando de ea iterum loquitur Deuteron. 33. num. 16. Cur à loco distanti magna apparet visio, non sic verò à propinquo? Præcipuè, quod cum Moyses approximaret præfiguratum videt ineffabile Incarnationis mysterium, vt docent Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædagog. cap. 8. D. Hieronym. sermon. de Assumpt. D. Leo serm. 1. de Natiuitat. D. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 2. Theodoretus, Rupert. & alij. Vel mysterium Crucis Christi ibi agnouit, vt tradunt Procopius, & alij. Cùm tam sublimia ibi intueatur Verbum Incarnatum, ac pro salute hominum demortuum, quo nihil sublimius à Deo factum est, & tamen visionem nõ clamat magnam? Quando Moyses videt visionem à longè, nesciebat quid in illa inuolueretur, indéque ipsam magnam fatetur; At verò cum appropinquat, altissimi Diuini amoris affectus repræsentatur ei, indéque visionem grandem non dicit, vbi enim amor inest, nil magnum, ac grande censetur. 27. Exod. 3. Deut. 33. Clem. Alex. Hieron. Leo. Greg. Theod. *Amor summa mirabilia nõ magna reputat.*

Omnes quatuor Euangelistæ Christi Passionem referunt. D. Matthæus, D. Marcus, D. Lucas latius; Ioannes verò pressius, cum tamen alij passionis tẽpora abessent, & solus Ioannes præsens adesset. Et tamen ipse breuius scribit secretum diuini amoris: in cœna supra pectus Domini recumbendo præ cæteris altius illud penetrauit Ioannes; vt docent D. August. tract. 18. in Ioan. & tract. 124. Origen homil. 1. in Cant. D. Hieron. in cap. 28. Ezech. & alij Patres. Cùm ergo Ioanni profundius arcana Diuini amoris essent reuelata strictè, ac compressè amplissimam tormentorum, ac dolorum Passionis Christi vastitatem commemorat, quam latius cæteri Euangelistæ enarrant, qui tantum amoris fluentum, sicut ille non poterunt; quo enim acutius, ac intimius amor penetratur, eo breuior, ac strictior res gesta, licet magna, apparet, ac videtur. 28. Aug. Hieron. Orig.

QVÆSTIO V.

Quare cœna Eucharistiæ magna nuncupatur, cum manna illius typus, quid minutum dicatur?

29. QVM manna descenderet de cœlo, dicitur de eo. *Mane quoque ros iacuit, per circuitum castrorum, cumque operuisset superficiē terræ, apparuit in solitudine minutum.* Exod. 16. n. 14. Septuaginta legunt: *Ecce super faciem deserti minutum tanquam Coriandum album.* Manna vt dicitur. Num. 11. n. 7. *Erat manna quāsi semen Coriandi coloris bellij.* Et tamen manna vt notum est omnibus figura extitit sacræ Eucharistiæ, quę in hac magna cœna repræsentatur. In vtraque re cœleste pabulum adumbrabatur. Cur in primo minutum apparebat, in secundo verò cœna magna dicitur?

Exod. 16. Septuag.

Roris difficultatis.

30. Respondet primò P. Baëça tom. 2. de Christo figuratò lib. 5. cap. 9. §. 14. Quod manna descendebat mane; cœna verò præparatur vesperi, ac in nocte. Per quod denotatur, quod licet parui momenti sint, quæ mane, seu in iuuentute, ac integra valetudine fiunt, sumuntur tamen quod ad finem vitæ spectat, magnum necesse est, vt sit; homini enim in extremis constituto, non pro minimo, sed magno erit, si emittat ea, quæ suæ salutis, ac spiritualis refectionis sunt. Secundò manna quid minutum; mensa hæc verò magna, quia omnia alia bona si cum Eucharistica mensa conferantur, quid parui, ac minutum apparent. Vide quæ dixi tom. 3. cap. 25. quæst. 10. num. 76. de micis è mensa Domini, quas Chananæa exoptabat.

Baëça.

In fine vitæ maiora præstanda.

31. Secundò. Manna quid minutum, mensa verò hæc magna ostenditur; In primo conuiuio nil spirituale; nil ad æternam vitam conducens conferebatur, sed ad reficiendas vires corporeas dabatur, & ideo res parua, & minuta ex aëre descendens, & veluti ex aëre conflata reputantur. Cùm temporalia omnia tanquam nihil à Deo habeantur. In secundo verò mensa corporis Christi præponebatur, vt ex D. Cyrill. retuli q. 3. In quo est omnis magnitudo, & à quo omne nostrum negotium vitæ, ac salutis spiritualis dimanat, & illa solum vera magnitudo est, in quo non temporalia dona nobis ministrantur, à ratione ergo temporalitatis, vel spiritualitatis doni magnitudo, vel paruitas diiudicatur.

Temporalia quasi nihil, spiritualia vt magna reputanda.

32. Ait Christus Iudæis. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui dat vitam mundo.* Ioan. 6. num. 32. Quomodo ait Christus, quod Moyses non dederit panem de cœlo, cum sæpè Scriptura testetur, quod dans manna dederit panem. *Paratum panem de cœlo præstitisti eis.* Sap. 16. num. 20. Psalm. 77. num. 20. *Panem cœli dedit eis.* Quorsum ergo affirmat Christus. *Non Moyses dedit vobis panem de cœlo.* Manna panis erat, quo corpus alimentabatur, naturalésque vires reficiebantur; at verò panis Christi, vt ipse ait, *Panis Dei est, qui dat vitam mundo* Spiritualem, ac æternam; panis ergo qui corporale tantum alimentum præstat, tanquam non panis, ac pro nihilo reputatur. *Non dedit vobis panem.* At verò panis Christi, quo spiritus perenni vita, ac cœlestibus donis impinguatur, panis verus & solus. D. Nostèr Cyrill. Alexand. lib. 3. in Ioan. cap. 36. *Non sentit,* ait, *quia breue illud, & parum tam vobis erat, qui accepistis, quam Deo, qui largitus est? Nolite igitur credere illum fuisse panem de cœlo. Ego autem sum panis vitæ, non corporalis, qui fami solùm corporeæ medium præstat: sed qui totum animal ad vitam æternam reformem, & morte superiore efficiam.* Vide supra cap. 8. n. 139, 140. & 141.

Ioan. 6.

Sap. 16. Psalm. 77.

Cyril.

QVÆSTIO VI.

Quare ad hanc cœnam inuitantur viri, & ad passionem Christi conuocentur filiæ Sion?

33. HIc homo ad suā cœnā vocauit multos; nā quāuis familiaritate, ac communicatione apud aliquos diminuatur veneratio, augetur tamen amor, vt rectè dixit D. Ioa. Dam. l. 4. Orthodoxæ fidei contra aliquos, qui dicebant, Imagines esse reponendas in loco abscondito, & remoto, ne si frequenti aspectu illorum auctoritas aliquantulum decresceret, hic autem homo voluit maximè communicari, quia volebat maxim è ab omnibus diligi & amari.

Dam. *Familiaritate minuitur auctoritas, augetur amor.*

34. Hi autem, qui vocati sunt, propinquiores, ac maximè coniuncti Deo fuerunt, à quibus in beneficiis incipiendum. Per belle Tertullian. lib. 4. contra Marc 31. *Vtique,* ait, *cœna peractura, vitæ aterna saturitatem figurat. Dico primo extraneos, & nullius iuris affines inuitari ad cœnam non solere, certe facilius solere domesticos, & familiares. Ergo creatoris est inuitasse, ad quem pertinent, qui inuitabuntur; & per Adam, à quo homines, & per patres, qua Iudaici.* Fit Dei inuitatio in primis ad suos, Iudæos nempe, qui vt homines, ac filij Adam spectabant ad Deum tanquam creaturæ ad suum creatorem; vt Iudæi similiter ad eundem spectabant, vt eius consanguinei, peculiaris populus, quorum parentibus promissus, ex eorum carne natus est. Cùm autem cœna præparatur, propinqui, & affines solent in primis inuitari, Deus ergo parans hanc mensam, in primis Iudæos conuocat, à suis enim in beneficiis incipiendum est. Cùm autem Iudæi negligerent venire, postea alios, scilicet gentiles, vocat.

Tertul. *In beneficiis incipiendum à suis.*

35. In quæstionem voco. Quod hic Paterfamilias vocauit ad cœnam multos, viros scilicet, vt posteà ille explicat. *Nemo virorum illorum.* Vir autem denotat hominem fortē, & animosum. Cùm tamen ad spectaculum passionis Christi intuendam fœminæ inuitentur. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem vestrum Salomonem.* Cantic. 3. num. 11. Cur ad Eucharisticam mensam (quæ hic adumbratur, vt sæpè dixi) viri conuocantur, ad Christum verò spinis coronatum aspiciendum filiæ Sion vocantur?

Difficultas quæstionis.

Cant. 3.

36. Respondeo. Quod ad Christi passionem filiæ Sion inuitantur, quæ eius amore illatæ de tormentis passionis eius maximè compūgantur, doleant, in lachrymas dissoluantur, ad quas valdè pronæ sunt fœminæ; ad Christi tamen mensam non vocantur, nisi viri, qui masculo robore, firmáque mente virtutem teneant, ab illáque minimè discedant. In conuiuio illo de quinque panibus, & duobus piscibus ait Ioan. 6. n. 10. *Discubuerunt viri numero quasi quinque millia.* Certum est, quod

Ad Eucharistiam non vocantur, nisi qui masculo animo virtutem tenent.

quod simul aderant cum viris pueri, & fœminæ, tamen solùm viri exprimuntur, præfigurabatur ibi Eucharistica mensa, ad quam nulla fœmina, nullus autem imbecillis, effœminatus admittitur, sed solùm viris fortibus, ac constantibus
Cyril. præponitur. D. Cyrillus lib. 6. in Ioan. c. 16. *Mulieribus autem*, ait, *& pueris confuse discumbentibus, de viris solis mentionem facit: enigmaticè monens, omnibus, qui viriliter probitatem, & fidem amplectuntur, non imbecillis, & mollibus cœlestem a Saluatore cibum præberi.* Cuius rei rationem subdit. *Nam qui muliebri animo, aut puerili sunt nil magni cognoscere possunt.*

37. De Christi mensa loquens Regius vates Psal. 127. num. 4. ait: *filij tui, sicut nouella olivarum in*
Psalm. 127. *circuitu mensæ tuæ.* Vt rectè notat ibi D. Hieron. *non dicuntur filiæ, sed tantummodo filij.* Cùm tamen ad Ecclesiam filij, & filiæ, id est viri, & fœminæ ad adorandā Christi mysteria, vocentur, vt
Isai. 60. prophetauit Isaias 60. num. 4. *Filij tui de longe*
Desides, ac effœminati repelluntur à mensa. *venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Si ad Ecclesiam filij, & filiæ conuolant, cur non etiam ad mensam? Ad participationem corporis, & sanguinis non effœminati, ac desides admittuntur, sed cordati, & fortes, qui virtute proficiant, & non abilla cadant; ad magna enim non vocantur, nisi qui magno, & sublimi animo sūt præditi.

38. Statutum erat lege, carnes sacrificij, quæ pro peccato immolabantur à sacerdote à solis masculis vesci. *Omnis masculus de genere sacerdotali*
Leuit. 6. *vesceretur de carnibus eius.* Leuit. 6. num. 29. Præfigurabatur ibi Eucharistiæ sacrificium, hoc solum masculis præponitur, nunquid fœminæ manent excluſæ à tanto conuiuio. Rupertus lib. 2. in Leuitic. cap. 34. *Nemo mollis*, ait, *& fluxus huiusmodi hostiæ dignus est esu: omnis quippe masculus de genere sacerdotali, id est omnis fortis, qui viriliter intus*
Fragilis animus excluditur à mensa. *restitit, vescetur carnibus eius.* Per masculum robustus, & fortis animus denotatur, non excluditur sexus, sed animus fragilis, omnes ergo fortes, siue mulieres, siue viros hæc mensa accipit, ineptos verò, ac debiles repellit.

Luc. 14. *n.* 17. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

VERSIONES.

Arabicus. Misit seruos, vt dicerent vocatis.

Euthym. Misit illum seruum.

Syriacus. Misit seruum suum tempore cœnæ, vt diceret iis, qui conuocati erant, Ecce omnia parata sunt vobis, venite.

EXPOSITIO. II.

39. MISIT *seruum suum*, semetipsum dicit seruum Patris, eo quod formam serui accepit, de qua multum gloriatur. Ita D. Cyrillus. Euthym.
Cyril. Euth. Theoph. Theophylact. seu ponitur singulare pro plurali, seruos scilicet suos, Apostolos nempe, ac reliquos Euangelij prædicatores, seu prædicatorum cœtum, seu ordinem, vt loquitur D.
Greg. Gregor. homil. 36. in Euangel. Carthusianus Hugo, & alij, & tunc misit præteriti temporis prædicit tem breui futuram. *Hora cœnæ.*
Theoph. Theophylact. *Definito, & opportuno tempore.* Ex qua opportunitate maximè commēdatur doni excellentia. Quid verò significatur per hanc cœnę horam? Glossa Ordinaria, & Interlin. Beda, Haymon, finem sæculi interpretatur, Caietan. horam
Glossa. Interlin. Beda. Haym. mortis, seu tempus migrandi ex hac vita; aptius tamē, hora cœnæ denotat tempus aduersus Christi, ac legis gratiæ, ex quo tempore omnia sunt parata ad ingrediendum conuiuium cœleste, ad quod homines inuitantur; nam morte Christi reseratæ sunt portæ cœli, quæ antea erant clausæ. *Dicere inuitatis, vt venirent.* Optimè sciebat hic homo, quod inuitati non erant venturi inurbane, ac syluestre se excusantes; tamen mandat vocare eos, cùm ab ipso essent inuitati: eligit enim potius se exponere eorum inurbanitati, quia absque debita reuerentia erga eum erant se ipsos excusaturi, quam veritati, ac fidelitati verbi sui, quo vocati fuerunt, in aliquod esse; disposuit, vt verbi sui veritas adimpleretur, licet debita reuerentia ei omitteretur, cum inuitati agreste dicerent. *Non possumus venire.*
Vocati potiùs consulendum, quàm personæ auersati.

QVÆSTIO VII.

Quare hic Paterfamilias tantam hominum multitudinem per vnum seruum vocat, cùm Rex ad prandium suum miserit multos seruos?

HOMO, cùm iam omnia essent parata, misit hora cœnæ vocare inuitatos: hora cœnæ, tempore opportuno, vt ex Theo-
Magnitudo beneficij ex opportunitate phylacto dixi in expositione, quia excellentia beneficij non solùm ex eius magnitudine, sed etiā ex opportunitate, ac conuenientia temporis pensatur, *& misit hora cœnæ*, & non antea, qui cum essent iam inuitati, solum monendi erant, vt venirent: tum ne diutius spectatione fatigarentur; tum etiam ne videntes horam cœnæ non adesse, aduenire differrent, & moras necterent. Cùm autem Deus vocat, nil cunctandum est.

Quæstio præsens inquirit cur hic homo, Æternus scilicet Pater inuitans ad suas epulas omnes homines, vnum tantum seruum destinat. *Misit seruum suum* Cùm illa parabola de rege inuitante ad conuiuium multos seruos ordinauerit. *Misit rex seruos suos.* Et iterum, *misit alios seruos.* Matt. 22. n. 3. & 4. Cur ergo modo vnus seruus, modo plures assignantur.
Difficultas quæstionis. Matth. 22.

Respondeo primò. Quod ponitur singulare pro plurali. Arabic. legit. *Misit seruos suos* scilicet Apostolos, & alij Euangelij prædicatores, & hic modus loquendi valde frequens est in Scriptura; sic mandat Deus dicere Pharaoni Exod. 4. n. 23. Exod. 4.
Dimitte filium meum. Totum scil. populum Israël. Et in Ezechiel. 23. num. 4. Sub nomine *Oola*, Samariam: id est Israëlem intelligit; & sub nomine *Oliba* Hierusalem, hoc est populum Iuda. Ezech. 23.

Secundò. Omnes ministri Euangelici sunt plures, & vnus. Plures, quia per diuersas mundi partes sunt diffusi; vnus verò, quia ita doctrina, charitate, vnione, ac concordia sunt inter se coadunati;

dunati,vt non plures,sed vnus videantur. De sacris prædicatoribus ait Isaias 52. num.7. *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem.* De iisdem loquens Paul.Roman 10. num.15.inquit:*Pedes euangelizantium pacem.* Ecce Propheta singulariter dicit : *Prædicantis.* Apostolus verò pluraliter : *Euangelizantium.* Numquid Apostolus,& Propheta discrepant inter se?Minimè.Quamuis enim Euangelici præcones re multi existant,tamen sic vna doctrina,vnáque veritate, fidei vnitate,ac charitate cohærent,ac concordes inueniuntur,vt non plures,sed vnus tantum censeantur.

Isai.52. Rom 10. *Vnitas in prædicatoribus Euangelicis.*

44. Tertio.Vnus tantum seruus vocat inuitatos ad mensam. Multi sæpè mittuntur serui,qui panem ex pauperum ore auferant, & qui panem exhibeat,vnus,& rarus est seruus. Ait Ioan.Apoc. 19. n.17. *Vidi vnum Angelum stantem in Sole,& clamauit voce magna,dicens omnibus auibus, quæ volabant per medium cœli: venite ad cœnam magnam agni,vt manducetis carnes regum,& fortium.* Compone hunc Angelum ad cœnam vocantem cum illis, quorum meminit idem Euangelista cap. 7. num.1. *Vidi*,ait,*quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ,ne flarent super terram, neque super mare,neque in vllam arborem.* Hi quatuor Angeli, vt volunt Victorinus antiquissimus auctor,Carthusianus,Gagnæus,& alij denotant ministros Antichristi stantes in quatuor extremitatibus Orbis, Oriente, Occidente, Meridie,Septentrione tenentes quatuor ventos,id est impedientes rorem cœli,vt explicat citatus Gagnæus,quo terra, & mare fœcundantur, vt producant alimenta panem, & pisces. Valde mirum, vnus Angelus conuocat ad mensam; quatuor verò impediunt rorem cœli, benignitatem scilic. principis,ne panis,oleum,ac fructus habeantur. Multi enim ministri extant, qui panem intercludant, & auferant; qui autem panem offerat, & exhibeat, vnus & rarus est minister, tanta virtute fulgens, veluti residens in Sole.

Apoc.19. Apoc.7. *Multi ministri panē auferunt, rarus qui offerat.* Victor. Carth. Gagn.

45. Quartò. Vnus sufficiens est minister,qui causam iustam, probam, ac sanctam agit, ad Christi mensam vocat. Ait Elias vniuerso populo : *Ego remansi Propheta Domini solus.Prophetæ autē Baal quadringenti, quinquaginta viri sunt*,3.Reg.18. num.22.Cur pro causa Dei vnus solus stat Elias; pro cultu verò Baal, tot viri, & vt ait Abul. qui principes & illustres erant. Vnus solus relictus est Elias,ait Lyran.qui pro Dei veneratione, *audeat apparere, & idololatriæ resistere* Pro sancta,ac iusta Dei religione, vnus sufficiens, & abundans est Elias;pro iniquo vero negotio Baal quadringenti, & quinquaginta viri prophetæ, & principes pauci sunt, & minimè sufficiunt.

3.Reg.13. *Pro causa iusta vnus minister sufficit*

46. Quintò. Misit vnum seruum, cum tamen in nuptiis filij sui multos seruos mittit. In nuptiis vocabantur inuitati ad cœlestem beatitudinem; hic verò ad Eucharisticam mensam.Ad Incarnationis mysterium vnus tantum nuntius destinatur. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*. Luc.a.n.26. Ad Iacob verò tanta Angelorum multitudo descendit, vt ipse dicat : *Castra Dei sunt hæc.* Genes. 32 num.2.sic.& in tutelam parentis Elisæi. *Ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi*,4.Regum 6.n.17. & tamen ad supremum arcanum vnus tantum euolat Angelus ad Virginem; Vt singularitate ministri innotescat excellētia mysterij,nec enim omnia negotia omnibus ministris sunt committenda,sed pro grauitate rei persona designanda;ad nuptias multi ministri, ad sacramentalem verò mensam vnus tantum à Christo eligitur.Hodie verò ad epulas corporis Christi multi conueniunt ministri, faciat Deus vt puro corde, ac mente accedant. Vide suprà cap.8.q.3.n.28.

Luc.1. Gen.32. 4.Reg.6. *Multi ministri, magna tamen paucis committenda.*

Sextò.Vnus tantum minister ad totum orbem conuocandum destinatur; licèt enim esset vnus, iustitia tamen, rectitudine, ac probitate, omnes erat conuocaturus, adducturus, & vbi est probitas, ac rectitudo,omnia subiiciuntur,ac deuincuntur. Ait Regius Vates: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè.* D.Hieronymus,*fortissimè* Hoc est, accinge gladium tuum magno cum robore. Et statim subdit : *Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè procede, & regna*, Psalm.44.num.4.*Intende*,hoc est egredere ad bellum,vt explicant D.Chrysost. Eusebius,D.Athanasius, D.Cyrillus, Beda, Ruffinus, Remigius,& alij Lorinus ex Hebræo legit, *age, equita decore tuo.* Hoc est, tua elegantia,ac pulchritudine pugna,age,deuince,& regna,ita explicant illud verbum,*regna*,communiter commentatores.Hæc tamen posteriora verba non videntur cohærere cum antecedentibus; nam prius dictum est:*Accingere gladio tuo super femur tuum.* Consequens inde erat dicere,hoc autem gladio tuo fortissimo intende ad bellum, equita, & pugna,deuince,ac regna.Tamen hæc non dicuntur à Psalmista, sed subiicitur : *Specie tua,ac pulchritudine tua intende*, id est ad bellum *prosperè procede,& regna.* Quænam est hæc species, ac pulchritudo, qua exiet in bellum? Species nempe probitatis animæ tuæ : fauet D. Laurentius Nouarien sis homil. de eleemosyna : *Accingere*, inquit, *gladio tuo super femur potentissime :* qualem gladium?Specie tua,& pulchritudine tua:plora compunctus vt possis recipere speciem cordis tui, ipsa enim specie,ac pulchritudine compunctionis,ac bonitatis, qua anima adornatur, efficacius pugnatur,deuincitur,ac regnatur,quam omni alio gladio fortissimo. Adsit gladius in Republica; tamen, vt intendas in bellum,pugnes,ac deuincas,præcipuè non decertandum ipso gladio, sed specie, ac pulchritudine iustitiæ, virtutis, ac probitatis animæ.

47. Hieron. Psalm.44. Chryſ. Euſeb. Athan. Cyrill. Beda. Ruffin. *Potius iustitia quā ferro pugnandum.* Nouar.

Post expugnatas,ac captas ciuitates Iericho,& Hai, vt eas defenderet, ac conseruaret à suis aduersariis Iosue; nam sex reges colligati aduersus ipsum congregati sunt. Iosue 9.num.1.Mandauit ipse Iosue congregare totum populum. *Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictionis, & cuncta quæ scripta erant in legis volumine*, Iosue 8. num.34. Res valde mira,si ad tuendas ciuitates congregat populum, cur tertenas non ædificat? Cur muros, seu intemuralia non extruit? Cur gladios, lanceas, ac arma non distribuit, sed tantum librum legis, seu Deuteronomium mandat legere? D.Athanasius ad Marcellin.de Psalm.David. *Pro armis*,ait,*Deuteronomium recitant in omnium aures,legisq; verba in memoriam reuocans ipsq; populum obarmans,hostes superat.* Magnus dux non congregat arma, nec instrumenta,bellica, sed tantum intendit suos instruere in lege, ac in obseruatione mandatorum Dei; optimè enim scitebat, quod his hostes horrissimè deuincuntur, ac prosternuntur. *Pro armis Deuteronomium recitant.* Ex his instruantur reges, quibus armis suos hostes debeant expugnare.

48. Iosue 9. Iosue 8. Athan. *Legi Dei armentur milites, vt vincant.*

QVÆSTIO VIII.

Quare in conuiuio regis explicantur fercula, non verò in cœna huius hominis?

49. QVÆSTIO præsens est. In conuiuio, quod rex celebrat in nuptiis filij sui, proponit ipse, & explicat inuitatis conuiuij fercula. *Misit alios seruos, dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei, & altilia occisa sunt.* Matth. 22. n. 4. At verò in hac cœna dapes minimè specificantur, sed tantùm genericè dicitur: *Parata sunt omnia.* Cur in prandio, & non in cœna exprimuntur. Fortè ideo dicitur cœna magna, & non prandium magnum; multum enim spectat ad magnitudinem, nec beneficia numerate, nec sigillatim referre.

Matth. 22.

Ratio difficultatis.

Magnitudo non numeras beneficia.

50. Respondeo. Prandium paratum à rege significare cœlestem beatitudinem, fercula verò dona gratiæ, quæ Deus suis electis communicat, vt docent D. Hilar. Origen. D. Hieron. D. Greg. & alij, vt suo loco dicam. At verò cœna hęc exhibita ab homine adumbrabat sacramentalem mensam, cuius dapes sunt caro, & sanguis Christi. Exprimũtur ergo dona in cœlesti patria communicata; nó verò, quæ in sacramentali mensa elargiuntur. Vbertas gloriæ, & gratię inter beatitudinis thronos concessa per figuras, ac metaphoras depingi valet; at verò spirituales fructus dulcedines, ac suauitates, à carne, & sanguine Christi emanantes, nec vllis verbis, ac tropis, seu exaggerationibus adumbrari possunt.

Hilar. Orig. Hieron. Gregor.

Dona gloriæ, non verò Eucharistiæ per tũs explicari.

51. Mandat Deus scribere Ioanni septem epistolas septem Episcopis Asiæ, & post impositã vnicuique suarum actionum sigillationem Angelo Ephesi ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei,* Apocal. 1. n. 7. Minimè tamẽ dicitur quis, & qualis sit hic fructus ligni vitæ; Angelo, seu pastori Smyrnæ, expressè promittit beatitudinem. *Dabo tibi coronam vitæ,* ibid. n. 10. Angelo Thyatiræ magnam iudiciariam potestatem pollicetur. *Vincenti dabo potestatem super gentes.* Statim hanc potestatem explicat, *reges eas in virga ferrea, & dabo stellam matutinam,* ibid. n. 28. per quam resurrectionis gloria denotatur. Angelo Sardis ait: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis,* æterno nempe fruetur gaudio gloriæ, vt statim explanatur. *Et non delebo nomen eius de libro vitæ,* c. 3. n. 5. Angelo Philadelphiæ ait: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius,* ibidem, numer. 12. quo significantur Spiritus sancti dona, ac perseuerantia ne iterum in peccatum labatur. Angelo Laodiceę sublimem beatitudinem spondet, ait illi: *Qui vicerit, faciam eum sedere mecum in throno.* Quod magis exprimit: *Sicut ego sedi cum Patre meo,* ibi numer. 22. Res altè discutienda; promittit Christus Dominus suis electis præexcelsas imminentias gratiæ donorum Spiritus sancti, Resurrectionis, potestatis iudiciariæ, ac thronorum gloriæ, & hęc omnia innuit, ac explicat Christus Dominus, quid importent, ac significent; at verò fructum arboris vitę, quem vincenti dicit se daturum, minimè enucleat, nec de eius sapore, suauitate ac dulcedine aliquid aperit, & explicat, fructus arboris vitæ, carnem & sãguinem Christi denotat, vt graues interpretes tenent. Dona gratiæ, Spiritus sancti, beatitudinis, ac resurrectionis dantur verba, quibus aliquantulum exprimantur. At sapores, dulcedines in carne, & sanguine Christi degustatas nulla verborum copia ad leuiter insinuandum sufficiens inuenitur, ad quod spectat D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum. Huic sapori, scilicet Eucharistiæ inquit, *Omne quod desideratur, non valet comparari.*

Apoc. 12.

Dona gloriæ verbis possunt dici, non verò Eucharistiæ fructus.

Bern.

Ait Regius Vates: *Benedixisti Domine terram tuam,* Psalm. 84. Per sublimes, & altos discursus nobis proponit Propheta dona, ac benedictiones gratiæ, & glorię, quas Deus populo suo contulit. Subdit: *Auertisti captiuitatem Iacob.* Liberasti nempe filios huius à dœmonis potestate. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ.* Seu, vt alij legunt abstulisti peccata eorum, remittendo illis eorum iniquitates. *Operuisti omnia peccata eorum.* Ait D. August. Vt Dominus non videret, & non vindicaret, quia noluit videre, ac vindicare. *Mitigasti omnem iram tuam.* Ne eos extremo supplicio afficeres. Incipit Paulus nobis explicare benedictiones Eucharistici calicis 1. Corinth. 19. num. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Tantum ait Apostolus, quod calix benedictionis sit. Sed sicut Dauid nobis aperit, benedictiones gratiæ, ac beatitudinis suo populo elargitur, cur etiam Doctor gẽtium ingentes benedictiones, quæ in Christi calice populo Christiano communicãtur, non refert, ac commemorat? Omnes benedictiones cœlestium donorum patriæ verbis dicãtur, ac proponantur; at verò ad excellentiarum magnitudinem exponendam, quę à Christi corpore in nos redundat, nulla apta sunt verba, omnis loquẽdi modus parcus & exiguus, non ergo speciatim numerentur, sed tãtum benedictiones scribantur. D. Chrysostomus: *Cùm benedictiones,* ait, *Eucharistiam dico: & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio; etenim cum calice inenarrabilia Dei beneficia, & quacumque consecuti sumus, addimus.* Vide tom. 3. c. 15. q. 22. n. 174. 175.

Psalm. 84.

1. Cor. 19.

Chrys.

Luc. 14. n. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te, habe me excusatum.

VERSIONES.

Caietanus. Cœperunt simul recusare.

Gracus. Cœperunt ab vno simul omnes.

Syriacus. Et cœperunt ab vno omnes se excusare: dixit ei primus: villam emi, & constringor exire eam visurus: pero à te, concede mihi, vt sim excusatus.

Tertul. lib. 4. contr. Marc. cap. 21. Agrum emi.

Arabicus. Necessitas vocat me, vt exeam ad eam, & rogo te, vt parcas mihi, & non veniam.

EXPO

EXPOSITIO III.

53. ET cœperunt. Ita iniqui sunt addicti malo, vt semper in eo incipiãt, & ab illo nunquam desistant. *Simul*, seu vt habet Græcus, *cœperunt ab vna*, scilicet ex vna sentẽtia, vnóque placito. Titus Bostrens. *Quasi ex condicto, communique pacto.* Maximè impij coadunantur in malum, quamuis diuersas interponant causas. *Omnes*, id est longè pars maior, vt notant Hugo, & alij. Nam hi inuitati fuerunt Iudæi, ex quibus aliqui, vt pote Apostoli, & multi discipuli, ac conuerti venerunt ad fidem; maior autem eorum multitudo in infidelitate remansit. Etiam moraliter dic, quod ita Christus dolore afficitur, cum vnus perit, ac si omnes perdidisset. *Se excusare*, id est recusare, ne ad mensam Domini venirent, & cum ipsi se excusant: ex suamet malitia fiunt excluſi à regno. D. Ambros. hic; *Ideò igitur excusant*, ait, *quia nemini intercluditur regnum, nisi ei, quam sua professio vocis excluserit. Dominus autem omnes clementer inuitat; sed nos aut desidia nostra, aut errordiuertit.* Quod etiam ex vitijs nostræ voluntatis probat D. Hilarius can. 22. in Matth.

Gerc. Beat. Ambr. Hilar.

54. *Primus dixit: villam emi.* Seu agrum. Tres se excusantes introducuntur, ex quibus primus villam emit, per quem superbum, ac dominationis ambitiosum intelligit D. Aug. serm. 33. de verb. Domini, vbi ait: *Dominari vitium malum, vitium primum.* Ambitiosa superbia omnium iniquitatum initium *Necesse habeo.* Mea scilicet ambitione ac malitia impellente. Exire scilicet ab hac ciuitate. Seu vt ait Hugo: A contemplatione cœlestium, seu exire à se ipso, suáque salute. *Et videre.* Denotatur maximus affectus animi ad villam, ac ad temporalia, *Rogo te, habe me excusatum.* Interlin. ait: *Ora pro me, quia homo peccator sum.* Hic tamen nota, quod in superficie verborum ostendit humilitatem, cum dicit: *Rogo te.* Ex superbia tamen accedere recusat. D. Gregorius homil. 13. *Dum dicit rogo te, & tamen venire contemnit: humilitas sonat in voce, superbia in actione.*

Aug. Superbia radix vitiorũ. Hugo. Interl. Greg.

QVÆSTIO IX.

Quare primus inuitatus, cœnam contemnat ob emptam villam, cum sponsa suum, dilectum ad villam inuitet?

55. IN limine huius quæstiõnis notandum est, cum Salm. tom. 7. tract. 23. Barrada, & aliis, quod hic proponuntur tres excusantes se, villam, vel iuga boum emi, vxorem duxi, & in his excusationibus secundùm se nullũ inest peccatum mortiferum, tamen magni sceleris sunt, prout ex eorum nimio amore cœlestia contemnuntur; ex quo ait Caietanus, quo quantum ad parabolam fit excusatio verbo, quantum vero ad significatum facto, vel affectu, cum temporalia æternis præferantur.

Salm. Barrad. Excusationibus sit malum secundum se. Caiet.

56. Per villam terrenam substantiam intelligunt D. Gregorius homil. 13. in Euangel. Beda, Haymon, D. Bonauent. ex quorum affectu homines maximè inhabiles ad cœlestia redduntur. Cum Deus vellet dare legem Moysi, mandat ei montem ascendere, atque illi: *Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos, cauete ne ascendatis montem, ne tangatis fines illius, qui tetigerit, morte morietur*, Exod. 19. num. 12. Quid est, quod cum lex datur populus non solùm ab ascensu montis, sed etiam ab illius tactu prohibetur? Mons spiritualium rerum sublimitatem significat: Israëlitæ ergo cum maximè terrenis essent detenti, à montis tactu prohibentur, qui enim temporalibus est addictus, maximè impeditur, ac reuocatur, ne cœlestium cõtemplationem attingat, ad illave euoleat, ac ad legis perfectionem, quæ tunc dabatur, deueniat. D. Gregorius Magn. lib. 6. moral. cap. 27. *Quid est*, ait, *quod cum lex accipitur, populus à monte prohibetur? Nisi quia qui infirmis adhuc mentibus terrena desiderant, considerare sublimia non præsumant.*

Greg. Terrenis detenti inepti ad cœlestia.

57. Quæstio præsens inquirit: Quare hic primus inuitatus à Dei vocatione, ac cœlesti mensa se excusat ob empram villam, quasi esse in villa, & cũ Deo simul esse non possit, cum tamen sponsa suũ dilectum ad villam inuitet, ait illa: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*, Cant. 7. num. 11. Hic homo, quia in villam tendit, Deum dimittit; sponsa verò, quia in villam pergit. Deum allicit.

Status quæstionis. Cant. 7.

58. Vt respõdeam ad quæstionem, Nota ex D. August. in villa empta dominandi cupiditatem, superbiámque significari. Sic ait ille sermon. 33. de verbis Domini: *In villa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere; homines sibi in illa subdere, & dominari delectat.* Ex sententiâ eiusdem Augustini patet, quod hic homo non solùm emerat agrum, sed etiam agrum cum domo. Villa enim denotat agrum cum domo. Emit ergo homo ex ambitione agrum, vt ipsum coleret, ex illóq; multos fructus colligeret; domum verò ex superbia comparãuit, vt in illa homines subditos haberet, quibus dominaretur. *Homines in illa*, scilicet villa, *subdere, & dominari delectat.*

Aug. Homini superbia, ac ambitio.

59. Respondeo, quod ob villam emptam hic homo neglexit Domini mensam in villáque sponsa ipsum Dominum ad se attrahit, & vocat. Homo tendit in agrum ex ambitione, vt ipsum agrum videns de eius cultura disponat, vt inde multos fructus, ac prouentus sibi acquirat; sponsa verò pergit ad villam, vt mundana contemnens, semota ab omni turba liberius oratione vacet. Homo vadit ad villam ex superbia, vt multos subditos sibi compatet; sponsa verò diuertit in agrum ex multa charitate erga Deum, vt homines aggreites, & rusticanos ad Deum adducat, ad fidémq; conuertat, ita interpretantur Honorius, Hortolanus, Delrio, Alcacet, Cornelius, & alij.

Per villam homo peccat, per illa sponsa meretur. Hon. Hort. D Rio. Alcac. Corn.

60. Ex quo patet, quam grauiter arguendus sit iste homo, qui propter villam à Deo se separat, quem sibi per villam poterat comparare; quænam magis lamentabilis dementia, quam quod per illas res à Deo discedat homo, per quas illi poterat approximari, multumq; per illas erga ipsum mereri. Vnde ait D. August. serm. 12. de verbis: *Aurum, vel argentum malis malum est, bonis bonum. Non quia eos bonos aurum, & argentum facit, sed quia bonos inuenit, in vsum, bonumque conuertitur.*

Per idem, per quod homo poterat mereri, peccat. Aug.

61. Somniauit pistorum Magister, quod supra caput suum portaret tria canistra farinæ, ex quibus aues cœli comedebant. Quod somnium exponens Ioseph ait: *Tres dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce, ac lacerabunt volucres carnes tuas*, Gen. 40 n. 19. Quod somnium

Aug. Lypp. *Minister per panem delitquit, per quē mereri valebat.*

D. Augustſ. appellat *crudele*. Lyppoman. *dirum*. Vnde tanta crudelitas in illa repræſentatione nocturna, ex quonā principio potuit Ioſeph hominis tam diram mortem coniecturare; nam quod aues comederēt de panibus, ac aliis cibis in canistris delatis, non hominis culpa, ſed liberalitas cēſenda videtur; inde tamen mors illius auſpicatur. Nam Magiſter piſtorum cibos, ac panes ad menſam Pharaonis portabat, quos ſi ſedulè ſeruaret, merendo obſequium regi præſtaret, ſed cū incautè defert volucribus dat paſtum, & crimen in regem perpatratur; vnde meritum aſſequi valebat, inde in mortis pœnam incidit.

62. Psalm. 51.

Peruerſitatem, ac malitiam iniquorum arguens Dauid ait: *Sicut nouacula acuta feciſti dolum*, Pſ. 51. n. 4. Non ſolùm exēcratur malitiam, quia fecerit dolum, ſed quia ſicut nouacula acuta perpetrauerit. Nouacula vſurpatur pro cultro razorio, ſeu tonſorio. In quo tamen in huiuſmodi inſtrumēto apparet dolum maximè deteſtabile? Nouacula acuitur, vt maiorem cædendi vim habeat, ad elegantius hominis ornatum præſtandum, magiſq; eius faciēm expoliendam; & tamen aliquando cùm ſit multum acuta vulnus infert, ecce grandis malitia, quæ debebat venuſtati inſeruire, turpitudinem, ac deformitatem miniſtrat. D. Hilar. ibi: *Nouacula*, ait, *ad nitorem vultus acuitur, vt abradens birſutam, atque horrentem barbam, faciem leniget. Hac ſi potius vulneret, dolum facit: quippe cum præparata ad ornatum miniſterium ſuum præbuerit ad vulnus.* Ad eundem modum cenſetur lingua in malitia potentis, dum cogitat iniquitatem facere dolum, quoniam quam natura ad eloquendas rationales cogitationes præparauerat, ipſa irrationales cogitat iniquitas, vt proximus vulnera inferat. Vide cāp. 17. q. 1. n. 4. & 5.

Nouacula ad ornatum in ſeruiens ad turpitudinē.

Hilar.

QVÆSTIO X.

Quare homo emit villam, antequam eam videret, & nunc nocte ad eam videndam vult accedere?

63. VANTVM ad ſenſum literæ fieri poterat, vt hic vidiſſet villam, antequā emeret, & poſtea iam emptam iterū cogitat videre: antea enim viderat vt alienam, nūc vt propriam videre diſponit, vt aliquid operis in illa prępararet.

64. Emit homo villam, antequam videret. Emit villam, honorem ſcilicet prælationis, & dominationem poteſtatis; vt ſuperiori quæſt. ex D. Auguſt. explicauī; emit ergo antequam videret, quia ſi homo agnoſceret labores, ac moleſtias, quæ in prælatura inſunt, potius illam abhorreret, quam appeteret, eamque non ambiret, ſed deteſtaretur. Eleganter D. Baſil. Seleucus. *Si ſciret*, ait, *vulgus quanti laboris ſit, nollet in terram abiectum tollere diadema.* Si cordata coronæ laborum adeſſet experientia, ipſa proiecta exiſteret in terra, abſq; eo quod aliquis è vulgo eam extolleret, & ſibi imponeret.

Homo vult prælaturam, quia nescit illius labores. Basil.

65. Tempus autem, quo hic homo eſt inuitatus, & ſe excuſat, hora cœnæ erat, quæ nocte peragitur; nocte, ac diffuſa tenebrarum caligine vult homo villam videre. Primò ſic ſæpè homines mundialibus rebus ſe committunt, vt nullum impedimētum, nulla tenebrarum caligo obſiſtat, quo ab eis retrahi, ac remoueri valeant. Secūdò hora cœnæ. Nonne ſufficiebat, quod tota die homo mundialibu incumberet, ſed etiam nocte, ac hora cœnæ non vult ab eis quieſcere, tanto conatu homines ſe temporalibus mancipantur, vt ne die, nec nocte, nec vna breui hora, ab illis deſiſtere cogitēt. *Die, ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas*, Pſ. 54. n. 11. Magna exaggeratio ponitur declarans nihil obſtitiſſe iniquitati, ſed vi, ac impetu irrupiſſe, omnia quaſi mœnia tranſcendiſſe, ac perfregiſſe, *ſuper muros eius*, Ieruſalem, & hoc tam inſectāter, vt nec die, ac nocte à nefario opere ſuperſederet. *Die, ac nocte circundabit eam.*

Pſ. 54. *Sunt homines qui nunquā ab iniquitate deſiſtunt.*

66. Tertiò. Nocturnum tempus eligitur, vt villam intueatur homo, quia terrena, niſi obtenebrato oculo, nec poſſunt amari, nec placere, nec vt multa, ac magna videri. *Dicebat intra ſe auarus ille, anima habes multa bona poſita in annos plurimos*, Luc. 12. num. 19. bona ſua dicit auarus multa, cùm ſemper multarum rerum auido, omnia videantur pauca; cùm hæc dicebat ille, erat nox, vt patet ex his, quæ dicta ſunt illi. *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Cùm noctis caligo omnia teneret, inde bona videbantur ei multa; ſolum ſub tenebratum obſcuritate temporalia multa, & magna cenſentur; vnde præclarè ait D. Ambr. lib. de Naboth c. 4. *Nocte*, ait, *anima auaritiæ repoſcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perſeuerat; auara ſemper nox eſt.* Si enim auaro eſſet lux, & non nox terrena deſpiceret, & non appeteret.

Luc. 12.

Mundi bona ſolùm in obſcuro multa videntur. Ambr.

67. Prædicata pœnitētia in Niniue ciuitate egreſſus Ionas ab illa, & ne Solis radiis opprimeretur. *Præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Iona, vt eſſet vmbra ſuper caput eius*, Ioan. 4. n. 6. Tilmanus in allegoric. ait: *Hedera eſt vigor temporalium, & aſcendit ſuper caput eius vmbra.* Niſi enim Ionas eſſet ſub obſcuritate vmbræ, temporalium vigor non ei videretur, ſolum enim cùm ſub obtenebritate caput inuoluitur, tunc temporalia videntur viridia, ac florida.

Ioan. 4.

Temporalia in obſcuro viridia appārent.

68. Miniſtri Pharaonis traditi ſunt in carcerem. *Viderunque ambo ſomnium nocte vna iuxta interpretationem congruam ſibi.* Geneſ. 40. num. 5. Somnium ait Lyppomanus, *de ſuo negotio*. D. Antonius Olyſſiponenſ. *de ſuo officio*. Cur illa imaginaria apparitio de eorum munere, ac cauſa potius nocte, quàm die ſe obiicit; cùm illa officia eſſent tēporalia, vt magna viderentur, nocte ſe exhibent; nā ſi aperta die manifeſtarentur, non magna, ſed parua reputarentur, in paruoque haberetur, quod vnus eſſet ſuo miniſterio reſtitutus, alterque omnino ab illo depoſitus. Nec primus de ſuo officio obtento nimium exultaret, nec alius de illo ablato multum triſtaretur.

Gen. 40.

Lypp. Ant. Olyſ.

Nocte tempora lia eſtimantur.

Luc. 14. n. 19. Et alter dixit: iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te, habe mē excuſatum.

Num. 20. Et alius dixit: vxorem duxi, & ideo non poſſum venire.

VERSIONES.

Tertul. lib. 4. contr. Marc. cap. 31. Boues mercatus ſum.

Syriacus

Syriacus. Vado probatum eos: peto à te, concede mihi, vt sim excusatus.

Arabicus. Vt parcas mihi, & non veniam.

Arias n.20. Propter hoc non possum venire.

EXPOSITIO IV.

69. ALTER *dixit.* Alius respondit seruo vocanti ad nuptias. *Iuga boum emi quinque.* Id est quinque paria boum. *Et eo probare illa.* Proficiscor ad probandum, an idonea, & apta sint ad trahendum aratrum, terrámque colendam. Primus excusauit se villa; hic secundus cum his animantibus: nam apud Orientales eorum bona consistebant, vel in fundis, vel pecoribus. In hoc autem homine notatur auarus quinque tentium iugo depressus circa terrena, vel Iudæus sub iugo legis, vel nimius curiosus in temporalibus inquirendis. De quo quæst. seq. *Rogo te habe me excusatum.* Humiliter se præbet auarus, pro maiori diuitias congregandi occasione captanda.

Antiqui opes suas in fundis & pecoribus.

70. *Et alius dixit: vxorem duxi.* Ecce tertius se excusans, in quo notatur carnis voluptatibus immersus, qui pro vxoris vsu cœlestem beatitudinem negligit. *Quid per vxorem*, ait D. Gregorius, *nisi voluptas carnis accipitur.* Ex quo patet, quod hic non damnantur nuptiæ, vt perperam aliqui hæretici dixerunt, sed carnalis voluptas, vt notant Beda, Hugo, & alij. Ob quam homo ad Dei cœnam venire recusat. *& ideo non possum venire.* Non rogat hic, quemadmodum primus, & secundus, vt habeatur excusatus, sic enim libidinosa lasciuia animam obruit, vt hominem rusticum, inurbanum, ac cœlestium fastidiosum pariat.

Greg.

Beda. Hugo.

QVÆSTIO XI.

Quare sit iste homo quinque iuga boum emens quantaque fatuitate laboret?

71. IN primo illo villam emente notatur hominum ambitio, & superbia, in hoc verò secundo sugillatur eorum auaritia, qui ob boues, animalia, ac terram excolendam Christi regnum, ac mensam dispiciunt, vt docent Bostrensis, Theophylactus, Beda, D. Bonauentur. Haymon, Carthusian. & alij. Nam iugum animalia ligat, & constringit, ita auaritia ligat, & illaqueat animos: iuxta illud Apostol. 1. Timoth. 6. num. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli.* Per quinque iuga, seu paria boum, vt astruunt D. Augustin. serm. 33. de verbis Domini, D. Gregorius homil. 36. denotantur quinque sensus, quia duo sunt cuiusl bet sensus instrumenta. Duo oculi, duę aures, geminę nares, lingua, & palatum ad gustum. Tactus verò totinsecus, & intrinsecus, vt ait D. August. qui omnes sensus ad terrena nos trahunt, vt circa terrena versemur, sicut boues terram versantes. Secundò D. August. D. Greg. cit. Hugo, & alij. In hoc homine etiam exprimitur nimia curiositas quinque sensuum ad vana multo labore inuestigã da; portiùs enim homo solicitus est de his, quæ per quinque sensus administrantur, id est de exterioribus, quæ curiositatem faciunt, quam de cœna æternæ vitæ.

Auaritia hominum.

Bostr. Theoph. Beda. Bonau. Haym. Carth.

Aug. Greg.

Aug. Greg. Hugo.

De curiositate vellunquinque sensibus euitanda.

Tertiò. D. Ambrosius hoc loco ait: Per primum, qui villam emit, intelliguntur gentiles immoderato affectu temporalibus inhiantes. Secũdus, qui ait, *iuga boum emi quinque*, significat Iudæos iugo legis pressos; in qua lege sunt quinque iuga, scilicet mandata decem, vel quinque libri Moysis; per tertium autem, qui dicit, *vxorem duxi*, intelliguntur hæretici. Nam sicut mulieres solent se multo fuco ornare, vt decipiant: sic hæretici verborum elegantiam componunt, vt simplicium corda seducant. Hominis insipientiam videamus altius. 72. Amb.

Prima hominis fatuitas. Prius emit, & postea pergit ad probanda iuga, an apta sint ad portandum aratrum, terramque excolendam, vt superius dixi de emente villam. Secunda fatuitas. *Iuga emi.* Pecunia sua iugum sibi comparat, multam pecuniam decebat homo expendere, vt iugum à se excuteret, tamen tam stolidus est, vt auro suo iugum, ac onus sibi acquirat; hoc rectè pungit Tertull. in Apolog. c. 42. vt aliquid apud Cerdam ibi legunt, ait ipse: *Non emo capite coronam.* Sunt aliqui ita stulti, vt vitam prodigant, mortem ambiant, pro vna corona, ac honore obtinẽdo, multiplex corona elargienda erat, vt mortem effugeres, vitam conseruares, ac tuum caput retineres, sed adeò ambitione cæcus est homo, vt pro corona assequenda caput præbeat, cum tunc non sit ei, vbi coronam constituat. 73. *Pecunia sua homo sibi emit labores.* Tertul. *Capite emitur corona.*

Tertia fatuitas notatur à D. Bernar. in suis declamationib. *An verò*, ait, *comparatum iumentis esse, quis dubitet hominem, qui sibi iugaemerit iumentorum? Nisi quod eo sane ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quod iuga necessitatis earum, propria ipse sibi subeat voluntate.* Culpa sua brutis animantibus insipientior factus est homo: boues verberibus à pabulo ad iugum trahuntur; homo autem sponte sua à cœlesti cœna fugit, vt ad iugũ currat, illíq; colla submittat. *Propria ipse sibi subeat voluntate.* Vox est Christi ad animam loquentis *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Cantic. 1. n. 8 id est, vt explicant D Bernard. cit. Origen hom. 1. ex duabus, Hugo de S. Vict. apud Gh sler. expos. 4. Si te non cognouerris, & à tuimet consideratione ecideris, abi non ad gregem, sed post gregem, per sui enim ignorantiam pecoribus inferior facta est. D Bernard. serm. 35. in Cant. *Hem*, ait, *egredere creatura iam olim facta de grege, & nunc in peius miserabiliter prorueris, nõ saltem inter greges remanere permittitur. sed post abire iubetur.* Et paulò post: *Non dixit*, inquit, *egredere cum gregibus, aut egredere ad greges, sed egredere post greges Vt quid hoc? Vt ostenderet, quod bestiis posteriorem feciſſet se.* 74. Bern. *Homo stulto dior, & inferior bestiis.* Cant. 1. Orig. Hugo. Bern.

Quarta hominis fatuitas etiam ponderatur à D. Bernard. citato loco: *Cum sine iugo*, ait, *esse non possint homines; quale hoc ipsum est, eligere potius quinque, quàm vnum. Qui enim potest seruire quinque Dominis, ne dum quinque tyrannis: quinque prædonibus*, &c. Bos ad vnum tantum iugum porrigit collum, at homo plusquam brutis animãlibus stolidior factus ad quinque iuga sustinenda festinat; & cum homo non possit esse sine iugo, fugit à suaui Dei iugo, vt multiplici mundi onere prematur. Ob Iudæorum peccata: *Iratus Dominus contra Israël, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus*, 75. Bern. *Peccatur non vni iugo, sed multa indicuntur.*

Iudic.2.num.14. Non vni hosti tantum traduntur Israëlitæ, sed aliis, ab his enim diripiuntur, ac capiuntur, aliis verò traduntur, atque venduntur. Ita sanè euenit peccatoribus: vnum leue, ac suaue Dei iugum excutiunt, vt plura alia grauissima, ac durissima sustineant, & accipiant.

76. Aug. Quintò, fatuitas ponderatur à D. Augustino serm.33.de verb.Domini. *Vt noueritis autem*, ait, *istorum quinq; sensuũ non delectationem, quæ mulcet, & ingerit voluptatem; sed curiositatem quandam notatam fuisse, non ait: quinque iuga boum emi, eo pascere illa, sed eo probare illa.* Expende verba: *Non pascere, sed probare.* In mundialibus, non est pabuli saturatio, sed tantum leuis quidam gustus, qui videtur inseruire ad quandam veluti experimenti, ac probationis curiositatem: homo negligit cœlestem mensam ob sensuum voluptates, quas hianter suspirat, in illis tamen non saturitatem, sed tantum leuem, ac tranſitoriam gustus curiositatem inuenit, quod statim in fastigium vertuntur. Postquam mulier comedit vetiti arboris fructum; *dedit que viro suo qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum.* Genes.3.num.7. Non multis pomis adimpletur Adamus, sed cum vnum tantum illius esum deglutiret, statim se gratiæ, ac iustitiæ originalis tegumẽto spoliatum aduertit, nõ habuit nisi gustum, quo omni bono priuatur.

In mundialibus quidam tantum delitiarum gustus.

Gen.3.

Chrys. D.Chrysost.homil.16. in Genes. *Quia*, ait, *gustus ille inobedientiæ erat argumentum, propterea scriptura morem suum obseruans*, inquit, *comederunt, & cognouerunt, quod essent nudati superna gratia amictu, & sensibilis suæ spoliationis sensum acceperunt.*

77. Ambr. Sextò, hominis fatuitas expenditur à D. Ambrosio, *Ementes*, ait, *atque vendentes incendio perierunt, & ille, qui iugum potius legis, quam gratiæ manus elegit.* Ad gratiæ splendorem, ad suauissimas diuinæ cœcæ dapes, ad dulcem æternæ beatitudinis requiem vocatur homo, & tamen tanta dementia obcæcatus est, vt diuinæ mensæ delicatos cibos respuat; potius asperos labores eligens, vt duro iugo diuexatus prematur; inde merito diuina pœna talis plectendus, sicut vendentes, ac ementes in diebus Loth Luc. 17. num.28.

Homines deſpiciunt Dei requiem, & ſibi eligunt labores.

78. Gen.11. Conuenerunt filij Adam in terra Sennaar, & dixerunt adinuicem. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum*, Genes.11.num.4. Accingũntque se omnes ad machinam conficiendam, terram fodiunt, lateres conficiunt, ignique eos coquunt, humeris asportant, ædificium in tantam altitudinem erigunt, vt tradat D.Hieron.in c.14. Isaiæ illud habuisse altitudinem quatuor millium passuum, qui efficiũt milliare magnum. Ad quid tam grande opus multo labore, fatigatione, ac contentione construitur, vt dicat Philo Iudæus lib. de confusione linguar. Quod in tanta hominum multitudine *pro viribus suum quisque ministerium accommodabat.* Author est Iosephus lib.1. Quod ea cogitatione homines, turrim tanta altitudine ædificabant, vt si diluuium iterum rediret ad eam ascendere non posset, proindéque ipsi incolumes, salui præseruarentur; & ideo vt ait Iosephus parcebant, pro opere adimplẽdo. Ad quid tantus labor? Nonne facta est Dei promissio, quæ firmior, & securior turris erat. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltra interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.* Genes.9.num.11. Si tanta data est Dei promissio, ad quid tantum opus moliuntur. Dixerunt filij Adam. *Celebremus nomen nostrum.* Elegerunt fatui potius terram fodere, oneribus vexari, ac multa fatigatione premi, ac laborare, pro vna nominis vanitate captanda; quam placida, ac dulci quiete, cum Dei veritate, ac promissione frui, & recreari. Vide infra cap.26.q.4.

Gen.9.

Potius cum mundo volũt homines laborare, quàm requiescere cum Deo.

QVÆSTIO XII.

Quare tertius non postulat, vt excusatus habeatur, sed inurbane respondit, Non possum venire?

79. Ambr. IN limine huius quæstionis notandũ est, quod ait iste: *vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Eumque eleganter pungit D. Ambr.in præsenti. *Si propter te*, ait, *Dominus suæ renuntiat matri, dicens Quæ est mater mea? Cur tu Domino tuos cupias anteferre?* Christus suo exemplo nos docet, cœlestia omni consanguinitatis iuri præferenda esse. Hinc lex Nazaræis mandabat: *Nazaræus omni tempore consecrationis suæ, super mortuum non ingredietur: ne super patris quidem, & matris, & fratris, sororisque funere contaminabitur: quia consecratio Dei sui super caput eius est.* Num.6. n.6. Deo dedicatus, si etiam prætextu pietatis carnalia respiciat, contaminabitur. Rabban. *Nullus*, ait, *carnalis cum retrahebat affectus: omnis persona, omnis dignitas: omnis consanguinitas Christi seruitio postponenda est.*

Omnis consanguinitatis affectus pro Christo posponendus.

Num.6.

Rabb.

80. Quæstio præsens est; Quare hic tertius non rogat, vt excusatus habeatur, sicut duo primi fecerunt. Sed absolute inurbane, ait, *non possum venire.* D.Gregor.homil.36. *Quod per vxorem*, ait, *nisi voluntas carnis accipitur.* Cùm ergo homo esset deditus luxuriæ, ac carnis voluptati, nescit habere modum, sed totus rusticus, ac inhumanus, impudenter solus respondit, absque vlla excusatione data. *Non possum.* De terra nostræ humanitatis pulchre ait D.Chrysolog. serm.132. *A agresti luxuria dominante sylueſcit.* Rectè luxuriam agrestem appellat, & cum dominatur, totum syluestrem, ac incultum reddit hominem: vt à brutis animalibus non videatur differre. In sacrificio de Zelotypia, in quo de fœmina adultera agitur. Ait Textus: *Adducet eam*, scilicet maritus eius, *ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ.* Num.5. num.15. Cur non potius farina triticea, quæ vtpote humano victui, ac proinde Diuino sacrificio aptior videbatur. Cùm pro muliere luxuriosa esset oblatio, illa materia fuit adhibenda, non quæ nobili hominum victui, sed quæ brutorum pastui inseruiebat, à quib. luxuriosus nil distare videtur. Philo Hebræus lib.de specialibus legibus; *Quia*, ait, *hoc genus frugum præbetur brutis animalibus: quo signo subinnuitur adulteram nihil differre à bestiis, quæ sine discrimine, & sine disciplina ruunt: in venerem; pudicam verò, & puram a crimine, imitari vitam proprium hominibus.* Quam interpretationem à Philone mutuantur Procopius, & Lyranus.

Luxuria feſcit inurbanum, ac ſylueſtrem.

Greg.

Chryſ.

Num.5.

Luxuria hominem reddit brutum.

Philo.

Secundò. D Basilius. *Non possum venire*, ait, *eo quod intellectus humanus vergens ad mundanas illecebras debilis est ad agendum diuina.* Homo lasciuus carnalibus voluptatib. maximè deditus, solùm

81. Basil.

lùm carnalia æstimat;diuina autem cùm non intelligat, paruipendet, indéque cùm ad cœlestem mensam inuitatur,totus homo suis delectationibus obcęcatus sine vlla reuerentia,ac humanitate vocationem à se repellit, ac reiicit,dicens. Non

Ps.57. possum venire. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.*Psalm.57.num.9. Ignis illuminat,quomodo cũ supereueniret ignis, non viderunt clarissimum solem;Ignis luxuriæ erat, qui ita mentem obtenebrat,vt non sinat Deum,eiúsque clarissima do-

Cassiod. na intueri. Cassiodorus ibi. *Ignem dicit*, ait, *malæ mentis ardorem, nempe impudicitiam, quam in hoc sæculo cæcatis mentibus hauserunt, qui tenebrat potius,quàm illuminat, qui non aperit, sed claudit aspectum; talis enim ignis super impios cadit, vt solem verum,ideſt Dominum saluatorem, videre non possint, sicut & ipsi in iudicio futuro dicturi sunt.* Sapiene.5.num.6. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Expende verbum. *Videre saluatorem non possunt*, ardore libidinis æstuantes nil diuinum sapere,ac intelligere valent.

82. Tertiò.D.N.Cyrillus Alexandr. lib.4. de Adoratione *Alter dixit*, ait, *vxorem duxi,non possum ve-*

Homo libidine detinetur ne ad Deum veniat. *nire.Audis,vbique eos dicere non possum. Etenim humanus animus ad mundi voluptates propensus infirmus est, & inualidus ad ea exequenda, quæ Dei sunt*, Cùm homo libidinosis voluptatibus immergitur,ita eius illecebris tanquam funibus astringitur,vt ab illis iam non extrahatur,sed irreuocabilis in illis persistat,vt impudenter dicat, ad Dei mensam venire non possum; tam *infirmus est, & inualidus ad exequenda ea,quæ Dei sunt.* Vide supra cap. 10.q.11.n.80.

83. Quartò.Inuitabatur ad panem sanctum corporis,ac sanguinis Christi, & ideo rectè respondit.

Ab vxoribus abstinendum vt ad Eucharistiam accedat. *Vxorem duxi,non possum venire.* Quare non potest? Nonne matrimonij licitæ sunt voluptates?Licitæ quidem sunt, & si dignam Eucharistiæ sumptionem non impediant,obstant tamen,ne illa animi puritate sumatur, quæ Angelos decet; Vnde ait: *Non possum venire* Id est non possum suscipere,ac sumere panem Eucharisticum, quia ad vxorem accessi,& ideo qua decet puritate, ac mundicia non valeo percipere;nec attingere. Hæc interpretatio est de mente D. August. serm. 33. de verbis Domini.Qui ait: *Qui dixi,vxorem duxi, carnem amplexatur, carnis voluptatibus inundatur, & à cœna excusatur.* Hæque sententia corroboratur

Hier. ex D Hier.in Apologia pro libro contra Iouinianum.*Paues*, ait,*propositionis diximus in lege non potuisse comedere Dauid, & socios eius, nisi de triduo mundos se a mulieribus respondissent. Non vtique à meretricibus,quod damnabatur lege, sed ab vxoribus quibus licitè iungebantur.*

84. Apparet Deus Moysi in rubo, eumque pergeret ad videndum,diuina vox clamans ait ei. *Solue*

Exod.3. *calceamentum de pedibus tuis, terra enim, in qua stas, terra Sancta est.*Exod.3. num. 3. vulgare dubium,cur præcipitur Moysi, vt calceos detrahat, vt accedat ad visionem contemplandam,& videndam?Satis apte per Deum inter spinas, & vepres rubi contectum, Christus Domin. in Eucharistia sacramentalibus speciebus velatus intelligitur; Omysso,quod calcei Moysis erant infecti pulue-

Puritas à puluere carnis,vt ad Eucharistiam conueniat. re Ægypti, & ex pelle ab animali extracta confecti,qui enim ad sacram Eucharistiam vult accedere,non solùm deponat carnalia,sed etiam illa,quæ ei sunt contigua,vel tenuissimo puluere minimæ cogitationis,vel aspectus infecta. D.Gregor.Nyss. Nyssen. lib.de vita Moys.*Calcei soluendi*, ait, *eiciendúsque omnis amictus pelliceus,ac terrestris,& sordibus passionum æstus, vt ipsum; qui est cognitio possit suscipi.* Tamen maximè in rem nostram; prenie verbum. *Solue.* Depone à te, tuoque affectu terrestria, ac carnalia,soluéque à tua cogitatione obligationẽ debiti coniugalis,ac oneris nuptiarum,vt eximia puritate ad illud magnum mysterium valeas acce- Hieron. dere.D.Hieron.lib.1.aduersus Iouinianum, c.19. *Moyses*.ait,*cùm vidisset visionem magnam, & Angelum sine Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi soluisset corrigiam calceamenti sui,& abiecisset vincula nuptiarum.* Ponde- *Puritas à carnalibus ad Eucharistiã.* ra vltima verba; nam si vincula nuptiarum dignam sacramenti sumptionem non impediant, tamen omnimodæ puritatis minuunt decentiam, quæ expedit vt infinita Dei puritas sumatur, indéque dicitur,vt à sua cogitatione *abiecisset vincula nuptiarum.*

Cùm Deus vellet dare populo suo legem in 85. monte Synai,vt eã populus posset recipere, eiúsque voces audire. Moysi ait Deus. *Vade ad populum,& sanctifica illos hodie, & crastinum lauent vestimenta sua.*Exod.19.num.10. Quam sanctificationem ab vxoribus abstinentiam interpretantur Origenes homil.11.in Exod.Abulens.Hugo,Cornelius Exod.19. & alij,vt ipse Moyses se explicat ibidem, n.15 Et Orig. ponderat D Hieron.citato loco ad Iouinian. *Cùm omnis populus accessurus ad montem Sina, & Dei auditurus eloquium, tribus diebus sanctificari iussus, & se ab vxoribus abstinere.* Lyran. ad citatum Exod. *Quia licet actus matrimonialis sit licitus, tamen habet annexam quandam turpitudinem, quam oportet excusari per bona matrimonij; habet etiam annexam depressionem mentis propter vehementiam delectationis carnis;vnde dicit Gregorius: tanto mens à supernо amore disiungitur,quanto inferius delectatur, & ideo ante susceptionem legis requirebatur magna mundicia,& mentis elevatio.* Actus matrimoniaiis, quamuis licitus,& bonus sit,tamen ex vehementia delectationis deprimit mentem ad carnalia, & non finit ad suptemam dei conuersationem euolare, & attendere ad superiora;& ideo ad recipiendam dei legem, eiúsque vocem indicitur abstinentia ab vxoribus, quãto magis huiusmodi puritas erit necessaria,non ad dei vocem,illiúsque legem,sed ad ipsummet legislatorem suscipiendum in anima,vt ibi ei mansionis habitaculum præparetur. Quod argumentum maximè confirmat D. Bernard.Epist.1.ad Tulionium.*Sicut ignis,& aqua*,ait, *esse non possunt, sic spirituales delitiæ,& carnales in eodem se non compatiuntur.* Vt etiam probat hic D. Bonauent.

Abul. Hugo. Corn. Hieron. Lyran.

Eadem puritas maximè probatur.

*Luc.*14.v.21. Et seruus nuntiauit hæc Domino suo. Tunc iratus Paterfamilias dixit seruo suo: exi citò in plateas,& vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cœcos introduc huc.

VERSIONES.

Theoph. Et veniens seruus ille, renunciauit hæc Domino.

Syriacus. Tunc exaudiunt Dominus domus, dixitque seruo suo,exi citò in plateas, &

vicos vrbis, húcque introducito pauperes, & dolore affectos claudos, & cæcos.

Arabicus. Exi festinans in vias, ac vicos ciuitatis, pauperes, & debiles voca huc.

Arias. Pauperes, ac mancos, & cæcos introduc huc.

EXPOSITIO V.

85. REVERSVS *seruus.* Dicitur seruus renunciasse Domino suo, non quod Deus eorum excusationes ignoraret; *sed*, ait Euthym. *propter parabolæ consequentiam: moris enim ita est, qui ad vocandum aliquos emissi sunt: reverti, ac renuntiare de illis.* Ac proinde pro adimplenda sui muneris legatione dicitur: *Nuntiauit hæc Domino suo.* Euth. Quibus auditis. *Tunc iratus est Paterfamilias.* Carth. Ait Carth. propter tantam hominum ingratitudinem, fecit cœnam, vt homo, vt iam supra dixi, nunc autem irascitur vt pater, qui habet amorẽ erga filios, & irascitur, non vt vlciscatur de contemptu, sed vt benefaciendo, ac reformando cuncta restauret: & cùm audisset Paterfamilias, quia cum essent corde, & animo in terris defixi, cœlestis mensæ imp̃oportionati inueniebantur. *Exi cito.* Erat enim conueniens horæ cœnæ, quæ parata erat, & ait. *Exi cito.* Sine vlla mora. Deus dilectissimus; vt gentissimus; vt nobis benefaciat, suaque dona communicet, *In plateas, & vicos ciuitatis*, Plateæ sunt viæ latæ; vici verò angustiores.

Irascitur non vt puniat, sed vt restauret Deum diligentissimus, vt benefaciat.

86. Sensus huius parabolæ iuxta Diuum Ambrosium hic. D. Augustin. serm. 33. de verbis Domini, Titum Bostrens. Euthym. Theophylact. Diuum Bonauenturam, Glossam, & alios. Deus Pater per seruum suum Christum Dominum, vel per chorum prædicatorum vocauit ad cœnam regni cœlestis Phariſæos, Pontifices; ac Magnates Iudæorum, qui eum ex sua auaritia, ambitione, ac voluptate noluissent venire, vt patet in illis tribus se excusantibus; nunc vocat alios ex eisdem Iudæis, & ideo dicitur, *per plateas, & vicos ciuitatis*, vt rectè notat Theophyl. Quia *Israelitæ fuerunt intra ciuitatem, vt, qui legem susceperant, & ciuiliorem vitam sortiti.* Quos. Iam plebeios vulgares, & idiotas. Iuxta illud. *Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Matthæi 21. numero 31. Et quamuis Christus Dominus ab exordio Euangelij omnes simul vocauerit Pontifices, ac Principes Iudæorum, & plebeios, & humiles. Phariſæi tamen dicuntur primi vocati, pro maiori elegantia parabolæ, nam ad conuiuia viri illustriores primi vocantur; postea vulgares deinde, quia Christus volebat, vt Phariſæi primi ex officio suo eum agnoscerent, & eum agnitum populo ostenderent vt verum Messiam ex eorum tamen malitia aliter factum est Per eos autem, qui erant per vias, & sepes extra ciuitatem intelliguntur Gentiles. Vt sequenti versu dicam.

Sensus parabolæ. Theoph. Matth. 21.

87. *In plateas, & vicos.* D Ambr. hic, *vt de lætioribus vitiis ad angustam venirent viam.* Mandat autem vocari eos, vt ait. D Cyrill. in Catena Græca. *Qui ægri, abiectique in vicis, & plateis iacebant, hoc est illi, qui ex Iudaica multitudine habebantur infirmiores.* Sicque ait, vt explicant idem Cyrill. Beda. D. Bonauent. Carthus. Hugo. *Pauperes*, id est dei gratia, ac spiritualibus donis carentes. *Debiles*: ad agendum. Peccatum enim vulnerat naturalia, ita vt vires animæ fiant debiles ad actus virtutum. *Cæcos.* Veritatis notitia destitutos. *Et claudos.* Rectitudinem iustitiæ non seruantes, seu instabiles, qui quasi in vtramque claudicant partem, dum in nulla virtute constantes existunt. Hos autem vocat D. August. serm. 34. de verbis Domini secundum Lucam. Quia. *Non venerunt*, ait, *diuites sani, quasi bene ambulantes, & acutè cernentes, multum de se præsumentes; & ideo desperatiores, quanto superbiores. Veniant mendici, quia ille inuitat, qui propter nos pauper factus est, cùm diues esset vt illius paupertate mendici ditaremur. Veniant debiles, quia non est opus sanis medico, sed male habentibus. Veniant claudi, qui ei dicant: compone gressus meos in semitis tuis. Veniant cæci, qui dicant: illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.*

Ambr. Cyrill. Beda. Bonau. Carth. Hugo. Aug.

QVÆSTIO XIII.

Quare Paterfamilias cum irascitur, tantam ostendit beneficentiam, vt claudos, & cæcos vocet ad mensam?

88. IRASCITVR Paterfamilias vt pater, vt iam notaui in expositione, & tunc etiam benignitatem declarat; imperans seruo, *pauperes, cæcos, debiles introduc huc.* Cùm iratus Deus ostenditur, iam putabam conuiuium dissoluendum, imo mensas ipsas euertendas, obseruãdas fores, ne vlli pateat locus roganti, vt facere solent homines irati. At Dominus aliter hic se habet. Quæstio ergo præsens est, quare hic bonus Paterfamilias cùm irascitur tantam pietatem, ac clementiam ostendit, vt claudos, cæcos ad suam cœnam inuitet.

Difficultas quæstionis.

89. Respondeo primò. Quod hoc factum est, vt declaretur summa pietas, ac prouidentia Patrisfamilias, quod quamuis primi noluerint venire, non tamen inde ostium suæ beneficentiæ aliis occludit, non enim priorum ingratitudine fatigatur, vt posterioribus non benefaciat Ob vitulum adoratum maximè iratus est Dominus in populum Israel, vt eos disperderet; tamen voce Moysis *placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat.* Exod. 32. num. 14. In quo quieuit Dei ira, in eo quod delinquentes à diuina clementia sunt excluſi, quæ innocentibus communicata est, nam primi manibus Leuitarum sunt morte traditi; secundi verò salui, & custoditi reseruantur, vt dei beneficentia fruantur. Vnde ait Rupertus ibi. *Non indiscrete cæsi, sed cum iudicio fuerunt puniti Israelita.*

Deus cum irascitur in vnos, non excludit alios. Exod. 32. Rup.

90. Secundò. Aderat Dominus ad præsentiam suæ mensæ sacramentalis, vt iam supra dixi ex diuo Cyrillo. Cuius panis est ille, vt ait diuus Augustinus serm. 33. de Verbis domini in Lucam, qui de se ipso ait. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Cùm ergo diuinis oculis esset obiecta Eucharistica mensa, omnes iustitiæ rigores, ac seueritates in lacum pietatis, ac misericordiæ imbrem commutati sunt. Cyrill. Aug. *Figura Eucharistiæ ira Dei deponitur.*

91. Veniunt tres viri ad domum Abrahami, ex quibus, vt docet D. Augustin. q. 33. in Genes. Vnum cognouit Dominum esse, & alios duos Angelos, offert

offértque eis prandium dicens. *Ponam buccellam panis, & confortate cor vestrum, & postea transibitis.* Genes. 18. n. 5. Ex quo præclare dubitat D. Augustq. sequen. 34. in Genes. *Quaritur, ait, si Angelos manducabat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem inuitare, quoniam refectio mortali carni necessaria est, non immortali Angelorum.* Si ergo Abrahamus dominum Angelorum, ac Angelos agnoscebat, quomodo panes apponebat, ipse enim, vt valde præclarus scientia, ac sapientia optimè perspicuum habebat, quod nec Angeli materiali cibo vtûtur; ad quid ergo huiusmodi oblati panes? Vidit Abrahamus Deum in domo sua cum Angelis, Dominũ cum ministris, anceps, & perplexus hæsit, an ille aduentus esset ad aliquam beneficentiam, vel pœnam, ad donum, vel supplicium aliquod inferendum, vt res esset vndique tuta, & secuta, ac immunis ab omni periculo, determinat offerre ei panem Eucharistiæ typum; sciebat enim, quod huius sacramenti præsentia totius iustitiæ, seueritas abigitur, omnisque pietatis, ac clemẽtiæ benignitas conciliatur, ac alliciturq; & ideo pro timore excludendo, vt misericordia certissimè adesset, panes offert in Eucharistiæ vmbram.

Gen. 18. Aug.

Vmbra Eucharistiæ declinatur, ipse Dei, & eius beneficentia discedit.

92. Dupliciter populus per desertum Ægyptiorum escas appetiuit. Primò. Quando egressi de Ægypto mense secundo: quando dixerunt. *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti; quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Exod. 16. num. 3. Tunc Deus Moysi. *Audiui murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus.* Ibidem num. 12. Factum est ita, vespere ascenderunt coturnices, ex quibus vescentes repleti sunt Israëlitæ; mane verò descẽdit manna, ipsi gaudentes, nulla pœna afflicti pro murmure facto; secundo desiderio carnium flagrauerunt in deserto Sinai, murmurantes contra Dominum, quorum votis annuens Deus, ascendere fecit multas coturnices super castra, ex quibus saturati sunt Israëlitæ. Tamen. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Num. 11. n. 33. Cur quando primo auidè cupiunt carnes non puniuntur, maximè verò hac secunda vice. Cùm primo aueant Ægypti cibos simul cum eorum murmure manna Eucharistiæ typus obiectum est Diuinis oculis: *Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus.* Et cum tanti mysterij figura ineat, omnis Diuinus furor est mitigatus & extinctus; At verò in deserto Sinai ascendit populi murmur coram Domino nulla astante Eucharistiæ vmbra, indeque omnis castigatio in eum dissoluta est; *Ecce furor concitatus in populum.* Vna Eucharistiæ figura à diuinæ iustitiæ seueritate omnibus tutamen, & præsidium, cuius absentia vniuersa plaga, ac deuastatione inuoluuntur. Vide supra cap. 2. n. 135. & tom. 3. c. 15. q. 22. n. 174. 175. & 176.

Exod. 16.

Num. 11.

Vbi vmbra Eucharistiæ, ibi nulla pœna, sed omnis misericordia.

QVÆSTIO XIV.

Quare de plateis vocantur homines debiles, claudi, & cæci, cum haberent impedimentum ad veniendum?

93. AIT Dominus seruo, exi in plateas, & vicos, non mandat vocari homines domi absconditos, sed in plateis, ac vicis commorantes quod ponderans D. Gregorius homil. 36. in Euangel *Cùm de vicis, & plateis, ait, ad cœnam quosdam Dominus inuitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub vrbana conseruatione nouerat.* Non inuitat ad mensam homines rusticos, agrestes, domi caterata, ac rugosa fronte abstrusos, sed homines vrbanos, comptos, politicam legis conuersationem in plateis tenentes. Vnde D. Basilius Seleucus Orat. 30. *Christianam doctrinam, appellat, nouam, & de cœlo allatam politiam.* Aliter explicat D. Ambros. in præsenti. *Misit ad plateas, inquit, quia misit ad peccatores: vt de lectioribus viis ad angustam viam venirent, quæ ducit ad vitam.*

Deus homines vrbanos ad mensam vocat.

Basil.

Ambr.

Quæstio præsens est, quomodo infirmi, debiles, claudi, ac cœci vocantur, cùm ex sua debilitate haberent impedimentum veniendi, & accedendi ad diuinam mensam. Respondet primò Diuus Ambros. *Inuitat pauperes; ait, debiles, cæcos, quo ostenditur nobis, vel quod nullum debilitas corporis excludit a regno, rariúsque delinquat, cui desit illecebra peccandi.* Beda ait. *Cæci, & claudi vocantur, quod veniunt, quia infirmi quique, atque in hoc mundo despecti, plerúmque tanto celerius vocem Dei audiunt, quanto, & in hoc mundo non habent, vbi delectentur.* Valde frequenter corporis infirmitas, ac debilitas homines eripit, ac segregat à mundialibus voluntatibus, ac promptiores ad dei sequelam reddit. Vocentur pauperes debiles, claudi; ac cœci, hi tanquam à mundo despecti valde apti sunt, vt mundum despiciant, Dei vocem audiant, eiusque nutum sequantur. *Rariúsque delinquat, cui desit illecebra peccandi.*

94.

Ambr.

Beda.

Voluptatis illecebra ianua peccati.

Secundò. D. Gregor. homil. 36. in Euangel. *Quia venire, ait, Superbi renuunt, pauperes eliguntur. Pauperes, & debiles dicuntur, qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt.* Excluli superbi, introducuntur pauperes debiles suo iudicio, superbia deficitur, humilitas extollitur. Tertiò: aliter & moralissime adhærendo verbis, & non sensui parabolæ. Explicant aliqui. D. Gregor. *Quia venire superbi renuunt pauperes eliguntur.* Vocati sunt primo iuxta D. Cyrill. Gregor. Augustt. *Iudæorum principes, ac præsides.* Qui cum noluissent venire, mandat Paterfamilias vocare *pauperes ac debiles, & cæcos, & claudos.* Cur non vocat alios principes, & primates, sed pauperes, debiles. Præparata erat cœna primis illis magnatibus, qui neglexerunt, ac renuerunt venire, repulsa illa, sic deuenustatus existimatur locus, vt alij principes, ac magnates ad illum non inuitentur, ex multa enim sua præsumptione indecorum reputabunt accubitum; vocentur ergo pauperes, ac debiles, qui tales arrogantiæ leges non timent, & ne vilipendantur electam dignitatem acceptantes, de hoc iterum infra.

95.

Greg.

Greg.

Cyrill. Aug.

Dignitatẽ ab aliis relictã solus pauper admittet.

Quartò. Debiles, cœci, & claudi eorum malo, ac debilitate non obstante se in publicas plateas, & vicos dederunt, veniant, & ergo ad Christi mensam, si enim debiles, cœci, & claudi habuerunt vires, pedes, seu modum ambulandi, & lumen ad cognoscendum mundialia, cur & tali impedimento se petrendent excusari à Christi mensa, vt illius legem impleant, nutum sequantur. Cùm Moyses de monte, vidisset populũ idolatrantem. *Arripiens vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem,* Exod. 32. n. 20. Larga quæstio apud Expositores, quomodo vitulus iniectus in ignem, redactus sit in puluerem,

96.

Quid est fauum, vt mundum sequatur, sit & sanctus, vt Deo adhæreat.

nam

nam vitulus ex auro erat fabricatus; aurum autē in igne non comminuitur in cineres, sed quædam
Rabb. materia liquida fit. Autumant Rabbini, quod vitulus conflatus est in igne ab Aarone non appo-
sita aliqua forma, vel figura; sed occulta aliqua vi, & confirmant ex his, quæ Aaron dixit Moysi. Ego eis dixi. *Quis vestrùm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi; & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.* Ibidem. num. 24. Hinc
Torniel. Tornielius ad annum 1544. num. 49. existimat, quod vitulus redactus est in puluerem occulta quadā qualitate. Et merito sanè ignis, qui habuit efficaciam, & vim ad efficiendum vitulum, vt populus idololatraret, habeat etiā vim, ac efficaciam, vt vitulum comminuat in puluerem, vt idololatria euertatur, ne magis inseruiat iniquitati: ignis, quam æquitati, vorax flamma, quæ ministrauit peccati fomentum; deleat, ac extinguat peccati materiam.

97. Quintò. Ambr. lib. in Lucā ad c. 9 *Qui vocantur*
Ambr. *ad cœnam*, ait, *prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatē, vt veniret, accepit; si lumine oculorum priuatus, domū vtiq; Domini, nisi refusa luce in-*
Diuina vocatio replet bonis, & dat vires. *trare non poterat.* Vocantur cœci, debiles, ac claudi; at ex eo quod vocātur, ipsa diuina vocatio cœcos
Euseb. illuminauit, debiles roborauit, claudos erexit, ac consolidauit, eisque vim ambulandi dedit. Euseb. Emissenus homil. huius Euangel. *Pauperes, debiles, cœci, & claudi erant, inuitati tamen ad conuiuium Christi, diuites, & fortes facti sunt, & interim illuminati, iam in via non errant, sed recto tramite gradiuntur.* Quos enim Deus vocat, eis vires dat, vt suæ vocationis munus adimpleant, si
Ambr. sequantur. D. Ambros. lib. 1. de pœnit. c. 6. *Iube*, ait, *impleatur domus mea, quia quem tu vocaueris, dignum facis, si sequatur.*

98. Cùm Ieremias se excusaret à legatione iniuncta
Ier. 1. à Deo, quia puer erat. *A. A. A. Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ierem. 1. n. 6. Respondit Dominus. *Noli dicere puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te ibis, & vniuersa quæcumque mandauero tibi, loqueris.* Ac si ei esset dictum, non consideres vires tuas, sed me te mittentem, nam quamuis puer sis, cum ego mitte-
Dei vocatio dat animam, ac vires. rem te, non puer debilis, ac inscius loquendi eris, sed vir valde fortis, ac loquendi disertissimus, si voluntate tua velis ire ad quos ego mitto te. Diuus Hieron. *Tua sit tantum voluntatis, vt pergas: me habebis comitem: quo cuncta adiuuante complebis: aperi os tuum, & implebo illud. Nec consideres multitudinem eorum, ad quos, & contra quos locuturus es: sed me qui tecum sum.*

99. Peccauit Adamus, qui cum audisset vocem Dei deambulātis in paradiso, quæ vox, vt volunt Cornelius, & alij, erat quidam strepitus, & fragor arborum cōcitatus ex Dei præsentia venienti. Abscondit se Adam. Inclinat Deus dicens. *Adam vbi es?* Statim exiuit à loco illo, & coram illa visibili imagine, quæ in effigie humana cepræsentabat Deum se præsentat, & totam rei seriem fatetur. *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me.* Gen. 3. n. 10. Adamus totus
Gen 3. verecundia affectus, vt audiuit arborum strepitū ex Deo gradiente abscondit se quæritur à Deo, de loco, in quo est *Adam vbi es?* Cur non tantum quiescit, vt ad interrogata respondeat? v. g. sum in hoc, vel illo loco, sub hac, vel illa arbore, cur vltra procedit, vt egrediatur, corámque se Deo exhibeat, totum ordinem rerum exponat; *vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Cur vltra interrogata loquitur? Verùm est, quod Adamus ex suo peccato, ac inobe-
Dei vocatio dat vires, ac animam. dientia erubescens se abdiderat, sed cum Deus eum vocat, vt ex culpa reduceret ad gratiam, ac statum pristinum: ipsamet Dei vocatio dat vires, vt à loco illo exeat, verecundiam deponat, animum concipiat, totúmque negotium sui aperiat, ac fateatur. *Vocem tuam audiui, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* D. Philipp. Abbas c. 5. Philipp. de salute primi hominis. *Vt mihi videtur*, ait, *diuina Scriptor historiæ, id quod dictum est, vocauit Deus Adam, non perfunctorie attendi voluit, sed in eo pium vocantis affectum, magnum vocati profectum intelligi debere commonuit.*

QVÆSTIO XV.

Quare hic homo toties inuitat, & quærit homines ad mensam suam, cùm ipse olim fuisset quæsitus, & minimè inuentus?

HOmo iste, qui fecit cœnam magnam, est 100.
Vnigenitus Dei filius factus homo, scilicet Christus dominus qui multipliciter, primò, secundò, ac tertiò vocat ad mensam suam. Primò *mandauit dicere inuitatis, vt venirent.* Qui *Difficultas quæstionis.* omnes neglexerunt, inurbano, ac rustico modo se excusantes *non possum venire*: & quamuis his auditis paterfamilias esset iratus, tamen tunc nec aliquod supplicium in eos intulit, nec eos comminatus est, nec aliqua verba dura in illos protulit; sed hæc omnia dissimulans, dixit secundo seruo suo. *Exi cito in plateas, & in vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & claudos introduc huc.* Qui omnes, quamuis pauperes, ac debiles noluerunt accedere, sed aliqui ex eis contempserunt, & ideò seruus dixit domino: *adhuc locus est.* Tamen tertiò adhuc omnes vocat, ait seruo. *Exi in vias, & sepes, & compelles intrare, vt impleatur domus mea.* At verò olim ipse Filius dei quærebatur, & aliquādo nō inueniabatur. dicebat sponsa *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Cantic. 3. n. 1. Et iterum. *Per vi-* Cant. 3.
ces, & plateas quaram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Ibidem. n. 2. Et iterum idem habetur Cantic. 5. num. 6. Cant. 5.

Res multa ponderatione digna, modo hic ho- 101.
mo, seu, Vnigenitus dei, multipliciter quærit homines ad mensam suam, & non inuenit, & antiquitus quærebatur, & non inueniebatur. Modò homines inciuiles, absque debita reuerentia agentes, mensámque suam contemnentes, patienter suffert, ac sustinet, & olim pro qualibet offensa rigidas pœnas infligebat; vnde à dauid dicitur. Psalm. 93. num. 1. *Deus vltionum Dominus;* Ps. 93.
Deus vltionum, siue *capiens vltionem.*

Ait D. August. lib. Contra Faustum Mani- 102.
chæum. *Vnigenitus in sinu Patris, antequam ira-* Aug.
beam nostra carnis assumeret, quærebant eum desiderantes, scilicet homines, *& non habebant; factus verò homo tanquam vermis in homines, homines quæsiit, & paucos inuenit.* Antequam dei filius fieret homo, erat in sinu Patris sui, in throno suæ maiestatis, & ab Angelis adoratus, quem hominem factum maximè homines desiderabant, vt radiis eius præsentiæ, colloquij, ac doctrinæ illuminarē-

tur,

tur,& ideo dicitur: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Nam natura humana tunc tanquam infirma iacebat in lectulo per omnia illa antecedentia sæcula, quæ cum Verbi præsentia carerent densissima tenebrarum caligine erant occupata,& ideo dicitur *per noctes*, vt explicant Titelm. Ghisler. Coro. Titelmanus Ghislerius: Exposit. 1. in fine. Et alij tacito nomine apud Cornel. in primo sensu.

103. At verò factus homo cùm apud mundanos,& iniquos contemptibilis tanquam vermis reputaretur,à principibus,ac magnatibus Iudæorum sacrilege magno odio persequeretur, eorum inurbanitates, contumelias,ac opprobria cum multa modestia, ac patientia sustinet, hominésque ad mensam,ac cœnam multipliciter inuitat,& quærit,& paucos inuenit. Vnigenitus in sinu Patris, quærebatur,& non inueniebatur,vt eius præsentia, ac colloquia homines fruerentur; At factus homo homines sedule quærit,ad quod forte respiciens Dauid dicebat. *Erraui sicut ouis; qua periit:* Ps. 118. Interl. *require seruum tuum.* Psalm. 118. n. 176. Interlin. *O Christe require seruum tuum* Et tamen ob hominum malitiam paucos inuenit.

104. Deiectus à Principum gratia multa tolerat. Sensum mysticum ex his etiam eruamus, vt aliquid ad mores etiam dicamus. Cùm quis est in alto fastigio, sublimitate, ab omnibus adoratur, quæritur,ac haberi desideratur,offensæque in eum commissæ dira pœna præstolantur,si verò à principum,ac magnorum fauore est deiectus,ab illorúmque gratia cadit, & à sua dignitate tanquam priuatus æstimatur, vt contemptibilis habetur, tunc ipse tempori se accommodans, multa dissimulat,omnia suffert,ac tolerat, qualibet re contentus est.

105. In Christi Domini persona ait Regius vates. *Narrabimus mirabilia tua,cum accepero tempus,ego iustitias iudicabo.* Psalm. 74. num. 3. Quid est,quod ait, *cùm accepero tempus*, seu vt legit Lorinus ex Græco. *Cùm accepero opportunitatem temporis.* Ipse enim cùm sit Dei Filius,omnia tempora habet subpotestate sua. Perbelle Diuus Augustinus ibi. *Accepit tempus, vt filius hominis; gubernat tempora, vt Filius Dei.* Ipse vtpote verus Dei Filius omnium temporum disponit,ac ordinat articulos. At verò vt Filius hominis degens inter homines non receptus à Iudæis,ad quos primum missus est, accipit tempus,vt enarraret Dei Patris mirabilia gentibus ad fidem conuersis, vt explicat Eusebius apud Gellium. Pro hac thesi grauiter confirmanda,vide infra,c. 28 q. 20. n. 155. & 156.

Ps. 74. Lorin. Aug.

Luc. 14. *n.* 22. Et ait seruus: Domine factum est, vt imperasti, & adhuc locus est.

Num. 23. Et ait Dominus seruo: exi in vias,& sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

VERSIONES.

Syriac. n. 22. Domine mi factum est, vt præcepisti.

Arabicus. Feci quod imperasti.

Vatablus. Et adhuc superest.

Syriac. n. 23. Exi in vias,& sepes, & coge intrare.

Arabicus. Compelle illos quousque intrent.

EXPOSITIO VI.

IT seruus. Diligentissimus erat hîc seruus, maximéque dictis Domini sui parens,& quamuis primò, secundò, ac tertiò mittatur,nunquam se excusat,nec laborem refugit,nec priorum accusationem pertendit,ac obiicit,nec imperium Domini expendit, ac diiudicat,agnoscens sui muneris tantum esse, prompte obedire,& impedimenta Domini mandatis non opponere: *factum est vt imperasti.* Adducti sunt ex plateis claudi, pauperes, cæci, id est vt explicat Carthusianus prædicauimus in Iudæis,exque Iudæorum vulgo ad cœnam tuam adduximus publicanos,peccatores, ac meretrices. *Adhuc locus est.* His hominibus adductis adhuc numerus electorum non est completus. Valde charitate feruidus erat hîc seruus, & quamuis plures adduceret adhuc multo plures optabat. Moraliter *adhuc locus est.* Cur bone serue hunc locum non tibi reseruas,si omnes sedes fuerint expletæ, tibi non erit aliquis locus,vt sedeas: bonus seruus bona Domini sui,non sibi sed aliis volebat, vt magis magnificentia Domini sui ampliaretur,cùm de illa multo plures fierent participes. 106. *Obedit. non diiudicat imperium superioris.* Carth.

Et ait Dominus seruo: Exi. Extra ciuitatem Ierusalem, ac regnum Iudæ, & voca ad Christum gentes longè latéque per totum orbem diffusas. Theophylactus. *Israelita fuerunt intra ciuitatem, vt qui legem susceperant, & ciuiliorem vitam sortiti: Gentiles autem à testamentis, & à lege Dei alieni erant, non facti ciues sanctorum.* Vt ait Paulus. *Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conuersatione Israel, & promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Ad Ephes. 2 num. 12. *Exi in vias*, quæ ducunt ad qualcúmque extremas orbis gentes, & bene per vias gentes denotantur, ait Euthymius. *Vtpote non munita lege,ac diuina custodia, seu visitatione,sicut habitatio Iudæorum.* Et addit: *Et sepes.* Per quas significatur homines rusticani,ac barbari, more belluarum sepibus, ac syluis habitantes. Titus Bostrensis. *Significatur*, ait, *post Israelitas per fidem introductos, gentium quoque populum fuisse vocandum mente agrestem, animo efferatum quasi extra vrbes, absque vlla prorsus ciuitate natum, & educatum, neque enim vllis omnino bonis legibus, aut moribus vtebantur: verum pecudum more, in magna quadam rationis caligine, & amentia versabantur.* Ad has omnes gentes Apostolici viri missi sunt. Ex quo nota. Quod hic non addidit seruus: *factum est, vt imperasti*, vt in legatione ad Iudæos, quia in gentibus nondum plene factum est,hæ enim ab exordio Euangelij vocatæ sunt,& modo vocantur, & vsque in finem mundi vocabuntur,& semper venient. 107. Theoph. Ephes. 2. Euth. Bostr.

Compelle intrare. Non hoc dicit, quasi quod vocatione minuatur libertas, solus enim hæreticus hoc astruet,sed hoc loquendi methodo vtitur, vt parabolæ metaphora retineatur, sermo enim erat ad homines tanquã belluinos,& syluestres,& ideo ait; quod more belluarum compelle intrare in ouile Christi illæsa eorum libertate, compelle vinacitate verborum, efficacia doctrinæ, vita, & exemplo tuo, operibus, miraculis, prodigiis, ac ostentationibus à se factis, & etiam pœnis, ac doloribus inflictis, & extremi iudicij, ac inferni terroribus 108. *Gentium vocatio multiplici gratia.*

terroribus iniectis. Vnde ait Paulus. 1. Thessal. 2.
1. Thessal. 2. n. 5. *Euangelium nostrum, non fuit ad vos in sermone tantum sed & in virtute, & Spiritu sancto, & in plenitudine multa.* Scilicet diuinæ gratiæ, qua Deus fortiter, suauiter disponit omnia, vt videre est in conuersione Pauli. *Vt impleatur domus mea*: Ex omnibus gentibus, tribulus, & populis, ac linguis. Apoc. 7. n. 9.
Apoc. 7.

QVÆSTIO XVI.

Quare hic homo non patitur, vt aliquis locus sit vacuus in mensa sua?

109. DIXIT seruus domino suo: *factum est, vt imperasti.* Vocati nempe sunt multi, addidit tamen. *Adhuc locus est*, seu, vt legit Vatablus *supereſt*, & est vacuus occupante, quod cum audisset Dominus, impatiens, quod illa sedes esset inexpleta, mandat seruo, vt exeat in vias, claudos, & cæcos introducat, cuius rei rationem ipse Dominus assignat. *Vt impleatur domus mea* Gloss. Interl. *Numero prædestinatorum fidelium, qui numerus inexplerus non remanebit.* Conuiuæ à Deo vocabuntur, quandiu prædestinatorum numerus nõ fuerit expletus: postquam autem fuerit expletus, tunc vocatio cessabit, mundique finis aderit.
Interl.

110. Notandum est, quod subintelligitur, quod dixerit Dominus seruo suo: exi, scilicet cito, ac diligenter in vias, & sepes, sicut in secunda legatione dictum est ei: *Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis.* Erat enim hora cœnæ, vnde tantam diligentiam mandat seruo? Non volebat Dominus, moraliter dicamus, vt aliquid sui panis, ac cibi seruaretur in diem alterum, sed totum disponebat sedule in pauperes expende. Cùm Parens meus Elias absconditus esset Carith. *Corui deferebant ei panem, & carnes mane, similiter panem, & carnes vesperi.* 3. Reg. 17. num. 6. Cur alimentum asportant mane, & vesperi? Cur non potius semel tantum pro tota die: sicut manna valde diluculo descendebat pro integra die. Exod. 16. numero 21. Tamen corui mane, & vesperi adducunt panem, & carnes ad Eliam. Viuebat ille in multa perfectione, & tunc populus penuria famis laborabat; in domo autem Prophetæ non seruatur panis, præcipuè cum populus fame tabescit, & ideo pro duplici refectione Eliæ hora opportuna dupliciter cibus deferatur.
3 Reg. 17.
Exod. 17.
Tempore famis non seruatur panis in domo prophetæ.

111. Ad quæstionem Respondeo, quod etiamsi apud mundiales pro magno statu, ac maiestate iudicetur habere multas sedes, ac dignitates vacuas. Tamen hic bonus Paterfamilias non sustinuit videre in domo sua sedem inexplerã, ac non occupatam; creauit Deus mundum, filium suum misit in terris in carne passibili, eumque morti tradidit, vt vacuæ sedes ex Angeli, qui ceciderant, hominibus electis occuparentur, vt notant N. Incognitus, Hugo, Caietan. Iansen Lorinus, & alij ad Psalm. 109. num. 6. *Iudicabit in nationibus implebit ruinas.* Iuxta illud Pauli ad Ephes. 1. num. 10. Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. Vt ibi explicant D. Chrysostom. Theophylactus, Euthymius, Theodoret. D. Thom. & alij. Nonne in ipso cœlo erat magna multitudo Angelorum? *Millia millium ministrabant ei, & decies millies, & centena millia assistebant ei.* Daniel. 7. num. 10. & vnusquisque horum Angelorum suam habebat sedem; quid ergo si aliquæ sedes essent vacuæ, vt inter cætera motiua hoc etiam vnum extare, vt filium suum morti traderet æternus Pater ad implẽdas ruinas, & ad instaurandã omnia in Christo Deus Pater bonitate infinitus non passus est sedes vacuas in suo regni palatio, indeque mortem filij decreuit, vt in ipso omnia instaurarentur in cœlis, hominibúsque prædestinatis Angelorum ruinæ adimplerentur. D. Anselm. *Erat illud sacramentum*, ait, *eam instaurationem facere in Christo, vt in eo restaurarentur, quæ in cœlis sunt, scilicet numerus beatorum Angelorum, qui diuinitus erat sublatus, cadentibus inde reprobis Angelis.*
Dominus non patitur locũ vacuum in domo sua. Incognit. Hugo. Caiet. Iansen. Lorin. Ps. 109. Ad Ephes. 1. Chrysost. Theoph. Euth. Theod. D. Thom.
Dan. 7.
Anselm.

112. Quamuis Saul esset valde iniquus, tamen videns, quod in mensa eius, *apparuit vacuus locus Dauid.* 1. Reg. 20. num. 27. Quærit, & interrogat, cur ipse non venerit, ex quo patet, ait Abulensis, quod Dauid habebat locum certum, ac determinatum in mensa regis; Saul non poterat suis oculis videre Dauidem; nam certo existimabat, quod à se, ac à filiis suis regnum per ipsum esset auferendum: & tamen, cum ille deesset, quærit, cur non venerit, *Cur non venit filius Isai.* Pro tanta ignominia reputabat Saul, quod locus vacuus in mensa sua appareret, vt potius eligeret propriis oculis sui regni spoliatorem videre, quam locum inoccupatum ante se intueri.
Abul.
Non patitur Saul videre in mensa sua locum vacuum.

QVÆSTIO XVII.

Quomodo compellendi sunt inuitati ad cœnam?

113. RESPONDEO. Quod verbum *compelle*, non significat aliquod præiudicium nostræ voluntariæ libertatis, vt iam dixi in expositione, sed hac voce primo denotatur vehemẽs patrisfamilias desiderium, & summa eius liberalitas cupientis suas dapes quãplurimis communicare, nullã hominis conditionem respuentis. Secundò. Denotatur magna vis Diuini verbi, ac prædicationis Euangelicæ, multis miraculis stabilitæ, vt illa videantur homines tanquã compulsi, vt Dei præconibus vocantibus acquiescerent, vt ad cœnam patrisfamilias ingrederentur. Tertiò. Notatur eximia hominis miseria, ac fragilitas, vt aduertit D. Chrysostom. homil. 70. in Matth. *Quid igitur*, ait, *dementius inuenitur, quam cum in nuptias vocaris resilire.* Tanta est hominis dementia, ac fragilitas, vt ex se non velit ad festiuissima gaudia ire, nisi vehementer adductus, & tractus.
Eximia hominis liberalitas ad suã mensam celebranda.
Chrys.

114. Quartò. D. Augustin. serm. 23. de verbis domini. *Abstrahantur à sepibus, à finis: sed cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit; cege, inquit, intra. fortè inueniatur necessitas, nascitur inde voluntas.* Multis, & variis modis poterat Deus eos ad se perducere, vult tamen vt aliquando labore, calamitate ac pressura compellantur ad cœlestia venire. Sæpe enim ipsa necessitas, quæ foris est in hoc scilicet mundo extra Christi sequelam, occasio est, vt inde prosiliat bona voluntas dolẽdi de peccatis, ad deúmque toto corde accedendi: *foris inueniatur necessitas, nascitur inde voluntas.* Hoc ex ærumnis lucrum ponderat D. Augustin. serm. 120. de sancto latrone verba faciens. *Quem saluti culpa perdide*
Aug.
Ex laboribus lucrum vt Deum requiramus.
Aug.

perdiderat,perditio inuenis, cruciatus absoluit, damnatio consecrauit. Vide supra c.7.q.6. n.46.47.48. & infra c.27.& tom.1.2.& 3.Verbum.*labor.*

115. Beda. Quintò.Beda. *Sunt nonnulli,*ait, *qui bona facienda intelligunt, sed hæc facere desistunt. His plerúmque contigit,vt eos in carnalibus desideriis suis mundi huius auersitas ferias. Sæpè namque, aut longa aegritudine tabescunt, afflicti iniuriis concidunt,aut percussi grauioribus damnis affliguntur, seque ipsos in suis desideriis reprehendentes ad Dominum corda conuertunt. Qui ergo huius mundi aduersitatibus fracti ad Dei amorem redeunt,quid isti nisi compelluntur, vt intrent.* Sæpè homines in deliciis degunt, voluptatibúsque suis immersi sunt, sed immissa infirmitate à Deo,ad ipsum sic trahuntur, vt videantur compelli intrare in Dominicam cœnam, vt hæreditatem salutis capiant. D. Isaacus. lib.1. de contemptu mundi, sic scribit: *Cùm infirmaueris, dic,beatus est is,qui meruit à Domino tentari in his, quibus vitam hæreditate possidemus,infirmitates enim corporis adsunt pro animæ salute.*

Ex infirmitate monetur homo in Deū.

116. Venerunt quidam Amalecitæ latrunculi cum puero Ægyptio in Siceleg,& impetum facientes, eam incenderunt igne, & ablata præda cum recederent,præ ægritudine,quâ laborauerat, reliquerunt puerum Ægyptium in via,vt ipse dixit. *Dereliquit me Dominus meus,quia egrotare cœpi nudius tertius.*1.Reg.30.num.13. Quem cum inuenisset Dauid,dedit ei cibum,vt vesceretur, ac aquam biberet; *Non enim comederat panem, neque biberat aquam,tribus noctibus.* Quo refocillatus est spiritus eius, ac confortatus, qui factus est socius, ac Dux Dauid,qui duxit eum ad locum illum, in quo latrunculi festiue erant exultantes, quos comprehendens Dauid persecutus est eos vsque ad internecionem. Vnde puero Ægyptio,ac idolatræ tot nata sunt bona, vt ab latrunculis recederet, mortem euaderet, ac socius, & dux esset Dauid, à quo sine dubio multa præclara documenta in ordine ad salutem accepit? Ipsa ægritudo, quæ eum vexauerat, sic euexit, vt tanta felicitate esset condecoratus, vt mortem euadens vitam inueniret, præ ægritudine relinquit eum Amalecita, præ ægritudine reperit eum Dauid,à quo cibo corroboratus,dux, & socius eius factus. O quàm plures,qui ob ægritudinem, labores ac pressuras videntur derelicti à mundo, mundialibúsque voluptatibus;quos ob ægritudinem inuenit Christus D.eosque reficiens cibo,ac potu suæ cœlestis doctrinæ,eosque in Ecclesia sua facit iustorum socios,& etiam duces in salute,ac conuersione multorum, quos Amalecitis, dæmonibus scilicet eripuit. D. Gregor. Magn. homil. 36. in Euangel. *Puer Ægyptius,* ait, *relinquitur in via: peccator quisque dum infirmari ab huius mundi statu cœperit, mox sæcularibus mentibus in despectum venit. Quem tamen Dauid inuenit.eique cibum,& potum præbet: quia manu fortis Dominus abiecta mundi non despicit, plerúmque eos, qui sequi mundum minimè valentes, quasi in via remanent ad amorem sui gratiam conuertit,eisque verbis cibum,potúmque porrigit:& quasi ducat sibi in via eligit, dum suos etiam prædicatores facit.*

Infirmitates homines trahunt ad Deū.

1.Reg.30.

Greg.

117. Gen.12. Cùm Abrahamus, ac Sara descenderent in Ægyptum ex fœdere inito dixit Abrahamus,quod Sara soror sua esset. Videntes Ægyptij mulierem pulchertimam. *Nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Genes.12. num.15. Qui minimè eam tetigit; Quomodo fieri potuit, vt rex idololatra, deliciis deditus, habens mulierem venustissimam in domo sua, præcipuè cum audiret non esse vxoratam, quod ab ea se abstinuerit? dicitur in textu. *Flagellauit autem Deus Pharaonem plagis maximis.* Immissa nempe infirmitate quadam, quæ etsi videretur infirmitas,extitit salutis occasio; etsi videretur vexatio, fuit quædam malorum præseruatio, vt homo à grauissimo adulterij crimine custodiretur, ne in diuinum iudicium, ac extremam mortis pœnam incideret. Theodoret.q.61.in Genes. *Constat,* ait, *quod rapta Sara,statim dispensator omnium obstrinxit morbo qui libidinem eius fregit. & venator habens intra retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus non permisit.*

Infirmitate euitantur peccata.

Theod.

QVÆSTIO XVIII.

Quare nec primi, nec secundi inuitati compelluntur, sed tantum hi tertij?

118. TRIPLICITER Paterfamilias per suum seruũ mandauit adducere homines ad cœnã. Primò vocauit inuitatos, qui se vel excusarunt ob villam emptam,vel ob iuga boum, seu ob vxorem ductam. Secundò imperauit per plateas,& vicos conuocare pauperes,& debiles. Tertiò iubet seruo: *Exi in vias,& sepes, & compelle intrare,* quoscumque inueneris pauperes, debiles, & cœcos. Cur ergo nec primi; nec secundi, sed tantum tertij compelluntur?

119. Primò respondeo ad quæstionem. Primi vocati fuerunt principes, ac primates Iudæorum, vt ex ex D. Cyrillo, D.August. ac D. Gregor. iam dixi. Secundi inuitati sunt multi ex plebe,ac vulgo Iudæorum. Tertij verò vocati extiterunt Gentiles. Titus Bostrens. *Quia gentes,* ait, *intoleranda quadam errorum seruitute tenebantur, diabolo subdita, Dei autem, diuinaque cognitionis prorsus ignari, propterea validiori quadam vocatione egebant tali nimirum,qualis aliquam compulsionis speciem præ se ferret.* Euthym. *Cogi verò,* ait, *iussit eos, qui ex gentibus erant,non quod violentiam inferri præceperit, sed subindicans, quod vehementiorem, ac constantiorem adhiberi prædicationem eis oporteat,vtpote fortiter à dæmonibus detentis,& in profundis erroris tenebris dormientibus.* Iudæi, qui ex lege,ac Scriptura cognitiõnem Dei habebant, vocantur ad cœnam. At Ethnici qui belluinam potius quàm humanam vitam hactenus vixerant; dæmonibúsque seruierant, multisque erroribus detinebantur, vt ab illis extraherẽtur,tam instanti prædicatione,tantisque multiplicatis signis,ac miraculis excitandi erant,vt compelli viderentur, intus gratia Christi suauiter cooperante. Secundò.Dicuntur compelli illi, qui ex mundo, labore, ærumna, ac infirmitate ad Deum trahuntur iuxta illud Psal.77. num.34.*Cum occideret eos,quærebant eum.* Vt late explicaui superiori quæst.& in præsenti dixerunt D.Gregor. Beda, Haymon.

Boetr.

Gentes ob suã ignorantiam compellendæ.

Euth.

Ps.77.

120. Tertiò. Cùm Dominus destinat suum seruum ad domum cuiusque,solum suam cœnam paratam proponit, & inuitat vt veniant; similiter cum ad plateas,& vicos ciuitatis seruum mittit, nullum compelli mandat. Sed solùm vocat,vt accedant;at verò cum ad vias, & sepes destinat seruum, tunc inuentos compelli denuntiat; & cur modò cogi mandat inuitatos,& non antea? Antea degebant in domibus,ac plateis intra mundialem

ciuitatem, ac ad viam salutis nondum pedem moue-
Proficiens in via salutis à temporalibus abhorrescat. rant, & ideo solum mensam propositam dicit, ad illámque inuitat; at verò, qui iam à mundiali ciuitate exierant, & in via salutis, & in sepe, seu inaceria, à temporalibus proficientes versabantur, hi vi ac efficacia, multisque modis compellendi erant, vt carnalia relinquerent, mundialia renuntiarent, & in diuinum conuiuium intrarent.

Isai.28. Ait Isaias 28. num.9. *Ablactatos à lacte; auulsos ab vberibus* dicit: Ablatio à lacte non importat vim, vt eam denotat auulsio. Ablactati significant incipientes, auulsi verò proficientes, qui multis diris, ac asperis cogendi sunt, vt carnalia dimittant, ac relinquant. D. Chrysost. serm. de Iob, & Abraham. *Dicit enim, ablactati à lacte, auulsi ab vbere; non dicit, ablactati ab vbere, sed auulsi. Proficientes enim ad perfectionem, coguntur vt cedant à lactando.*

121. Quartò. Qui in domibus, ac plateis ciuitatis versantur, hi voluptatibus incumbentes adumbrant; qui verò in vijs, ac sepibus degunt, illos significant, qui iugiter laboribus insistunt, quorum munus est procul à quiete, discedere, & extra domorum, vrbiúmque otium, ac voluptates degere, vtpote nimirum incommodis, ac iniurijs tem-
Labores hominum dat ius ad cœlestia. porum expositi, quos autem mundus à se abigens, operibus, ac oneribus dici, & æstus adigit, hos à ditione, ac lætitia sua maximè excludit, qui autem laboribus pleni, à mundo eiúsque delectationibus sunt abdicati, ita diuini iuris censentur, vt in diuinum epulum, tanquam in ius suum cogantur intrare.

122. Moyses benedicens singulis tribubus. Sic Zabulon, & Isachar affatur. *Lætare Zabulon in exitu tuo: Isachar in tabernaculis tuis.* Initiatos diuina sapientia exeuntes ad tabernacula, ac scholas diuinæ doctrinæ designat. Statim veluti rationem tantæ lætitiæ reddens subiungit. *Qui inundationem maris, quasi lac sugent.* Deuteron. 33. num. 19.
Deut 33. Mare dicit aquam salsam, amarámque; inundatio verò mare denotat procellis agitatum, & confluentibus vndique vndis verberatum, quid ergo in tanta tempestatum tribulatione, ac amaritu-
Laboribus lætandum cùm illis rideamus in cœlum. dine exultare mandat Moyses. *Lætare Zabulon?* Inde maximè lætandum, nam salsa molestiarum aqua, pelagúsque mundi tempestate concitatum, sic virtutis amatoribus suaue, ac iucundum, veluti dulcissimum lac, cum ipsa laborum tempestate tanquam quodam vehementi spiritu in cœlestem gloriam deferantur. Stephanus apud Tilmanum. *Inundatio maris, ait, est abundantia tribulationis, quæ tunc sugitur, cum dulcis à iustis reputatur. Denique sicut lac nutrimentum est puerorum, sic tribulatio pabulum sit electorum.*

*Luc.*14.v.24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

VERSIONES.

Syriacus. Dico enim vobis, ne vnus quidem ex iis hominibus, qui vocati fuerant, gustabit ex cœna mea.

Euthymius. Quod nullus virorum illorum.

EXPOSITIO VII.

123. DICO autem vobis. Affirmo hoc vobis. *Nemo virorum illorum.* Quos à sua cœna excludebat, ac tanta pœna afficiebat virorũ nomine, voluit tamen aliquali afficere honore. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?* Isai. 14. n. 12. Cui Lucifer suam ferens lu-
Punitus nobilitetur. cem nuncupatur; cum sit tenebrarum pater; Vt, quia erat casu horridus, ex sua antiqua nobilitate saltem penes nomine, aliquid venustatis haberet. *Qui vocati sunt.* Illi nempe primi qui vocati sunt, scilicet principes, ac primates Iudæorum. Non obiicit illis, quod essent raptores, homicidę, adulteri, sed tantum, quod vocati noluerunt venire: Deus enim ex sua infinita bonitate, cum peccata punit, culpas non exaggerat, vt faciunt homines, vt seuerius plectantur, sed per compendium, ac summatim delictum refert. *Gustabit cœnam meam.*
Iniquum suis optatis sibi malum procurat. Manducabit panem in regno Dei, illiúsque particeps erit. Quænam hæc pœna. Ipsi enim optarunt à conuiuio excludi, dixit enim vnusquisque, *non possum venire, habe me excusatum.* Nulla sane grauior, ex rigidior pœna infligitur impio, quàm si quod optauit illi veniat, à suóque desiderio non fraudetur; ita enim cœca, ac deprauata est illius voluntas suo desiderio, ac voto, vt sibimet insidias tendat, ac paret.

CAPVT XXV.

Odiens patrem, & matrem.

*Luc.*14.v.26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & sorores, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.

VERSIONES.

Arabicus. Quicumque venit ad me, & non odit patrem, &c. etiam vsque ad animam suam.

Simon Cassian. collat. 21. *cap.* 9. Patres, sorores, adhuc autem, & animam.

Syriacus. Matrem suam, & fratres suos, & sorores suas, & vxorem suam, & liberos suos, atque adeo animam suam, discipulus mihi esse non potest.

Tertul. lib. de fuga in persecut. c. 7. Qui pluris fecerit animam suam, quàm me, non est me dignus.

D. Epiphan.

D.Epiphan. Adhuc autem & animam suam,non est meus discipulus.

EXPOSITIO I.

1. SCRIBIT Euangelista, vers. immediatè antecedenti n.24. Quod multæ turbæ ibant cum Iesu, nūc verò explicat quales oporteat esse illius sectatores,ac discipulos,quænam illis onera sint iniuncta. *Quoniam*,vt ait Theophyl. *multi ibant cum Iesu,qui non cum omni alacritate,& obedientia sequebantur,sed frigidiores erant. Docet eos qualem oporteat esse discipulum suum,ac veluti informat,& depingit eum* Deinde,quia in superiori parabola protulit Dominus sententiam contra eos, qui ob temporalia,v.g.villam,vel iuga boum empta, vel ob vxorem ductam,cœnam eius contempserunt, ideò etiam ex hac occasione ait Christus.

Theoph.

Connexio huius doctrinæ cum superioribus.

2. *Si quis.* Vt legit Syriacus: *Quicumque.* Diuinus legislator suas leges in omnes æqualiter promulgat. *Venit ad me.* Vt meam doctrinam sequatur,meæque disciplinæ se subiiciat, vt istæ turbæ multæ ad quas Christus loquebatur,facere videbantur. *Et non odit.* Explicat leges suæ disciplinę, ac scholæ, quæ non consistunt in hoc, vt quis eum sequatur gressu corporis,sed suo affectu super omnia diligendo. Non *odit patrem suum, & matrem.* Verbum,*odit*,non intelligitur absolutè, sed comparatiuè,mei scilicet respectu;vt ipse diuinus Magister explicat Matth.10.num.37. *Amat plusquam me.* Ac proinde. Non odit, abnegat,& iacit, cum docent, iubent, ac suadent aliquid, quod meis præceptis, cōsiliis,ac doctrinæ aduersatur,& obsistit. De quo quæst.2. Per patrem,ac matrem,cæteraſque personas hic nominatas, intelligit omnes personas, res quascumque charas, amatas,& æstimatas, vt notarunt Euthym. Beda, D.Bonauent. & alij. *Adhuc autem, & animam suam.* Id est semetipsum. *Non potest meus esse discipulus.* Nec conditionem meorum discipulorum habet, nec remunerationem accipiet.

Matth.10.

Euth. Beda. Bonau.

3. Dubitatur; an hæc Christi doctrina contineat præceptum, vel consilium? Maldonatus existimat hæc esse præcepti, Iansenius verò consilij. Ego dicerem esse præceptum, vel consilium ratione materiæ subiectæ; cum patres,v.g. suadent contra Dei legem,v.g. Missam non audire,præceptū est eos abnegare, cum contra Dei consilia suadent, consilium est eis non acquiescere.

QVÆSTIO I.

Quare in superiori parabola Dominus mandat compelli ad cœnam; hic verò venientem liberè requirit?

4. *Difficultas quæstionis.* IN superiori parabola, quam immediatè antea narrat D.Luc.mandauit Dominus seruo: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare.* Hic verò in præsenti ait: *Si quis venit ad me.* Seu vt habet Syriacus: *Quicumque venit ad me: & non odit patrem*, &c. *Et qui non baiulat crucem suam*,&c. Ad cœnam magnam iubet cogere, ad odium verò patris,& matris. ac ad crucem ferendam exquirit venientem. *Si quis venit ad me:*

Respondeo.Primò. In cœna deliciæ multæ,ac optima fercula;in odio patris,ac baiulatione crucis multæ mortificationes, labores, ac cruciatus extabant. Ad suauia, ac oblectamenta mandat Dominus compellere,vt nullus ab illis expulsum se persuadet. Ad ærumnas verò,ac pressuras expectat venientem,ne quis conqueratur,quod inuitus colla iugo subiecerit. Celebrato conuiuio quinque millium hominum scribit D. Matth.14. num.22. *Compulit Iesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum.* Similiter & D.Marc.6.num.45. *Cogit discipulos suos ascendere nauim*, &c. Postea verò exorta tempestate nauis in maris medio magnis fluctibus iactabatur,discipulique multum laborando remigabant. Apparuit eis Dominus,eósque confortauit: cùm autem Petrus ex voce eum agnouisset, ait illi: *Si tu es Domine, iube me ad te venire super aquas*, ibidem num.28. Sicut Dominus compulit discipulos ascendere in nauiculam, ac vela dare in altum, cur etiam Petrum non compulit, vt de naui descenderet, ad eúmque super aquas veniret, sed expectat Dominus, vt Petrus ad hoc se offerat,dicatque: *Iube me ad te venire super aquas?* Dominus fecit suos discipulos ascendere nauim, vt illis ostenderet veritatem suę potentiæ,ac miraculorum,vt in Matth.docent D.Chrysostomus, Theophylactus,Euthymius. Et in Marc.ait Glossa: *Dominus ambulando super undas, quod haberet corpus ab omni grauedine liberum docuit, & in placando ventos, undarumque rabiem sedando, quod elementis dominaretur, ostendit.* Sulsque subuenīdo eximiam curam,ac sollicitudinem in omni periculo manifestauit; Petrus verò descendit in mare, vt cum vndis luctaretur, ab illisque penè submergeretur,indéque in notam modicæ fidei incurrit. Cogit Dominus discipulos ad nauim; Petrus verò se offert ad vndas. In naui maximè diuina benignitas explicanda erat multis fauoribus in discipulos, quibus ipsi sublimandi erant.In vndis verò labor,sudor,ac modicæ fidei nota Petro destinabatur,ad torem diuinę bonitatis Deus compellit, ad laborem verò, ac reprehensionis notam homo per se currit.

5.

Ad delitias Christus vocat, ad laborem hominē spectat vocantem.

Matth.14. Marc.6.

Chrys. Theoph. Euth. Glossa.

6. Secundò. Ad cœnam compellit. *Compelle eos intrare.* Vt eum verò per crucem sequantur liberè venientes requirit, *& baiulet crucem suam, & veniat post me.* Procurat Dominus mensam suam suauissimis ferculis plenā,compulsis ac coactis hominib. implefi;ad crucem verò neminem cogit, sed voluntariè venientes exoptat, *& baiulet crucem suam,& veniat post me.* Multa bona sunt in cœna magna suprema felicitatis,tamen necesse est, vt homines compellantur,vt veniant. At in Christo crucifixo expansis manibus ad sui sequelam omnes vocante,tot dona,ac bona fulgent, & nitent,vt illis tātum propositis, sine vlla coactione omnes libentissimè currant,& volitent. Ioannes Xiphylinus Patriarcha Constantin. expendens Christi verba Matt.16. *Si quis vult venire post me*, sic habet orat. de Adorat. crucis apud Grethser. tom.2. *Vide quemadmodum*, ait, *neminem cogat,si quis vult,quasi diceret;non vim affero,non cogo. Ad bona enim voco,non ad mala, & odiosa, non ad castigationem,& pœnam,vt etiā oporteat cogere:siquidem ipsa rei natura potens est attrahere. Ideò dixit: magna enim sunt, inquit, quæ vobis offero bona, ac talia, vt volentes,libentesque ad se conuertant.*

Christus crucifixus compendium omnium bonorum.

Xiphilin.

7. Deuicta morte, glorioso triumpho, gloria, & decore indutus Christ. Iesus resurrexit,cuius rei

Marc.16. nuntium dans Angelus mulieribus, ait: *Iesum quaritis Nazarenum crucifixum, surrexit*, Marc.16. num.6. Resurgentis splendores proponit Angelus, & adhuc eum crucifixum appellat, quid opprobrium crucis cum resurgentis fulgore, si tantam gloriam commemorat Angelus, ad quid ignominias crucis in medio ponit? Victor Antiochenus ibi: *Non erubescit*, ait, *crucifixi nomen hoc vno enim nomine, & re omnium bonorum nostrorum summa continetur.* Inter resurgentis glorias non abscondit Angelus crucifixi nomen, sed maximè illud euulgat; in crucifixo enim tanquam in summa & compendio sunt omnia bona, ab illóque tanquam ab origine omnis æternæ vitæ felicitas, omnisque resurgentis gloria dimanat, ab illiúsque radiis resurgentis gloria fulget, & nitet.

Antioch.

A Christo crucifixo omnia bona.

QVÆSTIO II.

Quare Christus præcipit patrem, & matrem odio haberi, cum præcipiat inimicos diligere?

8. Ambr. DIFFICVLTATEM huius quæstionis latè proponit, & expendit D. Ambros. serm.15. in Psal.118. Tu Domine dixisti per legem, honora patrem, & matrem, & inimicos iubes diligere, & tamen in Euangelio mandas, vt parentes oderim? Quomodo sibi conueniunt ista præcepta? Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo, quod creatus sum, nec matrem, longo decem mensium fastidio pij fœtus onera portantem, cui in absolutione plus periculi, in dilatione plus tædij est. Quam difficultatem latè prosequitur sanctus Doctor, de qua re multa dixi explicans illa verba Matt.10.n.35. *Veni separare hominẽ aduersus patrẽ.* Vide dict.t.3.c.10.q.45. & 46.

Difficultas quæstionis.

Matth.10.

9. Gregor. Beda. Respondent primò, D. Gregorius homil.37. Beda: *Exhibere*, ait, *proximis nostris odij discretionem debemus, vt in eis diligamus, quod sunt, & habeamus odio, quod in Dei nobis itinere obsistunt.* Quod etiam docent D. Ambrosius citato loco, Carthusianus, D. Bonauent. & alij. Iubet Deus in parentibus, ac necessariis eorum personas diligere, iniustitiam verò, iniquitatem, ac diuinis legibus obsistentiam odio habere; proindéque cum parentes, propinqui aliquid dicunt, & suadent Dei legi, perfectionique Euangelicæ repugnans, fugiendi, ac detestandi sunt tanquam crudeles inimici, & hoc indicat verbum, *odit*; ad hunc sensum D. Ambrosius citatus interpretatur illud Psal.118. num.118. *Iniquos odio habui.* Nunquid Dauid, qui inimicum suum Saul diligebat, quamuis mortem eius machinaretur, iniquos odio prosequebatur? Sic respondet sanctus Pater: *Vir iste*, ait, *Euangelica viuens disciplina, intellige, quod iniquitatem, odio habuit, non eos, qui essi operentur iniquitatem, possent tamen Euangelica prædicatione conuerti.*

Ambr. Carthus. Bonau. *Iniquitas parentũ odienda, ac fugienda.*

Ps.118.

10. Gregor. Secundò. Idem D. Gregorius citata homil.37. *Quasi enim*, ait, *per odium diligitur, qui carnaliter sapiens, dum praua non ingerit, non oditur. Vt autem Dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere, sed de charitate, addidit protinus dicens: adhuc autem & animam suam.* Bonum odium non de affectione, nec malenolentia, sed de charitate procedit. *Per odium diligitur:* quia multum diligit patrem, inde multum odio habet iniquitatem eius; per odium enim iniquitatis maximè amor erga parentem, v.g. negotiatur, cum illius integritas, ac probitas in omnibus procuratur. *Per odium diligitur*, ait Christus Dominus. *Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan.12.num.25. Quæ verba commentans D. Augustin. tract.51. in Ioan. ait: *Si malè amauerit; tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt, custodiendo, ne perderent amando.* Si blandè, ac tenerè vitam tuam in hoc mundo amasti, tunc verè odisti, si bene oderis, vt vitã pro Christo dederis, tunc amasti. Fortis Dei Athleta vitam martyrio offert, quod putabitur apud mundiales de odio, ac tædio vitæ facere, cum tamen sit de amore vitæ perennitatis. Ipsum odium vitæ, est amor æternitatis illius. *Per odium diligitur.* Per odium huius vitæ diligitur alterius perpetuitas.

Ioan.12. Aug.

11. Gregor. Tertiò. Idem D. Gregorius lib.7. moral. cap.18. *Discamus*, ait, *temperata discretionis arte conuenienter diligere, & salubriter odio habere; quatenus sic sciant per amorem odium surgere, vt valeamus eos verius per odium amare.* Prudenti ratione odium, & amor ordinetur. *Discamus temperata discretionis arte:* amore, & odio habere. Cuncta rationis iudicio agenda: cum parentes nos à via Dei auertunt, sic fugiendi, tanquam odio detestabiles. Theophylactus: *Præcipit Dominus odio habere parentes, quando in cultu Dei periculum est. Tunc enim non parentes censentur, neque familiares, si in hoc nobis obsistant.* At verò cum ad legem Dei suadent, & promouent, tanquam optimi parentes magnopere diligendi, & amandi sunt.

Cuncta ratione disponenda.

Theoph.

12. Ps.26. Ait Regius Vates: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me*, Psal.26. num.10. Maxime norandum, quod pater, & mater, qui eum dereliquerunt, vocat suum, *Pater meus, & mater mea.* Quod nomen tunc videbatur illis denegandum: *Dominus autem suscepit me*: & Dominus, qui eum ad se acceptauit, non vocat suum. Sed tantum patres, qui eum dereliquerunt: *pater meus, & mater mea.* Loquitur Propheta de se ingrediente in Dei tabernaculo, vt ibi ipse se explicat num.5. Quoniam abscondis me in tabernaculo tuo. Hoc est in tuo templo, in claustro à mundo separato, vt explicat Hugo Victorinus. Cùm ergo pater, & mater offerentes eum in tabernaculo, ibi dereliquerunt, vt diuinæ inseruiret maiestati, magnum amoris signum erga illum declararunt, quod vt explicatius significaret, eos potius suos vocat, *Pater meus, & mater mea*, quam Dominatorem, qui eum ad se accepit, non enim ait, Dominus autem meus, sed tantum: *Dominus autem suscepit me.*

Ille verus pater, qui filium dat religioni.

13. Suar. Quartò. M. Suarez in Opusc. lib.2. de Concursu Dei, cap.5. *Qui non odit*, inquit, hoc est, qui non minus diligit patrem, odisse enim subinde est, quod minus diligere; vt: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Dei amor omni carnali affectui præferendus est, Christus ait: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus*, Matth. 10.num.37. vt latè explicaui tom.3. cap.10. Quod Dominus maximè nos docuit suo exemplo, vt aduertit S. Sixtus Papa lib. de Castit. *Non debemus*, ait, *nostros præferre parentes, quia nec suos nobis, nec seipsum quidem præstulit, qui cum discipulos doceret, & de matris, ac fratrum nuntio pro foribus astantium esset interpellatus.* Respondit: Quæ

Sixt. Papa.

est

est mater mea, & qui sunt fratres mei. Matth.12. v.48. *Non quod sanctam matrem despiceret, sed vt suo doceret exemplo, & ostenderet, præferre eum malis saltem parentibus nos debere, qui ille, nec bonus quidam præstulit.* Quod ipse mandat, prius in se exercuit.

14. Aug. Quintò. D.August.Epist.38. *Hæc mandat Dominus*, ait, *vt carnalem affectum parentum, piè, fideliterque percutiamus.* A nobis enim parentum, ac propinquorum propensio, & inclinatio amputanda, ac abiicienda est. Nam vt ait D. Bonauent. Bonau. Principium spiritualis vitæ exuere carnalem affectum. Quia, vt scribit Paulus 1.Cor.2.v.15. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere.*

15. Cant.1. Vox est sponsæ ad suum dilectum. *Osculetur me osculo oris sui*, Cant.1.num.1. Valde mirum, quod tam subitaneum sit exordium sermonis: quod rectè ponderat D Bernard. serm.7.in Cant. Bern. *Vide enim*, ait, *quale præripiat sermonis exordium. Magnum quid a magno petitura, nullo tamen, vt assolet vtitur blanditiarum fuco, nullis circumuolutionibus ad id, quod desiderat, ambit. Non facit proœmium, non captat benevolentiam, sed ex abundantia cordis repente prorumpens, nudè, frontoséque satis osculetur me, ait, osculo oris sui.* Cur tam repentinè osculum oris exposcit ante omnia. *Ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat*, Apocal. 1. n.16. Apoc.1. In exordio sermonis, illius oris obnixè postulat osculum, vt labia labiis sponsi infigens, & illius attrahens spiritum simul ex illis prodeuntem, ebibat gladium pertingentem vsque ad diuisionem animi, quo veluti per ancipitem gladij aciē amputet à se omnem terrenam cognationem, à qua exuta perfectè, & expeditè incidat per viam Dei, ac cœlestium mandatorum. Idem D.Bernard. serm.2.in Cantic. Bern. *Dignetur*, ait, *me osculo osculari oris sui? Cuius vtique sermo viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti osculum mihi est, non quidem coniunctio labiorum, qua interdum pacem mentitur animarum, sed mira quadam, & quodammodo indiscreta commixtio superni luminis, & illuminata mentis.* Vt terrenam commixtionem à se abscindat, vt ipsa; vnde infrà ait num.5. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Sic enim ab eis erat præcisa, vt veluti tanquam aduersus alienam pugnarent, vt prosequitur D. Bernard. serm.29. in Cantic.

Gladio cognatio terrena amputanda.

16. Genes.31. Cum Iacob decreuisset exire è domo Laban, in consilium vocat duas vxores suas Liam, & Rachelem, filias ipsius Laban, ipsíque aperuit quomodo Deus ei præcipisset, vt de terra illa exiret, ad domúmque sancti parentis sui Isaac reuerteretur. *Respondérúntque Rachel, & Lia*, Genes.31. num.14. Dei imperata promptè exequenda esse. Difficultas tamen est, cur Rachel prius respondet, ipsa enim erat minor natu sorore Lia, & posterior vxor Iacobi, ac proinde ex vtroque capite Lia, vtpote maior ætate, antiquior connubio prius debebat loqui, ac respondere; tamen Rachel Basil. hoc præstat prius? Scire præstat ex D. Basilio in initio Prouerb. quod Rachel sanctior erat Lia, ipsa enim abscondit patris idola, vt eō ab idolo-

Perfecta anima abiicit amorem parentum.

latria diuerteret, cum ergo in Rachel esset maior sanctitas, maior in ea extitit promptitudo, vt paternam domum derelinquat, paternósque affectus à se abiiceret, & amputaret, viámque ad sanctam domum Isaac consuleret. D.Gregor.lib.7. moral. Gregor. cap.14. *Quo*, ait, *arctiora sunt iura propinquitatis, eo fuus maiori sanctitate dissoluenda, & maior vita sanctimonia declaratur, cùm ea maiori cum facilitate dissoluimus.* Vide tom.2.cap.15. quæst.6. num.58. & 59. & cap.23.q.8. num.60. & vide infrà in hoc cap.q.6.

Qvæstio III.

Quare dum Dominus præcipit veram parentum, ac propinquorum dilectionem, eam sub odij inuolucro complicat?

17. *Difficultas quæstionis.*

IN præsenti sententia: *Qui non odit patrē, & matrem*, docet Christus, vt patet ex superiori quæst. veram parentum, ac propinquorum dilectionem, vt quando sunt adjumenta ad Dei legem, ac animæ salutem, eos amemus, & sequamur; quando verò sunt impedimenta, & obstacula, eos nesciamus, & fugiamus. Quorsum Dominus blandum, ac suauem parentum, & necessariorum amorem sub tam dura odij cortice contegit. Quæstio præsens inquirit.

18. Chrys. Theoph. *Sæua auersio à parentibus suadentibus contra Dei legem.* Galat.3. Respondeo. Primò ex his, quæ ex Chrysostomo notat Theophylact. in cap.12. Ioan. num. 25. *Qui non odit animam suam.* Verbum odij in his, & similibus locis significat summam auersionem, quod cum parentes suadent aliquid contra Dei legem, ita sunt relinquendi, ac si odio haberentur, *Christus nos redimit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, ad Galat.3.num.13. Non quod Christus factus esset maledictum: sed tale supplicium pro nostra salute sustinuit, vt nescientibus mysterium videretur esse tanquam peccator, ac maledictus à Deo. Isai.53. num.4. *Nos reputauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* Isai.53.

19. Ambr. Secundò. D.Ambrosius serm.15. in Psalm.118. *Non ergo necessitudinum intestina bella mandauit, sed illecebram suspectam habuit.* Postquam sanctus Doctor pro difficultate præsentis quæst. latè discussit, vt dixi in exordio superioris quæst. quòd deus, qui per legem mandauit honorare parentes, diligere vxorem, ac filios; imò etiam & inimicos, quomodo hic præcipit: *Qui non odit patrē & matrem, &c. non potest meus esse discipulus?* Respondet sanctus Pater: *Illecebram suspectam habuit.* Non iubet Christus, vt filius respuat ius paternum, sponsúsque vt ingratus sit vxori, *sed illecebram suspectam habuit.* Omitti ergo mandat lenocinia verborum, quæ corda seducunt, animósque corrumpunt, & in multa mala impellunt.

Illecebra mulierum fugienda.

20. Ambr. Quod optimè confirmat sanctus Pater; *Serpens ille callidus*, ait, *& astutus ad construendas nequitiæ suæ artes, quo incorrupta, ac rudis natura dote fundàtum primogeniti Adam labefactaret affectum, fœmineus magis illecebris, quàm suis commisit venenis.* Vt incorruptam Adam naturam diabolus corrumperet, maiorem conatum ex mulieris blanditiis, quam ex sua venenosa arte sperauit, indéque negotium mulieri tradidit. Vnde sic subdit Magnus doctor: *Quamplures*, ait, *a martyrij consummatione sæpe reuocauit, etenim sæpe cognouimus, quoniam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, nec diuisi lateris sulcus infregit, neque ardentes lamina à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt, eum inter tam sacra præmia constitutum, vxor tenere sobolis obligatione miserabilis, vnius lacryma miseratione decepit.* Quod confirmat exemplo Samsonis, & Salomonis.

Fortissimum dæmonis telum illecebra mulierum.

21. Multam persecutionem sustinuit Tobias à Rege Sennacherib, deinde hirundinum stercore cæcus factus. Ex quo: *Sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes: Vbi est spes tua, pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas?* Tob.2. num.15. quibus auditis: *Tobias increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui: quoniam filij Sanctorum sumus.* Multisque rationibus eorum dicta refutabat. Tandem accessit coniugis verborum in illum contorsio. *Ad hæc uxor eius irata respondit, manifestè vana facta est spes tua, & eleemosyna tua, modo apparuerunt; atque his, & aliis huiusmodi verbis exprobrabat ei.* Quæ cum audisset. Immediatè. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis, dicens: Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt.* cap.3. num.1. Res digna multa ponderatione, arguunt Tobiæ pietatem cognati, ac parentes, illíque sanctus senex se se opponit, eorúmque dicta multis productis rationibus à se diuertit, ac reiicit. At verò cum verba mulieris accedunt, non audet cum illis disputare, sed illorum vim metuens omnino tacens, ac nihil respondens ad orationem confugit; sicut amicorum, ac cognatorum argutiem, ac astutiam rationibus diluit, cur etiam verbis mulieris non occurrit? adeo vxoris blandimenta, ac lenocinia timuit, quod vt victor euaderet, sibi persuasit, valde expediens se rem cum illa non ventilare, sed sermonem deuitare, & ad tutissimam orationis arcem confugere, diuinum adiuuamen in sui tutamen deprecans, vt fortissima vxoris tela à se excuteret. Petrus Damianus ser.4. de S. Seuero Martyre. *Beatus Tobias*, ait, *postquam ad nimiæ pauperratis arumnam, Deo disponente, deuenit, postquam oculorum lumen amisit, quin illum malignus spiritus vidit corporeo lumine non videntem, diuino autem splendore interiùs coruscantem, ad solita arma recurrit, & vxoris linguam ad inferendam vehementissimam obiurgationis opprobrium concitauit.* Expende sequentia verba, *Peruersa coniugi nihil ille respondit sed iniecto sibi diabolica suggestionis telo, mox ad orationis arma, Scriptura testante, cucurrit.*

Mulierum multa timenda.

Dam.

QVÆSTIO IV.

Quare Christus mandat odio habere animam?

22. DIVVS Augustinus l.1.de serm. Dom.c.25. interpretatur animâ hoc loco vitam significare. Vt sit sensus: *Qui non odit animam suam*, id est vitam suam, cum opus est eam martyrio dare, non potest meus esse discipulus.

Aug.

23. Communis Patrum D. Gregorij Theophylact. Euthym. Bedæ, D Bonauent. Carthusian. Caietan. & aliorum interpretatio est, vt nosmetipsos non amemus plusquam Iesum, ac proinde vnusquisque debet abnegare, & detestari semetipsum, suũ sensum intellectum, voluntatem, appetitum, vitam, sanitatem, honorem, commoditatem, ac omnem nostram rem, si quando Christo Iesu, eiúsque præceptis aduersantur, cum illísque consistere, ac conseruari nequeunt. D. Chrysostomus homil.26. in Matth. *Quos odio habemus*, ait, *neque videre, neque eorum vocem audire, æquo animo patimur Ita & anima si quid præter Dei voluntatem nobis imperat, & reiicienda est*, &c. D. Gregorius homil.37. in Euang. *Tunc etenim*, ait; *bene nostram animam odimus, cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Qua enim contempta ad meliùs ducimus, quasi per odium amantur.* Qui enim suas prauas cupiditates, ac appetitiones nõ comprimit, ac reprimit, & pessundat, *Non potest meus esse discipulus*, ait Christus. Dignus autem tali cathalogo, qui propriis voluptatibus, ac desideriis non acquiescit, sed aduersatur.

Chrys. Greg. Qui sua voluntati ad. uersatur, magis dignus.

Abraham appellatur ab Apostolo Paulo Roman.4.num.11. *Pater omnium credentium*, vt explicant D. Chrysostomus, D. Anselmus, D. Thomas, Tirinus, Menochius, & alij, pater omnium credentium tam Iudæorum, quàm Gentilium venientium ad fidem. In hac Apostoli assertione videtur, quod aliquantulum antiquorum Patrum fides Adã, Abel, Henoch, & aliorum deprimatur, qui omnes per fidem ambulauerunt, sine qua nullus est assecutus salutem. Vt ipsemet Paulus explicat ad Hebr.11. Deinde cur potius Abrahamus dicitur pater credentium, quàm Noë? Nam si Abrahamus credidit Dei verbo, quando ei mandauit exire de terra sua, ac cognatione sua, de parentibus ac amicis suis, Genes. 12. num.1. Et si Abraham nil dubitauit, nec hæsitauit, quando deus eis præcepit filium suum Isaac sacrificare; sic etiam nec Noë nihil hæsitauit, ac dubitauit, quando deus ei iussit arcam fabricare, multa hominum contradictione, ac irrisione, vt ibi latè discurrit. D Chrysostomus. Cum ergo Noë sit antiquior, cur non ipse, sed Abrahamus pater credentium nuncupatur? Noë credidit id, quod vehementer voluntas appetebat, ipsum saluum ab aquis diluuij præseruandum esse; Abraham verò credidit, & non reluctauit in his, quæ grauiter voluntati eius aduersabantur: voluntas enim magnopere filij vitam appetebat. Fides ergo Abrahæ, quæ eius desideria persecat, illiúsque affectus perpessundat valde dignissima, vt ex ea ipse omnium credentium pater constituatur, ac nominetur. Vnde fidem Abrahami pretiosam appellat D. Ambrosius citato Rom. loco: *Pretiosa fides, qua contra id, quod fit, aut videt, credit.* Et quid magis illustre, quam proprios voluntatis affectus renuntiare, ac rescindere?

24. Rom.4. Chrys. Anselm. D.Thom. Tirinus. Menoch. Hebr.11. Gen.12. Chrys. Qui sua voluntati resecat, valde extollendus. Ambr.

Triplicitèr orauit Christus in Horto. *Pater mi si possibile est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth.26. num.39. *Tunc apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* Triplicitèr etiam orauit Christus in cruce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et iterum: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Et tandem: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth.27.num.46. Vbi Christus vt etiam interpretantur Barradas, Cornelius à Lapide. *Blanda conquestione rogat Patrem Dominus, cur cum dereliquerit, hoc est cur nullam consolationem præbuerit tot cruciatus ferenti.* Ita Barradas. Cur in Horto venit Angelus confortans, & non in cruce, cum tamen ibi agoniæ, mœrores, & cruciatus multo maiores essent? Christus in cruce reiecit regnum, sic enim à multis explicatur, quod cum titulus poneretur, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, *inclinato capite emisit spiritum.* Ac si regnum illud à se remoueret; in horto verò dimittebat à se propriam voluntatem. *Non sicut ego volo.* Tam arduum est propriam voluntatem, ac proprium velle, *non sicut ego volo*, deponere, tantóque magis propriam voluntatem deponere, quã totum amplissimum

25. Matth.26. Matth.27. Barrad. Corn. Valde arduũ quod homo suum velle subiiciat alteri.

plissimum regnum, vt etiam Deus factus homo, cum voluntatem dimittit, ac subiicit, expediens est, vt Pater Angelum confortantem eum, ei destinet. Beda. *Non quia*, vt ait Beda, *creator creatura sua egnit præsidio: sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur.* Vt videamus quantum difficile, quantumque Dei donum sit proprium velle renuntiare, ac alteri submittere.

Luc.14.n.27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

VERSIONES.

Luc Burg. Et quicumque non portat.
ex Græc.

Vatablus. Quisquis non baiulat crucem suam, & subsequitur me.

Syriacus. Discipulus mihi non potest esse.

EXPOSITIO. II.

26. Chrys. Beda. Greg. Theoph. Euth. Bonau. Carth. *Ad Dei gloriam dirigantur opera.*

ET qui. Seu quicumque *non baiulat*, seu portat, *crucem suam.* D. Chrys. ait, non mandat Dñs ligni humeris baiulare; nec etiã, vt D. Machar. in Catena Græca, Mach. *debet quis seipsum è ligno suspendere, & quæ Dominum sequi; sed quisque crucifigere seipsum a rebus mundanis, & illa non attingere.* Crux, vt ait Beda, dicitur a cruciatu. Ille ergo portat crucem, vt docent D. Greg. Beda, Theoph. Euthym. D. Bonau. Qui suos affectus, ac voluntates crucifigit, æque que animo páratus est pro Christo cruciatus, dolores, labores ac omnes ignominias, etiam vsque ad mortem sustinere; qui etiam olim crucem ferebant, morte, ac dedecore afficiebantur. *Et venit post me.* Seu vt habet D. Matthæus, *sequitur me.* Explicat Carthusian. exercendo talia bona opera non vana intensione pro laude humana, sed ad laudem, & gratiam Dei, ac ædificationem proximi. De his vide multa, quæ dixi supra c.7.à q.1. Rectè enim qui crucis pondus non portat, ab illius gloria, & honore excluditur. Deinde quia, vt ait D. Greg. *Nisi quis à seipso deficiat, ad eum, qui semper est, appropinquat: nec valet apprehendere, quod supra ipsum est, nisi nesciat mactare, quod est.* Occidat homo, quod in se habet suos scil. appetitus, vt perueniat ad id, quod supra ipsum est, vt Christum sequatur, eique adhæreat.

QVÆSTIO V.

Quare Christus non assignat aliquod præmium, vt homines crucem baiulent, eumque sequantur?

27. Iust.

PROVOCANDI erant homines, vt venirẽt, ac sequerentur Christum amore, & eius exemplo. D. Laur. Iustin. *Non armis carnalibus*, ait, *sed facilius amoris inflammas tuorum mentes fidelium ad currendam viam mandatorum tuorum; atque ad capescendam perfectionem consiliorum tuorum. Quis verò auderet terrena relinquere, temporalia oblectamenta spernere, carnem assiduæ maceratione edomare, & crucem suam (sicut mandauit) quotidie baiulare post te, si tui non traheretur amore? Intuetur quippe fidelis, denotus homo, his graviora te sustinuisse pro se, & hac contemplatione edoctus, hoc amoris fulgore irradiatus, se totum exponit pro te; indignum arbitrans fore, vt floreat in sæculo seruus, Domino crucifixo.* Non est seruus supra Dominum suum, nec melior ipso; alienum est enim ab omni ratione, *vt floreat in sæculo seruus, Domino crucifixo.* Ergo cum Dominus sit crucifixus, crucifigatur & seruus, vt Dominum suum sequatur, eique in omnibus conformetur. *Amore, & exemplo Veniunt ad Christum.*

Secundò. D. Ambros. lib.1. de Iacob cap. 7. 28. *Habet ergo in se remunerationem suam, qui sequitur Iesum, & in suo affectu præmium, etiamsi dura sustineat; beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis.* Ambr. Ipsum Christum sequi magna merces, magnúmque præmium in se habet, & quid excellentius, quam bonis moribus florere, ipsique imitando adhærere? Ait Paulus ad Philip.1. num.29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Magnam gratiam, magnúmque fauorem dicit à Deo datum, & in Christum credere, & pro eo pati; pati, crucifigi, & ignominiosè mori gratia à Deo facta est, tanta suauitate, ac dulcedine spirituali, tantaque sanctitate, ac probitate cõsistit mors pro Christo, vt ipsa sibi magnum præmium sit. D. Anselm. ibi, *Vobis*, ait, *donatum est quasi præmium pro Christo, quem diligitis, non solum vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini.* Deinde pondera, quod Apostolus duo dona dicit data credere, & pati, in his tamen donis explicans magis Dei magnificentiam; pati ponit secundo loco; tanquam maximum donum, quod non est commune multis, sed valde præelectis, ac singularibus à Deo concessum. D. Ambr. ibidem. *Quanquam*, ait, *Dei gratiam extollat in omnibus, ad laudem tamen illorum profecit, quod dicit, quia Deus illis concessit pati pro Christo. A patre Deo donatum est diligentibus Christum, vt ad augmentum meritorum suorum patiantur pro Christo.* Philip.1. Ambr. *Sequi Christum magnũ præmium.*

Tertiò. Ait Christus. *Qui non baiulat crucem suam, & venit post me.* Quare ad Christi sequelam mandatur crux asportari? Vt vnusquisque in cruce semetipsum, ac omnia mundialia suspẽdat, vt illis omnibus despectis, solum oculos fixos habeat in Iesu, quem tantummodo intueatur, & cõsideret, cum in ipso bona habeantur. D. Ambros. lib.2 de figu. sæculi cap.2. *Venit plenitudo*, ait, *reliquia cessabunt, Christus enim omnes vocat. Omnibus patet, vt omnes sequantur, omnibus regnum propositum, est vita æterna. Ergo cui Deus portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere.* 29.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël. Cantic.3.num.7. cur simpliciter tantum dicitur lectulum, nullo habito sermóne de eius materia, ornatu, ac elegantia? Cùm tamen ibidem multa de eius feculo scribantur, num.9. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate construxit.* Sic & scriptura multa de throno Salomonis narrat. 3.Reg.cap.10.num.18, Factum dicit de ebore, vestitum auro fuluo nimis, cum duobus leonibus, & duodecim leunculis. At vetò in le- 30. Cant.3. 3.Reg.10.

culo omnis venustas, ac apparatus subticetur, vt potentiæ, ac maiestati inseruiant, illiúsque celsitudinem cunctis exprimant. At verò lectulus locus est assignatus, in quo anima sancta, alta & profunda meditatione, ac contemplatione cum Christo loquitur, cuiusque præsentia fruitur, quam cùm pia anima obtinet, sic cęterorum omnium obliuiscitur, vt nullam de illis habeat recordationem, vno solo Iesu contenta, in quo omnia bona sibi possessa habet. Gellib. Abbas serm. 16. in Cant. alibi alia consideratione datus. *Quid tamen est*, ait, *quod de ipso lectuli nobis apparatu nil dicit? Et thronum Salomonis, & ferculum: sed vtrumq; ambitioso structum apparatu, & sicut regias decet delicias. Nunquid lectulum intelligimus neglectum? Absit: sed sufficiebat, vt lectulum diceret qui sponsa loquebatur. Illa enim nihil in lectulo diligit, nisi quod lectulus est, & quod in eo copia sit suum amplectendi Salomonem.*

Qui Iesum habet, de omnibus alijs obliuiscitur.

Gellib.

31. Ex quo eleganter vocem illam Iacob: *Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit*, Genes. 45. num. 28. ad Christum Iesum transfert Guerricus Abbas serm. 1. de Resurrect. Christi. *O vocem fidelem*, ait, *& plane dignam amicis Iesus sufficit mihi, si Iesus viuit. Quid mihi deesse poterit, si Iesus viuit? Imò desint omnia alia, nihil interest mea; dummodo Iesus viuat. Cùm sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt immemor sui, non nisi Iesum Christum, & ea, quæ sunt Iesu Christi, sentiat. Huic vtique, sic affectus est, non est onerosa paupertas, ille non sentit iniurias, videt opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec meri se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat:*

31. Gen. 45. Gerr. *Cùm Iesu omnia bona.*

Luc. 14. *n.* 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum.

Num. 29. Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei.

Num. 30. Dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

VERSIONES.

Euthym. Quis est ex vobis.

Monach. ex Græc. Calculis rationem subducit.

Syriac. Computet sumptus suos, an habeat vnde perficiat eam.

Vatabl. Pagn. Num habeat, quibus opus est ad consummationem.

Arias Mont. Ponente ipso fundamenta, *num.* 29. & non potente.

Arabicus. Aspicientes incipiant illudere.

D. August. Omnes, qui transeunt, & *Epistol.* 38. vident, incipiant dicere: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit perfire.

EXPOSITIO III.

32. QVIS *ex vobis*. Duobus exemplis Christus Dominus declarat non esse rem facilem fieri discipulum eius, sed esse rem multum considerandam, & ponderandam. *Quis ex vobis*. Per hoc verbum paucitas eorum, qui spirituale fabricantur ædificium; ad turrim mundi, ac Babelis construendam conueniunt filij Adam. Gen. 11. num. 2. Ad turrim verò in cœlum. Quis est ex vobis, tanquam quid valde singulare, & rarum. *Volens turrim ædificare*. Idest domum amplam, ac magnificam cùm turri extructam. *Sedens*. Prę otio matura, ac diligenti consideratione cuncta ponderans, vt docent Beda, Haymon, Carthusian. Hugo, & alij, *Computat*. Rectè D. Bonauent. Computare est præuidere per sollicitam diligentiam. Glossa. Omne, quod agimus præuenire per iudicium considerationis debemus: *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*. Prouerb. 4. num. 25. *Sumptus*. Seu summam pecuniarum, *qui necessarij sunt*. Quo magis explicatur diligens consideratio, ac prouidentia, vt non temere ædificationem aggrediatur, sed antequam manus admoueat ad opus, prius metiatur vires, ac facultates suas, an tanto operi sufficiant. *Ad perficiendum*. Ad omnia illa præstanda, quę ad absolutam rei cōsummationem requiruntur, itavt nihil desit, parui est enim animi rem semiplenam, ac incœptam relinquere.

Ad cœlestia pauci, ad mundialia multi. Gen. 11. Beda. Haym. Carth. Bonau. Glossa. Prou. 4. *Prudentia in magnis.*

33. *Ne posquam posuerit fundamentum*, Cùm iam ædificium sit inchoatum, tamen ob impares facultates, illud homo non potest absoluere, illíque consummationem imponere, tunc omnes, qui vident, irridebunt eum, fietque cunctis ridiculus homo, *quia cœpit ædificare, & non potuit consummare*, pecunia impensa deperdita. Valde turpe est ab incœpto desistere, & rem semipleuam relinquere. Vide c. 8. quæst. 21. num. 175. & tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 22. num. 68. & tom. 3. c. 25. q. 5. n. 51. & c. 26. q. 12. n. 71. 72.

QVÆSTIO VI.

Quomodo duæ sequentes parabolæ turris ædificandæ, & belli ineundi conueniant cum superiori Christi doctrina?

34. IMMEDIATE antea dixerat Dominus affectum, ac amorem parentum, & cognatorum esse abiiciendum, & amputandum, omnemque mortificationem, ærumnam, ac laborem baiulatione crucis esse amplectendam, vt quis discipulus eius fit, & tunc immediate connectit parabolam de bello capessendo, ac de turri fabricāda, & iterum claudit repetens, vt notat D. Augustin. Epistol. 38. *Qui nō renuntiat omnibus, qua possidet, non potest meus esse discipulus.*

Ratio difficultatis. Aug.

35. Docet Dominus, arduam, ac altam discipuli perfectionem non esse temere suscipiendam, sed magna, & profunda consideratione, ac proinde ante

Status perfectionis multa consideratione examinandus.

antequá quis ad sublimem vitæ Euangelicæ perfectionis turrim conscendat, bellúmque aduersus mundum, carnem, ac dæmonem aggrediatur; prius multa prudentia debet explorare, an valeat terrenis omnibus renuntiatis, assumpta mortificatione perpetuò Christi discipuli vitam agere, debéatque multum considerare an impulsus ad hanc Euangelicam perfectionem, sit ex leuitate aliqua, an ex inspiratione diuini Spiritus promittentis vires gratiæ sufficientes, quam magnis precibus exposcat, ne postea tanto muneri impar, oneri succumbens resiliat, habeatque damnum prædictorum sumptuum, ignominiamque sibi comparet inconsideratè ædificij inchoati, & belli, quod absoluere non valuit, melius est enim onus susc ipere, quam susceptum, humerísque impositum turpiter abiicere. Tolerabiliusque est nó incipere, quam ab eo quod cœperis deficere. D. Petrus Epistol. 2. cap. 2. n. 21. *Melius erat illis*, ait, *non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Ita communiter Interpretes Carthusian. Caietan. Iansen. Maldon. Barrad. Lucas Burgens. Cornel. & alij.

2. Petr. 2. Carth. Caietan. Iansen. Mald. Barrad.

36. Gloss.

Moraliter turris hæc, ait Glossa Est humilitas quæ benè turri comparatur, quanto quis humilior, tanto altior, quanto minor in oculis suis, tanto maior in oculis Dei. Pulchrè D. Bonauent. *Per turrim*, ait, *qua est ædificium altissimum, possumus intelligere cumulum perfectionis meritorum, qua gradatim ascendit ab imo vsque ad summum, incipiens à fundamento timoris, & perueniens vsque ad culmen sapientiæ Deiformis.* Parietes huius ædificij, ait Hugo, sunt spes, & timor. Tectum verò charitas, sumptus autem huius ædificij, ipse Dominus, dignatus est declarare, sunt renunciare omnibus, quæ homo possidet. Eleganter Beda. *Hoc inter terrenum*, ait, *& cœleste ædificium distat, quod terrenum ædificium expensa dispergendo construitur, cœleste autem ædificium expensa dispergendo. Ad illud sumptus facimus, si non habita colligamus: ad istud sumptus facimus, si habita relinquamus.*

Bonau. In *perfectione paulatim eundum.* Hugo. Beda.

37. *Qui non perseuerat irridetur tanquàm stultus.* Bern.

Hoc ædificium vitæ spiritualis antequam quis incipiat, admonet Christus, quod quilibet considerando debet præsentire animum, ac robur suum, an valeat perficere, ne si inchoatum relinquat tanquam insipiens, & stultus irrideatur ab omnibus, quia cœpit ædificare, & non valuit consummare. Nam, vt ait. D. Bernard. Epist. 78. Cœpisse nil proderit, ait, si, quod absit, non perseuerare contigerit. Arguens D. Paulus Galatas. Ait sic: *Stulti estis, vt cum spiritu caperitis, nunc carne consummemini.* Galat. 3. num. 3. Merito in eos inuehitur, quod cum haberent exordia spiritualia, ac perfecta, ea carnalibus, ac mundanis operibus concluserunt; sed cur non eos, peruersos, iniquos, deficientes in bono appellat, sed tantum stultos? Summa stultitia, ac dementia est, à via sancta, ac spirituali, quam feliciter quis tenuerat, vt salutem assequeretur; in carnalem, in qua miserabiliter pereat, exercare. D. Chrysost. *Opportunè conuicium addidit*, ait, *cum inquit, oportuerit vos temporis progressu, prioribus bonis accessionem adiungere, non solùm profeciſtis, verùm damno ad relicta estis retroacti.* Cuius rei rationem assignat ad eundum locum Pauli D. Thomas. *Via perfectionis*, ait, *ab imperfecto tendere ad perfectum. Vos autem, quia è conuerso facitis, stulti estis.* Hos Angelicus Doctor ait eodem loco, esse similes statuæ Nabuchodonosoris. Daniel. 2. num. 32. Quæ quidem habebat caput aureum; sed per intermedia membra sensim degenerans, tandem in pedes luteos desinebat. Quid infelicius eo, qui prima virtutis tyrocinia aurea collocauit, sed in luteos pedes miserabiliter desiuit? Vide verb. *Perseuerantia* hoc tom. & 1. 2. ac 3.

Galat. 3. Chrys. D. Thom. Dan. 2.

38. Aug.

Secundò. D. Augustin. Epistol. 38. Postquam late difficultatem proponit, docuerat Dominus omnibus terrenis valedicendum. Tunc has duas similitudines adducit; ait Sanctus Doctor. *Sumptus ad turrim ædificandam, & bellantium valentiâ decem millium aduersus Regem, qui viginti habet, nihil aliud est, quam vt renuntiet vnusquisque omnibus, qua sunt eius. In eo enim, quod vnusquisque renuntiat omnibus, qua sunt eius, etiam illum continetur, vt oderit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc & animam suam. Omnia enim hæc propria sunt eius, qua plerumque implicant, & impediunt ad obtinenda, non ista temporaliter transitura, sed in æternum mansura.* His parabolis nobis explicat Dominus dignitatem, maiestatem, ac potentiam illius, qui terrenis renuntiat, cognatorum amorem à se abdicat ac abiicit, ac ipsa horum abiectione id potentissimi regis personam assurgit, vt regiam arcem erigat, ad quam nequissimi hostis ignea tela nequeant peruenire, & quacumque militum classe aduersarij conueniant, semper inferiori, ac impari exercitu instant, vt munitionem potentissimi regis valeant expugnare; Ecce qui ab effectu terrenorum truncatur, tantum diuinis donis armatur, vt regiam, copiásque militum instruat, quibus victor, ac gloriosè triumphator constituatur eorum, *qua plerúmque implicant, & impediunt ad obtinenda, non ista temporaliter transitura, sed in æternum mansura.*

Qui mundi renunciat, regiã ædificat, & hostes expugnat.

39. Apoc. 19.

Multa maiestate videt Ioannes Christum Dominum de inimicis suis triumphantem. *Et habebat in vestimento, & in fœmore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.* Apocal. 19. n. 16. Multam admirationem iniicit non iam sublimitas inscriptionis, quàm illius locus, valdè enim nouum, & insolitum est, vt regni tituli in fœmore scribantur, in superiori frontis parte collocantur, hinc à Pilato titulus inscribitur in crucis vertice. Cur ergo Christus Dominus litteras indicantes suam augustam maiestatem non in diademate, sed in fœmore maluit scribi? In fœmore illius gladius vaticinatus est à Regio Propheta. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissimè.* Psalm. 44. num. 5. Mysterium quod inchoatum est ostẽdi in Psalmo, perficitur, ac expletur ostensa visione in Apocal. Vbi gladius in fœmore scilicet, ibi, & regalis potestatis, ac dominij nota; Gladius ille, inquam, quia Christus Dominus missus est in terram ad amputandam omnem consanguinitatis cognationem, omnémque terrenorum affectum, de quo ipse ait. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam.* Matth. 10. n 34. Gladius ad resecandam omnem temporalem propensionem in fœmore appenditur, & in quo etiam regis, ac Domini insculptura exaratur. *Habebat in vestimento, & in fœmore scriptum: Rex regum, & Dominus dominantiũ.* Cùm quis à semetipso amorem sæculi abdicat, ibi & in se amplam regiam potestatem creat, perexcellénsque dominium comparat ad omnes aduersarios prosternẽdos.

Pf. 44.

Qui à se abiicit terrenũ amorem vel consumitur.

Matth. 10.

dos. In fœmore cum gladio diuisionis procedit, in fœmore cum magnifico titulo apparet. D. Paſchaſ. In expoſitione Pſalm. 44. *Accingere*, ait, *gladio tuo ſuper fœmur potentiſſimè. Quem tamen gladium vbi, vel vbi intelligatur. Venit Ieſus in terram mittere, ſicut ipſe ait: non pacem veni mittere in terram, ſed gladium. Venit, inquit, ſeparare filium aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam*, &c. *Quam diuiſionem Chriſti gladius procul dubio attulit nobis, vt quotidie videmus, adhuc agit in terris, ne male potiatur animus rebus ſibi à natura conceſſis.* Ipſe gladius, qui miſſus eſt in terram, adhuc viget, dum ſeparat, *ne male potiatur animus*, &c.

Paſchaſ.

40. Pro magis hac theſi confirmanda, nota quod ſponſus non portat gladium in manu, vel ex collo appenſum, ſed ſuper fœmur, in quo ſymbolum generationis denotatur, vt notat Martinus de Roa. lib. 4. ſingul. cap. 4. & communiter expoſitores ad cap. 24. Geneſ. num. 2. *Pone manum tuam ſuper fœmur tuum.* Hinc filij Iacob dicuntur. *Egreſſi de fœmore eius.* Geneſ. 46. num. 26. Vt exprimeretur, quod gladius ſponſi deſtinatus erat ad perſecandos, ac abrumpendos omnes affectus ex cognatione carnis, eiuſque generatione prodeuntes: fauet D. Paſchaſ. citato loco. *Quod autem*, ait, *fœmur ſignificet opera nuptiarum docet Abraham, qui iubet ſeruum iurare in eius fœmore. Vbi ſponſus à Patre accingi iubetur, non qualicumque gladio, ſed ſicut in Hebræo habetur: accingere gladio tuo potentiſſimè.* Et tunc ſubdit verba à nobis ſuperius data. Vide ſupra in hoc cap. q. 2. & infrà c. 33. q. 16.

Matt. de Roa.

Gen 46.

Affectus cognationis abrumpendus.

D. Paſch.

Luc. 14. *n.* 31. Aut quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe?

Num. 32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 31. Aut quis rex proficiſcens, vt bello decernat cum rege ſocio ſuo,

Arabicus. Quis rex exiit in bellum regis alterius, & non ſedet prius ac cogitabit.

Euthymius. Non ſedens prius conſulat.

Vatablus. Non ſedens prius conſilium init, an poſſit decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus cum adoritur.

Syriacus n. 32. Sin minus dum adhuc eſt procul ab eo, mittit caduceatores, & expoſtulat pacem.

Arabicus. Dum expectat longè ab eo mittit nuncios.

Vatablus. Dum ille longè abeſt legatione miſſa petit ea, quæ ad pacem pertinent.

EXPOSITIO IV.

POSITA ſimilitudine de turri ædificanda, ſupponit hic aliam ſimilitudinem de rege pugnaturo, & ſicut in prima requiritur prudens conſideratio de ſumptibus ad ædificium perficiendum, ſic & in præſenti, vt notat Euthym. diſcreta conſultatio de viribus ad ineundum bellum. *Si poſſit cum decem millibus.* Si potens eſt cum decem millibus virorum, & maxime declaratur diſcrimen, ac diligens inquiſitio neceſſaria, dum vires regis, vniuſcuiuſque ſcilicet aduerſus duplicatas vires alterius in prælium exeant; indicatur hac ſimilitudine, quod ille, qui ſtatum perfectionis vitæ religioſæ, ac Apoſtolicæ profitetur, bellum habeat cum diabolo, qui duplici exercitu contra eum pugnat, vt bene notat Caietanus. Pugnat primò obiiciendo ea, quæ omnibus hominibus ſunt vetita, vt illa, quæ militant contra præcepta Decalogi; pugnat ſecundò obiiciendo illa, quæ communibus ac vulgaribus ſunt licita, v. g. habere agros, vacare humanis negotiis, & officiis, degere hoc, vel illo loco, prout ſua voluntas fert, quæ quidem ſæcularibus hominibus ſunt licita; vitæ autem religioſæ, & Apoſtolicæ interdicta. 41. Euth. Caiet.

Alioquin: Seu vt habet Syriacus. *Sin minus.* Cùm inueniat vires regni ſui nõ ſufficere, ac proinde ſe imparem omninò agnoſcat, *Adhuc illo longè agente*, dum ille procul abeſt: legatis miſſis. *Rogat ea, quæ pacis ſunt.* Poſtulat ea, quæ pertinent ad pacem, ac proinde pacis conditiones pertractat. Hæc tamen clauſula ad præſentem cauſam aptari non debet, vt notarunt Carthuſian. Ianſen. Lucas Burgenſ. Cornelius à Lapide, & alij; nulla nobis ineunda eſt reconciliatio cum hoſte ſpirituali; nec enim oportet, ſingulas parabolarum, ſeu ſimilitudinum particulas ad rem præſentem adaptare. Tamen ſcopo parabolæ, ac intentioni Chriſti ſic poteſt accommodari. Dixerat Dominus, quod vt aliquis eſſet eius diſcipulus, ſtatúmque perfectum Apoſtolicum teneat, neceſſe eſt, vt renuntiet parentibus, cognatis omnibúſque rebus mundialibus, ac ſuę voluntati, ab eiſque fugiat tanquam ab inimicis odio habitis. *Si quis non odit patrem, & matrem*, &c. Si autem ipſe agnoſcat vires ſuas tantæ perfectioni inſufficientes, cum eis ineat pacem, cum eis ſcilicet maneat, viuat, præcepta Euangelica ſeruans; conſilia autem paupertatis, obedientiæ, ac caſtitatis dimittat. Hæc debet penſitare vnuſquiſque, qui viam perfectionis intendit ſuſcipere, ne poſtea incautè deprehenſus ab Apoſtolica via incepta turpiter deſiſtat. 42. Syriac. Carth. Ianſen. Burg. Corn.

QVÆSTIO VII.

Multis expenditur ſenſus moralis huius parabolæ de bello?

NOTAT Salmeiron tom. 7. tract. 24. n. 8. his parabolis denotari à Chriſto vitam contemplatiuam, & actiuam. Turris ædificata 43. Salm.

vtiæ

vitæ contemplatiuæ est symbolum, nam turris à longè speculatur; bellum ineúndum contra aduersarium Regem, vitæ actiuæ typum gerit. Pugnandum est enim contra proprias cupiditates, aduersariósque nostros vita contemplatiua, & actiua, vt quod contemplatione assequimur, actione compleamus.

Vita contemplatiua, & actiua.

44. In hac parabola de bello tria notáda sunt. Primò. Quod pugnando oportet peruenire ad regnum. Nam vt ait Paulus. 2. Timoth. 2. num. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certauerit.* Secundò. Quod belli, ac militum similitudine, docet nos Christus, vt terrenis omnibus renunciemus. *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus*, &c. Quænam cohærentia terrenarum rerum cum exercitu? Multa sane. Terrenæ opes, tanquam exercitus militum armatus, contra nos decertant, & grauior iactura à terrenis rebus timenda, quam ab hostibus armatis. Tertiò. Vt ait Cardinal. Hugo, nullus per sua merita potest peruenire ad regnum: nisi iustitia Dei per misericordiam temperetur, quia omnis homo in comparatione Dei imperfectus est. *Non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens.* Psalm. 142. numer. 2. D. Gregor. *Sæpè iustitia nostra*, ait, *ad examen diuina iustitia deducta iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod in oculis fulget operantis.* Postquam, ait Hugo, de turri meritorum locutus fuerat Dominus, ne crederet aliquis per hæc posse ascendere in cœlum, de seueritate iudicis adiungit, à quo necesse est misericordiam pacis exposcere.

2. Tim. 2.

Pro cælo pugnandum.

Hugo.

Psalm. 142. Greg.

45. *Quis rex iturus.* Eusebius Emissenus in propria homil. *Rex iste*, ait, *est vnusquisque fidelis, qui seipsum, & virtutum exercitum, qui in eo est bene regere nouit.* Secundum legem Dei, ac rectum iudicium. *Rex, qui sedet in solio iudicij.* Prouerb. 20. numer. 8. *Iturus*, ait, *non expectat rex iste suum aduersarium in sua ciuitate, in suo regno, sed iturus est.* Seu vt legit Syriacus, *Rex proficiscens.* Vt quilibet ineat bellum cum Diabolo, debet exire à terra sua, à cognatione sua, ac domo sua, vt mandatum est Abrahamo. Gen. 12. n. 1.

Eusebi.

Prou. 20.

Vt vincam mundum exi à tuo loco.

46. *Cómittere bellum.* Cùm de bello mentionem facit; reges exprimit, regibus, ac potentibus valde peculiaria sunt bella, ac dissidia. *Committere bellum.* Titus Bostrens. *Per hoc significatur*, ait, *certamen nobis esse cum aduersariis potestatibus* (scilicet dæmonibus) *tum rursum cum lege illa, quæ in membris nostris grassatur, plurimasque animi perturbationes, & intestina prælia quotidie istinc excitat.* Quod etiam habet D. Cyril. qui duo proximi citati Patres, sicut & Carthusian. per alium regem intelligunt diabolum, qui cótra nos pugnat; Theophylactus, peccatum, cuius ministri sunt Dæmones. D. Gregorius homil. 37. Glossa, Beda, Haym. D. Bonau. interpretantur Christum Dominum venientem ad iudicium.

Potentibus familiaria bella.

Bostr.

Cyrill. Carth. Theoph. Greg. Glossa. Beda. Haym. Bonau.

47. *Si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se.* Quo significatur simplicitas hominis Christiani dimicaturi cum duplicitate Diaboli, vel intelligitur, quod Diabolus pugnat contra perfectos prouocando ad illicita, & etiam prouocando ad licita aliquibus; vetita autem perfectis, vt dixi in expositione. Si verò de Rege Christo intelligatur, tunc dicimus cum Beda, quod occurrimus ei cum decem millibus, idest cum obseruatione decem præceptorũ Decalogi; Rex autem venturus contra nos, est Christus Iudex, vt explicauit ipse Beda, Bonau. Hugo, & alij, qui quasi duplicato numero contra simplum venit, cum nos vix simul in opere præparatos, simul de opere, & cogitatione discutiet: non solùm de opere exteriori, sed etiam de interiori rationem exiget. Vel certe cum viginti millibus veniet, quia plura pro nobis, quam nos pro ipso fecerimus, se fecisse ostendet, multa plura mala pro nobis sustinuisse. Ex quo dicebat Mi- Mich. 6.
chæas 6. n. 6. *Quid dignum offeram Deo?*

Beda. Hugo.

Christus multa pro nobis sustinuit. Bonau.

Legationem mittens. D. Gregor. citata homil. 48.
Pensate fratres, ait, *quam benignum sit, quod is, qui suo aduentu valet opprimere, tarda venire.* Vt ad eum nostram legationem pacis mittamus. Quamuis Dominus multa emineat potestate, vt valeat vos opprimente, ad reconciliationem dat tempus. *Legationem mittens.* Quænam legatio est ista, nisi vt non in nostra, sed in Dei virtute spem nostram reponamus; sic ait citatus Eusebius Eusebi.
Emissen. *Hic autem aduersus regem alium bellum committit, per quem Diabolum intelligimus: quem quidem, etsi maiorem exercitum habet, facile tamen superamus, si non in nostra, sed in Dei virtute confidimus.*

Greg. *Fiducia nostra non in nobis, sed in Dei virtute.*

Aliter explicat D. Gregor. apud D. Thom. *Dum* 49.
ergo adhuc longe est, mittamus ad eum legationem, lachrymas nostras. Lachrymæ ad instar legati valde efficaciter nostras causas apud Deum agunt, & solicitant. Hinc ait Regius vates. *Auribus percipe lachrymas meas.* Psalm. 38. numer. 13. Explicat Psalm. 38.
Hugo in cap. 5. Matth. *Quia violentæ sunt in precibus.* Lachrymæ tam instanter affectant, ac solicitant causam nostram, vt quodammodo videantur violentiam inferre, vt impetrent, ac obtineant.

Greg. *Lachryma pro nobis mirgetamur.*

Hugo.

Anna Samuelis mater, cum se videret ignominia affectam ab æmula sua Phenenna, flés largiter orabat ad Dominum. *Tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* 1. Reg. 1. 1. Reg. 1.
num. 13. Animi afflictio magnum clamorem excitat, cur ergo mulier cum angusto esset animo in magnas voces non erumpit, vt de Mardochæo legimus; *ostendens amaritudinem animi sui, & hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens.* Esth. 4. nu. 2. Esth. 4.
Habebat prudens fœmina negotium cum Deo, apud quem sciebat, quod nulla esset vox tam altè, & sublimè sonans, ac vna breuis lachryma, quę cum lachryma sit, omnes superat voces clamore, ac efficacia, vt desiderata obtineat, & assequatur. Chrysost.
D. Chrys. hom. 6. in Matth. *Ha lachryma*, ait, *vel sola emittebant ad Dominum vocem omni buccina clariorem: & idcirco sterilitatem eius in fœcunditatem Deus mutauit, & quasi duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.*

Lachryma efficatior, quam vox.

Cùm Dauid fugeret à facie Absalon, dicitur 51.
quod *Ascendebat cliuum oliuarum, scandens, & flens.* 2. Reg. 15. n. 30. Multa angustia premebatur 2. Reg. 15.
Dauid, tamen non voces mittebat in cœlum, sed solum lachrymas effundebat, agnouerat enim, quod si lachrymæ apparerent in oculis, voces in ore minimè necessariæ requirebantur: inde totus in fletus se effundebat. Abulensis ibi. Abul.
quæstione 33. *Sciebat Dauid*, ait, *se peccasse; ideo non pro malis, quæ patiebatur, dolebat; sed vt per lachrymas Dei furorem leniret.* Illud tamen maximè notandum, quod scribitur. *Scandens, & flens.* Non erat descendens, vel deambulans flens, sed scandens, & non per quemlibet collem, sed per cliuum oliuarum, quæ diuinæ misericordiæ typum exprimunt; Qui enim lachrymas emittit, velocissimè gressus suos mittit, ac diri-

Lachryma ascendit, & volat ad Dei misericordiam.

git ad diuinæ pietatis, ac miſericordiæ montem, vt optatis fruatur, illiſque adeptis congaudeat; vnde rectè ait D.Paſchaſ.lib.11. in Matth. *Cum lachryma effunditur, miſericordia Dei ſuperinfunditur.*

Luc.14.n.33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

VERSIONES.

Syriacus. Ita quiſquis ex vobis non reliquerit omnem poſſeſſionem ſuam, non poteſt mihi eſſe diſcipulus.

Caietanus. Qui non valefacit omnibus, quæ ſunt ei.

Origenes. Qui non abrenuntiauit.

Arias. Qui non renuntiat omnibus ſuis ſubſtantiis.

EXPOSITIO. V.

52. Vomodo hæc concluſio Chriſti Domini cohæret cum ſuperioribus, multis difficile viſum eſt; quod dupliciter explicatur. Primò cùm D.Bonau. qui ſic ait:

Bonau. Ac ſi dicat Dñs: *Sicut ædificans non poteſt conſummare ſine ſumptibus, nec pugnans ſecure pugnam aggredi ſine militibus. Sic nullus perfectè poteſt ſequi Chriſtum, niſi renuntiet omnibus.*

Cohærentia textus. Secundò. Sicut aggrediens turris ædificationem, vel belli conflictum, prius debet expendere vires, ac facultates ſuas, an pares ſint ad huiuſmodi res perficiendas: ſic qui deſiderat fieri meus diſcipulus (quæ res ſatis ardua eſt) prius oportet ſecum cogitet, an mei cauſa, ait Chriſtus, valeat relinquere omnia bona temporalia, parentes, & amicos odio habere, imò & ſe ipſum, ac vitam abnegare, ne poſtea magna ignominia, ac iactura ſua ab his retrocedat.

53. Renuntiat omnibus, quæ poſſidet. D. Auguſt.

Aug. Epiſt.38.ad Lætum, non ſolùm hic intelligit poſſeſſiones, ſed etiam parentes, & fratres ſupra nominatos, verſ.26. *Prælocutio ſuperior*, ait, *cum extrema concluſione concordat. In eo enim quod vnuſquiſque renuntiat omnibus, quæ ſunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem ſuum, & matrem, & vxorem.*

Barrad. Barradas tamen veriſimilius exiſtimat concluſionem de diuitiis, ac poſſeſſionibus eſſe intelligendam. *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet.* Sermo eſt enim de his, quæ poſſidentur, quod

Syr. clarius exprimit Syriacus. *Qui non relinquit omnem poſſeſſionem ſuam.* Parentes autem, & fratres, ac cognatos, nemo dicitur poſſidere. *Non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Chriſtus, quos vocat ad ſui ſequelã, ac diſcipulatum oſtendit eis laborem, ac preſſuram ferendam: *Niſi quis renuntiauerit*, &c. Diabolus verò, quos ad ſe trahere conatur, ſolum in mundialibus, eis manifeſtat gratiam, & ſplendorem, vt Chriſto in deſerto oſtendit omnia regna

Matth 4. mundi, & gloriam eorum, Matth.4. n.8.

QVÆSTIO VIII.

Quomodo Origenes hæc verba ad Chriſti ſacerdotes refert?

54. Origenes homil.6. in Geneſ. 6. præſentem textum, *Niſi quis abrenuntiauerit*, &c. De ſacerdotib. interpretatur, illumque confert cum eo, quod de Ioſeph narratur Geneſ.47.num.20. *Emit ergo Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, præter terram ſacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis.* Magnum, latúmque diſcrimen interuenit inter ſacerdotes Dei, ac Pharaonis. Pharao terras ſacerdotibus ſuis concedit; Dominus autem ſacerdotibus ſuis partem non concedit in terra, ait enim eis. *Ego ſum pars veſtra.* Num.18.n.20. Quæ huius rei cauſa? Pharao terrenos ſacerdotes terrenis deditos volebat; At Deus cum ſit totus ſpiritus, ſacerdotes ſpiritualiter viuentes affectat, vt nulla terrenarum rerum cupiditate teneantur, nullo mundi onere deprimantur, ſed ſolùm Dei cultui intendant. Orig. citatus ſic ait. *Qui terrenis ſtudiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis ſacerdotes eſſe videntur. Feſtinemus ergo tranſire à ſacerdotibus Pharaonis, quibus terrena poſſeſſio eſt, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non eſt; quibus Dominus portio eſt.*

Gen.47. *Num.18.* *Chriſti ſacerdotes de ſpiritualibus.*

55. Hinc ipſe Origenes hom.11. in Leuit. ad cap. 20. Vt ipſe legit. *Separamini, qui portatis vaſa Domini, & exite de medio eorum.* Cur non explicat à quibus eſſet ſeparandum? Cùm diceret, *Qui portatis vaſa Domini.* Quod ad ſacerdotes referendum eſt, vt manifeſtum apparet, qui à mundo, ac illius concupiſcentia ſeparati debent eſſe, ait Origenes: *ſepara te à terrenis affectibus, ſeparat te à concupiſcentia mundi, omne enim quod eſt in mundo, ſecundum Apoſtolum concupiſcentia carnis eſt; eſto ſemotus, & ſeparatus, & intra in templum Domini.* Prius ſeparandum, & poſtea intrandum in templum Dei, prius ſegrega te à mundo, & poſtea ingredieris in templum, vt Domino adhæreas, eumque ſequaris.

Orig. Leuit.20. *Sacerdos ſic ſeparatus à concupiſcentia mundi.*

56. Cùm comprehẽſus eſſet meus Ieſus in horto. *Adoleſcens quidam ſequebatur eum amictus ſyndone ſuper nudo, & tenuerunt eum. At ille relicta ſyndone, nudus profugit ab eis.* Marc.14.numer.51. Valde mirum quod cum hic caſus contingeret in limine noctis, adoleſcens nudus vnè tantum ſyndone coopertus Dominum ſequeretur, & ipſam ſyndonem dimittit, vt perſequentes effugiat; & merito ſine in magnum noſtrum documẽtum, cum enim quis Chriſtum ſequitur, etiam ab omnib. denudatus, ſi vnam tãtum breuem ſyndonem, ac amictum habet, illum abiiciat, ne carnificum manibus ad extremam perniciem, ac caſum veniat. Appoſite D.Hieron. Epiſt. ad Fabiolam: *Syndone opertus adoleſcens vinctum Dominum ſequebatur, incurriſſet laqueos, niſi expeditus, & nudus perſequentium impetum declinaſſet.*

Marc.14. *Qui Chriſtum ſequitur, veſtimenta abiiciat, ne perear.*

57. Vltima Canticorum verba cap.8.num.14. ſunt: *Fuge dilecte mi.* Valde mirum, quod tam largus, ac affectuoſus amoris ſermo contentus in toto Cantic. libr. hanc habet clauſulam. *Fuge dilecte mi.* Videbatur conſequens vt ex tam diffuſo, ac ſuauiſſimo amoris colloquio ſpõſa à ſuo dilecto totis viribus expoſceret, vt minimè abſens

Cant.8. fieret

fieret,sed cum ea commoraretur. Quid est,quod modo fugam suadet,& non antea,nec in exordio, nec in medio, sed in fine sermonis ? Quandiu sponsa in se non agnouit vires vt omnino relinqueret terram : Non suadet dilecto fugam à terris ; at verò cum se iam ad tantam perfectionem deuentam esse animaduertisset, vt totaliter dimitteret terram ex animo, tunc rogat eum, vt à terris recedat, cum ipsa eum terram relinquentem sequi valeat;solus enim ille, qui hæc caduca ex corde deponit, comes Iesu fieri potest, eique semper adhærere. D. Ambros. lib. de bono Mortis. cap. 5. *Hortatur*, ait, *vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem.*

Quitterram relinquit, Christum sequi valet.

Ambr.

QVÆSTIO IX.

Quare Dominus mandat renuntiare omnibus, cum multis liceat possessa retinere ?

58. DIFFICVLTAS quæstionis est, quia multi v. g. sæculares, licitè, imò & fructuosè retinent sua bona, cum eis multas eleemosynas faciant ; vnde dicebat senior Tobias filio suo cap. 4. n. 8. *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum.* Et Ecclesiastes 5. n. 18. dicitur. *Omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatémque ei tribuit, vt comedat ex eis. Hoc est donum Dei*, &c.

Tob. 4.

Eccles. 5.

59. Solutio est cum Caietano, cæterisque expositoribus communiter quod hæc Christi doctrina, qua mandat renunciare omnibus, non sit præceptum, sed consilium, ac si dicat Christus ; Qui vult sequi vitam, ac perfectionem Euangelicam paupertatis, & prædicationis, quam ego profiteor, vt sit meus discipulus, vt sunt Apostoli, in facto, & executione omnibus debet renunciare. Et hoc spectat ad viros perfectos; omnes tamẽ Christiani tenentur in voto, ac animo esse parati, vt cum persecutio, vel necessitas exigit pro fide Christi pati iacturam bonorum, patérum, & propriæ vitæ. Beda in præsenti. *Distat sanè inter renunciare omnibus, & relinquere omnia, curas mundi posthabere; solis desideriis inhiare. Cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus, quæ possident, hoc est sic tenere qua mundi sunt, vt tamen per ea non teneãtur in mundo, habere rem temporalem in vsu, aternã in desiderio, sic terrena gerere, vt tota mente ad cælestia tendant.* Quod etiam docent D. August. Epist. 89. D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij.

Caiet.

Vir perfectus renunciet omnibus.

Aug. Bonau. Carth. Hugo.

60. D. etiam Gregorius homil. 15. in Ezechiel post medium. *Multi*, ait, *possidendo renuntiant, qui sic ad vsum possessa retinent, vt eis desiderio non succumbant*, &c. Sunt qui temporalia sic possident, vt ab eis nequaquam possideantur, poterit vtique talis aliquando æquiualere ei, qui renunciauit, cùm illorum cupiditate minimè inescatur, ac detineatur ; qui tam sublimis spiritus est, vt appelletur à Regio Vate spiritus principalis. Psalm. 50. n. 14. *Spiritu principali confirma me*; vt interpretatur D. Chrys. hom. de Spiritu sancto to. 5. *Petit Dauid*, ait, *Spiritum, quo dominetur, & sit princeps affectionum suarum.* Hunc vocat Spiritum principalem Moriturus Iacob in signum eximij sui amoris ait filio suo Ioseph. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Genes. 48. n. 22. Pars hæc singularis, quam ex diuisione Chananææ exemit Iacob, ueditque speciali donatione Ioseph, fuit ager vrbis Sichem ; vnde Septuaginta vertunt. *Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos.* Cur Iacob magis eligit agrum illum, vt tanquam rem magnam singulariter delegaret suo dilecto Ioseph, quàm quodcumque aliud donum, quibus multis abundat, cum ipse esset valde locuples ? In agro illo prope vrbem Sichem sepeliuit Iacob idola. Genes. 35. n. 4. Ibique insudauit, cum ea infoderet, ac terra obrueret ; imò & Sichem laborem denotat, sicut & idola nostros appetitus, ac concupiscentias. Iacob ergo sibi persuasit nullam pretiosiorem rem posse pro magno beneficio, ac amore filio suo Ioseph in hæreditatẽ instituere, quam agrum illum tanquam laboris, ac sudoris documẽtum, vt inordinatas appetitiones subtraheret, easque pedibus conculcaret. Nulla amplior hæreditas, quam delegata instructio in agro Sichem, vt concupiscentiæ idola nostrorum affectuum conculcatione terra obruerentur, sub plantísque prosternerentur. D. Nilus in Ascet. *Beatus Iacob*, ait, *Deos alienos in Sichimis abscondit. Porro Sichima, quod est humerus significat laborem, qui in domandis cupiditatibus sumitur, quare Iacob partem eximiam dat Ioseph ipsa Sichima, quam in arcu, & gladio suo se dicit acquisisse, in quo demonstrat, se certando, & laborando vitia superasse.*

Gen. 48.

Septuag.

Gen. 35.

Propius concupiscentias calcare magnum donũ.

Nilus.

In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Psal. 62. n. 3. Alij apud Lorinum supplent ; *sicut in sancto, seu sanctuario, vidi te.* Valde mirum, quod in terra illa felici, in qua homo apparet Deo, & ipsum Deum videt, appellet Vates terram deserti, seu solitudinis, siccam, aridam, squalidam, horridam, & sitibundam, vt ibi legit Hebræus, à præsentia Dei dicenda erat terra plena omni bono. *Plena est omnis terra gloria eius.* Isa. 6. à facie scilicet eius; Dicendáque erat terra irrigua, fœcunda, ac iucunda. *Mons Dei, mons pinguis.* Psalm. 67. n. 17. Alij legunt *Mons irriguus.* Quomodo ergo terra illa, quæ Dei præsentia nobilitatur, dicitur terra deserta, inuia, & inaquosa? Loquitur Propheta iuxta D. Hieron. de terra corporis nostri, tunc enim homo aptus est, vt appareat Deo in sancto, seu eius sanctuario, eius præsentia fruens, cum terra corporis sui deserta est à vitiis, inuia cupiditatibus, inaquosa libidinis delectationibus. D. Hieron. Epistol. 46. *In sancto*, ait, *ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis inuia inimicitiis, & concupiscentiis, & inaquosa illecebris.*

61.

Hebr. Isai. 6.

Ps. 62. Lorin.

Ps. 67. *Tunc homo apparet in sancto, cum suas concupiscentias abiicit.*

Hieron.

CAPVT XXVI.

Ouis, ac drachma perdita.

Luc. 15. n. 1. Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

Num. 2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ dicentes : quia hic peecatores recipit, & manducat cum illis.

VERSIONES.

Theoph.Vat. Accedebant autem ad eum omnes publicani, & peccatores.

Tertul.lib.de Pudicit.c.7. Pharisæi indignati mussitabant.

Syriacus. Iste peccatores suscipit, & cum eis esitat.

Euthym. Et cibum capit cum illis.

EXPOSITIO I.

1. Caſ. ERANT *appropinquantes.* Simon Cassian.lib.6. cap. 14. Ecce opportuna peccatorum actio, importuna calumnia ludæorum: Opportunè ægri currunt ad medicum, importunè verò Iudæi de remedio obmurmurant. *Erant appropinquantes.* Duplici sensu explicari potest. Primò. Quia solebant familiariter accedere ad illum, Matth.9. n. 11. Vel quia hoc eodem tempore post superius dicta accesserunt, eius humanitate, ac benignitate freti. Vt ait D.Bonau. Quia neminem fastidiebat, neminémque repellebat. *Erant appropinquantes,* non solum gressu corporis, sed etiam animi affectu. At vero Iudas in Horto accessit ad Magistrum gressu corporis, non cordis; ille alius Iudas filius Iacob accessit propius confidenter ad fratrem suum Ioseph. Genes.44.n.18. Ore, & corde, vt notat D. Anton. Vlyssip. Dom.3. post Trinitatem, & inde totum negotium perfecit. *Publicani.* Beda, Haymon, Glossa, sic dicebantur, qui publica vectigalia exigebant, vel qui lucra sæculi per negotia sectabantur. *Et peccatores.* Hugo. Publicè peccantes intelliguntur, quia hic est vsus Scripturæ, vt simpliciter peccatores publicos appellet. *Mulier qua erat in ciuitate peccatrix.* Luc. 7. Græcus habet *omnes.* Id est multi publicani, & peccatores, vt audirent illum, auribus mentis, & corporis, vt illi obedirent, vt ait D.Anton.citat. Concurrebant autem omnes ad Christum, ait Carthus. Propter vitæ, ac doctrinæ eminentiam, miraculorum abundantiam, *& quia Christus valdè charitatiuum, dulcem compassiuum, & pium se eis exhibebat.* Hæc benigna affabilitas omnium animos ad se allicit, ac attrahit.

Matth.9. Bonau. *Appropinquandum Deo corde, & corpore.* Gen.44. Anton. Beda. Haym. Gloſſa. Hugo. Luc.7. Græc. Carth.

2. Tert. *Et murmurabant.* Id est apud semetipsos, & populum sequacem clam id obmurmurabant, quod bene expressit Tertullian. *Mussitabant.* Et dicitur *Pharisæi, & Scribæ.* Pharisæi, qui erant Religiosi Iudæorum, & Scribæ eorum Doctores; qui maximè, vt ait Hugo, debebant gaudere de peccatorum conuersione, de illa tristantur, & malum pro bono reddentes contra Christi charitatem ira, odio, ac inuidia armantur. *Peccatores.* Erant publicani, ac aliqui publici peccati nota infames. *Recipit.* Ad colloquium, conuersationem, & societatē. *Manducauit cum illis.* Valdè verisimile est, quòd postquam Christus prædicauerat, ab eis oblato conuiuio excipiebatur, quibus concio placuerat. Christus autem Dominus, vt ait D. Crysolog. serm.29 *Epulabatur, non cibis, sed redditu peccatoris.* Eosque Christus spiritali cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus.

Hugo. Chryſ.

QVÆSTIO I.

Quare Christus Dominus cum esset ipsamet sanctitas, tam benignè peccatores recipiebat?

AD quæstionem respondet. Primò, Theophylactus. *Dominus quidem, ait, illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos, & peccatores, tanquam medicus infirmos.* Nam, vt ait Paulus 1. ad Timoth. cap.1. n.15. *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere.* De seque explicat Christus Dominus locum Isai.61.num.1. *Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem.* &c. Luc.4.numero 18. Cum ergo Christus venerit, vt peccatores vocaret, ac reduceret ad viam pœnitentiæ, in fine suæ legationis, ac in re incœpta persistit, peccatores colloquio, ac conuersatione ad se recipiens; *illud faciebat, cuius gratia incarnatus est.* Hinc concio Christi erat. *Pœnitētiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorū.* Matt.3.n.4. De persistēdo in incœpto, Vide sup.c.8.n.175.& t.3.c.26.q.12.n.71.72.

3. Theoph. 1.Tim.1. Isai.61. Luc.4. *In incepto persistendum.* Matth.3.

Secundò. Vt ait Lyranus. Optimè sciebat Christus, quod Scribæ, & Pharisæi de ipso murmurabant, notantes eum, eo quod publicanis, ac peccatoribus amicabilem se præbebat; tamen ob hanc calumniam, ab opere charitatis non desistebat Dominus, tales peccatores recipiens, ac admittēs in sui societatem, & colloquium, vt eos ad pœnitentem, & iustitiam induceret, attendens magis hominum saluti, quam sui nominis claritati. Perbelle quærit D. Ambros. lib.5. in cap. 6. Luc. Cur Christus Dominus elegerit Iudam in Apostoluin, quem reprobum esse sciebat. Respōdet. *Vt sciremus,* ait, *quanta sit moralitas Domini, qui periclitari magis iudicium, quam affectum maluit; susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humanæ.* Vide quanta sit moralitas Domini, hoc est benignitas, & amor, & quam multus sit in benefaciendo, qui non respuit obscuram notam, quod peccatores, & publicanos apud Pharisæos, & Principes Iudæorum infames, haberet in amicos, & socios, dummodo eximio amoris affectu eorum saluti consuleret. *Qui periclitari magis iudicium, quàm affectum maluit.* Sic & in præsenti applicatur. *Qui periclitari magis iudicium.* In talibus amicis eligendis, *quam affectum maluit.* Vt illis viam salutis non ostenderet. *Susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusauit infirmitatis humanæ.* Cum nostram infirmitatem susciperet Dei filius, non renuit illam infirmitatem, vt sui iudicio electio apud iniquos, & peruersos periclitaretur, dummodo peccatoribus salutis remedia exhiberet. Vide supra cap.8.q.6. n.55.

4. Lyran. Ambr. *Magis periclitari iudicium, quam amorem affectum maluit Christus.*

Tertiò. Cardinalis Hugo: *Appropinquantibus,* ait, *Christo corde, & corpore veniam postulando: appropinquauerat etiam ipse gratiam infundendo.* Ait Iacobus Apostolus cap.4. num.8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Nec mirum, quod Iacobus Dei appropinquationē promittat eis, qui ad eum accesserint, quandoquidem ipsemet asseuerat, se appropinquare eis, qui eum non quærebant. Isaias cap.65.num.1. ait, quem refert Paulus ad Rom.10. n.20. *Inuentus sum a non quærentibus me, palam apparui eis, qui me non interrogabant.*

5. Hugo. Iacob.4. *Christus appropinquat sibi appropinquantib.* Rom.10.

Quod

Ambr. Quod notauit D. Ambros. in exhort. ad Virgin. dicens: *Cum cæperis, ait, quærere, adest: neque enim fieri potest, vt desit quærentibus qui palam factus est non quærentibus, & inuentus est à non interrogãtibus.*

6. Ant. Olyss. Bonau. Quartò. D. Anton. Olyssip. D Bonau. Haym. & alij *Recepit peccatores*, inquiunt, *qui venerat quærere peccatores, vt eos saluos faceret.* Magnum lucram ntum huius rei nobis præbet scala Iacob, qui

Gen. 28. cum vnum lapidem supponeret capiti suo, ac obdormiret. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes & Dominum innixum scalæ*, Genes. 28. n. 12. Pedes huius scalæ

Christum ad se allicit peccatores, vt ad salutem reducat. nitebantur in lapide, super quem caput Iacob erat reclinatum, qui lapis typum exprimebat Christi sub nostro mortali indumento; quid est quod fastigium scalæ innitebatur in patre, pedes verò in Christo, & tunc ascendunt & descendunt Angeli?

Ansel. Quinam sunt isti Angeli? Auctor est D. Anselmus, quod ascendentes iusti erãt, qui à Patre ad æternas coronas vocabantur; descendentes verò peccatores extabant, quos Christus lapis vnus ad scalæ pedes prouolutus ad e trahebat, alliciebat, ac vocabat, vt eos humeris, ac peccatores recipiés, sua diuina gratia calefaceret, ac purificaret, vt ex peccatoribus iusti facti ad Patrem æterna præmia recepturi destinaret, ac mitteret. Sicut ad Deum Patrem aduolabant iusti ad præmia, sic & ad Christum ad gratiam, & sanctificationem currebant peccatores. D. Anselm. serm. in cap. 3. Luc. *Lapis*, ait, *capiti superpositus, & velut fundamentum scala factus Christus est; qui seipsum humiliauit, vt omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur, & per hanc scalam alij ascendunt, alij descendunt; ascendunt, qui proficiunt, descendunt, qui deficiunt.*

7. Exod. 33. Postquam Israël in magnum idololatriæ crimen prolapsus est, ait Deus Moysi: *Mittam præcursorem tui Angelum*, &c. *vt intres in terram fluentem lac, & mel; non enim ascendam tecum, quia populus dura cervicis est*, Exod. 33. n. 2. & 3. Maximè expendenda est ratio apposita à Deo. *Non enim ascendam tecum quia populus dura cervicis est.* Nam

Aug. vt ait D. Augustinus quæst. 150. *Magna sacramenti, & mira profunditas, tanquam maiorem misericordiam posset Angelus habere, quàm Deus; qui populo dura cervicis parceret, cui Deus, si cum illo esset, non parceret.* Nunquid in Angelo esset maior tolerantia ad sustinendum populum delinquentẽ, quàm in ipso Deo? Deus summa bonitas, & ex sua infinita pietate multus ad ignoscẽdum; Angelus verò creatura, & minister, & inde crudelior; quomodo ait Deus: *Mittam præcursorem tui Angelum, non enim ascendam tecum, quia populus dura cervicis est.* Angelus hic assignatus à Deo ductor in terram promissionis præfigurabat Christum Dominum in carne venturum; vt tradit Rupertus ad illud Exod. 23. num. 20. *Ecce ego mittam*

Rup. *Angelum meum, qui præcedat te.* Inquit ille: *Promisit Angelum, id est, Christum Saluatorem, & consummatorem legis, qui quidem magni consilij Angelus est.* Quod etiam docent D. Augustinus citat. & alij. Ac si diceret Deus; si populus esset innocens. & purus, Ego dux viæ essem, at verò quia *dura cervicis est*, multisque peccatis inuoluitur, ne forsitan in meæ vindictæ periculum veniat, ideò mittam Angelum, vt præcedat in figura filij mei in carne assumpta cuius eximia pietas, decus, ac

Munus Christi quæritur peccatores. imperium, & munus maximè niteat inter peccatores agere, ac commorari, eósque quærere, vt ad rectam viam terræ promissionis inducat. Ne ergo ægros à medico, & filium meum ab officio sibi commisso seiũgamus, eum in typo præcursorem tecum præmittam, vt te dirigat via recta in terram fluentem lac, & mel, id est æternam beatitudinem abũdantem omni cœlesti dono, & gratia.

QVÆSTIO II.

Quare Pharisæi, & Scribæ murmurabant, quod Christus Dominus peccatores reciperet?

RESPONDET primò Glossa Interlinealis ad illa verba, *hic peccatores recipit*, sic habet: 8. Interl. *Quasi dicant: contrarium est legi, quæ hoc prouibet.* In lege tamen veteri non esse prohibitum cum peccatoribus, & publicanis versari, & Abul. manducare probat Abul. Matth. 9. q. 54. & com- Matth. 9. muniter idem docent Patres, & expositores, nec assignabitur locus, in quo talis prohibitio extat; si verò obiiciatur locus Pauli 1. Corint. 5. nu. 11. 1. Cor. 5. *Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolo seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Caiet. Respondetur primò cum Caietano, quod Apostolus hoc præcipit, vt peccatores tali pœna afficiantur, ac proinde in suorum delictorum supplicium ab eis fugiamus. Vt Ecclesia mãdat excommunicatos vitare. Secundò mandat Apostolus à peccatoribus declinare, vt ipsi confundantur, & 2. ad Thes. 3. resipiscant, vt scribit 2. ad Thessal. 3. num. 14. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commiscemini cum illo, vt confundatur.* Tertiò. Consortium peccatorum est fugiendum, quando periculum est, vt eorum vitia transfundantur, ab eisque fomentum ad peccandum participetur. Sic mandat Deus Israëlitis. *Non inibis fœdus cum eis*, scilicet Chananæis, *ne forte peccare te faciant*, Exod. 23. num. 32. Quartò. Pastores, Magistri, ac Doctores spirituales, peccatores non fugiunt, sed multa benignitate recipiunt, vt eorum morbis medicamina adhibeant, vt latè docet D. Basilius in Moralibus, Regula 52. c. 3. Basil.

9. Secundò D. Gregorius Magn. homil. 34. Erant Greg. appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores. *Quod videntes*, ait, *Pharisæi dedignati sunt. Ex qua re collige, quia vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia dedignationem.* Vera Christi iusti- *Vera sanctitas de peccatoribus habet compassionem.* tia peccatoribus compatiebatur; falsa verò Pharisæorum iustitia eosdem dedignabatur, eósque à se repellebant, tanquam sua conuersatione indignos. De legis prophanatoribus conqueritur Deus apud Isaiam. cap. 65. num. 5. *Qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia mundus* Isai 65. *sum.* Seu vt habet Chald. *Purior te sum.* Ex fastu Chald. Iudæi illi auersabantur Gentiles, ac alios vt peccatores, cum ipsi immundiores essent, tunc immediatè subdit Deus: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* id est conuertentur in fumum, & ignem, vt explicant D. Hieronymus, Hieron. Forer. Adamus, Cornel. Sà, & alij; cur isti inflati ibunt in ignem, & fumum? Hugo: *Quia tales in* Hugo. Forer. Adam. Corn. *præsenti fumo superbiæ inuoluti sunt, & igne concupiscentiæ accensi, quantum ad effectum, ideò in furore conuertẽtur in ignem inferni, & fumum tota die, id est semper per omne sæculum.* Pœna respondeat culpæ, quia isti de sua iustitia falsò præsumentes, per su-

perbiam erant veluti fumus, qui est res vana, & inanis,& citò ascendit,ac deficit,& etiam accensi erant igne concupiscentiæ,vt alios præcellerent, ideò meritò in inferno fumo, & igne plectentur.

10. Tertiò.Publicani,ac Pharisæi hoc dicebant,vt Christum vituperarent,*peccatores recipit*,inde tamen maximam Christi gloriam publicabant;hic est maximus Christi honor, hæc maxima eius gloria,vt peccatores recipiat,eósque iustificet,illorumque peccata dimittat. Quod infra in hoc capite comprobabo,ad illa verba, quod inuentã oué posuit super humeros, locus, in quo nota,ac insigne eius imperij constituitur.*Cuius imperium super humerum eius.* Isai.9.n.6. Nicetas citandus: *Inuitatam balantem nostram naturam minimè neglexit,sed prainsigni honore complexus est.*

Inimici in quo Christo aduersentur, eius gloriam manifestant.

Isai 9.

11. Quartò. Scribæ,ac Pharisæi hæc dicebant,vt sibi, populóque persuaderent, Christum Dominum non esse verum Messiam,ac si dicerent,Messias magnæ auctoritatis esse debet, ac proinde cum hominibus honoratis versabitur; atqui hic scilicet Christus degit cum peccatoribus, qui vt infames habentur,cum illisque manducat,proindéque non est Messias, hoc argumento Pharisæi contra se arguebant manifestè,aperta Messiæ nota in tota Scriptura est, quod Messias peccatores recipiat,eósque mundet.Isaias superiori quæst.in initio. *Spiritus Domini super me, sanare contritos corde.* Ietem.43.num.25.*Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas.* Zachar.13. nu.1.de tempore Messiæ loquens ait: *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruata.* Ergo cum Christus vocaret peccatores ad pœnitentiam,eósque iustificaret, clarissimè demonstrabatur, quod ipse erat verus,ac legitimus Messias promissus in lege; argumento ergo quo contra fidei veritatem vtebantur Pharisæi,ipsomet argumento ad illam fatendam,ac agnoscendam conuincebãtur,ac compellebantur. Vide cap.14. expos.5. n.48.& c.17. q.16.n.104.& tom.3,q.1.n.9.10.& 11.

Ietem.43
Zachar.13.

Pharisæi ex ipsis suis argumẽtantur.

12. Quintò.D.Petrus Chrysologus serm.168.*Pharisæus*, ait, *non quales venerant, sed quales redibant videre debuit peccatores.* Pharisæi murmurabant, quod Christus peccatorés ad se admitteret, non considerabant, quod ipse ex peccatoribus iustos faciebat: *Non quales venerant, sed quales redibant videre debuit.* Quod statim confirmat exemplo. *Certè Paulum,quem persecutorem miserant,prædicatorem vident mox rediisse.* Paulus, qui in Damascum ibat iniquitatis sectator,ac iustorum persecutor,à præsentia Iesu recedit, Doctor,ac Magister veritatis; Pharisæi in his, qui ad Christum venerant,solum considerabant eorum peccatum; non verò iustitiam qua redibant, solum attendebant quales fuerant,non verò quales erant. Vide suprà cap.18.q.14.n.100.& 101.& tom.3.cap.15. q.17.n.140.141.143.143.& c.22.q.9.n.53.

Chryf.

Non considerat Pharisæus quales sint,sed quales fuerint.

13. Sextò.D.Chrysolog.citato sermon.168.*Recipit peccatores Deus*, ait, *sed Deus peccatores esse non sinet, quos recipit: peccator Deum non violat appropinquans, Deus peccatores sanctificat.* Iniquè murmurant Pharisæi,quod Christus ad se peccatores recipiat,quos enim ipse recipit peccatores esse non patitur, sed statim sua infinita charitate,eos mundat, & purificat,ac à maculis peccatorum absoluit.D.Laur.Iust.lib.de disciplina,& perfect. Monast. cap.16.expendens illud Psal.33. num.6. *Accedite ad eum,& illuminamini, & facies vestra non confundentur*,sic ait: *Nam semper præsto est cœlestis maiestas latissimo suæ charitatis mellistua gremio fouere ad se accedentem. Propterea diuinam quisquis propitiam cupit habere munificentiam,ad ipsam accedat credendo,& de ipsa præsumat amando.*

Chryf.

Qui ad Christũ accedunt, ab illo purificantur.

Psalm 33.
Laur.Iust.

Ad Christum Dominum qui de se ait Ioan.14. nu.6. *Ego sum via*,spectat illud,quod vaticinatur Isai.35.n.8. *Et erit tibi semita,& via:& hæc via sãcta vocabitur,non transibit pollutus per eam.* Via hæc via regia,ac omnibus patens est; quomodo ergo ad illam non ingredietur immundus,nunquid illi erit intercluſa, vel ipse ab aliquo detinebitur, ne ad eam admittatur? minimè. Quomodo ergo per illam non transibit pollutus? Cùm via sit sancta, vbi primum ad eam accesserit peccator, statim peccator desinet esse, à suisque delictis mundabitur.Carthus.*Si per hanc viam*,ait,*pollutus incesserit, statim purgabitur.* Et Guarricus Abbas serm.5.de Aduentu:*Admittit sane*,inquit, *via sancta pollutum,sed statim abluit admissum.* Si qui ad Christum appropinquant, qui est via iustitiæ, & veritatis,statim iustificantur,& ex lebete fiunt aurum mundum.

14. Isai.55.

Ad Christũ accedens mundatur.

Carth.

Guarr.

De suo dilecto ait anima sancta:*Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas,reclinatorium aureum.*Cant.3.num.9. Totum ferculum sit de lignis Libani illius tectum,ac partes in circuitu, columnæ verò argenteæ, reclinatorium ex excellentiori materia, ex auro nempe;reclinatorium recumbente corpore occultatur, cur ergo non potiùs fiunt ex auro illius tectum,columnę,ac partes,quę magis oculis obiiciebantur,magísque visui patebant?Reclinatorium, ex se non erat aureum;tamen cum caput Christi *esset aurum optimum*, Cantic. 5. num.11. Vbi primum eum attigit reclinatorium,statim in aurum mundissimum transmutatum est. Gillib. serm.1. in Cant. *Caput tuum*, ait, *aurum optimum reclinatorium aureum non inuenit, sed reddit, vbi se reclinat.* Qui ad Christum veniunt quamuis ex suis defectibus, ac delictis reperiantur viles,cum tamen à Christo attingantur, fiunt aurum mundum.

15. Cant.3.

Caput Christi reddit aurea rectum, quod attingit.

Gillib.

*Luc.*15.*n.*3. Et ait ad illos parabolam istã.

*Num.*4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oues:& si perdiderit vnam ex illis, nõne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat,donec inueniat eam?

VERSIONES.

*Orig.hom.*2. *in Genesim.* Quis habens centum oues, ex quibus cum periisset vna, relictis nonaginta nouem in montibus, descendit quærere eam,quę perierat.

Syriacus. Et proficiscatur quæsiturus eam, quæ periit, vsque dum inuenerit eam.

Vatablus. Abit ad illam,quæ perdita est.

Arias. Vadit ad perditam.

ALTER

ALTER TEXTVS.

*Matth.*18. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nõne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit?

EXPOSITIO. II.

16. MVRMVRATIONI Phariſæorum occurrit Dominus, tribuſque parabolis de Oue, Drachma, ac Prodigo oſtendens gratiſſimam eſſe Deo peccatorum conuerſionem, ac pœnitentiam. *Quis ex vobis homo.* Hæc eſt prima parabola de oue perdita, Phariſæorum obtrectationem efficaci refutat argumento, vt ait Hugo, ac ſi dicat, Quis veſtrum quamuis multas habeat oues, ſi tamen aberrantem reducere laborat ad ouile, non reprehenditur? multo magis nec ego debeo reprehendi, qui hominem errantem reduco multo meliorem oue. *Centum oues.* Ponitur centenarius numerus, qui eſt completus, & perfectionem denotat; vt docent Euthym in cap.18. Matth. Beda, D. Bonauent. hic in Lucam; ideo ad inſinuandum meritum dicitur de ſemine. *Cecidit in terram bonam, & orcum fecit fructum centuplum.* Luc.8.numer.8. *Omnis qui reliquerit domum*, &c. *centuplum accipiet.* Matth.19.num.29. Oues dicit, quæ ſunt animalia valde ſtupida, quæ ſine motu tabeſcunt, vt infra dicam. *Si perdiderit vnam.* Solam ſcilicet. D. Matth. habet, *errauit.* De præterito, non verò, errat, de præſenti, quaſi non perſeuerantem in errore, ſed ab errore ſe recipientem æternus ille Paſtor amplectatur; inde cæteris antefertur, vt ſequenti verſ. ex Ambroſio dicam. *Nonne dimittit nonaginta nouem:* Sub bona alterius cuſtodia commiſſas; *In deſerto*, vbi optimis paſcuis ſe reficiant. *Vadit ad illam.* Non alicui miniſtro inueſtigationem credidit, ſed ille per ſe ipſum eam quærit. *Donec inueniat eam.* Quamuis multarum ouium ſit diues, tamen tanta ſollicitudine vnam ſolam aberrantem quærit, vt non cõquieſcat, donec eam inuenit.

Hugo.

Euth. Beda. Bonau. Luc 8. Matth.19.

Magnum negotium miniſtro non eſt committendũ.

17. Hæc parabola dupliciter applicatur. Primò D. Hilar. Theoph. Euth. D. Thom. Anſelm. in c.18. Matth. Orig. homil.2. in Gen. D. Iren. l.3.c.21. D. Cyrillus Carthech.15. D. Ambr. in Apolog. Dauid c.5. D. Greg. hom.34. in Euang. docent, quod Deus habuit centum oues; per nonaginta nouem paſcentes in montibus, ſeu deſerto, intelliguntur Angeli, qui nunquam peccauerunt, fruentes Deo in cœlis; per ouem verò centeſimam, quę errauit, denotatur totum genus humanum in vnò parente Adamo, quæ ouis tunc perdita eſt, vt inquiunt Beda, D. Bonau. D. Ant. Vlyſip. Dom.3. poſt Trin. quando primus parens peccauit. Eam verò inuenit, quando Deus factus homo pœnitentiam prędicauit, ac ſanguine ſuo nos redemit, vt explicant Hugo, Carthuſ. Simon Caſſian. & alij, ex quo patet quanta ſit multitudo Angelorum per reſpectum ad homines.

Parabola applicatio. Hilar. Theoph. Euth. D Thom. Anſel. Orig. Iren. Cyril. Ambr. Greg. Ant. Vlyſ.

18. Secundò. Intelligitur parabola de ſolis hominibus, vt tradunt Theoph. Ianſen. Mald. Barradas, Lucas Burgenſ. Cornel. ac communiter Recentiores: ac ſi Deus tantum haberet centum homines, quorum nonaginta nouem eſſent iuſti; vnus tantum eſſet peccator, & aberrans, nonaginta nouem relinqueret, vt illum vnum errantem quæreret, quo maximè explicatur eximia Chriſti charitas in nos, quantique ſalutem vnius hominis faciat. Et hæc ſententia inde probabilior, quia Chriſtus de hominib. agebat, ac proinde in hominibus ponit exemplum.

Theoph. Ianſen. Mald. Barrad. Burg. Corn.

QVÆSTIO III.

Quare multipliciter Chriſtus Dominus de ouibus facit mentionem?

19. CHRISTVS Dominus in Euangelio frequentiſſime de ouibus facit mentionem. *Mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Matt.10.n.16. *Statuet oues quidem à dextris.* Matt. 5.nu.33. *Ego ſum Paſtor ouium.* Ioan.10.num.2. & ſæpè ſæpius ibidem. Et cap.21.n.17. Cur ouis tam grata Deo, vt eius nomen toties ab eo repetatur, vtq; Apoſtolorum, ac electorum typus conſiſtat?

Matth.10. Matth.25. Ioan.10.

Ratio difficultatis.

20. Reſpondeo. Quod oues pattu edebant agnos, qui in templo Deo cum eſſent anniculi offerebãtur, ac conſecrabantur: pro certo habe, quod maximè probantur à Deo patẽtes, qui filios à teneris annis Deo in religione conſecrant, magnũque ex eorum dedicatione reportant emolumentum, multámq; benedictionem important à Deo, eique maximè redduntur grati.

Parentes, qui filios dant religioni, placent Deo.

21. Mandat Deus Abrahamo, vt tollat filium ſuum Iſaac, eumque illi offerat in holocauſtum. *Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum, ducens ſecum filium ſuum Iſaac.* Geneſ.22.num.3. vt docent Origenes homil.7. in Gen. Procopius, Chryſoſtom. & alij, quod Abrahamus Dei mandatum non aperuit Sara, ſed non præmiſit, vt mater filio daret amplexum, eique vltimum vale diceret; noluit Abrahamus vt Sara lachrymis proſequeretur filium Deo in holocauſtum offerẽdũ, ſciebat enim quod de filio conſecrato, magis erat gaudendum, quàm triſtandum, parentibus enim tunc ille non deeſt, ſed magis prodeſt, etſi abſens ſit: melius tamen in auxilium præſens, quam dum domui habebatur. D. Baſilius Seleucus Orat. 7. introducẽs Abrahamum loquentem ad Saram. *Ego poſt ingulationem*, ait, *lamentantem alloquar; hic verò cùm fleuerit puerum ipſa ingulatione cohoneſtatum, filium non tollit parens, ſi plus prodeſt.* Expende vltima verba, ac ſi dicat Abrahamus domum reuertens: *filium non tollit parens, ſi plus prodeſt.* Vtpote Deo conſecratus nobis in maiorem vtilitatem cedet.

Gen.22.

Filius oblatus Deo plus prodeſt. Baſil.

22. Hinc Iephte offerens filiam præmiſit Deus eã morte ſacrificari, Abrahamus filium viuum recepit, multa adauctum benedictione. *In te benedicẽtur omnes gentes.* Iephte ingemuit ſuper filiam, Abrahamus exultauit. D. Amb 3. de Virg. *Quia*, ait, *non vna forma meritorum ideo non vna forma factorum, Iephte doluit; non doluit Abraham, ideo miſericordia lugior.*

Ambr.

QVÆSTIO IV.

Quare cùm ouis opimis paſcuis cum toto grege abundaret, ab illo tamen recedit aberrans per montes, & deſerta?

23. OVIS illa opimis, ac vberimis paſcuis cum toto rege lætabunda exultabat, vbi abſque

absque vlla molestia multis delitiis affluebat, ab illis tamen se eripit, & vastissimo mundi eremo se se committit, per loca arida, montosa, spinis, ac tribulis consita aberrans deambulat.

24. Respondeo primò D. Ambros. in Apologia 1. Dauid. cap. 5. *Merito itaque defecerat*, ait, *cui substantia erat cibus sæculi.* Pascebatur ouis cum grege Angelorum inter cœlestes paradisos, vbi tamen appetiuit mundialem panem, illúmque gustauit; inde defectionem ab omni bono sibi comparauit, & inde in ruinam, infirmitatem, ac laborem incidit. Vidit Pharao in somnis, quod septem boues deformes, & macilentæ, deuorarunt septem alias boues pulchras, & pingues, *quæ nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, & squalore torpebant* Genes. 41. numer. 21. & scribit Philo lib. de Ioseph, quod Rex *vidit repente meliores deuorari à deterioribus, manente in saturitate eadem macie, imò aucta*: etiam valdè mirum, quod quælibet obæsam bouem comedit, & tamen non solùm non est pinguis facta, sed etiam macies aucta est cum tam fertili pastu, itavt squalore torperent, ac consummarentur. Boues pingues denotabant bona temporalia, vt tradunt D. Isidorus, & alij, qui autem gustant temporalia bona, non pinguescunt, sed potius macie adaucta tabescunt, ac infirmantur, & ab omni bono deficiunt.

Gen. 41. Philo.

Boni temporalibus non pinguescit homo, sed tabescit.

25. Secundò. Tertullian. lib. de Pœnitent. *Vna ouis*, ait, *requiritur, vna pro omnibus desideratur, & humeris pastoris ipsius fertur, multum errando laborauerat.* Ouis erat inter choros Angelorum omni labore vacua, florida, ac præiucunda vita gaudens, spiritualium fructuum dulcedine fruës, & tamen hęc omnia cœlestia dona contemnit, & ab electarum ouium societate deficit, mundanos labores exoptat, mundanas fatigationes per mõtes, & deserta requirit, quibus ita frangitur, vt pene enecta, ne gradum facere valeat, sed lumeros portantis expostulet, quia *multum errando laborauerat.* Ecce hic depingitur humana miseria, multi potius volunt laborare cum mundo, quam cum Christo gaudere, deuiantq; à cœlesti requie, vt mundanis sudoribus incumbant. Rectè D. Paschas. lib. 2. in Matth. *extrema dementia*, ait, *quod fugiant à requie patriæ, vt sæculi ærumnam inueniant.* Si à requie patriæ deuiarent, vt in mundo requiem haberent, tolerabile videretur esse malum, sed requiem pro labore commutare quæ sane maior, ac execrabilior amentia.

Tert.

Volunt homines potius laborem cum mundo, quàm requiem cum Deo.

26. *Cùm essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi.* Num. 15. numer. 32. Qui consuluit Dominum supra pœnam homini infligendam. Dixitque *Dominus ad Moysem: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Ibidem numer. 35. Quorsum tam seuera pœna hic homo mulctãdus est? In deserto filius Israël colligentibus Manna. *Nullus relinquat ex eo mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit.* Exod. 16. numer. 20. Et tamen nullus ex istis supplicio affectus est. Tam Domini præceptum erat, quod nullus colligeret ligna in die Sabbathi, ac quod manna in sequentem diem non seruasset; Cur ergo ligna colligens tã rigida pœna plectitur, vt lapidibus obrutis moriatur; colligentes verò manna, ac seruantes in diem alterum à supplicio immunes euadunt? Homo pœnas sustinet, à quibus, & populus liberatur. Fortè quia populus manna suauitate illectus delinquit, homo verò dulcedinem quietis, ac otij labore commutans peccat. Procop. in c. 15. Num. *Hunc* scilicet ligna colligentem, *adegit*, ait, *præcox quoddam studium, & otio quidem corporali deterius.* Lex Sabbati fatigatos labore artus quiete recreabat. Qui ergo vt onera humeris portaret, tam suauem legẽ violat, merito morte puniatur. Populus verò delinquit, sed Manna suauitate prouocatus, inde benigne à pœna mortis eripiatur; at homo, qui requiem à Deo datam fastidit, & laborẽ, ac sudorẽ quęrit, merito Dei sententia rigorosè punitur. Vide sup. c. 24. q. 11. in fine. n. 76. 77.

Exod. 16.

Punitur qui fastidit requiem, & quærit labores.

Procop.

QVÆSTIO V.

Quare hic introducitur vna tantum ouis errans, potius, quàm decem, vel viginti?

QVÆSTIO præsens est, cur vnius ouis tanto amore æstuat bonus pastor, quod cum viginti nouem superstites haberet, pro vnius cura tot subire labores per campos, per nemora, ac per altissimorum montium cacumina non vereatur. Quare ergo non elapsæ de grege ouium viginti, aut saltem decem proponuntur, vt lucri magnitudo ad tam laboriosam inuestigationem inuitaret? 27.

Difficultas quæstionis.

Respondeo primò ad quæstionem ex D. Chrysol. serm. 168. *Vnam quærit*, ait, *vt inuenires in vna omnes.* Hæc ouis est genus humanum; maximè inclinata est diuina pietas, vt hanc ouem quæreret, & sibi coniungeret, quia licet homines sint multi, tamen in vno primo parente vniti, ac copulati repręsentabantur; Cùm vnio ergo maximè placeat Deo, ad eamque ipse sit propensus, inde ex tanta vnione, quæ in hac oue exprimebatur, ipse maximè prouocatus ad hanc ouem quærendam: *Fuit vir vnus de Ramatha.* 1. Reg. 1. nu. 1. cui quando Deus propitium se exhibet, Elcana dans ei filium, dicitur vir vnus, quod vt notat Origenes: *Pertinet ad laudem iusti quod vnus dicatur.* Ac si ex ipsa vnitate Deus esset inclinatus, vt optato filij dono eum visitaret. 28. Chrysost.

Fuit maximè Deum ad se inclinat.

1. Reg. 1.

Secundò. Idem Chrysolog. citato serm. *Quare*, ait, *non quatuor, quare non quinque, sed vnam? Vt ostenderet, non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris: namque amissio vnius totum dissipauerat centenarium numerum, totum ex dextera redegerat ad sinistram.* Numerus cẽtenarius erat electus, ac prædestinatus à Deo, proponitur vna ouis amissa, & non quatuor, vel quinque, vt fiat manifestum, quod ex numero determinato à Deo, nec vna quidem minima aliqua vi creata defraudari, ac immutari poterat, sed totus integer numerus saluus persistit. 29. Chrys.

Numerus electorum non potest minui.

Angelus in sole clamat, ad quatuor Angelos executores diuinæ iustitiæ. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum:* Apocal. 7 num. 3. Prohibet eis ne tempestate, ac ventorum impulsu (de tempore Anti Christi est sermo) homines improbos perimant, ac perdant, donec electi Dei publico signo crucis sint in fronte obsignati, vt ab illa communi deuastatione custodiãtur; cur Angelus in sole hanc assignat rationem? Cur non profert 30. Apoc. 7.

profert illam satis communiter datam in Scriptura,adhuc non est tempus,nondum completa est hominum malitia,vt Genes.15.num.16.Quatuor Angeli magno impetu, ac conatu ferebantur ad exequendam desolationem commissam, nulla tamen efficacior ratio eis obiici potuit,vt eprimerentur,ac subsisterent, quam quod quiescendum erat, donec electi Dei manifesto signo notati custoditentur, nullum enim maius poterat esse impossibile,quam quod vnus ex electis Dei perierat; ergo quoad vsque ipsi seruẽtur exequutio est impedita,& ipsi omnia funditus perimere non valent. Rupertus: *Nolite nocere*, ait, *hoc dicere illis est malam voluntatem eorum impedire, vt quantumcumque insaniant,vel noceant,atque tyrannizent persequendo,proscribendo, occidendo, Dei tamen propositum prepedire,vel euertere,non valent,quominus eos, quos prescinit, & predestinauit, conformes fieri imagini eiusdem filij,vocet, iustificet, atque magnificet.* Vide tom.4.cap.9.q.12.

Gen.15.

Nullum maius impossibile,quam quod aliquis ex electis pereat.

Rup.

31. Chrys. Secundò.Altius premamus eadem Chrysologi verba: *Vt ostenderet, non ex damno fuisse, sed ex numero plus doloris.* Si mœstitia non erat ex damno,quomodo potuit esse ex numero, propterea enim de numero debebat esse dolor, quia damnum inferre poterat. Et qualenam malum ex numero sequentia verba indicant. *Vnius amissio totum dissipauerat centenarium numerum, & totum ex dextera redegerat ad sinistram.* Quæ verba magnam inuoluunt difficultatem; nam vna oue amissa adhuc nonaginta nouem incolumes persistebant,quomodo ex vnius ruina tota congregatio est elapsa. *Et totum ex dextera redegerat ad sinistram?* Hæc ouis veluti effugiens Pastoris disciplinam ab eius iugo se exemerat, & per deserta, ac montes,prout illi erat voluntas, huc, & illuc ferebatur, & si ipsa irreuocata maneret, absque pastoris cura eam quærentis,facilè nonaginta nouem oues licentiosam libertatis voluntatem appeterent, vt exleges factæ iugum sui ducis excuterent, ne ergo huius pestis venenum in totam familiam irriperet, & vniuerso cœtui exitum afferret,*& totum ex dextera familia redegerat in sinistram.* Et ideò non ex numero vnius, sed potius ex damno maximè doluit, ne vnius perditio in damnum totius multitudinis redundaret; & ideò sic curat vnam ouiculam conseruare, ac totum gregem,ne ex vna elapsa totus grex in perditionis discrimen veniat.

Vna ouicula perdita totus grex periclitatur,vt pereat.

32. Cùm Dauid excandesceret contra inurbanitatem Nabal,occurrens Abigail,vt eum leniret, ait ei: *Erit anima Domini mei custodita in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum. Porrò anima inimicorum tuorum rotabitur quasi in impetu, & circulo funda*, 1. Regum.25.num.29.ac si diceret prudens fœmina, si vitam Nabalo hosti tuo condonas, Deus congruam tibi mercedem rependet, vt vicissim vitam tuam, contra omnes te persequentes diutissimè conseruet,sitque recondita in fasciculo,seu vt alij legunt, *in ligamine viuentium*; id est in cathalogo iustorum, vt interpretantur Glossa,Angelom. Carthus.Sà,Tyrin.& alij; anima verò inimicorum tuorum, sit veluti lapis, qui ponitur in funda, vt eiiciatur, sic& anima inimicorum tuorum è corpore à Deo expellatur. Hic studiosè inquirendum est, cur reprobi cum lapide in funda rotante comparentur; iusti verò cum floribus in fasciculo? Lapis è funda proiectus,libero cœlo gaudet, fundibulario nulla de eo est cura,in cloacam, vel mare feratur, nihili eum æstimant. At verò flores in fasciculo,mitam inter se habent pulchritudinem suauitatem, & odorem,& sic conseruantur,vt si vnus flos cadat, cum alij laxati maneant, in magno discrimine versantur, vt similem iacturam patiantur; sic & iusti,quando in congregatione omnes vniti commorantur,grauissimum Deo dant honorem; & si vnus cadit, ex eius lapsu quodammodo omnes periclitantur, cum ex eius halitu ad similem voluptatem instigantur; & si reprobi abiecti sint à Deo, iusti tamen multa cura custodiuntur, ne ex vnius vitio omnes infecti tabescant. D. Eucher. *Pulcherrima*, ait, *comparatione statum iustorum, & reproborum discreuit: horum quippe animas appellat viuentes; illorum spirituali morte occupatas: iustos fasciculis; reprobos lapidi funda assimilat: fasciculus enim astringitur, vt conseruetur; lapis in funda ponitur,vt abiiciatur.* Reprobi cum pereant,dispergunt; iusti verò vt seruentur, vniti retinentur. *Fasciculus astringitur,vt conseruetur.*

Si in congregatione vnus iustus cadit, alij periclitantur.

Eucher.

33. Post Christum ascendentem in cœlum, ait D.Petrus Apostolis, quod oportet impleri Scripturam, vt vnus ex discipulis eligatur in locum Iudæ,vt duodenarius Apostolorum numerus ad impleatur; & inter alia ait eis: *Scriptum est in libro Psalmorum: fiat commoratio eorum deserta, & non sit, qui habitet in ea: & Episcopatum eius accipiat alter*, Actorum 1.num. 20. vbi princeps Apostolorum duos versus diuersorum Psalmorum combinat. Prior habetur Psalm.68. num.26. *Fiat habitatio eorum deserta.* Secundus verò legitur Psalm.108. nu.8. *Episcopatum*, seu vt habet Hebr. præfecturam, regimen eius, scilicet Iudæ, *accipiat alter.* Valde mirum, quod dicturus Apostolus testimonium de supplicio Iudæ in singulari; *Episcopatum eius accipiat alter*: prius tamen in plurali in alios maledictione inuehitur: *fiat habitatio eorum deserta.* Cur locutus de solo Iuda in singulari, prius tamen aliorum similium pœnam ex diuerso Psalmo annuntiat? Sciebat Apostolus, quod vnius casus electorum congregatione facilè alios seducebat, referens ergo execrabile Iudæ scelus in suum magistrum, ne alij ex Christianorum schola ad similem nequitiam instigarentur; ideò antequam Iudę factum adducat,prius maledictionem in eius sequaces, ac imitatores promulgat,vt si aliquorum animos malitia Iudæ solicitaret, districta tamen maledictionis sententia eos refrænaret,ac cautos redderet.Non longè ab hac consideratione loquitur Rupert.lib.1. de intellect.cap.1. *Duo testimonia coniunxit*, ait, *alterum quidem singulariter de Psalmo centesimo octauo; & Episcopatum eius accipiat alter,alterum verò pluraliter de sexagesimo octauo: fiat habitatio eorum deserta; proposuerat autem tantum de vno singulariter, sed hic addit pluraliter. Quid igitur? Iudam quippè,& infelices Iudæos, sicut eodem scelere inuolutos, sic & simili pœna significat addictos.*

Act.1.

Ps.68.

Ps.107. Græc.

Cum vnus ex congregatione elabitur, tota cõgregatio periclitatur.

Rup.

QVÆSTIO VI.

Quare pastor tot oues relinquit, vt vnam errantem multis laboribus quærat?

34. ALDE mirum,quod bonus pastor tã prolixũ, & difficile susceperit iter per lustra sæuientiũ ferarũ, per obsessas latronibus vias,per rapidorum fluminum cursus,& saxorum

præcipitia. Vnde ait D. Auguſt in Pſalm. 128. ad finem. *Propter ouem perditam Paſtor eius nonaginta nouem dimiſit in montibus, & eam quærens Iudaicis laceratus eſt vepribus.* Vt pedes, manus, ac caput eius teſtantur. Quæſtio tamen præſens inquirit, quare bonus paſtor nonaginta nouem relinquit in deſerto vt illam vnam errantem quærat.

Aug. *Per multos labores paſtor quærit ouem.*

35. Chryſ. Ad quæſtionem reſpondet. Primò. D. Chryſol. ſerm. 168. *Hæc parabola*, ait, *plus diuina pietatis, quàm conſuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei poteſtatis eſt, non cupiditatis humanæ quia Deus, & quæ non ſunt, facit eſſe; & perdita ſequitur, vt teneat, quæ relinquit; & amiſſa ſic inuenit, vt quæ ſeruata ſunt, non amittat. Ergo non terrenus paſtor iſte, ſed cœleſtis.* Paſtor hic introductus in Parabola diuinus eſt. Nam humani paſtoris cura cum ſit valde limitata, ſi relictis aliis, vni ouiculæ curandæ tota applicatur; hoc cum multa aliarum confuſione, & periculo præſtat; ſolus enim Deus, cuius poteſtas infinita eſt, ſic vni, & minimo attendit, vt multis aliis multa bona opulèter prouideat; homo vero non poteſt diſtrahi in plura, quin aliquibus ſit nocumentum. Cum Moyſes ſolus iudicaret cauſas vniuerſi Iſraëlis, ait Iethro ſocer eius. *Stulto labore conſumeris, & tu, & populus ille, qui tecum eſt, vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.* Exod. 18. numer. 18. Non enim ipſe ſolus omnium cauſis poterat bene attendere, & ſoluere. Vt ibi communiter Expoſitores expendunt.

Homo non poteſt attendere ad plura.

Exod. 18.

36. Cyrill. Secundò. D. Cyrillus in Catena D. Thomæ. *Nunquid*, ait, *ſaniens in reliquas motus eſt pietate vnius? Nequaquam. Sunt enim illæ in tuto circumſepiente illas potentiſſima dextera, ſed magis oportebat miſereri pereuntis, ne imperfecta videretur reſidua multitudo. Vna enim reducta, ſortitur centenarius propriam ſpeciem.* Habebat bonus paſtor centum oues, ex quibus nonaginta nouem relictis, pro vna deperdita comparanda lõgum ſubit iter; ſed cum illas relinquit, eas contemnit, ac percendas deſerit? Minimè ſanè, ſic enim pro vnius reductione laborat, vt etiam aliarum in hoc tendat lucrum, nam vna deficiente, earũ numerus, ac cœtus imperfectus conſiſtebat. *Ne imperfecta videretur reſidua multitudo, vna enim reducta ſortitur cẽtenarius propriam ſpeciem.* Vnde D. Baſil. Seleucus ſtatim citandus ait. *Vbi mihi ouis vnicè chara? Vbi gregis decus?* Magnus erat ſplendor gregis vt nulla illius deficeret, ac excluſa haberetur.

Deus gregis, quod nulla ouis deficeret, ac excluſa haberetur.

37. Baſil. Tertiò. D. Baſilius Seleucus. Orat. 26. in illud. *Ego ſum Paſtor bonus*, ſic ait: *Venturam ex aliarum ſalute lætitiam vnius extinguit exitum, & concepta de vna triſtitia; quod eſſe potuit de toto grege gaudium, accidit; dumque obit omnia, ſe ſeque in lachrymas effundit, deſiderium ingens publicat: Vbi mihi, inquit, ouis vnicè chara? Vbi gregis decus?* Non vſque adeo lætor præſentibus, vt ob vnius abſentiam maceror. Paſtor ouem perditam appellat ſummè dilectam, ouium ornamentum; ac pecorum honorem. *Vbi mihi ouis vnicè chara? Vbi gregis decus?* Fortè, quia ouis hæc inſigni prę fulgebat gratia in toto grege, ideo vt honoratior habita, non per ſeruos, ſed per ſe ipſum tanto ſudore quærit. Expende. *Mihi ouis vnicè chara? Gregis decus.* Erat enim deperdita, & non inueniebatur vbi adeſſet, inde fortè magis chara, & gregis ornamentum, quæ enim ſunt amiſſa meliora, ac pretioſiora reputantur. Tertiò, gaudium de nonaginta nouem ouibus non erat plenum, & completum cum vna ouicula eſſet deperdita. *Non vſque adeo lætor præſentibus, vt ob vnius abſentiam maceror.* Et ideo vt vndique animi iucunditas eſſet conſũmata, ouis deperdita ſtudioſe quæritur. Vngitur Saul in regem à Samuele, & ait ei, *de aſinis, quas nudius tertius perdidiſti, ne ſolicitus ſis, quia inuentæ ſunt.* 1. Reg. 9. num. 20. Ad quid dum denuntiatur ingens felicitas de regno, etiam aſinæ deperditæ denuntiantur inuentæ? quæ res parua erat, ſpectabat ab cumulum gaudij de regno, vt ne ex minimo aliquo fœdaretur. Nã etiam parua inuenta maximè delectant, & vberiorem pariunt lætitiam. D. Chryſolog. citato ſerm. 168. *Semper quidem*, ait, *cum perdita reperimus nouum capimus cumulum gaudiorum, & eſt iucundius nobis inueniſſe perdita, quam non perdidiſſe ſeruata.*

Ouis maxiè dilecta.

Deperdita meliora iudicantur.

1. Reg. 9. *De re inuenta gaudium magnum.*

Chryſol.

38. Iobus. Quartò. Iobus Monachus lib. 3. de Incarnat. Verbi cap. 14. in Bibliotech. Photij. *Quod pro re nulla alia ſuſtinuit, non pro Angelis, non pro vlla alia natura, hoc ad hominum toleranit ſalutem, ſeruus pro Domino factus. Merito igitur reliquiſſe oues nonaginta dicitur.* In parabola ſubintelligitur Deus, qui relinquit viginti nouem oues in deſerto, vt quæreret vnam perditam, relinquit nempe in cœlo Angelos, vt hominem lapſu peccati aberrantem recuparet. Ex quo naſcitur grandis difficultas. Deus cum ſit immenſus adeſt in omni loco, & non poteſt aliquẽ locum relinquere, & deſerere, & ad alium tatione ſuæ immenſitatis propinquius approximare. Quomodo dicitur, quod relinquit Angelos in cœlo, & ad hominem perditum ſe contulerit? Explicans D. Lucas ingens beneficium, ſingularem honorem quo Deus hominem præ Angelis ſublimauerit, inſinuatur in parabola quod ad hominem acceſſerit, eique præſens factus ſit, nam adeo proprium eſt, regem larga manu beneficia ſua conferre ei, cui adeſt, ac intuetur; quod idem ſit dicere, quod ad aliquem approximauerit, in eumque ſuos oculos coniecerit, ac quod eum multa bonorum affluentia affecerit. *Non pro Angelis, non pro alia natura*, &c. Bene ergo dicitur, quod non ad Angelos, ſed ad hominem hac ſub beneficentia acceſſerit; nam cui princeps ſui præſentiam negat, negat & fauores: cui verò ſui acceſſum concedit, multas & ampliſſimas largitiones exhibet.

Iobus.

Principũ præſentia cæteris dona, quæ illius abſentia negat.

39. Ambr. Quintò. D. Ambroſ. Commentario in Lucam in præſenti, conferens cur Paſtor requirit ouem; non verò Pater filium prodigũ. Sic ait. *Quaſi Paſtor reuehit, quaſi pater veſtit; ouis à Paſtore laſſata reuocatur, ad patrem filius ſuis veſtigiis redit? Ouis à paſtore reperitur, à patre filius honoratur.* Filius iam tanquam emancipatus, & à patris regimine iam deobligatus, etſi illi cordi erat, non tamen tanquam ſubditus introducitur. At ouis commiſſa erat paſtoris ſub cura, illique ſubiecta extabat; emancipatum non quærit pater filium, commiſſam ſibi ouem diligenter diſquirit paſtor; nam ad filium requirendum amoris affectio obligabat; ad ouem verò indagandam munus paſtoris cogebat, paſtoris autem obligatio paterno amori præferenda fuit, plúſque ad labores itineris impulit vna paſtoris cura, quam vehemens parentis affectus.

Plus impulit muneris obligatio, quàm parentis.

40. Tert. Sextò. Tertull. lib. de pœnitent. cap. 8. *Ergo*, ait, *& vna paſtoris ouicula, ſed grex vna charior non erat, vna illa requiritur pro omnibus deſideratur.* Nonaginta nouem oues ſub cuſtodia habebat

habebat pastor, & cum vna esset deperdita, si e pro ea comparanda insudat, ac laborat, veluti si totum gregem amisisset; *Vna illa requiritur, pro omnibus desideratur.* Sic enim vnam diligebat ac omnes, nec minus illi vna chara erat, quam vniuersus grex. Personam Dei Patris gerebat Isaac, cum benedicens filio suo Iacob, ait illi. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Genes. 27. num. 27. Ager ille plenus denotabat campum totius Ecclesiæ floribus, ac fructibus omnium iustorum compositum; quomodo ergo Isaac ait, odor vnius Iacob omnib. floribus illius agri æquipollebat? Non minus ipse complacebat, ac delectabatur in vno Iacob, quam in omnibus aliis, tam charus erat illi vnus solus, vt magnam benedictionem ab eo impetraret, ac erat vniuersorum aliorum cœtus. Petrus Damianus. lib. ad Leonem inclusum Episcop. cap. 5. *Nam & prophetici Isaac naribus, tota præsens redolebat Ecclesia, cum super vnius filij sui personam dicebat, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni.* Vide tom. 3. cap. 26. q. 2. n. 13. & c. 29. n. 73.

Vna anima non minus chara Deo, quam vniuersorum.

Gen. 27.

Dam.

41. Septimò. Vbi homo vidit in grege ouem perditam, non moratur, sed charitate vulneratus, ingentique dolore affectus, vt ait Seleuc. eam diligenter per campos, ac montes quærit, charitatem enim, quam mente conceperat, totius corporis labore, ac sudore demonstrat; vera enim charitas, non retinetur mente tantum, sed ad manus ac pedes peruenit, vt ait Saluian. lib. 1. de Regimine.

41.

Charitas mentu resplendeat in opere.

42. Videt Ioannes in Apocal. 1. num. 14 Christum Dominum in medio cãdelabrorum aureorum, *& oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Arabicus, *in fornace ignis.* Flamma ignis apparet in oculis, & pedibus. Cur igni connectuntur oculi, & pedes? ignis charitatem denotat. Recte ergo oculi, & pedes igne inflammantur; vt charitas, quæ erat in mentis oculis, prodiret in pedum actiones; necesse est enim vt mens, & pedes charitate coniungantur, vt amoris affectum, quem mens concipit, pedes operatione commonstrent. Hinc ait D. August. vt testatur Richardus Victor tract. de gradibus charitat. *Ipse, qui vobis præest mente, & opere, ferueat charitate.*

42.

Apoc. 1.

Arab.

Charitas mentu cõmittitur cum opere.

Aug.

43. In eadem visione persisto. Christus in hac visione figuram veri prælati exprimebat, vt volunt P. Ioannes de la Haye; verba enim prælati debent esse veluti gladius acutus, & oculi tanquam flamma vt cuncta introspiciant. Dicitur de eo, quod *habebat in dextera sua stellas septem.* Apocal. 1. num. 16 Prælatus obtinet stellas in manu, & de eo etiam dicitur; vt Episcopo Thyatiræ. *Dabo ei stellam matutinam.* Apocal. 2. num. 28. Seu vt habet Arabicus. *Dabo ei nitorem matutinum.* Per quem nitorem, ac stellam Andreas Cæsaren. Gagnæus, & alij interpretantur splendorem scientiæ: ac intelligentiæ infusæ in intellectu à Deo; quid est quod intellectus proportionatur manibus, illique coniungitur? Denotatur enim, quod lux, ac stella cogitationis, quæ relucet in mente, in manibus resplendeat actionibus; stella intelligentiæ, quæ matutino rore exorta est in mente multiplici splẽdore, niteat operibus externis. Hic adaptabo, quod de fide ait Petr. Damian. serm. 19. de S. Anthimo. *Qui fontem baptismatis, ait, expetunt, a vita funditus decedant, nisi fidem ipsam, quam docti sunt credere, studuerint etiam bonorum operum, enuntiatione proferre; ita nimirum alterum pendet ex altero, & semen fidei exurgere debet in spicam operationis.*

Apoc. 1.

Apoc. 2.

Intelligentia mentis fulgeat in actione.

Dam.

QVÆSTIO VII.

Quare dicitur quod homo perdiderit ouem, cum ipsa se perdiderit, relictis nonaginta nouem in deserto, sub quibus intelliguntur Angeli, & sub deserto cœlum?

44. GENTVM referuntur oues in parabolâ; ex quibus dicitur, quod homo vnam perdidit. Nonaginta nouem intelliguntur Angeli, & locus in quo relinquuntur, cœlum. Tria quæro. Primò cur scribitur, quod homo perdidit ouem, cum ipsa se perdiderit. Secundò: Cur Angeli oues appellentur; cœlum verò deserto comparetur.

44.

Status quæstionis.

45. Ad primam partem quæstionis respondet Salmeiron tom. 7. super hac parabola tract. 8. Aduerte, ait, quod etsi perdita sit ouis, non tamen *ex negligentia vigilantissimi Pastoris: non enim dormitabit, neque dormiet* (Psalm. 120.) *qui custodit Israel; sed ex culpa propria ouis perditio oritur, iuxta illud perditio tua ex te Israel* (Osee 13. num. 9.) *tantummodo in me auxilium tuum: & potius homo Deum amisisse dici potest, cui infinitum est damnum: ille autem, etsi nos omnes pereamus, nihil perdit. Pastor tamen hic adeò bonus est, vt celet iniquitates ouis, & in se eius culpam transferat.* Pro quo vide multa verb. *Defectus.*

45.

Salm.

Psal. 120.

Osee 13.

Pastor culpã ouis in se transfert.

46. Secundò quæro. Cur Angeli dicantur oues; & benè dicuntur nonaginta nouem, ait D. Bonau. *Qui nouenarius optimè competit designato numero Angelorum propter ternarium triplicatum in ordinibus Angelorum.* Difficultas tamen est, cur Angeli dicantur oues. Nam ouis, vt notat Philo Hebræus lib. de sacrificio Abel, inter pecudes est maximè bruta, & fatua, ac stulta, nullo acri agitur affectu, stupore quodam, ac sine motu tabescit.

46.

Bonau.

Philo.

47. Respondet Theophil. in Catena D. Thomæ, *Superna virtutes*, ait, *oues dicuntur, in eo quod omnis natura creata aspectu Dei bestialis est.* Et Theophil. ait; Secundum *quod omnis creatura ad Deum conferatur, pecunia est, & bruta.* Angeli valdè intellectu perspicaces; ouis verò valde bruta, & stulta est. Fatuæ pecudi assimilatur Angelica mens, quia omnis creata sapientia, si cum Deo conferatur valde exigua, ac ignara est. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Proverb. 21. num. 30. Hebræus habet: *Coram Domino.* Nam omnis sapientia creata si cum Diuina comparetur, non est sapientia, sed potius insipientia, & amentia. Rabbi Salom. *Qui libet sapiens, ac prudens*, ait, *in nulla prorsus est æstimatione, si cum Deo comparetur.* Et ratio est, quia sapientia Diuina est increata, & infinita, ac proinde in immensum superat, & transcendit omnem sapientiam creatam, & finitam. *Ascendit super Cherubim & volauit.* Psalm. 17. num. 11. Diuinus intellectus altissimè volat super Cherubicũ, vt in infinitum eum superet, & excedat, vt nunquam creata scientia ipsum attingere valeat. Inde ait D. August. *Exaltatus est*, ait, *super plenitudinem scientiæ, vt nemo ad eum peruenire, nisi per charitatem.*

47.

Theophil.

Idem.

Prou. 21.

Rabbi Sal.

Sapientia Dei in infinitum superat humanam intelligentiam.

Psal. 17.

Aug.

48. Tertiò quæro. Quare per desertum intelligitur cœlum,

Greg. cœlum. *Dimittit nonaginta nouem in deserto.* D. Gregor. hom. 34. in Euangel. quia scilicet *Angelorum choros relinquit in cœlo.* Cùm tamen valdè sit plenum sanctis spiritibus? Respondet primò Mendoza in 1. lib. Reg. cap. 4. num. 11. Annot. 2. cap. 21. Cœlum tanquam desertum dici, quia propter sui altitudinem inuium, ac inaccessum, quod nullus suis viribus attingere valet. Matth. 18. n. 12. ait. *Relinquit nonaginta nouem in montibus.* Explicat Euthym. *Montes secundum aliquos cœlum est propter altitudinem.* Vnde mulieri in Apocal. 12. n. 14. *Data sunt ala duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum*; Hoc est diuina quædam contemplatio, ac charitatis affectio, quibus se à terrenis abduceret, & cœlestibus insereret.

Mend.

Matth. 18.

Euth. Apoc. 12.

49. Secundò. Beda. *Dimisit*, ait, *nonaginta nouem oues in deserto, quia illos summos Angelorum choros reliquit in cœlo. Cur autem cœlum desertum vocat, nisi quod desertum dicitur derelictum? Tunc autem cœlum homo deseruit, cum peccauit.* Nonaginta nouem; id est multam Angelorum multitudinem habebat in cœlo, & cum vna aberrás ouis, natura scilicèt gumana ad cœlum destinata, illud per sui prævaricationem perdidit; tunc ne bonus pastor gaudet cum suis Angelis, & illam errantem ouem contemnit? minimè. Sed ita illius errantis ouis amore vulneratur, ita illius desiderio tenetur, vt tota illa cœlestis curia innumeris Angelicis spiritibus plena; vt tamen ouicula naturæ humanæ deficiente, veluti vacua, ac deserta illi appareat, vna enim præ omnibus hominum societate gaudebat. De quibus, ait. *Et delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Prouerb. 8. num. 31. Deus ante hominem factum miras iucunditates, ac delitias habebat cum Angelis; quomodo ait, quod delitiæ suæ sint cum filiis hominum. Ita homo factus iucundabatur, ac delectabatur cum hominibus, ac si tunc peculiariter, insigniter haberet suam oblectationem, ac delectationem, cuius rei rationem assignat Cardin. Hugo. *Potius*, ait, *sunt ei delitiæ esse cum filiis hominum, quam cum Angelis; quoniam de his, quæ aucupio, vel venatione capiuntur, fiunt deliciæ ciborum, non de domesticis: & ipse quidem venatione prædicationis, & aucupio crucis capit homines.*

Christus ibi nè gaudet esse cum hominibus.

Prou 8.

Hugo.

50. Tertiò. Cœlum dicitur desertum ob securitatem, quam secum habet, cum sit liberum ab hominum frequentia, ac tumultu, in quo tentationum illecebræ, ac diuersarum rerum occursus obueniunt; vnde si pastor relinqueret oues in ciuitate aliqua, multo essent discrimini expositæ, à quo sunt saluæ, & custoditæ cum in deserto persistant; aduerte etiam, quod cum pastor reliquerit nonaginta nouem oues in deserto, aliqua est coniectura, quod ouis errauit extra desertum, in vrbem nẽpe & inter mundanos tumultus, à quibus in humero sublata est à pastore in desertum, vt cuncta pericula affugeret: ad hanc considerationem respiciebat Hilar. lib. contra Auxentium Mediolanensem, vt ab Arrianis Christiani recederent. Hæc scribat. *Male vos*, ait, *parietum amor cœpit male Ecclesiam Dei in tectis, ædificiisque veneramini, male sub his, pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his Anti-Christum esse fessurum? Montes mihi, & sylua, & lacus tutiores.*

In deserto securitas, in vrbe periculum.

Hilar.

51. A puellis egressis ad hauriendam aquam, quærit Saul, vbi sit Samuël Propheta Domini, quæ responderunt ei: *festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem*, 1. Reg. 9. Duo hic expendenda sunt. Primò. Dicunt. *Hodie venit in ciuitatem.* Sic Samuël hominum frequentiam fugiebat, quietémque secessus amabat, quod tanquam quid rarum, ac mirabile dicerent de eo, quod hodie veniret, ac appareret in ciuitate, quod notauit D. Gregor. ibi. *Quid est, quod dicunt, hodie, ait, venit in ciuitatem, nisi quia raro videbatur in ciuitate; videlicèt tarde veniens, cito recedens.* Secundò addiderunt fœminæ, *festina nunc*, si omnes erunt in eadem ciuitate, ad quid festinandũ erat Saul, vt inueniret Prophetam, cum eoque loqueretur? Sic Samuël cum agnosceret pericula ciuitatis, fugiebat hominum cœtus, quod quando ex officio compulsus erat, veniret in vrbem, tam celeriter se dabat in loca publica, vt nisi Saül festinaret, festinantem assequi non valeret. Idem D. Gregor. *Dicunt ergo, festina nunc: Ac si dicant, si statutum tempus transierit, in horis suæ quietis, verbis, aut actionibus non intendit.* Benè sciebat Samuel in quanto discrimine versaretur in ciuitate, quantáque quiete, ac bono in sua solitudine, ac recessu frueretur, & ideò *raro videbatur in ciuitate, tarde veniens, cito recedens.*

Greg.

Samuel fugiebat ciuitatem, quæ bas solitudinem.

52. Cùm Sara vidisset Ismaëlem lndentem cum filio suo Isaac, qui ludus, quid dissonum, turpe, ac incompositum, vel lasciuię, vel persecutionis erat in Isaac. Tunc ipsa Sara persuasit Abrahamum, vt eiiceret ancillam cum filio suo; eiectus Ismaël è domo paterna, ait textus. *Et fuit cum eo, qui creuit, & moratus est in solitudine.* Genes. 21. num. 20. Id est, Deus fuit cum eo vt clarius exprimunt Septuag. & Hebræus, *Erat Deus cum puero.* & Caldæus. *Fuit verbum Dei adiutorium pueri.* Quid est quod Israël non habuit quid securum in domo patris sui, siquidem ab ea fuit expulsus, & tamen in solitudine inter ferociſſimas belluas securus, ac placidus degit; vnde ei maior securitas in deserto inter bruta animantia, quàm in domo sanctissimi sui parentis Abrahami? Vnde in solitudine tantum proficit, vt dicatur ei, *Deus adiutor*, quod Abrahami non legitur? Multa & magna bona locus desertus ex se exhalat, & diffundit, vt faciat Deus valde propitium; vtque in eo maior securitas inueniatur in antris leonem, quam in vrbe in domo sanctissimi viri, ac parentis Abrahami. D. Ioann. Chrysostibi. *Erat Deus cum puero*, ait, *vt discas quomodo, qui in solitudinibus agit, securior sit, & potentior his qui in mediis ciuitatibus versantur, ingenti hominum præsidio freti: videamus quomodo Dauid de loco in locum transiens, & quasi erraticus vagans, manu superna munitus fuerit. Saul autem cum esset in mediis ciuitatibus, & tantum secum duceret exercitum, & satellites habens, & armigeros, quotidie timebat, & tremebat inimicorum insidias.*

Gen. 21. Septuag. Hebr Chald.

Maior securitas in deserto, quam in vrbe, etiã apud sanctos.

Chryſ.

Luc. 15. *n.* 5. Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.

VERSIONES.

Syriacus. Quumque inuenit eam, lætatur, & baiulat eam super humeros.

Origenes. Quam inuentam humeris suis reportauit.

Arabicus. Portat eam.

EXPOSI

EXPOSITIO III.

53. *Et cum inuenerit eam.* Ecce terminus, ac finis susceptæ laboris à Pastore in oue quærenda, vt amissam ouem inueniret, & præter hoc nil aliud intendebat: perdantur licet omnia bona temporalia, teratur corpus,& periclitetur salus corporalis,pro his omnibus dispendiis vna est compensatio, vt ouis sit inuenta. *Cùm inuenerit.* Celeriter eam innenit bonus pastor,quia non diu tardauit, sed festinanter quæsiuit; perditæ ouis amor non permittebat cũctari, ac moras trahere,sic & prælatus subditos diligat,ne morosus sit,vt aberrantes reducat. *Eam imponit in humeros suos.* Nullus adiuuamen præstat,nullus onus subleuat, humerisque aprat, & ipse eam sibi superimponit,amor enim ouis, & gaudium de eius inuentione vires ministrabant;& licet de itinere esset lassus,nulla tamen ei maior recreatio,ac quies, quàm errantem ouem ad gregem reducere, eámque in turo custodire,amanti enim nullus est labor,nec fatigatio; sic & prælatis subditorum salus sit eorum quies. *Gaudens*,hoc obsequium exhibet oui, non tristi,sed hilari facie,& dicitur *gaudens.* Amplius sane de hac vna,quàm de nonaginta nouem,quibus nullum imminuerat periculum.

Amor non finit cunctari. dat vires,expellit laborẽ.

QVÆSTIO VIII.

Quare cum errantem ouem inuenit, non eam punit, & verberat, sed blande suscipit?

54. NOTANDVM est in exordio huius quæstionis,quod pastor multum laborauerat, vt errantem ouem inueniret, cum tamen eam reperit,non sedet, ac quiescit,sed statim humeris impositam ad gregem portat; nostri enim diuini Pastoris fatigatio sessione non tollitur,sed nouis,ac magnis libenti animo pro ouicula reassumptis laboribus, illi enim nulla gratior quies quam pro nobis labor. Basilius Seleuc. Orat.26. *Monuit,& syluas obire non recusat*, ait, *obit præcipitia,cúmque de errante venit in partem errantis, & subiiciens humeros proprio labore oviculam laborantem,& gaudet ipsa fatigatione, ouis inuentionem ratus lassitudinis esse leuamentum.* Sublatio fatigationis,inuentio ouis. Huc aduoco id,quod perbelle dixit D. Chrysol serm.98. alludens ad illud Isai. 57.n.2. *Erit in pace sepultura eius.* Iuxta Septuaginta. *Crucifixus in cruce,mortem suscepit, sepulturam patitur.* Crucis,ac tormentorum mors, quædam dulcis susceptio pro hominibus illi fuit; sepultura verò, in qua assignata est quies, veluti quædam passio reputatur, nam ipse pro nobis *gaudet ipsa fatigatione.*

Christi quies pro nobis laborare.

Basil Seleuc.

Chrys.

55. Ad nostram quæstionem respondet. Primò. D.Gregor.Nyssen.in caten. *Cùm pastor*, ait, *inuenisset ouem, non puniuit,non duxit ad gregem virgendo, sed superponens humero, & portans clementer annumeranit gregi.* Et Ruric. lib.2. Epist.22. ait. *Ipse bonus pater, qui ouem perditam ad caulas Dominicas maluit propriis humeris reportare, quam stimulis vrgentibus reuocare districtius, non statim virgam, non statim stimulos monstrauit, sed prius humeros adhibuit, quibus lassam benignè sustentaret.*

Nyssen.

Ruric.

Inuentam ouem non virga minatur Pastor, non ictibus, ac verberibus in gregem agit, sed his omissis, humero parat, ad virtutis tyrocinium reddebat illa, virtutis autem tyrones blande, ac leniter sunt trahendi,ne desistant,ac resiliant.

Virtutum tyrones leniter tractandi.

56. Cùm Moyses incederet per desertum,ducatum præbens populo Israëlitico, cúmque esset prope montem Sinai,vt est multorum opinio. *Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & vxor eius ad Moysem in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei.* Exod.18.num.5. Sine dubio, magno amore vxor Moysis videndi suum virum, ac filij eius videndi parentem tenebantur. Quomodo ergo à tempore, quo discessit Moyses à Madian, vt descenderet in Ægyptum, ibique commoratus est, eos non reduxit Iethro;benè enim poterat Iethro cum hoc comitatu in Ægyptum tendere, vbi Moyses multis mirabilibus magnus ostẽdebatur? Tamen hoc non præstat in Ægypto, sed postquam ab illo egressus est Moyses & iuxta montem Dei castrametatur. Fœmina enim cum esset recenter conuersa ex gentilitate ad Dei cultum, paruulique cum essent infirmi,non fuerunt exponendi tyrannidi Pharaonis,ac tantarũ persecutionum tempestati, hoc enim prouectiores viros exoptabat, & ideò eorum aduentus differendus fuit,quoad vsque à tantis periculis Moyses exiret. Origenes,homil.2. in Exod. *Non poterat*, ait, *sacerdos Madian in Ægyptum descendere, nec vxor Moysis, sed nunc ad eum venit cum filiis; non enim poterat descendere in Ægyptum, & subire agones Ægyptiorum,nisi athleta probabilis.* Ad Pharaonis vexatione sustinendas, non tyrones, sed multis probati milites requirebantur. Vide tom. 2. c. 3. quæst.8. num.39. & cap.7. quæst.13.n.84. & 85. & cap.19.q.17. n.35. & tom.3. cap.15. quæst. 24. num.294.

Exod.18.

Teneri in virtute non rigidu,& asperis exponantur.

Orig.

57. Secundò.Ouis hæc, vt dicam quæst. sequenti ex D. Gregor. Beda, Bonau. & aliis, exprimebat peccatorem pœnitentem ad viam salutis conuersum;Pastor ergo inuentam ouem virga non cædit,sed leniter, ac blandè manibus tractatam super humeros imponit,dans documẽta,quod peccator recenter conuersus benignè recipiatur,facili, ac suaui medicamine ad meliora trahatur, ne strictioribus, & austerioribus deterreatur,à pœnitentia.

Recenter conuersi ad pœnitentiam leniter tractandi.

58. Duxit Deus Prophetam Ieremiam in domum figuli,qui vas luteum, prout volebat,in rota formabat. Aitque Deus: *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere domus Israel? ecce sicut lutum in manu figuli:sic vos in manu mea.* Ierem. 18. num.6. Cur propheta descendit ex Dei mandato in domum figuli, potius quam in domum fabri ferrarij? Volebat Deus inducere populum suum ad pœnitentiam, & sui conuersionem, vt patet ibi ex n.11 *Reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra.* Explicant D.Th.Hug. *Studia vestra a viis vestris pessimis,quibus declinastis ad peccatum.* Cùm ad pœnitentiam prouocat,ad domũ figuli,non fabri ferrarij adducit. Faber ferrarius facit opus suum rigore mallei, ac ignis;figulus verò blanditie, aqua,& adhibitis manibus leniter in rota efformat vas suum, sic Deus cum ad pœnitentiam vocat populum suum non duritiem fabri ferrarij proponit, ne terrore afficiantur,sed lenitatem figuli obiicit,vt alliciãtur,ipsáque lenitate spondet ex pœnitentibus vas gloriæ efformandum.

Ierem.18.

Hugo.

D.Thom.

Nõ rigore,sed lenitate trahuntur pœnitentes.

59. Prodigus in se reuersus ait. *Quanti mercenarij*

in

in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, &
Luc.15. *dicam ei: Pater peccaui,* &c. Luc.15. numero 18. Magna contritione commotus est peccator iste, cur ex suo magno dolore, apud se non statuit se patri dicturum; ecce ego, qui turpiter deliqui, dignus sane, vt flagellis percutiar, cilicio, sacco, ac ieiuniis: ecce manus, & pedes, vt vinculis astringantur? nihil horum meditatur, sed tantum vnum verbum habet in ore: dicam ei. *Pater peccaui.*
Retenti conuerso non aspera, sed lenia offerantur. Diuini Spiritus afflatu cor pœnitentis mouebatur: hominique infirmo non dura, ac aspera, sed suauia, & facilia consulebat; nonque illius menti asperos rigores pro peccatorũ pœnis debitos suggerebat, ne oneri succumberet, sed patris clementiam vno verbo inclinandam proponebat, vt magis in vitam aleretur. D. Ephrem. serm. de pœnit.
Esther. *Cernis*, ait, *non primum, quod austerum est, offerre peccantibus; verum quod gratum, ac placidum est, simúlque suaue, ac facile. Non mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit, non vigiliam demonstrauit, sed à confessione ipsum appellauit, à leuioribus duxit principia.*

QVÆSTIO IX.

Quare non sinu, vel manibus, sed humeris portat ouem Pastor?

60. IN exordio huius quæstionis notandum est; quod bonus pastor inuenit ouem multis calamitatibus, ac morbis attritam, & penè exanimem, & tamen de ea sic inuenta gaudet; cur non potius dolet, ac tristatur de eius infortuniis, ac malis, nam Assuerus cum vidisset Estherem languentem, aliquid mali *metuens exilinit de Solio, & sustentans eam vinis suis*, Esther. 15. num. 11. de
Esther.15. ciusque languore non gaudebat, sed tristabatur; Cur ergo Dominus; quando de cœlesti solio exiuit, & ouem infirmam inuenit, eam suis humeris
Expellit Iesus infirmitatem eius, quã sustinet, ac attingit. sustentans non dolet, sed gaudet? nunquid Assuerus magis amabat Estherem, quam meus Iesus ouem? Minimè sanè. Assuerus sustentans Estherem non tollebat eius languorem; at Iesus eo ipso quod attingit ouem, eáque humeris sustentat, ab illa omne malum, ac languorem repellit, indéque
Prudent. de eius salute gaudet. Prudentius in Hymno 8. post ieiunium sic canit:

Impiger Pastor reuocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros grauatus
Inde purgatam reuehens aprico
reddit ouili.

61. Ad quæst. multipliciter respondeo. Et primò
Græc. Auctor Græcus. *Neque iam amplius*, ait, *propriis suis, quibus semel errauit, pedibus mouetur, sed ad*
Semel inuentus fallax nõ ei credendũ. *ipsa naturã diuina gestatur.* Non curat bonus pastor, vt ouis pedibus suis ambulet, ne amplius fidat pedibus, quibus semel errauit. Postulat Ruben à parente Iacob, vt sibi credat filium Beniaminum, vt eum ducat in Ægyptum. Dicens: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manus meas, & ego eum tibi restituam: at ille: non*
Gen.42. *descendet filius meus vobiscum.* Genes. 42. num. 37.
Gen.43. Et tamen ipsum concedit Iudæ. Genes. 43. n. 6. Cur non Ruben? Inuenit enim pater ipsum Ruben semel fallacem, ac infidum, patris enim cubile maculauit cũ Bala concubina patris sui. Genes. 35. num. 22. Inde prudenter senex iudicauit sibi cauendum esse à semel infido inuento, ei amplius non esse credendum Theodoret. quæst. 103.
Theod. *Quare pater*, ait, *noluit committere Beniamin ipsi Ruben? Suspectus illi erat, propter illegitimum congressum, & petulantiam in cubile patris commissam.*

Secundò. Sufficiebat, quod bonus pastor studiosè quæreret ouem, & eam inuentam ad gregem reduceret; sed minimè his contentus est, sed maiora addidit, ouẽ subleuat, & humeris portat, tanta est enim nostri Diuini pastoris beneficentia quæ cum incipit se diffundere, nescit sistere, sed semper maiora dona largiendo se se ostentat, ac exhibet. Huc respici: D. Alcuinus lib. 3. de sententia Dei, de hac oue inuenta, & humeris suscepta dicens.
62. *Deus vno beneficio cõfert ad maiora procedit.*
Alcuin.

Sarcina fit, quæ cura fuit: neque quærere tantum,
Illa satis cœlestis habet Clementia Christi.

Clementia Christi non satis habet, quod quærat ouẽ, sed insuper super humeros imponit. *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Et hoc satis haber? Minimè.
Psal.90. *Scuto circumdabit te veritas eius.* Psalm. 90. num. 4. Non sufficit vt tibi suis humeris, ac dorso protegat, sed insuper tanquam scutum in tuo circuitu se tibi exhibet. D. Hier. *Non solùm*, ait, *est scutum,*
Hier. *sed & murus. Et quid dixit? Proteges, nos, & facies vincere, & post victoriam coronabis.* Vide multa in Indice verb. *Beneficium.*

Tertiò. D. Greg. hom. 43. in Euangel. *Ouem humeris suis*, ait, *imposuit, quia humanam naturam*
63. Greg. *Christus peccata nostra portauit, vt doleret.* *suscipiens peccata nostra ipse portauit.* Ouem naturæ humanæ lassam in via peccatorum super humeros suos suscepit, vt ad consortium beatorum, ac ad cœlestia gaudia producat, vt Iacob benedictioné impetraret à parente suo Isaac. *Pelliculasque hedo-*
Gen.27. *rum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Genes. 27. num. 16. Iacob Christi Domini figuram exprimebat, vt tenet communis consensus Patrum. Quomodo Christus Dominus qui est ipsamet puritas, ac sãctitas, induitur pelliculis hœdorum, qui peccatores adsignificant? Dominus huiusmodi amictum in se suscipit, vt benedictionem à Patre obtineret, non sibi, sed nobis. Dum enim nostra peccata super se portauit, benedictionem nobis assequitur, vt omnium nostra peccata deleantur, ac destruantur; nobisque hæreditas æternæ patriæ donetur. D. Bernardus sermon. 28. in
Bern. Cantic. postquam quærit. Cur verus Iacob, Christus Dominus scilicet, pilis hœdorum, seu nostris induitur? Sic respondet. *Bene in eo habitu*, ait, *quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hereditas.*

Quartò. D. Ambrosius. *Humeri Christi*, ait,
64. Ambr. *crucis brachia sunt. Illic peccata mea disposuit, in illa patibuli nobilis ceruice requieui. Ouis illa genere est vna, non specie.* Non graue fuit Dei filio perditam ouem propriis humeris reportare, ex quo graue crucis lignum reportauit ad montem. Quod etiam dicit D. Nazianz. Orat. 21. in Pasch. *Ba-*
Naz. *lantem ouem inuenit*, ait, *inuentam eisdem humeris, quibus & crucis lignum sustulit.* Premamus illa Ambrosij verba. *In illa patibuli nobilis ceruice requieui.* Humeri diuini pastoris ex pondere crucis per longa itinera asportatæ fatigati erant, scapulæ flagris verberatæ. Ouis ergo quæ ex longo itinere fatigata, ac vepribus cruentata extabat, vbi requiem inueniret, nisi in humeris lassatis, ac cruentatis ex itinere? humeri enim in officina suæ oppressionis instructi sunt, vt aliis vexatis com-
Qui passus est afflictionẽ afflictis miseretur.
miseratio

miserationem impenderent, illíque locum ad requiem præberent. *In illa patibuli nobilis cernice requiem.* Vide suprà cap. 12 quæst. 5. num. 23. Dicam etiam: Sacratissimi humeri mei Iesus sibi pondus, ac fatigationem eligunt, oui verò dant requiem & leuamen. Pro quo vide multa in hoc tomo, & aliis, verb. *Christus*, in Indice.

65. Tert. Quintò. Tertullianus lib. 3. aduers. Marc. cap. 9. *Nouus Rex nouorum euorum Christus Iesus noua gloria, & potestatem, & sublimitatem suam humero extulit.* Christus Dominus inuentam ouem non portat in manibus, vel sinu, sed in humeris; ipse insigne regni sui non constituit, vt diadema in capite, vel sceptrum in manu, sed in humero, in quo portat ouem, vt notauit Nicetas in orat. Naz. 42. Nazianz. *Inuentam*, ait, *palamem nostram naturam minimè neglexit, sed pra insigni honore complexus est. Iisdem enim humeris eam suscepit, quibus & Crucis lignum tulit, quemadmodum Isaias de ipso vaticinatus fuerat, dicens: cuius principatus super humerum eius*, cap. 9. num. 6. Cur imperiale signum in humeris eius? Nouus Rex nouorum euorum Christus. Nouus iste rex non ostentat sui regni potestatem, & sublimitatem radiis coronæ, quibus super alios splender; non sceptro, quo eos regit, ac gubernat, sed humeris, quibus miseros, ac lassos portat, eisque requiem, ac leuamen confert: hac noua imperandi arte instruantur princeps, subditos non opprimere, sed fouere; non ostentationem facere de purpura, ac sceptri fulgore, sed de miserorum leuamine, ac subuectione. Vnde vocem Elisæi ad Parentem Eliam euolantem in cœlum, 4. Regum 2. num. 12. rectè explicat Drogo de Sacrament. Domin. Pass. *Pater mi, Pater mi*, ait, *ô vex affectuosa Currus Israel, & auriga eius portus, & regus: sustinens, & gubernans.* Vide *Prælatus.*

Isai. 9.

Sublimitas regni non fulgore, sed miseros fouere.

Drogo.

66. Ambr. Sextò. D. Ambrosius sermon. 22. in Psalm. 118. *Centesima ouis est*, ait, *quam dicit errasse; perfectio & plenitudo numeri, ipsa & instruat, & conformet. Non immeritò cæteris anteferatur, quia plus est à vitio se reuocasse, quam prope vitia ipsa nescisse.* Hæc vna ouis errans *cæteris anteferatur.* Quæ relictæ fuerunt in deserto. Nam hæc ouis errans nomen est adepta centesimæ; centesimus autem numerus est perfectus, & completus: *perfectio, & plenitudo numeri*; & tantum elevata est, vt tanquam consummatæ dignitatis, ac sanctitatis insigne, veluti in sublimi throno supra diuinam ceruicé, ac humeros superferatur. Vnde huic oui tantus honor, & decus? repræsentabat ipsa hominem pœnitentem ad viam salutis conuersum, vt communiter docent Patres ipse D. Ambros. D. Augustinus, D. Gregorius, D. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium, D. Bonau. Hugo, & alij communiter. Vera autem, & integra pœnitentia ita sublimem, ac illustrem reddit contritum delinquentem, vt aliquando eum splendidiorem, ac nitidiorem faciat, quam eum, qui nunquam se coinquinauit, ac fœdauit. *Quia plus est à vitio se reuocasse, quam prope vitia nescisse.* In hac parabola ad c. 15. Luc. ait D. Ambros. *Ouis a pastore lassa reuocatur; drachma, qua perierat inuenitur; ad patrem filius suis vestigiis redit.* Cur honoratior reductio ouis quam gnati? Ouis, scapulis pastoris vehitur; filius verò pedibus suis venit. Ouis aberrauit in montibus idololatriæ, ac dæmonum cultui dedicatis, in quibus superstitionibus ipsa se exercuerat, vt tenet Naz. Scholiastes, Nicetas in illius orat. 42. At filius prodigus in regione longinqua sceleribus fœdatas est luxuriæ, crapulæ, & aliorū similiū; quæ in homines fideles quadrant, quo ergo maiora peccata adumbrantur in oue, inde in ea profundior, ac vehementior denotatur pœnitentia, quo maior fuit præuaricatio, abundantior extitit & gratia, & inde ampliori, ac excellentiori honore afficitur, ac extollitur. Vide sup. c. 8. n. 133. 134.

Pœnitens maiori honore sublimatur à Deo, quàm iustus, qui non peccauit.

Ambr.

Nicet.

Septimò. Cur ouis non sequitur pastorem, vel ante ipsum pergit, ad quid humeris portatur? Si ouis pastorem sequeretur, non illam suus pastor aspiceret; si vero ante pastorem incederet, omnes illius gressus pastor notaret, ac annumeraret. Ponitur ergo in humeris, vt & pastor aliquando in eam oculos coniiciat, aliquādo diuertat, nec semper ouis oculos pastoris patiatur, nec semper effugiat; æquale discrimen est subditis, si superior omnes eorum gressus, aut nullos notet, & aduertat, & ita præsēs sit præsul, vt & aliquando diuertat, & absens fiat; sic præsens Sol fœcundat agros, vt & per noctes illius absentia fructiferos reddat. 67.

Superior nō semper dinumeret gressus subditorum.

In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni; ait anima sancta, Cantic. 3. num. 1. Non vnam noctem, sed plures patitur absentiæ sui dilecti, vt notauit Gillibertus Abbas serm. 1. in Cantic. *Noctes*, ait, *frequenter interpolantur absentia sponsi, cum adest, lux est, cum abest, nox est. Ideò multæ sunt noctes sponsæ, quia multi sunt elapsus sponsi, multa latebra.* Quo modo ergo sponsus, qui summa charitate suam dilectam prosequebatur, qui maximè eius colloquio delectabatur; indéque noctu ad eius fores pulsandas veniebat dicens: *Aperi mihi, soror mea, amica mea*, &c. Quomodo ergo tantas absentias interponit? Spōsus in Canticis introducitur rex, vt suprema iura tenens; prudentissimè magnus iste princeps lucem suæ præsentiæ cum noctibus eius absentiæ connectit, vt ex eius absentia gratior, ac æstimabilior fiat eius præsentia, sicque prouidentissimè attemperans præsentiam cum absentia adimplet superioris officium, vt & oculis tanquam præsens sæpè omnia lustret, & etiam tanquam absens sui tegumento, sæpè ab inferiorum aspectibus subtrahatur. 68. Cant. 3. Gillib.

Prælatus nō sit impertinēs præsens; nec diu absens.

Videt Ezechiel Deum supremum omnium præsidentem in curru tanquam in solio suo, & ait: *Et nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius*, cap. 1. num. 4. Totus currus hac nube inuoluebatur, seu illa erat circundatus. Quæ nubes, vt explicat Cornelius à Lapide: *Tenebrosa erat*, & sic erat tenebrosa, vt dicat Propheta: *Et ignis inuoluens, & splendor in circuitu.* Nubes hæc erat ignita, & volumina flammarum sese per totam nubem insinuabant, & conuolabant; ita vt mirum splendorem adderent. Sed si nubes erat tenebrosa, quomodo splendore ignita? *Ignis inuoluens*; legit Vatablus: *ignu se reciprocans.* Reciprocare, vt explicat Calepin. est alternatim trahere, & remittere. Reciprocabat se nubes inter tenebrositatem, & ignis splendorem, fulgurabat igne, & quandoque sese remittebat, tenebrositatem ostendens, sed quomodo tanta varietas in nube, quę veluti solium supremi regis erat? vt innuatur, quod rex in solio suo aliquando habeat luminis splendorem, vt suos videat, & obseruet, aliquando etiam remittat, & tenebras suæ assistentiæ interponat, vt non videat, sicque rutilis oculis ad sit princeps suis inferioribus, vt & etiam densæ obscuro caliginis velo obducatur, sicque præsentia subditos confoueat, vt etiam aliquando absentia releuet. 69. Ezech. 1. Corn. Vatabl. Calep.

Princeps nō semper præsentia fatiget subditos.

70. Cant.2. *Sub vmbra illius, quem desideraueram sedi, & fructus eius ducis gutturi meo*, Cant.2.num.3. Vox hæc est animæ sanctæ;& quomodo hæc,quæ vehementer suum dilectum præsentem optabat, ita vt per vicos, & plateas quæreret, modo non in eius oculis,sed in eius vmbra, ab absentia percipit fructus dulces? nam dum desideratum vocat, eius aspectu se carere ostendit: & si præsentia magistri dat fructus dulces, aliquando etiam & absentia illos communicat, rari enim sunt, qui continua magistri præsentia non grauentur. Componatur ergo vnum cum altero, vt nec molestiam pariat præsentia, nec ignauiam absentia; sic & præsentia delectet, vt & absentia leuamen præbeat. D. Bernard. serm. 48. *Merito eius*, ait, *desideraueratvmbram, de quo, & refrigerium esset, & refectionem pariter acceptura.*

Abitia Prælati aliquando dulcia.

Bern.

Luc.15. n.6. Et veniens domum conuocat amicos,& vicinos, dicens illis:congratulamini mihi, quia inueni ouem meam,quæ perierat.

Num.7. Dico vobis, ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente,quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitẽtia.

VERSIONES.

Arabic. n.6. Venit cum ea domum suam, & vocat amicos, &c. ob inuentionem ouis meæ perditæ.

Theophylact. Gaudere mecum, quia inueni.

Caietanus. Congaudete mihi.

Syriac. n.7. Ita fore gaudium in cœlo super vno peccatore, qui pœniteat, maius quam supra nonaginta, &c.

Clem. Alex. Magnum enim gaudium est apud patrem de vno peccatore seruato.

Theoph. Euth. Super vno peccatore resipiscente.

Arias. Qui non opus habent pœnitentia.

Alter Textvs.

Matth.18. num.13. Et si contigerit, vt inueniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis,quàm supra nonaginta nouem, quæ non errauerunt.

EXPOSITIO IV.

71. Ioan.14. *Et veniens domum.* A qua discesserat quærens ouem. Domus autem hæc est cœlestis patria. *In domo patris mei mansiones multæ sunt*, Ioan.14.num.2.ad quem Christus, vt explicant D. Bonauent. Hugo. In die suæ Ascensionis venit; notandum tamen, quod supra desertum vocauit cœlum: *Relinquis nonaginta nouem in deserto.* Modo verò domum dicit; Vna deficiente oue naturæ humanæ illi veluti præamore desertum apparebat ipsum cœlum;ipsa autem oue inuenta iam est domus, curia, & palatium. *Conuocat*; magnum gaudium occultari non potest,nec inter se continet pastor,sed aliis communicat. *Amicos, & vicinos.* Euthymius, Theophylactus, Albertus Magn. Amici, & vicini sunt Angeli cœlestes,vt rectè explicant Beda, & Haymon. Dicuntur amici, quia eis reuelat Dominus sua secreta, quod amicitiæ signum est. Ioan.15. num.15. *Vos autem dixi amicos. Quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo,nota feci vobis.* Et etiam vicini dicuntur, quia immediatè eius claritate fruuntur. Matth.18.num.10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei,qui in cœlis est.* Contingit *amicos & vicinos.* Qui enim longè abest, amicitiam alere non valet, nouerca enim amoris absentia est.

Bonau. Hugo. *Deficiẽte homine cœlum dicitur desertum cum ipso domus.*

Euth. Theoph. Alb. Magn. Beda. Haym. Ioan.15. Matth.18.

Congratulamini mihi. Nota quod ait: *Congratulamini mihi.* Cur non potiùs oui,quæ perierat? verus pastor salutem subditi proprium reputat bonum. S. Gregor. homil.34.in Euangel. sic soluit dubium: *Quia*, ait, *videlicet eius gaudium est vita nostra, & cum nos cœlis reducimur solemnitatem lætitiæ eius impleamus.* Magis Deus de hominis salute,ac bono gaudet,quam homo ipse, qui saluti restituitur, & bonis locupletatur. *Inueni.* Non commemorat labores in comparanda oue perpessos,sed præ gaudio illius inuentionis oblitus est omnis molestiæ, *ouem meam, quæ perierat.* Nonaginta nouem sibi saluas refert,sed de vna recepta gloriatur,eáque vna sibi videtur plausibilior.

72. Greg. *Deus magis gaudet de hominis salute, quàm ipse homo.*

Dico vobis. Accommodat Christus extremum similitudinis proposito,à quo res est incœpta,reliqua intelligenda relinquens,hócque argumento conuincit Pharisæos perperam murmurantes, dum vident Christum cum peccatoribus conuersari,vt eos conuertat,cum hoc negotium sit Deo, & Angelis gratissimum. *Gaudium erit in cœlo.* Idẽ valet,ac est, seu esse solet. Cum cœlum nominat terram non excludit, sed de cœlo potissimum fit mentio, quia illic exclusa inuidia perfectum, ac plenum regnat gaudium; & quamuis non explicetur,in quibus futurum sit gaudium tamen intelliguntur habitantes in cœlo,vt Deus,& Angeli,qui solum erant in cœlo,ante Christi Ascensionem. *Super vno peccatore pœnitentiam agente.* Vera, ac integra pœnitentia, & contritione, *quam supra nonaginta nouem iustis.* Ponitur numerus pro incerto respectu ad parabolam propositam, quomodo hoc intelligatur iam explico quæstione sequenti.

73. *Applicatur parabola.*

Qvæstio X.

Quomodo intelligatur, quod maius gaudium est in cœlo de vno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta nouem iustis?

74. Greg. Ivvs Gregorius citata homil.34.explicat hæc verba de iustis tepidis, & de peccatore magno animi conatu pœnitentiam agẽte. Sic ait: *Maius erit gaudiũ super vno peccatore paniten*

pœnitentiam ardenter agente, boniſque operibus inſudante, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui, vt ille ait, *pigri remanent, ad exercenda bona opera.* Similiter Beda, Haymon, Gloſſa, *Maius gaudium eſt de peccatore reſurgente in feruore, quam de iuſtis pigris ſtantibus.* Quia ſecuri ſunt, quod in nulla grauiora mala inciderint. Rem ſimilitudinibus illuſtrant citati Patres: Maius, inquit D. Gregorius, dux in prælio plus illum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quã illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert; quam eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem meſſem produxit, &c.

75. Secundò explicatur locus, quod ex conuerſione, & pœnitentia peccatoris, noua quędam actualis, & præſens exoritur lætitia, quæ actu non exoritur ex multis iuſtis, quibus nihil noui accidit; nouumque illud gaudium, quod actualiter ſuperuenit ex peccatore conuerſo, magis quid ſenſibile videtur, magiſque re ipſa ſentitur, quàm vetus illud continuum, ac permanens de nonaginta nouem. Nam, vt ait D. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 3. res inuenta magis delectat, quàm poſſeſſa. Soleut enim homines de nouis, ac felicibus fortunis, magis lætari, ac exultare, quam de veteribus etiam maioris momenti. Deinde etiam quia illud gaudium animi de oue inuenta propter oppoſitam animi triſtitiam de eadem mox perdita magis ſentitur, quàm illud, quod animo eſt inhærens, & fixum de cæteris ſimul omnibus, quod vtique habitu, ac permanentia in ſe maius eſt. Quis enim dubitabit, quod abſolutè, & ſimpliciter magis gaudeat homo de nonaginta nouem ouibus, quàm de vna, & Deus de nonaginta nouem iuſtis, quàm de vno pœnitente. D. Auguſtinus cit. D. Bonauent. & communiter recentiores Barrad. Luc. Burgenſ. Cornel. & alij: & hæc ſententia eſt communior.

Maius gaudium exoritur actualiter ex pœnitente, quam ex iuſto.

Aug.

Bonau. Barrad. Corn. Luc. Burg.

76. Poſtquam prodigus ille filius, à domo paterna peregrè profectus eſt, diſſidauitque totam ſubſtantiam, ac rem ſuam cum meretricibus viuendo luxuriosè, cúmque reuerſus eſſet ad patrem poſtulans ab eo, vt inter mercenarios recenſeretur; inter brachia benignè eum excipit pater occurrens ei, datóque veſtitu, ac calceamento, & annulo in manu cũm multa feſtiuitate, ac lætitia parat ei lautum conuiuium, quale nunquam filius primogenitus à parente obtinuerat, vt ipſe patri dixit: *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Et poſtquam hic filius tuus, &c. venit. *Occidiſti illi vitulum ſaginatum*, Luc. 15. num. 29. Cur tot dona impenduntur prodigo reuerſo, non verò filio, qui nunquam à domo paterna, ac eius obedientia receſſerat? tantum ſua vehementi, ac efficaci pœnitentia promeruit iunior filius, vt non ſolum adæquaretur innocenti, ſed etiam illi prælatus ſit, plus enim lætitiæ contulit parenti vna vox filij. *Pater peccaui in cœlum, & coram te*, quam perſeuerantia, ac obedientia eius multorum annorum in domo, & quænam maior cauſa gaudendi, quam & quod recipiatur viuus filius, qui mortuus putabatur. Elegantes Tertull. lib. de pœnit. cap. 8. *Chariorem ſenſerat, quem lucrifecerat.* Et rationem aſſignãs effuſæ beneuolentiæ in filium redeuntem ait. *Etſi nudus redieris, recipiet, quia rediſti; magiſque de regreſſu tuo, quam de alterius ſobrietate lætabitur.*

Luc. 15.

Deo aliquãdo charior pœnitens, quam innocens.

Vt Iacob benedictionem à parente Iſaac obtineat; dat Rebecca dilecto filio ſuo conſilium multis myſteriis plenum, dicens. *Nunc fili mi, acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur; quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi, priuſquam moriatur.* Geneſ. 27. n. 8. Cur Rebecca, vt filius præiucundum cibum offerat Patri, iuſſit duos hœdos afferri? Cur non potius duos agnos, vt Abel obtulit Deo? Vel cur non lactantem vitulum, quem ſciebat, quod Socer ſuus Abraham tanquam pretioſiorem eſcam Deo appoſuiſſet? Vel cur litem non diuiſit, agnum, & hœdum ſimul parauit? Quid ſibi vult Iacobum ad patrem mitti duobus aſſociatũ hœdis, vt ei offerat eſcas, *quibus libenter veſcitur.* Septuag. *Eſcas patri tuo ſicut amat.* Pagn. *Eſcas ſicut dilexit.* Vt benedictionẽ lucretur. Cognoſcebat Rebecca magno ſpiritu illuminata Iſaacum Deum ſignificare, vt communiter teſtantur Patres; Agnos etiam iuſtos, ſicut hœdos peccatores denotare, vt eſt ſatis notum. Vt Deo offerretur gratiſſimũ ferculum, eius voluntati, ac guſtui valdè delectabile, & ſapidum, ſicut ipſe amat, ac diligit, non componendum, ac condiendum fuit ex agnis, ſed ex hœdis, non iuſtis, ſed ex peccatoribus contritione, ac pœnitentia decoctis, ac præparatis: hæc eſt eius dulciſſima, ac ſuauiſſima eſca. Euchir. lib. 2. in Gen. *In omnibus Scripturis*, ait, *hœdi pro peccatoribus accipiuntur, carnes autem hœdorum, ex quibus Iſaac præparatus eſt cibus, peccantiũ intelligenda eſt conuerſio.* Cum ergo Iacob hos hœdos ſecum fert, ſecutus accidit ad patrem, vt ab eo omnem benedictionem, ac donum promereatur, & accipiat.

77.

Septuagintal. Pagnin.

Oblatio ex pœnitentibus gratior Deo, quam ex iuſtis.

Euchir.

QVÆSTIO XI.

Quare ex conuerſione peccatoris, tanta ſit ratio gaudendi, tam ipſi homini, quam Angelis, ac Deo?

78. CONVERSIO peccatoris magnum bonum eſt, ex ipſáque magnum reſultat gaudium tam ipſi peccatori, quam Angelis, ac maximè, & potiſſimè ipſi Deo. Peccator enim per pœnitentiam à peccato tranſit ad iuſtitiam, à gehenna, ad cœlum ab immundicia, ac nequitia ad puritatem, & ſanctitatem. Vidit Ioannes ſupra montem Sion centum quadraginta quatuor millia habentes ſcriptum nomen Dei in frontitibus ſuis, de eiſque dicitur. *In ore eorum non eſt inuentum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.* Apocal. 15. num. 5. Merito dubitat D. Auguſtin. lib. 3. de ſanctor. meritis cap. 7. Quomodo hi dicuntur ſine macula, & ſine peccato, cum nullus ſit viuens ordinariè loquendo, abſque aliqua nota peccati ſaltem leuis; vnde Scriptura ait, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Et in illa tantorum turba, etſi aliqui erant; qui aliquando graui peccato fuerant coinquinati; tamen per pœnitentiam eorum iniquitas ſic mundana eſt, vt dicantur mundi ſine macula, ac mendacio. Reſpondet ipſe D. Aug. *Dicitur*, ait, *non inuentum fuiſſe in eis mendacium, ſed ſine macula viciſſe; quia mendacium, vel quodlibet aliud peccatum, ſi pœnitentia deletum eſt, iam non eſt, & ſic non inuenitur.* Et D. Thomas. *Non eſt inuentum*, ait, *iam dudum*

Apoc. 14. Aug.

Peccatũ per pœnitentiam ſic deletur, ac ſi non fuiſſet. Aug.

dum ex quo ei adhæserunt, quia scilicet sic deletum est, & ideo non est inuentum.

79. Secundò. Gaudent Angeli de conuersione, ac pœnitentia peccatoris. Primò quia Dei, quem summè amant, impletam vident voluntatem de hominis salute. Tertiò. Quia per homines sanctos & iustificatos reparatur eorum ruina, ac sedes in cœlis, à quibus Lucifer cum suis cecidit. Quartò. Quia, vt ait Eut. *Angeli erga homines benigni sũt*: ac proinde maximè de eorũ bono, ac salute gaudẽt.

Gaudent Angeli de salute nostra.

80. Postquam Agnus aperuit librum, & signacula eius, ait Ioannes: *Audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, diuinitatem*, &c. Apoc. 5. num. 11. Decantant Angeli gloriam Agno, qui occisus est; sed cur non voce tenera, & suaui, sed magna, & alta? vox magna indicat ingentem animi affectum, ac ardorem; In sanctis autem Angelis ingens erat lętitia, & exultatio ex hominum redẽptione, ac restauratione, vt mirifice exultantes de eorum salute in magnas Dei laudes, ac iubilationes ingenti voce prorumperent. Ait Richardus Victorinus. *Vox Angelorum laudantium magna esse dicitur, vt exultatio, & congratulatio eorum de saluatione generis humani, & laus ab eis impensa saluatori magna designetur.* Et Pannonius. *Hæc vox*, inquit, *summæ charitatis argumentum; qua nobis affecti sunt Angeli assequutis gratiis per Christum.*

Apoc 5.

Salus hominũ magna exultatio Angelis. Rich.

81. Quintò. Gaudium est Deo, qui maximè diligit omnes homines tenere, & neminem vult perire, quod apertè indicat parabola, dum tam diligenter quærit pastor vnam ouem aberrantem. Euthym. *Id ostendit*, ait, *Deum vehementer sitire cuiusuis peccatoris pœnitentiam.* Indęque ipso pœnitente inuento insigniter gaudet, & exultat. Tanquam per quærimoniam ait Propheta Habacuc ad Deum. *Vsquequo vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis*, cap. 1. num. 2. Postea verò cum magno amoris impetu loquitur ad Deum. *Nunquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur?* Quomodo qui anxiabatur, ac dolebat à principio, non verò tanta suauitate verba profert? D. Hieron. *Hæc autem loquitur*, ait, *blandientis, & pœnitentiæ affectu.* Notandum tamen est, vt aduertunt Vatabl. Genebrardus, Hebræaq; scholia, Prophetam hęc orasse cum cantico. *Deus meus, sancte meus.* Et addunt prædicta scholia: *Sigionot*, quæ vox inter varia sui significata gaudium significat, & vnde Propheta gaudium decantat, ac dicit Deo? ex ipso affectu pœnitentis, cùm enim pœnitentia diuinis oculis præsentatur, inde gaudium celebrat Deo, sciebat enim quod vox contritionis sonora lyra sit Deo, luctúsque pœnitentiæ cantus valde suauis.

Euth. *Nostra pœnitentia Dei gaudium.*

Habac. 1.

Hieron.

82. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha, & thuris?* Cant. 3. n. 6. Risissent, imò irrisissent homines audientes pulchritudinem fumo comparatam. Quid est quod eximius decor sponsę, quę cum luna, rosa in Iericho, platano, lilio comparatur, quomodo verò nunc cum fumo combinatur, qui est quid triste, nigrum, & iniucundum? Perpende; non confertur anima sancta cum fumo tantum, sed cum *virgula fumi ex aromatibus mirrha, & thuris.* Virga autem est aspera peccatorum castigatio per pœnitentiam, quam etiam denotat mirrha, quæ valde amara est. Gillibertus Abbas sermone 15. in Cant. *Quasi virgula fumi ex aromatibus*, ait, *& fumum lego de puteo abyssi prodeuntem.* Apocal. 9. n. 2.

Cant. 3.

Gillib.

Apoc. 9.

Sed non ibi virgulam, non aromata lege; in fumo abyssi non est virga, quia non est in inferno pœnitentia, nec salutaris peccatorum castigatio. Et D. Bernard. serm. 59. *Ascendit sicut virgula fumi.* Sic ait. *Ascẽdit anima pœnitens per desertum peccatorum suorum recordando.* Ex aromatibus myrrhæ, & thuris. *Debent eam comitari myrrha, & thus, ideſt, mortificatio carnis, & oratio cordis.* Anima sancta, quæ per sui pulchritudinem oculos sponsi rapiebat, valde apposite virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris assimilatur, quia nil iucundius ac pulchrius diuinis oculis apparet, quam anima contrita, & dolens castigata virga pœnitentiæ, mortificatáque dolore suorum peccatorum. In ipsáque pœnitentiæ virga, germinant omnes flores hortorum, ac poma Libani, quibus sponsa præ decore comparatur.

Bern.

Nil iucundius Deo quàm anima pœnitens.

Luc. 15. *n.* 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnã, nonne accendit lucernam, & euerrit domum, donec inueniat?

VERSIONES.

Tertul. lib. ad uersſ Hæret. cap. 10. Si perdat vnam ex decem de drachmis anus illa.

Arabicus. Quænam est mulier, cui sint decem drachmæ, si perdat vnam ex eis, nonne accendit lucernam, & mundat domum?

Syriacus. Quæ non accendat lucernam, & scopet domum, quærátque sibi accuratissimè, vsquequò inuenit eam.

Euth. Vatabl. Verrit domum, quæritque diligenter.

EXPOSITIO VIII.

5. Cyril.

AD idem hæc parabola, vt notant Diuus Cyrillus & communiter omnes Patres, pertinet quod superior, quantam diligentiam soleat adhibere, vt peccatores conuertantur, ac reducantur ad viam salutis, multámque doctrinam Christus interponit, vt Pharisæorum murmurationem comprimat, quo enim malitia humana magis crescit, & augetur, eo diuina misericordia effusius abundat, altiúsque docet. *Aut qua mulier habens drachmas decem.* Mulier habens drachmas decem, vnam amisit, quęsiuit, cum magno gaudio repetit; similiter Deus hominem mortali peccato inquinatum amittit, diligenter ex sua magna charitate quærit, cum magno gaudio inuenit. Mulier denotat Dei sapientiam, quę dicitur mulier, vt ait D. Bonau. ex affectu pietatis, & misericordiæ, sicut multis in aliis locis. *Ego mater pulchræ dilectionis.* Eccl. 24. n. 24. à Tertullian. appellatur hæc mulier anus, quia Deus quamuis sit valde dives in maiestate sua, tamen sine homine pauperem se existimabat. Drachma denarius est, siue regalis nummus hispanicus. *Verrit domum*: ideſt totum mundum, vt explicant Theophylact.

Quo maior est nostra iniquitas, maior est diuina affluentia.

Bonau.

Eccl. 42.

Hugo,

Hugo,& alij; & rectè totus mundus dicitur in ordine ad Deum domus, quia sic de illo habet
Luc.1. curam,& prouidentiam,vt mulier solicita de domo sua, sicque de Christo Domino, *regnabit in domo Iacob.* Luc.1.n.32.vt ibi explicaui.

84. Greg. Tota hæc parabola,rectè explicatur à D. Gregorio homil.34. Deum, ait, decem drachmas habuisse, id est nouem choros Angelorum, & decimam genus humanum, drachmis autem significantur: quia quemadmodum drachma imagine regis, ita Angeli, & homines imagine Dei condecorantur. Drachma autem amissa est, id est humanum genus. Lucernam mulier accendit ad quærendã drachmam perditam. Lucernam quoque diuina accendit sapientia, cum *Verbum caro factum est*, ad quærendum hominem amissum. Hæc citatus D Gregorius. Idem similiter docent D. Cyrillus. D.Nyssenus apud D. Thom. D. Nazianzenus orat. 2. de Pasch. D. Augustinus lib.2. quæst.Euangel.cap.33. Glossa, Theophylact.Euthym. Beda, D. Bonauent. & alij. Non omittam aduertere quod aliter D.Chrysologus serm. 149. prædictam parabolam explicant. *Mulier*, inquit, *id est Ecclesia,accendit lucernã suam,id est internum illum sui cordis obturum:hoc est illuminatos,vt inquit Apostolus,oculos cordis vestri. Accendit ergo lucernam suam,& illam Iudaicam domum ignorantiæ cæcam tenebris euerrit Apostolicum post laborem,donec iam de decem drachmis,hoc est decalogo legis drachmam perditum reperiret in Christo. Christus est plenum Deitatis numisma Christus est drachma nostræ redemptionis, & pretij.*

Vera parabolæ explicatio.

Cyrill. Nyssen. Naz. Aug. Glossa. Theoph. Euth. Beda. Bonau. Chrys. *Altera eius explanatio.*

QVÆSTIO XII.

Quare mulier deperditam drachmam quærit in domo sua, & non extra?

85. Tert. NOTANDVM est cum Tertulliano lib. de pudicitia, quia ait: *Iuxta drachma exemplum,etiam intra domum Dei Ecclesiam licet esse aliqua delicta pro ipsius drachmæ modulo, ac proinde mediocria.quæ ibidem delitescentia, mox ibidem, & reperta statim ibidem cum gaudio emendationis transigantur.* Mulier perdidit drachmam, non tamen ideo reiicitur à Domino, ac damnatur, sed potius laudatur, quod accensa lucerna perditam diligenter inquirat, ac recuperet, non enim est huius temporis omnino peccatis carere, sed vera sanctitas ibi est,vbi etsi peccata dentur, inuenitur tamen eorum emendatio, ac felix recuperatio.

Non est huius temporis omni peccato carere.

86. Hem. Ad quæstionem respondet primò Tertullianus lib.aduers. Hæretic.cap.11.vbi à quibus quærendus sit Christus interrogat. *Non apud Hæreticos*, ait;vbi omnia extranea, & aduersaria nostræ veritati,ad quos vetamur accedere. *Quis seruus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui speret? quis miles ab infœderatis,ne dicam ab hostibus regibus,donatiuum,& stipendium captat;nisi planè desertor,& transfuga, & rebellis? etenim anus illa intra tectum suum drachmam requirebat.* Prudens fœmina vt inueniret perditam drachmam intra domum suam se continet,& extra non egreditur. Anima,quæ Christum, eiusque gratiam perdidit intra Ecclesiæ Apostolicæ, ac Romanæ septa sit præfixa,ibi eius gratiam quærat, ibi enim solum Christum inuenire potest,ibique solum de eo in-

Christus solũ in Ecclesia, & non extra inuenitur.

uento gaudere, cum solum in Ecclesia sit Christus, & non extra apud infidos, & hæreticos. *Quis seruus ab extraneo,&c.*

87. Orig. Secundò. Origenes homil. in Genes. *Mulier illa,*ait,*quæ perdideras drachmam, non illam inuenis extrinsecus,sed in domo tua. Tu ergo si accendas lucernam,si adhibeas tibi illuminationem Spiritus sancti,& in lumine eius videas lumen, inuenies intra te drachmam, intra te est collocata imago regis cœlestis. Cùm enim faceret Deus hominem ab initio, ad imaginem,& similitudinem fecit eum, & hanc imaginem non extrinsecus, sed intra eum collocauit.* Perdidit anima imaginem hominis cœlestis, non quærat eam in rebus extrinsecis, & temporalibus, sed velut hæc mulier accendit lucernam, verrit domum; multa dispositione,ac præparatione accedat ad Deum,vt à diuino Spiritu illuminetur,abiiciat, ac euertat à se imaginem hominis terreni, ac illius desideria, vt inueniat imaginem hominis cœlestis.

Reiiciat homo terrena, vt inueniat imaginẽ hominis cœlestis.

88. Ambr. Tertiò. D.Ambrosius in Comment.ad cap.31. Exod. *Non est,*ait, *drachma denarius,sed diuersum est; in denario imago Cæsaris est, in drachma imago Dei.* In denario cum esset depicta imago Cæsaris bona temporalia indicantur; in drachma verò cum esset imago Dei, bona spiritualia designantur. Nobilis matrona non exquirit diligenter denarium,sed drachmam,non enim suam sollicitudinẽ impendit pro terrenis, sed solùm pro cœlestibus comparandis, procúlque est à fastu hominum temporalium,qui denarium quærunt,vt sæculi bona congregent. Obsequium præstitum à Magdalena Christo obmurmurat impius proditor dicens: *Posset venundari istud, plusquam trecentis denariis*, Marc.14.num.5. Præclarè in eum inuehitur D. Paulinus epistol.4. *Suo*, ait, *ipsius damnandus iudicio, quo triginta aureis vendidit eum,quem mulier,vt ipsa taxauerat,vnxit trecentis; sed in hoc peruersus, quod ipsum vili æstimans Dominum,vnguentum illud carius æstimauit.* Stultissimus proditor suo ore se ipsum condemnet;pia fœmina tantum æstimabat cœlestia, vt plusquam trecentos denarios expendat,vt obsequium exhiberet Christo;proditor autem tanto affectu ad terrena ferebatur, vt Dominum Iesum pro triginta argenteis vendiderit.

Spiritualia bona quærenda, non verò temporalia.

Marc.14. Paul.

89. Quartò. Mulier quærit drachmam intra rectum suum,cur non foras exit,vt quærat; Bonus enim pastor, relinquit oues in deserto, & per montes, valles, ac campos inuestigat ouem aberrantem. Cur etiam mulier per vias, ac plateas drachmam non quærit? Etsi pastor ad loca publica se conferat, tamen bona fœmina extra domum suam pecuniam non indagat; certa enim erat,quod foris non amiserat, cum semper domi se contineret, & per communes plateas non vagaretur. Mandat Deus Moysi, vt cum populus egrederetur de Ægypto: *Postulet vir ab amico suo,* Exod.11. *& mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea,* Exod.11.num.2.Cur non peteret mulier ab amica, sicut,& vir ab amico?fieri poterat,vt esset in loco distanti. diuina autem dispositio hæc est, vt homo longè exeat à domo ad amicum suum in longinquo existentem; mulier autem à domo non recedat,sed inter illius fines se contineat, & ideò non ad amicam, sed ad vicinam mandatur. De quo plura in hoc tom. verb. *Mulier*, in Indice, & tom.1.2.& 3.

Mulier non vagetur per loca publica.

Exod.11.

Qvæstio XIII.

Quare mulier non quærit drachmam inter suos thesauros, sed verrit domum?

90. Respondeo primò, quod parabola desumitur ex re nota, & vsitata. Nihil autem frequentius est, quam vt mulier, quæ habebat decem numos, seu drachmas, si vnam perdidisset, lucernam accenderet, domum euerreret, inuentáque drachma cum vicinis congaudet, & exultet.

91. Hieron. Secundò. Perdidit mulier drachmam, diligenter quærit, non tamè inter thesauros suos, areas, ac scrinia, sed inter quisquilias, ac vilia. *Euerrit domum.* Et ibi eam reperit. D. Hieron. *Drachma periit*, ait, *sed in stercore inuenitur.* Gloriæ Margarita, diuina scilicet gratia, animæ salus, ius cœlestis beatitudinis, quæ in magno pretio habenda erat, tã vili æstimatur, vt inter rudera, ac quisquilias abiiciatur, & deperdatur, mundialia verò sic pretiosa reputantur, vt in ærario, ac scrinio aureo recondantur; sic mundi bona in tam magno pretio, cœlestia verò in tam vili iudicantur. *Cœlestia bona parui æstimantur.*

Philipp. 3. Aliter D. Paulus verus iudex res mundiales, ac cœlestes appendebat. Ad Philipp. 3. n. 8. *Verumtamen*, ait, *existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Græcus. *Stercora*, legit, *Paleas*, seu *aristas.*

Græc.

92. Orig. Tertiò Origenes homil. 13. in Genes. *Mulier* ait, *quæ perdidit drachmam, non illam inuenit extrinsecus, sed in domo sua, postea quam accendit lucernam, & mundauit domum sordibus, & immundiciis, quas longi temporis ignauia, & bebetudo congesserat, ibi inuenit drachmam: hac enim videri non poterat, donec domus tota sordida erat immundiciis, & ruderibus plena.* Non inter gazas, ac areas quærit mulier drachmam, sed verrit, ac abstergit domum a minutissimo quoque puluere, vt eam inueniat, perdidit homo nũmum, in quo erat descripta effigies supremi regis, vt eam perfectissimè, ac valdè consummatè inueniat, ac obtineat, non tolum mundet domum suam, animã suam à magno squalore peccati, sed etiam à quolibet illius exiguo puluere, ac vestigio, vt omnium virtutum ornamento induatur ex alto. Imago in nummo impressa exiguis etiam sordibus obtruitur, ne appareat, *hac in te videri non poterat, donec domus tua sordida erat, immundiciis, & ruderibus plena.* Amouendus est ergo quilibet leuis etiam puluis, vt vniuersus illius decor irradiet.

Abundanda à quolibet minuto puluere anima.

93. Cum lauaret Christus Dominus pedes discipulorum suorũ, cúmque vellet Petro exhibere illud ministerium, piè recusat ipse pium Magistri obsequium, cui ait Iesus. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus: & vos mundi estis.* Ioan 13. n. 10. Videtur quod in his verbis quædam contradictio inuoluatur. Si Apostoli mundi, & puri erant, quomodo indigebant, vt eorum pedes lauarentur? *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, & est mundus totus.* Si autem pedes squallent, vt necessarium sit quod lauẽtur, non est mundus totus. Apostoli (non loquor de Iuda) tanquam homines egressi de mundo puri, ac mundi erant viam virtutis sequentes, at vt celsitudinem Apostolicam, illiúsque consummatam perfectionem tenerent, tanquam Christi comites ei adhærentes, necesse erat alius mundari, vt eorúmque pedes lauarentur, scilicet animi affectus, qui ex terrenarum rerum contagione maculantur, leuésque sordes contrahunt, hic ergo minutissimus puluis erat abluendus, vt animus vndique expurgatus, in perfectionis apice consisteret. D. Bernard. serm. in cœna domini. *Qui lotus est*, ait, *non indiget nisi vt pedes lauet; lotus est, qui grania peccata non habet, cuius caput, id est intentio, & manus, id est operatio, & conuersatio munda est, sed pedes qui sunt anima affectiones, dum in hoc puluere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquam oporteat, cedat animus, vel ad horam: in multis enim offendimus omnes.*

Ioan. 13.

Ad consummatam perfectionem multissima abluenda.

Bern.

94. Ait Regius Vates. Psalm. 50. num. 3. *Secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam; amplius lauame ab iniquitate mea.* Postulat deleri iniquitatem suam; ad quid vlterius rogat, *Amplius lauame.* Seu vt ex Hebræo legitur, *Multiplica lauare me.* Et D. Augustin. D. Fulgent. & Psalterium vetus. *Magis, magisque lauame.* Nunquid iustificatio è mortalibus sit dimidiatè? nullo modo, vt vera doctrina fatetur, ad quid ergo cum exoret, vt iniquitas eius deleatur, statim subdit, *multiplica*, seu *magis, ac magis munda me?* Vehementi contritionis affectu optabat Dauid, vt non solum in ipso omnis criminum iniquitas expungeretur: *dele iniquitatem meam.* Sed etiam, vt omnes eorum fæces, ac vestigia extingueretur: *Amplius lauame.* Ne saltem ab eorum memoria, ac vestigiis iustitia infirmaretur, sed vt cum ab illis mundatus sit, eius virtus suum magnificum robur, ac decorem acquirat; sicut si expungantur veteres characteres, quædam scripturæ vestigia abradenda sunt, vt membrana suum antiquum nitorem obtineat. Vbanus Pontifex Quartus in Commentar. ad prædictum Psalm. *Domine*, ait, *qui non despicis gemitus contritorum; tu nosti, quod sicut super deletas litteras remanet turpitudo, per quam perpendi adhuc possent, ipsarum deletarum vestigia; ita & deleta à te iniquitas in anima mea quandam deformitatem reliquit: ideo peto humiliter, amplius lauame ab iniquitate mea, & sic perfectè laua, vt in me peccati vestigium non relinquas.*

Psal. 50.

Aug. Fulgent.

Non solum peccata, sed etiam illorum vestigia abluendo.

Vbr.

Qvæstio XIV.

Quare mulier nocturno tempore accensa lucerna drachmam quærit?

95. Mvlier nocturno tempore perdidit drachmam, vt patet ex eo, quod lucernam accendit, & notat D. Chrysolog. serm. de hac parabola. 169. *Putas no*, ait, *mulier ista communis est, aut habuisse eam decem drachmas humano putatur excessu, aut vnam casu creditur perdidisse mundano, aut simpliciter contigit, quod eam nocturno requirit in tempore, aut lucernam de nostri vsus more succendit.* Quare mulier tantispèr non moratur, donec illucescat dies, nam solares radij deperditam drachmam indicabunt, nam clarior lux ingenium inueniendi est, & occulta pandit, ac prodit?

Chrysol.

Difficultas quæstionis.

96. Respondeo primò ad quæstionem, & persisto in

in communi sententia, quæ hanc mulierem interpretatur Dei sapientiam,seu Christum Dominum;Drachmam verò deperditam genus humanum,vt dixi in expositione, sed quænam est lucerna ista,quæ accenditur, vt totam domum, ac mundum illuminet ? Sacratissima crux eius exiit. D. Chrysost.in cæmeteriis appellationem; & crucem tom. 6. *Quemadmodum*, ait, *si quis lucernam in domo quapiam tenebris obsita accendat, & in altum flatuat, tenebras de repente fugat: sic tenebras per vniuersum orbem sparsis Christus, tanquam lampadem quandam, crucem accendit, & in altum erexit, omnémque caliginem totius terræ dissipauit.* Tota mundi machina tenebrarum caligine erat occupata, erecta est crux,tenebræ fugerunt, & lucidior sole veritas apparuit, & drachma inuenta est, & in viam salutis directa. Vide supra c.6.q.2.n.12.13.14.

Chrys.

Crux lux totum mundum illuminauit.

97. Secundò respondet D. Chrysol.citato sermon. 169. *Christus*, ait, *est plenum Deitatis numisma, Christus est Drachma nostræ redemptionis, & pretij, Christus est, qui erat in legis decalogo, & latebat.* Perdidit mulier drachmam, & non expectat fulgentes lucis radios, nec conuocat vicos industrios, & sagaces, sed ipsa quamuis simplex fœmina, vna accensa candela, eam diligenter quærit, ac inuenit. Cùm vigent multæ ignorantiæ tenebræ, plus valet sæpè vna simplex fœmina accensa fidei lucerna, vt Christum Dominum eiusque veritatem, ac doctrinam quærat, & inueniat, quam multorum superba sapientia, nam hi cum de suo ingenij fulgore multùm præsumunt,à veritate aberrant,quam veta fides animo sincero,& puro clare indicat.

Chrysol.

Plus assequitur veritatem simplicitas, quam sagacitas.

98. Tertiò ad eadem Chrysolog. verba. *Christus est plenum Deitatis numisma*, &c. Mulier perdidit nummum, non præstolatur diutnam lucem, sed accensa cãdela vertit domum,& quærit.Perdidit anima salutis drachmam,gratiam,ac Christum, tantisper non immoretur, nec differat in aliud tempus, & horam, sed quamprimum aduertat à se salutis bonum dilapsum; & si nox sit, ac profunda delictorum se obiciat densitas, non procrastinandum est,sed accensa fidei deuotione, præmissa confessione, vertat, ac mundet conscientiæ suæ domum, vt salutis drachmam inueniat.

Chrysol.

Confessione mundanda est conscientia.

99. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Psalm.100. num.8. Merito dubitat ibi D.Augustin. *Quare eis parcit vsque ad matutinum ? Quia nox erat.* Nunquid sub tenebris, ac caligine occidi non poterant deprauatæ gentes ? Angelus ille,qui Ægyptiorum primogenitis mortem intulit,in medio noctis percussit. Exod.12, num.29.Cur ergo Dauid eos per noctem permisit ? rectè ait Augustin. *Quia nox erat.* Quandiu enim tenebræ eum occupabant,sinebat iniquos, ac eorum scelera in se viuere, ac degere; at verò cum candela accensa est, & matutina lux gratiæ in corde refulsit, statim omnes iniquitates in se interfecit, ac peremit, easque dispersit, seu vt legit Apollinarius. *Excidit à ciuitate Dei*, à conscientia nempe sua, ac anima sua, per dolorem,& confessionem. Cardinalis Hugo. *Vt disperderem de ciuitate Domini*, ait, *scilicet de anima, & conscientia mea, omnes malos motus, qui pariunt iniquitatem. Anima iusti ciuitas est Domini.*

Psalm.100. Aug.

Exod.12.

Per confessionem excindenda peccata.

100. Cùm deprauatũ esset cor Salomonis præ amore mulierum. Dixit ei Deus per Prophetam aliquem fortasse Ahiam Silonitem, vt vult Abulensis. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum,& præcepta mea, quæ mandaui tibi; disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* 3. Reg.11.num.11.Cur ex suo peccato in tantam Dei indignationem incidit Salomon, Nonne etiam cor Dauid patris eius præ amore mulieris Bethsabee seductum est ? Et insuper homicidium addidit, & tamen multam misericordiam,ac pietatem apud Dominum inuenit, & à cõminatione perditionis sui regni liber euasit. Cur tamen denuntiatur Salomoni: *disrũpens scindam regnum tuum?* Nota. Perditio regni Salomonis ex eo nata est. *Quia habuisti hoc apud te:* retinuit peccatum apud se, & per confessionem minimè illud excussit; vt fecit Dauid pater eius,qui dixit: *Peccaui Domino.* 2.Reg.12.num.13.Iniquitas cum per confessionem proditur,recedit; si verò tacetur, fixa & immobilis perseuerat. Rupert.lib.5.in lib.Reg.cap.1. *Quia habuisti hoc apud te.Cui sic dicetur palam est,quod peccatum suum necdum cõfiteatur. Nam apud se habet,cui quod fecit,non displicet Idcirco disrumpens,ait: scindam regnum tuum,subauditur,quod pene contigit patri tuo,nisi quia iniquitatem suam annuntiauit.*

3.Reg.11.

Peccatum confessum recedit, tacitum permanet.

2.Reg.12.

Rup.

Confitetur Isaias sua scelera cap.6. num.5. dicens de se. *Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum.* Statim subiungit. Et volauit ad me vnus de Seraphim, &c. *Et tetigit os meum,& dixit*, &c. *Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Ibidem. Cur Deus suum Prophetam, quemvalde intimè diligebat,permisit esse in suo coinquinamento, cur non antea mundat, ac purificat,sed tantummodò,modò confessus ex suam iniquitatem ? Vir pollutus labiis ego sum. Ideo modo,& non antea purificatus est. Ibi D.Chrysostom. *Tecum*, ait, *reputa quantum lucri resiliat ex confessione: se ipsum accusauit, & confestim expurgatus est.*

101. Isai.6.

Peccatum cum confitetur, expurgatur.

Chrysost.

*Luc.*15.*n.*9. Et cum inuenerit, conuocat amicas,& vicinas,dicens: congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram ?

Num. 10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

VERSIONES.

*Arab.num.*9. Vocat dilectas suas, dicens: congratulamini mihi ob inuentionem meam drachmæ meæ perditæ.

Syriacus. Lætamini mecum, quippe quæ inuenerim drachmã meam, quæ perdita fuerat.

*Vatabl.n.*10. Tale gaudium erit.

D.Greg.Nyss. Siquidem gaudium fit Angelis Dei super his,qui ex peccato resipiscentes salui fiunt.

Euthym. Super vno peccatore resipiscente.

Syriac. Super vno peccatore pœnitente.

EXPOSITIO VI.

102. ET *cum inuenerit.* De inuenta drachma magis mulier gaudet, quã de reliquis nouem seruatis. *Conuocat amicas, & vicinas.* Non se temperat præ gaudio, sed prædictis communicat rem. *Conuocat amicas, & vicinas.* Sicut & pastor amicos, & vicinos, non verò è contra. Viri mulierum consortium euitent, sicut & mulieres virorũ consuetudinem abhorreſcant. *Congratulamini.* Seu vt legit Caiet. *Congaudete mecum.* Nobilis matrona cum perdidit drachmam mœrore confecta planctum edidit, & tunc non legitur socias inuitasse ad fletum, vt modo ad gaudium ex ipsa comparata; quod perbelle notauit Chryſ. serm. 169. *Inuenit,* ait, *intra domum, amicas ad lætitiam conuocat, & vicinas; quas perdens conuocasse non legitur ad mœrorem.* Tristia, & infausta in se reflectit mulier, prospera, & iucunda suis domesticis communicat, & eas, quas à luctu excusauit, ad collætandum inuitauit.

Caiet.

Chryſ.

Matrona dura sibi, læta suis exhibet.

103. *Gaudent Angeli.* Bonau. *Ita dico vobis.* Concluditur parabola, & denotatur, quod inuento humano genere Christus, & Angeli lætantur in cœlo; Christus vt patet gaudet de salute filiorum. *Gaudent & Angeli,* vt ait D. Bonau. *de pœnitentia hominis peccatoris, quia destruitur culpa, restituitur iustitia, confutatur dæmonum superbia, efficax efficitur Angelorum custodia, reparatur Ecclesia, placatur ira diuina, & restauratur Ierusalem superna.*

CAPVT XXVII.

Filius Prodigus.

Luc. 15. *n.* 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.

Num. 12. Dixit adolescentior ex illis patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit, Et diuisit illis substantiam suam.

VERSIONES.

Syriac. n. 11. Et dicebat ei rursum Ieschua: vir quidam.

Syriac. n. 12. Et dixit ei filius minor natu: Pater mi da mihi partem, quæ mihi contingit ex domo tua: diuisit itaque eis possessionem suam.

Arabicus. Dixit minor ex illis patri suo: da mihi portionem de facultatibus tuis meam.

Auguſt. Da mihi partem patrimonij, quæ me contingit.

Euthym. Substantiæ, quæ mihi obuenit.

Vatablus. Quæ mihi cedit, & diuisit illis facultates.

Arias. Et diuisit illis vitam.

EXPOSITIO. I.

1. ONCLVSIO in duabus parabolis antecedentibus fuerat, maius gaudium esse in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nõnaginta nouem iustis. Hoc confirmat hac tertia parabola de patre perditum filium multa exultatione recipiente, in quo tota res multis, ac pluribus significatur. *Homo quidam.* Diues, & potens; *habuit duos filios.* Quorum ingenia in parabola explicantur.

Connexio ad antecedentibus.

2. *Dixit adolescentior.* Vtpote minus sapiens; nam iuniores prudentia inferiores, *dixit,* non re cogitata; sed voluntate impellente. *Pater*; cuius filij nomen non meretur. *Da mihi.* Superbiæ fastum indicat verbum; non expectat, vt pater discedat; cupiditas deliciarum moras ferre non potest; *portionem,* seu partem, vt legit Syriacus, *substantiæ,* seu facultatum, seu bonorum. Non postulat totam suam hæreditãtem, nec substantiam, sed portionem, seu partem; in bonis enim mundialibus, nihil est plenum, ac completum, sed totum est partitum, ac diuisum. *Qua me contingit*; ideſt partem, illam peto, quæ ad me pertinet, mihique vt filio tuo ex hæreditate competit; Ac si dicat, iam ad iustam ætatem perueni, vt mea bona possideam, & tua gubernatione minimè indigeam. *Qua me contingit.* Hic iuuenis prodigus extitit hanc tamen habuit prudentiam, vt suis terminis contentus sit, illud enim quærit, & affectat, quod ad se pertinet, & nihil supra suam sortem intẽtat. *Et diuisit illis substantiam suam.* Pater distribuit filiis partem bonorum, quæ ex sua possessione ad vnumquemque spectabat; diuisit illis substantiam, ne corda diuideret, ac cum filio contenderet, lites multum odiosæ, & maximè fugiendæ. Græcè pro substantia ponitur vita, quia homo ex suis facultatibus viuit. Vide ca. 15. n. 27.

Cupiditas dimittendorum impatiens.

Quilibet suis contentus sit.

Lites fugiendæ.

QVÆSTIO I.

Explicatur quid Pater, ac filius, & substãtia, significent in parabola.

3. TRES personæ introducuntur in parabola. Pater, filius iunior, & senior, deinde substantia, seu facultas data, quæ pro maiori claritate singillatim sunt explicanda.

4. Primò. Pater est Deus, qui omnes creauit, aut etiam, vt ait D. Ambros. est Christus Dominus verus Deus, qui omnes suo sanguine redemit, & regenerauit, & quotidie in baptismo regenerat. Maximè ponderandum, quod ex mysterio Incarnationis rectè Deus sub typo patris habentis duos filios significatur, vt ait D. Chryſol. sermon. 5. *Postquam Christus nostra carnis suscepit*

Ambr.

Chryſ.

omnes,

omnia, & Deus induit exuuias humanas; veraciter Deum hominem vocat: Dominus patrem vere se duorum nuncupat filiorum: nota adiuncta verba. *Quia humanitati permixta Deitas, Deitati consociata pietas miscuit hominem, & Deum: qua Dominum vniuit in patrem.* Olim dicebatur Deus, omnipotens, ac Dominus exercituum, quæ potentiam, & maiestatem, & etiam rigorem, ac seueritatem ostendebat: ex Incarnatione autem; *Humanitati permixta Deitas, & Deitati consociata pietas, qua Dominum vniuit in patrem.* Quia Deus factus est homo. Sic *Deitati consociata pietas.* Vt iam signa antiqui rigoris deposuerit, ac mãsuetudinis, & pietatis ingenium induerit, clementiámque patris assumpserit. *Deitati consociata pietas, qua Dominum vniuit in patrem.*

Dei pietas post Incarnationem.

5. Chrys. Bostr.

Quantum ad filios. Auctor homil. de duobus filiis, quæ D. Chrysostomo tribuitur, & Titus Bostrensis testantur nonnullos existimasse, filio seniore Angelos significari, iuniore homines. Quæ expositio probabilitate caret. Secundò D. Hier. Epistola de hac ipsa parabola ad Damasum. D. August. lib. 2. quæst. Euang. cap. 33. D. Bernard. in sermon. de diuersis affectionibus animæ. Beda, D. Bonau. Haymon, & alij antiqui Iudæos, qui vsque ad Christi aduentum semper Deo, eiusque cultui, ac fidei adhæserunt, primique in eius religione fuerunt, & ideo per seniorem adumbrantur. Iunior verò adsignificat Gentiles, qui à Deo, quem tempore Adæ, & Noë coluerunt, recesserunt, & ad idola, ac vitia carnis conuersi sunt. Et Iudæis bene adaptatur murmur de gentilibus ad fidem, & gratiam per Christum adductis.

Hier. Aug. Bern. Beda. Bonau. Carth. Haym.

6. Hier. Burg. Theoph.

Tertiò, & aptissime ad scopum parabolæ; ac intentionis Christi, vt interpretantur D. Hieron. citat. Epistol. ad Damasum, Titus Bostrensis, Euthym. Theophylactus, & alij docent, quod duo filij significent iustos, & peccatores, siue illi Iudæi sint, siue Gentiles, nam peccatores, cum quibus Christus conuersabatur in Iudæa, murmurantibus Pharisæis, maioti ex parte erant Iudæi, & non Gentiles. Senior ergo filius notat iustos, tam eos scilicet, qui verè erant iusti, ac veluti primi in vinea Domini laborantes, quam eos, qui se iustos æstimabant, quales existebant Scribæ, & Pharisæi; Iunior verò filius denotat peccatores notos, & manifestos, quales erant publicani, & meretrices, cum quibus Christus degebat, & comedebat, vt eos lucifaceret.

7. Hier. Theoph. Euth.

Quantum ad substantiam. D. Hieron. Theophylact. Euthym. per substantiam liberum arbitrium interpretantur, quia homines, vt ait Euthym. Deus suo libero arbitrio relinquit. *Deus hominem reliquit in manu consilij sui.* Ecclesiasticus cap. 15. num. 14. & sic D. Hieron. citat. Epistola ad Damasum interpretatur. *Diuisit illis substantiam*, ideſt dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem. Alij per substantiam intelligunt virtutes, mores probos, ac dona naturæ, cui sententiæ fauet D. Ambros. ad illa verba: dissipauit substantiam suam. *Ille*, ait, *viuendo luxuriose consumsit omnia naturæ ornamenta.*

Ambr.

8. Quid substantia.

Tertiò, ac plenissimè. Per substantiam interpretantur omnia homini concessa à Deo tam corporis, quam animæ; siue naturæ, vel gratiæ, siue naturalia, vel supernaturalia; hæc enim sibi dari, suæque potestati, ac libertati committi postulat filius adolescentior, nolens iamamplius à parente suo dirigi, ac gubernari, sed sui iuris esse, à se, ac à suo dictamine regi. Denique donis vti, vel abuti, vt ei placitum fuerit, & hæc dona proprie per peccatum à delinquente prodigũtur, cum liberum arbitrium perdi nequeat. D. Augustus. lib. 2. quæst. Euangel. quæst. 33. ait, *intelligere meminisse, ingenio alacri excellere, omnia ista diuina sunt munera, qua in potestatem accipit homo per liberum arbitrium.* Et D. Hieron. citat. *Substantia Dei est*, ait, *omne quod viuimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus: hac Deus æqualiter vniuersis, & in commune largitus est*, &c. Ita communiter Recentiores Barradas, Lucas Burgens. Cornelius, & alij.

Aug. Hier. Barrad. Bostr. Luc. Burg. Corn.

9. Spiritualia bona solida, terrena verò accidens & nihil.

Ex quibus multi per substantiam intelligunt gratiam, ac animi bona, & cum dicitur: *Dissipauit substantiam suam.* Ideſt cœlestia dona perdidit, ac prodegit, hæc enim tantum sunt firma, ac solida bona, quæ substantia dicuntur; mundialia verò sunt merum quoddam accidens, ac imagines rerum. D. Chrysostom. concion. 4. de Lazar. *Quemadmodum*, ait, *conspicientes in pariete pictum diuitem, non illi inuidemus, eo quod qua videmus, rerum vmbra est, non veritas: sic & diuitiarum gloriam, aliarumque rerum omnium naturam, si pernouerimus, liberanimur à perturbatione, hæc enim omnino vmbra quamuis fallaciosa, nec quidquam habent sublime, aut præclarum.*

Chrys.

10. Habac. 2.

Ait Habac. 2. num. 14. *Et facies homines quasi pisces.* Cur homines supra terram degentes comparat piscibus in profundo pelagi versantibus? In quonam est huiusmodi combinatio inter homines, & pisces? Etsi pro huiusmodi re variæ sint rationes, & allegoriæ. Pro præsenti instituto notandum est; quod in aquis tanquam in speculis videntur astra repræsentari, adeo vt mare videatur secum habere solem, lunam, & stellas, quas aspicientes pisces earum pulchritudine delectati, ad illas magna auiditate currunt, cúmque ad illas deueniunt nil substantiæ reperiunt, sed solum vnum accidens cuiusdam repræsentationis, ac imaginis, quo altiora ignorantes gaudent, & exultant, vt optimè cecinit D. Gregor. Nazianz. carmine ad Virgin.

Naz.

Cùm sol in nitidis, Phabeque, & sydera limphis
Piscibus irradiant, quanquam non illa, sed vmbras
Vanaque prospiciunt, viri simulachra remoti,
Latanturque vmbris, & imagine lucis inani.

Mundi bona solùm quoddam accidũs.

Rectè ergo Propheta ait: *facies homines sicut pisces:* hominésque piscibus comparantur, quia in mundi huius pelago velut pisces natantes, cum vident, res aspectu delectabiles ad illas magno impetu currunt, ad quas deuenientes nil solidum habent, sed solùm simulachra quædam inania, & vacua, quibus inescantur, vt iucunditate perfundantur, cum in illis sit tantum figura quædam, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 7. num. 31. *Præterit figura huius mundi.* D. Chrysost. ad Eutropium. *Imagines sunt*, ait, *& inania simulachra, quacumque ad gloriam faciunt humanam.*

1. Cor. 7. Chrys.

11. Apoc. 11.

Ait Ioannes in Apocal. cap. 11. num. 1. *Datus est mihi calamus similis virgæ, & dictum est mihi; surge, & metire templum Dei, & altare, atrium autem quod est foris templum, eiice foras, & ne metiaris illud.* Cur calamo, seu cubito suo atrium non mensurabit, cum altare, templum, imò & adorantes in eo iussus est metiri? Nonne, qui templi architectus fuit, & atrij? Cur ergo hoc immensuratum manebit? Deinde quid sibi vult illa locutio. *Atrium quod foris est templum, eiice foras.* Si foris erat, quomodo foras eiiciendum? Alcazar ex Græco pro *eiice foras*, legit, *contemne, pro nihilo ducito.*

Alcaz.

Idem

Temporalia contemnenda ac pro nihilo habenda.

Idem Alcazar per templum,ac altare interpretatur bona ſpiritualia; per atrium verò, quod eſt foris bona temporalia, quæ communiter dantur à Deo fidelibus, ac infidelibus, qui extra Eccleſiam ſunt. Iubetur ergo metiri templum,& altare,ideſt bona ſpiritualia tanquam rem ſibi maximè neceſſariam, & æſtimabilem, cum ad ſalutem animæ, ac illius perfectionem attineat. At verò atrium, ſeu bona temporalia non ſunt menſuranda, tanquam res nullius momenti, ſed *ejce foras*. Hoc eſt *contemne,ac pro nihilo ducito*. Præcipue ſi hæc cum bonis animæ conferantur contemnenda,& repudianda ſunt.D.Greg.Nyſſ.orat. in Quadraginta Martyres ſic de illis ait;*Vnus eis ſolus metus erat, ne à Chriſto ſeiungerentur, vnum bonum eſſe cum Chriſto ſolo,catera verò omnia viſus, & vmbra, nugaque,& ſomniorum viſis ſimilia.*

Nyſſ.

Qvæstio II.

Quare adoleſcens cum in domo patris omnibus abundaret, ſuam ſubſtantiam ſibi dari petit.

12. *Sua ſorte non contentus in deteriora cadit.*

Pater dives erat,cuius filius in domo eius multa rerum copia fruebatur, & tamen petit dari ſibi ſubſtantiam ſuam,ſic ſæpè contingit, quod homo ſua bona ſorte non contentus aliam exquirit, in qua multa ſibi parata ſunt mala. Abſalon vt princeps degebat in domo patris ſui,illius vitæ impatiens regnum inuadit, quid inde habuit? Quercum ex quo pendet, & tres lanceas, quibus cor infigitur, & foueam, in qua deiicitur, aceruumque magnum nimis lapidum impoſitum ſuper eum 2.Reg.18.num.14.

2.Reg.18.

13. Chryſ.

Secundò D.Chryſologus ſerm.1. *Hæres impatiens*,ait,*patris fatigatur ad vitam*.Valde luculèter viuebat filius in domo patris; quid ergo ibi ei offendit oculos, vt receſſum cogitet? Hæreditatis ambitio, qua æſtuabat, multa præparauit offendicula. Affectabat filius patris funera,vt diuitias poſſideret,& quia *ſciebat patrem*,ait Chryſologus, *nullo claudendum fine*. Inde *Hæres impatiens patris fatigatur ad vitam*. Quamuis ingenium naturæ ſit vt filius diuturna ſæcula patri exoptet, illiúſque vitæ conſulat, tamen auri cupiditas ſic mutat mores, vt naturam deponat, & præ hæreditatis deſiderio funus patris vehementer deſideret, ſic & ſenior frater, cum videt de filij rediru totam patris domum exultare,ipſe ſolus triſtabatur,itavt nollet introire,qui de eius diſceſſu maximè lætatus fuerat; vt ipſi ſoli hæreditas paterna contingeret,à qua cohæredis aduentu videtur defraudari, indéque ex ipſo magno dolore vulneratur.D.Chryſolog. ſerm.4. *Credidit damnum*,ait,*qui rediiſſe conſpicit cohæredem*. Potentior eſt auaritiæ furor, quam ſanguinis vinculum, & poſſeſſionis cupiditas fratris, ac patris amorem, & ius violat,& contemnit.

Ambitio patris, ac fratris ius, & amorem violat.

Chryſ.

14. Aug.

Tertiò.D.Auguſtin.in Pſalm.131. *In ſua poteſtate*, ait, *eſſe voluit ille filius, qui dixit. da mihi partem patrimonij, quæ me contingit. Bene ſeruabatur apud patrem, ne cum meretricibus diſſiparetur. Accepit.facta eſt in eius poteſtate. Profectus in regionem longinquam, effudit omnia cum meretricibus*.D.Bonau.in præſenti.*Hic adoleſcens*, ait,*petit partem ſuam,cum relinqui vult libertati ſua, vt iam nõ ſecundũ imperiũ gratia ſed ſecundũ nutum voluntatis ſuæ incedat*.Bene erat filio in domo patris,ac ſub eius cura,hãc tamẽ vult dimittere,& ſua propria voluntate dirigi;hęc eſt multorum ſtultitia, qui cum bene viuant ſub Dei nutu, ſuorúmque maiorum regimine, tamen illud abiicere,ſuóque arbitrio vehementer exoptant gubernari, omnémq; bonorum ſubſtantiam ſuis manibus permitti intentant, inſcientes in quanta mala deueniant,quotq; pericula eos ſublateant,nullúmque diſcrimen maius habet homo, quam ſi aliquando obtineat id, quod poſtulat,vt ſuis manibus, ac arbitrio relinquatur.

Bonau.

Periculoſe degit homo, cum ſuo conſilio regitur.

15. Pſ.118.

Ait Regius vates.Pſalm.118.n.109.*Anima mea in manibus meis ſemper*. Quid magis gratum, ac iucundum poterat contingere, quam quod anima ſua eſſet in ſuis manibus, ipſe enim vt rem ſuam, ac propriam vitam maximè eam cuſtodiret,ac defenderet;habuit ergo inde ſecuritatem? minimè, ſed magnum periculum. *Anima mea in manibus meis ſemper*. Chaldæus maximè in rem noſtram. *Anima mea periclitatur, ac ſi in ſuperficie manus mea eſſet ſemper*. Nebienſis. *In periclitatione fuit anima mea*. Cùm eius anima, ſeu vita commiſſa eſſet in manibus eius, inde in magno periculo, ac diſcrimine verſabatur; tanquam ſi eſſet in vltima manus ſuperficie, vt inde facile caderet.

Chald.

Neb.

Homo in ſuis manibus non eſt ſecurus.

16.

Propter occiſos Prophetas Baal à Parente Elia aduerſum eum iraſcitur Iezabel, quod cum nuntiatum fuiſſet Eliæ, *timuit ergo Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas,& petiit anima ſua, vt moreretur, & ait, ſufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior ſum, quam patres mei*.3.Reg.19.num.3. Celebris difficultas: cur magnus Parens Elias, qui tam fortis, ac robuſtus animo erat, vt regem in præſentia ſua corriperet, ac populi turbatorem appellaret, nũc timeat, tantóque timore prematur, vt mortem exoptet. *Petiit anima ſua vt moreretur*. Quod nullibi legitur feciſſe; vnde ergo tantus timor de vna muliere? Elias vſque modo Dei nutu regebatur, ad torrentem Carith miſit eum Deus. Deinde vt iret in Sarephta ad mulierem viduam, tandem vt oſtenderet ſe Achab. At modo *abiit quocumque eum ferebat voluntas*. Sua voluntate ad hunc, & illum locum mouebatur, quandiu ergo Elias Dei mandato dirigebatur, imperterritus erat, & reges, vt Achab, Ochoziam, ac eorum duces acriter arguebat, eiſque dura,& aſpera denuntiabat;at cum relictus eſt ſuæ voluntati, ſuóque conſilio,cum optimè agnoſceret magnus Parens quantum periculum ibi lateret, tunc timet, ac de vita præſenti fatigatus mortem exoptat. Abul.citato lib.Reg.q.3. *Cùm Elias*, ait,*fletit coram Achab,dixit ei Deus, quod appareret coram eo, & cum omnia faceret de Dei mandato,certiſſime ſciebat,quod non occidendus eſſet ab Achab;Nunc autem Deus non dixit Elia, quod ageret aliquid coram Iezabel,ſed reliquit eum in conſilio ſuo, & tunc Elias humanè agens, timuit, & cauit ſibi fugiens à conſpectu Iezabel.*

3 Reg.19.

Timet Elias, cum ſuo conſilio relinquitur.

Abul.

QVÆSTIO III.

Quare petente vno filio, Pater ambobus diuisit substantiam?

17. Chrys. IRACLARE respondet D.Chrysologus ser.1. expendens quomodo filius petit à parente suas facultates; & quomodo pater eas filiis est elargitus: sic ait. *Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit;* & diuisit illis substantiam suam. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij, quod ante tenebat pater, non fuisse auaritia, sed amoris: prouidentia, non inuidentia, non dedisse.* Quæ verba vtpote magno acumine plena, magnisq; ponderationibus fœta, alte sunt examinanda. Hic tamen in limine quæstionis est notandum iuxta citatum Chrys. quod pater non ex auaritia, sed ex prouidentia, ac amoris affectu retinebat cẽsum; datur verò in vindictam offensæ petitionis, vt indulgentissimus negauerat, quod iratus permisit dari filio; vt agnosceret adolescens, quot mala sua petitione sibi procurauerat; vnde subdit Chrysolog. *Census nudauit filium, non ditauit.* Ad quæstionem, ac ad citata verba.

Ex indulgẽtia retinetur, quod sæpè in pœnam datur.

18. *Offenditur liberalitas cum aliquid petitur.* Primò. *Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit.* Quænam offẽsa à iuniore filio parenti irrogatur in petitione sua, ipse enim nihil abscondite subripuit, & nihil supra suam sortem petit, sed tãtum id quod suum erat, eique contigerat? Iunior filius petierat à patre hæreditatem suam, ecce offensa genitoris, liberalis enim preces non expectat, & bonus princeps benemeriti vota anteuertere debet; Inde ergo prouidus pater. *Petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit.* Vno rogante vtique filio largitur hæreditatem, vt dum non petenti germano substantiam impendit, genitoris liberalitas demonstretur, eiusque magnificentia declaretur. *Genitoris largitas comprobauit petitionis offensam;* Dedecus pactis ex iunioris postulatione, deletur largitate concessa non petenti.

19. *Offensa est, quod qui in suo munere rogetur.* Secundò. *Illam fuisse huius petitionis offensam, genitoris largitas comprobauit.* Tenebatur pater, quæ filio vtpote iam emancipato, vt dixi in expositione; obuenerant hæreditatio iure reddere, ex profunda, & alta ratione, vt mox dicam, aliquantulum distulit; Quod ergo pater passus esset rogari in his, quæ sui muneris erant, pro offensa reputauit, ne ergo in aliquam desidiæ notam incurrat, dat etiam fratri non petenti, cui non debebatur, vtpote adhuc sub paterna cura in domo eius, vt genitoris largitas maximè in suo munere prouida declaretur. A Proconsule Plinio deprecatum est, vt causam ageret iustissimam quidem contra Cœlium consulem designatum; sicq; Gallo scribit lib.4. Epistol. *Admones*, ait, *& rogas, vt suscipiam causam contra Cœlium. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. Rogari enim non debeo, quod non facere turpissimum mihi est.* Expende, *quod rogas queror.*

Plin.

20. *Orans non sibi, sed etiam aliis impetrat.* Tertiò. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit.* Cur vno petente, non solùm ei datur hæreditas, sed etiam alteri non postulanti tribueret, ad quid ergo alteri datur? Magna orationis vis semper est ad redundantiam, vt non solum petenti impetret, sed etiam in alios exundet, illisque multa bona obtineat; cum vnus oret, non solùm sibi impetret, sed etiam aliis quamplura dona comparat, quibus eos locupletat, ac replet: *petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit.* Mandatur Loth ab Angelis, vt egrediens de Sodoma in montem saluum se faciat, postulat ille, vt ei concedatur in paruam ciuitatem Segor declinare, Angelus *dixit ad eum, ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.* Genes.19.num.21. Non solùm eius orationi conceditur, vt in ciuitatem tendat, sed in etiam ipsi ciuitati, ac eius habitatoribus parcitur, ne subuertatur, vt aliàs erat executandum: fauet D.Chrysostom. *Petitionem tuam*, ait, *tibi exhibeo, propter te, etiam ciuitati parcam, quasi diceret, nõ solùm annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pœna habitatoribus infligenda.* Gen.19.

21. Quartò. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit, vt scirent filij, quod ante tenebat pater non fuisse auaritia, sed amoris.* Vno exposcente ambobus substantiam diuisit tanquam in munimẽ, ac defensionem suæ liberalitatis: Iunior filius sibi persuadebat, quod suus pater rem retinebat, non ex prouidẽtia, sed ex auaritia, vt ergo filius à sua malitia supersedeat, dat pater hæreditatem etiam non petenti, vt deprehendatur, quod pater filiis facultates non distribuebat ex prouidentia, & non ex auaritia, non ex retentione nimia bonorum, sed ex abundanti cautela, ne filij iuuentute lubrica multis voluptatibus se fœdarẽt, *quod antea tenebas pater, non fuisse auaritia, sed amoris: prouidentia, non inuidentia non dedisse.* Ex hoc instruantur omnes, quod cum se videant egestate aliquando grauari, vel ingenio, eloquentia, aliisque exquisitis non pollere dotibus, non tristẽtur, sed potius lętentur; animaduertere debent, quod Diuinum numen sua incomprehensa cognitione non solùm possibilia, sed etiam omnia futura distinctissimè attingit, ac proinde optimè agnoscit, quod si Petrus his, vel illis talentis ornaretur, illis abusurus esset, & in perpetuos damnatorum cruciatus abiret, *quod antea tenebas Pater non fuisse auaritia, sed amoris: prouidentia, non inuidentia non dedisse.*

Deus sæpè nobis non dat donat ex prouidentia & amore.

22. Quintò. *Petente vno ambobus totam substantiam mox diuisit.* Vnus solus exposcebat, sufficiens erat, si vni soli substantia tribueretur. Hoc in aliis abundans erat, non tamen in Deo, à quo est alienum vni soli sua dona tribuere; semper enim ei est in more sua dona omnibus distribuere. Cùm latro clamaret de cruce: *Memẽto mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Ait illi Christus Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. num. 43. Hiccine ille Deus qui etiam petente vno, duobus substantiam diuisit, à quo nemo solus accipit quicquam? Cuius dona non vni dantur, nunc vni, & soli petenti omnia sua tribuit? Pulchrè D.Augustinus, *Absit*, ait, *non illi soli hoc præstitum esse deprehendimus, nam dum tantum reum benigne relaxat, humano generi subscripsit securitatem, vt consolatio, atque spes totius populi absolutio vnius desperati esset, priuatum donum cresceret in publicum beneficium.* In tanta benignitate, non solùm vnum latronem respicit Dominus, nec solum vni pandit sum clementiam, sed omnibus, dum ex tanto reo absoluto cunctis salutis æternæ datur spes. Vide verbum *Communicare*, in Indice.

Deus sua dona non vni, sed multis communicat. Luc.23.

Aug.

23. Sextò. *Petente vno, ambobus totam substantiam mox diuisit.* Et postea subdit. *Tenebatur pater seruare substantiam, non negare.* Licet pater teneretur

retur seruare substantiam non negare filiis, tamé cum expoſcit iunior etiam maiori non petenti concedit; tum vt maioris virtutem remuneret, & minorem non exasperet, cuius ingenium vtpote satis duru bonus puer emollire conabatur. Tum etiam quia id, quod filio nequam, ac procaci conuenientiæ titulo conceditur, hoc etiam probo, ac bono filio non postulanti concedendum est. Valde enim indecens est, vt quod improbis conuenientiæ prætextu conceditur, hoc probis, ac morigeratis denegetur.

Quod improbo datur, in filio non est denegandum.

14. Cùm Elias degeret in deserto, & obdormiret sub vmbra iuniperi, tetigit eũ Angelus Domini, dixitque ei. *Surge, comede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericium panem, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit.* lib. 3. Reg. capit. 19. numer. 6. Cur famelcenti Eliæ datur et hic in deserto panis ministerio Angelorum; seu, vt ait D. Augustin. lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ, ministerio Angelorum præparatus, sicut de manna dicitur, vnde panis Angelorum nuncupatur. *Panem Angelorum manducauit homo.* Psalm. 77. num. 25. Cur Eliæ non defertur panis per coruos, vt iuxta torrentem Carith, vel per manus alicuius hominis, sicut in Sarephta interuentu vnius mulieris viduæ; Cur per Angelum? Obmurmuratoribus, ac obstinatis Israëliticis, Exod. 17. num. 15. dedit Dominus à deserto manna, panem scilicet ope Angelorum ministratum spatio quadraginta annorum in alimentum; iusto, ac sancto Eliæ decerat in deserto panis, per manus Angelorum ei ministretur in quadraginta dierum sustentationem; probatissimo enim viro offerendum erat, quod valde improbis Israëlitis oblatum est, ne Israëliturum improbitati, magis quam probitati Eliæ Deus indulgere videatur; ergo quod illis datũ est quotidiano cibo ad quadraginta annos, Eliæ vna esca ad quadraginta dies fuit concedendum; fauet Abulens. quæst. 5. ad cap. 19. lib. 2. Reg. Vbi postquam dixerit, quod manna dicitur panis Angelorum, eorum scilicet opere factus, de pane dato Eliæ sic subdit: *quod etiam erat panis factus opere Angelorum, potest propter eius reuerentiam teneri.*

5. Reg. 19.

Ps. 77.

Quid datur indigno, non denegetur digno.

Luc. 15 *n.* 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.

Num. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere.

VERSIONES.

Syriac n 13. Paucis autem pòst diebus collegit filius ille minor quæcumque ad se peruenerant, & profectus est in regionem longinquam; & illic dilapidauit substantiam suam, dum profuse viueret.

Theoph. At post dies non multos, cum omnia contraxisset.

Arabicus. Peregrinatus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam in vita luxuriosa.

Syriac. n. 14. Quumque consumpsisset quidquid habebat.

Vatablus. Orta est fames valida,

Arabicus. Fames valida, & factus est pauper.

EXPOSITIO II.

CEPTA hæreditate à patre iunior filius discessum indilate parat à domo patris, ac fratris consortio sæculi bona omne sanguinis ius spernunt, charitatem violant, ac vnitatem rescindunt. *Non post multos dies.* Magno æstu feruet iuuentus, vt perficiat quæ animo concepit, & citius abiret nisi in consarcinandis rebus fuisset occupatus. *Congregatis omnibus:* bonis sibi præstitis, ait Carthul. ad proprium commodum, vitiosè verò ab ipso in proprium damnum reflexis. *Adolescentior filius.* Vtpote minor ætate, leuis ingenio. Nam vt ait Euthym. *Senior apud patrem remansit tanquam prudens.* Quid inde? *peregre profectus est in regionem longinquam*, vt quo longius abesset à patre, eò licentiosius, ac liberius viueret, ne reuerentia oculorum patris refrænaretur. *Dissipauit substantiam suam.* Cùm se filius subduxit à conspectu patris, breuissime prodegit facultates, quas longo tempore pater seruauerat, & custodierat. *Luxuriosè*, explicat Euthym. *Prodigaliter, intemperanter, libidinosè, lasciue.* 25. Carth. Euth.

Allegoria. Deus homines in filios adoptauit, qui cum suæ libertati à Deo relinquerẽtur, multi tamen moribus, & vita, à Deo longissime se separant; cum enim Deus vbique sit, per voluntatis dissimilitudinem, homo se separat ab ipso. Diuus Hieronym. Epistola 246. Sciendum, ait, *non locorum spatiis, sed affectu, aut nos esse cum Deo, aut ab eo discedere.* Glossa, *In regionem longinquam non mutando locum, sed animum.* Vnde dicitur in Psalm. 72. num. 27. *Omnes, qui se elongant à te peribunt.* Deinde sic èlonge factus *dissipauit substantiam suam*, vt ait Hugo. Cùm gratia, ratione, memoria, ingenio, ac cæteris dotibus abutitur. *Viuendo luxuriosè.* Per hanc vitam luxuriosam intelligit D Bonauent. consummatam dissipationem omnium bonorum. *Hic enim peccatis*, ait, Sanct. Doctor: *non solùm dissipantur anima vires, sed etiam corporis membra, & diuitiæ temporales, ac per hoc dissipatur tota hominis substantia, scilicet rerum, membrorum & morum.* Iob. 31. numer. 12. *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* 26. Hier. Glossa. Hugo. Ps. 72.

Et postquam omnia consummasset. Breuiter luxuria, ac voluptas adolescentem in paupertate concluserunt. *Facta est fames valida*, seu fortis, & magna, ex alta Dei prouidentia, vt discat iuuenis esurire iustitiam, quos enim opulentia perdit, sæpè egestas ad vitam inducit. *Et ipse cœpit egere*, seu vt habet Arabicus: *pauper factus est.* Ex diuitiis ad paupertatem deuenit, frequenter rerum opulentia egestatis mater; & bene quidem 27. Arab.

cœpit

cœpit egere,qui dives factus nil pauperibus erogauit,sed totum voluptatibus tradidit. Et bene cœpit egere,qui à Deo recessit, vt nihil de manu Dei, sed totum de delitiis mundi propinaret, & acciperet. D.Ambrosius lib.7.in Luc.*Etenim,*ait, *qui recedit à verbo Dei,esurit, quia non in solo pane vivit homo,sed in omni verbo Dei. Qui recedit à fonte,sitit: qui recedit à thesauro,eget, Meritò ergo iste egere cœpit, qui thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei, divitiarumque cœlestium altitudinem dereliquit. Semper famem patitur sui, qui alimentis perpetuis nescit impleri.*

Ambr.

Qui à Deo recedit, in omne malum incidit.

QVÆSTIO VI.

Quare adolescens peregrè profectus statim dissipat bona sua?

28. Chrys. RESPONDET primò D.Chrysol.serm.1.*Ecce quemadmodum,*ait, *sine patre census nudauit filium,non ditauit: census filium tulit è gremio patris,eiecit de domo,exemit patriæ,spoliauit famæ,exuit cæstitate.* Præmiserat sanctus Doctor eodem serm. vt superiori quæst. sæpè dixi, quod pater tenebat substantiam,absque eo quod eam filiis daret:*Non fuisse auaritiæ sed amoris, prouidentiæ,non inuidentiæ.* Negatus erat census ex paterni amoris misericordia,datus verò est vindictam offensæ petitionis,vt iam dixi,quod effectus comprobauit;*namcensus sine patre nudauit filium, non ditauit.* Nam vt ab oculis recessit paternis, statim egestas, & nuditas eum tenuerunt;melius enim erat ei esse sine censu quàm sine patre; nã ruit in præcipitium,a quo à paternis oculis cohibebatur;cum à bono parente abit adolescens, statim grauiter peccat, omne malum admittit, vniuersum bonum perdidit;nam parentis aspectus refrænat à malo,cuius absentia multam licentiam præbet. Pulchrè ait citatus Chrysologus: *Inter propinquorum lumina non valent delicta versari:propinquorum quot oculi,tot lucernæ,* &c. Vt dirigant, ac bonum ostendant;vnde multi, vt licentiosius delinquant,ab eorum conspectu discedunt; vt aliqui impudenter nocte peccarent,Solem adorabant;alij verò vt audaces die delinquerent,Lunam colebant.D.Cyrillus Ierosol.catech. 3.*Alij quidem Solem ponebant,*ait,*vt nocte sine Deo essent: alij vero Lunam ponebant, vt die Deum non haberent.*

Maioris absentia dat occasionem ad malum, à quo eius presentia cohibet.

Cyril.

29. Chrys. Secundò. Idem D.Chrysolog.cit.serm.1. *Ecce quid facit,* ait, *cupiditas præceps. Quod vita, quod morum, quod libertatis, quod est gloriæ nihil reliquit. Cinem in peregrinum, liberum mutauit in seruum, iunxit porcis, a patre piissimo quem seinnxit, vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sancta parere contempsit.* Data hæreditas iuueni quid in eo parturit? Maiestatem, amplitudinem? Minimè, sed extremam miseriam, ac amaritudinem; vt ille qui ciuis,liber,ac multarum diuitiarum Dominus extiterat, benéque illi erat obtemperans patri, vbi eum spernit, ab illóque recedit, *qui pietati sanctæ seruire contempsit.* Statim peregrinus seruus,ac abiectissimi pecoris pastor factus est.

Qui à Deo recedit, in extremam miseriam venit.

30. Chrysost. Tertiò.D.Chrysostomus orat.4.de filio prodigo: *Ibi,* ait,*anima diuitias omnes perdidit, ibi in delitiis agens naufragium fecit; ibi ludens, & delusus pauper est factus: ibi corruptrices animæ voluptates mercatus, & risum emens extrema lachrymarum accepit: ac virtutes quidem,quas habuit,abiecit.* Tanquam veluti res in ludo se habet, qui enim emit corruptrices animi voluptates,quæ animum corrumpunt,statim perdit,ac abiicit à se omnes virtutes,quæ sunt substantia vitæ spiritualis,quibus ipsa alitur, ac sustentatur; vnde meritò de hoc prodigo ait D.Ambros.lib.2. de Pœnitènt.cap.3. *Merito consumpsit substantiam suam, cuius fides in operibus claudicabat.* Cùm enim fides in operibus claudicat, statim illius substantia consumitur. Nam *fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*Iacob.2.n.16.Quod explicans D.Chrysostomus homil.52.in Imperfect.ait:*Sicut oleum lumen lampadis fouet, sic bona opera vigorem fidei accendunt.*

Virtus substantia vitæ spiritualis.

Ambr.

Iacob.2. Chrys.

Quartò D.Nicænus apud Catenam D.Thom. ad illa verba: *Quanti mercenarij,* ait,*contempserat patrem in primo recessu adolescentior filius,* & opes paternas profudetat. Adolescens noluit hæreditatem suam habere apud patrem,sed ipsa accepta ab eo recessit, contemnens patrem, contemnens hæreditatem ab eo acceptam, eam cum meretricibus dilapidauit; quid de contemptu paternorum bonorum poterat deuenire,nisi lapsus in extremam ruinam,& miseriam:Ex quo Naboth noluit à se alienare hæreditariam vineam à suis maioribus acceptam,cum enim ab eo postularetur,dixit:*Propitius sit mihi Dominus,ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.*3.Regum 21.n.3. Nam in ipsa hæreditate suorum maiorum, virtutum habebat documenta,vt illa imitaretur. D.Ambr. in Psalm.38. *Naboth,*ait,*lapidari maluit,quàm vineam suam dare in direptionem. Hæreditas maiorum vera fides est.*

31. Nicæn.

Hæreditas paterna non contemnẽda, sed æstimãda.

3.Reg.21.

Ambr.

Quintò.Tam facilè prodigus totam suam substantiam dilapidauit, cum è contra frater senior nec hœdum cum amicis epulo expendit; vnde tanta rei differentia?Prodigus accepit suam substantiam non interuentu laboris, sed ex paternæ hæreditatis indulgentia,At verò senior ruri deditus, incumbens aratro,& agriculturæ,suo sudore studebat res suas adaugere; ex interuentu autem laboris æstimatio rei, ex defectu verò laboris cõtemptio illius, senior frater cum multum superem multiplicandam insudaret, sic sua erat ei in pretio,vt ne diminueretur,hœdum non audebat cum amicis epulari. At verò Prodigus cum facilitate, & sine molestia vlla totam hæreditatem suam haberet, eam parui faciebat, vnde breuissimè totam consumpsit,ac dilapidauit.Vnde Theodoricus Rex scribens illustri adolescenti Felici Gallo,eum laudat,quod transiens in Italiã ait: *Paterna substantia locupletatus,qua nonos semper extollit heredes, conseruasti diuitias, cum ad eas prater laboris studia peruenisses. Solet enim facile labi,quod sine difficultate potuit inueniri.* Hæc apud Cassiodorum lib.2.variarum epist.2.Vide tom.2. cap.26.quæst.1.n.6.& 7.

32.

Facilè habita sunt contemptui, difficiliter verò æstimationi.

Cas.

Sextò. Adolescens hic totus dedicatus erat,vt in domo patris degeret, ac viueret,& tamen ipse voluntate sua ab illa se subtrahit,vt in regionem longinquam recedat; quid ergo mirum quod ibi dissipet totam suam substantiam, opulentiam, ac elegantiã?qui enim consecraturus est,vt in domo Dei patris sit,ab illa tamen recedit, ac ad mũdialia negotia conuertitur,sine dubio breuissimè totam virtutis, ac religionis substantiam, illiúsque decorem dissipat,ac perdit.

33. *Qui recedit a loco sancto, ac Domo Dei in multa mala incidit.*

Miserum Nazaræorum casum lamentatur Ieremias Threnorum 4.num.7.*Candidiores,*ait,*Na-*

34. Thren.4.

zarei eius nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Maximè eorum venustatem decantat Propheta, ita vt in candore niuem excedant, in nitore lac, in rubicunditate ebur, & tandem in pulchritudine saphirum, tamen tota eorum elegantia sic deturpata est, vt super carbones vultus eorum esset denigratus: vnde illis tanta turpitudo? *Non sunt cogniti in plateis.* Nazarei erant dedicati Deo, & templo, & cum ab illo exierunt ad publicas plateas, vt negotiis sæcularibus se immiscerent, statim omnis splendor, ac decor virtutis, & sanctitatis deperditus est in illis, vt iam non essent cogniti in plateis, vt viri pij & religiosi, sed tanquam homines mundialium fumo denigrati. Gillibertus Abbas serm. 47. in Cantica: *Ordinis nostri*, ait, *cernite viros, quam admirabile erat nomen eorum in vniuersa terra; in vitis, quando vixerant visi in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo, aut perexiguo, distincti, ac signati sunt à cæteris. Ideo non sunt cogniti quasi Nazarei in plateis: Frequentia platearum dedecorat Nazaræos, & peregrinam speciem induxit. Mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, ideo non sunt cogniti in plateis. Non agnoscitur in eis nativus candor, non nitor, non rubor, non pulchritudo.*

Gillib.

Frequentia platearum dedecorat Nazaræos.

35. Thren. 1.

Lamentatur idem Ieremias deuastationem Ierusalem, & ait: *Omnes portæ eius destructæ: sacerdotes eius gementes: virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine*, Threnorum 1. num. 4. Destructio portarum, totius extitit ciuitatis destructio; nam per eas patuit inimicis gressus; cur ergo cum malum esset commune, peculiariter tamen sacerdotes, & virgines introducuntur deplorantes portarum desolationem? Quandiu portæ erant clausæ, tenebantur in templo sacerdotes, & virgines Deo consecratæ in eius obsequio; at verò cum portæ destructæ sunt, patuit aditus vt ad publicas vias, & vicos exirent, implicantes se negotiis mundialibus, quo omnino perierunt, ac à semita virtutis, & religionis recesserunt, & ideò sacerdotes, ac virgines peculiariter portarum desolationem deplorant, tanquam eorum desolationis occasionem, & ruinam. D. Paschasius ibi in Thren. *Quia mors*, ait, *ad nos introiuit per fenestras nostras, squalet virginitas anima, & regale nostrum gemit sacerdotium. Dum replemur pro virtutibus vitiis amaritudine delictorum.*

Cum Deo dedicatus ad mundum egreditur, perit.

Paſch.

36. Apoc. 6. Card. Vital.

Facto terræ motu magno ait Ioannes Apocalyps. 6. num. 13. *Stellæ ceciderunt de cœlo in terram.* Cur non potiùs ceciderunt in aërem, vel super excelsas turres, seu montes altos? Cardinalis Vitales in speculo morali sacræ Scripturæ, Tit. de Religion. per has stellas intelligit Religiosos, qui veluti fulgentia sidera micant in firmaméto Religionis, si tamen ab ipso cœlo, seu religione prosiliunt, in pessima vitia, ac extremam miseriam prolabuntur. Citat. Cardinal. *Plante, impellente, & conquassante istas stellas vento tentationis, ambitionis, diuisionis, suspicionis, carnalitatis, desordinationis, & dissolutionis, cecidimus euidenter de statu perfectionis ad terram infimam.*

Religiosus à religione prosiliens, in extrema vitia cadit.

QVÆSTIO V.

Quare consumpta substantia, exorta fame, prodigus cœpit egere absque alicuius adminamine?

PRodigvs totam substantiam suam dilapidauit conuiuiis, potationibus, ac multis expensis factis cum amicis suis. Quare cum exorta fame omnia illius sint consumpta, nullus inuenitur ex amicis, qui ei aliquod subsidium præbeat, sed ipse omnibus destitutus cœpit egere, ita vt vni ciuium adhæreret. 37. *Difficultas quæstionis.*

Respondeo. Primò, quòd erant sæculi amici, qui prosperitatis tempore tibi adhærent, vt de tuis bonis epulentur, & comedant, aduerso verò casu dato, egestatéque adueniente, statim te contemnunt, & deserunt. In vltimis diebus Dauid Adonias acclamatus est rex Israël, fecitque grande conuiuium fratribus, ac amicis suis. Audierunt tamen quod ex imperio Dauid Salomon vnctus est rex, constitutúsque est in solio patris sui. *Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant, ab eo, iamque conuiuium finitum erat*, 3. Reg. cap. 1. num. 41. Aduertit textus tempus, quo audierunt *iamque conuiuium finitum erat.* Quid inde factum est. *Surrexerunt omnes, qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnusquisque in viam suam*, ibid. num. 50. Durante conuiuio cum eo sunt, finito discedunt, aspirante fœlicitate cum eo conueniunt, illa recedente recedunt. 38. *Amici, qui de tuis epulantur, tempore famis recedunt* 3. Reg. 1.

Secundò. D. Chrysologus serm. 1. *Luxuria, ventri*, ait, *gula fames tortor appenitur: vt ibi vltrix pœna sæuiat, vbi pœnalis reatus exarserat.* Prodigus luxuriæ, ac ventri magna escarum copia indulgés totam suam dissipauit substantiam, merito fame vexatur, vt venter torqueantur, qui tantæ ruinæ, ac damni causa extitit. Vide tom. 2. & 3. verb. *Peccatum.* 39. Chrysolog. *Per quæ quis peccat, punitur.*

Tertiò. Idem Chrysol. superiori quæst. datus: *Census*, ait, *nudauit filium, non ditauit: dato, non accepto pretio, misera se tradidit seruituti.* Filius prodigus accepta substantia largè crapulæ, & epulis indulgebat, multáque saturitate lætabatur, quid inde sequutum? Multa fames, & egestas, ex opulentia sæpè in miseriam, ac sterilitatem dilabitur. Vidit Pharao: *Septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus. Et ecce has sequebantur alia septem boues, in tantum deformes, & macilentia, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim*, Genes. 41. num. 18. Expende illud, *sequebantur*; ac si fertilitatis consequentia sit macies, & squalor. De iniquorum terra, ait Dauid: *Terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea*, Psalm. 106. numer. 34. Explicant Euthymius, & Nicephorus: *Posuit terram in salsuginem*, In pœnam enim peccatorum, terra, quæ centuplum fructificabat: postea saliata, seu sterilis euasit. 40. Chrys. *Seruitutis consequentia fames.* Gen. 41. Ps. 106. Euth. Niceph.

Quartò. D. Bernard. apud Tilmanum in allegor. *Vnde huic*, ait, *egestas, nisi ex eo, quod legitur dissipasse bona sua cum meretricibus viuendo luxuriosè? Meretrices ista carnis sua concupiscentia, cum quibus luxuriosè viuendo dissipabat bona natura, qui eis abutitur ad voluptatem. Huic egestas perniciosa succedit, eo quod non satietur oculus visu, nec auris auditu impleatur.* Adolescens multum diues erat, in valde tamen vrgentissimam famem venit; 41. Bern.

Vitia paritas egestatem.

nit ; vnde sic famescit, tradidit se vitiis, & voluptatibus, harum enim abundantia bonorum egestatem parit, & omnium rerum penuriam infert. Larga enim deliciarum copia strictam famem in corde gignit. *Meretrices ista carnis sua concupiscentia, qui luxuriose viuendo dissipabat bona natura.*

42. Ps. 105. *Concupierunt concupiscentiam in deserto : & dedit eis petitionem ipsorum : & misit saturitatem in animas eorum*, Psalm. 105. num. 14. Legit D. Hieronymus : *tenuitatem*, Septuaginta, & Hebræi : *maciem*. Quæ saturitas erat illa, pro qua macies legitur, ac ponitur ? Eam explicat Lorinus : *Misit saturitatem*, ideſt permisit *implere appetitum*. Ad-

Lor.

Appetitus in tenuitatem degenerat. Mend.

impletio appetituum tenuitas, ac macies omniũ bonorum est. Mendoça in 1. lib. Regum vers. 5. num. 7. *Qui enim*, ait, *suas explebant saturabantque concupiscentias : postea pra fame consumebantur, & rabescebant.*

43. Videt Ioannes mulierem multo cultu ornatam, purpura, & coccino, lapide pretioso, & margaritis circundatam, in manu sua habebat poculum plenum abominatione, & immunditia omnium vitiorum, ac iniquitatum ; vnde & ipsa nuncupatur Babylon magna mater fornicationum, & abominationum terræ. *Et in fronte eius nomen scriptum mysterium.* Apocal. 17. num. 5. Quódnam mysterium latebat in hac impudica muliere, quæ maximè omnium oculis erat patens, & exposita ? In hoc tamen interueniebat mysterium, quod cũ esset omni turpitudine vitiorũ fœdata, plena tamen erat margaritis, & lapide pretioso ; sic vitia diuitias consumunt, quod tanquam magnum mysterium haberetur, vt mulier cum illis locuples existeret.

Apoc 17.

Vitia diuitias consumunt.

Luc. 15. *n.* 15. Et abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

Num. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

VERSIONES.

Vatabl. n. 15. Et profectus adiunxit se vni ciuium regionis illius.

Syriacus. Abiens itaque sese adiunxit vni ex filiis ciuitatis regionis illius.

Orig. hom. 18. *in Numeros.* Accessit ad quendam primarium ciuitatis in regione illa.

Arabicus. Adhæsit vni ex maioribus regionis illius, qui misit eum in agrum suum.

Arias. Qui misit eum in agros suos.

Syriac. n. 16. Et concupiscebat implere ventrem suum ex siliquis illis quas edebant suos.

Arias. Et desiderabat implere ventrem.

Arabicus. Quas porci manducabant, & non dabatur illi.

EXPOSITIO III.

BIIT. Explicat Glossa, sponte, seu propria voluntate. Ex quo ait Tit. Boſtr. *Abijt, perditionis forma afficitur.* Cum homo ducitur sua voluntate, statim ipsa perditionis forma constituitur, *adhæsit.* Non dicitur quod conductus fuit à ciue, sed quod adhæsit, seu adiunxit se omnibus modis se illi insinuãs ad eius gratiam sollicitandam, vt inde panem haberet, ne fame periret. Rectè D. Ambros. expendit verbum *adhæsit*, sic explicans : *Qui hæret, in laqueo est.* Sicut enim passer pabulum quærens, in laqueum incidit ; ita infelix peccator, vbi iucundam voluptatem sperat, in miserabilem seruiturem incurrit. Notat Hugo, quod prius dicitur, *abijt*, & postea *adhæsit*. Homo propria sua voluntate subiicitur diabolo. 44. Glossa. Boſtr. Ambr. Hugo.

Vni ciuium regionis illius : seu vt legit Origenes, *primarium ciuitatis.* Ciuem regionis à Deo longinquæ diabolum interpretantur D. Augustinus lib. 2. Quæstionum Euangel. quæst. 33. D. Hieronymus, Boſtrenſ. Beda, Hericus, qui ait : Diabolus *terrenis concupiscentiis præpositus est.* Deinde subditur : *Misit illum in villam suam.* Græcus, *in agros suos.* Beda, in villam mitti, ait, est substantiæ mundialis cupiditate subiugari. *Vt pasceret porcos.* D. Chrysostomus in Catena hoc est vt sordidas, & immundas cogitationes in animo nutriret. Carthusianus, *vt pasceret porcos.* Hoc est dœmones inferiores, seu homines turpes Diabolo inferiores. Ecce ad quantam miseriam luxuria, & prodigalitas nobilem adolescentem adduxerunt, qui vt in domo paterna honestissimè habebatur, ab illa recedens seruus porcorum efficitur. 45. Orig. Aug. Hier. Boſtr. Beda. Chryſ. Carth.

Et cupiebat ; seu vt legit Arias, *desiderabat*, implere ventrem. Mira modo depingitur famelicus homo, vt aduertunt Maldonatus, Luc. Burgenſ. Non dicitur, cupiebat edere, seu saturari, sed implere ventrem. Cupiunt enim, qui magna fame opprimuntur, replere vacuum ventrem, nulla qualitatis ciborum consideratione habita. *De siliquis.* Siliqua proprie significat folliculos leguminum, qualia sunt fabæ, cicer, lentes ; alij volunt esse arboris fructus. *Quas porci manducabant.* Illæ enim porcis certa hora, certáque mensura dabantur in cibum non ab ipso, sed ab alio ad id à Domino deputato. *Nemo illi dabat* : ad satietatem, vt posset illis ventrem explere. Euthymius : *Nullus*, ait, *illi dabat ad satietatem. Huiusmodi enim dæmones neminem sinunt satiari voluptatibus, ne citius à peccato quiescat.* 46. Arias. Mald. Burg. Euth.

QVÆSTIO VI.

Quare adolescens vili porcorum seruitio se subiicit, non verò nobili malitiæ adscribitur ?

PRIMAM rationem desumo ex D. Chrysologo sermon. 1. *Cupiditas*, ait, *ciuem in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutauit in seruum, iunxit porcis, à patre* 47. Chryſ.

pissimo, quem seiunxit, vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ seruire contempsit. Ecce quot mala obueniunt adolescenti, vbi a patre recessit, propriis cupiditatibus ductus, noluit obedire patri, & elegit seruire porcis, villam, & mapalia habitat, qui in nobili palatio dedignabatur, qui regales delicias fastidiebat, modo præ fame postulat siliquas porcorum, qui ciuilium, eruditorúmque fratrũ fugiebat consortia, modo exul obrutescit inter viliſſimorum pecorum greges. Et qui degebat inter odoriferas *emissiones paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Cant. 4. num. 13. modo tetrum, ac fœtidum porcorum vaporem sustinet. *Vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ seruire contempsit.*

In Dei obsequio bona, in mundi seruitute mala.

Cant. 4.

48. Chrysost. Secundò. D. Chrysostomus orat. 4. de Prodigo: *Et misit eum*, ait, *in villam suam eius ille, vt pasceret porcos: cinesautem regionis illius sunt dæmones, in qua profugus degebat: sic enim honore afficiunt dæmones eos, qui illos honore prosequuntur, sic amant eos, à quibus amantur, talia dona largiuntur illis, qui sibi obediunt.* Vt seruiat mundo, & diabolo expendit adolescens totam suam substantiam, fit exul à patria, largos labores itineris suscipit, quam tamen mercedem, seu honorem inde asportat? Vt porcis seruiat. Talem honorem impendunt dæmones suis amatoribus; tale præmium, multo itineris labore sibi homines comparant; & vt porcos pascant, fame, itinere, ac omnium rerum penuria sibi emunt, & comparant. *Sic enim honore afficiunt dæmones eos, qui illos honore prosequuntur.*

Fame, itinere, ac labore emit homo extremam vtilitatem.

49. Tertiò & maximè ad quæstionem. Prodigus luxuriæ, ac vitiis deditus fuerat, à quibus eius vires sũt debilitatę, animus eneruatus, & ipse ignauiſſimus effectus est. Vt ipse nil generosum imẽderet, sed solùm ad cœnum porcorum inclinaretur, sic ipse ex luxuria, ac vitiis tam iners factus est. D. Cyrillus: *Hi*, ait, *imbelles sunt, ac minus possunt maximè militia spirituali, in qua is, qui vxorẽ duxit, tanquam infirmior, & ignauior ait, non possum venire,* Luc. 14. n. 20.

Luxuria enervat vires, ac frangit animum. Cyril. Luc. 14.

50. Exod. 1. Excitat Pharao suos, vt insurgant contra Hebræos, dicens: *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est, venite sapienter opprimamus eũ,* Exod. 1. num. 9. Bene agnoscebat rex, quod multo maior erat numerus Ægyptiorum, quam Hebræorum, cum Ægyptiacum regnum esset amplissimum, tamen timet Hebræos, quod si insurgerent in bellum, se ac suos superabunt, & ratione subdit, *quia fortior nobis est*; quod ita interpretatur Abul. quòd si fiat comparatio inter vnum virum Ægyptiacum, & Hebræum; secundus multo fortior primo; ex quo tamen motiuo sibi persuadet rex, quod Hebræus robustior Ægyptio sit? Cum eodem fere pabulo, ac esca vterque populus vteretur; imò Ægyptius meliores, & delicatiores cibos vesceretur, Vnde ergo Hebræus fortior creditur? Ægyptius luxuriæ, ac impudicitiis deditus erat, à quibus Hebræus sobriè viuens se abstinebat, & inde Ægyptius iners, ac ignauus reputatur, vt facilè à quolibet Hebræo esset subiugandus, ac superandus. Lyranus: *Ægyptij luxuriosi erant*, ait, *inordinatè viuentes, & ex hoc debiliores fiebant in corporibus & minus apti ad productionem corporis; filij autem Israël contrario modo viuentes erant fortiores in corporibus, & multiplicabantur in prole, & diuitijs.*

Luxuriosus iners, & ignauus. Abul.

Lyran.

51. Chodorlahomor rex Elamitarum cum aliis quatuor regibus inito prælio debellauit reges Sodomæ, & Gomorrhæ, eorúmque copiosum exercitum, & illorum omnem substantiam simul secum tulit; quod cum nuntiatum fuisset Abrahamo, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo. *Et diuisis sociis irruit super eos nocte, percussitque eos, & persecutus est eos vsque Hoba,* Gen. 14. num. 15. Rex ille Elamitarum tantum habuit militum robur, vt magnorum quatuor regum Sodomorum acies potuerit deuastare, ac debellare, ac ex magna parte occidere, quomodo Abraham ei exiit in certamen cum tam paucis hominibus, eúmque cum suis in fugam conuertit, ac tandem percussit, omnémque prædam ex eorum manibus liberauit? Reges Sodomorum, & Gomorrhæ cum suis militibus erant valde impuri, & ideò multum inepti, ac ignaui ad bellum, vnde statim terga vertentes ceciderunt; at verò vernaculi Abrahami erant puri, & casti. Rabbanus ibi: *Expeditos duxit iuuenes ad bellum promptos, qui non fuerant vxorati.* Et ideò tam fortes, ac generosi in bello, vt magnas Elamitarum copias deuastarent, casta enim paucorum castra de multis aduersariis valent triumphare, ac victoriam reportare.

Genes. 14.

Luxuriosi imbelles, casti fortes.

Rabb.

QVÆSTIO VII.

Quare Prodigus in deliciis enutritus, non alium cibum cupiebat, nisi porcorum siliquas?

52. DE his siliquis multa congerunt Recentiores circa eorum significatum. Communiter tamen iuxta Plinium lib. 18. cap. 12. reputantur folliculi leguminum, vt fabæ, &c. De illis ait D. Ambrosius in præsenti: *Quæ aptior huiusmodi hominibus,* scilic. luxuriosis, *cibus; quam is, qui siliqua modo intus inanis, foris mollis est, quo corpus nõ reficiatur, sed impleatur, vt sit magis oneri, quam vsui* Luxuriosos pabulum non reficit, sed potiùs grauat eos. Alij, vt Plinius lib. 15. cap. 24. Dioscor. lib. 1. cap. 30. Columella lib. 5. cap. 10. Ianſenius, Barradas, & alij dicunt esse fructum arboris falcatum digitali longitudine, latitudine pollicari, qui Latine dicitur, *ceratia*, vulgò, *al ferrobas.* Quarum magna copia est in regno Valentiæ. De illis, ait Titus Boſtr. *Siliquarum gustus suauis est, & tamen adiunctam habet nonnullam asperitatem.* Alij tenent esse fructum arboris quercus ad vsum porcorum.

Plin. Ambr. Plin. Dioſc. Col. Ianſen. Barrad. Boſtr.

53. Theophyl. Ad quæstionem respondet primò Theophylactus: *Assimilatur*, inquit *siliquis peccatum, dulcedinem habent, & asperitatem, delectat enim ad tempus, cruciat perpetuò,* &c. Similiter Boſtrenſ. Euthymius, & alij, qui per siliquas peccatum, seu appetitus interpretantur, quod licet secum videatur importare aliquam breuem dulcedinem, infert tamen asperitatem, ac cruciatus æternos, & tamen miser peccator in suis malis demersus nil aliud cogitat, ac desiderat, nisi huiusmodi asperitates.

Euthym. Boſtrenſ.

54. Aug. Ambr. Hieron. Beda. Haymon. Bonauent. Secundò. D. Augustin. in quæstionibus. D. Ambrosius, D. Hieronymus, Beda, Haymon, D. Bonauent. per siliquas interpretãtur inanes, ac sæculares sententias infidelium, ac Hæreticorum. *Siliqua*, ait D. Augustinus, *sæculares sunt doctrinæ, sterili vanitate resonantes, de quibus laudes idolorum fabu-*

fabularumque, ad Deos gentium pertinentium, vario sermone, atque carminibus, percrepans, quib. dæmonia delectãtur. Beda: *Sunt doctrina de falsis diis siliqua, id est cibus porcorum, videlicet Ethnicorum, & dæmonum.* Siliquæ sunt figmenta Poëtarum, pompæ verborum Rhetoricorum, falsáque hæreticorum dogmata; mundani spreta vera, ac sana doctrina illa appetunt, illísque solum tanquam suauissimo pabulo delectantur.

Beda.

Mundani quærunt fabulas, ac deliramenta hæreticorum.

55. Chrys.

Tertiò. D. Petrus Chrysologus serm. 2. *Diabolus*, ait, *non finit eos, scilicet peccatores, ex ipso porcorum cibo, pastuque saturari, vt esurientes vitia, plus delinquant: luxuriosos, satietas capere non potest, voluptas nescit expleri.* Famelicus adolescens ardenter esuriebat siliquas edas, & tamen illi non dabantur. Hæc est malignorum spirituum astutia, vt peccatores in suis sceleribus nunquam satientur, ne saturitas in fastidium vertatur, *vt esurientes vitia plus delinquant.* Vt inde inexpleta libidine in dies auidiores ad vitia rapiantur. Sic explicant Euthymius, ac Theophylactus illud: *Nemo illi dabat*, satietatem scilicet in suis vitiis, ac turpitudinibus.

Nunquam diabolus in vitiis dat satietatem.

Euth. Theoph.

56. Chrys.

Quartò. Idem Chrysologus serm. 1. *Quam crudele*, ait, *ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui vinit porcis. Miser, qui porcorum deficit, & esurit in saginam, miser, qui squalentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem.* Ex multis prodigi miseria deprehenditur; & primò ex suo desiderio, in tam infima sorte erat constitutus, vt nihil aliud desideraret, nec ei veniret in mentem nisi squalidum alimentum, & hoc etiam defraudabatur, & assequi non valebat, quid miserabilius, quàm quod cum porcinam vitam vitiis ac luxuria ageret, porcini victus expers erat? *Quam crudele ministerium, quia neque conuiuit porcis, qui vinit porcis.*

Prodigus miser ex suo desiderio.

Vitam porcinam agebat, & non saturatur vt porcus.

57. Paschas. Thren. 2.

Quintò. D. Paschasius lib. 2. in Thren. confert hunc locum cum illo Threnorum 2. num. 12. vbi pueri Hierosolymitani in schola Dei enutriti. *Matribus suis dixerunt, vbi est triticum, & vinum cum deficerent quasi vulnerati, plateis ciuitatis; cum exhalarent animas suas in sinu matrum.* Prodigus adolescens præ fame animam exhalans *cupiebat saturari de siliquis.* Pueri verò Hierosolymitani, non siliquas, sed panem, & vinum suspirant. Cur adolescens porcorum escas, pueri verò illi panem, & vinum requirunt? Citatus D. Paschasius: *Non ainunt, vbi est hordeum, aut silique, sed vbi est triticum, & vinum? Norunt igitur, etsi degeneres suo vitio, quales eos pater genuerit: Prodigus autem ille filius concupierat saturari de siliquis, quas porci manducabant.* Adolescens ille tanquam Gentilis factus recesserat longè à domo patris profectus in regionem longinquam, vbi dissipata substantia sua fame peribat, at verò Hierosolymitani exhalabant animas in sinu matrum suarum. Qui autem vt Gentilis, & hæreticus se à domo Dei elonginquat, in vltimis constitutus nil cogitat ac requirit, nisi mundana, ac brutorum alimenta. At verò qui est in sinu Ecclesiæ, vt fidelis, licèt aliquando peccato lapsus fuisset, tamé cum in sinu Ecclesiæ teneatur, & foueatur, cum in extremis agit, panem & vinum filiorum cõtendit, quo anima in æternam vitam reficiatur; pro quo nota, quod postquam mentem dirigit ad domum patris, illámque concupiscit, iam non siliquas, sed panem desiderat. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?*

Elongatus ab Ecclesia terrena cogitat, in sinu eius cœlestia.

58. 3. Reg. 17.

Sareptanæ viduæ filius moritur, quem excitaturus accedit parens Elias. *Et ait ad matrem Elias. Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum*, 3. Regum 17. numer. 19. maximè ponderandus est locus, in quo habebatur filius reuocandus in vitam, & ex quo loco eum accipit Elias. *Tulit eum de sinu eius.* Non iacebat in lectulo, vel in strato, vt communis est locus aliorum mortuorum, sed in sinu matris erat, & inde ipsum extrahit Propheta, vt ei vitam communicet; felix, qui dum moritur, in sinu matris, in sinu Ecclesiæ est, quia frequenter adest vnus Dei minister, qui ei manum porrigat, ipsúmque foueat, vt valeat in salutem, ac vitam euocare. Perbellè Gillibertus Abbas serm. 16. in Cantic. *Molli*, ait, *& fœmineo matris est sinu fouendus, vt non exasperatus absorbeatur. Non expedit ei extra materni sinus ambitum reperiri, ne fortè non tollas illum versus Elias in cubiculum suum.* Quamplurimi non sunt sublati in saluatoris cubiculum, eo quod extra sinum matris ceciderunt. At verò qui in sinu matris est, licet cadat, & vulneretur, tamen blanda, ac molli pietate matris fouetur, vt valeat in vitam restaurari.

Qui in sinu Ecclesiæ delinquit, sæpè erigitur.

Gillib.

59. *Famis tempore vtendum humili cibo.*

Sextò. Ait textus: Quod facta est fames valida in regione illa. Quamuis in multis delitiis enutritus fuisset prodigus, tamen cum tunc grauissima esset exorta ciborum penuria, ipse tempori, ac necessitati se accomodans non delicatos cibos, sed porcorum siliquas appetebat, illísque tantum contentus quiescebat.

60. Gen. 43.

Cum super fratres suos essent commota viscera Ioseph, parat ille fratribus suis conuiuium. *Læta facie egressus continuit se, & ait, ponite panes*; Genes. 43. n. 31. Totius Ægypti gubernator conuiuium fratribus suis exhibet, quis non cogitet, quod sit valde abundans delicatissimis ferculis, in quo omnia obsoniorum genera reperiantur, vt tanto principe, ac protege decens videbatur: Ipse tamen panes tantum proferri mandat. *Ponite panes.* Non me latet quod panis nomine alij cibi intelligantur, & dum imperat panes parari, simul alia obsonia requirit, tamé non quæ ad lautitiam, & abundantiam, ac delitias conducant, sed ad congruentiam, & necessitatem; alienum à se putauit prudens princeps, vt inter famescentes populos, & penè fame consumptos, ipse deliciis, ac larga obsoniorum copia vteretur, ac proinde cum alij fame pereant, ipse parcum conuiũ præparari disponit. Philo lib. de Ioseph: *Interim*, ait, *cibi non valde lauti apponuntur, quod Ioseph non liceret, vti deliciis in publica penuria, & hoc ipsum prudentes homines in laudem vertebant, vitari luxum intempestiuum.* Videtom. 3. c. 33. q. 17. n. 110.

Tempore famis non lautè viuendum.

Philo.

QVÆSTIO VIII.

Quare Prodigus non rapiebat siliquas, cum eas concupisceret, & nemo illi eas daret?

61. RESPONDEO. Primò, quòd siliquæ sub alterius erant potestate, qui certo diei tempore porcis præbebat cibum, vnde non poterat Prodigus illas surripere, vt impleret ventrem; deinde etiam non audebat absconditè aliquid assumere, timebat enim, quod si Dominus resciret porcos consueto suo cibo priuari, famulum à domo expelleret.

62. Bonauent. Secundò. D. Bonauent. *Frequenter peccator*, ait, quum huiusmodi, id est, mundi, *quærit delicias, iusto Dei iudicio perdet illas, vt pro deliciis rigorem, asperitatem, ac amaritudinem inueniat.* De peccatoribus ait Iob 30. num. 4. *Mandebant herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Ad conuiuia conueniebant impij, vt suaues epulas ederent, & deliciis indulgerent, & tamen quæ obsonia apponebantur, herbæ, scilicet arborum cortices, & radix iuniperorum, sed his quid insuauius, durius, asperius? Quæ non solum non delectant, sed etiam pungunt, & amaricare faciunt os. Hæc sunt mundi oblectamenta, quæ acerbitatem, ac amaritudinem important. D. Gregorius: *Arbor inniperi*, ait, *pro foliis punctiones habet. Sic quippe hirsuta sunt, qua profert: vt spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina vero est omne peccatum; quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.*

Iob. 30.

Peccator, dum quærit delicias, eas perdit, & amaritudinem inuenit.

Gregor.

63. Tertiò. Res valde mira! Prodigus glandes in cibum præbebat, & hunc cibum valde tenuem non inde sibi parat? Si glandes sua in manu habet, cur alienam spectat manum, vt aliquis ei porrigeret? & tamen; *Nemo illi dabat.* Cur eas non rapit? Cur eas non capit? Prodigus etsi tanta miseria versaretur, tamen præditus erat bono ingenio, & bene in domo patris sui enutritus, proindéque nobili adolescentulo rapina pudor erat, vt potius eligeret fame perire, quam duas siliquas ex porcorum ore surripere, tam alienum est à viro nobili furandi vitium. D. Hieronymus in cap. 2. ad Titum: *Pulchrè*, ait, *quidem vir apprimè grauis, cum & cuiusdam indicis laudaretur integritas, & diceret de eo ille, qui laudabat, non est fur, respondit optimum seruum faceret, si nec fugitiuus esset, in tantum furti suspicio ab omni libero debet esse aliena.*

Prodigus potius vult fame perire, quam furari.

Hieron.

64. Genes. 3. Postquam primus Parens peccauit, cum audisset vocem Domini deambulantis in Paradiso. Adam vbi es? *Abscondit se Adam à facie Domini.* Genes. 3. numer. 8 Homo tam sapiens vt Adamus, qui optimè sciebat, quod omnia sunt nuda, & aperta oculis eius, tamen abscondit se, & quamuis ipse dixisset, *Abscondi me eo quod nudus essem.* Tamen præcipua erubescentia ex transgressione præcepti nascebatur, vt notat Rupertus lib 3. in Genes. 14. Ex vno modico pomo tantus timor, & pudor, vt inter condensas arbores latere affectauerit? Adamus comedit fructum vetitum auctore serpente tanquam furto sublatum. Rupert. lib 4. in Cant. *Serpens non dabat de suo, sed suadebat rapere de alieno.* Nam licet Deus omnia concesserit homini, arborem tamen illam ei interclusit. Comedit ergo ex illa Adamus tanquam ex alieno. Cum autem ipse esset nobilissima indole, ac magno ingenio præditus, & se viderit furti crimine fœdatum, tanto pudore est affectus, vt nihil aliud cogitauerit nisi fugere, seque abscondere, & non apparere. Theodoretus quæst. 57. in Gen. *Latere conatus est quasi cognoscens furari malum esse.*

Furari alienum à viro nobili.

Theodor.

65. Cum recessisset Iacob à domo Laban ipso inscio, insecutus est eum, illumque inuenit in monte Galaad, ipsumq; obiurgauit, quod se ignorante fugeret, filiásque suas clam abigeret, ac tandem *Cur furatus es deos meos?* Cui Iacob ait: *Apud quemcumque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris*, Genes. 31. num. 32. Certum est quod pœna proportionanda sit delicto; quomodo Iacob vir prudens rigidam mortis pœnam imponit furanti idola, cum ipsa essent imagines quædam luteæ, vel ligneæ? Et fieri poterat vt Rachel, vel Lia, vel aliquis ex filiis eius illa furto abstulissent, quamuis ille penitus hoc nesciret; cur ergo pro re parui ponderis tam duram pœnam infligi statuit. *Necetur coram fratribus nostris?* Ex lege naturali deducebatur, vt ibi notat Lyppomanus, quod simplex furtum res erat execrabilis, magnæ infamiæ; inde Iacob constituit, vt furans idola lethali pœna plectatur; per furtum enim ille expoliauit se honore, ac honesta fama, non ergo mirum, vt & vita priuetur, ad quid requiritur vita incolumis, vbi honor est amissus? D. Chrysostomus homil. 57. in Genes. ibi: *Apud quem*, inquit, *inuenti fuerint non viuet coram fratribus nostris. Non solùm quia ablatum est, sed quia furtim, qui fecerit manifestam sui flagitij pœnam ferat.* Vide suprà cap. 21. num. 59.

Lyppom.

Furto priuatur homo sua bonore.

Chrysost.

Luc. 15. n. 17. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?

VERSIONES.

Græcus. Ad animam autem suam reuersus.

Syriacus. Quúmque ad se rediisset, ait: quot sunt mercenarij.

Arabicus. In se autem reuersus, in semetipso cogitauit: quanti mercenarij sunt in domo patris mei, quibus panis abundat?

Pagnin. Theop. Quàm multi mercenarij sunt in domo.

EXPOSITIO IV.

66. Syriacus. *IN se autem reuersus.* Syriacus: *ad animam suam*, hoc est ad mentem, & cor suum rediens, ac rectè sapere incipiens, qui peccati ebrietate à se erat alienatus. Euthym. *Sui cõpos effectus, hoc est velut expergiscens ab ebrietate, grauique somno.* Theophylactus: *Ad se ipsum rediit Quandiu malè agebat, extra se ipsum erat; nam qui non bene gubernatur ratione, extra se ipsum est, & non manet in sua substantia.* Et D. Chrysolog. serm. 1. *In se rediit, vt rediret ad Patrem, qui à se ante recesserat, cum recessit à Patre.* Prodigus peccando cũ pro re vili amittit totam suam substantiam, & diuina bona extra mentem, & intellectum suum ferebatur, vt autem à multis malis eum opprimentibus liberetur, intrauit in semetipso considerans quot mala sint in mundo, quot verò bona in domo Dei. Vnde perbellè dixit D. Chrysolog. serm. 56 *Totum in se habet homo, si se habet vt operetur non secundum concupiscentiam, sed secundùm rectam rationem. Dixit*, seu vt habet Arabicus, *Cogitauit.* Vrgente fame, ac necessitate præsenti. Titus Bostrensis: In se reuersus dixit, seu cogitauit. *Hoc est*, ait, *priorem felicitatem cum posteriori miseria conferens: qualisque & quantus, quãdo*

Euthym.

Theophyl.

Chrysolog.

Arabicus.

Bostrens.

eum

cum patre adhuc degebat, animo pertractans: quam teter, & miserabilis tandem, postquã Deo deserto, dæmonibus cœpit esse obnoxius, enaserit: iterúmque expendens; ista recogitatio resipiscentis est.

67. *Quanti mercenarij.* Mercenarius est operarius pro mercede diurna, de quo q. sequenti. *Ego autem.* Chrysost. in Catena D. Thom. *Ego non alienus, filius boni patris; Ego liber, & generosus factus sum miserior mercenariis; à summa celsitudine primæ nobilitatis ad infimam humilitatem delapsus sum.* deinde addit Prodigus. *Hic fame pereo.* Antea esuriebat ipsas carnales concupiscentias, vt illis saturaretur; modo fame perit. Vbi enim abundantiam paternæ domus, cœlestisque beatitudinis mente recogitauit, ex tunc intolerabilem reputat famem, quam sub carnalium cupiditatum tyrannide patiebatur.

Chrys.

QVÆSTIO IX.

Quare mercenarij dicuntur panibus abundare, & qui sunt hi mercenarij?

68. MERCENARIVS est, qui operatur pro diurna mercede. Mysticus verò sensus inquirendus est. D. Nazianz. orat. in S. Baptisma. Interlin. ac alij; cum per seniorem filium Iudæos interpretentur; per iuniorem verò gentiles, sic rem explicant. Iudæi tanquam mercenarij spe bonorum temporalium Deo seruiebant, & illis abundabant. Ego autem, qui sum populus gentilis omni veritate destituor. Secundò. D. August. lib. 2. quæst Euangel. per mercenarios intelligit prædicatores ob commoda temporalia veritatem annuntiantes. Tertiò. Beda. Mercenarij sunt, ait, qui futuræ mercedis intuitu digna operari satagunt, & hi abundant panibus, id est quotidianis supernæ gratiæ reficiuntur alimentis Glossa inquit. *Abundant panibus Diuini Verbi, ac Eucharistiæ sacramenti,*

Naz. Interl. *Quid mercenarius denotet.* Interl. Naz. Aug. Beda. Glossa. Theoph.

69. Ex quo benè Theophylactus ait; Tres sunt ordines eorum, qui saluantur. Quidam, vt serui faciunt bonum, timentes iudicium, quod insinuat Dauid dicens. Psalm. 118. num. 120. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Alij verò mercenarij esse videntur, qui desiderio bonorum, benè placere Deo cupiunt, vt ipse Dauid ait: ibidem num. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Alij vt filij sunt, qui propter amorem in Deum mandata perficiunt, sicut iterum Dauid, ibidem num. 48. testatur: *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.*

Idem. Psal. 118.

70. Secunda quæstionis pars inquirit, quomodo dicatur, quod *mercenarij panibus abundent.* Cùm cœlestis panis nunquam videatur abundare in mercenariis animis, cum magis, ac magis illum frequenter desiderent, & appetant? Erat prodigus iam in se reuersus pœnitens, & compunctus, ac proinde aliorum virtutem, etiam minimam, magnam, & excelsam iudicabat, suæque superiorem, ac excellentiorem credebat, aliorúmque opera, ex quacumque iustitiæ causa fierent, perfectissima reputabat, indéque eos omni cœlesti dono abundare apud se statuebat. D. Bernard. serm. de diuersis affectionibus animæ. *Peccator*, ait, *compunctum reputat sanctissimum, quacúmque ex causa alterum videat innocentem.*

Pœnitēs alienam minimā virtutē, maximam existimat.

Bern.

Cùm Abrahamus sederet ad ostium tabernaculi sui. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram.* Genes. 18. n. 2. Abrahamus genere illustrissimus, domo, ac amplitudine potentissimus, ac venerandæ canitiei grauitate præditus; Illi autem solùm videbantur tres viri aspectu iuuenes. Nam quando eos hospitio recepit, tres homines communes putabat, & esse Angelos ignorabat, vt colligitur ex D. Paulo 13. ad Hebræos num. 2. *Latuerunt quidam Angeli hospitio recepti.* Et docent D. Chrysostom. D. Ambros. Pereira, Cornelius ad locum Genes. Ex quo surgit difficultas, quomodo Patriarcha tam magnus prosternens se in terra in signũ magnæ reuerẽtiæ tres illos iuuenes hospicio recipit? Tam insigni virtute erat præditus Abrahamus, vt quemlibet inueniret se præstantiorem, ac excellentiorem arbitraretur: indéque à se tanquam ab inferiori, omni reuerentia prosequendum fore existimabat. Adimplebat iam vir eximius in se documentum Apostolicum. Ad contemptionem, & inanem gloriam vitandam scribebat ad suos discipulos Paulus, vt alios, *Superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.* Ad Philip. 2. num. 2. Vbi D. Anselm. *Optimè docet*, ait, *quomodo vitant contentionem, & inanem gloriam, & quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet si considerauerint, non sua bona, sed aliorum.*

71. Gen. 18. Ad Hebr. 13. Chrys. Ambr. Corn. Ad Philip 2. Anselm.

Cùm Angeli extra Sodomam deducerent Lot, vt ab incendio liberaretur, dicunt ei quod in mõtem ascendat, vt ibi saluetur; quibus ait Lot. *Quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari.* Genes. 19. num. 19. Quæ difficultas obiicitur Lot vt in monte saluetur, cum hoc ei præciperent Angeli, quorum virtutem, ac potentiam ipse bene agnoscebat; vnde ergo timor, vt in montem ascendat? Prope illum montem inhabitabat Abraham, cuius virtutem se esse superiorem certo credebat Lot, ac proinde timet ibi commorari, ne in conspectu Abraham ipse iniustus, & imperfectus appareat, tanquam pœna dignus, & ideò in alium locum longè ab Abraham vult diuertere. Lyranus. *Secundum expositionem Hebræorum*, ait, *in monte, id est propè Abraham, qui tunc manebat in monte: timebat enim Lot quòd si veniret iuxta Abraham, qui erat sanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur.* Idem habet Lypomanus.

72. Gen. 19. *Conspectu Abrahæ se reputat Lot inustum.* Lyran. Lypom.

QVÆSTIO X.

Quare Prodigo venit in mentem paterna domus, à qua recesserat in regionem longinquam?

73. AIT Prodigus, quod mercenarij in domo patris sui panibus abundant. *Ego autem hic fame pereo.* Quæ verba hic obiici sunt expendenda. Quomodo ait quod fame perit? Nam Dominus, seu ciuis, cui adhæsit, ac inseruiebat; absque dubio præbebat ei proportionatum alimentum ad vitam, sicut & porcis exhibebat; Cur ergo asseueranter de se ait. *Fame pereo?* Prodigus assuetus erat deliciis, ac epularum lenociniis, & cum hæc ei deficerent, statim se tanquam

Delicioſus ſe deliciis defraudatur, perit.

demortuum,ac fame contemptum iudicauit. *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Genes.3.n.14. Dœmonis vita habet determinatos dies? per totam æterniratem durabit. Quomodo ergo dicitur: *cunctis diebus vitæ tuæ?* S.Eucher. *Cunctis diebus,omni scilicet tempore,* ait, *quo agit hanc potestatem.* Quousque sunt dies dœmonis vitæ? Quousque à Christo foras emittetur. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Ioan.12. num.31. Cùm enim Diabolus haberet in more, vt esset huius mundi princeps,ac rector tenebrarum harum. Ad Ephes.6.num.12. Cùm autem huiusmodi potestas dulce eius pabulum illi defuit, statim ipse se veluti extinctum,ac peremptum iudicauit. Ad quæstionem nostram.

Genes.3. S.Eucher. Ioan.12. Ephes.6.

74. Beda. Respondet primò. Beda. *Vnde hoc scire poterat,* ait, *in quo tanta erat oblivio Dei, sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio iam resipiscentis est.* Iuuenis iste tota substantia dissipata,vitiis,ac voluptatibus immersus erat,in illisque obcæcatus versabatur,vnde ergo habuit oculos, vt mercenarios abundantes in domo patris videret? Quibus oculis è tam longinquo mercenarios in domo patris videt? Aduerte,quod præmittit textus. *In se autem reuersus.* Iam erat resipiscens, multóque dolore, compunctione, ac lachrymis lugebat præteritam vitam, recessúmque suum à patre,& ipsa resipiscentia,ac pœnitentia acuerunt oculos,vt cœlestem domum patris contemplaretur,illiúsque diuinam abundantiam meditaretur, vt ad illam institueret suum iter,gressúsque suos illam dirigeret.

Beda. *Pœnitentia acuit oculos ad diuina contemplanda.*

75. Nyssen. Secundò. D Gregor.Nyssen.in Catena D.Thomæ. *Contempserat patrem,* ait, *in primo recessu adolescentior filius, & opes paternas profuderat; at lapsu temporis est attritus laboribus, dum mercenarius fieret, & eodem cum porcis pabulo pasceretur, rediit in domum paternam.* Nota illud. *Dum eodem cum porcis pabulo pasceretur, rediit.* Comedebat Prodigus siliquas, nec illis satiabatur,statim suæ perditionis memor, ad patrem ire disponit, vt pristinam suam felicitatem recuperet; *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant,in se autem reuersus,*&c. Quid adolescentem tantis vitiis mancipatum,in hanc bonam cogitationem euocauit, vt ad patrem ire festinet? *Cupiebat implere ventrem de siliquis.* Rusticus, & vilis cibus hominis luxuriam refrænat, ac à vitiis reuocat,vt temporalia contemnat, salutem quærat,& ad Deum veniat.

Nyssen. *Asper cibus conducit ad salutem.*

76. Chrys. Tertiò. D.Petrus Chrysol.sermon.2. *Fames reuocat, quem saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere.* Cur tandiu adolescens hanc bonam cogitationem distulit,vt ad patrẽ ire contendat? Præmittit textus. *Ipse autem cœpit egere;*& quem abundantia à patris domo alienauerat, fames, ac aduersitas reuocat; ipsámque ærumnam dedit Clemẽtissimus pater perditissimo filio longissimè à se distanti,vt eum emendaret,ac ad se reduceret. Optimè D.August.in Psalm.118. *Haud verò,*ait,*in illa egestate contereretur, haud porcos pascere poneretur:nisi pater vellet flagellare longinquum, vt reciperet propinquum.* Et idem in Psalm.70. *Filius minor,* ait, *qui voluit in sua potestate habere substantiam suam, qua illi apud patrem optimè seruabatur, facultas sua potestatis, profectus est in regionem longinquam: hæsit principi malo, porcos pauit. Fame correctus est, qui saturitate superioribus abscesserat.*

Chrys. Aug.

77. Cùm Deus videret populum suum pœnitentẽ ac conuersum,ait per Ioëlem cap.2.n.25. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo,& eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Promittit Deus annos fertilitatis pro illis,in quibus magna fame oppressi fuerunt,tunc enim locusta, bruchus, &c. deuastauerunt omnes terræ fructus; illud tamen in præsenti facit difficultatem,quod locusta,& bruchus,dicantur à Deo *fortitudo mea magna.* Hæc sunt parua quædam animuncula,planum est,vt notat Theodoretus,quod Deo sunt multa maiora animalia, ac instrumenta ad hominem puniendum; Cur ergo illa à Deo appellantur *fortitudo mea magna?* Locusta, & bruchus solent frumenta corrodere, ac proinde famem gignere, qua vehementissimè, ac tanquam fortissimo medio homines ad Deum trahuntur, quos enim abundãtia in scelera demerserat,fames producit in vitam.

Ioël.2. Theodor. *Per famem fortè medio homo trahitur ad salutem.*

78. Osee 4. Postquam Deus recenset calamitates Israël, supplicíaque illi illata ob sua peccata,ait Osees. cap.4.num.16. *Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine.* Quid est, quod cum Dominus vult educere Israëlem à suis iniquitatibus; reduceréque eum ad se, ipsum comparat cum agno in solitudine? Agnus cum grege ouium in solitudine exultabat, & lætabatur: at verò ipso grege perempto,vel recedente aguiculus in ipsa solitudine per montes peregrans tristi balatu, multáque fame cogente vbera matris requirit; sic ait Deus, ego faciam cum Israël,vt ipse à suis voluptatibus ac deliciis abstractus, & derelictus fame, ac necessitate cogente;pœnitentiæ vlulatu mea vbera, meamque doctrinam, ac legem requirat, vt explicant D.Hieron. Theodor.Theophyl. & Russinus,cuius hæc sunt verba. *Gens,* ait, *subiecta hostibus truculentis, per solitudinem ingredi cogatur, quam tamen non absque quáque prouidentia Diuina distulit; propter quod dixit, nunc pascet eos Deus, sed vt imposita calamitatis magisterio intelligat.* Vide supra cap.7.num.46. & 48. & tom.3. verbum *Labor* in Indice.

Pressura, ac fame coangustatus homo ad Deum. Hier. Theoph. Theod. Russin.

*Luc.*15.n.18. Surgam, & ibo ad patrem meum & dicam, ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te.

*Num.*19. Iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.

VERSIONES.

*Syriac.*n.18. Surgam, proficiscar ad patrem meum,& dicam ei: Pater mi.

Euthymius. Surgens ibo ad patrem meum.

S.Paulin. Peccaui in cœlum,& in te.

*Syriacus n.*19. Neque amplius sum dignus, qui vocer filius tuus.

Arabicus. Non sum dignus vocari filius tibi, sed fac me sicut vnum mercenariorum tuorum.

EXPO

EXPOSITIO V.

79. Hier. SVRGAM. Iacentem se agnouerat, quam luxuria, ac vitia depresserant, & deiecerant. D. Hieronym. Epist. ad Damascen. *Pulchrè*, ait, *surgens, patre quippè absente, non steterat, peccatorum iacere, iustorum stare, est.* Titus Bostrens. *Surrexit*, ait, *è peccatorum cathedra.* Vbi vitia à Dœmonibus ediscebat. *Et ibo ad patrem meum.* Titus Bostrens. *Hoc est*, ait, *pulchrè eo reuertar, vnde turpiter decessi.* Ibo peccato ergo relicto. Et bene ait *Ibo*, inquit D. Augustinus lib.2.quæst. Euangel. cap.33. *Ibo, puta longè aberat, ad patrem meum, quia sub principe porcorum erat* Expende verbum, quod ait *Ad patrem meum*, quem piissimum agnoscebat, à quo cuncta bona amissa erant recuperanda, vt infra dicam ex D. Thoma. Vnde ait D Chrysol.serm.1. *Hoc petit*, ait, *quia penes extraneum, seruam senserat libertatem. penes patrem credit sibi futuram liberam seruitutem.*

80. Beda. Patris pietas. Bostr. *Dicam ei, Pater peccaui.* Beda. *Quàm misericordem*, ait, *piúmque nouerat patrem, qui nec offensus à filio patrus dedignatur audire vocabulum.* Et postea addidit: *peccaui.* Titus Bostrens. *Pauca hæc verba*, ait, *mihi ad salutem sat fuerint, noui patris mei suauitatem, noui facilitatem: miserebitur mei pœnitentis, & ad sanam mentem reuertentis, quem in peccati sordibus volutantem non perdidit.* Hoc vno verbo *peccaui* verè pœnitentis confessionem profert, vt absolutionem mereatur. *In cœlum.* Hoc est aduersus Deum, qui habitat cœlos. Aug. Chrysol. D. Augustinus citat. ait, quod *cœlum appellaueris ipsam sublimitatem patris.* Eleganter Chrysolog. de suo more, sermon. 5. *Peccauit*, ait, *in cœlum, dum in Cœlo, Solem, Lunam, Sydera, Deos esse blasphemat, & hæc eadem profanas adorando.* In cœlum peccabat, qui cœlum adorando colebat, quia illi indebitos dabat honores. In solem peccat, qui illi indebitos dat honores. *Coram te.* Prodigus peregrè profectus erat, quomodo coram patre delinquebat? Maldonatus ait, quod sit Hebraismus coram te, id est contra te, ac si dicat, Pater peccaui contra Deum, & contra te; Aptissima explicatio est, quod refertur ad Deum, omnia enim sunt nuda diuinis oculis. D. Chrysost homil.4.in Lucam. *Ostendit Scriptura*, ait, *hunc patrem non hominem intelligi debere, sed Deum: Deus enim est inspector omnium solus, à quo neque in corde meditata peccata abscondi possunt.* Ex quo benè ait D. Chrysolog. sermon.1. *Sensit Dauid, quantum sit sceleris, mali quantum, in ipso Dei peccare conspectu, ideò clamat, & malum coram te feci*, &c. Vnde, *& iste adolescentior similiter clamat: peccaui in cœlum, & coram te.* Sapienter M. Celada capite 4. in Iudith, §.18. numero 77. *Coram te* refert ad curam pastoris, nam bonus præsul nullo circunscribitur loco, sed prouidentia sua omnibus in omni loco est præsens. Vnde D. Basilius apud Nazianz. orat. pro eodem sic Præfecto fatur. *Exilium autem haud agnosco; quia nulla loco circunscriptus sum.*

81. Hier. *Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Quia ab obedientia tua me subduxi, *& quia*, vt ait D. Hieron. Epist.146. *Seruus esse malui idolorum.* Id est vitiorum; non desiderat omninò esse filius, desiderat tamen, quantum in ipso erat, vnde non ait, non sum filius tuus, sed tantum dicit; *non sum dignus vocari*, seu reputari filius tuus. Euthym. Euth. *Quia tali patre indignè conuersatus sum.* Et ideò subdit Beda, ad filij affectum, seu honorem aspirare non præsumit. Beda. Benè tamen notat D. Hier. citato loco, quod quamuis prodigus se dicit filium indignum; tamen ex naturæ affectu patrem vocat: sic ait. *Dicit se non esse dignum filium nuncupari, & tamen ex natura voce, ex illa substantia quam illi fuerat aliquando pater largitus, in nomen trepidus veritatis erumpit, Pater, inquiens, peccaui in cœlum*; quem esse filium humilitas oris silentio occupabat, ipsa tamen natura accepta auctorem, ac opificem suum publicabat, de quo etiam iterum quæst. sequenti: *fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Confitetur se non esse dignum, vt in magna gratia, ac honore filiorum recipiatur, quam antea habebat, & culpa sua perdidit, rogat verò modò, vt inter infimos fidelium admittatur. Euth. *Ex quo*, ait, *excidi primo ordine, dignare me, vel secundo, tantum me ne penitus abiicias.* Euth. Dona à Deo accepta non possunt accusari.

QVÆSTIO XI.

Quare Prodigus fame tabescens decernit animo venire ad patrem, à quo longissimè recesserat nullo præmisso intercessore?

AB hoc secundo incipio quæstionem. Animus patris discessu filij exasperatus fuerat cur cum ipse ad patrem redire cogitat, nó præmittit aliquem mediatorem, qui patris animum deliniret? Apud patrem non aliquis extraneus, sed vehementius ipse paternus affectus intercedit, & loquitur, ac proinde valde apposite adolescens parat venire, certus quod nunquam patris viscera deficerent. Pulchrè Chrysol. ser- Chrys. mon.2. *Quæ spes?* Ait, *Quæ fiducia? Quæ confidentia? Quæ spes? Illa quæ Pater est. Ego perdidi, quod erat filij: ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus est in patris pectore ipse, qui interuenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viscera iterum filium genitura per veniam.* Vnde Pater filium adhuc à longè stantem prius videt, quam videatur ab ipso, ei occurrit amplexu, & osculo, vt per veniam iterum filium in sui amorem parturiat. *Vrgentur Patris viscera iterum filium genitura per veniam.* Ac proinde efficacius negotiauit filius, dum paternis oculis se obiecit, quam si quemlibet alium mediatorem ad patrem direxisset. Ad quæstionem. 82. In Deo nunquam patris amor defecit.

Respondet primò. D. Chrysost. homil. 11. in Epist. ad Rom. *Postquam dixit*, ait, *ibo ad patrem meum, quod ei cuncta attulit bona, non mansit, sed totum iter transiuit, sequitur enim*, surgens venit ad patrem suum. Iacebat Prodigus valdè debilitatus, & cùm propè se haberet siliquas, quas præ fame manducare cupiebat, ad illas tamen viribus deficientibus gradum facere non valebat; qui tam infirmus erat pro cibo capiendo, quomodo tam lõgissimam viam arripere animo determinat, vt ad patrem veniat? Dixit enim ipse: *ibo ad patrem meum*; ex eo quod ipse patrem mente cogitauit, in mente quæ habuit, ipsa Patris cogitatio dedit vires, addidit alas, quibus posset infirmus homo in salutem euolare. *Dixit, ibo ad patrem meum, quod ei attulit cuncta bona, non mansit, sed totum iter transiuit.* 83. Chrysost. Dei memoria dat vires, vt viam salutis arripiat.

Secundò. Idem Chrysostom. citato loco sic pergit. 84. Chrys.

pergit. *Surgens venit ad patrem; sic & nos faciamus, ne pigeat nos longitudinis viæ, quia si valuerimus fiet regressus celer, & facilis.* Perpende textum. Dixit ipse. *Surgam & ibo ad Patrem meum,* &c. *Et surgens venit ad patrem.* Adolescens fame penè enectus erat, vt nec ad siliquas accipiendas se mouere posset, vbi tamen ipse cœpit ire, initium viam vt veniret ad patrem, ipsa virtus sic aucta est, vt totam viam posset conficere, ac perficere, inchoatio enim viæ ad salutem corroborat infirmitatem; difficultates tollit, vt omnia difficilia complanentur, *fiet regressus celer, & facilis.* Eunti enim ad Deum omnia sunt superatu facilia, ac expedita. Pulchrè Garric. Abb. ser-mon. 1. de Resurrect. *Nos tamen fratres mei, licèt non simus tanta nobis puritatis conscij, eamus nihilominus, eamus videre Iesum, in montem Galilææ cœlestis, vbi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & ad salutem perueniendo perficietur. Eundo via prius arcta, & difficilis dilatatur, & virtus infirmus augetur.*

Si viam salutis incipias, vires augentur. Garricus.

85. Tertiò. D. Augustin. in Psalm. 138. ait. *Surgam dicit, fœderat enim, sed in egestate. Surrexit in desiderio panis tui.* Præ fame sedebat miser Prodigus, tamen cum odorem percepit cœlestis panis, dixerat enim, *quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus.* Est ipso odore diuini conuiuij sic corroboratus, vt è terra surgeret, & viam arctam, ac arduam in cœlestem domum patris sui facillimè, ac promptè perageret. *Surrexit in desiderio panis.* Et inde statim sequitur, venit in domum patris sui. Vnde ait D. Paschas. lib. de Euch. cap. 10. *Tali epulo refecti ad altiora in fortitudine transeamus.*

Aug.

Desiderium Eucharistiæ facit homines ascendere in cœlum.

Paschas.

86. Ostenditur Ioanni ciuitas sancta Ierusalem. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Et descripta felicitate cœlestis patriæ. *Mors vltra non erit*; & deinde: *Ecce noua facio omnia.* Subditur. *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ.* Apocal. 21. num. 9. Ait Arethas. *Fons iste vitæ non est alius, quam Christus.* Aqua huius fontis scaturiens est pretiosissimus eius sanguis. Cur ostensa beatitudine, eam sitienti, seu desideranti, nihil aliud ei promittitur, nisi sanguis Christi? Tanquam efficacissimum medium præ cæteris, vt ad cœlum efferamur, qui nobis animum corroborat, vires dat, alas ingerit, vt ad æternam patriam euolemus. D. Machar. hom. 47. *Christus*, ait, *immolatus est, & sanguis eius nos aspergens, fecit, vt nascerentur nobis ala ad volandum sine vllo impedimento in aërem diuinum.*

Apoc. 21.

Sitiuit Christi dat alas in cœlis.

Machar.

87. Ascensionem Domini scribens D. Marc. c. 16. n. 14. ait. *Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus.* Cùm recumberent Apostoli pro more illius temporis simul prandebant, vt notant Barradas, ac alij, & cum Christus eis apparuit, simul cum illis recubuit, & comedit; peracto verò prandio. *Assumptus est in cœlum.* Cur prius comedit, & postea in cœlum ascendit? In illo epulo liceat Eucharisticum cibũ contemplari, vt vniuersis daretur documentum, quod si corda hoc viuo pane replentur, statim in superiora euolant, ac ad cœlos impelluntur: Richard. lib. 1. de Emman. cap. 16. *Attende quid dicitur*, ait, *quomodo ibi legitur: Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, & paucis interiectis additur. Videntibus illis elevatus est. Ecce quia comedit, & ascendit.* Expende vltima verba.

Marc. 16.

Barrad.

Ex Diuino epulo ascendimus in cœlũ.

Rich.

Qvæstio XII.

Quare Prodigus solùm verba meditatur, & non potius aliquid pro pœnitentia austerum, vel oscula prouolutus ad pedes Patris?

88. IN limine huius quæstionis notandũ est, quod Prodigus tantum ait. *Surgam, ibo ad patrem meum.* Nullúmque verbum de eo inquirendo facit, vt sponsa, quæ dicebat. Cant. 3. num. 1. *Surgam, & circuibo ciuitatem: per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea.* Ecce sponsa multum solicita est, transiens de loco ad locum, vt suum dilectum quærat; at verò Prodigus nullam habet huiusmodi solicitudinem, sed tantum immediatè, ac recta via se promittit ire, & intrare ad Patrem. Cur illa tanta solicitudine fatigatur, hic verò nulla? Prodigus ibat ad Patrem cum lachrymis pro impetranda venia, ac flectenda eius ira, cuius misericordia facilis, & in promptu est. Sponsa verò tota ad obtinẽdas delicias fetebatur, quæ solùm post longam inquisitionem, ac laborẽ dantur, & communicantur. Gillibert. Abb. serm. 3. in Cantic. *Surgam, inquit, & vadam ad Patrem meum. Iste de inquirendo nihil mouetur patre, tantum de flectendo solicitus. Quæ sponsa est certa de gratia, postulat præsentiam tantum. Surgam, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram, quem diligit anima mea, inuentionem sufficere reputans.* Nota sequentia verba. *Vide, si non in præsenti hæc possit obseruari distinctio: quoniam patriæ expositæ est, & parata cunctis indulgentia; delicia verò fugaces, & reconditæ, & latibulis gaudentes. Ideò ille dicit: surgam, vt vadam. Illa verò, surgam, & quæram.*

Indulgentia patentibus prompta, non sic verò latentibus.

Gillib.

89. Ad nostram quæstionem ait Prodigus, *Surgam ibo ad patrem meum, dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Cur verbis tantum contentus est? Cur non ait; ibo ad patrem meum, flagellis percutiar, ieiuniis conficiar, sub sacco, & cilicio macerabor, & ad pedes patris mei prouolutus oscula figens veniam deprecabor? Sed tantum de verbis curat, dicam ei: Pater peccaui?

90. Respondeo primò. D. Nyssen. in Caten. *Confessionis meditatio placauit ei Patrem.* Solùm confessionis verba cogitat, qua certissimè confidebat patrem placandum fore, vt eum non tanquam iudicem, sed vt amantissimum patrem omni ira deposita, cum gratia, ac beneuolentia inueniret. Dixit Dauid Angelo percutienti, 2. Reg. 24. n. 27. *Ego sum qui peccaui, iniquè egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt?* D. Chrysost. homil. 29. in Epist. ad Rom. *Ita*, ait, *iram Dei sistit, ita sententiam diuinam reuocauit, tantum scilicet valet confessio.* Confitetur, peccaui, statim iram placat.

Nyssen.

Cõfessio peccatorum ira Dei placat.

2. Reg. 24.

Chrys.

91. Secundò. Gillibertus Abb. serm. 3. in Cantic. componit verba huius iuuenis: *Surgam, & ibo ad patrem meum. Dicam ei, Pater peccaui in cœlum, & coram te*: cum illis sponsæ, Cant. 3. num. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea*; & postea: *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Tunc sic ait Gillibertus. *Surgam, & vadam ad patrem meum. Iste de quærendo nihil mouetur patre, tantum de flectendo solicitus. Quæ sponsa est certa de gratia postulat præsentiam,*

Gillib.

Cant. 3.

sientium. Surgam, inquit, & circuibo ciuitatem, & quæram quem diligit anima mea, inuentumque sufficere reputans. Prodigus nihil cogitat de quærendo patre, nihil de amplexibus, oculis, ac vt manibus ipsum teneat ad eius præsentiam fruendam: sed tantum secum mente euoluit dolorem, lachrymas, ac gemitus, *Pater peccaui.* At verò sponsa nihil de fletu meminit, sed tantum ad dilecti præsentiam tota mente fertur, inde ipsum quærit, & inuentum manibus tenet; ac non vult dimittere:

Peccator quæ. rat veniam, ipsum delitiæ.

Adolescens cum benè agnosceret conscientiam suam delictis fœdatam, peccata tantum sua habet ante oculos, illáque lachrymosa confessione abstergere conatur; indéque pro tunc à quærendis deliciis abstinet. At verò sponsa cum esset in gratia, & charitate, non de lachrymis, sed de deliciis recordatur, vt cum præsentia sui sponsi iucundetur, ac delectetur. *Quæ sponsa est certa de gratia postulat præsentiam.* Peccator cum pœnitentia quærit veniam, iustus cum charitate ad delicias fertur.

91. Bostr.

Tertiò. Titus Bostrens. *Peccaui in cælum, & coram te*, ait, *propter quod diuinitatis tuæ lucem inturi verear: nam & animi, & corporis oculos immundos habeo. Pra omnibus autem malis, plurimum me incusans insana libidines.* Disponit iste adolescens venire ad patrem; Cur non ait. Accedam ad illum, illiúsque manus, & pedes osculabor? Sed tantum, ait: *Dicam ei peccaui.* Viuebant adhuc in iuuene insanæ luxuriæ libidines, quibus multum fœdatus erat adolescens, quæ non sinebant

Multa puritas necessaria, vt cum Christi tangam.

miserum Deo appropinquari. *Propter quod diuinitatis tuæ lucem inturi verear.* Cùm illius os, manus, & pedes inseruissent luxuriæ, ac voluptati, non audebant appropriare, ac purissimum patrem tangere, ac contrectare. *Plurimum me incusans insana libidines.*

93. Ephr.

Quartò. D. Ephrem. serm. de Pœnitent. *Cernis eam*, scilicet pœnitentiam, ait, *non primum quod austerum est, offerre peccantibus; verum quod gratum, ac placidum est, simúlque suaue, ac facile. Non mox ieiunium imposuit, non abstinentiam, ac temperantiam poposcit, non vigilantiam demonstrauit: sed à confessione ipsum appellauit, a leuioribus ducxis principia; sciens gratam, ac candidam esse conscientiam.* Adolescens multis peccatis immersus, cum salutis suæ remedium cogitat, nihil austerum, ac asperum sibi proponit, non flagella, non ieiunia, non cilicia à se assumenda decernit; sed tantum vnum verbum dicere disponit; *Dicam ei, Pater*

Peccatori reuertenti facilia pœnitentia imponenda.

peccaui: quomodo ingens peccator magno pœnitentiæ impulsu commotus non aliquid rigidum, ac strictum à se faciendum determinat, sed tantũ vno verbo conquiescit? *Dicam ei.* Quo nil lenius, ac suauius est; ô prudentissimus pœnitentiæ affectus, qui hominem infirmum, ac recenter conuersum, non ad strictiora, ac austeriora remedia, sed suauiora, ac leuiora suadet; ne ex intolerabili asperitate oneri succumbat, & deterreatur, & pereat; sed vt ex facilitate magis animetur, corroboretur ac in vitam producatur æternam. *Non mox ieiunium imposuit non abstinentiam, &c. Sed à leuioribus ducxit principia.*

94. 4. Reg 5.

Venit Naaman è Syria, vt mundetur à lepra. Cui ait Eliseus. *Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* 4. Reg. cap. 5. num. 10. Abiit, lauauit se, ac mundatus est. Si Propheta vult hominem sanare, cur ei non mandat sumere aliquam amaram potionem, vel cibum asperum? vel cur ei non imponit aliquod cataplasmum, vt Isaias iussit applicare regi Ezechiæ? Isai. 38. num. 21. Rabbanus, ait. quod per Naaman significabatur. *Veniens Gentilis populus ad domum Elisæi, sanctam scilicet Ecclesiam, vt se in Iordane septies lauaret, renatus ex aqua, & spiritu. Iordanis baptisma significat, quia in eo nobis saluator baptismum consecrauit.* Quod etiam docent Glossa, D. Ambr. lib. 1. de sacram. c. 5. lib. 2. de pœnitent. c. 1. lib. 4. in c. 4. Luc. Cùm Naaman recenter conuersus veniret ex deliciis, ac vitiis Gentilitatis, vt reciperet diuinam Spiritus sancti gratiã, non applicat ei Propheta medicinam rigidam, & austeram, sed remedium lene, ac suaue, quod potius recrearet, quam pungeret, ne rigore eum deterreret, sed potius dulcedine inescaret ad fidẽ.

Isai 38. Rabban.

Glossa. Ambr.

Deus aduenienti nõ rigida, sed suauia media applicanda.

QVÆSTIO XIII.

Quare Prodigus non inter filios, sed inter mercenarios postulat computari?

PRIMAM, & literalem rationem iam dixi in expositione; postulat enim Prodigus inter infimos fideles, ac publicos pœnitẽtes computari, quod etiam humilitati illius rectè adscribit Titus Bostrens. *Obsecro Domine*, ait, *ne me rursus ex aula tua proscribas, ne forsan inimicus oberrantem deprehendat. Neque tamen, vt mystica, tremendaque mensa tua me adiungas, peto: quandoquidem eo animo sum, vt sancta illa sanctorum nec aspicere quidem prophanis oculis audeam.* Prodigus præ pudore suæ conscientiæ, quam benè multorũ criminum ream agnosceret, non postulat mensam filiorum. *Neque vt mystica, tremendaque mensa tua me adiungas peto.* Ad illam enim summam munditiem, ac puritatem requiri satis notum erat, & cum ad illam non audeat appropinquare mercenariorum conditionem exoptat, qui cum Domino in mensa non recumbunt. 95.

Bostr.

Ad mensam Dei solus mundus admittitur, & non impurus.

Secundò D. Chrysol. serm. 2. Nomine Prodigi loquens ait; *Ego perdidi, quod erat filij*; filius erat, & tamen non se filium nominat, sed inter mercenarios vult computari, vt se lasciuiæ maucipauit, nomen pietatis, quod filij importabat, perdidit. Ait Isaias c. 1. num. 2. *Audite cœli, & auribus percipe terra; quoniam Dominus locutus est: filios exaltaui, & enutrini: ipsi autem sprenerunt me.* Vnde tanta inuerecundia filijs, vt antantissimum Patrẽ contempserint, nisi à luxuria, ob quam filiorum nomen amiserunt? D. Zeno. lib. 3. serm. 35. *Deus Iudaicum populum*, ait, *luxuria æstu exuberante corruptum publica increpatione confutat. Cælum, terrámque testes citat, vt exaggeret crimen: filios appellat, vt abdicatos; exaltatos, vt ruina timeatur; spretores sui, vt impios monstret.* Cùm Iudæi essent filij à Deo enutriti, & exaltati; tamen postea fuerunt filij abdicati, assignatur causa. *Deus Iudaicum populum luxuria æstu exuberante corruptum publica increpatione confutat.* Cùm luxuria essent exuberantes, statim à conditione, ac nomine filiorum Dei deiiciuntur. 96. Chrys.

Luxuria deponitur honor filij Dei. Isai. 1.

Zeno.

Tertiò. Gillibertus Abbas serm. 3. in Cantic. *Prudenter*, ait, *surgam iturus ad eum: qui in cælis est, Patrem. Sed nimis exilem, & macilentam spem reposuerat in sinu suo, mercenariam conditionem Patrem rogaturus. Modeste quidem pro meritis; sed de paterna miserationis copia humiliter nimis, & iniuriosè* 97. Gillib.

iniuriosè sentiens, verè famelici dans in hoc animi indicium, & inedia confecti. Non enim poterat ieiunam, & macram spem ad maiora porrigere. Prodigus fame tabescens. *Ego hic fame pereo, quanti mercenarij in domo patris mei?* Amantissimi patris recordatur: delicta in eum commissa deflet, & adhuc miseria, ac fames eum tenet: *fame pereo.* Deinde *in se reuersus*, ait, *surgam, ibo ad patrem meum.* Et adhuc miseria eum premit, & indulgentia concessa à patre non auditur. Deinde suum propositum exprimit, dicam: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Nec tunc commiseratio patris impensa legitur; quomodo sic detinetur, cum in quacúmque hora ingemuerit peccator, Dominus exaudit ad remissionem condonandam? Perebat ille: *modestè quidem pro meritis, sed de paterna miserationis copia humiliter nimis, & iniuriosè sentiens.* Cùm adolescens esset tam exiguus, & parcus in petendo, vt solum mercenariam conditionem à magno parente requireret, inde quodammodo illius auxilium retardabatur, à magno Domino magna petenda sunt, quia vt ait D. Pasch. lib. 6. in Matth. *Cum magnus sit magna gaudet dare.* Pro quo rectè ait Theodoric. lib. 2. Epist. 30. *Clementia non habet legem: nec debet sub angustis terminis benigna sequi.*

A Deo non parua, sed magna petenda sunt.

Pasch.

Theod.

98. Gillib. Quartò. Nota vltima verba citati Gillibet. *Verè famelici dans in hoc animi indicium, & inedia confecti: Non enim poterat ieiunam, & macram spem ad maiora porrigere.* Verè filius patris erat iste adolescens, optimè etiam sui patris clementiam agnoscebat, quæ vno gemitu, ac dolore statim flectitur, & tamen non postulat suam filij ingenitam conditionem, sed solùm mercenarium fieri. Sic inedia, fames, ac labor animum eius depresserat ac debilitauerat, vt nihil magnum, ac excelsum aspiraret, sed solùm vile, ac abiectum intenderet, & cogitaret. *Non enim poterat ieiunam, & macram spem ad maiora porrigere.* Cùm sub tyrannide Pharaonis essèt Hebræi in Ægypto, à regiis ministris non dabatur eis cibus, nec paleæ ad lateres conficiendos. Conueniunt ipsi ad Pharaonem, & dicunt ei. *Paleæ non dantur nobis.* Exod. 5. num. 16. Cur solùm paleas petunt, non verò cibum, vel requiem à tanta tyrannide Pharaonis? Ita eneruatus erat animus Hebræorum, vt non aliquid nobile in mente haberet, sed tantum humile, & abiectum cogitaret.

Labores frangunt animũ, ne magna cogitet.

Exod. 5.

99. Beda. Quintò. Beda. *In se reuersus*, ait, *etiam mercenarij statum, de mercede iam cogitans, concupiscit.* Prodigus constitutus in regione longinqua à domo patris sui, cum ipse dissipasset substantiam suam, id est animam suam, *adhæsit vni ciuium*, idest dæmoni, vt porcos pasceret, nullo tamen mercedis fœdere, nullóque pretio cogitato: at verò vbi paterna domus ei in mentem venit, statim mercedis meminit, ipsámque sibi comparare cogitat. *Quanti mercenarij in domo patris mei, &c. dicam ei, fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Cur quando seruit dæmoni dissipata substantia sua non mercedem meditatur, sed tantummodo cum ad domum patris venire disponit? Quando quis seruit dæmoni, ac mundo mercede vacuus est, & solùm suæ naturæ, ac substantiæ dispendium, ac perditionem vendicat; In domo autem Dei cumulata est merces, qua quilibet locupletatur, ac impinguatur, hic in dæmonis obsequio merces fugit à mente, quæ in Dei famulatu statim in illum venit. Psalm. 75. num. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* D. Augustin. ibi, *Dormierunt*, ait, *in cupiditatibus suis, & nihil inuenerunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manus Christi: Vis aliquid inuenire in manibus tuis? Noli contemnere modo manum pauperis, & respice manus inanes, si vis habere manus plenas.* In cupiditatibus non inuenitur merces, sed solùm in manibus pauperum, ac Dei mandatis.

Non in mũdo, sed solùm in domo Dei est merces.

Pf. 75.

Aug.

Sextò. Ait adolescens; *fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Filius est, & tamen non postulat, vt in domo patris sui, ei liceat otiari, vel deliciis indulgere, sed vt mercenariorum, operariorúmque more ei concedatur fortiter insudare, laboriosisque operibus incumbere, vt illis maximè patri placeat, ad honorémque filij eius perueniat. *Afferte Domino filij Dei.* Psalm. 28. num. 1. filij communiter à patre dom recipiunt, cur mandat hic, vt filij afferant dona, filios scilicet arietum ad holocausta, & sacrificia? Non dicuntur filij tantum, sed filij Dei, in hoc enim quis ostenditur, ac comprobatur Dei filius, quod manus non habeat vacuas, sed plenas, & onustas operibus ad Dei obsequium, & libamen. D. Chrysol. serm. 10. *Videtis*, ait, *quia cœlestis pater sentit amorem donis datis affectum. Et reuera fratres filium se esse nescit, qui authorem vita sua non obsequiis placat, sed deuincit cultu, muneribus non honorat.*

100. *Dei filius nõ vacuus, sed plenus operibus apparet.*

Pf. 28.

Chrysol.

Septimò. Non ait Adolescens. Pater volo fieri vnus ex mercenariis tuis, sed ait: *fac me vnum ex mercenariis tuis.* Si ipse se fieret, quid parum, & inutile esset, at verò si à Patre fieret, à quo est omne datum optimum, & donum perfectum, sine dubio in magnam, & excelsam rem prodiret. Ingenuus adolescens etiam in sui submissione generositatis fulgur scintillat, & cum se maximè deiicit, ibi animi magnitudinem latèter declarat. Cùm Iacob benediceret Iudam illustrissimæ tribus parentem ait ei: *Catulus leonis Iuda: requiescens accubuisti vt leo.* Genes. 49. num. 8. Leo appellatur ob regiam dignitatem, fortitudinem, ac generositatem, qua inter cæteras tribus primatum habebit, vt communiter Interpretes exponunt. Illud tamen est valde difficile cur auditur. *Requiescens accubuisti vt leo?* Pro quo varia sunt Auctorum commentaria; pro nunc verò maximè est expendenda interpretatio Caietani, qui ait. *Iuxta Hebraum habetur: genuflexit sicut leo.* Seu, vt legit Pagninus. *Incuruauit se sicut leo.* Decantat Propheta splẽdidissima Iudæ elogia, atque de eo, quod genuflexit, & incurauit se sicut leo; quid in hoc sanctus senex vult denotare, ac significare? Quod quando Iudas reuerentiæ, ac honoris causa alicui submissionem præstabit. *Genuflectet*, seu incurabit se vt leo, non sicut canis blandiẽdo, neque sicut simia adulando, vel vt ouis remisse procumbendo, sed cum excellentiorem venerari oportet; *Genuflectet sicut leo.* In ipso obsequio persoluendo, in submissione præstanda regalem animi generositatem declarat, & demonstrat.

101. *Ingenuus in submissione generosus.*

Gen. 49.

Caiet.

Pagn.

Luc. 15. *n.* 20. Et surgens venit ad patrem suum. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

Num. 21.

Num.21. Dixítque ei filius : Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.

VERSIONES.

Syriacus. Quúmque adhuc longè abeſſet, vidit eum pater ipſius, & miſertus eſt eius & accurrens incidit in collum eius.

Græcus. Vidit illum pater ipſius, & intimis viſceribus commotus eſt.

Arabicus. Feſtinauit,& accurrés complexus eſt illum.

Euth.Theophyl. Et accurrens ruit in collum eius.

Vatablus. Se coniecit in collum eius.

Syriacus n.21. Pater mi peccaui in cœlũ.

Vatabl.Euth. Neque poſthac ſum dignus, qui vocer filius tuus.

EXPOSITIO VI.

202. ET *ſurgens venit ad patrem.* Cœpit enim proficiſci, vt ait D. Ambroſius in commen. *Hac apud ſe dicit,ſed non ſatis eſt dicere, niſi ad patrem venias.* Titus Boſtrenſ. *Bono voluntatis propoſito adiunxit opus.* Decreuit venire ad patrem, & venit;decreuit non inficiari, ſed confiteri peccata, ſic præſtitit ; decreuit dicere ſe indignum, & hoc adimpleuit. *Surgens venit.* Nec moram traxit,nec conſultationem fecit ; in his enim quæ ad obſequium dei ſpectant,nec immorandum,nec conſultandum eſt. *Cùm autem adhuc longè eſſet.* Seu vt legit Syriacus: *Cùm adhuc longè abeſſet.* Id eſt priuſquam pœnitentiam animo conceptam,opere adimpleret. Cùm adhuc longè eſſet,explicant D.Bonauent. Carthuſianus, Hugo. In regione peccati. *Longè à peccatoribus ſalus*, Pſalm.118. num.155. *Vidit illum pater ipſius.* Ex altiſſima ſua domo,ex qua è longè proſpicere poterat, & ob amoris vim prius patet vidit filium,quam videretur ab illo.In quo notatur Dei clementia ad condonanda peccata. *Quia Deus*, ait Titus Boſtrenſ. *hominis pœnitentiam ſua miſericordia,& benignitate ſolet anteuertere.* Sequitur textus: *Et miſericordia motus.* Videns pater redeuntem ſqualidum, nudum,ac macie confectum intimis viſceribus, vt habet Græcus. Eleganter diuus Chryſologus ſerm.3. *Pater miſericordia motus*, ait, *mouetur miſericordia,qui loco non poteſt moueri.* Deus ſua immenſitate omnem locum occupat, ad nullúmque locum ſe ipſe poteſt conferre, in quo ipſe non ſit, miſericordia ergo aliquo modo vices immenſitatis obtineat,& motum, quem immenſitas non poteſt præſtare, affectu peragat miſericordiæ, vt qui immenſitatis greſſibus non mouetur, miſericordiæ geſſibus moueatur. *Miſericordia motus.* Bonus pater bene ſciebat ſqualorem, ac famem filij, tamen non dicitur miſericordia motus niſi quando eum vidit, ex viſu oculorum maximè corda commiſeratione commouentur.

Ambr. Boſtr. *Propoſito adiungitur opus.* Syr. Bonau. Carth. Hugo. Pſ.118. Boſtr. Græc. Chryſ. *Miſericordia aliqualiter vices immenſitatis agit.* *Ex oculorum viſu mouetur cor.*

Et occurrens. Non expectauit paterna charitas filij verba,ſed progreditur;neſcit tarda molimina amor. Euthymius: *Præ nimio gaudio*,ait,*non expectauit,vt ille adeſſet, ſed prior occurrit,neque id vicumque,ſed accurrit,vt appareat amoris vehementia.* Ex quo habemus,quod Deus præſto eſt volentibus ad ſe venire,habentibúſque animum vitam mutandi. *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua*, Pſal. 10.num.17. *Cecidit ſupra collum eius.* Vt à ſe alienum, non expectat audire preces eius,ſed ſtatim ruit in collum eius,amplexibus declarans in gratiam ſuam eius pœnitentiam recipere. D.Auguſt. lib.2.quæſt. Euangel. quæſt.33. Cadere ſuper collum eſt humiliari in amplexum,humiliauit ſe pater,vt iacentem erigeret.D.Chryſoſt.*Cecidit ſupra collum eius*,ait,*non lapſu viſcerum,ſed compaſſionis. Vt erigeret ſic iacentem cecidit ſupra collum eius. Vt amoris onere,onus tolleret peccatorum.* Viſo filio ſic amor creuit,vt veluti pondere ſuo caderet ſupra collum filij. Ruper. lib. 8. de Spiritu ſanct. cap.10.*Cecidit*, ait, *ſupra collum eius, & pondere ſuo confregit cernicem cordis eius, vt fixis oculis terram aſpiciat, commemorans ſibimet, quia puluis es, & in pulueremi reuertêris.* Cadit pater ſuper collum filij,vt illius ceruicem inclinaret ad terram,eámque aſpiceret,in quam rediturus erat,vt inde hauriret pharmacum ad omnem ſui morbum. *Et oſculatus eſt eum.* In ſignum pacis, & reconciliationis.

103. Euth. Aug. Chryſ. Rup. *Memoria pulueris magnum medicamentum.*

Dixitque ei filius. Viſis tot amoris,ac beneuolentiæ ſignis exhibitis à patre, filius tamen non omiſit,quæ ſui officij erant,& verba,quæ apud ſe concepta ſtatuerat. D. Chryſoſtomus orat.4. de hac parabola : *Neque verò*, ait, *his contentus fuit prodigus ille filius, ſed in iis, qua ad pœnitentiam pertinet, prodigus fuit ; non enim ſufficere tantam humanitatem pra tanta multitudine peccatorum arbitratus eſt ad perfectam ſalutem obtinendam ; ſed qua meditatus fuerat antea, & patri conuenienti habitu compoſitus dixit.* Verba verò quæ dixit, enucleata ſunt ſuperiori expoſitione, & concludit ſuam orationem dicens: *Non ſum dignus vocari filius tuus.* Cùm ſe dicit indignum,ſe dignum eſſe manifeſtat,& declarat. D. Auguſtinus in Pſal.18. *Infelix*, ait, *per humilitatem impetrat felicitatem; & eo ſe oſtendit dignum, quo confitetur indignum.*

104. Chryſ. Aug. *Qui ſe dicit indignũ probat dignum.*

QVÆSTIO XIV.

Quare Paſtor requirit ouem, non verò bonus Pater filium perditum ?

DIFFICVLTAS eſt, cur pater non requirit filium ſuum, ſicut paſtor requiſiuit ouem, eámque inuentam ſuis portat humeris ad gregem,Luc.15.n.5.Quod dubium proponit,& ſoluit D.Ambroſ.lib.7.in Luc.*Ouis à paſtore laſſa reuocatur,ad patrem filius ſuis veſtigiis redit.* Reſpondet ad quæſtionem:*Malo ego filius eſſe, quàm ouis. Ouis enim à paſtore reperitur, à patre filius honoratur.* Ouis etſi reperitur, ac paſtoris humeris portatur, ab eius tamen oculis arcetur tanquam indigna videri dorſo ab oculis ſeparata fatur. At filius etſi non requiratur, tamen patris complexu tenetur,ac eius præſentia fruitur ; plus autem diletur filius patris oculis, quàm ouis paſtoris

105. Luc.15. Ambr. *Magna gloria, & honor à Deo conſequitur.*

storis humeris, quem enim Deus videt maximo honore, ac incremento extollit. Zachæus hanc habuit felicitatem, vt eum videret Iesus, *suscipiens vidit eum*, Luc. 19. num. 5. Antequam eum vocaret ad se, eiusq; domum omni gloriæ, dono repleret, prius *vidit eum*. Ipse visus extitit tanquam ianua
Chrys. parans ingressum ad omnia gloriæ bona. D. Chrysologus sermon. 4. *Deus, quem videt*, ait, *non vt ignorans agnoscere cupit, sed vt sciens ad gloriam vult videre.*

106. Secundò. D. Hieronymus epist. de duobus filiis, postquam proponit nostrum dubium, sic ait:
Hier. *Hæc inter parabolas supradictas ratio distinctionis est, secundùm personas, vel mentes peccantium, vt pater filium non requirat peregrinantem, sed recipiat pœnitentem. Pastor verò ouem errantem, & non sapientem reuerti, requirat, & humeris suis referat.* Pastor cœlestis vbi primum notauit ouem amissam, statim pergit in desertum, & ipsam inuentam humeris suis reportat ad gregem. At verò bonus pater cum bene agnouisset filium perditum, illum non quærit, nec adducit in domum suam. *Vt pater filium non requirat peregrinantem, sed recipiat pœnitentem; pastor verò ouem errantem,*
Sapientes, & docti ad maiora tenentur, quàm ignorantes. *& non sapientem reuerti requirat.* Filius intellectu, ac ratione pollens, ouis verò brutissimum, ac insipientissimum animal. Deus sapientes, & ignorantes saluat; à sapientibus tamen maiores diligentias expectat, quas tamen ipse in insipientibus supplet. Qui filius est, curet quantum in se ipso est, vt à peccato surgat, & ad patrem vadat, non expecter, vt pater ad illum veniat, & humeris suis portet, hoc enim ipse præstat rudibus, & insipientibus. Iustis, ac filiis Dei ait Dauid. Psalm. 68. n. 33.
Psal. 68. Aug. Incogn. Treuer. Psal. 118. *Quærite Deum, & viuet anima vestra.* Omni affectu, ac studio, vt nunquam à quærendo desistendum sit, vt explicant D. Augustin. N. Incognitus, Treuerus & alij. At verò de se ipso ait: *Erraui sicut ouis, quæ perierat: quære seruum tuum Domine*, Psalm. 118. num. 176. Inde à Deo quæri exorat, quia non sicut filius, ac homo sapiens, & intelligens, sed sicut insipiens ouicula extra propias caules præuagauerat, inde ait tanquam ad benignum pastorem. *Quære seruum tuum Domine.*

107. Tertiò. *Inter parabolas supradictas ratio distinctionis est, secundùm personas.* Filius multa maiora
Qui magnis donis est obligatus, maiora præstare tenetur. dona recipit à patre, quàm ouis à pastore, recepit enim filius ab ipso eius subsistàtiam, intellectum, rationem, & alia multa dona, & cum tantis donis esset cumulatus, ad multò maiora tenebatur, quã ouis, vt quærens patrem nullo labori, ac itineri parceret; ex multis donis acceptis magna insurgit obligatio, vt quis in obsequio persoluendo nihil prætermittat, sed valde sedulus omnia exhibeat.

108. Christus Dominus longo itinere quærit Samaritanam. Reliquit Iudæam terram, oportebat autem eum transire per Samariam, venit ergo in ciuitatem Samariæ, &c.
Ioan. 4. Ioan. 4. num. 5. At verò Magdalena expectat, ingredientem conuiuium, *vt cognouit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, stans secus pedes eius, lachrymis*
Luc. 7. *cœpit rigare pedes eius.* Luc. 7. num. 37. Samaritana multis erroribus Samaritanorum fœdata, vt dixi, ca. 5 quæst. 16. tom. 2. tanquam ouis oberrans extra Domini caulas vagabatur. At Magdalena, etsi veluti Prodigus lasciuiæ dedita, in vera Dei cognitione versabatur. Mulierem Samaritanam tãquam ouem errabundam quærit Dominus, vt
Ex maiori dono accepto maior exoritur obligatio. suis veluti humeris, ac manib. suscipiat, vt ducat ad gregem, seu ad fidem, Magdalena verò veluti filius sapiens in vera doctrina Domini enutrita ad maiora tenebatur, vt Dominum quæreret, ac suæ salutis occasionem arriperet.

QVÆSTIO XV.

Quare pater vidit filium à longè veste squalidum, & fame pereuntem, & ante eius vocem ei occurrit?

NOTANDVM est in exordio quæstionis, 109.
quod dicitur in textu, quod prodigus *surgens venit ad patrem suum, cum autem longè esset, vidit illum pater ipsius.* Ad patrem venit, quomodo ergo adhuc à longè erat? Si iam venit, adhuc à longè non est, & si à longè est, adhuc nõ venit. D. Chrysologus sermon. 3. sic ait: *Quomodo* Chrysolog.
longè est is, qui venit? Quia nondum peruenit. Venit ad patrem, sed quia non peruenerat, à longè erat. Multum distant venire, & peruenire; venit, quia iam cursum tenebat, nondum peruenit, quia nondum accesserat, & appropiauerat, & quandiu non accessit à longè erat, quandiu via non est terminata, & res non est absoluta, à longè est, vt dicatur facta; licèt enim negotium fiat, quandiu tamen non est vltimo sui apice perfectum, à longè est, vt dicatur completum, & absolutum.
Quandiu res non est consummata, ideò abest ab eo, quod dicatur facta.

Ad quæstionem respondet primò. D. Chrys. ci- 110.
tato ser. 3. *Pater*, ait, *vidit illum, vt ille patrem posset* Chrysol.
attendere: patris visus illustrauit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, qua circumfusa fuerat de reatu: nisi ergo cœlestis pater radiasset redeuntis filij in vultu: & totam confusionis caliginem respectus sui lumine fustulisset; nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem. Non dicitur, quod prodigus viderit patrem, sed magis, quod à patre ipse fuerit visus, in quo tota extitit eius felicitas, vt à parentis visu noxa expelleretur, peccata fugarentur, ipséque fieret alacris, vt curreret ad viam salutis, & ad patrem peruenire t.
Dei visus fugat peccata, expellit noxam.

Secundò. Prodigus venit ad patrem, & nec 111.
dum loquitur, nec clamat, & tamen pater multo benignitatis aspectu ei occurrit; clamanti autem Chananæ obdurat aures, interponit moras, vnde ei dictum est à Christo: *Non sum missus nisi ad*
Matth. 15. *oues, quæ perierunt domus Israel*, Matth. 15. num. 24. Et iterum: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Vnde tanta differentia? Chananæa inter Gentilium errores viuebat, & nunquam inter filios Dei, ac domesticos eius annumerata fuerat. At prodigus, etsi à domo patris recesserat, & alienatus factus fuerat, tamen vnus exiterat ex filiis eius, in domo Dei patris natus, ac enutritus: vnde post tam largam perditionem in se reuersus, de suæ pristinæ educationis odore, antiquarúmque virtutum imbutione obtinuit, vt patrem facilem, promptum, ac sibi benignè occurrentem inueniret.
Ex antiquis virtutibus homo si peccat, ac conuertitur. Deus habet propitiorem.

Tertiò Euthymius: *O visum compatientis acu-* 112.
tissimum! Simul vt quis respiscere in animo cogitauit, hunc etiam simul ipse vidit; paratus semper ad eorum, qui conuertuntur, susceptionem, & ab exordio statim pœnitentia illos recipiens. Longè erat miser adolescens à Deo patre, in regione peccati constitutus, & nihil adhuc ipse petierat, & locutus fuerat patri, sed tantum habuit voluntatem petendi, Euth.

medita

meditatúsque est petitionem, ac confessionem; *Dicam ei, Pater peccaui*, &c. Non petit, sed cogitat petere, *dicam ei*. Et tamen multa benignitate, ac misericordia occurrit ei Pater, dãs & oscula, & amplexus; ex eo quod ipse in suo corde concepit suorum peccatorum detestationem, ac pœnitentiam, statim in primo gemitu cordis, in primóque illius cogitatu exaudit Pater, & accurrit hominẽ excipiens; non enim Deus multis vocibus, ac clamoribus indiget, vt accurrat, cum semper paratus sit ad conuersos peccatores excipiendos. D. Ambrosius in præsenti. *Occurrit tibi*, ait, *qui audit te intra mentis secreta tractantem. Et cum adhuc longè sit, videt, & accurrit*. D. Nyssen. de orat. Domin. *Ad se reuersus pœnitentia verba meditari cœpit; Pater peccaui in cœlum, & coram te: quapropter etiam eiusmodi confessionis meditatio aditu facilem ei patrem effecit, adeò vt etiam occurreret ad eum*. Expende verba, *confessionis meditatio aditu facilem*, &c.

Deus promptus, vt occurrat pœnitentiam cogitanti.

Ambr.

Nyssen.

113. Ait Dauid: *Dixi, confitebor aduersum me, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*, Psalm. 31. num. 6. Apud cor suum statuit Dauid: Dixi confitebor, ac decretum fecit, vt confiteretur suum peccatũ, ac iniustitiam suam, & statim subdit delicta tua esse remissa. *Et tu remisisti iniquitatem peccati mei*. Cur ipsa remissio delictorum non habet moras, quoadusque ex impulsu cordis vox exeat ex ore? Cur delicta condonantur, antequam vox confitentis prodeat ex ore? tam paratus est Deus ad exaudiendas nostras preces, vt velocior sit ipse in corde ad indulgendum, quàm vox formetur in ore. Præclarè D. Augustinus: *Dixi, pronuntiabo, & tu dimisisti, quia eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit, quia nondum pronunti exerat. Dixeram, pronuntiabo aduersum me, veruntamen Deus audit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei iam in corde erat*.

Ps. 31.

Deus velocissimus vt hominem exaudiat.

Aug.

114. Cùm latro penderet in cruce dicebat ad Iesum: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum*. Cui ait Dominus: *Hodie mecum eris in paradiso*, Luc. 23. num. 42. Postulabat ille sui memoriam, ac recordationem, cum Dominus introisset in regnum suum; dominus verò non solùm eius memoriam, sed etiam totum regnum ei pollicetur, antequam ipse in illum veniret. D. Ambrosius in Psalm. 37. *Ille adhuc rogabat*, ait, *vt meminisset sui cum venisset in regnum, & Dominus cum nondum venisset, etiam regnum cœleste tribuebat: quàm velox misericordia. Tardius votum precantis, quàm remunerantis est præmium*. Velocius est Dei donum in nos, quàm sit petentis votum, ac oratio: *tardius votum precantis, quàm remunerantis est præmium*. Ille postulabat cum veniret, Dominus concedit hodie.

Luc. 23.

Tardiùs votũ petentis, quã Dei exaudito.

Ambr.

QVÆSTIO XVI.

Quare pater non interrogat de substantia perdita, vel cur non curat de flagellis imponendis, sed tantùm oscula exhibet filio?

115. PATER *misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum*. Cum dicitur misericordia motus, seu *intimis visceribus* commotus, vt habet Græcus, patentis lachrymæ insinuari videntur, quod de suo more ingeniosè addubitans notauit D. Chrysol. sermone 64. *Cœlestis pater luxuriosum filium non quãdo abiit, sed quando recepit, tunc deplorat*. Abeuntem filium in certam ruinam siccis oculis videt pater; redeuntem verò multis lachrymis excipit, eum certè plorare debuit, cum perdidit, & gaudere cum accipit. Cum filius abiit, alienatus est à patre, illius dilectionem exasperauit, affectum auertit, proindéque lachrymas fugauit; cùm verò reuertitur humiliatus, ac pœnitens, melioráque sapiens lachrymas patris excitat, illúsque amoris affectum prouocat, vis enim amoris in lachrymas prorumpere facit.

Chrys.

Vis amoris in lachrymas prorumpit.

Ad quæstionem nostram, respondet. Primò Ruricus lib. 1. epistol. 1. *Filium percepta substantia decoctorem late suscipit amplexu, promptior pater gaudere de reditu, quam imputare de lapsu. Deuique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egestas; sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit procul dubio patri facultas reditus, quam rerum facultas*. In quibus primò expende vltima verba, *Maior fuit patri facultas reditus*, &c. Optio parenti, ac pastori præ omnibus bonis charior est persona filij, ac subditi, quam omnis suarum rerum substantia. Expende deinde illa verba, *Sola conuersi reuersio omnia damna compensat*. Valde mirum est, quod tanta benignitate, amplexibus, ac osculis excipiat filium, cur non interrogat de substantia data, cur non exquirit à filio, in quibus tam ampla patrimonia sint consumpta? Cur de his, nec verbũ facit? *Sola conuersi reuersio omnia damna compensat*. Cùm pater vidit filium dolentem, ac pœnitentẽ de præteritis factis, ibi in ipso dolore, ac detestatione, vidit omnia damna recuperata, ac restaurata; hoc enim habet dolor de peccatis, quod non solùm omnia damna restauret, ac recompenset, sed etiam in melius adducat, ac extollat. Quod etiam docet D. Chrysostomus homil. 10. in epistol. ad Roman. *Qui*, ait, *pro perdita impensa, pro tam longa peregrinatione a filio reposcere debebat, vsque adeò nihil horum fecit, vt illum, tanquam vita proba, tanquam sana esset incolumi, conspexit*.

116. Ruricus.

Prælatus plus æstimat personam subditi, quàm omnes res.

Pœnitentia omnia damna restaurat.

Chrys.

Secundò. D. Chrysostomus homil. 10. de Pœnitent. *Si verò*, ait, *pœnas eum dare oportuit, satis pœnarum, quod in aliena versatus est, dedit*. Filium reuertentem squalidum, ac macie deturpatum, amorose ac placidè ad oscula pater excipit cur potius fugitiuum plagis non verberat, minacibus verbis non infectatur? Vel cur aliquam pœnam tantæ substantiæ dissipatori non imponit? *Satis pœnarum quod in aliena versatus est, dedit*. Magno sanè supplicio affectus est, quod tanta inedia, fame oppressus est, quódque conspectu Iesus careret, ac à facie eius exularet. Dilecto suo ait anima sancta: *Reuertere, similis esto dilecte mi, caprea, binnuloque ceruorum super montes Bether*, Canticorum 2. num. 17. & statim subdit: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea*, Canticorum 3. num. 1. Quid est quod de montibus ipsa ad lectulum descendit, quænam coniunctio inter montes, & lectulum? Vbi enim ipsa vidit dilectum suum per montes abeuntem; séque cognouit præsentia eius carere, statim vi doloris, ac lachrymarum in lectulum cadit. Gillibertus Abbas serm. 1. in Cantic. *De montibus illis*; ait, *ad conuallem lachrymarum, ad lectulum doloris relapsa est; quidni sic resideret ipsa, vbi sic recedit dilectus sum? Recedente ipso, illa recedit ad lectulum doloris, & infirmitatis*.

117. Idem.

Domini absentia magnum supplicium.

Cant. 2.

Cant. 3.

Gillib.

118. Chryſol. Tertiò.D.Chryſologus ſerm.3. *Sic pater*, ait, *indicat, ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella. Delicta non videt vis amoris, & ideò pater peccata filij redemit oſculo clauſit amplexu: ne nudares pater filij crimina, pater filium ne fœdaret, Pater ſic curat filij vulnera, ne filio cicatricem nanum filio ne relinquas.* Ex viſa miſeria creuit amor,& ideò pater de flagellis non curat,ſed tantum intendit filij ignominiam delere; vnde occurſu,oſculo,amplexu ipſum extollit pater,& nobilitat,vt nullam vulneris cicatricem, aut notam in filio relinquat.

Ex viſa miſeria mouetur amor.

119. Chryſ. Quartò.D.Chryſoſtomus homil.4.in Lucam: *Oſculatur os eius*, ſcilicet pater ait, *per quod emiſſa de corde confeſſio pœnitentiæ exierat, quam pater latus excipit.* Purus,& mundus pater oſcula dat filij ori,quod porcorum ſiliquis fœdatum erat, ac luxuriæ inquinamentis inſeruierat. Antequam filius ad patrem accederet,verba confeſſionis protulerat. *Pater peccaui in cœlum,& coram te.* Quod autem peccati turpitudine inquinatum eſt, confeſſione ſic abluitur,& mundatur,vt illi fiat Deus valde propitius,& benignus. D. Gregorius Nyſſenus in Catena: *Confeſſionis meditatio*, ait, *placauit patrem, vt obuiam iret ei, & oſcula ori conferret.*

Confeſſio reddit Deũ placabilem.

Nyſſen.

120. Gen.49. Moriturus Iacob largiſſimam benedictionem ſuper omnes filios ſuos ludę vaticinatur,regnúmque illi auſpicatur. *Non auferetur ſceptrum de Iuda*,&c.Geneſ.49.num.10.cur non potiùs tanta dignitas defertur Ruben primogenito,vel dilectiſſimo Ioſeph,ſeu Benjamin?quid apparuit in Iuda, vt ad tantam dignitatem ſublimaretur? Hoc habuit. Iudas; quod delictum ſuum confiteri non erubuit, videns enim pignora nurui tradita, ea agnouit,& ſe maximè accuſans,ait: *Iuſtior me eſt, quia non tradidi eam Sela filio meo*, Geneſ.38.n.26. Iudas agnoſcit delictum ſuum, confitetur, indéque obtinuit, vt inter omnes fratres ad regni culmen eueheretur, in typo eorum, qui apud ſacerdotes peccata ſua confiterentur, quod exinde gratia Spiritus ſancti ad æternum regum eſſent ſublimandi.Iſidorus Peluſiot. lib.2.epiſt.48. *Quoniam plerique*, ait, *delicta ſua occultantes, alios condemnant. Hic autem ſeipſum condemnauit; eámque, qua ſtuprum admiſiſſe credebatur, ſupplicio, & cruciatu liberauit: ob eam cauſam haud iniuria regiam dignitatem eſt aſſecutus.* Maximè pro hòc argumento confirmando nota, quod Iuda magnis encomiis à parente ſuo celebratur. *Iudate laudabunt fratres tui; manus tua in cernicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui*, Geneſ. 49. n.8.Iuda ob ingreſſum ad Thamar,quam ſcortum arbitrabatur, maximè erat vituperandus, quare igitur ſic laudatur, ac ſceptro inſignitur? vt inſinuetur quòd delicta confeſſa non contumeliis,ſed præclaris declamationibus materiam præbeant. Philo Hebræus lib.2.allegoriar.ad initium: *Iacob* ait, *Iuda confeſſori, non dona, ſed laudes, hymnóſque, & cantiones attribuit, quibus celebratur à ſuis fratribus.*

Per confeſſionem ad regni culmen euehitur homo.

Gen.38.

Peluſ.

Gen 49.

Per confeſſionem tollitur ignominia peccati.

Philo.

121. Luc.22. Acceſſit Iudas cum multis ſatellitibus in horto ad comprehendendum dominum Ieſum,cúmque oſculum ei dediſſet, ait ei Dominus: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Luc.22. num.48. Ad quid Domine tuo puriſſimo, ac ſanctiſſimo ore impium traditoris nomen pronuntias? Videtur indecens ſummæ tuæ munditiæ tam impuri hominis nomen habere in ore? Iudas Hebræo idiomate,idem eſt,ac confitens;traditori obiicit Dominus ſuum nomen,vt ex illius vi, ac ſignificato ad confitenda peccata inducatur,vt per confeſſionem ex accepta pecunia veniam impetret, ac remiſſionem obtineat.D.Cyrillus catech.13. *Iuda*, ait,*oſculo filium hominis tradis? Admonens eum per ipſius appellationem,Iudas enim vocatur confitens,argentum accepiſti,confitere citò.* Cyzill.

Confeſſio deet peccatũ.

QVÆSTIO XVII.

Quare Prodigus non refert totam ſuam orationem patri, vt fieret mercenarius ſicut ſtatuerat?

122. SEtatuerat apud ſe Prodigus. Surgam bo ad patrem meum, dicam ei: *Pater peccaui in cœlum, & coram te iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Veniénſque ad parentem ſuum duas primas partes orationis refert. *Pater peccaui in cœlum,& coram te,iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Tertiam tamen partem,*fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*, omnino prætermittit. Quæſtio præſens eſt,cur orationem ſuam, quam bene memoriæ mandatam habebat,& fortè ſæpè per iter repetierat,totam integram non profert, ſed dimidiatam,& vltima verba, *fac me ſicut vnum de mercenarijs*,ſubtacet?

Difficultas quæſtionis.

123. Reſpondetur primò Quod hinc amplexus patris,illinc ſtupor,& lachrymæ, ac ſingultus orationem interruperint; vel vt exponit Ianſenius, quod pater orationem abruperit, dicens ſeruis: *Citò proferte ſtolam primam.* Deus ad audiendum finem orationis non expectat. Tertiò. Quòd Euangeliſta illa verba, *fac me ſicut vnum de mercenarijs*, vt dicta intelligenda reliquit; quod in multis mos eſt Scripturæ.Iacobus ſtatuit fratrem ſuum Eſau in monte Sir conuenire, Geneſ. 33. num.14.nec poſtea conuenìſſe refertur. Saul ſtatuit ſe daturum Samueli quartam partem ſtateris, 1.Regum 9.num.7.& tamen poſtea non ſcribitur dediſſe. D. Paulus ſe profecturum in Hiſpaniam, Rom.15.num.28. & tamen nunquam legitur venìſſe,quæ omnia facta communiter ſupponuntur; ſic & in præſenti.

Ianſen. Gen.33. 1.Reg.9. Rom.15.

124. Beda. Quartò. Beda. *Pater occurrens*, ait, *non contentus minora concedere: priſtina filiorum reſtituit dignitati, nec iam de mercede conductoris, ſed de hæreditate facit cogitare parentem.* Statuerat filius mercenariam conditionem à parente expoſtulare, tamen cùm ipſe humiliatus altam pœnitentiam coram parente oſtendat, dicens: *Pater peccaui in cœlum,& coram te.* Inde pater multa gratia, ac miſericordia,& oſculo pacis, ac amplexu cœleſtium donorum eum excipit, ſtatímque fœdam mercenariorum conditionem in memoria abolere facit, eúmque ad ſtatum filiorum reſtituit, *nec iam de mercede conductoris, ſed de hæreditate facit cogitare parentem*; damna enim per peccatum illata per pœnitentiam recuperantur, ac reſtaurantur, quod etiam notauit Ericus Abbas: *Prodigus iſte*, ait, *primò quaſi famis cœpit ſuppliciaformidare, mox reuerti ad patrem volens, de ſtatu mercenarij cœpit cogitare. Poſtquam verò occurrens pater amplexatus, & oſculatus eſt eum, oblitus ſtatus ſerui, oblitus & mercedem mercenarij, de ſola iam hæreditate feliciter cœpit eſſe parentis.*

Per pœnitentiã reſtituuntur damna illata.

Eric.

Quintò.

Quintò.D.Augustinus in quæstionibus Euangel.lib.2.quæst.33. sic ait: *Non addit, quod in illa meditatione dixerat.* Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. *Cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat; quod post osculum patris, generosissimè iam dedignatur.* Cùm adolescens inter porcorum siliquas degeret, viles, ac sordidas reuoluit mente cogitationes, optat fieri mercenarius seruus. At cùm ad patrem venit, illiúsque gratia, osculo,ac amplexu ad filij dignitatem restituitur, promptè vile mercenariorum officium deponit,& generosos resumit spiritus, vt ad alta euehatur, ad mensámque patris sedeat; cùm ipse se à patre repulsum existimaret,humile mercenariorum exambit officium: at verò cùm se à patre gratia, fauore, ac honore nobilitatum animaduertit generosè alta sapit, & quærit. Ac sic ipsa sublimitas dignitatis filij, in quam se videt restitutum, generosos ad virtutem, ac meritum intulit animos. Quod eleganter dixerat Cassiodorus lib.3. variarum epistol. 10. *Crescit*, ait, *in illo meritum, cuius maius datur officium. Non quia fiat homo alter honoribus, sed quia modestior efficitur, à quo conuersionis ordo modestior postulatur.*

125. Aug.

Fauoret, ac gratia dant animum ad magna.

Cassiod.

126. Caiet.

Sexto. Caietanus: *Non subiungit*, ait, *petitionem, quam tertio loco proposuerat, scilicet*: Fac me sicut vnum de mercenarijs tuis: *quia non est in eodem statu nunc, in quo erat, quando proposuit hoc petere, Nam tunc fame vrgente anhelabat panem: nunc autem amplexus, & osculatus à patre accurrente ad ipsum, tanquam absorptus à paterna benignitate, tanquam iaciens se totum in paternam gratiam, nihil petit, sed solùm confitetur peccatum, & indignitatem.* Prodigus cùm fame esset oppressus, ac bene delicta tua agnosceret, vile seruorum officium mente concipiebat. At verò ad patrem accedens,cum in ipso gratiam,& benignitatem,supra omne id,quod ipse cogitauerat,inueniret,ab ipsa patris clementia veluti absorptus, ac extasi raptus,nil postulat,sed omnem suum cogitatum in Dominum iactat,cuius tanta est misericordia,ac gratia,vt nostrum desiderium,ac votum longè excedat,ac superet.

Dei gratia ad maiora supra nostrum votũ elenat.

127. Septimò. A patre non postulat fieri mercenarius,vt dixi tom.3. cap.35.quæst.33. num.232. Quia cùm Prodigus reciperetur à patre osculo, ac amplexu, statim odoratus est cœleste conuiuium, quod ei à patre ordinabatur. *Adducite vitulum saginatum.* Proindéque cum ad mensam filiorum esset sublimatus, statim è mente seruilis mercenariorum status excidit;panis enim hic *panis filiorum est*, vt canit Ecclesia. Ait sponsus Canticorum 2. num.2. *Sicut lilium inter spinas, sic anima mea inter filias.* Per spinas intelligunt peccatores, ac malos. Origenes homil.3. ex quatuor. D.Gregorius lib.1. moralium cap.1. Theodoretus, Aponius, Philo Carpathius, Anselmus, D.Bernardus serm. 48. Ac si dicat sponsus; sicut candor puritatis est inter spinas, peccatores scilicet,ac prauos Christianos, sic mea dilecta est inter filias; quorsum tamen filiæ spinis conferuntur? Si enim peccatorum aculeis sunt plenæ, iam filiarum decorem amiserunt, lenitas iustorum longè abest ab asperitate peccatorum? D.Augustinus in Psalm.99. *Quas dicit spinas*, ait, *ipsas filias, respondes spina sunt propter mores suos, filia propter sacramenta mea.* Ipsi quidem propter delicta sua spinæ sunt, virtute tamen sacramentorum Baptismi, Pœnitentiæ, ac Communionis corporis, ac sanguinis Christi dilectissimi filij procreantur, ac hæredes cœlestis patriæ constituuntur.

Panis Eucharisticus, panis filiorũ.

Cant.2.

Orig. Greg. Theod. Apon. Philo. Anselm. Bern.

Aug.

Octauò. Non proponit Prodigus totam orationem suam de mercenario,sicut apud se statuerat,tanta patris indulgentia, sic excreuit amor in filio,vt nihil aliud quæsierit,ac affectauerit, nisi tantum gratiam patris,quam super omnia intendebat, sta vt illius comparatione omnia alia parui faceret,ac è memoria excideret;de eóque ait Chrysologus serm.4. *Illi sufficit patr.* In quo sunt omnia, cuius possessione omnia possessa habentur. *Omnia per ipsum facta sunt*, Ioan.1.n.3.Guarricus Abbas serm.de omnibus Sanctis: *An non possident omnia, qui possident continentem,& disponentem omnia?*

128. *Prodigus solũ patrẽ quærebat, cætera ad vilescebant.* Chrys. Ioan.1. Guarr.

Cùm Israël à Deo recederet, ac se cultui idolorum traderet, de illo pronuntiatur per Oseam cap.2.num.7. *Et sequetur amatores suos. Et non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam, & reuertar ad virum meum priorem.* Mundialibus cupiditatibus sese ingurgitauit, eorum tamen tyrannide vexatus Israël ad Deum,ac verum suum sponsum vult reuerti. Et ait ibidem n.16. *Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim. Et auferam nomen Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Quid est, quod apud mundiales amatores sui prioris, ac antiqui spõsi recordatur, vt *vadam, reuertar ad virum meum priorem.* Modo verò *in die illa.* Postquam eum inuenit, ac iam tenet,sic ei adhæret, ac eius præsentia delectatur, ac absorbetur,vt mundialium nomina non solùm ore non prænuntiet,sed etiam è memoria sua excludat? Rationem innuunt text. *Vocabit me vir meus.* Postquam enim Israël ad verum suum sponsum,deum scilicet, reuersus est, eique vnitus, ac conglutinatus existit,sic eius amore tantum delectatur,vt cætera omnia contemnat,illáque,ac eorum nomina penitus obliuiscatur,& *non recordabitur vltra nominis eorum.* Vno tantum Deo contentus, in quo omnia habet Theophylactus ibi: *Quomodo verò*, ait, *ea nomina exemit, abstulisve? Nimirum cùm sol iustitiæ Christus effulsit ei.* Ex quo refulsit Christus in anima, cætera omnia in oblionem abierunt.

129. Osee 2.

Anima adhærens Deo omniũ aliorum obliuiscitur.

Theoph.

Rahab excipiens exploratores Israëlitarum, cúmque videret,quod eos inquirebant habitatores Iericho. *Tollens mulier viros, abscondit,* Iosue 2. num.4. In Hebræo habetur: *Tollens mulier viros, abscondit eum.* Mulier tulit viros, vt absconderet,quomodo dicitur,abscondit eum, cum potiùs dicendum esset,abscondit eos? De quo multa dicunt Abul. ibidem q.27. & sapientissimus Mag.Emmanuel Naxera. Vt quæstionem soluam, aduerte ex D Paulo ad Hebr.11.n.32. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* Ex auditis Dei magnaliis erga populum suum Israëlem, magna fide mulier rapiebatur in ipsum Deum,vt in exploratoribus illum attenderet,ac aspiceret, sicque exploratores receperat,ac absconderat, ac si reciperet, & absconderet ipsum deum:cuius illi erant ministri; tanta fide mulier ferebatur in Deum,vt non homines, ac exploratores curaret, sed solum ipsum deum, sicque eos hospitio exceperat, vt non illos attenderet,sed deum,cuius illi erant famuli,ac proinde dum vellet obsequium dare deo, dabat & eius famulis.

130. Iosue 2. Abul. Naxera. Hebr.11.

Non hominẽ sed Deum intendebat Raab.

Luc. 15. *n.* 22. Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit verò pater ipsius seruis suis: Depromite stolam primam, & induite eum; & ponite annulum in manum eius, & calceate eum soleis.

D. Hier. epist. ad Damas. Celerius proferte stolam.

Arias, Gracus. Afferte stolam illam.

Vatablus. Date annulum manui eius, & calceamenta pedibus.

EXPOSITIO VII.

131. DIXIT *autem pater ad seruos suos.* Non respondet pater filio verbis, sed factis, quibus suam benignitatem erga illum declarat, ostendens se immemorem iniuriarum, ac illum in antiquam gratiam restituere. Ad seruos suos pater conuertit sermonem, & non ad vnum solum, sed ad omnes; ad cœnam magnam vocat per vnum seruum, Luc. 14. num. 17. Nunc verò omnibus imperat. *Dixit ad seruos suos*, ac si præ amore erga filium, ac diligentia, qua volebat eius nuditatem operiri, vnus seruus filio non sufficeret, sed plures exigerentur, plura interponens ad filij nuditatem tegendam, quam ad suam magnificentiam declarandam. Per seruos Angeli, vel sacerdotes interpretantur Theophylactus, & Euthymius. Prædicatores verò D. August. & Beda. *Citò*, seu vt habet D. Hieronymus ad Damasum: *Celerius*. Ne filij nuditas ab aliquo videretur. *Citò*, idest statim, sine vlla mora. Denotatur quòd nullum interiaceat spatium temporis inter veram pœnitentiam, & diuinam gratiam: mox vt vera adest pœnitentia, adest & diuina gratia. *Proferte stolam primam.* Proferte ex arcis meis vestuariæ. Vatablus, *stolam illam.* Græcè stola erat toga talaris, vestis scilicet oblonga, ad talos vsque demissa, quæ nobilium erat filiorum, tam viris, quàm fœminis congruens. Cùm verò dicit primam, illam pristinam denotat, quali antehac vti consueuerat, cum in domo patris resideret. *Date annulum* qui ornatus est hominis liberi, ac locupletis. Per quod libertas à iugo dæmonis, ac diuitiæ gratiæ significantur. *Calceamenta in pedes.* Habitus est filiorum bene educatorum, quorum pedes calceis muniuntur aduersus omnia offendicula.

Luc. 14.

Plura ad occultanda delicta filij, quàm ad ostendendam maiestatem.

Theoph. Euth. Aug. Beda. Hier.

Vatabl.

QVÆSTIO XVIII.

Quare pater mandat dare filio non quamlibet stolam, sed primam, & pretiosissimam?

132. Chrys. RECTE notat D. Chrysologus, quod cum pater amplexu tenet filium. *Non dixit ei*, ait, *Vnde venis? Vbi fuisti? Vbi sunt, qua tulisti? Quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? Delicta, qui discutit, prodit.* Bonus pater non quærit de vita peracta, de substantia perdita, de bonis dissipatis, non scrutatur delicta; sciebat enim, quod *delicta, qui discutit, prodit*; criminum examen eorum est propalatio; tunc enim manifestantur delicta, cum inquiruntur; senex autem potiùs voluit videri bonus pater in operiendis peccatis, quàm seuerus iudex in illis declarandis. In vltima cœna ait Dominus suis Apostolis; *Vnus vestrûm me traditurus est.* Matth. 26. num. 21. Cur nec discipuli quærunt, nec Dominus explicat, quomodo ipse esset tradendus, an in domo? vel in horto? an pecuniæ ambitione? vel odij malignitate? Cur nullus est qui hoc discutiat, & inquirat? *Delicta, qui discutit, prodit.* Si crimen, seu modus traditionis examinaretur, ac explicaretur, illius discussio esset Iudæ proditio, si enim diceretur, quod vnus ex eis pecuniæ affectu magistrum esset traditurus, hoc apertè esset Iudæ designatio, cuius ambitio cunctis nota erat, nulla ergo fiat criminis discussio, vt secretè corrigatur, quem nulla deformauerat abiectio, vt ait D. Leo serm. 7. de Passione.

Criminum discussio, ad examen illorum est manifestatio.

Matth. 26.

Leo.

133. *Stola signif. est gratiam*

Aug. Hier. Beda. Bonau. Carth. Euth.

Per stolam primam D. Augustinus, D. Hieronymus, Beda, D. Bonauent. Carthusianus, & alij interpretantur, non innocentiam, nec virginitatem, hæ semel amissæ nunquam recuperantur, intelligunt enim pristinam gratiam, & charitatem, quam pœnitens peccator in sua conuersione recipit. Euthymius: *Proferte*, ait, *stolam primam pretiosissimam, qua est purificatio, aut gratia, qua custodiatur.* Gratiæ amictus non solùm ornat, sed etiam custodit animam ab omni irruente malo, vnde per stolam primam Interlin. interpretatur, *vestem Spiritus sancti.* Quæ nos exornat, & constituit hæredes immortalitatis. D. Ambrosius hic *amictum sapientiæ*, qua illustramur ad bonum. D. Augustinus dignitatem quam perdidit Adam. D. Asterius in Catena Græca D. Luc. *Prima stola*, ait, *est gratia Dei quam in baptismo singuli accipiunt.* Denotatúrque restitutio dignitatis, & gratiæ amissæ per peccatum.

Interl.

Ambr.

Aug.

Asterius.

134. Chrys.

Moraliter ad nostram quæstionem rem elegantèr explicat D. Chrysologus serm. 3. *Cecidit*, ait, *pater super collum eius, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdares: sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem. Citò proferte stolam primam, & induite illum; à seruis ante vestiri filium voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas.* Quæ verba multo acumine sunt plena, & profundè examinanda.

135. *Proximorum crimina occultanda.*

Primò. *Cecidit super collum eius, clausit amplexu, ne nudaret pater filij crimina.* Patet occurrit filio, & statim ipsum inter brachia tenet, & super collum eius recumbit, & mittit seruos vt offerant stolam. Cur Pater ante omnia amplectitur filium, & cubat super collum, & de stola prouidet? Cur non potius de cibo, cum adolescens multa fame oppressus aduenisset? Dixerat enim, *fame pereo.* Bonus pater nil prius intendit, quam quod filij nuditas non appareat, sed lateat; vt eius turpitudo non sit nota, sed abscondita, neve à domesticis, famulis, ac vilibus hominibus videatur; indéque seruis ait. *Citò proferte stolam*; quæ quandiu non adducitur, paternis viscetibus filium brachijs, ac colli inclinatione abscondit, & occultat; illique prius prouidet vestitum, quam cibum, magis attendens honori, ac famæ, quam penu

penuriæ,ac fami. Pro quo vide multa hoc tomo, primo, secundo, ac tertio. Verbo *Defectus.*

136. Chrys. *Pater plus dolet de filij dedecore, quam de suo offensa.*

Secundò. *Sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem.* Crimina offenderant patrem, nuditas verò filij honorem,ac decorem; bonus autem pater dissimulat ea,quæ aduersus eum militabãt, non verò illa,quę filij auctoritatem deturpabant; quòd filius esset per multum tempus in regione longinqua multis criminibus fœdatus, suffert; at verò quòd ipsum tanti sper videat nudum minimè patitur, sed seruis iubet. *Cito afferte stolam primam.*

137. Chrys.

Tertiò. *Hinc est quod à seruis ante vestiri voluit, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.* In his videtur aperta contradictio inuolui, si pater voluit à seruis filium nudum vestiri, quomodo noluit eius nuditatem à seruis videri, *à seruis ante vestiri voluit, quam videri.* Si à seruis nudus erat vestiendus,quomodo antequam nudum viderent, eum poterant vestitu contegere? Nunquid serui cœci erant? Et si cœci nullum erat periculum, quòd filium viderent?Serui erant Angeli,iusti,ac probi, vt dixi in expositione. O præclarùm bonitatis ingenium, videt miseriam, vt cooperiat, non videt vt manifestet!Boni serui vident filium nudum vt vestiant,ac exornent,non verò vident nudum, vt ignominiosè contemnant, & despiciant.Sic & eodem modo de parente philosophatur. *Vt soli patri nota esset nuditas,quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.*Si soli patri nota erat nuditas, quomodo solus pater filij nuditatẽ non poterat videre?Solus aspiciebat filij nuditatem ad commiserationem: solus pater filij nuditatem videre non poterat, vt filium in suo squalore,ac fœditate relinqueret.Huc spectat id,quod dixit Seneca l.7.quæst. Natural.c.31. *Quod magis mireris,oculos nostros, & implent & effugiunt.* Implent,vt honore condecorent;effugiunt,vt ignominia afficiant.

Iusti videre miseriam, vt subueniant,non vt contemnant.

Seneca.

138. Chrysol.

Quartò. Idem Chrysolog.sermon.3. *Pater hic, qui in secundis esse non passus est peccatorem, plus de venia, quam de iustitia gaudium vult habere.* Pater huic filio prodigo iam dederat suæ hæreditatis substantiam, & omnia quæ in domo habebantur,parata erant seniori filio. Cur ergo huic prodigo non dat quamlibet stolam, secundam, vel tertiam, & prima seniori reseruatur?Nonne huic adolescenti nudo quælibet stola sufficiebat? Et prima videtur destinanda ad seniorem, qui nunquam a domo patris recessit,sed semper modestè sub eius obedientia se exhibuit.Ecce magna pœnitentiæ vis,quæ sic delet peccata,ac si nunquam commissa fuissent, sicque patet omnes errores obliuiscitur, ac stolam primam dat filio, ac si nunquam ille abiisset, ac in aliquo deliquisset.

Penitẽtia sic delet peccata, ac si nunquã fuissent.

Ennod. D.Ennodius in Eucharistico de vita sua. *Ad stolam candidam*, ait, *ad annulum pretiosum, ad diuitias illas paternæ possessionis, quasi semper seruasset iussa, reuocauit.* Deinde senior frater semper sub præceptis patris extiterat, ac proinde tanquam innocens habebatur;Prodigus verò valde pœnitens de præterita vita introducitur,& huic datur stola prima, sæpè enim pœnitens vehementi cõtritione sua maiora dona premeretur,quam innocens simplicitate vitæ; hinc pius pater pœnitẽtem filium non solùm reuocat ad antiquum honorem,sed etiam tantis priuilegiis,ac muneribus cumulauit, vt fraterni zeli posset ciere dolorem.

Penitẽs aliquando magis extollitur, quã innocens.

Bern. D.Bernard.sermon.de Ingratitudine. *Minimè tamen* ait, *sufficere potuit paterna pietati, nisi tam copiosam misericordiam exhiberet,cui posset,& ipse,qui nunquam à patre discesserat,senior filius inuidere.*De quo multa dixi suprà cap.8.n.134.135.& cap.16. n.75 76.77.

139. Chrysolog.

Quintò. Vltima verba Chrysologi expendo. *A seruis ante vestiri voluit,quam videri,vt soli patri nota esset nuditas.* Hoc curat bonus pater, vt filij nuditas ipsi soli sit nota,& nimirnè à seruis videatur;à Dei aspectu misericordia defluit,non enim patientur pietatis viscera miserum videre, quin subueniant;à seruis verò multoties seueritas procedit, qui sæpè delinquentem arguunt, & accusant de criminibus factis, de substantia perdita, ac bonis dissipatis. D. Hildebertus Cœnoman. Epis.Epist.4 sic ait. *Nubes solem intercludunt,& astantes ministri regis clementiam coarctant, ne in seruos diffundatur.*

Deus solus benignior, quam cum adiunctis creaturis sæpe apparet. Hildeb.

140. Matth.24.

De terribili die iudicij locutus Dominus ait, ait. *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa,& maiestate;& mittet Angelos suos cum tuba,& voce magna.*Matt.24.n.30.Post Domini verò Ascensionem de eodem Domini aduentu loquẽtes duo Angeli,qui Apostolis astiterunt, dicunt eis. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*Actor.1.numer.11.Quid est, quod cum Dominus prædicat aduentum suũ ad iudicium se dicit venturum stipatum virtutibus cœli, Angelicis exercitibus cum tubis, ac clamoribus. At in die Ascensionis dicitur Apostolis quod *sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum?* Ipse quando ascendit, solus cernebatur,non apparebant cum eo ministri.Cur etiã hic non annuntiatur Apostolis,quod veniet cum virtutibus cœlorum,cum exercitibus Angelorum,vt antea prædicatum fuit in Ierusalẽ? Antea in Ierusalem dicitur venturus comitatus cũ Angelis, vt iniquis, ac impiis esset terribilis, ex adiunctis enim ministris, pauor, & seueritas in peccatores procedit; At verò in die Ascensionis Dei terror à cordibus discipulorum auferebatur, & multum consolationis leuamen dabatur, & ideo nullius comitatus fit mentio, sed solus proponitur descendens, vt fuit visus ascendere, suis dilectis discipulis sic placidus exibit, ac si solus veniet; vbi Deus solus, ibi pietas, ex adiunctis verò creaturis seueritas, rigor, ac formido à Deo in peccatores dimanat. D.Augustinus serm.7. de Ascensione. *Sic veniet*, ait, *quemadmodum vidistis eum euntem in cælum;non veniet vobis terribilis. Sic veniet in ipso corpore vobis in amore, impiis in terrore. Beati,quibus dicitur,sic veniet quemadmodũ vidistis eum euntem in cælum;nunquid sic veniet oculis peccatorum? Erit ipsa veritas, sed non erit ipsa securitas. Dies erit timendi iudicy,descensus Angelorum.*

Christus solus clemens, cum ministris terribilis

Aug.

141. Actor.7.

Cum coram iniquo iudice Stephanus astaret, *Intendens in cælum vidit gloriam Dei,& Iesum stãtem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos,& filium hominis stantem à dextris Dei*, Actorum 7.num.55. Cuius præsentia maximè recreabatur fortissimus miles.At Iacob *vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ: cumque euigilasset Iacob de somno, pauensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste.* Genes. 28. num.17. Genes.28. Oleaster. *Quam timendus est locus iste.* Stephanos, Oleast. ac Iacob vterque videt Deum. Ille ex Deo viso

nullum concipit terrorem, ſed multa ſuauitate confortatur; hic verò maximè pauet, ac vehemētiſſimè terretur. Quam terribilis eſt locus iſte! Vnde tanta rei differentia? Stephanus videbat ſolùm Ieſum, & inde maximum animi robur; ac dulcedinem percipit. At Iacob intuebatur ſimul Deum, & Angelos tanquam iudicis maieſtatem cum miniſtris, & inde profunde magno timore concutiebatur, ad quod fortè reſpicit Caiet. *Timuit Iacob*, ait, *diuinum iudicium, quemadmodum conſueuimus timere noniter præſentes principi ſapiēti, ne aliquid ſibi diſplicens appareat in nobis: ſic enim Iacob timuit conſiderando ſe ipſum relatiue ad præſentiam Dei, & frequentiam Angelorum, ne imputarentur ſibi defectus ſui.* Expende, *ad frequentiam Angelorum.*

Deus ſolus terreat, cum miniſtris terret.

Caietan.

QVÆSTIO XIX.

Quare Pater mandat dare annulum in filij manu?

141. EAMESCENTI filio, antequam ipſe in domum, ac ad menſam introducatur, mandat pater dare annulum; quiſnam huius doni ſcopus? Annulus ſignum erat nobilitatis, ac libertatis, annulo enim equites à plebeis, ac ſeruis diſtinguebantur, vt eſt ſatis vulgare. Vnde ait D. Chryſ. ſerm. 5. *Poſuit*, ait, *annulum in manu eius: annulum honoris, titulum libertatis, in-*

Chryſ.

Annulus ſignum libertatis.

ſigne pignus ſpiritus, ſignaculum fidei. Et D. Auguſt. lib. 2. quæſt. Euangel. 33. *Annulus in manu*, ait, *pignus eſt Spiritus ſancti: propter gratia participationem, qua digito bene ſignificatur.* Vt adoleſcens appareret immunis ab antiqua ſeruitute, & in ſuo priſtino honore, ac decore gratiæ reſtitutus. D. Chryſologus, ſerm. 3. *Paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat honorem.*

Aug.

Chryſ.

143. Secundò. Annulus ſignificat bona opera, vt docet Aſterius in Catena Græca, & ibidem Diuus Gregor. Nyſſenus: Datur annulus, ait, *vt habeat in manu, ſeu operatiua virtute ſignaculum fidei, vt demonſtrare queat, quod recreatus ſit ad imaginem eius, qui ſe condit.* Annulo exornatur manus, vt operum ſplendore oſtendat fidem, gratiam, ac imaginem creatoris, quam in ſe habet.

Aſter. Nyſſen.

Fides oſtendatur operibus.

144. Tertiò. Dabatur quidam annulus ſignatorius, quo tradito reges amicis intimè coniunctis dabant ſuam poteſtatem, & auctoritatem. Talem Pharao tradidit Ioſepho. *Tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius.* Geneſ. 41. numer. 42. Talem Aſſuerus Amano. *Tulit rex annulum, quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman.* Eſther. 3. n. 10. Talem dedit Alexander moriens Perdicæ, quo ſignificabatur relinquere illi ſuum locum, & auctoritatem, vt teſtatur Æmilius Probus in Eumenis, talémque bonus parens dat filio prodigo, quaſi nihil pretioſius haberet ad eum locupletandum; quo ſignificaretur non ſolùm eum in gratiam ſuam recipere, ſed etiam quod ei ſuam auctoritatem, ac poteſtatem conferebat, illique omnia ſua communicabat.

Gen. 41.

Eſth. 3.

Æmilius.

Pater filio non ſolùm ſua, ſed etiã ſuam auctoritatem communicat.

145. Quartò. Dat Pater annulum filio, in quo imago ipſius Patris erat inſculpta; hoc apud veteres erat ſummi amoris ſignum, vt in annulis geſtarent imagines eorum, quos valdè intimè diligebant, vt perpetuam eorum memoriam conſeruarent: ad quem morem alludens cœleſtis ſpōſus ait. *Pone me vt ſignaculum, ſuper cor tuum; vt ſignaculum, ſuper brachium tuum.* Cant. 8. numer. 6. Ac ſi diceret ſponſus: præfer me in annulis, ac armillis, quibus manus, ac brachia adornabantur, vt nunquam mei habeas obliuionem. Ita Interpretes Genebrardus, Legionenſis, Hortulanus, Tuccius, Titelman. Puente, Del Rio, Sanches, Giſſerius, Soto Maior, M. Pinto Ramires, & alij. Ait Deus Hieroſolymæ. Ego non obliuiſcar tui: Ecce in manibus meis deſcripſi te. Iſai. 49. nu. 16. Hoc eſt, apud meas, manus in annulis deſcripta habetis, vt nunquam tui obliuio ſit apud me. Ita Leo à Caſtro, Sanches, Cornelius, & alij. Conſolatur Deus Zorobabelem dicens. *Aſſumam te Zorobabel, ſerue meus, & ponam te, quaſi ſignaculum quia te elegi.* Aggæi 2. num. 24. Hoc eſt, bono eſto animo, quia tuam imaginem meo annulo inſculptam meis digitis inſeram. Ita Leo à Caſtro, Cornel. Mendoc. tom. 5. in lib. Reg. cap. 15. annot. 21. num. 5.

Cant. 8. Genebr. Legion. Hortulan. Tuccius. Tit. Puente. Del Rio. Sanchez. Giſſerius. Soto Maior. Ramires. Iſai 49. Leo à Caſtro Sanches. Cornel. Aggæi 2.

In annulo patris imago inſculpta.

146. Quintò. Dat Pater filio annullum, in quo eſt ſui ipſius imago. Cuius cauſam aſſignat D. Chryſoſtom. homil. 4. de filio prodigo. *Vt meum*, ait, *circumferens ſigillum, formidabilis omnibus hoſtibus, aduerſariiſque appareas.* Patens iſte Chriſtus Dominus filio, ſeu peccatori conuerſo, ac pœnitenti dat in annulo imaginē ſuam, qua ſit munitus ab inſidiis Diaboli, eique ſit formidabilis; vt ipſe leo, qui circuit quærens quem deuoret, cum imaginem Ieſus intueri non valeat, ab eo velociter fugiat, ac tartareis cauernis ſeſe abſcōdat. Recenſet Zacharias beneficia, quæ ex Chriſti aduentu humanum genus conſequutum eſt, & magnam ſecuritatis gratiam cunctis pollicetur: dicens. *Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi*, Luc. 1. num. 74. Inimicus noſter diabolus valde crudelis, & aſtutus, quomodo non timendus? Chriſti præſentiam non cunctandam hominibus annuntiabat Zacharias, qua Dæmones maximè confracti in fugam abierunt, vt iam illorum inſidiæ minimè ſint timendæ. Titus Boſtr. ad citatum Luc. cap. *Etenim*, ait, *Chriſti aduentus effecit, vt formidine vacui, ex inimicorum poteſtate eriperemur, neque enim vllum hoſtilium inſidiarum ſenſum cepimus.*

Chryſoſt. *A Chriſti præſentia fugiunt dæmones.*

Luc. 1.

Boſtrenſ.

147. Sextò. Mandat Pater inſeri annulum in manū filij, dicunt Anatomici neruulum quendam è corde natum, in digitum annularem protendi; vnde annularis digitus apud Ægyptios cordis erat hieroglyphicum. Et in ſponſalibus, teſte Alexand. ab Alexand. lib. 2. Genial. dier. cap. 5. Ille digitus, *ſenſim* ad amorem cordis indicandum, annulo coronabatur. Idcirco Tertullian. lib. aduerſ. Gent. cap. 6. huius digiti annulum pronubum appellat. *Aurū*, ait, *nulla fœmina norat, præter vnico digito, quem ſponſus oppigneraſſet pronubo annulo.* Hac de cauſa Ægyptiorum ſacerdotes teſte Pierio lib. 56. cum ad ſuorum Deorum aras miniſtrarent, hunc digitum odoribus illinebant; vt inſinuarent, quibus virtutum odoribus corda ſacrificantium deberēt eſſe delibuta. Cùm ergo tāta ſit naturæ cum hoc digito connexio, annulum in digitum, cordi reſpondentem, merito iubet parens dari filio reuerſo; vt ſignificaretur lætitiam, quam ſuis cōmunicabat, non foris ſiſtere in corpore; ſed intrò ad cor vſque penetrare, ad quod fortè reſpiciens in præſenti, D. Ambroſ. ait. *Annulum, qui in digitum inſeritur, eſſe ſignaculum, quo cordis interiora ſignificantur.*

Cordis cum annulari digito.

Alex. ab Al. Tertul.

Pier.

Lætitia patris non ſolùm in ore, ſed etiam in corde.

Ambr.

Ait

148. Ait Regius Vates.Psalm.4.n.4. *Dedisti lætitiam in corde meo.* Non ait absolute, dedisti lætitiam in oculis,vel in facie,sed in corde;lætitia,quæ est in oculis,ac facie est ex bonis externis;quæ verò est in corde,est à Deo de bonis spiritualibus, de quibus tantum est verum gaudium replens animam,& cor D.Chrysostom.ad citat. Psalm. *Non dixit*,ait,*simpliciter,dedisti lætitiam,sed in corde meo: ostendens,non esse in rebus externis lætitiam,quia hæc lætitia non est cordis,sed solùm oculorum.*

Psal.4.

Chrysost.

149. Audiens sibi filium promissum à Deo risit olim Abrahamus Genes.17.num.17,& etiam Sara risit. Gen.17.num.12.Tamen Saræ risus ab ipsa denegatur. *Negauit Sara dicens, non risi.* Genes.18. num.15.Risus verò Abrahæ ab ipso nec negatur, nec arguitur à Domino,sicut risus Saræ;quænam huius rei causa? Sara risit in ore, ac facie, Abrahamus verò in corde.Sic enim in quibusdam Bibliis dispuncta habentur.*Risit in corde suo dicens.* Hinc est, quod Sara suum risum inficiatur, quia cum esset lætitia in ore,ac facie externa,tanquam inanis,ac nulla reputabatur,& ideo,qui ita ridet, & exultat,facile negare potest se ridere,ac exultare;at verò Abrahamus risit in corde, huiusmodi autem cordis lætitia vera,ac solida est,quæ minimè negari, ac occultari valet, cùm firmissimè perseueret.

Gen.17.
Gen.18.

Lætitia oris inanis, cordis verò solida.

QVÆSTIO XX.

Quare Pater filio statim prouidet calceamenta antequam in domum introducat, & nil de operimento capitis agit?

150. AD hoc secundo incipio quæstionem. Pater filium optima stola induit,in signum nobilitatis, annulum in digito, & vt nullum antiquæ nuditatis appareat vestigium, prouidet ad pedes calceamenta:Cur non aliquid mandat exhiberi ad caput operiendùm;ipse enim adolescens nudus,& discooperto capite venerat? Disponebat prouidus pater filium introducere ad suam mensam vituli saginati,scilicet corporis, ac sanguinis sui, cuius conuiuæ principes, ac reges creantur, inde capiti parens nundat operimentum,ex ipsa enim mensa corona conferenda erat,qua filij caput mirifice exornaretur,ac multo decore circundatum niteret, ac splendesceret. Vide tom.3.c.31.quæst 18.n 123.124.125.126.vel ex operibus pœnitentiæ prodigi corona intexebatur, qua illius caput circundatum magno splendore appareret;vt dicebat Paulus. *Bonum certamen certaui*,&c. *Reposita est mihi corona iustitiæ* 2. Timoth.4.n.8.

Eucharistia regis erant.

Suis operibus coronatur homo.

2.Tim.4.

151. Respondet primò ad quæstionem D.Chrysostom,homil.de Duobus filiis. *Mandat Pater*,ait, *calceamenta pedibus imponi propter cooperienda vestigia, vt per lubricum mundi istius iter fixius incedat.* Adolescenti conuerso muniuntur,ac custodiuntur pedes, hoc est affectus à mundano puluere, ac incursu, ne à via salutis impediantur, sed vt valde prompte actus virtutum præcurrant; vnde inquiunt Titus Bostrens. Theophyl.Glossa. *Calcei ad pedes dantur,vt custodiantur à scorpiis,ac serpentibus, peccatis scilicet, ne ab eis mordeantur. Sed eorum contrarias virtutes intrepide proterant,& calcent.* Dantur etiam calcei,dicam,vt leuissimus pulius è pedib. dimittatur, hoc est, etiam veniales defectus,vt ad mensam Domini perueniat,vt dicam q.21.

Chrysost.

Bostr. Theophyl. Glossa.

Leuissimi defectus dimittuntur.

Secundò.D.Chrysolog.serm.3.*Date calceamenta in pedibus eius: ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis: certe vt calceatus anterioris vitæ rediret ad cursum.* In quibus verbis multa sunt notanda Primò.Pater filium pœnitentem recipit,& in pristinum restituit honorem,prouidēs calceamenta, vt antea habuerat;ne plus infamiæ attulisse videretur scelus,quā gratia dignitatis. Secūdo.Pedum nuditas è vitio manauit,cum Pater filium recipit,maximè cauet, ne alicuius deformitatis vestigium in pede remaneret, perfecta morum reparatio, nec minimam partem nudam relinquit, ne ex illa ad consueta crimina deflectatur, & ideo bonus reditus ad patrem pedem ignominia nudatum non permittit. *Ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis.*

152. Chrys.

153. Tertiò. Quid est,quod Prodigus cum domum Dei est ingressus statim ei prouidetur; vt veste præclara fulgeat, calceis muniatur, ac delicatis cibis pascatur? Nonne antea ipse nudus, ac famelicus porcorum gregi seruiebat,vt animalium siliquas desideraret, ad quid modo tam cito tantis deliciis recreatur? Sciebat bene optimus parens, quod ille, qui nudus, & famelicus mundo seruiebat, in domum Dei tamen adductus, adeo delicatus euasit,quod nisi omnibus abundet,obedire maximè detrectet. *Ne in pede remaneret deformitas nuditatis.* Pro quo accipe D.Bernard. homil.4. Super *missus est.* Sic fatur. *Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, & impatientes amplius fieri in claustro,quam fuissent in sæculo.Quodq; magis peruersum est,plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui,qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt.*

In mundo mundo seruiens, in religione, nisi abundet, non vult obedire.

Bern.

154. Quartò.D.Chrysolog.sermon.5. *Dedit & calceamenta in pedibus eius, vt essent*, ait, *calceati pedes in prædicatione Euangelij*, vt etiam docent D.Augustinus lib.2.quæst.Euangelic. D.Hieron. D.Ambros. Beda, D Bonauent. & alij. Cur bonus Pater pedes ad lapsum procliues, ad delitias, ac voluptates propensos,ad disseminandum Euāgelium emittit? Sciebat bonus pater, quod pœnitentes,ac conuersi maximè aliorum salutem sitiunt,& desiderant. Deinde Pater videt filium antiqua crimina post criminum molestias, ac labores detestantem,& inde credidit antiqua errata non iam ad vlteriora vitia irritamenta,sed ad nouas virtutes excitamenta. Pressuræ,ac vexationes pristinæ maxime animum informant,vt ad similia fugienda,alios ex vera charitate tu moneas,& doceas.

Chrys. Aug. Hieron. Ambr. Beda. Bonauent.

Antiqui labores instruunt, vt doceas alios fugere similia.

155. Quintò. Cùm pater occurrit in via filio antequam in domum veniat,iubet cito nate calceamenta in pedibus eius; *Ne pes eius minutissimo aliquo lapide offenderetur.* Et dixit D.Paschas. lib.6. in Matt.ex quo mihi magna difficultas exoritur. Hic adolescens venit ex remotissimis terris. *Profectus est in regionem longinquam.* Ac proinde per viā præteriit per rupes,per petrarum prærupta, ac saxorum cumulos,& etiā per loca arida, spinis ac tribulis plena, & tamen hæc omnia pertransiit, absque pedum offendiculo, & carnis cruento vulnere; modo verò statim dantur calceamēta, ne leui lapide scandalum patiatur. Vnde tanta rei differentia?Quando adolescens iste per itinera veniebat, alienus extabat à Patris gratia, ab illius

Pasch.

Deiectum omnia sustinet, delicatus regis fauore leui aura efflatur.

illius fauore erat expulsus; cum autem calceamenta ei dantur, in Patris benevolentia erat iam receptus, multúmque illius delitiis, osculo, amplexu, ac stola prima recreatus. Quando autem adolescens erat dejectus à Parentis gratia, facile per rupes, petras, ac saxosos montes, per spinas. que & tribulos sine pedum offendiculo, ac dolore incedebat, at verò in gratiam Patris iam admissus minutissimo lapide offenditur, & cruentatur. O quantum est discrimen inter hominem dejectum, ac regis gratia condecoratum. Ille incurrens in rupes, lapides ingentes, ac montes altos, & iniquos facile sine offensione pertransit, at verò delicatus, & fauore principis sublimatus leui aura, minutissimo lapide intolerabilem molestiam, ac vexationem se pati certissimè credit.

Iob.6. Hebr. Lyran. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Dicebat Iob.6.n.7. Quæ prius nolebat *tangere anima mea*, habent Hebraizantes explicat Lyra. *Tempore prosperitatis meæ* Nunc præ angustia, ac tanta miseria, in qua reductus sum, cibi sunt mihi.

156. Hebræorum mensa in Ægypto erant, cepæ, & allia, & frequenter pane rudi, ac hordeaceo vtebantur, & cum essent sub flagellis Pharaonis, vt implerent numerum laterum, vix dabatur spatiũ, vt illis implerent ventrem, & tam his sic quiescebant, vt contra Pharaonem mutire non auderẽt. Magna tamen Dei potentia exinde educuntur, ac per desertum pane Angelorum vsque ad satietatem reficiuntur. *Panem Angelorum manducauit homo. cibaria misit eis in abundantia.* Psalm.77.numer.25. Tunc contra Deum obmurmurant, ac loquũtur. *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Num 21.num.5. Quid est, quod in Ægypto, tam aspero, ac grosso cibo cõtenti sunt, in deserto verò suauissimo nutrimento molestantur? In Ægypto erãt Pharaoni inuisi, ac sub eius iugo, & tyrannide valde oppressi; at in deserto maximè Dei benignitate, gratia, & fauore erant insigniti, ac sublimati, itavt nocte igne, die verò columna nubis eis ostenderetur iter. Deuteron.1.num.33. *Et sicut aquila expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Deuter.32.num.11. In Ægypto cũ essent sub multa vexatione, cepe, porri, & allia, ac panis agrestis erant eis dulcissimi cibi, tanquam nobilissima altitia; At verò in deserto cùm multum essent Dei gratia, ac fauore prosecuti, tam delicati facti sunt, vt Angelorum panis illis verteretur in tædium, ac fastidium.

Psal.77. Num.21. *Hebræi in Ægypto vili cibo tacent, in deserto manna obmurmurant.* Deut 32.

*Luc.*15.*n.*23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.

*Num.*24. Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

VERSIONES.

*Origen n.*13. Citò adducite vitulum.

Syriacus. Et adducite, mactate bouem saginatum, & edamus, ac oblectemur.

Euthym. Et eductum vitulum illum saginatum, mactate, sumptisque epulis lætemur.

Vatabl.Pag. Arias. Et comedentes oblectemur.

Euth.Vatabl. Perditus erat, & inuentus est. Et cœperunt lætari.

*num.*23.

Syriac.Arias. Et cœperunt oblectari.

EXPOSITIO VIII.

157. *ADDVCITE vitulum saginatum.* Postquam susciptur indignus, vestitur nudus: Tunc reficitur famelicus, & recto ordine, vt ait D. Bonau. post remissionem culparum, & vestitionem virtutum, sequitur diuinarum oblectatio delitiarum. *Vitulum saginatum.* Græc. habet: *illum vitulum*: Quem iussi saginari ad celebrandum tempus tam festiui conuiuij; Vitulus hic Christus est Dominus in sacramento altaris, iuxta communem Patrum sẽtentiam, vt dicam quæst. 22. quo animæ nostræ omni cœlesti pabulo reficiuntur. *Et occidite.* Beda, Haymon, Carthus. Hugo. Christi passionem commemorate, & eum pro humana salute denũtiate occisum. Iuxta illud Pauli. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* 1. Corinth.11.núm.26. *Manducemus, & epulemur.* Seu vt alij legunt: *Oblectemur.* Denotaturque quanta lætitia non solùm sit Angelis, ac iustis, sed etiam ipsi Deo in conuersione peccatoris, quod est præcipuus scopus parabolæ, de quo egi in hoc cap.15 Luc. numer.6. & 9. & ideo vt notat Beda, ait Pater in plurali. *Manducemus, & epulemur.* Quia, vt ait D. Hieron. *Patris cibus salus nostra.* Beda. *Non solùm filius pro quo vitulus est occisus, reficitur, sed etiam pater, & serui eius: quia refectio Dei, & sanctorum est salus peccatorum.* Caietan. ait. Commune conuiuium, communisque lætitia patri, filio, & seruis describitur. Ex quo duo nota. Primum, quanta vnitas, ac conformitas sit Deo cum iustis, quia cum Pater lætatur, serui exultant. Secundum, quod non solùm filio, sed etiam seruis paratur conuiuium. Nam cùm filius esset in regione longinqua, ob illius luxuriam, & gulam, vt innuit Chrysolog. sermon. 2. facta est fames valida in regione illa. Ne quis parui faciat filium, pater pro illius honore magnum parat conuiuium, nam si illius errata magnam intulerunt famem, eius tamen conuersio, ac pœnitentia in omnes multam facit diffundere abundantiam. *Manducemus, & epulemur.* Seu lætemur. Nota quod non mandantur fieri exultationes, quando Prodigus domum ingreditur, sed quando vitulus saginatus apponitur in conuiuio, in quæ cepræsentabatur corpus Christi in communionis mensa, quando à fidelibus participatur. Tunc Deus Pater mandat facere omnes applausus omni festiuitate, musica, cantu, ac omni ostentatione lætitiæ, his omnibus maximè hoc sacramentum venerandum.

Reda. Haym. Carth. Hugo, 1.Cor.11. Reda. Hier. Caietan. *Filius dicitur condecoratus, ac nobilitatus.* Chrys. *Eucharistia omni festiuitate veneranda.*

158. *Quia hic filius meus mortuus erat.* Efficaces tanti gaudij causas subnectit Pater. *Quia hic filius meus.* Ex me natus, & quem intimè diligo. *Mortuus erat.* Per culpam, ac peccatum, quod est mors animæ. Ioan.8.numer.24. *Et reuixit* per pœnitentiam. Vt exponunt Beda, D. Bonauent. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Ad Ephes.5. numer.14. *Perierat*, per amissio

Ioan.8. Reda. Bonau. Hugo. Ephes.5.

Bonauent. Hugo. Euthym.

amissionem iustitiæ, vt ait D.Bonau. seu per recessum à consortio iustorum, vt explicat Hugo. *Et inuentus est*: per recuperationem gratiæ; & *cœperunt epulari*. Seu, vt Syriacus, *obtectari*. Seu Euthym. *lætari*. Sicque adimpletum est, quod dicitur supra hoc capite.11.num.7.& 10. *Gaudium est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis*. Propter filium seniorem, qui semper sub obedientia patris extiterat, non occiditur vitulus saginatus, nec celebratur conuiuium, nec vllus vocum cantus auditur, sicut propter filium iuniorem post errata sua reuertentem ad patrem, hæc omnia magno gaudio, ac applausu celebrantur.

QVÆSTIO XXI.

Quare Israëliticis datur Agnus, Prodigo verò post stolam, annulum, ac calceamenta, vitulus saginatus.

159. Beda.

EXCLARE aduertit Beda dicens: *Notandum*, ait, *quod ante stola prima, ante annulus, ante calceamenta præstantur, & sic deinceps vitulus immolatur, quia nisi spem quisque prima immortalitatis induerit, nisi annulo fidei opera præmunierit, nisi ipsam fidem ipse confitendo prædicauerit, non potest sacramentis interesse cœlestibus.* Quid agis prouide Pater, filium non reduxit vestis; calceamentorum, ac annuli cupido, sed nutrimenti? Cur famelico ante omnia non paras cibum? Si pater vellet quemcumque cibum dare filio, non mandasset, vt antea adolescens tegeretur, quàm manducaret; Cùm autem genitor illi pararet vitulum saginatum Domini corporis typum, & ipse luxuriando dissipasset bona sua; ideo sapiens genitor curat, vt illi detur stola prima, scilicet baptismi gratia, vt interpretatur Titus Bostrens. & annulus significans bona opera, vt exponit Asterius in Catena Græca; & etiam calceamenta, vt leuissimum pulueris abijciat, hoc est veniales defectus à se amputet, vt ita purus, ac mundus, tanquam eductus è baptismo ad Christi conuiuandum corpus accedat. Ad quod etiam respicit Tertullianus lib.de pudic. cap.9. *Recordatur*, ait, *Patris Dei, satisfacto redit, annulum quoque accipit, atque ita exinde optimate Dominici corporis vescitur.* Expende *Recordatur Patris Dei.* Solùm in mente Patrem, non fratrem, solùm enim è patris manibus sperat accipere saturitatem diuini epuli, *satisfacto redit*. Ad pœnitentiæ satisfactionem spectat, qua exhibita *Domini corporis optimate vescitur.*

Summa puritas ad Eucharistiæ accedendum.

Bostrens. Asterius.

Tertullian.

Pœnitentia satisfactio ad Eucharistiam.

160. Exod.12. *Difficultas quæstionis.*

Quæstio præsens est: quare cum his sit indutus prodigus, ei datur vitulus saginatus, cum Israëliticis exhibitus fuerit Agnus anniculus? Vt eis mandatur. Exod.12. numer.5. *Tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas.* Cur Israëliticis datur agnus, huic verò adolescenti vitulus saginatus apponitur? Cur huius conuiuium maius, & excellentius? Cur quando illis agnus conceditur, hic vitulum saginatum à patre promeretur accipere? Ambo in seruitute captiui fuerunt: ambo miserum seruitutis iugum abijciant, vt sub Dei patris præceptis viuant; cur ergo in tam simili casu, ac obsequio, tam dispar conuiuium, vt vnus agno, alter vitulo saginato pascatur?

161. Ruricus.

Respondet Ruricus Episcop. l.1.ep.1. *Datur, ait, etiam ipsi iuniori vitulus reuerso, qui seniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipse eduxit ex Ægypto pater.* Vterque ex gratia Dei exiit & seruitute, populus ingenti mercedis spe corroboratus, *ducam vos in terram fluentem lac, & mel.* Adolescens verò nullo proposito præmio, sed tantum de benignitate patris confidens. Et inde maius promeruit donum accipere, cum nullo proposito præmio labores itineris susceperit. Vide supra cap.22.num.14.

Operari non proposita mercede, multum præmeretur.

162. Baeça.

Secundò. P.Baeça tom.4. in Euangelia. §. *ait quod*, Israël eductus est ex Ægypto ait Deus. *Sicut aquila, prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas: & assumpsit eum, & portauit in humeris suis.* Deuteron.32. numer.11. At prodigus dixit. *Surgam ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum, & coram te*, &c. *Et surgens venit ad patrem suum.* Vterque ex Dei gratia ex seruitute exiit, populus verò parum, aut nihil laboris impendens, pane Angelorum, ac multis fauoribus recreatus; At Adolescens fame vexatus, nudis pedibus, ac multis incommodis, de vocantis tamen beneficio iter agebat, & cui maiores, ac grauiores labores in via salutis à Deo præmittuntur, ad maiora, ac excellentiora dona gratiæ accipienda ab ipso disponuntur, ac ordinantur.

Deuter.32.

Vbi plus est laboris, maius est præmium.

163.

Tertiò. Populus Israël de Ægypto exiuit, multis bonis temporalibus onustus, parua, aut nulla dispositione ad agnum paschalem edendum: At verò adolescens iste multa præuia dispositione accessit, magna contritione, ac pœnitentia, dicens *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Priusque stola prima diuinæ gratiæ, annulo bonorum operum, ac calceamentis ad leuissimos pulueris defectus abijciendos compositus est: ex præparatione ad Domini mensam illius participatur effectus. Qui magna dispositione conueniunt, præclara, & magna suspiciunt dona, tanquam si vitulum saginatum comederent, qui verò minori præparatione accedunt, minora participant dona, tanquam si non vitulum saginatum, sed agnum comederent.

Pro maiori dispositione maior gratia datur ex susceptio sacramento.

164. 4. Reg.23.

Rex Iosias magis laudibus extollitur super omnes reges, & Iudices, qui fuerunt in Israël, ob religionem, qua sanctissimum Phase celebrauit. *Neque factum est Phase tale à diebus Iudicum, qui iudicauerunt Israël, & omnium dierum regum Israël, & Iuda: sicut in octauo decimo anno regis Iosiæ factum est Phase istud* 4. Reg.23. num.22. Vnde habuit hoc Phase, vt tam mitis laudibus esset celebratum, & inde ipse Iosias promeruit, vt de eo dicatur? *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi?* Ibidem num 25. Vnde Pascha illud tam celebratum, & rex tanta virtute insignitus super omnes reges Iuda, vt *nec antea, nec post eum surrexerit similis illi?* Ad celebrandum Phase prius rex Iosias purgauit templum, simulachra euertit Idolorum, eorum sacerdotes occidit, ossa combussit, ac idolorum fana abstulit; & cum ad peragendum Phase, quod erat Eucharistici sacramenti typus, maiorem præparationem præstitit super alios reges, maiori virtute à Deo est sublimatus, *non fuit similis illi in vniuersa virtute sua.* Indéque maiorem festiuitatis celebrationem, ac gloriam est assecutus, *Neque factum est tale Phase.* Quo documento Stephanus Cantuariensis pulchre

Vbi maior præparatio, maior gratiæ communicatio.

Stephan.

chre citato loco Regum nos hortatur ad mundãdas conſcientias, vt digne ſacramentum recipiamus. *Ioſias*,ait,*facturus Phaſe purgauit terram, & templum,eiecit figuras idolorum. Eodem modo acceſſuri ad ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini purgare debemus terram,ideſt carnem noſtram,& tẽplum,ideſt animam,& eijcere à corde figuras idolorũ.* Hoc eſt concupiſcentias mundi,ac illius affectus. Vide multa in Indice,verb.*Euchariſtia*.Et tom.3.

QVÆSTIO XXII.

Quare in tam magnifico conuiuio vnus tantum datur vitulus ſaginatus Prodigo filio?

165. VITVLVS hic ſaginatus, quo in parentis conuiuio excipitur Prodigus agens pœnitentiam, ſignificat admirabile Euchariſtiæ epulum, quod poſt pœnitentiam Chriſtianis exhibetur;ſic docent Tertul.lib.de Pudic.c.9. D.Cyril.in Catena Græca.D.Auguſtin.l.2.quæſt. Euangel.q.33.D.Hier.Epiſt.ad Damaſum de duobus filiis. Et hic in Lucam Diuus Ambroſ. Euth. Theophylact. Beda, D.Bonau.Albertus Magn.& alij communiter.

Tertul. Cyril. Aug. Hier. Ambr. Euth.

166. Dicitur vitulus,inquiunt D.Cyrillus cit.& Euthym. *Vitulus quidem*, ait, *tanquam non domitus iugo,ac pondere peccati.* Carthuſian. verò ait. *Chriſtus ſecundum naturam humanam dicitur vitulus, propter ſuam in cruce immolationem, & ſaginatus, quoniam omnium chariſmatum gratia plenitudine decoratus eſt.*Et hæc prima ratio,ob quam dicitur vitulus ſaginatus,quia ipſe omni plenitudine donorum, ac virtutum, ac etiam diuinitatis repletus eſt.

Cyril. Euthym. Caiet.

Cur Chriſtus dicitur vitulus.

167. Secundò. Gloſſa Interlin. Beda, *Chriſtus*,inquiunt, *eſt vitulus ſaginatus, omni ſpirituali virtute opimus, vt pro totius mundi ſalute ſufficiat.* D.Chryſoſtom.homil.de duobus filiis. *Chriſtus vitulus dicitur*, ait, *ob immolati corporis hoſtiam; ſaginatus,quia pro totius mundi ſalute ſufficit.* Chriſtus vitulus ſaginatus, tam pinguis, ac vberrimus,quia cum vnus eſſet,pro omnium ſalute ſufficientiſſimus,ac valde abundans extitit.

Beda. Interl. Chryſ.

Chriſtus pro omnium ſalute ſufficientiſſimus.

168. Tertiò. D. Ambroſ. in præſenti: *Occiditur*, ait, *vitulus ſaginatus, vt carnem Domini ſpirituali opimam virtute, per gratiam ſacramenti myſteriorum conſortio reſtitutus, epuletur.* Titus Boſtrenſ. Adducite vitulum ſaginatum, *illum, qui pro terrarum orbe immolatus, eiſque, qui vera reſipiſcentia ducuntur, donatus eſt. Hoc eſt,tremendorum myſteriorum participem illum facite.* D. Hieron. Epiſtol. ad Damaſum,*vitulus ſaginatus*, inquit, *qui ad pœnitẽtiã immolatur ſalutem,ipſe ſalnator eſt,cuius quotidie carne paſcimur,cruore potamur.* Vitulus ſaginatus dicitur Chriſtus in Euchariſtia veluti effectiue, qui enim ad hoc ſalutiferum conuiuium accedunt, & hoc admirabile ſacramentum participant,ipſo impinguantur,& ſaginantur omnibus cœleſtibus donis.

Ambr. Boſtrenſ. Hieron. *Communicantes Euchariſtiam ſaginantur omni bono.*

169. Quartò. Diuus Anaſtaſius Sinaita l.8.examin. *Saginatus vitulus*, ait, *nominatur Chriſtus, quoniam multis temporibus ante nuptias, & eius vnionem cum Eccleſia parabatur à ſuo patre in eſum gentium, & quodammodo ſacramentum.* Vitulus ſaginatus antecedenter per multos dies, magna ſollicitudine curatur, ac impinguatur,antequam in cõuiuium adducatur:ſic Pater ab initio per multa ſæcula infinita ſua ſapientia multas diſpoſitiones voluit præmittere, quibus Chriſtus veluti præparatus videretur, vt in eſum gentium in Eccleſia daretur.Chriſtus Dominus ſumma puritas, ac ſanctitas, tamen vt apponeretur fidelibus in Euchariſtico ſacramento, quodammodo ipſe ſe præparauit, ac præparatus dicitur, *multis temporibus ante nuptias parabatur à ſuo Patre in eſum gentium.* Chriſtus ſuprema ſanctitas, & tamen cum in Euchariſtia datur, præparatus dicitur, non quia ipſe indigeat præparatione, ſed vt ex hoc videamus quantam puritatem ad hoc ſacramentum requiri,& qualiter nos, qui immũdi ſumus,debemus noſmet ipſos purificare, vt ad hoc ſacratiſſimum conuiuium accedamus. Deinde expende verbum. *Quoniam multis temporibus parabatur à ſuo patre in eſum gentium.* In Patre eſt ſapientia, ac potentia infinita: ſapientia,qua omnia comprehendit;potentia,qua omnia in inſtãti facere poteſt,& tamẽ vt Chriſtus in Euchariſtia daretur, multis temporibus dicitur præparatus à patre pro noſtra doctrina, vt nos multis diebus, ac temporibus præparemur, vt ad hoc mirabile ſacramentum accedamus,illiuſque participes ſimus.

Chriſtus ad Euchariſtiã dicitur velut præparatus à Patre.

Multa præparatio ad Euchariſtiã multo tempore præfanda.

Vltimò tandem inquirit quæſtio præſens:Cur Pater in tam magnifico conuiuio, vnum tantum parat filio vitulum, cur non potius multa,& varia fercula, ac obſonia? Cur vnus tantum vitulus? Caietan.ait. *Vitulus hic inſignis valde eſt, vt pote Chriſtus ipſe pinguis ad ſatietatem, delitias totius mundi ſufficiens.* Vitulus vnus erat, tamen cum in eo ſignificaretur Chriſtus, licet vnus, in eo tamen omnia cœleſtia dona, ac eorum ſuauitates,ac dulcedines continẽtur. Caro enim Chriſti eſt mel,lac,panis & aqua.Pulchre Drog.lib.de Paſſi.ait.*Quid amplius dicam? Vnus,idemque cibus, & api eſt mel,& cerno eſt fons aqua,& panis, qui cor hominis confirmet.*

170. Caiet. Drogo.

De ſuo Dilecto ait Anima ſancta.*Botrus Cypri dilectus meus mihi.* Cantic.1.num.14. Comparat ipſum vuis delatis ex Cypro inſula,quę ſunt præclariſſimæ;& cur botro ipſum comparat.Reſpondet Lucas Abbas.*Botri enim vineæ ad vtrumq; apti ſint, & cibum eſurienti, & potum tribuunt ſitienti.* Chriſtus in Euchariſtia cibus, & potus eſt ipſum ſumentibus. Radix Hebraïca habet. *Vir omnia ſatisfaciens dilectus meus mihi.* Vir omnia ſatisfaciens Chriſtus D.eſt,& ſic explicatur à quodam Rabbano apud Galatin.lib.6.de arcan.cap.3. Vir omnia ſatisfaciens, *eſt vir, in quo ſunt omnia.* Eſt Chriſtus Dominus qui eſt omnia ſumentibus,cibus ſcilicet,& potus. Pro quo multa vide in Indice verb.*Euchariſtia*.Et tom.3.*Euchariſtia diſpoſitio, vel effectus.*

171. Cant. Luc. Abb. *In Chriſto omnes ſuauitates.* Gal.

*Luc.*15.*n.*25. Erat autem filius eius ſenior in agro: & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniã, & chorum.

*Num.*26. Et vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent.

VERSIONES.

Syriacus. Ipſe autem filius eius ſenior

erat

erat in villa : quúmque veniſſet , & appropinquaſſet domui , audiuit vocem concentus multorum.

Arabicus. Erat autem filius eius maior : audiuit concentum vocum.

Caietan. Audiuit ſymphoniam,& choros.

Euthym. Et accerſito vno de ſeruis.

Syriac. Et aduocauit vnum de pueris, & ſciſcitatus eſt ab eo,quid iſtud eſſet?

Vatabl. Quid ſibi vellent illa.

EXPOSITIO IX.

172. Theoph.

ILLIVS hic ſenior agit perſonam Scribarum, ac Phariſæorum, vt notat Theophylactus, & parabola reſpicit ad id , quod initio huius cap.15. Luc. dictum,quod Phariſæi erant obmurmurantes , quia Dominus peccatores, & publicanos recipiebat ; pater excipit prodigum,& ſenior frater obmurmurat. *Erat autem filius eius ſenior.* Non dicitur filius primogenitus, vel maior,ſeu prior natu,ſed ſenior;correptus eſt enim liuore ex vitulo dato iuniori, & ſic mœſtitia tabeſcit, vt breui tempore totus canus albeſcere viſus ſit. D. Ambroſius hic : *Ideò & ſenior dicitur , eo quod citò aliquis per inuidiam conſeneſcat.* Dum autem ita, quæ de prodigo ſcripta ſunt , agerentur. Hic frater ſenior erat *in agro.* Quem ipſe agricultura colebat, & quamuis non eſſet otio deditus,ſed labori in hoc valde miſer , quòd eum lentes,ac ſpinas eradicaret ex terra,inuidiæ ſtimulos,qui in eius corde exorti ſunt,non euulſit ; terram percolebat,& ſuæ mentis culturam negligebat. D.Chryſologus ſerm.4. *Erat in agro* , ait , *terram percolens , ſe deſertans , duritiam ſoluit ceſpitis , perdurat affectum ; ſentes eradicat,& gramina, ſtimulos inuidiæ non euellit.* Maiorem curam terræ gerebat, quam ſui , à terra ſpinas eradicabat , & in ſua mente vitiorum tribulos plantauerat.

Inuidia conſcit homo. Ambr.

Miſer homo magis curat de terra, quã de ſuo corde.

Chryſol.

173. *Et cum veniret,& appropinquaret domui* ſub veſperam, *audiuit ſymphoniam*, conſonantiam nempe , ac concordem concentum multarum rerum mitificè ſonantium , *& chorum* cantantium , ac exultantium. Per hanc domum interpretantur D. Ambroſius, D.Bonauent. congregationem iuſtorum,in qua eſt ſumma vnitas ,ac concordia in voce,verbo,& opere.Ex hac dulci harmonia,non ſolùm huius ſenioris filij irritatur inuidia , ſed etiam animus exaſperatur,vt eam audire nõ poſſet;non enim erat cantus theatralis prouocatiuus luxuriæ,ſed valde dulciter,ac ſuauiter virtutis incitatiuus.D. Ambroſius : *Chorum,& ſymphoniam*, ait, *audire non poteſt. hoc eſt, non illa theatralis, incentiua laſciuiæ.ſed plebis concordia concinentis, qua de peccatore ſeruato dulcem reſultet lætitiæ ſuauitatem.* Tam deprauatus erat animo,vt omne virtutis negotium abhorreret,& ſolum vitiorum inciatiuum quæreret. Vnde cum hic canentium chorus eſſet de vitiis tollendis , maximè diſplicebat huic ſeniori fratri : mundiales enim ſolum delectantur,cum audiunt choros theatrales meretricum,quibus vitiorum fæces ebibuntur.

Ambr. Bonauent.

Animus deprauatus virtutem fugit , vitia quærit. Ambroſ.

Luc.15.n.27. Iſque dixit illi:frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum,quia ſaluum illum recepit.

Num.28. Indignatus autem nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare illum.

VERSIONES.

Syriac.n.27. Mactauit pater tuus bouem illum ſaginatum , quod ſanum eum receperit.

Vatabl.Pag. Mactauit pater tuus vitulum illum ſaginatum , quod incolumem illum receperit.

Vatabl.n.28. Iratus autem , & nolebat ingredi.

Syriac. Egreſſus autem pater eius, efflagitauit ab eo.

Arias. Aduocabat illum.

EXPOSITIO X.

174. INDIGNATVS *autem.* Cùm accepiſſet ſenior frater iunioris reditum, cauſam tantæ lætitiæ extitiſſe,ægrè tulit, & indignatus eſt, vt dicam quæſt. ſequenti. *Nolebat introire.* In agro vixerat,ac erat,& inde totus agreſtis,ac ſylueſtris factus,& ferinis moribus imbutus , omnem humanitatem reſpuens , dulcem patris beneuolentiam,ac muſicæ harmoniam,dulcéque vituli conuiuium, ac fratris conſortium oderat,& ideo nolebat introire.Et nota quod ait Theophylactus : *In agro erat,& operabatur ſuam terram,vt impleretur panibus,& ſerebat in lachrymis.* Vſque modo erat in agro laboriosè operans terram,& cum multis lachrymis inſtans agriculturæ , vt panem colligeret , modo verò epulum patris ſine vllo ſuo labore paratum deſpicit,menſam, & choros recuſat ; eligit potiùs labores agri cum odio fratris,quàm delitiis frui fraterna charitate.*Pater ergo illius egreſſus.*Poterat pater ſeruata ſuæ maieſtatis forma ſtans intus in conuiuio ſeruorum miniſterio rogare filium, tamen præ amore ipſe voluit exire ad eum, attendens potiùs filij ſaluti , quàm ſuæ celſitudinis maieſtati ; & tantum negotium ſeruis non vult committere , ſed per ſeipſum totum præſtat , ac exequitur. *Cœpit rogare eum.* D. Hieronymus : *Quam benignus, & clemens pater*, ait,*rogat filium, vt lætitia domus particeps fiat.* Non ſuffert paternus animus, quod filius à tanto gaudio , ac exultatione ſit excluſus.*Cœpit rogare eum.* Inuitat eum non ad conuiuium,ſed ad domus ingreſſum; nam cum filius tabeſceret inuidia, improportionatus erat ad conuiuium , rogat eum ad introitum domus,vt fraterna charitate, ac pœnitentia imbutus aptus fiat,vt ad menſam accedat vt alibi notaui.

Homo totus agreſtis.

Theoph. *Homo potiùs vult laborare cum mundo , quàm quieſcere cum Deo.*

Hieron. *Ad Euchariſtiam nemo impreparatus accedat.*

QVÆSTIO XXIII.

Quare filius senior tantum indignatur de aduentu iunioris, cum de eo deberet maximè exultare?

175. Bostrens. AD præpositam quæstionem respondet primò Titus Bostr. *Quid nobis*, ait, *parabola vult adumbrare? Aliud nihil, quam excellentem Dei clementiam, qua vtique erga omnes, & eos præsertim, qui peccatis dissertis ad sanam mentem redeunt, veróque pœnitudinis sensu concutiuntur, tanta est, vt iis, qui pœnitentia non indigent, inuidiam quodammodo mouere possit.* Tam larga donorum manu Deus peccatorem conuersum accumulat, vt per exaggerationem videatur, *quod inuidiam quodammodo mouere possit.* Idem docent Euth. Theophylactus, D. Chrysostomus homil. 56. in Matth. & postea subdit: *Insinuatur*, ait, *peccatores videlicet, si spem non abiiciant, sed conuertantur, magnis præmiis afficiendos esse.*

Deus multis donis extollit pœnitentem conuersum.
Euth. Theoph. Chrysost.

176. Ambr. Secundò. D. Ambrosius in Catena D. Thomæ: *Adolescentiori filio, id est populo ex gentibus, Israël tanquam maior frater, beneficium paterna benedictionis inuidit: quod faciebant Iudæi, quia Christum cum gentibus epularetur.* Frater iste senior Iudæos significabat, qui rabidissima exardescunt inuidia in Christianos, ac gentes in Dei ouile receptas, cùm videant illas diuinis donis abundare, à quibus ipsi ob sua peccata sunt excluſi. Audiunt Iudæi voces Prophetarum, & populorum consensus, & tamen inuidia correpti nolunt in domum patris sui intrare, sed foris remanere. D. Chrysologus serm. 5. *Venit Iudæus*, ait, *ad domum patris, id est ad Ecclesiam: stat foris per inuidiam. Audit Dauidicam citharam personare: audit ex consensu prophetico symphoniam: ex populorum vario concentu choros audit: & introire non vult, per inuidiam stans foris.*

Iudæus multam inuidiã habet de populo Christiano.
Chrys.

177. Chrys. Tertiò Idem D Chrysologus serm. 4. *Indignatur*, ait, *damnum, frater cedis, qui rediisse conspicit cohæredem.* Auaritia, ac ambitio omne sanguinitatis ius abrumpit, & qui debebat gaudere de reditu fratris, maximè dolet, cum cogitat paternam hæreditatem in partes diuidi, & à bonis, quæ sibi soli sperabat, timet defraudari.

Inuidia, ac ambitio abrumpit sanguinitatis ius.

178. Gen. 25. Symm. Antequam Iacob, & Esau in lucem ederentur, pugnabãt inter se in vtero matris suæ. *Collidebant in vtero parvuli*, Genes. 25 num. 25. Symmachus legit: *Colluctabant.* Infantes, fratres, ac simul existentes in vtero matris erant, & tamen inter eos erat concertatio, & lucta; sine dubio de primatu nascendi pugna erat, ob primogenituram in hæreditate paterna, lites, ac morsus de hæreditate adeunda prius in eis maturarunt, ac ipsi communi lucis, ac aëris vsu fruerentur; fratres erant, & in tenebroso vteri carcere existentes, & priusquam se mutuo viderent, & agnoscerent, quilibet tamen magno oculorum acumine primogenituram respiciebat, vt ipsam obtineret, & alterum ab ea excluderet. D. Chrysologus cit. serm. *Hæreditas mundana*, ait, *ante posteris infert pugnam, quàm sensum conferat: antequam diuidat facultates, scindit hæredes.*

Chrys.

179. Cant. 1. n. 5. Maximè conqueritur sponsa de fraterna inuidia dicens: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis.* Dicit se impugnatam à fratribus, sed vnde huiusmodi concertatio, ac morsus hominum aduersus eum sunt nati? *Posuerunt me custodem in vineis.* Non enim substituerũt fratres sororem suam tam bona fortuna frui, vt prælationis munus obtineret in domo patris sui, ac in bonis paternis, & inde ipsi maximè tristantur, ac contra eam insurgunt, cum potiùs de hoc esset gaudendum, cum tantum prælationis fastigium sorori suæ esset delatum, cuius onera ipsa perfectissimè impleuerat, vt de proprio commodo oblita vineam suam non custodiret, de quo maximè ipsa dolet, cum se videat impugnari non extraneis, sed fraterna manu. D. Bern. serm. 29. in Cantic. *Profectò*, ait, *id expressius plangit, quod & sentit differentius, & quod vigilantius nobis cauendum existimat. Quid est hoc? Malum vtique intestinum, & domesticum.*

Fratres sororis prælationem impugnant.
Bern.

Luc. 15. n. 29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer.

Num. 30. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiã suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

VERSIONES.

Syrinc. 29. Is verò dixit patri suo: Ecce, tot annis seruio tibi seruitutem; nec vnquam transgressus sum mandatum tuum, nunquam dedisti mihi hœdum, vt oblectater cum amicis meis.

Orig. Ego semper tecum fui.

Arabicus. Ecce quot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi vnum hœdum.

Syriac. 30. Huic autem filio tuo, quum profuderit possessionem tuam cum meretricibus, & venit, mactasti ei bouem illum saginatum.

Origen. Postquam hic iunior, qui lapidauit omnem substantiam suam.

Vatabl. Qui deuorauit facultates tuas cum meretricibus.

Arias. Qui deuorauit suam vitam cum meretricibus.

EXPOSITIO. XI.

180. TANTA patris benignitate inuidus filius non miteſcit, sed obstinatus in sua duritie persistit. *Ecce tot annis seruio tibi.* Syriacus habet: *Seruio tibi seruitutem.* Emphasim habet, hoc est, præsto tibi multam seruitutẽ

Syr.

in

in negotiis familiæ tuæ. More hypocritarum sua merita arroganter commemorat; *nunquam mandatum tuum præterivi.* Quid prodest ô homo seruare mandata, si inuidia corrodetis? quid prodest lucrari merito, si totum surripit inuidia? vna manu ædificatur, & altera totum destruitur. De quo cap. 30. Et cum ait: *Nunquam mandatum tuum præterivi.* Suo facto se mendacem ostendit. In hoc enim patris mandatum negligit, quod fratris inuidet saluti, qua de causa noluit domum intrare.

Chrys. Chrysologus serm. 2. expendit id, quod ait: *Nunquam mandatum tuum præterivi. Hoc tibi non tua innocentia, sed patris venia dedit, qui multa charitate delicta filij maluit tegere, quam nudare.* Id quod ait iste senior filius, quod patris mandata semper obseruauerit, non erat verum, si filij acta, & occulta pensarentur; tamen patris benignitas sic filij crimina dissimulabat, & occultabat, vt minimè apparerent, *multa charitate delicta filij maluit tegere, quàm nudare.* Tantúsque erat pater in filij criminibus tegendis, vt nullo modo viderentur. *Nunquam dedisti mihi hœdum.* Tantum abest, vt mihi vitulum saginatum concederes, quod nunquam hœdum de captis mihi dedisti

181. Hieron. *Vt cum amicis meis epularer.* Seu oblectarer, seu lætarer, vt alij legunt. D. Hieronymus epist. sæpe citata ad Damasum: *Erras Israël,* ait, *dic potius, vt tecum epularer: aut potest tibi esse aliqua iucunditas, nisi patre tecum celebrante conuiuium?* Stultus homo vult habere gaudia non cum patre, sed cum amicis, licèt omnis turba amicorum circunstet, licèt omnia bona affluant, si vnus deus abest, nullum solatium, aut leuamen esse potest. Et ait: *Epularer.* Pater dixerat in plurali: *Manducemus, & epulemur.* Cum totius domus curam haberet, in totam familiam bona sua volebat diffundere, vt ipse, & domestici eodem epulo fruerentur, at filius bona sua ad se, ac ad suos paucos sodales coarctare volebat.

Patris est dissimulare filij crimina.

Verum gaudium solum cum Deo.

Pater ad omnem familiæ vtilitas sua bona.

182. *Sed Postquam hic filius tuus.* Ita indignabundus per contemptum loquitur, hic filius tuus perditus, & amplius quam oporteat à te dilectus. *Filius tuus* Non ait frater meus, quia indignum iudicabat fratrem dicere, quem moribus perditum existimabat; vel quia inuidia præterum cupiditate nullum consanguinitatis vinculum agnoscit. *Qui deuorauit substantiam suam.* Tanquam si diceret: Ego tota mea vita seruio tibi, vt facultates tuas augeam potiùs de tuis rebus, quàm de meis solicitus. E contra verò hic filius tuus, nihil in tuis rebus est lucratus, sed potiùs substantiam, quam liberaliter ei dedidisti, totâ prodegit, ac dilapidauit; quam querelam armauit in fratrem, vt

Chrys. cum deturparet, ac accusaret. D. Chrysologus serm. 4. *Qui fratrem,* ait, *redemtum de suo decorare debuit, non debuit de perdito sic fœdare.* Expéde malignitatis ingenium; deuorauit substantiá suam: non videt fratris pœnitentiam, sed peccata præterita; non videt fratris pœnitentiam, vt ad sui emendationem ipse se disponat, sed solùm delicta alterius, vt illum valeat infamare. Syriacus legit: *Substantiam tuam.* Vatablus, *facultates tuas.* Omnia illa à patre promanauerant; deinde vt is verbis magis excitet iram patris in fratrem, cum rem ipsius patris ab eo dicit dilapidatam, vel, quia quæ prodigus prodigerat, senior frater etiam sui ac patris esse existimauerat. D. Chrysologus: *Quando,* ait, *inuidus, non auarus? Quando quicquid habet alter, se computat perdidisse.* Et addidit, *cum meretricibus.* Superiùs dictum est mode-

Seniorem videt fratris pœnitentiam, sed crimina, Syriac. Vatabl.

Chrys.

stius: viuendo luxuriosè; nunc verò vt magis infamet, exaggerat, cum meretricibus.

Frater exaggerat crimen.

QVÆSTIO XXIV.

Quare filius senior non desiderat agnum, vel vitulum, sed hœdum?

IN parabola arguit filius senior patentè, quod filio prodigo, ac substantiæ dissipatori dederit vitulum saginatum, sibi verò hœdum non dederit. In quo symbolicè denotátur Pharisæi Deum, ac Christum Dom. accusantes, quod Gentiles, & peccatores Iudæis, & Pharisæis præferat; falso tamen hanc calumniam construunt; nam Gentiles, & peccatores per fidem in Christũ, ac veram pœnitentiam facti sunt digni Euangelio, ac Christi gratia. Pharisæi verò per obstinatam infidelitatem, superbiam, & inuidiam diuinis donis se reddiderunt indignos. 183.

Gentiles Iudæis præferuntur.

Ad quæstionem propositam. Valde symbolicè Patres hanc querimoniam filij senioris explicant. Et primò D. Hieronymus epist. 146. quasi dicat filius senior nomine Israëlis: *Nunquam dedisti mihi hœdum.* Aliquam inferiorem victimam, aliquem, v. gr. prophetam, seu sacerdotem, cuius sanguis non liberaret à iugo, ac imperio Romanorum; & tamen pro filio iuniori, ac luxurioso, id pro gentibus, ac peccatoribus gloriosa victima, ac pretiosus sanguis effusus est, cuius fructu gentiles ac peccatores tanquam cœlesti pabulo frauntur, illo insigniter reficiuntur. 184. Hieron.

Secundò. D. Augustin. lib. 2. quæst. Euang. p. 33. Beda, Hugo, D. Bonauent. & alij. Ac si dicat Israël: O pater nunquam mihi dedisti in refectionem carnem filij tui, qui mihi hœdus, id est peccator, Sabbathi violator, ac legis prophanator videbatur, nunquam mihi dedisti ad epulandum, eo ipso mihi illum non concedens, quo mihi hœdus falso videbatur. Tertiò. Theophylactus, per hœdum intelligit persecutorem, ac aduersarium Israëlis, ac si dicat, ait ipse, nunquam mactasti, seu occidisti mihi hœdũ, id est humiliasti peccatoré, & inimicũ meum, vt inuenirem aliquam requiẽ. 185. Aug. Beda. Bonau. Hugo. Theoph.

Quartò. D. Pachasius lib. de Eucharist. cap. 22. *Ille senior filius,* ait, *de agro reuersus, sed malè contra dulcissimum patrem inuidia permotus, obiurgans ait; Tot annis seruio tibi, & nunquam dedisti mihi hœdum falsem. Et quam iustè, quia profectò cæcatus mente, noluit intrare intus, nec corde pœnitere. Idcirco prorsus ex omnibus bonis paternis, nec hœdum meruit acquirere, dum vitulus pœnitenti filio iuniori tenerrimus immolatur.* Iunioti filio in mensa patris datur vitulus, seniori verò nec hœdus. Nam filius iunior cum esset pœnitens, & contritus in sacra mensa Eucharistiæ amplum, & pinguem fructum tanquam ex vitulo saginato, gustanit. At verò senior filius cum esset corde impœnitente, & obstinato animo, vt nollet intrare in domum patris, nec minimum quid tanquam ex paruo hœdo percepit: iunior cum esset pœnitens diuino epulo impinguatus est, senior verò cum pœnitentiæ cilet expers, expers etiam diuini epuli factus, & totus ieiunius remansit. 186. Pasch.

Iuxta dispositionem gustatur fructus Eucharistiæ.

Quintò. D. Petrus Chrysologus serm. 4. *Fratri,* ait, *inuidus animus gratus esse non potest patri: & paterna largitatis memor non est, qui est fraterna immemor charitatis. Hœdum sibi datum negat, qui* 187. Chrys.

substantiæ partem totam tempore diuisionis accepit. Pater ambobus filiis totam diuisit substantiam, ac proinde huic seniori amplum dedit patrimonũ, quomodo ait se nec hœdum accepisse? Multa inuidia laborabat ille, inuidus autẽ semper ingratus, ac immemor beneficiorum, cum præ ambitione sua nihil se accepisse arbitretur. *Fratri inuidus animus, gratus esse non potest patri.*

Inuidus ingratus, & nil se accepisse cogitat.

188. Sextò. D. Ambrosius ad hunc locum: *Notatur, ait, hic frater vsque adeo, vt de villa venire dicatur, hoc est terrenis operibus occupatus, ignorans quæ sunt spiritus Dei, vt denique nunquam pro se vel hœdum quæratur occisum. Non enim pro inuidia, sed pro venia mundi agnus occisus est. Inuidus hœdum quærit: innocens pro se agnum desiderat immolari.* Non agnũm, non vitulum, sed valdè notanter hœdum deliderat miser homo. Totus tabescebat ille inuidia, qua de causa nolebat introire; inuidia autem ignorat agnos, ac oues, ignorat q, operta dexteræ & tota ad hœdos, ac ad sinistram fertur; vbi enim inuidia regnat, nil dextrum, ac bonum est: sed totum sinistrum, ac deprauatum, maledictionéque dignum, quo homo in præcipitium, ac interitum ruit. Vnde à sancto Doctore dicitur: *Non enim pro inuidia, sed pro venia mundi agnus occisus est.* Ita maledicta, ac sinistra est inuidia, vt à Christi meritis, ac Passione exors videatur. Et de Iudæis in hoc filio seniore adumbratis subdit sanctus Pater. Iudæus hœdum requirit, Christianus agnum, ideò illis Barrabas soluitur, nobis agnus immolatur. Vnde apud illos factor est criminum, apud nos remissi, peccatorum, dulcis in spe, suauis in fructu.

Vbi inuidia, ibi nullum bonum, sed omne malum regnat.

189. Lethale vulnus est inuidiæ, vt qui eo percussi sunt quasi deploratam habeant salutem. Dauid adulter, Magdalena peccatrix, & latro multorum criminum reus, in cruce tamen prudens, veniam promeruerunt; Cain, Esau, Saùl inuidi miserrimè damnantur. Quod notans D. Chrysostomus homil. 4. ad populum, sic ait: *Sine misereatur, sine vigiles, omnium est sceleratissimum, cum inuideas fratri, & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & breui correctus. Abeli Cain inuidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius vlceri curam afferente magis intumescebat, & fluctuabatur, & ad eadem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicina, quamcumque adhibuerimus, facilè cedit.*

Chryſ.

Inuidia reproborum vitium.

190. De iniquis ait Isaias 59. num. 4. *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.* Vbi nostra vulgata habet, *laborem.* Theodotus habet, *eadem*, quam D. Cyrillus & Procopius *inuidiam*, interpretantur. Idem est inuidia, ac mors? Maximè sanè, vbi regnat inuidia, ibi & mors suum habet principatum. D. Bernardus Epistol. 7. *An nescitis*, ait, *quia inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum? Attende itaque tibi. Si vbi inuidia ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere.* Inuidiæ sequela mors. Vbi enim inuidia ingreditur, ibi nulla vitæ spes, sed certissima mors volat. *Attende itaque tibi, si vbi inuidia ibi mors, non potes simul inuidere, & viuere.* Fuge ergo ab inuidia, vt æternam animæ mortem declines.

Isai 59. Theodor. Cyrill. Procop.

Inuidia infert mortem animæ.

Luc. 15. n. 31. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.

Num. 32. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat: & inuentus est.

VERSIONES.

Syriac. n. 31. Dixit ei pater ipsius: Fili mi, in omni tempore tu mecum es.

Arabicus. Quæ sunt mihi, sunt tibi.

Syriac. n. 32. Oblectari autem nos oportebat, & gaudere.

Theoph. Lætari autem, & gaudere oportebat.

Vatabl. Perditus erat, & inuentus est.

Arias. Periens erat.

EXPOSITIO XII.

191. AVDITA filij senioris iniusta querimonia non mouetur pater ad iram, nec etiam proposito obsequio suo erga patrem, *nunquam mandatum tuum preterini*, de superbia, falsitate, ac obmurmuratione eum pater arguit, ne ipsum exasperet, ac perturbet, vt notat D. Bon. sed piè illi blanditur, vt, inuidiam fratris deponat, & à proteruia sua desistat, vt ad domum, ac conuiuium ingrediatur. *Fili.* D. Chrys. ser. 4. *O quid facit vis amoris! quamuis malo filio non esse nescit, non esse non potest pater: videt filium degenerasse animo: videt paterna pietatis, paterni generis nihil habere, & tamen nuncupat filiũ.* Bene videbat pater filium, ob tumorem, ac inuidiam sui degenerem, tamen vi amoris filium vocat, tanquam tali nomine dignum, quia si filius ob crimina indignum se comprobauerat, pater tamen sui dilectione semper vt patrẽ se exhibebat.

Bonauent.

Chryſ.

192. *Tu semper mecum es.* Permisit pater, quæ filius dixerat, quamuis vera non essent. D. Hieronymus Epist. 146. *Non enim*, ait, *confirmauit vera esse, qua filius dixerat.* Ac si dixisset Pater: Esto vera sint, quæ dicis, nunquam *mandatum tuum preterini*, tamen in te, qui nunquam à me recessisti, non est tanta ratio gaudendi recenter, ac in isto filio meo, qui mò deseruit, & modo reuersus est. D. Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. quæst. 33. *Non autem pater*, ait, *filium quasi mentientem redarguit, sed secum perseuerantiam eius approbans, ad perfectionem potioris, atque iucundioris exultationis inuitat.* Pater filium laudat, vt quem inuidia pertutbauerat, præconium commendationis ad virtutem alliceret; laudibus extollit eius obsequia, assi duámque perseuerantiam, vt laude emolliat eũ, quem zeli liuor deiecerat de mensa. Aduertre etiam, quod hic filius senior populum Israëliticum exprimebat, vt est communis Patrum interpretatio; & tamen ait illi parens, *tu semper mecum es.* Cùm Israël sæpè à Deo per delicta sua recederet; tamen præter modò dicta accipe acumẽ Hieron. cit. Epist. *Mecum es lege, quia stringeris: mecum es, dum mihi & in captiuitatibus erudiris; mecum es, non quia præcepta mea compleueris, sed quod te longam regionem abire non passus sum.* Quando Israël recedebat à Deo, ærumnis, ac captiuitate premebatur; labores autem maximè eruditi regressum

Hier.

Sæpe laudibus adducitur homo ad virtutem.

Hier.

Labori trahunt ad Deum

regressum ad Deum, ita vt qui sub laboribus vexatus videatur in proximo, vt ad Deum reuertatur; dicitur ergo mecum es, vel legis obseruatione, vel via laboriosa, quæ ad me ducit, & trahit, *in captiuitatibus erudiris, & te longam regionem aduc non passus sum.*

193. *Epulari autem & gaudere oportebat*, te scilicet ex charitate fraterna cum tota mea familia, cum adsit iustissima causa lætandi, ac exultandi. *Quia enim*, ait Euthymius, *cum mortuum viderit reuixisse, non latetur.* Et D. Ambros. *Gaudere oportebat*, ait, *hoc est pro reconciliato offerre imperat gratissimum sacrificium, quod esset acceptum, & cœlo, & exercitibus Angelorum.* Pro recõciliatis fratribus Deo agẽdæ sunt gratiæ, ac gratificationes. *Mortuus erat, & reuixit.* iam supra est explicatum expõsitione 8. *Perierat*, ait Hugo per seipsum. Et tanti sicut ouis, quæ periit, *& inuentus est.* A me ipso, sicut ipse dixit in principio capitis: *Inueni enim, qua perierat.* Preme tamen verbum, *inuentus est*, quod bis dictum est à patre, hic & supra n. 24. Quod enim inuenitur, ab aliquo necesse est, vt inuentatur, sed quos ministros, quosve indagatores delegauit Parens, vt perditus filius reperiretur? Sine dubio ministri fuerunt calamitates egestatis, & famis, quæ filium ad genitorem reduxerunt. Chrysologus serm. 2. *Fames reuocat*, ait, *quem saturitas exularat, fames patrem illi dedit sapere, quem copia tulerat sentire genitorem.* Vnde ait D. Hieronymus in cap. 2. Ozeæ: *Prouidentia Dei sæpe nobis accidunt mala, ne habeamus ea, quæ cupimus, & variis calamitatibus, & miseriis huius sæculi ad Dei seruitutem redire cogamur.*

Pro fratribus reconciliatus Deo gratias agenda. Hugo.

Labores humani vtus ducunt ad Deũ. Chrysost. Hieron.

Qvæstio XXV.

Quare cum pater duos habeat filios, si omnia sua promittit seniori, quid alter habebit?

194. DIxit pater seniori filio: *Tu mecum es semper, & omnia mea tua sunt.* Verborum connexio maximè ponderanda. *Tu mecum es.* Deinde, *omnia mea tua sunt.* Si primum habetur, vt homo cum patre sit, ab illiúsque moribus non discedat, omnia quæ patris sunt, certò habebit. Quæstio tamen præsens est, quomodo cum pater habeat duos filios, si omnia bona sua adscribit seniori, quid reseruatur alteri filio reuiuiscenti?

Si homo est cum Deo, omnia habet.

195. *August.* Primò respondet D. Augustinus lib. 2. de quæstion. Euangelic. quæst. 13. *Quid sibi vult*, ait, *omnia mea tua sunt, quasi non sint & fratris? Sed sic à perfectis, & immortalibus filijs habentur omnia, vt sint, & omnium singula, & omnia singulorum.* Pater iste Deus est, cuius regnum non minuitur, eo quod à plúribus habeatur; sic Dei filij, ac immortales spiritus gratiæ, ac beatitudinis donis fruuntur, vt possit Deus verè dicere cuilibet: *Omnia mea tua sunt*, sic gratia, beatitudo, ac felicitas cuilibet communicatur, vt quilibet totum videatur habere; tum quia sic beati se charitate diligunt, vt cæterorum prosperitatem, quilibet suam reputet; tum quia ita quilibet suis donis est satiatus, vt videatur omnia habere, omnibusque bonis abundare. Vide supra cap. 2. num. 126. 127. & 128.

Cœlestia bona ex eorum communicatione non minuuntur.

Secundò iterum ea verba Augustini ad communionem sacræ Eucharistiæ accommoda. *Sic à perfectis, & immortalibus filijs habentur omnia, vt sint & omnium singula, & omnia singulorum.* Quomodo ait pater seniori filio: *Omnia mea tua sunt?* Cum filio iuniori datus sit ille vitulus tenerrimus, & optimus, in quo omnia bona cœlestia, ac terrestria continebantur. Vitulus ille saginatus, Christus Dominus in Eucharistia, vt superiùs ex communi Patrum sententia dixi. Sic autem ille vitulus saginatus totus dabatur filio iuniori, vt etiam totus daretur seniori, si verè ex toto corde ipse pœniteret, vt decebat, *sic totum omnibus, quod totum singulis.* Vide supra cap. 2. num. 12. 196. August. *In Eucharistia quilibet totum communicat.*

Tertiò. Gillibert. serm. 33 in Cantic. *Vide profluam Domini Iesu gratiam: cum pœnitente filio gaudere eum oportet, & epulari. Quibus propitiatur improperare nescit: dimidia vti non nouit clementia.* Ecce superabundans Christi gratia, ait, quod gaudere oportet cum pœnitente, sic cum eius conuersione lætatur, tanquam cum re valde sibi magna, grata, ac iucunda. Ad nostram quæstionem. *Dimidia vti non nouit clementia.* Senior filius hœdum tantum desiderauerat. *Nunquã dedisti mihi hœdum.* Iste pater non hœdum offert, sed vniuersa sua, *omnia mea tua sunt*; nec in hoc alterum filium defraudari patitur. Tanta est Domini superabundans gratia, quod nescit parua, ac dimidiata dona dare, sed ita cuilibet dat suum donum, vt illi omnia integra, ac plena largiatur. Vide supra cap. 3. num. 34. 35. & 36. & c. 14. n. 33. 34. & cap. 18. n. 35. 197. Gillibert. *Deus non dat dimidium.*

Quartò. D. Chrysologus serm. 4. *Omnia mea tua sunt*, ait, *hoc est dicere: Patere illum rediisse patri: permitte patri filium suscepisse: nec ille aliud, quam patrem quæsiit, qui venient non filij, sed loco mercenarij voluit collocari, sint tibi omnia, illi sufficit pater.* Duos genitos habet filios, seniori tamen ait, *omnia mea tua sunt.* Quid ergo filio redituo, ac pœnitenti reseruatur, cum ipse pœnitẽtia sua multum promereatur? Filius redituus cum esset contritione, ac charitate feruidus, reditu suo nõ bona patris, sed solum patrem requirebat, tantã que dilectione ferebatur in patrem, vt libenter omnibus cederet, dummodo patrem haberet, ipsóque solo super omnia bona contentus erat. *Sint tibi omnia, illi sufficit pater.* 198. Chrysol. *Verè diligens non dona, sed Deũ quærit.*

Suis discipulis scribit Ioan. 1. epist. cap. 2. n. 15. *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo.* Ex quo pulchrè admonet D. Augustinus ibi: *Fuge creaturam, si vis habere creatorem, omnis creatura vilescat, vt creator in corde dulcescat.* Charitas Dei diffusa in cordibus nostris, non secum patitur sæculi amorem, sed eum à se mutuo excludit, ac reiicit. 199. 1. Ioan 2. *Charitas Dei non patitur, vt alium diligatur.* August.

De suo dilecto dicebat anima sancta. Tenui eum, nec dimittam, Cantic. 3. num. 4. Aliter verò Iacob dicebat ad Deum: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Genes. 32. num. 26. Cur Iacob accepta benedictione ipsũ vult dimittere, illa verò nullum de benedictione facit verbum, nullúmque pactum interponit, sed absolutè ait, *nec dimittam?* Iacob quamuis iustus Dei benedictionem quærebat, ipsáque tantum contentus erat. At anima sancta in excellẽtiori perfectionis apice constituta, non benedictionem, sed dilectum suum quærebat, ipsúmque inuentum nullo pacto interueniente dimittere determinat. D. Bernard. serm. 29. in Cantic. *Tenui eum*, ait, *nec dimittam.* 200. Cant. 3. Genes. 32. *Verum amor non tua, sed te quærit.* Bernard.

Et sanctus Patriarcha: Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris mihi. Ita iste non vult eum dimittere, & fortè magis, quam Patriarcha, id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum; hic autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. Perpende vltima verba: *Nolo benedictionem tuam, sed te.*

CAPVT XXVIII.

Villicus iniquitatis.

Luc. 16. n. 1. Dicebat autem, & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset.

VERSIONES.

Syriac. Porrò dixit parabolam ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, & habebat præfectum domus: & delatus est apud eum, vt qui substantiam eius profuderat.

D. Hier. ep. ad Algas. q. 6. Qui habebat dispensatorem.

Euthym. Qui habebat œconomum, & hic delatus est apud illum, vt qui dissiparet bona illius.

Arabicus. Erat ei administrator, & hic diffamatus est quod dissipasset.

Caietan. Et hic denuntiatus est apud illum, velut dissipans facultates illius.

Arias. Vt dissipans substantias eius.

EXPOSITIO. I.

1. Gloss. *Connexio ad superioribus.*

VIA superbi, & auari Pharisæi, vt ait Glossa, vti pœnitentibus veniam, ita egentibus eleemosynam negabant; superiori cap. ipsos murmurantes de pœnitentium receptione tribus parabolis arguit Dominus; nunc verò in hoc cap. duabus parabolis de villico, & auaro Pharisæorum, vt ait Beda, auaritiam damnat, & eleemosynam exhibendam, ac parcimoniam tenendam docet. Et sanè recto ordine, vt ait Cardinalis Hugo. Post pœnitentiam agit Dominus de eleemosyna: quia per pœnitentiam est homo sibi propitius; per eleemosynam verò proximo. Ordo autem charitatis requirit, vt quilibet primò seipsum diligat. Deinde per pœnitentiam reconciliatur homo cum Deo, & ex inimico fit amicus, quod ante omnia procurandum est. Tandem. Per pœnitentiam culpa, per eleemosynam verò relaxatur pœna, & homo magis solicitus sit de abiicienda culpa, quàm pœna, vt multoties latè ostendi. 2.

Beda.

Hugo.

Charitas prius de se quàm de aliis agit.

Dicebat autem. Eodem scilicet tempore, *parabolam*, vt addit Syriacus: *Ad discipulos suos.* Ad auditores, ac sectatores suos, vt ait Titus, qui se eius doctrinæ, ac disciplinæ subiiciebant, licet omnia sua non reliquissent, vt fecerunt Apostoli. Syriac. Titus.

Homo quidam erat dives: ponitur in exemplum ad maiorem docendi gratiam. D. Bonauentur. Homo iste quidam singularis, & singulariter dives, rectè intelligitur Deus, iuxta illud Rom. 10. n. 12. *Idem Dominus omnium, dives in omnes, qui inuocant illum.* Ipse enim solus est dives, qui omnia habet, & omnibus abundat, vel vt ait D. Chrys. ser. 125. Quis erat homo iste, nisi Christus? Quis dives nisi ipse, qui in paupertate nostra, totas creaturę diuitias possidebat? *Quis habeat homo dives.* Bonauent. Rom 10. Chrys.

Qui habebat villicum: seu vt alij legunt, œconomum, præfectum, ac dispensatorem domus. Hic villicus non erat villæ colonus, seu agricola, sed totius substantiæ domus Domini sui, ac proinde villæ, seu villarum eius administrator. Per hunc villicum D. Gaudentius lib. ad Germinum, Diabolum interpretatur; quæ intelligentia non est multum consona ad parabolam, nisi dicatur, quod per Diabolum intelligit hominem iniquum, vt Diaboli membrum. Secundò. Tertullianus lib. de fuga in persecutione. Villicum populum Iudaicum, debitores Gentiles esse autumat. Theophylus Antiochenus lib. 3. Allegoriarum, D. Bonauentura, Hugo & alij, per villicum intelligunt Episcopos, ac Prælatos, qui domus Dei curam, ac dispensationem habent, Ecclesiæque sunt administratores. Quartò. D. Ambrosius in comment. D. Chrysostomus in Catena D. Thomæ, D. Augustinus lib. 2. quæst. Euangel. quæst. 34. Beda, Euthymius, Theophylactus, & alij, qui dicunt denotari in villico homines diuites, quibus Deus diuitias in pauperum vsus dispensandas tradidit. Quintò plenissimè Diuus Antonius Olyssiponensis sermon. 9. post Trinitatem, Carthusianus, sub villico quemlibet Christianum intelligunt, cui deus tradidit multa bona naturæ, & gratiæ, v. g. naturæ corpus, & animam; gratiæ verò fidem, spem, ac charitatem, & alia dona superinfusa, de quorum vsu, administratione, ac dispensatione exactam in iudicio, ac morte rationem exigat. *Et hic diffamatus est apud illum.* Alij legunt, delatus, seu denuntiatus est, latere crimina diu nequeunt, & licèt occultè fiant, in publicam lucem tamen prodeunt. *Quasi dissipasset.* Quod dissipasset, seu profunderet *bona ipsius.* Bona nempe Domini sui ei tradita, epulando, bibendo, ludendo, vel etiam donando. 3. *Quis sit villicus.* Gaudent. Tertullian. Theoph. Bonau. Hugo. Ambr. Chrysost. Aug. Beda. Euth. Theoph. Anton. Carth.

QVÆSTIO I.

Quare villicus audet dissipare bona domini sui.

ILLICVS erat prudenti, ac sagaci ingenio præditus. *Laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Ac proinde manifestè erat ei notum, quod de bonis sibi traditis esset rationem redditurus, quomodo ergo illa audet dissipare? 4. *Difficultas quæstionis.*

Respon

5. Cassian' Respondet primò. Simon Cassian. lib.6.c.13. *Diuitiæ non sólum*, ait, *possidenti, sed etiam dispensatori factæ sunt causa peccati, vt raro, & difficulter sit possidere diuitias, quin inducant in animarum pericula contrectatores.* Valdè annexum est diuitiis, vt ipsæ animabus damna inferant, itavt non solũ earum Dominus periclitetur, sed etiam seruus earum administrator, eas manibus contrectans in damnationem veniat. *Diuitiæ si effluant, nolite cor apponere* Psalm.61.num.11. Seu vt legit D. Hieron. *Si fluxerint.* Siue possidendo, siue administrãdo, ne apponatis cor, animum, seu iudicium, vt multi explicant, cauendus est enim interitus ab eis, quod cum admiratione admoner D. Basil. ex ipsa voce, qua vtitur Psalmista. *Affluant.* quia ipsæ diuitiæ, tanquam torrens prætapidus, suos possessores præoccupant, & in abyssum, ac interitum pertrahunt.

Ex diuitiis pereúntes, & ruina.

Psal.61. Hieron.

Basil.

6. Secundò. Villicus cum habuisset bona Domini sui sub sua potestate, statim in mollem luxum, delitias, ac voluptates se tradidit, ad has enim diuitiæ animos hominum ducunt, & impellunt. Ait Ecclesiast.2. num.8. *Coacernaui mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum.* Cùm impletus fuerit auro, & argento, quid inde secutum est? *feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum.* D. Gregor. Nyssen. ibi ait. *Auri, & argenti copia addit turpitudinem, qua mortuum, qui prius inuaserat, solet deinde consequi. Feci, inquit cantores, & cantatrices, quæ conuiuorum sunt delicia. Sufficit mentio nominum ad describendum vitium, ad quod etiam munit morbus qui oritur ex copia pecuniæ. O improbum, & importunum artificium, quàm densum accruatim immittit voluptatum fluentum?* Expende Verbum, *ex copia auri, & argenti*, morbus turpitudinis *solet inde consequi.* Consequentia diuitiarum, est mortuum turpitudo.

Eccl.2.

Diuitiæ in luxũ ac delicias deducũt.

Nyssen.

Nemo suis opibus contentus.

7. Tertiò. Villicus suo stipendio assignato à Domino non erat contentus, sed multa maiora ambiens magnam depopulationem, ac deuastitatem in villis, prædiis, ac bonis Domini sui intulit. Hæc est misera conditio humana, vt nemo sua sorte contentus viuat. Valdè expressè terræ promissionis præscribit Dominus terminos, ac situs à solis ortu ad occasum vsque, & ab Austro ad Aquilonem. Num.34.num.3.& 12. Subditur. *Hanc habebitis terram, per fines suos in circuitu.* Cur tam accuratè illius terræ termini constituuntur? Cùm homo sit valdè rerum auidus, & sitim suis rebus non explet, sed eas, quas oculus videt, animus concupiscit, ne gens Hebræa in alienos fines manus porrigeret, prouinciæ occupandæ terminos præfixit deus. Abulens. quæst. 12. ad 2. Reg. cap.8. Posuit fines, ait, *vt Israëlitæ essent contenti illa possessione, & non contenderent illi terram alienam.*

Num.34.

Abul.

8. Quartò. Dissipabat villicus bona sui heri. Quomodo non timet, quod Dominus suus hoc cognoscet, & ob bona perdita pœnam illi infliget, & cuncta præsoluere faciat? Tanto appetitu ferebatur homo ab bona comparanda, quod pro illis acquirendis omne damnum, parum, aut nihil reputabat.

Ob lucrũ omne damnum contemnitur.

9. Per decem vices viderunt Ægyptij Dei potentiam se ipsos affligentem, vt filios Israël dimitterent; tandem tantis signis compulsi eos abire permittunt. Cúmque virga Moysis mirabili Dei potentia mare esset diuisum, per medium siccimaris ingressi sunt filij Israël. *Persequentésque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis.* Exod 14.num.23. Quomodo audent Ægyptij per medium maris diuisi incedere? nonne larga experientia instructi erant, quod ligna, & prodigia, quæ fiebant, in gratiam, & fauorem Israëlis cederent, itavt ab eis Israël nullam acciperet vexationem, sed totum damnum, ac nocumentum vertebatur in Ægyptios? Peste, pluuia, ac grandine opprimuntur Ægyptij. *Tantum in terra Gessen, vbi erant filij Israël, grando non cecidit.* Exod.9.num.26. Tenebræ horribiles occupant Ægyptios, ita vt nemo videret fratrem suum. *Vbicúmque autem habitant filij Israël, lux erat.* Exod.10. num.23. Et sic in aliis. Quomodo autem tanta experientia edocti Ægyptij non intelligunt, quod mare Israëlitis diuiditur vt transeant, ipsis autem aperitur, vt diuersi pereant in profundo? Filij Israël in Ægypto faciebant lateres ad construendas ciuitates, & domos. *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithon, & Ramasses.* Exod.1.num.11. Cùm enim Ægyptij spectarent suum lucrum ex Israëlitis, vt conderent domos suas, non cogitant damnum, ac nocumentum obiectum, sed illud paruipendunt, non recusantes se omni discrimini dare, ne minimum, vilissimumve lucrum abiciant è manibus. Et inde patui faciebant monita Moysis de exitu populi. D. Chrys. homil.76. in Matth. Ægyptij, *Moysi facienti signa, vt lutum solummodo, & lateres haberent, non auscultantur.*

Exod.9.

Exod.10.

Exod.1. *Ob lucrũ omne discrimen contemnitur.*

Chrysost.

10. Cùm D. Paulus esset Philippis illustri Macedoniæ ciuitate. *Factum est autem eunibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando,* Actor.16.num.16. *Habentem spiritum Pythonem.* Legit Syriacus. *Spiritum diuinationis.* Idest Dæmonem familiarem, vt explicant Caietan. Hugo. Lyran. & alij, vt iam alibi notaui. Paulus commotus miseratione super mulierẽ, spiritum dæmoniacum ab ea eiecit. Videntes domini eius *apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad principes*, ibid. num.19. & magnam querimoniam contra Apostolicos viros perrendunt, in multisque eos accusant. Cur ob magnum beneficium puellæ à dæmone liberatæ exardescunt in Apostolos? Textus assignat rationem. *Videntes autem Domini eius*, scilicet puellæ, *quia exiuit spes quæstus eorum*, ibidem. Nam puella cum dæmone. *Quæstum magnum præstabat Dominis suis diuinando.* Cùm autem eiecto dæmone lucrum ex diuinatione cessasset, exinde magna ira contra Apostolum commouentur, potius enim volebant cum pecunia dæmonem in domo sua habitare, quàm absque lucro sine dæmone degere, ac viuere. Vnde exclamat D. Chrysostom. *O Paganorum inhumanitatem, vt angeant pecuniam, puellam à Dæmone vexari volunt.*

Actor.16. Syr. Caiet. Lyran.

Lucrum stili cum dæmone homines non recusant.

Chrys.

QVÆSTIO II.

Quare non dicitur absolutè, quod villicus dissipauerit, sed tantum quod quasi dissipauerit?

11. DIFFAMATVS est villicus quasi dissipasset bona domini sui, *quasi dissipasset*, idest

Syr. arabic. Caet. Arias.

quod dissipasset, vt dixi in expositione; Syriacus; legit, *vt qui profunderet.* Arabicus. *Quod dissipasset.* Caietan. *Velut dissipans.* Eodem modo fere Arias. Tamen verba nostræ vulgatæ expendenda sunt. Non enim absolute astruitur quòd villicus iste dissipasset, sed tantum diffamatus proponitur, quasi dissipasset.

12. Respondeo, quod non solùm internæ iustitiæ habenda sit ratio, sed etiam procurandum est, ne externa fama aliquod damnum patiatur. Vir probus non solùm debet fugere malum, sed etiam omne illud, quod aliquam similitudinem, suspicionem, ac vmbram mali valeat exhibere, non tantum declinet prauitatem, seu illius speciem, ob quam ab aliis possit sugillari, & notari. Vnde monet D. Athanas. exhortat. ad Monach. *Non quod mihi*, ait, *fas sit de iis, qui verè semel deuota Deo pectora dicarunt, secus æstimare aliquid; sed vt ex abundanti sic omne, quod fingi potest, tanquam posse credi caueamus, ne in nullo fama nostra vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Non tamen nobis fides falli, sed possibilitas etiam releganda mendacij.* Sic virtutis studiosi omne malum, ac illius suspicionem fugiunt, vt bono nomini suæ famæ consulant, vt non solùm iniquitatis factum, sed etiam alicuius mendacij possibilitatem tollant, & amputent. *Sed possibilitas etiam releganda mendacij.*

Pro conseruanda fama suspicio mali fugienda.

Athan.

Possibilitas mendacij excludenda.

13. Monebat Paulus suos discipulos. 1. Thessal. cap. 5. n. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Seu vt alij legunt ex Græco: *ab omni specie mali.* Vir bonus non solùm caueat, ne malum faciat, sed etiam maximè debet curare, ne aliquam leuem suspicionem mali à se perpetrati exhibeat. Vnde sic fatur D. Bernard. lib. 3. de Considerat. ad Eugenium Pontificem Max. *Sane interest tua perfectissimis & malas res, & malas pariter species deuitare. In altero conscientia, in altero fama consulis.* Cùm male non agitur, conscientiæ attenditur; cum species, seu suspicio mali amputatur; bonæ famæ consulitur. D. Thomas ad citatum locum Pauli ait: *Dicit Apostolus speciem, quia etiam ea, qua habent similitudinem malitiæ vitare debemus, qua scilicet non possumus seruare coram hominibus absque scandalo eorum.*

1 Thessal. Græc.

Non solùm malum, sed & species mali deuitandus.

Bern. D. Thom.

14. Iniquitatis arguit Eliphaz Iob, & quod ob sui peccata flagelletur à Deo, cum ab ipso nemo sine culpa punitur. Sic ait. *Recordare obsecro, quis vnquam innocens periit; Aut quando recti deleti sunt?* Iob. 4. num. 7. quod per largos, ac spacioſos discursus multis rationibus adhibitis ipse pergit ad comprobandum. Quibus auditis Iob grauiter conqueritur de suis amicis, & rigide in eos insurgens ait. *Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum à vobis nullus sit, qui possit arguere me?* Iob. 6. num. 26 *Detraxistis sermonibus veritatis.* Idest verba mendacia, ac falsa profertis. Vbi est Iob patientia tua? Nonne æquo animo sustinuisti amissionem omnium bonorum filiorum, ac etiam tuæ propriæ salutis? Cur modo verba correctionis ab amico tolerare non potes? Et si Eliphaz te tanquam hominem iniquum, ac ob peccata tua flagellatum à Deo arguit, cur probitate, ac sinceritate tuæ conscientiæ non conquiescis? Iob vtpote vir magnus patienter sustinuit amissionem suarum facultatum, filiorum, ac propriæ valetudinis; at verò quod criminis labes suæ famæ imponeretur, minimè dissimulare valet: Non solùm sua probitate contentus est, sed etiam de sui nominis honore solicitus, nec enim suffert, vt aliquid siniſtrum suæ famæ contrarium ei impingatur, ex quo eius opinio, ac auctoritas denigrata maneat. D. Chrysost. Catena in Iob. *Maxime lacerabat eum*, ait, *non vis sane malorum, sed quia tanquam in hominem impium, & exlegem, tanquam Dei hostem, & qui virtutem antea esset mentitus illa incidisse videretur, nec ita corporis lue, vt is, de nominis æstimatione laborabat, non ambitione quidem vlla, seu quoad vulgi opinionem instituerat, sed ea re potissimum, quia suis illis ærumnis plerosque offendi animaduertebat.*

Iob. 4.

Filius deleti ita fama, quæ omnium aliorum rerum.

Chryſ.

Iacebat corpus Christi in sepulchro. *Et cum transisset Sabbatum Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Marc. 16. n. 1. Amor valde festinus, & moratum impatiens est, cur sanctæ fœminæ expectant transiturum Sabbatum, vt obsequium aromatum amantissimo Iesu persoluant? Non timent forocem militem sepulchri vigilem, non Iudæorum rabiem, non tenebrarum obscuritatem, nec superpositi vastam lapidis molem, sed tantum Sabbatum cunctationem interponit. Et si dies festus erat, in quo iuxta Iudæorum ritum operari non licebat, tale obsequium præstitum Auctori Sabbati, Sabbatum non soluebat; præcipuè cum omnia legalia per Iesu mortem essent sublata. Ita tamen erant sublata, vt aliquandiu essent permissa, vt antiqua synagoga cum honore sepeliretur. Quoniam ergo Hebræi cum conspexissent illam operationem, aliàs sanctissimam, scandalum aduersus mulieres tanquam irreligiosas essent passuri: Ideo piæ fœminæ pro religioso officio moras interponunt, Sabbatum abire si nunt, ne quid male de illis suspicetur; neve opus valde religiosum, & sanctum sub specie mali à nefario populo reputetur: differunt ergo pia vota, ne ipsæ, & earum opus iacturam famæ patiatur. D. Laurent. Iustin. de Triumphali Christi agone. cap. 14. *Amoris etiam*, ait, *tanta impellebantur vehementia, vt vallatum custodibus exanime corpus quærerent in spelunca; quatenus quem diligebant, inuenirent, vngerent, ac tenerent: Proinde quandiu illis licuit operari aromata parauerunt: percurrente verò secundam legē Sabbato siluerunt: mox autem, vt requietionis præteriit dies, valde manè, in ipso diei crepusculo sumptis secum aromatibus gradu concito, corde ignito, atque desiderio ministrandi ad locum, vbi illum reconditum nouerant, ardentissimè perrexerunt.* Expende: *percurrente secundum legem Sabbato siluerunt.*

Luc. 23.

Pro conseruanda honore scandalū vitetur, etiam cum opus sanctum est.

Laur Iust.

QVÆSTIO III.

A quibus villicus diffametur?

16. MVLTIPLICITER respondet Dionysius Carthusianus. Primò ait: Ista diffamatio, seu accusatio apud Deum, seu Christum fit per ipsam infallibilem, & omnia intuentem sapientiam Dei; vnde ipse Dominus ait de se: *Ego sum Iudex, & testis.* Ierem. 29. n. 23 & Iob. ait. *Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis.* cap. 16. num. 20. nihil enim potest latere scientiæ, ac cognitioni eius. Secundo: fit huiusmodi diffamario per Angelos malos, vt patet Zach. 3. num. 1. Vbi dicitur, quod Satan Iesu sacerdoti filio Iosedech aduersabatur per accusationem procacem, vt explicant ibi D. Cyrillus, D Hieron. Theodoret. Lyran. Hugo, & alij.

Carth.

Ierem. 29. Iob. 16.

Zach 3.

Cyrill. Hier. Theod. Hugo.

17. Tertiò. Diffamatur, ac accusatur peccator per propriæ

propriæ conscientiæ remorsum. Persuadet, Rebecca filium suum Iacob, vt benedictionem, quã Pater Isaac disponebat dare filio suo Esau, sibi præripiat. Cui respondet Iacob. *Si attrectaueris me Pater meus, timeo putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.* Genes. 27. num. 12. Cur non ait, inducet Pater meus maledictionem super me, sed ait. Inducam ego? Optimè sanè loquitur, etsi Pater dissimulet, & non inducat maledictionem: mea tamen conscientia me arguit, & accusat, quod benedictione præcepta, ego mihimet ipsi infligam maledictionem, ac execrationem. Procopius ibi: sic commentatur. *Pulchrè*, inquit, *super me inducam, nam etsi Pater re cognita sequutus paternam charitatem, me non obiurgabit, tamen conscientia redarguet me, quod maledictione digna commiserim.*

Gen. 27. — Conscientia accusat, etiã omnibus excusantibus. — Procop.

18. Chrys. Quartò. D. Petrus Chrysologus sermon. 125. Quærens cur modo diffamatus est villicus, sic ait. *Clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Cùm peccatum contra omnium bonorum Auctorem committitur, statim cœlum, terra, & omnes mundi creaturæ clamantes accusant miserum delinquentem. Postquam Adamus peccauit, ait ei Deus, quod *terra spinas, & tribulos germinabit tibi.* Genes. 3. num. 18. Satis videbatur pro pœna peccati, quod terra infœcunda remaneret, nullúmque fructum parturiret. Ad quid ergo mandatur, vt det spinas, & tribulos? Non absolutè hoc mandatur, sed dicitur: *germinabit tibi*, scilicèt peccatori, & cum eo omnibus peccatoribus loquitur, quod quando terra pro voto non respondet, sed profert spinas, & tribulos; ipsæ spinæ sunt tanquam voces terræ clamantes, ac testificantes hominis peccatum, vt resipiscat, ac emendetur. Rabbanus. *Quapropter*, ait, *spina, & tribuli monent hominem, vt auertatur a peccatis.*

Gen. 3. — Insensibilia clamant, & accusant peccatorem.

19. Ambr. Quintò. Suum crimen, ac delictum accusabat ac diffamabat villicum. Vnde rectè dixit D. Ambr. Psalm. 50. *Habet*, ait, *culpa caracteres suos, & apices, quibus proditur, vae mihi, quod latere non possum; quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero indicia delictorum.* Perpende verba, *habet culpa caracteres suos, & apices.*

Peccatum se ipsum manifestat.

20. Gen. 39. Impudica Ægyptia importune ad nefarium opus solicitat castum Ioseph. Cui ille respondebat. *Quomodo possum hoc malum facere?* Genes. 39. n. 9. Cur timet Ioseph sceleri præbere consensum? Nam cum ipse in domo sit omnium Dominus, ad libitum opportunum tempus potest eligere, vt crimen ita occultè, & abscondite fiat, vt omnibus sit ignotum, nullúsque valeat illud Domino nuntiare. Prudentissimè tamen respõdet Ioseph, quomodo possum hoc malũ facere? Quia & si nullus eum delicti arguat, nullúsque eum adulterij conuincere valeat, ipsamet conscientia, demissis oculis, pallido ore tremula voce, propriũ scelus licèt opertum aperiet, & declarabit. Philo Alexandri. lib. de Ioseph. *Qua fronte*, ait, *potero post adulterium commissum illum aspicere? Conscientia carnifex intestina non sinet me oculos in illum erigere, etiamsi nemo alius prodat flagitium, quamquam qui prodant, præsto sunt enim latentes exploratores plurimi, quibus silere non licet, taceo quod factum licèt nemo enuntiet, vel sentiat, ipse meus ero proditor colore, aspectu, voce detegens conscientiam.*

Culpa sui manifestatrix est. — Philo Alex.

21. Transacto diluuio. Tunc homines *cum proficiscerentur ab oriente, inuenerunt campum in terra Sennar.* Genes. 11. num. 2. In quo turrim ædificare cœperunt, cuius culmen perrngeret cœlum, valdè notandum est, quod campus ille, in quo tantũ scelus perpetratur, dicitur *Sennar*, id est interprete Ruperto: *fœtor eorum*, cur locus ille non aliud vendicat nomen, nisi fœtorem? Quia etsi omnia silerent, illud tamen iniquum factum ex se emittebat malum odorem, qui totum orbem adimpleret, & ad nares Dei accederet, vt instam pœnam in illos miseros homines solicitaret. Rupert. lib. 2. in Genes. cap. 41. *Sennar*, ait, *rectè dicitur fœtor eorum, quia fœtorem superbia eorum tali ausu vsque ad nares Dei emiserunt, cui sicut humilitas sacrificium suauitatis est in odorem, sic superbia contra fœtor horribilis est.*

Gen. 11. — Peccatã ex se emittit fœtorem. Rup.

Luc. 16. *n.* 2. Et vocauit illum, & ait illi: quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

Syriacus. Et vocauit eum Dominus eius, & dixit: quid istud est, quod audio de te? Redde mihi rationem dispensationis tuæ: non enim poteris amplius mihi esse præfectus domus.

Arabicus. Redde mihi rationem administrationis tuæ: iam vlterius tu non eris mihi administrator.

Vatablus. Non enim poteris posthac fungi dispensatione.

EXPOSITIO II.

22. Syr. Gloss. Hugo. *Et vocauit illum.* Dominus eius, vt exprimit Syriacus. Dominus, inquiunt Glossa, Hugo, & alij, timorem æternæ damnationis incutiendo: vel flagellis atterendo: vel beneficiis attrahendo, aut per prædicatores monendo. *Quid hoc audio de te?* Hæc dixit Dominus non publicè, sed secretè. Quod scilicet mea bona tuæ dispensationi commissa dissipes, & destruas. In quo magna Prælatis omnibus dantur quatuor documenta, vt notat Carthusianus. Primum vt suorum peccata non dissimulent. Secundum vt veritatem famæ inquirant. Tertium ne accusatores prælati prodeant. Non enim ait: hic, vel hoc mihi dixit, sed absolutè pronuntiat. *Quid audio.* Tandem vt articulũ, in quo quis accusatur, aut infamatur, specificent, & declarent; ait *quid audio.* Scilicet mea bona dissipata. Melius enim potest se homo corripere, cum ei exprimitur, in quo deliquit, aut excusare se, si innocens sit. *Redde rationem villicationis tuæ, seu tuæ dispensationis.* Ac si Christus vnicuique dicat, præparate, vt in hora mortis reddas rationem tuæ villicationis, id est tuæ vitæ, tui status, officij tibi commissi, tui temporis, tui ingenij, &c. *tuæ*, inquam, & non alienæ, vnusquisque pro se referet rationem. Ex quo monet D. Bonauent. quod hæc vox. *Redde rationem villicationis tuæ*, in aure cuiuslibet debet resonare, quia absque dubio diuina æquitas rationem

Carth. — Accusatores nõ declarãdi. — Culpa declarãda. — Bonau.

nem exigeret de bonis commissis ad dispensandum. *Iam enim non poterus villicare.* Seu vt exprimit Syriacus. *Iam amplius*, seu Arabicus. *Iam vlterius*, non eris mihi administrator; mea enim bona dissipasti. Et hæc dicit Dominus, *non poteris iam villicare:* Ex quod docemur, quod post huius vitæ exactionem, non restabit possibilitas ad merendum, quia vt dicitur Eccles. 9. num. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio erunt apud inferos, quo tu properas.*

Syriac. Ara.

Eccles. 9.

QVÆSTIO IV.

Quare audita fama dissipationis bonorum Dominus vocat villicum?

23. VDIVIT Dominus famam, quod villicus illius bona dilapidauerit, tamen ex hac audita fama non vult eum condemnare, sed eum vocat ad reddendam rationem bonorum, quæ illi tradita fuerunt, non enim cuilibet famæ, aut quibuscumque vocibus delatis acquiescendum, vt ad damnandum, ac ad sententiam proferendam procedatur, sed altius res est examinanda.

24. Exod. 23. Sept. Philo. Dans Deus Moysi multa præcepta iudicialia, ait. *Non suscipies vocem mendacij.* Exod. 23. n. 1. Septuaginta legunt. *Non suscipies auditionem vanam.* Quænam est auditio vana, quæ à iudice nó est admittenda? Illa sane, quæ non euidenti ratione firmatur, nec plus habet entitatis, quam quod aliorum ore, ac vocibus circunferatur, in his sæpè falsitas, ac mendacium inest. Philo lib. de Iudice. *Hoc*, ait, *legis caput mihi videtur quidem è Græcis Legislatoribus desumpsisse, è sacratissimis Moysis tabulis, & interdixisse, ne auditu feratur testimonium, quod qua quis vidit, certa iudicanda sunt, qua vero audiuit non proinde firma.* Quæ audiuntur, non statim habenda sunt vt solida, ac firma, sed dubia, & incerta; caueant ergo prælati, ac Rectores ciuitatis, vt ex his, quæ ante percipiunt, statim moueantur in varias partes, ne in multa præcipitia cadant, & ruant.

Prælatus nõ credat statim rebus auditis.

25. *Nemo inauditus damnandus.* Ioann. 7. Altius res est examinanda, ac discutienda, vt etiam criminum fiat reo copia, nullus enim inauditus condemnandus est; Hinc Dominus vocat villicum, proponitque ei auditam bonorum dissipationem, rationémque rerum expostulat, vt tãdem ipse conuictus damnetur. Vt dicitur Ioan. 7. num. 51. *Nunquid lex nostra iudicet hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?*

26. Ion 1. Cùm Ionas fugeret in Tarsum exurgunt venti, sæuit mare, vehemẽnsque tempestas exoritur, qua nautæ oppressi tanti discriminis reus iactis sortibus indagatur: deprehẽsus Propheta sóno sepultus, in omniúmque aspectu constituitur, à quibus interrogatur. *Indica nobis, cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? Qua terra tua, & quo vadis? vel ex quo populo es tu?* Ioan 1. n. 8. Quid agitis nautæ? Crudelis tempestas vrget, nauicula vndis concutitur, ac pene submergitur; cur moram trahitis, & longam exquisitionem totius vitæ Ionæ indagatis? Nonne sæuiente tempestate quælibet mora valde nociua? Cur ergo miserum hominem non præcipitatis in mare? Agebant boni nautæ in causa Ionæ vices iudicum, & potius voluerunt in manifesto periculo vitæ versari, quam inexaminatum hominem damnare; sæuiebat mare, nauis vndis operiebatur, tamen adducitur in omnium conspectu Propheta, & processus, ac series rerum exquiritur, ac exauditur ab eo, & postea in mare demergitur. D. Chrysostom. homil. de Iona Propheta tom. 1. *Propheta proditur sorte*, ait, *& nauta non illico eum præcipitare festinant. Sed adhibita communione colloquij seruantes velut iudicij disciplinam, cum omni diligentia maturas interrogationes proferebant, & responsa poscebant. Audi iudiciariam inquisitionem, vnde tibi profectio? Quo & festinas? De qua gente? Accusant maria fluctibus inquieta, sortis attestatur incertum, reus omnibus declaratur: & tamen illi cognitorum ordinem imitantes, qui non ante sententiam proferunt, nisi testium verba ipsius rei fuerint confessione firmata.*

Quãdo clamata accusent, rem inauditum non damnandum.

Chrys.

Cùm Iacob recederet à domo Laban, à quo in monte Galaad comprehensus est, scrutánsq; omnem illius substãtiam (suspicatus enim erat Deos suos ab illo furto fuisse ablatos) cumque nihil inuenisset, ait illi Iacob. *Quid inuenisti de cuncta substantia domus tua? Pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te.* Gen. 31. n. 37 Nonne sufficiebat dicere crimen, de quo me arguis, constitue coram fratribus meis, & tuis? Ad quid insuper addidit illam particulam (*hic*) id est me præsente, dum ego hic adsum? Licèt enim iudicium esset exercendum per fratres, & cognatos, nullo tamen modo illud admittebat, nisi fieret, dum ipse esset præsens, vt pro se audiretur, obiectisque responderet, ac contra illa defensionem præponeret. Origenes ad illa verba Rom. 2. num. 15. Inter se inuicem cogitantibus, defendentibus, aut accusantibus: sic ait. *Rectum iudicium Dei quis dubitet esse, vbi accusatores adhibentur, & defensores, & testes? Et quidem de hoc iusto Dei iudicio nos homines exemplum capiamus, ne putemus vnquam sine accusante, & defendente, & testibus iustum haberi posse iudicium.* Expende verba, *sine defendente.* Nullum datur rectum iudicium nisi reus audiatur pro se defensionem producens.

27. Gen. 31. *Nullus iudex sine reo damnandus.* Orig.

QVÆSTIO V.

Quare cùm Dominus optimè sciret dissipationem bonorum factam à villico, non statim illum vocat, nisi postquam res famâ delata est ad eum?

28. DEvs sub nomine huius diuitis communiter intelligitur; quid est, quod dicitur villicum vocasse, postquam villicus diffamatus, seu fama accusatus est apud illum? Nunquid fama, seu famæ clamoribus Deus indiget? Antequam fama cœpisset, ac diuulgaretur, iam ipse optimè serui delicta videbat, cur ergo non antea, sed modò post huiusmodi rumorem vocat?

Difficultas quæstionis.

29. Chrys. Eleganter respondet ad quæstionem D. Chrysolog. serm. 125. *Hic diffamatus est ante illum. Ergo Deus famæ credidit? Fama nuntiante cognouit? Absit: sed quia illa, quæ cognouerat, qua pietate velauerat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra: vox sanguinis fratris tui clamat de terra, clamabat terra, clamabat cælum, docebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Quæ verba, vt

multo

multo acuminc plena profunde ſunt examinãda.

50. Primò. *Qua pietate velauerat, quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.* Bene ſciebat Dominus ſubſtantiam ſuam à villico diſſipatã, tamen pietate celauerat, ac diſſimulauerat, *& quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.* Et communis vox, & fama proclamabat, ac veluti diuinam iuſtitiã ad vindictam compellebat, ſicut Deus dixit ad Cain. *Quid feciſti? Vox fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Geneſ.4.n.10. Perſpicuè Deus crimina Cain agnoſcebat, tamen tunc ad iuſtitiam, ad ſupplicium inferendum proceſſit, quando terra clamans fratricidam prodetat, & diuinam iram prouocauerat. *Quærere tunc cœpit quando accuſabat terra: vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Pro quo facit illud, quod Deus dixit ad Noë *Finis vniuerſæ carnis venit coràm me*, Geneſ.6. num.13. Non ait: ego impono finem vniuerſæ carni, ſed ipſe finis venit, & mihi minimè quærenti, ac volenti ſe ſe obiicit, & offert, vt de peccatoribus debitas pœnas Sumam. Honcala ibi. *Ipſe finis*, ait, *vniuerſa carnis venit coram me, ſcilicet oblatus, non à me quæſitus. qui nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat, iam apertæ ſunt hominum flagella, vt ipſaſe meis oculis paſſim ingerant, & offerant.*

Deus ex noſtris criminibus prouocatur ad ſupplicium, & pœnam. Geneſ.4.

Geneſ.6.

Honcala.

51. Secundò. *Quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.* Optimè agnouerat Dominus occulta furta, ac crimina villici, tamen poſt diffamationem, & non antea, ipſum vocat, villicationiſque rationem exigit, & ſi antea ſciret, ſua tamen priuata ſcientia vti noluit, ſed tunc vocat, quando fama dat occaſionem inquirendi, teſtes aderant, & aperta criminis argumenta, ac indicia profe rebantur; diſcant & Prælati à ſupremo Domino, non priuata ſcientia, ſed communi teſtium depoſitione vti, vt iudicent, non proui ipſi volunt, ſed prout communes leges, ac iura decernunt. D. Ambroſius ſerm.20.in Pſalm.118. *Diſcite*, ait, *iudices ſæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam ſobrietatem, quam ſinceritatem, Dominus omnium dicit: non poſſum ego à me facere quidquam, ſed ſicut audio, iudico.* Ioan.5. num.30. Expende quod ait, *ſicut audio.* Non verò ſicut imaginor, vel fingo, ſed ſicut audio, ac intelligo à Patre meo; de quo latius dixi tom.3. cap.2.q.9. num.70. & 74.75.

Prælatus non vtatur priuata ſcientia.

Ambroſ.

Ioan.5.

52. Tertiò. *Quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra. Clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota ſæculi fama loquebatur.* Antequam fama inchoaſſet apertè videbat Dominus crimina à villico perpetrata, at quandiu erant occulta, & in tenebris latebant, ſic ſe gerebat Dominus, ac delicta diſſimulabat, ac ſi non extitiſſent, ac oculis eius non eſſent aperta; at vt publicari cœperunt, & per omniũ ora volitare, ſtatim ad ſupplicium proceſſit, & pœnam per intimationem infligit. *Iam non poteris villicare.* Delictum enim quandiu occultum diſſimulat; at verò fama iam euulgatum, ad iram, & vindictam expoſcit.

Peccata occulta diſſimulanda, publica punienda.

53. Ait Oſeas cap.7. num.1. *Renelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris.* Magnum malum opprimit totum Iſraëlem, fur ingrediens, & latrunculus foris, Nam vt ait ibi D Hieronymus: *Furet inſidiantur, & occulta fraude decipiunt. Latrones audaciter aliena diripiũt.* Magna calamitas opprimit modo totam Samariam, cum ipſa multo tempore antea eſſet demerſa in iniquitate, à Hieroboam nempe qui fecit vitulos aureos. Cur modo tam rigidum ſupplicium deſcendit in totum populum? *Renelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Quando enim populi peccata erant veluti abſcondita, ac tanquam inter priuatos parietes, diſſimulari videbantur; at cum in publicum prodeunt, & fama totum occupant orbem, ſtatim ad vindictam, ac ſupplicium proceditur. *Et fur ingreſſus eſt ſpolians, & latrunculus foris.*

Oſeæ.7.

Hieron.

Delictum vt euulgatur, puniendum.

54. Confirmatur maximè, quia Dominus non arguit tantum villicum de ſubſtantia deperdita; nõ enim ait illi: diſſipaſti facultates meas, ſed potiùs eum arguit de fama, ac publicitate delictorum. *Quid hoc audio de te?* vt ait Chryſologus: *Quærere tunc cœpit, quando accuſabat terra.* Peccatum cũ publicum euadit, minimè diſſimulandum eſt. Ecce duæ mulieres peccatrices Magdalena, & Samaritana. Samaritanam quærit Chriſtus. *Venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Ioan.4. num.5. Magdalena verò Chriſtum exquirit. *Ecce mulier in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi*, Luc.7. n.37. Cum tamen Samaritana eſſet multis erroribus ſuæ gentis infecta, & conditione etiam vilis extitiſſet; Magdalena verò valde nobilis & illuſtris. Vnde ergo tãta differẽtia? Samaritanæ mulieris erant peccata occulta, ita vt cũ Chriſtus illa ei obiiceret, ab ea vt propheta habitus eſt. *Video quia propheta es tu*, Ioan.4.num.19. At Magdalena publica peccatrix in ciuitate. Et cum illius peccata eſſent occulta, cum ea magis diſſimulandum, ac mitius agẽdum fuit, quam cum illa cuius delicta in omnium ore, ac oculis vt publica verſabantur. Vnde ait Caſſiodorus lib.1. variar. *Benignitate peccata occultè abſcondenda, benignitas verò delictis publicis denegãda* Vide tom.2.cap.29.quæſt.1.num.15.16.17. & tom.3.cap.29.num.100.& 101.

Chryſol.

Ioan.4.

Luc.7.

Benignius agendum cũ peccatore occulto, quàm cum publico. Caſſiod.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus audit crimina perpetrata à villico, cum ipſe eſſet magnus in domo ſua?

55. ILLICVS valde magnus erat in domo Domini ſui, eíq; valde intimus familiaris, & tamẽ delicta ab eo cõmiſſa audit Dominus, multíq; fuerũt, qui hæc Domino ſuo denuntiare auſi ſunt. Bonus autem Princeps debet aperire oculos, ac aures ad audienda, & inueſtigãda ſuorum aulicorũ crimina. Delinquunt duo ex intimis Palatinis Regis Pharaonis, vt ait textus: *Accidit vt peccarent duo Eunuchi, pincerna regis Ægypti, & piſtor Domino ſuo; iratúſque contra eos Pharao, miſit eos in carcerem*, Geneſ.40.num.1. Quamuis eſſent ex primis Palatinis, ac gulæ, & delitiis regis inſeruirent, tamen eorum delicta non ſunt abſcondita, ſed manifeſta regi, vt pro illis pœnas darent, ac in carcerem mitterentur.

Bonus princeps agnoſcit delicta ſuorum Palatinorum. Geneſ.40.

56. At verò iniquus princeps nihil agnoſcit eorum, quæ à ſuis aulicis moliuntur. Mittit Aman ad vniuerſas prouincias, litteras annulo regis obſignatas, vt vbique omnes Iudæi vna die occiderentur. Eſther verò multos modos, ac ambages excogitauit, vt hæc regi diceret, ac exponeret, quod cum audiſſet res Aſſuerus, *Ait: quis eſt iſte, vt hoc audeat facere?* Eſther 7. num.6. Hebraicè habe

Eſther.7.

Hebr. haberur, *Et dixit rex Assuerus, & dixit.* Hoc est semel, & iterum dixit, tanquam magnam admirationem de re audita ostendens, hoc negotium valdè publicum, & manifestum erat; nam edictum pependit in ciuitate Susan, & cursores per omnia loca pergebant, vt regis imperium exple-
Esther. 3. rent, Esther 3. Res ergo, quæ nota erat omnibus ignota est regi? Cum illud decretum de nece Iu-
Multi Principes suorum Palatinorum delicta ignorant. dæorum esset negotiatum ab Aman, qui erat intimus familiaris, ac aulicus regis, nullus erat, qui eius crudelitatem, ac immunitatem auderet regi dicere, & aperire. Et ideò tanquam rem nouam, ac se penitus ignotam iuxta radicem Hebraicam
Sanctius. Celada. semel, & iterum dixit: *Quis est iste, qui hoc audeat facere?* Nam vt bene notant Sanctius, & Magister Celada, ad hunc locum. Quamuis Assuerus optimè sciret à se constitutum fuisse decretum postulante Aman de quodam populo perdendo, tamen minimè fuisse explicatum hunc esse populum Iudæorum; solùm enim ille dixit Assuero:
Esther. 3. *Est populus in regno tuo per omnes prouincias dispersus scita regis contemnens.* Esther 3. num. 8. Et ideò cum audit Assuerus populum Iudaicum esse adiectum neci; tanquam res noua, & inopinata est illi.

QVÆSTIO VII.

Quare cùm Dominus rationem petit à villico, statim ei comminatur, quod non poterit amplius villicare?

37. RESPONDET primò D. Chrysol. serm. 125.
Chrys. *Cognita velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam; & conuictum penes se, velut accusatum conuenit, qui negotium gessit, venia sic praire.* Quamuis delicta apertè Dominus cognosceret, vt audita tamen obiicit, & quamuis reum statim conuictum poterat ostendere, ad rationis examen tamen vocat, & indilatè illi pœnam obiicit: *Iam non poteris villicare.* Quid sibi vo-
Deus cunctatur in pœna inferenda vt det locum ad pœnitentiam. lunt huiusmodi minæ, ac moræ, nisi vt dilationis tempus interponatur, nisi vt reus sibi caueat, pœnitentiam agat, & misericordiam petat? Vidit
Apoc. 16. Ioannes septem Angelos percutientes terram, & ait: *Quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, & datum est illi affligere homines æstu, & igni.* Apocal. 16. num. 8. *Et igni.* Ex Græco communiter in-
Viegas. Corn. La Haye. terpretes Viegas, Cornelius, R. P. Ioannes de la Haye legunt, calore quodam vehementissimo tanquam igne, cur ab Angelo huiusmodi æstu, ac calore opprimuntur homines, & non potiùs aliquo fulgure, vel rapidissimo igne, vt vno momento consumpti comburantur? Hac lenta plaga volebat Deus hominum duritiem emollire, intendebat diuina pietas, vt homines non perirent, sed vt ad pœnitentiam agendã reuocarentur; & ideò subditur statim num. 9 Æstuarunt homines æstu
Andr. Cæs. magno, neque egerunt pœnitentiam. Andreas Cæsariensis *Fortassis*, ait, *sensibili Solis ardore homines tunc temporis incendentur, clamante Deo, chamo, & freno maxillas eorum constringente, & vi quadam impellente eos, qui cunctantius ad illum accedunt, quòd hac saltem ratione excitati, tandem aliquando ad pœnitentiam spectent.*

38. Secundò ait illi Dominus: *Non poteris villicare.* Non ait: Nolo te esse meum dispensatorem, nec ego te ab officio tuo deiicio. *Sed non poteris villicare.* Vt villicus sibi tribuat, quod à munere suo excludatur. Ac si illi Dominus dicat, ex beni-
Deus ex misereatur, ex iniquitate nostra punit. gnitate mea tibi munus villicationis dedi, vt verò ex tua malitia, ac nequitia te inhabilem reddidisti, vt meam substãtiam non valeas administrare. Mea clementia tibi munus dedi; tua verò iniquitas est in causa, vt te à munere tuo dimittam.
Ait D. Paulus: *Benedictus Deus, & Pater Domini* 2. Cor. 1. *nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum*, 2. Corinth. 1. num. 3. Perbellè D. Bernard. serm. 5. de
Bern. Natiuit. ait: *Rectè igitur non Pater iudiciorum, & vltionum dicitur, sed Pater misericordiarum: non modo, quod Pater videatur misereri potiùs quam indignari, & quemadmodum Pater filiorum miseretur timentium se, sed eo magis, quod miserandi causam, & originem sumat ex proprio iudicandi, vel vlciscendi magis ex nobis.* In Deo æqualis est misericodia, & iustitia. Tamen ipse dicitur Pater mi-
Cur Pater misericordiarum, & non vltionum? sericordiarum, non verò Pater iudiciorum, & vlionum, quod ad iustitiam spectat, quia (vt ait D. Bernardus citato serm.) *Ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Ex peccatis verò nostris occasionem puniendi, ac castigandi.*

39. Tertiò. Valde rigidè, & austerè, aut Dominus villico: *Iam non poteris villicare.* Sic Dominus suum intimum familiarem, ac suæ familiæ administrationem excludit, ac reiicit? deprehensus est villicus iniquus, seruus, & malus dispensator. Quid ergo mirum, quod Dominus tam seuerè eum à se dimittat, omnes enim respectus amputandi sunt, omniáque prætermittenda; vt homo
Amputanda omnia, vt homo malũ seruum à se amputet. malum seruum à se excludat, ab eóque immunem, & absolutum se videat. Cum totus orbis fame opprimeretur, sedebat parens meus Elias in
3. Reg. 17. torrente Carith. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes*, 3. Regum. 17. num. 6. Cur cibus non administratur Propheræ per columbam, vel turturem? cur coruus auis immunda, fœtida, ac crudelis ad hoc ministerium eligitur? Sic egit Diuina pietas, vt Elias immundi obsequij tædio, abhorrescénsque escam per fœtidum, ac squalidum os de-
Basil. latum, laxet cœlum, fiat pluuia, dimittatúrque fames. Pulchrè D. Basilius Seleuc. orat. 11. *Cum*, ait, *nutrit opera coruorum, vt immunda bestia cibum abominatus, soluat famis decreta.*

40. Quartò. Ait Dominus villico: *Iam non poteris villicare*, eum ab officio suo dimouere determinat; & meritò sanè. Iniqui ministri, ac mali di-
Iniquus minister ab officio Dei eiiciendus. spensatores ab officio deturbandi sunt. Ob dissimulatum peccatum filiorum suorum graui, ac rigida pœna punitur sacerdos Heli à Deo, sic enim ei dixit vir quidam Dei: *Magis honorasti filios tuos quàm me: propterea ait Dominus Deus Israël: Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, vt non sit senex in domo tua.* 1. Regum. 2. num. 29. Cur tanta pœna interitus sui, ac filiorum afficitur Sacerdos, cum ipse grauiter reprehenderit filios suos? Dixit enim eis: *Quare facitis res huiusmodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite fily mei: non enim est bona fama, quam ego audio*, ibidem num. 23. & tamen ex alta promissione parentis sui monitis
1. Reg. 2. filij non acquieuerunt. *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*, ibidem num. 25. Quænam culpa extitit Sacerdotis tanto supplicio digna? Magna sanè, cum enim videret filios suos iniquè sacerdotale munus administrare, eos tamen ab officio non remouit, sed secum tetinuit, inde in tantam Dei indignationem deue-

nit.

Hieron. nit.D.Hieronymus lib.1. aduersus Iouinianum, paulo post medium : *Quo offendit*, ait, *Heli Pontifex, qui corripuerat quidem filios, sed quia non abiecerat delinquentes, retrorsum cecidit, & mortuus est.*

Luc.16.n.3. Ait autem villicus intra se: quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

Num.4. Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione: recipiant me in domos suas.

VERSIONES.

Syriacus n.3. Dixit autem præfectus domus apud se: quid faciam cum Dominus meus auferat à me dispensationem? quia fodere non possum, & mendicare pudet.

Arabicus. Quia cum Dominus meus abstulerit à me administrationem.

D.Augustin. Fodere non possum, mendicare confundor.

Arabic.n.4. Iam scio quid faciam, vt cum recesserit à me administratio.

Vatablus. Cum amotus fuero à dispensatione, sint qui recipiant.

EXPOSITIO III.

41. Bonau. AIT *autem villicus.* D. Bonauent. Timor iudicij solicitat mentem ad procurationem subterfugij, ideò videns villicus se esse iudicandum, requirit remedium. *Ait autem intra se;* non se excusat, nec crimen negat, sed culpa conuictus omnino obtumescit, & valde anxius cogitabat in animo suo. Gloss. *Quid faciam?* Glossa, *vt pœnam euitem.* Quid faciam, quo vitam meam sustentabo? Carth. Rectè notat Carthusianus: potiùs cogitauit villicus quid faciam, quàm quid dicam, sciens apud infallibilem iudicem, quod plus valeant opera virtutis, quàm verba composita, dicente Apostolo: *Non in sermone est regnum Dei, sed in virtute,* 1.Corinth.4.num.20. *Quia Dominus meus.* 1.Cor.4. Quamuis esset in absentia Domini sui, qui computationem bonorum exigebat, tamen non inuehitur verbis in eum, sed cum reuerentia, ac vrbanitate Dominum suum appellat, *Aufert à me villicationem*, seu *dispensationem*, vt habet Syriacus, quo officio administrandi facultates Domini sui, se suámque familiam hactenus aluerat. Syr. *Actus semper vt præsens cogitandus.* Et notandum, quod non dixit, auferet de futuro, sed aufert de præsenti, quia mortem, tempúsque reddendæ rationis, non vt futurum tantum, sed etiam vt præsens, ac instans debemus considerare, sicque semper præparati debemus esse. *Fodere non valeo*, labore manuum ad victum comparandum: *mendicare erubesco*, seu, *pudet*; cum hactenus multas diuitias habuerim. Denotatur quòd post mortem nec est tempus exercendi pœnitentiam, nec aliorum patrocinium, ac adiuuamen quærendi.

42. *Scio quid faciam.* Non quid dicam, ait; qui enim suis rebus vult consulere, operibus, non verò verbis se accingit. Astutúmque consilium cogitat; vt ait D. Bonauent. magis de acquirendis amicis, quàm de congregandis diuitiis. Amicus bonus melior, quàm diuitiæ multæ. *Vt cum amotus fuero à villicatione*: à dispensatione, ac ministerio officij. *Recipient*, (debitores Domini mei) *me in domos suas.* Quibus ego misericordiam impendo, remittendo partem debiti: mihi misericordiam impendent recipientes me in domos suas: nam vir misericors misericordiam apud alios inueniet debitores: villicus tanto beneficio eos etiam vult astringere, vt ipsi ex gratitudine eum alant in domibus suis.

Bonau. *Amicus bonus super omnes diuitias.*

43. Hugo. *Prudentia villici.* Eccl.10. In multis, vt notat Hugo, apparet hic prudentia villici. Quam postea Dominus laudat. Primò quia præuidit villicationem suam esse finiendam, *quia Dominus meus auferet à me villicationem.* Vnde dicitur Eccles.iast 10.num.11. *Omnis potentatus vita breuis.* Secundò præcogitauit, quomodo sibi succurreret in futurum: *Quid faciam?* Tertiò considerauit statum suum, possèque suum; suásque vires: *fodere non valeo.* Quartò amicitiam proximorum iudicauit remedium opportunum, dicens: *Quantum debes Domino*, &c. Vltimò facit.

QVÆSTIO VIII.

Quare villicus non vocat in consilium amicos, vel consanguineos, sed tantùm secum loquitur?

44. Ratio difficultatis. MAGNO timore, ac anxietate conturbatus erat villicus, cum ei dixisset Dominus suus: *Quid hoc audio de te? iam non poteris villicare.* Videbat, ablata illa administratione à Domino suo, se ipsum ad extremam miseriã esse redactum; cur ergo in negotio tanti ponderis, rem non consulit cum aliquo amico fideli, vxore, filio, vel consanguineo aliquo? Quis enim sibi persuadeat, quod tantarum diuitiarum administrator, non multos habuisset amicos, familiares, & seruos, cum quibus rem discutere valeret?

45. Chrys. Respondet D.Chrysologus serm.125. *Quærit intra se consilium, qui foris, vnde sibi iam succurreret, non habebat.* A nemine, nec ab amico, nec familiari postulat villicus cõsilium, quia licet olim multos habuisset amicos, ac familiares, cum tamen Dominus eius irata facie, aduerso vultu erga eum se exhibuisset, omnes iam sibi experiebatur aduersarios, ab omnibúsque se deseri videbat & nullus iam ei aderat, cui rem suam credere posset. Aman cum esset intimus regis familiaris multos habebat amicos. *Conuocauit ad se amicos, & Zares vxorem suam*, Esther. 10. tamen cum rex in eum irascitur, nullus est, qui pro ipso vnũ verbum loquatur, sed vnus est Harbona de Eunuchis, qui regi exponat lignum paratum, vt in eo suspendatur, Esther 7. num.9. Palatinorum turba

Regis nutū ac voluntatem sequuntur Palatini. Esther.1. Esther.7.

turba veluti arundo flatu regis in hanc, & illam partem inclinatur.

46. Secundò. *Qui foris, vnde sibi iam succurreret, non habebat.* Hic homo valde malus erat, vnde à Domino dicitur villicus iniquitatis, cùm ergo tam depravatus esset sua malitia ab omnibus sibi timebat, nullique secreta sui cordis confidere audebat. Dives ille auarus, qui sibi multa bona in annos plurimos existimabat. *Cogitabat intra se dicens quid faciam? quia non habeo, quo congregem fructus meos* Luc. 12. num. 17. Confer cum villico, *cogitabat intra se.* Dives cum esset valde opulentus multam habebat amicorum turbam, cur non aliquem vocat in consilium, sed tantum *cogitabat intra se?* secúmque loquebatur? Cum miser esset auarus omni spurcitia plenus, ita sua iniquitate conturbatur, vt sibi persuadeat, in neminem posse habere munimen, & solatium, cum quo rem suam conferre valeat. D. Chrysologus serm. 104. de Auaro loquens, ait: *Digno consiliario se visus, qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam.*

Iniquus ab omnibus timet, nulli se confidit. Luc. 12.

Chrys.

47. Tertiò. Citatus Chrysologus: *Vnde sibi iam succurreret, non habebat,* Amicos, fratres, ac consanguineos habebat villicus, at verò cum constituitur coram Deo iudice ad reddendam rationem suæ villicationis, ac vitæ, omnes illi statim euanescunt, ac auferuntur, nullúsque relinquitur, à quo leuamen, ac auxilium valeat sperare. De hac horribili eloquens Ioël cap. 1. num. 15. ait: *Prope est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.* Ex Hebræo Cornelius legit: *Quasi vastitas potens à vastante potente.* Tam potens, & valida erit deuastatio, vt nihil patiatur subsistere, ac remanere, ex quo debitores aliquam consolationis, ac leuaminis speciem valeant accipere. D. Aëlredus in cap. 13. Isai. in Bibliotec. tom. 12. *Hac vtique dies,* ait, *tanquam vastitas à Domino veniet; quid enim dies illa non deuastat? Vbi ergo diuitiæ, vbi lætitia, vbi pulchritudo corporis, vbi fortitudo? Omnia certè morientia vastantur.*

Idem.

In die iudicij homo destitutus erit ab omni auxilio, & consolatione. Ioël. Corn. Aëlred.

48. Descendit Angelus Domini, & percussit in castris regis Sennacherib centũ octoginta quinque millia hominum, totóque eius exercitu interfecto ipse solus rex viuus effugit. Nunquid ipse solus viuus euasit, vt seruetur? Minimè: scribit de eo Isaias cap. 37. num. 38. *Et factum est cum adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech, & Sarasar filij eius percusserant eum gladio.* Valde mirum: non ab Angelo, sed ad amantissimis filiis, à quibus tutamen debebat sperare, mortem accepit. Cur tales ei portantur carnifices? Sistebat homo coram Deo iudice, à quo damnationis sententia lata erat in ipsum: qua posita omnes creaturæ, amici, & consanguinei, ac filij aduersus miserum armantur, vt nullum habeat propugnatorem; sed omnes impugnatores, quos vt tortores ac carnifices vitæ suæ, vt mortem illi inferant, innuit, ac habet. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. cap. 37. Isaiæ sic ait: *Filios esse dicit, qui ipsum interfecerunt. Nam diuina sententia in aliquos lata vndique, & omnibus modis veniunt pericula, quibus hoc accidit: non sanguinis coniunctionem, incolumitatis pignus habentes, non affectum, neque studium filiorum, patribus debitum: sed à quibus seruari eos par erat, periclitantes, per eos ipsos in foueam inciderint precipitantur.*

Isai. 37.

Sententia Dei lata, nec à filiis habet homo leuamen, sed mortem.

Cyrill.

QVÆSTIO IX.

Quare villicus de se resolutiùe asseuerat, quod nec possit fodere, nec mendicare?

49. DE se ait villicus: *Fodere non valeo*: cum ob virium imbecillitatem; tum etiam ob dissuetudinem; tandem cum esset in deliciis enutritus laboriosis operibus nesciebat insistere. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum postea sentiet eum contumacem*, Prouerb. 29. num. 21. Non solùm ad opus, ac laborem, sed etiam ad virtutem, & humilitatem. Ex hac etiam causa: *mendicare erubesco.* Nam cum esset mundanus, ac in deliciis enutritus, pudor ei erat, vt ait D. Bonauent. propter humilitatem actus, *Mendicare.*

In deliciis enutritus nõ valet laborare. Prou. 29.

Bonau.

50. Sensus tamen moralis præcipuè hic est inquirendus. Glossa ait, denotatur quod: *Post hanc vitam non est locus fodendi compunctione terram animæ nostræ, ad ferendum fructum: est tunc etiam confusibile mendicare, vt fecerunt fatua virgines; imò inutile, & impossibile.* Post enim hanc vitam non est tempus exercendi opera rigida, ac pœnalia pœnitentiæ, nec etiam mendicandi, ac quærendi intercessiones, ac preces Angelorum, ac Sanctorum; tunc enim homo mortali peccato decidens illis non adiuuabitur, & ideò ait: Scio *quid faciam.* In hac enim vita opera pœnitentiæ, ac misericordiæ sunt exercenda, vt illis homo promereatur æternam salutem.

Glossa.

Post hanc vitam non est tempus merendi.

51. *Mendicare erubesco*, ait Villicus, D. Chrysologus serm. 125. *Miser*, inquit, *quem temporalitas habuit diuitem: mendicum sempiternalitas possidebit.* Quænam maior miseria, quàm quod in hoc sæculo homo diuitiis abundet, in æternitate verò extrema omnium bonorum paupertate laboret? hæc est extrema pauperies, & miseria omnium miseriarum.

Chrysol.

52. Ad eadem verba, *Mendicare erubesco*: idem Chrysologus serm. 125. *Confusionem*, ait *futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum, & vbi reus plus de conscientia, quam de gehenna erubescit incendio.* Quis ô miser homo te in tantas angustias redigit, vt iam de præsenti dicas: *Mendicare erubesco?* Solùm ad reddendam rationem vocaris, & nondum de tuis bonis spoliaris: Nondum aliqua pœna imposita affligeris. Cur ergo tanto rubore mendicandi conturbaris? Plus sanè torquebatur ipsa conscientia criminum, quàm omni gehennali incendio, intolerabilior sanè conscientiæ cruciatus, quàm omne inferni supplicium, ideò non anxiatur homo de pœna, sed de ipsa erubescentia, quam in conscientia sua patiebatur. *Vbi reus plus de conscientia quàm de gehenna erubescit incendio.* Vide suprà num. 17.

Idem.

Conscientia plus torquet, quàm gehennale incendium.

53. Ad calcem huius quæstionis maximè notandum, quod villicus ait: *Fodere non valeo, mendicare erubesco* Hęc duo coniungit fodere, & mendicare. Villicus vir nobilis, multis diuitiis opulentus, cum autem imminentem paupertatem considerasset, tam durum, ac rigidum illi videbatur mendicare, ac fodere; petere, ac quælibet laboriosa opera exercere.

Vir ingenuus petere, opus durissimum.

54. Postquam Iob esset in sterquilinio omnibus suis

suis bonis,filiis,ac propria valetudine spoliatus, omnique morbo inflicto Dominus conuersus ad pœnitentiam Iob : *Venerunt ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti, qui nouerant eum prius, & dederunt ei vnusquisque ouem vnam,* Iob 42. *& inaurem auream vnam*, Iob.42. numer.11. Cur Iob in tanta necessitate constitutus non petit aliquod donum à suis fratribus,& amicis,imò in toto sui laboris tempore nihil petisse lego. Sed ipsi venerunt & dederunt ei;sine dubio mouente Deo eorum corda ; nam ideò dederunt ei *ouem vnam, & inaurem auream vnam*, vt commentantur D.Gregorius, D.Odonius, Glossa Ordinaria, &alij. Quid *per ouem nisi innocentia, quid per inaurem nisi obedientia designatur ?* Verba sunt D. Gregor. libr. 35. moralium capit. 12. Cur ipse Iob non petit,sed ipsi fratres,& sorores mouente Deo eorum corda illi sua dona præbent ? *Dominus conuersus erat ad pœnitentiam Iob*, volebatque eum a suis calamitatibus liberare, illúmque multis donis afficere.Non ergo Iob petit,sed ipsi fratres & sorores dant ei. Iob conditione erat valde nobilis, ac rex, & durius ei esset aliquid expostulare, quam omni sua calamitate, ac priuatione bonorum, filiorum, ac propriæ salutis vexari ; & ideò nec in tota suæ calamitatis tragœdia petit, nec cum ab ea expeditur, sed alta prouidentia disponitur, vt vnusquisque ei det, & præbeat.

Gregor. Odonius. Glossa. *Viro nobili potest durius fuisse omnem calamitatē.*

55. Postquam Samuël vnxit Saulem in regem,ait ei quod cum recederet ab eo iuxta quercũ Thabor, tres viros inuenies. *Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes,& accipies eos de manu eorũ,* 1.Reg.10. 1.Regum 10.numero 4. Multa panis,ac alimenti penuria laborabat Saul,vt ibi multi docét;cur ergo ipse non petit ab illis hominibus, sed illi ei vltro præbent panes?quos vt accipiat prophetæ præcepto cogitur ; ait enim ei, & accipies. Non dixit veluti vaticinando accepturus es, sed tanquam præceptum imponendo accipies.Mendoza in 1. libr. Regum cap. 10. vers.4. in expositione num.9. *Cernitur Saulis ingenuitas, qui ad petendum etiam in maxima rerum penuria,se exhibuit verecundum:non enim dicitur illos duos panes accepturus, nisi Samuelis imperio coactus, & accipies, inquit Samuel,de manu eorum.* Mendoza.

Luc.16.n.5. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui; dicebat primo:quantum debes domino meo ?

Num 6. At ille dixit, centum cados olei: dixítque illi : Accipe cautionem tuam, & sede citò : scribe quinquaginta.

Num.7. Deinde alij dixit : Tu verò quantum debes?Qui ait: centum coros tritici Ait illi, accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

VERSIONES.

Euthym.n.5. Aduocato vnoquoque debitorum domini sui.

Syriacus n.6. Dixit ei centum metretas olei. Ait illi : Accipe librum tuum.

Vatab.Theoph. Centum batos olei,dixítque illi : accipe libellum tuum.

Arias Mont. Accipe scriptum tuum.

Caietanus. Litteram tuam.

Pagnin n.7. Deinde alteri dixit,

Syriacus. Dixit ei, centum coros frumenti ; ait illi : accipe librum tuum, & sede:scribe octoginta coros.

EXPOSITIO IV.

ILLICVS habita resolutione apud se. *Conuocatisque singulis debitoribus.* Vnũquemque ex debitoribus singillatim vocauit, ne aliquis de maiori debito alteri remisso conquereretur, vnusquisque ægrè ferret, si alter ei in aliquo præferatur, *Debitoribus Domini sui.* Alios agnoscebat debitores, cur non etiam seipsum agnoscit debitorem,vt debita sua domino intenderet persoluere ? facile quilibet aliorum pondera,ac onera intelligit, & cogitat, non verò sua. *Debitoribus domini sui.* Notant Euthymius;Beda,D.Bonauentur.quia misericordia impendi debet egentibus,ideo non cuilibet dat,sed debitoribus. *Frange esurienti panem tuum.*Isai.58. num.7. *Dicebat primo* ; qui aduenerat. *Quantum debes domino meo ?* Interrogat, non quia ignoret, sed vt ille, cui cautio erat danda, confitens debitum, maximè cognoscat quantum beneficium à villico accipiat, sic ingratus est homo, vt necesse sit quærere modos,vt ipse beneficia accepta habeat ante oculos. 56. *Quilibet aliorum defectus, non verò suos intelligit.* Euthym. Beda. Isai.58. Bonauent.

At ille dixit, centum cados olei. Latè agunt Interpretes,vt explicent,quid sit cadus,certum est, quod idem erat ac Græcè *betus.* Erat enim vas quoddam habile, ad liquida portanda manu, vel humero. *Accipe cautionem tuam.* Id est tuum scriptum, tuas litteras, quibus obligaris hero meo, ad soluendum centum;villicus tanquam omnium bonorum administrator, illas literas tradit debitori ad hoc vt ipse eas rescindat,& laceret. Bene ponderat Rupertus libr.8. de operibus Spiritus sancti,capit.21.*Singulis, dicit,ait,accipe cautionem tuam,quod est dicere : tantum tibi caueas, vt de cætero emendes.* Non dixit : accipe litteras, sed cautionem,quia peccatori,ac debitori maxima cura sit,vt cautus fiat, ne iterum in eadem peccata,ac debita incurrat, in quæ semel prolapsus est. *Et sede.* Nemo enim commodè potest scribere, nisi sedens. *Citò.*Ne quis hoc sciens ad dominum deferat, & hanc fraudem ei denuntiet. Carthusianus, Celeriter agenda sunt bona, præsertim misericordiæ opera,nescit enim dare,qui dat tardè. *Ne dicas amico tuo : Vade, & reuertere, cras dabo tibi : cum statim possis dare,* Prouerb.3. n.28. *Scribe quinquaginta* ; fac aliud scriptum, aliásque litteras veterum loco suppositas, & scribe dimidium debiti, scilicet quinquaginta. 57. Rupertus. *Peccator fiat cautus, ne iterum labatur.* Carthus. Prouerb.3.

Deinde alij dixit. Non vnus, sed duo debitores pro pluribus ponuntur,quia villicus suam liberalitatem, non ad vnum, sed ad plures extendit,nec vnum tantum, sed plures voluit comparare amicos. *Tu verò quantum debes ?* Quærit 58.

quantum debeat, vt mensuratè cum prudentia distribuat bona, non enim disponendæ sunt res nisi altæ præuia cognitione. *Centum coros tritici.* Corus mensura est aridorum. Corus, siue homer continet decem ephi, ephi autem continet tria sata, id est tres modios, Ezech. 45. numer. 12. Corus ergo continet 30. modios. Et ipse debitor fatetur quantum debeat, quilibet enim per fidelem agnitionem debet cognoscere suum debitum, *accipe litteras tuas.* Tuum antiquum scriptum debiti, ac obligationis instrumentum; *& scribe octoginta.* In noua scilicet tabula, huic tantum remittit viginti coros, fortè quia hi viginti cori in valore æquabant quinquaginta coros, de quo quæst. 21.

Rex disponenda præuia cognitione.

QVÆSTIO X.

Quare villicus tempore rationis plus dissipat, quam antecedenti tempore suæ villicationis?

59. RATIO huius rei litteralis patet ex vers. 4. vbi ait: *Scio quid faciam, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.* Cum immineret ei tempus rationis, ac paupertatis, totus est ille misericordiam impendendo, vt comparet sibi, ac congreget amicos, à quibus in tempore suæ necessitatis subsidium, ac leuamen habeat, vt ibi dixi, expositione 3. n. 42.

60. Theoph. Secundò & moraliter Theophilus Antiochen. lib. 3. comment. in Euangel. *Hanc comparationem,* ait, *saluator villico iustitiæ, id est Episcopis dedit, vt quomodo Domino suo fraudem fecit, vt haberet vnde postea viueret; ita Episcopi non omnia peccata vlcisci debeant, sed locum pœnitentiæ reseruare eos conueniat, cum præsertim ipse Dominus dixerit, nolo mortem peccatoris; sed vt conuertatur à via sua, & viuat. Ideò autem laudauit Dominus fraudatorem Domini sui, vt eius sequentes exemplum, non omnia debita exigamus.* Laudatur villicus, qui de bonis domino suo debitis largè debitoribus remittebat, vt ex his discant præsules Ecclesiæ seueritatem, ac rigorem pœnitentiæ pro peccatis debitę, & aliquantulum relaxare, & remittere; mitiganda est enim nimia austeritas cum lenitatis clemen a. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis,* Psalm. 71. num. 7. Promittitur iustitia, quid inde sperandum videbatur, nisi districta pœna, ac multa rerum deuastatio? Ecce quid sequitur, *& abundantia pacis.* Seu vt legitur ex Hebræo, *& vbertas pacis.* Iustitiæ rigor non solùm per se ipsum prodibit, sed simul erit attemperatus, ac permistus vbertate multæ clementiæ, ac pietatis. D. Chrysostomus ibi: *Ecce,* ait, *orta est in diebus eius iustitia. Qua iustitia pietati coniuncta est, tolerantia conglutinata. Nulli malum pro malo reddere, cum omnibus hominibus pacem habere, pro inimicis orare.*

Iustitia rigor temperandus clementia. Psalm. 71. Hebr. Chrysost.

61. Chrysolog. Tertiò. D. Chrysologus serm. 126. *Auferetur pudor,* ait, *violatur innocentia, verecundia tota sepelitur: vbi villicus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelauit in luxu: & qui ante substantiam vacuauerat dissipando, vacuando chirographa, quod remanserat plus euertit: nec curat vnde possit sarcire quod deerat, sed quod remansit, quemadmodum minorata possit, excogitat.* Multum miratur sanctus Pater, quòd villicus tempore reddendæ rationis plus ardeat in fraude, ac de bonis sibi creditis dispergat, quàm tempore suæ functionis; videbatur enim valde conueniens prudentiæ, quod ipsa approximatio persoluendi computationem bonorum cohiberet manus à maiori dissipatione bonorum, præcipuè cùm ille non haberet vnde ea posset recompensare. Cur ergo sic modo Domini substantiam euacuat? tempore suæ administrationis intendebat consulere famæ, ac opinioni suæ, desideriúmque conseruandi honorem coërcebat manus aliquantulum, & luxum moderabatur; ac cum *diffamatus est,* quod inde consequens est, *Auferetur pudor, verecundia tota sepelitur. Plus ardet in fraude, quam tempore villicationis anhelauit in luxu.* Cum honor est amissus, & fama iam iacturam fecit, tunc ruptis frænis impudicè ardet in furta, & cogitat non quomodo dissipata restituat, sed quomodo quæ remanserant, profundat. Honestiùs vixit, quandiu fidelitatis fama perdurauit, quam dum deperditur. *Auferetur pudor, violatur innocentia, verecundia tota sepelitur.* Vide cap. 8. quæst. 3. num. 15.

Honestiùs viuitur fama conseruata, quàm ipsa deperdita.

Quartò. Ad eadem verba Chrysologi: *Villicus tempore reddendæ rationis plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelauit in luxu,* &c. Antequam villicus ad suæ administrationis reddendã rationem vocaretur, res sui Domini negligenter curabat; at verò cum ad iudicium citatur. *Redde rationem villicationis tuæ.* Non agit vt bona recuperet, sed vt maiori conatu, ac audacia dissipet, ac deuastet. Ecce misera peccatoris conditio, quòd cùm iudicium appropinquat, iudex rectus instat, supplicium impendet, & carnifices iam sæuiunt, cum tunc omnia peccata essent amputanda, reprimenda, ac pœnitentia delenda; tunc magis augentur, ac multiplicantur, illíque se peccator committit, ac ingurgitat, *& qui ante substantiam euacuauerat dissipando, quod remanserat, plus euertit.*

62. Chrysolog. *Miser peccator cum panam impendit, audacius peccat.*

Post distributa talenta quærit homo lucrum à seruis suis: *Accedens autem, & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra,* Matth. 25. num. 24. Vocatur homo, vt de talento sibi credito reddat rationem, & cum negligenter se habuisset in re Domini sui, totus perfusus in lachrymas veniam debebat petere, misericordiámque Domini sui implorare. At ipse insolenter Dominum suum veluti crudelem, & rigidum accusat, & arguit, in eúmque procaciter inuehitur, & tanquam desidiæ suæ reum criminatur. *Homo durus es, metis, vbi non seminasti.* Cùm tempus esset adolendi peccata, ipsa impudenter multiplicat: & à Domino suo leuiter accusatus totum scelus in eum refundere diris verbis intendit. D. Chrysostomus homil. 41. in Genes. *O malitiam,* ait, *famuli: ô immensam ingratitudinem! Nam non solùm contempsit, & nihil negotiatus est talento sibi concredito, sed & pro talento accusationem attulit. Ita enim solet malitia obtenebrare rationem, & eum, qui semel à via est auersus, in præceps ferri facit.* Vide tom. 2. cap. 11. quæst. 27. n. 190.

63. Matth. 25. *In extremis iniquus peccata peccatis accumulat.* Chrysost.

QVÆ

QVÆSTIO XI.

Quare tantus est villicus, vt minuat numerum centenarium, minus vni, quàm alteri dimittens?

64. IN limine quæstionis notandum est, primum debitum dimissum à villico non fuisse auri, vel argenti, sed olei; primus enim debitor vocatus, dixit: *Centũ cados olei.* Meritò addubitat Chrysologus serm. 126. *Quare non argenti, vel auri pondus?* Debitores isti populum Iudæorum adumbrabant: populus autem Hebraicus ex diuina dispositione accepit in Ægypto aurum, & argentum; *in argento, & auro eduxit eos Dominus*, accepit etiam à Domino frumentum; nam *à fructu frumenti, & olei multiplicati sunt.* Cur ergo primum debitum populi designatur in oleo, non verò in tritico, vel vino? Sacri reges, prophetæ, ac sacerdotes oleo vngebantur; insultus debitor erat populus Iudaicus Deo ex beneficiis collatis in deserto, in transitu maris rubri, ac in possessione terræ promissæ, tamen primum, ac maximum debitum extitit, quod ei dedisset optimos reges, prophetas, seu prædicatores, ac sacerdotes. D. Chrysologus citatus sic pergit: *Debebat Iudæus oleum, ait, quod chirographo legis ad vngendos reges, prophetas, & sacerdotes christianis Chrismatis acceperat in figuram, donec ad ipsum regum & prophetarum & sacerdotum principem perueniret.* Nullum maius beneficium à Deo datur, quàm bonus princeps, vt iustè regat, bonus prædicator vt doceat, ac optimus Sacerdos vt dirigat ad Dei cultum. *Dicebat Iudæus oleum, quod ad vngendos reges, prophetas, & sacerdotes acceperat.*

Chrys. — Idem. — Bonus princeps, ac sacerdos, magnum Dei beneficium.

65. Quæstio præsens inquirit. Cur villicus, qui diabolum præfigurabat, vt existimat D. Gaudentius lib. ad Gemin. Dum toto suo conatu intendit, vt debita domino suo integra non soluantur; cur illi qui oleum tenebatur soluere, non viginti sicut in tritico persuadet defraudare? Cur illi, qui centum corós tritici debebat, sufficiens reputat, si viginti diminuat, cum in oleo quinquaginta fuerunt? Cur minorem numerum in tritico quã in oleo intendit? in quo prudentia villici notanda est, non enim omnia debita æqualiter remittit, sed ex conuenienti ratione in vno minus, quàm in altero.

Ratione discretio est adhibenda.

66. Respondet primò D. Gaudentius cit. *Nec illud otiosum est, quod maior numerus deperiit Domino, cui debitores fuimus ex operibus à Deo figuratis, quam ex tritico ad vitalis fidei specimen comparato.* Minoris, ac parui numeri fraus in tritico reputatur maximè exitialis, ac damnosa seruis. Quamuis enim aliarum omnium virtutum dimidiam partem diabolus tibi auferat, pro certo habe non tantum damnum inferre, ac si paucis vicibus à diuino pabulo, ac tritico defraudet, ac separet; tot sunt gratiarum dona, quæ in diuino Sacramento communicantur, vt illius parua abstinentia maius negotium faceſſit diabolo, quam si ab operibus aliarum virtutum per multum tempus te cessare faciat.

Gaudent. — Abstinentia ab Eucharistia multum detrimenti infert.

67. Secundò. Carthusianus: *Cur, ait, minus dimisit huic, quam precedenti*, habenti scilicet oleum? *Respondetur quod ad insinuandum, quòd indigentioribus magis sit tribuendum: rursus ad insinuandum, quod cordialius debeamus indigentioribus compati, quam succurrere valeamus. Oleo namque compassio, tritico autem subuentio designatur.* Oleo denotatur compassio, seu pietas: tritico verò subuentio, seu subsidium, in necessitate plus impenditur de oleo, quàm de tritico. Aliquando enim ipsa pietas, & compassio in necessitate magis impendenda, quàm ipsius operis subsidium, ac auxilium; *quod cordialius debemus indigentibus compati, quam succurrere valeamus.*

Pietas subsidio anteponenda.

Tertiò. Conuocatis non omne debitum dimisit villicus, sed partem quantam; nam ei, qui obstrictus erat ad centum tritici coros ait: *Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta.* Allegoricè. Dæmon villicus iste erat, qui hanc machinatur artem, vt non statim ad omnia præcepta transgredienda persuadeat; nam si in exordio suæ tentationis in omne scelus præcipitaret, illum homines exhorruissent: sinit ille aliqua virtutum opera exercere, ac soluere v.g. octoginta coros tritici, & ad violanda tantummodo quædam præcepta prouocat, vt paulatim homines ab implendis diuinis mandatis auertantur, ac ab omni obseruatione excidant, vniuersæ iniquitati famulantes.

68. Diabolus non omnia legis præcepta suadet violare; sed aliqua.

Quartò D. Chrysologus serm. 126. *An tantam fraudem*, ait, *villicus conspirabat, & agebat, vt totam fidem perderet, dum mediat cautionem.* Vterque debitor ad persoluendum centum, siue in oleo, siue in tritico erat astrictus; cur villicus illis non tollit totum debitum, sed tantum dimidiatum remittit? bene sciebat Diabolus, qui in villico præfigurabatur, quod in reddendis debitis Domini sui, idem esset nihil dare, ac mediatum soluere, totum enim perdit, qui dimidiatum Deo exoluit, similem enim reportat damnationem, ac ille, qui totam legem defraudat.

69. Chrys. — Qui dimidiat legis obligationes, legem non implet.

Quod grauiter confirmat D. Hieronymus in cap. 36. Isai. de legis præceptis intelligens verba illa Iacob. 2. num. 10. *Quicumque autem offendit in vno, factus est omnium reus.* In cuius confirmationem adducit sanctus Doctor illud Psalm. 102. n. 1. *Benedic anima mea Domino: & omnia interiora mea nomen sanctum eius:* Sic commentatur S. Hieronymus: *Quomodo enim citbara non emittit vocalem sonum, atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit: sic spiritualis venter prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare: Philosophorum quoque sententia est habere sibi virtutes; & Apostoli Iacobi, quod cui vna defuerit, huic omnes desint virtutes.*

70. Hier. Iacob 2. Ps. 102. — Cum vnius mandatum violatur, tota lex violatur.

Cum Moyses esset in cacumine montis Sinai, accepit duas tabulas Testamenti, in quibus tota Lex erat scripta, in vna ea, quæ pertinebant ad Dei cultum; in altera verò ea, quæ spectabant ad proximorum vtilitatem, cúmque descendisset, ac vidisset populum idololatrare: *Proiecit de manu tabulas, & confregit ad radices montis*, Exod. 32. n. 19. Quid est, quòd tabulæ à deo formatæ, à Deo scriptæ, & modo Moysi datæ, non integræ permanẽt; sed tam facilè, ac citò franguntur? Neutra ex illis tabulis integram legem habebat, sed dimidiatam, & inde tam facili negotio ipsæ duæ tabulæ confractionem patiuntur, & neutra ex illis salua persistit, cum enim lex sit dimidiata, statim tota in perditionem, ac dilacerationem abiit. D. Hilarius can. 27. in Matth. *Moyses decem verba*, ait, *duabus tabulis conscripta acceperat. Necesse enim erat, omnia ea in vtraque conscribi.* Expende verbum, *necesse erat.* Vt illæ tabulæ per multa sæcula perdurarẽt; expediens erat, vt lex non esset dimidiata, sed tota in vtraque exarata. *Necesse erat omnia ea in vtraque conscribi.*

71. Exod. — Dum lex dimidiatur, statim tota frangitur. — Hilar.

QVÆSTIO XII.

Quare villicus tam impudenter tot furta audet committere?

71. *Cæcitas debitorum.*

MAGNA est huius villici cæcitas, & impudentia; magna etiam debitorum est cæcitas, & impudentia. Nam cum villicus fraudulenta cautione, ac scriptura, magnam debiti partem dimitteret; illi libenter acceptant, & acquiescunt. Cùm obligationem non abscindant, sed durius illam commutent, & ne Domino semel persoluant, serui remanent tributarij; vt quotidianis villico datis muneribus plus consumant, quàm si Domino integrè persoluissent. Ea est humana fragilitas, vt plura nullo modo debita in Dei obsequio præstare, vel tanta cupiditate ferantur homines in bona aliena, vt eligant sua consumere, vt aliena comparent. Vt dixit Saluian. lib. 1. ad Ecclesiast. *Vt acquirant, qua non sunt sua, prodigant qua sunt sua.*

Expendunt homines sua, vt aliena acquirant.

Salu.

73. Ad quæstionem. Magna est villici impudentia, quòd cùm se considerasset in oculis Domini sui, ab ipso enim vocatus est, vt coram ipso præsentaretur, ac suæ villicationis redderet rationem: Dominique sui magnam retinebat memoriam. Dicebat enim debitoribus, *quantum debes Domino meo?* Et tamen in oculis Domini, ac cum ius viua memoria tot furta audet committere, vt ponderat D. Chrysologus serm. 126. *Nec in oculis Dominicis desinit; semel cœperit qui furari:* Tam inextinguibilis est auri sitis, & cupiditas, vt nihil declinet, ac vereatur, nec etiam Domini sui oculos caueat, sed ipso instante, ac præsente manus ad furta extendat.

Chrysol. *Auri sitis inextinguibilis.*

74. *Furtis deditus non desistit.*

Secundò. *Nec in oculis Dominicis desinit, semel cœperit qui furari.* Furtis erat deditus villicus, dissipauerat enim substantiam Domini sui; qui autem hanc prauam furandi consuetudinem ebibit, ita furtis inescatur, & allicitur, vt nec in oculis Domini à furandi arte desistat, sed illam omni conatu exerceat.

75. Tertiò. Valdè liberaliter de rebus Domini sui dat cautiones, condonat debitoribus debita; vnde illi tanta liberalitas, vt sic bona Domini sui dispendat, ac tam profusè largiatur? In bonis illis comparandis nullum villicus sustinuit laborem, ac sudorem, sed quæ à Domino suo multa fatigatione, ac ærumna acquisita, ipse deliciis indulgens facilè consumpserat; quæ enim vnius labor peperit, sæpè alterius prodigalitas deuorat.

76. Instanter Hebræorum populus expostulat ab Aaron in deserto, vt illis faciat Deos, qui eos præcedant. Quibus ait Aaron: *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me: feceruntque populus quæ iusserat deferens inaures ad Aaron.* Exod. 32. n. 2. quod tam diligenter populus exequitur, vt dicat Oleaster: *Vix Aaron verba finierat, quando iam omnia iocalia, & pretiosa sua ad eum adducunt.* Quæ omnia, vt ait Lypomanus, liberalissimè afferebantus. Quomodo homines, qui sunt valde cupidi, & auari auri & argenti, vt illud tenacissimè retineant in quandam insaniam, ac stultitiam, illud profundunt absque vlla mora? Aduertit sacer Textus, quomodo filij Israël omnes Ægyptiorum diuitias obtinuerunt. *Fecerunt filij Israël sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimum. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis: & spoliauerunt Ægyptios.* Exod. 12. num. 35. Exod. 12.

Exod. 32.

Oleast.

Lyppom.

Aurum sine sudore partũ, sine æstimatione deuoratur.

Tanta opulentia auri in Israël sine labore parta est, sine difficultate acquisita, & vna tantum leui petitione obtenta, inde facile illius profusio est exorta, vt sine vlla æstimatione in fatuam idoli insaniam sit erogata, vbi tota contemptibiliter deuoratur.

Educto populo de Ægypto dat ei Deus per desertum panem de cœlo, ac Angelorum escam omni dulcedine, ac suauitate exuberantem, & se habentem, de qua Salomon ait: *Angelorum escam nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Sap. 16. num. 20. Et tamen cum talis, ac tanta esset esca; in fastidium, ac vilipendium versa est in populo, ita vt diceret: *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Numer. 15. num. 5. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Numer. 11. num. 6. Vnde tantum tædium, ac vilipendium? *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.* Cùm pretiosissima esca esset sine vllo labore accepta, sine vlla æstimatione habita à populo, labor enim impensus cibi delicias emollit, & quanto sudore res emitur, tanta saporis dulcedo exhauritur, grata est esca sudore obtenta, vilis sine illo adepta. D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. *Facti sumus,* ait, *vobis in satietatem, & nauseam, antequam gustum vllum nostri, speciémque præbuissemus: Adeò facilè in contemptum venit quidquid facile superatur.* Ex facilitate contemptus, ex difficultate verò multus valor prodit. *Facilè in contemptum venit, quidquid facilè superatur.* Vide cap. 27. quæst. 4. num...

77.

Sap. 16.

Num. 21.

Num. 11.

Magna sine Labore habitum, in nauseam ac contemptum venit.

Nan.

Luc. 16. *n.* 8. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

VERSIONES.

Syriacus. Et laudauit Dominus noster præfectum domus iniquum, quòd prudenter fecisset: filij enim sæculi eius prudentiores, &c.

Theophylact. Laudauit Dominus dispensatorem iniquum.

Arias. Laudauit Dominus villicum iniustitiæ, quia filij huius sæculi prudentiores super filios lucis in generationem suam.

Arabicus. Prudentiores filiis lucis in generatione eorum hac.

EXPO

EXPOSITIO V.

78. Gloss. Euthym. Theoph. Beda. Bonau.

LAVDAVIT *Dominus villicum iniquitatis*, seu dispensatorem iniquum, & iustum. *Quia prudenter fecisset.* Non laudat Dominus, vt inquiunt Gloss. Euthym. Theophyl. Beda, D. Bon. dispensatoris furtum, iniustitiam, ac iniquitatem, sed eius ingenium, astutiam, ac sagacitatē, qua suo commodo in futurum prospexit, sibi procurans amicos de bonis Domini sui; à quibus, cùm esset amotus à suo officio, in egestate imminenti adiuuaretur, ac leuamen haberet. *Quia filij huius sæculi:* tales dicuntur mundi amatores, lua lucra, ac commoda temporalia quærentes, *prudentiores*, hoc est sagaciores, & astutiores *filiis lucis sunt*; filij lucis illi appellantur, qui in Dei luce, Dei fide, & charitate illuminati ambulant. *In generatione sua*, hoc est in genere suo, seu ad suum genus commodi, & boni temporalis; filij huius sæculi, seu mundani sagaciores sunt ad caduca, ac temporalia comparanda, quam filij lucis ad æterna, & salutis bona consequenda; vt enim mundani temporalia obtineant, mille modos, artes, & inuentiones fabricant; siue fraude, siue iure, vt ait D. August. lib. 11. de Gen. ad litter. cap. 2. *Ad consulendum sibimet in posterum, quamuis fraude, non iure.* Quantam autem solicitudinem in hoc impendāt mundani, explicat Euseb. Emiss. in propria homil. *Prudentiores*, ait, *sunt illi in malo, quam isti in bono. Vix enim inueniuntur aliqui sanctè, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem isti habent in acquirendis bonis temporalibus, & fugitiuis. Pro eis enim die, noctúque vigilant, laborant, angustiantur.*

Aug.

Euseb.

79. Tyrin. Luc. Burg. Corn.

Ratio huius est, vt notant Tyrinus, Lucas Burgensis, Cornelius, & alij. Quia in hominibus maximè viget sensus, ac cupiditas terrenarum rerum, ad illásque multa datur in nobis propensio, cum oculis, manibus, ac sensibus tangantur. Mens verò nostra, ac spiritus deprimitur, ac hebetatur à nostra natura corrupta, à corpore scilicet, cupiditate, ac sēsu, spiritualia enim sunt recōdita, & oculis non cernuntur, ex quo fit vt mūdani impulsū cupiditatis, & sensus sequentes sagaciores, ac solertiores sint ad temporalia bona cōparanda; quàm spirituales viri ductum humanæ mentis, ac spiritum sequentes ad procurandā sibi spiritualia bona. Dixi ductum humanæ mentis sequentes; quia aliquando viri spirituales illustrati diuina gratia, ac diuino spiritu afflati omnem humanam sapientiam, ac sagacitatem transcendunt. Et ideo dicuntur. *filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua*, hoc est in genere suo, vt est communis interpretum vox. Non dicuntur simpliciter prudentiores, sed in certo ordine secundum suam generationem, seu genus prudentiæ, ac astutiæ humanæ.

QVÆSTIO XIII.

Quare Dominus laudat villicum, cum iniquè, & iniustè egerit?

80. Ratio difficultatis.

RES valde mira est omnibus expositoribus, quod hic Dominus, qui Deus est, laudet villicū iniquitatis, cum illius esset prauum, & malitiosum, furtum nempe; furtum autem nō est laude, sed vituperio, ac supplicio dignum apud Deū. Deinde quis vnquam Dominus suorum bonorum dissipatorem, ac raptorem laudibus extollat? Quomodo ergo Dominus huius villici est encomiastes?

81. Glossa.

Rectè respondet Glossa: *Non de fraude, sed de prudentia, quamuis peccantem laudat.* Nam licet villici opus esset culpabile, modus tamen prouidendi sibi ad necessitatis tempus potest in bonum documentum trahi. Nam vt ait D. Bonauentur. sicut serpens in diffusione veneni est detestabilis, sed in prudentia custodiendi caput imitabilis à viris perfectis, pro quo dicitur. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba*, Matth. 10. sic villicus iste detestandus est, quia fraudem commisit, ratione cuius villicus iniquitatis dicitur, & laudandus est, quia prudenter contra periculum sibi remedium adinuenit; hoc exemplum nobis obiicit Dominus, non vt fraudem imitaremur, sed vt illo artificio ad iustitiam vteremur, quo ille ad iniuriam vsus est. Ait D. Ambr. ser. 11. in Psalm. 118. *Assuetum bello virum externa fraus instruit*, ad prudens nempe aliquod consilium ex illius imitatione capessendū, vel denique ad vsurpandum in bonum, quod aduersarij in malum detorquebant.

Bonau.

Matth. 10.

Etiam ex fraude aliquid potest considerari bonum ad imitandum.

Ambr.

Secundò. D. Augustin. libr. 2. Quæst. Euang. quæst. 34. *Si laudari potuit*, ait, *ille à Domino, qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino meo, qui secundum eius præceptum illa opera faciunt; sicut etiam de iudice iniquitatis qui interpellebatur à vidua comparationem duxit ad iudicem Deum, cui nulla ex parte index iniquus conferendus est.* Tanquā argumētatur Dominus à minori ad maius. Si villicus, cum esset fraudulentus, & iniustus ob astutiam, ac prouidentiam laudibus condecoratur à Domino suo, multo ergo maioribus encomiis ab ipso laudabimur, si per iustam eleemosynam nulli damnum, sed multis commoda contulerimus.

82. Aug.

Argumentum ad eleemosynam faciendam.

Tertiò. D. Chrysologus serm. 125. de villico agens, ait: *Qui rem de multis vnam legitur placuisse per fraudem.* Ipsa villici fraus displicuit, placuit tamen ipsa sagacitas, ac astutia, quæ sub fraude latebat, sunt enim multi defectus probitatis indices, & fertiles ingenium ad virtutis vigorem conducit, à quibus defectibus si homo expoliatur, valde magnus euadet. expendit D. Augustin. l. 22. contra Faustum factum illud Moysis, *percussum Ægyptum abscondit in sabulo*, Exod. 2. num. 12. ibi delictum homicidij, & sub ipso magnam ad virtutis indolem recognoscit. *Verumtamen*, ait, *animæ virtutis capaces, ac fertiles præmittunt sæpè vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sunt potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis exculta.*

83. Chrys.

Fertile ingenium in peccatore datur etiam ad bonum.

Aug.

Exod. 2.

Ait sapiens Eccles. 42. num. 14. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*; Quæ sententia valde explicatu ēst difficilis, & multas habet expositiones. Quomodo fieri potest, vt melior sit iniquitas viri, quam mulier benefaciens? Ipsa enim est quid pium, & laudabile? D. Gregor. lib. 1 f. moral. cap. 29. Rabbanus hic, Glossa, & alij per virum intelligunt mentes fortes, sagaces, ac discretas; per mulierem vero infirmas, indiscretas, ac desides; veluti si dicatur. Ad virtutē aptius est secundum se, ingenium astutum, & discretum, quamuis aliàs vitio laboret, potius quam aliud deses, & indiscretum etiam bono incumbens;

84. Eccl. 42.

Greg. Rabb. Glossa.

Astutum ingenium sub vitio si mundetur magnũ erit in virtute.

nam huiusmodi ingenium infirmè, eneruiter, ac imbecilliter benefacit; illud verò fortiter, & magnanimè, ac multa discretione agit, & ideo ex hac parte tale ingenium melius est, si enim à vitiis mundetur ac purgetur, maximè virtute irradiat, & fulget. Præfatum Ecclesiastic. locum explicans Strabus ait: *Sapè enim culpa fortium fit occasio virtutis, & virtus infirmorum occasio peccati:* Sæpè enim fortium lapsus, est occasio, vt recognoscentes suam miseriam generosè ad magnos virtutum prouentus exurgant; at verò stante infirmorum virtute ex sua desidia, ac tepiditate aliquando ansa ad magnam ruinam paratur.

Strab.

85. Theoph. Bernard.

Quartò. Theophylus datus quæst. 10. *Laudatur villicus, vt prælati instruantur, vt aliquid de rigore admittant.* Vide ibi dicta. Quintò. D. Bernardus Epistol. 257. *Dispensator ille, cuius laus est in Euangelio, elegit potius fraudem facere Domino suo, quam proximo non misereri. Denique pro centum, nunc quidem octoginta, nunc vero quinquaginta adhibuit. Iuste laudatus est, qui Domino suo rerum maluit, quam personarum iacturam facere.*

Dominus patitur defraudari de suis bonis, vt nos ditemur.

Non contristatur Dominus de facultatum iactura, sed de dispensatoris sagacitate sibi complacet, illúmque laudat, quod prudenter fecisset: Dominus iste Deus, qui tam magnificus, ac liberalis est in suos, vt suarum rerum damna non cogitet, dummodo nos lucrum habeamus, ipséque sibi homines lucretur; ipse sibi paupertatem elegit, vt nos diuitiis illius impleamur.

86. Zachar.

Ait Zacharias cap. 9. num. 9. *Ecce rex tuus venit iustus, & saluator, ipse pauper ascendit super asinam.* Quomodo, qui vere est omnipotens, pauperem habitum assumens, non in millibus Angelorum, non in curru sublimis apparet, sed in vili & abiecto asino? cur non magis suam regiam potestatem exhibet, & præbet ipse pauper factus est, vt nos illius diuitiis locupletaremur. D. Augustin. serm. 6. de Natiuit *Occultatur*, ait, *in membris infantiæ potentia maiestatis, Deus pendet ad vbera genitricis, pannorum vilium squalore contegitur, durissimi suffert præsepis angustias, & totus misericors humiliter patitur, dummodo mundus, qui perierat, liberaretur.* Vide *Amor Christi*, hoc tom. 1. 2. & 3.

Christus fit pauper, vt nos locupletes essemus.

August.

Luc. 19. n. 9. Ego autem dico vobis: facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

VERSIONES.

Syriacus. Sed hoc vobis dico: facite vobis amicos ex hoc mommo vno iniquitatis, vt cum defecerit, illi recipient vos in tabernacula sempiterna.

Arabicus. Accipite vobis amicos de bonis iniquitatis.

Vatablus. Parate vobis amicos ex Mammona iniusto.

Tertul. lib. 4. contra Marcion. c. 33. De Mammona iniustitiæ.

EXPOSITIO VI.

87. *Applicatio parabolæ.*

Est hic applicatio totius parabolæ. Ac si dicat Dominus; quemadmodum villicus ille amicos sibi comparauit iniquis diuitiis, id est ex diuitiis, quas malis artibus in vsum, & commodum suum conuertit, ita & vos facite amicos ex mammona iniquitatis, diuitias vestras pauperibus erogantes, vt vos recipiant in æterna tabernacula. Mammona secundum phrasim Hebraicam diuitias significat, deriuaturque Mammona à nomine Hebraico, quod significat abscondere, vel etiam à Chaldaico, quod idem est ac thesaurus absconditus; solent enim opes abscondi. Vel etiam Mammon, vt notat Charthusian. nomen erat cuiusdam idoli, quod *Plutum* appellabatur, & à gentibus, tanquam diuittarum Deus colebatur, inde nomen idoli diuitiis adaptatum est, diuitiæ à multis tanquam aliquod diuinum numen venerantur. Vnde auaritia ab Apostolo appellatur, *idolorum seruitus.* Ad Ephes. 5. num. 5. Seu quia Mammon nomen est cuiusdam dæmonis, vt aliqui tradunt, de quo ait D. Paschasius: *Quasi qui diuitiis præsit huius sæculi, non quod in eius ditione sint, sed quia eis vtitur ad decipiendum, dum incautos, diuitiarum irretit laqueis.* Dicitur quod præsit diuitiis, quia diuitiis obiectis homines fallit: ac ad retia sua trahit.

Diuitiæ vt numen venerantur.

Carth.

Ephes. 5.

Pasch. *Diabolus per diuitias decipit.*

88. *Ego dico vobis.* Adhortor, ac moneo vos, *facite vobis amicos de Mammona,* seu diuitiis, *iniquitatis.* Non quod de bonis, quæ iniustè quis agnoscit possidere, eorum sit dispensator, tenetur enim illa Domino suo reddere, sed tantum ea potest distribuere, quæ iusto titulo possidet. Dicuntur ergo diuitiæ iniquitatis ex multiplici ratione. Primò, quia per iniquitatem, iniustos contractus, ac rapinas parentum, & maiorum acquiruntur: iuxta illud D. Hieron. Epistol. 150. ad Hedibiam: *Omnis diues, aut iniquus, aut iniqui hæres.* Filius, aut nepos suorum auorum fraudes omnino ignorat. Secundò diuitiæ dicuntur iniquæ, quia sunt causa, occasio, ac irritamẽta multorum malorum, ac peccatorum. Tertiò, vt explicant Beda, Haymon; Diuitiæ faciunt homines iniquos, insolentes, ac prauos; nam illi, qui aliàs erant mites, ac boni, diuitiis fiunt superbi, ac feroces. Quartò. Quia sæpè cum iniquitate expenduntur. Quintò. Vt docet D. Augustinus serm. 35. de Verbis Domini, ita diuitiæ excæcant mentem, ad eásque ordinariè ita afficiuntur possessores, vt eas solas esse diuitias existiment, non verò diuinas, & cœlestes. Meretrix illa magna: *Erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua,* Apocal. 17. num 4 Cùm esset plena diuitiarum, habebat poculum ad inebriandum, vt ipsis diuitiis mentem, ac iudicium peruerteret. Ioachimus Abbas. *Diuitibus huius mundi sunt pretiosa vasa ad ostendendam vanitatem gloriæ suæ, in quibus est abominatio ebrietatis.*

Hier. *Quando diuitiæ sint iniquitatis.*

Beda. Haym.

August.

Diuitiæ excæcant mentem. Apoc. 17.

Ioach.

Vt cum defeceritis. Vita, & officio dispensandi; cùm enim sublati fueritis à vita, à vobis etiam erit ablata omnis Mammonæ dispensatio; ita interpretantur Titus Bostrens. Euthymius, Theophyl.

89. Titus. Euthym.

Theoph. Bonau. Syr. Theophyl.Bonauent.& alij. Syrus legit in singulari,*cum defecerit*. Mammona à vobis, quod fiet in morte vestra. *Recipient vos*. Scilicet amici, quibus ex mammona iniquitatis eleemosynam impendistis; si enim hi pauperes sancti, & iam in cœlo regnantes, eodem vos suis orationibus, ac meritorum communicatione recipient: si enim pauperes sunt impij, eleemosynarum merces non deperditur,sed illarum merito recipient vos, non ipsi,sed ille, cuius amore eleemosyna facta est,Christus nempe, à B.Virg.cum suis cœlestibus Angelis.*In æterna tabernacula*.In mansiones nempe regni cœlorum. Theophylact. *Felix*, Theoph. ait, *permutatio cum temporaria permutantur æternis*. Chrys. Pulchrè D.Chrysostomus in Catena: *Ars artium* ait, *peritissima est eleemosyna, non enim nobis domos fabricat lucas,sed vitam æternam impendit*.

QVÆSTIO XIV.

Quare nobis mandat Dominus facere amicos de mammona iniquitatis,vt ab eis recipiamur in æternam beatitudinem?

90. *Pauperes debemus quærere.* ON solùm ait Dominus, quod proximo indigenti eleemosynam demus, sed ait: *Facite vobis amicos* Inuuens,quod pauperes deligenter inquirendi sunt à nobis,vt eorum indigentiæ,ac necessitati succurramus;cum Loth sederet ad portas ciuitatis; *compulit illos oppido*, Arias. seu vt legit Arias,valde,*vt diuerterent ad eum, ingressique domum illius,fecit conuiuium*, Genes.19.n. 5.Cùm illos egenos existimat, non solùm adhortatur,sed etiam coëgit eos. D.Chrysostomus expendens illud Apostoli ad Rom.12. Hospitalitatem sectantes: *Instruis nos,vt non expectemus egenos, donec ad nos veniant,sed ad ipsos curramus, & festinemus,sicut Loth,& Abraham*. Gen 19. Chrys. Rom. 12.

91. Aug. Ad nostram quæstionem respondet primò. D. Augustinus serm.35. *Qui sunt,qui habebunt æterna tabernacula? Nisi sancti Dei,& qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna? Nisi qui eorum indigentiæ seruiunt, & quidquid habuerunt pauperibus distribuerunt, vt Deo sine sæculari compede seruirent*. Tuis diuitiis, tuis eleemosynis faciendi sunt tibi amici, vt ab eis recipiaris in æterna tabernacula, quod enim pauperi datur tibi non diminuitur, sed cum multo fœnore ad te multiplicatum redit. Mandauit Deus Moysi: *Sex annis seminabis terram, sed septimo anno dimittes eam,vt comedant pauperes populi tui*. Exod. 23. num.10. Si septimo anno semina non sunt terræ mandanda,nec fruges colligendæ; ergo fame peribunt homines.Minimè. Cùm enim fructus huius anni in pauperum necessitates distribuantur, minimè, aliquid poterit deesse,sed omnia valde multiplicata erunt, benedictio enim diuina promittitur, vt antecedenti anno sexto terra producat trium annorum fructus. Sic ait Deus: *Dabo vobis benedictionem meam anno sexto, & faciet fructus annorum trium seretisque anno octauo, & comedetis fruges veterum vsque ad annum nonum, donec noua nascantur, edetis vetera*. Leuit.25. num.21. Eleemosyna in sinu pauperis magnum semen ad vberes fructus. *Quod pauperi datur, in nostrum commodum venit.* Exod. 23. Leuit.25.

92. Secundò. D. Bernard. in Declamationibus: *Communicate eam pauperibus, quorum est regnum Dei: vt cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in æterna tabernacula sua & consolationem suam: mensuram enim bonam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinu eorum, nec erit illud pallium breue, quod dues operire non posset, aut stratum coangustum, vt decidat alter*. Bern. Mandat Dominus,vt pauperes, & egenos faciamus nobis amicos, quorum paupertate tam ampla est dignitas,vt non solùm sibi,sed etiam aliis possint suis orationibus parare æterna tabernacula;sic ipsi degunt in cœlis, vt sibimetipsis, ac aliis valeant parare sedes. Ait Regius Vates: *Audite hæc omnes gentes; auribus percipite omnes, qui habitatis orbem. Quique terrigena, & filij hominum:simul in vnum dues, & pauper*. Psalm.48.n.1. Pf.48. Vocantur ad Deum dues,& pauper; maximè tamen expendendum est, quod ait: *Simul in vnum dues, & pauper*: seu vt ex Græco legi potest: *In idipsum dues,& pauper*. Quasi dues non per se adducatur,sed provt est vnitus, ac conglutinatus cum paupere, sub cuius vmbra, ac protectione trahitur.D.Cæsarius Arelatens.homil.24. quæ est de vlmo,& vite. Postquam latè ponderat, quòd vlmus cum sit arbor sublimis, significat diuites; vitis verò cum humilis sit, pauperes adumbrat; vlmus verò quamuis sublimis caret fructibus, provt verò vitem sustentat fructibus exornatur, Tunc sic subdit S.Cæsarius: *Arbor vlmea significat hominem diuitem in hoc mundo.Sicut enim arbor illa sublimis est amœna, & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicunque dues sæculi huius quamuis sublimetur honoribus,in multis facultatibus amœnus,& iucundus esse videatur, tamen si ad vitem, id est ad pauperem Christi eleemosynarum suarum brachia quasi ramos piissimos humiliter non expandit, à fructibus æterna vita vacuus remanebit*. Dues per se vacuus est fructibus, provt verò ad pauperem suis eleemosynis accedit,fructibus exornatur, vt ad æterna tabernacula ingrediatur. Græc. *Dues per eleemosynam exornatur fructibus, ac fertur in cœlum.* D.Cæs.

93. Chrys. Tertiò. D. Chrysostom. concion. 3. de Lazaro: *Verum habes amicum*, ait, *egregium, admirandumque, at ne iste quidem tunc tibi est adfuturus. Quomodo igitur dicit: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula? Non hic est amicitia opitulatrix: sed eleemosyna. Etenim si sola auxiliaretur amicitia,dicendum erat; facite vobis amicos. Nunc autem ostendens, quod non sola sufficiat amicitia, addidit ex mammona iniquitatis*. Quod satis eleganter dictum est. Multis modis comparantur amici, vel orationis dulcedine,vel donatione, vel alio modo; valde mirum, quòd non solùm mandat dominus facere amicos,sed addidit amicos ex mammona iniquitatis, hoc est ex eleemosynis pauperibus datis, vt eorum interuentu ingrediamur ad æterna tabernacula. Nonne sufficit quod faciam mihi amicos potentissimos prece, seu oratione, ad quid peculiariter exprimitur ex mammona iniquitatis? Ostendit Dominus, quod non sic nobis proderunt amici orationibus comparati,ac illi quos ex eleemosynis erogatis in pauperes assequuti fuerimus apud Deum.Illa enim inueniũtur efficacissima patrocinia, quæ ex eleemosynis impensis obtinẽtur.Vnde sic subdit citatus Chrysostomus: *Vt scires*, ait, *quòd eleemosyna est,qua patrocinatur opus tuum,ac beneficium tuum,non simpliciter in bonorum amicitiis, sed in amicitiis per mammonam partis iussit te confidere*. Chrys. *Ex eleemosynis pauperum efficacissima sunt patrocinia Sanctorũ.*

94. Ait Dominus per Ezechielem 14. num.19 *Si pestilen* Ezech.14.

pestilentiam immisero super terram illam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem. Et Noë, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego dicit Dominus Deus, quia filium, & filiam non liberabunt. Compone hæc cum his, quæ narrantur Actor. 9. num. 40. Quod vnus tantum Petrus orans Thabitam de mortuam suis orationibus in vitam reuocat. *Petrus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus dixit, Thabita surge: at illa aperuit oculos suos.* Cur tres viri illi sanctissimi suis orationibus pro filiis non exaudiuntur; at verò Petrus pro vna muliere defuncta, & sibi deuota deprecans exauditur? De Thabita dicitur in textu: *Erat plena operibus bonis, & eleemosynis, quas faciebat*, ibidem num. 36. In illis tribus viris apud Ezechielem dabatur patrocinium cum orationibus tantum; at verò in Petro cum oratione simul coniuncta erat distributio eleemosynarum in pauperes, ex qua tam efficax fuit patrocinium, vt statim optata impetraret, & mulieri vitam restitueret. Opportunè rē explicat D. Chrysostomus in Psalm. 48. *Audi*, ait, *quid dicat Propheta: si fleterit Noë, & Iob, & Daniel, filios suos, & filias suas non liberabunt. Quantum luxit Samuel, & Saulem non eripuit? Quantum precatus est Hieremias, & Iudaos nihil iuuit? Quid ergo; sunt ne superuacua Sanctorum preces; Nequaquam, sed magnas vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris. Ita etiam Petrus suscitauit Thabitam, non solùm oratione, sed etiam illius eleemosyna.* Ecce preces sine eleemosynis non impetrant effectum, maximè verò si ab ipsis eleemosynis habent auxilium.

Actor. 9.

Oratio vt exaudiatur ab eleemosynis auxiliatur.

Chrys.

QVÆSTIO XV.

Quare mandans Dominus facere eleemosynas pauperibus, addidit: Et cum defeceritis recipient vos?

95. EXPENDO verbum, *cum defeceritis*; hoc est, vt dixi in expositione, cum vita, ac officio functi fueritis, ex pauperum orationibus ob eleemosynas datas habeatis auxilium, & præsidium in hora mortis, in tempore iudicij, ac receptione æternæ vitæ. Ait Ecclesiast. 7. numer. 13. *Sicut enim protegit sapientia sic protegit pecunia.* Quæ verba sic legit Paraphrastes Chaldaic. *Quemadmodum custoditur vir in vmbra sapientiæ: sic custoditur in vmbra argenti tempore, qui facit ex eo eleemosynam.* Sicut enim vera sapientia in omni pressura facit declinare omne malum, sic & pecunia erogata in pauperes omnia iacula diuinæ indignationis depellit. Pro quo eleganter ait D. Gregor. Nazianzenus orat. 17. *Ad necessaria tempora superna benenolētia tibi præsidium para, misericordiam Deo commoda, neminem vnquam Deo aliquid prius obtulisse pœnituit: in beneficio reddendo copiosus est.* Singula verba pondera, *Ad necessaria tempora.* Nempe in hora mortis, die iudicij. *Misericordiam Deo commoda*, qui enim misericordiam impendit pauperi, misericordiam Deo commodat, quasi ex iure videtur agere cum Deo, vt illi æternam gloriam reddat.

Ex eleemosyna præsidium in hora mortis ac iudicij.

Eccl. 7.

Chald.

Naz.

96. Ad nostram quæstionem respondet D. Bernard. in Declamationibus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ac si manifestius dicat.: Va vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Attamen vnum iam superesse videtur, communicate eam pauperibus, quorum est regnum Dei, vt cum venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula sua, & consolationem suam, quam modo prudenter expectant, dum vestram ipsis præripitis, misericorditer communicent desolatis.* Preme verbum, *cum defeceritis*; id est cum aliter potentes, ac valentes non estis ad hanc vrbem cœlestem obtinendam. Veluti qui ciuitatem munitissimam expugnat, cum eam nullo modo valeat expugnare, nec ad illam habere ingressum, ac industria vtitur; milites seu custodes donis, ac datis pecuniis corrumpit, vt illi aditus pateat, ciuitas cœlestis est munita, & veluti clausa diuitibus, vt ipse D. Bernard. citato loco ponderat, expendens illud Christi Domini, Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.* Cùm ergo *vos defeceritis*; non valentes, nec potentes hāc vrbem cœlestem intrare, erogatis pecuniis arte, & industria vtemini, porrigite eleemosynas pauperibus, vt ipsi suis orationibus, ac meritis vos adiuuent, manus præbeant, vt cœli ianua vobis patefiat. *Attamen vnum iam superesse videtur, communicate eam pauperibus, vt deficientes vos recipiant.*

Eleemosyna efficax ars, vt cœlum oppugnes, & ad illud ingrediaris.

Matth. 19.

97. Ait Salomon Prouerb. 10. num. 15. *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius.* Ac si dicat, tota fortitudo diuitis ad oppugnandam cœlestem ciuitatem, quamuis fortissimam, eius diuitiarum substantia est in pauperes diffusa. Ad quod etiam tendit id, quod ipse sapiens ait Prouerb. 13. n. 8. *Redemptio animæ viri, diuitiæ eius.* Ac si dicat: Anima diuitis, suis opibus tenetur veluti capta nexibus suarum iniquitatum, à quibus eleemosynis expensis in pauperes liberatur. Vtrumque locum dilucidat D. Ambrosius epistol. ad Vercellens. Ecclesiam: *Neque*, ait, *ipsa diuitiæ vituperabiles.* Redemptio animæ viri, diuitiæ eius. *Quoniam qui pauperi donat, redimit animam suam. Est ergo his materialibus diuitiis virtuti locus. Quasi Gubernatores estis in magno mari, si quis ergo bene gubernat suum nauigium, citò transit fretum, vt perueniat ad portum; qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur; ideò scriptum est*: Possessio diuitum ciuitas firma. *Quæ est ista, nisi Hierusalem, quæ in cœlo est: Bona hæc possessio, quæ fructum perpetuum facit.*

Prou. 10.

Prou. 13.

Eleemosyna redimit animā ab omni malo.

Ambr.

98. Ait Ecclesiasticus 29. num. 15. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & super scutum potētis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit.* Optatus Mileuitan. lib. 3. contra Donat. *Conclude eleemosynam*, legit, *absconde panem.* Illud verò in corde pauperis. Græcus: *In cellis tuis.* Quod enim pauperi datur tibi reseruatur. In rem nostram. Super *scutum potentis pugnabit.* Quodnam est scutum potentis? nubes nempe, quam Deus tanquam scutum, cum iratus est, opponit aduersus peccatores, ne eorum preces pertranseant ad eum, quod cum multis lachrymis dicebat Ieremias, Thren. 3. num. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Fortè ergo hoc scutum, quod cœlum est veluti clausum, ac munitū. ne oratio penetret, eleemosyna tamen, vt irrefragabile telū illud valet perrumpere, vt ad Dei thronum deueniat, ac vt omnia impetret, & obtineat. D. Chrysostomus 9. de Pœnitentia: *Magna res eleemosyna*, ait, *præcedit æthera, transit Lunam, Solis radios cadit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos & Angelorum, populos decurrens. Archangelorumque*

Eccl. 29.

Optat.

Græc.

Thren. 3.

Eleemosyna efficacibus quàm oratio penetrat cœlum.

Chrys.

gelorúmque choros,& omnes superiores potestates ipsi assistet regali throno, quod ex ipsa discę Scriptura.

Corn. Cornel. eleemosynæ, *inquit*, & orationes tuæ ascenderunt in conspectu Dei.

CAPVT XXIX.

Diues epulo,& Lazarus.

*Luc.*16.*n.*19. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo: & epulabatur quotidie ſplendide.

VERSIONES.

Syriac. Porrò vir quidam diues erat, & amictebatur byſſo, & purpura: & quotidie ſe oblectabat magnificè.

Clem.Alex. Homo quidam erat valdè diues.

Arabicus. Induebatur purpura,& byſſo: & iucundè vitam ducebat quotidie, & ſplendidè viuebat.

Gratus. Gaudebat quotidie, & hilaris erat.

EXPOSITIO. I.

1. Chryſ. Mald. Barrad. Corn. OTAT Diuus Chryſoſtomus homil. de Diuite, & Lazaro, quem ſequuntur communiter Recentiores, Maldonatus,Barradas, Cornel. Hæc ſpectare ad ea, quæ ſuperius de exhortatione eleemoſynæ dicta ſunt à Chriſto Domino hoc capit. 16 D.Luc.numer.9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* Et numer.13. *Non poteſtis Deo ſeruire,& Mammonæ.* Quare immediatè hæc omnia hoc horrendo exemplo confirmat, obiiciens ante oculos, diuitem tartareis cruciatum flammis, qui non fecerat amicos de Mammona iniquitatis,& pauperibus nec micas quidem cadentes de menſa ſua dabat; cætera verò intermedia in hoc cap.16. pronuntiata ſunt à Chriſto, eo in loco,quo extant apud Matth.6.& ibi à nobis ſunt explicata tomo 2.

Connexio cum superioribus.

2. *Homo quidem erat.* Non dicitur vir,ſed homo, à natura corrupta, quæ in eo multis vitiis erat deprauata;& dicitur homo, ne iſte veluti aliqua beſtialis fera intelligeretur,nam qui ventri,acgulæ tantum indulget, & clauſa habet viſcera ad ſuos fratres,non homo,ſed brutum animal reputatur, quod toto conatu de ſuis paſcuis eſt ſolicitus;ſic hunc epulonem pungit D.Chryſ.homil. vnica. *Vbi diuitiæ, & feritas*, ait, *Leonem video non hominem:nobilitatem perdidit ignobilitate malitia.* Et dicitur de eo,vt notat Hugo. *Erat diues.* Per præteritum imperfectum, quia omnis qui finaliter non eſt bonus,imperfectè eſt diues; quia eius diuitiæ prætereunt, & pereunt. *Diues* dicitur, ait D. Bonauent. non ſolum propter diuitiarum poſſeſſionem, ſed etiam propter earũ nimium affectum,ac delectationem, ratione cuius incraſſatur,ac prægrauatur ſpiritus,vt non poſſit peruenire in ſublimia regna cœlorum,Matth.19. numer.24. Et quamuis hic miſer eſſet diues in temporalibus, tamen vt ait D. Fulgent.libr. de ſtatu viduali capitę 9. *Pauper erat in multitudine diuitiarum, nudus in pulchritudine veſtium, infirmus in ſanitate corporis, famelicus in ſatietate ventris.* Cum eius diuitiæ ei inſeruirent,vt æternas diuitias, æternam pulchritudinem,ſalutem, ac ſatietatem perderet.

Bonauent. Matth.19. Fulg.

3. *Induebatur purpura,& byſſo.* Purpura veſtis coloris purpurei, qua non eſt alius habitus pretioſior,ac magnificentior. Byſſus linum tenuiſſimũ, ac delicatiſſimum. Byſſus tunica interior,purpura veſtis exterior. *Et epulabatur quotidie.* Denotatur illius frequens,ac diuturna conſuetudo ſplẽdida lautæ, & opulentæ menſæ. Græcus habet, Oblectatus per ſingulos dies. Oblectabatur pretioſis epulis, pretioſo vino, muſica, multáque frequentia ſeruorum; aliíſque huiuſmodi rebus. Epulabatur quotidie ſplendidè. Gloſſa. Ecce voracitas:quæ vt plurimum habet luxuriam adiunctam. *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra.* Iacob.5.v.5.

Græc. Gloſſa. Iacob.5.

QVÆSTIO I.

An huiuſmodi euentus Diuitis cum Lazaro ſit hiſtoria,vel parabola?

4. Chryſ. Theoph. Boſtr. Theoph. Euth. PARABOLAM eſſe exiſtimant Diuus Chryſoſtom. 4. Homilia de Diuite & Lazaro: vbi paſſim parabolam dicit. Et hoc loco Theophylact.Titus Boſtrenſ.D.Gregorius Nazianz.in Carm. de Parabolis Luc Theophyl.Antioch.lib.4. Allegoriar. Euchitius quæſtionibus in Lucam.

5. Tertullian. Cyril. Aug. Iren. Peluſiot. reg. Chryſ. Chryſoſt. Ambr. Euth. Lyran. Carth. Barrad. Corn. Hiſtoriam eſſe docent Tertullian.libr.de Anima capit.7. D.Cyrill lib.1.in Ioan.cap.22.D.Auguſtin,ſerm.227.de tempore, D.Irenæus libro 2. cap.62.D.Iſidorus Peluſiota Epiſtol.376. ad Cyrium,D.Gregor.homil.40.in Euangelia,D.Chryſolog.ſerm.124.D.Chryſoſt.homil.de Lazaro,& Diuite. Et hoc loco in Lucam D.Ambroſ. Euth. Lyran.Carthuſian.Baron.in Annalibus. Et Lucas Burgenſ. Barradaſ,Cornel.& alij, qui omnes dicũt fuiſſe hiſtoriam, quæ paulo ante illud tempus,quo Chriſtus prædicauit, contigerat;nomen pauperis exprimitur in litera, qui dicebatur Lazarus; nomen verò diuitis ex traditione Hebræorum refert Euthymius, qui dicebatur *Ninenſis.*

6. Euthym. Mald. Menoch. Tyrin. Euthymius, Maldonatus,Menochius,Tyrinus exiſtimant partim eſſe hiſtoriam,partim parabolam, quod mihi eſt probabilius, quod nempe Diues, & Lazarus fuerint, & quod ille ſepultus ſit in inferno, hic in ſinum Abrahæ aſportatus hiſtoria eſt; Colloquium autẽ diuitis cum Abrahamo poſtulãtis ab ipſo,vt ad illum Lazarus mitteretur, qui gutta aquæ refrigeraret linguã eius, parabola adiuncta hiſtoriæ eſt; non enim miſeri ex inferno ſanctos rogare ſolent, nec de aliorum ſalute ſe ſolicitũ exhibent, vt Diues erga fratres ſuos ſe oſtendebat.

Chryſ. Hugo. *Opulentia cum ferocitate non hominis, ſed leonis eſt.*

Quod

7. *Probatur quod sit historia.* Quod ergo non sit mera parabola, sed etiam historia. Probatur. Primò; Quia Christus eam non vocat parabolam, nec similitudinem, vti facere solebat in aliis parabolis, sed eam proponit quasi veram historiam. Secundò: quia in honorem huius Lazari, vt sancti, & leprosorum, vlcerosorúmque patroni, multæ vetustæ variis in locis extant Ecclesiæ, quibus annexa sunt hospitalia pro cura leprosorum, vt testatur Baronius, & videre est in Roma, Olyssipone, Conimbrica, & alijs locis. Tertiò, quia hic nominatur Lazarus. In parabolis enim cum sint fictę, nomina vera, & propria non solent apponi, & in nulla parabola Christus Domin. nomen alicuius proprium vsurpauit. Hoc argumento communiter vtuntur Patres, D. Chrysostom. homil. de hoc loco. *Neque enim in parabola dicenda nomina sunt.* D. Ambr. citatus. *Narratio magis*, ait, *quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur*, &c. Tertullian. allegatus. *Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est?* Ex quo fundamento contra Hebræos, ac Hæreticos probatur librum Iob nõ parabolam fictam, sed veram historiam continere, cum illic nomina Iob, ac sociorum, & regionum describantur.

Baron. Chrysost. Ambr. Tertullian.

8. Quartò. Maldonatus ait: *Moderationis fuisse Christi, vt pauperem, quem laudabat, nominaret: diuitem, quem vituperabat, non nominaret, ne illi iniuriam faceret, & sibi inuidiam conflare videretur: si enim parabola fuisset, in parabolis personarum nomina licuisset exprimere, non minus vtique diuitem, quam pauperem nominasset, nullam in ficta narratione cuiquam facturus iniuriam.* Pauperem, quem laudabat, nominati Diuitem, quem vituperabat, absque nomine introducit; nomen hominis crudelis, inhumani, ac iam inferno sepulti non exprimit Christus, sed illi pepercit; discant à Christi exemplo prædicatores vt viuentium, eorúmque, quorum correctio omnino desperata non est, nominibus notis, ac suggillationibus parcãt, ne illis iniuriam, ac ignominiam inferre videantur.

Mald. *Peccatoris publici nomen tacendum.*

9. Constituta solemni celebritate Ieroboam Rex, Princip ésq; populi Israël immolabant sacrificia idolis suis, missus est à Domino Propheta, qui Regem, ac principes increparet, diráqua supplicia illis denunciaret, qui accedens loquitur ad altare dicens. *Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt.* 3. Reg. 13. numer. 1. Si Propheta destinatur ad Regẽ, ac principes, coarguẽdo de sua iniquitate, ac abominatione, quæ in omnium oculis erat manifesta, nam apertè erãt ipsi victimas sacrificantes, cur ergo non ad ipsos, sed ad altare dirigit sermonem Propheta? Verum est, quod eorum facinus in omnium oculis patebat. Tamen Dei Minister sic indignationem temperauit, accusationémque ordinauit, ac instruit; vt regis, ac principum nominibus silentio inuolutis, contra altare verba dirigeret, vt eorum famæ, ac honori aliquantulum parceret, ne lacessere, sed admonere videretur Theod. q. 42. *Ne sic*, ait, *quidem errantem eum despexit benignus, & clemens Deus, misit enim Prophetam, cui iussit, vt nihil ei diceret, sed altari.* Pondera: *Errantem non despexit.*

3. Reg. 13. *Etiam publici peccatoris nomen celandum.* Theod.

10. Cum Apostolus in Schola Corinthia pungeret hominem turpiter effectum; de quo scribens ait: *Auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat,* 1. Corinth. 5. num. 11. Qui homo, vt notat Theodoretus in Præfat. eiusdem Epistolæ, erat vir nobilis, & insignis, cuius peccatum erat tam publicum, vt testibus non indigeret, vt notat D. Anselmus; tamen Apostolus illius nomen non exprimit, ne famam læderet, sed vt illius honori aliquantum consuleret.

1. Cor. 5. Theod. Anſel.

Ad populum errantem ait Deus per Ezechielem 20. num. 35. *Adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem.* Dum Deus vellet accusationem, ac increpationem proponere contra populum delinquentem, non solum eum adducit in desertum, sed insuper ait, quod res sit tractanda *facie ad faciem*, quæ est phrasis maximè notatu digna, & idem valet, ac, vt dicunt Maldonat. Cornelius. *Solus cum solis, sine arbitris, ne gentes videant pœnas, quas de vobis sumpturus sum.* Ea est Dei benignitas, ac humanitas, vt nolit peccatores publicè traducere, & aliorũ ludibrio exponere; sed secretò, & remotis arbitris corrigere solet.

11. Ezech. 20. *Deus secretò corripit delinquentes.* Mald. Corn.

QVÆSTIO II.

Quare miser Auarus pretiosa purpura, ac byſso induebatur?

12. Chryſ. Theod. *Deo malos diutiùs essicit, vt eos grauiùs castiget.* Ioan. 12. Chryſ.

MVLTVS rerum apparatus concessus est à Deo huic misero, vt ait D. Chrysologus serm. 124. *Certè, vt tantis dines bonis fultus Deo gratus esset.* Nam etiam, vt ait Theodoretus lib. 6. de Prouident. *Apertissimum defensionis campum haberent malitia operary, si in hac vita diuitiarum thesauros solis iustis index ille distribuisset:* diuinus Magister intus, & in cute agnoscebat Iudam, quid vellet, quid tentaret, quid raperet. *Fur enim erat, & loculos habens*, Ioan. 12. num. 6. & tamen nummos illi committit ad dispẽsandum D. Chrysostom. homil. 64. in Ioan. *Vt omnem*, inquit, *tolleret proditoris materiam*, ne conqueretur Iudas, si abillius nummis esset exclusus.

13. Beda. Haym. Bonau. Hugo. Plin. *Reges, ac principes vestiuntur de sanguine parunlorum.*

Primò. Respondent Beda, Haymon, D. Bonauent. Hugo. *Purpura est regis habitus. seu rubeus habitus à conchis marinis ferro circumcisis emissa; piscis culus latet inter conchas marinas, de cuius sanguine tingitur purpura, soli autem reges, vel imperatores hoc genere vestis vtebantur. Byssus, sicut dicit Beda, genus est lini candidissimi, & mollissimi, & tantum nascitur in Ægypto.* Verba sunt Hugonis. Byssus autem ad illum candorem, ac tenuitatem multis cruciatibus, ac tunsionibus deuenit, vt latè describit Plin. l. 19. c. 1. Hoc genere vestimentorum magnates sæculi ad suam pompaticam magnificentiam, ac ostensionem componuntur; Reges enim, principes, ac diuites ex paruulorum sãguine, pressura, ac vexatione vestiuntur, ac adornantur in suo cultu, ac apparatu. Vide supra cap. 9. n. 77. & n. 90. 91.

14. Hier. *Iniquus in suis deliciis habet præsagium suæ damnationis.*

Secundò. D. Hieronym. ad Iulian. *Diuitem purpuratum*, ait, *Gehenna flamma suscepit.* Pro nimio suo ornatu, ac luxu purpura vtebatur dives; purpureus, ac sanguineus vestis color consimilis gehennali igni. Apte ergo non alio colore, sed purpureo vtitur auarus, ac si in suis deliciis, ac delectationibus suorum tormentorum præsagium reportaret miser, purpureus eius apparatus suę æternæ dãnationis fructus indicabat.

Volens

Volens Angelus ostendere Ioanni damnationum meretricis magnæ, ostendit ei mulierem, *quæ circũdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso*, Apocalyps. 17. num. 4. Cur mulier, quæ ad sui damnationem, & mortem ibat, non ostenditur sacco vestita, sed purpura, & coccino, ac si ille nimius ornatus multam cognationem cum damnatione haberet, illiúsq; esset prophetia? Tertullianus lib. de cultu fœmin. cap. 12. *Illa ciuitas magna*, ait, *cum prostituta à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est, sed & certè in purpura cum coccino, & auro, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta describi.* Preme vltima verba, *sine quibus non potuit maledicta describi*, quæ ignem futurum præsagiunt, & lasciviam præsentem indicant. D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistol. 74. *Vilem*, ait, *Dei nostri vestium imitare, nam mollitiei præsens lascivia est.*

Apoc. 17. Tertullian. Pelusiot.

15. Tertiò. D. Gregorius homil. 40. in Euang. ait, *Vestimenta pretiosa, nisi ad gloriam quæris, vt honorabilior cæteris habeatur.* Ampla purpura fulget Auarus, quotidiano splendidè epulatur cóuiuio, multo cum apparatu, ad quid tanta rerum pompa in homine vulgari, ac particulari? Maximè nobilem, ac regium se ostentare affectabat miser, & ingenuitatem, quã natura ei denegauerat ex vestium splendore exambiebat sibi vsurpare, *vt honorabilior cæteris esse videretur.* Decorem, quem ei natura non dederat, ex sumptuoso ornatu, ac splendida mensa sibi maturare inrendebat, vt cæteris nobilior videretur. Narrat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 10. Quòd Apelles cuidam è discipulis suis, qui Helenam multo auro ornatam depinxerat, dixisset: *O adolescens cum posses pingere pulchram, pinxisti diuitem.* Sic multi cum non possint se pulchros reddere, decore virtutis, ac nobilitatis, diuitiis se volunt magnos ostentare.

15. Greg. *Ignobilis ex pompa vult nobilis reputari.* Clem. Alex.

16. Duæ mulieres describuntur in Scriptura ornatæ, ac circundatæ auro: vna filia Regis, Psalm. 44. *In vestitu deaurato, circumdata varietate*, num. 10. & iterum: *In fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, ibidem num. 14. Altera mulier illa meretrix in Apocalyp. 17. num. 4. Quæ erat *circundata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso.* Multa tamen differentia inter se discrepant huiusmodi mulieres; nam illa Psalmi suum splendorem non desumebat à vestitu: sed ab intrinseco. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus*, seu vt legunt D. Hieronymus, D. Augustinus, *ab intrinseco.* At verò Babylonica meretrix ex ornatu, ac compositione exteriori maximè nitere, ac splendescere satagebat. *Erat circundata purpura, & auro, habens poculum aureum in manu sua.* Quænam huius rei ratio? Cum illa prima esset regis filia valde præexcellens nobilitate generis, omnium virtutum, ac donorum; non à vestitu, sed à suo intrinseco decore præillustris erat; at verò cum meretrix illa esset turpis, & infamis, fœdata omni turpitudine, ac vitio, cũ qua omnes reges terræ fornicati sũt, à purpura exteriori deaurata exambiebat insigniri, ac nobilitari. Rupertus ad citatum Apocalypseos locum: *Pulchrè dicitur*, ait, *quia circundata erat purpura: qua nimirum dicto vigilanter audientibus, ad animum reuocat, quanta in regali habitu, superborum sit vanitas: extrinsecus namque pulchris speciebus colorari possunt, quarum vel optima videtur regia purpura, sed intrinsecus, vel subtus eandem purpuram, non solùm propter fluxam libidinem vlcerosa? sed etiam per accidentium morborum genera diuersa, misera & tabida.*

Apoc. 17. Hier. Aug. *Nobilis de virtute, ignobilis de exteriori vult magnus reputari.* Rup.

QVÆSTIO III.

Quare in argumentum damnationis huius diuitis dicitur, quod induebatur purpura, & bysso, cum his vtens mulier fortis laudatur?

17. MAXIME criminatur hic diues, quia induebatur purpura, & bysso. Et tamen mulier illa fortis, quæ maximè laudatur in Proverb. 31. num. 22. Inter eius illustria encomia prædicatur. *Byssus, & purpura indumentum eius.* Cur ergo tale vestimentorum genus huic mulieri in gloriam, diuiti verò in vituperium cedit. Cùm vtriusque idem videatur ornatus? Prou. 31. *Ratio dissimilitudinis.*

18. Ad quæstionem respondeo. Primò ex doctrina Caietani ad nostrum textum: *Peccatum luxus*, ait, *immoderato vestitu exteriori significatur: purpura enim regum, non cuiusque diuitis est.* Primum in hoc diuite arguitur, quod esset: *Homo quidam induebatur purpura.* Erat quidam homo particularis, ac plebeius genere, licèt diuitiis repletus: at mulier fortis multum præillustris erat. *Nobilis vir eius, cum sederit cum Senatoribus.* Erat vir eius ex Senatoribus, ac principibus ciuitatis. Purpura principum, ac regum vestis est, inde ornatus ille mulieri conueniens inueniebatur; improportionatus verò omnino auaro. Quilibet iuxta sui status conditionem componatur, ac exornetur, ex quo purpura in diuite crimen, in muliere verò laus. Vide suprà c. 22. n. 24. 25. & 26. & n. 109. 110. & 111. Caiet. *Cuiuslibet vestu iuxtà sum statũ, & conditionem.*

19. Secundò. Vt respondeam aduerte, quod byssus, est linum quoddam valde candidum, & subtile, quod ad illum candorem, ac subtilitatem multis cruciatibus, ac tunsionibus peruenit, vt iam superiori quæstione ex Plinio notaui; vnde commoniter assumitur, vt typus ieiunij ac macerationis carnis. Purpura verò indumentum regale, & inde per se indicat multum splendorem, ac felicitatem. Ezech. 27. num. 7. Quo supposito. *Quid significet byssus, & quid purpura?* Ezech. 27.

20. Ad quæstionem respondeo secundò, quòd diues, *induebatur purpura, & bysso.* Interius habebat purpuram delectationis, ac iucunditatis, exteriùs verò byssum, seu quãdam hypocrisim pœnitentiæ, ac mortificationis; mulier autem fortis sic vestiebatur. *Byssus, & purpura indumentum eius.* Interius bysso cilicij, ac cruciatus accingebatur; exterius verò veste speciosa, ac nobili circumamicta apparebat. Qui autem pœnitentiæ habitus hominem oculis obiicit, interius tamen tunica blanda, ac molli vtitur, ad damnationem properat; qui autem cilicia, ac saccos communi, & nobili veste tegit, in Christi schola versari videtur; qui non cilicino habitu, *sed communi veste tectus*: homines ad se trahebat, vt docet D. Chrysostomus homil. 12. in Matth. & probat D. Thom. 3. part. quæst. 40. art. 1. Vnde ipse cum ieiunaret, vt scribit D. Marcus 1. num. 13. *Erat in deserto.* Cur Domine id nõ agis in ciuitate inter *Pœnitentia occultanda.* Chrys. D. Thom. Marc. 1.

inter parentes & cognatos? vt rigorem ieiunij, syluis, ac scopulis deserti absconderet, ac doceret nos pœnitentiæ austeritates occultare; nam, vt rectè ait D. Cyprianus serm. de Christi ieiunio: *Contemptus venerationem venatur, famæ laudibus saturatur.*

Cypr.

21. Tertiò. Mulier fortis sic vestiebatur, vt dicatur, *Byssus, & purpura indumentum eius.* At verò de diuite è conuerso scribitur: *Induebatur purpura, & bysso.* Mulieris fortis primum illius indumentum byssus, deinde ad purpuram venit; qui enim primò induitur byssо, hoc est, primo amplectitur cruciatum, ac mortificationem pœnitentiæ, abstinentiæ, & ieiunij, hic bene, ac proprio gradu eleuatur ad purpuram, id est, ad regium splendorem, ac gaudiorum felicitatem. At verò in diuite primus illius amictus purpura, deinde ad byssinum venit; *Induebatur purpura, & bysso.* Qui enim in hac vita sibi primum nulla laboriosa via recipit purpuram bonorum, voluptatum, ac oblectationum temporalium, absque dubio in altera vita vestietur byssò in æternum, hoc est æternos gehennæ cruciatus, ac tormenta reportabit; quòd videre est in præsenti historia; nam diues purpura iucunditatis, ac oblectationis mundanæ induebatur in hac vita; postea tamen expositus diuinæ iræ, *sepultus est in inferno*, vbi miserrimè omnia tormentorum genera sustinet; è contra verò Lazarus, qui byssum vlcerum, doloris, paupertatis, ac miseriæ reportauit in hac vita, postea in altera, *ab Angelis portatur in sinum Abrahæ.* Vbi æterna purpura congaudet. D. Hilarius in Psalm. 122. expendens Abrahami verba ad diuitem: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Sic ait sanctus Doctor: *Fit alterna conuersio, & in demutatur lætitia in mœrorem, & mœror in gaudium.*

Labyrum huius vitæ sequitur gaudium, obstinationem verò tristitia.

Hilar.

22. Loquens Christus Dominus de extrema persecutione Antichristi, ait: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus!* Matth. 24. num. 19. Communis difficultas cur super prægnantes, ac nutrientes væ, ac lamentationem proferat Christus Dominus? S. Augustinus in Psalm. 59. D. Hilarius, Chrysostomus, D. Hieronymus, Auctor Imperfect. Euthymius, Beda, Theophylactus, existimant: væ prægnantibus, ac nutrientibus dici, quia illæ veteri, hæ verò lactentium onere grauatæ fugere non poterunt, quod maximè confirmatur ex adiunctis Christi verbis: *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Ex quo magna mihi insurgit dubitatio. Cur non potiùs lamentantur à Christo claudi, cæci, ægri, ac imbecilles, cum ad fugam sint multò magis impediti? Prægnantes, ac nutrientes valde delicatè in multis delitiis viuunt, & degunt, vt notauit Maldonatus: *Prægnantes, ac nutrientes solent in maxima securitate nuptiis, ac liberis operam dare, quasi dicat, væ illis, qui in maximis delitiis, & securitate versabuntur, & cum calamitas innaserit, fugere non poterunt.* Non lamentantur à Christo Domino claudi, cæci, ac infirmi, sed prægnantes, & nutrientes; nam illi à sua oppressione, ac miseria videntur habere præsidium, vt à persecutionis tempestate declinent; at verò hæ cum in delitiis, & voluptatibus versentur, ab ipsis compedibus astringuntur, vt à calamitate non fugiant, sed omnino ipsa eas teneat, & apprehendat.

Matth 24.

Aug. Hilar. Chrys. Hier. Imperfect. Euth. Beda. Theoph.

Mald.

In vexatione præsidium à calamitate, in delitiis catena ad pressuram.

23. Ad Israëlitas loquitur Amos cap. 4. num. 1. *Audite verbum vacca pingues, quæ estis in monte Samariæ.* Verbum illud, *vacca pingues*, legunt D. Hieronymus, Symmachus, *saginatæ.* Cur principes Israël, qui maximè erant delicati, vocantur vaccæ, & non portãtes iugum, sed pingues, & saginatæ, & non dicuntur tauri, sed vaccæ? quia præ deliciis sic erant effœminati, vt illis similes euaderent; sed cùr non portantes iugum, sed pingues, & saginatæ; nam quæ super ceruicem iugum asportant, exinde sequitur ei, vt ad dulce pabulum ducantur. At verò vaccæ pingues, & saginatę, quę tantum ventri indulgent, quid inde habent, nisi vt propriis suis pedibus ad macellum, ac mortem veniant, & properent? Sic Israëlitæ suis deliciis mortem, ac iugulationem sibi comparabant. D. Hieronymus: *Loquitur Propheta, ait, ad principes Israël, & optimates quosque, qui in deliciis, ac rapinis vacabant, vt audiant sermonem Dei: & non aratores boues, sed vaccas pingues de armento se esse nouerint, siue qua nutriantur in pascuis Basan, qua sunt loca herbarum fertilissima, siue hoc significat eos, non agriculturæ, sed immolationi, & esui præparatos.*

Amos 4. Hier. Symm.

Ex deliciis ad mortem. Hier.

QVÆSTIO IV.

Quare Auarus tam splendida, & opipara mensa manducabat?

GVRAM huius diuitis in curanda cute in poliendo corpore maximè admiratur D. Chrysostomus homil. 1. de Diuite, & Lazaro: *Quotidie, ait, purpura induebatur; anima verò eius aranеis referta erat. Vnguenta spirabat, & fœtoris plenus erat. Mensa illi opponebatur opipara; parasitos, & adulatores alebat. Carnem saginabat ancillam, dominam autem animam fame confectam negligebat.* Sic terrenus apparatus, cibus, ac potus pro corporis oblectamento illi dulces erant, vt miser tanquam cæcus solùm de illis curaret, ac ageret, cum in eis maxima amaritudo, ac mors animæ lateret. Quod sub peccatoris nomine lamentatur Ieremias Threnorum 3. n. 15. *Inebriauit, ait, me absynthio.* Cur peccator non alio nisi absynthio se inebriatum dicit? Cum illud sit valde amarũ, ea est conditio peccatoris, quod vbi ipse existimat comparare dulcedinem, ibi omnem acerbitatem, ac duritiem sibi ministrat. D. Gregorius in c. 30. Iob: *Humanum, ait, genus absynthio est ebrium: quia & amara sunt, quæ pro huius vita amore toleræ: & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat.*

24. Chrysost.

Mundani inebriantur temporalibũ amœnitatibus.

Thren. 3.

Greg.

Ad quæstionem respondet. Primò, citatus Chrysostomus: *Secundùm vestimenta, ait, ita & epulæ. Ergo nobis quales epulæ, talia & vestimenta.* Quamuis diues esset valde iniquus, & impius, tamen cum indueretur pretioso pallio, illi proportionatum mensam, & substantiam habebat, ex quo rectè coniecturatur P. Baëça lib. 7. de Christo figurato tom. 7. c. 9. §. 21. quod sanctissimè, ac sapientissimè Iob, vbi accepit sibi periisse omnem suam substantiam. Cap. 1. num. 20. *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Vestimenta Iob regalia erant, cum ipse rex existeret, ex quo indecorum ipse iudicauit, vt amissa sua substantia illustri ornatu indutus ipse appareret.

25. Chrys.

Cum vestes proportionantur mensæ, ac substantiæ hominis. Baëça. Iob. 1.

Secun

26. Secundò D. Chrysologus sermon. 121. *Epulis blandis*, ait, *ferrea viscera crudelis animo nutriebat.* Tanta hominis crudelitas, vt nec pauperi micam daret. Ex quonam principio nascebatur? ex ipsa nempe multorum ciborum cum vino deuoratione, ex quibus depranata més in furiosam rabiem prosilit. Ait Oseas 7. num. 5. *Dies regis nostri cœperunt furere à vino.* Cùm dies inaugurationis Ieroboam celebraretur, principes Israël conuiuiis dediti, præ ebrietate multo furore insaniebant, & inde festiuitatem coram idolis celebrantes crudelitate, ac inhumanitate quamplurima edebant. Carthusianus: *Principes*, ait, *visiis gulæ seruiebant, & pra ebrietate vini, vsum rationis amittentes, cultus idolorum impudenter vacabant furibundi.*

Ex epulis homo crudelis.

Osc. 7.

Carth.

27. Tertiò, Glossa, vt dixi in expositione. *Ecce verecitas, qua vt plurimum habet luxuriam annexam.* Pergami Angelo dicitur: *Habeo aduersum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel edere, & fornicari* cap. 2. num. 14. Ponderandum est, quod coniungit hæc duo, *edere, & fornicari.* Cur tamen priori loco posuit edere, & posteriori mœchari? Recto sanè ordine, ipsa enim ingluuies genitrix luxuriæ est, ipsámque parturit. D. Gregorius Nazianzenus in sententiis. *Quemadmodum*, ait, *hac fertur ignis natura, vt ad subiectam materiam ardeat: sic etiam natura comparatum est, vt immodicam satietatem libido comitetur: vt influens materia flammæ vires addit, ita vinum languentem libidinem excitat.* Vnde meritò D. Nilus orat. de Gula, ridet eos, qui ventri, & gulæ dediti, existimant se castitatem seruaturos. *Qui ventrem implens*, ait, *pudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui si ignis impletum stuppa compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.*

Ex epulis luxuria.

Greg.

D. Nil.

28. Quartò. Dicitur quod epulabatur splendidè vt eius mors citò denuntiaretur, statim dicitur mortuus est diues, nimia enim saturatio gladius est mortem adducens. *Misit saturitatem in animas eorum.* Psalm. 105. num. 15. Alij legunt, *misit eadem*; vnde eleganter ait D. Nyssenus lib. de vita Moysis: *Voracitatem ventris quasi equitatum populo misit, eumque vitium Ægyptiarum epularum auiditate illigauit.* Voracitas equitatus dæmonis est ad perdendum, ac enecandum populum vniuersum. Vnde diabolus, vt morti aditum aperiat, suadet ingluuiem, fructúmque arboris Euæ ostendit, Genes. 2. num. 6. Deus verò, vt homini consulat, à cibo monet abstinere; nam, vt ait Diuus Chrysologus sermone 8. *Est ieiunium vitiorum mors, vita virtutum, pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ.*

Saturitas mors hominis.

Ps. 105.

Nyssen.

Voracitas dæmonis equitatus.

Gen. 2.

Chrysolog.

Luc. 16. n. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus.

Num. 21. Cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

VERSIONES.

Syriac. n. 20. Et pauper quidam erat nomine Logzar; & proiectus fuerat ad portam illius diuitis, quum esset affectus vlceribus.

Arabicus. Et pauper erat cuius nomen Lazarus, erat proiectus ad portam illius, percussus vlceribus.

D. Chrysost. concion. 1. de Diuite, & Lazaro. Qui iacebat in vestibulo illius vlcerosus.

Orig. Qui iacebat pro foribus eius.

Caietan. Qui porrectus erat ad vestibulum eius.

Syriac. n. 21. Et desiderabat explere ventrem suum ex fragmentis, quæ cadebant à mensa diuitis illius.

D. Chrysost. De micis, quæ decidebant è mensa diuitis: sed & canes adeuntes circumlingebant vlcera eius.

EXPOSITIO. II.

29. VNVM diuitis felicitati, ac opulentiæ opponitur alterius summa miseria, *Erat quidam mendicus.* Non solùm erat pauper, sed etiam mendicus, qui sua miseria, ægritudine, ac voce eleemosynam postulabat, vt sic magis sua voce cor diuitis obduratum excitaret. *Nomine Lazarus*, quod Hebraïcè idem est, ac *ad adiuuandum.* Seu expositus ad adiutorium postulandum. Ex quo Diuus Chrysostomus homil. de Diuite, & Lazaro, diuus Augustinus in Psalm. 69. & D. Gregorius lib. 25. moralium, cap. 18. inquiunt: Lazarus *idem est quod adiutus.* Nomen eius exprimitur ad maiorem historiæ fidem. Et hic Lazarus omnino diuersus est ab illo, qui Matthæ, & Mariæ frater extitit, quem dominus suscitauit, Ioan. 11. num. 43. *Qui iacebat*, proiectus, extensus veluti tanquam cadauer, quod surgere, ac mouere se non potest, quo maxime explicatur vehementia eius morbi, ac ægritudinis. Titus Bostr. *Iacebas*, ait, *abiectus, neglectus, prostratus, prorsus nihilo habitus, omnium, omnique humano præsidio prorsus destitutus.* Et dicitur quod iacebat *ad ianuam eius.* Seu vt habet Syriacus, *ad portam illius:* vt nullam diues haberet excusationem, vt ait Hugo. *Ne diues dicere posset: non vidi: in angulo fuit: aspicere non potui: iacebat ante ianuam, vt diues eum videret exiens, & reuertens.* Et dicitur de eo, *vlceribus plenus.* Seu vt habet Syriacus, *affectus vlceribus.* Erat enim vlceratus, ac vlcerosus.

Chryst. *Aug.* *Gregor.* *Ioan. 11.* *Bostr.* *Hugo.* *Syr.*

30. *Cupiens saturari*, seu desiderans, suúmque desiderium verbis exprimebat ad maiorem ostentationem suæ miseriæ: *de micis*, scilicet panis *fragmentis*

Syr. Theoph. *gmentis*, vt habet Syriacus, Theophylactus: *Desiderabat, inquit, saturari non simpliciter furculis, sed de micis illis, quibus satiabantur canes*, Pergit textus: *Quæ cadebant de mensa diuitis.* Quæ micæ, cum casu è mensa caderent, relinquebantur canibus, vel omnino peribant, cupiebat ipse in domo diuitis habere eam conditionem, quam eius canes habebant. *Et nemo illi dabat.* Ecce ad exemplum regis totus componitur orbis, cum Dominus familiæ esset auarus, omnes eius serui auaritiæ studebant, vt nullus ex eis etiam panis micam pauperi daret; & quamuis multa fragmenta perirent. *Nemo illi dabat*: potiùs mundani eligebant, vt illa perirent, quàm quod pauperis charitatis impenderetur. Sed, seu cum tam dura crudelitas esset in hominibus, domus diuitis. *Canes veniebant, & lingebant vlcera eius.* Canes diuitis lambebant pauperis vlcera, mitiores diuite diuitis canes extabant, vt communiter docent Patres, de quo quæst. 8. Ex hoc tamen D. Chrysostomus concione 1. de Diuite & Lazaro, colligit pauperis vehementem imbecillitatem, *ita vt*, ait ipse, *nec canes quidem posset abigere, sed vinum cadaner iacebat, videns quidem eos currentes, nequaquam tamen valens depellere.*

Ad Domini exemplū tota componitur familia.

Chrysost.

QVÆSTIO V.

Quare diuitis nomen tacetur, Lazari verò exprimitur?

31. *Ratio difficultatis.* VLGARE, & commune dubium. Diuitis nomen prætermittitur, dicitur tantùm, *homo quidam erat diues.* Et cum multoties de eo fiat mentio in tota hac historia, nomen proprium eius semper tacetur: è contra verò Lazarus exprimitur. *Erat mendicus nomine Lazarus.* Sic & sæpius eius nomen repetitur.

32. Greg. Respondet primò. D. Gregorius homil. 40. in Euangelia: *Quid est*, ait, *quod Dominus nomen pauperis dicit, & nomen diuitis non dicit, nisi quod Dominus humiles nouit, atque approbat, & superbos ignorat: ac si aperiè dicat; pauperem humilem scio, superbum diuitem nescio. Illum cognitum per approbationem habeo, hunc per iudicium reprobationis ignoro.* Deus humiles, & pauperes tanquam à se dilectos agnoscit, diuites verò, vt à se electos ignorat. Quam etiam rationem explicant Beda, Haymon, D. Bonauent. & alij. Vide tom. 2. cap. 6. n. 2. tom. 3. cap. 1. quæst. 13. num. 60. & 61. & cap. 15.

Beda. Haym. Bonau.

33. Aug. Secundò D. Augustinus de contempt. mundi, cap. 7. *Nominabatur*, ait, *dives ille ab hominibus; pauper tacebatur, continebatur; contra Dominus pauperem nominauit, diuitem tacuit.* Ex quo demonstratur, vt ait Caietanus hic, quàm contrarius sit ordo Spiritus ordini mundano; nam apud mundiales solum diuites agnoscuntur, & reputantur; pauperes verò omnino ignorantur, nec eorum nomina sciuntur. Caietanus: *Totum oppositum est secundum ordinem spiritus, propterea dives appellatur homo quidam: pauper autem nominatur Lazarus.*

Mundus agnoscit diuites, ignorat pauperes.

34. Ant. Tertiò. D. Anton. part. 1. Histor. tit. 5. cap. 2. §. 16. sic loquitur, tacuisse Christum nomen diuitis, protulisse nomen pauperis: quia diuitis vitia, & damnationem, pauperis autem virtutes, & felicem remunerationem patefaciebat. Cùm enim de virtutibus agitur, nominandi sunt illi, quorum virtutes commemoramus; cum de flagitiis sermo est, occultanda nomina sunt eorum, qui ea commiserunt; nisi aliunde postulet prudentia. Habendam docuit Dominus rationem honoris, ac famæ ventium, siquidem rationem habuit honoris, & famæ diuitis mortui, ac damnati. Hæc ille. Pro quo vide multa tom. 1. 2. ac 3. & hoc verb. *Defectus.*

35. Hugo. Gen. 11. Ps. 58. *Torquentur diuites, per ea, qua peccant.* Quartò, Hugo, Diuites huius mundi non quærunt, nisi nomen, *celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in vniversas terras*, Genes. 11. num. 4. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*, Psalm. 48. num. 12. Cùm ergo diuites sæculi auidè gloriam sui nominis ambientes peccent, in hoc grauiter puniuntur, vt nomen eorum non memoretur amplius. Vide tom. 2. & 3. verbum *Peccator.*

36. Chrysost. *Iusti mundo sunt in contemptu Deo verò in honore.* Quintò. D. Chrysostomus concione 1. de diuite & Lazaro: *Lazarus pauper*, ait, *quoniam sanctus erat, nominatur; ille verò dives, & superbus, nec nomine quidem dignus est habitus.* Dives licèt ob temporalia bona honorabilis esset apud mundiales; tamen ob sua vitia valde contemptibilis extabat erga Deum; pauper autem è contra, licèt in mundo esset despectus, tamen in multo honore reputabatur apud Deum, & ideò nomen eius celebratur, vt perpetuò luceat in Ecclesiæ firmamento.

37. Gen. 1. *Dixit Deus: fiant luminaria, vt luceant in firmamento cæli*, Genes. 1. num. 15. Sermo est de creatione stellarum, ac planetarum, quibus iusti designantur, sed cur non dicitur absolutè, vt luceant, seu vt vbique luceant, sed tanquam cum restrictione. *In firmamento?* Firmamentum hoc Christum Dominum denotabat, vt tenet D. Anastasius Synaita in Hexameron. Non ergo vbique, sed solùm in hoc firmamento iustorum stellæ nitent, plerique enim iusti viles, incogniti, ac obscuri habentur mundo, semper tamen valde lucidi, ac perspicui Christo Domino, Hugo Cardinalis: *Luceant in firmamento cæli*, ait, *id est in Christo*: boni enim semper apud Deum lucidi sunt, licèt sint in mundo *despecti*, Iob. 12. *deridetur iusti simplicitas, lampas contempta, apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.*

Anast. Syn. *Iusti lucent in Christo.* Hugo.

QVÆSTIO VI.

Expenduntur labores, ac ærumnæ, quas patiebatur Lazarus.

38. Greg. REM eleganter explicat, ac describit D. Greg. hom. 40. in Euangelia: *Quantas enim*, ait, *hunc egenum vulneribus obsessum temptationes creditis in sua cogitatione tolerasse, cum ipse egeret pane, non haberet etiam sanitatem, atque ante se diuitem cerneret salutem, & delicias habere: se dolere, & frigore affici, illum gaudere conspiceret, bysso, & purpura vestiri: se deprimi vulneribus, illum affluere acceptis rebus; se egere, & illum nolle largiri? Quantus putamus, fratres mei, tunc in corde pauperis tumultus tentationis fuit, cui certe ad pœnam sufficeret paupertas, etiamsi sanus fuisset: & rursum sufficeret ægritudo, etiamsi subsidium adesset: sed vt probaretur amplius*

pauper

pauper simul hunc paupertas, & ægritudo tabefecit: atque insuper videbat procedentem diuitem obsequentibus cuneis circumfulciri, & se in infirmitate, & inopiâ à nullo visitari. Quæ omnia satis pulchrè sunt dicta, quas omnes tentationes Deus illi permisit, vt illum maximè in ipsis glorificaret. *Tentauit Deus Abraham*, Genes. 22. Symmach. legit, *Glorificauit Deus Abraham* D. Ambrosius in cap.4 Luc. *Ideò tentatus offertur, vt glorioſior redderetur.*

Ex tentationibus gloriosus Lazarus. Genes.22. Symmach. Ambros.

39. Inter has omnes tamen tentationes, ac persecutiones Lazarus mente quietus, ac securus erat, vt rectè notauit D. Hilarius in Psalm.122. *Interius tamen*, ait, *anima eius per fidem inuulnerabilis, & ad omne telum voluptatis, & vitia inuicta; & idcirco ab Angelis post carnis dissolutionẽ beata in Abrahæ sinum fertur.* Omnes illæ calamitates corpus percutiebant; anima verò inuulnerabilis erat, & vt bene ait Egesippus l.5.c.22. *Tolerabiliora corporis, quàm mentis vulnera sunt.*

39. Hilar.

Tolerabiliora vulnera corporis, quam mentis. Egesip.

40. Ad nostram quæstionem: Lazari afflictiones, ac cruciatus multos numerat D. Chrysostomus concione 1.de Lazaro, & diuite. Prima, quia se videbat egenum, nudum in platea super humum proiectum, frigori, ac colori expositum. Secundò, grauis ægritudo, quia vt ait D. Gregor. non solùm æger erat, sed etiam vlcerosus, ac tabidus, & ita consumptus, vt nec canes posset abigere. Cùm Dominus pleno ore laudaret Iob. *considerasti seruum meum Iob*, Iob c.2.n 5. Laudationem diabolus audacter eluſit, præconio indignum iudicans, cuius in corpus nullum vulnus tentatio inflixerat; vnde ait: *Tange os eius, & carnem, & tunc videbis*, ibidem num.5. D. Hieronymus ad Iulianum: *Audaciter*, ait, *Dei renuit prædicationem, & dicit nequaquam eum debere laudari, qui nihil de se, sed totum ex se dederit, qui pro corio suo, corio obtulerit filiorum, deposuerit marsupium, vt fruatur corporis sanitate.*

40. Chrys.

Greg.

Iob.2.

Nulli damnum ei adest corporis sanitas. Hier.

41. Tertiò. Quia derelictus, ac desertus erat ab omnibus, vt ait citatus Chrysostomus: *Nullus erat, qui dicto consolaretur, nullus qui facto afferret solatium.* Quartò. Quia ipse solus nullum habens suæ miseriæ socium patiebatur, communicata calamitas aliquale illius leuamen, iuxta illud: *Iucundum est in pœna habere solatium.* Quintò hæc non sustinebat vno, vel altero die, sed per multos dies, & tempora. Sextò. Multam famæ iacturam tolerabat: multi enim iudicabant illum hæc pati, ob grauia, & ingentia scelera sua, eúmque percussum à Deo censebant.

41. Chrysost.

Societas in calamitate leuamen.

42. Septimò. D. Chrysostomus homil. de Lazaro adducta tom.6. *Neque enim*, ait, *ob paupertatem coronatus est tantum, neque ob famem, neque ob vlcera, sed quod talem vicinum cum haberet, à quo in dies aspiceretur, & despiceretur, eam tentationem generoso tuleris animo.* Et epistol.7. ad Olympiadem ait, quòd tantam gloriam Lazarus est adeptus. *Quia ianua diuitis pertulit exclusionem, & despectum diuitis contra se.* Multæ virtutes enitebant in Lazaro, eius magna paupertas, tolerantia in ægritudine, tamen præ omnibus magna gloria coronatur, quod generoso, ac constanti animo tulerit, quod repræsentamus singulis diebus inopiam, ac necessitatem suam diuiti, ab eo despectus repulsam in suis precibus quotidie patiebatur, quod magnum doloré viro ingenuo, ac probo ingerit.

42. Chrysost.

Repulsa in precibus magnum dolorẽ generat.

43. Octauò. Videbat crudelitatem diuitis, qui abundans rebus omnibus, ipsum miserum Lazarum præteribat, & nec consolabatur ipsum aspectu, colloquio, vel micis, quæ canibus dabantur. Nonò. Videbat Lazarus diuitem purpura, & bysso indutum, splendida mensa vtentem, bona valetudine gaudentem, multóque seruorum, ac amicorum cœtu concomitatum, & continuus aspectus felicitatis diuitis grauiter augebat sensum, & dolorem miseriæ, ac ægritudinis Lazari. *Non quod*, ait D. Chrysostomus *inuidus esset, ac parum, sed quod omnes sciant in aliorum prosperitate exactius sua persentire calamitates*, 1.Iudic.7. *Dixit Adonibezec: septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias.* Quod fecit barbarus, vt sua multa felicitas in magno mensæ apparatu esset stimulus miseriæ illorum regum.

43. *Grauiter sentitur propria miseria, cùm confertur cum alterius felicitate.* Chrys. Iud.1.

At verò Lazarus inter tot, ac tantas tribulationes forti, & constanti animo erat, deo in omnibus veluti Iob gratias agens. Theophylactus, *Numigitur Lazarus*, ait, *in tantis malis blasphemabat? Num prouidentiam Dei reprehendebat? Nihil horum. sed fortis erat, & magna Philosophia.* In magna rerum miseria deum benedicens voluebatur fortis dei Athleta. Vnde D. Chrysologus ser.m. 121. appellat: *Non tam Lazarum, quam conflatorium.* Erat Lazarus veluti conflatorium, seu fornax, seu (vt potiùs dicam) erat Lazarus in conflatorio quodam, seu fornace miseriæ, ac pressuræ famis, ac omnium penuriæ, qui enim hanc voluntariè susciplunt in quadam ardentissima fornace videntur degere, sicut enim flammæ ignis hominem adurunt, sic & famis, ac paupertatis æstumnæ hominem comburunt, ac comprimunt. Vnde voluntarios pauperes cum tribus pueris in camino ardenti, Daniel. 3. pares facit D. Chrysostomus homil 23, ad Populum: *Illis enim*, ait, *pares reddumtur, qui paupertatem, cum gratiarum ferunt actione.*

44. Theoph.

Chrys.

Lazarus cruciabatur in sua miseria, veluti puer in fornace.

Chrysost.

Scribens Paulus ad Hebræos, ait Christianis cap.10.num.34. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Id est, cum gaudio suscepistis, quod bona vestra publico edicto, eo quòd Christiani esseris, fisco addicta sunt, & inde, vt ait D. Ambrosius: *Mirabiliter laudat eos in fide*; quia si multam fidem non haberent, talem suorum bonorum rapinam cum gaudio non suscepissent. Cur potiùs ô Apostole, expressè mirabiliter non laudas eos, ac in medium producis eorum flagella, verbera, cruciatus, cruces, ac mortes, quas cum ingenti gaudio susceperunt? Quod homo sit destitutus ab omnibus temporalibus bonis, ac in extrema penuria, ac egestate degat, est quidam durus cruciatus, flagellatio, ac mors, non vna hora, vel die transiens, sed diu perseuerans, quandiu ipsa vita durat, & ideò inter cætera Apostolica opera doctor gentium mirabiliter laudat, quod talem extremam egestatem cum gaudio suscepissent, sicut cruciatus, & flagra. D. Chrysostomus ibi: *Propter fidem*, ait, *illam rapinam sustinuistis, & cum gaudio toleraſtis, quod erat totum Apostolicum opus, & dignum illis fortibus animabus, qui flagellati gaudebant.*

45. Ad Hebr.10.

Paupertas durum tormentorum cruciatus.

Chrysost.

Ad crudelem famem, ac rerum penuriam sub seruitute Chaldæa oculos dirigens Ieremias ait: *Pellis nostra exusta est, à facie tempestatum famis*, Thren.5.num.10. Quomodo fames cum tempestate combinatur? Nam cum tempestas desæuit, magna vi venti insurgũt; cum fames vrget, vires

46. Thren.5.

Penuria tempestas omnia.

deficiunt, quid ergo fames cum tempestate? Intellige. Fames est veluti quædam tempestas omnium tormentorum, verborum, plagarum; nam sicut in tempestate omnia elementa excitantur, ac perturbantur, sic vrgente penuria, ac fame dolores omnium cruciatuum commouentur, & excitantur, vt hominem perimant, ac consumant.

Pasch. Paschasius lib. 5. *Fame dum mens affligitur*, ait, *diuersis plagarum verberibus cruciatur, & tempestatum procellis iactatur.* Aduerte, quod vbi nostra Vulgata habet, *tempestatum famis.* In Græco est:

Græc. *tempestatum pestis.* Nam sicut peste, sic fame crudeles mortis dolores circunstant ad hominem enecandum. Vide tom. 2. c. 10. q. 30. num. 230. Vbi comprobaui paupertatem esse quoddam mortis genus.

QVÆSTIO VII.

Quare Lazarus è domo diuitis nihil aliud requirebat, nisi tantum micas?

47. Chryſ. AD quæstionem respondet. Primò D. Chrysol. serm. 122. *Factum est*, ait, *quod angebat, quod natura exigit, quod sufficit vitæ; auaritiæ causa est, quod homo magna, & multa recondit.* Lazarus bona Philosophia eruditus bene sciebat, quod natura paruis

Natura paucis contenta est. contenta est, & ideo parua, ac micas exoptabat, magna, & multa quærere, auaritiæ inuentio est, mens autem sobria Lazari ad panem, ac ad sustentationem ferebatur. Docet nos Dñs orare:

Matth. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, Matth. 6. n. 11. Quæ verba doctè, ac eleganter expendit

Nicæn. D. Nicæn. de orat. Dom. *Quærere inbemur id, quod satis sit ad naturam corporis conseruandam, panem da, ad Deum dicentes, non solùm, non delicias, non floridas vestes, non agri copiam seu panem.* Et subdit: *Exiguum est, quod natura debet, cibum debet ouunculo tuo, rem modicam, paratu facilem, si vsum, & necessitatem intueris.* Si necessitas intueatur, *exiguum est, quod natura debet.* Immodicus appetitus, ac superfluitas multa inuenit, & introduxit.

48. Theoph. Secundò. Theophylactus: *Desiderabat saturari*, ait, *non de sumptuosis ferculis, sed de micis.* Cùm mendicus esset non magnas dapes, non exquisita

Propriæ conditioni accommodandum. fercula, sed micas tantum appetebat sui status conditioni condescendens; & dicitur, cupiebat saturari, cùm enim esset tam pauper, quid modicum multum sufficiens, ac abundans ei videbatur. Cùm fames vrgeret, & consumptus esset cibus allatus ex Ægypto. *Dixit Iacob ad filios suos, reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum*, Gen. 43. n. 2 Septuaginta. *Emite nobis pusillas escas.* Cur bonus pater pro sua magna familia pusillas quærit escas? Cum fames vrgeret, & penuria ciborum esset multa, parum panis quærebat, penuriæ se accommodans.

49. Chryſ. Tertiò. D. Chrysostomus homil. de Diuite: *Quanta in isto pœna est? Inter tanta vulnera, non meminit doloris plagarum, sed famis cupiens saturari de micis.* Totus visceribus plenus erat mendicus, quorum dolore grauissimè torquebatur, & tamen

Dolor famis super omnia vulnera. non cupiebat, à tanto dolore, ac cruciatu liberari, sed tantum exoptabat, saturari de micis; famis pressura grauior super dolores, ac cruciatus omnium vulnerum, ac plagarum, & ideò cùm fame vrgeretur, cæteris corporis vulneribus veluti obliuiscens, huic vni tantùm fami remedium exoptabat. *Non meminit doloris plagarum, sed famis.*

Recordare paupertatis, & transmigrationis meæ, 50. Thren. 3. nu. 19. Verba sunt Ierusalem ad Deum exorantis auxilium; valde mirum, quod cum ipsa ciuitas esset desolata, opprobriis affecta, à bonis suis spoliata, à filiis suis interfectis destituta, tamen primò non postulat à Deo auxilium, & le-

Fames super omnia damna affligit. uamen super tot materias, ac afflictiones, sed super suam paupertatem, ac penuriam, qua animæ parvulorum *defecerunt in fame*, Thren. 2. nu. 19. Thren. 2. Ac si ipsa penuria, & fame graniori dolore esset vulnerata super omnia mala in se illata. Ad quod tendit D. Paschasius: *Hanc*, ait, *paupertatem, magni* Pasch. *aliquid esse putat, & ideò quasi per se agens, eius recordari rogat.*

Ob magnum peccatum populi numerati venit 51. Prophera Gad ad Dauid, & ait ei: *Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus mensibus te fugere hostes tuos: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra.* 1. Paral. 21. nu. 11. 2. Par. 24.

Fames crudelius telum quam pestilentia. Quibus auditis elegit rex pestilentiam. Cur non potiùs famem; nam regi ac optimatibus eius semper esset aliquod subsidium ab illius vexatione? Tamen bonus rex maximè suorum saluti consulens, non famem, sed pestilentiam eligit. Sciebat enim famem esse crudelius, ac acerbius telum ad perdendum, quàm pestem omnia deuorantem; & ideò tanquam quid mitius pestilentiam assignat. D. Ambrosius in Psalm. 37. ad primum vers. sic ait: *Famem populi vitauit, quia grauior morte, & omnibus suppliciis habetur.* Ambros.

Cùm Dominus per quadraginta dies ieiunasset in deserto, ac postea esuriret; illico eum diabolus tentat, panesq; proponit: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Qui statim reficitur à Domino, victúsque recedit, aliud tamen telum parat, constituës Dominum super pinnaculum templi suadens ei, dicens: *Mitte te deorsum*, Matth. 4. num. 6. Cui me- Matth. 4. ritò irridet D. Maxim. hom. 1. ibi: *Quam turbatus*, D. Maxim. inquit, *hoc sequitur, qui putat ei se posse præcipitium persuadere, à quo nihil potuit de panibus impetrare.* Ex eo Diaboli ignorantiam arguit quod cum, quem fame vrgente nó voluit superare, præcipitio intétet deiicere. Ille enim, qui angustias famis conculcauit, sine dubio de omnibus dæmonis machinationibus triumphabit; famis enim vexatio acutior gladius ad enecandum super omnes inferni tentationes.

Fames efficacior ad perdendum super omnes dæmonis tentationes.

QVÆSTIO VIII.

Quare tanta crudelitas, ac inhumanitas diuitis, cum ad ianuam suam haberet Lazarum, cuius vlcera illius canes lingebant?

EPVLIS blandis, ait D. Chrysologus 53. serm. 121. *ferrea viscera crudelis animus* Chryſ. *tribat.* Qui etiam de hoc epulone ait: *Dives adamante durior*, sed vnde illi tanta crudelitas, ac inhumanitas? à suis epulis, vt iam expendi quæst. 5. à suis etiam diuitiis, ac multa rerum copia. Duo homines crudeles, ac peruersi in paupe-

Luc. 18. res introducuntur in Euangelio, diues iste, & iudex ille iniquus, *Qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur*, Luc. 18. num. 2. Armatur in pauperem

petem diues iſte purpura, byſſo, ac multa rerum abundantia, armatur, & iudex ſine Dei timore, *nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur.* Sed quiſnam inhumanior,ac obduratior ? Sine dubio inexorabilior fuit diues ſuis bonis armatus,quam iudex ſine Dei timore ; nam etſi iudex valde iniquus,tamen ob multiplicatas viduæ preces, eius votis annuit ; dicebat enim inter ſe. *Etſi Deum non timeo,nec hominem reuereor, tamen quia moleſta eſt mihi hac vidua,vindicabo illam,*num.4. At verò epulo iſte ſuis bonis armatus, nullis clamoribus, nullis lachrymis Lazari potuit flecti, vt pauperi micam panis daret. D.Chryſoſtomus concion.1. de Lazaro : *Nihil miſericordiæ ſenſit epulo*, ait, *ſed ille quoque iudice,qui neque Deum metuebat,nec hominem reuerebatur,& impudentior erat;& inexorabilior : nam illum quidem vidua inſtantia, quamuis crudelem,& aſperum,tamen flexit ad gratificandum viduæ mulieris ſupplicatio. Hunc verò nec iſta quidem res flectere potuit ad ſubueniendum pauperi.* Ex multa rerum opulentia homo fit valdè ferox,& crudelis.*Diuites eguerunt*,Pſal.43.n.11.D.Hieron. Epiſt.22.ad Eutychiam legit, *Leones*.Homo ſuis diuitiis affectum humanitatis deponit,& veluti naturam leoninam induit.

Ex ſuis diuitiis ſit homo crudeliſſimus.

Chryſ.

Pſalm.33. Hieron.

54. Huius diuitis crudelitas ex multis circunſtantiis augetur. Primò;quia ipſe exiens,& reuertens in domum ſuam perpetuò videbat Lazarum, qui ad ianuam eius iacebat,quod alta prouidentia eſt diſpoſitum ; vt Lazarus in bonis diuitis haberet leuamen,& diues in vulneribus pauperis medicamen;vt pulchrè aduertit D. Chryſol. ſerm. 124. *Obhoc*, ait, *egerat Deus, vt diues pauperis, pauper diuitis in epulis ſemper eſſent, quatenus viciſſim ſibi ambo curam de vario languore præſtarent. Hinc eſt, quod differebatur cura pauperis, vt diues ſumeret de vulnere medicinam, de gemitu compunctionem, de lachrymis pœnitentiam*, &c. & ſubdit : *Certè vt tamen diues bonis fultus Deo gratus eſſet, quando gratus Deo pauper in malis omnibus, vidente diuite, permanebat.*

Chryſologus.

Deus dat diuiti occaſionem ad ſalutem.

55. Secundò. Totus ipſe Lazarus clamabat ; nomine,nam Lazarus, ideſt auditus, ſeu adiuuandus,clamabat voce,ſuſpiritis, lachrymis, imò totum corpus eius clamabat,vt benè ait D.Chryſologus ſerm.121. *Deus,quia obduratis auribus vnius eris,nihil erat vox clamantis, ad aperiendum cor diuitis,totum corpus pauperis vulneribus aperit*, vt in admonendo diuite,tot eſſent pauperis ora, quot vulnera.

Chryſ. *Totum corpus clamabat.*

56. Tertiò. Poſtes,ac limen oſtij pro paupere clamabant erga diuitem. Idem D.Chryſologus ibi: *Lazarus fame ſua*, ait,*inhumanitatis tua, diues ſtimulos fixit. Ibi poſtes tuos ſuis vlceribus laureauit. Ibi fame ſua pinxit micas tuas.* Sanguis pauperis appoſitus in oſtio,vel limine pro paupere clamabat apud diuitem,ſed quia ipſe obdurauit aures ſuas, aduerſus eum ſanguis ſtabat clamans. Olim ſanguis in Iudæorũ poſtibus eos à percutiente Angelo exemit ; nunc Lazari ſanguis hunc diuitem damnat, & vindictam non ſecus,ac ſanguis Abel alterius inclamat,etiamſi pauper ſileret. Quartò oſtenditur crudelitas diuitis,ait Hugo; quia non multi petebant,ſed vnus tantum, & qui vni non dabat,multo minus daret pluribus.

Chryſ. *Oſtium,ac limen clamabat contra diuitem.*

Hugo.

57. Quintò. Manifeſtatur crudelitas diuitis, qui micas ſuas Lazaro denegabat, quas canibus dabat. Theophylactus ; *Deſiderabat ſatiari de mucis illis,quibus ſatiabantur canes.* Quid durius,& crudelius, quàm canes homini anteponere ; canem ad cibum admittere, hominem verò excludere ? Ait Zacharias 11. num. 2. *Vlulate quercus Baſan.* Chaldaicus :*Vlulate ſatrapæ prouinciarum.* Quid eſt quod diuites,ac potentes ſæculi cum quercu comparantur ? Quercus arbor eſt alta, & ſublimis,fructus producit,non pro hominibus,ſed pro pecoribus, ac porcis alendis,& ſuſtentandis : ſic Satrapæ,ac potentes ſæculi arbores ſunt altæ, & ſublimes fructus afferunt, non vt præbeant cibum pauperi,ſed brutis animantibus,equis,v.gr. vel canibus;æternam tamen damnationem talibus dominis D. Ambroſ. minatur lib.de Naboth cap.13.*Parietes veſtitis auro*,ait,*homines denudatis; clamat ante domum tuam nudus,& negligis : clamat homo nudus, & tu ſolicitus es, quibus marmoribus pauimenta veſtias. Pecuniam pauper quæris, & non habet : poſtulat homo, & equus tuus aurum ſub dentibus mandat. Sed quantum ô diues ſumes tibi iudicium ?*

Zachar.11. Chald.

Diuites negant pauperi, & dant brutis animalibus.

Ambr.

58. Sextò.Declaratur ingens inhumanitas diuitis; eiúſque damnatio, quia cum videret canes ſuos pauperis ſanguine ſaturatos;adhuc non mouebatur ad ſubleuandum pauperem. D. Chryſologus ſerm.121. *Soluit Deus*, ait, *pauperi manus a ſuis artubus,vt nec abigeret canes, quos vulneribus ſuis diuitis erat paſturus ad vulnus : ſic humana mendicitas,vt cupiditas prodatur inhumana.* Quid crudelius,quàm quod pauper ſanguinem fundat,vt diuitis venaticos canes alat ? Daniel.7. num.5 ait, quod videbat. *Ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit : & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius & ſic dicebant ei : ſurge,comede carnes plurimas.* In hac beſtia ſignificatur Perſarum imperium,vt eſt communis vox D.Hieronymi, Theodoreti,Carthuſiani,Lyran. & aliorum, tres ordines ſcilicet dentium dicuntur in ore eius, per quos tres principes, ſeu reges, qui in illo regno præfuerunt,intelliguntur,vt ait Hugo. Cur principes,per dentes,quibus dicitur, comedite carnes plurimas,deſignantur?quia valdè inſitum eſt principibus,vt carnes plurimas ouium,ſubditorum,ac inferiorum comedant, & deuorent, vt illis repleantur,ac ſaturentur. Vide cap.19. num.36.& 37 & cap.9.n.91.

Chryſ.

Hieron. Theod. Carth. Lyran.

Hugo.

Principes deuorant carnes ſubditorum.

59. Septimò. Arguitur crudelitas diuitis. Totus ferreus erat ipſe in Lazarum, & tamen de humanitate erga ipſum à canibus ſuis admonebatur;canes enim pietatem,quam poterant, mendico tribuebant.Titus Boſtrenſ. *Faciebant*, ait, *hoc canes, eo quo poterant ſenſu vicem dolentes Lazari, curámque illius, qui ab omnibus deſertus erat, amicè ſuſcipientes.Necnon vulnera eiuſdem benevole, medicorum more fouentes,& circumlingentes.* D Chryſologus ſerm.121. *Canes*, ait, *non ad morſum dentes, ſed linguas ad obſequium ſic producunt, vt in modum ſpongiæ,non vexent vulnera,ſed tergant.* Quod canes hoc ſtudio fecere,curantium vſus ipſe qui ſemper *eſt in oculis probat. Nam canes lambendo ſemper curant vulnera ſua.* Negat diues micas affectu crudelitatis,lambunt canes vulnera ſtudio benignitatis,humaniores erant canes,quam homines domus diuitis.

59. *Diues crudelior brutis animalibus.*

Boſtrenſ.

Chryſ.

Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis. *Cauete vos ab hominibus, tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis ſuis*,Matth.10.num 27.Diſcipuli Domini flammis, feris,ac pelago tradebantur ; cur ergo ſolum Dominus mandat, vt caueant ab hominibus,non verò à feris,vel flammis? crudelitas hominis maior,ac ineuitabilior, quàm ferarum, ignis,ac pelagi, quia enim homo multa ingenij

60. Matth.10.

Homo crudelior feris.

dexteritate polleat, sic agnoscit circumuenire, o lio sum sibi, vt quilibet difficiliter eius manus
Imperfect. valeat effugere ac deuitare. Imperfect.hom.24. *Nunc autem addidit*, ait, *attendite vobis ab hominibus: ostendere volens, quia pra omnibus malis homo est pessimum malum. Nam si bestiis comparare voluerit peiorem inuenies eum. Bestia enim, quamuis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis, declinabitur ab homine crudelitas eius. Homo autem crudelis cum sit & rationabilis, non facilè euadetur crudelitas eius.* Quod latè multis ipse prosequitur. Vide suprà cap.17.num.153.154.& 155.

Luc.16.n.22. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinũ Abrahæ. Mortuus est autem & diues. Et sepultus est in inferno.

VERSIONES.

Pagn Vatablus. Accidit autem.

Syriacus Vt moreretur pauper ille: & attulerunt eum Angeli in sinum Abrahæ, quin etiam diues ille mortuus est, ac sepultus.

Arabicus. Assumpserunt eum Angeli in sinum Abrahæ.

Origenes. Mortuus est simul & diues ille, & abductus est ad infernũ in locum tormenti.

Clem.Alex. Puniebatur apud inferos.

EXPOSITIO IV.

61. Mald. FACTVM *est autem.* Notat Maldonatus, quod non casu hoc ponitur, seu vt denoretur, miseriam illam, quam antea descripserat Euangelista factum esse, vt Lazarus moreretur. Quod maximè pertinet ad exaggerandam miserabilem eius conditionem. Carthusianus, Hugo: A quo factum est, inquiunt, à Deo vocante ad gloriam, & à miseria liberante. *Vt moreretur mendicus.* Non dicitur, mortuus est, vt de diuite dicitur, sed scribitur, *factum est, vt moreretur*, quia talium mors, non est mors, sed transitus ad vitam. *Et portaretur ab Angelis.* Tanquam Dei ministris: portatur non tanquam pondus aliquod quod humeris, vel dorso defertur, sed portatur ab Angelis tanquam securè, ac tutò magno comitatu, ac apparatu ducatum præbentibus in cœlum vt explicat D. Chrysostomus concion.2. de Lazaro: *In sinum Abrahæ*, in locum quietis, & magnæ dulcedinis, de quo quæst. sequenti in limine, & dicitur portatus in sinum Abrahæ, non in Purgatorium, ex quo coniice, quanta fuerit sanctitas, ac perfectio huius pauperis, quod nullum habuisset peccatum igne Purgatorio expiandum; vel quia paupertatis, ac ægritudinis Purgatorio expurgauit aliquod suum peccatum commissum. D.Laurent.Iustin. de paupert.cap.3. *Paupertas*, ait, *est caminus purgans, & eliminans sordes vitiorum*, iuxta illud Isai.48.num.10. Collige te in camino paupertatis. *Hoc namque patet in Lazaro mendico: purgauit enim igne pauperem viscerosum.*

Carth. Hugo. Chryf. *Paupertas est veluti quoddam Purgatorium.* Iustin. Isai.48.

Mortuus est diues. Qui tanta sua opulentia, purpura, byssо, epulis longam vitam sibi promittebat, ipsis tamen suis delictis sibi mortem præparauit. *Et sepultus est.* De paupere nulla fit mentio sepulturæ, quia sic corpus fuit terræ mandatum, vt anima eius in cœlum volaret; diues verò sic sepultus, vt anima eius in inferno demergeretur, vel quia pauper sine vlla funeris pompa conditus est, diuitis verò cadauer multis aromatibus delibutum, ac amplo, & illustri sepulchro reconditum vt notat Euthymius. Tamen vt benè ait D.Augustinus sentent.89.inter eas, quas colligit Prosper: *Sicut peccatoribus nihil prosunt exequia sumptuosa: ita nihil nocent, aut viles, aut nulla sanctorum pauperum sepultura.* Explicatur in textu: *In inferno*, damnatorum scilicet. Vnde non benè Iacobus Faber Stapulens. èxplicat de Purgatorio. Nam Abrahamus epuloni dixit magnum chaos esse firmatum inter nos, & vos. *Vt hi, qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Ergo de loco damnatorum est sermo.

62. Euth. Aug. *Magnificum sepulchrum nihil prodest.* Stapul.

QVÆSTIO IX.

Quare pauper dicitur portatus in sinum Abrahæ?

63. NON, in cœlum defertur, quia ante Christi ascensionem iustorum hominũ animæ in cœlum non ascendebant, sed ad inferos descendebant. Pro quo notatur doctrina Theol. 3.part.q.52.art.4. In visceribus terræ quatuor esse loca. Infimus tartarus damnatorum. Secundus tartaro propinquior, infantũ carcer, qui originali macula sine baptismo discedunt. Tertius appellatur Purgatorium. Quartus, & supremus dicitur Lymbus, qui iustorum animas continuit, omni peccato, peccatique reliquiis carentium, vsque ad Christi mortem, ad quem locum dicitur in Symbolo, quod Christus Dominus descenderit.

Quatuor loca sub terra.

64. Hic autem locus dictus est sinus Abrahæ. Primò; quia omnes filij (id est imitatores fidei, & pietatis) Abrahæ, in summa quiete quasi in optatissimo sinu, ac amplexu parentum suauiter, ac delectabiliter quiescebant, vt explicat D. Augustinus lib.4.de anima, eiúsque origine cap. 16. D.Ambrosius, Beda, Haymon, D.Bonauent. & alij hic. Secundò, quia Abrahæ promissa fuit benedictio, & beatitudo hæc, & in eo omnibus fidelibus, Genes.22.num.18. Tertiò. Maldonatus, Barrad. Menoch. existimant appellari sinum Abrahæ, deducta metaphora à conuiuiis, qui enim à primo proximus discumbebat, in sinu primi esse dicebatur: quemadmodum dicitur Ioannes in cœna recubuisse in sinu Christi, ex quo videtur significari non solùm Lazarum consecutum fuisse quietis, & salutis locum, sed etiam eximium, & ipsi Abrahæ proximum; altius tamen magnitudinem gloriæ huius mendici explicat D. Chrysostomus: *Collocatur non iuxtà Abrahæ, ait, sed in sinu Abrahæ, vt illum palparet, vt illum refocillaret, vt illum quasi clementissimus teneret in sinu, & recrearet.*

Quare dicitur in sinum Abrahæ?

Aug. Ambr. Beda. Haymon. Bonau. Gen.22. Mald. Barrad. Menoch.

Chryf.

Quartò. D.Chrysologus serm.121. *Renera fratres*, ait, *parum se beatum credidit Abraham, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio: & solis donis frueretur diuinis, qui hic humana bona*

65. Chryf.

bona crudelem se credidit quicquam si negaret. Et pulchrè satis. Abrahamus summæ quieti iam destinatus erat, ad quid sinus eius Lazarum excipiens quodammodo grauatur? Abrahamus dum viueret veluti hospitum baiulus fuerat, hospitalisque operi semper incubuit. In illa ergo felici requie, ac Sanctorum loco minimè quiescere, ac gaudere se putaret Patriarcha, si à sua antiqua charitate, ac munere hospites excipiendi vacaret, proindéque, vt suprema felicitate quiescens demonstretur, sinus eius hospitem excipiens describatur. *Renera parum se beatum credidit Abraham, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio.* Huc aduoco id, quod eleganter dixit Tertullianus, quærens quare cum Iob in sua felicitate omnia fuerint ei duplicata: cap.42. num.10. tamen filij non duplicantur, nec antiqui, qui mortui erant, reuixerunt vt instantata beatitudine de eorum interitu paternus animus pulsaretur, de illisque doleret, patientiámque illam, quam Iob in sua ærumna pertulerat, in sua gloria ab illa non vacaret, sed eam exerceret. lib. de patient. cap.14. Sic ille loquitur: *Et si filios quoque restituti voluisset, Pater iterum vocaretur, sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij, securus sic de Domino distulit, sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret.* Pondera vltima verba.

Abrahamus suos sui pietatis munere ad æternam gloriam.

Tertullian. Iob.42.

Iob in sua felicitate exercet suam antiquam patientiam.

66. Chrysol.

Quintò. D. Chrysol. eodem serm.11. *Erat*, ait, *Abraham diues valde, & eum, quem habuit in bonis præsentibus parem, nunc reprobat, & patitur esse parem.* Nota sequentia verba. *Præsertim cum neque pauperis huius bona, neque mala diuitis illius prodiderit sermo diuinus. Cur ergo nunc Abraham ambit pauperem, diuitem refugit, & reputat?* Abrahamus diues fuerat, & tamen diuitem reiicit, ac refutat; affabiliter vero pauperem, ac dulciter excipit, imo totum pauperem amplectitur. Vt denotant verba. *Abraham ambit pauperem.* Deinde perpende verba sancti Doctoris: *Huius pauperis bona prodiderit sermo diuinus.* Nil aliud de eo scribitur nisi quod esset extremè pauper, cum multa miseria, ac egestate patienter viuens; & cùm dicitur patiens pauper, in hoc publicantur de eo omnes virtutum perfectiones, & ideo pro sua multa æstimatione, tam benenole eum excipit Abrahamus, vtpote tantis meritis locupletatum, vt non alius ei assignetur locus, nisi ipsius Abrahæ sinus. Dicet Dominus in vltima die suis electis; *Esurini, & dedistis mihi manducare.* Matth.25. num.35. D. Chrysolog. serm. 14. Notat quod, *Non dixit Dominus esurinit pauper, & dedistis illi manducare, sed ait. esurini ego, & dedistis mihi.* Cuius rei rationem assignat. *Quodammodo vt in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit.* Sic pauper charus est Deo, sicque Deus illi conglutinatur; *Quodammodo vt in se transfuderit pauperem.* Ne aliam videatur pauper personam agere nisi ipsiusmet Dei.

Pauper in alto sublimatur loco, & dignitate.

Matth.25. Chrysolog.

Deus quodã modo transfunditur in pauperem.

67. Chrysost. *Cælum pauperi merces.*

Sextò. D Chrysostom. Concion. de Lazaro. *In hoc mendico*, ait, *humilitas intelligitur honorifica, paupertas sublimata, & in sinum Abrahæ, vt in locum suum ab Angelis asportatur.* Expende verbum *vt in locum suum*; proprius enim locus pauperis est cœlestis beatitudo, quæ per sinum Abrahæ, significatur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

68.

Pedibus suis solus pergebat Iacob in Mesopotamiam, destitutus omnibus bonis; ita vt humi cubaret, & pro reclinatorio lapidem haberet; Cumque obdormisset, videt cœlum apertum; *Et scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, & Dominum innixum scalæ.* Gen.28. num.12. Pauper, & egenus extabat Iacob; si ei liberalissimus Dominus apparet, cur ei ingentes diuitias, ac opes tribuit, vel saltem aliqua in viaticum pro itinere, vt suæ necessitati, ac indigentiæ subueniret. Sed solum cœlum, eiusque ianuam ei ostendit? Etat Iacob; super, expeditúsque, & liber ab omnibus mundi, tectæque sarcinis; ideo illi vtpote pauperi nihil aliud offertur, ac datur, nisi ipsum regnum cœlorum, tanquam illius propria merces, ac condignum præmium; Fauet Rupertus lib.7. in Gen. cap.21. *Iacobum imitemur*, ait, *quicumque depositis sæculi onoribus, nudi, & expediti ad destinatum tendunt*, scilicet brauium. *Illa porta cæli aperitur, & ascendentibus scala hæc erigitur, scala vero ipsa recta nostra est vita in hoc sæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur in cælum.*

Pauperum est regnum cælorum.

Gen.28.

Rupertus.

Aut parens meus Elias populo. *Viuit Dominus, si erit ros, nec pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3.Reg. 17.num.1. Quid ais ô Propheta sancte? Non habes, quo induaris amictum, nec panem, quo vescaris, & nubibus imperas? Deficiunt tibi vniuersa bona terrena, & tuo vis imperio cœlestia subiugare? Imò qui à se eiecit terrena, quia nudus terrenorum erat in cœlestia audet, illis quetanquam rebus propriis imperat D. Chrysostom. l b. de Consub. filij. *O rem mirabilem*, ait, *nec vestem quidem habuit, quia nihil possedit; idcirco tantam exhibuit potestatem, cum labra tantum deduxit, vt innumeri è cælo thesauri laberentur, effecit, ô sanctum os, cui fontes imbrium inerant.* Vide multa in indice. Verbo. *Paupertas.*

69. 3.Reg.17.

Chrysost.

QVÆSTIO X.

Quare Lazarus asportatur in sinum Abrahæ non ab vno Angelo, sed à multis?

70. Chrysol. *Vera felicitas ex vniuscuiusque morte censenda est.*

MVLTA rerum abundantia viuebat diues, Lazarus verò in multa paupertate, quisnam illorum felicissimus sit existimandus, illorum exitus demonstrauit. D. Chrysolog. serm.121. *En fratres*, ait, *quam rerum lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli, diuitem deglutit infernus. En fratres mors pauperis totam diuitis pompam transcendit & gloriam.* Non ex temporali pompa, sed ex mortis euentu vera felicitas censenda est; nam diues cum tota sua opulentia demergitur in infernum: Lazarus vero portantibus Angelis defertur in cœlum.

71. Chrysost. *Gaudet Angeli de salute nostra, & quod hominis pertexit in cælum.*

Ad nostram quæstionem respondet. Primò. D. Chrysostom. homil. de diuite. *Non sufficerat*, ait, *ad portandum pauperem vnus Angelus: sed propterea plures veniunt, vt eorum lætitia faciant. Et portantur ab Angelis. Gaudet vnusquisque Angelorum tantum eius tangere, libenter talibus oneribus pregrauantur, vt ducant homines ad regna cælorum.* Mirum sanè, quod plures Angeli ad deducendum vnum pauperem conuenerint, cum ad quodlibet quantumuis graue onus deferendum vnus satis sit Angelus; portabant Angeli pauperem in sinum Abrahæ, in viámque salutis, ac proinde pro ingenti gaudio, quod de hominis salute exultant,

tant, plures conueniunt, & quilibet eorum onus eis lætissimum contendit attingere. *Venit vnus Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* 4. Reg. 19. num. 35. 3. Reg. 19. Et tamen ad portandum Eliam in cœlum, *Ecce currus igneus, & equi ignei.* 4. Reg. 2. Equi ignei erant multi Angeli sub forma equorum igneorũ, vt tenent Abulens. quæst. 17. Serarius, Sanchez, Cornelius, & alij: Cur ad necem tot millium hominum vnus Angelus venit, ad portandum tamẽ Eliam in cœlum multi Angeli? ad necem tanquã rem molestam vnus venit Angelus; ad asportandum vero Eliam in cœlum, vt ad onus gratissimum multi conueniunt Angeli; *Gaudet vnusquisque Angelorum tantum onus tangere.* Nil gratius sanctis Angelis est, quam hominem in cœlum ferre. Abul. Serarius. Sanch. Corn.

72. Chrys. *Angeli deferunt animas ad gloriam.* Secundò. Respondet idem D. Chrysostomus, eadem homil. *Utrique mortui sunt, illum Angeli, istum pœna suscipiunt: ille portabatur in humeris Angelorum. Tanta pœna deliciis commutantur, vt portaretur ab Angelis, & adduceretur, ne saltem ambulans laboraret.* Ecce Spiritus Angelici astant, & pauperem manibus attollunt, vt eo paruo labore, quo afficiuntur ambulantes, à Domino releuetur pauper, *ne saltem ambulans laboret.* Sed tanquam in sublimi throno è manibus Angelorum efformato in cœlum deferatur.

73. Ps. 44. Ait Regius Vates: *Adducentur regi virgines post eam.* Psalm. 44. num. 15. Non ait, venient, ne suorum pedum labore fatigentur; nec tanquam plebei pedibus suis incedunt, sed ait, *adducentur*, à sanctis nempe Angelis tanquam Virgines ad desponsationem cum rege venientes, in sublimi, ac regali maiestatis throno, vt viri Apostolici in nubibus Cœli. Eusebius in Catena Græca. *Virgines sine suo labore ducuntur ab Angelo.* Eusebius. *Considerabis vero*, ait, *quomodo hoc dictum sit de Virginibus Apostolica sententia in Consilium adhibita, qua dicit, rapiemur in nubibus in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Non enim ibunt ad regem Virgines, sed deducentur alijs eas ducentibus, nimirum sanctis Angelis, qui eas sublimes ferant, & in altum euehant.*

74. Gen. 8. Post diluuij excidium. *Venit ad vesperam Columba portans ramum Olivæ virentibus foliis in ore suo.* Genes. 8. numero 11. Qui ramus simul cum suis virentibus foliis, maturos fructus Oliuæ habebat, vt habet D. Ambrosius lib. de Arca. cap. 19. Ramus autem iste iustum significabat, qui non solum habet folia seu exteriora virtutum, sed etiam veros illarum fructus, tamen ramus portatur à Columba ad arcam, quia iustus cum in cœlum pergit ab alto portatur, à sanctis Angelis nempe. D. Augustinus tractatu 6. in Ioann. *Ramus ille*, ait, *& folia, & fructus habebat. Non sint in te sola verba: Non sint in te sola folia, sit & fructus, & redis ad arcam non per te ipsum, Columba te reuocat.* Ambr. Aug.

Quæstio XI.

Quare non explicatur à quibus Dives sepelitur in inferno, sicut exprimitur à quibus Lazarus est asportatus?

75. Basil. Legenter dixit D. Basilius epist. 383. *Est*, ait, *qui istius vita vanitatem deseruatus, & cognito, quod illius voluptates etiamnum hic catastrophen suam habeant, fomenta quædam, & strues, æterno illi igni congerentes, quam celerrime autem cursu præter vela, transeunt à me cum proposito deserendi vi iam hanc arumnosam, & multis suspiriis refertissimam.* Est tota hæc vita iucunda, cui aulde incumbimus, velut scena, seu tragœdia quædam, vbi tanquam in comœdia eius omnes deliciæ breui transeunt, *voluptates etiamnum hic Catastrophen suam habens.* Catastrophe Latinè idem est, ac subuersio, omnes enim secum tragicum exitum habent, imò quantò magis illis indulgemus, tanto magis *fomenta quædam, & strues æterno illi igni congerentes.* Vt videre est in hoc epulone, cuius tota lubrica mundi gloria gehennalibus in æternum tormentis est concluſa, & terminata. *Voluptates celerrime autem cursu præterueĉta cum proposito deserendi vitam hanc arumnosam.* *Omnis mundana gloria breui transit.*

76. Basil. Non prætermittam, quod de hoc epulone notauit D. Basilius homil. 1. de laudibus ieiunij. Dum ait, *terreat te diuitis exemplum*, non enim ob crimen iniustitiæ, sed ob vitæ molliciem exustus est in camino ardente. Non quia aliena rapiebat, sed quia epulabatur quotidie splendidè, vt nec micam panis daret pauperi, ideo sepultus est in inferno. De eóque ait D. August. serm. 24. de verbis Domini. *Si sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes: Quomodo morientur, qui rapiunt aliena?* *Furi crudelis mors reseruatur.*

77. Chrys. Proprius ad quæstionem accedamus. De sepultura huius Diuitis ait D. Chrysologus serm. 121. *In marmoreo tumulo, & aurata veste iacet Diuitis corpus inclusum: pauperis caro naturali quiescit in limo.* In amplo Mausolæo magnis sumptibus elaborato non quiescit, sed iacet Diuitis corpus, ab omnibus despectum, & æternis cruciatibus immersum; At Lazari caro etiam humili loco posita quiescit in sublimi sede æternæ felicitatis, non enim gloria pensitanda est è marmoreo sepulchro, sed ex interna animi virtute; de impio, ac iniquo ait Iob. 21. num. 32. *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congeries mortuorum vigilabit.* At contra Paulus iustos vocat dormientes. 1. ad Thessalon. 4. num. 12. *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* Quid est, quod iniquus in suo magno ac magnifico sepulchro dicitur vigilare; iustus vero, etsi in humili iaceat, dormire? In vigilia denotantur molestia, ac fatigatio, & attentio mentis, & memoriæ, atque alligatio ad pœnam, & cruciatum, in dormitione verò iucunda, ac placida quies, & requies; iniquus semper torquetur, & cruciatur; iustus vero iucunda quiete exultat, & gaudet. Pineda ad citatum locum Iob. *Impius in magno sepulchro torquetur, iustus in humili positus quiescit.* Iob. 21. 1. Thess. 4. Pineda. *Potest intelligi*, ait, *molestia quadam ingens vigiliarum, quod cum alij defuncti, probi præsertim, quiescunt, & placide dormiant, impius non sinetur quiescere, sed vigilabit tunc, & perpetuam illam damnationis noctem ducet insomnem.*

78. Chrys. Ad quæstionem D. Chrysostomus in Catena D. Thom. *Nullus autem est*, ait, *qui sepeliendo diuiti ministrasse dicitur, vt Lazaro: & qui multos habuit obsequentes adulatores, vt peruenit ad finem, priuatus est omnibus.* Licet enim habuisset multos amicos, & adulatores, non dicitur tamen à quibus est sepulturæ mandatus, vt dicitur de Lazaro, *asportatus ab Angelis*; quia cùm miser ad finem venit ab omnibus est desertus. Amicitia huius sæculi cum morte finitur; rara vero, & admirabilis, quæ post mortem durat, & perseuerat. *Impius in morte ab omnibus deseritur.*

Cum

Cùm proficiscerentur Hebræi de Ægypto. *Tulit Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel: Visitabit vos Deus, afferte ossa mea hinc vobiscum.* Exod.cap.13.num.19. Hæc Patriachæ obiuratio vniuersos astringebat Israëlitas, qui omnes multis nominibus debitores erant Ioseph, cuius multa cumulata beneficia erga eos extiterant; cur ergo solùm Moysem illius feretri latorem fuisse scribitur? Cur non dicitur, quòd ipse Moyses tulerit aliquid secum de spoliis Ægyptiorum de auro, argento, vel veste, sicut cæteri Hæbræi fecerunt? Glossa Græca apud Lypomanum: *Iudæi, ait, vtpote infantibus similes aurum, atque argentum secum detulerunt: Moyses verò intemerati animi vir Ioseph ossa deportauit.* Ioseph iam ante multos annos defunctus erat, & de homine defuncto agere, vt debito loco sepeliatur, non erat vulgi Hebræorum, qui tantum ad aurum, & argentum toto studio ferebantur, hoc enim solùm Moysis opus erat. *Moyses verò intemerati animi vir Ioseph ossa deportauit.* Vt videatur quantum Moyses reliquæ multitudini excederet, narratur, quòd hominis defuncti memoriam retinuerit, quod dum alij coacervando auro, & argento, ac vestibus solliciti incumberent, ipse tantum cogitabat ossa Patriarchæ deferre, cuius amorem ipsa mors non potuit minuere.

79. Exod.13.

Gloss. Lypom.

Magna laus. Moysis, quod de mortuo recordetur.

Luc.16.n.23. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis; vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

Num.24. Et ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

VERSIONES.

Syriacus. Cúmque torqueretur in inferis, eleuauit oculos suos eminus, viditque.

Theophylact. Atque in tartaro sublatis oculis suis cum esset in tormentis.

Vatablus.

Caietan. Et Lazarum in sinibus eius.

Syriac.n.24. Et clamauit alta voce, aitque: Pater mi Abraham miserere mei, & mitte Lazer, vt intingat extremum digitum suum in aquam, & humectet mihi linguam meam.

Arabicus. Vt intingat extremitatem digiti sui in aquam, & refrigeret cum ea linguam meam.

D. Chrysost. Et instillet linguæ meæ, quia vror his flammis.

EXPOSITIO V.

80. *LEVANS autem oculos suos.* Non corporis, sed mentis, Deo sic ordinante: ac ostendente. Erat diues in inferno inferiore, ac deorsum; Abraham verò sursum, ac in superiore loco, & cum dicitur, quod eleuauerit oculos, notatur sublimitas, ac celsitudo Lazari, ad quam eius paupertas eum subleuauit. Euseb. Gall. Euseb. Gallicanus serm.in feria 5. post Dominicam 2. Quadragesi. *Diues, ait, iam videre incipit Lazarum superiorem, & tam superiorem, vt nisi oculis eleuatis eum videre non possit.* Et benè dicitur, quod leuauit oculos tanquam in eo res noua; nam hucusque eos depressos habebat in terrenis; tormenta autem docuerunt eleuare. *Cùm esset in tormentis:* dicitur in plurali, Hugo. Vt denotetur tormentorum cumulatio, & multiplicatio. Et non explicantur tormentorum genera, quia illud tormentum, ex omnibus tormentis coalescit, ac omnem rationem superat. *Vidit Abraham à longè,* vt notant D.Gregorius, Beda, Haymon, D.Bonauent. quia reprobi longè sunt ab electis loco, & merito. D.Chrysologus, *Longè illi erat Abraham, cui non fuerat proximus pauper.* Non poterat esse proximus illi Abraham, qui longè fuerat à pietate, ac misericordia. Hugo. Greg. Beda. Haym. Bonau. Chrys.

81. *Vidit Abraham.* Communem sui, ac cæterorum Iudæorum parentem, qui etiam diues fuerat, sed diuitiæ Abrahæ huius miseri diuitis diuitias condemnabant. D.Chrysologus serm.121. *Abraham,* Chrys. ait, *venientibus longè semper occurrit, prætereuntes etiam prece vocat, nolentes magna cum supplicatione compellit ad mensam: at iste alter diues, imò diuitiarum captiuus, seruus opum, & ipsis censibus compeditus, tantum pompa immobile sepulchrum, in quo pietatis totus vtique, & visus defecerat, & auditus.* Abrahamus habuit diuitias ad miserorum opem, ac ad pietatis commercium: at epulo iste illis abusus est ad pompaticæ gloriæ fastum, ac ad mensæ, & purpuræ superbiam. *Et Lazarum in sinu eius.* Seu vt legit Græcus, in sinibus eius, hoc est vndique ac omni ex parte amanter complexum; de quo quæst. sequenti. Græc.

82. *Et ipse clamans.* Seu vt habet Syriacus: *Clamauit alta voce*: qui clamor non fuit corporalis, sed quædam mentis locutio, ac ingens affectus; dictum est enim quod Abraham, ac Lazarum videret à longè, & ideò consequenter dicitur, quod diues clamauerit. Seu vt ait D.Chrysostomus homil.1.de Lazaro: *Magna, inquit, pœna magnam vocem reddebat.* Hæc enim magnitudo pœnæ declaratur. *Pater Abraham miserere mei.* Singula verba valdè apta sunt ad commiserationem mouendam. Abraham vocat vtpote communem Iudæorum patrem, & quia ipse erat princeps, ac rector illius loci, vtpote pater omnium credentium, & cum proprio nomine Abraham vocat, ostendit, quòd ex nomine, ac facie agnoscebat, & vt ipsa nominis compellatione maximè eum ad pietatem moueat, vt sæpè solent pauperes facere. *Miserere mei.* Ecce sera pœnitentia, cum non sit locus pœnitentiæ, & in ea adhuc multum erat, vt notat D.Chrysostom. in catena D. Thom. *Creator, ait, creatura misereatur sua: vnus venit medicus, qui sanat morbos, alij sanare non possunt. Error miser.* Ecce magnus error in multa præcipitia te impellens, quod miser in suis necessitatibus subleuamen Syr. Chrysost. Chrysost.

leuamen,ac remedium non à creatore,sed à creatura expectet; præcipuè, cum ipse esset desertus, ac derelictus ab omnibus. *Miserere mei*, ait, vt notat Carthusianus,non quoad culpam,sed quoad pœnam, nam damnatorum voluntas in malo obstirmata est.

Cart.

83. *Mitte Lazarum*, non rogat mitti alium, sed Lazarum, cuius longanimitatem, mansuetudinem,ac patientiam satis notam habebat,*vt intingat extremum digiti sui in aquam*.Seu vt legit Arabicus,*extremitatem digiti*,id est,vt vna gutta aquæ *refrigeret linguam meam*,in qua vehementius affligor,quia crucior in hac flamma. Ecce miser, qui olim purpura vestiabatur, nunc igne vestitur purpura denudatus,& qui suauissimos cibos olim edebat,cibus factus est flammarum. *Mitte Lazarum vt intingat*.Vana præsumptione stultus dives gehennæ incendia temporalia reputat;& qui rogandi tempore dormiuit,nunc patiendi tempore rogat.D.Chrysolog.serm.66. *Dives*, ait, *bonorum suorum nescius tempus, nec malorum suorum miserandus agnoscit. Rogo te Pater;modo rogas? Modo tibi tempus patiendi est,non rogandi.*

Arabicus.

Chrysolog.

84. Largè hic disputant recentiores, Maldonatus Iansenius,Barradas,& alij;quomodo anima epulonis separata à corpore dicatur habere linguam, sicut & anima Lazari digitum,*vt intingat,in aqua?* Hæc tamen parabolicè sunt dicta ad significandam extremam diuitis miseriam, & cruciatum; nam alioqui nec beati damnatos iuuare possunt aut volunt, cum sciant id esse contra æternum Dei decretum,nec damnati id rogare, aut petere queunt,vel audent,cum sciant magnum chaos inter illos,& beatos esse firmatum.

Mald. Iansen. Barrad.

QVÆSTIO XII.

Quare modò dives epulo videt distantem longissimè Lazarum, quem antea sibi vicinum minimè intuebatur?

85. Bostrens.

RESPONDET primò Titus Bostrensis: *Vt Deus Adamo è Paradiso electo*, ait, *ex aduerso Paradisi sedes assignauit: quo creber eiusdem conspectus dolorem instauraret: ita & Lazarum in cruciatuum augmentum diuitis huius aspectui obiecit*: flammeo gladio electus homo è paradiso ante illius faciem constituitur,vt amissa contemplans maximè torqueatur; ante faciem diuitis obiicitur Lazarus,vt eius celsitudine illius viscera multis gladiis transuerberentur. D.Chrysostomus homil.de Diuite: *Totus*, ait,*in tormentis erat, oculos solos liberos habebat; vt alterius latitiam possit aspicere,vt magis torqueretur*.Quasi ipsa gehennalis pœna in æternum non foret satis ad diuitis malitiam dignè castigandam, nisi etiam alterius gloria manifestata inuido ostenderetur,*vt magis torqueretur*. Stantibus,& audientibus reprobis electi vocantur ad gloriam.*Venite benedicti Patris mei*,&c.Matth.25.num.34. Et postea damnati ad inferos mittuntur: *Ite maledicti*. Cur beatorum prior sit promotio? vt ex eorum agnita felicitate miseri *magis torquentur*. D. Chrysolog. serm.22. *Quale est*,ait,*inter æternos ciues, de contemptu doloremde ignobilitate pœnæ, de nuditate opprobrium sustinere: & tunc addici pœnis, quando alij promouentur ad regnum.*

Chrysost.

Gloria alterius inuido maximum tormentum.

Matt.25.

Chrysolog.

86. Secundo.D.Dionysius Carthusianus,cùm esset in tormentis.Vidit à longè,sic ait: *Oculos, quos clausit hic culpa, ibi aperuit pœna. In hac etenim vita impijs delectationibus mente cæcatus, non considerauit prauorum pœnas,& gaudia beatorum.* Ante vestibulum domus suæ eum non viderat dives,& nunc à longè agnoscit Lazarum,vt ab eo refrigerium petat,quem enim abundantia obcæcauerat illius mentis oculos miseria aperuit.Prodigus in domo patris multa rerum copia affluens profectus in regionem longinquam, vbi inedia,ac penuria vexatus; *surgens venit ad patrem*, Luc.15. num.10.Chrysologus; *Fames reuocat, quem fastus expulerat*.Villicus factus dispensator bonorum domini sui,illorum opulentia obcæcatus,ipsa bona dissipat,tamen timens condemnationem illius iudicij. *Redde rationem villicationis tuæ*, Lucæ 16.num 2. Acuitur illius mens, & perspicax factus prudenti consilio viam salutis sibi prouidet.

Carthusian.

Luc.15.

Chrysolog.

Luc.16.

Tertiò. D. Chrysologus serm.124. *Immutatio quanta rerum*, ait, *pauperem promouit ad philosophiam, diuitem extulit purpura ad superbiam, ad cæcitatem splendor: Quo descendit dives? Quo pauper ascendit? respicit ibi sursum, quem despexerat hic deorsum: videt eum de inferno in sinu Abrahæ,quem iacentem sibi coram superbo de stigmate non videbat.* Modo de longinquo videt, quem antea iacentem iuxta limen ostij sui non videbat. *Superbo de stigmate non videbat*. Superbo apparatu auri, ac purpuræ sic cæcus effectus est,sicque in tenebris degebat,vt iuxta se iacentem minimè videret. Vide suprà cap.8.num.23.& c.21.n.70.

87. Chryс.

Opulentia bonorũ excæcat mentem.

Quartò. Ad eadem verba: *Viditeum de inferno in sinu Abrahæ, quem iacentem sibi coram superbo de stigmate non videbat*.In tormentis inter nebulosum fumum videt,quem in limine ostij non agnouit. Et quænam huius rei causa? *Epulabatur quotidie splendidè*. Quid ergo mirum,quod *de superbo stigmate*. Id est de ampla, & opipara mensa multa crapula,ac ciborum varietate, sic obcæcetur, vt facilius ipse tenebroso, ac horrendo inferni carcere detentus Lazarũ intueatur, quàm saginatus lauta,& ampla mensa coram oculis suis iacentem videat. Expeditiúsque fuit de inferni caliginoso fumo Lazarum videre quam clara die de conuiuio ipsum aspicere.

88.

Epulo plus obcæcans, quàm infernitenebræ.

Prodigus ille inter epularum delicias in paterna domo,paternæ pietatis sit immemor,vt à patre recedat in regionem longinquam, in qua *adhæsit vni ciuium regionis illius*.Luc.15.num.15.Per hunc ciuem diabolum interpretantur D. August. Beda, & alij dati cap.27.expositi.3.& tamen ibi sub dæmonis potestate. *In se reuersus, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus*. Aperiuntur oculi,patris recordatur, & ad ipsum properat venire; plúsque valuit ad perdendum, ac Deo Patre separandum venter gula repletus,quàm cor à Dæmone obsessum,ac possessum, plus potuerunt eum elonginquare epulæ quàm dæmonum artes, ac machinationes. D.Chrysologus serm.2. *A se migrat*, ait, *ab homine transit in bestiam, paterna pietatis immemor,gratiæ genitoris oblitus. Fames illi patrem dedit sapere, cui copia tulerat sentire genitorem. Oneratus venter ad vitia cor deponis, premit mentem,ne superna valeat sentire pietatem.*

89. Luc.15. Aug. Beda.

Plus à Deo separat gula, quàm dæmon.

Chryс.

Quintò. D.Chrysostomus homil.7.in Lucam: *Cùm proximus*,ait,*esset Lazarus, præteribat eum Dives.cùm autem procul abesset inuocat: quem frequenter ingredientem,& egredientem, non videbat, hunc procul semotum diligenter aspicit.* Cùm Lazarus esset pauper

90. Chryс.

per

per ab omnibus destitutus ad ianuam iacens, nec oculos in eum diues coniiciebat; at verò cum omnibus abundans, multis fauoribus insignitus in sinu Abrahæ requieſcit, etiam è distantissimo loco ipsum aspicit, & intuetur auarus. Lazarus sub paupertate etiam propinquissimus non videtur, at verò cùm paupertate exiuit, diuitiis affluit, etiam distantissimus apertè & clarè videtur: sic mundiales non despectos, sed bene fortunatos diuitiis fulgentes vident, ac intuentur.

Pauper despicitur, diues cognoscitur, & quæritur.

91. Iob. 42. Cùm ex cumulo suarum miseriarum restituitur Iob in suum pristinum statum. *Venerunt ad eum omnes fratres sui, & vniuersa sorores sua, & cuncti qui nouerunt eum prius, & comederũt cum eo panẽ*, Iob. 42. n. 11. Cùm Iob in extremam miseriam, ac paupertatem incurrisset, nullus frater, nec soror, nec propinquus eum visitat, eique assistit; at verò cum ad rediuiuam prosperitatem redit, statim omnes fratres, vniuersæque sorores, & qui eum priùs nouerant ad eum conuolant, eique adsunt, qui est hoc? Nisi vt denotetur mundialium conditio, qui ad bene fortunatos, ac felices concurrunt, à deiectis verò, ac miseris omnino fugiunt, & declinant. Nicetas in Catena Græca: *Fortassis*, ait, *etiam propinquorum inhumanitatem diuinus sermo præstringit, qui simulatam amicitiæ, propinquitatisque speciem imitarentur; quandoquidem ab eo cũ premeretur ærumnis, lõgius abfuissent, vbi esset rebus tranquillitas restituta, gratulãdi causa adulaturi.* Et quod ad eũ in sua paupertate tres amici venerint, Iob. 2. tanquã quid nouum, & inusitatum præter hominum conditionem notatur à sacro Textu.

Diuitiæ quærunt homines, pauperes fugiunt.

Nicetas.

Iob. 2.

QVÆSTIO XIII.

Quare miser epulo suum sermonem dirigit potiùs ad Abraham, quàm ad Lazarum?

92. VIDET miser Abrahamum, ac Lazarum, quem optimè agnoscebat, & tamen suum sermonem ordinat Abraham, dicens: *Pater Abraham*; patrem ipsum vocat, in argumentũ suæ magnæ damnationis, vt rectè ponderat D. Chrysol. serm. 23. *Modo cognoscis patrem*, ait, *& modo tibi patrem se esse negat. Infelix, quem ipsa origo arguit: infelix, cui in iudicio pro magnitudine criminis non misereri genitor, non pater ignoscere, non affectio potuit subuenire.* Quid miserabilius cõtingere poterat homini? Ad quas maiores angustias eum poterat sua malitia deducere, quàm quòd ipse clamaret pro leuamine ad patrẽ, & pius pater eum arguat vt degenerẽ, eúmque damnet, ac reprobet, illíq; subuenire recuset? *Recepisti bona in vita tua.* D. Zeno serm. ad verba Isai. 1. n. 2. *Filios enutrini & exaltaui, ipsi autẽ sprenerũt me.* Cùm vt pater filios vocat, poterat suspicari, quod multa indulgentia eos prosequeretur, & tamen statim damnationis sententiã in eos infert. *Va, ve gẽti peccatrici!* sic ait S. Zeno: *Detestabilis certè filius, quem pater ipse pius, quem pater damnauit inuitus.* Quis enim miserebitur illius, quẽ ipsius amantissimus pater damnat?

Cur patrem vocat? Chrysol.

Magna miseria quod pater filium damnet.

Isai. 1.

Zeno.

93. Theophyl. Ad quæstionem respondet primo Theophyl. relatus in Catena D. Thomæ: *Non dirigit sermonem ad Lazarum*, ait, *sed ad Abraham, quia forsitan erubescebat, & putabat Lazarum veremiſci malorũ.* Cur potiùs ad ignotum Abrahamũ, quam ad notissimũ Lazarum sermonũ suum instituit damnatus epulo, optimè enim sciebat quod Lazarus negati alimenti iniuriam patientissimè tolerasset, & quod ipse præcipuè cum existeret in sinu Abrahæ, omni parceret offensæ; cur ergo cum ipso non loquitur? bene sciebat miser epulo, quod Lazarus pepercisset iniuriæ, tamen dubitabat, an parceret pudori, quod ipse nempe auderet petere benignitatem ab eo, in quem tam crudelis extitetat, & ideo ab eo non petit, *quia forsitan erubescebat.* Etsi damnatus, verecundia tamẽ afficiebatur, vt peteret beneficium ab eo, qui omnia sua negauerat. Secundò, quia cum Diues Abraham patrem agnosceret, inde multæ confidentiæ adiuuamen.

Qui negat sua erubescat ab alio petere.

Tertiò. Theophyl. in suo Codice: *Cur non vertit, ait, sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham? Confundebatur fortassẽ existimans forsitan Lazarum vindictæ auidum, & ex suis causis indicabat illum. Si enim ego tanta felicitate fruens contempsi illũ tantis malis coangustiatũ, & neque micas ei communicaui, multo magis ipse contẽptus vindicabit, & non annuet, vt mihi beneficiũ concedatur, propterea ad Abraham facit sermonem.* Adhuc malevolentia in sanctum mendicum damnatus epulo flagrabat, & secundũ affectum sibi prædominantem iudicabat; talem itaque Lazarum apud se describebat, qualem ipse semetipsum existimabat; ipse erga Lazarum odiũ ferebat in mente, recogitabat etiam quod Lazari animus erga ipsum odio occupabatur, ac proinde de suo animo de Lazaro iudicabat, quod antiquas iniurias vlciscereturi, & quod rogatus nil solatij esset allaturus. *Existimans forsitan Lazarũ vindictæ auidum, ex suis iudicabat illũ.* Ac proinde quod sicut ipse si vires haberet, vindictam in Lazarum infligeret, sic etiam ab eo vindictam extorquendam recogitabat, ac proinde ex suo depraua to corde Lazarum alterum semetipsum efformabat.

94. Theoph.

Vnusquisque ex se de alio cogitat.

Ait Regius Vates: *Quàm bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde!* Psal. 72. n. 1. Diuinũ numẽ omnibus bonũ est, *qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos*, Matth. 5. n. 45. Quomodo ergo à Regio Vate decantatur solũ *bonus his qui recto sunt corde?* Cur non omnibus? Deus in semetipso, ac omnibus bonus est, non tamen omnium mortalium cogitatione sic bonus existimatur, sed tantũ ab his, qui recto præditi sunt animo. At verò illi, qui deprauato sunt corde multa malevolẽtia, odio ac vindicta pleno, ex sua malignitate multũ mentientes iuxta cor suum sic Deum fabricare non verentur, & cũ peruersitas omnino Deo repugnet, ipsi peruersi talem Deum pingere non recusant. D. Augustin. in Psal. 44. ad illa verba: *Virga directionis virga regni.* Sic ait sanctus Doctor: *Ait in alio loco: Cum sancto sãctus eris, & cũ peruerso peruersus eris; non quia peruersus Deus, sed quia peruersi peruersũ eum putãt; placet tibi bonũ, bonus est Deus, displicet tibi, quasi prauus est; curuus est ad te Deus, tua curuatura facit hoc, nã illius rectitudo sẽper manet: audi in alio Psal. Quã bonus Deus Israel rectis corde.*

95. Psal. 72. Matth. 5.

Peruersi ex se Deum depingunt.

Augustin.

Abscondit se Adam à facie Dei ambulantis, à quo conquisitus vbi esset, respondit: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me*, Genes. 3. n. 10. Homo nudus creatus est à Deo, & antequam vetitos fructus attigisset nudus versabatur in paradiso, nudúsque à creatore visitabatur. Quorsum ergo nuditatem ostendit, propter quam se absconderit? Deinde vanum est, Dei oculis intentare quidpiam se subtrahere, cum omnia sint nuda, & aperta oculis eius. Adamus non scientia, sed affectu regebatur, & sicut ipse post gulam infaustã perurgente concupiscentia de nuditate erubescebat; metiebatur etiam ex se Deum, & velut suppudefieri ex nudorum corporum aspe-

96. Gen. 3.

Adamus ex se de Deo coniecturabat.

&u cogitabat; similémque suis moribus Deum fingebat. Vide suprà hoc tom. cap. 8. n. 186. & c. 14. num. 18. & 19. c. 17. n. 67. & tom. 1. 2. ac 3. verb. *Iudicare.*

Qvæstio XIV.

Quare cum in sinu Abrahæ essent multi Patres: Dives verò non alium postulat refrigeratorem, nisi Lazarum, vt ad se mittatur?

97. Multi erant Patres in sinu Abrahæ, Isaac, Iacob, & alij, & tamen damnatus dives non alium sui cònsolatorem postulat, nisi Lazarum, cum nemo minus ad opem ipsi ferendam idoneus videretur, vtpote cui ipse egenti, postulantíque minimè subleuamen ferre voluisset, cui etiam micas de mensa sua cadentes non tribuebat, sed negabat, Ad quæstionem.

98. Chrysol. Respondet primò D Chrysol. serm. 122. *Quod agit dives,* ait, *non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui: Zelo magis incenditur, quam gehenna. Est graue illis malum: est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices. Adhuc diuitem malitia non deserit, quoniam possidet pœna; qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarũ vult deduci.* Postulat vt ad se Lazarus mittatur, *non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui.* Vnde ex ipso suo liuore antiquo non postulat, vt sibi liceat ascendere ad Lazarum: *non se ad Lazarum duci postulat,* sed ait, *mitte ad me Lazarum,* quod non incongruè eius arrogantiæ, ac insolentiæ tribuendũ est, quam etiam in inferno demorsus non deponit. *Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna, qui non se ad Lazarum duci postulat.*

Adhuc in inferni pœna dives non deposuit superbiam.

99. *Inuidis alterius gloria infernus.* In rem nostram, ex suo liuore antiquo: Non dixit, mitte me ad Lazarum; sed, mitte Lazarum ad me; potius enim optabat Lazarum secum esse miserum, quam se cum Lazaro beatum, ac si magis eum aliena gloria, quam propria pœna torqueret, *adhuc diuitem malitia non deserit, quem possidet pœna.* Inuidis alterius gloria nouus est cruciatus inferni. Cum Dauid à Saule, ac eius militibus dure persequeretur, dicebat: *Dolores inferni circumdederunt me,* Psal. 17. n. 6. D. August. legit ibi. *Dolores inuidiæ.* Sic enim hostes, ac persecutores Dauidis eius gloria cruciabantur, ac si gehennalibus doloribus torquerentur.

Psalm. 17. August.

100. Chrysol. Secundò. Ad eadem verba Chrysol. *Est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* Multi erant in sinu Abrahæ, tamen Lazarum peculiariter postulat ad se mitti, maximè optabat Lazarum sua gloria priuari, quam quemcumque alium, nam alij, qui apparebant in illa gloria, vt Abrahamus, Isaac, & Iacob potentes, & locupletes extiterunt, & ex diuitum culmine dives sic non laceratur, vt ex pauperum gloria, maximè enim dolebat, confundebatur, ac erubescebat tanto splendore superari ab eo, quem aliquando vt abiectum, & contemptibilem mendicum ante ianuam suam habuit iacentem. *Misit in eos canem yam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos,* Psal. 77. n. 46. si animalibus eos placuit domare, ac superare, cur è syluis, ac è mótibus non excitantur Leo, Vrsus, Tygris, vel Aper? sic dispositum est ad Ægyptiorum confusionem, ac verecundiam, quod non à magnis bestiis, sed à paruis, ac minutis nempe vt muscis, ranis superabantur, ac frangebantur. D. August. tr. 1. in Ioan. *Populum Pharaonis,* ait, *superbũ potuit Deus domare de vrsis, de leonibus, de serpẽtibus, muscas, & ranas illis immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur.*

Parùm rebus Deus contudit multorum superbiam.

Psalm. 77.

August.

101. Chrysol. Tertiò. Ad eadem Chrysol. verba: *Adhuc diuitem malitia non deserit; adhuc in Lazarũ sic crudelis.* Multos magnos Patres videbat Dives in sinu Abrahæ, & tamen omnium aliorum digitos præterit, & solum ex digito Lazari vult guttam aquæ ad refrigerium, ac leuamen sui ardoris; cur non potiùs confugit ad aliorum digitos, quorum manus multis diuitiis plenæ fuerunt? cur potius mendicum Lazari digitum requirit? *Adhuc diuitem malitia non deserit.* Non ab alijs, nec ex fratrum diuitiis aliquid sperat, sed solùm à Lazaro. Hæc est antiqua diuitum malitia, vt pro eorum refrigerio, deliciis, ac necessitatibus reparandis nesciant aliud attendere, ac quærere, nisi pauperũ substantiolas, quippe fluenta diuitum omittunt, & pauperum guttas ambiunt. Saluianus lib. 4. de Gubern. Dei: *Ecce enim remedia,* ait, *pridem nonnullis vrbibus data, quid aliud egerunt, quam vt diuites cunctos immunes redderent; miserorum tributa cumularent, vt illis demerentur vectigalia vetera, istis vt adderentur noua.* Vide c. 9. n. 81.

Diuites pro suis deliciis solũ res pauperum quærunt.

Saluian.

102. Chrysol. Quartò. Idem D. Chrysol. serm. 122. *Mitte Lazarum,* ait, *quo? Ad inferum de gremio, de solio sublimi ad profundum chaos, ad tormentorũ stridorem de sanctæ quietis, de tanto silentio beatorũ, vt intingat extremũ digiti in aqua.* Si Lazarus mittatur, vt dives postulat, ad profundum chaos, summum amitteret gaudium; cur ergo pro vna exigua gutta supremæ Lazari felicitati insidiatur? adeò sui affectuosus erat miser, vt vellet, ac cogitaret Lazarum suo supremo ac omni bono suo priuari, ne ipse aliquali, ac minimo suo cómodo careret, stante maledictione super virum, qui comedisset panem vsque ad vesperam donec Israel vlciscereturde inimicis suis Ionathas: *Extendit summitatem virgæ, & intinxit in fauum mellis, & conuertit ad os suum,* 1. Regum 14. n. 27. Vt gustaret guttã mellis non recusauit inducere super populum magnum piaculũ, ac damnationis periculum, vt totus Israel periret.

Pro nostra exigua vtilitate vltimum, vt alij sunt omittendi statuitur. 1. Reg. 14.

103. Caietan. Quintò. Caietan. *Petit,* ait, *Lazarum mitti ad sui refrigerationem, cui meminit se tam inhumanum fuisse.* Dives valde durus, & crudelis fuerat in mẽdicum Lazarum; cur ergo hunc postulat ad sui commiserationem? cur non ad alium confugit? sed tantùm eligit Lazarum, quem offenderat? Optimè sciebat hominem virtute insignem, ac diuina gratia repletum, quo magis offensus erat, inde aptiorem esse ad præstandam gratiam, ac adiuuamen suo inimico, ac offendenti. Sic & Dauid quamuis multis iniurijs, ac persecutionibus esset lacessitus à Saule, tamen Dauid verbo, & factis valde modestè se habuit erga eum; nam cum sui commilitones eum vellent in spelunca occidere. *Confregit viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in eum,* 1. Reg. 24. n. 8.

Vir iustus iniurias condonat.

1. Reg. 24.

104. Gregor. Sexto. D. Gregor. lib. 19. moralium, cap. 12. *post mortem inopia, in tormentis abundantia, quia in vita peccauerat, & velut pauper torquebatur, vnde potiùs pauperem aduocat, cuius viscera misericordia plena sunt ex miseriis perpessis, quàm alium.* Dives multos viderat in sinu Abrahæ, tamen Lazarum tantum postulat sui cõsolatorem, quia etsi ille minus idoneus videretur, cum ergo ipsum semper ferrea viscera habuisset, tamen non postulat in suum adiuuamen Isaac, Iacob, & alium, sed solùm Lazarum; nam illi quamplurimis diuitiis abundauerant; hic

Solũ qui sustinuit miseriam, misero nouit subuenire.

verò

verò multa necessitate, ac egestate oppressus fuerat in vita, ex quibus maximè alliceretur ad illius adiumen. *Cuius viscera misericordia plena sunt ex miseriis perpessis.*

105. Apoc. 1. Ait Christus Dominus Ioanni in Apocal. 1. n. 17. *Noli timere, ego sum primus, & nouissimus, & viuēs, & fui mortuus, & habeo claues mortis, & inferni.* Ex proprio dolore infirmitis, vt aliis subueniat. Maximè pōderanda est illa cōnexio, fui mortuus, *habeo claues mortis*, ad quid, vt de se astrueret, quod habebat claues mortis, & inferni, prius tamen præmittit, quod fuerat mortuus? Solus enim qui expertus est dolores mortis, idoneus inuenitur, vt claues habeat mortis, ex suis enim doloribus habet documentum, vt aliorum angoribus subueniat.

106. Genes. 18. Cùm Abraham in ipso feruore diei ad ostiū sui tabernaculi sederet, ac pro se tres viros vidisset. *Cucurrit in occursū eorū*, Genes. 18. n. 2. Non lento gradu, sed ita accelerato ad eos properat, vt cucurrerit. Vnde illi tanta festinatio erga hos tres viros? Peregrinus peregrinis dat opem. apparebant illi in peregrinorum facie; cum autem Abrahamus extitisset aduena, ac peregrinus, peregrinique incommoditates fuisset perpessus, inde vehemēter prouocabatur vt peregrinis auxilium præberet, ac opē ferret. Chrysol. D. Chrysol. serm. 121. *Peregrinus ipse*, ait, *iugiter laborauit, ne peregrinus peregrinū se esse sentiret; sub tentorio manens ipse, sine tecto aduenā manere non est passus, & hospitē hospes semper, ipse suscepit.* Expende hæc vltima verba.

QVÆSTIO XV.

Quare miser epulo exposcit guttam aquæ non proprio digito, sed alieno admotam?

107. Abb. Cell. DIVES Auarus expostulat aquam non suo digito, sed alieno nempè Lazari illatam. Vnde meritò hunc pungit Abb. Cell. de panibus, c. 25. *Plenam itaque manum*, ait, *non extremum digitum in aqua tinctum exposcat conscientia de grauibus confitens: nec alterius tamen, sed proprio digito velit mouere, & amouere pœnam, quā malè animum mouendo sibi admouit.* Miser epulo dum veluti videns, ac confitens sua peccata, misericordiam implorat, *miserere mei*, vt declinet pœnam, in qua detinetur, quia *crucior in hac flamma.* Adhuc erratq; falsus, & futilis est impœnitentis epulonis dolor; vult enim amouere pœnam suis debitam peccatis, non proprio, sed alterius digito; verus pœnitentiæ dolor non solùm suum digitum, sed etiam proprias manus, ac pedes, & omnia membra vult adhibere, vt pœnam suis delictis promeritam amoueant, & deleant. Pœnitens non alienam manum, sed suam quærit.

108. Chrysol. Ad quæstionem respondet primò Chrysol. serm. 122. *Sitis*, ait, *ô diues, extremi digiti guttam, quam si vel solā dedisses pauperi, non sitires. Immisericordem te gutta reddidit: & mica reddidit inhumanum, in quibus totus pauperis victus consistit, & vita.* Non fontem, non flumina, sed paruam guttam appetit miser, gutta seu mica erat, ob quam pauperi denegatam, diues hic æternis cruciatibus premitur, vt ergo agnoscat suæ damnationis causam potissimum desiderio exoptatæ guttæ torqueatur. Vnde perbellè ait D. Greg. Nicæn. orat. 3. de Beatitudine: *Idcirco misericordia implorata non auditur, non quia vna gutta de magno paradisi fonte dempta damnosa esset, sed quia misericordiæ stilla commiserri, atque communicari cum inhumanitate non potest; qualia enim seminauerit homo, talia & metet.* Et D. Aug. serm. 227. de tempore: *Desiderat guttam, qui negauerat micam.* Quod confirmat ex his, quæ Sap. 7. n. 26. de Dei filio omnium iudice loquens, ait: *Candor est etiam lucis æterna, speculum sine macula.* Cur omnium iudex speculum appellatur? repræsentat enim vnicuique quod ipse in se habet; nam speculum repræsentat, quod ei obiicitur; sic & nos nostris muneribus facimus, vt nobis Deus suis muneribus correspondeat; si misericordes, ac largi fuimus in proximos, magnificam liberalitatem experiemur à Deo erga nos: si verò inhumani, ac crudeles fuimus, nec guttam ex Dei pietate recipimus citatus D Nic. *Quemadmodum artis exacta proba, veraque specula tales vultuum ostendunt effigies, qualescumque ipsi vultus sint; ita iustum quoque Dei iudicium nostris affectionibus assimilatur: qualiacumque a nobis commissa fuerint, tales nobis de suo prabens retributiones.* Quia auarus negauit pauperi micam, negatur ei & gutta. Vnde ait D. Chrysol. serm. 66. *Qui diuitias suas non miserando pauperi dedit, sibi misericordiā sic minorat.* Nicæn. Qualis homo Deo, talis Deus homini. Qui pauperi negauit micam, negatur ei gutta. Chrysol.

109. Chrysol. Secundò D. Chrysol. serm. 122. *Mitte Lazarum*, ait, *vt intingat extremum digiti in aquam? Ergo iuxta te est, aqua? Si iuxta te est, quare de proximo non sumis? Quare? quia vincta sunt manus tua meritò ô Diues!* Non rogat, vt Lazarus secum deferat aquam, ac si iuxta ipsum diuitem essent fontes aquarum; cur ergo manum suam non mittit in aquam, vt suam linguam refrigeraret? Non poterat sanè, quia qui pauperi neglexit porrigere manum, torm. ntis ligantur manus eius, ne ad sui refrigerium valeat porrigere manum vel hæc est diuitum miseria quod cum iuxta se habeant bona sua, tamen nihil manus inueniunt, quo frui, ac refrigerari possint. Sua auarus conditione premitur, vt habens aquam non bibat. Auarus cum habeat aquam non bibit.

110. Nazian. Tertiò D. Nazianz. orat. 27. *Dives ille*, ait, *qui in flamma torquebatur, ac pro huius vita voluptatibus, Lazarique esurientis, & vlcerosi contemptu, hanc mercedē referebat, vt illic Lazaro opus haberet, nec tamen eius opem impetraret.* Totus miser acerbè cruciabatur gehennali flamma secundùm omnia membra sua, & tamen solùm relinquuntur ei oculi liberi, vt rectè notauit D. Chrysost. datus q 11. vt videat Lazarum, ab ipsóque guttam aquæ expostuler, cum tamen vna gutta parum posset diminuere de tam ingenti, ac perenni cumulo tormentorum, ac si ad magnam diuitis malitiam dignè castigandam, non foret satis acerbè in tartaris in æternum torqueri, nisi etiam è concepta spe, ac precibus exhibitis ipse frustraretur, ad complementum suæ magnæ damnationis exigebatur, vt super cruciatus à dæmonibus ministratos cassa expectatione vexaretur. Ingentes maledictiones congerit Iob super noctem in qua conceptus, seu natus fuerat, ait: Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & addit: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis aurora*, Iob. 3. n. 9. Quænam hæc imprecatio; quid enim infelicius nocti poterat contingere, quàm quod ipsa videret lucem, lucis enim aduentu nox destruitur; qualissnam est illa maledictio? Magna sanè, *expectet lucem, & non videat.* Nil enim durius, ac execratius poterat nocti euenire, quam quod expectet, & non videat, vt execrabilius super omnia mala in perpetuum crucietur. Chrysost. Crudele tormentum sic cassa cruciari & precibus non impetrare. Iob. 3.

111. Chrysost. Quartò D. Chrysost. hom. de Diuite: *Vide conscientiam peccatoris*, ait, *non totum audet petere digitum.* Non postulat miser totam manum plenam aqua, non integrā digitum, sed tantum *extremum*

digiti, seu vt alij legunt, *extremitatem digiti*. Cur minimam partem cum aqua exposcit? *Vide conscientiam peccatoris non totum*, &c. à conscientia sua in hoc ducebatur; sciebat enim quod in bonis creatis extra Christum nihil est integrum, & totum, sed valde minutum, ac dimidiatum. Vide suprà c.2.n.122.& c.7.n.81.82.& multa verb. *Bona temporalia*. Vel quia ipse exiguum solitus erat dare, ideo & exiguum petebat.

In bonis temporalibus nō est totum, sed pars.

112. Chrysol. Quintò. D. Chrysol. serm. 124. *Stilla digiti extremi*, ait, *credit gehenna flammas extinguere, qui mensuris per totam diem ebrietatis non extinxit incēdia.* Totus inflammatus homo, & vt tanto incendio subueniat non fontem, nō lacum, sed aquæ guttulam desiderat, vt incendia suatum voluptatum satiaret, nullū habebat modum, nec mensuram, *epulabatur quotidie*, ideſt continuè, & tamen non explebatur ex suo ingenito affectu vnam guttulam cælestis roris desiderat, qui sine vllis mēsuris ventri, & gulæ sese ingurgitabat; cælestia in parca mēsura; terrena verò sine vlla mensura miser ambiebat, qui temporalia inhians fastidiebat cælestia.

Cælestia in mensura, humana sine mensura volumus.

113. Zeno. Sextò. D. Zeno serm. de Resurrect. *Cupit*, ait, *mortuus vel vno digito, illis cōtingi manibus, quibus stipē denegauerat vinum, odit iam, quod antea sine causa amauerat, probat felicius esse, quod oderat.* Cur ô dines epulo ad tua pretiosa antiqua vina, ad tuas delicatas dapes, quæ tibi in vsu fuerūt, non recurris, sed tantū ad manus pauperis, quas maximè in odio habebas? Cū miser iam sit sub gladio diuini iudicij, iā quasi melius intelligēs, quæ antea amauerat, iam odio habet, vtpote tantæ suæ dānationis principium; & quæ prius fuerant ei in fastidiū v.g. pauperis manus, ipsas solūm quærit, & ambit, iāmq; suas amatas diuitias radicem suorū malorum agnoscit, & detestatam paupertatem refrigerij fontē agnoscit. De homine in mortis articulo cōstituto Ait Iob 33.n.20. *Abominabilis ei fit inuita sua panis, & anima illius cibus antea desiderabilis.*

Sub Dei iudicio amata fugimus, & detestata amamus.

Iob. 33.

114. Septimò. D. Chrysol. serm. 122. *Quid est Dives?* ait, *vbi sunt torrentes torcularioru tuorum? Vbi sunt horrea ad famem pauperis? Vbi sunt vina annositatibus, & ipsa temporū obliuione seruata? Vbi sunt effusiones, & fulmina ministrorū tuorum? Ista omnia tibi periere. Remanserunt ista, deseruerunt ista.* Dic mihi epulo cur pro aqua ad manus Lazari recurris, cur non potiùs ad fratres tuos, quibus multa bona in domo patris tui reliquisti? Cùm ipse discessit, ac bona fratribus, ac cognatis delegauit; pro certo habuit, quod illa bona minimè profutura, itavt facilius crederet posse refrigeriū habere à cælestibus, quàm à bonis relictis in manu fratrū, ac consanguineorū. *Et relinquēs alienis diuitias suas*, Psal. 48.n.11 Nonne morientes relinquūt diuitias suas fratribus, filiis, ac nepotibus, quomodo dicitur, quod relinquunt alienis? cum homo moritur, ac bona illius manēt filiis, amicis, ac vicinis, minimè ei valent subuenire, ac in eius commodū cedere, sed sic ei proficiūt; ac si alienis essēt data. Ruffin. ad prædictum Psal. *Omnes iniqui relinquunt alienis diuitias suas: sine filij sint, sine parentes, sine vicini, quibus eas relinquunt; tamen in hoc alieni sunt; quia illis de suis diuitiis subuenire non possunt.*

Mundialia bona relicta consanguineis non proficiunt morientibus.

Psalm. 48.

Ruffin.

115. Non solùm bona tibi antea multum chara, quæ relinquis auidis fratribus, te discedentē deserunt, tanquam alienis data, sed etiam te accusant, arguunt, & tanquam hostibus clargita aduersus te pugnāt. Apparet Babylon illa magna super bestiam coccineam, cum qua turpi, ac fornicario amore ei copulati sunt; quique multum de diuitiis, ac abominationibus eius particeps facti sunt; tandē cecidit Babylon illa magna Dei experta vindictam, quid tunc reges illi qui diuitiis eius locupletati fuerint; Scribit Euangelista: *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia: hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt & ipsam igni concremabunt*, Apoc. 17.n.16. Decem cornua decem reges illius amatores sunt, Rupert. l.10. in Apoc. *Reges*, ait, *per cornua designantur, qui cum illa fornicati sunt; ipsi ergo, qui cū illa fornicantur, illā odisse, & desolatā, nudamq; facere, & carnes eius manducare, & ipsā concremare dicūtur: mirum, hoc attamen verū est.* Valde mirū quod illi reges, quos habuit in deliciis, quibus & multū de suis bonis communicauit, vbi ipsa cecidit, eos habeat aduersarios ad deuorandas, ac concremandas eius carnes. *Desolatā facient illam, & carnes eius manducabūt.* Sic pergit citatus Rupert. *O igitur miserabilis cōditio Babylonis terrena ciuitatis, qua adeò fornicatur cū amatoribus: quia non solùm fornicatur cū amatoribus, sed etiam cum hostibus: quorum etsi quis amor est, tanta fellis amaritudine permiscetur, vt ipsam hostiliter dilanient, cum qua fornicantur.*

Apoc. 17. Rupert.

Bona amatoribus data, vt inti hostilia arma ētra te conuertuntur.

QVÆSTIO XVI.

Quare cum miser epulo totus igne concremaretur, solùm tamen lingua requirit refrigerium?

116. Augustt. RESpondet primò D. Aug. in catena D. Thom. *Quod linguam suam*, ait, *vult refrigerari cū in flāma totus arderet, significat, quod scriptū est: Mors, & vita in manibus lingua.* Quare sic vstulatur lingua epulonis in inferno, ac si reliqua mēbra ab incēdio vacarent; adustione linguæ sic cruciatur dānatus, vt solius linguæ refrigeriū exambiat. Cur tam ibi dira afflictio? Cur linguæ agglomerantur tot flammarū globi? Pœna pro criminū qualitate torquet dānatos, & quia lingua participat omniū exitialē malitiā; nam vt ait D. Iacob. 3.n.6. *Lingua ignis vniuersitas iniquitatis.* OEcumen. ibi: *Mundus iniquitatis.* Est veluti quædam vniuersi machina omniū malorum. Cùm ergo lingua sit generale quoddā peccatum, ibi omnia tormentorū genera coadunata cōuolant, vt præ cæteris mēbris viuaciori igne concremetur, ac crucietur in gehenna.

Lingua vt generale peccatum magis torquetur. Iacob. 3. OEcumen.

117. Chrysol. Secundò. D. Chrysol. serm. 122. de lingua agens, ait: *Hæc præcedit ad iudicium: hæc antea degustat, & patitur cruciatus, hæc de toto corpore prima sētit ardorem; qua prima varios deliciarū cibos, & odorata degustarat pocula.* Totus in deliciis degebat. Epulo molli byſſo admixta purpuræ gloria induebatur, epulabatur deinde splendidè, & tamē præ cæteris membris crudeli tyrannide lingua crematur. Lingua mira, ac exquisita ciborum varietate oblectamenta hauserat, itavt nec momento quidē à multa ferculorum varietate, ac suauitate sese abstineret, & ideò quæ præcipua fuerat deliciarum instrumentum, præcipua fit tormentorum materia. *Hæc de toto corpore prima sentit ardorem, qua prima varios deliciarum cibos gustarat.*

Lingua præcipuè torquetur, qua erat præcipuum deliciarum instrumentum.

118. Chrysol. Tertiò. In citatis verbis expende acumen Chrysol. *Hæc præcedit ad iudicium.* Ac si ipsa lingua, quæ tātum potationi, ac ebrietati indulserat, præcederet ad iudicium, tanquam prima helluonem arguens, & accusans ad sui damnationem. Cùm Moyses descendisset de mōte, ac vidisset filios Israël idolatrantes: *Arripiens vitulum, combussit, & contrinit vsq; ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit*

Crimen arguit delinquentes, & tradit ad pœnam. Exod. 32.

Gloss. *dedit ex eo potum filiis Israel*, Exod. 32 num. 10. Ad quemnam scopum hoc factum tendit? Gloss. *Tradum Hebraei*, ait, *quod filij Israel bibentes aquam vituli puluere infectam: qui commiserunt idolatriam, in barba puluerem auri præferebant, quo etiam signo rei, vel immunes sceleris apparebant, & rei interficiebantur.* Ipsa vituli materia, quem diuino honore prosecuti sunt, *præcessit ad iudicium*, & delinquentes internecioni prodidit.

119. Chrysol. Quartò. D. Chrysolog. serm. 122. *Si te*, ait, *iam possidet totus ignis inferni: si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ affectibus desideras subuenire? Quia magis lingua vritur, qua insultauit pauperi, qua misericordiæ deneganit.* Totus cruciatibus premebatur, & tamen grauius lingua sentit incendium, ibi sanè grauior grassabatur pœna, vbi virtutis fuerat maior contemptus: in lingua præ cæteris membris desęuit flamma, quia etsi alia vitiis fuerant deprauata, alienæ tamen virtuti non se præbuerunt contraria. At lingua misericordiam prohibuit, insultauit Lazaro, virtutes detestata est. *Magis lingua vritur, qua insultauit pauperi.* Ac si linguæ procacitas acrius præ cæteris membris igne inferni torqueatur. *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* Psalm. 119. n. 3. Quænam sit merces, seu retributio reposita linguæ dolosæ? Respondet Regius Vates: *Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis*, seu, *deuastatoribus*, vt legit D. August. Merces linguæ dolosæ sunt sagittæ, seu supplicia valde acuta, & penetrabilia a Deo omnipotente inflicta, vt explicat Brixian. Genebr. Theodor. & alij, cum carbonibus desolatoriis, id est cum igne inferni perpetuo durante, & cõsumente. D. Chrysost. ex Græco refert hanc versionem: *Sagittæ potentis acutæ sunt cum carbonibus constipatis.* Ac si omnia tormenta inferni, quæ per carbones intelliguntur, coadunentur, ac conglomerentur, contra linguam dolosam.

Maledica lingua omnia tormenta inferni depascuntur.

Psal. 119.

August.

Brixian. Genebr. Theodor. Chrysost.

120. Chrysol. Quintò. Ad eadem verba: *Magis lingua vritur, ardet, æstuat, qua insultauit pauperi.* Quæro hic vndenam Chrysologus deprompserit. Helluonem illum conuicia, ac maledicta in pauperem iaculasse, non enim hoc facer Textus indicat, sed tantum quod voluptatibus, purpuræ, bisso, ac epulis indulgebat; ex his, quæ facer Textus narrat, habuit Rauennas Antistes coniecturam; Epulo ille inhumanitate, odio, ira, ac liuore concepto exiterat contra Lazarum, vt illi nec micam è mensa sua daret; odium ergo quod animus conceperat, minimè se continere poterat, sed amaris maledictis per os exibat, vt communis vsus habet; pectus enim malcuolentia refarcinatum, facilè per labia euomit, quod intus latet venenum.

Ex abundantia cordis os loquitur.

121. Gen. 3. Post peccatum primorum parentum, mortis sententia in eos est promulgata. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Gen. 3. n. 19. statim hac comminatione audita imponit vxori suæ nomẽ, Heua. *Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua, eo quòd esset mater cunctorum viuentium*, ibid. num. 20. Quid magis dissonum esse poterat, vt præclarè ponderat Rupert. lib. 3. de Trinit. & eius operibus, c 26. *Quid insanius*, ait, *quam in illo talis cansa iudicio illam nuncupare Euam, id est vitam, qua vitam in se non habebat? Eamque dicere matrem cunctorum viuentium, qua potius mater est cunctorum morientium?*

Rupert.

Quod animus concipit, fera per os emittitur.

Vt nodum soluas, aduerte, hominum esse consuetudinem bona possessa habere in contemptu; amissa verò in desiderio. Si Adamus pactum obseruasset, ac de ligno vetito non gustasset, promissa ei erat vita indefi ciens, vt absque mortis inter-

uentu ab hoc sæculo ad cœlestia regna transmigraret. At verò cum de interdicto pomo comedisset, legémque Dei violasset, priuilegiũ est amissum, & in terribilem mortis sententiam incidit; inde arsit in eo vehemẽs desiderium boni, quod perdiderat, vnde in pectore nil magis versabatur, quam votum vitam recuperãdi; ex tam ergo præfixo affectu ad vitam, cognatum verbum prodiit, vt vxorem morituram vitam appellaret, sequuta est enim lingua animæ affectionẽ, & foris pronũciauit vitam, quam intus meditabatur in mente.

122. Thren. 3. Ducto populo in captiuitatem lamentatur Ieremias Thren 3. n. 29. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes: dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* D. Ambr. citandus legit: *Dabit in sepultura fossam os suum.* Id est obturabitur os eius veluti ingenti aggere. D. Ambr. ser. 10. in Psal. 117. *Quod autem ait, dabit in sepultura fossam os suum: ostendit quandam supra modum taciturnitatem patientiæ, vt tãquam sepeliat os proprium, & veluti quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat.* Et Theodor. ibi. Tacebit, *ac si habeat os plenum terra.* Cùm populus est captiuus, ciuitas deuastata, filij interempti, opes proscriptæ, magno dolore affecta est inclyta Sion, statuit tamen de malis non conqueri, sed fluctus miseriarum sorbere, intúsque confringere, sed ad quid tam forti velamento opus est, vt os claudatur; dolor internus, qui in animo voluebatur, erat magnus, & ingens, ne ergo foras prorumperet robustissima munitione os obstruendum fuit, & veluti impenetrabili aggere admoto via præcluditur; nam aliàs animus internus in externas voces erũperet.

Ambros.

Theodor.

Afflicta Sion, vt taceat, sepelitur eius os.

Luc. 19. n. 25. Et dixit illi Abraham: fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

Num. 26. Et in his omnibus inter nos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

VERSIONES.

Syriacus. Fili mi, recordare te recepisse bona tua in vita tua, & Loozar mala sua: nũc autẽ ecce requiescit hic, tu verò cruciaris.

D. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. Fili commemorare, quia percepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autẽ hic rogatur, tu autẽ doles.

Arabic. Et Lazarus fuit in afflictionib. suis.

Euthymius, Vatablus. Nunc autem hic solatio fruitur tu verò cruciaris.

Pagninus. Solatio afficitur.

Syriac. n. 26. Et cum his omnibus est ingens hiatus positus inter nos, & vos.

Theophyl. Caiet. Et super hæc omnia hiatus ingens firmatus est, &c. vt non possint ad nos transcendere.

Arabicus. Inter nos, & vos vallus firmatus est.

EXPOSITIO VI.

123. *FILI recordare.* Diues vocauerat Abraham patrem, ordo rationis postulabat, vt & Abrahamus illum filium diceret, vel quia, vt ait Euthymius, Diues hic erat Iudæus, Abrahamus autem omnium Iudæorum erat pater, & ideò vt notant D. Bon. & Hugo, filius erat Abrahæ natura quidem, non verò imitatione. *Recordare.* Spiritus à corpore separati etiam apud inferos, recordantur de rebus, quas in vita mortali gesserunt, per species intelligibiles à rebus acceptas, quas retinuerunt, quæ memoria maximè eis inseruit ad tormentum. D. Greg. hic hom. 40. *Ad pœnam suam*, ait, *ei & cognitio seruatur, & memoria. Cognoscit enim Lazarum, quem despexit: fratrum quoque suorum meminit, quos reliquit.* Et addit Abrahamus: *Recepisti bona in vita tua.* Accepisti enim sanitatem, diuitias, honores, ac iucunditates, & cætera huiusmodi, & Græcè additur: *bona tua*, quæ à te sunt existimata bona, seu vt explicat Caietanus, quæ solùm à te sunt concupita, & desiderata. Quod Abrahamus optimè cognoscebat, vel *spiritu Dei reuelante*, vel Angelis manifestantibus, vt docet D. Augustinus lib. de cura pro mortuis, c. 14. Et non dixit accepisti, sed *recepisti*, vt notant D. Augustinus, Theophylactus, Euthymius, quod dicit ordinem ad mercedem debitam, vt latiùs explicabo quæst. 17. in limine.

Euthym. Bonauent. Hugo. Gregor. Græcus. Caietan. Augustin. Chrysost. Theophyl. Euthym.

124. *Et Lazarus similiter mala.* Recepit in vita sua valde aduersa, videlicet vlcera, morbos, paupertatem, contemptum, famem, ac sitim. *Non quod*, ait D. Thom. *Lazarus ea mala putauerit, sed ex censura diuitis hoc dicebat, qui inopiam, & famam, & duram agrùndinem æstimabat mala.* Illa patienter tolerauit Lazarus in carne sua, ideò vt notat Origenes homil. 30. *Nunc autem consolatur.* Seu vt legit Paguinus, *Solatio afficitur.* Seu vt legunt Theophylactus, Euthymius, Vatablus. *Solatio fruitur.* Liber ab omni malo aggregatus sanctis Dei, multis bonis gaudet. *Tu verò cruciaris.* Siti, verme, igne, aliisque tormentis in æternum duraturis, absque vllo Lazari adiuuamine, & quia tu illum in tua felicitate non admisisti consortem, in tua calamitate illius non obtinebis remedium. D. Chrysolog. serm. 66. *Dives*, ait, *qui participem pauperem in bonis præsentibus audire contempsit, in futuris compatientem pauperem non meruit inuenire.*

D. Thom. Origen. Pagnin. Theoph. Euthym. Vatabl. Chrysol.

125. *Et in his omnibus.* Seu vt alij legunt: *super hæc omnia.* Quæ dixi, id quod tu petis non potest fieri, vt Lazarum scilicet ex hoc loco mittam ad tartarum, in quo tu es. *Nam inter nos & vos, chaos magnum firmamentum est.* Chaos ex Græco legitur, vorago, hiatus, seu altissima, & latissima fossa multa confusione impedita, ac permixta, firmata est Dei decreto, ac statuto, vt explicant D. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 38. D. Chrysostomus homil. de Diuite, D. Ambr. Theophylactus, Euthymius, Beda, & alij, vt nec nobis ad vos, nec vobis ad nos pateat vllus aditus, ac transitus. Vnde ait Euthymius: *Hiatum magnum dicit firmissimum Dei præceptum, tanquam ad modum hiatus prohibens horum, & illorum commixtionem.* Hanc autem viam insuperabilem, seu vt potiùs dicam murum æneum ex sua crudelitate, ac ferreis visceribus in pauperes sibi construxit, ac ædificauit miser epulo, vt nullo modo in cœlum habeat transitum. D. Augustinus serm. 227. de tempore: *Quid faciam tibi*, ait, *eleemosynas non fecisti, quæ peccatorum tuorum pœnas extinguerent: interueniant pro te pauperes, & quidquid petieris, dono: sed iusto iudicio tibi vicem reddo: quia iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam.*

Græcus. Augustin. Chrysost. Ambros. Theoph. Euthym. Beda. *Ferrea viscera in pauperes clandunt cœlum.* Augustin.

QVÆSTIO XVII.

Quare Abrahamus miserum epulonem, quem à se excludebat, filium vocat?

PRÆTER rationes, quas dedi in exposit. quòd Abrahamus voluit honorare honorantem se. Ad nostram quæstionem sic. Primò respondet D. Chrysost. hom. 2. de Lazaro: *Vide Philosophiam*, ait, *vide humanitatem iusti. Non dixit: inhumane, crudelis, sceleratissime, cum tam multa commiseris in hominem, nunc mentionē nobis facis humanitatis, misericordiæ, & venię? Non pudet? Non erubescis, sed quid dicit? Fili, inquit, recepisti bona tua. Nam anima, inquit, detecta non addas perturbationem; satis est illi cruciatus suus: vt ne illius calamitatibus insultemus.* Hominem crudelissimum, Lazarique irrisorem, æternis suppliciis damnatum, filium vocat Abrahamus, cur non potiùs vile Sathanæ mancipium, his tamē omnibus omissis filium dicit, quod erat valde honorificum, renuit piissimus pater afflicto afflictionem augere, sufficiebat misero horribilis damnatio, & ideò horribilia, ac dura verba non fuerunt addenda. Explicat Daniel regi Nabuchodonosori ditum somnium sublimis arboris, quomodo ipse à regno expulsus cum bestiis per septem annos aget. Exordium tamen ponit Propheta: *Domine mi rex, somnium his, qui te oderunt*, Dan. 4. n. 16. Somnium erat de fortuna regis aduersa, crudelisque sententia in ipsum promulgabatur, quomodo sic Propheta appellat, *Domine mi Rex.* Præclarè D. Hieron. ibi: *Austeritatē sententiæ temperat verborum blandimētis.* Præfatione honoris tristes angustiæ morsus lenire voluit Propheta.

126. Chrysost. *Seueritas ell lenitate verborum temperanda.* Dan. 4. Hieron.

Secundò. Ad eandem verba Chrysost. *Vide philosophiam iusti. Non dixit: Inhumane, crudelis. Sed quid dicit? Fili, inquit, recepisti bona. Quod in mea potestate est, impero tibi.* Filium vocat hominem, quem à se excludebat, vt pote ex Dei sententia æterno supplicio damnatū. *Vide Philosophiam iusti*, non durè, sed benignè cum loquitur, & si postulatum negat, bonum tamen verbum non negat, contumeliosa verba canit, & filium vocat. Postquam Iacob obtinuit benedictionem à patre suo. Venit Esau, cúmque magno clamore, ac vlulatu flens instaret pro benedictione. Recusat pater dicens: *Omnes fratres eius seruituti illius subiugani, frumento, & vino stabiliui eum, & tibi post hoc fili mi vltra quid faciam*, Gen. 27. n. 37. Quomodo filium vocat, quem ab hæreditate paterna excludebat, quomodo eum dicit filium, quem filij honore priuatum iudicabat? Clemens, ac pius pater, etsi ex alto Dei iudicio Esau filij benedictionem denegabat, dulce, ac blandum filij verbum non denegat. *Quod in mea est potestate, impero tibi.*

127. Chrysost. *Cum negat postulatum, benè ne denega verbū.* Gen. 27.

Tertiò. D. Petr. Chrysol. ser. 123. *Voco filium*, ait, *vt intelligas iudicij esse, quod pateris, non furoris: voco filium, vt in me mea patientia maneat, & in te tua maneat pœna.* Superbum, ac inuidia tabescentem non asperis verbis compescit Abrahamus, sed filium vocat, vt supplicium non furore, sed culpæ merito constet inflictum; nam si iudex cum punit, conuitiis vtitur, attenuat crimen, & seueritatem pœnæ ad suam culpam trahit, vt ergo tota pœna maneat in reo, patientia maneat in iudice, vt leni-

128. Chrysol.

ter,

Iudex caueat à cõtumelio-sis verbis, ne iudicij integritas fundatur.

ter, ac blandè cum delinquente pertractet, ne integritas iudicij deuenusta appareat. *Vt in me mea patientia maneat, & in te tua maneat pœna.* Postquam Cain occidit fratrem suum Abel, ait Dominus ad eum: *Vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. n. 9. Optimè Dominus agnoscebat crimen, ipsúmque esse primum homicidam, ac tantæ inhumanitatis auctorem; cur ergo Domine tam benignè cum eo agis? Cur non potiùs eum compellas impium, crudelem, qui ausus est sanguinem fratris sui fundere? Caietanus: *Non aliqua vitiur contumelia*, ait, *non inquit, ô scelestè, sed absolutè inquirit, ad instruendos iudices, vt abstineant à contumelijs.* Deus qui nulla passione mouetur, à verbis duris cum reo abstinet, vt iudices ab illis se coërceant, ne asperitate crimen delinquentis diminuatur, & integritas iudicij deuenustetur.

Genes. 4.

Caietan.

129. *Chrysol.*

Quartò D. Chrysologus serm. 23. *Tu vocas*, ait, *patrem, ego voco filium, vt graviter doleas perdidisse quod natus es. Audi voco filium, vt amarius doleas perdidisse, quod tibi gratia dederat, & natura, quia non habuisse doloris non est tanti, quanti habita mœroris est perdidisse.* Miserrimè damnatum, qui gehennalibus flammis torquebatur, filium vocat Abrahamus, vt magis torqueatur, magisque confundatur, ac erubescat recolens se genere, ac fide filium Abrahæ extitisse. Nam diues fuerat Iudæus, vt dixi in expositione, & tamen malitia, ac prauitate sua se degenerem præstiterat, quod valde turpe est filiis, ac nepotibus; vt enim ait Marius apud Salust. in Iugurthin. *Nam quanto vita eorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior?*

Magnum flagellum filiorum ab optimis parentibus degenerare.

Marius.

130. *Genes. 6.*

Describens sacer Textus corruptionem, ac depravationem generis humani, ait: *Videntes filij Dei filias hominum, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant*, Genes. 6. num. 2. Filij Dei, id est filij Seth viri Dei, qui ob suam singularem iustitiam, sanctitatem, temperantiam, aliásque virtutes, vt interpretantur D. Chrysost. D. Cyrill. D. Hilar. in Psalm. 132. Theodor. Rupert. & alij, quandam veluti aliqualem Dei imaginem videbantur exprimere inter homines. Quorsum tamen cum depravati mores hominum recensentur, ipsi dicuntur geniti à Seth tam nobili Dei viro, imò sub expresso Dei nomine designato, vt exinde magis eius sanctitas innotescat, grauiúsque mordeantur homines, qui cum ab auo Dei viro probos mores deberent haurire, sic defecerunt, vt incorruptam prauitatem degenerarent. D. Chrysost. in Psal. 4. *Vt enim*, ait, *magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem reuocauit in memoriam, maximum esse crimen ostendens quod cum tales, essent, & exorti ex talibus, ad tantam se præcipitassent improbitatem.*

Chrysost. Cyrill. Hilar. Theodor. Rupert.

Magna exprobratio ab optimo parente desciscere.

Chrysost.

131. Exprobrat Dominus Iudæis, eorum hypocrysim, ingratitudinem, duritiem, eorúmque ad idola conuersionem, obstinationémque ad audienda diuina mandata. *Sicut enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua anea*, Isai. 48. n. 4. Et inter hæc eorum progenitores cõmemorat. *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco*, ibid. n. 12. Non solùm dicuntur filij Iacob, sed etiam Israel. Iacob vir rectus, ac simplex Deum timens; Israel, id est vir fortis, ita meritis illustris, vt Deum meruerit videre; cur cum sua malefacta, ac scelera Hebræis exprobantur, sic & nobilitantur, vt à tanto parente dicantur originem habere non pro nobilitate, sed pro eorum ignominia, ac verecundia de tanto progenitore admonẽtur, quod cum ab illo essent natura geniti, omnino morum imitatione degenerantes defecerint. D. Cyrill. Alexandrinus ibi: *Appositissimè*, ait, *mentionem facit patrum nobilitatis, in moribus, inquam, ac vita consuetudine.* Nota verba: *Ad pudorem eorum, qui lapsi sunt. Erant enim quantum ad carnem attinet, ex illis: verum alieni, & longè ab eorum probitate aberant.*

Isai. 48.

Ignominia filiorum abesse ab eorum moribus.

Cyrill.

QVÆSTIO XVIII.

Quare cum diues epulo excluditur ab Abrahamo, obiiciuntur illi bona quæ in vita recipit?

132. AIT Abrahamus Lazaro: *Recepisti bona in vita tua.* Illud verbum, *Recepisti*, maximè premit auctores: Iansen. pro simplici accipere positum existimat; Caietan. verò: *Recepisti bona*, à te scilicet desiderata, & concupita, quæ tui æstimatione solùm sunt bona. D. Gregor. citat. *Mali*, ait, *in hac vita bona recipiunt. Omne enim suum gaudiũ felicitatem transitoriam putant.* D. verò Chrysost. maximam distinctionem facit inter verbum accipere, & recipere. Nam verbum accipere est simpliciter accipere; recipere verò aliquod debitum, seu significationem debiti importat. Vnde ait citat. Chrysost. *Quoniã verisimile est dinitem aliquid boni, & Lazarum aliquid leue deliquisse; declarauit vtrumque Abrahã dicens: Recepisti bona tua, & Lazarus mala. Tu etiamsi quid boni fecisti, si qua merces tibi debebatur, hac omnia recepisti rebus prosperis vtens. Et Lazarus si quid mali fecit, omnia recepit, cum fame, inopia, extremis malis affligeretur.* Idem docent Titus Bostrens. Theophyl. Euthym. Beda, Haymon. D. Bonauent. & alij, ac si dicatur: si diues habuit aliquod bonum morale, pro illo recepit bona temporalia, quæ sunt valdè exigua bona, de his ac similibus ait Dominus Matth. 6. n. 5. *Receperunt mercedem suam.* At verò Lazarus quamuis iustus, & virtutibus insignis esset, tamen in terra degens, si aliquas leues maculas ex fragilitate humana contraxit, pro illis exoluit dolores, infirmitates, ac incõmoditates sustinens, quã etiã sententiam docet D. Gregor. Papa hom. 40. in Euang. & concludit: *Mala Lazari, purgauit ignis inopia; & bona dinitis remunerauit felicitas transeuntis vitæ.*

Iansen. Caietan.

Gregor.

Chrysost. Quare dicitur recepisti bona?

Chrysost.

Bostrens. Theophyl. Euthym. Beda, Haymon. Bonauent. Matth. 6. Iustus vinens in terra aliquas habet maculas.

Gregor.

133. Ad quæstionem respondet. Primò. D. Bernard. Super *Ecce nos reliquimus omnia.* Sic ait sanctus Doctor: *Recepisti bona in vita tua. Haccine tota causa cruciatuum, quod in hoc sæculo bona recepit? Ipsa planè.* Causa cruciatus quia bona recipit. Et vt notat ipse D. Bernard. Epistol. 2. ad Fulionẽ: *Recepisti, dixit, nõ rapuisti: ne etiã de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis cõsentus, alia non rapias.* Causa ergo cruciatuũ, quia bona recepisti, ita tamen vt ea ad tui indulgentiã, ac delectationẽ, non vero ad pauperum misericordiã deputaueris. *Benefacit anima sua vir misericors, qui autẽ crudelis est, etiam propinquos abiicit*, Prouerb. 11. n. 17. Priora verba: *Benefacit anima sua vir misericors.* Legit Vatabl. *Ablactat animam suam vir misericors.* Præme verbum, *Ablactat*, id est abstrahit, ac defraudat à suo cibo, & potu, ac delectatione vir misericors, vt in pauperes distribuat. *Qui autem crudelis est etiã propinquos abiicit.* Quæ verba sic legunt Septuag. *Perdit autem suum ipsius corpus immisericors.* Crudelis autem semetipsum perdit, ac deputat supplicio æterno. D. Greg. Nissen. orat. 6. de Beatitud. vbi sic pungit diuites Auaros: *Digna*, ait, *semẽti tibi messis;*

Vir crudelis in pauperes damnatur.

Prou. 11. Vatabl.

Septuag.

Nissen.

acerbitatem seminasti, collige manipulos: fugisti misericordiã, fugit te misericordia. Abominatus es, & fastidisti egenũ, fastidiet te, qui propter te egenus fuit.

134. Secundò. Diuiti obiiciuntur prosperitates, ac bona ante habita, vt ex eorum memoria maior fieret eius damnatio. Diuina sententia mulctatus Caïn: *Egressus à facie Domini habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Edem*, Genes. 4. n. 16. Edem erat regio, in qua paradisus terrestris erat constitutus. Quomodo ergo Deus permisit hominem tam impium, ac crudelem in illa regione paradisi manere: Cur non in aliam plagam expellitur, sed ad illam? Vt ex tam præclara felicitate, ante oculos obiecta, grauiori dolore vulneretur, Lyran. *Per Eden*, ait, *intelligitur Paradisus terrestris, in pœnam enim Cain factum est, vt expelleretur versus illam regionem delectabilem, & felicem, quã per peccatum Patris amiserat, vt inde haberet materiam doloris, quia illuc accedere non valebat.*

Amissa felicitas maximè torquet. Genes. 4.

Lyran.

135. Tertiò. D. Chrysost. hom. 1. de Diuite Epulone: *Diuiti*, ait, *nauis erat plena mercium, ac secundo nauigabat vento, verum ad naufragium festinabat, eo quod nolebat onus circunspectè ferre; infelix felicitas quæ diuitem ad æternam infelicitatem traxit.* Mundana prosperitas valde periculosa est de vitiorum lenocinio, & frequenter in naufragium impellit, ac magnum infortunium parit: Nam mundana felicitas vitiorum fomes est, & malitiæ officina, ac iniquitatis licentia. Sua prosperitate veluti secundis ventis nauigabat diues epulo, sed inde nimis licentiosus factus, crudelis, ebriosus, ac contumeliosus euadit, vnde in morte naufragium fecit ad æternum præcipitum, & inde in memoriam reuocãtur ei antiquæ prosperitates, *recepisti bona in vita tua*, vt eas tanquam suæ damnationis causam agnoscat; timeamus ergo huiusmodi felicitates, ac Dei etiam beneficentiam abundanter temporalia largientem. Tertullian. lib. de Cultu fœminar c. 7. *Quanto autem laudabilior: qui timuerit etiam indulgentiam Domini.* Sic enim mundialis felicitas suspecta est, sicque sæpè ruinã, & casum deuoluit, vt etiam temporalium affluentia ex Deo metuenda sit, ne ex prauitate nostra in malum degeneret.

Mundialis felicitas extremam miseriam parturit.

Chrysost.

Tertull.

136. De mundanis prospera fortuna abundantibus ait Regius Vates. *Deiecisti eos, dum alleuarentur*, Psal. 72. n. 18. Maximè notandum, quod non ait, postquam elati sunt, tunc deiiciuntur, sed eo ipso, quod elati sunt, ac prospero felicitatis vento efferebantur, tunc cadere dicuntur, ac si ipsum extolli rebus mundialibus, sit iam deiici, sic pro appendice felicitatis mundialis est casus, vt ipsum extolli tẽporali felicitate, sit deiici misetio lapsu. D. Gregor. Papa Epistol. 5. ad Thoctist. Imperatoris sororem. *Non dixit*, ait, *deiecisti eos, postquã elevati sunt, sed dum elevarentur, quia praui quique dum temporali honore suffulti foris videntur surgere, intus cadunt, & cum in hac vita gloriam percipit, quam relinquit, ab illa cadit, quæ post hanc venit.*

Psalm. 72.

Elatis prosperitatis ruina lapsus est.

Gregor.

137. *Factus est sermo Domini ad Abraham per visionem dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus*, Genes. 15. n. 1. seu, vt legit Pagnin. *Ego scutum ero tibi.* Vatabl. *Ego tibi vice clypei.* Cur modo tam accuratè, à corde Abrahæ expellitur timor, ac diuina protectio, vt scutũ, ac clypeus ei promittitur? Quid erat in Abrahamo, cur sic in hoc euentu à Deo munitur, ac corroboratur? Immediatè antea refertur, quomodo Abrahamus gloriosè deuicerit quinque Reges, ac Lot, regésque Sodomorum captiuos, eorũmque bona liberauerit, ac magnificẽtissimè eis dederit, & tunc dicitur. *His transactis factum est sermo Domini ad Abraham: noli timere.* Si ipse captiuus esset, tunc videbatur consequens, quòd illi diceretur: *Noli timere.* At si ipse magno triumpho est victor, ad quid ei dicitur, quod non timeat, & insuper ei Deus pollicetur, quod erit eius scutum, & clypeus? Abrahamus optima philosophia instructus bene agnoscebat temporales felicitates pro sua consequentia habere lapsus, & ruinas, ac proinde ex prosperitate tam illustris victoriæ aliquem casum prætimuit, & ideò adest Deus timorem expellens, multáque protectione tanquam scuto, & clypeo eius animum corroborans, & muniens. D. Augustin. in Psalm. 82. *Putatis fratres*, ait, *infelicitatem sæculi metuendam esse, & felicitatem non metuendam, imò verò felicitas frangit, quem infelicitas nulla corrumpit.*

Felicitas maximè metuenda.

August.

Genes. 15. Pagnin. Vatabl.

Luc. 16 *n.* 27. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei.

Num. 28. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei: ergo efflagito à te pater mi.

Arabic. n. 28. Sunt mihi quinque fratres.

Syriacus. Proficiscatur testificaturus eis, ne & ipsi veniant in hunc locum cruciatus.

EXPOSITIO VII.

ARRATIO Diuitis, & Lazari historia extitit, vt dixi in exordio cap. huius; & etiam ea, quæ hic referuntur de colloquio diuitis cum Abrahamo historiam fuisse docet D. Gregor. hom. 40. in Euangel. probabilius tamẽ hæc parabolicè addita esse historiæ existimant D. Augustin. lib. 2, quæst. Euangel. cap. 38. D. Chrysost. hom. de Diuite, & Lazaro. Sequuntur multi recentiores, vt Maldon. Cornel. & alij, sicut parabolicè illa dicuntur de lingua, & digito, quibus carent spiritus, hæc tamen Christus interposuit ad docendum valde necessaria, credendum scilicet esse prædicatoribus Euangelicis; & non esse expectãdũ, vt aliquis ab inferis redeat, qui nos vera doceat de pœnis, ac præmiis alterius vitæ. 138.

Gregor.

August. Chrysost. Maldon. Cornel.

Rogo ergo te Pater, Prius pro se rogauit: *mitte ad me Lazarum*, & cum non obtinet, nunc rogat, *mitte eum in domum patris mei*, resumpto scilicet corpore, vt fratribus meis felicitatem suam, & meam damnationem annuntiet; imò vt ipsi fratres mei suis oculis videant in Lazaro, quanta bona ipse sua paupertate est assequutus, & ex eius verbis agnoscant quantos cruciatus ego ex meis diuitiis mihi comparaui. *In domum Patris mei*: denotatur, ait Hugo, quod fratres nondum erant emancipati, vtpote sub patre iniquo degentes, ex cuius consortio incapaces reddebantur ad bonam & sanam doctrinam suscipiendam. 139.

Hugo.

Habeo enim quinque fratres. Fieri poterat, vt diues hos quinque fratres haberet, vel ponitur numerus certus pro incerto, seu pro aliqua multitudine; vt Isai. 19 n. 18. *In die illa erũt quinque ciuitates in terra Ægypti*, &c. Et dicũtur quinque fratres ad 140.

Hugo.

cumulum

cumulum eius temporariæ felicitatis, qui fultus erat tantis fratribus,qui multis diuitiis,ac pópis abundabant, qui eius exemplum sequentes cura pauperũ neglecta deliciis, ac voluptatibus carnis indulgebant. D. Chrysost. homil. illa de Diuite Beda,Haymon,D.Bonau. Hugo,per hos quinque fratres,quinque corporis sensus intelligunt,quorum causa peccauerat.Sicut per quinq; viros Samaritanæ, Ioan.4.n.17. Et per quinq; iuga boum, quæ ille alius emit.D.verò August. l.2.q.Euang. c.38.per quinque fratres in domo patris,Iudæos intelligit;appellati autem sunt quinque,quia sub lege Moysis detinebantur , quam quinque libris ipse scribit.*Vt testetur illis.* Tanquam oculatus eorum,quæ hic geruntur.Euthym. *Insinuat*,ait,*quod sicut ipse mortem , ita illi pro fabulis ducunt minas, qua in scripturis habẽtur de futuri sæculi supplicijs: & propterea solam voluptuosam vitam sequuntur.*

Chrysost. Beda. Haymon. Bonau. Hugo. August. Ioan. 4. Euthym.

QVÆSTIO XIX.

Quare damnatus epulo ostendit se habere affectum erga fratrum salutem.

141. RAtio difficultatis est;quia huiusmodi postulatio:*Mitte eum in domum patris mei, vt testetur illis,ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Videtur esse cuiusdam benignitatis,& charitatis.In damnatis autem,vt docet D.Thom q.98. Additionum,art.1.Semper voluntas deliberatiua est mala,sunt enim ipsi auersi à fine vltimo rectæ voluntatis , omne autem bonum semper est per ordinem ad hunc finem vltimum,à quo cum illi sint auersi,semper feruntur in malum.Deinde,vt docet idem Angelicus Doctor,cum in damnatis regnet desperatio , inuidia , ac odium Dei,ideo omnia,ac omnes etiam parentes,filios,socios execrantur , omnésque damnari volunt, ac sibi fieri similes cupiunt;quomodo ergo diues ait : *Mitte Lazarũ,ne ipsi veniant in hunc locum tormentorum?*

D.Thom. *Damnati firmati in malo alieni ab omni benignitate.*

142. Respondent primò D.Gregor.homil.40.D.Bernard.epist.111.Carthus.Lyran.Didacus Stella, & alij,vt mihi est probabilissimum,quod diues epulo hoc dixit ex quodam timore seruili , vt sibi consuleret. Non dixit:*mitte Lazarum*,vt testetur illis,ne ipsi Deum offendant,sed ait,*ne veniant in hunc locum tormentorum.* Bene sciebat ille,quod suo malo exemplo erat damnationis occasio fratribus suis , ac proinde cum ipse vellet sua tormenta minui,ideò dixit;*Mitte Lazarum vt refrigeret linguam meam.* Timebat tamen,quod ex suorum fratrum aduentu in infernum illius tormenta augerentur. D.Bern. cit. *Timens proculdubio ex suorum cruciatu augeri suum.* Sic dixit D.Aug. vt testatur Didacus Stella, quod pœna Arrij in dies augebatur,quia suo pessimo dogmate plures corruperat,& cũ quilibet ex eis infernũ intraret,erat illi singulare tormentum,accidentale scilicet.

Gregor. Bernard. Carthus. Lyran. Stella.

Ne ob summam malam explẽ illi damnarentur, & ipse torquerentur magis.

143. Secundò.Caietan.*Non proueniunt ista preces*,ait, *ex bono affectu ad salutem fratrum (quoniam damnati habent voluntatem firmatam ad malum) sed proueniunt ex affectu superbiæ:Videbat enim diues multos saluari,& propterea appetebat suos fratres euadere miseriam, vt vel sic in suis fratribus exaltaretur.* Gehennalibus pœnis cruciatur miser ; rogat vt mittat Lazarum ad refrigerandam linguam, vt eius tortura aliquantulum minuatur , quod non obtinent,iterum rogat,vt mittatur ad fratres suos, ne ipsi *veniant in hunc tormentorum locum.* Vnde dãnatus,qui omnes socios vult habere in pœnis, sic fratres suos à se promouere procurat ; nũquid salutis eorum zelo tangitur ? Minimè sanè.Vnde ergo huiusmodi preces ? *Proueniunt ex affectu superbiæ.* Æstuabat igne in inferno damnatus,& iua superbia, & adhuc in illa extrema miseria ex suo antiquo affectu honoris ambitum suspirabat , & quia ipse in se erat extremo supplicio deiectus,in suis ambiebat ipse sese honorari,*vt sic in suis fratribus exaltaretur:* fuco ac velamine charitatis postulat Lazarum ad suos mitti , vt refrigerium,ac leuamen , quod ex aqua in lingua non obtinuit, assequatur in affectu suo , quo ambit honores, *vt sic in suis fratribus exaltetur.*

Caietan.

Superbus etiam in gehenna in suis fratribus exaltari.

Tertiò.D.Chrysost.Theophyl.S.Thom.citatus in limine quæstionis;& sequuntur Barradas,Cornel.ac alij , qui inquiunt,quod diues ex quodam naturali affectu suorum fratrum salutem optauit; damnati cum sint in summa desperatione , execratione,ac odio Dei,nullum possunt habere bonum actum virtutis,siue naturalis , siue supernaturalis;quia tamen in damnatis manet ipsa natura humana , ex eius ingenito pondere possunt velle aliquod bonum naturale suis fratribus, ac parentibus , non quòd in hoc intendant aliquod bonum honestum seu bonum virtutis , sed bonum naturæ dumtaxat,vti faciunt bruta animalia suos fœtus nutriendo.Vnde de hac diuitis postulatione ait D.Nicænus lib.de Anima,& Resurrectione:*Diues autem*,ait,*tanquam visco cuidam,carnali vita,etiam post mortem,adhuc adhaeret,adhuc ei cura caro,& sanguis erat.*

144. Chrysost. Theophyl. Thom. Barradas. Cornel.

Esse in epulone cognatorum amor. Nicæn.

Quartò.Rectè notat D. August. serm.110. de tempore,*Voluit*,ait,*subueniri fratribus suis semper vecors,sero misericors.* Quantæ vecordiæ est auarus,opportuno tempore totus sine consilio, opere,ac adiuuamine ferreus est , cùm verò occasio est ablata, tunc intempestiuè pietatem impendit, quando illius beneuolus affectus nihil potest cedere in vtilitatem.

145. August. *In auaro intempestiua pietas.*

Quintò.D.Gregor.l.15.Moral.c.31. *Diues*,ait, *qui in inferno sepultus fuerat , de quinq; fratribus, quos reliquerat, etiã in supplicio positus curã gerebat.Omnis namq; peccator prudens erit in pœna,qui stultus fuit in culpa:quia ibi iam dolore constrictus ad rationem oculos aperit,quos hic voluptati deditus clausit:& pœna torquente exigitur,vt sapiat,qui hic excæcante se superbia decipiebat.* Cur qui de sua salute olim tam immemor erat , quomodo de suorum salute solicitus modo;& qui inter exundantes delicias, ac dapes de fratribus nullam habuit memoriam,tam anxie de illis recordatur ? *Omnis namque peccator prudens erit in supplicio, qui stultus fuit in culpa* , quem voluptatum cura exorbitans obcæcauerat, suppliciorum instructio maximè erudiuit,vt suscitata intelligentia suorum antiquorum operum caliginem agnoscat.

146. Græcus.

Quos abundantia obcæcat , miseria erudit.

Sextò. Dum diues iste induebatur purpura, & bysso , ac epulabatur quotidie splendidè, nullam de fratribus habuit memoriam , sed modo cum demersus est in inferno ; sic sæpè contingit,vt in sua prosperitate nullus de fratribus recordetur, ad quos in sua aduersitate maximè coniicit oculos , vt ab illis aliquod habeat leuamen. De quo vide suprà in hoc cap.

147. *Non in prosperitate, sed aduersitate de suis recordatur.*

Septimò.D.Gregor.l.9.moralium c.49.*Diues ille*,ait,*quem contigit ad æterna incendij tormenta descendere,quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit,vt ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoq; venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquorum absentium*

148. Gregor.

absentium meminit, constat proculdubio, quia eos ad augmentum supplicij paulò post potuit etiam præsentes videre. Totus in tormentis cruciatur, & tamen postulat, vt Lazarus mittatur, ne fratres eius ad gehennales ignes descendant: ô quam altè cognationis amor humanis præcordiis infixus est; se valde miserum videt epulo, & postulat, ne fratres veniant in illum locum, ac si dicat, mea mihi sufficiat calamitas, ne ergo quinquies damner, quinquies torquear, quinque fratrum damnatione conspecta; nam si eorum tortura supra meam addatur, vltra mensuram discruciabor, & qui vnus peccaui, sex in tormentis ero.

Damnatus suorum fortuna etiam ipse torquetur.

149. Genes. 12. Septuag. Iussit Ægyptius Rex Sara Abrahæ coniugem in regiam suam introduci, sed antequam eam matitali consuetudine attingeret, diuinum præsentit rigorem, ait Textus: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham*, Genes. 12. n. 17. Septuaginta legunt: *Afflixit Deus Pharaonem afflictionibus magnis, & fœuis, & domum eius.* Sed ad quid domus principis hoc est filij eius, vxores, cõsanguinei, ac cognati in tantam punitionem diuinæ iustitiæ incidunt, qui criminis ac delicti erant expertes? Quorsũ diuino supplicio affliguntur? Non ne sat erat, vt ipse Imperator, qui flagitij erat reus, torqueretur? Ad quid omnes cognati eius pœna comprehenduntur? Vt ob Patriachæ vxorẽ ablatam rigidius diuina vltio sæuiret in Pharaonem, penetrabilioriq; telo ipse premeretur, cũ suis flagellatur, ac si graui suorũ iactura acriùs puniretur, quàm solũ in se ipso, nã quo dulcius illa pignora erãt dilecta, eo acutius diuino verbere torquebatur, ac si pro tanto flagitio non solùm pœna in illo esset sufficiens, nisi etiam in totam domum inundaret, vt profundo dolore vulneretur. D. Chrysost. ibi: *Qua de causa*, ait, *cum Rex peccet, omnes de domo eius sunt pœna participes? Non absque re hoc fit, sed vt grauius puniatur, & grauiori pœna eius insania compescatur.*

Suorum iactura grauiter vulneratur homo.

Chrysost.

QVÆSTIO XX.

Quare dives epulo non postulat se, vel Abrahamum, seu alium prædicatorem ad fratres mitti; nisi tantum Lazarum?

150. VALDE mirum, quod huius miseri damnati fratres multos habebant excellentissimos prædicatores, vt ei est dictum: *Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos.* Quorum vita, ac doctrina multis erat nobilitata miraculis: ad quid miser petit, vt Lazarus denuo mittatur? Illi prædicatores, ac Doctores, qui in populo erant, tanquam communes, ac antiqui magistri reputabantur; Lazarus vero vt nouus concionator venturus erat; illi antiqui Prophetæ, etsi excellentiores extabant, tamen Lazarus vt nouus prædicator adueniret; & noui prædicatores semper magno applausu auditores sibi conciliant, maximéque ad eos audiendos concurrunt homines, inultúmque eorum dicta celebrant, ac facilè eis acquiescunt.

Nouus prædicator semper multum applaudibilis.

151. Chrysost. Rectè hunc Auarum, cum postulat, quod Lazarus mittatur ad fratres suos, pungit D. Chrysost. concion. 4. de Lazaro: *Non agnè tu curas fratres tuos*, ait, *ac Deus, qui illos condidit, innumeros illis adhibuit magistros admonitores, consultatores, adhortatores.* Omnem humanã solicitudinem vincit diuina prouidentia, Epulo valdè solicitus de suorum salute, illis vnum postulat prædicatorem, nempe Lazarum; Deus autem valdè superabundanter illis multos prouidit doctrina, ac vita præclarissimos.

Diuina prouidentia super omnem humanam solicitudinem.

Ad nostram quæstionem respondet Primò. D. Augustin. lib. 2. quæst. Euangelic. cap. 28. *Lazarum petit mitti ad fratres suos, sensit se vtique indignum, qui testimonium perhibeat veritati.* Non postulat, vt ipse ad fratres suos destinetur, cognoscebat se indignum, vt illi fides adhiberetur, improba eius vita omnem vim à suis verbis excludebat. Secundò. Sic pergit D. Augustin. citato loco: *Et quia non impetrauerat paululum se refrigerari, multo minus credidit relaxari se posse ab inferis ad prædicationem veritatis.* Cui enim minus denegatur, certum est, quod maius non conceditur; cum ergo dives non potuerit pro suo refrigerio vnam guttam aquæ ab abrahamo impetrare; inde certo agnoscebat, quod ab ipso non impetraret, vt à pœnis relaxatus iterum in hunc mundum ad fratres veniret.

152. August.

Cui minora denegatur, maiora non debentur.

Tertiò. D. Gregor. l. 8. Moral. c. 12. *Nequaquam*, ait, *iam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat. Solet namque mœstum animum spes falsa refouere.* Bene sciebat miser epulo, quod sicut sibi refrigerium in lingua non impetraret, nec etiam fratribus Lazarum prædicatorem impetrauit, tamen postulat, vt falsa, ac inani spe miserum suum animum deliniret. *Solet namque mœstum animum spes falsa refouere.*

153. Gregor.

Animum mœstum falsa re allenians.

Quartò. Theophyl. *Obsecrat*, ait, *non simpliciter, vt quispiã ex mortuis mittatur sed Lazarus: vt videat eum coronatũ, & gloria, & incolumitate, qui viderant ante infirmum, & contemptum. Et qui testes fuerunt paupertatis ipsius, ipsi etiam gloriæ fiant spectatores* Nõ postulat vt veniat Abrahamus, seu Isaac, vel Iacob, sed vt Lazarus, qui agnitus fuerat pauper, mittatur, à Lazaro enim non solum verba erant audienda, sed etiam propriis oculis eius fratres in eo erant visuri magnũ præmium gloriæ, & honoris, quod paupertatis merito mẽdicus est assequutus, & satis notum, quod plus mouent frequenter visa, quam audita. Vide c. 27. n. 102.

154. Theophyl.

Sæpè plus mouent visa, quam audita.

Quintò. Titus Bostrens. *Cur Lazarum præ cæteris expetit*; ait, vt scilicet veniat ad fratres suos. *Illi ipsi, qui summa illius inedia, & paupertatis testes fuerant.* Non Abrahamum desiderat, cuius magna erat auctoritas in populo, ac proinde illius prædicatio valde efficax futura erat, sed tantũ Lazarum expostulat, qui agnitus fuerat pauper, forsitan credidit dives, quod maior fides adhibenda esset pauperi Lazaro, quam prædiuiti Abrahamo; nam quod vnus pauper loquatur, magnum est veritatis efficaciæ argumentum, aliter pauper non haberet animum, ac audaciam, vt contra magnates staret, ac verba faceret.

155. Bostrens.

Veritas à paupere valdè efficax.

Sextò. D. Chrysol. serm. 123. *Dives*, ait, *Lazarum ad domũ patris sui non misericors, sed miserandus inuitat, quem toto tempore substantia miseratione suis incumbentem ianuis, non recepit; & sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarũ vult redire. Agit infelix, ne videat felicẽ.* Adhuc dives, vt ait D. Bonau. Lazaro insidiatur, & quia maximè cruciabatur, cum videret eum gloria, & honore coronatũ, ideo sub prætextu pietatis postulat, vt ad domũ patris sui ad testificandum veniat, *ad præteritos gemitus Lazarum redire agit infelix, ne videat felicem.* Super sua tormenta ditius torquebatur, ex visa sublimi gloria Lazari.

156. Chrysol.

Inuidus plus torquetur alterius bonis, quam inferni tormentis.

Clamant sancti: *Vsquequò Domine, sanctus, & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum,*

157.

de

Apocal.6. *de iis, qui habitant in terra?* Apoc.6. n.10. Magnà difficultas, quomodo Sancti in gloria,qui magno pietatis affectu erga omnes, ac etiam suos inimicos feruntur; quomodo aduersus suos persecutores,ac interfectores postulant vindictam? Menochius ait: *postulant liberari sua corpora, quæ adhuc sub morte tenebantur.* Obsecrant suorum corporum glorificationem, sed ipsa corporum glorificatio est vindicta inflicta in eorum carnifices in inferno damnatos. Gehennali igne miserrimè vexantur, sed super omnes cruciatus est illis aliorum visa gloria tormentum, vt aliorum exaltatio sit illis sub omnes flammas demersio.

Alterius gloria magna pœna inuida.

Menoch.

158. Septimò. *Sub specie pietatis ad pristina vulnera Lazarum vult redire.* Verba sunt Chrysologi citata. Adhuc in inferno contra Mendacium miser Epulo dolos meditatur, & ex suo antiquo more vnum habet in ore,aliud in corde; lingua zelum loquitur, odia vero cordis secretum meditatur; ore speciem pietatis ostendit, ne fratres eius simili sua ruina torqueantur, corde verò Lazaro antiquos gemitus machinatur, vt ipsum è sinu Abrahæ euellat; vt in antiqua vulnerum miseria iterum videat. *Sub specie pietatis ad pristina vulnera, ad præteritos gemitus Lazarum vult redire.*

158. Chrysol.

Io peruerso cor,& lingua discrepans.

159. *Non est in ore eorum veritas.* Psal.5. n.10. de iniquis est sermo, in quorum ore nihil aliud est, ait D. Augustin. *Nisi mendacium,& falsitas.* Discrepat in eis os à corde,ore vnum ostendunt; aliud verò latet in corde. Cum Dauid ob suam humilitatem recusaret,vt fieret gener regis,ex ore Saül dicitur ei: *Non habet rex sponsalia necesse,nisi tantum centum præputia Philistinorum, vt fiat vltio de inimicis regis,* 1.Reg.18. n.28. Numquid huiusmodi verba prolata erant ex ore Saül ex zelo regiæ dignitatis, vel ex amore populi Dei, vt illius hostes extinguerentur? Minimè sanè, illius mens explicatur in textu. *Porrò Saül cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum.* Regis honorem,ac pietatem erga populum vox fulgurat: *Vt fiat vltio de inimicis meis.* Sed animus liuore exæstuat; insidiásque machinatur. *Cogitabat tradere Dauid in manus Philistinorum:* ab animo diffident quàm maximè verba: mens crudelis odij flammis aduritur; sermo verò mentitæ pietatis nitore splendescit.

159. Psal 5. Auguſt.

1. Reg.18.

Diffident verba à corde.

Abulens. Abulens.quæst.36. *Dixit Saül,* ait,*quod petebat,vt fieret vltio de hostibus suis: ipse tamen non petebat ad hoc, sed ad mortem Dauid.*

Luc.16. n.28. Et ait illi Abraham: habent Moysen, & Prophetas, audiant illos.

Num. 30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

Num. 31. Ait autem illi: si Moysem & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

VERSIONES.

Arabic.n 29. Apud illos sunt Moyses, & Prophetæ.

*Syriac.n.*30. Non Pater mi Abraham: sed si quispiam ex mortuis proficiscatur ad eos, pœnitentiam acturi sunt.

Goth. Sed si quis ex mortuis ierit ad eos,persuadebit eis,& pœnitentiam agent.

*Origen.n.*31. Neque si quis ex mortuis resurrexerit,audient ipsum.

EXPOSITIO VIII.

AIT illi Abraham: Reiciens secundam diuitis postulationem. *Habent Moysem,& Prophetas.* Id est libros Moysis,seu Prophetarum,qui soliti erant legi, ac explicari in synagogis,ac proinde,ac si dicat Abrahamus,tu illis postulas magistrum; Deus illis plures prouidit, vt ex D. Chrysostomo superiori. quæst. notaui ad initium. *Audiant illos.* Illis nempe obediant, eiusque dicta exequantur, & impleant. 160. Chryſoſt.

At ille dixit: Scilicet diues Abrahamo: *Non,* intelligitur,non satis est,vt ipsi in vitiis enutriti, ac inueterati conuertantur, quod habeant libros, seu doctrinam Moysis, & Prophetarum. Seu alio modo potest explicari? *Non,*audient Moysem,& Prophetas,*Sed si quis ex mortuis,*scilicet resurgens, *ierit ad eos.* Ex suo affectu,ac effectu alios iudicat, & sicut ipse Prophetas, diuinásque Scripturas sine vllo fructu audierat,ita credidit idem fratres facturos esse.D.Chrysost. *Sicut ipse fuerit,*ait,*affectus,sic opinionem habet de fratribus suis.* Titus Bostrens. *Cur diues,*ait, *iste hæc dicit? Quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audierat; quæ enim ab illis prodita extabant, & propalam contempserat,fabularíumque loco habuerat. Ex qua re coniecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse.* 161. *Epulo ex ſe alios iudicat.* Chryſoſt. Bostrens.

Ait autem illi, scilicet Abrahamus diuiti: *Si Moysem,& Prophetas non audiunt.* Dei persona, ac auctoritate loquentes: *Neque si quis ex mortuis resurrexerit,credent.* Seu,vt habet Græcus,*persuadebuntur:* illius testimonio, itavt præteritam vitam detestentur, & pœnitentiam agant, dicent enim phantasma apparuisse, aut illusionem factam esse à maligno spiritu. 162. Græcus.

QVÆSTIO XXI.

Quare Abrahamus testificat præferendum esse Moysem,& Prophetas Lazaro resuscitato?

AIT Abrahamus,*si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Cum tamen aliunde videretur efficacius testimonium prolatum à Lazaro reuocato in vitam,quam verba dicta à Moyse,& Prophetis,qui mortui erant; Lazarus verò testificaturus erat ea, quæ ipse oculis viderat,ac experientia cognouerat, tamen Abrahamus ait, quod testimonium Propheterum sit præferendum. 163.

Respondet primò D.Zeno serm. de Resurrect. *Habent,*inquit,*Moysem,& Prophetas: quibus si non credunt,neque illi,qui hinc missus fuerit,crediturí sunt, euidenter ostendens, non in oculis esse carnalibus verum,sed in fide credentium constitutum.* Lazarus suscitatus videndus erat carnalibus oculis, testimonia autem Moysis, & Prophetarum percipienda 164. Zeno. *Fidei visû certior oculorum corporalium obiectione.*

pienda erant diuina fide, ac reuelatione Dei testificantis esse vera, & infallibilia: Non enim visio oculorum sic potens est hominem confirmare, vt fidei visio; In visione oculorum sæpè, vt experientia docet, inuenitur falsitas, & deceptio, quæ omnia longè absunt à fide, cuius cognitio est certissima, vtpote à Deo testificante, quæ est summa, & prima veritas. D. Chrysost. homil. de nomine Abrahami, ponderans id quod dictum est ei: *Egredere de terra tua, & cognatione tua*, Gen. 12. n. 1. quærit namque quomodo ipse reliquit terram, quam corporalibus oculis videbat, pro illa altera promissa, quam oculis non videbat, sub qua intelligit futuram vitam: ait sanctus Doctor: *Non sic manifesta est præsens vita, vt futura illa, hanc enim oculis nostris videmus, illam fidei oculis videmus.*

Chrysost.

Genes. 12.

165. Theophyl.

Secundò. Theoph. *Nunc*, ait, *nihil tam vtile est, vt scripturarum diligens scrutatio. Mortuorum suscitationem falsè, & apparenter facere potest etiam Diabolus, vt seducat imprudentes, seminans doctrinas de inferno dignas sua malitia: at eis, qui scripturas probe scrutantur, nihil potest illudere. Illa enim sunt lucerna, & lumen, quo lucente fur deprehenditur, & manifestatur. Illis igitur credendum, & de mortuorum suscitatione non curandum.* Meritò mortuorum apparitionibus scripturas prætulit; in his enim bene intellectis, & ponderatis securior est fidei, ac veritatis confirmatio, quam in testimonio cuiusvis hominis è mortuis excitati, ac cuiusvis alterius testis oculati. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*, ait Petrus Epistol. 2. cap. 1. n. 19. *Cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco.* Quicumque auctoritate scripturæ non docetur, ac mouetur, neque priuatis miraculis, neque priuata alicuius prædicatoris etiam è mortuis existentis auctoritate commouebitur, vt credat, & credendis obediat. Quod optimo argumento à maiore ducto ad minus, docet, & confirmat D. Chrysost. concion. 4. de Lazaro: *Id verum esse declararunt Iudæi*, ait, *in altero Lazaro, fratre Marthæ*, cui tantum abfuit, vt crediderint à morte certissimè excitato, vt è contrario nouam mortem fuerint machinati, Ioan. 12. n. 10. Deinde etiam facilè dicetur, vt inquit Theophylactus: *Mortuorum suscitationem falsè, & apparenter facere potest etiam diabolus, vt seducat imprudentes.*

Testimonium scripturæ, quàm alicuius hominis apparentis à mortuis efficacius est.

2. Petr. 1.

Chrysost.

Ioan. 12. Theoph.

Cùm Christus Dominus gloriosè è mortuis surrexisset, ad Domini monumentum veniunt Petrus, Ioannes, ac Magdalena, illud vacuum repetunt, linteamina tamen sacratissimi corporis sepulta vident. Tunc ait Textus: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis*, Ioan. 20. num. 10. Maximè quæsitu dignum. Quare non discipulis Angeli sed Magdalenæ apparent, eámque de Christi resurrectione instruunt? Cur Angeli non simul apparent discipulis, ac sanctæ fœminæ? Quæstionem proponit, & soluit N. D. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. *Ambigere autem*, ait, aliquis non iniuria poterit, quamobrem discipulis (Petro dico, atque Ioanni) Angeli *non apparuerunt, mulieri autem & apparent*, Respondet sanctus Doctor: *Dicimus igitur mysterium Domini, sic ipso disponente. Discipulos enim rerum exitus, Scriptura, Christique prædicationibus conueniens, ad firmissimam fidem induxit. Superuacaneum igitur erat firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium, qua nec literas sciret, nec alio modo sublime resurrectionis mysterium percipere posset.* Nil sapientius sanè. Alta Dei sapientia iuxta vniuscuiusque indigentiam res disponit, & ordinat, in fide resurrectionis Christi Angelis apparentibus instruuntur mulieres, non verò discipuli. Discipuli de sublimi mysterio optimè edocti erant à sacra Scriptura. *Discipulos rerum exitus Scripura ad firmissimam fidem induxit.* Et ideò apparitione Angelorum non indigebant. *Superuacaneum erat firmiter credentes voce Angelorum doceri.* Quæ maximè fœminis erat necessaria, quæ cum sacras literas nescirent, multis adiuuantibus apparitionibus, ac documentis ad superna, & abscondita fidei mysteria erant inducendæ. *Mulieri autem penitus necessarium, qua nec literas sciret*, &c.

Cyrill.

166.

Ioan. 20.

Sapientes confirmantur in fide testimonio Scripturæ, simplices apparitionibus.

CAPVT

R.P.D.F^r. IOANNIS

DA SYLVEIRA,

Commentariorum

IN TEXTVM

EVANGELICVM

TOMI QVARTI

PARS SECVNDA.

CAPVT XXX.

PHARISÆVS ET PVBLICANVS.

Luc.18.n.1. Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, tamquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam.

Num.20. Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent: vnus Pharisæus, & alter & Publicanus.

VERSIONES.

Syriacus n.9. Porrò dicebant hanc parabolam aduersus eos, qui sibi confidebant se esse iustos, omnésque despiciebant.

Arabicus. Deinde dixit illis propter aliquos, qui dicebant se esse iustos.

Arias. Ad quosdam persuasos in se ipsis, quod essent iusti, nihil facientes cæteros.

Pagninus. Similitudinem istam.

S.Optat.Mile- Dicebat Iesus hanc similitu-
uitan.lib.2. dinem propter eos, qui se
cont.Parm. sanctos publicabant, & contemnunt cæteros

Syriac n.10. Duo homines ascenderunt in templum, vt preces funderent.

D.Cyprian.de Ascenderunt in templum
orat.Domin. adorare.

Theophylact. Vt precarentur.

EXPOSITIO I.

1. QVÆ D. Lucas narrat cap. 17. variis in locis sunt explicata à nobis, vt de scandalo, hoc lib. cap. 10. De correptione fraterna, cap. 11. de decem Leprosis, c. 13. Quæ autem de Antichristo ibi narrantur infrà sunt dicenda. Postquam ergo Dominus sermonem habuit, quod semper oportet orare, & non deficere: hanc proponit parabolam, vt docent D. Aug. serm. 36. Beda, Haymon, ostendens, quod defectu fidei, oratio perit; *fides autem non est superborum, sed humilium;* ait citatus Augustinus. Vel cum Dominus suprà docuerit perseuerantiam in oratione, hic apponit alteram eius conditionem, scilicet humilitatem, humilis enim oratio à Deo exauditur. Vel, vt ait Hugo, superiorem sermonem Dominus terminauit faciens orationem de fide. Nunc agit de humilitate, ostendens, quod fides non sufficit ad salutem sine humilitate, quæ est fundamentum omnium virtutum.

August. Beda. Haymon. Hugo.

Dixit autem ad quosdam. Pharisæos nempe, seu de cætu Pharisæorum, qui se iustos reputabant, *qui in se confidebant tanquam iustos.* Qui in sua iustitia multum confidebant. Arias vertit *ad quosdam persuasos in se ipsis, quod essent iusti.* In animo, ac mente sua pro certo statuebant se esse iustos. Vt explicat D. Augustinus serm. 36. de verbis Domini, *tanquam iusti,* vt sibi videbantur esse à peccatis, ac vitiis immunes, legem adimplentes, & obseruantes: *& aspernabantur cæteros,* seu vt legit Arias: *Nihil facientes cæteros:* omnes tanquam iniustos, peccatores, & alienos ab omni iustitia. Carthus. *Aspernabantur cæteros tanquam iniustos, & viles, cum ipsi sola sua superbia alijs essent viliores, sola enim superbia omnia destruit.* Et subditur: *Parabolam hanc.* Quæ potuit reuera accidere, vt simul sit historia, quam Christus cordium agnitor optimè potuit agnoscere, & etiam simul sit parabola, seu vt parabola proponi, vt notant Lucas Burgens. Cornel. & alij.

à.
Arias.
August.
Arias.
Carthus.
Burgens. Cornel.

Duo homines. Ambo pietatis studium, vt orarent, præ se ferebant, longè tamen mente dispares erant, sub eodem facto, ac gressu valde diuersus latet affectus. Moraliter preme verbum, *duo homines.* Homo, nomen magnitudinis, ac excellentiæ præ se fert; tamen si eos consideres; inuenies vnum Pharisæum, alterum Publicanum, vnum hypocritam, alterum reputatum peccatorem, qui tamen contritione se iustificauit: *Ascenderunt in templum,* quod in monte situm erat; vt notauit Hugo Isai. 2. num. 3. *Venite ascendamus in montem Domini.* Vel quia oraturi debent ima deserere, & in altum ascendere. *Vt orarent.* Debemus intrare in Ecclesiam ad orandum, vt notant D. Bonauent. Carthusianus & alij. Ipse enim Saluator ait: *Domus mea, domus orationis est,* non enim est intrandum in Ecclesiam ad fabulandum, ac aspiciendum. *Vnus Pharisæus, alter Publicanus* Aptè ait Euthymius, hi duo ponuntur. Nam Pharisæus reputabatur veluti vir religionis, ac iustitiæ sectator; Publicanus verò vt publicus peccator, & ideò apud Iudæos erant infames, & à publicis magistratibus excludebantur.

3.
Hugo. Isai 2.
Bonauent. Carthus.
Euthym.

Qvæstio I.

Quare Christus Dominus hic dat admirabilem doctrinam condemnans superbiam, & laudans humilitatem?

4. August. Basil. Seleuc. Anton. Bonau.

RESPONDENT primò ad quæstionem D. Augustinus serm. de verbis Domin. D. Basilius Seleucus orat. 35. D. Anton. Olyssipp. Domin. 11. post Trinit. D. Bonau. *Dixit parabolam istam in detestationem superbiæ, & laudem humilitatis.* Vt patet ex clausula parabolæ: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*, &c. Nam primum, ac præcipuum Pharisæorum vitium erat superbia, vt notant citati Patres, & D. Basilius cap. 2. Isai. Et ita frequenter, ac repetitis vicibus cõtra superbiam habet sermonem, de quo statim, vt elationis malum sublimi, ac alto doctrinæ & humilitatis documẽto destruat, ac euellat, adhibens tali morbo conueniens medicamen. D. Aug. tom. 9. tract. *Speculum peccatoris*, comparat decem præcepta legis, Exod. 20. num. 3. cum decem plagis Ægyptiorum. Cur in numero præcepta Decollatio, & plagæ æquiparantur? Respondet D. Augustinus: *Plaga*, ait, *erant vulnera; precepta verò medicamina plagarum.* Cùm ergo præceptum esset vulnerum medicamen, vulnera autem multa, & repetita erant, decem nempe; multa & repetita requirebantur medicamina; decem scilicet præcepta. Cùm ergo quotidie morbus superbiæ Pharisæorum multiplicaretur, multiplicabat & diuinus Medicus quotidie doctrinę medicamen. Vide hoc tom. 1. 2. & 3. verb. *Remedium.*

Basil.

Exod. 20.

August. *Medicamen sit proportionatum morbo.*

5. Theoph.

Secundò. Theophylactus: *Non cessat Dominus*, ait, *pluribus argumentis repurgare superbia vitium: plus enim aliis vitiis mentem humanam turbat, & propterea sæpe & multum de hac docet.* Frequenter Christus Dominus dabat documenta, vt è mente hominum eradicaret superbiam, ac præcipuè in Pharisæis, Matth. 18. n. 2. Matth. 11. num. 29. & 23. num. 12. Luc. 14. num. 11. sicque Pharisæos arguit: *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis*, Matth. 23. num. 6. Cùm ergo hoc superbiæ vitium valde sit ingenitum naturæ illud enim ebibitum est à parentibus nostris; nam eorum peccatum superbia extitit, vt docent D. Basilius in cap. 2. Isai, D. Chrysost. Rupertus & alij. Inde Christus Dominus maximè curat illud euellere ab hominum mente præbens alta humilitatis documenta; adimens superbiendi occasiones, docens quod non sit confitendum in nostra iustitia. Apparet Deus Isaac, atque ei: *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, propter servum meum Abraham*, Genes. 26. num. 24. Valde præclara erant merita Isaac, satis nota est eius insignis obedientia, qua se in sacrificium voluit Deo offerri, cuiúsque oratio, ac conformitas cum Dei voluntate in omnibus. Cum ergo non ait ei Deus: Benedicam tibi propter te: Ad quid dicitur propter Abraham? Quamuis Isaac esset magnarum virtutum operator, Deus disponit, vt humilietur, suáque merita ignoret, & non respiciat, ne in se ipso confidat, vt inde humilis factus in maiora crescat. D. Bernard. ser. 13. in Cantica: *Magna & rara virtus est, vt magna licet operantem, magnum se nescias; & manifestam, omnibus tuam te solum latere sanctitatem.*

Matth 23. Luc. 14.

Rupertus *Superbia occasio adimenda.*

Basil. Chrysost.

Genes. 26.

Tertiò. Qui satagit mores hominum reformare, virtutes plantare, ac vitia eradicare, non solùm debet hominum oculis vitiorum supplicia, sed etiam virtutum præmia obiicere, vt virtutis præmio alliciantur boni, & aliorum supplicio detereantur à vitiis, Christus Dominus maximè curabat, Pharisæorum superbiæ conueniens remedium adhiberet, & ideò non solùm eis proponit pœnam elati Pharisæi, qui abiit condemnatus, sed etiam præmia Publicani, qui discessit iustificatus. *Descendit hic iustificatus ab illo*

6. *Præmio alliciuntur iusti, & supplicio aliorum deterrentur à malis.*

Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, cap. 1. num. 1. Reuolue totum Apocalypseos librum, & inuenies quamplurimam mercedem, quam Deus suis electis promittit. Vt angelis Ecclesiarum, vt: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*; & iterum: *Dabo manna absconditum, dabo stellam matutinam*; & cap. 2. & 3. Senes sedentes super viginti quatuor thronos apparent, *& in capitibus eorum coronæ aureæ*, cap. 4. num. 4. Martyres habebant in manibus palmas, & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, cap 6. n. 11. Et omnes iusti videntur obsignati in frontibus suis, cap. 7. num. 3. Et sic deinceps; simúlque explicantur supplicia, ac pœnæ in hæreticos reges, peruersos infideles, ac iustorum persecutores. Angeli effundunt in terram septem phialas plenas iræ Dei, cap. 6. num. 1. Septem Angeli tubis canunt, & missus est ignis, concrematáque est tertia pars terræ, arborum, maris fluminum, stellarum, ac Lunæ, cap. 8. num. 7. Apparéntque etiam Angeli ingenti equitatu, de quorum ore procedit ignis, fumus, & sulphur. Et tertia pars hominum occisa est, cap 9. num 18. Et sæpe similia se exhibent. Cur etiam iniquorum pœnæ præuidentur? Cur de eis fumenda vltio seuerissima annuntiatur? Nonne sufficiebat iustorum mercedem, & coronam propter eorum iustitiam, ac tolerantiam in laboribus manifestam fieri; ad quid etiam iniquorum supplicia præuidentur? Venit Christus in mundum perditos hominum mores euellens, Ecclesiámque sanguine suo edificãs, ad cuius institutionem Ioanni in Apocalypsi fiunt reuelationes cum præmio iustorum, & iniquorum supplicio, quod vtrumque ad agmentum electorum prouidetur, vt præmio promoueantur iusti, & iniquorum supplicio magis corroborentur in virtute. D. Antonin. 1. part. tit. 6. cap. 1. *Spe diuini adiutorij, ait, & futuræ remunerationis, ac malorum punitione efficacius in aduersis roboramur.*

7. Apocal. 1. Apocal. 2. Apocal. 3. Apocal. 4.

Deus dat iustis præmia, iniquis supplicia

Anton.

Cum obdormisset Iacob, vidit scalam cælos tangentem, *Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam. Et Dominum innixum scalæ*, Genes. 28. num. 12. Cùm Dominus accumberet scalæ, bene intelligitur, quod Angeli ascendant, sed cur aliqui etiam descendere videntur? Nota quod cum Deus loquitur ipsi Iacob dormienti, & ait: *Ego sum Dominus Deus.* In Hebræo est, *Elohim*, hoc est, *iudices*: aderat ibi Deus tanquam supremus iudex. Vnde ait Iacob: *Terribilis est locus iste.* Cùm ergo diuini iudicij forma sibi subodorata sit, non omnes ascendunt, nec omnes descendunt, sed quidam ascendunt, alteri descendunt. Quid bonis operibus profecerunt, ascendunt, vt beatificationis præmium recipiant; qui verò denotantur suis demeritis deficere, descendunt, vt rigorem diuinæ sententiæ experiantur, vt expendit P. Ioannes de la Haye, ad cit

8. Genes. 28.

Deus iudex alios beatificat, alios condemnat. De la Haye.

Iustus in humilitate instruitur ne superbescat.

Baldain.

adcit. cap. 28. num. 96. Hanc cogitationem patrocinatur Tertullianus lib.3.contra Marcionem, cap. 24. *Cùm Iacob*, ait, *somniat scalas obfirmatas in terra ad cœlum, & Angelos alios ascendentes, alios descendentes innixum desuper Dominum temerè, si fortè interpretabimur scalis his iter ad cœlum demonstrari, quo alij perueniant, vnde alij decedant, Domini constitutum est iudicium.* Expende. *Constitutum est Domini iudicium*; vt proficiendo, *alij perueniant*: vnde deficiendo, *alij decedant.*

Tertull.

QVÆSTIO II.

Quare hic introducuntur duo homines, vnus Publicanus, alter Pharisæus, de cuius fastu, ac confidentia agitur?

9. Basil. Sel.

VTRIVSQVE conditionem rectè explicat D.Basil.Seleuc.orat.35. *Pharisæum*, ait, *professione, virtutis Magister, legis explicator, lingua Moysis, & cathedræ successor. Publicanum ipsa vita, morumque instituto accusabat, qui curam cæperat vectigalium, plura concupiscendi licentiam, implacabilem rapacitatem, latrocinium, legibus pro armis vtens, vi insidiantem terra, marique soluentibus.* Expende obiter verbum, *Cæperat latrocinium, legibus pro armis vtens.* Claues fictitiæ, retiáque furandi leges erant, vtinam hoc non contingat nostris regiis ministris. Pergit citatus Basil. *His vitiorum affectibus Publicanus grauatus templum tenuit; & Pharisæus tunc virtutis thesaurum importans.* Publicanus vitiis grauatus, & qui ipso vitæ, motúmque instituto accusabatur; sua tamen humilitate iustificatur; & Pharisæus, qui virtutum thesaurum importabat, sua superbia damnatur, & qui virtutis erat magister, fit vitiorum Doctor, & qui legis erat exclicator, fit superbiæ explanator, ac interpres.

Mores Pharisæi. & Publicani.

Legibus pro armis vtens.

10. Cassian.

De his duobus loquens Simon Cassian. lib.6. c.25. ait: *Erant isti duo, sed neque voluntate, aut intentione coibant in vnum, alter sibi placens, alter sibi per omnia displicens. Sed sibi placens, Deo displicens factus erat, sed sibi displicens Deo humilitate placebat.* O quantum distat nostrum iudicium à diuino iudicio! nam qui suo iudicio, ac æstimatione sibi placet, multum Deo displicet. Qui autem sua sententia sibi displicet, Deo placet. Mittitur Moyses legatus ad Pharaonem, vt dimittat populum. Tunc Moyses mille subterfugia quærit, vt se excuset. *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum*, Exod.4.n 10. Cur non irascitur in Moysem sic eius mandatis reluctantem? Non irascitur, sed potiùs delectatur, cum Moyses ex humilitate sibi displiceret, seque indignum tanti oneris iudicaret. Pulchrè Philo lib.1. de vita Moysis: *Verecundo ingenio*, ait, *præditus subtrahebat se grauiori, quam pro viribus, vt putabat, oneri, rogabatque, vt alius eligeretur ad exequenda mandata. Deus pudore delectatus. Respondit: Ego sum, noli timere.* Expende verbum, *Deus pudore delectatus.* Pro hac thesi secundùm omnes suas partes confirmanda, vide suprà cap.23.q.10. n.68.69. & 70.

Sibi placens Deo displiceat, sibi displicens Deo placet.

Exod. 4.

Philo.

Ad fastum, ac confidentiam Pharisæi, contra quam est instituta parabola, *Qui in se confidebant, & aspernabantur cæteros*, veniamus. Hæc verò confidentia, seu superbia, ait Theophylactus, *Est Dei contemptus. Quum enim quis non Deo, sed sibi sua bona tribuit, quid hoc aliud, quàm negare Deum est, & ei aduersari? Propter hoc enim quod confidunt in se ipsis, non totum Deo tribuunt, sed alios per hoc exinaniunt.* In hoc stabat maligna confidentia pharisæi, quæ bona, ac dona sua, si aliqua videbatur habere non Deo, sed sibi reputabat, se, & non Deum suorum bonorum auctorem agnoscebat; *Quis enim non Deo, sed sibi sua bona tribuit, quid hoc aliud, quàm negare Deum est, & ei aduersari?* Vnde dicitur Iacob.4.num.6.& 1.Petri 5.num.6: *Deus superbis resistit.* Resistere verbum militare est, & alicuius vim repellere significat; vnde ait D. Ambrosius in Psal. 118. serm.7. *Deus tanquam sua contumeliæ propulsator veluti suscipit aduersus superbos speciale certamen.* In quo autem est huiusmodi resistentia, ac speciale certamen; quia cætera vitia, ait Cassianus lib.12. Institut. cap. 7. vel in ipsum delinquentem, seu in eius criminis participes retorquentur. At verò superbia propriè ad Deum intentat pertingere, ciúsque honorem præripere, contráque ipsum se erigere, ideò speciale certamen mouet contra Deum, Deus autem ei restitit grauiora supplicia super superbos infundendo, quàm super alios peccatores, vt explicat Beda ad citatum locum Iacob.

Theophyl.

Superbus Deo resistere, ac contra ipsum pugnare intentat.

Iacob. 4. 1.Petri 5.

Ambros.

Cassian.

Beda.

Ex Dei mandato proponunt Moyses, & Aaron Pharaoni, vt dimittat populum. Quibus ait Pharao: *Quis est Dominus vt audiam vocem eius?* Exod. 5. num. 2. Ita se superbus erigit contra Deum, vt supremum numen nolit agnoscere, nec fateri; in cuius confirmationem nota, quod cum Moyses, & Aaron coram Pharaone fecissent aliqua prodigia, vt eius virga verteretur in serpentem, & aqua percussa virga in sanguinem mutaretur, ac extensis Aaronis manibus ascenderent ranæ de aquis; *Vocauit Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter*, Exod.7.num.11 & num. 22. cap. 8. num. 7. Ad quid mandat Pharao facere similia portenta, illa enim facta in Ægyptiorum oppressionem cedebant, vt aliqua, si inueniebatur, aqua verteretur in sanguinem, & aliæ plures ranæ ascenderent? Ad quid huiusmodi prodigia? Vt bellum faciat contra Deum, & non se illo inferiorem agnoscat. Nam si Moyses, & Aaron ex Dei mandato faciunt signa, sic etiam ipse Pharao vult ostendere, quod habet seruos, qui ex eius iussu similia signa valent edere. Rupertus lib.8.in Apocal. *Signa facientes*, scilicet Magi, ait, *confortabant regios animos ad non credendum, ad resistendum signis, ac Dei virtutibus, vt non minus potentes viderentur sibi, quam Deus erat.* Vide suprà cap. 16. num. 57. 58. 59. Quod autem omnia nostra sint Deo referenda. Vide verb. *Gratus*, in Indice hoc tom. 1. 2. ac.3.

11.

Superbus se vult ostendere Deo æquale.

Exod. 5.

Exod. 7.

Rupert.

Tandem. Expende illud verbum Theophylacti: *Alios per hoc exinaniunt.* Præ sua nimia confidentia, ac fastu bonum in se vident, & non in aliis, omnia sibi tribuunt, nihil aliis referunt. Postquam Laban inuenit Iacob in monte Galaad, qui proficiscebatur in Mesopotamiam. Ait ei

Laban: *Filia mea, & filij, & omnia, quæ carnis mea sunt*, Genes. 31. num. 43. Quid dicis Laban? Nonne filias tuas tradidit Iacob in coniuges? Iure ergo matrimonij illius sunt. Ex Rachel, ac Lia, & duabus ancillis filios ipse suscepit, quis potest negare, quod filij sint sui patris? Ipséque Iacob multo labore, gelu, æstu, ac industria, greges, quos vides, sibi comparauit Quomodo ergo dicis, quod eius vxores, filios, ac omnia, quæ possidet, tua sint? Ita superbus de se præsumebat, vt etiam ea, quæ possessione, ac natura iure aliena extabant, sua diceret, omniáque sibi adscribebat, nihílque alteri referebat. Philo Hebræus lib. de Cherub: *Ille*, scilicet Laban, ait, *ad singulas voces illud meum accinens, non desinit de se ipso loqui magnifice.*

Genes. 31.

Præsumptuosus nihil in aliis videt, omnia sibi adscribit.

Philo.

Luc. 16. n. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Num. 15. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ possideo.

VERSIONES.

Syriac. n. 11. Et ecce Perischæus stabat inter & animam suam, (secreto) & hæc precabatur. Deus gratias ago tibi, quod non sim sicut cæteri homines: rapaces, & iniurij, & mœchi, nec sicut iste Publicanus.

S. Optat. Mileuitan. lib. 2. cont. Parm. Gratias tibi Deus, quia nihil peccaui, & non habeo quod ignoscas.

Vatablus. Non sum quales cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri: qualis etiam hic Publicanus.

S. Hilarius. Non sicut peccator iste Publicanus.

Syriac. n. 12. Sed ieiuno bis in hebdomade.

Arabicus. Ieiuno duobus diebus in omni hebdomada, & decimas do bonorum meorum.

Arias. Decimo omnia mea.

Origenes. Decimas do de substantia mea.

EXPOSITIO II.

ALIQVANDO Iudæi genuflexi orabant, aliquando in faciem procidentes; tamen, quia id non poterat esse continuum, præcipuè cum longior esset oratio, sacrificium, vel Psalmodia, ideo solemnis mos erat, vt stantes orarent. Nec enim in templo illo veteri sedes erant ad sedendum, nisi soli Pontifici, ac Regi. Meritò hîc tamen notatur arrogantia Pharisæi, qui stabat erecta facie, ac vultu, veluti disputaturus cum Deo de ratione suorum meritorum. Bene D. Basilius Seleuc. orat. 35. *Stabat*, ait, *oculis, ac ore obuersus, cum Deo sermocinabatur fortè, & in nubes se raptum iri propemodum spectabat, vt & in cœlo cum Deo colloqueretur.* Ieiunabat, castè viuebat, & inter ipsa virtutum monimenta altissima loca ambibat. *Hæc apud se orabat.* Syriac. secretò, seu in animo suo. D. Basil. in catena D. Thom. notat, quod dicitur: *Apud se orabat, quasi non apud Deum* Per superbum elationis supercilium, ad se ipsum redibat oratio, ac si Deum supplicare dedignatus esset; *Gratias tibi ago*: laudo nempe te. Os videbatur Dei laudem sonare, & tamen totam laudem in se ipsum retorquebat. 14.

Basil. Seleuc.

Syriacus.

Inter virtutes altissima loca ambit. Basil.

Quia non sum sicut cæteri hominum; ac si diceret, ita donis, ac gratia sum communitus, vt non sim, sicut alij homines. D. Augustin. serm. 56. de verbis Domini: *Quid est*, ait, *sicut cæteri homines, nisi omnes præter ipsum, ego, inquit, iustus sum, cæteri peccatores.* Rectè notauit Theophylact. *Gratias habeo tibi, quia fecisti me abstinere ab iniustitia, & à rapina. Sed quomodo? Non sum; sibi ipsi attribuit bonum, & suo roberi.* Pergit in sua oratione. *Raptores.* Aliena vi rapientes, *iniusti*, fraude, & dolo contra omne ius aliena sectantes; *Adulteri*, turpiter luxuriantes, vt etiam ad vxoratas se extendant: & sub his tribus omnia vitiorum genera comprehendit, vt notat D. Bonau. iuxta illud 1. Ioan. 2. num. 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est.* Ecce adulteri. *Et concupiscentia oculorum.* Ecce iniusti. *Et superbia vita* Ecce raptores. *Velut etiam hic Publicanus*, legit D. Hilar. *Sicut peccator iste Publicanus.* Hæc dixit despectiue, ac illusoriè, de illo irridendo, vt notant Carthus. Hugo, & alij. Vnde ait Gillibertus serm. 33. *Pharisæus non rogat, sed prope adstanti Publicano iniurias irrogat.* Pharisæus temerè, ac falsò iudicat Publicanum peccatorem, cum tamen ille esset pœnitens, & iustificatus, communiter homines iudicant pro eo quod fuisti, non verò pro his, quæ habes de præsenti. Vide suprà cap. 18. num. 100. & 101. 15.

Basil.

Theoph.

Bonauent. 1 Ioan. 2.

Hilar.

Carthus. Hugo. Gilibert.

Ieiuno bis in sabbato. Id est in hebdomade, à principalioti die tota hebdomada Sabbatum vocabatur. Vnde Arabicus habet: *Ieiuno duobus diebus in omni hebdomade:* Theophylactus affirmat, Pharisæos ieiunare solitos feria secunda, & quinta, huius tamen rei nullum refert auctorem. *Decimas do omnium quæ possideo.* Arias: *Decimo omnia mea:* Ac si dicat, tam studiosus sum religionis ac legis, vt non solùm soluam decimas fructuum terræ, vt lex præscribit, sed tantæ sum obseruantiæ, vt etiam præbeam decimas omnium mearum rerum, v. g. carnium, ouorum ac piscium, ad quas lege non teneor. In his Pharisæus se maximè laudat, alios enim homines notauit, vt rapaces, 16.

Arabicus. Theophyl.

Arias.

Se iustum & cæteros odit.

dit Pharisæum. rapaces, iniustos, adulteros, laudat se ipsum ieiunantem, in quo se ostendit castum; ieiunium enim mater est castitatis; laudat se etiam iustum, & alienum à rapina, cum dicit: *Do decimas omnium, quæ possideo:* Theophyl. *Contra adulterium quidem, ait, gloriatur de ieiunio (à deliciis enim petulantia) contra rapinam verò, & iniustitiam profert dationem decimarum omnium, quæ possidebat, tantum inquiens, contrarius sum rapinæ, & iniustitiæ, vt etiam, quæ mea sunt, expendam.*

Theophyl.

Qvæstio III.

Quare Pharisæus referens suas laudes damnatur: cùm tamen Ezechias, Iobus, ac Zacheus in suis commendationibus approbentur?

17. AD quæstionem. Pharisæus iactat, & prædicat opera sua. *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Ezechias autem tex sic de se loquitur; *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te, in veritate, & corde perfecto,* 4. Regum 20. n. 3. Ecce vterque sua opera extollit; vterque sua facinora commendat, & tamen Pharisæo datur repulsa. Ezechiæ autem præmium. Respondet Euchirius lib. 4. in lib. Regum; *Ecce Pharisæus, ait, se iustificauit in operes; Ezechias iustum se asseruit etiam in cogitationes; atque vnde ille offendit, inde iste Domino placuit. Cur itaque hoc nisi, quia Deus singulorum verba pensat, & in eius aure superba non sunt, quæ humili corde proferuntur.* Pharisæus ostentabat verba: *Non sum sicut cæteri homines,* à corde inflato superba verba exibant. At verò Ezechias non externum verborum nitorem, sed intimum cordis affectum diuinis repræsentabat oculis, illud autem Deus auscultat, idque ei maximè placet, quod interna cordis vox loquitur, *In veritate, & corde perfecto.* Et cum cordis intima perfecta consistunt, quidquid inde exterius prodit, maximè gratum est Deo. Mulier illa hæmorroissa, *Dicebat intrà se: Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero,* Matth. 9. num. 21. Quæ verba expendens D. Chrysol. serm. 33. *Iam placitura apparebat, cui cordi erat fiducia in Deum.* Corde solicitauit diuinam benignitatem, quidquid enim à corde perfecto, & humili exibat, valde periucundum erat diuino aspectui.

4. Reg. 20.

Euchirius.

Deo placet ea tantùm exiens à corde perfecto.

Matth. 9.

Chrysol.

18. Secundò Laudat se sæpe Samuel in primo volumine Regum à se scripto, vt est communis sententia. Cap. 2. n. 26. *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.* Cap. 3. n. 19. 20. *Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo. Et cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Samuel suas laudes decantans approbatur; Publicanus verò sui Encomiastes reprobatur; Iste totum ad vanam iactantiam ordinabat; ille verò ad vtilitatem proximorum, ac ad Dei gloriam omnia referebat. Vnde D. Cyprianus epistol. ad Donatum: *In proprias laudes, ait, odiosa iactatio est. Quamuis non iactatum esse possit, sed gratum, quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de Dei munere prædicatur.* Vide suprà c. 16. num. 84. 85.

1. Reg. 2.

1. Reg. 3.

Laus propria ore vilescit, nisi ad Dei gloriam referatur.

Cyprian.

Tertiò. Beatissimus Iob plurimus est in laudibus suis decantandis cap. 29. num. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo, pauper eram pauperum,* &c. Similia videntur, quæ Pharisæus hic de se iactat: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ possideo.* Cur ergo Iobus absoluitur condemnatur iste? D. Isidorus Peluſiota lib. 3. epist. 278. *Pharisæus ille, ait, quia nemine concitante, & stimulante magnifica de se prædicabat, meritò in Dei offensionem incidit, siquidem superbiæ morbo laborabat. At qui in gloria, & splendore est virtutum, suas occultat; cum autem maledictis incessitur, vt illatas criminationes propulset, commemorat; quemadmodum clarus ille, atque omni laude præstantior Iobus fecit, ab omni culpa remotus est.* Reprobatur Pharisæus ventosa verba iactans, laborat enim superbiæ morbo; at Iobus commendatur, cum laudes suas diuulget. *Oculus fui cæco, pes claudo,* &c. Hoc enim faciebat, vt iusta munitione famæ suæ patrocinaretur. Iobo obiecerant amici mala illa eum apprehendisse ob peccata sua. *Nunc venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es; recordare obsecro, quis vnquam innocens periit,* c. 4. n. 57. Cùm ergo amici tam dura in Iobum impingerent, támque acriter illius fama impugnaretur, meritò ipse in laudes suas prorumpit. Iustum, & rectum est, vt quis famæ, ac nomini suo consulat, illiúsque calumniam propulset, eámque ab omni detractione custodiat. Vt ait Ecclesiastes cap. 41. n. 15. *Curam habe de bono nomine.* Vide multa de hac re hoc tomo. 1. 2. ac 3. verb. *Fama,* vel *Nomen,* in Indice.

19.

Iob. 29.

Peluſiota.

Maximè curandum est de fama ac bono nomine.

Iob. 4.

Eccles. 41.

Quartò. Ad eandem difficultatem de Iobo: Respondet D. Isidorus citatus inter Patres in Catena Græca in Iob: *Diuinum,* ait, *suffragium Pharisæum, qui nullius impulsu iustitiam suam venditauit, ac reliquos omnes condemnauit; explosit omnino; Iobum verò hunc necessitate adductum summa laudationis laurea, atque corona donauit.* Theophyl. relatus in Glossa ordinaria: *Condemnatus Pharisæus, ait, talia hegans nullo cogente. Iob verò prementibus se amicis, & dicentibus, quod propter peccata talia sit passus, compulsus est enumerare opera sua.* Pharisæus ex superbia *nullo cogente,* talia iactabat. At verò Iob, *prementibus se amicis.* Eúmque tanquam iniquum publicantibus, necessitate compulsus suam innocentiam, ac sinceritatem declarat, & manifestat. *Iobum verò hunc necessitate adductum, summa laudationis laurea, atque corona donauit.* Ex quo coniice quot, ac quantis variis casibus exposita sit prudentia humana, vt illud, quod in hoc euentu est laudabile, in alio sit vituperio dignum; ex hoc nascitur, vt virtus, quæ affectat se se occultari, aliquando tamen ex occasione occurrente, ac circunstantia intercurrente necessarium habet, vt in publicum, ac manifestationem exeat.

20.

Isidor.

Theophyl.

Operatio vt sit laude, vel vituperio digna, ex circunstantiis dependet.

Scribens Paulus ad Corinth. enarránsque illis suam conuersionem, ac raptum in cælum, ait illis: *Raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui,* 2. Corinth. 12. num. 4. Idemmet Apostolus scribens ad Galat. 1. num. 11. ait: *Notum vobis facio fratres, euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Reuelatio verò, per quam acceptum dicitur euangelium, quænam fuerit, explicatur à D. Thoma ibidem. *Hæc autem reuelatio, ait, facta fuit Apostolo, cum raptus fuit in paradisum, vbi audiuit arcana*

21.

2. Cor 12.

Ad Galat. 1.

verba, quæ non licet homini loqui. Imò, vt docent D. Thom. Lyran. D. Thom: Lyran. & alij, Apostolus magnis, ac profundis rationibus comprobat doctrinam à se traditam non esse suam, sed per reuelationem in suo raptu à Christo Iesu communicatam. Nonne magne Doctor gentium asseris te audisse secreta, ac arcana, quæ non licet homini loqui. Quomodo ergo ea dicis, prædicas, ac edoces? Illa alta, & sublimia mysteria, non licebant euulgari, quandiu necessitas non aderat; at verò cum illa vrget, & homines nolunt Pauli doctrinæ acquiescere, ac si non esset à Deo data, sed ab homine inuenta tunc ipse alto, & aperto ore publicat, & testificat doctrinam non esse suam, sed immediatè à Deo datam, & acceptam; cum necessitas aberat, non erat licitum, at verò cum ipsa interuenit, statim abscondita arcana ab Angelo manifestantur, vt omnis dubitandi ratio excludatur. Patrocinatur D. Ambrosius, Ambros. *Vult manifestare*, ait, *quia ea qua docebat, non ab homine didicerat, ne forte dubitaretur de iis, qua docebat.*

Virtus occultanda, nisi necessitas postulet, vt manifestetur.

22. Apoc. 12. Ait Ioan. *Signum magnum apparuit in cælo: mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim*, Apoc. 12. num. 1. Per stellas iuxta communem Patrum, ac Doctorum sententiam intelliguntur virtutes, quæ animam sanctam adornant; cur potiùs virtutes comparantur stellis, quàm Soli, & Lunæ, cum hæc in suo splendore luminaria magna sint? Bernard. D. Bernard. serm. 27. in Cantic. *Quomodo stellæ*, ait, *in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Illud sanè cautelæ est, hoc necessitatis.* In hoc virtutum similitudo cum stellis consistit. Sicut stellæ die clara, & lucida, quando sol resplendet, non apparent, tunc enim earum lux minimè necessaria est. At verò obscura, & tenebrosa nocte, quando quælibet minima, ac parua lux erigitur, tunc stellæ scintillant, ac nitent: sic & virtutes, se se abscondunt in clara luce, quando necessitas non vrget, at verò in caliginosa tenebratum nocte, quando occasio maximè postulat, tunc scintillant, & lumen suum diffundunt. *Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent: sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis.*

Vera virtus in prosperis absconditur, manifestatur.

QVÆSTIO IV.

Quare Pharisæus tantum errat, vt se solum iudicet?

23. Bernard. DIVVS Bernardus de gradibus humilitatis, ait: *Gratias Deo agit Pharisæus, non quia bonus, sed quia solus.* Reprobus animus non considerabat bonitatem, sed singularitatem; non æstimabat in se virtutes, quæ in aliis videbantur, non patiebatur, alios esse sui similes in diuinis donis, hoc solùm referebat acceptum Deo, quod ipse esset solus; totum in se pensitabat, nihil in aliis considerans. Cùm audit Aman regem interrogantem, quomodo nempe sublimandus sit vir quem Rex honorari desiderat. Tunc inquit textus: *Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans, quod nullum alium Rex nisi se vellet honorari,* Esther. 6. Esther. 6. num. 6. Ita superbissimus erat homo, vt nullum alium iudicaret honorandum, nisi se solum. Lyranus: Lyran. *Quia*, ait *modus superbi est æstimare, quòd nullus nisi ipse debeat honorari.* Ita fastu rapiebatur, vt omnes alios honore indignos reputaret. Deinde etiam luculenter præfata verba commentatur Ioseph. lib. 11. Antiquit. c. 6. Ioseph. *Tum Aman*, ait, *cogitans quamcumque sententiam protulisset, in rem suam forè, quod ipse pra cæteris Regi charus esset.* Tanta vanitate erat inflatus, vt quidquid glorioſum audiebat, totum in laudem suam retorquebat. *Cogitans quamcumque sententiam protulerit, in rem suam fore.*

Quidquid laudu audiebat, totum sibi referebat.

Grauiter aberrat Pharisæus cum se iudicat singulare, *non sum sicut cæteri homines*, & nullum se habere æqualem dicit. Magnus Parens Elias magnarum virtutum operator, mortuos suscitat, claudit, & aperit cœlum, dono prophetiæ eminet, & qui in pronuntiandis omnibus verax erat, cum tamen se iudicat solum. *Relictus sum ego solus*, Regum cap. 19. num. 10. Rabbanus: *Humilis*, ait, *etiam occulta Dei noverat, elatus etiam aperta nesciebat.* Vnde ei dictum est à Deo: *Reliquit mihi septem millia virorum.*

24. *Qui se solum existimat, caligat.*

3. Reg. 19. Rabbanus.

Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, Psalm. 48. num. 13. Homo, nempe Adam, vt est communis sententia, cum in honore esset suæ iustitiæ originalis, ac principatus omnium rerum; non intellexit suam similitudinem, vt explicat D. Hieronymus esse secundam Dei faciem, sed Dei singularitatem appetiuit. Quid inde factum est; *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vbi singularitatem appetiuit, comparatus est iumentis.

25. Psal. 48.

Hieron. *Qui se solum iudicat, insipiens.*

Cùm Lucifer seditione facta vult spiritus Angelicos commouere contra Deum, ait: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, Isai. 14. n. 13. Lucifer multa scientia prædi-tus erat, tamen seditionem inter spiritus Angelicos nescit excitare, debebat enim dicere; Eia principes cælestes in cælum cõscendamus, super astra Dei exaltemus solium nostrum, & sedeamus in monte testamenti; at verò solum de se agit. *In cælum conscendam, exaltabo, sedebo.* D. Bernard. serm. 3. in Isaiam. *Qui sedere præsumpsit, se solo voluit esse contentus.* Lucifer in maximum errorem incidit, vt Deum esse appetierit, inde ex consequentia infallibili in alium magnum errorem prolapsus est, vt se esse solum cogitauerit, sibique tantum cathedram, ac domicilium elegit; tam ingens error est esse solum, vt tantum sit annexa consequentia suprem, ac summi erroris Diuinitatem ambientis. Deus tantùm vnus solus est; cætera verò non sunt singularia, dantur duo luminaria magna, multæ stellæ, multique cæli multàque elementa, & sic de cæteris, vt facilè est discurrere.

26. Isai. 14.

Bernard. *Summus error quod quisque se esse solum iudicet.*

QVÆSTIO V.

Quare Pharisæus cum se laudat, maculas, ac notas in alios impingit?

VALDE superbus stat Pharisæus, & calumnias in omnes molitur D. Basilius Seleucus orat. 35. *Non sic olim*, ait, *ad Deum loquebatur progenitor tuus Abraham, vel potius publicani progeni-*

27. Basil. Seleuc.

nam;

Mores declarant filios suorum parentum.

ter; *nam sibi Abrahæ genus publicani mores adiungant.* Non natura, sed mores ac virtutes pariunt filios, licet enim Pharisæus, & Publicanus essent filij Abrahæ, tamen Pharisæus ab ipso degenerauerat, vt filius illius non reputaretur, sed tantum Publicanus, qui illius humilitatem sectatus erat, qui dicebat, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.

28. Bernard.

Ad quæstionem. Respondet primò, D. Bernard. tract. de gradibus humilitatis: *Dicebat*, ait, *Deus gratias tibi ago, quia nõ sum sicut cæteri: Dum in se singulariter exultat, aliis arroganter insultat. Nondum de suo trabem eiecerat, & festucas in oculis fratrum enumerat.* Dum trabem caliginosam ignorantiæ retines in oculis, qua anteriora tua non consideras, nec errores tuos vides, & ponderas, sed totus à te alienus in defectus proximorum scrutandos incumbis, inde te probum, & rectum existimas, cum iis valde iniquus, & peruersus, & inde non ex aliorum iniustitia, sed ex sua iniquitate, alios malos, ac damnabiles iudicat.

Qui se ipsum non considerat, alios iniquos iudicat.

29. Basil. Sel.

Secundò. D. Basilius Seleucus orat. 35. *Bellum sanè*, ait, *gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & iudex, & mortis sententiam in omnes ferens, non sicut cæteri: O linguam tyrannicam! se omnium loco statuit, & omnes partis alicuius, aut reliquiarum numero habet: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri; Deo opprobraturus intonuit: non habes iustum alterum in terra: ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit à iustitia terra, nisi hanc ego calcarem.* Pharisæus in exordio verborum gratitudinis virtutem ostentat: *gratias tibi ago*; & tamen sub illius prætextu bellum, ac criminationem subinfert, non solùm tyrannica lingua homines criminatur, sed etiam ipsum Deum omnium auctorem, qui omnes à virtutibus deseruit, vt omnium virtutes in hoc vno collocaret, imò terra à iustitia desetta esset, nisi ipse sub terra viueret. *Ego tibi solus virtutum thesaurus, deserta sit à iustitia terra, nisi hanc ego calcarem.* Considera quanta amentia super se extollitur.

Superbus non solùm homines, sed etiã ipsum Deum criminatur.

30. Zeno.

Tertiò. Dicebat: non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri. D. Zeno in Psalm. 130. *Lingua intonat, caret que nunquam veneno serpentis.* Lingua loquitur Pharisæus, ac proinde nescit ipsa nemini parcere, sed omnes iniuriare, ac offendere; in omnésque serpentis venenum effundere cum ipse loquatur, in omnes malignè inuehitur.

Lingua omnes iniurias.

31. *Sed iustificat alios maculando.*

Quartò. Pharisæus in templo vult se sanctum, ac purum ostentare, quid ei primum venit in mentem? mille defectus in alios coniicere. *Non sum sicut cæteri homines, raptores, adulteri, & homicida.* Hæc est iniquorum conditio, vt ex aliorum vitio velint suam probitatem declarare, ac cum multis maculis alios deturpant, se iustificatos reputant. Ait Isaias 57. num. 10. *Impij quasi mare feruens.* Cur mari æstuanti comparatur impius? Mare cùm commouetur expurgatur, emunditias tamen à se dimittit, & in littora ficina coniicit: sic & iniquus hanc viam sequitur vt se expurgatum, ac rectum ostendat, totam maculatam turpitudinem in alios impingere satagit; in hócque impius assimilatur feruenti mari. Frater senior vt se patri obedientem ostendat, *nunquam mandatum tuum præteriui* statim tumori detrahit, cúmque multis criminibus fœdare intendit. *Filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus*, Luc. 15. num. 30. D. Hieron. epist. 146. ad Damas. *Oro te*, ait, *nonne tibi videtur ea, quæ ille de Publicano dixerat, dicere iste de fratre? Hic est, qui comedit omnem substantiam suam viuens cum meretricibus.*

Isai. 57.

Luc. 15. Hieron.

32. Genes. 3.

Postquam primi parentes peccarunt: *Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*, Genes. 3. n. 7. Cur ficorum folia ad vestimenta eligunt, cum aliarum arborum folia viderentur aptiora; extant enim aliqua maiora, & omnia ferè leniora? Tertull. lib. de Pudicit. c. 6. *Adhuc*, ait, *in Adam*, caro scilicet, *deputabatur cum suo vitio; de ficulneis foliis pruriginem retinens.* Ficorum folia aspera, & ad lasciuiam ob eorum humorem calidum prouocant; eis ergo post suum peccatum induitur Adam, vt videns quilibet eius appetitiuum inordinatum motum, sibi persuaderet, huiusmodi incompositionem non ab aliquo peccato, sed ab humore calido, ac ab eorum prurigine in corpus transmisso prouenire, sicque appetituum inordinatio non ad Protoparentem, sed ad folia referretur.

Tertull.

Defectus in alios retorquere.

QVÆSTIO VI.

Quare Pharisæus tam acriter pungit Publicanum, maximè se extollens?

33. Chrysost.

Divvs Chrysost. in Catena, sic ait: *Non satiauerat contemptum eius tota humana natura, sed & Publicanum aggressus est.* Non solùm Pharisæus omnes contempserat, omnésque, criminauerat in hísque Publicanus inuoluebatur; ad quid peculiariter eum corrodit, *velut etiam hic Publicanus?* Sunt homines adeò pernicioti, qui non solùm alios calumniantur; sed si peculiariter aliquis eorum oculis obiicitur, elsque in mentem veniunt, statim serpentino ore in eos inuehunt, supérque illos omnia malorum venena diffundunt, ita vt tui honoris custodia sit illorum obliuio, & tandiu tua fama non periclitatur, quandiu ab illorum memoria excidis. Vidit Doëg. Idumæus Dauid apud Nobe, 1. Reg. 21. n. 7. statim detractorie eum accusauit apud Saul. 1. Regum 22. num 9. multáque mala exinde secuta sunt, vt Saul crudeliter Dauidem persequeretur & mors Sacerdotibus esset illata, quæ omnia euitarentur, si Dauid oculis Doëg non fuisset obiectus.

Vt detractionem fugiat, fuge ab oculis iniquorũ.

1. Reg 21.

34. Bernard. Psalm. 118.

Ad quæstionem, comparationem facit D. Bernard tractat. de gradibus humilitatis, inter hunc Pharisæum, & Dauidem, Psal. 115. n. 11. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Pharisæus è contra ait: *Non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores*, &c. sic ait D. Bernard. *Dauid ait, omnis homo mendax, neminem excipit, ne quem decipiat, sciens, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat.* Ecce Dauid, & Pharisæus vias peccatorum contemplantur. Dauid se inter mendaces annumerat; Pharisæus autem se alienum ab omni mendacij, ac iniustitiæ cœtu se agnoscit. Et cur Dauid inter mendaces, Pharisæus verò ab illis segregatum se fatetur? Sanctior ille Dauid? Minimè, sed superbior? Dauidem sua humilitas illuminauerat, Pharisæum verò sua superbia obcæcabat; ideò ille non fallitur, hic verò non considerans, maximè: *Pharisæus se solum decipit, quem solum excipit, dum cæteros damnat.* Dauid cum fugit superbiam, fugit deceptionem; superbus verò Pharisæus cum se solitarium credit, multum aberrat, ac à veritate deuiat. Qui magna, & alta de se præsumit, multa ignorantia laborat.

Superbia obcæcat, humilitas illuminat.

Qui fugit superbiam, fugit deceptionem.

Cogitut

35. 2.Cor.11. Chryſoſt. Interpret. *Cum quis ſe laudat ignorans poſſe videri.* Hugo. Prou. 27.

Cogitur Paulus ſui magnalia referre,& ſtatim ait,*Vt minus ſapiens dico.* 2. Corinth.11.n.63.ſeu, vt vertit Interpres Chryſoſt.apud Cornel.*Vt deliranſ loquor.*Cur gentium Doctor ait quod illa,vt minus ſapiens dicat,& atteſtetur ſui eximia opera proferebat, & cum quis ſuas laudes decantat, vt minus ſapiens videtur;Cardin.Hugo.*Vt minus ſapiens dico. Scilicet dicere credor, quia Prouerb. 27. dicitur: Laudet te alienum, non os tuum.*

36. Pſalm 35. *Superbum ſine merito, & intellectu.*

Ait Dauid Pſalm. 35. n. 12. *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Cur non ait;non veniat mihi caput, oculi,ac manus ſuperbiæ,ſed tantum pes; ſuperbus non habet caput, vt ſe regat, nec oculos, vt ſe videat,nec manus vt ſe teneat,ac ſuſtentet, ſed tantum pedes, vt labatur, & non ait. Non veniant mihi pedes, ſed pes,vt facilius in præcipitium ruat,ac cadat.

QVÆSTIO VII.

Quare Phariſæus ait, quod ieiunat bis in Sabbatho.

37. Ephr. *Ieiunium luxuriam perimit.* Ambroſ.

IN Sabbatho, id eſt in hebdomada; Cum ergo Phariſæus ſe ieiunatorem dicit, caſtum etiam ſe oſtendit,carnis enim concupiſcentia prævalere non poteſt, vbi ieiunium regnat. D.Ephrem.in Catena Græca D. Luc. *Adulterium à ſe crimen removens, ieiunium iactauit.* Ieiunium enim luxuriam deſtruit, ac caſtitatem induit D. Ambroſius ſerm.23. *Abſtinentiam indicamus corpori,*ait,*vt à vitiis magis animam abſtinere poſſimus. Frenum enim quoddam eſt luxuriantis animo corpus exhauſtum.*

38. Chryſol. *Reprobum virtutis opera ad temporale negotium deſorquet.*

Ad quæſtionem reſpondet. Primò. D. Chryſolog.ſerm.7.cum Phariſæo loquens, ait *Enatafti ieiunij pelagus, & in ipſo portu ieiunij naufragaſti,quia non comparaſti lucrum, ſed mercatus es vanitatem,qui de Dei credito humanum negotium perfeciſti.* Ieiunauerat homo, & tamen reprobatur, de ieiunio enim non vtilitatem animæ,ſed oſtenſionem captare ſatagebat. Perpende verbum. De Dei credito humanum negotium perfeciſti. Reproborum eſt, vt virtutis opera ex Dei dono accepta, quo homo ieiunat, caſtitatem ſeruat,decimas præſoluit, ad temporalia negotia dirigat, ac ordinet, ita vt non lucrum animæ,ſed vanitatis oſtenſionem captet.

39. Euſeb. Gal. *Damnabile ſaluris remedium in damnum vertere.*

Secundò. Euſebius Gallican. ſerm. 6. de orat. *De Domo Dei*, ait: *Phariſæus nimis ſibi ſecurus præſumptionis reportauit offenſam: odibile enim fecerat ſacrificium orationis ſuæ fœtore iactantiæ.*Ponitur Phariſæus in perditionis exemplum,& tamen ieiunabat, decimas ſoluebat;vnde hoc?Ecce deploratum malum, quod parturit vanitas, & ſuperbia, vt peccatorum remedia, & ſaluationis fontes, orationes nempe, ieiunia, ac decimarum ſolutiones in nociuum fœtorem tranſmutet, vt in æternam damnationem hominem demergant. *Odibile enim fecerat ſacrificium orationis ſuæ fœtore iactantiæ.*

40. *Homo ſæpè ſua exigua in magnum appendit.*

Tertiò. Ait homo. *Ieiuno bis in ſabbatho*, hoc eſt in ſenſu litterali in hebdomada, vt iam ſæpè dixi; tamen ſenſum moralem proſequor. Quomodo potuit Phariſæus in Sabbatho, ac vna die ieiunare bis? Tam ſuperbus, ac vnus erat Phariſæus, vt quidquid ſui eſſet, in magnum appenderet, itaut vnum ſuum ieiunium veluti duplex iudicaret. Ait Achab ad vicinum ſuum Naboth. *Da mihi vineam tuam, dabóque tibi pro ea vineam meliorem*, 3. Reg.21.num.12. Valdè auarus erat Achab, quomodo meliorem vineam cum deteriore commutabat?Reſpondet D. Ambroſius lib. de Naboth cap.2. *Dines*, ait, *quod ſuum eſt,quaſi vile faſtidit:quod alienum eſt, quaſi pretioſiſſimum concupiſcit.* Sic tamen in rem noſtram explico. Auarus, quidquid ſuum eſt, licet tenuiſſimum, tamen cum ſub eius dominatione ſit, valde magnum, & pretioſum credit. Vinea ergo Achab licet tenuis,ac deterior alia eſſet, tamen cum ſua exiſteret, eam vberiorem, ac locupletiorem appendebat. 3. Reg.21. Ambroſ.

41. Ambroſ. Philo. Athanaſ. Geneſ. 4. *Quilibet ſuum etiam tenue magnum iudicat.*

Obtulerunt ſacrificia Deo. Abel de primogenitis gregis ſui; Cain verò obtulit de fructibus terræ numera Domino: Abel ex optimis, ac pinguiſſimis gregis ſui. Caïn verò ex vilioribus, ac deterioribus, hi enim vocantur in ſcriptura fructus terræ. Hoc docet D. Ambroſius lib.1. de Caïn, & Abel. Cap.7.& 10. *Obtulit*, ait, *à fructibus terræ, non à primis fructibus primitiæ Deo.* Idem etiam habet lib. 2. cap. 5. & 6. Philo lib. de ſacrificio Abelis,& Caïn. D. Athanaſ. & alij. Ait textus. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit*, Geneſ. 4. num. 5. Quo magno dolore vulneratus eſt Caïn. Dicitur enim. *Iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Affligitur Caïn,ex eo quod ſacrificium eius repudiatum eſt à Deo, cum eſſet ex deterioribus fructibus terræ; facilè tamen adeſt remedium, fiat aliud ſacrificium ex melioribus,ac excellentioribus, Caïn vero hanc viam non ſequitur, ſed in fratrem exurgit,& ipſum interficit? Nam quamuis ſatis apertum eſſet quod fructus oblati à Caïn eſſent tenues, ac macilenti, tamen cum ſui exiſterent, ac ſub eius poteſtate eſſent, ac ab eo dati, ita eos vberes, ac pingues reputabat, vt meliores dari ſibi perſuadere non poſſet, & ideo non de alio ſacrificio,ſed de fratre interficiendo cogitat.

42. Geneſ. 30. Hugo.

Peperit Lia quatuor filios: Primogenitum Ruben, Simeonem, Leui, ac Iudam Tunc Rachel cum ſe vidiſſet propriæ ſterilitatis probro affectam, mariti nuptias cum ancilla ſua nomine Bala ſollicitè procurat, vt ancillæ ſuæ è ſuo marito filios, quaſi proprios adoptione faceret. Peperit Bala Dan;Rurſúmque Bala concipiens peperit alterum. *Pro quo ait Rachel: comparauit me Deus cum ſorore mea, & inualui: vocauitque eum Nephthali*,Geneſ.30.num. 8. Hugo Cardinalis. *Quomodo comparauit?* ait, *nondum enim æquata fuit ſorori, quia Lia plures habebat.* Lia habebat quatuor filios naturales: Rachel verò duos adoptiuos. Lia habebat Ruben primogenitum, Iudam, regium Hebræorum decus; Leui, in quo denotabatur Sacerdotalis,ac Pontificia dignitas: Rachel vero duos filios ex ancilla, tribu, ac conditione valde inferiores ſuos iudicabat. Quomodo ergo non ſolum ait. *Comparauit me Deus cum ſorore*, ſed etiam *inualui*? Rachel illos duos adoptiuos, ac proprios reputabat, ac proinde ei plures videbantur, quam quatuor naturales ex Lia nati. Duo illi ex ancilla geniti conditione, ac tribu inferiores, tamen cum Rachel eos proprios diceret, dignitate, ac excellentia præſtantiores appendebat, quam Reges, Principes, Sacerdotes, ac Pontifices; *Quilibet ſuum minimum ſuper Regum, ac Pontificum magnitudinem appendit.*

quilibet

quilibet sic ad suas res afficitur, vt quidquid sui est, etiam minimum, & seruile, super omnem Regum, ac pontificum excellentiam appretietur.

Luc.18.n.13. Et publicanus à longè stans; nolebat, nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suum: dicens; Deus propitius esto mihi peccatori.

VERSIONES.

Syriacus. Ille verò publicanus stabat procul, nolebátque vel oculos suos in cælum attollere.

Arabicus. Non audebat oculos ad cælum leuare dicens, Deus parce, quia sum peccator.

Theophylact. Tundebat pectus suum: dicens.

Arias. Percutiebat in pectus suum.

EXPOSITIO III.

43. Græcus. August.

ET Publicanus. Græcus habet, *ac publicanus*; longè valdè diuerso modo à Pharisæo se habens. Nam Pharisæus, vt ait D. Augustinus serm.36.de verbis Domini. Ascendit orare, noluit Deum rogare, sed se laudare, insuper & vt publicano insultaret. At publicanus ascendit, vt se humiliando Deum exoraret, & cum se peccatorem confitetur omnes in se illatas iniurias dissimulat, illisque parcit. *A longè stans*, à longè, ab altari scilicet sancto, quia ob peccata sua se indignum iudicabat. D. August. citat. ait. *Cordis conscientia eum remouebat, pietas applicabat,* Beda. *Vt humilis non audet appropinquare, vt Deus ad eum appropinquaret* Stabant Pharisæus, & publicanus; Pharisæus erectis oculis in cælum, Publicanus verò incuruata facie ac dimisso vultu. *Nolebat nec* (vel) *oculos in cælum leuare.* Arabicus. *Non audebant oculos leuare.* Se indignum iudicabat, vt cælum aspiceret, seu vt explicat D. Cyrill. in Catena. Non audebat sursum aspicere ad sancta sanctorum, vbi Deus super Cherubim, ac propitiatorium sedebat Caietanus, & Iansenius hunc sensum si explicant. Nolebat ne oculos quidem in cælum leuare, multo minus manus, quas Pharisæus extollebat.

Beda. Arabic. Cyrill. Caietan. Iansen.

44. Hugo.

Percutiebant pectus suum. In quo est cor, & voluntas omnium criminum causa, & origo, de quo infra. Pectoris tunsio signum est pœnitentiæ, & cordis contriti. *Propitius*, seu placatus, *esto mihi peccatori.* Vilissimo scilicet, ac indignissimo, breuis, & efficax oratio, duobus tantum verbis vtitur, vno quo se peccatorem confitetur, ac agnoscit; altero quo congruam medicinam à diuino medico expostulat; & ideo, vt notat. Hugo, dicebat. *Deus propitius esto.* Deus qui solus potes me mundare; *Propitius esto mihi peccatori*, Beda; *Peccatum suum agnoscit, vt Deus ignoscat.* Et cum ait, *mihi peccatori*; grauiter se accusat. Beda.

QVÆSTIO VIII.

Quare Publicanus à longè stans in templo, non audebat oculos ad cælum leuare?

45. Vict. Afric.

AD quæstionem respondet. Primò Victor Africanus lib. de pœnitent. cap.16. habitus inter opera D. Amprosi. *Ingressus*, ait, *Publicanus templum fuerat peccatorum mole decuruata cernice, & oculorum palpebris graui morbo iniquitatis compressis, cælum non audebat aspicere, retro gradum timidus reuocat, & extremum se non tam loco quam conscientia iudicio sistit, vestigiis modum substrahit, publicat se verecundia reum.* Ecce verus pœnitentis habitus describitur in publicano, trepidus, timidus cunctatur, non audet accedere, & decuruata cernice verecundia plenus, non audet oculos in cælum leuare. Sic ante illum Esdras 1.cap.9. n.6. Deum precaturus dicebat. *Deus meus, confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostra multiplicata sunt.*

Pœnitentes ex suis peccatis verecundantur.

Esdr.1.

46. Bernard.

Secundò. D. Bernard. serm. de quatuor modis orandi. *Vim*, ait, *faciebat regno calorum publicanus ille, qui dum non auderet oculos in cælum leuare, ipsum cælum ad se potuit inclinare.* Tam potens est oratio ipsa cum humilitate qua oculi deiecti erant in terram, vt cælum ad se potuerit trahere & inclinare. Ob adoratum vitulum irascitur Dominus contra populum Israëliticum; aitque Moysi. *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Intentat Moyses auertere Dominum à furore: dicens: *Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum.* Exod.32. n.13. Moyses fidelissimus Domini seruus, nullus ipso familiarior, ita vt per quadraginta dies diuino colloquio frueretur? Cur ergo non ait. Recordare Domine mei serui tui fidelissimi, cui promisisti terram Chanaan, qui ob exequenda tua mandata multa sustinuit? cur ergo Patres antiquos obiicit: dicens: *Recordare, Abraham, Isaac, & Iacob*; Tantæ humilitatis erat Moyses vt se indignum iudicaret, quod suæ preces à Deo admitterentur, & ideo aliorum merita exequirit, vt audiatur, ac si nihil in se videret, quod Deo præsentare posset. Vt notauit Theodoretus quæst.63. *Moyses*, ait, *non se idoneum existimauit ad placandum iram Dei, sed preces etiam eis obtulit faciens Patriarcharum mentionem, mira sanè eius humilitas in hoc illuxit.* Quid inde sequutum est? *Placatus est Dominus ne faceret malum.* Hebrayzantes, *propitiatione inclinatus est Dominus voce Moysis.* Deus cuius potestas est infinita voce hominis inclinatur. Vox Moysis erat vox orationis cum humilitate, qua nulla merita in se videbat. Et vox orationis cum humilitate cælorum Dominum ad se valet trahere, & inclinare.

Exod.32.

Theodor.

Heb. *Oratio cum humilitate cælum ad se inclinat.*

47. Euthym.

Tertiò. Euthym. *Nec oculos ad cælum volebat attollere*, sic ait: *Non solum indignum se indicans, vt prope staret, verum etiam vt in cælum intenderet.* Antequam oraret, in multis præmittit humilitatem, à longè stat, non audens accedere,

dere, ne oculos simul in cælum eleuare; humilitas enim virtutum fundamentum est. Ait Ioannes Apocal.21.num.2 *Vidi Hierusalem nouam descendentem de cælo, à deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Dicitur à Deo parata, scilicet charitate, ac omni genere virtutum, vt communiter explicant interpretes. *Ornatam viro suo.* Vt decebat scilicet immortali regi Christo Iesu. Cur tamen Ioannes præposuit, quod viderit eam descendentem, & postea explicat, quod viderit paratam, ac condecoratam omnibus virtutibus, vt decebat veram Christi sponsam? Cur non prius videt paratam, ac ornatam, & postea descendentem? Descensus humilitas est, & vt sancta ciuitas, at Dei sponsa omnibus virtutibus insignita apparet, prius in ea exprimitur humilitas, ex qua tanquam ex radice cæterarum virtutum fructus pullulant. D. Dorotheus Abbas de humilitate doctrinæ. *Anima nostra*, ait, *si humilietur statim fructus edit, quantoque plures fructus attulerit, tanto magis humiliatur.*

Apoc.21.

Humilitas virtutum radix, ac fundamentū.

Doroth.

48. Augustinus serm.36. de verbis Domini. *Publicanus*, ait, *aspiceretur, non aspiciebat, respicere sursum non audebat: premebat conscientia, spes subleuabat.* Conscientia humiliabatur, spe tamen erigebatur ad Deum. Ait Iob 22. num.29 *Qui inclinauerit oculos ipse saluabitur.* Qui se inclinat humilitate, inde potest habere salutis spem. Ait Regius Vates Psalm.130.num.1. *Domine non est exaltatum cor meum: Neque elati sunt oculi mei.* Quid inde tandem concludit? *Speret Israel in Domino: ex hoc nunc, & vsque in seculum.* Vbi apparet humilitas, ex dimissione oculorum, ibi concipitur spes in Domino.

48. Augustin.

Non aspiciebat, vt aspiceretur.

Iob 22.

Psalm.130.

49. Quintò. Idem D. Augustinus. *Ideo publicanus*, ait, *non audebat oculos ad cælum leuare; quia seipsum intuebatur, conscientiam suam puniebat, ipse sibi iudex erat, vt ille intercederet. Ipse puniebat, vt ille liberaret.* Non subleuabat oculos ad cælum, quia in sua peccata mentis oculos coniecerat. Non leuabat oculos in cælum; & ob id dignus effectus est, qui totus eleuaretur in cælum. Vnde Publicano tanta prudentia? Vt tam reuerenter à longè staret, oculos non erigeret in cælum, quia seipsum agnoscebat, & in antiqua peccata oculos coniecerat, inde in admirabilem orationem prodit, dicens. *Deus propitius esto mihi peccatori.*

49. Augustin.

Ex propria cognitione fit assensus in cælum.

50. Videt Ioannes Deum in throno maiestatis, & *in medio sedis, & in circuitu quatuor animalia plena oculis ante, & retrò*, Apocal.4. num.6. Cur non solum habent oculos in facie, ac pectore, sed etiam in dorso, ac humeris? Imò, vt ipsemet Euangelista explicat n.8. *Et intus plena sunt oculis.* Intus, ante, & retro oculis sunt insignita. D. Augustinus, Beda, Richard. Rupertus, & alij apud Viegas sic explicant. Intus erant plena oculis, intuitu, ac aspectu omnium virtutum, antea etiam oculis nitebant, quibus præsentem Dei visionem contemplabantur? Retro etiam habebant oculos, quibus præterita vita, ac antiquū defectus ab eorum mente non effugiebant. Ad quid huiusmodi notitia? Nonne sufficiebat ille animus virtutibus condecoratus, ac visione Dei repletus, vt debita submissione, ac reuerentia coram Deo astarent? Ad quid insuper præteritorum cognitio? Hæc inter cælestia dona maximè conducit, vt animus multa submissione, ac reuerentia se habeat, dum considerans antiquam miseriam, & videns præsentem cælestium vbertatem, inde multa adoratione in magnam gratiarum actionem se se diffundat. Rupertus ibi. *Animalia*, ait, *plena oculis ante, & retrò: id est sciant vnde veniant, & quo vadant: Scire namque vnde veniant, multum valet istis ad profundæ humilitatis custodiam. Scire autem quo vadant, profuit illis ad fortitudinem suam legitimè custodiendam. De peccatis & vitiis veniunt, Matthæus de Telonio venit: vadit ad thronum istum dare gloriam, & honorem, & benedictionem cum animalibus sedenti super thronum: retro plenus est oculis, humili conscientia recogitans quis, vel qualis fuerit; ante plenus est oculis, cum simplici gratiarum actione recognoscens, quid acceperit, & qualis factus sit.* Vide suprà cap.18.n.66. & cap.22. num.84. Vide multa tom.1. & 3. verbo *Cognitio.*

Apoc. 4.

August. Beda. Richar. Rupert. Viegas.

Cognitio præteritorum conducit ad gratiarum actionem.

Rupertus.

Qvæstio IX.

Quare Publicanus tantum percutiebat pectus, Dei clementiam exorans?

51. IN limine quæstionis ponderandum est, quod Pharisæus multa à se facta commemorat. *Ieiuno bis in Sabbatho; decimas do omnium, quæ possideo.* At Publicanus nihil eorum in medium adducit, sed tantum ait. *propitius esto mihi peccatori.* Pharisæus temporalia quærebat, vanitatis ventos procurabat, & in eorum comparatione magnum rerum, ac bonorum dispendium faciendum erat. At verò Publicanus spiritualia dona æternæ vitæ negotiatur, ac Dei gratiam postulat, & in huiusmodi negotio nihil expenditur, nihil perditur, sed omnia in æternis thesauris sunt custodita; in temporalium comparatione multæ sunt dandæ, ac persoluendæ, in cælestium verò negotiis non damus, sed accipimus; vt ergo optimi mercatoris munere fungi videamur, maximè huic negotio incumbamus. Huic respicit D. Basil. Seleucus Oratio.35. *O publicanum*, ait, *clementia mercatorem: O Publicanum, qui de portu felicitatis rectè vectigal petis; docuisti vectigalium redemptionem, iustitiæ violatorem; non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.* Ioseph. Mat.27. num.58. *Accessit ad pilatum, & petit corpus Iesu.* Gratis scilicet. At Iesus triginta argenteis traditur Iudæis à Iuda. Matth.26. num.15. Cur illic gratis; hic verò data pecunia? Ioseph corpore Iesu negotiatur æternam salutem, Iudæi verò perditionem; salus autem gratis, perditio multis sumptibus comparatur.

51.

Temporalia rerum dispendia comparantur, non vero spiritualia.

Basil.Seleu.

Matth.27.

Matth 26.

52. Obiter nota in citatis verbis Basilij. *O Publicanum, clementia mercatorem*, &c. Publicanus bonus mercator, negotiationem faciebat, pecuniam ex vectigali accipiendo; ipsam verò negotiationem mutauit, & immissa contritione, gratiam, ac cælestia dona negotiatur. *Non desiisti vectigal poscere, dum Christum ipsum vectigalem fecisti.*

52. Basilius. *Mutat mercaturam.*

Ad quæstionem. Respondet. Primò. D. Zeno in Psalm. 129. *A quo*, ait, *procedunt vniuersa genera peccatorum pectus crebro percutiens postulat tantum veniam delictorum.* Percutit non humerum, vel brachium, sed tantum pectus, ibi suum peccatum notans, vbi est cor, quod est causa, & origo omnium malorum, & ibi tunsionem, ac medicinam applicat, vbi totius morbi causa est; vnde

53. Zeno. *Vbi morbus, ibi medicina applicanda.*

vnde vetus, & antiqua Christianorum consuetudo est, vt pro pœnitentiæ signo pectus noxium tundant.

14. August. Secundò. D. Augustin. serm. 8, de verbis Domini: *Publicanus à longè stans, percutiebat pectus suum. Tundere autem pectus*, ait, *quid est, nisi arguere, quod latet in pectore, & euidenti pulsu castigare peccatum?* Stat publicanus à longè, non excusans sua peccata, sed omnia confitens, non solùm patentia, sed etiam occulta, & abdita. *Euidenti pulsu occultum castigat peccatum.* Ingenua enim confessio sine excusationis ambitu, patentia, ac occulta fatetur flagitia, vt omnibus assequatur sanitatis medicamentum.

Ingenua confessio peccata simpliciter fatetur.

15. Hugo. Tertiò. Cardinalis Hugo. percutiebat pectus suum. *Tria notantur*, ait, *in pectoris percussione. Est ibi lasio, per quam significatur contritio: est sonus, per quem significatur confessio: & manus appositio, per quam significatur satisfactio: ha sunt tres partes pœnitentiæ: qua est via redeundi ad Deum*, Exod. 5. n. 3. *Deum Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum.* Percutit autem potiùs pectus, quam humerum, vel brachium, quia in pectore est cor, in quo denotatur discretio, ac prudentia, quam percutiendo excitat; quia omnis pœnitentia, prudentia, ac discretione agenda est. Vide hoc tom. 1. 2. & 3. verb. *Ratio*, in Indice.

Confessio cum contritione, & satisfactione. Exod. 5.

16. Theophyl. Quartò. Theophyl. *Publicanus*, ait, *docuit Pharisæum percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipuè curandum, nimirum cordis contritionem, & affectum: percutit ergo pectus, quasi manu designans, vnde oratio germana procedat, & vt cor ipsum, quod obdormierat, excitet Deo.* Priusquam Publicanus oret, dicátque: *Deum propitius esto mihi peccatori.* Prius tamen percutit, ac tundit pectus, in quo sunt terreni affectus, quia vt contritio nostra oratióque nostra ad Deum accedat, ipsúmque solùm respiciat, prius omnia carnalia desideria pessundanda sunt, vt calcatis, ac concrematis omnibus temporalibus, ab illis expeditus animus sublimè in Deum euolare valeat.

Conculcanda terra, vt ad cælum anima euolet.

17. Cant. 3. De dilecta anima sancta ait Christus Dominus Cant. 3. n. 6. *Qua est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus?* Cur anima sancta valde candida, & decora, quæ astitit in vestitu deaurato, cum virgula fumi comparatur? Cur non potiùs cum virgula platani, vel floridæ amygdalæ? Virgula extenuata est; virgula autem fumi ascendit ex concrematis liquis, vel arboribus. Cùm enim omnia terrena tanquam in holocaustum Deo concremantur, ac consumuntur, tunc anima ab illis extenuata, vel de sublimi ad Deum euolat. D. Hieron. ibi: *Bene*, ait, *quasi virgula fumi, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis.*

Cum terrena concrematur, anima ascendit ad Deum.

18. Iud. 16. Fortissimus ille Samson Dalilæ gremio obdormiens, semel & iterũ ligatus est funibus, ac corrigiis: excitatus tamen resumpto spiritu ex cælesti dono dato, sic rumpebat ligamina illa, quasi filium de stuppa tortum putamine. Tertiò verò cum ipse obdormiret, ligati crines eius licio clauo fixi sunt in terra. Qui excitatus non ita facilè resumpsit suum fortitudinis spiritum; sed *consurgens à somno extraxit clauum cum crinibus, & licio*, Iudic. 16. num. 14. Et tunc ab illis se expediuit, ac tanquam putrida comminuit. Primo, & secundo euentu diuino spiritu corroboratus ligamina facillimè rumpit, non sic verò in tertio euentu. In hoc enim clauo adhærebat terræ, diuinus autem spiritus non communicatur menti terrenis rebus implicatæ, & ideo prius separandus fuit à terra Samson, antequam resumpto suæ fortitudinis cœlestis dono ligamina illa contereret. Ioachimus Abbas 1. expos. in Apocal. *Vnde*, ait, *& in præmissis duabus pugnis à principio, sed postquam à terra viscere clauus eductus.* Vide in Iudice verb. *Contemnere.*

Animus separandus à terra, vt diuina virtute induatur. Ioachimus.

Luc. 16. n. 14. Dico vobis: descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

VERSIONES.

Syriacus. Dico vobis: descendit iste iustificatus in domum suam potiùs quàm Pharisæus ille: nam quicumque se extollit deprimetur, & quicumque se deprimit, extolletur.

Theophylact. Iustificatus in domum suam magis, quàm ille.

Vatablus.

Euthymius. Potiùs, quàm ille.

D. Chrysost. hom. de Publ. Iustificatus super illum.

Tertull. lib. 4. contr. Marc. cap. 36. Qui se humiliat alleuabitur, & qui se exaltat, destruetur.

Euthym. Omnis qui se extollit deiicietur, & qui se deiicit extolletur.

EXPOSITIO IV.

59. DICO *vobis.* Inter hos duos oratores fert Dominus sententiam declarans, cuiusnam oratio gratior, & acceptior fuerit Deo. *Descendit hic*, scilicet Publicanus post orationem in templo. *Iustificatus ab illo*; seu, vt alij legunt, *magis quàm ille*; seu potiùs quàm ille, seu plusquam ille. D. August. lib. 50. homil. 44. *magis quàm ille.* Hebræi cum comparatiuo careant, pro gradu comparatiuo particulam, *ab*, vsurpant; & quamquam aliqui Recentiores, vt Maldonatus, velint, quod rectè ex hoc loco non significatur, aut Publicanum verè iustificatum fuisse, aut verè damnatum Pharisæum. Tamen oppositum tenendum cum Patribus, Augustin. citato loco: & epist. 86. ad Casulum, & serm. 36. D. Paulin. epist. 58. D. Bernard. serm. 35. de Annunt. Euthym. Beda, D. Bonauent. & communiter Recentioribus Luca Burgens. Cornel. & etiam ipso Maldonato. Nam in pharisæo est manifesta multa arrogantia cum contumelia, ac detractione proximorum, quæ est clara damnationis nota. In Publicano verò nihil defuit ad peccatorum remissionem obtinendam, est in illo eximius dolor cum magna peccatorum confessione, ac pro satisfactione verecundia, qua oculos nolebat in cœlum leuare; dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Euthymius. *Qui se adeò*

Aug. Heb. *Maldon.* *Augst. Paulin. Bernard. Euthym. Beda. Bonauent. Burgens. Cornel.* *Euthym.*

humilitatem eius aliis manifestaret, qui iam cæteris non se præferre, nec comparare esset ausus. Inde dignus effectus est, cui tanta gubernatio communicaretur. Deposita præsumptione, amplexata humilitate, ab ipsa suffragium habet, vt summus Ecclesiæ Antistes denuntietur. Cum *iam cæteris non se præferre, nec comparare esset ausus.*

66. Ad Phil. 1. Apostolus scribens ad Philemonem, his verbis epistolæ dat initium: *Paulus vinctus Christi Iesu*, n. 1. Quid est, quod gentium Doctor subticet regium Sauli nomen, suique Apostolatus summum fastigium, & tantum pro titulo se vinctum scribit. Ambros. Præclarè D. Ambrosius ibi: *Paulus vinctus Christi Iesu. Vt enim dignitatem epistola à se missa faceret, ab iniuria sua cæpit.* Non solùm subticet Apostolus sui magnalia, ac regium Sauli nomen, præ excelsam Apostoli dignitatem, sed etiam *ab iniuria sua cæpit.* Vt humilitatis suffragio magnam suæ epistolæ auctoritatem, ac dignitatem mutuaret pro titulo iniuria, seu contumelia præfigitur in initio, vt ex ipsa eius humilitate tota epistola magnam auctoritatem fœneraret. *Vt dignitatem epistola faceret, ab iniuria sua cæpit.*

Ex isto humilitatis fundamento dignitas extruitur.

QVÆSTIO XI.

Quare Publicanus tam facilè impetrat misericordiam, cum ille, qui tres panes postulauerit, valde difficiliter obtinuerit?

67. QVÆSTIO præsens est: quare iste Publicanus vna sua petitione, *Deus propitius esto mihi peccatori*; statim impetrauit sui sanctificationem, ac iustificationem, quæ est res valde magna, qua homo constituitur filius Dei adoptiuus, ac hæres regni cœlorum; cum tamen ille, qui tres panes postulauit, multis difficultatibus obiectis instanter postulando obtinuerit. Nam cum ille pulsaret, de intus respondit Dominus: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est: & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi*, Luc. 11. n. 7. Et tamen si illi dantur. *Si perseuerauerit pulsans dico vobis: propter improbitatem eius surget, & dabit illi.* Cur in Publicano tanta facilitas, in hoc verò tanta difficultas?

Varia difficultatis.

Luc. 11.

68. Respondeo, quod pulsans ad ostium postulabat quædam temporalia, tres panes nempe; at verò Publicanus spiritualia, remissionem nempe peccatorum deprecabatur; Deus autem valde promptus ad spiritualia concedenda, non sic vero ad temporalia largienda.

Deus facilitèr dat spiritualia, nō sic temporalia.

69. Secundò. Ille primus pulsans parum petebat, tres nempe panes; at verò Publicanus multum obsecrat; indulgentiam nempe suorum peccatorum, à magnifico autem, ac supremo Domino nō exigua, sed ampla quærenda sunt, à magnis enim postulatis magna voluntas prouocatur, à minimis verò quodammodo ad largiendum hebetatur. Prodigus in regione longinqua in se reuersus multa disponit, ac præparat, vt ad domum patris reuertatur. *Dixit enim: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Statim ire disponit: *Ibo ad patrem meum.* Verbáque ei dicenda cogitat, ac pensitat: *Pater, peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, Luc. 15. num. 18. Tandémque cum venisset ad patrem conceptum sermonem ei proponit, dicens: *Pater peccaui in cælum, & coram te*, &c. At vero cum sanctus Latro penderet in cruce, à Christo Domino postulat, dicens: *Domine memento mei cum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. num. 42. Statim optata impetrat: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Cur in Latrone vna breuis petitio sufficiens, cum in Prodigo tot, ac tantæ præparationes præmittantur. Gillibertus Abbas sermone 5. in Cantica: *Mercenariam*, ait, *conditionem à patre roganit, modestè quidem pro meritis, sed de paterna miserationis copia iniuriosè sentiens.* Latronis votis statim annuitur, onerosè magna, & alta, regnum nempe postulauit. Prodigus verò parcè, & angustè mercenariam conditionem requirit, inde à tam exigua petitione paterna benignitas quodammodo retardatur, quæ quodammodo à magnis solicitatur.

Luc. 15. *A magno Domino magna quærenda, & non parua.* Gillibert.

70. A Domino datur facultas Achaz, vt petat sibi signum in profundum inferni, siue in excelsum suprà. *Et dixit Achaz, non petam, & non tentabo Dominum*, Isai. 7. num. 12. Si tibi ô Achaz, datur ampla facultas postulandi; cur te à petendo abstines? Cur times petendo Dominum tentare? D. Basilius: *Achaz*, ait, *vt qui nondum esset edoctus quærere magna, id est cælestia, & renuit quærere signum, ne prætergrederetur mandatum, quod dicit, non tentabis Dominum.* Achaz datur licentia postulandi, nihil tamen exorat, cum enim esset incipiens, ac parum structus in rebus diuinis nesciebat magna, & alta petere, *Vt qui nondum esset edoctus quærere magna*: parua autem, & exigua postulare, apud se infirmiter statuit Dominum esse tentandum. Et ideo ne transgrederetur præceptum: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; ab omni postulatione se continet. *Renuit quærere signum, ne prætergrederetur mandatum, quod dicit: Non tentabis Dominum.* Vide tom. 2.

Isai. 7.

Basil.

Parua petere videtur tentare Dominum esse.

QVÆSTIO XII.

Quare Publicanus præ Pharisæo iustificatur?

71. AD quæstionem primò respondet D. Ambros. in Psal. 118. serm. 3. *Non mentiebatur*, inquit, *Pharisæus, imò etiam vera dicebat: sed omnis, qui se exaltat, etiamsi vera dicat, offendit. Denique probatior Pharisæus ingressus est templum, quam Publicanus, & condemnatus exiuit. O quantum crimen superbia, vt ei etiam adulteria præferantur!* Quamuis Pharisæus probatior veniret in templum, quàm Publicanus ille; tamen Publicanus quamuis rapinis plenus sua humilitate meruit salutem assequi. Pharisæus verò licet non esset homicida, raptor, iniustus, & adulter; tamen cum inaniter virtutes suas iactat, totum perdidit, & damnatus exiuit. Rectè Diuus Gregorius Papa lib. 19. cap. 12. *Ecce*, ait, *Pharisæus ciuitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit; quam frustra per ieiunium, & eleemosynas clausit: incassum munita sunt cætera, cum locus vnus, de quo hosti pateat aditus, munitus non est: gratias rectè agit: sed peruersè se super Publicanum extulit: ciuitatem*

Ambros.

Virtutis omnes per iactantiam perduntur.

Gregor.

cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo, & largiendo seruauit,

72. Propheta à Domino missus ad Ieroboamum præclara edidit miracula; nam altare lapideum verbo scidit, regis manum subito antefecit. Et statim immissa oratione, ad pristinam sanitatem renocauit, 3. Regum 13. num. 3. Tamen paulò post à Pseudo propheta deceptus est, ob mandatum diuinum transgressum à leone in via interfectus est, ibidem num. 19. Cur tantis Propheta in tantam pœnam, ac culpam incidere permissus est? Fortè quia interius de rege admonito, ac mirabilius à se factis gloriabantur. D. Gregorius lib. 23. moralium cap. vltim. *Forsitan*, ait, *quia apud semetipsum tacitus, pro præceptis Dominicis regem se contempsisse gloriabatur, ab interna mox soliditate quassatus est, & inde ei in opere culpa subrepsit, vnde gloria in corde surrexit.* Et idèo omnia, quæ in diuinis mandatis exequendis ediderat, perdidit. Quia *gloria in corde surrexit.*

3. Reg. 13. *Per vanam gloriam perdiuntur omnia dona superna.*

Gregor.

73. Chrysost. Secundò. D. Chrysostomus homilia de Dauid & Saul: *Publicanus hoc tantummodo dixit*, inquit, *Propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus in domum suam. Vides celeritatem? Accepit probrum, & abluit probrum. Quot labores erant subeundi Publicano, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua pauperibus elargiendo? At nunc cum nihil tale fecerit; simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra Pharisæi pepererunt illi iustitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus, & absque longi temporis mora.* Gloriabatur & Pharisæus in suis ieiuniis, eleemosyniis, ac aliis operibus: *Non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri; velut etiam hic Publicanus.* Audit Publicanus se inter raptores, ac adulteros constitui, & tamen tantam iniuriarum grauitatem patienter sustinens tantum dicebat; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Quid inde factum est, vt eius oratio tanta iniuriarum tolerantia cœlos penetraret, & remissionem peccatorum obtineret, ipsa iniuriarum tolerantia suppleuit omnia, quæ per longa pœnitentiæ exercitia ieiunando, corpus castigando, vt absque illis optatam indulgentiam peccatorum impetraret. *Probra Pharisæi pepererunt illis iustitiæ coronam, id est sine sudoribus, ac laboribus, & absque longi temporis mora.* Exprobrabat Phennena Annæ sterilitatem eius, 1. Regum 1. num. 6. Illa verò iniuriam dissimulans orabat ad Dominum, & inde maximè meruit exaudiri. D. Chrysostomus homil. de proditione Iudæ: *Cùm*, ait, *de inimici culpa dissimulas; de tuis delictis solita benignitate Dominus exoratur.* Vide verb. *Iniuria.*

Patientia in iniuriis illatis compendiosa via ad salutem.

1. Reg. 1.

. Chrysost.

74. Augustin. Tertiò. D. Augustinus lib. de sancta virginit. cap. 32. *Enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum.* Et Epistol. 58. *Ille*, ait, *in corde contrito sui accusator accipitur, & obtinet veniam de confessis.* Intrauerat Pharisæus templum, multáque virtutum opera proponit; at Publicanus nullum bonum exponit, sed tantum corde contrito peccata sua confitetur, quorum indulgentiam deprecatur, quam benignè à Deo impetrat. *Enumerationi meritorum præfertur confessio peccatorum.* Quod enim integra confessione accusatur, plenaria remissione absoluitur, ex quo grauissimè dixit Saluianus lib. 2. de Prouidentia: *Nos hoc solum malis nostris addere possumus, vt nos innoxios indicemus.*

Confessio peccatorum præstulit Publicanum.

Saluian.

Quartò. D. Ambrosius lib. 2. de offic. cap. 18. *Multum*, ait, *verecundia placet, multum conciliat gratiæ apud Deum. Nonne hæc præstulit publicanum, & commendauit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum leuare?* Præfertur Publicanus Pharisæo, vnde sanè? maximè ex modestia. Nam Pharisæus, vt credere par est, oculos arroganter erigebat ad cœlos; è contra verò Publicanus sic demissos habebat, vt *nolebat nec oculos ad cœlum leuare.* Et qua verecundia maximè Deo placuit. *Et præstulit Publicanum, & commendauit eum.* Statim sanctus Doctor expendens illud Apostoli Petri 1. cap. 3. num. 4. de spiritu modesto dicentis: *Qui est in conspectu Dei locuplex?* sic subdit: *Diues est apud Deum modestia, apud quem nemo diues, diues est, quia portio Dei est.* Magna modestiæ laus, vt sit Dei portio, ac pars, ac si ipsa diuinitas sine modestia consistere non possit, non enim vna res sine sua portione persistere valet.

75. Ambros. *Verecundia maximè placet.*

1. Petri 3.

Quintò. D. Basilius Seleucus oratione 35 *Expendit*, ait, *oratione iustum de se magnificè sentientem, & peccatorem abiectè, vt inopinato versa victoria spes fugam superbiæ annunciet.* Pharisæus se iustum testificabatur. Publicanus se peccatorem dicebat: Quid inde factum est, textus; *descendit hic iustificatus præ illo.* Semper in veritate opposita stat conditio illorum dictis, qui de se magna loquuntur. *Versa victoria spes.* Qui enim se peccatorem dicebat, in veritate iustus apparet, & qui de se iustitiam publicabat, damnatus peccator consistit.

76. Basil. Seleuc. *Cum homo de se loquitur aliud est ab eo quod ipse docet.*

Ait Christus suis discipulis: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis: dicite, serui inutiles sumus*, Luc. 17. num. 9. Cùm homo adimplet præcepta sibi mandata, maximè se seruum vtilem, ac proficuum ostendit in obsequio diuino, quomodo ergo post adimpleta præcepta iubetur homo se seruum inutilem dicere: Sic se habet humana conditio, vt semper externa verba dissentiant, ac discrepent, ab eo quod sumus, vis scire qualis sit homo, audi eum loquentem si se seruum vtilem affirmat, inutilis est, cum autem se seruum inutilem publicat, valde vtilis, ac proficuus in re persistit. D. Chrysostomus homil. 3. in Matth. sic monet: *Si te laudandum esse dixeris, reprobus effectus es, etiamsi fueris antea laudabilis. Si verò inutilem te esse fatearis, factus es vtilis, etiamsi fueris antea culpabilis.*

77. Luc. 17.

Verba dissentiunt à rei veritate.

Chrysost.

CAPVT XXXI.

Encænia facta.

Ioan. 10. *n.* 22. Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat.

Num. 23. Et ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis.

VERSIONES.

Syriac. Arab. Factum est festum Encæniorum.

Mari. Factum est festum dedicationis templi.

Arabicus

Arabicus. Ambulabat Ieſus in porticu templi.

EXPOSITIO I.

1. *Connexio narrat.*

POST propoſitam parabolam de Phariſæo, & Publicano ſcribit D. Lucas cap. 18. num. 15. allatos ad Chriſtum infantes, vt illos tangeret; ac etiam ibidem n. 18. narrat

Matth. 19. principem quendam deſiderantem habere vitam æternam, quæ etiam narrat D. Matthæus cap. 19. num. 13. & 17. Quia verò D. Matthæus citato cap. 19. num. 1. illa explicat facta, poſtquam Chriſtus *venit in fines Iudæ trans Iordanem.* Et

Ioan. 10. Ioannes Euangeliſta hoc cap. 10. num. 40. Quod poſt facta commemorata in feſto Encæniorum, ait: *Abiit Ieſus trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum.* Ideò quæ Ioannes ſcribit in hac ſecunda parte cap. 10. præcedunt ea, quæ Matth. cap. 19. & Lucas in ſecunda parte cap. 18. narrauit.

2. *Facta ſunt Encænia.* Quæ Ioannes hic narrat in hac ſecunda parte cap. 10. non ſunt continuata cum his quæ ipſe refert cap. 8. 9. ac in prima parte huius cap. 10. Nam illa acciderunt poſt feſtum Scenopegiæ, ſeu Tabernaculorum, quod celebratur in fine Septembris; hæc autem contigerunt in feſto Encæniorum, quod recolebatur in menſe *Caſleu.* Ad finem ſcilicet No-

Tolet. Maldon. Cornel. uembris, vt notarunt Toletus, Maldonatus, Cornelius. *Facta ſunt Encænia*; hoc eſt feſtum Dedicationis, ſeu renouationis templi. Encænia nomen eſt Græcum, & idem valet, ac apud Latinos renouatio, ſeu innouatio; dicuntur Encænia in

Carthuſ. plurali, vt notat Carthuſianus, quia hoc feſtum à die ſcilicet vigeſima quinta Nouembris vſque ad diem tertium Decembris. *Et hyems erat.* Iam enim initium hyemis vrgebat.

3. *Ambulabat Ieſus.* Vt paratum ſe exhiberet ad docendum, ac benefaciendum. *In templo.* In parte ſcilicet templi anteriore, vbi dabatur ingreſſus Iſraëliticis, & ambulare communis conſuetudo permittebat. *In porticu Salomonis.* Ante templum erat atrium bipartitum: primum & interius erat ſacerdotum, in quo ſacerdotes offerebant victimas in altari holocauſtorum. Secundum atrium, & exterius, contiguum erat atrio interiori ſacerdotum, vocabatúrque atrium laicorum, & quamuis eſſet ſub aëre, ac dio conſtitutum, tamen à latere cingebatur porticu, ſeu loco operto, ac idoneo, vt ad illum populus tempore pluuiæ, venti, grandinis, ſeſe reciperet; vt

3. Reg. 6. paret 3. Regum 6. num. 3. Hoc ergo atrium vocari porticum Salomonis, ſatis latè docent Franciſcus Ribera lib. 1. de templo, cap. 16. Barradas

Ribera. Barradas. tom. 3. lib. 4. cap. 16. In hoc ergo atrio laicorum ambulabat Ieſus; nam quamuis ipſe eſſet ſummus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, communi tamen populi opinioni condeſcendens, vt ſcandalum vitaret, in hoc atrio ambulabat, ac degebat: *In porticu Salomonis*, ſic dicta porticus illa, quia in reædificatione templi extructa fuit ad illum modum, & formam, quo à Salomone ædificata eſt.

***

QVÆSTIO I.

Quare tam accuratè Ioannes facit mentionem feſti Encæniorum, ſeu memoriæ Dedicationis Templi?

ENCÆNION, vt iam dixi in expoſitione nomen eſt Græcum, & idem eſt, ac apud Latinos renouare, ſeu initiare; hæc autem ſolemnitas fiebat in memoriam renouationis, ſeu dedicationis Templi. Templum autem tripliciter dedicatum legitur. Primò à Salomone, 3. Regum. 8. Secundò poſt reditum à captiuitate Babylonica, vt patet ex lib. 1. Eſdræ cap. 6. & 8. fuerat enim à Chaldæis deſtructum. Tertiò renouatum eſt à Iuda Macabæo, vt conſtat ex 1. Machabæorum, cap. 14. & ex lib. 2. cap. 10. Templum enim profanatum, & ex magna parte dirutum eſt ab Antiocho Epiphane, Machabæis autem rurſus conſecratum, innouatum, ac dedicatum eſt.

4. *Triplex templi dedicatio.* 3. Reg. 8. 1. Eſdr. 6. 1. Machab. 4.

De qua dedicatione hic ſit ſermo, dubitatur. D. Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, Caietanus, Abulenſ. Leuitic. 23. de inſtauratione facta à Zorobabel poſt captiuitatem Babylonicam, ſermonem hic interpretantur; communis tamen ſententia eſt hodie, quam tradunt Beda, Haymon. Ericus, Alcuinus, Rupert. D. Thomas, Gloſſa Ordinaria, Hugo, Ianſenius, Maldon. Barradas, Lucas Burgenſ. Cornelius, & alij; qui omnes docent hic eſſe ſermonem de Encæniis, ſeu renouatione, ſeu dedicatione Templi, ſeu altaris à Iuda Machabæo renouati. Fundamentum eſt, quia in nullo Scripturæ loco datur præceptum celebrandi dedicationem primi templi Salomonici, aut ſecundi templi ædificati poſt exilium Babylonicum. At apud Iſraëlitas erat conſtitutum præceptum, vt ageretur feſtum dedicationis altaris ſeu Encæniorum per dies octo ſequentes pro dedicatione facta à Machabæis, 1. Machabæorum cap. 4. num. 59. *Statuit Iudas, & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſrael, vt ageretur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo à quinta, & vigeſima die menſis Caſleu, cum lætitia, & gaudio.* Et idem habetur 2. Machabæorum cap. 10 num. 6. Menſis Caſleu, id eſt Nouembris, ſeu vt alij volunt Decembris; Caſleu enim incidebat partim in Nouembri, partim in Decembri.

5. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Caietan. Abulenſ. Beda. Haymon. Ericus. Alcuin. Rupert. D. Thom. Gloſſa. Hugo. Ianſen. Maldon. Barrad. Burgenſ. Cornel

1. Mach. 1.

Ad noſtram quæſtionem reſpondet primò D. Cyrill. Alexandrinus lib. 7. in Ioannem, cap. 9. *Iudæi*, ait, *obdurati magis eum captionibus ſuis tentare, quàm illi obedire volebant. Vnde ipſi nouas fraudes, & inſidias moliuntur, eo potiſſimum tempore quo diuinis officiis magis intenti eſſe deberent, ſcilicet die Encæniorum.* Deſcribitur feſtiuitas dedicationis templi, eiúſque ſolemnitas, vt maxima malitia, ac nequitia Iudæorum denotetur, quæ in ipſo die feſtiuitatis, in quo potiſſimum debebat bonis operibus vacare, à ſua tamen peruerſitate non deſtitit, ſed aperi prauo, ac iniquo inſtat volens capere Ieſum, à quo tanta beneficia in omnes diffundebantur.

6. Cyrill. *Magna iniquitas diebus feſtis operi malo incumbere.*

Secundò. Theophylactus: *Alij dicens Euangeliſtam dicere Encænia conſtructi templi poſt captiuitatem:* Non celebratur prima templi ædificatio, ſed illius inſtauratio, ac renouatio poſt captiuitatem, vt vult Theophyl. quia poſt diuturnum laborem alicuius rei inuentio, ac reſtauratio gra-

7. Theophyl. *Reſtauratio in maiori æſtimatione, quàm poſſeſſio.*

tior,ac præiucundior,quam illius prima acquisitio,& possessio.

8. Nazian. Tertiò. D. Gregorius Nazianzenus orat. in Dominicam nonam,qui postquam docet quomodo renouanda sit anima,ait: *Hoc quidem assequêris, si vel cum in peccatum laberis, ad bonam frugem redeas; vel cum egregiè, atque ex præscripto vitam instituis, cursum adurgeas.* Commemoratur festum Encæniorum, seu renouationis templi, quia maximè curare debemus, vt renouetur templum animæ nostræ. Nam si homo in peccatum lapsus est, maximè debet per pœnitentiam se renouare, ac mundare, vt suam pristinam munditiem, ac pulchritudinem acquirat, ac recuperet. Sic dicitur Episcopo Pergami: *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac,* Apocal.2. num.5. Dum exhortatur ad pœnitentiam, ei obiicitur, vt memoria teneat, vnde exciderit, vt per pœnitentiam sic renouetur, vt ad illum pristinum gradum redeat. D. Laurentius Nouar. homil. de eleemosyn. *Ad te loquitur*, ait, *qui criminibus vincêris, plora compunctus, vt possis recipere speciem cordis, & pulchritudinem corporis.* Vide in Indice verb. *Pœnitentia.*

Peccator per pœnitentiam renouatur.

Apoc. 2.

Laur. Nouar.

9. *Vel cum egregiè, atque ex præscripto vitam instituis, cursum adurgeas:* festum renouationis agat homo in anima sua, vt semper vel progrediatur de virtute in virtutem, vel ita se intendat renouare, vt instanter cogitet homo se incepisse, ac quamuis valde consummatus in via virtutis sit; semper tamen se cogitet incepisse, vt ad maiora se extendat. In exordio mundi. Cum dies creationis mundi describit Moyses, ait: *Factum est vespere, & mane dies vnus,* Genes.1.num.5. Matutinum tempus vespertinum antecedit; videtur ergo, quod debebat dicere: Factum est mane, & vespere; cur ergo matutinum tempus prius non apposuit? Stephanus Cantuarien. apud Gotfredum in allegor. Tilman. *Bene post vesperum*, ait, *sequitur mane, quia vespere significat perfectionem operis; mane autem inchoationem.* Per vesperum denotatur perfectio, ac consummatio operis, per mane inchoatio, vespere ponitur prius, deinde mane, quia quamuis quisque sit in vltima vltutis perfectione, tamen sic se habeat, ac si tunc inchoasset, & incepisset, vt magis, ac magis se perficiat, & renouare intendat. D. Leo serm. de ieiunio: *Quantumlibet*, ait, *quisque iustificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior, & perfectior esse possit.*

Genes.1.

Sic homo intendat perfectionem in via virtutis, ac si modo incepisset. Steph. Cant.

Leo.

10. Cùm filij Israël exiissent de Ægypto, statim per medium sicci maris rubri transierunt. *Ingressi sunt filij Israël, per medium sicci maris*, Exod. 14. num. 22. Post verò spatium quadraginta annorum cum iam appropinquarent ad terram promissionis, diuisis aquis Iordanis transeunt. *Omnis populus per arentem alueum transibat*, Iosue 3. num. 17. Quorsum cum primum exeunt de Ægypto, per diuisas aquas transeunt, & hoc ipsum eis contigit, cum iam ad terram fluentem lac, & mel deueniunt; satis notum est Israëlitarum peregrinationem in Eremo recedentium ex Ægypto allegoricè adumbrare quamcumque sæculi fugam, & recessum ad viam perfectionis, & virtutis. Ideò id ipsum repetunt Israëlitæ Iordanem transituri ad terram promissionis, quod initio discessus illis contigit, vt scilicet per media aquarum incolumes transcurrant. Quamuis enim quisquis se existimet per medium aquarum huius sæculi iam transisse, ac ad metam perfectionis, & cœlestis patriæ iam appropinquasse, ita tamen se debet gerere, ac renouare, ac si tunc incepisset huius sæculi aquas transuadere, tam solicitè homo in fine vitæ fugacis sæculi aquis debet terram conculcare, ac si esset in exordio, & initio sui cursus.

Exod. 14.

Iosue 3.

In fine perfectionis habeat se homo, vt in exordio.

QVÆSTIO II.

Quare Euangelista exprimit, quod tempus hyemale erat?

11. *Ratio dubitandi.* EX ipsa festiuitate Encæniorum apertè notum est, quod illud tempus esset hyemale. Nam illa solemnitas celebrabatur mense Casleu, v. g. Decembri; cur ergo Euangelista tam acuratè notat, quod hyems erat?

12. Theophyl. Respondet primò Theophylactus: *Nunc frequentius*, ait, *versatur in Iudæa, quia passio in foribus erat. Hyems enim instabat, postquam hyemem in primo mense veris passus est Dominus: ostendens, quod prope sit tempus passionis: propterea versatur in Hierosolymis.* Quod etiam docet Diuus Chrysostomus: ex quo coniice quanta passionis flamma Christus tenebatur, vt nec frigus, nec iniuriosa hyemis intemperies, ab itinere ineundo eum deterreret, quin potius impellit Christum, vt Ierosolymam adeat, cum iam tempus suæ passionis, ac mortis esset vicinum, vt ipse affectuose, ac dulciter delectaretur, visitando loca illa, in quibus eius passio futura erat reseruata; vel habuit se Dominus tanquam strenuus amator, qui nec ab algentis temporis inclementia, nec à rigida turbinis minantis densitate impediri valet, sed præ sui desiderij flamma, omnia vincit, ac contemnit, vt opera sui amoris præstet, ac exhibeat. Vide multa in Indice, verb. *Amor Christi.*

Chrysost.

Christi amor omnes inclementias superat.

13. Gregor. Secundò. D. Gregorius lib.2.moralium cap.2. *Idcirco hyemis tempus Ioannes curauit exprimere, vt ineffe auditorum cordibus, malitia frigus indicaret.* Glossa Ordinaria ita habet: *Commemoratur hyems, vt significet Iudæos frigidos.* Euthymius, Beda, hyeme infidelitatem Iudæorum denotari contendunt; hyems ergo significabat corda frigida Iudæorum, quæ ab igne fidei, ac charitatis omnino recesserant. Pergit citatus Gregorius ponderans, quod de Petro negaturo Dominum dicitur, quod ipse, & Ministri Pontificis stabant calefacientes se ad prunas, *quia frigus erat*, Ioan. 18.num.18. sic ait, *quod de negaturo Petro promittitur. Quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se. Iam namque intus à charitatis calore torpuerat.* Et D. Ambrosius in cap.22.Luc. sic ait; *Frigus erat, vbi Iesus non agnoscebatur; vbi non erat, qui lucem videret; vbi negabatur ignis consumens: frigus ergo erat mentis, non corporis.* Sic etiam de frigore in tempore Dominicæ Passionis explicat Eusebius Cæsarien. l.10.de præparat. Euangel. illud Zachar.14 num.6. *In die illa non erit lux, sed frigus, & gelu.* Sic ait ille: *cùm Iudæi recessissent a luce, & eos obscura nox occupasset: eo quod illuminatio Euangelica radios suos in corde ipsorum non immitteret; refrigerata ipsorum erga Deum charitate.*

Gloss. Euthym. Beda.

Charitate ignis extincto in corde Iudæorum. Gregor.

Ioan. 18.

Ambros.

Euseb. Zachar.14.

14. Tertiò. Innuit D. Cyrillus, quod cum dicitur, hyems erat, innuitur causa, quare Iesus in porticu ambu-

ambulauerit, quia cum esset hyems tempus frigidum vel pluuium, Iesus non in atrio, quod erat sub dio, sed in porticu supernè tecta ambulabat, vt ab aëris iniuriis se se defenderet, & ideò multi dicunt quod ambulabat, quia hyems erat, fortè vt frigus motu pelleret; motus enim, vt aiunt, est causa caloris. Poterat Dominus superna sua virtute, ac miraculo ab incommoditatibus temporum frigoris, pluuiæ, ac ventorum se se defendere, tamen hac sua diuina potestate non vtitur, sed media communia, ac visitata interponit, vt ex hoc instruamur, quòd illud, quod naturali industria vinci potest, non est expectandum miraculo vinci.

Non quærenda miracula, vbi humana industria valet esse negotiatrix.

15. Cum iam Dauid proximus esset morti, tumultuantibus amicis Adonias rex acclamatur, quod cùm agnouisset Nathan Propheta Bethsabæam excitat, vt pro filio Salomone Dauidem Regem deprecaretur. Inquiens Nathan illi: *Num audisti, quod regnauerit Adonias filius Haggith, & Dominus noster Dauid hoc ignoret? Nunc ergo veni, accipe consilium à me, & salua animam tuam, filiique tui Salomonis: vade, & ingredere ad Regem Dauid.* 3. Regum cap. 1. num. 11. Nathan est idem Vates, qui missus à Domino Dauidi prædixit post mortem eius Salomonem regnaturum, sic enim ei dixit: *Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius*, 2. Regum. 7. num. 12. Propheta certus erat diuino eloquio; quorsum ergo Adoniam timet? Quis enim Dei consilium infirmare poterit? Optimè nouerat Propheta à Deo esse statutum, vt post Dauidis obitum regale solium Salomon occuparet: sciebat enim diuinæ gubernationis suaue robur, humanæ diligentiæ industriam non spernere; Deus conferre volebat regni gubernacula Salomoni, sine miraculis tamen, cum per visitata media diuinæ prouidentiæ scopus ille assequi valeret; disponitur vt Bethsabæa regem supplicans ingrediatur, dolensq; pro filio suo, vt regni coronam illi impetret, sicque hoc facili modo Dei verbum adimpleatur, vt nec vnum iota ab illo præteriat. Abulens. ad lib. 3. Regum cap. 1 quæst 29 *Dicendum*, ait, *quod Nathan non timebat Salomonem periturum, nec priuandum regno: incitauit tamen Bethsabæe ad procurandum pro eo: quia licet Deus aliquid definiat firmiter euenturum: vult illud interdum per homines procurari laboribus, & orationibus suis.*

3. Reg. 1.

4. Reg. 7.

Dei decretum per media visitata suis miraculis adimplebatur.

Abul. ibi.

16. Nato Christo ad sacrum præsepe veniunt festinantes Pastores, Magique etiam longa peregrinatione ex Chaldæa; at vt natus Dominus sancto Simeoni manifestetur, venit ipse cum Matre in Hierosolymam ad templum; cur ipse Simeon non venit etiam in Bethleem, vt primus omnium, natum Saluatorem videat, ac adoret? Ipse enim: *Responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Dominum*, Luc. 2. n. 26. Quorsum ergo sanctus senex per quadraginta dies detinetur, absque eo quod optatissima Christi præsentia fruatur, simúlque tot interponuntur moræ, vt Dei promissio adimpleatur? Pastores viribus præstabant, ac in vicino erant, vt facile ad sanctum Domini præsepe accederent. Persarum etiam Dynastæ, quanquam maximè distarent ab incunabulis Saluatoris, cum essent potentes potuerunt exiguo dispendio camelorum dorso subuectari in Bethleem; at Simeon vtpote multa ætate fessus, non poterat extra Hierosolymam ferri, nisi valde ægrè, magnáque difficultate. Disponit ergo ipse, vt sanctissima Mater purificanda vadat in templum, vt tunc ipsè Religiosissimo seni occurrat, quo absque extraordinario modo, communi via diuinum promissum adimpleatur, & iustus Simeon desiderata Domini præsentia delectetur. Galfridus in Tilman. Catena in illud cap. 2. Luc. *Nunc dimittis seruum tuum*, &c. Sic ait: *Venerant prius pastores ad Dominum, venerant & syderum contemplatores: Simeon forsitan venire non poterat: ipse ad eum venire dignatus est, & præuenire eum in benedictione dulcedinis.* Vide tom. 2. cap. 7. quæst. 5. num. 38. 39. & 40. & tom. 3. cap. 9. quæst. 4. num. 20.

Luc. 2.

Non extraordinarios modos, sed communem viam Deus eligit. Galfrid.

QVÆSTIO III.

Quare porticus illa Salomonis dicebatur?

17. QVAMVIS templum renouatum, ac rædificatum fuisset à Machabæis, vt dixi quæstione 1. Porticus tamen illa semper à Salomone nomen retinuit. Primò, vt volunt Vilalpandus, Maldonatus, quia cum Salomon ædificaret templum ad partem Orientalem, complanauit montis cliuum, vbi hæc porticus extructa est. Secundò, vt vult Baronius, templo combusto à Chaldæis porticus illa à Salomone ædificata superstes mansit. Tertiò, D. Thomas, porticus illa sic dicta est, quia extructa extitit ad modum, & formam, quo ædificata fuerat à Salomone.

Vilalpand. Maldon.

Baron.

D. Thom.

18. Quartò. D. Cyrillus lib. 7. in Ioannem, cap. 9. *Porticus Salomonis dicitur, vbi rex ille potentissimus, & sapientissimus ad orandum stare consueuerat, & ideo ex eius nomine cognominabatur.* Sic & docent Beda, Ericus, D. Bonauentura, & alij. Orabat Salomon in illa porticu, inde magis illa porticus Salomoni appropriabatur, vt de eius nomine diceretur, quasi porticus illa esset eius propria possessio, nulla res à nobis magis possidetur, quàm illa, in qua Deo obsequium præstamus, ac si ipsum obsequium sit ratio, ac ius possidendi.

Cyrill.

Beda. Ericus. Bonauent.

Quod Deo damus in obsequium nostra possessio.

19. Habuit Eua duos filios Caimum, & Abelem. Cùm parit Caimum, ait: *Possedi hominem per Deum*, Genes. 4. num. 1. Rursum parit & Abel, nullum elogium in eius dicit Natiuitate. Cur Caimum possessum dicit per Deum, non verò Abelem? Cur Caimum magis à se dicit possessum, quàm Abelem sanctum, & purum? Abel totus consecratus, ac dedicatus est Deo, eiúsque obsequio. Nullus autem filius, tam intimè, ac strictè à parentibus possidetur, vt ille qui totus Deo emancipatur. Cùm ergo esset Deo consecratus, tam euidens exinde erat, quod à suis parentibus esset possessus, vt minimè esset necessarium voce, ac sermone hoc dici & publicari. Vidè suprà cap. 23. quæst. 2. num. 12.

Genes. 4.

Filius Deo dicatus suorum parentum possessio.

***

QVÆSTIO IV.

Quare Ieſus non ſtabat, vel ſedebat, ſed ambulabat in porticu?

20. IN limine quæſtionis nota ex D. Cyrillo lib.7. in Ioan. cap.9. quod cum eſſet dies feſtus ambulabat Ieſus in templo, in porticu. *Vt exemplo nobis eſſet*, ait Cyrillus, *in ſolemnitatibus magis frequentanda eſſe templa diuino cultui dedicata, & amplius iis inſiſtendum, quæ ad Dei honorem, & proximi ſalutem ſpectant, aderat huic Encæniorum ſolemnitati: vt populo ſalutaris ſuæ doctrina dona elargiretur, & diuinitatis ſuæ myſteria patefaceret.* Cùm eſſet dies feſtus ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis veluti altè diſponens, quæ ad Dei cultum, ac ſalutem proximorum ſpectabant, vt ſuo exemplo nos doceret in diebus feſtiuis templa eſſe frequentanda, & nos totos eſſe applicandos ad Dei cultum, ac bonum ſpirituale proximorum. Ad quæſtionem.

Cyrill.

In diebus feſtiuis templa frequentanda.

21. Reſpondet primò Ericus Abbas: *Si tunc*, ait, *in porticu, in qua rex ille quamuis potentiſſimus, & ſapientiſſimus, tamen mortalis, atque terrenus ſtare ſolebat, perambulare non deſpexit ſcilicet Chriſtus, multo magis penetralia cordium noſtrorum ſua præſentia maieſtatis dignabitur: ſi tamen noſtras mentes porticum eſſe Salomonis, id eſt, ſi eas timoris ſui plenas, qui eſt initium ſapientiæ, videris.* Porticus Salomonis ad ingreſſum templi, denotabat initium ſapientiæ ex timore Domini, vt ſignificaretur, quod potentiſſimus Deus, non ſe denegat, ſed delectabiliter ambulat in anima, quæ eius timore repleta eſt. Ait Paulus ſuis diſcipulis 2. Corinth. 6. num. 16. *Vos eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis.* Quinam ſunt, qui tantum Deo placent, vt in eis tanquam in tempo ſuo habiter? Timentes nempe eum. Theodoretus citatus à Leone à Caſtro in cap. 66. Iſaiæ: *Ego*, ait, *habebo templum ſanctum, quod ſecundum præcepta mea gubernetur, populum meum ſcilicet, qui timet me, & contremiſcit ad ſermones meos.*

Ericus.

Deus adeſt timentibus ſe.

2. Cor. 6.

Theodor.

22. Secundò. Euſebius Emiſſenus homil. 3. Dedicat. Eccleſiæ: *Aduerte*, ait, *quia in illius templi exterioribus adhuc foris, ambulat Ieſus. Nec ſedem ponit, ſed deambulat, nec intus ingreditur: huius autem exteriora perpetuo habitaturus intrauit, ſicut ipſe dixit: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, Matth. 28. num. 20. Componit ipſe ſupremam felicitatem Chriſtianorum templorum, cum ſtatu Hieroſolymitani templi; in hoc non ingreditur, ſed foris ambulat: *Ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis*: tanquam veluti tranſeundo ſe habebat in templo illo; at verò in noſtro templo, firmus, ac immobilis ſtat, & ſedet. *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem.* Ex huius mirabili, ac immobili præſentia in firmas columnas vertimur, vt totum mundum noſtris orationibus ſuſtinere valeamus. Sic pergit citatus Euſebius: *Illius autem templi machina ſuper baſes argenteas recumbebat. Hic verò, baſes Prophetæ, columnæ Apoſtoli, caput aureum Chriſtus eſt. Hic, inquam, columnæ Sanctorum merita ſunt, qui nutantis mundi ſtatum orationibus ſuſtinent.*

22. Euſeb. Emiſ.

Matth. 28. *In templo Chriſtianorum ſtat Deus firmus, vt noſtras orationes exaudiat.*

23. Tertiò. Confer hunc: *Ambulabat Ieſus*, cum illo, quod contigit poſt primorum parentum peccatum, dicitur Deum ambulaſſe. *Cùm audiſſent vocem Domini deambulantis*, Geneſ. 3. num. 7. Non ibat, ſed deambulabat; nam ambire, eſt in vnum locum directè tendere; at ambulare eſt in gyrum agere. Emphaticè ergo dictum eſt, quod poſt peccatum primi parentis, Deus deambulabat, ita enim miſericors eſt, vt hominem gyret ad inueniendam viam, vt hominem ad viam ſalutis reducat. Hugo Victorinus citatus à Tilman. ad locum Geneſ. *Deambulabat*, ait, *& non diſcedebat, neque abyt in directum, elanguens quaſi irreuocabilis, nec reuerſurus amplius: ſed propè gyrans, & iuxta deambulans, abyt, & non abyt; modo vadens, modo rediens, & motu quodam incerto æſtuans quaſi nolens ſedem ſuam deſerere, nec valens pollutam manſionem ſuſtinere? Quid facis Adam? Quare fles? Voca diſcedentem, ſequere fugientem, quoniam adhuc propè eſt, & expectat, ſi fortè reuocetur.*

Geneſ. 3.

Deus gyrat peccatorum veluti vt viâ inueniat reducendi eum ad ſe.

Hugo. Vict.

24. Quartò. Non ſtabat, vel ſedebat, ſed ambulabat, ita enim Chriſtus noſtræ ſalutis eſt auidus, & cupidus, vt quodammodo inquietus videatur diſcurrere, donec reperiat hominem, in quo requieſcat; videt Ioannes Ieſum deambulantem in medio ſeptem candelabrorum aureorum, *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum*, Apocalyp. 2. num. 1. Chriſtus Dominus ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit*; & tunc ſubdit, quod ipſe, & Pater *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, Ioan. 14. num. 23. Qui manet, non ambulat, ſed firmus ſtat in vno loco. Quomodo ergo Chriſtus dicit ſe in medio candelabrorum ambulare? quorum nomina non ſolùm præſules, ſed & omnes fideles ſeptenario numero denotati intelliguntur. Sic Chriſtus Dominus noſtræ ſalutis eſt auidus, vt de vno loco in alterum diſcurrat, hominem quærens vt in eis corde ſedeat, ac ſedem ſuam conſtituat. Haymo: *Bene itaque*, ait *dicit, quod ambulat in medio candelabrorum aureorum, ac ſi apertè diceretur, tamdiu inter electos, & reprobos exhortationis verbo diſcurrit, quouſque inueniat, apud quem per opera virtutum manſionem faciat.*

24.

Apocal. 2.

Ioan. 14.

Chriſtus noſtræ ſalutis cupidus vix hominem requieſcit.

Haymo.

25. Quintò. Non ſtat, ſed ambulat de vno loco in alium, vt non tantum vni, ſed omnibus ſua beneficia diſtribuat, & communicet. De quibus etiam à nobis exactè rationem exiget. Ambulat Ieſus, *in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, Apocal. 1. num. 13. Tamen ipſe Ioannes ait: *Fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſuper ſedem ſedens*, Apocal. 4. num. 2. Sedens ſuper ſedem Chriſtus Dominus eſt, vt multi interpretes autumant; quomodo ergo ipſe apparet deambulans in medio candelabrorum aureum? qui ambulat, non ſupra ſedem ſedet, quomodo ergo hæc cohærent? Chriſtus Dominus in omnes maximè liberalis, non quieſcit, ſed ambulat, dona ſua, ac talenta ſua per omnes diuidens, omnibúſque communicat; poſtea verò tamen vt ſeuerus iudex ſedens pro tribunali eorum exactam rationem exiget. Ansbertus ad citatum cap. 4. Apocal. *Ibi ambulat*, ait, *dona tribuit: hic ſedet, quia pro collatis muneribus, iudicium exercens ſingulos diudicat.*

25. *Deus in omnes diffundit ſua beneficia.*

Apocal. 4.

Ansbert.

Ioan. 10. *v.* 42. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: quouſque animam noſtram

ſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam.

VERSIONES.

Syriacus. Et cinxerunt eum Iudæi, dicúntque ei: quouſque tandem retines animam noſtram? Si tu es Meſchicho, dic nobis apertè.

Arabicus. Quouſque Animam noſtram affligis? Si tu es Chriſtus, nuncia nobis palam.

D. Chryſoſt. hom. 60. in Ioannem. Quouſque animam noſtram perdis?

Vatabl. Pagn. Quouſque animam noſtram ſuſpendis? Si tu es Chriſtus, dic nobis ingenuè.

Marc. Quouſque nos ſuſpenſos tenes.

Caietanus. Dic nobis liberè.

EXPOSITIO II.

26. *Iniqui facilè conueniunt.*

IRCVNDEDERVNT *ergo eum Iudæi.* Illud, *ergo*, denotat, quod cum Iudæi nacti fuiſſent commodam, ac opportunam occaſionem, cum vidiſſent Ieſum deambulantem in loco vicino, ac coram multis. *Circundederunt eum.* Ex condicto, ac ex communi conſenſu, qui iniquis ſatis facilis eſt; cinxerunt eum, itavt, ait Toletus, eum ſiſtere gradum facerent, ne abſque reſponſo dato ex eorum manibus elaberetur. *Iudæi*, principes ſcilicet Iudæorum, Sacerdotes, Scribæ, ac Phariſæi, cum magna multitudine populi, vt multitudine, ac eorum authoritate ſuam malitiam, ac peruerſitatem tegerent, & abſconderent. Vnde de eis ait Dauid: *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens, & rugiens*, Pſalm. 21. num. 13. & Pſalm. 117. num. 12. Circundederunt ergo eum Iudæi, vt ait D. Thomas: *Frigidi charitate diligendi: ſed ardentes aviditate nocendi.* Ex quo profundè, & altè dixit Rupertus lib. 1. in Iſaiam cap. 53. *Vos*, Iudæos alloquitur, *ſecundum furorem Sodomorum circundediſtis eum, expetentes ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Quomodo furor Iudæorum, qui Chriſtum circundederunt, comparatur cum furore Sodomorum Angelos hoſpitio Lot ſuſceptos circumuenientium? Nam Sodomitæ ad delicias, ac voluptates eos quærebant; Iudæi verò Chriſto mortem, ac crucem machinabantur. Sic iudicabantur Iudæi in Chriſti morte inferenda, eiuſque ſanguine effundendo. Vt comparandi fuerint deliciis Sodomorum nefariam ſuæ libidinis ſitim turpi luxuria explentibus.

Pſalm. 21. Pſalm. 117. D. Thom. Rupert.

Iudæi delectabantur in Chriſti morte inferenda.

27. *Chryſoſt. Arabic. Euthym.*

Quouſque. Quandiu nempe, Animam noſtram tollis è medio ſcilicet, hoc eſt crucias, *perdis*, legit Chryſoſtomus. Arabicus, *Affliges.* Alij verò, ſuſpendis, ſeu ſuſpenſos habes. Seu vt explicat Euthymius, animam noſtram *ſuſpenſam, ac dubiam tenes.* Veluti ſi dicant: Quandiu animos noſtros verbis tuis obſcuris, & ambiguis excrucias, & incertos, ac dubios tenes? Ipſi enim nolebant intelligere, vt bene agerent: *Si tu es Chriſtus*, patribus promiſſus. *Dic nobis palam*, apertè, clarè, ac lucidè, liberè, & ſine metu; fingunt tanquam hypocritæ ſe magno deſiderio æſtuari agnoſcendi Chriſtum, ſéque ipſius verbis velle in hoc negotio ſtare, vt ſic magis ſuam malitiam abſcondant, & occultent; hæc enim dicebant, vt haberent occaſionem eum accuſandi, ac calumniandi, vt notant Leontius, Theophylactus, Euthymius, & Chryſoſtomus, qui ait: *Charitate quadam, & diſcendi deſiderio hæc dicta videbantur, animus autem corruptus erat, & ſubdolus.* Chriſtus enim ſatis palam locutus fuerat, ſed ipſi vt verbis eius repugnarent, dicebant: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes*, Ioan. 8. num. 15. de quo quæſtione ſequenti.

Leont. Theophyl. Euthym. Chryſoſt.

Ioan. 8.

QVÆSTIO V.

Quare Iudæi inſtanter à Chriſto quærunt, vt ipſe de ſe teſtificet palam, an ſit Chriſtus, & Meſſias promiſſus in lege?

MAXIMÈ notandus eſt modus loquendi Iudæorum: *Quouſque animam noſtram tollis?* Corda nempe noſtra crucias, & affligis, quandiu in tui conſideratione, ac inueſtigatione occupamur, dubietas enim, ac perplexitas in agnoſcenda veritate maximè mentem torquet, quouſque ad illam pertingat. Vide ſuprà cap. 10. q. 1. n. 8. cap. 11. expoſit. 7. n. 63. & cap. 14. q. 2. n. 14. & cap. 22. quæſt. 13. n. 90.

28.

Ad quæſtionem reſpondet primò Beda: *Hæc interrogabant*, ait, *non veritatem inquirendo, ſed inſidiando, & calumniam ſtruendo: nam ſi ſe Dominus Ieſus Chriſtum eſſe reſponderet, cogitabant eum tradere poteſtati præſidis puniendum: quaſi contra Auguſtum repugnans, illicitum ſibi vſurpare imperium.* Idem docent Alcuin. D. Bonauent. Clicthouæus in comment. D. Cyrillus lib. 7. cap. 5. Caietanus, Hugo, & alij, quod ſic explico; fraudulenter, & inſidioſè interrogant. Nam ſi Dominus negaret ſe eſſe Chriſtum, omnem ei fidem, & auctoritatem apud populum detraherent, & tanquam ſeductorem eum arguerent, qui ſine cauſa ab ignoranti populo Chriſtum credi affectabat. Si verò affirmaret ſe eſſe Chriſtum, & Meſſiam (quod veriſimilius dicturum credebant) vt eum tunc tamquam criminis reum accuſarent: pro indubitato habebant omnes Iudæi, Chriſtum promiſſum fore regem. *Regnabit rex, & ſapiens erit.* Quod Iudæi vt rudes temporaliter intelligebant; ſi ergo Dominus ſe dixiſſet eſſe Chriſtum, ſe etiam dixiſſet, regem, ac proinde daretur occaſio eum accuſandi, ac calumniandi. *Omnis qui ſe regem facit, contradicit Cæſari*, vt poſtea ipſi clamarunt, Ioan. 19. n. 12. Ac proinde ſapientiſſimè Chriſtus Dominus calumniam declinat, eis ſua opera obiiciens. Vide tom. 3. c. 14. expoſit. 2. n. 11. Vide alia in Indice, verb. *Murmurator.*

29. *Beda.* Alcuin. Bonauent. Clicthoueus. Caietan. Bonauent. Hugo.

Nullo dicendi modo detrahentium lingua poteſt bene fugere.

Ioan. 19.

Secundò. Toletus. Tria mendacia, ait, fraudulenter continent hæc verba à Iudæis propoſita. *Dic nobis palam.* Vnum, ac ſi dicerent: hactenus non es palam, apertè, ac liberè locutus te eſſe eſſe Chriſtum, quod erat euidens mendacium. Vt aptet ex ſuperioribus cap. 8. num. 25. & num. 42.

30. Tolet.

&

& sæpè multis in locis. Secundum. Cum dicunt: *Dic palam*, videntur denotare, quòd si Dominus dixerit palam, credent ei, nec amplius suspenso animo erunt. Quod erat apertum mendacium, vt ipsi statim facto declararunt, voluerunt enim lapidare, dicentes: *Quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*, infrà num. 33. Tertium mendacium, cùm dicunt: *Dic palàm.* Veluti innuunt. Si hactenus non credimus, id in causa est, quod tu non es locutus palam: iam enim credidissemus tibi, si locutus fuisses palàm. Sicque totam culpam suæ malitiæ in Dominum refundere cogitant. Vide in Indice, verb. *Culpa.*

In vno verbo multa mendacia.

Culpam in Dominum remittere cogitant.

31. Chrysost. Tertiò. D. Chrysostomus homil. 60. in Ioan. *Considera*, ait, *eorum pranitatem: cum verbis erudiuntur, dicunt.* Quod signum ostendis nobis, quod hæc facis? Ioan. 2. n. 18. *Cum operibus eius virtus demonstratur, dicunt:* Si tu es Christus dic nobis palam. *Sic operibus clamantibus ad verba: verbis autem ad opera confugiunt, & contrariis semper insistunt.* Peruersitas nec verbis, nec factis conuincitur, cum Iudæi vident Christi opera verba eius quærunt; & cum verba audiunt opera exoptant; imò nec verbis, nec factis quiescunt, sed vtraque crudeliter calumniantur. Vident cæcum à natiuitate sanatum, & audiunt Dominum dicentem, quod ipse sit filius Dei. *Qui loquitur tecum ipse est*, Ioan. 9. num. 37. Et tamen dicunt: *Dæmonium habet*, Ioan. 10. num. 20. Quæ est historia connexa cum illa de cæco, vt est communis sententia, & dixi cap. 29. num. 1.

Ioan. 2.

Peruersitas nec verbis, nec factis conuincitur.

Ioan. 9.

32. *Iniqui suis dictis, ac factis se contradicunt.* Quartò. Cùm Iudæi dicunt: *Si tu es Christus dic nobis palam*, insinuant apparenter se verbis eius velle credere; cum tamen ipsimet Iudæi contrarium verbis, ac factis demonstrant; nam cùm Christus Dominus de se ipso dabat testimonium dicebant: *Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum*, Ioan. 8. n. 13. facto etiam in Dominum Iesum credere contrariabant. Nam apud eos erat constitutum, vt bene notat Euthymius: *Vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret*, Ioan. 9. n. 22. Iniqui in suis dictis, & factis inconstantes, sibimet contrarij existunt. Vide suprà cap. 14. expos. 5. n. 48. cap. 17. quæst. 16. num. 104.

Ioan. 8.

Euthym. Ioan. 9.

33. Chrysost. Quintò. *Dic nobis palam:* blandis verbis vtuntur, vt notat D. Chrysostomus; his enim nil simplicius proferri posse videtur; & tamen sub illis callidè Iudæi venenum contingunt, vt per adulationem decipiant, contráque eum multis calumniis, & accusationibus insurgant. Postquam Cain vidit sacrificium fratris sui Abel, vt gratum fuisse acceptatum à Deo, suúmque repudiatum, toruo, atque irato animo erat erga fratrem insidiosè, vt narrat textus: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: egrediamur foras*, Genes. 4 num. 8. Cur fratrem nominat, cum proditoriè interimere eum cogitat? Verba blanda habebat in ore, sub fraternitatis nomine, & tamen venenum mortis cogitabat in mente, ideò sub suauitate adulatorias fraternitatis insidias mortis abscondebat in animo. Vnde ait D. Bernardus in sent. explicans illud Psalm. 54. num. 22. *Mollitiæ sunt sermones super oleum, & ipsi sunt iacula.* Sic ait sanctus Doctor: *Rectè non molles, sed molliti, quod sit in eis non tam vera, & solida, quàm superducta, & simulata suauitas.* Vnde ait D. Hieronymus lib. aduers. Iouinian. *Pulchrè*, inquit, *adulator apud Philosophos definitur. Blandus inimicus.*

Genes. 4. *Sub blandis verbis grauissimè malum adulator infligit.*

Bernard. Psalm. 54. Hieron.

34. Psalm. 69. Ait Regius vates Psalm. 69. num. 3. *Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam.* Addunt Psalterium Romanum, & Cassiodorus, *Inimici mei.* Hoc est confusione, ac pudore afficiantur inimici, qui quærunt animam meam, hoc est vitam meam, vt auferant eam, vt additur Psal. 39. num. 15. Pergit Psalmista num. 4. *Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.* Id est resiliant, & pedem retrahant quicumque magno impetu, vt explicat D. Augustinus, mihi, meisque rebus machinantur mala, & immediatè subdit: *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.* Postulat, vt auertantur, recedant, & abeant ab eo *statim* Græcus, *confestim.* Quinam sunt isti, *qui dicunt mihi euge, euge*; quod est verbum applaudendi, laudandi, gratulandi, ac adulandi, vt explicant N. Incognitus. Hugo, Lorinus, & alij. Valde mirum! quod ad tempus patienter sustinet Propheta. Quærentes animam illius, vt eum interficerent, ac etiam volentes, ac machinantes illi mala, vt ab omnibus suis bonis expolietur: at applaudentes, & adulantes verbis blandis, ac commendaciis euge, euge; nec ad momentum valet dissimulare, sed obnixè affectat, vt statim, ac confestim auertantur, & discedant ab eo, absque vlla mora. Optimè sciebat [maius, ac crudelius esse malum sub blando, ac suaui verbo adulatorio illatum, quam omne nocumentum ab aduersario vitam, ac omnia bona insidiante, & ideò tanquam à graui peste declinandum vehementer obsecrat, vt statim auertantur. D. Augustinus ibi: *Duo*, ait, *sunt genera persecutorum, vituperantium, & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris.*

Psalm. 69.

Psalm. Rom. Cassiodor.

Psalm. 39.

Augustin.

Græcus.

Incognit. Hugo. Lorin.

Maius malum ab adulatore, quam ab interfectore.

Augustin.

Ioan. 10. *n.* 25. Respondit eis Iesus: loquor vobis, & non creditis opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.

Num. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Num. 27. Oues meæ vocem meam audiunt, & cognosco eas, & sequuntur me.

Arabic. n. 25. Iam dixi vobis.

Syriacus. At opera, quæ ego facio, ipsa testantur de me.

Syriac. Euth. Theoph. Quia non estis de ouibus meis, quemadmodum dixi vobis.

Euthym. n. 27. Agnosco eas.

Origenes. Præcedo eas, & sequuntur me meæ.

Syriacus. Ipsæque post me veniunt.

EXPOSITIO III.

RESPONDIT *eis Iesus.* Strabus, *Sic ergo temperat Dominus responsum, vt sit locus calumniæ, & fidelibus manifestè appareat, quod ipse sit Christus, non homo tantum, sed & filius Dei.* Bonis veritas declaratur, & à perfidis calumnia euitatur, hoc vnico verbo, *loquor vobis*, id est nihil aliud facio, quam hanc veritatem loqui, & aperire vobis

36. Strabus.

Græcus. vobis me scilicet esse Christum. In Græco est in præterito, *iam sæpe dixi vobis*, & idem est sensus prudenter quidem veritatem declarat, & eos tacitè mendacij arguit, ne impudentiores fiant. *Et non creditis.* Ac si dicat, non obscuritas verborum meorum causa est vobis non credendi, sed prauitas animarum vestrarum, ac obstinata vestra malitia. Qua dicitis: *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum*, Ioan. 8. *Opera quæ ego facio.* Ac si dicat; Si in verbis meis aliquam sine fundamento fingitis obscuritatem, assigno vobis mea opera, quæ clarissimè ostendunt me esse Christum Carthus. testimonium à meis verbis quæritis, ego testimonium do vobis ex operibus, vtpote maius, & firmius apud homines. *In nomine Patris mei.* Non ait, in nomine meo, sed Patris mei; cuius gloriæ, & honori omnia sua referebat, cui maximè in omnibus se conformem exhibebat.

Ioan. 8.

Carthus.

37. *Sed vos non creditis.* Non vultis credere meis verbis, ac operibus, vt me agnoscatis vestrum Saluatorem, & Messiam; *quia non estis de ouibus meis.* Non acquiescitis, ac non creditis verbis meis, quia alieni estis à meo grege, mihique tanquam vestro pastori subiici recusatis, sicque vestra malitia est in causa, vt tanta cæcitas mentem vestram teneat; ex quo Iesus in ipsos retorquet culpam incredulitatis eorum; quam illi fingebant reiiciendam in ipsum Iesum. D. August. Toletus Annot. 16. Barradas, Lucas Brugens. per oues solos prædestinatos intelligunt. Deus autem neminem excludit à numero suarum ouium, ac electorum nisi culpa sua. Cùm ergo ait. *Vos non estis de ouibus meis*, eorum malitia, & culpa significatur, propter quam Deus eos reiecit, & reprobauit.

Culpa retorquetur in Iudæos.

August. Toler. Barrad. Burgens.

38. *Oues mea vocem meam audiunt.* Prompto, ac attento animo me excipiunt, meisque verbis credunt, ac obediunt; subintelligendum reliquit Dominus. Propterea vos non auditis, quia non estis ex ouibus meis. *Et ego cognosco eas.* Sicut enim oues vocem meam cognoscunt, vt me sequantur, mihique obediant, sic ego agnosco eas; vt earum fidem, ac obedientiam præmiis remunerem; *& sequuntur me:* tanquam suum pastorem, meis præceptis obtemperât, vitæque meæ exempla imitantur. Et cum ait, sequuntur me, apponit causam, cur eas cognoscat, quia earum fides, ac obedientia coniuncta est cum operibus.

Deus videt merita, vt illis tribuat præmia.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus in suis ouibus non commendat, quod lac, vel lanam præbeant, sed quod vocem eius audiant, ipsum? que sequantur?

39. RESPONDEO primò. Quòd Christus Dominus maximè in suis ouibus commendat, quod vocem eius audiant, ipsúmque sequantur, in quo earum obedientia insigniter denotatur, quæ maximè in subditis commendatur; vnde notanter dicitur, *vocem meam audiunt*; non verò voces, quasi illæ vna tantum voce, non duabus verò ad Christi mandata exequenda indigeant. Vnde Paulus ad Titum 3. num. 1. illum instruit, vt fideles commonefaciat, vt suorum prælatorum dicto, & voci obedientes se exhibeât. *Admone illos dicto obedire.* Ex quo ipse Doctor gentium monet, cum, qui secus fecerit, cauendum esse, tanquam à Christi grege alienum, 2. ad Thessal. 3. n. 14. *Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate.* Non dixit, verbis nostris, sed verbo nostro; oues enim Christi, vnam, ac primam vocem audiunt, ac obediunt. Imò verè Christi discipuli non indigent voce, sed minimo sibilo, ac nutu paratissimi sunt ad obsequendum. Sic bonus pastor ait, *Sibilabo eis, & congregabo eos, quia redemi eos*, Zachar. 10. num. 8. Preme verbum, *sibilabo*; ac si dicat, non pluribus vocibus vtar, imò nec voce, sed leui tantum sibilo ad ducendum, & reducendum gregem meum. Steph. Cantuar. in allegor. Gotfrid. Tilman. *Quasi solo*, ait, *sibilo opus sit, non prædicationis tuba.*

2. Thessal. 3.

Zach. 10.

Steph. Cant.

Secundò. D. Ephrem serm. de Antichristo: *Quæ oues apertè*, ait, *vocem sanctam veri Pastoris agnoscunt, continuo vocem seductoris agnoscent. Neque enim similis est sancti Pastoris voci: nam cum sit vox furis, immitis, incomposita, atque confusa, protinus noscitur.* Oues cognoscunt vocem veri Pastoris, vt distinctam à voce falsi pastoris ac furis, sed in quo cognoscitur vt distincta? Quia vox boni pastoris, ac Dei vox, est suauis ac composita, nihil exorbitantiæ, ac absurditatis habens. At vox falsi pastoris, ac diaboli valde incomposita est, & à recta concinnitate multum aliena, malúmque iniquitatis odorem statim exhalat. Aliter vero se habet sermo boni Pastoris, valde compositus est inter regulas iustitiæ, ac modestiæ se continens. Sic orabat Esther 14. num. 13. ad Dominum dicens: *Tribue sermonem compositum in ore meo.* Hoc est sermonem cum iustitia, modestia, ac probitate.

40. D. Ephrem.

Sermo qui est à Deo, cum iustitia, ac modestia est.

Esther. 14.

Tertiò. *Oues mea vocem meam audiunt.* Chrysostomus homil. 60. in Ioannem: *Hæc dicebat*, ait, *vt oues fieri admirarentur. Inde cum dicit, sequuntur me, eos tangit, & excitat, & in sequendi cupiditatem impellit.* Mali, reprobi, ac electi erant illi Iudæi, & tamen suarum ouium exemplo eos excitat ad eum sequendum, illique obediendum; nullus est tam malus, qui si bene operetur non valeat salutem assequi. Cùm vidisset Cain sacrificium suum non fuisse à Deo acceptatum, iratus est vehementer, & concidit vultus eius. Cui ait Deus: *Nonne, si bene egeris, recipies?* Genes. 4. num. 7. recipies veniam, ac in præmium æternam vitam. Cain non de prædestinatorum, sed reproborum numero erat, quomodo ei est dictum, quod si bene egerit, recipiet veniam, & præmium? Nullus est tam malus, qui bene operando non valeat assequi salutem. Seraphinus à Porrecta Ordinis Prædicatorum conc. 6. in cap. 4. Genes. *Clarissimum est*, ait, *quod Cain erat reprobatus, & tamen audit à Deo, quod sua bona si faciet, non amittet mercedem, quid apertius contra hereticorum tentationem nunc maximè vagantem? Qui dicunt, si sum reprobatus quantumcumque bene agam, damnabor, vnde trahunt istud? Ex officina sanè diaboli patris illorum; nam ex officina Dei, vt hic ad litteram luce meridiana clarius apparet, oppositum habetur.*

41. Chrysost.

Quilibet etiã malus bene operando potest saluari.

Genes. 4.

Seraphin.

Quartò, & maximè ad quæstionem. Oues, meæ vocem meam audiunt. Hoc maximè in ouibus commendatur, quod pastoris vocem audiunt, eique obediunt. Res mira! non laudantur oues ab hoc diuino Pastore, vt solet fieri apud homines, quod multum lactis, ac lanæ afferant, sed quod vocem eius audiant, eique obediant, ac eum sequantur.

42.

Obedientia vna vox, seu nomen sufficiens. Ad Tit. 3.

Deus vult nos, & non nostra.

quantur. Christus bonus pastor oues nimirum potius quærit, quam quæ ab ouibus dantur, potius nos, quam nostra quærit. Episcopo Laodiceæ dicitur: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum,* Apoc.3. *probatum, vt locuples fias*, Apocal.3. n.18. Aurum ignitum, id est igne expurgatum, ac probatum; per illud intelligit D. Gregor.4. Moral.35.veram sapientiam Sanctorum Richardus verò, Beda, Ansbertus, Hugo, & alij charitatem puram, & defæcatam. In omni emptione pretium interuenit. Quorum ergo pretio comparabitur huiusmodi aurum? alio nempe auro, argento, vel mercede, vt est in vsu apud homines? Minimè sanè. Quodnam ergo erit pretium? Voluntas nostra, nam etsi apud homines res auro, vel argento commutentur, Deus tamen à nobis solum nostram voluntatem requirit, hanc ipse habet pro magno Nazian. pretio, & dono. D. Gregor. Nazianz. orat. in S. Baptisma: *O miram*, ait, *beneficentia celeritatem! O facilem contrahendi rationem! hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur: appetitionem ipsam Deus ingenti pretij loco æstimat.* Quod Isai. 55. confirmatur ex Isai.55. num.1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.*

43. Clemens Alexandrin. in exhortat. ad gentes Clem. Alex. expendens citatum locum Isaiæ. *Adhortatur ad lauacrum*, ait, *ad salutem, ad illuminationem proclamans, & dicens: Do tibi fili terram, mare, cælum, solummodo ô fili patrem sitias, Deus tibi gratis offenditur.* Multa, & magna homini contulit. Primis parentibus ait: *Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Genes. 1. Genes.1. n.18. Quid ergo pro tantis ab homine Deus requirit? *Solummodo ô fili, vt patrem sitias.* Vt eum desideremus, eiusque mandatis obtemperemus. Vide cap.30. num.63.

*Ioan.*10. *n.*28. Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

Num. 29. Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & pater vnum sumus.

VERSIONES.

*Marin. n.*28. Ego vitam æternam dabo eis.

*Syriac. n.*29. Pater enim meus, qui dedit mihi, omnibus maior est: nullúsque potest è manu Patris mei rapere.

Arabicus. Et non potest quisquam rapere quicquam de manu Patris mei.

EXPOSITIO IV.

EGO *vitam æternam.* Ita Dominus, 44. vt ait D. Chrysostom, reiicit à se Chrysost. eum non audientes, vt simul ex proposito præmio eos inuitat, ac exhortetur ad ipsum audiendum, & sequendum. Magnitudo autem huius præmij, ac mercedis ex tribus commendatur, vt ait D. Thom. Primò ex præstantia doni, quod non D.Thom. est corruptibile (*vitam æternam do eis*) secundò ex præstantia recipientes. *Non peribunt in æternum.* Tertiò ex potestate dantis, quæ à nullo impediri valet, nec vnquam potest deficere. *Et non rapiet eas.* Ait Christus Dominus. *Vitam æternam.* D. Cyrillus in Catena Græca ad Resurrectionem Cyrill. refert. Carthusianus ad ipsummet Christum, vel Carthus. eius gratiam. Alij communiter ad ipsam cœlestem beatitudinem, vt ex hoc quisque cogitet, quàm magnum sit esse ex ouibus Christi; *Do eis* de præsenti legitur in nostra vulgata, quin tam certum est, quod dabit, ac si in præsenti det. *Et non peribunt in æternum.* Non morientur æterna damnatione, ac peccato finali, vnde de prædestinatis est sermo, vt docent D. Augustinus, Toletus, Barradas, & alij, vt subsequens indicat sententia. *Et non rapiet eas quisquam.* Etiam per vim, insidias, ac dolos, D. Chrysost. *Cum omnia tentarent Iudæi, insidiando, extra Synagogam faciendo, dicit omnia frustra tentari, cum in Patris sui manibus oues sint.* Ostendit frustra procurare Iudæos homines auertere, ne in Christum credant. *De manu mea.* D. August. *Manum patris, & filij hoc loco intellige potestatem Patris, & filij.* Sic interpretantur Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom. & alij.

August. Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom.

Pater meus, quod dedit mihi. Explicat D. Augustinus. *Id quod mihi Pater dedit gignendo.* Ait Christus Dominus. *Maius omnibus est.* Vt est lectio Latina: de quo quæstione sequenti; maius, id est fortius, ac potentius omnibus rebus creatis est; vt explicat Rupertus. Probat Christus Dominus Rupert. neminem posse oues suas rapere de manu illius, vt supra dixerat, quia id quod Pater meus dedit mihi gignendo, naturam nempe diuinam, eiusque omnipotentiam, ac potestatem, quid fortissimum, ac potentissimum super omnes res creatas tam Angelos, quam dæmones, est, ac proinde sicut nemo potest eas rapere de manu Patris mei, sic nec de mea, quia eadem est manus, vis, ac potestas Patris mei, & mea. Ita interpretantur D. August. Chrysostomus, Beda, Rupertus, D. Thomas, D. Bonauentura. Aliter Titelman. interpretatur de ouibus, scilicet hoc pacto: oues, quas mihi Pater dedit, *maius omnibus est*: In tanta æstimatione sunt mihi, vt ego eas rebus omnibus anteponam. Sensus tamen traditus de natura diuina præstantior est.

45. August. August. Chrysost. Beda. Rupert. Bonau. D. Thom. Titelman.

Græca, ac Syriaca lectio aliter hæc verba legit. *Pater meus, qui dedit mihi*, scilicet oues, *maior omnibus est.* Potentior, ac fortior est omnibus hominibus, ac dæmonibus, ideo nemo ex illis de illius manu oues rapere potest.

46. Græcus. Syriacus.

Ego, & Pater vnum sumus. Probat Christus; quod supra dixerat, quod sicut nemo potest oues rapere de manu patris sui, sic etiam nec de sua manu, quia in ipso, ac Patre vna, & eadem numero est natura, ac substantia diuina, & potestas; maximè hæc verba probant aduersus Arianos

47.

rianos vnitatem eiusdem essentiæ in Patre, & filio. D. Hieron. in cap 6. Isai. *Vnum*, ait, *ad naturam referimus; sumus, ad personarum diuersitatem* Cum natura diuina sit vna numero in Patre, & Filio; rectè dicitur. *Vnum sumus*. In neutro, quod communiter ad naturam refertur. Et quia Pater, & Filius sunt duæ personæ distinctæ, ideo non ait in singulari *sum*, sed in plurali *sumus*. Vnde ait D. Augustinus ad finem orationis de quinque hæresibus. *Pereant vaniloqui, & mentis seductores, Arrianus, & Sabellianus: nam ego, & Pater vnum sumus. Non dixit, ego & Pater vnus sum Quod dico vnum, audiat Arrianus: quod dico sumus, audiat Sabellianus. Non diuidat Arrianus vnum, non deleat Sabellianus sumus.*

Hieron.

Augustin.

QVÆSTIO VII.

Quare postquam Christus Dominus dixit sibi datum esse maius omnibus, statim subiungit. Ego, & Pater vnum sumus.

48. Lect. Latin. Tertull. Ambros. Hilar. Hieron. August. Beda. Rupert. D. Thom. Salmeiron. Toletus. Muldonat. Barradas. Suarez.

DIXIT Christus Dominus. *Quod mihi Pater dedit maius omnibus est.* Hæc est omnium Latinorum lectio, Tertull. lib. contra Praxean. c. 22. D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. D. Hilar. lib. 7 de Trinit. D. Hieron. in c. 18. Ezech. D. Augustini tract. 48. in Ioann. Bedæ, Ruperti, D. Thomæ, D. Bonauent. & sequuntur communiter Recentiores interpretes, Salmeiron, Toletus, Muldonatus, Barradas, Lucas Burgensis, & alij. Quæ etiam lectio in Bibliis iussu Summi Pontificis correctis habetur. *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est.* Hoc est, ipsa diuinitas, seu potestas diuina, quam mihi gignendo ab æterno dedit, omnibus rebus excellit. Vnde Æternus Pater, fons, origo, & radix diuinitatis à Patribus, & Conciliis appellatur, quia essentiam, seu Deitatem filio communicat, vt latè ostendit Suarez lib. 8. de Trinitat. cap. 3.

49. August.

Ad sensum tamen moralem. Primò, verba Augustin tract. 48. in Ioan. audiamus. *Semper ergo filius, ait, & semper aqualis. Non enim crescendo, sed nascendo aqualis est, qui semper natus est de Patre filius, de Deo Deus, de aterno coæternus. Ideo Pater filio gignendo dedit, vt Deus esset, gignendo dedit, vt sibi coæternus esset; gignendo dedit vt aqualis esset, hoc est, quod maius est omnibus.* Præstantiam suam super omnes homines extollit Iesus. *Maius omnibus est.* Omnes homines habent potestatem à Deo patre acceptam filios Dei fieri. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. num. 12. Si ergo omnes homines à Patre acceptam habent potestatem filios Dei fieri, quid maius his potuit Iesu dari? Dedit Pater omnibus hominibus, quod Dei filij sint, sed hoc dedit illis non gignendo, sed aduentitia quadam excellentia, crescendo operibus, in filiationem Dei deueniunt. At Iesus vt filius Dei naturalis *non crescendo, sed nascendo aqualis est.* In ipsa generatione, & ab ipsa generatione habet totum, quod maius est omnibus, quid præstantius, ac excellentius esse potest, quam innatam habere dignitatem, vt nunquam sine dignitate sit, aut consideretur? Vnde Paul. ad Philipp. 2. num. 6. maximè celebrans Christi Domini dignitatem,

Ioan. 1.

Ad Philip. 2.

ait: *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse aqualem Deo.* Quod explicans D. Isidorus Peluſiota lib. 1. Epistol. 139. *Ac si diceret Apostolus*, ait: *Deitatem, ac regnum haud quaquam per vim rapuit, verum ante sæcula innatum habuit.* Ipsam præstantiam non habuit vi comparatam, nec vt ab extrinseco aduenientem, sed ab intrinseco adnatam, vt æqualis esset Deo Patri.

Peluſiota.

50. Greg. Naz.

Secundò. D. Gregorius Nazianz. oration. 48. super hæc verba. *Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est Ego & Pater vnum sumus.* Sic ait sanctus Doctor. *Tamen porrò hoc dico, quod in Patre, & filio, & Spiritu sancto intelligitur: quorum opulentia, naturæ identitas est.* Ait Christus Dominus. *Quod dedit mihi Pater maius omnibus est.* Et continuò subiungit. *Ego & Pater vnum sumus.* Subtilissimè magnus Theologus Patris, & Filij, ac Spiritus sancti opulentiam à naturæ identitate, ac concordia demonstrat. Nam si in illa altissima natura omnes infiniti thesauri attributorum inessent, si tamen per impossibile vnitas, & concordia inter diuinas personas prorsus deesset, neque in aliquo essent vnum, confestim à summo locuplete diuinitatis censu, ad summam pauperratem redigerentur; siquidem diuinarum personarum *opulentia, natura identitas est.* O magnum vnitatis elogium!

Identitas naturæ opulentia diuinitatis.

51. Athanas.

Diuus Athanasius Epistol. 1. ad Seraph. diuinitatem filij hoc argumento probat. *Si filius est*, ait, *Dei verbum, vnus est sicut Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus Christus; vnde & vnigenitus filius dictus est. At creatura multa sunt, variaque, Angeli, Archangeli, Cherubim, Principatus, Potestates. Porrò, quia filius non est de multorum numero, sed vnus est, sicut Pater vnus est, nequaquam est creatura*, &c. Creaturæ multæ sunt, multi Angeli, &c. At filius Dei *non est de numero multorum.* Sed sicut Pater est vnus, & singularis, sic & filius est vnus, & singularis, & tam vnus, ac singularis, vt totam Patris æternam singularitatem referat, repræsentet, ac contineat, & qui in se tam singularis est; *nequaquam est creatura*: sed Deus est, nam Deitatis opulentia, naturæ identitas est.

Dei filius vt sit vnus, non creatura, sed Deus est.

52.

Ex quo patet, quod vbi Deus filius est, ibi & vnitas est. *Cum ædificaretur templum, operarijs præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi.* 3. Reg. cap. 5. num. 17. Pro Salomonici templi fundamento multi lapides grandes constituuntur. At verò pro fundamento Ecclesiæ Christianæ, vnus tantum lapis, qui est Christus Iesus, constituitur. De quo ait Paulus ad Ephes. 2. num. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit*, &c. Cur in antiquo Iudaico templo multi lapides, nunc verò in hoc Christiano vnus tantum lapis? Nec mirum sanè; est enim hæc ædificatio Christi Iesu, & vbi ipse, ibi vnitas, quæ semper cum Iesu inuenitur. D. Zeno lib. 2. serm. 24. *In totius fabricæ fundamentis, non sicut in Iudæa templo plurimi: sed magnus præclarus, pretiosus, ac speciosus vnus est lapis.*

3. Reg. 5.

Ad Ephes. 2.

Vbi Christus ibi vnitas.

Zeno.

53.

Expergefactus Adamus, cum vidisset vxorem suam Euam, hanc celebrem protulit sententiam. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, Genes. 2. num. 24. Iam non duo inueniuntur diuisi; sed ita vnanimes, vt vna caro dicantur. Vnde

Genes. 2.

inter illos tanta vnio? Nunquid natura hoc valuit efficere? minimè; sed solum Dei gratia, ac dispositione sic ordinatum est; de hac vnanimitate ait Paulus. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Maximè enim naturæ deprauatæ vires superat, quod duo inter se multum discrepantia vnanimiter conueniant, vt fiant vnum, solum enim hoc ex Dei habitu, ac eius gratia venit. D. Basil. Seleuc. orat. 4. *Postquam Adamus de puluere conformatus est, & terra ad hominis naturam deformata, postquam latus Euam edidit, & in vnum egit non natura lex, sed facultas iubente Deo accepta* Expende. *In vnum egit non natura lex.* Vide in hoc tom. 1. 2. ac 3. Verbum, *Vnio*, in Indice.

Ex solo Christo venit vnio inter duos.

Basil.

QVÆSTIO VIII.

Quare Christus Dominus exprimit, quod oues suas nemo possit rapere ex eius manu?

54. DE prædestinatis est sermo, quos Christus Dominus ait neminem eos posse rapere de manu sua, quos enim Deus elegit in possessionem suam, omni cœlesti benedictione replentur, à qua reprobi, ac electi exclusi sunt. Moriturus Iacob omnibus duodecim filiis suis benedixit. *Benedixitque singulis, benedictionibus propriis*, 49. num. 28. Aliter verò Isaac cum haberet tantùm duos filios, vni Iacob dat largam benedictionem, alteri verò filio eam impendere maximè recusat: *frumento, & vino stabiliui eum, & tibi posthac, fili mi, vltra quid faciam?* Genes. 27. num. 37. Cur ergo Isaac sic detrectat dare duobus benedictionem, cum Iacob valde large eam duodecim elargitus fuerit? Esau filius maior Isaac deputabatur ad populum alienigenam, & ad populum, qui non pertineret ad Dominum; filij autem Iacob omnes constituebant vnum Dei populum, vnamquè Dei possessionem, ac hæreditatem, & ideo omnes benedictionibus implebantur. Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 22. *Filij Isaac*, ait, *in duos erant populi diuidendi: plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitate paterna fidei Deum verum, & vnum hæreditate possessuri, vel ab ipso erant possidendi.* Expende hæc vltima verba.. *Ab ipso erant possidendi.* Cum ergo destinarentur ad Dei possessionem omni benedictione cumulantur, à qua electi sunt excluſi.

Gen. 49.

Genes. 27.

Qui pertinent ad Dei possessionem omni benedictione replentur.

Rupert.

55. Christus Dominus ait de suis ouibus. *Et non rapiet eas quisquam de manu mea*; docet quod oues, ac fideles sui à se electi, & prædestinati; ita in manu, ac potestate eius sint tuti, & securi, vt nulla vi creata, vel fraude valeant impediri, quin vitam æternam adipiscantur. In hoc sensu Interlineal. D. Bonauent. Hugo, Carthusian. Lorinus, & alij interpretantur illud Sapien. 3. num. 1. *Iustorum anima in manu Dei sunt.* Id est in tuto sunt positæ, illæsæque seruantur, ne succumbant procellis, & impugnationibus impiorum. Sicque dicitur Deuter. 33. num. 3. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Hoc est, vt interpretantur Glossa, Lyran. Abulensis ibid. quæst. 2. sub protectione diuina sunt. Ait Isaias 33. num. 2. *Domine miserere nostri, te enim expectauimus, esto brachium nostrum in mane.* In Hebræo habetur. Esto robur fidelium. Seu *defende fideles*: ab omni impetu, ac incursu inimicorum; cùm enim sub Dei manu sunt, Deum habent defensorem.

In manu Dei securi, & tuti.

Interlin. Bonauent. Hugo. Abulens. Lorin. Sapien. 3. Deuter 33. Glossa. Lyran. Abulens.

Isai. 33.

Hebraus.

Loquens Isaias de assistentia, ac protectione Dei erga iustos ait. *In vmbra manus suæ protexit me*, cap. 49. num. 2. Non ait in manu sua, sed in vmbra, tam potens est Dei manus, vt non solum ipsa, sed etiam eius vmbra, valeat nos protegere, ac defendere. Vmbræ, vt notat Plinius lib. 17. cap. 12. aliæ salutiferæ, aliæ noxiæ, vnde lib. 16. cap. 13. ait ipse, serpentes exhorrescere vmbram fraxini; vmbra diuinæ manus hominibus est valde salutifera, valde tamen noxia, ac exitialis serpenti antiquo, qui lethaliter sub arbore vulnerauit primos parentes. Ad hoc tendit D. Ambrosius serm. 3. in Psalm. 118. ad illa verba. *Retribue seruo tuo*, &c. sic ait: *Nobis expandit manus suas Iesus, vt totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui crucis eius protegimur velamento? Quomodo non in vmbra, quos crucifixus à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit?*

56. Isai. 49.

Plinius.

Manus Dei nos protegit. Ambros.

Vidit Ezechiel cap. 1. Quatuor animalia, in quibus, vt volunt D. Iustin. Lyran. Maldon. quatuor regna denotabantur. Vnumquodque quatuor facies habebat: faciem hominis, quo prudentia denotatur; faciem leonis, quo fortitudo; faciem bouis, quo labor; faciem Aquilæ, quo sagacitas exprimitur. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Ezech. 1. num. 12. Gaspar Sanchez per impetum Spiritus interpretatur, imperium, ac impulsum spiritus, veluti aurigæ manum dirigentis, ac gubernantis, & subditur. *Nec reuertebantur cum ambularent.* Sed semper vincendo, ac dominando vlterius pergebant; vnde in his animalibus tantus triumphus? Numquid quia in eis erat prudentia, sagacitas, fortitudo, vel labor? Minimè, sed quia in eis erat spiritus dirigentis tanquam auræ, ideo in textu connectitur; *Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum ambularent.* A Dei manu protegente certum prouenit adiutorium tutamen, ac directionis dictamen, vt conculcatis hostibus, saluis æternæ gloriam assequamur.

57. Iustin. Lyran. Maldon.

Ezech 1. Sanchez.

A Dei manu salus, & tutamen.

Ioan. 10. n. 31. Sustulerunt ergo lapides Iudæi: vt lapidarent eum. Respondit eis Iesus.

Num. 32. Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?

Num. 33. Responderunt ei Iudæi: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cũ sis, facis te ipsum Deum.

VERSIONES.

Syriac. n. 31. Et sustulerunt rursus Iudæi lapides, vt obruerent eum.

Syriacus n. 32. Multa opera præclara à Patre meo ostendi vobis.

Pagnin. Propter eorum operum.

D. Augustin. Me vultis occidere.

Arias

Arias Mont. De pulchro opere non lapidamus te. num. 33.

Syriacus. Non propter opera bona lapidibus te petimus, sed quoniam blasphemas.

D. Epiphanius De bono opere non interficimus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis te ipsum æqualem Deo.

Euth. Vatab. Ob bonum opus non lapidamus te, sed ob blasphemiam.

EXPOSITIO V.

58. SVSTVLERVNT *ergo.* Illa particula, *ergo*, causam lapidationis indicat eam esse, nempe præcedens verbum, quo dixerat, *Ego & Pater vnum sumus.* Quo significatur Iesum esse vnum verum Deum cum Patre in vnitate vnius essentiæ diuinæ. Et melius Iudæi, vt notat D. Thomas, quàm Arriani intellexerunt verbum Christi, quo dixerat: *Ego & Pater vnum sumus*, non posse dici nisi vbi est æqualitas Patris, & Filij. *Sustulerunt lapides Iudæi.* Iudæorum principes, ac magnate, qui præcipuè Christo inuidebant, furore agitati leuauerunt lapides è terra, seu fortè ex pauimento porticus, seu atrij extractos. Nonnus: *Ex pauimento*, ait, *lapides sustulerunt, vt pra lapidaria rabie Christum iacularentur missilibus fragosis, & asperis.* Voluerunt autem eum lapidare tanquam de blasphemia, quod se diceret tanquam æqualem Deo, Christus tamen diuina vi furentium cohibuit impetum. Bene hoc notat Euthymius: *Vide* ait, *quomodo conuicti sint, quod non discendi causa interrogarent, sed occasionis alicuius arripiendæ, qua eum comprehenderent,* Iudæi etiam nolentes suam malitiam, ac liuorem in Christum prodeunt, quod scilicet non sincere, sed fictè, ac malitiosè eum rogarunt, vt palam diceret se esse Christum, vt inde eum accusarent, ac comprehenderent.

D. Thom. Nonnus. Euthym.

Respondit eis Iesus. Non verbis, nulla enim præcesserunt, sed intentioni, ac machinationi Iudæorum, & tam blandis, ac modestis verbis loquitur, vt eorum animos ira ac furore turbatos sedet, & pacatos reddat: *Multa bona opera ostendi vobis* Non ait; vnum, vel alterum opus feci, sed multa, & cum ait, *bona*, denotat opera esse facta in eorum commodum, & vtilitatem, vt notarunt Albertus Magnus, D. Bonauent. Hugo, & alij. Bona autem, quæ ipse fecit, nec etiam in genere numerat, ne se iactare, vel bona à se collata recensere videretur.

Alb. Magn. D. Bonau. Hugo. *Beneficia non exprobranda.*

59. *Ostendi.* Id est exhibui, feci, ac in vos contuli. Phrasis est Hebræa id significans. Psalm. 4. num. 6. *Quis ostendit nobis bona?* Psalm. 84. num. 8. *Ostende nobis misericordiam tuam.* Psalm. 59. n. 5. *Ostendisti populo tuo dura.* Nota quod ostendere plus denotat, quàm facere, ostendere ita est facere, vt is, cui fit, oculis videat, manibus teneat, ac ita experiatur, vt negare, aut ignorare non possit. Carthusianus: *Ostendi, id est coram vobis feci.* Ex quo duplex vitium in Iudæis notat Maldonatus. Primò est cæcitas, quod bona Christi in se opera non videbant, nec intelligebant. Secundò ingratitudo, quod tam magnum benefactorem lapidare volebant. Ait: *Ostendi vobis*, demonstrans, id, quod verbis dicebat, *Ego & Pater vnum sumus*, operibus manifestabat. *Ex Patre meo*; nempe virtute, ac potentia diuina Patris mei, ad cuius gloriam, omnia sua referebat *Me lapidatis.* Caietanus sic ait: *Non dicit vultis lapidare, sed lapidatis; vt intelligamus, quod erant in procinctu lapidandi; imò quod quantum ex ipsis erat, lapidabant: Diuina autem virtute inuiti cõtinebantur à lapidando.* Actu non lapidabant, sed affectu, qui affectus tanquam actus computatur apud Deum.

Carthus. Maldonat. Caiet. *Affectus interius volenti actus exterius reputatur.*

60. *Responderunt Iudæi.* Quamuis à lapidibus se Iudæi continerent, verba tamen incomposita addiderunt: *De bono opere non lapidamus te.* Alcuinus, Leontius, Euthymius, putant Iudæos his verbis confiteri multa opera bona facta fuisse à Christo Domino. Maldonatus tamen, Lucas Burgens. sic interpretantur hæc à Iudæis dici tanquam sub sermone dubio. Id est, si quod bonum opus ostendisti, quod modo non disputamus, ob illud tamen te nolumus lapidare. *Sed de blasphemia*, seu vt alij legunt: *Propter blasphemiam*: ac contumeliam, quam Deo infers. *Quia tu homo cum sis te ipsum Deum facis*: honorem tibi diuinum vsurpas. In hoc tamen maximè errabant Iudæi, inferentes, ex eo quòd Christus esset homo, non posse esse Deum; hoc enim fundamentum erat futile, & inane contra promissiones scripturarum, quæ testificabantur, quod Christus foret simul Deus & homo in vnitate vnius naturæ, vt fides Catholica profitetur in Iesu filio Dei.

Alcuin. Leont. Euthym. Maldonat. Burgens.

QVÆSTIO IX.

Quare Iudæi in præsenti Christum lapidare voluerunt?

VIDE de hac re similem quæstionem suprà cap. 17. quæst. 21. & quare Dominus hic verbis respondet, non verò in alio simili euentu? Ioan. 8. num. 59. Cùm etiam ad lapides currunt, Vide idem cap. 17. quæst. 26.

61. Ioan. 8.

Ad nostram quæstionem, Iudæi Christum voluerunt lapidare. Primò ipsi rationem assignant. *De blasphemia*, seu propter blasphemiam. *Quia homo cum sis, te Deum facis.* Bene iudicabant blasphemos secundùm legem esse lapidandos, Leuitic. 24. num. 16. Maximè tamen errabant, quod Christum putarent blasphemum, quia se Deum faceret; nam sic exterius apparebat homo, vt interius esset verus Deus vnà cum Patre in vnitate vnius essentiæ. Vnde rectè de eis ait D. Cyrillus: *Zelum habetis, sed non secundum scientiam.* Zelo honoris Dei se moueri dicebant, tamen huiusmodi zelus non erat coniunctus cum scientia, sed cum liuore, ac obstinato odio, si enim Iudæi veram scientiam haberent apertè ex operibus, scripturis, ac verbis Iesus intelligerent, ipsum esse verum Deum, verúmque Messiam, sed inuidia, ac maleuolentia ad omnia etiam apertissima eos obcæcabat.

62. Leuit. 24. Cyrill. *Zelus sine scientia, & cum odio ad turpissima crimina impellit.*

Secundò. Rupertus: *Vsque ad tollendos lapides potuerunt currere Iudæi, & lapidei sui cordis duritiam armatis manibus prodere.* Et D. Thomas: *Duri erant Iudæi*, ait, *& profunda Domini verba intelligere non poterant, lapidibus similes ad lapides*

63. Rupertus. D. Thom.

currunt, Psalm.119.n.7. *Cum loquebar illis impugnabant me gratis.* Intus lapideo corde erant obstinati Iudæi, ad lapides ergo manibus currunt, vt duritiem illam, quam interius habebant, exterius manibus, ac digitis demonstrarent.

Suam duritiē internam exterius ostēdunt Iudæi.

64. Tertiò. Contra Christum Iudæi lapides manibus arripiunt, at cum adultera deprehenditur, Ioan.8. num.3. quæ secundum legem lapidanda erat, nullus è terra contra eam lapides eleuat. Multories sanè maiori in discrimine versatur innocentia coram inuidia, ac malitia, quam iniquitas in iustitiæ præsentia. Summa Christi innocentia à malevolis, ac inuidiosis Iudæis lapidibus impetitur; crimen verò mulieris delinquentis ab æquissimo, ac supremo iudice veniam impetrat. Valdè diuersus casus contigit Dauid apud Saül, & Nathan apud Saül, purus, & innocens erat Dauid, ita vt ipse ei diceret: *Vide quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccauī in te*, 1.Regum 24.num.12. Et tamen Saül crudeliter eum persequebatur, ac multa diligentia eum exquirebat ad mortem. Apud Nathan verò tanquam iudicem integerrimum ex Dei delegatione vt notat Glossa moralis, stat Dauid, & tamen ab illo suorum delictorum impetrat veniam. Dixit ei Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*, lib.2.Regum 12.n.13. Cur apud Saül innocens Dauid periclitatur; apud verò Nathan tantorum criminum reus saluus fit? In Saül dominabatur odium, & inuidia, timebat enim à Dauid regnum suum à se, ac filiis suis expoliandum. In Nathan verò vigebat integritas iustitiæ, & maius tutamen, ac patrocinium habuit culpa coram æquissimo iudice, quam innocentia in oculis liuoris, inuidiæ, ac odij.

Securior iniquitas coram iudice, quàm innocentia coram inuidia, ac odio.

Ioan.8. 1.Reg.24. Gloss.moral. 2.Reg.12.

65. Quartò. Adultera dimittitur libera, Christus verò condemnatus iudicatur. *Lapidamus te, non de bono opere, sed de blasphemia:* dicunt. Adultera habuit Christum iudicem, Christus verò Pharisæos, homines iniquos, ac respectiuos. Sicque ipsi clamantes dixerunt Pilato: *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones adduxit foras Iesum*, Ioan.19. num.12. Vide suprà cap.15.q.12 n.87.& 88.

Homines respectiui omne ius violant.

Ioan.19.

66. Quintò. Contra Dominum lapides manibus sustulerunt, quod etiam iam præstiterunt apud Ioan. cap.8. num.58. tunc enim ad saxa cucurrerunt, Dominum lapidare intentantes, quod iterum nunc modo patientia Domini abutentes facere conantur. Sæpè enim iniquitas ex tua modestia, mansuetudine, ac humilitate ansam arripit, vt contra te manum eleuet, & insurgat. Si enim pro prima impudentia à Domino fuissent percussi, nunquam modo secundò ad lapides currerent, sed modestia Domini abutentes iterum eum lapidare intentant.

Ioan.8.

Iniquus ex alterius modestia fit peruersior.

67. In vltima cœna ait Christus Dominus suis discipulis: *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, Matth.26. num.23. Cur Dominus tantum fauorem, ac benignitatem præstitit, vt non solùm ei concederet, quod cum eo ad mensam sederet, panémque cum illo manducaret, sed etiam vt in paropsidem manum mitteret, hic tantum facinus perpetrabit, vt Dominum suis inimicis tradat. Machinabatur Iudas proditorias insidias aduersus Christum Dominum, & tamen ipse Dominus suaui, ac leni cultu, tantam benignitatem erga eum exhibebat, vt etiam secum manum in paropside intingere

Matth.26.

Iudas ex mansuetudine, neque patientia Domini nutrit suam impudentiam.

ei permitteret, obstinata autem Iudæ malitia, & peruersitas tanta clementia, ac mansuetudine non emollitur, sed potius impudenter audaciam reassumit; vt Iesum in suorum manibus inimicorum tradat. D. Hieronymus ad citatum locum Matth. ad illa verba: *Væ autem homini illi*, sic ait: *Nec primò, nec secundò Iudas corripitur à proditione retrahit pedem, sed patientia Domini nutris impudentiam suam.* Expende vltima verba. Ex patientia Domini malignus non confunditur, vt miteſcat, sed impudentior fit, vt suam peruersitatem exequatur. *Patientia Domini nutrit impudentiam suam.*

Hieron.

68. Cum Christus Dominus dixisset Principi Sacerdotum se esse filium Dei. *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*, Matth.26. num.64. Quid inde secutum est. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt*, ibidem num.67. Cum audiunt Dei filium, cur ad tantam contumeliam currunt, vt alapas infligant? Hoc iudicium apud se statuerunt Iudæi. Si Christus esset Dei filius tantam patientiam non præstaret, si autem tantam sufferentiam exhibet, non filius Dei, sed homo est, ex patientia, ac modestia eius volunt argumentum efformare contra eius diuinam maiestatem ad ignominias, ac iniurias ei irrogandas. Eleganter Origenes tract.35.in Matthæum: *Ausi sunt*, ait, *expuere in faciem eius, arbitrabantur, quod non sustineret expuitionis opprobrium, qui sedebat ad dexteram virtutis, & venturus erat in nubibus.* Vide suprà cap.17. num.94.

Matth.26.

Ex patientia efformatur argumentum ad inuidiam.

Origen.

QVÆSTIO X.

Quare tam malitiosè dicunt Iudæi, quod de bono opere nolunt eum lapidare?

69 DE sensu horum verborum egi in expositione. Ad nostram quæstionem, valdè malitiosè dicunt de bono opere. Eximiam Christi virtutem maximè imminuere intentant. Iesus dixerat: *Multa bona opera ostendi vobis.* At verò illi respondent: *De bono opere non lapidamus te.* Consequenter ad verba Domini in plurali dicendum erat de bonis operibus. Multa virtutum opera à Domino erant ostensa, sed ipsi inuidiosi ad pauca, immò ad vnum contrahunt: seu vt explicat Maldonatus, *de bono opere non lapidamus te*, id est, nullum bonum opus habes, propter quod te lapidemus. Iudæi inquiunt Christo Domino, Ioan.7. num.30. *Quod ergo tu facis signum, vt videamus, & credamus tibi?* Multa signa, & miracula fecerat Dominus, & tamen inuidia ita obcæcati volunt minuere, ac si nullum fecisset, dicunt, *quod tu facis signum?* D. Chrysostomus homil.44. in Ioannem: *Nihil*, ait, *his stultius nihilque insipientius, cum signum in manibus haberent, tanquam nullum fecerit, rogant, quod signum facis?* Aliter verò Nicodemus, qui rectis oculis, ac expedita mente in Dominum erat, cuius multa mirabilia, ac opera recognoscit: *Nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, Ioan.3. num.2. Solus amicus, & non inimicus tua cognoscit, ac intelligit magnalia. Vide infrà cap.8. quæst.30. num.251. tom.2. & 3. verb. *Amicus*, in Indice.

Maldonat.

Inuidiosi bona aliorum opera minuunt, ac detrahunt ad puncta.

Ioan.7. Chrysost.

Ioan.3.

Secundò.

70. Secundò. Considera eorum magnam superbiam. Dicunt, *De bono opere non lapidamus te.* Non solùm affectant eum à vita sed etiam ab honore, ac reputatione expoliare; astruunt, quod in eo parum, aut nihil boni operis videant, vt modo ex Maldonato notaui, nil crudelius, quam aliquem in suo honore lædere, ac offendere. Pro decollato Ioannis Baptistæ capite nullus est, qui Herodi mortis sententiam denuntiet, vt Patens Helias pro interfecto Naboth impiæ Iezabel intimauit. Nam Herodes, etsi mortem intulit Baptistæ, nullum tamen crimen eius famæ, & honori, nihil enim contra eum dictum est, secus verò Iezabel, quæ mandauit Naboth vt blasphemum lapidari, quo magna ignominia eius auctoritas deprimebatur. Scripsit litteras dicens: *Submittite duos viros filios Belial contra Naboth, & falsum testimonium dicant; benedixit Deum, & regem; & educite eum, & lapidate, & sic moriatur,* 3. Regum 21. num. 10. vt latè notaui tom. 3. cap. 32. quæst. 16. num. 55.

Grauissimum vitium non quod in vita, sed in honore inficitur.

3. Reg. 21.

71. Benedicens Iacob filio suo Ruben, ait: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei,* Genes. cap. 49. num. 3. Quorsum Iacob Ruben appellat suorum dolorum principium? Iacob multis doloribus, ac calamitatibus affectus est, vt quando ei denuntiata est mors Ioseph: quando & filij eius interfecerunt principem Sichem, ac occisis omnibus masculis depopulati sunt ciuitatem in ore gladij, ex quo Iacob multam ruinam sibi, ac totæ suæ familiæ prætimuit. Ex quo ipse dixit filiis suis: *Odiosum me fecistis Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius, nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea,* Genes. 34. n. 30. Quomodo ergo Ruben principium doloris? Ruben, vt ipse Iacob statim explicat: *Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Habens accessum ad Balam vxorem patris sui, quo facinore multam iniuriam parenti suo irrogauit. Ecce causa cur dicitur, *principium doloris mei.* Dolores, quos hausit Iacob ex morte audita Ioseph, vel principis Sichem, eius vitam, substantiam, ac familiam respiciebant. At dolor ex incesto, ac fœdato cubili à Ruben læserat auctoritatem, ac honorem eius, & inde maximus dolor extiterat, vt diceretur principium doloris eius. Rupert. lib. 9. cap. 26. *Vnde principium,* ait, *doloris mei? ex eo, quia effusiones sicut aqua ascendendo cubile patris tui; hoc enim principium doloris eius extitit, non quod in nullo antea doluerit.* Vide suprà cap. 8. q. 17. n. 145. & 146.

Gen. 49.

Gen. 34.

Grauissimum dolor non ex offensa in vitam, sed in honorem.

Rupertus.

QVÆSTIO XI.

Quare Iudæi cùm vellent negare bona opera in Christo, ipsi tamen ea fatentur?

72. IVDÆI Dominum Iesum tanquam blasphemum, ac multorum criminum reum voluerunt lapidare, ac etiam apprehendere. In hoc cap. 10. num. 39. Quomodo ergo recognoscunt eius bona, ac præclara opera ab ipso facta, cum dicunt, *de bono opere non lapidamus te?* Alcuinus: *Iudæi*, ait, *quamuis inuiti confitentur multa beneficia sibi impensa à Christo.* Quod etiam docent Leontius, Euthymius, & alij. Confitentur bona opera Christi erga nos; quod nempe sanauerat eorum ægrotos, liberauerat à dæmonibus multos,

Alcuin.

Leont. Euthym.

& aliquos vitæ restituerat, & quamplures in deserto non semel pauerat, & tamen cùm tanta beneficia commemorant, ipsum volunt lapidare; vt eorum ingratitudo cum multa exaggeratione appareat, quia ex beneficiis acceptis, ex quibus se debebant gratos exhibere ad obsequia præstanda, offensos se ostentant, vt contra Dominum lapidibus armentur.

Ingrati ob beneficia, etiam bonorum armantur.

Grauius prædicatur extitisse peccatum regni Iuda, quam regni Israël, seu Samariæ. *Iustificauit animam suam auersatrix Israël comparatione prauaricatricis Iudæ,* Ierem. 3. num. 11. Ac si diceretur: peccata regni Iuda adeò excedunt peccata regni Israëlis, vt hæc præ illis nulla viderentur; immò non solùm regnum Iuda astruitur suis idololatriis superasse Samariam, sed etiam suis delictis, ac flagitiis excedisse Sodomam. Vnde ad Iudam sic loquitur Ezechiel. 16. num. 48. *Viuo ego dicit Deus: quia non fecit Sodoma, soror tua, ipsa, & filiæ eius, sicut fecisti tu, & filiæ tuæ: & Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis.* Quomodo Iuda grauius peccauit super Samariam, & Sodomam rectè explicat Theodoretus: *Etsi peccasset*, ait, *& infinita facinora ausa esset Samaria; at procul aberat à Dei templo: & licet paruam, certè quandam veniam habebat, cum & sub alterius Regis imperio degeret, & in sacro Dei templo legitima perficere nequiret. Sodoma item, neque Prophetam habebat, neque legislatorem: sed sola naturalis legis doctrina fruebatur. Tu verò, & legem habens, & Sacerdotes, & Prophetas, & sacrum Dei templum, legitimúmque cultum, illarum impietatem consectata es: quare illas ostendis venia dignas.* Grauia scelera commisit Samaria, & Sodoma, tamen Iuda suis criminibus eas sic transgressa est, vt illius comparatione iustificatæ viderentur. Nam Samaria deliquit carens templo, Sodoma verò sine templo, ac lege data Sacerdotibus, ac Propheris viuebat, quibus omnibus diuinis beneficiis Iuda fruebatur, & ex quibus maximè in diuino obsequio astricta futura erat; inde impudens facta legem violabat, templum prophanabat, Sacerdotes contemnebat, ac Prophetas non audiebat: ideo ergo peccatum Iudæ tantum exaggeratur, quæ ad delictum durius armatur, vnde gratitudinem impensius tependere debebat. Vide suprà cap. 12. quæst. 10. n. 74. 75. 76. 77.

Ierem. 3.

Ezech. 16.

Theodor.

Summa ingratitudo eis dona data offendere.

Secundò. Ad eadem verba: *Iudæi quamuis inuiti multa beneficia*, &c dum volunt negare bona opera in Christo ipsi ea fatentur, dum dicunt, *de bono opere non lapidamus te.* Ipsi ea testantur, quæ negare intendebant, contra se rationes, ac argumenta producunt, cùm illius beneficia, ac miracula fateantur, vt dixi ad initium quæstionis. Cùm filij Iacob vendidissent fratrem suum Ioseph Madianitis: tulerunt tunicam eius, & *mittentes, qui ferrent ad patrem, dicentes hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Genes. 37. num. 32. Veluti subdenorantes, quod Ioseph ab aliqua fera fuisset deuoratus, ostendentes autem tunicam Ioseph contra se manifesta nota, ac signo argumentabantur, apertúmque testimonium aduersus se proferebant. Nam fera vt deuoraret Ioseph, ipsum à suis vestimentis non exuit, sed simul cum veste dilacerauit, ac deglutiuit; si ergo mortuo Ioseph vestis eius integra apparet, non fera, sed manus hominis ipsum interfecit, qui valuit eum à vestimentis suis exuere; dum ergo ostendentes tunicam Ioseph,

74.

Genes. 37.

Iniquè cùm se argumentantur, & agunt.

seph, ab illius morte se volunt innoxios declarare, in hoc ipso se illius auctores produnt, & manifestant. Quod etiam bene intellexit Iacob, tamen ne impudentiores fierent, noluit sceleratos arguere, ac punire, sed eorum inuidiam, ac sæuitiam feram pessimam appellauit. Vt docet Rupertus Abbas lib. 8. de Trinitate & operibus eius cap. 8. *Tacendi potius, ait, & dissimulandi, quod coniicere poterat tempus illi, scilicet Iacob, erat, ne si notam sibi ipsi feram, id est filiorum inuidiam audacem, atque violentam querelis man festis exagitaret, maiorem in rabiem dentes eius acueret; itaque in acerbissimo ille dolore vim faciens, & verba sua moderans, tunica fily mei est, inquit, fera pessima comedit eum.* Nota sequentia verba: *Nec hoc dicens falsum, aut mentitus est, talis namque sæuitia cum leone, vel vrso, fera, aut bestia vocabulo equissimè aquiparari potest.* Vide suprà cap. 14. quæst. 5. num. 48. cap. 17. quæst. 16. n. 104.

Rupert.

Ioan. 10 *n.* 34. Respodit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi dij estis?

Num. 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura.

Num. 36. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemo: quia dixi filius Dei sum?

VERSIONES.

Syriac n. 34. Nonne ita scriptum est in lege?

Syriacus n. 35. Si eos dixit deos, propterea quod ad eos factus est sermo Dei.

Arabicus. Et cum dixerit eos deos, quia ad eos sermo Dei factus est.

Arabic. n. 36. Quanto igitur magis eum, quem Pater sanctificauit, & misit illum in mundum: vos dicitis, quia blasphemo.

S. Hilarius Misit in hunc mundum, vos dicitis, quia blasphemaui.

Syriacus. Dicitis ei: tu blasphemas: quia dixi vobis me esse filium Dei.

EXPOSITIO VI.

75. RESPONDIT *Iesus.* Et ponit argumentum à minori ad maius. Si enim Scriptura appellat Deos communes homines, ad quos sermo Dei factus est, & non est blasphemia tales Deos dicere: multo minus erit blasphemia, imò sine vlla blasphemia verissimè est, vt is dicatur Deus, quem Pater sanctificauit, seu sanctum genuit, ac misit in mundum. *Nonne scriptum est in lege vestra.* In libro nempe Psalmorum pertinente ad legis veteris scripturam, *quia ego dixi Dy estis*, Psalm. 81. num. 6 Hebraicè, *Elohim*, Elohim autem plurale est, & tam Deum, quàm Deos significat. Deus autem dicitur Elohim tam prout vniuersum mundum regit, & gubernat, quam etiam prout omnium iudex, omniúmque scelerum vltor. Ex quo iudices, qui potestatem regendi, ac iudicandi, & puniendi à Deo participant, *Elohim*, seu Dij appellantur: hi autem Dij non natura, & vnione hypostatica, vt Christus Dominus; sed gratia, & participatione eminentiæ diuini iudicij, vt notarunt Albert. Magn. D. Thomas, Carthus. sic Exod. 7. num. 1. Moysi, ait Deus: *Constitui te Deum Pharaonis.* Id est participem diuinæ virtutis ad castigandum, & puniendum Pharaonem, Exod. 22. num. 28. *Dijs*, id est iudicibus, *non maledices.* Cùm virtutem regendi habeant à Deo. Iuxta illud Pauli, Rom. 13. num. 1. *Non est potestas nisi à Deo.* Psalm. 81. Alb. Magn. D. Thom. Carthus. Exod. 7. Exod. 22. Rom. 13.

Si illos dixit Deos. Homines nempe dixit Deos participatione. *Ad quos sermo Dei factus est.* In illo Psalm. 81. n. 1. ad quos Deus alloquens arguit, & increpat, quod non rectè iudicent. Vel ad quos sermo Dei factus per Moysem concedens eis participationem suæ auctoritatis ad iudicandum. Nam iudices dij quidem terræ videntur. Secundò aliter explicat Rupertus lib. 10. in Ioan. *Quinam, ait, præcipuè sunt illi, ad quos sermo Dei factus est, vel quis sermo Dei, qui participatione sui in Deos prouexit homines? Vtique Dij isti præcipuè Patres illi sunt, ad quos sermo Dei, id est repromissio, de Incarnatione filij Dei facta est.* Sermo Dei, seu promissio de Incarnatione Verbi diuini sic homines nobilitauit, vt Deorum nomen nanciscerentur. Tertiò. Caietan. *Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Ratione etenim diuini sermonis diuinum homini numen communicatur. Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Gentes: *Sunt vere, ait, sacra littera, quæ sacros faciunt, & deificant*: scilicet homines. Additur: *Non potest solui Scriptura.* Hoc est irritari, fieri falsa, & mendax, vt interpretantur D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij. Non potest solui Scriptura à vinculo veritatis, & perpetuitatis. Ipsa enim firmissima, verissima, ac perpetua est. Rupert. *Maximè nobilitati sunt homines promissione Incarnationis.* Caietan. Clem. Alex. *Sacra littera faciunt homines sacros.* D. Bonau. Carthus. Hugo. 76.

Quem Pater sanctificauit. D. Augustinus, & Beda vim argumenti sic explicant: *Si eos, ad quos sermo Dei factus est.* Teste Scriptura, *quæ non potest solui*, seu irritari, Dij vocantur, quanto magis ego qui non sum sermonis Dei particeps, sed sum ipse Dei serm. Deus vocari debeo. *Pater sanctificauit.* Primò. Maldonatus ait Hebraismum esse, idem significans, ac designare, ac destinare ad officium Saluatoris, vt homines saluaret, ac à peccatis liberaret, in hac expositione alludit ad verba Ieremiæ 1. num. 5. *Antequam exires de vulua sanctificaui te.* Secundò. Euthym. Theophylact. *sanctificauit*, hoc est separauit, segregauit à cæteris hominibus, vt occideretur pro mundo, sanctum enim dicitur quod Deo segregatum est; ac si dicat, ex eo quod me Pater segregauit in salutem mundi, manifestè constat, quod ego non sim æqualis aliis Dijs, seu hominibus, qui participatiuè vocantur Dij, sed quod sim Deus verus. *Verè enim opus Dei est saluare, & non hominis gratia deificari*, ait Theophylactus. Aug. Beda. Maldonat. Ieremi. 1. Euthym. Theophyl. 77.

Tertia sententia interpretatur de sanctifica- 78.

tione

August. tione substantiali, & est D. Augustini, *Pater sanctificauit*, id est sanctum genuit, per generationem æternam. Pater cum natura diuina communicat filio suam sanctitatem. Sic ait D. Augustinus: *Vt enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit.* Sic etiam docent Beda, Haymon, Albertus Magnus, Carthusianus, Toletus, Lucas Burgensis, & alij. Quartò, & vltimo explicantur præfata verba de sanctificatione per vnionem diuin: suppositi. Eo ipso enim, quod hypostatis Verbi, quæ est ipsamet sanctitas increata, & infinita humanitatem assumpsit, eam plenissimè sanctificauit, eamque omni sanctitate gratiæ, charitatis, ac omnium virtutum repleuit. Vnde de Christo ait Paulus Rom. 1. num. 4. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm spiritum sanctificationis.* Ita D. Hilarius lib 7. de Trinitate, D. Athanasius lib. de Incarnatione Verbi, Diuus Chrysostomus hic. D. Thomas, & alij. Et hic sensus vt rectè notat Caietanus, maximè quadrat intentioni Christi Domini ad refutandam calumniam Iudæorum. Dixerunt enim: *Quia tu homò cum sis, facis te ipsum Deum.* Respondet Christus, quod quamuis sit homo, sic per vnionem hypostaticam sanctificatus est à Patre, vt Deus sit & homo. Provt eius sanctissima humanitas vnita est suppositò diuini Verbi. Hæc mihi videtur probabilior interpretatio Hugo Cardinalis sic explicat, quem Pater sanctificauit, seu sanctum declarauit in Baptismo.

Beda. Haymon. Alb. Magn. Carthus. Toletus. Burgens.

Rom. 1.

Hilar. Athanas. Chrysost. D. Thom. Caietan.

Hugo.

Ioan. 10. *n.* 37. Si non facio opera Patris mei; nolite credere mihi.

Num. 38. Si autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

Num 39. Quærebant eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.

VERSIONES.

D. Cyprian. Si non facio facta Patris mei.

Syriac. n. 38. Si autem facio: etiamsi mihi non credatis, illis operibus credite, vt sciatis, & credatis Patrem meum in me esse; méque in Patre meo.

Syriac. n. 39. Et studebant iterum prehendere eum: at euasit ex eorum manibus.

EXPOSITIO VII.

79. PRÆOCCVPAT Dominus obiectionem Iudæorum, & quia ipsi dicere poterant. Vnde tu probare potes, vt nos agnoscamus te esse sanctificatum, ac missum à Patre? Ideo ait: *Si non facio opera Patris mei.* Quia Dei natura est inuisibilis, & difficillima cognitu, ideo ad opera sua, quæ experientia, ac sensibus percipiuntur, remittit eos Christus Dominus. Theophylactus, ex D. Chrysostomo: *Vultis*, inquit, *scire æqualitatem cum Patre? à substantia non potestis scire (impossibile enim est scire substantiam Dei) sed accipite ex operum æqualitate, & identitate, indicium identitatis secundùm virtutem.* Idémque tradunt Euthymius, Bonauentura, & alij. Ad opera ergo recurrit, ex illisque comprobat suam identitatem cum Patre, ideo ait, si non facio eadem opera, quæ Pater sua infinita potentia facit, v. g. mortuos suscitare, ægris sanitatem conferre. *Nolite credere mihi.* Permitto vt non credatis; quæ concessio confidentiæ est, cum eius opera clarius luce esset eadem existere cum operibus sui Patris.

Theoph. Chrysost. Euthym. Bonauent.

80. *Si autem facio.* Opera scilicet Patris mei, & *mihi non vultis credere, operibus credite.* Si verba mea vobis non persuadent, persuadeant opera, vt cognoscatis ex eis, quis ego sim, & credatis, *quia Pater in me est, & ego in Patre*; per identitatem vnius naturæ, quæ mihi ab eo cum omnibus attributis est communicata. Vnde rectè asserunt D. Chrysost. & August. D. Cyrillus, Leontius, Theophylactus, Euthymius, Beda, D. Thomas, D. Bonauent. quod hæc verba: *Ego in Patre, & Pater in me est*; idem valent, ac illud quod supra Dominus dixerat: *Ego & Pater vnum sumus.* Vnde subdit D. Chrysostomus ad hæc verba homil. 60. in persona Christi: *Nihil ego aliud quam quod ego Pater, manens Filius. Nihil ille aliud, quam quod ego manens Pater: & qui me nouit, nouit Patrem: & qui Patrem nouit, & Filium.* D. Augustinus tract 48. in Ioannem: *Non sic dicit Filius*, ait, *in me est Pater, & ego in illo: quomodo possunt homines dicere, si enim bene cogitemus, in Deo sumus: & si bene viuamus, Deus in nobis est, fideles participantes eius gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus, & ipse in nobis; sed non sic vnigenitus Filius, ille in Patre, & Pater in illo, tanquam æqualis in eo, cui est æqualis.*

Chrysost. August. Cyrillus. Leont. Theoph. Euthym. Beda. D. Thom. Augustin.

81. *Quærebant ergo eum.* Illud aduerbium, *ergo*, indicat, quòd Iudæi verba Christi intellexerunt, quibus debebant mitigari, vt Domini sermonibus crederent, eisdem magis accensi furore sunt, vt eum apprehenderent. In Græco additur iterum quod alludit addd, quod superius narratum est in festo Scenopegiæ, Ioan. 7. num. 30. 32. & 39. *apprehendere*, nempe per ministros. *Et exiuit de manibus eorum.* Virtute nempe diuina faciendo se inuisibilem: vt fecit cap. 8. Ioan. num. 59. *De manibus eorum.* Quas virtute diuina retinuit, *ne eum apprehenderent*, ait, *quia manus fidei non habuerunt.*

Græcus. Ioan. 7. Ioan. 6.

Ioan. 10. *n.* 40. Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primùm, & mansit illic.

Num. 41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: quia Ioannes quidem signum fecit nullum.

Num. 42. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, vera erant, & multi crediderunt in eum.

VERSIONES.

Syriac. n.40. Et abiit trans Iordanem in eum locum, vbi fuerat Ioannes, prius dum baptizaret: fuitque illic.

Arabicus. In quo Ioannes baptizabat primum.

Syriac. n.41. Veniebant autem homines quamplurimi ad eum, & dicebant: Ioannem nec vnum quidem signum edidisse.

Arabicus. Non fecit signum aliquod.

Theophyl. Signum edidit nullum.

Syriac. n 42. Quæcumque autem Ioannes dixerat de viro isto.

Arabicus. Multi ex illis crediderunt.

EXPOSITIO VIII.

82. Chrysost. ABIIT *iterum.* Vt cederet furori Iudæorum. D. Chrysostomus: *Vt absentia ipsius sedetur, & quiescat indignatio.* Et dicitur, *iterum*, quia antequam Christus prædicatione se manifestaret, solebat illic ad tempus habitare, Ioan. 1. num. 28. *Trans Iordanem in eum locum.* Qui vocabatur Bethania, seu Bethabara. Vbi Ioannes primum in exordio suæ prædicationis baptizauerat. Ibique Christus ab eo baptizatus; postea Præcursor baptizauit in Aennem iuxta Salim, Ioan. 3. num. 23. Cur autem Christus potius tetenderit in illum locum, quam in alium docent communiter D. Chrysostomus, Leontius, Euthymius, Theophylactus, D. Thomas, Catthusianus, & alij. Vt turba Dominum ipsum secuta ex loci conspectu recordaretur testimonij, quod Ioannes ipse præbuerat, quòd verus Messias esset, & ita crederent in eum, & ideò hac de causa Euangelista notauit locum, ad quem se contulit. Addo etiam, quod ob suum eximium amorem in suum Baptistam, voluit repetere loca illa, in quibus ipse degerat, vt solent facere illi, qui multum se diligunt. *Et mansit illic*, per tempus scilicet aliquod.

Ioan 1. Ioan. 3. Chrysost. Leontius. Euthym. D. Thom. Ob amorem in Baptistam repetit Christus locu.

83. *Et multi venerunt ad eum.* Venerunt cum eo, fugientémque secuti sunt, & multi etiam ex aliis locis fama miraculorum Christi conuenerunt. *Et dicebant.* Duo ponunt efficacia argumenta, vt in Christum credant Primum: *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Ioannes cum tam magnus haberetur in populo, vt etiam de illo diuulgaretur opinio, quod esset Christus, tamen nullum fecit miraculum; ergo hîc præcellentior est Ioanne, dignissimúsque vt illi credatur, ac tanquam Messias habeatur. Ecce memoria Ioannis ad fidem profuit, atque vt in Christum crederetur inducebat: nam ex collatione vtriusque veritas deprehendebatur.

Memoria Baptistæ induxit ad fidem.

84. *Omnia autem.* Ecce alterum argumentum credendi. *Quæcumque dixit Ioannes: de hoc.* Nempe Iesu Christo. Quod ipse sit filius Dei, agnus Dei demonstratus, maior dignitate; fortiórque ipso Ioanne virtute miraculorum, ac efficacitate baptizandi in Spiritu sancto, & auferendi peccata mundi, Matth. 3. num. 11. Ioan. 1. num. 26. & sequentibus. *Vera erant.* Quæ dicebat Ioannes vera extitisse apertè probauit euentus. Euthymius: Quæcumque de hoc dixit Ioannes *vera erant rebus ipsis iam demonstrata.* Vnde subdit Euangelista: Et multi crediderunt in eum; quod ipse esset verus filius Dei, vetúsque Messias promissus in lege.

Matth. 3. Ioan. 1. Euthym.

CAPVT XXXII.

Adolescens interrogans de vitæ perfectione.

Matth. 19. num. 16. Et ecce vnus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?

Num. 17. Qui dixit ei: quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.

VERSIONES.

Syriacus. Et venit quidem accedens, ac dixit ei: Doctor bone, quid boni faciam?

D. Prosper. Quid faciens consequar vitam æternam?

Vatabl. Pagn. num. 17. Cur me vocas bonum? Nullus est bonus, nisi vnus, nempe Deus.

D. Augustin. Si autem vis ad vitam venire, serua mandatum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. num. 17. Et cum ingressus esset in viam procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam?

Num. 18. Iesus autem dixit ei: quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus.

Luc. 18. n. 18. Et interrogauit eum quidam Princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

Num. 19. Dixit autem ei Iesus, quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.

EXPOSITIO I.

1. Iansen. IANSENIVS cap. 10. hanc historiam cum ea de pueris oblatis ponit post historiam de Publicano. Quia verò Ioannes in fine superioris cap. 10. n. 40. ait, quod Iesus abiit Ioan. 10.

Historia textus Matth. 19.

iterum trans Iordanem; & Matth. scribit c. 19. n. 1. Quod Iesus *venit in fines Iudæa trans Iordanem*: Et cum ibi esset, interrogatus est à Pharisæis, *si licet homini dimittere uxorem*. Et postea manus imposuit super pueros oblatos. De quibus iam aliqua diximus suprà c. 18. Et quia prædicatoribus Dei verbi maximè inseruire intendimus; ideo iuxta Matthæi textum sequitur hæc historia.

2.

Ecce vnus. Cùm Euangelista ait, *ecce*, attentionem parat historiæ, *Vnus*, cupidus de sua salute, *accedens* ad abeuntem a loco, in quo prius erat.

D. Marcus.

D. Marcus scribit, genuflexo, quod denotat magnam reuerentiam, aut venerationem. *Magister bone*. Sic Hebræorum Doctores captandæ benevolentiæ causa pro magna laude, ac honore à suis discipulis salutabantur. *Quid boni faciam?* agnoscit ad obtinendam vitam æternam non otiosè esse viuendum, sed benefaciendum, ac operandum, vt certo habeam vitam æternam; nam, vt ait Abulensis: Christus de ista vita æterna prædicabat; ideo quæsiuit iste genus boni, quod faciendo in illam iret felicitatem. Quærit iste, ait Beda, in Marcum, vt doceatur: *non per parabolas, sed apertè, quibus operum meritis vitam æternam consequi possit*. In hoc iste laudandus, quod non postulat miracula, vt alij, *qui signum de cœlo petebant*, non corporis sanitatem, vt multi, qui petebant temporalia, sed ostendi sibi viam petit, per quam ad vitam æternam peruenitur, vt notauit D. Chrysost.

Abulens.

Beda.

Chrysost.

3.

Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? sic scribit D. Matth. At D. Marcus, & Lucas sic dictum referunt: *Quid me dicis bonum?* Et quamuis Euangelistæ disserepare videantur, minimè inter se discrepant, vtrumque dixit Christus Dominus, vt docet Augustl. lib. 3. de consensu Euang. c. 63. *Quid me dicis bonum, & interrogas me de bono?* Nam quid me dicis bonum? refertur ad illud: *Magister bone*. Quid me interrogas de bono? ad illud Magister bone. *Vnus est bonus Deus*. Marcus & Lucas habent. *Nullus bonus, nisi Deus solus*. Vnus Deus per se, & natura bonus est, habet enim à se omnem bonitatem, cuius fons est; à quo homo, & reliquæ creaturæ hauriunt bonitatem. Sicque Christus Dominus humiliter omnem laudem, ac bonitatem suam in Deum refert, vt nos idem facere instruamur. Sicque eum inducit, quòd si eum bonum agnoscit Deum esse fateatur. Ita communiter Patres; de quo latius, quæst. 2. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Is enim vitam assequitur, qui præcepta adimplet; non enim sola fides sufficit, sed etiam necessaria est mandatorum obseruatio. Adolescens dixerat vitam æternam, vt habeam vitam æternam. Christus solum appellat vitam, quia vita æterna simpliciter, ac propriè est vita permanens; hæc verò dolore plena, ac sensim deficit, ac ad mortem tendit.

Augustl.

Marcus. Lucas.

Obseruatio mandatorum ad vitam.

Qvæstio I.

Quis esset iste iuuenis, & quo animo accesserit ad Christum?

4.

Diues habetur vt Princeps.

Dlvvs Matthæus in præsenti n. 22. scribit de eo, quod *adolescens erat habens multas possessiones*; sic de eo narrat D. Lucas, quod *erat diues valdè*, & inter Iudæos Princeps. Et qui tam diues erat, & tantas possessiones habebat, planum est, quod & Princeps à populo haberetur.

Aliqui Patres antiqui, vt Diuus Hieronymus in præsenti, Diuus Ambrosius in cap. 18. Luc. N. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Thesaur. c. 1. D. Gregorius Nazianzenus orat. 36. quæ est 4. de Theolog. æstimant hunc adolescentem fuisse illum legisperitum, de quo scribit Diuus Lucas cap. 10. num. 25. Melius tamen Diuus Basilius homil. contra diuites auaros. D. Chrysostomus homil 64. in Matth. Euthymius, Theophylactus, docent hunc adolescentem esse diuersum ab illo legisperito; nam si esset legisperitus hoc Euangelistæ exprimerent, cum de eo declarant, quod erat diues, adolescens, ac Princeps, & cum esset adolescens communiter legisperitus reputari non poterat.

5.

Hieron. Ambros. Cyrill. Nazianz. Luc. 10. Basil. Chrysost. Euthym. Theoph.

Quantum ad animum, quo venit; citati D. Hieronymus, Ambrosius, D. Cyrillus, cum dicant fuisse illum legisperitum, consequenter dicunt quòd animo tentandi venit, vt etiam tenet D. Epiphanius hæres. 64. E contra tamen D. Chrysostomus, D. Basilius, Euthymius, Theophylactus citati Abulens. quæst. 107. & communiter recentiores Maldonatus, Barradas, Lucas Burgens. Cornelius, & alij docent hunc adolescentem non malo, sed bono animo, ac simplici ad Christum adisse. Accessit genuflexo, quod superbia Pharisaica non solebat facere. Secundò, quia quando aliquis tentandi animo Christum interrogat, hoc Euangelistæ solent explicare, quod de hoc adolescente nil tale significant. Tertiò, quia audita Christi doctrina de perfectione: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus*, tristis abiit: Nulla autem tristitiæ causa extabat, si simulato, ac malo animo Christum interrogabat.

6.

Hieron. Cyrill. Ambros. Epiphan. Chrysost. Basil. Euthym. Theoph. Abulens. Bono animo venit. Maldonat. Barradas. Burgens.

Qvæstio II.

Quare Christus redarguit iuuenem, quòd eum bonum vocauerit?

7.

Cyrill.

Ad quæstionem respondent, primò frequenter Patres, N. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 4. Thesaur. cap. 1. Ac si dicat Christus: *Cur*, ait, *ad hominem solummodo venis, & quod Deo naturaliter inest, mihi attribuis? Vnus est enim natura bonus; Deus videlicet: si ergo me credis Deum esse, æque adeo bonum, quid quæsis ad hominem venis? Sin autem Deum esse non putas, sed hominem solummodo, quare quod Deo soli attribuitur, homini accommodas?* D. Augustinus lib. 3. contra Maxim. cap. 23. *Rectè*, ait, me appellabis bonum, si me nouetis Deum. *Nam quando me nihil aliud, quam hominem putas*, Quid me dicis bonum? *Non te facit bonum, nec beatum, nisi bonum immutabile, quod est solus Deus*. Theophylactus: *Verbis istis*, ait, *Christus mentem hominis illius sublimiorem reddere vult, vt ipse tanquam Deus agnoscatur*. Idem docent D. Gaudentius tract. 7. D. Hieronymus, D. Ambrosius in Lucam, D. Nazianzenus cit. orat. 36. Sic respondet Christus adolescenti, qui eum bonum vocauerat: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi vnus Deus*. Vt scribunt Marcus, & Lucas. Venerat adolescens multum rudis in Christi cognitione, eum enim solum existimabat hominem, voluit ergo Dominus eum inducere ad plenam, ac perfectam sui fidem, ac proinde veluti obiurgando ait illi, quid me vocas bonum? crede me esse Deum, & tunc bonum dices, nemo enim per se bonus, nisi

Augustl.

Theoph.

Gaudent. Hieron. Ambros. Nazianz.

Ad plenam fidem inducitur adolescens.

Abulenſ. niſi vnus ſolus Deus. Vnde bene ait Abulenſ. q.113. Quòd hæc verba non ſunt dicta à Chriſto principaliter intentione redarguendi iuuenem, ſed dandi ei occaſionem, vt eum cùm bonum dicat, Deum eſſe intelligat.

8. Chryſoſt. Theoph. Secundò. D. Chryſoſtom. homil. 64. in Matth. *Ad altiora*, ait, *ſenſim Chriſtus adducebat iuuenem, atque ab adulationis vitio liberare volebat, vt ſimul & à terrenis abduceret, & Deo affigeret.* Similiter Theophylactus: *Aliud quiddam*, ait, *corrigit Chriſtus docendo adoleſcentem: ne aduletur his, cum quibus conuerſaturus eſt.* Acceſſit iuuenis blanda, & adulatoria voce Chriſtum bonum Magiſtrum vocans, Dominus vult ſenſim ad altiora adducere, vt autem ipſe inſtruatur, cum obiurgat Chriſtus, vt adulatorium animum deponens ad percipienda cœleſtia fiat aptus. Adulator enim omnium bonorum cœleſtium incapax eſt. Deinde vt ſe oſtendat Dominus valdè alienum ab adulatione, ne quis cogitet, quod blandiente voce aliquid ab eo impetrare valeat.

Adulator inceptus ad bona percipienda.

9. Hilar. Tertiò. D. Hilarius con. 19. in Matth. *Dominus*, ait, *in reſponſione ipſa ſeueritatem iudicij ex ſe futuri proteſtatur, dicens; quid me vocas bonum? ut enim, qui ſcit impia, & iniqua punire, nomine bonitatis abſtinuit, ſoli hoc nomen Deo Patri reſeruans: qui ſe iudicem dando officio ſeueritatis exuerit, non quod bonus & ipſe non eſſet, ſed quod congrua in eum ſeueritate iudex eſſet futurus.* Chriſtus Dominus à Patre ſuo conſtitutus eſt omnium iudex, vt vnicuique pro ratione factorum præmia, aut ſupplicia diſtribuat; bonitatis laudes à ſe reiicit, quæ iudicij æquitati quodammodo inſidiati valent. Chriſtus integerrimus iudex, nec elogiis ſubornari, nec laudibus corrumpi poterat, tamen eas deuitauit, vt nos doceat tales acclamationes declinare; nam cum hæc efficaciter animum alliciant, ac inclinent, facilè iuſtitiæ ſeueritatem eneruant, ac æquitati faſcinum inferunt.

Laudes animũ alliciunt, & ſeritatem iudicij eneruant.

10. Alb. Mag. D. Thom. Quartò. Albertus Magnus: *Hoc dictum eſt*, ait, *quid me dicis bonum? propter imperfectam voluntatem: quoniam temporale bonum in corde eligens; quæſiuit de bono ſpirituali.* Quod etiam docet D. Thomas: *Hoc dicit*, ait, *tanquam cognoſcens eius affectum, quia non habebat animum ad obediendum bono.* Adoleſcens Dominum ore bonum vocat; & tamen eius verba maximè diſſonabant ab eius corde; nam in ore reſonabant bona ſpiritualia, in corde verò temporalia retinebat, illius ergo laudes, quas lingua pronuntiauerat, reiicit Chriſtus, verba enim ore prolata, quæ longè diſcrepant à corde, contemnenda, ac parui facienda ſunt, inde tanquam obiurgando Chriſtus ea à ſe excludit, dicens: *Quid me dicis bonum?*

Verba, quæ diſcrepant à corde, parui facienda.

11. Celada. Quintò. Sic de hac re R. P. Magiſter Didacus Celada in Iudith, cap. 11 § 48. n. 233. notat, quod Chriſtus non reprehendit illos, qui tentantes eum dixerunt: *Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces*, Matth. 22. n. 16. Et tamen hunc iuuenem, qui bono animo venit, vt dixi ſuperiori quæſt. grauiter obiurgat, quia eum bonum appellauerat: *Quid me dicis bonum?* Cur non etiam arguit, quid me dicis veracem? Reſpondet ipſe, quod Dominus taxat epitheton, quod adoleſcens magiſtro poſuit, nempe: *bone*; dicens: *Magiſter bone.* Non enim eminentia magiſtri meta bonitas eſt, ſed veritas: vnde libenter admittit epitheton veri, quod inſidioſè tentantes appoſuerunt, nempe: *Magiſter verax.* Inuehitur verò in iuuenem ſimplici animo prædictum, quia eum bonum appellauerat, in laude decantanda, magis conuenientia ad proprium munus attendenda eſt, quam illius excellentia ac eminentia.

Matth. 22. *Veritas propria magiſtri excellentia.*

12. Cajetan. Sextò. Ait Chriſtus: *Quid me dicis bonum? vnus bonus Deus ſolus.* Caietanus; *Dixit hoc*, ait, *ad docendum exemplo ſuo, quod cum laudamur, retorquere proprias laudes in diuinam debeamus.* Non negauit Chriſtus Dominus his verbis ſe eſſe bonum, ſed adoleſcenti quaſi homo humiliter reſpondet, docens homines, omnium rerum bonitatem in vnum Deum, à quo procedit, referendam. Cum Eliſabeth innumeras Virginis laudes decantaſſet: *Benedicta tu inter mulieres. Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me.* Tunc ſanctiſſima illa anima veluti impatiens ſuas laudes recipere, totum Deo tribuens, ait: *Magnificat anima mea Dominum*, Luc. 1. num. 47. quod ponderans D. Bernard. ſerm. ... *In ſignum magnum*, ait, *magna quidem præconia: ſed & deuota humilitas, nihil ſibi paſſa retinere, in eum magis vniuerſa refudit, cuius in ſe beneficia laudabantur.* De his multa variis in locis.

Humilis ruit ſui laudes in Deũ refert.

Luc. 1. Bernard.

13. Auguſt. Septimò. D. Auguſtin. lib. 1. de Trinitate, c. 15. *Quid me interrogas*, ait, *de bono? id eſt, iſtam formam, quam vides, quid interrogas de bono, & vocas me ſecundum quod vides, magiſtrum bonum? Hæc forma filij hominis eſt: hæc forma apparebit in iudicio, non tantum iuſtis, ſed impiis. & huius formæ viſio non erit in bonum eis, qui malè agunt.* Ac ſi dicatur in perſona Saluatoris ad adoleſcentem. Quid me dicis bonum? Nam hæc forma filij hominis, quæ in iudicio apparebit, & valdè apparet bona iuſtis, & piis, ac pro eis intercedit, & loquitur ad Patrem. At *huius forma viſio non erit in bonum eis, qui malè agunt.* At hæc ipſa humana Saluatoris figura iniquis, & temporalia affectantibus, vt tu es ô adoleſcens, non apparebit eis tanquam bona, ſed vt valdè dura, ipſóſque torquebit, ac damnabit, & quid magis terribile, ac formidabile, quam quod ipſa Saluatoris figura, quæ nobis Patrem reconciliauit, ac placabilem reddidit, ipſamet nos in iudicio accuſabit, & damnabit, ac æterno ſupplicio tradet?

Valdè durum habere mortem à ſui reconciliatore.

14. 2. Reg. 18. Cùm Abſalon penderet è quercu. *Tulit Ioab lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon*, 2. Regum 18. n. 14. cúmque ibi interfecit. Valdè mirum ſanè! quod mors ſit iuuenì illata à Ioab, qui pro ipſo apud Patrem, multa ſermonis figura interceſſerat, 2. Regum 14. n. 19. Cur alta Dei prouidentia diſponitur, vt Ioab, qui erat amiciſſimus Abſalon, qui apud patrem pro illo fuerat locutus, modo illius ſit crudelis carnifex? In maius ſanè Abſalon ſupplicium hoc ordinatur, vt illius ſit acerrimus carnifex, qui eius fuerat pius mediator, vt ab illo reportaret mortem, per quem olim obtinuerat veniam. D. Chryſoſt. in Pſalm. 7. *Quod eſt*, ait, *admirabilius, qui Patrem ei reconciliauit, is ipſum interficit, propemodum inſtans vehemens accuſator.*

2. Reg. 14.

Magnũ ſupplicij vt tui mediator, ſit tui damnator. Chryſoſt.

Matth. 19. num. 18. Dicit ille: quæ? Ieſus autem dixit? non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falſum teſtimonium dices.

Num. 19. Honora Patrem tuum, & matrem tuam, & diliges proximum

proximum tuum, sicut te ipsum.

*Num.*20. Dicit illi adolescens: omnia hæc custodiui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest?

VERSIONES.

*Syriac.n.*18. Non occides: non mœchaberis.

*Syriac.n.*19. Et diliges proximum tuum, vt animam tuam.

*Syriac n.*20. Hæc omnia obseruaui à pueritia mea, in quo defectuosus sum?

Arias. Quid adhuc deficio?

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. *num.*19. Præcepta nosti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum, & matrem.

*Num.*20. At ille respondens, ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea.

*Luc.*18.*n.*20. Mandata nosti: non occides: non mœchaberis: non furtum facies: non falsum testimonium dices: honora patrem tuum & matrem.

Num 21. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.

EXPOSITIO II.

15. INCERO, ac candido animo dixit adolescens: *Quæ*, vt iam suprà dixi quæst.1. & cùm interrogat, quæ præcepta ab eo obseruanda sunt, dupliciter explico. Primò, an ea præcepta, quæ à Moyse erant tradita in lege, vel illa, quæ à Iesu nouo Doctore regni cœlorum suis discipulis, ac sectatoribus dabantur. Vel secundo, viderat adolescens multa esse præcepta legalia, quæ Moyses sanciuit, & insuper multas esse traditiones Scribarum, ac Phariſæorum, quæ præcepta hominum dicebantur, & inter mandata antiqua, ac nouas & recentes traditiones multa, & præmixta erat confusio, vt semper animus ad illa fuisset anceps, & dubius, ac aliquando perplexus, vt illa omnia non valeret memoria retinere, & ideo adolescens quærit, quænam mandata sint ab eo custodienda: ex his bonus gubernator instruatur, ne innouet leges, ac multiplicet mandata, vt in subditis confusionem faciat.

Multitudo mandatorum in subditis parit confusionem, ac obliuionem.

16. *Non homicidium facies.* Proponit Dominus præcepta antiqua in lege à Moyse promulgata, & minutim omnia mandata non recensuit, sed ex numeratis alia intelligi voluit, quæ non numerauerat, præsertim cùm sermo esset bene in lege instructo; & nullam facit hic Dominus mentionem de præceptis primæ tabulæ, quæ ad Deum spectant, sed tantum de præceptis secundæ tabulæ, quæ proximum respiciunt, ad quod bene respondet Abulens. hoc loco, quæst.124. quod in præceptis secundæ tabulæ includuntur præcepta primæ tabulæ; amor enim Dei in amore proximi includitur; nam amor Dei amorem proximi producit: amamus enim proximum propter Deum, ex eo enim, quod omnium rerum auctorem diligimus, illius opera amamus. Abulens. *Præcepta primæ tabulæ includuntur in præceptis secundæ.*

17. *Dixit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea*; à puero nempe in lege Dei educatus sum, & illius gratia præuentus, omnia mandata studiosè seruaui: *Quid adhuc mihi deest?* vt securè, ac certo in vitam æternam deueniam. Syriacus legit: *In quo defectuosus sum?* boni scilicet, ac bonitatis, vt in ea proficiscar, & habeam vitam æternam. Syriacus.

QVÆSTIO III.

An adolescens in eo quod asseruit: Custodiui omnia mandata, *sit mentitus?*

18. MAGNA difficultas est in hac re, an adolescens in hoc suo dicto: *Omnia mandata seruaui*, sit verum locutus? D. Hieron. hic ait: *Mentitur, si enim hoc, quod positum est in mandatis: diliges proximum tuum sicut te ipsum: opere complesset, quomodo postea audiens.* Vade, & vende quod habes, & da pauperibus. *Tristis recessit, quia habebat multas possessiones?* Similiter D. Basil. hom. in diuites auaros, ait: *Quod mentitus est.* D. August. epist. 89. *Quod arroganter locutus.* Eodem modo D. Irenæus lib. 4. c. 26. Auctor Imperfectus hom 33. D. Ambrosius præfat. in 1. Psalm. Clemens Alexandrinus lib. 4. stromat. Qui eo fundamento nituntur, quod cum audisset verbum, da pauperibus; *abiit tristis.* Sapienter quidem, in corde enim vbi tam vehemens affectus ad diuitias, ac possessiones dominatur, diuina Dei gratia non solet assistere. Hieron. Basil. August. Irenæus. Imperfect. Ambros. Clem. Alex.

19. Oppositum tamen, quod scilicet adolescens non mentitus, sed vera locutus, docent Origenes homil. 8. in Matth. Beda, Marc. 10. & hoc cap. 19. Matth. Euthymius, Lyranus, Abulensis, Carthus. Maldonatus, Salmeron, Barradas, Cornelius. Et niruntur optimo fundamento, nam postquam ipse dixit se omnia illa mandata seruasse. Addit D. Marcus: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.* Absque dubio quia vera loquebatur, & mandata seruauerat. Beda citatus: *Si mendacij, aut simulationis*, ait, *noxa rem teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis eius, eum diligere diceretur Iesus. Diligit enim Dominus eos, qui mandata legis, quamuis minora custodiunt.* Origen. Beda. Euthym. Lyranus. Abulens. Carthus. Maldonat. Barradas. Cornel.

20. Confirmatur ex Origen. citata hom. 8. qui ait: *Christus Dominus quasi consentiens ei, qui dixit: Hæc omnia feci, respondit: Vade, vende omnia, da pauperibus.* Non arguit Dominus adolescentem de mendacio, sed veluti dictis eius consentiens, ei maiorem perfectionem ostendit. Vnde citatus Origen. iuxta Marcum habetur: *Dilexit eum*, vel, *osculatus est eum: videtur enim affirmasse professionem eius, omnia hæc seruasse à iuuentute mea.* Origen.

Nec ratio in oppositum omnino conuincit. Nam diligere proximum, sicut se ipsum, est præcepti: dare verò omnia pauperibus est consilij.

Ad

Ad implendum autem præceptum dilectionis proximi, sat est, quod homo pro loco, & tempore commodè det aliqua, alias diuites, qui habent possessiones multas, si non dant omnia sua pauperibus, proximos non diligunt sicut se ipsos, quod nullo modo est dicendum; hoc enim tantùm est consilij, & Christus, vt ad maiorem perfectionem iuuenem promoueret, hoc subiecit, vt omnia sua relinquens pauperibus daret.

Matth.19. num.21. Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.

Num.22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones.

VERSIONES.

Orig tract.8. in Matth. Vende omnia, quæ possides.

Arias. Vende substantiam tuam.

Syriacus. Ito, & vende possessionem tuam, & eroga pauperibus, & futurus est tibi thesaurus in cœlis, veníque post me.

D.Dorotheus. Vnum tibi deest, vt tollas crucem tuam, & sequaris me.

Pagnin n.22. Cùm audisset hunc sermonem adolescentulus.

Syriacus. Abiit ægrè ferens, habebat enim possessionem multam.

Græcus. Recessit merore affectus.

Euthymius. Abiit contristatus.

Arabicus. Habens multa bona.

Alter Textus.

Marc.10. num.21. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deest: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me.

Num.22. Qui contristatus in verbo, abiit mœrẽs: erat enim habens multas possessiones.

Luc.18.n.22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest: omnino quęcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.

Num.23. His ille auditis, contristatus est: quia diues erat valdè.

EXPOSITIO III.

VT adolescens dixisset se omnia mandata seruasse. Scribit D. Marcus: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.* Tunc Christus Dominus oculorum visu singularem amorem, ac beneuolentiam erga eum denotauit, qua amplectitur, ac diligit obseruantes mandata. Tunc dixit ei Iesus, vt scribit D. Lucas: *Adhuc vnum tibi deest.* Quæ verba indicant iuuenem non fuisse mentitum. *Si vis perfectus esse.* Consummatus nempe in omni iustitia, & sanctitate. Hoc non est præceptum Euangelicum, sed consilium. Ideo ait, *si vis*, non iubeo, sed consulo, & ad altum perfectionis apicem te stimulo, vt notarunt D. Hilarius, D. Chrysostomus, D. Hieronymus, D. Augustinus, D. Paschasius, D. Thomas, D. Bonauent. *Vade*, scilicet in domum tuam. Cum alter adolescens petit facultatem eundi domum suam, vt parentem suum sepeliat, negat ei Christus dicens: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, Matth.8.n.22. Huic verò dat licentiam pro eleemosynis faciendis, in tanta æstimatione est apud Deum eleemosyna, vt propriæ parentum sepulturæ videatur præferenda. 22. D.Marcus. Hilar. Chrysost. Hieron. August. Matth.8. *Eleemosyna propria parentum sepultura præferenda.*

Vende, absque coniunctione, *vade, vende.* Coniunctionis omissio magnam emphasim habet, vt denotaretur, quod in operibus charitatis nulla sit mora facienda, sed vbi domum attigeris, vende, & da. *Vende*, magno animo, ac contemptu rerum temporalium. *Quæ habes.* D. Marcus, & Lucas scribunt: *Omnia quæcumque habes, vende.* Et Syriacus vertit, *possessionem tuam.* Vniuersa enim tua, nil tibi retineas. Vende, & ex pretio habito *da pauperibus.* Non ait, da cognatis, & amicis diuitibus, quia, vt inquit D. Remigius, hoc est affectus amoris naturalis, quo facultates tuas à te non abdicas, sed quasi asseruandas tuis tradis. *Et habebis thesaurum in cœlo.* Non enim tuas opes perdis, sed eas melius tibi colligis, ac recondis. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prouerb.19.n.17. *Iactura substantiæ terrenæ cælorum opes emuntur*, vt ait D. Hilarius. *Veni sequere me*, cum paupertate, & rerum contemptu. D. Hieronymus ad Rustic. *Christum nudum nudus sequere.* 23. *Eleemosyna citò facilis.* Syriacus. Remigius. Prou.19. Hilar. Hieron.

Ponit hic Dominus tria præcipua consilia Euangelica, quæ Christi amore omnes Religiosi suis tribus votis sequuntur. Primum consilium continentiæ, ac castitatis num.12. *Sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Secundum paupertatis. *Vende quæ habes, & da pauperibus.* Tertium obedientiæ. *Veni sequere me.* Obedi nempe mihi, meísque mandatis, meámque obedientiam vsque ad mortem, sequere, & imitare. Vide D.Thom.2.2.q.186.art.8. 24. D.Thom.

Cum audisset autem adolescens verbum. Sed, vt habet Syriacus, *sermonem istum.* Non irrisit sermonem, aut calumniatus est, seu obmurmurauit, vt faciebant frequenter Pharisæi, iste enim candido, ac simplici animo discendi, ac obtemperandi accessit. Audiens autem à se diuitias esse abiiciendas territus est rei difficultate, & quia ei promptitudini, qua venerat, non cohæreret; ideo verecundia affectus, nec vnum verbum respondit: Vnde fortè ob sui leuitatem dicitur adolescens; in quo 25. *Interrogati, vt qui defecerat, ne dicat-*

Iudaicum populum significarum intelligit. Diuus Chrysostomus homil. 33 in Matth. *Iudaicus*, ait, *populus erat adolescens, non aetate, sed lenitate: moribus immaturis, non annis.* Quando accessit, vocauit bonum Magistrum. *Magister bone.* Sic aliquorum mos est, quod sæpe alios laudibus euehunt, in adulatione extorqueant, quæ ipsi desiderant, at vbi euentus illorum votis non respondet, omnino tacent, & amplius nil laudis dicunt.

Chrysost. *Populus Iudaicus immaturus.*

26. *Abyt tristis.* Seu tristis factus, ac mœrens dejecto animo. D. Hieronymus in Catena: *Abyt tristis. Hæc est tristitia, quæ ducit ad mortem.* Qui enim à Christo discedit, tristitia repletur, qui verò est in eius consortio, gaudio exultat. *Habens multas possessiones.* Ideo tristatur, quia à se possessa audit dimittenda. D. Augustinus Epistol. 43. ad Paulinum, & Tetasiam: *Vnde* ait, *inuenis iste tristis discessit, nisi quia magnas habebat diuitias? Aliud est enim nolle incorporare, quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere: illa enim velut extranea repudiantur: ista velut membra præcinduntur.*

Hieron. *Solum in Christo lætitia.*

August.

Qvæstio IV.

Quare benignitas in pauperes constituitur via ad omnes perfectiones.

27. Hinc paupertate Euangelica est sermo, quæ non sub præcepto traditur, sed sub consilio, vt docent Patres citati in expositione. D. Paulin. Epist. 2. *Consilium enim dat*, ait, *non præceptum, qui non dicit: esto perfectus, sed si vis esse perfectus: quia libertas voluntatis, quæ bona cum est, supra legem est, non cogitur, sed suadetur, & ipsa sibi lex est.* Vt ipsa perfectio vndique consummata existat, ad eam Christus præcepto non obligat, sed voluntatis affectu pulsat auditorem, nam dum ipsa voluntas sibimet lex est, maximè condecorat opera, & nobilitat actiones; nam ex voluntate, ac pietate comite jucunda Christi est schola, vt dixit D. Gregorius Nazianzen. orat. 8. *Volentium enim est pietatis sacramentum.*

Paulin. *In voluntatis operatione crescit perfectio operis.*

Nazian.

28. Ad nostram quæstionem, cuius difficultatem addubitans proponit Origen. tract. 8. in Matth. *Si perfectus est*, ait, *qui habet omnes virtutes, quomodo qui vendit omnia sua, & dat pauperibus? Quomodo statim erit sine ira, sine concupiscentia, suscipiens omnes virtutes, & deponens vniuersam malitiam?* Perfectus vitio caret, & omnibus virtutibus insignitus existit, qui autem dat eleemosynam pauperibus, pietatem ostendit, quomodo ergo ibi omnibus virtutibus resplendet?

Origen. *Difficultas quæstionis.*

29. Sic respondet citatus Origenes: *Non tamen sic, vt in ipso tempore, quo tradit bona sua pauperibus, fiat omnino perfectus: sed in illo die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes.* Vbi primum homo pauperibus bona sua erogat, ipsa Dei speculatio eum ad omnes virtutes adducit; ipsa speculatio sumi potest, actiuè, & passiuè. Actiuè prout eleemosynarius in paupere Deum contemplatur, deinde erga eum, charitatem, humilitatem, ac mansuetudinem exhibet. Vel passiuè, prout Deus eximium eleemosynarij affectum speculatur, vt ad eum faciem suam conuertat, ipsúmque omni dono, ac virtute repleat. Vnde D. Augustinus lib. 5. contra Faustum, cap. 9. expendens præfata verba Matth. *Si vis perfectus esse, vade vende, quæ habes, da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.* Veluti dubium nostræ quæstionis attingens, ait: *Huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis subiungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: Esurijui, & dedisti mihi manducare.* Pauperum grex, à magno Doctore appellatur stipendiaria multitudo; quodnam stipendium soluent pauperes, cum ipsi omnibus sint destituti? Rectè sanè est *stipendiaria multitudo.* Quia tanquam sub nomine tributi, ac stipendij suo benefactori pietatis vectigal pendit, in hac vita conferens omne virtutis bonum, & in altera æternam beatitudinem pandens, & inde dicitur quòd homo habeat thesaurum in cœlo.

Eleemosyna constituitur via ad omnes perfectiones.

August.

Eleemosyna pro stipendio habet salutem.

Animalia immunda in linteo ostensa Petro Gentiles denotabant, vt docent D. Augustinus citand. D. Basil. in cap. 14. Isai. D. Chrysostomus, Lyran. Carthusianus, & alij, de quibus dicitur Petro: *Surge, occide, & manduca.* Quod cum Petrus recusaret quadrupedia, & serpentia terræ manducare, statim audit: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Quod de Cornelio Centurione iam iam ad Petrum veniente, ac accedente dicebatur. Sed vnde Cornelius, qui olim extiterat Gentilis, ac gentium more vixerat, tantum habuit, vt Angelus ei appareret, à quo præmonitus est, vt ad se Petrum aduocaret, à quo illuminatus est in fide Christi, sanctum Baptisma susceperit, ita mundatus, ac purificatus est, vt Christi membrum meruerit fieri, ac eius Ecclesiæ incorporari? Ipsemet Angelus rem illi explicat: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*, Actorum 10. n. 4. Sic potens est eleemosyna purificare, vt Gentilem hominem valeat ab omni squaloris macula mundare, vt fiat delicatus, & aptus cibus, vt Christo, ac eius Vicario Petro valeat conuiscerari. D. Augustin. serm. 26. de Diuersis: *Quoniam*, ait, *in significatione Petrus personam gestabat Ecclesiæ. Ecclesia corpus Christi est. Respiciat ergo iam mundatas gentes, quibus peccata donata sunt. Vnde miserat ad illum Cornelius Gentilis homo, & qui cum illo Gentiles erant. Huius eleemosynæ acceptæ mundauerunt eum ad quendam modum, restabat autem, vt tanquam cibus mundus incorporaretur.*

30. August. Basil. Chrysost. Lyran. Carthus.

Actor. 10. *Per eleemosynam homo mundatur, ac incorporatur Christo.* August.

Pro hac munditie, quam eleemosyna præstat, maximè facit D. Ambrosius serm. 31. *Ita eleemosyna*, ait, *extinguit peccata, sicut aqua Baptismi gehenna extinguit incendium: ergo eleemosyna quodammodo aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit, superest ei, vt iterum eleemosyna inundetur.* Nota sequentia verba sancti Doctoris: *Nisi quod salua fide dixerim: indulgentior est eleemosyna, quam lauacrum: lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* Exaggerat sanctus Pater efficaciam eleemosynæ, vt id, quod Baptismus semel præstat, eleemosyna sæpe promereatur, & impetret, non tanquam Sacramentum, vt Baptismus, sed dispositiuè tantùm, prout hominem disponit, ac præparat, vt veniam, ac gratiam assequatur.

31. Ambros.

Matth. 16. *num.* 23. Iesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.

Num. 24. Et iterum dico vobis; facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intra regnum cœlorum.

VERSIONES.

D. Hilarius. Can. 19. Difficile diuitem ventutum in regnum cœlorum.

D. Chrysost. homil. 64. Difficile diuites intrabunt.

S. Gaudentius hom. de vilico. Quàm difficilè, qui pecunias habent intrare in regnum cœlorum.

Syriacus. Rursus verò dico vobis: facilius est camelum ingredi per foramen acus, quàm diuitem ingredi in regnum Dei.

Luc. Burgens. ex Græco. Leuioris laboris est camelum, &c.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. num. 23. Et circunspiciens Iesus, ait discipulis suis: quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

Num. 24. Discipuli autem obtupescebant in verbis eius: at Iesus respondens ait illis: filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.

Num. 25. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

Luc. 18. n. 24. Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

Num. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum.

EXPOSITIO IV.

31. D. Lucas. VIDENS Iesus iuuenem tristem, vt scribit D. Lucas, ex eius tristitia occasione accepta, dixit discipulis suis: *Diues difficile intrabit in regnum cœlorum*: quia diuitiarum cupiditas radix est omnium malorum, vt testatur Apostolus 1. Timoth. 6. n. 10. Ex qua oriuntur furta, rapinæ, & lites; carúmque possessio fomentum est omnium iniquitatum, superbiæ, gulæ, luxuriæ, ac aliorum vitiorum. Vnde D. Augustinus lib. 83 quæstion. quæst. 36. appellat 1. Tim 6. August. tetentionem bonorum venenum virtutis, nutrimentum malorum. Vt etiam lib. 7. de Ciuitate cap. 4. D. Gregorius lib. 2. moral. cap. 17. Gregor. 33.

Et iterum dico vobis. Id, quod dixerat, modò, magis amplificat, & durius repetit, tanquam si diceret: Superius proposui difficile esse diuitem saluari, nunc addo, quod *facilius est camelum per foramen acus transire*, hoc erat vulgare prouerbium apud Magistros Iudæos, ad rem difficilem, vel impossibilem significandam; *quàm diuitem intrare in regnum cœlorum*. Illo ergo communi, ac vulgari prouerbio, exaggeratione, ac hyperbolica locutione explicat Dominus, quàm difficile sit, diuites saluari, vt hac sententia Magnates sæculi deterreantur, quæ sunt Dei cogitent, & quæ sunt charitatis in proximos exhibeant. Quod magis explico sequenti quæst.

QVÆSTIO V.

Explicatur hæc Domini sententia: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum.

VALDE diuersimodè auctores non cameli, sicut & foramen acus interpretantur. 34. *Duplex sententia.* Primò. Cùm nomen Græcum hic positum sit æquiuocum, & significet tam funem nauticum, quo ligantur naues; & etiam animal vulgariter camelum dictum; ideo aliqui aiunt, vt testantur Theophylactus, & Euthymius, quod camelus in præsenti significat crassum funem, quo Nautæ vtuntur ad proiiciendas anchoras. Alij, vt Glossa, Magister historiæ Ecclesiast. cap. 101. & Albertus Magnus, dicunt in Ierusalem fuisse portam quandam paruam, quæ acus dicebatur, per quam cameli cum oneribus non poterant intrare, & ideo necesse erat exonerari, vt ingrederentur, & hoc commentum non displicuit Caietano. Theophyl. Euthym. Glossa. Magist. Hist. Albert. Mag. Caietan.

Pro explicatione quæstionis tria notanda sunt. 35. *Tria notata.* Primò hic significari animal grande, ac altum, & gibbosum, quod vulgariter camelus appellatur, est communis sententia. Ita D. Augustin. lib. 2. de quæst. Euangel. cap. 47 D. Gregorius lib. 35. moral. cap. 11. Et hic Origenes, S. Hilarius, D. Chrysostomus, D. Paschasius, S. Thom. & alij communiter. Erat vulgare prouerbium apud Hebræos ad significandam rem difficillimam, ac impossibilem dicere: facilius transibit camelus per foramen acus, quàm talis res fiat, & hoc prouerbio vtuntur etiã Thalmuldistæ, vt testatur Caninius in nominibus Hebraicis Noui Testamenti. Secundò Emmanuel Sà, & Lucas Burgens. foramen acus interpretantur, vel quod habet acus in fine, vel quod facit acus cuspide. Tertiò. Vt rectè notarunt D. Remigius, Albertus Magnus S. Thom. D. Bonauent. Carthusianus, Abulens. quæst. 167. in fine, per diuites intelliguntur illi in præsenti, qui multo tempore amant suas diuitias, in eisque confidunt, ac in illis collocant suam spem, de his loquitur Christus Dominus iuxta Marc. citatum, num. 24. ait suis discipulis: *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei intrare, facilius est camelum*, &c. Nam diuites illi, qui habent diuitias, & eas non amant, nec in illis confidunt, possunt intrare in regnum cœlorum, & sunt valde laudabiles, de illis dicitur Eccles. 31. num. 8. Communis prouerbium. Sà. Burgens. Foramen acus. Remig. Alb. Magn. D. Thom. Bonauent. Carthus. Abulens. Qui diuites dicantur?

Eccles. 31. num.8. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecunia, & thesauris.* Et statim subditur: *Quis est hic, & laudabimus eum?* Talis enim laudabilis est, & beatus vocatur.

36. *Communior & vera explanatio textus.* Primò respondeo ad quæstionem cum communi sententia Patrum, in præsenti explicat Dominus hoc communi prouerbio, *facilius camelus intrabit*, &c. Quam difficile sit diuitem intrare in regnum cœlorum. Dixerat enim ipse suprà: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*, Matth.7. num.14. Modo angustias huius viæ, nobis ante oculos obiicit, admonens, quod nullus illuc est intraturus, nisi à sæcularium rerum sarcina exoneretur, sicut enim foramen acus non est capax cameli proper nimiam sui angustiam, & propter grādem illius molem, ac tumorem. Ita quoque via, quæ ducit ad vitam, non capit diuitem propter sui angustiam, & propter huius tumoré. Vt ergo dives ingrediatur, ait Euthym. *Oportet omnem repellere tumorem iuxta Apostolum, & attenuari per voluntariam paupertatem.* S. Maxim. hom. in festo S. Michaëlis: *Quisquis ergo*, ait, *honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul enim vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens repercurso limine retrorsum redire cogit.* Ex quo admoner S. Sixtus lib. de diuitiis: *Instruatur dives*, ait, *vt pauper ingredi contendat, quo opulentus intrare non poterat.* Nam vt ait S. Hilarius Can. 29. in Matth. *Grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata.*

Matth. 7. Euthym. Maxim. *Quam difficiliter dives ingrediatur in cælum.* Sixtus. Hilar.

37. Itaque in textu facilius est camelum per foramen acus transire, &c. hoc non indicat impossibilitatem, sed nimiam difficultatem vt dives ingrediatur in cælum, si quis verò his non contentus insteт, quod dicitur in textu: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem*, &c. Quod denotat quandam impossibilitatem. Respondebitur cum D. Thom. hic. & Abulens. quæst. 168. Quod camelus non possit intrare per foramen acus, hoc est secundùm leges naturæ; quòd autem dives, qui amat diuitias, in eisque confidit, cum sit in peccato mortali secundùm leges diuinæ iustitiæ non potest intrare in regnum cælorum; facilius autem est, vt omnis natura subuertatur, quàm quod diuina iustitia immutetur. Deus enim fidelis est in promissis suis, & se ipsum negare non potest, 2. Timoth.2 num.13. At interueniente Dei manu, eiúsque gratia, qua ex peccatore homo conuertitur, & fit iustus, tunc expeditè intrat, & aduolat in cælum. De quo infrà in hoc cap. num.44.

D. Thom. Abulens. 2. Tim. 2.

38. *Diuitiæ diuitibus non sunt in suum commodum, sed in onus, ac impedimentum.* Secundò moraliter. Camelus non valens intrare per foramen acus significat diuites superbos, ac tumidos, in quorum dorso incumbunt largæ latæque sarcinæ, quæ tantum sunt ad commodum aliorum, ipsisque camelis non sunt ad vsum, sed tantum ad impedimentum, ne valeant intrare per angustam portam cæli, ipsáque cœlestia dona accipere. D. August. serm.33. de tempore, de hoc adolescente pertractans, sic ait: *Vtique qui dicebat*: quid boni faciam, *vitam æternam desiderabat, sed plus amabat, quod tenebat; vidit Dominus occupatas manus dare vult, sed non habet, vbi ponat, occupatæ sunt manus accipientium, dicit enim tibi Dominus Vade vende, omnia da pauperibus, & pone illa in cælo, quia in terra impediunt.*

August.

39. Tertiò. Auctor Imperfectus homil. 35. tenet, quòd camelus significat Gentiles, acus verò Christum Dominum, sic ait ipse: *Gentium anima assimilata sunt tortuosis camelis, in quibus erat gibbus idololatriæ: quia cognitio Dei eructio est animarum. Acus autem est filius Dei: cuius prima pars subtilis est secundùm diuinitatem, alia verò grossior secundùm incarnationem eius. Tota autem recta est, & nullam habet deflexionem, per cuius vulnus passionis gentes ingressæ sunt in vitam æternam, ac acu consuta est immortalitatis tunica: ipsa est acus, quæ spiritu consuit carnem. Hæc acus Iudaicum populum iunxit, & gentium: hæc autem amicitiam Angelorum, & hominum copulauit: facilius est tamen gentes transire per foramen acus, quam diuites Iudæos intrare in regnum cælorum.* Hæc ille, & satis eruditè.

Imperfect. *Acus Christum, camelus gentes denotat.*

Non omittam tamen, quæ in eadem cogitatione eleganter hic D. Paschasius lib. 8. in Matth. scribit: *Acus*, ait, *geminam formam habet, priorem acutissimam, per quam cuncta perforat, ac penetrat, & aliam vero retro, quæ perforata est, & post se fila trahit. Vnde nec immeritò per acum ipse Christus intelligitur perforatus in Passione: per quod vtique foramen omnia ad se, & post se trahit. Cuius diuinitas penetrat omnia, pertingit ad omnia: cuius humanitas, quia passa est trahit post se omnia, per cuius vulnus passionis gentes ingressæ sunt in vitam æternam. Et diuinitas eius ac si prior pars cuncta nostra penetrat, & perlustrat interiora, à quo consuta est immortalitatis tunica, quæ olim concisa fuerat per Adam.* Quomodo diuites, qui designantur per camelum, vt suprà dixi, intrabunt per foramen acus, ac in cælum? Acus Christum adumbrat, in cuius ineffabili composito natura diuina omnia penetrat, & pertingit; humánitas verò tot foramina habet, quot vulnera in passione susceпit, qui autem sic se extenuat, ac componit, vt eius vulneribus adhæreat, ac in his foraminibus petræ recipiatur instar fili in acus foramen deductus, omnia securissimè tenet, ad quæ diuinissima illa acus intrat. Die quæso, quo ingreditur acus, & non ingrediatur filum eius foramini immissum? Sic nullò ibit Dei filius, quo non erat ille, qui eius sæcatissimis vulneribus adhæret.

40. Paschas. *Qui Christi vulneribus adhæret, ad omnia cælestia bona transit.*

Cum audit Thomas Christum surrexisse à mortuis, ait *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*, Ioan.20. num.25. Cum nuntiatur Thomæ gloriosa Christi Resurrectionis vita, pro signo, ac testimonio tanti triumphi non quærit videre quatuor dotes glorioſi corporis, illius scilicet claritatem, penetrabilitatem, &c. sed tantum lethalia vulnera, quæ potiùs mortis, quàm vitæ indices erant. D. Chrysologus serm.84. *Quæsiuit iste*, ait, *Thomas, non solùm cordis sui, sed omnium hominum curabat incertum. Certè prophetia magis, quàm cunctatio fuit.* Pro testimonio magnificæ Resurrectionis, non dotes, sed vulnera quærit, ex halitu doctrinæ Christi prophetali spiritu agnouit, quòd magis ipsa vulnera, quàm dotes corporis glorioſi glorias indicabant, ac proinde pro efficaciori, & maiori testimonio non dotes, sed vulnera corporis Christi petit.

41. Ioan. 20. Chrysol. *Christi vulnera animo bonum indicant.*

Matth.19. Auditis autem his discipuli
num.25. mirabantur valde dicentes:
Quis ergo poterit saluus
esse?

Num.26. Aspiciens autem Iesus dixit illis: apud homines

hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.

VERSIONES.

Pagnin. n. 25. His auditis discipuli expauerunt.

D. Hilarius Can. 20. Discipuli admirabantur, & metuunt: dicentes, neminem posse saluari.

Euthymius. Discipuli exterriti sunt valde.

Syriacus. Discipuli autem cum hæc audissent, obstupuerunt vehementer, & inquiunt: quis potest seruari?

Græcus n. 26. Intuitus eos Iesus.

Syriacus. Apud Deum verò nihil non possibile est.

Alter Textus.

Marc. 10. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: & quis potest saluus fieri?

Num. 27. Et intuens illos Iesus, ait; apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.

Luc. 18. n. 26. Et dixerunt, qui audiebant: & quis potest saluus fieri?

Num. 27. Ait illis: quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

EXPOSITIO V.

42. *His auditis.* Quod tam arcta, & angusta esset via vitæ, támque difficillimum, diuitem in regnum cœlorum introire. *Discipuli mirabantur valde.* Seu vt alij legunt, *expauerunt.* Syriacus, *obstupuerunt*, seu vt habet Euthymius, *exterriti sunt.* Ob tam arduam doctrinam, quæ tantum periculum gehennæ, & exilium à patria diuitibus minabatur; sed ex hoc ipsis gaudendum esse videbatur, qui omnia sua dimiserant ob Christum; vt meritò addubitat D. Chrysostomus homil. 64. in Matth. *Cuius ergo rei gratia, ait, discipuli, qui nimium inopes erant, turbantur?* Pulchrè respondet: *Quia propter perditionem aliorum dolebant: quorum omnium iam charitate afficiebantur: & quasi magistrorum, ac patrum viscera susceperant. Sic enim pro vniuerso terrarum orbe, huius sententia acrimonia expauerunt, vt non parua eis consolatione opus fuerit.* Ex diuitiis Apostoli nullum periculum sibi metuebant, exemplo tamen pietatis accepto à Domino, quia pastores orbis erant constituti; ideo maximè de aliis curam agebant, de eorúmque periculo dolebant. Sic Dauid certus de salute sua ex diuina promissione, adhuc timidus *desperabat se posse euadere à facie Saul*, 1. Reg. 23. Regum 23. num. 26 Non quia sibi, sed suis nocumentum à Saule inferendum verebatur.

Syriacus. Euthym.

Chrysost.

Boni Prælati suorum plagas, plusquam suas formidant.

1. Reg. 23.

43. *Quis ergo poterit saluus esse?* Seu saluus esse, ac intrare in regnum cœlorum. Meritò tamen dubitatur, cum pauciſſimi sint diuites in comparatione multitudinis pauperum, quomodo ex sententia prolata contra diuites, inferunt discipuli raritatem ac paucitatem saluandorum. Quod dubium pertractat D. Augustinus lib. 1. quæstion. Euangel. quæst. 1. dicens: *Quod ait Dominus diuitem non intrare in regnum Dei; & discipuli dicunt: quis potest saluus fieri? Cum pauci sint diuites in comparatione multitudinis pauperum; intelligendum, quos omnes, qui talia cupiunt?* Acutè sanè Augustinus dubium soluit; nam licèt multi sint pauperes, multíque, qui opulentis possessionibus renuntient, vt Christianam paupertatem religiosè sequantur, tamen pauci sunt, qui non habeant affectum ad diuitias, ac qui ex renunciatis non resumant aliquem affectum, ideo ergo ex sententia prolata contra diuites, rectè inferunt. Apostoli. *Quis ergo poterit saluus esse?* Quia pauciſſimi sunt, & qui opes non concupiscant, & si aliqui effectu eas contemnunt, tamen adhuc quibusdam reculis tenaci affectu eis adhærescunt.

August.

Pauci, qui ex renuntiatis non habeant affectu ad opes.

44. *Aspiciens autem Iesus.* Seu, vt habet Græcus: *intuitus eos Iesus*; scilicet discipulos suos, benigno nempe vultu, vt eorum anxium animum sedaret, & ait eis: *Apud homines hoc impossibile est.* Vt scilicet viribus naturalibus, ac humana arte, camelus per foramen acus traiiciatur, ac diues intret in regnum cœlorum. *Impossibile est*, impossibile esse intelligitur. *Apud Deum autem omnia sunt possibilia.* Deus enim potentia sua vniuersa potest facere, & quantum ad camelum potest Deus facere, vt substantia cameli locum non occupante transferatur per foramen acus. Quod verò ad diuitem attinet, potest Deus gratia, & auxiliis suis animum diuitis mouere, vt diuitias, earúmque amorem abiiciat, & ab omni illarum fiducia, ac concupiscentia abstractus ad diuina, ac cœlestia, imò & ad paupertatem Euangelicam totus transferatur.

Græcus.

CAPVT XXXIII.

Reliquimus omnia.

Matth. 19. num. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?

VERSIONES.

D. Gregor. Nyss. Relictis omnibus, quæcumque habuimus.

Syriacus. Et secuti sumus te, quid igitur nobis futurum est?

Arabicus. Quid prope est, vt sit nobis?

Vatablus. Quid ergo obueniet nobis?

Alter Textus.

Marc. 10. num. 28. Et cœpit ei Petrus dicere: ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

Luc. 18.

*Luc.*18.*n.*1. 28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia , & secuti sumus te.

EXPOSITIO I.

1. HVNC *respondens* , accepta occasione ex his , quæ Dominus dixerat supra adolescenti recusanti dare sua pauperibus, & Christum sequi , in hæc verba prorumpit *Petrus* , tanquam totius Collegij Apostolici caput. *Ecce* , rem magnam , & grandem denotat. *Nos*, Non pro se,sed pro omnibus agit.*Reliquimus omnia.* Nostra bona , vxores , parentes , & fratres, ac cognatos,& etiam propriam nostram voluntatem,*& secuti sumus te.* Te nudum nudi secuti sumus,tuum exemplum imitantes , tuisque præceptis obedientes. Et non latè , ac largè refert Petrus sua,ac suorum Coapostolorum merita,& obsequia , vt solet fieri apud mundiales Principes, sed breuiter,ac strictè, vt ponderauit Chrysostomus homil 65.*Diligenter expende*, ait , *quam exquisitè duo illa,quæ Christus à diuite petiit, vt scilicet pauperibus substantiam distribueret suam , & Christum sequeretur , breuiter complexus est : dicens , reliquimus omnia , & secuti sumus te.* Et exinde de præmio in cœlo ac de gloria in vita æterna quærit.*Quid ergo erit nobis?*

Chrysost.

QVÆSTIO I.

Quare Petrus modò facit hanc interrogationem?

2. RESPONDET primò D. Paschas. lib. 9. in Matth.*Excitatur*,ait,*subitò Petrus,vt interroget, quasi testis potentiæ Dei factus , & confirmet de se , suisque promissionem Dei. Quoniam & ipse Petrus,& omnes Coapostoli:necnon & quamplurimi, qui crediderunt ex Iudæis , contra possibilitatem humanam per Dei gratiam crediderunt in Christum.* Dixit Christus adolescenti , quod vt perfectus esset,debebat sua vendere,& dare pauperibus,ipsumque per imitationem sequi , quod cùm ille audisset,abiit tristis.Ex quo Christus explicauit nimis arduum esse diuitem sua renuntiare , & intrare in regnum cœlorum ; ex quo interrogantes discipuli dixerũt: *Quis poterit saluus esse?*Respondit Iesus : *Apud homines hoc impossibile est , apud Deum autem omnia possibilia.*Tunc immediatè ait Petrus : *Ecce nos reliquimus omnia.* D.Paschasius: *Quasi testis potentiæ Dei factus.*Nam quod homo sua bona dimittat, suámque voluntatem,quæ intelligitur etiam sub illo , *reliquimus omnia* , vt Christo adhæreat,hoc non est ex naturæ viribus, sed solùm ex Dei gratia.

Paschas.

Quod homo relinquat sua,suámque voluntatem hoc possibile ex Dei gratia.

3. Secundò. Euthymius : *Timuit Petrus* , ait,*sibi, & condiscipulis,quasi ipsi minus fecissent , quia non vendiderant , quæ habebant , nec dederant pauperibus,ideo etiam ait : Ecce nos non vendidimus , nec pauperibus dedimus , sed simpliciter omnia reliquimus.* Quam sententiam sequuntur Caietanus & Iansenius. Duo dixerat dominus adolescenti. Primum : *Vende,qua habes , & da pauperibus.* Secundum : *Sequere me , & habebis thesaurum in cœlo.* Viderat Petrus quod ipse cum cæteris Apostolis,licet Dominum essent secuti , & omnia sua reliquissent,non tamen ea vendiderant, nec pauperibus dederant,ac si omnia non fecissent , quæ Dominus adolescenti dixerat , ideo anxius de præmio quærit , qualenam futurum sit , & sanè qui à Christo vocantur , vt ipsum sequantur , si quid obsequij , & spiritualis lucri prætermittant multum anxij sint , cum in negotio salutis omnia abundantissimè , ac perfectissimè sint impendenda.

Euthym.

Caietan. Iansen.

Qui à Christo vocantur, timeant , ne aliquid in eius obsequio desit.

Laudat Christus Dominus suæ dilectæ sponsæ greges : *Dentes tui*,ait, *sicut greges tonsarum , quæ ascenderunt de lauacro,omnes gemellis fœtibus*,Cantic.4.num.2 Ecce proponitur iustorum grex,imò sanctorum Monachorum , vt vult D. Bernard. serm.63.in Cant & dicitur lotus,detonsus,ascendens , & pariens gemellos fœtus omnium virtutum,ac charitatis ad Deum , & proximum.Ecce sancti,ac iusti vocati à Deo , & ita soliciti,& anxij in negotio suæ salutis,maximè metuentes, ne aliquid diuini obsequij prætermittant , & ideo quamuis sint detonsi, & loti non quiescunt , sed adhuc ascendunt edentes glorioſos omnium virtutum actus.Gillibert. Abbas serm.32.in Cantic. *Attendis* , ait , *quod non tibi sufficit detonderi , non sufficit exonerari , non sufficit lotum,& nouum fieri; nisi statim ascendas , & spiritu incedas,qui renouaris in spiritu.*

4. Cant 4. Bernard.

In negotio salutis abundanter impende.

Gillibert.

Tertiò. D. Hieronymus : *Petrus* , ait,*loquitur confidenter , reliquimus omnia , & secuti sumus te; fecimus,quod iussisti , quid igitur dabis nobis præmij ?* D. Chrysostomus homil. 65. *Diligenter expende* , ait , *quam exquisitè duo illa,qua Christus à diuite petiit , vt scilicet pauperibus substantiam distribueret, & Christum sequeretur , breuiter complexus est,dicens : reliquimus omnia , & secuti sumus te. Ambò enim hæc facta iam erant : nam sua reliquerunt , vt ipsum sequerentur.* Idem docent Origenes , D.Paschasius, S. Thomas , & alij , & hæc est verisimilior sententia significabat Petrus se,& alios Apostolos omnia iam fecisse,quæ Christus ab adolescente postulauerat ; nam omnia sua reliquerunt,an verò vendiderint , vt pauperibus darent ; negant Euthymius , Caietanus Iansenius.Quamuis res non constet , tamen maximè non consentaneum est perfectioni Apostolicæ , quod Apostoli ex suis rebus aliqua vendiderint,ac pauperibus dederint,aliqua verò etiam ex affectu charitatis,suis propinquis,qui pauperes erant,reliquerunt. Ita Maldonatus , Barradas , & alij.

5. Chrysost. Hieron.

Origen. Paschas. D.Thom.

Euthym. Caietan. Iansen.

An Apostoli dederint omnia sua pauperibus ? Maldon. Barrad.

Quartò. Vidit Petrus , quod illud,quod adolescens tristis recusat , ipse libentissimè cum cæteris Apostolis est amplexatus ; si ergo iuueni, vt bona sua dimitteret , ac Christum sequeretur, promittebatur thesaurus in cœlo. *Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo* , Matth. 19. num.21. Ipsi verò Petro ,ac cæteris Apostolis , qui ante promissionem sua reliquerunt , qualisnam erit eorum merces ? *Quid ergo erit nobis ?* Ac si dicerent : Iuuenis illo obiecto præmio ante oculos noluit sua dimittere , & te sequi ; nos verò , qui nullo spectato præmio nostra dimisimus,ac te secuti sumus,*quid ergo erit nobis ?* Vide suprà c.22. n.17. & c.27.n.161.

6.

Qui non obiecto præmio sua dimittit, magno præmio dignus.

Quintò. In eadem sententia D. Hieronymus, D. Thom *Reputabat Petrus* , ait, *magnum fecisse, quia omnia dimiserat.* Quam doctrinam consilij adolescens,qui omnia præcepta legis seruauerat,

7. D.Thom.

noluit tenere, vt sua dimitteret, & pauperibus daret, quod non est præcepti, sed consilij, vt dixi superiori c. 32. expos. 3. Ideo D. Petrus, vt inquiunt D. Hieronymus, ac Paschas. magna fiducia interrogat: *Quid ergo erit nobis?* Nam ipse cum cæteris Apostolis omnia præcepta, & consilia obseruauerat, vt Christum cum paupertate sequeretur. Et si qui præcepta legis adimplent, magno replentur præmio. *Quid ergo erit nobis?* Qui præcepta, & consilia omnia perfectissimè obseruamus, qualisnam erit merces; qui enim præcellunt in merito, debent præcellere & mmere, ac dono.

Qui præcellit in merito, præcellunt & in præmio

8. *Facta est autem quædam dies, & transibat Eliseus per Sunam: erat ibi mulier magna,* 4. Regum 4. n. 8. Mulier magna id est diues, potens, ac deuota, vt explicant Lyran. Carthus. Hugo, & alij; quæ mulier tenuit Prophetam, & excepit eum hospitio; maximè dubitant interpretes, cur Scriptura suum vsitatum morem inuertit, vt non de viro, sed de muliere faciat mentionem? cum ex ipso textu expressè constet, quod mulier hæc habeat virum ibi, n. 9. & 14. Cur ergo dicitur: *Mulier magna, id est dives;* nam vt ibi notat Lyran. Satius videbatur dicendum. Erat ibi *vir magnus, id est dives.* Nam diuitiarum dominium, ac dispensatio non ad mulierem, sed ad virum pertinet. Deinde cùm sæpe Eliseus diuerteret in domum illam, eáque commoraretur, sic mulier se habebat erga domum illam, ac si in ea vir non esset, nec mulier viro esset subordinata, sed domesticam curam, ac imperium sola illa teneret; imò cùm pro gratitudine vult munus soluere, non ad virum, sed solùm ad mulierem dirigit sermonem. *Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis vt faciam tibi?* ibi n. 13. Cur cum viro non partitur gratitudinem? Ecce qui præstantiores sunt merito, præcellunt præmio; & mulier quæ conditione, ac sexu inferior est, tamen cùm virtute viro emineat, non solùm legis præcepta seruans, sed consilia adimplens, pauperes hospites benignè recipiens, illisque de necessariis prouidens, sic exinde sublimior extollitur, vt vir penè immersus maneat, & præter Scripturarum morem non de viro, sed de vxore fit sermo, tanquam ac si in illa domo vir non sit dominus, sed seruus, omniúmque rerum ius ex nobili virtutis imperio ad vxorem pertineat. Abulens. q. 15. *Quare Scriptura,* ait, *facit hic mentionem specialiter de fœminis, cum ista haberet virum viuentem, & contra Scripturæ consuetudinem, & modum loquendi: cum vir sit caput mulieris? Respondetur, quod mulier erat melior viro, & famosior: ideo fit mentio principaliter de illa.* Vide suprà c. 2. n. 159. & cap. 27. n. 161.

4. Reg. 4.

Lyran. Carthus. Hugo.

Inferior ex merito habet ius impery.

Abulens.

Qvæstio II.

Quare Petrus interrogans cum admiratione mercedem requirit, cum tamen ipse totius Ecclesiæ esset caput constitutus?

9. Ait Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia:* illud aduerbium, *ecce*, admirationem denotat, rem magnam dicit; & certè mirabile est, quod homo relinquat omnia sua, suam voluntatem, & semetipsum, vt infrà in sequentibus quæstionibus expendam; hic tamen duo quæro:

10. Primò. Valde mirabile, quod homo, qui omnia sua reliquerat, ab omnibúsque expoliatus erat adhuc tamen Solicitus præmium procurat, mercedem ambit, cùm valdè frequens sit apud mundiales, vt solum habenti detur. Profecturi fratres Ioseph in terram Chanaam, vt parentem Iacob adducerent in Ægyptum. Ait eis Ioseph: *Ne dimittatis quidquam de supellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestræ sunt,* Gen. 45. n. 20. Chald. habet: *Quoniam optima totius terræ Ægypti vestra erunt.* Videtur sub his verbis latere contradictionem, si enim omnia bona Ægypti, ac optima illius eis promittitur, ad quid necesse est, vt humilem suam supellectilem secum asportent? Ex ipsa sanè causa, quia opes Ægypti eis promittuntur, necesse est, vt omnia sua adducant in Ægyptum; nam apud principes sæculi non datur nisi habenti, & vt ipsi obtineant opes Ægypti, magna suorum bonorum copia requiritur; nam si his fuerint expoliati, nil eis dabitur, sed omnium inopia laborabunt. Dominus ille talentorum, in sensu morali dicimus, ait seruis suis: *Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo,* Matth. 25. n. 29. Habenti talentum, plus talentorum datur; non habenti autem talentum, & lucrum eius, quod videbatur habere, aufertur.

Genes. 45. Chald.

Solum habenti datur.

Matth. 25.

Secundò. *Ecce.* Et valde mirabile, quod Petrus, qui iam officio, ac magna dignitate potiebatur; tamen adhuc aliis consulit, pro eisque loquitur, vt ipsi munera, ac mercedem consequantur, quid mirabilius, quam quòd homo, qui loco, ac officio est insignitus, & bene accommodatus, de aliis non obliuiscatur, sed pro eis omnibus turibus procurans verba faciat? Multis Moyses intercedit pro populo, non verò Noë. Cum Moyses audisset à Deo se velle delere gentem illam, ait: *Cur Domine irascitur furor tuus, contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti?* Ex. 32. n. 11. Ait Deus Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me,* Gen. 6. n. 13. Tamen Noë nil rogat, nec deprecatur pro toto orbe; vnde tanta diuersitas? Dixit Deus Noë: *Fac tibi arcam.* Et cum ipse iam tam commodum locum, ac tantum animantium regimen teneret; facile totius orbis obliuiscitur, vt pro nullo verba faciat, ac loquatur.

11.

Valde mirabile, quod homo bene accommodatus de aliis agat.

Exod. 32. Genes. 6.

Educunt Angeli Lot de subuersione Sodomæ, dicúntque ei, *in montem saluum te fac.* Rogabat Lot, vt ei concedatur ciuitas Segor, in qua ipse cum eius habitatoribus posset ab incendio incolumis seruari. Dixítque ei Angelus: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es,* Genes. 19. n. 21. Quod explicans D. Chrysost. ait, in persona Angeli: *Petitionem tuam tibi exhibeo, propter te, etiam ciuitati parcam, quasi diceret, non solùm annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pœna habitatoribus infligenda.* Maximè dubitabis, quomodo ciuitas Segor tam facilè rogationibus Lot concedatur, cum tamen Abrahamus multis orationibus exhibitis pro illis ciuitatibus nil valuit impetrare? Genes. 18. n. 25. Maior erat sanctitas Abrahami, quàm Lot; & tamen Abrahamus rogans, nil obtinet; exorati verò Lot vna integra ciuitas cõceditur, quæ huius rei causa Lot assignatus fuerat mons tanquam conueniens locus, vt in eo saluari posset, & tamen cum ipse tam commodum locum impetrasset, de aliorum non obliuiscitur salute, sed maximè recordatur, vt pro ipsis procuret, ac loquatur, & inde eius oratio tantum placuit Deo, vt id, quod Abrahamo negatum est, libentissimè Lot concedatur.

12.

Genes. 19. Chrysost.

Multum promeretur, qui bene loco obtento de aliis recordatur.

Tertiò,

13. Tertiò. In hoc dubio versamur, quod in titulo quæstionis proposuimus, quare cum Petrus esset primus Apostolorum factus, ac totius Ecclesiæ caput magnorúmque miraculorum operator, & tamen adhuc super hæc præmium quærit, ac de mercede interrogat, *Quid ergo erit nobis?* Illa bona licet magna, erant tamen transitoria huius vitæ, magnus autem Petrus in nulla re præter Deum quiescebat; animus noster perituris minimè contentus impletur, sed magis irritatur. Vehementer Rachel exoptabat filium, voti compos ei nascitur Ioseph. *Vocauit nomen eius Ioseph, dicens: addat mihi Dominus filium alterum*, Genes. 30. num. 24. Rachel optatis fruitur? Cur non quiescit? Cur modo alterius filij magno desiderio æstuat? Natus ille, res quædam temporalis sæculi. Ex quo illius possessione affectus non impletur, sed magis stimulatur, ac accenditur, vt altero potiatur. *Addat mihi filium alterum.*

Bona huius sæculi non saciant, sed appetitum irritant.

Genes. 30.

14. De bonis temporalibus ait Iob 5. num. 5. *Cuius messem famelicus comedet, & bibēt sitientes diuitias eius.* Res sanè mirabilis, si integram messem habent quomodo famelici? Si integras diuitias retinent, quomodo sitientes? Erant bona temporalia, quibus appetitus non impletur, sed irritatur, nec illis bonis saturatur, sed magis prouocatur. Vnde iusti, sicut & Petrus in præsenti omnibus rebus perituris contemptis maiora quærunt, solum Deum desiderant, in cuius contemplatione conquiescunt; vnde piè, ac deuotè dicebat D. Augustinus lib. 2. confession. *Et si omnia, quæ sunt in mundo habeam, te non habeam, pauper ero; si autem te solum nudum inueniam, etsi cætera, quæ sunt in mundo non habeam, ditissimus ero.*

14. Iob. 5.

In solo Deo voluntas satiatur.

Augustin.

QVÆSTIO III.

Quare solus Petrus interrogat pro omnibus?

15. IN persona omnium Apostolorum, vt ait D. Hieronymus, interrogabat Petrus; imò, vt ait D. Chrysostomus homil 65. *Apostolus quoque ad vniuersi orbis commodum non dubitauit interrogare.* Et hic maximè notandum est, quod dum Petrus Apostolorum nomine quærit, eos iunctim, ac maxima vnione colligatos numerat, *reliquimus omnia.* Tanta enim vnio frequenter est paupertatis effectus; paupertas enim mirificè omnes coniungit, ac astringit in vnum; è contra verò diuitiæ, ac bona temporalia multam diuisionem, ac separationem inducunt. Dicunt sibi ad inuicem filij Adam: *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras*, Genes. 11. num. 4. Hæc verba dixerunt, vt notat D. Thomas, *magno affectu, & cum multa communi concordia.* Si ergo omnes erant tanta vione, ac amicitia colligati, vnde diuisionem, ac separationem coniecturauerunt? Erant ipsi in multa opulentia, vt dominatores vniuersæ terræ; tanta autem rerum affluentia certissimum futuræ diuisionis prænosticum erat: fauet Philo lib. de confusione linguarum: *Quamuis improbissimi*, ait, *vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præfugientes: dicunt, prius quam dissipemur.*

15. Hieron. Chrysost.

Diuitiæ pariunt diuisionem.

Genes. 11. D. Thom.

Philo.

16. Respondet ad nostram quæstionem Abulens. quæst. 85. quia Petrus audacior, seu confidentior erat apud Christum, & cæteris ardentior, ac solicitior ad ista quærenda, ideo fortassis citius occurrit ei in mentem ista quærere; quam alicui aliorum. Secundò. Petrus in maiori honore erat apud Christum, quàm cæteri; designatus erat à Domino, vt totius Ecclesiæ caput, & ideò omnium personam repræsentans, pro omnibus loquebatur; vnde cùm aliquid esset quæsitum ab omnibus, Petrus pro omnibus respondebat, vt cum ad portas Cæsareæ Christus ad discipulos ait: *Vos, quem me esse dicitis?* Ex persona omnium Apostolorum respondet Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui*, Matth. 16. n. 16.

16. Abulens.

Petrus in magno honore apud Christum.

Matth. 16. 17.

Tertiò. Petrus generosè ad mortem, carcerem, ac laborem, ipse solus se offert Christo: *Domine, tecum paratus sum in carcerem, & in mortem ire*, Luc. 22. n. 33. *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth. 26. n. 35. Et cum occasio datur, ipse solus se periculo obiicit. *Extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius*, ibidem n. 51. At verò cum de præmio, ac mercede est sermo, ipse solicitus pro omnibus procurat, ac loquitur: *Reliquimus omnia.*

Luc. 22. Matth. 26.

Petrus solus periculo se offert, in præmio pro omnibus agit.

18. Ait Sponsa: *In lectulo meo per noctes, quæsiui illum, & non inueni.* Et statim subdit: *Surgam, & circuibo ciuitatem; per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea Quæsiui illum, & non inueni.* Et post largam indaginem, ac longam inquisitionem, ait: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ*, Cantic. 3. num. 4. Anima sancta multum insudauit, ac laborauit, vt dilectum suum reperiret. Nam per multas noctes ipsum quæsiuit, & non inuenit; multotiésque per vicos, & plateas ciuitatis, quamplurimis periculis exposita, vt à custodibus vulneribus afficeretur, vt alibi ei contigit, altis vocibus eum exquirit, & non inuenit. Tandem amor multo zelo abundat. Vt canit Virgilius eclog. 2.

18.

Cant. 3.

Generosus animus solus se periculo obiicit, omnibus vero procurat bona.

Virgil.

Inuidiosus amor, res inuidiosa voluptas.

Vnde apud mundiales: qui diligunt, minimè patiuntur amorem in plures diuidi, sed totum sibi integrum malunt. Cur Anima ergo sancta in parentum domum vult suum dilectum introducere? Et non potiùs in suam, vt eum totum vni sibi reseruet? Amatrix anima sancta quamuis in labore, ac sudore suum dilectum exquirendi ipsa sola sit, tamen sic vult eum tenere, vt simul amet illum à pluribus possideri, maximéque affectat, vt multi de sui amatoris amore, viuant; ideo illum non introducit in peculiarem, sed in communem domum matris suæ, vt ab eius fratribus participetur. Gillibert. Abbas serm. 6. in Cant. *Delitiæ eius*, scilicet Sponsæ, ait, *sunt, secum esse dilectum suum; non inuidet, non zelatur. Dilectum suum, omnium vult esse dilectum.* Vide multa de hac re tam hoc tomo, quàm 1. 2. & 3. in Indice, verb. *Communicare.*

Gillibert.

QVÆSTIO IV.

Quare cùm Petrus panca, & parua haberet, dicit se reliquisse omnia?

RECTE ponderat D. Chrysost. hom. 65. *Quænam sunt hæc omnia*, ait, *quæ dicis ô Beatissime*

19. Chrysost.

tissime Petre reliquisse ? Arundinem, retia, vniuersumque piscatorium artificium ? Hæc tu vocas omnia ? Quomodo ergo tanquam de magna re dicis te reliquisse omnia ?

20. Respondeo. Primò ad quæstionem cum communi sanctorum Patrum sententia, quòd Petrus tanquam de mirabili negotio dicit, *reliquimus omnia* : quia non solùm reliquit vniuersa sua, sed etiam affectum, amorem, ac voluntatem habendi, multum autem apud Deum relinquit, qui etsi pauca possideat, habendi tamen desiderium dimittit. D Gregorius homil. 5. in Euangel. *Affectum*, ait, *debemus potiùs in hac re pensare, quam censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit ; multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos, & habita cum amore possidemus, & ea, qua minime habemus, ex desiderio quarimus. Multum ergo Petrus, & Andreas dimiserunt, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit.* Theophylactus : *Tametsi*, ait, *videatur Petrus non dimisisse magna aliqua, vt pote pauper : sed disce, quod se ipsa multum etiam ipse reliquit. Etenim & paruarum rerum magna tenemur affectione, sed & omnes voluptates Petrus reliquit, & cum parentibus amorem carnis. Illa enim affectiones non solum contra diuites, sed etiam pauperes militant.* Tanto affectu, ac amore tenetur pauper ad suam rem exiguam, ac diues ad suam magnarum rerum amplitudinem, à quarum voluntate exuti sunt Apostoli, vt ait D. Antiochen. homil. 113. similiter Beda, S. Thom. Albertus, & alij.

Gregor. *Primus affectus voluntatis, quàm censum pensandus.*

Theophyl.

Antioch. Beda. D Thom. Albertus.

21. Luc. 21. *Vidit Iesus quandam viduam pauperculam mittentē æra minuta duo. Et dixit : Verè dico vobis, quia vidua hac pauper plus omnibus misit*, Luc. 21. n. 2. Quomodo in tam parua pecunia oblata plus omnibus ? Nonne plus Anania, & Saphira ex pretio agri venditi posuerunt ad pedes Apostolorum ? Quomodo plus omnibus vidua illa attulit ? Anania, & Saphira sic dederunt partem pretij ex agro, vt aliam sibi reseruarent, Actorum. 5. num. 2 At verò vidua sic dedit duo æra minuta, vt simul ei offerret voluntatem dandi totum, quod habebat, nullúmque affectum sibi aliquid retinendi reseruauit. Euthymius ; *Etsi*, ait, *pauper erat possessionibus, diues tamen animo ostenditur, ideo Saluator, qui non donum ponderat, sed voluntatem plus omnibus misisse dicit.*

Actor. 5. *Non res oblata, sed affectus voluntatis prosatur.* Euthym.

22. Origen. Secundò. Origenes homil. 9. in Matth. *Etsi minima*, ait, *& contemptibilia Petrus cum fratre suo reliquerit, quando relictis retibus secuti sunt eū : sed non minima sunt æstimata apud Deum considerantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, vt etiam si multas habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquissent, nec ab eis vllo modo retenti fuissent ab impetu dilectionis huiusmodi. Et puto, quod magis confidens Petrus de affectu suo, quam de qualitate rerum relictarum, dixit : Ecce nos reliquimus omnia.* Minima illa sua reliquerunt Petrus, & Andreas, ex multa tamen dilectione erga deum. *Ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt.* Magni autem apud Deum est meriti minimum quodlibet opus, dummodo magno erga eum amore, & charitate compellatur. Deinde Apostoli sic minima dimiserunt ; vt in illis minimis ingentem voluntatem probarent, qua se volebant pro Christo ab omnibus, quæ habebant, vel habere poterant, exuere ; in illisque minimis vniuersa sua Deo consecrabant ; sic enim viri perfecti præstant minima, vt in minimis totum præstare videantur.

Vir magnus tanto affectu dat minima, ac si vniuersa præstitisset.

Ait Deus Abrahamo : *Circuncidetur in vobis omne masculum, & circuncidetis carnem præputij vestri*, Genes. 17. num. 10. Per peccatum primus parens subiecit se, ac totum suum semen diabolo ; instituit Deus circumcisionem in signum fœderis, ac populi distinctiui Dei, vt per illam Abrahamus cum toto suo semine antiquam seruitutem videretur exuere, & se totum Dei obsequio dedicatum monstraret, sed cur ad hanc totam subiectionem indicandam quædam minima particula corporis designatur ; cur non potiùs instituitur aliquando signum, quod in toto hominis corpore appareat ? Loquebatur Deus cum Abrahamo, & qui spiritu Dei aguntur, sic minima tanto affectu præstant, vt in minimis omnia sua præstare videantur, ac sic huiusmodi viri tanto animo minima sua exuunt, ac si ibi vniuersa sua deponant. D. Athanasius in Catena Græca ad cap. 2. D. Luc. *Ex quo*, ait, *audiuit Adam, terra es, & in terram ibis, mori eius, & corrumpi corpus cupit. Et exinde corporis quandam partem, & quidem eius procreatricem multare iussi sunt : prædicti totum esse exuendum.* Expende vltima verba.

23. Genes. 17. *Tanto animo exuat minimum, ac si omnia deponat.* Athanas.

Tertiò. D. Hieronymus facit combinationem inter Apostolos, ad Zachæum ; sic ait epistol. ad Pamach. *Zachæus diues erat, Apostoli pauperes. Dimisit ille medietatem substantiæ suæ, qua remanserat, suscepit Christum hospitem, salus facta est domui eius, & tamen, quia paruulus erat, & Apostolica proceritati se non poterat extendere, non fuit in duodecim numero Apostolorum ; Apostoli autem quantum ad voluntatem totum mundum reliquerunt.* Apostoli dicunt : *Reliquimus omnia, & secuti sumus te.* At Zachæus Luc. 19. num. 8. de se ait : *Ecce dimidium bonorū meorum Domine, do pauperibus.* Apostoli omnia dimittunt, Zachæus verò solam medietatem largitur ; cur etiam ad omnia sua largienda non se extendit ? Zachæus paruulus erat, cùm paruulis detinebatur, & inde medietati suæ substantiæ adhærebat, & ideo supremam omnium rerum renuntiationem non attingebat, ad quam vt ad rem multum arduam soli illi peruenerunt, qui ad Apostolicam proceritatem euecti sunt.

24. Hieron. Luc. 19. *Magna solum vir magnus, & non paruulus aggreditur.*

Abraham habitauit in terra Chanaan, Lot verò moratus est in Oppidis, qua erant circa Iordanem, Genes. 13 num. 12. Chaldeus vertit : *Lot habitabat in vrbibus campestribus.* Arias, *In vrbibus planitiei*, Cur Abrahamus moratur in terra Chanaam, quæ erat montosa, Lot verò campestria, ac plana eligit ? Non omnia possumus omnes. Lot tenet loca plana vt facilia, Abrahamus verò vt præstantiori, ac excellentiori animo præditus loca ardua, & difficilia occupat, ad quæ infirmiores non valent se extendere. D. Hieron. cit epistol. ad Pamach. sic loquitur ad Abraham : *Lot*, ait, *quod interpretatur declinans, campestria eligat, facilia magis sectetur. Tu in arduis, & saxosis cum Sara tibi monumentum para.*

25. Genes. 13. Chald. Arias. *Ad arduo sedē vir præstantissimus ascendit.* Hieron.

Quartò. Ait Petrus : *Reliquimus omnia.* Quid Magne Apostole dimisisti, ea nempe quæ erant artis piscatoriæ, & ea, vt ait Chrysostomus in limine quæstionis, omnia appellas ? Non dixit, relinquimus omnia, quæ habuimus ; sed absolutè : relinquimus omnia, quod valde amplū importat significatum, & denotat quidquid est in mundo. O quantum vnusquisque ad suas res afficitur, & valde sublime exaggerat, vt quamuis exiguum, & parum sit, veluti quædam paupercula piscatoris supellex eam omnia iudicat, & appellat. Vnde ait Seneca lib. 2. de Benefic. cap. 26. *Nemo*, ait, *non*

26. Chrysost. *Quilibet sua licet minima in magnum æstimat.* Seneca.

non benignus est sibi iudex. Inde est, vt omnia meruisse se existimet. Vide suprà, Cap. 30. q. 7. n. 40. 41 42.

27. *Liberalis, quod accepit, in multum, quod dat vero in parum iudicat.*

Quintò. Ait Petrus: Reliquimus omnia habita consideratione, & respectu ad diuinam benignitatem, ac affectum. Nam magnificus, ac liberalis parum, ac exiguum, quod ei offertur, ac ipse acceptat, tanquam magnum, & amplum æstimat; multum verò, quod exhibet, veluti quid minimum reputat; ac proinde quamuis parua essent, quæ Petrus reliquerat, tamen diuinæ benignitati sic grata erant, veluti si omnia reliquisset.

28. Ioan. 12.

Ait Christus D. Iudæis. *Ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum*, Ioann. 12. n. 32.

Ambros.

Quomodo dicis omnia Domine, cum vnum latronem traxeris in cruce? Vt ponderat D. Ambros. in Psal. 118. serm. 12. Quamuis latro vnus existeret, tamen cum Dominus eum ad se reciperet, veluti omnia illum appretiatur. E contra vero liberalis valde magnificum, quod largitur, tanquam nihilum appendit. Cùm Rex Assuerus esset quadam nocte insomnis, & legerentur antiqui annales, ventum est ad quendam locum, quomodo Mardochæus insidias Eunuchorum Regi nuntiasset, quæsiuit ille, *Quid pro hac fide honoris, ac premij Mardochæus consecutus est? Dixerunt serui illius, ac Ministri: nihil omnino mercedis accepit,* Esther. 6. n. 3. Quomodo dicitur: *Nihil omnino.* Cum c. 12. n. 5. vbi hæc historia narratur, ibi sit scriptum: *Præcepit ei Rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Qua ergo veritate dicitur *nihil omnino?* Quamuis Mardochæus pro manifestatis insidiis suam accepisset remunerationem tamen præ ampla Assueri & magnifica liberalitate illa omnia veluti nihilum apparebant. Vide suprà c. 7. n. 75. 76. & 77.

Esther. 6. Esth. 12. *Magnificus, quod dat nihil esse dicit.*

QVÆSTIO V.

Quare Petrus non ait: Reliquimus aliqua, *sed omnia?*

29. *Animus perfectus se integrum Deo offert.* 1. Thess. 5.

VALDE confidenter ait Petrus: *Reliquimus omnia*, non vero aliqua, nam animus perfectus omnia pro Deo dimittit, nil sibi reseruat, sed totum Deo consecrat, & dedicat. Ait Paulus ad Thessalonicen. 1. c. 5. n. 22. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela seruetur.* Integer spiritus, vox Græca correspondens habet, vt notat Cornel. à Lapide, Spiritus perfectus absolutus cum omnibus suis partibus, vt talis spiritus, & non diuisus in aliquo minimo sit totus in Dei obsequio.

Cornel.

30. Gen. 3. *Qui omnia sua dimittit, dignus vt à Deo exaudiatur.*

Ait Deus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. 3. n. 10. Cur verò sanguis effusus in terra clamat, non verò ille, qui in corpore recludebatur? Sanguis in corpore, quamuis vitam dimisisset, suum tamen proprium locum retinebat in venis, ac arteriis; at vero sanguis in terra vtrumque dereliquit; sanguis ergo, qui sui totum, vitam scilicet, ac locum dimisit, dignissimus vt ad Deum clamaret, ad suique vocem Deum inclinaret, ac traheret.

31. Gen. 15. Leuit. 1. Glossa. Interlin. Isidor. Rupert. *Perfecti non diuidunt.* Theodor.

Mandat Deus Abraham: *Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit per medium, aues autem non diuisit*, Genes. 15. num. 9. Animalia terrestria vaca, capra, aries, diuiduntur; aues autem non diuiduntur, quod etiam Deus in lege mandauit: *Non secabit, neque ferro diuidet eam*, scilicet Sacerdos Leuit. 1. num. 17. Cur ergo terrena animalia in varias partes secantur, non vero volatilia? Terrestria, vt docent Glossa, Interlineal. D. Isidor. in Glossa, Rupertus lib. 5. in Genes. cap. 21. & alij, denotabant homines carnales, qui in varias partes in Deum, ac mundum partiuntur; At verò volatilia significabant viros spirituales, qui in altum, ac sublime Deo adhærentes ad ipsum volant, ita Deo obsequentes, vt nec minimum quid retineant, quod totum, & integrum Deo non consecrent. Theodoretus quæst. 1. in Leuiticum: *Quemadmodum*, ait, *Patriarcha volatilia non diuisit, ita nec legislator ea iubet diuidi, nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum collocantes illum, tum in terrenis, tum in cœlestibus, sed totum sursum ferunt.*

32. Marc. 14. *Qui mundum ex toto non reliquit, piscitatur.* Hieron. Basil. Cassian.

Cum comprehenderetur Iesus à Iudæis: *Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum; at ille reiecta sindone nudus profugit ab eis* Marc. 14. num. 51. Adolescens iste iam omnia sua reliquerat, & solum vna sindone sibi reseruata Dominum sequebatur, & tamen in tantum periculum deuenit, vt quasi detentus à Iudæis comprehenderetur; quænam ratio tanti discriminis? Adolescens iam viam perfectionis erat ingressus, vt Dominum sequeretur, & quamuis nudus ab omnibus mundialibus rebus, adhuc ex mundo vnam sindonem retinuerat; & inde in tantum periculum incidit, vt nisi hanc dimisisset, in laqueos inimicorum incidisset; valde enim periculosè viuunt, qui viam perfectionis terunt, & tamen relictis omnibus adhuc non se penitus exuunt, sed vnam sindonem ad sepulturam sibi retinent D. Hieron. ad Fabiolam: *Sindone*, ait, *operta adolescens vinctum Dominum sequebatur; incurrisset laqueos; nisi expeditus, & nudus persequentium impetum declinasset.* Vnde valde damnandi sunt illi, qui cum sæculo renuntient, adhuc aliquid sæculi sibi reseruant D. Basilius Patritio cuidam capessenti vitam religiosam, quædam sibi reseruanti dixit: *Senatorem perdidisti, & Monachum non feciſti:* Vt refert Cassianus. Vide suprà c. 22. n. 40. 41. & 42.

QVÆSTIO VI.

Quare Petrus ait: Reliquimus omnia; *cum ipse dicitur habuisse domum, & socrum?*

33. Ioan. 12. *Petrus ex se iudicat de aliis.*

IN limine huius quæstionis notandum est, quod Petrus de se, ac suis Coapostolis valde confidenter, ait.: *Reliquimus omnia*, & tamen in Collegio Apostolico aderat Iudas, qui non solum sua non reliquerat, sed etiam aliena rapiebat: *Fur erat, loculos habens,* Ioan. 12. num. 6. Eximia tamen virtus Petri ex sua magna probitate, ac sinceritate alios iudicabat. Pro quo vide multa. Verb. *Iudicare*, in Indice Vel quia nulla est tam magna celsitudo, quæ suam non habeat annexam aliquam deiectionem, ac humilitatem. Petrus à Christo D. Beatus dicitur:

dicitur, *Beatus es Simon Barjona*, & totius Ecclesiæ caput constituitur? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et statim ipsum appellat scandalum, & satanam. *Vade post me satana, scandalum es mihi*, Matth. 15. num 23. Ad quid hæc post tam eximia præconia? Vt notum sit, quod nulla est tam ingens celsitudo, quæ etiam sua humilitate non deprimitur. Magna celsitudo Apostolica omnia relinquit, adest tamen vnus Iudas, qui non relinquit, sed furatur.

Matth. 15. *Omnis celsitudo suam habet humilitatem.*

34. *Ratio difficultatis.*

Quæstio præsens est; hoc valde magnum, audet de se Petrus asserere, quod scilicet: Reliquit omnia, cum tamen ipse domum, & socrum adhuc dicatur habere: *Surgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis, socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, Luc. 4. n. 18. Ecce Petrus habebat domum suam, & in ea socrum retinebat. Quomodo ergo ait Petrus se reliquisse omnia scilicet vniuersa bona sua, cognatos, & consanguineos, vt ex communi Patrum sententia dixi quæst. 2.

Luc. 4.

35. Hieron.

Respondet ad quæstionem. Primò. D. Hieron. Epistol. de vero circumcis. *Non fluctuat*, ait, *in alto Petrus, altis curæ non geritur; nec socrus ægra sine Domino visitatur. Omnis singularis viri affectus in Christo est, hinc sequitur substantiæ contemptor, studij negligens, affinitatis oblitus.* Verè petrus omnem suam substantiam domum, ac cognationem abiecit à se, ac reliquit quando Dominum est secutus, itaque ipsi Domino adhæsit, vt nec socrus ægra sine Domino visiteretur. Sicque Dominum sequitur, vt omnem affectum ad terrena, qui Domini congressum impedire poterat, omnino reliquisset, & solum illum ad cognatam retinuit, qui cum Domino retineri poterat.

Cognati, qui cum Deo haberi possunt, non relinquendi.

36. *Introiuit Iesus in domum Simonis*, quæ olim fuerat Simonis, vt dixi tom. 2. in prima expos. Et Petrus cum Iesu visitat socrum febribus laborantem. *Non socrus ægra sine Domino visitatur.* Sic etiam Apostoli secuti sunt Dominum, vt omnem cognitionem deponerent, quæ diuinis negotiis obsistere poterat; illam vero, quæ cum perfectissimo Dei obsequio consistere valebat, non dimiserunt, nec enim in manifestis periculis dimittendi fuerunt consanguinei; laborantem socrum visitat Petrus cum Iesu vt Iesus ope à morbo liberetur, & sanitatem recuperet; De Mesopotamia *Egressus est Abraham, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot*, Genes. 12. num. 4. Expende illud, *sicut præceperat ei Dominus.* Domini mandatum ad Abraham fuerat, egredere de terra tua, & de cognatione tua, quomodo ergo mandatum seruauit, vt exiret de cognatione sua, qui secum cognatam Lot detulit? Præceptum Domini fuit exponendum de cognatione repugnante diuino famulatui, non vero de illa, quæ ei minimè obsistebat, imò diuinus nutus erat, vt in manifesto periculo inter idololatras consobrinum suum non desereret. Nam, vt ait D. Chrysostomus homil. 14. in Epistol. 1. ad Timoth. *Deus idcirco vincula propinquitatis instituit, vt multiplex subesset occasio nos mutuo diligendi, beneficiisque confouendi.*

Gen. 12. *Cognatis consulendum, nec deserendi sunt.*

Chrysost.

37. 1. Ad Tim. 5.

Ait Paulus 1. ad Timoth. 5. num. 8. *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Singula verba sunt multo ponderamine digna. *Maximè suorum domesticorum*, ait, à domesticis egentibus semper debet Christiana pietas incipere. Deinde ait: *fidem negauit.* Valde seuera sententia. Vnde tamen colligit Doctor gentium, nec fidem, nec veram Religionem esse in eo, in quo erga suos non resplendet pietas? Ex eo nempe, quod hæ duæ virtutes maximè sint connexæ inter se, vt qui fidelis, & Religiosus est in Deum, sit etiam pius in parentes, & cognatos; nam si amor Dei, & proximi connectuntur ad inuicem, multò ergo fortius amor Dei, & propinqui, qui hinc naturali sanguinis ad te attinet, in eo ergo, in quo non vides pietatem erga suos, nec existimes in eo esse veram fidem, & Religionem; nam qui hac virtute impletur, maximè pium, ac benignum erga suos se exhibet. *Et infideli deterior.* Rigidior cæteris sententia; nam infidelis edoctus instinctu naturæ suos diligit; qui autem non solum à natura, sed etiam à Dei verbo instructus, dicente per Isaiam 58. num. 7. *Carnem tuam ne despexeris.* Eos tamen contemnit, multo sanè infideli deterior est. D. Ambrosius ibi. *Necesse*, ait, *vt deterior sit, qui sub lege, & timore agens contemptor est, quam qui non subiectus est legi. Hic enim nescit, ille autem sciens contemnit.*

Index Christianæ pietatis benignitas in cognatos.

Isai. 58.

Ambros.

Benedicens Iacob filium suum Ioseph, Gen. 49. num. 24 ait: *Sedit in forti arcu eius, dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est, lapis Israël.* Alij legunt, *Cibauit parentes, & filios semen Israël.* Ioseph pauerat Ægyptum, & Israëlem. Cur ergo solum decantatur pastor Israël, cum multo maior fuerit eius prouidentia in Ægyptum, quam in Israëlem; Nam in Israël septuaginta tantum fuerunt animæ, Exod. 1. num. 5. in Ægypto vero totum regnum amplissimum intelligitur, in quo erant multæ ciuitates, & pene innumerabilis multitudo virorum, ac mulierum; cur ergo celebratur quod fuerit pastor Israelis, & non potius Ægypti? Ioseph magnificus alimentator omnibus extitit, tamen quod parenti, fratribus, ac cognatis egentibus escas ministrauerit, in tantum eius gloriæ palmam euexit, vt huius rei comparatione pietas in Ægyptios, ac extraneos videatur in oblitionem abire, vt illa sola, quæ in cognatos enituit, pro magno sui splendore multis vocibus decantetur. Theodoret, quæst. 96. in Genes. *Licet Ioseph*, ait, *in suos, & in Ægyptios magnificus fuerit, & omnes pauerit, tamen illius in parentes, & fratres, & semen Israël pietas palmam retulit, & esca suis egentibus exhibita, illum in Israëlis pastoris glorioſum titulum euexit.*

38. Gen. 49.

Exod. 1. *Tam gloriosa est pietas in cognatos, vt hæc sola se decantanda.*

Theodor.

QVÆSTIO VII.

Quare Petrus non adhibitis testibus ait: Reliquimus omnia, *cum adhuc ipse haberet bonam famam, & opinionem, ac multum honoris apud omnes?*

PRIMO quæro in hac quæstione: Cur Petrus hic cum suarum rerum abnegationem ostendit in se, nullum aduocat testem, vt quando interrogatus de sua charitate erga Dominum, ter ipsum in testem adducit: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te*, Ioan. 21. num. 15. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Ioann. cap. 64. *Petrus*, ait, *amare se fatetur, & amoris sui Christum ipsum testem citat.* Cur ergo in sui abnegatione testem

39. Ioann. 21. Cyrill.

non

Verus amor sui habet publica testimonia.

non adhibet, vt in suo amore? Verus amor sic est manifestus, vt multa sui valeat dare publica testimonia, multósque habeat sui testes. Quærit anima sancta suum dilectum per vicos, & plateas Ierusalem, vulneribus afficitur à custodibus, suóque pallio expoliatur. Ait tamen ipsa. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt annuntietis ei, quia amore langueo*, Gantic. 5. n. 8. Cur non petit à filiabus Ierusalem, vt testentur de eius vulneribus, de eiusque calamitatibus, sed tantum de illius amore? *Quia amore langueo.* Sic volebat esse manifestum suum amorem, vt sui multa haberet publica testimonia, multorúmque testimonio comprobaretur.

Cant. 5.

40. *Ratio difficultatis.*

Secundò, & principaliter in quæstione quæro: Quomodo ait Petrus, *reliquimus omnia.* Nam illud, *omnia*, est in neutro, ac proinde significat quidquid potest esse in homine, & quamuis Petrus à se omnium suorum bonorum, ac cognatorum abnegationem fecisset, tamen semper secum retinuit bonam famam, opinionem, ac multum honoris, quod esset homo verax, probus, ac sine dolo; quæ vt dicunt Philosophi, sunt bona superioris conditionis; quomodo ergo ait Petrus ex eo quod suas res dimisit, *reliquimus omnia?*

41.

Optimè tamen ait: *Reliquimus omnia.* Nam qui sua bona, ac res suas dimittit, etiam suum honorem, ac splendorem dimittit; nam apud mundiales ille eminet in honoris decore, qui multarum rerum possessione bene, ac large fulcitur. Ex mandato Abrahami profectus est in Mesopotamiam Eliezer œconomus domus eius, vt quæreret vxorem Isaac filio Domini sui. Ait facer Textus: *Abiit, ex omnibus bonis eius portans secum*, Genes. 24. num. 10. Quæ verba ex Hebræo sic legit Lippomanus: *Abiit portans omne bonum Domini sui in manu sua.* Eliezer secum tulit ea, quæ ad mundum muliebrem spectabant, vt sunt annuli, inaures, armillæ, viriolæ, vestes, ac alia huiusmodi, quomodo ergo dicitur, quod tulit omne bonum Domini, cum præter illa pretiosa ornamenta, alia multa maiora haberet Patriarcha, quod scilicet ipse esset vir magnus, & præclarus virtute & auctoritate, aut Princeps Dei esset appellatus. Genes. 23. num. 6. Tulit præfectus domus Abrahæ ex eo quidquid erat pretiosissimum gemmarum, auri, & argenti, inde secum asportauit omne bonum domus Abrahæ, in ipso enim auro, tanquam in radice firmatur totius honoris splendor, ac decus, vnde sublato auro etiam apud mundiales auferetur quidquid honoris, ac auctoritatis valet existere.

Genes. 24. Lippoman.

In diuitiis, ac bonis terrenis honor mundialis.

Genes. 23.

42.

Ait Ioseph fratribus suis se per somnium vidisse. *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*, Genes. 37. num. 7. fratres illi maiores, ac seniores erant ætate Ioseph. Vnde ergo euenit, quod manipuli eorum Ioseph manipulum adorarent? Præfigurabatur ibi quod tempore famis Ioseph sub sua potestate multa horrea tritico plena haberet; ac proinde manipulus Ioseph apparebat in illo somnio valde magnus, & amplius, & multo frumento repletus, manipuli vero fratrum erant exigui, & parui? Quamuis ergo Ioseph esset ætate, ac conditione ferè omnibus inferior, tamen cùm eius manipulus, tam dives ac fructibus locupleratus appareret, tantum honoris inde vendicauit, vt omnes procumbentes, eum adorarent, ac venerarentur, ex quo principio colligit Rupertus

Genes. 37.

In opulentia datur honos adorationis.

Rupert.

ad citatum cap. Genes. Cur Ægyptij Ioseph puerum peregrinum ignotum, ac è carcere eductum tanto honore prosequantur, vt saluatorem nuncuparent? *Non ob aliud*, ait, *ignotum sibi principem adorant, nisi quia defecerunt manipuli eorum, ipse autem de manipulis plenum habebat horreum.*

Decantat Regius Propheta Psalm. 111. num. 3. *Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.* Quid habet iustitia cum gloria, quid cum diuitiis; vt decantetur iustitia eius per futura sæcula? dicuntur in domo eius gloria, & diuitiæ, cur non potius commemorantur glorioſa facinora in certamine, ac inimicorum deuastatione? Sed tantum publicantur illius gloria, & diuitiæ? Sapienter D. Augustinus ad citat. Psal. *Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi. Ipsa eius gloria, ipsa eius diuitiæ.* Ac si dicat Aug. Ipsa eius gloria, ipsæ eius diuitiæ sunt in causa, vt eius iustitia decantetur in sæculum sæculi. Quandiu enim perseuerat eius gloria, ac diuitiæ in domo eius, tamdiu manet eius iustitia. Cum enim quis est excellens gloria, ac opibus, ab omnibus iustus habetur, vt innocens approbatur, & à nullo damnatur.

43. Psal. 111.

August.

Vbi diuitiæ ibi iustitia reputatur.

QVÆSTIO VIII.

Quare D. Petrus non solum dixit: Reliquimus omnia, *sed addidit,* secuti sumus te?

44

IN exordio quæstionis nota generositatem Petri, quod sic proponit sua obsequia, vt eadem in aliis recognoscat, non enim minuit aliorum facta, vt sua magis extollat, sed eadem merita sua in aliis videt. Pro omnibus procurans, ait: *Reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

45. Hieron.

Ad quæstionem respondet. Primò D. Hieron. *Quia non sufficit tantum*, ait, *relinquere, iungit quod perfectum est: & secuti sumus te.* Ostendit Petrus in hoc excellentiam, ac perfectionem operis nam relinquere omnia bonum erat, sed non erat bonum in se tantum hoc enim fecit Crates Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt, sed solum erat bonum in quantum ordinabatur ad alterum, ad illud nempe sequi Christum. Non enim sufficit inchoare bonum relinquendo omnia, sed necesse est illud perficere, & consummare, quod fit cum sequitur Christus.

46. Origen. Abulens.

Secundò. Origenes tract. 10. in Matth. Abulens. quæst. 188. D Petrus voluit respondere iuxta ea, quæ Christus dixerat iuueni diuiti: *Vende omnia quæ habes, & habebis thesaurum in cœlo, veni & sequere me*, Matth. 19. supra num. 21. Duo mandauit Christus, & quia adolescens ille non adimplenit, ideo locutus est Christus contra diuites; Nunc ergo Petrus intendens innuere, quod Apostoli impleuerunt omnia, quæ Christus mandauerat; ideo quod non debebat eis esse difficilis ingressus regni cœlorum, sed in eo præparatus magnus thesaurus, ideo repertiuit illa duo, quæ Christus dixerat: *Reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Vbi enim meritum resplendet, & præmij remuneratio conferenda.

Matth. 19.

Vbi meritum ibi & præmium.

47.

Tertiò. Quid dicis Petre: *Secuti sumus te*; Cur non consideras, quod aliquando sequendo deficies, & Dominum in actio Pontificis negabis? Modò in medium producit, quod Dominum sequebo

sequebatur, præ eximio amore ei nunc adhærebat, at verò passionis tempore particulari respectu, ac quâdam curiositate humana ducebatur, *vt videret finem*, Matth. 26. n. 58. D. Hieron. *Humana curiositate scire cupiebat, quid iudicaret de Domino Pontifex.* Cum Petrus particulari suo affectu cognoscendi exitum restimulatur, cadit, & delinquit, cum vero hic ex vehementi amoris flamma Dominum sequitur multum præmij promeretur. Christus in Cœnaculo prædixit suis discipulis suam mortem, & resurrectionem. *Scriptum est, percutiam pastorem, & dispergentur oues: postquam autem resurrexero: præcedam vos in Galilæam*, Matth. 26. num. 31. Tunc Petrus animosè ait. *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*, Luc. 22. num. 33. Dominus omnium pastor prædixit suam mortem, & suam resurrectionem. Cur Petrus non ad gloriam resurrectionis, sed ad ignominiam mortis se socium offert? Cum ad carcerem, & mortem comitem se exhibet Petrus, sui eximij amoris pignus erga Christum declarat, si vero hocidem ad resurrectionem præstitisset, alicuius proprij commodi nota videretur, quod Petrus declinans, quæ sui amoris erant, in medium producit, quæ verò speciem commodi habebant, prætermittit.

Matth. 26. Hieron. *Ex amore præmium, ex curiositate periculum.* Matth. 26. Luc. 22.

48. Quartò ait Petrus: *Reliquimus omnia, & secuti sumus te* Ad quid testatur ipse, quod reliquerit omnia? sufficiebat dicere, secuti sumus te, nam ibi omnium temporalium denudatio includebatur, vt notauit Chrysost. hom. 65. *Sua, ait, reliquerunt, vt ipsum sequerentur, & quod omnia reliquerunt, sequi facilius potuerunt.* Ad quid ergo dicit, reliquimus omnia, cum sufficiens esset astruere, secuti sumus te?

Chrysost.

49. Agebat Petrus personam procuratoris, ac veluti aliquid negotij ambientis agebat, cuius mos est sua dilatare, ac maximè amplificare. Cum iam proximus esset Iacob, vt fieret obuiam fratri suo Esau, destinauit ei munera mittere, capras, hircos oues, arietes, camelos, &c. *Et misit per manus singulorum, singulos seorsum greges, dixitque pueris suis præite me, & sit spatium inter gregem, & gregem*, Genes. 32. n. 16. Cur greges diuisi, ac sub diuersis pastoribus cum spatio, ac distantia interposita mittuntur? Cur non simul, ac vniti, & sub vno pastore? Iacob agebat personam negotij agentis, ac procurantis gratiam Esau. Ordinat ergo greges ab inuicem separatos cum interuallo, vt spectaculum gratius cum quadam solemnitate, & pompa exhiberetur; aut vt munera cum illa separatione ampliora apparerent, & pauci greges tanquam plurimi recenserentur. Interlineal. *Vt placerent munera multitudine sicut magnitudine.* Oleaster: *Nouit, ait, vir sanctus munus suum decorare, vt maius appareret.*

Procurator sua amplificat. Genes. 32. Interl. Oleaster.

Qvæstio IX.

Quare cum pauperibus spiritu sit iam assignatum regnum cælorum in præmium, hic Petrus quærit: Quid erit nobis.

50. Petrvs Apostoli relinquunt omnia, Christum sequuntur, & tunc de mundi præmio consequendo percunctantur, præmia quærunt, ac procurant Apostoli, ratione tamen suorum meritorum proposita. D. Paulus scribens ad Timoth. 1. cap. 1. n. 15. ait: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: quod Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* At vero ad eundem scribens Epistol. 2. cap. 4. num 7. ait: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, &c. Quid est quod in vno loco se dicit primum omnium peccatorem? *Quorum primus ego sum.* In secundo asserit sibi esse reseruatam coronam iustitiæ? Cum summam Dei pietatem decantat, se primum omnium peccatorem dicit; cum vero de corona agit, merita statim proponit; Nam sicut Dei pietas maximè exaltatur, cum peccata dimittit, & sic corona nobilitatur, cum absque meritis non conferatur. Et ideo ante coronam merita præmittit. D. Thomas: *Ex quo pugnaui, cursum consummaui, nihil restat nisi, quod coroner.*

1. Tim 1. 2. Tim 4. *Procuranda corona ex meritis.* D. Thom.

Quæstio præsens est. Diuinus Magister in monte docuerat suos discipulos dicens: *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. num. 3. Quod bene hærebat memoriæ discipulorum, si ergo ipsi amore Christi pauperes spiritu facti erant, sic enim sua reliquerunt, vt totum mundum relinquerent; ad quid ergo tam sollicitè de præmio interrogat Petrus: *Quid ergo erit nobis?*

51. Matth. 5. *Ratio difficultatis.*

Respondeo primò ad quæstionem. Petrus ob Christi amorem non solum pauper est factus, sed etiam contra Principum Iudæorum persecutiones, ac aduersitates Dominum sequebatur, eique adhærebat, quæ omnia adolescens ille recusauit, ac refugit; Cum ergo Apostolorum meritum constaret ex vtroque ex paupertate, ac Christi comitatu, ideo Petrus quærit, quid ergo erit nobis? Vnde Christus respondens, ac mercedem designans paupertati, ait: *Qui reliquerit domum, vel fratres*, &c. *vitam æternam possidebit:* assignansque præmium sectatoribus, ait: *Vos, qui secuti estis, sedebitis super sedes duodecim*, &c. Et ita interrogationi Petri Dominus respondit; vbi enim maius est meritum, maius debet esse præmium. Vide suprà cap. 27. quæst. 21. num. 162.

52. *Vbi maius est meritum, maior ibi sit & præmium.*

Secundò. Valde sollicitè, ac diligenter Petrus de præmio quærit: *Quid ergo erit nobis?* Multum enim negotij, ac laboris super hac re ipse impenderat, quod autem multo sudore comparatur, in magna æstimatione habetur. Cum audisset Iacob in occursum suum aduenire ei fratrem suum Esau. Sic ad Deum exorat: *Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo, ne forte veniens percutiat matrem cum filiis*, Genes. 32. num. 11. Aliqui Rabbini per *matrem* interpretantur Rachel. Iacob alias habebat vxores Liam, Balam, & Zelpham; Cur præ aliis, tantum cor eius super Rachel pauet? Rachel data est ei in vxorem seruitutis duodecim annorum stipendio, & ex tanto labore impenso maior creuit illius æstimatio.

53. *Quid multo labore comparatur, magni est in pretio.* Genes. 32. Rabbini.

Tertiò. Et germana hæc est solutio ad quæstionem; quomodo Petrus, qui tanta animi constantia ob Christum omnia sua dimisit, hic interrogat: *Quid erit nobis?* Scilicet præmij, ac mercedis, quod videbitur alicui ex ambitione fieri? Minimè tamen hoc Petrus ex ambitione quærit, nam cum ipse esset bene edoctus in Schola Christi, bene sciebat magnum præmium esse assignatum relinquenti omnia ob eius amorem, ac

54. *Ex proposito præmio generosior fit animus.*

ac ipsum sequenti ; tamen desiderabat Petrus vt Apostolis exponeretur præmium, quomodo adolescenti videbatur expositum , vt ex illius intuitu , ac repetitione, maiori generositate , ac animi audacia inflammarentur , vt Christum sequerentur, eique adhærerent.

55. Cum Philistæus Goliath exprobrasset agmina filiorum Israëlis, ab eis scisciatur diligenter David : *Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum*
1.Reg.17. *hunc, & tulerit opprobrium de Israel ?* 1.Regum 17. num 26. Quomodo David , qui tanto robore pro tuenda vna ouicula gregis sui interfecit leonem, & vrsum, ac apprehendit metum eorum , & tenens suffocauit eos ; nunc vero cum res est pro gloria Dei , honore patriæ , ac suorum defensione, sic interrogat per vnum quempiam , ac per multos ? *Quid dabitur viro , qui percusserit Philisthæum hunc ?* vt communiter colligunt Doctores ex ipso textu. Tam vehemens solicitudo de præmio , tanquam illius testificata indagatio per multorum ora , ambitionem redolere videbatur; sed non erat ambitio , sed vt magis ex præposito præmio tantorum testimonio adhibito animotior fieret , vt in certamen descenderet , cum hoste pugnaret, ipsúmque deuincret, ac prosterneret. Abulens. quæst.17. *Aliquis dicet* , ait , *quod David nimium desiderabat præmium, quod rex præposuerat viro repugnanti , ideo volebat sæpè sibi repeti. Sed dicendum , quod non desiderabat nimis hæc : quin potius monebatur cupiditate pugnandi contra Philisthæum zelo patriæ.*

Inquiritur de præmio, vt maior sit: audacia in pugna.

Abulens.

16. Ait Abrahamus Deo : *Domine Deus , quid dabis mihi ? Ego vadam absque liberis*, Genes. 15. num. 2. Quomodo hæc ait Abrahamus , cum terra illa
Genes.12. esset ei promissa in possessionem filij eius. Genes. 12. num. 7. & cap. 13. num. 15. *Omnem terram, quam conspicis , tibi dabo , & semini tuo.* Nunquid Abrahamus dubitauit , vel diffidit de Dei promissione ? Minimè. Quorsum ergo ait. *Quid dabis mihi , ego absque liberis vadam ?* Carthusian. *Admirando , & piè conquerendo , non diffidendo locutus est.* Bene agnoscebat Abrahamus multitudinem beneficiorum diuinorum in se collatam, certóque credebat se filium habiturum, vt ei promissum erat à Deo. Tamen ait : *Quid dabis mihi, ego absque liberis vadam.* Vt audiens iterum in se diuina beneficia impensa , iterúmque filij promissionem , indéque magis , ac magis excitetur ad diuinam beneficentiam recognoscendam , ad magnáfque gratiarum actiones persoluendas. Philo Hebræus lib. quis diuinarum rerum hæres. *Hoc verbum*, ait, *non tam dubitantis est, quam gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitudine. Quid mihi*, &c.

Carthus.

In nona repetitione beneficiorum nona gratiarum actio.

Philo.

Marc. 19. *num.* 25. Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ , sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Israël.

VERSIONES.

D. Pasch. l. 9. in Matth. Amen dico vobis , quod vos, qui reliquistis omnia , & secuti estis me.

Syriacus. Amen dico vobis : quod vos, qui venistis post me in sæculo nouo, cum sedebit filius hominis super thronum gloriæ suæ , sedebitis & vos super duodecim sedes , & iudicabitis duodecim tribus Israël.

Arabicus. In generatione ventura.

Orig. hom. 10. In generatione omnium cum sederit filios hominis in regno suo.

S. Gaudent. In resurrectione omnium, cum sederit.

Euth. Arab. Cum sederit filius hominis in sede gloriæ suæ.

S. Prosper in Psalm. 110. Sedebitis super duodecim thronos.

S. Hieronym. Super duodecim solia.

EXPOSITIO II.

IESVS *autem dixit illis.* Petro 57.
nempe, ac cæteris Apostolis. Petrus enim nomine omnium Apostolorum interrogauit : Et si Dominus ad solum Petrum dirigeret sermonem , alij contemni viderentur , Christus autem neminem vult contemni ; deinde docet nos suo exemplo ; quod sic vnius interrogationi est respondendum , ac ad illius negotium attendendum , vt alij promoueantur ad salutem , & exhortentur ad bonum. *Amen dico vobis.* De rebus futuris Dominus factuus promissa , sermonem suum consueta iurandi , ac asseuerandi formula confirmat. *Vos qui secuti estis me* , in paupertate renunciantes omnia , quæ sunt huius sæculi , & vt individui comites , ac cooperatores Euangelicæ prædicationis mihi adhæsistis. Et nota primò , quod de præterito ait : *Vos , qui secuti estis* , non verò de præsenti , vos qui sequimini me ; vt ostendat , quod ante oculos habebat , non solum obsequia præsentia, sed etiam præterita. Secundò : quomodo ait Christus: *Vos , qui secuti estis me.* Multi enim alij præter Apostolos Christum sequebantur, Ioan. 6. num. 2. *Et sequebatur eum multitudo magna.* Hæc tamen turba ei adhærebat intuitu alicuius propriæ commoditatis , vt statim Ioannes citatus subdit; *Quia videbant signa , quæ faciebat , supra his , qui infirmabantur.* At vero Apostoli tantum Christi amore absque alicuius rei interuentu ipsum sequuntur, & ideo tantum à Domino sublimantur, vt præ cæteris ad maiora munera destinentur. Vnde ait , Diuus Augustinus tract. 17. in Ioan. *Quia diligunt , eliguntur.* Perpende verba. *Qui secuti estis me* , à suis expostulat obsequia , ad eius tamen exemplum , ac imitationem. Optimus rex , ac Princeps , illud opus in suis requirit , quod ipse prius præstitit , & exoluit ; at Principes sæculi id , quod ipsi minimè attingere volunt , à suis exactè adimpleri rigidè præcipiunt.

Nullus contemnendus.

Verum Rex habebat obsequia præterita ante oculos.

Ioan. 6.

Sequi per amorem malum præmiatur.

Augustin.

In regeneratione. Hoc est in communi omnium futura resurrectione in die iudicij ; hæc enim erit 58.

veluti quædam renouatio, ac regeneratio corporis, ac totius hominis, de quo infra. *Cum sederit.*

Iudex sedato animo iudicat. In sede apparebit, tum propter auctoritatem suam, tum etiam vt animus sedatus, ac tranquillus declaretur, vt conueniens est iudici, vt iustè iudicet. *Filius hominis.* Non dicitur filius Dei, sed filius hominis, vt denotetur, quod illa glorioſa ſedes ei data eſt, non quia filius Dei exiſtit, ſed

Gloria per merita obtinenda. quia per merita, mortem, ac ſanguinem ſuum eam comparauit. *In ſede maieſtatis ſuæ.* Syriacus habet: *Super thronum gloriæ ſuæ.* Sedes autem, & thronus iſte erit quædam nubes; iuxta illud Apocal. 14. num. 14. *Vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis.* Sedebit Chriſtus omnium iudex ad iudicandum totum orbem; dicitur autem ſedes maieſtatis, thronus gloriæ, quia nubes illa erit plena gloria, ac ſplendore, & Dominus omnibus Angelis, ac ſanctis ſtipatus apparebit.

59. *Sedebitis & vos.* Nunc humiles, & abiecti. Quo denotatur primò eorum ſecuritas, ſecundò excellens munus iudicandi; tertiò eorum præclara dignitas præ cæteris. Quartò, quod in iudicando proximum locum apud Dominum obtinebunt. *Super ſedes duodecim.* Hi Apoſtolorum throni erunt ex nubibus pulcherrimis, ac multa gloria fulgentibus, ſimilis throno Chriſti in ipſo aëre conſtituti. *Super ſedes duodecim.* Non confusè omnes in vno ſedili, ſed magnifico ordine, in veſtris ſinguli thronis. Et reſpicit numerus duodecim Apoſtolos, intellecta conditione, ſi perſeuerauerit in finem. Vnde, quia Iudas dilapſus eſt, non habuit ſedem. Et ponitur numerus certus pro incerto, duodecim nempe pro omnibus; Chriſtus loquens duodecim Apoſtolis, in eis etiam ad eorum ſectatores habet ſermonem, qui renuntiantes mundum, Chriſtum ſequuntur, multum laborantes in conuerſione, ac ſalute animarum; de quo infrà quæſt. 15.

Magna dignitas Apoſtolorum.

60. *Iudicantes.* Tanquam principes orbis, ac iudices delegati à Chriſto omnium ſupremo iudice. *Pater iudicium omne dedit filio hominis*, Ioan. 5. num. 22. Quo magna gloria ſactorum Apoſtolorum exprimitur. *Duodecim tribus Iſraël.* Id eſt totum populum Iſraël, nam quamuis tribus Ioſeph eſſet bipartita in Ephraim, & Manaſſe, tamen dicuntur duodecim tribus reſpiciendo ad duodecim Patriarchas Iacobi filios, & Apoſtoli dicuntur iudicare duodecim tribus, quia erant de populo ſuo, & his tunc prædicabant, & ab eis erant contempti, ac iniuriis affecti; an vero Apoſtoli ſolum duodecim tribus Iſraël iudicabunt? Affirmant D. Chryſoſtom. Euthim. Melius tamen dicendum cum D. Auguſtino, Abulenſ. ac aliis, quod omnes gentes hic intelliguntur; nam cum populus Iſraël, cui Meſſias erat promiſſus, expulſus eſſet à ſua hæreditate ob illius delicta, tunc illius loco ingreſſæ ſunt gentes credentes, ac veluti in duodecim tribus tranſpoſitæ, & inſertæ, ac quaſi eorum ciuitate, ac iure donatæ ſunt; ſic in duodecim portis ciuitatis ſanctæ Ieruſalem, erant *nomina ſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël*, Apoc. 21. num. 12. & Angelus de Chriſto ait ad B. Virgin. *Regnabit in domo Iacob*, Luc. 1. num. 32.

Ioan. 5.

Chryſoſt. Euthym. Auguſt. Abulenſ.

Apoc. 21.

Luc. 1.

QVÆSTIO X.

Quare Chriſtus primò aſſignat præmium ſui ſequelæ, quam paupertati, & hoc adhibita iuramenti forma?

PETRVS ſollicitus Collegij Apoſtolici procurator duo merita Chriſto allegat. Primò, *reliquimus omnia.* Secundò, *ſecuti ſumus te.* Tunc Dominus reſpondens, & mercedem eorum meritis aſſignans, ait; *Vos, qui ſecuti eſtis me.* Primum ſui ſequelæ, deinde paupertati præmium declarat, cur planè non ſatisfit Petri interrogationi eodem ordine, quo ipſe propoſuerat? 61.

Reſpondet primò Euſebius Emiſſen. homil. 4. de Natal. Apoſtolorum, *Duo Chriſtum propoſuerat, ſed alterum Chriſtus aſſumpſit, non enim dixit, vos qui reliquiſtis omnia, ſed dixit, vos qui ſecuti eſtis me; ſufficiens ergo fuit alterum dicere, quia vtrumque in vno continebatur.* Primò ad ſecundum, quod Petrus dixerat, reſpondet Dominus, in ipſa enim Chriſti ſequela omnium abnegatio, ac renuntiatio includitur, non enim quis poteſt Chriſtum perfectè ſequi cum ſæculi amore, hic enim deponendus eſt, vt ex toto corde ei adhæreat noſtra mens. 62. Euſebius. *In Chriſti ſequela omnium renuntiatio.*

Secundò. Chriſtus Dominus prius declarat quale ſit præmium ſequelæ, quia præcipua res, eáque Apoſtolis propria erat, deinde de ſpontanea rerum abnegatione agit. Vnde ait D. Hieron. *Vos, qui ſecuti eſtis me*, &c. *Non dixit*, ait, *qui reliquiſtis omnia. Hoc enim & Socrates Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt. Sed qui ſecuti eſtis me, quod propriè Apoſtolorum eſt*, &c. Voluntaria paupertas illuſtriſſima virtus, quæ in Catalogo beatitudinum primo loco vt Princeps ponitur. *Beati pauperes ſpiritu*, &c. Matth. 5. Quia tamen in Socrate Philoſopho, ac aliis eiuſdem farinæ hominibus exiſtit, ideo exiſtimat Hieronymus eam à Chriſto Domino, primo loco præteriri, & eam duntaxat appoſuiſſe, quæ vt propria in Apoſtolis inuenitur. Ecce bonorum dimiſſio alioquin valdè præclara virtus, deuenuſtatur tamen, quia in Socrate homine idololatra reperta eſt, quaſi excellentia operis aliquando, non tam ex opere, quam ex operante cenſeatur, ac iudicetur. Æſtimabat multum Naboth vineam ſuam, non ob vberes fructus, quos ferebat, ſed quia parentum manibus plantata fuerat; vnde Achab dixit Naboth. *Propitius ſit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi*, 3. Reg. 21. n. 3. Vide ſupra cap. 8 num. 275. 63. Hieron. Matth. 5. *In magnitudine operationis ipſum auxiſſe, ex paruitate vilipſit.* 3 Reg. 21.

Quæſtio ſecundò inquirit; Quare Dominus non abſolutè, ac ſimpliciter facit ſuam promiſſionem, ſed interpoſita iurandi formula ſermonem ſuum confirmat. *Amen dico vobis, quod vos, qui ſecuti eſtis me*, &c. Reſpondeo. Primò: Quod tam difficiliter obſequia exhibita remunerantur inter homines, quod vt huiuſmodi promiſſionibus fides adhibeatur, iurandi forma rem ſtabiliri expediens viſum eſt. 64. *Inter homines difficiliter obſequia remunerantur.*

Secundò. Vt iurandi forma auditores maximè in promiſſis certi redderentur, ac de eis minimè eorum animus fluctuaret, ſed ad hoc ſat erat diuina authoritas, eiúſque infallibilis veritas, ad quid inſuper iuramentum? Apparet Deus Iſaac, multiſque promiſſiones ei faciens de terra promiſſio 65. Geneſ. 20.

promissionis. *Complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo* Gen.26.n.3.sufficiens erat,quod Deus dixisset promissionem factam Abrahæ, ad quid insuper iuramentum vocat? Homines cum sint mendaces, vt securitatis munimen suis promissionibus adhibeant, eas iuramento corroborant;at Deus,qui est prima,& summa veritas,cuius verbum mutari est omnino impossibile, ad quid cum iuramento suas facit promissiones?*Complens iuramentum, quod spopondi Abraham* Iuramentum appellat sponsionem factam; voluit potius in promissionibus securum reddere Isaac, quam attendere ad celsitudinem,ac maiestatem suæ infallibilitatis.D.Chrys.hom.51.in Gen.*Non dixit simpliciter Deus*, ait, *pacta,quæ feci cum patre tuo,neque promissiones,quas promisi,sed quid?iuramentum. Vides Dei misericordiam?non ad propriam dignitatem respiciens loquitur,sed ad nostram condescendens infirmitatem. Nam, quia homines ferè semper illa opera perficere student,non quæ simpliciter promiserunt alicui,sed quæ cum iuramento promiserunt: simili modo & Deus iusto plenam fidem faciens, quæ à se dicta sunt, dicit iuramento firmata.* Ecce diuina bonitas potius attendens ad nostram infirmitatem, quam ad eminentiam suæ maiestatis,& ideo vt omnem hæsitationem ab animis nostris excludat,iuramento vtitur, vt est consuetus modus inter homines ad firmandas suas promissiones. *Vides Dei misericordiam?non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram condescendens infirmitatem.*

Gen.26.

Deus seruilis attendit ad nostrum commodū, quàm ad suam dignitatem. Chrysost.

QVÆSTIO XI.

Quare Apostoli promittuntur sedes in regeneratione?

66. Hilar.

DIVVS Hilarius in præsenti per regenerationem Baptismum interpretatur, est enim quædam regeneratio spiritualis, qua peccato emorrui in vitam spiritualem nascuntur.D.tamen Chrysost. D Hieron. D.Paschas. Albert.Magnus, D.Thom. communem,ac futuram resurrectionem in die iudicij intelligunt, in qua corporis, ac totius hominis fiet quædam regeneratio ad gloriam, ac etiam mundi renouatio. Vnde Syriacus vertit. *In sæculo*, Arabicus, *In generatione ventura:* Origenes,*In regeneratione omnium.* S.Gaudentius, *In resurrectione omnium.* Tunc enim cœli noui, & terra noua fient, Isai.65.n.17. Apoc.21. num.1.& 2.Petri 3.n.13.

Chrysost. Hieron. Paschas. Alb.Magn. D.Thom. Syriacus. Arabicus. Origen. Gaudent.

67. Euthym.

Quæstio præsens est. Cur Dominus suis promittit sedes in die vniuersalis iudicij,ac communi omnium resurrectione,per quod denotatur magna dignitas, ac excellentia Apostolorum; Euthym. *Per duodecim sedes in regeneratione,*ait,*innuit fruitionem, siue requiem,ac præexcellentiam duodecim discipulorum, & regni sui communicationem.*

68. Bernard.

Moraliter secundò respondet D Bernard.super hæc verba. *Quid est*,ait,*quod dicit in regeneratione? aut quæ est hæc noua generatio? fortè,& altera regeneratione opus esse videtur:nec solum denuo, sed & tertio hominem nasci,necesse est. Infelix ego homo,& miserabilis casu meo, cui non vna sufficit, cui necessaria est duplex regeneratio.* Promittuntur Apostolis sedes,non in hac generatione,sed in regeneratione, hoc est in altera generatione. Vt enim possit quis in cœlum ascendere,in cœlestique sede quiescere, noua natiuitate, ac generatione indiget. Homo in hac generatione multis delictis coinquinatus degit, necesse est ergo vt multipliciter regeneretur, ac reformetur in vita, vt sursum in cœlum feratur. Cùm Christus Dominus ascendit in cœlum, adstant sancti Angeli, & dicunt Apostolis, *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum?* Actor.1.n.11. Ad quid Angeli vocant Apostolos Galilæos? Nam Galilæi homines viles, ac contemptibiles erant habiti. Vnde cum Nicodemus in Christi fauore loqueretur,dicunt ei Pharisæi: *Nunquid tu Galilæus es?* Ioan.7.n.52. ex quo Iulianus Apostata, vt refert Nazianz. orat... pro contumelia Christianos mandauit Galilæos dici: *Quasi præeminentes dignitate, e loci vocabulo.* Galilæi iuxta vocabuli significationem, idem est, ac transmigratores.Cùm Apostoli spiciunt Christum euntem in cœlum, eos Angeli appellant transmigratores, quia si Christum euntem in cœlum volunt sequi, necesse est transmigrare à vita generationis huius, in noua regeneratione Christum imitantes,vt tanquam præeminentes dignitate valeant cœlum conscendere.

Actor 1. Ioan 7. Nazianz.

Vt homo ascendat in cœlum, renouandus est à facie materialis vitæ.

69. Tertiò.Quomodo sacris Apostolis pollicentur sedes in regeneratione ad iudicandum? Nam sancti Apostoli non solum in hoc sæculo, sed etiam in altero iudices extiterunt,ac sedes habuerunt.Petrus,vt Summus Pontifex,ac caput orbis,in cuius successoribus eius potestas perdurat.Cæteri autem Apostoli ex vi suæ dignitatis Apostolicæ etiam acceperunt à Christo Domino potestatem ad suum munus rectè agendū,prout requirebatur,vt vnusquisque iret cum potestate plantandi Ecclesias, creandi pastores,ac sacerdotes, & ad censuras ferēdas,ac à peccatis absoluendum. Dixit eis Christus Dominus Matth.18.n.18.*Quæcumque ligaueritis super terrā, erunt ligata & in cælo.* Et Ioan.20.n.21. *sicut misit me pater,ego mitto vos.*De quibus latè agūt Bellar.l.2.de Cōc.c.14.Suar.l.4.de leg.c.3.n.6.& 7. Salas d.8. sect.3. n.14. Hoc posito ergo cur Apostolis in præmium non dantur cathedræ ad iudicandum in hoc sæculo,sed in futuro,in regeneratione? Huius vitæ sedes,cùm essent cathedræ Pastorum, ac Prælatorum, erant laborum domicilia, multis ærumnis, ac pressuris circumdata; at vero alterius vitæ sunt sedes gloriæ,maiestatis,ac quietis;præmia autē, quæ à Deo iustis cōferuntur, aliena sunt ab omni molestia; & vndiquè exultationis,gaudij,& gloriæ plena extāt. Vide sup.c.5. n.161.c.9.n.96. vide tom.2. & 3. verb. *Prælatus.*

Matth.18. Ioan.20. Bellarm. Suarez. Salas.

Sedes Prælatorum laborum domicilia.

70. Quartò. Apostoli reseruati erant, vt per multa tormentorum genera à tyrannis interficerentur, quomodo etiam eorum iudices à Christo Domino instituuntur.Erunt tamen iudices: *in regeneratione*, in altero nempe sæculo, vbi omnis euacuatur carnis affectus; Iudex autem ille, qui omni carnis,ac sanguinis morsu caret, aptissimus inuenitur, vt de amicis, ac inimicis sententiam ferat, Eccles.47.n.2. Miras laudes decantat Dauid optimi, ac magni regis Israëlis. *Quasi adeps separatus à carne sic Dauid a filiis Israel.*Quid habet magnus Rex Dauid cum adipe? cur non alterum elogium ei appropriatur? Ad quid eius excellentia cum adipis similitudine exprimitur; adeps fit ex carne, & sanguine, tamen nihil carnis, ac sanguinis vendicat,sic optimus Rex Dauid quamuis ex carne, & sanguine esset progenitus, nullos tamen carnis,& sanguinis effectus edebat,sed omnino ab illis in suis actionibus separatus erat, Rabban. *Ostendit*,ait, *Ecclesiasticus scilicet, cum gratia Spiritus sancti repletum,à carnalium,& peccatorum homi-*

Eccl.47. Rabban.

Iudex sit alienus ab omni affectione carnis, & sanguinis.

num consortio, in moribus, & vita sequestratum esse.

71. Quintò. Obsequium de præsenti exhibetur, *Vos, qui secuti estis me.* At præmium valdè sero promittitur: *In ventura generatione.* Vt legit Arabicus. *In vltima nempe die iudicij:* Apostoli heri remos habentes in manibus piscatores extiterunt; non decet vt hodie gubernationis virgâ tanquam iudices sedeant, gradatim ergo ascendant,& paulatim ad tantum régimen disponantur. *Qua est ista, qua progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol.* Cant.6.n.9. Cum auroræ meminit cur statim cum sole non facit comparationem, qui auroræ succedit, ad quid lunam inter solem, & auroram interponit? Aurora lucis initium, luna autem lucis augmentum, sol verò lucis plenitudo; noluit ergo ex Auroræ crepusculo statim ad splendidam solis lucem se extendere, & ideo tanquam medium lunam apponit. Ad hoc respiciunt D.Ambr.lib.4.Hexamer.c.8.D.August. Epist 80. Philo Carpatius de Ecclesia iustorum interpretantur. *Beatissima sponsa*, inquit citatus Philo, *veluti aurora ascendere dicitur, cum primo à tenebris delictorum ad lucis sanctitatem abscessit; deinde veluti luna à magnis profectibus virtutum ad altiores probitatis gradus ascendit per amplierem diuinæ gratiæ cumulum. Postremo in die iudicij relicta mortalitatis carne, immortalitatis lumine, æterna claritate, instar solis vestietur.* Vide multa in Indice, verb. *Paulatim*, hoc tom.& 1.2.ac 3.

Arabicus. *Paulatim ad magnas dignitates eundum.*

Cantic.6.

Ambros. August. Philo Carp.

72. Sextò. Pollicentur sedes viris Apostolicis non in hoc sæculo, sed in regeneratione, quando liberi ab omni carnis impulsu, ac illustrati cœlestibus donis Spiritus sancti extiterint, nam regendi, ac iudicandi domicilium consistere debet omnino alienum ab omni carnis affectu, & dirigi secundum dictamen legum iustitiæ, ac rationis. Mandauit Deus Moysi super arcam, in qua includebatur lex fieri propitiatorium; præcepit deinde: *Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies:* Exod.25.n.18.qui manibus teneant ipsum propitiatorium. Cur potius duo Cherubim ad hoc destinantur; quam duo Seraphim? nam hi sunt spiritus nobiliores, ac proximiores Deo adstant. Tamen Cherubim eliguntur. Seraphim sunt spiritus amoris, ac proinde amicorum symbolum gerunt, Cherubim verò pleni dicuntur scientia, ac sapientia. Propitiatorium erat veluti cathedra, ex quo Deus tanquam supremus omnium legislator, ac gubernator dabat responsa, & oracula; circunstant ergo Cherubim, non vero Seraphim, quia iudicij, ac regiminis sedes, non est amantium domicilium, sed rectè sapientium, ac intelligentium secundum legum, iustitiæ, ac diuinæ sapientiæ ductum. D.Bonauent.1.part.de Eccles. Hier.c.35. de Prælatis loquens. *Quasi à sinistris*, ait, *erigitur Cherub quoad scientiam in humanis, vt scilicet sciamus qualiter in medio huius prauæ nationis sapienter conuersemur: in alia vero parte debet esse Cherub quoad sapientiam in diuinis, vt scilicet secundum spiritum diuinæ sapientiæ nos cœlestibus conformemur.*

Exod.25.

Index iudicet, & regat non secundum amorem, sed scientiam.

Bonauent.

73. Septimò. Dantur Apostolis sedes in regeneratione, seu vt legit Syriacus *in sæculo nouo.* Seu in altero sæculo, nam cum iustitia iudicare, sæculi magnates damnare, ac conculcare, bene meritis præmia conferre, res huius sæculi non est, sed alterius. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Apoc.12.n.1. Luna, quæ est vna è duobus luminaribus magnis, quæ Deus creauit: *fecit Deus duo luminaria magna.* Gen.1. & tamen sub pedibus conculcatur; stellæ verò ita subleuantur, vt in capite reponantur; quidnam id denotat? Luna quamuis sit luminare magnum, suos patitur defectus, proindéque principes sæculi significat multis criminibus infectos; scintillantes verò stellæ benemeritos adumbrant, vt docet D.Bernard.serm. in signum Mag. Hoc autem quod est potentes sæculi pedibus conterere, fulgentes meritis, tanquam stellas ad caput subleuare, huius terrenæ habitationis res non est, sed tantum cœli, & ideò apertè dicitur: *Signum magnum apparuit in cœlo.*

Syriacus.

Apoc.12.

Genes.1.

In cœlo, & non in terra deficiuntur potentes sæculi, & eligantur bene meriti. Bernard.

Mittitur Samuel à Deo in Bethlehem, vt eligat in regem vnum ex filiis Isai, cum Propheta esset ingressus domum illius. *Vocauit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele; qui dixit: nec hunc elegit Dominus. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele, & ait Samuel ad Isai: non elegit Dominus ex istis.* 1.Reg.16.n.8. Sed tandem eligitur vnus paruulus Dauid, qui pascebat oues. Ecce Samuel electurus vnum ex filiis Isai in regem, ad omnes filios mittitur; cur non dicitur nominatim qualis sit eligendus? sed vadit, vocat omnes, & despicit maiores natu, præstantiores forma, ac corpore, & vnus paruulus Dauid eligitur. Vt demonstraretur electio non humano spiritu, sed diuino nutu dirigi; nam despicere maiores natu, gradu, ac dignitate, & contemptibiles assumere, non humani, sed diuini est consilij. Sic rem explicat in præsenti Abulens.q.26. *Iudicare*, ait, *non considerata qualitate corporis, sed animi, non hominis, sed Dei est.*

74. 1.Reg.16.

Non hominis, sed Dei est despicere maiores, & assumere contemptibiles.

Abulens.

Qvæstio XII.

Quare Apostolis tunc designantur sedes, cum sederit filius hominis?

75. IN exordio huius quæstionis nota, quod ad iudicandum multi cum Christo adstabunt, ad mortem vero, & passionem ipse solus pro nostra salute est destinatus. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non fuit vir mecum*, Isaiæ 63.n.3. fugientibus Apostolis ipse solus in mortem traditus est. Vt ponderat D.Athanas.q.110. *Solus ipse Christus*, ait, *pro nobis mortuus est; Petrus namque Christum negauit, & ipse passionis tempore cæteri quoque Apostoli dedere se in fugam.* Ecce in passione omnes Apostoli fugiunt, & ipse solus Iesus ad crucem pergit; at vero ad iudicium multos secum assumit socios. In præsenti ad suos discipulos, ait. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël.* Imò,& Sapient.5.n.21.dicitur: *Arcuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Cum ad iudicium venit, nullum patitur deesse discipulum, quin & secum omnes conuocet creaturas, *pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Cum verò ad saluandos omnes homines deuenitur, omnes Apostoli abire permittuntur, ipse solus crucem conscendit; cur Domine, tot vocas socios ad iudicium, sic vero solus ad omnium salutem pergis? Doctè respondet P. Didacus de Baëça tom.4.in Euang.lib.18.cap.12. *Ad puniendos*, ait, *homines, quanis apta est creatura, & sic vniuersa assumuntur: ad saluandum nulla valet creatura, solus id potest Iesus verus Dei filius.*

Isai.3.

Athanas.

Sapient.5.

Ad puniendum multa assumuntur creaturæ, vnus solus Iesus ad salutem.

Baëça.

Ad quæstionem respondeo primò iuxta doctrinam D.Hieron. Paschasij, D.Thom. Carthusiani, Abulensis

76.

Abulenſ. Abulenſis quæſt.192. Quod cum ait Dominus. *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ:* Exercens manifeſtè, ac vniuerſaliter ſuam poteſtatem iudiciariam, dans ſingulis in anima, & corpore, quæ meruerunt, tunc ait ſuis vitis Apoſtolicis, *ſedebitis & vos.* Vos nunc humiles, & abiecti, non ſtabitis vt cæteri iudicandi, ſed mihi proximi ſedebitis ſuper duodecim thronos valdè glorioſos: per quod denotatur eorum magna excellentia, poteſtas, ac dignitas, ac eorum requies, & fruitio, vt ſuperiori quæſt. in prima ratione dixi ex Euthymio. Et fit hic etiam alluſio ad regum morem, qui cum in ſummo tribunali conſident, aliquos viros magnos veluti conſiliarios habent in conceſſu proximos.

Vbi maiora ſunt dona, ibi maior ratio eſt exigendi.

Cum alij ſint, ſedent Apoſtoli.

77. Secundò. Vt appareat ingens Chriſti poteſtas, ac benignitas, qua ſeruos ſuos ita euehit, ac extollit, vt eos faciat ſecum ſedere ſuper thronos gloriæ, & maieſtatis. *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum.* Pſalm.100. num.6. & tamen Pſalm.100. Iſai.6. apud Iſaiam 6. n... Cum Dominus apparet ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. *Seraphim ſtabant ſuper illud.* Quid mirabilius, Seraphim nobiliſſimi ſpiritus ſtant, & homines terreni ad conſortium ſedilium, de quo vehementer admiratus D. Chryſoſtom. ait ibi. *O ingens miraculum! Intei ſedent, & corporis expertes adſtant* Vt apertè videatur magna Ieſu poteſtas ſuis fidelibus data, vt homines lutei cœleſtibus etiam virtutibus ſublimiores appareant.

Chryſoſt.

Deus multis extitit benignus fidelis.

Deum regnante iuſtitia regnari, ſecus ignominia.

78. Tertiò. Quid eſt, quod ait Dominus, *cum ſederit filius hominis ſedebitis, & vos.* An Chriſtus tunc ſedebit, quando Apoſtoli in vltima die iudicij ſedebunt? Ipſe enim iam modo ſedet. *Aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.* Marc.16. num.19. Promiſſio autem facta, ſedebitis & vos futurum tempus, nempe diem iudicij reſpicit. Quomodo ergo dicitur, cum ſederit ſedebitis; cum ipſe iam modo ſedeat? Verum eſt, quod Chriſtus Dominus in ſe, & quoad dignitatem capitis iam ſedet, tamen adhuc cum ſuis membris ſtantibus, ac laborantibus in terra ipſe ſtat, & laborat, ne ipſi deſtituti tanto conſortio, ac ſolatio frangantur. In vltima autem die iudicij quando iam finitis laboribus huius vitæ ſuos vocat ad æternas ſedes, tunc dicitur, quod ipſe ſedebit cum ſuis Apoſtolis. D. Bernard. in ſuis declamationibus: *An magis audebimus dicere, & ipſum adhuc ſtare quodammodo, vtpote cuius necdum ſedes conſummata videtur: necdum pedibus eius ſcabello ſuppoſito, quod à Patre promiſſum eſt? Non quod illi plenitudini quippiam deſit, ſed quod membra caput expectet. Audeat hoc teſtari, qui meruit intueri: Ecce aio Stephanus; video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem,* Actorum 7. num.55. Non ſedebat filius hominis, ſed ſtabat. Petrus Damianus de Stephano: *ſtabat. Et cum bellante bellabat.* S. Ambroſius epiſt.20. vel 82. ad Verſalen. *Vt ſolitus iuuaret athletam, quem paratus coronaret.*

Chriſtus cum ſuis videtur laborare.

Bernard. Actor.7. Damian. Ambroſ.

79. Quartò. Antequam Deus fieret homo, valdè rigidus erat in ſuppliciis inferendis; at poſt noſtram carnem aſſumptam valdè pius, & miſericors eſt in humanum genus. Tamen Deus olim ad iudicandum ſtabat. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum,* Pſalm.81. num.1. *Stat ad iudicandum Dominus, ſtat ad iudicandos populos.* Iſai.3. num.13. At verò modò in lege gratiæ ſedens iudicat. *Cum ſederit filius hominis, in ſede maieſtatis ſuæ.* Pedibus ſtare quandam celeritatem, ac feſtinationem denotat, ſedere verò moram, & cunctationem dicit. Quid eſt quod antiquitus Deus celeriter, ac velociter iudicabat? nunc verò cunctanter, ac cum dilatione? cùm enim in præſenti maiora ſint beneficia nobis exhibita à Deo, maior, ac exactior eſt illorum ratio perſoluenda. Ex augmentatis donis, augmentatur & illorum ratio reddenda. Vide ſuprà cap.27.num.107.& 108.

Pſalm.81. Iſai.3.

Quintò. Vt rectè notat D. Chryſoſt. hom.65. *Non enim, ſedebitis, ſolummodo dixit.* Non dixit Dominus abſolutè, ac ſimpliciter: *ſedebitis vos,* ſed denotat tempus, ac illius occaſionem. *Cùm ſederit filius hominis.* Magnus eſt enim honor, ac gloria regnante iuſtitia ſedem habere: *Cùm ſederit filius hominis, ſedebitis, & vos.* Cùm enim ipſe ſupremus omnium iudex, ac arbiter ſedem conſtituerit, tunc & vobis cathedræ concedentur. Ierunt ligna, vt vngerent ſibi regem; dixerunt oliuæ, fico, ac viti, impera nobis, quæ illorum regimen reſpuerunt: *Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum: veni, & impera ſuper nos,* Iud.9.n.24. Cur tam nobile regimen repudiant oliua, ficus, ac vitis? Vbi enim regnum in tam vili erat æſtimatione, vt rhamno, quæ eſt ſpinoſa, ſicca, ac infructifera deferretur, dedecebat nobiles arbores tale regimen, ac clauum obtinere.

80. Chryſoſt. Iud.9.

Sextò. D. Chryſoſt. homil.65. *Sedebitis & vos,* ſic ait: *Conregnabitis, & illius gloria participatione fruemini.* Quid eſt, quod ait Dominus: *Cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.* Reſpiciens nempe ad diem iudicij, cum ipſe iam modo ſedeat à die ſuæ glorioſæ Aſcenſionis. *Aſſumptus eſt in cœlum.* Verum eſt, quod Dominus modo reſidet in cœlo, in throno gloriæ, ac maieſtatis, tamen inſigniter dicitur, quod in die iudicij ſedet in ſede maieſtatis ſuæ, cum ipſam ſedem maieſtatis ſuis communicabit, eóſque illius participes efficiet: *Conregnabitis ſcilicet, & illius gloriæ participatione fruemini.* Non patitur Dominus ſuam gloriam eſſe ſolitariam; ſed vult maximè in omnes exundare, vt omnes ex illius abundantia ſatientur, ac repleantur. D. Cyprian. ſerm. de Aſcenſ. *Hoc gloriæ Vnigeniti,* ait, *dilecti accumulat, quod beatitudini ſuæ non patitur eſſe ſolitariam magnitudinem; ſed addidit fratres, non qui minuant, quaſi in plures diuiſam excellentiam, ſed qui altitudinem diuitiarum eius exornent participes, & conſortes.*

81. Chryſoſt.

Chriſtus præ gloria habet, vt illius gloria ſui fiat participes.

Cyprian.

In Chriſti perſona ait Regius Vates: *Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.* Pſalm.141.num.9. ex Hebræo legitur: *In me coronabuntur iuſti.* Quod explicans Caietanus ait: *Tunc non ſolùm coronabor, ſed in me coronabuntur iuſti.* Summe ipſum expectabant iuſti, ac deſiderabant, ſed quid expectabant? quando ipſe ſcilicet gloria, & honore eſſet coronandus, certo ipſi ſciebant, quod taliter coronam haberet, vt non ſolùm ſibi retineret, ſed etiam illius alios participes efficeret. *Tunc non ſolùm coronabor, ſed in me coronabuntur iuſti.*

82. Pſalm.141. Hebræus. Caietan.

Chriſtus ſua corona glorie alios facit participes.

Scribit D. Matth. cap.10.num.1. *Conuocatis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Poſtquam eos latè inſtruit, qualiter ſe debeant habere in prædicatione Euangelica, quod in via nec peram, nec calceamenta, nec duas tunicas, nec virgam habeant. Narrat idem Euangeliſta cap.11.num.1. *Et factum eſt cum conſummaſſet Ieſus præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum.* Quid eſt, quod data Apoſtolis poteſtate ſanandi, ac faciendi miracula Dominus *tranſit inde vt doceret in ciuitatibus?* Separat

83. Matth.10. Matth.11.

Christus aliis facit fulgere potestate miraculorum. Theoph.

se nempe ab Apostolis, quos seorsim misit Euangelizare, ac prædicare. Cur non vult modo simul cum illis esse? Rectè respondet Theoph. *Missis discipulis ipse cessat facere miracula, & solum docebat in synagogis: nam si præsens curasset, nulli tunc accessissent ad discipulos, vt agitur, & illi habeant locum sanandi, ipse progressus est.* Si Dominus adesset omnes oppressi pro salute, ac beneficio cœlesti impetrando ad ipsum conuenirent; Recedit ergo Christus ab Apostolis, vt & ipsi miraculorum gratia fulgeant; nam suæ gloriæ, ac maiestatis Bernard. maximè vult eos participes facere, D. Bernard. Epistol.13. *Cum Deus sit mirabilis in maiestate sua, etiam in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam.*

QVÆSTIO XIII.

Quare Apostoli omnes iudices eliguntur, ac designantur à Christo?

84. IT Dominus suis Apostolis: *Sedebitis iudicantes duodecim tribus Israël.* Iudicantes non tantum vestro facto, & exemplo, vt exponunt Chrysost. D.Chrysost.D.Hieron. D.Pasch. Euthym.& alij. Hieron. Paschas. Euthym. Quomodo Regina Austri,& viri Niniuitæ dicuntur in die iudicij surrecturi, Iudæos nempe suo facto,& exemplo condemnaturi,eo quod ad prædicationem Ionæ pœnitentiam egerint. Iudæi autem ad Christi prædicationem fructus pœnitentiæ agere noluerunt, Matth.12.num.40.& 41.Nec Matth.12. etiam iudicabunt solummodo approbatione sententiæ iudicis,approbantes, vt omnes sancti, sententiam iudicis prolatam in electos, ac reprobos, *Apostoli iudicabunt, vt iudices, ac principes.* sed peculiaris quidam modus valdè glorioſus, ac honorificus promittitur hic Apostolis,quo auctoritate, ac potestate sibi collata, tanquam regis principes,ac illius iudices delegati,ac ad maiorem decorem Apostolorum veluti primi consiliarij,ex quorum consilio supremus iudex (etiamsi ille nullius consilio opus habeat)sententiam ferat.Ita docent D.Thom. Caietan.Iansenius,Maldonatus, D.Thom. Caietan. Iansen. Maldonat. Lucas Burgensis, Cornelius,Barrad.& alij; quod confirmari potest ex Isaiæ 3.n.14. *Dominus ad iudicandum veniet cum senioribus populi sui, & principibus eius.* Quæstio præsens est, quare Apostoli eliguntur in iudices? Burgens. Isai.3.

85. Respondeo. Primò, Apostoli in terris fuerunt indiuidui Christi comites, qui cum ipso in terris *Participes laboris sint & præmij.* negotia regni cœlorum administrarunt, prædicantes,ac docentes omnes gentes cum laboribus, ac ærumnis multis, promittentes bonis præmia æterna, comminantes vero malis supplicia perpetua, æquum sanè erat,vt participes laboris fierent suo modo,& mercedis gloriæ,& maiestatis. Vide tom.3. c.18.q.7.n.45.& 46.

86. Secundò, Christus Dominus omnium iudex est constitutus. *Pater non iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit filio*, Ioan.5. n.22. si ergo iudicare tanquam quid peculiare, ac proprium ad Ioan 5. Christum Dominum spectat, quomodo in præmium, ac remunerationem promittit Apostolis *Christus remunerat ex proprio, reges sæculi ex alienis.* eos totum orbem iudicaturos; quia iudicare, vt quid valdè peculiare ad Christum Dominum pertinet, ideò iudicium futurum in mercedem suis assignat;hic magnus Dominus de rebus suis propriis præstat remunerationem pro obsequiis ei factis.Videt Ioannes Christum Dominũ in Apc.19. Apoc.19. n.12. & in capite eius diademata multa. Erant in capite,vt propria, multa vero, vt per suos distribueret, eòsque vt ex proprijs coronaret. Ansbertus; *A quo sunt omnia diademata multa.* Aliter verò principes sæculi,de alienis rebus persoluunt mercedem pro meritis in eorum gratiam factis. Pro donis oblatis. *Ait Dauid rex Siba: tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth*, 2.Regum 16. n.4. In qua 2.Reg.16. sententia proferenda contra inauditam partem,ac hominem innocentem peccauit Dauid, vt latè probant Abul.Sanch.Corn.& alij. Tamen Dauid, Abulens. Sanchez. Cornel. vt gratiam referret pro obsequio facto; de rebus Miphiboseth præstat compensationem.

87. Tertiò. Destinantur iudices non Angeli, sed Apostoli: Angeli ex vno tribunali non remissi sunt ad aliud,nec coram Herode, ac Pilato steterunt; at verò Apostoli multoties à regibus præsidentibus, ac magistratibus vocati sunt ad iudicium; & ille aptissimè ad munus iudicis assumitur, qui iam iudicatus est, & iam alterius iudicis sententiam sustinuit. *Potestatem dedit ei iudicium facere,quia filius hominis est*,Ioan.5.num.27. Notat Ioan.5. D.August. tract.19. in Ioan. Quod idem est filius Dei, & filius hominis, tamen Pater non dedit ei iudicium facere,quia filius Dei,sed quia filius hominis est: ergo qui vt filius hominis iam iudicatus, vt filius hominis exerceat iura in omnes iudicandi,ac in omnes proferendi sententiam. *Qui iam iudicatus apte vt sit iudex*

88. Quartò. Apostoli Christum Dominum secuti sunt,etúsque indiuidui comites fuerunt, contemnentes principum Iudæorum,ac Pontificum contradictiones,& aduersitates,indéque merito electi sunt in iudices. Nam qui animi generositate pollent, vt magnatibus obsistant, valdè digni, vt ad iudiciariam sedem eleuentur. Ob fornicationem Israëlis cum Madianitis ex Dei iussu principes Israël de populo interfecerunt viginti quatuor millia hominum. Num.25.n.9. Phinees verò cum vidisset vnum de filiis Israël introeuntem ad scortum Madian, arrepto pugione interfecit ambos simul. Tunc ait Deus ad Moysem:Loquere ad eum,scilicet Phinees: *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Ibidem n.13. Cur pro duobus interfectis datur summum sacerdotium Phinees; non vero principibus pro tot occisis? Duo illi perempti à Phinees,erant principes, & magnates,vt patet ex Textu,n.14.& 15. Meritò ergo vir ille,qui habuit manum, & gladium contra principes, ac magnates dignissimus est inuentus, vt summus Sacerdos crearetur, qui in grauissimis causis erat iudex constitutus à Deo;sic enim decebat, vt talis daretur iudex, qui principes non formidaret, sed rigidè puniret. *Qui contra principes habet robur animi, ligneus vt iudex constituatur.* Num.25.

89. Quintò. Creantur iudices Apostoli, nam cum tantis meritis essent illustres, non multum de se præsumebant, sed patum de suis meritis confidebant;non enim dicunt: *reliquimus omnia, & secuti sumus te*; magno præmio digni sumus. Sed valdè modestè loquuntur: *Quid ergo erit nobis?* tanquam de meritis non multum præsumentes. Confidenter dixit Petrus in cœnaculo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Matth.26. Matth.26. num.36. Et tamen tunc, quando de se tot, ac tam magna promittebat, non datur ei summus Ecclesiæ Pontificatus, sed post resurrectionem quando à Domino interrogatus de suo amore, nihil de se audet asserere, sed diuinum iudicium in sui testem vocat. *Tu scis Domine, quia amo te*, Ioan.21. Ioan.21. num.15. Toletus Annot.6. *Interrogabat Dominus,* Toletus. *Qui de se non præsumit dignum iudicis cathedra.*

alij,

ait, *vt cognoscerent discipuli petrum, non iam qualem ante esse, sed valde mutatum, & dignum effectum, cui tanta gubernatio committeretur, non iam Petrus respondet vt prius. Etiamsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor*, sed veritatis iudicium Domino defert.

90. Sextò. Non Angeli, sed Apostoli in nostros iudices designantur. Ecce ingens Domini pietas, ac clementia, & Apostoli nostri fratres, ac veluti naturales, & conciues semper erunt valde propitij, & benigni, nam eadem natura maximè in suos consimiles solicitat affectum. Vehementer instant, & vrgent Iudæi, ne eorum Pontifices, ac Principes Sacerdotum sententiam contra Christum ferant, & ideo eum tradiderunt Pilato extraneo, ac alienigenæ. Qui cum illis dixisset, *Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate; dixerunt ergo ei Iudæi: nobis non licet interficere quenquam*, Ioan. 18. n. 31. Cur non exquirunt sententiam à suis Pontificibus, sed à Pilato? Principes Synagogæ, etsi crudelissimo odio essent in Christum, tamen in eis verebantur Iudæi vim, ac impulsum naturæ in suum conciuem, ac fratrem & cognatum, ne exinde mitescerent, ac leniores redderentur; & ideo ad extraneum, ac alienigenam iudicem confugiunt, à quo omnem inhumanitatem sperabant. D. Leo serm. 3. de Passione. *Tanquam*, ait, *extenuanda esset furoris vestri immanitas, si eius sententia, qui prouincia vestra præsidebat, vteremini, vinctum Iesum ad Pilati iudicium deduxistis, vt clamoribus improbis trepido cognitore superato interfectorem hominem eligeretis ad veniam, & Saluatorem mundi peteretis ad pœnam.* Supponit sanctus Pater Iudæos etiam habuisse de sua gente iudices, à quibus capitalis sententia ferebatur, à quibus timuerunt, *quod extenuanda esset furoris vestri immanitas.*

Iudex extra. pons fidelis.

Ioan. 18.

Leo.

91. Gen. 19. *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis*, Genes. 19. n. 1. qui in peregrinorum habitu apparuerunt, vt docent D. Chrysost. D. Thom. Lyppoman. & Caiet. qui ait: *Festinauit, inuitauit Lot peregrinos, nesciebat enim illos esse Angelos.* Quo supposito maximè ponderandum est, quod euersuri vrbem Angeli in peregrinorum habitu veniant. Cur non magis armatos se exhibent, vel cur non potiùs ad instar nigrarum nubium fulminant, sed solùm in peregrinorum facie veniunt, cum tanquam peregrini, ac extranei adueniant, grauius & durius suppliciũ denuntiant, quàm à quocumque milite armato, ac nube fulmina coruscante denotari poterat.

Chrysost. D. Thom. Lyppom. Caietan.

Rigidũ supplicium ab extraneo.

QVÆSTIO XIV.

Quare viri pauperes in iudices eliguntur?

92. SVIS Apostolis ait Christus Dominus: *Sedebitis iudicantes.* Quia ipsi pauperes voluntarij pro Christo facti sunt, omnia sua dimittentes, ita vt nullius temporalis rei cupiditate tenerentur, ideò aptissimè iudices constituuntur. D. Thomas 3. part. quæst. 89. art. 2. *Quia pauperes voluntary soli Christo inhærent, ideoque nihil in eis est, quod iudicium à iustitia deflectat.* Auri cupiditas tribunalia subruit, à cuius suspicione omnino immunes sunt Apostoli, qui voluntariè ab omnibus temporalibus libenter se abnegarunt, inde nihil in eis est, quo iudicium à iustitia deflectat.

D. Thom. *Pauperes voluntary apti ad iudicium.*

Ait Christus Dominus adolescentulo Matth. 19. num. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Quæ verba subtiliter expendit D. August. in Psalm. 19. *Qui iudicabunt*, ait, *cum Christo perfecti sunt. Talibus dixit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus. Quid est? Si vis perfectus esse. Vis mecum iudicare, & non iudicari.* Voluntarius pauper spontaneæ abdicationis priuilegio obtinet, *vt iudices*, & non iudicetur; ex officij dignitate habet, vt aliorum crimina, & errata, tanquam fidus iustitiæ administer disquirat, & dignè pro arbitrio puniat; *& non iudicari.* Qui ab humano iudice iudicatur, scelerum reus sistitur, & eius innocentia saltem anceps reputatur, & aliqua est ambiguitatis licentia: at qui omnibus suis renuntiat, inde tam iustus probatur, vt habeat *non iudicari.*

93. Matth. 19.

Pauperes iudicare, & nò iudicari.

94. Multa ponderatione dignum sanè est, quod destinet Deus Moysem, & Aaronem, ad Pharaonem, Moyses secum fert virgam, *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa*, Exod. 4. num. 17. Aaron verò, vt pro populo verba faciat. Ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël ex terra sua, Exod. 7. num. 2. Cur Aaron, qui verba facturus est coram Rege virgam secum in manu non defert, vt inde illius verba maiorem sibi valeant reconciliare auctoritatem? Aaron homo existit respectiuus, & sua infectus est ambitione; nam ne populo contradiceret, sed vt eius votis annueret, vitulum fabricauit, eique cum auteus esset, aras erexit: murmurauitque contra Moysem, quod ipse solus nempe regimen populi vellet tenere, Numer. 12. n. 2. At Moyses omnia conculcauit, noluit enim *esse filium filiæ Pharaonis.* Meritò inde totius populi Israël dux constituitur, ille enim qui omnia mundialia contemnit, ad virgam, ac populi sceptrum dignior inuenitur, quam quilibet alius totius mundi sapiens, ac eloquens. Nam integritas iudicis mundialium contemptu munitur, illius verò appetentia violatur. Eusebius hom. 4. in Epiphan. *Argento, & auro*, ait, *appetitur veritas, expugnatur integritas, iustitia vincitur, innocentia proditur, pietas fidesque violatur.*

Exod. 4.

Exod. 7.

Num. 12. *Non qui munera ambit, sed qui contemnit, eligitur index.*

Euseb.

95. Deuictis quinque regibus, ac recuperatis spoliis, quæ ex Sodoma ipsi abstulerant. Dixit Rex Sodomorum ad Abraham: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*, Genes. 14. num. 22. Multas res, multósque homines captiuos reges illi secum duxerant, & tamen non substantiam, sed subditos repetere voluit rex Sodomæ, inde sanè illustrissimus meritis extitit, vt regali fastigio super omnes immineat. Qui enim totius regni diuitias spernit, & solùm de subditis, ac animabus solicitus est, maximè promeretur, vt omnibus regali sceptro imperet, vt Deúsque illi prouideat vnum Abrahamum tutelarem, qui eum ab hostium incursu tueatur.

Genes. 14. *Qui subditos quærit, & non munera bonus iudex.*

96. Mulier illa fortis maximè laudatur in Prouerbiis 31. de sua solicitudine, ac cura impensa erga domum suam. Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilium manuum suarum, valde consultè, nempe, ac discretè, vt eius prudentia, ac consilium in operibus suarum manuum appareret; surrexit de nocte, valde nempe diluculo, & dedit suis familiaribus prædam, id est escam ad manducandum, ac ancillis cibaria; manum suam misit ad fortia, & opera grauia, & rigida, & digiti eius apprehenderunt fusum ad faciendas vestes.

Prou. 31.

Quomodo hæc mulier tot, ac tantis laboribus instat pro familia sua alenda, cum esset valde illustris, & mulier nobilissimi iudicis? dicitur: *Nobilis in portis*, vbi erant tribunalia iudiciaria, vt aduertunt Carthusianus, Salazar, Cornelius. *Vir* Cardinalis Hugo, *vt iudex*, Mulier viri iudicis *eius, quando sederit cum senatoribus terræ.* Explicat, erit; & tamen tot vigiliis, curis, ac operationibus insudabat supra propriam domum; quamuis enim mulier viri iudicis esset, non prouidebat domui suæ ex muneribus acceptis; sed suis laboribus impensis; manúsque suas habebat occupatas operationibus, non verò donis oblatis, & ideò fortè dicitur: *Vir eius, nobilis.* Non solùm genere, sed etiam à sui muneris conditione, à cuius integritate maximè nobilitabatur, cum incorruptus illius animus existeret. Vnde ait Petrus Damian. lib. 2. epistol. 2. seu aliàs 23. num. 3. *Mens quippe*, ait, *percepti muneris conscia, debilitat iudicialis censuræ vigorem; reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etsi iudicij rectitudo funditus non adimitur: iudicandi tamen auctoritas enervatur.*

Carthus. Salazar. Cornel. Hugo. *Vxor iudicis munera non accipiat.*

Damianus.

QVÆSTIO XV.

Quare duodecim sedes tantum assignantur, cum maior sit munerus iudicantium?

97. Chrysost. Euthym. Theophyl.

DIVVS Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, existimant Apostolos non sessuros in iudicio, sed sedium nomine eorum insignem honorem denotari. Theophylactus: *Num* ait, *sedebunt discipuli? Minimè. Sed excellentem honorem per sedem significauit Christus.* Tamen tenendum est, Apostolos reuera sessuros esse cum Christo. Ita docent D. Hieronymus, D. Paschasius lib. 9. in Matth. D. Augustinus in Psalm. 49 Haymon, & alij; hoc enim apertè significant Christi verba; promittit Apostolis sedes, seu vt habet Græcus, *thronos*, qui erunt ex pulcherrimis nubibus efformati, vt dixi in expositione.

Hieron. Paschas. *Apostoli verè iudicabūt.* August. Haymon.

98. *Ratio difficultatis.*

Quæstio præsens est, quomodo tantum assignantur duodecim sedes; nam Paulus, & Barnabas cum cæteris Apostolis numerandi sunt, qui totum orbem iudicabunt; sic Paulus dixit de se, non solùm homines, sed etiam Angelos esse iudicaturum, 1. Corinth. 6. num. 3. Ex quo Richard. Victorinus tract. de potestate iudiciaria, & Maldonatus & alij dicunt, hæc à Christo solis promitti duodecim Apostolis, quia illi primi fuerunt Christi assectæ.

1. Cor. 6. Richard. Maldonat.

99. *Numerus definitus pro indefinito.* August.

Dicendum tamen est, quòd in præsenti numerus duodenarius ponitur definitus pro indefinito, ac proinde significat quandam multitudinem eorum, qui cum Christo iudicabunt D. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei, cap. 5. *Non solùm*, ait, *duodecim homines cum Christo iudicaturos putare debemus. Duodenario quippe numero vniuersa quædam significata est iudicantium multitudo.* Idem habet epist. 89. Idem docent D. Gregorius lib. 10. Moralium cap. 17. & vltim. Origenes tract. 8. Beda, Haymon. D. Thomas, Carthusianus, Barradas, Cornelius. Lucas Burgens. sic & frequenter duodecim pro quadam vniuersitate ponitur, sic & in duodecim portis sanctæ Ciuitatis apparent, *nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim tribuum Israël*, Apoc. 21. num. 12. sub quibus intelliguntur omnes electi: lignum vitæ dicitur afferens *fructus duodecim per menses singulos.* Apoc. 22. num. 2. id est omnes fructus, vt ibi explicant Primasius, Andreas Cæsaris. Nam totus annus duodecim mensibus continetur.

Gregor. Origen. Beda. Haymon. D. Thom. Carthus. Barrad. Apocal. 21.

Apoc. 22. Primas.

Ex quo patet, quòd D. Paulus, ac D. Barnabas suas sedes obtinebunt cum cæteris Apostolis ad iudicandum. Iudas autem malitia sua exclusus à sua sede, cuius locus Matthiæ electione suppletus est; si verò aliquis vim faciat, quod Christus dixit Apostolis, *sedebitis & vos.* Ait vos, subintelligitur, si permanseritis, & quia Iudas non permansit, à tanto honore cecidit. Dixit autem Christus: *Sedebitis & vos super sedes duodecim.* Dicit vos, ne vnus Iudas excludendus prodereetur; vel interprete Euthymio: *Ne deterior cæteris haberetur.* Diuinus Magister maximè illius honori consulebat.

100. Euthym. *Christus suorum honori consulit.*

Secundò patet, quòd viri perfecti, vt sunt veri religiosi, qui ad exemplum Apostolorum omnia relinquentes Christum sequuntur, iudiciaria potestate etiam fulgebunt D. Gregorius lib. 10. moral. cap. 17. & vltim. Quisquis, ait, stimulo diuini amoris excitatus hic possessa reliquerit; illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit. Vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicij se spontanea paupertate castigat. Quod etiam docent Origenes tract. 8. D. Augustinus epist. ad Hilar. 89. D. Cyrillus in cap. 60. Isai. D. Hieronymus epist. 28. D. Gregor. Nazianzenus orat. 1. contra Iulian. D. Anselmus epist. 10. Abulens. quæst. 105. D. Thom. tract. contra retrahentes à Religione cap. 6. & 7. & 3. part. quæst. 89. addit art. 2. D. Bernard. serm. de sancto Benedicto, qui ait: *Sciendum namque est, omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, iudices cum eo venturos, sicut etiam omne mortalium genus esse iudicandum: quia enim duodenario, sæpe numero solet in Scripturis vniuersitas designari: per duodecim sedes Apostolorum omnium vniuersitas indicantium, & per duodecim tribus Israël vniuersitas eorum, qui iudicandi sunt, ostenditur.*

101. *Perfecti, ad verè relinquentes iudicabunt.* Gregor. August.

Origen. Cyrill. Hieron. Nazianz. Anselm. Abulens. D. Thom. D. Bernard.

Hæc tamen gloriosa sessio iudiciaria non tribuenda est iis, qui frigidè, ac negligenter Christo adhærent, sed tantummodo iis, qui ardenter, ac pro viribus perfectè eum sequuntur. Ita D. Bernard. *Hæc est*, ait, *perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere fideles, & cæteris quoque salvandis præminere, auctoritate iudiciaria potestatis.* Ex quo asserunt D. Antonin. Suarez 3. part. quæst. 59. disput. 57. sect. 4. hoc præmium non esse dandum Religiosis imperfectis, sed tantum perfectis.

101. *Perfectis religiosis iudicabunt, non verò imperfectis.* Anton. Suarez.

Ad calcem huius quæstionis hic notanda est suprema Dei dispositio, ac prouidentia: duodecim Apostolis duodecim promittit cathedras, non vni pollicetur duas, vel tres, sed cuilibet suam, sic enim ordinat sua bona, vt per omnes diuidat, ac distribuat. Nec enim in vno omnia dona sunt congerenda, sed per plures spargenda, vt inde vberes fructus percipiantur. Cassiodorus lib. 3. variarum cap. 29. *Hæc sunt regia dona*, ait, *quod semina sparsa in segetem coalescunt, in vnum cœtum depereunt. Optamus ergo munera multis collata dividere, vt possent vbique nostra beneficia pullulare.*

103. *Christus sedes per suos diuidit.* Cassiod.

Moriturus Mathathias ait filiis: *Ecce Simon frater vester, scio quod vir consilij est: ipsum audite semper, & ipse erit pater. Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis princeps militiæ, & ipse aget bellum populi,* 1. Machab. 2. num. 65. Bonus senex totum negotium rempublicam administrandi, non vni confert, sed diuidit. Simoni

104. 1. Mach. 2.

dat

dat cathedram, ac clauem in ciuili gubernatione Reipublicæ, ludæ verò in rebus bellicis peragendis.

Matth.19. num.29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

VERSIONES.

S. Prosper de prædict.p.2. cap.36. Si quis dimiserit domum, aut agrum, aut vxorem, aut filios causa nominis mei, hic multipliciter accipiet, & vitam æternam consequetur.

S.Valerianus, homil.9. *Omnis qui reliquerit domum,* &c. Ego reddam vobis centuplum, & insuper vitam æternam.

Syriacus. Vnum in centum accipiet, & vitam æternam hæreditate possidebit.

Luc.Burgens. ex Græco. Centuplicia accipiet, & vitam æternam iure hæreditario possidebit.

ALTER TEXTVS.

Marc.10. num.29. Respondens Iesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangelium.

Num.30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.

Luc.18.n.29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

EXPOSITIO III.

105. Chrysost. *OMNIS qui reliquerit.* Dupliciter interpretatur locus; primò, D. Chrysostomus, Theophyl. Beda, Haymon, Abulensis & Caietan. de paupere voluntario, qui relictis omnibus Christum sequitur, vt fecerunt Apostoli. Secundò Origenes tract.8 D.Hieron. Iansenius Maldon. Lucas Burgens. & alij, qui dicunt, quòd Christus Dominus loquitur non de iis, qui ipsum sequuntur relinquentes omnia, vt fecerunt Apostoli: sed duntaxat aliqua, quibus promittitur centuplum, & hæc expositio inde mihi probabilior, quia in textu in omnibus his membris ponitur semper particula disiunctiua, *vel, aut*, dicitur: *Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores,* &c. Prius in antecedentibus loquitur de perfectissimis, vt erant Apostoli, & ideò eis dixit, *vos, qui secuti estis me.* Hic verò agit de minus perfectis, qui vnum vel alterum relinquunt. De quo, quæstione sequenti in limine. Theophyl. Beda. Haymon. Abulens. Caietan. Origen. Hieron. Iansen. Maldon. Burgens.

106. *Qui reliquerit domum, vel fratres.* Vel qui vendit, & dat pauperibus, vel qui ab his separatur mittente tyranno in exilium, vel qui illa relinquit ob tentationes, & laqueos, quos Diabolus ibi contra Deum, & fidem parat, vel qui illa dimittit, vt ad monasterium, ac Dei obsequium fugiat. *Aut agros*: in serie relinquendorum vltimo loco posuit agros, sub quibus diuitiæ intelliguntur, quas vltimo loco nominat, in his enim relinquendis maior sanè vrget difficultas, quam in cæteris omnibus; hæc enim clariores sunt, & ægrius relinquuntur, quam pater, & mater, ac fratres, nam vbi diuitiarum negotium intercessit, statim omnis sanguinis affectus postponitur. *Propter nomen meum* Meâ causa, meóque amore, omnia sua dimittit. Marcus habet: *Propter me, & propter Euangelium.* Id est propter doctrinam Euangelicam, cuius Consilium est omnia relinquere, vt Christus sectetur. D. Hieronym. Euthym. interpretantur, vt expeditius Euangelium prædicent. D. Lucas scribit: *Propter regnum Dei*, id est, vt regnum Dei assequatur. *Diuitiæ plus æstimantur, quàm parentes.* Hieron. Euthym.

107. Syriacus. *Centuplum accipiet.* Syriacus habet *vnum in centum*; id est pro vna domo relicta centum domos, pro vno fratre relicto centum fratres, & sic de cæteris, centum sorores, centum matres; qui enim omnia pro Christo relinquit, à cæteris Christianis diligitur, omnésque illi instar sunt fratrum, sororum, parentum, ex eorúmque agris plenè sustentatur. Nihil habet possessione, & omnia habet vsu, iuxta illud Pauli: *Nihil habentes, & omnia possidentes*, de quo latius quæst. 19. *Et vitam æternam possidebit.* Ex Græco legitur: *Iure hereditario possidebit*, seu, vt habet Syriacus, *Hæres fiat vitæ æternæ.* Subintelligitur, vt exprimunt D. Marc. & Luc. in sæculo venturo, quantum est ex dignitate, ac merito huius operis, si cætera requisita adsint. Græcus. Syriacus.

QVÆSTIO XVI.

Quare assignatur præmium relinquenti patrem, matrem, & vxorem, cùm ex Dei lege tales præcipiantur coli?

108. IN limine quæstionis aduerte. Quod non repetit hîc Christus *vos*, non ait, vos qui reliquistis omnia, sicut dixit: *Vos qui secuti estis me*, sed absolute ait. Omnis, qui reliquerit domum, &c. De quo iam dixi in expositione quoad literalem sensum. Deinde hic accipit moralem rationem desumptam ex D. Gregorio homil. 3. in Ezechielem. Alb. Magn. *Periculorum recordari de facilo relict.*

Ezechielem. Ideò scilicet Christus non reperit derelictionem sæculi. *Quī pertimescit, vt retro per cogitationem redeat, qui ad interiora respicere iam mentis gressibus ad alta ibat.* Non ait Christus, vos qui reliquistis omnia, ne Petro, ac cæteris Apostolis ad viam perfectionis tendentibus in memoriam reducat res sæculi iam abdicatas; nam huiusmodi recordationes, ac respectus ad res temporales blandientes, valde suspecti sunt in viris incipientibus, ac tyronibus, ne stimulent appetitum ad repetenda relicta; magnum documentum nobis in hoc præbet Apostolus Paulus ad Philipp. 2. num. 14. cum ait: *Quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea vero, quæ sunt priora extendens me ipsum.* Illa verba, *quæ retro sunt*, explicat D. Thom. *temporalia lucra, vel temporalia bona.* Hæc verò retro erant, vtpote ab eo dimissa, tamen de illis obliuiscitur; nam quamuis ipse raptus iam fuisset ad tertium cœlum, & in diuinis rebus esset instructus; tamen quia temporalium relictorum memoria maxime excitat appetentiam, blanditur voluntati, ideo à tali recordatione, vt à re valde nociua sibi cauet Apostolus.

Philip. 2.

D. Thom.

109. *Relinquendi parentes, cum impediunt Dei mandata.*

Ad quæstionem respondeo. Quod cùm Christus suadet relinquere patrem, matrem, vxorem, vel filios, intelligendum est, quando impediunt saluti, ac diuinæ legi, quia simul cum illis Christi fides, ac charitas illibata seruari non potest, vtpote quia sunt inimici nominis Christi. Similiter de vxoribus, non vult Christus matrimonium dissolui, sed vult se vxori præferri, vt si vxor viro sit impedimentum, quominus Christum sequatur, vxor relinquenda est, non dissoluto matrimonio, facto diuortio. Ita communiter interpretantur D. Thomas, Carthusian. Iansen. Maldonatus, Lucas Burgens. quod ante eos docuit D. Fulgent. de statu viduali.

D. Thom. Carthus. Iansen. Maldonat. Burgens. Fulgent.

110. Cælestinus.

Ex quo ait Cælestinus Papa Epist. data Nestorio tom. Concil. Ephesi. cap. 16. *Ipsius Domini vox expressa monet, non patrem, non matrem, non filios, nullam denique aliam necessitudinem, vel cognationem anteponi ipsi, fas esse. Extitit enim non raro talis pietas, ex qua aperte oritur impietas.* Si cognatorum amicitia, ac beneuolentia aliquid importet, ex quo Deo inferatur iniuria, vel lædatur illius honor, statim relinquenda, & minime dissimulanda est; nam tunc cum illis persistere non est pietas, sed impietas, Dei enim causa omni sanguini anteponenda est.

Pro Dei causa omnis consanguinitas contemnida.

111. Filij Ruben, & Gad validè, ac fortiter pro fratribus suis contra Gentes decertarunt, pro quo cùm bellum esset finitum multas gratias illis refert Iosue, cum multisque donis auri, & argenti eos in sortes suas dimisit; cumque essent in terra possessionis suæ, iuxta Iordanem erexerunt altare infinitæ pene magnitudinis. *Quod cùm audissent filij Israel, & ad eos certi nuncij detulissent adificasse Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse altare in terra Chanaan super Iordanis tumulos contra filios Israël, conuenerunt omnes in Silo, vt ascenderent, & dimicarent contra eos,* Iosue 22. num. 11. Omnes tribus Israël fratres erant ex eodem parente progenitæ, magnoque amicitiæ vinculo inter se connexæ, maximeque astrictas se reliquæ tribus filiis Ruben, & Gad agnoscebant. Et tamen cùm audiunt eos altare fabricasse, omnes contra Rubenitas, & Gaditas ad arma ruunt. Vbi est sanguinis ius, amicitiæ fœdus, gratitudinis recognitio, ac memoria? Cùm audiunt Israëlitæ altare erectū, statim idololatriæ crimine diuinum honorem violari suspicantur, vt dicitur in textu, ibidem, n. 17. Cùm ergo accipiunt aliquid contra Dei cultum, ac venerationem moliri, statim obliuiscuntur sanguinis cognatione, amicitiæ nexu, ac obligatione; sciebantque Dei causam omnibus præferendam esse. Iosephus lib. 5. Antiqui cap. 5. relatus in Glossa: *Pro cultura*, ait, *nouorum Deorum hoc altare erectum credentes erant armati ad vltionem. Non enim videbatur vis iustum, vt cognationem respicerent, aut dignitatem eorum, qui auctores fuerant harum rerum: sed Dei amplectebantur mandata* Et nota, quod dicitur: *Altare adificasse contra filios Israël.* Nam aras contra Deum factas, contra se esse erectas autumant, contemptum Dei, eorum esse despectum credebant. Vide suprà c. 15 q. 2. n. 14. 15. & 16.

Iosue 22.

Omnis affectus carnalis euncidendus pro Deo.

Ioseph.

QVÆSTIO XVII.

Quare centuplum pollicetur relinquentibus temporalia?

112. Hieron. *Quorundam error.*

RELICTO errore Chiliastarum, siue Millenariorum, qui, vt refert D. Hieronym. ex occasione huius sententiæ introducunt mille annos post resurrectionem quibus sancti in hac terra viuentes deliciabuntur, & tunc centuplum omnium rerum, quas dimiserunt, accepturi sunt. Hæc hæreticorum confabulatio, manifestus est error, & refutatur communiter ab Auctoribus ad c. 20. Apocal.

113. Hieron. Ambros. Euthym. Origen. Beda. D Thom. Gregor. *In paupertate maior dulcedo, quam in diuitiis.*

Secundò. D. Hieronym. D. Ambros. serm. 7. in Psal. 118. Origenes tract. 8. Euthym. Beda, D. Thom. non de bonis temporalibus, sed spiritualibus interpretantur. Recipiet centuplum, id est, in hoc sæculo accipiet gratiam, charitatem, cæteraque virtutes, ac dona Spiritus sancti, quæ multo pretiosiora sunt omnibus diuitiis, quas relinquere possumus. Tertiò. D. Gregor. homil. 18. in Ezechiel. sic interpretatur. Centulum accipiet, quia faciet Deus, vt iste magis gaudeat in paupertate, ac dimissione rerum, quam diuites gaudent in suis possessionibus.

114. Bernard. *In Eucharistia inuenitur omnia bona.*

Quartò. D. Bern. serm. 1. in Dominica 1. post Epiphan. vbi de laborantibus in hoc sæculo, ait: *Viuant de paleis Ægypti, qui deseruiunt in operibus luti, & lateris: nobis fortior cibus est necessarius: quoniam nobis grandis restat via, vt ambulemus in fortitudine cibi illius: Ipse est panis Angelorum, panis viuus, panis quotidianus. Hic est panis, de quo nobis promissum est, quia centuplum accipiemus in hoc sæculo.* Qui patrem, & matrem relinquunt, cum ad Eucharisticum panem accedunt, plusquam centum parentum, ac fratrum charitatem, ac protectionem habent in hoc pane, vt omnibus bonis abundent à malisque protegantur. Vide in Indice, Verbum *Eucharistia.*

115. Theophyl. Euthym. Cassian. Barrad. *Qui pro Deo relinquit vnum, centum accipit.*

Quintò. Et maximè ad literam. Theophylact. Euthym. Cassianus, Barradas, & alij sic exponunt centuplum, vt qui pro Deo dimiserit patrem, matrem, vel fratrem, &c. faciet Deus vt inueniat alios centum, imò & plures, qui eum amore, ope, ac charitate patris, matris, ac fratris prosequantur. Ita vt ait Cassianus collation. vltima, cap. vltimo: *Centuplam fratrum, patrum, parentumque recipiet quantitatem. Quisquis patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine charitate contempta, in omnium, qui Christo seruiunt di lectionem*

dilectionem ſyncerissimam transit, pro vno ſcilicet tot patres, fratres ferventiore, ac præstantiore sibi affectu deuinctos; multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, &c. Quod latè ipſe proſequitur. Qui enim relinquit proprios agros, vel domos pro Chriſto, ex omnium agris alitur, à quibus inſtar fratrum, ac patrum diligitur. Vide quantum habeatur ex his, quæ pro Deo dimittuntur, vnde eleganter exclamat D. Chryſologus

Chryſol. ſerm. 25. *Vſura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum.*

116. Cùm Dominus Magiſter eſſet eleuatus in cœ-
Act. 4. lum, narrat D. Lucas: *Quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ad pedes Apoſtolorum*, Actor. 4. num. 34. Maximè notandum, quod pretia ex venditis agris, ac domibus non deferebantur ad manus, ſed ad pedes Apoſtolorum; cur illa non ponebantur in manibus, ſed ad pedes

Qui pro Deo relinquit ſua, omnium rerum habebit dominium. Chryſoſt. proiiciebantur Apoſtoli pro Chriſto reliquerant ſuas opes, agros, ac domos, & inde tanto dominio ſuper omnium bona eminent, vt eorum pretia ſub eorum pedibus conculcanda collocentur. D. Chryſoſtomus homil. 7. in cap. 3. Epiſtol. ad Roman. *Quid obſecro*, ait, *magni Petrus dedit? Nonne rete confractum, & calamum, & hamum ſolum? Sed tamen terra illi vniuerſa domus Deus aperuit, & terram, & mare expandit, ac nemo non illum in ſuas ades vocauit, atque adeo omnes bona ſua diuendita ad illius pedes deferebant: neque enim in manus coniiciebant, vt qui non id ſibi audentiæ ſumebant, tantùm illis honorem vna cum munificentia tribuebant.*

117. Naſcuntur Ioſepho duo filij; primum vocauit Manaſſes, ſecundum vero Ephraim. Cur primogenitum appellat Manaſſes, qui interpretatur obliuio? Sicque eo nato dixit Ioſeph: *Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus*
Gen. 41. *patris mei*, Gen. 41. num. 61. Secundum verò natum nominat Ephraim, qui vbertatem ſignificat; vnde eo enixo Ioſeph ait: *Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, ibidem num. 52. Agnoſce magnum myſterium, quia Ioſeph oblitus eſt populi ſui, ac domus patris ſui, illiuſque bonorum, ideo Deus magnis bonis eum augeſcit, *creſcere mè fecit Deus.* Quia ipſe ſe cum alta Dei ordinatione conformauit, obliuiſcens domus patris ſui, tam largam recompenſationem à Deo accepit, vt totius regni Ægypti regimen teneret. Nota quod ait: *Creſcere me fecit in terra paupertatis meæ.* Non dixit, in terra opulenta, & diuite, ſed paupertatis; quis vnquam ex terra inopi, ac ſterili locuples factus eſt? Etſi hoc non fiat apud homines, maximè tamen apud Deum, ex ipſa enim voluntaria paupertate, maxima fit negotiatio cum Deo, vt homo ex ipſa paupertate multum creſcat, & in magna augmenta procedat.

Qui domum paternam obliuiſcitur, maximè creſcit, ac augetur.

Rupertus. Rupert. Abbas lib. 8. in Geneſ. cap. 42. *Et nos eius exemplo* (ſcilicet Chriſti, de quo loquitur) *obliuiſcamur domum noſtram, id eſt, omnem cognationem carnis, iuxta quod vnicuique fideli animæ, dicit Spiritus ſanctus in Dauid; audi filia, & vide & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. Quo autem fructu id faciat, vt ſecundum nomen Ephraim dicat; creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ, idem Dominus denuntiat, dum dicit: Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, &c. Centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare in textu Marci hæ promiſſiones fiunt cum perſecutionibus?

DIVVS Marcus ait: Nemo eſt *qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus.* Hoc eſt in mediis perſecutionibus; & quamuis perſecutionum procellæ ſæuiant, multos tamen inueniet, qui inſtar fratrum, & ſororum, ac matrum ei ſint, à quibus ſolamen, ac adiuuamen accipiet. Vel quia in ipſis perſecutionibus dat Deus tantam ſuauitatem, ac dulcedinem, pluſquam eorum, quæ à parentibus, fratribuſque percipi poteſt. D. Gregor. Nazianz. orat. 2. de Pace: *Non detrimentum*, ait, *ducentes pati, ſed non pati: idque eo magis, quod periculorum, quæ pro Chriſto ſubeuntur, guſtum capimus.*

118. *Ratio difficultatis.*

Nazian.

119. Secundò Promittit Dominus in præſenti ſuis ſanctis non ſolum æternam vitam in futuro, ſed etiam in hoc ſæculo multam mercedem, ac leuamen; quod ſcilicet pro vno fratre, vel patre relicto inuenient plures inſtar fratrum, ac parentum, vt explicaui ſuperiori quæſt. Sed quomodo hoc completur, cum multi ſancti Martyres videantur in hoc ſæculo omnibus deſtituti, vt de illis intelligatur id, quod Chriſtus Dominus ait: *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium: & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Matth. 10. num. 2. Quomodò ergo dicitur, quod veluti plures *accipiet fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus?* Rectè explicat Btixianus, *ipſæ perſecutiones pars muneris eſt.* Ipſummet pati, affligi ac mori pro Chriſto, tam ſuaue, ac præiucundum eſt iuſtis, vt ſit quædam remuneratio, ac pars præmij.

Matth. 10. Brixian. *Pati pro Chriſto magna merces.*

120. Semel iterum, ac tertiò interrogat Dominus Petrum, an ipſum diligeret ter Petrus confitetur ſuum eximium amorem erga Chriſtum, ipſum Dominum in teſtem adducens: *Tu ſcis, quia amo te.* Tunc Dominus ait illi: *Amen, amen dico tibi, cum eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum tamen ſenueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis.* Ioan. 21. num. 18. Vbi maximè ponderandum, quod triplici actui amoris Petri, reſpondet Dominus tripliciter tormenta explicans, tripléxque tormentorum genus illis aſſignans. *Extendes manus tuas* ad crucem; *& alius te cinget*, ſcilicet clauis ipſi cruci affigens, iuxta D. Chryſoſtom. D. Maxim. Theodoret. ac alios, *& ducet quò tu non vis.* Ad crucem nempe, ac ad alios cruciatus; dicitur *quo tu non vis* ſecundum naturæ, ac ſenſitiuam partem; nam voluntate rationali id ſummè Petrus appetebat. Quorſum ergo tribus actibus amoris Petri, quibus maximè promeruit erga Deum, tria aſſignantur tormentorum genera? Feruido amanti Petro, ipſum pro Chriſto pati, ac crucifigi magna merces, morſque illi pro Domino pretioſum munus, omni ſuauitate, ac oblectamento repletum. D. Fulgentius lib. 3. ad Traſimum, cap. 24. *Primitus*, ait, *Chriſtus ad confeſſionem amoris inuitat, vt facultatem ponendæ animæ ſuæ deinceps amatori concedat, cum illi tertiò interroganti, trinum amoris ſui teſtimonium reddidiſſet, ſatim Dominus Petro ponenda*

Ioan. 21. Chryſoſt. Theodor. Maxim.

Mori, ac crucifigi pro Chriſto magnum munus. Fulgent.

pro se anima largius est facultatem, dicens; cum esses inior cingebas te, &c. expende illud *ad confessionem amoris inuitus, vt faciatem*, &c. tam ingens est donum, tam magna pars præmij in hac vita pro Christo pati, quod vt Petro detur huiusmodi facultas, ter eius amor fuerit examinandus, ac probandus.

121. Proiecit Moyses virgam in terra, quæ statim versa est in colubrum inhiantem, & quis non fugeret à facie serpentis, qui mortem minabatur? Tunc ait illi Deus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, & versa est in virgam.* Exod. 4. n. 4. Moyses qui fugiebat ab horrido ore serpentis, eum ad mortem persequentis; vbi tamen Dei voci obediens extendit manum, & cum apprehendit, iam non inuenit serpentem, sed baculum, quo sustentetur. Ecce in persecutionibus magna pars præmij; qui enim ex Dei amore, ac obedientia ad colubros, ac persecutiones sæculi extendit manus, illásque apprehendit, ac amplectitur, tantum abest, vt ibi intersit serpens ad deuorandum, quod potius ibi inueniatur baculus ad fulcimentum, ac leuamen. Huc adduco D. Gregorium Nissen. lib. de vita Moysis: *Vt discerent, ait, quanta diuinitus sibi præstaretur, ita Deo iubente, huiusmodi periculo vsus est, virga manu in terram protecta, in colubrum vertitur, rursusque recepta, quod prius erat, subitò facta est.* Expéde illud, *recepta, quod prius erat, subitò facta est*; vbi recipitur fit quod prius erat, baculum nempe in sui sustentaculum.

Exod. 4.

Persecutio pro Christo vertitur in sustentaculum.

Nyssen.

QVÆSTIO XIX.

Quare pro relictis bonis temporalibus abundantiora bona temporalia dantur in præmium?

122. *Ratio dubitandi.* AIT Christus Dominus iuxta D. Matth. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores*, &c. expressius D. Marcus refert: *Nemo est qui reliquerit domum*, &c. *aut agros propter me, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres*, &c. Quomodo his, qui reliquerunt omnia bona temporalia, in præmium assignantur abundantiora bona temporalia tribuenda? Nam si meritum est reiectio opum, ad quid centies multiplicatæ opes destinantur in præmium?

123. *Temporalia nunc possessa, cum contemptu. Zeno.* Respondeo. Primò. Pro facultatum abiectione multiplicata bona pro remuneratione dantur, quia eorum neglectus illorum est larga possessio & cum huiusmodi bona contemnuntur, cum magno auctario possidenda veniunt. Apte D. Zeno Veronens. serm. de spe, sic ait: *Huic & præsentia subiacent, & futura: ista, quia contemnit: illa, quia sua esse præsumit.* Quia Apostoli omnia præsentia, & futura contempserunt, ideo & illa possederunt.

124. *Deus dat bona ad meriti occasionem. Paschas. Matth. 19.* Secundò Omnium rerum abrenunciatio magnum meritum est coram Deo; pro dimissis verò diuitiis nouas affluenter Dominus concedit, vt dum has reiecerit ad nouum meritum altius ascendat homo D. Paschas. lib. 5. in Matth. obiter expendens illud Matth. 19. n. 7. quod Dominus suis Apostolis mandauit: *Euntes prædicate.* Euntes, inquit, ac si vt non quiescant, sed semper iter arripiant, ait Sanct. Pater, *suos Apostolos ad altiora promouet, vt maiori merito crescant.*

Tertiò. Opes, ac bona temporalia vtcumque possessa, verbi gratia, ex propria industria, vel ex maioribus accepta, sæpe fomenta sunt vitiorum, ex quo valde vtile eas relinquere; at vero illa, quæ à Deo dantur, materiam virtutibus ministrant, ex diuina donatione combinationem, ac proportionem habent ad virtutem. Hæc autem cogitatio desumitur ex Imperfecto, homil. 13. in Matth. explicante illud orationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vbi dubitans meritò, inquit, quomodo diues, qui frumenta habet in plures dies & annos, valeat instanter petere à Deo panem, quem abundanter habet? Quis enim id, quod habet, petit? Respondet ipse: *Intelligendum est*, ait, *quia non solum ideo oramus, panem nostrum da nobis, vt habeamus quod manducemus: sed vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum, commune est inter iustos, & peccatores. De manu autem Dei accipere panem, non est commune: sed tantum sanctorum: dum enim à Deo datur, sanctificatus accipitur*, expende vltima verba: *sanctificatus accipitur*; ducens, ac alliciens nempe ad omne bonum.

125. *Bona data à manu Dei ad virtutem inducunt.*

Imperfect.

Quartò. D. Ambrosius lib. 1. de pœnitentia, cap. 16. *Omne*, ait, *studium torpescit dilatione. Et ideo Dominus, vt præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit: quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum sequutus esset, centies tantum reciperet: & hic, & in futurum. Prius hic promisit, vt fastidia dilationis auferret*, iuxta textum Marc. Ait Dominus, *qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.* Pollicetur Dominus præmium suis sectatoribus. *Hic, & in futurum*; *prius hic promisit.* Prius dixit *in tempore hoc.* Deinde, *in sæculo futuro.* Nam si hominibus de solo præmio futuri sæculi spes proponeretur: non ita fortasse vehementer auidi festinarent; cum ad futura, quæ longius absunt, non ita alacres incendantur. *Omne studium torpescit dilatione.* Dum autem præmio etiam præsentis sæculi alliciuntur, quo sperant se quàm citissimè fruituros; dubium non est, quin ad illud consequendum velociores rapiantur. Vide supra cap 8. n. 57. & cap. 16. n. 98.

126. Ambros.

Magis alliciuntur homines præmio præsenti, quàm futuro.

Quintò, ad illa verba D. Ambrosij: *Prius hic promisit, vt fastidia dilationis auferret.* Magnum præmium proponebatur hominibus, cum eis dicitur, quod accipient: *in sæculo futuro vitam æternam.* Ad quid prius hic temporalia promittit? *Qui non accipiet centies tantum nunc, in tempore hoc.* Planum, & euidens est quod vita æterna cuiuscumque meriti nostri abundantissimum præmium est, tamen Dominus temporalia quædam, *Prius hic promittit, vt fastidia dilationis auferret.* Spe diu dilata maximè animus cruciatur, & ideo Dominus in hoc sæculo concedit aliqua bona, vt eorum blanditiis nostra desideria aliquantulum præoccupata remanerent.

127. Ambros.

Spe dilata cruciatur animus.

Dominum deprecatur Regius Vates Psal. 118. n. 16. *Non confundas me ab expectatione mea*, ex Hebræo legi potest: *Non tardes ab expectatione mea.* Nam idem verbum in Hebræo potest significare confundere, ac tardare, vt notat Mendoza tom. 3. in lib. 1. Reg. cap. 13. vers. 8. num 3. Cùm enim tardatur in expectatione, maximè confunditur animus, multiplici enim dolore affligitur, ac molestatur. Ait Salomon Prouerb. 13. n. 12. *Spes, quæ differtur, affligit animum*, ex Hebræo legitur: *Spes protracta, morbus aut ægritudo cordis.* Quid est,

128. Psalm. 118. Hebræus, Mendoza.

Prou. 13. Hebræus.

est, quod dicitur dolor cordis? inter omnes hic vehementior est. Vt de homine delendo ingens Domini dolor exaggeretur, dicitur, *tactus dolore cordis intrinsecus*. Gen. 6.num 6. Vbi ait Oleaster. *Vide quantum malum peccatum sit, vt faciat Deum corde dolere. Est enim dolor cordis inter caeteros acutior.* Dolor cordis inter omnes est acutissimus, dicitur spes dilata dolor cordis, vt denotetur, quod omnibus sit vehementior, ac penetrabilior.

Gen. 6. Cantharis in disidio dolor animi. Oleaster.

Matth. 19. *num.* 30. Multi autem erunt primi, nouissimi; & nouissimi primi.

EXPOSITIO IV.

119. VERSIONES, ac interpretationem apponam in fine sequentis c. ac parabolæ. Solum hic adnotandum duxi, quare Christus superiorem promissionem Apostolis factam, his verbis concludat: Tacite occurrit Dominus obiectioni, quæ ab Apostolis poterat efformari; quomodo scilicet fieri poterat, vt homines viles sine literis sederent vt iudices, cum multa maiestate, ad iudicandas duodecim tribus Israël, in quibus erant multi viri insignes nobilitate, literis, ac auctoritate? ideo concludit Christus Dominus: Multi erunt primi, qui in hoc sæculo videntur primi, in altero tamen erunt nouissimi; & multi, qui in hoc sæculo sunt nouissimi, vtpote viles, & abiecti; in altero erunt primi.

CAPVT XXXIV.

Operarij ad vineam.

Matth. 20. *num.* 1. Simile est regnum Cœlorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Num. 2. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

VERSIONES.

Syriac.n. 1. Simile est regnum Cœlorum viro domino domus, qui exiit summo diluculo ad conducendos operarios pro vinea sua.

Pagnin. Qui exiit statim diluculo.

Euthymius. Vt mercede conduceret operarios.

Vatabl.n. 2. Pactus autem cum operariis denario in diem misit eos.

Theophylact. Conuentione autem facta cum operariis in singulos dies.

Euthymius. Cum operariis ex denario per diem.

EXPOSITIO I.

RESPONSIONEM datam Petro superiori cap. concluserat Dominus his verbis: *Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi* Hanc eandem sententiam confirmat, ac exponit sequentibus, vt notarunt D. Remig. Paschas. ac omnes interpretes; vnde in clausula parabolæ eandem sententiam reassumit. Ex quo constat, quod hæc parabola sit connexa cum antecedentibus, vt probat Abulens. q. 1. & etiam, quod scopus, ac finis huius parabolæ est ostendere, multos primos esse nouissimos; & nouissimos primos, de quo iam aliquia dixi in fine superioris cap. expolit. 4. 1. Remigius. Paschas. Abulens.

Simile est regnum Cœlorum Ecclesia nempe militans cœpta à mundi exordio. Et est sensus, vt explicant Carthusian. Hugo, & alij; talis est status, seu negotium Ecclesiæ militantis, seu sic agitur in Ecclesia militanti, quemadmodum si Paterfamilias aliquis: *Homini Patrifamilias*, sub quo Dei persona intelligitur; quia, vt ait Caietanus, licet Dominus sit omnium, respectu tamen electorum, se veluti patremfamilias exhibet. Quoniam sunt domestici Dei. *Qui exiit*, non locum mutando, sed aliquid ad extra operando. *Exiit* ergo Deus per suos legatos, vt explicant Albert. Magn. D. Thomas, & alij, Prophetas nempe, Apostolos, ac Prædicatores; & vtpote Dei nuntij, eorum opera Deo tribuuntur: *primo mane*; prima mundi ætate, & non dicitur mane, sed *primo mane*, seu vt habet Syriacus: *summo diluculo*. Quia in ipso puncto, ac momento creationis hominis statim Deus exiuit ad eum, cum sua gratia, ac auxiliis eum illuminans; nullum unquam prætermittit Deus, absque eo, quod homini benefaciat: *Conducere operarios*: conducere, verbum est secundum originem deriuatum à nomine mercedis. Conducere autem Dei, est sub spe præmij inducere homines: *Operarios*: homines ad operandum potentes, ait Carthusianus, qui non erant operarij meritorie agendo antequam vocarentur, ac gratia præuenirentur: *In vineam suam*. Ad colendam suam vineam, Ecclesiam nempe multoties sub nomine vineæ significatam. 2. Carthus. Caietan. Alb Magn. D. Thom. Syriacus. Carthus.

Conuentione autem facta: pacto inito, promissione nempe facta à patrefamilias, & ab operariis acceptata, *ex denario diurno*. Qui pondi consueuerat pro vnius diei operatione. Denarius autem iuxta Plinium, & Budæum, ac alios, appendebat drachmam Atticam, id est, Regalem Hispanicam, siue Iuliam Italicam; vnde denarius illo æuo erat consuetum pretium pro labore vnius diei; ad sensum vero parabolæ significat præmium certum à Deo propositum, & promissum operariis. *Misit eos* in vineam suam, ad excolendam vineam, ad bene nempe viuendum, ac merendum in Ecclesia sua. 3. Plinius. Budæus.

QVÆSTIO I.

Totius parabolæ sensus explicatur.

CIRCVM est olim, dies à Solis ortu vsque ad occasũ in duodecim horas diuidi, iuxta 4.

illud Christi Domini: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Ioan.11. Præterea diuidebatur dies in quatuor partes, quarum quælibet tribus horis constabat; sicut & nox in quatuor stationes, seu vigilias militares diuidebatur. Prima diei hora, erat illa, qua sol oritur; post tres horas, hora erat tertia; post alias tres horas, hora erat sexta, siue meridies; iterum post tres horas à meridie, hora nona vocabatur; post vero alias tres horas in solis occasu, hora duodecima erat; vndecima autem hora, vna erat ante solis occubitum. Ex quo bene intelliges, quibus horis operarij ad vineam vocati sunt.

Ioan.11.

Quomodo horæ olim diuidebantur.

5. Quæstio est. Quænam sit parabolæ medulla, seu quinam sint primi illi, qui nouissimi, ac extremi facti sunt? & quinam sint nouissimi, qui facti sunt primi? dubium est inter Auctores, sicut & ex maiori parte conueniunt, quod per vineam intelligitur Ecclesia, de quo multa dicunt interpretes. Breuiter tamen.

6. Prima sententia est, quam tradunt Origenes tract.10. in Matth. D.Augustin. serm.59. de verbis Domini. D.Gregor. hom.19. in Euang. D.Paschas. lib.9. in Matth. Beda, Zacharias Episcopus, Haymon, D.Thomas, Hugo, Carthusian. & alij. Qui per primos vocatos intelligunt Iudæos, per nouissimos vero Gentiles. Dies ergo, quo Paterfamilias exiit, est spatium huius sæculi. Qui quidem dies nobis longus videtur, si tamen cum Dei æternitate comparetur, breuissimus est. Prima hora temporis spatium est ab Adam vsque ad Noë. Hora tertia, à Noë vsque ad Abraham, hora sexta, ab Abraham vsque ad Moysem; hora nona à Moyse vsque ad Christum; hora vndecima, à Christo vsque ad vesperam, id est, vsque ad diem iudicij.

Origen. Augustin. Gregor. Paschas. Beda. Zachar. Haymon. D.Thom. Hugo. Carthus.

7. Deus ergo Paterfamilias totius suæ Ecclesiæ gubernator, ac rector exiit conducere operarios ad suam vineam, homines nempe ad suam Ecclesiam proposito præmio. Iudæi fuerunt primi, Gentiles verò nouissimi. *Paulus, & Barnabas dixerunt Iudæis: Vobis oportebat primum loqui regnum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.* Act.13. num.46. Iudæi ergo, qui erant primi, facti sunt nouissimi, extremi nempe, quia Christum non receperunt. Gentiles vero, quia erant nouissimi, facti sunt primi, quia in Christum crediderunt. Multi enim ex Iudæis vocati sunt ad fidem Christianam, pauci verò ex illis fuerunt electi. Et ideo Iudæorum natio, quæ prima erat, facta est postrema. Et gentilitas, quæ nouissima erat, in recipienda mercede primas tenet.

Actor 13.

8. Dices. In parabola proponitur, quod primi, & nouissimi eandem mercedem receperunt; at Iudæi facti nouissimi non receperunt mercedem, quam recipiunt Christiani, æternam nempe beatitudinem, sed gehennalibus pœnis cruciari. Respondetur primò. Cum D. Chrysostomo hom.65. *In parabolis*, inquit, *non oportet nimia cura in singulis verbis perangi. Sed cum quid per parabolam intendat Dominus, didicerimus, in vtilitate collecta, nihil vlterius, anxio conatu, inuestigandum est.* In parabolis ergo non necessarium est, rei significatæ omnia ad amussim accommodare; sed ad scopum, ac finem parabolæ est attendendum. In tota hac parabola nihil aliud significatur, quam Gentiles, qui fuerunt nouissimi vocati, credentes tamen in Christum præferendos esse Iudæis, qui extiterunt vocati, cum legi, & Moysi pertinaciter adhærentes Christum contempserint, eis præferuntur Gentiles, tam in gratia, & Ecclesia militante, quam in gloria, & Ecclesia triumphante. Hoc docet passim D. Paulus præcipuè Epistola ad Rom. & ipsemet Christus Dominus Luc.13. n.29. *Cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras; & venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & recumbent in regno Dei.* Ita locum explicant communiter Recentiores. Iansen. Caietan. Barradas, Lucas Burgens. Cornelius, & alij.

Chrysost.

Ecce primi nouissimi, & nouissimi primi.

Luc.13.

Iansen. Caietan. Barradas. Burgens. Cornel.

Quod magis sic explico: Euangelium primo annunciatum est Iudæis, à quibus cum fuisset repudiatum, per Apostolos prædicatum est Gentibus, quæ recipientes Christi fidem primatum tenent in Ecclesia, Iudæi autem conuertendi sunt ad fidem proximè ante diem iudicij, & nouissimi ingredientur in Ecclesiam. Ioël.3. num.1. *Ecce in diebus illis, & in tempore, cum conuertero captiuitatem Iuda, & Ierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Iosaphat.* Quod latè docent D. Augustinus, Hilarius, Cyrillus quos citant Ribeira, Cornelius ibi, Suarez tom.2. ad 3.part. disput.56. sect.1. §. *Hinc addo.* Ecce qui erant nouissimi, v.g. Gentiles, fiunt primi in Ecclesia, & qui fuerunt primi vocati, facti sunt nouissimi.

9.

Ioël.3. *Iudæi in fine mundi conuertendi.*

Cornel. Ribeira. Suarez.

Dices secundò. Ex dictis videtur sequi omnes beatos recipere æqualem mercedem, siquidem omnibus operariis datus fuit idem denarius diurnus. Resp. cum D. Augustino serm.59. de verbis Domini, Tertullian. de Monogamia, cap.10. Imperfecto homil... Titelman. & aliis. Quod omnibus datur eadem merces in communi, ac genere; omnibus enim beatis confertur vita æterna, quæ in omnibus est æterna; non tamen eadem merces in specie, ac in particulari, sed valdè diuersa in singulis est. *Stella ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1.Corinth.15. num.42. Sic & denarius nummus communis erat, sub se multas continens species & formas. Denarias enim alius erat aureus, alius argenteus, alius æreus. Et quod operariis dispar merces fuerit data ex eo patet, quia nouissimi, qui vndecima hora venerunt, aliis Prælati sunt, qui prima, tertia, & sexta hora venerunt; nam licet hi diutius laborauerint; illi tamen maiori gratia, diligentia, ac feruore laborauerunt; fieri enim potest, vt aliquis tantum vna hora laborans præ mentis ardore, ac diligentia, tantum mereatur, quantum alius tota die laborans promeretur, minore ardore, ac diligentia operans. *Consummatus in breui, explenit tempora multa.* Sap.4. num.13.

10.

August. Tertull. Imperfect. Titelman.

1.Cor.15.

Sapient.4.

Secunda sententia, & interpretatio præsentis parabolæ est Diui Basilij in regulis breuioribus, Interroga.224. D. Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, Bedæ, Euthym. D. Fulgentij, Epist.7. qui diuersas horas diuersas vniuscuiusque hominis ætates intelligunt. Primam horam esse infantiam; tertiam, pubertatem; sextam, ætatem virilem; nonam, ætatem in senectutem inclinantem; vndecimam vero, ætatem valdè senilem. Nonnulli enim à prima infantia, & ab vtero matris sunt vocati; vt Ieremias, Ioannes Baptista; alij verò aliis ætatibus.

11.

Basil. *Secunda sententia.* Chrysost. August. Hieron. Beda. Euthym. Fulgent.

QVÆSTIO II.

Quare hic Dominus vineæ dicitur homo, & Paterfamilias?

12. *Ratio difficultatis.*

DICITVR: *Simile factum est regnum cælorum homini Patrifamilias.* Non solùm dicitur homo, vt in illa parabola de zizaniis; *Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen,* Matth. 13. n 24. sed etiam dicitur paterfamilias.

Matth. 13.

13. Iob. 5.

Respondeo primò. Quod cum homo sit natus ad laborem, Iob. 5. n. 7. ex proprio nomine laborē significat, & etiam discretionem ob rationem illi datam. Paterfamilias verò vigilantiam ex suo nomine importat, seu vt vult Albert. Magn. prudentiam. *Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini Patrifamilias,* Matth. 13. n. 25. Ex his ergo habes, quod cùm homo significet laborem, ac discretionem, Paterfamilias verò vigilantiam, & prudentiam. Insinuatur in præsenti, quod laborandum sit cum discretione, vigilandum vero cum prudentia, Prou. 21. n. 11. Ait Sapiens: *Consilium custodiet te.* Græca scholia habent: *Consilium vigilabit pro te.* Vbi enim coniungitur vigilia cum consilio, statim custoditur homo ab omni malo, & incommodo. *Ecce vigil sanctus de cælo descendit. Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem,* Dan. 4. num. 10. *Vigil sanctus.* Alij legunt vigil iustus, vbi vigilia coniungitur cum iustitia, & sanctitate, statim habet vires ad clamandum, ac ad præcidenda omnia vitia in arbore denotata.

Alb. Magn.

Matth. 13.

Vigilandum cum prudentia.

Prou. 21.

Græcus.

Daniel. 4.

14. Hieron.

Secundò. Homo dicitur ob humanitatem, & clementiam, vt notat D. Hieron. in cap. 22. Matth. num. 7. *Quando agebat opera clementiæ,* ait, *hominis nomen appositum est.* Paterfamilias verò appellatur ob curam, & solicitudinem erga totam suam familiam. D. Chrysost in Imperfect. homil. 34. *Homo,* inquit, *Paterfamilias Christus est, cui cæli, & terra quasi vna est domus.* Ita Deus ad amussim de omnibus habet curam, & prouidentiam, vt sollicitus Paterfamilias de sua domo, ac de omnibus ad illam spectantibus.

Chrysost.

Diuina prouidentia vsque ad minima gubernat omnia.

15. Isai. 6. Septuag.

Videt Isaias Dominum super solium excelsum, & eleuatum, & ait: *Plena est omnis terra gloria eius,* cap. 6. n. 2. Quæ verba transferunt Septuaginta, ibid. n. 2. *Et plena domus gloria eius.* Si orbis terrarum dicitur plenus, quomodo ab aliis legitur, *domus plena?* Nam orbis terrarum satis latus, ac vastissimus est; at domus dicit habitationem quandam certis parietibus determinatam; si omnis terra, quomodo domus dicitur? Sic Deus sua maiestate totam implet terram, eam dirigit, ac gubernat, ac si aliquam certam domum repleret, ac regeret. Et hanc prouidentiam vsque ad minutissima maximè significauit Christus Dominus suis Apostolis dicens: *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt,* Luc. 8. num. 11. Quæ verba explicans Geometra in Catena Græca ait: *Accuratio diuina prouidentiæ, qua procedit vsque ad minima, per hoc significatur.* Pro quo maximè faciunt verba Angeli ad virginem: *Regnabit in domo Iacob.* Non dixit in regno Iacob. Vt notaui tom. 1. l. 1. cap. 5. quæst. 42. num. 124.

Divina prouidentia valde singillatim ad omnia se extendit.

Luc. 8. Geometra.

***

QVÆSTIO III.

Quare Paterfamilias primo mane exiit?

16. BONVS Paterfamilias non misit per seruos suos vocare operarios, sed ipse per se ad forum exiit, eósque ad vineā suam adduxit, cuius vineæ ipse curam gerit. *Plantauerat autē Dominus Paradisum voluptatis,* Gen 2. n. 8. Cur Moyses scribit Dominum Paradisum plantasse? Nam vt ipse Scriptor canonicus ostenderet Dei potentiam, ait: *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux* Dixit Deus fiant luminaria magna, & facta sunt. Cur etiam non dixit Deus, fiat Paradisus, sed *plātauit Paradisum?* vel cur hunc non mandauit fieri per Angelos suos? Dicitur tamen Dominum plantasse Paradisum homini, vt suum singularem amorem, ac curam erga eum declararet, quod ipse voluerit quasi hortulanus fieri pro homine. Anast. Sinaita in Hexamer. *Deus etiam,* ait, *fuit hortulanus, & sua creatura administer, quis Dei amorem tam eximium, non miretur, ac veneretur?* Sicut etiam semel, & iterum dicitur: *Posuit Deus hominem in Paradiso:* Gen. 2. num. 8. & 15. Non mandauit ponere, sed posuit, ad quid tendit huiusmodi repetitio? Sat erat semel dixisse: *Posuit hominem in Paradiso.* Ad quid iteratur sermo? Maximè gaudet Deus, quod hominis in rebus suis sit administer, & ideo ad eximium Dei amorem significandum, repetito sermone scribitur. D. Chrysostomus homil. 14. in Gen. *Ostendit nobis,* ait, *ineffabilem benignitatem Dei, quam in illum contulit, & repetens sermonem inquit, & accepit Deus hominem, & posuit eum in Paradiso.*

Deus maximè delectatur, quod homini administret.

Anastas. Sin.

Gen. 2.

Chrysost.

Ad quæstionem. Paterfamilias *exiit primo mane,* seu, vt habet Syr. *summo diluculo.* Nam iste bonus Paterfamilias, qui est Deus, maximè vigilat suprà vineam suam, vt eam bonis repleat, & à malis custodiat. De nocte illa, qua egressus est populus de Ægypto, dicitur Exod. 12. n. 42. *Nox ista obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Oleast. & Caiet. legunt: *Nox custodiarum est Domino.* Ac si denotari videatur, Deum quodammodo ea nocte vigilasse super Hebræos ad eos custodiendos ab Angelo exterminatore, vt illos ex Ægypto educeret. Quem sensum videntur indicare Septuag. legunt enim: *Nox ista custodia est Domino.* Ipse enim excubias agit, vt suos donis repleat, & à malo tueatur. Vnde Iob. 7. n. 20. Singulari nomine eum hominum custodem appellat, quod explicans D. Thom. ait: *Tantam solicitudinem de hominibus habet quasi custos eorum.* Et Isai. cap. 21. *Sic enim interpellat custos quid de nocte.*

17. Syriacus. *Deus inuigilat super salutem nostri.*

Exod. 12. Oleaster. Caiet.

Septuag.

Iob. 7.

D. Thom. Isai. 21.

Secundò. Summo diluculo exiit Paterfamilias, vt vocaret operarios in vineam suam; in ipso matutino tempore bonus hic Dominus vineæ non cubat, nec dormit, sed vigilat; non indulget cibo, & potui, sed pro cultura vineæ à domo sua exiit, iter arripit: discant & ab hoc agricultore principes, & reges non dormire in lectulis, nec indulgere delitiis, sed surgere, vigilare, ac operari: pro custodienda sua vinea, regno, ac principatu, ne omnino pereat. Ait Isaias 21. num. 4. *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula, comedentes, & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.* Quid est, quod ait Babylon, posita est mihi in miraculum; seu, vt explicat D. Thom. *in admirationem?* quodnam est hoc miraculum, vel admiratio? *Contemplare in specula.* Mandat vt tanquam speculator videat, & consideret principes comedentes, & bibentes.

18.

Si princeps deliriis indulget, miraculō est, quod respublica non pereat. Isai. 21.

D. Thom.

Ecce miraculum, & admiratio magna, quod Babylon ciuitas magna staret, ac persisteret, & eius principes cubantes comederent, & biberent; ex eorum nimia indulgentia in delitiis tanquam ex certa consequentia totius reipublicæ deuastatio erumpit, & ideo pro bono totius reipublicæ Propheta eos exhortatur: *Surgite principes*, à mensa nempe, vt explicat Hugo; *arripite clypeum*, ad custodiam, & munimen ciuitatis. Hugo.

19. Tertiò. Valde diluculo, ac festinanter exiit Paterfamilias à domo sua ad vocandos operarios, non expectat, vt operarij eum quærant, ad eúmque veniant, sed cum ipsi essent animo præparati ad operandum, ante eorum preces, ac voces eos vocat, ac in vineam suam mittit. *Dixi; Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*, Psalm. 31. num. 5. *Dixi confitebor* Cassian. D. Hieron. August. D. Gregor. *Dixi pronuntiabo.* Paratum se dicit ad pronuntianda, ac confitenda sua peccata, quid inde factum est? *& tu remisisti iniquitatem.* Cur non finit Deus, vt ipse pronuntiet, ac confiteatur delicta sua? sed cum ipse haberet animum confitendi peccata, statim Deus illa dimisit? Tam velox est Deus vt homini benefaciat, quod minimè eius voces quærit, sed cito præuenit, vt homini indulgeat. Acutè D Augustin. *Dixi: Quid dixisti?* ait, *non iam pronuntiat, sed promittit se pronuntiaturum, & ille iam dimisit. Attendite fratres, magna res, dixi pronuntiabo, non dixi pronuntiaui, & tu remisisti; eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit, quia nondum pronuntiauerat. Dixeram pronuntiabo, aduersum me, verumtamen Deus audiuit vocem cordis mei, vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei iam in corde erat.*

Psalm. 31. Cassian. Hieron. Augustin. Gregor. *Deus tam velox in nos, vt non expectet voces loquentis.* Augustin.

20. Ponderat D. Ambrosius in Psalm. 37 Qualiter Christus Dominus latronem in cruce pendentem posuerit in termino, ille solam memoriam in regno Dei postulat. *Domine memento mei.* Dominus verò illico eum benignè transmisit in gloriam, non decursa, sed peruolata via per medium rubrum mare. *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. n. 43. Superuolauit diuina pietas super desiderium, ac affectum petentis. Citatus D. Ambros. *Ille*, ait, *adhuc rogabat, vt meminisset sui, cum venisset in regnum, & Dominus cum nondùm venisset, ei iam regnum cœleste tribuebat: quã velox misericordia? Tardius votum precantis, quam remunerantis est præmiũ* Expende vltima verba. Vide sup. c. 27. n. 112. 113 & 114.

Luc. 23. *Verum peteti tu superuolat diuina pietas* Ambros.

QVÆSTIO IV.

Quare Paterfamilias vocat operarios non ad comedendum in vinea, sed ad eam excolendam?

21. CVM dicitur, quod Paterfamilias exiit conducere operarios, ex ipso verbo conducendi apertè denotatur vocatos esse ad excolendam vineam, non verò ad delicijs, ac potationibus indulgendum, ad quod primò respondeo semper Deum suis merendi occasiones præparare, vt per merita gloriosè magnis donis coronentur. Negat H bræis paleas Pharao, & mandat consuetum numerum laterum explere. Et ait: *opprimatur operibus, vt expleant ea*, Exod. 5. num. 9. Quomodo tanta tribulatio, ac afflictio præmittitur in populo Dei electo? D Gaudent. serm. 12. ad Neophyt. *Opprimantur operibus tyrannicis*, ait, *vt multum crescant, ad exitum de Ægypto in terram Chanaan.* Quæ cœlestem patriam denotabat.

Deus dat suis occasiones merendi. Exod. 5.

Secundò. D. Chrysost. in Imperfect. homil. 54. *Scitote*, ait, *quia mercenarij sumus conducti. Sicut ergo nemo conducit mercenarium, vt hoc solum faciat, quod manducet, sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, vt hac solum operemur, quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei.* Non vocantur mercenarij, vt comedant, & bibant, sed vt operentur in vinea, hoc est in Ecclesia, non enim in nostris operibus commodum nostrum quæramus, sed gloriam Dei, exaltationem nominis eius. Ingeniosè quærit Ioachimus Abbas ad c 8. Apoc. n. 5. ad illa verba: *Accepit Angelus thuribulum de altari.* Cur Christus Dominus cum sit omnium suorũ donorum liberalissimus, non ordinauerit mittere Spiritum sanctum in Apostolos, nisi post resurrectionem suam, ac ascensionem in cœlos: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*, Ioan. 16. n. 7. Cur nõ antea missus est? Christus Dominus missus est à Patre in mundũ, vt per mortem, & passionem suam Patrem glorificaret, ac honoraret; sic ipsemet Christus dixit. *Pater: Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam*, Ioan. 17. num. 4. Spiritus autem missus est, vt testificaretur Christi magnalia, atque vt illustre, & celebre ferret eius nomen apud omnes. *Quem ego mittam vobis à Patre, spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit de me*, Ioan. 15. n. 26. Disposuit Dei sapientia, vt prius Christus Dominus ministerium suum adimpleret, quàm quod Spiritus sanctus mitteretur, ne alicui fortasse videretur, quod prius Christus agebat de sui nominis celebratione Spiritus sancti aduentu, quam de gloria, ac clarificatione sui Patris per mortem, & passionem eius. Citatus Abbas: *Noluit*, ait, *hoc facere, scilicet missionem Spiritus sancti, tempore humilitatis sua, ne prius videretur quærere gloriam suam, quam implere ministerium humilitatis, pro quo venerat in mundum.* Vide suprà cap. 22. n 67. & c. 13. num. 64.

22. Imperfect. Omnia ministra ad Dei gloriam referenda. Ioachimus. Ioan. 16. Ioan. 17. Cit. Abbas.

Tertio D Paschas. lib. 9. in Matth. *Omnes simul*, ait, *qui vocantur ad vineam, vna Ecclesia sunt, vnaquæque vinea de vite, quæ Christus est, propaginata: in qua, & ad quam, qui intrat, vel qui conducitur, nemo otiosus, sed omnes operarij esse debent*, vinea hæc est Ecclesia, ait Abbas, sed quomodo in hac vinea, *Nemo conducitur otiosus, sed omnes operarij esse debent?* Multi sunt in hac vinea, qui fodere non valent, putare nesciunt, nonne in hac vinea commemorantur, claudorum bona pars? Ægrotantium copiosa messis? Nonne multi sunt senes, fœminæ, ac pueri, qui mollibus vestiuntur in domibus regum? quomodo ergo nullus intrabit otiosus, sed operarij esse debent? Sic pergit cit. Paschas. *Omnes operarij esse debent, quia nemo est, etsi non alios, qui se ipsum exercere, & excolere non debeat, vt fructum ferat in Christo, & in vite maneat.* Nullus in hac vinea ab operatione eximitur, etiamsi sit claudus, pusillus, fœmina, ac senex, quilibet maximè debet esse operans in cultura sui animi, in expurgandisque illius vitijs, ac peccatorum vepribus eradicandis, ne si otio se tradiderit, de Patrisfamilias contubernio eiiciatur in tenebras exteriores.

23. Paschas. *Christiana non otiosa, sed operi debet vacare.*

Ad hominis fornicationem omnes tres personæ conueniunt, vt ex multis Patrum pronuntiatis ostendit Lyppomanus ad illa verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*, Genes. 1. n. 26. Omnia per Verbum facta sunt, cælum, terra, lux, stellæ, ignis, grando, & spiritus procellarum, ipse dixit, & facta sunt, quid opus tanto conatu in hominis

24. Gen. 1.

minis structura,ad quid omnes tres personæ conueniunt ? Non opem desiderantis vox est illa: *Faciamus hominem* ; sed nolebant cæteræ diuinæ Personæ quodammodo in otio videri,dum homo fabricatur , sed omnes tres diuinæ Personæ ad hoc opus condescendunt. Singulariter Zeno Veronens. serm.3. in Genes. *Videris, fratres dilectissimi,* ait , *quia nullus exertè hic alteri iubet ? In opere nullus otiosus est. O sancta æqualitas , & sibisolis dignissima individuæ Deitatis !* Cur tamen dum homo conditur , nulla diuina Persona voluit videri quodammodo in otio , sed omnes operantes se exhibent,cum tamen reliqua omnia per Verbum fiant , eorum tamen creatio non omnibus diuinis Personis attribuitur ? cum homo produceretur inter cæteras visibilia opera,vt creatura rationalis ad imaginem , & similitudinem Dei , tota sancta Trinitas ostenditur operans, vt ex hoc fiat homini documentum , quod si Deus , vt infunderet imaginem suam homini , nulla diuina Persona se habuit veluti in otio , sed omnes fuerunt in operatione , sic etiam homo ad ipsam imaginem Dei in se conseruandam per gratiam , & iustitiam, numquam debet esse in otio , sed semper in labore,ac operatione.D Gregorius Magnus lib 9.moralium cap 36.*De seipso igitur homine dictum est*, ait, *faciamus. Cum de aliis creaturis legatur dixisse Deum, vt fierent,& facta sunt : & hoc,quia rationabilis creatura condebatur.* Faciebat Deus hominem, vt creaturam rationalem , ad imaginem, & similitudinem suam. Cùm ergo homo repræsentaret Trinitatem , repræsentatio autem non debet deficere à re significata. Sicut ergo in opificio hominis tota Trinitas proponitur tanquam in operatione , sic ergo homo ad instar sui exemplaris, nunquam debet esse in otio, sed semper in operatione,nihilque habeat, quo valeat suum otium defendere, & excusare.

Zeno.

Differt Deus hominem, vt sit operans, & non otiosus. Gregor.

25. Genes. 28.

Cùm Iacob iter faceret in Mesopotamiam, ac requiesceret in quodam loco : *Vidit in somnis scalam stantem super terram , & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes , & descendentes per eam*, Genes. 28. num.22.Illud in primis notandum cum D.Bernard. epist. 254.*Vidit Iacob*, ait, *scalam , & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit ; sed vel ascendere,vel descendere videbantur vniuersi.* Quis tam durus Dominus , vt suis famulis in itinere aliquid requiei non indulgeat ? Nonne ipse Dominus promisit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis , & ego reficiam vos* ? Matth. 11. num 28. Vbi est huiusmodi refectio , si nec ad momentum datur requiescere ? *Nullus residens,nullus subsistens apparuit.* Reficiet in patria , vbi inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. At in via,quæ in scala repræsentatur, otium excutiendum, & semper peragendum , vel ascendendo ad Deum per contemplationem, vel descendendo per charitatem ad opera proximorum. Vt explicat D. Gregor. lib. 5.moralium, & maximè etiam in rem nostram D. Bernard. epist. 241.ait : *Nemo proinde dicat , satis est : sic volo manere. In via residet , qui huiusmodi est, in scala subsistit, vbi neminem Patriarcha vidit non ascendentem, aut descendentem.*

Bernard.

Matth.11. *Electus non datur requies in hac vita,sed in patria.*

Gregor. Bernard.

Illud tamen notandum , quod vidit Iacob Dominum innixum scalæ;in quo D.Augustin.serm.29. de tempore , intelligit Christum Dominum innixum , seu pendentem in cruce , qui ibi Iacob repræsentabatur, quod etiam Eustathus apud Lyppoman. qui ait , quod in illa scala erecta. *Iacob in ea mystice corporatam Domini speciem vidit & triumphale Dominicæ crucis subsignata scalæ trophæum contemplatus est.* Quid est , quod dum Patriarcha lassus ex itinere sub dio,sine strato, lapideo puluinari tantillum soporis conciliat , sub typo crucis in scala apparet ei Christus crucifixus ? Iacob Dei ordinatione electus erat hæres cœlestis beatitudinis , iuxta illud : *Iacob dilexi, Esau odio habui*,Rom.9.num.13 Vnde ait D. Anselm ibi : *Vnus eorum eligitur,alter reprobatur: vnus succedit in hæreditatem , alter exheredatur.* Cùm ergo Iacob esset electus Dei , non patitur Dominus, vt ipse otio,ac quieti indulgeat , sed obiecta crucifixi imagine ad eum loquitur : si vis hæreditatem tuam tenere, apage somnum , pelle otium, gradere per scalam , scilicet hanc meam crucem, hæc est enim via , per quam ad hæc mœnia , ad hancque ciuitatem peruenitur;fuge , fuge ab animo fratris tui Esau,quem odio habuisti, hic enim dum voluit viuere sub otio suum primatum perdidit.D.Ambrosius epist 82. *Otiosus*,ait,*amisit primatus benedictionem,qui maluit cibum accipere,quam quærere.*

Rom.9.

Non in otio, sed in operibus homo, vt cælum asseratur. Anselm.

Ambros.

QVÆSTIO V.

Quare Patersfamilias valde matutinus vocat primos operarios , cum Iesus iuxta Solis occasum suos primos discipulos vocet ?

27. *Ratio discrepantiæ.*

SVMMO diluculo exiit Patersfamilias conducere operarios ad vineam suam , cum tamen meus Iesus propè Solis occasum suos duos primos discipulos , Andream scilicet , & Philippum , vel Ioannem Euangelistam , de quo dixi tom.1.cap.6.quæst.1. vocauerit. Nam hi duo *venerunt,& viderunt , vbi maneret, & apud eum manserunt die illo:hora autem erat quasi decima* , Ioan.1. num 39. Hora decima iuxta antiquos erat iuxta solis occasum,solum enim duæ diei horæ supererant,vt citato c 6.explicaui. Cur ergo Patersfamilias valde matutino tempore primos suos operarios vocat ad vineam, Christus verò suos primos discipulos hora decima,ac sub vespere ?

Ioan.1.

28. Rupertus.

Ad quæstionem respondet Rupertus lib. 2.in Ioannem : *Cur* , ait , *interpositum est hora quasi decima , vbi Iesus nostræ vocationis carpebat primitias? Videlicet , quia vocaturum salutem non aliquod præcedens eius meritum , sed sola vocantis operatur gratia , & in omnibus omnino ætas non discernit,ac præiudicat, congrua significatione dictum est , hora decima. Ipse enim ille Patersfamilias qui exiit primo mane conducere operarios, & circa tertiam , & sextam, & nonam, & decimam horam exiit. & fecit similiter, tandem dixit : Erunt primi nouissimi , & nouissimi primi.* Iesus suos primos discipulos hora decima vocat ; Patersfamilias verò conducit operarios summo diluculo, hora tertia,sexta , nona , & vndecima , denotant non ex ætate,ac tempore , sed ex deuotione , ac affectu primos reputandos esse. *Et in omnibus omnino ætas non discernit , nec præiudicat.* Et ideo ex deuotione vltimi possunt apud Deum primi reputari , non enim obsequia nostra apud ipsum commendantur ex tempore , vel quantitate,sed ex dantis affectu.

Obsequia commendantur non ex ætate, vel quantitate, sed ex affectu dantis.

Cum seruus senior domus Abrahæ venisset in Mesopotamiam ad quærendam sponsam Domino

29.

ſuo Iſaac, cùmque ipſe cum camelis ſuis accumberet iuxta puteum aquæ Deum exorans hoc ſignum pro muliere eligenda à Deo petit: *Puella, cui ergo dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit mihi bibe, quin & camelis tuis potum dabo, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac*, Geneſ. 24 n 4. Quid eſt, quod prudens homo pro re tam magna, vt erat ſponſa eligenda filio Abrahæ, illud in ſignum ponit, quod illi petenti potum ipſa præbeat, quin & ſe offerat ad potandos etiam camelos? Sed quid erat hæc potus aquæ exhibitio, niſi de puteo communi, ac vulgari, & omnibus expoſito, vt pro ſigno coniugij cum ſanctiſſimo viro inter tot mulieres ſumeretur, non penſitabat bonus ſeruus Abrahæ ipſum donum aquæ effuſæ, ſed generoſitatem animi puellæ ad benefaciendum, qui etiam ad camelorum ſitim extinguendam ſe ſe extendebat, & inde quæ tanto pollebat animo, dignè coniugem præparatam viro iuſtiſſimo agnoſcit. Oleaſter ait: *Hos ad bona eligendos à Domino ſciam, qui alterius vltimò proximorum indigentiæ ſuccurrere noluerint.* Vide ſuprà c. 33. quæſt. 4. num...

Gen. 24.

Ex animi, non ex ſpere magnanimitas æſtimatur.

Oleaſter.

QVÆSTIO VI.

Quare æterna beatitudo denario diurno comparatur?

30. Origen. Auguſt. Ambroſ. Gregor. Paſchaſ. Chryſoſt. Hieron. Beda.

CVM operarij vocati ad vineam ſignificent omnes fideles ad Eccleſiam Dei vocatos ad bene operandum, ac merendum, ſub denario diurno intelligitur æterna vita eis vt merces aſſignata, vt communiter docent omnes Patres, Origenes, D. Auguſt. D. Ambroſ. D. Gregor. D. Paſchaſ. D. Chryſoſt. D. Hieron. Beda, Haymon, D. Thomas, & alij citati, q. 1. n. 1. & 2. ſentent. Quæſtio nunc præſens eſt: Quare æterna vita ſub hac ſimilitudine denarij diurni proponitur?

31. *Seruatur proportio cum parabola.*

Germana, & vera ſolutio ea eſt, vt in parabola ſeruetur accommodata proportio. Nam maximè credibile eſt vſitatam operariorum in ſingulos dies mercedem tunc fuiſſe denarium, vt dixi in expoſitione, & ideo vt in parabola retineretur proprietas ſub nomine denarij aſſignat præmium; vnde ait Carthuſianus: *Beatitudo, ſeu æterna vita appellatur denarius, quoniam eſt præmium bene agentis, diurnus verò, quoniam propter eum quotidie laboratur, & quotidie ingredientibus regnum cæleſte confertur.*

Carthuſ.

32. Irenæus. Beda. Zachar. Haymon.

Philip 3. D. Thom.

Secundò, & allegoricè D. Irenæus lib. 4. c. 70. Beda, Zacharias Epiſc. Haymon; ideò, inquiunt, æterna vita cum denario comparatur, quia denarius imaginem regis habet, qui autem ſaluandi erunt, conformes fient imagini filij Dei, Rom. 8. num. 29. Et iterum: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*, Ad Phil. 3. num. 21. Tertiò. D. Thomas: Per denarium iſtum, ait, ſignificatur vita æterna, quia denarius ille valebat decem denarios vſuales, denotatur, quod denarius æternæ vitæ promeretur obſeruatione decem præceptorum Decalogi. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, Matth. 19. n. 17.

Matth. 19.

33. *Denarius valde fugax, & volax.*

Quartò. Quomodo beatitudo, quæ eſt æterna, & in perpetuum permanet, comparatur cum re diurna? Quod enim diurnum eſt, cras non erit; beatitudo autem, ſi æterna non perſiſteret, à ratione beatitudinis omnino deficeret. Cur ergo ipſa explicatur nomine denarij hodierni? *Denarius ſiquis diurnus dicitur*? Tam breuiter volatica, ac momentanea eſt denarij poſſeſſio, vt beatitudo, quæ eſſentialiter æterna eſt, cum ſub nomine denarij ſignificatur, *denarius diurnus* nuncupetur. Non quia ipſa beatitudo eſſentialiter æterna non ſit, ſed vt per exaggerationem denotetur, quam fugax eſt denariorum poſſeſſio; nam etiam dum perennem beatitudinem inuunt, non poſſunt à ſua fugaci, ac incerta natura exui, nec aliter proponi, niſi ſub breui poſſeſſione vnius diecuiæ: ſic inconſtantes, ac volaticæ ſunt omnes pecuniæ.

34. *Ex animi ſimilitudine beatitudo arridet homini temporali.*

Quintò. Quid eſt quod Chriſtus Dominus ſub pecuniæ ſpecie proponit beatitudinis gloriam; cum maximè ipſe ab auri deſiderio homines deterreat? Maximè Chriſtus homines exhortatur ad temporalia contemnenda, & aurum ſpernendum, vt ex hoc ad æternam beatitudinem inflammentur, ac quid ergo ſub denario diurno beatitudo proponitur? adeò auri cupiditas hominum animos ad ſe rapit, ac attrahit, vt denarij lenocinio ſumma beatitudo fuerit ſignificanda, vt ad illam ardentius homines mouerentur. Sic in animo hominis temporalis impreſſus eſt auri affectus, vt illud ſolum magnum, ac ſplendidum ſuſpiceatur, quod denarij, ac auri vendicat ſpeciem, vt ergo beatitudo æterna maximè homini arrideat, ſub denarij ſimilitudine declaratur. Hic ergo denarius recludendus eſt in ſacculis, quos Chriſtus iubet conſtituere in cælis, vt efficacius ad ipſius beatitudinis amorem prouocet. D. Chryſologus ſerm. 26. *Impuribiles*, ait, *in cœlo ſacculos vis parari, vt qui te non ſequitur ad cælum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos.*

Chryſol.

35. Eſther 8.

Maximè ſublimatus, ac exaltatus *Mardochæus de palatio, & conſpectu regis egrediens fulgebat regiis, hyacinthinis*, &c. Eſther 8. n. 15. Quid ex tam ſplendido ornatu Mardochæi cum auro, & gemmis conſequutum eſt? *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt, gaudium, honor, & tripudium.* Magnus ille Mardochæi ſplendor, purpura, corona, ac regio ornatu compoſitus, à Iudæis quaſi nouum iubar eis effulgens æſtimabatur. Naſcitur Iudæis Ieſus verus iuſtitiæ Sol, & ſanitas in pennis eius, de illo tamen teſtatur Iob 12. n. 5. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum.* Exoritur Ieſus verus ſol, verumque gaudium, & contemnitur à Iudæis, Mardocæus autem luteus homo, ab illis vt lux, & ſanitas æſtimatur. Vnde in Ieſu contemptus, in Mardochæo verò tanta æſtimatio? Fulgebat Mardochæus in auro; Ieſus verò non in auro ſplendebat; mundiales autem homines ſolum illud magnum, aut quaſi diuinum reputant, quod auro, aut bonorum temporalium diuitiis nitet. Rupertus Abbas lib. 1. de Sapientia c. 10. de Chriſto Domino loquens, ait: *Lampas iſta lucens dictis, vel doctrinis, ſplendens miraculis, contempta eſt apud cogitationes diuitum. Quare? Quia non lucebat, quomodo volebant: non ſplendebat, quomodo ſplendere volebant, ſcilicet ad præſentem diem, & vanam illorum gloriam.* Reſplendebat Ieſus doctrina, & miraculis, quia tamen non reſplendebat: *ad vanam illorum gloriam.* In gemmis & auro. *Ideo lampas iſta contempta eſt apud cogitationes diuitum.*

Iob 12.

Solum illud magnum ſibi mundi æſtimant, quod ſub auro nitet.

Rupert.

36. Baruch. 6.

Ait Baruch. 6. n. 3. *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, in humeris portari, oſtentantes metum gentibus.* Oſtentabant metum gentibus, vt homines illis exhiberent cultum, & religionẽ, vt explicat Hugo, *vt eos adorarent.* Numquid Dij illi incutiebant gentibus metum ad ſui adorationẽ ex fulgure, vel tonitru, ſeu miraculis? Minimè, vnde ergo ex pompa, ex auro, ex materia

Zeno.

pretio

Mundani simulachro ex auro dant detrimentum. Lactant.

pretiosa, in quibus solis homines temporales inesse diuinitatem suspicantur. Lactant. l.2.c.7. *Veniunt*, ait, scilicet homines, *ad Deos non tam religionis gratia, quantum vt aurum oculis hauriant, nitorem leuigati marmoris, aut eboris aspiciant, aut insignes lapillis, & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiora templa, & pulchriora simulachra, tanto plus maiestatis habere credunt.*

Matth.20. num.3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

Num.4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.

Num.5. Illi autem abierunt: iterum autem exiit circa sextam, & nonam horam, & fecit similiter.

VERSIONES.

Syriacus. Num.3. Ex exiit hora tertia, vidénsque alios stantes in platea, & otiosos.

Arabicus. Num 4. Abite vos in vineam meam, & quod conuenit, dabo vobis.

Syriacus. Quod oportuerit dabo vobis.

Græcus n.5. Nona hora fecit identidem.

EXPOSITIO II.

37.

Egressus circa horam tertiam De hac comparatione horarum iam dixi in lumine. Quinque describuntur Patrisfamilias exitus ad vocandos operarios, vt notant Abulens. q.13. Caietan. & alij, quibus significatur eximia diuina solicitudo ad hominem vocandum, & conuertendum, & quia per has horas etiam hominis diuersæ ætates denotantur, vt dixi q.2. quo innuitur, quod Deus nullum præfinit terminum, aut præscribit tempus, vt hominem excipiat. Ex quo ait D. Fulg. Epist.7. ad Verantiam, de pœnit.c.10. *Si aliquam aetatem iudicaret Dominus*, ait, *conuersionis remedio inoptam, non diuersis temporibus operarios vocaret ad vineam, in diuersitate quippe horarum, non incongrue accipitur aetatum diuersitas.* Non describitur Paterfamilias continuus in foro, sed illis certis horis, prima, tertia, &c. aduenies, quia tam solicitus est pro negotio, ac bono hominum, vt nullo labori, aut itineri parcat; & sic statutis horis aduenerat in forum ad vocandos operarios, vt spatium intermedium inter vnam horam, & alteram adesset operantibus in vinea, sic enim illis aderat, vt ab his non abesset, sed omnibus pro tempore, & modo se præsentem exhibebat. *Inuenit alios otiosos:* Nihil operantes, sine fructu bonorum operum.

Abulens. Caietan.

Fulgens.

Paterfamilias omnibus suis se exhibeat præsentem.

38. *Dixit illis: Ite vos in vineam meam.* Denotatur hîc quod hic vir erat valdè insignis, & insigniter operarijs per se notus, cuius vinea erat ampla, & multum celebris. *Quod iustum fuerit dabo vobis.* Non promittitur integer denarius diurnus, vt primis, quia iam diei tres horæ elapsæ erant, ideo hortatur eos, vt pro recipienda mercede fidei suæ se committant.

QVÆSTIO VII.

Quare stantes in foro, vbi omnium negotia aguntur, otiosi dicuntur?

39. NOTANTVR isti, quod erant stantes, & non proficientes in virtute, cum in ea semper vlterius proficiendum sit, pro quo vide multa verb. *Virtus.* Quæstio præsens est, cur in foro omnium negotia peraguntur, otiosi dicuntur isti? Et quantum ad sensum literalem res est plana, quia erant nihil operantes, & à nemine conducti.

Ratio difficultatis.

40. Primò respondet D. Chrys. in Imperfecto homil.34. *Quis est otiosus nisi qui opus Dei non operatur. Puta si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de rebus tuis impendis, tunc otiosus es. Vis non esse otiosus? Ne aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini, & coluisti misericordiæ vitem.* Forum illud mundum significat, in mundo otiosi sunt non solum, qui malè agunt, & aliena rapiunt, sed etiam, qui de suo nihil supererogando exhibent; cauc ergo ne otiosus sis, & extra Domini vineam eas, ideo ad opera supererogationis manus tuas extende. Postquam populus maximè esset pœnitens ac dolens pro commisso idololatriæ crimine in adoratione viruli, assignatis sapientissimis artificibus mandauit Moyses, vt populus offerret donaria sua pro opere sanctuarij, ac tabernaculi; tot, tantaque auri, & argenti dona oblata sunt, vt artifices compulsi: *Dixerunt Moysi, plus offert populus, quam necessarium est:* Exod.36.n.5. vnde populus, qui valde auri, & argenti erat cupidus, tam liberalis est, vt offerat etiam plusquam illud, quod necessarium est? facilè ab artificibus scire poterant, quænam requirebantur ad tantum opus, ad quid plura offerentur? Cum ex suis delictis essent verè conuersi ad Deum, non solum necessariis contenti erant, sed etiam superetorogationis operi studebant, Abulens. *Magnum fuit hoc in populo, & vtro, quia vere populus erat nunc multum conuersus ad Dominum; nam ante hoc multum peccauerat, & post hoc ascendens Moyses in montem obtinuit veniam iniquitatum populi reducens tabulas, & in quo valdè populus lætatus ad Deum valdè affectuosè monebatur, & faciebat, quod Deus mandauerat, & aliquid vltra.*

Opera supererogationis præstando non sis otiosus.

Exod.36.

Abulens.

41. Secundò. D. Paschas. l.9. in Matth. *In foro quidem erant*, ait, *& ideo extra vineam, id est, quia lucra mundi sectabantur. Idcirco dum in foro sunt; tales, neque ad nuptias sponsi, neque in vineam Christi, temporalia tantum sectantes, venire, & operari in ea possunt.* Erant homines isti in foro temporalia lucra sectantes, & humanis negotiis intenti, & ideo extra Domini vineam agebant otiosi, & vacui ab omni opere bono, cum nihil cœleste cogitarent. Episcopo Sardino ait Angelus: *Esto vigilans. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo.* Apoc.3.n.3. aliquibus deliciis, ac otio se ingurgitabat hic Episcop. ideo ei dicitur: *Esto vigilans.* Et quamuis illis redundaret, quomodo illius opera plena non erant. Emphaticè quidem, nam quamuis plenus esset otio & deliciis, vacuus & inanis erat à bonitate operum. Pro quo rectè facit ponderatio D. Bern. explicantis illud Psal.23. *Qui non accepit in vanum animam suam*, sic ait: *Quomodo non frustra accepit homo animam, qui quamquam vnum ex irrationalibus animalibus, corporeis voluptatibus, solum sequitur carnis appetitum.*

Paschas.

Qui ab operibus diuinis vacat otiosus, & vacuus est. Apoc.3.

Bernard.

Ingurgitans corporeis voluptatibus, vacuus, & vanus est in anima.

42. Hugo. Tertiò. Hugo Victor lib. de claustro animæ, cap. 14 *Tota die, ait, otiosi stant, qui omni tempore vitæ suæ cessantes ab omni opere in foro vanæ gloriæ torpentes perseuerant. Audiant tamen Prælati causam otij; Nemo inquiunt, nos conduxit. Non Episcopi, non Presbyteri populum, non Abbates, non Priores Conuentuum. Quo enim conducerent? Ad quærendum forsitan honorem, non ad laborem; ad curiam, non ad vineam.* Illi sunt otiosi, qui vacant ab omni opere bono, & vanitati student; audiant Episcopi, & Priores Conuentuum; non conducuntur à Domino, ad quærendum honorem, sed laborem, non ad pompam curiæ, sed ad culturam vineæ.

Prælati erga-tur non ad otium, sed laborem.

43. Chrysost. Quartò. In Imperfecto Chrys. hom. 34. *Prima ergo lanx est, ait, Christiano alienum esse à foro, nullam causam habere cum illo sicut ait Apostolus: Rogo autem vos studium habere quietis, & silentij, ac negotij proprij, operando manibus vestris: & nullius vestri desiderium sit ad eos, qui foris. Si enim in foro permanserit, & quod habes, perdes, si autem in vinea, assiduus fueris, & quod non habes, acquires.* Primò expende obiter vltima verba, quantum nempe bonum compatatur ex assiduitate, in vinea, seu Ecclesia. Deinde ait Chrys. *Prima lanx Christiano, alienum esse à foro.* Erant homines isti in foro, vbi merces emuntur, & omnia humana negotia tractantur, & dicuntur otiosi, quia qui foro ac humanis negotiis indulget, otium habet à iustitia, ac virtute, nam in foro omnia illius bona amittuntur, quæ in Ecclesia recuperantur. *Si enim in foro permanseritis, quod habes, perdes; si autem in vinea assiduus fueris, quod non habes, acquires.*

Inter humana negotia homo vacuus, ac otiosus est, à virtute.

44. Promisit anima sancta se per vicos, & plateas suum sponsum quæsituram dicens: *Surgam, ait, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quæram quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.* Cantic. 3. n. 2. Quid est, quod non inuenit sponsa eum, qui vbique est? Aut cur non adest quærenti, qui etiam non quærentes adit, eósque quærit, & vocat? D. Ambrosius lib. 3. de Virginibus ad medium. *Nequaquam, ait, ibi quæramus Christum, vbi inuenire non possumus: non est Christus circumforaneus: Christus enim est pax, in foro lites: Christus iustitia est, in foro iniquitas: Christus operator est, in foro inane otium: Christus charitas est, in foro obtrectatio: Christus fides est, in foro fraus, atque perfidia; fugiamus ergo forum, fugiamus plateas: ibi Christum quæramus, vbi quærit Ecclesia, in montibus boni odoris, fugit enim plateas, fugit Conuentus, & strepitus fori.* Christus Dominus inuenitur etiam à non quærentibus, tamen sponsa quærens eum non inuenit, quia quærebat eum in foro; in foro, ac platea, vbi vigent lites, iniquitates, otium, obtrectationes, fraus, & perfidia, ab his enim retardabatur Diuinus sponsus, vt haberetur in loco tanta spurcitia pleno.

Cantic. 3. Ambros. *Delitia fori vobis impedium Christi præsentiam.*

QVÆSTIO VIII.

Quare Paterfamilias, cum solis illis, quos primo mane conduxit, conuentionem fecerit ex denario, non verò cum aliis?

45. RATIO difficultatis est in promptu, nam quos Paterfamilias primo mane vocauit, determinatum pactum iniuit cum eis. *Conuentione autem facta ex denario diurno.* At verò cum his, quos hora tertia vocat, & sic de cæteris, nullam conuentionem facit, sed tantum ait illis, *quod iustum fuerit, dabo vobis.* *Ratio difficultatis.*

Prima, & communis solutio est cum Abulens. q. 11. Maldonato, ac aliis; qui asserunt Christum Dominum communem consuetudinem fuisse secutum: Non enim solemus certam mercedem assignatam pro labore vnius diei polliceri, nisi eis operariis, quos mane conducimus, cum totius diei laborem ab ortu solis vsque ad occasum sustineant; qui vero serius vocantur, ac si iam nihil sint lucraturi, nil certi promittitur, sed tantum pollicemur aliquid rationale illis daturum, & hoc dixit Paterfamil. *quod iustum fuerit dabo vobis.* Secundò aliter respondet D. Thom. Quia isti vocati hora tertia poterant tam feruenter operari, vt recuperarent tempus amissum, & inde mereri totam plenam mercedem, & ideo determinatè eis non pollicetur aliquid; sed tantum dicitur, quod iustum fuerit dabo vobis. 46. Ambros. Maldonat. D. Thom.

Tertiò. D. Chrys. in Imperfecto hom. 34. *Istis, ait, scilicet vocatis hora tertia: non facit pactum. Benignus enim Paterfamilias sciebat largitatem suam, quia tantum paratus est retribuere, quantum mercenarij recipere non sperabant. De dato enim eius nemo iustè murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.* Quare Paterfamilias non paciscitur de stipendio cum his operariis? Optimè ipse sciebat hominum conditionem, qui de propriis laboribus multum solent præsumere, & non acquiescunt cuilibet eorum mercedi. Cur ergo pactum non init pro pretio persoluendo? sciebat Paterfamilias, quod dona sua valdè superabundant omnem nostrum laborem, & votum, vt etiam omnem murmurationem hominum absumant, semper in immenso nostra obsequia excedunt. *De dato enim nemo iustè murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.* 47. Chrysost.

A muliere Sarephtana postulat Elias frustum subcinericij panis. *Qua abiit, & fecit iuxta verbum Elia, & comedit ipse, & illa, & domus eius,* 3 Reg. 17. n. 16. Pro paruo pane cinericio non solùm integer panis est datus, sed in tantam abundantiam creuit ille panis, vt ipsa, ac tota eius domus comederet, non per vnum diem, vel alterum, sed per multum tempus quoad vsque Dominus dedit pluuiam. Pulchrè D. Chrysol. hom. de Decollat. Baptist. apud Metaphrastem, ait: *Ipsa quidem festinanter fecit, quæ iussa fuerat. Ille autem cum illum diuitem accepisset panem subcinericium, & guttam, & eius domum implenit bonis.* Expende verbum: *diuitem panem.* Ille panis datus Prophetæ erat paruus, & vilis, vnde diues? Panis ille exhibitus erat Deo in Propheta, inde fons diuitiarum in domo illa est habitus cum multa abundantia. Pro quo vide multa suprà c. 5. n. 158. 159. & c. 8. n. 169. Vide tom. 2. & 3. verb. *Liberalitas.* 48. 3 Reg. 17. *Deus largè remunerat parua nostra obsequia.* Chrysol.

Matth. 21. *num.* 6. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes & dicit illis: quid hic statis tota die otiosi?

Num. 7. Dicunt ei: quia nemo nos conduxit: Dicit illis: ite & vos in vineam meam.

VERSIO

VERSIONES.

Græcus, & Syriac.n.6. Et inuenit alios ſtantes otioſos.

Pagninus. Cur hîc ſtatis totam diem otioſi?

Arias 7. Quia nemo nos mercede conduxit.

Vatab.Pagn. Abite vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, accipietis.

Syriacus. Quibus ſubdit: ite & vos in vineam, & quodcumque oportuerit, accipietis.

EXPOSITIO III.

49. CIRCA *vndecimam vero exiit.* Hic notatur ſumma Patrisfamilias ſolicitudo, quæ omni hora quærit operarios. Hora enim vndecima vltima eſt diei hora, dies enim clauditur hora duodecima, vt dixi q.1. Ex quo vocati hac hora, per vnam horam ſolummodo laborarunt in vinea. *Inuenit alios ſtantes.* Græcus & Syriacus addunt, otioſos. Dicitur, quod *inuenit eos*, hos antea non viderat, fortaſsè, quia antecedentibus horis non fuerant in foro, vel quia abſconditi erant deliciis carnis, & mundi otio vacantes. *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Hos increpat, & non alios, quia maiorem diei partem inutiliter expenderant, vt ait Abulenſ. q.15. & nihil aliud arguit in eis, niſi otioſitatem, hæc enim eſt mater, & origo omnium vitiorum, ac malorum.

Græcus. Syriacus.

Abulenſ.

50. *Quia nemo nos conduxit.* De more hominum culpam ſuam in alios referre volunt; & ne eos turbet Dominus, vlterius non reprehendit, ſed allicit, & quamuis vltima diei hora eſſet, eos mittit in vineam. *Ite vos in vineam meam.* Docens nos, quod etiam in vltima vitæ hora non omittat homo bene operari, quia adhuc tunc poteſt conſequi vitam æternam.

Culpam in alios referre.

QVÆSTIO IX.

Quare ex omnibus vocatis, inuenti hora vndecima arguuntur à Patrefamilias, vt otioſi?

51. DVo in limine huius quæſtionis notanda ſunt. Primum. Quod Rex ille, qui fecit nuptias filio ſuo, *miſit per ſeruos ſuos vocare inuitatos, & noluerunt venire*, Matth.22.n.3. cùm ad prandium vocarentur. At hic Paterfamilias à primo mane vſque ad horam vndecimam vocans ad excolendam vineam ſuam ſemper inuenit paratos operarios. Hic Paterfamilias per ſe exiit, vt vocaret; Rex vero ille miſit ſeruos ſuos. Cum Rex per miniſtros negotiatur, etiam ad prandium homines non inueniuntur, & deficiunt; at vero cum Paterfamilias per ſe exit, & vocat, ſemper, & omni hora ei operarij ſuperſunt, & abundant. Vide cap.3. n.62. & multa verb. *Miniſter*, hoc tomo & 1.2.ac 3.

Matth.22.

Rex non per miniſtros, ſed per Dominũ tractanda.

Secundò notandum, quòd ſi hic bonus Paterfamilias arguit, quos nondum conduxerat, nec in vineam ſuam adhuc erant, & intrauerant, dicens: *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* Quam ergo aſperius, ac rigidius reprehendendi ſunt illi, qui iam conducti, & in vinea Domini, ac Eccleſia ſtantes otioſi inueniuntur, nullum fructum bonorum operum afferentes. Vide ſuprà cap.27. num.107 & 108.

Arguendi, qui in Eccleſia non faciũt fructum.

Quæſtio præſens eſt, quare vocati hora tertia, ſexta, nona, quamuis inuenti fuiſſent otioſi, non arguuntur à Patrefamilias de eorum otioſitate, vt iſti, qui vocati ſunt hora vndecima? Et hos otioſos ad vineam ſuam vocat. Ipſe omnes inuitans Matth.11. n.28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* Cùm ergo omnes laboremus in hac vita, quæ eſt tantarum miſeriarum plena, quomodo hic ait, quid ſtatis tota die otioſi? Fortè quia maximè laborant, qui otio torpent, & ipſa otioſitas graue onus erat, & magnus labor non laborare; quod homo opere, ac labore indignus iudicatur. Origenes hom.10. in Matth. *Nos*, ait, *non portauimus pondus diei, & æſtus; portauimus autem pondus, eo quod ſtetimus otioſi, antequam Paterfamilias veniret ad nos, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis. Onus enim erat otioſitas ipſa, & quod non inducabamur interim ad opera vinea digni.*

52.

Matth.11. *Magnus labor non laborare.*

Origen.

Ratio literalis ea mihi videtur; quia alij bonam partem diei ſine opere ſteterunt, hi vero quaſi per totum diem otio indulſerunt; ex quo accipe documentum, quod aliquantulum diſſimulati poteſt cum illo, qui per aliquod temporis ſpatium delinquit, minimè verò cum illo, qui diuturnus, ac perſeuerans eſt in ſuis delictis, & in illis perſiſtens quaſi ad vltimum vitæ venit.

53. *Increpanda negligentia per multum tempus.*

Secundò. D.Thomas: *vidit primos*, ait, *& non increpauit. Iſtos autem vidit, & increpauit, quia primi adhuc infirmi ſunt, & dominantur paſſiones in eis, ideo excuſandi ſunt, quod non expendunt tempus in ſeruitio Dei, ſed ſenes abundant ſenſibus, ideo illos increpat.* Per primam, tertiam, ſextam, nonam, & vndecimam horam ſignificantur hominis ætates. Iuuenes aliquam excuſationem poſſunt habere ſignificati in primis vocatis, quod Deo toto corde obſ. quia non exſoluant, nam hos feruens ætas, & affectibus propriis multum propenſa frequenter obcæcat. At vero ſenes adumbrati in vocatis vndecimæ horæ, nullam merentur excuſationem, & digniſſimi ſunt, vt maximè arguantur, ſi in Dei famulatu torpeant, & futuram pœnitentiam contemnant, cum dies rationis iuxta naturæ legem maximè illis inſtet. Sic ait Cardinalis Hugo, qui ad vſque vltimam vitæ horam: *Mandatorum Dei oblitus carnis illecebris confractus eſt, tota die otioſus.* In ſenectute maximè ſe homo debet præparare ad mortem. Seneca epiſt.72. *Ante ſenectutem curani*, ait, *vt bene vinerem, in ſenectute, vt bene moriar.*

54. D.Thom.

Hugo.

Seneca.

Tertiò. Hugo: *Quid hic ſtatis mandatorum Dei obliti, carnis illecebris confracti? Tota die, id eſt, tota vita. Otioſi vobis nihil proficientes, pœnitentiam non agentes, in poſterum non prouidentes.* Arguuntur iſti de otio, qui non proficiunt in virtute, pœnitentiam de ſuis delictis non agunt, ne in poſterum prouideant mala futura.

55. Hugo. *Qui non proficiunt, otioſi*

Quartò. D.Paſchaſ. lib.9. in Matth. *Eos tota die*, ait, *otioſos ſtetiſſe dicimus, quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura, ſed male ſtabant otioſi, ſuis viribus deterantes, erecti contra Deum ne crederent. Stabant autem, ac ſi lapides erecti, quos adorabant in Deos, ſimiles eis facti.* Hi, qui

56. Paſchaſ. *Quilibet ſua, vũ iniquitatũ formã, & habitum repræſentat.*

qui vocantur hora vndecima Gentiles reputantur, qui adorabant Deos lapideos, & ligneos, ex quibus contraxerunt, vt fierent immobiles, tanquam lapides, & ligna, adoratores lapidum immobiles vt lapides fiunt, semper enim vitia sequentes, eorum conditionem, naturam, ac formam repræsentant, & ebibunt.

57. Psalm. 21. Iustin. Theodor. Eusebius. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me*, Psalm. 21. num. 13. Per tauros, & vitulos Iudæi significantur, quos persequutores suos dicit, vt docent D. Iustinus in Tryphon. Theod. Eusebius, Didymus in Catena Græca. Cur tamen vt vituli habentur, ac reputantur? De eis ait idem Psalmista: *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile*, Psalm. 105. num. 19 Cùm Iudæi fuissent vituli adoratores, vitulúmque sequerentur, consequens fuit, vt formam morum vituli, ac pecudis exprimerent & haberent, adoratoréque vituli, vituli moribus inficerentur, & vt ex hominum conditione in pecudes degenerarent. D. Augustin. serm. 97. de tempore: *Præcedebat*, ait, *in eremo populum carens spiritu vitulus figuratus, vt tali duce demens populus vteretur, qualis erat & ipse delictis effectus.*

Psalm. 105. *Sequitur vitulum, mores vituli habet.*

August.

58. Latè probat Apostolus, quod Deus vnicuique seminum, cum resurgunt, proprium dat corpus, non aliud tamen specie ab eo, quod seminatum, & dissolutum est, quamuis immutatum exsurgat. Et ait: *Alia quidem hominum caro.* Eorum scilicet, qui ratione, ac prudentia ducuntur: *alia vero pecorum.* Instar pecudum deliciis affluentium. *Alia volucrum*; Martyrum scilicet, qui per suos cruciatus tanquam alites in cœlum volant; *alia piscium*, eorum nempe, qui sacro baptismate enatando vitam conceperunt. Tota interpretatio est ex Tertullian. lib. de Resurrect cap. 52. Post datam doctrinam subdit Apostolus: *Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 1. Corinth. 15. num. 11. cùm Apostolus ait. Ecce mysterium vobis dico; ad magnam attentionem legentes excitat Apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Apostolus prædixerat, quod res per resurrectionem immutantur. Sic ipse ait ibidem: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Ac proinde per resurrectionem semper corpora mutabuntur, erunt enim deinceps immortalia; quomodo ergo ait Apostolus: *Non omnes immutabimur?* loquitur de damnatis, qui quodammodo immutari non videntur. Mutantur autem Iusti; Nam Martyres per plagarum signa exundant splendore, erúntque radij, tanquam pennæ, quibus ad sublimia euehi videntur. Sancti per Baptismum ita candidi apparebunt, vt oues lotæ ascendentes de lauacro. At iniqui ita vitiorum formam ebiberunt, ita in eis eorum malitia est impressa, & consignata, vt in ea persistentes, eandem suam iniquitatis formam exhibebunt, & repræsentabunt; ac proinde ab ipsa iniquitatis forma mutati non apparebunt. D. Cyrillus: *Resurgent*, ait, *quidem omnium corpora immortalitatis induta gratiam, at non omnes immutabuntur, sed inhonori permanebunt impij; soli verò immutabuntur Iusti, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & diuina gloria indumento ditati.*

1. Cor. 15.

Suas iniquitates homo repræsentat, & ab illis infamatur.

Cyrill.

Qvæstio X.

Quare vocatis vndecima hora non aliquam mercedem pollicetur Paterfamilias, vt factum est cum aliis?

59. *Ratio difficultatis.* Ratio difficultatis est, quia omnibus, quos Paterfamilias vocauit, mercedem promisit. Nam primos *conuentione facta ex denario diurno* misit in vineam suam. Tertia hora alios conuocans ait illis; *quod iustum fuerit, dabo vobis.* Et similiter fecit cum his, quos hora sexta, & nona inuitauit. At vero his, ad quos venit hora vndecima tantum dixit: *Ite vos in vineam meam.* Et nihil stipendij, ac præmij apposuit.

60. Palatius. Respondet primò Palatius. Qui vocati fuerunt primis horis, erant Iudæi, postremi vero Gentiles; Iudaicus populus tanquam terrenus, mercedis spe ad laborem inuitandus fuit. Gentilis ad laborem venit, sed excellentiori modo obsequium suum Deo exhibens, ita tamen vt terrenæ mercedis promissione non indigeret. Secundò. Vocati hora vndecima maximè de otiositate arguuntur: *Quid hic statis tota die otiosi?* Magna autem erat illis merces assignata, quod ab otio omnium malorum origine vocarentur, & in laborandi, ac merendi re exercitarentur.

Magna merces ab otio reuocari.

61. *Viri perfidi sine præmio seruiunt.* Tertiò. Iudæi carnales, ac terreni, ac proinde obiecta mercede vocantur; at Gentiles denotati sub his vocatis vndecima hora adducebantur, vt Deo excellentissimo modo inseruirent, & ideo inducendi fuerunt, vt potius amore, quam mercede obsequia persoluerent, itavt præ amore nihil aliud intenderent, nisi seruire, & obsequia Deo dare. Vide suprà cap. 22. num. 14. 15. 16. 17. & num. 75.

62. Nazianz. Quartò. Ait D. Gregor. Nazianzenus, orat. in sanct. Baptisma: *Illud dicam, hoc ipsum impensius laborasse, vberioris mercedis loco habendum esse hic certè, qui animo sunt non omninò illiberali, & sordido.* Vocantur isti vltimi, tanquam magni viri, quorum ingenium est, labores pro Christo tanquam magnam mercedem reputare; Mittuntur in vineam non assignato stipendio, ipse enim labor eis præmium erat. *Hoc ipsum impensius laborasse, vberioris mercedis loco habendum esse.* Magna illa inclyta Machabæorum mater septem filios pulcherrimos nouis & inauditis tormentorum generibus vidit cruciari, de qua ait D. Ambrosius lib. 2. de Iacob cap. 11. *Qui hanc beatam neget, qua quasi septem vallata muneribus inter corpora filiorum, nullum sensit mortis dolorem.* Expende illud. *Septem vallata muneribus.* Filiorum cruciatus tanquam magna beneficia, ac dona iudicauit, quibus beneficiis munita intrepidè mortem expectauit.

Vir magnus ipse labor meus.

Ambros.

63. Quintò. Hora vndecima, ac vltimò vocati ordinabantur vt essent primi; non assignatur eis merces, vt non mercedem, sed tantum Dominum respiciant, ad ipsúmque habeant totam suam mentem, & oculos; illi enim, qui præ omnibus Christum respiciunt, vt ei inseruiant, in ipsóque totam suam mentem, ac spem defixam habent, quamuis alias sint vltimi, fiunt primi, primásque tenent.

64. Numer. 2. Ordinans Deus castra filiorum Israël; ait Numer. 2. num. 3. *Ad Orientem Iudas figet tentoria per turmas*

turmas exercitus sui; eritque Princeps filiorum eius Naasson filius Aminadab. Et subditur ibidem n.9. *Vniuersi qui in castris Iuda numerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti, & per turmas suas primi egredientur.* Totus exercitus filiorum Israël in quatuor acies, seu cuneos diuisus erat. Ad Orientem stabat vexillum primæ aciei, puta Archiducis Iudæ, sub quo ordine erat Issachar, & Zabulon. Ad Austrum erat vexillum Ruben, sub quo erant Simeon, & Gad Ad Occidentem collocabatur vexillum Ephraim, sub quo militabant Manasses, & Benjamin. Ad Septentrionem apparebat vexillum Dan, sub quo residebant Aser, & Nephthali. Cur tamen in hac totius exercitus dispositione Iudas primum tenet locum, clarissimámque Orientis plagam occupat? Iudas inter suos fratres quartus filius erat; Ruben autem primogenitus, primúsque benedictionem à Patre accepit; cur ergo non habet ipse primum locum, cur & Iudæ defertur, & cum tanta excellentia vt primus ad bellum exeat? *per turmas suas primi egredientur.* Destinabatur Iudas, vt Christi natalibus ministraret, carnem, scilicet, sanguinem, ac locum natiuitatis, subque Christi spe totus viuebat, inde factum, vt quamuis quartus esset in loco, tamen primas tenuit, primúsque inter omnes humerari debuit. Sic & populus Gentilis in Iuda figuratus quamuis postremus esset, cum tamen Christum cœpit respicere, ac sub ipso viuere, statim omnia prima, ac lucidissima obtinuit. D. Cyril. Alexand. lib.10. de Adorat. *Vides,* ait, *primo loco positum esse Iudam, & eius socios, & præcipuum habitare locum ad Orientem, & Austrum: nam qui in Christo sunt, in lumine versantur, & spiritu feruent. Secundo loco Ruben, & eius socios. An non perspicuum est, ac minimè dubium antelatum esse eum primogenito, ac prius vocatum, qui secundus est, populus nimirum, qui est in Christo.*

Qui sub Christo viuit, semper primi.

Cyrill.

65. Psalm.23. Ait Regius Vates: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob,* Psalm.23. n.6. Cur potius dicit Deum Iacob, quam Abraham, vel Isaac? Iacob quamuis esset secundus filius Isaac, magno desiderio in Christum ferebatur, dicebátque *salutare tuum expectabo Domine,* Genes.49. n.18. ex cuius desiderio, ac habitu hoc habuit, vt cùm postremus esset in domo Patris sui, primogenituram tamen tenuit, primatúmque habuit, ideo dicitur generatio *quærentium faciem Dei Iacob.* Nam qui ipsum quærunt, quamuis vltimi, ac postremi sint, primi tamen fiunt. D. August. ad citat Psalm. *Quærentium faciem Dei Iacob, qui posterius nato primatum dedit.*

Genes.49. *Qui Christū quærit, quamuis vltimi sint, fiunt primi.*

August.

Qvæstio XI.

Quare Paterfamilias non arguit hos operarios de mendacio, cum ipse per omnes horas exiisset ad eos vocandos, ac conducendos?

66. DE otiositate hos vltimo vocatos arguit Paterfamilias, *quid hic statis tota die otiosi?* Qui dicunt ei; *quia nemo nos conduxit,* quod ad sensum parabolæ explicat D. Gregorius Magn. homil.19. in Euang. tanquam Gentium nomine, dicens: *Ad laborem nemo nos conduxit; quia vitæ nobis viæ nullus prædicauit.* Alludit sanctus Doctor ad illud Pauli: *Quomodo audient sine prædicante?* Rom.10. n.14. Ad sensum tamen moralem veniamus; dicunt, quia nemo nos conduxit: quia culpam suam in alium refundere volebant, vt dixi in expositione, & mos est hominum. Vide supra cap.9. num.36. & cap.10.n.19. & tom.2.ac 3. verb. *Culpa,* in Indice.

Gregor.

Rom.10. *Culpam vocati in alium referre.*

Quæstio tamen præsens est. Quare cùm isti homines excusare suam otiositatem volentes dicunt: *Nemo nos conduxit,* Paterfamilias eos de mendacio non arguit; nam ipse omnibus horis, prima, tertia, sexta, ac nona exiit in forum, & omnes, quos præparatos ad operandum inuenit, conduxit, ac vocauit in vineam suam, si ergo isti etiam essent præparati ad operandum, etiam introiret ad excolendam suam vineam, vt cum aliis fecit; cur ergo Paterfamilis eis non obiicit mendacium, & quod ipse per omnes horas ad eos conuocandos exiisset?

67. *Difficultas quæstionis.*

Respondeo. Pulchrè Paterfamilias dissimulat, eósque de mendacio non conuincit, sed eorum excusationi acquieuit. Optimè sciebat mendacis ingenium esse, vt pro vna falsitate tuenda, ac sustentanda, plurima mendacia conglomerantes dicant, & astruant, & ideo eorum excusationem non discutit, sed eorum saluti consulens eos mittit in vineam suam: *Profert mendacia versipellis,* Prouerb.14. num.25. Id est, vir plenus dolis, ac versutiis, vt explicat Iansenius. Pro vno enim mendacio multas versutias, dolos, ac falsitates dicunt, & proferunt tales.

68. *Vnum mendacium multa mendacia desiderat.* Prou.14.

Postquam Iudas, & fratres eius vendiderunt Ioseph in Ægyptum: *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hœdi tinxerunt eam mittentes, qui ferrent ad Patrem, dicentes: Hanc inuenimus, vide vtrum tunica filij tui sit, an non?* Genes.39. num.31. Scelus venditionis obtegere volunt mendacio persuadentes patri Ioseph à bestia interfectum esse. Perbelle Diuus Augustinus lib.2. contra Aduersarium legis, ait: *Patrem decipere volentes mendaciis se redimunt.* Et Lyppomanus? *Ad tempus,* ait, *mendacio se redimunt.* Illud mendacium Ioseph nempe occisum esse à bestia multis mendaciis volunt redimere, ac eximere à patris cognitione, & intuitu; Vide pro hoc sustentando, quot mendacia statuant; primò dicunt se tunicam inuenisse sine puero, cùm tamen puer cum illa indutus ei obuiam factus esset. Secundò, dicunt eos illam inuenisse: *Hanc inuenimus,* cum tamen ipsi eam à Ioseph extraxissent. Tertiò. Repertam asserunt sanguine fœdam, cum tamen ipsi eam sanguine commaculauerint. Quartò; imponunt sanguinem hœdi, suadentes humanum sanguinem esse. Quintò; tanquam dubitando rem ostendunt: *Vide vtrum tunica filij tui sit, an non?* Cum ipsi tamen certo scirent tunicam illius esse, *patrem decipere volentes mendaciis se redimunt.* Statuentes vnam deceptionem, ac mendacium ergà patrem multis medaciis illud redimunt, ac defendunt.

69. Genes.39. August. Lyppom. *Vnum mendacium multis mendaciis redimitur.*

Matth.20. num.8. Cum serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis ad primos.

Num.9. Cum venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant,

venerant, acceperunt singulos denarios.

VERSIONES.

Syriac.n 8. Cum autem esset vespera, ait Dominus vineæ perfectio domus suæ, voca operarios.

Vatablus. Cum autem adueſperauisset, dicit Dominus, &c. exorsus à postremis vsque ad primos.

Arabicus. Et venientes illi vndecimæ horæ, acceperunt singuli denarium.

Arias n.9.

EXPOSITIO IV.

70. *VM serò autem factum est.* Cum iam dici esset vespera, Occidente Sole, iam vltima dici hora finiebatur. Hic autem Paterfamilias Deus est, quomodo autem dicatur, quod sero mandat dare suis præmia, dicam in limine quæstionis sequentis. Ad sensum parabolæ denotatur, vt docent D. Greg. D. Augustin. Beda, D. Thomas, finis mundi, ac dies iudicij, quando Christus omnium iudex singulis pro suo merito mercedem distribuet. *Dicit procuratori suo.* Syriacus, *Magistro*, seu *perfecto domus suæ.* Cui pecunia sua credita erat, & huiusmodi denariorum solutio ex suo munere incumbebat. Quis autem symbolicè sit huiusmodi procurator, dubitatur. Origenes homil. 10. in Matth. Angelos intelligit quorum ministerio commissum est mercedes distribuere. D. vero Remig. ait: *Dominus Iesus Christus ipse est Paterfamilias, & vineæ procurator, sicut ipse est ostium, & ostiarius.* Glossa sic rem explicat: *Dicit Paterfamilias procuratori, id est, dicit Pater filio, quia scilicet Pater omnia per filium operatur, & filio dedit omne iudicium facere,* Ioan. 5. D. vero Irenæus lib. 4. contra Hæreses cap. 70. ad finem, D. Chrys. in Imperfecto hom. 34. sic exponunt: *Dicit Dominus vineæ procuratori, id est, Filius Spiritui sancto.* Quia sicut ipse Spiritus sanctus dispensat gratias, & dona, sic & gloriam, & præmia. In hac sententia Christus est Paterfamilias, Spiritus sanctus procurator. Quia quamuis Spiritus sanctus sit vnus Deus cum Christo, in perfectionéque personali ei æqualis, tamen quia non fuit operator Redemptionis, sed gratiæ, à Christo passione sua promeritæ, munificus distributor, ac largè beneficus dispensator, inde eius procurator nominatur, vt latè disserit M. Celada in Esther cap. 10. §. 243. num. 6.

Gregor. Augustin. Beda. D. Thom. Syriacus. *Quia procurator.* Origen. Remigius. Glossa. Irenæus. Chrysost. *Author, ac operator operis illustrissimè nobilitatur.* Celada.

71. *Voca operarios.* Noluit bonus Paterfamilias mercenariorum stipendium apud se detinere, sed statim mandat soluere. D. Anselm. singulariter sic explicat: *Voca operarios,* sic ait, *statue operarios ante tribunal tuum.* Pro vnius horæ labore totum denarium liberalissimè vltra merita vult donare; & tamen tribunal mandat erigere, vt opere impleat, quod prædixerat: *Quod iustum fuerit, dabo vobis.* Liberaliter donat, tamen iustitiæ formam, ac modum seruat, vt magis accipientes condecoret, & nobiliter, & si fortè merita personæ munerandæ non respicit, saltem idoneè dando beneficio personam quærit. Ait Paterfamilias procuratori: *Voca operarios.* Quia fortè procurator aliquantulum longè ab illis erat, nec semper illis aderat molestus, ac importunus operis inspector, sed aliquod spatium ad leuamen concedebat. *Redde illis mercedem.* Merces respondet labori, ac merito, quod enim ob merita non debetur mercedis nomine non bene soluitur, vltra merita liberalissimè Paterfamilias dans, id non retribuit donatiui nomine, sed mercedis & præmij titulo, vt maiori honore remuneratos extollat, & vt etiam videatur quod ipse potius soluat, quàm det. *Incipiens à nouissimis.* Qui vltimi aduenerant, hi enim minori tempore, maiori tamen feruore, ac spiritu laborauerunt. Glossa, Catthus. *A nouissimis incipit, dum prius latronem, quam Petrum introduxit.*

Anselm. *Deus dans liberaliter iustitiæ ordinem seruat.* *Prælatus non semper iustè super subditos.* Glossa. Catthus.

72. *Cum venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant.* Vocati nempe à procuratore iussa Domini sui adimplente, nec enim isti vndecimæ horæ se aliis anteponerent, nisi ab ipso essent conuocati. *Acceperunt singulos denarios*, seu vt alij legunt *singuli denarios.* Quod æqualem mercedem omnibus redditam significat, quilibet enim accepit denarium, mercedem labori totius diei debitam; Hi autem vltimæ horæ suis meritis non fidebant, sed tantum Domini gratiam expectabant, & præter omnium spem tantam mercedem accipiunt. *Non fidunt suis meritis, sed Dei liberalitati.*

QVÆSTIO XII.

Quare cum Deus sit maximè velox ad benefaciendum, hîc Paterfamilias cum serò esset, mercedem mandat dare operariis?

73. VM serò factum esset, mandat Paterfamilias dare mercedem operariis. In præsenti *serò*, vt notat Abulens. q. 17. & communiter expositores, significat solis occasum; nam occidente Sole desinit tempus laboris, & incipit quies. Psalm. 103. n. 23. *Exiit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* Quantum vero ad sensum parabolæ. Serò hic significat finem vitæ humanæ, vel consummationem sæculi. In vtroque sero redditur merces hominis à Patrefamilias, qui est Deus, vt docent D. Chrys. D. Aug. D. Gregor. & alij. Vnde dicitur in Psalm. 126. n. 2. *Cum dederit dilectis suis somnum.* Mortem scilicet, vt interpretatur N. Incognitus: *Ecce hæreditas Domini:* hæreditas nempe filiorum Dei, quæ est gloria, vt merces detur.

Abulens. Psalm. 103. *Post hanc vitam merces.* Chrysost. Augustin. Gregor. Psalm. 126. Incognit.

74. Secundò. Moraliter. Hic Paterfamilias Deus est, vt modo, dixi ex Patribus. Quomodo ergo astruitur, quod sero venit ad soluendam, ac reddendam mercedem his hominibus? nam Deus velox est ad miserandum, ac benefaciendum, & ad sua dona concedenda omnia tempora præcurrit. Quid hic tardat, & sero venit, vt soluat, ac tribuat mercedem his hominibus? Repræsentabatur hic Deus sub persona hominis. *Simile est regnum Cœlorum homini Patrifamilias.* Hominum autem ingenium est sero soluere, & tarde, ac morosè vnicuique suum tribuere; adeo vt etiam Deus cum sub persona hominis introducitur, sero, ac lente veniens repræsentetur, vt soluat, nam si cito, ac diligenter solueret, hominem repræsentare *Homo sero, & tardè soluit, quæ debet.*

sentare non valeret, & ideo cum serò esset factum, mercedem mandat dare operariis. Vide tom. 1. cap. 10. q. 14. n. 174.

75. Origen. Tertiò. Origenes homil. 10. in Matth. Non *numerantur*, ait, *secundum expositionem istam inter operarios vineæ, quotquot vocati sunt, quidã primum ad Dei culturam, non autem conseruantes, qua fidei erant, victi egressi sunt de vinea, id est, Ecclesia Dei, vel de fide veritatis, vel de iustitia regni Cœlestis.* Tunc bonus Paterfamilias mandat dare mercedem, *cum serò factum esset*, cum inclinata esset iam dies cur hoc tempus eligitur? Vt percipiamus, quod non sat est, vt quis diluculo veniat in vineam, in eáque desudet, ac rectè incipiat, aliquandoque bonum cursum teneat, sed necesse est, vt vsque in finem diei labore, ac sudore perseueret: nam si ignauia, seu pigritia, seu in aliquo defecerit, quæ laudabiliter olim gesserat, infructuosa reddentur, & irremuneratus manebit, & ideo Paterfamilias serò mandat soluere mercedem operariis. Non enim munerantur, qui victi egressi sunt de vinea, id est, Ecclesia Dei; vel de fide veritatis, vel de iustitia regni Cœlestis.

Perseuerandum in Dei lege, vt ab vno mandato non recedat.

76. Cant. 6. De anima sancta decantatur: *Terribilis vt castrorum acies ordinata*, Cantic. 6. n. 9. Quid anima pia, modesta, mitis, ac humilis habet cum castris, vbi milites feroces tanquam leones degunt, & viuunt, quamnam combinationem habet illius lenitas cum horum ductile? Ait: *Vt castrorum acies ordinata.* Tunc legiones ordinatæ censentur, quando turmæ maximè sunt vnitæ, ac colligatæ ita vt nullus pateat aditus hosti, per quem perrumpat, si enim alicuius negligentiæ aliqua fit dissolutio, vel rima, totus exercitus confunditur, & omnium salus periclitatur. Ad castrorum normam militant animæ sanctæ, quæ virtutibus armantur. Non sufficiunt ad præsidium duæ, vel quatuor virtutes ad congressum cum satana, nec per aliquod tempus armari aduersus illius insidias, sed necesse est tanquam aciem ordinatam omnibus virtutibus per omne tempus nostræ militiæ vndique muniri, ne aduersario aliquis pateat aditus, ne inde succumbat anima victa, & naufragium sequatur. Eleganter Beda: *Anima, ait, quaque perfecta, cum ita virtutibus operam dat, vt nullum in eis locum vitiis relinquat; terribilis profecto hostibus, vt castrorum acies ordinata persistit: Nam si ita verbi gratia continentiæ studet, vt virtutem humilitatis non teneat, aut si sic eleemosynarum opera exercet, vt à superflua locutionis culpa linguam non refrenet; talis nimirum anima minus est terribilis hostibus, quia virtutum suarum castra minus perfectè ordinauit.* Vide tom. 3. cap. 6. quæst. 13. n. 69. & c. 8. q. 1. n. 58.

Vnius diuini mandati transgressio cæterorum obseruantiã reddit vacuam.

Beda.

QVÆSTIO XIII.

Quare Paterfamilias per se non reddit mercedem operariis, sicut per se eos ad vineam conduxit?

77. *Ratio difficultatis.* QVÆSTIO præsens est. Quare hic Paterfamilias, in quo Deus figurabatur, vt dixi modo ex Sanctis Patribus, per se ipsum conuocat operarios ad excolendam vineam suam, illique operam suam impendendam. *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* At vero cùm ad eorum stipendium deuenitur: *Dixit procuratori suo, redde illis mercedem.* Si ipse Paterfamilias eos ad laborem vineæ conuocauit, cur etiam ipse non soluit stipendium, sed hoc procuratori suo committit? *Dixit procuratori suo*, &c.

Respondeo ad quæstionem. Ad excolendam vineam, ad laborem scilicet; ac meritum per se ipsum operarios conuocat Paterfamilias, ad mercedem vero illis soluendam alij committit. Negotium laboris, ac meriti tanquam rem magnæ æstimationis, & ponderis per semetipsum exequitur; illius vero mercedem, eiusque possessionem, vt quid inferius procuratori suo remittit. *Dixit procuratori, redde illis mercedem.*

78. *Deus magis placet meritum, quam illius possessio, ac præmium.*

In exordio mundi *formauit Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, Gen. 2. num. 7. At in die iudicij ministerio Angelorum resurgent corpora. Vt ex Paulo 1. ad Thessal. 4. num. 15. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Docent D. Chrysost. Oecumen. Theodor. D. Anselm. D. Thomas, & ibi cum D. Augustin. 3. de Trinit. cap. 4. D. Gregor. 4 Decalog. cap. 5. Cur ergo homo creatur Dei manu, resurgit vero Angelorum ministerio? Creauit Deus hominem: *Et posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Resurgunt vero corpora vt suorum laborum mercedem recipiant, sic & iustis dicet Rex: *Venite Benedicti Patri mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, Matth. 24. num. 34. Erga Deum autem multo pretiosius est nostrum meritum, quam præmium, cum homo creatur ad meritum, & operationem, Dei manu fit, cum verò resurgit ad præmium ministerio Angelorum componitur, & fabricatur.

79. Genes. 2. 1. Thess. 4. Chrysost. Oecumen. Theodor. Anselm. D. Thom. August. Gregor.

Matth. 24. *Deus formauit hominem, vt operetur, Angelos, vt remuneretur.*

Nocte apparuit Deus Abrahamo. Et ait illi: *Tolle filium tuum vnigenitum, & offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi*, Genes. 22. num. 2. Cumque ille in exequutionem diuini mandati gladium educeret, vt filium iugularet. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, Abraham, Abraham ne extendas manum super puerum*, ibidem num. 12. Illique multa dona, beneficia, ac benedictiones pollicetur. *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli.* Et subdit: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Deus multum dives est in pietate, ac misericordia, si per semetipsum mandauit Abrahamo filium sacrificare, quo etiam maximè torquenbantur paterna viscera, cur etiam Deus per semetipsum patrem non recreat? Dum ipse gladium retinet, filium parenti viuum concedit, ac tanta bona promittit. Nunquid Deus pronior est ad molestias homini inferendas, quam ad largienda beneficia? Cur ergo tentat per se, benefacit per Angelum? In sacrificio erat ingens Abrahæ meritum; in vita Isaac, ac benedictionibus relucebat præmium. Quæ autem meriti sunt, vtpotè Deo maximè grata per se exequitur. Lippoman. *Tentauit Deus Abraham, vt fidei sacrificium commendaret.* Illa autem, quæ ad præmium spectant, tanquam minora Angelo destinat, & delegat. Vide tom. 3. cap. 11. q. 22. n. 161. & 162.

80. Genes. 22.

Deus ad meritum venit per se, ad præmium per Angelum.

Lippoman.

Qvæstio XIV.

Quare paterfamilias mandat dare eundem denarium omnibus incipiendo à nouissimis vsque ad primos?

81. Ordo distributionis. NOn solùm paterfamilias procuratori mandauit omnibus operariis dare æqualem mercedem, sed etiam vt inciperet à nouissimis vsque ad primos. Prius enim data est merces eis, qui circa vndecimam horam venerunt, deinde eis, qui circa nonam, deinde qui circa sextam, & tertiam, & vltimo his, qui primo mane venerunt, vt colligitur ex textu, & obseruat Abulens. q. 21. per quod benè comprobatur conclusio parabolæ: *Sic erunt nouissimi primi.* Vt ibi explicabo Nunc ergo Patrum placita explicemus.

Abulens.

82. Chrysost. Respondet D. Chrysostom. homil. 34. in Imperfecto: *Quare non à primis vsque ad nouissimos, sed primum à nouissimis? Attende, naturalis est ratio. Omnes autem, qui ante aduentum Christi fuerunt, quasi ex operibus facti sunt Sancti, Gentes autem ex gratia.* Mandat Paterfamilias procuratori. Redde mercedem incipiens a nouissimis. Cur non magis à primis, quid habuerunt nouissimi, qui remuneratoris animum sibi magis arripuerunt? In vltimis maior extitit gratia; in primis autem maiores fuerunt labores. Ita vt diceret Christus suis discipulis: *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*, Ioan. 4. nun. 38. Antiqui Patres ex gratia Dei operabantur, sed quia illis minores erant gratiæ, minoráque auxilia, inde sudores, & labores maiores, veluti vnius integræ diei. At vero Christiani, quibus Christi gratia, & auxilia abundantissimè communicantur, videntur parum, aut quasi nihil laborare, veluti spatio vnius horæ, cum tamen in eis merces sit amplissima, semen enim gloriæ, gratia est.

Ioan. 4. Ex Christi gratia parum laboris, multum præmij.

83. Origenes. Secundò. Origenes homil. 10. in Matth. *Poterant*, ait, *æquale opus facere eis, qui ex mane sunt operati; quicumque in tempore breui volebant operantem virtutem ad opus extendere, qua antea non fuerat operata.* Breni tempore, ac vna hora recompensauerunt præteritum tempus, quo monemur, quod quælibet breuis hora sufficiens est ad æternam mercedem promerendam.

Breui tempore potest homo operari bonum.

84. Hieron. Tertiò. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinian. *Prima hora*, ait, *vocatus est Abel, Seth, Enoc, & Noë Sexta Habraham, Isaac, & Iacob; nona Moyses, & Prophetæ: vndecima Gentium populus: cui primo redditur merces, quia in crucifixum credens Dominum, difficultate fidei magnitudinem meruit præmiorum.* Vocati hora vndecima sunt Gentiles, & merito antiquis Patribus in præmio, ac gratia præferuntur; nam antiqui crediderunt in Dominum in gloria regnantem; Apostoli vero, ac Gentes in ipsum percussum, & flagellatum à Iudæis, ac eum inter iniquos deputatum videntes; qui autem tempore humilitatis, ac abiectionis sequuntur, & venerantur, merito cæteris præferendi sunt.

Qui in aduersitate sequuntur, præferendi.

85. Chrysost. Quartò. D. Chrysost. in Imperfecto. homil. 34. *Incipiens*, ait, *à nouissimis vsque ad primos, certè vt ostendat Deum inæstimabilem, misericordiam suam primùm nouissimis indignioribus reddit mercedem, postea primis: nimia enim misericordia ordinem non aspexit.* Quid est quod Paterfamilias non primis primo mercedem dare iubet: sed primo loco vltimos munerat, vltimo autem primos? *Nimia enim misericordia omnia non aspexit.* Infinita Dei pietas, quam *nimiam misericordiam* appellat, *ordinem* in largitionibus seruare non dicitur, non quia aliquid inordinatum, ac confusum in huiusmodi dispositione sit, sed quia ita diuina benignitas excellit angustos humanæ virtutis cancellos, ac omnem nostrum captum, & per exaggerationem eius misericordia *nimia*, vt non aspicere ordinem perhibeantur.

Magna misericordia Dei nemini seruat.

86. Chrysost. Quintò. Idem Chrysostom. in Catena aurea: *Incipiens à nouissimis*, ait, *libentius aliquid damus illis, quibus gratis donamus; quia pro solo nostro honore donamus. Ergo omnibus Sanctis Deus reddens mercedem, iustus ostenditur, Gentibus autem dans, misericors, dicente Apostolo: Gentes autem super misericordia honorare Deum, ideo dicitur incipiens à nouissimis.* Vna hora laborauerunt nouissimi, & primi mercedem recipiunt. Qui liberaliter donat honori suo potius donat, quam accipienti; nam accipiens donum, dono ditatur; dans vero beneficium, illo maximè eius honor extollitur, & resplendescit, nullius maior honor, quam à liberalitate. Sicut enim à iustitia debitum exoluitur, sic & à munificentia honor prouenit; ideo ergo non merentibus operariis nouissimis citius dat, & donatione aliis præferuntur, quia liberaliter pro sua munificentia, ac honore declarando Paterfamilias dat. *Libentius aliquid damus illis quibus gratis donamus, quia pro solo nostro honore donamus.*

Qui pro liberalitate, ac honore sunt, citius dant.

87. Origenes. Sextò. Origenes homil. 10. in Matth. de his, qui vndecima hora venerunt, ait: *Magnam excusationem habentes, ad hoc vt digni efficiantur totius diei mercede secundum quod excusauerunt seipsos dicentes: nemo nos conduxit, propter quod & Paterfamilias libenter conduxit eos, & vt ita dicam reddidit eis mercedem, pro eo quod magnanimiter tota die steterunt, & expectauerunt vsque ad vesperam conductorem.* Cur bonus Paterfamilias iubet prius remunerare eos, qui pro vna hora laborauerunt? Hi qui vndecima hora venerunt, cum arguerentur. *Quid hic statis tota die otiosi?* Responderunt? *nemo nos conduxit.* Tanquam si dicerent; per nos ô Domine non sterit, quod in vinea excolenda non incumberemus, desiderio maximè laborandi tenebamur. Steterunt enim fortiter per totum diem, quin longa conductoris procrastinatione lassati, ac pertæsi retrocessissent; hac tanta ergo constantia, ac sufferentia Domini gratiam promeriti sunt, vt primum locum in mercede recipienda habuissent.

Constantia, ac sufferentia multum promeretur.

88. Nazianz. Septimò. D. Gregor. Nazianz. orat. in sanct. Baptisma: *Illi*, ait, *non prius crediderunt, nec ingressi sunt, quam ipsis ex conuentu merces constituta fuisset, hi nulla condicta mercede ad laborem accesserunt.* Ordo postulabat, vt à primis esset retributionis initium, quando primis plus laboris præstiterunt; cur ergo bonus Paterfamilias ordinem immutat, & primo iubet remunerare eos, qui vix vna hora laborauerunt. Primi accesserunt: *Conuentione autem facta ex denario diurno.* Hi vltimi nullo mercedis pacto inito ad vineam excolendam conuenerunt, qui autem sine lucri spe, sine mercedis prætextu ad labores aduolant, multum promerentur apud Deum, maximéque illi gratioses sunt.

Qui sine lucri spe laborat, Deo gratus.

89. 2. Cor. 15. Scribens Apostolus Paulus 1. Corinth. 15. n. 9 ait: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus*

dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Et subdit: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborauí.* Magna sanè dubitatio, quid est, quod Paulus se *minimum* Apostolorum dicit, tamen confidenter de se testatur *abundantius illis omnibus* laborasse? Et tantum ipse laborauit, vt qui inter Apostolos tempore erat nouissimus, meritis tamen factus est primus, vt de illo asseuerat Hieron. epist. ad Paulin. *Subitus calor*, ait, *longum vincit tempus Paulus Apostolus de persecutore mutatus, nouissimus in ordine, primus in meritis est; quia extremus licet, plus omnibus laborauit.* Quomodo Paulus plus omnibus laborauit, quomodo *nouissimus in ordine, primus est in meritis?* Nunquid comparatione ad Paulum sedulitas Petri, sapientia Ioannis, audacia Thomæ torpebant? & generositas cæterorum Apostolorum languebat? Minimè sanè. Vnde ergo plus omnibus laborauit? Ingeniosè Cæsarius ad citata Pauli verba: *Abundantius*, ait, *illis omnibus laborani. In hoc plus illis laborauit, quia illi ex prædicatione victum secundum Euangelium accipiebant, Paulus non est vsus hac potestate, sed labore manuum suarum viuebat.* Non detrahit Paulus aliis Apostolis, quorum virtutes maximè extollit; quia tamen alij Apostoli prædicantes per varia loca, à fidelibus donatiua quædam, ac eleemosynas accipiebant, quod bene, & optimè fieri posse in confesso est apud omnes. At cum ipse Paulus omne mundiale prædicationis stipendium, ac humanum virtutis præmium repudiasset, & de propriæ industriæ artificio, ac labore manuum suarum victitaret, 1. Corinth. 4. num. 12. Actorum 18. num. 3. inde confidenter ait; *plus omnibus laborani*, tam magnum, & arduum est abiicere omnem humanam mercedem etiam eleemosynæ respectu, tantúmque hoc promeretur; vt Paulus inter Apostolos *nouissimus in ordine primus in meritis est.* Vide suprà cap. 22. n. 17. & c. 27. num. 161.

Hieron.

Cæsarius.

Plus omnibus laborat, qui sine humano premio laborat.

Matth. 10. num. 10. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

Num. 11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias.

Num. 12. Dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.

VERSIONES.

Syriacus n. 10. Et cum venissent primi sperabant se plus reportaturos: acceperunt autem singuli denarium ipsi quoque.

Vatabl. n. 12. Hi postremi vnam horam fuerunt in opere.

Pagninus. Spatio vnius horæ fecerunt.

Syriacus. Vna horam operati sunt, & adæquasti eos nobiscum, qui pertulimus pondus diei, & æstum.

D. Augustinus serm. 59. de verb. Dom. Ecce nos qui sustinuimus ardorem diei, & æstum diei, æquasti, & pares fecisti illis, qui vna hora operati sunt in vinea.

EXPOSITIO V.

90. VENIENTES *primi.* Primi dicuntur, qui à primo mane vsque ad Solis occasum in opere perdurarunt, & hi peculiariter exprimuntur, vt notat D. Paschasius lib. 9. in Matth. qui a ex diuturnitate temporis maiorem habebant occasionem amplioris mercedis sperandæ, quam alij intermedij, qui per tantum temporis spatium non laborauerunt; sic frequenter contingit, quod illi, quid de suis meritis multum præsumunt, aliis sunt inferiores, vt hi primi operarij, qui in vltimo loco sunt constituti, *& ipsi singulos denarios*, id est, vnusquisque accepit suum denarium.

Paschas.

Qui de suis meritis multum confidit, errat.

91. *Et accipientes.* Græcus cum accepissent, accipiunt, & murmurant. Aduersus *Patremfamilias.* Non aduersus procuratorem; Paterfamilias sic rem mandauerat, & disposuerat, cuius procurator erat merus executor.

Græcus.

92. *Dicentes: hi nouissimi.* Notat Abulens. quæst. 29. quasi eos præsentes ostendentes, non ipsis absentibus sed præsentibus suam querimoniam obiiciunt. Et dicunt: *hi nouissimi*, quia laboris magnitudine primis impares videbantur. *Vna hora fecerunt.* Opus scilicet; laborauerunt nempe. *Et pares.* Mercede; nam loco, & ordine nouissimi eis prælati sunt. Et exaggerando suum laborem dicunt: *Portauimus pondus diei*; pertulimus continuum totius diei laborem. *Et æstus*; feruores nempe diei, & Solis.

Abulens.

QVÆSTIO XV.

Quare primo conqueruntur de denario diurno nouissimis dato?

93. RESPONDEO primò. Quod res valde inopinata eis visa est, vt illi, qui nouissimi vna hora operati sunt, tantam mercedem reciperent, ac illi, qui portantes pondus diei & æstus per totum diem laborauerunt; viderunt primi ex nouissimis vnumquemque vnum denarium diurnum accipere, inde superabant se plus accepturos, cum autem se vidissent defraudatos à sua spe, ac præsumptione, magno dolore percussi sunt, vnde aduersus Patremfamilias obmurmurant.

Qui à suo desiderio defraudatur; dolet.

94. Secundò. D. Chrysost. in Imperfecto homil. 34. *Ergo*, ait, *non dolebant, quasi fraudati de mercede sua, sed quia illi amplius, quam merebantur, acceperant: hoc enim est proprium inuidiæ, quando aliquid alteri additur, sic dolent inuidi, quasi illis sit aliquid subductum, quod illi est additum, vt puta, si viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus se pauperem factum, & sapientior si fuerit factus ita dolet,*

Chrysost.

quasi ipse sit insipiens. Primi inuidiæ liuore æstuabant, ac proinde non sat erat, illis sua accepisse, nec bene remuneratos se iudicabant, nisi alius minus accepisset, alienâ enim prosperitatem pro damno suo habebant, tantúmque sibi ademptum existimabant, quantum alter fuisset lucratus. Vnde perbellè D. Hieron. ad illa verba: *Amice non facio tibi iniuriam.* Sic ait: *Quid quæris amplius? non tam ipse plus accipere, quàm alium nihil accipere desiderat, quasi alterius consortio minuatur præmij meritū.* His bene adaptatur, quod de Alexandro Magno dixit Curtius lib. 6. *Is vinci quidem*, ait, *hos tres volucrat, Antipatrum vicisse, re tacitus quidem indignabatur; sua demptum gloriæ existimans, quidquid cessisset alteri.* Vide, *Inuidia*, in Indice.

Alterius lucrum inuidè damnum proprium.

Hieron.

Curtius.

95. Tertiò. Hi primi vineæ operarij cum viderent nouissimos æquè recompensatos conquesti sunt dicentes: *Hi nouissimi vna hora fecerunt.* Solùm ad vituperium recordantur, tantillum, ac per vnam horam illos laborasse. Cur etiam eis non occurrit, quomodo generosè absque conuentione, & pacto, secus ac alij egerant, laborem susceperint? Deinde cur non considerant, quod in sola illa posteriori hora tanto nisu, ac feruore in excolenda vinea incubuerint, vt breui spatio ea attulerint commoda, quæ alij longo tempore? Quomodo etiam non vident illorum constantiam, quia per totum diem in foro extiterunt expectantes sui conductorem, absque eo, quod tam diuturno tempore pertæsi discederent; vt q. 14. ex Origene notaui. Tandem quorsum non attendunt ad eorum modestiam, poterant enim dicere, etiam qui accesserunt hora sexta, & nona, totius diei pondus non sustinuerunt. Quare etiam his nihil opponitur, tamen præeximia eorum modestia tacent; Cur inter tantas virtutes nihil aliud animaduertunt obtrectatores, nisi id quod minus videbatur, nempe quod illi *vna hora fecerunt* laborantes? fecerunt iuxta inuidorum mores, qui maculis proximorum tantum pascuntur, & à virtutibus oculos deflectunt; quæ improba iudicant & considerant, quæ laude, ac præmio digna sunt, prætermittunt, & obuelant. Vide suprà cap. 19. n. 31, 32. & 33. & cap. 18. n. 112. 113. & 114. & cap. 27. num. 131.

Iniqui non virtutes, sed maculas considerant.

96. Quartò. D. Hieron. in præsenti notat, cur hi primi operarij non insurgunt in eos, qui venerunt hora tertia, sexta, & nona; nam etiam hi omnes non portauerunt pondus diei, & æstus. Per hos primos Iudæos intelligit, de quibus ait: *Omnis itaque retro vocatio gentibus inuidet, & in Euangelij retorquetur gratia; quod Iudæi de capite verterentur in caudam: & nos de cauda mutemur in caput.* Solum aduersus nouissimos loquuntur; nam nouissimi primum habuerunt locum in recipienda mercede, quem primi operarij suum esse præsumebant, ac proinde maximè dolebant suum locum aliis esse delatum, vt Iudæi fremunt, cum videant gentes in honore capitis, à quo ipsi deturbati sunt.

Hieron.

Dolet homo cum videt suum locum aliis datum.

97. Quintò. Primi operarij non obtrectant contra eos, qui venerunt hora tertia, sexta, & nona, sed quærimoniam excitant contra nouissimos, quia primo loco sunt prælati, pares facti in mercede, semper senes, ac inueterati dierum rabidissimo zelo insurgunt in iuniorum felicitates, ex ipsa antiquitatis præeminentia omnia eis esse debita, omnémque honorem illis deferendum autumant.

Senes grauiter insurgunt in iuniorum felicitates.

98. Scribit Ioannes in Apocal. 12. num. 9. *Proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, & Satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram: & postquam vidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem.* His verbis explicatur grauissima persecutio, durissimúmque bellum à diabolo excitatum aduersus Ecclesiam, Ita vt ipsam, eiúsque filios velit deuorare, ac deglutire, & in frusta cædere. Cur diabolus tam rabidus aduersarius contra Ecclesiam? Insinuatur ratio in illis verbis *serpens antiquus proiectus in terram.* Cùm enim ille esset inueteratus dierum, & videret nouam Ecclesiam nouo splendore, ac fulgore insurgere, inde rabidissimo furore in eam exarsit, aduersúsque illam omnibus persecutionum tentamentis armatur. Huc spectat illud, quod pulchrè dixit D. Basilius homil. 21. in aliquos Scripturæ locos. *Postquam vidit diabolus*, ait, *hominem parum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine, hunc ei honorem inuidit.* Expende, *cum esset antiquior homine*,

Apocal. 12.

Antiquitati prærogatiua durissimum zelum contra iuniores excitat.

Basil.

99.

Cum discipuli Baptistæ intuerentur ad Christi Baptismum magnam frequentiam populorum concurrere. Dixerunt ad suum Magistrum, *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti. Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum*, Ioan. 3. n. 26. Planum, & euidens erat Baptismum Christi licet recentiorem, Ioannis antecellere baptisma, non tantum ob personam Christi sed etiam ob virtutem, & efficaciam baptismatis, vt ipsemet Ioannes prædicans confessus est, dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*, Matth. 3. num. 11. Cur ergo sic dolent Præcursoris discipuli de Christi baptismo? Viderant ipsi Magistrum suum Ioannem prius incepisse in ministerio baptizãdi, indéque ægrè ferebãt, quod nouus baptismus qui modo initiatus erat, anteponeretur antiquiori ministerio sui magistri, indéque intimis visceribus cruciabantur, vt bene ponderauit Abulens. quæst. 67. in cap. 9. Matth. *Inuidebant*, ait, *discipuli Ioannis, quod Iesus, qui nouiter surgebat, excederet eum in fama, & honore.*

Ioann. 3.

Matth. 3.

Antiquiora dolent de nouitiori exaltari.

Abulens.

100. Quem seniorum morem rigidè arguit D. Chrysostomus in præsenti, expendens quomodo noster Paterfamilias in his operariis nihil æstimat temporis prærogatiuam, quæ minimè est in nostra potestate, sic ait in Imperfecto homil. 34. *Si in hominis esset potestate quando nasceretur prius, qui postea: iusta ratione primum habebit mercedem, qui prius nasci voluit: nunc autem cum in Dei sit potestate, quando hominem producat in mundum nec illi sibi priorem honorem defendere debent, qui prius nati sunt, nec ille contemptibilior, qui postea.*

Chrysost.

Ex antiquitate nullum se extollat, cum non sit in nostra potestate.

QVÆSTIO XVI.

Quare primi operarij obmurmurant de mercede dicentes, se portasse pondus diei, & æstus?

101. HANC obmurmurationem superbiæ Iudæorum, qui fuerunt priores gentibus in vocatione attribuit D. Hilarius; eorum verò inuidiæ

Hilar.

D. Pascha

Paschas. D. Paschasius lib. 9. in Matth. tamen secundùm Patres, ac expositores, vt dixi quæst. 1. iuxta sensum parabolæ agitur hic de præmio, ac retributione æternæ beatitudinis, in qua est summa vnitas, & charitas, & nulla obmurmuratio esse potest.

102. Gregor. Respondet primò D. Gregorius homil. 19. *Potest quari*, ait, *quomodo murmurare dicti sunt, qui ad regnum cælorum vocantur? Cœlorũ enim regnum nullus, qui murmurat, accipit, nullus qui accipit, murmurare potest.* Obmurmurant non in aliquo Patremfamilias arguendo, sed eius eximiam munificentiam prædicando, ac laudando, quòd vltra merita, ac supra omnem humanum captum dona sua largiatur, inde veluti per admirationem dicunt: *Hi nouissimi vnam horam fecerunt, & pares nobis illos fecisti.* Vt etiam explicat Cardinalis Hugo. Alter ait D. Chrysostomus homil. 65. *Non ergo inducit hoc, vt ostendat aliquos esse inuidia morsos: sed vt ostendat, hos tanto potitos esse honore, quod & inuidiam aliis poterant generare.* Abulens. quæst. 28. Aliter, & maximè ad literam nodum soluit, quod Christus Dominus retulit totam rem gestam in parabola, aliàs non fieret narratio verisimilis, non tamen necesse est vt ad propositum singulæ particulæ applicentur, vt in aliis parabolis accidit. Ex Chrysost. dixi quæst. 1.

Hugo. Chrysost. Abulens.

103. Abulens. Ad nostram quæstionem respondet primò Abulens. quæst. 30. Primi laborauerunt tota die, & laborare pondus quoddam est: quia grauat hominem; sicut graue pondus; ideo qui toto die laborat, pondus diei portare dicitur: pondus æstus etiam dicuntur portare, quia laborare per æstum meridiano tempore, difficilius est, quam in aliis partibus diei, & ideo primi ad exaggerandam magnitudinem sui laboris, dicuntur portare pondus diei, & æstus.

104. Chrysost. Secundò. D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 34. *Tunc ergo, mundus*, ait, *in iuuentute constitutus, omnibus bonis prosperabatur, & felix erat: nunc autem mundus senescens, omnibus aduersitatibus premitur, & ideo concupiscibilis non est: qui ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate iustitiam seruarunt: quasi ipsa felicitas mundialium rerum satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam.*

Valde difficile inter prosperitates seruare virtutem. Gregor. August. Isti primi operarij, qui dicuntur portasse pondus diei, & æstus, communiter cum D. Gregorio D. August. & aliis existimantur esse, qui in prima mundi iuuentute floruerunt, vt Adam, Sem, Enoch, & alij, sed tunc viuebant isti, cùm aurea ætas mundum occupasset, omnia erant florida, fœcunda; ac vndique omnia bona affluentia, absque vllius egestate, quomodo ergo in tanta rerum amœnitate dicuntur isti portasse pondus diei, & æstus, magnam scilicet pressuram, ac laborem? Meritò quidem; nam inter tantam prosperitatem seruare virtutem valde difficile; vnde qui ab ipsa felicitate non submergitur, magnos fluctus laboris, ac vndarum sustinuit. Ait Oseas 13.

Osee 13. Cyrill. num. 6. *Adimpleti sunt, & saturati sunt: & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Vbi ait D. Cyrill. Alexandr. Luxus, & bonorum inexpectatorum splendor, satis magnam vim habent, vt nos in oblitionem Dei abducant, & vt ad quiduis illegitimum humanum animum dissoluant.

105. Tertiò. Iuxta D. Basilium, D. Chrysostomum, Fulgentium, ac alios Patres relatos in secunda sententia quæst. 1. Horarum differentiæ, quibus operarij vocantur, ad vitæ humanæ diuersa tempora referuntur. Ac proinde primi operarij, seu primi vocati, iuuenes, seu viros in prima ætate significant. Theophyl. *Iuxta priorem interpretationem, ait, qui iuuenes crediderè, maiorem laborem habent, quam hi, qui in senectute ad fidem accesserunt. Adolescens enim pondus iræ, æstum concupiscentiæ gestat, certans cum affectionibus; senex autem in tranquillo est.* Si ergo hi, qui sunt in ætatis flore, intelliguntur, quomodo de eis dicitur tolerare pondus diei, & æstus? Quænam vitæ pars grauior adolescentia? Non vexant curæ, anni non grauant; inualetudo non affligit: tota est in recreatione, & gaudio, ergo procul ab illa est pondus. Sermo est in præsenti de adolescentia incumbente labori virtutum, ac perfectionis; tales enim res in parabola significantur; iuuenem autem in virtute exerceri, ob multa impedimenta, quæ florida ætas affert, valdè difficile, vnde si cum adolescentia cæteri vitæ gradus conferantur, tantus labor est adolescentem probum esse, vt hic existimetur inter cæteros sustinuisse totum pondus diei, & æstus; ibi enim laboriosius est concupiscentiæ certamina vincere, ac subiugare.

Theophyl. *In iuuenili ætate maior periculo.*

Ait Dauid Psalm. 128. n. 1. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel: sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi* Tacitè commemorat persecutiones, ac insidias Saulis contra eum exortas, quas fortè, ac valido animo sustinuit, cùm esset iuuenis, seu adolescens. *A iuuentute mea.* D. Hieron. *ab adolescentia mea.* Rabbinus Caietani, *à pueritiâ meâ.* Sed cur Dauid non refert multa alia, quæ in virili ætate sustinuit? v. g. defloratam filiam suam Thamar, Amnon filium suum maiorem inter dapes demortuum? Absalon regnum inuadentem, illique mortem machinantem; Adoniámque ob purpuram affectatam multos tumultus excitantem, hæc omnia prætermittit. Cur harum ætatum non meminit? Vel cur Vates ad illa non coniicit oculos, & solum eorum, quæ sunt iuuenilis ætatis recordatur? Dauid cum esset adolescens in ardore ætatis crudelem suum hostem Saul absque odio, & maleuolentia sustinuit, & cum eum habuisset in manibus, ita vt illum occidere posset, ex quo certa erat regni spes, ei tamen pepercit. Hæc contemnere, & impetum adolescentiæ refrænare, vt intra virtutis limites se contineat, adeo inter cætera arduum, vt de illo insigniter glorietur Dauid, illúdque in Dei gloriam maximè decantet, accelebret. D. Zeno Veronens. serm. in hunc Psal. *Non obliti virtus*, ait, *Religiosi viri est, neque quietam exigit vitæ: impugnatur iam ab ipsis iuuentutis suæ initiis, & impugnatur sæpe: non nouella itaque, neque rara impugnantium odia sunt, sed ea sæpe etiam ab ipsi initiis ætatis infesta sunt: & idcirco confidentiæ maxima gratulatio est, tantorum ac tam numerosorum bellorum recordari.*

106. Psalm 128. *Superare vitia adolescentiæ valde arduum.* Zeno.

Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, diuitijs, & sapientiâ: & vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius, 3. Reg. 10. num. 23. Scientissimus extitit moyses in omni sapientia, & doctrina Ægyptiorum. Sapientissimus Dauid in Psalmis componendis; in quibus magna annuntiantur mysteria, & profundissima arcana patefiunt, & tamen de eis tanta doctrinarum elogia non inueniuntur scripta: non solùm quia hos Salomó superauerit in doctrina, sed etiã fortasse, quia tanta sapientia emicabat in iuuentutis flore. Valde mirabile erat, quod iuuenis contemnẽs blandimẽta ætatis toto affectu ad sapientiã raperetur, ita vt cùm ei daretur optio petendi,

107. 3. Reg. 10. 108.

quod vellet, non affluentia bonorum, non regna, sed sapientiam postulauit. *Dabis seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit*, 3. Reg. 3. num. 9. Et inde valde stupendum erat, quod adolescens conculcans delicitias purpuræ, ac ætatis, totus in populo iudicando, ac exercitio doctrinæ incumberet. Abulens. propositæ quæstioni satisfaciens ad lib. 2. Paralip. cap. 19. quæst. 15. ait: *Salomon erat iuuenis, & in tali ætate non solet hominibus maturæ aduenire sapientia.*

Abulens.

Matth. 20. *Num.* 13. Ait ille respondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nonne ex denario conuenisti mecum?

Num. 14. Tolle quod tuum est: volo & huic nouissimo dare, sicut & tibi.

Num. 15. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ergo bonus sum?

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Ait vni ex eis: Mi socie iniquus non sum in te, nonne denario pactus es mecum?

D. Augustinus. serm. 59. *de verb. Dom.* Sodalis, non feci tibi iniuriam.

Origen. tr. 10. *in Matth.* Ad denarium conueniſti mecum.

Syriac. n. 14. Accipe quod tuum est, & abi.

Vatabl. n. 15. An non licet mihi, quod volo facere in rebus meis? Num oculus tuus malignus est; quia ego benignus sum.

Syriacus. Nonne mihi licet, quod volo facere de iis, quæ ad me pertinent? An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?

EXPOSITIO VI.

108. AT *ille* Pater familias, *respondens*; murmurationi obiectæ, licèt friuolæ satisfacit. *Vni eorum dixit.* Respondit vni pro omnibus, vel fortasse, quia iste ptæ cæteris, vehementius murmurabat, ac vocem extollebat. Carthusianus sub hoc vno intelligit protoplastem. *Amice*: propriè ex Græco, vt notat Lucas Burgens. sodalem significat, quo frequenter, vt notat ipse, hominem ignotum compellere solemus. *Non facio tibi iniuriam.* Nam vt ait Hugo ex D. Chrysostom. De dato eius nemo murmurat iustè, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.

Carthus. Burgens. Chrysost.

109. *Tolle quod tuum est*, quod sub pacto, ac conuentione tibi promisi, & reddidi. *Vade.* Nihil tibi amplius mecum est negotij, Moraliter Glossa Interlin. & Hugo hoc verbo, *vade*, æternæ damnationi operarios adscribunt, ait ipse: *Tolle, id est, tollens quod tuum est, scilicet pœnam æternam, quam meruisti, vade, id est vades in ignem æternum.* Quia tamen per denarium ex communi Interpretum sententia denotatur æterna vita. Ideo aptius D. Remigius, D. Thomas ad æternam beatitudinem referunt. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* D. verò Hieronimus apud Hugonem ad homines viatores: *Vade*, inquit, *id est perseuera in adepta iustitia.* Ac si Paterfamilias admoneat, quod accepto denarij merito, & Dei amici glorioso vocabulo, maximè caueat homo ne leuiter delinquat; nam multiplex leue delictum non leuiter ad graue peccatum disponit. Vnde ait D. Augustinus tract. 12. in Ioan. *Minuta peccata, si negligantur: accidunt: minuta sunt gutta, quæ flumina implent*

Hugo. Remig. D. Thom. Hugo. Leue peccatum ad grauia disponit. August.

110. *An non licet mihi.* Non est mihi liberum, *quod volo facere.* Græcè, ac Syriacè additur, *de rebus meis*, vt etiam interpretatur D. August. serm. 59. de verbis Domini, *An oculus tuus nequam est.* Oculus nequam, id est, inuidia affectus, inuidia apparet in oculis, inuidus enim non valet alienum bonum æquis oculis aspicere; nec phrasis Hebraica, oculus nequam, seu malus, id est inuidus, similis est loquendi modus, Prouerb. 23. num. 6. Eccles. 14. n. 8. & 31. n. 14. Marc. 7. n. 22. *Quia ego bonus sum*, id est, tu inuidus es, quia ego huic benefaciens bonus sum, seu vt inuides, quia ego meam benignitatem erga eum ostendo.

August. Prouerb. 23 Marc. 7.

QVÆSTIO XVII.

Quare Paterfamilias murmuratorem amicum appellat?

111. QVAMVIS operariorum murmuratio esset valde friuola, & inepta, tamen Paterfamilias noluit sua potestate retundere, sed ratione eam diluere, ac compescere. Cùm Deus gloriaretur de probitate ac iustitia Iob, ait illi Satanas: *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? extende paulum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Cui statim ait Deus: *Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt*, Iob. 1. num. 11. Bene sciebat Deus eximiam Iobi sanctitatem, malignáque esse dæmonis verba; ad quid permittit Iobum in manu Satanæ, vt multis laboribus, ac pressuris affligatur. Potuit Deus suprema sua potentia silentium imperare Satanæ. Voluit tamen tanta sibi ærumna eius dicta comminuere; vt ipse Satanas manifesto experimento cognoscat nequitiam suorum verborum, & Iobi probitatem.

Murmuratoribus eriam iniqui satisfaciendum. Iob. 1.

112. Quæstio inquirit. Cur Paterfamilias hunc murmuratorem amicum appellat? & vt bene notauit Abulens. quæst. 32. Primò ei loquitur blandè; secundò iustè; tertio durè, & increpatoriè; & conuenienter procedit ad hoc vt ostendatur, quod non mouebatur ex ira, sed ex ratione. Primò vocauit amicum, quod blandum est, & ad affectionem pertinet. Secundò defendit se rationabiliter contra eum dicens: *Non facio tibi iniuriam nonne ex denario conueniſti mecum?* Tertiò durè loquitur vocando eum malum, & iniustum. *Oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.*

Abulens. *Ordinatè procedit in reprehensione.*

Ad

113. Ad quæstionem respondeo. Primo paterfamilias murmuratoren amicum vocat, oderat enim in illo murmurationis defectum, naturam verò diligebat. Hinc peccatores frequenter amicos appellat. Ad Iudam dixit. *Amice, ad quid venisti?* Matth. 26. num. 50. & ad alium: *Amice quomodo huc intrasti?* Matth. 22. num. 12. Rigidam pœnam minatur Deus Dauidi, 2. Regum 24 num. 13. & Ezechiæ 4. Regum 20. num. 1. & Niniuitis Ion. 3. num. 4. & pluribus aliis peccatoribus, tamen prædictas pœnas multa facilitate reuocauit; vnde tanta facilitas; Deus non irascebatur in peccatores, sed in peccata, vnde extinctis peccatis quieuit diuina indignatio. D. Hieron. in c. 4. Danielis ad finem; quærens cur Deus erga homines pœnitentes tam facilè suam iram deposuerit *Neque enim*, ait, *Deus hominibus, sed vitijs irascitur, qua cum homine non fuerint, negnaquam punit, quod mutatum est.*

Matth. 26. Matth. 22. 2. Reg. 24. 4 Reg. 20. Ion. 3. Hieron.

114. *Vitia amicitia corripit.* Secundò Cùm eum corripit, & emendat, amicum vocat; correctio enim veri amici nota est. Amicum appellat, cùm eum seuerè increpat, vera enim amicitia correptionis munus non respuit; verè enim amicus, qui durè corrigit, dum correctio necessaria est: inimicus autem, & hostis censendus, qui adulatur, atque blanditur. Vide suprà cap. 6. num. 32. & cap. 11. num. 27. 28. 29.

115. Abulens. Tertiò. Abulens. quæst. 32. Sicut circa operarios vndecimæ horæ ostendit liberalitatem vltra meritum tribuendo: ita & circa murmuratores ostendit clementiam benignitatem, & lenitatem eis blandè respondendò, cùm posset iustè eos rigidè increpare. Addo etiam quo ita blandè Paterfamilias eum alloquitur, Amice, vt etiam inuolutè secum suam seueritatem asportet, *oculus suus nequam*, sic reprehensio in exordio flore, ac melle cõposita appareat; vt intus seueritatis rigor lateat.

Reprehensio abscenditur lenitate verborum.

116. Missus à Deo Nathan reprehensurus Dauid, regem salutat, & proposita parabola diuitis rapientis ouem à paupere vicino, regium animum soporat in criminis vindictam. Ad quid tempus in parabolis enarrandis conteritit? Cur statim in eum non inuehitur, cúmque de tanto crimine, ac scelere arguit? Sapientissimè quidem sic rem ordinat, vt lenitatem verborum obiiciat, & nacta occasione seueritatis ferrum euaginet, dicátque ei: *Tu es vir ille*, 2. Regum. 12. num. 7. Sicque oleum suauitatis præmittit, vt minus sentiatur vulnus inferendum à seueritatis ferro. Pulchrè D. Chrysost. in Psalm. 50. serm. 1. de ipso Nathan. sic fatur: *O sapientia medici*, ait, *intrauit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmitatem non ostendit, ne abhorreret medicinam. Abscondit de intus ferrum, non sub vestimento, sed sub velamine narrationis. Statim enim vt introiuit, non dixit, ô inique, ô immunde, ô adulter, ô homicida, non vsus est nuda coargutione, non causa iactauit fiduciam, sed erat ferrum absconditum.*

2. Reg. 12. Chrysost. *Abscondit reprehensionem suitate verborum.*

Matth. 20. num. 19. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

VERSIONES.

Vatablus. Sic erunt postremi primi, & primi postremi.

Arabicus. Quam multi sunt vocati, pauci verò electi.

EXPOSITIO VII.

117. *SIC erunt nouissimi.* Ecce conclusio totius parabolæ, cuius finis est ostendere meritedem vitæ æternæ non correspondere diuturnitati temporis, sed labori, ac operi ex Dei gratia, fieri enim potest, vt quis breui tempore plus mereatur, quam alius longo tempore. *Consummatus in breui explenit tempora multa*, Sapient. 4. num. 13. Sic erunt primi nouissimi. Auctor Imperfectus hom. 34. Lyran. Abulens. & alij dupliciter interpretantur. Primò dicunt appellari primos Iudæos, nouissimos verò Ethnicos. Nam Iudæi fuerunt primi vocati, cùm tamen Iesum Christum verum Messiam non recepissent, facti sunt nouissimi; vt dixi quæst. 1. Secundò per primos, & nouissimos intelligunt Gentiles conuersos ad fidem; ex quibus multi hic videntur primi, qui in vita æterna erunt nouissimi. Multi sunt vocati, pauci verò electi. D. Gregor. homil. 19. in Euangelia, sic explicat: *Quia ad fidem multi veniũt, & ad cæleste regnum pauci perducũtur.* Eodem modo Interlin. D. Paschas. D. Thom. Carthus. Euth. *Multi sunt vocati ad fidem, pauci acquiescunt* Beda, Haymon., Zachar. Episcopus: *Multi sunt vocati per fidem, pauci verò electi per operationem.*

Sap. 4. Imperfect. Lyran. Abulens. Gregor. Interl. Paschas. D. Thom. Carthus. Euthym. Beda. Haymon. Zachar.

118. *Explicatur consalis obscurum.* Tamen maximè est aduertendum, quòd Christus in textu posuit illam particulam, *enim*, dixit: *Multi enim sunt vocati*, &c. quæ causam iudicat, ac proinde sic est explicandus textus, vt causa reddatur. *Illa verba; erunt primi nouissimi*, &c. ad Iudæos, & Christianos possunt extendi. Dixerat Dominus magnum præmium consequuturos esse illos, qui omnia sua propter eum reliquerunt. Et addidit deinde: *Multi erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*, id est multi, qui in hoc mundo primi videntur, vt iudæi fuerunt, quibus specialiter Messias promissus est, & etiam vt sunt multi ex vocatis Christianis, qui dignitate, potestate, ac honore præcellunt, *erunt nouissimi*, quia à cælesti beatitudinis præmio excludentur, tanquam si dicat Christus Dominus; nõ miremini primos fore nouissimos, & nouissimos primos, cum multi sint vocati, pauci verò electi; proindeque cæteri omnes damnandi, quod magis mirandum, ac horrendum est. Hinc Arabicus vertit: *Quam multi sunt vocati, pauci verò electi!* Ac si verba essent dicta quasi per modum exclamantis, admirantis, ac miserentis multitudinem vocatorum, paucitatem vero electorum.

Arabicus.

QVÆSTIO XVIII.

Quare electi dicuntur pauci, cum de illis testetur Angelus in Apocalypsi esse turbam magnam, quam dinumerare nemo potest?

119. DVBIVM excitat Carthus. quomodónam dicantur electi pauci, cum de eis decantetur Ps. 138. n. 18. *Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur.* Et in Apoc. 7. n. 9. ait Ioannes: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat?* Respondet ipse Carthus. quod pauci sunt electi comparatiuè, ac Relatiuè ad reprobos, vel

Carthus. Psal. 138. Apoc. 7.

etiam addam, dicuntur pauci relatiuè ad Christi voluntatem, ac desiderium, quo vult omnes homines saluos fieri.

120. Apocal.20. *Prædestinati pauci, reprobi multi.* Ait Ioannes Apocal.20. num. 12. *Vidi mortuos magnos, & pusillos in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Dicitur, quod libri aperti sunt, & insuper ait, quod alius liber vitæ visus est, qui condistinctus à libris apertis erat, ideo graues sunt Auctores, qui tenent, quod libri aperti erant reproborum, liber autem vitæ prædestinatorum. Cur tamen vnicus est liber vitæ, cum multi alij sint libri reproborum? vt denotetur, quam pauci sunt electi, quanti verò damnati; nam illi ob paucitatem in vno volumine describuntur, hi verò ob multitudinem multis indigent, vt recensеantur.

121. Apoc. 12. Commisso prælio inter Angelos cum iniqui excidissent, dicitur: *Proiectus est draco magnus, serpens antiquus qui seducit vniuersum orbem*, Apoc.12.n.9. Quomodo dicitur, *seducit vniuersum orbem?* Hoc enim simpliciter, & absolutè non videtur verum, prædestinati enim finaliter ab eius versutiis, & fraudibus liberi euadent, & etiam eius dolis non succumbent. Multi enim ex prædestinatis; olim, nunc, ac etiam futuris temporibus Deo fauente, puram ac immaculatâ degunt vitam absq; mortifero peccato. Quomodo ergo ipse seducit vniuersum orbem? Reprobi ab eo seducti intelliguntur, & verum est, quod non sint vniuersus orbis, nec sunt omnes homines, tamen tanta est eorum multitudo, vt quasi vniuersus orbis reputari possent. Patrocinatur S. Thomas: *Quod dicitur*, ait, *quod vniuersum orbem seducit, intelligitur quantum ad reprobos, qui sunt maior pars orbis.*

Magna est multitudo reproborum.

D. Thom.

122. Apoc. 13. Sic etiam in hunc sensum dicitur Apocal. 13. n.16. *Et faciet omnes pusillos, & magnos; diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Hoc est, Antichristus in omnibus sectatoribus suis imprimet characterem, seu notam suam in fronte, vel dextera. Ad quid tamen dicitur: *Quod faciet omnes pusillos, & magnos*, &c. Nam omnes qui sunt in mundo, sunt pusilli, vel magni; diuites, vel pauperes; liberi, vel serui. Cur non dicitur, quod faciet pusillos tantum? vel quod faciet aliquos ex pusillis, vel magnis habere characterem? Ad quid omnes ponuntur, & nullus excluditur? Vt denotetur, non quod omnes sint reprobi, sed quod tam magna, ac innumerabilis sit eorum multitudo, vt quasi omnes reputari valeant. Ioachimus Abbas: *In his verbis*, ait, *nihil aliud designari existimo, quam vt damnandorum multitudinem infinitam esse sciamus, ex omni conditione, & ætate, & antiquitate tam maxima, vt nequaquam valeat æstimari.*

Reprobi velut innumerabiles.

Ioachimus.

Tertius annus

123. Prædicationis Christi hic finitur; paulo post hanc parabolam operatiorum Christus à morte suscitauit Lazarum, quæ suscitatio facta est ad initium Martij, in quo ipse Dominus die 25. crucifixus est, & ideo cætera omnia, quæ Euangelistæ narrant, in illo Martio contigerunt. In quo inchoatus est quartus prædicationis vitæ Christi annus, & per vnum tantum ferè mensem durauit vsque ad eius mortem vt obseruant Iansenius, Barradas Cornelius a Lapide, Lucas Burgensis in Chronotasi.

CAPVT XXXV.

Suscitatur Lazarus.

Ioan. 11.n.1. Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ, & Marthæ sororis eius.

*Num.*2. (Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.)

*Num.*3. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine ecce quem amas, infirmatur.

VERSIONES.

*Arabic.n.*1. Erat autem quidam infirmus.

Syriacus. Erat autem quidam, qui morbo detinebatur Loozar ex Bethanio (domo afflictionis) pago fratet Mariæ, & Marthæ.

Vatablus Ægrotabat autem quidam nomine Lazarus.

*Syriacus n.*2. Porro ista Maria ea erat, quæ vnxit aromate pedes ipsius Ieschua, & abstersit capillis suis: erat autem frater istius Loozar, qui morbo laborabat.

*Syriacus n.*3. Miserunt autem ambæ sorores eius ad Ieschua, & dicunt: Domine noster, ecce is, quem tu diligis, valetudine laborat.

EXPOSITIO I.

1. INCIPIT Euangelista narrare Lazarum quatriduanum mortuum in vitam reuocatum. Maximum Christi miraculum, vt docet D. Augustinus tract. 49. in Ioannem: *Inter omnia*, ait, *miracula, quæ fecit Dominus, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur.* Et ideo vt notat Theodor Mopsuest. Ioannes latè narrat historiam, vt rem quasi natura sua incredibilem, omnium circumstantiarum descriptione credibilem reddat legentibus.

August.

Theodor.

2. *Erat quidam.* Describitur Lazarus, à nomine, conditione, loco, ac cognatione: à nomine *Lazarus*, vir nobilis, & diues, aliúsque diuersus à Lazaro mendico, & vlceroso iacente ad ianuam epulonis. Et dicitur *quidam*; quia cum esset diues & nobilis, iustus, & sanctus erat, & bene ex euentu rei dicitur Lazarus, id est adiutus. A conditione

Iustus, & bonus, valde rarum.

languens,

languens, id est, infirmus; nam grauiter lethaliter ægrotabat, nam paulo post à morbo mors est illi illata. Vnde de eo canit Nonnius: *Flagellabatur Lazarus æstu: membrinora plaga tabefactus vicinus morti.* In extrema necessitate ad Deum confugitur: à loco: *A Bethania.* Ciuis nempe Bethaniæ, quæ erat vicus quidam ad radicem montis Oliueti distans à Ierusalem; vt ait Euangelista infra num. 18. stadiis quindecim, hoc est, dimidia leuca de Castello. Lyran. Carthusian. Ex Græco tamen nomine manifestum est, Castellum non significare arcem, sed vicum, seu pagum, id est, de pago Mariæ, & Marthæ. An vero locum illum tenuerint sub sua potestate? Rem incertam dicunt Salmeiron. & Toletus. Affirmant tamen Caietan. & Titelman. At communis est sententia Leontij, Ianseníj, Maldonat. quod non fuerint dominæ eius loci, sed tantum personæ incolæ, nobiles, ac honorificæ eiusdem; sicut etiam Ioan. cap. 1. num. 44 Bethsaida appellatur ciuitas Petri & Andreæ, quia ipsius erant habitatores, non vero domini. A cognatione denotatur Lazarus: *Maria, & Martha sororis eius.* Describit Euangelista Lazarum per sorores; quarum fama valde celebris erat in Ecclesia. Theophylactus: *Ita clara & admirabiles fuerunt sorores*, ait, *vt Lazarus ipse notior factus sit per eas.* De quibus multa dixi to. 3. cap. 15. & 16. Nota quod ait Euangelista: *Martha sororis eius*, non sororum, quia sic eas diligebat, ac si vna tantum esset, & non plures.

Nonnius. Lyran. Carthus. Salmeiron. Toler. Caietan. Titelman. Leont. Ioan. 1. Theophyl.

3. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominum.* Mariam autem hanc vnam, & eandem esse sororem Lazari, & Marthæ, quæ bis, vel ter Dominum vnxit, communis est sententia, vt latè probaui tom. 3. cap. 15 quæst. 2. Cum autem duplex fuerit vnctio Domino exhibita, vna pœnitentiæ causa, Luc. 7. num. 38. Altera respectu sepulturæ paulo post hæc facta, de qua infra Ioan. 12. n. 3 Multi Recentiores, vt Barradas, Lucas Burg. Cornel. à Lapide, volunt, quod verba Euangelistę ad vtranque vnctionem referantur, mihi tamen est probabilius cum Toleto, quod Euangelista respicit narratum à D. Luca, quia quando hæc historia Lazari accidit; iam facta fuerat. Et Euangelista adnotat actionem, per quam mulier valde nota erat in Ecclesia. Deinde tam in nostro textu Latino, quam Græco est in præterito, & actionem iam factam innuit. *Vnxit, exterfit.* Deinde additur in textu: *Exterfit capillis suis.* Maximè ponderandum, quod Marthæ nomen nude ponitur, absque nota quod Dominum receperit hospitio. De Maria vero tot ad eius laudes referuntur; quia, vt inquiunt D. Augustin. D. Thomas, D. Bonauent. inter fideles multæ erant mulieres nomine Mariæ; Euangelista autem hanc describit ex singulari actione vngendi Iesum, quia valde nota facta est in tota Ecclesia: De Marthæ autem ministerio nihil dixit, innuens, quod ea, quæ ad victum spectant, minus facienda sunt; & quod celebrior, ac gloriosior facta est Magdalena sua pœnitentia, quam per vnctionem indicauit, quàm Martha hospitij obsequio. Euthym. *Exterfit pedes eius*, sic ait: *Nam huiusmodi opus Mariam notam, ac celebrem effecerat.*

Luc. 7. Ioan. 12. Barrad. Luc. Burg. Cornel. Toler. Augustin. D. Thom. Bonauent. *Nihilor Magdalenæ pœnitentia, quàm Marthæ obsequio.* Euthym.

4. *Miserunt ergo.* Particula, *ergo*, causam indicat, cur miserint, quia frater eius grauiter, ac periculosè ægrotabat. Et iam humanis remediis nihil profecerat. *Miserunt*, non iuerunt, vt notant D. Chrysostom. Euthym. ob fiduciam, & familiaritatem, quam cum Christo habebant, & ne infirmum suum extremè laborantem desererent, & etiam ob modestiam muliebrem ne extra domum suam incederent. Magdalena vt medelam suis peccatis imperraret, egressa à sua domo introiuit domum conuiuij. Luc. 7. n. 37. Nunc vero pro salute fratris non exiuit, plus curandum est enim de salute animæ, quam corporis. Vide *Salus*, in Indice. *Domine*, honoris causa dicitur, honore namque præuenimus, quos rogamus. *Ecce* rem grandem, ac tristem denotat. *Quem amas, infirmatur.* Nomen Lazari tacetur, superfluum sanè illud erat apponere. Christus enim semper nomen amici sui Lazari præ oculis habebat. *Quem amas infirmatur.* D. Cyrill. Leontius, Theophil. per admirationem legunt, ac si diceretur, quomodo fieri potuit, vt quem tu amas, infirmaretur? Verisimilius tamen videtur verba non continere admirationem, sed tacitam expostulationem, de quo quæst. 2.

Chrysost. Euthym. Luc. 7. *Plus curandum de salute animæ, quam corporis.* Cyrill. Leont. Theophyl.

QVÆSTIO I.

Quare Lazarus in Bethania infirmatur?

5. IESVS notatur, in quo Lazarus infirmatur, qui erat Bethania, quæ erat vicus ad radices montis Oliueti, vt iam in expositione dixi: Mysticè Bethania primò; Hebraicè idem est, vt vertit Syriacus, ac domus afflictionis, in illaque Lazarus morbo, ac morte, sororésque eius affligebantur. Secundò. D. Bernardus serm. ad milites cap. 13. interpretatur Bethania idem, ac domus obedientiæ, quia nec vita contemplatiua, nec actiua, nec pœnitentia in Magdalena, Martha, ac Lazaro significatæ: *Extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tantam habuit obedientiam, vt vitam ipsam perdere maluerit factus obediens Patri vsque ad mortem* Tertiò. Pagn. ait, quod Bethania idem est, ac domus responsionis vel exauditionis Domini, nam Christus Mariam, & Martham exorantes pro fratris salute ibi exaudiuit Radix Hebraica nominis Bethaniæ significat affligi, obedire, respondere, & exaudire.

Interpretatio nominis Bethania. Syriacus. Bernard. Pagnin. Hebr.

6. Ad quæstionem. Respondet primo Albertus Magn. *Dum Dominus*, ait, *iuxta Iordanem manet absens à Lazaro, cuius absentia causa est infirmitatis.* In hac occasione præsenti, quando Lazari morbus contigit, Iesus baptizans degebat apud Iordanem, vt patet Ioan. 10. n. 40. sic dixerunt sorores: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Causa ergo ægritudinis Lazari fuit absentia Domini. Ipsa absentia extitit tantorum malorum origo; languor autem erat fortissimus, & vehementissimus mortem inferens, quia vt ait Simon Cassianus lib. 5. cap. 15. hîc denotatur languor, seu infirmitas animæ, quæ ex Domini absentia ad interitum tendit.

Alb. Magn. *Christi absentia infirmitatis origo.* Ioan. 10. Cassian.

7. Secundò. Cardinalis Hugo moraliter hunc locum exponens, cum aduertat Lazarum morbo vexatum, & adhuc sic languentem à Christo diligi, astruit in hoc languente incipientes denotari, & bene status incipientium, pristinis nuper vitiorum pulsibus, ac aliquorum derisionibus impugnatus, languens inducitur, qui ad Dominum confugit, ab ipso fratribus adiuuetur, ne succumbat, ac pereat.

Hugo.

8. Tertiò. D. Chrysost. homil. 61. *Multi*, ait, *cum aliquem bonum, & Deo acceptum, mali aliquid,*

Chrysost.

Deus dat labores, vt iusti exerceantur.

vt morbum, aut paupertatem, aut huiusmodi aliud quiddam perpeti vident, perturbantur, sane ignari hoc maximè Dei amicis contingere. In cuius rei confirmatione, quod Euangelistæ non solent ordinatiè loquendo exprimere nomen illius, cui Christus Dominus beneficium sanitatis præstitit, vt videre est in manu atida paralytico in piscina, cæco à natiuitate, filio viduæ, decem leprosis, ac aliis passim, & tamen hic in præsenti non solum Lazari exprimitur, sed etiam nomen sororum Mariæ, & Marthæ. Quos omnes Dominus maximè diligebat, apudque illos frequenter hospitabatur & tamen in eis tanta tribulatio, ac molestia permittitur, vt Lazarus morbo, ac morte afficiatur, quo maximè eius sorores affligantur: vt scias labores, infirmitates, ac oppressiones à Deo iustis permitti, vt ipsi magis exerceantur in omni bono, & à labe, ac coinquinamento peccati maximè purificentur.

9. Genes. 3.

Ait Deus Adamo: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Et Euæ: *Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios.* Genes. 3 n. 16. Has pœnas Deus imposuit homini propter peccatum Quare ergo post remissionem peccatorum hic labor, & afflictio permanet? Respondet D. Augustinus lib. 2. contra Pelag. c. 33. *Reffondemus*, ait, *ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem certamina exercitationesque iustorum.* In cuius rei confirmationem, ait D. Bernard. serm. 8. *Magna nempe, & mirabilis, & omni acceptione digna est misericordia Dei, qua per malos quandoque contra iustos duras, & graues infamias suscitare permittis, vt per aquam infami vinum nimis glorioſi nominis temperetur, ne iusti mens inquinat mundialem ebrietatem, vnde detestare habeat à vero lumine veritatis.*

August.

Bernard.

10. Isai. 48. Hebr.

Ait Deus ad populum suum: *Ecce coxite, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.* Ex Hæbræo legitur: *Ecce fudi te, & non in argentum, elegi te in camino humilitatis*, Isai. 48 n. 10. Alluditur ad opus artificis argentarij, quod igne perficitur; cum enim statua quædam ænea, vel argentea rudis, ac deformis est, ab artifice immittitur in fornacem, vt potestate ignis negotiante liquefiat, vt exinde effigies pulchriot, ac elegantior efformetur. Sic ait Deus ad suum populum dilectum: *Ecce fudi te, elegi te in camino.* Nam cum populus in prosperitate haberet imaginem deformem peccati, in fornacem captiuitatis illum proiecit Deus, vt tribulationibus cor suum liquesceret, vt in nouam, ac venustiorem formam ex fusorio renasceretur, quapropter in camino paupertatis, ac humilitatis ex captiuitate eligitur, ac probatur populus fidelis. Et sicut conflatorium est quædam vulua nouæ, & elegantis statuæ, sic captiuitas, ac ignis miseriarum est venter normæ virtutis. Oleaster: *Profudi, potes legere, purgaui te, & purgare magis quadrare videtur. Est autem sensus Ecce tribulationibus purgaui te, sed non sicut argentum, quod magno eget igne, vt purificetur; & in camino humilitatis, id est, in tribulatione deducente ad maximam humilitatem, & dejectionem, elegi te, ac si dicat: postquam te ab omni scoria purgaui, & ad maximam deduxi munditiam, & pulchritudinem.*

In fornace laborum purificatur anima.

Oleaster.

11. Dan. 10.

Cùm populus esset detentus in captiuitate Babylonica pro eius libertate rogabat Daniel. Cui ait Gabriel: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui: exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus*, Dan. 10. num. 12. Valde mirum, quod verba Prophetæ dicantur exaudita, pro libertate nempe totius populi, & tamen princeps regni Persarum, id est, angelus custos Persici Imperij restitit, quod non facilem facit quæstionem, quonam iure hæc lis suborta sit? Quomodo Angelus in contraria studia tenderet, nec credendum est Angelicam virtutem pro re indecente, ac vetita pugnasse. Si Gabrielis instantia consentanea erat, quomodo oppositum accurabat Persarum Angelus? Et si hic rectè supplicabat, quo fundamento dissentiebat Gabriel? Huiusmodi concertatio non erat armis, sed rationibus. Nam Gabriel conabatur captiuitatem populi Israëlitici finiendam, ob diuturnam calamitatem, Prophetæ orationem exauditam, eiusque libertatem sub Cyro Rege ex ore Dei prædictam ad Isai. 44. num. 28. & 45. n. 1. At Angelus Persarum nitebatur captiuitatem prouehendam esse, nam ex Hebræorum colloquiis quamplurimi Ethnici conuertebantur. Deinde captiuitas maxime erat vtilis populo fideli; nam illius laboribus, ac molestiis rubigines peccatorum decoxerat, in virtutibusque non solum conseruabatur, sed etiam multum crescebat; at soluta captiuitate natiuo solio deliciis indulgens frequenter in grauissima crimina prolabitur. Quamuis ergo calamitas diuturna, oratio Prophetæ exaudita Dei verbum datum in Isaia; Deus tamen, qui omnia, simplicissimo intuitu peruadit, ac quid agendum sit optimè percallet; vt tamen pro nostra eruditione ostenderet quantam vim haberent argumenta Angeli Persarum, quantumque captiuitas, ac labor ad virtutem proficit, per tot dierum spatium causam dirimere dissimulauit. Et vt humano modo loquar habuit se quodammodo instar Iudicis, qui in difficillima causa, vbi iura pari li lancea videntur stare, in dicenda sententia multum immoratur, vt ex tali mora deprehendatur, quantam vtilitatem nobis labores pariunt. Perbelle rem expendit D. Chrysost. apud Phorium: *Dubitauerit aliquis*, ait, *si Gabriel à Deo missus est, vt populum Israel è captiuitate educeret, quomodo ei Persarum princeps restiterit? Ea quæstio sic solui potest. Restitit ergo non pugnando, sed iusta dicendo. Qua reditus, inquit, festinatio? Propriam habitare patriam Israel, rebus secundis sæpius ad idololatriam conuersus est. Nunc autem pie viuit regionem alienam inhabitans.*

Isti 44.

In labore virtutum proficit, ex perseuerantia illum discretum probatur.

Chrysost.

Qvæstio II.

Quare tam breui oratione, Ecce quem amas, infirmatur, *Lazari salus deprecatur à sororibus?*

12.

CVm graui, ac lethifero morbo Lazarus teneretur; sorores ad Christum Omnipotentem Dominum, ac Medicum confugiunt, & quamuis certa fide crederent, ei vtpote vero Deo omnia esse aperta, ac manifesta, tamen exorantes mittunt ad eum; sciebant enim, quod ipse nostris precibus, ac orationibus vult exorari, ac rogari, vt sua dona concedat. Earum expostulatio: *Ecce quem amas, infirmatur*, in præsenti est expendenda; oratio sanè breuis, plena fide, spe, charitate, prudentia, ac molestia.

Oratio

11. *Multiplex allegatio denegare facit aliquando.*

Oratio breuis. Dicitur tantum: *Ecce quem amas, infirmatur.* Sorores Lazari cum Christo Deo quasi cum puro homine agebant, vt in confesto est apud interpretes. Cur ergo non aliquas allegant rationes, quæ Christum ad languenti sanitatem præstandam permouerent? Cur non dicunt: Ecce lazarus tibi charus, & amicus, qui te, sæpe hospitio recepit, ægrotat? nihil horum dicunt: Sciebant enim, quod aliquando supplicationis prolixitas voluntatem largitoris hebetat, illiusque beneficium ingenuum deuenustat. Felix Ticinus lib. 1. epistol. 22. ad Opilonem: *Ad morem tamen*, ait *scriptionis Epistola me reduco, ne addat prolixitas ingesta fastidium, & denegari paginæ*, (id est, quidquid paginis postulatur) *faciat magis allegatio, quæ poposcit.* Qui cum prolixitate rogat, de liberalitate dubitat, & ideo diuturnis precibus negotiari intendit; qui autem breuiter rogat confidit in magnificentia dantis. Ait Christus discipulis suis: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici*, Matth. 6. num. 7. Vide tom. 2. & vide in hoc tomo supra cap. 4. num. 22. 23. 24. & 25.

Felix. Ticin.

Matth. 6.

14. Cyrill. Leontius. Theophyl. Rupert. Bonauent. Ioan. 4.

Secundò. Plena fuit oratio fide; nam, vt notarunt D. Cyrillus in catena, Leontius, Theophyl. Rupert. D. Bonauent. Credunt enim Christum absentem posse ægrotum sanare, ac mortem eius impedire, ideo non rogant, vt veniat, ac festinet. Vt Regulus dicebat: *Domine descende, priusquam moriatur filius meus*, Ioan. 4. num. 49. Tertiò fuit & plena spe. Quia ideo ad eum mittunt, quia ab eo sperant salutem, in eoque maximè confidunt. Quartò, plena charitate: nam cum hæ sanctæ duæ sorores intimo corde Christum diligerent, inde rapiebantur, vt in verbis nihil proferrent, ac dicerent, nisi ipsius Domini amorem.

15. *Postulant, & modum non assignant.*

Quintò. Prudentia. *Quem amas, infirmatur.* Solum in sua oratione necessitatem exponunt, ac si ipsa oratio à necessitate haberet suffragium; nec dicunt Domine sana, impera febri, benedictionem impende, sed tantum necessitatem repræsentant, fecit Beatiss. Virgo in nuptiis, dicens Filio: *Vinum non habent*, Ioan. 2. n. 3. Modum vero subueniendi Diuinæ Prouidentiæ committunt. Carthus. *Ista & nos facere par est*, ait, *cum à superioribus aliquid postulamus, videlicet vt modum exaudiendi committamus benitati, atque discretioni eorum.* E contra vero sunt aliqui adeo arrogantes, vt non solum velint, vt eis beneficia impendantur, sed etiam modum, ac formam volunt præscribere. Vide supra cap. 3. n. 52.

Ioan 2. Carthus.

16. *Recordantur non obsequij exhibiti, sed beneficij accepti.*

Sextò. Modestia petitionis. Non dicunt, Ecce qui te amat, infirmatur, sed quem tu amas, cum potius videbatur dicendum, qui te amat, vt ex amore Lazari erga Dominum ipse induceretur ad beneficium præstandum; dicunt tamen, quem tu amas; tum vt ex ipso beneficio amoris concesso Dominus moueatur ad aliud sanitatis beneficium exhibendum; tum etiam, quod Lazarus Christum amaret, obsequium erat ex affectu Lazari erga Christum; at vero, quod ipse Dominus Lazarum diligeret, eximium erat beneficium, ideo non dicunt. Qui te amat, sed quem tu amas recordabantur sanctæ fœminæ non obsequij exhibiti, sed doni accepti. Vide supra cap. 5. q. 12. n. 103. 104. & 105.

17. Augustin.

Quæ omnia complexus est D. Augustin. tract. 49. in Ioan. *Non dixerunt*, ait, *veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausa sunt dicere, veni, & sana: non ausa sunt dicere, ibi iube & hic fiet: cur enim non & iste, si fidas illum Centurionis inde laudatur? Ait enim, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum iste, sed tantummodo; Domine, ecce quem amas, infirmatur: sufficis vt noueris, non enim amas, & deseris.* Idem fere Beda, D. Bonauent. & alij. *Non dixerunt, veni*, multum confisæ de Domini amore: *Amanti enim tantummodo nuntiandum fuit.* Amans non indiget precibus, sed satis est, vt cognoscat dilecti necessitatem, ac voluntatem; nam voluntas dilecti erga diligentem vim mandati obtinet. Mortuo Iacob cùm eum sepelire vellet Ioseph in terra Chanaan, ait familiæ Pharaonis: *Pater meus adiurauit me dicens: En morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me*, Gen. 50. n. 5. Nunquam legitur, quod Iacob foderit sepulchrum, nunquamque quod hæc verba dixisset Ioseph. Quomodo ergo ab illo affirmantur? Sententia est Vatabl. Pereiræ, Cornelij, & aliorum, quod Iacob in illa magna spelunca Abrahæ sibi foderit, ac præparauerit peculiare sepulchrum. Cum ergo Ioseph intime diligeret suum parentem Iacob, quamuis de hoc non haberet particulare præceptum. Ipsa tamen voluntas dilecti parentis insinuata, ac agnita vim mandati, ac iuramenti obtinet. D. Augustin. in quæstionib. super Gen. q. 170 expendens præcitata verba Ioseph: *Queri potest*, ait, *quomodo verum sit, cum hæc verba patris eius quando de sua sepultura mandauit, non legantur. Sed ad sententiam verba referre debemus: voluntati enim enuntianda, & in notitiam perferenda oportet verba seruire.*

Beda. Bonauent. Genes. 50. Vatabl. Pereir. Cornel. *Voluntas dilecti insinuata vim mandati habet.* August.

Sufficit vt noueris. Non enim fieri potest, vt amans videat suum dilectum in necessitatibus, quin subueniat; præcipuè cum ipsa pietas esset innata, ac congenita Christo. Hildebert. tract. 16. *Dixerunt quem amas, infirmatur. Sufficit vt noueris, cui innata est, non suggesta voluntas largiendi.* Ideoque mittunt ad Christum annuntiantes fratris langorem: *sufficit vt noueris.* Vt amorem, ac beneuolentiam, quam affectu interno erga Lazarum tenebat, operibus ostenderet, ac declararet, exhibitio operis argumentum est amoris.

18. Hildebert. *Exhibitio operis argumentum amoris.*

Ait Regius Vates: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum*, Psal. 28. n. 1. Maximè exhortatur, vt filij arietum Deo offerantur. Nonne ipsius sunt omnes feræ syluarum, omnes bestiæ, & pecora campi? Ad quid Deo arietum greges, vel taurorum armenta? Deinde non absolutè omnes conuocantur, vt Domino afferant, sed tantum filij Dei. *Afferte Domino Filij Dei.* Ad quid hæc? Vt nempe illi, qui amore, ac affectu interno vt filij sunt Deo vniti, ipsum amorem, ac affectum internum erga ipsum operibus, ac donis oblatis declarent, & manifestent. *Filios arietum*, ait, meliores nempe ex grege intelligens, vt ex ipsa excellentia oblationis, excellentia interni amoris demonstretur. D. Chrysolog. serm. 10. ad Prædict. Psal. *Videtis*, ait, *quia cœlestis Pater sentit amorem donis, datis effectum, probat muneribus charitatem. Et reuera, fratres, filium se nescit, qui authorem vitæ suæ non obsequiis placat, non deuincit cultu, muneribus non honorat.* Charitas probatur muneribus, & filium se nescit, qui parentem muneribus non honorat.

19. Psalm. 28. *Charitas probatur muneribus.* Chrysost.

Benedicens senex Isaac filio suo Iacob, ait: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, Gen. 27. n. 28. Postea vero superueniens Esaü cum multa lacrymarum

20. Gen. 27.

copia

copia benedictionem impetrasset,eam his verbis concessit Isaac, *In pinguedine terræ; & in ore cœli desuper enim benedictio tua*,ibid.num.39. In vtraque benedictione Cœli begnitas,ac pinguedo terræ promittitur, cum hac tamen differentia. Iacob dicitur,quod accipiet à Deo: *Det tibi Deus de rore Cœli*. Non sic vero dicitur Esaü. Sed nomen Dei tacetur;ait enim *In pinguedine terræ*,&c. Cur etiam in benedictione Esaü nomen Dei non apponitur. Ipse valde dives futurus erat, ac proinde ex Dei dono, qui solem suum facit oriri super bonos, & malos; quam ob causam nomen Dei tacetur in Esaü? Omnia, quæ Esaü habuit, à nullo alio, nisi à Deo emanarunt; Deus autem per Prophetam Esaü à se odio habitum declarauerat: *Nonne frater erat Esaü Iacob? Esaü autem odio habui*, Malachias 1.num.2. Amor beneficiis ostenditur,ne ergo Esaü ex muneribus reputaretur dilectus,& ne Deus videretur sibi contrarius, cum eum à se dilectum donis declararet, quem verbis Prophetæ odio habitum pronunciaturus erat,ideo Deus profunda, ac alta sapientia sic dirigit calamum sui canonici scriptoris, vt in Esaü nomen eius subtrahatur,& apertè non scribatur. *Det tibi Deus de rore Cœli*.Ne de Prophetalis vaticinij veritate, quis vnquam audeat dubitare.

Malach. 1.

Cui conferuntur dona dilectis reputatur.

Ioan.11.n.4. Audiens autem Iesus dixit eis: infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.

Num.5. Diligebat autem Iesus Martham,& sororem eius Mariam, & Lazarum.

Num.6. Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

Num 7. Et deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.

VERSIONES.

Syriac.n.4. Iste morbus læthalis non est sed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei propter eum.

Arabicus. Cum audisset autem Iesus dixit eis:infirmitas hæc non est mortis.

D.Hilar.lib.9. Infirmitas hæc non est vsque ad mortem, sed pro gloria Dei, vt honorificetur Filius Dei.

D.Ambros. lib.4. de Fide, cap.6. Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro claritate Dei, vt clarificetur filius eius per eam.

Arabic.n.6. Cum audisset, quia infirmus esset, tunc quidem mansit in loco, in quo erat.

Vatablus. Vt audiuit eum ægrotare, eum quidem temporis mansit in eodem loco duobus diebus.

Pagnin n.7. Post hoc dixit discipulis suis.

EXPOSITIO II.

VDIENS *autem Iesus*. Verba nuntiorum relata ex parte Matthæ, & Mariæ, *dixit eis*, hoc nempe eis remittit nuntium, seu responsum, vt notarunt D. Chrysost Euthym. Theophyl. *Infirmitas hæc non est ad mortem*. Duo eis dixit ad magnam consolationem, vt notat Albertus Magn. Primum quod infirmus liberandus esset ab infirmitate,secundum, quod ex tali liberatione magna gloria Filij Dei manifestabitur. Deinde cum ait: *Infirmitas non est ad mortem*: significat nihil sibi ignotum esse nuntiatum,siquidem optimè esse agnoscebat morbum, eiusque conditionem. *Non est ad mortem*. Teste Ruperto, sic aliqui explicant. Mors Lazari, non est mihi mors,sed somnus, moxque illum excitabo tanquam è somno; communis tamen interpretatio est D. Augustini, D. Chrysost. Euthym.Albert. Magn.S.Thom.D. Bonauent. *Non est ad mortem*: Non enim morietur Lazarus ex hac infirmitate, sicut solent alij homines ægritudinibus moti, vt cito tamen reuocatus esset ad vitam. 21. Chrysost. Euthym. Theophyl. Alb. Magn. Rupert. Augustin. Chrysost. Euthym. Alb.Magn. D.Thom. Bonauent.

Sed pro gloria Dei, ad amplificandam, & publicandam Dei gloriam; omnia sua ad Dei gloriam referebat,& quamuis, vt inquiunt D. Thomas, & D. Bonauent. ad hoc non ordinabatur morbus ex intentione causæ naturalis, ordinabatur tamen ex intentione Diuinæ Prouidentiæ, quæ sæpe effectus causarum inferiorum ad superiores refert fines, prout ei placet; *vt glorificetur Filius Dei*, seu vt legit D.Hilar.*vt honorificetur*, celebretur, ac credatur Filius Dei æqualis Patri, *per eam*:scilicet infirmitatem, ac illius sanitatem, & hic est genuinus sensus, nam multi videntes Lazarum suscitatum crediderunt Christum esse verum Messiam, ac filium Dei, vt n.45. dicitur: *Multi ergo ex Iudæis,quid viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum*. Ex quo præclarè D. Augustin. *Talis glorificatio non ipsum auxit, sed nobis profuit*. Nostrumque prouentum,suam glorificationem dicit. Aliter Andreas Cretens. relatus in Catena,pro gloria Dei intelligit crucem,& mortem Christi, quam inuidi Iudæi ob suscitatum Lazarum sunt machinati, & hæc maximè Christum glorificauit: tamen prima sententia magis cohæret literæ;secunda valde apta ad mores,nam principis gloria, ac glorificatio subditorum subleuata miseria. Vide multa in Indice verbo *Prælatus*. 22. D.Thom. Bonauent. Hilar. August. *Christum nostram utilitatem suam dicit glorificationem:* Andr.Cret.

Diligebat Iesus Martham. Licet Dominus omnes familias diligeret, insigniter tamen dicitur, quod hanc diligebat,ob egregias virtutes harum sororum,& Lazari, & maximè, quia hospitales erant, ac inter se valde concordes, ac vni. Indagandum tamen; cur de hoc amore Euangelista hic facit expressam mentionem? Vt tanto testimonio de amore Christi illa familia nobilitaretur,& vt Euangelista confirmaret sororum verba: *Ecce quem amas,infirmatur*, Deinde vt docent Caietan. Toletus, Maldonat. vt fieret manifestum, quod 25. Caietan. Tolet. Maldon.

quod si Christus retardauit duobus diebus ire ad sanandum Lazarum, non fuisse ex defectu amoris, sed ex mysterio, vt maius, ac illustrius miraculum fieret: *Et sororem eius Mariam.* Martha hic prius ponitur, quam Maria: *Quia*, ait Salmeiron tom.6.tract.43.*Christus hic potius agebat vitam actiuam, quam contemplatiuam.* Dico tamen, Mariam n.1. præponitur Marthæ: *Quidam languens de Castello Maria, & Martha.* Hic Maria secundo scribitur loco, nec enim semper vnus debet occupare primam sedem, sed etiam aliquando aliis est deferenda, aliisque communicanda; vicissimque primus locus distribuatur modò per Mariam, modò per Martham.

Salmeiron. *Semper vnus non debet primam sedem.*

24. *Vt ergo audiuit.* Et nuntio misso à sororibus Lazari. *Tunc* remisso nuntio, cum responsione data, quod infirmitas non esset ad mortem. *Tunc quidem* postquam sororum dimisit nuntios, *mansit in eodem loco*, addit Arabicus, in quo erat, trans Iordanem scilicet, id est, in Bethabara, tum vt hominum multitudini ad se confluenti satisfaceret, demonstrans se verum esse Messiam, quod illustri miraculo voluit confirmare, suscitato Lazaro non in domo, sed in sepulchro. *Duobus diebus*, post acceptum nuntium; nam Lazarus mortuus est, eo die, quo nuntij venerunt, postea mansit Iesus biduum, deinde altero die, qui quartus erat à morte Lazari, accessit, eúmque suscitauit.

Arabicus.

25. *Deinde posthac*, scilicet spatium duorum dierum, *dixit Iesus discipulis suis.* Ipse plus vult concedere, quam precibus expostulabatur, dum personaliter vult concedere, sorores visitare, ac præsentia sua recreare. *Eamus in Iudæam.* In regionem Tribuum Iuda, & Benjamin. Strictè hic sumitur Iudæa, nam ab ea discessit Christus in festo Encæniorum, in quo Iudæi Christum voluerunt lapidare: agebatur illud festum die 25. Mensis Casleu, qui nostro Nouembri respondet; tunc abiit trans Iordanem Ioan.10. num.40. in regionem tribus Ioseph, ditionis Herodis, & permansit ibi ad hoc vsque tempus, initium nempe Martij. Aduertendum tamen est; quod non alibi monuit Dominus discipulos suos de profectione in aliquod oppidum, vel Prouinciam, vt modo facit in præsentij; erat enim eis Iudæa regio dura, ac periculorum plena; ideo de itinere voluit præmonere discipulos, ne si subito se viderent in periculo constitutos, animo caderent, ac nimis affligerentur, ideo hæc dixit, vt præuiso periculo minus perturbarentur. D.Chrysost.hom.61. *Quid tandem*, ait, *præter solitum hoc prædixit Iesus? Valdè timebant, ideo prius admonet, ne repentino discessu perturbarentur.* Idem docent Euthym. Theoph. D.Basil.Seleucus orat.40. *Eamus in Ierusalem*, vt bonus amicus ob salutem amici propria pericula contemnit, & vt bonus Superior sua commoda subditorum vtilitati postponit.

Christus plus dat, quam ab eo petimus.

Ioan.10.

Pericula præsisa tolerabiliora.

Chrysost. *Pro amici periculo contemnenda.* Euthym. Theoph. Basil. Sel.

Quæstio III.

Quare Christus Dominus per nuntium remittit sororibus, quod infirmitas non sit ad mortem, cum mortuo Lazaro maximè turbari possent?

26. Et nuntium misit Dominus responsum sororibus, quod infirmitas fratris sui non esset lethalis, atque ad mortem, cum autem nuntius abierit, ac domum Marthæ, & Mariæ intrauerit, inuenit tunc Lazarum mortuum recenter, ipso nempe die, ac sorores eum lugentes, vt communiter norant Lucas Burgens. vers.6. & alij interpretes, ex quo sanè Christi verbo audito valdè consequens erat, vt sanctæ illæ duæ sorores multum turbarentur, quod infirmitas illius non esset ad mortem, quem mortuum, & sepultum videbant; imò ex Iudæis multi, qui aderant, fortè irriserunt, quod prævidens Christus contempsit: nec enim ob irrisionem, ac calumniam iniquorum, omittenda sunt ea, quæ expediunt; & facto miraculo à Christo, eorum irrisio magna confusione oppressa est. Ad quæstionem.

Luc Burg.

Irrisio iniquorum contemnenda.

Respondet primò D Chrysostom.homil.61. *In quo*, ait, *id admiratione dignum est, quod audientes sorores infirmitatem illam non esse ad mortem, inde mortuum videntes non sunt scandalizatæ, cum contra accidisset, quàm dixerat: sed ei obuiam factæ, neque mentitum putarunt.* Fortè namque Maria & Martha apud se dicebant: Magister nuntiauit morbum hunc non esse ad mortem; at fuit ad mortem, mortuus est enim frater, profectò verba eius indicant, morbum non esse ad mortem sempiternam, fratrémque nostrum saluum esse, ac proinde quamuis morte temporaria obierit, æternam vitam est assecutus, quod nobis magnam debet afferre consolationem.

27. Chrysost.

Quomodo sorores verba Christi intelligebant.

Secundò. D.Basilius Seleuc. orat.40. *Quare sorores illas*, ait, *admirari subintelligitur, licet, quod vbi inaudissent ægrotationem non esse lethalem, ipsumque vidissent emortuum, contrario rei euentu non sunt offensæ, & sine mendacij suspicione ad Dominum adierint.* Audiunt morbum non esse lethalem, & tamen mortuum vident, ac vt mortuum lugent, & tamen velut contrario rei euentu, nec offensæ sunt, nec leuem *mendacij suspicionem* concipiunt; tam præexcelsam existimationem, ac mentem de infallibili Christi veritate imbiberunt, vt potius sibi persuaserint se Christi verba non capere, nec eius significatum intelligere, quam quod eis in mentem venerit sub verbis Christi aliquod latere potuisse mendacium: veracis enim viri tanta est reputatio, vt etiam manifesto rei euentu nunquam in verbis eius existimetur mendacium.

28. Basil. Sel.

In viro veraci contrarius euentus non persuadet mendacium.

Tertiò. Ex ore Christi audiunt morbum non esse mortiferum, & cum videant mortuum: *Contrario rei euentu non sunt offensæ, sed sine mendacij suspicione ad Dominum adierint.* Sic enim hæ sorores erant firmatæ, ac corroboratæ in fide, vt nullus contrarius, ac tristissimus euentus earum fidem quatefecerit. Mortuum vident, & tamen in Christi verbis, *infirmitas hæc non est ad mortem*, mendacium non suspicantur, sed firmiter illis adhærent, credúntque verissima esse, licet modum, quo adimplenda sint, penitus ignorent, inde ipso contrario rei euentu maximè corroboratæ, cùm audiunt Dominum adesse ei, vt vero Dei occurrunt, eíque ait Martha: *Scio quæcumque popposceris à Deo, dabit tibi Deus*, infra num.22. & iterum: *Credo, quia tu es Christus Filius Dei viui*, num.27. Quod alibi dixisse non legimus; si autem dixit: *iam fœtet quatriduanus*: hoc fuit ex impulsu Spiritus sancti, vt illustrius fieret miraculum, vt infra dicam.

29. *Magna fides contrario cultu corroboratur.*

Maximè extollit D.Paulus fidem Abrahæ, quia Diuinæ promissioni credidit se filium habiturum, cùm ipse & Sara essent senes, & steriles:

30.

Rom.4. Sic ſcribit ad Rom.4. num.18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum Gentium. Et non infirmatus eſt in fide, nec conſideranit corpus ſuum emortuum, cum ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Sare, in repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confirmatus eſt fide.* Legit

Chryſoſt. *Obſiſtentia rerum corroborat fidei.* D. Chryſoſtomus: *Roboratus eſt fide.* Cum tota ipſa vi naturæ, quæ obſiſtebat, ac repugnabat promiſſioni, vt Abrahamus haberet filium, illius fides non eſſet immutata, nec deficeret, ſed ipſa contrarietate legum naturæ, *cum corpus eſſet emortuum ferè centum annorum roboratus eſt in fide.* Oecumenius: *Multa quidem*, ait, *imbecilla erant, & qua fidem illius imbecillem efficerent, verum ad nihil horum infirmatus eſt generoſus animus: ſed roboratus eſt fide.* Obſiſtentia, ac repugnantia generoſus animus roboratur, ac firmatur.

Oecumen.

51. Tres illi Sidrach, Miſach, & Abdenago victi retahuntur, eo quod ſtatuam auream Nabuchodonoſoris noluerint adorare, quibus ait Rex, & quis eſt Deus, qui eripiat vos de manu mea? tunc valdè animosè reſpondent tres illi iuuenes: *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare, quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus*, Daniel.3. num.17. Magna fide coram rege fatentur ſupremam Dei poteſtatem, qua eos ab omni periculo, ac morte imminenti poteſt liberare, quæ confeſſio magnæ fidei eſt, vt teſtatur D. Cyprian. Epiſt.56. ad Thibaritanos: *Hoc eſt*, ait, *robur virtutis, & fidei credere, & ſcire, quod Deus à morte præſente liberare poſſit, & tamen mortem non timere, nec cedere, vt probari fortius fides poſſit.* At verò inquiunt, ſi Deus noluerit nos liberare, ſed ex alta prouidentia permiſerit, vt in camino ignis pereamus; hoc caſu relinquemuſne Dei legem, ac idola adorabimus? Minimè. Sed tunc ipſo contrario euentu fortiores, ac robuſtiores probati in fide aperto, & alto ore teſtificantur: *Notum ſit tibi, ô Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.* Magna fides non dependet ex euentu, ſed contrarietate firmatur: *Vt probari fortius fides poſſit.*

Daniel.3.

Cyprian. *In contrario euentu fortius probatur fides.*

53. Matth.8. Nauigabant diſcipuli cum ſuo Magiſtro Ieſu: *Ecce motus factus eſt magnus in mari, ita vt naicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et acceſſerunt ad eum, & excitauerunt eum diſcipuli dicentes: Domine ſalua nos, perimus. Et dicit eis: quid timidi eſtis modicæ fidei?* Matth.8. n.24. Modicam diſcipulorum fidem arguit Dominus, eo quod timuerint ſæuientem maris tempeſtatem, ventorum confuſionem, ac aquarum tumultum: ſed cur eorum fidem, vt modicam damnat Dominus, cum timuerint in tam manifeſto periculo, ita vt naicula penè ſubmergeretur, ac operiretur fluctibus? Meritò ſanè. Nam timore correpti, clamauerunt: *Domine ſalua nos perimus*; & eam fidei magnitudinem Dominus in ſuis requirebat, quæ contrario euentu non perturbatur, ac commouetur, ſed potius magis corroboratur; ipsáque rerum aduerſitate, ac commotione non timeat, ſed potius magis firmetur: Robuſta enim fides nil timet, ſecuram ſpem habet. Et quid firma fides timeret, cum ſecum omnium Dominum haberet? D. Baſil. Seleucus orat.22. *O dignas Domino voces*, ait, *vult fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari.*

Robuſta fides in nulla aduerſitate timet.

Baſil. Sel.

Quæstio IV.

Quare cum Ieſus diligeret ſorores, & Lazarum, audita tamen eius morte moratur duobus diebus?

54. *Ratio difficultatis.* Ait Euangeliſta: *Diligebat Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum, vt audiuit ergo, quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem duobus diebus.* Expendenda eſt ſtructura, ac conſequentia verborum ſi diligebat, audita Lazari infirmitate, quomodo moras trahit? verus amor non languet, cum dilectus languet, ſed maximè intendit rumpere omnes difficultates, vt dilecto celeriter ſubueniat; quid eſt ergo, quod languente amico, Chriſtus diligens moras nectit?

55. Auguſt. Chryſoſt. Reſpondent primò. D. Auguſt. tract.49. *Diſtulit ſanare, vt poſſet reſuſcitare.* D. Chryſ. hom.61. *Quæ gratia*, ait, *manſit in eodem loco duos dies? vt expiraret, & ſepeliretur, ne quis poſſet dicere, quod nondum mortuum ſuſcitaris: ideo tandiu moratus eſt, vt diceremus, iam fœtet.* Diſponebat Chriſtus Dominus facere illuſtriſſimum miraculum, noluit ergo ægrum ſanare, aut mortuum domi iacentem ſuſcitare; ſed mortuum quatriduanum fœtentem, ac ſepulturæ mandatum voluit in vitam reuocare; accepto ergo nuntio infirmitatis, manet trans Iordanem duobus diebus, vt interim dum ibi eſt, dúmque iter facit in Iudæam, Lazarus è vita diſcedat, extra domum efferatur, & ſepulturæ mandetur, vt omnes Iudæi ex ore Marthæ audiant: *Domine iam fœtet, quatriduanus.* Vt ex tanto miraculo magna proueniat Dei gloria, ipſiſque Iudæis magnus ſtupor, & admiratio, vt impia eorum ora claudantur; nihilque habeant, quod detrahere, vel deprimere poſſint in opere. Vide cap.5. n.55.56. & cap.18.n.154.

Moratur pro maiori Dei gloria, & vt magis admirentur miracl.

56. Chryſol. Secundò. D. Chryſol. ſerm.63. *Chriſtus*, ait, *cui plus eſt mortem vincere, quam remouere langorem, cuius amare illud eſt, non vt dilectum alleuet, ſed ab inferis, vt reducat, dilecto non langoris medicinam, ſed reſurrectionis gloriam mox parauit.* Differt Dominus, morti præbet aditum, vt moriatur infirmus, intimo amico noluit paruum ſanitatis donum concedere, ſed maluit parumper expectare, vt magnum reſurrectionis munus elargiatur illi. Non enim contenta eſt Diuina bonitas, ſi amicum è languoris moleſtiis abſoluat, niſi eum etiam è mortis viſceribus, & glorioſiorem ſui in illum amoris titulum inſcribat. Vide ſupra cap.21. n.2. & c.27. n.97. & cap.30.n.69. & 70.

Diuina benignitas non parum, ſed multum cupit elargiri.

57. Chryſol. Tertiò. D. Chryſologus proximè citato loco: *Videtis*, ait, *quemadmodum dat locum morti, licentiam dat ſepulchro, corruptioni poſſe permittit: negat nil putredini, nil fœtori: atque vt tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit: atque agit, vt humana ſpes tota pereat, & tota vis mundana deſperationis accedat: quatenus quod futurus eſt, diuinum ſit, non humanum.* Cur per duos dies cunctatur Dominus, & non ſtatim occurrit, vt languori ſuccurrat; expectat tamen, vt amicus moriatur, corpus terræ mandetur, atque quatriduano fœtore, ac putredine repleatur? Diſtulit Dominus ſanare, vt doceret ſperare; cum omnino in humanis ſpes perit, tunc elucet diuina pietas, vt inde hominum fiducia ſtimuletur ad Deum, quod cum deplorata eſt res humana, tunc opportunum adeſt

Cum nulla eſt ſpes humana, tunc adeſt Dei auxilium.

Dei

Dei auxilium: *Atque agit, vt humana ſpes tota pereat, & tota vis mundana deſperationis accedat: quatenus quod facturus eſt, diuinum ſit, non humanum.* Quando iam ſororibus omnino erat ſpes humana intercluſa, & res videbatur irremediabilis, tunc adeſt Chriſti manus à mortuis excitans, & viuum reddens, vt totum videatur diuinum opus.

37. Multus eſt Regius Vates in referendis laboribus, calamitatibus, ac ærumnis, quas filij Iſraël in deſerto pertulerunt. Pſalm. 106. *Errauerunt in ſolitudine, in inaqueſo*, num 4. Degebant errantes in deſerto via inſolita, & non trita, aſpera, & incompoſita. *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Seu vt alij legunt, ciuitatem habitabilem non inuenientes, in qua requieſcerent. *Eſurientes, & ſitientes; anima eorum in ipſis defecit*, num. 5. præ fame, ac ſiti anima eorum deficiebat. *Sedentes in tenebris, & umbra mortis*, num. 10. Hoc eſt, vt explicant N. Incognitus, Lorin. & alij, verſantes in manifeſto periculo imminentis mortis. *Vinctos in mendicitate, & ferro.* Alluſio fit ad carcerem; ſic vndique erant malis circumdati tanquam vincti, ac ligati, vt explicat Genebrardus, manicis, ac compedibus ferreis. *Infirmati ſunt, nec fuit, qui adiuuaret*, num. 12. Ex confœderatis ſociis, ex tot, tantiſque preſſuris, ac malis vndique irruentibus, quid conſecutum eſt? *Clamauerunt ad Dominum, & liberauit eos*, num. 13. Cum vndique omnia humana deficerent, nullâque in humanis eſſet adiutorij ſpes: *Nec fuit, qui adiuuaret.* Cùm clamaſſent ad Dominum, ſtatim adfuit diuinum auxilium; pulchrè D. Gregorius Nazianzenus tractat. 1. in Pſalm. *Separatio ab omni ſubſidio ceſſit illis in auxilium.* Quod nullum in humanis eſſet ſubſidium, ſollicitauit diuinum auxilium.

Pſalm. 106.

Incognit. Lorin.

Genebrard.

Deſitum ab auxilio humano adeſt Dei auxilium.

Nazianz.

38. Ex imperio Nabuchodonoſoris furentis tres pueri ligatis manibus, ac pedibus, coniiciuntur in medium fornacis, quæ plus ſolito ſuccenſa erat nimis, cúmque illi eſſent in medio fornacis. *Ecce Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excluſit flammam ignis*, Daniel. 3. num. 49. Diſpoſitum erat diuina prouidentia, vt miniſterio Angeli pueri liberarentur; cur ergo non occurrit Angelus quando comprehenduntur, vel quando aſtant coram rege crudeliter ſæuiente, ſeu quando ligantur, vel ad fornacem feruntur? Sed cum ſunt in camino ardenti, tunc adeſt Angelus: quando aſtant coram rege, vel ligantur, poterat eſſe aliqua ſpes humana, & quod furor regis quieſceret; at cum ſunt in medio fornacis ardentis, res vndique erat, circumſepta, & aduerſa poteſtas omnem vim ſuam exercuerat, ac euacuauerat, vt nihil haberet iam quod aduerſus illos ſufficeret, nullâque in humanis erat ſpes, vel ſubterfugium; tunc adeſt auxiliatrix Dei manus, & flammam excluſit, & ſuos pueros illæſos conſeruat; gaudet enim Deus tunc ſuam virtutem declarare, ſuiſque ſubuenire, cum res in humanis eſt deplorata, ac concluſa. D. Chryſoſtomus homil. 6. ad Populum: *Voluit Rex*, ait, *ipſorum vrbem euertere, & Dominus non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit: voluit ligare, conceſſit; in fornacem iniicere permiſit: flammam vltra modum ſuccendere, & hoc dimiſit. Et quando nihil reliquum fuerat, ſed omnem vim tyrannus exhauſerat, tunc ſuam Deus virtutem monſtrauit.*

Daniel. 3.

Cum deſtituuntur humana, ſubuenit Dei auxilium.

Chryſoſt.

39. De captiuitate Babylonica cum extrema oppreſſione loquens Ieremias ait: *Concluſit meas vias*

Thren. 3.

lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit, Threnorum 3. num. 9. Quæ verba ſic transferunt Septuaginta: *Daleth circumadificauit vias meas, obſtruxit ſemitas meas.* Id eſt, vndique meus inimicus firmiſſimo muro ex lapidibus quadratis, fortiſſimis nempe, me circumſcripſit, ac vallauit, vt nulla mihi eſſet ſpes euadendi, quo poſſem egredi, ac pedem mouere. Perpende tamen, quod iuxta Septuaginta præfigitur littera *Daleth*. Quæ interprete Beda ſignificat *oſtium*; vt denotaretur, quod in tanta concluſione aduerſariorum, ita vt nulla eſſet effugij ſpes, adhuc erat oſtium apertum ad ſperandum in Dei adiuuamine, ac ſi ex tanta recluſione contrarium magnum aperiretur oſtium ad ſperandum in Deum. Huc aduoco id, quod dixit D. Ambroſius ſerm. 19. in Pſalm. 118. *Concluditur vnuſquiſque, intercluſo ſpiritus commeatu, ſperandi, ac reſpirandi commercia coarctantur: iuſtus ſemper ſperat, & in aduerſis poſitus, & frequentibus afflictus arumnis.*

Septuag.

Beda. *Cum concluditur ſpes euadendi, oſtium diuini adiuuaminis aperitur.*

Ambroſ.

Ioan. 11. n. 8. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?

Num. 9. Reſpondit Ieſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.

Num. 10. Si autem ambulauerit in nocte, offendit; quia lux non eſt in eo.

VERSIONES.

Syriac. n. 8. Magiſter noſter, modò Iudæi quærebant te lapidibus obruere, & rurſum illuc abis?

Chryſoſtom. hom. 61. Modo illic eras, & quærebant te lapidare.

Syriac. n. 5. Dixit ei Ieſus: Nonne ſunt horæ duodecim in die? ſi quis ambulauerit interdiu, non impingit, quippe, qui videat lucem mundi huius.

Pagnin. 10. Si quis autem ambulauerit.

D. Ambroſ. Qui ambulat in tenebris, in ſcopum offenſionis incurrit.

EXPOSITIO III.

DICVNT ei diſcipuli. Memores crudelis odij Iudæorum in Ieſum. *Rabbi*, id eſt, vt transfert Syriacus, Magiſter mi. *Nunc*, id eſt, vt legit Chryſoſtomus *modò*. Cùm tamen, vt notat Euthymius, *paulò ante*, factum fuiſſet. Nam Iudæi noluerunt lapidare Chriſtum in feſto Encæniorum, Ioan. 10. num. 31. Quod feſtum re-

40. Syriacus. Chryſoſt. Euthym. Ioan. 10.

ſpondebat die 25. Nouembr. Hæc verò geſta ſunt circa initium Martij; & tamen dicunt, *nunc*, ſeu *modo*, ac ſi eo die res accidiſſet, quod dicunt per exaggerationem, vt vult Maldonatus, vt ſolent facilè homines timidi; qui ſemper præteritum diſcrimen in præſentia conſiderant; & vt hoc dicendi modo magis Magiſtrum auerterent ab itinere: vel fortè dicunt, *nunc*; quia irrogata Magiſtro iniuria ſic eis erat fixa in mente, ac ſi in præſentiarum fuiſſet illata. *Quærebant te Iudæi lapidare.* Albertus Magnus ait, quod diſcipuli hæc dixerunt, non vt ei contradicerent, ſed vt ab eo illuminarentur, ac docerentur. Tamen dicendum eſt cum Chryſoſtomo, Euthymio, Ruperto, B. Thoma, quod hæc dixerunt contradicendo, vt ipſe ab itinere deſiſteret, cùm enim Chriſtum eximiè diligerent, imminens periculum ei metuebant, vt ait Carthuſianus. Vnde cùm Dominus de ſua paſſione fuiſſet locutus, ei dixit Petrus, *abſit à te Domine*, Matth. 16. Deinde diſcipuli maximè ſibimetipſis timebant periculum, vt cum Chryſoſtomo, ac aliis notabo in limine quæſtionis ſequentis. Hæc tamen dixerunt diſcipuli, vt notant D. Cyrillus, ac vterque Theodorus, quia nondum erant multum perfecti, nondum ſatis intelligebant, non poſſe Chriſtum quidquam pati, niſi volentem.

Maldonat. Alb. Magn. Chryſoſt. Euthym. Rupert. D. Thom. Carthuſ. Matth. 16. Cyrill. Theodor.

41. *Reſpondit Ieſus: nonne duodecim ſunt horæ diei?* Satis vulgare eſt apud Iudæos, diem naturalem, quæ nocti opponitur ex duodecim horis conſtare; quo pacto Lyranus, Hugo, Carthuſianus, D. Antoninus, Caietanus, Titelmanus, & alij interpretantur, quod Dominus in præſenti vult denotare, quod ſicut diei horæ mutantur, ſic etiam in horas mutantur hominum voluntates, atque conſilia; ac proinde ſi Iudæi quærebant me lapidare, potuerunt tamen eorum voluntates mutari. Hoc tamen non cohæret cum infinita ſcientia Chriſti, qua videbat Iudæorum voluntates non eſſe mutatas, ſed obſtirmatas in odio erga eum.

Lyranus. Hugo. Carthuſ. Anton. Caietan. Titelm.

42. *Genuinus ſenſus.* Senſus genuinus eſt. Quemadmodum certum, ac definitum ac ſpatium diei naturalis, quod à nemine nec minui, nec elongari poteſt: ſi quis ambulauerit in die, non offendit. Non incurrit in ſaxa, aliáque offendicula; nam videt illa per lucem diei, ac proinde illa elucet, ne in ea impingat: *quia lucem huius diei videt.* Sic denotat Chriſtus, ſpatium temporis vitæ meæ mortalis à diuina Patris ſimul, & mea prouidentia certum, ac determinatum eſt, de quo Iudæi mei aduerſarij nec momentum quidem detrahere poſſunt, ac proinde quandiu eſt dies vitæ meæ à Patre conſtitutus, nulla offendicula, nullæque inſidiæ Iudæorum à vobis ſunt timendæ; nam lumine diuinæ ſcientiæ omnia videntur, vt caueantur, ac declinentur, & ideò ſecurè poſſum iter facere in Ieruſalem abſque eo, quod incidam in manus Iudæorum. Ita Rupertus, Toletus, Maldonatus, Lucas Burgenſ. Barradas, Cornelius, qui varias Patrum ſententias ſymbolicas referunt.

Rupert. Toletus. Maldonat. Burgenſ. Barradas. Cornel.

43. *Si quis ambulauerit in nocte, offendit.* Qui enim degit in nocte in multa offendicula, ac ſaxa incurrit, quia lux non eſt in eo, vt illa offendicula valeat euitare: denotat Chriſtus, quod cum venerit nox mortis ſuæ, ac eius vitæ occaſus à Patre determinatus, quod tunc incidet in manus inimicorum, vt morte afficiatur; cum lux vitæ ſuæ temporalis ex decreto Patris ſit finita: tanquam ſi dicat Chriſtus, & tunc vos ô diſcipuli mei, Iudei perſequentur, & occident, vtpote meos diſcipulos, ſicut & me perſecuti ſunt, & occiderunt. Ita citatus Rupertus, & alij Auctores proximè allegati. Rupert.

QVÆSTIO V.

Quare cum Chriſtus receſſiſſet à Iudæis ipſum intendentibus lapidare, modo vult iterum repetere Iudæam?

44. VM Chriſtus Dominus dixiſſet: *Eamus in Iudæam:* Reſpondent diſcipuli, quomodo Iudæi eum voluerint lapidare. *Et iterum vadis illuc*, dicunt. Sic loquuntur veluti ſolius Chriſti curam habeant, cum tamen, vt ait D. Chryſoſtomus homil. 61. *Timebant enim ei, potiſſimum autem ſibi:* frequenter ſic homines affectus ſuos abſcondunt, & palliant, & dum de aliis ſolicitos ſe exhibent, potiſſimum de ſe ipſis agunt, & tunc ſibi conſulunt, cum alienæ videantur ſaluti conſulere. Quæſtio tamen eſt, quare cum Dominus prouidè diſceſſerit è Iudæa ob implacabilia Phariſæorum odia, iterum tamen animosè vult repetere Iudæam? Chryſoſt. *Homines ſibi conſulunt, dum alijs videntur conſulere.*

45. Reſpondet primò Theophylactus. Dicebant diſcipuli, ait: *Modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* At ipſe animat illos, & dicit: ſicut qui videt lucem non offendit, ita & qui bonum facit, & *in lucis operibus ambulat, nil graue experitur.* Cum itineri Ieſus obiiciunt diſcipuli, modo Iudæi *volnerunt te lapidare.* Diluit Ieſus, & eos animat, dicendo: *Qui ambulat in luce non offendit.* Ac ſi dicat, qui ambulat in operibus lucis, diuini amoris, zeli honoris Dei, ac eius gloriæ, pro qua dixerat eſſe infirmitatem illam. *Non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei.* Non offendit, nullum offendiculum, ac periculum timet. Ac proinde Chriſtus Dominus cedens furori, ac iræ Iudæorum; fugit antea per aliquod tempus prudentiſſimè, nunc modo Lazarum reuocaturus in vitam, intrepidè aduentat oſtendens inſuperabiles vires zeli diuini, ac honoris, *qui in lucis operibus ambulat, nil graue experietur.* Non odij ſuccumbet inſidiis, ſed mortis glorioſis coronabitur triumphis. Theoph. *Qui in lucis operibus ambulat, nil graue experitur.*

46. Secundò, diſponit Ieſus ire in Iudæam contemnens proprium periculum, cum Iudæi eum velint lapidare, vt tamen ſalutem amico ſuo Lazaro impendat; vera enim amicitia pro ſtipendio habet vitam exponere pro dilecti commodo. Seneca epiſt. 9. *In quid, ait, amicum paro? vt habeam pro quo mori poſſim; vt habeam, quem in exilium ſequar, cuius morti me opponam, & impendam.* Caſſiodorus lib. de amicitia: *Quid ſit, ait, vera amicitia, nondum nouit, qui vult aliam eſſe mercedem quam ipſam. Vita enim corporis pro amico ponenda eſt, & nihil eorum negandum, quæ licent.* *Amicus pro amico exponat vitam.* Seneca. Caſſiodor.

47. Tertiò. Cùm Dominus dicit: *Eamus in Iudæam.* Obiiciunt diſcipuli: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Ac ſi dicant: Cur iterum tua præſentia Iudæorum flammas vis excitare? Reſpondet Dominus: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Denotans, quod diuerſæ ſunt occaſiones horarum, ac temporum; ac ſi dicat Dominus: Heri prudentiſſimè è manibus inimicorum meorum furentium me ſubduxi; nec enim ſine vrgente cauſa vita periculis exponenda

nenda est; modo verò ratione muneris mei impellente Iudæam repetere teneor, negotium est enim de salute meæ ouis, ac mei subditi. Et cum in hoc puncto in discrimen sit mea vita, vel subditi mei, hæc meæ propriæ anteponenda est, & ideo vsuram propriæ vitæ contemno, vt meis subditis consulam. Hanc eximiam Christi charitatem in suos imitati sunt omnes viri Apostolici. Nam vt ait D. Gregorius Nazianzenus in illud Pauli ad Philippens. num. 23. *Coarctor autem è duobus*: sic fatur: *Hic enim spiritualis omnis impetus finis est, vbique priuata vilitate neglecta commodis aliorum consulere.*

Prælatus pro subditis exponat vitam discrimini.

Nazianz.

48. 2. Cor. 12. Ait Paulus 2 Corinth. 12. num. 15. *Ego vitam libentissimè impendam, & superimpendam pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar.* Non solùm ait, quod pro suis Corinthiis vitam impendat, sed addidit: Superimpendam, id est iterum, atque iterum, & millies superimpendam. Eximia charitas Pauli pro suis subditis, non solùm volebat semel vitam, & sanguinem dare, sed etiam millies, si occasio postularet, nouos vitæ, mortisque vsus præ amoris magnitudine intentabat excogitare, vt suis proficeret, ac ancillaretur. Addit Paulus: *Licet plus vos diligens, minus diligar.* Id est licet vos multum diligam, non tamen multum diligor à vobis. D. Chrysostomus ibi: *Quod maius est*, ait, *hæc omnia ius præstabat, à quibus non magnopere diligebatur.* Si ergo Paulus paratus erat vitam impendere, & superimpendere, iterum, ac iterum, & millies dare pro illis, à quibus non magnopere diligebatur: quanto magis Christus, cuius charitas in immensum maior erat, vitam impenderet, & superimpenderet pro iis, à quibus magnopere amabatur? Et quomodo omnem Iudæorum furorem non contemneret, vt suo subdito, ac amico Lazaro subueniret? Vide cap. 19. num. 72. 73. & 74. Vide multa tom. 1. 2. ac 3. verbo *Prælatus.*

Paulus pro suis vitam impendit, & superimpendit.

Chrysost.

Ioan. 11. n. 11. Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado, vt à somno excitem eum.

Num. 12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine si dormit, saluus erit.

Num. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.

Num. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est.

Num. 15. Et gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.

VERSIONES.

Syriac. n. 11. Et postea subdit eis: Loozar amicus noster dormit: sed proficiscor eum excitaturus.

D. Ambros. Vado, vt à somno suscitem eum.

Arabic. n. 12. Si est dormiens, expergiscetur.

Syriacus. Domine noster, si dormit, bene valebit.

Arias. Si dormit, seruabitur.

Arabic. n. 13. Et tantummodo significauit verbo suo de morte eius.

Pagnin. n. 14. Tunc dixit eis liberè.

Syriacus. Tunc dixit eis Iesehua explicitè.

Syriac. n. 5. Sed gaudeo me illic non fuisse propter vos, vt credatis, sed illuc proficiscemini.

EXPOSITIO IV.

43. HÆC ait. Vt suos securos à periculo redderet. *Lazarus amicus noster.* Quem iam non viuum, sed mortuum agnoscebat, amicum appellat, vtpote cui iam defuncto obsequium pietatis debebat impendere, vt eum à mortuis excitaret, cum posset. Euthymius: *Dicit amicus noster, ostendens necessariam esse ad eum profectionem.* Et ait: *Amicus noster*, id est meus, & vester, vt iure amicitiæ discipulos ad commiserationem commoueret; & faciles ad iter redderet. Nonnus scribit: *Amicissimus noster hospes.* Memoria tenebat, & discipulis obiiciebat obsequium hospitalitatis antea præstitum, vt donis modo illud Lazaro mortuo recompensarent. *Dormit.* Qui breui à morte, sicut è somno surrecturus est; *Sed vado.* Nam quamuis absentem posset suscitare, tamen ad maiorem excellentiam miraculi, voce, ac præsentia sua sepultum, & quatriduum voluit reuocare in vitam. *Vt à somno excitem eum.* Non dixit eamus, vt à somno excitemus, sicut suprà dixerat: *eamus in Iudæam.* Sed ait, vt à somno excitem eum; nam miraculi ipse futurus erat operator, discipuli verò spectatores tanti miraculi, voluit vt ipsi essent firmi, & fideles testes.

Euthym.

Amico non negandum obsequium.

Nonnus.

50. *Dixerunt ergo discipuli.* Particula, *ergo*, illationem indicat ex verbo præcedenti, quia nempe audierant eum dormire. *Si dormit, saluus erit.* Non dicunt, saluus est, sed erit. Somnus enim prognosticum est futuræ sanitatis. Sic ait D. Augustinus tract. 49. in Ioan. *Solet enim esse somnus ægrotantium salutis indicium.* Et quamuis sint aliqui morbi, in quibus somnus mortis est indicium; tamen discipuli commune Prouerbium respexerunt, quo dicitur. Si dormit, sanus est infirmus. Ac proinde cum dicunt. Si dormit, sanus erit, indicant, quod non est necesse, vt ad eum pergamus. Ita N. D. Cyrillus, D. Augustinus, Leontius, & alij. Ecce quot argumenta facit humanum ingenium, vt diuinum consilium ad sua vota trahat, aliisque hominibus cœlestia dona impendat.

August.

Cyrillus, Leont.

Dixerat autem Iesus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somnis diceret. Nam simpliciter, acceperant verbum iuxta sonum vocis, non symbolicè, vt Christus intelligebat de morte. Et satis apertè Christus magnificabat somnum illum rem esse valdè nociuam Lazaro, quia Dominus dixerat se velle ire ad eum excitandum à somno, vt notarunt D. Chrysosto-

Chryſoſt. Euthym. Carthuſ. mus, Euthymius, Carthuſianus. Quis enim iter conficeret vnius diei, vel amplius, vt alium à dormitione excitaret? Nam ſi hoc opus erat facilè, à quolibet ex præſentibus fieri poterat. Tamen ideo tarditas diſcipulorum nobis proponitur ante oculos, vt virtus Ieſus in illis paulo poſt expoliendis illuſtrior agnoſcatur.

51. *Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè.* Seu explicitè, ac clarè, vt alij legunt. Illa particula illationem ex præcedentibus importat, quia non intellexerunt ſenſum verborum Chriſti, ſed materialiter vocem ſomni capiebant; ideo apertè eis ait, quod ſomnus, de quo loquitur, mors ſit Lazari.

52. *Et gaudeo propter vos.* Quæ verba ſic ſunt ponenda, ac coniungenda. *Gaudeo propter vos, quoniam non eram ibi*, in domo Lazari, *vt credatis.*

Rupert. Explicat, vt ait Rupertus, ſui gaudij cauſam, cum ait, *propter vos*, propter nempe veſtram vtilitatem, ac commodum, *quoniam non eram ibi.*

Euthym. Loquitur vt ait Euthymius, *tanquam homo.* Nam diuinitate non abfuerat. *Vt credatis.* Verbum credere hoc loco, vt notarunt D. Auguſt. tract. 49. in Ioannem, D. Thom. D. Bonauent. Non ſignificat fidei initium, ſed illius progreſſum, id eſt vt robuſtius, plenius, ac perfectius fides veſtra de me confirmetur.

Auguſt. D. Thom. Bonauent.

53. Cyrill. Euthym. Rupert. D. Thom. Ex eius abſentia dupliciter maximè fides diſcipulorum roboranda erat; & primò, vt explicant N. D. Cyrillus, Euthymius, Rupertus, S. Thomas. Nam ſi in Bethania Dominus adeſſet, cum Lazarus ægrotaret, vel eſſet recenter mortuus, Dominus ad preces Marthæ, & Mariæ, vel eum infirmum ſanaret, vel recenter mortuum ſuſcitaret. At verò ex eius abſentia data eſt occaſio, vt quatriduum mortuum, ſepultum, ac iam fœtidum ſuſcitaret, quod erat maximum miraculum ac illuſtriſſimum opus ſolius virtutis diuinæ. Secundò. D. Auguſtinus, Beda, Carthuſianus. Gaudeo quod non eſſem ibi, vt ex hoc magnum argumentum diuinitatis meæ habeatis, quia vobis abſentia dico; nam Lazarum, qui denunciatus fuerat infirmus, vobis mortuum declaro, vt ex hoc apertè credatis me eſſe Deum, filium Dei, ac verum Meſſiam.

Auguſt. Beda. Carthuſ.

QVÆSTIO VI.

Quare Lazari mors ſomnus nuncupatur?

54. Auguſt. DIVVS Auguſtinus tract. 49. reſpondet primò: *Lazarus*, ait, *Domino dormiebat: hominibus mortuus erat, qui eum ſuſcitare non poterant. Nam Dominus tanta cum facilitate excitabat de ſepulchro; quanta tu non excitas dormientem de lecto.* Mors illa erat veluti ſomnus per reſpectum ad Chriſtum, tam facilè enim mortuum quatriduanum è ſepulchro euocauit ad vitam, ac ſi leuiter dormientem è ſomno excitaſſet; facillimè diuina omniporentia vniuerſa miracula, ac mirabilia operatur, ac exequitur. De ſubuerſione Pharaonis, ac omnis exercitus eius decantat Moyſes: *Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra*, Exod. 15. n. 32. Bene Caietanus ibi: *Tam facilè*, ait; *Deus miraculum fecit, ac ſi dumtaxat manum extendiſſet.* Ita Deus funditus omnes Ægyptios, ac eorum poteſtatem euertit, ac homo aperit, & extendit manum.

Diuina omniporentia facilè omnia operatur.

Exod. 15. Caietan.

Secundò. Theophylactus: *A faſtu*, ait, *alienum erat. Nolebat enim ad oſtentationem facere, ſed occultè reſurrectionem excitationem à ſomno nominauit.* Obſcurè, & allegoricè modeſtiæ cauſa loquitur, ne arrogantius ſe iactare videretur, ſi diceret ſe ad reſuſcitandum mortuum ire, ſed magnitudinem beneficij abſcondens, mortuum dormientem dicit ſuſcitandum. Magnifici animi eſt beneficia à ſe collata non exaggerare, ſed potiùs extenuare. Intrat domum principis Synagogæ, vt filiam ſuſcitaret, ſcribit D. Matth. 9. num. 23. *Cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat, recedite, non enim eſt mortua puella, ſed dormit.* Omnes, vt verè mortuam deplorabant. Solus Ieſus eam ſuſcitaturus dormientem dicit. Noſtri Medici leuem morbum, vt grauiſſimum prædicant, vt ſui ingenij dexteritatem, ac artis præſtantiam amplificent; ſolus Ieſus mortuam, quam reuocare volebat ad vitam, dormientem dicit, diuinæ virtutis elogium, non præſtat, nec amplificat, ſed occultat. Sedulius lib. 5. Paſchal. cap. 12. *Cunctis corpus videbatur extinctum, ſoli Chriſto, qui ad vitam reuocat largiendam, ſæpe apparebat infuſus. Et hoc quidem ad eius gloriam pertinuit ſingularem, quod defunctum dixerit dormientem, vt admirabilium facta virtutum paramibus monſtraturus, minus ſe donare pronuntians, quam donabat.* 55. Theoph. *Magni animi eſt dona exhibita non tenere.* Sedulius.

Tertiò. Aderat iam Chriſtus in mundo, poſt cuius aduentum mors iam non videtur mors, ſed ſomnus: vt teſtatur D. Chryſoſtomus homil. 32. in Matthæum, expendens hæc verba Chriſti Domini: *Lazarus amicus noſter dormit.* Sic ait ſanctus Doctor: *Hic verbis docet non timendam mortem, cum ad conditionem ſomni iam redacta eſt.* Idem Chryſoſtomus orat. de ſanctiſſ. Bernic. & Proſdoce, facit combinationem Iacob, & Heliæ cum Paulo; nam Iacob, & Helias maximè timuerunt mortis pericula. Iacob ſic orabat ad Deum: *Erue me de manu fratris mei Eſau: quia eum valdè timeo*, Geneſ. 32. num. 11. Patens verò S. Elias audiens minas Ieſabel: *Timuit, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas*, 3. Regum 19. num. 3. At verò Apoſtolus Paulus vehementer mortem exoptabat. Dicebátque ad Philippenſ. 1. num. 23. *Habens deſiderium diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Cur in illis tantus timor, in hoc verò tantum deſiderium? Reſpondet pulchrè proximè citatus Chryſoſtomus: *Illis*, ait, *formidabile, huic melius, ac meritò ſanè, olim enim mors ad inferos ducebat; nunc autem ad Chriſtum mors tranſmittit.* Et cum nunc mors ſit via, vt Chriſti præſentia fruamur, inde omnis amaritudo, ac acerbitas mortis dulcis, & ſuauis eſt. 56. *Poſt Chriſti mortem vt ſomnus, ac proinde non timenda.* Chryſoſt. Geneſ. 32. 3. Reg. 19. Philip. 1. Chryſoſt.

Quartò. D. Ambroſius lib. de Bono mortis, cap. 11. *Somnum*, ait, *Scriptura nuncupans mortem, ſicut eſt illud*, Lazarus amicus noſter dormit, *ſomnus autem bonus; quoniam ſicut ſcriptum eſt.* Ego dormiui, & requieui, & ſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me, Pſalm. 3. num. 6. *Dulcis igitur quies mortis.* Per mortem enim homo à multis laboribus prementibus leuatur, ac ſupereleuatur, & ſicut fatigatus ex ſomno dulcedinem, ac requiem percipit, ſic & à morte homo laſſatus miſeriis huius vitæ, à mortis quiete leuàmen ſuſcipit. 57. Ambroſ. Pſalm. 3. *Mors, ſomnus, & requies.*

Ait Iob cap. 17. num. 14. *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Nullum nomen eſt ſuauius homini, quam nomen Pa- 58. Iob 17.

tri ſuo,

tris, matris, ac sororis; per hæc enim nomina explicatur summa indulgentia, benignitas erga hominem, quid dulcius patre vel matre? Cur ergo putredo, & vermes, qui homines corrodunt, & consumunt, cùm his comparantur? Origenes ad ipsa verba: *Vt pueri*, ait, *consolatores habens parentes: sic ego mortem, & putredinem.* Parentes, & sorores inserviunt pueris ad delicias, & leuamen, idémque obsequium mors, & putredo ipsi Iob præstabant,

Mors præstat homini delicias. Origen.

59. Genes. 31. Ait Iacob ad Laban, quod ipse denudatus ab omnibus bonis abiisset: *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi*, Genes. 31. num. 42. Intendebat dicere, quòd Deus patris sui Abraham, & Isaac, ei maximè fuerit in fauorem, & patrocinium. Tamen respectu ad Abraham Deum appellat; in ordine verò ad Isaac eundem timorem dicit; vnde tanta differentia, vt idem Dominus Abrahæ dicatur Deus, Isaac verò timor? Nam Abrahamus Deum timuit, sicut & Isaac. Quæ ergo huius rei causa? Abrahamus iam è viuis excesserat; ideò erga eum Deus nuncupatur ob eximiam requiem, & felicitatem quam ei concesserat. At Isaac adhuc in viuis degebat, inde erga eum timor dicitur; nam vita hæc plena est timoris, & quandiu homo viuit, illo vndique circumdatus est. Lyppomanus: *Deum*, ait, *igitur patris sui, id est aui Abraha nominat, iamquidem mortui, sed cum Deo viuentis, à cuius iam timore discedere non poterat in statu Sanctorum.* Vide suprà cap. 22. num. 81.

In vita timorem mortis requies.

Lyppoman.

QVÆSTIO VII.

Quare cum Dominus dicit Lazarum dormientem, statim addidit se velle ire ad eum suscitandum, non verò cum eum mortuum declarat?

60. Ratio difficultatis.

QVÆSTIO præsens est: Cur quando Dominus dixit: *Lazarus dormit* Statim addidit, *Vado, vt à somno suscitem eum.* At verò cum postea: *Dixit eis manifestè, Lazarus mortuus est: eamus ad eum.* Non tamen apponit ad suscitandum eum? Quare ergo cum illum dormientem dicit, statim de eius excitatione agit, ac loquitur, cum autem mortuum proponit, nec vnum verbum facit de suscitatione?

61. Basil.

Ad quæstionem respondet D. Basilius Seleucus orat. 40. *Cùm dicebat, Lazarus dormit, addidit: vado vt à somno excitem eum, cùm verò dicit mortuus est; non id adiecit: vado, vt exsuscitem eum: quæ enim re comprobaturus erat, verbis antè dicere noluit, à vana gloria vbique docens alienores esse, nihilque simpliciter oportere promitti.* Quæ verba ad multas considerationes magna indagine expendenda sunt.

22. Primò. *A vana gloria vbique docens alienores esse.* Vbique diuinus humilitatis Magister modestiam suam demonstrat, vt suo exemplo suos ad similia instruat. Et quia ex priori facto, *vt à somno suscitem eum* tanquam facili, nullam gloriam: ex posteriori autem tanquam difficili maximam aucupari videretur; ideo non apposuit, vt suscitem eum. Vbique Dominus celat suam virtutem, vbique suorum operum magnalia minuit. Cùm Petrus amputaret auriculam Malcho in horto his verbis repressit Dominus: *An putas; quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. num. 53. Christus Dominus Angelorum cur dicit se posse à Patre postulare, vt illos Angelos exhibeat? Cur non potiùs ait, possum duodecim legionibus Angelorum imperare, vt huc citissimè aduolent? Eleganter D. Thomas ibi: *Quia*, ait, *videbat Petrum præsumentem, ideo dicit possum rogare Patrem meum: & non dicit, possum vocare, vel adducere.* Elatum discipulum suæ modestia erudit Dominus: & ne seruus de sua potentia præsumat, ipse Dominus suam potentiam abscondit, & extenuat, non enim ait possum imperare, sed tantùm rogare Patrem.

Christus ex modestia suas virtutes abscondebat.

Matth. 26.

D. Thom.

Secundò. *Qua enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit, docens nihil simpliciter oportere promitti* Cùm dormientem dicit Lazarum, addit se ire ad eum excitandum, quod à quolibet assistente fieri poterat, at verò cum proponit mortuum nihil amplius addit, filius enim Dei non gaudet futurorum promissionibus, cum insignia dona statim largiri parat, statímque ipsa concedere conuenit, & expedit. *Docens nihil simpliciter oportere promitti.* Ille fidelis seruus dicebat domino suo: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum.* Non dixit, in futurum lucrabor, vel acquisita reddam, sed in præsentiarum lucra adsunt, quædo, & reddo tibi. Vide in Indice, verb. *Opus.*

63. *Non fit promissio de futuro, cum dare re statim conuenit.*

Tertiò. *Cùm verò dicit mortuus est, non id adiecit: vado vt excitem, quæ enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit.* Quod etiam priùs dixit D. Chrysostomus homil. 61. *Cùm mortuum esse*, ait, *non itidem dixit, vado vt suscitem ipsum, non enim verbis prædicare volebat, quod re erat confirmaturus.* Quando sumno deditum proponit, adiungit. Vado vt suscitem eum, non verò quando mortuum declarat. Quando dormientem dicit Lazarum, discipulos ad intelligentiam, ac cognitionem miraculi disponebat; at verò cum mortuum exprimit, à verbis cauet, iam propius ad excellentissimum resurrectionis opus accedebat. *Quæ enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit.* Meritò enim omittuntur probationes verborum, cum sunt opera, quæ rerum celsitudinem testantur. Et ideo cum Dominus esset vitam Lazaro præstiturus, meritò à verbis abstinet.

64. Chrysost.

Non sunt necessaria probationes verborum, vbi opera testificantur.

Cùm steriisset meus Iesus inter accusationes, ac falsa testimonia furentium suorum inimicorum, coram Pilato altum silentium obseruauit. *Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer.* Matth. 27. n. 14. Cur sic Iesus tacet inter iniurias, ac calumnias, vt nec verbum respondeat, cum aliter videatur prædictum per Prophetam, Psalm. 118. n... *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum?* Cur Iesus tacet inter tantas exprobrationes, qui prædixit per os Prophetæ se responsurum? Nunquid verbum suum non adimplet? Absit hoc, cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Respondit tamen non verbis, sed operibus; eclypsi solis, tenebris factis meridiano tempore super vniuersam terram, illiúsque magno terræmotu edito, atque petrarum scissione, & vbi tot, ac tanta opera exhibebantur, meritò à verbis abstinet. Simon Cassianus lib. 13. num. 64. *Non respondebat*, ait, *tunc Christus exprobrantibus sibi verbum, quod dixerat,*

65. Matth. 27. Psalm. 118.

Res manifestanda, potius operibus, quàm verbis.

aut exprobrantibus vitam eius, atque sermones, verbum non respondebat; responsum est per creaturas, quæ de ipso moriente testatæ sunt, per insolitas, & horribiles actiones. Vbi tot erant opera diuinitatem testificantia, minimè probationes verborum requirebantur. Vnde de hac Domini taciturnitate rectè dixit D. Ambrosius lib. 10. in Luc. *Illud præstantissimum*, ait, *quod maluit se regem probare, quam dicere.* Maluit se operibus probare, quàm verbis dicere.

Ambros.

66. Daniel. 1. *Mandauit Rex Asphenes præposito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Israël, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula,* &c. Daniel. 1. n. 3. Et postea subditur: *fuerunt inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misaël, & Azarias.* Rex iusserat, vt de stirpe regali introducerentur pueri, ergo consequenter vt regis imperium videretur impletum, dicendum erat, introducti fuerunt de semine regio, cur ergo hoc omnino prætermittitur; vt notauit Theodoret. apud Glossam: *Licet illum*, ait, *intueri modestiam. Cùm enim supra dixerit electos è stirpe regia iuuenes formosos, & decoros, & hic personarum nomina posuerit, Tribus Iuda simpliciter mentionem facit, & regiam cognationem occultauit.* Occultat Daniel in se, suisque sociis regalem cognationem, vt se ex sobole regali factis, & operibus ostenderet, non verò verbis diceret: *Maluit se regem probare, quam dicere.*

Theodor.

Probantur vt sobole regia non verbo, sed opere.

Ioan. 11. *n.* 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus ad condiscipulos: eamus & nos, vt moriamur cum eo.

Num. 17. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

Num. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim)

Num. 19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.

VERSIONES.

Syriacus n. 16. Ait Thomas, qui dicitur gemellus, discipulis sociis suis.

Goth.

Euthym. n. 27. Et moriamur cum eo.

Syriacus. Cum igitur venisset Iesus, inuenit eum ante quatuor dies sepultum.

Venit autem Iesus in Bethaniam (domum afflictionis.)

Arabic. n. 18. Erat autem Bethania prope Ierusalem.

Syriacus. Iuxta tumulum Ierusalem.

Euthym. n. 19. Multique ex Iudæis.

Syriacus. Venerant ad Martham, & Mariam, vt lenirent corda earum propter ipsarum fratrem.

EXPOSITIO I.

67. DICIT ergo; *Thomas.* Cùm Iesus definito consilio declarasset se velle ire in Iudæam, ad quem sequendum discipuli minus alacres se ostendebant. *Thomas; qui dicitur Didymus*: sic dictus, quia Hebraicè Thomas idem est, quod Græcè, ac Latinè gemellus, seu vt vult Euthymius, eodem partu, cum altero fratre natus est; siue vt obseruarunt Toletus, Maldonatus, hoc nomen à maioribus acceperit, vt multi apud Græcos spurij, nigri, cum nec sint spurij, vel nigri; vel quia Didymus idem est, ac Græcè geminare; nam virtus huius Apostoli magno fructu geminata est. *Eamus & nos.* Alludit ad verba Domini præcedentia. *Eamus ad eum.* Et subdit: *Et moriamur cum illo.* Quod est comprobatio magnæ fortitudinis, constantiæ, ac etiam amoris in Dominum, vt ait Interlin. cum eo enim volebat mori, & sine eo nolebat viuere; insinuátque Thomas, vt ait D. Cyrill. quod imperfectè adhuc cognoscebat Christi potentiam, & virtutem, qua liberare poterat quoscumque volebat. Declarat etiam magnum Iudæorum odium in Christum. Nam vt ait Eusebius serm. in feria 6. post Domin. 4. Quadragesimæ Thomas quia tanto odio aduersus Iesum, & discipulos eius Iudæos inflammatos esse sciebat, nihil nisi mortem, & pœnam ab eis expectaret. *Moriamur cum eo, ait.*

Eothym. Toletus. Maldonat. Interlin. Cyrill. Euseb.

68. *Venit itaque Iesus*, in Bethaniam, *Et inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Id est iam mortuum, & à quatriduo sepultum. Quando nuntius de morbo Lazari à sororibus missus venit ad Iesum, eo die ipse mortuus, & sepultus est, vt obseruant D. Chrysostomus, Euthymius, S. Thomas, Caietanus, & communiter alij. Deinde duobus sequentibus mansit Iesus in Bethabera trans Iordanem, vt iam dixi, quarta demum die iuit Dominus. Preme, *quatuor dies in monumento.* Alij cum ingrediuntur sepulchri tenebras, perdunt dies. Lazarus verò ibi clarissimos habet, vt computentur; proprium est enim iustorum, vt dies vmbræ perdant, & lucis, ac vitæ assequantur veros dies. Ad hoc respicit D. Zeno serm. de Lazaro suscitato: *Sepultus est, & humatus, dum desinit esse, quod erat forma, vel fabula.*

Chrysost. Euthym. Hieron. Cæt. Zeno.

69. *Erat autem Bethania.* Satis notum est stadium centum, & viginti quinque habere passus, vnde quindecim stadia sunt mille octingenti septuaginta quinque passus; ac proinde *quindecim stadiis*, id est duobus milliaribus Italicis, seu in nostra Hispania, dimidia leuca. Ideo autem notauit Euangelista, quam proxima esset Bethania Ierosolymis, vt rationem assignaret, cur multi ciues Ierosolymitani ad consolandas Mariam, & Martham venissent Bethaniam, quod statim dicturus erat, vt notarunt D. Cyrillus, D. Chrysostomus, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Bonauentura.

Cyrill. Chrysost. Theophyl. Alb. Magn. Bonauent.

70. *Multi autem*, id est cognati, affines, ac amici, & nobiles personæ; nam hæ sorores erant diuites, nobiles, ac honoratæ. Venerant ex vrbe scilicet Ierosolymitana, de qua immediatè antea fecit mentionem, & vt ait Chrysostomus, multorum etiam testimonijs Lazari mortem confirmat, & vt etiam resurrectionis futuræ Lazari multi testes

Chrysost.

Cyrill. Theoph. Rupert. Syriacus.

testes proponantur, vt animaduerterunt. D. Cyrill. Theoph. Rupert. ac alij, *vt consolarentur eas de fratre suo*, Syriacus habet, *vt leniret corda earum*; erat enim dolor de morte fratris acerbissimus.

QVÆSTIO VIII.

Quare Thomas tam generosè ait ad condiscipulos: Eamus, & moriamur cum eo?

71. Chrysost. Euthym. Theoph. Iansen. Lyranus. Salmeiron.

VERBA hæc D. Thomæ timentis esse contendunt D. Chrys. hom. 61. Euth. Theoph. Iansen. Lyran Salmeiron, & alij, ac si dicat ironicè: Eamus & nos, vt moriamur cum eo in Iudæam proficiscente; nec enim ex hoc itinere aliud habebimus, quam mortem crudelissimam à Iudæis inflictam. Theophyl. sic exponit: Eamus & nos stulti, ac insipientes, & non curantes propriam vitam, *vt moriamur cum eo.*

72. Chrysost. *A Christi cruce, ac passione magna fortitudo.*

Ex quo ait D. Chrys. citat. *Sanè admiratione dignum est, vt qui ante crucem, tam timidus erat, post Magistri mortem & resurrectionis fidem pra omnibus tanto feruore flagraret. Tanta est Christi potentia. Nam qui cum Christo in Bethaniam ire non audebat, sine eo post modum solus terrarum orbem peragrauit, & in medijs populis inclamantibus, & mortem minitantibus intrepidus versabatur.* Qui antea tam timidus, ac formidolosus erat; signo tamen passionis Christi, ac vexillo crucifixi sic animatus, ac corroboratus est, vt solus totum peragraret orbem, atque ad abditissimas, ac remotissimas nationes transiret. Vide supra cap. 6. n. 26. 27. & cap. 7. n. 5.

73. Basil. Sel. Theoph.

Dicam etiam in hac sententia, quamuis Thomas, vt de eo scribit D. Basil. Seleucus orat. 40. *Reliquis Thomas erat infirmior.* Theophyl. *Thomas*, ait, *aliis meticulosior.* Tamen hæc fortè animosè dixit, nam sæpè infirmus, ac imbecillis cum audacia calcat pericula, & generosè magna, ac ardua in re virtutis aggreditur.

74. *Opposita sententia probabilior.*

Tamen opposita mihi probabilior, quæ asserit verba hæc dicta fuisse à Thoma ex magna animi generositate, constantia, ac fortitudine, ac eximio amore in Christum, hoc enim verba in suo genuino sensu significant, & à Christo non leguntur increpati, sed hac exhortatione facta sine vlla contradictione discipuli se accingunt ad iter, & ideo à Ioanne conscripta sunt, quia amoris ardore erant plena. Nam idem valent verba, ac si diceret Thomas, Nostrum Magistrum sequamur, & si opus fuerit cum illo moriamur; multo enim satius est cum Christo mori, quam sine illo viuere. Sic scribit Rupert. in persona Thomæ: *Eamus*, ait, *quo vir ille amabilis it, vt cum eo in dilectione moriamur vno communi interitu. Grandis profecto timor discipulis erat. Sed postponentes, inquit Thomas, vitam nostram voluntati, & imperio Domini, ac Magistri nostri, eamus & nos, & si sic fieri necesse est, moriamur cum eo.* Quam etiam sententiam docent Carthus. Caiet. Maldonat. Barradas, Lucas Burgens. Cornelius à Lapide, & alij.

Rupert.

Carthus. Caietan. Maldonat. Barradas. Luc. Burg. Cornel.

75. Beda. Carthus. Caietan. Rupert.

Thomas alios discipulos generosè exhortatur. vt obseruat Beda, Carthusian. & Caietan. tacitéque eorum timorem arguit, & increpat, nam vt ait Rupert. *Grandis profectò timor discipulis erat.* Quomodo Thomas audet adhortari, imò & quodammodo tacitè arguere Petrum caput totius Collegij Apostolici, Andream, Ioannem, & alios primates discipulorum. Causæ probitas, ac integritas dabat vires, & animum. Puteum fodit Abraham, quem cum serui regis Abimelech sibimetipsis appropriarent adaquandis suis pecoribus. Tunc Abraham *increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem abstulerunt serui eius*, Genes. 21. num. 25. Abrahamus aduena, Abimelech Rex in suo regno residens; vnde Abrahamus audet eum arguere, & reprehendere? Rupert. lib. 6. in Genes. cap. 25. *Pro puteo aquæ*, ait, *vir tantus regem increpat, quia videlicet res non indigna erat, præsertim in illa terra, vbi naturaliter magna vina aquæ copia non erat.* Cum puteus ablatus est magna iniuria, ac violentia facta Abrahamo, inde ipse habet audaciam, vt ad regem arguendo verba faciat; cum enim iustitia interuenit, & vis rationis militat, quilibet contra reges, ac principes audet stare, & loqui.

Genes. 21.

Rupert.

Ait Thomas: *Eamus, & moriamur.* Ex morte obiecta, qua homines deterrentur, & fugiunt generosus animus Thomæ non cadit, sed inde vires reassumit, maximéque se, ac suos condiscipulos exhortatur ad viam. Masculus animus rerum difficultate non opprimitur ad magna, ac ardua perpetranda. Seneca de Prouidentia, cap. 5. *His*, ait, *quibus deterreris me putas, incitor, libet illic stare, vbi sol trepidat: humilis, & inertis est tuta sectari, per alia virtus it.*

76.

Masculus animus rerum difficultate excitatur.

Seneca.

Cùm Dauid pararet exire in pugnam aduersus Goliath, multis prætendit Saül eum à proposito retrahere, dicens: *Non vales resistere Philistæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua*, 1. Reg. 17. num. 33. Quid ad hæc Dauid respondet? *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi.* Vt Saül à pugna auertat Dauid, imbecillitatem naturæ suæ opponit ei, imperitiámque armorum obiicit, fortitudinem, ac dexteritatem aduersarij exponit: His forsitan animus Dauid prosternitur, ac succumbit? Minimè, sed inde firmior, ac robustior factus, ait: *Nunc vadam.* Expende illud, *Nunc*: tantis difficultatibus auditis non trepidat animus, nec à proposito resilit, sed tanta rerum retinentia animatus certissimè parat gressus in pugnam. *Nunc vadam.* D. Basil. Seleucus orat. 14. *Qua ratione*, ait, *a proposito certamine conatus es auertere, acrius ô Rex, ad pugnam exacuisti.*

77. 1. Reg. 7. *Vt fortis rebus arduis non succumbit, sed exacuitur.*

Basil. Sel.

QVÆSTIO IX.

Quare cum apud Iudæos esset constitutum, quod si Christum quis confiteretur, è synagoga eiiceretur; ad sorores Lazari veniunt Iudæi, quæ ipsum confitebantur?

78. Chrysost. Ioan 9. *Ratio difficultatis.*

HANC quæstionem excitat D. Chrysostom. homil. 61. in Ioan. *Quomodo*, ait, *consolabantur Iudæi à Christo dilectas? edixerant enim, vt quicumque Christum confiteretur, extra synagogam fieret*, Ioan 9. n. 22. Hoc erat decretum apud principes Iudæorum, & tamen ipsi principes Iudæorum veniunt ad visitandas Martham, & Mariam; nam hi, qui ad eas conuenerunt ex prima Iudæorum nobilitate erant, vt obseruat Caietan. Cur ergo hæ sanctæ duæ sorores, cum essent magnæ Christi

Caietan.

affectæ,

assectlæ, eumque hospitio reciperent, ac per varia loca comitarentur, Luc. 8. num. 2. non solum non eiiciuntur à principibus extra synagogam, sed etiam ad eas conueniunt, vt illis consolationis obsequium præstarent.

Luc. 8.

79. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Basil. *Ex consideratione mortis odium deponitur.*

Pergit citatus Chrysostom. & dubium soluit: *Consolabantur eas, vel propter vulneris magnitudinem, vel quia nobiliores reuerebantur; vel quia non mali erant, qui ad eas venerant, multi namque crediderunt*, dicitur infrà num. 45. Quas tres rationes etiam tradunt Leontius, Theophylact. Euthym. & D. Basil. Seleuc. orat. 40. qui etiam addidit aliam rationem: *Vnde*, ait, *consolabantur Iudæi dilectas à Christo, cum inter eos conuenisset, si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret? An ob mali communis necessitatem?* Cùm enim illis ante oculos esset mors, & sepultura, ex eius consideratione illum animum cbiberunt, vt odium, ac maleuolentiam deponerent, benignóque affectu essent in Christi assectlas. Et hæc sit prima ratio.

80. Secunda, assignata à Chrysostomo, quæ valde genuina videtur, *quia non mali erant, qui ad eas venerant, multi namque crediderunt.* Pio animo, ac affectu erant in Christum, & inde etiam in eius assectlas, nam similes cum similibus facile associantur. Tertia ratio: *Propter vulneris magnitudinem.* Hi, qui ad eas conuenerant, non erant ex humili plebe, sed ex prima nobilitate, vt iam in limine quæstionis ex Caietano notaui, inde ad eas visitandas se conferunt, vt earum dolorem delinirent, vrbanitatisque officium persoluerent, ad quod se astrictos agnoscebant, itavt, ne tali muneri deficerent, se imminenti vitæ discrimini offerre non dubitauerint.

Vrbanitatis officio satisfaciendum cum vitæ discrimine.

81. Chrysost. Quarta ratio. Ait Chrysostomus: *Nobiliores reuerebantur.* Coniurauerant Iudæi vt Christi auditores à synagoga excluderent; modo tamen ad has Christi alumnas se conferunt, *nobiliores reuerebantur.* Cum enim humano respectu ducerentur, à sua lege immunes censebant eas, in quibus dignitas, potestas, ac honor eminebat. Lex erat à Domino lata, Leuit. 13. num. 46. vt leprosus extra ciuitatem habitaret. Ozias verò rex, quia præsumpsit adolere incensum Domino tanquam Sacerdos, percussus est lepra, quæ in fronte eius apparuit. Tamen Sacerdotes, ac Leuitæ dissimulant, & Oziam Ierosolymis commorari sinunt, vt patet ex 2. Paralip. c. 26. n. 21. *& habitauit in domo separata plenus lepra.* Cur Pontifices, ac Sacerdotes, qui pro lege pugnare debebant, tacent, ac dissimulant? D. Chrysost. homil. 4. in Isaiam: *Exiuit Rex*, ait, *cum lepra, nec tamen erecerunt eum è ciuitate; Regiam dignitatem reuereri.* Et fortè vt à rigore legis regem eximerent, interpretati sunt regem à lege esse exemptum. Vide supra cap. 19. q. 19. n. 150.

Leuit. 13. *Potentes sæculi à lege eximuntur.*

2. Paral. 26.

Chrysost.

Ioan. 11. *n.* 20. Martha ergo vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

Num. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.

Num. 22. Sed nunc scio, quia quæcumq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

Num. 23. Dixit illi Iesus: Resurget frater tuus.

VERSIONES.

Arabic. n. 20. Vt audiuit aduentum Iesus, exiit, vt occurreret illi.

Syriacus. Exiit ei obuiam.

Vatablus. Maria domi desidebat.

Syriacus n. 21. Domine mi, si hîc fuisses, mortuus non fuisset frater meus.

Vatabl. n. 22. Poposceris à Deo, daturus sit tibi Deus.

Græcus. Concedet tibi Deus.

Syriacus n. 23. Surrecturus est frater tuus.

EXPOSITIO VI.

82. MARTHA *ergo vt audiuit, quia Iesus venit.* Appropinquante Christo fama illius aduentus præcucurrit, quod solum Marthæ ignorante sorore denuntiatum est, vt docent D. Chrysostom. Theophylact. Euthym. Leont. D. Thomas, D. Bonauent. Martha ergo sola Domini aduentum cognouit, tum quia cùm ipsa esset valde solicita circa ea, quæ ad familiam spectabant, tum cùm extitisset senior soror, veluti matrona, vt ait Carthus. totam domum gubernabat, inde ad eam tanquam familiæ caput omnia deferebantur. *Occurrit illi*, præ amoris magnitudine, vt audiuit Christi aduentum non potuit se domo continere, sed extra contempta omni commoditate, & oblita luctus præsentis occurrit ad eum. D Basil Seleucus orat. 40. *Occurrit Christo luctu adhuc adolescente. Vides amorem vinacem.* Cur Martha Christi aduentum modo non significauit sorori? R. spondeo. Primò; quia fortè occursus aduentantis Christi nullam moram patiebatur. Secundò. Martha sequestrata à tumultu voluit cum Domino singulariter agere; Iudæi, qui aduenerant, vt sorores consolarentur, erant cum Maria, ac proinde si Martha eam vocasset, simul Iudæi eam sequerentur, & inde fieret multus tumultus, vt obseruarunt Leontius, Albert. Magn. & alij, imò etiam aliqualis esset contentio; nam ipsa sciebat, vt ait D. Thomas, quod Iudæi conspirauerant in Christum, & ideo ipsa voluit prius secreto agere, & nata bona spe de resurrectione, dixit ei Christus, *Resurget frater tuus*, tunc sororem vocat, vt notat Chrysost.

82. Chrysost. Theophyl. Euthym. Leont. D. Thom. Bonauent. Carthus.

Basil.

Leont. Alb. Magn. D. Thom.

Chrysost.

Dixit ergo Martha ad Iesum. Vt notant Diuus Chrysost. homil. 61. & D. Basil. Seleuc. orat. 40. Martha intuita Christum, non in lamenta, gemitus, ac vlulatus prorumpit, vt solet fieri quando ingentes motos conspiciunt, sed accedens propè Magistrum ipsum deuenerata est. Et duo dicit, vt notat D. Thom. vnum respiciens præteritum: *Domine si fuisses hîc, frater meus non esset mortuus*, alterum futurum; *quæcumque poposceris a Deo.* Quantum ad primum: *Domine si fuisses hîc.* Cum modestia, ac reuerentia se habet Martha cum Christo. Nec de absentia, nec de mora queritur, quod cum audisset amici morbum, curatum nó venerit citò.

83. Chrysost. Basil. Seleuc.

D. Thom.

Rupertus.

citò. Sed vt ait Rupert. lib. 10. in Ioan. *Reuerentiam Domino seruans, & dilectionem ledere cauens, humili tantum fide omnipotentiam fatetur amantis.* Qui vere amat, nec læsus lædit amicum: *Charitas enim patiens est*, 1. Corinth. 13. num. 4. Tacitè tamen obiicit, vt volunt D. Chrysostom. D. Cyrill. Theophylact. Carthusian. quod nec pro nuntio seriùs venerit; *Frater meus non fuisset mortuus*; quia certa erat de Domini clementia, quod si vidisset fratrem morientem, ei beneficium sanitatis non denegasset: Ecce quomodo decipiuntur humana iudicia, dolet Martha de morte Lazari, cum mors eius maximè conueniens fuit, per illam mortem glorificandus fuit Filius Dei, eiusque amor in Lazarum, ac sorores manifestandus, lachrymatur enim Dominus, & sepultum suscitat; declaratur etiam imperfecta fides Marthæ, nondum enim sciebat absentem sanare potuisse, quod si crederet, dixisset, Domine si voluisses, frater meus non fuisset mortuus, nondum eum credebat Deum, sed virum insignis sanctitatis, & ideo dixit: *Quæcumque poposceris a Deo*, &c. vt notarunt Chrysostom. Euthym. Albert. Magn. D. Thomas, D. Bonauent.

Amans nec lasus ladit amicum. 1. Cor. 13. Chrysost. Cyrill. Theophyl. Carthus.

Iudicia humana decipiuntur.

Chrysost. Euthym. Alb. Magn.

84.

Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo Loquitur Martha de Christo, non tanquam de Deo, sed vt de viro insigni sanctitate, vt modo dixi: *Ac si de bono quodam, & probato homine loqueretur*, ait Chrysost. *dabit tibi Deus.* Ac si dicat: Si poscas à Deo resuscitatum Lazarum, licet quatriduanum sepultum, impetrabis. Existimabat, vt ait Cyrillus, quod non venerat, vt Lazarum suscitaret, sed vt se, ac Mariam consolaretur, tamen humiliter resignatur in Christi voluntatem, vt ex D. Augustin. dicam quæst. seq. Caiet. tamen, Lucas Burgens. dicunt, quod Martha fratris resurrectionem non intenderet, & quod hæc dixit, vt ostenderet Christi potentiam, ac veritatem in verbis suis: *Infirmitas non est ad mortem.* Licet sensum non intellexerit. De hoc expositione sequenti.

Chrysost.

Cyrill.

Augustin. Caietan. Luc. Burg.

85.

Dixit illi Iesus, Resurget frater tuus. Ex hac Christi responsione patet, quod Martha de resurrectione loquebatur. Et ad ea, quæ Martha dixerat de eius absentia nil respondet sed verba dirigit ad ea, quæ spectabant ad præsens miraculum, & vt benè notarunt D. Augustin. Chrysost. Beda, Rupertus, non dixit quando resurrecturus sit Lazarus, nec se eum suscitaturum, sed modestiæ causa tacitè, & ambiguè loquitur, sensimque mulierem euehit ad cognitionem tanti miraculi. Et cum Martha dixisset: *Scio quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ad hoc etiam non respondet Christus, poterat enim dicere, etiamsi non poposcero, faciam; cum mea potestas æqualis sit cum Patre. Hæc tamen non dixit Christus, vt notauit D. Chrysost. homil. 61. *Nam si dixisset*, ait, *à me ipso omnia facio; molestiora, & suprà mulieris intelligentiam fuissent: dicendo autem resurget, medium tenuit.* Si dixisset quod à se facere poterat, & quod potestas sua esset æqualis cum Patre; hoc cum spectaret ad cognitionem mysterij Trinitatis, multum erat suprà mulieris intelligentiam, quæ erat imperfecta in fide, & quod etiam aliquid non præuia, ac præmissa oratione fieret, *molestiora, & suprà mulieris intelligentiam fuissent.*

Augustin. Chrysost. Beda. Rupert.

Chrysost.

Valde difficile sine oratione petitionem consequi.

***

QVÆSTIO X.

Quare Martha non postulat expressè à Christo resurrectionem fratris sui, cum de ipso fateatur: Scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus?

86. Bernard. *Ratio difficultatis.*

MVLTIS D. Bernard. serm. de gradibus Humilitatis sub finem, laudat, ac celebrat fidem Marthæ, cùm enim illa credidisset, quod Christus Lazarum seruare potuisset à morte, credidit etiam, quod cum à mortuis poterat excitare, & ideo dixit: *Nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Cur ergo cum ipsa esset valde familiaris Christo, hoc ab eo non petit? est quæstio præsens.

87. *In nostris petitionibus conformandum cum Dei voluntate.*

Respondet. Primò D. Augustin. tract. 49. *Non dixit*, ait, *ea & moderato te, vt resuscites fratrem meum: vnde enim sciebat si fratri vtius resurgere vtile fuerit: hoc tantum dixit, scio quia potes, si vis, facis: Verum enim facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.* Martha cum Christo dixit: *Scio quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*, tacitè cum modestia, ac reuerentia inducit Christum, vt fratrem suscitet; tamen non audet directè petere, nec rem determinare, quodnam esset vtilius fratri, an mors, vel resurrectio, nesciebat, & ideo totum negotium relinquit Christi iudicio: *Verum enim facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.* Iudicio enim Diuino maximè se vult conformare. Vide tom. 3. cap. 20. q. 7. n. 47. 48. & c. 33 n. 116.

88. Bernad.

Secundò. D. Bernard. tract. de gradibus humilitatis, gradu duodecimo: *O sanctæ mulieres*, ait, *Christi familiares si fratrem vestrum mortuum, lugetis, cur eius misericordiam non flagitatis? Respondent: Sic melius tanquam non orantes oramus, sic efficacius tanquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum, scit ipse, cui non est opus, vt aliquid dicatur, quid desideremus? Scimus quidem quod omnia potest; sed hoc tam grande miraculum, etsi eius subest potentiæ, multum tamen excedit vniuersa merita humilitatis nostræ. Denique quod nostris meritis deest, verecundia fortassè supplebit.* Quæ verba alte, ac profundè sunt expendenda.

99. *Humilitas animi exorat.*

Et primò. *Quod nostris meritis deest, verecundia fortassè supplebit*: præ humilitate, modestia, ac verecundia suis meritis parum confisa Martha non audet petere, tanta tamen animi demissione, dum non audet orare multum exorat; Ipsa humilitas verecunda, magna est negotiatio, vt obtineat. Secundò. *Scit ipse, cui non est opus, vt aliquid dicatur, quid desideremus.* Benè sciebat Martha: Quod Iesus ipsam, ac sororem eius Mariam, & Lazarum diligebat, vt hæc exprimit Euangelista, num. 5. Non petit ergo, apud se certum habebat sufficere quod *scit ipse quid desideremus.* Nam inter diligentes non requiruntur preces, abundans est lenis voluntatis insinuatio. Tertiò. *Melius tanquam non orantes oramus. Exhibeamus fidem, perhibeamus affectum.* Non petit Martha, nam ipse affectus ad orationem fratris resurrectionem negotiabat; sic potens est oratio, vt ante Orationis initium, illius affectus multum valeat optatum obtinere, ac impetrare. Ait Regius Vates Psal. 4. num. 2.

Inter amantes sufficit veri insinuatio.

Affectus orationis impetrat desiderata.

Psalm.4. Hebræus. num. 2. *Cum invocarem, exaudivit me Deus.* Hebræus legit: *Cum invocabo*, de futuro, *exaudivit me Deus*, de præterito; cum enim ipse se præpararet ad orationem iam exauditus est, iuxta illud: *Præparationes cordis audivit auris tua.* Vide suprà cap.34.q 3.num.19.20.

91. Matth.9. Tertiò. Archisynagogus deprecatur pro filia mortua: *Domine filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet.* Matth. 9. num. 18. Cur etiam Martha pro fratre mortuo non deprecatur? Nam qui potuit suscitare puellam modo defunctam, potuit etiam euocare ad vitam mortuum iam sepultam; eadem potestas in vtroque facto exigitur. In mortuo peccator adumbratur, vt satis est vulgare in scriptura, puella modo defuncta peccatorem recentem, ac modo lapsum significabat: Lazarus vero peccatorem enormen, inueteratum, iam sepultum, ac putridum in suis iniquitatibus repræsentabat. Pro filia, pro anima nuper peccatis infecta supplicat Pater; At pro peccatore antiquo, iam in malitiæ barathro detento omnes humanas leges, ac diuinas violante, sic difficile opus in vitam reuocare, ac floridæ valetudini iterum restituere, vt ob figuram tam diri vulneris soror non audeat pro illo rogare, & deprecari. Vide c. 18. n. 39 40. & 41.

Valde difficile peccatori inueterato conuertere.

91. Rupert. Maldonat. Thren.2. *Lachryma efficacissimè habet vocem* Quartò. Rupertus: *Lingua*, ait, *conticuit, cætera lachrymis vberius peregit.* Non postulat Martha verbis, sed lachrymis, nam vt ait Maldonatus: *Nulla est efficacior, nulla potentior oratio, quam lachryma.* Magno dolore, ait Ieremias Threnor. 2. n. 18. *Neque taceat pupilla oculi mei.* Loqui probatur, qui non tacens asseritur, & vnde pupilla habet linguam? Dum nempè lachrymas effundit, altum dat clamorem. Paschasius lib. 2. in Thren. *Quia*, ait, *ipsa dum compungitur, magis quam loquentis verba, impetrandi effectum habet.*

Paschas.

92. 3.Reg.21. Post mortuum Naboth, & vineam eius falsis testibus raptam, multa Elias comminatur mala Achab; quæ cum ille audiret, iuxta septuaginta. *Ibat plorans, & conscidit vestimenta sua*, 3 Reg.21. num. 27. Vnde statim dicitur; factus est sermo Domini ad Eliam: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Non inducam malum in diebus eius Vnde sic exauditus est Achab, cum nulla verba ab eo dicta legantur? *Ibat plorans:* pupilla lachrymas effundens valentiorem clamorem emittit, quam os verba tonans. D. Ambros. lib. de Pœnitent. cap. 14 *Non orationis pompa*, ait, *non sermones ornatus, non eloquij copia placuit Deo, sed multis precibus lachrymarios tacuit, sed cor ingenuit, oculus flevit, sed conscientia planxit. Et verecundiam pœnitudinis pietas laudavit auctoris.*

Lachryma altum edidit clamorem. Ambros.

Ioan.11.n.24. Dicit ei Martha: scio, quia resurget in resurrectione, in nouissimo die.

Num.25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita; qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet.

Num.26. Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum Credis hoc?

Num 27. Ait illi: Vtique, Domine, ego credidi; quia tu es Christus Filius Dei viui.

VERSIONES.

Syriac.n.24. Scio resurrecturum in consolatione (resurrectione) die illo nouissimo.

Syriac.n.25. Dixit ei Iesus: Ego sum consolatio (resurrectio) & vita.

Græcus apud Toletum. Ego sum ipsa resurrectio, & vita.

Arab.n.26. Et omnis est viuens, qui crediderit in me.

Syriac.n.27. Etiam Domine mi, ego credo.

Vatablus. Ego credo te esse Christum illum Filium Dei, qui in mundum venturus erat.

Græcus. Qui est veniens in hunc mundum.

EXPOSITIO VII.

93. Iob.19. 2.Mach.12. *Humanum ingenium restringere diuinæ beneficia.* Cornel. DIcit ei *Martha: Scio, quia resurget in resurrectione.* Christus ambiguè dixerat, *resurget frater tuus*, & non addiderat *modo.* Inde occasionem habuit Martha, vt Christi sententiam de communi omnium resurrectione intelligeret; Iudæi enim præcipuè Pharisæi credebant animæ immortalitatem, & corpotum resurrectionem. Iob. 19.num. 25. & 2. Machab.12. num. 46. *In nouissimo die.* In vltimo nempe die iudicij. D Petrus Chrysologus serm.65. sic loquitur cum Martha: *Martha, ante te est resurrectio, quam tam longè mittis.* Cur intelligit non de proxima resurrectione, sed de futura in vltimo die, quæ non erit speciale beneficium? vt notat Cornelius à Lapide: Ecce ingenium humanum, diuinam beneficentiam velle restringere, & in longinquum velle dilatare.

94. Syr. *Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita.* Syrus: *Ego sum consolatio, & vita.* Ipsa enim resurrectio hominibus in miseria huius vitæ degentibus magna est consolatio, tum animæ, tum etiam sensuum, ac membrorum. *Ego sum resurrectio, & vita*: non formalis, sed causalis, vt rectè adnotarunt Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonau. Carthusian. Ego sum nempe, qui resuscito, ac vitam do, & communico. Eodem modo dicitur 1. Corinth.1. *Qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio & redemptio.* Hoc est iustificator, sanctificator, & redemptor. *Sic ego sum resurrectio, & vita*, id est, causa resurrectionis, & vitæ, & earum effector. D. August. in tract.49.in Ioan. *Dicit*, ait, *resurget frater meus in nouissimo die, verum dicis, sed per quem tunc resurget, potest & modo, quia ego sum resurrectio, & vita.* Deinde subdit Christus Dominus: *Qui credit in me.* Marthæ petenti, ac desideranti fratris sui Lazari vitam, respondit Christus, deinde eam ad altiora, ac spiritualia erigit, loquens de noua vita animæ per gloriam in sæculo futuro. *Qui credit in me* fide viua per charitatem formata, dum degens fuit in hoc sæculo, *etiamsi mortuus fuerit*, temporali morte, *viuet.* Anima eius semper viuet per vitam charitatis, gratiæ & gloriæ in Cœlo.

Albert. D Thom. D Bonau. Carthus. 1.Cor.1. August.

Et omnis qui viuit. Supra locutus fuit Christus de

de mortuis in eum credentibus; nunc loquitur de fidelibus viuis: *Et omnis qui viuit.* Qui in hoc sæculo vitam ducit, seu viuens est. *Et credit in me:* fide viua, & formata per charitatem. *Non morietur in æternum.* Quamuis mortuus sit temporali morte; æterna tamen non morietur, sed ad vitam æternam resurget. Vnde tam credentes in me mortui, viuent, quam credentes in me adhuc viui, æterna morte non morientur. Declaratque quæ Christus Dominus his verbis se esse fontem vitæ, & resurrectionis, ac proinde credentibus in se resurrectionem cum vita æterna sit largiturus. *Credis hoc?* A Martha flagrat Christus fidem resurrectionis, vt credat, quod non solum precibus possit à Deo eam impetrare, sed etiam per seipsum donare, vt latius dicam quæstione sequenti, vt ad tantam fidem, & spem Martha excitata valeat fratris suscitationem impetrare: sic à patre postulante filium liberari à Dæmone, Christus exigit fidem, vt crederet se posse hoc facere, *omnia possibilia sunt credenti*, Marc. 9. num. 29. & à portatoribus paralitici similem requirit fidem, Matth. 9. n. 3.

Christus excusat Martham ad fidē resurrectionis vt impetret vitam fratris.

Marc 9. Matth. 9.

96. Chrysost. Euthym. Theophyl.

Ait illi: Vtique Domine, ego credidi. D. Chrysostom. Euthym. Theophylact. docent Martham non intellexisse verba Christi, dicentis: *Ego sum resurrectio, & vita.* Idcoque alienum responsum ab interrogatione dedisse; tamen valde excellens, & accommodatum dedit responsum: nam cum ipsum fateatur verum Filium Dei naturalem, verumque Messiam, ibi tacitè, & implicitè omnium resurrectionem, & vitam credidit. *Ait: ego credidi, quia tu es Christus:* ille vnctus, ille Messias promissus à Deo, *Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Græcus, & Arabicus habent: *Veniens* (quod erat proprium Messiæ nomen.) Syriacus *Qui venturus es*; vt mundum redimas, & salues. Imperfectam Marthæ fidem Christus perfecit, & illustrauit, dicens: *Ego sum resurrectio, & vita.* Vnde ipsa interius illustrata à Christo, in magnum, ac perfectum fidei actum prorumpit, *Credo quia tu es Christus Filius Dei viui.* D. Augustin. tract. 49. in Ioan. *Quando credidi hoc*, ait, scilicet te esse Messiam Filium Dei: *Credidi, quia tu es resurrectio, credidi, quia tu es vita, credidi, quia qui credit in te, etiamsi moriatur, viuet.*

Arabicus. Syriacus.

D. August.

97. Caietan. Carthus. Iansen. Toletus. Alb. Magn. D. Thom. Lyran. Maldon. Damianus.

Filium Dei viui. Caietan. Carthusian. Iansen. Tolet. existimant eum appellasse Filium Dei per excellentiam, non per naturam. Albertus Magn. D. Thom. Lyran. Maldon. arbitrantur Dei Filium naturalem, Deumque verum credidisse, hanc fidem Deus ab ea exigebat, ad hancque fidem ipsa ab eo illuminata est. Sic ait Petr. Damian. serm. 1. in festo S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ. Eodem spiritu, quo Petrus, inspirante, respondit Martha, *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei viui.*

QVÆSTIO XI.

Quare Christus non respondet Marthæ quod possit fratrem resuscitare, vel viuificare, sed quod ipse sit resurrectio, & vita?

98. IN resurrectione Lazari sermo erat in præsenti, quem dicebat Martha resuscitandum in nouissimo die. Tunc Christus respondet; quod ipse sit resurrectio, & vita; conuenientius videbatur dicendum, quod ipse poterat eum resuscitare, & viuificare, ad quid tendit Christi responsio?

99. Supponendum est, quod Christus dicitur causa resurrectionis, & vitæ, ita vt omnes per eum resurgant, & nullus nisi per ipsum valeat in vitam reuocari. Christus autem Dominus quadruplex causa est resurrectionis. Meritoria, efficiens, exemplaris, & finalis. Ipse enim sua morte omnium resurrectionem promeruit; eamque physicè efficiet die iudicij, eiusque exemplar dedit in sua gloriosa resurrectione, quæ est finis resurrectionis omnium. Resurgent enim omnes fideles hoc fine, vt Christo resurgenti in gloria conformentur, eumque in æternum glorificent. Si verò resurrectio damnatis cedit in grauem pœnam, & tormentum, hoc est eorum culpa, nam illa vita perpetua concessa est, vt perfectè in anima, & corpore felices existerent, cum autem malè vixerint, illud optimum versum est in eorum perniciem, & damnum, vt explicat Toletus, ann. 7. ex D. Iustino.

Christus quadruplex causa resurrectionis.

Toletus.

100. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Respondent Diuus Chrysostomus homil. 61. Theophylactus, Euthymius quod Christus Dominus tacitè respondet Marthæ dicta dicenti, *Quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus*; quibus verbis Martha suam imperfectam fidem denotauit; illamque Christus perfecit, dicens: *Ego sum resurrectio, & vita.* Chrysostomus ac proinde, *alterius non egere auxilio indicat, quippe qui vita est. Quod si alterius indigeret, quomodo ipse resurrectio esset, & vita?* Ac si Christus diceret: *Ego sum resurrectio, & vita.* Ego non egeo petere à Deo resurrectionem fratris tui Lazari, quia ego ipse per me eam præstare valeo, sum enim resurrectio, & vita; resurrectio mortuorum; & vita viuentium; mortuos à morte excito, & viuentibus vitam concedo.

Christus se ostendit resurrectionis auctorem.

101. Chrysol.

Secundò. D. Chrysolog. serm. 63. *Quid est*, ait, *ego sum resurrectio? Et non ego resuscito? Quid est quia suscepit hominem, suscepit mortem, vt qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitet omnes.* Quæ verba multipliciter sunt expendenda. Et primo: *Quid est, ego sum resurrectio?* In quibus verbis ostendit virtutem efficacissimam ad suscitandos alios, quia ipse in se suscitandus sit, bene enim demonstratur, quod quis valet alios in vitam traherè, qui prius sciuit ex mortis tenebris se absoluere; prius enim quilibet in se sentiat id, quod in aliis efficere curat, Ait Christus Petro: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, Luc. 22. num. 31. Ad orbis conuersionem destinabatur Petrus, non tamen iubetur adire, nisi prius ipse fit conuersus, conuersionémque experiatur: non enim aptus est ad orbis conuersionem, ad alioſque in vitam excitandos, nisi ille, qui prius conuersus est, séque ex morte Dei interueniente gratia ad vitam reuocauit. Arnold. Cannot. tract. de Verbis Christi: *Exurge*, ait, *& bibe de fonte misericordiæ, & aliquando conuersus confirma fratres tuos, & in eadem mensura, qua propinatum est tibi, remitte eis, & ad formam tuam, qui ceciderut, adiiciat, vt resurgat.*

Prius in se quis sentiat, quod in aliis efficere intendit. Luc. 22.

Arnoldus.

102. Chrysol.

Tertiò. Citatus Chrysologus: *Qui resuscitat iubendo vnum, resurgendo in se resuscitat omnes.* Christus Dominus præcepto suæ vocis vnum Lazarum è morte suscitat, at exemplo suæ resurrectionis, omnes reuocat ad vitam. Bonus prælatus, & *Praelatus vnū mouendo verbo, omnes exemplo informat.*

& si vnum suo mandato cohibeat, cunctos suis exemplis informet. Senior Tobias verbis filio dabat salutaria monita: *Audi fili mi verba oris mei*, 3. n. 2. At sepeliens mortuos, & iubens reddere furto ablatum, charitate, ac iustitia *cunctis erat in exemplum*, ait, Cardinalis Hugo: *Præcepto filium instruebat, exemplo vero cunctos informabat.*

Hugo.

103. Chrysol. Quartò. Citat. Chrysolog. *Ego sum resurrectio, & resurgendo in se resuscitat omnes.* Magnus princeps, qui taliter deuicta morte seipsum resuscitat, vt etiam à mortis tenebris vniuersos excitet, & reducat. Hæc sunt Dei dona, quæ sic vni dantur, ac communicantur, vt inde in multos deriuentur. Ad patentem Eliam, ait Deus: *Vade Vnges Hazaël regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges regem super Israël: Elisæum autem filium Saphat, vnges prophetam pro te*, 3. Regum. 19. num. 16. Ad tres vngendos mandatur Elias; Ipse autem ait textus: *Profectus Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum: cumque veniisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam.* Mandatum est Patenti Eliæ, vt tres vngeret, Hazaël nempe, Iehu, & Elisæum, & tamen solum dicitur quod Elias vnxerit Elisæum; cur etiam de vnctione aliis impensa non fit mentio? Illa vnctionis gratia à Deo veniebat, ac proinde cum à Deo esset, non poterat in vno sistere, sed inde ad alios transibat, illisque communicabatur, ac proinde cum vnus vnctus proponatur, multi etiam eodem vnctionis dono illustrati censentur. Theodoret. quæst. 58. *Si Prophetam vnxit*, ait, *eos spirituali gratia impertiit, ea etiam vnxit alios. Etenim Elisæus spirituali per eum accepta gratia obtulit illis charisma, & spirituali gratia eos impertiit.*

Dei dona sic vni communicantur, vt inde deriuentur in alios.

3. Reg. 19.

Theodor.

Ioan. 11. *n* 28. Et cum hæc dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

Num. 29. Illa, vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum.

Num. 30. Nondum enim venerat Iesus in Castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.

Num. 31. Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariã, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam dicentes: quia vadit ad monumentũ, vt ploret ibi.

VERSIONES.

Syriac. n. 28. Abiit vocatum Mariam sororem suam clanculùm, & dixit ei: Magister noster venit, & vocat te.

Arab. n. 29. Vt audit, surrexit festinans.

Arias n. 30. Nondum venerat Iesus in vicum.

Syriac. n. 31. Quinetiam illi Iudæi, qui erant cum ea domi, & consolabantur eam, vt viderunt Mariam citò surrexisse, & exiisse, abierunt post eam. Arbitrabantur enim eam abiisse ad monumentum, vt fleret ibi.

EXPOSITIO VIII.

104. *ET cum hæc dixisset, abiit*, ad vocandam nempe sororem suam, vt statim exprimitur: *Et vocauit Mariam sororem suam silentio.* Græcè, *clam*, submissa voce, in aure. Quod sine dubio fecit, vt notarunt D. Cyrillus, Leontius, Euthymius propter præsentes Iudæos, ne quis eorum audiret, nam si cognouissent, quod Maria exibat, vt occurreret Christo, ait Theophylact. *Abiissent, & carnisset testibus insigne miraculum.* Et Rupertus: *Non ignorabant*, ait, *Martha, & Maria, quia Iudæi eum nuper lapidare voluerant. Ne ergo irruentes inimici Magistrum solitis pulsarent iniuriis, vel ne currentes impedimento essent sibi cupientibus eius colloquio frui, silentio sororem suam vocauit.* Aitque Martha: *Magister*, Syriacus, *Magister noster adest*, gratissimum sanè Mariæ nuntium. *Et vocat te*, ex quo patet, vt docent D. Augustinus, D. Cyrillus, Theodorus, Mopsuest, Euthymius D. Bonauent. Beda, quod Christus Mariam vocauerit, licèt breuitatis causa hoc Euangelista prætermisisset, vel, vt inquiunt Theophylactus, Diuus Thomas. *Ipsam Christi præsentiam, vocationem Martha reputauit.* Christi enim præsentia efficaciter vocabat Mariam, sicut amor vocat amantem ad amatum.

Cyrill. Leont. Euthym. Theophyl.

Rupertus.

August. Cyrill. Theodoret. Euthym. Bonauent. Beda. D. Thom.

105. *Illa vt audiuit.* Præsentiam Iesus, & non quærit à sorore, quid ab ipsa Christus velit, sed cum se vocatam audierit, *surgit citò.* Statim se in viam dedit, & non præfatur ad eos, qui consolandi causa ad eum venerant, quamuis essent honorati viri; & cur Maria tam inciuilis Principum personis? cum esset amore vulnerata, statim oblitâ est vrbanitatis, decoris, & luctus, & cum nacta esset Christi præsentiam, omnia humana, ac temporalia præteriit, in vno Christo sibi erant omnia, cui præ omnibus vult honorem impendere. D. Basilius Seleucus serm. 2. de Lazaro: *Præceptore præsente*, ait, *humana omnia posthabuit, totáque in vnum hoc incubuit, vt suus Magistro constaret honos.*

Per Christo in quo sunt omnia, cætera nascula.

Basil. Seleuc.

106. *Nondum enim venerat Iesus in Castellum.* Vicum, seu pagum. Significatur, quo Mariam venerit; *sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.* In illo loco, seu agro vicino expectauit Iesus Mariam, & comites eius. Euthym. *Erat adhuc ibi*, ait, *docens eos, qui secum erant, & docendi prætextu expectabat illos, ne accedere videretur, tanquam gloriam à miraculo captans.* Vbique Christus suæ modestiæ, & humilitatis dat signa; illa autem mansio Christi extra pagum multos Iudæos conuocauit, coram quibus miraculum factum est, infra num. 42. Deinde mansit in eodem loco, quia Christus disposuerat adire ad sepulchrum Lazari, quod Iudæorum more erat extra pagum, & ideo mansit foras expectans Mariam, quia

Euthym.

quia fortè locus ille vicinior erat sepulchro. Nec ante miraculum, cuius gratia venerat, & quod in Dei gloriam erat faciendum, iuit Christus ad se refocillandum, docens, vt ante omnia studeamus perficere ea, quæ sunt præcipua, & in Dei honorem maximè cedunt.

107. Rupert. *Iudæi, qui erant cum ea, & consolabantur eam.* Nil tale de Martha scribitur? Rupertus lib. 10. in Ioan. Quando Martha surrexit, vt *Domino occurreret, non sunt secuti Iudæi; quando verò Maria exiuit vocante Martha, non vocantem Martham, sed solam Mariam sunt secuti, dicentes: quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi, cur hoc? Nisi quia Maria tenero magis affectu fratrem diligebat, & plus diligens, amplius dolebat. Non ergo mirum, quod accedente gratia Spiritus sancti, & cum hac naturali pietate superno munere coniuncto, Dominum Iesum tanto amore dilexit, quem plorans ad monumentum prima omnium mortalium videre, & Apostolis aternam consolationem nuntiare digna exiuit.* Naturali suauitati, ac teneritudini Magdalenæ erga fratrem Dei Gratia accessit; & inde suauitas illa Dei munere eleuata, tantorum donorum fecit mulierem capacem, vt Iesum ardentissimè diligens, resurrectionem eius prima post Virginem Mariam videre meruit. *Secuti sunt eam.* Dei prouidentia. Euthym. *Facti sunt testes miraculi, etiam non adsciti,* dicebant Iudæi: *Vadit ad monumentum.* Ecce quomodo fallitur humana cogitatio, illa non ad domum mortis, sed ad fontem vitæ ibat; *vt ploret ibi.* Fletibus indulgens. D. Augustinus tract. 49. *Vt doloris sui solatium lachrymis quæret.*

Suauitas in fratres aspiffima ad diuina dona excipienda.

Euthym.

Augus.

QVÆSTIO XII.

Quare Martha modò vocat Mariam. & non antea?

108. CVm Martha primò audisset Christi aduentum, *Occurrit illi; Maria autem domi sedebat.* Postquam verò cum Christo loquitur, &c. à quo resurrectionis fratris bonam spem accepit? *Abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. Illa autem vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum.* Cur ergo quando Martha prima vice audiuit Iesum venisse, non vocat sororem, nec verbum de Christi aduentu cum illa loquitur: postea verò sororem vocat, & cũ illa venit ad Iesum? Cur quæ sola primò venit ad Iesũ sola sine illa, postea non vult manere sola?

Ratio dissimulatis.

109. Basil. Seleuc. Respondet primò D. Basil. Seleuc. orat. 40. *Cur verò, ait, sororem non assumit, in occursum Christi itura? Vult eum seorsum nancisci, quodque venerat renuntiare. Vbi autem eas in spes meliores induxit Christus, tunc abiit Martha, & vocat Mariam, & occurrit Christo.* Cum Martha primo instanti occurrit, tristia, & dura ab eo putabat audiẽda fratris nempe mortem in flore iuuentutis suæ, & illius absentiam, earúmque vrbanitatem. At verò, cum postea pignus resurrectionis ex ore Domini accepit, *resurges frater tuus*, tunc indilatè sororem vocat. Bona Christi discipula, quæ tristia erant, sibi soli assumit, & ab eis vult sororem liberam esse. At postmodum, cum magnam spem de fratris resurrectione accepit, non valet sibi tantam felicitatem retinere, sed statim vocat sororem, vt tantum bonum illi communicetur, illiúsque particeps fiat.

Iustus sibi soli vult tristia, alios iucunda.

Secundò. D. Chrysol. serm 64. *Mittitur Martha*, ait, *ad Mariam, quia sine Maria, nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari. Veniat Maria, veniat materni nominis baiula, vt videat homo Christum virginalis vteri habitasse secretum, quatenus prodeant ab inferis mortui, mortui exeant de sepulchris.* Cùm Martha primò habet verba cum Christo, nõ vocatur Maria, at cum ad resurrectionem Lazari deuenitur, ipséque de morte excitandus erat, statim accersitur Magdalena, vt vbi vita, ac salus erat danda, interesset saltem nomen eius Maria, *veniat Maria, veniat materni nominis baiula.* Ne saltem sine Maria vita alicui communicari videretur. *Collum tuum sicut turris eburnea*, Cant. 7. n. 4. de B. Virg. est sermo, vt volunt Rupertus, & alij & cur ipsa cum gutture, seu collo comparatur? D. Bernard. Senens. serm. de nomine Mariæ 4. *Nam sicut*, ait, *per collum spiritus vitales a capite diffunduntur per corpus. Sic per Mariam omnia dona vitæ, & salutis in omnes diffunduntur.* D. Bernard. serm. 4 in vigilia Natiuit. *Nihil*, ait, *Deus nos habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.*

110. Chrysol. *Vita, & salus omnibus per Mariam communicatur.*

Cant. 7.

Bernard.

De Christo Domino ait anima sancta: *Ecce iste venit saliens in montibus*, Cant. 2. num. 8. Celerato cursu, & magnis saltibus venit, & tamen adhuc Regius Vates clamat: *Surge Domine, & tu arca sanctificationis tuæ*, Psal. 131. n. 8. Si Dominus veniebat, & tam concitato cursu, vt saltaret, cur adhuc Dauid magnis vocibus instat, vt surgat, & veniat cum arca sanctificationis suæ, quæ est B. Virgo Maria? Sciebat Regius Vates, quod quamuis ipse magnis saltibus veniret, disponebat tamen ad hominem non accedere, nisi per Mariam, nec sine Maria inueniri ab homine. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino*, Prouerb. 8. n. 35. Hesychius Hierosolymit. hom. 2. de Maria Deipara: *Surge, ait, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, quæ est haud dubiè Virgo Deipara. Si enim tu es gemma, merito illa est arca.* Gemma reposita est in arca, & ab ipsa arca in omnium salutem depromitur, ex Maria diffunditur salus in omnes.

111. Cant. 2. Prouerb. 8. Hesych.

Per Mariam ad nos dona veniunt.

De Æterno verbo decantatur: *Oleum effusum nomen tuum*, Cant. 1. n. 2. Oleum diuinitatis reconditum, & clausum erat, sic de eo celebratur: *Hortus conclusus, fons signatus*, Cant. 4. n. 12. A quo ergo effusum est oleum, & fons patefactus est? Petrus Damianus serm. de Natiuit. *Riuus olei de terra persudat, & in diuitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc? Nisi, quia vera pax in terris apparuit, nisi quia fons misericordiæ de Virgine emanat? Oleum effusum nomen tuum.* Oleum inclusum in vase cœlesti erat, fons vndique signatus extabat. At cum in vterum Virginis descendit, inde fons in omnes emanauit, oleúmque ipsum omnium bonorum in vniuersos effusum est, *fons misericordiæ de Virgine manat.*

112. Cant. 1. Cant. 4. Damianus.

QVÆSTIO XIII.

Quare Martha aduocat Magdalenam ad Christum, cum olim eam voluerit reuocare ab eius pedibus?

113. CVm olim Martha Dominum excepisset hospitio, & soror eius Maria contemplationi dedita ad Domini pedes sederet, ab illis eam intendit Martha reuocare, dicens: *Domine non est*

Ratio dissimulatis. Luc. 10.

tibi cura, quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet, Luc. 10. n. 40. Quomodo ergo nunc Martha Mariam ad Christum conuocat, *Magister adest, & vocat te.*

114. Respondeo ad quæstionem, Martha ad suam conuenientiam attendebat, vt frequenter solet fieri: olim Mariam voluit euellere à pedibus Christi, vt eam in suo labore haberet in adiumamen, in illis, quæ ad tanti Domini hospitium spectabant; nunc verò eam ad Christum aduocat, vt in precibus pro resurrectione fratris, quam Martha desiderabat, sociam obtineat; pro sui conuenientia Martha sororem à Christo vult disiungere, vt labori incumbat, pro suique conuenientia ad Christum adducit, vt pro fratre loquatur.

Pro sui commoditate quilibet operatur.

115. Postulat Christus aquam à Samaritana, cui illa eam denegando, ait: *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, qua sum mulier Samaritana? Non enim loquuntur Iudæi Samaritanis*, Ioan. 4. num. 9. Postea verò cum à Christo audisset se habere aquam saturantem in æternum. *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Mulier desidetio tantæ aquæ prouocata, vt notant D. Augustinus, N. D. Cyrillus, ait: *Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire*, ibidem num. 15. Modo retrahebat se à Christi colloquio, iam verò non solùm cum eo loquitur, sed etiam ab illo petit: *Da mihi hanc aquam.* Pro sui conuenientia agebat Samaritana, negabat verbum, & aquam, ne eam è puteo extrahendo fatigaretur, dat verba, & postulat, vt molestias illius itineris, ac exhaurienti aquam vlterius non patiatur.

Ioan. 4.

August. Cyrill.

Pro sui commoditate dat, & negat sermonem Samaritanæ.

116. Interfecto Goliath, illius arma posuit Dauid in tabernaculo suo, gladium verò in templo Domini, 1. Regum cap. 17. num. 54. In perenne monumentum tam glorioſi triumphi, vt ibi commentantur Lyran. Abulens. Carthusianus, & alij; postea verò cum expostulasset hastam, vel gladium à Sacerdote, qui dixit ei, quod non erat ibi alius gladius nisi Goliath, ait ei Dauid: *Non est huic alter similis, da mihi eum*, 1. Regum 21. num. 9. Cum Dauid iudicauit sibi conueniens gladium appendere in templo, illum ibi reposuit, in perpetuum monumentum; multum abundabant Saulis arma; at verò cum inermem se vidit Dauid, conueniens visum est, vt illa arma sibi assumeret, vt à suis hostibus se defenderet.

1. Reg. 17.

Lyran. Abulens. Carthus. 1. Reg. 21.

Ioan. 11. *n.* 32. Maria ergo cum venisset, vbi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius, & dicit: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

Num. 33. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit se ipsum.

VERSIONES.

Syriacus n. 32. Cùm venisset vbi erat Iesus, vt vidit eum, procidit ad pedes eius, & dixit ei: si hic fuisses Domine mi.

Arabicus. Cecidit ad pedes eius adorãs

Theophylact. Accidit ad pedes eius.

Syriac. n. 23. Iesus verò quum vidisset eam flentem, & Iudæos illos, qui venerant cum ea flentes, infremuit spiritu suo, & turbauit se ipsum.

D. Augustin. tract 49. Fremuit spiritu.

Arabicus. Infremuit spiritu, & commotus est in seipso.

Vatablus. Et conturbauit se ipsum.

EXPOSITIO IX.

VIDENS eum. Indicant verba, quod cum Maria eum aspexisset, sine vlla mora Christo reuerentiam exhibet præsentium Iudæorum inuidiam, ac odium contemnens. D. Chrysostomus: *Vehementius, quam soror amabat, neque turbam veuerita est, neque opinionem, quam de eo Iudæi habebant, sed omnem humanum affectum expulit Magistro præsente, & hoc vnum curabat, vt Magistrum veneraretur.* Præ suo eximio amore *cecidit ad pedes eius*, quod de Martha non legitur, *ad Christi pedes* suum locum occupat Maria. Rupertus: *Cecidit ad pedes eius dolore fratris pariter, & amore Christi saucia.* Ad pedes Christi obtinuit veniam peccatorum, ad eius pedes sperat impetrare fratris vitam, suæ felici viæ instanter adhæret Magdalena. *Domine si fuisses hic.* Eadem verba cum Martha dixit, sed maiori fide, vt volunt D. Cyrillus, Maldonatus. Quia Maria Christum non solùm credebat virum sanctum, vt Martha, sed etiam verum Deum, à quo obtinuit suorum peccatorum remissionem, illa tamen dixit ex simplici affectu, & quia cùm esset domi cum sorore, frequenter ambæ hæc verba loquebantur, si Magister adesset, frater non fuisset mortuus, breuius Martha loquitur. Rupertus: *Lingua conticuit, cætera lachrymis vberius peregit.* Lachrymarum negotiatio efficacissima.

117. Chrysost. Cyrill. Maldonat. *Via facilis, at vtili insistendum.* Rupert.

Iesus ergo vt vidit eam plorantem. Mariam scilicet, *& Iudæos, qui venerant cum ea plorantes.* Iesus omnibus omnia factus, & dolentibus condolens, ac patientibus benignè compatiens, non respondet verbis; sed *infremuit spiritu.* Id est fremitum, ac sonitum indignantis edidit. *Spiritu*, id est interius, ac intimis animi sensibus; quem tamen hunc affectum aliquo signo, voce, ac clamore indignantis exterius ostendit, quo significauit suum dolorem animi. *Turbauit se ipsum.* Turbatio hæc motus est corporeus interior, quo viscera commouentur ad compatiendum, qui prorumpit vsque ad mutationem vultus, vocis, & habitus, & sæpe lachrymas excitat; hic autem affectus tristitiæ, ac condolentiæ non fuit in Christo sicut in nobis inuoluntarius, sed sponte, ac alto consilio illum assumpsit, vt latius explicat. quæst. 15. vbi explicabo: Quod fremitus, seu indignatio illa extitit in mortem, ac in incredulitatem Iudæorum; turbatio verò, seu affectus condolentiæ ob eximium amorem erga amicos.

118. *Quid sit fremitus.*

QVÆSTIO XIV.

Quare dicitur, quod Dominus vidit Mariam, & Iudæos plorantes?

119. Euthym. VT hoc modo Dominus denotetur ad pietatem, ac benignitatem inclinatus. Euthymius: *Solent*, ait, *qui humani sunt, alios videndo lachrymantes excitari ad misericordiam.* Alienæ lachrymæ lachrymas prouocant, & excitant. Siccis oculis stabant filij Iudæ maiori ex parte, vt probat Paschasius lib. 1. in Threnos, videntes deuastationem Ierusalem, & ideo dicitur, *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.* Incipit tamen Ieremias eius desolationem magno fletu plangere. *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo?* Threnorum 1. num. 1. Quid inde subsecutum est: n. 11. *Omnis populus eius gemens.* Ex planctu Prophetæ omnes ad planctum prouocantur. Citatus Paschasius: *Vide*, ait, *quid profuerit, quod Propheta se non plangentem Ierusalem planxerit, nunc tam gemens omnis populus eius profertur.*

Aliena lachrymæ lachrymas excitant.

Thren. 1.

Paschas.

120. Dicitur quod viderit eos plorantes, vt ostendatur, quod sororum lachrymæ diuinam misericordiam valuerunt flectere, vt quatriduanum fratrem in vitam reuocaret; lachrymarum effusio diuinæ pietatis effusionem maximè solicitat. Si Christus Dominus ad preces Archisynagogi filiam suscitauit, Matth. 9. num. 18. Et ad lachrymas matris viduæ inclinatus filium reuocat in vitam, Luc. 7. num. 15. Quomodo ad orationem Marthæ, & ad lachrymas Magdalenæ, quæ amore, & obsequio multum erga Dominum promerebantur, fratrem è mortis tenebris non euocaret? Pietas enim, quæ illis minoribus est concessa, his excellentioribus non fuit deneganda, hinc Dominus statim ad sepulchrum pergit, vt fratrem rediuiuum sororibus largiatur.

Matth. 9.

Luc. 7.

Quæ minoribus datur excellentioribus non sunt deneganda.

121. Cum sancto Regi Ezechiæ denuntiata esset mors impendens ab Isaia; ille tamen multa lachrymarum copia profusa promeruit, vt in Dei nomine ipsi regi Propheta denuntiaret: *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas, ecce sanaui te, & die tertio ascendes in templum Domini.* Quo audito ait Rex ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit? *Cui ait Isaias: Hoc erit signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: vis vt ascendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* 4. Regum 20. num. 9. Cur propheta non solùm promittit signum, sed etiam dat optionem regi, vt ipse eligat signum? Nunquid sanctus non crederet signo dato à Propheta? Minimè hoc dici potest, ad quid ergo ei offertur, vt ipse determinet signum? Animaduertendum est, quod Regi Achaz parenti Ezechiæ, cum idē Isaias c. 7. n. 10. denuntiasset victoriam de susinimicis, in qua re, vt eum Propheta maximè firmaret, ait illi: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra.* Idololatriæ parenti ex diuina pietate offertur signum pro firmitate promissi, hinc & filio fideli huiusmodi gratia pro adepta sanitate concedenda fuit, ne magis improbitati Achaz, quam probitati Ezechiæ Deus indulgere videretur. Gaspard. Sanchez ad citatum lib. Regum: *Sicut fecerat Isaias cap. 7. Eius parenti Achab optionem dat, maligne vmbra ascendat decem lineas, aut vt totidem gradus redeat retrorsum.*

4. Reg. 20.

Isai. 7.

Quod improbo concedi-tur, probo non denegetur.

Sanchez.

Cum Lia quatuor filios peperisset marito suo Iacob. Tunc cernens Rachel, quod esset sterilis, *inuidit sorori suæ.* Et maximè flagrans filiorum desiderio obnixè petit à marito suo, vt Balam ancillam suam in coniugem assumat, vt saltem ex illa prolem suscipiat, vt sterilitatis probrum auertat, cuius optatis Iacob acquieuit. *Deditque illi Balam in coniugium, quæ ingressa ad se viro concepit, & peperit filium*, Genes. 30. num. 4. Tunc Lia omnibus modis solicitat, vt maritus habeat etiam in coniugium ancillam suam Zelpham. Quod Iacob detractare noluit. *Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.* Valde mirum, Iacob iam tres habebat vxores Liam, Rachelem, Balam, ad quid ad se vult introducere quartam, & eam inter vxores alere, quod etiam alicui maleuolo, ac improbe erit occasio, vt Iacobus incontinentiæ notari possit? vt scribit D. Augustinus lib. 16. de Ciuitate cap. 38. Cur ergo sanctus Patriarcha non obsistit rogatui Liæ, sed illi facilè acquieuit? Prudenter quidem Iacob noluit vxori fœcundæ durè negare, quod infœcundæ blandè concesserat, non enim æquum erat, vt plus infœcundæ Racheli liceret *inuidiæ* æmulationis priuilegio, quam fœcundæ Liæ multiplicandæ prolis voto, ideo quod Racheli datum est, fœcundæ Liæ libenter annuendum fuit.

Quod infœcunda promeruit, maiori iure obtineat fœcunda. Auguſt.

QVÆSTIO XV.

Quare Christus infremuit spiritu, & turbauit seipsum?

113. INFREMVIT *spiritu.* Affectus indignationis internæ denotatur signo aliquo externo, vt voce, clamore, significato. *Turbauit se ipsum*: affectum condolentiæ, ac commiserationis dicit super mortem, & lachrymas amicorum, qui actus fuit in Christo absque aliquo inordinato, incomposito, ac inuoluntario motu, sed summa prudentia, ac voluntate ipse sic ordinans, disponens. D. Augustinus tract. 9. in Ioan. *Turbaris*, ait, *tu nolens, turbatus est Christus, quia voluit, contristatus est, quia voluit, in illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici.* D. Bernard. serm. 2. de S. Andrea: *Christus*, ait, *se turbauit, non conditionis necessitate, sed sua beneplacito voluntatis.* Ad quæstionem.

Fremit, ac turbatur Christus voluntarie. Auguſt. Bernard.

114. Respondeo primò. Fremitus iste, & indignatio, extitit in mortem, & in Diabolum, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum, quæ tanti luctus, ac fletus extitit causa. Ita D. Cyrillus, Augustinus, Beda, Lyranus, Iansenius. Deinde magis particulariter, ac propriè ad præsentem rem, fremebat, hoc est indignabatur contra infidelitatem Iudæorum, propter quam Lazarus mortuus est, & his sororibus sanctis tanta molestiæ causa data est. Nam mors hæc accidit, vt filius Dei manifestaretur, quæ manifestatio necessaria non esset, si Iudæi iam tantis signis, & miraculis à Christo editis conuersi fuissent, nec mors Lazari permissa esset, si illi credidissent. Ita D. Thom. Tolet. Luc. Burg. Cornel. à Lapide. Et primò *infremuit* Iesus, deinde *turbauit se ipsum*; seruans consuetum hominum modum, solent enim homines, quando amicum vident alterius iniuria afflictum, prius indignari aduersus eum, qui afflictionis causam dedit, deinde amico afflicto condolere.

Cyrill. D. Auguſt. Beda. Lyran. Ianſen.

D Thom. Toletus. Burgenſ. Cornel.

125. Chryſoſt. Leont. Euthym. Theophyl. D. Thom. Bonauent.

Secundò. D. Chryſoſtomus homil. 61. *Noverat Chriſtus*, ait, *lachrymas excitare & affectum arguere. Illa enim particula*, Infremuit ſpiritu, *motum illum cohibuiſſe ſignat, & ait*: Vbi poſuiſtis eum? ne *flendo interrogaret.* Quod etiam docent Leontius, Euthymius Theophylactus, Albertus Magnus, S. Thomas, D. Bonauent. qui fremitum hunc ſic exponunt eſſe cohibitionem, ac veluti quandam vim, qua commiſerationis affectum repreſſit Chriſtus; voluntariè enim huiuſmodi affectum permiſit naturæ, voluntariè, ac generosè illum cohibuit, ne vlterius prorumperet, & in lachrymas modo ſe effunderet, has enim reſeruabat, cum ad ſepulchrum Lazari perueniret. Hunc affectum permiſit Chriſtus, ait D. Thomas, tum ad probandam veritatem humanæ naturæ; tum etiam, *dum triſtatur cohibet ſe ipſum, vt doceat modum ſeruandum eſſe in triſtitiis.* Multis malis preſſus Iob rogabat: *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum*, cap. 10. num. 20. Grauiter dolet, ob filios demortuos, ſubſtantiam, ac ſalutem deperditam, & tamen breuiter vult flere, cur non potiùs per totam vitam? ſciebat lachrymis modum ponendum eſſe. Vnde ait Eccleſiaſticus 22. n. 11. *Modicum plora ſupra mortuum.*

In triſtitia modus ſeruandus eſt.

Iob. 10.

Eccleſ. 22.

126. Theophyl.

Aduertam hic, quod Theophylactus per ſpiritum intelligit diuinitatem, id eſt, quod Chriſtus Dominus ſpiritu, ſua diuinitate, potenter nempe, quaſi fremendo cohibuit lachrymas, ac commiſerationis affectum, qui in ipſo ob fletum Mariæ, ac Iudæorum excitabatur, ne vltetius in lachrymas ad ploratum prorumperet.

127. Euſeb.

Tertiò. Euſebius Gallicanus homil. ad hæc verba: *Infremuit*, aic, *id eſt ingemuit, vt doceret nos ſuper peccantes gemere.* Ad conſpectum Iudæorum, qui erant in peccato plorantium, ingemuit, ac turbauit ſe Ieſus, vt nobis manifeſtetur, quantum ſit de iniquorum peccatis dolendum, quam iunctáque ſit turbatio cum impiorum præſentia. Cum Chriſtus Dominus loqueretur de ſua morte, ac regno cum diſcipulis ſuis. *Cum hæc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu*, Ioan. 13. num. 21. Poſtea ſubdit Euangeliſta: *Cum ergo exiiſſet Iudas, dixit Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis*, Ioan. 13. num. 31. Cur antea loquens de regno, ac morte turbatus eſt, tunc verò dicitur clarificatus? P. Baëça tom. 3. de Chriſto figurata lib. 7. cap. 10. §. 16. *Antea aderat nequiſſimus Iudas, cuius ſocietas turbationes mille etiam in pectoribus validiſſimis poterat parturire; idque voluit oſtendere Chriſtus, verum illo abeunte turbatio omnis abit, & ſerenitas intrat.*

Ex commixtione iniquorum turbatio

Ioan. 13.

Baëça.

128. Chryſol.

Quartò. D. Chryſologus ſerm. 65. *Fremit vita*, ait, *vt mors fugetur, fremit Deus, vt refingat homo; fremit Chriſtus debellans mortem, quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Res valde mirabilis, ſuſcitat Chriſtus filium viduæ, ac filiam Archiſynagogi, & non fremit dans gemitum, nec lachrymatur, vt factum vidimus, cum amicum ſuum Lazarum iam horrido ſepulchro clauſum in vitam vocat: quænam huius gemitus cauſa? Vitam dat Chriſtus vnico viduæ, etiam Parens Elias vnico viduæ vitam infundit; puellam mortuam Chriſtus patribus reſtituit viuam; etiam Eliſæus iacentem filium reſtituit rediuiuum parentibus; at verò Lazaro ſepulto, & iam fœtido vitæ infuſio, ſingulare quid eſt; & nullum in aliis miraculis ſimile. *Quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Sic deuiat diuinus Magiſter ſingularitatem, vt cum ob altiſſima motiua ad actum ſingularem deuenit, tunc fremit, id eſt gemit, turbatur, vt ſuo tanto exemplo maximè informet ſingularitatem fugere, & declinare. Vide tom. 3. cap. 1. quæſt. 19. num. 128. & 129.

Singularitas fugienda.

129. Chryſol.

Quintò. D. Chryſoſtomus ſerm. 64. *Chriſtus*, ait, *voce ſua, voce vna, omnes eſt mortuos perpetuam ſuſcitaturus ad vitam. Fremit ſpiritu, & tota ſe viſcerum commotione conturbat, quia adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat.* Rem ſic explico: Tanquam inter duos ſcopos altiſſimus Chriſti animus pro noſtra eruditione verſari ſe oſtentat. Hinc inuitabat amor, quem Iudæorum, & ſororum lachrymæ laceſſebant, vt amicum Lazarum reſtitueret in vitam, hinc principis dignitas, æquitáſque à tanto ſingularitatis beneficio effrænabat. Nam cum Chriſtus exiſteret viuorum, ac mortuorum rex, regium æquitatis ius exigebat, vt non ad vnum dumtaxat contraheretur potentia, & liberalitas, ſed vt ad omnes ſuſcitandos perueniret. Hæ rationes inter ſe decertabant. Cùm ergo adhuc non eſſet tempus conſtitutum à Patre, vt reſurrectionis largitas in omnes ſe extenderet, & aliunde tanta beneficentia pro tunc vno Lazaro ex multiplici ſuperno motiuo eſſet largienda; hinc diuinus Magiſter fremit, gemit, ac exteriori vultus immutatione turbauit ſe ipſum, vt tali exteriori ſigno declararet, quam horrida beneficij ſingularitas debeat Principi apparere, & quod in eam non deueniat niſi vrgenti ratione præmotus, ac compulſus.

Singularitatem fugit Princeps in ſuis donis.

130. 1. Reg. 9.

Valde diuerſimodè vngitur Saul, & Dauid à Samuele. Ecce modus vnctionis Saul: *Cumque deſcenderent in extremam partem ciuitatis, dixit Samuel ad Saul*, 1. Regum 9. num. 27. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius*, cap. 10. num. 1. At cum ad Dauid deuenitur: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius*, 1. Regum 16. num. 13. Maximè notanda differentia, qua vterque auguratur in Regem. Saul in extrema parte ciuitatis. Dauid verò in medio fratrum. Locus medius æquitatis, & iuſtitiæ ſedes eſt; nam qui medium tenet æqualiter ab omnibus participatur; extremus verò ſingularitatis nota eſt, magis enim in vnam partem, quàm in aliam inclinatur. Ecce infauſtum omen regni Saulis, in extrema ciuitatis parte aſſumitur ad regnum, tanquam factioſus, & ſingularitatis acceptor futurus, indéque regnum in ſe, ac ſuis facilè corruendum demonſtratur: feliciter autem Dauid coronatur in medio fratrum, vt iuſtitiæ, ac æquitatis iura ſeruans, cuius ſedes exinde ſtabilitate perpeti firmanda erat. D. Gregorius in 1. Regum cap. 16. *In medio fratrum vngitur*, ait, *vt tanta vnctionis fieri participes omnes poſſint. Qui enim in medio ponitur, ab omni parte videtur.* Poſt pauca: *In medio vngitur, vt ſe priuato amore non diligat: ſed ex omni, quod præminet, lucra aliorum quærat; vnde & Saul ſolus in extrema parte ciuitatis vnctus fuiſſe perhibetur. Quid eſt enim quod ſolus à ſolo vngitur, niſi quia de culmine poteſtatis per amorem priuatum deberet intumeſcere?* Vide ſuprà cap. 3. num. 10. 11. & 12. & cap. 24. n. 6. 7. & ſæpè variis in locis.

Vt regnum ſeruetur, præceptum ſit particulare.

Gregor.

131. Ioan. 11. n. 34. Et dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine veni, & vide.

Num. 35. Et lachrymatus eſt Ieſus.

Num. 36. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.

Num. 37.

Num.37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: nonne poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur.

VERSIONES.

Syriac.n.34. Domine noster, veni, & vide.

Syriac.n.35. Et obuenerunt lachrymæ ipsi Iesu.

Syriac.n.36. Dicebant Iudæi: videte quantum amabat eum.

Theoph.n 37. Qui aperuit oculos cæci illius nati.

Arabicus. Effice hunc quoque non mori.

EXPOSITIO X.

132. *ET dixit eis.* Loquitur non solùm cum Martha, & Maria, sed etiam cum omnibus domesticis, vicinis, ac amicis astantibus, omnes erant plorantes, ne aliquis videretur contemptus. *Vbi posuistis eum?* Omnes Patres, & Doctores planè conueniunt, quod optimè sciebat Christus locum sepulturæ, interrogat tamen ex mysterio, vt pararet viam ad suscitationem Lazari, ad tantúmque miraculum omnium attentionem excitaret. *Dicunt ei: veni, & vide*; prærierunt ostendentes sepulchrum: fortè sperabant, vt ille, qui exteros suscitabat, amicum, & domesticum suum Lazarum euocaret in vitam. Vnde ait Interlin. *Veni*, id est, *miserere*; nam vt ait D. Augustin. *Quos vidit Dominus, miseretur.* Aliter verò quod est magis ad literam, D. Chrysost. Theoph. D. Thom. Hugo, arbitrabantur ipsum velle videre sepulchrum, vt deploraret amici mortem. Theophyl. *Neque illuc putabatur venisse, vt suscitaturus eum, sed vt deploraturus, dicunt ei veni, vide.* Tamen diuina pietas plus vult impendere, quam homines cupiunt, ac cogitant, intendens Lazarum de mortis tenebris soluere.

Interlin. Augustin. Chrysost. Theoph. D. Thom. Hugo.

133. *Et lachrymatus est Iesus.* Mox, vt Christus protulit illud verbum, *vbi posuistis eum?* Lachrymas effudit, vt notarunt D. Chrysostomus, Toletus, Lucas Burgens, permisit enim passionibus indignationis, tristitiæ, ac condolentiæ, vt in lachrymas soluerentur, quemadmodum solent homines affectus tristitiæ interioris, ac commiserationis lachrymis testari.

Chrysost. Toletus. Luc. Burg.

134. *Dixerunt ergo Iudæi*, videntes eius lachrymas, vt aduertit Euthym. *Ecce quomodo amabat eum.* Vox est admiratiua magnitudinis dilectionis Christi erga Lazarum, cuius testes, ac indices erant lachrymæ. Et si à paucis lachrymis Christi amorem erga Lazarum colligunt, quam iustius hunc erga nos colligere debemus ex totius sanguinis effusione? Nam in horto, vt ait D. Bernard. *Toto corpore flore visus est. Factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*, Luc.22.

Euthym. Bernard. Luc.22.

135. *Quidam autem ex ipsis dixerunt.* Quidam vt superiori versu vidimus, admirati sunt de eximio Christi amore; alij verò minus bene affecti erga Christum sic dicunt: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati.* Seu vt alij legunt: *Illius cæci nati.* Tanquam si dicant: Cur tristatur de Lazari morte? Longè difficilius, ac mirabilius est, cæco nato oculos dare, quam ægrotum sanando à morte seruare; ergo si ipse concessit oculos cæco nato, cur Lazarum ægrotum à morte non præseruauit? Cur tamen sic calumniantur, adhuc ipse iuxta sepulchrum erat, & ab illo non discesserat? Cur non expectant rei exitum, vt videant, an amicum valeat suscitare? Sanè tam præceps est iniquorum ingenium, quod nesciat expectare, sed festinatissimum sit, vt ad quamuis occasionis vmbram malum valeat admittere, vel præsumere, vt notauit D. Basilius Seleuc. orat.42. *Fatentur*, ait, *aperuisse cæci oculos, & antequam ad monumentum adeat, aut virtutem exprimat, non expectato rei exitu calumniæ in eum iacere præsiliunt.* Iesus autem noluit ægrum sanare, multo enim malus decreuerat facere, quatriduanum nempe suscitare: D. Augustin. *Qui noluit facere, vt non moreretur, plus est, quod facturus est, vt mortuum suscitaretur.*

Maligni non expectant finem, vt calumniam emittant. Basil.

Augustin.

QVÆSTIO XVI.

Quare Christus interrogat locum, in quo Lazarus iacebat?

PLANVM est apud omnes Patres, & Expositores, quod Christus Dominus optimè sciebat locum, in quo Lazarus erat sepultus, vt ait D. Aug. tract.49. in Ioan. Qui enim absens scivit esse mortuum, præsens apertè sciebat locum, in quo sepultus erat: ex magno mysterio interrogat Dominus: *Vbi posuistis eum?*

136. *Ratio dissentientis.* Augustin.

Respondet primò D. Hieronymus in cap.11. Matth. in princ. *Saluator interrogat*, ait, *vbi positus sit Lazarus, vt qui locum sepulchri indicabant, saltem sic parerentur ad fidem, & viderent mortuum resurgentem.* Cum optimè Dominus sciret locum sepulchri interrogat, vt illi magnopere præparentur ad fidem, cum viderent suscitatum, quem antea in sepulchro iacentem agnouerant. Proprium Saluatoris magis suorum saluti, quam propriæ auctoritati consulere, nec recusat apud aliquos in ignorantiæ notam incurrere, dummodo suos lucrifaciat. Vide suprà cap.8. n.55. & cap.23. n.4. & 38.39.

137. Hieron. *Christus magis consulit suorum saluti, quàm suæ authoritati.*

Secundò. Theophylactus ex D. Chrysost. *Vult omnia*, ait, *ex eis discere, ne se ipsum miraculo temerè ingerere videatur, sed exoratus facere, quo & omnis suspicionis signa tollat.* Humano modo se veluti ignorans agit, vt ordinatè ad perpetrandum miraculum accedat, ne locus alicui fraudis suspicioni relinquatur, vt ne dicant, quod alius pro Lazaro suppositus est, si vltro ipse tanquam ad iam antea sibi notum locum iret; non enim oportet solum rectè agere, sed etiam omnis occasio sinistræ opinionis amputanda est. Vide suprà cap.2.num.13. & cap.3.num.41.

138. Theoph. *Occasio mala opinionis amputanda.*

Tertiò. Seuerianus & moraliter, vt refert II Greg. lib.8. epist.42. ac si per mysterium exprobrasset Dominus mulieribus suæ culpam, veluti dicens, ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulchro. Ex manu Dei habet homo paradisum, ex mulieris manu mortem, & sepulturam. Quartò. Ammonius in Catena Græca: *Vbi posuistis eum*, ait, *tanquam minimè iactabundus id dicis, propter humanæ naturæ humilitatem se ignorare dissimulo*

139. Seuerian. Gregor. Ammon.

Christus alicuius defectus vult cooperire, homines manifestare.

dissimulabat. Lazarus in monumento peccatorem multis delictis sordidum figurat. Vbi sit sapiens Dominus interrogat, quasi ignoret locum; & valdè lento gradu procedit, multúmque cunctatur per tres dies colloquia, ac interrogationes interponit, vt ne reuoluto lapide fœtor, ac turpitudo hominis, in quo denotatur eius mala fama peccatorum, euulgari possit. Domini enim ingenium est omnium deformitates cooperire, & nullius malefacta reuelare, & ideo vt indicet, quantum distet à criminum manifestatione, ostendit se locum ignorare, in quo hominis turpitudo, ac fœtor declarandus erat. E contra verò homines valdè proni sunt ad euulganda aliorum scelera, & ideo citò ac celeriter respondent. *Veni, & vade.* Veluti impatientes, vt se à propalatione peccatoris contineant. Vide multa in Indice v. *Defectus*, hoc tom. 1. 2. ac 3.

140. Hieron.

Quintò. D. Hieronymus lib. de vera Circumcis. *Et hic*, ait, *turbatus Iudæis deitatem celat in homine, & splendori diuinitatis in tanta operationis coruscatione, ignorantiam mortalitatis obducit, vt cum possit in suscitando Lazaro Deus adorari, homo in sepulchri eius ignoratione vilescat.* Ante gloriosissimum opus quasi ignorantiam, ac turbationem quoad speciem ostendit, & cur hæc præmittit? Diuinus Magister magnæ virtuti manifestandæ in mortuo quatriduano è sepulchralibus fasciis soluendo, humilitatis, ac ignorantiæ velamen obiicit, sic erat humilitatis studiosus, vt cum necesse esset, vt pro Dei gloria eximia virtus in publicum prodiret, eam tamen infirmitatis luto operiebatur, vt si miraculum sæculis retro inuisum extorqueret applausum, interrogatio quasi ignorantiam indicans suaderet despectum: sic edebat magnalia, vt eis humilia associaret, vt nos doceat, etiam in magnis, ac præclaris humilia sectari, eáque maximè publicare.

Virtus occultanda.

Magnitudo cum humilitate sociãda.

141. 1. Cor. 11.

Regale conuiuium Eucharisticum parauit Iesus suis discipulis, de quo scribens Paulus 1. Cor. 11. n. 26. ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Eucharisticum Sacramentum magnum totius Diuinitatis opus, in quo verbis Sacerdotis corpus, & sanguis Christi cum tota Diuinitate producitur sub modico pane; cur ergo non iubet Dominus annuntiari suam Diuinitatem, potentiam, ac dominationem, cur solùm mortem? Verum est, quod in Eucharistico opere relucent diuitiæ diuini amoris, thesauri diuinæ sapientiæ, ac magnitudines omnipotentiæ. Tamen vt ibi explicat Remigius: *in suo regali conuiuio suam mortem mandat annuntiari, & prædicari.* Humilitatis Magister cum maximè regale, ac magnificum opus institueret, non patitur, vt absque memoria, & repræsentatione humilitatis suæ mortis consistat, sed inter tanta magnalia ordinat, ac disponit, vt eius mortalitas, ac infirmitas præoculis habeatur: *Mortem Domini annuntiabitis.*

In magna celsitudine humilitas vertis. Remigius.

142. Genes. 32. Osee 12.

Cùm luctaretur Iacob cum Angelo, ab eo postulat benedictionem. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, Genes. 32. n. 26. Iacob victor extitetat; nam Angelus superare non potuit. Imò vt ait Oseas 12. n. 4. *Exaluit ad Angelum, & confortatus est.* Si ergo ex luctamine victor ac validior, cur ab eo, quem superauit, benedictionem expostulat? cum magnitudine tantæ victoriæ bene ex altiori instinctu se illi inferiorem agnoscebat Iacob, & quamuis se videret victorem, bene humilitatem suæ conditionis mente tenebat, vnde ab eo tanquam maiori benedictionem petit. Fuit D. Hilar. lib. 5. de Trinit. *Quid est istud*, ait, *quod imbecillum orat, quod ab infirmo expectas? hunc cuius benedictionem rogas, complexu tuo validior elidis.* Et cum tanto trophæo humilitatem connectit, vt ab eo benedictionis donum exquirat.

Iacob victor inferioris personam agit.

QVÆSTIO XVII.

Quare Christus Dominus lachrymatur?

143. Beda. Chrysost. August.

RESPONDET primò Beda: *Fleuit Dominus*, ait, *est hominum consuetudo charos suos mortuos lugere.* Idem docent Diuus Chrysostomus homil. 62. D. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 9. Vt suum amorem erga Lazarum declararet, doloremque conceptum ex eius morte, quo vt verus homo mouebatur, inde de hominum more lachrymatur. Secundò. D. Ambrosius lib. 4. in Lucam in fine proœmij, *Christus*, ait, *omnibus omnia factus est, pauper pauperibus, flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, profusus abundantibus. In carcere cum paupere est, cum Maria flet, cum Apostolis epulatur, cum Samaritana sitit.* Flebant alij, *vt vidit eos plorantes.* Inde vt conformaretur aliis præsentibus, etiam ipse lachrymatur, & plorat.

Ambros.

Confirmandum cum alijs.

144. Zeno.

Tertiò. D. Zeno de Lazaro suscitato serm. *Flebat Dominus*, ait, *non quod ante se mortuum periisse cognosceret, sed quod fluentum fletibus temperaret, & quia ipse fororum fletibus mouebatur, lachrymis filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cœlos Pater flectebatur.* Primùm expende illud, *flebat, quod fororum fletus temperaret.* Nostris lachrymis, ac doloribus magnum applicatur leuamen, ac temperamentum ex Iesu lachrymante, ac dolores patiente, ex meditatione nempe passionis Christi in nostris laboribus magnum accipimus leuamen. Deinde, *Quia ipse fororum fletibus mouebatur*, &c. Lachrymæ Christi maximè Patri gratæ, & acceptæ erant. Tamen vt nobis detur documentum, quod qualis homo extiterit proximo suo, talis Pater Deus illi se exhibebit, hinc ait Zeno: *Et quia ipse fororum fletibus mouebatur, lachrymis filij sui Saluatoris nostri inter ipsos cœlos Pater flectebatur.* Quia lachrymæ illæ ex compassione flentium dimanabant, inde pro nostra eruditione quodammodo ex alio titulo dicuntur accepæ, vt dicatur, quod ad illas inter ipsos cœlos Pater flectebatur.

Ex Christi passione leuamen nostris Laboribus.

Qualis homo proximo, talis illi Deus.

145. Rupert.

Quartò. Rupertus lib. 10. in Ioannem: *Lachrymatus est*, ait, *non tanquam quod mortuus esset, quam quod reuocaret illum oportebat ad tolerandas rursus huius vitæ miserias.* Idem habet Isidorus Peluſiota lib. 2. epist. 173. quia Lazarus excitandus erat ex quiete mortis ad labores præsentis vitæ, inde plorabat Christus.

Mors quies, quia labor. Peluſiota.

146. Ambros.

Quintò. D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 10. *Turbatus est autem*, ait, *sicut habes in Euangelio, quia turbauit se spiritu, cum Lazarum resuscitaret, & ibi fleuit, vt prius lachrymis suis mortui delicta lauaret.* Festinabat Dominus, vt amicum suscitaret; tamen prius cunctatur, & lachrymas effudit; vt mortem à Lazaro expellat, prius curat eius culpas lachrymis exsufflare, *fleuit vt prius lachrymis suis mortui delicta lauaret.* Docens nos ad mortem, ac mala temporalia excludenda, maximè necessarium esse à culpis, ac delictis mundari; nam purificata conscientia, statim omnia bona amissa recuperantur.

Vt expellat mala temporalia, purificat animam.

Sextò.

147. Arnold. *Anima per pœnitentiam resurgitur in vitam.*

Sextò. Arnoldus Carnotens. tract. de operibus sex dierum: *Dives in misericordia Deus*, ait, *magna voce quatriduano iam fœtido clamat, Lazare veni foras. Infremuit, clamauit, & fleuit, intimans rationabilibus animis, quam sit efficax fletuum pluuia, & pœnitentiæ tremor, & confessionis clamor: quæ supplicatio non repellitur, imo obtinet veniam scelerum, & statim qui resurgit, vbi soluitur, consuescitur.* Idem ferè habet D. Eligius homil. 4. de Cœna Domini: Vt Lazarum reuocaret in vitam, tres actiones præstitit Christus in præsenti; Infremuit, clamauit, & fleuit. Vt denotaret modum, quo homo è morte, ac putredine peccatorum valeat resurgere in vitam, ac sanitatem animæ, si infremat, seu gemat tremore pœnitentiæ, si clamet confessionis ore, si fleat, seu lachrymetur super peccata sua.

Eligius.

148. Radulph.

Septimò. Radulph. lib. 6. in Leuitic. *O potentia lachrymarum, ait, quæ ipsum fontem lætitiæ lachrymare fecisti.* Vidit Iesus Mariam, & Iudæos plorantes, inde etiam ipse plorat: tanta est vis lachrymarum ad impetrandum, vt etiam ipsum gaudiorum fontem ad lachrymas valeant inclinare. Octauò. Lachrymatur ipse, vt lachrymas à nostris oculis deleat, & expurget. Ericus Abbas ad illa verba: *In fremuit spiritu, & turbauit seipsum.* Sic ait: *O fremitus pietatis, ô turbatio turbatorum, sublatura mœstitiam, æternam prorogatura lætitiam.*

Ericus. *Lachrymatur Iesus, vt nostras lachrymas deleat.*

149. Ericus. *Qui dat lachrymas, dat animum.*

Nonò. Idem Ericus: *Lachrymatus est*, ait, *quia fons pietatis erat, sed illa lachryma inexplebile gaudium erant paritura.* Dat lachrymas tanquam pignus certum restituendæ vitæ Lazari; qui enim sic applicabat animum, vt lachrymas super mortuum profunderet; euidens etiam erat, quod animum applicaret in subsidium ad vitam dandam, cum posset: qui enim dat veras lachrymas, dat etiam animum in auxilium, quantum est sub protestate sua.

150. Chrysol.

Decimò. D. Chrysologus serm. 46. *Non quando*, ait, *plorantes vidit, tunc plorat Christus; sed quando interrogat; & in respondentibus videt, fidei nihil manere: Dixerat: Vbi posuistis eum? At illi dixerunt, veni, & vide.* D. Epiphan. in Arcorato? *Lachrymatus est*, ait, *ob hominum obstinatam duritiem.* Lachrymæ illæ non fuit exortæ in Iesu, ex aliqua temporali calamitate, morte Lazari, vel planctu circunstantium, sed nascebantur ex non credentium duritie, ac spirituali ruina aliquorum, qui videntes mirabilem suscitationem Lazari, non erant credituri: semper peccari aspectus Domino, ac sanctis magnas angustias infert: *Factus in agonia prolixius orabat*, Luc. 22. n. 43. Quæ conspecto peccato Iudæorum, iuxta multos Sanctos veniebat in Cœnaculo: *Turbatus est Iesus spiritu, & protestatus, & dixit: Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me*, Ioan. 13. num. 21. Ex viso peccato Iudæ angustia, & turbatio repleuit Iesus animum, D. Laurent. Iust. lib. de triumphali Christi agone, cap. 5. *Quoniam*, ait, *proditoris animum inuaserat. Satanas, omnémque statum pristina gratia euerterat, merito turbatur Iesus.*

Epiphan. *Lachrymatur ob obstinatam malitiam Iudæorum.*

Luc. 22.

Ioan. 13.

Laurent.

151. Ambros. Euthym.

Vndecimò. D. Ambros. lib. 2. de Pœnit. cap. 7. *Mouebatur*, ait, *misericordia, cum viderit in obitu lachrymas plorantium.* Euthymius: *Solent*, ait, *qui humani sunt, alios videndo lachrymantes, excitari ad misericordiam.* Ac proinde ex quadam teneritudine, ac pietatis affectu, cum viderit alios plorantes lachrymatur etiam ipse super eorum dolorem, ac tristitiam. Clamat Christus ad Patrem: *Deus meus respice in me*, Psalm. 21. n. 2. Nunquid Pater, qui omnia intuetur, oculos auerterat à dilectissimo Filio suo? Quid est, quod postulat ad se reuocari paternos oculos? Sic Christus traditus videbatur cruci, ac neci, tanquam si quodammodo Pater ab eo auerteret oculos. Euthym. ibi: *Solent enim, qui tortoribus quempiam tradunt, oculos auertere.* Nam si viderent, misericordiâ commouerentur. Valdè pium est aliorum miseria tangi; sicut & multum durum nullo eorum dolore commoueri. Inter gentiinos idololatriæ partus ponit Apostolus homines *incompositos sine affectione*, Rom. 1. n. 31. Græcus, *incompositos*, id est, inciuiles, ac barbaris moribus deditos. Sine affectione Græcus: *Sine humanitate.* Qui enim ex aliorum dolore ad pietatem non inclinatur, inciuilis ac inhumanus est.

Euthym.

Rom. 1.

Græcus.

152. Cornel. *Moderatè in morte aliorum flendum.*

D. Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioan. cap. 20. *Erudit nos Dominus*, ait, *suis lachrymis, quoniam modo charos nostros, vita functos, moderatis, & lege rationis temperatis lachrymis, flere debeamus. Nam ex toto, nec compati, nec mœrere, ferinum est, & durum; horum vero exuberantia, muliebre.* Idem habet Diuus Basilius homil. 4. de gratiarum actione. Non plorat Dominus statim, vt peruenit Bethaniam, nec quando loquitur cum Martha, & Maria, sed quando accedit ad monumentum Lazari, qui statim erat suscitandus, vt breuiter, & moderatè lachrymandi modum in funeribus præscriberet.

153. Eccl. 38. Paulin. *Luctus in morte vnè die.*

Ait Salomon: *Fili in mortuum produc lachrymas.* Et postea subdit: *Amarè fer luctum illius vno die*, Ecclesiast. 38. num 17. Imperat lachrymas, moderatè tamen vno die. D. Paulin. Epist. 35. *O diuitia bonitatis Dei, lachrymas in mortuum produci iubet: amaritudinem vero lugendi, vno tantum die claudit: illud porrigi finens, quo relaxatur dolor, & anima respirat: illud vero præcidens, quod immoderato, & irrationabili cruciatu, mentem nostram conficit quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere:* vnde ait Seneca Epist 99. *Est enim aliquis dolendi decor, quemadmodum rebus cæteris, ita & lachrymis aliquid sat est.*

Seneca.

154. Genes. 23. *Celsitudo animi declaratur in luctu moderato.*

Mortua Sara in ciuitate Hebron: *Venit Abraham, vt plangeret, & fleret eam, cumque surrexisset ab officio funeris.* Genes. 23. num. 2. Dicitur, quod venit ad officium, scilicet funeris ad vngendum, nempe cadauer, & quod surrexerit ab ipso officio. Non tamen dicitur, quod immoratus sit, cur per plures dies non perseuerat in planctu dilectissimæ vxoris? Præ amore officium funeris persoluit, prudentia tamen scit modum habere in planctu, & non longas trahere moras. Maximè notandum est id, quod filij Heth ei dixerunt adimpleto officio funeris: *Audi nos Domine, Princeps Dei es apud nos*, ibid. n. 6. Quid agnouerunt in Abrahamo, vt Dominum, ac Principem Dei appellent? viderunt, quod fleuit, vt humanitati non deesset; temperauit verò se à lachrymis, vt celsitudini, ac magnanimitati Principis deceus erat. Philo Hebr. lib. de Abrahamo: *Optimates conuenerunt*, ait, *ad eum officij gratia, cum nihil viderent eorum, quæ apud ipsos in luctu fieri solebant; in hanc vocem erumpunt, Rex à Deo in inter nos.* Cum viderint moderatum fletum, regem à Deo datum dicunt.

Philo.

***

Psalm 21.

Qvæstio XVIII.

Quare Christus, qui solum fleuit in cruce, vel super ciuitatem, etiam nunc super Lazarum lachrymatur, eum reuocaturus in vitam, de cuius morte gauisus fuerat?

155. Luc.19. Radulph. VIDENS *Iesus ciuitatem fleuit super illam,* vt scribit D. Lucas cap.19. num.41. quod ponderans Radulphus Flauiacens. lib.in Leuitic. cap.14. ait: *Nusquam Dominum Iesum lachrymantem reperies, nisi hic cùm Maria ploranti compatitur, seu cum miseræ ciuitatis excidium pranunciasse refertur.* Addo etiam, quod Dominus, fleuit in cruce, eum causam salutis humani generis ageret; vt ait Paulus: *Cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est,* ad Hebr.5. num.7. Quid est quod pro omnium salute, ac pro excidio miseræ ciuitatis, & pro Lazaro deplorat Dominus: tam pro omnibus, quam pro vno pretiosissimus fons lachrymarum aperitur, vt fieret cunctis patens, ac manifestum, quod tot amoris signa, ac monumenta paratus erat pro vno, ac pro vna ciuitate, & etiam pro omnibus exhibere, sic illi chara erat vna ouis, ac totus grex. Pro quo ait D. Bernard. serm.68. *In quo multi audent, audet & vnus, quod habet in natura simplicissima sponsi diuinitas, quasi vnum respicere multos, & quasi multos vnum.* Vide suprà cap.26.n.40.

Hebr.6. *Charitas Christi idem exhibet pro omnibus, ac pro vno.*

Bernard.

156. *Ratio dubitandi.* Secundò. Inquirit quæstio. Quid est quod Christus Lazarum reuocaturus in vitam lachrymatur, qui tamen cum eius mortem discipulis suis annuntiat, ait: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos?* De Lazari lethali langore gaudet Christus, de eius reuocatione in vitam lachrymatur.

157. Chrysol. Pulchrè D. Chrysologus serm.64. *Certè ipse, qui dixerat,* ait, *Lazarus mortuus est, & gaudeo: de quo gaudet mortuo, ipsum cum resuscitat, tunc lamentatur: qui cum amittit, non flet; cum recipit, tunc deplorat, tunc fundit mortales lachrymas, vita spiritum cum refundit.* Ad quid tendit huiusmodi gaudium in morte, luctus in reuocatione vitæ? Primò vt significaret propter mortis commodum gaudendum, propter vitæ pericula lachrymandum. Secundò, vt denotaret gaudia citò perire, & erumpere in lamenta: breue gaudium lachrymis tributarium est; ante biduum moderatè gauisus est, & tam citò largas lachrymas effudit: gaudij appendix, ac consequentia, tristitia, ac angustia est: sic dicitur Prouerb.14. num.13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

Gaudium luctui tributarium.

Prou.14.

158. Chrysol. Tertiò. D. Chrysologus citato serm.64. *Quis ergo,* ait, *ex humana infirmitate existimet hic fleuisse Christum, cum Cœlestis Pater luxuriosum filium, non quando abiit, sed quando recipit, tunc deplorat? Christum recipiens fleuit Lazarum, non amittens.* Pro cuius intelligentia suppono ex Philosopho. Quod lachrymæ nascuntur, vel ex mœrore, vel ex gaudio: Mœroris lachrymæ ad infirmos, & pusillos spectant, ad fortissimos vero ac validissimos illæ lachrymæ pertinent, quæ sunt ex gaudio, ac triumpho. Ad mentem Sancti Patris componit ipse duas Diuinas personas, Patrem, & Filium; ille amisit filium luxuriosum, qui aqiit, & profectus in regionem longinquam dissipauit substantiam suam, & tunc non dicitur, quod Pater lachrymas effuderit. Amisit & filius intimum amicum Lazarum, & tamen ipsum non luget, sed potius gaudet. At quando Diuinus Pater filium excipit è malo peccati excitatum, tunc multa teneritudine, ac oculis deflet: *Non quando abiit, sed quando recipit, tunc deplorat.* Sic & Christus cum propè est vt Lazarus è mortis tenebris excitetur, tunc ipse in fletum prorumpit: Quid est quod Pater, & Filius, quando prodigum conuersum, ac amicum amissum recipiunt, lachrymas emittunt; nunquid vterque fletus ab infirmitate exoritur. Minimè. Neuter deplorat pro re amissa, sed pro illius restauratione, ac recuperatione. Neuter lachrymatur pro damno, seu vulnere accepto, sed pro triumpho à culpa, vel morte obtento; sicut enim ab infirmis, ac pusillis lachrymæ prosiliunt pro clade accepta: sic à fortissimis scaturiunt pro triumpho, & gaudio; nam lachrymæ proueniunt ex tristitia, & gaudio; ex tristitia ad paruos spectant; ex gaudio ad magnos pertinent.

Fortissimi lachrymant pro clade, vel pro triumpho fiunt.

159. *Oratio cum lachrymis valdè efficax.* Quartò. Gaudet Christus de morte Lazari, cum videat eam esse pro Dei gloria, quæ ex ipso suscitato erat ab omnibus proclamanda. Vnde ipse dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Nunc vero lachrymatur, cum ad Patrem exorandum accederet. Infra numero 41. *Pater gratias ago tibi,* &c. Vt nos doceret orationem ex lachrymarum imbre efficaciorem, ac vehementiorem reddi. Pendebat Iesus in cruce, vt morte, ac passione sua nobis reconciliaret Patrem; tamen cum pro inimicis exorat. *Pater ignosce illis.* Cum lachrymis exorat, vt ait Paulus ad Hebr.5. num.7. *Preces, supplicationésque cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Ad impetrandam veniam nostrorum delictorum abundantissima erat eius mors, passio, ac sanguinis effusio, ad quid adduntur lachrymæ? vt nobis fieret documentum, quod oratio ex lachrymis valdè efficax, ac præponens sit.

Hebr.5.

160. Oseæ. Luctamen illud Iacob cum Angelo exponit Oseas Propheta de oratione cap.12. num.4. *Fleuit, & rogauit eum.* Vt benedictionem obtineret, non solum orauit, sed etiam fleuit, dans subsidium, ac patrocinium orationi ex lachrymis. Sic Dauid, qui valdè peritus erat in precibus, ac Psalmis, eis tamen addebat in patrocinium fletus. *Lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psalm.6. n.7. suam orationem lachrymis, ac facco armabat Dauid. Quod eleganter depingit Salui anus lib.2. de gubernat. Dei. *Totum regem,* ait, *Dauid cum ornatibus suis abiecit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* Expende verbum *cum patrocinio ambitiosi squaloris.* Vbi ambitio, ibi magnus, & vehemens affectus ad assequendum; oratio munita lachrymis, ac squalore valdè efficaciter desiderata negotiatur.

Psalm.6. *Oratio à lachrymis patrocinatur.* Saluian.

Ioan.5.n.38. Iesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei.

Num.39.

Num.39. Ait Iesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius, qui mortuus fuerat: Domine iam fœtet: quatriduanus est enim.

Num.40. Dixit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

VERSIONES.

Syriac.n.38. Iesus verò cum infremuisset intra semetipsum: tum venit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis erat eius impositus ostio.

Euthymius. Erat autem spelunca, & lapis impositus super eam.

Lucas Burg. Superiacebat ei lapis.

D.Aug.tr.49 num.39. Remouete lapidem.

Syriacus. Domine mi iam fœtet, quatuor enim dierum est.

Vatablus. Theophyl. Domine iam olet.

Arabicus. Quoniam habet quatuor dies.

Vatablus. Quod si credideris, visura es gloriam Dei.

EXPOSITIO XI.

161. IESVS *ergo.* Hæc particula *ergo* illationem denotat, ex antecedentibus, ex incredulitate nempe Iudæorum: *Non poterat hic, qui aperuit oculos*, impotentiæ Domini tribuebant, quod Lazarus esset mortuus, contra hanc eorum perfidiam infremuit, & indignatur, quia vt Toletus, fremitum ingeminans, quia Iudæi infidelitatem geminarunt: *Infremuit in semetipso.* Idem est, quod supra Euangelista dixit: *Infremuit spiritu in semetipso.* Hoc est, intra seipsum continuit fremitum, & indignationem: non enim determinatè aduersus aliquem astantium ferebatur, sed in genere aduersus infidelitatem, ac perfidiam illam Iudaicam: *Erat autem spelunca.* In qua de more Iudæorum multa sepulchra existebant, vt notant Albertus Magnus, Carthus. Lyran. & alij: *Et lapis superpositus.* Clarius Syriacus: *Et lapis erat eius impositus ostio.*

162. *Ait Iesus: Tollite lapidem.* Qui magnus erat, & multorum ope auferendus. Vt videntibus Lazarum mortuum, & fœtidum, maior fieret euidentia miraculi, *dicit ei Martha.* Non Maria, quæ contemplationi erat dedita, sed Martha, quæ magis in exterioribus occupabatur, ac proinde etsi sancta tardior erat ad percipienda illa, quæ ad vitam spectabant, vel quia cum esset senior maiorem habebat audaciam dicendi: *Iam fœtet, quatriduanus*; id est, à quatuor diebus sepultus. An verò Martha hæc dixisset ante sublatum lapidem, vel postea, incertum. Origenes, & Rupertus ante amotum lapidem, ne mortui fœtor illum offenderet. Theodorus Mopsuest. Andreas Cretensis post reuolutum lapidem, cum fœtor se diffunderet. Quo verò animo hæc dixerit Martha: dubitatur. Origenes, D.Cyrillus, Rupertus, Beda, existimant Martham id suggerere, ne Christus deformitate, ac fœtore Lazari mortui offenderetur. D.Cyrillus ait, quod ex verecundia erubescunt homines mortuos suos fœtidos, ac incompositos videri. D.Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius, Albertus Magnus, Maldonatus, Toletus, affirmant, quod Martha diffidebat Lazarum quatriduanum à Christo suscitari posse; ac proinde arbitrabatur Martha Christum solum præsentia iacentis amici frui velle, & ideo ne hoc tentaret rogabat, at hæc Marthæ incredulitas videtur à Christo mox reprehensa: *Non dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Existimo tamen semper in omni sententia, quod Martha hæc dixit ex impulsu Spiritus sancti, vt ex testimonio sororis magis euidens fieret miraculum.

Theodor. Cretensis.

Origen. Rupert. Toletus. Alb. Mago. Carthus. Lyranus. Syriacus.

Cyrill. Chrysost. Theoph. Euthym. Leontius. Alb. Mago. Maldonat. Toletus.

163. *Dixit ei Iesus: Nonne dixi tibi si credideris?* Vt ait D. Chrysostom. *Propemodum arguens tanquam oblitam.* Theophyl. *Vt malè memorem increpans.* De his, quæ Christus dixerat num.4. *Infirmitas hæc non est ad mortem: sed pro gloria Dei.* Et n.23. *Resurget frater tuus.* Et n.25. *Ego sum resurrectio, & vita*, &c. Et cum ait Dominus; si credideris, eam etiam maximè excitat, & prouocat ad fidem vt fratrem viuum mereatur videre. Et cur tam vehementer requirit Christus fidem mulieris? Vide Diuinum ingenium in diabolo vincendo: hic per mulierem hominem impulit in mortem, ac sepulchrum, ideo aduocaturus hominem in vitam, mulieris fidem requirit, vt à muliere dedicetur hominis libertas, à qua quondam captiuitas illata fuerat, D.Chrysolog. serm.64. *A muliere*, ait, *perfidiam fugat, ad mulierem reuocat fidem, vt qua fuit perditionis obsequium, salutis eadem sit ministra.*

163. Chrysost. Theoph.

Vincitur diabolus instrumento, quo vicerat.

Chrysol.

QVÆSTIO XIX.

Quare Christus mandat tollere lapidem, quem verbo suo poterat leuare, cum Iacob lapidem per seipsum amouerit à puteo?

PAVLATIM procedit Christus in hoc negotio. Accedit, loquitur cum Martha, & Maria, & qui omnia sciebat, de loco interrogat, *Vbi posuisti eum?* Et qui imperio suo cuncta gubernat, mandat tollere lapides, vt miraculi præsentes instrueret, vt pedetentim ad perfectiora, & maiora procederent. Mandat tollere lapidem, qui nullo impulsu, ac tactu eam poterat amouere, vt qui tollerent lapidem, & cæteri, qui aderant, iacentem in sepulchro Lazarum cernerent, fœtorem mortui quatriduani perciperent, & ex tumulo patenti, ac aperto resurgentem intuerentur, vt ita ipsi testes fierent miraculi. Hæc est communis omnium ratio, D.Chrysost. Euthym. Bedæ, D.Cyrilli, Leontij, D.Thomæ, & Alberti Magni.

164. *Paulatim ad magna procedendum.*

Chrysost. Euthym. Beda. Cyrill. Leont. D.Thom. Alb. Mago.

Secundò. Theophylact. *Tollite autem, dicit, lapidem, vt illi testes fiant miraculi. Nam & adesse*

165. Theoph.

in

in loco, & tollere lapidem suis manibus, sufficientia erant ad obturanda ingratorum ora, qui testes signi facti erant. Poterat Dominus eadem voce lapidem tollere, & mortuum à sepulchro extrahere, tamen sic ordinat, & disponit, vt Iudæi manibus suis lapides tollant, ad miraculique circunstantias quodammodo operentur, vt ex ipso opere impenso, sudore, ac labore suo multum afficiantur ad miraculum, pro illóque defendendo stent, & pugnent. Tenaciter fingitur animus circa illam rem, in qua aliquid sui laboris videt; ideo mandat Iudæis, *tollite lapidem*, & vincula cadaueris soluere, vt exinde magno affectu ad miraculum rapiantur, vt pro gloria Dei illud publicent, diuulgent, ac testificentur. Vide tom.3. cap.35.q.25.n.170.

Magno affectu rapitur homo circa id, quod est sui laboris.

166. Augustin. Tertiò. D Augustin.serm.104.de tempore: *Quid dicemus?* ait *nunquid lapidem Dominus à monumento præcepto remouere non poterat, qui inferni claustra propria virtute remouit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit, quod autem diuinæ virtutis erat, sua potentia demonstrauit. Lapidem enim à monumento reuocare, humanæ virtutis est; animam verò ab inferno reuocare, solius Diuinæ potentiæ est.* Dominus non vult omnia per se ipsum præstare, sed etiam aliqua aliis facienda relinquit; defunctum à mortis tenebris euocare, hoc solius est diuinæ potestatis, hoc per seipsum Iesus exhibet. At verò lapidem tollere, ligaturas soluere, hoc humanæ erat potestatis, & bene poterat per homines executioni mandari; ideo hoc hominibus committit, vt illud per se exhibeant.

Deus non omnia facit, aliis relinquit aliqua.

167. Origen. Quartò. Origenes in Ioan.homil... *Possumus ne dicere*, ait, *lapidem quidem eum, qui speluncæ positus erat, à Iesu ipso tractari non potuisse: eum autem, qui putei ostio impositus erat, Iacob sumere licuisse, atque detrudere à putei ostio, vt Laban eius aunculi oues aquarentur? Et debuisse Iacob ad putei quidem ostium accedere, Iesum autem stare extra speluncam?* Cum Iacob peregrinus existeret iuxta puteum clausum, ac agnouisset Rachelem pascentem greges patris sui Labani: *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur*, Genes.29.num.10. Cur ergo Iacob libenter lapidem admouet, vt greges Rachelis adaquaret: Iesus autem maximè cauet lapidem sepulchri tollere, vt amicum Lazarum suscitet in vitam? In remouendo lapide à puteo, magnum obsequium, ac prouentus suorum consanguineorum repræsentabantur Iacob, & ideo minimè detractat per seipsum illud officium præstare. In sepulchro autem Lazari exprimebatur peccatum primorum parentum, quod mortem intulit, & filiis monumentum aperuit. Vbi autem peccati figura repræsentabatur, inde Iesus attingere refugit, vt nos doceret peccati venenum adeo pestilens esse, vt meritò quis ab eius vmbra fugiat, & caueat.

Genes.29.

Peccatū originale, eius vmbra fugiendo.

168. Ambros. Quintò. Diuus Ambrosius lib. de fide Resurrect. *Vt oculis suis crederent*, ait, *qui credere mente nolebant, remouent lapidem, vident cadauer, fœtorem sentiunt, instituta rumpunt, non possunt negare defunctum, quem aspiciunt resurgentem* Iudæi mente nolebant credere, mandat Dominus tollere lapidem, vt ipsi videant cadauer iacens, naribus experiantur fœtorem, ac manibus fasces soluant, ipsique accipiant è tumulo surgentem, vt quem mente nolebant credere, oculis, ac sensibus credere compellantur, diuinámque potentiam agnoscere, quæ Lazaro è mortuo in vitam euocabat.

Rerum experientia conpelluntur potestatē agnoscere.

Sextò. D. Ambros. lib.1. de Pœnitent. cap.7. *Poterat*, ait, *tacita vi operationis occultæ transferre saxum sepulchri, sed hominibus iussit, vt remouerent lapidem, in typo quid nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quasdam reorum. Nostrum est onera remouere.* Poterat Dominus suo diuino impulsu lapidem remouere, quod fortè inseruiret ad ostentationem miraculi, tamen à magnitudine signi vult tantisper detrahere, & hominibus mandat, tollite lapidem, *in typo quod nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera:* homines constituerat Prælatos, eósque hac occasione admoneri, illos debere subditorum onera sustinere, ac leuare. Non enim Episcopus, ac Prælatus creatur, vt sibi indulgeat, sed vt inferiorum sustineat onera, ac ab omni grauamine eos eximat. *Nostrum est onera remouere.*

169. Ambros. *Prælati alienent onera subditorum.*

Septimò. D. Basil. Seleuc. orat.41. *Qui corruptum animauit*, ait, *poterat multo magis sua voce lapidem elocare: poterat vinctum manibus, & impeditum, qui mortuum voce sola iussit ambulare, multo facilius lapidem elocare, ac etiam absens hoc facere: cur ergo non facit? Vt eos miraculi testes haberet: néve quod olim de eo dicerent: Hic est, hic non est.* Valdè procliue humanum ingenium ad aliorum illustria facta abneganda; hinc est, quod circa vis. restit. cæco nato, milse ambages fabricarunt, dicentes: *Hic est, hic non est*, Ioan.9. Ideo eis mandat tollere lapidem, vt ipsimet Lazarum mortuum, fœtentem, ac resurgentem videant, vt omnis ambigendi occasio amputetur; néve opinarentur alium loco Lazari esse suppositum; multa solent homines machinari ad neganda beneficia, ac aliorum illustria facta.

170. Basil. Sel. *Homines mille faciēt ambages ad negāda beneficia.* Ioan.9.

Octauò. Iuxta Sanctos Patres citatos in limine quæstionis mandat Christus Iudæis tollere lapidem, vt ipsi suis propriis oculis videant Lazarum mortuum iacentem, fœtidum, ac resurgentem, & nemo illud negare audeat; at vero vt credatur, quod Lazarus malum odorem ex se exhalabat, abundans est Matthæ testimonium: *Iam fœtet, quatriduanus est enim.* Sic est peruersum hominum ingenium, vt facilè omnes credant in Lazaro malum odorem; at de ipso è morte sublato, ac in vitam restituto, magna futura est controuersia, & dubitatio. Nam hoc ad felicitatis gloriam spectabat, illud ad miseriæ cumulum pertinebat, pro miseria vna sufficit mulier, pro felicitate verò multi, & magnis circunstantiis requiruntur testes.

171. *De infelicitate nullus dubitat, de fausta ambigit mox.*

Postquam Dominus deuicta morte apparuit rediuiuus suis discipulis; qui dixerunt Thomæ, vidimus Dominum. Quibus ipse respondet: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*, Ioan.20. n.25. D. Thomas pro certo habuit Dominum Iesum mortuum, & crucifixum fuisse, & tamen ipse eum non vidit pendentem in ligno. Deinde ait: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum.* Si ipse Dominum non vidit, vnde cognouit, quod habeat signa vulnerum in manibus, & latere? Rectè respondet Barradas ex testimonio nempe aliorum: Si ergo ex discipulis affirmantibus credidit Domini mortem, ac signa clauorum, cur etiam ex eorum assertione non assentitur ipsum esse mortis triumphatorem? Ex hominum more de ignominia mortis, ac eius signis non ambigit Thomas, sed facilè acquiescit: de gloria verò resurrectionis mens eius refugit, & illam minimè capit:

172. Ioan.20. *Thomas mortī assentitur, resurrectioni repugnat.* Barradas.

capit: & quibus infausta credidit, eisdem in felicitatis gloria minimè annuit, sed vehementer mens eius resilit, ne assensum præbeat.

173. Luca. Narrans D. Lucas c. 2. n. 21. Christi circunciſionem, ait: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circunciderentur puer, vocatum est nomen eius Iesus.* Vbi Euangelista Christi circunciſionem expressis verbis non explicat, non enim ait circunciſus est, sed circunciſionem supponit, vt cum multis Doctoribus notaui tom. 1. cap. 3. q. 4. n. 16. & tamen ei impoſitum nomen Iesus apertè demonſtrat: *Vocatum est nomen eius Iesus.* Si nomen Iesus manifestè declarat, cur etiam circunciſionem expreſsè non commemorat? Circunciſio humilitatem, & abiectionem dicit, formam peccatorum importat; Sacratiſſimum Iesus nomen omnem celsitudinis apicem denotat; quæ humilia sunt, sat est leuiter insinuare, vt credantur, quæ verò excelsa, multis sunt exprimenda, vt facta reputentur. Ideo humilitatem circunciſionis sufficiens fuit insinuari ab Euangelista, celsitudinem vero nominis Iesus neceſse fuit declarare. Vide suprà cap. 18. n. 99. tom. 1. lib. 3. c. 4. q. 21. n. 87. 88. & sæpe variis in locis.

Humilitas insinuatur, celsitudo prædicanda, vt credatur.

QVÆSTIO XX.

Quare Martha fratris cadauer dicit fœtidum, cum alias odoriferum probari possit?

174. Origenes. NON innotatum dimittam, quod hic bene notauit Origenes hom. 18. in Ioan. *Vt lapis*, ait, *spelunca impoſitus tardius tolleretur, soror defuncti fecit, qua veluti hic, quibus insserat Iesus dicens, Tollite lapidem, obstitit, cum dixisset: Iam fœtet, quatriduanus enim est.* Propinqui, ac consanguinei multas moras nectunt, magnáque nostro leuamini impedimenta opponunt, ne à nostra miseria subleuemur; Vnus est Iesus, qui moras rumpit, & in nostram salutem currit.

Cisma nimirū impedimenta bona.

175. Chrysol. Respondet primò ad quæstionem D. Chrysologus serm. 65. *Dicit ei Martha*, ait, *iam fœtet; quatriduanus est enim. Dicit & tempus, vt sciant, quia auctor est temporum, cui tempora nulla præscribunt: Iam fœtet, quatriduanus est. Dicendo sic exaggerat desperationem, vt qui adsunt, videant, quia Deus est.* Martha ex impulsu Spiritus sancti sic exaggerat astantium desperationem, vt vita concessa ex manu Dei data intelligatur, *vt qui adsunt, videant, quia Deus est.* Et bene qui toto quatriduo à vitæ munere cessauit, solum ex Dei manu potest habere vitam, vt moraliter dicamus, qui vitæ, ac salutis operibus incumbit, si ab eis inertes cessat, vacuusque est, ita salus eius est desperata; vt iterum vigorem reassumat, vitæque operibus reddatur idoneus, vt hoc à sola Dei manu sperari possit. Et bene dicitur: Quod hæc Lazari *infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei*, quia qui bonorum operum talem iacturam fecit, vt ad pristinam gratiam restituatur, maximè gloriam diuinæ maiestatis ostentat, illúsque potentiam declarat.

Homo, qui retrocedit à iustitia, cius salus est desperata.

176. Rupert. Secundò. Rupertus lib. 5. in Genes. cap. 9. *Lazarus*, ait, *eadem dormitione sua, vel quatriduana sepultura typum gerit peccatoris, iam consuetudine nequitiæ inueterati, iamque mala opinione fœtentis.* Martha amiserat iam omnem spem restaurationis vitæ Lazari, repræsentabatur in ipso peccator *consuetudine nequitiæ* inueteratus, suæ opinionis iactura, fœtidæque infamiæ malo deploratus, vt reuocetur in vitam, res est communem prodigiorum mensuram excedens, qua maximè Dei gloria declaratur; vnde de hac Lazari infirmitate ait Christus: *non est ad mortem, sed pro gloria Dei.*

Ex mala consuetudine, ac infamia salus hominis deplorata.

Tertiò. Et magna est difficultas, & iam propius ad quæstionem. Quomodò fieri posset, vt corpus illud Lazari fœtorem exhalasset? Nam Iudæi solebant mortuos suos optimis aromaribus perfundere, quibus à corruptione, & consequenter à fœtore præseruabantur, vt ex Herodoto, Diodoro, & aliis auctoribus probat Pereira tom. 4. in Gen. disp. 1. Alexander Neapolit. lib. 3. Genial. dier. cap. 2. & Cassian. collat. 15. cap. 3. & apertè hoc significat Ioan. cap. 19. num. 40. *Acceperunt ergo corpus Iesus, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Et Christus de Magdalena dixit: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit*, Matt. 26. n. 12. Vbi Christus Dominus ex communi vsu, ac consuetudine vngendi mortuos extollit factum Magdalenæ, ac à murmuratione excusat, vt docent Iansenius, Maldonat. Salmeiron, Barradas, & alij; & tam pretiosa erant huiusmodi aromata, vt dicatur à Ioan. c. 12. n. 3. *Domus impleta est ex odore vnguenti.* Maria autem, & Martha erant personæ nobiles, & illustres, vt suprà dixi exposit. 5. n. 70. Ergo hanc communem consuetudinem vngendi cadauer fratris retinuerunt, sicut & illud fasciis, ac institis ligauerunt.

177. Pereyra. Alexand. Cassian. Ioan. 19. Matth. 26. Iansen. Maldon. Salmeiron. Barrad. Ioan. 12.

Ad hanc magnam difficultatem, quam nullus interpretum hoc loco attigit, dico ad litteram textus, quod sanctæ illæ sorores ex communi vsu corpus fratris vnxerunt; tamen alta Dei prouidentia dispositum est, vt antidota illa cadauer à corruptione, ac fœtore non prohiberent, vt ita magis patefieret euidentia, ac maiestas miraculi: Corpus illud malum dabat odorem, nam vt ait Albertus Magn. nisi corpus illud fœteret, Martha hoc de illo publicè non assereret; & aliunde corpus à communi munere non existimo defraudatum, ergo superna dispositio ibi interuenit pro maiori gloria sua.

178. *Solutio litteralis.* Alb. Magn.

Moraliter dico etiam. Corpus illud vnguentis erat delibutum, & aliunde fieri poterat, quod bonum dabat odorem, tamen erat corpus mortuum, & iacens in sepulchro, inde fœtidum, ac corruptum existimatur. Cum enim quis cadit, ac in foueam miseriæ, & aduersæ fortunæ labitur, quamuis alias bonum præbeat operum odorem, ab omnibus fœtidus, incompositus, ac aspectu, & visu indignus iudicatur, ab omnibus est in contemptu, & conculcatione. De Persarum imperio ait Dan. 8. n. 10. *Et magnificatum est vsque ad fortitudinem Cæli: & diecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.* Cum enim eiiceret à suo regni culmine alios reges, eosque conculcauit, in eosque omni contumelia insultauit.

179. *Dilapsus à suo honore contemnitur.* Daniel. 8.

A Lazaro non recedamus. Ait Martha: *Domine iam fœtet, quatriduanus est enim.* Lazarus (etsi pius, & bonus) tamen vt est commune apud Patres, significat peccatorem, hominémque ex iustitia in multa crimina dilapsum, pro quo magno mysterio quatuor dies Lazaro conueniunt, vt commentatur D. Augustin. tract. 49. *De quatuor autem diebus multa dici possunt. Est autem vnus dies mortis, quem homo trahit de mortis propagine,*

180. Augustin.

(id est, de originali peccato) *sed & legem naturalem transgrediuntur homines, ecce alter dies mortis. Lex etiam scripta data est diuinitus per Moysem, & ipsa contemnitur: Ecce tertium diem mortis. Venit. Euangelium, & ipsum transgrediuntur homines, ecce quartus dies mortis: etiam ad tales excitandos, Dominus non dedignatur accedere.* Mysticè quatuor illis diebus significantur quatuor transgressiones. Prima die denotatur violatio iustitiæ originalis ex communi originali peccato. Secunda die significatur transgressio legis naturalis. Tertia die innuitur violatio legis Mosaicæ. Quarta die adumbratur transgressio legis Euangelicæ. Tres primi dies mortis, ex peccato originali, ex violatione legis naturalis, & scriptæ, in typo Lazaro imputari possunt. At verò quartus dies mortis ex transgressione legis Euangelicæ, videtur quod non possit adaptari Lazaro: tum quia ipse cum sororibus præconi fide Euangelio credidit: tum quia quando hæc gesta sunt, pro tunc adhuc Euangelium non erat ritè promulgatum, ac proinde nondum obligabat omnes. Quomodo ergo Lazarus in typo illius transgressor præfigurabat hominem, qui à culmine iustitiæ, ab honoréque amicitiæ diuinæ in omnem miseriam, ac fœtorem malæ opinionis dilapsus est? Cum autem homo cadit à suo honore, à suóque bono nomine; sic eum omnes insultant, in eumque cuncti insurgunt, ac ferociunt, vt non solum imputentur delicta, quæ perpetrauit, sed etiam illa, quæ nec commisit, nec forsitan tunc committere potuit. Vide tom. 3. c. 26. q. 7. n. 44. & 45.

In dictum etiam crimina, quæ non commisit, inijciuntur.

Ioan. 11. n. 41. Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuans sursum oculis, dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.

Num. 42. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circunstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti.

VERSIONES.

Arabic. n. 41. Tulerunt lapidem illum de loco, in quo erat mortuus positus.

Pagnin. Lapidem à loco, vbi is, qui mortuus fuerat, erat positus.

Vatablus. Tulerunt lapidem inde, vbi defunctus erat positus, Iesus autem attollens oculos sursum.

Syriacus. Et ipse Iesus eleuauit oculos suos sursum, & ait: Pater gratias ago tibi, quod me audieris.

Tertull. lib. contra Prax. Quod me semper exaudias.

Syriacus n. 42. Ego verò sciebam me semper à te exauditum iri, sed propter hanc turbam adstantem hæc dixi: vt credant me à te missum esse

Origen. hom. Ego scio Pater, quia semper me exaudis.

Vatabl. Euth. Vt credant, quod tu me miseris.

EXPOSITIO XII.

TVLERVNT *ergo lapidem.* Tacente iam Martha verbis Iesvs. Græci codices addunt, *vbi positus erat mortuus.* Aperto igitur sepulchro omnes contendebant mortuum videre, eiusque situm notare. *Iesus autem eleuatis sursum oculis.* Ad Deum Patrem suum omnipotentem, qui in Cœlis habitat, & vt hoc exteriori facto se non virtute Diabolica, vel magica, sed cœlesti, ac diuina facere, quæ facturus erat, significaret, vt notarunt D. Chrysostom. Euthym. Theophyl. D. Cyrill. Cæsareus in Catena Græca, hocque facto exteriori suum interiorem affectum erga Patrem indicabat; Andreas Cæsar. ait oculos eleuasse in Cœlum tanquam in patriam suam, à qua venerat. *Pater gratias ago tibi.* Christus Dominus verus Deus, & homo, vt Deus Patrem vocat, vt homo gratias agit, & auditur. Vt notat Toletus, Lucas Burgens. *Quoniam audisti me.* Explicat D. Chrysostom. *Omnia enim facis, quæ volo.* Sic enim interpretantur Euthym. D. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 12. Christus ait, quod Pater eum exaudiuit semper in omnibus, & nunc præsertim pro suscitando Lazaro, pro quo tacitè saltem, ac mentaliter rogauit, vt docent D. Cyrill. Carthusian. D. Thom. D. Bonauent. & alij. Aliqui dicunt, quod Christus orauit pro Lazaro; quando infremuit, & turbauit seipsum suprà num. 33. Alij vero dicunt, quod licet Christus non orauerit Patrem pro Lazaro, tamen quod desiderium voluntatis eius exaudierit Pater, iuxta illud Psalm. 9. num. 38. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Euangelista non facit mentionem huius orationis, quia non fuit externa, & publica, sed interna, ac mentalis, vt dixi. 181. Chrysost. Euthym. Theophyl. Cyrill. Cæsareus. Toletus. Luc Burg. Chrysost. Ambros. Cyrill. Carthus. D. Thom. Bonauent. Psalm. 9.

Ego autem sciebam: seu vt alij legunt. *Scio*; à primò instanti, quo homo factus sum. *Quia semper me audis.* In omni re, ac negotio. Idem vis, quod ego efficaciter volo. Euthym. *Semper vis, quæ volo, nam eadem vtrique voluntas est, ac mens eadem.* Nihilque à te contrarium volo, vt ait Hugo. Et non hac ratione tibi gratias ago, quod me audieris quasi aliquando non exaudias, vel quasi aliquando non velis, quæ ego volo, aut quasi mihi nouum sit à te exaudiri: Ego bene scio, quod semper me audis, etiam mentaliter, ac interius orantem; sed hæc dico propter circunstantem populum, vt omnes credant, me à te esse missum, cum omnes videant, me à te esse exauditum, vt Lazarum è monumento supernaturali virtute suscitem. 181. Euthym. Hugo.

* * *

QVÆSTIO XXI.

Quare Christus hic antequam suscitet Lazarum, dat gratias, quod in aliis miraculis non legitur fecisse?

183. Ratio difficultatis.

DVO inquiro in hac quæst. Primò, cur hîc antequam Lazarum suscitet, dat Christus gratias? Secundò verò cur potius hic dat gratias, quàm in aliis miraculis? Et ab hoc secundo incipio quæstionem. Alios mortuos suscitauit Christus Dominus, vt filiam Archysynagogi, Matth. 9. num. 23. Filium viduæ Nain, Luc. 7. n. 14. Infirmos curauit, vt Paraliticum Piscinæ, Ioan. 5. n. 8. Cæcos illuminauit, vt illum à natiuitate, Ioan. 9. Et tamen non dicitur quod in his gratias egisset Patri, vt in præsenti.

Matth. 9. Luc. 7. Ioan. 5. Ioan. 9.

184. Origenes.

Ad quod primò respondet Origenes hic: *Crediderunt*, ait, *maximè ij, qui venerant, vt tanquam obmortuum & comploratum, eam, quæ casum fratris doleret, consolarentur. Quorum causa fortasse magis, quàm eius, cui hæc euenerant, cum ad speluncam mortui venisset, oculis sursum erectis dixit: Pater gratias ago tibi*, &c. Sic Christus Dominus Lazarum suscitauit, vt cum eius temporali resurrectione, coniunctum erat multorum spirituale bonum, qui Christi fidem amplexati sunt, vt dicitur infrà num. 45. *Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.* Et ideo in hoc opere præcipuè Iesus exurgit in gratiarum actionem externam, vt manifestet, quanto plus gaudeat de beneficiis spiritualibus à se præstitis, quam de corporalibus à se exhibitis.

Gaudendum potiùs de spirituali dono, quàm temporali.

185. Euthym.

Secundò. Et iam ad primam partem quæstionis Euthymius: *O maximum*, ait, *ac duplum miraculum. Non solùm qui iam olebat, resurrexit, sed etiam qui obuinctus erat, exiuit à monumento. Itaque gratiarum actio dispensationis erat iussio, ac operis author.* Antequam Christus hoc magnum miraculum faciat, dat gratias Patri. In hoc magno opere multa mirabilia interuenerunt. Mortuus quatriduanus suscitatur, fœdibus ad Christi vocẽ exurgit, & ligatus pedes institis ambulat. Dat ergo gratias Christus, vt per hoc nobis ostendat viam ad quamlibet grauem difficultatem superandam. Vbi enim gratitudo interuenit, omnia obstacula superantur, nec enim sepulchrum, nec fœtor, nec ligamina valent impedire, quoniam Lazarus mortuus fœtidus è sepulchro resurgat, & ligatus institis ambulet.

Gratitudine vincuntur omnia impedimenta.

186. Theophyl.

Tertiò. Theophylactus: *Quis autem*, ait, *vnquam sic vnquam? Prius enim quam dixisset aliquid, inquit: Audisti me. Hæc faciens omnibus modis ostendebat suam erga Patrem gratitudinem.* Nihil ad defunctum adhuc dixerat, nihil extrinsecus adhuc postulauerat, sed solum lapidem ab ostio monumenti iusserat tolli, & tamen de se iam exaudito dat gratias; adhuc beneficium non erat impensum, nec Lazarus euocatus erat in vitam, & ipse gratias exhibet, vt doceat, quod in re gratitudinis nulla mora sustinenda sit, illa enim est summa gratitudo, quæ nullo modo differtur, sed citò exhibetur.

Gratiarum actio sine mora exhibenda.

187. *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & mãducate* Sic scribit Paulus 1. Corinth. 11. num. 24. Adhuc cœlestis panis Eucharisticus non erat in-

1. Cor. 11.

stitutus, nondum diuinum mysterium perfectum erat, sed vbi primùm panem accepit manibus, statim gratiarum actionem profert; solemnis mos semper extitit, post beneficium acceptum gratias referre, cur quando manus extendit in eas prorumpit? vt nos doceret, quod non prius manum extendamus ad accipiendum donum, quam os aperiatur ad illud gratificandum. D. Chrysostomus homil. 27. *Si igitur*, ait, *& tu cum gratiarum actione accesseris, nihil iis indignum facias. Accedas, gratias agens pro iis, quibus frueris.*

Simul cum acceptione beneficij fit gratiarum actio.

Chrysost.

In illo celebri conuiuio quinque panum ait Ioan. 6. num. 11. *Recepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Prius patrem gratificatur, quam beneficium à Patre accipiat; per gratitudinis enim viam Patrem demulcet pro nostro documento, vt panes, ac pisces multiplicet. Caietan. *Ad erudiendũ nos, quod futurorum petitio ex præteritorum gratitudine consurgit.*

108. Ioan. 6. Gratitudine comparantur nona beneficia.

Caietan.

Ioan. 11. *n.* 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras.

Num. 44. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis: & facies illius sudario erat ligata: dixit eis Iesus, soluite eum, & sinite abire.

VERSIONES.

Arabic. n. 43. Et cum dixisset hunc sermonem, magna voce exclamauit Lazare exi foras.

Syriacus. Clamauit alta voce, Lazare.

D. Ambros. lib. de fide resurr. n. 44. Et statim exiuit defunctus foras de monumento, ligatus pedes, & manus institis, & facies eius sudario colligata erat.

Arabicus. Et manus eius, & pedes eius erant ligati linteaminibus.

Euthymius. Theophyl. Manus, & pedes habens reuinctos fasciis sepulchralibus, & facies eius sudario erat obuincta.

Vatablus. Habens reuinctos fasciis funeris.

Pagninus. Sudario erat circumligata.

EXPOSITIO XIII.

189.

HÆC cum dixisset. Hoc tempus concessit Iesus, vt qui aderant, mortuum Lazarum viderent, ac malum eius odorem experirentur. *Voce magna clamauit.* Poterat Dominus sola sua voluntate, qua cuncta gubernat, Lazarum suscitare, tamen alta voce vtitur, vt omnibus fieret euidens, ipsum esse auctorem miraculi. Magna etiam vox denotabat magnam vim, ac potentiam, qua Lazarum è morte adducebat in vitam; ac etiam, vt inquiunt Leontius, Euthymius, animam eius è loco remoto, è limbo nempe Patrum,

Euthym. Leontius.

Chryſoſt. Cyrill. Theoph. Ammon. Ambroſ. Theophyl. ac è centro terræ ad corpus reuocabat. D. Chryſoſt. D. Cyrill. Theophyl. Ammon. D. Ambroſ. lib. de fide reſurrect. ait: *Propter id, quod ſcriptum erat, in nouiſſima tuba reſurgent incorrupti.* Vnde ait Theophyl. *Magna vox Saluatoris, ſymbolum eſt magna tuba, qua ſonabit in communi reſurrectione.* Deinde, quia Lazarus quatriduanus peccatorem in culpa inueteratum repræſentabat; inde ad

Auguſt. eius reſurrectionem voce magna clamat. D. Aug. tract. 49. in Ioan. *Ad Lazarum fremit*, ait, *lachrymatus eſt, voce magna clamauit: quam difficile ſurgit, quem moles mala conſuetudinis premit.* Et vt

Cyrill. notat N. D. Cyrill. non obſecrando, ſed iubendo, vt verus Deus morti, & naturæ imperans, ait: *Lazare veni foras.* Et vocat eum nomine proprio; proximè citatus D. Ambroſ. *Ne alius reſuſcitatus*

D. Thom. *pro alio videretur.* D. Thom. ait: *Ideo ex proprio nomine vocat, quia tanta erat virtus vocis eius, quod omnes pariter mortui cogerentur exire, niſi ipſe per expreſſionem nominis virtutem ſuam ad vnum determinaſſet.* Et tanqam viuo loquitur, omnes enim mortui Deo viuunt, notarunt D. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Albertus Magn. & alij.

191. *Et ſtatim.* Ad Chriſti vocem ſine vlla mora, in eodem momento reſurrexit Lazarus: *prodit, qui fuerat mortuus*; prodiit, hoc eſt exiuit foras, vt ei imperatum erat, ac proinde non ſolùm exiuit ex ſepulchro, in quo iacebat, ſed etiam ex ſpelunca, in qua erat ſepulchrum. *Ligatus manus, & pedes inſtitis.* Hoc fuit aliud nouum, & diſtinctum

Baſil. miraculum, vt rectè notauit D. Baſil. orat. de mœrore, & triſtitia, apertis nempe oculis, & ligatis manibus, & pedibus, nemine adiuuante, de ſpelunca egreditur Lazarus. *Inſtitis*, id eſt faciis ſe-

Euthym. Theoph. Vatabl. pulchralibus, vt legunt Euthym. Theophyl. *vel faſciis funeris*, vt transfert Tatabl. Inſtita propriè ſunt tenuiſſima faciola. *Et facies eius ſudario erat ligata*: ſeu vt alij habent, *circumligata.* Vt mortuus ſignificaretur; nam mortui facies, ne pallida, ac horrida horrorem incuteret, obtegebatur. *Et dixit eis*, ſcilicet Iudæis, qui aderant. *Soluite eum*: à faſciis ſepulchralibus, vt Iudæi Lazarum contrectarent, eiúſque ſuſcitationem, ac miraculum à Domino factum, manibus palparent, ac tange-

Chryſoſt. Cyrill. Leont. rent. Ita D. Chryſoſt. D. Cyrill. Leont. & alij *Et ſinite abire.* Quò ipſe velit. Quandiu enim erant ligati pedes, & oculi obuelati, nequaquam ipſe abire poterat: miraculosè autem eo modo è ſe-

Caietan. pulchro foras egreſſus eſt, vt præter Baſilium citatum notat etiam Caietanus.

QVÆSTIO XXII.

Quare non dicit Chriſtus, Lazare ſurge, vel exi foras in nomine patris mei, cum pro ipſo ad patrem orauerit?

191. NOTANDVM eſt in limine quæſtionis, Dominum tres mortuos ſuſcitaſſe, & quemlibet cum ſua peculiari ratione, vt aduertit

Chryſol. D. Chryſol. ſerm 61. *Suſcitauerat*, ait *Dominus filiam Iari principis Synagogæ, ſed adhuc funere calente, adhuc mediante morte, corpore adhuc tepente: ſuſcitauit & vnicum Matris, ſed ſic vt retineret feretrum, vt anticiparet ſepulchrum. Circa Lazarum, quod geritur totum ſingulare: cuius mors; cuius reſurrectio commune nil habet cum prædictis.* Tres ſunt mortui, quibus donata eſt vita, in vnoquoque tamen quædam eſt peculiaris æſtimationis ratio. Puella ſuſcitatur citiſſimè, & intra domum, Marc. 5. n. 39. vnicũ matris à faucibus mortis eripit Dominus non rogatus, Luc. 7. n. 15. Lazarus verò iam quatriduanus è ſepulchro euocatur; & ſi beneficium conceſſæ vitæ extitit commune, tamen vnumquodque ſuam ſingularitatis habuit notam, vt ex ipſa ſingularitate indulgentia elargita eſſet æſtimabilior, & quilibet ex ea præ cæteris ſe dilectum coniiceret. Ad quæſtionem.

Marc. 5. *Beneficium commune ex ſingularitate æſtimabilius.* Luc. 7.

193. Reſpondet primò. D. Baſil. Seleuc. orat. 42. *Cur non dicit*, ait, *in nomine Patris mei, prodi foras? Cur non dixit: Pater eum vita reſtitue? Sed his omiſſis omnibus in ſpeciem precantis compoſitus, rebus ipſis auctoritatem manifeſtat? Hoc eius ſapientia eſt, verbis demiſſionem animi, factis poteſtatem demonſtrare.* quod etiam antea docuit D. Chryſ. homil. 36.

Baſil. Seleuc. Chryſoſt. *Lazare veni foras. Hoc ſapientia ſua eſt, per verba quidem condeſcenſionem, per res verò oſtendere poteſtatem.* Suſcitaturus Dominus Lazarum, ad Patrẽ ſic orat dicens: *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me.* At verò cum ad ſepulchrum acceſſit alta voce clamat *Lazare veni foras.* Cur cum eũ reſuſcitat; nomen Patris prætermittit? Cur non ait, veni foras in nomine Patris mei? Si in oratione Patrem nominat, cur in opere ipſum non pronunciat? *Hoc eius ſapientia eſt, verbis demiſſionẽ animi, factis poteſtatem demonſtrare.* Hæc eſt infinita Chriſti Domini ſapientia, quod in verbis demiſſionem, cum forma precantis, sèque ſubiectum Patri oſtenditur, *Pater gratias ago tibi*; at cũ ad opus deuenitur, maieſtatem, & poteſtatem declarat, vt nõ oſtendatur ſubiectus, ſed vt Deus conſubſtantialis Patri, æqualíſque ei poteſtate. *Lazare veni fores.*

In verbis oſtendit Dominum demiſſionem, in factis poteſtatem.

194. O grandis principibus, ac magiſtratibus eruditio, vt in verbis condeſcenſionem ſonent, in facto verò, & opere potentiam, & maieſtatem. In Catalogo illuſtriſſimorum virorum Dauid ſcribitur 2. Reg. 23. n. 8. *Dauid quaſi tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit impetu vno.* Si ipſe dicitur paruulus, ac tener, vt ligni vermiculus, quomodo deſcribitur, tam excellens fortitudine, vt octingentos interficeret impetu vno? Card. Hugo: *Dauid*, ait, *deſcribitur qualis debet eſſe, qui eligitur in prælatum, fortis in operibus, conſpicuus in moribus.* Et poſt aliqua ſubdit: *Humilis in ſermone.* Dauid in verbis demiſſionem proferebat, dicebat de ſe: *Ergo ſum vermis, & non homo*, Pſalm. 21. At in operibus tantam excellentiã habebat, vt fortior eſſet leone, & vrſu: Leonem, & vrſum interfecit, 1. Reg. 17. n. 16. octingentos vno impetu proſtrauit.

2. Reg. 23. Hugo. Pſalm. 21. 1. Reg. 17.

195. Iacob cum luctaretur cum Angelo. *Inualuit ad eum*, Oſeæ 12. n. 4. Et tamen cum victor exiſteret benedictionem ab Angelo petit, quo ſe illi inferiorem declarat; ſuperioris eſt enim benedictionem impendere, verbis demiſſionem oſtendebat Iacob, luctaminis verò ope poteſtatem, ac maieſtatem, vt ponderaui hoc cap. quæſt. 16. n. 146.

Oſeæ 12.

QVÆSTIO XXIII.

Quare Dominus non dixit: Surge Lazare, *ſed veni foras?*

196. NOTANDVM eſt in exordio huius quæſtionis, quod docet D. Auguſtinus tract 49. in Ioannem: *Quod inter omnia miracula, ait, quæ*

Auguſt. *Dominus*

Dominus fecit, Lazari resurrectio præcipuè prædicatur; vt etiam dixi in exordio huius capitis ex D. Chrysologo, ac aliis Patribus. Quo enim magis morti appropinquabat Dominus, eo maiora edebat signa, ne aliquis eius mortem humanæ infirmitati tribueret; vt etiam omnes suo exemplo instrueret, quo magis morti viciniores essent, eo excellentiora virtutum monumenta ederent.

In extremo vitæ maiora opera faciat homo.

197. *In modestia abscenditur magnitudo.*

Respondeo primò. Non ait Dominus modestiæ causa, surge è mortuis, non enim vult ipse miraculum voce sua publicare, sed ordinat, vt alij surgentem Lazarum videant, tantique signi sint testes, illúdque vbique publicent, ac diuulgent. Vide in Indice verb. *Laus*. Secundò. D. Basilius Seleucus orat. 42. *Non dixit*, ait, *surge, sed veni foras, ita cum mortuo differens, ac si viueret* Lazarum à mortuis Christus excitat, prius ergo infundenda erat vita Lazaro, & postea videbatur ei dicendum, veni foras; nam egredi foras, præhabitæ vitæ est actio. Magna Christi sapientia surgere mortuum imperat, foras prosilire iubet, & tanquam viuentem alloquitur; vt mortuum quatriduanum reformet ad vitam, non voce mortis indice, sed vitæ vtitur. Vt doceat, quod vt aliquis delectus in vitiis reformetur, ac parturiatur in vitam, non agendum est cum eo, vt cum sepulto, sed veluti cum viuo; nam sæpe opinio boni nominis valde efficax est ad propulsandam mortis iacturam, & ad recuperandum bonum amissum, ne bona ipsa opinio amittatur, sed vt proficiat, & retineatur.

Basil. Seleuc.

Vt quis in vita reformetur, multum prodest, quod illius opinio confortetur.

198. Richar.

Tertiò. Richardus lib. de potestate cap. 7. *Quid est autem*, ait, *resuscitatum inde, vbi mortuus tacuerat, exire, nisi peccatum suum penitus, & in perpetuum deserere?* Dominus Lazarum reuocat in vitam, cum mandat foras exire, nunquid ipse viuus non poterat manere in sepulchro? Ad quid dicitur, quod foras exeat? Præfigurabatur in Lazaro resurrectio peccatoris ad vitam, ex statu nempe culpæ ad gratiam, ideo Lazaro, vt resurgat, dicitur quod exeat foras à sepulchro nequitiæ, ab occasione laquei, & ruinæ; nam in illa perseuerans viuere non valet.

Exeat quis à peccati occasione.

199. Gregor.

Quartò. D. Gregorius homil. 26. in Euangel. *Lazaro dicitur*, ait, *veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, quia apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est culpam confiteatur peccator.* Depingitur in Lazaro reuiuiscentia hominis peccatoris ad gratiam, qui vt actiones vitæ spiritualis reassumat, necesse est, vt foras exeat per confessionem, vt iustificatus in via salutis incedat. Quod etiam docet D. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia, cap. 7. *Veni foras*, ait, *hoc est, qui iaces in tenebris conscientia, & delictorum tuorum sordibus, exi foras; delictum proprium prode, vt iustificeris.*

Per confessionem reuiuiscit anima.

Ambros.

200. Genes. 3.

Post primorum parentum peccatum; quærit Deus à muliere. *Quare hoc fecisti? Quæ respondit: serpens decepit me, & comedi*, Genes. 3. num. 13. Optimus Deus sciebat illusam fuisse mulierem à serpente, & etiam non solùm, quod ipsa comederit, sed etiam ad comedendum dedisset viro suo. Cur ergo Dominus eam interrogat? Interrogat non ignorans, sed vt ad confessionem inducens. D. Chrysostomus homil 16. *Hoc*, ait, *non ignorans interrogabat Dominus, sed conscium, & valde conscium, vt suam declararet misericordiam, & ad illorum se infirmitatem demittit, & ad peccatorum confessionem prouocat.* Et ideo etiam Deus quærit à Caïno. *Vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. num. 9. Non ignorabat Deus Abelem à Caïno obtruncatum esse, sed quærit, vt reus habeat occasionem, inde suum delictum confitendi, ac veniam impetrandi, & ideo Deus interrogat. Tertullianus lib. 2. in Marc. cap. 25. *Vt daret*, ait, *locum sponte confitendi delicti, & eo nomine relenandi.* Vide in Indice, verb. *Confessio.*

Præcedatur homo ad confessionem, vt veniniscat.

Chrysost.

Genes. 4.

Tertullian.

QVÆSTIO XXIV.

Quare Christus mortuum Lazarum suscitans, illius simul vincula non dissoluit?

RATIO communis est D Augustin. Chrysost. Leontij, Euthym. Theophylact. Albert. Magn. D. Bonauent. & aliorum, vt Iudæi viderent, & agnoscerent eundem Lazarum suscitatum, qui paulo ante vt mortuus ab ipsis fuerat linteaminibus, fasciis, ac sudario obuolutus, & ita certo scirent non esse phantasma, vel alium virum in monumento suppositum: deinde ad alias rationes morales veniamus.

201. August. Chrysost. Leont.

Respondet primò Rupertus lib. 13. de victoria verbi Dei, cap 18 *Opportunè*, ait, *Euangelista hoc præscripsit, quia videlicet consequitur in illius vocantis voce vim facillimam extitisse, qua illum pariter, & viuificauit, & de monumento expulit, qui cum esset ligatus pedes, & manus institis, nec pedibus, nec manibus prorumperere potuit.* Quod etiam docet Theodor de Prouidentia Dei, serm. 10 Ligatus venit Lazarus, vt appareat efficacia diuinæ vocis vocantis: cum enim Deus vocat, nullum est impedimentum, à quo possit homo retardari, etiam si ligatus sit manibus, & pedibus, iter aget, & viam facile præcurret contempta omni difficultate.

202. Rupert.

Theodor. *vbi Deus vocat, omnis difficultas vincitur.*

Secundò. D. Chrysologus serm. 75. *Tartarus*, ait, *ligatis manibus, & pedibus Lazarum exulis ad superna: nam si de Moysi corpore diabolus Angelo contradixit: quomodo non Tartarus Christo de vita & resurrectione Lazari contradicet?* Euomit infernus Lazarum viuum, sed tamen vinculis ligatum; cum Lazarus rediuiuus venit, triumphat Iesus de morte; cum verò vinculis astrictus redditur, contradictio, & repugnantia declaratur, quam infernus aduersus Iesum opponebat, reddebat ipsum ligatum, & non solutum; cur autem hic ageretur res de triumpho, & victoria, statim conueniens fuit, vt contradictio, ac repugnantia appareat, vt ex ipsa contrarietate victoria esset gloriosior. *Quomodo non Tartarus Christo de vita, & resurrectione Lazari contradicet!* Deinde pondera, quod ait: *Tartarus ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit.* Vt Lazarus veniret ad Christum mittitur ligatus manibus, & pedibus fasciis mortis, sepulchri, ac aduersitatis; nam si homo videt se ab his solutum, & prosperitate exaltatum, à Deo exulat, & fugit. Vide multa, verb. *Prosperitas*, seu *Labor.*

203. Chrysol.

vbi victoria, ibi contradictio.

Prosperitas dat cursum ad Christum, à quo prosperitas auertit.

Tertiò. D. Basilius Seleucus orat. 35. *Exiliebat*, ait, *quatriduanus mortuus lethi signa circunferens, & exuta morte sepulchralem ornatum non exuerat; sed erat insitius, velut è sepulchro partus, & post partionem fasciatus.* Vox Christi, quæ potuit Lazarum ad vitam euocare, potuit eum & à ligaminibus soluere. Cur ordinatur, vt resurgens ligatus

204. Basil. Seleuc.

gatus maneret? voluit, vt in eo manerent signa, per quæ mors ante oculos obuersaretur; Dei erat mortem ab amico tollere, sed non erat Dei, illa ab eo amouere, quæ ad recordationem mortis inseruiebant. Ponderà id, quod subdit sanctus Pater: *Velut à sepulchro partus, & post partionem fasciatus.* Infantes recenter nati fasciis ligantur, vt eorum membra in vitam firmentur, sic voluit Deus, vt mortis figuram in ligaminibus Lazarus reduceret, quibus securè, ac validè in vitam spiritualem firmaretur.

Mors semper sit ante oculos ad firmitatem vitæ spiritualis.

205. Augus. Quartò. D. Augustinus lib. 83. quæstion. q. 65. *Vltimum*, ait, *quatuor elementorum terra est Significas ergo fœtorem terrenorum peccatorum, id est carnalium. Quod autem exiuit à monumento, animam significat recedentem à carnalibus deliciis: quod verò infitiis inuolutus, hoc est, quod etiam à carnalibus recedentes, adhuc tamen in corpore constituti, alieni à carnalibus molestiis esse non possunt.* Exiit Lazarus à monumento, à terreno loco, in quo terrenæ, ac carnales deliciæ significantur, venit tamen ligatus; nam recedentes à carnalibus deliciis, etiam carnalibus molestiis, ac pressuris constringuntur, ac opprimuntur. Ex quo patet discrimen inter Iesum, & Lazarum. Nam Iesus surgit à monumento relictis fasciis; nam *Petrus vidit linteamina posita & sudarium*, Ioan. 20. num. 6. At verò Lazarus illa secum defert ex monumento. Solus enim Iesus exiuit à sepulchro liber ab omni molestia, & pressura; Lazarus verò cùm ingrederetur in hunc mundum, multis inuolutus, & circumdatus.

Relinquentes deliciæ carnales, molestiis constringuntur.

Ioan. 20.

206. Chrysost. Quintò. D. Chrysostomus serm. de Lazaro: *Lazarus*, ait, *exiuit de sepulchro cum linteaminibus, ne mors tarda iussionibus Dei notaretur; si vel breuissimum tempus in soluendis linteaminibus consumeret.* Egreditur Lazarus religatus nexibus, & vinculis; vt promptior ad imperantis vocem festinaret: nec breuissimam illam moram interponeret, qua suis se nodis expediret, & in sepulchro aliquantulum cunctaretur. Si etiam mortui ad obediendum Deo festinant, vide quanta diligentia nos viuentes debemus esse prompti ad eius mandata.

Sine mora diuina mandata exequenda.

207. Ambros. Sextò. D. Ambrosius lib. de fide Resurrect. *Comprehende*, ait, *si potes, quemadmodum clausis oculis iter carpat, vinctus pedibus gradum dirigat: virtute enim diuina præceptionis operante, natura suum non requirebat officium, non iam suo ordini, sed diuino nutui seruiebat: agebatur prius, quam parabatur incessus.* Vocat diuina vox Lazarum, & ipse venit clausis oculis, seu coopertis oculis sudario, sic veri obedientes, cum parent diuinis mandatis oculos obuelant, vt discutiant, & perpendant diuinum mandatum. Super solium diuinæ maiestatis stabant Seraphim, *sex ala vni, & sex ala alteri, & duabus velabant facies suas*, vt vertit Chaldæus, Forerius, Vatablus, Sanchez, D. Chrysostom. homil. 4. in hanc visionem. *Et duabus velabant*, Isaï. 6. num. 2. Seraphim veros Dei seruos, ac ministros significant, & adumbrant, vt docent D. Cyrillus, Hugo. Hi alis expansis volant ad exequenda celeriter diuina mandata, at faciem & oculos suos velant; non enim audent perscrutari, ac inquirere ipsas diuinas iussiones, sed tantum imperata facere. Nam vt ait D. Gregorius in lib. 1. Regum, cap. 3. ad illa verba: num. 5. *Non vocaui te*: sic ait sanctus Doctor, *Vera namque obedientia, nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.*

Obedientia non iudicat, nec discutit mandatum.

Chald. Forerius. Vatabl. Sanchez. Chrysost. Isai. 6. Cyrill. Hugo.

Gregor.

Hinc maximè laudandus Philippus Diaconus, cui ait Angelus: *Surge, vade contra meridianum*, Actorum 8. num 26. Vbi Angelus nec ei proponit, nec explicat terminum, causam, ac modum itineris, & tamen ipse, vt subditur in textu: *Surgens abijt.* Cum omnia ei sint abscondita, & occultata, ipse tamen sic pergit, & vadit: perfectus obediens non discutit causas, sed solum intentat imperata facere. Carthusianus ibi: *Prompte obediens*, ait, *nec causam iussionis inquirens. Quo informamur, vt subditi superioribus, sine superflua inquisitione statim obediant.* Vide suprà cap. 24. num. 106.

208. Actor. 8.

Carthus.

QVÆSTIO XXV.

Quare Christus non soluit per se ipsum Lazarum, sed mandat ministris illum soluere?

209. RATIO literalis est, quam dixi in expositione ex D. Chrysostomo, vt ipsi Ministri manibus tangerent, ac palparent miraculum factum. Secundò & moraliter D. Eligius homilius 11. in Cœna Domini. *Ecce*, ait, *illum iam viuentem discipuli soluunt, quem Magister resuscitauerat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est, quod nos debemus per Pastoralem authoritatem eos soluere, quos agnoscimus Authorem nostrum per resuscitantem gratiam viuificare: qua nimirum viuificatio ante operationem restitutionis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati.* Mandat Dominus vt discipuli soluant Lazarum, non mortuum, sed viuum. *Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent, quam virtutem.* Cum valde proclives sint homines ad aliorum defectus detegendos. Soluant ergo viuum, vt eius vitam dicant, & publicent. Deinde mandat vt discipuli soluant; *nos debemus per pastoralem authoritatem eos soluere*, &c. Quem enim Christus per suam gratiam mediante contritione suscitat, debet ipse per sacramentalem confessionem à sacerdotibus solui.

Eligius.

Homines solum sinunt defectus manifestari.

210. Rupert. Secundò. Rupertus hoc loco, *Tollite lapidem, & nunc soluite eum, & sinite abire.* Ait: *Decet namque, vt in his tantum fortitudinem suam viriliter exhibeat, in quibus operari humana non valet infirmitas. Hoc feruis quoque eius prudenter, & discrete obseruandum est, vt ibi tantum diuinam præstolentur potentiam, vbi humanam constat deficere industriam: alioquin contra illud facere videbuntur præceptum: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Dominus vincula mortis soluit à Lazaro, non tamen soluit funeris linteamina, vt moneat, quod ea, quæ possunt fieri viribus humanis à diuina Omnipotentia temerè non sunt expectanda, nec miracula requirenda, vbi humana industria valet esse negotiatrix. Vide cap. 31. num. 14. & 15. & 16.

Miraculum non est requirendum, vbi humana industria est negotiatrix.

211. D. Thom. Tertiò. D. Thomas: *Mortuus autem*, ait, *procedens Lazarus adhuc ligatus est confitens adhuc reus, vt autem soluantur peccata eius ministris mandatur, vt soluant eum, & sinant abire: nam quem Christus per se ipsum interius viuificat, discipuli soluunt,*

runt, quia miniſterio ſacerdotum viuificati abſoluuntur. Quodcunque ligaueris ſuper terram, Matth. 16. Agebat Lazarus figuram hominis peccatoris Dei auxilio operante per contritionem rediuiuum ſpiritum gratiæ reſumentem, qui in foro Eccleſiæ, ac iudicio ſacramentali, tanquam religatus reputatur, vt cum conueniens tempus adfuerit, à peccatorum vinculis à ſacerdotibus abſoluatur. Cùm ergo coram Domino in Lazaro adſtaret figura hominis peccatoris, valde cautè ſe habet Dominus in miraculo operando, ne videatur ſe intromittere in officio ſuis miniſtris delegato. Spiritum viuificum gratiæ dare, hoc ſolum ſpectat ad Dei omnipotentiam; ipſum verò peccatorem exterius, ac in facie Eccleſiæ abſoluere, hoc Petro, & cæteris Apoſtolis iam eſt commiſſum *Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, Matth. 18. num. 18. Ne ergo videretur Deus iuriſdictionem ſemel delegatam reſumere, ac ſuos miniſtros ab ea excludere, ideo quod ſibi reſeruauerat, ipſe per ſe exhibet; quod autem Miniſtris erat conceſſum, hoc totum integrum, ac intactum eis remittit, ac relinquit. Hoc iam dixi in probatione cuiuſdam theſis tom. 3. cap. 18. q. 1. n. 12. Quod hic tanquam in proprio loco fuit repetendum.

Matth. 18.

Miniſtri non ſunt impediendi in munere commiſſo.

212. *Dixit Elias Thesbytes de habitatoribus Galaad ad Achab: Viuit Dominus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba*, 3. Regum 17. num. 1. Cum ergo penuria aquæ totus fame tabeſceret orbis, multis intendit Deus inducere animum Eliæ vt deprecaretur pro immittendo imbre. Nam cum apud torrentem Carith latitaret, corui deferebant panes, vt à coruis qui natura ſua ſunt immiſericordes in pullos ſuos, induceretur ad pietatem, vt ponderat D. Chryſoſtomus ſerm. de Elia. Deinde: *Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, non enim pluerat ſuper terram*, citato loco num. 7. pro præſenti inſtituto ſic ponderat D. Gregorius Nyſſenus epiſt. ad Theodoſ. Epiſcopum: *Neceſſitas incumbebat, vt pluuiam poſtularet Propheta, ne torrens aqua deſtitueretur.* Tandem ait Deus: *Surge vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi mulieri viduæ, vt paſcat te*, ibidem num. 8. Quorſum Propheta ad mulierem Ethnicam mittitur? Nam gentilis fœminæ conſuetudo abominabilis erat apud Iudæos? Citatus Chryſoſtomus: *Qui mox vt audiret gentilis nomen, ab alimento ab ea ſumendo abhorreret, & ſic Deum pro infundendo imbre implorauit.* Ad quid Deus tantis agit ad leniendum rigorem Eliæ? Ipſe enim eſt Dominus elementorum, in cuius poteſtate eſt fertili imbre terram fœcundare. Clauem cœlorum depoſuit Deus apud Prophetam, vt ad pluuiam clauderet, vel reſeraret cœlum, vt ait D. Chryſoſtomus citatus: *Lingua Prophetæ cœli habenas moderabatur.* Quamuis ergo Deus tot calamitatum dolore eſſet pulſatus, tamen ne clauem commiſſam Prophetæ reſumere, aut ſe in illa intromittere videatur; ideo inuito illo nubes non vult diſſoluere, vt illæſam iuriſdictionem crediram illi cuſtodiat, dans in his cunctis principibus exemplum.

3. Reg. 17.

Chryſoſt.

Nyſſen.

Deus cuſtodit illæſam iuriſdictionem Eliæ delegatam.

Chryſoſt.

Vide ſuprà cap. 8. num. 174. & tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 16. lib. 2. cap. 7. num. 6. tom. 2. cap. 1. numer. 118. cap. 2. n. 5, cap. 26. numer. 6.

_

QVÆSTIO XXVI.

Quare Dominus mandat Lazarum abire, & quò abiit; & alia circa eum expendo.

AD vocem Domini reſurrexit Lazarus. Poteſt primò quæri, vbi fuit eius anima, antequam in vitam reuocaretur. Reſpondet D. Thomas Ioan. 11. ad illa verba: *Cognouit ergo turba.* Fuiſſe apud inferos, id eſt in limbo Patrum. Stulti enim dicunt Sapient. 2. *Non eſt agnitus quaſi reuerſus ab inferis.* Ecce Lazarus ab inferis rediit, &c. 213. *Vbi extitit anima Lazari.* D. Thom. Sap. 2.

Secundò; ait Dominus: *Soluite, & ſinite abire.* Vt fieret ouidens Lazari reſurrectio. *Sinite abire*, ait, quod ſcilicet vellet; nam Lazarus cum eſſet ligatus non poterat ambulare, ſoluite ergo, ait Dominus, ſepulchralia vincula, vt ambulare poſſit pro libito. 214.

Tertiò. Solutus Lazarus magnas gratias egit Chriſto pro tanto beneficio, etiamſi id ſileat Euangeliſta; fortè, quia pro tanto dono nulla erant ſufficientia verba, & quia ſuam gratitudinem Lazarus declarauit, non verbis, ſed operibus, nam vitam, quam à Chriſto accepit, eidem dedicauit: factus eius diſcipulus, prædicator, ac Epiſcopus Maſſilienſis, vnde in Catalogo Sanctorum eſt relatus, vt legitur in Martyrolog. Rom. die 17. Decembris. 215. *Gratia dantur non verbis, ſed operibus.*

Quartò. Quo abiit? Ad domum ſuam ſe contuliſſe, inquit Nonnus: *Domum ſecundo venit conſueto pede*, fortè per aliquos dies Chriſto adhæſit, & à morte didicit ab hominum conſortio fugere, vt leues etiam culpas euitaret. D. Chryſoſtomus homil. 63. ait: *Intuere, quod nullam gloriam expectat, non ducit eum, non iubet ſecum eſſe, vt rem oſtentet facto miraculo.* D. Bonauent. *Non ait Dominus ſinite mecum ambulare, vt monſtretur.* Mandat Lazarum abire, & eum ſecum non retinuit, ne ſuarum laudum præconem ſecum ad ſuam iactantiam circumferre videretur. 216. Nonnus. Chryſoſt. Bonauent. *Chriſtus deuitabat oſtentationem.*

Quintò. Non dat Dominus aliquod ſalutis monitum Lazaro, vt ſæpe faciebat aliis, quos ſanauerat, vt Paralytico Piſcinæ: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 5. n. 14. Ipſa enim mors optimus erat magiſter, ipſúmque ſepulchrum magna eruditionis ſchola. Pro quo in Indice multa vide verb. *Mors.* 217. Ioan. 5.

Ioan. 11. *n.* 45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant, quæ fecit Ieſus, crediderunt.

Num. 46. Quidam autem ex ipſis abierunt ad Phariſæos, & dixerunt eis, quæ fecit Ieſus.

VERSIONES.

Arias n. 45. Multi ergo ex Iudæis venientes ad Mariam, & Martham, ſpectantes quæcumque fecit Ieſus, crediderunt in eum.

Syriac.n.46. Quidam autem ex eis profecti sunt ad Pharisæos.

Arabicus. Qui nuntiauerunt quodcumque fecerat Iesus.

EXPOSITIO XIV.

118. MVLTI *ergo ex Iudæis.* Ecce iam incipit adimpleri id, quod Dominus dixit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur Dei filius per eam.* Nam multi ex Iudæis vi, ac magnitudine tanti miraculi compulsi, Christum verum esse Messiam profitebantur. *Qui venerant ad Mariam, & Martham, crediderunt in eum.* Ecce quanta vtilitas ex societate bonorum, qui enim vrbanitatis causa venerant ad visitandas, ac consolandas sorores, illuminati sunt diuina fide, vt in Christum crederent.

Vtilitas ex conuersatione bonorum.

119. *Quidam autem ex ipsis.* Quo animo id fecerint, bono, an malo animo dubitat D. Augustinus. At verò existimant Glossa, & Origenes eos voluisse id bono animo facere, vt si Pharisæi in Christum credere nollent, saltem mitiori animo essent erga eum. Communis sententia est, eos malo animo id fecisse, hos enim opponit Euangelista illis, qui in Christum crediderunt. Ergo hi non erant credentes, sed miraculum magicum, vel præstigiosum arbitrabantur. Moti sunt ergo ad hoc nuntiandum Pharisæis, vt eorum gratiam captarent, vt vult D. Cyrillus, eo quod de Christo se non benè sentire significarent. Secundò, quia Christum Dominum, vt ait Euthymius, tanquam præstigiatorem, & impostorem accusabant. Tertiò, hoc magno miraculo narrato maximè voluerunt excitare, ac instigare inuidiam, & odium Pharisæorum in Christum; vnde mox coacto Concilio eum occidere decreuerunt. Quartò, Theodorus Mopsuest, Leont. Theophylact. inquiunt, quod voluerunt eum accusare tanquam sacrilegum, eo quod mortui corpus effodisset.

119. August. Glossa. Origenes.

Cyrill.

Euthym.

Theodor. Leontius. Theophyl.

CAPVT XXXVI.

Concilium Pharisæorum.

Ioan.11.n.47. Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

VERSIONES.

Syriacus. Et congregati sunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi, & dicebant: Quid agemus? Nam vir iste signa multa edit.

Luc. Burgens. ex Græco. Collegerunt Summi Sacerdotes, & Pharisæi synedrium

D. Augustin. tr. 49. in Ioan. Quid faciemus? quia hic homo.

D. Basilius. Quia hic homo talia signa facit.

EXPOSITIO I.

1. COLLEGERVNT *ergo.* Pontifices, & Pharisæi conuocant concilium ad deliberandum, quid agendum sit; in quo quatuor sunt consideranda. Primò, concilium. Secundò, causa conuocationis. Tertiò, personæ conuocatæ. Quartò, finis conuocationis. Concilium est multorum conuentus, qui in rebus magnis, ac difficilibus sæpe fit. Causam huius conuocationis, indicat illa particula, *ergo*, in textu: *Collegerunt ergo.* Cognita nempe resurrectione Lazari, à mortе quatriduana, quæ die antecedenti facta fuerat in Bethania vicina Ierusalem, quæ denunciata fuit Pharisæis, vt patet ex superiori vers. 46. Personæ conuocatæ fuerunt *Pontifices, & Pharisæi.* Syriacus vertit, *Principes Sacerdotum*, qui erant viginti quatuor Principes, & capita sortium Sacerdotum, vt volunt D. Augustinus, & alij; de quo expositum 3. Tempore illo Romanorum sacerdotiū non erat perpetuum, ac proinde qui Pontificatu functi erant, etiam dicebantur Pontifices, & magnis negotiis vocabantur. *Pontifices & Pharisæi.* Quam facilè iniqui coadunantur ad malum. *Pontifices*, vt inquiunt Albertus Magnus, D. Anton. Vlyssiponens. serm. in feria 6. in quibus erat auctoritatis præeminentia. *Pharisæi*, qui religionis zelo alios præcellebant: gemina facie crudeliter armatur iniquitas, auctoritate, & zelo.

1. Syriac. August. Iniqui coadunantur ad malum. Alb. Magn. Anton.

Quintò, finis huius conuocationis, ex quo concilium pessimum redditur; extitit mortis Christi machinatio. Quis vnquam talia audiuit, vt ob mortuum quatriduanum suscitatum, ei mors machinetur? cum potiùs debebant moueri homines, vt Christi diuinitatem agnoscerent; & eum vt verum Messiam reciperent; ita erat eorum mens deprauata, vt ex bono prouocaretur ad malum. *Dicebant, quid facimus?* Verba sunt se incitantium, ac stimulantium, vt absq; vlla mora Christo mortem inferant, & hoc modo suam incusant oscitantiam, ac proinde dicunt: *Quid facimus?* Cur nempe negotium non aggredimur? Cur in re tanti ponderis torpemus? *Quia hic homo*, præ contemptu, ac odio eum non nominant, nec illius nomen pronuntiant. D. Chrys. *Adhuc hominem appellant, cum tale diuinitatis eius testimonium acceperint.* Et dicunt: *Multa signa facit.* Quotidie namque noua, & magna miracula facit.

2. Ex bono prouocantur ad malum.

Chrysost.

QVÆSTIO I.

Quare tantorum hominum fit concilium aduersus Iesum?

5. VNVS homo ad deliberandum, tāquam nullus homo reputatur, id autem quod multorum iudicio fulcitur, probum, ac firmum habetur. Ait Deus Moysi: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, & duces eos ad ostium tabernaculi: vt descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi*, Num. 11. n. 16. Ad quid tot, ac tanti eliguntur viri ad iudicandas causas populi, cum isti essent senes probi, ac prudentes, & quod magis

Num. 11.

gis

gis eſt diuina gratia erant illuſtrandi? Vt patet: *Auferam de ſpiritu tuo:* id eſt, accipiam,ac nouiter producam aliquid ſimile ſpecie ſpiritui tuo, vt eſt communis expoſitio D.Aug.ibi.q.18.Theodoreti,& aliorum. Ad quid ergo tot viri ſuperno lumine illuſtrati? Vt eorum ſententia firma, ac proba haberetur erga populum, ne quis auderet repugnare,& contradicere, quod tantorum iudicio erat firmatum,multi enim magni viri non facile conueniunt, vt à vero, ac bono aberrent.

Aug. Theodor. *Quod multorum conſilio fit, probum habetur.*

Abulenſ. Abulenſ.ibi q.66.*Facta eſt tantorum hominum electio. Vt quando omnes,*ait, *aut plures concordarent, certum eſſet,iuſtum eſſe, quod ab illis definiretur.* Et poſtea ſubdit: *Humana iura dicunt firmum eſſe indicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur.*

4. Hinc Iudaica malitia, ac peruerſitas ſolicitante machinatione concilium congregat aduerſus Ieſum,in quo aſſiſtunt Pontifices, Phariſæi, vtique magni Reipublicæ, *vt eum interficerent,per Concilij ordinem legitimum.* Vt ſcribit Rupertus lib.10.vt à tantis reprobata innocentia iuſtè damnata videretur; & ſummè Iuſtus, ac Sanctus ex multorum ſuffragio,veluti criminis reus haberetur, vt ita per eorum vota in populi oculis crimina componerentur, ac tantorum Concilio error nobilitaretur, & ſumma impietas patrocinaretur.Peſſimi principes Sacerdotum, ac Phariſæi Chriſtum Dominum ad plurimos iudices deferunt, ab Anna ad Caipham, à Caïpha ad Pilatum, vt ſcribit Ioan. 18. num. 13. 14. & 28. Ad quid ante tot iudices ſiſtitur, cum vnus eſſet ſufficiens ad capitis ſententiam proferendam? Tamen tot Iudices eliguntur, vt innocentiſſimo Agno grauior fieret iniuria; & iuſtior in reum cenſura videretur, quæ à tam multis, ac grauiſſimis viris comprobata erat.Salmeiron. tom.10. tract.19.*Factum hoc eſt*,ait,*vt quo Chriſti condemnatio à pluribus fieret,eo eſſet Chriſto ignominioſior, & iuſtior videretur apud populum.*

Rupertus *Iudæi auctoritate Conſilij malitiam defendunt.*

Ioan.18.

Salmeiron.

5. In ſpecie peregrini factus Dominus obuiam in itinere diſcipulis euntibus in Emaüs, qui cum cauſam eorum triſtitiæ quæreret, ipſi exponunt eſſe mortem Magiſtri ſui,& enarrant dicentes, *Quomodo eum tradiderunt Summi Sacerdotes,& principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus Iſrael*,Luc.24. num. 20. 21. Quomodo Chriſti diſcipuli, qui eius erant aſſidui comites, eiuſque doctrina, ac ſchola enutriti,eiuſque miraculorum, ac ſignorum teſtes & inſpectatores,ſic fluctuant, ſic eorum ſpes extenuatur, vt dicant: *Nos autem ſperabamus*, quaſi iam non ſperarent? Præcipuè,cum ipſi fateantur, quod ſanctæ,& probatæ mulieres, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, ſe Angelorum viſionem vidiſſe, qui dicunt eum viuere; cur ergo Domini diſcipuli ſic infirmantur in ſpe ex morte Domini, & inſuper, quod illa eſſet tertia dies?Mors Domini illata eſt auctoritate ſummorum Sacerdotum, & principum: *Tradiderunt Summi Sacerdotes, & principes noſtri.* Innocentia autem multorum etiam iniquorum iudicio condemnata, multum periclitatur, multúmque in diſcrimen adducitur, ita vt etiam viri magni de illius magnitudine dubitent,de illiuſque præclaris operibus redemptionis Iſraël fluctuent. Auctor Græcus apud D.Thomam: *Quem tradiderunt ſummi Sacerdotes, ac principes noſtri; nos autem ſperabamus. Sperabamus, inquit, non ſperamus, ac ſi mors Domini ſimilis eſſet morti aliorum.* Cum Dominus eſſet traditus ad mortem à ſummis Sacerdotibus, & principibus, illius mors videbatur reputata veluti mors aliorum, qui tanquam rei,& non vt innocentes condemnantur.

Luc.24.

Conſilio grauium perſonarum periclitatur innocentia.

Auctor Græcus.

6. *Factum eſt verbum in domo Nabuchodonoſoris regis, vt defenderet ſe; vocauitque omnes Maiores natu, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui, dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio*,Iudith.1.num.1.Quomodo negotium regis barbari dicitur myſterium conſilij ſui? Bene ſcio, quod in præſenti myſterium idem eſt, ac arcanum, vt transfert Vatabl. Myſterium Concilij,id eſt, conſilium, quod voluit ſecreto tegendum,ac abſcondendum à Conſiliariis, vt explicant interpretes Patres Celada, Veloſo, & alij. Tamen moraliter myſterium, id eſt, res abſcondita, & maxima veneratione habenda. Sic ait Paul.ad Coloſſenſ. 1. num. 26. de Incarnatione: *Miſterium, quod abſconditum eſt à ſæculis.*Nabuchodonoſoris conſilium dicitur myſterium;magnorum conſilia ſemper ſunt in multa veneratione Quid agebatur in conſilio?vt defenderet ſe, quod eſt res iuſta, & proba, tamen ipſe quid intendebat?*Vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.* Quod erat quædam inuaſio, ac rapina; ipſe enim ad aliena regna nullum habebat ius;ecce myſterium conſilij regis,vt latrocinium, ac rapina aliorum regnorum, ſic eſſet in veneratione,ac æſtimatione, tanquam ſi eſſet recta iuſtitia, ac proba defenſio.

Iudith.1. Vatabl. Celada. Veloſo. Coloſſ.1. *Concilium magnorum in multa veneratione.*

QVÆSTIO II.

Quare hoc Concilium Phariſæorum tam deprauatum, & iniquum extitit?

7. SATIS laudabile, quod in re magni ponderis concilium fiat, & quod iudices Conſiliarios ſibi aduocent. Mandabat Deus populo Hebræo: *Iudices, & Magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi*,Deuter. 16.num.18. Magiſtros, Græcè,id eſt, viros literatos; non ſolum mandat, vt in portis ſint iudices, ſed etiam ei adiectos eſſe voluit Magiſtros, viros nempe literatos, quos conſulerent in rebus magnis. Cauebat Deus, ne iudex ſuo cerebro præſidens temerè,ac incautè ageret,ideo diſponebat,vt conſiliarij aſſiſterent. Caietan. *Ad literam*, ait, *ſignificare videtur Patres conſcriptos, cum quibus cauſare, ac definire debent.*

Deut.16. Græcus. *Res conſulenda cum literatis.* Caietan.

8. Deinde in hoc conſilio adſunt Pontifices, & Phariſæi viri religioſi,& qui maximè de religione tractabant.Et hoc,vt ait Toletus ann.15,rectè fit,vt negotia Eccleſiaſtica per eo tractentur, & diſcutiantur, apud quos eſt authoritas, & ſcientia. Hoc autem negotium de Meſſia, & Chriſto vero agnoſcendo erat Eccleſiaſticum, & ad religionem maximè pertinens, & ideo agitur per Pontifices, & Phariſæos, neque enim ſæculares immiſcere ſe debent in rebus religionis definiendis,& decernendis. Sæculares tractent ſæcularia, Eccleſiaſtici verò Eccleſiaſtica, vnuſquiſque in ſuo ordine. De ſeuero refert Lampridius: *Fuit illi conſuetudo*, ait, *vt ſi de iure, aut de negotiis tractaret, ſolos doctos adhiberet, ſi de re militari, milites veteres,& ſenes bene meritos.* Nabuchodonoſor cùm de incundo bello cogitat ad totum ſubiu

Toletus. *Eccleſiaſtica tractent Eccleſiaſtici,& non ſæculares.* Lampridius.

subiugandum orbem: *Vocauit omnes maiores natu, omnésque Duces: & bellatores suos*, Iudith. 2. num. 2. Decernunt Philisthæi arcam Domini esse restituendam populo Hebræo, dubitant tamen de modo, ac cultu, quo id faciendum sit: *Et vocauerunt Philistiim Sacerdotes, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum*, 1. Reg. 6. num. 1. Non consulunt Principes, ac Duces suos, qui bello captam adduxerunt arcam, sed Sacerdotes. Abulens. ibi q. 6. *Remitti arcam pertinebat ad cæremonias Deorum; de his autem poterant melius indicare Sacerdotes.*

Iudith. 2.

Abulens.

9. *Ab impijs prodit impietas.*

Hoc tamen Pontificum, ac Pharisæorum concilium fuit pessimum, ac valde iniquum. Primò, quia in eo congregati sunt Principes, Sacerdotes, & Pharisæi, viri pessimi, & iniqui, & ab iniquis mala, & iniqua prodit operatio. Ait Iacob: *Simeon; & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea*, Genes. 49. num. 5. D. Thomas hic? *De Simeone fuerunt adinuentores sectæ Pharisæorum. Pontifices autem manifestum est de tribu Leui fuisse.* De tribu Leui Pontifices, de tribu Simeon Pharisæi, quales hi ergo erant vasa, seu instrumenta bellantia iniquitatis ad omne malum, & iniustitiam inferendam, & ideo subdit Iacob, in consilium eorum non veniat anima mea, sed longè sit ab eis.

Genes. 49.

D. Thom.

10. D. Thom.

Secundò. Fuit hoc concilium malum, & pessimum, vt ait D. Thomas, ex praua intentione, congregati sunt enim contra Christum Dominum cogitantes eum occidere: & quamuis aliàs consultatio ipsa, & quod res Ecclesiastica per Ecclesiasticos tractetur, sit quid bonum secundùm se præcisè consideratum, tamen ex praua intentione illa inficiuntur, & pessima redduntur. Ait Angelus Episcopo Sardis: *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo*, Apocal. 3. num. 2. Maximè insudant Expositores, vt explicent, quænam sint opera moritura. Mandat Angelus Episcopo, vt vigilet, ad hoc vt confirmet, seu viuificet, seu animare faciat opera sua, hæc autem opera Angelus non dicit mortua, sed moritura, seu proxima morti. Et postea subdit: *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.* Quinam horum nexus cum antecedentibus? imò cum superioribus est manifesta contradictio; nam si opera illa non erant plena coram Deo, sed vacua iustitia, ac charitate, non erant moritura, sed mortua. Quænam ergo sunt ista opera? Opera illa Episcopi secundum se erant bona, erant enim opera eleemosynæ, ieiunij, pœnitentiæ, prædicationis, & similium. Cùm tamen Episcopus ea faceret ex intentione vanitatis, ac iactantiæ, opera illa moriebantur, & peribant, & non erant plena coram Deo; mandatur ergo ei, vt vigilet, ad hoc vt recta intentione viuificet opera sua, vt sint placita, & grata oculis diuinæ maiestatis. Albertus Magn. *Esto vigilans*, ait, *quasi dicat, vsque nunc dormitasti, non dirigendo intentionem tuam, sed nunc aperi oculos tuos, vt intentionem tuam in Deum dirigas, non ad homines. Et confirma cætera, quæ moritura erant, quasi dicat: Si vis viuere, fac quæ facis intentione bona: non enim inuenio opera tua plena, scilicet recta intentione; opera enim hypocritarum sunt vana, quia faciunt omnia pro inani gloria.* Vide suprà c. 22. n. 29.

Apocal. 3.

Ex defectu bona intentionis opera aliàs bona defectuosa redduntur.

Alb. Magn.

11. Tertiò. Extitit hoc concilium malignum, & peruersum, cum valde præcipitatum fuerit. Proponitur in concilio causa grauissima, quæ ad omnium salutem spectabat. Et tamen conciliarij sine vllo iuris ordine, sine vlla discussione Scripturarum, nulla assistentibus facultate deliberandi, ac considerandi facta, statim sine vlla mora causam iudicant, ac determinant, vt Auctor vitæ moriatur: *Ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum.* Consequens ergo fuit, vt iudicium tam præceps valde venenosum ac peruersum esset. Vbi enim veritas, ac iustitia indagatur, morosè, & cum discussione causæ semel, & iterum procedit iudex.

Iudicium præceps iniquum.

12. Cum vidisset Deus hominum peccata multiplicata, & omnem terram vitiis corruptam, ait ad Noë: *Finis vniuersæ carnis venit coram me*, Gen. 6. n. 17. Attamen antequam Deus hæc Noë dixisset; inuenies Deum bis secum loquentem; semel ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine*, n. 3. & iterum: *Delebo hominem, quem creaui, a facie terræ.* Cur Deus antequam verba habeat cum Noë, toties secum loquitur, veluti cogitans, ac deliberans peccatorum supplicia? Nam eorum delicta erant valde cognita, & nota. Ad quid ergo huiusmodi repetitiones, cum Deus omnia vnico intuitu comprehendat? Pro iudicum documento: nam Deus infinite sapiens antequam sententiam proferret, ac promulgaret Noë, bis secum rem deliberat: & cogitat: *Non permanebit spiritus meus in homine.* Et iterum: *Delebo hominem.* Vt hoc instruantur humani iudices maturè, ac cum multa deliberatione multipliciter meditari causas, antequam sententiam pronuntient. Caietan. *Pensemus*, ait, *quomodo tanquam actor essendi Deus secum meditatus fuerit bis, tertiò autem promulgauerit iudex sententiam.*

Genes. 6.

Iudex multipliciter sententiam proferendam cogitet.

Caietan.

13. Delinquentem Episcopum Ephesinum premit iudex Angelus dicens ei: *Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac; sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*, Apocal. 2. n. 5. Episcopum in suo munere deficientem terret iudex Angelus, tamen multis documentis vocem suam mollit. Primò: *Memor esto vnde excideris*; à culmine scilicet charitatis, ac iustitiæ, in qua ambulabas. Deinde medicamentum admouet: *Age pœnitentiam.* Et tandem, ac tertiò eum exhortatur redire ad pristinum statum: *prima opera fac.* Et tunc acerbè minatur: *Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*; hoc est, te eiiciam ab episcopali dignitate. Angelus constitutus erat iudex, viderat delinquentem, cur tantis monitis interpositis cunctatur? Deinde, vt amoueat candelabrum, seu Episcopalem dignitatem, ait: *Sin autem, venio tibi.* Si in his defecerit, venio tibi ad te puniendum, ad quid requiritur aduentus Angeli, ipse enim diuina scientia illustratus optimè sciebat Episcopi statum? Voluit tamen Angelus in causa tam graui eiiciendi Episcopum à sua Sede multas moras trahere interpositis verbis, monitis, ac aduentu suo, ne si festinaret ad puniendum temere agere videretur. Præclarè Rupertus lib. 2. in Apocal. *Non dixi*, ait, *quia charitatem tuam primam reliquisti, idcirco venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo; sed grande internallum voci suæ, magnum frænum posuit currenti sententiæ.* Multum interuallum verbis, ac monitis posuit Angelus, vt cunctationem faciat, *& magnum frænum posuit currenti sententiæ.* Deinde, ait: *Sin autem, venio tibi*, ad iterum rem discutiendam, & examinandam, bonam formam puniendi cum maturitate,

Apocal. 2.

Iudex in sententia ferenda habeat moras ad deliberandum

Rupert.

maturitate, ac deliberatione præſcribens, *& magnum franum poſuit currenti ſententiæ.* Ex quo ait Caſſiodorus lib. 7. form. 5. *Cunctator eſſe debet qui de ſalute iudicat.*

Caſſiodor.

QVÆSTIO III.

Quare cum afflictione, ac anguſtia dicunt Phariſæi in Concilio, quid facimus?

13. SENSVM genuinum, ac litteralem horum verborum. Quid facimus? dixi in expoſitione, nec hic iterum repetendus, ſed ibi videndus.

Caietan. Caietan. ait, quod cum dicitur in Concilio quid facimus? *Arguendo legendum eſt. Materia tractata in concilio non nuda deſcribitur, ſed cum modo, quo tractabatur: arguendo ſcilicet proprias moras.* Vnde

Hugo. explicat Hugo: Quid facimus, *quaſi cur pigritiamur, cur nobis non prouidemus?* Die, ac nocte aduerſus Dominum cogitabant malum, & tamen ſe de pigritia accuſant: tanto impetu iniquus fertur in malum, vt præ deſiderio ſuo omnis eius vehemens cogitatio, pigritia, ac mora videtur.

14. Albertus Magn. moraliter explicat hæc verba: *Quid facimus?* Quod ſint verba animi anguſtiati, ac afflicti: *Anguſtia autem hæc*, ait, *prouenit ex tribus. Primò ex auaritia, quia ſuum lucrum in populo amittere timuerunt.* Quod antea docuit D. Gregor. Magn. in cap. 2. Reg. *Idcircò*, ait, *in Redemptoris mortem conſenſit Caiphas, quod oblationum veterum lucra amittere formidauit.* Nam ex ſacrificiis, ac donis oblatis in templo Pontifices, & Phariſæi magnum lucrum habebant. Auaro autem, & ambitioſo proprij emolumenti amiſſio magnus eſt cruciatus, & anguſtia vehemens. Sic præ animi afflictione dicebat auarus ille: *Quid faciam, quia non habeo, quod congregem fructus meos?* Luc. 11. n. 17. Sicque villicus iniquitatis conſiderans ſeipſum eſſe amouendum à poteſtate adminiſtrandi bona Domini ſui dicebat: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* Luc. 16. n. 3. Pro quo vide multa ſuprà cap. 4. n. 3. 4. 5. & 6. c. 28. n. 8. 9. & 10.

Alb. Magn. Ex amiſſo lucro anguſtiatur auarus.

Luc. 11.

Luc. 16.

15. Secundò. Ait Albertus Magnus: *Prouenit hæc anguſtia ex inuidia, quia Chriſto in gratia miraculorum florenti inuidebant Iudæi.* Sic videntes Iudæi miracula, quæ fiebant ab Apoſtolis, dixerunt: *Quid faciemus hominibus iſtis? Quoniam quidem notum ſignum factum eſt per eos omnibus habitantibus Ieruſalem,* Act. 4. n. 16.

Alb. Magn. Inuidi anguſtiantur ex alterius excellentia.

Actor. 4.

16. Conſiderant Pontifices, & Phariſæi illuſtriſſima Chriſti opera, & inde prodit inuidia, vt vſque ad mortem deſæuiat. Stephanus vir Iuſtus, Sanctus, & pius multa charitate eleemoſynarius in pauperes. Tamen fuerunt æmuli, qui aduerſus eum *commouerunt plebem, & ſeniores, & concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium,* Actor. 6. num. 12. vbi cum falſis teſtibus ad mortem damnatus eſt, *& eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant*, Actor. 7. num. 47. Quomodo fieri potuit, vt vir tam præclarus ſic in concilio neci tradatur? Dicitur de eo, Stephanus, *plenus gratia, & fortitudine faciebat ſigna, & prodigia in populo*, Actor. 6. n. 8. & iterum, *non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur*, ibidem num. 10. Cum ergo Stephanus prodigiis, miraculis, gratia, fortitudine, ac ſapientia omnes ſuperaſſet, inde concilio coacto omnes contra eum armantur, & ad mortem, ac lapidationem communi omnium ſuffragio traditur. D. Chryſoſt. homil. 15. in Acta Apoſtol. *Per ſigna*, ait, *in inuidiam non ſolum, ſed & quoniam legis cognitione ſuperior erat, illiſque intolerabilis, falſoſque teſtes conſtituunt aduerſus eum.*

Actor. 6.

Oß ſigna, & prodigia fit conſpiratio contra Stephanum.

Chryſoſt.

Tertiò. Albertus Magn. ait? *Prouenit anguſtia ex timore amittendi adminiſtrationem officij, & dignitatis ſuæ.* Vt patet in villico iniquitatis modò citato. Benè ſciebant conſiliarij, quod Chriſti aduẽtu deperdita eſt eorum iuriſdictio; & Phariſæorum ſuperſtitiones, ac abuſus omninò extincti erant, ac proinde pro ſuo iniquo regimine tuendo vehementer obſiſtebant Pontifices, & Phariſæi, ne Chriſtus, vt verus Meſſias agnoſceretur, ac reciperetur à populo; frequenter multa ſolent facere principes, ac magiſtratus pro ſua iuriſdictione tuenda, ne tempore ſuæ functionis videatur imminuta ac defraudata.

17. Alb. Magn. *Homines maximè ſolliciti de iuriſdictione vi muneris.*

Meus Ieſus accuſatus à principibus Sacerdotum, ac Phariſæis ſtetit ante præſidem Pilatum, à quo in Prætorium vocatus, interrogatur: *Tu es Rex Iudæorum?* Ioan. 18. num. 33. Cui reſpondit Ieſus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Cur non diſtrictè reſpondit Dominus, quod ipſe ſit Rex Iudæorum, ac rex omnium regum, ſed ita moderatè temperat reſponſionem cum multa cautela, vt dicat regnum ſuum *non eſſe de hoc mundo?* Chriſtus rex vniuerſi qua Deus, & qua homo erat, tamen cum interrogatur, an ſit rex, veritatem negare non licebat. Si autem apertè affirmaſſet ſe eſſe regem, Pilatus pro defendenda ſua iuriſdictione, próque tuenda Cæſaris poteſtate, cuius vices gerebat, audiens, quod ipſe eſſet rex, maximè turbaretur, acerbéque ſtimularetur ad iras, tumultus, ac contentiones contra ipſum Dominum; quæ omnia vt innocens Agnus euitaret, apertè declarat regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Vt inde præſidem ſecurum reddat, quod ob ſuum regnum, poteſtas eius non ſit imminuenda. Toletus in Commentario ad citata verba: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Sic ait: *Nec abſolutè negat ſe regem eſſe, ne veritatem occultaſſe videretur: erat enim Rex regum: nec rurſus affirmat omninò, vt Pilatum à formidine liberet, qui dignitatem Cæſaris in Iudæa tuebatur. Regnum, inquit, meum non eſt de hoc mundo, regnum habeo, ſed non eſt de mundo hoc, id eſt, non eſt de hoc ſæculo, quale eſt regnum regum mundi.* Et mox ſubdit ex D. Auguſtino tract. 115. *Audite Iudæi, & Gentes: non impedio dominationem veſtram in hoc mundo: regnum enim meum non eſt de hoc mundo.*

18. Ioan. 18.

Timent homines ſuam iuriſdictionem amittere.

Tolet.

Auguſt.

QVÆSTIO IV.

Quare Iudæi, qui ſigna quærebant à Chriſto, nunc contra eum obiiciunt, quod ſigna faciat?

19. RESPONDEO primò ad quæſtionem. Signa à Chriſto quærebant Iudæi, vt in eum crederent, eúmque vt verum Deum, ac Meſſiam recognoſcerent, ſic dicebant: *Magiſter volumus à te ſignum videre*, Matth. 12. num. 38. Sic & iterum dixerunt, tanquam negantes ab eo facta: *Quod ergo tu facis ſignum, vt videamus, & credamus*

Matth. 12. Ioan. 8.

mus tibi ? Ioan.6. n.30.Et tamen signa, quæ Iudæi negabant,inuitè ipsi fatentur : *Hic homo multa facit signa.* Valdè inconstans est impietas, contra semetipsum loquitur, & fatetur signa,quæ negabat iniquitas Iudæorum,eadem signa nunc attestatur. Sicque Iudæi assecias Christo denegabat dicentes : *Numquid ex principibus aliquis credit in eum ?* Ioan.7. n.48. Et tamen multo plures habere ipsi ei tribuunt, dicentes : *Ecce totus mundus post eum abit*, Ioan.12. n.19. Ecce maligni Iudæi,qui nullum ei assecIam dabant , iam multos concedunt; & qui discipulos , quos habebat,vt Nicodemum, Nathanaëlem,qui erant ex principibus,negabant, iam eos,quos non habet, tribuunt.Sic semper inconstantes , ac sibimet ipsis repugnantes sunt impij.

Impietas inconstans contra se loquitur.

Ioan. 7.

Ioan. 12.

20. Genes.27. Videns Esaü fratrem sunm Iacob paterna benedictione diratum , ait : *Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me, en altera vice ; primogenita mea ante tulit , & nunc secundò surripuit benedictionem meam*,Gen.27.n.36.In quibus verbis, vt rectè notat Abulens. mentitur , & falsum dicit Esaü : *Quia Iacob non abstulit primogenita , sed ipse gratis vendidit*,Gen.25. n.34. *Iacob autem iustum redemit.* Fatetur Esaü ex venditione facta primogenita iam pertinere ad Iacob , tamen conqueritur, quod ipse abstulerit benedictionem suam,cum tamen benedictio esset connexa cum primogenitura,vt communiter fatentur Abulens.Pereyra,Ioan. de la Haye , quæ ad maiorem filium spectabat ; si ergo maioratus delatus est iam ad Iacob,etiam ad ipsum translata est benedictio. Esaü sibi non est constans,sed valdè repugnans,fatetur primogenituram esse iam Iacob , denegat tamen illi benedictionem,in qua decus,ac nobilitas primogenituræ consistebat.Vide suprà c.14.n.48.& c.17.n.104.& c.31.n.74.tom.4.c.15.q.1.n.9.10.& 11.

Abulens. Genes.26.

Abulens. Pereyra. De la Haye.

Quæstio V.

Quare Pharisæi , & Pontifices in concilio contra Christum arguant , quod multa signa facit ?

21. Origenes. RESPONDET primò,Origenes in præsenti: *Licet ex his*, ait , *quæ Pontifices , ac Pharisæi dixerunt , considerare illorum apertam malitiam , & cæcitatem : apertam quidem , quoniam attestabantur illi , eum multa fecisse signa , posséque huic , qui tot signa egerat , insidias strui , perinde quasi sui causa nihil posset contra factas sibi insidias : id , quod ipsum etiam nihilominus cæcitatis erat , cum eiusdem esset, qui multa feciſſet miracula , insidias etiam superare volentium sic dimittere.* Nulla potuit esse maior malitia , & cæcitas, quam ea , quæ in hoc concilio viget ; fatentur planè consiliarij , quod hic homo multa signa facit ; & consequenter fatentur in eo magnam potestatem ad huiusmodi signa facienda , & si ipse tantum imminet , vt vincula mortis soluat , etiam inimicorum suorum insidias dissoluet , ac destruet. Pontifices , ac Pharisæi, quamuis aliàs sapientes existimarentur , ita cæci, ac insipientes inuidiæ malo facti sunt, vt videntes Christi magnalia, ipsa non intelligant, & cognoscant, sed penitus ignorent , existimantes se posse contra illa stare.

22. In deserto accedit Diabolus ad Christum tentando , vt possit eius diuinitatem inuestigare : *Si filius Dei es , dic vt lapides isti panes fiant* , Matth.4. num. 3. Et iterum : *Si filius Dei es , mitte te deorsum.* Nuper Diabolus in Iordane vidit cælos Christo apertos mira luce fulgentes : perspexit Spiritum sanctum sub Columbæ specie super eum venientem : audiuit Patris vocem: *Hic est filius meus dilectus : in quo mihi complacui* , Matth.3. num.17. Quid clarius ? quid apertius ? & tamen adhuc Diabolus, aliàs subtilissimus , & valdè perspicax, ambiguus hæret.D.Basil.Seleu.orat.23. *Hanc*,ait, *prodit ignorantiam Diabolus , dum in Iordane res geritur. Cum enim audisset latam in Cælo vocem: Hic est filius meus dilectus,ei per ignorantiam dicebat: Si filius Dei es , mitte te deorsum.* Clamat Dei Patris vox, cœli aperti , & Spiritus sanctus descendens demonstrant Filium Dei,& tamen adeo pertinax est Diabolus inuidiæ malitia , vt ex tantis signis , ac prodigiis , non fidem extorqueat , sed *ignorantiam* negotietur; nec sibi , nec suis oculis, nec suis auribus credit , ne Christi excellentiam credat ; sed etiam sic ambit ignorare , vt sibi persuadeat se posse contra illum stare , eiusque maiestatem tentando infuscare.

Matth. 4.

Matth. 3. *Apertam excellentiã Diabolus inuidia infuscare.* Basil. Seleuc.

Secundò. D Basil Seleucus orat.31. *Paralyticus solidabatur, oculi caco reficiebantur , mortuus ob illatam inferno cladem gestiebat , & medicus in crimen vocatur.* O summa ingratitudo , ô extrema dementia , beneficiis cumulantur , & contra suum benefactorem armantur, beneficiis non emollitur animus, sed potius magis ira , ac odio inardescit, vt nouas insidias machinetur.D.Athanasius serm. de semente : *Quid enim deterius*, ait, *quam beneficia accipere , & insidiari.* Extremum scelus est bonis mala rependere. Vide cap. 12. num. 74. 75. 76. & 77. cap.17. num.105. 106. & 107. & cap.31. num.72. & 73.

23. Basil. Seleuc. *Beneficia in crimen vertere,extremũ malum.*

Tertiò. Theophylact. *Decebat* , ait , *admirari, & extollere eum, qui talia peragebat miracula:ipsi vero potius consiliantur illum occidere.* Crudelis hominum impietas ! ex beneficiis eliciunt , ac arripiunt occasionem insurgendi in suum benefactorem,quod non solum est crudelitas , & impietas, sed etiam extrema insania , ac fatuitas. Multa obsequia præstitit Dauid Saüli ; rempublicam à Philisthæo liberauit,eique vitam concessit , cum posset in spelunca latenter illum occidere,& cum posthæc adhuc Saül persequeretur Dauidem , accidit , vt nocturno tempore Dauid ingressus esset regis tentorium , quem cùm dormientem reperisset , scyphum aquæ , & lanceam ad caput lectuli positam detulit, quibus à longè monstratis,vitam illi dedisse , comprobat. Cui respondet Saül 1. Reg.26. num.21. *Peccaui , reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam , eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim , quod stultè egerim , & ignouerim multa nimis.* Hebræus vltima verba sic transfert: *Ecce insaniui , & erraui multum valdè.* Merito ait: *Insaniui* , nam agnitis beneficiis , velle adhuc inferre mala benefactori , insania est , & multus error : *Ecce insaniui , & erraui multum valdè.* Caietan. *Recordatus Saül , quod aliàs simile beneficium receperat à Dauide , fatetur non solum se erraſſe , sed etiam insaniſſe multum valde persequendo Dauidem.*

24. Theophyl. *Insania est quod qui extra benefactorem armatur.*

1. Reg. 26.

Hebræus.

Caietan.

Ioan.11.n.48. Si dimittimus eum sic,omnes credent in eum , & venient Romani , & tollent

lent noſtrum locum, & Gentem.

VERSIONES.

Syriacus. Quod ſi ita ſinamus eum, omnes homines credent in eum.

Vatabl. Orig. Si permiſerimus eum ſic, omnes credent in eum.

Euthymius. Si reliquerimus eum ſic.

D. Auguſt. de Ciuit. Omne ſæculum ibit ad eum; & venient Romani, & tollent à nobis locum noſtrum, & regnum.

Arabicus. Et venient Romani, & capient, ſeu deuaſtabunt noſtrum locum, & Gentem.

Græc. apud Cornel. Et venient Romani, & debellabunt noſtrum locum, & Gentem.

EXPOSITIO II.

25. Syriacus. Vatabl. Alb. Magn.

Si dimittimus eum. Syriacus: *Si ita ſinamus eum.* Vatablus: *Si permiſerimus eum.* Dicunt, *Sic:* ait Albertus Magnus, *miraculando*, ſigna, & miracula faciendo, vt cœpit; abſque eo quod non impediamus eius miracula. O ſtulta, & cæca hominum impietas, ex profeſſo ſe accingunt ad opprimendam Dei virtutem, & gloriam, quæ in Chriſti miraculis relucebat, quaſi Deo poſſint ſuperiores fieri. Dicunt, *Si dimittimus eum ſic*, vt ait Carthuſianus, multa inconuenientia ſequuntur: *Omnes credent in eum.* Et agnoſcent ipſum verum regem, ac Patribus promiſſum. Perpende excellentiam virtutis Chriſti, nefarij conſiliarij armantur in concilio contra Chriſtum, & tamen fatentur tam efficacia eſſe ſigna Chriſti, vt omnes trahant ad credendum in eum, aduerſus ſeipſos fiunt teſtes veritatis inuiti conſiliarij: omnes dicunt, credent, etiam obſtinati, ac obdurati, & tamen iſti Conſiliarij, odio, inuidia, ac proprio lucro obſtinatis obſiſtentiores erant, vt in Chriſtum credere nollent.

Carthuſ.

Iniqui contra ſeipſos ſunt teſtes.

26. Rupert.

Venient Romani. Cum exercitu, ac poteſtate magna, ſub cuius dominio erat tunc gens Iudæa. Rupertus: *Si ergo quiſquam apud nos præter Cæſarem Rex nominatus fuerit, vindices Romani venient.* Prohibuit enim Senatus Romanus, ac Cæſar, vt notant D. Chryſoſtom. D. Cyrill. Leontius, D. Auguſtinus, quod nulla gens ſibi regem, vel Deum conſtitueret ſine ipſorum auctoritate: *Et tollent locum noſtrum.* Arabicus, *debellabunt.* Græcus, *capient, vel deuaſtabunt* locum noſtrum, vt explicat D. Auguſtinus tract. 49. in Ioan. *Expugnando, vel tranſferendo locum noſtrum.* Vt ait Albert. Magn. in pœnam præſumptionis noſtræ. Per locum noſtrum intelligunt, vt inquiunt Carthuſianus, & Hugo, Vrbem Ieruſalem, templum, reliquáſque vrbes, viculóſque Iudææ. Et per locum noſtrum bene intelligitur templum, quod eſt proprius locus hominis, ac proinde ſi ipſum deſtruatur, nullus relinquitur locus, in quo homo ſit, & iſti apparenter ſe oſtendunt Pontifices, ac Antiſtites, qui maximè de templo ſoliciti ſe exhibebant. *Et Gentem noſtram*; Iudaicam ſcilicet perdent, & alio transferent.

Chryſoſt. Leontius. Auguſt. Arabicus. Syriacus. Albert. Carthuſ. Hugo. Sacerdos eorum habebat de templo.

QVÆSTIO VI.

Quare Phariſæi, & Pontifices multum timidos ſe oſtendunt in Concilio, ſi Chriſtum dimittant?

27. SVMMA deliberationis totius Concilij extitit conſideratio, ſeu imaginatio periculi reipublicæ, quod ſequebatur ex ſignis Chriſti, & ſi populus in eum crederet. Cum potius ſigna Chriſti eſſent perpendenda; an fierent virtute diuina, an conſentanea vaticiniis Prophetarum, quibus oſtenderetur Chriſtum eſſe verum Meſſiam promiſſum; ſi enim ad hæc rectè attenderent, apertiſſimè, ac clariſſimè cognoſcerent Ieſum eſſe verum Filium Dei, verúmque Meſſiam in lege promiſſum; ſed ita, odio, ac inuidia obcæcati, hæc non conſiderant, ſed omni nixu, ac viribus intendunt obſiſtere, ne populus Chriſtum adoret, ac in eum credat, & ad hoc perſuadendum velamen prætexunt, quo fingunt ſe metuere aduentum Romanorum, excidiúmque vrbis, & gentis propter Ieſum, cum reuera non ita ſentirent, nec animo iudicarent. Vt docent D. Cyrill. D. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. & alij, qui docent Phariſæos hunc timorem fictitiè exhibuiſſe. Rationem ergo huius ficti timoris quæſtio præſens inquirit.

Cyrillus. Chryſoſt. Euthym. Theoph.

28. Caietan.

Reſpondet primò Caietan. *Verè cæci erant iſti Conſiliarij, quoniam ſi Deus miraculoſis ſignis ducet omnes ad Ieſum vt Meſſiam, ipſimet Deus proteget à Romanis, & ab omnibus, præcipuè, quia ipſi expectabant Meſſiam ſecundum regnum mundi huius, quem adoraturi erant omnes reges terræ, & reducturum vniuerſum Iſraëlem de captiuitate, & diſperſione.* Et poſtquam ſic rectè arguit eorum timorem, rectè ad noſtram quæſtionem reſpondet: *Exæcauit illos malitia eorum, ac amor propriæ auctoritatis, quam ſciebant ſe non habituros ſub Meſſia rege iuſtiſſimo, conſcientia namque propria teſtificabatur ipſiſmet, quod perdituri erant locum auctoritatis ſuæ, ſi omnes crederent in Ieſum iuſtum.* Timebant Pontifices non rempublicam, ac Romanos, ſed ſeipſos, ſciebant enim Meſſiam eſſe regem iuſtum, & iuſtitiæ, ac proinde non permitteret eos tam iniquos, & deprauatos in ſuo munere, & miniſterio. *Conſcientia namque propria teſtificabatur ipſis, quòd perditurí erant locum auctoritatis ſuæ.*

Seipſos Conſiliarij arguebant.

29. Int lectu approbant, voluntate reprobant.

Secundò. Valdè mirum. Dicunt Senatores in Concilio: *Hic homo multa ſigna facit*, & tamen ſtatim contra eum conſpirant ad mortem, *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum, & Gentem*, iterum: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo.* Quomodo hæc compatiuntur? omnes eum approbant intellectu, *multa ſigna facit*, reprobant tamen voluntate, cum dicunt: *Si dimittimus eum ſic*, &c. *Et ab illo die cogitauerunt, vt interficerent eum*; ſic ſæpè contingit, vt aliquis intellectu etiam inuitus ob tua illuſtria facta tibi annuat, ſed ita, odio, & inuidia

contra te omni affectu armatur. Pilatus Christum intellectu approbat, eius enim innocentiam agnoscit, & fatetur, dicens: *Nullam inuenio in eo causam,* Ioan. 18. num. 38. Et tamen affectu, ac voluntate ipsum damnat, sumpto calamo subscribit sententiam, *Et tradidit eis Iesum, vt crucifigeretur,* Ioan. 19. n. 16. Quantum distat manus à iudicio! illa enim eum condemnat, quem ipse Pilatus iustum, & rectum iudicabat.

Ioan. 18.

Ioan. 19.

30. Tertiò. Quadam politica ratione, ac conuenientia status se tuentur Senatores, suámque iniquitatem patrocinantur: *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & Gentem.* Conseruatione reipublicæ se armant, vt hoc prætextu omne pietatis ius deserant, omnéque immane scelus aggrediantur; vt immerenti, ac innocenti pro sua securitate firmanda mortem inferant. Pro causa Dauidis tuenda benignè loquitur Ionathas ad patrem, cui iratus respondet Saül: *Omnibus diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad me, quia filius mortis est,* 1. Reg. 20. num. 31. Vult Saül adducere Ionatham in suam sententiam, vt cum ipso aduniatur ad inferendam mortem Dauidi, & ad hoc nullam aliam rationem in medium proponit, nisi conuenientiam, firmitatem, ac stabilitatem proprij principatus, pro enim hac tuenda nullum facinus omittunt, ac respuunt principes. Abulens. quæst. 33. *Per hoc,* ait, *credebat Saül, quod persuaderetur Ionathas ad occidendum Dauidem, scilicet, ut stabiliretur ipse, & & regnum eius.*

Pro politica ratione status principes nullum scelus respuunt.

1. Reg. 20.

Abulens.

31. Duo Pharaones reges Ægypti grauiter deliquerunt contra domum Abrahami. Ingreditur Abrahamus Ægyptum cum Sara vxore sua, quam dicebat esse sororem, viderunt Ægyptij mulierem pulchertimam, laudauerunt eam principes apud regem, & sublata est mulier in domum Pharaonis: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarã vxorem Abraham,* Genes. 12. num. 17. Qui statim consurgens reddit Saram marito suo Abrahamo. Secundus Pharao deliquit contra Abrahamum sub multa tyrannide tenens captiuos eius filios, & nollens dimittere eos. Sic cum Moyses, & Aaron ei proposuissent Dei mandatum, ipse ait: *Nescio Dominum, Israel non dimittam,* Exod. 5. num. 3. Et tandem multis plagis flagellatus à sua iniquitate, ac obduratione non vult desistere. Cur ille primus Pharao tam promptè Deo obedit, vt vno mandato, vno flagello impositio statim diuina mandata exequatur. At verò alter Pharao tantum obsistit, vt multis diuinis mandatis proposita vna, & altera plaga, ac multis, & decem plagis verberatus adhuc tamen restitit; nullâque molestia ranarum, muscarum, ac sciniphum, nullâque clade agrorum, ac animalium, nullâque filiorum morte flectitur, sed obdurtatus persistit, & non vult dimittere populum? Vnde tam dispar ratio? Primus Pharao Saram introduxit in domum suam amore, ac affectu captus; secundus verò Pharao retinebat Hebræos sub ditione sua, quadam conuenientia, & politica ratione status, *Ne dimissis Hebræis,* ait Abulensis, *diminueretur regni potestas.* Princeps etiamsi quæ sunt sui, libidinis ac amoris primo admonitu, primóque plagæ tactu contemnat, & renuntiet, tamen sic tenaciter rationibus sui status adhæret, vt repetitis mandatis multiplicatis plagis minimè à suo nefario proposito dimoueri queat, & ideo licet primus Pharao adamatam Saram prima plaga à domo expellat; alter verò Pharao populum Hebræum tam atrocissimis verberibus vexatum, ne vires regni minuantur, dimittere non vult, sed omni mandato, omni plagæ, omníque cladi pro ratione status tuenda obduratus repugnat, & resistit.

Genes. 12. Exod. 5.

Abulens. *Omnia humana, ac diuina contemnit Princeps pro politica ratione status.*

Qvæstio VII.

Quare Consiliarij isti obiiciunt, quod venient Romani, & tollent locum, & Gentem, cum Christus in nullo esset contrarius Romanus?

32. AD quæstionem respondet primò D. Chrys. homil. 64. in Ioannem? *Nunquid,* ait, *seditionem docebat Christus? Nunquid dissuadebat tributum dari Cæsari? Nonne facere eum regem voluisti, & renuis? Quânam ergo gratia, venient Romani? Hac ergo sine vlla ratione dicebant, sed inuidia tantum.* Quo fundamento astruunt isti Senatores, quod si populus in Christum credat, venient Romani, cum euidens esset, quod Christus in nullo esset Romanis aduersarius? nam ipse consulebat dare tributa Cæsari, oblatum regnum fugit, in omnibus paci studebat; cur ergo à Consiliariis istis sic proponitur Christus, vt Romanis contrarius, cùm ipsi aperta euidentia, ac experientia cognoscerent, quod Christus minimè Romanis aduersaretur? apertè sic videbant, & intelligebant, sed cum inuidia laborarent, contrarium astruunt; nam inuidus testatur contra id, quod experitur, & iudicat contra id quod videt, & palpat.

Chrysost.

Inuidus iudicat, & testatur contra id, quod videt.

33. Secundò. Bene sciebant Consiliarij isti, quod Christus in nullo erat contrarius populo Romano, tamen malitiosè sic volunt eum diuulgare in Concilio, vt cum proponeretur tanquam aduersarius Romanis nullus auderet pro ipso loqui, & stare, ne Romanis reputaretur contrarius. Cum Iesus in multis accusaretur à Pharisæis, maximè contendebat Pilatus liberare eum à manibus eorum, dicens: *Nullam causam mortis inuenio in eo,* & quod ipsi suscepissent eum, & secundum legem suam iudicassent; & tandem ait, *Quomodo regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur,* Ioan. 19. n. 15. Cur non antea eum tradidit, sed modoùe reputaretur contrarius Cæsari, qui absoluebat hominem, qui dicebatur Cæsari contradicere. Expende illud, *Tunc.* D. Augustinus tract. 116. in Ioannem: *Timere mox vincitur Pilatus, nam apertissimè contra Cæsarem venire videretur, si regem se non habere, nisi Cæsarem profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitum, quem propter hos ausus tradiderant occidendum.* Et ideo obiecto Cæsare Pilatum obmutescere faciunt.

Romanorum metum comprimitur, ne quis Romanis contrarius videretur.

Ioan. 19.

August.

34. Tertiò. D. Augustinus tract. 49. in Ioan. *Pontifices, & Pharisæi non dicebant,* ait, *credamus, plus enim perditi homines cogitabant, quomodo nocerent, vt perderent, quam quomodo sibi consulerent, ne perirent: & tamen timebant, & quâsi consulebant.* Timor apprehendit consiliarios, dicunt enim: Ne veniant Romani, tamen ipse timor non eos reddidit prouidos, sed scelestos; non enim consulit timor, vt dicerent, credamus, Dei vaticiniis obediamus,

Improbus timor malum consulit.

obediamus, peccata abiiciamus, ſed occidamus, blaſphememus, ne dominio noſtro diſpoliemur. Ecce improbi timoris ingenium ſcelera euaporat,& crudelitatem meditatur,& perditionem anhelat. *Non dicebant, credamus; plus cogitabant quomodo nocerent, & perderent.*

35. Quartò; timent, *ne veniant Romani*, vt inde ipſi perdant locum,& ciuitatem ſuam,cur non timent grauiſſima delicta,quæ parant committere impius non curat de ſalute animæ,ſed ſolùm ſolicitus eſt, ne terram amittat. Promulgata ſententia contra Caïnum propter fratricidium Ait ipſe ad Deum: *Ecce eiicis me hodie à facie terra, & ero vagus, & profugus in terra*, Gen. 4 n. 14. Propter etiinen animæ damnationem, & æternam pœnam promeruit Cain. Cur de his non dolet, ſe ſolùm, quod eiiciatur à facie terræ, ne terrenis bonis perfruatur, néve in vna regione conſiſtat, ſed in vnam,& aliam tranſmigrare compellatur; Caïn cum impius eſſet temporalia bona ſaluti animæ præferebat,& plus bonorum terrenorum amiſſione,quam animæ iactura perculiebatur. Rupertus lib. 4. *Quid deprehenſus timet? inculsus ipſe agricola, ecce inquit, me eiicis hodie à facie terra, hoc timet ne agricolari ſibi non liceat, ne terram quam ſolum amat, vel præſentem vitam pro admiſſo facinore perdat.*

Genes. 4.

Impius ſolùm cogitat de terra, non de cœlo. Rupert.

36. Euthym. Quintò. Euthymius: *Perditionem Romanorum in prætextum aſſumebant.* Prætextu religionis templi, ac publicæ vtilitatis, & boni communis malitiosè contra Chriſtum deſæuiunt, & armantur; ad ſpeciem oſtendunt ſe reipublicæ, ac loco ſancto conſulere, vt inde grauius contra Chriſtum inſurgant: tunc ſanè peſtiferus regnorum damnum molitur, cùm virtutis penicillo coloratur,& adumbratur.

Prætextu Romanorum mortē Chriſti meditantur.

37. Duxit Patens Eliſæus milites regis Syriæ in medium ciuitatis Samariæ, & cum rex Iſraël eos vellet occidere, prohibuit Eliſæus, immo ipſo conſulente mandauit rex eis ponere panem, & aquam,vt comederent,& biberent, & tunc dimiſit eos in pace. Poſtea verò cum ipſemet Rex cum toto ſuo regno eſſet multa fame, ac rerum penuria oppreſſus, ita vt mulieres filios ſuos comederent, quod cum animaduertiſſet Rex? *Scidit veſtimenta ſua & tranſibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus; & ait Rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi filij Iaphat ſuper ipſum hodie*, 4. Regum 6. num. 30. Cur modo Rex, qui antea tantam venerationem habuit erga Eliſæum, vt ad verbum illius milites, ac hoſtes cibo refectos abire permitteret: nunc verò ſic inſurgit in eum, vt iuramento facto ſpondeat ſe cum illa die interfecturum? Cur tex, qui antea tam pius extiterat, nunc verò tantum facinus aggredi non timet, vt virum iuſtum, ac Prophetam occidere determinet? Vnde tanta differentia? In primo euentu exhibuit ſe loram vt regem, ideo tanta benignitate vtitur in milites. At verò nunc ſe zelo feruidum, ac ſolicitum de bono communi declarabat;nam vt inquit Lyranus: *Ideo acceperat cilicium, vt affligendo carnem ſuam facilius impetraret Dei miſericordiam.* Et tunc amore, ac prætextu ciuitatis obiecto turpiſſimum ſcelus impudicè perpetrare diſponit, vt contra Propheram velit leuare manum, & ipſum iuramento facto interficere.

Obiecto zelo reipublicæ turpiſſimum ſcelus aggreditur.

4. Reg. 6.

Lyranus.

38. Sub noctis ſilentio venit Dauid in tentorium Saül; illius haſtam,& ſcyphum tulit ſecum,& ex vertice montis oppoſito,clamauit ad populum,& ad Abner. Cui reſpondens Abner, ait: *Quis es tu, qui clamas,& inquietas regem?* 1. Regum 26. n. 14. Si tam zelotus eſt Abner ne rex euigilet, cur hæc non dicit per ſigna, vel per internuntium? Ne Dauid regem inquieret: planum eſt enim, quod plus expergefaciat regem ille, qui è propinquo clamabat, quam ille, qui à longè. Vnde Gaſpard Sanchez tenet, quod Abner ſua vociferatione regem à ſomno excitauerit. Hæc eſt frequens reipublicæ peſtis. Multi ſunt miniſtri, qui grauiſſimum damnum regi inferunt colore illius procurandi commodi, ac quietis. Abner dum ſua voce oſtendit affectare regis quietem,ipſa voce excitat, & illius quietem abrumpit.

1 Reg. 26.

Sanchez. *Sub commodi colore regi malum inferunt.*

QVÆSTIO VIII.

Quare dum Phariſæi cogitant tradere Ieſum morti, ne veniant Romani ad eorum excidium, ipſi miſeri incidant in Romanos?

39. Lyppom. PRIMÒ. Lyppomanus ſtatim citandus exiſtimat, quod dum impij Iudæi per mortem Chriſti machinatam volunt ſuum perpetuare locum, alto Dei iudicio tacitè prophetant eius ruinam, & deuaſtationem à Romanis inferendam: ſicut filij hominum turrim ædificantes ſui diſperſionem, ac nominis extinctionem ſuperna prouidentia vaticinantur. Dicebant: *Celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras*, Geneſ. 11. num. 4. Quis eis dixit eſſe diuidendos? Lyppoman. *Iuxta Hebraum*, ait, *legimus. Et faciamus nobis nomen, ne fortè diſpergamur; voluntate Dei prauitas contra ſe ipſam vaticinatur. Sic enim Scriba, & Phariſæi de ſe ipſis prophetauerunt futurum, cum dixerunt: ne fortè veniant Romani, & tollant locum noſtrum,& gentem.* Ipſiſmet verbis, quibus impij affectant ſuum nomen æternum poſteris relinquere, vaticinantur inſtar puluetis eſſe diſpergendos in terram,nullúmque ſui nomen relicturos: ſed relinquent inchoatam ſine auctorum nomine molem, in æternæ ruinæ monumentum, & infamem caduci nominis,ac ambitionis columnam. Vt ipſi impij inuiti prophetizant Sap 2. n. 5. *Nomen noſtrum oblinionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum noſtrorum. Vmbra enim tranſitus eſt, tempus noſtrum.*

Geneſ. 11. Lyppom.

Impius vaticinatur ſui ruinam, & excidium.

Sapient. 2.

40. Secundò. D. Auguſtinus in Pſalm. 53. *O ſtultitia, & imprudentia! timuiſti perdere terram, & perdidiſti cœlum; timuiſti ne venirent Romani, & tollerent tibi locum,& gentem, nunquid tollerent Deum? Quid ergo reſtas? Quid? niſi, vt iam fatearis, quid tenere voluiſti, & tenendo malè amiſiſti? Perdidiſti locum, & gentem occidendo Chriſtum; perdidiſti & locum,& gentem,& Chriſtum.* Ne perderent locum ſuum,& terram,Deum voluerunt perdere; *perdidiſti & locum,& gentem, & Chriſtum* Ecce Dei iudicium, vt qui Deum propter rem aliquam deſerit,ab omnibus pènitus deſeratur, & ſine Deo, & ſine terra remaneat: profecto, qui Chriſtum Ieſum habet, in ipſo omnia poſſidet, in ipſo enim omnia habentur.

Qui Deum deſerit pro temporalibus Deum, & temporalia perdit.

41. Euthym. Tertiò Euthymius: *Prætextum sumpserunt*, ait, *occidendi Iesum, ne à Romanis internecioni traderentur. quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt; & quia fecerunt, vt effugerent, ea quæ fecerunt, non effugerunt.* Timebant Iudæi suorum deuastationem per Romanorum exercitus, quod vt euitarent, Iesum morti tradere determinant, quid inde tamen accidit? Ipsa mors nefariè Iesus illata ad propulsanda Romanorum arma, ipsa inquam mors Romanos traxit, & internecioni tradidit Iudæos, ac proinde, dum Iesu morte fugiunt mortem suam, in miserrimam mortem incidunt. D. Augustinus tract. 49. in Ioannem: *Temporalia perdere timuerunt*, ait, *& vitam æternam non cogitauerunt, & sic vtrumque amiserunt; nam & Romani post Domini passionem tulerunt eis, & locum, & gentem expugnando, transferendo.*

Iniquitate Iudæi Romanos volunt euitare, & Romanos trahunt.

August.

42. Genes. 37. Fratribus suis dixit Ioseph: *Audite somnium meum, quod vidi, putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circunstantes adorare manipulum meum*, Genes. 37. num. 7. Quo somnio facilè fratres intellexerunt significari ipsos Iosephum adoraturos, quod valdè ægrè tulerunt, & inde multa excogitant mala, vt talem subiectionem, ac adorationem euitarent, in puerum armantur, ipsum Ismaëlitis vendiderunt in Ægyptum, vt seruus factus, & tam longè ab eis distans maximè à regnandi potestate in eos distaret; sed quid inde factum est? ipsa crudelis fratris nundinatio eos ad illius pedes adorabundos traxit: & ipsa venditio, per quam voluerunt à dominio pueri fugere, extitit efficax medium, vt ad illius pedes procumberent. D. Basilius Seleucus orat. 8. *Iosephi fratres*, ait, *vsque ad sanguinem contra somnia pugnantes, nundinatione somnia ad effectum perduxerunt.*

Operans malum, vt malum fugiat, in illud incidit.

Basil. Sel.

43. Iob 18. De impio ait Iob 18. num. 7. *Arctabuntur gressus virtutis eius; & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta eius laqueo.* Græcus legit: *Erret consilium eius. Immittatur pes eius in laqueum, in rete inuoluatur, veniant super eum laquei.* Solent venatores tendere laqueos feris in suis effugiis, ac receptaculis, in quibus ipsæ se solent recipere, ac tutari, ibi eis laqueos parant, vt capiantur. Sic Deus erga impios se habet, altè permittit, vt eorum consilia, ac studia, quibus sibi effugium, tutamen, ac munimentum constituunt, illis vertantur in laqueos, ac retia, quibus capiuntur, vt in damnum ineuitabile cadant, & ruant; *præcipitabit eum consilium suum.*

Græcus.

Impiorum consilia Deus vertit in eorum pœnas.

Nicetas. Nicetas in Catena Græca: *Quemadmodum animalia*, ait, *quæ si se in laqueos, retiáve induerunt, euadere non possunt, sic impij necessariis, è quibus eripere se nequeant, implicantur erumnis, interim omni eorum consilio interuerso, atque in contrariam partem abrepto.*

QVÆSTIO IX.

Quare in hoc Concilio nullus est, qui pro Christo loquatur, ac Phariſæorum impiæ resolutioni resistat?

44. Cassian. ADERANT in Concilio multi magni viri, & fortè aliqui timentes Deum, vt Nicodemus, vt ait Simon Cassianus lib. 11. c. 54. qui vocati deesse non poterant, & tamen cum profertur à Pontificibus iniqua mortis sententia contra Christum, nullus legitur, quod pro eo fuisset locutus, & si ex his, qui aderant, aliqui taceant, tamen maior pars eorum Pontificum, ac Phariſæorum nefarium iudicium maximè approbat, applaudit, & extollit. O nefarium aulicorum ingenium, quod omnia ad Principis nutum, ac placitum componit! loquetur Princeps, vel affectum suæ voluntatis indicet, etiamsi illius iudicium sit iniquum, damnabile, ac maximè aliàs vituperandum, tamen cum sit Principis sententia, adulationis auxilio omnium suffragio comprobatur, ac magnis laudibus firmatur.

45. Numer. 17. Nyssen. *Inuenit Moyses germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt*, Num. 17. n. 8. Virga illa, vt testatur D. Greg. Nyssen. lib. de vita Moysis, typum exprimebat Pontificiæ, ac supremæ dignitatis. Quid habet virga illa cum tanto dignitatis culmine? Moraliter rem explico: Virga illa antequam sacerdotalem dignitatem indicasset, dura, sicca, arida, nigra, ac indigna aspecta erat. At verò cum Pontificiam dignitatem denotat, germinans virida consistit, floribus, foliis, ac fructu repletur, maximéque aspectui grata habetur. O quam bene depingitur hic id, quòd frequenter accidit, antequam quis dignitate condecoretur, vt valdè incompositus, niger, ac aridus contemnitur. At si dignitatis germen in eo oritur, statim vt pulcher, floridus, ac magnis sapientiæ fructibus repletus applauditur, ac adulationis arbitrio magnis encomiis celebratur, cum aliàs sit homo truncus, rudis, & asper. Caïphas veluti quædam virga erat, siccus, aridus omni virtute, bono opere, ac sapientia; & niger veluti carbones inferni; at cum esset Pontifex anni illius, adulationis transformatione, vt pulcher, elegans, ac floridus sententiis, ac verbis habebatur; & nullus erat, qui eius immanitatem ei audetet dicere.

Homo in principatu vt floridus laudatur, qui antea rudis habebatur.

46. Iudith 8. Duæ celebres mulieres, quæ pro libertate populi sui referuntur in Scriptura, Iudith & Esther. Iudith se obtulit vltro pro populi defensione, cap. 8. num. 31. petens à Presbyteris, vt pro ea orarent. *Quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate, vt firmum faciat Deus consilium meum. Stabitis vos ad portam nocte illa, & ego exeam cum Abra mea.* At Esther audiens populi periculum, moras ponit, recusat, ac excusat se à suscipiendo populi patrocinio. Tunc Mardochæus grauiter instans vrget eam. *Ne putes*, ait, *quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es, pra cæteris Iudæis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis*, cap. 4. num. 14. Quid est quod Iudith nullo stimulante ipsa pro populi patrocinio, ac defensione se intromittit,

Esther 4.

tromittit, multíſque ad hoc presbyteros inducit; at verò Eſther multis recuſat, ita vt neceſſe ſit compelli verbis Mardochæi tanquam diſtricto gladio ad guttur? *Tu & domus patris tui peribitis*, Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 6. *Ipſam cum ſua familia daturam pœnas ob ipſos.* Caietanus, *Mina ſunt*, ait, *diuini iudicij imminentis, ſi tacuerit.* Cur neceſſe eſt tantis conſtringi, ac compelli Eſther? Expende latum diſcrimen inter has fœminas. Iudith habitabat in particulari domo. Eſther verò *in domo regis.* Iudith, quæ erat in domo priuata procul ab ingenio Aulicorum libenter populi defenſionem ſuſcipit, vt pro illo contra principes ſtet, miráque perpattetur. At Eſther regina, *& in domo regis* verſans non mirum, quod in populi patrocinium contra regis decretum non exeat, niſi imminentis diuini iudicij minis conſtricta, ac compulſa. Nam etſi, quæ in domo priuata erat velociter curtebat ad populi defenſionem; ad illam tamen ex palatinorum commercio, ac intuitu maximè retardabatur, quæ in regali palatio morabatur.

Ioseph. Cajet.

Aulicus maximè populi patrocinium refugit, ac timet.

Ioan. 11. *v.* 49. Vnus ex ipſis Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis:

Num. 50. Vos neſcitis quicquam. Nec cogitatis: quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

VERSIONES.

Pagnin. n. 49. Vnus autem quiſpiam Caiphas.

Arabicus. Cuius nomen Caiphas erat ſummus Sacerdotum anno illo. Dixit eis: Vos non ſcitis quicquam.

Syriacus. Erat ſummus Sacerdos anni illius, & dixit eis: Vos nihil ſcitis.

Vatab. Euth. num. 50. Nec perpenditis expedire nobis, vt vnus homo moriatur pro populo.

Arabicus. Nec cogitatis, quod melius eſt nobis, vt vnus homo moriatur.

D. Hyeronimus. cap. 7. Matth. Oportet vnum hominem mori pro omnibus.

Origenes. Et non vniuerſa gens pereat.

EXPOSITIO III.

47. *Vnum præ ſuperbia ſe eximebat.*

VNus aſtantes in Conciliabulo diſceptarent. Quid agendum eſſet, ſententiam fert, ac pronuntiat Pontifex. *Vnus ex ipſis.* Vnus dicitur, & annotatur: ſuperbiſſimus Pontifex, ſe vnum, primum, ac ſingularem, ſapientia, ac eruditione exiſtimabat. Vel vt ait Hugo, dicitur vnus, quia inuerecundior erat reliquis, & in malitia ſingularis. *Caiphas nomine.* Pagninus, Caiphas, Hebraicè idem eſt, ac *vomens era*: impiam, & crudelem ſententiam euomit contra Chriſtum. *Cum eſſet Pontifex anni illius.* Ex lege Exod. 28. Pontificatus erat perpetuus, & durare debebat vſque ad mortem Pontificis, ac poſt eam in filium primogenitum iure hæreditario deriuabatur. Id tamen tempore Romanorum auaritia, & ambitione negotiante mutatum eſt, pro præſidum arbitrio dabatur in ſingulos annos modò huic, modò illi: vt tradit Ioſeph. lib. 18. Antiquitatum cap. 13. D. Chryſoſtom. homil. 64. in Ioannem, D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Ioannem, cap. 2. qui ait; *Eo tempore lex illa Domini non obſeruabatur apud Iudæos propter ambitionem Iudæorum; erat itaque ea tempeſtate Pontificatus dumtaxat annuus.* Auaritia enim pro maiori ſuo lucro omnia turbat, vniuerſa iura inuertit, Dei leges abrogat, diuináſque dignitates interrumpit. *Dixit eis.* Addit D. Chryſoſtomus: *Cum eſſet cæteris impudentior.*

Hugo. Pagnin.

Exod. 28.

Ioseph. Chryſoſt. Cyrill.

Auaritia omnia perturbat.

Chryſoſt.

Vos neſcitis quicquam. Syriacus: *Nihil ſcitis*, quod ſcilicet expediens, & vtile ſit vobis. *Nec cogitatis.* Non aduertitis, nec perpenditis. Vatablus, Euthymius: *Expedire nobis.* O nefarium, & ſacrilegum conſilium, vbi non de iuſtitia, nec de vtilitate reipublicæ, ſed de commodo aſtantium agitur, *expedire nobis, vt vnus moriatur pro populo.* Non exprimitur Ieſus nomen: tum ne priuato odio in illum moueri videatur: tum etiam, quia nefarius iudex verecundabatur dicere determinatè mortis ſententiam aduerſus Ieſum, in quo nulla poterat inueniri culpa, & ideo in communi, ac veluti generaliter loquitur; ac ſi dicat; ſatius eſt, vt vnus homo, etiam innocens moriatur, quàm quod totus populus in diſcrimen ponatur, vt deleatur, ac exterminetur à Romanis. D. Chryſoſtomus homil. 64. in Ioannem: *Quod illi dubitabant, & deliberandum propoſuerant, hic impudenter, & aperta fronte, & temerariè decreuit.*

48. Syriacus. Vatabl. Euthym.

Chryſoſt.

QVÆSTIO X.

Quare Caiphas ſuos Conſiliarios inſcios, ac ignorantes appellat?

PRIMO reſpondet Theophylactus: *Eos quidem reprehendit*, ait, *quod non intelligerent, quod oportebat, & ignaui eſſent in deſpiciendo, quid ad rem conducat*; quod veluti perplexi, ac ſtupidi ſint ſine conſilio, vt expeditè proſpiciant, ac determinent, quid in tali re eſſet faciendum.

49. Theophyl.

Secundò. Origenes in Catena, ſic in præſenti, ait: *Si autem quis velit veridicum, & in hoc eſſe Caipham, fatebitur etiam cuncta, quæ ſunt in hoc loco prophetiam eſſe veridicam incipiendo ab illo: Vos nihil ſcitis: nihil enim nouerant, qui Ieſum ignorabant.* Dum Caiphas profert præſentem ſententiam, Chriſti cauſam defendit, illiúſque innocentiam oſtendit; nam vnum è duobus neceſſarium eſt, aut hæc ſententia eſt falſa, aut vera: ſi falſa eſt, ſententia Pontificis ſuffragio falſitatis, & tanquam à malo ſpiritu ſtimulata, Chriſtum

50. Origen.

non deuenustat ; sed honestat : si verò Caiphæ pronuntiatum est verum, etiam eius veritas ab illis verbis incipit : *Vos nescitis quicquam.* Vt loquitur citatus Origenes : *Prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo : vos nihil scitis.* Sententia autem prolata à iudicibus ignorantibus, ac insipientibus, Christo Domino ignominiosa non est, sed ipsismet consiliariis diiudicantibus sine cognitione, ac intelligentia causam damnationis mortis. Et quamuis Christus Dominus concupierit opprobriis, ac cruciatibus saturari, hanc tamen contumeliam non tulit, vt à sapientibus, ac prudentibus consiliariis damnaretur, & alto diuini Spiritus instinctu prophetia fulminatur in iudices, dum iudicant, *vos autem nescitis quicquam.*

Sententia ab ignoranti Senatu prolata, non deuenustat eum, qui damnatur.

51. Origen.

Tertiò. Ad eadem Origenis verba : *Fatebitur etiam cuncta, quæ sunt in hoc loco prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo : Vos nihil scitis.* Aderant in Senatu grauissimi viri, Pontifices, Principes Sacerdotum, sapientiores Pharisæi, multa religionis obseruatione præditi. Et tamen Caiphas districtè, ac apertè, *vos nescitis quicquam*, eos nescios, ignorantes, ac stupidos appellat, & cur viri tam grauissimi, ac proceres gentis Hebrææ publicè tam iniuriosè tractantur ? Prophetiçè loquitur Caiphas, vt ait Euangelista : *prophetauit.* Quæ prophetia, vt testatur Origenes, incipit ab illis verbis : *Vos nescitis quicquam.* Ac proinde ore prophetico dixit Caiphas, *expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* Eodem etiam spiritu prophetico dixit : *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis.* Nam cum illi astantes essent primi dignitate, principatu, ac loco, propheticè de eis dicitur nescire quicquam. Prophetia sanè est, nam frequenter stultus felicitate gaudens, ad præfecturam, ad altam sedem, ac nobilem dignitatem euehitur, ac eligitur. Consiliarij erant primi, ac sapientiores nomine tantum, ac felicitate, cum tamen re essent insipientes, ac nescij, & ideo dicitur : *Vos nescitis quicquam, nec cogitatis.*

Nescius felicitate prælationem gaudet

52. Cyrill. *Ex dignitate lingua solutior ad contumeliam.*

Quartò. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 2. *Cæteris impudentius, & cum stomacho dixit, quasi insciticiam, & segnitiem increpitans.* Erat Caiphas Pontifex superior aliis loco, & dignitate, & inde lingua solutior videbatur, ac si ipsa præfectura licentiam loquendi permitteret, & aliorum contemptum generaret. Superbus neminem magnum, omnes paruos iudicat. Vt loquitur Rupert. lib. 8. de victoria Verbi, c. 10.

Rupert.

53. Exod. 11.

Fuit Moyses vir magnus in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo. Exod. 11. n. 3. Et tamen cum vir tam præclarus esset, valde ignominiosè cum eo agebat Pharao : dicebátque : *Quare Moyses & Aaron, solicitatis populum ab operibus suis ? Ite ad onera vestra.* Exod. 5. num. 4. Chaldæus vertit : *Ite ad seruitutem vestram.* Si ergo Moyses vir valde magnus erat, plenus scientia Ægyptiorum, vt de eo ait Stephanus in Actis; cur sic eum vilipendit Pharao, ac si ipse esset seruus quidam Æthyopus captiuus ? *Ite ad seruitutem vestram.* Maximè ponderandum, quod Moyses dicitur *vir magnus in terra Ægypti coram seruis Pharaonis, & omni populo.* Non dicitur Magnus apud regem : & quamuis Moyses tantis emineret, nullam tamen magnam dotem in eo agnoscebat Pharao, sed præ superbia sua viros præclarissimos, & valde contemptibiles, ac tanquam seruos iudicabat. Oleaster ad citatum cap. 21. *Aduerte*, ait, *Moysem magnum describi apud Aulicos, & populum, non tamen apud regem, quia reges neminem magnum arbitrantur, nisi se ipsos.*

Exod 5. Chald.

Superbus Pharao magnos viros ob ignominia vocat.

Oleaster.

Loquimini Ezechiæ : Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum, 4. Regum 18. num. 19. vbi Rabsaces magister militum regem suum Sennacheribum regem magnum appellat, per excellentiam, vt ait Abulens. Ezechiam verò sine honoris præfatione, tanquam vilem, ac vulgarem hominem dicit, cur saltem pro decore regiæ dignitatis aliquo titulo principis, vel regis, non honorat, cum suum Assyrium magnum regem appellet ? vanus homo loquitur iuxta Sennacheribi affectum, qui solum se magnum, ac regem iudicabat, ita vt omnes alios etiam reges contemneret, & nullum præter se ipsum regio honore dignum iudicaret, inde alios etiam magnos, & principes volebat pessundare, ac conculcare. D. Cyrillus Alexandrinus ad cap. 36. Isai. Ad hæc verba : *Dicite Ezechiæ*, sic ait sanctus Doctor : *Simplici appellatione Ezechiam nominat, non addito regis vocabulo, nec alia re quapiam viris ea dignitate præditis conuenientissima : At regem Assyriorum vocat ; nec simpliciter hoc ipso contentus nomine, sed etiam magnum appellat.*

54. 4. Reg. 18.

Abulens.

Superbus omnes denouenustat, nomine honorat.

Cyrill.

QVÆSTIO XI.

Expenditur quam depranatum fuerit consilium Caiphæ.

NOSTER D. Cyrill. Alexandrinus lib. 5. in Isai. sic ait : *Inuenimus in Collegiis eorum teterrimum illos cæpisse concilium ; nam dixerunt, quid facimus ? Quia hic homo multa signa facit, vnus autem ex illis Caiphas erat hic impietatis contra Christum inuentor.* Non solùm Caiphas dicitur impius, sed etiam impietatis inuentor. Sæpe Iudæi voluerunt Iesum interficere, ac lapidare, hæc apud eos alta erat reposita cogitatio, cur ergo Caiphas dicitur impietatis inuentor contra Christum ? Caiphas hic non solùm Iesu interfectionem decernit, sed etiam illam artificiosam rationem addit de vtilitate communi ; inde merito impietatis inuentor dicitur, cum super malitiam Iudæorum aliam denuò inuenit malitiam. Iudaica Ægyptiaca ad nefarium opus solicitabat Ioseph. Cúmque ille resisteret, ac fugeret è manibus eius, clamat ipsa ad viros domus suæ, dicens : *En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis ? Ingressus est ad me, vt coiret mecum, cumque ego clamassem, reliquit pallium*, &c. Genes. 39. num. 14. Ex quo meritò Oleaster ait : *Mirabilis malitia artifex est mulier, quæ vim intulit, & iniuria fuit, & conqueritur.* Dicitur, *malitiæ artifex*, cum super suam malitiam, nouam malitiam addat, clamando contra Ioseph.

55. Cyrill.

Valde impius, qui super malitiã, nouã addit.

Genes. 39. Oleaster.

Caiphas impietatis inuentor multa maligna, & mala in hoc suo concilio dicit, ac proponit. Primò, ait Consiliariis : *Expedit vobis*, obiecto eorum commodo, ac lucro eos in suam sententiam perducere vult, essque suam malitiam persuadere. Secundò, vt multi legunt : *Expedit nobis.* Cùm enim ipse muneribus datis, ac pecunia

56.

exhi

Qui dignitatem muneribus occupat, non bono communi, sed suo consulit.

exhibita ad gradum Pontificatus, ascendebat, ad nihil aliud habebat mentem defixam, nisi ad proprium lucrum, & commodum, qui enim muneribus occupat locum, solum ad munera intentus est. Tertiò: *Vt vnus moriatur pro populo*, non proponit, vt discutiantur rationes, ac causæ negotium examinetur, sed absoluto decreto ait: *Vt vnus moriatur pro populo*, non ratione, sed potentia, rem absolui, ac definiri volebat. Quartò. *Vt vnus moriatur*, de aliena morte, ac sanguine volebat nitere, ac resplendescere, suámque celsitudinem firmare.

57. Quintò. Errat Caiphas iuxta sensum, quem ipse intelligebat, & concipiebat; non enim licet, nec expedit innocentem occidere, pro temporali reipublicæ salute, ac conseruatione, Exod. 23. num. 7. dicitur: *Iustum, & innocentem non occides.* Nam occidere innocentem est intrinsecè malum. Vita enim non cadit sub hominum dominio; vnde nullus potest illa priuari, nisi propter propriam culpam. Vt docent Victoria de bello n. 43. Molina, disput. 120. Suarez de Bello, tom. de fide, disput. 13. sect. 7. num. 15. Turrianus disput. 92. dub. 3. Deinde etiam notat Toletus hic annot. 17. Iniustitiam hos Iudæos commisisse, non solùm quia innocentem morti tradere decreuerunt; sed etiam, quia pro re illis tunc incerta, mortem certo infligere statuerunt; quamuis enim res certa esset, non licebat, nec expediebat, multo minus in causa incerta, qualis ea tunc erat, *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & Gentem.* Et ideo grauissimè peccauit Caiphas, cum omnibus consentientibus ei in tali sententia,

Exod. 23.

Innocentem non licet occidere.

Victoria. Molina. Suarez. Turrian. Toletus.

58. Sextò. Non discutitur causa, nec reus aduocatur, nec locus defensionis datur, sed inaudita parte, vt dicitur, res determinatur, & capitalis sententia fertur. Defraudatam partem pretij agri soluit Ananias ad pedes Apostolorum, qui statim voce Petri punitus est morte. Post spatium verò trium horarum vxor ipsius Sapphira nesciens: quod factum fuerat introiuit, salutato Petro qui ait ei: *Dic mihi mulier si tanti agrum vendidisti*, Actor. 5. num. 8. Petrus vt aduertit Glossa ex reuelatione Spiritus sancti, optimè sciebat diminutum pretium, & ideo, vt ait Caietanus, dixit: *Quid vtique conuenit vobis tentare spiritum Domini?* Huc aduoco id, quod alibi dixit Chrysologus serm. 17. cum interrogat à Dæmone: *Quod tibi nomen est?* Marc. 5. num. 9. sic ait S. Pater: *Interrogat, non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris.* Petrus optimè totam rem agnouerat, tamen cum esset Ecclesiæ Præsul interrogat, vt doceat, quod iudex nulla occasione præscriptum iudicandi ordinem prætermittat, sed seruet iudicis munus, ac formam, dum crimen inuestigat, & discutit, & reum interrogat, vt ex suismet dictis conuincatur, vt delicto planè examinato pœna iustè inflicta liquefiat.

Reus inauditus non est damnandus.

Act. 5. Glossa.

Caietan. Chrysol. Marc 5.

59. Ait Regius Vates, Psalm. 10. num. 5. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Chrysostom. Theodoretus legunt, *in orbem terræ*; pergit Regius Vates: *Et palpebræ eius interrogant filios hominum.* Per filios hominum Theodoretus, Euthym. Hieron. Cassiod. D. Thom Lyran. Ludolphus, Valentia; intelligunt homines bonos, & malos Sed ad quid non solum dicitur, quod oculi respiciunt, sed etiam quod palpebræ interrogant? Rectè Lorin. *Importat hoc magnam attentionem, vt scilicet not limis, ac semiclausis oculis, fixisque immotè palpebris quidpiam attentius intueri. Est enim palpebrarum frequens, ac velox naturalis motus.* Deus infinitè, ac comprehensiuè omnia sciens, & vniuersa vnico, ac simplicissimo intuitu penetrat, ad quid hic describitur cum tanta inquisitione, ac circumspectione cuncta interrogans; & examinans, *Oculi respiciunt in orbem terræ*, in totum hunc, & vniuersum orbem; *& palpebræ eius interrogant filios hominum?* Ipse Diuinus intuitus multa attentione interrogat, ac discutit hominum causas. Ad quid tendit tanta Dei inuestigatio? Proponitur Deus in præsenti vt iudex causam discutiens, & examinans, vt pœnas inferat, vt dicitur statim numero 7. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur*, &c. Deus ergo se accommodat ad ritum boni iudicis humani, vt humanos iudices erudiat. Quamuis Deus omnia sciat, & hominem sceleratum videat, tamen circunspectè omnia intuetur, reum exactè, ac attentè interrogat, vt homo respondens an exputgare se valeat, nec causa non examinata hominem indefensum damnare videatur. Vide suprà capite 28. numero 25. 26. 27.

Psalm. 10. Chrysost. Theodor. Euthym. Hieron. Cassiod. D. Thom. Lyran. Ludolph. Valentia. Loria.

Iudex interroget, & indefensum ne damnet reū.

Ioan. 11. *n.* 51. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro Gente.

Num. 51. Et non tantum pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

VERSIONES.

Syriac. n. 51. Hoc autem ex propria voluntate non dixit: sed quia erat Summus Sacerdos anni illius, vaticinatus est fore, vt Iesus pro Gente moreretur.

Arabicus. Quia erat Summus Sacerdotum illo anno prophetauit, quod Iesus erat futurus, vt moreretur.

D. August. Quia oportebat eum mori pro populo, & Gente.

Euthymius. Vt Iesus moreretur pro natione.

Syriac. n. 52. Nec tantum pro illa Gente, sed etiam vt Filios Dei, qui dispersi sunt, congregaret vnà.

Arias. Sed etiam vt natos Dei dispersos cogeret in vnum.

EXPOSITIO

EXPOSITIO IV.

60. HOC autem à semetipso non dixit. Superiorem sententiam, *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo*, Caïphas à semetipso, hoc est, proprio spiritu, seu instinctu suo non dixit, prout continebant veram sententiam; prout verò falsum,& impium sensum habebat ex odio, & ira,à semetipso dixit aduersus Christum, *Cum esset Pontifex anni illius.* Hoc frequenter hic aduertit Euangelista, vt denotaret dignitatem illam breui desituram, quæ iam ex hominum ambitione non erat perpetua; *Prophetauit.* Hoc est, Spiritus sanctus, sic rexit verba, linguámque eius, vt veram protulerit prophetiam futurorum prænuntiam. Theophylact. *Fecit*, ait, *vt à mala mente procederent verba, mirabilem habentia prophetiam.* Quia tamen Caïphas verborum mysterium non intelligebat, propriè propheta non fuit, vt notant Origenes, D.Thomas, qui ait hic in Ioan. 11. *Non magis Caiphas potest dici propheta, quam asina Balaam*, de quo latius ipse 2.2. q. 173.num.4. Ad prophetiam enim necessaria est intelligentia aliqua, ac proinde quamuis Caïphas prophetauerit, non tamen propheta censendus est.

Theophyl. Origen. D.Thom.

61. *Quod Iesus erat moriturus pro Gente.* Exponit Euangelista,quid Spiritus sanctus prophetauerit, ac intenderit in verbis Caïphæ: *Quod Iesus moriturus erat pro Gente.* Nempe Iudaica, vt interpretantur D.August. Beda,D. Thomas, & Bonau. *Sed etiam vt Filios Dei*; Gentiles nempe intelligit, Dei decreto electos, ac prædestinatos in filios Dei, vt exponunt. N. D.Cyrill.D.Chrysost. Euthym. Theophyl. & alij, qui tunc variis erroribus detenti dispersi erant inter Gentium nationes: *Congregaret in vnum*;scilicet ouile,ac Ecclesiam, Ioan. 10. num. 16. Caïphas in sua sententia dixit, *Mori pro populo, ne tota gens pereat.* Solum de populo, ac Gente Iudaica ipse loquebatur. At verò Spiritus sanctos altius intendens pro populo populum Iudaicum intelligebat, *Ne tota gens pereat*, Gentiles denotabat: qui Christi morte congregandi erant in eius Ecclesia.

August. Beda. D.Thom. Bonauent. Cyrill. Chrysost. Euthym. Theophyl. Ioan.10.

QVÆSTIO XII.

Quare os impium Caïphæ eructat altam prophetiam Diuini Spiritus?

62. PRO maiori huius rei explicatione aduertendum est, vnum sermonem, vnamque dictionem diuersos sensus continere posse, in vnumque pronuntiari, in aliúmque intelligi. Exemplum inter alia extat, Ioan. 2. num. 19. ait Christus Dominus: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Christus Dominus loquebatur de morte, ac resurrectione corporis sui. Iudæi dictum acceperunt de materialis templi destructione, ac reædificatione: sic præsentia Caïphæ verba duos admittunt sensus. Primus, vt Christus occideretur, ne à Romanis respublica Iudæorum euerteretur,& hunc sensum impium Caïphas ex sua mente intendebat,ac intelligebat Alter sensus erat, mortem Christi necessariam,& conuenientem esse pro hominum salute,vt à peccato,ac æterna morte liberarentur homines. Hic autem sensus, sic sublimis intentus est ab Spiritu sancto pro redemptione generis humani. Inter verumque sensum tria sunt discrimina: primò quia Caïphas cum Iudæis ex odio,& ira intendebat Christum interficere, Spiritus sanctus ineffabili Concilio ad redemptionem generis humani ordinabat: *Filius hominis vadit sicut scriptum est de eo,væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur.* Matth.26.n. 24. Secundò Iudæi intendebant liberationem temporalem à Romanis;at Spiritus sanctus loquebatur de liberatione spirituali animæ. Tertiò. Caïphas dicebat de gente Iudaica;at Spiritus sanctus vniuersaliter de omnium salute agebat,Iudæis,& Gentibus.

Idem sermo duos sensus patitur. Matth.26.

63. Quæstio præsens est.Quare Caïphas,cum esset pessimus,& deprauatus homo, tam præclarâ prophetiam eructauerit,tam excelsam,ac infallibilem veritatem dixerit, absque eo quod ipse prophetiæ radiis illustraretur,ac melior esset effectus?Rectè D. Chrysost. homil. 64. *Os tantum*, ait,*gratia, non autem scelestum cor attigit.* Hinc multi diuinis verbis, ac cœlestibus monitis non proficiunt, quia veluti in Caïpha,diuinorum verborum gratia labia attingit, & cor minimè penetrat. Hæc obiter dixi: Nostra tamen quæstio principalis inquirit, quomode fieri potuit, quod Caïphas valdè nefarius, & sacrilegus, qui falsos testes contra Christum quærebat,potuerit spiritu prophetico sublimem veritatem de morte Christi dicere?

Chrysost. *Sæpè gratia labia, & non cor attingit.*

64. Præclarè respondet D. Chrysologus serm. 49. *Caïphas*,ait,*prophano prophetat ore, & cum Sacerdos esset, falsitatis suæ sensum vicit officio veritatis.* Prophetat Caiphas. Rationem assignat Euangelista: *Cum esset Pontifex anni illius prophetauit.* Ad propheticum affatum hominem nefarium, non illius consilium,non voluntas,nec illius merita,sed virtus Cathedræ,adduxerunt:Cum enim in ea immineret sacerdotalis dignitas,verba à mala voluntate dicta Spiritus sanctus altè flectit ad sublimem prophetiam de Christi morte pro omnium salute. Sic sæpe Deus in Prælatis,ac superioribus eorum ora,ac labia tanquam iustis habenis regit, ac moderatur,ne in illis aliquid dissonum sonet,quod ad subditorum institutionem respiciat.

Chrysol. *Virtus Cathedræ adduxit ad veritatem.*

65. Valde mirum est, quod Nabuchodonosor rex pessimus, & idololatra annuntiet, & publicet se vidisse Filium Dei: *Et species quarti similis Filio Dei*, Daniel. 3. n.92. Salomon quoque rex valdè celebris,cui à Deo data est multa,& alta sapientia, tamen cum iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres,vt sequeretur Deos alienos 3. Reg. 11. num. 4. Et tamen in rege sic voluptuosissimo, ac deprauato, & idololatra saltem in externa apparentia existente, tamen adhuc in eo manet sapientia ad sublimes veritates agnoscendas, ac prædicandas; ex quo præclarè ait D. August.quæst.18. ex veteri Testamento: *Primum merito suo Salomon accepit spiritum prudentiæ, postea verò quàm mulieribus cœpit vti, & posthac peccare, si habuit spiritum sapientiæ, regni merito habuit: sicut & Nabuchodonosor regni merito in camino Christum vidit.* Salomon cum iustus, ac rectus esset primùm habuit sapientiam merito suo, at verò postquam deprauatus est, & peccator factus, quonam merito: *Habuit spiritum sapientiæ regni*

Dan.3. 3.Reg.11. D.Aguſt. *Regni meretur à Deo ſpiritus ad annuntiadas veritates.*

regni merito. In tanta æſtimatione Deus habet locum, & Cathedram, vt Salomon, ac Nabuchodonoſor reges ſceleratiſſimi, & etiam idololatriæ labe ambo infecti; Salomon ſaltem in externa apparentia (vt abſtraham à quæſtione, an etiam in interiori Deos coluerit) tamen qua reges erant, regni merito donantur à Deo ſublimi ſpiritu ad annuntiandas veritates ad commune ſpectantes bonum.

Ioan.11.n.53. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum.

Num.54. Ieſus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos, ſed abiit in regionem iuxta deſertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.

VERSIONES.

Græcum. 53. Ab illa ergo hora.

Syriacum. Itaque ab illa die machinabantur, vt interficerent eum.

Arab. Vabl. Ab illa ergo die conſultauerunt vnà, vt interficerent eum.

Euthymius. Ab illo ergo die decreuerunt, vt occiderent eum.

Syriac.n.54. Ipſe verò Ieſus non ambulabat palàm inter Iudæos, ſed profectus eſt in regionem, quæ eſt propè deſertum, in arcem, quæ vocatur Ephrem, & illic verſabatur cum diſcipulis ſuis.

Pagnin. Iam non liberè ambulabat apud Iudæos.

Græcus. Iam non publicè ambulabat.

Vatablus. Abiit illinc in regionem deſerto vicinam, in ciuitatem, quæ dicitur Ephraïm.

Arabicus. Propinquam deſerto.

EXPOSITIO V.

AB illo ergo die. Particula *ergo*, indicat cauſam, vt ait Toletus, propter nempe concilium Caiphæ ab omnibus approbatũ. Euthym. *Cæteri*, ait, *non quaſi vaticinium, ſed quaſi conſilium ſuſcipientes, ſuffragiis illud comprobant.* Et dicitur in textu *ab illo die.* Græcè, (*ab illa hora*) *cogitauerunt.* Alij vertunt, *Conſultabant*, ſeu *conſuluerunt*, ſeu *decreuerunt.* Ex quo rectè Interpretantur N. D. Cyrill. Leont. Chryſoſtom. *Conſultationem finierunt, & firmauerunt communi decreto, & quaſi Senatuſconſulto.* Theophylact. *Antea quidem*, ait, *eadem eius meditabantur, ſed remiſſius, & quaſi tio magis erat, quàm ſententia: nunc autem poſtremum iudicium, & firma ſententia.* 66. Tolet. Euthym. Græcus. Cyrill. Leont. Chryſoſt. Theophyl.

Ieſus ergo iam non palam. Græcè, liberè, ac publicè. Nam vt notat D. Cyrill. nemine nuntiante agnouit ipſe concilium malignantium. Et ideo, vt ait D. Chryſoſt. *Hominis more ſibi cauit.* Vnde *non ambulabat apud Iudæos*, Ieroſolymitanos ſcilicet, ac Ieroſolymis prinpinquos; & ratio eſt, *Quia nondum venerat hora eius.* Et vt etiam nobis daret exemplum declinandi pericula vitæ per fugam; vt adnotarunt Origen. D. Auguſtin. N. D. Cyrill. Theophyl. Rupertus, D. Bonauent. *Sed abiit.* Ceſſit furori Iudæorum Dominus: *In ciuitatem, qua dicitur Ephrem*, id eſt, Ephraim. Græcè pro Ephraim legitur Ephren. Hæc autem ciuitas vbi ſita fuerit, non ſatis conſtat. Leontius exiſtimat Ephrem eſſe Bethlehem, in qua natus erat Chriſtus, ſed hoc non videtur multum veroſimile, nam Bethlehem prope erat Ieruſalem, & quomodo Chriſtus lateret in ea vrbe, in qua natus erat, & maximè notus habebatur? D. verò Hieronymus de locis Hebraicis, & Ianſenius opinatur eam fuiſſe vrbem, quæ affini vocabulo dicitur Ephren, 2. Paral. 13. num. 19. Euthymius, ait eſſe vrbem in tribu Ephraim, quæ ex nomine tribus retinuit. Adrichom. tamen pag. 26. n. 40. conſtituit Ephrem quinto milliario à Ieruſalem, iuxta deſertum Hai, non longe à torrente Carith, in quem locum Parens Elias fugiens Iezabel ſeceſſit; ibique à coruis paſtus eſt, 3. Reg. 17. In illa Ciuitate voluit Dominus latere, in qua olim ſuus Propheta abſconditus fuerat. 67. Græcus. Cyrill. Chryſoſt. Origenes. Auguſt. Cyrill. Theophyl. Rupertus Bonauent. Leontius. Hieron. Ianſen. Euthym. Adrichom. 3. Reg. 17.

Ab infrugiferis Iudæis fugit, & abiit Ieſus in ciuitatem Ephrem, quæ fertilis fructibus ex nomine Græco dicitur; maximè enim delectatur Deus fructu bonorum operum, neſcit enim inter ſteriles, aè deſidioſos degere, illos quærit, qui fructum faciunt; ac reddunt, iuſtitiæ, ac ſanctæ operationis. Origenes hic: *Ieſus igitur*, ait, *non iam palam apud Iudæos ambulabat, ſed illinc in regionem vniuerſi orbis, qua adiuncta eſt deſerta Eccleſia, in vrbem Ephraim, qua fertilis dicitur, & illic morabatur cum diſcipulis ſuis, ibique eſt etiam nunc cum eiſdem iuxta ſolitudinem, in ciuitate, qua Ephrem nominatur.* 68. *Ieſus quærit eos, qui fructum faciũt.* Origenes.

QVÆSTIO XIII.

Quare nunc in Senatu mors Christi decernitur, ac determinatur?

69. Tolet. AIT textus: *Ab illo ergo die cogitauerunt:* vt iam dixi in expositione ex Card. Tolet. Illa particula *ergo* indicat causam, nempe propter consilium Caiphæ, quo dixerat, *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo.* Quod Consilium fuit communiter receptum, & citra vllam controuersiam firmatum, Christum Dominum interficere, vt iam dixi in expositione ex D. Chrysost. Theophylact. at docet Euthym. *Nunc*, ait, *cum consilio, & deliberatione sententiam decreuerunt, cum omni animi promptitudine, & studio annisi sunt.* Cum enim princeps, ac pontifex suam mentem declarasset, statim omne consilium illius voluntatem decreuit, ac determinauit; nihil aliud sciunt Senatores sancire in concilio, nisi id, quod exploratum habent & vident à voluntate principis, ab illa enim in hanc, vel illam partem flectuntur, ac facile trahuntur.

Chrysost. Theoph. Euthym.

Principis voluntas firmatur ab omnibus.

70. Esther 1. De assuero testatur sacer textus: quod habebat secum sapientes: *Qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio,* Esther. 1. num. 13. Expende illud, *Cuncta*; ac proinde quando rex decreuit, ac imperauit honore Mardochæum sublimare, sine dubio sapientum consilio factum est, cum scriptura dicat, quod *illorum faciebat cuncta consilio.* Si ergo honor delatus est Mardochæo ex sapientum consensu, quomodo in applausu, ac triumpho illus præibat præco clamans: *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare?* Esther 6. num. 9. melius videbatur dicendum, ac pro maiori gloria Mardochæi. Sic honorabitur quem sapientum concilium honorare mandat; vel sic honorabitur, quem rex cum suis sapientibus decreuit honorandum, vt tam fidelis Domini sui seruus maximè exaltatus haberetur. Honor exhibitus Mardochæo determinatus fuerat in sapientum consilio; tamen præco solam regis voluntatem commemorat: *Sic honorabitur, quem rex voluerit honorare.* Omne enim regale concilium ad regis voluntatem componitur, & adaptatur.

Esther 6. *Regale concilium ad regis voluntatem componitur.*

Præpondera duos Pharaones valdè diuersos inter se, vnum tempore Ioseph; alterum tempore Moysis, & sub vtroque graui fame opprimitur Ægyptus. Tempore primi Pharaonis multa penuria vexatur Ægyptus: *Clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens*, Gen. 41. n. 55. Temporibus secundi Pharaonis multa rerum esurie laborabant Ægyptij, non erat aqua ad bibendum, cum conuersa esset in sanguinem, non erant panes, nec fructus agrorum ad comodendum; cum omnes grandine ac nimia pluuia essent steriles facti, nec etiam interemptis animalibus erant carnes ad vescendum. Et tamen pro tanta rerum oppressione nullus clamat ad hunc secundum Pharaonem. Tempore Ioseph pro subsidio famis clamant ad Pharaonem, agnouerant cuncti regis voluntatem appositam esse ad populi subsidium, ideo ipse assignauit ministrum, vt frumenta congregaret in horrea, Gen. 41. n. 37. At Moysis tempore etiam in tanta rerum angustia nullus audet clamare, ac loqui ad Pharaonem. Cur sic omnes obmutescunt? Viderant omnes regis voluntatem obfirmatam, vt non subueniret, nec etiam dimittendo populum causam tantæ deuastationis amoueret: *Israël non dimittam*, Exod. 5. n. 2. Et pro tam graui causa, quia omnes peribant, & consumebantur, nullus etiam ex consiliariis, ac palatinis aliquid dicere regi, imò vt testatur Ioseph lib. 2. Antiq. c. 5. applaudebant Pharaoni: Aulici tanquam vmbræ adhærent regi, & si eius voluntas est inclinata ad populi leuamen, omnes pro ipso clamant; si verò aduersa, etiamsi fame, ac inedia vniuersi consumentur, nullus est, qui audeat ei repuguare, aut contradicere.

71. Genes. 41. Genes. 41. Exod. 5. Ioseph. *Ad regis beneplacitum optatur omnes.*

CAPVT

CAPVT XXXVII.

FILII ZEBEDEI.

Matth. 20. Et ascendens Iesus Ierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secretò, & ait illis.

Num. 18. Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis & condemnabunt eum morte.

Num. 19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.

VERSIONES.

Syriac. n. 17. Ascensurus autem erat Iesus ad Ierusalem, & assumpsit duodecim discipulos suos inter se, & ipsos priuatim, in via

Vatabl. Pagn. Duodecim discipulos seorsim in via.

Vatabl. n. 18. Tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis.

Syriacus. Et addicent cum morti.

Syriac. n. 19. Et tradent eum gentibus, & illudent ei, & flagellis cædent eum, ac suffigent eum cruci.

Euthymius. Tradent eum gentibus, vt illudatur, flagelletur, & crucifigatur.

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. *num.* 33. Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant: & assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei euentura

Num. 34. Quia ecce ascendimus Ierosolymam & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & senioribus & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus.

Num. 35. Et illudent eum, & conspuent eum, & flagellabũt eum, & interficient eum, & tertia die resurget.

Luc. 18. *n.* 31. Assumpsit Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.

Num. 32. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.

Num. 33. Et postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.

EXPOSITIO I.

VT patet ex Ioan. c. 11. n. 54. suscitato Lazaro, fugiens, ac declinãs Iesus inuidiam, ac odium Phariſæorum, secessit in ciuitatem Ephrem, ex qua imminente iam Paschate, in quo pro nostra salute occisus est à Iudæis, iuxta legem ascendit Ierosolymam, & hic fuit vltimus eius ascensus, & vltima profectio in Ierosolymam, vt communiter obseruant expositores Iansen. Maldon. Barradas, Lucas Burg. Cornel. à Lapide, & hic ascensus fuit valde vicinus, ac proximus morti Christi. 1. *Connexio textus.* Iansen. Maldon. Barrad. Burgens. Cornel.

Ascendens Iesus Ierosolymam, communiter iter in Ierusalem per ascensum explicatur in Scriptura, tum quia vna pars eius, & præcipua constituta erat in monte Sion: *Fundamenta eius in montibus sanctis*, Psalm. 86. n. 1. Tum etiam quia apud Hebræos frequenter ire pro ascendere ponitur; denique ascendere dicitur ad Ierusalem, vt à labore ascendendi dulcius sapiat, & glorioſius beet cœlestis Ierusalem; & quia ad cœlestem patriam non itur nisi ascendendo, ac vlterius progrediendo de virtute in virtutem. D. Marc. scribit: *Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat eos Iesus, & stupebant, & sequentes eum.* Ait Euangelista, quod Iesus *præcedebat eos* nimia alacritate, qua præ amore ad mortem ferebatur; & vt etiam bonus Magister viam, ac exemplum suis ostendebat eundi ad crucem, & mortem pro omnibus. *Stupebant*, seu admirabantur Christum tam deliberato animo ire in Ierusalem, vbi degebant inimici eius. Et timebant. *Et sequentes timebant.* Aliquod nempe periculum Magistro, ac sibimetipsis, vt socij eius, & tamen cum tanto vitæ discrimine Domino adhærebant, & ipsum nolebant deserere, & præ reuerentia non audebant eum ab itinere reuocare, nec aliquid ab eo interrogare. Psalm. 86. D. Marc. *Eximius amor, ac reuerentia discipulorum.*

Assumpsit duodecim discipulos secreto. Abulens. Assumpsit, id est segregauit à turba ad loquẽdum eis 3. Abulens.

eis secretè ea, quæ sequuntur, ac proinde secretè, id est seorsum à turbis, vt nemo alius audiret, nisi illi, quos ipse volebat scire rem. Vnde Syriacus vertit: *Assumpsit duodecim inter se, & ipsos priuatim.* Cùm dicit duodecim discipulos, etiam in hoc numero ingreditur Iudas, vt dicam quæst. seq.

Syriacus.

4. *Ecce ascendimus.* Particula illa, *ecce*, denorat rem, quam sæpe vobis dixi. *Ascendimus Ierosolymam.* Ad ignominiosam mortem, & rectè hęc erat designata in Ierusalem, quæ *pacis visio* interpretatur; nam mors, & passio iusto est pro loco pacis, & quietis, *Ascendimus*, ait; per regiam viam incedebant, ad quid admonentur de itinere? quia ad locum sanctum non solùm pedibus, sed etiam mente cum multa reuerentia debes pergere. *Ascendimus*, non ait; ascenditis vos; sed ascendimus. Christus cum suis simul laborare videtur, eisque laborantibus præsto adest. Causa autem motiua huius ascensus explicatur in textu Luc. *Et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Cùm Christus Dominus sit verus naturalis Dei filius, se tantum filium hominis dicit. Homines ab excellentiori parte sibi nomen assumunt; Christus verò à minus excellentiori sibi nomen facit. *Tradetur*, à Iuda proditore nempe; tamen eius nomen non exprimit, vt alienæ famæ consulere nos doceat. *Tradetur principibus*: à Iuda traditus est Dominus Principibus Sacerdotum, ac Scribis, illi verò in eum mortis sententiam tulerunt. *Et condemnabunt eum morte.* Quando, cum Iesus dixisset se esse filium Dei, illi rogati à Caipha vnanimiter dixerunt: *Reus est mortis*, Matth. 26. n. 66. Prima passionis ærumna tradi Principibus, à Scribis; grauissima pressura est traditionem sustinere, præcipuè quando sub existimata pietate, ac zelo machinatur, ac consitetur.

Mors iusto pro pace.

D. Lucas.

Christus, à minus excellentiori parte se dicit.

Matth. 26.

5. *Et tradent eum gentibus.* Dominus sententia mortis a Iudæis condemnatus traditus est Pilato, & Romanis Ethnicis, vt ipse Pilatus dixit: *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi*, Ioan. 18. n. 35. Ad illudendum, flagellandum, crucifigendum. Hæ fuerunt tres primariæ partes passionis Christi. In sua passione graues ignominias, ac illusiones pertulit Dominus. Expende, *ad illudendum*; hoc est, vt pro lusu, & materia risus, & lætitiæ in suis tormentis habitus esset; iustorum oppressiones sæpe lætissimum spectaculum faciunt impiis. Ait Apostolus 1. Cor. 4 n. 9. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* D. Anselm. *Sicut omnes currunt, vbi locus celebratur: sic omnes boni, & mali conueniunt ad aspiciendas pœnas nostras: boni vt nos præsentia sua confortent. Mali verò vt gaudeant, cum nos suos aduersarios cruciari videant.* Addidit Dominus: *Tertia die resurget*: tot tormentorũ tristitia vna sufficiens est resurrectionis consolatio. D. Aug. lib. 18. de Ciuit. cit. à D. Thoma in Catena: *Passione*, ait, *ostendit* (scilicet Christus) *quid sustinere pro veritate, resurrectione, quid sperare in Trinitate debeamus*; *vade dicit, tertia die resurget.*

Ioan. 18.

Mors insolentium, lætitia iniquorum.

1. Cor. 4. Anselm.

Augustin.

Qvæstio I.

Quare Dominus assumpsit duodecim Apostolos, & nullus se intromittit?

6. QVm duodecim Apostoli dicantur assumpti, etiam inter eos intelligitur Iudas assumptus. Et communiter tenent interpretes. Origenes, Albertus Magnus, D. Thomas, inquiant, quia nondum malum conceperat, quod intelligendum est de malo proditoris. Nam ille, vt docet Abulensis q. 41. iam malus erat, de eó scribit Ioan. 12. n. 6. *Fur erat, & loculos habens.* Et Christus de eo ait Ioan. 6. n. 71. *Ex vobis vnus diabolus est.* Vocat ergo eum Dominus cum cæteris Apostolis. Primò ait Abulens. vt à malo, quod forte conceperat abstineret. Deinde dico, vt confidentia facta in secreto commisso lenior, ac amicior fieret; & si ipse solus excluderetur, in aliquam infamiæ notam incurreret, & impudentior, ac obstinatior fieret, cum iam se reiectum iudicaret. Origenes ait, quod fortè ex hac occasione, ac secreto commisso accepit occasionem prodendi Christum; nam cum audisset ab eo se moriendum in Ierusalem, post mortem Christi nihil sibi ab eo timendum auaritia obcæcatus iudicabat.

Origenes. Alb. Magn. D. Thom. Abulens. Ioan. 12. Ioan. 6.

Iudas assumptus ne impudentior fieret.

Respondeo ad quæstionem, quod cum dicitur in textu quod *assumpsit eos*, non intelligitur ad ambulandum tantum in via, quia per viam multi alij ibant cum eo, vt rectè obseruat Abulens. præter Apostolos ibant multi alij discipuli, & etiam copiosa turba, quæ circundabat eum; & ideò Zachæus, qui statura pusillus erat, videre eum non poterat; & ideo ascendit in arborem sicomorum, Luc. 19. & etiam patet in præsenti, ex litera, quia Syriac. habet: *Assumpsit duodecim Apostolos inter se, & ipsos priuatim.* Ergo seorsum ab aliis, qui aderant, ac proinde assumpsit, hoc est segregauit à turba ad loquendum cum eis; nam hi duodecim maximè Christi familiares erant, & semper etiam in periculis, ac contradictionibus Iudæorum fideliter ei assistebant. Vnde dixit D. Thom. Ioan. 11. n. 16. *Eamus, & moriamur cum eo.* Et hìc scribit D. Marcus: *Sequentes timebant*, vt dixi in expositione n. 2. Sequebantur Dominum, & tamen sibi, ac Domino pericula timebant; & ideo eis tanquam fidentioribus (Iudam excipio) de quorum fidelitate magnum extabat experimentum, sua committit secreta Dominus.

7. Abulens. Luc 19. Syriacus. D. Thom. Ioan. 11.

Secreta committenda fidentioribus.

Secundò. Omnes aduocat, vt adimpleat indifferentem benignitatem boni principis, ac præfecti in omnes; nam fauor alicui singulariter impensus sæpe partialitates, ac multorum inuidiam parit. Tertiò. Vt Christus suis discipulis abdita mysteria suæ sacratissimæ passionis doceret, eos à turbis segregat. Nam vt quis cælestia audiat, ac diuina percipiat, necesse est vt temporalem strepitum declinet, ac à mundanis turbis fugiat.

8. *Princeps habeat communem benignitatem in omnes.*

Quartò. Assumuntur, vocantur omnes, nullúsque se vltro ingerit, ac introducit in tantam dignitatem, vt summi Principis à latere fiat, ac particeps consilij eius. Primus rex electus à Deo ad populi petitionem extitit Saul, 1. Reg. 10, n. 22. Et cur primus rex à Deo datus hoc habet nomen, *Saul*, idem est Hebraicè, ac petitio. Ipse enim non petiuit, sed petitus est ad regnum. Stephanus Carthus. in Allegor. ad 1. Reg. *Saul*, ait, *interpretatur petitio. Sic prælatus debet postulari, & non se ingerere, vt sit vocatus tanquam Aaron.*

9. *Ad dignitatem vocetur homo, & non se intromittat.* 1. Reg. 10. Stephan.

Adolescens accessit ad Christum dicens: *Magister sequar te quocumque ieris*, Matth. 8. n. 19. hominem Christus à se reiicit, suam humilitatem illi obiiciens. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Vt latè dixi ex D. Chrysostomo, Hieron. D. Augustino, Theophylacto, Euthymio tom. 2. cap. 25. q. 4. Quid est quod Christus Dominus qui claudos, cæcos, ac debiles vocabat, eósque

10. Matth. 8.

manda

mandabat, *compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Luc. 14. num. 11. Huic tamen legisperito qui libenter, ac animosè se se illi offerebat, adsequendum per omnem viam laboriosam; tamen magnam ei dat repulsam Abulens. quæst. 57. Non recipit Scribam Christus, ait: *Quia iste non erubuit petere rem magnam, scilicet fieri Christi Apostolum, & habere dignitatem aliquam apud eum, cum Paulus dicat, non assumat quisquā sibi honorem, sed à Deo vocatus sicut Aaron.* Christus vocabat ad se homines ad suum Apostolatum, ac discipulatum; volebat eos vocatos, non autem oblatos ac introductos; qui enim vocati veniunt, promptitudinem, ac obedientiam vocationi ostendunt, qui autem se offerunt, vt hic Scriba, ambitum, ac applausum honoris ex virtute miraculorum requirebant.

Luc. 14.

Abulens.

Christus ad suas dignitates non vult homines oblatos, sed vocatos.

11. 2. Reg. 2.

Dauid à Deo designatus, ac vnctus in regem Israël erat; vnde ei dixit Saul: *Certissimè scio, quod regnaturus es:* tamen interfecto Saule large ipsum plorat. *Et post hæc consulit Dauid Dominum, dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iudæ? Et ait Dominus ad eum: ascende,* 2. Regum 2. n. 1. Ad quid Dauid consulit diuinum oraculum, ac expectat diuinum responsum, ac præceptum, vt tendat in vnam ciuitatem suæ tribus, in qua acclamādus erat rex, cum ipse alias certissimè agnouisset suam designationem à Deo ad regale sceptrum? Tamen consulit Dominum, diuinumque præceptum expectat; *Ascende,* vt se ostendat valde longe distare ab ambitu quærendi occasiones regni, cum nec in vnam ciuitatem Iuda vellet ire, Rex inaugurandus erat, nisi diuino præcepto cōpulsus, & astrictus. Rupertus lib. 2. in 4. Regum cap. 12. *Hactenus,* ait, *profugus plorauit, & flenit multa amaritudine inebriatus, nunc autem repatriare, & regnare obedienter paratus, quippe qui non à semetipso venit, sed obedienter cuncta fecit.* Expende illud, *non à semetipso venit.* Qui spiritu Dei aguntur ad dignitates non veniunt à semetipsis, sed vocantur.

Insius non venit ad regnum, nisi præcepto compulsus.

Rupert.

12. Iob 1. Septuag.

Quadam autem die cum venissent filij vt assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan, Iob 1. n. 6. Septuaginta transferunt. *Ecce venerunt Angeli Dei, vt starent coram Domino, & diabolus venit cum eis.* Veniunt Angeli sancti tanquam vocati à Deo, vt de rebus ad hominū salutem spectantibus agant cū Domino; *Adfuit etiam Satan.* Expende illud, *etiā,* tanquam non vocatus, ipse se insinuauit in concilio Angelicum. Expende discrimen inter bonum, ac malum spiritum, bonus vocatur, malus verò ipse se intromittit in Senatum Angelicum.

QVÆSTIO II.

Quare in secreto Christus Dominus agit cum discipulis suis?

13. Chrysost.

RESPONDET primò D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 35. *Cum, turba plurima,* ait, *fidelium Christum sequeretur in via, duodecim Apostolos solos tulit in secreto, & illis tantummodo mortis sua annuntiauit mysterium: quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Multi quidem viri erant cum eo, sed propter modicitatē fidei sua infirmi. Multa mulieres, etsi in fide fortes, infirma tamen in sexu: si audissent quia ideo Christus ascēdebat Ierusalem, vt interficeretur, & viri forsitan turbarētur propter infirmitatem fi-*

dei, & mulieres propter molliciem naturæ. Omnia non omnibus sunt communicanda; nec enim omnes omnia audiendi sunt capaces, ac proinde magna, & alta mysteria magnis viris sunt communicanda, non verò infirmis ne turbentur; nec etiam mulieribus, quæ Dominum sequebantur; nam propter tenetitudinem, si audissent de morte eius, aliquantulum clamarent, & multum flerent, & passionem Domini impedire variis modis tentarent, quod confirmat S. Pater. Nam Petrus audiens Domini passionem, *cœpit increpare illum dicens: absit à te Domine non erit tibi,* &c. Matth. 16. n. 22. Tunc ait S. Doctor: *Si Petrus in morte Christi turbatus est, cuius alterius fides posset sustinere tanti mali dolorem? Si petra immobilis penè commota est, quomodo terra sufferret impetum tempestatis?*

Non omnia omnibus communicanda.

Matth. 16.

Secundò. Abulens. q. 29. Si mortem Domini audirent populares, turbarentur valde, & trepidarent circa fidem; nam si Dominus propinquus passioni, dicens quod oportebat exaltari filium hominis, quod de morte intelligebatur, turbæ dubitarunt, dicentes: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus in æternum manet, quomodo tu dicis, quod oportet exaltari filium hominis?* Ioan. 12. n. 34. *Si ergo quando non clarè audiebant de morte Christi scandalizabantur, quanto magis scandalizarentur, si apertè eis loqueretur.* Sic loquitur Abulensis.

14. Abulens. *Aliorū sensus dubius vitandus.*

Ioan. 12.

Tertiò. Hugo. Assumpsit Iesus duodecim secretò sic ait: *Hoc contra hypocritas, qui quando vadunt ad crucem pœnitentiæ, non secreto dicunt hoc, sed publicè.* Opus virtutis abscondendum, in secreto agendum, ac tractandum. Quartò. Idem Hugo: *In hac,* ait, *instruimur, quod reuelandum est consilium antiquioribus, & bonis reuelandum est consilium, vt elatio caueatur, & veritas discutiatur.* Qui consilium suum abscondit, multum de se præsumit. *Antiquioribus reuelandum est consilium, vt senectus veneretur. Et bonis reuelandum, quia hi magis vera loquuntur, & consilio scripturæ vtuntur.*

15. Hugo. *Virtus abscondenda.*

Quintò. Siebat Iesus, quod ventura esset mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis petens, ne ergo suorum Apostolorum ambitio extraneis pateret, suos Apostolos secreto assumpsit, ne illorum infirmitas proderetur, & aliis fieret manifesta, sed voluit, vt inter condiscipulos abscondita remaneret.

16. *Defectus aliorum abscondendi.*

Sextò. Non reuelat Dominus suum secretum Apostolis, dum domi sedent, sed dum in via laborant; diuinæ sapientiæ abdita secreta non panduntur desidibus, ac oscitantibus, sed pergentibus, ac laborantibus. *Qui descendunt mare in nauibus, facientes operationē in aquis multis, ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo,* Psalm. 106. n. 33. Aperiuntur opera Dei, & cœlestia mysteria diuinæ sapientiæ non desidibus, sed operantibus, ac facientibus multa virtutum opera in contradictione multarum aquarum, ac in earum alto profundo. D. Hieron. in c. 2. Isaiæ: *Qui enim,* ait, *in sæculi huius fluctibus non sunt otiosi, sed operantur, & merces portant dominicas, & ad portum venire festinant, ipsi viderunt opera Domini.*

17. *Manifestantur mysteria non desidibus, sed laborantibus.* Psalm. 106.

Hieron.

Septimò. Assumpsit secreto, secretóque eis reuelauit mysteria non tamen multum commendauit secreti silentiū; nam sæpe qui multum commendat secretum, ad publicationē subornat, ac ad diuulgationem stimulat. Defloravit Amnon sororem suam Thamar, quæ cum se vidisset electam, ac tanta contumelia affectam, in multas lachrymas diffundebatur, cuius rei causam, cum ab ea agnouisset frater suus Absalon, dixit ei: *Nunc*

18.

soror tace, frater tuus est, nec affligas cor tuum pro hac re, 2. Regum 13. n. 20. Dixit ei: *tace,* quia vt explicat Abulensis qu. 7. *Consolabatur Thamar, quia indicibilis erat planctus eius.* Tamen statim subdit textus: *Cùm autem audisset rex verba hac:* filiam suam Thamar violatam. *Contristatus est valde.* Quæro tamen à quonam tantum crimen filiæ suæ audiuit Dauid: quomodo rem sciuit? Nam Amnon cum esset reus criminis delictum non publicauit; Absalon rei secretum commendauit, ac proinde non euulgauit; Thamar ergo rem propalauit, sed nonne secretum eius Absalon maximè rogauit? *Tace soror.* Quomodo ipsa manifestat? Fortè quia secretum roganit, inde ipsa prouocata altiorem vocem edidit, magnumque clamorem excitauit, & totam rem apertissimè declarauit.

2. Reg. 13. Abulens.

Commendatio secretissimulatio ad illius manifestationem.

Octauò, Theophylactus ad illa verba: *Filius hominis tradetur.* sic ait: *Secretum erat mysterium, quod solis familiaribus reuelandum erat.* Similiter Dionysius Carthusianus & alij. Ad quid priuatim separat Dominus suos discipulos à turbis? vt eos de cruce, ac passione sua moneat, vt hoc facto instruamur consilia magnarum rerum, non euulganda, sed occultanda esse. Nam vt ait Valerius Max. l. 1 1. c. 11. *Taciturnitas optimum atque tutissimum rerum administrandarum vinculum.*

19. Theophyl. Carthus.

Magnorum consilia occultanda.

Valer. Max. 20.

Mandauit Deus Moysi: *Pones altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonij.* Exod. 30. n. 7. & postea subditur: *Deprecabitur Aaron super cornua eius, semel per annum, quod oblatum est pro peccato,* ibid. nu. 10. Agebat Pontifex in hac deprecatione de re sua domestica, de bonóque communi ciuitatis, ac regni, & gentis suæ, sed quid est quod Deus volebat, Pontificem has deprecationes facere obiecto expanso velo, ne à populo videretur? Videbat enim conuenientius, quod populus suum inspiceret, acraudiret Sacerdotem, vt ex eius affectu incitaretur ad similes obsecrationes diffundendas? Pertractabat Sacerdos cum Deo negotia, siue priuata, siue publica, ordinat diuina Sapientia, vt velo obtegatur, ne diuinæ dispositiones, ac consilia, quæ Pontifici manifestabantur, cum eóque agebantur, populatibus essent aperta, & nota. Sicque Deus se habet cum Moyse in Hebræorum castris; vocat Deus Moysem ad cacumen montis. Ecce nubes circunfusa caligine, ac nebula, in quam ingreditur Moyses, Exod. 20. num 21. D. Gregorius Nissenus lib. de vita Moysis: *Eligitur vnus,* ait, *è multis rerum diuinarum capax.* Non enim omnes sunt capaces, sed vnus è multis eligitur.

Exod. 20. Exod. 30.

Magna Dei negotia in occulto Deus agit.

Nyssen.

De suo diuino Sponso ait anima sancta: Ecce *tu pulcher es dilecte mi, & decorus, lectulus noster floridus,* Cant. 1. num. 15. D. Ambrosius serm. 5. in Psalm. 118. legit: *Acclinatio nostra opaca.* Septuaginta: *Speciosus ad cubile nostrum vmbrosus.* Si tam speciosus, ac pulcher est sponsus in suis operibus, ac mirabilibus, cur anima sancta inuitat eum, ipsúmque vult habere in lectulo, seu accubitu opaco, vmbroso, ac occulto? cur non potiùs in patenti, & manifesto, vt omnes elegantiam sponsi ipsiúsque fauores erga eam videant? Optimè sciebat anima sancta, quod ille cui communicata est cognitio pulchritudinis, ac elegantiæ mirabilium diuini Sponsi, ipsam non debet in publicum euulgare, sed in opaco, ac occulto cordis sui intimè clausa retinere, ac abscondere, & tanquam sub opaco, ac vmbroso abscondere. Citatus D. Ambrosius *Laudat,* ait, *sponsi decorem Ecclesia, quem plus vnusquisque tacito laudat affectu, & fidus mysteriorum interpres tacendo plus prædicat. Nam qui arcana diuulgat, imminuit Christi decorem.*

21. Cant. 1. Ambros. Septuag.

Cognitio Diuinorum abscondenda.

Hinc vt etiam ad humana descendamus, cum magna obsidione teneretur Ierosolyma ab Assyriis, ventum est ad pacti conditiones. Tunc Rabsaces præfectus militiæ Assyriorum, loquitur vulgari, ac Hebræa lingua cum Eliacim sacerdote stante super murum. Cui Sacerdos ait: *Loquere ad seruos tuos Syra lingua, intelligimus enim: ne loquaris ad nos Iudaicè, in auribus populi, qui est super murum,* Isai. 36. n. 11. Lyran. ibi: *Loquere Syra lingua, qua non erat intelligibilis populo communi: & erat petitio rationabilis, quia talis tractatus debet esse secretus.* Magni enim ponderis consilia ab excellentioribus viris definienda sunt; non autem vulgaribus manifestanda; obsecrat ergo Sacerdos vt eo idiomate vtatur, quod non ab his, sed ab illis tantum intelligatur.

22. Isai 36. Lyran.

Secretum abscondendum à populo.

Qvæstio III.

Quare Christus hîc prædixit discipulis mortem, passionem, ac resurrectionem suam?

Respondet primo D. Chrysost. in Imperfecto hom. 35. *Ideo,* ait, *prædixit eis futurũ, vt ab exitu cognoscatur præscientia eius: ex præscientia autẽ eius diuinitas intelligatur.* Et postea subdit: *Videte, quia volũtariè vado ad mortẽ, Cùm ergo venerit tenebrarũ potestas, cũ videritis me in cruce pendentem, ne æstimetis me hominem esse tantũ. Nam & si posse mori hominis est: tamen velle mori non hominis est.* Prædixit Dominus passionem suam discipulis, vt ostendat se sponte sua, ac liberè mortẽ, & crucem subire. Iuxta illud Isaiæ 53. n. 57. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et iuxta illud: *Nemo tollit animam meã à me sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam,* Ioan. 10. n. 7. Ita etiam docent communiter D. Hieronymus, N. D. Cyrillus, D. Paschas. Theophylactus, qui in c. 10. Marc. ait: *Nam qui præuenit, & effugere potest, & non fugit: manifestum est quod voluntariè se passionibus exponat.*

23. Chrysost.

Christus voluntariè obtulit se mortì.

Isai. 53. Ioan. 10. Hieron. Cyrill. Paschas. Theophyl.

Secundò. Vt ait Chrysostomus: *Vt ex præscientia eius diuinitas intelligatur.* Vt ex hac prædictione diuinitas eius intelligatur, cum nota sint ei omnia futura, & quæ passurus erat. Nota diuinitatis futura scire. *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos.* Isai. 41. n. 23. Vnde Christus prædicens traditionem Iudæ, subdit: *Amodo dico vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum,* Ioan. 13. n. 19. Quia ego sum, qui sum, verus nempe Deus.

24. Chrysost.

Deus cognoscitur ex futurorum prædictione.

Isai 41. Ioan. 13.

Tertiò. Theophylactus in c. 10. Marc. *Prædicit,* ait, *Dominus discipulis euentura, vt mentes eorum præpararet, quo prius audita facilius ferant, & non repente percellantur animo.* Prædicit Dominus suam passionem, præuisa enim minus ferunt; nam omnis aduersitas, quæ subitò venit, nimis grauis est, quam vero prænoscimus, & expectamus, leuior inuenitur.

25. Theophyl.

Quartò. D. Chrysost. hom. 66. in Matth. *Hæc prædicit,* ait, *vt cum tristia venisse viderint, certiore spe resurrectionem expectarent.* Voluit Dominus suos armare, ac præmunire, ne passionis tempestate fluctuarent, ideo eis prædicit, vt cum cum comprehensum, fixúmque cruci cernerent discipuli,

26. Chrysost.

certa

certa ſpe crederent eum reſurrecturum, amariſſimam Domini paſſionem maximè gloria reſurrectionis dulcorauit. D. Chryſologus ſerm. 118. *Reſonet*, ait, *in ore noſtro reſurrectio, ad noſtræ mentis tranſmittatur auditum: vt mors, qua noſtros, ſemper obſidet ſenſus cum terrore ſuo, cum lamentu ſuis, à noſtris ſenſibus effugetur. Vt totam mortis poſſit calcare formidinem.*

Chryſol.

27. Quintò. Iſaac Abbas homil. 1. apud Tilman. *Ad pacis viſionem properantibus (hoc enim Hieroſolyma) tradendus eſt filius hominis.* Cum proponitur aſcenſus ad Ieroſolymam, hoc eſt, ad pacis viſionem, ac cœleſtem patriam deſignatam, ſtatim filius hominis ſub flagellis, ſub morte, ac cruce demonſtratur. Semper enim cœleſtis ciuitatis aſcenſus cum multo hominis externi diſpendio, ac laborum pretio allequitur, & obtinetur.

Iſaac Abbas. *Aſcenſus cœliſtis patria cum multo labore.*

28. Sextò. Multoties Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis prædixit mortem, & paſſionem ſuam, vt in præſenti. Et Matth. 16. num 21. & 17. num. 21. & 26. num. 24. & ſæpè; vt eximius eius amor, ſingulariſque eius benignitas, quæ pro nobis tot pertulit, alte eſſet fixa, & impreſſa in mente diſcipulorum, & vt tantæ eius charitatis iugis in nobis memoria permaneret; Diuinum Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit, tanquam ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis memoriale perenne.

Matth. 16. *Chriſti paſſio memoria retinenda.*

29. Septimò. Aſcendebat Ieſus Ieruſalem, vbi glorioſo triumpho, ac magno applauſu excipiendus erat à populo, acclamandumque Rex: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini*, Luc. 19 num. 38. *Benedictum, quod venit regnum Patris noſtri Dauid*, Marc. 11. num 10. Cum ergo Dominus pergit, ac aſcendit ad hunc magnificum triumphum, ſuam mortem, ac paſſionem prædixit, vt eunctos moneat regalem purpuram, regiumque principis applauſum ſecum habere annexum, pro ſuis pati, ac mori, corona enim parturit gemitus, & dolores pro ſuis, pro illorumque ſalute proprij ſanguinis effuſionem.

Luc. 19. Marc. 11. *Corona regni pariſ dolores.*

30. Apparet in Apocal. 12. num. 1. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Deinde ſubditur: *Clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* Arabicus habet: *Et dolens cruciabatur, vt pareret.* Res ſanè multum mirabilis. Valde magnifico regio apparatu ſe oſtentat mulier ex luna, purpura ex ſole, corona ex ſtellis confecta; ad quid tendit tam regalis magnificentia? Videbatur ex illa conſequens, quod ex tanto ornatu mulier feſtiuè gauderet, ac exultaret, ac multis oblectationibus recrearetur, magnoque imperio cuncta regeret, ac imperaret. Minimè hæc videntur, ſed potius oppoſita oſtenduntur. Mulier præ anguſtia clamat, ac multis doloribus angitur: *Clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* Deindeque duriſſimo bello contra eam draco inſurgit: *Et ecce draco magnus, & rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem, ſtetit ante mulierem.* Quis ex tanto apparatu, ac ornatu tot gemitus, dolores, ac bella ſperaret? Mulier apparebat in cœlo: *Signum magnum apparuit in Cœlo.* Vt cœleſtis regina, ac è cœlo data; conſequens erat, vt corona ſuperna, ac è cœlo data non oblectationes, & lætitias, ſed gemitus, dolores, ac bella parturiret, vt filios, & ſubditos haberet, purpuraque cruciatibus repleta erat, vt filiorum, ſeu ſubditorum prole circundaretur. Fauet Hugo Victorinus: *Mulier*, ait, *amicta ſole, habens coronam ſtellarum duodecim, parturiens in doloribus ſuis, antiqua eſt Eccleſia patrum, qua gemitus, & tormenta habuit, vſque quo fructum ex plebe ſua videret Chriſtum.*

Arabicus. *Corona regni ſecum habet gemitus, & dolores pro ſubditis.* Hugo.

In nomine Ieſu ſalutem, ac pacem dat Ioannes ſuis diſcipulis: *In nomine Ieſu Chriſti, qui eſt*, ait, *primogenitus mortuorum, princeps regum terræ*, Apocal. 1. n. 5. Cum dicatur Princeps, ac Rex regum terræ, & Dominus dominantium. Subiungit: *Et lauit nos in ſanguine ſuo*; pro nobis ſcilicet moriens, vt eſt communis vox interpretum. Cur potius non ait: Princeps regum terræ, ideo cum maieſtate eis dominatur, & imperat pompaticéque cum ſuorum turba incedit? Sed *lauit nos in ſanguine ſuo.* Et ſi princeps tam amplus, ac magnificus; vbi corona, vbi purpura, vbi ſceptrum? Vbinam huius potentiſſimi regi ſtemma? *Lauit nos in ſanguine ſuo.* Huius diuini regis imperium non viſitur, ac oſtenditur turba populorum, ſceptro, vel corona aurea lapidibus pretioſis intexta, ſed cum proprij ſanguinis effuſione ſuos purificat, & mundat, optimi enim principis nota eſt pro ſuis pati, & mori. Huc aduoco id quod eleganter dixit Tertullian. lib. 3. contra Marcion. explicans illud Iſai 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Sic ait, *Quis regum inſigne poteſtatis ſuæ, humero profert, non aut capite diadema, aut manu ſceptrum? Solus nouus Rex Chriſtus, noua gloria poteſtatem humero extulit crucem.* Vide ſupra cap. 19. num. 72. 73. 74. & 33. num. 47. & 48. Vide multa tom. 1. 2. & 3. verb. *Prælatus.*

31. Apocal. 1. *Optimi regis nota pro ſuis pati, & mori.* Iſai 9. Tertull.

QVÆSTIO IV.

Quare diſcipuli, qui ſæpè Dominum, de ſua morte audierant differentem, tamen nunc dicitur, quod nihil eorum intellexerunt?

32. MVLTOTIES Chriſtus Dominus de ſua morte, & paſſione ſermonem habuit cum ſuis diſcipulis, Matth. 16. num. 21. Poſt Petri confeſſionem ſubdit Euangeliſta, quod Ieſus dixit diſcipulis ſuis, *Quia oporteret eum ire Ieroſolymam, & multa pati a ſenioribus & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere.* Petrus autem, quia intellexit, cœpit eum increpare: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Iterum etiam Matth. 17. num. 21. Marc. 9. n. 30. *Conuerſantibus* (ait D. Matthæus) *eis in Galilæa, dixit illis Ieſus, Filius hominis tradendus eſt in manu hominum, & occident eum, & tertia die reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer.* Ex eorum ergo mœrore colligitur eos verba Chriſti intellexiſſe. Tamen nunc in præſenti ait D. Marcus citato cap. 9. n. 31. expreſsè: *At illi ignorabant verbum, & timebant interrogare eum.* Et D. Lucas ait: *Ipſi nihil eorum intellexerunt.* Ad hanc difficultatem:

Matth. 16. Matth. 17.

33. Reſpondet primò. Beda in hoc cap. 18. Luc. *Cuius vitam*, ait, *maximè videre deſiderabant diſcipuli, eius mortem audire non poterant, quem non ſolum hominem innocentem, ſed & Deum verum ſciebant, hunc nullatenus mori, vel poſſe putabant. Et quia per parabolas eum ſæpe loquentem audire conſueuerant, quoties aliquid de ſua paſſione dicebat, hoc non ita, vt ſonabat intelligendum, ſed amore diſtante, ad aliud quid allegoricè referendum*

Beda.

Gloſſa. Lyran. Caietan. Carthuſ. Hugo. *Ex ſummo amore verba de morte non intrabant corda diſcipulorum.*

eſſe credebant. Idem docent Gloſſa ordinaria, Lyran. Caietan. Carthuſ. Hugo, & alij. Non intellexerunt Apoſtoli, quæ à Chriſto dicebantur de ſua morte, & paſſione, tum qua Chriſtum ſummè diligebant, eiuſque vitam maximè deſiderabant, ac proinde verbá de ſua morte corda eorum non intrauerant. Deinde etiam quia ſæpè Dominum in parabolis loquentem audierant, & ideo ſibi perſuadebant quod etiam nunc allegoricè, ac parabolicè loquebatur; & ſic ſenſum rei non attingebant.

34. Ianſen. Maldonat. Tolet.

Communis tamen ſententia eſt, quam docent Ianſen. in ſua concordia cap. 69. Maldonatus, Toletus in c. 9. Luc. Barradas, tom. 3. lib. 6. cap. 9. §. *Crediderim*, Lucas Burgenſ. in cap. 9. Marc. Cornel. à Lapide in cap. 9. Luc. Apoſtoli verba Chriſti quoad corticem literæ intellexerunt, ac proinde agnouerunt verba Chriſti ſignificare amaram mortem, & crucem. Ignorabant tamen modum, cauſam, finem, ac vtilitatem mortis Chriſti: eorum enim mentem non intrabat, quomodo ille, quem verum Deum eſſe credebant, qui tot, tantiſque miraculis effulgebat, morti traderetur, non enim intelligebant myſterium paſſionis Chriſti, ac Sacramentum eius amoris, quomodo ex ſua immenſa charitate pro redemptione generis humani offerendus eſſet in ara Crucis. Ac proinde ſignificationem verborum Chriſti ſunt aſſequuti de morte, & paſſione Chriſti, & quod ipſe non fuerit parabolicè loquutus, probat diſcipulorum triſtitia: *Contriſtati ſunt vehementer*; probat etiam D. Petrus, quia verba non parabolicè, ac allegoricè intellexit, ſed germanè; ideò cœpit eum increpare: *Abſit à te Domine non erit tibi hoc.* Quod autem non intellexerint myſterium paſſionis Chriſti probant ea, quæ Dominus dixit Petro: *Non ſapis ea*, hoc eſt, non intelligis, *qua Dei ſunt, ſed ea qua hominum*, Matth. 16. num. 23. Probant etiam ea, quæ D. Lucas ſcribit in præſenti: *Et erat verbum iſtud abſconditum ab eis.* Nempe myſterium amoris, ac paſſionis Chriſti erat abſconditum.

Myſterium amoris Chriſti abſconditum.

Matth. 16.

35. Aymon.

Tertiò & moraliter. Aymon homil. in Quinquag. ſic ait: *Iudæi iam conſpirauerant in necem Domini, & decreuerant in corde, vt interficerent eum in cruce: & ideo quotieſcumque Dominus loquebatur eis de ſua morte, facile intelligebant, quia hoc loquebatur, quod illi corde cogitabant. Diſcipuli autem credebant eum verum Deum eſſe, & verum Filium Dei: & in tantum diligebant eum, & credebant verum Deum eſſe, vt non putarent eum omninò poſſe mori.* Facit prædictus Auctor combinationem in his verbis. Luc: *Ipſi nihil eorum intellexerunt*, cum illis, in quibus multum obſcurè prædixit Dominus ſuam paſſionem: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ad quæ verba ſtatim Iudæi valdè perſpicaces reſponderunt: *Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum, quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis?* Ioan. 12. num. 34. Cur ergo diſcipuli valdè exercitati in ſchola Domini, eius mortem verbis clariſſimis demonſtratam non percipiunt, quam tamen Iudæi ſub obſcuriſſimis verbis intro ſpiciunt; erant ne hi acutiori intellectu præditi? Minimè, ſed valdè turpi, & nequiſſimo, & quia ipſi frequentiſſimè mortem Domini animo recogitabant; ideo illius mortem, & paſſionem ſub vmbra, ac denſitate verborum callent, ac præſentiunt; diſcipuli cum mente eſſent valdè alieni à Domini interitu, etiam ſub clara luce verborum minimè illum capiunt, quem tamen facilimè Iudæi ex ſua frequenti recogitatione olent, & præſentiunt.

Ioan. 12.

Qua quis corde cogitat, etiam in vmbra agnoscit.

Fecit Iacób tunicam polymitam, ſeu talarem filio ſuo Ioſeph: *Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum: Accidit quoque, vt viſum ſomnium referret fratribus ſuis, qua cauſa maioris odij ſeminarium fuit*, Gen. 37. nu. 45. Narrauit eis quod per ſomnium videret ſolem, lunam, & ſtellas, eum adorare, & iterum eorum manipulos circumſtantes adorare manipulum ſuum. Ex quo ſuſpicantur ipſum principem, & regem eorum futurum; vnde dicebant: *Ecce ſomniator venit*, id eſt, qui ſe dicit Principem, & Dominum noſtrum per ſomnia, vt explicat Cornelius à Lapide. Vnde ira, & odio armati, ipſum vendiderunt in Ægyptum. Confer hæc cum his, quæ acciderunt Dauidi; nam reprobatis fratribus ſuis maioribus: *Samuel vnxit eum in medio fratrum eius*; in regem ſcilicet, 1. Reg. 16. num. 14. Et tamen vt tenet Cardinal. Caiet. *Fratres Dauidis*, ait, *quamuis præſentes vnctioni, neſcierunt ad quid vngeretur; nec fortè patri manifeſtatum eſt, quod vngeretur in regem.* Res valdè mira, filij Iacob ex vmbra, ac ſomnio ita certo ſibi perſuadent fratrem Ioſeph eorum futurum principem, & filij Iſai videntes fratrem ſuum a ſancto Propheta vngi in regem, & fortè clariſſimis, ac apertiſſimis verbis, vt factum eſt cum Saüle, hoc non deprehendunt. Vnde in illis tanta perſpicacia; in his verò tanta mentis obturatio? Fratres Ioſeph ex tunica, ac amore patris erga eum ipſum eis præferendum frequenter mente voluebant. At verò fratres Dauidis habebant ipſum vt puerum paruulum paſcentem oues, & ideo, vt ait Abulenſis cap. 16. citato: *Pater inter cæteros fratres non præſentabat, tanquam quod de eo non ſuſpicaretur, quod eligendus eſſet, ſed velut nihil curans in paſcuis reliquerat.* Indéque cum fratres Ioſeph cogitarent ipſum eſſe illis præferendum, inde leui vmbra, ac ſomnio hoc firmiter credunt, & ſtatuunt. At fratres Dauid, cum ipſum in parua, & contemptibili æſtimatione reputarent, etiam videntes vnctionem è manu Prophetæ, ipſum Principem futurum non recogitant, & ſuſpicantur. Quam firmiter adhærent homines ſuis apprehenſionibus, ſi magnum cogitant, leuis vmbra eſt demonſtratio, ſi verò mens eſt in oppoſitum, nullo etiam cœleſti ſigno acquieſcunt, ac ſibi perſuadent.

36. Gen. 37. Cornel. 1. Reg. 16. Caietan. Abulenſ. *Tuis apprehenſionibus vehementer homines adhærent.*

Matth. 20. *num.* 20. Tunc acceſſit ad eum mater filiorũ Zebedæi cum filiis ſuis adorans, & petens aliquid ab eo.

Num. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regnotuo.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc adiit mater filiorum Zabdæi ipſa, & filij eius, & adorauit eum, & petebat ab eo aliquid.

Maldon.

Maldon. ex Grac. Inclinans se, aut genua flectens.

Vatabl. n. 21. Ait illi: Iube, vt sedeant hi duo filij mei, vnus tibi à dextera, & alter à sinistra in regno tuo.

Pagninus. Vnus à dextris tuis, & vnus à sinistris in regno tuo.

Alter Textus.

Marc. 10. num. 35. Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis.

Num. 36. At ille dixit eis: Quid vultis, vt faciam vobis?

Num. 37. Et dixerunt: Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.

EXPOSITIO II.

37. Euthym.

VNC accessit ad eum mater. D. Marcus scribit, quod accesserunt ad eum Iacobus, & Ioannes nulla facta mentione de matre. Vnde Euthymius ait has esse veluti duas historias. Primò quòd accesserunt illi duo Apostoli, vt scribit Marcus. Verum cum repulsam haberent in sua petitione, ad supplicationem assumunt matrem, quæ accessit ad Dominum, vt scribit D. Matthæus; sed re vera vnica est historia, Mater enim venit, vt narrat D. Matthæus, inducta, & solicitata à filiis, vt docent D. Chrysost. hom. 66. D. Paschas. lib. 9. Albert. Magn. D. Thomas, & ideo filij dicuntur loquuti iuxta D. Marcum, per Matrem nempe.

Chrysost. Paschas. Alb. Magn. D. Thom.

38. Luc 8. Chrysost. *Consortium mulierum fugiendum.*

Tunc accessit ad Iesum. In eo nempe itinere quando Christus loquebatur de sua morte passione, ac resurrectione: *Accessit.* Quia etsi multæ mulieres Dominum sequerentur Luc. 8. num. 2. tamen vt explicat Chrysost. in Imperfecto hom. 35. *Longe interuallo de longe mulieres erant sequentes, & longo interuallo separatim inter se ambulabant, Christus enim, & discipuli sui primi, sequentes autem de longe mulieres.* Puritatis, & castitatis Magister *longo interuallo* habebat mulieres separatas à se, ac à suis discipulis, pro nostro documento, vt nos doceret earum consortium fugere: *Accessit.* Albertus Magn. affectu familiaritatis, & sanguinis. Et sicut filij relicto parente Dominum sequebantur, sic & mulier hæc relicto marito Christum sequebatur, vt ait citatus Chrysost. qui subdit: *Qualis radix, talia & germina, & qualis terra, talis & fructus.* Mater deuota, filij & deuoti. *Mater filiorum Zebedæi*, nomine Salome. Sic eam nominat Marcus cap. 15. n. 40. quam Matth. cap. 27. num. 56. dicit matrem filiorum Zebedæi. Salome, vt ait Hugo, interpretatur pacifica, filios enim pacis genuit. Notanter dicuntur *filij Zebedæi*, vt aduertunt D. Paschas. lib. 9. & Abulens. Nam relicto patre Zebedæo in naui sequuti sunt Christum, Matth. 4. num. 21. & tamen modo in schola Christi primas sedes ambiunt, sic sæpè contigit, quod illi, qui mundum reliquerunt, in Christi claustro multi primatum quærunt; vel fortè, vt etiam docent proximè citati Chrysost. in Imperfecto, & D. Paschas. hoc triennio prædicationis Christi, eorum pater Zebedæus mortuus est; ac proinde cum dicuntur filij Zebedæi, id est homini defuncti, ac mulieris viduæ, & tales filij valdè licentiosè appetitu suo mouentur, ac trahuntur. Dicitur mater filiorum Zebedæi, quia à Zebedæo marito valde nota erat in Euangelio, vt obseruat Abulensis.

Alb. Magn. Hugo. Matth. 17. Marc. 15. Paschas. Abulens. Matth. 4. Chrysost. Abulens.

Adorans. Inclinando se, & genua flectendo, vt ex Græco colligitur: *Petens*; per os nempe filiorum. De quo quæst. 8. D. Marcus scribit, quod filij accedentes dixerunt, *Magister volumus* Cum propriam voluntatem ostendunt, statim errant: *aliquid* in communi, ac in confuso. Dicunt *aliquid* cum primas regni sedes postulent, semper procurantes rem aliquam, eam paruam iudicant; vel paruam dicunt, vt facilius impetrent. Bethsabee cum postularet pro Adonia, ait filio Salomoni: *Petitionem vnam parvulam ergo deprecor à te*, 3. Reg. 2. n. 20. Quod adeo magnum erat, vt ei dixerit Salomon: *Postula ei, & regnum.* Id quod parumlum diebat, toto regno æquiualebat, Vel id quod homo postulat, & accipit, aliquid nominat, ne se pro illo multum exoluere astrictum declaret.

39. *Vbi propria voluntas ibi error.* *Postulans semper iudicat parum petere.* 3. Reg. 2.

Qui dixit ei: Quid vis? D. Chrysostom. in Imperfecto: *Non interrogat*, ait, *quasi nesciens, sed vt illa exponente manifestam faceret irrationalem esse petitionem.* Maximè expedit ad medelam, vt vulnus patefiat, & in scientia declaretur: *Quid vis?* Interrogat, vt explicet id quod vult, vt nos doceat valdè alienum esse à prudentia, id quod nescitur concedere. Vnde maximè stultus fuit Herodes, qui Herodiadi *cum iuramento pollicitus est ei dare, quodcumque postularet ab eo*, Matth. 14. n. 7. *Ait illi, Dic*; hoc est, iube, decerne. Agnoscebat mulier vim, efficaciam, ac veritatem verborum Christi, sat enim erat, quod ipse imperasset, vt factum, ac firmum esset. *Vt sedeant, ait duo filij mei.* Mulier à filiis instructa alludit ad promissionem paulo ante duodecim Apostolis factam: *Cum sederit filius hominis, sedebitis & vos*, Matth. 19. n. 28. Vt notarunt D. Chrysostom. Theophyl. Euthym. D. Paschas. & alij: *Vnus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram.* Petiuit mulier eos fieri Christo propinquiores loco, & consequenter, vt ait Abulens. petiuit eos cæteris maiores fieri: *in regno tuo.* Existimabant Apostoli, quod *regnum Dei confestim manifestaretur.* Luc. 19. n. 11. Qualenam existimabant Christi regnum? Cœleste, ac spirituale intelligebant, vt vult Imperfect. homil. 35. Cui opinioni fauet D. Thomas, At regnum temporale huius vitæ eos intendisse docent D. Chrysost. 66 D. Paschas. lib. 9. in Matth. hic Theophyl. Albert. Magn. Carthus. Abulens. satis latè quæst. 67. putabant regnum Christi esse in ianuis, ac proinde quod illico regnaturus esset, quod de temporali regno intelligebant Iudæi.

40. Chrysost. *Prudentia non concedere, nisi rem agnitam.* Matth. 14. Matth. 19. Chrysost. Theophyl. Euthym. Paschas. Abulens. Luc. 19. *Quale regnum?* Imperfect. D. Thom. Chrysost. Paschas. Theophyl. Albert. Carthus. Abulens.

Qvæstio V.

Quare ab Euangelista notatur tempus, quo mater filiorum Zebedæi accessit?

41. Respondeo primo. Quod cum Euangelista ait: *Tunc accessit mater filiorum Zebedæi.* Notanter aduertit tempus, quo mulier hæc quærit, & ambit pro filiis primas sedes. Quando nempe Dominus differebat de sua morte, & passione. Vt exprimatur; quam cæca, ac importuna sit humana ambitio, ac illius cupiditas. Discipuli crucem Magistri audiunt, & ipsi thronum rogant; Dominus patibulo traditur, & discipuli dominationem sectantur; Dominus flagellis addicitur, & discipuli delicias intendunt: inter duras passiones, anxietates, vanos splendores ambiunt, hominum cupiditas opportunum tempus non expectat, sed semper vbique se ingerit importuna, & ideo ipsi à Domino audiunt: *Nescitis quid petatis.* Valdè enim à prudentia alienum est sub Magistro cruci tradito discipulum delicatè agere. In monte Thabor astant cum Christo Moyses, & Helias, *Et dicebant excessum eius*, Luc. 9. num. 31. Christi scilicet exitum, *Ex hoc mundo ad Patrem.* Tunc Petrus ad magistrum ait: *Bonum est nos hic esse.* Id dixit Petrus teste D. Luca: *Nesciens quid diceret.* Deuiat enim prudentia, ac recta ratione, homines de vita agere, cum Deus de sua nece, ac cruce agit.

Ambitio opportunum tempus non expectat.

Luc 9.

42. Secundò. D. Hieron. *Quia post omnia dixerat Dominus, & tertia die resurget: putauit eum mulier illico regnaturum.* Idem docent Euthym, Beda, & alij. Cum mulier audisset Domini resurrectionem, *& tertia die resurget*, certo credidit ipsam futuram ad magnam suorum promotionem, in qua filiis suis primas sedes appetit. *Adiuuabit eum Deus mane diluculo*, Psal. 45. num. 6. Cur auxilium promittitur ciuitati sanctæ à Deo illi adfuturum summo mane? Mane diluculo gloriosè resurrexit Dominus, & inde peculiariter matutinum tempus ad nostrum adiuuamen determinatur. D. Basilius ibi: *Quoniam*, ait, *diluculo resurrectio futura erat: adiuuabit eam Deus mane diluculo, hoc est, victoriam contra mortem die tertia matutina confecit.* Expende illud, *Quoniam diluculo resurrectio futura*; adiuuabit eam Deus, per suam resurrectionem commoda nostra ordinantur à Domino.

Hieron. Euthym. Beda.

Psalm. 45. *Christi resurrectio ad nostram promotionem.*

Basil.

43. Tertiò. D. Basilius Seleuc. orat. 24. *Vis*, ait, *mulieris fidem cernere? Supplicationis quare tempus: quando libellum supplicem offert? Quod postulationis tempus? Crux erat parata, passio apparebat, Iudæorum erat instructus exercitus.* Tempore, quo Christus de sua morte, ac passione agit, accedit rogans, & petens pro filiis. Fides mulieris ex omnibus occasionibus ad bona obtinenda illam præstantissimam iudicauit, in qua mortis, ac crucis Christi mysterium fulgebat, sub cuius vmbra omnia à se facile inuenienda certo credidit.

Basil. Seleuc. *Sub Christi passione optima occasio ad obtinenda bona.*

44. Quartò. Idem D. Basil. Seleuc. citata orat. sic ait: *Aneuertit, vt apparet, latronis voces mulier. Ille in cruce orationes fundebat: Memento mei, cum veneris in regnum tuum. Has autem crucem pro regno supplicabat: Dic, vt sedeant duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo. O desiderium passione maius.* Componit S. Pater hanc mulierem cum Latrone in Cruce ad Christum clamante, *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. Quisnam ex his laudabilior? Vterque regnum postulat, Latro: *Memento mei cum veneris in regnum tuum*; mulier etiam, *vt sedeant in regno tuo*; de regno spirituali loquitur Seleucus cum Imperfecto allegato in expositione. Latro postulauit regnum, cum fontes Saluatoris pleno amne manabant, & tota terra sacratissimo sanguine irrigabatur. At mulier solum Christi vulnera, & mortem audiens regnum affectat, ex quo mulier superior: *Aneuertit, vt apparet, latronis voces hæc mulier.* Quia ante Christi mortem, & crucem iam cœlestis regni desiderio flagrabat. Quid mirum, quod latro tanto desiderio inspectis vulneribus Christi ad cœleste regnum afficeretur, quando passio Christi proposita ante eius sanguinis effusionem tantum valet animas fœcundare, ac ad cœlestium desiderio promouere, ac inflammare.

Luc. 23.

Christi passione maximè inflammatur anima ad cœlestia.

45. Quintò. Tunc accessit, moraliter dico, postulans mulier primas sedes filiis suis, quando iam primas sedes assignata, & promissa erat Petro, ei dictum erat à Christo: *Tibi dabo claues regni cœlorum*, Matth. 16. num. 19. Quomodo ergo audet mulier eam petere, & procurare filiis suis, quod in magnum dedecus, ac ignominiam Petri cedebat? Imò ideo petunt, vt notant D. Chrysost. homil. 66. *Timebant verò*, scilicet filij Zebedæi, *Petrum sibi præferri.* D. Thomas in præsenti, ait: *Sciendum est, quod Iacobus, & Ioannes magis honorabantur à Christo post Petrum, ideo Petrum voluerunt excludere.* Hæc est hominum conditio, quod dum proprio commodo, ac vtilitati consulunt, aliorum damna, ac incommoda paruipendunt, qui enim ad proprium lucrum respicit, alienum detrimentum despicit.

Matth. 16. *Homo pro suo lucro alienū damnū contemnit.* Chrysost. D. Thom.

46. Fugit Dauid à facie Saül in Nobe ad Abimelech Sacerdotem, à quo præsente Doëg Idumæo, postulauit Dauid panes, & gladium, quæ omnia Sacerdos ei dedit, pro gladio gladium Goliath, quem ipse reposuerat in templo, & tandem abiit, 1. Reg. 21. num. 9. Quæ cum agnouisset Saül (nil reges latet) maximè iratus mandauit omnes Sacerdotes, viros, ac mulieres, in Nobe ore gladij interficere, quod cum nuntiatum fuisset Dauid, ait: *Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doëg Idumæus, proculdubio annuntiaret Saüli*, 1. Reg. 22. num. 22. Si ergo Dauid, vt ipse fatetur, optimè agnoscebat, quod Doëg illa dicturus erat Saül, Cur coram eo postulat panes, & gladium à Sacerdote, vt ipse ac tota ciuitas in tanto discrimine constituatur? Si capitale tantorum periculum intelligebat, cur illud declinare non curat? Dauid maximè affectauit suæ fami, ac necessitati consulere, & cum ad suam propriam conuenientiam esset intentus, inde parum studiosus extitit periculi vitæ Sacerdotum, ac aliorum; cum enim suæ penuriæ voluisset prouidere, inde de aliorum tutamine, ac conseruatione oblitus, parum de eis curat. Abulens. quæst. 32. ad cap. citat. 22. *Aliqui dicunt*, ait, *quod Dauid erat in magna necessitate panis, & non poterat habere aliunde panem, ne ergo moreretur, petit panem ab Abimelech, quanquam sciret, ei ex hoc malum futurum.* Vide suprà c. 16. q. 15 n. 138. 139. & cap. 28. q. 12.

1. Reg. 21.

1 Reg. 22. *Vt Dauid sibi prouideat, non curat de Sacerdotibus.*

Abulens.

***

Qvæstio

QVÆSTIO VI.

Quare mulier accessit adorans, cum peteret?

47. Abulens. RESPONDET primò Abulens. quæst. 59. quod mulier Christum adorauit propter summam excellentiam eius diuinitatis, quam in eo agnoscebat. Secundò, quia mulier nunc accedebat ad Christum; & ideo in exordio locutionis conueniens erat, quod adorationem pro honore erga eum exhiberet. Tertiò, D. Thomas, D. Thom. *Humilis oratio Deo placet.* Psal. 101. Iudith. 9. *Adorans*, ait, *quia cum humilitate petiit, sciebat enim, quod Deo semper placet humilis deprecatio*, Psalm. 101. num. 18. *Respexit in orationem humilium*, Iudith. 9. num. 16. *Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

48. Chrysost. Quartò. D. Chrysostom. citatus à D. Thoma in Catena: *Reuerentia exhibita*, ait, *petit vt quod petierit sibi detur.* Cum enim mulier spe lucri teneretur, multam reuerentiam, ac adorationem erga eum præbet, ipsa enim reuerentia volebat eum flecteret, vt postulata concederet. Naturaliter enim quilibet homo obsequiis inclinatur, honor autem magnum est obsequium præcipuè ad animos natura præstantes, ac nobiles alliciendos, ac mouendos, vnde hæc mulier prius petit, & postea adorat, vt adoratio prouocet ad exauditionem petitionis. Sic & Archysynagogus cum veniret deprecans pro filia defuncta: *Accessit, & adorabat eum*, Matth. 9. n. 18. *Qui aliquid procurat, se humiliat, & deiecit.* Matth. 9.

49. Transiuit Dominus trans locum Genezareth in regionem Gerasenorum, & ecce homo à Dæmone obsessus, qui habitabat in monumentis, & sæuus nimis erat, vt nemo posset transire per viam illam, cum agnouisset Domini aduentum: *Videns autem Iesum à longè cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna dixit: Quid tibi Iesu Fili Dei altissimi?* Marc. 5. num. 6. Dæmon per sui superbiam Christi Domini humanitatem contempsit, celsitudinémque diuinitatis apetiuit, dixit enim: *In cælum conscendam. super astra Dei exaltabo solium meum, similis ero altissimo*, Isai. 14. num. 13. Vnde ergo ita se humiliter demittit, vt Christi humanitatem adoret, eiusque diuinitatem altis vocibus fateatur? Diabolus, seu multi dæmones, qui erant in illo homine, hoc à Christo obtinere affectabant, vt non expellerentur extra regionem, sed vt permitterentur abire in gregem porcorum qui propè erat: *Et deprecabantur eum spiritus dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introëamus*, ib. n. 12. Diabolus ingenio suo superbissimus, tamen cum à Christo D. vult aliquid impetrare, statim se demittit, & humanitatem sanctissimam, quam aliàs contempserat, nunc humiliter adorat, & veneratur magnisque vocibus illius celsitudinem proclamat, & diuulgat. Fauet D. Hieron. in cap. 8. Matth. *Non voluntatis ista confessio est quam præmium sequitur confitentis: sed necessitatis extorsio, qua cogit inuitos: velut si serui fugitiui, post multum tempus Dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur.* Confessio dæmonis non erat ex affectu voluntatis, sed ex spe lucri, ac obtinendi optata. Marc. 5. *Diabolus etiam dum aliquid procurat, se humiliat.* Isai. 14. Hieron.

50. Dominus ait ob peccata populi Israel se permittere in illo pastores malos, & stultos: ad quos loquens Zacharias Propheta 11. num. 17. ait: Zach. 11. *O pastor, & idolum, derelinquens gregem.* Hos iniquos gubernatores pastores vocat, vt deuorent oues, carnes comedant, & sanguinem bibant. Idola etiam eos vocat, qui tanquam Deos volunt adorari, vt aliis benefaciant, eisque dona sua concedant: Et sicut à Deo aliquid non obtinetur nisi adorando, & obsecrando, ita & ipsi intentant, vt ab eis aliquid non extorqueatur nisi veneratione, & obseruatione exhibita. Lyran. pungens malos pastores ad cap. 8. Ezech. *Sunt adulatorum idola*, ait, *quos tanquam Deos colunt, vt per eos valeant promoueri.* *A regibus adoratione aliquid extorqueatur.* Lyra.

QVÆSTIO VII.

Quare mulier audet primas sedes pro filiis suis petere?

51. Chrysost. RESPONDET primò D. Chrysost. in Imperfecto homil. 35. *Audaciam fecerat eam naturorum affectus, & reuerentiam forsitan spiritualem vicerat amor carnalis.* Cum mulier esset mater, magno affectu tenebatur erga filios, & quia hæ primæ sedes maximè ad eorum honorem, ac vtilitatem cedebant, ideo valdè confidenter, ac cum multa animi audacia, eas illis procurat, & affectat, amor omnem difficultatem vincit, & superat. Vnde ait Ambros. statim citandus: *Considerate enim quæ cum filiis, & pro filiis petat: Mater est vtique, cui pro filiorum honore solicitata immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est.* Et postea subdit: *Etsi error, pietatis tamen error est, nescius enim materna viscera patientiam.* Ambros.

52. Ambros. *Pro alijs petere excellit.* Secundò D. Ambros. lib. 5. de fide cap. 2. *Nec inuerecunda*, ait, *petitio, qua non sibi, sed liberis consulebat, matrem considerate, matrem cogitate.* Etsi mulier errabat in petendo, vt ait suprà citatus S. Pater; habuit tamen fiduciam, & audaciam in petendo, quia non sibi sed liberis postulat: adeo magnum, & excellens est pro aliis agere, vt cum voluntas erret, subleuanda sit culpa, si vt aliis consulat, voluntas intendat.

53. Abulens. Matth. 27. Tertiò. Abulens. quæst. 55. Ista mater filiorum Zebedæi ministrabat Christo in expensis. Matth. 27. 55. *Erant ibi multæ mulieres à longè, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & mater filiorum Zebedæi* Ex quo ait Chrysost. in Imperfecto homil. 35. *Propterea sexu fragili, & iam ætate defecta, Christi vestigia sequebatur: quia fides nunquam senescit, & religio fatigationem non sentit.* Ad nostrum scopum ex factis expensis aliquem maiorem honorem sibi impendendum esse existimauit Salome, & inde audet pro filiis petere. Chrysost. *Ex obsequio maior reuerentia præsumitur.*

54. Maldon. *Iure consanguinitatis Deum solum filius suis voluit.* Ambros. Quartò. Salome consanguinea erat B. Virginis vt est commune assertum. Imò aliqui testificantur apud Maldonatum, *Sororem Beatæ Virginis fuisse*, quod non approbo: iure ergo consanguinitatis, ac propinquitatis merito, filiis suis præsumpsit extorquere principatum, ac primas sedes, ac si Deus tantum filiis suis esset proficuus, & non aliis, vnde de ea ait D. Ambros. citato loco lib. 5. de fide c. 2. *Merito reprehenditur hæc mulier, quæ speciali quodam priuilegio à Domino postulauit ea quæ sanctis iudicauit esse donanda, non duobus Apostolis, sed omnibus discipulis.* Cœleste munus diuinæ

diuinæ benignitatis ſpeciali priuilegio conſanguinitatis ſuis tantum filiis exoptat, de reliquis minimè curat, hocque tantum intendit, vt ſui cœleſtem obtineant hæreditatem, reliquorum verò nulla ſolicitudine tangitur. Vnde rigidè Iudæ auaritiam damnat Rupertus lib. 11. in Ioan. qui totius mundi pretium ſibi vni vſurpabat: *O magnifica*, ait, *ſupplantatoris peruerſitas, qui vniuerſalem noſtræ ſalutis hoſtiam faciens ſuam, ſic quaſi ſuum peculium, poſſeſſorem mundi venalem propoſuit.* Rupert.

55. Quintò. Albertus Magnus: *Rogat mulier affectu propinquitatis, ac familiaritatis.* In quo mulier errauit, non enim ſanguinis affectu, ſed meritorum impulſu homo aſſumendus eſt ad dignitates, ac officia. Ex quo meritò Moyſem, qui non filios, ſed Ioſuam, ad dignitatem promouet. Num. 27. num. 15. laudat Philo lib. de charitate: *Quamuis Pater eſſet*, ait, *duorum filiorum, neutrum ſibi optauit ſucceſſorem, vitio affectuum aduerſus cognatos, & domeſticos.* Alb. Magn. *Dignitas non affectu ſanguinis danda.* Num. 27. Philo.

56. Videntes ſeniores Iſraël magnitudinem virtutis, prudentiæ, ac fortitudinis Gedeonis, qua Madianitas debellauit, populúmque à tam crudeli inimico liberauit, eum obſecrant dicentes: *Dominare tu, & filius tuus, & filius filij tui, quia liberaſti nos de manu Madian*, Iudic. 8. num. 22. Quibus Gedeon ſtatim reſpondet: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus*, ibidem num. 23. Cur Gedeon coronam Imperij oblatam, quam homines ſibi, ac filiis ſuis per ferrum, mare, & ignes, ac inſuperabiles labores intendunt comparare, ſic reſpuit, ac reiicit? Cur tantam fortunam iure hæreditario non vult transferre in filios ſuos, de quorum prouentibus valdè frequenter ſoliciti ſunt homines. Tamen Gedeon non acquieuit populi petitioni, exiſtimans grauiter peccare, ſi oblatum regnum admitteret; & vnde tantus peccati metus? Abulenſ. quæſt. 20. præclarè: *Quia ſi fortè ipſe dignus eſſet, filij & poſteri indigni eſſent, & ſic turbaret populum; ideo viſum eſt, quod peccaret.* Magnus dux Gedeon apud ſe recogitauit, quod etſi ipſe imperij dignus eſſet, tamen filius, vel nepos poterat eſſe indignus, ne ergo bonum commune periclitaret, contempto affectu domeſticæ familiæ, non ex filiis, ſed à Deo ducem quærendum conſtituit: *Non dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur Dominus.* Iudic. 8. *Dignitas pro meritis, & non affectu earum diſtribuenda.*

57. Futura cum benedictionibus prædicebat Iacob filiis. Ad Iudam ait: *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, Gen. 49. num. 10. de Iacob tamen dicitur: *Iſrael diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos*, Geneſ. 37. num. 3. Si tanto amoris affectu tenebatur Sanctus ſenex erga Ioſeph, cur ipſum ſuper cæteros non extollit, ac honorat, dans illi potius, quam Iudæ regale ſceptrum? Sanctus ſenex diuino regebatur ſpiritu, & inde attendebat non ad amoris affectum, ſed potius ad meritorum rationem, quam plus reſplendeſcere in filiis Iudæ, quam Ioſeph certò præuidebat, & inde in illis, & non in his regiam coronam conſtituit. Rupertus lib. 7. de operibus Spiritus ſancti, cap. 10. *Quia in dandis benedictionibus*, ait, *non ſuam, ſed Dei voluntatem debuit facere, non carnis affectum, ſed Spiritu ſancti inſtinctum ſequi dignum fuit.* Vide ſuprà hoc tom. c. 10. n. 34 35. & 36. & cap. 33. n. 73. 74 & tom. 3. cap. 5. q. 10. n. 69. 70. & cap. 31. n. 31. 32. 33. Gen. 49. Gen. 37. *Dignitas dãda meritis, & non affectu.* Rupert.

Qvæstio VIII.

Quare Mater poſtulat pro filiis, & non potius petunt pro ſeipſis?

58. Dlvvs Matthæus ſcribit, quod *acceſſit mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis adorans, & petens.* D. verò Marcus c. 10. n. 35. *Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi.* Maldonatus exiſtimat. Quod Mater pro ſe ac filiis ſolicita, ſine vllo eorum impulſu poſtulaſſet primas ſedes. Dicitur autem à D. Marco filios idipſum petiuiſſe, quia mater non pro ſe, ſed pro filiis deprecabatur. Huic ſententiæ fauent D. Hilar. Can. 20. D. Ambroſ. lib. 5. de fide, c. 3. communis tamen ſententia eſt, quod filij per os matris poſtularunt, & quod mater inducta, ac perſuaſa ab eis petierit. Ita D. Chryſ. Paſch. citand. D. Gregor. hom. 27. in Euang. D. Auguſt. l. 2. de conſenſ. Euang. c. 64. Theophyl. Beda, Haymon, Alb. Magn. D. Thom. Recentiores, Barrad. Cornel. & alij. Et hoc ſuadetur, quia ſuaſoribus filiis Chriſtus reſpondit? *Neſcitis quid petatis.* Acceſſerunt ergo filij cum matre, tum ob honorificum comitatum matris, tum etiam ob vehemens deſiderium rei petitæ, & vt ſimul cum matre poſtularent, & vt multiplicatis petentibus facilius impetraretur, vt ait Abulenſ. quæſt. 58. Quæſtio præſens eſt, cur mater à filiis inducta pro eis petit, & non potius illi pro ſeipſis poſtulant? D. Matth. D. Marc. Maldon. Hilar. Ambroſ. Chryſoſt. Paſchaſ. Gregor. Auguſt. Theophyl. Beda, Haymon. Alb. Magn. D. Thom. Abulenſ.

59. Reſpondet primò D. Chryſoſtom. in Imperfecto homil. 35. *Ac ſi ipſi fratres dicerent, ſi nos rogamus Magiſtrum, forſitan naturorum fratrum corda concutiemus; & dum nobis duobus volumus prouidere, inter omnes ſcandalum excitabimus.* Deinde ſubdit: *Submittamus ergo matrem noſtram, vt ſuo nomine deprecetur pro nobis, vt fiant duo bona: ſi enim res ipſa reprehenſibilis inuenta fuerit, facilè mereretur veniam quaſi mulier, ipſe enim ſexus, excuſat errorẽ. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis ſuis rogans.* Submittunt diſcipuli matrem, qui hunc diſcurſum apud ſe fecerunt; vel enim ſi petitio illa iudicatur à Chriſto vt reprehenſibilis, minus redargueretur illa, tum quia erat mulier, tum quia mater. Et hoc modo illi verecundiam reprehenſionibus declinabant. Si autem petitio eſſet rationalis, & non reprehenſibilis, facilius impetraret mater, quam filij; præcipuè, quia vt ait Chryſoſtom. ipſa erat iam ætate defecta, & religioſa fœmina; & ideo haberet multam vim, & efficaciam ad obtinendum. Vnde Ioab quamuis eſſet generalis præfectus malitiæ, & intimus familiaris Dauid, non pro Abſalon ipſe deprecatur, ſed mulierẽ Thecuam deſtinat, 2. Reg. 14. n. 2. Chryſoſt. *Fœmina cõd. & efficax ad impetrãdum.* 2. Reg. 14.

60. Secundò. D. Paſchaſius lib. 9. in Matth. *Valdè permoti*, ait, *ad gloriam ſatis acutè, atque ingeniosè ſubmittunt matrem ad deprecandum pro ſe: fortè ne vlla ſuſpicio, quod ipſi hoc petierint, naſceretur; & ſi reprehenſio eſſe poſſet, fœmineus error leuius ferretur.* Valdè ingenioſus, & acutus eſt ambitioſus in ſuis machinationibus: hi duo fratres præmittunt matrem, quia illa facilius impetraret ob rationes proximè adductas; deinde cum ex appetitu ad tantam gloriam, iram, & reprehenſionem ſummi Principis timeãt, matrem obiiciunt, vt in eam vis iræ, ac reprehẽſionis maximè frangatur; Paſchaſ. *Ambitioſus, ingeniosus parentat periculo exponit.*

gatur; ambitiosi tanto appetitu mouentur, vt optatis bonis adimpleantur, vt nulli pareant, sed patrem, & matrem periculo exponant.

61. Abulens. Tertiò Abulens. quæst. 54. Quia isti duo fratres erant Christi domestici, & licet quis magis familiares suos, quam extraneos diligat, extraneos tamen magis honorat. Vnde Iacobum, & Ioannem tanquam familiares suos, etsi Christus attenderet, magis tamen attenderet, ac magis honoraret matrem, vtpote extraneam, petitáque illi concedens.

62. Abulens. Quartò. Citatus Abulens. cad. q. 54. *Quia facilius*, ait, *concederet Christus matri, quam filiis, quia, fortè illa aliquando adiuuauerat Dominam nostram sororem suam ad nutriendum Christum.* Ex his licet argumentari, si Christus Dominus tam liberalis præsumebatur erga aduitricem nutricis suæ, quãto magis liberalis erit erga perpetuam nutricem, ac naturalem matrem suam. Confirmatur, quia ne Christus Dominus suæ nutrici aliquid denegare videretur, non voluntatis, sed potestatis defectum insinuasse scribitur; dixit enim: *non est meum dare vobis.* Eleganter D. Ambros. lib. de fide, c. 2. *Dominus*, ait, *cæli, atque terra verecundatur (vt secundum assumptionem carnis loquar) & vt ipsius verbo vtar, confundebatur matri pro filiis postulanti etiã sua sedis consortium denegare.* Quanto magis matri suæ nihil denegabit, sed affluenter concedat omnia?

Eximia Christi liberalitas erga B. Virginem.

Ambros.

63. Chrysost. Quintò. Pulchrè D. Chrysost. homil. 66. De his filiis Zebedæi, ait, Nam ipsi pudore victi matris patrocinium assumpserunt. Non negotiantur per se, sed matrem submittunt, erubescebant ipsi postulare; imo ita erubescunt petere, vt obseruarent secretam, & occultam occasionem ad petendum: *Assumpsit Iesus duodecim discipulos secreto. Tunc accessit mater filiorum Zebedæi.* Hoc est, quando Christus solus cũ solis discipulis à turba recessit. Imò exploratunt occasionẽ, vt seorsim à reliquis discipulis ad Christum conuenirent. Nam, vt scribit D. Marc. 10. n. 32. *Erant in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos Iesus; & accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes*, &c. Hoc est, cum Dominus incederet separatus à reliquis discipulis, hi duo præuolarunt, vt præ verecundia occultè honorẽ peterent, vt notat cit. Chrysost. *Quoniam*, ait, *humano more id faciebant, coram omnibus erubescentes dicere; seorsim ab aliis discipulis Christum accipientes interrogauerunt. Præcesserunt enim, inquit, vt remotis arbitris occultius loquerentur.* Vict. Antioch. ad cit. c. Marci: *Rubore suffusi*, ait, *ne res à cæteris deprehendatur extra discipulorum consortium adeunt.* Imò ipsa mater accedens erubuit petere, ita obmutescens, vt à Christo ad loquendum excitaretur.

Pudore afficiuntur, dum primas sedes petunt.

Marc. 10.

Præ verecundia secretò petunt.

Antioch.

64. Vnde tanta verecundia afficiuntur Iacobus, & Ioannes? quia volebant petere locum dexteræ, & sinistræ à Christo, cui bene sciebãt se esse gratissimos, quia tamen petituri sic erubescunt. Nam, vt ait Seneca: *Durum illud verbum ingenuis animis, rogo.* Ab viro suo Othoniel inducitur Axa, vt à parente suo Caleb peteret agrum. Tunc Axa, *cum suspirasset sedens in asino, parenti ait, terram arentem dedisti mihi*, &c. Iud. 1. n. 14 Si Axa felicissimis nuptus fruebatur, cur suspiria emitit, quæ indices sunt tristitiæ? Abulens. q. 15. *Cum inciperet petere, erat sibi magnus rubor.* Cogebatur Axa partem agelli à charissimo patre petere, & inde præ animi nobilitate multo tempore premebatur; nobili ingenio grauissimum est petere etiam à parente, ac intimo familiari Ioseph secundus erat à Rege, eique intimus familiaris, & tamen cum iuxta parentis sui mandatum eius cadauer esset elatum extra Ægyptum, facultatem à Pharaone non est ausus postulare, sed aulicos deprecatores adhibet. *Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini de me in auribus Pharaonis*, Gen. 50. num 4. Cur per alios rogat, quod ipse facillimè per se obtineret? Abulens. ait: *Non licebat Ioseph prorogare immediatè.* Ac proinde in causa propria non seipso voluit petere; ad nostrum scopum. Cum Ioseph esset valde ingenuus, non audet quidpiam per verecundiam in proprio negotio petere, etiam à gratissimo sibi rege. Ex quo in eleemosynis elargiendis monet D. Ambros. lib. 1. de off. c. 3. *Considerandã*, aic, *in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales.* Vide suprà c 28. n. 53. 54. 55.

Seneca.

Iud. 1.

Abulens. *Valde durum viro nobili, & ingenuo petere,*

Gen. 50.

Abulens.

Ambros.

65. Vel sic *pudore victi* sunt filij Zebedæi, quia quærebant primas dignitates, primásq; sedes omnes, tam à dextris, quam à sinistris, & valde verecundũ est hominem omnia loca sibi velle præoccupare; *Quadã die, cum venissent filij Dei, vt assisterent corã Domino, affuit inter eos etiam Satan*, Iob 1. n. 6. Venit Satan in propria persona in Concilium Angelicum, vt inumissa tentationum tempestate pugnaret contra Iob. Idemmet Diabolus exiit in bellum, contra mulierem amictam Sole, tamen Draconis specie indutus. *Visum est aliud signum in cælo, & ecce Draco magnus rufus habens capita septẽ, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata, & Draco stetit ante mulierem*, &c. Apoc 12. n. 3; Draco iste diabolus erat, vt cõstat ex textu, & est communis PP. consensus. D. Aug. Ambr. Richard. & aliorum. In quæstionem tamen voco cur diabolus exiit in pugnam contra Iob detecta facie; contra verò mulierẽ Draconis figura? Contra Iob sæuo, ac crudeli bello omnium tentationũ, ac vexationum decertabat diabolus; at contra mulierẽ progrediebatur ad bellum: *habens capita septem, & in capitibus suis septem diademata.* Per quæ iuxta graues auctores, intelliguntur septem imperia, eorúmq; septem diademata, quæ septem mundi ætatibus floruerũt, vt refert P. Ioan. de la Haye. Ecce cur diabolus cõtra Iob venit detecta facie; aduersus verò mulierem mutato vultu, ac forma. Malignitas diaboli cõtra iustos, & sanctos apertam pugnam agens non verecundatur; at omnia regna, omnesq; principatus sibi soli velle vsurpare, adeo turpe, & execrabile est, vt impudẽs diabolus multũ verecũdia, ac rubore afficiatur, si cũ illis omnibus insignitus apparet, inde cum septẽ diademata asportat, mutata facie, alienóq; vultu prodit, exiit.

Pudore victi.

Iob. 1.

Apoc. 12.

August. Ambros. Richard.

Diabolus etiam verecundatur, dũ ambit omnes principatus.

De la Haye.

QVÆSTIO IX.

Quare mulier non solùm pro filiis petit dexteram, sed etiam sinistram, quæ est assignatus reproborum locus?

66. POSTVLAT mulier à Christo: *Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexterã tuam, & vnus ad sinistram.* Non ait; Constitue, ac colloca eos, sed *dic*, idem est enim quod ipse dicat, ac fiat, & quod hos fratres ad primas sedes destinatos declaret, vt perficiat, ac adimpleat, non enim ab incepto ipse desistet. Petit mulier vt vnus ex filiis suis sedeat ad dexteram, alter ad sinistram, cur non cauit à sinistra, in qua reprobi collocantur? *Rex statuet hœdos à sinistris*, Matth. 25. n. 33 Et tamen mulier non postulat, vt duo filij sedeant ad dexteram, sed ait, vnus à dextris, alter à sinistris.

Quæ Deus incipit, perficit.

Matth. 25.

67. Caietan. *Nullus vult alteri cedere in imperio, ac dominatu.*

Respondet primò Caietanus: *Primas sedes*, ait, *duodecim primi promissas petunt: nec volunt alter sub altero sedere, sed vnus ad dexteram, & alter ad sinistram Christi: vt ex vtroque latere sint primi.* Non vterque ad dexteram, sed vnus ad dexteram, alter ad sinistram. Nullus est, qui velit imperio cedere alteri. Iacob, & Esau antequam nascerentur, Gen. 25. *collidebantur in vtero eius parvuli*, Gen. 25. n 22. de primatu nascendi decertantes. D. Chrysol. serm. 4. Chrysol. *Hereditas mundana antè posteris infert pugnam, quam censum conferat; antequam dividat facultates, scindit heredes.* Ante lucis vsum vsus erat ad arma pro facultatibus obtinendis.

68. Secundò. *Nec volunt alter sub altero sedere.* Tantus est fastus superbiæ, ac ambitionis humanæ, vt quamuis sinistra sit infaustum omen, tamen tanta auiditate homines primas dignitates quærunt, vt potius eligant sedere ad sinistram, quàm ad dexteram esse etiam sui germani fratris, ne post ipsum secundi sint, secundúmque locum teneant. Tertio, vt ait D. Chrysost. homil. 66. Chrysost. *Credebant regnum Dei iam euenturum, quod huius vitæ, ac seculare opinabantur.* Cùm ergo regnum existimaretur temporale, vnus intendebat dexteram, alter sinistram, quilibet in sua dignitate sic volebat esse solus, vt consortem non admitteret, sed omnem socium à se excluderet. Quartò. Cùm regnum, quod intendebant, esset temporale, non volunt ambo vniti esse ad dexteram, sed separationem exoptant, vt vnus sit ad dexteram, alter ad sinistram; semper mundialia bona diuisionem, ac separationem inducunt. *Quilibet in sua dignitate vult esse solus.*

69. Caietan. *Homines volunt vtrumque latus regis tenere.*

Ait Caietan. *Vt ex vtroque latere sint primi.* Bene sciebant sinistram esse extremæ infelicitatis notam, tamen ipsam appetunt, dummodo vtrumque latus regis accingant, totúmque regē ex vtroque latere ambiant, vt nulli alteri valeat patere aditus. Vnde maximè laudandus est Ioseph, qui patrem suum, ac fratres intromittebat ad regem, Genes. 47. Gen. 47. n. 9. Aliósque aulicos ad regem Haraonem euocabat, Gen. 50. n. 4 Sicque Daniel postquā constituit super opera prouinciarum tres pueros: Dan. 2. *erat in foribus Regis*, Dan. 2. n. 49. vt negotiatores ad regem intromitteret ad loquendum cum rege.

70. Chrysost. *Homo suo consilio fertur ad perditionem.*

Sextò. Chrysost. in Imperfect. hom. 35. *Nescitis*, ait, *quid petatis*, q. d. *Ego vos vocani ad partem dexteram de sinistra: & vos vestro consilio curritis ad sinistram.* Inauspicatum sanè petit, qui in Christi agmine sinistram postulat. O inconsideratum elationis humanæ fastum! dum ad sublimitates rapitur affectus humanus, reprobationem inscius negotiatur. Christus sua gratia nos vocat ad dexteram, ad suam nempe gloriam, & beatitudinem, hinc post Resurrectionem mandat discipulis suis, Ioan. 21. *Mittite in dexteram nauigij rete*, Ioan. 21. n. 6. At cum homo suo consilio, ac voluntate regitur, ac mouetur, iuxta D. Marcum, dicunt hi duo fratres: *Volumus*, statim in ruinam, ac præcipitium cadit, & ruit, & ad sinistram fertur.

71. Damianus. *Quilibet ne secum alium habeat, ipsi vult perdere.*

Septimò. Petr. Damian. serm. 2. de S. Ioan. Euang. *Matre intercedente*, ait, *rogabat* (scil. discipulus,) *vt ipse cum fratre Dominus alterum à dextris, alterum concederet sedere à sinistris. Nam quantum ad verba hoc petere visus est, vt vnum ex eis Dominus cum dextris eligeret, alterum à sinistris cum peccatoribus reproberet.* Cur non dextera pro ambobus petitur, sed etiam pro vno sinistra, quæ est reproborum locus? sic quilibet ex fratribus tanto dominandi desiderio tenebatur, vt ne secum fratrem admitteret, sed potius vellet ipsum perditioni dare. Neuter in primo loco obtinendo, ac in regno possidendo parebat fratri, sed quilibet sibi dominationem volebat, quamuis alter perderetur. De fundatoribus Romæ, quorum vnus ab altero est interfectus, pulchrè ait D. Cyprian. lib. de idololatriæ vanitate: *Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cæpit hospitium.* Cypria.

Princeps militiæ Saulis Abner venit ad Dauidem regem, vt ad eum reducat totum Israëlem, omniúmque rex ipse Dauid constituatur, cúmque Dauid gratissimè excepisset eum, tandem dimisit, vt omnem exercitum ad se reuocaret. Tunc *ingressus est Ioab ad regem, & ait, quid fecisti? Ecce venit Abner ad te. Quare dimisisti eum, & abiit, & recessit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit, vt deciperet te, & sciret exitum, & introitum tuum, & nosset omnia, quæ agis? Egressus itaque Ioab à Dauid misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Syræ ignorante Dauid, vt loqueretur ei in dolo. Et percussit illum in inguine, & mortuus est*, 2. Reg. 3. n. 26. 2. Reg. 3. Cur Ioab tot machinationes facit contra Abnerum, eum apud regem de crimine proditionis reddit infectum, ipsúmque mentito nomine regis vocat ad se fraudulenter, ei loquitur, ac tandem insidiosè ipsum interficit; cum tamen Abner esset vir magnus militiæ, & puro, ac sincero animo venisset ad regem, magnúmque obsequium ei deferens, ac præstare intentans; cur ergo tantis insidiis in eum insurgit? Ioab suspicabatur ipse, ac metuebat, quod Dauid principatum militiæ conferret Abner, indéque ex amore principatus in tot impellitur mala, ne Abner ipse fieret secundus, ei mortem, ac perditionem machinatur, potius volens perdere Abner, quam secundum locum post ipsum tenere. Ioseph. lib. 7. Antiq. c. 1. relatus in Glossa: *Ioab*, ait, *metuens ne Dauid in honore primi ordinis constitueret Abner, ipse verò decresceret, & militia amitteret principatum, viam pessimam cogitauit, vt ei detraheret apud regem, deteriorémque ruinam aggressus eum occidit.* Et postea subdit. Ex his itaque debet considerare quilibet, quanta, & qualia præsumunt homines propter principatus affectum, cum nulli cedere volunt. Vide suprà cap. 16. n. 138. & 139. *Cum suspiratur eligendus Abner in principem, occiditur.* Ioseph.

Matth. 20. *num.* 22. Respondens autem Iesus dixit: nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: possumus.

VERSIONES.

Græcus.	Nescitis quid petitis.
Euthymius.	Potestis bibere poculum,
Theophyl.	quod ego bibiturus sum?
Syriac. Pagn.	Potestis bibere calicē, quem
Vatabl.	ego bibiturus sum? aut baptismate, quo ego baptizor, baptizabiminiī? Dicunt ei: possumus.
Arabicus.	Quem ego futurus sum, vt bibam, & tinctura, qua tingar, tingemini.
Caietanus.	Potestis bibere poculum, quod ego bibo; & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. *num.* 38. Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei: possumus.

EXPOSITIO III.

73. NESCITIS, ait: Incauta discipulorum petitio orta est, non ex malitia, sed ex quadam simplicitate, ac ignorantia, & non respondet Dominus matri, sed filiis; quia, vt obseruant D. Chrys. Paschas. Leont. Carthus. Mater inducta fuit à filiis, qui per os matris locuti sunt. *Quid petatis*, seu petere debeatis. Nam regnum meum, ac si dicat Christus, non est mundanum, ac temporale, sed æternum, ac spirituale. *Potestis bibere calicem?* Eos interrogat, inquit Theoph. *quia non potest quis fieri particeps regni mei, nisi meorum passionum particeps fiat.* Per calicem enim poculum suarum iniuriarum, ac mortis intelligit. *Dicunt ei: possumus.* Ioannes, & Iacobus intellexerunt per calicem mortem, & passionem significari; dicunt, *possumus.* Chrysost. Carthus. Cornel. & alij interpretantur, quod hoc dixerunt incautè, non considerantes, id quod pollicebantur; ego tamen existimo, quod hæc protulerunt, moti, ac impulsi à gratia Spiritus sancti. Maldonatus aliter exponit: *Possumus*, id est volumus, & parati sumus pro te mortem appetere, quod dicunt, ait Theoph. *spectantes ad id, quod cupiunt, omnia facilè pollicentur.* D. Thomas ait, quod ita dixerunt, ex magno amore Christi, cui intimè adhærebant. Et quamuis tam animosè hic polliciti fuerint, possumus, seu parati sumus bibere calicem passionis, vitámque dare, tamen occasione, ac tempore passionis in fugam cum reliquis se dederunt.

Chrysost. Pascha. Leontius. Carthus. Theoph. Chrysost. Carthus. Cornel. Maldonat. Theoph. D. Thom.

QVÆSTIO X.

Quare discipuli à Christo reprehenduntur, quod nesciant, quid petant?

74. MATER postulauerat, & tamen filij redarguuntur, quia filij fuerunt matrem suadentes, vt sæpè dixi; cur tamen, quæ pro filiis postulauerat, immunis est à reprehensione? Respondet Abulens. q. 72. Quod Christus voluit habere hanc reuerentiam, tum quia mulier, & grandæua ætate, ac consanguinea B. Virginis erat, & ei etiam ministrauerât in expensis, vt est dictum; tum etiam, vt ait D. Ambrosius lib. 5. de fide, c. 3. *Cum honorandam sciret esse pietatem, non mulieri, sed filius respondit.* Vel etiam quia mater in filiis vulnerabatur. Et quamuis Dominus Iacobum, & Ioannem intimè amaret, in suis tamen amicis errores non dissimulat, sed eos statim increpat, & arguit. D. Hieron. lib. de vera Circunc. *Illis ipse*, ait, *Dominus respondet, qui illos amare amplius credebatur. Nescitis quid petatis.* Vide suprà c. 6. n. 42. Quæstio præsens est, cur hos discipulos nescios appellat?

Abulens. Ambros. *Errores amicis non dissimulandus.* D. Hieron.

75. Respondetur primò. Quia ipsi cogitabant regnum Christi esse temporale, ac terrenum, vt cuiuscumque alterius regis, v. g. Dauidis, cum eius regnum esset spirituale, ac cœleste. Ita Chrysost. homil. 66. *Hoc dicit ostendens, quod nihil spirituale petebant.* Ita Albert. Magn. Carthus. Abulens. q. 71. Secundò, vt notaui superiori quæst. ex eod. Chrysost. *Nescitis quid petatis, quasi dicat, ego vos vocaui ad dexteram partem de sinistra; & vos vestro consilio curritis ad sinistram.* Nescit ambitio suæ naturæ modum, vt quiescat, sed semper sibi inde decora negotiatur. Tertiò idem D. Chrysost. *Nescitis*, ait, *quam magnum, & quam mirabile est, quod petitis, ac ipsus superiores excedens virtutes. Nescitis, quam magna res sit, sedere ad dexteram meam, & sinistram in regno meo; nescitis quam magnam dignitatem petatis.* Ita Euthym. Theoph. Vict. Antioch. in Marc. Sublimitas cœlestis patriæ maximè excedit omnem captum nostri intellectus, & valdè inscius est ille, qui petit id quod ignorat, & non intelligit.

Chrysost. Alb. Magn. Carthus. Abulens. Chrysost. Euthym. Theoph. Antioch.

76. Quartò. Idem Chrysost. cit. *Vos*, ait, *de honore loquimini: ego verò de agonibus, & sudoribus disputo; non est enim hoc præmiorum tempus, sed occisionis, præliorum, ac periculorum.* Valdè incongruo tempore petebant honores, & dignitates, imminente iam scilicet Christi passione, quando lugendum, & multum affligendum erat. Quintò. D. Hilarius: *Nesciunt*, ait, *quid petant, quia nihil de gloria Apostolorum ambiendum erat: indicaturos enim eos superior sermo exposuit.* Inscientes dicuntur, quia petebant id, quod iam eis erat promissum, ac concessum à Christo, scilicet ei assidere, ac cum eo duodecim tribus iudicare, sed hi duo Apostoli videntur inter ipsos thronos primas sedes petere, ac Christo fieri viciniores.

Chrysost. *Tempore passionis Christi de dignitate non est cogitandum.* Hilar.

77. Sextò. D. Hieron. in huius cap. comment. *Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Nec mirum si isti arguantur imperitiæ, cum de Petro dicatur: nesciens quid diceret.* Petrus totius Collegij Apostolici designatus Princeps, hac nota aliquando affectus est. *Nesciebat quid diceret.* Luc. 9. n. 33. Conuenienter ergo opportuna occasione oblatâ, simile duriusculum verbum inscientiæ audiunt alij sublimiores discipuli Petro inferiores. Discipuli hoc euentu adhuc erant rudes, & in rebus cœlestibus non plenè eruditi, ac expoliti, ne ergo arroganter tumescant, & in re sapientiæ se existiment Prælatos esse Petro, qui Apostolorum vertex est constitutus, audiant etiam Iacobus, & Ioannes, *Nescitis quid petatis.* Siquidem Petrus audiuit, *nesciebat quid diceret*, vt satis moraliter expendit Hieronymus; ne subditus aliquando præsumat se meliorem esse quàm eius superiorem.

Hieron. Luc. 9. *Subditus nunquam se existimet melliorem suo superiore.* Hieron.

78. Septimò. Quia petunt id, quod eorum perfectioni, ac vocationi contrarium erat, vocati enim erant à Christo ad eius humilitatem, paupertatem, ac crucem sequendam, non verò ad honores, & dignitates ambiendas. Octauò, quia ipsi materno fauore, ac sanguinis propinquitate videbantur inniti ad petendum, cum hoc nihil valeret apud diuinum Magistrum ad obtinenda munera, vt iam dixi q. 7. Nonò. Quia ipsi se intromittunt, ac offerunt ad dignitates, absque eo, quod essent vocati, vt etiam iam dixi hoc cap.

Homo correspondeat suæ vocationi.

79. Decimò. Rabbanus: *Nesciebant*, ait, *quid peterent, qui sedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt.* Nesciri dicuntur, cum sine cruce, ac morte vellent obtinere sedes cœlestis gloriæ. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro fulvo nimis; qui habebat sex gradus, & duo leones stabant & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde*, 3. Regum cap. 10. n. 18. Cur Salomon diuina sapientia repletus

Rabban. *Gloria non obtinetur, nisi per labores, & sudores.* 3 Reg. 10.

pletus suum regalem thronum, in quo iura dabat ac regia dignitate fulgebat, tali modo, ac forma fabricauit, vt per gradus, per quos fiebat ascensus, essent leunculi hinc, & inde? Vnde de eo dicitur: *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Voluit sapiens Rex denotare, quod ad sellam regiam non ascenditur, nisi multo luctamine, ac certamine cum leonibus, multis nempe abuersitatibus, ac contradictionibus insurgentibus, quæ hominem volunt dilaniare, ac veluti in frusta cædere, quas necesse est veluti conculcare, ac superare, vt ad regni thronum eueharis.

80. Gen. 2. *Requies potris ipsi operationes.*

Posit vniuersi orbis opificium, ait textus: *Requieuit Deus die septimo, ad vniuerso opere, quod patrarat*, Genes. 2. n. 2. Deusne similis est opifici, qui defessus diurno labore, opus habet requie? Minimè. Cur ego dicitur Deus requiescere, cum fatigatus non sit? Non ergo scribitur, quod requieuerit Deus, tanquam fatigatus, sed pro nostro documento, quod ille, qui die septimo, Sabbatho nempe gloriæ vult requiescere in æterna gloria, prius debet, præmittere operationem, vt mereatur gaudere in perpetua felicitate. Origenes lib. 6. contra Celsum: *Nescit*, ait, *quisnam sit ille, post sex dies à mundo condito secuturus dies Sabbati, in quo cuncti, qui sex illis diebus opera sua perfecerunt, nihil eorum prætermiserunt, quæ pertinent ad suum officium, cum Deo feriabuntur ascendentes ad spectacula, & iustorum, & beatorum celebritatem, quasi diceret, qui bene operabantur.* Vide suprà c. 19. n. 12. & 13.

Origen.

QVÆSTIO XI.

Quare petentibus regnum Christus calicem offert?

81. Psalm. 115.

SATIS vulgare, & notum Christi mortem in Scriptura calicem nuncupari: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, Psalm. 115. num. 4. Alij legunt: *Calicem salutarem.* D. Hieron. *Calicem Iesus accipiam.* Et Christus, ait in horto: *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste*, Matth. 16. n. 39. Psalm. 22. n. 5. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quam præclarus est.* Frequenter in sacro textu mors, & interitus per calicem denotatur, Psalm. 51. n. 17. & 74. n. 9. Ierem. 25. n. 15. &c. n. 51. n. 7. Thren. 4. n. 41. Ezec. 23. 31. &c.

Hieron. Matth. 26. Psalm. 22.

82. *Mors cur dicatur calix.*

Cur autem passio, & mors calix dicatur difficultas est. Et ratio mihi verisimilior videtur mortem sic dictam, quia amara potio fuerit Christo, sicque extiterit martyribus, licet tamen illis salutifera, breuique tempore, quemadmodum calix bibitur, & transit. Secundò, dicunt Maldonatus, Lucas Burgens. Cornel. & alij, mortem dici calicem, quia olim damnatis ad mortem solebat poculum veneno plenum porrigi, vti datum est Socrati ab Athenien sibus, sed hic mos non erat apud Iudæos, non enim solebant ipsi veneno aliquem vita priuare.

Maldonat. Burgens. Cornel.

83. Theophyl.

Tertiò, Theophylact. *Poculum*, ait, *suam mortem declarans, quod ipse suauiter accedat ad mortem, sicut qui poculum bibens, statim dormis grauatus.* Pro multa suauitate, quam Dominus in sua morte percepit, calici ipsa comparatur, qui enim calicem bibunt, suauiter delectati dormiunt, & requiescunt. Vide suprà c. 6. n. 36. c. 8. n. 55. c. 14. n. 111.

Theophyl.

84. Cornel. Maldon.

Quartò, Mald. Corn. & alij interpretes referūt aliam fuisse in Scriptura metaphoram calicis ex veteri deductā more, quo inter Iudæos Paterfamilias, aut quisquis in conuiuio honoratissimus erat, vinum pro suo arbitrio temperabat, & vnicuique conuiuæ alij plus, alij minus distribuebat. Itaque aliis melior, aliis peior portio contingebat. Petentibus ergo Apostolis primas regni sedes satis difficile examē proponit Christus, *potestis bibere calicē?* vt nempe ad alterius voluntatem se submittant, & componant, & non pro suo nutu, sed pro alterius voluntatis arbitrio portionē deteriorem, vel maiorem bibant, & gustent, & adeo est durum, & acerbum ab alieno nutu pendere, & alterius arbitrio regi, vt Dominicæ passioni assimiletur, sitque morum examen ad primas sedes in Christi regno obtinendas. Instruens nos Christus orare, docet nos vt dicamus; *Adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua*, Matth. 6. n. 9. Quid est, quod dum postulatur aduentus regni Dei, statim subditur, *fiat voluntas tua*? Hæc nempe petitio ad præcedentem spectat, pretio enim nostræ abnegatæ voluntatis Dei regnum mercatur, & renuntiata propria voluntate regni dilatatio comparatur. Vnde sub hac petitione, *fiat voluntas tua*, martyrium, imò sæpe repetitum martyrium auguratur. Clem. Alex. lib. 4. strom. c. 4. *Quicumque seruaueris mandata exequuntur, in vnaquaque actione sunt martyres.* Subiectio, ac conformitas ad Dei voluntatem martyres, creat, & generat. Vide suprà c. 25. n. 24. & 25.

Matth. 6. *Abnegata voluntas martyres facit.* Clem. Alex.

85. Lorin. Velasq. Psalm. 15.

Quintò, Ex Montano, Lorin. citandis, & P. Velasq. in c. 2. ad Philipp. v. 6. annot. 5. n. 8. Qui sic interpretantur hæc verba, *Potestis bibere calicem?* alludit ad antiquum morem, ad quem respicit Dauid Psalm. 15. n. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Solebant antiqui hæreditarium pactum epuli, atque poculi communicatione celebrare, sicque calicis participatione hæredem instituebant; cum ergo ait Christus: *potestis bibere calicem*, id est ac si dicat: Animaduertite non purè, sed sub conditione crucis, ac mortis ferendæ hæreditatem regni mei vobis esse deferendam communicatione nempe calicis passionis meæ, *quē ego bibiturus sum.* Ac proinde sub his verbis idem subest sensus, ac in illis verbis apud Luc. 22. n. 29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Vt sicut ego regnum per mortē obtineo, sic & vos habebitis.

Hæreditas Christi communione calicis transfertur. Luc. 22.

86. Rom. 8. *vt hæres particeps sit Christi hæreditate per crucem.*

Ait Paulus Rom. 8. n. 17. ad suos discipulos: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Magnāmē explicat dignitatem nos simul esse cum Christo hæredes constitutos. Tanta tamen dignitas nobis absolutè defertur? Minimè; sed sub certa conditione, ac lege, nempe; *Coheredes, si compatimur*: si cruci, ac morti Christi conformamur, vt cum ipso conglorificemur. D. Chrysost. ibi: *Non enim reliquit nobis hæreditatem purè, sed sub quadam conditione: quænam autem ea est? Qui non tollit crucem suam, & sequitur me, non potest meus esse discipulus.*

Chrysost.

87. Genes 17. *Christi hæreditas cum mortificatione pignus crucis.* Origen.

Ait Deus ad Abraham: *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*, Gen. 17. n. 13. Legit ibi Origenes: *Erit testamentum meum in carne vestra.* Sed quomodo Christi testamentum, quo nobis reliquit hæreditatem, vt æternæ felicitatis pignus erit in carne nostra? Respondet ipse Origen. *Quomodo erit testamentum Christi super carnem meam requiro? Si mortificauero membra mea, quæ sunt super terram, testamentum Christi habeo super carnem meam. Si semper mortem Christi in corpore meo circumferam, testamentum Christi est in corpore meo.*

Sextò

88. Basil. Seleuc.

Sextò Basilius Seleucus orat. 24. *Mater*, ait, *regnum postulauerat, obtentu facile arbitrata. Christus Dominus regni acquirendi modum docebat: thronus laborum fructus est, & munus rogationis: via est passio, labores pro religione suscepti, regnum merentur.*

Calix passionis via ad calum.

Mulier petierat regnum, nexu sanguinis, ac propinquitatis existimans facilè consequutura; Christus verò calicem suæ passionis porrigit, quid tamen habet calix cum regno? In calice ostendebatur via facillimè obtinendi regnum, ac illius sedes: *via est passio, labores pro religione suscepti regnum merentur.*

89. Cant. 5. Nyssen. Ambros. Pselius.

Anima sancta Christi amore vulnerata per ciuitatem vagans diligenter per vicos, & plateas ipsum quærebat; tandem in custodes ciuitatis incidit, de quibus sic ait: *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem: percusserunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum*, Cantic. 5. n. 7. Hos custodes esse Angelos sanctos animarum custodes docent D Gregor. Nyssenus, D. Ambrosius citandi tres Patres, Pselius, & alij: statim se obiicit grauis difficultas, quomodo fieri potest, vt Angeli cælestes animam sanctam Deum quærentem, à pallio suo expoliauerint, & insuper eam percusserint, ac vulnerauerint? Vt ostenderent ei viam, per quam ad Deum venire, ac accedere valebat: pallium, ac diuitias auferunt, corpúsque mortificatione premunt, vt hac via Deum inuenire, ac habere mereatur. D. Gregor. Nyssen. homil. 12. *Auferunt*, ait, *à custodibus pallium, vt pulchritudo desiderata videatur: percutitur anima, vt viuificetur*, D. Ambrosius lib. de Isaac. 6. *Angeli*, ait, *percusserunt eam, vt amplius probaretur: exercentur enim animæ tentationibus. Tulerunt ei pallium, quærentes, si verum decorem nudæ virtutis afferret.* Vt anima Deum habeat necesse est, vt terrena bona abiiciat, ieiunio macereturque, & caro cilicio affligatur, ac totum corpus verberibus cædatur, & multis tentationibus probetur? Vnde ait Gillibertus Abbas

Vt habeat Deum abiiciendæ terrena, & caro mortificanda. Nyssen.

Ambros.

Gillibert.

serm. 45. *Non est querela, sed gloria vox ista, qua dicit, percusserunt me, tulerunt pallium meum.* Vox est veluti gratificantis bona sibi illata.

QVÆSTIO XII.

Quare suis discipulis non solùm proponit Dominus calicem, sed etiam addidit, quem ego bibiturus sum?

90. D. Matth. D. Marc. Caiet.

DIVVS Matthæus scribit, quem ego bibiturus sum. At D. Marcus de præsenti, ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo.* Et etiam ad locum Matth. vt patet ex versionibus. Legit Caietanus de præsenti, *quem ego bibo*, vtrumque tamen in Christo verum est; ita enim bibiturus erat calicem, vt etiam iam veluti biberet, tamque acte passionis memoria menti eius erat infixa, vt semper pateretur. Vel Matthæus, ait: *Quē ego bibiturus sum*, respiciens ad futuram Christi mortem. Marcus, *quem bibo*; attendens ad illum dolorem, quem Dominus ex visa Ierosolyma, in qua locus destinatus passionis eius apparebat. Nam hæc dixit Christus, cum ascenderet Ierusalem. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur.* Et tam ditus carnifex est prospectus sedis imminentis interius, vt non minores doloris cruciatus, quam ipsemet interitus extorqueat. Vt docet Gueuara

Mortis considerata dura, ac ipsa mors.

Gueuara.

in cap. 1. Matth. tom. 1. vers. 11. obseruat. 3. n. 20. Quæstio præsens est, quare Christus addidit, *quem bibiturus sum.*

Respondet D. Chrysost. homil. 66. *Alliciens*, inquit, *quem ego bibiturus sum, vt communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur.* Valde signanter ait Dominus: *quem bibiturus sum*; vt ait sanctus Doctor; alliciens; nam calix passionis propositus, vt communis Dei filio, & nobis, maximè illa laborum communicatio nos allicit, prouocat, ac inducit, vt illum appetamus, ac cum multo gaudio ad illum curramus, ex considerata passione nostri ducis, nostra passio fit leuis, & leuis, *vt communicatione laborum promptiores redderentur.* Vnde ait S. Augustinus in manuali cap 22. *Nihil tam amarum ad mortem est, quod morte Christi non sanetur*, ex aspectu crucis Christi omnia acerba, ac dura, leuia, & facilia redduntur.

91. Chrysost.

Cruce Christi omnis labor noster emollitur.

August.

Tempore sacratissimæ passionis milites *plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius*, Matth. 27. num. 28. omnia ex alto Dei consilio, ac diuina permissione prouenichant. Ad quid capiit Christi spinis circumcingitur, ac vulneratur? In peccati pœnam dictum fuerat primo parenti. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*, Genes. 3. num. 18. scilicet terra. Ne ergo huiusmodi vepres grauiter nos lædant, & percutiant, Christus suo cerebro huiusmodi stimulos suscipit, ac recipit, vt ipsos aculeos emolliat, suaues, ac leues reddat. Tertullianus lib. de corona militis c. 14. *Abstulit*, ait, *virtus crucis omnes aculeos mortis, in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Christus suis spinis, leues, ac dulces hominibus reddidit cunctos tribulationum, ac dolorum aculeos. Quis enim aspiciens meum Iesum, flagris cæsum, clauis fixum, & cruce turpatum, morsus, ac dolores suæ crucis non strenuè, ac fortiter ferat? ex Dominique aspectu omnia mitescunt, ac leuia fiunt.

92. Matth. 27.

Gen. 3.

Tertull.

Omnem nostrum laborem Christi passio emollit.

Ait Christus Dominus suis discipulis: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit*, Ioan. 15. n. 18. Contra mundi odium, eúsque persecutiones armat Dominus suos discipulos. Quibus armis eos munit? *Scitote, quia me priorem odio habuit*: attento, ac considerato odio erga Christum animosè, ac leniter tolerandum est odium mundi erga nos prolatum. D. Paulinus epistol. 27. *O beata iniuria*, ait, *displiceri cum Christo; magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur.*

93. Ioan. 15

Ex considerato Christi labore, labor noster mitigatur.

D. Paulin.

QVÆSTIO XIII.

Quare mors Christi sub Baptismo significatur?

DIVVS Marcus cap. 10. num. 38. & omnia Græca exemplaria habent: *Aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari.* Arabicus habet: *Et tinctura, qua tingar, tingemini.* Hæc tinctura fuit sanguinis, qua Christus purpuratus est. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Isai. 63. num 8 D. Hieronymus sic introducit Angelos loquentes: *Nunc scire volumus, quare vestimenta tua sint velut musto tincta.*

94. Marc. 10. Arabicus.

Primò. Suam ergo passionem, quam priùs Dominus vocauerat calicem, nunc alia metaphora baptismum appellat, quia vt explicant Origenes, Chrysost. Theophylact. Beda, & alij. Christus in

95. Origen. Chrysost. Theophyl. Beda.

ſua paſſione ſub multitudine aquarum tribulationum, ac pœnarum totus immerſus, ac ſubmerſus eſt. Tropus eſt autem familiaris Dauid, per ſubmerſionem aquarum, abundantiam tribulationum, ac dolorum declarare. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*, Pſalm. 68. n. 3.

Pſalm 68.

96. Euthym. Secundò. Reſpondet Euthymius, ſic ait: *Poculum, & baptiſmum vocat eadem: poculum quidem, vtpote læto animo pro hominibus ſuſceptum: baptiſmum verò, tanquam purificationem ipſorum.* Dominus dicit ſuam mortem poculum, & baptiſmum; poculum propter ſuauitatem, & dulcedinem, quam guſtauit in ipſa, cum eſſet pro hominum ſalute; baptiſmum verò dicit, cum eſſet pro illorum purificatione, ac munditie.

Mors ſuauis Chriſto.

97. Imperfect. Tertiò. Imperfectus hom. 35. in Matth. *Baptiſmum*, ait, *eſt ipſa mors; dictum eſt autem baptiſmum ſecundùm ſimilitudinem lanæ tinctæ. Sicut enim lana intingitur naturalem habens colorem, vt coloretur purpura, aut alicuius accipiat dignitatem, ſic & nos in morte ſeminamur in ignobilitate, reſurgimus in gloria.* Mortem ſuam vocat Dominus baptiſmum, ſiue tincturam, vt legit Arabicus; ſicut enim tinctura, lanas, quas accipit rudes, contemptibiles, ac indignas aſpectu, eas reddit valdè conſpicuas, rutilas, ac multo ſplendore præclaras, magnóque pretio æſtimabiles: ſic cùm ante Chriſti mortem homines eſſent rudes, ac contemptibiles moribus, peccato, ac ſine vllo pretio, tamen Chriſti morte interueniente maximè homines ſplendore gratiæ, ac cœleſtium donorum ſunt nobilitati, maximéque æſtimabiles, vtpote pretioſo Chriſti ſanguine empti.

Morte Chriſti homines ſplendore gratiæ nobilitantur.

98. Chryſol. Quartò D. Petrus Chryſologus ſerm. de filiis Zebedæi, Mors Chriſti comparatur ſubmerſioni in aqua, ait: *Propter reſurrectionis facilitatem. Vt enim qui baptizantur, ex aqua multa cum facilitate aſcendunt, ab aquarum natura nihil impediti: ſic & ille cum in mortem deſcendiſſet, multa facilitate aſcendit.* Quod immerſum eſt aqua facillimè ab ipſa aqua extrahitur, natura aquarum non impediente, ſed potiùs adiuuante, ac impellente; ſic etiam qui Chriſti baptiſmo, ac aqua abluitur, hoc gratia ab illius fontibus regeneratur; ipſa cœleſtis aqua, ac diuina gratia eum facit ſalire, ac aſcendere in vitam æternam.

Regeneratus Chriſti gratia aſcendit in cœlum.

99. 4. Reg. 2. Cum ſubleuandus eſſet in cœlum Parens meus Elias, ipſe cum Eliſæo ad ripas Iordanis venerat: *Tulitque Elias pallium ſuum, & inuoluit illud, & percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in vtramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum.* Deinde ſequitur: *Cum pergerent incedentes, & ſermocinarentur: Ecce currus igneus, & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cœlum*, 4. Regum 2. n. 8.

Elias tranſitu Iordanis aptior ad cœlum.

At quid, vt Elias aſcendat in cœlum tanto miraculo, per aquas it Iordanis? Nunquid aquæ Iordanis aliquid contulerunt, vt raperetur in cœlum? Origines in c. 1. Ioan. *Aptior*, ait, *ad raptum factus eſt, poſtquam ablatus eſt Iordane.* Aquæ Iordanis Chriſti baptiſma præfigurabant, per quod cum Elias tranſit, ſtatim aptus fit, vt aſcendat, ac rapiatur in paradiſum.

Matth. 20. *num.* 18. Ait illis: Calicem meum bibetis: ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

VERSIONES.

Syriacus. Quibus ſubdit, calicem meum bibetis: & baptiſmate, quo ego baptizor, baptizabimini, vt ſedeatis.

Tertull. lib. de reſurr. c. 35. Aſſiſtere autem ad dexteram, vel ſiniſtram meam.

Vatabl. Euth. Sedere autem mihi à dextra, & ſiniſtra non eſt meum dare, ſed iis contingit, quibus eſt paratum à Patre meo.

Arabicus. Et tinctura mea tingemini, ſedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus ſplendidè præparauit eis Pater meus cœleſtis.

Marc. 10. *num.* 39. Ieſus autem ait eis: calicem quidem, quem ego bibo, biberis; & baptiſmo, quo ego baptizor, baptizabimini.

Sedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.

EXPOSITIO IV.

100. CALICEM *meum bibetis*, mortem, ac paſſionem aliqualiter meæ mortis, ac paſſioni ſimilem guſtabitis, vt explicant Carthuſianus, Albertus Magnus: *Donaui vobis victoriam paſſionis, & hæreditatem crucis*, vt ait D. Ambroſius lib. 5. de fide, cap. 2. Diuus Marcus, ac Græca exemplaria habent, *& baptiſmo, quo baptizor, baptizari*, quod iam eſt explicatum. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Sic reſpondet, ait D. Thomas ad petitionem gloriæ, quia ſi Dominus dixiſſet, dabo vobis, triſtati eſſent alij: ſi negaſſet, ipſi effecti eſſent triſtes; & ait, non eſt meum dare vobis poſtulantibus iure ſanguinis, propinquitatis, ac familiaritatis, vt explicant D. Ambroſius, & alij Patres infrà quæſt. 15. citandi, ſed *quibus paratum eſt à Patre meo.* Vt homo in omnibus ſe Patri ſubmittit, cui omnia ſua refert. Quibus præparata eſt à Patre meo. Interpretatur Euthymius, Petro, & Paulo nempe. D. Hilarius Moyſi, & Eliæ, qui in transfiguratione cum Chriſto apparuerunt. Strictiſſimè rem explicat Chryſoſtomus. Quibus, id eſt, nullis, quia nemo, ait, poteſt aſſurgere ad dexteram Chriſti, vtpote, quia ipſe ſolus ſedet ad dexteram Dei Patris. Huiuſmodi autem interpretationes ſunt multùm ſtrictæ. Generatim ergo accipiendum eſt, Chriſtus loquitur de prædeſtinatis, ac electis ad gloriam, quibus à Patre ſuo præparatæ ſunt cœleſtes ſedes.

100.

Carthuſ. Albertus.

Ambroſ. D. Marcus. Græca.

D. Thom.

Ambroſ.

Euthym. Hilar.

Chryſoſt.

QVÆSTIO XIV.

Quomodo Iacobus, & Ioannes calicem Domini biberint, quem, vt à se transiret, Dominus in Horto postulauit?

101. *Prompta obedientia.*

CVM Christus Dominus dixisset: *Calicem meum bibetis.* Non sunt discipuli tristati, nec conturbati, sed multa ac prompta obedientia colla submittunt, & multo magis exultant, ac lætantur, quam si postulata accepissent. D. Basil. in constit. Monast. cap. 23. *His auditis*, ait, *submissa mentis cervice obedientiæ iugum subierunt, alacrique animo in pericula, in contumelias, in cruces, in varias neces processere. Gaudebant enim, quod digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*

Basil.

102. *Iacobus, ac Ioannes calicem biberãt.* Abulens. Actor 12.

Ad quæstionem dicimus, quod ambo hi duo fratres Iacobus, & Ioannes, Calicem Domini biberunt, id est, pro eo passi sunt martyria, vt ait Abulens. quæst. 79. Ambo tamen vitam in martyrio non finierunt, sed solus Iacobus, qui occisus est ab Herode, Actor. 12. Ioannes verò quamuis propria morte obierit, dicitur tamen bibisse calicem, quia pro Christo in feruentis olei dolium missus est, & ita martyrio se exposuit, licet gladius persecutoris defuerit. D. Hieron. hic: *Si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit: statimque relegatus in Pathmos insulam sit: videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.* Idem etiam docent Beda, D. Paschas. lib. 9. in Matth.

Hieron.

Beda. Paschas.

103. *Ioannes amore quodammodo Martyr.*

Ioannes etiam singulare quoddam martyrium sustinuit, dum in monte Caluariæ cum B. Virgine Christo crucifixo astans, vidit suum Iesum, quem plusquam vitam suam amabat, acerbissimos crucis dolores per tres continuas horas sustinere; claui enim illi, ac lancea magis penetrabant, ac transfigebant animum eius, quam si ferrum pertransisset corpus eius. Vnde multi affirmant, quod illis visis tormentis, fuisset Ioannes mortuus, nisi Christus per miraculum ei vitam seruasset. Confirmatur, quia ob huiusmodi dolores in Christi passione Virgo sanctissima dicitur à Sanctis Patribus Martyr, & plusquam Martyr, vt dixi tom. 1. lib. 2. c. 6. q. 11. n. 47. Ergo etiam suo modo, ac similitudine quadam Ioannes ob suum intimum amorem in Christum potest quodammodo Martyr dici.

104. *Matth. 26. Calix à manu inimici recusatur, vt ab amico accipiatur.*

Ad calcem tamen huius quæstionis inquiro, cur Christus sic in præsenti bibendum calicem suum suis discipulis proponit, cum tamen in Horto, Patrem exorat, vt à se transeat: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, Matth. 26. num. 39. Perpende, quod calix à manu inimicorum recusatur: *Si possibile est, transeat a me.* E manu verò amici, ac magistri, prompto animo accipitur; inde dicunt: *Possumus.* Cum audisset Pater meus Elias, quod Iezabel mortem ei minabatur, timuit, & fugit in desertum, 3. Reg. 19 num. 3. *Timuit Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas.* Postea verò sedens sub vmbra iuniperi: *Petiit anima sua, vt moreretur*, ibidem n. 4. Sanctus Propheta è manu crudelis mulieris, ac infestissimæ mortem recusat, è manu verò omnipotentis Dei aperit, & prompto animo vult recipere. Rabbanus relatus in Glossa: *Timore percussus*, ait, *de manu mulieris mortem fugit, de manu Dei mortem petit.*

3. Reg. 19.

Rabban.

QVÆSTIO XV.

Quare Christus Dominus, cui Pater omnia dedit in manibus, ait tamen his Apostolis, Non est meum dare vobis?

105. *Chrysost. Theoph. Euthym.*

ILLAM particulam, *vobis*, non legunt Græcus, Syriacus, & Arabicus, nec illam ponunt Græci Auctores, Chrysostom. Theophyl. Euthym. Tamen Latini, Romani codices, ac Patres illam habent. Quæstio præsens est, quomodo Christus Dominus, ait: *Non est meum dare vobis*, cuiusnam Patris? *Omnia ei dedit Pater in manus*, Ioan. 13. num. 3. Ergo si genitor habet potestatem, vt faciat, habet & Gnatus, cum omnia, quæ sunt Patris, in manus filij dederit ipse Pater. Ad quæstionem.

Ioan. 13.

106. *Ambros.*

Respondet primò D. Ambros. lib. 5. de fide, c. 2. *Non dixit Dominus*, ait, *non est meum dare*, sed non est meum dare vobis, *non sibi potestatem deesse asserens, sed meritum creaturis.* D. Basil. Seleuc. orat. 24. *Non est meum*, ait, *dare: cur? Quia remuneratio accipientis meritum consequitur, non solam facultatem donis: thronus laborum præmium est, non ambitionis donum gratuitum; nudam postulationem datio consequitur; monstra meritum tuum, & meam inuere potestatem.* Postulabant fratres primas sedes nexu sanguinis, ac propinquitatis, Christus Dominus, qui omnium iudex erat constitutus, ait: *Non est meum dare vobis*, huiusmodi respectu, ac motiuo, sed meritorum interuentu, *monstra meritum tuum, & meam inuere potestatem.* Non enim desides, ac otiosi hic aliquid possunt habere, ac expectare, sed solum laborantes, ac operantes, *Thronus laborum præmium est.* D. Cæsar. Nazianzeni frater: *Non est nostrum*, ait, *dare temerè, ac depranare, quod iustum est. Iusti enim iudicis est, vnicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborantes, ac ignauis aliquid largiri. Proinde, si thronos amatis, nolite ignorare certamina.*

Basil. Sel.

Christus iudex non dat dignitates, nisi pro meritis.

Otiosi non possunt expectare.

D Cæsar.

Secundò. D. Hieron. *Non est*, ait, *acceptio personarum apud Deum, sed quicumque talem se præbuerit, vt regno cœlorum dignum fiat; hic accipiet, quod non persona, sed vita paratum est.* Quod etiam docent D. August. in Psalm. 126. & hic Euthym. & alij communiter. Iustus est enim Dominus, & non acceptor personarum, dat enim primam sedem, non pro affectu, sed pro meritis. Vnde eleganter ait D. Chrys. *His paratur primatus, qui per opera possunt fieri primi.*

107. *Hieron.*

August. Euthym. Deus non est personarum acceptor.

Chrysost.

Tertiò. D. August. loco proximè citato: *Non est meum*, ait, *dare vobis superbis. Primus humiliamini, qui iam vultis exaltari* D. Remigius: *Non est meum*, ait, *dare vobis, id est, superbis, quales vos estis, sed humilibus.* Idem habent Beda, & D. Paschas. Innocentius Tertius Summus Pontifex, lib. 2. de contempt. Mundi cap. 35. *Non est meum dare vobis, quasi diceret, meum quidem est dare: sed non vobis, id est, ambitiosis, quales vos estis.* D. Cyrillus Alexandr. lib. 10. Thesaur. cap. 5. *Inani gloria moti à dextris, & à sinistris meis sedere*

108. *August Remigius.*

Beda. Paschas. Innocent.

Cyrill.

concupiſcentiæ : id autem dare meum non eſt. Ab inani ergo Zebedæi filios gloria, improbáque ambitione detinet. Quid eſt, quod Chriſtus, in cuius manibus ſunt omnia poſita, ait, non eſt meum dare vobis? Vobis nempe, qui arrogantia, ambitione, ac inani gloria laboratis; vana enim gloria veram, ac æternam gloriam impedit, nemo enim poteſt peruenire ad gloriam, niſi verè humilis fiat, vanámque mundi gloriam abiiciat.

Inani gloria impeditur vera gloria.

109. Cyrill. Quartò. Idem Diuus Cyrillus proximè citato cap 5. *Poteſtatem non negat Dominus*, ait, *ſed diſpenſationem oſtendit, quomodo ipſe non poteſt dare, quibus velit, cum inueniatur omnibus diſcipulis id eſſe largitus? Amen dico vobis, ſedebitis & vos.* Expende illud, *Diſpenſationem oſtendit.* Antea Matthæi 19. promiſit Dominus ſuis Apoſtolis duodecim ſedes, nunc verò eas videtur denegare Iacobo, & Ioanni, dicens: *Non eſt meum dare vobis.* Sanè, non erat illius cœleſtia dona communicare, niſi omnibus, hæc enim eſt Dei conſuetudo, hic vſus cœleſtium bonorum, nulli in particulari, ſed communiter omni populo offerri, & dari. Vide in Indice verbum *Communicare.*

Matth. 19. *Dei dona non vni, ſed omnibus communicantur.*

110. Cyrill. *Honor deſtinatus ad omnes, non reſtringendus ad duos.* Quintò. Idem D. Cyrill. lib. 16. Theſaur. cap. 5. *Iuſtus ſum*, ait, *munerum declarator in certaminibus poſitis, ac ideo non petentibus ſimpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos ſolum honores traducere.* Cum Chriſtus ſit iuſtus munerum declarator, ac diſtributor, ait his duobus fratribus, *non eſt meum dare vobis.* Qui ſoli, & ſeparati eſſe vultis in donis; nec honores, qui ſunt deſtinati ad omnes debeo ad duos reſtringere, ac coarctare, hoc enim ſi fiat, in magnam certantibus cedet iniuriam.

111. Hieron. *Qui ſe exiſtimat excluſum, torpet animo.* Sextò. D Hièron. in præſenti: *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis. Sed ideo ſedentium in regno Cœlorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis, cæteri putarentur excluſi.* Bene ſciebat Chriſtus, quod Ioanni, ac Iacobo, vtpote prædeſtinatis primæ ſedes erant deſtinatæ à Deo Patre, tamen ait eis: *Non eſt meum dare vobis.* Nam ſi his duobus illas primas ſedes concederet, cæteri viderentur excluſi, & inde auiditas ad primatum primæ ſedis capiendæ torqueret, ipſa enim quædam æmulatio cum iactura meritorum ceſſaret. Septimò. Gloſſa: *Non eſt meum dare vobis*, ait, *quia Cœlorum regnum non eſt dantis, ſed accipientis, voluit dicere, non ſufficit dantis gratia, niſi acceſſerit collaborantis induſtria, & meritum.* Vide ſuprà cap. 13. n. 19. cap. 18. n. 144. cap. 10. num. 12. & 13.

Gloſſa.

112. Ambroſ. *Potius bono communi, quam propriæ vtilitati conſulit Dominus.* Octauò. D. Ambroſ. lib. 3. de fide, cap. 3. *Noluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegare Sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid diſſimulare de iure, quam de charitate deponere.* Ait Dominus: *Non eſt meum dare vobis*, poteſtatem in ſe denegat, facultatem tamen ad Patrem refert, *Sed quibus paratum eſt à Patre meo.* Quid dicis Domine? Bene, & apertè vides, quod ex hoc impius Arius occaſionem deſumet, vt tuæ poteſtatis iura diminuat, & te minorem eſſe Patre blaſphemo ore dicat? Clariſſimè hæc omnia intuebatur Chriſtus Dominus, tamen magis vult conſulere vtilitati, ac bono communi ſuæ Eccleſiæ, ne alij torpeſcerent, vt dictum eſt ex D. Hieron. Ad Ambroſium veniamus; Satius duxit Dominus aliquid apparenter ſuæ poteſtati ſubtrahere, quam ſuæ voluntati, ac ſuo amori quicquam derogare, ideo non dixit, nolo dare, ſed ait: Non eſt meum dare. *Qui mallet aliquid diſſimulare de iure, quam de charitate deponere.*

Poſtquam Iacob furatus eſt benedictionem à Parente ſuo Iſaac, venit primogenitus Eſaü, vt benedictionem obtineret; qui parens Iſaac aperuit, quomodo veniſſet germanus ſuus fraudulenter, & benedictionem abſtuliſſet, & addidit Iſaac: *Et tibi, poſt hæc, fili mi, vltra quid faciam?* Geneſ. 27. n. 37. Tunc Eſaü magno eiulatu, multiſque profuſis lachrymis deflet. Subdit textus: *Motus Iſaac, dixit ad eum: in pinguedine terræ, & in rore cœli erit benedictio tua*, ibidem, n. 39. Nonne modo dixit Iſaac ſe iam non habere benedictionem ad concedendum: *Et poſt hæc vltra quid faciam?* Vt communiter explicant interpretes. Quomodo modò largitur benedictionem? Poteſtas planè defecerat, inde ſe fatetur benedictionem non habere: *Poſt hæc vltra quid faciam?* At verò amor, quo filij lachrymas Pater non ſuſtinuit, aliquid negare non permittit, ſed ſupra id, quod poteſt, impendit, *cumque eiulatu magno fleret, motus Iſaac*, &c. Lyran. Abulenſ. explicant, *Motus pietate paterna.* Quod poteſtas inficiabatur, amor abundanter impendit. Vide ſuprà c. 22. n. 93. & cap. 24. n. 5. & n. 27. 28.

113. Geneſ. 27. *Poteſtas deficiens negat, amor impendit.* Lyranus. Abulenſ.

QVÆSTIO XVI.

Quare Chriſtus Dominus qui faciliter aliis multa dona conceſſerat, his tamen duobus fratribus petita denegat?

MVLTI petierunt à Chriſto Domino multa beneficia, oculos, manus, & pedes, & nulli eorum, dixit Dominus: *Non eſt meum dare vobis*, vt dictum legimus his duobus fratribus, ſed ſtatim ſine vlla mora dona petita conceſſit, vt Leproſo dicenti, *Domine ſi vis, poteſ me mundare.* Statim reſpondet Dominus: *Volo, mundare*, Matth. 8. n. 3. Et Paralytico ſanitatem offert Ieſus, dicens: *Vis ſanus eſſe?* Ioan. 5. 6. Cur ergo his ſuis diſcipulis poſtulata denegat?

114. *Ratio diſſentiens.* Matth. 8. Ioan. 5.

Reſpondet primò D. Baſil. Seleuc. orat. 24. *Si Leproſus*, ait, *curationem petit, virtutem execro, volo, mundare, ſi cæcus luminis orbitatem gemit: ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Quod ſi Thronum verò quis petat, & regiam poteſtatem quærat, & ſedere ad dexteram affectet, tunc quid poſſet, curioſè deſpicio: fuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco. Si verò reperero, quod iis condignum ſit, tunc eſt meum dare: vocat enim dantis poteſtatem, accipientis merita.* Et ſi alia dona temporalia manus, vel pedis, ſeu corporis ſanitatis dentur merè liberaliter, non ſic ſedes in regno cœlorum conceduntur, ſed ad illas neceſſaria eſt multa probatio, ac exhibitio operum, quibus ad illas fit aſcenſus, nec vnquam cuiquam dantur, niſi prius legitimè certauerit.

115. Baſil. Sel. *Temporalia gratis dantur, cœleſtia per merita.*

Secundò. D. Cæſarius Nazianz. frater Dial. 3. *Non eſt*, ait, *meum dare vobis, per illos reliquos caſtigans, & accenſum in ipſis abſurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis.* Negat Dominus poſtulata his diſcipulis, tanquam magnum ſupplicium illis infligens. Viro enim ingenuo nulla acerbior caſtigatio, quam repulſa in re deſiderata, ac petita.

116. Cæſar.

In vltima vitæ hora pendens meus Ieſus in cruce, *Dixit, Sitio*, Ioan. 19. num. 28. Quæ verba aliqui

117. Ioan. 19.

aliqui Patres, & Doctores explicant, quod amoris vi satiabat maiora tormenta pro salute humani generis. Nunquid possunt grauiores cruciatus inueniri, quam illi quos noster Redemptor in sua Passione sustinuit? De illis ait D. Thomas 3.p. quæst.46. art.6. In Christo fuisse dolorem corporis, & animi, & addidit: *Vterque dolor fuit maximus inter dolores præsentis vitæ.* Quæ ergo maiora tormenta, quam repulsam quandam sustinere? Vehementer Christo sitienti, & aquam postulanti ipsa denegatur, hæc ergo repulsa, valdè acerba, & dura inter sacratissimæ passionis tormenta.

D. Thom.

Repulsa in petitione grauia tormentum.

118. Actor. 8.

Chrysost.

Repulsa maximi contristat animum.

Postquam Philippus baptizauit Eunuchum illum, rapuit eum spiritus, *Et inuentus est in Azoto*, Actor. 8. num. 40. Cur tam subitò disparuit, & non concessum est, vt recenti Christiano Magister suus valdè diceret? D. Chrysost. homil. 19. *Vtiliter*, ait, *rapuit illum spiritus, alioquin rogasset illum Eunuchus, vt simul cum illo proficisceretur, quem ille, cum nondum tempus esset, venuens, ac negans contristasset.* Nam si Eunuchus vidisset Apostolum abeuntem, rogaret eum, vt ab illo non discederet, quod cum Apostolus raptus ab impulsu spiritus non concederet, Eunuchus repulsam sustinens magno dolore afficeretur, ne ergo illo vexaretur, rapitur Apostolus insalutato Eunucho. Vide suprà cap. 19.

Matth. 20. *num.* 25. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Num. 26. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis, quia principes Gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos?

VERSIONES.

Vatabl. 25. Cum audissent decem.

Imperfect. homil. 35. Contristati sunt de duobus fratribus.

Arabicus. Murmurauerunt contra duos fratres.

Græcus. Molestè tulerunt, grauiter offensi sunt.

Syriacus. Indignati sunt aduersus duos fratres.

Syriac. n. 26. Scitis Principes Gentium dominos earum esse: ac magnates earum potestatem exercere in eas?

Pagn. Vatabl. Scitis Principes Gentium dominari ipsis: & eos, qui magni sunt potestatem exercere in ipsas?

ALTER TEXTVS.

Marc. 10. *n.* 41. & 42. Ferè idem cum Matthæo.

EXPOSITIO V.

AVDIENTES decem. Abulensis existimat, quod aliquis audiuerit petitionem matris, eámque cæteris Apostolis narrauerit; sed valdè verisimile est, quod mater secreto postulauerit, ne filiis verecundiam, & cæteris inuidiam concitaret. Maldonatus, Lucas Burgens. aiunt, quod Mater priuatim cum filiis locuta fuerit Christo, sed Dominus ita respondit, vt cæteri audiuissent, quod diceret, & ex ipso responso petitionem intellexerunt. Dico tamen, quod cæteri Apostoli ex adoratione, gestu, ac modo loquendi matris cum filiis petitionem cognouerunt, & intellexerunt: præcipuè cum ipsi eadem cupiditate affecti essent, facilè cupiditatem duorum fratrum sunt odorati, & ægrè tulerunt, quod primas postulassent sedes; nondum enim sancti Spiritus igne corda eorum mundata, ac purificata erant, vt notarunt D. Chrysostom. Euthym. & alij.

119. Abulens. Maldonat. Luc. Burg. Chrysost. Euthym.

Iesus autem vocauit eos ad se. Docens quod eorum tacitas cogitationes cognouisset, ac audiuisset: *Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum.* Non prohibet Dominus his verbis ciuilem præfecturam, ac Ecclesiasticam potestatem in republica, sed prohibet talem dominationem, qualis erat inter Gentiles, qui potestate sua abutebantur, exercentes suam dominationem in subditos valdè impetiosè, ac magnificè, non vt subditorum commodo, sed vt suo honori, ac vtilitati consulerent, vt notarunt Estius, & Tirinus; *Et qui maiores sunt.* Inter eos reges, nempe, ac imperatores, est repetitio præcedentium, & explicatio scripturæ vsitata, vt aduertunt Sà, & Menochius. Ac si dicat Christus, vestra hæc ambitio, qua tali modo quisque primatum affectat, Gentilium ambitio est, quæ procul à vobis debet esse.

120. Estius. Tirinus. Sà. Menoch.

QVÆSTIO XVII.

Quare indignantur decem, non in matrem, sed in hos duos fratres?

RECTÈ notat D. Chrysostomus homil. 66. expendens illud: *Tunc indignati sunt.* Sic ait: *Tunc istud quando significat, quando scilicet illos duos corripuit. Ita donec Christi sententia præferri eos videbant, non indignabantur. Sed reuerentia Magistri, etiamsi secum mouerentur, atque dolerent, amabant, ac honorabant, nec indignationem suam palam facere audebant.* Tanto cultu decem discipuli suum Magistrum venerabantur, vt non dicantur indignati aduersus hos duos fratres petitores, nisi postquam agnouerunt, quod illi notati erant de ambitu à suo Magistro: *Nescitis quid petatis.* Tanta reuerentia cum discipuli colebant, vt quidquid Magister iuberet, & si his fratribus primatum daret, magna obedientia, ac silentio honorarent. *Reuerentia Magistri, & si secum mouerentur, atque dolerent, amabant, ac honorabant.*

121. Chrysost. *Boni discipuli conformes volutati Christi.*

Secundò. Postquam Christus Dominus reprehendit hos duos fratres. Tunc cæteri discipuli indignati referuntur, & cur non antea? Antequam hi

122. *In deiectos omnes insurgunt.*

hi duo fratres à Diuino Magistro essent reprehensi, ab ira, ac indignatione cæteri se cohibuerunt, at verò cum illos increpatos viderunt, statim indignatione contra eos insurgunt : valdè frequens hæc est hominum consuetudo, vt in eos infremant, quos repulsa, ac increpatione deiectos vident. Vide suprà cap. 53. n. 170. & 180.

123. Matth. 18. Luc. 22. *Propinquitas inter æquales, res dura.* Tertiò. Omnes discipuli mutuum primatum ambiebant, vt Matth. 18. num. 1 Luc. 22 n 24. Ac proinde ex quacumque coniectura suspiscabantur, aliquem esse eis præponendum, & inde indignabantur. Ideo post solutionem didrachmatis statim contenderunt, quis eorum videretur esse maior, citato cap. 18. Matth. 1. Valdè dura res inter pares velle principatum. Ideo Iacobus filium suum Ioseph reprehendit, ex eo quòd puer suum Principatum fratribus insinuasset. Philo lib. de Philo. Ioseph : *Increpauit eum Pater suus ; timens ne quid ille peccaret ? Nam expectare principatum inter domesticos, res abominanda est, me iudice.*

124. Caietan. Quartò. Caietan. *Vt carnales adhuc*, scilicet discipuli, ait, *non sunt compassi ignoranter petentibus : sed indignati sunt ægrè ferentes, quod illi duo voluerint omnibus præferri.* In hac expostulatione Iacobi, & Ioannis manifestantur duo, eorum ignorantia absque malitia ; deinde eorum affectus, quo primas sedes ambiunt, vt aliis præcellant, non tamen dolent decem de ignorantia duorum, sed de secundo, quod *voluerint omnibus præferri.* Primus, scilicet ignorantia, defectus fratrum erat ; secundus, alios respiciebat, quod illi duo eis præessent ; Ideo ergo decem dolent de hoc secundo, quod ad eos attinebat, illisque minus decens videbatur ; non verò de alieno crimine, quo alij maculabantur ! Inde subdit Caietanus : *Non insurgunt contra mulierem, quæ petit, sed contra filios ambientes primas sedes, quia non ægrè ferunt peccatum, aut ignorantiam, sed postponi.* In matre erat ignorantia, in filiis affectus aliis postponendi, & discipuli minus alienum scelus, quam proprium dedecus sentiebant, & ideo non in matrem, sed in discipulos indignantur, quia illi eis primiores esse volebant ; non de culpa, sed de primatu obtinendo dolent.

Quisque dolet, non de alieno defectu, sed de proprio incommodo. Caietan.

125. 3. Reg. 12. Cum Ieroboam thus adoleret super altare, venit Propheta de Iuda, qui clamauit contra altare, quod scissum est, prædixitque Sacerdotes excelsorum super illud esse occidendos, eorúmque ossa concremanda. Tunc rex diuinis monitionibus non paruit, sed intrepidus manus in Prophetam iniicere tentauit, quæ paralysi correpta exaruit, statimque rex à sua superbia detumuit, & ad humiles preces conuolauit. *Deprecare*, ait, *faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi*, 3. Reg. 13. num. 6. Cur non pro altari corruente, cur non pro Sacerdotibus, in quibus erant multi eius amici, consanguinei, & fortè etiam filij, quos concremandos audiebat, deprecatur, vel etiam pro suo sacrilegio ? Nihil de his agit, sed tantum externam manus atiditatem dolet, pro illiúsque salute rogat. Theodoretus quæst. 42. *Id*, ait, *quod accidit altari, eum non stupefecit : sed id, quod manui, valdè auxit : cùm autem esset valdè stultus, supplex rogauit Prophetam vt sibi peteret, non sceleris remissionem, sed manus curationem.* Non de malo culpæ, sed pœnæ dolebat. Theodor.

Matth. 20. *num* 26. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit vester Minister.

Num 27. Et qui voluerit inter vos primus esse erit vester seruus.

Num. 28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

VERSIONES.

Vatabl. n. 26. Non ita res habebit inter vos.

D. Chrysost. serm. 14. Qui vult esse Dominus, sit seruus.

D Hieronym. Euthym. Sed quisquis voluerit inter vos magnus fieri.

Syriacus. Inter vos maximus fieri.

Arabicus. Sit vobis minister, & seruus.

D. Greg. Nyss. Qui voluerit inter vos primus, & magnus esse, omnium erit postremus, & omnium seruus.

Theoph. n. 28. Sicut filius hominis non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret.

Græcus. Pretium redemptionis pro multis.

Alter Textus.

Marc. 10. Cohæret cum Matthæo.

EXPOSITIO VI.

126. *ON ita erit inter vos.* Vt inter Gentes primatum ambientes : *Sed quicumque voluerit*, vt vos vultis, *inter vos*, in hac vita nempe, *maior fieri*, seu vt alij legunt, magnus fieri, vt sit Prælatus, Princeps, & Episcopus, *erit Minister vester*, seu seruus, vt legit Arabicus, Arabicus. hoc est, oportet, vt se exhibeat ministrum, ac seruum vestrum, incumberéque debet potius saluti animæ vestræ, quam proprio honori, ac commodo. Præclarè aduertit hic D. Hieronym. Hieron. *Humilis*, ait, *Magister, & mitis, ne cupiditatis immodicæ duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat, & liuoris ; sed tale ponit exemplum, quo doceat eum maiorem esse, qui minor fuerit, qui omnium seruus sit.* Et meritò sanè liberalia ingenia citius emendantur, cum de bono faciendo docentur, quam cum de malo iam facto arguuntur.

127. *Et quicumque voluerit inter vos*, repetitio est, vt res altius, ac firmius menti imprimatur, & vt quanto quis maiori eminet dignitate, tanto magis se cognoscat, arctiori seruituti subiacere. *Primus esse*, Princeps, seu maior aliis esse, *erit vester seruus.* Hic aliquid maius exprimitur, quam superius. Plus est seruum esse, quam ministrum. Nam minister liber potest esse ; seruus verò totus domini seruituti addictus est ; ac proinde, qui Prælatus,

Prælatus, ac Episcopus est, totus addictus est bono, ac seruituti ouium. De hac seruitute ait
Chrysol. D.Chrysolog.serm.114. *Beata hæc seruitus, quæ dominationem generat sempiternam.*

118. *Sicut filius hominis.* Ego scilicet, ait, quem vos profitemini verum Filium Dei, ac regem totius vniuersi; & se ipsum proponit in exemplum, quo cuncti pastores, ac Episcopi informentur, ac in-
Chrysost. Paschas. Alb.Magn. structuantur, vt inquiunt Chrysostom. Paschas. Albert. Magn. quia non est discipulus super Magistrum. Modestiæ, ac humilitatis gratia de se ipso per tertiam personam loquitur. Non *venit* in hunc mundum homo factus, *ministrari*, ad hoc quod seruos haberet, qui ei famularentur, corporalibus, & humanis obsequiis ad instar sæcularium dominorum. *Sed ministrare*, hominibus, ac eorum saluti, & vtilitati inseruire, frequentérque etiam ipse corporali labore discipulis ministrauit? *Ego in medio vestri sum, sicut minister vester.* Et dare animam suam, id est, vitam suam
Græcus. *redemptionem pro multis*; pro redimendis hominibus. Græcus habet: *Pretium redemptionis.* Fuit enim Christi mors infinitum pretium nostræ redemptionis: *Pro multis.* Euthym. Theophyl. Albert.
Euthym. Theoph. Alb.Magn. D.Thom. Isai.53. Rom.5. Magn. D. Thomas interpretantur pro omnibus hominibus, quia hi non pauci fuerunt, sed multi. Sic dicitur Isai 53.n.12. *Ipse peccata multorum tulit.* Rom.5.num.19. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituuntur multi.* Vel potest hæc dictio interpretari de fructu passionis: Nam Christus mortuus est efficaciter pro multis, scilicet prædestinatis, ac electis, sufficienter verò pro
Hieron. Caietan. Iansen. Maldonat. omnibus. Ita D.Hieron. Caietan. Maldon. Barrad. Cornel. & alij.

CAPVT XXXVIII.

Cæcus apud Iericho.

*Luc.*18.*n.*35. Factum est autem cum appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans.

*Num.*36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

VERSIONES.

Vatablus. Euenit autem cum appropinquaret.

Arabicus. Cæcus quidam erat sedens extra viam.

Pagninus. Iuxta viam.

*Syriac.n.*37. Scisciatus est quisnam hic esset.

Alter Textvs.

*Matth.*20. *num.*29. Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa.

*Num.*30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Iesus transiret.

Marc. 10. *num.*46. Et veniunt Iericho, & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius, & plurima multitudo, filius Timæi Bartimæus, cæcus sedebat iuxta viam mendicans.

EXPOSITIO I.

1. HACTVM *est autem.* Post petitionem filiorum Zebedæi, quam prætermittit D.Lucas, & narrant Diuus Matthæus, & Marcus. Ex ciuitate ergo Ephrem sita iuxta Iordanem, per ciuitatem Iericho tendebat Iesus Ieroſolymam, ad crucem. Cum ergo appropinquaret Iericho, quæ lunæ defectus interpretatur: *Cæcus quidam,* cuius nomen exprimit D. Marcus, Bartimæus: D.Marcus *Cæcus quidam.* Vnus, & singularis, quia cum figuram peccatoris gereret, tamen agnouit ad Iesum clamare pro sua salute, quod singulare est: *Clamabat.* Hugo, terrenis amore inhians. Et verè cæcus, Hugo. quia in rebus humanis requiem, ac quietem optabat: *secus viam.* Beda, cæcus sedet secus viam, Beda. dum incipit credere in ipsum, qui dicit: *Ego sum via, veritas, & vita,* Ioan.14. Mendicans eleemosynam petens. *Mendicans.* Hugo. Pauperes dicuntur mendicantes, quasi manu dicentes; potius petebat manu, ac necessitate, quam voce, ac clamore. Ioan.14.

2. *Cum audiret turbam prætereuntem.* Quæ Christum sequebatur, ex qua quidam ibant, vt discipuli, vt docerentur: quidam vt mercenarij, vt sanarentur; quidam vt curiosi, vt noua miracula viderent; quidam vt maleuoli, vt obseruarent. *Interrogat quid hoc esset*; vt bonus discipulus scire cupiens.

Qvæstio I.

Vtrum eadem sit historia enarrata in tribus Euangelistis?

3. DIvvs Matthæus duos commemorat cæcos, D.Marcus, & D.Lucas vnum. Deinde *Ratio difficultatis.* D.Matthæus ait, quod egredientibus illis de Iericho miraculum fuerit factum. D. verò Lucas, quod Dominus cum appropinquaret Iericho. Inde diuersas esse historias dicunt. D.August. lib.2. Augusti. de consensu Euangel.cap.65. Iansenius, Barradas, Iansen. & alij. Barradas.

4. Quia tamen coniecturæ in vtraque historia *Eadem historia.* sunt valdè similes, ideo suadent vnam, & eandem esse historiam. Omnes Auctores hic accidisse dicunt in vltima profectione in Ierusalem. Cæcus, aut cæci constituuntur secus viam in Iericho. Omnes clamarunt eisdem verbis: *Iesu fili Dauid, miserere mei.* Omnes Euangelistæ narrant, cæcos impeditos fuisse à turba, ne clamassent, ab omnibúsque Christus quærit: *Quid vultis, vt faciam vobis?* In diuersis autem historiis, quod tot circunstantiæ adeo similes acciderint, valdè difficile est. Ideo eandem esse historiam docent D.Ambr. Ambros.

Luc.

Theoph. Carthuſ. D Thom. Maldonat. Luc. cap.18. Theophylactus, Dionyſius Carthuſianus, D.Thomas, Maldonatus, Lucas Burgenſis, Cornelius, & alij.

5. Ad concordiam Euangeliſtarum dicimus duos fuiſſe cæcos; vnum tamen fuiſſe in ciuitate Iericho valdè famoſum, & celebrem; idque ex hoc ſatis apparet, quòd nomen eius, & patris eius exprimit D.Marcus. Sic ait D. Auguſtinus citatus: *Bartimæus enim Timæi filius, natiſſima, & famoſiſſima miſeriæ fuit, qui non ſolùm cæcus; verum etiam mendicus ſedebat. Hinc eſt ergo, quod ipſum ſolùm voluit commemorare Marcus, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quam erat illis nota calamitas.* Quod verò D. Matthæus ait: *Egredientibus illis ex Iericho.* Lucas verò *cum appropinquaret.* Dicimus vnum, & eundem fuiſſe hunc cæcum, qui prius cum Dominus appropinquaret in vrbis ingreſſu, à Chriſto poſtulauit illuminari, cum vel à turba impeditus non audiretur, vel fortè Chriſtus diſſimulauerit eum audire, vt eius fides, ſpes, ac perſeuerantia exercitaretur. Altero verò die cum ſciret Dominus eſſe exiturum à ciuitate, ſtetit iuxta viam, & egrediente Domino ipſe ſimul cum alio cæco, poſtulauit ab eo, & ſimul obtinuit ſanitatem.

Auguſt. Soluitur difficultas.

Qvæstio II.

Quid ſignificet cæcus in via iuxta Iericho?

6. Origen. *Qui reſpuit mundum, ſanatur.* Origenes in Matth. ait, *per Iericho intelligitur mundus:* quia dum quis eſt extra Iericho, mundana reſpuens, promeretur videre Ieſum, illiúſque cœleſtibus donis frui. Origenes ſic pergit: *Mundum, & mundana omnia contemnentes, Chriſto duce aſcendunt in Ieruſalem cœleſtem.* Chriſtus enim per Iericho aſcendebat Ieruſalem, vt dixi in exordio expoſitionis.

7. Gregor. D. verò Gregorius homil.2.in Euang. ait: *Notandum verò eſt, quod cum Ieſus Iericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur.* Iericho quippe interpretatur Luna. Luna in ſacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia dum menſtruis momentis decreſcit, defectum noſtræ mortalitatis deſignat. *Dum igitur,* ait, *conditor noſter appropinquat Iericho, cæcus ad lumen redit: quia dum diuinitas defectum noſtræ carnis ſuſcepit, humanum genus lumen, quod amiſerat, recepit.* Aduerte quod Deus ſimul ad naturam humanam, ac noſtram humilitatem, & ſimul lumina venerunt. Ad genus humanum, cum Deus menti appropinquat, ſimul illam omni dono, ac cognitione veritatis exornat. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* Sapient. 9. num.4. Meritò ſapientiam veritatum indagatricem, vocat aſſiſtricem ſedium diuinarum; vbi enim diuinitas adeſt, ſtatim aſſiſtit veritatis reuelatio. Origenes in cap.8.Ioan. *Quandiu,* ait, *ſemina veritatis ſeruamus, nondum à nobis verbum diſceſſit.*

Ex Chriſti deſcenſu hominum illuminatio. Sapient. 9. Origen.

8. Ambroſ. Per duos cæcos Origenes, Diuus Ambroſius in cap.18 Luc. ſub finem: *Duos cæcos,* ait, *poſſumus dicere Iudam, & Iſrael, qui ante Chriſti aduentum cæci fuerunt, quia non videbant Verbum verum, quod erat in lege, & Prophetis.* D. Auguſtinus tract.10. de verbis Domini ſecundùm Matth. per duos cæcos accipit Iudæos, & Gentiles, vtrique enim ignorabant viam ſalutis. D. verò Chryſoſtomus ſtatim citandus accipit ſolos Gentiles; nam hi partim ex Cham; partim ex Iaphet prognati ſunt. Poſſumus etiam per hos duos cæcos accipere duplicem cæcitatem, affectus ſcilicet, & intellectus; cæcus enim affectus cæcum reddit intellectum, eúmque ob nimiam cupiditatem excæcat.

Auguſt. *Quid ſignificetur per cæcos?* Chryſoſt.

9. Gregor. Diuus Gregorius hom.2.in Euangel. *Cæcus,* ait, *eſt genus humanum, quod in parente primo à paradiſi gaudiis expulſum claritatem ſuperna lucis ignorans, damnationis ſuæ tenebras patitur: ſed tamen per Redemptoris ſui præſentiam illuminatur, vt interna lucis gaudia, iam per deſiderium videat, atque in via vitæ boni operis greſſum ponat.* Cæcus iſte præfigurat genus humanum, quod in primo parente à paradiſo expulſum, lucis ſupernæ claritatem perdidit, & cæcus effectus eſt, tamen per præſentiam diuini Verbi illuminatur, & internæ lucis gaudia recipit. *Genus humanum cæcum eſt.*

10. Chryſoſt. Diuus Chryſoſtomus homil.36. *Ideo autem,* ait, *cæci, quia nondum eis apparuerat vnigenita lex.* Secus viam, *id eſt, iuxta veritatem conuerſabantur; ſed veritatem inuenire non poterant, quia veritatis certior adhuc via demonſtrata non fuerat.* Cæcus hic mundum cæcum denotabat, ſine lumine diuinæ legis, *& ſedebat ſecus viam.* Non in via, ſed ſecus, ſeu prope, quia adhuc veritatem non inuenerat, adhuc via veritatis à Chriſto ei demonſtrata non fuerat; & quandiu Chriſtus non tranſit hominem quærens, & viam ei demonſtrans, cæcus eſt homo, & cæcus ſedet. Vnde ſic pergit Chryſoſtomus, premens illud: *Secus viam,* ſic ait: *Sicut qui in tenebris ambulat, ſi ſemel viam perdiderit, interdum tota nocte ambulat, iuxta viam errans, & non inuenit viam, donec ſuperueniat dies, ſic & homines in erroribus, vel peccatis, poſtquam Dei cognitionem ſemel perdiderunt, ad perfectam noctiam veritatis redire non poterant, niſi dies, ſcilicet Chriſtus veniſſet, quamuis circa veritatem viuebant.* *Non in via, ſed ſecus viâ ſedet.* *Solũ à Chriſto illuminatur homo.*

11. Pſalm 118. *A Chriſto illuminamur.* Ambroſ. *Errani ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuum,* Pſalm.118. num.176. Ac ſi dicat, Ego peccando erraui, quære me, quia niſi tu me quæſieris illuminando, ac ducendo; ego non poſſum te quærere. D.Ambroſius lib. de bono mortis, cap.vlt. *Sequimur te Domine Ieſu,* ait, *ſed vt ſequamur, acceſſi; quia ſine te nullus aſcendit; tu enim via es, veritas, vita, poſſibilitas, fides, præmium; ſuſcipe nos, quaſi via; confirma quaſi veritas, viuifica quaſi vita.*

12. Pſalm.38. Alia lectio. *Sine Chriſti ope ejus mortuum cadauer.* Nazianz. Loquens Regius Vates cum Deo, Pſalm.38. num.8. ait: *Et ſubſtantia mea apud te eſt.* Alij legunt. *Subſtantia mea à te eſt.* Quod de ſpiritualibus operationibus interpretatur Origenes: *Si habeo ſubſtantiam ſpiritualium diuitiarum, à Deo eſt.* Deus reſpectu bonarum actionum eſt tanquam vita, & ſubſtantia, ſine cuius ope, omne noſtrum opus eſt veluti tanquam cadauer, ac quoddam corpus emortuum. Optimè ad rem præſentem loquitur Nazianzenus orat. de ſe ipſo, quæ eſt ad finem: *Nam ſine ipſius,* ſcilicet Chriſti, *ope,* ait, *omnes nos inania ludibria ſumus, & vina, vt ita dicam, cadauera, ſceleribuſque fœtida: vt enim nec auis, ſine aere volat, nec Delphinus ſine aqua natat, ita nec homo ſine Chriſti adminiculo pedem è terra efferre poteſt.*

Luc.18.n.37. Dixerunt autem ei quod Ieſus Nazarenus tranſiret.

Num.38.

Num 38. Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid miserere mei.

VERSIONES.

Arabic.n. 37. Nuntiauerunt ei, quia Iesus Nazarenus veniret.

Vatablus. Cum retulissent ei.

Euthymius. Quod Iesus pertransiret.

Pagnin.n. 38. Et clamabat dicens.

ALTER TEXTVS.

Matth. 20. *num* 30. Et clamauerunt dicentes: Domine miserere nostri, fili Dauid.

Num. 31. Turba autem increpabat eos, vt tacerent.

Marc. 10. Qui cum audisset, quia Iesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Iesu fili Dauid miserere mei.

EXPOSITIO II.

23.

VOD Iesu Nazareno. Diligenter nunc quærit cæcus, qui est ille, qui transiret; odorem Iesus senserat. Hugo: Nazareus enim interpretatur floridus, & quasi plantatio rosæ in Iericho, *Eccles.* 24. *num.* 14. Pro quo eleganter D. Chrysostomus homil. 36. in Imperfect. *Sicut enim,* ait, *rosa antequam videatur, sentitur; & antequam inueniatur, tenetur in odoribus suis: sic & Dominum transeuntem de longè, duo cæci antequam viderent, diuinitatis eius fragrantiam senserunt.* Christus Dominus diuinum ex se inspirabat odorem, quo animæ excitabantur ad bonum, & confortabantur in omni iustitia. *Transiret*; cùm transit Dominus, facit hoc miraculum. Theophylactus in Luc. *Et ne incessus Domini esset inutilis, in via fecit cæci miraculum: hoc documentum discipulis dans, vt in omnibus simus proficui proximis? & nihil sit in nobis otiosum.*

Hugo. Eccles. 24. Chrysost. Christi odor sentitur. Theoph.

24. Chrysost. *Clamauit.* Inquit D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 36. de duobus cæcis, ait: *Quia pedibus eum sequi non poterant, voce tenebant dicentes Miserere nobis Domine.* Significat sanctus Pater, cæcos etiam fuisse claudos. *Et clamauit*, vt ait Carthusianus, magno affectu, ac desiderio sanitatis. *Iesu fili Dauid*, id est, ô vere Messia, quem Prophetæ ex semine Dauid nasciturum prædixerunt: Carthus. Ambros. *Miserere mei.* Eleganter D. Ambrosius: *Homo factus hominibus miserere.*

QVÆSTIO III.

Quare cæci clamantes vocant Christum Filium Dauidis?

25. PRIMA, & communis solutio est; quod dum eum filium Dauidis dicunt, verùm Messiam profitentur; satis enim vulgare erat in Scriptura, quod ex semine Dauid futurus erat Messias. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, Psal. 131. Ex quo rectè clamat Chrysosto- Psal. 131. Chrysost.

mus in Imperfecto homil. 36. *O acutissimus cæcitatis affectus. Puta quanti homines sani; & iuxta Iesum, qui via est, ambulantes, hominem illum putabant: & duo cæci longè sedentes Deum prospexerunt.* Secundò. Idem Chrysostomus: Filium Dauid vocat cæcus Dominum, prætereuntis turbæ laudem audiens, aut Prophetarum expectatione completa certificatus.

Tertiò. Tertullianus lib. 4. aduersus Marcion. cap. 36. Obiiciebat impius Marcion, Non bene cæcum Christum filium Dauid acclamasse pro sanitate obtinenda: *Nam si aliquando*, ait, *Dauidem in recuperatione Sionis offenderant cæci resistentes, quominus admitteretur: ideo Christus ex diuerso cæco subuenit, vt hinc se ostenderet non esse filium Dauid, & ex animi aduersitate bonus cæcis, quos ille iusserat cædi.* Respondet Tertullianus: *Atqui, & hoc filius Dauid, antithesim de suo retundendam. Nam, & qui Dauid offenderant, cæci: tunc verò eiusdem indecoris homo supplicem se obtulerat filio Dauid, idcirco ei satisfacienti quòdammodo placatus filius Dauid restituit lumina.* Rectè Tertullianus antithesim, ac vim argumenti retorquet in hæreticum. Cæci magno odio extiterunt aduersus Dauid. *Proposuerat enim Dauid in die illa præmium ei, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstuliisset cæcos, & claudos, odientes animam Dauid*, 2. Regum 5. num. 6. Cæci crudeliter persecuti sunt Dauid, *Cæcos audientes animum Dauid.* Inde ergo Christus, quia filius Dauid, tantum abest vt cæcos insequatur, ac confundat; sed quia cæci infesti fuerunt parenti eius, inde peculiariter moueatur ipse, vt cæcis benefaciat: *Dauid offenderant cæci, idcirco ei satisfacienti, filius Dauid restituit lumina.* Longissimè distat Iesus, vt pro malo malum reepndat, & vt generis sui inimicos insequatur, sed potius eos eximio amore prosequatur.

16. Tertull. *Inimicis maiorum nostrorum benefaciendum.* 2. Reg. 5.

Quartò. Idem Tertullianus citato loco: *Qui hoc*, ait, *se cognouit, & cognosci voluit ab omnibus, fidem hominis, etsi melius oculatam, etsi veri luminis competem, exteriore quoque visione donauit, & vt nos mercedem fidei nosceremus.* Clamat cæcus Iesum filium Dauid, ipsum verum Deum, ac filium hominis profitetur, quid inde consequens erat? nisi vt à Iesu postularet: *Miserere mei*, vt oculos eius illuminaret, est enim propria fidei merces, vt oculos habeat, vt superna, & alta mysteria penetret.

17. Tertull. *Fides merces superna videtur.*

Quintò. D. Augustinus in Psalm. 109. *Illi cæci*, ait, *ad viam sedebant, ibi transeuntem senserunt, & clamando tenuerunt. In via ergo sæculi huius hoc transitorium sui Dominus operatus est, & hoc transitorium pertinet ad filium Dauid; ideo illi Domino transeunti clamauerunt, miserere nostri fili Dauid, tanquam dicerent, filium Dauid transeuntem cognoscimus.* Dæmones sæpe clamarunt Iesum filium Dei; cur ergo à cæcis tanto nomine non sic vocatur, sed filius Dauid nuncupatur? An quia dæmones maiores excellentias de Christo publicari volebant, quàm cæci? Minimè. Sed *cum audissem cæci, quod Iesus transiret.* Ex transitu tamen excitantur ad prædicandam, ac cognoscendam hominis conditionem, est enim propria hominis conditio, vt non permaneat, sed semper sit in transitu. *Hoc transitorium pertinet ad filium Dauid.*

18. August. *Dei propria permanentia, creaturæ transitus.*

Nato Ioanne Baptista, in cuius ortu multa mirabilia contigerunt, quæ homines considerantes 19.

Luc.1. dicebant: *Quis putas puer iste erit?* Luc. 1.n. 66. At verò cum nauigantibus discipulis, eorum naucula magna vi ventorum opprimeretur; tunc Christi diuina potestate, cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna, quam homines videntes de Christo dicunt: *Quis putas iste est?* Marc.4. n.40. Cur de Christo loquuntur de præsenti, *est*, de Baptista verò de futuro, *erit?* In Christo Domino vt vero Deo omnia consistebant, & erant permanentia; at in Baptista, vt in creatura, nil permanens, sed cuncta in perpetuo sunt motu, & fluxu. D. Bonauent. in cap.1.Luc. *Rectè de Christo dicebant*, ait, *iste est, tanquam de creatore, cuius est manere; de Ioanne verò dicebant, erit, tanquam de præcursore, cuius erat pertransire.* Vide multa in Indice, *Bona temporalia.*

Marc.4.

Creatura in fluxu; Deus verò in permanentia. Bonauent.

Luc. 18.*n.*39. Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret, ipse verò multo magis clamabat: fili Dauid miserere mei.

Num. 40. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se; & cum appropinquasset, interrogauit illum.

VERSIONES.

Syriacus. Ij autem, qui iter faciebant ante ipsum Iesum, obiurgabant eum, vt taceret.

Arabicus. Ipse verò multò magis addebat clamorem.

*Syriac.n.*40. Substitit Iesus.

Arabicus. Iussit eum accedere ad se, cúmque appropinquasset ad eum.

ALTER TEXTVS.

*Marc.*10. Et comminabantur ei multi, vt taceret: *Num.*48. at ille multo magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.

*Num.*49. Et stans Iesus præcipit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: animæ quior esto: surge, vocat te.

*Num.*50. Qui proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum.

EXPOSITIO III.

20. VERBA autem, quæ præcedebat *increpabant eum.* Seu, vt habet Diuus Marcus, *comminabatur ei.* Instanter, ac vehementer obiurgabat eum, *vt taceret.* Ne suo clamore importuno impediret, ac turbaret iter Iesus; *at ille magis clamabat*, non solùm de sua contentione aliquid non remittebat, sed vehementius clamabat, vt à Christo exaudiretur, ne diuinus Medicus præterlaberetur, & tanta occasio salutis præteriret. *Fili Dauid, miserere mei.* Non ingeminat nomen Iesus, sed nomen filij Dauid, per Virginem nempe Mariam, cuius filium sub illa stirpe nuncupat, de cuius patrocinio, ac subsidiò multum confidebat, vt salutem, ac sanitatem haberet.

D. Marc.

Occasio salutis non omittenda.

Ex patrociniis Virginis salus petenda.

Stans autem Iesus. Cæci voce, ac ardore commotus, non spernit miseros homunciones, ac pauperes, sed stetit eius aduentum expectans. Origenes in Matth. *Iesus*, ait, *non pertransit, sed stat, vt stante eo non transfluat beneficium, sed quasi de fonte stante misericordia destinat vsque ad nos.* D. Hieronymus etiam in Matth. *Ideo stetit Iesus*, ait, *quia cæci, quo pergerent, ignorabant, multa fouea erant in Iericho ideo Dominus stat, vt venire possint.* Postquã stetit Dominus, *iussit illum ãdduci ad se*, nempe ministerio aliorum; non enim homo potest venire ad Christum, nisi Christus eum ad se adducat. Addit Marcus, dicunt ei: *anima quior esto*; bono, & fidenti animo esto; planum erat, cui Christus tantum donum concesserat, vt ad se vocaret, beneficiis perficeret, ac cumularet. *Qui proiecto vestimento suo exiliens venit ad eum.* Excussit pallium ab humeris, ne aliquod fieret impedimentum, quo agilius veniret ad Iesum. Venit exiliens, surrexit nempe multa alacritate. Tropologicè D. Hieronymus: *Exilire*, ait, *nudus veteri homine dicitur, vt hinnulus saliens super colles*, Cant.2. *Exiliens super montes, segnitiem deponens, Patriarchas, Prophetas, & Apostolos in altis considerans ad superna se extendit.* Proiicit vestimentum, ac terrena, vt celerius veniat ad Iesum, ac ascendere valeat ad superna Dei beneficia.

21.

Origenes.

Hieron.

Hieron. Cant.2.

QVÆSTIO IV.

Quare turba increpabat cæcos istos, vt tacerent?

PRIMO respondet ad quæstionem D. Chrysostomus in Imperfecto homil.36. *Videbant*, ait, *sordidas vestes, & non considerabant conscientiæ claritatem; indignum eis videbatur, vt tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum! Existimabant iniuriam pati magnos viros, si à pauperibus honorarentur.* Idem habent Euthymius, Theopylactus, D. Thomas. Increpabant turbæ cæcos, quod Christum honorarent, ne homines viles iter Christi impedirent. Et quia indignum iudicabant, homines inopes, & abiectos Christi laudes proclamare, cum ipsóque velle loqui, ac habere sermonem, ex se ipsis enim alios diiudicabant, pauperes ac humiles contemnentes, eorum consortia respuentes. Vide suprà c.14.n.18.& 19. n.19.n.94 95.96.

22. Chrysost.

Euthym. Theoph. D.Thom.

Iniuriosum magno viro à paupere honorari.

Secundò. D. Hilarius: *Silentium, non causa boneris exigunt, sed quod acerbè à cæcis audiunt, quod ipsi negabant, scilicet Dominum esse filium Dei, ac Dauidis.* Vulgare erat in Scriptura filium Dauidis esse Messiam. *Osanna filio Dauid.* Cùm autem isti essent infideles, & Christi æmuli, displicebat eis ista confessio, qua Christus publicabatur verus Messias, ac Deus. Tertiò. E contra Origenes in Matth. ait, quod cum multi essent fideles credentes in Christum; indignati sunt audientes istam paruam laudem; volebant enim ipsum vocari non filium Dauid quasi hominem, sed filium Dei.

23. Hilar.

Origen.

Quartò

24. Abulenſ. *Homines ſolli de ſe curant, non de aliis.*

Quartò. Aliqui, quos tacito nomine refert Abulenſ. q. 114. dicunt, quia Chriſtus per viam docebat turbas; turbæ autem impediebantur audire clamantibus cæcis, vel quia fortè credebant, quòd ſi Chriſtus audiret eos clamantes, vt exaudiret eorum petitionem interrumperent verbum doctrinæ, vt illis condeſcenderet, moleſtum autem eis erat, quod in hoc impedirentur; vnuſquiſque tantum de ſe agit, & minimè aliorum vtilitati, ac miſeriæ conſulit.

25. Beda. Gloſſa. Hugo. *Qui præcedunt, increpãt pauperes.*

Quintò. Beda, Gloſſa Ordinaria: Qui Ieſum venientem præcunt, ſignificant tumultus carnalium deſideriorum, qui diſſipant cogitationes hominis, & perturbant vocem orationis, ne Ieſus veniat ad illuminandum cor hominis, & ad exaudiendas noſtras preces. Hugo Cardinalis: Præcuntes pauperem increpantes ſunt mundi ſapientes, & collaterales Magnatum, qui pauperes fugant: & prohibent, ne ante dominos ſuos appareant, vel aliquid ab eis petant.

26. Auguſt.

Septimò. D. Auguſtinus ſerm. 18. de verbis Domini: *Bonos Chriſtianos*, ait, *nolentes facere præcepta Dei, Chriſtiani mali, & tepidi prohibent: clamant tamen illi non deficientes. Cum enim quiſque Chriſtianus cæperit bene viuere, mundúmque contemnere; in qua ſui nouitate patitur reprehenſores frigidos Chriſtianos; ſed ſi perſeuerauerint ipſi, iam obſequuntur quod antea prohibebant.* Cum cæcus clamat: *Miſerere mei*, incipiebat iam toto corde conuerti ad Deum, eiúſque veram fidem profiteri, Ieſúmque verum Deum proclamare, ſtatímque turbæ, ſeu impij homines, in eum inſurgunt, ipſum increpãt, ac tanquam grauis criminis reum obiurgant. Vnde ait Paulus 2. ad Timoth. 3. num. 12. *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Cùm homo ſe ad Deum conuertit, ſtatim mundi contradictiones patitur, ac ſuſtinet.

* *Incipientes vili virtutis contradictionem patiuntur.*

2. Tim. 3.

27. Num. 33.

De filiis Iſraël dicitur Num. 33. n. 10. *Profecti de mari rubro caſtrametati ſunt in deſerto Sin.* Quid eſt, quod populus egreſſus de mari rubro ſtatim venit in Sin? *Sin*, iuxta D. Hieron. duplicem habet ſignificationem, ſignificat enim rubrum, & odium; cùm enim quis egreditur è mari, nempe è mundo hoc, ac incipit incedere ad Sina, ad viſionem nempe Dei, ſtatim ac primis greſſibus venit in Sin, in odia, contrarietates, ac aduerſitates huius mundi. D. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam: *Sin autem interpretatur*, ait, *rubus, vel odium, quod poſtquam venerimus ad eum locum, de quo nobis Dominus locuturus, grande odium mereamur inimici.*

Qui ingreditur viã virtutis habet odia extra ſe. Hieron.

28. Geneſ. 4.

Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino, Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit: iratúſque Cain vehementer, &c. Geneſ. 4. n. 3. Maximè ponderandum, quod magno fraternitatis fœdere incedebant Cain, & Abel, nullúmque diſcordiæ ſignũ inter eos extitiſſe inuenitur. At verò vbi primum virtus Abel, eiúſque eximia charitas in Deum manifeſtatur, *offertque ipſe de primogenitis gregis ſui.* Placénſque ex munere Deo declaratur; ecce ſtatim odia iræ fratris contra eum inſurgunt, inſidiæque mortis illis machinantur, vitáque tandem priuatur. D. Chryſoſtomus lib. 2. de Prouidentia: *Abel*, ait, *quidem quandiu nullum excellens virtutis ſuæ documentum dedit agnoſcebat illum frater, vbi verò ex ſacrificio placuit, clariúſque meritis eluxit, tum iam naturam quoque ipſam ille ignorauit.*

Cùm virtus declaratur, odia excitantur.

QVÆSTIO V.

Quare Chriſtus interrogat cæcos, quid velint?

29. Abulenſi. Matth. 9.

QVÆRIT Abulenſis quæſt. 119. Quare ab hoc cæco, ſeu duobus cæcis non quærit Chriſtus aliquid de eorum fide, vt de aliis duobus. Matth. 9. num. 28. *Creditis quia hoc poſſum facere?* Reſpondet ipſe, quod in his duobus Matth. 9. erat aliquid dubietatis circa poteſtatem Chriſti, & ideò quouſque planè crederent, noluit eos ſanare; & ideo eis dixit, *ſecundum fidem veſtram fiet vobis.* At huic præſenti cæco non oportuit petere fidem, quæ magna erat, eámque Chriſtus laudauit. Sic ei dixit Chriſtus: *Vade, fides tua te ſaluum fecit*, Marc. 10. num. 52. Marc. 10.

30. Chryſoſt.

Ad quæſtionem reſpondet primò D. Chryſoſtomus homil. 67. *Cuius autem rei gratia*, ait, *eos interrogat? Ne quis ſcilicet putet, aliud illos petiuiſſe, & aliud ipſum præbuiſſe. Deinde vbique ſolicitum ſcimus virtutem, & fidem petentium obductam prius reuelare, & tunc demum eos curare, tum vt ad imitationem alios concitet; tum vt curationis dono dignos fuiſſe demonſtret.* Tres rationes exprimit ſanctus Doctor. Primò cæci petiuerunt in genere, *miſerere nobis*, vt ergo appareat, quod ipſe eis concedit, id quod illi petendo intendebant, ideo ab eis quærit, *quid vultis?* Secundò eorum fidem, & virtutem occultam vult manifeſtare, viſa eorum inſtantia, & perſeuerantia, *vt illi magis clamabant*, vt in tanto beneficio condigni viderentur. Tertiò, vt eorum virtus alios ad ſimilia concitaret.

Condignitas ad beneficia declaratur.

31. Hieron.

Quartò. D. Hieronymus in cap. 20. Matth. *Interrogat quaſi ignorans, quid velint, vt ex reſponſione cæcorum, manifeſta debilitas pateat, & virtus ex medio cognoſcitur.* Bene ſciebat Dominus quid cæci volebant, tamen calumniatores veritatis Iudæi poterant dicere vt de cæco nato, *Non eſt hic, ſed ſimilis eius*, voluit vt cæcus proprio ore oſtenderet defectum naturæ, vt manifeſta fieret diuinæ gratiæ maieſtas.

Cum inimici cauti agendum.

32. Interlin. Hugo.

Quintò. Gloſſa Interlin. *Non ignorat*, ait, *ſed vult audire confeſſionem, qui nouerat intentionem.* Vt interrogando excitet vehemens ſanitatis deſiderium, & poſtulationem. Hugo: *Non quærit*, ait, *ex ignorantia, ſed ideo vt rogetur, & mentem ad orationem excitet.* Deus tam liberalis eſt, ad ſua dona in nos diffundenda, vt nos maximè ad petendum prouocet.

Deus nos prouocat ad petendum.

33. Geneſ. 2.

Poſtquam à Deo creatus eſt Adamus, ab ipſo omnium opifice adducuntur ei animantia terræ vt ab eo nomen acciperent. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea*, Geneſ. 2. num. 19. Cur hæc animantia adducuntur modò ad Adamum? præcipuè cum nondum Eua eſſet producta, quæ maximè dominio totor animalium gauderet. Quia mulier nondum erat formata, ideo ad Adamum adducuntur animantia, quia cum primus homo attentè conſideraſſet in ſingulis ſpeciebus maſculum, & fœminam ad conſeruationem ſuæ ſpeciei, inde ipſe excitaretur ad ſimile beneficium à Deo petendum, vt & ſibi concederet adiutricem mulierem

lierem ad conseruationem speciei humanæ necessariam. Ambrosius Catharin. ibi: *Vt futuræ mulieris* Ambr. Cath. *Deus hominē prouocat, vt ab eo beneficia petat.* ait, *creationem ardentius expeteret, eámque à Deo religiosa quadam supplicatione instantius postularet.* Solus degebat homo, & de adiutrice sibi exposcenda à Deo non curabat; adducuntur ergo ei animantia, vt cernens in vnaquaque specie masculum, & fœminam pro illius consistentia, inde ipse prouocaretur, vt simile donum pro conseruanda specie humana à Deo exposceret.

Luc. 18. *n.* 41. Dicens: quid faciam: At ille dixit: Domine vt videam.

Num. 42. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit.

Num. 43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

VERSIONES.

Syriacus n. 41. Domine mi vt videam.
Arabicus. Vt aperiantur oculi mei.
Vat. abl. Euth. num. 42. Recipito visum, fides tua te saluum reddidit.
Arias. Fides tua te seruauit.
Syriac. n. 43. Et momento vidit, ac veniebat post eum, & glorificabat Deum. Totúsq; populus cum hoc vidisset, tribuebat laudem Deo.

ALTER TEXTVS.

Matth. 20. *num.* 33. Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum, & confestim viderunt, & secuti sunt eum.

Marc. 10. *num.* 51. Cæcus autem dixit ei: Rabboni vt videam.

Num. 52. Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit, & confestim vidit, & sequebatur in via.

EXPOSITIO IV.

34. DOMINE *vt videam.* Breuis oratio, & multa fide plena, & quamuis pauperes essent, & multis indigerent, tamen hoc postulant, quod eis maximè necessariū erat. Vt notauit Diuus Ephrem de Panopolla spirituali: *Nunquid,* ait, *dixerunt, da nobis vestimentum, quoniam pauperes sumus? Minimè verò, sed illud postulauerunt potius,* D. Ephrem. *id, quod rūmè necessarium, à Deo petendum. quod magis vrgebat. Quapropter, mi frater, quod vrget magis, quæque in omni tempore tibi magis necessaria, sunt, ea à Deo postula.* Postulet ergo homo à Deo, id quod summè ei est necessarium, vt videat turpitudinem peccati, pulchritudinem virtutis, & paradisi felicitatem.

Misertus autem Iesus. Ait Matthæus. D. Hieronymus: *Considerans Iesus promptam voluntatem completione desiderij remunerat. Vnde aliàs dicit, omne quodcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Ait D. Matthæus: *Tetigit oculos eorum. Viuifica, ac operatrice manu sua.* Theophylactus: Vt discerneremus omnia ipsius membra, *Dei esse membra.* Ait illi Iesus: *Respice.* Iuxta Lucam; hoc est, vide. Respicere propriè est videre ea, quæ retrò sunt, vt consideret homo præteritum statum, à quo est egressus, vt inde gratitudinem habeat erga Deum. *Fides tua te saluum fecit,* explicat Dominus meritum hominis ex fide. 35. Hieron. Theophyl.

Et confestim vidit. Syriacus, *eo momento.* Natura paulatim, Deus verò instanti producit opus. *Confestim vidit:* absque vlla mora, vnde tanta celeritas in beneficio assequendo? præmiserat homo orationem; *Miserere mei.* Et vbi oratio plena fide interuenit, absque cunctatione cuncta impetrat, & obtinet. *Et sequebatur illum.* D. Chrysostomus in Matth. de duobus cæcis, ait: *Sicut ante dationem fuerunt perseuerantes, ita & post donationem non fuerunt ingrati.* Et prō magno dono gratitudinis obtulerunt Christo sequi eum. 16. Syriacus. *Oratio fidei impetrat.* Chrysost.

CAPVT XXXIX.

Zachæus Christum excipit in domo sua.

Luc. 19. *n.* 1. Et ingressus perambulabat Iericho.

Num. 2. Et ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.

VERSIONES.

Arias n. 1. Pertransibat Iesus per Iericho.
Græcus. Ibat Iesus per Iericho.
Syriacus n. 2. Vir quidam nomine Zachæus diues erat, & magister publicanorum.
Pagninus. Qui vocabatur Zachæus.
Theophylact. Princeps erat publicanorum, & idem erat diues.

EXPOSITIO I.

ET ingressus perambulabat. Pergit Euangelista narrans iter Christi, & superiori c. 18. n. 35, scribit quomodo prope Iericho cæcum illuminauerit; *Factum est autem* 1. *Chronic tempus.* *cū appropinquaret,* &c. Ingreditur Christus Iericho, quæ ciuitas destructa fuit à Iosuë, c. 6. reædificata sub Achab rege Israël, 3. Reg. 16. n. 34. Iericho autē, vt scribit Pagnin. lib. de interpretat. Nominum Hebraic. interpretatur Luna, 3. Reg. 16. Pagninus.

ac

ac proinde significat defectum mundialium, vel etiam significat odorem eius. Nam Iericho hodore balsami valdè inclita fuit, vt testatur Iosephus lib. 4. Antiquit. c. 5. distabat verò à Ierusalem, vt idem Auctor testatur lib. 5. de bello, cap. 4. Centum quinquaginta stadiis. *Perambulabat Iesus*, hoc est, pertransibat ambulando. Græcus habet transibat. Cùm ergo Iericho significet Lunam, seu mundialia, pertransibat Iesus. Carthusianus: *Docens terrena esse pertranseunda, non enim in eis immorandum est per immoderatum affectum, sed tantum summo, & incommutabili bono debemus adhærere.*

Ioseph. Græcus. Carthus.

2. *Ecce*, rem grandem, & notabilem denotat. Magnum peccatorem dicit, quem Christus quærebat, vt sanaret, ac iustificaret. *Vir nomine Zacheus*; à tribus describitur homo ab Euangelista; à nomine, ab officio, ac possessione. A nomine, *Zacheus*, vt signum suæ sanctificationis, ac iustificationis. Nam Zachæus idem valet, ac purus, mundus, & iustus. Ab officio, *Princeps publicanorum*. Non solùm erat publicanus, sed etiam Princeps publicanorum, qui sub se plures habebat publicanos, ac exactores vectigalium, quæ Romanis, ac Tiberio inuiti Iudæi exoluebant, ac proinde huiusmodi exactores publicani nuncupabantur, & erant valdè execrabiles apud Iudæos. Tertiò à possessione, scilicet diuitiis, *& ipse dines*, vt ait D. Bonauent. innuitur causa, cur dicatur Princeps publicanorum, quia ipse dines erat, non enim huiusmodi Principes eliguntur, nisi multum diuites. His denotatur magna eius difficultas ad conuersionem; tamen gratia Christi ipse suauiter vocatus est, & introiuit per portam salutis.

Quid significet Zacheus. Bonauent.

QVÆSTIO I.

Quisnam esset Zachæus in Iericho, per quam Christus ambulat?

3. ZACHÆVS, vt iam dixi ex radice Hebraica, idem valet, ac mundus, & purus. Dubitatur tamen, an fuerit Ethnicus, vel Iudæus. Ethnicum fuisse putant Tertullianus l. 4. contra Marc. c. 37. D. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, idem docent hoc cap. 19. Luc. D. Ambrosius, & tom. 2. D. Chrysostomus, Auctor homil. de Zachæo, & D. Chrysologus serm. 54. vbi ait: *Zacheum Abraha adoptatur in filium.* Iudæum verò fuisse docent Euthymius, Lyranus, Caietanus, Carthusianus, Hugo, Montanus, Maldonatus, Barradas, & alij. Hæc sententia est mihi probabilior, & nititur in proprietate verborum Christi, qui ait: *Eo quod ipse filius sit Abrahæ*; si ipse non fuisset Iudæus, coram simplici plebe, hoc de eo Christus non dixisset. Deinde quia maligni Iudæi obmurmurantes contra Christum dixerunt, quod ad hominem peccatorem diuertisset, si autem ipse fuisset Ethnicus, dixissent, quod ad hominem Ethnicum diuertisset, murmurationem exaggerantes, grauius erat agere cum Ethnico, quam cum Iudæo.

Tertull. Cyprian. Ambrof. Chryſoſt. Chryſol. Euthym. Lyranus. Caietan. Carthuſ. Hugo. Maldonat. Barradas.

4. In ciuitate Iericho erat Zachæus Princeps publicanorum, seu præfectus eorum, qui tributa exigebant à Iudæis, vt dixi in expositione. Hunc Christus ad viam salutis conuertit, in quo maximè resplendet eius diuina gratia. Theophylactus: *Vide*, ait, *quomodo non solum publicanos discipulos fecit, sed & Zachæum Principem publicanorum captiuum ad salutem recipit. Quod publicanus quidem, res abominabilis: Princeps autem publicanorum multo magis, vtpote in malitia Princeps.* Vnde ait Diuus Ambrosius: *Quis desperet de se, quando iste peruenit ad gratiam, cuius census ex fraude.*

Theoph. *Nullus desperet de salute.* Ambroſ.

Sic eum diuina gratia expoliuit, vt à Christo conuersus fuerit, & post eius mortem, ac Ascensionem, discipulus extitit B. Petri, & ab eo ordinatus fuit Cæsareæ Palestinæ Episcopus, vt refert D. Clemens lib. 1. & 3. Recognitionum. 5. D. Clem.

Adnotat tamen Euangelista, de eo in præsenti, quod dines erat, *& ipse dines*. Nam sicut ex præsagio dicitur Zachæus, hoc est purus, seu vt interpretatur Beda, *iustificatus*. Sic etiam ex præsagio, dicitur *dines*, Christum enim hospitio erat excepturus; sic & Ioseph ab Arimathia à D. Matthæo 27. n. 57. dicitur, *homo dines*, vtpote magnis diuitiis plenus, vel dicitur etiam dines, qui Christo totam suam domum dedicauit, ac consecrauit; ex qua dedicatione cuncta bona in eum diffluxerunt, ac emanarunt; cùm enim quis Ecclesiam consecrat, & ædificat, sibi fontem omnium bonorum præparat in terris. 6. Beda. Matth. 27. *Dines quid habet Christum.*

Ait Deus per Ieremiam 30. n. 18. *Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, ædificabitur ciuitas in excelso, & templum iuxta ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, vóxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur, & glorificabo eos, & non attenuabuntur, & erunt filij eius sicut à principio, & cœtus eius coram me permanebit, & visitabo aduersus omnes, qui tribulant eum.* Pollicetur Dominus per Prophetam magnam misericordiam cum multa bonorum copia suo populo; sed vnde, & ex qua radice tanta affluentia bonorum? *Ædificabitur ciuitas in excelso.* Id est Ecclesia, vt explicat Lyranus, & templum iuxta ordinem suum; id est, vt habet Chaldaicus, iuxta suam decentiam, ac decorem. Vide quid inde sequitur, vide magnam bonorum copiam exinde pullulantem. *Egredietur de eis laus*; præ gratiarum actione. *Vóxque ludentium*, gaudentium, ac exultantium gaudio; *multiplicabo eos*; prosperabuntur bonis, & diuitiis suis. *Glorificabo eos*, inter cæteras nationes. Hugo; faciam quod ab omnibus honorentur, & minimè minuantur, sed augeantur in suis donis. *Et erunt sicut prius filij eius.* Reuertentur scilicet; Carthusianus, ad statum antiquæ perfectionis; vt vetetes Patres Abraham, Isaac, & Iacob. Et tandem ait: *Visitabo aduersus eos, qui tribulant eum*; nempe inimicos eorum. Huc aduoco id quod dixit D. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de recta fide ad Reg. extollens Eudoxiam, & Pulcheriam, ait: *Etsi Regum vestrum genus, iam inde ab exordio longa temporum serie hucusque est propagatum, & vlterius vt credimus propagabitur, Non ob id Christi regnum capessere omittitis, partim quidem præclaris actionibus: partim quidem sumptuosissima templa Christo Domino excitantes.* Ex templorum ædificatione illustrissimè genus propagandum coniecturatur. 7. Ierem 30. *Ex templo ædificato multa bona defluunt.* Lyranus. Chald. Hugo. Carthuſ. Cyrill.

Vt construeretur tabernaculum, petit Moyses ab vniuerso populo munera, & ea munera, à quorum largitate nullus etiam pauper excusari poterat, quandoquidem etiam pilli caprarum petebantur. Ait Moyses, *separate apud vos primitias Domino, omnis voluntarius, & prono animo, offerat eas Domino, aurum, argentum, as, hyacinthum, & purpuram, & byssum tortam, & pilos caprarum.* 8. Exod. 35.

Exod.35. num.4. & 5. Quid est quod Dominus pro suo tabernaculo, ac sanctuario fabricando à populo postulat munera oblata, & etiam ea quæ sunt parui momenti, vt pilos caprarum? facillimè Dominus poterat omnia illa dona creare, vel aliunde adducere, & magnos greges pecorum ad omnia illa ministeria; ad quid illa exigit à populo? Vt ex parua re oblata ad opus tabernaculi, magna fieret vsura, ac multiplicatio offerenti, parua re manum aperiebat populus ad opus ædificij, & largam manum omnium donorum in populum aperiebat Dominus. Origenes homil. 13. *Præcepit mihi Dominus meus dicens. Oportebat dare pecuniam meam ad mensam, ego veniens vtique cum vsuris exegissem eam; si secundum hac venitis, vsuras Domino præparatis: & potest fieri vt vnusquisque vestrum de quinque talentis faciat decem.*

Qui dat ad opus ædificij, sibi comparat omnia bona.

Origenes.

QVÆSTIO II.

Quare Iesus perambulat Iericho?

9. PERAMBVLABAT hoc loco Iesus, vt iam dixi in expositione, idem est, ac pertransibat per Iericho in Ierusalem, ad altum Passionis Sacramentum, nullum iter Christi, nulla eius via otiosa, ambulabat ergo quærens Zachæum, vt cum conuerteret, ac reduceret in viam salutis. Vide suprà c.31.q.4.

9. Deambulat Christus quærens peccatorem.

10. Secundò. D. Chrysologus serm.54. de Zachæo: *Iericho, ait, ciuitas ipsa est, quam Iosue Naue septeno tubarum clangore subuertit. Sed quia Christus venit saluare, quod perierat, ingreditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione dieiecerat, Iesus clamore pia prædicationis attollat.* Ad Iericho veniunt Iosue, & Iesus. Iosue euaginato gladio, clangore tubarum, & multo armatus exercitu. At Iesus circumdatus discipulis, benefaciens cunctis; quomodo Iesus tam beneficus ingreditur ciuitatem, quam suus miles deuastauit? Iosue seruus erat, Iesus verò Dei filius, ac Dominus; seruus venit clangore tubarum, ac strepitu legis, vt damnet, ac perdat; Iesus vt Dominus valde benignus, cuncta restaurans, vniuersis, opere, doctrina, ac miraculis benefaciens, eósque in salutem, ac vitam ducens. *Ingreditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione dieiecerat, Iesus clamore pia prædicationis attollat.*

10. Chrysol.

Seruus deperit, Dominus saluat.

11. Tertiò. Ad eadem Chrysologi verba: *Iericho ciuitas est*, &c. Gladius Iosuë, fortitudóque exercitus illius solo adæquauit Iericho, ipsam tamen Deo non potuit reducere; venit illi ergo Christi suauitas, ac mansuetudo, sub qua obdurati Iericho ciues non pereunt, sed maximè mitescunt, ac Deo, eiúsque obsequio adaptantur, quos enim duritiei ferri non traxit, suauitas, ac lenitas Christi deuicit, ac subiecit.

11. Chrysol.

Christi suauitas plus vincit, quàm militia gladius.

12. Quartò. Idem Chrysologus citato serm. *Quare, ait, perambulabat, non ambulabat? Quia quod Moyses ambulauerat, perambulat Christus; & populum, quem Moyses induxit in viam, Iesus ad quietem promissæ mansionis adduxit.* Proponit sanctus Pater discrimen inter ambulare & perambulare. Ambulare dicit viæ aggressionem. Perambulare verò significat omnium viarum perfectam consummationem, sic ait Calepinus. Perambulo, *ad finem vsque ambulo.* Moyses ambulat, Iesus perambulat. Nam *Moyses induxit populum in viam*; fecitque vt populus viam aggrederetur. At Iesus perambulat, ipse enim nos introduxit in omnium rerum perfectam, & absolutam consummationem. *Iesus ad quietem promissæ mansionis adduxit.*

12. Chrysol.

Calepin. *Iesus cunctis dat perfectionem.*

De anima sancta dicitur Cant.6. num.9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Multis eius pulchritudo, ac elegantia explicatur, tamen adhuc in processu, & augmento. De ipsamet Cantic.8. n.5. decantatur. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Seu vt habet Hebraïcus, suffulta. Suprà dicebatur progredi sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, quæ habet suum augmentum, electa vt Sol, qui per varia loca gyrat, ac modò decantatur de ea *deliciis affluens.* Hoc est, vt explicat Hailgrinus, delitiis virtutem, gratiarum donis. Et Septuaginta pro delitiis affluens, legunt, *dealbata.* Explicant Diuus Augustin. lib. de gratia & libero arbitrio, serm.50. de verbis Domini. Gregorius Papa l.10. moralium cap.56. Origen. hom.1. ex duabus, Theodor. & alij, quod *dealbata*, significet candorem vitæ, puritatis, ac iustitiæ. Cur antea in progressu, modo verò cum tam consummata omnium donorum perfectione? *Deliciis affluens omnia super dilectum.* Cùm enim esset cum Christo, in eóque innixa, ac suffulta incederet, statim cum omni perfectione, gratiis, ac donis abundans apparet, ac se exhibet. D. Ambrosius lib. de Isaac cap.8 *Quod significant virtutes, vel anima, quæ dicunt: Quæ est hæc, prospiciens tanquam diluculum, speciosa sicut Luna, electa sicut Sol? Hic plus quod diceretur inuentum est, eo quod verbo Dei innixa ascenderat. Perfectiones enim supra Christum recumbunt, Sicut Ioannes in Christi pectore recumbebat.*

13. Cant. 6.

Cant.8.

Hebr.

Hailgrin. Septuag.

Gregor. Origenes. Theodor.

Ambros.

Luc.19. n.3. Et quærebat videre Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.

Num.4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret eum: quia inde erat transiturus.

VERSIONES.

Syriac. n.3. Et volebat videre Iesum, quisnam esset; & non poterat præ turba, quòd statura paruus esset.

Arabicus. Videre Iesum, vt intelligeret, quisnam esset.

Græcus. Conabatur videre Iesum.

Syriacus n.4. Et currit ante Iesum, conscenditque ficum insipidam, vt eum conspiceret: quoniam futurum erat, vt illac transiret.

Arabicus. Et præcessit festinans ante Iesum, & ascendit in Caprificum.

D. Ambros. Quia illa parte erat transiturus.

EXPO

EXPOSITIO II.

14. VÆREBAT. Satis explicat radix Græca, *conabatur*; seu satagebat. *Videre Iesum.* Quia licet fama virtutum, ac miraculorum Iesum cognosceret, nunquam tamen oculis ipsum viderat. Vnde ait Titus Bostrens. *Nam si vidisset eum, iamdudum recessisset à nequitia publicanorum.* Bostrens. Nam ipse Domini aspectus iustitiam, ac bonitatem infundebat. *Quis esset.* Inter tot homines, quisnam esset. Et non poterat præ turba, qua circunspectus ibat Iesus: *Turba*, ait Beda, *semper nos impedit, ne Christum cognoscamus, ad ipsumve accedamus.* Beda. D. Bonauent. Turba prona ad malum à Iesu reuocat potius, quam producit. Et ideo turba suprà Luc 18. n. 39. increpabat cæcum, vt taceret, ideo relinquenda, ac conculcanda mundana turba, vt Deum habeamus. Bonauent. Luc. 18.

15. *Quia statura pusillus erat.* Paruus, & breuis erat corpore. D. Ambros. hic ait: *Quid sibi vult, quod nullius alterius staturam scriptura, nisi huius expressit? Vide ne fortè malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim reddere promiserat, nondum viderat Christum, merito adhuc pusillus.* Et si multi celebrentur corpore magno, vt Saül, nullus pusillus dicitur nisi Zachæus; fortè malitia factus fuerat pusillus. *Et nondum reddere promiserat.* Et inde pusillus, debitis enim alienis depressus erat. *Nondum viderat Christum.* Qui enim Iesum videt in bonis operibus solet crescere. Ambros. Qui Iesum videt, crescit opere.

16. *Et præcurrens.* Et accurrens antequam Christus veniret ad locum illum: *Ascendit in arborem.* Glossa ex Beda: *Quia mira deuotione*, ait, *fidei ad videndum Saluatorem tenebatur, quod natura minus habuerat, ascensu supplet arboris, atque aaco iustè, quàuis ipse rogare non audeat, benedictionem Dominica susceptionis, quam desiderabat, accepit.* Tam vehemens desiderium Christum videndi, remuneratur ingenti beneficio, quod ipse non audebat petere, vt Christum recipiat hospitio. Qui feruidè Christum quærit, vt ait D. Bonau. ipsum inuenit: *Ascendit in Arborem*, vt quod corpore deerat, arbore suppleret. De eo ait D. Chrysol. serm. 54. *Mente tangebat cœlos, qui corpore homines non aquabat.* Aliquando qui minor est corpore, aliis maior est animo. Vnde est illud Poëtæ: *Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* D. Ambros. in præsenti ait: *Nemo potest videre Iesum constitutus in terra.* Ideo ascendit arborem, necesse est mente erigi, ac eleuari à terrenis, vt Christum videas, eiusque præsentia fruaris. De Sycomoro, vide q. 4. Glossa. Bonauent. Chrysol. D. Ambros.

QVÆSTIO III.

Quare Zachæus tam vehementer desiderabat videre Christum?

17. VALDE vulgare est, vt viros, fama celebres desideremus videre. Cum ergo Christus tam notus esset fama operum, & miraculorum, inde maximè ipsum videre Zachæus cupiebat, accendebatur autem huiusmodi desiderium impulsu Spiritus sancti, vt videns ille Christum, ab eo sanctificaretur. *Viros celebres desideramus videre.*

Secundò. D. Chrysost. homil. de Zachæo: *Cupit nosse aspectu*, ait, *quem inuisus fuerat sensu, videre facie, quem viderat mente; contemplari præsentem, quem nunquam viderat operantem; vt amor Christi Zachæi corde conceptus, etiam oculorum fuisset visibus suffragatus.* Zachæus eximium Christi amorem conceperat cordo; inde amor non poterat quiescere nisi visu, ac aspectu Christi sui dilecti, ad quem pondere amoris ferebatur. 18. Chrysost. *Qui amat, nil quiescit, nisi visione dilecti.*

Tertiò. D. Laurentius Nouarien. hom. de Pœnitent. *Quid vidit?* ait, *Saluatorem sæculi. Bene festinauit, optime ascendit: qui dum auidus cupit videre Saluatorem salutem ipsam, quam ignorabat, inuenit.* Dum Zachæus videt Iesum, oculis haurit salutem, quam ignorabat, in præsentia enim Iesus tot & tanta sunt, vt superent nostrum captum, & desiderium, & ea ibi inueninus, quæ minimè desiderare, aut cogitare potuimus. 19. Laurent.

Quartò. Ad eadem verba citati S. Patris: *Bene festinauit, optimè ascendit.* Confer modo desiderium Zachæi cum desiderio Herodis. *Qui cupiens erat ex multo tempore videre eum*, Luc. 23. num. 8. Vterque cupiebat videre Iesum. Herodes sic cupiebat videre Iesum, vt desiderio tantum contentus esset, nihil curabat, nihil faciebat, vt ipsum videret. At Zachæus sic desiderabat videre, vt minimè quiesceret, sed omni conatu nil omittit, omnia facit, vt ipsum videat; hinc præcurrit, & ascendit, vt optata Domini præsentia fruatur, sic desiderat Dominum videre, vt suo desiderio opus adiungat cum multa festinatione, vt exprimit Arabicus: *Præcessit festinans*, adiungat: non enim sufficit desiderare, nam multis bonis desideriis torquentur in inferno, sed necesse est, vt desiderium in bonum opus exhibitum exeat. 20. Laurent. Luc. 23. *Proposito, ac voto adiungendum est opus.* Arabic.

Anima sancta habuit votum, & desiderium quærendi suum dilectum: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quaram quem diligit anima mea*, Cantic. 3. n. 2. Huic tamen desiderio opus adiunxit: *Quæsiui illum, & non inueni, inuenerunt me vigiles* Gillibertus serm. 6. in Cantic. *Languidus enim, & remissus amor, culpabili quadam patientia, non tam optat, quam expectat futura bona. Quiverò feruentior est, ardenti feritur desiderio repositam plenitudinem furtim, & ex parte deflorare tentans.* Animus languidus propriè non optat futura bona, cum pro optatis nihil faciat, sed propriùs expectat ipsa futura bona, vt ad eum veniant. At feruidus animus, tam vehementi desiderio fertur tantis operibus adiunctis, vt ipsam plenitudinem quodammodo furtim deflorare, ac rapere intentet. 21. Cantic. Gillibert. *Languidus quiescit votum, feruidus exit in opus.*

Laudans Salomon mulierem fortem de illa decantat: *Digiti eius apprehenderunt fusum*, Prou. 31. num. 19. Quæ verba illustrissimè commentatur D. Augustin. serm. 217. de tempore: *Diligenter attende*, ait, *in lanificio duo instrumenta, colum, & fusum, in colo quidem lana inuoluta est, quæ filo ducenda transeat in fusum. Quod in colo inuolutum est, adhuc in sinistra est, & nondum in fuso; quod in fusum collectum est, iam præteritum est. Opus ergo tuum in fuso sit, non in colo, in colo enim est, quod facturus es, in fuso, quod feceris.* In colo est id, quod faciendum est, seu, est id, quod est in proposito vt fiat; in fuso autem est id, quod est factum; in muliere autem forti non extollitur encomiis id quod est in colo, seu in voto, vt fiat, sed tantum id, quod est in fuso, quod est iam exhibitum; ac persolutum opere. Vide sup. c. 22. n. 33. 22. Prou. 31. Augustin. *Vir magnus laudatur, non de desiderio, sed de opere.*

QVÆSTIO IV.

Quare Zachæus potius ascendit in arborem Sycomorum, quàm in aliam?

23. ZACHÆVS vir nobilis Princeps publicanorum, & ipse diues, tamen tanto amore ferebatur in Christum, sicque mundus erga hunc diuitem iam vilescebat, vt contempta mundana pompa coram omni pŏpulo non vereretur arborem ascendere, vt Christum videret, ex quo moraliter dicam: omnis homo pusillus corpore est, vt ergo Christum videat necesse est, quod diuina gratia adiuuante altius ascendat, terrenáque despiciat, vt diuino aspectu frui mereatur.

24. Plinius. Pro explicatione quæstionis indagandum est, quænam, & qualis sit arbor? Hæc arbor à Plinio sic describitur lib. 13. c. 7. *Sycomorus*, ait, *ficus est Ægyptia, cognominata arbor moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso, idque ipsum ficus est praedulcis sine granis interioribus, per quam fœcundo prouentu, scalpendo tantum ferreis vnguis, aliter non matureſcit.* Est ergo Sycomorus ficus Ægyptia, vt etiam docent D. Auguſt. citand. Auguſt. Dioſcorid. Dioſcorides lib. 1. de materia medicinali, c. 144. Theophraſtus lib. 4 de Plantis c. 2. Est arbor similis in foliis moro, & in aliis ficui, ſtipite tamen, & altitudine diſtans, vt notat Carthuſian Sycomorus interpretatur ficus fatua, vt docent D. Auguſtin. Haymon. ſerm. 8. de verbis Apoſtoli; Beda, Haymon, D. Bonauent. Hugo, & alij. Hugo. Est enim nomen Græcum. Lanſen. Nam *Sycos*. Græcè, id est, ficus; *moros*, hoc est, fatuus. Barrad. Dicitur ficus fatua, qua vt volunt Ianſen. Barradas, eius fructus inſipidus erat, quia verò Plinius ait, quod eius fructus natura ſua erat inſipidus, niſi arte, & ſcalpendo perficeretur. Hæc arbor 3. Reg. 10. 2. Paral. 1. erat frequentiſſima in Paleſtina; de qua 3 Reg. 10. n. 27. & 2. Par. 1. n. 15. *Cedrorum prabuit* (Salomon) *quaſi Sycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus.*

25. *Fructus Sycomori.* Amos 7. Septuaginta. De fructu Sycomorum ait citatus Plinius: *Scalpendus est ferreis vnguis, aliter non matureſcit* Vnde ait Amos 7. n. 15. *Armentarius ego sum vellicans Sycomoros.* Septuaginta, *vellicans, ſcalpens, pungens Sycomoros.* Ficus enim Sycomorum vnguibus ferreis incidendi ſunt, vt effluat lac, & tunc ipſi penetrati à ſole matureſcunt. D Hieron & Interlin. Hieron. Interlin. in Amos: *Sycamina*, ait, *volunt quidam appellari genus arborum, quæ Paleſtina naſcuntur in campeſtribus, & agreſtes afferunt ficus, quæ ſi non vellicentur, amariſſimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur.* Ex quo

26. Baſil. Ad quæſtionem primam rationem aſſignat D. Baſil. Magn. in c. 9. Iſaiæ: *Vnde & opinantur*, ait, *hanc arborem ſymbolum præferre eius congregationis, quam ſi quis acrimonia Verbi compungere potuerit, felici immutatione indulcata conuertitur ad reſoluendam Deo gratiarum actionem.* Inde Zachæus puſillus Christo extitit gratioſus, quia arborem Sycomorum amplectitur, eámque aſcendit, cuius fructus vt matureſcant, neceſſe eſt, vt ferro ſcindantur: illi enim ſunt gratioſi, ac Deo placent, qui corpus ſuum cilicio ferreo, ac flagellis cædunt, acrimoniáque verbi Dei animam ſuam penetrant, vt dulces fructus pœnitentiæ ferant. *Qui corpus affligunt, dat fructus dulces.*

27. Ambroſ. Secundò D Ambroſ. hic: *Non poteſt Ieſum videre conſtitutus in terra. Aſcendit in Sycomorum, vanitatem ſcilicet Iudæorum, veſtigio ſuo proterens.* Quos fructus redderet arbor fatua, niſi fatuos? Hinc arbor ſignificabat fatuam Synagogam, cuius filij præ malitia fatui erant: *Sic fatui filij Iſraël non indicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes,* Dan. 14. n. 48 Et Synagoga per ficum ſignificatur: *Ficus protulit groſſos ſuos* Cantic. 2. n. 13. *Groſſus* apud Latinos non ſolum ſignificat fructum illius arboris, ſed etiam fructum craſſum, rudem, informem, tales enim fructus rudes, ruſticos, ac infatuos gignit Synagoga. D. Bernard. ſerm. 60. in Cantic. *Et verè*, Bernard. ait, *quid non graſſum in gente illa? Nec actus profecto nec affectus, nec intellectus, ſed nec vitus, quem in colendo Deo habuit.* Hanc ergo Iudæorum ruditatem, & fatuitatem contemnens Zachæus, vt Christum videat, aſcendit arborem. Daniel. 13. Cant. 2.

28. Gregor. Tertiò. D. Gregor. Papa lib. 27. Moral. in fine: *Puſillus Zachæus*, ait, *Sycomorum ſubiit, & Dominum vidit: quia qui mundi ſtultitiam humiliter eligit, ipſi Dei ſapientiam ſubtiliter contemplantur.* Et ſtatim explicat, quænam ſit ſtultitia mundi: *Quid enim in hoc mundo ſtultius, quam amiſſa non quærere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniuriis iniuriam reddere? Imò & adiunctis aliis patientiam præbere.* Sycomorus fatuos, & inſipidos fructus reddens, ſtultitiam, ac vanitatem huius mundi denotat, qui ergo mundanam ſtultitiam conculcat, hic inuenitur dignus, vt ad ſuperna aſcendat, & Chriſtum videat. *Mundana vanitas conculcanda, vt Deus videatur.*

29. Beda. Bonauent. *Crux Chriſti præfiguratur.* Quartò. Ait Beda, quod Sycomorus adumbrat crucem Chriſti. Nam vt etiam ait D. Bonauent. Sycomorus dicitur arbor fatua, cum tamen fructus dulces reddat, vt dixi ex Plinio. Sic crux *credentes alit, ab incredulis irridetur vt fatua*; ſeu ſtultitia quædam reputatur, cum ſit magnum Dei Sacramentum. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam,* 1. Corinth. 1. Aliter verò ait Carthuſian. *Sycomorus eſt arbor in foliis moro conſimiliis, & in aliis ficui, per quam ſignificatur crux Chriſti propter mori rubiginem, & ficus dulcedinem.* Dicam tamen, quod cùm communiter Patres dicant Sycomorum fuiſſe Crucis figuram, ex eo mihi videtur, quia fructus Sycomori nobis eſt dulcis, ac vtilis, cum ferro ſcinditur, ſic fructus vitæ nobis extitit ſalutiferus, ac vtilis, cum eius corpus clauis, ac lancea ſciſſum, ac vulneratum eſt. 1. Cor. 1. Carthuſ.

30. Hieron. *Crux Chriſti liberauit ab omni malo.* Ex quo ait D. Hieronym. lib. de vera circunciſ. *Sycomorum*, ait, *quà Dominus erat tranſiturus, aſcendit: tunc velut de cognata neceſſitate, à crucifigendo conſpectus in arbore cognoſcitur, & filius dicitur Abrahæ.* Diuino impulſu aſcendit Zachæus Sycomorum crucis Chriſti habentem ſimilitudinem, vt ex crucis typo oculos diuinos ad ſe raperet, & vniuerſa mala excluderet, ac in ſalutem ſaluus fieret.

31. Pſal. 103. Auguſt. Proſper. Hilar. *Crux dæmones, ac omnia mala ſuperatur.* Auguſt. Ait Regius Vates, Pſal. 103. n. 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus. Illic naues pertranſibunt.* Illic reptilia, vertunt D. Auguſt. D. Proſper, *repentia*. D. Hilarius: *Serpentes*, per quos Dæmones, vitia, contrarietatis, ac aduerſitates, quæ in homines inſurgunt, deſignantur. *Illic naues pertranſibunt.* Sed quomodo inter dæmones, ac aduerſitates, & contrarietates, ſecuræ, & tutæ naues pertranſibunt? In ligno nauis crucis figura reluceat, ſub cuius typo omnia pericula profligantur, ac ab omni ingruenti malo ſerui ſumus. D. Auguſt. ibi: *Repentes tentationes*, ait, *quis numeret? Reſpuunt, ſed caue ne ſubrepant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis, in cruce nauigamus, etiam in fluctibus tuti ſumus.* Vide in hoc tomo, & 2. in Indice, Verb. *Crux*.

Luc. 19. *n.* 5. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

VERSIONES.

Arabicus. Et cum peruenisſet ad locum, reſpexit Ieſus in illum.

Vatabl. Pagn. Feſtinanter deſcende, hodie enim domi tuæ oportet me manere.

Syriacus. Hodie enim oportet me domi tuæ adeſſe.

EXPOSITIO II.

32. *ET cum veniſſet* Ieſus, *ad locum*, in quo erat Zachæus in Sycomoro. *Suſcipiens Ieſus*, attollens ſcilicet oculos non caſu, ſed alto diuino conſilio. *Vidit illum*; Zachæum nempe; non tantum corporali intuitu, vt ait Carthuſianus, ſed magis interno pietatis aſpectu, quo mentem Zachæi miſericorditer præuenit, & illuminauit. Etſi fructus Sycomori erant immaturi, tamen Zachæum ſic vidit vt fructum proferret, qui mox radiis ſolis matureſceret. D. Ambroſ. *Zachæus in Sycomoro nouum nouæ temporis pomum.* Et nota, quod Zachæus deſiderabat videre Ieſum, tamen Ieſus prius illum vidit. Theophyl. *Priuſquam videret, prius ipſe ſpectatur à Ieſu, ſic enim omnibus in locis præuenit nos Dominus, tantum vt nos alacres, & promptos videat.*

Carthuſ.

Ambroſ.

Theophyl.

33. *Ait illi Ieſus: Zachæe*; proprio compellat nomine, tanquam notum, quem nunquam viderat, nec audierat, quod maximè attraxit animum Zachæi. *Feſtinans deſcende.* Alludere videtur Chriſtus ad feſtinationem, qua Zachæus præcurrens in arborem aſcenderat. Ac ſi diceret, quemadmodum feſtinaſti vt aſcenderes ex curioſitate: feſtina vt deſcendas, vt ex charitate me recipias. *Quia hodie in domo tua oportet me manere.* Etſi alia hoſpitia multa aderant Ieſu, tamen hoc eligit eo quod Zachæus ſuo magno ardore Chriſtum ad ſe alliceret, vt ait Diuus Ambroſius. *Nam etſi vocem inuitantis Ieſus non audierat, viderat tamen affectum.* Quo maximè Dominus afficitur ad miſericordiam, & pietatem impendendam. Et nota, quod ipſe cupiebat videre Ieſum, illius deſiderium Dominus ſuperauit, non ſolum vidit, ſed etiam eum excepit hoſpitio, ipſumque tetigit; illiuſque colloquio, ac indulgentia fruitus eſt.

Ambroſ. *Deus plus exhibet, quàm deſideramus.*

QVÆSTIO V.

Quare ex aſcenſu ad arborem, Zachæus tam? tam habuit felicitatem?

RESPONDET primò N.D. Cyrill. apud Catenam D. Thom. *Vidit*, ait, *quidem hominis animam promptiſſimè nitentem ad ſanctè viuendum, & eum ad pietatem conuertit.* Magno ardore, ac conatu aſcendit Zachæus arborem, vt Ieſum videret, contempſit humanam pompam, & publicè feſtinanter arborem aſcendit: tam promptus, ac efficax hominis conatus in Deum non debuit fruſtrari, ſed multis à Deo proſperari. 34. Cyrill.

Ex quo incidentis dubij colligo ſolutionem. Zachæus in Sycomoro, quæ ficus fatua interpretatur inuenit ſalutem; Iudas verò in ficu, in qua appenſus crepuit medius, habet perditionem; quod bonis eſt ad profectum, impiis ad ruinam interuit. Zachæus arborem ſcandit cum magno conatu erga Chriſtum, Iudas verò fugiens, & declinans à Chriſto, inde ille reportat ſalutem, hic verò perditionem. 35. *Omne bonum à Ieſu vtile.*

Secundò. D. Laurentius Nouar. homil. de pœnitentia. *Zachæus*, ait, *puſillus corpore, factus eſt præclarus ope. Modicus aſcendit arborem; vt videretur à Chriſto, & publicaretur in mundo. Arbor optabilis ſalubri medicamine plena, quæ in ſolo aſpectu ſubuenit peccatori, & ſanctificauit prophanum.* Zachæus puſillus & modicus erat, vbi tamen apprehendit arboris ramos, nulla felicitas erga eum potuit tardari, cum enim eſſet in arbore, ſub typo crucis, medicamine plena, ſtatim ipſe ab oculis Ieſus medicamen recepit, & ſaluus factus eſt. 36. Laurent. *Crux arbor ſaluifera.*

Tertiò. D. Hieron. Epiſt. de duobus filiis: *Latentem*, ait, *in arbore, quaſi in peccatorum tenebris obumbratum ſollicitè, vt ouem perditam requirit aſpectu.* Sic Ieſus requiſiuit Zachæum publicanum latentem in arbore, vt bonus Paſtor quæſiuit ouem perditam, & errantem. Inuentam ouem perditam bonus Paſtor ſuſcipit humeris, collo fouet, amplectitur, ne iterum prolapſa erret. At Zachæo nihil eorum fit, ſed ſolum oculos in eum dirigit Dominus. Quomodo ergo ouis perditæ ſimilitudo in eo ſeruatur? Quæſiuit Dominus Zachæum oculis: ipſi oculorum radij præſtiterunt in omnia adiumenta, ac ſuſtentacula, quæ humeri, collum, ac dorſum præſtant infirmo, ne cadat, ac labatur; vbi enim eſt Diuinus aſpectus, ibi eſt omne firmamentum, ac munimen ad Diabolum, ac eius inſidias ſuperandas. 37. Hieron. *Diuini oculi præſtat adminicula, ac ſuſtentacula.*

Quartò. D. Laurentius Nouarienſ. homil. de Pœnit. citata: *Domine*, ait, *quid dicis? Publicanus eſt Zacheus, videre te ſolum cupit, nunquid de ſola viſione iam debet ſaluari? Aſcendit in arborem, vt videret, nec dum ingemuit: nunquid confeſſus eſt maculam ſuam, aut flagitia replicauit? Numquid fleuit ante te, & dixit illi: Hodie in domo tua me oportet manere? Vix adhuc vel videre te meruit, & iam angulos eius viſitas? Verum hoc officij tui eſt, & indulgentiſſima cura.* Zachæus non manibus pulſauit pectus, nec ore confeſſus eſt delicta, nec pro illis lachrymas fudit, nec miſericordiam deprecatur. Præſentauit ſe Zachæus oculis diuinis, vt vas Spiritus ſancti impulſu diſpoſitum, ac promptiſſimè nitens, vt ait Cyrill. citatus ad ſancta, & inde ſtatim diuina indulgentia oculorum 38. Laurent. *Gratia præpotiſſimè deſcendit in ſubiectã aptum.* Cyrill.

rum ictibus seſe in illum diffundit, ac eum suis donis replet.

59. Mandat Deus Samueli, vt accipiat cornu olei & vnus ex filiis Isai in regem vngatur, in cuius exequutionem Propheta per singulos filios à maiori incipiens discurrit, & cum quilibet ex his fratribus maioribus præsentaretur, oleum quietum intra vas inclusum retinebatur, & nec minima quidem guttula de illo stillabat; at verò cum venit Dauid, qui solus inter omnes fratres aptus erat regno. *Tulit Samuel cornu olei, & vnxit eum,* 1.Reg.16. 1.Reg.16.n.13. Vbi accessit Dauid, iam oleum intra vas non tenebatur inclusum, sed iam ebulliebat, ac effluebat. Quid id est quod antea oleum immotum permanebat, modò verò sic efferuescit, ac prosilit? Adueniens Dauid aduenit subiectum imperio aptum, inde oleum non quieſcit, sed foras prorumpere intentat, & totum se in Dauidem regem consecrandum effundere. Vbi enim adest subiectum proportionatum, statim in ipsum descendit diuina gratia, vt illum exornet, ac nobilitet. D.Basil.Seleuc. orat.14. *Gratia statim, ait, ad vnctionem monit manum, nondum cornu inuergebatur, & oleum properanter effluebat.*

Subiectum proportionatũ diuina gratia exornatur.

Basil.Seleuc.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus qui omnes inuitat ad crucem, Zachæum tamen mandat descendere ab arbore, crucis typo?

40. RATIO litteralis assignatur in textu, *Quia hodie in domo tua oportet me manere.* Volebat Dominus in domo eius recipi, & ingredi. Tamen moraliter in quæstionem vocamus, cur Dominus Zachæo imperat descensum ab arbore, quæ Crucis figuram exprimebat, cum Christus Dominus omnes nos ad crucem vocet, & inuitet.

41. Chrysol. Eleganter respondet D.Chrysolog. serm.50. *Si bene ascenderat, ait, quare ei dicitur, descende? Superius dixit; præcurrens ascendit, & ante Zachæus ascendit arborem, quàm crucem Dominus ascenderet. Hinc est quod dicitur ei: Festinans descende, descende ante Dominum, vt post crucem Dominica passionis ascendas.* Optima est crucis ascensio, atque carnis voluntaria afflictio, ac castigatio: tamen vt placeat, debet post Iesum fieri, ad eius imitationem, ac exemplum componi; si quis autem vult carnem suam excruciari, ac macerari non attendendo ad Iesum, non imitando Iesum, minimè placere potest. Semper valde auspicata est congressio, quæ post principis exemplum fit.

Corporis castigatio sit ad Iesu imitationem.

42. Chrysol. Secundò. Ad eadem verba Chrysologi: *Ante Zachæus ascendit arborem, quam crucem dominator ascenderet; & hinc dicitur, festinans descende.* Lignum illud crucis sacrum præfigurabat stipitem. Ascensio autem in crucem ordinabatur ad generis humani salutem, cuius medicina à ligno, Zachæus ascendit arborem, seu figuram Crucis in ordine ad suam medicinam; nam inde habuit, vt à Christo videretur, ac vocaretur; mandat ergo eum Dominus descendere; non enim tulit, vt aliquis ipso prior vmbram crucis ascenderet pro humana salute. Non enim patitur ipse, vt ad subueniendum humanæ infirmitati, quisquam velocius ante ipsum properasse quomodocumque æstimetur. Maximè zelat Christus, ne videatur ab aliquo plus adamari nostra salus, quam ab ipso. Cum Petrus quærit de Ioanne: *Domine, hic autem quid?* Respondit Saluator: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ioan.21.n.21. Ad quid tendit hæc indignatio, quid deliquit Petrus in hac interrogatione? Illo interrogationis modo innuebat Petrus, se magis de Ioanne curare, quam Christum, séque maiori affectu in Ioannem æstuare, quam quòd Christus exardesceret, non potuit Christus sufferre talem opinionem concipi, hinc zelatus Petri feruorem, ipsum castigat. D.Chrysostom. homil.87. in Ioan. *Hic autem quid?* Ait; *Nam cum nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo diuidi vellet; ostendens Christus, quod quamuis eum dilectione prosequeretur, suam assequi non posset, inquit: Sic eum volo manere, quid ad te?*

Zelat Christus, ne quis videatur plus curare de salute humana, quam ipse. Ioan.21. Chrysost.

Tertiò. In eisdem verbis D.Chrysologi: *Ante Zachæus*, &c. Descensus mandatur, ne Zachæus ad labores, & crucem Dominum præcedere videatur. Ecce sibi primatum dolorum quærit Christus, qui resurrectionis formam in alio præcedere non detractat. Cum mortuum Lazarum annuntiat discipulis, ait: *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos*, Ioan. 11. num.15. Non gaudet de interitu amici, sed quia citò resurget, totáque forma resurrectionis in eo resplendens erat. Idem Chrysologus serm.63. *Gaudebat Christus*, ait, *quia mater mortis vertendus mox erat resurrectionis in gaudium: quia in morte, & resurrectione Lazari figura tota mortis, & resurrectionis Dominica pingebatur, & quod erat secuturum mox in Domino, iam præcedebat in seruo.* Gaudet Iesus seruum resurgere ante ipsum, non tamen suffert; quod Zachæus ante illum crucis vmbram festinanter ascendat. Etsi in his, quæ sunt gloriæ, & honoris aliis in vmbra primas concedat; *quod erat secuturum mox in Domino, iam præcedebat in seruo.* Tamen in vmbra, & morte non sustinet, vt alius primus inueniatur. *Ante Zachæus ascendit arborem, quàm crucem dominator ascenderet: hinc est, quod dicitur ei, festinans descende.*

43. Chrysol. Ioan.11. Chrysol. *Bonus princeps primus in morte, in honore sui cedit.*

Quartò. *Si bene ascenderat*, ait citatus Chrysologus; *quare ei dicitur descende?* Ratio assignatur in illis verbis: *Præcurrens ascendit.* Ad sublime crucis fastigium non taxatur ascensio, sed ascendendi propera festinatio notatur: ad honoris, ac gloriæ sublimia, non præcurrendum, nec properanter, ac festinanter eundum est, sed lento, ac vsitato gradu. Maximè laudatur Traianus imperator; quod non repentè imperator acclamatus est, sed per suos gradus promotus ascendit, nam prius vt miles laborauit, mox Dux creatus, postea Tribunus, ac Legatus, deinde ad imperialem dignitatem euehitur, cuius vexilla aquilis magnis resplendebant, vt bene aduertit Plinius in suo ad Traianum Panegyrico: *Nec hercule*, ait, *tantopere cunctis factum* (illius scilicet electio) *placeret, nisi placuisset, antequam fieret; à quo temperamento, Dij boni, potestatem tuam, fortunámque moderatus est imperator? Modestia, labore, vigilantia; Dux, & legatus, & miles; cum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu auteires.* Vide *Paulatim* in Indice.

44. *Ad summa dignitati ad currendũ, sed gradatim abdum.* Plinius.

Quintò. D. Chrysostomus homil. in parabolam de ficu: *Festinans descende*, ait: *Lepide autem Euangelista Sycomorum dixit, de Zachæo loquens, vt latam, spatiosámque viam indicaret cum stultitia esse copulatam, vnde pessimum exitum nanciscitur. Venit ad ficum Dominus. Hæc ficus lata, ac spatiosa via imaginem præse ferebat: est enim ficus plan-*

45. Chrysost. *A via mali descende, vt Christũ habeas.*

ta latis frondibus, & pruritum excitans : peccatum etiam pruritum excitat per latam, & spatiosam viam ad perditionem deducens. Sycomorus, id est, ficus fatua, vt sæpè dixi, vult sanctus Pater, quod habeat folia lata sicut fiscus, per quæ significatur via lata, quæ cum stultitia coniuncta est. Hinc mandatur Zachæo descendere à Sycomoro, id est, à via lata, ac stultitia mundana, vt Christum valeat videre, recipere, ac habere in domo sua.

46. Chrysol. Sextò. D. Chrysologus citato serm. 54. *Descende ergo*, ait, *vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vsurarum molem, magisterium publicani, expeditus intres pauperis scholam, discipulatum misericordiæ, pietatis vsum, tolerantiam passionum, Philosophiam mortis, atque inter vitalis ligni arbuta iam perfectus ascendas.* Ex bono motiuo ascendit Zachæus lignum, vt auctorem vitæ intueretur, cur ergo imperat, vt descendat? Zachæus nondum valedixerat malè partæ substantiæ, quam multam possidebat. Publicanus desiderabat, crucis gloria sublimari, tamen crucifixorum, seu in cruce existentium mores omninò respuebat, qui omnia huius mundi tanquam stercora despiciunt, vt Christum lucrentur: Publicanus adhuc omni lautitia, famulorum gregibus, & mensa ad lenocinia de spoliis pauperum abundabat. Inde ei dicitur, descende: valde enim indecens est velle crucis gloria insigniri, & à crucis conditione longe distare. Vide in Indice, *Præmium.*

Qui vult gloria sublimari, illius merita præmittat.

47. Chrysol. Septimò. D. Chrysolog. *Descende, vt deponas tanta fraudis onera*, &c. Ardua, & alta crucis via, etsi viris perfectis, ac consummatis valdè vtilis inueniatur, tamen officit viris imperfectis, qui adhuc vsuris, & rapinis incumbunt, non enim per illam valent incedere, quin facilè prolabantur; omittantur ergo rapinæ, & vsuræ, & in iustorum viam perfectam valeas prosilire.

48. Exod. 14. Diuiditur mare in duas partes, & ingrediuntur Hebræi, vt mandata Dei impleant per gentes in terram promissionis: Tunc Pharao cum vidisset mare scissum, Hebræósque per medium sicci maris gradientes, ingregitur etiam ipse cum exercitu suo, qui omnes cooperti sunt aquis & perierunt. *Reuersaque sunt aqua, & operuerunt currus, & equites, cuncti exercitus Pharaonis: nec vnus quidem superfuit ex eis*, Exod. 14. num. 28. Pharao multa antea contra Deum fecerat, ac blasphemo ore contra Deum locutus fuerat, multisque contra diuina mandata sterit, ac illa contempsit, & tamen nunquam morte mulctatur nisi modò, quæ iniquitas hîc apparuit, vt tantam pœnam promereretur? Pharao in omni nequitia obstinatus audet ingredi viam illam, quam Deus iustis mirabiliter fecerat, & cùm esset tanta malitia plenus, per eam non valet pergere, sed potius in ipsa submergitur, ac suffocatur. D. Basilius Seleucus Oratione, qua probat Deum non esse malorum auctorem: *Comperit Deus*, ait, *Pharaonem patientia, ac lenitatis sua esse contemptorem, ipsúque vsu aduersus occaluisse. Et tamen, nec sic quidem illum morte multauit, donec se ipse submergeret: cum ausus esset pra superbia, eadem, qua iusti, via insistere; ratus vt Dei populo, sic etiam sibi peruium fore mare rubrum.*

Cur à fauoribus sanctorum, si illorum merita non habes. Basil.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus ait Zachæo: In domo tua oportet me manere, *& non potius: Tua interest in domo tua me manere?*

QVÆSTIO præsens est, quomodo Christus Dominus ait: *In domo tua oportet me manere?* Christo non deerant multa alia hospitia Quomodo ergo ait, *Oportet me manere?* Nam videbatur potius dicendum, quod non Christi, sed Zachæi interesset ipsum Dominum in domo sua recipi, nam ex hoc Zachæus magna domorum vbertate replendus erat. 49.

Respondet primò ad quæstionem Antonius Ghuisslandus: *Cur dicit*, ait, *oportet, cum nullus constringeret eum ad ibi manendum?* Respondet: *Oportet respectu finis, vt scilicet salutem domi tua tribuam.* Quia domus illa, in quam non intrat Christus, vel in sua propria persona, vel in persona pauperis, non pertinget, ac perueniet ad æterna tabernacula. D. Chrysolog. serm. 54. *Cuius domum non intrauerit Christus, ille ad diuinam non perueniet mansionem: & cuius hic ad mensam non sederit Christus, ille cœlestem non accumbet ad mensam.* Vt ergo Zachæus veniat ad diuinam mansionem, oportet vt in domo sua maneat Christus. 50. Guisslandus. *Pietate in Christum, at eius pauperi, ascenditur in cœlum.* Chrysol.

Secundò. D. Chrysostom. homil. de Zachæo: *In domo tua oportet me manere. Considera*, ait, *nimiam Saluatoris bonitatem.* Non tua, sed Zachæi interest Domine, vt te in domo sua recipiat, & tamen Christus ob suam nimiam bonitatem, ait: *In domo tua oportet me manere*; infinita bonitas Christi, vtilitatem Zachæi veluti suum commodum reputat, non expedit Christo, sed publicano, tamen summa Christi clementia emolumentum peccatoris, tanquam suum commodum æstimat, nam impensa misericordia maximè ipse delectatur peccatorum venia, qua augustissimè eius misericordia resplendet; eminentiáque eius gratiæ gloriosè fulgeat, ac niteat, quia ex peccatore fecit iustum, & ex publicano virum probum, ac sanctum. Vnde ipse infra dixit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Theophyl. *Non dixit*, ait, *dabo dimidium, reddam quadruplum, sed ecce do, & reddo.* Vide infrà c. 39. q. 6. 51. Chrysost. *Efficacia diuinæ gratiæ.* Theophyl.

Tertiò. Notanter ait Euangelista: *Ingressus Iesus perambulabat Iericho*, & in præsenti ait, quod Dominus dixisset Zachæo; *Festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Diligenter expende, In Iericho perambulabat Iesus, in Zachæi domo manet. Cur Iesus ad Iericho transeunter, ad Zachæum permanenter accedit? In Iericho, in tumultúque ciuitatis, ac populorum transeunter versatur Dominus, at verò in domo Zachæi, in quo significabatur basilica à Deo consecrata, ac dedicata, ibi manet, & perseuerat. *Ecce ego vobiscum sum*; vt communiter explicatur in Sacramento altaris, *omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. n. vlt. 52. *Ibi in aliis locis sit Deus transeunter, in templo permanet.* Matth. 28.

Maximè gaudet, ac delectatur Deus in templo sibi dedicato, ac consecrato. Postquam tabernaculum constructum, ac piè Deo dedicatum fuit, Exod. 40. num. 15. Statim aduolat supremus, & magnus 53.

Exod.40. Pagnin. *Deus gaudet, & lætatur in templo.*

magnus Dominus, *Operuit nubes tabernaculum teſtimonij, & gloria Domini implenit illud.* Pagnin. legit: *Operuit nubes tabernaculum Eccleſia.* Cur Deus qui habitat in inuiſibili gloria, tam manifeſta, ac clara maieſtate deſcendit, & apparet? *Gloria Domini implenit illud.* Extructo tabernaculo Eccleſiæ, tantopere illo gaudet Deus, vt ſtatim accurrat, ſuum gaudium oſtenſa gloria declarans, vt ſuo fruatur templo. Ioſephus de re præſenti lib. 3. Antiquit. cap. 12. *oſtendit*, ait, *ſe Deus gauiſum in operibus Hebræorum, & non fruſtra laborasſe eos in pulchritudine ædificij.* Qui enim tanto apparatu in ſuum Eccleſiæ tabernaculum venit, apertè ſuum magnum gaudium declarat, & oſtendit. Quod etiam ponderat idem Ioſephus de templo Salomonico lib.8. Antiquit. cap.4. dicitur enim 3. Reg.8. num. 11. *Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Sic ait ipſe: *Quaſi Deus deſcendiſſet in templum, & libenter in eo inhabitaret.*

Ioſeph.

Ioſeph. 3.Reg 8.

54. Pſalm. 131. Hebræus.

Regius Vates Pſalm. 131. num.1. ſtatuit de ſe agere, dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Seu vt legitur ex Hebræo: *Afflictionis eius.* Poſtulat vt Deus recordetur ſuæ manſuetudinis, afflictionis, ac laboris, quem ſæpè ſuſtinuit. Statim vertit ſermonem, & ſuum proponit votum de templo conſtruendo: *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*, num. 2. Et poſtea ſubdit: *Donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*, num. 5. Dauid videtur, quod ſibi non conſtat, inſtituit de ſe agere, & vno tantum contentus verſu: *Memento Domine Dauid*; ſtatim totam ſuam mentem vertit ad id, quod ipſe cogitauerat de templo ædificando. Illuc aduolat Dauidis lingua, quod magnopere ſciebat Deo placere, templum ſuum nempe condere, ex quo Deus ei propitius valde fieret. D Baſilius: *Cuius gratia, ait, hoc fecit? Quod hac re potiſſimum delectatur Deus.* Vt inde fieret dignus & de eius manſuetudine ad miſericordiam recordaretur.

Grata Deo templorum extructio.

Baſil.

QVÆSTIO VIII.

Pro Templorum ædificatione adducitur in exemplum Domina Baroniſſa Dona BEATRIX DA SYLVEIRA, *conſtruens illuſtre Monialium monaſterium.*

55. IN fine ſuperioris quæſtionis tractaui quam præiucunda ſit Deo templorum erectio, eorumque ædificatio, inde qui templa Deo ædificant, magnis donis à Deo cumulantur, vt patet in Zachæo, qui de domo ſua Deo dedicata meruit audire ad ipſo, *hodie huic domui à Deo ſalus facta eſt.* De his templorum conditoribus, ait D. Bruno lib.de laudibus Eccleſiaſtic. c. 7. *Non ſolum bona æterna percipiunt, ſed etiam temporalia eorum bona multiplicantur, augetur dignitas, creſcit honor, vt alij eorum exemplo ad ſimilia adducantur, non ſumptum conſiderantes, ſed fructum ſpectantes.* Sicque tradit Ioſephus de Regibus Samariæ l.11. Antiquit. cap.2. *Quod vſque in præſens tempus tam Adadus, quam Azael eius ſucceſſor diuinis apud Syros coluntur honoribus ob magnificè templa extructa.* Cum ego cogito proponere exempla, vt alij ad fabricanda Deo templa ſtimulentur, non mentem conuerto ad Reges, ac Principes antiquos, ſed ad id, quod in præſentiarum accidit, nam vt ait Damianus Epiſt. 8. *Præſentia efficacius mouent, quam præterita.* Indéque oculos coniicio ad illuſtriſſimum Monialium Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmeli monaſterium in honorem V. Mariæ de Natiuitate, ac ſancti Ioſeph, quod magnis ſumptibus ædificauit Madriti Domina Baroniſſa Dona Beatrix da Sylueira, de qua dicam id, quod dixit N. D. Cyrill. Alexand. lib. 2. de recta fide ad Reginas, de Eudoxia, *Video te depictam, & adumbratam in illa muliere forti*, quam maximè decantat, ac celebrat Salomon, Prou. 31.n.10. Et ex multis illuſtratis eius encomiis, quæ facilè in præſenti poterant adaptari; tria vel quatuor tamen breuiter perſtringam.

Damian.

Cyrill.

Prou.31.

Confidit in ea cor viri ſui, ibidem num. 11. ſeu vt habent Septuaginta: *Confidit ſuper eam cor viri ſui*, vt explicant Ianſen. Salazar, Cornelius, *Conquieſcit ſuper eam cor mariti*, quia certus eſt de eius fide, ſtrenuitate, ac dexteritate. Dominus Baro Georgius de Pace da Sylueira, Eques Diui Iacobi, ac Commendator ſancti Quintini, teſtamento ſuo ordinauit, vt ex multa, ac ampliſſima ſua ſubſtantia fieret Collegium Angelorum propaganda fide, & quoddam hoſpitale procurandis militibus, ac monaſterium quoddam Beatæ Virginis de Spe. Itémque delegauit tria millia aureorum pro ſuſtentandis incarceratis, & pro maritandis Virginibus, pro redimendis captiuis, ac pro aliis pietatis operibus, toto admirante orbe, decem & octo mille aureos annuales. Quæ omnia commiſit vxòri ſuæ Dominæ Donæ Beatrici da Sylueira, vt ipſa omnia exequeretur abſque dependentia, & interuentu cuiuſcumque alterius perſonæ, vt dicitur in teſtamento: *Confidit in ea cor viri ſui.* Quæ omnia breuiſſimo tempore ipſa exequutioni mandauit, perfecit, & abſoluit. *Confidit in ea cor viri ſui.* Legit Vatabl. *Ei tuo credit cor mariti eius.* In quo ſine dubio plus illi gloriæ & laudis contigit cum tot, ac tanta exequitur, quam marito in teſtamento ex ſua ſubſtantia diſponenti, ac ordinanti.

56. Septuag. Ianſen. Salazar. Cornel.

Vatabl.

Dauid Salomoni filio ſuo dedit ideam perfectiſſimam à Deo acceptam totius templi, inſuperque mandatum de ipſo ædificando, maximámque auri, & argenti copiam, multáque alia ad templi ſtructuram, vt patet 2. Reg. 7.num.7. & 3. Reg.16. & ſequentibus, 1. Paralip.22.n.8. & c.28. n. 6. & 2. Paralip. 33.n. 7. Vnde ait D. Baſilius in Pſalm.131. Quod *ipſe Dauid magis eſt templi ædificator, quam filius eius Salomon.* Et tamen templum non habuit nomen à Dauide, ſed à Salomone; dicitúrque frequenter *templum Salomonis*, vt notauit D. Seuerinus Bituriacenſ. Archiepiſc. lib.1. de Hiſtoria Sacra: *Salomon*, ait, *ditiſſimus Regum templum magnificè extruit, quod à conditore Salomonis templum dicitur.* Dauid etſi templi exemplar exaratum reliquit, ac præceptum de fabrica impoſuit, ac magnam auri, ac argenti copiam, & alia multa ad hoc delegauit; tamen Salomon multa diligentia, ac prudentia exequitur, abſoluit, ac perfecit, & plus hic præſtitit, tantam rerum machinam ad executionem redigens, quam ille ordinans, diſponens, & ad illam pecunias delegans: Ex quo maiori gloria, quàm Dauid, Salomon ſublimatur.

57.

1.Paralip. 2.Reg.7. 3.Reg.16. Baſil.

Seuerin. *Plus eſt teſtimonia ordinare, quam delegare.*

Conſideranit agrum, & emit eum, & plantauit vineam, num. 16. Mortuo Barone D. Georgio de Pace da Sylueira coniuge, diuiſa tota ampliſſima

58.

Bruno.

Ioſeph. *Templorum conditores multis donis ſublimantur.*

domus

domus ſubſtantia, cumque dimidietas rerum iuxta matrimonij contractus obueniſſet Dominæ Baroniſſæ Donæ Beatrici da Sylueira, ſtatim tota mente, ac toto pectore cogitauit de Monaſterio ædificando, vt minimè in hoc negotio quieſcere poſſet. Dicebat Dauid: *Votum vouì Deo Iacob.* De templo ædificando, vt iam dixi, & ſubdit: *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob*, Pſal. 131. num. 5. Phraſis eſt Hebraica, id eſt, non quieſcam nocte, diéque. Lyranus: *Non dabo*, ait, *perfectam quietem oculis meis, donec inueniam locum aptum pro templi ædificatione.*

Pſal. 131. Lyran. *Pro templo non quieſcit.*

59. *Conſideranit agrum.* Tigurina: *Conſulat de agro* Vatablus, *Contemplatur agrum.* Conſideranit in platea de Alcala, palatium quoddam ſatis amplum, & cómodum ad monaſterium, tum ex ſitu loci, tum ex diſpoſitione domorum, ac ex fabricato clauſtro, & exhorto adiecto perennibus fontibus præiucundo. *Et emit eum.* Viginti, & ſex mille aureis. *Et plantauit vineam.* Vberem, ac fertilem Carmeli. Explicat Beda, *plantauit vineam*, ſc. *Eccleſiam.* Monialiũ monaſteriorum nempe, cum multa magnificentia, diſpoſitione, ac commodo ſacrarum virginum, multáque præfectione pro obſeruanda religioſa clauſurá. Denique inſuper multis donis auri, argenti, ac pretioſiſſimis ſuppellectilibus, pro cultu, ac ornatu Eccleſiæ; in quibus larga manu expendit centum viginti mille aureos. Exceptis magnis expenſis, quas modò in Eccleſia magnificè extruenda erogat.

Tigurina. Vatabl. Beda.

60. Cum Iacob peregrinus degeret in terra Chanaam, dormiuit iuxta Luzam, tunc apparuit ei Dominus in ſummitate ſcalæ. Cúmque euigilaſſet, ait: *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* Quæ fuit quædam proteſtatio ſummæ reuerentiæ, & cultus erga Deum. Subdit textus: *Surgens ergo Iacob tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper*, Gen. 28. n. 18. Illa effuſio olei fuit quoddam libamen, vt explicat ibi Monoch. Iacob reuereretur Diuinam Maieſtatem: *Terribilis eſt locus iſte.* Facit quoddã libamen, *fundens oleum deſuper.* Ad quid vltra erigit lapidem in titulum? Seu vt legit Lippom. *Poſuit in ſignum*, Hebræi, *in monumentum.* Abulenſ. *in memoriale.* D. Hieron in c. 3. Oſe. *in altare.* Explicat Theodor. apud Gloſſ. *In Dei honorem.* Eximius affectus charitatis Iacob erga Deum, non contẽtus eſt vno actu Deum adorare, eiuſque diuinam bonitatem ſemel reuereri, ſed erigit lapidem in monumentum, ac altare perenne, vt perpetuo daret Deo gloriã, eiuſque celſitudinem, ac claudes perenniter publicaret, ac teſtificaret. Nam vt ait D. Cæſar. Decalog. 1. *In prædicatione diuinorum operum ad omnes perpetuo vocalem eſſe.* Erigit lapidem, ſeu monumentum, ac altare, vt perpetuo eſſet vocale, ac daret voces in Dei laudem, ac loriam. Sic Domina Baroniſſa Dona Beatrix da Sylueira non quieuit, ſua eximia pietate, ac charitate in pauperes, Eccleſias, ac monaſteria, vt ſatis eſt notum, ſed etiam Eccleſiam, ac Monaſterium ædificat, cuius parietes, & lapides Dei gloriam proclamant, tamen vt ait D. Bernad. ſerm 6. in Dedicat. Eccleſiæ: *Lapides, ac parietes non dicunt; ſed homines.* Ideo introducit in Monaſterium religioſiſſimas Moniales, ac virgines ex magna nobilitate totius Hiſpaniæ, adhibitis præclariſſimis fundatricibus religione, virtute, ac probitate, vt

Gen. 28. Monoch. Lippom. Hebræus. Abulenſ. Hieron. Theodor. *Perfecta charitas non vno actu quieſcit, ſed facit voces in perpetuum.* Cæſar. Bernard.

perpetuo noctu, diéque oratione, meditatione, ac contemplatione Deo gloriam, & laudem exhiberent, perennitérque eius magnalia dicerent, & non tacerent.

61. *Manum ſuam miſit ad fortia*, citato Prouerb. loco n. 19. Aquila, Theodoret. vertunt: *Manum ſuam miſit ad virilia.* Septuag. *Ad vtilia.* Alij ex Hebræo apud Salazar legunt, *Ad recta, cõuenientia, vel ardua.* Quod de Religioſa obſeruantia moraliter interpretantur Cornel. Domina Baroniſſa, eligens regulã, ac ſtatutum pro ſuis Monialibus, manum ſuam miſit ad fortia, recta, ac ardua: ad regulam nempe, ac ſtatutum N. B. Thereſiæ de Ieſu, ſub qua edomita carne ſpretis omnibus mundanis, ac abiectis temporalibus, & ſæcularibus, per viam omnis virtutis iuſtitiæ, ac ſanctitatis inceditur, animaque meditatione, contemplatione, ac multis aliis exercitiis vnitur cum Deo? quid fortius quam ſeipſum vincere, séque totum Deo conſecrare? Nam vt ait Petri Damian. *Quid fortius, quam in carne, quaſi ſine carne inſtar Angeli viuere?* Et ne nimius rigor illuſtriſſimas virgines deterreret, ordinauit Domina Baroniſſa, vt haberent calceos in pedibus, lintea veſtirent, & tribus diebus in hebdomada carnibus veſcerẽtur, in reliquis vero toto rigore regulæ S. Thereſiæ retento, illóque moderamine eius rigorem temperauit; vnde dicerentur Carmelitæ Recollectæ.

61. Aquila. Theodor. Septuag. Hebræus. Salazar. Cornel. Damian.

62. Samaritanus ille, qui inuenit hominem vulneratum, qui inciderat in Latrones: *Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum, & vinum*, Luc. 10. n. 34. Non ſolum oleũ infundit, ſed etiam vinum, & mixturam facit. Samaritanus ille bonũ rectorem, ac paſtorem deſignabat, vt docent multi Patres, ac proinde acredinem, ac mordacitatem vini moderauit, ac deliniuit benignitate, ac ſuauitate olei. Præclarè D. Greg. part. 2. Paſtoral. c. 11. *Quiſquis*, ait *ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris abhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foueantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeueritate: faciendum quoddam temperamentum ex vtroque: vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur.* Et ponit S. Doctor aliqua exempla, quæ adduxi tom. 3. c. 21. q. 11. n. 82.

Luc. 10. *Rigor temperandus cum lenitate.* Gregor.

63. *Digiti eius apprehenderunt fuſum.* Non dicitur: Tenuerunt, ſed apprehenderunt, Beda: *Bene dicitur, Apprehenderunt, vt vinacius commendetur; quanto ſtudio, quanto feſtinatione in hac vita agendum ſit.* Fuſus cum ſit rectus, vt ait Cardin. Hugo, ſignificat rectitudinẽ intentionis, & rotat in gyrum, quia opera indifferentia in ſe recipiens rectificat, ac ſanctificat. Hugo: *Digiti*, ait, *huius manus ſunt omnes electi, qui apprehendunt fuſũ, id eſt, rectitudinem intentionis, per quã omnia opera, quaſi fila in orbem æternitatis retorquent.* Quæ omnia facile poteram accommodare prædictæ Dominæ Baroniſſæ ex ſuo magno affectu a pueritia ad Moniales, ſed modeſtia plura dicere nõ patitur.

63. Beda. Hugo. *Recta intentio in Deum.*

64. *De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*, n. 15. pro ancillis; Syriacus, Septuaginta, & Theodoretus legunt; *puellis ſuis.* Prædam, id eſt, eſcam; nam propriè præda ſignificat eſcam ferinam, quæ venando prædatur. Hinc per catachreſim transfertur ad quamlibet eſcam animalium, ſiue hominum. *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, n. 1. Etſi per duplices veſtes multi intelligunt vitam actiuam, & contemplatiuam, rectã intentionem, ac opera:

Syriacus. Septuag. Theodor.

Tamen communiter intelligitur liberalitas pronidæ Matronæ, in impendendo bonam, ac rectam ſuppellectilem, veſtem, & annonam puellis ſuis, vt docent Ianſenius, Sà, Monoch. Tirin. Cornelius. Ex quo ipſe ſubdit: *Audiat hoc Religio, cuius hæc mulier typum gerit, & Abbates, Priores, ac Rectores religionum, vt religioſis filijs ſuis, qui propter Chriſtum pauperes ſe fecerunt, aperiant eis neceſſaria, & cum magna charitatis ſignificatione prouideant, ne à parentibus, vel amicis ea mendicare, aut aliunde ea ſibi comparare, cum paupertatis, famæ, & diſciplinæ iactura cogantur.*

Ianſen. Sà Monoch. Tirin. Cornel.

65. Cum hoc valdè exploratum haberet Domina Baroniſſa Dona Beatrix da Sylueira ſuis Monialibus Carmeliticis Recollectis ad earũ ſuſtentationem tam pro cibo, quam pro veſtitu vſque ad minimum ſub vita communi in perpetuos reddituſ dedit duodecim mille aureos annuales, ex quibus mandauit deputare quolibet anno millẽ aureos ad nouam ſubſtantiam conuentus emendam, vt redditus nunquam minuantur, ſed ſemper in nouum augmentum procedant.

Duodecim mille aurei annuales.

66. Sicque voluit, vt Moniales omnibus neceſſariis prouiſis eſſent independentes, ac ſeparatæ ab omni ſæcularium commercio, vt decreuerit, ac inſtituerit omnes Moniales, quod eſt valde peculiare, in hoc Monaſterium ingredi ſine dote, alimentis, propinis, omneſque eſſe ſine peculiari reddito annuali, vulgo *tenças*; nullámque poſſe aliquid venale ſuis manibus laborare, ſed diſponit, vt omnia fiant gratis vel pro ornatu Eccleſiæ Monaſterij, vel aliarum Eccleſiarum, quæ in egeſtate ſunt; omniáque voluit à Conuentu Monialibus ſuppeditari.

67. De ſponſa decantatur: *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*, Cant. 4. n. 2. Per oues tonſas religioſi interpretantur. D. Bernard. ſerm. 63. ex parui: *Quam bene*, ait, *Monachi tonſi ouibus comparantur; quia reuera tonſi ſunt; quibus nec corda, nec corpora, nec aliquod mundanum in proprietate relictum eſt.* D. Auguſt. in Pſal. 94. *Ecce præceptum Dei totondit dicentis, Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, Matth. 19. n. 21 Tamen hæ oues tonſæ dicuntur à Diuino paſtore paſci: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, Cant. 1. n. 7. Vbi paſcas, ſcilicet oues tuas, vt communiter Patres interpretantur. D. Auguſt. ſerm. 50. de Verbis Domini; Theodoretus, Catena trium Patrum Origenes homil. 2 ex quatuor, Beda, Caſſiodor. & alij. Per has autem oues paſtas Aponius intelligit Virgines, Monachos, ac religioſos. Religioſi ſunt oues tonſæ, & tamen dicuntur paſci in meridie. Cur tam aperte dicuntur paſci in meridie? Ideo ſanè, quia oues ſunt tonſæ à rebus temporalibus, quas abiecerũt, ideo habent paſtorem, qui eas paſcat meridiano, ac congruo tempore prandij, & refectionis. Vide quæ dixi tom. 3. cap. 31. q. 17. n. 110.

Bernard. Auguſt. Matth. 19. Cant. 1. Auguſt. Theodor. Origen. Aponius.

68. *Dedit qua prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* Quamuis præda propriè ſignificet, eſcá ferarum, vt iam dixi, tamen per illam allegoricè Ianſenius intelligit ſacram Euchariſtiá, *Eo quod*, ait ipſe, *corpus Dominicũ velut captum fuit à beſtijs, & dilaceratum, dum ab impijs Iudæis, ad inſtar ferarum ſanguinem eius ſitientibus, crudeliter, & captũ eſt, & flagellis, corona ſpinis, & clauis diſcerptum.* Hoc tantum Sacramentum peculiariter celebrare, ac venerari dedit ſuis domeſticis Domina Baroniſſa; decreuit enim, ac ordinauit, vt omnibus feriis quintis per diſcurſũ totius anni ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentũ eſſet expoſitũ in Miſſa Maiori cum magno apparatu, multis cereis accenſis, ac ingenti muſicorum conceſſu: ait Albert. Magnus tom. 2. de Euchariſtia: *Dominus Ieſus magnum Sacramentum inſtituit in Paſchali feſto, in Paſchalique feſto illud prædicat.* Io. 6. n. 2. *Vt nos diſcamus quotidie Paſchali ſolemnitate illud celebrare.*

Ianſen. *Euchariſtia ſemper veneranda.* Alb. Mag. Ioan. 6.

His finem ponam cum verbis. D. Hilar. in vita Honorati; conſiderans S. Doctor magnitudinem virtutum Honorati, ſuúmque erga eum eximium amorem, ait: *Ignoſcite itaque mihi, ſi diripientibus duobus his affectibus mentem meam, oris mei officium tanquam duobus Dominis famulatum congruum negant.* Sicque in præſenti dicam. Duo mihi erga Dominam Baroniſſam. D. Beatricem da Sylueira militant exmij affectus, conſideratio videlicet illius præclaræ pietatis, arctiſſimumque ex patre, & matre germanitatis meæ cum illa vinculum, quod quidem os cohibet, & calamum ſuſpendit; famulatum congruum negans. *Ignoſcite mihi.*

69. Hilar.

Luc. 19. *n* 6. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

Num 7. Et cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertiſſet.

VERSIONES.

Arabic. n. 6. Et feſtinauit, & excepit illum cum gaudio.

Arabic. n. 7. Omnes illi hoc murmurabant, quia viri peccatoris domum eſſet ingreſſus, vt quieſceret.

Syriacus. Apud hominem peccatorem ingreſſus diuertit.

EXPOSITIO IV.

70. FESTINANS. Mox vt audiuit vocem Domini, eiuſq; iuſſionẽ, nil reſpõdet, ſed obedit feſtinãter mandata exequitur. Nã vt ait Carth. ex D. Ambr. *Nemo deſidia Ieſum quærit.* Cũ feſtinatione, ac diligentia diuinum mandatũ eſt implẽdum. Filiis Iſraël dicitur, vt *Agnũ comedant feſtinanter.* Exod. 12. n. 11. *Deſcẽdit:* ab arbore nempe. D. Laur. Nou. hom. de Pœnit. deſcendit *confeſtim*, ait, *de arbore iã verbo Domini emendacior. Aſpectus enim Domini emendauit prædomen.* Diuinus intuitus expellit vitia, & peccata. Deſcendit, ait Hugo Cardin. vt Gentilis populus, qui in eo præfigurabatur, fide crucis aſcenderet, ad reſurrectionis fidem. *Excepit illum gaudens.* Deo obſequia præſtanda cum gaudio, ac hilaritate, iudicauit dominus, ſe hoſpitij oblatione non cõferre beneficiũ, ſed accipere.

Carthuſ. Ambroſ. Exod 12. Laurent. Hugo.

71. *Et cum vidiſſent omnes.* Quod Ieſus, vt ait Carthuſian. iret cum ſuis diſcipulis: *Omnes* Lyran. interpretatur: *Phariſæi, & alij malignantes.* Aptior tamen eſt intelligentia, magna pars ſcilicet populi, ac turbæ, *murmurabant.* Reprehendebant quod in domũ ægroti medicus intraret. Qui enim perdidit pretioſam margaritam inter ſqualida loca, ait D. Chryſol. ſerm. 54. *non dedignatur intrare, & eam inter ſtercora ipſa perquirere non abhorret.*

Carthuſ. Lyran. Chryſol.

Quam

Quam nefariè obmurmurant, cum salutis occasionem, in damnum, ac murmurandi materiam vertant. Citat. D. Chrysolog. *Tu ergo*, ait, *qui reprehendis, qui murmuras, cur ad peccatorem diuerterit Christus? viam salutis, misericordiæ, spem de tali ingressu cape: & cane, nec hoc sit tibi blasphemandi materia, quod tibi occasio est salutis.* Et dicebant, quod *ad hominem peccatorem diuertisset.* Seu esset ingressus ad hominem peccatorem, publicanum nempe. Carpunt Domini clementiam, quam commendare debuerant, cum peccatores quæreret ad eorum salutem; *ad peccatorem*, cum vt ait citat. D. Laurent. iam esset emendatus, considerant malum præteritum, & non bonum præsens, cogitant qualis fuerit, non verò qualis modò sit.

Laurent.

QVÆSTIO IX.

Quare Zachæus cum tanto gaudio, ac festinatione excipit Christum?

72. EX impulsu Spiritus sancti Zachæus cum tanta promptitudine obsequitur, ac Christum excipit. Deinde ait Euthymius, *Quod non solum eum videsset, vt optauerat, sed quod etiam ab ipso vocatus fuisset, quodque ipsum suscepisset, quod nunquam fore sperauerat.* Res enim obtenta supra omnem spem, ac desiderium vehementer delectat, ac lætitia replet.

Euthym. *Res obtenta supra spem delectat.*

73. Secundò. D. Chrysolog. serm. 54. *Gaudet*, ait, Zachæus, *quia reus iudicem suffragio humanitatis inclinat, quia cibi, & potus fœnore debitorem suum sibi facit, & acquirit, sic fit, vt quæstum sibi non perdat Publicanus iste, sed mutet.* Cum multo gaudio suscipit Zachæus Dominum, sciebat vberem esse sui hospitij mercedem, agnoscebat iam Diuini Spiritus instinctu Christum Dominum valde pronum esse ad gratiam referendam, si quid enim ab hominibus accipit, statim cum multo fœnore repensat. Hac spe Zachæus Magistrum excipit vehementer gaudens, & hac spe lucrum auget vsura pia. Inuitatur Iesus à Pharisæo ad mensam: *Ingressus domum Pharisæi discubuit*, Luc. 7. n. 36. Accurrit mulier peccatrix, cum multis lachrymis, quod videns Pharisæus turbatur; illum docet Diuinus Magister, quantum gratiarum meruisset mulier scelerum pœnitens. *Simon*, ait, *habeo aliquid tibi dicere*, ibid. num. 40. pro breui hospitio Christus soluit Pharisæo ingens diuinæ instructionis beneficium, vt obseruat D. August. homil. 23. *Ne gratis apud eum panem comederet.*

Chrysol. *Deus humano officio diuinum reddit beneficium.*

Luc. 7.

August.

74. Tertiò. Excipiens Zachæus Christum gaudet, & exultat, quia iam videt domum suam, mensam suam, ac panem suum Deo dedicatum, quod est magna ratio lætandi, ac exultandi. Cum fabricaretur opus tabernaculi, petiuit Moyses ex mandato Dei munera, & ea munera, à quibus nullus etiam paupertimus poterat se excusare, v.g. pilos caprarum, quis enim tam miserabilis, vt quosdam pilos caprarum non valeat exhibere? *Omnis voluntarius*, ait, Moyses, *prono animo offerat ea Domino: aurum, & argentum, & æs, Hyacinthum, & purpuram, & byssum, tortam, & pilos caprarum*, Exod. 35. n. 4. & 5. Ordinauit sic Deus, vt etiam vilis pauper videret aliquid sui in opere tabernaculi, vt hanc exinde perciperet lætitiam, exultationē, ac consolationem, quod aliquid sui videbat in Dei tabernaculo positum, ac dedicatum, quod semper stabat in oculis diuinæ Maiestatis, pro vnoquoque diuinam misericordiam solicitans, & petens. Orig. hom. 13. in Exod. *Iustum est enim*, ait, *vt in tabernaculo Domini inueniatur vnus quisque habere portionem suam. Non enim latet Deum vnusquisque quod ei offerat. Quam glorioſum tibi est, si dicatur in tabernaculo Domini. Aurum istud verbi gratia, quo arca testamenti obtegitur, illius est. Argentum, ex quo bases, & columnæ, illius est: æs, de quo annuli, & candelabrum, illius est: & cætera quaque per singula.*

Magna exultatio ex re sua vsa in templo Deo dedicata.

Exod. 35.

Orig.

QVÆSTIO XI.

Quare Zachæus cum gaudio suscipit Dominum in domum suam, quem tamen venientem Centurio detinet?

RATIO difficultatis est, *Christum excipit audens in domo sua Zachæus*, quem tamen venientem ad Centurionis domum, Centurio ipse refugit, ac eum detinet, dicens: *Domine non sum dignus; vt intres sub tectum meum*, Matth. 8.

75. *Ratio difficultatis.* Matth. 8.

Ad quæstionem eleganter respondet D. Augustin. Epistol. 118. ad Ianuar. cap. 3. & refertur ab Algero l. 1. de Sacram. cap. 22. *Dixerit aliquis*, ait, *non quotidie accipiendam esse Eucharistiam. Quoniam eligendi sunt dies, quibus purius homo, continentiúsque vixit, quo ad tantum Sacramentum dignius accedat. Alius affirmat quotidie.* Respondet S. Doctor: *Faciat vnusquisque, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zachæus, & ille Centurio, cum alter eorum gaudens in domo sua susceperis Dominum, alter dixerit: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.* Nota sequentia verba: *Vnus honorando non audet quotidie sumere, & alter honorando non audet vllo die prætermittere.* Diuersi sunt affectus, ex tamen Religionis affectu procedunt. Zachæus ex amore, ac charitate gaudet Dominum in domo sua recipere, sicut & se habet ille, qui frequenter ad Eucharistiam accedit; Centurio verò ex reuerentia venientem Dominum detinet, & postulat vt domum suam non ingrediatur, *ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo.*

76. August. Algerus.

Ex amore ad Eucharistiā acceditur, ex reuerētia ab illa abstinetur

Ex quo patet quod etiam per actiones quoad nos diuersas virtutis meritum obtinetur. Ecce enim Zachæus gaudens Christum suscipit in domo; è contra verò Centurio eum à se vult declinare, & tamen in virtute, ac perfectione coadunantur. Scribit D. Luc. 6. n. 19. *Quod omnis turba quærebat eum tangere.* Luc. 6. n. 19. scilicet, Petrus verò è contra ait ad Iesum: *Exi à me quia homo peccator sum*, Luc. 5. n. 8. Ecce turba vult ad Christum accedere, ipsumque tangere. E contra verò Petrus ab eo abesse procurat. Turba ex fide, & deuotione, cum eo esse desiderat, vt explicat D. Bonau. Petrus verò vult vt ab eo exeat, ex cultu, & reuerentia, etsi res videatur contraria, vtriusque tamen studium laudabile, ac ex virtute.

77. *Diuersis actionibus sancti coadunantur in virtute.*

Luc. 6.

Luc. 5.

Cum transfiguraretur Iesus in monte Thabor: *Ecce apparuerunt Moyses, & Elias cum eo loquen-*

78. Matth. 17.

Ambros. *Per diuersas virtutes quoad nos idem meritũ fundatur.*

tes, Matth. 17. n. 3. Quod ponderans D. Ambros. lib. 1. de Iacob, & vita beata, cap. 8. ait; *Neque enim minus beatus Elias, quam Moyses, cum alter sibi indignus, melotide vili, sine filiis, sine sumptu, sine comite: alter populi ductor, latus sobole, succinctus potentia, diuerso genere meritum æquale fundarunt. Sicut in Euangelio declaratum est, quando cum Domino in gloria refulserunt.* Pondera sequentia verba: *Videtur enim parem his quasi paribus gloria sua testibus dedisse mercedem.* Valde diuersis meritis eminebant Moyses, & Elias. Parens Elias virgo, & pauper sine sumptu; Moyses vero habens filios, & vxorem, & cum magna potestate populi Dux, & quamuis tam diuerso studio virtutis refulsissent, in perfectione virtutis adunantur; Vnde *videtur parem his quasi paribus gloria sua testibus dedisse mercedem.*

Luc. 19. n. 8. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

VERSIONES.

Syriacus. Stetit autem Zachæus, & dixit ipsi Iesu: Ecce Domine mi, dimidium facultatum mearum do pauperibus: & cuicumque aliquid per iniuriam eripuerim, quadruplum retribuo.

D. Cyprianus. Ex substantia mea dimidium do egenis.

Clem. Alex. Dimidium do in eleemosynam.

D. Laurent. Dimidium bonorum meo-
Nauar. hom. de Pœnit. rum dispergo pauperibus.

Arabicus. Et illi, à quo iniustè accepi aliquid, dedi pro vno quadruplum.

Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 37. Et si cui, quid per calumniam eripui, quadruplum reddo.

D. Greg. Nyss. Et si quem circumueni per calumniam, reddo quadruplum.

EXPOSITIO V.

79. STANS autem Zachæus Christus Dominus ingressus domum Zachæi, cœpit docere, ac dare admirabilem doctrinã, qua Zachæum, ac multos domesticos eius ad fidem, pœnitentiam, paupertatem, ac mundi contemptum adduxit, ac conuertit, vt
Chryſoſt. est communis vox interpretum. Aliter D. Chrysost. infrà citandus q. 13. docet quod Christus tacebat à præsentia tamen eius tanquam à Sole illuminatus est Zachæus. Stans reuerentiæ causa,
Carthus. vt ait Carthus. *Dixit ad Iesum.* Suam conuersionem declarans, & murmur populi, quod ad peccatorem diuertisset, refutans, ac reprimens: *Ecce*
Maldon. Mald. dum ait, *Ecce attentionem exigit*; tanquam rem magnam, & admiratione dignam dicturus, sed quid dixit tanta attentione, ac admiratione dignum, *do pauperibus, reddo quadruplum: si quid aliquem defraudaui.* Certè valdè admiratione dignum, hominem de miseria pauperum diuitem esse misericordem, & ablata vltro restituere dominis suis. *Maldon. Res magna quod diues restituat.*

Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Ponitur præsens pro futuro, sic Zachæus commotus est Christi doctrina, ac exhortatione, vt dicat: *Dimidium do pauperibus.* Hoc est, paratus sum dare, mox dabo. Alterum verò dimidium reseruat non sibi, sed vt iniustè ablata restituat dominis suis. D. Augustin. in Psalm. 126. *Propterea*, ait, *Zachæus sibi tenuit dimidium, non vt haberet, quod possideret, sed vt haberet vnde debita redderet. Magna voluntas multum dedit, multum seminauit.* Et subdit Zachæus: *Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Multa exemplaria habent, *Si quid per calumniam eripui.* Calumnia hoc loco, vt obseruat Euthym. idem valet, ac si quid delationibus, fraude, ac mala arte acquisiui. Et cum ait, *Reddo*, hoc est, paratus sum reddere, mox reddam. *Et si quid aliquem defraudaui*, Rectè D. Chrysost. *Confitetur fraudes: ipse indicat, ac condemnat.* Sic Christi verbis commotus est, vt tanquam vere pœnitens scelera sua confiteatur, & inde sequitur, *Salus huic domui facta est.* 80. Augustin. Euthym. Chrysost. *Ex confessione salus.*

Reddo quadruplum. Bene aduertit D. Chrysost. apud Caiet. Corderij, dicens: *Notandum hic*, ait, *accuratè, Zachæi diuitias non ex sola iniustitia collectas, sed ex paternis facultatibus.* Si enim *ex iniustitia tantum fuissent, quomodo pro iniuste acquisitis quadruplum reddere potuisset?* Cur tamen Zachæus dicit: *Reddo quadruplum?* Theophyl. Euthym. Beda, existimant, quia sic erat determinatũ lege, Exod. 22. n. 1. Sed vt bene notauit P. Anton. de Escobar tom. 2. de Sanct. l. 12. c. 19. sect. 3. n. 9. Lex tantũ citato loco Exodi loquitur de bobus, Zachæus autem non oues, aut boues, sed pecuniam furatus erat. Reddit ergo quadruplum, vt abundè satisfaceret pecuniam ablatam, iniuriam, ac damnum illatum. Theophyl. *Quadruplum reddit*, ait, *vt illius, cui iniuria facta, damnum resarciatur.* Ex quo patet ingens conuersio Zachæi. 81. Chrysost. Theophyl. Euthym. Beda. Exod. 22. Escobar. Theophyl.

QVÆSTIO XI.

Quare Zachæus cum stat coram Christo, non dicitur pusillus, sicut supra de eo dictum est?

SVPRA dixit Euangelista, quod Zachæus *quærebat videre Iesum, quis esset, & non poterat pra turba, quia statura pusillus erat.* Modò verò cum Christũ excipit in domo sua, de illo scribitur, *Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus.* Hic de eius pusilli statura nulla fit mentio; cur antea maturauit scriptor eius narrare pusillitatem, quam in præsenti prætermittit? Ratio prima, & literalis, ideo prætermittitur, quia iam narratum erat, ideo non erat repetendum. Moraliter. 82.

Respondet secundo D. Ambrosius ad hunc locum: *Quid sibi vult*, ait, *quod nullius alterius* 83. Ambros.

staturam

staturam Scriptura, nisi huius expressit? Quia statura pusillus erat. Vide ne fortè malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide. Nondum enim promiserat, cum ascenderet. Expende vltima verba: *Nondum promiserat.* Cum coram Iesu describitur bona sua dans pauperibus, seu promittens dare. *Dimidium bonorum do pauperibus.* Etsi antequam promitteret pusillus dicatur, at verò cum habuit propositum erogandi pauperibus, emisitque mirabilem vocem *do pauperibus*, iam, non pusillus refertur. sed vt maximus stans describitur.

Benevil erogatio magnū facit.

84. Chrysol.

Secundò. D. Chrysologus serm. 54. *Audi, quid ingressus ad peccatorem fecerit Christus; stans, inquit, Zachæus dixit: Vides quomodo erectus est, qui iacebat? Iacemus in vitiis, & iacemus oppressi: stamus cum bonis operibus, erigamur ad profectum* Iacebat Zachæus in vitiis, nam qui in peccatis est, iacet, vt ad illa verba Matth. 9. num. 9. *Vidit hominem sedentem in telonio*, notat D. Chrysologus serm. 29. *Sedebat vtique*, ait, *quia stare non poterat, pondere cupiditatis oppressus: & ipse totus conscientia fraudis incurvus.* At Zachæus cùm Christum excipit hospitio, eius præsentia fruitur, statim omnia feliciter eueniunt, à malis erigitur, animum à terrenis opibus exonerauit, & vt maior, ac magnus coram Domino sistit, ac stat.

Matth. 9. *Iustus stat, peccator cadit.* Chrysol.

85. Matth. 9.

Tertiò. Stabat Zachæus; non sedebat, vt Matthæus, in conuiuio cum excipit Christum, Matth. 9. num. 10. Velut ille alter Pharisæus, qui inuitauerat eum, Luc. 7. num. 36. Zachæus tamen stabat hic præfigurabatur quædam dedicatio, ac consecratio domus, ac basilicæ Christo, & ideo Zachæus iam diuina gratia illustratus non poterat quiescere, ac sedere. Illa enim domus etsi antea fuisset Zachæi, modò vero consecrabatur, ac reædificabatur Christo, & ideo ad eius obsequium stat inseruiens, & ministrans.

Luc 7 *Ad reædificationē templi nō quiescendum, sed ministrandū.*

86. Zachar. 2.

Videt Zacharias cap. 2. n. 1. vnum Angelum statu, ac habitu tanquam architectum: *In manu eius funiculus mensorum.* Quæsitus verò à Propheta, quò abeat cum funiculo illo, respondet ille, *Vt metiatur Ierusalem*, ibidem n. 2. vt in ea templum erigatur, ac construatur. Deinde addit Propheta, quod viderit vnum Angelum egredientem, & alterum in occursum eius. *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & Angelus alius egrediebatur in occursum eius*, n. 3. Cur sic Angeli ad opus se accingunt, cur tanto studio certatim currunt, & volitant? Agebatur de templo ædificando in vrbe, & cum cognoscant Angeli esse opus maximè gratum Deo, vrbem templo condito adornare, ideo tanto studio ardentes se præstant ad opus. Rupert. L. 7. de Victoria Verb. cap. 19. *In ædificatione*, ait, *terrena ciuitatis, & templi, iam opifices volunt videri, séque certatim ingerunt Angeli.* Et notandum, quod ad hoc opus non se exhibent facie hominis, Leonis, bonis, vel aquilæ, vt apud Ezechielem 1. Sed in propria forma Angelorum apparent, tam illustre, ac magnum est templa Deo ædificare, ac erigere, vt potius videatur opus Angelorum, quam hominum, inde ad illud, *Se certatim ingerunt Angeli.*

Ædificatio templorum valde Deo grata, & propria Angelorum.

Rupert.

87. Psalm. 86.

Multa valde gloriosa decantat Dauid de ciuitate Dei: *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Et postea subdit: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthyopum, hi fuerunt illic*, Psalm. 86. n. 4. Quid gloriosius dici potuit de ciuitate Dei, quā quod in ea maximè crescant illi, qui in templo ædificando operam præstant, vt fuerunt Tyri cædentes ligna, ac mittentes ad templi fabricam, ex quo magnam gloriam fuerint assequuti, vt in Ecclesiam Dei ingressi, renati diuina gratia spem habuerint cœlestis patriæ? D. Bruno de laudibus Ecclesiæ, cap. 6. *Gloriosa sunt hæc*, ait, *quæ & iustis, & peccatoribus magnam spem dare possunt, & immensam ferre lætitiam; vis in Ecclesia suscipi? Tyros imitare, quorum opere, & auxilio templum ædificatum est.* Per opus ædificationis templi paratur Tyris ingressus in Ecclesiam Dei, ac fidelium cœtum.

Templorum ædificatio dat ingressū ad Ecclesiā. Bruno.

QVÆSTIO XII.

Quare Zachæus ait: Do, & reddo, *cum potius videbatur dicendum*: Dabo, reddam?

88. QVÆSTIO est, quomodo Zachæus ait: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Zachæus ex arbore festinans descendit, & excepit Christum hospitio. Numquid antequam exciperet hospitio, illas largiebatur eleemosynas, & quadruplum pro debitis soluebat? Sic videtur affirmare D. Cyprianus lib. 2. Epistol. 3. & lib. de opere, & eleemosyna vt refertur à Maldonato; sed S. Patet in alio sensu videtur loqui, & si res ita foret, vt hæc sententia affirmat, non dixisset Christus, *Hodie huic domui salus facta est.*

Cyprian. Maldonat.

89. August. Irenæus. Tertull. Chrysost. Fulgent. Ambros. Beda Theophyl. Bonauent. Iansen. Caietan. Saimeiron. Maldon. Barrad.

Secunda & vera sententia est D. Augustin. in Psalm. 126. D. Irenæi l. 4 cap. 26. Tertullian. lib. 4. contra Marcion, D. Chrysostom. homil. de Zachæo, tom. 2. D. Fulgent. Epist. ad Gallam, & hic D. Ambros. Beda, Theophylact. D. Bonau. communiter sequuntur Commentatores Iansen. Caietan. Salmeiron, Maldonat. Barrad. & alij, quod ponitur præsens pro futuro, vt dixi in expositione, ac proinde idem est, do, reddo, ac mox dabo, & reddam, cum enim indilatè, & sine mora destinaret dare, ac reddere, ideo de præsenti, ait: *Do, & reddo.* Ex quo pulchrè ait Theophyl. *Dimidium bonorum meorum, inquit, do pauperibus, vides alacritatem?* Cum enim Zachæus esset expromptus, ac alacris ad dandum pauperibus, & reddendum creditoribus verè ait, *do, & reddo*, quia efficax, ac alacre votum, ac desiderium ad dandum, meritum donationis anteuertit, & impetrat erga Deum.

90. Chrysost.

Secundò. D. Chrysostomus homil. de Zachæo citatus in Catena: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum, audi mirabile, nondum didicit, & obedit.* Ingreditur Christus domum Zachæi, nec quidquam Dominus locutus fuerat, vnde iste habuit tantam Philosophiam, vt statuat dare dimidium, & reddere quadruplum? *Nondum didicit, & obedit.* Ecce ingens effectus gratiæ; priusquam misericordiam in pauperes, ac iustitiam in creditores didicerit, eas opere implet, & exequitur: nondum Christianæ benignitatis discipulus erat, & iam opere Magister euadit? nondum consilia Euangelica audierat de elargiendo pauperibus, nec præceptum restituendi creditoribus, & tamen hæc anteuertit, & omnia opere implet.

Ingens gratia ante præceptum assumpta solui debiti.

91. Fatua vanitate venit Goliath in singulare certamen, cui obuius factus Dauid, dixit ei: Tu veluis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo ego

ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israël, quibus exprobrasti hodie. Et subdit: *Dabit Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te*, &c, 1.Reg.17. *vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël*, 1.Reg. 17.num.46. Quid dicis Dauid? Adhuc prælium non est commissum, & tu iam canis victoriam, Deúmque victorem prædicas, illíque das gloriam? *Vt sciat omnis Ecclesia, quia est Deus in Israël.* Eleganter D. Basilius Seleuc. oratione 15. Basil Sel. *Gratus seruus, qui vel ante operam, opera fructum offert Deo.* Ecce ingens fructus gratiæ, quod ante acceptum donum, doni accepti Deo gratiam refert, parum erat ingenti animo Dauid, quod post adeptam victoriam Deum glorificaret, hoc enim est debitum persoluere, vt tenebatur, at solutionem debito anteuertere, vt prius inueniatur gratus, quam gratitudini obnoxius, hoc valde magnum, & mirabile est. *Gratus seruus, qui vel ante operam; opera fructum offert.*

Dauid prius gratus, quam gratitudini obnoxius.

QVÆSTIO XIII.

Quare Zachæus dat dimidium suarum rerum pauperibus, & prius de hoc agit, quam de restituendis, quæ defraudauerat?

91. *Ingens conuersio Zachæi.*

IN limine huius quæstionis notanda est ingens conuersio Zachæi, qua dimidium suarum rerum elargitur pauperibus, & alterum dimidium restitutioni addixit; subitò Euangelicæ paupertatis consilium est amplexatus, relictis enim omnibus Christi pauper effectus, vel mendicato, vel labore manuum sibi parat. Ad quæst.

93. Chrysost. Primò respondet D. Chrysostom. apud Corderium in Lucam, *Vide miraculum, nondum edoctus est, & obedit; nondum didicit, & custodiuit, nihil adhuc dixerat Saluator, nec quidquam de eleemosyna præceperat sed silebat, & quiete illuminabat. Et sicut Sol per radios infusus in domum non illustrat verbo, sed opere: ita Saluator radiis iustitiæ fugat nequitiæ caliginem, nam lux in tenebris lucet quapropter Zachæum dixit: Dimidium bonorum meorum*, &c. Quamuis Christus taceret, & nihil diceret, tamen veluti sol radiis suæ præsentiæ Zachæum illuminat, vt vniuersa sua bona in pauperes, ac debitores expendat.

A præsentia Christi illuminatur Zachæus.

94. Chrysol. Secundò. D. Chrysol. serm. 54. *Qui Christum videre quaris, cœlum vnde Christus est, non terram, de qua aurum est, intuetur. Dives ergo, qui sursum respicit, non portas diuitias, sed proculcat; non incurvatur diuitiis, sed leuatur.* Christus Dominus vt ait citatus Chrysologus, *Zachæum respexit ad gratiam.* Ex quo Zachæus sursum oculos leuauit in cœlum, & Christum respexit, inde factum est, vt omnia mundialia despiceret, ac paruipenderet: qui enim verè Christum contemplatur, totus mundus ei viresci, omniáque illius ei contemptibilia apparent. *Dives ergo, qui sursum respicit, non portas diuitias, sed proculcat.*

Ex quo Zachæus Christum vidit, omnia contemnit.

95. Bostiens. Tertiò, Titus Bostrensis: *Vt primum*, ait, *Zachæus Christum Dominum citra gaudium in domum suam excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum, & eo mox iustitiæ amore inarsit, vt in quadruplum ea se reversurum spoponderet.* Vnde factum est, vt ille, qui omnes spoliabat, tam largiter bona sua det pauperibus, tam largiterque ablata in quadruplum restituat. Cum Zachæus Christum excipit in domo sua, cœpit illius esse discipulus, ad Christumque pertinere, illiúsque vestigia sequi, inde factum vt omnibus suis vale diceret, hominibúsque esset valde salutaris, ac proficuus; qui enim vestigia Christi tenet, omnia renuntiat, cunctísque est in commodum, ac salutem.

Qui Christi sit discipulus, mundialia spernit.

Quartò. D. Chrysostom. homil. de Zachæo: 96. Chrysost. *Accepit*, ait, *domus Zachæi salutem ex fide, quam perdiderat aliquando ex fraude. Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat: conferunt dona, quod fraudes ademerant. Dona enim pauperum lucra sunt animarum: vt probabile cunctis existeret, malis quæstibus, damna in misericordiæ operibus dona maxima aggregare.* Zachæus videtur in suis verbis totum ordinem inuertere, prius enim dicendum erat reddo creditoribus, deinde do pauperibus, siquidem prius, & grauius vrget obligatio, quam largitas ex pietate; sufficiens erat, vt restitutis fraude ablatis, quæ superauerant, in eleemosynas expenderet. Cur opus consilij anteponit præcepto? *Conferunt dona, quod fraudes ademerant.* Prius dat dimidium pauperibus vt liberalior, ac largior fieret restitutio, pio fœnore sperabat ex eleemosynis diuitias in multum crescere, vt ergo valeat non simplum, sed quadruplum restituere, prius dimidium bonorum statuit in pauperes expendere, vt inde opes multiplicentur in quadruplum, vt creditoribus restituat. *Misericordia reddidit, quod rapina abstulerat, conferunt dona quod fraudes ademerant.*

Ex eleemosynæ opes multiplicantur.

Quintò. D. Chrysostom. homil. 84. in Matth. 97. Chrysost. ponderans ornatum domus, qua Zachæus Christum excepit hospitio, sic ait: *Non curriculo ad vicinos contendit, mensas, sedes, subsellia petens eburnea, nec extraxit de locellis Laconica quædam mensarum velamina, sed ornatu Christo gratissimo decoranit. Quod porrò ipsum?* Dimidium bonorum meorum dos pauperibus. *Sicque nos domos nostras exornemus, vt Christum suscipere mereamur.* Non pretiosa supellectili, non texturis, tapetibus, ac telis domum adornauit; sed eleemosynis pauperum; sciebat enim iam diuina gratia illustrante talem ornatum gratissimum esse Domino, & inde ab eo meruit audire, *Hodie huic domui à Deo salus facta est.*

Eleemosyna pauperis gratissimus ornatus Christo.

Cum Christus Dominus triumphali, & regia 98. pompa, ac maiestate ingrederetur Ierosolymam, multi ex turba *cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*, Matth. 21.n. 8. Qui rami erant Matth.21. oliuarum, vt notant communiter interpretes, siquidem mons Oliueti, de quo ibi est sermo, oliuis consitus erat, & cur huiusmodi ramis viæ adornantur Christo? D. Drogo de Dominicæ Passionis Sacramento: Drogo. *Egredere*, ait, *cum pueris Hebræis, qui transeant simpliciter in occursum Domini, sterne in via ramos oliuarum, vt opera misericordiæ, pedibus eius accommodes.* Rami oliuæ, quæ est misericordiæ, ac pietatis symbolum, sternuntur in via pedibus Christi, nullus enim ornatus gratior, ac aptior Christo, quàm pietas, ac misericordia in fratres, ac proximos, *opera misericordiæ pedibus eius accommodes.* Vide multa verbo *Eleemosyna*, in Indice.

Misericordia sternitur via Christo.

Luc.19 n.9. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est:

est: eo quod & ipse filius sit Abrahæ.

Num. 10. Venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere, quod perierat.

VERSIONES.

Arabicus. Hodie conuenit salus habitatoribus hulus domus.

Syriacus. Facta est salus huic domui: eo quod iste quoque est filius Abraham.

Vatablus. Salus domui huic obtigit,

Theophyl. eo quòd, & ipsa filia sit Abrahæ.

Vatabl. n. 10. Venit enim filius hominis quæsitum, & seruatum, quod perierat.

EXPOSITIO. VI.

99. AIT *Iesu ad eum.* Ad verba nempe eius respondens, nam ad ipsum Zachæum, & ad discipulos, ac populum circumstantem loquitur Dominus, quia hodie; hac nempe die, qua ego ingressus sum in hanc domum: *Salus domui huic facta est.* Illius nempe conuersio, ac iustificatio; & cum ait Christus Dominus, *Hodie salus facta est.* Significat domum antea fuisse plenam vitiis, & rapina. Euthym. *salus facta est, electa perditione, qua in ea morabatur*, propter auaritiam, & iniustitiam. Per domum Theophylactus, Maldonatus, solum Zachæum interpretantur, nam salutis factæ ratio innuitur, *Ego quod filius sit Abraha.* Tamen Euthymius, D. Bonauent. Carthusian. Hugo, Caietan. & communiter Recentiores per domum totam familiam, ac domum Zachæi, provt sonat litera, intelligunt; nam salus à capite in totum corpus extenditur, & facta sanitate in capite, omnia membra componuntur, & fiunt sana, superioris sanctitas in totam familiam transfunditur. *Eo quod ipse filius sit Abraha.* Græca exemplaria habent in fœmineo genere, ac si ipsa dictio referatur ad totam familiam. Tamen nostra lectio sequenda est, eo quòd ipse, scilicet Zachæus filius sit Abrahæ, non solum genere, sed etiam fide, ac probitate, cuius exemplum tota eius familia est imitata.

Euthym. Theophyl. Maldonat. Euthym. Bonauent. Carthus. Hugo. Caietan. Græcus.

100. *Venit etiam filius hominis.* Duo in præsenti se obtulerunt. Vnum obmurmuratio populi, quod ad hominem peccatorem diuertisset; alterum verò salus domus Zachæi; Christus tamen prius respicit salutem domus Zachæi; deinde obiectioni contra se factæ occurrit; anteponens hominum salutem, ac commodum suæ opinioni, ac famæ. Deinde voluit Dominus prius respondere opere, quàm verbo. Nam obmurmuratis, quod ego ad hominem peccatorem diuerterim. Nam Zachæum qui publicanus, & auarus erat, meo ingressu ad omnium rerum contemptum, ac paupertatem Euangelicam traduxi. *Venit filius hominis.* De seipso loquitur per tertiam personam modestiæ causa, *Quærere, ac saluum facere*, vt ad salutem, ac iustitiam reducat; quod perierat: perditum nempe erat.

Christus prius curauit nostra salutem, quam sua opinionem.

QVÆSTIO XIV.

Quare ait Christus, quod salus domui Zachæi facta est?

AMPLIFICAT Dominus beneficium, & ait, quod non solum vni Zachæo salus facta est, sed etiam vniuersæ eius familiæ; non enim vni, sed pluribus sua dona communicat. Heri sui exemplum sequentes, conuerso Zachæo diuina gratia operante, conuersi fuerunt domestici eius, ac tota illius familia; sic dicitur: *Credidit Regulus, & tota domus eius*, Ioan. 4. num. 53. Sic cùm exirent mirabiliter de carcere Paulus, & Silas: Ipse custos carceris *baptizatus est, & domus eius*, Actor. 16 n. 33. Sic & Crispus Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, Actor. 18. n. 8.

101. *Deus pluribus communicat bona sua.* Ioan. 4. Actor. 16. Actor. 18.

Respondeo primò ad quæstionem. Facta est salus. Ob nimiam contritionem, emendationem, ac eleemosynas Zachæi, quibus Diuini Spiritus influxu ipse purificatus est. D. Laurent. Nouar. homil. de Pœnitent. *Sufficit tibi*, ait, *exemplum publicani istius, qui miserabiles actus transacti temporis per eleemosynam, quasi per flumen indulgentiam traxit, sèque auaritiæ laqueo per erogationem eripuit.* Exiuit à via, ac tramite vitiorum per eleemosynas, quæ tantæ salutis fuerunt causæ dispositiuæ.

102. *Eleemosyna liberatur à vitio.* Laurent.

Secundò. D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 8. *Festinauit Dominus*, ait, *ad beneficium, & ideo non expectauit, vt promitteret, & impleret omnia, sed antea fecit, postea declarauit; dicit enim facta est salus: quod prauenienti seruit, non promittenti.* non dicit Dominus, facienda est salus, sed facta est, à promissione abstinet, & opus misericordiæ impensum dicit, prius factis declarat, quàm verbis, prius ostenditur opus, quam sermone manifestet, non promittit, faciam, sed factum exhibet. Vide supra cap. 35. n. 63.

103. Ambros. *Ingens beneficium declaratur, non promissione, sed opere.*

Tertiò. Cum ingreditur Christus domum Zachæi, tota ipsa domus videtur ei dedicata, & consecrata, & inde tantum sibi Deum placauit, ac reconciliauit, vt multam benignitatem, ac misericordiam ei impenderet, ac concederet. Extremam vastitatem, ac desolationem minatur Christus Dominus Ierusalem: *Ierusalem, Ierusalem, qua occidis Prophetas*, & concludens adiecit. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matth. 23. n. 38. & statim subsequitur: *Accesserunt discipuli eius, ostendentes ei ædificationes templi*, c. 24. n. 1. Ad quid post tam graues minas discipuli deducunt, vt videat expolitos lapides, artificum opera, maiestatem, ac amplitudinem operis: Nunquid ad maiorem mœstitiam, ac dolorem ingerendum? Minimè, sed vt aspectu tantæ templi maiestatis, ac ædificij Deo consecrati Magistrum discipuli placarent, ac ad pietatem flecterent. Caietan. *Quia audierant discipuli*, ait, *ecce relinquetur domus vestra deserta.*

104. Matth 23. Matth. 24. *Templo dedicato maximè placatur diuina ira.* Caiet.

QVÆSTIO XV.

Quare Zachæus dicitur Abrahæ filius?

DIVVS Basilius citatus in Catena Græca existimat, quòd Zachæus Cananæus erat,

Tunc quis filius sui patris declaratur, cum eius virtutes imitatur.

ac proinde quod relicto vitili genere, paternoque cultu, promeruit Abrahamidum familiæ addi, indéque maximè sese ipsum extulit; ac sublimauit. Sic ait S. Doctor: *Exibat & ipse de terra, & de cognatione sua, & de domo patris sui, egressio enim longè, perfectissima ascensio est.* Tamen Zachæus genere Iudæus erat, vt dixi q. 1. Dicitur autem filius Abrahæ, quia eius fidem, iustitiam, ac charitatem, & sanctitatem est imitatus, vt ait

Chrysost. D. Chrysostom. homil. de Zachæo: *Fit Zachæus*, ait, *Abrahæ filius merito, non sobole: deuotione, non stirpe.* Vt dixi quæst. 1. & notanter dicitur *ipse*, Eo quòd ipse. Tunc enim quis declaratur filius sui patris; quando eius virtutes tenet, & amplectitur. Vide verb. *Filius*, in Indice.

105. Chrysost. *Diuitiæ ita sunt homini in æstimatione, ac filius vnigenitus,*

Secundò respondet ad q. citat. D. Chrysost. *Abraham*, ait: *Domino filium: Zachæus substantiam obtulit, ille hæredem, hic hæreditatem donauit. Ille immolandum solum, quod habuit pignus exhibuit, hic patrimonij substantiam Domino immolauit; vnde rectè Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ exequitur.* In quonam Zachæus similis est merito, ac deuotioni Abrahæ? Illustrissimum facinus Abrahæ extitit proprij filij immolatio, quod abundè celebratur in omni Scripturarum serie; quodnam ergo meritum simile apparet in Zachæo, vt valeat Abrahæ comparari? *Abraham Domino filium, Zachæus substantiam obtulit.* Animositas, qua Zachæus dimidium suarum rerum dat pauperibus, ac vltro in quadruplum restituit debitum creditoribus, consimilis videtur illustri facto, quo Abrahamus Patriarcharum princeps, vnigenitum filiuum suum immolat; tanto amore, ac affectu homo ad propriam substantiam tenetur, vt animositas, qua suas res dimittit, ac à se abiicit, videatur posse comparari illustri facinori, quo Abrahamus proprium filium in holocaustum offert.

106. Beda. Tertiò. Beda libro 5. in Lucam cap. 77. *Filius Abrahæ dicitur*, ait: *Zachæus, quia eius est fidem imitatus, vt sicut Abraham terram, cognationem, domúmque paternam ob spem futuræ hæreditatis Domino iubente deseruit; ita & ille, quo thesaurum in cœlis acquireret: & pulchrè dicit, & ipse, vt non solum eos, qui iusti perseuerant, sed & eos, qui ab iniustitia respiscunt ad filios promissionis pertinere declaret.* Abrahamus iustus, Zachæus publicanus, quomodo ergo filius Abrahæ? Sic enim Zachæus

Peccator pœnitens ita Deo charus, ac iustus. per pœnitentiam mundatus est, ac restitutus suo antiquo honori, super niuémque dealbatus, vt numerari mereatur inter sobolem iusti, ac sancti Abrahæ. Non solum inter filios Abrahæ computatur purus, & innocens Isaac, sed etiam Zachæus licet publicanus, per pœnitentiam tamen mundatus; decorem enim, quem iustus habet per suam innocentiam, habet & conuersus per pœnitentiam. *Non solum eos, qui iusti perseuerant, sed & eos, qui ab iniustitia respiscunt, ad filios promissionis pertinere declarat.*

107. Osee. 2. Ad animam Deo marito infidam, quæ cum falsis amoribus prostituta fuerat, reuocatam tamen humanissimè loquitur Deus. *Et sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide*, Osee 2. n. 19. Nonne hæc corrupta, & deficiens à viro suo cum multis amatoribus fornicata est? quo ergo pacto sponsa futura pronuntiatur? Nam sponsa dicitur, cui flos virginitatis intactus perseuerat; dicendum ergo videbatur, non desponsari, sed reconciliari; nam inter homines si sponsa violat leges matrimonij cum ad virum reuertitur, non desponsari sed reconciliari affirmatur. Et si hoc sit in coniunctione humana, tamen in spirituali matrimonio, quod per comparationem gratiæ sanctificantis fit, sic suum decorem amissum recuperat anima, vt non tanquam corrupta, ac violata reconciliari, sed veluti virgo pulchra, & decora desponsari reputetur, ac iudicetur. D. Hieron. ad citat. locum Oseæ: *O quanta clementia Dei*, ait, *meretrix, quæ cum multis amatoribus fornicata est, & ob hoc crimen bestiis tradita, postquam reuertitur ad virum, nequaquam reconciliari dicitur, sed desponsari: & vide, quid interfit inter Dei coniunctionem, & hominum; homo cum vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id est, non virginem, Deus etiam meretricibus copulatus mutat in virg. Vnde, & Apostolus post fornicationem, & idolorum cultum credentibus Corinthiis loquitur. Desponsi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Vide multa verb. *Pœnitens*, in Indice.

Per pœnitentiam decoratur homo, vt innocens.

Hieron.

Series Historiæ.

108. Hieron. Remigius. Abulens. Iansen. Barradas. Luc. Burg. Cornel. D. Hieron. D. Paschas. lib. in Matth. D. Remig. Abulens. quæst. 1. & 2. volunt ingressum triumphalem in Hierusalem fuisse immediatè consequens ad historiam præcedentem de Iericho, ac Zachæo; tamen communiter Iansenius, Barradas, Lucas Burgens. Cornelius, & alij in suis itinerariis; hic interponunt historiam de vnctione Magdalenæ in domo Simonis Leprosi, quam D. Matthæus 26. & D. Marcus c. 14. tanquam præludium ad Christi Passionem, ideo ordinem D. Matth. ac Marci sequentes ad exordium libri sequentis explicabimus.

CAPVT XL.

Triumphalis ingressus in Ierusalem.

Matth. 21. *num.* 1. Et cum appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti: tunc Iesus misit duos discipulos.

Num. 2. Dicens eis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: soluite, & adducite mihi.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Venissétq; Bethphage iuxta verticem montis Oliuarum: misit Iesus duos ex discipulis suis.

Syriacus n. 2. Et dixit eis: Ite in vicum istum, qui vobis est è

regione

regione, & statim inuenietis asinam vinctam.

Pagninus. Ite in oppidum.

Lucas. Burg. ex Graco. Quod ex opposito est.

Alter Textvs.

Marc. 11.*n.*1. Et cum appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ ad montem Oliuarum, mittit duos ex discipulis suis.

*Num.*2. Et ait illis: Ite in Castellum, quod contra vos est, & statim introëuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: soluite illum, & adducite.

*Luc.*19.*n*29. Quasi idem habet cum D. Marco.

EXPOSITIO. I.

1. Hieron. DIVVS Hieron. Egreditur de Iericho, ait, turbis eductis inde quamplurimis, & cæcis reddita sanitate, appropinquat Ierosolymis, magnis ditatus mercibus: salute credentium reddita. In Iericho Christus duos cæcos illuminauit, in itinerèque Zachæum cum tota familia conuertit; en festiuissimi Christi triumphi causa, quod magnis fuerit ditatus mercibus salute hominibus reddita, ac pro omnium salute, ac remedio ingrediatur Ciuitatem.

2. *Et cum appropinquassent Ierosolymis.* Cum Iesus, ac comites eius non procul abessent ab Ierosolyma Et nominatur, vt aduertit Albert. Magn. pluraliter, Ierosolymis, quia Metropolis erat, vel propter multitudinem habitantium, vel quia propter suam iniquitatem in multas partes erat diuisa, & minimè sibi constans. Et venissent ex proxima Bethania vbi Christus cum suis discipulis superiorem noctem degerat, Ioan. 12. num. 1. *Bethphage.* Vicus erat, vt tradunt communiter interpretes, Iansenius, Sà, Menoch. Tirinus, ad pedem montis Oliueti, sic dictus, quia oliuis abundabat. Erat autem vicus Bethphage propinquus Ierosolymæ, & Bethaniæ; & ideo ait D. Marcus: *Cum appropinquarent Ierosolyma, & Bethania.* Et D. Lucas, *Cum appropinquassent ad Bethphage, & Bethaniam.* Erat enim Bethphage vicus propinquus Bethaniæ, & Ierosolymæ, qui ergo venerat Bethphage, proximus erat tum Bethaniæ, tum Ierosolymæ.

Alb. Magn. Ioan. 12. Iansen. Sà. Menoch. Tirin.

3. Luc. 10. *Misit duos ex discipulis suis.* Nam Christus Dominus misit suos discipulos binos, Luc. 10. De quo vide tom. 3. cap. 18. quæst. 7. Quod enim ipse mandauit, suis factis adimplet. Deinde, vt ait Abulens. quæst. 7. quia quando duo sunt, vnus alteri testimonium perhibet, & quia ad conditionem actus, aptiores erant duo, quam vnus, nam Christus mandauit afferre asinam, & pullum, quod aptius facerent duo, quam vnus. D. Thom. ait, quod misit eos binos propter duo præcepta charitatis. Quinam essent hi duo discipuli, D. Hilar. D. August. D. Chrysost. in Imperfecto, Beda, Glossa, existimant hos duos fuisse Petrum, & Philippum. Origenes verò, & Theophylact putant fuisse Petrum, & Paulum in figura, ac typo. Hi ad Gentes erant mittendi, nondum enim Paulus conuersus erat ad Christum. Verisimilius verò Iansen. Cornel. & alij Recentiores, hos duos fuisse Petrum, & Ioannem, quos paulo post Christus præmisit ad parandum Agnum Paschalem; nihil tamen certò in hac re potest definiri.

Abulens. D. Thom.

Quinam essent hi duo discipuli. Hilar. August. Chrysost. Beda. Glossa.

Dicens: Ite in Castellum, pagum nempe, seu vicum, *quod contra vos est.* Ex regione, seu opposito vestri est. *Statim inuenietis:* in ipso introitu Castelli, ad primásque eius domos inuenietis: qui diuina mandata exequitur, statim ei omnia occurrunt, ac sunt in promptu. *Asinam alligatam.* Per quam denotatur humanum genus peccatorum vinculis detentum: *In anima peccatrice*, ait D. Hieron. multa vincula peccatorum. *Et pullum*, asinæ scilicet, vt adimpleretur prophetia Zachariæ; de quo multa dicam infra. Addunt tamen D. Marcus, & Lucas: *Super quem nemo adhuc hominum sedit*, Syrus, pro *sedit*, legit *equitauit*, qui adhuc erat rudis, & inexpertus humano sessore. Ecce Christus Dominus suæ diuinitatis præbet argumentum, eiusdem enim virtutis, scilicet diuinæ est, prædicere futura, ac absentia intueri, & reuelare, qua etiam virtute Christus vidit, & reuelauit ea, quæ Nathanaël secretò egerat sub ficu. Ioan. 1. n. 48.

4. Hieron. Syrus. Ioan. 1.

Qvæstio I.

Explicatur vicus Bethphage litteraliter ac moraliter?

5. Ioan 11. *Situs Bethphagæ.* Iosephus. Hieron. Paschas. Haymon.

BETHANIA, vt ait D. Ioan. 11. distabat ab vrbe Ierusalem quindecim stadiis, id est, duobus milliaribus, quæ mediam leucam efficiunt. Bethaniæ viculus Bethphage propinquus erat, qui ad radices montis Oliueti situs extabat, quinque stadiis ab vrbe Ierosolyma distans, vt tradit Iosephus lib. 20. Antiquitatum, cap. 6. & lib. 6. de bello cap. 3. Hic autem vicus Bethphage constitutus erat in orificio, seu in ore vallis Iosaphat. Vt docent D. Hieron. in cap. 26. Matth. D. Paschas. Haymon, & alij. In hac autem valle Iosaphat erat via, quæ deducebat ad portam auream templi: per hanc autem vallem, qui reseruatus est extremo iudicio, voluit Christus ingredi cum regali triumpho in ciuitatem, ad mortem, vt innueret in tremendo iudicio exactam rationem esse sumendam ab eis, qui mortem, & passionem Christi contempserunt, vt vitam, & salutem sibi comparent.

6. *Bethphage vicus Sacerdotum.* D. Thom. Hieron. Adricom. Iansen.

Bethphage vicus erat Sacerdotum, nam peracta vice, & hebdomada sua ministrandi in templo, vt docet D. Thomas, ad hunc viculum sese recipiebant Sacerdotes. *Ibi habitantes*, ait, D. Hieron. citatus, *cum vxoribus, filiis, filiabus, comedebant decimas, & primitias, & oblationes, quas in templo Domini populus offerebat Deo.* Tradunt etiam Adricom. Iansen. & alij, in hoc oppido agnos, capras, & boues pro sacrificiis templi ali solitos, ex eo quòd consuetum erat Agnos Paschales deduci ad victimas offerendas in templo: hácque de causa ex Bethphage Christus dispoſuit

disposuit deduci per portam auream in Ierusalem, ac templum, se esse Agnum illum, qui tollit peccata mundi, quem cæteri Agni Paschales præfigurabant.

7. Hieron. Ammonius. D. Thom. Drumarius. Bethphage, vt volunt D. Hieron. in cap. 26. Matth. Aminonius, Origenes, D. Thomas, ex Hebræo idem valet, ac domus maxillarum, quia inquiunt ipsi, hostiæ maxilla erat portio Sacerdotis. Drumarius domum maxillarum, vult appellatam villam, propter capita arietum, & hircorum, quæ ibi iacebant. Pagninus, D. Bonauent. Haymon, Hugo Lucas Burgens. Tirinus, dicunt quod Hebraicè Bethphage idem est, ac domus otis, seu in ore vallis; vnde Christus Dominus ex Bethphage vadit in Ierusalem, quæ significatur visio pacis, seu societas bonorum; ex Bethphage venit in Ierusalem vt significetur, quod per domum confessionis ascenditur in domum pacis, & quietis; & bene Bethphage notatur vicus situs in monte Oliueti, vbi erat abundantia olei, quia vbi est confessio, ibi est abundantia misericordiæ, & pietatis diuinæ. Vide multa verb, *Confessio*, in Indice.

Pagnin. Bonauent. Haymon. Hugo.

Ex confessione misericordia, & salus.

Qvæstio II.

Quare discipuli mittuntur ad Castellum quod contra eos erat?

8. Lyran. Abulens. Magister. Carthus. Hugo. Barrad. Adrichom. Ianseu. Caietan. Maldonat. HOc Castellum ad quod discipuli mittuntur, Ierusalem esse volunt Lyranus, Abulens. quæst. 10. Hugo Cardinalis, Magister historiæ Ecclesiasticæ. Carthusian. & alij. At Castellum hoc loco non significat arcem, vel vrbem, sed viculum, seu pagum, vt vox Græca, vt notat Barradas, qua Euangelistæ vtuntur, significat Deinde Castellum, in quod discipuli mittuntur, è regione illorum, ac in aspectu erat. Ierusalem verò ex loco, in quem Christus peruenerat, nondum cernebatur: ergo non erat Ierusalem. Erat ergo Castellum hoc vinculus aliquis ante eos, vt volunt Adrichomius, Ianseuius, Caietanus, Maldonat. cuius nomen Euangelistæ omittunt.

9. Geometra. Pro moribus non omittam notare, quod Ioannes Geometra in Catena Græca existimat hoc Castellum, ad quod discipuli mittuntur fuisse Bethaniam. Vnde ait: *Illuc enim vbi obedientia, vbi locus Sacerdotib. mancipatur, mittit Dominus Apostolos suos, vt soluant asinam pullum.* Potius Christus mittit in Bethaniam, quam in alium locum; Bethania enim domus obedientiæ significatur, ideo pro significatione ad illam destinat discipulos, quia solum in illis, qui in obedientia viuunt, & seruiunt, Dominus amat triumphare, ac regnare.

Christus in obedientibus regnat.

10. *Christus consulebat mysterio, non commodo suo, ac suorum.* In hac sententia Geometræ insurgit magna difficultas: Christus profectus est ex Bethania, cur ergo secum non adduxit asinam, & pullum, sed pro eis adducendis ex Bethphage mittit discipulos? Vt agnoscamus Christum Dominum non suo, ac suorum commodo seruire, sed mysterio: non labori corporis consulit, sed adimplendæ prophetiæ studet, per asinam, & pullum denotabatur genus humanum, quod missis Apostolis in totum orbem erat soluendum ex iugo Dæmonis, & adducendum ad Christum, de quo infrà. Deinde etiam, vt patefieret eximia discipulorum obedientia, qua Domini mandatis minimè ea discutientes, obediebant; & vt etiam nota fieret promptitudo, ac obedientia Domini animalium, nam cognita Christi necessitate, quamuis esset absens in Bethphage, tamen statim obedit, & sua ob eius amorem dimittit.

11. D Thom. *Mundus contra Christi discipulos.* Et ait Dominus: Ite in Castellum, *quod contra vos est*; quoad literam, in Castellum eos mittit, quod ex regione, ac ex oppositio erit, & etiam ad significandum, ait D. Thomas, quod mundus denotatus per Castellum, ad quem suos mittebat, contra eos erat. *Eunte in mundum vniuersum, & iste erat*, ait D. Thom. *contra vos*

12. Bernard. Aliter D. Bernardus serm. in Ramis Palmarum de proprio Euangelio in codicibus denuo impressis. Per Castellum intelligit superbiam, & elationem: *Castellum*, ait, *quod contra discipulos Christi est, anima est peccatrix, qua per elationem internis, & spiritualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria est. Talis anima turrim elationis habet.* Per duos illos discipulos à Christo missos, intelligitur charitas, vt dixi in expositione, duo enim sunt præcepta charitatis; per castellum ergo, *quod contra vos est*; denotatur elatio, ac superbia, nihil enim magis est contrarium diuino amori, ac charitati, quam elationis tumor, & ideo suis discipulis, quos in charitate diuinus Magister instruebat, ait quod elationis Castellum contra eos est, vt vere charitatis spiritu alta fugiant, & humilia quærant.

Christus humilia quærit, alta fugit.

13. Psalm. 44. *Omnis gloria eius filia regis ab intus, in fimbriis aureis*, Psalm. 44. num. 14. decantatur gloria filiæ regis, seu animæ sanctæ; dicitur, *Ab intus*. Sed vt legit D. Hieronym. in quibusdam exemplaribus, vt refert Lorinus: *Ex cogitationibus*. Et dicitur, *In fimbriis aureis*. Hoc est, in ore, seu extremitate vestimentorum. Cur gloria, ac celsitudo animæ iusti non celebratur ex diademate capitis, vel ex monilibus collo appensis, seu ex candido, ac aureo indumento, vt sæpè inuenimus in Apocalypsi, sed eunlgatur eius gloria in fimbriis, quibus sæpè sæpius instar scoparum pauimentum verritur? Ex hoc sanè gloria, celsitudo, ac nobilitas animæ sanctæ decantatur, *Ab intus* seu *ex cogitationibus*, quod eius cogitationes non sint in rebus altissimis, vt in diademate, ac monilibus; sed quod ita sit succensa auro charitatis, vt omnes eius cogitationes sint in fimbriis, in extremitatibus, ac abiectissimis ministeriis occupentur, vtque semper versetur in rebus despicatissimis, ac infimis diuini obsequij. D. Chrysost. homil. 33. in Epist. 3. ad Corinth. *Charitas non magnum quærit, non altissimum sapit, sed paruum, ac infimum cogitat.*

Hieron. Lorin.

Charitas tota prossa in humilia, & abiecta. Chrysost.

14. Syriacus. Cantic. 3. Maximè celebratur Salomonis ferculum, seu vt habet Syriacus: *Thronus*, torus, seu lectus, alij legunt, dicitúrque de eo: *Media charitate constrauit*, Cantic. 3. num. 9. Ex radice Hebraica. Media non conuenit cum charitate, sed est in accusatiuo. Et legitur, *Medium charitate constrauit*; Ghislerius posit. 1. seu vt alij legunt, *Medium eius incensum charitate*. Medium hoc charitate ornatum, intelligitur ferculi pauimentum, vt tenent D. Gregor. Nyssen. homil. 7. Catena trium Patrum, apud Theodoret. Cur tamen à sapientissimo Salomone, charitas, quæ inter cæteras virtutes est regina, ac prima, non depingitur in superiori parte ferculi in tecto, seu columnis, sed in pauimento, quod pedibus teritur? Hoc est proprium charitatis ingenium, vt semper ab altis fugiat,

Ghisler.

Greg. Nyss. Catena triú Patrum.

fugiat, & humiliora, ac inferiora petat, semperque calcandam aliorum pedibus sese submittat; vnde ad Christi humilitatem ex summa charitate profectam præsentem locum sic adaptat Aponius ad cap. 3. Cantic. *Media charitate constrauit*, ait, *humiliando se charitas Dei, vsque ad ignominiam crucis pro sua maiestatis imagine reparanda; hæc est vtique constrata charitas, quæ calcata nunquam cedit. sed alios erigit sua humilitatis exemplo.*

Aponius.

QVÆSTIO III.

Quare asina dicitur alligata, & pullus cum ea?

15. EXPENDENDVM est id, quod ait Dominus suis discipulis: Inuenietis asinam alligatam in præsepio, nempe Domini sui, & pullum cum ea. D. Hieronym. Beda, Albert Magn. D. Bonau. & alij, inquiunt quod asina illa erat natura humana, alligata peccati vinculo; notandum, quod dicitur, *Inuenietis asinam alligatam, & pullum*; bene simul cum asina alligata, est pullus: quia cum asina alligata est peccato, nisi per pœnitentiam resurgat, statim plurimorum est fœcunda, multaque alia edit, ac parturit.

Hieron. Beda. Alb. Magn. Bonauent. *Vnum peccatum aliud parturit.*

16. 4. Reg. 17. De idololatria filiorum Israël conqueritur Dominus, dicens: *Ambulauerunt iuxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel*, 4. Reg. 17. n. 8. Scilicet ambulauerunt iuxta ritum Chananæorum eorum idola adorantes: sed quare obiicitur tantum Israëliticis, quod adorauerint idola Chananæorum, cum planum sit, quod etiam coluerint idola Damascenorum. 4. Reg. 16. num. 12. & etiam Assyriorum, Chaldæorum, ac Ægyptiorum idola coluerunt? Merito ergo quærit Abulensis q. 7. ad 4. Reg. c. 17. Cur ergo solum in crimen ponitur contra Israël cultus idolorum Chananæorum, non verò aliarum nationum, cum in his omnibus Israël peccauerit, cur non dicitur, quod ambulauerint iuxta ritum Chaldæorum, Assyriorum, sed tantum de Chananæis fit mentio? Idola Chananæorum extiterunt prima, quæ adorauit Israël, & sat est, quod dicatur in populo vna idololatria admissa, vt inde multiplex tanquam ex radice pullulans intelligatur, vnum enim peccatum multa alia generat, & parturit. Vide c. 1. n. 101. & 102. & c. 9. n. 20. 21. & c. 11. n. 38. 39. & c. 12. n. 10. 11. & 12. & multis aliis in locis.

Abulens.

Ex vna idololatria tanquam ex radice alia prodiit.

QVÆSTIO IV.

Quare asina alligata, & pullus cum ea mandantur solui, vt ad Christum adducantur?

17. Beda. Haymon. Hugo. Bonauent. Prou 5. RATIO literalis est in promptu, quia asina alligata, & pullus soluendi erant, vt ad Christum adducerentur. Aliter, & moraliter Beda, Haymon, Hugo, D. Bonauent. dicunt, quod cum asina alligata denotet peccatorem, iuxta illud Prouerb. 5. num. 22. *Impius funibus peccatorum suorum constringitur.* Ministerio ergo Discipulorum, ac Sacerdotum à peccatis absoluendus est, vt ad Christum veniat, ac adducatur. Secundò. Ecce regis magna gloria: glorioſius rudiora, ac abiectiora animalia soluere, pauperes scilicet, ac minimos subditos ab oppressione, ac vexatione liberare, ac eximere. Vide *Prælatus, Rex.*

18. Ambros. Tertiò, ac eleganter D. Ambrosius in cap. 19. Lucæ, expendens: Soluite illum, & adducite. Sic ait: *Alieni alligant, vt possideant; iste soluit, vt teneat, vehementiora enim iura nouit esse, quam vincula.* Iura nempe charitatis vehementiora esse. Quid est, quod Dominus pullum, quem ad sui obsequium mandat adducere, prius tamen iubet illum soluere? Terreni Domini, vt sub sua potestate habeant mancipia, illa vinculis constringunt, ac Christus pullum ab alligaturis soluit, quod libertatis signum est; quæ enim ad Domini obsequia dedicantur, ipsæ seruitutis, ac charitatis rationes, seu vincula sunt eis libertatis gloriæ, ac honoris pignora.

Seruire Deo libertas, ac gloria.

19. Ephes. 3. Vnde Paulus de huiusmodi seruitutis vinculis tanquam de verâ libertate, ac eximio decore gloriabatur: *Ego Paulus vinctus Christi Iesu*, ad Ephes. 3. num. 1. Quid est quod Paulus de se tanquam de eximio honore, ac gloria dicat, quod sit vinctus, seu ligatus Christi Iesu. Pulchrè D. Ambros. in Psalm. 45 *Christus*, ait, *quos alligat, liberat; quos astringit, absoluit.* Et post pauca subdit: *Quod sub aliis contumelia est, sub Christo gloria est.* Quamuis esse ligatum humanis Dominis sit contumelia; tamen vinctum esse Christo, nulla potest esse maior gloria, honor & libertas, inde inter cætera de hoc maximè gloriatur S. Paulus. Pro quod Philo Hebræus lib. de Cherubin: *Seruire Deo*, ait, *maxima gloriatio, non modo libertate maior: sed & diuitiis, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales admirantur; pretiosiori*

Ambros. *Dei obsequio nulla maior gloria.*

Philo.

20. Dan. 3. Attonitus Nabuchodonosor miraculo trium puerorum, & quomodo flamma ignis eos non lederet in medio fornacis, ex illius ostio alta voce clamat: *Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei excelsi, egredimini, & venite*, Daniel. 3. n. 93. Cur tantum dicit seruos Dei? Cur non potius appellat triumphatores elementorum liberatos ab igne, & fornace, ac victores flammarum, sed tantum seruos Dei nuncupat? Nulla illis glorioſior vox, quam seruos Dei se audire; hoc illis pro maiori gloria, trophæo, ac libertate erat, in ipsa enim Dei seruitute omnem suum decorem, ac splendorem recognoscebant. D. Chrysost. homil. 8. ad Ephes. *Suauissima vece illos appellauit: hoc ipso illos blandiendo veneratus est. Nam non ita ganisi fuissent, si vel reges eos, vel orbis dominos vocasset, atque, quod dixit, Serui Dei.*

Dei serui suprema nobilitas.

Chrysost.

21. Iudæ. 1. Hinc Iudas Thadæus in sua prima Canonica, num. 1. ait: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi*, Iudas intimus Christi sanguineus erat; cur tantæ rei immemor se non consanguineum, sed seruum dicit? Bene sciebat Apostolus se cum Christo habere eam sanguinis necessitudinem, qua posset frater eius vocari; tamen excellentius, ac glorioſius sibi reputauit, si Domini seruiturem eius coniunctioni sanguinis præferret, plus æstimans Christi esse seruum, quàm eius consanguineum. Eleganter Clemens Alexandrinus: *Cum sciret*, ait, *propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem eius esse; sed quid dixit? Iudas seruum Iesu Christi, vtpotè Domini.*

Christo seruire maior gloria, quam eius consanguinitas.

Clem. Alex.

QVÆSTIO V.

Quare mandatur adduci pullus, super quem nullus hominum sedit.

22. D. Marcus. D. Luc. Syriacus. DIVVS Marcus scribit citato cap. 11. n. 2. quod Dominus dixisset discipulis suis: *Inuenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit.* Sic & D Lucas cap. 19. n. 30. *Inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit.* Quæstio præsens est, cur eligitur pullus indomitus, super quem nullus adhuc hominum sedisset, seu vt habet Syriacus: *In quo nullus ex filiis hominum equitauit?* Ac proinde cum pullus non esset assuetus ferre sessorem & fræno obedire, rudis, & ineptus videbatur, vt Dominus in eo incederet.

23. *Vbique ostenditur Christi virtus, ac potestas.* Chrysost. Hilar. Respondeo quod in hoc voluit Dominus indicare veritatem sui ingressus consonam vaticinio, quo prædictum erat: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum.* Deinde etiam in omnibus Dominus ostendit suam diuinam virtutem; valde mirum enim erat, quod pullus indomitus prima vice vehens sessorem, viam composito gradu sine recalcitratione confecerat. Sensit pullus virtutem Iesus suo modo cognoscendi, melius quam agnouerit Iudaicus populus. D. Chrysost. homil. 67. in Matth. *Tu vero*, ita, *subitam pulli dominationem admirare, quomodo, dum esset indomitus, & freni omnis expers, non resilit, nec reluctatus est, sed quietè quasi assuetus ferebatur. Gentium enim obedientia hinc significatur, & repentina in meliorem vitam mutatio*, adde quod ait D. Hilar. *Quia tot annorum ferocitates vecto Deo fractæ sunt. Pullus indomitus non assuetus frano denotabat Gentes sine legis frano viuentes*; vt dicam latius infrà quæst.

24. Abulens. *Ex Christi tactu intractabilia mitescunt.* Secundo. Insedit Dominus super pullum asinæ, *super quem nemo adhuc hominum sedit.* Ac proinde ferox, & indomitus erat; vnde ergo habuit mansuetudinem vt quieto, ac sereno gradu incederet? Abulens. quæst. 32. *Christus*, ait, *hoc ei aufert, faciens illum mansuetum, ac si semper assuetus esset oneribus ferendis.* Pullus indomitus, ac effrenis erat: vbi super eum insedit Iesus, sic miro modo eum mansuefecit, vt ad ferenda onera consuetum diceres. Accessus enim ad Iesum illiusque tactus omnem naturæ ferocitatem, ac duritiem expellit, eámque reddit maximè mansuetam, ac pacatam.

25. Gen. 49. Tertull. Ambros. August. *Ex Christi visu Paulus fit agnus.* Cum Iacob benediceret filios suos, ait: *Beniamin lupus rapax*, Gen. 49. num. 37. de Apostolo Paulo prophetia est. Vt volunt Tertullian. lib. 5. contra Marcion. D. Amb. serm. 6. in Psalm. 118. D. August. serm. 14. de Sanct Nam Paulus tanquam lupus spirans minarum, & cædis in discipulos Domini ferebatur; *ad vesperam verò diuidet escam.* Postea verò factus est pastor, & doctor Gentium: Quomodo lupus rapax manè prædam rapiens, vespere spolia diuidit? Quomodo, qui ferocitate persecutor erat, in hominum pastorem commutatus? Thomas Bozius de Not. Ecclesiast. l. 14. c. 9. *Apparens Iesus in globo quodam lucis, ac in Paulum, velut scopi igneus globus impingens, impetum lupi ferocientis occidit, & suscitauit agniculum.* Ex Christi præsentia Paulus deposita lupi rabie agnus lenis, ac mitis efficitur.

Bozius.

26. Postquam Iacob vidit scalam à summo cœlo dimissam vsque ad terram, excitatus à somno, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper dicens: *Lapis iste vocabitur domus Dei*, Genes. 28. num. 22. Quomodo fieri potest, vt lapis rudis, ac durus, & incompositus aptetur, vt fiat domus Dei, aliquone ferro adhibito? Minimè, sed oleo infuso. Oleum illud figura erat Christi Domini, ex cuius tactu lapis sic fit mollis, ac tener, vt facillimè ex ipsa tanquam ex cera valeat domus Dei præparari, ac componi. Ait D. Aug. ibi: *In hac lapidis erectione, oleique perfusione, signum fuit in prophetia euidentissima constitutum, quæ pertinet ad vnctionem, vnde Christi nomen à chrismate est.* Gen. 28. *Ex Christi tactu mitescit lapis.* Augus.

Multis miraculis, ac prodigiis concutitur cor Pharaonis, vt populum dimittat, vna, & altera plaga, ac decem vexatur, & semper obduratus perstitit, in sua malitia obfirmatus; at vbi primum in superliminaribus appositus est sanguis Agni Paschalis; statim: *Vocatisque Pharao, Moysi, & Aaron nocte ait: ait Surgite, & egredimini à populo meo, vos & filij Israel: ite immolate Domino sicut dicitis*, Exod. 12. num. 31. Vnde euenit, quod rex tam ferox, & crudelis, ita mitescit, ac lenis fit? Apparuit in domorum superliminaribus sanguis Agni Paschalis, qui typus erat sanguinis Christi, ex cuius intuitu rex durus mollis redditur: quem enim tot portenta, ac miracula non valuerunt mansuescere, vna Christi figura suauem, ac mansuetum effecit. Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 18. *Agnus exiguus*, ait, *vicit, & contriuit leonem maximum, pressitque os superbi, vt molle proferret eloquium.* Quis enim tam ferinis moribus etit deditus, vt videns, ac considerans Christi sanguinem, non mansuetus, ac dulcis efficiatur. 72. Exod. 12. *Signis Christi super omnia miracula leuem ac mansuetū efficit.* Rupert.

Matth. 21. num. 3. Etsi quis vobis aliquid dixerit: Dicite, quia Dominus his opus habet; & confestim dimittet eos.

Num. 4. Hoc totum factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem.

Num 5. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

VERSIONES.

Syriacus n. 3. Dicite ei, quia Domino nostro requiruntur.

D. Chrysost. in Imperf. homil. 37. Dicite: Dominus operam eorum desiderat.

D. Hieron. Dicite: Dominus eos necessarios habet

Arias. Eorum vlum habet.

Arias n. 2. Hoc totum effatum est.

Syriacus. Ecce Rex tuus venit tibi humilis, & insedens asinæ.

D. Augst.

D. Aguſtin. lib. 12 contra Fauſtum. Noli timere filia Sion, & ſedet ſuper iugalem.

Clem. Alex. lib. 1. Pedag. cap. Venit tibi iuſtus, & manſuetus, & ſeruans, & ipſe mitis, facilis, ſedens ſuper iugalē, & pullum nouum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 3. Et ſi quis vobis dixerit: Quid facitis? Dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & continuò illum dimittet huc.

Luc. 19. n. 31. Et ſi quis vos interrogauerit: Quare ſoluitis? Sic dicetis ei: Quia Dominus operam eius deſiderat.

EXPOSITIO II.

28. *ET ſi quis vobis aliquid dixerit.* Si ille, qui eſt dominus iumentorum aliquid dixerit; & reuera fuerunt, qui dixerunt, vt patet ex D. Marc. & Luc. *Dixerunt Domini eius ad illos, quid ſolnitis pullum?* Quod apertè ſciebat Chriſtus Dominus, tamen non loquitur abſolutè, vt potuit, ſed conditionatè. *Si quis vobis*, vt de noſtra libertate admoneamur,

Abulenſ. vt ait Abulenſ. quæſt. 21. dixit ſub conditione, vt non videatur ſub neceſſitate ponere actum

Chryſoſt. eorum. *Quia Dominus*, vt bene notat Chryſoſtom. in Imperfecto homil. 39. non mandat, vt dicant, Dominus tuus, vel Dominus meus, vel noſter; ſed ſimpliciter Dominus, quia ipſe ſolus abſolutè omnium eſt Dominus. *Et confeſtim dimittet eos*, ſeu vt habet Arabicus, *mittet*. Noluit Chriſtus inuitis Dominis auferri aſinam cum pullo, vt

Arabicus. *Nec ſemper omni poteſtate vtendum.* ſuo ſupremo iure facere poterat, magna enim prudentia eſt, non omni iure, ac poteſtate vti. Alta tamen ſua prouidentia inflexit animos, vt ſoluentibus diſcipulis aſinam, omnes aſſentirentur.

29. *Hoc totum factum eſt.* Vt Chriſtus mandaſſet ſibi adduci aſinam, & pullum per diſcipulos. *Vt adimpleretur.* Vt eis vteretur prout prædictum erat à Propheta. Præcipua huius rei cauſa extitit, quia ſic Patris decreto erat determinatum, & inde hoc Spiritu ſancto afflante vaticinatum eſt à Propheta, quibus tam Patris decreto, quàm vaticinio Prophetæ Chriſtus ſe conformem exhibens ingreditur ſuper pullum, & aſinam. Solus D. Matthæus adducit teſtimonium Prophetæ, quia vt iam notaui in Prologo huius operis, &

Abulenſ. in præſenti aduertit Abulenſ. q. 27. quia D. Matthæus ſcripſit ſuum Euangelium Hebræis, & ideo frequenter adducit teſtimonia ſacræ Scripturæ, vt ex eis adimpletis Iudæi conuincantur ad credendum Chriſtum Dominum verum eſſe Meſſiam. Et ideo ſolus Matthæus de aſina, & pullo facit mentionem, vt concordaret cum Propheta, cum tamen duo alij Euangeliſtæ Marcus, & Lucas ſolum de pullo ſcribant.

30. *Dicite filia Sion.* Aliqui volunt teſtimonium conflatum ex Iſaia 62. n. 11. & ex Zacharia ta-

men communiter Patres, ac Recentiores, Lucas Burgenſ. Barradas, Cornel. volunt ſolum teſtimonium eſſe deductum ex Zacharia Propheta c. 9. n. 9. *Exulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Euangeliſta referret Prophetam, non tantum quoad verba, ſed potius quoad ſenſum, vt notant communiter interpretes. Iſai. 62. Luc. Burg. Cornel. Zachar. 9.

Filiæ Sion. Sub nomine filiæ frequenter in Scriptura intelligitur populus. Machab. 1. cap. 5. num. 9. dicitur: Iudas *Cepit Gazar, & filias eius.* Et poſtea num. 65. Percuſſit Chebron, & filias eius, id eſt, illius populum. Vel dicitur; *Filia Sion*, ad exprimendum eximium, ac tenerum affectum, quo verus Meſſias Chriſtus erat ſuſcipiendus. Hinc dicitur: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem*, Cantic. 3. num. 11. vel vt ait Drogo Hoſtienſ. tract. de Sacramento Paſſionis: *Noli timere filia Sion. Timere*, ait, *puſillorum eſt: ideo adhuc filia.* Et dicitur, *Filia Sion*; id eſt Ieruſalem per ſynecdochen à præcipua, ac excellentiore, & montana vrbis parte, quæ Sion dicta erat, *venit tibi*, quia tu non vadis ad Chriſtum regem tuum, & ab eo recedis, ideo ipſe te quærens venit ad te. *Ecce Rex tuus.* Ecce parat attentionem. *Rex tuus*; verus nempe Meſſias promiſſus in lege; & de eo dicit quatuor, quæ dignitatem regis, vt notat D. Thomas, maximè commendant. Primò affinitas, maximè afficitur homo ad ſibi coniunctos, vnde dicitur, *Rex tuus:* de gente tua, ac familia Dauid. Secundò. Venit tibi ad vtilitatem tuam. *Egreſſus in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*, Abach. 3. n. 13. Tertiò. Manſuetudo maximè pertinet ad regem, ac eum commendat. *Miſericordia, & iuſtitia cuſtodiunt regem*, Prouerb. 20. n. 284. humilitas multum requiritur: *Sedens ſuper aſinam.* Superbos Dominus reſpuit. Vnde ait Matth. 10. *Diſcite à me, quia mitis ſum*, &c. 31. Machab. 1. Cantic 3. Drogo. *Chriſtus venit ad hominem, quia homo non vadit ad eum.* D. Thom. Abach. 3. Prou. 20. Matth. 10.

QVÆSTIO VI.

Quare Chriſtus Dominus de quo ſcriptum eſt, Bonorum meorum non indiges, *mandat dicere, quod de his animalibus opus habet?*

CHRISTVS nuncupabatur Dominus, & Magiſter: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis*, Ioan. 13. num. 13. Vtroque nomine Chriſtus nuncupabatur, & erat valde notus, vt aduertit Abulenſ. quæſt. 22. ad parandam cœnam, ac ad præparandum locum mandat diſcipulis, vt dicant: *Magiſter dicit*, Matth. 26. n. 18. Hic verò ſe Dominum appellat, quia in conſpectu multitudinis populi venturus, ac declarandus erat vt Rex, vt aduertit Titus Boſtrenſ. in c. 19. Luc. mandat diſcipulis, vt dicant, quia *Dominus his opus habet*, nam ipſe apud herum animalium ſub hoc nomine valde cognitus erat, & pro amore, ac reuerentia non erat aliquid ei negaturus. 32. Ioan. 13. Abulenſ. Matth 26. Boſtrenſ.

Quæſtio præſens: quomodo Chriſtus Dominus de quo ait Regius Vates: *Bonorum meorum non eges*, Pſalm. 15. num. 2. imperat dicere, quod de his animalibus opus habeat, ſeu vt legit 33. Pſal. 15. *Ratio dubitandi.*

Hieron. D. Hieron. *Eos habeat necessarios.* Rationem literalem iam dedi in expositione, quia noluit suo supremo iure, ac potestate vti. Moraliter.

34. Hugo. Secundò. Cardinalis Hugo in c. 2. ad Ephes. n. 4. sic scribit ad illa verba: *Deus autem qui dives est in misericordia sicut dicitur: iste homo habet magnum thesaurum; & misericordia Dei, est quasi infinitus thesaurus.* Vnde Matth. 21. *Dicite*, quia Dominus his opus habet; *per asinam, & pullum peccatores significantur. Quibus videtur Deus indigere ad hoc vt expendat thesaurum misericordiæ suæ: sicut dicitur de aliquo qui magnum thesaurum habet, & filium prodigum: ille indigebat tali filio: aliter nunquam expenderetur thesaurus eius.* Deus nullius rei indigus, indigentia eget humana, vt multum dives in sua misericordia habeatur, ac manifestetur; si enim hominum infirmitas, imbecillitas, miseria, ac paupertas defuisset, benefica Dei largitas vacare putaretur occasione ad superfluentem suam misericordiam effundendam, ac declarandam; ille multum liberalis habetur, qui suas opes indigentibus opulentè erogat, si autem indigentia non esset, tanta eius largitas non pateret. Vide suprà c. 39. q. 7. n. 51.

Peccatoribus positis, magis diuina largitas declaratur.

35. D. Thom. Secundò. D. Thomas in præsenti: *Dico*, ait, *quod Deus bonorum nostrorum non indiget, nisi ad nostram necessitatem, Deus qui ambulat super pennas ventorum*, Psalm. 17. n. 12. Opus illi est asello? Minimè sanè vt est euidens, humanam tamen ipse poscit operam, quasi indigens, occasionem captans remunerandi, ac gratificandi. Ait Deus ad Moysem: *Vlciscere filios Israël de Madianitis*, Numer. 31. n. 2. *Vade, & percute Amalech*, 1. Reg. 15. n. 2. Facillimè Deus vtrumque hostem poterat perdere, ac vnico ictu dissipare, ad quid Deus duces Hebraicæ Gentis conuocat? Non quia eorum ope indigeat, sed vt eorum meritis exhibitis suam opem, ac affluentiam suæ diuinæ largitatis cum multis donis conferat, ex quo D. Bernard. Epistol. 322. excitat Christianum militem aduersus Barbaros hostes, vt inde miles Christianus multum meriti, ac commodi eruat. Sic ait citatus Sanctus Pater: *Considerate, quanto ad vos saluandos vtitur artificio. Ponsate diuitias bonitatis & consilium misericordiæ attendite; necessitatem se habere facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subuenire.*

Psalm. 17.

Numer. 31. 1 Reg. 15.

Deus requirit nostram opem, vt remuneret.

Bernard.

36. *Domini maiestas pro appendice habet necessitatem.* Tertiò. Christus nullius indigens, at vbi Dominus nuncupatur, Rexque magno applausu proclamandus est, *Ecce Rex tuus.* Rebus etiam paruis, & abiectis pauperum indiget, *dicite quia Dominus his opus habet.* Easque per suos ministros exigit, & comparat, comes principatus exigentia est, & vbi dominatus prodit, ibi indigentia declaratur, quia *Dominus his opus habet.* Cum Dominus dicitur, statim pro appendice habet necessitatem. Christus in cruce nudus existens summam paupertatem monstrauit, tunc tamen militibus dimittit vestimenta sua. Ioan. 19. n. 23. At hic cum personam Regis agit: *Ecce Rex tuus venit.* Statim ei adiunguntur subditorum, ac inferiorum vestes, *straverunt vestimenta sua*: quæ vt pauper in cruce dimittit, prout tamen personam regis agit, illi dantur.

Ioan. 19.

37. 1 Reg. 9. Studiosè quærens Saül asinas patris sui, vt de illis aliquid ei indicetur à viro Dei, statuit dare illi quartam partem stateris argenti, 1. Reg. 9. n. 8. postea verò loquens cum Samuele ab ipso vngitur rex Israël, in cuius signum dicit ei Propheta, quod inueniet in itinere tres viros: *Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum*, 1. Reg. 10. n. 4. dantur duo panes, vt explicat ibi Abulens. q. 4. *Eo quòd Saül iter agebat, & eis indigebat.* Nonne Saül paulo antè dedit suum munusculum Prophetæ, vt patet? Quomodo nunc sic indiget? Saül antea vir quidam particularis erat, modò verò vnctus in regem ibat; quandiu particularis habuit munera, quæ daret; At verò cum in regem consecratur, statim indignus apparuit, necessitatémque habuit, vt vir pauper ei duos panes daret; nam ille, qui panes deferebat pauper erat, vt notat citatus Abulens. *Illi qui pauperes erant, non potentes offerre animalia, offerebant saltem modicum de pane.*

Creatus Rex indigentia laborat. Abulens.

Cum Dauid esset in præsidio, in ciuitate nempe Ierusalem, vt interpretatur ibi Abulens. Valde sitibundus exclamauit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam*, 2. Reg. 23. num. 15. Hanc sitim inordinatam fuisse existimat D. Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 1. *Cum alii*, inquit, *defuisse non inueniamus, scilicet aquam, multò minus regi deesse potuerit: irrationabilem quandam concupiscentiam passus, desiderauit eam, quæ hostium erat circunfusione vallata. Vnde sine maximo periculo non facile potuisset deferri.* Vnde Dauidi tam intempestiua sitis in magna, & opulenta ciuitate, multis non solum puteis, sed etiam fontibus irrigua, in qua neque ciues, neque milites sitiebant, cur solus Rex, & sitire, & aquam de vna cisterna Bethlehem tantopere concupiscere dicitur? P. Mendoza tom. 3. in l. 1. Reg. cap. 10. annot. 6. sect. 3. num. 7. Mysterium credo, fuit, vt exprimeret humanos reges, quibus etiam magna diuitiarum flumina exaresc unt, & in summa rerum opulentia, summam sibi videntur habere indigentiam. Fortè regibus eorum opulentia egestatem facit. *Misit saturitatem in animas eorum*, Psalm. 105. n. 15. Ex Hebræo, ac Græco legitur: *Misit tenuitatem, seu maciem.*

38. Abulens. 2. Reg. 23.

Ambros.

Mendoz. *In opulentia Rex indiget.*

Psalm. 105. Hebræus.

QVÆSTIO VII.

Quare Christus Dominus cum multoties introisset in Ierusalem, nunc venit sedens super asinam acclamatus Rex?

39. RATIO communis, & literalis est, quia sic erat ordinatum decreto Æterni Patris, quod per Prophetam reuelatum, ac declaratum fuerat; ne ergo Iudæis esset aliqua occasio excusationis, aut ignorantiæ, cum cum occidissent; ideo iuxta prophetiam venit super asinam. Theophylactus ad c. 11. Marc. *Sæpe*, ait, *aliàs venit Ierosolymam, sed nunquam cum tanta maiestate, quanta nunc. Prius quidem delitescebat propter inuidiam illorum: nunc autem, quia passionis tempus aderat, quod ipse sibi præfinierat, clarior venit: vt si velint, gloriam eius intelligant, & ex prophetiis, quæ in ipso impleta erant, agnoscant eum esse Deum verum: si nolint, in maiorem condemnationem eorum sit, quod etiam tam claris miraculis non crediderunt.* Quæ desumpta sunt ex Chrysostomo, & refert Abulens. quæst. 6.

Theophyl. *Clarioribus signis se manifestat Dominus.*

Abulens.

40. Bernard. Aliter & eleganter respondet D. Bernard. serm. 3. in Ramis palmarum: *Sanè venturas aliquando turbas, vt raperent, & cum regem facerent, fugiens legitur declinasse. Nunc verò etiam non quæsitus assistit,*

fuit, vt tanquam Rex Israël susciperetur, & prædicaretur ab eis, quin etiam hæc ipsa præconia eorum excitauit. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit. Sæpè ingressus est Iesus in Ierusalem, nunquam rex acclamatus, & aliquando regnum ei à turbis fuit oblatum, quod ipse declinauit. *Iesu ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt facerent eum regem, fugit iterum in montem,* Ioan. 6. Cur qui regis nomen fugit, modò vult triumphali pompa ab omnibus rex acclamari? Cur modò regiam dignitatem sibi adaptat, quam antea fugiebat? *Hæc quidem præparatio ad passionem fuit.* Appropinquabat passionis tempus, ingrediebatur Dominus Ierusalem vt mortem subiret, ac vitam daret. Sic regali dignitati annexa est mors, vt quandiu passionis tempus non adest, à regio nomine ipse abstineat, séque regem nuncupari non patiatur; at cum ingreditur ad mortem, regium splendorem resumit, séque regem proclamari amat, ostendens quàm necessariò regio splendori adiuncta sit mors, & passio, vt sine sanguinis discrimine regius decor non admittatur.

Ioan. 6. *Regi splendor coniunctus cũ morte, ac sanguinis effusione.*

Christo Iesu pro auspicio regalis dignitatis munera offerunt Magi: *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrrham,* Matth. 2. n. 11. Si dant aurum tanquam regi, ad quid statim tanquam morituro offerunt myrrham? Regalis splendor non fulget nisi adiuncta morte; simul Iesu dantur aurum, & myrrha, semper enim regius decor, & amata conditio mortis fœderato nexu associantur, vt nunquam vna sine altera appareat. D. Chrysolog. serm. 5. de Epiphan. *Magus dum credit Deum, sentit regem, intelligit humani generis amore moriturum.* Vide multa hoc tom. 1. 2. ac 3. in Indice, verb. *Rex*, vel *Prælatus*.

47. Matth. 2. *Regio decori conuincla mors.*

Chrysol.

QVÆSTIO VIII.

Quare Dominus ingreditur sedens super asinam?

42. Origen.

NOTANDVM est ex Origen. in c. 1. Iob. in Arabia, ac Palestina asinos pares esse equis in velocitate eundi, & redeundi, & valere ad negotia peragenda, & afferenda, cadémque officia præstare, quæ apud nos præstant muli, & equi. Hinc filij Principum asinis inequitabant, vt patet. Iudic. 10. n. 4. & c. 12. n. 14. vt notat Cornelius à Lapide in Exod. c. 13. num. 13. Asina tamen semper tanquam quid humile, & abiectum reputatur, vt patet ex sanctis Patribus adducendis. Ad quæstionem.

Iudic. 10. Cornel.

43. Chrysost. Euthym. Theophyl. Paschas. Alb. Magn. Bernard. Abulens.

Primò respondent D. Chrysost. in Imperfecto homil. 37. Euthym. Theophyl. D. Pasch. Albert. Magn. cum D. Bernardo serm. 3. in Ramis Palmarum, & Abulens. q. 6. & aliis, quod Christus Dominus hoc regali ingressu voluit seipsum Scribis, ac Pharisæis declarare, ac ostendere, vt hoc facto eum agnoscerent ipsum esse verum Messiam, vtpote à Zacharia citato loco prædictum, & promissum: bene tamen sciebat ipsos propria eorum malitia inde magis exacerbandos, & necem crucis ei machinaturos, quod ipse permittere voluit, vt sic mortis adeo expetitæ compos fieret, per eámque nos redimeret, ac saluaret.

44. Chrysost.

Secundò. Idem Chrysostom. citata hom. 37. in Imperfecto: *Dominus ascendens Ierosolymam, magnam gratiam pacis, & concordiæ mundo vniuerso quasi in testamento relinquit: non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens, neque ascendit super feruidum equum discordiæ amatorem, & litis, qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocẽ tubæ, & cum viderit sanguineam pugnam; dicit in corde suo: bene est factum. Sed sedet super asinam tranquillitatis, & pacis amicam.* Venit Rex pacificus pacem, & concordiam indicens mundo, bella, ac dissensiones damnans; ideo non *ascendit super equum feruidum discordiæ amatorem. sed super asinam tranquillitatis, ac pacis amicam.* Venit mundialem pompam, ac regium fastum damnans, humilitatem, paupertatem, ac demissionem ostentans. *Non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens.* His declarans regnum suum magis esse spirituale, quam temporale, vt ponderat Euseb. l. 8. de Demonstrat. cap. 4.

Christus Rex pacificus.

Euseb.

45. Chrysost.

Tertiò. Sic pergit immediatè citatus Chrysost. *Non vides in circuitu eius splendentes gladios, aut cætera ornamenta terribilium armorum. Sed quid? Ramos frondentes testimonia pietatis. Venit ergo mansuetus, non vt propter potentiam timeretur, sed vt propter mansuetudinem amaretur.* Venit pacificus Rex maximè se desiderabilem omnibus præbens, non ostentat in circuitu terrificos splendentes gladios, sed ramos beneuolentiæ, ac amicitiæ indices; non vult terrorem incutere, sed amorem conciliare, magis vult regnare, amore, quam timore. Vnde subdit ipse Chrysost. homil. 57. in Matth. *Non currus, vt reges cæteri, agens, non vectigalia exigens* Non venit iste tributa imponens, quibus subditi opprimuntur, sed dona sua concedens, quibus recreantur, & diuites, ac sublimes fiunt.

Christus non imponit tributa, sed dat dona.

46. Cyrill.

Quartò. D. Cyrill. Catechesi 12. *Nulli sunt reges,* scilicet tales, ait, *de quo igitur hoc dicit? Dat nobis signum, quod alij reges non habeant. Dat nobis proprium signum regis, cuius regnum annuntias, habes singulare signum regis adfuturi. Solus regum Iesus super pullo asini sedit: & solemniter cum benedictionibus tanquam Rex in Hierusalem ingressus est.* Quis regum super asinam sedens gloriam à populo comparauit? Christi regnum singulare. Alij reges a pompa, & apparatu populi applausum extorquent. Solus Iesus singulatis rex, vt ab humilitate, ac demissione gloriosus appareat, cum tota eius gloria abintus virtute, ac donis dimanet.

Christus Rex singularis.

47. Sedulius.

Quintò. Sedulius lib. 4. Operis Paschalis c. 20. *Aselli vngula non pretio magna, sed merito tanti sessoris clarius sub fusce nobilior, non illius impar, qui modico Christum quamuis cerneret in præsepi, Dominum esse cognouit.* Cur Christus Dominus non equum, aut nobile, & procerum sibi præparauit animal, vt glorioſa vectatio reliquæ triumphi celebritati responderet? Christi natiuitas humili, ac squalido præsepi excipitur asini consortio, inde in magna maiestate, ac celebritate asinum sibi parat Christus, quo equitet; sicque innotescat Christum semper humilitatem, & ignominiam natalium cum maiestatis triumpho coniungere: indéque in tanto applausu super asinum ingreditur, humilitatis, natiuitatis suæ memor. Vide suprà c. 22 n. 48. vide verb. *Cognoscere*, tom. 2. & 3.

Memor esse humilitatis natiuitatis.

48. Chrysost. *Necessarijs contentus, superflua deuitat.* Gen. 2.

Sextò. D. Chrysost. homil. 67. *Regulas*, ait, *nobis præbet, ne maiora, quam necessarius vsus exigat, requiramus.* Ad ingressum in ciuitatem equitando sufficiebat humilis asinus, hunc ergo habet in vsu, necessarijs contentus, superflua deuitans. De primis parentibus dicitur: *Erant autem vterque nudus; nec erubescebant*, Gen. 2. 25. Inter omnes reges Adamus præstantior. Longè enim omnes

latitudine sui imperij superauit, cur ergo cum tam præstantissimus esset, absque tubore nudus incedit? Quia præstantissimus erat cum naturæ integritate, contentus erat necessariis, quæ natura dedit, superflua omninò reiiciens. Pulchrè Auctor habitus D. August. q. 8. ex nouo Testam. *Ex hoc*, ait, *sumitur argumentum eiusdem præstantiæ, quod erat, qui soli, necessariis ad naturæ integræ constitutionem sese super omnia efferret corporalia, aduentitiosque alios ornatus, vt superfluos repudiaret.*

August.

49. Cum populus in deserto fame laborasset: Murmurauit contra Moysem, & Aaron, dicens: *Vtinam mortui essemus in Ægypto quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Tunc ait Deus Moysi: *Ecce ego vobis pluam panes de cœlo, egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies*, Exod. 16. n. 4. Cur non ait Deus, colligat populus ad saturitatē, seu quantum habuerit in desideriis? Nonne in Ægypto fatentur se comedisse panem vsque ad saturitatem? *Comedebamus panē in saturitate.* Si Deus pascit populum suum in deserto, cur ei non dat eandem saturitatem, ac abundantiam, vsque ad vomitum, quā habebat in Ægypto; sed ait *Colligat populus per singulos dies, quæ sufficiunt*? Hæc differentia est inter mundanum, ac cœlestem panem, quod mundialis panis inseruit, ac datur vsque ad saturitatem, ac superfluitatem; Cœlestis verò panis conceditur provt necessarius est, ac sufficiens pro indigentia humana. Metonensis Episcopus Auctor Catenæ Aureæ in Exod. *Antea*, ait, *promittit panem de cœlo præstandum, quem nullo negotio populus collecturus sit, ad sufficientiam quidem, non autem ad superfluitatem, quæ populo Dei inutilis, & perniciosa fuit semper.* Vide in Indice *Superflua.*

Exod. 16.

Sufficientia data panis cœlestis, superflua euitat.

Auctor Catenæ Aureæ.

QVÆSTIO IX.

An Christus insederit super asinam, & pullum, vel super vnum solum?

50. *Super asinam insedit.*

NOTANDVM est in limine huius quæst. quod Christus non sedit super asinum, sed super asinam, sic expressè patet ex textu Matth. *Inuenietis asinam, & pullum eius.* Et iterum: *Adducunt asinam, & pullum*, & Zacharias. *Sedens super asinam.* Vt ibi docent D. Remig. Albert. Magn, Hugo, D. Chrysost. homil. 65. in Ioan. & Theod. Lyran. Caiet. mox citandi. Christus Dominus potius vsus est asina, quam asino, tā ob mysterium, vt mox dicam, tum etiam quia asina est pigrior, & in operis executione deterior asino, vt scribit Plinius lib. 8. c. 43. & D. Chrysost. in Imperfecto hom. 37. de asina loquens, sic ait: *Est enim animal præ cæteris penè iumentis irrationale, & stultum, & infirmum, & ignobile, & oneriferum.* Ac proinde cum per asinam denotetur peccator maximè debilis, ac infirmus, ab ipsa eius infirmitate Dominus commiseratione prouocatus illum ad se aduocat, vt eum erigat, corroboret, ac confirmet.

Remigius. Alb. Magn. Hugo. Chrysost. Theodoret. Lyran. Caiet. Plinius Chrysost.

51. Quæstio præsens est, an Dominus insederit super asinam, vel pullum eius? de asina solum facit mentionem D. Matth. *Adducunt asinam*; de pullo etiam ipse D. Matth. D. Marcus, D. Luc. & D. Ioan. vt patebit infrà ex textu Euangelistarum adducendo; Christus autem non insedit super vtrumque simul, vt est euidens. Ideo.

52. Hieron. Prima sententia, quæ est Hieronym. Euthym. Abul. q. 17. & 18. Iansen, Maldon. & aliorum, qui astruunt Christum tantum super pullum sedisse, vt habent tres alij Euangelistæ, intelligunt hic loqui per synecdochen, qua de vna re plurium numero loquimur, vt cum dicitur ob effusum vnguentum Apostolos murmurasse, cum solum Iudam murmurasse constat; cum ergo dicitur, *Super pullum, & asinam*, dicunt intelligi super pullum filium asinæ.

Abulens. Iansen. Maldonat.

Probabilior, ac verior mihi est opposita sententia, quæ affirmat Christū sedisse super vtrumque animal, non simul, sed successiuè. Hanc docent D. Chrysost. Theophyl. D. Thom. Beda, Lyr. Carthus. Caiet. Hugo, Barrad. Lucas Burg. hoc loco in Matth. & ad c. 9. Zachar. Ribeira, à Castro, Cornel. & alij. Hanc sententiam ipsa verba Zachariæ, & Matthæi expressè ostendunt: *Rex tuus venit tibi super asinam, & pullum.* Et Christus ait suis discipulis: *Adducite asinam, & pullum.* Et confirmatur; quia turbæ super vtrumque asinam, & pullum. *Imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt*, scilicet super eos, super quos strauerunt vestimenta sua, sedit prius super asinam, deinde super pullum.

53. *Super vtrumque animal.* Chrysost. Theophyl. Beda D. Thom. Carthus. Lyran. Caietan. Hugo. Barrad. Burgens.

Adhuc tamen inquirendum restat, quare Christus Dominus tam breui spatio, ac itinere iumentum mutat? Respondemus id factū fuisse à Christo, non ob mollitiem, aut fatigationem, sed ob mysterium: illi enim omnis hic apparatus seruiebat. Asina subiugalis significabat populū Iudæorum, qui iugum legis veteris tolerabat: pullus, super quē nemo sederat, repræsentat indomitos, & ex lege Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Vtrumq; enim populum tam gentium, quam Iudæorum, ad se, & Ecclesiam, ac inde ad cœlestem Ierusalem adducturus erat Christus. Ita D. Iustin. contra Tryphon. D. Cyrill. in Ioan. c. 12. Orig. hic in Matth. & D. Bonau. in c. 19. Luc.

54. Iustin. Cyrill. Origen. Bonauent.

Per asinam etiam significatur anima humilis, & obediens Deo; per pullum verò anima innouata, ac reformata. D. Apollinar. in Catena Græca: *Per hoc*, ait, *quod pullo asinæ insederit, nobis declaratur, cœlestem Ducem, & Ierosolyma Regē nouo pullo insedisse. Pullus enim significat vocationis nouitatem.* Pullus nouum, ac recens est animal, per quod significatur, quod Christus maximè nouitatem vitæ in suis requirit; nouitate, ac reformatione vitæ tenetur Deus, cum antiqua veteris hominis abiiciuntur. Ait Ioannes: *Vidi sanctā ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de Cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*, Apoc. 21. n. 2. Quænam à Deo sponsa, seu anima Christo paratur? Illa nempe, quæ nouitate vitæ, nouisque fœtibus, ac virtutibus ornatur, & fulget. D. Zeno l. 2. serm. 14. *Exultate igitur fratres*, ait, *ædificationémque vestram ade ista, de nouella cognoscite.*

55. Apollinar.

Deus amat nouitatem vitæ in anima. Apoc. 21. Zeno.

QVÆSTIO X.

Quare Christus dicitur Rex veniens mansuetus, cùm hac ipsa die ingressus in templum, vendentes, & ementes multo rigore ejecerit?

56. IPSOMET die, quo Dominus hoc triumphali apparatu ingressus est in Ierusalem, introiuit in templum, vt docet D. August. lib. 2. de consensu Euang. cap. 68. *Illa die, qua cum pompa ciuitatem, & templum ingressus est Dominus, vendentes*

August.

dentes eiecit. Et Abulens. q.61. tenet, quod cum Dominus intrasset ciuitatem, antequam ad alia diuerteret, statim iuit in templum, vbi feruido zelo diuini honoris cum rigore eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo: & mensas nummulorum, *& cathedras vendentium columbas euertit*, Matth. 21. n. 12. Si ergo Dominus tam rigidum in ipso die, ac ingressu se ostentat; quomodo dicitur veniens mansuetus?

Abulens. *Ratio difficultatis.*

Matth. 21.

57. *Quàdiu crimina non apparent, mansuetudo, cum videntur, rigor.*

Respondeo. Christus Dominus natura, ac ingenio suo rex mitis, & mansuetus, talem semper in operibus, ac actionibus suis se exhibebat; & cum omnia sint nota, & aperta eius diuinæ cognitioni, & nihil sit, quod se abscondat ab eius intuitu, tamen in his vult dare formam, ac documentum principibus, ac Regibus, qualiter se debeant habere; quandiu crimina non obiiciuntur mitis, ac mansuetus incedat princeps; at verò cum illa apparent, ac ei repræsentantur, rigidus, & seuerus sit princeps tanquam leo, vt delicta puniat, & crimina vindicet, ac pro legum defensione puniat; Christus rex mitis, ac mansuetus, at ingrediens in templum videns contemptũ domus Dei, pro diuino honore feruidus zelator eiicit vendentes, at ementes, *& mensas nummulorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*

58. Vidit Ioannes in dextera sedentis librum signatum sigillis septem, & ipse flebat multum, quia non inueniebatur quis posset librum aperire; & subdit quod vidit Agnum stantem tanquam occisum, *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librũ. Et cum aperuisset librum*, &c. Apoc. 5. n. 7. Et quando vnus de senioribus decantat gloriam ob librum apertum, ait: *Vincit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere signacula eius.* Quid est quod Christus Dominus cum liber est clausus dicitur Agnus, *vidit Agnum stantem.* Cum verò soluitur liber, Leo acclamatur? *Vincit Leo.* Liber ille vt vult D. Ambros. Chronologia erat totius mundi, ac vt multi tenent, in eo erat scriptum peccatum Adami, ac filiorum eius. Cum ergo hic liber est clausus, dicitur Dominus Agnus, at verò cum aperitur, Leo. Discant ex hoc iudices, quod quandiu delictorum codex clausus est, & ipsa crimina non apparent, sint mansueti tanquam vnus agnus; at verò cum soluitur codex, & crimina ad eorum notitiam veniunt, se habeant tanquam Leo, vt puniant, & minimè dissimulent. Huc aduoco id, quod dixit D Bernard. serm. 1. de Pascha te: *Leonem Ioannes audiuerat, & Agnum vidit: Agnus aperuit librum, & apparuit Leo: dignus est non amittere mansuetudinem, sed accipere fortitudinem, vt agnus maneat, & Leo sit.* Agnus, & Leo; Agnus mansuetudinem declarans, Leo fortitudinem, vt puniat, vt non remittat. Vide suprà c. 28. n. 32. 33. & 34.

Apoc. 5.

Ambros. *Iudex vt Agnus coperto crimine, manifesto verò vt Leo.*

Bernard.

Matth. 21. Euntes autem discipuli fecerunt, sicut præcepit illis Iesus
Num. 6.

Num. 7. Et adduxerunt asinam & pullum: & imposuerunt super eos vestimẽta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

VERSIONES.

Syriacus num. 6. Profecti sunt itaque discipuli & fecerunt.

Euthimius. Exeuntes autem discipuli:

Arias. Et faciẽtes, sicut præordinauit illis Iesus:

Syriac. n. 7. Et imposuerunt pullo vestimenta sua, & equitauit super eum Iesus.

Pagninus. Super illa collocauerunt vestimenta sua.

Arias, Super eos vestimenta sua, & insedit super eos Iesus.

Origenes. Et insedit illis Iesus.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 4. Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio, & soluunt eum.

Num. 5. Et quidam de illis stantibus dicebant illis; quid facitis soluentes pullum?

Num. 6. Qui dixerunt eis, sicut præceperat illis Iesus, & dimiserunt eis.

Num. 7. Et duxerunt pullum ad Iesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.

Luc. 19. n. 32. Abierunt autem, qui missi erant: & inuenerunt sicut dixit illis stantem pullum.

Num. 33. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Dominĩ eius ad illos: quid soluitis pullum?

Num. 34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

Et duxerunt illum ad Iesum: iactantes vestimenta sua super pullum, imposuerunt Iesum.

EXPOSITIO II.

VNTES *autem discipuli fecerunt:* Ostenditur prompta discipulorum obedientia, non contradicunt, nec respondẽt, sed sedulò Domini mandata exequuntur, simúlque declaratur promptum heri animalium obsequium. Nam quamuis soluentibus discipulis pullum, *Domini eius dixerunt ad eos, quid facitis?* vt patet ex textu Marci, & Lucæ, tamen cum Christi mandatum agnouissent, non respondent, sed statim dimittunt animalia. Quærit Carthusian. Quomodo Domini animalium per discipulos intellexerunt Christi mandatũ. Respondet ipse, quod agnouerunt eos esse Christi discipulos ex habitu, gestu, modestia, ac modo loquendi. 59.

Marcus. Lucas. Carthus.

Et adduxerunt asinam, & pullum. Ministerio quidem suo, virtute tamẽ Christi; per hoc significatur, vt ait D. Thom. quod discipuli cõuerterẽt & Iudæos, & gentiles, vt habetur Rom. 1. *Græcis, ac barbaris,* 60.

D Thom. Rom. 1.

barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum, Et inde ſubditur: *Et impoſuerunt*, Scilicet diſcipuli Domini, *ſuper eos*, ſcilicet aſinam, & pullum adductos, ait Euthymius: *Ignorantes ſuper quem illorum vellet vehi* ſcilicet Dominus: *veſtimenta ſua.* Pallia nempe, ſummas, ſiue extimas veſtes, quaſi ſtragula ad ornatum, & pompam, vt honeſtius incederet, vt ait Carthuſianus: *Et eum deſuper ſedere fecerunt*, aliqua Græca exemplaria habent: *Sedit ſuper ea.* Euthymius, Theophylactus, Maldonatus explicant, ſedit ſuper veſtimenta. Lucas Burgenſ. hoc refert ad animalia, ad aſinam, & pullum, *ſuper ſedere fecerunt.* Tanquam ſi inuitus, & coactus ad illum honorem aſcenderet, hoc enim ſignificabat, *ſuper ſedere fecerunt.*

Euthym. Carthuſ. Euthym. Maldonat. Theophyl. Burgenſ.

QVÆSTIO XI.

Quare hæc animalia ſub dominis ſunt foris in Biuio: Sub Chriſto verò veſtibus inſtrata, ac via florida incedunt?

61. AIT D. Marcus, quod diſcipuli: *Abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio.* Per quod ſignificatur quam facile, ac promptè diſcipuli inuenerunt animalia, quæ Ieſus abſens prædixerat; animalia ſunt inuenta non in domo, ſed foris, & in biuio, vbi à longè, & vndique videri poterant.

62. Athanaſ. Pro quæſtione præſenti prædicta Euangeliſtæ verba commentans D. Athanaſius ſermone de Ramis Palmarum: *Diſcipuli*, ait, *profecti in pagum, qui ex aduerſo eſt*, &c. *Nullus eorum negotia obit, nemo eorum abſcedit, imò nullum aliud opus illis præ manibus: omnes pariter, non in aliud occupati ſunt quam vt aſellum in biuio alligent; aſinus interim diuerſorium non habet, præſepe non habet; non eſt qui in forum deſcendat: id tantummodo agitur, vt pullus in biuio vinciatur, omnes Domini eius ſernandi cauſa in proximo aſſident.* Valde mirum eſt, quod Domini horum animalium tam duri, ac crudeles eſſent in illa, vt ea non haberent nec in diuerſorio, nec præſepi, ſed in biuio ſub dio pluuiis, frigori, ac iniuriis temporum expoſita; vnde illis tanta crudelitas? Hæc animalia peccatores præfigurabant: *Tanquam iumentum factus ſum apud te.* Domini autem dæmones denotant, qui valde crudeles ſunt in eos, quos ſuorum peccatorum vinculis ligatos tenent; ſupérque multa mala congeminant, & multiplicant, & ideo iuxta D. Lucam hæc animalia non erant ſub vno, ſed multis dominis. *Dixerunt Domini eius ad illos.* De quibus ſic pergit citatus D. Athanaſius: *Vnuſquiſque enim eorum vincula vinculis congeminauit, & omnibus modis vt ipſis in tuto eſſet, omnem curam adhibuerunt, & vt ego exiſtimo, pedes quoque eius concatenarunt.* Ecce conditio hominum ſub iugo dæmonum.

Sub iugo dæmonũ multa dura patitur homo.

63. Athanaſ. At verò cum ad Chriſtum adducitur, qualiſnam eius ſors? Eam perbellè explicat allegatus D. Athanaſius: *Cæterùm Dominus*, ait, *qui ideo iter ſuſceperat, vt prædicaret captiuis remiſſionem. Emandat diſcipulos ſuos vt diſſoluant aſinum: cui, cum ita ſolutum haberet, præſepe adificat, & pabulum apparat: id enim Propheta cum indicare vellet: Dominus, ait paſcit me, & nihil mihi deerit in loco herbido, ibi me collocauit.* Pullus cum aſina ſub dominis ſuis, nempe, ſub dæmonum poteſtate erat alligatus, in loco horrido, & fœtido ſine pabulo, nec fœno, nec hordeo, de his nulla fit mentio, expoſitusque erat frigori, ac temporum calamitati; at cum ad Dominum adducitur, ſoluitur, veſtibus diſcipulorum conſternitur, ad viam ramis palmarum, ac oliuarum ſparſam venit, ad pabulúmque prætiucundum producitur. *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit, in loco herbido ibi me collocauit.* Ecce quanta miſeria, ac calamitas ſub dæmone, quantáque felicitas, ac ſuauitas ſub Deo, & tamen viam difficilem, ac laborioſam peccati homines applectuntur, à dulci, ac ſuaui via Dei fugiunt, & declinant.

Homines ad viam laboriosã peccati currunt, à Dei via ſuaui fugiunt.

64. Iſai. 55. Aquas diuinæ gratiæ omnibus Gentibus offert Iſaias 55.n.1. *Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, venite, emite, abſque argento, & commutatione vinum, & lac.* Quod ità facile proponitur, vt ipſa voluntas bibendi ſit pro pretio. Vt dixit Gregor. Nazianz. orat. 40. in ſanctum Baptiſma: *O facilem contrahẽdi rationem: cupiditatem ipſam Deus ingentis pretij loco habet.* Et cum tam facilis, ac ſuauis ſit potus oblatus à Deo, nullus legitur ad illum cucurriſſe, ac ex eo potaſſe. At verò calix dæmoniorum plenus amaritudine, & abſynthio vſque ad ebrietatem bibitur. Vt teſtatur Ierem. 3.n.15. *Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* Non ſolum plenus erat calix amaritudine, ſed multis amaritudinibus cum acri, & ſeuero abſynthio. Quid eſt quod ad dulciſſimas Dei aquas cum lacte, & vino, nullus hominum dicatur cucurriſſe? Ex calice verò dæmonum ita bibitur, vt etiam tota amphora exhauſta vſque ad ebrietatem veniat? O miſera, & cæca hominum conditio, vt à dulci, ac facili potu à Deo expoſito fugiant, & declinent, & ad dæmonum calicem amaritudine, anguſtia, ac abſynthio plenum libenter currant, illóque inebrientur. D. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 15. *Humanum genus*, ait, *in voluptatibus ſuis dimiſſum, per eaſdem voluptates ſpontaneis tribulationibus traditum, abſynthio eſt ebrium, quia & amara ſunt, quæ pro huius vitæ amore toleras; & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quaſi inſenſibilitate ebrietatis ignorat.*

Ierem. 3. Gregor.

Dei aquæ non gustant homines, mãdi amaritudines replentur.

65. 4. Reg. 5. Sanitatem pro ſua lepra poſtulat Naaman à parente Eliſæo, cui ait Prophera: *Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis*, 4. Reg. 5. num. 10. Quo audito Princeps militiæ regis Syriæ non ſolum contemnit remedium, ſed etiam valde iratus patriam repetebat; cur ſic iraſcitur, nonne ſæpe pro oblectamento, ac delitiis homines in fluuiis ablũuntur? Nam vt quidam dixit ei ex ſuis: *Si rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certe facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: lauare, mundaberis?* Cur ſis difficilis ad ſuaue ſanitatis balneum, cum videamus Sacerdotes Baal pro illius cultu ſe ſanguine proprio lauare, ac cruentare cultris? *Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine*, 3. Reg. 18. num. 28. ſeu lauarentur ſanguine. Res mira! Naaman renuit lauare ſe in Iordane quod frequenter homines pro delitiis faciunt; & tamen miniſtri idoli, tam durum onus ſibi imponunt, vt multa ſanguinis effuſione, cum cultris, ac lanceolis ſemetipſos abluant. Naaman ex Dei iuſſione per os Prophetæ mandatur ſe abluere in flumine. Sacerdotes Baal ex dæmonis impulſu ſe cultris dilacerant. Vnde tam diſpar ratio? Tam obſtinata eſt humana conditio, vt diuino mandato ſuaui, ac dulci cum

3. Reg. 18.

In re ſumi homo renuit Deo, in difficili obedit diabolo.

cum oblectamento pro sanitate habenda, multum renuat, ac difficilè se habeat; et ad mundanum obsequium etiam cum proprio dolore, ac sanguinis profusione facilis, ac libens currat, & volet.

QVÆSTIO XII.

Quare discipuli ponunt vestimenta sua super asinam, & pullum?

66. Abulens. PRIMAM rationē assignat Abulens.q.31. quia forsasse animalia illa non habebant stramenta, super quæ Christus sederet, & hoc est multum verisimile, præcipuè quoad pullum, super quem nullus vnquam hominum sederat, vt scribunt D.Marcus,& Lucas,& cōsequenter non habebat stramenta, quæ non ponuntur, nisi asinis domitis,super quos quis sedet,vel onus eis imponitur, & ideo cum deessent stramenta pullo, eorum loco fortasse positæ sunt vestes discipulorum. Secundò fuit ad ornatum, & decentiam, vt Christus super illa sederet, vt iam dixi ex Carthusiano in expositione.

Carthus.

67. Origenes. Tertiò. Origenes homil.14. in Matth. *Adducentes ergo*, ait, *ad Christum asinam, & pullum, nudos eos non dimiserunt, sed ornamenta eis imposuerunt, quibus fuerant cooperti, honestatem eis adijcientes, quos suo studio soluunt ipsi.* Soluunt, & adducunt asinam, & pullum Apostoli, & quia stramenta non habebant, vt ait citatus Abulensis, eis imponunt sua vestimenta, ornamenta eis adiicientes, non ex alieno, sed ex proprio, ita vt suas vestes detraherent pro eis componendis vestibus, *quibus fuerant cooperti, honestatem eis adiicientes.*

Adornant ex suo.

68. Hieron. Tertiò.D.Hieron.in præsenti: *Pullus iste*, ait, *& asina, quibus Apostoli sternunt vestimenta sua, vt Iesus mollius sedeat: ante aduentum Saluatoris nudi erant, absque operimento frigebant. Postquam verò acceperunt Apostolicas vestes, pulchriores effecti, Dominum habuere sessorem. Vestis autem, vel doctrina virtutum, vel differtio Scripturarum intelligi potest, quibus nisi anima instructa fuerit, & ornata, sessorem habere Dominum non meretur.* Per asinam, & pullum intelligit S. Pater Gentiles, qui cum ante Christi aduentum operimento, ac doctrina Apostolorum carerent,frigebant, minimēque apti inueniebantur, vt in eis Dominus sederet, ac collocaretur; non enim venire, ac sedere solet Deus,nisi in his, qui doctrina Apostolorum, ac eorum pretiosis virtutum ornamentis condecorantur.

Iesus non sedet, nisi in anima virtutibus ornata.

69. Bernard. Quartò. D. Bernard. sem.1. de Purificatione: *Homines*, ait, *& iumenta saluabis, Domine, cum multiplicaueris misericordiam tuam, Deus. Neminem itaque dedignatur, nec ipsos, qui computruerunt tanquam iumenta in stercore suo: non dedignatur, inquam, sed si Apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum iustitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum.* Christus Dominus suprema Maiestas, *qui sedet super Cherubin, & ambulat super pennas ventorum*, & tamen nunc patitur ab humili animali vehi. Cooperitur Apostolorum vestibus. *Imposuerunt super eos vestimenta sua.* Moraliter instruimur hoc documento, quod licet quis sit valde conditione abiectus, si tamen illorum virtutibus insignitur, ac nobilitatur, dignus eorum fructu in portanda suprema Christi maiestate efficitur

Abiectus si virtutibus condecoratur, multum sublimatur.

Quintò. D. Chrysost.in Imperfect. hom.37. 70. Chrysost. *Turbæ*, ait, *quæ vestimenta sternebant in via, credentes erant, ex circuncisione, qui gloriam, quam habebant ex lege, videntes Christum deiecerunt in terram; & cum Apostolo dicebant: quæ mihi fuerunt lucra, hæc æstimani propter Christum detrimenta, & arbitror stercora esse, Christum lucrifaciam.* Apostoli, ac discipuli Christum verè sequentes omnia sua propter ipsum demiserant, omniáque ob illius amorem detrimenta, vt stercora arbitrati sunt, libentérque vestes, ac pallia, quibus tegebantur, exuunt vt Christo præstent obsequia, qui enim pro Deo magna reliquerunt, non recusant pro ipso parua contemnere. Eleganter Tertullian. lib. de Patientia: *Absit*, ait, *à seruo Dei tale inquinamentum, vt patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat.* Qui enim pro Deo mundi magnalia abiecerunt, parua ret nere dedignantur.

Qui contemnit magna, non recusat relinquere parua.

Tertullian.

Iob omnibus bonis, ac filiis spoliatus iuxta 71. Iob.2. Septuag. lectionem Septuaginta, cap. 2. num. 8. *Sedebat supra acervum stercoris extra ciuitatem.* Cur magnus athleta non manet in ciuitate, vt pro maioti dolore videret locum, in quo ipse cum multis bonis ac magna filiorum copia regnauerat? Magnus Iob libenter ob Deum amisit regnum, ciuitatem, palatium, suos filios cum omnibus suis bonis, etiam voluit renuntiare minimum, & abiectum locum in ciuitate, nec qui omnium suorum bonorum consolationem amiserat, ex vno infimo ciuitatis loco, voluit consolatiunculam capere. Origenes lib. 2. in Iob: *Cur*, ait, *in ciuitate maneam? Cum re, ac filiis, & ciuitate, & domibus carui. Cum re ac familiari, ac liberis, corona regni ablata est mihi. Nunc verò cum regno, reliquam etiam ciuitatem, ac domum.*

Origener.

Matth. 21. *num.* 8. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via.

Num. 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebātur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.

VERSIONES.

*Syriacus n.*8. Plurimæ autem turbæ sternebant pallia sua in via.

Clem. Alex. lib. 1. *Pedag. cap.* 5. Cum carpissent pueri ramos oleæ, vel palmarum.

*D. Hilar. can. in Matth. num.*9. Turba, & præcedens, & consequens, dicens.

Clem. Alex. citat. Exierunt obuiam Domino; & clamauerunt dicentes: Lux, & gloria, & laus cum supplicatione Domino.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. *n.*8. Multi autem veſtimenta ſua ſtrauerunt in via : alij autem frondes cædebant de arboribus , & ſternebant in via.

*Num.*9. Et qui præibant , & qui ſequebantur , clamabant, dicentes : Hoſanna.

Num. 10. Benedictus, qui venit in nomine Domini : Benedictum , quod venit regnum Patris noſtri Dauid , Hoſanna in excelſis.

*Luc.*19.*n.*36. Eunte autem illo , ſubſternebant veſtimenta ſua in via.

*Num.*37. Et cum appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti , cœperunt omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus , quas viderant, virtutibus.

*Num.*38. Dicentes : Benedictus,qui venit Rex in nomine Domini : pax in cœlo, & gloria in excelſis.

*Ioan.*12.*n.*12. Turba multa , quæ venerat ad diem feſtum, cum audiſſet , quia venit Ieſus Ieroſolymam. Acceperũt ramos palmarum , & proceſſerunt obuiam ei , & clamabant : Hoſanna benedictus , qui venit in nomine. Domini , Rex Iſraël.

EXPOSITIO IV.

71. PRIMA *autem turba* , ſeu plurimi ex turba. *Strauerunt veſtimenta ſua* ; ſeu extenderunt , ſeu ſupposuerunt pallia ſua , ſeu veſtes ſuas; *in via* : per quam Ieſus perrecturus erat cum ſuis diſcipulis , quod erat eximij amoris , honoris , ac reuerentiæ ſignum. Exemplum diſcipulorum , qui impoſuerant veſtimenta ſua ſuper animalia , quod turbæ fuerunt prouocatæ, etiam ſuperarunt ſternentes in via. *Alij autem cædebant ramos de arboribus olei,& palmis* quarum illic erat multa copia, *& ſternebant in via.* Per foliorum viriditatem ſuam lætitiam indicabant celebrantes Chriſti Ieſu triumphum.

73. *Turba autem, quæ præcedebant* , illis nempe, qui erant in comitatu Ieſu , hæc autem turba non erat ex ciuitate , ſed ex illa , vt explicat Ioannes, quæ venerat *ad diem feſtum.* Quæ tanta erat , vt ſcribat Ioſephus lib. 2. de Bello Iudaico cap.19. Ceſtio Syriæ prædi Ieroſolymam Paſchæ die- Ioſephus. bus aduentanti occurriſſe ex vrbe facile triceſies centena millia hominum. Clamabãt gratulãtes, ac lætantes. *Hoſanna Filio Dauid* ; id eſt , ſaluum fac Filium Dauid , ſalutem præſta filio Dauid. Deſumptum eſt ex Pſalmo 117. n.25. *O Domine* Pſam.117. *ſaluum me fac* , Hebraicè eſt *Hoſanna. O Domine proſperare* , ſolita erat acclamatio apud Iudæos, qualis hodie aqud nos cum dicitur : *Viuat Rex.* Dicitur deinde : *Filio Dauid* : quaſi dicatur. Meſſiæ ſit omnis felicitas. Viuat Meſſias. *Benedictus, qui venit in nomine Domini* proſper ſit aduentus eius , qui à Deo miſſus eſt. *Hoſanna in altiſſimis.* Salua eum, petimus, tu qui habitas in altiſſimis.

QVÆSTIO XIII.

Quare Chriſtus tanto apparatu , támque fauſta acclamatione ingreditur Ieruſalem breuiſsimè duraturam?

PRIMA , & communis ratio literalis , vt 74. ipſe ex prophetia Zachariæ demonſtraretur verus Meſſias. Vt ſæpè dixi ex Chryſoſt. Theophyl. & aliis. Secundò, vt reſponderet Dominus typo Agni Paſchalis , hic enim decimo *Typus Agni Paſchalis.* die menſis primi, ſolemni pompa inducebatur in vrbem , immolandus die decimo quarto : Sic Chriſtus Agnus Dei qui tollit peccata mundi, die decimo , ſcilicet in die Palmarum ingreditur Ieruſalem, immolandus die decima quarta pro ſalute totius mundi.

Tertiò. D. Ambroſ. in cap. 19. Luc *Vere,* 75. ait , *memorabile diuinæ operationis inſigne , vt aduerſum ſe teſtimonium extorqueatur inuitis : cum Deum negant affectibus , quem vocibus confitentur* ; paucos poſt dies erant Iudæi clamaturi: *Tolle , tolle crucifige eum* , Ioan. 19. num. 15. Ioan.19. Diſponit tunc alta Dei ſapientia , vt prius Chriſtus iuſtus , & ſanctus acclametur : *Hoſanna Filio Dauid , Benedictus , qui venit* , &c. Ne quis de illius ſanctitate dubitare poſſet, cum ab hoſtibus Sanctus appellaretur ; ac ſi eximia Chriſti innocentia non poſſet efficacius ſuaderi, quam dum etiam inimici veritate cogente , eam prædicant , & teſtificant. *Efficax teſtimonium ab inimicis.*

Quartò. D. Bernard. ſerm. 2. in Dominica Palmarum : *O quam diſſimile* , ait, *eſt , tolle, tolle , crucifige eum ? & benedictus , qui venit in nomine Domini : Hoſanna in excelſis. Quam diſſimile , Rex Iſraël ; & , non habemus Regem, niſi Cæſarem ; quam diſſimiles rami virentes , & crux : flores , & ſpinæ ; cui prius ſternebantur veſtimenta aliena : Ecce ſuis exuitur.* Hoc facto propoſuit Dominus ridendam eſſe mundi gloriam , ſciebat Dominus , quod ab illis , à quibus tam honorifico comitatu excipiebatur , quinta poſt die crucifigendus eſſet , & tamen non reſpuit talem honorem , vt omnibus fieret documentum, vt nullus mundanæ gloriolæ fidat , *cui prius ſternebantur veſtimenta aliena : ecce ſuis exuitur.* Vide ſuprà cap.19.n.75. 76. Bernard. *Nullus fidat mundanæ gloriolæ.*

Quintò. D. Cyrillus Alexandr. lib.12. in Ioan. cap.26. *Ipſi autem*, ait , *clamantes : Benedictus , qui venit in nomine Domini , reſiliunt tamen , nunc principatum Romanorum amplexi , & iugum veri Dei reiicientes. Hoc enim planè ſignificant dicentes : Non habemus regem niſi Cæſarem. Sed tunc à populo , & à ſimplicioribus vt Deus , Chriſtus laudabatur : nunc* 77 Cyrill.

verò

Non quod multitudinis impetus, sed senioris consilio introducitur, perdurauit est. Ioan. 19.

verò consilio, & clamore Pontificum regnum Dei excutiunt. Honorificè magnis vocibus per aëra intonant regem acclamantes: *Benedictus, qui venit*; cum tamen post quatuor dies, regnum negant; & in Pilati prætorio testificant: *Non habemus regem nisi Cæsarem*, Ioan. 19. num. 15. Io quo adeo vehementer perseuerarunt, vt à sua impietate non desisterent, quousque Dominum in crucem agerent. Cur sic pertinaciter persistunt in inferenda ignominia, cum à gloria acclamata tam facilè mutentur? Tantus applausus, ac gloria acclamata, Benedictus, populari impetu, ac multitudinis affectu introducta est, inde facilè resilit, & non durat; at ignominia crucis seniorum, ac Pontificum consilio irrogatur, & ideo vsque ad mortem perdurauit. *Tunc à populo, & à simplicioribus vt Deus, Christus laudabatur: nunc verò consilio*, &c.

78. Bernard. *Christo passio ex præsenti triumpho acerbior.*

Sextò. D. Bernard. suprà citat. *Quid fuit*, ait, *quod processionem habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem? Fortè vt amarior esset passio, quam processio præcessisset.* Ad quid ante mortem tantus triumphus? vt post illum amarior esset passio. Tanta charitate Christus amaram mortem appetebat; vt ex temporis circunstantia, ac ex proximè peracto triumpho amariorem, ac duriorem subire vellet. *Messui*, anima Sancta, *myrrham meam cum aromatibus meis*, Cantic. 5. n. 1. Tanquam si diceret amarissimam passionis myrrham cum præiucundis gaudiorum aromatibus coniungi, vt inde passionis myrrha, ad gaudia consequens, durior, & acerbior esset.

Cantic. 5.

79. Psalm. 136. *Præterita felicitas aggranat captiuitatem.*

Ab omnibus suis bonis expoliati Hebræi ducebantur in miseram seruitutem Babylonicam, tamen organa, ac instrumenta musica secum deferebant: *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra*, Psalm. 136. n. 2. Cur organa secum ex captiuitate in patriam portant, quibus futurum erat, vt nunquam in exilio vterentur? Sic Dei iudicio dispositum est, vt Hebræi præsenti illa captiuitate ex memoria præteritæ felicitatis durius, ac acerbius pungerentur, ac torquerentur. D. Chrysost. ad prædictum Psalm. *Hoc fuit à Deo*, ait, *prouisum, vt vel in aliena regione haberent monumenta prioris reipublicæ, magisque morderentur, & agrius ferrent, dum religionis, & Dei cultus illa signa viderent.* Vide suprà cap. 29. n. 134.

Chrysost.

QVÆSTIO XIV.

Quare turbæ strauerunt vestimenta sua in via?

80. Hieron. *Ex operibus pietatis impensis euitantur mala.*

IN præsenti, ait D. Hieron. quod turbæ, quæ Christum fuerant secutæ de Ieticho, supposuerunt vestimenta sua pedibus asini, necubi offendat lapidem, neque calcet spinas, neque labatur in foueam: etsi hæc ratio optimè possit ad mores adaptari, nam ex operibus pietatis impensis euitamus spinas, & foueas peccatorum ne labamur, tamen illa non est multum cohærens literæ, quia minus offenderet asellus incedens per viam nudam, quam vestibus opertam, ac ramis plenam, tunc enim facilius asinus laberetur in foueam.

81. Abulens.

Ratio ergo literalis, vt dixi in expositione, est hoc esse factum in eximiam reuerentiam, & honorem erga Christum, nam vt ait Abulens. q. 38. Non potest aliquis alium magis honorare, quam quod ea, quæ sibi chara sunt, ei impendat: homines autem maximè diligunt vestes, quibus honorantur, & ideo eas nitidas, & mundas seruare cupiunt, nullum autem potest esse maius amoris, ac reuerentiæ argumentum, quam quod homo alterius pedibus subiiciat, id quod ei multum inseruit ad honorem, ac decorem, vt sunt vnicuique sua vestimenta. Vnde ait Euthym. in Matth. *Excellenti modo illum*, scilicet Christum, *honorarunt. Nam & modico ante tempore, cum Lazarum suscitasset, magnam apud eos reuerentiam acquisiuit.*

Magnus amor, quod homo impendat, quæ sint sibi chara.

Euthym.

Secundò. Victorinus ad c. 4. Apocal. *Alij præcisis ramis palmarum viam sternebant, alij tunicas suas subiiciebant: duos scilicet populos ostendentes, vnum scilicet Patrum, & alium Prophetarum magnorum virorum, qui quascumque habebant palmas victoriarum contra peccatum, victori omnium Christo eas sub pedibus iacebant.* Expende verbum, *Magnorum virorum.* Cum vestimenta sua, ac temporalia abiiciant, vni Deo obsequium præstent, ipsumque omnium victorem acclament, præexcelsi viri declarantur, hoc enim est, *Magnorum virorum.*

82. Victorinus.

Magnorum est Deo dare victoriam.

Tertiò. D. Paschasius in cap. 21. Matth. *Ne asellus*, ait, *in quo sedebat, terram calcaret nudam.*

83. Paschas. *Christus in Eucharistia multa puritate suscipiendus.*

Diuino Spiritu afflata turba viam floribus, ac frondibus ornauerunt, non solum vt nihil turpe, ac indecorum Saluatoris oculis obiiceretur, sed etiam ne asellus, quo ferebatur, terram nudam luto, ac puluere fœdatam attingeret, quod ad maiorem decentiam, ac honorem est excogitatum. Ex quo perpende quid facturi essent, si pedester, vt consueuerat, adueniret: ex quo recogita, quanta puritate, ac decentia ornanda est anima, vt Dominum valeat suscipere, vt in ea inhabitetur.

84. Drogo. *Nostra misericordia prouocatur Deus ad impendendam misericordiam.*

Quartò: Drogo de Passion. Domin. Sacramento: *Egredere*, ait, *cum pueris Hebræis, qui transeunt simpliciter in occursum Domini, sterne in via ramos oliuarum, & opera misericordiæ pedibus eius accommodes.* Ramos oliuarum, quibus mons Oliueti abundabat, & misericordiam significant, ad Domini pedes proiiciunt, vt operibus misericordiæ impensis Dominum alliciant, vt illis misericors, & indulgens affulgeat, ac veniat, dimittens eorum peccata.

85. Hilar.

Quintò. D. Hilar. Can. 21. in Matth. *Apostoli quoque*, ait, *excisarum arborum ramos post vestimenta substernunt: sed nulla in hoc est humani officij reuerentia: Rami enim incedentem impedirent, & implicitum iter facerent properantis ingressui: Verùm explicatur omnis ratio prophetia, & futuri forma seruatur: igitur infructuosarum arborum rami, id est, infidelium quoddam Gentilium fructus per Apostolos itineri Domini substernuntur.* Cur turbæ, ac Apostoli proiiciunt ramos, ac vestimenta in via, cum hoc esset impedimentum ad viam, ac iter agendum. *Rami enim incedentem impedirent.* Ad quid ergo? Pro mysterio sanè. Rami illi cum essent pomis, ac fructibus expoliati, præfigurabant eam, quæ de verbis tantum est fides, bonis carens operibus; & ideo ramos sine fructu non gestant vertice, vel manibus, sed proiiciunt in via; vt innuatur, quod fides sine operibus mortua est, & ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. *Infructuosarum arborum rami, id est, infidelium quoddam Gentilium fructus per Apostolos itineri Domini substernuntur.*

Fides sine fructu operum ad nihilum valet.

Germinet

86. Gen 1. *Germinet terra*, ait, Deus, *herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum*, Gen. 1. n. 11. Verno tempore creatus est mundus, ac proinde prodierunt arbores cum foliis, & fructibus, ac pomis, vt est communis Patrum sententia; cur non sic creantur, vt primò proditent stipites, deinde foliis vestirentur, ac tandem fructibus exornarentur, vt inde ab exordio arbores suam naturam ostenderent, ac illatum fructus in maiori essent æstimatione? Erant ligna in paradiso, & ideo non sine fructibus inueniuntur, præcipuè cum ob foliorum ostentationem anathemate percussa sit ficulnea, quæ esurienti Seruatori cibos non ministrauit? Marc. 11. n. 13. Et cur in paradiso sic exornantur arbores foliis, & fructibus, extrà verò solum cum foliis apparent? Arbores in paradiso denotant fideles in Ecclesia, cuius symbolum est Paradisus; arbores verò extra, hæreticos significant, vt est communis vox Patrum. Arbores, seu fideles in Ecclesia habent folia, verba nempe confessionis, & fructus operum. At verò hæretici verbis falsò crepant fidem, & eam operibus, & factis, omninò contradicunt, & negant. D. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 15. *Bene autem*, ait, *scriptum est: germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum fructiferum, faciens fructum iuxta genus suum: per terram quippe significatur Ecclesia, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinij vmbraculo custodit: quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit: vt non solum herbam refectionis proferat, sed & cum fructu operis arborem protectionis.*

Marc. 11. — *Fides cum operibus in Ecclesia.* — Gregor.

87. Psalm 46. *Fides sociandа cum operibus.* Ait Regius Vates Psalm. 46. n. 1. *Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo omnis terra.* Connocat voces, & manus, vt cum oris confessione, coniungatur manuum operatio. Præclarè ibi D. Augustin. *Quare manibus*, inquit? *quia bonus operibus: iubilate Deo in voce exultationis: voce, & manibus: si tantum voce, non bene, quia pigræ manus: si tantum manibus, nec hoc bene, quia mura est lingua concordent manus, & lingua: ista confiteatur, illa operentur.* Vide in Indice, verb. *Fides.*

QVÆSTIO XV.

Quare dicitur: Hosanna Benedictus, qui venit in nomine Domini?

88. Abulens. RESPONDET Abulens. quæst. 43. Quod turbæ per hæc tria significare voluerunt. Primò, vt eum Messiam, & Regem ostenderent, cum dicunt filium Dauid, vt patet ex his, quæ dixi de Chananæa, & cæco Iericho. Secundò. Eum laudauerunt bona imprecantes; nam, *Hosanna*, relictis multis, quæ circa hoc nomen congerunt Recentiores; id est, salus, vita, seu prosperatio sit Filio Dauid, idem est ac apud nos. *Viuat Rex*, vt iam dixi. Tertiò. Sibi ipsis bona petunt dicentes: *Hosanna in excelsis.* Hoc est, da nobis salutem, & vitam, quæ est in excelsis. Et hoc est etiam, quod dicunt. *Benedictus, qui venit in nomini Domini.* Hoc est, vt etiam nos benedictos, & sanctos facias.

89. *Rex dicitur benedictus.* Nota etiam quod modò Christus Dominus cum motti est proximus tunc multum ab omnibus extollitur, ac laudatur; non enim laudandus est homo, nisi in vitæ fine. Et cum Rex acclamatur, ab omnibus benedictus profiretur, magnáque turba populorum cum multo applausu, eum sequitur, ac comitatur.

90. Psalm. 8. Secundò. A Regio Vate vaticinatum est: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, Psalm. 8. n. 3. Non ait fecisti, sed absoluisti. Quæ propheria adimpleta est hodie clamantibus pueris. *Hosanna Filio Dauid.* Quo videtur perfecta, & consummata laus Angelorum laudantium, ac dicentium: *Gloria in altissimis Deo*, Luc. 2. n. 14. Lyranus ad citatum Psal. *Diuinitas Christi*, ait, *fuit confessa ab Angelis confessione laudis ab hora natiuitatis. sed laus ista fuit perfecta, quam pueri in templo clamabant confitentes diuinitatem Christi: Hosanna, id est, salua obsecro in excelsis: salutem enim nullus dat nisi Deus.* Chorus Angelorum gloriam Deo decantat: *Gloria in altissimis Deo.* Laus tamen ista non erat consummata, & perfecta, cum eum non vt Saluatorem commendaret. Perficitur ergo laus, cum pueri acclamant: *Hosanna, salua obsecro.* Altius enim Deum extollit, excellentiúsque ipsum commendat, qui Saluatorem, quam qui Deum, vel Creatorem dicit. Salmeir. tom. 3. tract. 37. *Plus est*, ait, *Saluator, quam Creator. Siquidem plus est suscitare mortuum ad vitam, quam viuum generare.* Vnde Christus apparens Paulo, ait: *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, Actor. 9. n. 5. Beda: *Non Deum, vel Dei filium se vocat*, sed vt ait D. Bernard. *Ego sum Saluator, quem tu persequendo petis.* Ac si amplior, & augustior esset Saluatoris, quam Dei nomenclatura erga ipsum Deum; nam Dei nomine significatur eius maiestas, Saluatoris verò illius beneficentia, ac pietas in nos.

Luc. 1. Lyran. *Maxima Christi laus, quod mortuus sit Saluator, ac Redemptor.* — Salmeiron. — Actor. 9. Beda. Bernard.

91. Cyrill. Tertiò. D. Cyrillus Alexandr. homil. in Nestorium, sic Dei matrem salutat: *Salue mater*, ait, *& Virgo, per quam is benedictus in Euangeliis nominatur, qui venit in nomine Domini.* Clamant pueri: *Hosanna Filio Dauid.* Hoc est, vita, salus, & prosperitas sit Filio Dauid, & inde subdunt: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ex benedicta Dauidica prole per Virginem Mariam eum benedictum, sanctum, ac pium proclamant. Ait Elisabeth ad Virginem Mariam: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*, Luc. 1. num. 42. Prius matrem dicit benedictam, deinde fructum benedictum appellat, nam quamuis Christus Dominus, vtpote Dei Filius sit per naturam benedictus, & sanctus, tamen cum sit Filius Virginis Mariæ peculiari modo dicitur etiam benedictus. Nam vt ait Seuerus in Catena S. Thomæ: *Omnis fructus est eiusdem naturæ cum planta.* Cum ergo ex Virgine benedicta, ac sancta esset natura humana assumpta, inde etiam quædam species benedictionis, ac sanctitatis in fructu dignoscitur, & acclamatur.

Ex Virgine benedicta Christum quædam species benedictionis, ac sanctitatis vendicat. — Luc. 1. — Seuerus.

CAPVT XLI.

Fletus super Ciuitatem.

Luc. 19. n. 41. Et vt appropinquauit, videns Ciuitatem fleuit super illam, dicens:

Num. 42. Quia si cognouisses & tu, &

& quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, tunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

VERSIONES.

Euthym.n.41. Postquam appropinquauit intuitus Ciuitatem fleuit super illam.

Syriac.n.42. Nempe si tu nosses ea, quæ sunt ad pacem tuam, vel saltem isto die tuo, nunc autem occultata sunt ab oculis tuis.

Vatabl. Orig. O si cognouisses & tu, & quidem hoc die tuo, quæ ad pacem tuam pertinent, curares, nunc autem occultata sunt ab oculis tuis.

Arabicus. Et in hac die, quantum est tibi in ea pacis.

S.Epiphanius. Nunc autem absconditum est tibi.

EXPOSITIO. I.

1. *Vt appropinquauit*: Ciuitati scilicet Ierusalem, in qua tanto applausu, ac triumpho ingrediebatur, in die palmarum, vt supra est explicatum: *Videns Ciuitatem*; seu vidit ciuitatem. Descendentibus enim è monte Oliueti Occidentem versus, proxima Ierosolyma, tota erat in prospectu; viditque illam, vt inquiunt D. Bonau. & Cardinalis Hugo, non tantum oculis corporis, sed etiam pietatis affectu. Et maximè obseruandum, quod Romani eodem in loco, in monte nempe Oliueti castra sua posuerunt, & eodem ferè die, proximè ante Pascha ciuitatem obsidione circumuallarunt, vt de loco testatur Iosephus l. 6. de Bello c.3. de die verò, subsequente c.4. *Fleuit*, vt homo, non quod fletum inuitus pateretur, sed sponte ipse sibi imperauit, ostendens scilicet suæ pietatis viscera erga eam.

Bonauent. Hugo.

Iosephus.

2. *Dicens: Quia si cognouisses.* Tu ô filia Ierusalem, sicut ego intueor, & cognosco, vt explicant D. Gregor. homil. 39. Beda, Carthusian. *In hac die tua*, qua ego ingredior ad te vt Messias verus pronuntiatus per Zachariam 9.num. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi*: in salutem, & bonum tuum, *quæ ad pacem tibi*. Sub nomine pacis omnis prosperitas, felicitas significatur; Verba autem hæc, *quæ ad pacem tibi*, referuntur ad illud, *Si cognouisses*; ac si dicat, si cognouisses, quæ ad pacem, ac bonum tibi sunt, vtique fleres, sicut ego fleo, tua scelera, ac crimina, méque tuum Messiam verum recognosceres, vt æternam damnationem, ac imminens excidium tuum per Titum, & Vespasianum euitares. Et notandum est, cum Iansenio, Barrad. Luc. Burgens. Cornelio, quod cum ait: quæ ad pacem sunt, abruptus est sermo per reticentiam ex dolore loquentis, vt ait Euthymius: *Defectiuus est sermo, consueuerunt enim flentes; verba præ affectus vehementia abrumpere.* Ac proinde supplenda est oratio, si cognouisses, aliter te habuisses. *Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* Vt inquiunt Titus, & Eusebius in Catena, *quod de industria scire noluerit.* Quæ nempe ad pacem tibi sunt data, vt Incarnatio, prædicatio, ac Passio Christi, sicut & tua perfidia, ac cæcitas, in cuius vindictam veniet tibi excidium per Titum. D. Gregorius homil. 39. *Si mala imminentia videres, læta in præsentibus prosperis non esses.*

Gregor. Beda. Carthus. Zach. 9.

Iansen. Barradas. Burgens. Cornel.

Euthym.

Titus. Euseb.

Gregor.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus defleat super ciuitatem?

RESPONDET primò Theophylact. *Ostendit*, ait, *viscera misericordiæ per fletum. Quod enim miserebatur eis, & non solum ante crucem, sed post crucem.* Euthymius *Ciuitatem*, ait, *Ierusalem propter immensa vitia destruendam, humano modo Christus pro immensa sua bonitate defleat: etiam hinc ostendens qualia haberet erga ingratos viscera.* Quod maximè confirmatur; non mortem suam proximè impendentem, sed Iudæorum defleat internecionem longè distantem. 3. Theophyl. Euthym.

Secundò. Theophylact. *Flet Dominus*, ait, *stupiditatem ipsius Hierusalem, eo quod ipsum non cognouerit.* Defleat Dominus Ierosolymitanorum cæcitatem, obdurationem, ac ingratitudinem, eo quòd se Saluatorem, ac Messiam recipere noluerunt; & quæ maior lachrymandi causa, quam ad intuitum, ac præsentiam remedij, & salutis perite, ac in perditionem ire? resuscitaturus Dominus Lazarum: *Lachrymatus est Iesus.* Quænam causa fletus in ratione tanti gaudij amici? *Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & collegerunt Concilium.* Lachrymas fundit Dominus videns, quod stante tam magno miraculo, quod quatriduanus resurgat in vitam, ipsi in sua nequitia, ac peruersitate obstirmandi erant. D. Augustinus serm. 104. de tempore: *Propter*, ait, *Iudæorum flebat incredulitatem, quia resurgente Lazaro non erant credituri.* Pro quo nota, quod non ait Euangelista, quod videns à longè fleuerit, sed quod cum appropinquasset, approximante enim remedio, tunc interitus, & perditio maiorem dolorem infligunt. 4. Theophyl. *Perditio approximante remedio, maximum dolorem excitat.* Augustin.

Tertiò. Carthusianus: *Videns Iesus Ierusalem, eiusque pulchritudinem exteriorem defleuit ipsius culpam, & pœnam non tam temporalem, quàm æternam.* Videns Ciuitatem lachrymabatur Dominus, non tantum illius excidium futurum, sed potius peccata, quæ tantæ ruinæ causa extabant. Hoc enim interuenit discrimen inter mundanos, ac iustos, nam illi mala pœnæ, hi verò culpæ noxia deplorant. Vide supra cap. 12. n. 62. 63. 64. 5. Carthus. *Mundani dolent de pœna, iusti de culpa.*

Quartò. D. Gregor. homil. 39. in Euang. *Fleuit enim*, ait, *pius Redemptor ruinam perfidæ ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse venturam. Cum enim carnis se voluptatibus daret, ventura mala non prospiceret in die sua, qua ad pacem esse poterat, habebat.* Maximè gloriabatur, & exultabat florida ciuitas, eum esset plena populo, ac diuitiis, solúmque in suis bonis temporalibus considerabat suum externum splendorem; at verò Iesus in illo florido statu nihil videbat, nisi vt fleret, considerabat enim imminentium malorum acerbitatem, extremámque eius ruinam contemplabatur; nam etsi mundani in suis bonis lætantur, 6. Gregor. *Mundani exultant in bonis, de quorum malis iusti dolent.*

tur, iusti, ac sancti considerantes eorum latentia mala maximè lachrymantur.

7. Origen. Quintò. Origenes homil. 38. in Luc. *Omnes beatitudines*, ait, *quas locutus est Iesus in Euangelio, suo firmauit exemplo. Beati, inquit, mites. Huic simile est de seipso : discite à me, quia mitis sum. Beati pacifici. Et qui alius ita pacificus, vt Dominus meus Iesus, qui est pax nostra?* Et postea subdit : *Ad quam similitudinem, quia dixerat, beati flentes, ipse flenit, vt huius quoque beatitudinis iaceret fundamenta.* Iesus, qui est risus, ac gaudium totius mundi tripliciter lachrymatur; in resurrectione Lazari, in cruce teste Paulo, & in præsenti, omnes virtutes, quas in monte Dominus docuit, ad easque non est adhortatus, ipse eas in se adimpleuit, ac firmauit.

Iesus, quid docuit, in se adimplet.

8. Sextò. Flet Dominus super ciuitatem, sic enim dolet nostra pressura, ac labore, ac si eisdem pro nostro captu nobiscum esset obnoxius. Hanc cogitationem firmat ipse Dominus. Ierem. 6. n. 26. *Filia populi mei, accingere cilicio, & conspergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repentè veniet vastator super nos.* Ad planctum, ac lachrymas exhortatur Dominus suum populum ob excidium perpetrandum per Babylonicos. Maximè tamen est expendendus modus loquendi, *veniet vastator super nos*: non ait veniet super te, sed *super nos*. Sic nostro dicendi modo dolet de clade facta in populo, ac si peculiariter contra se esset facta, ac si ipse cum populo vnam personam ageret. D. Hieronym. *Misericors Deus dixit, super nos, vt quidquid super suum venturum populum, super se quoque venire testatur.* Expende quod ait luctum vnigeniti, denotat se intimo doloris affectu de clade sui populi tangi, ac commoueri, ac si quodammodo vnigenitum perdidisset.

Ierem. 6.

Deus sic dolet de nostra pressura, ac si peculiariter esset sua.

Hieron.

9. Ierem. 15. Per eundem Ieremiam 15. n. 8. ait Dominus: *Multiplicate sunt mihi viduæ eius super arenam maris.* Numquid Deo, qui est omnium Pater, ac sponsus, potest viduitas, ac orbitas contingere? Quid est ergo quod ait : *Multiplicate sunt mihi viduæ*? Sic enim ipse viduitate, ac orbitate nostra dolet, ac si ipsi Domino contingeret, eique viduitas obuenitet. Ad quem sensum opportunè ait Paulus, Rom. 14. n. 7. *Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur,* Quid est, quod dicitur, quod homo nec sibi viuat, nec sibi moriatur; cum benè dicat Tertull. lib. de Pallio cap. 5. *Nemo aliis nascitur, moriturus sibi.* Quomodo ergo mors, & vita nostra Deo refertur? Dicimur Deo viuere, quia ipse vitam nostram, vt magnas diuitias æstimat, Deo verò mori, quia mortem nostram tanquam magnum damnum ducit. D. Chrysost. *Per hec verbo ostendit*, ait, *quod vitam nostram diuitias suas, & mortem damnum æstimet.* Theophyl. *Dominum habemus, cui curæ nos sumus, qui pro diuitiis vitam nostram hanc ducit, & mortem pro damno.*

Nostram viduitatem pro sua reputat. Rom. 14.

Tertull.

Chrysost.

Theophyl.

Qvæstio II.

Quare Dominus tam patenter, ac manifestè lachrymatur super ciuitatem?

10. Ambros. Respondet D. Ambros. l. 2. de Pœnit. cap. 6. *Ipse Dominus*, ait, *Hierusalem fleuit, vt quia ipse flere nolebat, Domini lachrymis ad veniam. Ipse nos flere vult, vt euadere possimus.* Ciuitas lætanter, ac præiucundè exultabat, Dominus verò illius obsidionem, ac excidium præmeditabatur, vt ergo ciuitatem ad salutem vocaret lachrymas interponit, vt ex tantis lachrymis ciuitas commora mentem ebiberet, qua peccata sua lachrymaretur, vt inde ea abstergeret, salutem inueniret, & ad Deum accederet.

Lachrymis euitantur præsentia mala.

Secundò. Theophylactus : *Plorat*, ait, *super ciuitatem, vt misericors, nolens perdi eos, qui in illa, propter facinus contra se. Ostendit itaque viscera misericordiæ per fletum.* Plorat Dominus super ciuitatem obliuiscens de propria morte, ac iniuriis, & solum desolationem, ac excidium Ciuitatis considerans; ostendénsque viscera suæ misericordiæ, nam qui referabat viscera ad lachrymas, simul etiam referata ostendebat ad dona, ac beneficia largienda.

11. Theophyl.

Qui dat lachrymas, dat & animam.

Eximius amor, eximiáque beneficentia, vt bona habeantur, per lachrymas declaratur. Videt Iudas in somnis Oniam summum Sacerdotem, in proximóque cum ipso erat Ieremias, de quo Onias Sacerdos ait ad Iudam : *Hic est fratrum amator.* Cur tam insigniter Ieremias dicitur fratrum amator inter cæteros? Ipse Onias statim subdit: *Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta*, 2. Machab. 15. n. 14. Merito Ieremias inter omnes Prophetas dicitur fratrum amator, ac multum orare pro ciuitate, & populo, nam inter omnes multis compositis threnis excidium vrbis, ac gentis suæ deplorat. D. Paschas. hb. 5. *Quia hic est*, ait, *fratrum amator, merito vincit lamentationibus, omnium lamenta lamentationum.* Qui inter omnes aperuerat viscera ad lachrymas, apertuit etiam vt pro populo, ac ciuitate orationem funderet pro multis donis impetrandis; suúmque amorem oratione, ac operatione manifestat.

12. 2. Machab. 15.

Paschas. *Qui amat, dolet dulcissima multa.*

Tertiò. Flet Dominus super ciuitatem, super illius nempe peccata, ac scelera; mala enim, quæ iniqui perpetrantur iusti lugent, ac deplorant. Ait Apostolus Paulus 2. Corinth. 2. num. 4. *Scripsi vobis per multas lachrymas, vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.* Cur sic ex abundantia charitatis lachrymas fundit super aliorum nempe improbitatem, & nequitiam? D. Chrysostom. homil. 66. ad populum: *Quoniam*, ait, *de suis non habebat, quid lugeret, hoc pro alienis agebat.*

13. *Iusti deplorant, quæ alij peccant.* 2. Cor. 2.

Chrysost.

Multæ, ac copiosæ lachrymæ Danielis Prophetæ referuntur cap. 10. num. 2. *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* Cur tot lachrymæ apparent in Propheta, cum ipsi essent multæ rationes gaudendi, nam ipse ab Archangelo Gabriele edoctus erat de certo aduentu Messiæ, de libertatéque populi Israëlitici, vt patet ex antecedenti cap. 9. n. 23. Deinde ipse Regi Cyro valde gratus erat, ad magnósque honores euectus, ipséque Rex valde populo beneuolus erat, cur ergo inter tot gaudendi rationes sic afflgitur, ac luget Propheta? Videbat ipse quod in populo Hebræo multi erant amatores Persarum consuetudinis, qui Dei voces contemnentes in patriam redire nolebant, indéque Propheta pro tam pertinaci peccandi consuetudine preces, ac lachrymas cum ieiunio offerebat Deo. Theodoretus orat. 18. *Ipsum graviter angit populi contumacia, & sancta Ciuitatis oblinio.*

14. Dan. 10.

Daniel luget pro alienis peccatis.

Theodor.

Ait Dominus ad Angelum : *Signa Thau super frontes*

15.

Ezech. 9. *frontes virorum gementium, ac dolentium*, Ezec. 9. n. 4. Signum *Thau*, signum crucis erat, vt docent ibi D. Hieron. Beda, Carthus. Hugo cum Paschas. lib. 1. in Thren. Viri ergo illi iusti, & probi erant, qui crucis signo mandantur notari. Cur ergo gementes, & dolentes introducuntur? Statim subditur in textu: *Super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Scilicet vrbis Ierusalem: cum essent iusti, & sancti maximè affligebantur, ac dolebant super peccata, & scelera ciuitatis. D. Hieron. *Gementes igitur, ait, dolentésque saluantur: qui non solum malis non consenserunt operibus, sed & alienà planxerunt peccata. Inde & ipse Apostolus dicebat: Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus*, 1. Corinth. 5. n. 4.

Hieron. Beda. Carthus. Hugo.

Ciuitatis scelera deplorant.

Hieron.

1. Cor. 5.

QVÆSTIO III.

Quare in tanto triumpho lachrymatur Dominus?

16. Maldonat. *In nostris calamitatibus dolet Dominus.*

PRIMÒ respondeo cum Maldonato: cùm tanto honore, ac triumpho afficitur Dominus, extremam ciuitatis calamitatem prædicit, illiúsque miseriam deplorat, vt fiat omnibus manifestum, quod non irato, sed libero, ac sincero animo illa prædicit, indéque deplorat, vt omnes intelligant, quod tanta ruina ciuitas ob eius mortem infestanda, ei non sit ratio lætandi, sed potius multum condolendi, ac deplorandi.

17. Euseb.

Secundò. Eusebius Emissen. in propria homil. sic loquitur in persona Christi: *Ego fleo, ait, quia omnia video.* Ipse Dominus magno triumpho, ac apparatu incedebat, & tamen *videns ciuitatem fleuit.* Videt ciuitatem, vidétque sua diuina scientia rigidam Romanorum obsidionem, qua funditus erat deuastanda, & cùm hæc videret, vt optimus princeps maximè condolet, ac in lachrymas profunditur. *Ego fleo, quia omnia video.* Sæpè inter suorum clades principes rident, ac multis oblectamentis lætantur, quia suorum miseriam non vident, nec considerant. In illa magna pestilentia, quæ grassabatur in Israël, in qua multa millia hominum sunt occisa. *Dixit Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum cadentem populum: Ego sum, qui peccaui, ego iniquè egi*, 2. Reg. 24. n. 17. Cur tam vehementis doloris signa non exhibet ab exordio pestis, sed modò post tot millia occisa? Quia modò videt Angelum cædentem populum, ac proinde cum tantam suorum stragem aspexisset, inde maximè doluit, ac pœnitentiæ profert verba: *Ego sum qui peccaui.* Sicque & Rex Israël cum transisset per murum, & vidisset mulieres disputantes ex pacto inito ad comedendos filios præ fame in rigida obsidione Samariæ: *Quod cum audisset Rex scidit vestimenta sua*, 4. Reg. 6. n. 30. Quod erat vehementis doloris, ac tristitiæ signum. Et tamen illud modò exhibet, & non antea, quia modò nempe vidit, & audiuit.

Animus regius cum videt suorum clades, dolet.

2 Reg. 24.

4. Reg. 6.

18. Caietan. *Honores affligunt, ac molestant.*

Tertiò. Caietan. *Vide, ait, quam charam habeat Iesus huiusmodi gloriam, inter tot honores sedens super asinum flet; non extollitur, non magnificat honores, qui fletum non continet.* Inter lætas regem illum acclamantium gratulationes, flens, ac mœrens ibat, sic honoribus cruciabatur, vt tristia, & amara in illis meditaretur, quæ fletum mouerent, & excitarent. Sic Moyses principatu, ac regimine totius populi angustiabatur, vt diceret ad Dominum: *Cur afflixisti seruum tuum?* seu vt est in Hebræo: *Cur malefecisti cum seruo tuo? Cur imposuisti pondus vniuersi populi super me?* Num. 11. n. 11. Vnde Moyses malè secum actum esse existimat, cui præfectura totius populi data est? Oleaster ibi: *Imponendo scilicet super me onus regiminis populi, quod mihi ad malum cedet.*

Hebræus. Numer. 11.

Oleaster.

Quartò. Inter tot faustas triumphi acclamationes in lachrymas prorumpit Dominus super Ciuitatem. Tunc triumphus magnus, ac splendidus apparet, quando lachrymis pro suorum commiseratione associatur. Ait Ioannes Apoc. 5. n. 6. *Vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum* Cur in throno Agnus non se exhibet resuscitatum, vel gloriosè sedentem cum purpura, & diademate, sed tanquam mortuum? Tunc thronus augustior, & magnificentior ostendebatur, cum Agnus pro suorum salute, ac remedio videretur occisus. Ex quo nota quod non dicitur Agnus iacere, vt est proprius demortui situs. Et aduertunt Alcacer, & Cornelius, nec dicitur sedere vt supra c. 4. n. 2. Ansbertus: *Quid est, ait, quod in hoc loco non sedere, sicut supra, sed stare in medio throni perhibetur, nisi quia ibi examen, & regnum, hic autem solamen, & auxilium ostenditur: sedere autem iudicantis, ac regnantis est; stare verò consolantis, ac adiuuantis.*

19. Apocal. 5. *Thronus augustior cum lachrymis nitet pro suis.*

Alcacer.

Ansbert.

QVÆSTIO IV.

Quare Dominus fleuit super Ierusalem, & non potius super totum regnum?

20. *Ratio difficultatis.*

EXCIDIVM, ac deuastatio facta per milites Romanos generalis fuit, ac totius regni, omnes enim Iudæi per totum regnum, fuerunt interfecti, & captiui; cur ergo piissimus Iesus super Ciuitatem, & non potius super regnum deplorat?

21. Origen.

Primò ad quæstionem. Solutionem colligo ex Origen. homil. 38. in Leuit. *Nemo Gentilis fletur, ait. sed ille, qui fuit de Ierusalem: quod post peccata circundent eam inimici, & lapidem super lapidem non relinquant; maximè si post multam continentiam, post annos castitatis, victus quis fuerit blandimentis carnis.* Non deflet Dominus super Gentium ciuitates, Babylonem, Tyrum, vel Niniue. *Nemo Gentilis defletur.* Nec super totum Iudæorum regnum, sed super Ierusalem *fletur*, nempe *ille, qui fuit de Ierusalem.* Nemo enim Gentilis fuerat in virtute, à qua recesserat; & si aliæ Iudæorum Ciuitates sub lege fuerint, nulla tamen in iustitia, ac probitate ita resplenduit, vt Ierusalem, quæ fuit Ciuitas sancta, cuius fundamenta in montibus sanctis decantantur, quæ vt vibs fortitudinis extollitur, & maximè deplorandum erat, quod post tot annos castitatis, post tot monumenta virtutum ipsa blandimentis carnis, ac turpitudini vitiorum se tradiderit, in peccata, ac scelera inciderit. Vnde cum magno dolore lamentatur Ierusalem. Isai. 1. n. 21. *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij.* Vide suprà cap. 35. n. 175. & cap. 12. n. 70. 71. 72. & cap. 15. num. 89. 90.

Maxima miseria, quod post virtutis opus relabatur in vitia

Isai. 1.

Secundò. Euthymius: *Sciens*, ait, *propter immensa vitia destruendam humano modo ipsam pro immensa sua bonitate deflet, etiam hinc ostendens,*

22. Euthym.

qualia haberet erga ingratos Iudæos viscera. Peculiariter deplorat Dominus miseram destructionem Ierusalem, sic super eam deflet Dominus, cum ipsa ei datura esset crudelem mortem. O ingens Christi pietas; non irascitur in suos capitales hostes, non postulat vindictam contra eos, sed maximè super eorum desolationem dolet, eorum casum, à quibus lædendus erat, deplorans. Vide, *Amor inimicorum*, in Indice.

Non cogitat de vindicta inimicorum, sed dolet super eorum ruina.

Tertiò. Flet Dominus non super totum Iudæorum regnum, sed super ciuitatem Ierusalem, ipsa enim totius regni caput extabat. Peccata autem capitis, ac maiorum, totius regni deuastationem generant, & producunt. Balthassar in suo grandi conuiuio præcepit afferri vasa aurea, & argentea, quæ ex templo Ierusalem asportauerat pater eius Nabuchodonosor: *Et bibebant in eis Rex, & Optimates eius, vxoréque eius, & concubinæ*, Dan. 5. n. 2. Statim in pariete apparuerunt digiti sententiam contra regem scribentes: *Phares diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*, ibidem n. 28. Si omnes sacrilego ore sacra vasa prophanant, & violant, cur tantum contra Regem directè profertur sententia secundum omnes suas partes? *Mane*, numerauit Deus regnum tuum, & complevit illud. *Thecel*, appensus es in statera, & inuentus es minus habens. *Phares*, diuisum est regnum tuum, &c. Cur etiam alij prophanatores non inuoluuntur in sententia? Balthassar Rex, & caput erat, inde tanquam omnium delictorum reus, ipse solus sententia percutitur, vt peculiariter pœnas subeat, & exsoluat. Paschas. lib. 7. in Matth. *Rex qui omnes inuitauerat, amisso regno, miserrima morte occubuit.*

23. Qui auctor est peccati, illi tribuuntur omnium flagitia.

Dan. 5.

Paschas.

24. Ingreditur Abrahamus cum vxore sua Sara Ægyptum & ciuitatem Geraris. Et in vtroque loco abscondit Saram esse vxorem suam, eamque sororem dicit. In Ægypto sublata est mulier in domum Pharaonis: *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abrahæ*, Gen. 12. n. 17. At verò in Geraris, Abimelech tulit Saria in domum suam. Cui nocte apparuit Deus, dicens: *Redde viro suo vxorem, quia Propheta est*, Gen. 20. n. 7. Si Pharao, & Abimelech simile factum ediderunt, cur vnus cum tota familia punitur; alter verò tantum à Deo admonetur? D. Ambros. quæst. ponit, & soluit, lib. 1. de Abraham, c. 1. *Fortassis*, ait, *te moueat, qua ratione Pharao ab omnipotenti Deo sit afflictus, cum & ipse ignoret, vxorē esse Abrahæ Saram, quam sororem audierat: Abimelech autem nullam pœnam receperit. Verùm Ægypti regem noueris ducem fuisse vitiorum.* Abimelech introduxit Saram in domum suam eius modestia captus, Pharao verò libidine, ac turpitudine ductus, quæ turpitudo stimulus extitit ad luxuriam in tota sua familia; & cum ipse suo facto alios induxerit ad peccandum, inde rigide à Deo punitur. *Verùm Ægypti regem noueris ducem fuisse vitiorum.*

Gen. 12.

Gen. 20.

Ambros.

Rex malus punitur vt dux vitiorum.

Quæstio V.

Quare Ciuitati Hierosolymæ Deus obiicit potius ignorantiam in illa die, quàm scelera eius?

25. Ait Dominus loquens cum Ierusalem: *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Obiter expendendum est, *In hac die tua*, illius Dei vsura, ac luce omnes viuentes fruebantur; cur ergo dies illa, in qua Dominus tanto triumpho ferebatur, dicitur dies Ierosolymæ? Sumpserat Iesus sibi illum diem peculiariter, ad triumphum, & applausum, inde singularissimè dicitur dies Ierosolymæ, siquidem nihil Iesus sibi vendicat, quod nostrum non sit singulari iure. Fauet Euthymius: *Si cognouisses*, ait, *& tu in die hac, id est, in hoc tempore, quo ego hic conuersor: tuum enim est, quia propter te potissimum humanitatem assumpsi, & peregrinus effectus sum.*

Nihil est in Iesu, quod nostrum non sit.

Euthym.

Quæstio præsens est. Cur Christus Dominus non obiecerit Ierosolymæ eius scelera, & peccata, sed tantum eius ignorantiam, quod non cognouerit quæ illi sunt ad pacem, & salutem, suum scilicet verum Messiam, ac regem Christum Iesum, in quo erat tota eius salus, vita, ac pax? Ignorantia enim salutis, ac eorum, quæ ad salutem requiruntur, fomes, ac origo omnium malorum est. Explicat Propheta Isaias c. 1. n. 5. Magna supplicia, quæ à Deo inferenda erant Ierosolymæ: *Super quo percutiam vos vltra, addentes prauaricationem.* Itavt supplicia suppliciis, pœnæ cum pœnis adiungerentur; causam verò tantorum malorum exprimit Propheta: *Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*, num. 3.

26. Ignorantia propria miseria, damnationis origo.

Isai. 1.

Episcopo Laodiceæ ait Angelus in Apocal. 3. n. 15. *Neque calidus, neque frigidus es, sed tepidus, ideo incipiam te euomere ex ore meo*, hoc est, te à me repellam, ac reiiciam, addicámque æterno supplicio, vt bona pars interpretum explicat cum Cornelio, & R. P. Ioanne de la Haye. Et tamen ipse Episcopus Laodiceæ de se ait: *Dicis, quia dines sum, & locupletatus, & nullius egeo*, ibid. n. 17. Cum ipse audit, quod euomendus, & repellendus sit ex ore Christi, quia tepidus est. Consequens erat, vt supplex deprecaretur, vt sibi Dominus calorem infunderet, ne in extremam confusionem, ac pœnam veniret. Cur ergo potius ipse gloriatur in diuitiarū multitudine, & quod nullius egeat? Perpende quod statim subditur in textu: *Nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Cùm enim ipse esset cæcus, ac sui status conditionem non agnosceret, cum esset miser, miserabilis, & pauper, se valde diuitem, ac locupletem existimabat, itavt audenter affirmaret se nullius egere. Aretas: *Incipiam*, ait, *te velut abominandum cibum euomere, & qua huius causa? Quia semine verbi Dei suffocato, hoc est, tentationibus temporaria huius vita, atque diuitiarum, paternam hæreditatem tuam, ipsiúsque perpetuam paupertatem ignorasti.* Ac proinde, quia tanta ignorantia laborasti, in discrimen positus es, vt te incipiam euomere, ac à me ablegare in æternum.

27. Apoc 3.

De la Haye. Cornel.

Ob suam cæcitatem excludendus.

Aretas.

Quæstio VI.

Quare Dominus Ciuitatem à ruina, ac deuastatione non eximit, cum tam largiter, ac copiosè fleret super eam?

AD quæstionem respondet Rupert. in cap. 1. Nahum: *Videns*, ait, *ciuitatem Ierusalem, fleuit super illam; & tamen non liberauit eam, vt non circundarent eam inimici eius vallo, & ad terram prosternerent, ita vt non relinquerent lapidem super lapidem. Impossibile namque est, cum iniustè aliquid*

28. Rupertus.

aliquid agere, iniustè misereri, vel parcere. Non, inquit, possum à meipso facere quidquam, videlicet vt faciunt iniusti iudices. Mirabitur sanè quisquam, quod videns Dominus ciuitatis oppressiones largiter præ amore fleret; & tamen ciuitatem omninò perimi permittat; si tanto amore erga ipsam tenetur, si ita eius excidium deplorat, cur eam ab hostium gladio non liberat? Christus Dominus cum videret Ciuitatis peccata, illiúsque angustias, vt hominum amator maximè dolet super eam, vt etiam in lachrymas diffundatur; at cum esset à Deo Patre constitutus iudex, vt rectus iudex non poterat dissimulare, sed eam castigare, quia etsi vt piissimus hominibus multo amore indulgeat, tamen vt bonus iudex nihil facit à se, sed provt merita causæ postulant.

Dilectissimus puniendus, cum causa postulat.

29. Cùm Dauid obdormisset in suo adulterio ex iussione Dei venit ad ipsum Nathan, & proposita parabola de ouicula, quam diues tulerat à paupere, qua præparauit, ac disposuit Dauid. Tunc *dixit Nathan ad Danid: Tu es ille vir: Hac dicit Dominus Deus, quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum,* 2. Reg. 12. n. 7. Si Nathan tam leniter venit ad Dauid proposita parabola; Deinde ipse intimus erat familiaris Dauid, ita vt cum eo tractaret omnia sua negotia, haberétque omnia consilia. Vnde, vt testatur Genebrard. ob magnam amicitiam Dauid vnum ex filiis suis vocauit Nathan. Cur modò tam durus, ac seuerus est in ipsum, vt dicat: *Hac dicit Dominus Deus, non recedet gladius de domo tua?* Nathan Dei Propheta, provt amicus Dauid assumpta parabola benevole cum eo loquitur, vt ipsum ad viam salutis reducat, at cum personam iudicis agit, & ex parte Dei profert sententiam. *Hac dicit Dominus Deus.* Deposita omni benevolentia, districto rigore provt causa exigebat in intimum familiarem procedit. D. Chrysost. in Psal. 47. *O sectionem, ait, non gladio, sed breui coarguitione doloris sensum amputantem. Cùm enim oportebat, fabulam agebat. Cùm enim coarguendus ille fuit, statim ferit, atque vlcus abscidit, sic tamen vt haud magnum dolorem efficeret.*

Genebrard.

Vt amicus indulget, vt Iudex punit.

2. Reg. 12.

Chrysost.

30. De felicissimo Christi aduentu vaticinatur Isai. 9. n. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Postea verò de ipsomet Domino, ait Ioannes in sua Apocal. cap. 15. n. 8. *Impletum est templum fumo à Maiestate Dei, & de virtute eius, & nemo poterat introire in templo.* Cur primò apparet cum luce, ac fulgore illuminante. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*; modò verò in Apocalypsi cum fumo obcæcante, & tanquam densa caligine nostris quasi noctuarum oculis indutat? Vnde tanta differentia? Apud Isaiam describitur veniens Dominus vt Saluator, ac hominum amator; in Apocalypsi proponitur vt iudex ad puniendum. Vt hominum amator effundit lucem, vt omnes ad se alliciat, ac attrahat; vt Iudex verò emittit fumum, qui torquet, & oculos obcæcat, vt ex alta Dei permissione superbi, ac iniqui caliginati non videant, sed pereant. Iuxta illud Isai. 6. n. 10. *Excæca cor populi huius, aures eius aggraua: & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & conuertatur, & sanem eum.* Ioachimus Abbas: *Quia sicut humilitas, ait, & infirmitas ad redemptionem, ita maiestas, & virtus pertinet ad iudicem Christum: vt enim se aliquando exhibuit paruum, quatenus effusa desuper luce misericordiæ suæ illuminaret humiles, & manfuetos terræ: ita post ascensionem suam in cœlum residens cum Patre in throno gloriæ suæ exhibet seipsum ineffabiliter magnum, vt effusa caligine iudicij sui, eos qui gradiuntur in superbia, percutiat cæcitate, ne quando videant oculis.*

Isai. 9.

Apoc. 15.

In amante benevolentia, in iudice rigor.

Isai. 6.

Ioachim.

Luc. 19. n. 43. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te: & coangustiabunt te vndique.

Num. 44. Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.

VERSIONES.

Syriacus n. 43. Aduenient autem tibi dies, quibus obsidebunt te hostes tui, & cingent te ab omni loco.

Arabicus. Profectò venient dies, & inimici tui proiicient vexilla tua, & in illis circundabunt te.

Vatablus. Quia superuenient tibi dies, cum circundabunt te inimici tui.

Arias. Et circundabunt inimici tui vallum tibi.

Syriac. n. 44. Et euertent te, filiósque tuos intra te: neque relinquent in te lapidem super lapidem, eo quòd non noueris tempus visitationis tuæ.

Vatablus, Et solo æquabunt te, & filios tuos.

Arabicus. Et ad terram superuertent te

Caietanus. Ad solum prosternent te.

EXPOSITIO II.

31. *VI A venient dies in te.* Beda. Ecce pœna, quam imminentem ignorat ciuitas. Pro qua debeat flere, & misericordiã exposcere. *Venient dies in te,* venient nempe tibi dies, *& circundabunt te inimici tui vallo.* Inimici tui principes Romani Titus, & Vespasianus, & circumcingent te vndique vallo, quod est munimentum castrorum, ex terra, lapidibus, arboribus, ac lignis constructum. Et agger dicitur. Refert Ioseph. l. 6. de bello c. 7. & 13. Romanos milites circa Ierusalem tres aggeres erexisse, & solius tridui spatio vndique totam vrbem cinxisse, ita vt obsessis, nulla esset spes exitus, & transitus. *Et circundabunt te.* Repetitio est ex magno dolore, & intelligitur, quod circundabunt te machinis, ac multo robore. *Et coangustiabũt te vndique.* Omni pressura, angustia, ac fame. Ita vt matres proprios filios

Beda.

Iosephus.

comederent. Vt testatur Ioseph. l. 6. de Bello, c. 14.

32. *Et ad terram prosternent te.* Solo te æquabunt, & omninò destruent. *Et filios tuos, qui in te sunt.* Syriacus. Ciues tuos nempe. Syriacus, *Euertent te, filiosque tuos intra te.* Quod pro magna pœna dicitur in sinu matris, & in propria Ciuitate perire. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Lapidem lapidi cohærentem; milites Romani totum Ciuitatis ambitum, vt refert Ioseph. Ioseph. lib. 7. de Bello, cap. 18. ita complanauerunt, vt qui ad eam accederent, habitatam aliquando esse vix crederent, ipsum verò templum, & vrbs hodie sunt tantum campi, vbi Troia fuit. *Eo quòd non cognouerit tempus visitationis tuæ.* Titus Bostrens. Bostrens. *Visitationis tempus illud vocat, quo ipse è cœlo dilapsus eam visitauit, multaque inter visitandum diuina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patrauit.* Euthym. Euthym. *Quia non cognouisti tempus curæ tuæ: tempus namque peregrinationis meæ, erat tempus curæ salutis tuæ.* Et quid durius, quam tempore curæ, ac salutis perire?

QVÆSTIO XII.

Quare dicitur à Christo, quod non relinquetur lapis super lapidem, cum tres turres intactæ fuissent relictæ in Ciuitate?

33. Ioseph. ESTATVR Ioseph. lib. 7. de Bello c. 18. Postquam quos occideret, quidve raperet non haberet exercitus; iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere Ciuitatem, ac templum. Relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phasselo, & Hippico, & Mariamne, murique tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat. Id quidem, vt esset castrum, illic custodiæ causa relinquendum; turres autem, vt posteris indicarent, qualem ciuitatem, *quamque munitam, Romanorum virtus obtinuisset.* Alium verò ambitum ciuitatis omninò complanauere; vt iam retuli in expositione.

34. Quæstio præsens est. Tres turres relictæ fuerunt à Romanis, & murus Occidentalis, vt ait Ioseph. citatus. Christus verò prædicit: *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* Respõdent Barrad. Barrad. & Cornel. Primò quod sit hyperbolicus sermo. Secundò, quòd sententia Christi intelligitur de reliquis ædificiis ciuitatis, quæ penitus euersa sunt, vt ait Ioseph. seu de tota ciuitate, & templo, & tantarum rerum comparatione, illud quod est relictum est parum; parum autem pro nihilo reputatur. Tertiò. Aptius mihi videtur id, quod ait Iansen. quod in Ciuitate relictum fuit à Iansen. *Monumentum iniquitatis.* Tito, ab aliis principibus etiam subuersum legitur, vt perfectè impletũ sit, quod Dominus prædixit; Ciuitas Hierusalem sic penitus deleta est, vt & post reædificata, non eundem locum obtinuerit, cum iam mons Caluariæ sit intra ciuitatem. Quartò & moraliter. Non relinquetur lapis super lapidem, ad eius decorem, & honorem, nam turres, & pars muri relictæ fuerunt ad eius infamiam, ac ad monumentum suorum delictorum, quod cum tam magna, & ampla esset ciuitas, ob sua peccata meruerit funditus perire, & destrui.

35. *Deus minatur ne puniat.* Excidium Ciuitatis antecedenter quadraginta annis minatur Christus, vt ipsi resipiscant, & non puniantur. Imminente diluuio, ait Deus Noë: *Post dies septem, ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam, quam feci,* Gen. 7. num. 4. Ad quid per quadraginta dies pluuia est immittenda, poterat enim Deus vno die, vnóque momento totam illam aquarum molem inducere? Hoc Deo possibile erat, ad quid ergo per quadraginta dies, ac noctes aqua est effundenda, vt vniuersus orbis deleatur? Vno momento potuit Deus vniuersum orbem submergere, noluit tamen, sed concedit quadraginta dierum spatium, vt perterrefacti homines resipiscentes, debitas pœnas euadant. D. Chrysost. homil. 24. *Hoc,* ait, *dedita opera fecit, volens simul, & timorem incutere, & occasionem præstare, quâ pœnam, qua iam in foribus esset, effugerent.* Chrysost.

Luc. 19. *n.* 45. Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes.

Num. 46. Dicens illis: Scriptum est: quia domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

VERSIONES.

Arabicus. Cùm ingressus esset in templum.

Syriacus. Cœpit eiicere eos, qui emebant in eo, & vendebant.

Theophyl. Vatab. Quia domus mea, domus precationis est.

Arabicus. Vos autem fecistis illam speluncam latronibus.

ALTER TEXTVS.

Matth. 21. *num.* 12. Et intrauit Iesus in tẽplum, & eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorũ, & Cathedras vendentium colũbas euertit.

Marc. 11. *num* 15. Et veniunt Ieroſolymam. Et cùm introisset in templum, cœpit eiicere vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum, & Cathedras vendentium columbas euertit.

EXPOSITIO. III.

36. Iansen. *Et egressus in templum.* Quamquam Iansenius existimet, quod Dominus ingressus sit in templum sequenti die post diem Palmarum. Tamen verisimilior mihi est sententia D. Augst. lib. 2. de consensu Euangel. cap. 68. vbi ait, *illa die, qua cum pompa ciuitatem, & templum ingressus est Dominus, vendentes eiecisse,* vt colligitur ex textu D. Matth. *Intrauit Iesus in templum, & eiiciebat vendentes.* D. enim Matth. vt ait Hier. obseruator est Augst. Hieron.

est temporis, & ordinem historiæ tenet. D. verò Marcus narrat per repetitionem, & recapitulationem, vt aduertit in præsenti Barradas.

Barrad. 37. *Et ingressus in templum.* Non ad regiam domum, nec ad plateas, sed ad templum vadit Iesus, vt gloriam sibi attributam in Patrem referat, eique gratias exhibeat, quod vt verus Messias toti orbi sit manifestus. *Cœpit eiicere vendentes in illo, ac ementes:* regia nempe auctoritate. Quemadmodum bonus princeps ad regnum euectus primum curat purgare regnum suum, aulam suam à vitiis, & turpitudinibus. D. Chrysost. citand. existimat quod eiiciebat Dominus flagello facto, vt ex simili historia constat ex Ioan. 2. Et flagellum extitit necessarium ad eiicienda animalia, quæ Sacerdotes ob suum lucrum sinebant vendi in templo, hoc est, in atrio prophano, seu Gentium templo ad victimas offerendas, præcipuè quia tunc approximabat Pascha, in quo erant offerendæ, quæ in tanto numero, vt dicat Iosephus lib. 7. de Bello, cap. 17. in vno die festo Paschæ numerata ducenta quinquaginta sex millia hostiarum oblatarum. D. Matth. ait: *Et mensas numulariorum:* vbi pecunia numerari consueuerat, *& Cathedras*, seu sedes vendentium columbas, verisimile est fuisse fœminas, quibus difficile est diu in pedibus consistere: de hoc vide similem historiam latè à me commentatam tom. 2. cap. 2.

Chrysost. Ioan. 2. Iosephus.

38. *Dicens illis.* Tam mirabile opus ostendit Dominus factum non mera potestate, sed etiam ratione ex diuinis literis desumpta. *Scriptum est*, Isai. 56. n. 7. Et allusio etiam fit ad locum Ieremiæ 7. n. 11. vbi ait Deus: *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus mea?* Et ait Dominus *Domus mea, domus orationis est.* Templum enim meum deputatum, ac consecratum est ad orationem, ac ad diuina officia. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum* Ad Sacerdotes templi dirigitur sermo, quibus ex officio incumbebat huiusmodi illicita in templo non admittere. Et rectè ait: *Speluncam latronum*, quia Sacerdotes sub specie, ac latibulo religionis, & templi abscondentes suam auaritiam, venditione, vsuris, multisque fraudulentis, & pessimis artibus peregrinos, ac pauperes expoliabant. D. Hier. in Matth. *Latro enim est*, ait, *& templum in latronum conuertit speciem, qui lucra de religione sectatur, cultúsque eius, non tam cultum Dei, quam negotiationis occasio est.*

Isai. 56. Item. 7. Hieron.

QVÆSTIO VIII.

Quare post fletum Ciuitatis statim Dominus eiicit ementes, & vendentes?

39. Galfridus. AD quæstionem respondet Galfrid. apud Tilmannum in allegoriis: *Si aduertimus*, ait, *quomodo cœpit Iesus eiicere ementes, & vendentes de templo, mirum, si non lugemus, qui tam multos etiam nunc in Ecclesia vendentes, & ementes videmus. Liquet enim quod ob auaritiam maximè eorum, qui in templo negotiabantur, imminere ei ciuitati excidia videbantur, quando post lachrymas, & querelas illi potissimum sunt eiecti.* Post deplorata ciuitatem, statim Iesus ingreditur templum, & ab illo eiicit vendentes, ac ementes, vt denotaret, quod populorum ruina, animarúmque iactura, ac perditio à templo prophanato, absque auaritia Sacerdotum nascitur, & multiplicatur, & ideo vt pius pater, qui volebat malorum origini medicamen adhibere, vendentes eiicit, vt expulsa auaritia, ac prophanatione templi valeant homines conualescere, ac sanari.

Templorum prophanatio, malorum origo.

Templorum prophanatio multa mala generat, maximèque diuinam iram solicitat. Postquam Ezechiel narrat abominationes, quas domus Israël faciebat in templo, cap. 8. statim pergit Propheta; & cap. 9. n. 2. scribit: *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem: & vnusquisque vas interitus in manu eius. Vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis.* Sex viri illi erant sex Archiduces Nabuchodonosoris, vt censent Prado, Maldonatus. Vir autem ille vestitus lineis, ait D. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 13. *Vir vestitus lineis est Redemptor noster, qui etiam de tribu Sacerdotali aliquos parentes habuit.* Valde mirum, quod inter illos Archiduces, qui veniunt ad deuastandam Ierusalem; appareat Christus Dominus, & in habitu Pontificali, nam vbi nos habemus, *Vestitus lineis*, legunt Septuaginta, *Vestitus podere.* D. Hieronym. *Erat in medio sex virorum vnus in habitu Pontificis.* Habitus sacerdotalis induebatur à Pontifice ad misericordiam, ac pietatem expostulandam à Deo. Venit ergo Christus cum veste pontificali, ac misericordiæ inter Archiduces ad deuastandam ciuitatem. Vt fiat apertum, quod cum abominatio templi interuenit, ipse habitus sacerdotalis in Christo, non misericordiam solicitat, sed potius iram, & furorem ad internecionem, ac solo æquandam vrbem.

Ezech. 9. Prado. Maldonat. Gregor. Septuag. Hieron. *Templo prophanato ira diuina solicitatur.*

40.

Cùm Balthassar totus hilaris cum suis optimatibus biberet per sacra vasa templi: *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum*, Daniel. 5. num. 6. Quæ Glossa Ordinaria in morali sic interpretatur: *Fertur sententia diuina*, ait, *contra predictos peccatores in Scripturis, & vt firmior ostendatur, in hac conscriptione scribens est Deus Pater, manus Filius, & digiti Spiritus sanctus* Cur in hac sententia promulganda tota sanctissima Trinitas declaratur? Agebatur negotium vt rigida pœna plecterentur sacratum rerum prophanatores, quod adeo est horribile, vt contra huiusmodi crimina in templum commissa videatur sententiam proferens, & subscribens tota sancta Trinitas.

41. Dan. 5. Glossa. *Tota Trinitas sententiã profert contra violatores Templi.*

Audiens mortuum Saül multis lachrymis ipsum prosequitur Dauid, dicens: *Abiectus est clypeus fortium, clypeus Saül, quasi non esset vnctus oleo. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium*, 2. Reg. 1. n. 21. Quid est quod Dauid dum deplorat super mortuum Saül, ipsum ait cecidisse *a sanguine interfectorum, ab adipe fortium?* Si interfecti, quomodo causa extiterunt illatæ mortis Saül? Plana est historia, quod Saül in Nobe Ciuitate interfecit omnes Sacerdotes Domini, qui adipem Deo offerebant, 1. Reg. 22. n. 18. Sunúlque ipsam Ciuitatem Sacerdotalem in ore gladij percussit; Mors ergo illata Sacerdotibus, contemptúsque Ciuitatis sacræ mortem, & contemptum intulit Saül, qui enim sacra perdunt, in hoc sibi perditionem inueniunt. Glossa ibi: *Saül*, ait, *reprobatus est à Deo, & ab incircuncisis viliter occisus, tanquam non esset vnctus oleo, propter sanguinem interfectorum Sacerdotum, qui Domino adipem adolebant, quos innoxios Saül iussit interfici*

42. 2. Reg. 21. 1 Reg. 22. *Sacra violata morte inferunt suis contemptoribus* Glossa.

QVÆSTIO IX.

Quare Christus Dominus tam rigidè inuehitur in hos vendentes, & ementes?

43. Chrysost. PRIMO recè D. Chrysostom. homil. 22. in Ioan. Quæstionem ponit, & soluit: *Quæritu dignum est, qua gratia adeo Christus hic indignatus est, & maximè cum aliàs iniurijs, contumelijsque affectus, Samaritanus, & dæmonium habens appellatus, nil tale fecerit.* Et rei difficultatem magis exaggerans ait; *Nunc non contentus flagello, verbis etiam in eos inuehitur, neque tantum illos eiecit, sed etiam euertit mensas, dispersit argentum.* Christus in suis iniurijs sufferendis patientissimus erat, nunc verò flagello, & verbo indignatur: *feciſtis speluncam latronum.* Viderat templum violari, ac prophanari, & ideo districto rigore in eos inuehitur, pro templi, ac sacrorum auctoritate pugnantes nulla vindicta parcit.

Plus dolet Christus pro templo violato, quàm pro suis iniurijs.

44. Beda Secundò. Beda ad cap. 21. Ex hoc magnum elicit documentum: *Si Dominus*, ait, *nec ea volebat venundari in templo, qua in templo volebat offerri: quanta putas animaduersione puniret; si inuenisset ibi aliquos risui, vel vaniloquio vacantes, aut alij cuilibet vitio mancipatos? Si enim ea, qua alibi liberè geri poterant, Dominus in domo sua geri non patitur: quanto magis ea, qua nusquam fieri licet?* Christus Dominus verbo, & flagello è templo propulsauit, vnde vt testatur D. Chrysost. homil. 24. in Acta, impudicè loquentes, seu irridentes in templo digni sunt, vt non verbere, sed fulmine de cælo feriantur.

Chrysost.

45. Victor Antioch. Tertiò. Victor Antiochen. in cap. 11. Marc. *Aggrauat*, ait, *Iudæorum causam, quod Domino idem factum semel, iterumque repetente, ipsi nihilominus in sua illa arte cauponaria, & infami nundinatione obstinatè vsque perstabant.* Valde rigidè Dominus in hos ementes, & vendentes inuehitur, nam flagello eiicit, vt vult Chrysostomus; deinde duro verbo latrones appellans. *Feciſtis illam speluncam latronum.* Cur tam durum in hos sacrilegos se habet Dominus? Ioan. 2. ad initium primi anni prædicationis, eiecerat Iesus de templo vendentes; cùm autem modo eos non emendatos, sed in sua nequitia persistentes, ac relapsos videret, inde maximè in eos sollicitatur Diuinus furor; multum enim relapsus causæ grauitatem aggrauat. Vide suprà cap. 12. n. 70. 71. 72. & cap. 18. n. 39. 40. 41.

Ioan. 2. *Peccati relapsus iram diuinam sollicitat.*

46. D. Irenæus. Quartò. D. Irenæus lib. 4. c. 5. *Veritas erat ipse*, ait, *qui loquebatur: & vere vendicabat suam domum, proiiciens ex ea numularios, qui & emebant & vendebant.* Maximè expendendum est, quod cùm Christus esset veritas vendicans domum suam, eiiciebat ex ea vendentes, & ementes: vbi humana negotiatio est, ibi necesse est mendacium internenire; nequeunt enim simul cohabitare mundialia negotia, & veritas: & ideo cùm Christus summa veritas domum suam expurgaret, vt in veritate consisteret, veritasque in ea tractaretur, mundialia negotia procul eiicit, ac expellit.

Vbi mundialia negotia, ibi mendacia internoniit.

47. Origen. Quintò, Origenes homil. 15. Matth. *Tunc quidem*, ait, *intrauit Iesus in templum Dei, & mundauit illud, eiiciens vendentes, & ementes in templo, & mensas numulariorum euersens, & cathedras vendentium columbas. Nunc autem quandiu non visitantur, qui in nomine Iesu Christi conueniunt in ipsum, sunt vendentes, & ementes in templo, & alia facientes: & nunquam eis Christus apparet, vt eiiciens eos.* Multa illicita, & prophana illo miserabili tempore fiebant in templo: & fortè Dominus aliquando ingrediens in illud, ea viderat, & dissimulauerat, cur modo tam seuerum se exhibet tam districta iustitia etiam in venditores columbarum? *Nunc autem quàdiu non visitantur, nusquam eis Christus apparet, vt eiiciens eos.* Etsi Dominus illa crimina dissimulauerat patienter, modò cùm ingrediatur vt Iudex, ac vt visitans templum, seuerè in eos animaduertit, duréque illos punit in omnes extendens iram suam, cùm omnes in eodem crimine essent comprehensi, & similes.

Tempore visitationis criminosi puniendi.

Valdè notum erat, quanta calamitate, ac miseria Hebræi fatigabantur in Ægypti opere faciendo, immersi luto, vt notat Procopius, vehementerque flagella, opprobria, ac iniurias multas patiebantur, ita vt in publica platea Ægyptius Hebræum percuteret, & cum hæc essent multum vulgaria, sine dubio aperta erant Moysi; quomodo ergo illa sustinuit vsque ad spatium quadraginta annorum, qui malebat affligi cum populo Dei, quàm regnare cum improbo Rege Ægyptiorum. Ait D. Stephanus Actor. 7. n. 23. *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israel, & cùm vidisset quendam iniuriã patientem, vindicauit illum.* Cur ergo magnus populi sui zelator, de quo multa dicunt SS. Patres, antea suorum iniurias non vindicauit; sed tantum modo: *ascendit in cor eius vt visitaret fratres suos?* Etsi antea illas iniurias dissimulabat, modo verò cùm adesset visitationis tempus, non distulit, sed seuerè suos vindicat, ac stricto gladio iniuriatores persecutit, ac interficit. Huc adducam D. Ambros. lib. de Abel. c. 4. *Interfecit Ægyptium*, ait, *& fugax factus est de terra Ægypti, vt declinaret tyrannum terræ, sed non antea illum interfeciſſet Ægyptium, nisi prius in se abdicasset regalium luxum bonorum: maius patrimonium æstimans thesauris Ægypti opprobrium Christi.* Cùm à se abdicauit luxum regalium bonorum, tunc suos visitauit ac vindicauit.

48. Procopius.

Actor. 7.

Etsi prælorum delicta dissimulet, cùm verò visitat, punire debet.

Ambros.

QVÆSTIO X.

Quare Christus Dominus tanta potestate vtitur, & nullum hic edidit miraculum?

49. *Ratio difficultatis.* QVM Christus eiiceret ementes, ac vendentes de templo, ait Ioan. 2. n. 15. numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et hic in præsenti scribit D. Matthæus. *Mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.* Rem valde miram hic operatur Christus, multáque potestate vtitur, cùm huiusmodi mensas subuertit, ac pecunias sparsit, & diffudit per templum; cur ergo hanc tantam suam potestatem, eximiumque zelum domus Dei aliquo signo, ac miraculo non confirmat?

50. *Pecunias ejiciendo non hominis, sed diuinitatis vota est.* Respondeo primò. Christus Dominus in vtroque euentu mensas numulariorum, seu mensas plenas nummis, ac pecuniis subuertit, mercantium, ac vendentium nummos effudit, quo facto eius diuinitas, supremáque eius potestas ostendebatur, tãtarúmque pecuniarum contemptor, non purus

purus homo, sed Dei Filius credendus erat, non enim hominis huius vitæ est pecunias contemnere, ac à se abiicere. De proditore Iuda, ait, D. Matthæus 27.n.5. *Proiectis argentis in templo recessit;& abiens laqueo se suspendit.* Cur non laqueo se suspendit dum argenteos secum habebat, sed illis proiectis? Quandiu secum habebat nummos viuebat ipse, at illis à se abiectis iam non sustinet viuere, sed cum argenteos effunderet, animam etiam effudit vitæ impatiens. Pulchrè D. Maximus sermone 3. de Iuda. *Post redditum*, ait, *pretium laqueo se suspendit, vt qui se mulctauerat pecunia, mulctaret & vita.*

Matth.27. *Nemo non vult | vitam sine pecunia.*

Maximus.

51. Secundò. Nullum in præsenti Christus edidit, miraculum, ipsius eximia virtute, qua pecuniâ, ac omnia illa bona spernens diffundens contemnebat, efficaciter eius diuinitas, ac potentia ostendebatur, & valdè sufficiens erat sine miraculis ad omnium animos subiiciendos, ac expiscandos. Pro liberandis Hebræis à mortis sententia, vna eligitur Esther, quæ sic regem exorat: *Si inueni gratiam in oculis tuis ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego, & populus meus, vt cõteramur, ingulemur, & pereamus*, Esther 7.n.3. Pro eruendo populo à tanta afflictione, ac ab imminenti mortis sententia, solùm datur Esther, vt Regem exoret, cur non conceditur etiam potestas ad aliqua miracula edenda, vt datum fuit Moysi, & Aaroni pro liberando populo ab Ægyptiorum iugo? vt patet Exod. à c. 7. vsque 12. cum maiori in discrimine populus versaretur sub Assuero, quam sub Pharaone in Ægypto. Nam sub hoc erat Hebræis seruitus, sub illo vero non solum erat seruitus, sed & imminebat mortis sententia, vt vna die omnes iugularentur? Cur ergo Esther non datur miraculorum gratia, vt concessa fuerat Moysi? In illo conuiuio dixerat Rex. *Qua est petitio tua Esther, vt detur tibi? Et quid vis fieri? etiamsi dimidiam partẽ regni mei petieris, impetrabis*, eodem c.7.n.2. Esther tunc non pro regno, sed pro populo rogat. Vbi tam manifesta, ac conspicua Barbaris erat virtus Esther, vt etiam oblatum regnum contemneret, & solum pro suorum salute Regem exoraret, non necessaria erant miracula, vt Assueri mentem in pietatem, ac clementiam conuerteret, quando tam declarata, ac nota erat virtus: Non abs re adducendus est hic D. Chrysost. hom.6. in 1. Epist. ad Corinth. de primis Christianis loquens, ait: *Tunc igitur, & vnum omnium erat cor, & anima vna, nemo sibi proprium vindicabat. Et pro singulorum necessitate sua cuique pars conferebatur. Et vitam vinebant Angelorum. Quod si in præsenti fieret, vniuersum sanè orbem, & sine signis conuerteremus.* Expende vltima verba, *sine signis conuerteremus.*

Esther 7.

Exod 7. *Cognita virtute, ac diuitiarum contemptu sufficiens est ad subiiciendos, animos sine miraculis.*

Chrysost.

CAPVT XLII.

Sermo cum Ethnicis.

De grano frumenti, ac exaltatione à terra.

Ioan. 12.n.32. Iesus autem respondit eis, dicens: venit hora vt clarificetur filius hominis.

*Num.*24. Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

VERSIONES.

*Arabic.n.*23. Iam venit hora, in qua glorificabitur filius hominis.

*Syriacus n.*24. Nisi granum frumenti ceciderit, & mortuum fuerit in terra, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, fructus multos affert.

Vatabl. Pagn. Nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit.

S. Epiphanius. Si autem mortuum fuerit, multa grana parit.

Origenes. Fructum plurimum affert.

EXPOSITIO. I.

1. *Connexio historia.*

VM viderent Pharisæi, acclamationes, & applausus, quos turbæ Christo Domino exhibebant, indignati sunt, quod nihil proficerent; contra verò gentiles maximè desiderant videre Iesum, pro quo rogant Philippum, qui & Andreas simul hoc Christo dixerunt. Quibus respondens Iesus, *dicens*, cum spiritus exultatione. *Venit hora.* Seu iam instat tempus: *vt clarificetur*, seu vt habet Græcus, vt glorificetur, vt agnoscatur, & honoretur, vt verus Messias, saluator, ac vt verus Deus adoretur, non solum à Iudæis, sed etiam à gentibus; *Filius hominis*, semetipsum intelligit. Qui in abiecta, & vili conditione naturæ humanæ apparebat. *Vt clarificetur*, seu glorificetur. Tripliciter nempe vt explicant D. Augustinus, N.D. Cyrillus, S. Thomas, D. Bonau. Primò, morte, & Passione. Vt clarificetur, explicat D. Thomas *patiatur*. Nam passione sua glorificatus fuit signis visibilibus, obscuratione solis; & inuisibilibus, dum de principibus tenebrarum triumphauit. Secundò glorificatus fuit sua resurrectione, & Ascensione. Tertiò, conuersione gentium in toto orbe, ait D. Augustinus serm.116. *Nos Christi mors vinificauit, nos Resurrectio erexit, nos Ascensio consecrauit.*

Græcus.

Augustin. Cyrill. D. Thom. D. Thom.

Augustin.

2. *Amen, amen dico vobis.* In veritate dico, adeò difficile est, vt homines sibi persuadeant, quod non datur multiplex fructus gloriæ, nisi præmissa morte, ac laborum pressura, vt iurandi formam interponat Dominus: *Nisi granum frumenti*; seipsum intelligit Dominus, vt est constans Patrum sententia. Et ait D. Augustin. tract.51. *Seipsum Iesus dicebat. Ipse erat granum mortificandum, & multiplicandum; mortificandum in infidelitate Iudæorum; multiplicandum in fide omnium populorum.* Ac proinde sicut granum tritici in terra iactum, ac seminatum, nisi in ea moriatur, hoc est corrumpatur,

Augustin.

rumpatur,mortificetur,itavt calore terræ resoluatum, in alteram veluti substantiam transeat, fructum non facit,nec multa grana producit; at verò,si moritur, & corrumpitur, germinando multum fructum affert,séque maximè in multa grana multiplicat: subintelligenda est ergo altera similitudinis pars.Sic & ego,qui sum veluti granum tritici è cœlo in terram demissum mori debeo,vt per meam mortem,eiusque meritum multos virtutum,ac fidelium fructus proferam,scilicet multa millia Martyrum, Confessorum, ac Virginum. Sicque vt explicat Leontius,exponit Dominus causam, ob quam mortis suæ tempus, tempus gloriæ, & clarificationis appellauerit, quia ex sua morte magna gloria, magnúsque fructus resultabant.

Leont.

QVÆSTIO I.

Quare cum triumphali ingressu in Ierusalem Dominus de sua morte connexit sermonem?

3. Ratio difficultatis.

CVM in die Palmarum regales acclamationes fierent Christo Domino à turbis populorum,in ipsomet die,vel sequenti tanto applausu commoti quidam gentiles, vt narrat Ioannes hoc cap. 12. à num. 20. accesserunt ad Christum præ desiderio videndi eum; quibus ipse respondit de sua morte differens; nisi granum frumenti cadens in terram, &c. Cur cum tanto triumpho de morte coniungit sermonem? Est præsens quæstio.

4. Regalis dignitatis, enaexam habet mortem.

Respondeo primò, vt cunctis fiat euidens, quod omnis gloria, & applausus huius.sæculi secum habet pro appendice mortem, & passionem connexam. Secundò. Acclamabatur Christus Rex. *Benedictus Rex qui venit in nomine Domini.* De morte ergo habet sermonem, quia cui regalis dignitas defertur, maximè de morte, ac profusione vitæ pro suorum salute debet cogitare, nihilque tam fixum ei debet esse in mente, quam vitam pro suis dare;nonque tantum debet attendere ad præsentem gloriam,quam potius ad sui muneris obligationem, vt pro suis vitam largiatur. Vide verbum *Rex*, in Indice.

5. Gloria perpetua ex morte.

Tertiò, Cùm Christus acclamatur Rex benedictus, Gentiles ad eum accedunt, ipsumque volunt videre, nam cùm quis Rex acclamatur, ac dicitur, multi ad eum accedunt, & conuolant; Christus Dominus tunc de multiplici fructu ex sua morte proueniente agit. *Nisi granum frumenti*, &c. ostendens, quod regnum suum, cùm esset æternum, ac perfectum, quod non multiplicandum, ac dilatandum erat popularibus acclamationibus,sed morte,& passione.

6. Gloria perpetua mox nascda, breuis verò commonenda.

Quartò, Cùm Christus Dominus magnis vocibus ab omnibus Rex profitetur,ac acclamatur, accedunt ad eum Gentiles ipsum videre cupientes, quibus Dominus ait: *Nisi granum frumenti*, &c. significans, quod ex morte sua magnus fructus proueniret,totusque orbis ad ipsum traheretur, sed cur ad hoc eius mors necessaria erat? Nam iam modo ante eius mortem, omnes populorum turbæ ipsum Regem profitentur, eumque tanquam suum Dominum sequuntur ac venerantur, regemque benedictum aperta voce intonant. Videbat Christus Dominus totum illum pomposum applusum esse gloriam, ac honorem vnius diei, nam statim post quatuor dies totus erat contradicendus, & ipse in cruce affigendus; videbatque simul gloriam, & honorem, ex sua morte prouenientem, æternam,ac perpetuam futuram esse; ideo præsentem gloriam, vt breuem duarum horarum spatio terminatam contempsit, solumque ex sua morte prouenientem commemorat,vtpote perpetuam,& æternam;*Si mortuum fuerit,multum fructum affert.*

7. 1.Petr.1.

Petrus Apostolus loquens de Christi gloria, ait; *Pronuntians ea,qua in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias*, 1. Petri. 1. num.11.Mandat diuinus Spiritus publicari,ac reuelari vltimas, ac posteriores Christi glorias, qui dicit posteriores glorias, supponit & in ipso primas; quænam in Christo sunt primæ,quænam posteriores gloriæ? Cardinalis Hugo: *Posteriores gloriæ, idest vitam æternam, quam post miserias huius vitæ habebunt Sancti.*Posteriores gloriæ Christi sunt perennitates æternæ vitæ; quænam verò primæ gloriæ? illæ nempe, quæ in triumphali ingressu in die Palmarum delatæ sunt Christo Domino; solum ergo posteriores glorias mandat diuinus Spiritus in Christo publicari, ac denuntiari: posteriores gloriæ perpetuæ, ac æternæ, primæ verò breues, ac vnius diei; ex diuino autem afflatu solum æternæ vitæ perennes gloriæ decantantur, ac celebrantur, non verò breues glorioſæ duarum horarum spatio concluſæ.

Hugo.

Solum gloria perdurans,& non breui transiens manifestatur

8. 2.Corinth.3

Resplendente facie descendit Moyses de monte Sinai: *Itavt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi,propter gloriam vultus eius, qua enacuatur*, 2. Corinth.3. num.7. At verò de gloria, quam in Christo intuebatur, ait idem Paulus citato loco num. 18. *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes*; id est clarè, ac apertè facie ad faciem gloriam Christi contemplantes. Quid est quod gloria Moysis non permittitur videri. *Non poterant intendere*; at verò gloria Christi, quæ multò maior erat, fixis palpebris intueri datur. *Reuelata facie gloriam Domini speculantes?*Gloria Moysis euacuabatur,breuis, ac veluti momentanea erat, gloria verò Christi fixa, ac stabilis in perpetuum; gloria Moysis vtpote momentaneè transiens parum æstimanda, & videri non datur; at verò Christi gloria,vt perdurans, & perpetua cognosci,ac intueri ex Dei consilio ordinatur. Ad hoc tendit D. Ioannes Damascenus lib. de Orthodoxa fide; *Israëliticus populus, in Moysis faciem, qua euacuatur,intendere non potuit,nos verò reuelata facie gloriam Domini intuemur.*

Gloria Christi perpetua ostenditur, Moysi verò transiens occultatur.

Damascen.

QVÆSTIO II.

Quare Christus Dominus in præsenti comparatur frumenti grano,cùm alibi appelletur aceruus tritici?

9. Alb.Mag.

CHRISTVS dicitur in præsenti granum frumenti; nam granum frumenti, vt ait Albertus Magnus, inter grana cibo naturali conuenientia, solum perfectum est: figura columnæ; colore rubrum: qualitate magnum: in substantia purum: complexione conueniens ad

substan

Describitur frumenti conditiones. Zachar. 9. nutriendum: dulce ad gustum: præstans, & adhærens membris nutrimentum. Sic & Christus solus perfectus est cibus animatum. Zachar. 9. n. 17. *Quid enim bonum eius, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Figura columnæ ex vna parte respicit cœlum, ex altera terram, duo denotat præcepta charitatis in Deum scilicet, & proximum. *Colore rubrum*, in sanguinis effusione denotat patientiam. *Qualitate magnum*, August. nam vt ait D. Augustinus in præsenti, magnam virtutem præstat. *Panis cor hominis confirmet*, Psalm. 103. num. 15. *In substantia purum.* Quam denotat Ioseph, dicens: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ*, Gen. 45. num. 18. Medulla terræ est frumentum, vt valde purum, & robustum, seu robustos efficiens homines. *Complexione conueniens ad nutriendum.* Eo quod, vt dicunt Medici citius, omnibus aliis cibis nutrit. *Dulce ad gustum.* De hoc dicitur in Psalm. 147. num. 14. *Adipe frumenti satiat te.* Adeps autem dulcis est valde, & delectabilis præstans membris nutrimentum. Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Vnde ait D. Thomas, rectè grano frumenti se comparat, ad hoc venit vt reficeret, & sustentaret mentes humanas.

Psalm. 103. Gen. 45. Psalm. 147. Ioan. 6. D. Thom.

10. *Ratio difficultatis.* Cantic 7. Ambros. Richardus. Rupertus. Carpat. Quæstio præsens est, quomodo hic dicitur Christus granum frumenti, cum Canticor. 7. num. 2. aceruus tritici appelletur? Ad B. Virginem, seu ad Ecclesiam sunt verba. *Venter tuus sicut aceruus tritici*; vt exponunt D. Ambros. lib. de institutione Virg. cap. 14. Richardus proximè citandus, & Rupertus ad citatum locum Canticorum. Vnde Philo Carpatius ait ibi: Tritici multitudini comparatur; cum de se Dominus dixerit: *Nisi granum frumenti.* Aceruus enim ex multis granis in cumulum coaceruatur. Si ergo Christus dicitur granum frumenti, quomodo & ceruus ex multis granis?

11. Richard. Primò. Respondet Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de Matiæ laudibus. In priuilegiis Marianæ virginitatis. *Nisi granum istud*, ait, *in uterum virginalem, velut in terram fertilem, & bene excultam exercitio Spiritus Sancti prius cecidisset per Incarnationem, & post hoc mortuum in Cruce fuisset, ipsum solum mansisset; sed per ista duo granum vnicum factus est aceruus magnus.* *Per Mariam Christus nobis abundantissimus cibus Eucharisticus.* Vnum erat granum, nempe Christus in vtero virginali, sui-abundans cælestis panis ad nos venit, vt tanquam immensus, ac infinitus aceruus, omnes valeat satiare, ac replere. Sic pergit citatus Richardus: *Granum enim illud tritici*, ait, *potentialiter erat aceruus tritici, de quo scilicet grano tanta spiritualis seges fructificante Deo multiplicata est.* Similia habet D. Ambros. lib. de Institut. Virg. cap. 4.

12. *Christus vnus, vt patiatur. multus verò, vt nos nutriat.* Respondeo, Christus rectè dicitur granum frumenti, & aceruus tritici ex multis granis, vt patiatur, ac moriatur est veluti granum frumenti *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit.* Ipse enim vult solus mortem subire, ac sustinere. At verò ad nutriendos, ac alimentandos abundanter filios Ecclesiæ ex eius vtero generatos se habet tanquam aceruus tritici. Vt in terram cadat, ac moriatur, vnum granum: at vt nos suis donis repleat, exornet, ac illustret, tanquam multiplex.

13. Cùm prodigus ille filius reuertitur ad patrem, iubet ille vitulum saginatum occidere, & senior frater dixit: *Postquam hic filius tuus venit, occidisti illi vitulum saginatum*, Luc. 15. n. 30. At verò idemmet Pater, & Rex cùm facit nuptias filio, suo inuitatos vocare mandat: *Ecce prandium meum paraui: tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata*, Matth. 22. num. 4. Arabicus legit: *Ecce prandium meum paraui, vituli mei saginati.* Cur Pater in magno gaudio reditus filij vnum vitulum saginatum occidit; at verò in prandio, multos vitulos saginatos, multáque altilia, animalia nempe ad alendum proponit; præcipuè cùm vitulus saginatus apud prodigum, Christum Dominum significet; vituli verò saginati in prandio Christum etiam adumbrent? Cùm de occisione est sermo, vnus dicitur meus Iesus, *vitulum saginatum occidisti.* Ipse enim vnus est, qui pro nobis mortem, & crucem tulit. At verò cùm de prandio, ac refectione est sermo, vt multiplex proponitur: *Vituli mei saginati, & omnia parata*, quia quamuis ipse vnus sit, qui pro nobis crucem sustinuit, vt multiplex tamen se habet, vt nos abundanter nutriat, ac alimentet, omnium spiritualium donorum dulcedinem exhibens. Palatius ad cap. 22. Matth. *Ego credo*, ait, *tauros & altilia Christum vnicum esse maximè in Eucharistia; certè, quia vnus ipse omnium illorum vim comprehendit, & vnicus ipse pro illis omnibus valet.*

Luc. 15. Matth 22. Arabicus. *Christum vnum ad crucem, multiplex ad nostrum commodum.* Palatius.

De Christo Domino ait Isaias cap. 63. num. 3. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* At verò cùm Dominus ad Resurrectionem suam festinat; ait D. Matth. 27. num. 52. *Multa corpora Sanctorum, qua dormierant, surrexerunt.* Et Paulus ex Christi Resurrectione nostram resurrectionem infert: *Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*, 1. Corinth. 15. num. 16. Christi enim Resurrectio exemplar, ac causa nostræ resurrectionis est, per ipsum enim omnes resurgimus, vt docet D. Thomas 3. p. q. 54. art. 1. Ipse solus ad torcular Passionis, nos verò cum ipso in resurrectione; mortis pœnam solus sustinuit; de gloria verò Resurrectionis nos facit participes. D. Paschas. lib. 12. in Matth. *Christus quamuis vnus sit mortuus, & solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum plurimis, & ipse vnà cum multis, vt spem resunderet desperatis, testis extitit perpetuæ resurrectionis.*

14. Isai. 63. Matth. 27. 1. Cor. 15. D Thom. Paschas.

QVÆSTIO III.

Quare dicitur, quod granum frumenti nisi mortuum fuerit, ipsum solum manebit; cum semper Christus esset in gloria regnans?

15. *Ratio difficultatis.* QVÆSTIO est, astruitur in textu, quod granum frumenti, *nisi cadens in terra, mortuum fuerit, ipsum solum manet*; sub grano frumenti Christus Dominus significatur, vt est communis vox patrum, quomodo potest stare, quod si Christus non moreretur, ipse solus erit; nam quamuis Christus in Cruce non esset mortuus, adhuc ipse, vt Dei filius haberet ineffabilem communicationem cum Patre, & Spiritu sancto, eique omnes exercitus Angelorum administrantes adessent. Etiam vt supremus Dominus hominis delictum poterat dimittere, vel ad eius redemptionem aliud medium ordinare; quomodo

quomodo ergo sub similitudine denotatur, quod nisi mortuus, solus erit?

16. Respondeo ad quæstionem, quod non est sermo absolutè, sed suppositâ Patris præordinatione; sicut Christus Dominus dixit discipulis suis Matth.16. Matth.16.num.22. *Quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, Scribis, & Principibus Sacerdotum.* Et Luc.24 num. 26. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Illud *oportet*, non est absolutè intelligendum, sed posito Patris sui decreto, ac Prophetarum prædictione, oportuit Christum pati. Luc 24.

17. Rupert. Secundò. Rupertus in præsenti: *Filius Dei, qui beatos Angelos immortaliter pascit. Vnde autem sibi necessitati testatur cadêdi in terram, vel moriendi? Inde videlicet, quia nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: ergo non idcirco moriturus est filius hominis, quia peccati, vel mortis debitor est; sed ob hoc, vt vna mors eius multorum vitam fructificet.* Ipse Filius Dei, qui cum Angelis immortaliter regnat, necessitatem proponit cadendi in terram, non quia ipse reus esset peccati, pro cuius solutione indigeret morte, sed vt hominum vitam, ac salutem fructificaret, ac ederet, & si absque hominibus esset, veluti se solum existimaret. *Moritur pro hominum vita.*

18. Tertiò. Si hoc granum frumenti non esset mortuum, seu si Christus nó moreretur, semper illud, quod ex natura diuina ei conueniebat, retineret, haberétque semper inseparabilẽ communicationem cum Patre, & Spiritu sancto, eique semper Angeli, ac homines debita obsequia, vt supremo Domino exhiberent, in tanto tamen decore sine meritorum ratione existeret; merita autem ei in tanta sunt æstimatione, vt nostro dicendi modo hæc peculiariter in se velit publicari, ac euulgari, cæteris sub silento positis, ac omissis. *Christo in magna æstimatione sunt merita pro nostra salute.*

19. Heb.10. De Christo Domino ait Paulus ad Heb 10.n. 5. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me vt faciam voluntatem tuam.* Vbi primum Christus ingressus est mundum, statim commemorat sibi datum esse corpus aptum ad immolationem, ac mortem, vt exponunt D. Chrysost. Theodoretus, D. Thomas, & alij, & addit: *Tunc dixi in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam.* Cur potius ingrediens mundum non commemorat sibi datam vnionem hypostaticam, ratione cuius Deus factus est homo, & homo Deus? Cur non potius dixit sibi datam potestatem? nam *Pater omnia dedit ei in manus.* Vel potius suam infinitam sapientiam? nam vt ait Paulus, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei:* Vel cur potius non dixit amplitudinem gratiæ sibi datam? *Plenum gratiæ, & veritatis*; vel potius dona Spiritus sancti sibi concessa: *Requieuit super eum Spiritus Domini.* Sed tantum proponit sibi datum corpus aptum ad mortem, ac Passionem. Vnio hypostatica quamuis sit supernaturalis humanitati, tamen intrinseca, & connaturalis est Christo; sicut & scientia, gratia, ac dona Spiritus sancti, sunt proprietates intrinsecæ, ac connaturales ipsi Christo Domino, eiusque ineffabili composito. At verò, quod ei daretur corpus passibile impeditis animæ beatæ dotibus, fuit peculiaris dispensatio diuina, vt ipse per mortem mereretur, vt ait D. Ambr. *Hoc ex persona dicitur eius, qui corpus susceperit nostræ mortalitatis, vt pro nobis haberet, quid offerret.* Adeo ei fuit gratum, & præincundum corpus inseruiens ad mortem, vt ingrediens mundum, primũ quod ore habet, ac euulgat, sit ipsum corpus aptum ad immolationem, & meritum; suas verò excellentissimas, ac connaturales perfectiones vnionis, gratiæ, scientiæ, ac donorum sub magno silentio premit, & abscondit. Ioan 13. Ioan.1. Isai.9. Ambros. *Corpus ad mortem maximè præincundum Christo.*

20. Pro quo etiam nota, quod ait, *In capite libri scriptum est de me vt faciem voluntatem tuam.* Non de suo eximio amore in Deum Patrem, ac homines, facit mentionem, sed tantum de promptitudine suæ obedientiæ, *vt faciam voluntatem tuam.* Per obedientiam enim particulariter nostram redemptionem, ac salutem prometuit, vt ait Paulus, *factus obediens vsque ad mortem*, inde hanc obedientiam primò ante omnia habet in ore.

21. 1.Cor.2. Ait Paulus 1.Cor.2 n.2. *Non enim iudicani me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Et tamen ipse in eadem Epist.c.15.n.3. 1.Cor.15. ait; *Tradidi enim vobis in primis, quod accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die.* Et Epist.ad Rom.8.n.34. similia habet. Rom.8. Ex quo elegantem quæstionem excitat D. August. Apostolus dicit se solũ scire Iesum Christum crucifixum, cùm sciat etiam resurgentem, ac ad dexteram Dei Patris sedentẽ. Prædicas ô gentium Doctor ingentes Christi glorias Resurrectionis, ac Ascensionis, cur ergo te solũ dicis scire Iesum crucifixum? Paulus vt magnus Doctor Gentium vtrumq; prædicabat, & Christi mortẽ, ac Resurrectionem eius, vt vniuersos in veritate catholica instrueret; ait tamen se solum Christũ crucifixum scire, ebibitum habebat ingenium sui diuini magistri, qui solũ volebat, vt in ipso agnoscerentur, ac contemplarentur mortis abiectiones, non verò resurrectionis splendores. Dixerò Aug. August. ponit quæstionem, & soluit lib.de fide, & operibus, c.10.tom 4. *Sciant*, ait, *in Christo crucifixo multa discere homines*: eius nẽpe mortem, patientiam, ac charitatem, quæ maximè in eo erant contemplanda. Vide c.7.n.90.c.8.n.222.223.& 224. *Ingenium Christi vt eius mori in ipso contemplentur.*

QVÆSTIO IV.

Quare proponitur, quod vt granum frumenti multum fructum afferat, eius mors debeat interuenire?

22. DICITVR in textu, quod granum frumenti, *si mortuum fuerit, multum fructum affert.* Quæstio est ad quid requiritur eius mors ad fructum afferendum, ad seque multiplicandum in fructu?

23. Euthym. Theophyl. D.Thom. Beda Bonauent. Respondet. Primò Euthimius. *Discipulos Dominus consolatur ostendens per exemplum, quod vtile sit, ac necessarium, vt ipse moriatur: Nam in modum tritici mors eius multos adfert fructus, eritque fertilis, ac vtilis* Similiter Theophyl. D.Thomas, Beda, D. Bonauent. Ne ergo discipuli sua morte scandalizentur, explicat fructum ex illa prouenturum: hominibus enim in labore, ac afflictione magnum solamen est vtilitas, ac prouentus ipsorum, ac aliorum.

24. Machar. Secundò. D. Macharius Episcopus Hierosol. lib.2.Concilij Nicæni, sic cum quodam Philosopho habet sermonem. *Ipse Iesus*, ait, *erat spiritualiter granum frumenti, quod pro nobis cadens in terram, & carne moriens per sua diuinitatis potentiam corporale*

corporale ſuum templum ſuſcitauit ſecundum Scripturas, fructum afferens totius humani generis reſurrectionem. Omnes nos ſub morte, ac corruptione eramus, ceciditque diuinum granum in terram, mortuiſque appropinquauit, tunc mortui acceperunt vitam, & in reſurrectionis fructus conualuerunt, ex Ieſu enim morte, nos mortui vitam recipimus.

Ex morte Ieſu vita noſtra.

25. Alb. Magn. Tertiò. Albertus Magnus. *Chriſtus*, ait, *moritur in ſe, vt in multis reſurgat in fructu proximorum: moritur nudus, vt reſurgat decore veſtitus.* O magnum paſtoribus documentum, *moritur non ſua quarens, vt reſurgat in fructu proximorum.* Cùm Prælatus non ſua quærit, nec de ſuo commodo agit, ſtatim multiplicem ſuorum fructum parturit, & inde ei tanta gloria cedit, vt ſi nudus occubet, magno decore veſtitus reſurgat.

Cùm prælatus de ſe non agit, magnos fructus facit.

26. Quartò. Granum frumenti multiplicatur, ac facit fructum dum ſe exinanit, ac euiſceratur, totamque ſuam ſubſtantiam in ſpica, ac fructu emittens, & tunc magnos fructus edit, ac parturit: vult princeps proficere, & vt omnia ad magna augmenta procedant, ad hoc debet ſeſe extenuare, ſe ac totam ſuam ſubſtantiam diminuere, & in commodum, ac vtilitatem reipublicæ transferre, & tunc omnia maximè amplificabuntur, magnumque vitæ, ac ſalutis incrementum recipient.

Vt prælatus fructus faciat, ſe debet euiſcerare.

27. 4. Reg. 4. Theodoret. Cùm Parens meus Eliſæus ſuſcitauit filium Sunamitidis in vitam reuocare. Ait textus: *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum.* 4. Reg 4. n. 34. Theodoretus, & alij legunt: *inſufflauit.* Cur ad ſuſcitandum puerum tam vehementer inſufflauit? Theodoretus, *inſufflauit, & ſuſcitauit adoleſcentem.* Halitus vehiculus eſt, quo propria vita ſuſtentatur, cùm Eliſæus vult puerum animare, incipit in ipſum halitum ſuum emittere, tanquam intendens aliquid ex propria vita, ac ſubſtantia hauire, ac reſumere, vt puero communicaret, ex propriaque vita ei vult alimentum miniſtrare, & tunc proprio ſuo halitu ipſum vellet viuificare.

Prælatus ex ſua ſubſtantia alios debet animare.

28. Gen. 2. Primus parens Adamus è puluere terræ formatur, non ita verò Eua, ſed ex coſtæ ipſius Adami. Cur nobilior materia infirmiori vaſculo excogitatur? Ad manum Artificis puluis etiam erat; cur ergo vterque non ex eodem puluere formatur? Creabatur Adamus vt Euæ caput, ac Princeps futurus, vt ergo ei fieret manifeſtum; ſubditos à prælatis non ſolùm vt rem propriam amandos fore, ſed etiam ipſorum vitam, commoditatéſque ex principis coſtis educendas eſſe; ideo Eua primus Adami ſubditus ex eius coſta formatur. *Tulit vnam de coſtis eius.* Gen. 2. num. 21. debet enim princeps ſubditorum vtilitati propriis expenſis, multóque labore, ac ſudore ſuo indeſinenter proſpicere. Huc tendit Syneſius orat. de Reg. *Cui*, ait, *magni Regis appellationem conceſſit Deus, eum nullum non laborem perferre oportet, & ab omni vitæ commoditate ſeparari, ac ſomni parciſſimi, ſolitudinum autem plurimarum eſſe participem, ſi quis Regis nomen non immeritò ſibi velit obtinere.* Vide tom. 2. cap. 11. num. 45., 6. 47. tom. 3. cap. 8. num. 12.

Vita ſubditi à coſtis principis educenda.

Syneſius.

29. Deuter. 33. At verò principes huius ſæculi volunt alios, multis calamitatibus, ac oppreſſionibus euiſcerare, ac extenuare, & ideo minimè poſſunt proficere, & accreſcere. Cùm Moyſes benedicéret Ioſeph, ait illi. *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius*, Deut. 33. n. 17. Ioſeph totius Ægypti gubernator, ac illius clauum tenens, cur non potius comparatur leoni, vel aquilæ, ſed tantum tauro? Diogenes apud Dionem orat. 2. de regno. *Taurus non ſolùm*, ait, *ex generoſis animantibus eſt, neque ſui ipſius cauſa fortitudine vtitur, quemadmodum leo, & aquila perſequentes catera animalia, ſuique deuincentes cibi cauſa: quare potius quis tyrannidis eos dicat, quam regni exemplum eſſe. Taurus autem manifeſtè ad regni imaginem factus eſt: cibus ei paratus, & facilis, vt nullum neceſſum ſit vi opprimere illius cauſa.* Leo, vel aquila ad ſui ſuſtentationem ſolent minora animalia occidere, ac deuorare; at taurus de nullius ſanguine veſcitur, ſed tantum his, quæ terra ſponte germinat, paſcitur: nec communiter taurus pugnat, ac luctatur, vt ampliora ſibi faciat paſcua, ſed vt ſui gregem tueatur, ac defendat. Ac ſi dicatur Ioſeph, cùm ſis totius Ægypti prorex, ac gubernator, non te debes gerere, vt aquila, vel leo, ſed tanquam pulchritudo tauri quærens pabula ſine alicuius ſanguine. Vide ſupra cap. 9. n. 77. & c. 29. num. 15.

Diogenes.

Princeps non ſatietur de alieno ſanguine.

QVÆSTIO V.

Quare dicitur, quod ſi granum frumenti cadat in terram, & mortuum ſit, multum fructum faciat, cùm alia requirantur ad fructum perferendum?

30. *Difficultas quæſtionis.* DICITVR in textu quod granum frumenti cadens in terram, ſi mortuum ſit, quod multum fructum affert: non videtur hoc tantum ſufficiens ad fructum faciendum, nam ſæpe videmus granum frumenti proiectum in terram, & ibi iam mortuum, ac corruptum non germinare in fructum, quia exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud, & multoties ex inclementia temporis natum aruit; cur ergo de his non fit aliqua mentio, ſed tantum ſufficiens dicitur, quod granum cadat in terram, & moriatur?

31. Reſpondeo ad quæſtionem; quod aliud eſt loqui de grano frumenti temporali, aliud verò de ipſo grano in ſenſu ſpirituali; granum temporale non ſufficit vt proiiciatur in terram, & ibi moriatur, vt in fructus multiplicetur: vt probat ratio adducta in limine quæſtionis; at verò granum ſpiritualiter loquendo, de quo hic eſt ſermo, quod eſt Chriſtus, ac ſancti eius, in quibus ſi mors, ac mortificatio interuenit, certiſſimè præmium multiplicato fœnore adeſt. Granum temporale huius ſæculi non ſufficit vt habeat merita ad præmium obtinendum, nam ſæpe exortæ ſpinæ magnatum, ac principum illud valent ſuffocare: aliquando etiam ei deeſt amicorum opportunitas ad impetrandum. At verò granum ſpirituale ſi mortificationem, ac mortis humilitatem amplectitur, certiſſimè ad illud præmium conuolat, vt nulla vi, ac induſtria valeat impediri.

Ex morte amplexata ob Dei amorem, præmiũ certiſſimum.

32. Cùm Iudæi in horto appropinquarent ad Dominum Ieſum comprehendendum, ait ipſe ſuis Diſcipulis. *Dormite iam, & requieſcite: ecce appropinquauit hora, filius hominis tradetur in manus peccatoris. Surgite eamus.* Matth. 26. numero 45. In quibus verbis duo repugnantia videntur inuolui. Dicitur primò. *Dormite, & requieſcite.* Deinde ſubdit. *Surgite eamus.* Quomodo poſſunt compati. *Dormite, & ſurgite*, requieſcite, & eamus? termini

Matth. 26.

termini sunt, qui mutuo se excludunt, & pugnant. D. Laurentius Iustinianus lib. de triumphali Christi agone, cap. 7. *Nullus*, ait, *inaniter Dominum in passionibus imitari præsumat.* Idem enim videtur esse, quod Dominus suis discipulis dixisset, vt surgerent, ac viam arriperent ad ipsum imitandum in morte, ac passione, ac simul ei dicere, vt requiescerent, ac dormirent in æternæ felicitatis beatitudine.

Laurent.

33. Videt Ioannes in sua Apocalypsi: *super viginti quatuor thronos seniores sedentes, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* Et statim subdit, quod erant quatuor animalia, & requiem non habebant die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Tunc ait Euangelista, *& cum darent illa animalia gloriam, & honorem, procedebant viginti quatuor seniores, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apocal. 4. n. 9. Implicatio manifesta videtur sub his latere. Nam in principio capitis dicitur, quod seniores erant sedentes, & simul in capitibus quod habebant coronas. Deinde scribitur, cum animalia darent Deo gloriam, seniores procedere, ac adorare viuentem, & coronas ante thronum mittere; animalia autem vt refertur, semper Deum laudabant, & in hoc *requiem non habebant die, ac nocte:* Ergo si seniores adorabant, & coronas mittebant ante thronum, cum animalia Deo gloriam darent, apertè fit, quod seniores nunquam videantur sedere, cùm animalia nunquam requiescerent; quomodo ergo seniores narrantur sedentes cum coronis aureis in capitibus? Seniores ex Dei cultu, ac veneratione surgebant, ac coronas suas dimittebant, per hoc maximè habuerunt, vt super thronos sedentes mirificè coronis aureis fulgerent, ac niterent. Ansbertus. *Ad vocem animalium omnes, scilicet seniores, cadunt, & adorant, humiliant se in conspectu Dei, vt cum ipso viuant in sæcula sæculorum.*

Apoc. 4.

Qui ob Deũ coronas dimittit per hoc maximè ipsas obtinet.

Ansbert.

QVÆSTIO VI.

Quare dicitur granum cadens in terram, & non potius proiectum in terram?

34. RESPONDEO primò, Christus Dominus se comparat grano in terram potius cadenti, quàm in terram proiecto, vt ex hoc sua sponte, & non suorum inimicorum in se mortem subire ostendat. Secundò non ait, granum cecidit, vel missum est in terram. Quod mittitur, denotat consilio, ac consideratione factum; quod verò cadens est, importat id casu accidisse, quomodo ergo hoc diuinum granum dicitur cadens, cùm eius aduentus, ac mors fuissent alto consilio, ac suprema Dei Patris sapientia prædefinita? O magnitudo diuini amoris, astutè celans in tanto Sacramento operis celsitudinem: vehementia enim amoris est, alta ac suprema sic dissimulare, vt illius altitudo apertè non appareat, sed vt sub alterius minori prætextu se exhibeat, inde illud quod est magno consilio dispositum, veluti casu accidisse proponatur.

Diuinus amor astutè celat sui magnitudinem.

35. Cuidam legis perito proposuit Christus Dominus parabolam de homine vulnerato à latronibus, quem Sacerdos & Leuita absque vllo medicaminis beneficio prætercierunt. Subdit Dominus: *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus eum, & misericordia motus est, & approprians alligauit vulnera eius*, &c. Luc. 10. n. 33. Samaritanus *iter faciens*, casu nempe, vt ex communi Interpretum sententia explicaui tom. 3. cap. 21. expos. 6 num. 67. Samaritanus autem ille, idest Christus Dominus, qui à Iudæis Samaritanus dictus est, & dignus hoc nomine, qui à Propheta custos appellatur; Samaritanus autem custos interpretatur; ita parabolam explicant D. Augustinus, D. Ambros. D. Gregor. Auctor Græcus apud D. Thomam, Beda, & alij, quos retuli citato cap. 21. quæst. 10. num. 69. Samaritanus ergo ille Christus est Dominus, qui descendens de cælesti Hierusalem iter fecit per hunc mundum, vt hominem peccato vulneratum à dæmonibus sanaret, ac curaret. Sed quomodo dicitur Samaritanus iste diuinus *iter faciens casu*? Nam vt rectè ait Theophylactus. *Ex proposito hoc statuens, vt nos curaret.* Ex proposito, & alto consilio ipse ad nos descendit, vt sauciato humano generi medelam conferret, quomodo *iter faciens casu*? Diuitias sui diuini amoris prudenter, ac sagaciter celat Dominus, dum suum sacratissimum aduentum supremo diuinitatis consilio ordinatum in salutem, ac medi[illegible] nostram, veluti iter factum casu sub pa[illegible]la exprimit, ac proponit.

Luc. 10.

August. Ambros. Gregor. Auct. Græc. Beda.

Theophyl.

Amor diuinum dissimulat sui magnitudinem.

QVÆSTIO VII.

Quare non dicitur, quod si granum non ceciderit, ac mortuum fuerit terra erit sola, & inutilis, sed tantum quod granum erit solum?

QVÆSTIO præsens est; quare nempe solum necessitas proponitur ex parte grani frumenti, non verò ex parte terræ. Dicitur enim: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Cur etiam non dicitur, nisi granum frumenti ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ipsa terra erit sola, & infructifera? nam si hoc diuinum granum filius nempe Dei ad nos non veniret, semper ipse regnaret cum suis Angelis, terra autem nostræ naturæ esset infructifera, & inutilis. Ecce celsitudo diuinæ bonitatis, ex nostra miseria voluit educere, ac elicere conuenientiam ad declarandam magnitudinem suæ bonitatis, ac pietatis. Tantum abest, quod ob indigentiam nostræ naturæ ipsam reiiceret, quòd potius ex ipsa indigentia pignoratus est, vt remedium, & salutem illi præberet, magis veluti considerans celsitudinem conuenientiæ suæ infinitæ bonitatis, quàm prauitatem nostræ naturæ.

36.

Diuina bonitas ex nostra miseria educit conuenientiam ad declarandam suam magnitudinem.

Dixit Christus Dominus suis discipulis: *Quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati a senioribus, scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Matth. 16. num. 22. sicut & discipulis euntibus in Emaus ait. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. num. 26. In quibus maximè obseruandum est illud verbum *oportet.* Quasi ad exaltationem, & gloriam passio ei & mors opus essent. Non ait *oportet vobis* discipulis me pati, ac mori ad vestrã

37.

Matth. 16.

Luc. 24.

salutem

salutem operandam, sed oportuit pati Christum, vt intraret in gloriam, necessitatem suppositionis scilicet, de qua est sermo, vt dixi ad citatum locum Matthæi 16. supra cap. 6. num. 19. Non explicat ex parte nostra, sed ex sua; tam immensa fuit diuina bonitas, vt ex nostra miseria educeret occasionem ad ostendendam gloriam, & exaltationem Vnigeniti filij sui. D. Iustin. Fauet D. Iustinus Martyr in Dialogo cum Thyphone: *Vt sciremus*, ait, *Patrem voluisse hæc quoque filium pati propter nos, ne dicamus, quod ille cum esset Dei filius, parui penderet quidquid sibi accideret.* Vide suprà cap. 2. num. 49. 50. 51. & cap. 9. num. 19. & cap. 40. num. 84.

QVÆSTIO VIII.

Quare cum multi modò Iudæi, ac Gentiles conuenissent ad Christum, tamen hoc diuinum granum dicitur solum, nisi cadat in terram?

38. IN præsenti occasione, quando Christus hæc verba protulit, cum ipso simul astabant multi Iudæi, ac Gentiles, vt patet hoc cap. 12. Ioan. 20. Qui ob multam turbam astantem accesserunt ad Philippum, ipsúmque rogabant dicentes, *volumus Iesum videre*, ad ipsúmque accedere; ergo insurgit præsens quæstio quomodo de se ipso ait Christus, quod *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*: cum ante eius mortem tanta multitudo Iudæorum, ad Gentium ad ipsum conueniret, cum ipsóque esset, quomodo solus, qui tanta multitudine populorum circundatus astabat? *Difficultas quæstionis.*

39. Respondeo ad quæstionem; verum esse, quod multi Iudæi, ac Gentiles cum Christo Domino astabant; tamen ait, quod sit veluti solus, *nisi cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Tota illa Iudæorum, ac Gentium turba, quæ astabat, licet esset magna, parua tamen, ac veluti nihil erat, respectu magnitudinis meritorum Christi Domini, quæ exigebant, vt totus mundus ad ipsum conuolaret, ipsúmque sequeretur, ac adoraret; *si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*; ac proinde respectu suorum meritorum, cum tanta multitudine solus erat, nam si magnis meritis condigna præmia non persoluuntur, tanquam irremunerata manent, ac si nullam mercedem accepissent. *Merces si non proportionatur meritis, idem est, ac nulla.*

40. Noctem quandam duxit Rex Assuerus insomnis, iubet adduci, ac legi annales, & historias antiquas priorum temporum. Inter quas scriptum erat quomodo Mardochæus detegisset, ac annuntiasset insidias quorundam Eunuchorum Regem Assuerum iugulare cupientium. Tunc valdè diligenter quærit Rex, *quid pro hac fide honoris, ac præmij Mardochæus consecutus est?* Nota sequentia: *Dixerunt ei serui illius, ac ministri: nihil omnino mercedis accepit*, cap. 6. num. 4. Quanam veritate dicunt, quod *nihil omnino mercedis accepit?* Nam ob detectas Eunuchorum insidias, *Præcepit Rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus*, Esther 11. n 5. Quomodo hæc cohærent? Si pro delatione data sunt munera. Quónam pacto dicunt, quod *nihil omnino mercedis accepit?* Verum est, vt docent Dionysius Richel, & Iacobus Tyrinus, quod Mardochæo data sunt munera, sed non respondebant meritis ipsius, vnde nec merces, nec præmium tanti meriti vocari poterant, ideo rectè dicunt, quod nihil mercedis accepit, cum nihil suis meritis condignum fuisset concessum. Esther 11. Dionys. Tyrinus. *Si merces non respondet meritis, idem est, ac nihil.*

Ait Petrus ad Iesum: *Reliquimus omnia, quid ergo erit nobis?* Matth. 19. num. 27. Petrus primus, ac Princeps Apostolorum constitutus erat, Matth. 10. num. 2. Totius Ecclesiæ caput. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Magnorúmque miraculorum operator extabat, & tamen quærit, *quid ergo erit nobis?* ac si nihil ei datum fuisset. Illa omnia bona licet magna, tamen transitoria huius vitæ erant. Præclara autem merita Petri solum præmio æternæ felicitatis condignè remunerabantur; ergo quandiu hæc illi non assignabatur, tanquam pro nihilo erant cætera omnia Petro. Vide Diuum Augustinum à me citatum c. 33. quæst. 2. num. 14. 41. Matth. 19. Matth. 10. *Solum æternâ beatitudine remunerabatur condignè præcedentia merita.* Augustin.

Ioan. 12 n. 25. Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Num. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

VERSIONES.

D. Cyprianus epist. 61. Qui amat animam suam in hoc sæculo, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc sæculo, in vitam æternam conseruabit eam.

Lucifer professio Dei mat. Qui odit animam suam in hoc sæculo propter me.

D. Augustin. In vitam æternam inueniet eam.

Arabic. n. 26. Si est, qui adhæreat mihi.

Marin. Si quis se meum ministrum profitetur.

Syriacus. Si quis mihi ministrat, post me veniat: & vbi ego fuero, illic erit etiam minister meus. Qui mihi ministrauerit, honorabit eum Pater meus.

Pagninus. Honore afficietur à Patre meo.

Vatablus. Et honestabit eum Pater meus.

EXPOSITIO II.

42. Chryſoſt. Theoph. Alb. Magn. D. Thom.

Connexio textus.

Æc ſententia ſic iungenda eſt cum ſuperioribus, vt volunt D. Chryſoſtomus hom. 66. Theophylactus, Albertus Magn. D. Thomas, D Bonau. Hugo, Toletus, & alij. Dixerat Dominus immediatè antea ſub ſimilitudine grani frumenti, quod ex morte, ac paſſione eius magnus fructus eſſet prouenturus; nunc verò exhortatur nos omnes ad mortem, ac mortificationem ſuſtinendam, vt exinde multiplicatus fructus nobis pullulet in vita æterna, ac proinde indicat Dominus, quod ſimilitudo grani frumenti tam ad ſe, quàm ad diſcipulos ſuos (proportionato modo) ſpectaret. Magnus, & optimus Princeps, qui eandem menſuram laborum, paſſionis, ac mortis ſibi ſuiſque proponit.

Bonus Princeps pro ſe & ſuis eandem menſuram ponit.

43. Burgenſ.

Qui amat animam ſuam. Superiorem ſententiam de grano frumenti etiam extendit ad ſuos, vt notat Lucas Burgenſ. *Qui amat* immodico, ac immoderato amore pluſquam oportet, *animam ſuam*, id eſt, ſemetipſum, & eſt duplex ſenſus. Primus, *Qui amat animam ſuam*, id eſt vitam ſuam, itaut fidem pro ea conſeruanda deſerat, *perdet eam.* Nam in æternam damnationem, ac mortem incurret. Qui verò veluti *odit animam ſuam in hoc mundo*, vt pro fide tuenda, ac retinenda vitam ſolam amittat, vt fecerunt Martyres, is veram vitam, nempe æternam inueniet. Secundus ſenſus traditur à D. Chryſoſtomo citato, à D. Auguſtino tract. 51 Beda, Carthuſiano, & aliis. *Qui amat animam ſuam:* prauo nempe amore, vt cupiditatibus carnis indulgeat, mundique oblectamenta ſequatur, *is perdet eam.* Æternis nempe ſuppliciis mancipabitur. *Qui verò odit animam ſuam.* Qui veluti odio habet eam, dum concupiſcentiis legi Dei contrariis reſiſtit, animamque à delectabilibus abſtrahit pro conſeruanda Dei lege, vt faciunt Religioſi viri; hic cuſtodit eam, vt æternam beatitudinis vitam à me aſſequatur. Et nota quod ait, *qui odit in hoc mundo.* Rectè Theophylactus: *Nam quia videretur crudele, & graue, mitigat illud per hoc, quod addidit, in hoc mundo. Non enim, inquit, in immenſum tempus iubeo haberi odio animam, ſed in hoc tranſitorio mundo auerſari eam.* Deinde, cum ait, *in vitam æternam cuſtodit eam*, præmij ſpe nos excitat ad odium animæ propter Deum. Theophylactus: *Emolumentum poſuit, cum dicit, in vitam æternam cuſtodit eam.*

Chryſoſt. Auguſt. Beda. Carthuſ.

Theoph.

Præmij ſpe mouentur.

44. *Si quis mihi miniſtrat.* Si eſt aliquis qui ſe meum miniſtrum in aliorum, ac ſua ſalute procuranda in ordine ad vitam æternam. *Me ſequatur:* per imitationem operum, mortis, ac mortificationis. D. Chryſoſtomus: *Operum ſequelam, ac imitationem exigit.* Per vias meas ambulet. D. Auguſtinus tract. 51. *Me ſequatur*, ait, *vias meas ambulet, non ſuas.* Mundus enim contemptui eſt habendus, vt Chriſto obſequia deferamus. *Vbi ego ſum*, ſecundùm meam diuinitatem, *illic & miniſter meus erit.* Conſors enim erit meæ gloriæ, beatitudinis, ac æternæ felicitatis, vt explicant Rupert. D. Thomas, D. Bonauentura, & alij. D. Auguſtinus: *Vbi enim bene erit ſine illo, aut quando eſſe male poterit cum illo?* Et rectè ait: Qui mihi miniſtrat in laboribus, erit miniſter in gloria: *Si quis mihi miniſtrauerit.* Meus nempe ſit diſcipulus, ac atleta. *Honorificabit eum Pater meus.* Homines vident bona merita tarè in mundo præmiis affici. Repetit Chriſtus præmium obtinendum, vt maximè nos certos, ac indubitatos de illo reddat, & non ait Chriſtus: Ego honorificabo eum, quia nondum de eo decentem opinionem conceperam, ſed maiorem de Patre habebit, vt ait D. Chryſoſt.

Chryſoſt. Auguſt. Rupert. D. Thom. Bonauent. Auguſt.

Deus perfectè honoratur dignè ſeruiendo in mundo.

QVÆSTIO IX.

Quare Chriſtus mandat, vt ſuus miniſter, ipſum ſequatur?

45. *Obſequia data propter Chriſtum.*

AIT Chriſtus in præſenti: *Qui mihi miniſtrat.* Bonus ac verus Dei miniſter propter ipſum Deum, & non propter aliquod bonum temporale Deo præſtat, ac exhibet obſequia, & ad nihil aliud attendit niſi ad ſolum Deum; cætera enim omnia ei vileſcunt. Vide ſuprà cap. 22. num. 68. & cap. 16. num. 84. 85.

46. Secundò. Tripliciter nos in præſenti Chriſtus excitat, ac exhortatur ad crucem, ac mortem ſubeundam: primò, morte propoſita in grano frumenti, *Niſi granum frumenti cadens in terram*, &c. Secundò, in odio ad concupiſcibilia inordinata. *Qui odit animam ſuam*, &c. Tertiò. In Chriſti ſequela. *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur.* Tripliciter ad dolores mortis ſuſtinendæ nos prouocat. Primò, quia his maximè repugnans eſt noſtra natura. Secundò, quia maximè delectatur Deus, cùm videt occaſiones crucis ferendæ, ac perferendæ. Tertiò. Qui quoties de morte toleranda monet, maximè quærit, ac laudat conſtantem virum, qui nullis difficultatibus cedat. Ait Paulus Rom. 8. num. 35. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Nullis enim aduerſitatibus, ac contrarietatibus virtus Apoſtolica cedit. D. Athanaſius: *Etſi fractus illabatur orbis, ſpiritu arreptus ſic fatur: Quis nos ſeparabit*, &c.

Vir tuſtus non cedit laboribus.

Rom. 8.

Athanaſ.

47. Apoc. 2. Epiſcopo Thyatirenſi dicitur ab Angelo tanquam pro illius laude. *Noui opera tua, & miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima*, Apocal. 2. num. 19. Laudat illius miniſterium in pauperes, & patientiam in laboribus, ac perſecutionibus, & ait: *Noui opera tua nouiſſima.* Cur non dicit ſe ſcire in illo prima opera, ſed tantum nouiſſima? Nam ſi hæc digna laude erant, etiam illa prima non erant contemnenda; cur ergo etiam illa non dicit ſe ſcire? hoc inter cætera erat maximè laude, ac ſcitu dignum, quod inter tot aduerſitates, ac contrarietates, firmus & ſtabilis perſeueraret, nullis laboribus cedens, & ideo ait, *noui nouiſſima opera:* perſeuerantiâ corroborata, qua ſemper in altius proceſſerat. Rupertus lib. 2. in Apocal. *Hoc noui, & approbo, quod de bonis profeciſti ad meliora.* Vide verb. *Virtus*, in Indice.

Conſtantia in aduerſitatibus laudatur.

Rupert.

48. Rupert. Tertiò ad quæſtionem. Ad hæc verba: *Si quis mihi miniſtrat.* Rupertus ſic ait, in perſona Chriſti: *Cum ego, ea via, vel ordine clarificandus ſim, vt prius ponam animam meam pro ſalute multorum, ſicut granum frumenti cadit in terram, & moritur, vt multum afferat fructum; non æquum eſt, vt is, qui meum ſe profitetur miniſtrum, & ad hoc tendit, quo particeps meæ ſit clarificationis, animam ſuam nimium diligens, à proximorum vtilitate ſe abſcondat, & illuc peruenire velit ſterili otio, quò laborioſa*

rioſa ſanctificatione peruenturus ſum ego, non ita fiet: ſed qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Superiùs dixit Dominus: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. quo oſtendit viam, per quam ipſe multum fructum attulit, morte nempe, ac paſſione ſua cadens in terram, nunc eandem viam ſuis aſſeclis oſtendit, *me ſequatur*, ad faciendum fructum in gloria, ac beatitudine. Valdè enim alienum eſt, à ratione, vt ſeruus *illuc peruenire velit ſterili otio, quò laborioſa ſanctificatione peruenturus ſum ego*, omnium ſupremus Dominus.

Chriſtus per crucem, & nos per eandem viam in cælum.

49. Cum meus Ieſus eſſet patibulo crucis affixus; ſimul & latro pendebat, & tunc ad Ieſum ait: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum*, Luc.23. num.42. Totus intentus eſt vt regnum à Chriſto poſtulet, cur de doloribus, ac cruciatibus necis, ac crucis leuandis, vel abbreuiandis non agit apud Chriſtum? Cur non rogat vt de tanta anguſtia ſubleuetur, vel vt tam grauis pœna ei minuatur? Affectabat ille Chriſti regnum, ac proinde diuino lumine illuſtratus agnouerat viam ad huiuſmodi regnum, eſſe crucem, & mortem; exindéque qui regnum Chriſti quæſierat, illius viam paſſionem nempe, non refugit, ſed libenter amplectitur, præcipuè cum videret, quod Chriſtus Dominus per eandem paſſionis viam in regnum ſuum ingrediebatur; & ideo non de cruce leuanda agit, ſed de regno aſſequendo rogat. Drogo Hoſtienſ. tract. de Paſſione, dum de Latrone agit: *Panem*, ait, *libenter amplexus eſt: Tu enim admonebas, ne pati abhorreret, quod te ſecum pati videret.*

Luc.23.

Chriſtum per Crucem, & Latro per illã in cælum vadet.

50. Ioſeph ab Arimathia, Chriſti diſcipulus erat occultus *propter metum Iudæorum*, vt de eo ſcribit Ioannes 19. n.38. Tamen cum Dominus Ieſus exhalaret vitam in Cruce, narrat D.Marc.15. num.43. *Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans regnum Dei, audaciter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu.* Si Senator erat Domini diſcipulus occultus, vnde modo tam generoſos ſumit ſpiritus, vt omnem Iudæorum metum contemnat? *Erat ille expectans, regnum Dei.* Cum ergo ipſe vidiſſet, quod Dominus per Crucem, ac necem ad regnum ſuum aſcenderat, inde ipſe ſibi ſtatuit per eandem viam eſſe pergendum; proindéque ille, qui vſque modo erat diſcipulus occultus, iam fit manifeſtus, necem, Crucem, ac opprobria Iudæorum paruipendens, vt Domino adhærens valeat introire in gloriam.

Ioan.19.

Marc.15.

Qui cælum expectat, Crucem non formidat.

Hugo. Hugo ex D.Chryſoſtomo. *Audaciter introiuit*, ait, *qui primitus occultabatur, nunc denique aliquid magnum auſus eſt. In mortem enim ſe ipſum tradidit hoſtilitatem omnium ſuſcipiens.* Lyranus: *Exemplo mortis Chriſti animatus, oſtendit ſe publicè eſſe Chriſti diſcipulum.* Vide, *Labor, Perſecutio.*

Lyranus.

QVÆSTIO X.

Quare Chriſtus Dominus non explicat, quæ præmia honorifica danda ſint à Patre ſuo miniſtrantibus ipſi?

51. RESPONDEO primò. Non explicat Dominus, quali honore fidelis Miniſter ſit à Patre ſuo honorificandus, hoc enim humanis verbis nequit explicari, nec infirmitas noſtra valet percipere: ſatis tamen Dominus ſignificat, cum ait, *honorificabit eum Pater meus.* D.Auguſtinus tract.51. in Ioannem: *Quem maiorem honorem*, ait, *accipere poterit adeptatus, quam vt ſit, vbi eſt vnicus? non æqualis factus diuinitati, ſed conſocius æternitati, ne vnquam deficiat felicitas eius.*

Cæleſtia præmia verbis non poſſunt explicari.

Auguſt.

52. Secundò. Non exprimuntur in particulari noſtra obſequia, nec etiam præmia conferenda; ne ipſe Dominus ſemetipſum extollere videretur, nos verò maximè deprimere. Nam obſequia noſtra ſunt exigua, finita, ac limitata, vnius breuis temporis, & horæ; at verò præmia eius ſunt valdè magna, infinita, ac æterna, amor, felicitas, beatitudo perennis. Ne ergo noſtra exiguitas, & ſua ſuprema amplitudo exponeretur, ideo vtrumque ſub ſilentio claudit; at verò in hoc ſæculò quoad temporales reges obſequia ſunt valdè magna, & multi temporis, præmia verò anguſta, & breuis ſpatij. Huc reuoca dicta ſuperiùs cap.7. num.86. & 92.

Noſtra obſequia exigua, cæleſtia præmia ſuper abundantiſſ.

53. Tertiò. Ampliſſimè explicatur præmium cum dicitur: *Ego ſum, illic & miniſter meus.* Hoc Ieſus pro magna, & ampliſſima mercede miniſtris ſuis promittit, quod ibi ſint, vbi ipſe eſt: dum enim cum Ieſu ſis in eodem loco, eiúſque feliciſſima ſocietate fruaris, feliciſſimus ſemper eris, cum omni felicitate, ac bono repletus, ac ſatiatus. Vide ſuprà cap.14.num.122.123. & cap.19.num.15. & 16. & tom.1.2. ac 3. Verbum, *Præſentia*, in Indice.

Vbi Ieſus, ibi omnis felicitas.

54. Quartò. Particulariter non exprimitur præmium conferendum. Sed tantum dicitur: *Honorificabit eum Pater meus.* Cur pro maiori gloria, ac oſtentatione non declaratur ſingillatim ipſum præmium? erat illud per merita, & ob merita conferendum, & quodcumque præmium ſit, cum ex meritis proueniat, valdè magnum, & honorificum conſiſtit.

Quidquid eſt ex meritis, magnum & honorificum.

55. Iacob cum iam ſenex eſſet: *Diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, fecitque ei tunicam polymitam*, Geneſ.37. num.3. ſeu, vt alij vertunt, *tunicam pictam*, ſeu *diſcolorem*. Et ſtatim ſubditur, *quod videntes fratres eius oderant eum, & non poterant quidquam ei pacificè loqui pro liuore:* maximè contra cum erant irati, ita vt eum tanquam ſeruum venderent in Ægyptum; valdè mirum, quod ob vnam veſtem datam Ioſeph, ita in eum odio, furore, ac maleuolentia excandeſcunt. Cum tamen vario rerum ſucceſſu gubernante Ioſeph totam Ægyptum, cum in illam deſcenderent fratres eius ob frumenta comparanda, cum eos agnouiſſet, *ſingulis quoque proferri iuſſit binas ſtolas, Benjamin verò dedit trecentos argenteos, cum quinque ſtolis optimis*, Geneſ.45. num.22. Dantur Benjamin quoque ſtolæ, id eſt veſtes optimæ, & excellentiſſimæ, inſuper cum data pecunia, & tamen nullus ſuorum fratrum ei inuidet; cur ergo ipſimet fratres ſic odio, ac inuidia exardeſcunt in Ioſeph ob vnam veſtem datam? Quinque illæ veſtes datæ Benjamin ob gratiam, & beneuolentiam; at verò veſtis polymita confertur Ioſeph ob eximia illius merita, vt ait Rupertus: *Fecit Iacob perfecto, iámque pleno dierum, id eſt virtutum, fecit tunicam polymitam, id eſt varietate diſtinctam, vſque ad talos pertingentem, videlicet ob virtutum multiplicitatem.* Quinque veſtes collatæ Benjamin ob gratiam, & fauorem tanquam parum reputant fratres; at verò vna veſtis exhibita Ioſeph ob merita, & virtutes, vt valdè magnum, & honorificum appendunt, & inde liuore,

Geneſ.37.

Geneſ.45.

Id, quod eſt ex meritis, & non ex fauore, honorat.

Rupert.

& inuidia tabescunt, in eúmque omni machinamento armantur.

Ioan.12.n.27. Nunc anima mea turbata est Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora: sed propterea veni in hanc horam.

Num.28. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: & clarificaui, & iterum clarificabo.

Num.29. Turba verò, quæ stabat, & audierat, dicebat, tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

VERSIONES.

Syriac n 27. Nunc anima mea ecce turbata est. Et quid dicam? Pater mi, libera me ab hac hora.

Tert. aduerſ. Prax. c.3. Pater saluum me fac de ista hora. Atquin propter hoc veni in istam horam.

Arabicus. Sed veni propter hanc horam.

Syriac n 28. Pater glorifica nomẽ tuum: Et vox audita est è cœlo: glorificaui, & iterum glorificaturus sum?

Vatablus. Pater illustra nomen tuum. Venit ergo vox è cœlo dicens: & illustraui, & rursum illustrabo.

S. Hilarius. Pater honorifica nomẽ tuũ: venit ergo vox de cœlo: & honorificaui, & iterum honorificabo.

Euthym.n.24. Cùm audisset turba, quæ adstabat.

Arabicus. Et dixerunt tantummodo tonitruum esse factum; alij autem dicebant: imò Angelus de cœlo ei locutus est.

Syriacus. Angelus ei collocutus est.

EXPOSITIO III.

56. Series textus.

NUNC *anima mea.* Inferior affectus, ac appetitus sensitiuus. *Turbata est.* Egerat Dominus immediatè antea de sua morte. *Nisi granum frumenti* &c. Nunc ex consideratione, ac aspectu ipsius imminentis mortis, permisit in se excitari naturalem hunc eiusdem mortis horrorem, vt fit in nobis, passionibus timoris, ac tristitiæ, & hoc horrore seipsum turbauit. Euthymius: Anima scilicet mea: *Humano modo commota angore trepidat propter instantem mortem.* Et turbari voluit, vt se non tantum Deum ostenderet, sed etiam, vt ait N.D.Cyrillus, verum hominem; vel etiam vt ait D. Chrysostomus homil.66. vt se doloribus mortis declararet obnoxium, ne quis diceret, quod ipse exhortabatur ad mortem, cuius doloribus carebat: vel vt ait D. Augustinus tract.52. & ex eo Beda, quod Christus in se voluit suscipere infirmitates nostras. Vnde ait Theoph. *Si rectè consideraueris, inueniet, quod turbari ipsum adhortatio sit ad contemptum mortis.* Cyrill. Chrysol. Augast. Beda. Theoph.

Et quid dicam? D.Chrysost. citata homil.66. *Non habeo*, ait, *quid dicam, ereptionem quærens.* Vt explicat R.P.M.Celada in Esther c.22. §.83. n.6. Non sunt excusationes, quas dicam ereptionem mortis quærens, sed tantum: *Pater clarifica me ex hac hora.* Id est. Pater si vis, & tibi placet, libera me ab hac instanti agonia mortis. Vnde notant N. D. Cyrillus, S.Augustinus, Rupertus, Beda, S.Thomas, & alij, quod similis est hæc oratio illi habitæ in horto. *Pater mi, si fieri potest transeat è me calix iste.* Quæ fuit oratio inefficax partis inferioris, siue naturalis appetitus, qui mortem refugiebat, vnde eam statim pars superior, scilicet mens, ac voluntas, intenta in Deum correxit, efficacitérque dixit: *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*; sic & in præsenti pars inferior ex naturali horrore mortis dixit: *Saluifica me ab hac hora*, mortis nempe; tamen statim, & absolutè corrigitur à parte superiori. *Sed propterea veni in horam hanc:* vt faciam voluntatem tuam, mortem subeam, & calicem passionis bibam. Theophylactus: *Vt pro omnibus mortem suscipiam.* Sic Leontius, D.Augustinus, D.Chrysostomus, Beda, Rupertus, & alij. 57. Chrysost. Celada. Cyrill. August. Rupert. Beda. D.Thom. Theoph. Leontius. August Chrysost. Beda. Rupert.

Pater clarifica nomen tuum. Seu vt alij legunt, *glorifica.* D.Chrysostomus: *Non dico*, ait, *libera me ex hac hora, sed Pater clarifica nomen tuum:* per mortem meam à te decretam, ac prædefinitam, quam libenter accepto, vt glorificetur nomen tuum; futurum est enim, vt inquiunt D.Cyrillus, & Chrysostomus, vt post mortem meam, nomen Dei agnoscatur, ac veneretur in toto orbe. *Quo declarat*, ait Caietanus, *affectum suum non tendere ad gloriam propriam, sed ad gloriam Dei: hoc enim significat petitio ista.* Tunc vt responderetur orationi Iesu. *Venit ergo vox de cœlo: & clarificaui.* Primò communicando ei vt filio meo vnigenito meam claritatem, maiestatem, diuinitatem ab æterno. Ioan.17. *Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, prinsquam mundus esset apud te.* Vt interpretantur D. Augustinus, Beda, D.Thomas, D.Bonaventura. Secundò, per eundem creando mundum, & omnia, quæ in eo sunt. Ita Rupertus. Tertiò, clarificaui, ait D.Augustinus, *cum de Virgine natus est, cum virtute operatus est, cum cœlo indice per stellam à Magis adoratus est, cum in monte transfiguratus.* Et vox delapsa est de cœlo. *Hic est filius meus dilectus.* Sicut & in Baptismo. *Et iterum clarificabo.* Ait Chrysostomus, per Crucem, & resurrectionem, ac Ascensionem in cœlum, missionémque Spiritus sancti in Apostolos, quorum prædictione, ac miraculis, totus orbis adducendus erat, vt Christum filium Dei, eiúsque æternum parentem recognoscerent, ac adorarent. Ita D.Cyrillus, D.Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, D.Thomas, D.Bonauent. Iansenius, Maldonatus, Cornelius. 58. Chrysost. Cyrill. Caietan. Ioan.17. August. Beda. D.Thom. Bonauent. Rupert. August. Chrysost. Cyrill. Theoph. Euthym. D Thom. Bonauent. Maldonat. Iansen. Corael.

Euthym.

Turba

59. *An vox fuisset articulata.* Chrysost. Theoph. Euthym. D.Thom. Lyranus. Caietan. Hugo. Rupert. Maldonat. Barradas. Burgens. Cornel.

Turba ergo quæ sedebat, circa Iesum; *& audierat sonum vocu: dicebat tonitruum esse factum.* Diuus Chrysostomus ait, omnes, *quod articulata quidem esset vox, nouerant, sed quid significaret non capiebant.* Idem habent Theoph. & Euthym. At verò D.Thomas, Lyranus, Caietanus, Hugo tenent: In turba quosdam fuisse hebetioris, alios acutioris ingenij; desidiosos, & carnales percepisse sonum tantum, acutiores verò articulatam vocem intellexisse. Aptior tamen est interpretatio Ruperti, quam sequuntur Maldonatus, Barradas, Lucas Burgens. Cornelius: Omnes adstantes vocem articulatam intellexisse, eiúsque significationem percepisse, quod Iesus nempe erat filius Dei, verúsque Messias promissus in lege; tamen cum vox fuisset valdè magna & brevis, ob illius magnitudinem sibi persuaserunt non fuisse vocem, sed veluti tonitruum, vel certè Angelum fuisse ei locutum, ac proinde vocem non solùm Christus audiuit, sed etiam omnes adstantes, ita vt quidam dicerent esse tonitruum, alij vocem Angeli, nullus tamen indicauit fuisse humanam, sed mirabiliter de cœlo allatam, ac proinde diuinam circa Christi personam testificantem. Cur autem discipuli clarè intelligunt vocem in Thabor, non verò hic turbæ astantes ex D.Paschasio tractaui suprà cap.8. q.30. n.252. Quæ sunt videnda.

Paschas.

Ioan.12 n.30. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

Num.31. Nunc iudicium est mundi: Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras.

VERSIONES.

Syriac.n.30. Et dixit eis: Non propter me extitit hæc vox.

Vatablus. Edita est hæc vox.

D.Hilarius. Venit de cœlo hæc vox.

Arabic.n.31. Iam præsens est nunc iudicium mundi huius.

S.Paulin ep.1. ad Aprum. Nunc Princeps harum tenebrarum eiicitur.

D.Prosper. de vocat. gent. Princeps mundi huius missus est deorsum.

S.Gaudent. tract.11. Nunc iudicium est mundi huius, nunc Princeps huius mundi mittetur deorsum.

EXPOSITIO IV.

60. Chrysost.

NON propter me hæc vox venit. Quamuis hæc vox ad me directa fuerit, non tamen propter me prolata est vt aliquid, quod ignorem mihi manifestet. D.Chrys. *Non vt aliquid ab ea voce mihi ignotum audiam: omnia enim Patris noui.* Non enim Christus indigebat illâ voce; oprimè enim ipse sciebat, se à Patre clarificatum, & clarificandum; *sed propter vos.* Venit hæc vox, vt credatis me esse verum Dei filium, verúmque Messiam indè promissum, méque omnia dicere, ac docere, quæ sunt Patris mei. Theoph. *Vos opus habetis, vt discatis, quod non sim aduersarius Deo, sed in gloriam nominis Dei.* Ita S.Aug. Chrys. Beda, Rupert. D.Cyrill.

Theoph. Augusti. Chrysost. Beda.

Nunc iudicium est mundi. Immediatè antea vox cœlestis testificauit Christum Iesum à suo Patre clarificandum: quomodo autem clarificandus sit, ipsemet Iesus explicat, per iudicium nempe mundum liberans, ac diabolum damnatione afficiens. D.Chrysostomus. *Cum Pater dixisset: Clarificabo: modum indicat Christus. Id est, Princeps, huius mundi eiicietur foras.* 61.

Nunc iudicium est mundi. Id est: nunc instat iudicium mundi, siue hominis; hominem mundum appellauit, iudicium autem iustam sententiam dicit, quæ quidem ferenda erat à Deo supremo omnium iudice, vt mundus liberaretur à dæmonis potestate, non propter iustitiam ipsius mundi, qui reus erat, sed propter Christi iustitiam, qui morte sua mundum eripuit à potestate dæmonis, & sibi applicauit; ac proinde, quia nunc instat mea mors, quæ post tres dies ei erat inferenda; ideo etiam instat iudicium, ac sententia, per quam homines à peccato, ac potestate, & tyrannide dæmonis liberentur. 62.

Nunc. Id est modo citò per meam mortem; antea per Dei gratiam Abrahamus, Dauid, ac alij fuerunt liberati à potestate dæmonis, quomodo dicitur in præsenti? *Nunc.* D.Augustin. tract.52. in Ioan. *Eiectus est Satanas de cordibus Patriarcharum, & Prophetarum, veterúmque iustorum, quomodo ergo dictum est: Nunc eiicietur foras? Quomodo putamus, nisi, quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis, magnisque populis, iam mox futura esse, prædictum est?* Dicam etiam, Omnes illi Patres antiqui liberati sunt virtute Crucis, ac mortis Christi tanquam anticipata solutione ex pretio soluendo per Christum. Ait ipse modo, *Nunc*, instat scilicet tempus, vt pretium soluatur mea morte; omnésque ipsa eripiantur à potestate dæmonis. 63. Augustin.

Princeps huius mundi. Diabolus nempe sic dictus, vt explicant in præsenti N. D. Cyrillus, & D. Augustinus de Agone Christi cap.3. quia ipse in toto ferè orbe in idolis, ac diis Gentium tanquam Deus, & Princeps colebatur; *mundi*, id est, mundi iniquorum, in quorum cordibus regnabat. D. Augustinus tract.95. in Ioan. *Aduersus mundi rectores tenebrarum harum*, Ephes.6. *Eiicietur foras.* Eiectis idolis, in quibus venerabatur; deinde eiicitur, quia Christus eius vires fregit, nunc enim nec totus, nec tam validè, sicut ante tentare potest homines; per Christum enim multam gratiam largitur, qua si velint, possint omni tentationi resistere. 64. Cyrill. Augustin. Ephes.6.

QVÆSTIO XI.

Quare instante Christi morte dicitur iudicium esse mundi?

ILLVD, quod Christus ait in præsenti: *Nunc iudicium est mundi.* Hoc autem iudicium multiplicitet interpretatur à sanctis Patribus. Primò N. D. Cyrillus lib.8. in Ioannem, cap.16. & 17. D. Augustinus tractat.52. in Ioan. Beda, hoc intelligunt de iudicio discretionis, Nam per Christi mortem, ait D. August. *Millia credentium à dominatu liberantur diaboli, Christi* 65. *Iudicium varie accipitur.* Cyrill. August. Beda.

corporis copulantur: hoc vocabat iudicium, hanc discretionem, hanc à suis redemptis diaboli expulsionem. Secundò D.Chrys.hom.6.Euthym.hoc iudicium dicunt punitionem dæmonis, & mundi vltionem. Tertiò. D.Gaudent.tract.12 sic intelligit, vt mundi creatorem, ac iudicem mundus iudicet iudicandus. Et quamuis hæc omnia vera sint, tamen, vt ait Toletus annotat.12. non exprimunt sententiæ proprietatem, & ideo accommodatior explanatio est, quam secutus sum in exposit. Vt iudicium mundi dicatur sententia illius, quam Deus tulit secundum suam iustitiam liberando mundum à iugo dæmonis: quæstio tamen est, cur quando tempus eius mortis instat, dicitur iudicium esse mundi?

Chrysost. Euthym. Gaudent. Toletus.

66. Respondet. Primò D.August. q.58. ex nouo Testamento. *Idcirco*, ait, *commissum est Christus à Deo Patre suo, qui dæmonem vinceret, & se manifestaret, regnum eius auferens ratione, non potestate: quamquam omnia possit Deus, sed illud facit, quod congruit rationi, vt irreprehensibilis persecuret.* Non dicitur iudicium esse mundi, quando facies Christi in monte Thabor, resplenduit sicut Sol, & apparuerunt in maiestate Moyses, & Elias cum eo, Lucæ 9. n.30. Nec quando cum multa potestate eiicit vendentes de templo Ioan.2. Matth.21. Sed modo cum instar vermis moriens in cruce proponitur, tunc est: *Iudicium mundi, tunc Princeps huius mundi eiicietur foras.* Vt appareat excellens Dei administratio, eiúsque præstantissimum iudicium, quo mundus iudicatur, eiúsque Princeps diabolus eiicitur foras, sed iustitia, ac ratione, qua Deus cuncta administrat, & disponit, vt notat etiam D. Leo serm.2. de Passione. Vide multa hoc tom.1.& 2. ac 3. Verb. *Ratio* in Indice.

August. Luc 9. Ioan.2. Matth.21. Leo.

67. Secundò. D.Augustinus cit. tract.52. in Ioan. *Per Christi fidem*, ait, *qua morte eius, & resurrectione firmata est, per eius sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, multa credentium a dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, & hoc vocabat iudicium.* Vide discrimen inter humanum, ac perfectissimum Dei iudicium; homines constituunt iudicium, vt damnent, ac perimant; Deus autem facit iudicium, vt homines saluet, ac redimat, eisque sua diuina beneficia largiatur.

August. Deus iudicat, vt benefaciat.

68. Tertiò. D. Bernardus serm. ad milites templi cap.8. *Nunc*, ait, *iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras; erit iudicium cuti, quando ipsum vocabitur cælum desursum, & terra discernere populum suum, in quod sanè timendum, ne proiiciatur cum ipso, & Angelis eius, si tamen inuentus fuerit iniudicatus.* Cum Dei iudicium instat, maximè timendum, & quibusnam præcipuè debet instare timor. *Si tamen inuentus fuerit iniudicatus.* Qui primo in iudicium venit, nec vllum iudicium, vel examen ab aliqua creatura passus est, maximè formidare debet, cum in iudicium vocatur, atque supremum omnium iudicem sistit, nam qui nunquam iudicatus est licentiosè viuit, & multa habet, de quibus reddat iudicium.

Bernard. Multum potestatur in iudicio, qui nullum est expertus iudicium.

69. Quartò. D.Leo serm.8. de Passione. *Nunc iudicium est mundi*, ait, *O admirabilis potentia crucis, in qua tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi.* Crux iusto Dei iudicio eligitur vt tribunal, ex quo diabolus foras expellitur, & homines ab illius iugo liberantur; ibi in vnigenito Dei filio in patibulo pendenti tota diuinitatis potestas enituit, & resplenduit S.Athanasius serm. de Incarnat. *Corpus in cruce exaltauit*, ait, *non tamen per hoc obscurus; sed illustris permanens in seipso, & talia opera patrans, eáque signa edens, quæ cum etiam eo tempore non hominem; sed Dei verbum declararunt.*

Leo. Summa potestas crucifixi à cruce. Athanas.

Iturus ad Patrem suis discipulis, ait Christus Dominus. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Matth.28. n.18. & statim subdit: *Docete omnes gentes, baptizantes eas.* Sed quibus manibus, ac brachiis tantam potestatem accepit in cœlo, & in terra, vt omnes gentes ad eum conuolarent, ipsúmque vt verum Deum adorarent, ac recolerent, illis nempe manibus, quæ in ligno sunt extensæ, lignóque affixæ, ex eo enim quod manus fuerunt ligno affixæ; non sunt impeditæ, sed potius expeditæ, vt super totum orbem in cœlo, & in terra habeant potestatem. D.Athanas. Sinaita. De rectis fidei dogmatibus lib.4. *Data est mihi*, ait, *omnis potestas in cælo, & in terra, ac si manifestè diceret, auctorem gloriæ illius crucem esse, & per crucem irrogatam mortem.*

70. Matth.28. A cruce Domini pendet.

Athanas.

Cum Israël esset humiliatus, ac captiuus sub Madian, *Venit Angelus Domini, & sedit super quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Esri: cúmque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumentum:* & Iudic.6. n.11. Vt à tanta captiuitate Madian, liberetur Israël, eius Saluator eligitur, ac designatur Gedeon ab Angelo, sed quinam locus eligitur vt tanti operis Saluator designetur? Sub quercu nempe. Cur non potius sub alia arbore, vel sub aliquo fonte, seu alio in loco? Ex quercu sacrum crucis lignum fuisse factum multorum est opinio. Præfigurabatur ibi mysterium nostri Saluatoris, qui sub vmbra crucis liberauit populum sui fidelem à captiuitate, destruerétque crudelem eius aduersarium Madian, diabolum nempe. S.Ambros. in proœmio lib.2.de Spiritu sancto. *Ierobaal*, ait, *cum sub arbore quercu tritici messem virga caderet, accepit oraculum, vt à potestate alienigenarum in libertatem Dei populum vindicaret. Nec mirum si est electus ad gratiam, cum sub vmbra iam sacræ crucis constituus feracis segetis sensibilia de latibulo frumenta produceret, electionémque sanctorum à purgamentis inanis paleæ sequestraret.* Vide cap.59. num.30.31.

71. Iudic.6. Sub vmbra crucis homines liberantur ab omni malo.

QVÆSTIO XII.

Quare à cruce iudicium de mundo profertur?

82. DIFficultas quæstionis.

AIT Christus Dominus. *Nunc iudicium est mundi huius.* Illud, *nunc*, id est, continuo; & subdit. Cum *exaltatus fuero à terra*, innuens tempus crucis. Ac si dicat Iesus, cum subiero crucem, cum fuero in cruce, tunc est iudicium mundi, tunc sententia proferetur de iudicando mundo; cur ergo huiusmodi iudicium ad crucis tempus referatur? est præsens quæstio.

Ad quæstionem respondet Germanus Hierosolym. in exaltatione crucis apud Grethserum tom.2. *Nunc iudicium est mundi huius*, ait, *indicat verò vt Rex in thronum regalem crucis conscendens.* Expende verbum: *iudicat vt Rex.* Iesus maximè declaratur, ac manifestatur rex, cum crucis solium ascendit, ibi tanquam è suo throno, ac tribunali mundum liberans à seruitute dæmonis, illíque fontes suæ misericordiæ largiens; de

73. Germanus. Crux regalis thronus Christi.

cruce

Hebr.4. cruce ait Paul. Hebr.4. n.16. *Adeamus ergo cum, fiducia ad thronum gratiæ: vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus.*

74. De Christo Domino ait Dauid Psal.109. n.3. Psalm 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Quinam est hic principatus in die virtutis, seu potentiæ eius? fuitne quando introductus in orbem terrarum adoratus est ab Angelis? Hebræor.1. vel quando acclamatus est Rex Ioan.6. vel in ingressu triumphali Ierusalem.? Minimè. Sed principatus eius fuit super humerum eius, vt ait Isaias, quando ergo ei data est crux, tunc fuit principatus eius in die virtutis, seu potentiæ suæ. D. Chrysost. super eundem Psalm. *Quid est*, ait, *tecum principatus, quod* Isai.9. *significans dicebat cuius principatus super humerum eius?* Et explicans quo modo in cruce extitit huiusmodi principatus. Sic ait S. Doctor. *Tecum principatus in die virtutis tuæ Quando per mortem mors deletur, quando peccatum abolebitur, quando maledictum soluitur.* Et postea ait: *Considera, quanta fit potentia signum ipsa crux*

Hebr.1. *Crux Christi principatus.*

Chrysost. Isai.9.

75. Explicans Dominus suum aduentum ad iudicandum; nùm de sententia proferenda est sermo ait. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius sunt,* Matth.25. Matth.25.num.34. Se apertè nunc vocat Regem, cum tamen in parabolis de hoc tremendo iudicio se dicat, vel pastorem. *Segregabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis:* vel se appellet hominem, vt in parabola talentorum. *Homò peregre proficiscens.* Matth.25. n.14. vel se nominet iponlum vt in parabola decem Virginum Matth.25. Matth.24. n.5. Cur ergo in iudicio se regem vocat, apparebit simul cũ eo crucis signũ Matth.24. n.30. *Tunc apparebit, signum filij hominis.* Et tam proprium regale signum est Crux, quod cum ipsa appareat, non potest regalis dignitas occultari, sed apertè ipsa crux eam manifestat, ac ostendit. Pro quo nota correspondentiam in terminis *Tunc dicet Rex*, deinde, *tunc apparebit signum filij hominis.* D. Ephr. de vera pœnitentia. *Vbi* ait, *viderint omnes: regium illud sceptrum* (id est crucem) *reuelari, iam tunc agnoscent singuli continuo ipsum quoque Regem reuelandum:* Ex reuelato Regali sceptro, signo scilicet crucis, supremum regem reuelandum intelligunt. Et maximè in hac re ponderandum est, quod dicitur: *Tunc apparebit signũ filij hominis* Matth.24. nõ dicitur *apparebit signum filij Dei* Vt agnoscatur, crucis gloria, ac virtus, quod cum ipse filij hominis appellatione dicatur, tamen ipsa crux diuinitatis vexillum eum demonstrabit filium Dei. Ioan. Aurelian. Episc. de cultu imag. l.2. tom.5. Bibl. *Sicut imperatorum*, ait, *regalis pompa præcedit, & militaris ordo præeundo vexilla humeris portare consueuerant, & eius declarat aduentus: sic Domino de cælo veniente, Angelorum cætus, & Archangelorum multitudo crucis signum humeris portabunt excelsis, & regalem nobis aduentum annuntiabunt Ipsum regale vexillum crucis regis aduentum denuntiat.*

Matth.25. Matth.24. Matth.24.

Crux Christi regem demonstrat. Ephrem.

Aurelian.

QVÆSTIO XIII.

Crux regalis thronus iudicij regios ministros requirit.

76. SVPERIORI quæst. ex Germ. Hierosolymitano dixi, quod crux sit regalis thronus Christi ad iudicium, quod prædixit Regius Vates Psalm.44.n.7. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui,* D. Remig. *Sedes tua Deus, id est regalis potestas.* Regalis tua potestas, sedes tua Deus, crux ipsa, *virga regni tui* seu vt legit Chaldæus, *sceptrum regni tui.* Crux nempe ipsa est, in cuius figura virga Moysis liberat fideles Israëlitas de iugo Pharaonis, & obstinatos Ægyptios crudeli plaga percutit, ac interimit. D. August de Catech. *O Christe sancte*, ait, *qui in cruce pependisti. Ipsa est, illa virga regni tui, crux ipsa, qua virtus in infirmitate perficitur. Illa virga, crux ipsa, virga illa, quæ floruit de radice Iesse. Ipsa illa virga, quam portabat Moyses, quæ glutiit magorum serpentes,*

Psalm.44. *Crux regalis Christi sceptrum.* Remigius. Chaldæus.

August.

77. Crux ergo regalis thronus, regalisque sedes, regaléque sceptrum supremi Regis, regales requirit ministros, & assistentes, qui tam regali signo nobilitentur, ac condecorentur. Vnde ait D. Augustinus serm.2. in Psal.6. *Crux finita est in pœna, manet in gloria A locis supplicium fecit transitum ad frontes Imperatorum.*

August. *Crux Imperatoris exornat.*

78. Ait Ioannes in sua Apocalyps. 1. num. 9. *Ego Ioannes frater vester particeps in tribulatione, & regno, & patientia Iesu.* Patientia Iesu crucem eius significat; Quomodo ergo Ioannes optimè instructus in Christi doctrina prius ait; Particeps in regno, deinde in cruce, seu patiẽtia Iesus? Nam in Christo, prius fuit crux, deinde regnum. *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus exaltauit illum.* Sic & nos prius debemus compati, vt glorificemur, prius portare crucem, vt veniamus ad gloriam; cur ergo ait Ioannes, particeps in regno, & cruce? tam connaturale est crucì regnum, quod vt aliquis dicatur particeps crucis, prius debeat dici, ac publicari particeps regni, ac regem esse, regnumque habere. Fauet Rupert. *Cum dixisset Ioannes, particeps in regno addidit, & patientia Iesu. Nam postquam particeps fuit in tribulatione morientis, & regno resurgentis, Iesu patientiam,* seu crucem, *habuit imitando passum opprobria, irrisiones, colaphos, & verbera,* expende illud; *postquam particeps fuit in regno.*

Apocal.1. *Crucì ministrabat regni.* Rupert.

79. In monte Thabor cum transfiguraretur Iesus. *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Luc.9. n.31 Multam gloriam habuit Moyses in monte Horeb, Paréusque Elias in curru igneo ascendens in cælum, nunquam tamen dicuntur in maiestate, nisi modo, & cur in præsenti dicuntur in maiestate? *Dicebant excessum eius.* Tractabant enim de imminenti crucis mysterio, & cum de cruce agerent, inde magnam claritatem, ac maiestatem perceperunt. Timothæus Antioch. orat. in Transfigur. & crucem apud Grethserum tom.2. de cruce. *Similiter autem*, ait, *Moysen, & Eliam clariores, quam in vsu fuissent, exhibuit ibi Dominus, futuræ crucis signa commemorantes.*

Luc 9. *Qui de cruce agũt, in maiestate.* Timoth.

80. Cum ad sacrificandum filium suum Isaac pergeret Abrahamus, duxit secum duos pueros suos & asinum; cumque à longè eleuatis oculis vidisset montem, ac locum sacrificij. *Dixit ad pueros suos, expectate hic cum asino.* Deinde ait Textus Gen.22. n.6. *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum.* Si Abrahamus ad sui ministerium habet paratos seruos, cur non dat illis, vt deferant ligna? Cur super filium imposuit? ligna illa typum crucis præfigurabant, & inde non à seruis, sed ab vnigenito filio nobilissimi

Gen.22. *Crucì seruiat nõ seruus, sed princeps*

mi hominis totius mundi, vtpote Abrahami. Petrus Damian. serm. de inuent. S. Crucis: *Isaac ipse sibi ligna*, crucis scilicet figuram, *portauit, quibus erat imponendus. Duo autem serui illi procul dimissi, Iudæos significant, qui seruiliter viuerent, & carnaliter saperent.* Ligna, quæ typum crucis exprimebant, non seruiliter seruientibus imponit, sed vnigenito filio suo Abrahamus.

Damian.

QVÆSTIO XIV.

Quare Princeps huius mundi dicitur eiectus foras?

81. Caiet. PRIMÒ rectè respondet Caietan. *Non dicit*, ait, *Diabolus, non tentator, non seductor mundi huius sed princeps: quia non eiicitur à seducendo, à tentando, à calumniando, sed à principatu, non particulari huius, vel illius hominis, ciuitatis, vel patriæ, sed mundi huius. Principabatur enim, & adorabatur, vt princeps mundi huius Diabolus ante mortem Christi communiter à mundo: hoc est colebatur in omnibus diis gentium. Et ab hoc principatu eiectus est, sublato per Christum cultu Deorum, ablata ex mundo, quamuis non ex singulis partibus simul, idololatria.* Ac proinde cum eiectus est Diabolus a cultu, ac honore, qui illi à mundo deferebatur, dicitur eiectus foras, ac suo principatu expulsus, tanquam omnino destructus, ac deperditus, nam honore deperdito deperditur homo.

Qui ab honore deponitur, omnino destruitur.

82. Gaudent. Secundò. D. Gaudentius homil. in Sabbato post. 5. Dom. Quadrag. *Non in planis, ac humilibus habitabat Diabolus, vbi pulsus ad alium locum credatur, absque casu suo transire potuisse, sed cum de sublimitate expellitur, vtique deorsum præcipitatur, quod significanter in Græco positum est.* In Græco est iuxta D. Gaudentium, princeps huius mundi mittetur, seu *eiicietur deorsum.* Quod magnum casum, multámque ruinam denotat, vnde tanto casu, tantáque ruina præcipitatur, quia non in humilibus, ac planis locis degebat Diabolus, sed in altis habitabat, aëríque altitudinibus pascebatur; qui in planis, ac humilibus est, sine multa ruina de vno loco expellitur ad alium, at qui in altis habitat, si inde deiicitur, multo casu ruit, ac præcipitatur, multámque ruinam, ac deiectionem secum inuolvit.

Qui in alio culmine versatur, cum deiicitur, magno casu ruit.

83. Leo. Tertiò. S. Leo serm. 2. de Natiuit. *Prælitit ergo*, ait, *improbus prædo, & auarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat insurgere, & in quo nullam reperit culpam, soluitur itaque lethifera pactionis malè suasa conscriptio, & per iniustitiam plus petendi totius debiti summa vacuatur.* Expende verba: *per iniustitiam plus petendi.* Peccatores debebant Diabolo pœnas soluere: ille vero non solum peccatores, sed etiam innocentissimũ Agnum Christum Iesum, in quo nulla erat debiti vmbra, expostulauit ad pœnam, dum Iudæos in eius necem excitauit, ac stimulauit: & sic per iniustitiam plus petendi, à suo principatu, ac regno fuit expulsus: qui immodicus, ac excessiuus est in petendo principem exuit, ac principatum amittit.

Principatum deponit, qui excessiuus est in petendo.

84. Germa. Quartò. D. German. orat. in Mag. diem Sabbati. *Sedet*, ait, *in throno crucis, qui iudicat iustitiam, & iniustam condemnauit mortem* (Diabolum intelligit, ex quo mors) *ex humana societate eam proscribens.* Per crucem destruxit Dominus Iesus Diaboli principatum, ipsúmque foras eiecit.

Victoria per crucem.

Cœpit Dauid arcem Sion 2. Reg. 4. n. 7. & eiecit exinde Iebusæum. In quo adumbratur Christus Dominus omnia per crucis mysterium sibi subiiciens. Rabbanus ibi: *Dauid*, ait, *Iebusæum habitatorem terræ de Ierusalem eiiciens, significat Christum contrarias potestates cordibus fidelium eiicientem; solum enim per mysterium crucis omnem principatum Diaboli destruendo trophæum gloriæ acquisiuit.* 2. Reg 5. Rabbanus.

De Christo Domino ait Regius Vates. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè, intende, prosperè procede, & regna.* Psalm. 44. n. 5. potentissimè legit D. Hieronym. *fortissimè.* Ipse, qui est rex regum, & Dominus dominantium, nunc dicitur Rex potentissimus, rex fortissimus, cum nempe accingit suum gladium, crucem nempe, qua omnes aëreas potestates debellauit. Hesychius. *Gladium crucem vocat*, ait, *hac enim tanquam gladio vsus, suum hostem Diabolum interfecit.* Illud tamen maximè notandum est, quod iuxta lectionem D. Hieronymi dicitur: *Accingere gladio tuo super femur tuum fortissimè.* Deus dicitur fortis natura sua *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.* Nunc verò accincto crucis gladio, dicitur *fortissimè intende*, id est, exi ad arcum, & bellum, vt explicant D. Chrysost. N. Incognitus, & alij, vt nobis manifestaret, ac declararet, quanta virtute voluit crucem suam eminere; vt ipse, qui fortis decantatur, cruce tamen accinctus super femur suum fortissimè dicatur intendere prospere, & procedere. Bellarminus. *Sic tuum cursum dirige: sic contra Diabolum prosperare, vt deiecto Principe huius mundi, tibi regnum acquiras.* 85. Psalm. 44. Hesych. Hieron. *Fortissimè vincitur per crucem.* Chrysost. Incogoit. Bellarm.

Captiuo Samson tonsis capillis eius, deperditáque sua antiqua fortitudine, maximè exultabãt eius aduersarij Philisthiim, laudantes Deum suũ, qui pro ludibrio adductus de carcere, fecerunt eum stare inter duas columnas, qui rogauit puerũ regentem gressus eius; dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, vt paulũ requiescam. *Qui apprehendens ambas columnas, concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat.* Iudic. 6. n. 29. vnde illi tanta fortitudo, qui modò à puero regebatur, & omnibus erat in ludibrium, & capilli licet renasci inciperent, nondũ erant perfectè nati? dum Samson manus ad columnas extendit, figuram crucis exprimit, sub cuius typi vmbra hostes suos destruit, ac perimit ille. D. August. serm. 107. de tẽpore. *In hoc*, ait, *imaginem crucis attẽdite, expansis enim manus ad duas columnas, quasi duo ligna crucis extendit, & aduersarios suos Samson interemptos oppressit.* 86. Iudic. 16. *Per figuram crucis vincit Samson.* August.

Ioan. 12. *n.* 32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me ipsum.

Num. 33. Hoc autem dicebat significans, qua morte esset moriturus.

VERSIONES.

Syriacus n. 32. Et ego cum sublimatus fuero à terra, traham omnes ad me.

Lucas Burg. ex Græco. Et si ego eleuatus fuero à terra.

Arabicus.

Arabicus. Vnumquemque traham ad me ipsum.

D. Augustin. Omnia traham post me.

Arabic. n. 33. Et non dixit hoc, nisi vt nuntiaret quali morte moreretur.

Syriacus. Vt indicaret, qua morte esset moriturus.

Arius. Significans qua morte futurus esset mori.

EXPOSITIO V.

87. *Mors crucis glorificatio.*

EXIIT vox de cælo dicens: *Clarificaui, & iterum clarificabo.* Christus se dixit primò clarificatum iudicio mundi, seu sententia mundum liberante; secundò se ostendit clarificatum electo principe tenebrarum. Tertiò nunc sui exaltatione in cruce. Et ait *ego si.* Illa particula *si*, Græcè nec dubitandi modum, nec conditionem, sed tempus significat, ac si diceret. *Cum*, seu *quando.* Vt legunt D. Cyprianus, D. Ambros. D. Augustinus tract. 52. in Ioan. Qui ait. *si, id est cum: non enim dubitat futurum esse, quod venit implere.*

Cyprian. Ambros. August.

89. Syriacus. Burgens. August.

Exaltatus fuero Syriacus *sublimatus* in altum, seu, Lucas Burgensis ex Græco: *eleuatus*, in aërem, nempe in cruce positus: *à terra*, hoc est super terram: ad litteram iuxta Patres de se in cruce erecto loquitur. D. Augustinus. *Exaltationem suam*, ait, *quid aliud dixit, quàm in cruce passionem? Quod & ipse Euangelista non tacuit:* verbi nempe sequenti: *omnia*, vt explicant N. D. Cyrillus, D Chrysostomus, Leontius, Theophylactus, id est omnes, non solum Iudæos, sed etiam Gentiles, sic enim ipse iussit, *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et hic sensus maximè congruit dictis de grano frumenti, ac de conuersione gentium, quæ ad Christum conuenerunt; de quo iterum quæst. 18.

Cyrill. Chrysost. Leontius. Theophyl.

90. *Traham ad me ipsum.* Adducam, & transferam à Satana, ac Diabolo, ad me ipsum Dei filium; à mundi principe tyrannico, ad me ipsum legitimum orbis Principem. *Traham*, ait, verbum hoc quandam vim significat, quo verbo vsus est Dominus, vt notetur vis in oppositis: ita enim homines sub Diaboli potestate, ac tyrannide tenebantur, vt veluti vi vsus fuerit Dux, ac Princeps noster Iesus, vt ab eius iugo extraheret, ac eriperet. Chrysost. Hæc interpretatio est de mente D. Chrysostomi. *Traham*, ait, *tanquam a tyranno detentos, & per se minime potentes, eius manus effugere, vtpote repugnantes. Alio loco rapinam appellat Nemo potest spolia fortis rapere.* Quod etiam docent Ammonius, Theophylact. & alij. Et cum ait traham, non repugnat cum his, quæ dixit Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Nam vna, & eadem est vtriusque tractio, cum vna, & eadem sit essentia, & virtus. Ex quo ait eit. Chrysostomus: *Filio trahente, Pater trahit.*

Ammon. Theophyl. Ioan. 6.

91. *Hoc autem dicebat.* Exponit Euangelista Christi verbum dicentis: si exaltatus fuero à terra. Quo nimirum mortem suam in cruce significauit: quod Ioannes aduertit, vt cunctis aperiret, ac manifestaret, Christum Iesum omnia præscisse, nihilque ei præter opinionem, ac scientiam contigisse.

QVÆSTIO XV.

Quare Dominus suam mortem in cruce appellauerit exaltationem?

92. FREQVENTER Christus Dominus suam passionem in cruce dicit exaltationem, vt in præsenti: *Ego si exaltatus fuero à terra*, &c. & Ioan. 3. n. 14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis*, & c. 8. n. 28. *Cum exaltaueritis filium hominis*, &c. In hac loquendi forma illud est difficile, vt notauit Lypsius lib. 1. de cruce c. 3. & 4. & l. 2. c. 5. Inter alios loquendi modos, quibus veteres vtuntur cùm de cruce agunt, minimè talis modus dicendi reperitur, quo Christus Dominus significauit suam crucis mortem exaltationis nomine, quæ honorem, & non ignominiam, qualem omnis Crux continebat, significat: licet enim olim, multis modis crucifixio fieret, semper tamen in dedecus, & ignominiam fiebat. Vnde ait Paulus ad Galat. 3. *Maledictus homo, qui pendet in ligno:* Id est, execrabilis homo, qui tali morte afficitur.

Ioan. 3. Ioan 8. Lypsius. *Christus primus crucem dicit exaltationem.* Galat 3.

93. Christus tamen Dominus talem mortem exaltationem appellat: quia eam duxit pro triumpho, ac magnificentia. Quo sensu D. Gregor. interpretatur ea verba Cantic. 7. n. 8. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua, sicut botri vineæ.* Ipsa enim crux honoris, ac victoriæ Symbolum est, omnémque felicitatem, ac exaltationem denotat, vt significant sequentia verba: *Et erunt vberatua*, &c. Iusti scilicet in Cruce. Philo Carpathius. Hanc ergo crucis mortem exaltationem dicit Christus, illa enim maximè se voluit exaltari, ac sublimari. Respondet. *Quod scilicet illa exaltari eum fuit necesse. Quoniam is, qui patibulo crucis suspenditur, conspicuus est omnibus, & cæteris altior.* Quanta altitudo sit à Cruce breuiter expendo.

Gregor: Cant. 7. Philo.

94. *Synagoga populorum circundabit te, propter hanc in altum regredere.* Psalm. 7. n. 8. Synagoga, seu vt legit D. Augustinus. *Congregatio populorum.* Circundabit te, vt explicat Treuctus, tanquam à te quærens auxilium, & remedium. *In altum regredere.* Chaldaicus. *Ad domum maiestatis regredere.* Quisnam est iste locus altus Deo, eique domus maiestatis? Hesychius. *Illud in altum honorabilem crucem intelligit.* Crux enim locus valdè altus, & sublimis est; sed nunquid Deo potest esse aliquis locus altus, ei enim omnis locus creatus; infirmus ac humilis est; Quomodo ergo crux dicitur locus altus? Quamuis crux prout creatura sit valdè humilis, ac infima respectu Dei; prout tamen crux est, in tanta æstimatione, ac honore ei est, vt ab ipso tanquam locus altus, ac sublimis reputetur. Huc aduoco id, quod respiciens ad verba Pauli Philipp. 2. n. 2. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Eleganter ait D. Bernardus: *cum per naturam Diuinitatis non haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deum nihil est; quo modo crescere inuenit, veniens incarnari, pati, mori, factus humilis vsque ad crucem; propter quod & Deus exaltauit illum.* Ac si dicat, quasi cum non haberet Dominus Iesus, quomodo exaltari posset, crucem disposuit, vt in ipsa eleuaretur.

Psalm. 7. August. Treuet. Chaldæus. Hesych. Philipp. 2. *Crux à Christo reputatur pro altitudine.*

Illud iterum est expendendum, quod ait. *In* 95. *altum*

altum regredere. Regredi denotat veniendo repetere locum, à quo est egressus. Et vt ait Isaias 26. n. 21. *Ecce Dominus egredietur de loco suo.* Qui est sinus æterni Parentis. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris.* Ioan. 1. Cur ergo ad Christum Dominum dicitur regredi, debebat hoc dicendi modo significare sinum Patris, at ad crucem, quomodo dicitur regredi? optimè sanè. In tanta æstimatione, ac decore, ab eo crux est habita, ac si veluti quodammodo sinus Patris reputaretur. Timotheus Antioch. orat. de cruce apud Grethserum tom 2. de cruce. *Crux locus proprius diuinitatis, sedes suprema maiestatis.* Sicut sinus parentis locus proprius filij, sic etiam suo modo crux illius locus, & sedes.

Isai. 26.
Ioan. 1.
Crux reputatur à Christo veluti sinus Patris.
Antioch.

96. *Cúmque leuaret manus Moyses, vincebat Israël.* Exod. 17. n. 11. Tertullian. lib. 3. contra Marc. c. 18. N. D. Cyrillus in Collectan. c. 16. D. Iustin. contra Tryphon. post medium D. Prosper. 1. p. prædict. cap. vltim. & alij tenent, quod Moyses sic eleuasset manus, vt eas ad modum crucifixi extendisset; cur ergo non dicitur, quod Moyses expandebat manus, seu quod eas cancellatas habebat; sed quod eleuabat? cum enim figura crucis ibi adesset, consequens erat, vt & eleuatio interueniret, cancellatísque manibus eleuatio ad victoriam fieret. D. Augustin. serm. 93. de tempore. *Moyses quidem,* ait, *manus leuat, tamen in eleuatione mysterium crucis ostendit.*

96. Exod. 17. Tertull. Cyrill. Iustinus. Prosper.
Vbi crux, ibi eleuatio.
Augustin.

97. Iacob moriturus iuxta Septuaginta. *Adorauit Israel summitatem virgæ.* Gen. 47. n. 31. iuxta lectionem Chrysostomi. *Adorauit Israël ad fastigium virgæ.* Virga illa, ad cuius conspectum Iacob cancellatis manibus filios benedicit. Genes. 48. n. 14. vmbram gerebat crucis, vt auctor est Damascenus lib. 4. c. 12. *Iacob,* ait, *adorans summitatem virgæ, alternatis, cancellatísque manibus, filios Israel benedicens, signum crucis manifestatissimè describit.* Quæro tamen cur Iacob solum adorat summitatem, seu fastigium virgæ, cur non potius totam virgam? Virga illa typus erat crucis Christi, ac proinde quidquid in illa erat totum erat altum, supremum, summitas, ac fastigium.

97. Gen. 47. Septuag. Chrysost.
Damascen.
Crucis fastigium, ac altitudo.

QVÆSTIO XVI.

Quare non dicitur exaltatus tantum, sed etiam exaltatus à terra?

98. CVM ait Dominus. *Cum exaltatus fuero,* expressit *à terra,* vt se in aërem sublevatum, ac in cruce positum denotaret, vt iam dixi in expositione; obiter tamen nota, quod ille, qui se ita dicit exaltatum, prius humiliatus, ac inclinatus apparuit ad pedes discipulorum, vt eos sic melius erigeret, & pedes ipsorum mundando ad currendam altitudinis viam dirigeret.

Per humilitatem ad magna præparatur.

99. Moraliter ad quæstionem. Primò respondet D. Bernardus serm. 21. in Cantic. *Arbitror illum sermonem,* ait, *quem dicit de se vnigenitus, videlicet: si exaltatus à terra, omnia traheret ad se ipsum, cunctis quoque eius fratribus posse esse communem, his itaque, quos Pater præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui:* Et *ego igitur (audacter dico) omnia trahum ad me ipsum: & quidem tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Hæc verba: *si exaltatus fuero,* spiritualiter dici possunt ab vnoquoque fideli, qui se conformauerit imagini filij Dei, qui nudus crucem ascendit; qui enim contemnens omnia terrena à temporalibus curis se exuerit, ac crucem, seu mortificationem Iesus fuerit amplexatus, hic dicere potest; traham ad me omnia, omniáque illi subiecta erunt.

Bernard.
Qui temporalia dimittit, omnia possidet.

100. Secundò. Adamus de Perseuer. Apud Tilman, *Fidelis Pastor,* ait, *in Ecclesia secundum aliquam similitudinem terra comparatur. Terra enim suo pondere subsistit, quaque sibi superimposita firmitate stabili gerit, sui fœcunditate homines, & animantia pascit. Sicque nimirum Prælatus in Ecclesia, & propria auctoritatis pondere nititur, & subiectorum infirmantium mores portat, dum compatitur, & fœcunditatem doctrina cœlestis spiritualibus, & carnalibus discretione congrua opportunus elargitur: ab huiusmodi terra Christus exaltatur, cum de Prælati vita, & doctrina Ecclesia Christi honoratur.* In sensu morali hæc etiam verba prælatis accommodantur, quorum typum terra gerit; in quo tamen terra cum Prælatis comparatur? Terra sub omnium pedibus conculcatur; Prælati verò super omnium capita eminent. Terra cum sit omnium parens nullius singularitatem affectat, sed omnibus, tam nobilibus, quam ignobilibus, hominibus, ac animalibus, & iumentis, sine vlla conditionis distantia pabula administrat. Ecce optimum prælatorum ingenium, vt omnibus absque aliqua singularitate se communes exhibeant: qui ergo ab hac conditione terræ, ac more prælatorum in Ecclesia Christi exaltatus, & sublimatus fuerit in sua Cathedra, ac sede, omnia ad se trahet, omniúmque animos ad se alliciet, omniúmque affectus deuinciet.

100. Adamus.
Si Prælatus sit omnibus cõmunis, & non singularis, omnium, affectus rapit.

101. Tertiò. Dicitur, *exaltatus à terra.* Vt maximè sublimatus, ac eleuatus intelligatur. De hac exaltatione agens Regius Vates, ait; *Ascendit super Cherubin, & volauit, & posuit tenebras latibulum suum.* Psalm. 17. num. 11. De Ascensione ad crucem sermo est, & tunc tam altè à terra ascendit, vt super Cherubin transcenderet, & cum esset eleuatus super Cherubin, adhuc volauit, vt Crucis cacumina teneret, illius altitudo multum super Cherubin eminet: quod ideo peregit, vt exaltatus in cruce, tenebræ in hostium mentes diffunderentur, ne Sacramentum nostræ redemptionis caperent, ac intelligerent. D. Augustin. in Psalm. 7. *Exaltare Domine,* ait, *ne te intelligant inimici. Exaltare, altus efficere, ne intelligaris. Sic enim de hac exaltatione Dauid. Ascendit super Cherubin, & volauit, & posuit tenebras latibulum suum: cum appareres humilis* (scilicet in cruce) *altus esto: qua exaltatione, seu occultatione, cum te non intellexerint, qui te crucifigent.*

101. Psalm. 17.
Christus in cruce maximè exaltatus.
Augustin.

102. Sic Dominus sublimatus in cruce omnem gloriam, & laudem suam sub crucis figura vult decantari, ac celebrari. Ait Apostolus ad Philipp. 2. num. 9. *Factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Per tres classes diuidit Apostolus Christi laudem, per cœlum, terram, & infernum. Tres classes formam crucis efficiunt, & dum celebratur Christi laus & gloria, per tres classes diuiditur: sub crucis vmbra diuiditur. Maximè sanè, quia nec in cœlo, nec in terra, nec in inferno

102. Philipp. 2.
Sub vmbra crucis omnis gloria Dei.

inferno vult Dominus gloriam, & laudem nisi sub figura,ac vmbra crucis.Pulchrè D.Gregorius Nyssen.orat.2.post citata Apostoli verba subdit. *Quibus verbis per crucis figuram diuidit Christi crucifixi adorationem. Cœlestia enim regio partem sublimiorem, terrestris ambas medias, inferna profundum continet.*

Nyssen

QVÆSTIO XVII.

Quare ex Cruce, quæ hominibus erat scandalum, promittit ad se omnia trahere Christus Dominus?

103. S.Leo. RECTE ad quæstionem respondet S. Leo serm.6.de Passione c.4.*Cùm exaltatus fuero*, ait, *omnia traham ad me, id est, totam causam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam. Exaltatum autem Iesum ad se traxisse omnia, non solum nostræ substantiæ passione, sed etiam totius mundi communicatione,monstratum est.Pendente enim in patibulo creatore,vniuersa creatura tongemuit,& crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui, & terram traxit, & cœlum;hoc petras rapuit, monumenta aperuit, infernũ reseranit,& densarum horrore tenebrarum radiis Solis abscondit; debebat hoc testimonium suo mundus Auctori.*Et serm.8.c.7. ait. *O admirabilis potentia crucis! ô inestimabilis gloria passionis! & ego si exaltatus fuero à terra: omnia traham ad meipsum.*

104. Quomodo fieri potuit,vt crux lignea,quæ maximo erat scandalo,& terrori hominibus,sic illos afficeret, vt ad se raperet cunctos? Ex quo ipsa crux mundo apparuit ornata,ac honorata diuinis membris;ex quo ex ea omnium Auctor omnibus se præbuit conspiciendum,omnium affectus ad se rapuit, ac traxit, vt contempto omni timore ipsi omnium Saluatori omnes adhærerent. Petrus Damianus de exaltatione S Crucis. *Hæc est*, ait, *firmissimum,ac indiuisibile gluten, quo conglutinantur rationales creaturæ, vt ex vtrisque fiat illa ciuitas,cuius participatio eius in idipsum.*

Ex Cruce Christus ad se omnia traxit.

Damian.

105. Matth.7. Cùm Christus Dominus esset in Caluario,scribit D.Matth.27.n.55. *Erant autẽ ibi mulieres multæ à longè,quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei:inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi,& Iesu mater, & mater filiorũ Zebedæi.*At verò Ioan.19.n.25.de eisdem mulieribus locutus ait *Stabant autem iuxta Crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalena.*Ecce sanctæ mulieres dicũtur à Diuo Matthæo,à longe stare;à Ioanne autem dicuntur iuxta crucem esse, vnde quid Matthæo Ioannes est contrarius?absit hoc.Verum vterque dicit,& si tempora spectes, conuenientia inuenies. Dum ministerium crucifixionis in principio agebatur, & crux adhuc humi iacebat,mulieres erant à lõgè,non audentes accedere; At vbi primùm crux exaltata est,& hoc signum supremi Regis eleuatũ est in medio terræ, ab illius conspectu vehementer multitudines sunt attractæ,tanquam ab ipsa cruce multam securitatẽ assecutæ,omnium hostium robur parui facientes ad Christum cõuolarunt.Euthym.in Ioan.*Stabant verò*,ait, *iuxta Crucem,tunc nactæ securitatem,primũ enim omnes discipulæ eminus conspiciebãt,veluti cæteri docuerũt Euangelistæ.*

Ioan. 19.

Visa cruce omnes ad Christũ veniunt.

Euthym.

Valdè mirum,quod Apostoli,qui multa miracula,virtutes,ac mysteria viderant in Christo,in eiusque schola maximè erant eruditi, tempore Passionis dicantur titubasse in fide; At latro,qui solũ viderat Crucis opprobria,mediis in pœnis, ac tormentis nouella fide Christum confitetur. Vnde tanta rerum differentia?Discipuli passionis tempore à morte,ac cruce in fugam se dederunt; *Discipuli omnes relicto eo fugerunt* Matth.26.n.56. At verò latro ad Crucem accessit. Qui à cruce declinat,titubat,& labitur;qui verò ad illa se recipit,à Christo illuminatus trahitur,vt audiat:*hodie mecum eris in paradiso.*Luc.23.n.43.D.August. serm.120.de tempore. *Ecce*, ait,*inter signa, atque virtutes,attestantibus miraculis, & acclamantibus, aliquoties in discipulis mens iam robusta titubauit; & nunc Christi suppliciis quodammodo contradicentibus,in latrone fides nouella conualuit.*

106. Matth.26.

Luc.23.

A Cruce illuminantur homines, & trahũtur ad Christum. August.

QVÆSTIO XVIII.

Quare Christus dixit, traham omnia,& non potius aliqua,cùm multi in sua malitia obstinati perseuerauerint?

RATIO difficultatis est, quia Iudas, ac Iudæi, infideles, ac hæretici in sua iniquitate obstinati permanserunt. Quomodo ait Christus, omnia traham? Ideo Patres varias solutiones huic difficultati dederunt.

107. *Difficultas quæstionis.*

108. Iustin. D.Iustinus in responsione ad gentes q.29.Hoc refert adimplendum in fine sæculi, quando Iesus veniet iudicaturus omnes gentes.Secundò.Diuus Gaudentius serm.13. de Natiuitate. *Omnia traham ad meipsum*, ait, *& non omnes,illud significari existimo, quod omnia creaturarum genera,quæ idolis vel immolabantur,vel dedicabantur, Christus ad suam benedictionem reuocanda promiserit.* Omnia etiam insensibilia, quæ idolis consecrabantur, Christo dabunt obsequia.

Gaudent.

Omnia, quæ idolis seruiebant, seruiũt Iesu.

109. August. Tertiò, D.Augustinus tract.52. triplicem dat responsionem. Primò,per omnia intelligit quidquid est in homine,spiritum, animam,& corpus. Secundò, interpretatur omnium hominum genera; ex omnibus enim nationibus,ac conditionibus,quamplurimi ad Christum venerunt. Tertiò, de solis prædestinatis censet intelligendam Christi sententiam:quod etiam habet D.Gregor. lib.6.Epist.15.& Petrus Damian. lib.5. Epist.15. *Non enim*, ait, *ad se Iudam proditorem traxit, non sibi latronem impium sociauit:sed omnia, id est omnes dumtaxat electos, ad propriy contubernij culmen erexit.*Ac si omnes à Deo in hoc mũdo sint quodammodo prædestinati; impij enim, quamuis Reges maximi,nihil sunt.Quartò.D.Leo serm.14. de Paschate. Omnia refert ad figuras,& prophetias, *quod totum in Sacramenta Christi transierunt.* Omnes adimpletæ sunt in Christo,ipsumque testificatæ sunt verum esse Messiam. Quintò. Idem D.Leo serm 8.de Paschate, hanc Christi sententiam ad elementa dilatat;omnia enim in Christi passione signa dederunt,terra tremuit,Sol obscuratus est,velum templi scissum. Sextò,Caietanus, per omnia accipit omnes homines: *quosdam*,ait, *traxit in hac vita, quosdam in altera. Meruit enim vt sibi omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

Gregor. Damian.

Leo.

Caiet.

Septimò,

110. *Verior intelligentia,* Chryſoſt. Leontius. Cyrill. Theophyl. Maldonat. Barrad. Burgenſ. Cornel. Rom.10. Ioan.6. Ioan. 17. Rom.11. Galat 5.

Septimò, & pleniſſimè intelliguntur omnes homines huius mundi, non ſolùm Iudæi, ſed etiam Gentiles, vt docent D. Chryſoſtomus, Leont. N. D. Cyrillus, Theophylactus,& communiter recentiores. Maldonatus, Barradas, Lucas Burgenſ,Cornelius,& alij,vt dixi in Expoſitione. Omnibus enim mandauit prædicare ſuum Euangelium. *Prædicate Euangelium omni creaturæ* Marc.16. Pro omnibus enim mortuus eſt, pro omnibuſque ſufficienter ſatisfecit,eoſque à iugo dæmonis liberauit, ſi verò non omnes ſaluantur ex eo eſt, quia *non omnes obediunt Euangelio* Roman.10.n.16. Illud autem. *Omnia*, id eſt, *omnes*, vt habent Codices Græci,Syriacus,D.Chryſoſt. Ammonius, & alij; deinde, *omnis*, phraſis eſt Scripturæ idem ſignificans, ac omnes. Ioan.6. num.37. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet.* Ioan.17.n.2. *Vt omne quod dediſti ei,det eis vitam æternam.*Rom.11.n.32.*Concluſit Deus omnia in incredulitate.* Ad Galat 3.num 22.*Concluſit Scriptura omnia ſub peccato.* In quibus locis omne, ſeu omnia, id eſt omnes. Et hic ſenſus maximè cohæret dictis de grano frumenti, ac conuerſione gentium, & immediatè antea dixerat Dominus. *Nunc iudicium eſt mundi.* Vbi per mundum homines intelligit, qui liberandi erant à iugo dæmonis, qui eiiciendus erat foras, vt ibi explicaui, inde conſequutus erat, vt ad ſe omne trahæret,

111. Habac.3. Chaldæus. *A Deo omnis ſplendor, & fulgor.*

In cruce poſitus Dominus Ieſus tanquam verus Sol valdè conſpicuus omnibus gentibus apparuit,cuius radiis omnium corda illuminata, ac inflammata ſunt. Ait Habacuc.3.num 4 *Splendor eius,vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Chaldæus transfert.*Splendor gloriæ eius, ſicut ſplendor primogenitus apparuit. & ſcintillæ à quadriga gloriæ eius prodierunt, ibi patefecit maieſtatem ſuam.* Ibi nempe in cruce, ſplendor eius vt primogenitus, primò exoriens irradiauit,tanta enim lux eius in cruce refulſit,vt illius ſplendor videretur veluti primogenitus,ac primò exoriens ſuper vniuerſa cætera opera, *& ſcintillæ à quadriga gloriæ eius prodierunt.* Et ſcintillæ à quadriga gloriæ eius,ſeu ab efficacia,ac vi potentiæ, & amoris eius prodierunt, vt omnia corda inflammarent;*ibi patefecit maieſtatem ſuam.* Ibi cruce nempe, excellens eius maieſtas innotuit, ac declarata eſt. D Hieronymus: *Splendor eius,*ait,*quaſi ſol iuſtitiæ claraluce radianit,& cornua in manibus eius vexilla, trophæa crucis.* Ac ſi diceret,ex crucis trophæo,ſol iuſtitiæ valde conſpicuus illuxit. *Et cornua in manibus eius vexilla, trophæa crucis.*

Hieron.

112. Ioan 14.

Vis ſcire quam efficax, ac præpotens ſit hoc diuinum vexillum crucis? perpende. In vltima cœna ait Chriſtus ſuis diſcipulis. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet,& maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* Ioan.14. num.12. Amplam poteſtatem faciendi miracula, dedit Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis, quando eos ad prædicandum Euangelium mandauit. *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eiicite.*Matth.10.n.8.Cur ergo ipſo Domino præſente non datur eis facultas,vt maiora opera faciant, quam ipſe facit? ſed hæc ordinat fieri poſt eius abſentiam. Et rationem aſſignat: *Quia ego ad Patrem vado.* Per crucem nempe, vt eſt communis intelligentia Patrum,quam & ſuis relinquebat.In tantum voluit Chriſtus Dominus ſuam crucem ſublimare, & exaltare, ſicque eius virtutem, ac gloriam cunctis manifeſtare, vt ordinaueric, quod ipſa ſacratiſſima cruce diſcipuli eius maiora ſigna, ac miracula facerent, quàm ipſo in hoc ſæculo naturaliter præſenti illi faciebant,ac edebant. D.Chryſoſtomus de Adoratione Crucis. *Arripite*, ait, *crucis arma, & perficite talia:his etiam maiora pollicitus eſt his verbis: Opera,quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora, quia ad Patrem vado.* Chryſoſt.

Matth 10 *Excellentiſſima opera per crucem.*

*Ioan.*12. *n.*34. Reſpondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum:& quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? quis eſt iſte filius hominis?

Num. 35. Dixit autem eis Ieſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate; dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: Et qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.

*Num.*36. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt Ieſus:& abiit,& abſcondit ſe ab eis.

VERSIONES.

Syriacus n. 34. Nos audiuimus ex lege, Meſchicho in æternum permanſurum: quomodo dicis fore, vt tollatur filius hominis?

Marin.Victor. Quod oportet altificare filium hominis.

Syriacus n. 35. Modicum ad tempus lux vobiſcum eſt: ambulate dum lucem habetis: ne tenebræ vos deprehendant.

Arabicus. Tempore modico lumen vobiſcum eſt:ambulate ergo in lumine, dum perdurat vobis lumen: qui ambulat in tenebris non comprehendit,quò vertatur.

Vatablus. Adhuc breui tempore lumen vobiſcum eſt.

S.Epiphanius. Ambulate, dum diem habetis, ne vos dies illa in tenebris occuper.

*Mar.Vict n.*36. Quandiu perdurat vobis lumen, credite in lumen,vt filij luminis efficiamini.

Arias. Vt filij lucis fiatis.

Syriacus.

Syriacus. Hæc locutus est Iesus, & occultauit se ab eis.

Vatablus. Et digressus abscondit se ab eis.

EXPOSITIO VI.

113. RESPONDIT *ei turba.* Quidam ex astantibus omnium nomine. *Nos audiuimus ex lege.* Intellexerunt Iudæi, quod Christus de morte sua in cruce loqueretur, quam per exaltationem à terra significabat. Et valde mirum; nam cùm manifestè de sua morte ageret cum suis discipulis. *Ipsi nihil horum intellexerunt*, vt scribit Lucas. cap.18. Et cum de ea hîc obscurè tractaret. *Si exaltatus fuero.* Iudæi intelligunt: quod dubium expendi supra cap.37.q.4. Nam, vt ait D Augustinus tract.52. *Intellexerunt Iudæi eum hoc dixisse quod ipsi facere cogitabant, nec verborum obscuritatem eis aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.* Et dicunt: *Nos audiuimus ex lege.* Lex dicitur testamentum vetus, in quo multis in locis dicitur Christum in æternum mansurum. Psal.71. n.5. *Et permanebit cum sole, & ante Lunam in generatione, & generationem.* Et Psal.109.n.4. Psalm.88.n.30.& 38. Isai.9. num.7.& 40.num.8. Ezech.37.num.25. Daniel. 9. num.26. Mich.5.n.2. Hæc tamen Scripturæ loca, ac alia loquuntur de regno Christi glorioso, post eius resurrectionem, ac ascensionem. Christum autem ante hoc regnum moriturum tota Scriptura clamat, ac protestatur. Apertè Isaias cap. 53. Dauid Psal.21.n.12.& 17. Dan. 9.n.26. Ierem.11. num.19.

Luc.18. Augusti. Psalm.71. Psalm.109. Psalm.88. Isai. Ezech.37. Daniel.9. Matth.5. Isai 53. Psalm 21. Daniel 9. Ierem.11.

114. *Oportet exaltari filium hominis.* Christus non dixit, oportet exaltari, sed tantum. *Si exaltatus fuero à terra.* Vnde ergo turba deduxit verbum *oportet?* Maldonatus eorum sequitur coniecturam, qui asserunt, quod postquam Christus dixit hæc verba. Ego si exaltatus fuero à terra, *omnia traham ad me ipsum*, addidit: *exaltari oportet filium hominis, sicut Moyses exaltauit serpentem.* Et hanc sententiam tradit Iansenius. Simpliciter tamen mihi dicendum videtur, turbam collegisse illud, oportet, ex verbis Christi. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Inuoluitur ibi illa particula, oportet; ac si diceretur, oportet exaltari filium hominis, vt omnia trahat ad se, & hoc dicunt, vt magis oppugnent ipsum non esse Christum, cùm non sit mansurus in æternum. Ita Theophylact. Barradas, P. Escobar. *Quis est iste filius hominis?* Bene intelligebant, quod Christus de se loquebatur, nam multoties audierant eum se filium hominis dici, fingunt tamen se non intelligere, vt ipse clarius de se sua exaltatione loqueretur, vt eum valeant arguere.

Maldonat. Iansen. Theophyl. Barrad. Escobar.

115. *Dixit ergo eis Iesus.* Non respondet Dominus ad eorum obiectiones, quia vt ait N. Cyrillus, eos indignos responso sciebat, ad fidem tamen simplicem turbam exhortatur. *Adhuc modicum lumen in vobis est.* Duplex est interpretatio. Omnes Latini modicum referunt ad lumen. Sic D.Aug. Beda, Rupertus, Lyranus, D.Thomas, ac si dicat Christus, parum luminis, ac intelligentiæ habetis, siquidem Messiam æternum esse creditis, & tamen non intelligitis in cruce esse exaltandum, ac moriendum iuxta Scripturas. Secunda interpretatio est Græcorum. Et modicum referunt ad tempus; vt si dicatur; modico tempore, breui tempore. Ita D.Chrysost. Theophilactus, Euthymius, & est sensus. *Adhuc modicum vobiscum sum:* breui tempore vobiscum ero, paucis diebus ego lux & lumen mundi vobiscum manebo. *Ambulate*, id est, credite in me, *dum lucem habetis*, dum me lucem mundi præsentem habetis. *Vt non vos tenebræ* errorum, ac peccatorum: *Comprehendant*, occupent, ac teneant. Nam *qui ambulat in tenebris* peccatorum, *nescit quò vadat*, errat enim, ac præcipitatur; vt exponit Euthymius.

Cyrill. August. Beda. Rupertus. Lyran. D.Thom. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Dum lucem habetis, me nempe præsentem, lucentem, ac docentem vos necessaria ad salutem, *credite.* In me lucem mundi, vt sermones meos audiatis, ac præcepta adimpleatis: *Vt filij lucis sitis*, vt lucis meæ efficiamini participes, vt illuminati, lumine fidei, charitatis, ac gratiæ fulgeatis. Postquam hæc loquutus est Iesus, *abiit, & abscondit se ab eis*: quia præuidebat eorum cogitationes, quod vellent eum capere ante præfinitum tempus à Patre, vt docent D.Chrysostomus, Theophylactus, & alij. D. August. ab eis. *Non ab eis, qui credere, & diligere cœperant; non ab eis, qui cum ramis palmarum, & laudibus obuiam venerant: sed ab eis, qui videbant, & inuidebant, quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant.*

Euthym. 116. Chrysost. Theophyl. August.

CAPVT XLIII.

Parabola Vineæ.

Matt.21.n.33. Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Num 34. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.

VERSIONES.

Syriacus n.33. Fuit vir quidam dominus domus, qui plantauit vineam, & vndequaque obuallauit eam maceria, foditque in ea torcular, & extruxit in ea turrim.

D.Chrysost. homil.69. Et sepem circumposuit ei.

Euthymius. Et tradidit eam agricolis.

Arias n.34. Legauit seruos suos ad agricolas.

Vatabl. Vt caperent fructus eius.

Syriacus. Vt ad se mitterent de fructibus vineæ suæ.

Altera Textus.

*Marc.*12.*n.*1. Vineam plantauit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim : & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Et misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis, acciperet de fructu vineæ.

Luc. 20.*n.*9. Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis, & ipse peregrè fuit multis temporibus.

Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi.

EXPOSITIO I.

1. POst prædictum sermonem cum Ethnicis de grano frumenti abiit Iesus, & abscondit se recedens in Bethaniam. Matth.21.n.17. Deinde feria tertia post diem Palmarum, vt deducitur ex textu Marc.11.n.20. Venit in templũ; ab ipsóque quærunt principes Sacerdotum, in quanam potestate illa faceret, vt nempe vendentes eiiceret, & tot miracula ederet? Christus Dominus eorum malitiam arguit proposita quadam parabola de duobus filiis, quæ satis aperta est ex textu. Deinde hanc coniungit de vinea.

Matth.21. *Series textus.* Marc.12.

2. *Homo erat Paterfamilias* Intelligitur Deus Pater cuius familia ampla est mundus, & illius plenitudo. *Qui plantauit vineam.* Per vineam hoc loco intelligitur Synagoga Iudæorum, seu populus Israël, & vtitur Dominus similitudine valdè familiari Prophetis, qui per vineam populum Israël, significabant. D. Marcus scribit *paſtinauit*, & est verbum Græcum idem valens, ac plantauit : *plantauit vineam* : ex suis propriis rebus. *Et sepem circumdedit ei.* Imposuit ei vallum, seu murum in circuitu, ne facilè quis introire posset ad furandos fructus Et est sepes Angelorum custodia, vel Patriarcharum merita. *Et fodit in ea torcular*, vinea erat magna, & ideo in ea positum est torcular, quod iuxta multos significat altare holocaustorum. *Et ædificauit turrim.* Domum fortem, vt ait Abulensis, vt inseruiret ad defensionem vineæ, ac vt in ea habitarent agricolæ, & ita prouidit in vinea omnia necessaria ad eius defensionem, ac commoditatem agricolarum ; Et hæc turris templum est. *Locauit eam agricolis* ; Non alienauit vineam à se, vel in alios transtulit dominium eius, sed certis annis vsum committit aliis, pacto inito, vt tamen quotannis certam portionem fructuum sibi reddant. *Peregrè profectus est*, qui nusquam abest, sed vbique est, cælum, & terram implet, gessit se tanquam absentem, vt explicant Beda, Hugo, Carthusianus, relinquens regimen sui populi eorum arbitratui, ac voluntati. Moraliter. Hic bonus Pater, non semper instat suis præsens, sed & aliquando concedit sui absentiam. Vide supra.26.n.67.68.69.

Abulenſ.

Beda. Hugo. Carthuſ.

Cum autem tempus fructuum appropinquasset. 3. Quo fructus colliguntur in vinea, ac vineatores tenentur illos dominis suis præstare : huiusmodi autem fructus vineæ, ac hominis sunt fides, charitas, cultus Dei, ac bona opera ; & quamuis semper esset tempus, vt huiusmodi fructus Deo rederentur ; tamen vt notant Rupert. Albert. Magn. D. Thomas, illud peculiariter tempus fructuum vocat, postquam lex est data, & promulgata : ex tunc peculiariter Deus huiusmodi fructus per iudices, reges, ac prophetas à suo populo requisiuit. Aliter etiam rem explico : cum homo peruenit ad ætatem rationis perfectæ, tunc est tempus fructuum, & Deus ab vnoquoque requirit huiusmodi fructus, præcipuè cum legis obligatio, v.g. Dei cultus confessionis, fidei, ac charitatis in proximum vrget. *Misit seruos suos.* Alios post alios, Prophetas nempe, ac prædicatores, bonos consiliarios.

Rupertus. Alb. Magn. D. Thom.

Qvæstio I.

Quare Christus Dominus proposuit hanc parabolam, in eáque ipse se introduxit sub persona hominis Paterfamilias.

AD primam partem quæstionis, ac ad motiuum parabolæ. Respondeo. Dixerat Dominus immediatè antea exprobrans principibus sacerdotum. *Publicani, & meretrices precedent vos in regnum Dei.* Matth.21.n.31. Quia ipsi nempe crediderunt Ioanni, quem vos neglexistis, cum tantis donis à Deo sitis cumulati. Chrys.hom.69. *Ideo posuit*, scilicet parabolam, ait, *vt maiora commissse cognoscant, quàm, vt veniam consequi meruerunt. Cur, & quopacto? Quia cum tantam curam Deus eorum semper habuerit, à publicanis, & scortis magno interuallo relicti sunt.* Secundò vt aduertit Abulensis q.177. vt ostendatur, quia ex eo quod non crediderunt Ioanni, de quo agitur citato loco Matthæi, exinde deuenerunt vt non crederent vnigenito filio Dei, semper ex vno peccato fit lapsus ad maiora. Vide verbum *Peccatum* ; & vt etiam appareat, quod ex contemptu serui, nempe Ioannis venerunt in contemptum Dei. 4.

Matth.21. Chryſoſt. Abulenſ. *Ex contemptu ministri contemnitur Dominus.*

Secunda, & præcipua quæstionis pars est. Cur ipse Dominus se introducit in parabola sub nomine hominis Patrisfamilias ? sub hoc enim nomine ipse Deus Pater intelligitur, vt est constans Patrum sententia. D. Chrysost. D. Hier. D. Pasch. Euthym. Theophyl. ac omnium ferè. 5. *Difficultas quæstionis.*

Primò ad quæstionem. Orig. tract.19. in Matth. Homo Paterfamilias Deus D. Chrysost. hom.40. in Imperfecto. *Homo autẽ dicitur*, ait, *nomine, non natura ; similitudine, non veritate.* Deus patrem nominat : Pater maximè diligit filios, vt hoc nobis manifestet, quãto amore nos filios suos adoptatos prosequatur : Deinde inducitur, tanquam Pater, ad benefaciendũ enim promptissimus est, sicut Pater filiis suis. Et cum dicitur Paterfamilias, denotatur valdè peculiariter prouidentia, quam circa vnumquemq; nostrũ habet, vt Paterfamilias erga quẽlibet suæ familiæ. Vide suprà c.34.n.14. & 15. 6. Origen. Chryſoſt. *Dei amor in nos.*

Secundò Cum vineam ordinat homo, ac Pater dicitur ob humanitatem, ac pietatem. Homõ quidam. *Paterfamilias plantauit vineam.* Postea verò 7.

cum

eum de ratione exigenda agitur, Dominus nuncupatur. *Cum ergo venerit Dominus vineæ.* Primò nota, quod suum rigorem semel explicat sub Domini nomine, illi tamen duplicem opponit benignitatem, semel in homine, iterum in patrefamilias. Secundò ex hoc deprehende, quod qui Dei benignitatem, ac humanitatem spreuerit, in Dei iram, ac indignationem incidet. Tertiò fit ex hoc apertum, quod si in ipso Domino est pietas, & benignitas ad benefaciendum, est etiam ira, & rigor ad puniendum. Decantatur Christo Domino gloria, & dicitur. *Vincit Leo de tribu Iuda.* & statim subditur: *Et vidi: & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum.* Apoc. 5. n. 6. Ecce Christus Dominus, nec semper dicitur Agnus, nec semper Leo; sed Agnus & Leo pro diuersitate temporum, ac occasionum; Agnus mansuetudine, Leo rigore, ac fortitudine. Rupertus ibi. *Is*, ait, *qui per mansuetudinem, ac patientiam in sua passione Agnus erat: ipse consummata eadem passione mox tanquam catulus Leonis ad prædam ascendens infernum spoliauerat.*

In superiori sit lenitas, & rigor. — Apoc. 5. — Rupertus.

8. Animæ sanctæ inquiunt Virgines adolescentulæ: *Exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Cant. 1. n. 3. Quæ vltima verba sic transferunt septuaginta. *Diligamus vbera tua super vinum, rectitudo diligit te.* Origenes hom. 1. ex duabus: *Æquitas dilexit te.* Sed inquirendum est, in quo exultãt, & lætantur Virgines de ea, quia rectitudo, seu æquitas ipsam diligit, quid modo appatet in anima sancta, ob quod dicitur à rectitudine diligi? *Memores vberum tuorum super vinum.* In eo cõplacita, ac præiucunda æquitati, ac integritati, quia habet vbera, quæ sic lac effundunt, odorem tamen vini emittunt, In lacte denotatur pietas, ac benignitas; in vino verò significatur austeritas, & rigor. Vt ibi aduertunt Cassiodor. Iustus Orgilitanus, D Anselm. Aponius, Beda, & alij, ex eo inde eam rectitudo diligit, quia si habet benignitatem, simul etiam retinet austeritatem vini. Arnoldus Carnotensis tract. vltim. de verbis Domini in cruce, ad finem. *Oportet*, ait, *quippe, vt omnia, quæ agit moderatrix ratio, sic disponat, & sic suis locis aptet misericordiam, & iudicium: vt cum iudicat, feueritas non excludat clementiam; & cum miseretur, iustitiam pietas non relinquat.*

Cant. 3. — Septuaginta. Origen. — Rectitudo, misericordia, iustitia. — Cassiodor. Orgilitan. Anselm. Aponius. Beda. Oleaster.

9. Mandauit Deus in consecratione Sacerdotis, quod oleum sacrum, quo vngebatur, admistum esset cum sanguine. *Cúmque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron, & vestes eius, & filios, & vestimenta eorum.* Exod. 29. n. 20. Cur in oleo consecrationis Sacerdotum sanguis miscendus erat cum oleo, vt vtroque Aaron aspergeretur? Quæ mixtura non fiebat in oleo vnctionis regum: & quis vnquam vidit vnguentum fieri ex aromatibus & sanguine? Sicut oleum misericordiam significat, sic sanguis iustitiam, ac rigorem: iuxta illud Psal. 50. n. 16. *Libera me de sanguinibus.* Sub quibus iustitiam punitiuam intelligit Innocent. III. à qua postulat liberari. Sacerdos iudex erat præcipuè in his, quæ spectabant ad legem, templum, ac cultum Dei; magno ergo cum mysterio, sanguine, & oleo vngebatur summus Sacerdos, ac alij inferiores, quia in Sacerdote, ac prælato suæ Ecclesiæ non debet totum esse misericordia, vel totum esse iustitia, sed temperanda est vna cum alia, provt sapientia, ac prudentia dictat. Oleaster in c. 8. Le-

Exod. 29. — Psalm. 50. — Innocent. — *In Prælatus sit misericordia, & iustitia.* — Oleaster.

uitic. *Non debet in Sacerdote esse sine oleo sanguis; neque sine sanguine oleum: cum enim constitueretur populi iudex, non solum misereri, sed punire reos debebat, neque habere sine iustitia misericordiam, neque sine misericordia iustitiam.* Vide suprà cap. 15. n. 29. 30. 31. & c. 28. n. 60. & c. 29. n. 126. & sæpè aliis in locis.

QVÆSTIO I.

Quare Paterfamilias plantauit vineam cum sepe, torculari, ac turri?

VINEA hæc à Deo plantata est Synagoga, siue populus Israëlitieus, vt est communis vox Patrum, ac interpretum, & frequenter in Scriptura cum vinea assimilatur. Psalm. 79. n. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes*, scilicet Chananæos; *& plantasti eam* Isaiæ 5. n. 1. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei* Ierem. 2. n. 21. *Ego te plantaui vineam electam.* Plantauit autem eam, vt ait D. August. serm. 59. de verbis Domini, lege data in cordibus Iudæorum. Vel plantauit eam, cum ipsam in terra promissionis collocauit. Per vineam etiam moraliter Orig. hom. 19. D Anton. Vlyssippon. Feria 6. post Domin. 2. Quadrag. interpretantur regnum cælorum, scilicet Ecclesiam, dicitur infrà de hac vinea: *auferetur à vobis regnum Dei.* Palatius intelligit etiam animam.

16. — Psalm. 79. — Isai 5. Ierem. 2. — August. — Origen. Anton. Vlyss. — Palatius.

Plantatæ vineæ bonus Paterfamilias tria præstitit, sepem, torcular, & turrim; quo significatur ipsius ingens cura erga vineam, vt à malis esset custodita, magnos, ac præclaros fructus ederet. Quod sigillatim ostendo.

11.

Sepem circumdedit, ad litteram, vt interpretantur. D Hieronymus, D. Paschasius, significat vrbis murum, quo veluti sepe cingebatur. Murus, vt notat Abulensis, non solum inseruit ad custodiam, sed etiam diuidit ab aliis: vt anima valeat bonos fructus facere, debet esse segregata ab impiorum, ac infidelium commercio, & si murus rimas facit, hostibus ingressus præbet occasionem. Secundò D. Ambrosius in cap. 20. Luc. & Victor. Antioch. in Marc. 12. *Per sepem*, ait, *diuinam custodiam, cælestéque præsidium significat.* Tertiò. Euthymius, Theophylactus. *Sepes*, inquit, *lex est, non sinens eos gentibus misceri: vel Angeli custodes Israël.* Legis consideratio homines à peccatis refrænat, ac auertit. Quartò ait Theophylactus, Angeli custodes, seu, vt inquit D Hieronym. Angelorum auxilia: custodia enim Angelorum circumuallat vineam, ne fraudulentus serpens repat. Quintò. Glossa Interlineal. Sepes significat, ait, custodiam seu protectionem bellicosorum virorum, vt Dauidis, Machabæorum. Sextò. D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 40 *Sepem*, ait, *esse custodiam patrum iustorum, qui tanquam murus facti sunt populo Israël.* Intercessio iustorum maximè custodit, & munit. Septimò S. Thom. ait sepem esse Sacram Scripturam, qua tanquam forti munitione vallati sumus ab incursu inimicorum. Octauò. D. Hilar. *Deus*, inquit, *populum Israël sanctificatione paterni nominis, id est nobilitate Abrahæ, Isaac, & Iacob, inter fines suos, tanquam sepe aliquo custodiæ peculiaris includit:* Ac si nulla maiori vi populus coërcendus foret, quàm suorum malorum obiecta

12. — Hieron. Paschas. — *Quid sepes significet.* — Abulens. Hieron. Paschas. — Ambros. Victor. — Euthym. Theophyl. — Hieron. — Interlin. — Chrysost. — D. Thom. — Hilar. — *Nobilitas maiorum coercet.*

nobilitate, hæc enim maximè reptimit viros ingenuos, ne ab eis degenerare videantur.

13. *Torcular.* Secundò. *Fodit in ea torcular*, seu vt habet D. Marcus, *Fodit in ea lacum*: illum scilicet, in quem vinum fluit expressis vuis. Vinea enim, cum magna esset, vt ait Abulensis, constructum est in ea torcular, in quo vuæ torquerentur, & exprimeretur vinum. Moraliter Origenes, S. Hieronym. Beda, Theophyl. Euthymius in Matth. & Victor. Antioch. in Marc. dicunt torcular indicare altare holocaustrorum; quia in illo altari, sanguis, qui similis est vino, fundebatur. Vult Deus sibi offerri sacrificia, eisque maximè delectatur. Secundò D. Hieronym. per torcular intelligit Martyres, vnde Psalm. 8. & 80. & 83. inscribuntur in titulo. *Pro torcularibus*, id est pro Martyribus. Illis enim maximè decoratur, crescit, ac munitur vinea Ecclesiæ. Tertiò. D. Hilar. Chrysostomus in Imperfecto. 40. per torcular prophetas intelligunt, *ex quibus quasi ex torcularibus gratia spiritus sancti decurrebat vt mustum.*

Abulens. *Origen.* *Hieron.* *Beda* *Theophyl.* *Euthym.* *Antioch.* *Hieron. Psal. 8.* *Hilar.* *Chrysost.*

14. *Turrim.* Tertiò. *Ædificauit turrim.* Tam ad habitaculum agricolarum, quàm ad defensionem vineæ, ac ad speculandum aduersariorum aduentum. Moraliter Origenes homil. 19. in Matth. N. D. Cyrillus lib. 2. de recta fide ad Reg. & in præsenti D. Hieronymus, Beda, Theophylactus, Euthym. Rupertus, & Victor Antioch. in Marc. Turrim, templum significare existimant; vt enim vinea esset fortissima ac fructifera, magnique prouentus in ea fierent, in ea ædificauit templum, ex cuius religione omnium bonorum fontes redundant. Secundò. D. Hilarius. Auctor Imperfectus citatus; per turrim denotat *Legis fiduciam, & altitudinem, ex qua Sacerdotes Christum venturum specularentur.* Tertiò. Origenes etiam citatus, ait. *Turrim autem ædificatam in ea existimo verbum esse de ipso Deo*, Verbum enim Dei habetur pro turri, quæ protegit, ac conseruat vineam, de solo enim Dei verbo potest venire, quod res aliqua subsistat à perditione immunis.

Origen. Cyrill Hieron. Beda. Theophyl. Euthym. *Hilar. Imperfect.* *Origenes.*

15. *Custos.* *Ædificauit turrim.* Cum vinea haberet multos aduersarios, prouidus Paterfamilias constituit in ea turrim ad speculandum aduersariorum aduentum, ne venenosus serpens irrepserit, ne crudelis leo, qui vigilans circuit, quærens quem deuoret, haberet ingressum Dicebat Sponsa. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cantic. 5. num. 2. Cur illi tam crebra vigilia, vt etiam in noctibus, quando omnes mortales requiescunt, non vult dilecta claudere lumina in soporem, seu per solicitudinem excubit? Constituta erat ipsa custos in vineis, quas innumeri hostes ambiebant, ne ergo ex inimicorum insidiis aliquod nocumentum vineæ paterentur, ideo præ solicitudine sic dormit, vt simul vigilet. Theodoret. *Ego dormio, & cor meum vigilat, quamuis enim, ait, à natura cogar oculos claudere, & somnum capere, mente tamen vigilo, & ignauiæ somnum minimè suscipio.*

Qui habet curam aliorum sit vigilans insomnis. Theodor.

16. *Esdr. 2.* Cum sub Nehemia Israëlitæ Ierosolymorum vrbem restaurarent, qui operabatur, *Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium, ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes.* Esdræ 2. cap. 4. num. 18. Cum eadem ciuitas sub Dauid, vel Salomone extrueretur, non erat talis apparatus armorum in operantibus, vt notat Beda. *Non prætereundum*, ait, *quia cum Dauid, Salomon eandem ciuitatem ædificarent, nil de armatis structoribus, vel aduersariis impugnantibus refertur.* Vnde tanta differentia, quod sub Nehemia operatij erant simul gladio instructi ad bellum, non vero sub illis regibus? Temporibus Dauidis, ac Salomonis nullus hostilis imminebat incursus, sed omnia sub pace secura erant. At verò sub Nehemia multum erat periculum, vt inimici de improuiso structores murorum aggrederentur, inde expediebat, vt vna manu opus facerent, & altera gladios tenerent. Cum enim hostilis aduentus timetur, nulla securitas, nulla requies danda est, sed omnia vt insidiis referta timeantur, & ideo omni solicitudine debemus esse prompti, & expediti ad bellum. Beda citato loco. *Notandum enim*, ait, *quia non solum pars inuenum media faciebat opus, & pars media parata erat ad bellum, sed iidem ipsi, qui faciebant opus inuenes, gladio erant accincti: tanta námque versutia hostis antiqui, tantus furor malitiæ eius contra Ecclesiam dimicantis, vt & ipse Dei populus semper aduersus machinas illius vigilare, & velut in acie debeat stare.*

Esdr. 2. *Beda.* *Cum aduersarius timetur, maximè est vigilandum.* *Beda.*

17. Postquam Christus Dominus in horto orauit ad Patrem, reuersus ad Discipulos suos inuenit eos dormientes. Tunc dixit Petro. *Sic non potuisti vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. num. 40. Cum ait, *vigilare mecum*, vox plena reprehensionis est. D. Chrysostomus. *Omnium*, ait, *infirmitatem arguit, quod neque simul cum eo potuerint vigilare.* In quo subtiliter inest grauis reprehensio. Cum ait *vigilare mecum?* Inter Christum, & Discipulos magnum erat discrimen. Christus Dominus superior omni dæmonis tentatione de se locutus ait. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Ioan. 14. num. 30. Quid enim in eo potuit reperire, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, in cuius ore non est inuentus dolus? At discipuli modo subiecti Satanæ tentationibus, & labi poterant, vnde de illius insidiis monens Dominus Petrum ait. *Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Lucæ 22. num. 31. cribraret, hoc est, vt explicant Euthymius, ac alij, postulauit vos, vt tentationibus concuteret, ac perturbaret, & à fide amoueret: Ecce grandis reprehensio. *Non potuistis vna hora vigilare mecum.* Ac si dicat Dominus, cum mihi nullum immineat discrimen à Satana (nam vitam corporis dare, hoc libenter accipio, cum sit mei Patris præceptum) nullus enim Dæmonum terror me occupat, & tamen soleter depulso somno vigilo, & Patrem oro. Quanto magis vos, quos Satanas valet superare, & summopere nititur à sanctitate, ac iustitia spoliare, sub iugoque suo premere, Idebetis vigilare? Nam & si mille noctibus vigilandum esset, opportebat naturam vincere, & oculos non claudere, quanto magis breuissimo vnius horæ interuallo? *Non potuistis mecum vigilare*: sed me vigilante, in vtramque autem requiescitis, tanquam de hostibus nullus sit timor. O indebita securitas, ô inanis fiducia & futurorum misera ignorantia.

Matth. 26. *Chrysost.* *Ioan. 14.* *Luc 22.* *Euthym.* *Quibus periculum imminet, vigilandum.*

* * *

QVÆSTIO III.

Quare Paterfamilias vineam suam locauit agricolis?

18. *Plantauit vineam non sibi, sed nobis.*

PATERFAMILIAS vineam agricolis, non dedit, nec gratis concessit, nec à se alienauit; sed locauit, pacto inito, vt certam fructuum portionem ei tempore suo darent: & nota magnam Domini clementiam. Ipse solus vineam plantauit, & tamen fruendam aliis tradidit. Ipse vineam plantauit non sibi, sed nobis. Creauit Deus terram, & mare: *Vocauit Deus aridã terram, congregationesque aquarum appellauit maria, & vidit Deus quod bonum esset*, Genes. 1. n. 10.

Gen. 1. Basil. Bonum, ait D Basilius homil. 4. in Hexam. *Non sibi, sed nobis.* Quorum vtilitatem, ac commoditatem, latè describit D. Eustach. in Comment. ex fructibus, & aliis prouentibus. Ad quæstionem.

19. Primò respondeo. Vineam locauit agricolis, non vt otio indulgerent, non vt de fructibus vineæ comederent, nec vt de dulcedine vuæ gustarent, & biberent; sed vt in ea laborarent, ac operarentur, ideo eis imposuit vt fructuum tempore certam eorum portionem redderent: *Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, vt operaretur, & custodiret illud*,

Gen. 2. Gen. 2. n. 16. Si enim dona nobis concessa non excolantur, syluescunt. Ideo anima rectè comparatur vineæ, nam vt ait D. Anton. Vlyssip. Feria 6. post. Domin. 2. Quadrag. *Inter omnia ligna, vinea statim efficitur syluestris, si non colitur.* Vnde ait Sapiens: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineã viri stulti, & ecce totum repleuerant vrtica, & operuerunt superficiem eius spina.* Prouerb. 23. n. 30. Vnd. tot inutiles herbæ in agro? Erat hominis pigri, qui non labori, sed otio se dabat, nisi enim homo cooperetur Dei gratiæ, gratiam vacuam efficiet Vnde hos colonos vineæ arguit

Chrysost. D. Chrysost. hom. 68. *Expende autem*, ait, *& prouidentiam eius ineffabilem, & otiositatem inauditam istorum; plura enim ipse agricolarum opera fecit, maceriam circumposuit, vineam plantauit, & reliqua omnia præstitit, & parum quid ipsis reliquit, vt scilicet plantare iam vineæ curam habentes, quæ data fuerunt, conseruarent. Nihil tamen isti ex prouidentia Dei tot, tantaque bona, lucrati sunt.* Ideo ex otio, ac desidia, in tot mala sunt prolapsi.

Dei gratia conseruandam.

Bona concessa si non excolãtur, syluescũt Anton Vlyss. Prouerb. 23.

20. *Prælati Ecclesiarum, sciant bona non esse eis data, sed locata.*

Secundò. Per hos colonos vineæ multi interpretes intelligunt Sacerdotes, ac Pastores Ecclesiarum, vt fiat documentum, quod bona Ecclesiarum eis non dantur, sed locantur, & quod censum debeant pendere, non propriæ cognationi, aut negotiosæ ambitioni, sed Deo, siue eius templo, seu Dei pauperibus. Vide suprà cap. 5. n. 16. 17. & 18. & eodem cap. 5. n. 14. 141. & 142. Vid. tom. 1. 2. ac 3 Verbo *Ecclesiasticus*.

21. *Princeps dat alienam a ministris, ne ipsi rapiant.*

Tertiò, Bonus Princeps ac Paterfamilias suis consulit, dátque eis vineas, & agros excolendos, vt habeant, vnde comedant, ac alimententur, ne rapto cogantur viuere; qui suis ministris, ac famulis non dat, vnde alimenta capiant, eos furto, ac rapinis exponit. Vnde dicebat Theodoricus

Theodor. l. 1. Epistol. 19. *Indigentia seruorum, Domini depopulatio.*

22. Inter omnes Reges, ac Principes, qui in sacro textu scribuntur, valde eminet Rex Salomon in suis famulis, ministris, ac operatiis prouidendis. 3. Reg. 4. n. 22. & cap. 5. n. 11. & 12. & 2. Paralip. 9. n. 45. Vnde de Regia nSaba refertur: *Videns autem Regina Saba sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, vestesq; eorum, & pincernas*, &c. *Non habebat vltra spiritum*, 3. Reg. 10. n. 4.

2. Paral. 9. 3. Reg. 4. *Rex det ministris, ne ipsi fiant reipublica latrones.*

Cur inter omnes Reges Salomon tanta cura, ac solicitudine se habet in prouidendis suis ministris, ac famulis de cibo, vestitu, ac domo? Salomon inter cæteros Principes extitit sapientissimus, vnde tam prouidus, ac solicitus, vt suis, quæ ad cibum, & potum spectabant, suppeditaret? Nouerat sapiens Rex, quod si Regalibus ministris congrua, ac necessaria stipendia non præbentur, ab ipsis subripienda esse non solum necessaria, sed etiam superflua pro luxu, ac deliciis, ne ergo ministri fures fierent, ille eis prouidit sufficienter pro alimentis.

23. Exhortatur Paul. Rom. 13. n. 5. *Ideo enim tributa præstatis: ministri enim Dei sunt*, cur cum

Rom. 13. mandat Regibus, ac superioribus tributa dare, ait Dei esse ministros? D. Hieron. *Ministros autem*

Hieron. *Dei illos appellat: vt sic eis reddant, quod eis debebat.* Ideo inducit vt vectigalia illis soluant, quia sunt Dei ministri, nam hi patienter sustinent, & expectant, vt alimenta accipiant, vt viuant, & comedant; Diaboli autem ministri longè sunt ab hac patientia, non quiescunt, vt accipiant, sed ipsi toti intenti sunt, vt furentur, & subripiant, vnde abundanter, ac deliciosè viuant, & epulentur.

QVÆSTIO IV.

Quare Paterfamilias plantatam vineam locauit agricolis, multis nempe, & non vni, vt de vinea apud Isaiam legitur?

24. *Difficultas quæstionis.*

PATERFAMILIAS non vineas, sed vineam plantauit. Vinea enim hæc Ecclesiam significat, quæ vna est, ob vnum caput Iesum Christũ, ob vnam fidem, ac doctrinam, obque etiam ipsam vnitatem, ac concordiam iustorũ inter se: quæstio præsens est in nostro Euangelio. Vinea dicitur locata agricolis in plurali, at vinea à Deo plantata, de qua facit mentionem Isai 5. num. 1. dicitur vni tantum data: *Vinea*, ait, *facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepiuit eam, & lapides eiecit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Ecce in Euangelio vinea dicitur multis data, in Propheta verò vni tradita: *Dilecto meo.*

Isai. 5.

25. Origenes. *Differentia inter vtramque vineam*

Pro solutione huius quæstionis nota ex Origene homil. 19. differentiam, quæ militat inter vineam Isaiæ, ac Matth. Nã vinea Isaiæ significat regnum temporale, vinea verò Matthæi regnum Dei, seu mysteria regni Dei; sic ait Orig. De vinea Synagogæ, ait Ieremias: *Ego plantaui te vineam fructiferam, quomodo conuersa es in amaritudinem vineæ alienæ? Vides quoniam in prophetis, populus Iudaicus vinea appellatur, & cõminatio Patris familias contra vineam fit: In Euangelio autem omninò vinea non culpatur: sed eius coloni.* Dicitur enim *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Et subdit ipse Origenes, *quod enim dicit, Tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius, manifestè, sicut arbitror,*

demonstrat mysteria regni Dei vineam esse, scilicet Legem, Prophetas, & omnes diuinas Scripturas.

26. *Bona temporalia, exigua, cœlestia ampla.*

Ex quo iam patet solutio ad quæstionem. Vinea Prophetæ regnum temporale, vinea Euangelij regnum Dei, ideo illa vni tantum est data, hæc verò multis. Temporalia enim bona valde parua, ac angusta sunt, & si ab vno tenentur, non possunt ad alios se extendere, ac deriuare, sine damno, ac diminutione primi possessoris: at verò bona spiritualia regni Dei, valdé ampla sunt, & si à multis obtineantur, omnes adimplent, ita vt à singulis tota absque alicuius præiudicio ac offensione habeant. Vide *Temporalia bona*, in Indice.

27. Cantic. 1.

Secundò. Paterfamilias plantauit vineam, & multis agricolis locauit; In Canticis verò 1. n. 6. multæ vineæ vni sponsæ committuntur, *Posuerunt me custodem in vineis.* In Euangelio vinea est regnum Dei, quod etiam denotatur in Cant. vt dicunt Origenes homil. 2. ex duabus, D. Ambros. serm. 2. in Psalm. 118. D. Gregor. homil. 17. in Euang. Theodoret. Beda, & Bernard. serm. 30. in Cantica, de eo Præsule interpretatur, ait: *Qui coactus à fratribus sit, vt curam susciperet animarum aliarum.* Ecce in Euangelio vinea multis datur, in Canticis verò, vni tantum committitur; Cœlestia enim dona regni Dei sic multis indefectibiliter communicantur, ac si omnia illa ad vnum solum pertinerent, & sic singuli vniuersa illa possident, ac habent, veluti si multi, & innumerabiles possiderent, ac haberent. Vnde cum datur multis, dicitur vinea, *Plantauit vineam*, & locauit agricolis, cum verò vni committitur, vineæ appellantur, *posuerunt me custodem in vineis*, hæc enim spiritualis vinea tam sufficiens, ac abundans est ad multos replendos, ac saturandos, veluti multæ vineæ vnum valent implere, ac satiare.

Origen. Ambros. Gregor. Theodor. Beda Bernard.

Bona cœlestia sui communicatione non minuuntur.

28. Exod. 3.

Ait Deus Moysi Exod. 3. n. 15. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, ac Deus Iacob.* Maximè notandum est, quod non dicitur, Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, sed pro vnoquoque repetitur particula *Deus*; vt patet ex textu: Ita enim Deus est omnium, ac si vniuscuiusque esset Deus tantum; ideo repetitur nomen, Deus. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac*, &c. Vt euidens fiat, quod ita erat Deus illorum, vt ab vnoquoque singulari totus Deus haberetur. Origenes homil. 22. in Matth. *Non dixit*, ait, *Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, sed Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Abraham totum habebat Deum, Isaac totum habebat Deum, & Iacob totum habebat Deum; ideo non dicitur in commune Deus eorum, quasi singuli eorum totum habeant Deum.* Vide suprà c. 27. n. 195.

Bona cœlestia sic communicantur, vt tota vnicuique.

Origen.

Matth. 21. num 35. Et agricolæ, apprehensis seruis eius alium cecideruntalium occiderunt, alium verò lapidauerunt.

Num. 36. Iterum autem misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

Num. 37. Nouissime autem misit filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

VERSIONES.

Syriacus n. 35. Et apprehenderunt agricolæ seruos eius, & alium quidem percusserunt, alium lapidibus obruerunt, alium denique trucidauerunt.

Tertull. aduersus Iudæos. cap. 13. At illi alios lapidauerunt, alios fugauerunt, plures verò ad mortis necem tradiderunt.

Arias n. 36. Legauit alios seruos.

Vatablus. Iterum emisit alios seruos, & tractauerunt illos similiter.

Syriacus n. 37. Misit ad eos filium suum, quum diceret: Iam erubescent propter filium meum.

D. Chrysost. homil. 69. Fortè reuerebuntur filium meum.

ALTER TEXTVS.

Marci 12. n. 4. Et iterum misit ad illos alium seruum: & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.

Num. 5. Et rursum alium misit, & illum occiderunt, & plures alios: quosdam cædentes, alios verò occidentes.

Num. 6. Adhuc ergo vnum habens filium charissimum: & illum misit ad eos nouissimum, dicēs: Quia reuerebuntur filium meum.

Luc. 20. n. 11. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiserunt inanem.

Num. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt.

Num 13. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: forsitan cùm hunc viderint, verebuntur.

EXPOSITIO II.

29. *Et agricolæ apprehensis seruis eius.* Qui admonuerunt colonos de reddendis fructibus, quorum causa erant missi, non solum eos non audierunt, sed insuper contumeliis, vulneribus, ac morte affecerunt. *Alium occiderunt,*

ceciderunt, seu percussérunt, verberibus, vt Ieremiam 20.num.2. Sedecias, Michæam 3. Reg 22. n.24.alium occiderunt, vt Isaiam; alium lapidauerunt, vt Ioas Zachariam filium Ioiadæ. 2. Paral. 24.n.21.22. Ac proinde ex his, qui fuerunt missi hac prima vice, vt probabilius videtur Abulensi.q.182.quidam fuerunt percussi, quidam occisi, quidam lapidati. D.Marcus, & Lucas primò dicunt vnum seruum missum, deinde alium, postea alium. D.Matth.refert multos seruos missos. Iterum *misit alios plures prioribus*. Quoniam illum, quem Marcus, & Lucas dicunt missum, tanquam primum, ac præcipuum legatum, alij serui comitabantur.

Ieremi.20. 3.Reg.22. 2. Paral.24. Abulens.

30. *Iterum misit alios seruos.* Semper Deus delegauit ad populum suum multos Prophetas, prædicatores,ac monitores ad eum reducendum ad salutis viam. Et maximè expendenda est horum seruorum fidelitas, ac obedientia in Dominum suum, qui cùm compertum haberent primos seruos ab agricolis crudeliter cæsos,ac occisos fuisse;cùm tamen mittuntur nil dubitant, nec contradicunt, quamuis se videant ad immanissimos vineæ colonos destinari, parati erant pro Domini obsequio vitam fundere.

Fidelis seruus aliorum morte non deterretur.

31. *Nouissimè autem.* Cùm venit plenitudo temporis; *Misit*, per Incarnationem; *ad eos*, ad populum Israël, *filium suum*, vt scribit D.Marcus, *filium suum charissimum*; Ecce infinita Dei bonitas, quæ tot iniurijs,ac opprobriis non cessat à suis beneficiis largiendis, de quo infra, dicens, *verebuntur filium meum.* Nam etsi contempserint seruos meos, videntes tamen filium meum, qui propriùs refert meam personam erubescent negare pactum initum de fructibus vineæ. D. Lucas scribit, *Forsitam cum hunc viderint, verebuntur.*

QVÆSTIO V.

Quare Agricolæ insurgunt in seruos Domini sui, ipsosque percusserunt, ac occiderunt?

32. AGRICOLÆ videntes seruos Patrisfamilias, & ipsos percusserunt, ac occiderunt, tum ne debitos fructus vineæ darent, tum etiam ne à vinea amouerentur, inde in tantum malum præcipitantur, vt Domini seruos morte afficiant,cum iniuria illata seruis irrogata sit proprio Domino,à quo liberalissimè vinea fuerat accepta, sed auri sacra fames omne ius violat, ac prophanat.

Auri cupiditas omne ius violat.

33. Respondeo.Primò ad quæstionem. Quod agricolæ percusserunt,& occiderunt seruos,qui missi fuerant a Domino ad recipiendos fructus vineæ, nam agricolæ cum essent latrones,ac dissipassent bona vineæ, vt ait D.Anton Vlyssip feria 6. post Dominic 2. non habebant, vnde redderent fructus Domino debitos; nam quæ quis rapit nunquam possidet,& quæ rapina comparantur, facili casu habuntur; Eleganter Seneca epistol. 90. *Cum auaritia seducere aliquid cupit,atque in suum vertere, omnia facit aliena, & in angustum ex immenso reducta paupertate intulit, & multa concupiscendò omnia amisit.* Benedicens Iacob Beniamin ait illi Gen.49.n.22. *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Si tanquam lupus rapuit, quomodo ex iis, quæ rapta sunt,mane comedens, ad vesperam statim, quæ supersunt, diuidit,spargit, ac deponit? Quomodo ad longum tempus ea sibi non reseruat, ac retinet? nunquid tam regij animi est lupus, vt cum tanta liberalitate diuidat, ac distribuat spolia? si lupus rapax, & manè comedit prædam, quam rapuit, cur & vespere cum illa non gaudet? Erat lupus rapax, & quæ acquisierat, raptu fuerant cõparata, & hæc non valent perdurare,sed breui horarum spatio labuntur, ac deponuntur. Oleaster. *Ad vesperam diuidet*, ait, *quia commune est, vt raptores breui tempore possideant, qua rapiunt.*

Anton. *Bona furto comparata, citò labuntur.* Senec. Genes.49. Oleaster.

34. Secundò,Latrones erant agricolæ, ac proinde seruos Domini sui occidunt: inseparabili fœdere homicidium, & furtum coniunguntur. Cùm Iezabel cogitat rapere vineam Naboth, statim illius necem crudeliter perpetrari mandat, non enim homicidium à furto secerni poterat.3.Reg. 21.n.9. Graues minas aduersus ciuitatem Niniuem prædicit Propheta,Nahum.3.n.1. *Væ*,ait, *ciuitas sanguinum non recedet à te rapina.* Cùm in ciuitate esset rapina, quid inde in ea consequens erat, nisi homicidium? non enim furtum ab homicidio separatur, qui enim vnam manum habet occupatam cum rapina, alteram ad cædes agendas extendit.Rupertus. *Non recedet*,ait,*eà te rapina, id est, non remitteretur tibi rapacitatis culpa, qua tibi malorum omnium radix fuit, & causa homicidiorum, propter qua ciuitas sanguinum vocaberis.*

3 Reg.21. *Furtum, & homicidium coniunctum.* Nahum 3. Rupert.

35. Tertiò, Agricolæ occidunt seruos,ne à vinea ac illius agricultura expellantur: cogitant illi se perpetuare in munere,ideo necem, ac iniurias in seruos moliuntur. Quodnam medium eligit Saul pro se,ac in prosapia sua, vt in regno firmaretur, ne ab illius corona deturbaretur, multas intentat iniurias, ac persecutiones, quas crudeliter in Dauidem extorquet;vndè dicebat ille ad Ionatham filium suum, *Omnibus diebus,quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam nunc mitte,& adduc eum ad me, quia filius mortis est.* 1. Reg.20.num.31. Saul cum esset iniquus,iniquitate,ac iniustitia vult suum regnum conseruare,sed sua iniquitate ruit regnum perdidit, ac vitam amisit.

Iniustitia volunt se tueri, iniustitia vinæ amittit. 1.Reg.20.

36. Si agricolæ cogitassent sui muneris finem, & officium excolendæ vineæ non esse perpetuum, caute se gererent,& valdè benignè reciperent seruos domini sui. Nam vt eleganter ait D. Ambr. lib.5. Hexamer. cap. 15. *Erat olim*,ait, *pulcherrimus rerum status,nec insolescebat quisque perenna potestate. Nemo audebat alium seruitio premere,cuius sibi successuri in honorem,multa forent subeunda fastidia.* Continentur maximè in officio potestates humanæ, cum ad muneris respiciunt finem, & successoris districtionem possunt metuere.

Ambros. *Cogitet quilibet in suo officio, illius finem.*

37. Creatur Moyses à Deo dux, & gubernator totius populi, & virga data quam tenebat in manu,ait ei Deus. *Proijce eam in terram.* Exod.4. num.3. Si eum Domine instituis principem, ac ducem totius populi, ad quid mandas ei vt virgam deponat, ac proiiciat? Nam magistratibus datur pro iurisdictionis, ac potestatis nota: ergo cùm Moyses totius Israëlis princeps eligitur, si in manu virgam non haberet,præcipiendum erat ei, vt illam assumeret, ad quid præcipitur ei vt illam proiiciat? O magnum omnibus magistratibus documentum! Cum creatur dux totius populi, simul ei mandatur, vt virgam abiiciat, sciatque non multum fidendum esse suo muneri, suæque potestati; nam aliquando ipsa eius virga de-

Exod.4.

Prælatus sic fungatur suo officio, vt sciat illud non esse perpetuum.

ponenda, nec ſemper habenda eſt in manu, ſed breui abiicienda; ex quo monebat magiſtratus

Nazianz. D.Gregor.Nazianz. orat.27. *Aulici placeres, ac ſublimioribus thronis, & dignitatibus inſignes ne ob potentiam magnopere animos efferatis, ne de mortalibus rebus, tanquam de immortalibus cogitetis.* Expende illud: *tanquam de immortalibus cogitetis.*

38. Adhuc inſiſto in eadem virga: ad Moyſem *Dixit Dominus, extende manum tuam, & apprehende caudam eius, extendit, & tenuit, & verſa eſt in*

Exod 4. *virgam.* Exod.4.n.4. Virga inſigne poteſtatis, cur nouo principi electo præcipit Deus apprehendere caudam, ſeu illius extremitatem, cur non potius caput, vel medium? vt denotaretur, quod Prin-

Cogitet Prelatus ſui muneris finem. ceps, ſeu gubernator denuò inſtitutus ſic apprehendat virgam iuriſdictionis, vt illius extremitatem; ac finem conſideret; ſicque ad virgam extendat manum, vt intelligat, quod aliquando ad

Maximus. metam, ac illius finem deueniet. D.Maxim. ſerm. 9. de magiſtrat. *Principem*, ait, *trium meminiſſe oportet: primum ſe hominibus imperare: alterum ex legibus imperare debere: tertium, ſe non ſemper imperaturum.*

QVÆSTIO VI.

Quare nullus ex agricolis tantæ iniquitati aduerſatur, ſed omnes conueniunt ad occidendos ſeruos Domini ſui?

39. MAGNA extitit iniquitas agricolarum, qui videntes ſeruos Domini ſui, alios verberarunt, alios interfecerunt, alióſque lapidibus obruerunt. Cur non eſt aliquis ex agricolis, qui

Si lucrum appareat, omnes iniquitati conſentiunt. tanto facinori reſiſtat, ac aduerſetur? omnium lucrum, ac emolumentum in hac re videbatur interuenire, & ideo omnes conſentiunt, & nullus eſt, qui contradicat.

40. Cùm fratres videntes Ioſeph, ipſum cogitant interficere, *Venite occidamus eum.* Gen. 37. n. 20. vnus eis ſe opponit Ruben, dicens: *Non interficiatis animam eius, nec effundatis eius ſanguinem;*

Gen. 19. *Ex proprio lucro venditur à fratribus Ioſeph.* at verò cùm ſermo eſt de venditione in Ægyptũ, omnes conſentiunt, & nullus eſt, qui repugnet, *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaelitis.* Ibidem n. 28. In nece contradicit Ruben, cur etiam in venditione non eſt alius, qui ſe opponat? In venditione omnium erat lucrum, pecuniaque ex illa accepta per omnes diuidenda erat, & hæc obturat os, ligatque manus, ne aliquid fiat, vel dicatur auto comparando repugnãs.

41. Secundò Agricolæ cùm vidiſſent vineam ſuæ curæ, ac iuriſdictioni traditam, ſe dominos illius exiſtimabant, & ideo tam ſeueriſſimè ſe gerunt

Homo auidus vt ſuam iuriſdictionem ac poteſtatem dilatet. aduerſus ſeruos Domini ſui. Maximè agricolarum feruet ardor, ne ipſi à ſuo loco deturbentur, & alius in eum introducatur. Quid non faciat homo, vt inuaſorem ſuæ poteſtatis retundat, néve aliquid ſui muneris deperdat? cùm vniuſcuiuſque ingenium ſit ſuam dignitatẽ amplificare, & toris viribus intendere, ne in aliquo minuatur.

42. Fortiſſimus dux Ioſue pugnabat contra Amorrhæos, qui Iſraëlitarum impetum ferre impotes, terga vertunt, magnóque conatu inſequuntur Iſraëlitæ, ſed cùm ſol vergeret ad occaſum, veretur Ioſue ne tenebroſa nox felicem victoriæ curſum perturbet, ac impediat: generoſa voce cæli-

tibus luminaribus ſic imperat. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon: ſteterunt que Sol, & Luna donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Ioſue 10.n.12. Quod magnus dux ſolis lucem exoptet, res eſt facilis intellectu, ſed

Ioſue 10. ad quid lunam auxiliarem vocat ſtante ſole, cuius luce longior fiebat dies, ad quid vltra requiritur luna: Deus creauit hæc duo luminaria; *Sol vt præeſſet diei, & Luna vt præeſſet nocti.* Gen.1.n.16. Vt ergo longior fieret dies, ſol vltra ſuam ditionem, in Lunæ ditionem, in noctis nempe ſpatium,

Inuocatur Luna, ne diutè ferat Solem ſe intromittere in ſpatium ſuæ iuriſdictionis. debuit ſe extendere: vt ergo Luna in iuriſdictionis negotio, ne multum durè ferat, alteri præſidi cedere, ideo illam auxiliarem aduocat, illique de victoriæ gloria adulatur, dum illam tanti triũphi participem facit, vt iuriſdictionis ſuæ iuri tantiſper cedat. Vide ſupra cap.36.num.17.&.18.

Gen.1.

QVÆSTIO VII.

Quare poſt tot ſeruos occiſos Pater mittit filium ſuum, dicens: Verebuntur filium meum?

43. IN limine quæſtionis tria in hoc excellentiſſimo Patre, triaque in hoc illuſtriſſimo filio noto. Et primò in Patre. Quia quamuis ei tot iniuriæ eſſent irrogatæ in ſuis ſeruis,

Nec ſemper vnus caſus præſagium eſt alterius. ſemper in agricolas maiora beneficia parat: Mittens nunc filium ſuum. Secundò ſemel, & iterum res malè ceſſit, & tamen non deſtitit à propoſito, quod ſemel intentauerat. Tertiò. Iniurias, quas intulerunt agricolæ in ſuos ſeruos diſſimulat; nec ſemper vnus caſus ſiniſter alterius deteriotis eſt præſagium.

44. In filio primò noto. Poterat ille obiicere Patri: Seruos tuos immaniſſimè interfecerũt agricolæ, nec mihi parcent: nihil eorum opponit, ſed illicò deſcendit, ac venit Patri obediens, & hominibus ſuccurrens. Secundò. Præclara filij generoſitas, ſerui prius miſſi fuerant, & tamen filius cùm eſſet tantarum rerum hæres, non grauatur, nec dedignatur obire officium, ac fungi legatione priùs à ſeruis præſtita, ac facta. Tertiò. Venit filius non tam quærens fructum ab agricolis, ſed potius vt pro illis ſoluetet, ac ſatisfaceret, vt ait Chryſoſtomus citandus. Ad quæſtionem.

Chryſoſt. 45. Primò. Reſpondet D.Chryſoſt. in Imperfecto, homil. 40. poſt medium. *Dei miſericordia quanto magis à Iudais offendebatur, tanto amplius addebatur in eis: miſit paucos ſeruos; quibus occiſis addit bonitatem, cum debuiſſet iraſci, & miſit plures; Item pluribus interfectis, accumulauit bonitatem, & miſit filium ſuum, & hunc non quaſi, ad obnoxios pœna ſententiam baiulantem, ſed patientia veniam,* forte verebuntur filium meum. *Ergo miſit confundere illos, non autem punire.* Pondera ſequentia verba. *Nam pro tantis, benigno Domino ſufficiebat ſola vindicta pudoris.* Bonus Paterfamilias pro fructibus vineæ reddendis, illud vnum volebat ante omnia ab agricolis, vt ad conſpectum filij rubore ſuffunderetur. *Verebuntur filium meũ:* pro multis virtutum fructibus, quos agricolæ tenebantur reddere Domino ſuo, illius primitias ſaltem volebat Paterfamilias, nempe pudorem, neque enim deſperari poterat de reliquis fructibus reddendis in eis, qui primitias per pudorem

Verecundia exordia virtutum eſt.

offere

offerebant. *Nam pro tantis benigno Domino sufficiebas sola vindicta pudoris.*

46. Vnde eleganter ait D. Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel, c. 5. *Quanta pudoris gratia, vt iustitiam teneat verecundia, quam culpa reatus abstuleris.* Scribens Paulus ad Rom. 6. num. 21. ait. *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* In quo maximè notandæ veniunt illæ particulæ, *Tunc*, & *Nunc*; illa enim prior statũ peccati indicat, posterior resipiscentiam significat. Cur tamen cum Apostolus ponit recipiscentiam, erubescentiæ tantum meminit? Cur non potius pœnitentiam, vel dolorem exprimit? Scribit primum gradum conuersionis scilicet pudorem, cætera sub ipso intelligens. D. Anselm. *In illis* ait, *vitiorum actibus nunc cum sana mentis estis sana etenim mens erubescentiam præbet ad mala, verecundiamque testem sua pœnitudinis profert.*

Ambros. Rom. 6. Primus gradus ad virtutes verecundia. Anselm.

47. Secundò. Filius erat hæres vineæ, ac proindè illius tanquam Dominus. Mittit ergo Paterfamilias, dicens: *Verebuntur filium meum*, præsumens, quod ex aspectu, ac intuitu filij reprimerentur, ac cohiberentur agricolæ à malitia, ac nequitia sua, oculus enim Domini frænum est domesticis, ac seruis suis. Philo lib. de Caio: *Nam*, ait, *si præceptorum, aut magistratuum, aut parentum aspectus monet ad reuerentiam, ac modestiam, suaque præsentia vitam, & mores corrigit; quantum putamus ad honestatem, ac virtutum contingere præsidium animæ, si Deum aspectare didicerit.*

Oculus Domini frænum est domesticis. Philo.

48. Ex alio afflatu instituit Moyses, vt iudices ad ostium tabernaculi sedentes ius dicerent, & causas populi determinarent, vt rectè probant lites mulierum de hæreditate adeunda. *Quæ quidem steterunt coram Moyse, & Eleazaro Sacerdote, cunctisque principibus populi ad ostium tabernaculi.* Numer. 27. num. 2. Cur Moyses voluit vt ostium tabernaculi esset iudicij sedes, cum ipsum tabernaculum esset locus deputatus ad orationem, & cultum Dei? Cur ergo ei placuit vt illius ostium esset veluti impeditum strepitu caulidicum, ac hominum confluentium ad iudicium? Quamuis Deus vbique sit præsens, vt recta fides monet, peculiariter tamen Deus semper existimabatur præsens in suo tabernaculo. Ecce causa cur hic locus designatur ad iudicium; fieri enim non poterat, vt iudices in officio suo peccarent, qui se considerabant in oculis Diuinæ maiestatis, Deúmque simul cogitabant peculiariter præsentem in suis functionibus. Abulens. q. 1. Ibi lites determinabantur, vbi Deum adesse constabat: *Vt principia*, ait, *Dei præsentiam verentis, recte in omnibus agerent negotia populi.*

Numer. 27. *Vt iudex recte agat Deũ cogitet præsentem.* Abulens.

49. De Christo Domino est sermo: *Hæc dicit, Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*; Apocal. 2 n. 1. Cur Christus Dominus stare loco non vult, sed huc, & illuc procursare? Septem candelabra septem Episcopos Ecclesiarum Asiæ denotabant; Inter hos non dicitur, quod Dominus steterit, sed quod procurrauerit, vt sciant præsules maximè ad eos diuinos oculos esse conuersos, multúmque Deum ad eos attendere, an eorum fides, ac rectæ operationis lumen in aliquo maliguantis fumo sit obscuratum. Rupert. lib. 2. *Is ipse*, ait, *qui tenet septem stellas, easdem vigilanter attendit, ne forte pro ipsa claritate veniat alicui pes superbiæ. Cùm ergo in medio candelabrorum ambulat, singulorum intuetur lumen quantum luceat ne forte sine oleo charitis, sine operibus dilectionis fumiget fides mortuorum.*

Apoc. 2. *Prælatus sic agat, vt cognoscat Deum, ad ipsum respicere.* Rupert.

Ex hac causa idololatrantes, vt turpiter delinquerent, Deos ad hominibus abesse volebant, & ideo quidam Solem, alij Lunam adorabant: *Qui adolebant incensum Soli, & Lunæ.* 4. Reg. 23. n. 5. Vt qui adorabant Solem, audaciter noctu delinquerent, & qui colebant Lunam, impudenter die peccarent, vt sic fugientes oculos seorum Deorum, nullum esset cohibendi eos frænum. D. Cyrillus Catech. 3. *Alij quidem Solem ponebant*, ait, *vt nocte sine Deo essent; alij verò Lunam ponebant, vt die Deum non haberent.*

50. 4. Reg. 23. *Iniqui fingũt Deum absconsum.* Cyrill.

QVÆSTIO VIII.

Quare cum Paterfamilias bene sciret inuerecundiam Agricolarum, ait, vt scribit D. Lucas, Forsitam verebuntur filium meum?

DIVVS Lucas scribit in præsenti. Quod Paterfamilias dixerit: *Quid faciam? Mittam filium meum dilectum: Forsitan cum hunc viderint, verebuntur.* Illa particula, *Forsitan*, non ignorantiam, aut ambiguitatem dicit in præsenti, vt egregie notauit D. Hieron. *Forsitan*, ait, *non de ignorantia venit. Quid enim nesciat Paterfamilias, qui hoc loco Deus intelligitur?*

51. Hieron.

Quare ergo vtitur Paterfamilias illa particula, *Forsitan*? Respondent D. Hieron. Beda, D. Anselm. D. Thomas, Glossa Interlinealis, quod dicitur, vt ostendatur libera hominis voluntas, nam reuereri, & non reuereri filium poterat D. verò Chrysost. homil. 69. in Matth. Quem sequuntur Theophylactus, Lyranus, Iansen. Caietanus, Abulens. q. 184. astruunt, quod Paterfamilias hoc dixit, non ex ignorantia, sed vt declaret, Quid homines facere debebant, multam nempe reuerentiam Filio Domini sui impendere. Sic ait Thophyl. *Non ignorans dicit, sed significare volens, quid facere deberent.* Hæ interpretationes sunt ad litteram. Moraliter nunc.

52. Hieron. Beda. Anselm. D. Thom. Interlineal. Chrysost. Theophyl. Lyran. Iansen. Caietan. Abulens. Theophyl.

Tertiò bene viderat Paterfamilias seruorum insolentiam, ac obstinatam malitiam, viderátque repetita flagitia in seruos, tamen tanta bonitate præfulgebat, quod adhuc de agricolis sinistras plene suspiciones cohibeat; nec vltimam de agricolarum inuerecundia firmat resolutionem. Vide Verb. *Defectus*, in Indice.

53. *Sinistra opiniones cohibenda.*

Quartò certissimè, ac indubiè nescit Cœlestis Pater, quod suum Filium non verebuntur, sed irreuerenter occidunt. Nescit quidem, & indubiè id nescit. Prudentissimè tamen pro suæ auctoritatis decoro proprias offensas ignorare videtur: consultéque ipse, qui omnia scit, dissimulat se non scire. *Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui, quod illum minimè latuit*, Gen. 35. n. 22. Optimè nouit Iacob tantum scelus contra se commissum; nam postea moriens Ruben maledictione perstrinxit. Tamen modò pro sui honoris causa, ita se agit, ac si ignoraret offensam, ne fortè dum punire vellet crimen declararet, & se multa ignominia affectum ostenderet.

54. *Pro proprio decore offensæ dissimulãda.* Gen 35.

Quintò. Bene sciebat Pater Agricolarum perfidiam, ac immanitatem, quod suum Vnigenitum non solum non reuererentur, sed etiam quod occiderent; tamen sub modo aliquali dubitationis *fortè*, loquitur, *verebuntur*. Licet enim illi tanti criminis

55.

criminis rei agnoſcerentur, tamen cum ipſum nondum executioni mandaſſent, quaſi ſub iudicelis videbatur; voluit ergo Dominus in meliorem partem id accipere, & ſuæ potius ſcientiæ, vt ita dicam aliquali modo, quàm illorum exiſtimationi detrahere, potiúſque voluit noſtro dicendi modo notam aliqualē in ſua ſcientia imponere, quàm in eorum exiſtimatione, dum ante crimen perpetratum eos criminis reos diceret, ac publicaret.

Bonus Pater potius ſuæ ſcientiæ, quàm aliorum æſtimationi detrahat.

56. Matth.25. In vltima die ſententia proferetur ab exactiſſimo iudice. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius*, Matth.25.n.41. Cur gehennalis ignis dicitur paratus diabolo, & Angelis? Nonne etiam paratus eſt (proh dolor!) hominibus, qui ob malitiam ſuam in illum coniiciendi ſunt, quod apertiſſimè ipſe Deus clariſſimè nouerat? Cur ergo etiam non dicitur paratus hominibus? Deus clariſſimè præuidet talem hominem futurum malum, & iniquum, quia tamen ipſe homo à malo in bonum poteſt mutari, nunquam quidem reipſa mutandus, & quia homo valet virtutem amplecti, nunquam tamen amplexurus; ideo cum Dominus prædicit qualiter extremum iudicium futurum, & ignis proponitur præparatus ad ſupplicium infligendum, non fit mentio de homine, vt ſemper ipſe credat, & ſperet fore, vt ſupplicium euadat, & præmium obtineat. Iobius Monachus lib.9.de Verbo Incarnato, q 43.apud Pharin. ſua Bibliotheca: *Idcirco*, ait, *ignem diabolo, eiuſque Angelis non autem hominibus præparatum ſcribit, quoniam in nobis non inopinata ſit è malo in melius mutatio, cum illi confirmata ſua voluntate nullam de ſe ſpem reliquam fecerint.* Vide quæ dixi de Zizania cap.27.q.12.tom.5.

Eſſi certo agnoſcatur futurum iniquus, ante iniquitatem non damnandus.

Iobius.

Matth.21. num 38. Agricolæ autem videntes filium eius, dixerunt intra ſe: Hîc eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.

Num.39. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

VERSIONES.

Syriac.n.38. Hîc eſt hæres, venite trucidemus eum, & obtinebimus hæreditatem eius.

Euth.Pagnin. Et occupemus hæreditatem eius.

D.Proſper. Noſtra erit hæreditas.

Syriacus.n.39. Et comprehenſum eum

Pagnus. Eiecerunt ex vinea.

Alter Textvs.

Matt.12.n.7. Coloni autem dixerunt adinuicem: Hîc eſt hæres, venite occidamus eum: & noſtra erit hæreditas.

Num.8. Et apprehendentes eum, occiderunt: & eiecerunt extra vineam.

Luc.20.v.14. Quem cum vidiſſent coloni: cogitauerunt intra ſe dicentes: Hîc eſt hæres, occidamus illum, vt noſtra fiat hæreditas.

Num.15. Et eiectum illum extra vineam occiderunt.

EXPOSITIO III.

75. IMPII cum maioribus beneficiis afficiuntur, tunc peiores fiunt; Agricolæ ſeruos vulnerauerunt, ac occiderunt, cum fructus ab ipſis exigerent; filium autem cum viderunt, ſtatim interficere cogitant. Inuidorum conditio eſt, vt donis collatis nequiores fiant. *Agricolæ videntes filium*, venientem in vineam, ad exigendos illius fructus. Viderunt, & cognouerunt Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei, & omnia, quæ de Meſſia prædicta erant, in Scripturis, ac Prophetis, omninò ad ipſo adimpleta, quæ apertè oſtendebant Chriſtum eſſe Filium Dei, qui etiam teſtimonio Ioannis Baptiſtæ demonſtratus fuerat, Ioan.1. Sed tamen inuidia, ac odio ſeipſos excæcarunt, noluerúntque veritatem ſibi perſuadere, ac intelligere, vt docent Abulenſ. in hoc c.21. Matth.q.vlt. Caiet.3.q.47.art.5. Suar. tom.2.ad 3. part.diſp.31.ſect.4. & in præſenti Barrad. ac Luc. Burg. Nam ſi plena, ac perfecta cognitione Chriſti dignitatem cognouiſſent, vt ait Paulus 1.Cor. 2.n.8. *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Inuidia tamen obcæcati Dominum gloriæ crucifixerunt.

Ioan.1. Abulenſ. Caietan. Suar. Barrad. Luc Burg. 1.Cor.2.

58. *Dixerunt inter ſe.* Inter ſe mutuò loquentes: *Hic eſt hæres*, vineæ, ac Filius vnicus Patris, quem *conſtituerat Deus hæredem vniuerſorum*, vt ait Paulus Hebr.1.n.2. Dicitur autem hæres, non quod Deo Patri mortuo eſſet ſucceſſurus in regnum, ſed quod dominium, regnúmque Patris dono ſibi fore perpetuum, nihil de Patris imperio derogans: *Venite occidamus eum.* Ad hoc referunt communiter interpretes Carthuſ. Hugo, & alij; id quod dixit Caïphas Ioan.11.num.50. *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo; nam ab illo die cogitauerunt eum interficere.* Et cum dicunt: *Venite occidamus.* Valde ſeipſos peſſimos oſtendunt, quia alios ad peccandum inſtigant. In peccata labi miſerum; alios verò ad peccandum inducere miſerrimum. *Et habebimus hæreditatem eius*; ſcilicet vineam, populum nempe Iſraëliticum, nam videbant Phariſæi vniuerſum populum Dominum ſequi. Iuxta illud. Dixerunt Phariſæi ad ſemetipſos: *Videtis quia nihil proficimus. Ecce totus mundus poſt eum abiit*, Ioan.12.num.19. Aſſeuerantes dicunt: *Habebimus hæreditatem.* Stulta ſanè aſſertio. Nam Filio occiſo adhuc remanet Pater, qui tenebit hæreditatem: remanet quidem, ſed capti deſiderio obtinendæ hæreditatis, id quod erat ſatis notum non cogitant, ac aduertunt.

Hebr. Carthuſ. Hugo. Ioan.11. Ioan.12.

59. *Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam:* hîc Dominus prædicit ſuam comprehenſionem, ac necem, quæ intra tres dies erat facienda. *Eiecerunt extra vineam, & occiderunt.* D.Hieron. ait, quod ſignificatur Chriſtum eiectum à Iudæis extra Ciuitatem Ieruſalem, & in monte Caluariæ crucifi

Hieron.

crucifixum; quod etiam docet D. Chrysostomus homil. 40. in Imperfecto: *Eiecerunt eum extra vineam, id est, extra ciuitatem Ierusalem* iuxta illud Pauli Hebræor. 13. n. 12. *Extra portam passus est.* Idem tradunt, Beda, Theophyl. Euthym. Abulens. Carthusianus, & alij. Dicitur ergo extra vineam ëiectus, extra ciuitatem, & populum. Quia à Iudæis ereptus est Iesus, & transit ad Gentes, quæ erant extra vineam Israël. D. Irenæus lib. 4. c. 70. *Quoniam*, ait, *Filium Dei reprobauerunt, & eiecerunt eum, cum eum occidissent, extra vineam; iustè reprobauit eos Deus, & extra vineam existentibus Gentibus dedit fructificationem cultura.* Cùm Iesu sunt omnia bona, eiectus est ipse à Iudæis, simúlque ab eis erepta sunt omnia bona: transtulitque se ipse ad Gentes, simúlque cum ipso ab eas omnia bona defluxerunt.

Chrysost.

Hebr. 13. Beda. Theophyl. Euthym. Abulens. Carthus.

Irenæus.

QVÆSTIO IX.

Quare Agricolæ cum Filium Domini sui recognoscant hæredem, ipsum volunt interficere?

60. RESPONDET primò Euthymius: *Non occiderunt eum*, ait, *tanquam Dei Filium: sed occiderunt tanquam vineæ hæredem, siue tanquam regem Israël: aspicientes ad ea, quæ operabatur miracula, cognouerũt apud semetipsos hunc esse, quem Prophetæ regem Israël annunciauerant, consilium verò cœperunt, vt eum occiderent, & ita occuparent deinceps eius hæreditatem, hoc est, populum.* Existimat Euthymius Iesum fuisse cognitum à Iudæis, non vt Filium Dei explicite, sed vt Messiã, & regem Israëlis, totiusque populi hæredem, vt etiam tradit Lyranus in præsenti, & Sixtus Senens. lib. 6. annot. 98. Cùm ergo Iudæi in Christo Domino temporalem dignitatem, ac hæreditatem auspicantur, inde odia, ac bella contra eum armant, mutuóque se exhortantur; *Venite occidimus eum, & habebimus eius hæreditatem.*

60. Euthym.

Temporalis hæreditas cupiebant. Lyran. Sixt. Senens.

61. Secundò. Constituunt interficere filium, vt hæreditatem, ac vineam eius habeant; Vinea nonne eis locata erat, ac illa tanquam sua vtebantur, ad quid volunt interficere filium? vt eius hæreditatem habeant? Vinea eis locata erat, & cum ipsi ex fructu vineæ degustassent, iam non quiescunt, vt tantum eis vinea sit locata, sed hoc appetunt, vt in perpetuum vinea sub sua potestate tanquam res propria redigatur. Effuso vnguento à Magdalena in Christi obsequium; dixit Iudas, *Quare hoc vnguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat,* Ioan. 12. n. 5. Affectabat Iudas, quod mulier asportaret pecuniam, & non vnguentum ad Christi obsequium, cum hoc sit excellentius omni alio opere. Ammonius: *Reprehendit eam Iudas*, ait, *quod vnguentum obtulisset, & non pecuniam: nesciebat vtique quid diceret. Munus enim, quod Deo offertur pretiosius esse debet, quam quod pauperibus erogatur.* Iudas cum latro existeret, valde præiucunda, ac delectabilia erant ei furta, quæ ex marsupio fiebant, ideo vehementer anhelabat, vt omnia ad marsupium deuenirent, vt inde ablata eriperet.

61. Gustarunt ex fructu, vineã sibi quærunt.

Ioan 12.

Ammonius.

Tertiò. Hæredem dicunt, ac agnoscunt, non vt illi honorem exhibeant, sed vt in eum insurgant, ipsúmque percutiant, ac occidant. Vt somnium Nabuchodonosoris soluerent, ac extricarent, conquisiti fuerunt omnes sapientes Babyloniæ propositis magnis præmiis, donis, ac honoribus si somnium indicarent, interpretationémque eius dicerent, cum his tamen sapientibus non sunt vocati Daniel, ac socij eius; postea verò cum Chaldæi magistri somnium non potuissent interpretari regi, ab eo egressa est sententia, vt omnes sapientes Babylonis perirent, ac interficerentur. *Quærebanturque Daniel, & socij eius vt perirent*, Daniel. 2. n. 13. Ex his ergo patet, quod Daniel, ac socij eius vt sapientes habebantur; cur ergo quando primò ad regalem aulam introducuntur Magistri Babylonici ad magna munera, non etiam vocantur Daniel, & socij eius; modò verò cum ipsi sapientes ad necem, ac crucem coguntur, tunc Daniel cum sociis quæritur? Recognoscebantur pueri Hebræi sapientes, non vt honoribus efficerentur, sed vt interfectione, ac cruce opprimerentur; quos à sapientium honore excludebant, secum simul socios ad crucem habere volebant. D. Hieron. *Certè ipsi Chaldæi*, ait, *inuidentes gloriæ eorum, & scientiæ soli ingressi sunt, quasi soli præmia percepturi, & postea in periculo voluerunt habere consortes, quos in spe gloria refutauerũt.*

61. Hæredem agnoscunt, non vt honorent sed vt interficiant.

Daniel. 2.

Hieron.

QVÆSTIO X.

Quare tam crudeliter agricolæ insurgunt in Filium, vt eum occidant?

62. RESPONDET primò D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 40. *Ex omnibus operibus eius*, ait, *cognouerunt eum Filium Dei esse, hoc enim significat dicens: Hic est hæres: tamen postquam introiit in templum, & animalia, quæ ad sacrificia vendebantur, foras eiecit, in quibus Sacerdotes auari tunc delectabantur, tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, dicentes inter se; si populus istum habuerit Deum: necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinet lucrum, & acquiescat offerri sacrificia iustitiæ, quæ ad gloriam Dei pertinent, sic populus iste non erit possessio nostra, sed Dei.* Christum filium Dei, ac hæredem populi agnouerunt Sacerdotes Iudaici, dixerunt enim. *Hic est hæres*: at cum vidissent, quod ex templo animalia ciecerat, ex quibus habebant suum lucrum, statim aperto bello aduersus eum armantur. Vbi enim ãmor lucri eos occupauit, illico animum tenaciter concipiunt Deum perdendi: nullum est tam execrabile scelus, quod lucri cupiditas non excogitet. *Si populus istum habuerit Deum, necesse est, vt dimittat consuetudinem hostiarum.*

62. Chrysost.

Auri amor, Deo intentat inferre bellũ.

Secundò. Idem Chrysostomus datus suprà q. 7. *Accumulauit*, ait, *benitatem Deus Pater, & misit Filium suum, & hunc non quasi ad obnoxios pœnæ sententiam baiulantem, sed patientiæ veniam.* Venit Dei Filius non ad pœnam inferendam, sed ad indulgentiam concedendam, & tamen ita sunt auaritia obcæcati, vt eum occidant, tantum nefas committere constituunt, vt raptis diuitiis exundent. Efficacius init homo de diuitiis acquirendis, quam quod crimina extinguat; plus enim cogitat

63. Chrysost.

Plus volunt homines diuitias acquirere quàm conscientiam mundare.

cogitat homo de diuitiis acquirendis, quàm de peccatis extirpandis, vt suam conscientiam mundet, ac purificet. Vide c.28.n.8.9.& 10.

65. Chrysost. Tertiò. D.Chrysost.homil.69. *Ecce interficiamus eum. Cur obsecro? An quia nimirum vos Deus honorauit? An, quia peccata dimittebat? An, quia in regnum vocabat? Tu autem ad impietatem magnamque dementiam accedere, & necis causam insania plenam esse considera.* Quæ enim maior insania potuit excogitari, quàm insurgere in filium Dei, ea tantum ratione, quod esset hæres vineæ, inde enim potius videbatur sequi, vt toto obsequio eum exciperent, quam vt occiderent? Quid enim stultius, quam velle occidere Deum, vt Dei bona possiderent? Enimuerò cum Deus sit omnium bonorum fons, nihil boni sine eo, aut acquiri, aut possideri potest. Deinde, quæ maior insania esse potest, quàm ob beneficia insurgere in benefactorem? Vide c.36.n.24.

Magna iniuria pro beneficiis reprendere mala.

66. August. Quartò. D.Augustin. serm.59.de Verbis Domini. *In contrarium*, ait, *Deus vertit malum consilium, vt possiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdiderunt.* Occiderunt agricolæ nempe Iudæi filium, ac hæredem Domini sui, vt illius hæreditatem, ac vineam haberent; sed quia occiderunt, vineam perdiderunt; ipsi scilicet Iudæi expulsi sunt à Dei vinea, ac grege. Vide suprà cap.36.q.8. n.39.40.41.42.& 43.

Occidunt vt possideant, & ideo perdunt.

67. Quintò. Cur tam crudeli manu hi homines armantur in filium Domini sui, ac in vineæ hæredem, quia venerat, non vt illis pœnam infligeret, sed veniam concederet: & quæ maior ingratitudo, quàm ex beneficiis acceptis aduersus tuum benefactorem insurgere? hanc hominum naturam considerans Regius vates dicebat ad Dominum, *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma, & scutum; & exurge in adiutorium mihi* Psal 34.num.2. Subtiliter hæc verba commentans Cardinalis Hugo interpretatur: *Apprehende arma ad expugnandum, & scutum ad sustinendum.* Per arma intelligit diuina beneficia, quibus Deus humanum cor expugnat, deuincit, ac subiicit; & ad sui amorem, ad gratitudinem quodammodo cogit: ad quid ergo deinde assumit *scutum*? vt se veluti clypeet, ac patienter sustineat hominum ingratitudinem, ac sinistram eorum correspondentiam pro tot donis tanta benignitate impensa. Sic ait Hugo citatus. *Hæc arma apprehendit Dominus ad deuincendam malitiam hominum, quando solem suum facit oriri non solum super bonos, sed etiam super malos, & bona sua indignis peccatoribus etiam largitur, vt sic eos conuertat; sed quia hac etiam non ad pœnitentiam sed ad luxum conuertunt: & vnde debebant ad Dominum conuerti, inde eum peccando persequuntur per superbiam, & luxuriam; ideo ne Dominus indigneturr, rogat vt patienter* sustineat, *addens hic &* Scutum: *mansuetudinis, & patientiæ ad sustinendum eorum infestationes.* Vide cap. 12.

Psalm.34. Hugo.

Ex beneficiis armantur homines in benefactorē.

*Matt.*21.*n* 40 Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet Agricolis illis?

*Num.*41. Aiunt illi: malos malè perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

VERSIONES.

*Syriac.n.*40. Quid facturus est agricolis illis?

*Orig.hom.*19. Cùm venerit paterfamilias, quid faciet colonis illis?

*Syriacus n.*41. Vineamque elocabit aliis agricolis: illi quidem reddent ei fructus in tempore suo.

Citat.Origen. Vineam suam dabit aliis colonis.

Alter Textus.

Marci 12.*n.*9. Quid ergo faciet dominus vineæ? veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.

*Luc.*20.*n.*15. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ?

*Num.*16. Veniet, & perdet colonos, illos, & dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi: absit.

EXPOSITIO IV.

67. Carthus. *QVM venerit Dominus vinea.* Cum exercitibus nempe suis, vt explicat Carthusianus. *Quid faciet agricolis illis:* Cùm de beneficiis largiendis fuisset sermo, secum Dominus deliberat, ac determinat, *nouissimè misit ad eos filium suum.* Cùm verò de suppliciis inferendis agit, cum hominibus consultationē facit. *Quid faciet agricolis illis?* beneficiis enim largiendis ipse sui est auctor, & prouocator: in pœnis verò infligendis ab homine prouocatur, & excitatur. Deinde, ad magnum supplicium infligendum homines consulit, quorum ingenium est maximè pernicioſum, ac crudele in homines. *Quid faciet agricolis illis?* Interrogat, vt ait D.Paschas.lib.9. in Matth. Non quod ignoret, sed vt etiam ait D.Chrysost. in Imperfecto homil.40. *Ita veritate Christi circumdantur homines, & tenentur, vt ipsi aduersus se indices fiant.* Vt hoc argumento agnoscant impij homines, quod ipsi aduersus semetipsos sententiam proferant, ac proprio ore damnentur.

Beneficia à Deo suppliciis ob homine.

Paschas. Chrysost.

69. Beda. Rupert. Carthus. *Aiunt illi*, scilicet Scribæ, seu aliqui ex astantibus, *malos*, hos pessimos, & iniquos colonos, *malè perdet*, mala morte, malisque suppliciis perdet, vt inquiunt Beda, Rupert. Carthus. per Titū, & Vespasianum in hac vita, per Dæmones verò in gehenna. D.Marcus, & Lucas scribunt hoc fuisse à Christo dictū, quod D.Matthæus refert à scribis prolatū Respondemus cum D.Chrysost. Euthim. D.Th. scribas, hoc primò dixisse. Deinde Christū Dominum verbis suis idem repetisse, & ex antecedentibus, & cōsequentibus, & ex verbis, ac modo dicendi, gestúque Iesu intellexerunt auditores, vt notat Abulēsis q.200. se parabola notari; vnde iuxta D.Lucam dixerunt, *absit*, vt nos filium Dei, ac vniuersorum hæredem interficiamus, vineaq; Domini à nobis auferatur, & detur gentibus; dicunt

Chrysost. Euthym. D.Thom. Abulens. Syriacus

cunt, *absit*, hoc est non ita fiet, seu vt habet Syriacus ; *non erit hoc.*

70. *Et vineam suam locabit aliis agricolis*, Apostolis nempe, eorúmque successoribus, *qui reddant fructus temporibus suis* : opportunis, ac statutis temporibus referant fructum fidei, spei, & charitatis; Hugo. seu vt ait Hugo, fructũ cordis, oris, & operis. Nempe cordis contritione; oris confessione; operis satisfactione. *Locabit aliis agricolis*, & hoc magnatibus magnũ tormentũ, vt se videant à sua dignitate priuatos, & in eorũ munere alios introductos.

QVÆSTIO XI.

Quare mendaces Scribæ tam veram sententiam contra se pronuntiant, Malos malè perdet?

71. Chrysost. RESpondet primò D. Chrysost. hom 40. in Matth. *Non fuit*, ait, *illorum, quod iuste iudicauerint ; sed ipsius causæ. Est enim causa veritatis, quæ quasi violentiã illis fecit, vt non possent ea celare; sicut sole in nubibus constituto, hoc, quod est dies, non est nubiũ permittentium eum apparere super terram, sed virtus solis, quæ transiẽs nubes, etiam impedientibus eis apparet.* Vnde prouenit, quod Iudæi mendacio, ac falsitate pleni tam veram sententiã ore suo proferrent? hoc non ex ipsis; sed ex ipsa veritatis natura prouenit, quæ nullis valet impedimentis teneri, quin aliquando fulgeat, & luceat, vt sol nubium impedimenta rumpit, vt in nostris oculis refulgeat, & lux diei resplendeat.

Mendaces etiam inuiti veritatem fatentur.

72. Druthmar. Secundò. Christianus Druthmarus, in commentario. *Perdidit illos male*, ait, *quia famé, qua nihil durius, qua etiam obsessos compulit humanis carnibus vesci, illos perdidit, & commendauit Christianis Doctoribus Ecclesiam suam. Cauẽat ergo Reges, & Episcopi istam damnationem agricolarum, ne forte & ipsi similia patiantur, si bene non exoluerint vineam Domini, omnem turbam Christianorum.* Per hos colonos interpretatur Sacerdotes, ac Ecclesiasticos Prælatos, qui constituti in officio colendi Dominicam vineã, si tamen eam non foueant, ac in necessariis prouideant, sed duritie, ac rusticitate morum, sæuitia famis perdant, malóque suo exemplo corrumpant, in hanc agricolarum damnationem deuenient, *malos malè perdet.* Maláque morte, malisque suppliciis afficiuntur. Vnde Chrysostomus in Imperfecto homil. 40. explicans. *Locauit eam agricolis:* sic ait; *Locutus est Dominus colonis tempore Moysis, quando per legem constituti sunt Sacerdotes, & Leuita, & procurationem regendi populum susceperunt ad magnam suam gloriam, & magnum periculum.* Expende vltima verba: *ad magnam suam gloriam, & ad magnum periculum:* Si rectè se habuerint in suo munere, habebunt multam gloriam, si malè, in magnum damnationis periculum deuenient.

Magna pœna Prælatu, si non bene excolant Domini vineã.

Chrysost.

73. Tertiò. *Malos malè perdet.* Non exprimitur pœna inferenda, vt grauissima supplicia metuant, & duriora metuant, quam fortè eis sint inferenda. Præcipit Deus vidĕti Amos. 4. n. 1. vt sic verba ad Israël faciat. *Quapropter hac faciam tibi Israel: postquam autem hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui Israel* Cur ita loqui iubetur Prophetа tam obscurè? Quid sibi vult. *Hæc faciam tibi*, & iterum. *Postquam hæc fecero?* Cur non explicatur, quænam sint illa, quæ Deus fecit populo suo?

Amos 4.

Quænam concionis vtilitas, si mutilis, & obscura prorsus maneat oratio. Ad quid sub auditorum arbitrio pœna in illos exercenda relinquitur? Vt ipsi aucipites inter suppliciorum minas, maximè torqueantur, & duriores pœnas metuant, quàm ipse Deus fortè inferet. Et ita cùm audiunt, *quapropter hæc faciam tibi.* Maximè pertimescant, & quæ sunt grauiora, ac duriora cogantur expectare : ergo quædam fuit diuini supplicij ars, determinatum vindictæ genus non prodere, vt semper timore acerbissimæ pœnæ quaterentur, ac premerentur. Eleganter Ruffinus. *Quapropter*, ait, *hoc faciam tibi Israël. Hic locus ita acccipiendus est, vt ex industria dicatur comminationis speciem fuisse celatam ; quasi quidquid posset auditor atrocissimum suspicari, id crederet, fuisse promissum.*

Grauissimæ pœnæ quandò declarantur, vt semper acerbissimæ timeantur.

Ruffinus.

Matth. 22. n. 42. Dicit illis Iesus: nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Num. 43. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

VERSIONES.

Vatabl. in Psalt. Lapis, quem reiecerunt ædificantes, factus est caput anguli : quod quidem à Domino factum est, & nobis miraculum videtur.

Pagnin. Et est miraculum, oculis nostris.

Aquil. ex Græco. Id paradoxum præter opinionem, ac ferè incredibile visum est nobis.

Syriacus n. 43. Propterea dico vobis: ablatum iri à vobis regnum Dei : & datum iri genti edituræ fructus.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 10. Idem habet, quoad verba Psalmi.

Luc. 20. n. 17. Ille autem aspiciens eos; quid est hoc, quod scriptum est. Lapidẽ, quem reprobauerunt ædificantes : hic, factus est in caput anguli.

EXPOSITIO V.

DICIT *Illis Iesus :* Nempe auditoribus illis. *Nunquam legistis in Scripturis.* Id est, hoc ipsum, quod ego dico, dicit Scriptura ; An non Dauid in spiritu hoc ipsum se prænidisse testatur Psalm. 117. num. 21. *Lapidem, quem re-*

probauerunt ædificantes. Iudæi audientes ſupplicium ſignificatum in parabola ipſis infligendum.

Lucas. *Malos malè perdet.* Dixerunt iuxta D.Lucam, *abſit*, Chriſtus verò Dominus ſupplicium eis euenturum confirmat, ex citato loco Pſalmi. Conferteque ſe Dominus cum lapide, quem alicuius ædificij ſtructores, veluti inutilem, ſtructuræque minimè aptum, reprobauerunt, ac reiecerunt: qui tamen in alio excellentiore, ac pulchriore ædificio in capite anguli, ſeu vt lapis capitalis collocatur. Sic Scribæ, Phariſæi, ac Sacerdotes Iudæorum tanquam ſtructores, ac Architecti Synagogæ, gentiſque Iudaicæ (hos autem, quos ſupra vocauit agricolas, nunc vocat ædificatores, vt ait D.Hieronymus) Chriſtum Dominum vt lapidem inutilem à ſe, ac gente ſua reiecerunt, & damnando reprouauerunt, ac occiderunt; Hic tamen lapis à Iudæis reprobatus, præſtantioris, ac excellentioris ædificij, Eccleſiæ ſcilicet factus eſt caput. *Factus eſt in caput anguli.* Factuſque eſt vt ſummus lapis angularis, vt loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 2. n. 20. & omnino vt lapis fundamentalis totius Eccleſiæ. 1. Corinth. 3. n. 11. Vt iſ ſummus lapis angularis, ac capitalis duos parietes gentium, & Iudæorum in ſe velut in angulo iungeret, ac copularet, in eadem Eccleſiæ domo, & ſtructura. Ita D. Baſilius, D. Chryſoſtom. D. Auguſtin. Euthym. Caſſiodor. Abulenſ. S. Thomas, Ianſenius, Maldonat. & alij.

Hieron. Epheſ. 2. 1. Cor 3. Baſil. Chryſoſt. Auguſt. Euthym. Caſſiodor. Abulenſ D Thom. Ianſen. Maldonat.

75. *Ideo dico vobis.* Concluſio totius parabolæ eſt, qua ſignificat Dominus vineam à Iudæis eſſe auferendam, gentibuſque dandam. *Auferetur vobis regnum Dei* D. Hieronymus per regnum intelligit ſacram Scripturam. Tamen communiter Patres, D. Auguſtinus, Beda, Albertus Magnus, Rupert. veram Dei Eccleſiam; in ea regnat Deus in fidelibus per fidem, ac gratiam, eoſque ducit ad cœleſte regnum, vt in eis per gloriam regnet; & ait: *auferetur à vobis*; adhuc iudex regnum non aufert, ſed minatur locum faciens pœnitentiæ. Vide ſupra c. 21. n. 75. 76 & c. 28. n. 37.

Hieron. Auguſt. Beda Alb. Magn. Rupert.

76. *Dabitur genti.* Rectè ponderat Origenes homil. 19. in Matth. quod cum de Iudæis fuiſſet ſermo. Dicitur. *Locauit eum*; tradidit nempe vineam ad certum tempus ſub conditione excolendi eã, & ideo locauit eam Iudæis, nouerat Dominus eorum ſterile ingenium, à quibus ob ingratitudinẽ citò vineam erat auferenda; at gentibus dicitur. *Dabitur genti*, vt nunquam ab ea auferenda, ſciebat enim perennem, ac perenniter vineam eſſe excolendam, magnoſque fructus ab ipſa gente prouenturos. *Dabitur genti*, non gentibus, quia etſi multæ ſint nationes, omnes tamen ſic coadunantur in Eccleſia, vt ſit vna gens. *Dabitur genti.* Quod dicitur ad magnum tormentum Iudæorum, vt aliena felicitate torqueantur, cùm viderent regnum Dei à ſuis ereptum, & gentibus datum; deinde hoc eſt ad magnum documentum gentibus, vt in alieno capite videant, quo cauere debeant, vt non deſidiæ, ſed vineæ agriculturæ incumbant. D. Zeno lib. 2. ſerm. 24. *Gaudete fratres*, ait, *quod alienis plagis Dei diſcitis diſciplinam.*

Origen.

Iudæis data fuit vinea ad tempus, gentibus in perpetuum.

D. Zeno.

Quæstio XII.

Quare non exprimitur à quo regnum Dei ſit ab eis auferendum?

77. *Difficultas quæſtionis.* AIt Chriſtus in præſenti. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Quando fuit ſermo de plantatione dicitur. *Paterfamilias plantauit vineam, & ſepem circundedit, fodit torcular, & ædificauit turrim.* At verò cùm de ſupplicio inferendo eſt ſermo; dicitur: *auferetur à vobis regnum Dei.* Cur ergo ſicut Paterfamilias introducitur extruens vineam ſuam omnibus præparamentis neceſſariis; cur etiam non dicitur, quod etiam ob malam agriculturam, ob malitiam, ac ſæuitiam inhabitantium, vineam ſuam auferet ab eis?

78. *Deus largitur beneficia, homo verò ſibi comparat ſupplicia.*

Reſpondeo, quod quando de donis, ac beneficiis eſt ſermo, ipſe Dominus, vt eorum auctor, ac largitor, clarè, & diſtinctè ſe manifeſtat, tanquam in re valdè ſua, at verò cùm de peccatorum punitione agitur, *auferetur à vobis regnum Dei.* Perſona Patrisfamilias non declaratur, vt denotetur, quaſi quod ipſa punitio ſit opus alienum ab eo, & quod non tam ab ipſo, quam potius ab eorum peccatis, ac nequitiis proueniat, & naſcatur: quod ex ipſamet parabola confirmo. Quando bonus paterfamilias plantauit vineam, nullum interrogat, cum nullóque facit conſultationem, totum illud opus à ſua benignitate manabat; at verò cùm ex præſcripto iuſtitiæ ad damnandos agricolas deuenitur; Dominus circunſtantes interrogat. *Cùm ergo Dominus vineæ venerit, quid faciet agricolis illis?* In damnatione promulganda benigniſſimus Dominus ſententiam ſubtraxit, atque illiſmet proferendam commiſit, vt argumentum cunctis eſſet, non à Domino, ſed à ſeipſis damnari. D. Paſchaſ. lib 9. in Matth. *Interrogat*, ait, *eos Dominus, non quod ignoret, quid reſponſuri ſint; ſed vt ipſi propria reſponſione damnentur.*

Paſchaſ.

79. Rom. 2. Ait Paulus Rom. 2. n. 6. *Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, his quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non quieſcunt veritati credunt autem iniquitati, ira, & indignatio.* Cùm de gloria, ac præmio eſt ſermo, exprimit Apoſtolus; quod Dominus *reddet vnicuique ſecundum opera eius.* Cùm verò de pœna, ait: *ira, & indignatio*, à quo ſit infligenda ſubiacet. Quid eſt, quod magnus gentium Doctor, à legibus grammaticis apertè deflectere videatur; cùm in nominatiuo caſu ponatur *ira & indignatio?* Nam ſicut dixerat gloriam, & honorem in accuſatiuo, ita & in eodem caſu iram, & indignationem ſcribendam eſſet attruet Grammaticus. Artificioſa ſagacitate Apoſtolus voluit deuitare regulas ſyntaxis, vt oſtenderet proprium, ac naturale Dei eſſe æterna præmia, vitamque beatam largiri; non verò excandeſcere, & pœnis afficere: ideo cùm de gloria, ac honore eſt ſermo, ipſum Dominum, tanquam ſuam propriam perſonam agentem clarè, & diſtinctè enuntiat. Dum autem de peccatorum punitione agitur, alia iræ exercendæ ſubintroducitur perſona, ac ſi quodammodo id ad Deum non ſpectet, & vt ſignificetur, quod huiuſmodi pœnæ caſtigatio potius ab ipſis hominibus, quàm à Deo proueniat. Photius apud Oecumenium. *Conſidera*, ait, *quod dicit bona quidem reddet, & vltionem verò non reddet, ſed illa reddetur, & ne hoc quidem expreſsè dixit, ſed ſubintelligendum relinquit, ſciens ei proprium eſſe quod iuſtum eſt ſaluare; porro vlciſci, ac punire prouenit à peccatorum obduratione, quod pœnitere, ac conuerti nolint.* Vide ſuprà c. 15. n. 26. & c. 16. n. 28. & c. 28. n. 38.

A Deo prouenunt beneficia, ab homine verò ſupplicia.

Photius.

QVÆSTIO XIII.

Quare ad plantandam vineam multa referuntur, ad destruendum verò vnum tantum verbum proponitur?

80. CVM de extructione vineæ agitur, quatuor assignantur in textu,& vnumquodque largam operationem dicit.Scribitur:Quod Paterfamilias *plantauit vineam.* Quod multum sudorem importat.Secundò: *sepem circundedit.*Quod magnam fatigationem cum longa operatione denotat.Tertiò.*Fodit in ea torcular.*Quod cum magno labore fit.Quartò: *ædificauit turrim.*Quod opus præter multum laborem multos etiam operarios, artifices, architectos requirit: ecce tantus labor impensus vt vinea plantaretur,ac vt agricolis locaretur. At verò vt ipsi à vinea expellantur: Vnum tantum verbum ponitur, *auferetur à vobis,*sicut ad agricolas reducendos, vt fructus redderent, per longum temporis spatium misit seruos suos,vt explicant Beda,Carthusian.Moysem, Aaronem, ac alios Prophetas, & Patriarchas per tot millia annorum: at verò ad ipsos agricolas puniendos, & occidendos trium dierum spatio Titus, & Vespasianus circumuallauerunt ciuitatem Ieruſalem, vt testatur Iosephus lib.6. cap.7. & 13.& breuissimo tempore omnes peremerunt. Ad plantandum, ac ædificandum multa requiruntur, ad destruendum, ac deuastandum pauca exiguntur:ad bonum,ac felicitatem multo molimine opus,ad malum,ac sinistrum euentum parua,ac minima sufficiunt.

Beda. Carthus.

Iosephus.

81. Cùm filij Israëlis essent concluſi inter mare rubrum, ac Phataonis exercitum, insequentis eos,vt haberet iter per medium maris,ac vt aquæ eis diuiderentur; factum est. *Flante vento vehementi, & vrente tota nocte.* Exod.14. n.21. At vt aquæ reuerterentur ad locum suum,quo submersus est Pharao cum curribus suis, ad hoc Moyses manum eleuauit. *Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ,& inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.*Ibidē.Quid est,quod vt aquæ diuidantur iter præbētes Israëli,adducitur à Domino vētus vehemens,& vrēs tota nocte;at verò vt aquæ in pristinū locū vniantur,vt omnes Ægyptij suffocati in profundum maris descendant, vna tantū ponitur manus Moysis eleuatio? Diuisio maris magnam felicitatem præbebat Hebræis, coniunctio vero aquarū sinistrum, ac funebrem euentum importabat Ægyptiis,inde ad illud multa & vehementia requiruntur,ad hoc verò parua,& leuia sufficiunt: felicitas, tota nocte consumpta,venit Hebræis ad transitum maris, aduersitas verò, vt in aquis sepeliantur Ægyptij, vno momento ruit.

Exod. 14.

82. Venit quinquagenarius ad Parentem Eliam. *Homini Dei Rex præcepit,vt descendat.* Quo audito respondit Elias Quinquagenario. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & deuoret te,& quinquaginta tuos: Descendit itaque ignis de cœlo,& deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.*4. Reg.1.n.10.Confer hæc cū illis,quæ eidē magno Eliæ acciderunt, cum filio viduæ, qui cùm esset demortuus,tulit eum Elias de sinu matris suæ,& portauit eum in suum cubiculum, & posuit eum super lectulum suum. *Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum,& ait;Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius* 3. Reg. 17. n.21. Bene notat, & probat ibi Abulensis, q.31. *Quod ibi fuerunt tres extensiones cum tribus orationibus.* Grandis difficultas suboritur in præsenti; æqualis sanè potestatis est,ignem de cœlo deducere, ac vitam dare puero? Elias vno verbo facit ignem de cœlo descendere ad deuorandum quinquaginta milites cum suo duce, semel,& iterum. *Descendat ignis de cœlo.* At verò ad reuocandam animam in puero necessaria sunt multa verba, orationes, ac extensiones Prophetæ, quibus se commensurauit, ac proportionauit cum puero per spatium ferè trium horarum,vt multi volunt Rabbini. Vnde tanta differentia? vt quinquaginta cum suo duce flammis comburantur, ac in cineres redigantur, vnum sufficit verbum Prophetæ; At verò vt felicissimum vitæ respiraculum vni tantum puero concedatur,multa verba, multiplicatæque orationes, instantiæ, ac extensiones Prophetæ requiruntur; nam prima, & secunda oratione, prima, & secunda instantia,anima è vinculis mortis non soluitur; adhibenda ergo fuit tertia oratio,tertiáque instantia, vt puer resurgat in vitam, nam si vita vt maximè grata lento pede accedit, ignis celeri volatu descendit, vt tristem mortem inferat multis.

3.Reg.17. Abulens.

Lenta pede venit vita celeriter ignis vt consumat.

QVÆSTIO XIV.

Quare quæ prius dicitur vinea, nunc verò regnum Dei nuncupatur?

83. IN principio huius parabolæ, cùm eam proponit Scribis, sæpe mentionem facit de vinea. *Paterfamilias plantauit vineam,* iterùm, *Cùm venerit Dominus vineæ.*Deinde,*Vineam suam locabit aliis agricolis.* At verò modò regnum Dei nuncupatur. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Si vinea est,quomodo regnum dicitur,

Difficultas quæstionis.

84. Respondeo quod lex Dei obseruatioque mandatorum eius non amanti vinea quædam est, in qua desudatur,ac multum laboratur: at verò diligenti ipsamet lex regnum est,requies gaudium, ac lætitia: ipse enim amor omnia reddit leuia, plana,ac facilia.Cùm locatur Iudæis duris,& obstinatis, vinea eis erat ad laborem, ac fatigationem; cùm verò datur genti feruenter amanti, regnum Dei apparet, vbi requiescit, lætatur, ac epulatur.

Non amanti difficultas, diligēti suauitas.

85. Ad Christum Dominum loquitur Sponsa dicens: *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi.*Cant.1. n.13. At verò alio loco ait: *Vadam ad montem myrrhæ.* Cantic.4. n.6. per myrrham mortem, ac mortificationem intelligi constans est Patrum sententia, quid est, quod ipsum appellat, fasciculum, deinde montem? Diuersitatem ostendit particula *mihi*: nam etsi aliis arduus,ac laboriosus vt mons in ascensu suo. Mihi verò qui eius amore vulnerata sum,sic suauis,ac præiucundus, vt fasciculus. D.Bernardus serm.43.in Cantic.sic ponderat. *Non ait tantum fasciculus myrrhæ dilectus meus,sed mihi,inquit,quæ diligo, fasciculus est. Vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, quia fortis est vt mors,dilectio.*

Cant.1. Cant.4.

Amor facit facilia, & leuia.

Bernard.

86. Fidelibus, qui sunt in Ecclesia dabat Angelus librum ad comedendum. *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel*, Apocal. 10. num. 9. Maximè expendendum est, quod liber, vt dulcis, & amarus, est dulcis ori, amarus verò ventri. Et cur dulcis in ore, amarus in vente? Quænam tanta rei differentia? Per os significantur virtutis studiosi, ac Dei dilectores, quibus Dei eloquia dulciora super mel, & fauum: per ventrem significantur mentes hominum, qui terrena sapiunt, & qui ventri, ac gulæ indulgent; ecce iam tanti gustus diuersitas apparet, diuersus enim affectus saporem, ac dulcedinem generat, qui toto corde ad Deum fertur, in eius lege miram dulcedinem inuenit: qui verò, quæ terrena sunt diligit; amarissimos succos in præceptis fingit. D. Augustinus homil. 8. in Apocal. *In ore*, ait, *intelliguntur boni, & spirituales Christiani, in ventre carnales, & luxuriosi. Inde est, quod cum verbum Dei prædicatur, tunc spiritualibus dulce est: carnalibus verò, quorum secundum Apostolum, Deus venter est, amarum videtur, & asperum.*

Apocal. 10.

Dei eloquia amanti dulcia, non diligenti amara.

Augustin.

Matth. 21. n. 14. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

Num. 45. Et cum audissent principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quod de ipsis diceret.

Num 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

VERSIONES.

D. Augustin. Psalm. 45. Et quicumque offenderit in lapidem illum, conquassabitur: super quem verò venerit.

Syriacus. Super quem verò ceciderit, dissipabit eum.

Luc. Burgens. ex Græco. Ventilabit eum.

Syriacus n. 45. Cognouerunt, quod de se ipsis loqueretur.

Vatabl. n. 46. Et quærentes illi manus iniicere, timuerunt multitudinem, quoniam tanquam Prophetam eum habebant.

Euthymius. Et quærentes eum apprehendere.

Alter Textus.

Marc. 12 *n.* 12. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognouerũt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit.

Luc. 20. *n.* 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

EXPOSITIO VI.

87. *Et qui ceciderit super lapidem istum* Lapidem intelligens de quo supra locutus fuerat, *qui factus est in caput anguli*, seipsum denotans Dominus, & dirigitur in præsenti sermo ad Iudæos, vt docent D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. quæst. 30. D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylact. Abulensis, Iansenius, Maldonatus, Barradas, Cornelius; de his enim dixerat immediatè antea, auferetur à vobis regnum Dei, *Qui ceciderit super lapidem istum.* Id est qui offenderit in hunc lapidem, qui ruinæ, seu peccati causam ex me hoc lapide, vt supra dixerat aliis verbis, *qui scandalizatus fuerit in me*, Matth. 11. n. 6. Vt vos ô Scribæ, & Pharisæi facitis. *Confringetur*, seu vt scribit D. Lucas, *conquassabitur.* Syriacus, *dissipabit*, vt explicat Carthusianus spirituali confractione, ac proinde perniciem, læsionem, ac confractionem in animo, & etiam in corpore, vt multi explicant, accipiet. *Super quem verò ceciderit.* Supplicio in hac vita per Imperatores Romanos, & in die iudicij per damnationem æternam. *Conteret eum*, sicut quando lapis grandis super testam cadit, eam in minutissima frusta comminuit, vt nullo modo reparari, ac redintegrari queat. Sicque hac parabola minatur Christus Scribis æternum, ac irreparabile excidium, damnationem scilicet gehennæ. Sic ait D. Augustinus citato loco: *Cadet verò super vos, cum veniet in iudicium perditurus, vt sint impij tanquam pulvis, quem proiicit ventus.*

Augustin. Chrysost. Euthym. Theophyl. Abulens. Iansen. Maldonat. Barrad. Cornel.

Carthus.

Augustin.

88. *Cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi.* Manifestè intellexerunt ipsos in parabola esse dictos. Et valdè mirum! discipuli edocti in doctrina Christi dicebant: *Edissere nobis parabolam*, Matth. 14 n. 36. At verò Principes Sacerdotum, & Pharisæi sub tot inuolucris parabolarum rem penetrant, & non postulant, vt eis exponatur, ac explicetur, mala quippe conscientia eorum eos sæuissimè accusabat, illisque parabolas interpretabatur; vt sub tot tegumentis verborum sensus non lateret.

Conscientia accusat, & dat intelligentiam.

CAPVT XLIV.

Nuptiæ filij Regis.

Matth. 22. *n.* 1. Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis, dicens.

Num. 2. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

Num. 3. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.

VERSIO

VERSIONES.

Theophyl.n.1.	Dixit per parabolas.
Vatablus n.2.	Assimilatum est regnum cœlorum.
Syriacus.	Assimilatur regnum cælorum homini regi, qui fecit conuiuium filio suo.
D.Hieron.n.3.	Misit seruum suum.
Pagninus.	Et emisit seruos.
Syriacus.	Vocare inuitatos ad conuiuium.

EXPOSITIO I.

1. Luc.14. DIVERSA est hæc parabola, ab ea, quam scribit Lucas cap. 14. de cœna magna, vt supr. explicaui cap. 24. exposit. 1. num. 1. Valdè tamen similis est, & omnia quæ ibi dixi facilè hic adaptari possunt, quæ videnda sunt. *Respondens Iesus*, non ad verba, sed ad intentionem eorum, vt ait D. Thomas: *simile est regnum cœlorum.* Ecclesia nempe militans, quæ regnum cœlorum dicitur, quia cœlestem regem, cœlestésque leges, ac scripturas habet; *homini regi qui fecit nuptias filio suo.* Homo Rex Deus Pater, filius regis, & sponsus Christus Iesus: *fecit nuptias.* Hæ nuptiæ factæ sunt primò. Quando diuinum Verbum assumpsit naturam humanam, eámque sibi hypostaticè vniuit. Ita D. Gregorius homil. 38. in Euangel. *Tunc*, ait, *Pater filio nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humana natura coniunxit.* D. Augustinus orat contra Iudæ. Pagnin. & Arrianos, tom 6. c. 9. *Christus*, ait, *processit ex vtero Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spirituales nuptiæ celebratæ sunt, Deus coniunctus est carni, & caro adhæsit Deo.* Idem habet lib. quinquaginta hom. 51. cap. 5. Idem habent hic Beda, Haymon, Alb. Magnus, D. Thomas.

D. Thom. Gregor. August. Pagnin. Beda. Haymon. Alb. Magn. D. Thom.

2. Origenes. Hilar. Euthym. Gregor. Carthus. Chrysost. Paschas. Secundò, Pater fecit nuptias filio suo, quando ei sociauit Ecclesiam, id est homines fideles, quasi sponsam mysticè ei despondit per gratiam: quæ quidem nuptiæ in cœlo consummabuntur per gloriam. Ita Origenes, D. Hilarius, D. Hieronymus, Euthymius; & etiam D. Gregorius, Carthusianus, & alij. Tertiò, Deus Pater Christo fecit nuptias, id est nuptiale conuiuium, quando in Iudæa, totóque mundo per Christum posuit mensam Euangelicæ doctrinæ, ac Sacramentorum, præcipuè sacræ Euchastiæ. Ita Origenes, Chrysostomus in Imperfecto, D. Paschas. & alij.

3. *Misit seruos suos.* Qui vocarent ad has nuptias diuini Verbi Incarnati, ad quas ante ipsam Incarnationem fuerunt inuitati Iudæi per Moysen, & Prophetas; post verò ipsam Incarnationem vocati fuerunt per Ioannem Baptistam, per Apostolos, virósque Apostolicos, vt in Christum crederent, ab eóque reciperent gratiam, & gloriam. Ita D. Hieronym. D. Paschasius, D. Gregorius, *Misit seruos suos*: in parabola D. Luc. 14. num. 17. dicitur: *Misit seruum suum hora cœna.* At in præsenti nominantur plures serui. Euangelici enim ministri, qui ad cœleste conuiuium inuitant, plures sunt, & vnus. Plures, quia in diuersas mundi partes diuiduntur. Vnus verò, quia eodem doctrinæ vinculo colligantur. *Ad nuptias*, in quibus est gaudium, requies, & exultatio, vt ait D. Chrysostomus homil. 70. Euthymius, *Vocat ad nuptias*, ait, *tum propter desiderium quod habebat ad Ecclesiam: tum propter ipsius Ecclesiæ gaudium.* Tanto affectu desiderabat Christus sibi adunare Ecclesiam, hoc est omnes fideles, ac sponsus desiderat suas nuptias, in quibus magnum prævidebat gaudium Ecclesiæ. *Nolebant venire.* Quod præter regis, ac seruorum expectationem fuit. Non ad bellum, non ad crucem, sed ad nuptiarum solemnia vocantur. Et tamen noluerunt venire. D. Chrysostomus citatus homil. 70. *Quid enim dementius, quàm cum ad nuptias voceris, resilire? Nam quis in nuptias venire non optaret, & eas regias, quas amantissimo filio facit?*

Hieron. Paschas. Gregor. Luc. 14. *Vnitas in ministris Euangelicis.* Chrysost. Euthym.

QVÆSTIO I.

Quare Christus Dominus proposuit hanc parabolam?

FINIS, ac scopus parabolæ inquiritur in præsenti. Respondent Diuus Hieronymus, Abulensis quæst. 1. quod in præsenti cap. in conclusione præcedentis parabolæ, dixerat Christus Dominus Iudæis, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hic adiungit, & explicat gentem, cui regnum Dei sit dandum, illi nempe, quæ erat extra populum, ac ciuitatem Israëliticam per exitus viarum.

4. Hieron. Abulens.

5. Secundò. Diuus Chrysostomus homil. 70. Postquam ponit superiorem rationem de gente, cui dandum erat regnum, aliam assignat dicens: *Neque id solum*, ait, *sed ineffabilem erga Iudæos curam ostendit: nam cum ibi ante crucem eos vocare videatur, hic etiam in vocando post mortem perseuerat.* In superiori parabola ad agricolas vineæ delegauit seruos suos. Et tandem misit filium suum, *dicens: verebuntur filium meum*; & tamen ipsum comprehensum occiderunt: nunc verò adhuc post mortem filij sui, mittit ad eos seruos suos, qui vocarent eos ad cœleste conuiuium, in quo maximè declarauit suam immensam bonitatem, cum post iniurias, ac mortem filij sui, adhuc à beneficiis non destitit.

Chrysost. *Summa charitas post iniurias à beneficiis non desistit.*

6. Et vocat non ad quodlibet beneficium, sed ad excellentissimum, ad desponsationem nempe animæ cum Deo, quod tam magnum est, vt vix pro nostra tenuitate credi videatur. Ait Angelus Ioanni in Apocalypsi 19. n. 9. *Scribe, beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*, & statim subiungit; *Hæc verba Dei vera sunt.* Omnia quæ in Apocalypsi scripta sunt, verissima esse nullus dubitat, ad quid cum Angelus agit de his, qui vocati sunt ad nuptias agni addit ea vera esse? Tanta est enim dignitas, tamque excelsa prærogatiua, vtilissimam humanam creaturam vocari ad desponsationem cum Deo, vt Angelus hæc dicens, veluti vereatur sibi fidem non esse adhibendam; ideo pro maiori munimine ex Dei parte denunciat verba esse vera. D. Bernard. *Vt citius, & firmius*, ait, *credantur à nobis, & in maiori authoritate habeantur, non sua, sed Dei verba, qua dixit, protestatus est esse vera.*

Apoc. 19. *Sublimis prærogatiua est Deo desponsari.* Bernard.

* * *

Quæstio II.

Quare Deus Pater cùm homo non sit, assimulatur homini regi?

8. Richard. RESPONDET ad quæstionem, Primò Richardus de S. Laurent. de laudibus Mariæ lib.2.p.7. *Propter dilectionem*, ait, *quam habet Deus ad hominem, dicitur Pater homo.* In hoc conuiuio hominibus præparato declaratur Diuinus amor, auctor tanti conuiuij, qui celeberrimam mensam altilium, taurorúmque plenam instruxit, ideo Deus Pater sub persona hominis introducitur: ac si omnibus conuiuium exhibuisset; probatio amoris exhibitio est operis. Vide supra n.35.n.18.19.& 20.

Amor operibus declaratur.

9. Chrysol. Secundò. D. Chrysologus serm.95. *Audisti Dei conuiuium*, ait, *solicitus non sis de qualitate conuiuij. Qui pernenire Regis meretur ad mensam, manducauit quidquid regni dominatio possidet, & potestas sic qui ad conuiuium venerit creatoris, habebit in deliciis suis, quidquid continetur in creatura.* In aliis parabolis dicitur Deus Pater similis homini Patrifamilias; *simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Matth 20. n.1. At verò in præsenti dicitur homo rex cum præparat suum conuiuium, vt denotetur ingens omniũ bonorum affluentia, quæ in hac mensa diuini Regis exhibetur; sicut enim in mensa temporalis regis, omnia bona, quæ terra parturit, apponuntur, sic in hac mensa Diuini regis, scilicet sui sacratissimi corporis, & sanguinis, omnia cœlestia, ac diuina bona communicantur, quibus anima valdè suauiter, ac delectabiliter fruitur, & pascitur in Ecclesia. Vid. verb. *Eucharistia.*

Matth.20.

Omnia bona in Eucharistia.

10. Tertiò. A prædicta combinatione non discedo, In parabola de vinea. Matth 20. dicitur tantum homo Paterfamilias, at hic dicitur *homo rex*; vnde tanta differentia? in præsenti maximè se ostentat liberalem, ad suorum commodum totus intentus, dum omnes ad conuiuium splendidissimum vocat. At verò ad vineam operarios conducebat veluti suæ vtilitati consulens, vt sua vinea esset præparata ad fructus reddendos: nomen autem regis non meretur, qui sibi est intentus, ille verò rex, qui aliis consulit, in aliósque est beneficus. Vide multa, verb. *Prælatus*, vel *Rex*.

Ille rex, qui non sibi, sed alus consulit.

11. Quartò. Cùm dicitur regnum cœlorum simile homini regi, dicturum simile sperabatur regi magnifico, ac præstantissimo, sed tantum dicit simile homini regi; cuius conuiuium magnificum, ac magnum declaratur, cùm pro omnibus sit præparatum, ac positum; declaratur ergo magnificentia eius non verbis, sed factis, non titulis, sed operibus. Vide suprà c.1.n.28. vel etiam pro maiestate sacræ Eucharistiæ trahe huc ea, quæ dixi supra de Cœna mag.c.24.q.2.

Magnificentia declaratur factu, nó verbu.

12. Quintò. Hic princeps Euangelicus dicitur rex, & homo, Rex ob magnificentiam, ac liberalitatem, quam habet erga suos; homo verò, quia suis actionibus humanis liberè fungitur, ipse per se mittit seruos vocare inuitatos; ipse per se exiit, & ad discumbentes accedit, singulorúmque vestes, mores, ac accubitus considerat, ipse per se cum eis loquitur, indignos expellit, dignos, ac bene meritos ad se recipit, ac admittit: ó quantum distat iste princeps Euangelicus, à conditione temporalium regum, qui secessu delitescunt, & clauduntur, nec vocant, nec audiunt, nec vident, nisi cum, quem minister velit introducere? hic enim maximè distat ab hominum natura. D. Syn. lib. de regno sic ad princip. loquitur. *Seuerior illa grauitas*, ait, *ad ipsam quid metuistis: ne si vos sæpius spectandos præbeatis, nimium fitis hominibus vestris familiares, vos domo penitus clausos, & à vobis ipsis quasi obsessos detinet, vt pauciss ima videatis, & audiatis, à quibus rerum agendarum prudentia colligitur, corporisque dumtaxat voluptatibus indulgeatis, ac marini Pulmonis vitam haud dissimilem agitis. Quandiu ergo humanam conditionem aspernamini, nec hominis quidem perfectionem attingitis.* Vide tom.3.c.6 q.1.n.5.& 6.

Princeps Euangelicus exiit, vt videat & cognoscat suos.

Synes.

13. Origen. D. Thom. Sextò. Origenes homil.10.in Matth.& Diuus Thomas, in præsenti. *Rex*, ait, *dicitur a regendo. Nos autem non possumus nec sumus capaces regni eius secundum quod est, sed regit nos secundum modum nostrum; ideo dicitur homini regi, quia regit nos humano modo.* Hic rex Euangelicus, dicitur homo rex, vt ostendatur, quod non tantum gubernat nos, vt supremus omnium rerum Dominus, ac vt respiciens solum ad absolutam celsitudinem suæ maiestatis; sed etiam contemperans, ac submittens se tanquam si esset homo, qui homines regit, accommodans se, ac respiciens ad humanæ naturæ fragilitatem, quam dirigit, & dominatur.

Princeps petitus attēdat ad suorum debilitatem, quā ad suam celsitudinem.

14. Inter tres diuinas personas summa est æqualitas, vt Catholica fides profitetur. Valdè ergo mirum est, quod Spiritus sanctus, qui in omnibus æqualis est Patri, & Filio, dicatur in Trinitate tertia Persona; illa enim voce Hæretici abutuntur, & falsa, ac iniqua argumenta contra æqualitatem Diuini spiritus formant. Nam nomen tertij importat aliquam inæqualitatem in ordine ad primum, & secundum. Præclarè hos errores refutat D. Augustꝰ. quæst. ex nouo testamento 97. *Solent*, ait, *iterum præindicare Spiritui sancto, quod ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur, cum tanta simplicitas sit in scripturis diuinis, vt aliquando inueniatur tertium primum positum vt enim causa se tuleri t, sic ponuntur, nullis enim iniuria est, quia vna eorum diuinitas est.* Diuinus spiritus summè, & commodè æqualis cum Patre, & filio; at verò humana mens cum sit valdè debilis, & limitata, non potest concipere tres personas absque eo quod vnam intelligat vt primam, aliam vt secundam, alteram vt tertiam. Spiritus ergo sanctus, cum sit summa, & infinita bonitas, non curat, nec attendit ad rigorosissimam vocabulorum æqualitatem, & quod tertio loco nominetur, dummodo per fidem seipsam manifestet homini quem regit, & gubernat, respiciens in hoc potius ad exiguitatem, ac tenuitatem nostræ imbecillitatis, quàm ad celsitudinem suæ æqualitatis, ac maiestatis.

Augustꝰ.

Diuinus Spiritus accommodat se nostræ tenuitati.

15. Benedicens Moyses duodecim Tribubus Israël, cum peruenisset ad Ioseph ait ei. *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph.* Deuteron. 33. num. 16. Postulat S. Patriarcha benedictionem Dei super Ioseph; provt apparuit in rubo Deus, sic se exhibuit Moysi in rubo, vt rubus *arderet, & non combureretur.* Exod.3. n.2.& viridis foliis sine vlla læsione stabat secura rubus, vt ait Philo lib. 1. de vita Moysis, hanc benedictionem, hunc que spiritum deprecatur ipse super Ioseph totius Ægypti gubernatorem, nam Deus apparens

Deuter.33.

Exod.3.

Philo.

apparens in rubo, vt omnium Dominus poterat illam comburere, & in cineres redigere; tamen voluit in illa se exhibere, absque alicuius læsione, accommodans se magis illius tenuitati, quam suæ potestati; hanc mentem exoptat Patriarcha, vt Deus infundat Ioseph, vt in suo regiminis clauo nemini læsionem inferat, respiciens potius tenuitatem eorum, quos regit, quàm potestatem, qua dominatur.

Princeps non sua potestati, sed aliorum infirmitati optetur.

QVÆSTIO III.

Quare hic Princeps Euangelicus prius dicitur homo, postea Rex?

16. DICITVR ab Euangelista. *Simile est regnum Cælorum homini regi*, prius nominatur homo, & postea rex, & eleganter quidem hominem præposuit regi, solidum enim fundamentum regij splendoris in eo habetur, quòd sit humanus, misericors; ac pius. Ait Regius Vates Psalm. 105. n. 23. *Et dixit vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Et postea subdit n. 30. *Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio.* Decantántur Moyses, & Phinees, quod in magnis peccatis populi pro ipso coram Deo stetissent deprecantes. Sed cur non potius generositas Moysis, quod pro adoratione vituli viginti tria millia idololatrarũ iussisset interfici? Exod. 32. n. 28. & etiam audacia, ac fortitudo Phinees cum arrepto pugione Principem Israël cum Madianitide interfecisset. Num. 29 n. 7. Cur ergo in eis non celebrantur tot illustria facta, sed solum quod pro populo deprecantes stetissent? Moyses, & Phinees Duces, Principes, ac gubernatores populi, proindéque magis in eis conspicua pietas, ac clementia, qua pro suis sunt deprecati, eísque veniam impetrarunt, quàm generositas, ac fortitudo, qua hostes occiderunt, & iugularunt. D. Gregor. Nazianz. epist. 81. loquens de Phinees, quod etiam intelligendum est de Moyse. *Zelatoris cognomentum*, ait, *hinc obtinuit Phinees, quod Madianitidem vnà cum eo qui stuprum ipsi inferebat, gladio transfixit, atque ex Israelitica natione probrum exemit: At maiorem hoc nomine laudem tulit, quod pro populo in scelus collapso preces fudit*, &c.

Pſalm. 105.

Exod. 32.

Num. 29.

In rege magis resplendet pietas, quam generositas.

Nazian.

17. Secundò. Origenes homil. 20. in Matth. *Necesse est*, ait, *vt simile sit regnum Dei homini regi, vt hominibus quasi homo apud homines loquatur.* Rectè annectit Dominus in parabola hominem regi, vt licet reges super homines sint, homines tamen se esse cognoscant, nec Deos se existiment, qua fatuitate aliqui reges laborarunt, vt se Deos, Iouísque filios, aut solis timidè nuncuparent; Rex ergo sic resideat in regali Solio, vt hominem se esse sciat, *vt hominibus quasi homo apud homines loquatur.* Vnde apud Romanos triumphatoribus gloriosior erat vox serui admonentis esse hominem, quàm laurea corona pro victoria. Tertullianus in Apolog. aduersus Gentes sic ait: *Suggeritur ei à tergo: Respice post te, hominem memento te. Etiam hoc magis gaudet, tanta se gloria cornscare, vt illi admonitio conditionis sua sit necessaria.* Pondera verba. *Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verò diceretur. Maior est, qui renocatur, ne se Deum existimet.* Gloriosior illi vox, cùm homo dicitur, quam si Deus tunc diceretur.

Origen.

Reges sciant se esse homines.

Tertull.

Acceſſit centurio ad Christum Dominum pro sanitate serui rogans, dicens illi, quod sufficit, vt ipse tantum verbo dicat, vt puer sanitatem recipiat, & subdit. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit.* Matth. 8. n. 9. Considerat ipse suam potestatem, & numerat sub se habere milites, *dico huic vade, & vadit, & alij, veni, & venit.* Et centurio idem est, ac habens sub se centum milites. Considerauit Dauid aliquando suos milites, viros potentes ad bellum, tunc vanitatis vento commotus miserrimè corruit. Centurio de sua potestate gloriatur suorum militum obedientiam expendens; & tamen vanitate non commouetur, & optata impetrat; Quænam huius rei causa? Dauid considerauit solum se esse regem: *sermo regis magis preualuit.* 1. Paral. 21. n. 4. At Centurio sic respexit sub se habere centum milites, vt primùm ei in mentem venerit, quod homo erat, *homo sum sub potestate, habens sub me milites.* Qui in dignitate sic se habet, vt ante omnia se hominem esse agnoscat, securus degit, multum promeretur, & magnos fauores assequitur; at verò qui solum se cogitat regem, vt sermo eius contra omne ius præualeat, peccat, labitur, ac in magnam Dei iram incidit, quod secus fieret si ad humanum pulueren aspiceret. D. Bernard. Epist. 42. *Homo*, ait, *sum, & homo sub potestate, iam quid subinferas, suspectam habemus iactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipites.*

Matth. 8.

Paral. 21. *Qui se considerat hominem, securus est in dignitate.*

Bernard.

Ait Dauid Psal. 81. n. 6. *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini.* Ad Reges, Principes ac iudices sermo est, vt est communis interpretatio D. August. D. Chrys. D. Hier. N. Incogn. & aliorum, sed dum decantatur tanta eorum gloria, vt dij appellentur, cùr statim adiungitur, *vos autem sicut homines moriemini?* Ponitur in hoc clauus, ac firmitas ipsius dignitatis, ad stabiliendam ipsam dignitatem, maximè expedit, vt quis se cogitet hominem moriturum. Ipsa cogitatio hominis munimen dignitatis est. D. August. tract. 1. in Ioannem. *Tunc in melius*, ait, *nos erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus: id est, vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne computemus nos aliquid esse cum nihil simus:* Vide suprà c. 24. q. 1. n. 8.

18. Psalm. 81.

August. Chrysost. Hieron.

Consideratio humanæ naturæ munimen dignitatis. August.

Matth. 22. num 4. Iterum misit alios seruos, dicens: dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.

Num. 5. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem.

VERSIONES.

Syriac. n 4. Ecce conuiuium meum paratum est, tauri mei, & altilia mea mactata sunt, cunctáque parata sunt: venite ad conuiuium.

Imperfectus. Tauri mei, & saginata occi-

homil.41. ſa ſunt, & omnia iam parata.

Arabicus. Vituli mei ſaginati.

Arias. Et omnia expedita.

Vatabl. n.5. Illi autem neglexere.

Multi ex Graco. Illi autem contempſerunt, ſeu nihil curarunt.

Syriacus. Illi autem ſpreuerunt : & abiere, alius quidem in villam ſuam, alius verò ad mercaturam ſuam.

EXPOSITIO II.

20. MISIT *alios ſeruos.* In hoc apparet ſumma patientia, ac humanitas huius regis, qui vocatorum ingratitudine non offenditur, qui quamuis contempſerint eius maieſtatem, ac filij ſui nuptias, adhuc in eos maiora beneficia parat, vocans eos ad regale conuiuium ſuum. *Miſit alios ſeruos :* diſtinctos nempe à primis. Ac proinde ſatis congruè per primos intelliguntur Prophetæ, per ſecundos verò Apoſtoli. Vt docent Origenes, D. Hieron. Beda, S. Thom. Carthuſian. & alij, & quamuis intelligantur Prophetæ, & Apoſtoli, non publicantur hoc nomine Prophetæ, & Apoſtoli, ſed ſolum dicuntur ſerui, maxima enim dignitas eſt ſeruum Dei dici, & nominari. Et notandum eſt, quod quamuis ſatis fuiſſet notum ſecundis ſeruis, primos non fuiſſe admiſſos, nam inuitati noluerunt venire, tamen adhuc ſecundi hanc curam iterum ſuſcipiunt. *Aliorum ſalus ſemper inſtandum.* Aliorum enim ſaluti ſemper inſtandum, & ab hoc negotio non deſiſtendum eſt. *Dicere inuitatis.* Bene ſciebat magnus rex, inuitatos venturos, non eſſe, ſed quia eos inuitauerat, vocat; eligens potius ſuam maieſtatem vocatorum contemptui, quàm veritatem ſui verbi, alicui ſiniſtræ mendacij opinioni exponere. *Dicere inuitatis.* Sunt homines, qui ſi inuitantur nolunt venire, & ſi non inuitantur, ægrè ferunt, ſe contemptos exiſtimantes, ideo eos vocat.

Origen. Hieron. Beda. D Thom. Carthuſ.

Aliorum ſalus ſemper inſtandum.

Ecce prandium meum. Quod ſtatutis nempe horis celebratur, & hoc dixerunt ſecundi miniſtri

21. inuitantes ad conuiuium, non verò primi, quia miniſtri Apoſtolici, ac Euangelici ſuauius, ac dulcius ad Chriſtum vocant, quàm Patres veteris teſtamenti, *parauí :* & iterum, *parata ſunt omnia*, vt nullus eſſet locus excuſationi, ac dilationi in alium diem, vel horam, quia omnia erant parata, & aduentus inuitatorum non poterat differri, cum enim Deus vocat, ſtatim eſt eundum, & minimè cunctandum. *Parauí.* Maximè Diuinus Rex præparationem prædicat in hoc ſuo conuiuio, vt intelligamus excellentiam eſcæ huius diuini conuiuij ſui ſacratiſſimi corporis. Et ſi Rex alta ſua ſapientia illud parauit, quanta puritate nos debemus eſſe paratos ad illud ſuſcipiendum.

Quanta præparatione accedendum ad ſacram Euchariſtiam.

22. *Tauri mei, & altilia.* Altilia, hoc nomen deducitur à verbo alere, ac cibare, ſignificat ea omnia, quæ ſunt ad nutrimentum, multi codices habent *Saginata*; quæ nempe lacte, & rapis ſaginantur, & impinguantur. Dicuntur *vituli occiſi*, quia olim nuptiæ à ſacrificio auſpicabantur, & nuptialia conuiuia epulis, victimiſque in ſacrificio mactatis, & immolatis agebantur; ſic & nuptiale Chriſti conuiuium, quod hic deſcribitur, à ſacrificio crucis ſumpſit exordium. Cum ergo dicuntur tauri occiſi, & altilia, ſignificatur conuiuium valdè magnificum, & ſplendidum cum omnibus, quæ ſolebant dari in magnis conuiuiis. Vt notat D. Hieron. hic.

Antiqua conſuetudo.

Hieron.

23. *Illi autem neglexerunt.* Seu vt habet Syriacus, *ſpreuerunt.* Extrema hominum miſeria, cum enim terrenis eſſent dediti, cœleſtia, ac ſpiritualia contempſerunt. *Abierunt:* à ſeipſis ad propria ſua negotia. *Alius in villam ſuam.* Ecce quanta ſit horum ſtultitia, pro agricultura, ac mercatura, relinquunt cœleſtem menſam, quæ facit Reges, & Principes.

Syriacus.

QVÆSTIO IV.

Quare cum inuitati noluiſſent venire: adhuc homo rex vocat benignè, ac vrbanè?

MANDAVIT homo rex per ſuos primos 24.
ſeruos vocare inuitatos ad nuptias. *Et nolebant venire.* Nunc verò per hos ſecundos ſeruos mandat. *Dicere inuitatis : Ecce prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occiſa ſunt.* Cur non iraſcitur in inuitatos, ſed adhuc eos tam benignè vocat? *Ecce prandium.*

Reſpondet primò D. Gregorius homil. 38. in 25.
Euangelia. *Notandum*, ait, *quod in priori inuitatione, nil de tauris, & altilibus dicitur, in ſecunda autem iam tauri, & altilia mactata memorantur : quia omnipotens Deus, cum verba eius audire nolumus adiungit exempla, vt omne, quod impoſſibile credimus, tanto nobis ad ſperandum fiat facilius, quanto per hoc tranſiſſe, & alios audimus.* Per tauros intelligit S. Doctor; vt dicam quæſtione ſequenti, Patres veteris teſtamenti, per altilia verò Patres noui teſtamenti; vocati noluerunt venire; mandat eos iterum vocare, præponens eis in exemplum Patres veteris, & noui teſtamenti, qui cum à Deo eſſent vocati, illico venerunt, vt eorum exempla ſequentes feſtinanter & ipſi veniant. Quid exemplis efficacius? Vide multa in Indice Verb. *Exemplum.*

Gregor.

Exemplum valdè efficaciter mouet.

Secundò. Primò vocati noluerunt venire, adhuc 26.
ſecundò eos mandat vocare, non vultu contracto, nec rigidis, ac aſperis verbis, ſed ſerena facie, vrbano modo, & multa cum modeſtia. *Ecce prandium meum paraui : venite ad nuptias.* Magnus ille centurio de ſe dicebat. *Habens ſub me milites : dico huic vade, & vadit, & illi, veni, & venit.* Matth. 8. n. 9. Non ait. Iubeo, vel cum faſtu impero, ſed dico, ac ciuiliter moneo milites, & ſe vna, & eadem trutina penſebat. Ait Textus 2. Reg. 8. num. 18. *Banaias autem filius Ioiada ſuper Cerethi, & Phelethi.* Caietanus ait; quod in Hebræo non ſit illa vox *ſuper :* tanta modeſtia ſe habebat Banaias cum ſuis militibus, vt eos non tanquam Princeps regeret, ſed tanquam commilitones habens. Caietanus : *Propter eorum eminentiam*, ait, *non dicitur, quod Banaias fuerit ſuper eos : ſed dicitur, Banaias Cerethi, & Phelethi, vt ſupputentur tanquam ſocij.*

Matth. 8.

2. Reg. 8.

Caietan.

Tertiò. Noluerunt venire inuitati. Et adhuc eos 27.
vocat. Verè hic homo Rex manifeſtatur, quod Deus ſit, tanta enim humanitas, ac pietas ſolius

Dei

Dei est; hominis est infligere supplicia. *Missis suis exercitibus perdidit homicidas illos*; at benignè vocare, ac parare conuiuium solius hominis regis, soliúsque Dei est. Conuertit Moyses aquas Ægypti in sanguinem: *Fecerúntque similiter malefici* Exod.7. *Ægyptiorum incantationibus suis*, Exod.7. n.22. Cúmque obduratum esset cor Pharaonis, extendens Aaron *manum super aquas Ægypti, ascenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti.* Deinde Exod.8. subdit: *Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxerunt ranas super terram Ægypti*, Exod.8.n.7. Cúmque hac plaga valdè opprimeretur Pharao cum toto suo populo, vocat Moysen, & Aaron dicens eis: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me*, ibid.n.8. Nonne malefici Ægyptiorum eduxerunt ranas, cur & eas non auferunt, sed ad hoc vocatur Moyses? Moyses constitutus erat Deus Pharaonis, Exod.7. n.1. Affligere, ac vexare populum plaga faciet Moyses, facient & Magi, at clementiam exhibere, & auertere plagam, hoc tantum præstabit Moyses, qui constitutus Deus est. Theodor. q.18. in Exod. *Ranas quoque produxerunt malefici, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Ægyptiorum; concessit itaque Deus incantatoribus, vt hæc facere possent, vt Ægyptios castigarent, non tamen dedit illis, vt vltionẽ sedarent.* Vt per hoc cognosceretur eximia potestas Moysis.

Solius Dei est exhibere clementiam, & pietatem.

Theodor.

QVÆSTIO V.

Quare tauri, & altilia dicuntur occisa in conuiuio, & non numerantur sicut alterius quinque iuga boum?

18. NOTAT Aymon, quod dicitur: *Tauri mei, & altilia occisa sunt, ac si diceret: Patrem præcedentium mortes aspicite, & media vita vestra cogitate.* Ad quid tendit, quod de occisione taurorum, ac altilium fit mentio? Erat mensa ista parata à rege illo non conuiuij temporalis, sed æterni, quod non respiciebat ad carnalem, sed spiritualem vitam, ideo illa mortuorum memoria componitur, de qua humanus maximè solet saginari spiritus.

Haymon. *Memoria mortui humanus spiritus saginatur.*

29. Secundò. Dicuntur tauri, & altilia occisa, & eorum numerus non præfigitur. Nam vt ait Palatius: *Credo tauros, & altilia Christum vnicum esse: vnus Christus vocatur Agnus, vitulus, hircus, ouis, vitula ruffa, turtur, passer occisus, & alia multa, ergo ipse est taurus, & altilia.* Cùm ergo in illis designetur Christus Dominus, taurorum, & altilium numerus non ponitur; quia in Christo sunt omnia bona, quæ minimè suppeditari valeant. Vide Verbum *Eucharistia.*

Palatius.

30. Tertiò. Dicuntur tauri, & altilia, & tamen eorum numerus non scribitur, aliter ille, qui se excusat à cœna magna, ait: *Emi quinque iuga boum, ea probare illa*, Luc.14.num.19. Cur in his numerus, non verò in illis assignatur? Dapes in regali mensa cœlestia dona adumbrant, empti verò boues terrena bona, vt docet D. Augustin. apud D.Thomam in Caten.ad cap.14 Luc. *Quinque iuga boum*, ait, *sensus carnis huius quinque numerantur: dicuntur autem iuga boum, quia per sensus istos carnis terrena requiruntur: boues ergo terram versant, homines autem remoti à fide terrenis dediti nolunt credere.* Prout ergo boues terrenis inseruiunt, numerus quidem breuis in eis apponitur, *iuga boum emi quinque*: cum autem cœlestibus, ac regiis mensis inseruiunt, omni numero carent, cœlestia enim dona innumera consistunt, & minimè exigua, ac limitata sunt, vt terrena. Vide suprà c.7.n.81. & 82. & c.8.n.139.140.141. & num.279. 280. & cap.24. n.31.32. & cap.27. num.8.9. & 10.

Luc.13.

Bona cœlestia innumera, terrena exigua. Augustin.

QVÆSTIO VI.

Quare non solum referuntur in conuiuio tauri, sed etiam altilia apposita?

RESPONDEO mandat dicere inuitatis: *Tauri mei, & altilia occisa*; ait: *tauri mei*, hic bonus Rex non manducat, nec parat mensam ex alienis, nec ex vi extractis, sed ex suis propriis: *Tauri mei*, & addit altilia, sic dicta ab alendo, quasi alitilia, id est, alita, vt ait D.Gregorius, seu vt alij vertunt, *Saginata*, vt iam dixi in expositione. D.Hieron. *Prandium paratum. & tauri, & altilia occisa per metaphoram opes regales describunt.* Dabat Rex conuiuium, vt expediens erat eius maiestati, multa magnificentia, liberalitate, ac apparatu extructum, tantísque ferculis repletum. 31.

Gregor. Hieron.

Galfridus apud Tilmanum: *Et carne quidem*, 32. ait, *taurorum cibus fortior, altilium esus delectabilior est: vtraque ergo videtur in suis Dominus nuptiis, & parata suis enumerare conuiuis, quæcunque vel ad necessitatem expectanda sunt, vel appetenda ad voluptatem.* In quibus verbis tria nota. Et primò: *Taurorum cibus fortior, altilium esus delectabilior.* In hoc magnifico conuiuio non solum apponuntur tauri ad necessitatem victus humani, sed etiam altilia, seu saginata, vt alij legunt, ad iucunditatem, & superabundantiam, suis præbet Dominus non solum necessaria, sed etiam quæ iucunditatem, ac oblectamentum afferant.

Galfridus. *Deus suis dat nõ solum necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem.*

Cùm teneretur Israël obsessus inter mare rubrum, & exercitum Ægyptiorum, vt nulla esset spes euadendi per medium maris, de quo decantatur Sapient.19. num.7. *Ex aqua, quæ antea erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo*; Fecit Deus per medium maris non solum viam populo suo, sed etiam campum germinantem, & ad quid hic campus germinans herbis, floribus, ac arboribus consitus? Summa Dei magnificentia non solum suis præbet iter, vt fugiant è manu inimicorum, sed etiam cum floribus, ac arboribus, quæ hilaritati, ac oblectamento inseruirent, ac recrearent. 33.

Sapient.18.

Iter cum iucunditate.

Secundò. *Vtraque videtur in suis Dominus nuptiis, & parata suis enumerare conuiuis.* Si Dominus tanta magnificentia, ac liberalitate suis inuitatis parat conuiuium, nos etiam multa promptitudine ei obsequia debemus persoluere. Ait Sponsa Cantic.2. num.16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*; pondera ordinem verborum: prius ait: *Dilectus meus mihi.* Deinde subdit: *Ego illi.* Ac si ad omnes sodales magnam faciat hanc exhortationem. Si dilectus meus, cum tam magnus, & magnificus sit totus est mihi, ego quæ valdè exigua sum tota debeo esse illi, totáque illi addicta. D Bernardus serm.68. in Cant. *Propterea*, ait, *vtrumque ponit dicens, Ille mihi, & ego illi: ille mihi, quia benignus, & misericors est; ego illi, quia non sum ingrata,* 34.

Cantic.2.

Ex sua magnificentia Deus monet, vt nostra illi offeramus.

Bernard.

ingrata : ille mihi gratiam ex gratia : ego illi gratiam pro gratia : ille mea liberationi, ego illius honori : ille ſaluti meæ, ego illius voluntati.

35. Tertiò. *In carne quidem taurorum cibus fortior altilium vſus delectabilior eſt.* Ab hoc magnifico regali conuiuio diſcat Eccleſiaſticus Doctor animarum vtilitatis auidus, vt in conuiuali menſa ſuæ doctrinæ proferat, *Taurorum cibus fortior, & altilium eſus delectabilior.* Non omnibus eandem eſcam proponat, ſed diuerſam pro fortibus, ac debilibus. Cibus robuſtorum dogmata ſunt alta, quæ magnum ingenij acumen in auditore deſiderant; cibus delicatior debilium eſt, qui à ſimplici plebe mandari poteſt, pro capacitate vniuſcuiuſque paſtum exhibeat bonus prædicator. Diſcat, diſcat à Doctore Gentium, qui dicebat. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*, 1. Corinth. 9. n. 22.

Prædicator Euangelicus accommodet ſe auditoribus.

1. Cor. 9.

36. De ſacris Doctoribus ait Daniel. 12. n. 3. *Fulgebunt qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ in perpetuas æternitates.* Cur magiſtri cum Stellis comparantur? Inter ſtellas quædam dicitur taurus, quædam Virgo, alia eſt enim mercatorum planeta, alia agricolarum; non vna ſtella omnibus, ſed pro diuerſitate humanarum rerum, varia eſt auctoritatis poteſtas, ita præceptores variis induantur formis. Cùm obduratis, ac inobedientibus, tanquam cum Marte armata manu pugnent; cùm paruulis, ac debilibus, veluti lenem virginem ſe exhibeant; cum ſapientibus veluti dexteritate Apollinis contendant, cum rudibus, ac agreſtibus veluti agricolarum planeta condeſcendant D. Anaſtaſius Sinaita lib. 4. Anagogicarum contemplationum poſt medium, vbi oſtendit duodecim ſtellas eſſe duodecim Apoſtolos; ſic ait: *Quod ſi vis melius diſcere aliqua etiam nomina huius, qui erat aliquando Zodiacus circulus Eccleſiæ, nempe duodecim Stellarum Apoſtolicarum, conſidera firmamenti duodecim appellationes. Hæ autem ſunt: Virgo, Heſperus, Lara, Gemini,* &c. *Sed ea quidem fabuloſè, & falſo ſunt appellata : in firmamento autem Eccleſiæ, ſpiritualiter, & ſemper lucent.*

36. Daniel. 12. *Aſtrorum more pro diuerſitate ingenij ſit prædicator.*

Anaſtaſ.

37. Benedicens Moyſes tribui Ioſeph, ait illi: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis, cornua illius : in ipſis ventilabit Gentes vſque ad terminos terræ*, Deuter. 33. num. 17. Hæc prædicebat Moyſes in ſpiritu ad prædicatores Euangelicos. Gloſſa: *Ventilabat prædicatione crucis diſcernens paleas à frumento.* Iam tamen inſurgit quæſtio ad quid Doctorem depingendum veluti monſtrum proponit Moyſes? Nam ſi taurum initio ſtatuit, quamobrem cornua rhinocerotis adiungit? Quis vnquam vidit aliquod animal, quod ſimul ſit taurus rhinoceros? Altè perpende Moyſis prudentiam: Formaturus imaginem eximij Doctoris, qualem depingeret? Si ſeuerum tantum minas euomentem, vt taurum, hoc vitium eſſet: ſi remiſſum, languidum ſine vigore, res reprehenſibilis eſſet. Quo pacto ergo taurum, & rhinocerotem, ſeu vnicornium, blandum nempe, & vehementem. In tauro refulget bilis, in rhinocerote, quod eſt animal imbelle, lenitas, & manſuetudo, his ergo duabus dotibus appoſitè delineatur bonus Magiſter, vt ſimul habeat admixtam ſuauitatem cum rigore verborum, habeat cornua tauri in verbis ad pertinaces domandos, teneritudinémque Vnicornij ad ſimplices reducendos. Tertull. lib. aduerſ. Iudæos, *Rhinoceros*, ait, *& Taurus ob vtramque diſpoſitionem, aliis ferus, vt Iudex, aliis manſuetus, vt Saluator.* Vide verb. *Prædicator*, in Indice.

Gloſſa.

Doctor habeat rigorem cum lenitate.

Tertull.

Matth. 24. num. 6. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

Num. 7. Rex autem cum audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit.

VERSIONES.

Syriacus. Reliqui autem comprehenderunt ſeruos eius, & opprobrio affecerunt, ac trucidarunt.

Imperfectus homil. 41. Indignè tractauerunt, & occiderunt.

Lucas Burg. ex Græco. Contumeliis affecerunt, & occiderunt.

Syriac. n 7. Quod cum audiſſet Rex ſcandauit: miſſiſque exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum concremauit.

Arias. Vrbem eorum incendit.

EXPOSITIO III.

38. *Otioſtrum malorum cauſa.*

RELIQVI verò. Tria ſeruorum genera hic numerantur, quidam tanquam agricultores ad vineam, ſeu villam tetenderunt, alij vtpote mercatores ad negotiationem ſuam. At hi tertij in quonam erant occupati? In nulla prorſus re, ſed otioſi, nulli labori, aut negotio operam dabant, & ideo tantum nefas perpetrarunt, vt ſeruos Domini ſui crudeliter occiderent. *Vacat vitiis noſtris, & ad omne votum fluente fortuna laſciuit otium.* Sapienter dixit Quintilian. Declamat. 3. *Tenuerunt ſeruos eius.* De Iudæis eſt ſermo, qui poſt Spiritus ſancti aduentum, ſacros Apoſtolos, eorúmque diſcipulos, à quibus vocabantur ad conuiuium Euangelicæ fidei, eos comprehenderunt, & occiderunt, nimirum vtrumque Iacobum, maiorem, & minorem, Stephanum, & alios. Debebant ſanè Iudæi magnas gratiarum actiones impendere Apoſtolis, à quibus inuitabantur ad cœleſte prandium, & tamen illis cum multa ſæuitia mortem inferunt, crudelitas, ac inhumanitas nullis beneficiis flectitur, ac mitescit.

Quintil. *Crudelitas nullis beneficiis flectitur.*

39. *Rex autem cum audiſſet.* Seruos ſcilicet ſuos contumelia affectos, & occiſos, voce nempe ſanguinis eorum clamante, vt inquit Interlineal. *Iratus eſt.* Lenitate ſua depoſita, & in furorem conuerſa. Dicitur, iratus eſt, vt notat Carthuſ. non paſſionis affectum habendo, ſed iuſtitiam exercendo, ſeu infligendo vindictam per modum iraſcentis. Et miſſis exercitibus ſuis. Rectè notat D. Thomas. Quòd in ſuperiori parabola de vinea, aſſignauit

Interlin. Carthuſ.

D. Thom.

assignauit contra Iudæos pœnam spiritualem; *auferetur à vobis regnum Dei*, hic ponit pœnam temporalem, qua iniqui maximè affliguntur. *Missis exercitibus suis.* Hic prædicit Dominus excidium Ierosolymitanæ ciuitatis. D. Gregorius hom.38.in Euangelia ait: *Angelorum agmina sunt exercitus regis nostri.* D Hieron. *Per hos exercitus*, ait, *Romanos intelligimus sub duce Vespasiano, & Tito, qui occisis Iudæa populis prauaricatricem incenderunt ciuitatem.* Ac proinde per exercitus tam Angelos, quam Romanos intelligunt, Beda, Aymon, Alb. Magn. S.Thom. Hugo, & alij. Cùm Deus irascitur in hominem, omnis creaturarum exercitus in ipsum armatur, ac contra ipsum pugnat.

Gregor. Hieron. Beda. Aymon. Albert. D.Thom. Hugo. *Contra peccatorem omnis creatura armatur.*

40. *Perdidit homicidas illos*, qui seruos à rege missos interfecerunt. *Et ciuitatem illorum succendit.* D.Chrysostom. homil.70. ait, quod ponitur ciuitas pro ciuibus. Abulensis, quod dicitur, *ciuitatem illorum succendit.* Ad grauissimam pœnam explicandam, vt scirent, quod non solum ipsi in perditionem ituri erant, sed etiam eorum ciuitas, & patria, cuius denastatio magnum dolorem ingerit. *Ciuitatem illorum:* Non ciuitates, vt bene norat Origenes homil.10 in Matth. *Ciuitas hæc*, ait, *est congregatio malorum.* Et hæc congregatio merito dicitur vna ciuitas, non plures, mia est enim impiorum concordia ad malefaciendum, & pessimi facillimè in vnum vniuntur.

Chrysost. Abulens. *Patria denastatio magnum dolor.*

Origen.

QVÆSTIO VII.

Quare cùm irascitur dicitur tantum rex, cum antea appellatus fuisset homo, & rex?

41. VM Dominus iste suis parat conuiuium dicitur homo rex. *Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* Postea verò cùm irascitur, dicitur tantum. *Rex autem cùm audisset iratus est.* Ad quod rectè respondet D Paschas. hic lib.9. in Matth. *Introducitur*, ait, *primum Rex, & homo, quando inuitat ad nuptias, & agit opera clementiæ. Tunc quidem appositum est nomen hominis, nunc quando ad vltionem festinat, homo bene tacetur, & rex tantum dicitur, & iratus introducitur, quia ira regis nuntius mortis.* Cùm parat conuiuium dicitur homo rex, quia Deus est humanissimus in hominem ad benefaciendum, at verò cum irascitur dicitur rex tantum. *Iratus est autem*; ad exprimendam magnam pœnam, ira enim regis denastationem, mortem, ac desolationem omnium denuntiat, & importat. *Indignatio regis nuntij mortis.* Prou.16.num.14. Non ait indignatio regis nuntius, vt videbatur dicendum, sed nuntij, vna ira regis multiplex nuntius mortis, & interitus.

Paschas. *Ira regis nuntius mortis.* Prou.16.

42. Secundò. Respondet D.Hieron. hic. *Quando inuitabat ad nuptias, & agebas opera clementiæ, hominis nomen appositum est: nunc quando ad vltionem venit, homo siletur, & rex tantum dicitur.* Cùm irascitur ob iniurias, contumelias, ac mortes illatas in suos seruos, dicitur Rex: *Cùm audisset rex iratus est.* Ac ù ab ipsa regis nomenclatura, ab ipsóque regali munere esset prouocatus ad pœnam, & mortem inferendam; *Nunc quando ad vltionem venit, rex tantum dicitur.* Nam vt bene ait D.Chrysost. hom.31. ad Rom. *Multarum siquidem rerum monumenta sunt nomina.* Illa enim pro magna disciplina inseruiunt, mentémque monent, quid à recto, ac bono vito agendum sit.

Hieron. *Nomine quis admonetur ad rationem sui officij.* Chrysost.

Cùm Abimelech tulisset Saram in domum suam. *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, en morieris.* Genes.20.num.3. iuxta radicem Hebraicam. Non legitur Deus, sed venit Iudex ad Abimelech. Ad quid hic scribitur Dominus sub nomine Iudicis, cum passim in toto libro Geneseos, & quando apparet Abrahamo Deus nuncupatur? Cur hic dicitur Iudex? Veniebat Deus ad puniendum regem, ad cationémque ab eo exigendam, cur in domum suam tulerit mulierem, quæ habebat virum: dicitur ergo tunc iudex pro eruditione nostra, vt ex suo nomine meminerit se esse iudicem, rectéque rationem iudicis adimpleret, ab ipsóque veluti nostro dicendi modo nomine iudicis impelleretur, vt iudicis officium adimpleret. Caietan ibidem. *Apte*, ait, *index nominatur Deus, apparens ad iustitiam exercendam instruendo, & comminando, & præcipiendo.*

43. Genes.20. *Nomen iudicis ad exercendam iustitiam.* Caietan.

Clamant Sancti Martyres ad Deum. *Vsquequò Domine sanctus, & verus, non iudicas, & non vendicas sanguinem nostrum?* Apoc.6. n.10. Cum impiorum punitionem postulant triplici nomine Deum appellant Dominum, sanctum, & verum. Cur his nominibus Deum vocant, & non potiùs agnum, vt ferè per triginta vices in Apocalypsi nominatur? *Cantabant Deo, & Agno.* Iterum *dignus est Agnus*, &c. Intendebant sancti Martyres, vt tyranni supplicio afficerentur. *Dicunt ergo Dominum.* Cui obseruatio iustitiæ incumbit; *Sanctum*, qui est totius sanctitatis fons, cui omnis iniquitas maximè displicet: *Verum*, qui est constans, & fidelis in suis verbis, ac promissionibus. *Eradicabitur impius de terra viuentium.* Vt his nominibus Deo obiiciant celsitudinem suæ maiestatis, ac eminentiam suæ potestatis; vt tanquam Dominus iustitiam adimpleat, vt sanctus iniquitatem dissipet, ac dispergat, & vt verax comminationes contra impios factas exequatur, ac proinde his nominibus Deum prouocare volunt, vt suis querimoniis attendat. Rupert. lib 4. in Apoc. *Pulchrè*, ait, *nimis compellatur nominibus istis, vt per ea faceret veritatem inuicy.*

44. Apoc.6. *Martyres Deum compellant ad punitionem.* Rupert.

QVÆSTIO VIII.

Quare iratus rex missis suis exercitibus perdidit homicidas illos, & eorum ciuitatem succendit?

45. RIMA, & communis ratio, Grauissimum crimen commisetunt homicidæ, seruos enim regis, qui missi fuerant ad vocandos eos ad nuptias, sine vlla causa occiderunt, ideo iusta pœna factum est, vt homicidæ occiderentur, & insuper eorum ciuitas succenderetur, cum pro tot beneficiis mala rependerent. D. Athanas. homil. de semente. *Quid enim*, ait, *deterius, quàm beneficia accipere, & insidiari?*

Athanas. *Turpe beneficia accipere, & insidiari.*

Secundò. Abulens. quæst.14. homicidas perdidit, & ciuitatem eorum succendit. Sic ait. *Vt timeretur, & nemo auderet de cætero nocere ei vel peccare in ipsum.* Nam lenitas, ac patientia in iniurijs sufferendis, sæpè impijs est occasio ad graviores

46. Abulens.

uiores iniurias inferendas; & ideo vt ait citatus Abulensis, sic interdum solent Principes expugnantes aliqua loca, postquam ea violenter sub sua potestate redegerunt, duros capitis cruciatus irrogare, vt alij non audeant pugnare, vel rebellare contra eos. Ciuitas Sichem constituit sibi regem Abimelech, tamen post tres annos contra ipsum surrexit, & rebellauit; Tunc Abimelech ipsam ciuitatem expugnauit, ac captiuauit, illiúsque omnes habitatores occidit, vrbem destruxit, *itaut sal in ea dispergeret.* Iudic.9. num.45. in rebellionis pœnam, vt alij de simili delicto cauerent. Vide suprà c.17.n.94.& c.45.q.7. in secunda solutione.

Interdum lenitas, ac patientia occasio ad iniurias.

Iudic.9.

47. Chrysost. Tertiò. Elegantèr D.Chrysostomus hom.70. in Matth. confert historiam præsentis parabolæ cum illa alia, de qua superiori cap. egi. *Paterfamilias plantauit vineam, & locauit eam agricolis: & peregrè profectus est. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius, & agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus; & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad illos filium suum,* &c. Matth.21. num.33. In hac parabola de vinea bis audit Dominus seruos suos missos occisos, & iniuriis affectos, & tamen nondum irascitur, sed adhuc quiescit, & satagit agricolas reducere ad se, mittens ad illos filium suum. In hac verò præsenti parabola bis misit rex vocare ad nuptias, & semel tantum audiuit, quod à quibusdam serui eius interfecti fuissent, *reliqui verò tenuerunt seruos eius, & occiderunt.* Tunc immediatè subditur. *Cum audisset rex iratus est, & missis exercitibus perdidit homicidas illos.* Cur citius irascitur in secundo, quam in primo? Illic occidebantur serui exactores fructuum, hic occidebantur, qui prandia exhibita à supremo Rege offerebant. Illic occidebantur qui fructuum vectigalia exquirebant; hic verò persecutiebantur qui ad regiam magnificentiam inuitabant: & apud Deum supremum crimen lætæ maiestatis censetur illius donis non acquiescere, oblaráque eius munera respuere, insigne enim maiestatis est largitas, qui autem à muneribus oblatis abstinet, iniuriosè maiestati infestat, illiúsque splendori tanquam contrarius se se opponit. D. Chrysostomus citata homil 70. *Nec grauiter,* ait, *hi solum peccauerunt, cum inuitati non venerunt, sed atrociter inuitantes seruos, & vituperauerunt, & necauerunt, quod multo superioribus grauius est. Illi enim fructus repetentes, hi verò in nuptias vocantes trucidarunt, quo furore quis maior excogitari potest?*

Matth 21.

Chrysost.

48. Quartò. Adhuc insisto in vtriusque parabolæ combinatione. Citiùs Rex irascitur in secundo, quàm in primo. Nam in primo requirebatur ab agricolis annuale vectigal fructuum. In secundo verò proponebatur regale conuiuium supremi regis; & plus doluit, ac iniuriosius tulit rex, quod eius magnificentiam nolint experiri, quàm quod vectigalia non penderent, ægriúsque tulit dona sua reiecta, quàm vectigalia non reddita, quod confirmabitur ex statim dicendis.

Magnificus magis solicitus de beneficiis declarandis, quàm de vectigalibus.

49. Quintò. Cùm audit Dominus seruos suos occisos, iratus statim perdit homicidas illos, & illorum ciuitatem succendit, non sic festinat Domini furor aduersus iniquum villicum, nam audita fama, quod dissipasset bona illius, adhuc moratur, hominem vocat ad iudicium, ac rationem reddendam. Luc.16 n.2 Præsentium verò crimina vt audit, non differt, sed illico irascitur, & statim vindictam sumit de illis. Cur ergo, qui adeo lentus fuit in villicum, tam festinus est ad hos miseros puniendos? Villicus contra ipsum Dominum delinquit rem suam dissipando, hi autem crudeles fuerunt in Dei seruos, eos occidentes, ac ignominia afficientes, ita se res habet, Deus grauius vindicat iniuriam suis seruis illatam, quàm sibi irrogatam.

Luc 16.

Plus dolet Dominus de iniuria in seruos, quàm in se commissa.

50. Grauiter delinquit contra Deum Caïn offerens ei sacrificium de vilioribus fructibus terræ, vt vult Oleaster, seu oblatis mala, & pigra voluntate, vt docent D.August. & D.Gregor. apud Lippoman. Admonet eum Deus, vt de emendando delicto agat. *Nonne si bene egeris, recipies?* Gen.4. n.7. Postea verò Caïn resurrexit contra fratrem suum Abel, cúmque interfecit, statim contra ipsum maledictionis pœnam intulit Deus. *Nunc igitur maledictus eris super terram.* Gen.4.n.11.seu vt legunt Septuaginta. Maledictus tu à terra. Quare quando peruersè obtulit sactificia, solum audit admonitionem, nunc verò occiso fratre maledictionem? seuerius castigat diuina bonitas crimen perpetratum contra fratrem, quàm offensam in se commissam. D.Chrys. homil.26. in Gen. *Vides,* ait, *quomodo Deus quando in ipsum peccauit Cain, peccatum non vulgare dimisit.* Id est non statim infligens pœnam; *quando autem in fratrem armauit dexteram, maledictionem tulit.*

Oleast. August. Gregor. Genes.4.

Septuag. *Maledicitur Cain pro morte fratris, non pro iniqua oblatione.* Chrysost.

51. Ait Paulus de se. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor.* 1. ad Timoth.1. num.13. Et tamen quando Christus illi apparuit in via, ait ei. *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor.9. num.5. id est vt explicat Diuus Augustinus in Epist. Ioan. tractat.10 *Persecutorem suum vocauit persecutorem membrorum suorum.* Ita communiter sancti Patres, & Doctores. Duo de se fatetur Apostolus, quod fuisset nempe blasphemus, & persecutor: vt blasphemus iniuriosis verbis Christum maledixit; vt persecutor Christi discipulos ad carceres, flagella, ac necem requirebat, & tamen Christus solum ei obiicit, quod fuerit persecutor suorum membrorum, non verò quod in illum fuerit blasphemus; duriores erant Christo machinatæ persecutiones in suos fideles, quàm irrogatæ blasphemiæ in celsitudinem suæ maiestatis.

51. 1.Tim.1. August.

Act.9.

Duriores persecutiones, quàm blasphemiæ.

*Matth.*22. *num* 8. Tunc ait seruis suis: nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.

*Num.*9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias.

*Num.*10. Egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt malos, & bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

VERSIONES.

*Syriac.*8. Conuiuium paratum est, illique qui inuitati fuerant, non erant digni.

Arias.

Arias.	Nuptiæ expeditæ sunt.
Arabic. n. 9.	Ite ergo ad strata viarum.
Græcus apud Cornel.	Ite ad discursus, seu digressus viarum.
Biblia Regia.	Ad compita seu loca, ad diuersas vias.
Vatablus.	Quotcumque inueneritis, vocate ad nuptias.
Syriac. n. 10.	Congregauerunt quoscumque repererunt, malos, & bonos: & impleta est domus conuiuij discumbentibus.
Vatablus.	Congregauerunt omnes quotquot inuenerũt, malos pariter, ac bonos: & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus.

EXPOSITIO IV.

52. IVNC, quando scilicet inuitati Iudæi noluerunt venire: *ait seruis suis*; Apostolis, Apostolicisque viris. *Nuptiæ quidem paratæ sunt*, seu vt habet Syriacus: *Conuiuium paratum est* Doctrinæ nempe Euangelicæ Christi. *Qui inuitati erant, non fuerunt digni.* Contemnendo enim, & renuendo cœlestem mensam se illius indignos reddiderunt. Qui tantis donis oblatis ingrati extiterunt, merito suorum beneficiorum indignos iudicat rex, nullus magis supernis deliciis indignus, quàm ille, qui ingratum se exhibet.

Syriacus.

Ingrati indigni beneficiis.

53. *Ite ergo ad exitus viarum.* Id est transite, & perambulate omnes vias ad extremum vsque, percurritéque omnes viarum flexus, angulos, ac terminos: hoc est, vt explicant D. Chrysostomus, D. Gregor. Transite ad gentes per diuersas errorum vias vagantes: *& quoscumque inueneritis.* Cuiuslibet conditionis, gradus, ac nationis homines inueneritis. Vocate ad nuptias. Ad fidem, ac doctrinam Euangelicam; non enim personarum acceptor est Deus. Rom. 2.

Chrysost. Gregor.

Rom. 2.

54. *Egressi serui eius.* Apostoli: *in vias*, id est in omnem terram, in omnésque populos, ac nationes; iuxta Domini mandatum. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: illi autem profecti, prædicauerunt vbique.* Marc. 16. effectus prædicationis, *congregauerunt omnes.* Adduxerunt ad fidem, ac Euangelicam doctrinam. *Omnes*: ponitur distributiuè pro generibus singulorum ex omni genere hominum multos adduxerunt: *Malos & bonos.* Abulens. quæst. 22. viri boni, dicuntur viri honorabiles, quia præsentia sua afferrent aliquem honorem nuptiis. Mali verò dicuntur viri pauperes, & sine honore. *Malos, & bonos.* Quorum aliqui mali, alij futuri boni, séque toto corde ad Deum conuerterent. Serui autem vocauerunt omnes, quos inuenerunt, vt eis fuerat mandatum, iudicare autem, quinam essent boni, quive mali, ab hoc abstinent serui, huiusmodi iudicium Domino suo reseruantes. *Impleta sunt nuptiæ discumbentium.* Ecclesia adimpleta est numero gentium, ac fidelium. Quod in fine mundi per prædicatores Euangelicos adimplebitur. Qui obtemperauerunt Euangelio, ac venerunt ad nuptias, soporatis taurorum, ac altilium ferculis saginatur, qui verò noluerunt, mortem, excidium, ac deuastationem inuenerunt.

Marc. 16.

Abulens.

Quot bona ex obedientia ad Euangelium.

QVÆSTIO IX.

Quare non ad curiales, nec ad ingressus, sed ad exitus viarum mandantur serui, vt adducant bonos, & malos?

EXITVS viarum sunt anguli, fines, ac termini viarum, per quos fit transitus, ac digressus ad varia loca. Biblia regia habent: *Compita viarum*, loca nempe, per quæ ad diuersas vias pergitur. Moraliter verò viæ. Primò D Remig. sunt varij errores, ac sectæ gentium. Secundò. D. Chrysost. hom. 41. *Viæ*, ait, *sunt omnes professiones huius mundi, puta Philosophia, militiæ, huiusmodi, dicit ergo: ite ad exitus viarum, vt cuiuslibet conditionis homines vocent ad fidem.* Mandat vocari, ac inuitari ad fidem homines cuiuscumque conditionis sint, omnibus patet diuina bonitas. Tertiò. D. Hilarius. *Via*, ait, *est tempus huius sæculi; iubentur ergo ire ad exitus, quia omnibus retroacta donantur.* Vocentur omnes ad fidem, vt per bona opera illius valeant recuperare, ac redimere tempus præteritæ vitæ.

55. Bibl. Regia. Remig. Chrysost. Hilar.

Quartò. D. Gregor. homil. 38. in Euangelia. *In Scriptura sacra*, ait, *vias actiones accipimus, exitus viarum intelligimus defectus actionum: quia illi plerumque facilè ad Deum veniunt, quos in terrenis actibus prospera nulla comitantur.* Viæ actiones sunt, exitus viarum defectus, & infortunia in actionibus intelliguntur; seu vt clarius dicam, per exitus viarum significantur molestiæ, fatigationes, ac afflictiones, quas experitur, qui ad exitum, seu finem viæ peruenit, merito ergo iubentur vocari ad exitus viarum; quia ad Deum facilè conuertuntur, quos fortunæ aduersitas persequitur, premítque afflictio. Vide suprà cap. 24. num. 115. & 116. & cap. 27. n. 76. 77. & 78.

56. Gregor. Labores, & aduersitates ducunt ad Christum.

Quintò, & maximè ad quæstionem, Caiet. *Ite ergo ad exitus viarum*, ait, *loca congrua ad vocandum transeuntes.* Cur non mandat hic rex vocare ad Curiæ plateas, vbi est Curialium frequens concursus? vel cur non ad Palatinorum domos? & si ad vias, cur non ad introitum viarum, sed ad exitum? cur non ad ingressum vrbis, sed ad illius egressum? prudenter sanè: *exitus viarum loca congrua ad vocandum*, qui à curia exeunt iam negotiationibus, ac solicitudinibus fatigati habẽtur, ambitionísque molestiis fracti, consumptis opibus pauperes, spe frustrati existunt, non vocat ergo Rex curiales, nec implicatos in mundanis negotiis, quasi ab his vocationis consensus non sit sperandus, sed eos mandat vocare, qui à curia, ac ciuitate exeunt, qui à mundo, ac curia habent repulsam, à repulsa enim mundi facilè homo mouetur, vt Deum quærat, ad Deúmque veniat.

57. Caietan. Repulsi à curia ad Deum veniunt.

Sextò. Bis serui Dei alios vocarunt, qui contempserunt venire; qua ergo confidentia sperat Dominus vẽturos illos, quos modo vocari imperat? Signanter in viarum exitu dixit quærendos esse quos modo vocari iubet rex, ne amplius resistant, vel morentur. Vbi enim dies exitus instat, & ad finem vitæ quis peruenit, & sub timore appropinquantis iudicij versatur, facilè quisque rerena

58. Memoria mortis, ac iudicij, ingerit obedientiam ad cœlestia.

rena despiciens cœlestibus monitis obtemperat, & ad asilum pœnitentiæ confugit. De quo multa. Vide verb. Mors, Iudicium in Indice.

59. Describit Ioannes in sua Apocalypsi signa iudicij, stellas cadentes, cœlum obscuratum, & totius terræ magnum terrorem: Et subdit. *Reges terræ, & Principes absconderunt se in speluncis, & in petris montium.* Apoc. 6. n. 15. Cur reges, ac Principes mundi, cum illius tot terræmotus, ac signa vident, non se armis muniunt, vel accingunt exercitu, militéque conuocant ad eundum in prælium; sed ad speluncas, ac petras montium confugiunt? Ioachimus Abbas sic in prædicta verba interpretatur. *Possumus*, ait, *per speluncas accipere secreta, quæ residua erunt Monachorum cubicula; per petras verò montium spirituales viros fidei perfectione robustos.* Cur imminente iudicio ad cubicula Monachorum, ac ad spirituales viros se recipient Reges, Principes, ac tribuni? Vt ibi pœnitentia, ac reformatione præteritæ vitæ tanquam munimine quodam, à terroribus, ac minacibus signis iudicij se custodiant, & defendant. Sic pergit citatus Abbas. *Ad eos confugient multi pœnitentiam accepturi, intelligentes manifestè iudicium omnipotentis Dei, & quod verè Deus iustus sedeat super thronum ad iudicandum æquitatem.*

Apoc. 6.

Ioachim. *Signa iudicij ad pœnitentiam impellunt.*

Matth. 22. *num.* 11. Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

Num. 12. Et ait illi: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

VERSIONES.

Syriacus. Ingressus autem Rex, vt spectaret discumbentes, intuitus illic hominem non indutum vestimentis conuiualibus.

Pagninus. Vbi vidit hominem non vestitum.

Arias. Non vestitum indumento nuptiarum.

Syriac. n. 12. Et dixit ei: Socie mi, quomodo huc ingressus es, cum non habeas vestimenta conuiualia?

Orig. hom. 20. *in Matth.* Quomodo huc venisti?

Arabicus. Non est tibi vestis nuptiarũ.

Arias. Ore occlusus est.

Lucas Burg. Capistratus est.

EXPOSITIO V.

60. INTRAVIT *Autem Rex vt videret discumbentes.* Vt eos aspiceret, examinaret, ac discerneret, hoc autem fiet cum Deus venerit ad iudicium vniuersale in fine mundi. Vt docent Origenes, D. Chrysost. D. Gregorius, Albertus Magnus, & alij. *Vidit ibi hominem.* Palacios in præsenti ait: vidit vnum hominem. Vnum non in individuo, sed coadunatione multorum. Nam hic homo non vestitus omnes malos, & iniquos significat, vt docent D. August. serm. 147. de tempore, D. Hieron. Hugo, Carthus. & alij; dicitur ergo vnus homo non individuo, sed coadunatione multorum, sic enim iniqui in malum conueniunt, vt veluti vnum hominem efficiant. *Vidit hominem.* In hoc arguitur, quia cum homo esset, à natura, ac conditione hominis defecerat, prauisque moribus erat immersus. Vel aliter explicat Palatius. *Cur miser diuitis hominem miscuisti? Eo ipso quod ad vita prandium adductus es, hominem exuisti: Christum induisti, vt iam non esses homo, vt veluti homines: sed velut Christus, velut Deus.* Nam cùm esset ad Christi mensam, debebat iam conditionem humanam deponere, & fieri velut Angelus, *velut Christus, velut Deus.* Sequitur textus. *Non vestitum veste nuptiali.* Arabicus, veste nuptiarum, veste nempe nuptiis digna, ac conueniente, per hanc verò vestem nuptialem denotari dico nouitatem vitæ, nouum hominem, nouámque creaturam in Christo Iesu fieri.

Palacios. August. Hieron. Hugo. Carthus.

Palatius. *Qui ad Christi mensam accedit, deponat conditionem humanam.*

Arabicus.

61. *Ait illi, Amice.* Syriacus. *Socie mi.* Vt ostendatur, quod sententia quæ à Deo profertur in impios, non procedit ex odio, ac ex condemnationis studio, sed ex zelo iustitiæ. *Quomodo*, qua nempe fronte, ac audacia. *Huc intrasti.* Rectè notat D. Chrys. hom. 61. ad populum: *Non dixit, quare recubuisti, sed cur intrasti?* Ac si ipse ad templum mensámque cœlestem ingressus, absque nuptiali vestimento vertendus illi sit vitio temeritatis, quapropter tenebris mandandus sit, de quo plura dicam q. 11. *At ille obmutuit.* Luc. Burg. legit ex Græco. *Capistratus est.* Os illi clausum est quasi capistro, ac fræno, tanquam si esset brutum animal rationis expers, cum nec errorem suum fateatur, nec humiliter veniam postulet.

Syriacus.

Chrysost.

Burgens.

QVÆSTIO X.

Quare rex intrat vt per se ipsum videat discumbentes, & hoc ministris non committit?

62. VNVS inter discumbentes stabat sordida veste indutus, & hic inuentus indignus conuiuio, non à regalibus ministris, nec à circumstantibus recumbentibus, sed solùm ab ipso rege cum ingressus est videre conuiuantes; cur ergo solus Rex vidit hominem sordidum, & non alij?

63. Respondet primò D. Paschasius lib. 10. in Matth. *Quia malos*, ait, *in conscientia intelligere, non omnium est, quoniam humana simplicitas difficilè fraudulentiam simulata mentis potest deprehendere, idcirco hunc malum cœtum peccantium, quorum non erant peccata obiecta, solus Deus terribilis, & Rex magnus inuenit.* Cur solus Rex, & non ministri, vel conuiuantes, voluit videre hominem sordidum? quia huiusmodi sordes, quibus homo coinquinatur, ab intimo animo, ab intimáque conscientia prodeunt, quæ frequenter fraudulentia humana contegitur, & ideo ab humanis oculis fugit, & solis diuinis patet.

Paschas.

Humanæ fraudulentiæ cum ab homine prodeat, à solo Deo cognoscitur.

Secundò

64. Paschas. Secundò ait citatus Paschas. Hunc malum cœtum peccantium solus Deus terribilis, & rex magnus inueniet. Hic homo sordidus in habitu omnes iniquos denotabat, vt notat D. Hier. in præsenti. *Vnus iste, omnes qui societate sunt malitiæ, intelliguntur*: cum autem multorum malitia, ac nequitia sit vna, ac in vnum coadunatur, facilè ita fugit ab humanis oculis, vt solum ab ipso Deo deprehendi valeat, cuius potentiæ tantum est adunatos peccantium cuneos confringere.

Hieron.

65. Paschas. Tertiò. Sic pergit citatus Paschas. *Et ideo quia hoc diuinum est discernere, sine additamento hominis, sicut & suprà Rex ponitur.* Cùm intrat ad discernendum quinam sint boni, vel mali, non dicitur homo, sicut suprà, nec etiam ministri, sed solus Rex intrans videt hominem in sordida veste, sic enim ex consortio vnius deturpati omnes obtenebrantur, ac obfuscantur, vt non ab humano oculo, sed solum à diuino intuitu discerni ac iudicari valeat, quisnam sit in splendenti, quisve in turpi habitu. Quartò, Non ministri, sed solus rex videt hominem indignum conuiuio. Aliter videt Dominus, aliter mercenarius; nam mercenarius non de bono ouium, sed de suo bono solicitus est, & inde sæpè multorum delicta dissimulat. At Dominus, totus ad bonum commune fertur, ideo perspicacibus oculis cuncta intuetur, & videt nil omnino dissimulans.

Iusti ex iniquorum consortio obfuscantur.

66. Origen. Quintò. Origenes homil. 10. in Matth. *Ideo Rex ingreditur*, ait, *vt videat discumbentes, priusquam apponatur prandium paratum eis, vt videns retineat quidem habentes nuptialia vestimenta, atque delectetur, condemnet autem contrarios.* Maximè festiuus, ac solemnis erat dies, vtpote nuptiarum filij sui, & cum iam omnia essent parata, atque dispositæ, ac valdè festiuè peragebantur, ad quid intrat rex conuiuium, vt videat discumbentes? Quia tam solemnis, ac festiuus erat dies, ingreditur rex, vt iustos ad salutem retineat, peccatores verò in tenebras coniiciat. Ille enim festiuissimus est dies, in quo innocentes præmio afficiuntur, nocentes verò pœna mulctantur.

Dies festiuus, in quo iustus præmiatur, iniquus mulctatur.

67. Abulens. Sextò. Abulens. q. 33. *Ingreditur Rex*, ait, *vt lætificaret epulantes, cum eis præsentiam suam exhiberet.* In hoc conuiuio *Tauri & altilia occisa*: corpus Christi exhibitum fidelibus in Sacra Eucharistia significatur. Et qui hoc diuino ferculo reficiuntur, ad ipsos intrat Dominus, vt eos lætificet, ac mito gaudio, & exultatione adimpleat. Cùm Christus moritur in Cruce. Scribit D. Matth 27. n. 51. *Terra mota est.* Et hoc præuidens Psaltes 45. n. 7. ait. *Dedit vocem suam, & mota est terra.* Lætitia, ac gaudio perfusa terra, solemnem festiuitatem agit, veluti exultatione, ac voce. Quænam tanti gaudij causa? D. Proclus Orat. 4 *Diem festum agit terra, diuino abluta sanguine.* Vbi se terra vidit participem diuini sanguinis, magno gaudio diem festum agit, voce tanquam saltu, ac exultatione tantam solemnitatem celebrat. De quo dixi plura verb. *Eucharistia.*

Christi mensa replet gaudio.

Matth. 27. Psalm. 45.

Proclus.

QVÆSTIO II.

Quare quem Dominus reprobat, amicum vocat?

68. PRIMAM rationem huius rei, & litteralem iam dedi in expositione, vt ostendatur,

Caietan. *Nemo inauditus, condemnandus.*

69. Caietan. Gregor. Tertiò. Ait citatus Caietanus. *Examinemus absque contumelia, absque conuitio.* Quod etiam prius eleganter notauit D. Gregorius hom. 38. in Euangel. *Hunc amicum vocat, & reprobat.* Magnus, & sapiens Rex damnationis sententia percutiebat hominem, & tamen cauet aliquo percutere conuitio. Ecce magnitudo, ac celsitudo magnifici regis, qui hominem sibi infensum, ac aduersarium, verbis vrbanis, ac amicis excipit. Quam ingenuitatem in Romanis erga suos hostes deuictos, ac captiuos maximè extollit Quintilian. Declam. 5. *Itaque*, ait, *plura penè moribus, quàm viribus vicimus, cum captiua quoque sanctè habebantur, & contumelia etiam hosti aberat.* Sicque Dauid cum audisset verba iniuriosa, quæ in eum coniecerat Nabal, parat in ipsum vindictam. *Si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem ad parietem*: 1. Reg. 25. n. 22. tamen nil contumelioſum in eum dicit. *Frustra seruani omnia, quæ huius erant.* n. 21. vtpote generosus Princeps pœnam parat, à contumeliis tamen cauet.

Alienum ab ingenuo contumeliam in hostes iactare. Quintil. 1. Reg. 25.

70. Galfridus apud Titelman. Allegorias: *Sanè*, ait, *propter Sacramentum amicum vocat, cuius propter peccata habitum culpat.* In rege isto adumbratur Deus; hominem sordida veste indutum appellat amicum, cum potius inter hostes esset annumerandus; cùm ergo ingressus esset conuiuium, in quo Eucharistiæ Symbolum celebrabatur, inde locus ille dedicatus erat paci, ac iniuriarum oblitioni: proinde humaniori sermone vsus, non propter conuiuæ hominis meritum, sed ob loci reuerentiam, cui debitum erat, vt nec verbis quidem hostile aliquid, & vltioni cognatum exerceretur; vnde subdit rex: *mittite eum in tenebras exteriores.* Quamuis enim iustitiæ dispositio sit, vt eo loco pœnæ exoluantur, vbi delictum commissum est, tamen ob pacis & loci reuerentiam, non plectitur in conuiuij palatio, in quo deliquerat ingrediens sordida veste, sed mandat Rex extra aulam rapi, & mittere in tenebras exteriores.

Galfridus. *Eucharistiæ Sacramentum pacis, & reconciliationis.*

71. Celebrata institutione Sacræ Eucharistiæ in cœnaculo. Pergit Iesus ad hortum Gethsemani; *Tunc venit Iudas, & cum eo turba multa cum gladiis, & fustibus.* Matth. 26. n. 47. ad comprehendendum Iesum. Cur non in cœnaculo, sed in horto comprehenditur? Cœnaculum propter institutum Sacramentum pacis arrhabonem acceperat, *turba multa venerat cum gladiis, & fustibus.* Quæ sunt certa belli, ac discordiarum signa, quæ omnino locus paci consecratus non admittebat, & ideo hortus destinatur, vt à Iuda tradatur. D. Paschas. lib. 12. in Matth. *Nec enim conueniebat, vt eo loco traderetur Iesus, vbi cum Discipulis Pascha manducabat: sed talis eligitur locus, per quem iste mundus significetur, in quo Dominus traditus est.*

Matth. 26. *Cœnaculum & Eucharistia hostilia signa non admittit.* Paschas.

72. *Deus diligit hominē, odit peccatum.* Augustin. Psalm 82.

Quintò. Amicum vocat, cum inimicus existeret, ingressus enim fuerat sordida veste, vt ostenderetur, quod in illo oderat peccatum, diligebat tamen naturam. Vnde D. Augustinus lib. 50. homiliar. homil. 34. ponderans verba illa Psalm. 82. num. 17. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.* Sic ait S. Doctor: *An oderat eos, quorum facies ignominia implere cupiebat?* Respondet: *Imò odit, & amat. Odit tua, amat te. Odit quod fecisti; amat quod fecit Deus. Qua sunt enim tua, nisi peccata? Et quid es tu, nisi quod fecit Deus, hominem ad imaginem, & similitudinem suam.*

73. Psalm. 145. *Deus homines diligit, vitia peccantium detestatur.*

Ait Regius Vates Psalm. 145. num 9. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos, Dominus custodit aduenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.* Valdè diuersimodè loquitur in præsenti Propheta: cum de beneficiis agit, personas exprimit, & numerat; at verò cum ad peccatores conuertit sermonem, vltionémque proponit, non ad ipsos peccatores, sed ad eorum vias, actiones, & modos punitionem refert; *& vias peccatorum disperdet.* Detestatur enim Deus non homines, sed eorum peccata, peccandique causas. D. Chrysostomus ad prædictum locum: *Non dixit*, ait, *disperdet peccatores, sed viam ipsorum, hoc est eorum actionem: non enim aduersatur naturam, sed odio habet vitium.* Chrysost.

74. Genes. 49. Deuter. 32. Genes. 35. *Non in hominem, sed in peccatis fertur maledictio.*

Moriturus Iacob maledictionem imprecatur filio suo Ruben: *Effusus es sicut aqua non crescas*, Genes. 49. num. 4. Moyses verò eidem benedictione blanditur. *Viuat Ruben, non moriatur*, Deuter. 32. num. 6. Vnde tanta differentia inter concordes Patriarchas, qui ab Spiritu sancto regebantur? Iacob considerauit filij delictum. *Ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Inde in ipsum peccatum maledictionem fulminat. At Moyses respexit eximiam pietatem Ruben in Ioseph, qua ipsum *nitebatur liberare de manibus fratrum suorum*, Genes. 35. num. 21. Regit diuinus Spiritus Iacob, vt maledictionem coniiceret in peccatum Ruben, non verò in ipsum hominem, sed ipsum præteruehitur, quod vt fiat euidens, cum in eo aliquod bonum appareret, illud benedictionibus cumulatur. Vnde Ambros. Diuus Ambrosius explicans verba Psalmi 118. *Iniquos odio habui.* Serm. 21. ait: *Odio habet sanctus iniustitiam, non iustum, qui potest sæpè conuerti, nec mortuorum reliquias, sed mortuam iniquitatem exercitatur, & fugit, quomodo enim excusaretur vir iste Euangelica viuens disciplina, si iniquos homines odisset, nisi intelligens, quod iniquitatem odio habuit.*

Qvæstio XII.

Quare arguitur homo, quod sine veste nuptiali fuerit ingressus?

75. Rom. 13. Rom. 6. Ad Ephes. 4. Ad Galat. 6.

PRIMÒ. Vestis nuptialis est vestis pulchra, & decora conueniens nuptiarum maiestati, per illámque significatur vita pura, sancta, & aliena ab antiquis peccatorum sordibus, & omnium virtutum splendoribus adornata, ac composita, quam Apostolus Rom. 13. num. 12. vocat *arma lucis.* Et Rom. 6. num. 4. ait: Quod *in nouitate vita ambulemus.* Et ad Ephes. 4. num. 24. *Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Ad Galat. 6. num. 15. *Nouam creaturam.* Quod ipse magis explicat ad Coloss. 6. num. 12. *Induite vos*, ait, *sicut Dei electi, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam*, &c. *Super hæc omnia autem charitatem habete.* Arguitur ergo hic homo, qui sine hac veste omnium virtutum ingressus est. Origenes homil. 29. in Matthæum: *Arguit eos*, ait, *quasi qui malè fecerint, eo quod ausi sint in huiusmodi nuptias introire, non recipientes digna nuptiis indumenta, id est texturam virtutum, claram vestem.* Valdè detrimentosum est cum antiquis sordibus domum cœlestis regis velle ingredi, ac in domo Dei ea retinere vitia, quæ in mundo habebas. Ad Coloss. Origen.

76. Origen. Chrysost. Ambros. Hieron. Theoph. Euthym. D. Thom.

Secunda sententia est citati Origenis, Tertulliani lib. de Resurrectione carnis, Chrysostomi in Imperfecto homil. 41. D. Ambros. serm. 14. de Natali Domini, Diui Gregorij homil. 38. in Euangel. D. Hieronymi, Theophylacti, Euthymij, D. Thomæ, & aliorum, qui dicunt vestem nuptialem esse charitatem, cum virtutibus, ac operibus correspondentibus Christianæ fidei, & rectè quidem, per fidem enim fit ingressus in Ecclesiam, per charitatem cum bonis operibus exornatur anima, vt digna sit accedere ad Christi mensam; & hæc sententia eadem est cum superiori. Vnde ait Theophylactus: *Quis est iste, sordida vestimenta gerens? Is, qui non indutus est viscera miserationum, fraternitatem, benignitatem. Nec solum à nuptiis eiicitur, sed in ignem mittitur.* Qui benignitatis expers est, qui nescit fratri parcere, eique indigenti subuenire, salutis ornatu caret, & à cœlesti mensa excluditur, ac in tenebras eiicitur. *Qui benignitate, ac pietate caret, salutis ornatu caret.*

77. Augustin. *Damnatur, qui non Dei, sed suam gloriam quærit.*

Tertiò. D. Augustinus lib. 21. contra Faustum cap. 19. ait: *Quod potuimus*, ait, *de veste nuptiali, vt demonstraremus quantum esset nefas sacras nuptias adire, quærentem sibi gloriam non sponsi, sed suam.* Damnatur homo, & celeri pœna quod sine veste nuptiali ad nuptias veniisset; accessus ad conuiuium vtilitas erat ingredientis; nuptialis verò habitus honorem deferebat nuptiis, ad quas ob sui magnam reuerentiam sine multo ornatu non decebat conuenire. Meritò ergo damnatur iste sordidus, qui solum suum commodum, non autem nuptorum honorem curabat; nullus sanè magis reprobandus, quàm ille, qui solum suam gloriam, non verò gloriam cœlestis sponsi quærit.

78. Hilar. *Ipsum quandam fieri rem refert cœlestis patria.*

Quartò. D. Hilar. ad hunc locum: *Vestitus*, ait, *nuptialis est gratia Spiritus sancti, & candor habitus cœlestis, qui bonæ interrogationis confessione susceptus, vsque in cœtum regni cælorum immaculatus, & integer perseuerat.* Præpondera verba, *Vestitus autem nuptialis est candor habitus cœlestis.* Quisnam erat vestitus iste nuptialis, quo miser iste homo carebat? est candor vitæ speciem quandam, ac odorem cœlestis patriæ referens, vt iam exinde ostendatur, quod homo ad cœleste regnum pertineat, qui candorem simplicitatis, ac puritatis vitæ in suis actionibus exhibet.

79. *Dei dona communicatur suis electis, & non alienis.*

Quintò. Cur arguitur hic homo eo quod non esset vestitus veste nuptiali, cum serui Domini vocauerint ad nuptias, *bonos, & malos?* Verum est quod serui hos omnes ad nuptias vocauerunt, tamen cum inuitati fuerunt, debebant omnes se componere, & adornare, vt condignè ad regale conuiuium ingrederentur, quia satis notum erat, quod rex illud pro suis, & non pro pluribus, pro amicis, & non inimicis parauerat; vnde meritò

sordi

sordibus arguitur, qui cùm habitu esset alienus ingrederetur conuiuium, quod à rege præparatum erat solum pro suis,& non alienis.

80. De Dei sapientia decantatur. *Hortus conclusus, fons signatus*,Cant.4.n.12. Quomodo fieri potest, vt pro laude dicantur huiusmodi aquæ conclusæ, & signatæ?Cum Prou.5.n.12.dicatur. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solum,ne sint alieni participes tui.* Illic decantatur aquarum conclusio,& signatio,hic verò petitur earum deriuatio, ac communicatio vsque adeo vt per plateas currant. Si ergo communicandæ, & diuidendæ sunt vsque ad plateas, ad quid obsignatio, & conclusio? Cœlestes aquæ, Deique dona omnibus sunt communia,& patientia vsque ad plateas, eis tamen qui se præparant, & earum digni efficiuntur, nam illis,qui se indignos exhibent,sunt *hortus conclusus,fons signatus*. Et ideo dicitur citato Prouerb.loco. *Ne sint alieni participes.* Proindéque Dei donationes patentissimæ sunt suis,maximè verò alienis obsignatæ,& conclusæ.D.Bern.serm.1.de Purificatione Mariæ. *Derivantur*, ait, *aque tue foras Domine Deus, nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, & non bibit alienus ex eo.*

Cant.4. Prou.5. *Dei dona patent suis, & alienis conclusa sunt.* Bernard.

81. Post benedictũ Iacob,maximè recusabat Isaac benedictionem impendere alteri filio suo Esaü. *Et tibi post hæc vltra quid faciam?* Gen.27.n.37.E contra verò Iacob duodecim filios suos,duósque suos nepotes benedixit. Gen.48. n.15. *Benedixit Iacob filiis Ioseph.* Cur Iacob tam largus in benedictionibus impendendis pro filiis, & nepotibus,cum Isaac benedicto,vno filio, benedictionem alteri dare maximè detrectet? Esaü Isaaci filius augendus erat in populum, qui minimè pertineret ad Dominum. At verò Iacob filij,& nepotes omnes constituti erant in vnum populum, in vnámque Dei possessionem,ac partem;indéque filij Iacob, ac nepotes ostendebantur apti, vt diuinis benedictionibus adimplerentur,cùm ad Dei populum spectarent, è quo diuisus erat Esaü, & ideo Pater eius benedictionem recusabat. Rupert. lib.9. in Gen c.22. *Filij Isaac*,ait, *in duos erant populos dividendi: plures autem filij Iacob vna gens, & vnus populus in vnitate paterna fidei, Deum verum, & vnum hereditate possessuri, vel ab ipso erant possidendi.* Expende illa: *ab ipso erant possidendi.*

Genes.27. Genes.48. Rupert.

QVÆSTIO XIII.

Quare cùm arguitur homo quod esset ingressus sine veste nuptiali, omnino obmutescit?

82. CVM interrogatur homo, quare ingressus est sine veste nuptiali,at ille obmutuit,seu illius os clausum est,tantique mali conscius nihil potuit dicere, ipsa eius culpa manifesta ac nota os obturabat,& comprimebat,vt nihil posset dicere,nec vllam excusationem afferre. *Disrumpet illos inflatos sine voce.*Sap.4.n.20. sicque illi omnis excusationis via præcluditur, vt nec voces quidem relinquantur. Vide suprà c.17.n.21.22.23.

Culpa comprimit os. Sapient.4.

83. Secundò. D.Cyrillus Ierosolymitan. in Præfat. ex ore Regis sic fatur. *An ignorabat quali amictu ingrediendum esset ad conuiuium? sit ita sanè. Sed cum iam intrauerat: vidisti splendida discumbentium vestimenta, nonne te oportuit vel ex his,quæ cernebas,discere? Iubet ministris,ligata pedes illius; at ille obmutuit.* Cùm interrogatur homo, quare sine veste nuptiali ingrederetur, obmutescit; cum contra se audit prolatam sententiam: *ligatis manibus, & pedibus.* Etiam obmutescit; cur pro se aliquam rationem etiam non profert?Quòd homo sordidus intrasset, aliquam excusationem inaduertentiæ, vel ignorantiæ poterat habere, at quod ibi maneret videns cæteros conuiuas splendentibus indumentis ornatos, & eorum exemplo non fuit admonitus, vt sibi consuleret pro condigno vestitu comparando, nullam potuit pro se adducere rationem: cum omnino inexcusabilis sit, qui ante oculos habet aliorum virtutes, & tamen ad eorum exemplum non se componit.

Cyrill. *Inexcusabilis est, qui inter alienæ virtutes non emendatur.*

84. Tertiò.Galfrid.apud Tilman.allegorias. *Tunc*, ait, *Rex ministris,ligatis manibus, & pedibus*, &c. *Tunc videlicet non vbi ille veste nuptiali introiit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* Ingreditur rex conuiuium, & intuitus pannosum præter morem nuptiarum, non statim eum damnat,sed benignè ab eo quærit, *quomodo huc intrasti sine veste nuptiali?* At ille obmutuit; non perditur miser,qui malè intrauerat, & iniquè sedebat, sed quando obmutuit, & peccatum suum palam confiteri recusat: damnatur ergo non tam ob vestis defectum, quàm potiùs ob negatam oris confessionem. *Mors,& vita in manibus linguæ*,ait Sapiens Prou.18.n.21.Lingua enim si peccata confiteatur, vitam; si verò abscondat, mortem infert.

Galfrid. *Damnatur qui peccata non confitetur.* Prou.18.

85. *Reuela Domino viam tuam,& ipse faciet,& educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem.* Psalm.36.n.5. *Reuela Domino*, seu vt legunt D.Ambros. D. Aug. *Ad Dominum*, viam tuam,peccatorum nempe tuorum per confessionem. Et ipse faciet gratiam,misericordiam, ac indulgentiam,vt explicat Hugo. Sed cur hanc gratiam, & misericordiam faciendam, & impendendam non exprimit? Vbi est confessio peccatorum, tanta gratia, & indulgentia impenditur à Domino,vt nequeat vllis verbis aperiri,ac explicari; sed solum quandam consequentiam ponit? *Educet quasi lumen iustitiam tuam*:tuam iustitiam, virtutem, ac probitatem nitere, ac resplendescere faciet, veluti Sol, ac lux meridiana nitet, ac fulget. D.Ambr.ad eundem Psalmum. *Hoc solo versiculo*,ait,*qualis esse debeas,declarauit.Quis enim reuelat viam suam:nisi qui Deo occulterum suorum arbitrio interna sui pectoris confitetur?* Vide suprà c.19.n.90.91.& 92.& c.26. n.98.99.100. & c.27. num.119.120.121.

85. Psalm.36. Ambros. August. Hugo. Ambros.

Matth.22. num.13. Tunc dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

Num.14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

VERSIONES.

Vatabl.n.13. Vinctum pedibus,[& manibus suis eiicite in tenebras exteriores.

D. Auguſt. Ligate illi manus, & pedes, & proiicite in tenebras.

Euthymius. Tollite eum, & mittite in tenebras extremas.

Arias. Ibi erat fletus, & fremitus dentium.

Syriac. n.14. Multi ſiquidem ſunt vocati.

EXPOSITIO IV.

86. DIXIT *Rex miniſtris.* Non ſeruis, per quos vocauerat ad conuiuium, ſed miniſtris, vt notat Carth. qui miniſtrabant diſcumbentibus. Hi Dei miniſtri ſunt Angeli Matth.13.n.39. Daniel.7.n.10. *Millia millium miniſtrabant ei.* Cum prandium componit, ait Rex. *Ecce prandium meum paraui.* Supplicium autem exercendum committit miniſtris. *Dixit miniſtris.* Vt ſe valdè proniorem ad benefaciendum, quam ad vlciſcendum declaret: *ligatis manibus, & pedibus.* Hoc emblemate denotatur inexitabilem eſſe damnatorum pœnam, cui nullus poteſt reſiſtere. Nam reo ligantur manus, ne ſe defendat, pedes verò ne effugere valeat. *Mittite,* eiicite foras à nuptiis, à ſe ſeparari mandat, in quo pœna damni denotatur. *In tenebras exteriores;* hoc eſt in extremas tenebras infernorum, quæ corpora circunſtant, vt latius explicaui tom.3. c.11.q.24. & dicitur *in tenebras.* Qui enim tenebris vtebatur ad ſuas delicias, tenebris cruciatur. D. Auguſt. ſerm. 1. de pluribus martyribus. *O quiſquis es flagitioſus qui ſoles propter tua malefacta, & propter laſciua adulteria, non ſolum tenebras non abhorrere, ſed quærere: non tales tenebras habebis vbi gaudeas, non ſic erunt ipſa tenebræ. Quomodo erunt? ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tortor ſine defectu: tortus ſine defectu:* & non ſolum dicuntur tenebræ, ſed etiam exteriores. *In tenebras exteriores.* Galfridus in lib.4. Reg cap.5. *In tenebris ſiquidem poſitus, iam non intus, ſed foris erit: alienus ſiquidem à luce veritatis, ſed ab ea palam, & publicè redargutus.* Non in ſecreto, ſed palam, ac publicè erit redargutus, in omniúmque oculis poſitus ad ſui maiorem confuſionem, ac ignominiam. Et merito ſanè, qui in omnium oculis delinquit, non habens veſtem nuptialem merito in omnium aſpectu plectitur, & punitur. *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Quod latè explicaui tom.3 c.11.q.24.& 25.

Carthuſ.

Matth.13. Daniel.7.

Deus pronior ad beneficia quàm ad ſupplicia.

Auguſt. *Qui nocturnis tenebris gaudet, tenebras punitur.*

Galfrid.

Acerbitas ſupplicij in omnium oculis punitur.

87. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* De qua ſententia iam egi ſuprà c.34. expoſit.7. & q.18. Dicuntur pauci electi, quia primi inuitati ſcilicet Iudæi noluerunt venire; Deinde ex aliis, qui vocati ſunt, vnus fuit ſine veſte nuptiali, qui à nuptiis excluſus eſt, & ſignificat omnes infideles, ac peccatores. Et quia parabola ad ipſos directè non ordinabatur, inde ſufficiens fuit per vnum hominem omnes reiectos denotare, velut exprimatur, quanta ſit iniquorum vnitas, vel quia in vnius perditione ſic cœleſtis Dominus dolore afficitur, ac ſi multos perderet. D. Aug. ſerm. de nuptiis filij regis. *Certè vnus erat ille. Qui non habebat veſtem nuptialem. Proiicite eum: Quare proiicitur? Multi ſunt vocati, pauci verò electi, dimittite pauces, proiicite multos; & certè vnus erat.* Vnus erat, ſed ipſam paucitatem, quaſi multos lamentatur Dominus.

Sic Deus debet vnius perditione, ac ſi eſſet omnium. Auguſt.

QVÆSTIO XIV.

Quare hominis pannoſi mandat Rex ligare manus, & pedes?

MANDAT Rex hominis ligare manus, & pedes, cur non potius illius brachia, vel crura, ſeu cinctorium, ſed manus, & pedes? cuius rei iam dedi rationem litteralem in expoſitione, quo denotatur inexitabilis damnatorum pœna, cui nullus valet reſiſtere, nec ab ea effugere. 88.

Secundò. Reſpondet D. Cyrillus Hieroſolymitan. in præfat. ad Catech. *Iubet miniſtris,* ait, *ligate pedes illius confidenter intrantis: ligate & manus ipſius, qua ſplendido illum neſcierunt ornare veſtitu, & proiicite illum in tenebras exteriores, indignus enim eſt, qui ſponſales lampades ferat.* Summa ratio æquitatis in his apparet, præ omnibus membris mandat, vt vinciantur illius manus, & pedes; pedes duris compedibus premantur, nam audacter ad conuiuium, ac ad ſanctitatis locum introierunt, & ad indebitos honores euolarunt: manus verò, in quo deliquerunt? in eo maximè, quod otio indulgentes, veterem veſtem non abiecerunt, nec nouam, vt decebat, corpori aptarunt; ligantur pedes, quia ad culpam veloces, vinciuntur manus, quia naufragarunt ignauia, imò prius manus, quam pedes. *Ligatis manibus, & pedibus.* Iners virtutum otium deteſtabilius ſuper omne aliud crimen, & malum, quod etiam docet Origenes homil.10. in Matth. *Reiectus eſt à nuptiis,* ait, *qui iniuriam nuptiis fecit: & adhuc à miniſtris Regis, ſuper vincula conſtitutis, ligatis pedibus, id eſt in ceſſione, qua non eſt vſus ad bonum; & manibus, id eſt, apprehenſoria virtute, qua nullum bonum opus implenit: condemnatus eſt.* Vtpote qui habuit manus otioſas, nullum opus virtutis apprehendentes. 89. Cyrill. Otioſus peccator ſuper omni alio crimine. Origen.

Tertiò. *Ligate pedes illius confidenter intrantis.* Ait cit. D. Cyrillus: in eo grauiter offendit homo, quòd cùm non haberet ſplendidam ſtolam iuſtitiæ, ac manus virtutum plenas, habuerit confidentiam, ac fiduciam, vt intraret domum conuiuij. Nimia confidentia damnationis cauſa; vnde iuſti non fiducia, ſed timore, coram Deo iudice multum humiliantur: ait Iſaias 6. n.2. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum.* Quid inde? *Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex ala vni, ſex ale alteri, & duabus velabant faciem.* Ipſimet Seraphim iuxta multorum ſententiam facies ſuas velabant. Cur Seraphim ſpiritus puriſſimi facies ſuas abſcondunt, & velant? Multo timore pleni nullam confidentiam habebant, vt coram Deo aſſiſterent, eúmque apertis oculis intuerentur. D. Chryſoſtomus ibidem. *Seraphim,* ait, *ſtabant in circuitu. Quid faciebant, quid dicebant, qua fiducia fruebantur? fiducia quidem nulla, verum timoris, ac ſtuporis plena, ipſa etiam ſpecie meum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem.* 90. Cyrill. *Confidentia damnationis cauſa. Iſai.6. Chryſoſt.

Quartò. Iubet Rex vt ligatis manibus, & pedibus emittatur foras in tenebras exteriores, prius mandat ligare, deinde eiicere foras; vt dum ligaretur, errorem ſuum fateretur, & humiliter veniam poſtularet, & miſericordiam impetraret. Loquitur Deus cum Moyſe de ingreſſu populi in terram Chanaam, & quomodo inimici ſunt 91. *Dat Deus locum ad pœnitentiam, at ad veniam poſtulandam.*

sunt expellendi à facie Israël, ait ei : *Mittam terrorem meum in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris, & paulatim expediam eum*, Exod. 23. num. 27. & 29. Vno ictu oculorum Deus potest omnes aduersarios sui populi, imò & vniuersum mundum destruere, quid est, quod ait *paulatim* Chananæos esse delendos, de illisque paulatim victoriam reportandam? Ex hoc modo loquendi forsitan quis imperitus, cùm hæc audit de suprema Dei potestate sinistre dubitare poterit? Ad quid tendit hic sermo? O suprema Dei pietas! Non illico à sedibus suis eos expellit, vt poterat, sed præmittit paulatim demorari, vt suorum seruorum conuersatione, eorúmque moribus visis Chananæi ad pœnitentiam prouocentur, vt misericordiam impetrare valeant. Rabbanus, *Alia causa*, ait, *designatur, ob quam Gentes, quarum terram Israëlitico populo se daturum promisit, simul eiicere noluit vtique vt experiretur, & erudiret in eis Israël, vt essent qui peccantes arguerent, & ad timendum Deum improbos compellerent.* Vide suprà cap. 21. n. 75. & 76.

Exod. 23.

Rabbanus.

QVÆSTIO XV.

Vnde in domo regali, ac nuptiali fuerunt funes, vt hic miser alligaretur?

91. DOMVS tota erat composita, ac ornata ad festiuas nuptias, vnde ergo ibi fuerunt in promptu vincula, quibus miser ille homo ligaretur? Respondet D. Augustinus in Psal. 130 *Meminisse*, ait, *dictum de quodam peccatore in Euangelio: ligate illi manus, & pedes, & proiicite illum in tenebras exteriores? Non ergo esset, vnde illi ligarentur manus, & pedes, nisi ipse fecisset retia.* Non aliunde asportati sunt laquei, quibus iste ligaretur, nisi à suis propriis peccatis, ac proinde quot peccata habebat, tot retia, ac vincula deferebat, quibus prenderetur. Vnde ait Victor Vticensis, lib. 3. de persecutione Vvandalica : *Perdidisti*, ait, *militiæ chlamydem, talis interesse non poteris epulis meis : ligate eum pedibus, & manibus funiculi suis, quia se voluntariè separari voluit.* A mea scilicet militia iustorum.

August. *Peccata vincula peccatori, quibus ligatur.*

Vict. Vtic.

92. De impio ait Iob. 18. n. 7. *Arctabuntur gressus virtutis eius, & precipitabit eum consilium suum. Immisit enim in retè pedes suos, & in maculis eius ambulabat, Tenebitur planta eius laqueo.* In quonam rete misit pedes suos, in quonam laqueo tenebitur planta eius? in suis nempe peccatis; ipsa enim peccata sunt retia, ac laquei, quibus miserrimus peccator implicatur, ac tenetur, vt supplicium non effugiat, sed in omnem pœnam, ac tormentum trahatur. D. Thomas ibi : *Horum impedimentum*, ait, *causam ex ipso eius peccato dicit prodire, cum subdit: immisit in rete pedes suos.*

Sicut enim ille, qui sponte ponit pedem in rete, se præparat captioni, ita ille, qui se sponte ingeris ad peccandum.

* * *

Iob. 18.

Peccator suis peccatis prædicitur.

D. Thom.

QVÆSTIO XVI.

Quare statim, ac sine vlla dilatione Rex mandat hominem sordidum ligare, ac mittere in tenebras exteriores?

94. VALDÈ rigidè, ac seuerè mandatur rapi, ac mitti, *in tenebras exteriores, vbi est fletus*, &c. Valdè mirum; quod nullus in tanta multitudine inuenitur, qui pro ipso ad regem intercedat, eiusque causam tueatur, ac defendat. Vt ex his discamus, quod in extremo, ac tremendo iudicio nullus erit, qui peccatorum partes tueatur, nullus patrocinabitur, sed absque pietate iniquus mittetur in ignem æternum.

In die iudicij nullus erit, qui pro peccatoribus intercedat.

95. Primò. Tota huius hominis culpa, quod ingressus fuisset sine veste nuptiali, ideo Rex mandat ministris, *Ligatis manibus, & pedibus*, &c. Aliter tamen factum est apud Zachar. 3. num. 3. *Et Iesus*, nempe Iosedech filius, *erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens : Auferte vestimenta sordida ab eo; & dixit ad eum : Ecce abstuli a te iniquitates tuas, & indui te mutatoriis.* Ecce in vtraque historia à D. Matthæo, & Zacharia descripta, apparet quis sordidis vestibus. Illum tex acerrimè percutit, hunc Angelus verò ad meliorem frugem trahit, sordida auferet, & candida resumi facit. Cur Rex, & Angelus tam diuersimodè se habent? Ad quæstionem sic respondet Theodoretus apud Zachariam : *Angelus*, ait, *populi tutor, aliis astantibus Angelis præcepit, vt ex illis vestibus eum exuerent.* Rex vt supremus Dominus ius dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus verò vt populi tutor sordidum non spernit, sed omnibus modis eius salutem negotiatur, eúmque ad candorem vitæ trahit, vt æternam mortem euadat. Secundò, apud Zachariam stabat sordidus in domo, vel ciuitate; apud verò Matthæum erat in mensa sacram Eucharistiam adumbrante; & Deus sæpè dissimulat peccata hominum per aliquod tempus, ne citò puniantur, & cùm quis indignus ad sacram mensam accedit, sine vlla mora omnis castigatio in eum conuolat. Tertiò, vel quia apud Zachariam stabat vmbra nominis Iesus : *Et Iesus erat indutus*, à qua homo patrocinabatur, vt omnis pœna ab eo euitaretur.

Zachar. 3.

Theodor. *Multum prodest nobis Angelus custos, & tutor.*

A nomine Iesus salus.

96. Secundò. D. Ambrosius serm. 3. de Natiuitate : *Propterea*, ait, *ergo sublatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solum, quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum vindicabat.* Cur tam citò mandat Dominus hunc conicere in tenebras? Cur saltem non finit finiri nuptias? Sed cur inter tam festiua fercula miserum carnificibus tradit, etsi Deus diu sustineat peccatores alios, simulatores verò vix patitur? Hic peccator erat, & cùm talis existeret simulatè se voluit intromittere in locum Sanctorum, & ad sedem minimè sibi decentem euolare, inde tam citò sibi damnationem solicitauit.

Ambros.

Simulatè occupare locum improportionatum damnationis causa.

97. Tertiò. S. Maximus homilia in vigilia Natiuit. *Qui potuerat*, ait, *minus displicuisse, forsitan, si in consortium iustorum minimè se dedisset.* Sedebant alij in conuiuio nitentes iustitia, fide, castitate; hic verò solus miser conscientiæ fœditate, ac deformi animæ horrore sedebat, & quantò plus alij

Maximus. *Damnatur, quia peccator cùm esset, inter iustos voluit discumbere.*

discumbentes splendebant, tanto magis istius peccatorum apparebat improbitas: hæc ergo hominis temeritas maximè eius animam solicitauit, dum sordidus cùm esset, inter splendentes conuiuas ausus est discumbere.

98. Chrysost. Quartò. D. Chrysostomus homil. 9. in Ioan. *Hoc pacto*, ait; *& nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios, & impudentes expellit; aliter reliquos inuitatos offenderet.* Cur Rex funesta hominis nece tam celebrem nuptiarum diem fœdauit? Vt ita consuleret nuptiarum, ac omnium conuiarum honori, & sordido vnius hominis vestitu nuptiarum gloria ac auctoritas conuiuarum maximè deprimebatur, ac deturpatur.

Ex sordido sotio alij deumponitur.

Cyrill. 99. Quintò. D. Cyrillus Ierosolymitan. in proœmio ad Catech. *Oportebat ipsum*, ait, *cum videret omnes splendidè vestitos, eiusmodi quoque capere amictum, verùm ille cibum quidem vnà cum aliis sumebat æqualem, inæqualem autem, & ornatum, & propositum habebat.* Expende vltima verba: *Cibum cum aliis sumebat æqualem, inæqualem autem, & ornatum, & propositum habebat.* Cur in tanto gaudio ad pœnam fertur homo? Non virum, nam ipse cùm sordidus esset, omnium tamen bonorum volebat esse particeps, quibus nitidi, ac fulgentissimi fruebantur, & quid magis lethale, ac mortiferum, quàm ad iustorum commoda velle euolare, cum ab eorum meritis quis longè distat?

Mortiferum, quod malus iustorum bonis velit frui.

100. Moriens Dauid mandauit Salomoni, vt Semei interfeceretur: *Habes quoque*, ait, *apud te Semei, qui maledixit mihi maledictione pessima. Tu noli pati eum esse innoxium*, &c. 3.Reg.2. num.8. Cur Semei mandatur occidi, nam ipse postulauit veniam à Dauide, 2.Reg.19. num.20. Ipseque Dauid fatetur? *Iurauit ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio*, citato loco 3.Reg.2.n.8. Nunquid Dauid iuramentum, ac fidem datam violat? Semei degebat inter fidelissimos clientes, ac aulicos Dauid, omniúmque bonorum illorum particeps existebat, cùm tamen ab amore, ac fidelitate seruorum Dauidis longè distaret, quamuis enim Semei in aula Regis adesset, minimè mente mutatus erat, sed suo antiquo odio feruebat in Dauidem: merito ergo qui in bonis fidelium commoratur, ipse tamen animo infidus est ad extremas pœnas damnatur. Rupertus lib.4. de gloria Filij hominis: *Non iniustè*, ait, *ita hoc facto inuenitur Dauid, quia non vere corde reconciliationem quæsiuit Semei, non pro desiderio iustitiæ pœnituit, sed seruili metu pœnæ concidit, quia Rex, quem oderat in corde suo, iterum salutatus in regno sedit, mutauit vocem, non mutauit mentem.* Dauid promisit vitam, si vir bonus, & fidus esset, at cùm esset animo infidelis, indignus extitit, vt vita, ac fidelium bonis frueretur. *Mutauit vocem, non mutauit mentem.* Vide suprà c.39.n.47.& 48.

Infidus non gaudeat fidelium commodis.

Rupert.

CAPVT XLV.

Tributum Cæsaris.

Matth.22.n.15. Tunc abeuntes Pharisæi, concilium inierunt, vt caperent eũ in sermone.

Num.16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum.

VERSIONES.

Vatabl.n.15. Tunc profecti Pharisæi cõcilium cœperunt, quo pacto illaquearent eum in sermone.

Syriacus. Quomodo aucuparentur eum in sermone.

S.Hilarius. Vt caperent eum in verbo.

Syriac.n.16. Mittúntque ad eum discipulos suos cum domesticis Herodis, & dicunt ei: Doctor, nouimus te esse veracem, viámque Dei in veritate docere, ac nullius sustinere curam, nec enim es acceptor facierum hominum.

Græcus. Cum his, qui erant de domo Herodis.

S.Hieronym. Quòd ad te non pertinet de hominibus.

Vatablus. Scimus te veracem esse, & viam Dei cum veritate docere, neque curare quemquam.

ALTER TEXTVS.

Marc.12.n.13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo.

Num.14. Qui venientes dicunt ei: Magister scimus, quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces.

Luc.20.n.20. Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui, & potestati præsidis.

Num.21. Et interrogauerunt eum dicentes: Magister scimus, quia recta dicis, & doces: & non accipis personam,

personam, sed viam Dei in veritate doces.

EXPOSITIO I.

1. VNC. Eodem illo die Martis post Dominicam Palmarum, vt notant Carthusianus, Hugo, Lucas Burgensis, & alij. *Tunc.* Auditis nempe parabolis de vinea, ac nuptiis filij regis. *Abeuntes Pharisæi.* Digressi nempe à loco sermonis Domini, ac proinde seorsum ad locum secretum ad ineundum consilium recesserunt, vt notat Abulensis q. 71. Semper iniquitas fugit publicum, & quærit secretum. *Pharisæi:* has Domini parabolas simul audierunt Pharisæi, *Principes Sacerdotum, & seniores populi:* vt patet suprà Matth. 21. num. 23. & 45. & tamen Pharisæi solum hic exprimuntur, quia sub Pharisæis illi alij intelliguntur, vt innuunt D. Marcus, & Lucas, vel etiam, vt ait Abulensis quæst. 73. Pharisæi fuerunt præcipui, ac magis soliciti in hoc consilio tanquam maiorem religionis, ac populi zelum ostendentes. *Expedit vobis, vt vnus homo moriatur,* Sæpe ab his qui multum zelum simulant, totius reipublicæ excidium paratur: *Consilium inierunt;* & frustra cùm nullum consilium sit contra Dominum.

Carthus. Hugo. Burgens.

Abulens. *Inquitas fugit publicum.* Matth. 21.

Relatores sæpe rem publicam deprauant.

2. *Vt caperent eum in sermone.* Græcus habet, *vt illaquearent eum,* suomet sermone, tanquam aues illaqueantur in reti. Nam vt ait D. Augustinus lib. 1. contra Crescon. cap. 17 *Ricipiti complexione insidiantes, vt quodlibet eligens caperetur. Si licere responderet, tanquam reus esset aduersus populum Dei, si autem diceret, non licere, tanquam Cæsaris aduersariis perimeretur.* Iudæi cùm se liberos esse dicerent vtpotè filios Saræ, ægrè ferebant, quod tributa soluerent, & ideo si Christus concederet, volebant eum arguere, vt populi aduersarium, si verò negatet, eum intendebant accusare, vt reū læsæ maiestatis, ac Cæsaris præsidi vt morte mulctandum tradere, quod significat D. Lucas, *vt traderent illum principatui, & potestati præsidis.*

Græcus. Augus.

D. Luc.

3. *Et miserunt discipulos suos,* vt ait D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 41. *Quale consilium, sales & consultores,* ab iniquis prodit iniquum, & turpe consilium. *Mittunt discipulos suos;* quia vt ex citato Chrysostomo inquit Hugo. Ætate suis magistris minores, malitia, ac nequitia æquales; nam & pulli serpentium statura breuiores, veneno autem æquales sunt. *Mittunt discipulos suos.* Non ierunt Pharisæi, vt notant D. Paschas. lib. 9. Carthus. & alij, quia ipsi cogniti erant à Christo. Discipuli autem putabantur ignoti ab illo, vt tunc Christus nihil mali suspicans liberius loqueretur. *Cum Herodianis.* Syrus: *Cum iis, qui de domo Herodis erant;* eiúsque domestici, ac familiares erant, qui etiam vt est probabilius, exactores tributorum extabant.

Chrysost. Hugo. *Ab impijs impium consilium.* Paschas. Carthus.

Syrus.

4. *Magister.* Adulatoriis verbis blandiri volunt, vt laude inescatus eis mentem, animúmque suum aperiat, ipsis laudibus inflatus audax reddatur ad contemnendas communes leges; à quatuor vt inquit Albertus Magnus, ab auctoritate magisterij: à veritate sermonis: à veritate doctrinæ: a veritate iudicij sine acceptione personarum. *Magister:* Magistrum vocant, cuius nolunt esse discipuli, quem magisterio, fama, ac vita priuare conantur. *Scimus quia verax es,* larga experientia agnoscimus te esse veritatis Doctorem, & Magistrum. *Et viam Dei in veritate doces;* docéque, vt inquit Euthymius, viá, ac modum quo ad Deum, eiúsque gratiam, ac gloriam pergitur. Seductoré vocabant, vt inquit D. Chrysost hom. 71. *Quomodo igitur,* ait, *seductor est, & seducit turbam? adulatione nunc putant, ita eum inflare, & audacem reddere, vt contra institutas leges quidpiam dicat.* Ex opinione eius ab omnibus concepta, ne eam deperdat, ipsum volunt pignorare, vt aliquid contra leges dicat, vt eum arguere valeant, *non est tibi cura de aliquo.* Non prætermittis, vt explicant D. Thomas, Carthusianus, timore alicuius, quod debes dicere, vel facere. *Non enim respicis personam hominum.* Syriacus, *faciem hominis,* siue regis, vel diuitis. Contra Deum; ille enim respicit faciem hominis contra Deum, qui ratione hominis dimittit dicere veritatem, quam debet dicere, vt explicat D. Paschasius.

Euthym.

Chrysost.

Sua eminentiæ opinionem pignorare volunt.

D Thom Carthus. Syriacus.

Paschas.

QVÆSTIO I.

Quare tam accuratè Euangelista notat tempus quo Pharisæi hoc consilium inierunt?

AIT Euangelista: *Tunc abeuntes Pharisæi.* Illud, *tunc,* denotat tempus, postquam scilicet Pharisæi proximè scriptas parabolas de vinea locata Agricolis, Matth. 21. n. 33. & parabolam de nuptiis filij regis, Matth. 22. n. 1. Tunc cum audissent has parabolas abierunt ad hoc consilium, vt notant D. Paschasius lib. 9. in Matth. & Abulensis q. 70.

3.

Paschas. Abulens.

Ad quæstionem respondet D. Chrysostomus homil. 71. in Matth. dicens: *Tunc istud quando significat? quando maximè illos compungi oportuit, quando clementiam ipsius admirari debuerunt, quando futurorum euentus erant expauescendi.* Tunc, denotat tempus, quando prædicata fuit parabola de vinea locata, in qua ob seruos Patrisfamilias occisos, Dominus contra Iudæos promulgauit sententiam. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Denotat etiam *tunc,* tempus post immediatam superiorem parabolam de nuptiis filij regis, in qua ob seruos occisos inuitantes ad conuiuium, protulit Dominus sententiam contra ipsos. *Rex cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit,* Ob ea ego ipsa supplicia comitata debebant Pharisæi compungi, gratulantes Dei pietatem, quæ sic eos commonebat dans locum pœnitentiæ, & veniæ. Vide c. 21. n. 75. 76. & c. 24. n. 91. & c. 28 n. 37.

6. Chrysost.

Summa Dei pietas dat locum ad pœnitentiam.

Quando futurorum euentus erant expauescendi. Ob tot pœnas denunciatas, *malos male perdet.* Et iterùm, *perdidit homicidas illos.* Tanta tamen fuit Pharisæorum nequitia, quòd his auditis minimè commouerentur, vt à sua nequitia desisterent, sunt homines adeo proterui, vt nulla comminata pœna, nulloque imminenti supplicio, emendari, ac vitam reformare velint.

7. *Imminenti pœna homines pessimi non emendantur.*

Maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento, Threnorum 4. num. 6. Vndenam effecta est grauior malitia Iudæorum, quàm Sodomorum? præcipuè cum Iudæi vixerint sub Dei lege cum templo, ac sanctis Prophetis. Hierusalem mulos habuit communes, & publicos admonitores Isaiam, Ieremiam,

8. Thren. 4.

remiam, qui magna voce, ac multis lachrymis eius desolationem per Assyrios prædicabant. At Sodoma talibus, communibus, ac publicis admonitoribus caruit, nam Loth tantum ad duos generos suos locutus est, *& egredimini de loco isto*, Gen. 19. n. 14. Inde ergo grauior effecta est iniquitas filiæ Sion, nam cùm eius desolatio per multa tempora esset publicè denunciata à Sanctis Prophetis, noluit resipiscere, & pœnitentiam agere. Hugo *Magis isti Sodomitæ peccarunt quantum ad hoc, quod illi nec legem, nec Doctores habuerunt.* Quibus scilicet Iudæa abundabat.

Summa malitia ex ad monitione emendatur. Gen. 19.

Hugo.

9. Prima vice accedunt Moyses, & Aaron ad Pharaonem cum multa modestia ex parte Dei denuntiantes, vt populum dimittat. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Exod. 7. num. 10. Accedit Aaron ad loquendum cum Pharaone hac vice prima, cur non gladium, lanceam, romphæam secum adducit, sed tantum virgam simplicem? Quid nefarius Rex virgam contra se timebit? Perpende mysterium. Defertur virga lenis, & mitis, quia si ipsa lenis admonitio de dimittendo populo contemnatur, & non proficiat, conuertetur in horribilem omnium tormentorum Draconem, qui eos omnes deuorabit, & consumet. D. Bruno apud Tilman. in allegor. *Venit Moyses*, ait, *ad Pharaonem, non cum gladio, sed virga, Vnde si pœnitere voluisset, facilem ad ignoscendum Deum per hoc cognoscere poterat; sed quia pœnitere noluit, in colubrum virga conuertitur, vt maioribus dignus supplicijs, maioris correctionis tormenta se expectare intelligat. Et ideo, qui virga non corrigitur, draconi, id est Diabolo traditur.*

Qui admonitus non emendatur, deuoratur à pœna.

S. Bruno.

10. Ait Regius Vates. *Ascendit fumus in ira eius, & ignis a facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Psal. 17. n. 9 tanquam præludium diuinæ iræ, ait, quòd ascendit fumus ignem furoris Domini denuntians ad excitandas pœnitentium lachrymas. D. Augustinus ibi. *Ascendit fumus, ascendit lachrymosa deprecatio pœnitentium, cùm cognouisset, quòd minetur Deus impijs.* At si ista ascensio fumi contemnitur, & despicitur, irreparabilia post se infert incendia, ignis furoris Domini & carbones succensi, fulgura nempe, in tonitrua, vt explicat Lorinus, quod vt ait Theodor. Antiochenus; *Longam vindictam innuit.* Vbi enim sunt carbones succensi, omnia in fauillas, & cineres conuertunt, nullius que rei vestigiũ post se relinquunt; in talem ignem deuorantem incidunt, qui cùm vident fumum diuinæ iræ, non emendantur.

Psalm. 17.

Augustin.

Si admonitio contemnitur, ignis deuorabit.

Lorinus. Theodor.

QVÆSTIO II.

Quare Pharisæi conati sunt Iesum potius capere in sermone, quàm in opere?

11. PHARISÆI faciunt consilium, vt caperent Iesum in sermone, seu vt habent Codices Græci, vt *illum illaquearent in verbis suis*, vt scilicet proposita captiosa quæstione de tributo Cæsaris, ex ore ipsius aliquod verbum, seu responsum haberent; ad calumniandum, ac arguendum eum. Et ideo vt notat Chrysostom. hom. 71. mittunt discipulos cum Herodianis, *vt plurimorum testimonio res pateret, & negari non posset.*

Chrysost.

12. Pharisæi, ac Principes Sacerdotum omni conatu volebant Christum Dominum occidere, vt scribit D. Lucas in præsenti. *Et obseruantes miserunt insidiatores, vt caperent eum in sermone, & traderent illum principatui, & potestati præsidis.* Timebant tamen populum, & ideo non audebant eum tenere, ac apprehendere, vt scribit D. Matth. 21. num. 46. Volebant ergo habere occasionem ad eum accusandum, ac arguendum, & non determinant ipsum capere in operibus, & factis, quia aperrè videbant vitam eius esse puram, sanctam, ac irreprehensibilem, & tanta rei euidentia, odium eorum non quiescebat, ac mitigabatur. Vide suprà cap. 8. n. 29. 30. & 31. & c. 23. n. 29. 30. & 31.

D Lucas.

Matth. 12. *Pharisæi mortẽ Christi machinantur.*

13. Et quamuis Pharisæi aliquando aliqua obiicerent contra Christum. Dixerunt enim: *Ecce homo vorax, & potator vini.* Matth. 11. num. 19. & quod cum peccatoribus, & publicanis manducaret. Matth. 9. n. 11. Et tandem quod hominem curasset in Sabbato. Ioan. 8. num. 16. Tamen nullum ex his hic obiiciunt contra Christum: nam quod esset verax, & potator vini, apertè, ac euidenter erat falsum. Quòd verò cum publicanis, ac peccatoribus manducasset, ac hominem in Sabbato curasset, nullus erat defectus, sed summa sanctitas, religio, ac pietas; & quamuis, vt ait Abulensis q. 78. hoc ab ipsis Pharisæis iudicaretur malum, & imperfectio, non tamen erat morte dignum, & ideo de illis hic non curabant, nec allegabant contra Christum Dominum cui volebant mortem inferre, vnde etiam passionis tempore, hæc etiam contra Christum non obiecerunt.

Matth. 11.

Matth. 9. Ioan. 9.

Abulens.

14. Voluerunt ergo eum capere in sermone, vt qui diceret aliquid, propter quod esset reus mortis: nam sæpè inter dicendum, ac loquendum præter opinionem, ac intentionem inter homines communiter profilit aliquod verbum incautum: an ita hic contingeret, obseruare voluerunt Pharisæi proposita captiosa, ac periculosa quæstione, vtpotè ad res politicas pertinente; falluntur tamen, nam ab infinita sapiẽtia omnia in sapientia fiunt.

Aliquando inter homines profilit verbum incautum.

15. Cùm Esaü agnouisset benedictionem suam furatam fuisse à Iacob. *Oderat eum Esaü pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ*, Gen. 27. num. 41. Communis quæstio, si illa tantum dixit Esaü *in corde suo*: quomodo nuntiata sunt Rebeccæ? Solus enim Deus agnoscit cogitationes cordis hominum; vt ait Isaias. Quomodo ergo quæ latebant in corde, foras prodeunt, & matri nuntiantur? Quamuis Esaü illud haberet absconditum in corde suo, quia tamen ex affectu cordis os loquitur, aliquando incautè cecidit vnum verbum, quod dictum est matri. Lyppoman. *Non solum igitur*, ait, *corde tractabat odium Esaü, sed verbis etiam sibi temperare non potuit, quin proderet consilium occidendi fratrem.*

Gen. 27.

Esaü incautè eructauit secretum sui cordis. Lyppoman.

QVÆSTIO III.

Quare Pharisæi mittunt discipulos suos cum Herodianis, & quinam essent Herodiani?

16. QVINAM essent Herodiani non satis constat. Prima sententia est D. Hieronymi in

Quinã Herodiani. Hieron.

Epiphan. Damascen. Tertull. Abulens. Theophyl. Euthym.

in Dialogo aduersus Lucifer. ad finem. D. Epiph. lib. 1. Hæresi 20. D. Damasceni lib. de Hæresibus, Tertull. lib. de Præscript. Abulens. q. 81. Qui dicunt Herodianos fuisse hæreticos Iudæorum, qui Herodem Ascalonitam dicebant esse Messiã, siue Christum a Prophetis promissum, eo quòd viderant, quod ipso regnante sceptrum de Iuda defecisset iuxta oraculum Iacobi, Gen. 49. n. 10. In qua etiam sententia conueniunt Theophylactus, & Euthym. hic, ac Philastrius lib. de Hæresibus, cum hac tamen differentia quòd pro Herode Ascalonita constituant eius filium Herodem Antipam, qui patre mortuo successit in regnum, & Ioannem Baptistam occidit. Sed nec Iosephus, nec Hegesippus, nec alius Auctor antiquus scribit, quòd Herodes Antipas habitus fuisset Messias à Iudæis, & apertè D. Hieronym. hic hoc negat; secta autem illa, quòd Herodes Ascalonita esset Messias, cùm ipse esset mortuus; iam vel penè extincta erat, vel parum vigebat.

Gen. 49.

17. Secunda sententia affirmat Herodianos esse ministros, qui tributa Cæsari Romano soluenda colligebant: Sic verò dicti, quia creati fuerunt ab Herode Ascalonita, qui totus Cæsareanus erat, rex enim Iudææ creatus fuit à Cæsare, ac Senatu Romano, & pro colligendis tributis Cæsaris præerat in Iudæa, vt ait Ios. phus, quod etiam de Herode Antipate iam mortuo patre suo testatur in præsenti D. Hieron. Idem docent Origen. homil. 10. in Matth. N. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 2. in Isai. c. 11. D. Paschas. lib. 9. in Matth. Eusebius Emyssenus homil. in Dominic. 22. post Pentecost. & D. Antonius Vlyssippon, & hic Albert. Magn. D. Thomas, Hugo, & alij. & hæc sententia mihi probabilior; quia ideo in quæstione proposita de tributo Cæsaris Pharisæi eos cum suis discipulis destinauerunt ad Christum.

Iosephus.

Hieron. Origen. Cyrill. Paschas. Eusebius. Antonius. Alb. Magn. D. Thom. Hugo.

18. Tertiò. Sunt etiam aliqui Recentiores, vt Barradas, qui dicunt Herodianos fuisse viros, ex domo Herodis, quia ipse illis diebus erat Hierosolymis, vt constat, & ad eum missus est Christus à Pilato, & fauet lectio Syriaca, nam pro Herodianis habet, *cum iis, qui erant de domo Herodis*, seu cum domesticis Herodis.

Barrad.

Syriacus.

19. Mittunt ergo Pharisæi discipulos suos ad Christum cum illa quæstione captiosa, an dandum esset tributum Cæsari: quia si Christus concederet, in inuidiam, ac iram Iudæorum incideret; Si verò negaret dandum esse tributum, tunc accusaretur, vt aduersarius Cæsari, ac populo Romano; & ad hoc Pharisæi submittunt Herodianos cum suis discipulis, quia si Christus negaret, Herodiani, tanquam tributorum exactores Christum arguerent, & accusarent, vt reum læsæ maiestatis. Ac proinde accusationem, quam Pharisæi producere affectabant contra Christum, in ipsos Herodianos retorquere volebant, se veluti in tali negotio immunes exhibentes, quod proprium Diaboli ingenium est. Vide suprà c. 9. n. 16. n. 36. & c. 10. n. 19. & c. 34. n. 10.

Culpam suã in alios referre volebant.

20. Secundò. Chrysostomus in Imperf. homil. 41. sic ait: *Pharisæi quò abierunt? Ad Herodianos, qui in Diaboli iniquitatibus ambulabant, Diaboli adiutorium necessarium habent. Sic & isti conuenientes non ad seruas Dei, viros religiosos, sed ad Gentiles, id est, Herodianos se contulerunt. Quis enim poterat dare consilium contra Christum, nisi Diabolus?* Non se conferunt Pharisæi ad viros probos, sed ad Herodianos. Pharisæi Diaboli membra, sic eis dixit Christus: *Vos ex patre Diabolo estis*, Ioan. 8. Herodiani Diaboli etiam membra: & vnum Diaboli membrum, cui coniungeretur nisi ad aliud? Similes cum similibus facillimè congregantur.

Chrysost. *Mali cũ suis similibus congregantur.*

Ioan. 8.

Tertiò. Pharisæi mittunt suos discipulos cum Herodianis, qui iidem erant, ac publicani, tributorum exactores, qui erant valdè execrabiles apud Iudæos, & tanquam publici peccatores reputabantur. Pharisæi calumniabantur Christum Dominum dicentes discipulis eius: *Cum publicanis, & peccatoribus manducat Magister vester*, Matth. 9. num. 11. Et tamen cum his, seu similibus mittunt discipulos suos. Quia sæpè id, quod in alios ex odio damnamus, & reiicimus, ex amore in nostris admittimus, & approbamus. Vide tom. 3. c. 3. q. 6. n. 43.

21. Matth. 9. *Quod in vno ex odio reiicimus, in alio ex amore approbamus.*

Quartò. Pharisæi habebantur tanquam viri religiosi, & qui magnum religionis zelum præ se ferebant. Et tamen discipulos suos mittunt cum Herodianis, qui vtpote tributorum exactores, tanquam publici peccatores ab omnibus reputabantur: Pharisæi volebant ad se conuocare homines contra Christum, & ideo non attendunt ad hos, vel ad illos, vel ad conditionem vniuscuiusque, sed omnes indistinctè affectant ad se adducere, qui enim mala mente cogitat homines ad se aggregare, ac attrahere, nullius conditionem respuit.

22. *Qui vult ad se congregare homines, nullam conditionem respuit.*

Absalon mane consurgens stabat iuxta palatij introitum, & omnem virum, qui veniebat ad negotium cum rege, vocabat ad se, dicebátque illi: *Videntur mihi sermones tui boni, & iusti*, 1. Reg. 15. n. 3. & subditur ibi: *Faciebatque hoc omni Israel venienti ad iudicium.* Omnes ad se conuocabat Absalon sine vlla distinctione, siue, vt ait Lyran. essent pauperes, vel diuites, siue vt ait Abulensis, essent magni, vel parui, boni, vel mali; omnes ad se Absalon vocabat, omniúmque causas bonas, ac iustas esse dicebat. Absalon, vt dicitur in textu ibi n. 6. *Solicitabat corda virorum Israël.* Omnes volebat ad se coadunare, ac conuocare, aduersus patrem suum Dauidem, ideo absque vllo discrimine omnes ad se vocabat, omniúmque causas, vt bonas, & rectas publicabat.

23. 1. Reg 15.

Lyran. Abulens. *Quærebat Absalon homines, omnes admittebat.*

Cùm Dauid degeret per deserta: *Conuenerunt ad eum omnes, qui erãt in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo*, 1. Reg. 22. n. 2. Satis agitata quæstio, quomodo Dauid vir iustus, & sanctus, hos oppressos ære alieno ad se recipiebat, eósque secum patiebatur? Nam ex hoc videbatur damnum suis creditoribus prouenire, ne eis debita soluerentur. Respondet Abulens. q. 4. *Dauid aggregauit ad se multos pugnatores ad defensionem suam contra Saül, recipiebat autem eos necessitate compulsus.* Vt subdit in solutione ad 1. Dauid voluit secum habere viros bellatores pro sui defensione contra Saül, qui eum crudeliter persequebatur, & ideo veniens ad se recipiebat, quamuis alias alienis debitis essent onerati.

24. 1. Reg. 22.

Abulens.

QVÆSTIO IV.

Quare discipuli Pharisæorum Christum Dominum de veritate laudant, & commendant?

ACCEDENTES discipuli Pharisæorum ad Christum cum Herodianis, blandis, & adulatoribus

25.

latoribus vocibus dicunt: *Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Magistrum dicunt, quem seductorem publicabant. D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 42 *Hæc est, ait hypocritarum prima simulatio, quia laudant, quos perdere volunt.* Suauia, & dulcia verba obiciunt, vt simulate suo mortifero veneno decipiant. Quinto, Angelo tuba canente, stella cadens aperuit puteum abyssi, ex quo exierunt locustæ valde monstruosæ: *De fumo putei exierunt locustæ, & data est illis potestas, sicut habent scorpiones terræ.* Apocalyp. 9. num. 3 Quænam erat hæc potestas locustis data similitudinem referens potestatis scorpionum? Scorpion facie, & aspectu blandus, suauis ac festiuus apparet, at cauda vibrante mortifero nocet. Impij adulant aspectu festiuo, ac suauiblandis verbis simulatè iacula venenosa contorquent, quæ decipiunt, & perdunt. Richardus Victorinus: *sicut scorpiones*, ait, *quia prauorum vniuersitas, quod non potest per apertam sæuitiam, hoc adimplere nititur per occultam malitiam.*

Chrysost. — *Adulatores blando aspectu ac verbo parant interitum.* — Apoc. 9. — Richard.

26. Quæstio tamen est. Quare isti Pharisæorum discipuli maximè Christum de veritate commendant? *Scimus*, dicunt, *quia verax es, & viam veritatis doces.* Magistrum dicebant, ideo veracem nuncuparunt, totius enim doctrinæ ornamentum, imò ac fundamentum, veritas est. In pontificali ornatu Hebræi Pontificis, mandauit Deus Moysi: *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erant in pectore Aaron*, Exod. 28. n. 30. Nonne sufficiens est, vt Pontifex habeat in suo pectore doctrinam, ad quid additur veritas? Optimè sanè; quia verus Doctoris character, veritas. Nam si hac caret doctrina, omni nobilitate, ac splendoris ornamento destituta manet. Bene Isidorus Pelusiota lib. 3. Epistol. 64. *Veritas*, ait, *omnibus artibus, & disciplinis ornamentum affert, quæ si absit omni ornatu, & elegantia carent doctrina.* Vnde recte Synesius de Regno: *Veritas verborum nobilitas est.*

Veritas doctrinæ ornamentum, ac fundamentum. — Exod. 8. — Pelusiota. — Synesius.

27. Secundò. Dæmonis vicem agunt Pharisæi, & tentant Christum, vt eum capiant in sermone; & vtuntur dæmonis solertia, qui dum aliquem aggreditur, se illius genio accommodat. Sciebant Pharisæi Christum de sua veracitate gloriari. Ioan. 5. num. 3. *Scio, quia verum est testimonium meum.* Ioan. 7. n. 28, *Verus est, qui misit me*, 8 n. 13. *Iudicium meum verum est.* Et sæpè eodem cap. & multis aliis in locis. Ideo accedentes discipuli Pharisæorum dicunt: *Scimus, quia verax es.* Vt adulantes ei de veritate, de qua gloriabatur, extorqueant ab eo optatum verbum, tributum dare Cæsari non licere. D. Gregorius lib. 14 Moral. cap. 7. ait: *Inuetur inimicus generis humani, vnius cuiusque mores, cui vitio sunt propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem.*

Ioan. 7. Ioan. 8. — *Ex propriis cuiusque diabolus tentationes suggerit.* — Gregor.

28. Cùm homo à dæmone vexatus astaret coram Iesu, dæmonis voce clamauit: *Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te, quia sis sanctus Dei*, Luc. 4. n. 34. Laudat Christum dæmon non de beneficentia, ac pietate, sed de iustitia, ac vindicta, qua peccatorum latebras quærebat. Cur non potius de clementia in tantis operibus, ac miraculis effulgente? Christum Dei esse filium conficiebat Diabolus, Deumque hucusque vindicem, ac punitorem in rebelles agnouerat, indéque Deus exercituum nuncupabatur, dicebatur, *Deus vltionum Dominus*, Psal. 93. n. 1.

Luc. 4. — *Ex opinato affectu Christum demetere nititur diabolus.* — Psalm. 93.

Mihi vindicta, & ego retribuam Rom. 12. num. 19. Putauit ergo Dæmon Christum vti Dei filium, Patris Spiritum hæreditatio iure traxisse, in vltionem, ac iustitiæ rigorem propendere, ideoque illius studiis blandiens, ait: *venisti perdere nos*, vt adulatione pœnæ, ac vindictæ publicatæ, de qua gloriabatur, delimitus Dominus, illius optatis annueret; ab illiusque expulsione ab homine desisteret, in ipsoque homine permanere sineret. Sed Domini tamen studium minimè deprehendit Diabolus, Christi enim spiritus non seueritate, sed pietate, ac clementia gaudet, dæmonis stultitiam ingeniosè denudauit. Tertullianus lib. 4. contra Marc. cap. 7. *Sed habebat*, ait, *vtique sensum aliquem Dominicæ dispositionis (licet dæmon tamen) magis quam alienæ, & nondum satis cognitæ. Adiicit, venisti perde nos: adeo iudicis, & vltoris, & (vt ita dixerim) sæui Dei Filium agnouerat Iesum, non optimi illius, & perdere, & punire nescientis.*

Rom. 12. — Tertull.

Tentat primos nostros parentes Diabolus, dicens: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij*, Gen. 3. num. 5. Quomodo Diabolus hanc cogitationem nostris obiicit parentibus, quorum intellectus multa perspicacia, & nulla fuscatus rubigine multum pollebat? Erat in primis parentibus magnus Dei amor, illiusque vehemens desiderium, semper assistere cum suo creatore, & nunquam ab eo separari. Hoc virtutis studium obseruauit Diabolus, ex illóque callidè hominis ruinam machinauit, ex ipsoque ansam quærit ad laqueum, eisque degustando fructu, ait: *Eritis sicuti Dij.* Vt statim animos eorum inducat ad explendum suum desiderium viuendi semper cum Deo, & nunquam separandi se ab ipso. Nam prout homines erant, maximè à Deo distabant, ac proinde separati ab ipso erant; si autem fierent Dij, Deo essent multum similes, & Deus à Deo separari non poterit. Ecce quomodo ex proprio eorum affectu Diabolus callidè eorum mentes obtenebrauit, ac ad ruinam traxit. Procopius: *Deus*, ait, *cùm fingeret hominem, inter cætera sui desiderium ei ingenuit. Cuius fomitem, vel scintillam Diabolus in homine deprehendens, vt eum magis ineficaret, & ad vetitum pertraheret, inquit: Eritis sicut Dij: quasi diceret, nunc cùm sitis homines, solum non poteritis conuersari cum Deo, sed hoc eueniet, cùm in Deorum numero fueritis relati.*

19. — Gen. 3. — *Et hominem affectu legali ibi pertrahit diabolus.* — Procop.

Matth. 22. num. 17. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

Num. 18. Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?

Num. 19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

VERSIONES.

Syriac. n. 17. Licet dare pecuniam capitarim Cæsari, necne?

Vatabl Pagn. num. 18. Cognita autem malitia eorum.

Syriacus. Quid me tentatis acceptatores vultus?

Arabic.

*Arabicus.n.*19. Ostendi mihi figuramte denarij.

Syriacus. Ostendite mihi denarium argenti capitis.

S.Prosper. Adferte ad me denarium.

ALTER TEXTVS.

*Marc.*12.*n.*14. Licet dare tributum Cæsari, an non debemus?

*Num.*15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, vt videam; at illi obtulerunt ei.

*Luc.*20.*n.*22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non? Considerans autem dolum illorum dixit ad eos: Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium.

EXPOSITIO II.

30. Chrysost. DIC ergo nobis, cùm tantus, ac talis veritatis Doctor sis. *Quid tibi videtur.* Non dicunt, vt ait Chrysostomus homil. 71. dic quod bonum, & expediens est, sed quod tibi videtur; *Licet censum dare Cæsari?* Syriacus habet, *Pecuniam capitatim.* Nam vt notat D. Thom. singula capita soluebant tributum Cæsari, id est, Tiberio Cæsari, qui tunc regnabat. Et quæstio hæc valde agitata erat inter Iudæos. Nam à Pompeio magno redacta Iudæa sub potestate Romanorum, vt testatur Iosephus lib.14. Antiquitat. cap.8. Iudæi consenserunt, ac promiserunt soluere quotannis tributa Romanis, tanquam defensoribus Reipublicæ, ac pacis communis. Nunc verò hac Christi ætate Iudas quidam Galilæus cum aliis Iudæis, vt testatur ipsemet Iosephus lib.18. Antiquit.cap.2. affirmabat, populum Dei diuina Lege suffultum, decimas, ac primitias in templo soluendũ liberũ esse à tributis, nec vllis humanis legibus censum dare debere; ipsumque Romanorum cẽsum, nihil aliud esse quàm manifestam seruitutis professionem, & Iudæos ad tuendam suam libertatem adhortabatur. Alij verò Cæsaris familiares, fautores, tributum esse soluendum dicebant: ideo ergo Pharisæi, qui maximè religionis fautores se ostendebant, hanc quæstionem Christo proponunt. Et ideo scribit D. Marcus dixerunt Christo Domino: *Licet dare tributum Cæsari, an non debemus?*

Syriacus. D.Thom.

Ioseph.

D.Marc.

31. Græcus. *Cognita autem Iesu nequitia.* Seu vt Codices Græci legunt, *Malitia*, seu fraudulentiæ simulatione. Et maximè notandum est, quòd antequam Dominus directè ad eorum interrogationem, ac propositam quæstionem respondeat, eorum consilia detegit, se verum cordium scrutatorem probans, denique se verum demonstrans, cuius proprium est secreta cordis agnoscere, vt ait Isaias. Deinde quia, vt ait D.Hieron. *Prima virtus respondentis est cognoscere interrogantis animum.* Vt illi suum responsum valeat adaptare *Quid me tentatis?* Tentare, vt ait Carthus. est experimentum de aliquo sumere, isti certè volebant experiri Christi scientiam, an aliquid diceret ad eum perdendum: *Hypocritæ.* Id est, simulatores, quia simulabant eum venerari vt magistrum, cui insidias parabant vt traderent ad mortem.

Hieron.

Carthus.

Ostendite mihi. Postquam eorum detegit malitiam, responsum eorum interrogationi adhibet, ne putaretur, quod metu principum taceret id, quod sentiret: *numisma census.* Ostendite nempe mihi nummum, qui pro censu, & tributo pro singulis capitibus, singulis annis soluitur Cæsari. Et notandum est cum Abulens. quæst.96. Quòd Christus Dominus ab ipsis Pharisæis postulat numisma, non verò ex communi bursa Apostolorum, quam deferebat Iudas, quia ex eorum pecunia prolata, efficaciter contra eos voluit arguere, eósque conuincere. Vel etiam mortaliter dic. Summæ paupertatis amator Dominus numisma sibi postulat ostendi, & ex proprio marsupio non profert, siquidem illud non habuit, vt ita nos instrueret aurum, & argentum contemnere, vt cœlestes diuitias quæramus. Et ait: *Ostendite mihi numisma.* Quamuis illa moneta esset satis vulgaris in populo, tamen mandat, vt ostendatur, quia res visa efficacius mouet, efficaciusque comprobat veritatem. *At illi obtulerunt denarium*, quod erat circiter ponderis vnius drachmæ. De quo egi suprà cap.9.exposit.11.

32. Abulens.

Res visa efficacius mouet.

QVÆSTIO V.

Quare Pharisæi quærunt à Christo an tributum esset soluendum Cæsari, cùm illi bene agnouerint quòd ipse illud soluerit?

33. Abulens. DICVNT aliquid apud Abulens. qu.89. quòd Pharisæi nesciebant tributum solutum fuisse à Christo. Nam Dominus illud soluit cùm esset Capharnaum, Matth.17. n.23. Hæc autem quæstio proposita fuit in Ierusalem. Alij dicunt, quòd quamuis Pharisæi scirent tributum à Domino solutum fuisse, quæsierunt tamen, quia putarent, quod ipse pro Cæsare definiret, & ita odiosus fieret populo, ac proinde populus amplius eius doctrinam non reciperet, ex quo in suum pristinum honorem, ac reputationem Pharisæi redirent.

Matth.17.

34. *Putant Christum accusare.* Abulensis citatus sic respondet. Pharisæi putabant, quòd Christus esset indifferens ad respondendum vtroque modo, ac si nunquam soluisset tributa, & quod promptior erat ad dicendum, non esse præstanda tributa, quam ad illa soluenda, & in hanc partem suis verbis eum volebant inclinare, & ideo dixerunt, *Non est tibi cura de aliquo, & non respicis personam hominum.* Vt notarunt Hieron. Chrysost. Paschas. & alij, & confirm. ex D. Luca citato; hanc quæstionem posuerunt, *Vt traderent illum principatui, & potestati præsidis.* Tanquam reum læsæ maiestatis, qui prohibebat tributa dare Cæsari.

Hieron. Chrysost. Paschas.

35. *Euitandum scandalum.* Secundò respondeo. Quòd quamuis Pharisæi agnouissent tributum solutum fuisse à Domino, vt est verisimilius, tamen quæstionem proponunt, quia ex Christi factis, ac operibus coniecturabant, quòd ipse tributum præstitisset, pro vitando scandalo, vt aliis conformaretur, & ab eis non discreparet, quamuis ipse intelligeret, quòd illud non debebat; ideo ab eo quæsierunt,

runt,quid iudicaret, ac sentiret in hoc casu. Dic nobis quid tibi videtur,licet censum dare Cæsari, an non? Vt notauit Chrysost.datus in expositione.

63. Tertiò. Agnouerant Pharisæi tributum à Domino solutum, nam aliàs tributorum exactores illud ab Apostolis exegissent, vt factum est Capharnaum,Matth.17.n.23. Et tamen hanc quæst. exponunt; agnouerunt enim fortè tantam esse Domini benignitatem,quòd quamuis ipse solueret tributum pro liberando populo,astrueret tributum non esse præstandum. E contra verò aulici volunt alios esse tributis addictos,se verò omninò immunes. Vna ex causis, ob quam Adura, qui sub Roboamo *erat super tributa*, lapidatus est à populo,3.Reg.12. n.18. extitit, quòd dure, ac seuerè ad tributorum solutionem omnes cogeret,se verò cum suis rebus ab illis omninò immunem esse volebat.

Matth.17.

3.Reg 21.

QVÆSTIO VI.

Quare Pharisæi volunt capere Iesum in sermone contra Cæsarem, & non potius contra Dei Legem?

37. *Apud iniquos plus præualet ad pœnam regis offensa, quàm Dei iniuria.*

MNES rationes superiori quæstione assignatæ ad hoc tendunt, quòd Pharisæi intentarunt capere Iesum in sermone,in aliquo nempe prolato contra Cæsarem, ac eius tributa,cur non potius insidias parant Pharisæi in Dei Lege,ac rebus, quæ ad Deum spectant? Ipsi obseruabant eum: *Vt traderent illum principatui, ac potestati præsidis*;ad mortem nempe,& Pharisæi agnoscebant, quòd apud iudices sæculares, efficacior est ad perdendum offensa in regem,quàm iniuria in Deum, & ideo seruis Dei frequenter obiicitur imperiale mandatum, vt de eorum crimine, eos arguant, & damnent, vt obseruauit D.Ambr,lib.5.Epist.32. *Dicunt*, ait, *libet tributum dare Cæsari,an non? Semper ne de Cæsare seruis Dei inuidia commouetur? Et ad calumniam sibi arcessit impietas,vt imperiale nomen obtendat.*

Ambros.

38. Ioan.19.

Vehementer accusatur meus Iesus apud Præsidem Pilatum à Pontificibus: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit*,Ioan.19.n.7.Tantam iniuriam in Deum, vt ipsi falso existimabant, proclamant omnes, & tamen Præsidens pro causa Iesus stans, de eius libertate cogitat.Tunc Iudæi iterum instant,& clamant,*Si hunc dimittis,non es amicus Cæsaris,omnis, qui se regem facit contradicit Cæsari*,Ibid.num.12. Quid est,quòd cum Dei iniuriam despici vident, Cæsaris iniuriam proponunt? Et cur cum Deum offensum dicant, modò Cæsarem offensum addunt? Efficacior-ne apud iudicem appareret offensa Cæsaris, quàm Dei offensa ad sententiam mortis contra Iesum proferendã?Pro certo sciebant Iudæi,quòd apud iniquum iudicem Pilatum plus prævaleret imperiale nomen ad perdendum violatum,& ideo post existimatam Dei iniuriam, tanquam quid maius Cæsaris offensam prætendunt. D.August. homil. 5. de Passione: *Maiorem timorem*,ait,*se ingerere putarunt Pilato terrendo de Cæsare,vt occideret Christum,quam superius,vbi dixerunt: Nos legem habemus,& secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Et sic reuera contigit; nam quando Iudæi contra Christum, tanquam magnum crimen obiiciunt, quòd Filium Dei se fecit, cogitat præsidens liberare eum de manibus eorum. At verò cum iterum clamant, *Non habemus regem nisi Cæsarem*. Immediatè addit Euangelista: *Tunc ergo tradidit eis illum,vt crucifigeretur*, ibid. Ioan.19. n. 15. Cùm audit crimen ad Cæsarem spectans, iam non restitit, vt antea faciebat prolata iniuria Dei, sed tunc tradidit eis illum,vt crucifigeretur.

Efficacior timor Cæsaris, quàm Dei in Pilato.

August.

Ioan.19.

QVÆSTIO VII.

Quare cùm Pharisæi blandè Christum interrogassent, ipse asperè respondet, Hypocritas vocans?

39. *Hypocrita quid significet*

HYPOCHRITA ex sua prima significatione nomen est Græcum significans illos, qui vultibus laruas superponunt, quales sunt repræsentatores comœdiarum, cùm alienas personas effingunt, hinc transfertur ad illos; qui se exterius bonos,ac lenes ostendunt,cum intus sint mali ac venenosi; Ex quo ad quæstionem patet.

40. Hieron. Paschas. Hilarius.

Prima solutio communis omnium Patrum D.Hier.D.Paschas.Hilar. ac aliorum. Hos interrogatores, qui blandè quæsierant: *Magister scimus,quia verax es*, &c. Seuerè, ac coram omni populo eos vocat Christus hypocritas,ostendens quòd eorum internam malitiam cognoscebat, quo se verum Deum esse demonstrabat, cùm intima cordis agnosceret. Ex quo eleganter ait D.Chrysost.hom.41.in Imperfecto: *Dicit eis hypocritæ, vt quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inuenirent in corde, vt considerantes eum humanorũ cordium cognitorem, quod facere cogitabant,perficere non auderent. Vide ergo,quod Pharisæi quidem blandiebantur,vt perderent,Iesus verò confundebat, vt saluaret, quia vtilior est homini Deus iratus, quàm homo propitius.* Irata voce eos confundens coram omni populo hypocritas vocat,in ipsa tamen irata voce magna misericordia resplendet, cùm se Deum declaret, intima cordis secreta agnoscentem; vt sic à sua mala mente, suisque dolis desistant, totóque corde se ad ipsum, vt verum Deum conuertant, vt apud ipsum misericordiam impetrent; inter ipsa vulnera diuinæ iræ, Deus vtilia homini ad salutem applicat. *Vtilior est homini Deus iratus,quàm homo propitius.*

Chrysost.

In ira Dei misericordia relucet.

41. Psalm.16.

Exorabat Dauid Dominum dicens: *Ne declines in ira à seruo tuo*,Psal.16.n.9.Deum etiam non volebat à se recedere, sed eum secum habere, ac retinere, sciebat enim quòd inter ipsas iras Deus sæpè misericordiam diffundit, vnde pulchrè ait D.Augustinus: *Quid times*, ait, *ne declines in ira? Si à te declinauerit in ira, non in te vindicabit.Opta ergo potius,vt declinet à te in ira,non accedat; quid nouit enim? Quid desiderat? Ira eius non est nisi auersio eius.*

August.

42. Chrysost.

Secundò D.Chrysostomus homil.71. *Quia magna,& aperta vtebantur malitia, mains ipse quoque vulnus interquet, confundens eos, atque illorum ora obstruens: hoc faciebat, vt eorum repressa nequitia nunquam aliàs similiter delinquerent.* Quia aperta erat Pharisæorum nequitia,ideo aperte,ac publice eos Dominus arguit, publica peccata publicè castiganda. Deinde, *Quia eorum repressa nequitia nunquam*

nusquam aliàs similiter delinquerent. In eos durè, & asperè inuehitur, vt exinde à simili nequitia, ac malitia desistant; nam sæpe multa iniuriarum patientia occasionem ministrat ad iniurias inferendas. Vide suprà c.17.n.94.& c.44.q.8.n.46.

43. Abulens. Tertiò Abulens.q.94. Quid est quòd Christus Dominus, ait interdum ad verba dura respondet blandè,& ad verba blanda respondet durè; nam suprà Matth.12.n.24. *Cum dixerunt Pharisæi, non eiicit damones nisi in Beelzebub principe damoniorum.* Christus blandè respondet, per solam rationem eos conuincens,scilicet. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur* Et in eodem cap.blandè loquentes Pharisæi: *Magister volumus à te signum videre.*n.38. rigidè, ac seuerè ad eos loquitur Christus. *Generatio mala, & adultera signum quærit.* Sicut & in præsenti cum blandè ad ipsum loquuntur, *Magister scimus,quia verax es*: asperè respondet. *Quid me tentatis hypocritæ?* Cui quæstioni sit satisfacit citatus Abulens. *Hoc faciebat Christus ab ostendendum in vtroque virtutem, scilicet ne duris exacerbatus propter impatientiam videretur durè respondere; quando autem blandè loquebantur, durè respondebat, ne eorum blanditiis, & adulationibus videretur consentire.*

Matth.12. *Laudes ligãt apud homines tanquam compedes.*

In iniurijs leuitas, in adulationibus grauitas.

44. Cyrill. Quartò D Cyrillus Alexandrin.lib 2.in Isaiam *Obserua igitur*, ait, *quo pacto redarguat palpantes, & blandientes repellat; non enim adhærebit his: qui impiè affecti sunt,quique leporem orationis,tanquam fraudulentiæ, & versutiæ personam sibi ipsis attribuunt.* Quamuis Pharisæorum discipuli valde officiosi honorificentissimis verbis, ac obsequiis accessissent, seuerè repellit Christus, hypocritas, ac tentatores dicens, agnouerat eos officiosos palpatores;& ideo nec per minimum tempus eos secum Christus patitur absque eo, quòd eorum malitiam detegat, vt inde instruantur principes, quòd huiusmodi adulatores eis maximè sint suspecti, vt eorum dictis non acquiescant, sed maximè à se repellant, ne ob eorum verba vis iustitiæ impediatur,& mala impunita permittantur.

Princeps abigat adulatores, ne iustitia impediatur.

45. Ioan.6. Audito sermone de cælesti pane, multi discipuli abierunt retrò. Tunc Christus Dominus ad duodecim conuersus dixit eis. Vos vultis etiam abire?Respondet Petrus. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus:& cognouimus, quia tu es Christus filius Dei,* Ioan.6.n.69. Tunc diuinus Magister sic Petro retulit. *Nonne ego vos duodecim elegi:& ex vobis vnus diabolus est.* Ibidem num.71. Quid est Domine, quod tuum discipulum, te summe reuerentem, ac amantem, de te vera,& certa diuina fide confitentem, tam acerbè pungis, in tantámque anxietatem deuenire facias, vt ei dicas: *vnus ex vobis diabolus est.* Dulces laudum cantationes duro sermone auersatur. Vti cunctis principibus daret exemplum, quòd suauia, ac honorifica verba, nemine excipiant, nec eorum decantatoribus benevolos exhibeant se, sed acri morsu eos à se abigant, & repellant.D Chrysostomus homil.46.in Ioan. *Ne quis*, ait, *assentationem suspicaretur, ita locutus est; quasi dicat, nihil mihi persuadet,ne males arguam, Nolite me laudum vestrarum gratia vobis adulaturum.*

Chrysost.

46. 1.Reg.15. Cùm venisset Samuël ad arguendum Saül eo quòd contra Domini mandatum, reseruasset Agag Regem Amalech, eorumque optimis pepercisset, excepit Prophetam Saül honorificis verbis *Benedictus tu Domine*, 1. Reg. 15. n. 13. & postea. *Vt immolarentur Domino Deo tuo.* Valde honorifica erant hæc verba Samuëli,eumque benedictum Domino dicebat,singulariter Dei dilectũ appellabat, *Domino Deo tuo.* Quid his auditis locutus est Samuël ad Saülem? *Sine me, & indicabo tibi, qua locutus est Dominus*, Ibid.n.16. preme verbum *sine me.* Quis ô Propheta,tibi manũ iniecit;quis te,quæso,detinet,vt petas, *sine*; tanquã si dicas.Cogitas ô Rex,quod tuis laudatoriis vocibus tanquam compedibus me tenes, ac alligas, vt frequenter fit apud homines adulatoris cautionibus; ne tibi verbum Domini annuntiem, *sine me*,quia hæc tua verba ferre non possum, & indicabo tibi Domini sententiam. *Abiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel.* n.23. D. Gregorius Papa ad citatum locum eleganter. *Ac si*,ait,*laudatorem suum electus præsul honesta grauitate derideat, dicens: quid me laudas, loqui tibi dura non possum. Sine ergo, id est, permitte me loqui, & ea, quæ sunt locuturus,intellige* Rationem subdit. *Et quia placere se laudando adulatores credunt, audire ab eis dura,quos laudant,nequaquam credunt.*

Gregor.

*Matth.*22.*n.*2. Et ait illis Iesus: cuius est imago, & superscriptio?

*Num.*21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis:Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.

VERSIONES.

*Pagnin.n.*20. Cuius est imago ista, & inscriptio?

Arabicus. Cuius est figura hæc, & inscriptio?

*Syriac.n.*21. Date ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari.

ALTER TEXTVS.

*Marc.*12.*n.*16. Cuius est imago hæc, & inscriptio?

*Luc.*10.*n.*25. Et ait illis, reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt Dei, Deo.

*Num.*16. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe:& mirati in responso eius tacuerunt.

EXPOSITIO III.

47. AIT illis Iesus. *Cuius est imago hæc,* quem nempe repræsentat hæc imago? *superscriptio*, seu *inscriptio*, vt habet D.Marcus, id est cuius nomen est hoc exaratum in nummo? Sicut nunc, ita olim solebant Principes, ac Reges in moneta suam imaginem,& arma,ad extrema verò suum nomen,insculpta exhibere. Interrogabat verò eos Christus Dominus, non quòd ignoret, quod omnibus erat manifestum, sed vt inquiunt D.Chrysost. Paschas.Carthus. & alij, partim vt ex eorum dictis, quæstionis solutionem extorqueat,ita vt non possint aliquid respondere; partim etiam, vt ostendat, terrena ista non esse sibi curæ, qui totus ad cælestia intentus ea tractabat, ac agebat.

Chrysost. Paschas. Carthus.

48. *Dicunt ei Cæsaris.* Tiberij nempe, quo imperante passus est Dominus. *Reddite ergo.* A quæstione proposita. An Iudæi tenerentur iustè soluere tributa Romanis, quæ erat quæstio maximè anceps, & odiosa populo secundum partem affirmatiuã, secundùm verò negatiuam Cæsari, ab hac ergo quæstione directè se abstinet Dominus, & non vult disputare, nec examinare, an Iudæi iustè facti essent Romanorum subditi, ac tributarij, vel iniustè, & tyrannicè. Quæstio erat agitata. Nam Pompeius vocatus ab Hircano, & Aristobulo fratribus, nepotibus Simonis Pontificis, qui fuit frater Iudæ Machabæi, de principatu, ac Pontificatu Iudææ inter se contendentibus, vt inter eos litem dirimeret, ipse verò iniquè illis exclusis ab eis principatum ad Romanos transtulit, totumque regnum Iudææ, eis fecit tributarium; Aliunde verò poterat pro Romanis allegari, quod res iam abierat in præscriptionem, quia iam centum anni erant elapsi, ex quo Pompeius inuasit regnum toto populo Iudæorum tacente, & consentiente. Ab hac ergo quæstione abstrahit Dominus, & præsupponit factum. Ac si dicat Dominus, ostensa hac moneta, in qua est imago, ac inscriptio Cæsaris, vos ostenditis illius subditos, eumque vos habere in principem qui habet ius cudendi denarium, numisma census, & vt etiam vult Baronius ex Lampridio in eo pretio, & pondere, quo illa sibi volebant in tributum pendi. *Reddite ergo*, ait, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, seu Principis, principi ad sustentanda onera Reipublicæ saltem pro conseruanda pace, ac redimenda vestra vexatione, ac oppressione. Ita Iansenius, Barradas, Franciscus Lucas Burg. Cornel. & alij.

A quæstionibus odiosis abstrahendum.

Baron.

Iansen. Barrad. Burgens. Cornel.

49. *Et quæ sunt Dei, Deo:* reddite, nempe, Didrachma scilicet, decimas, oblationes, & victimas, vt ait S Hieronymus in Leuitico præscriptas. Quæ Deo iure supremi Dominij debentur solui à vobis, vtpote à suis creaturis, ac fidelibus. Orig. homil. 11. in Matth. *Nec enim*, ait, *ex eo quòd reddit quis Cæsari, quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo, quæ Dei sunt.*

Hieron.

Origen.

QVÆSTIO VIII.

Quare dixit Christus Dominus potius reddite, quàm date, quæ sunt Cæsaris, Cæsari?

50. NOTANDVM est, quod ait Christus Dominus: *Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris.* Dixit: Reddite Cæsari. Non verò dixit: Reddite exactoribus, quia suauius esset subditis, si tributa soluerent principi, non vero ministris, à quibus multas molestias, ac vexationes patiuntur. Vnde Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 4. Epist. 19. sic loquitur. *Portus nostros*, ait, *nauis veniens non expauescit, vt certum nautis possit esse naufragium, si manus non incurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quam solent nudare naufragia.* Certius, ac periculosus naufragium incurrit nauis veniens inter exactorum manus, quam inter duos scopulos, ac vndarum vortices, plusque periculi timendum est à voraci exactorum procella, quàm à feruida læuientis pelagi tempestate; nam ab atroci tempestate sæpe felicitate aspirante prosperè euadit nauis, à rapaci exactorũ auaritia nullus est, qui effugiat. Ad quæstionem.

Cassiodor.

Omnia bona naufragantur apud tributorũ exactores.

51. Respondet ex D. Chrysostomo Theophylactus in cap. 20. Luc. *Vide*, ait, *quia non dixit, date: sed reddite; Debitum, inquit, est: reddite igitur debitũ. Custodit te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam peccatam facit. Debes itaque ei pro his tributum.* Christus, & iubet, vt tributa exsoluãtur principi, quia illi debentur, reddenda sunt illi vt debitum, non verò dantur, vt donum. *Custodit te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam peccatam facit.* Ac proinde ad onera reipublicæ, ad oneraque pacis, & belli pro populo custodiendo, & conseruando tributa sunt principi præstãda, vt docẽt D. Thom. de regimine principis lib. 4. c. 6. Abulens. ad c. 7. Deuter q. 9. Salmeiron. tom. 4. pat. 1. tr. 6. quod cõmuniter cõprobant omnes ex loco Pauli Rom. 13. n. 6 *ideo tributa præstatis, ministri enim Dei sunt.*

Theophyl. *Principi debita sunt tributa ad onera reipublicæ.* D. Thom. Abulens. Salmeiron. Rom. 13.

52. Et expendendus est modus loquendi diuini Magistri. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; quæ sunt Dei, Deo.* Non cogitent Reges omnia ipsis esse reddenda, sciant aliqua esse eis debita, aliqua & Deo, alia verò ipsis Dei imaginibus, vt ipsi viuant, & comedant; non ergo reges omnia sibi velint vsurpare, nec etiam multi sint in huiusmodi tributis imponendis. Mandat Deus Moysi, quod cùm vrbs expugnanda fuerit à filiis Israël. *Si receperit, & aperuerit tibi, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo.* Deuter. 20. n. 11. Expende extrema verba, *sub tributo.* Cur non dixit sub tributis? vt denotaretur quantus modus sit habendus in tributis exigendis, ne populus illis nimis grauetur. Phil. lib. de Creat. principis *Qui suis*, ait, *parcunt provincialibus vno contenti tributo, ne subditos redigant citò ad extremam inopiam.*

Principes non sit multum in tributis imponendis.

Deuter. 20.

Philo.

53. Compone hoc, quod proximè citato loco dicitur de populo *Seruiet sub tributo.* Cum his quæ de Isachar in suis benedictionibus ait Iacob. *Issachar vidit terram, quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.* Gen. 49. n. 14. Cur non sub tributo, vt dictũ est de populo, sed sub tributis? Habitabat ipse in terra optima, & opulenta, quæ vberes, ac fertilissimos fructus ferebat, ita vt necesse essent humeri ad tanta onera portanda. Ideo factus est *sub tributis.* Caietan. *Morale*, ait, *hoc est principibus, vt cultores feracis regionis, plus fructuum concipientes, plus grauent.* Qui enim multis diuitiis, ac mercibus est opulentus, Issachar in Hebræo, idem est, ac *merces.* Quique multorum agrorum fructus colligit, æquum est, vt maiora tributa pendat, quam populus simplex, & pauper qui multis eget. Ex quo vt aduertit Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. quod *Propheta apud Ægyptios præfecit distributioni triticorum.* Ac si ad colligenda tributa, non satis sit vir probus, & prudens, Deoque dedicatus, sed insuper desideretur Propheta, vt scientia à Deo infusa prænoscat, quantum tributi vnusquisque pendere possit.

Gen. 49.

Diuites, ac potentes maiora exsoluãt tributa. Caietan.

Clem. Alex.

54. Et admoneo ad calcem quæstionis, quòd non dicant Reges, quòd breuiter pro hac vel illa occasione tributa imponant. Sciant quod tributum semel impositum, perpetuò durat, & nunquam aufertur. Transacta fame dat Ioseph Ægyptiis semina, vt serere valeant agros, ea tamen conditione, vt quintam partem de fructibus dabunt Regi. Subdit textus. *Exeo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem.* Genes. 47. numero 27. A quo tempore hæc tributi

Tributum semel positum perpetuum est. Gen. 47.

tributi lex manauit? A tempore Ioseph, per tot temporum sæcula vsque ad Moysis ætatem, imò forte vsque ad nostra tempora. Cur tot temporum mutationibus, totque Regibus etiam alienigenis regnantibus in Ægypto, huiusmodi tributi memoria non est abolita, ac sublata? Tributum fuit semel impositum, & inde ita fixum, quòd quamuis regnum mutaretur, ipsum tamen semper stabile permaneat, ac perseueret. Abulens. ibi: *In quo*, ait, *magna patet solertia Regum circa subditos in recipiendis redditibus, quia in tantis temporum circulationibus, & variis, quasi mutatis mundi cunctibus, nunquam illi iura aboleri potuerunt, licet hoc satis Ægyptus desideraret.*

Abulens.

QVÆSTIO IX.

Quare Christus prius dixit reddenda Cæsari, quam Deo?

55. AIT Christus Dominus in præsenti: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.* Per hæc admonet Dominus, quòd Cæsari ea sunt reddenda, quæ Cæsaris sunt, in hisque illi parendum, quæ ad ipsum spectant, non verò in his quæ Dei sunt, ad Deúmque pertinent, ac proinde principi nullo modo est obtemperandum in his, quæ pietati, religioni, ac legi Dei nocent; hæc enim diuino iuri repugnant. Nam, vt ait, Diuus Chrysostomus homil 71. *Tu verè*, ait, *cum audens reddenda esse Cæsari, quæ sua sunt: illa solùm dici non dubitat, quæ pietati, ac religioni nihil officiunt: Nam quod fidei, ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum, & vectigal est.* Quæstio præsens est, cur Christus prius dixit reddenda Cæsari, quam Deo? *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo.*

Principibus parendum in his, quæ non repugnant legi Dei.

Chrysost.

56. Abulens. *De Cæsare erat quæstio proposita.* Respondet primò Abulensis, & ad litteram quæst. 102. Quòd Christus prius dixit de debitis Cæsaris, quia de istis fuit quæstio proposita, & non de debitis Dei; debita autem non inducuntur hic principaliter, sed accessoriè, vt Dominus adæquate responderet quæstioni Pharisæorum, scilicet quomodo staret, quòd homo esset tributarius Deo, & homini, & ideo dicit, quod non obstante quod Cæsari soluatur, quod suum est, etiam Deo reddatur, quod suum est.

47. Origenes. Secundò. Origenes tract. 21. in Matth. *Quoniam*, ait, *habemus quædam in nobis, quæ sunt principis huius mundi, id est, diuersus malitiæ, & non possumus prius reddere Deo, quæ Dei sunt, nisi reddiderimus principi, quæ principis sunt; id est, nisi deposuerimus malitiam vniuersam.* Per Principem in Cæsare significatum intelligit Origenes diabolum, peccatúmque. Deo enim non possumus bonorum operum debitum reddere, nisi prius omne peccatum, omnémque diaboli malitiam à nobis abstulerimus, tanquamque eam in suum auctorem reiicientes, à quo expediti Deo debitum reddere valeamus.

Diaboli malitia reiicienda, vt Deo seruiat.

58. Theodor. Paschas. Tertiò. D. Ambrosius in cap. 20. D Luc. *Bene prius*, ait, *quæ sunt cæsaris, reddenda decernit, neque enim potest quis esse Domini, nisi prius renunciauerit mundo.* Similiter D. Paschas. lib. 10. in Matth. *Vosmetipsos*, ait, *reddite Deo, quod omninò non potestis, nisi vos primum exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis. Et ideo prius reddite, quod alienum est.* Prius ait, reddite Cæsari, deinde Deo. Vt enim quis ad Deum accedat, ipsique adhæreat, hoc maximè curare debet, vt mundialibus omnibus renuntiet, ab hisque animum deponat, ac se exuat, cùm ergo ab omni sæculari curâ fuerit exutus, tunc valebit Deum induere, ac ea quæ Dei sunt, agere, & ministrare.

Deponenda terrena, vt Deum habeas.

Cùm Deus descenderet ad legem dandam in monte Sinài ob voces, lampades, & sonitum buccinæ, ac montem fumantem, magno terrore, ac pauore concussus erat totus populus. *Stetitque populus de longe, Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus*, Exod. 20. num 21. Quid est magne Dux, quòd cùm tuus populus sit tanto timore percussus, ipsum deseris, ab eóque te elonginquas? Cur non potius cum eo manes, vt ipsum valeas corroborare, ac confirmare? *Accessit Moyses ad caliginem, in qua erat Deus.* Vt Moyses accederet ad Deum, necesse fuit recedere, ac se elonginquare à populo, hoc est, à mundo. *Accessit ad caliginem.* Deus lux, & splendor est, quomodo Moyses ingreditur caliginem, in qua Deus erat? Ingreditur nubem nempe densam, & opacam, qua Moyses circundatus terram aspicere non valet, vt diuisis, ac separatis oculis à terra Deum intueri, ac aspicere posset. D. Greg Nyssenus, lib. de vita Moysis: *Ad penetrabilia diuinorum ingressus, nec Iudæis amplius visibilis, solus erat cum inuisibili, vt nos instrueret his gestis (vt arbitror) quòd oporteat, si quis velit esse cum Deo, omnia hæc, quæ videntur contemnere, & mentem suam ad inuisibile, atque incomprehensibile, quasi ad summitatem mentis dirigere.*

59. Exod. 20. *Separandus animus à mundo, vt Deum intueatur.* Greg. Nyss.

Ait Christus Dominus: *Vbi fueris corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*, Matth. 24. num. 28. Cur solas aquilas meminit ad corpus Iesus congregandas, cur etiam columbas non introducit, quæ ob niueum candorem, maximè celebres sunt in Scriptura? Aquila inter omnes aues altissimè volat, séque maximè elonginquat, ac separat à terra, vt Solem intueatur; sicque necesse est ad alta tendere, terrenisque renuntiare, cùm quis velit diuinis attendere. D. Chrysostomus homil. 24. in Epistol. 1. ad Corinth. *Aquilas autem appellat*, ait, *vt ostendat id alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed & ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.*

60. Matth. 24. *Ad alta tendendum, vt Deum attendas.* Chrysost.

QVÆSTIO X.

Quænam sunt reddenda Cæsari quæve Deo?

HOc iam explicaui in expositione. Regibus danda sunt vectigalia ad sustentanda communia onera Reipublicæ. Deo verò dandæ sunt decimæ, oblationes, & vota, vt explicant D. Augustinus in sentent. 14. iuxta illud Psalm. 75. n. 12. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius affertis munera.*

61. August. Psalm. 75.

Vnde cognoscêt Reges, ac Principes, quod aliud est ius imperiale, aliud ius Dei, vt in his, quæ ad Deum spectant, non se intromittant. Vnde dicebat D. Ambros. Epist. 33. ad Marcellinam sororem de Valent. Iuniore Ecclesiâ pro Arianis postulâte: *Noli te grauare imperator, vt putes te in eâ,*

62. Ambros.

quo diuina sunt, imperiale ius habere. Nolite extollere, sed si vis ditius imperare, esto Deo subditus: scriptum est; quæ Dei, Deo: quæ Cæsaris, Cæsari, Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia: tibi mœniorum ius concessum est, non sacrorum.

Reges non se intromittant in rebus Ecclesiasticis.

63. Origen. August. Secundò Origenes homil.21. in Matth. *Deo*, ait, *reddenda sunt quæ virtutis sunt, Cæsari, quæ politiæ, & census.* Tertiò. D.Augustin. lib.2. contra Epistol. Parmen cap.7. *Deo*, inquit, *reddendus est Christianus amor, Regibus humanus timor.* Quartò: S.Theophylus Patriarcha Alexandr. *Tempore persecutionis reddendum Cæsari præcipit corpus, in quod solummodo potestatem habet. Deo autem dicit reddi constantiam spiritus, & animæ.*

Theophyl.

64. Hilarius. Quintò. D.Hilarius: *Deo*, ait, *etiam ea, quæ Dei sunt, reddere nos oportet, id est, corpus, & animam, & voluntatem. Numisma autem Cæsaris in auro est, in quo est eius imago depicta, Dei autem numisma homo est in quo est Dei imago figurata; ideo diuitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentiæ vestræ conscientiam seruate.*

Tertull. Tertullianus lib. de Idololatria cap. 15. *Reddite*, ait, *imaginem Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est, & imaginem Dei Deo, quæ in homine.* Quod etiam docet

Bernard. D.Bernard.lib. de Passione Domini cap.3. Terreno regi dandum est aurum, & argentum, in quo est eius imago exarata: Deo verò dandus est totus homo, qui ad imaginem, & similitudinem Dei factus est. Ex quo colligit D.Ambros. Epist.1.

Daniel.3. Quod tres illi pueri Ananias, Azarias, Misaël non debebant soluere tributum imagini regis, quia eam apud se non habebant, nec de mensa regis, ac eius moribus erant polluti; solúmque Deo debebant, cuius imaginem operibus, & actionibus referebant, cui toto corde, & animo

Ambros. seruiebant. Sic ait S.Ambrosius: *Qui non adorauerunt imaginem regis, qui non receperunt eam, qui nihil de illa mensa regis accipiebant, non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum, quæ sub rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non soluunt tributum, quibus portio Deus est.*

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus tam apertè illis dicit veritatem, & quòd Deo reddenda, quæ Dei sunt?

65. VALDE apertè Christus his Pharisæis, ac Herodianis dicit veritatem. Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, Deo, quæ Dei, vt nihil è donis Dei sit defraudandum, vt Cæsari exhibeatur, cur tam apertè veritatem loquitur, & protestatur? Christus Dominus omninò independens ab omni humano respectu, non respiciebat personam alicuius. Et ita ipsi dixerunt. *Non est tibi cura de aliquo.* De sanctis Virginibus ait Ioan.

Apoc.14. in sua Apocalyps. 14. n.4. *Virgines enim sunt. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, Agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium.* Quòd in ore eorum non sit inuentum mendacium magna laus, tamen videbatur portus, quod de Doctoribus, ac Magistris esset decantanda, quàm de Virginibus publicanda. Cur ergo de his hæc dicitur?

2.Cor.7. De Virginibus ait D. Paulus 1. Corinth.7. n 32. *Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt.* Qui enim absque interuentu alicuius dependentiæ ab homine Deo in omnibus attendit, ipsumque respicit, hic verum absque mendacij vmbra dicit, & loquitur.

Solum independens ab hominibus veritatem dicit.

Secundò. Maximè persuadet Christus, vt quæ Dei, Deo danda sint, pro quo eleganter ait Origenes citatus in Caten. ad cap.20. D.Luc. *Postulat autem à nobis Deus, non quia necessarium habet, vt ei aliquid tribuamus: sed vt postquam ei dederimus, hoc ipsum nobis tribuat.* Deus petit, vt aliqua nostra ei offeramus, & demus, non quia nostris indigeat, sed vt vberiorem suam largitatem ostendat, dum nostra exigua, valde amplissimè rependit, ac remunerat. Pulchrè Hildebert. Epistol.15. *Munera Dei*, ait, *damno sunt possessoribus otiosis, quibus nolle negotiari ad lucrum, probe negotiatur ad supplicium. Magnus fœnerator est Deus noster, importunè vsuras exigit ipse creditor noster. O beatum commercium, in quo nec vsurat exigens criminis arguitur, nec soluens in aliquo granatur! ô felicem negotiationem, in qua creditor est opportunè importunus, & debitori plusquam debet, debetur.* Magnus fœnerator est Deus noster, non ex auaritia, sed ex liberalitate, plus ipse vult debere, quam ipsi debetur, & exigua, quæ ei præstat, & debet homo magnificentissimè omnibus bonis gloriæ remunerat: *Debitori plus debet, quam debetur.* Vide suprà cap.20.n. 49. & cap.23. num.7.8.& 9.

Origen.

Hildebert.

CAPVT XLVI.

Charitatis mandatum.

Matth.22. num 34. Pharisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum.

Num.35. Et interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor tentans eum.

Num.36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?

VERSIONES.

Vatabl Pagn. num.34. Pharisæi autem cùm audissent, quod obturasset os Sadducæis conuenerunt simul.

D.Chrysost. homil.72. Quia ora Sadducæorum obstruxerit, congregati sunt in vnum.

D.Hilarius. Congregati sunt aduersus eum.

Syriacus.n.35. Et interrogauit eum vnus ex ipsis peritus Legis, cùm tentaret eum.

D.Chrysost. citat. Vnus ex ipsis iurisperitus.

Lucas Burg. Vnus legalis Doctor.

Tertull.lib de carne Christi. cap.7. Surrexit legis Doctor tentans eum.

Syriac. 36. Doctor, quodnam est præceptum maximũ in lege?

Alter Textvs.

Marc.12.n.28. Et accessit vnus de Scribis, qui audierat illos conquirentes: & videns quoniam bene illis respondesit, interrogauit eum, quod esset primum omnium mandatum.

EXPOSITIO I.

1. PHARISÆI autem videntes. Ex aliorum relatu, ac communi fama, quæ Christi gloriam publicabat. *Quod silentium imposuisset Sadducæis.* Sadducæis resurrectionem negantibus, in sua quæstione proposita, silentium imposuit Dominus, efficaciter ex scriptura futuram resurrectionem demonstrans, ita vt ipsi amplius non auderent replicare. Tunc Pharisæi, qui aliàs maximè contrarij erant Sadducæis, nam Pharisæi resurrectionem fatebantur: tamen modo Pharisæi, & Sadducæi fiunt amici, & conueniunt aduersus Christum, vt notant D.Chrysost. homil.72. D.Paschas. lib. in Matth. sicut Pilatus, & Herodes in nocte Passionis. Nam Pharisæi sæpe fuerunt deuicti Christi doctrina, at modo sunt conuicti; & qui tales sunt contra victorem congregabantur; & dolebant Pharisæi inuidia agitati, quòd hoc facto Christi fama, ac sapientia maximè clarescceret. *Conuenerut in vnum*, vt explicat D. Thomas in fraudulentiis, & nequitiis.

Chrysost. Paschas. D.Thom.

2. *Interrogauit vnus ex eis legis doctor.* D. Marcus ait *de Scribis*, Syriac *peritus legis*. D.Chrysostom. *Iuris peritus.* Hæc eadem sunt *Interroganit vnus.* Vt inquiunt D.Chrysostomus, D.Thom. eligitur vnus Doctor, *vt si ille vinceretur, alij non confunderentur, & si iste vinceret, omnes in eo gloriarentur.* In gloria, ac honore volebant Pharisæi esse participes, in ignominia verò expertes. In concilio Pharisæorum, & Sadducæorum hic doctor se obtulit ad proponendam Christo quæstionem difficilem, cui nullus poterat satisfacere, nisi esset maximè versatus in scriptura.

Syriacus. Chrysost. D.Thom.

3. *Tentans eum.* Hic Doctor laudatur à Christo Domino apud Marcum; *Non longè es à regno Dei*, Ideo D. Chrysostomus homil.72. in Matth. Euthymius, Theophylact. inquiunt, quòd hic legis Doctor principio accesserit tentans, Domini tamen responso emendatior factus, laudatus est, quam solutionem etiam adhibet D. Augustinus lib.de consens. Euang.cap.73. & aliam etiam rationem proponit valdè conuenientem, quòd scilicet hic Doctor coram Pharisæis ostendisset se habere quæstionem in re ardua ad Christum capiendam in sermone, tamen reuera animo solum volebat experiri ac agnoscere Christi sententiam in re ardua, de qua ipse maximè dubius erat, & ideo cum Christus ei dixillet mandatum maximum esse Dei dilectionem, respondit ad Dominum. *Bene Magister in veritate dixisti. Quo audito, Iesus videns, quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei.* Marc.12.n.34. id est à fide, gratia, quæ fideles ducit ad regnum cœleste. Ita Maldonat. Iansen. Barrad. Luc. Burg. Cornelius.

Chrysost. Euthym. Theophyl. August. Marci 12. Maldonat. Barrad. Burg. Cornel.

Magister. Magistrum vocat, cuius discipulus fieri nolebat. *Quod est mandatum magnum?* Hoc est maximum, nam Hebræi superlatiuo carent; ac proinde denotabatur mandatum, quod Deus præ cæteris omnium maximè exigebat. Hanc quæstionem proposuit Doctor, inquiunt Chrysostomus, Euthymius, quia opinabantur Pharisæi, quòd suprà mandatum diligendi Deum, aliquid de suo adderet, quia ipse se Deum dicebat, ac faciebat. Aptissimè Beda in c.12.Marci, ait, Christi tempore apud Iudæos maximè controuersam fuisse hanc quæstionem. Multi enim astruebant primum mandatum legis esse de victimis, ac sacrificiis Deo offerendis. Leuit. 1. His enim vt supremus omnium Dominus colitur, & veneratur, ex quo Pharisæi filios docebant, vt suis parentibus agentibus dicerent *Corbam*. Id est munus, quo te alere debeo, Deo vouj; illi reddam, & non tibi. Matth. 15.n.6. Alij affirmabant esse Dei dilectionem, de quo infrà.

4. Chrysost. Euthym. Beda. Leuit.1. Matth.15.

Qvæstio I.

Quomodo fuit Sadducæis silentium impositum?

PRIMÒ iam dixi in expositione, quòd Iesus silentium imposuerit Sadducæis, ita efficaciter eis sua ratione resurrectionem demonstrans, vt ipsi nihil haberent quod dicerent, ac respondere possent, quamuis ipsi Sadducæi adhuc in suo errore immobiles permanserint, vt patet Actorum 23. num.8. & notat hic Abulens. quæst.250. Nam ibi magna dissensio narratur inter Sadducæos, & Pharisæos circa resurrectionem. Ita Sadducæi suo errori erant addicti, quod quamuis Christi argumenta non potuerint dissoluere, à suo tamen errore non sunt soluti: sunt enim homines apud quos potentior est effectus voluntatis, quàm efficacia rationis, licet enim ratione conuincantur, vt Sadducæi, qui nihil habeant ad respondendum, tamen in suo errore tenaciter firmiores persistunt.

5. Act.23. Abulens. *Potentior affectus voluntatis, quàm rationis efficacia.*

Secundò. Origenes tract.23. in Matth. *Sicut enim*, ait, *proprium iusti est tacere, cùm sit tempus tacendi, & loqui, cùm sit tempus loquendi, non tamen obmutescere: sic proprium est omnium, qui mendacij sunt Doctores, obmutescere quidem quantum ad rem, non tamen tacere.* Silentium imposuit Iesus Sadducæis, ostendens quod omnem mendacij vocem obmutescere facit vna clara veritatis vox. Notandum obiter quòd Origenes citato loco ponit discrimen inter tacere, & obmutescere. Non homini, sed mari, ac diabolo dicitur *obmutesce*. Marc.4.num.39. & Luc.4.num 35. Abb. his enim omnis facultas loquendi admittitur; At verò homini datur silentium, & taciturnitas, quia homo debet tacendi, & loquendi vices alternare, tacere in malo, loqui in bono; ex quo ait D. Ambr.

6. Origen. *Veritas mendacij vocem facit obmutescere.* Marc 4. Luc.4. Ambros.

lib.1.Offic.c.1.*Quid igitur*,ait,*mutos non esse oportet? Minimè. Est enim tempus tacendi,& tempus loquendi. Denique si pro otioso verbo reddemus rationem: videamus,ne reddamus & pro otioso silentio.*

7. Tertiò Impositum fuit silentium Sadducæis quia valde ægrè tulerunt, ac maximè doluerunt, cùm se victos viderunt, nihil habentes, quid responderent; dolor vehemens frequenter vocem intercipit, & non sinit loqui. Ait Isaias 6.n.5. *Va mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Græcus habet. *Quia compunctus dolui.* Ac si idem esset quod compunctus dolore taceret. Ait idem Isaias 15.n.2. *Quia vastatus est murus Moab conticuit.* Hugone teste; *pra dolore non ausa loqui.* Hoc est filij Moab cum maximè dolerent ob vastatum murum, non potuerunt loqui.

Dolor grauat silentiũ. Isaias 6. Græcus. Isaias 15. Hugo.

8. Quis dubitat, quod ingens dolor vocem intercipit: Cùm meus Iesus penderet in ligno, stabant aspectantes Mater, & Ioannes magna lachrymarum copia madentes. Tunc Iesus eos aspiciens. *Cùm vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri sua: Mulier ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Ioan.19. n.26. Cur SS. Mater saltem vnum verbum non profert quærens tantam sortem sibi mutatam: & Ioannes cur pro tam illustrissima sorte sibi data non gratias agit magistro? Cur vterque alto silentio tacet? Tam vehementi dolore Mater, ac Discipulus vulnerati erant, vt nec verbum quidem emitterent, ac dicerent. D. Bernard. ad tr. de lament. Virg. *Audiebant*, ait, *& tacebant: quia pra angustia loqui non poterant.*

Ioan.19. *Virgo, & Ioannes ex dolore silent.* Bernard.

Qvæstio II.

Quare Pharisæi, & Sadducæi conuenerunt in vnum aduersus Christum?

9. Christvs Dominus in doctrina data contra Sadducæos maximè Pharisæis fauerat, ac honorauerat, nam inter Pharisæos, & Sadducæos erat controuersia de resurrectione, ergo cùm Christus tam apertè confudisset Sadducæos maximè exaltauit partes Pharisæorum, resurrectionem affirmantes, pro quo multas ei gratias ferre debebant.

Ratio difficultatis.

10. Primò respondet D. Hieron. *Pharisæi, & Sadducæi inter se contrarij sunt, sed ad tentandum Iesum pari mente consentiunt.* Pharisæi in superioribus quæstionibus de tributo Cæsaris, & aliis se viderant superatos, Sadducæi in proposita quæstione se viderant deuictos, ita vt nihil haberent, quod dicerent, ac responderent; & ex tanta omnium victoria Christum opinabantur valde gloriosum, & sublimatum, & inde noua argumenta parant, vt cum valeant deprimere, ac tanquam Scripturæ ignorantem arguere; nam, vt ait Chrysostom. in Imperfecto homil. 42. *Malitia frequenter quidem vincitur, nunquam autem placatur.*

Hieron. *Malitia nunquam placatur ac quiescit.* Chrysost.

11. Secundò. Pharisæi, ac Sadducæi, in suis præpositis quæstionibus sæpe deuicti sunt à Christo Domino, vt modo dixi, ergo quamuis ipsi aliàs essent inter se contrarij, tamen contra Christum concordant, ac vniuntur, frequenter deuicti contra victorem colligantur, ac armantur, vt aduersus eum pugnent, & decertent. Videt Ioannes in Apocalypsi 17.num.14. Decem reges armatos. *Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos.* Congregantur in vnum decem reges terræ, an vt pacem Christi ferant? an vt ipsum Christum odorent? sed vt bellum faciant? Cum potentes terræ sic in vnum congregantur? cum ipsa potestas desidij, ac discordiæ causa sit, *Agnus vincet eos*, cum se existimarent ab Agno esse vincendos, omnes aduersus Agnum in pugnam inferendam colligantur, ac vniuntur.

Deuicti contra victores vniuntur. Apoc.17.

12. Tertiò citatus Chrysost. Pharisæi, & Sadducæi *conueniunt in vnum, vt scilicet multitudine vincerent, quem ratione superare non poterant.* Maligni aduersus populum Dei se adhortantur. *Cogitauerunt aduersus sanctos tuos, & dixerunt: venite disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël vltra.* Psalm.82.num.4. Ad quidnam conuocantur? *Aduersus sanctos tuos, & aduersus populum Dei*, qui sunt conuocati. *Tabernaculum Idumæorum, & Ismaëlitæ, Moab, Agareni, Iebal, & Ammon, & Amalech alienigenæ, cum habitantibus Tyrum, etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Lot.* Ecce innumerabiles mali decem nationum congregantur aduersus sanctos, cùm enim agnoscerent mali seipsos à Sanctis Dei virtute, ac fortitudine superari; cogitant multitudine, & colligatione tantarum nationum, an eos superare, ac deuincere valeant. Vide suprà c.17. n.49. & 50.

Chrysost. *Mali multitudine superare volunt.* Psalm.82.

13. Quartò. D Chrysostomus homil.42. in Imperfecto, scilicet quòd Pharisæi, ac Sadducæi, *Dicebant apud se, vnus loquatur pro omnibus, & loquantur per vnum.* Contrarij erant inter se Pharisæi, ad Sadducæi, ita tamen in hoc negotio vniuntur, vt vnum corpus, vnam mentem, vnam voluntatem, ac vnum os habeant. Veniens Ioseph ad fratres suos. *Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.* Genes.37 num.18. Variæ, & diuersæ sunt hominum cogitationes, & viso vno obiecto, quilibet valde diuersimodè opinatur, & cogitat, quomodo ergo viso Ioseph omnibus fratribus eadem subiit cogitatio? Cur non in varias cogitationes distrahuntur? Cùm essent iniqui & peruersi non solum conueniunt in opere proiiciendi eum in cisternam, ac vendendi Ismaëlitis, sed etiam in mente, ac affectu ipsum occidendi, quo cogitauerunt illum occidere.

Chrysost. *Impij ipsorum ac mentes contra ipsos vniuntur.* Gen.37.

14. Videt Ioannes in sua Apocalypsi 16. num. 14. *Spiritus Dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges totius terra congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Mittuntur spiritus ad reges vniuersæ terræ, & quomodo fieri potest vt in vnum congregentur ad prælium, nam regalis potestas dissidij causa, & reges nolunt se ad inuicem subiici? deinde quomodo reges Orientis possunt se congregare in vnum locum cum regibus Occidentis, vel è contra? Cum sint iniqui, reges vniuersæ terræ congregabuntur, non loco, sed animo & voluntate, quamuis enim sint maximè loco distantes, in eis tamen erit vna voluntas, vnus animus aduersus electos Dei: Haym. *Nunquid in vnum venturi sunt, vt qui sunt in Occidente, transeant in Orientem, aut rursus ab Oriente in Occidentem? Non; sed in vnum consensum, & in vnam malam voluntatem congregabuntur, propter venitatem, quippe de malitia eorum hoc dicitur, quia quod vnus facit, hoc & reliqui.* Vide tom.2.c.4. q.2.n. 11.12.13. & tom.3.c. 26.q.11.n. 65. 66. & multis aliis in locis.

Apoc.16. *Impij ex illo loco distent, tamen vniuntur ad malum.* Haymon.

Qvæstio

QVÆSTIO III.

Quare impoſito ſilentio Sadducæis Phariſæi Chriſtum volunt tentare?

15. Chryſoſt. PRIMÒ D. Chryſoſtomus homil. 42. *Debuerunt quidem*, ait, *Phariſæi timere Sadducæorum exemplum, vt non ſimiliter interrogantes confundantur, ſed ardens malitia dum fauciare feſtinat, non aſpicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat.* Valde fatua eſt malitia, quæ in alieno capite experimẽtum non ſumit, vt ſibi noxia valeat denitare. Viderant Phariſæi Sadducæorum exemplum, qui cùm Chriſtum interrogatent, ab ipſo deuicti, ac ſuperati obmuteſcentes receſſerunt, cur adhuc audent interrogare, & ſimilem euentum ſibi non timent? *Ardens malitia dum fauciare feſtinat, non aſpicit exitum rei, vt tantummodo alteri noceat.* Tanto affectu malitia intendit alterius nocumentum, vt de ſuo damno non cogitet; ſed illius obliuiſcatur.

Malitia nunquã quieſcit

16. Secundò. Quòd Chriſtus Dominus ſilentium impoſuiſſet Sadducæis reſurrectionem negantibus, maximè Phariſæis illam affirmantibus, cedebat in honorem, & auctoritatem, & tamen contra Chriſtum armantur, ipsúmque volunt capere in ſermone, dolebant enim maximè dè laude, quam Chriſtus ex damnatione hæreſis Sadducæorum reportauerat, & ideo aduerſus eum odio, & inuidia feruentes inſidias moliuntur; acrius enim pungebantur gloria, quæ Chriſto obuenerat ob Sadducæos deuictos, quàm ipſi gaudebant de ſuo honore, ſuæque doctrinæ decore, quam tam efficaciter corroboratam, ac ſtabilitam videbant. Vide in Indice verb. *Inuidia.*

Inuidus magis dolet de alterius gloria, quam gaudet de ſuo bono.

17. Tertiò. In quæſtione propoſita ſilentium impoſitum fuerat Sadducæis; & tamen exinde Phariſæi conueniunt ad Chriſtum interrogandum, nulla ſanè deteſtabilior ignorantia, quam ex his, ex quibus homo debebat fieri cautus, anſàm arripere, vt fiat impudicus, & audax; obturatum Sadducæorum os exemplum erat Phariſæis, ne amplius quæſtiones Chriſto proponerent, & tamen hoc ad illas ventilandas ſe ſtimulant, ô ingens, & fatua ignorantia!

Fit homo impudicus, ex quo debebat eſſe cautus.

18. Cùm populus Iſraël caſtrametatus eſſet campeſtribus Moab, cúmque audiſſet Rex Balaac mirabilia, quæ Deus pro ſuo populo fecerat in Ægypto, ac aliis regnis per deſertum, vt populum ergà ipſum poſſet deuincere, hoc excogitauit conſilium, vocauit Prophetam Balaam multa pecunia data ad populo maledicendum, apud ſe firmiter ſtatuens, quòd ſi populus execratus fuiſſet à Propheta, ab eo vinceretur. Balaam auaritia ſtimulatus acceſſit, de eóque ait Scriptura: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotentis intuitus eſt*, Num. 24. n. 3. Quæ verba vt notat Rupertus lib. 2. in Num. c. 21. *Contraria, vel repugnantia ſibi videntur.* Nam ſi obturatus erat oculus, ac cæcus effectus, quomodo valuit videre viſiones Dei? Rupertus citatus: *Per propheticam quidem ſcientiam, auditor ſermonum Dei eſt, & viſionem omnipotentis intuitus eſt, ſed per auaritiam cor cæcatum habet.* Balaam habebat propheticam ſcientiam, quæ docebat bonum amplecti, & à malo declinare, ipſa ergo prophetica ſcientia, quæ ad Dei obſequium deſtinanda erat, illi auaritiæ, ac ambitionis extitit occaſio. Scientia ergo, quæ ad viam ſalutis indicandam data fuerat, hominis tamen malitia in anſàm ab illa diuertendi verſa eſt, non ſcientia, ſed vt cæcitas, ac ignorantia dicatur, & habeatur. *Cuius obturatus eſt oculus.*

Num. 24.

Rupertus. *Obturatus eſt oculus cuius viſus ſit in malum.*

QVÆSTIO IV.

Quare de magno mandato quærit Magiſter iſte?

19. ACCESSIT Doctor magnum religionis, pietatis, ac zeli & legis præ ſe ferens ſpecimen, Dominum Magiſtrum vocat, de æſtimatione diuinorum præceptorum quærit, & tamen à D. Matthæo dicitur, quòd venerit tentans; nam tantæ religionis, ac zeli prætextu, acrius volebat inſidiari, & retia tendere. D Hieronimus: *Non de mandatis interrogat, ſed quod ſit primum, magnúmque mandatum, vt cum omnia, quæ Deus mandauerit, magna ſint; quidquid ille reſponderit occaſionem habeant calumniandi.* Hieron.

20. Mandatum magnum, ſeu maximum in lege, eſt illud, quod Deus præ cæteris omnium maximè requirit, cuius obſeruatio ipſi eſt omnium gratiſſima. Magna controuerſia erat eo tempore, quódnam eſſet hoc mandatum; vt ex Beda dixi in expoſitione, ibi dicta videnda. Lex autem hoc non explicauit, vt omnia Dei præcepta Iudæi rudes, & imperfecti ſeruarent, & nulla negligerent; nam etiam minimum mandatum, cùm à Deo ſit traditum, diligenter cuſtodiendum eſt, & minimè contemnendum.

Omnia Dei præcepta cuſtodienda.

21. D. Chryſoſtomus in Imperfecto homil. 42. *De magno mandato interrogat, qui nec minimum obſeruauit. Ille enim debet interrogare de maiori iuſtitia, qui iam minorem complenit.* Mandatum maximum ſpectabat, qui necdum in paruis ſe exercuerat; ſunt enim homines, qui alta cacumina, ac faſtigia virtutis proſpiciunt, & prima illius rudimenta, vt dura & arida faſtidiunt, cùm quis in his prius ſe debeat exercitare, vt ad ſuperiora valeat euolare. Chryſoſt.

Paulatim ad cacumina virtutis aſcendit homo.

22. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos.* Deuter. 32. num. 11. ſic nos Deus prouocat ad volandum in terram promiſſionis, ac cæleſtem patriam. Aquila prouocat pullos ſuos ne ſubito ad ſublimia ferantur, ſed vt per dimiſſos volatus quotidie exerceantur, vt tandem altiùs valeant aſcendere; inſtar aquilarum Chriſtus ex paruis exercitiis ad maiora virtutum documenta nos prouocat. Guarricus Abbas ſerm. in Aſcenſ. *Quid putamus fratres*, ait, *quomodo tunc repente de terris ad cælos euolare poterimus, qui hunc exercitio, & vſu quotidiano volitare non didicimus? Nunquid Chriſtus, ſicut aquila prouocat ad volandum filios; quando ſuper eos volitat?* Deut. 32. *Inſtar pulli aquilarum ſumus prouocandi.* Guarricus.

23. Dicebat Dauid Pſal. 54. *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ*: pennas, & volatus deſiderat, num vt perpetes aquilæ? Minimè, ſed vt columba, quæ inter cæteras volucres valde humiliter, ac depreſsè volat, & non in altis arborũ cacuminibus habitat, ſed in petrarũ cauernis receptacula conſtituit. D. Aëlr. l. 1. ſpeculi c. 5. *Plumeſcat interim Domine Ieſu, plumeſcat, quæſo, anima mea in nido diſciplinæ tuæ, paſcat in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* V. ſup. c. 8. n. 84. & c. 22. n. 23. & c. 25. n. 36. & 37. Pſalm. 54. D. Aëlred.

Matth.22. num 37. Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.

Num.38. Hoc est maximum, & primum mandatum.

VERSIONES.

Syriacus.n.37. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & ex tota mente tua.

Deuter.6.n.5. In tota fortitudine tua.

Æthyopicus. Ex tota virtute tua, & ex tota potentia tua, quæ tibi est.

Persicus. Ex tota nimietate mentis tuæ.

Arias. In tota cogitatione tua.

Orig.hom.23. Ex totis viribus tuis.

D.Greg.Nyss. Ex facultate viarum tuarũ.

Caiet.n.37. Hoc est magnum, & primum.

Syriacus. Istud est præceptum maximum.

Arabicus. Hoc est mandatorum primum maximum.

ALTER TEXTVS.

Marc.12. num.29. Iesus autem respondit ei: quia primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.

Num.30. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Cætera vt Matthæus.

EXPOSITIO I.

24. DILIGES. Futurum est indicatiui more Hebraïco pro imperatiuo. Dilige. Vel dicitur. Diliges de futuro, quia quemcumque amorem de præsenti erga Deum habeas, semper vt paruus reputandus, & maior procurandus. *Modus diligendi Deum est diligere sine modo*, ait Bernardus tract. de diligendo Deo, *Dominum Deum tuum.* Amoris enim causa assignatur. Cùm dicitur, *Dominus*, denotatur amore dignus ex propria natura. Cùm Deus tuus dicitur, ex collatis donis, ac beneficiis diligendus proponitur, ita vt non solùm amari, sed etiam redamari à nobis postulet. *Ex toto corde tuo.* Theophyl. Haymon, Carthus. & alij sic explicant. Ex tota voluntate tua. *Ex tota anima tua.* Hoc est ex toto tuo appetitu. *Ex tota mente*, ex tota tua vi intelligendi applicata ad ipsum Deum. *Ex tota fortitudine.* Ex tota tua vi executiua. D. Anselm. hoc loco sic interpretatur, *ex toto corde*, id est intellectu; *ex tota anima*, id est ex tota voluntate, *Ex tota mente*, hoc est memoria. Alij, vt Bellarm. tom.1.lib.2.de Monach. c.13. hæc verba: *Ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, ex totis viribus, ex tota fortitudine*; idem vnum dicunt significare quod multis modis explicatur, vt denotetur, quòd Deus à nobis multis modis sit diligendus. Victor Antioch. in c.16. Marc.n.32. *Homo*, ait, *tanto Dei amore flagrare debet, vt nihil prorsus in vllam animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat: sed in omnibus illi soli magis, magisque assiduè placere satagat; nec alteri personæ, aut rei creatæ, nisi propter Deum.* Antioch.

Hoc est maximum, & primum. Syriacus, & Arabicus legunt, *maximum*, hoc est, *præcipuum*, quia Deus imprimis, ac præ cæteris illud requirit, quia etiam dignitate, ac perfectione cæteris est excellentius; charitas enim maior omnium virtutum est, 1. Corinth. 13. Charitas enim excellentior est religione; maius est enim diligere Deum ex toto corde, quam eidem offerre sacrificia, charitas vt regina imperat actus religionis, omniúmque aliarum virtutum. Dicitur etiam primum, quia secundum secum habet annexum, à quo diuelli non potest. 25. Syriacus. Arabicus. 1.Cor.13.

QVÆSTIO V.

Quare Dei dilectio ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima commendatur?

CVM mandatur, vt diligas Deum ex toto corde tuo, in tota anima tua, in tota mente tua, hoc est vt summopere, ac omnibus viribus tuis diligas Deum, quod tripliciter explicatur communiter à Theologis comparatiuè, finaliter, & appretiatiuè. 26. *Tripliciter Deus summè diligendus.*

Primò. Comparatiuè. Vt nullam scilicet partem tui amoris des alicui alteri rei, Deo repugnanti, ac proinde totus amor integer constituendus est in Deum, miniméque inter ipsum, ac creaturas diuidendus. Deuter.6.n.5. *Ex toto corde tuo.* Theodoret.16.q.3. *Hoc loco*, ait, *docemur, non scindere dilectionem.* Psal.9.n.1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* Theodor. ibi: *Qui enim partitur cogitationes in mammonam, & Deum, non potest dicere: Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Non enim pleno affectu Deum colit.* Vide supra cap.22.n.40.41.42. & cap.33.n.28.30.31.32. 27. *Amor Dei non diuidendus.* Deuter. Theodor. Psalm 9.

Secundò. Finaliter. Vt toto affectu velit homo Deum esse finem totum, & vltimum omnium suarum cogitationum. Ita vt ipsum vt summum bonum, ac finem vltimum, omnibus rebus præferat, & anteponat. D. Augustinus l.1. de doctrina Christiana c.22. *Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, vt omnes*, ait, *cogitationes tuas, & omnem vitam tuam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea, qua conferas.* Vide sup. cap.13 n.54 & c.16.n.84.85. & cap.34.n.22. 28. *In Deum omnia nostra referenda.* August.

Tertiò. Appretiatiuè. Vt nihil comparatione Dei æstimes, sed pro Deo omnia paruipendas, ac proinde vt totum cor, & voluntatem illi applices, vt tota mente, & anima eius præcepta adimpleas, nihilque aliud appetas, & desideres, nisi tantum ipsum Deum. D. Augustinus in Manuali, cap.20. *Anima, quæ Deum amat, nihil potest aliud cogitare, nihil aliud velle, nihil aliud loqui, nisi solum* 29. *Qui vere amat solum Deum appetit, & desiderat.* August.

Deum

Deum. Vidit Isaias 6.num. 3. Quòd Seraphim; *duabus velabant facies suas.* Vt ex Hebræo textu legunt D. Chrysostomus homil. 4. in Isaiam. Procopius, D.Thomas, Vatablus, & alij, Seraphim spiritus diuini amoris pleni, & obuoluto amant vultu, sic feruidè amant Deum, vt nihil aliud præter ipsum velint intueri, cognoscere, ac contemplari.

Chrysost. Procopius. D.Thom. Vatabl.

30. Considerandæ sunt duæ valde celebres mulieres peccatrices ad Deum accedentes. Rahab vna, & altera Magdalena; vt valde diuersimodè ad Dominum deuenientes. Rahab Deum populi Israëlitici venerata, exploratores in domo sua excipit, ab illis iuramentum pro custodia, ac tutamine suæ salutis exposcit. *Iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscũ, ita & vos faciatis cũ domo patris mei.* Iosue 2.n.12. At verò Magdalena vt cognouit quòd Iesus accumberet in domo Simonis; *& stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Lucæ 7.n.37. Et nec verbum pro se loquitur, nec quicquam petit. Cur illa pro semetipsa tanta loquitur, hæc verò nulla? Cur illa tota in preces se diffundit, hæc verò ab illis abstinet? Rahab tota erat plena timoris. *Irruit terror vester in nos, & elanguerunt omnes habitatores terræ.* Et ideo pro tutamine suæ vitæ valde solicita multa loquebatur. Magdalena verò feruida Dei dilectrix. *Dilexit multum.* Et inde nihil petit nam, cùm ipsa multum diligeret, nihil aliud nisi Domini pedes desiderabat, ergo cùm optatis esset potita, nil aliud meminit, nec postulat. D. Chrysostomus serm. de peccatrice, & Pharisæo, qui inter opera D. Ephrem habetur. *Rahab,* ait, *ad se admisit exploratores: ego verò retinere eum conor, quem desiderani, non quidem, vt illa exploratores multos, sed hunc tanquam Episcopum omnium animarum.* Vide suprà cap.27.n.199.& 200.

Iosue 2.

Luc 7.

Verus amor in solo Deo optatis fruitur.

Chrysost.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus Dominus tam mansuetè, ac affabiliter agit cum hoc Doctore, cùm antea valde seuerè se habuisset cum Pharisæis, ac Herodianis?

31. Matth. IN hoc cap.22.n.16.narrat D.Matthæus, vt superiori cap. explicauimus. Quomodo Discipuli Pharisæorum cum Herodianis ad Christum accesserunt quærentes ab eo; *Licet censum dare Cæsari, an non?* Christus Dominus valde rigide in eos animaduertit, dicens illis, *quid me tentatis hypocritæ?* At verò hic Doctor quamuis etiam aduenisset tentans eum, vt scribit D.Matth. nullum tamen verbum asperum ab ore Christi audit.

32. Ratio discriminis est manifesta; nam Pharisæi, ac Herodiani malo animo, sinistráque mente aduenerunt, ab illóque etiam pariter recesserunt; At hic Doctor, vel vir bonus erat, vt vult D. August. vel licet prana intentione se contulit ad Christum, tamen eius colloquio proficit, ac emẽdatus euasit. Illum Christus laudauit dicens: *Non es longè à regno Dei*, apud Marcum; vt dixi in prima expositione num.3. Hic Doctor veniens tentans conuertitur, non verò illi alij; hic de lege, *quod est mandatum magnum in lege?* Et hoc quod est agere de opere bono, quamuis alium de mala intentione vitietur, & semper in bonum cedit, & aliquod vtilitatis vestigiũ post se relinquit, quod Deus etiam aliquando respicere videtur.

August.

Virtus etiam in malo subiecto in pretio.

33. Ex corpore cuiusdam hominis clamant Dæmones ad Christum. *Quid mihi, & tibi est Iesu fili Dei altissimi?* Lucæ 8.n.28.& statim rogabant eum, vt permitteret eis in gregem porcorum ingredi, quòd Christus *permisit illis.* Ibidem n. 32. valde mirum; annuit Dominus Dæmonum petitioni. Tertullianus lib.4. aduersus Marcion.c.20. *Impetrarunt,* ait, *quo merito? quia mentiti non erant, quia Deum abyssi, & suum cognouerant.* Diabolus fatetur Christum esse Dei filium; *fili Dei altissimi*; fatetúrque eius potestatem: *Ne me torqueas.* Postulabat Diabolus mala, & sinistra intentione, vt abiret in gregem porcorum, tamen cum vnam veritatem protulerit, quæ multo in pretio est Deo, inde ipse ei permisit, quod petebat. *Impetrarunt, quo merito? Quia mentiti non erant.*

Luc.

Tertull. *Merito veritatis impetrant.*

*Matth.*22. *num* 39. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.

*Num.*40. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

VERSIONES.

*Syriacus.n.*39. Et secundum simile est ei diliges proximum tuum, sicut animam tuam.

Vatablus. Diliges proximũ tuum perinde, atque te ipsum.

*Syriacus.*40. Ab istis duobus præceptis pendent lex, & Prophetæ.

ALTER TEXTVS.

*Marc.*12.n.31. Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum: maius horum aliud mandatum non est.

*Num.*32. Et ait illi Scriba: bene Magister, in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.

*Num.*33. Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam se ipsum: maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificiis.

*Num.*34. Iesus autem videns, quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei.

EXPO

EXPOSITIO III.

34. SECVNDVM autem simile huic. Præceptum de dilectione proximi secundum appellatur, non quia secundum sit in numero Decalogi, sed quia, vt ait Abul. q.277. dignitate, ac perfectione secundum est post Dei dilectionem. Ab eodem enim charitatis habitu proceedit amor Dei, & proximi. Primum ergo mandatum, & maximum excellentia, & perfectione est præceptū de diligendo Deum, secundum de dilectione proximi, valde tamen inferius, & impar. *Simile huic.* Non dicitur æquale; sed *simile*, quia post Deum inter omnes res creatas præ omnibus diligendus est proximus affectu, actibus, & officiis: & vt etiam denotetur, vt obseruat D. Chrysost. quòd vnum mandatum ab altero dependeat, & quòd vnum sine altero non possit obseruari, ne quis sibi persuadeat, quòd dilecto Deo possit securè contemnere proximos, amor enim proximi ab amore Dei procedit,

Abulens. Chrysost.

35. *Diliges proximum.* Proximi autem sunt omnes homines secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ, vt docet D. Thom. 2.2.q.44. art.7. & ait D. Augustinus epistola 52. ad Macedonium. *Proximus*, ait, *non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines.* Modus dilectionis indicatur: *sicut te ipsum.* Syriacus legit: *sicut animam tuam.* Illud *sicut*, vt aduertit D. Thomas citato loco, non denotat æqualitatem, sed similitudinem, ideſt simili modo, quo te ipsum diligis, ad exemplum, & formam dilectionis tui, vt quemadmodum te ipsum diligis verè, & sincere, bonum tibi volendo, ac procurando, malum verò nolendo, & auertendo propter tuum ipsius bonum, simili & modo te debes erga tuum proximum exhibere. D. Augustinus lib. de vera Relig. cap.46. *Ea est enim regula dilectionis, vt quæ homo vult sibi bona prouenire, & proximo velit: & quæ accidere mala non vult, & illi nolit.* Et nota Quòd cùm dicitur, *sicut te ipsum*, non prætermittitur sui ipsius amor, sed præsupponitur. Vt etiam docet idem D. Augustin. lib.1.de Doctrina Christian.cap.27. *Non est hic*, ait, *tui dilectio prætermissa: dicitur enim vt diligas proximum sicut te ipsum.* Ac proinde primo loco diligendus est Deus; secundo, propria persona. Tertio, proximus ad instar tui diligendus.

D.Thom. Augustin. Syriacus. D.Thom. Augustin. Augustin.

36. *In his duobus mandatis.* Non in vno tantum. *Vniuersa lex pendet, & Prophetæ*: hoc est, omnis doctrina legis, & Prophetarum in his duobus mandatis de dilectione Dei, & proximi summatim continetur, in hisque fulcitur, & nititur, ab illisque tanquam ædificium quoddam à suo fundamento dependet. Nam tria præcepta primæ tabulæ ad Dei dilectionem spectant, septem verò secundæ tabulæ ad proximi amorem pertinent. D. Augustinus lib.8. de Trinit. cap.7. Quamobrem Rom.13.num.9. dicitur. *Qui diligit proximum, legem implenit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Et ad hæc duo mandata dilectionis Dei, & proximi referuntur præcepta aliarum virtutum siue naturalium, siue supernaturalium. Addit etiam Origenes in Catena. *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ, vt intelligat omnem legem, & prophetas.* Benè affectus legem rationi consentaneam, virtuti congruam, Deo dignam intelligit. Vide suprà c.8. num.152.

Augustin. Rom.13. Origen.

37. Iuxta Marcum. Scriba Christo ait. *Bene Magister in veritate dixisti.* Laudat responsum Christi, vt sapienter dictum, quia vnus est Deus, ac proinde vnico amore super omnia diligendus: *Maius est omnibus sacrificiis.* De quo eo tempore erat controuersia, vt dixi in 1. expositione. Christus dixit illi, *non es longè à regno Dei*: quia agnouerat, quæ facienda erant ad vitam æternam assequendam, quæ per obseruationem mandatorum dilectionis Dei, & proximi comparatur. Marc.

QVÆSTIO VII.

Quare cùm Doctor interrogauerit de primo mandato: Non solùm Christus de illo respondit, sed etiam secundum apposuit?

38. DOCTOR interrogauit de mandato legis maximo. *Magister quod est mandatum magnum?* quod Christus Dominus de dilectione Dei explicauit, & apposuit secundum mandatum de dilectione proximi; quia vt ait Vict. Antioch. in Marc. Quia hoc secundum à primo diuelli non potest. Ratio enim diligendi proximum, est dilectio Dei, proximum diligimus propter Deum, & nemo potest perfectè diligere Deum, quin etiam diligat proximum, qui ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, nam vt ait D. Chrysostom. Euthym. Carthusian. Hugo, sicut rex in sua imagine honoratur, sic & Deus in homine.

Antioch. Chrysost. Euthym. Carthus. Hugo.

39. Tribus accedentibus viris peregrinis occurrit Abrahamus, *& adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Gen.18.n.3. Ecce tres videt iuuenes peregrinos, tres adorat, & tamen cum tribus, quasi cum vno loquitur. *Domine si inueni gratiam in oculis tuis.* Vnique vult dare obsequium. *Ne transeas seruum tuum.* Tres homines videbat, cum tribus agebat, tresque volebat hospitio excipere, cur ergo non pluraliter, sed tanquam cum vno loquitur. Et si tres videret, ac tres putaret, tamen quasi cum vno loquitur, quia in tribus illis vnam Dei imaginem cognoscebat, quam adorabat, ac venerabatur, ac proinde tanquam cum vna Dei imagine agebat, ac loquebatur. D. Augustinus, lib.16. de Ciuit. cap.29. *Multò est credibilius*, ait, *quòd Abraham in tribus viris Dominum agnoscebat, cui per singularem numerum loquebatur, etiam cùm eos homines esse arbitraretur.*

Gen.18. Augustin.

40. Ait Regius Vates. *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Psalm.83.num.8. Quod multi Patres Græci intelligunt de tempore, quo Dei filius factus homo apparuit in terris. Et non ait, Deus hominum, sed Deus Deorum: quia sic Deus degebat inter homines, vt eos tanquam Deos æstimaret, cùm in ipsis Dei imago niteret, & resplendesceret, vt inde fiat homini documentum ne detractet quasi Deum habere proximum suum, quem ad Dei imaginem creatum recognoscit D. Augustinus lib. contra Aduersarium legis. *Apparuit Deus Deorū in Sion. Deus Deorum, Christus*

Psalm.83. *Homo respicit suum proximum vt Dei imaginem.* Augustin.

sum Christianorum. De quibus dicitur in Psalmo: Ego dixi Dij estis, quibus & Dei imago insculpta est.

QVÆSTIO VIII.

Quare post Dei amorem, statim subiungitur amor proximi?

41. POSTQVAM autem explicatum est à Christo Domino magnum mandatum de diligendo Deum, addidit, *Secundum simile huic, diliges proximum tuum*, quia ex vera dilectione Dei prouenit amor proximi, neque enim verè diligere Deum possumus, nisi etiam & proximum diligamus. Vnde ait D. Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 7. Quod hæc duo præcepta, dilectio Dei, & proximi sic se mutuo includunt, *vt non immerito plerumque Scriptura pro vtroque vnum ponit.* Sic hæc duo præcepta inter sè sunt connexa, séque mutuo respiciunt.

August.

42. Exod. 25. Mandauit Deus Moysi facere duos Cherubim aureos, *qui & vtrumque latus propitiatory tegant expandentes alas, respiciántque se mutuo versis vultibus in propitiatorium*, Exod. 25. n. 20. Si eo pacto constituuntur Spiritus Angelici, vt versos vultus habeant in oraculum, cur sic mutuo respicere debent? Si propter propitiatorium facti sunt, cur non ipsum propitiatorium respiciunt? Aptè vultus habent versos inter se, imò prius se ipsos respiciunt, quam propitiatorium, quin nisi nos mutua dilectione, ac charitate respiciamus, in Deum oculos fingere non valemus. Petrus Abbas 1. part. Taber. *Breui clausula*, ait, *concludit quomodo Angelica potestates se in Deo diligant, dicens se mutuo respiciunt, & quomodo Deum in se magnificent subiungens, versis vultibus in propitiatorium, qui se se mutuo non respiciunt, quia qui proximum non respicit, quem videt, non diligit; Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? In mutuo respectu fraterna dilectio, in verso vultu in propitiatorium, humilis reuerentia ad creatorem nostrum intelligitur.*

Vt Deum diligas, proximum dilige. Petr. Abbas.

43. 4. Reg. 2. Magnus Eliæus à Magistro suo, ac parente nostro duplicem spiritum postulat, nimirum Spiritus sancti donum in eo inhabitans. *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus*, 4. Regum 2. n. 9. Cur spiritum Eliæ duplicem vocat? Forsitan Eliæ spiritus erat ex duobus compositus? Imò valde simplex erat diuinus Spiritus habitans in Elia; cur ergo duplex vocatur? Cùm esset diuinus Spiritus in suis operibus respiciebat Deum, & proximum, non erat vnicus, & solitarius spiritus in Deum tantum intentus, sed sic summè amabat Deum, vt inde ad proximos intimè diligendos se extenderet. Galfridus apud Tilmannum in Allegor. *Ab Eliseo*, ait, *duplex, quem Elias habuerat, postulatur spiritus, non quia in se ipso diuisus est spiritus, sed quia in munere suo, vel opere duplicatur. Vnus est enim spiritus, per quem charitas diffunditur, ea tamen in amorem Dei, & proximi derivatur; nec adesse credendus est vnicus ille spiritus, vbi duplex non inuenitur effectus. Cùm enim in se ipso sit simplex, in nobis nunquam poterit fieri nisi duplex.*

Non datur amor Dei nisi etiam ad proximos extendatur.

44. Apoc. 12. Mulier apparet in cœlo amicta Sole, antequam stat Draco ad deuorandum filium eius. *Datæ sunt mulieri ala duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum*, Apocal. 12. num. 14. Duæ illæ alæ duo sunt præcepta charitatis Dei, & proximi, vt interpretatur Philippus Abbas lib. de silentio Clericorum c. 106. *Alabina*, ait, *dilectio duplex accipitur, qua Deus, & proximus iuxta regulam præscriptam diligitur, cum scilicet anima Deo soli ardet specialius adhærere, & eandem gratiam sunum desiderat proximum obtinere.* Addubito tamen cur huiusmodi alæ dicuntur aquilæ, & non potiùs columbæ, vel turturis? Certum est quòd inter cæteras aues aquila velocissimo volatu aëra conscendat, vt ex hoc significetur, quòd ille, qui his duabus alis amoris Dei, & proximi volat perpeti volatu super cæteros ad alta, & sublimia penetrabit, & conscendet.

Philip.

Amore Dei, & proximi altissimè volatur.

QVÆSTIO IX.

Quare secundum mandatum de dilectione proximi dicitur simile primo?

45. RATIO est, quia sicut Deus diligendus est super omnia, sic & proximus post Deum inter cæteras res creatas præ omnibus diligendus est, vt dixi in expositione. Deinde etiam vt ait Abulensis quæst. 278. dicitur secundum simile primo non æquale, vt iam dixi, quia vtrumque mandatum est de dilectione, & vterque actus iuxta Theologos procedit ab eodem habitu, & tendit ad idem obiectum, scilicet Deum; nam quia diligo Deum, diligo & proximum, vt opus ipsius Dei. Vnde ait Chrysostomus in Imperfecto homil 42. *Non potest hominem odire qui Deum amat: nec potest Deum amare, qui hominem odit.* Sicut ait Ioannes Apostolus: *Qui dicit se Deum diligere, fratrem autem non diligit, mentitur*, 1. Ioan. 4. num. 20.

Abulens.

Chrysost.

1. Ioan. 4.

46. Inter cæteros Domini discipulos, qui maximè fraternam charitatem commendauit, Ioannes extitit Apostolus, cuius epistolæ, imò & singulæ earum literæ fraternam dilectionem aspirant, & de eo refert D. Hieronym. commentar. in epistol. ad Galat. c. 6. *Nihil aliud per singulas fere lebat proferre collectas nisi hoc: filioli, diligite alterutrum.* Vnde tamen natum est, quod hic Christi discipulus plus omnibus se exhibuerit erga proximos in charitate tam feruidum, nisi quia & ipse plus omnibus ostendebatur ab ipso Deo dilectus? *Discipulus ille, quem diligebat Iesus*, Ioan. 21. num. 20. Ex illo diuino amore infundebatur amor in Ioanne, mira scilicet charitas in proximos, & fratres suos, vt ait Petrus Damianus serm. de S. Ioanne: *Inde*, ait, *diuinitus illi concessum est, vt tanta cor etiam circa fratres charitatis gratia repleretur, vt sacrosanctum pectoris eius templum, velut caminus quidam diuini videretur incendij.* Et post pauca subdit, *vt nimirum plus amaret, qui plus amabatur, & qui primus erat in redemptoris amore, præcipuus in fraterna fieret charitate.* Semper diuina charitas gaudet hac sua consorte, charitate scilicet in proximos.

Hieron.

Ioan. 21.

Damian.

Dei amicitia cum amore proximi.

47. Sine hac autem charitate in proximos quilibet est vacuus, & infructuosus in Ecclesia Dei, ac eius obsequio. Ad Angelum Ephesi ait Dominus: *Prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo*, Apocalyps. 2. num. 6. Prima opera, quæ in hoc ipso requirebantur, erant charitatis opera erga fratrum salutem, sic enim antea ibi dicitur: *Charitatem*

Apoc 7.

tuam primam reliquisti. Statim tamen insurgit dubium, cur ei, qui charitatem relinquit, dicitur; mouebo candelabrum tuum? Appositè satis, nam extincta lucerna, indecens est ibi manere candelabrum, ex quo inde illud amouetur: sic etiam extincta, & consumpta charitate erga proximos, vacuum, & inutile candelabrum manet homo, & ideo necessum est, vt è medio tollatur, non enim amplius est vtilis, sed omninò vacuus, & superuacaneus.

Sine charitate proximi vacuus est homo.

Matth. 22. *numer.* 41. Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus.

Num. 42. Dicens: Quid vobis videtur de Christo: cuius filius est? Dicunt ei, Dauid.

Num. 43. Ait illi: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicens.

VERSIONES.

Arias. n. 41. Coactis autem Pharisæis.
Syriacus n. 42. Quid dicitis de Messia?
Syriac. n. 43. Quomodo ergo per Spiritum vocat eum?

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. *num.* 35. Et respondens Iesus dicebat docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse Dauid? Et ipse Dauid dixit in Spiritu sancto.

Luc. 20. *n.* 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum filium esse Dauid? Et ipse Dauid dicit in libro Psalmorum.

EXPOSITIO IV.

48. CONGREGATIS *autem Pharisæis,* Vt Iesus sapientiam despicerent, ac deprimerent, vt patet ex D. Marco 12. num. 35. *Interrogauit eos Iesus.* Summa Christi pietas ex ipso concursu Pharisæorum ad eum tentandum, assumit occasionem ad eos instruendos de Messiæ persona, excellentia, ac dignitate, vt ait D. Hieron. *Qui ad tentandum Iesum fuerant congregati, & veritatem fraudulenta interrogatione carpere nitebantur, occasionem præbuerunt confutationis sua.* Docet nos Diuinus Magister, non malum pro malo reddere, sed bonum pro malo; obiectam Pharisæorum tentationem conuertit Dominus in eorum instructionem, & eorum maleficium, in beneficium. Non vni soli, verbi gratia Doctori, qui de mandato magno interrogauerat, voluit Iesus ponere hanc quæstionem, sed congregatis multis vt rem valde necessariam, & scitu dignissimam omnibus proponeret, omnésque de diuinitate personæ Messiæ instrueret.

Marc. 12. *Hieron.* *Pro malo bonum.*

Dicens: Quid vobis videtur de Christo? Ex Dei promissione in Lege, & Prophetis facta, & à vobis vehementer expectato. Quid vobis videtur de illius substantia, natura, ac persona, *Cuius Filius est?* Dei scilicet, an hominis? Quid de hac re docet Scriptura? Proponit quæsitum cùm sciret responsionem, vt inde eos doceret: *Dicunt ei: Dauid.* Cùm potius deberent dicere, qua Deus, Filius est Dei: iuxta Psal. 2. num. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Qua homo verò Filius est Dauid. Hoc secundum erat valde commune, & tritum Christi tempore; primum verò Messiæ diuinitatem, vel ignorabant, vel non credebant Pharisæi, vt obseruant D. Chrysost. homil. 42. in Imperfecto, D. Paschas. lib. 10. in Matth. D. Thom. & alij. 49. *Psalm. 2. Psalm. 109.* *Chrysost. Paschas. D. Thom.*

Illam verò Christi diuinitatem agnouit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui*, Matth. 16. Hanc tamen sublimem cognitionem, *ei non reuelauit caro, & sanguis.* Sapienter D. Leo serm. 9. de Natiuit. *Interclusistis vobis, ô Iudæi, intelligentia viam, & dum solam naturam carnis aspicitis, tota vos veritatis luce priuatis. Expectantes enim secundum vestra persuasionis fabulosa figmenta, Dauid filium de sola stirpe corporea, dum spem vestram in homine tantum constituistis, Deum, Dei Filium repulistis.* Petrus, qui Dei gratia erat expeditus à carne, & sanguine diuinam Christi naturam contemplatur. At verò Pharisæi, qui in terrenis tantum erant immersi, temporaliáque tantum ante oculos habebant posita. Quid inde? *Deum, Dei Filium repulistis.* Vt de Deo obliti solum terrena cogitarent, ac cognoscerent. 50. *Matth. 16.* *Leo.* *Temporalibus immersi diuina non intelligunt.*

Nota hic quod Marcus, & Lucas licet videantur aliter rem narrare, interrogationem factam esse à Scribis, hoc minimè discrepat à D. Matthæo, sed optimè cum eius dictis conciliatur. Nam Iesus primò interrogauit Pharisæos, quidnam eis videretur, cuius filius foret Christus? tunc illi responderunt Scribæ, seu legis Doctores affirmare, Christum esse Filium Dauidis. Quo audito subiecit Christus, vt scribunt D. Marcus, & Lucas: Quomodo dicunt Scribæ Christum esse Filium Dauidis, cum Dauid eum dicat suum Dominum? 51. *Concordia Euangelistarum.*

Ait illis: Quomodo ergo Dauid. Eorum ignorantiam, ac insipientiam arguit Christus, qui cum legerent Scripturas, minimè eas intelligerent, ac penetrarent: *In Spiritu.* Ab Spiritu sancto motus, ac impulsus: *Vocat eum Dominum:* Filius inferior, ac iunior est suo parente, vnde non pater filium, sed filius patrem vocat Dominum suum, illiusque seruum se affirmat, & dicit. Theophylact. *Non negat Dominus se esse Filium Dauid hoc dicendo, sed monstrat quod non sit purus homo, ex solo Dauidico semine descendens.* 52. *Theophyl.*

Matth. 22. *num.* 44. Dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?

Num. 45. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?

Num. 46.

Num. 46. Et nemo poterat reſpondere ei verbum : neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

VERSIONES.

Aliqui apud. Lorinum. Dixit Dominus Verbo ſuo.

Barradas ex Hebræo. Dixit Dominus, tetragrammaton Domino meo Meſſiæ.

Syriacus. Sede à dextera mea, vſque dum ponam hoſtes tuos ſubter pedes tuos.

Euthymius. Donec poſuero.

Vatabl. Subſellium pedum tuorum.

Syriacus n. 46. Et nemo poterat reddere rationem : nemóque auſus eſt amplius ab illo die interrogare eum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. *n.* 36. *&* 37.

Luc. 20. *n.* 40. *&* 41. Idem habent, ac Matthæus.

EXPOSITIO V.

53. Pſal. 109.

DICENS : ex verſu Pſalmi 109. num. 1. Meſſiæ dignitatem, & excellentiam, ac proinde non eſſe purum hominem, ſed etiam, verum Deum. *Dixit Dominus* Nomen Dei ineffabile. Tetragrammaton, hoc loco ponitur. *Domino meo.* Meſſiæ, ſiue Chriſto Domino; vnde efficitur Meſſiam non hominem tantummodo eſſe, ſed etiam aliam præter humanam habere naturam, propter quam à progenitore ſuo Dominus appellatur, antequam ex Virgine naſceretur. *Sede à dextris meis.* Metaphoricè humano modo loquitur Dauid, vt notant D. Chryſoſtomus, D. Paſchaſius, Albertus Magnus, S. Thomas & alij. Deus enim ſpiritus eſt, dexteráque caret; quia tamen præſtantior hominis manus dextera eſt, præſtantior quoque locus per eam deſignatur; hoc ergo loquendi modo ſignificatur Æternum Patrem Chriſto triumphatori in cœlos aſcendenti præſtantiſſimum, ac excellentiſſimum cœli locum tribuiſſe, *ſede* ait, *à dextris meis*, hoc eſt ſupremum cœli Thronum obtine. Ad Epheſ. 1. num. 20. ad Philippenſ. 2. num. 9. ad Hebræos 1. num 13.

Chryſoſt. Paſchaſ. Alb. Magn. D. Thom.

Epheſ 1. Philip. 2. Hebr. 1.

54. 1. Cor. 15.

Donec ponam inimicos tuos. Vt ſupremus omnium Rex in ſumma felicitate, auctoritate, gloria, & imperio in vniuerſas creaturas, ſede ad dexteram meam, & regna, ad iudicij vſque diem, in quo ſupremæ poteſtati tuæ ſic ſubiiciam omnes aduerſarios, quemadmodum ſcabellum, ſiue ſuppedaneum ſolet ſub pedibus ſubiici. *Oportet illum*, ſcilicet Chriſtum, *regnare donec ponat inimicos ſub pedibus eius*, 1. Corinth. 15. num. 25. *Donec ponam.* Illa particula, *donec*, non denotat finem, ſed continuationem, ac amplificationem regni, & ſeſſionis. Id eſt, regna nempe mecum, etiam donec inimicos tuos tuis pedibus ſubiiciam, eo etiam tempore, quo ipſi inimici tui videntur tibi contrarij, & oppoſiti, eo etiam tempore, quo inimici tui videntur regnare, & quandiu peccatum non eſt omnino euerſum, ac extinctum, ſed inter ipſas perſecutiones, ac bella, quæ Satanas aduerſus tuos fideles, tuámque Eccleſiam commouet, tunc regna, & ſede ad dexteram meam, ac proinde illa particula, *donec*, non excipit tempus aliquod, ſed illud exprimit, quo videri poterat Chriſtus non ſedere à dextris Dei, intelligendum denotans poſtea veluti multo magis ſeſſurum, vt notauit Franciſcus Lucas. Vnde ait Paulus Hebræorum 10. num. 12. *In ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.* Ac proinde *donec* multi volunt, quod ſit poſitum pro *etiam donec*. Similis eſt locus Matth. 1. num. 25. De quo plura dixi tom. 1. lib. 1. cap. 10. quæſt. 22.

Luc. Burg. Hebr. 10.

Matth. 1.

CAP. XLVII.

Arguuntur Phariſæi, & Ieruſalem.

Matth. 23. *num.* 1. Tunc Ieſus locutus eſt ad turbas, & diſcipulos ſuos.

Num. 2. Dicens : Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.

Num. 3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite : ſecundùm opera verò eorum nolite facere : dicunt, & non faciunt.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Tunc Ieſus collocutus eſt turbis, & diſcipulis ſuis.

Theophyl. In Cathedra Moyſi ſedent Scribæ, & Phariſæi.

Syriacus. Quidquid igitur dicent vobis, vt ſeruetis, ſeruate, ac peragite : ſed iuxta opera eorum ne feceritis.

Vatablus. Omnia ergo quæcumque iuſſerint vos ſeruare, ſeruate, & facite.

D. Hilarius. Facite, & obſeruate, ſecundùm facta eorum nolite facere.

Orig. hom. 24. Audite, & facite, iuxta opera eorum ne faciatis.

EXPOSITIO I.

1. *VNC locutus est Iesus.* Illud, *tunc*, denotat differentiam tẽporis, quando scilicet Dominus sua sapientissima ratione, ac efficaci responsione errores, ac ignorantias Pharisæorum, ac Scribarum confutauit; Tunc eorum prauitatem, malitiam, ac fictam sanctitatis laruam aperit, & detegit; cum omni spe emendationis carerent, viri erant Ecclesiastici, & ideo Chryſoſt. ait D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 43. *Laici delinquentes facilè emendantur, clerici autem si mali fuerint, inemendabiles sunt.* Textus. *Locutus est ad turbas, & discipulos suos.* Denotatur non solum, quod ipsi fuerint auditores, sed etiam quòd ad turbas, & discipulos direxit hunc sermo- Abulenſ. nem, vt ait Abulens. q 9. vt intelligerent, ac cognoscerent simulationem, & malitiam Pharisæorum, ac Scribarum, vt ab illis cauerent, & hoc maximè fuit necessarium discipulis, qui, vt ait Abulens. q 7. futuri erant totius orbis Doctores ac Principes; & ideo illis maximè necessarium, errorem, ac simulationem Pharisæorum agnoscere, vt tales Doctores, magistros, ac ministros fugerent, & ideo frequenter dicebat discipulis Matth 16. suis, cauete à fermento Pharisæorum. Matth. 16. n. Marc. 8. 11. & 12. Marc. 8. n. 15. Luc. 12. n. 15. Luc. 12.

2. *Dicens.* Ne aliquis existimaret, quòd ipse erat aduersarius legi Moysaicæ, hanc suspicionem remouet, vt liberiùs arguat. *Super cathedram Moysi.* Non intelligit aliquam cathedram ligneam, Hieron. sed vt interpretantur D. Hieronymus, Beda, D. Beda. Paschasius, Carthusianus, gradum, dignitatem, Paſchaſ. honorem, ac auctoritatem docendi, quam Moy- Carthuſ. ses habuit apud Iudæos. *Sederunt*, à multo tempore sedent; vel sederunt, non sedent, vtpote indigni ab honore priuati. *Scribæ, & Pharisæi.* Scribæ legis Doctores erant. Pharisæi, qui de religione agebant, & gubernabant populum, ac ad magistrum adscribebantur; de Sadducæis autem Ioſephus. non fit hic mentio, quia teste Iosepho l. 18. Antiquit. c. 2. primaria capita eorum doctrinæ contraria erant legi Mosaicæ. *Scribæ, & Pharisæi.* Multi ex eis erant Sacerdotes, & Leuitæ, vt obseruat Abulenſ. Abulens. q 14. horum erat speciale docere populum, Malach. 2. Malach. 2. n. 7. Non dicuntur, sederunt Sacerdotes, & Pontifices, sed Scribæ, & Pharisæi. Cyprian. Nam vt obseruat D. Cypr. lib. 4. epist. 9. Reuolue *Sacerdotes veneranda.* Euangelium, & minimè reperies Christum Pontifices, aut Sacerdotes reprehendendo, ac arguendo nominasse, sed Scribas, & Pharisæos, omnes suo exemplo informans, ne contra Ecclesiæ præsules cum ordinis dedecore quidpiam loquantur.

3. *Omnia ergo.* Expende illatiuam illam, ergo, immediatè cathedræ subiecta; eam enim habet vim: iubetur tibi aliquid à Prælato? Sit is Scriba, sit is Pharisæus, sit malus, sit pessimus, tamen imperatum à te est faciendum. *Omnia quæcumque dixerint vobis*, dummodo non sint aduersantia cathedræ, legi Dei, ac veræ doctrinæ, vt interpretantur D. Chrysostomus, Euthymius, Theo- Chryſoſt. Euthym. phylactus, & communiter expositores. *Omnia* Theophyl. *quæcumque.* Duplici verbo de industria vsus est, vt obedientiæ promptitudinem, & animum illis sine hæsitatione applicaret. *Omnia quæcumque.* Quamuis vobis displiceant, cum sint mandata à superiore Dei personam agente, absque discussione à vobis implenda sunt. *Seruate, & facite.* Posterius prioris est explicatio. Eadem valet, ac omninò facite. Albertus Magnus, D. Thomas, *seruate* in corde, *facite* in opere, secundùm opera eorum nolite facere. Explicat Caietanus. Obedite dictis, sed nolite imitari facta eorum. Admonet expressè vt praua eorum opera vitentur; malum enim exemplum solet etiam frequenter iustos peruertere. *Dicunt enim, & non faciunt.* Apponitur ratio non imitandi eorum facta. Ipsi enim bene dicunt, sed malè faciunt. Dicunt, quæ sunt consona legi, ac sanctimoniæ, sed vita ab hac doctrina discordant, indulgent nequitiæ, malitiæ, ac malis actibus. Alb. Magn. D Thom. Caietan.

QVÆSTIO I.

Quare dicitur quòd Pharisæi, & Scribæ sederunt super Cathedram, & non potius in Cathedra?

4. IANSENIVS in sua concordia cap. 54. exi- Ianíen. stimat Pharisæos, & Scribas non sedentes, sed stantes docuisse. 2. Esdræ 8. num. 4. *Steterat autem Esdras Scriba super gradum ligneum.* Actor. 2. Eſdr. 4. 13. num. 16. *Surgens autem Paulus, & magnum silentium indicens* ait, &c. In oppositum stat noster textus: *Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ.* Probatur etiam, quia Christus sedens docebat. Ioan. 8. num. 1. *Diluculo venit in templum, &* Ioan. 8. *sedens docebat eos.* Matth. 26. num. 55. *Quotidie* Matth. 26. *apud vos sedebam docens in templo*, Luc. 4. num. 20. Luc. 4. *Et sedit, & cœpit dicere ad illos.* Scribæ ergo, & Pharisæi sedentes è cathedra docebant, aliquando verò pro maiori efficacia dicendi stantes loquebantur, ac concionabantur, vt fecerunt Esdras, & Paulus citatis locis. *Pharisæi docendo sedebant.*

5. Ad nostram quæstionem; ait Christus Dominus *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Notandum est, quod cùm loquatur de hominibus actualiter in sua dignitate constitutis, non ait sedent, sed de præterito sederunt, cùm enim essent indigni, & mali, quamuis locum, & cathedram tenerent, honore tamen dignitatis minime gaudebant. Vel dicitur, sederunt, vt inde ostendatur, quam breuia, & transitoria sint huius sæculi bona, quibus non tam est præsens, quàm præteritum. Vide multa verbo *Bona temporalia*, in Indice. *Indigni honore priuati.*

6. In quæstionem voco. Cur Scribæ, & Pharisæi dicuntur sedentes super Cathedram? Cùm de Dauid dicatur, *Sedens in cathedra sapientissimus*, 2. Reg. 23. num. 8. Dauid sapientissimus sedebat in 2. Reg. 23. cathedra, vt muneri cathedræ satisfaceret: At verò scribæ, & Pharisæi dicuntur sedisse super cathedram, non intendebant cathedræ satisfacere, sed ex ipsa ansam arripientes, & dignitate, ac potentia effrænes effecti super omne cathedræ ius se constituebant, vt omnes illius leges violarent, his competit id, quod dixit D. Nazianzenus orat. de laud. Basilij de superbo in potestate sublimi. *Hic superbè flat, & arroganter præsidet, supercilióque aduersus meliores extollit, nec thronis intremiscit, nec ex aspectu horrorem concipit, hominem continentia studiosum infra se videns; verum simul cum imperio sapientiorem quoque se existimat: prauè vtique sentiens, atque a potentia, & auctoritate de mente deturbatus.* Præme vltima verba. *Falsa virtutis potentia affecta.* Nazianz.

Exinde

7. *Exiuit Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis*, ſcilicet Pilatus. *Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri clamabant dicentes, crucifige, crucifige eum.* Ioan. 19. n. 5. Aderat vniuerſi populi multitudo, aderant etiam multi Pontifices, & Principes; & tamen præſidens ſimul omnibus oſtendit Ieſum, tacentibus tamen populatibus Pontifices, & Principes clamant: *Crucifige, crucifige eum.* Cur non magis id clamant homines populares, ſed ſoli Pontifices, ac Principes? Quibus ex munere, ac dignitate incumbebat, vt iuſtitiæ cauſam tuerentur, quæ in hoc negotio pro Chriſto, tam aperta, & euidens erat? Erubeſcebant populares Chriſtum reuerentes, à quo multa beneficia ſuſceperant. At Pontifices, & Principes, dignitate impudentiſſimi facti, iuris metas minimè curant ſeruare, ſed omnes leges peſſundare, ac conculcare. Iniquo eorum animo pontificalis dignitas non miniſtrabat obſeruationem iuſtitiæ, ſed illius violationem, ac præuaricationem. D. Cyrillus Alexandrin. lib. 12. in Ioan. cap. 17. *Cùm enim, ait, viderunt ipſum Pontifices, ac miniſtri clamarunt, crucifige, crucifige eum. Nam cum multitudo aliquo modo his factis ſuberubeſceret, recordati forſitan miraculorum eius; ipſi primum clamant, crucifige, crucifige.*

Ioan. 19.

Cyrill.

8. Aduerſus Patrem ſuum inſurgit Abſalon, Rexque à potentiſſimo exercitu acclamatus, palatium Hieroſolymitanum ingreditur, ab Architophel accepto conſilio. *Tetenderunt ergo Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſuſq; eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël. Conſilium autem Architopel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum* 2. Reg. 16. n. 22. Turpiſſimum conſilium dat Architopel de ſtuprandis parentis ſui concubinis in conſpectu totius Iſraël, quod erat tam impudentiſſimum nefas, quod etiam omnes barbaræ gentes deteſtabantur, & tamen tam horribile ſcelus audet ihuenis Abſalon, & non cunctatur imò ſic gaudet, & procedit, quaſi ſi à Deo conſilium accipiat. Quomodo tantam impudentiam quaſi à Deo conſultam amplexatur, quare non refugit tantum facinus omni pudori humano maximè contrarium? Vidit ſe Abſalon, mala, & ſiniſtra arte in regali throno ſubleuatum, & inde omnem pudorem, ac humanum reſpectum exuit, nihilque veretur, maximè inſolens factus omne turpe tanquam ex Dei conſilio ſibi licitum autumat, & præſumit, quam maculam ſui temporis poteſtatibus inuit Arnobius lib. 4. aduerſus Gent. *Verum, ait, ita ſe res habet, vt quoniam plurimum gladiis, & poteſtate valetis ferri, auteire vos etiam veritatis ſcientia indicatis: & eſſe pro Diis pios, quorum potentias primi opinionum obſcœnitate fœdaſtis.*

2. Reg. 16.

Poteſtas omne turpe ſibi licitum præſumit.

Arnobius.

QVÆSTIO II.

Quare Dominus mandat, quod quæcumque dixerunt Phariſæi, & Scribæ ſedentes ſuper cathedram Moyſis, facienda ſint?

9. SÆPE Chriſtus Dominus monebat ſuos diſcipulos, *cauete à fermento Phariſæorum*; vt dixi in expoſitione n. 1. Quomodo ergo mandat in præſenti: *omnia quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite?* Quod intelligendum eſt cum D. Hieronymo, Paſchaſio, Alberto Magno, S. Thoma, Carthuſiano, Abulenſi, quòd facienda erant omnia, quæ ipſi docebant, dummodo non eſſent repugnantia legi Dei, ac mandatis eius. Sic ait Paul. ad Coloſſenſ. 3. num. 20 *Filij obedite parentibus per omnia.* Nunquid filij debent obedire parentibus contra Dei legem? Minimè. Nam perfecta obedientia docet: *Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus.* Sic Chriſtus docet in præſenti, à fermento, ſeu praua doctrina Phariſæorum cauendum eſſe, doctrinam verò ſanam opere exequendam. Hæc eſt vera interpretatio.

Hieron. Paſchaſ. Alb. Magn. D. Thom. Carthuſ. Abulenſ. Coloſſens. 3.

Aliter interpretatur D. Auguſtinus lib. 4. de Doctrina Chriſtiana c. 27. vbi docet, quòd Chriſtus præcipiat, *omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite*: hoc non eſſe tribuendum Phariſæorum ſcientiæ, ac virtuti, ſed cathedræ, in qua ſedebant. Sic ait magnus Doctor. *Illa cathedra, ait, non eorum, ſed Moyſis, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo ſua in vita ſua: docere autem ſua, cathedra illos non permittebat aliena.* Et lib. 16. contra Fauſtum c. 29. *In verbis Chriſti, ait, debetis aduertere, quantum honor delatus ſit doctrinæ Moyſis, in cuius cathedra etiam mali ſedentes, bona docere cogebantur.* Et idem docet epiſtol. 166. Cathedra non cogebat Phariſeos dicere verum, ſicut nec etiam modò ſuggeſtum concionatores. Tamen ſuggeſtum, ſeu cathedra, aliquo modo cogit verum dicere, prout ille locus veritatem flagitat, & exigit.

10. Auguſt.

Dicebant Phariſæi verum virtute cathedræ.

Quamuis ergo Phariſæi, & Scribæ multi, & mali magiſtri eſſent, multa & iniqua docerent, falſas, & ſiniſtras expoſitiones appoſuerint, Matt. 15. num. 2. & iniquè, turpiterque viuerent, tamen bona, & ſana, quæ docebant, ait Dominus. *Seruate, & facite.* Addit autem: *ſecundum opera eorum nolite facere.* Quod eleganter explicat D. Auguſt. tract. 46. in Ioan. adducens illud. *Botrum carpe, ſpinam cane*; poſt pauca addit. *Botrum inter ſpinas cautè lege, ne dum quæris fructum, laceres manum: & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem, quæ dicunt facite, legite vuas: quæ autem faciunt nolite facere, cauete ſpinas.* D. Chryſoſtom. in Imperfecto hom. 46. *Nunquid ait, propter terram vilem pretioſum aurum contemnitur? ſicut aurum eligitur, & terra relinquitur, ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite: apes flores colligunt, herbas relinquunt; ſic & vos flores doctrinæ colligite, & conuerſationem relinquite.*

11. Matth. 15.

Auguſt.

A Doctore approbunda bonum, fuga malum.

Chryſoſt.

Poſtquam Samſon maxilla aſini interfecit multos Philiſthæos, & quaſi præ ſiti periret, orauit ad Dominum. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex ea aqua. Quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit.* Iudic. 15. num. 19. Valde mirum, quòd ex illa mandibula Deus parat aquas ſalutiferas Samſoni. Mandibula illa, vt notat ibi Theodoretus: *Triplici ratione ex lege erat immunda: nam & Aſinus viuus vt immundus, & mortuus rurſus eſt immundus, & quod cædis fuiſſet inſtrumentum vtpote ab ea cæſis mille alienigenis; ſed etſi eſſet immunda, legiſlator tamen ex ea, & non aliunde prabuit vſum aquæ.* Iterum magis quæſtio animum pulſat, cùm mandibula illa ex tanta ratione eſſet immunda. Cur de illa legiſlator parat aquas ſalutiferas? *Omnia in figura contingebant illis.* Per maxillam ad deſtruendos inimicos prædicatores Eccleſiæ intelligit D. Gregorius lib. 13. Moralium, cap. 6. & conſentit D. Hieronymus in capit. 22.

12. Iudic 15.

Theodor.

Etiam à malo Doct. vt aliquando bona venis doctrina.

Gregor. Hieron.

Iob. Per prædicatores, immundos vitiis, & moribus sæpè Deus parat aquas salutares doctrinæ ad viuificandum, ac refocillandum spiritum in gratia, & vita. Per aquas sacram doctrinam interpretantur. D Basil. D. Cyrillus, Theodoret. & alij. *Hauritis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.*

Ibi. 12. Aug. Isaiæ 12. num. 13. Ex quo ait D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana. *Quisquis bonus, verúsque Christianus est, Domini sui esse intelligat, vbicumque inuenerit veritatem.*

13. Ab eodem Magno duce non discedo. Cùm Samson iter faceret, in ferocissimi Leonis occursum illapsus est, vltro illum adhortans strangulauit, peremptúmque ex publica via in syluam perttaxit, eumque ibi in abscondito reliquit. Paucis post diebus proiectæ belluæ cadauer inuisurus, declinauit à via, vbi mira res oculis obiecta est. *Ecce examen apum in ore Leonis erat, ac fauus mellis.* Iudic. 14. num. 8. Vnde postea problema Palestinis proposuit. *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Quid significari voluit Deus, quòd Samson in ore mordacissimo, ac fœtidissimo dulcissimum mel inuenerit? Quo in loco ait Procopius; *fertur quemuis Leonem viuum os habere fœtidissimum.* Quod desumptum videtur ex Plinio lib. 8. ca. 16. Per fauum mellis sacra Dei doctrina denotatur, vt notat D. Prosper. lib. de Promiss. cap. 21. iuxta illud Psalm. 118. num. 103. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Prou. 16. num. 24. *Fauus mellis composita verba.* In ore fœtido Leonis inuenit Samson fauum mellis, quem comedit, deditque suis; sic alta Dei prouidentia sæpè disponitur, vt ex ore fœtido peccatoris dulcedo sacræ doctrinæ percipiatur, qua anima mira dulcedine nutritur, ac reficitur in salute. Procop. in cap. 12. Iob. *In Samsone*, ait, *qui Leonem tenuit, & occidit, & in ore mortui fauum mellis inuenit: significatum est, quod in superbis, in quorum ore putor fuerat blasphemia, esset postmodum dulcedo laudis, & gratia Dei.*

Iudic. 14. — Procopius. — Prosper. Psa. Psal. 118. Prou. 16. — *Ab ore fœtido dulcedo mellis.* — Procop.

QVÆSTIO III.

Quare in recensendis Phariſæorum vitiis ante omnia arguantur, quòd dicunt, & non faciunt?

24. IN hoc sermone multa, & varia Phariſæorum vitia publicantur, eorum hypocrysis, auaritia, ambitio, superbia, crudelitas, tamen in capite omnium ponitur, quòd *dicunt & non faciunt* Hoc inter cætera grauissimum est Doctoris crimen. Nam vt rectè D. Chrysostom. homil. 74. in Matth. *Criminandi námque omnes sunt, ait, qui legem transgrediuntur: sed maximè omnium qui doctoris fungitur authoritate, dupliciter enim, atque tripliciter iure condemnatur. Primum, quia transgreditur. Deinde cum in corrigendis aliis ipse claudicat, maiore dignus supplicio est. Tertio quia cum vt Doctor præsideat, nequitia sua facilè cæteros corrumpit.* Vid. supr. c. 8. n. 238. 237. & c. 21. n. 51. 52. 53.

Chrysost. *Arguitur Doctor qui dicit, & non facit.*

25. Arguuntur Phariſæi. *Quia dicunt, & non faciunt.* Soliciti sunt vt dicant, non verò vt faciant. Hi maximè punguntur Doctores, quorum studium est de acumine, elegantia, ac ornatu doctrinæ, non verò de probitate, ac integritate morum, maximèque eis cura est de scientia, non verò de conscientia; magisque intellectuam potentiam subtilissimis rationibus, ac conceptibus, quam voluntatem feruidis actionibus perficere satagunt, & intendunt, quorum studium, ac cura de diaboli arte venit.

Malus Doctor agit de scientia & non de conscientia.

Naas Ammonites cum viris Iabes inire fœdus parat, hac conditione posita. *Eruam omnium vestrum oculos dexteros, ponam vos opprobrium in vniuerso Israël.* 1. Reg. 11. num. 2. Turpissimum, ac sæuissimum amicitiæ vinculum, sed si placuit vno luminum orbare, cur potius dexterа vultus facies, quàm sinistra eligitur, nam quolibet lumine priuato, æquè vultus deformis maneret, cur potius dexterum, quam sinistrum designatur? Rex ille efferus Dæmonem repræsentabat, oculi verò designabant duas excellentissimas animæ facultates. Oculus dexter voluntatis amorem; sinister verò intellectus scientiam. Aduersarius noster charitate, ac amore nos despoliari curat, hoc enim tanquam manu dexterа ferimur in cœlum; quod verò scientia relinquatur, facilè permittit aduersarius, nam scientia sine charitate est velut Cymbalum tinniens, & non ædificat, sed inflat, & inde sæpè est impedimentum ad salutem, ex quo totum studium inimici est nos dextero charitatis oculo orbare. Richardus de S. Victore tract. de gradibus violentiæ charitat. cap. 3. *Duos nempe oculos*, ait, *habet anima, vnum quo intelligit, & alium quo requirit eum qui respicit filios hominum; horum duorum dexter est oculus amor, qui requirendo vulnerat; hunc vulneratum oculum ille Ammonitarum Rex suo infelix fœdere molitur eruere. Sublato enim amore, qui dexter oculus est, ad solum errorem remanet intellectus, quem sinistrum diximus; intelligere quippe non amare, illorum error extitit, qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.*

1. Reg. 11. — *Potius dæmon vult peruertere voluntatem, quam intellectum.* — Richard.

Matth. 23. n. 4. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.

Num. 5. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbria.

VERSIONES.

Vatablus n. 4 Colligant enim onera grauia, difficiliáque portatu.

S. Chromanti Quæ portari non possunt.

Arabicus. Et imponunt ea portanda super colla hominum.

Syriac. Ipsi verò, nec suo quidem digito volunt ea tangere.

D. Chrysolog Suo minimo digito nolunt ea mouere.

Syriac. Vatabl. Et omnia opera sua faciunt, vt spectentur ab hominibus:

hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, & produnt fimbrias palliorum ſuorum.

Orig.tract. 24. Fimbrias veſtimentorum ſuorum.

EXPOSITIO II.

17 Hieron.

ALLIGANT *enim.* D.Hieron.rectè hic admonet: *Notandum quod humeri, & digitus, & onera, & vincula, quibus alligantur, onera ſpiritualiter intelligenda ſunt.* Ait Dominus in præſenti: *Alligant enim.* Illa particula, *Enim*, oſtendit quod ſupra dixerat, *Dicunt, & non faciunt.* Et ait, *Alligant*, ſeu ex Græco, *Colligãt*, ſeu ligant: *Onera grauia, & importabilia.* Seu, vt habet Græcus, *Portata difficilia*, ſeu *quæ vix portari poſſunt*, multitudine præceptorum, traditionum, & cæremoniarum, quibus populum opprimebant, ac onerabant, in quo arguuntur Phariſæi, ac multi iniqui Prælati, qui ſubditos ſic varietate, ac multitudine præceptorum grauant, ac ſi eos non homines, ſed iumenta cenſeant. *Et imponunt in humeros hominum.* Metaphorica, ſeu, vt ait D. Hieron. ſpiritualis eſt locutio hic in omnibus; ſuperbia, ac arrogantia Phariſæorum denotatur, qua aliis imperiosè leges imponebant; & metaphora eſt deſumpta à graui onere, quod non manibus, vel brachiis, ſed humeris portatur. *Digito autem ſuo nolunt ea mouere*, D. Chryſol. *Minimo digito ſuo.* Syriacus, *Tangere.* Opponitur, vt notat Origenes homil. 24 digitus humeris; nam ſubditorum humeri non ſufficiunt ad præceptorum onera, ob illorum grauitatem ſuſtinendam. Et Phariſæi minimo digito ſuo huiuſmodi præcepta nolunt attingere obſeruando; hoc eſt, nec in minimo, nec leui volunt ipſa obſeruare, & tenere, vt explicat D. Paſchaſius. Expende quod dicitur: *Nolunt*; non dicitur, non poſſunt infirmitate, vel imbecillitate, ſed *nolunt.* Malitia, ac nequitia propriæ voluntatis eſt eis pro ratione, ac lege. Ita molles, ac delicatos ſe exhibent, vt nec minimum velint conamen adhibere ad præcepta obſeruanda. Reputant enim ſeipſos alterius conditionis à ſubditis, quos tantis grauant, à quibus ipſi omnino volunt eſſe immunes.

Hieron. — Chryſoſt. Syriac. Origen. — Græcus. — Paſchaſ. — *Malitia voluntatis pro lege.*

18. *Omnia opera ſua.* Chriſtus incipit hic Phariſæorum vitia damnare, & ab inani eorum gloria, ac ab ambitione humanæ laudis, facit exordium, quia vt ait D. Chryſoſt. *Tolle gloriam inanem de clero, & ſine labore, alia omnia vitia reſecabis; vnde ab ipſo incipit.* Inanis enim gloria aperit ianuam ad omnia alia vitia. *Omnia opera ſua faciunt.* Quomodo hoc cohæret cum his, quæ ſupra dicuntur: *Dicunt, & non faciunt?* Faciunt non ad Dei gloriam, in quam ſunt referenda omnia noſtra, ſed ad captandam hominum gloriam, ideo idem erat, ac ſi nihil facerent. *Vt videantur ab hominibus.* Ponit hic Chriſtus Dominus radicem incredulitatis Scribarum, & Phariſæorum, ob quam in Chriſtum non credebant, quia ſcilicet vanam gloriam, ac populi plauſum quærebant. D. Chryſoſtomus: *Impoſſibile eſt*, ait, *vt credat Chriſto cœleſtia prædicanti, qui gloriam hominum concupiſcit terrenam.* Ex terrenorum amore, cœleſtium contemptus naſcitur.

Chryſoſt. — *Gloria humana immane vitiorum.* — Chryſoſt.

19. *Dilatant enim phylacteria ſua.* Phylacteria erant membranæ, quædam in quibus, Decalogus erat ſcriptus: Iudæi ergo has membranas geſtabant circum brachia, & frontem, de quo latius qu. 5. *Et magnificant fimbrias.* Ne Iudæi diuinam legem obliuiſcerentur, mandauit eis Deus, Numer. 15. nu. 38. & Deuter. 22. n. 12. vt ipſi geſtarent fimbrias, ſiue fila quædam, ex infima ora veſtis, ſiue pallij dependentia, hyacintini, ſiue coloris cœleſtis; quaſi qui cœleſtem vitam in legis cuſtodia profiterentur. Addunt verò D. Hieron. D. Paſcaſ. Carthuſian. Hugo, & alij, Iudæos ſapientiores in his fimbriis conſtituiſſe ſpinas acutiſſimas, vt ambulantes, vel ſedentes, earum punctura diuinæ legis recordarentur. Has fimbrias præ cæteris maiores, & latiores portabant Phariſæi, vt viderentur omnibus religioſiores, & obſeruantiores. Notat D. Bernard. apud D. Thomam in ſuo commentario: *Portant veſtes ſanctitatis*, ait, *& hoc non eſt oneroſum, quod oſtendebant in phylacteriis, & fimbriis.* Ad obſeruationem legis omnia erant oneroſa, vt nec digito vellent mouere, ad oſtentationem fimbriæ tam dilatatæ erant leues, & faciles.

Numer. 15. Deuter. 22. — Hieron. Paſchaſ. Carthuſ. Hugo. — Bernard.

QVÆSTIO XV.

Quare Phariſæorum onera importabilia dicuntur?

ONERA importabilia dicuntur in præſenti præcepta, quæ obſeruanda populo Phariſæi proponebant, cùm ipſi tamen nec leuiter vellent ea obſeruare. Quos eleganter pungit D. Chryſoſt. in Imperfecto hom. 43. *Si erramus*, ait, *medicami pœnitentiam imponentes; nonne melius eſt propter miſericordiam, rationem dare, quam propter crudelitatem? Vbi enim Paterfamilias largus eſt, diſpenſator non debet eſſe tenax: ſi Deus benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus? Vis apparere ſanctus? Circa tuam vitam eſto auſterus: circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem.* Qui grandia mandat, parua facit, inobedientiam perſuadet, cum opere diſſuadeat ea, ad quæ verbis hortatur: *Et ſi Deus benignus eſt, vt quid Sacerdos eius auſterus?*

20. *Confeſſor non ſit frequens in imponenda dura pœnitentia.* — Chryſoſt.

Præſens quæſtio eſt. Quænam hæc eſſent præcepta, quæ dicuntur importabilia? Prima, & probabilior ſententia affirmat, quod ſub his mandatis Phariſæorum, non ſolum continebantur legis præcepta, ſed etiam extra legem multæ traditiones. Theophyl. *Legis*, ait, *mandata aggrauarunt, traditiones quaſdam vltra leges tradentes.* D. Anſelmus, *Legis mandata*, ait, *vocat onera importabilia, quæ Scribæ, & Phariſæi docebant, mixtis traditionibus ſuis.* In hac ſententia ſunt Origenes tract. 24. in Matth. D. Paſchaſ. lib. 10. in Matth. Abulenſ. quæſt. 24. Ita communiter Recentiores, Ianſen. Barrad. Maldonat. Lucas Burgenſ. Cornelius, & alij, & hæc ſententia eſt verior, vt iam dixi.

21. *Ententia de lege, & traditionibus.* — Theophyl. — Anſelm. — Origen. Paſchaſ. Abulenſ. Ianſen. Barradas. Burgenſ. Corneli.

Secunda ſententia eſt, quòd prædicta verba intelligantur de lege Moyſis. De qua ait Petrus Actor. 15. n. 10. *Quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Id eſt, difficiliter portauimus ob multitudinem præceptorum, vt explicat D. Auguſt. ſerm. 9. de Verbis Domin. hanc

22. *Sententia illum de lege.* Actor. 15. — Auguſt.

mandatorum farcinam Pharisæi super aliorum humeros imponebant, ipsi verò minimè obseruabant. D. Chrysost. in Imperfecto homil. 45. *Onera grauia, & importabilia, dicit Dominus legis mandata.* Haymon. *per onera grauia designantur maiora præcepta legis difficilia ad implendum.*

Chrysost.

Haymon.

23. *Difficultas.* Ex quo insurgit magna difficultas, quomodo egregia præcepta, ex diuina institutione imposita, dicantur à saluatore onera importabilia? Nam omnis lex est de re moraliter possibili, vt docet D. Isidorus lib. 1. Etymol. cap. 21. & lib. 2. c. 10. & ipsam legem Mosaicam obseruauerunt Zacharias, & Elizabeth Luc. 1. num. 6. *Erant iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini.* Et idem dicitur de Dauide Actor. 13. n. 22. & de Iosue c. 11. n. 15. & de Iosia Rege 4. Reg. 23. 25. & de aliis. Quomodo legis præcepta dicuntur importabilia?

Isidor.

Luc. 1.

Act. 13. Iosue 11. 4. Reg. 23.

24. *Importabile mandatum, cum quis præcipit, & non facit.* Theophyl. Rectè ad quæstionem respondet Theophyl. *Ipsi digito suo*, ait, *non mouent nihil operantes. Quando enim qui docet, non solum docet, sed & operatur: videtur cum iis, qui docentur, laborare, & operari. Quum verò ille me onerat, ipse verò otiosus vivit; magis me grauat.* Præcepta legis, quæ docebant Pharisæi, reddebantur importabilia, quia imponentes ea super humeros hominum, digito suo ipsi nolebant ea mouere. Valde importabile fit mandatum exemplo destitutum, quod solum verbis dicitur, & operibus non adiuuatur, vt ergo fiat facile, quod Magister ore dicit, manu, & opere perficiat.

Theophyl.

25. Matth. 11. Ait Christus Dominus suis discipulis, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11. n. 30. Iugum Christi ducit ad cœlum. Angusta porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. n. 14. Vnde ergo facilis, & suauis? Imitatione nempe ipsius Christi: quæ enim nobis mandauit, prius ipse exequutione adimpleuit. Ait Paulus ad Hebræos 12. num. 1. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei.*

Matth. 11.

Matth. 7.

Hebr. 12.

26. Conqueritur Moyses semel & iterum. *Non possum solus sustinere hunc populum, quia grauis est mihi.* Numer. 11. n. 14. & iterum sic loquitur ad populum. *Dixi vobis illo in tempore. Non possum solus sustinere vos: quia Dominus Deus vester multiplicauit vos.* Deuter. 1. n. 10. fatetur se viribus destitutum ad sustinendum pondus regiminis totius populi. Ait Christus Dominus Petro. *Super te ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. n. 18. Imponitur Petro pondus vniuersalis Ecclesiæ, regiménque totius orbis, qui multis criminibus, ac erroribus erat oppressus, & tamen non se excusat Petrus. Cur tantus Moyses onere vnius populi sic fatigatur; non verò Petrus pondere omnium populorum totius orbis? Vidit Petrus, quòd Christus Dominus, vt fundamentum Ecclesiæ omnes in se excepit. *Fundamentum quod est Christus Iesus.* 1. Corinth. 3. n. 11. Et quod tanquam bonus pastor omnes vt oues aberrantes super suos humeros imposuit, vt reduceret ad vitam Luc. 15. num. 5. Videns ergo Petrus, quòd qui ita oues super humeros eius imposuerat, potiùs tamen ipse super suos sustinuerat: tanto ergo sui magistri exemplo animatus omnium nationum, ac populorum pondus non refugit, sed libenter illi se se submittit. Quo documento cum Moyses careret vnius populi onere maximè grauatur, vt se imparem ad illud fateatur. Vide supra cap. 7. num. 20. & 21. & cap. 19. n. 58. 59. 60. cap. 29. 30.

Matth. 16. *Populi pondus cum Domini exemplo explicatur, sine illo recusatur.*

1. Cor. 3.

Luc. 15.

Qvæstio V.

Quare Phylacteria portabantur à Pharisæis?

27. Mandavit Deus Moysi, quod præcepta legis: *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & monebuntur inter oculos tuos.* Deut. 6. num. 8. Cuius verborum sensus erat, quòd legis præcepta essent opere, ac manu complenda, & ante oculos habenda, vt in illis die, ac nocte meditaretur. Hoc Pharisæi malè interpretantes, scribebant legem in pictis, pulcherrimisque membranis, & ligantes ea in fronte, quasi coronam capiti faciebant; vt semper ante oculos mouerentur, quod etiam teste D. Hieron. vsque hodie Indi, & Persæ, & Babylonij faciunt, & qui hoc habebat tanquam religiosus iudicabatur in populo. Membranæ illæ dicebantur *Phylacteria*, idest conseruatoria, à verbo Græco, quod est custodio, vel conseruo.

27. Deut. 6.

Hieron.

28. Quid stultius, quàm religionem in scriptis, pulcherrimisque papyris collocare? Sic multi hodie maximè se deuotos existimari putant, si pretiosa, & aurea Psalmorum volumina secum habeant, quos maximè irridet D. Hier. in præsenti. *Pittatiola*, ait, *illa Decalogi phylacteria vocabant: quod quicumque habuisset eas quasi ob custodiam, & munimentum sui haberet; non intelligentibus Pharisæis, quod hæc in corde portanda sint, non in corpore: alioquin & armaria, & arca habent libros, & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosa muliercula in paruulis Euangeliis, & crucis ligno, & istiusmodi rebus (qui habent quidem zelum Dei, sed non iuxta scientiam) vsque hodie facitant.* Lex Dei scribenda, ac imprimenda est in corde, non verò in codice, seu picta papyro, hoc enim est Pharisæorum, & mulierculatum præstantia in membranis legem circumferre.

Lex habenda non in codice depicto, sed in corde. Hieron.

29. A Dei colloquio. *Reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* Cúmque Moyses appropinquasset ad castra, oculósque in populum coniiceret. *Vidit vitulum, & choros, iratúsque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Exod. 32. num. 19. Alicui videbitur maximè lamentanda, tam ingens pretiosissimarum tabularum perditio? Quodnam scriptum pretio, æstimatione, pulchritudine, ac elegantia potuit cum hoc vnquam comparari? Quisnam princeps tabulas digito Dei scriptas in suis scriniis aureis, pro magno thesauro non haberet? Cur ergo Moyses, à tam pretiosissima supellectili populum tuum priuas? Merito Moyses despicit leges in tabulis pulcherrimis scriptas, quas in corde hominum abolitas videbat. Ad quid inseruiebat lex scripta in tabulis si à mente, expuncta erat, hoc vanitatis est habere pretiosa scripta in scriniis, & vilia opera in manibus. Eleganter D. Chrysostomus homil. 31. in Ioan. *Omne studium*, ait, *in membranarum tenuitate, in litterarum characteribus quàm pulcherrimis consumunt, non vt legant, non vt vsum aliquem inde consequantur; sed vt diuitias, & ambitionem ostentent, in his student.*

29. Exod. 32.

Lex non prodest in scriptis, sed in animo.

Chrysost.

Quid

Quid, quæſo, hoc lucri? Non propterea nobis ſcripturæ datæ ſunt, vt in libris dumtaxat habeamus, ſed cordi inſculpamus.

30. Deinde procedit Dominus in toto hoc c 23. recenſens varia Phariſæorum vitia, ſingulis illud amarumve adiiciens, de quibus iam variis in locis egimus, & tandem ſubdit.

Matth. 23. n. 34. Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem.

Num. 35. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ, filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.

VERSIONES.

Syriac. n. 34. Propterea ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas; & ex eis interfecturi eſtis, & in crucem acturi, & ex eis flagellis cæſuri eſtis in ſynagogis veſtris, & perſequemini eos à ciuitate in ciuitatem.

Pagn. Vatabl. Et illorum aliquot occidetis, & crucifigetis; & illorum nonnullos flagellabitis.

Syriacus n. 35. Et veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtorum, qui effuſus eſt, &c. Quem trucidaſtis inter templum, & altare.

Vatabus. Vt redundet in vos omnis ſanguis iuſtus.

D. Epiphanius. Et requiretur à generatione hac omnis ſanguis.

ALTER TEXTVS.

Luc. 11. n. 49. Propterea & ſapientia Dei dixit: mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur.

Num. 50. Vt inquiratur ſanguis omnium Propherarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſta.

Num. 51. A ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare, & ædem.

EXPOSITIO III.

IDEO. Græcus *propterea*, hoc Euthymius, *quia impleturi eſtis menſuram patrum veſtrorum.* Caietan. Ideo, id eſt ad concitandum vos eſſe ſimiles patribus, qui occiderunt Prophetas. Maldonatus, quia ſerpentes, ac viperæ eſtis, quorum eſt occidere; me veſtrum Meſſiam occidetis. Propter quod ſcelus condemnabimini; ego tamen miſertus veſtri, vt explicant Franciſcus Lucas, & Cornel. vt hanc condemnationem à vobis auertam, poſt mortem meam, mittam ad vos Apoſtolos, præuideo tamen, quòd ex his occidetis, & crucifigetis. 31. Græcus. Euthym. Caietan. Maldonat. Franc Luc. Cornel.

Ecce mira, & mirabilis Chriſti pietas etiam poſt mortem ſuam mittentis ad Iudæos Apoſtolos, & diſcipulos inuitantes eos ad fidem, & pœnitentiam, vt miſericordiam inueniant. D. Lucas ait: *Sapientia Dei dixit: mittam ad illos.* Sapientia Dei; ipſe Chriſtus Ieſus, Dei ſapientia, vtpote Verbum Patris Et hic nominatur ſapientia Dei; quia maxima ſapientia requiritur in eligendis magiſtris, miniſtris, ac rectoribus populorum. *Mitto*, D. Thomas, in prompto maximè poſt reſurrectionem meam mittam. Et ait: *mittam*; quia viri Prophetæ, ſapientes, & ſcribæ non ſe intromittunt in munere, niſi mittantur. *Prophetas, & ſapientes, & ſcribas.* Denotat Dominus ſuos Apoſtolos, & diſcipulos, vt explicant D. Chryſoſtom. Theophylactus, Euthymius. Nam vt ait D. Hilarius. *Apoſtoli reuelatione futurorum Prophetæ, Chriſti agnitione ſapientes, legis intelligentia ſcribæ.* D. Hieronymus, *varia dona ſunt diſcipulorum Chriſti: Propheta, qui uentura prædicant: ſapientes, qui norunt, quando debent proferre ſermonem: ſcriba, in lege docti.* Tot, tantiſque Chriſtus ſuorum Apoſtolorum explicat ſapientiam, nempe quòd eſſent prophetæ, ſapientes, ac in lege docti; prædicaturi erant ipſi legem nouam, nouúmque viuendi modum, quod cum multa ſapientia, ac intelligentia rerum debet fieri, nullus bonus magiſter niſi ſapiens. 32. Lucas. *Maxima ſapientia in eligendis Miniſtris.* D. Thom. Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Hilar. Hieron.

Et ex illis occidetis, vt lapidantes Stephanum, ac trucidantes gladio Iacobum maiorem. *Et crucifigetis.* Vt S. Simeonem Ieroſolymorum Epiſcopum S. Iacobi ſucceſſorem. *Et ex eis flagellabitis.* Vt Petrum, & Apoſtolos. Actor. 4 5. *In ſynagogis veſtris*; in locóve publico, vt grauior, & ignominioſior eſſet pœna. *Et perſequemini de ciuitate in ciuitatem.* Vt Paulum, & Barnabam. Actor. 13. & 14. Et triplici capite Chriſtus Apoſtolorum doctrinam commendat. dum eos dicit Prophetas, ſapientes, & ſcribas, quatuor contra eos exortas dicit perſecutiones. *Occidetis, crucifigetis, flagellabitis, perſequemini.* Sapientium fulgores maximè contra ſe excitant aduerſariorum impugnationes, ac contrarietates, & vix inuenies bonum, quod mali æmulantis impugnatione non prematur Vide ſuprá c. 22 n. 11. 12. & 13. 33. Act. 4. Actor. 13. *Sapientia fulget contrà ſe habet aduerſarios.*

Vt veniat ſuper vos. Illa particula, *vt*, denotat conſecutionem, quia occiderunt, ideo tantam pœnam meruerunt. *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis.* Ab ipſo itaque ſanguine, quem effuderunt, accuſantur, damnantur, ac morti addicuntur. *Super vos.* D Paſchaſ. lib. 10. in Matth. Cum ait ſuper vos, etiam eorum filios intelligit, pœna 34. Paſchaſ.

in

in impios inflicta latè diffunditur,& non paruis terminis circunſcribitur: *Omnis ſanguis iuſtus.* Syriac. Syriacus. Iuſtorum ſanguis dat voces contra iniquos: *qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel iuſti.* Quem occidit Cain, cuius ſcelus punitum videntes Iudæi affectu, & animo ſunt imitati occidentes fratres ſuos Ieſum Chriſtum, ac eius Apoſtolos; de quo quæſt.6. *Vſque ad ſanguinem Zacharia filij Barachia.* Qui inter iuſtos, illius ſanguis vltimo effuſus erat ab iniquis. Ac proinde tanta pœna veniet ſuper vos, ac eſt debita omni ſanguini iuſto effuſo à primo iuſto vſque ad vltimum. Et hic eſt genuinus ſenſus de quo citata quæſtione, quem occidiſtis inter templum, & altare; aggrauatur malitia criminis ex loco ſacro prophanato, ac violato, & vt notat Origenes homil. 16. in Matth. *Inter templum etiam, & altare ab impijs memoria interficitur Dei, quando templum Dei, a laſcinis corrumpitur.* Cùm memoria Dei interficitur, violatur templum, & hoc à laſciuia miniſtratur, quæ omnium diuinorum contemptum parit. Vide tom.3.cap.32.num. 74.& num.93.

Origen.

QVÆSTIO VI.

Quare Dominus cùm minatur Iudæis non facit mentionem de ſuo ſanguine, cùm ob ipſum effuſum facta fuerit ſtrages Ieroſolymitana?

35. *Ratio difficultatis.* MINATVR Dominus miſeris Iudæis vniuerſale eorum excidium, & perniciem, quæ ſub Tito, & Veſpaſiano poſt Chriſti mortem eſt facta, & conueniunt Patres vnanimi conſenſu tantam deuaſtationem in populum irruiſſe ob mortem Domini; ſic ipſe dixit: *Eo quòd non noui tempus viſitationis tuæ,* Luc.19.n.44. Quomodo ergo Chriſtus Dominus in præſenti inducit clamorem vindictæ ad pœnam infligendam à ſanguine tot iuſtorum effuſo, nulla diſpendij proprij ſanguinis facta mentione.

Luc.19.

36. Origen. Reſpondet primò Origen.homil.25.in Matth. *Propter quod, ait, venit ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, quem effuderunt. Et non ſolum tunc vox ſanguinis Abel clamat ad Deum, aduerſus eos, qui euertere eam volunt, & ſanguis teſtamenti, id eſt, veritas ſcripturarum, ab impijs effuſa, ſecundùm quod diximus a ſanguine Chriſti, id eſt, a veritate Euangelij, cæpta per omnes Scripturas, interpellat ad Deum aduerſus eos, qui auertere eam volunt.* Quod latius proſequitur; ſanguis ille prædictorum iuſtorum, qui præceſſerunt ante Domini aduentum, effuſus ob veritatem, ac fidem Chriſti venturi, in Scripturis manifeſtatam. Cùm ergo ſanguis ille iuſtorum effluereț ob veritatem, ac fidem Chriſti, inde tanto pretio eſt habitus à Domino, vt pariter cum eorum ſanguine, ſanguis Chriſti videretur effuſus. O magnum principibus documentum, vt ſuorum militum ſanguinem ob eorum amorem, & fidem in prælio effuſum, tanquam proprium æſtiment, vt magno præmio, ac decore afficiant, & vt inflicta pœna iniuriam ſuis illatam, vt propriam vlciſcantur.

Rex ſuorum militum ſanguinē, vt proprium æſtimet.

37. Hilar. Secundò. D. Hilar. Can.24. in Matth. *Et idcirco Abel ſanguis,* ait, *& Zacharia in hanc eorum poſteritatem venturus oſtenditur; quia Iam in hoc habitans Chriſtus, & prædicans erat paſſus.* In iuſtis illis præfigurabatur Chriſtus, tales enim iuſti miſſi ſunt tanquam legati, ac nuntij ipſius Chriſti, cùm ergo eius perſonam agerent, in ſanguine eorum effuſo ſanguinem Chriſti eſſe effuſum, & illis patientibus Chriſtum eſſe paſſum intelligebatur, quem enim foris prædicabant, intus in illis erat habitans; mortem enim, & iniuriam ſeruo, ac miniſtro illatam, in Dominum, ac principem retorqueri communis approbat conſenſus.

Iniuria in ſeruum, in dominum eſt illata.

38. Euſeb. Tertiò. Euſebius Emyſſenus: *Puto enim,* ait, *quòd Dominus noſter ſeipſum Zachariam vocat, & præterito pro futuro vtitur. Interpretatur enim Zacharias, memoria Domini, ſicut enim Chriſtus Ieſus dicitur Verbum Domini, ſermo Domini, virtus, & ſapientia Domini: ſic etiam dicitur memoria Domini. Et iſte quidem eſt Barachiæ filius, qui benedictus Dominus interpretatur. Vnde & ipſi principi Sacerdotum, interroganti, an eſſet Chriſtus Filius benedicti, reſpondit: Ego ſum. Hunc autem occiderunt Iudæi inter templum, & altare, quoniam ibi Chriſti mortem inter ſe conſiliati ſunt.* Comminabatur Dominus Ieroſolymæ ſui exterminium, & ruinam, & ſub nomine, ac ſanguine Zachariæ ſeipſum paſſum intelligens; nam Zacharias interpretatur memoria Domini, & eſt filius Barachiæ, id eſt, benedicti, Chriſtus Dominus dicitur Dei memoria, & eſt Filius Dei benedicti: Sed iam inſurgit difficultas. Cur Chriſtus vaticinans rebellis populi extremam cladem ob facinus ſuæ mortis patratum, paſſionem ſuam ſub nomine Zachariæ abſcondit? Coarctabatur Dei Filius prædicere extremam ruinam miſeræ ciuitatis ob ſcelus ſanguinis ſui effuſi, & ſimul videbat vltionem in inimicos à generoſa Dei Filij indole valde degenerem eſſe, nouerat enim inimicorum amorem diuinæ filiationis inſigne eſſe. Artem ergo inuenit, qua & vaticinium ederet, & honorem ſuum illæſum ſeruaret; ſeſe ſub ſeruorum nomine Abelis, ac Zachariæ abſcondit, vt Gentis ſuæ obuenturum exterminium ob internecionem in ſe perpetratam denuntiet; Veluti cum vir illuſtris turpe facinus alienum à ſua nobilitate, de quo verecundatur, & pudet, aggreditur, ſuum nomen & habitum deponit, & à ſeruis mutuatur; Sic Chriſtus Dominus vltionem in inimicos ob ſuam necem perpetratam denuntiari, tanquam quid à ſe alienum, & extraneum reputans, nomen, & habitum à ſeruis aſſumit, ne vaticinio vindictæ inimicorum aliqualiter nomen ſuum maculetur.

Vindictæ in inimicos val. de alienæ à Filio Dei.

Tanquam in perſona Chriſti loquens Regius Vates, ait, *Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius,* Pſal. 108. n. 13. Hebræus legit: *In generatione altera deleatur nomē eius.* Funeſtus caſus in Chriſti mortis pœnam vaticinatur. Cui tamen ſupplicij furor, ac vindictæ feruor non exarſerit in generatione, in qua obiit Dominus, ſed in generatione altera ſequenti nempe? Cur pœna tanti ſceleris in tantum tempus differtur? Maximè, vt ita dicam, ſe gerit ſcrupuloſum Dei Filius in exercenda vltione, maximèque curat omnem odij erga inimicos à ſe remouere ſuſpicionem. O mirum artificium diuinæ pietatis. Differatur pœna ad generationem alteram, nam ſi in illāmet generatione graſſata fuiſſet ruina, in qua Chriſtus à perfidis eſt interfectus, cogitaret aliquis diuinam iram fulminatam

39. Pſal. 108.

Filius Dei remouet à ſe omnem ſuſpicionem vindictæ in inimicos.

fulminatam eſſe in tranſgreſſores ob vindictam Dominici ſanguinis. Diſtrahatur ergo ſupplicium alteram generationem poſt quadraginta duos annos, quando iam qui necem Domini perpetrarunt, à vita diſceſſerant, vt exiſtimat D. Hieronym. citandus, vt pœna exerceatur non tam ob ſanguinem effuſum, quam ob eorum obſtinatam duritiem, cùm enim tot anni eſſent eis conceſſi ad pœnitentiam, & dolorem, quem ipſi contempſerunt, & reſipiſcere noluerunt, ſed in ſua nequitia, ac malitia obfirmati permanſerunt.

Hieron. Piè, & eruditè D. Hieronym. ad prædictum Pſal. *O Sacramentum Prophetæ*, ait, *in generatione vna deletur nomen eius Poſt Paſſionem Domini quadraginta duo anni tranſierunt, & populus iſte deletus eſt. Siquidem perfecta ætas quadrageſimo anno venit. Poſt paſſionem Domini quadrageſimo ſecundo anno deleta eſt Ieroſolyma. Videte ergo quoniam in generatione vna deletum eſt nomen eius. Sed in hoc clementia eſt Domini, crucifixerunt eum, & quadraginta duos annos dedit eis ad pœnitentiam Ego ſimpliciter dico Propterea interfecit eos poſt quadraginta duos annos, quia ex illis, qui crucifixerunt Dominum, nemo remanſerat ex eis.* Vide ſuprà cap. 9. num. 89. & multa tom. 2. in Indice verb. *Amor inimicorum.*

Qvæstio VII.

Quare Chriſtus Dominus expreſsè vocat Abelem iuſtum, non verò expreſsè dicit iuſtum Zachariam?

40. Ratio diſſultatis. CHRISTVS Dominus in præſenti expreſsè vocat Abel iuſtum, *A ſanguine Abel iuſti*, verum cùm Zachariam nominat, non vocat ipſum expreſsè iuſtum, cùm ipſe Zacharias iuſtus eſſet, & à perfidis ob iuſtitiam occiſus eſſet, cur ergo Zacharias non dicitur etiam iuſtus ſicut & Abel? Ratio litteralis eſt manifeſta; quia ipſe etiam Zacharias inſinuatur, & ſupponitur iuſtus, vt clariſſimè patet ex textu Luc. *Vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, à ſanguine iuſti Abel vſque ad ſanguinem Zachariæ.* Abel verò dicitur iuſtus vt in capite, ac initio poſitus, vt magis ſtatim explicabo.

41. Auguſt. Secundò. D. Auguſtin. lib. 1. de Mirabil. cap. 1. *Huic Abel*, ait, *Dominus Ieſus Chriſtus primatum iuſtitiæ hominum commiſit, ita inquiens: a ſanguine iuſti Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ: & non addit, iuſti, hæreditatem iuſtitiæ Abel tenere Zachariam oſtendens.* Cùm Zacharias ob iuſtitiam occiſus ſit, etiam expreſsè non nominatur iuſtus vt ille? Abel primus extitit, qui omnem perfectionem iuſtitiæ in martyrio, Sacerdotio, ac virginitate præfiguravit, ex quo cæteri omnes iuſti ſuam iuſtitiæ partem aſſumunt, de eiuſque meritis non parum proficiunt in iuſtitia: ſicut & ipſe Zacharias, qui & in Martyrio hæreditate fruitur ipſius Abel: *Hæreditatem iuſtitiæ Abel tenere Zachariam oſtendens.* Imò & ipſe Zacharias à parente videtur accepiſſe; nam dicitur *filius Barachiæ*, hoc eſt benedicti, quaſi ipſam benedictionem a parente acceperit. Merito ergo Abel inſigniter eſt notus à Deo ex nomine iuſti, cum ipſam iuſtitiam abſque alicuius exempli commendatione ex ſuis meritis comparauerit; At verò iuſtitiam iam in aliis delineatam, & à maioribus veluti tranſfuſam accepit Zacharias, ideo iuſti nomine vt Abel non commendatur.

Abel commendatur eſt iuſtitiam ob aliis non acquiſitis.

Dicitur de Moyſe loqui cum Deo facie ad faciem ſicut ſolet homo loqui ad amicum ſuum, & tandem pro magno eius elogio ſcribitur notus *Deo* ex nomine. *Cum dixeris: noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me.* Exod. 33. num. 12. Quid magis commune omnibus hominibus, quam quòd à Deo cognoſcantur ex nomine? Nulla eſt tam vilis creatura, quæ à Deo ex nomine ſuo non cognoſcatur. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, Pſalm. 146. n. 4. Quid eſt ergo, quòd pro magna gloria Moyſes dicitur Deo notus ex nomine? In populo Iſraëlis alij erant noti Deo ex ſuorum parentum virtutibus; *Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Exod. 3. n. 16. Pro re valdè magna Moyſes dicitur notus Deo ex nomine, alij tanquam virtutibus deſtituti noti erant ex parentibus. At Moyſes vt præſtantiſſimus notum ſibi fecerat nomen ex propriis meritis, abſque eo quod maiorum ſuorum aliqua commendatione indigeret. Quamuis enim à tantis parentibus natus non eſſet, ipſe per ſe ſufficiens inueniebatur vt notus eſſet ex nomine. Caietan. *Noui te*, ait, *in nomine, hoc eſt, approbaui te nominatim, ſecundum propria tibi, & hoc ad differentiam populi, quem nouerat Deus, non proprio populi nomine, ſed nominibus Abraham, Iſaac, & Iacob, hoc eſt non propriis, ſed alienis meritis. Significatur enim per hoc Moyſes tanta præditus virtute, vt propriis meritis approbetur, etiamſi non eſſet filius Abraha, Iſaac, & Iacob.*

42. Exod. 33.

Exod. 3.

Singularis præſtantia alicui ex maioribus ſed ex propria virtute agnoſcitur. Caietan.

Tertiò. Ad quæſtionem idem D. Auguſtinus citato loco ſic ait: *Dauid autem Rex genuit Salomonem: cui non additur regem, cum Salomon patris regno teneret manu impetum. Sed ex hoc intelligitur patris ſui Dauid regnum Salomon hæreditario iure poſſidere, & ad Dauid honorem regni plus pertinere, quod & Abel in iuſtitia hominum primatum tenuit, quod primus in terra iuſtus fieri cœpit.* Nominatur Abel iuſtus, & Zacharias cùm ob Deum glorioſo martyrio ſit coronatus, hoc iuſti nomen non accipit expreſsè. Cur Abel præ Zachariæ iuſtus nominatur? Abel primus venit ad martyrium, ex quo ſingulariter iuſti nomen promeruit; ſicut & Dauid qui primus fuit in regno ex tribu Iuda, ipſe ſolus in Chriſti genealogia Rex nuncupatur. Qui enim primi in aliqua virtute Deum colunt, ſine dubio præ cæteris maiori aliquo titulo nobilitantur.

43. Auguſt.

Primus in aliqua virtute magna excellentia notatur apud Deum.

Secundò, & tertiò commendatur Iehu, & à Deo deſtinatur legatus ad regem *Factus eſt ſermo Domini ad Iehu filium Hanani.* 3. Reg. 16. num. 1. Deinde nobili nomenclatura Propheta nuncupatur. *Cùm autem in manu Iehu filij Hanani prophetæ Verbum Domini factum eſſet.* Ibidem nu. 7. & iterum Propheta à rege interfectus dicitur. *Ob hanc cauſam occidit eum, hoc eſt, Iehu filium Hanani, prophetam.* Ibidem. Notatu dignum cur ſcriptura tam reuerenter ſemper loquatur de Iehu, eúmque ſemper ſpecioſo aliquo titulo dicat? Non ait tantum *occidit eum*, ſed ſtatim explicat *Iehu prophetam.* Alij ſæpè ſine aliquo titulo introducuntur. Dixit Elias Thesbites 3. Reg. 17. num. 1. *Dixerunt viri ciuitatis ad Eliſæum* 4 Reg. 2. n. 19. *Venerunt ſerui Regis ad Iſaiam. Dixitque eis Iſaias.* 4. Reg. 19. n. 5. *Cogitauerunt contra Ieremiam*, &c. At Iehu ſemper inſigni aliquo titulo ſcribitur, vel cum ſermone Domini in mente, vel manu, vel

44. 3. Reg. 16. 3 Reg. 17. 4. Reg. 2. 4. Reg. 19.

Qui pro Deo vitam dedit, prior maximè celebratur.

vel Propheta nuncupatus. Cur sic nobilitatur? Inter cæteros fuit primus Iehu, qui ob prædicationem Dei verbi vitam martyrio effudit, & inde singularem excellentiam inter cæteros ex Deo meruit, quando nullus est primus in aliqua virtute ex Deo, qui etiam non insigniatur aliqua excellentia. Rupertus lib. 5. de Victore cap. 5. *Vbi sermo*, ait, *vel opus est de victoria Verbi Dei, latere non debet is, qui sanguinem fudisse primus legitur in. prælio Verbi Dei.* Et postea subdit: *splendide illum scriptura Sacra nominans, ita loco tertio replicat. Occidit eum, hoc est Iehu prophetam.*

Rupert.

45. Ex Dei iussione ad sacrificandum filium suum pergit Abrahamus, montem ascendit, aram struit, filium stringit, gladium vibrat, vt filio mactato sacrificium offerat. E cœlo clamat Angelus. Ne extendas manum tuam super puerum; dicens, Gen. 22. *nunc cognoui quod times Deum.* Gen. 22. num. 22. & subdit. *Quia fecisti hanc rem benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, &c. Benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Ob quod factum omni benedictione, gratia, dono sublimatur Abrahamus, indéque promeruit, vt primus expressam promissionem de Verbi Incarnatione à Deo acceperit; ob quam rem maximè ipse in tota scriptura decantatur, ac celebratur. Cur tantis nobilitatur Abrahamus? Nónne etiam Iephthe post victos hostes filiam suam summo Deo non tantum affectu, sed etiam effectu obtulit? Iudic. 11. n. 31. & etiam vanis diis Rex Moabites Hebræo exercitu obsessus. 4. Reg. 3. n. 27. Cur ergo solus Abrahamus sic extollitur, tantisque donis perillustris redditur? Extitit Abrahamus primus, quia ex propria sua substantia, ex proprióque sanguine suo, in vnigenito filio Isaac Deo obtulit sacrificium, inde ipse pro tam magno facinore, omni laude, & gloria extollitur. Philo lib. de Abrahamo. *Ipse*, ait, *primus Auctor futurus erat noui, & inusitati exempli.* Ex quo liceat coniecturari magnas laudes Stephani, qui primus pro Christo sanguinem suum fudit, séque ipsum in sacrificium glorioso martyrio dedit. Vide suprà cap. 2. n. 158. & cap. 5. c. 117. & cap. 8. num. 14 & 123.

Primus in opere, & exemplo, præ cæteris extollitur.

Iudic. 11. 2. Reg. 3.

Philo.

QVÆSTIO VII.

Quare super Iudæos minatur venturus omnis sanguis qui effusus est à mundi constitutione?

46. *Difficultas quæstionis.* GRandis difficultas se se offert in hac materia, cur scilicet dictum sit à Domino venturum super Iudæos omnem sanguinem, idest omnem pœnam debitam sanguini effuso, à mundi exordio, seu à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ? Quomodo fieri potest, vt Iudæi exoluant pœnas sanguinis, quem effudit Caïn, quem & multi alij à constitutione mundi effuderunt? Quis enim dicat propter cædes, quas perpetrarunt Caïn, aliíque multi similes, Iudæos esse puniendos? Cum ab eis iuxta communem opinionem non descenderint, quidquid dicat Abulens. quæst. 260.

Abulens.

47. Hæc magna difficultas in varias fecit abire solutiones Patres, & Interpretes. Circa illam Barradas tom. 3. lib. 8. cap. 28. decem solutiones affert, quæ apud ipsum videri possunt. Breuiter tamen quid in hac re sentio dicam.

Barradas.

48. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ* Id est, tam grandis est vestra culpa, vt promereatur omnem pœnam, quæ correspondet omni sanguini effuso ab Abel vsque ad Zachariam, nam si omnia homicidia iustorum ab exordio mundi perpetrata fuissent à Iudæis, non poterant grauiori affici supplicio, quam priuatione omnium bonorum spiritualium, & temporalium. Priuati sunt ab omni bono spirituali fidei, gratiæ, gloriæ, & in æternum damnati; priuati sunt etiam ab omni bono temporali suæ reipublicæ, suæ patriæ, vitæ, libertatis, ac omnium bonorum, & filiorum. Vnde ait Chrysostomus in Imperfecto homil. 46. *Sicut omnia bona*, ait, *quæ in singulis generationibus à constitutione mundi omnes sancti mirabantur, illis nouissimè sunt donata, qui receperunt Christum, sic omnia mala, quæ in singulis generationibus à constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, & sanctorum interfectores, super nouissimos Iudæos venerunt, qui Christum repulerunt.*

Grauius supplicium.

Chrysost.

49. Aliter Euthymius, sic ait. *Lucas dixit, vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi. Docet autem quiddam tremendum sermo iste. Qui enim peccatorum nouit pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus est, vt ab eo exigantur omnium supplicia: hoc est pro vnoquoque pœnam luat, eo quod exemplo eius se se non refrænauerit.* Non sat erat vt miseri Iudæi sui sceleris debitam pœnam soluerent, sed etiam præter hanc exoluent pœnas Caini, Manasses, Achabi, ac omnium aliorum, qui sanctos interfecerunt, merito sanè: non videntes mala in alios peccatores venientia ob illorum scelera, non se ab illis abstinuerunt, sed in eisdem institerunt, durius enim castigandi sunt, qui videntes aliorum pœnam, ab illorum non fugiunt vitiis.

Euthym.

Durior pœna in illum venit, qui vitia aliorum supplicio non corrigunt.

50. De Baltazare rege scribitur, quod in grandi conuiuio suis optimatibus exhibito. *Præcepit iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem.* Daniel. 5. num. 2. Ad quid fit mentio de Nabuchodonosore parente eius? Nónne sufficiebat ad rem dicere, quòd imperauerit afferri vasa aurea à Ierosol. allata? Ad quid vltra exprimitur Nabuchodonosorem fuisse eorum portitorem? Proponitur Baltazar temulentus, ac tanquam à iudicio alienatus, vt ergo eius temulentiæ, ac insaniæ daretur euidens testimonium, dicitur quòd ausus fuerit Nabuchodonosoris seuere à Deo castigati scelera imitari. Qui enim videns prædecessorum scelera castigata, ab ipsis non cauet, sed eorum iterum reus efficitur, prorsus amens, & temulentus est.

Dan. 5.

Dominus est, qui non refugit malorum peccata castigata.

51. Corroboratur magis hæc res; nam cùm ex Dei nutu promulgáda esset extrema sententia contra Baltazarem, referuntur pœnæ, quæ vindice diuina iustitia impositæ sunt parenti eius Nabuchodonosori. Quomodo à filiis hominum eiectus sit, & cor eius cum bestiis fuerit, & fœnum vt bos comederit. Tunc subdit Propheta. *Tu quoque filius eius Balthazar non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia, sed aduersus dominatorem cæli elevatus es.* Daniel. 5. n. 22. Inde enim aggrauatur culpa, quod cum videret parentis scelera tam rigidè punita, ab illis non se præseruauerit, sed in eadem prolapsus est. Vnde rectè monet Cassiodorus,

Dan. 5.

Parentis pœna remedium non reddit filium.

Caſſiod. Caſſiodorus lib. 7. Variat. cap. 2. *Deteſſorum bona exempla ſequere: à vitiorum te imitatione diſiunge; cautum te debet reddere, non ſequacem error alienus. Prodit iuſtitiæ culpam, qui ſequitur accuſatum.* Vide ſuprà cap. 3. n. 17. 18. 19.

QVÆSTIO IX.

Quare Zacharias nominatur, & quis ſit iſte Zacharias?

52. DVOS iuſtos proponit Chriſtus in præſenti, Abel vt primum, Zachariam vt extremum, nam licet iuxta primam, & ſecundam ſententiam referendam, poſt Zachariam alij Prophetæ fuiſſent occiſi à Iudæis, tamen hic Zacharias, de quo hic agitur, eſt vltimus, cuius eædem Chryſoſt. Scriptura commemorat. Secundò. D. Chryſoſt. ait: *Vt oſtendat illas ex inuidia Chriſtum, & Apoſtolos occiſuros: ſicut ex inuidia Cain occidit Abelem: Zacharias verò, quia Sanctus in loco ſancto interfectus eſt.* Tertiò. Caietan. Caietan. Ideo, ait, hi ſoli inducuntur, quia in his tantum Scriptura petitionem vindictæ explicat: in Abel, *Ecce vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, Gen. 4. n. 10 In Za- Gen. 4. charia verò, qui cum moreretur, ait, *Videat Dominus, & requirat*, 2. Paralip. 24. n. 22. Quia enim *Sanguis iuſtorum dat voces.* de vindicta ſanguinis iuſti Ieſus loquebatur, par fuit, vt illorum iuſtorum ſanguinem, quorum vindicta petita traditur in ſacra Scriptura. Ita Caietan. Vt agnoſcamus, quòd perpetuò Iuſtorum ſanguis clamat, & dat voces, ad quod reſpiciens Tertull. Tertull. aduerſus Gnoſt. ait: *Zacharias inter altare, & edem trucidatur perennes cruoris ſui maculas ſcilicibus aſſignans.*

53. Quiſnam ſit iſte Zacharias quæſtio inquirit *Quis iſte Zacharias.* principaliter. Prima ſententia eſt Chryſoſtomi homil. de S. Ioanne Baptiſta. Vatabl. Ariæ Montani, Gaſparis Sanchez, Franciſci Ribeiræ in præfat. Zachar. & aliorum, qui contendunt intelligendum eſſe Zachariam penultimum inter minores Prophetas: hic enim dicitur filius Barachiæ, quòd tamen occiſus ſit inter templum, & altare, nuſquam legitur.

54. Secunda ſententia, Zachariam hunc eſſe filium Ioiadæ Summi Pontificis occiſum à Rege Ioas, *Inter templum, & altare holocauſtorum*, id eſt, in 2. Paral. 24. atrio ſacerdotali, 2. Paralip. 24. num. 22. Poſſéque Hieron. Ioiadam patrem eius, vtpote virum ſanctiſſimum Beda. vocari Barachiam, id eſt, benedictum Domini. Alb. Magn. Ita docent D. Hieron. Beda, Albertus Magn. cum Tertull. Tertulliano in Scorpiaco c. 8. Sunt etiam in hac Ianſen. ſententia multi Recentiores, Ianſen. Maldonat. Barradas, Eſtius, & alij. Maldonat. Barradas. Eſtius.

55. Tertia ſententia affirmat eſſe Zachariam patrem Ioannis Baptiſtæ: parentem eius Barachiam Hyppolit. dictum affirmat Hyppolitus Martyr apud Nicephorum l. 2. Hiſtor. c. 3. Hanc ſententiam vt apocryphum reiicit D. Hier. Eam tamen tenent grauiſſimi Patres, & Doctores. D. Cyrillus contra Cyrill. Epiphan. Anthropomorphitas, S. Epiphanus lib. de vita, & Petr. Alex. obitu Prophetarum, Petrus Alexandrinus in re- Origen. gulis Eccleſiaſtic. can. 3 Origenes homil. 26. in Matth. D. Gregor. Nyſſen. homil. de Natiuit. Gregor. Baſil. D. Baſilius homil. 26. de Humana Chriſti generatione. Hanc ſententiam de Patre Ioannis Baptiſtæ eſſe ex Patrum traditione, *Qua citra ſcripturæ per manus peruenit ad poſteros.* Affirmant Euthym. & Theophylactus, eam etiam docent D. Thomas in Catenâ, Dionyſius, Carthuſian. Baronius in Apparatu Annalium, Chriſtophorus à Caſtro præfat. in Zachariam, Franciſcus Lucas hic. Euthym. Theophyl. D. Thom. Carthuſ. Baron.

56. Ex quibus Origenes, D. Gregor. Nyſſenus, D. Baſil. dicunt, quòd propterea Zacharias occiſus eſt à Iudæis, quia Beatam Virginem poſt Chriſti partum inter Virgines in templo collocauerit; Hoc tamen non videtur habere firmum fundamentum propter multas rationes, quas addicit hic Abulenſis quæſt. 255. Alij dicunt, quod propterea occiſus eſt, quia in nece puerorum filium Ioannem Baptiſtam abſcondiderit. Veriſimilius eſt, quod ideo interfectus, quia Saluatoris prædicauerit Aduentum. Ex his ſententiis D. Paſchaſ. l. 10. in Matth. Tyrinus, Cornel. has duas vltimas valde probabiles iudicant, ac iudicio lectoris relinquunt, vt probabiliorem eligat. Pro hac vltima ſententia facit, quia Pater Ioannis eſt vltimus iuſtus occiſus, ad quem Chriſtus videtur maximè reſpicere. Greg. Nyſſ. Baſil. Abulenſ. Paſchaſ. Tirin. Cornel.

Matth. 23. *num.* 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

Num. 37. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?

VERSIONES.

Vatabl. n. 36. Amen dico vobis, redundabunt hæc omnia in nationem iſtam.

Syriac. n. 37. Ieruſalem, Ieruſalem, trucidans Prophetas, & lapidibus obruens eos, qui ad eam mittuntur.

Arab. Occidis, & lapidas Legatos ad te.

S. Iuſtin. Martyr. quæſt. 47. Quæ interficis Prophetas, & lapidibus obruis eos.

D. Proſper de prædict. p. 2. *cap.* 5. Quoties volui Ieruſalem colligere filios tuos, ſicut gallina colligit pullos?

Pagninus. Congregat filios ſuos ſub alas, & noluiſti.

ALTER TEXTVS.

Luc. 13. *n.* 34. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittuntur ad te: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?

EXPOSITIO IV.

57. AMEN *dico vobis.* Asseuerationis particula est. Minabatur Dominus pœnam infligendam, quod cum sit valde alienum ab eo, multa asseueratione vtitur ipse. *Venient hæc omnia.* Dixerat enim supra, *Veniet super vos* Omnis scilicet pœna, ac vindicta debita cædibus omnium iustorum ab exordio mundi vsque in præsentiarum. *Super generationem illam*; scilicet Iudæorum. Notandum, quòd in opere misericordiæ ipse Dominus se declarat auctorem; *Volui congregare filios tuos.* At verò in pœna infligenda tanquam in opere veluti à se alieno non exprimitur, à quo pœna veniet, ac emittenda sit. Vide supra cap 43. q. 12.

Supplicium voluri ejus alienum.

58. *Ierusalem, Ierusalem*; Vocis geminatio ad magnam attentionem prouocat, vt ait Carthusian. Indicat etiam eximium condolentis, ac miserentis affectum, vt est frequens Hebraismus: *Omnis frater supplantans supplantabit.* Ierem. 9. num. 4. *Prævaricantes prævaricati sunt.* Isai. 24. n. 16. Act. 5. num. 4. *Nonne manens tibi manebat?* Ait Petrus ad Ananiam. Ibi Lorinus latè. Caietan. *Conduplicat autem nomen exaggerando conditionem ciuitatis, tot dignitatibus, gratiis, & beneficiis donata.* Quanto enim maioribus beneficiis à Deo fuerat affecta, tanto ad maiorem gratitudinem, vt Deum coleret, tenebatur. Et ponitur hic Ierusalem pro ciuium cœtu, quos Dominus, vt ait D. Hieron. in præsenti, plangit à malitia inhabitantium.

Carthus. Ierem 9. Isai. 24. Act. 5. Lorin. Caietan. Hieron.

59. *Quæ occidis Prophetas, & lapidas eos.* D. Prosper in Psalm. 121. Pœna Ierusalem denuntiatur, *quæ ob tot impietates stare non potuit.* Et de præsenti dicitur: *Occidis, & lapidas*, explicat D. Chrysost. affectu nempe; quia eos volebat occidere. Voluntatis affectus pro opere reputatur. *Occidis, & lapidas.* Prophetæ à Populo occidebantur, ac lapidabantur; occidebantur tanquam rei mortis, lapidabantur tanquam blasphemi in Deum, vt ita non solum vita perirent, sed etiam vt eorum fama, ac honor macularetur, & ideo contra Iudæos ingeminat Christus, *Ierusalem, Ierusalem*, tanquam contra illa duo scelera, duo supplicia denuntians. Considera ingentem Christi amorem, ac affectum erga suos. Ipse multis iniuriis se affectum, ac flagellis cæsum silet, ob tamen suorum opprobria profundè conqueritur. Amantis est suarum iniuriarum oblivisci, dilecti verò sentire. *Qui ad te missi sunt*, tanquam mei Legati, pro tam ingenti beneficio Iudæi in eos multa tormenta sunt machinati. Et hæc dicit Christus, vt eum sui huiusmodi spectacula viderent, non perturbarentur.

Prosper. Chrysost. *Non solum vitam, sed & famam volunt offendere.* *Dolet de suarum iniuriis.*

60. *Quoties*, hoc est sæpissimè, *volui congregare*, dispersos nempe per varias peccatorum vias, in vna fide, & charitate volui vnire, & colligere. Theophylactus: *Nihil enim, ait, adeo dissipat, vt peccatum: & nihil ita ad Deum aggregat, vt virtus.* Hæc autem voluntas, *volui*, non solum fuit meræ intentionis, sed etiam executionis, media in exercitio applicans, & non quouis modo, sed valde solicitè, cum multa cura, benevolentia, ac amore. *Quemadmodum gallina.* D. Luc. *Sicut auis nidum.* Nam vt ait D. Chrysostomus: *Ab imagine significantis: Feruenti namque amore, aues pullos diligunt suos.* Et ideo subditur in textu: *Congregas pullos suos*; post varia vagantes, & dispersos. De quo quæst. 21. *Et noluisti*; seu vt habet Græcus, *Et noluistis.* Voluntate in malo persistente à vestris parentibus hausta. Vnde ait D. Stephanus: *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos.* Faustinus Episcopus lib. 1. de libero arbitrio cap. 19. *Dum dicit: Quoties volui, & noluisti. In Deo propositi bonitas, in homine expressa arbitrij libertas demonstratur.*

Theophyl. Chrysost. Auctor. Faustinus.

QVÆSTIO X.

Quare defleat Dominus Ierusalem, & non potius ipsos Prophetas occisos?

61. SIT Dominus in præsenti: *Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas*, pro magno dolore, & gemitu ingeminat voces super Ierusalem. Cur potius non plangit Dominus suorum amicorum obitum, suósque inclytos milites tam atrociter interfectos? Cur pro ipsis defunctis non gemitum, ac querimoniam excitat?

62. Respondet D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 46. *Recordabatur*, ait, *sanguinem Sanctorum suorum, qui effusus erat ab illis, & qui adhuc postmodum fuerat fundendus, sed non tamen dolebat de iniuria Sanctorum suorum, sciens qualem illis gloriam præparauerat pro morte temporali; sed de illorum interitu flebat, quibus & in isto sæculo mala ventura erant, & in alio peiora.* Lachrymæ aduersis casibus debentur, prosperitati autem iniuriam facit, qui plangit. Rectè igitur Dominus tristissimos Ierosolymæ casus lamento prosequitur, non verò suos inclytos martyres, ne de eorum glorioso triumpho quis dubitaret; quos enim martyres videbat, maximè de illis lætandum erat, cùm nulla maior sors illis obuenire posset.

Chrysost. *De martyrii morte lætandum.*

63. Sublimem martyrij coronam prædixit Christus Petro: *Cum esses iunior*, aiebat, *cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis*, Ioan. 21. num. 18. Accepto nuntio suæ mortis conuersus Petrus ad Christum de Ioannis exitu percontari cœpit. *Domine, hic autem quid?* Ac si diceret, dic nobis Magister quali obiturus sit morte, hic discipulus tam singulariter dilectus? Ardenter Petrus Ioannem amabat, præ amore ergo eum volebat habere secum socium in omni gloria sua, & quia sciebat nihil excelsius, ac sublimius esse Martyrij palma, & ideo quærit, an illius, quæ ei denunciata erat, Ioannes particeps futurus: ad intimam enim amicitiam spectat, amicis præstantiora dona optare. Theophylactus post Chrysostom. *Postquam autem, ait, Petrus ista audiuisset, & talibus dignus esset habitus, vt ipsi terrarum Orbis committeretur, martyrioque dignus haberetur, de ipso etiam interrogat dicens, Hic autem quid? Num eadem, qua nos incedet via? Ioannem vehementer diligens.*

Ioan. 21. *Pro magno amore Petrus exoptat Ioannis martyrium.* Theophyl.

64. Altius tamen rem adurgeo. Si Petrus summè diligebat Ioannem; Cur quando creatur Pontifex totius Ecclesiæ: *Pasce oues meas*, Ioan. 21. n. 17. Non quærit de Ioanne: *Domine hic autem quid?* Sed modò cum crucifixionem suam delinearam audit?

Ioan. 21.

audit? Vt ſublimius appendebat Petrus vitam pro Chriſto profundere, quàm in terris Chriſti vices tenere, glorioſiórque illi apparebat rubea martyrij ſanguine corona, quàm infula pontificia plenaria poteſtate conſpicua, *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit & ligatum in cœlis*, &c. Matth.16. num. 19. pro ergo tam eximio amore erga Ioannem, Petrus eum volebat in tam glorioſo honore ſecum habere ſocium. Vide tom. 1. lib.2. cap.8. quæſt. 15. num. 5;.& tom.2.cap.11. quæſt.32.num. 231. tom. 3.cap.10. quæſt.3.n.20. 21.22.

Petrus exoptat non pontificatum, ſed martyrium. Matth.16.

QVÆSTIO XI.

Quare Chriſtus Dominus ſe gallinæ aſſimilat?

65. PRIMÒ. Vox Græca, *Gallina*, communis eſt ad auem in genere ſ.ſ& ad gallinam in ſpecie, aptiſſimè tamen noſter Interpres vertit gallinam, nam vt ait D. Auguſtinus lib. 1. quæſtionum Euangel. quæſt. 36. *Mirus eſt amor omnibus ferè auibus adſeruandos, & protegendos pullos, ſed præcipuè gallinis, quæ pullos colligunt ſub alas, id eſt, cum deſiderio, & feliciundine eos fouent.* Crebo enim gallina pullos ſuos ſub alas colligit, partim vt eos foueat, ne frigore pereant; partim vt eos defendat, ne à miluis rapiantur. Sic Chriſtus ſua gratia, ac auxiliis nos fouet, ac protegit. Vide cap.8.n.10.

Auguſt. Chriſtus nos fouet, ac protegit.

66. Secundò. Chryſoſtom. in Imperfecto hom.46. *Quemadmodum*, ait, *gallina habens pullos vocando illos non ceſſat, vt aſſidua voce vagoſitatem corrigat pullorum ſuorum: ſic & Sacerdotes in doctrina ceſſare non debent, vt ſtudio, & aſſiduitate doctrinarum ſuarum negligentiam populi errantis emendent.* Chriſtus perpetuò dabat voces per ſuos Phophetas, Prædicatores, ſic & bonus Prælatus non ceſſet, ſed perpetuò clàmet, vt errantes ad viam ſalutis reducat. Vide cap. 10. num. 13. & cap.29. num.60.

Chryſoſt. Prædicator non ceſſet, ſed perpetuò clamet.

67. Tertiò. Idem Chryſoſtomus: *Quemadmodum*, ait, *gallina habens pullos, non tantum pullos ſuos calefacit, ſed etiam cuiuſcúmque volatilis filios excluſos à ſe, diligit quaſi ſuos: ita Eccleſia non ſolum ſuos Chriſtianos fouet; ſed ſiue Gentiles, ſiue Iudæos ſi ſuppoſiti fuerim, omnes fidei ſua calore viuificat.* Ergo Chriſtus in omnes benignus, ſeu ex domeſticis, ſeu de peregrinis ſint, propterea quaſi gallina congregans pullos ſuos: Nonne teſtatur Apoſtol ad Rom. 10. n. 12. *Nonenim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum?* Ex hoc Chriſti genio diſcat Prælatus, vt non ſolum ſuos domeſticos, ſed etiam extraneos ſuis donis, ac muneribus foueat, ſuáque benignitate recreet. Vide ſuprà cap.3.n.10.11. & 12.c.16.n.15.16. & 17. & c.24. n.6.& 7.cap.37.n.109. & 110.

Prælatus benignus in domeſticos, & extraneos. Rom.10.

68. Quartò. D. Paſchaſ. lib. 10 in Matth. *Mira comparatio proponitur*, ait, *nullum enim animal eo infirmatur, ſicut gallina, torúque fit hiſpida, & rauca:* quod deſumptum eſt ex D. Auguſtino in Pſalm.58. *Rauceſcit vox, fit hiſpidum totum corpus, demittuntur alæ, laxantur plumæ, & vides circa pullos neſcio quid agrotum, & ea eſt materna charitas, qua inuenitur infirmitas*, &c. *Sic Chriſtus*, Pergit Sanct.Pater: *Congreganit omnes Gentes, tan-*

Paſchaſ.

Auguſt.

quam gallina pullos, qui infirmatus eſt propter nos accipiens carnem a nobis, id eſt, à genere humano, crucifixus, contemptus, alapis cæſus, flagellis, ligno ſuſpenſus, &c. Diſcant ex hac Chriſti charitate Prælati ſemetipſos euiſcerare, ex ſuaquemet ſubſtantia aliquid auferre, vt ſubditos repleant, eóſque valeant in ſalutem regenerare. Vide ſuprà cap 42.n.26 27.& 28.

Prælatus prò ſubditis ſemetipſum euiſcerare debet.

69. Quintò. Gallina quaſi languida per omnia accommodat ſe paruulis ſuis, vt eos plumeſcere, ac euolare faciat Sic Chriſtus Dominus, ait D. Hilar. *Huius familiaris, ac penè terrena auis amore congregare eos intra ſe voluit, vt qui conditione naſcendi editi iam fuiſſent, nunc alterius generationis ortu, & calore fouentis renati, in cœleſte regnum, tanquam pennatis corporibus euolarent.* Expende primò illud, *Huius familiaris, ac penè terrena auis.* Non aliam auem proponit Dominus in exemplum, niſi gallinam; familiari aue nos inſtruere voluit. Ad auctoritatem S.Patris. Chriſtus vt nos viuificaret ſe noſtris infirmitatibus accommodauit. *Verè langores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portauit*, Iſai. 53. Chriſtus Dominus ſeſe noſtris infirmitatibus accommodauit, vt inde nos tanquam pennati renati, vt aues in altum euolare, ac in ſublime ferri poſſemus. Vide ſuprà cap.8.n.81 82 83 & 84.

Hilar.

Prælatus ſe accommodet infirmitati ſubditorum.

Iſai.53.

70. Sextò. Gallina cum de ſe agitur, ſibíque ſoli conſulit, à miluo, vel cane metuit, fugit; ſi verò pullis ſuis metuat, illos ſub alas colligens vindicare ab iniuria, omni conatu nititur, & ſupra quam vires patiuntur, frequenter alis, roſtro, pedibus, toróque corpore dimicat, vt pullos ſuos cuſtodiat, ac ab omni nocumento liberet, toróque corpore ſeſe omni periculo exponit. Ita Oppinianus lib. 3. de Venat. Sic Chriſtus pro nobis contra diabolum, ac peccatum, vſque ad mortem, mortémque crucis certauit; ab hôcque omnes Prælati accipiant documentum, vt plus pro ſubditis, quam pro ſua vita laborent, etſi pro ſe periculum metuant, non verò pro ſubditis.

Oppinian.

Prælatus eſſe pro ſe periculum fugiat, non verò pro ſubditis.

71. Ob contemptam regalem coronam, ob interfectum Ægyptium à Pharaone fugit Moyſes: *Qui fugiens de conſpectu eius, moratus eſt in terram Madian*, Exod. 2. num. 15. Poſtea verò labentibus aliquot annis, conſtitutus à Deo dux totius populi Iſraëlitici ex Domini mandato pro liberando populo deſcendit in Ægyptum: *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum*, Exod. 4. n.18. Cur Moyſes non recuſat iter in Ægyptum? Nonne vides Moyſes, quod ab aliquibus agnitus eris, & quod vita tua in magnum diſcrimen vocabitur? Moyſes modò conſtitutus erat à Deo gubernator, ac dux totius populi. Cùm ergo de proprio negotio ageretur, à periculo cauit, mortem fugit; at cùm de populo ſibi commiſſo res eſſet, de illiuſque libertate negotium pertractaretur, omne periculum contempſit, omníque vitæ diſcrimini libenter ſeſe offert. D. Chryſoſtomus exponens illud Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe pro fratribus meis.* Sic ait: *Omni pelago latior, omni flamma vehementior erat hæc dilectio.* Vide ſuprà cap. 19. n.62. & n.72.73.74 & cap.35.n.47.48.

Exod.2.

Exod.4.

Pro ſe Moyſes fugit mortem, non verò pro populo.

Chryſoſt.

Matth.24. num.38. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.

Num.39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis:

dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

VERSIONES.

Syriac. n.3. Ecce relinquitur domus vestra.
Clem. Alex. Ecce relinquitur.
D.Zeno. Ecce remittetur vobis.
Arabicus. Domus vestra destructa.
Vatabl.n.39. Dico enim vobis haudquaquam me videbitis posthæc.
Clem. Alex. Non me videbitis deinceps?
Syriacus. Non me videbitis ab hoc tempore vsque dum dicatis.

ALTER TEXTVS.

Luc.13.n.35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis: quia non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

EXPOSITIO V.

72. Clem.Alex.

ECCE, id est, idcirco, vt multi interpretantur, seu vt legit Clem. Alex. *Propterea*, quia enim Prophetas, Apostolos, ac Discipulos occiderunt, ac lapidauerunt, denuntiatur pœna in eos, hæc enim semper peccatores apprehendit. *Relinquetur*; seu, vt alij legunt de præsenti, relinquitur, quia in proximo erat totius vrbis deuastatio, & non ait. Relinquam, vt videbatur dicendum, iuxta superiorem locutionem. *Volui congregare.* Sed ait, *relinquetur*, quia ille nos non relinquit, nisi prius relinquatur à nobis, nos enim eius iram solicitamus, & prouocamus. *Domus vestra.* Chrysost. Hieron. Euthym. D.Thom. Carthus. Hugo. Beda. D.Chrysost. in Imperfecto homil.46. D.Hieron. Euthym: Theoph. templum interpretantur; alij etiam, vt D.Thom. Carthus. Hugo, Ierusalem, ad quam dirigitur sermo Ierusalem. *Deserta*, à diuino patrocinio, vt ait D.Chrys. deserta à suis habitatoribus, vt interpretantur D.Hier. Beda; nam per Titum, ac Romanos desolata, ac deuastata fuit ciuitas, & à suis habitatoribus, ac colonis deserta, & notandum, quòd non ait: Domus mea, vt antea vocabatur, Isai.56.n.7. Ierem.7. n.11. sed *domus vestra.* Isai.56. Ierem.7. Erat enim olim sua, quando in ipsa rectè colebatur, ob hoc ei sua beneficia conferebat, nunc autem suis peccatis aliena facta erat ab eo, & indigna eius beneficentia, inde non suam, sed vestram domum dicit.

73. Syriacus.

Dico enim. D. Lucas. Dico autem: *Vobis non me videbitis amodo.* Seu vt habet Syriacus, ab hoc tempore, nempe mortis, & passionis meæ, quæ intra tres dies a vobis mihi est inferenda. Probat Dominus id, quod immediatè dixerat, *Relinquetur domus vestra deserta*, à mea præsentia, & consequenter à mea protectione, & auxilio, in pœnam vestræ incredulitatis, qua non vultis me agnoscere vt vestrum Messiam, & Dei Filium, sic à tempore mortis meæ à vobis subducat in cœlum, me non videbitis, donec dicatis, *Benedictus qui venit.* Sermo est de die iudicij, ac fine mundi, vt volunt D. August. lib.2. de consens. Euangel. cap.75. D.Chrysostom. Theophyl. Euthym. D.Thom. à tempore mortis meæ, non me videbitis amplius vsque ad diem iudicij, quando inuiti cogemini me confiteri esse vestrum Messiam, ac Dei Filium, ac benedictum illum, qui venit in nomine Domini, qui missus fuit à Deo Patre, ad redimendum, & saluandum mundum. Et fortè ideo hic Dominus meminit iudicij aduentus, vt illius metu homines traheret ad sanam doctrinam. Aliter verò Origenes homil.26. & D.Hieron. interpretantur, quòd nisi Iudæi per pœnitentiam resipiscant, non videbunt, nec cognoscent Christum Filium Dei benedictum. Prior sensus genuinus.

August. Chrysost. Theoph. Euthym. D.Thom.

Origen. Hieron.

QVÆSTIO XII.

Quare cùm peccata fuerint communia totius Gentis Iudæorum, Dominus peculiariter facit comminationem contra Ierusalem?

74.

DESERTAM minatur Dominus futuram Ierusalem à diuina protectione, vt iam dixi in expositione, vel etiam vt interpretantur D.Chrysost. D.Hieron. iam citati, à Dei templo, quoniam templum columna erat Iudaïcæ religionis, in eóque Iudæi maximè confidebant: iuxta illud: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: templum Domini, templum Domini.* Ierem.7. n.4. Tum etiam quia templum erat tota nobilitas, ac excellentia illius Gentis, & ideo destructo templo, tota ciuitas, ac regnum abolitum, & extinctum existimabatur.

Chrysost. Hieron.

Ierem 7. *Templum nobilitas, ac robur.*

75. Origen.

Origenes homil.26 in Matth. per domum desertam interpretatur animam peccatoris; sic ait ipse: *Ierusalem, quæ erat deorsum comminatur Dominus, & nolentibus congregari sub pennis eius, dicit: Ecce nunc relinquetur domus vestra deserta. Semper autem eis, qui noluerunt congregari sub pennis eius, dicit. Ecce nunc relinquetur domus vestra deserta. Non solum corpus, sed & anima peccantium deserta relinquitur, & sicut in deserto vulpes faciunt in eis foueas, & serpentes cubationes*, &c. Qui Christum ab anima sua expellit, & sub eius alis non vult degere, ac viuere, necesse est vt anima eius fiat locus desertus ab omni dono spirituali, & vastissimum receptaculum, in quo feræ, ac venenosæ serpentes valeant cubare, ac commorari.

Anima peccatoris fit locus desertus ab omni dono cœlesti.

76. *Quare pœna vt quis fit deiectus à suo loco, in quo alios triumphos.*

Quæstio tamen principaliter inquirit. Quare, cùm peccatum mortis Christi, ac Prophetarum, & Apostolorum fuerit commune totius Gentis Iudæorum, tamen Dominus specialiter contra Ierusalem facit comminationem? Respondeo. Quod in Ierusalem erat templum, vt iam dixi in limine quæstionis: Tum etiam quia Ierusalem erat Caput, ac Metropolis totius regni, ac proinde ipsa extincta, totum regnum videbatur extinctum, ac delectum. Vide cap.41. q.4. Tandem quia magnus dolor erat vt in ipsa ciuitate, in qua gens illa florentissimè regnauerat, ab illa esset expulsa, vt alieni in ea dominarentur.

Minabatur

77. Minabatur Deus Heli: *Ecce dies veniam, & præscindam brachium tuum, & brachium domus Patris tui, vt non sit senex in domo tua.* Ecce Deus iratus in Heli, eum à summi Sacerdotis dignitate expellit. Quinetiam omnes illius posteros remouendos asserit à tali dignitate, aliósque eorum loco constituendos; illud etiam iratus Deus addidit. *Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo, sed vt deficiant oculi tui, & tabescat anima tua,* 1. Reg. 2. num. 33. Cur quando sic iratus Dominus omnes Heli posteros ab altari suo remouet: adhuc asserit aliquem semper eorum reliquendum altari seruientem? Fortitan hoc est, quia Dei ira aliquo modo est emollita circa Heli genus, & pro beneficio illi concedit aliquem successorem? Minimè. Sed vt inde magis acerba appareat pœna, vult ex familia Heli aliquis remaneat in templo, vt is videns se deiectum in ea domo, in qua maioribus dignitatibus floruerat, & simul videns alium in ea gloria, & honore sublimatum, inde magis morderetur, & affligeretur. Quis enim dolore mortis non tabescat, videns se à suis bonis expoliatum, in quibus alius sublimatus apparet? Rupertus lib. 1. in libr. Reg cap. 2. *Ideo*, ait, *se Dominus non penitus ablaturum ex domo Heli virum ab altari suo dicit, vt semper de domo Heli esset in domo Domini vir, qui in dignitate Sacerdotis alium constitutum videret, vt se eadem dignitate priuatum videns, oculi eius deficerent, & anima eius tabesceret.*

1. Reg. 2.

Grauis dolor, vt quis expellatur à suo loco, in quo alius floret.

Rupert.

78. Inde aliqui dicunt quòd Deus permisit aliquos ex Chananæis remanere in terra promissionis: *Habitabitque Chananæus in medio Ephraim vsque in diem hanc tributarius,* Iosue 16. n. 10. Statutum fuerat, vt omnes Chananæi delerentur, & tamen aliqui relinquuntur, non pro indulgentia, sed pro ingenti supplicio, vt in suis locis, in quibus ipsi floruerant, se videant defectos, & Israëlitas regnantes; & quæ maior pœna, quam quod quis videat alios intrantes in gloriam, in eáque triumphantes, à qua ipse miserrimè excidit, & in magnum opprobrium prolapsus est? Vide tom. 3. cap. 11. q. 22. n. 155.

Iosue 6.

Cap. XLVIII.

Denuntiantur prælia audienda.

Matth. 24 num. 1. Et egressus Iesus de templo ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi.

Num. 2. Iesus autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.

VERSIONES.

Syriacus n. 2. Exiit Iesus à templo. Et accessere discipuli eius, ostendentes ei ædificium templi.

Vatabl. Pagn. Vt ostenderent structuras templi.

Syriacus n. 2. Nonne videtis hæc omnia?

D. Hieron. Non permanebit hîc lapis super lapidem.

Euthymius. Qui non deruatur.

Vatablus. Qui non destruendus sit.

Arias. Qui non dissoluetur.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n. 1. Ferè idem cùm D. Mat-
Luc. 21. n. 5. chæo.

EXPOSITIO I.

1. *Extra templum recordantur de structura.*

Et egressus Iesus de templo. Feria tertia post diem Palmarum, & die tertia ante eius sactatissimam passionem, postquam latè concionauerat, quasi tota die incipiens sermonem, cap. 23. Matth. n. 20. hucusque egressus est de templo. *Et ibat.* De more suo sub vesperam in montem Oliuarum, ad cibum sumendum, ac pernoctandum in Bethania apud Martham, & Magdalenam. *Accesserunt discipuli eius*: familiariter, & quamuis exierant de templo, non obliuiscuntur de his, quæ audierant in concione, vt faciunt multi, cum egrediuntur ab Ecclesia. *Vt ostenderent ei ædificationes templi* Non tanquam ignotas; vt inquiunt Euthym. Hugo, sed vt admirandas. Et ita vt refert Marc. 13. n. 1. dixerunt: *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ.* Erat templum orbis miraculum: nam vt testatur Iosephus lib. 5. Belli cap. 6. *Exterior eius facies nihil, quod animi, & oculi mirarentur, non habebat: cruciis enim aureis grauissimis vndique tecta vltra primos ortus, igneo splendore lucebant, vt cum intuerentur conuentantium oculi, quasi solis vndy reuerberarentur.* De quo latè idem Iosephus lib. 15. Antiquit cap. 14. Vilalpandus de templo: *Ostenderunt ei ædificationes templi, vt eum ad pietatem, ac clementiam excitarent, ne templum illud periret.* De quo quæst. 1.

Euthym. Hugo. Marc. 13.

Iosephus

Vilalpand.

2. *Ipse autem respondens dixit illis: videtis hæc omnia?* Discipuli prouocarunt Christum ad videndam magnitudinem, ac amplitudinem templi, vt ab ruina, quàm prædixerat, seruaretur; è contra verò Christus maximè eos prouocat ad illam templi fabricam exactius contemplandam, vt videntes eius extremam euersionem magis admirentur. *Non relinquetur lapis super lapidem.* Hyperbolica est loquutio, & prædicitur hic extrema, ac totalis ruina Ierusalem, quæ facta est à Romanis principibus; de hac sententia egi iam suprà cap. 41. expos. 1. q. 7. Vide etiam q. seq.

QVÆSTIO I.

Quare discipuli egressi de templo ostendunt Christo Domino illius fabricationes?

3. VIDERVNT discipuli à Christo Domino in fine superioris concionis, vt dictum est

in cap. antecedenti : relinquetur vobis domus vestra deserta, vbi de templo erat sermo, vt ibi dixit: ostendunt ergo Christo magnificam eius fabricam, vt dominum excitarent ad commiserationem, ac ad reuocandam excidij sententiam.

Origen. Caietan. Origenes *Ostendunt*, ait, *non quasi nescirent, sed vt remedium inuenirent destructionis.* Caiet. *Monstrare volunt templi ædificationes, prouocaturi ad misericordiam.*

Chrysost. Theophyl. Euthym. D. Thom. Abulens. Quod etiam docent D. Chrysostom. Theophyl Euthym. Albert. Magn. D. Thom. rudes adhuc erant discipuli, vt hic notant Abulens. Carthus. & alij, & ideo rudem prætendunt causam existimantes, quod ex consideratione externæ pulchritudinis, ac sumptuositatis Christus mutaret sententiam, vt ait D Hilarius : *Post comminationem deserendæ Ierusalem, tanquam commouendus ambitione templi esset, magnificentia ei extructionis ostenditur.*

Hilar.

4. Non mouetur Christus extrema templi magnitudine, ac pulchritudine, nam statim discipulis respondit : *Non relinquetur hic lapis super lapidem :* firmans suam sententiam prædictam, docens externa, ac temporalia non magnifacienda esse, sed spiritualia, ac æterna. Theophyl. *Stupebant*, ait, *discipuli terrena, stupebant ædificiorum pulchritudinem, & quasi Christo monstrabant. Vnde abducit illos, ne adhæreant terrenis, & ad supernam Ierusalem transmittit.*

Theophyl. Chrysost. D. Chrysost. in Imperfecto homil. 47. *Homo*, ait, *in conuersatione parietum delectatur, Deus autem in conuersatione Sanctorum, dicente Propheta,* Psalm. 23 n. 8 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *Quem decorem ? Non quem diuersitas splendentium marmorum facit, sed quem præstat varietas viuentium gratiarum. Ille decor coram Deo delectat, ipse viuificat animam.*

Psalm. 25.

5. 4. Reg. 25. *Venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus Regis Babylonis in Ierusalem. Et succendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ierusalem* 4. Reg. 25. n. 8. Ob peccata populi destruitur tota ciuitas, ac regia domus, cur tamen sacratissimum templum non seruatur illæsum ? Nihil in terra sacratius, ac sanctius illo erat, in quo Deus peculiariter assistebat, in quo responsa dabat, & victimas acceptabat, & monumenta suorum beneficiorum erant posita, cur ergo tantæ sanctitati non respicit Deus, vt illud ab exterminio seruet?

Cum cor hominis deficit, videtur Deo externa etiã sancta. Etsi illa omnia magna viderentur, tamen contemptibilia sunt Deo cum ipse se videat ab homine contemptum. Quid domus Dei, quid altare, quid vasorum sacrorum tanta religio ? Sanè hæc nihil æstimantur à Deo, vbi ipse excluditur ab hominis animo, ab eóque longè fit.

Rupert. Rupertus lib. 1. in Hierem. cap. 2. *Consilij diuini est*, ait, *pulchrum, & nobile Dei templum, religione inclytum Babylonico igne conflagrari, spoliari, & prophanari. Erudiendus namque erat mundus, ne putaret, quod habitator cælorum Deus, auro templi manufacti delectaretur, & non potius hominum fide, & bonis operibus, quibus intus in anima illi templum præparatur, quo solo delectatur. Sine quo frustra foris lapidibus, vel auro templi manufacti requiratur.*

6. Psalm. 77. Regus Vates : *Et repulit tabernaculum Sylo, tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus,* Psalm. 77. n. 60. Cur Deus sanctum, & augustum suum tabernaculum, quod tunc fuerat constitutum in Vrbe *Sylo*, seu *Sylon* in tribu Ephraïm, vt cum multis vult Lotinus, sic repulit, seu, vt legit D. Hieronym. *Repudiauit.* Arabicus, *Damnauit.* Huius rei rationem denotant illa verba:

Lotin. Hieron. Arabic. *Vbi habitauit in hominibus* ; seu, vt legit Hieron. *Habitauit inter homines.* Illud tabernaculum ordinatum fuit à Deo, vt ex eius aspectu, ac consideratione homines præpararentur, vt Deus in illis inhabitaret ; quandiu ergo homines tales erant, vt Deus eorum cordibus habitaret, tunc tabernaculum, & altare Deo erat augustum, & honorificum. At cum homines defecissent a Deo prouocantes eum in sculptilibus suis ad æmulationem, vt ait Propheta num. 58. Sesèque tanto habitatore reddiderunt indignos, omnia illa habitacula sunt à Deo repulsa, contempta, ac tanquam in nihilum habita. N. Incognitus : *Cum ergo*, ait, *non essent digni, in quibus habitaret Deus : merito repulit illud, quod non propter se, sed propter illos instituerat.*

Templum non æstimatur à Deo cum vita hominis deficit.

Incognit.

Matth. 24. *num.* 3. Sedente autem eo supra montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli secretò dicentes : Dic nobis quando hæc erunt ? Et quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi ?

Num. 4. Et respondens Iesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat.

VERSIONES.

Syric. n. 3. Et cum sederet Iesus super montem Oliuarum, accesserunt discipuli eius, & aiunt inter se, & eum : &c. & consummationis mundi.

Vatabl. Pagnin. Accesserunt discipuli seorsim.

Arias. Quod signum tuæ præsentiæ ?

Arabicus. Et consummationis temporis ?

Arabic. n. 4. Cauete ne quis vos inducat in errorem.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n. 3. Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andræas.

Num. 4. Dic nobis quando ista fient ? Et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari ?

Luc. 21. n. 7. Interrogauerunt autem illum dicentes : Præceptor quando

quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient?

EXPOSITIO II.

7. Abulens. SEDENTE autem eo. Sedit Dominus, vt ait Abulensis, q.11. vt discipuli haberent occasionem interrogandi, & ipse daret excellentem, & necessariam doctrinam, quæ magnam considerationem requirebat, & ideo sedens, & non itinerans voluit illam exhibere. *Super montem Oliueti.* Vnde templum, & ciuitas, inquiunt Carthusianus & Hugo, manifestatissimè aspiciebantur. *Accesserunt ad eum discipuli:* vt interrogantes. Marcus quatuor nominat, Petrum, Iacobum, Ioannem, & Andream, & hi quatuor interrogauerunt, ait Euthymius, tanquam maiorem habentes fiduciam. *Secretò.* D. Marcus, *separatim.* Syriacus, *inter se, & eum.* D. Chrysost. homil. 76. *De magnis & occultioribus rebus interrogaturi erant.* D. Hier. *De mysteriis, & futurorum reuelatione.* Quæ tam magna & sublimia, coram omnibus non erant dicenda, & ideo solitariè Christum interrogant; an verò Christus Dominus solummodo cum his quatuor fuisset locutus? verisimile est, vt existimant Abulensis q. 16. Maldonatus & alij; hoc verò videtur indicare illa particula, *separatim, secretò.* Euthymius verò, & Barradas, vt valdè probabile existimant quod illi quatuor interrogauerunt Christus tamen præsentibus reliquis discipulis doctrinam tanti momenti de Antichristo, ac die iudicij coram omnibus tradiderit. Et ita illam particulam, *separatim, secretò,* non ad discipulos, sed ad turbas referunt, hoc sensu quatuor interrogarunt, separatim, ac secretò à turbis, ac multitudine.

Carthus. Hugo. Euthym. Chrysost. Hieron. Abulens. Maldonat.

8. Tria interrogant. *Dic nobis,* Tria interrogant. Primum, quando hæc erunt, & exscindenda est Ierosolyma, vt non relinquatur lapis super lapidem, vt dixisti. Secundum, *quod signum aduentus tui.* Ex quonam signo possumus intelligere tuum aduentum instare ad iudicandum mundum. Tertium: *Et consummationis sæculi,* seu *mundi,* vt legit Syriacus. Quando nempe erit finis, & consummatio totius mundi, De quo latius quæst. sequenti.

9. *Et respondens. Dixit eis: Videte.* Magnam eorum circumspectionem, ac vigilantiam commendat Dominus, nam tam periculoso tempore, quando maius imminet periculum, maior cautela est adhibenda. *Ne quis vos seducat.* In persona suorum discipulorum loquitur Christus cum omnibus suis discipulis, ac commendat, vt vigilent, ne quis eos in errorem inducat, vt eos à sua fide, ac Euangelio abducat.

QVÆSTIO II.

Quare discipuli tria interrogant, de exitio Ierosolymæ, fine mundi, ac aduentu iudicis?

10. TRIA à diuino Magistro quærunt discipuli. Primò, quando Ierosolyma, ac templum eius erit euertendum. Quando hæc erunt, vt iam explicaui. Secundò. Quod signum aduentus tui, c.

Quod de temporali regno interpretentur Abulens. q. 21. Salmeiron, & alij. Arbitrabantur illi regnum Christi fore temporale in terra, instar regni Dauidis, vel Salomonis; & ideo illi ad Christum dixerunt, Actorum 1. num. 1. *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israël?* Videlicet temporale, ac si dicerent: Domine nunquid hoc tempore post resurrectionem regnum Israël à seruitute Romanorum liberabis, glorioséque in Ierusalem regnabis. Abulens. Salmeiron. Actor. 1.

Dicendum tamen existimo cum D. Thoma, Hugone, & Caietano, Carthusiano, Francisco Luca, Cornelio, & aliis, qui opinantur discipulos de aduentu ad iudicium finale interrogasse, intelligebant enim Christum futurum iudicem viuentium, & mortuorum, Matth. 16. n. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius,* Matth. 19 num. 28. *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël,* Ioan. 5. num. 28. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* His ergo, & aliis locis instructi discipuli interrogabant de aduentu eius ad iudicium. Confirmatur hæc sententia efficacitèr, quia cum signis aduentus eius coniungunt consummationem, id est finem mundi. *Quod erit signum aduentus tui, & consummationis sæculi.* Non enim discipuli sibi persuadebant Christum post consummationem mundi temporaliter regnaturum, vt simul vtrumque coniungerent. 11. D. Thom. Hugo. Caietan. Franc. Luc. Cornel. Matth. 19. Ioan. 5.

Quærunt Apostoli illa tria, & primò de excidio Ierosolymæ, & templi. *Dic nobis, quando hæc erunt.* Quæ dixisti, vt non relinquatur lapsis super lapidem. Nam, vt inquiunt D. Remigius, Beda, Abulensis quæst. 17. quia hoc multum pertinebat ad eos; nam si Christus prædiceret destruenda regna Indorum, vel Chaldæorum, non multum de his curarent discipuli, quia illud non attinebat ad eos; at destrui Ierusalem, & templum, maximè ad eos expectabat. Nam discipuli Christi erant Iudæi. *Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt,* Actorum 2. Ierusalem erat caput regni, in quo erat constituta eorum patria, & habitatio; templum autem erat, in quo fiebat Dei cultus, & cæremoniarum ritus, ideo debebant quærere, vt scirent, quem cultum, & cæremoniarum modum post eius destructionem erant habituri. Deinde, quia Ierusalem, & templum non erat euertendum sine graui bello, expediens verò erat vt scirent tempus, quo illa acciderent, ad hoc vt postea possent sibi prouidere, & se recipere ad loca tuta. 12. Remig. Beda. Abulens. Actor. 2. *Quilibet interroget de his, quæ ad eum pertinent.*

Quærunt deinde de aduentu iudicis, ac consummatione sæculi, quod propter nos interrogant, vt inquiunt D. Chrysostom. & Hugo. Nam Apostoli constituti erant Principes, ac Pastores omnium fidelium, quibus maximè salutaris est doctrina de aduentu iudicis, ac consummationis sæculi, vt ad viam salutis dirigantur, de quo Apostoli vt veri Pastores multum soliciti, ideo illa duo interrogant à diuino Magistro. 13a. Chrysost. *Pastores soliciti de omnibus.*

Secundò. Illa tria interrogant. Quia vt docet D. Chrysostomus homil. 76. Discipulos ex illis Domini verbis hausisse. *Non me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Vnde, ait Chrysostomus, discipuli putabant, vbi cum Ierosolymorum euersione consumma- 14. Chrysost.

tionem omnium futurum, &c. Existimabant enim tria illa eodem tempore euentura, scilicet excidium vrbis, excidium orbis, & diem iudicij, ac proinde, quia ex verbis Christi colligebant imminere excidium vrbis, coniecturabant etiam imminere excidium orbis, & diem iudicij.

Matth.24. num.5. Multi enim venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus; & multos seducent.

Num.6. Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum, videte, ne turbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

VERSIONES.

Syriacus n.5. Multósque in errorem inducent.

Vatabl.n.6. Audituri estis bella, & rumorem bellorum.

Orig.hom.8. Audietis prælia, & auditiones præliorum.

Arabicus. Audietis noua bellorum.

D Cyprian.de exhortatione Martyrij. Audietis bella, & auditus bellorum, nolite tumultuari.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. n.6. & 7. Idem cum D.Matthæo.

Luc.21.n.8. Qui dicit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo dicentes: Quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos.

Num.9. Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

EXPOSITIO III.

15. AD tria illa quæsita discipulorum de excidio Ierosolymæ, Orbis, ac aduentu iudicis: Respondet Christus Dominus, & præuia signa deuastationi Ierosolymæ, nunc incipit assignare. Deinde à n.33. dat præuia signa de excidio Orbis, ac vltimo aduentu suo. *Erunt signa in Sole, & Luna,* &c. Et denique n.36. monet vt omnes strenuè se parent ad illum diem vniuersalis excidij, & iudicij extremi. *Cùm videritis hæc omnia, scitote, quia prope est.*

16. *Multi enim venient.* Dat Dominus signa, quæ ipso ab eis ablato, ac assumpto in cœlum ante templi, ac Ierosolymæ excidium contigent; & Chrysost. vt ait D.Chrysostom. homil.76. *Duplex bellum futurum, alterum à seductoribus, alterum ab hostibus, sed illud multò grauius, atque periculosius:* tanquam spirituale, contra bonum animæ, & ideo sedulos, ac vigilantes eos mandat esse, vt patet ex superiori vers. *Videte ne quis vos seducat.* Et ait, *In nomine meo:* hoc est, vsurpantes, seu mentientes meum nomen, meámque propriam dignitatem, vt explicant D Paschas. Albert. Magn. S.Thom. Paschas. Alb.Magn. D.Thom. *Dicentes: Ego sum Christus.* Quáles post Christi Ascensionem fuerunt. Primò, Thomas, de quo Actor.5. n.36. Secundò, Ægyptius Impostor, de quo Act.21. n.38. & Ioseph. lib.2. belli cap.13. Actor.5. Actor.21. Ioseph. Tertiò, Simon Magus, de quo Actor.8.n.10. Qui vt testatur D.Hieron. dicebat: *Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego paraclytus, ego omnipotens ego omnia.* Taléque fuerunt alij, quos refert D.Irenæus lib.1. cap.21. *Multos seducent.* Cauete ergo ne & vos seducamini, ne fides pestifero mendacio detrahatur, vt ait D.Hilar. Act.5.18. Hieron. Hilar.

Sed vnde cognoscent Christiani hos falsos impostores, ne eos seducant. Rectè Origenes homil.27. in Matth. *Et dicent,* ait, *Ego sum Christus. Hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem Anti-Christorum, qui dicunt: Ego sum Christus, quod nunquam legitur Christus dixisse.* Cùm ergo isti vsurpantes Christi nomen in suas laudes maximè se effundant, inde apertè cognoscentur eos longè esse à Christi genio, falsóque ipsos Christi nomen vsurpare. 17. Origen.

Audituri enim, id est, autem, *estis prælia, & opiniones prælium;* seu, vt alij legunt, rumores, auditiones, & famam bellorum. Nam Romani aduenientes non primò irruerunt in Ierusalem, sed alias ciuitates Iudææ deuastauerunt, & tandem ad Ierusalem destruendam se contulerunt, vt ex Iosepho testatur Abulens. & ait Christus, quod audient huiusmodi rumores, qui ipso bello sunt tristiores, & metus magis cruciant, & affligunt animos, quam ipsamet bella. *Videte ne turbemini.* Supra & iterum modò commendat Dominus. Videte, vt valdè cautè, & circunspectè se habeant in tam graui negotio. *Ne turbemini.* Explicat D.Chrysost.in Imperfecto hom.47. *Videte ne turbemini, sed opus prædicationis vestræ implete.* Verus minister Euangelicus nulla aduersitate à suo munere, ac prædicatione desistit. Hominum ergo metu, à mea fide non deficiatis, sed generoso animo omnibus aduersitatibus superiores, constantes estote in mea fide, ac prædicatione Euangelij, nam vt explicat Carthus. Iustus nulla contrarietate perturbatur, sed semper firmus perseuerat. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium,* &c. 18. Iosephus Abulens. Chrysost. Carthus.

Oportet enim. Rationem assignat Dominus, cur non debeant turbari; *hæc fieri,* seu, vt habet Syriacus, *hæc omnia.* Oportet, ait, non absolutè, sed ex hypothesi, suppositâ nempe ex vna parte hominum malitia, & ex altera parte Dei prouidentia cui visum est huiusmodi mala permittere ad maiora bona elicienda, tum vt ipsi peccatores vexati habeant intellectum, vt resipiscant, tum vt etiam alij malorum punitione cautiores fiant ad huiusmodi mala fugienda. *Sed nondum finis:* finis inquam Ierusalem, & templi, seu etiam sæculi, nam illi rumores bellorum præcedent, & postea fiet totius vrbis, & orbis desolatio. 19. Syriacus.

QVÆSTIO III.

Quare Christus ait, audituri estis prælia, & opiniones præliorum, & non potiùs, visuri estis?

20. Franc Luc. *Durior timor belli, quàm bellum.*

MVLTI ex discipulis non solum audierunt, sed etiam viderunt prælia, vt notat Franciscus Lucas; cur ergo Dominus solum de auditu, & non de visu facit mentionem, audituri estis? fortè vt concordaret cum illo, quod dicebatur, & opiniones, seu rumores præliorum, quod ad auditum refertur; & quia ipse timor belli, crudelius, ac ditius angit, quam ipsum bellum, iuxta illud Prophetæ. *Peior est bello, timor ipse belli.* Vide cap. 8. n. 135. & infra cap. 49. q. 9.

21. *In aliorum periculo cauti simus.*

Secundò. Quia exercitus Romanorum prius irruerunt in alias ciuitates Iudææ, & postea inuaserunt Ierosolymam; monet ergo Dominus, vt audita aliorum ruina discipuli sibi consulant, & caueant à simili damno, & periculo. Vide suprà cap. 21. n. 69. & cap. 35. n. 25.

22. Origen. *Filij pacis solo auditu percipiunt mala.*

Tertiò. Origenes homil. 28 in Matth. *Ponamus*, ait, *audire quidem prælia esse, quando filij pacis à prælijs custodiunt oculos suos, vt non videant maligna: & quoniam non possunt aspicere super labores & dolores, audiunt de prælijs; qualis ciuitas pugnet aduersus qualem ciuitatem, aut qualis gens quali expugnetur gente.* Dicitur quod discipuli prælia non visu, sed auditu percipient, & cur de auditu fit mentio, & non de visu? *filij pacis à prælio custodiunt oculos suos.* Cum sint filij pacis inter bellorum strages, ac cædes, sic concorditer ac pacificè viuunt, pacato, & quieto sunt animo; vt inter bellorum tumultus videantur ab eis longè abesse, vt videantur potius audire, quam videre bella.

23. Ierem. 51.

Prædicit Deus extremam ruinam Babylonis, ac Balthasaris; & ait ad populum suum: *Ne fortè mollescat cor vestrum, & timeatis auditum, qui audietur in terra: & veniet in anno auditio; & post hunc annum auditio, & iniquitas in terra, & dominator super dominatorem.* Ierem. 51. num. 46. *Ne fortè mollescat cor vestrum:* vt explicat Cardinalis Hugo, ne turbetur cor vestrum. *Veniet in anno auditio.* Nempe in anno primo Balthasaris, vt explicant Rabbi Salomon, Lyranus, Carthusian. Cornelius, venit rumor belli, quod Medi parabant. *Et post hunc annum auditio, & iniquitas in terra.* Et post illum primum annum venerunt Medi cum magno exercitu, & Babyloniam destruxerunt, & Balthasar interfecerunt, & quomodo tunc dicitur quod venit *auditio, & iniquitas.* Filij Israël erant captiui detenti in Babylonia, cur non dicitur, quod viderint iniquitatem terræ, seu illius desolationem, ac Darium illius dominatorem, sed tantum quod audierint: filij Israël filij pacis inter bellorum tumultus, valdè animo ab illis distabant. Miseri Babylonij maximè inter se contrarij rigorem exercitus Medorum patiebantur, videruntque regem suum, & populum suum occisum, & deuastatum; Israëlitæ pacis filij in medio tantæ desolationis solum illius auditionem percipiebant, quam miseri Babylonij videbant, & experiebantur.

Hugo.

Rabbi Sal. Lyranus. Carthus. Cornel.

Inter discordias filium pacis esse verius à longè.

QVÆSTIO IV.

An præsentia Christi verba referantur solùm ad vrbis Ierosolymæ deuastationem, an etiam ad illius, & Orbis excidium?

DIVVS Chrysost. D. Hilar. Euthym. Theoph. Glossa Interlin. & Ordinaria, Abul. q. 45. Carthusianus & alij, hæc præsentia signa de prælio, de gente in gentem exurgente referunt vt prænuia ad excidium vrbis. Quia discipuli primo, & principaliter de excidio vrbis quæsierunt, ergo ad hoc primo respondet Christus.

24. Chrysost. Hilar. Euthym. Theoph. Glossa.

Diuus tamen August. epist. 80. ad Hesichium, D. Hieronym. D. Paschas. Beda, & alij docent hæc signa esse excidij vrbis, & orbis. Nam discipuli confusè, & simul de vrbis, & orbis excidio vnum cum alio iungendo interrogauerunt, mistim etiam Dominus vtique respondet, vsque ad vers. 15. quod ea intentione facit vt discipuli, ac fideles semper suspensi ad vtrumque diligenter se præmuniant, ac præparent. Quod autem mistim Dominus hic agat de vrbis, & orbis excidio vsque ad vers. 15. patet ex eo quod hæc signa vtrumque excidium præibunt. Et ideo D. Greg. homil. 1. in Euang. D. Irenæus lib. 5. cap. 25. de mundi consummatione interpretantur, antequam præcedent magni tumultus, prælia, fames, pestes, terræmotus, & Pseudochristi.

26. Gregor. Irenæus. *Iusti laboribus manifestantur.*

Cur tamen Dei electi tot, tantisque laboribus vexabuntur? vt eorum virtus, probitas, ac sanctitas omnibus sit nota, & manifesta; postquam Deus tentauit Abraham, vt sacrificaret filium suum: Ait Deus ipsi, *Nunc cognoui, quod timeas Deum*, Gen. 22. n. 12. Expende illud, *Nunc*. Ac si antea in prosperitate, & tranquillitate non cognouisset. D. Hilar. in Psalm. 1. *Nunc cognoscitur*, ait, *nunc probatur, nunc dignus est, qui non ignoretur.*

Gen. 22. Hilar.

Admonetur Ananias à Deo, vt vadat, & quærat Saulum tanquam stupefactum sine cibo, & visu iacentem, quem etiam miris laudibus Deus extollit: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel.* Ananias cum lupum ferocem in Christi gregem credebat, & quamuis ex Dei ore tot laudes audiret, adhuc veluti anceps manet; donec audiuit verba, quæ subdit Dominus: *Ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati*, Act. 9. num. 16. Tunc omne dubium deponit, & subdit Textus: *Abiit Ananias*, & quem antea ex facie non agnouerat, salutauit ex nomine, & vt fratrem recognouit. Cur modò sic abiit, & non antea, cum eius laudes percipit? Magis nunc eum agnouit fratrem, ac discipulum Domini, quem laboribus, ac tentationibus exercendum agnouit, quàm dum laudibus commendatum audit.

27. Actor. 9. *Iusti laboribus commendantur.*

Matth. 24. *num.* 7. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca.

Num. 8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

VERSIO

VERSIONES.

Syriacus. Insurget gens contra gentem, & regnum contra regnum: erunt & terræmotus in singulis locis.

D.Cyp.de exhort.Mart. Exurget gens super gentem.

Arias. Excitabitur gens in gentem.

Tert.aduers. gent. Regna regnis ambulabunt.

Arabicus. Et erunt timores, & fames, & perturbationes.

Vatablus. Erunt terræmotus certis locis.

Syriac.n.8. Hæc autem omnia principium sunt dolorum.

D.Cyprian. D.Hier. Initia sunt parturitionum.

ALTER TEXTVS.

Marc.13.num.8. Exurget gens contra gentem, & regnum super regnum, & erunt terræmotus per loca & fames. Initium dolorum hæc.

Luc.21.n.10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.

Num.11. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroréſque de cœlo, & signa magna erunt.

EXPOSITIO IV.

18. SVRGET *gens in gentem.* Postquam Ierosolymitani suum Romanorum militum præsidium trucidarunt, ac interfecerunt. Illico, vt referunt Iosephus lib.2. Belli cap.11. vsque ad finem, & Hegesippus lib.2. cap.11.14.16. & 17. Ascalonitæ Ptolomaidi, Damasceni, Alexandrini, Syri, vicinæque nationes, ac Romani contra Iudæos surrexerunt, eósque bello continuo adurserunt, vsque ad miserrimum Ierosolymæ exitum. *Et erunt pestilentia, fames, & terræmotus.* De peste, ac terræmotu nihil scribit Iosephus, fortè ad apparatum belli totus intentus, ex hoc tamen Christi vaticinio certum est illa extitisse; de vrgenti, & magna fame fit mentio in Actis Apostolorum 11.num.28. & eam latè describit Iosephus lib.20.Antiquit.c.2.& 5.

Ioseph. Hegesipp.

29. Luc.21. Addit D.Lucas citatus: *Terroréſque de cœlo, & signa magna erunt.* Quod hæc antecedent consummationem orbis, patet ex Apocalyps.8. & 9. & quod hæc etiam præcesserint excidium vrbis Ierosolymitanæ, certum est. Nam refert Iosephus lib.7.de Bello cap.12. *Primum signum*, ait, *super* ciuitatem sydus stetit simile gladio, & per annum perseuerauit cometes. Secundum. In Paschate conueniente populo ad festiuitatem octaua die Aprilis, hora nona noctis tantum lumen effulsit per mediam horam, vt clarissimus dies putaretur. Tertium, in aëre visi fuerunt equites armati, & currus per aëra discurrentes, & puguantium prælia visa & audita sunt die primo mensis Maij. Quartum signum. Festo die, quem Pentecosten vocant, Sacerdotes in templo motum, & strepitum quendam senserunt, & postea subitam vocem audiere dicentem: *Migremus hinc.* Angeli erant, qui templum, & Ierusalem deserebant, iuxta illud supra explicatum. *Ecce relinquetur domus vestra deserta.* Alia signa adducit hic Iosephus, & referunt communiter in præsenti recentiores.

Iosephus. *Signa excidij Ierosolyma.*

30. Cyprian. Hieron. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Græcè vt vertunt D.Cyprianus, & D.Hieronymus in commentario, *parturitionum*, hoc est magnorum dolorum, qui similitudinem referunt eorum, quos mulieres in partu patiuntur, in quo non paucæ præ dolore animam exhalant; sic in Iudaïco bello tot calamitates famis, pestilentiæ, ac belli oppressérunt Ierosolymitanos, oppriméntque fideles in consummatione sæculi, vt meritò cum dolore, afflictione, ac morte parturientium valeant comparari.

QVÆSTIO V.

Quare tempore Antichristi assignatur, quod surget gens in gentem?

31. Nazianz. SICVT enim Princeps pacis Christus Dominus in vrbem summa pace fruentem ingressus est: ita & Antichristus, totius discordiæ machinator in orbem contrariis bellis tumultuantem ingredietur. Vnde eleganter ait D.Gregorius Nazianzenus orat.14. quæ est tertia de pace loquens de Antichristo. *Nec enim*, ait, *opinor sanos adorietur, nec charitate septos & munitos: verum regnum in se ipsum prius diuidi oportet.* Ac si dicat; stante mundi concordia, stabit mundus: dissoluta dissoluetur. Vbi enim discordia ingreditur, statim mors grassatur.

Vbi discordia, ibi interitus, & desolatio.

32. Osee 10. De Israël vite frondosa, ait Deus, *diuisum est cor eorum, nunc interibunt*, Oseæ 10.n.2. Expende illud, *nunc.* Vbi enim diuisio introiuit, statim mors secuta est. D.Hieronymus ibi ex Hebræis: *Hoc est regis, & populi, & nulla excusatione remanente, nunc interibunt, & tradentur aterna captiuitati: statim enim vt populus dissensit à rege, venit in interitu.* Cùm enim fit dissensio, ac diuisio statim auolat interitus, & deuastatio, cum Iudæi à Romanis expugnarentur, vt tradit Iosephus, fuit Ierusalem in tres partes diuisa seditio, & tunc capta est ciuitas, cum diuisa.

Hieron.

Diuisio interitum adducit.

33. Deut.16. Amos 3. Genes.23. Mandauit Deus vt iudices in vrbis aditu collocarentur. *Iudices, & magistratus constitues in omnibus portis tuis*, Deuteronom.16. num.18. De quibus etiam Amos agit cap.5.num.10.& iam ab Abrahami æuo hæc iudicibus sedes designata erat, Genes.23. num.10. Cur tamen lege lata constitutum est vt iudex ad vrbis aditum de iure ageret, ac lites solueret. Optimè agnouerat diuina sapientia vrbis pestem, ac excidium discordiam esse, vrbem ergo litigantibus, ad dissentientibus interdixit, quoysque lite composita amice

Ciuitas interdicta fit discordia si perueat.

amice conuenirent, ne discordiæ veneno ciuitas periret, sed amicitiæ fœdere in multum creseeret; eleganter D. Gregorius lib 19. Moralium cap. 15. *Mos veterum fuit*, ait, *vt seniores in porta consisterent, & causas introeuntium indicarent, quatenus tanto esset pacificus vrbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret.* Greg.

Quæ autem sequuntur: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident, & eritis odio, &c.* Explicaui tom. 3. cap. 8. expos. 5. à quæst. 15.

CAPVT XLIX.

Antichristus.

Matth.24. num.15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

Num.16. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

VERSIONES.

Syriacus n.15. Cum videritis portentum immundum vastationis.

Vatablus. Per Danielem Propheram.

Syriac.n.16. Fugiant in montem.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. num.14. Cum videritis abominationem desolationis, stantem, vbi non debet, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes.

Luc.21.n.21. Cum videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius.

Num.22. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

EXPOSITIO I.

1. *Connexio cũ superioribus.*

VSTA communem Patrum, ac interpretum sententiam sermo est in præsenti de excidio Ierosolymæ: aliqui etiam mysticè de Antichristo interpretantur, de quibus latiùs quæstione 1. Prædixerat Dominus immediatè antea. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe.* Et tunc subdit: *Cum videritis abominationem desolationis.* Cum enim Euangelium prædicatum esset per spatium quadraginta duorum annorum in toto orbe, tunc aduenerunt Romani Hierosolymam expugnantes. Vnde exclamat D. Chrysostomus homil. 76. *O rem nouam, & inauditam in natura! Iudæorum innumera millia Romani tunc vicerunt, atque ceperunt, & à duodecim viris nudis, atque inermibus superati sunt.* Magna efficacia, ac vis Euangelicæ veritatis. Romani capta, atque cremata vrbe Iudæos superarunt. At Apostoli duodecim viri pauperes, & inermes Romanos vicerunt, eique nouas leges, ac præcepta viuendi tradiderunt. Chrysost. *Magna potentia Euangelica veritatis.*

Cur ergo videritis. Hæc futura prædicit Dominus suis discipulis, quia vrbis Hierosolymæ, ac templi deuastationes, vt ait D. Chrysostomus citatus: *Nonnullis eorum adhuc viuentibus*, contigerunt; vel quia in suis Apostolis, ac discipulis, loquitur cum fidelibus illis, qui eo tempore victuri erant; documentum datur in capite vt in membra deriuetur. Et nota quod supra cum de prælijs fuisset sermo, ait: *Cum audieritis prælia, & seditiones.* In hoc sermone Matth.24. num.6. Luc.21. num.9. At verò de prophanatione, ac contemptu templi, ait: *Cum videritis abominationem.* Cum tamen prælia ibi pronuntiata, & abominationes hic prædictæ ad idem excidium Hierosolymæ spectent: prælia ad damna temporalia, abominationes ad templi opprobria. Vir probus in ruina temporalium, à quibus animo separatus est, tam constans se habet, ac si longè esset ab eis vt illa videatur audire, & non videre. At sacratum rerum contemptu, quæ maximè ei fixæ sunt in animo, sic dolet, sic affligitur, vt in his semper præsens, & nunquam absens esse videatur. 2. Chrysost. *Probi maximè dolent de re sacra prophanata.*

Abominationem desolationis. Id est abominabilem desolationem, fœdam, & execrabilem, huiusmodi res more Scripturæ vocantur abominationes. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus*, Psalm.5. num.7. Per huiusmodi abominationem, multi intelligunt statuam Titi, vel Adriani Imperatoris positam in loco templi. Alij peccata Sacerdotum commissa in templo, alij ipsum Antichristum, qui se voluit in templo adorari vt Deum, alij & communiter castra Romanorum interpretantur, qui captam ciuitatem abominandè vastauerunt, ac desolauerunt, templúmque prophanauerunt per homicidia, aliáque multa scelera commissa tam ab ipsis Romanis, quàm à seditiosis, ac homicidis Iudæis, qui se legis, & libertatis zelotas nuncupabant, de quibus latius quæst. sequenti. 3. Psalm.5.

Quæ dicta est à Daniele Propheta. Cap.9. n.27. *Et erit in templo abominatio desolationis.* De quo statim. *Stantem in loco sancto.* Diuus Marcus scribit: *Stantem vbi non debet.* Nam abominatio, & desolatio maximè exulare debet à loco sancto. Et notandum est, quod non ait Christus Dominus in loco abominationum, quæ introductæ fuerant à gentibus, *sed in loco sancto.* Intelligens templum, & ciuitatem Ierosolymam. Nam quamuis lex Moysis, templi Iudaicus cultus, & sacrificia iam essent abrogata. Locus tamen ille fuerat sanctus, & Deo dedicatus. Et ciuitas ipsa ab Euangelista vocata fuerat sancta. *Super ciuitatem sanctam*, Matth.4. num.5. Ac proinde ob honorem antiquum illis venerationem defert. *Qui legit, intelligat.* Iansenius vult hæc verba non esse dicta a Christo, sed apposita ab Euangelista, tamen communis est sententia D. Chrysostomi, Paschasij, dicta fuisse à Christo, commendans vt locus Danielis legatur, & intelligatur, quia ex illo manifestè deprehenditur tempus 4. Daniel.9. *Locus veneratur ob sanctitatem, quam habuit.* Chrysost. Paschas.

aduentus

aduentus Christi, mortis eius, abrogationisque sacrificium legis, templi, vrbisque Ierosolymorum excidium.

5. *Tunc.* Quando *videritis abominationem.* Monet nos Christus fugere à ventura ira: *qui in Iudæa sunt*, in terra nempe Israël, si ad tempus Antichristi referas. In Ecclesia. *Sunt*, id est erunt, sic futura vt præsentia annuntiat Christus: *fugiant ad montes.* Tunc quando videritis ipsam abominationem, seu exercitum Romanorum appropinquantem, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes constitutos extra Iudæam, vt excidium effugiant; nam Iudææ montes occuparunt milites Romani, vt testatur Iosephus lib.3. de Bello cap.12.& lib.4.cap.2. sicque Christiani admoniti hoc Christi oraculo fugerunt ad montes, ac in vrbem Pellam cum sua supellectili, vbi à periculo, ac morte euaserunt, vt testantur Eusebius lib.3. Historiarum cap.15. D. Epiphanius hæresi 29. & 30. E contra verò diuina ira excitante, Iudæi, & Galilæi adueniente exercitu Romano, magno conatu confugerunt in Ierosolymam tanquam ad asylum, existimantes se à periculo ibi esse tutos, ibi tamen Deo disponente, congregati sunt, vt à Romanis interficerentur.

Iosephus. Eusebius. Epiphan.

QVÆSTIO I.

Quænam sit hæc abominatio prædicta à Daniele, & hic pronuntiata?

6. ABOMINATIONEM hic denuntiatam pertinere ad excidium Ierosolymæ per Imperatores Romanos perpetratum tenent Origenes tract.29. in Matth. D.August. epist.80. ad Hesychium, D. Chrysostomus homil.76. in Matth. D.Paschasius lib.12. & hic D.Hieronym. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D.Thomas, Abulensis, Maldonatus, Caietanus, Hugo, Carthusianus, Salmeiron, Barradas, & alij: quod probatur primò, quia Christus ait, *qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Secundò, quia D. Lucas hanc eam referens, pro abominatione posuit exercitum. *Cum videritis circumdari ab exercitu Ierusalem*, &c. Tertiò confirmatur ex citata Danielis prophetia, cap.9. vbi per Hebdomadas assignatur tempus aduentus Christi, & mortis eius, ac excidij Ierosolymæ. *Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, ibi num.26. Duce venturo Tito, vel Cestio. Et postea ait Propheta num.27. *Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio:* vbi de Ierusalem desolatione loquitur Daniel, quæ vsque ad finem mundi perdurabit. Nunquam enim amplius Ierusalem cum statu illo Iudaïco, ac sua republica, cuius caput erat Ierusalem, amplius instaurabitur, vnde apertè conuincitur, quod de ipsa loquatur Dominus, cum Danielis prophetiam adducat.

August. Origen. Chrysost. Paschas. Theoph. Euthym. Alb. Magn. D.Thom. Abulens. Maldonat. Caietan. Hugo. Carthus. Salmeiron. Barradas.

Abominatio excidium Ierosolymæ.

Daniel.9.

7. Adhuc magna lis est inter Patres, & expositores, quænam sit propriè hæc abominatio desolationis. D.Hieronymus, D.Paschasius, Albertus Magnus, S.Thomas, Hugo, Carthusianus, dicunt abominationem desolationis in loco sancto esse imaginem Cæsaris, quam Pilatus in templo posuit, vel Adriani Imperatoris equestrem statuam. Nam hic iterum destruxit Ierusalem, legem statuens, ne vllus Iudæus ibi amplius habitaret, & statuam suam ac idolum quoddam posuit in loco templi. D. Chrysostomus homil.76. Euthymius, Theophylactus, dicunt abominationem esse statuam Titi, vel Vespasiani. Tamen Pilatus ob instantiam populi: *Confestim de Ierosolymis statuas Cæsaris iussit auferri.* Vt testatur Iosephus lib.2.de Bello cap.8. statuæ Adriani, vel Titi, seu Vespasiani fuerunt positæ templo diruto, & solo adæquato.

Hieron. Paschas. Albert. D.Thom. Hugo.

Iosephus.

8. Origenes tract.29. in Matthæum, Caietanus, Salmeiron, Emmanuel Sà dicunt abominationem esse exercitum Romanorum, qui abominabilia idola colebat. At Christus Dominus & Daniel loquuntur de abominatione in templo, exercitus autem Romanorum non fuit in templo, sed extra vrbem.

Origen. Caietan. Salmeiron. Sà.

9. Abulensis quæst.98. Hesselius, Iansenius, Barradas, Franciscus Lucas, Cornelius, docent abominationem desolationis appellari in præsenti prophanationem templi factam, per quosdam homines, qui appellabantur Zelotæ, à zelo sic dictæ, qui falsò simulantes zelum legis templi, ciuitatis Ierosolymæ, ac templi desolationem attulere, vt testatur Iosephus lib.6. de Bello c.1. & lib.7. cap.7. & lib.4. cap.5. Nam hi restiterunt, ne se populus Romanis traderet, Deo sic permittente, vt eorum ciuitas, & templum destrueretur: *Hi templum Dei castellum, & profugium sibi fecerunt*, lib.4. cap.5. Hi in templo innumera scelera, ac turpia crimina, & horrenda homicidia perpetrarunt, lib.6 cap.1.& lib.5. cap.1.

Abulens. Hessel. Iansen. Barradas. Franc. Luc. Cornel.

10. Ait ergo Christus Dominus, cum audieritis abominationem desolationis in loco sancto, seu templo, factam in templo per Zelotas homines seditiosissimos, ad quod audientes aduentum Romanorum se receperunt, *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Tunc enim erat aditus ad montes; nam postquam aduenerunt milites Romani triplici aggere circuncinxerunt ciuitatem, itavt nulla esset via ad fugam, *Circundabunt te inimici tui vallo*, Luc.19.num.43. De quo Iosephus lib.7.de Bello c.7.& 13. & Christiani, qui erant in ciuitate ante militum aduentum fugerunt ad montes, & ad Pellam vrbem: vt dixi ex Eusebio, & Epiphanio in expositione.

Iosephus.

11. Hanc tandem abominationem desolationis stantem in loco sancto, siue templo, *Antichristum* esse saltem mysticè interpretantur D. Irenæus lib.5.c.5.D.Ambrosius lib.10.in Luc.D.Hilarius, D.Hieronymus, Glossa. Interlinealis hoc loco. Et hic sensus est mysticus. Antichristus enim erit abominatio desolationis, omni suo conatu intendens euertere populum Christianum, templáque Dei prophanare. *Itavt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus*, ait Paulus 2.Thessalonicens.2. num...

Irenæus. Ambros. Hilar. Hieron.

De Antichristo.

QVÆSTIO II.

Quare cum narratur abominatio desolationis Antichristi, primò describitur à loco sancto?

12. MAGNITVDO, ac terribilitas abominationis Antichristi ex multis describitur in præsenti

præsenti. *Qui in tecto est, non descendat tollere tunicam suam.* Et iterum: *Væ prægnantibus, & nutrientibus*, &c. Tandem: *erit tribulatio magna*, &c. Tamen in capite omnium abominationum, ac persecutionum ponit Dominus *abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Omnium pessima ac horrendissima abominatio ex loco sancto prophanato ostenditur.

Abominatio omnium pessima ex loco sancto prophanato.

13. Ostendit Deus Prophetæ suo Ezechieli abominationes, quas filij Israël faciebant in templo: *Et introduxit me ad ostium atrij:* Ezechiel. 8. n. 7. *& dixit ad me: ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic:* n. 9. & postea iterum Dixit ei Dominus: *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt: Et introduxit me per ostium portæ domus Domini* Ibidem n. 13. Iterum instat Dominus, atque illi. *Adhuc conuersus videbis abominationes maiores: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi viginti viri*, &c. Ibidem n. 15. Valdè insudant expositores, vt explicent, quare malitia posteriorum, malitiam priorum superabat? Omnes enim abominationes in specie idololatriæ continebantur, quare ergo posteriores prioribus excedebant? Pro certo mihi est, quod malitiæ incrementum ex loci circunstantia desumebatur. Nam si Prophetam consulis inuenies, quod primæ abominationes erant in atrio templi, secundæ in porta domus Domini, vltimæ verò inter vestibulum, & altare, in sanctuario nempe; ex maiori ergo sanctitate loci maiorem deformitatem induebant illæ idololatriæ adorationes. Vbi enim maior est sanctitas loci, maior reuerentia illi debetur. Vnde qui ibi peccat, necesse est vt maiori peccati abominatione fœdetur. Vnde Philo Hebræus lib. de Cherub. loquens de huiusmodi peccatis in templo, ait; *Quandiu intra priuatos parietes, locáque prophana continentur, minus pecca: vt mihi videntur: vbi verò turpitudo terrentis in morem populans omnia, vel sacratissima templa irrumpit: quidquid in his sanctum est, sternit continuo; faciens profana sacrificia*, &c. Vide suprà c. 41. n. 39. 40. 41. 42. & 43.

Exod. 8.

Ex maiori sanctitate loci maior peccati grauitas.

Philo.

14. Ex quo considera, quam horrenda, ac execrabilis erit Antichristi persecutio, abominatio super omnes abominationes; Ita enim templa Dei prophanabit, vt in ipsis tanquam supremum diuinum numen se constituet, ait Paul. 2. ad Thessal. 2. num. 4. *Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus:* & Danielis 11. numer. 36. *Eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum patrum suorum non reputabit, nec quemquam Deorum curabit, quia aduersus vniuersa consurget.* Expende illud Apostoli: *Eleuabitur suprà omne, quod dicitur Deus:* & illud Prophetæ, *eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum.* Ex quo docent D. Ambrosius, D. Chrysostomus, homil. 49. in Ioan. D. Irenæus lib. 3. cap. 6. quod Antichristus homines inducet, vt se tantum venerentur, & recognoscant, vt Deum, & vt excellentiorem, ac potentiorem omni illo, qui hactenus nominatus est Deus; vnde non solum adorationem veri Dei Domini nostri Iesu Christi, sed etiam omnia idola, ac eorum cultum intendet auferre de terra.

2. Thess. 2.

Dan. 11.

Ambros. Chrysost. Irenæus.

Antichristus solus tanquã Deus vult haberi.

15. Auferet Antichristus vniuersa idola de terra, de quo Suarez 3. part. tom. 2. disput. 44. sect. 4. §. *Oritur tamen.* Non pro cultu, sed pro superbia, vt solus ipse habeatur tanquam Deus, quod etiam iam excogitauit Barbarus ille Chaldæus; *Præcepit illi Nabuchodonosor Rex, vt omnes Deos terra exterminaret, videlicet, vt ipse solus diceretur Deus.* Iudith. 3. num. 13. Caius apud Assyrios modo claua arrepta sese vertebat in Herculem; modo sumpto caduceo in Mercurium: modo thyrso in Bacchum: modo fulminibus in Iouem, cur hæc faciebat Caius? Pulchrè Philo lib. de legati. *Vniuersos*, ait, *sibi honores iubebat congeri, vt eos, quibus inuidebat, Deos vinceret.* Pro arrogantia, superbia, ac ambitione, omnes diuinos honores sibi intentauit adscribere, vt ipse solus vt Deus haberetur. Vide suprà c. 16. n. 57. 58 59. &c. 30. n. 11. 12. & 13. & c. 37. n. 67.

Iudith. 3.

Philo. *Antichristus Deo vult inferre bellum, & omnia esse.*

Suar.

Qvæstio III.

Quàm terribilis sit abominatio Antichristi ex quadruplici ratione ostenditur.

16. PRIMO. Abbominatio desolationis inducta ab Antichristo, erit crudelitate, ac immanitate tormentorum in Christi membra: ait Regius Vates, Psalm. 79. num. 9. *Vineam de Ægypto transtulisti:* Et postea n. 13. subdit: *Vindemiant eam omnes, qui pertergrediuntur viam. Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Per vineam intelligunt Patres Ecclesiam, quam Deus ex gentibus congregauit. *Vindemiant eam omnes, qui pertergrediuntur viam.* Multi enim tyranni, ac hæretici prætergredientes viam, ac cursum huius vitæ: *Vindemiant eam.* Multas persecutiones contra ipsam excitantes, fortissimósque eius milites interficientes. Tamen *exterminauit eam aper de sylua.* Exterminauit, in Hebræo legitur in futuro. Et D. Hilarius. *Deuastabit eam.* D. Augustinus, *Conculcabit.* Hic apet iuxta multos apud Lorinum denotat Antichristum. & perpende. Quòd de aliis tyrannis dicitur. *Vindemiant eam.* At de Antichristo dicitur: *Exterminauit eam:* seu *deuastabit.* Alij tyranni sua aduersitate aliquid vindemiarunt, ac decerpserunt ex Ecclesia, aliquos sanctos Martyres interficientes. At tempore Antichristi tanta erit abominatio desolationum, vt quodammodo videatur eam exterminare; sed propter electos breuiabuntur dies illi, nam Ecclesia vsque in finem seculi perdurabit.

Pſalm. 79.

Hilar. Auguſt.

Valdè crudelis persecutio Antichristi contra Ecclesiam.

17. *Exterminauit eam aper de sylua.* Rhodiginus de porco syluestri interpretatur. Et cur Antichristus porcus syluestris dicitur? aliæ feræ ore demolimur vineas; at aper syluestris ore, dentibus, manibus, pedibus, ac sagittis è suo corpore deuastat, dilacerat, ac exterminat vineas, Antichristus enim omnibus suis actionibus erit intentus ad demoliendam vineam Domini. *Singularis ferus:* S. Charin. explicat *vnicus ferus.* Nam Antichristus in inferendis abominationibus desolationis inter omnes tyrannos ab orbe condito erit vnicus, & singularis. Ioachimus Abbas in cap. 9. Apocalyps. numer. 11. ad illa verba *latinè habens nomen exterminator.* Sic ait ipse: *Vindemiant eam*, qui transgrediuntur viam, Aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. *Quod tale est, ac si diceretur, multi quidem hæretici*

Rhodig.

S. Charin. *Vnica, & singularis illius persecutio.* Ioachim.

transeuntes viam damna multa,& opprobria intulerunt Ecclesiæ, quæ ad tempus poterant tolerari: quia etsi perdebatur fructus,ita tamen integra in suo statu manebat: at ille,qui dicitur aper de terra, interabiliter exterminabit eam,itaut non videatur esse vinea,sed solitudo deserti. De hoc iterum infrà.

18. Secunda, & crudelissima abominatio desolationis ab Antichristo erit in corde fidelium muneribus datis,quibus homines ad se deuinciet, ac adducet, ipse enim erit ditissimus. Daniel.11. n. 43. *Dominabitur thesaurorum auri,& argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti.* Vnde D.Anselm.in Elucidario ait. *Quod de industria dæmonum omnis pecunia occulta erit ei manifesta.* Ac proindeamplissimis largitionibus facilè magnam hominum multitudinem ad se alliciet; at his maximè se opponent Magnus Parens Elias,ac Henoc earum nequitiam, ac turpitudinem indicantes, ac demonstrantes, eis tamen magna hominum multitudo non acquiescet,nec eos, cum sint viri sanctissimi,ac verissimi,audiet, sed potiùs adhærebit Antichristo nequissimo, ac mendacissimo. Antichristus cum sit opulentissimus multa dona conferet. At verò Elias,& Henoc & pauperes,& humiles, & ex donis fidelium occultè oblatis alimentabuntur; ex hominum autem conditione plus fidei datur manu largienti etiam mendaci, quam veraci voci expostulanti.

Dan. 11.

Anselm. *Antichristum valdè ditem.*

19. Disponit Isaac dare benedictionem primogenito suo Esaü, qui erat vir pilosus, quod cum audisset Rebecca,amore propensa in Iacob ipsum introduxit ad Patrem,vt ab illo impetraret benedictionem, & vestibus Esaü valde bonis induit eum,pelliculásque hædorum circundedit manibus, pulmentum, ac panes dedit, vt patri suo apponeret ad comedendum,quibus illatis accessit Iacob ad patrẽ. *surge, comede de venatione mea; Vt benedicat mihi anima tua.* Nam ego sum primogenitus tuus Esaü, quo audito expauit bonus senex, ex voce enim bene agnouerat esse Iacob.Tunc ait illi. *Accede huc,vt tangam te fili mi, vt probem vtrũ tu sis filius meus Esau,an non; Accessit ille ad patrẽ,& palpato eo dixit Isaac: vox quidẽ,vox Iacob est,sed manus sunt Esau.* Gen.27.n.21. quo palpato Pater ei confert benedictionem: *Benedicens illi,ait: ecce odor filij mi,*&c. Cur Isaac in hoc negotio sic procedit? Cur benedictionem impendit?Nam si manus ostendebant Esaü, vox indicabat Iacob, cur potius manibus credidit quam voci, nam in manibus poterat esse fallacia, in voce verò nulla, cur ergo potius manibus, quam voci credidit? Manus etsi mendosè pilosæ apparetent,cibos tamen porrigebant,at verò vox etsi vera postulabat tamen: *Pater da mihi benedictionem:*& plus credidit Isaac mendaci manui exhibenti,quam veraei voci exposcenti.

Gen. 27.

Plus creditur mendaci manui exhibenti quam veraci voci exposcenti.

20. Tertia abominatio Antichristi erit iniqua munerum distributio, cum iniqui,& pessimi ad dignitates subleuẽtur. *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto.* Hanc abominationem. D.Chrysost.homil.2. contra Iudæos. D. Hieron.in Marcum sic interpretantur: *Omne simulachrum,& hominis effigies apud Iudæos appellatur abominatio.* Hoc autem simulachrum explicat Abulens.q.98. *Sacerdotes indigni*, ait, *qui sunt parietes dealbati*; frequenter in scriptura Sacerdotes,& prælati appellantur simulachra,& idola iuxta illud Zachar.11.n.17. *O pastor, & idolum.* Vnde D. Marcus pro *stantem in loco sancto*: posuit: *stantem vbi non debet.* Nam indignus in dignitate stat vbi non debet,quod est tantum nefas, & tanta reipublicæ deuastatio,ac desolatio, vt sit quædam abominatio desolationis ab Antichristo perpetranda.

Chrysost. Hieron.

Abulens.

Zachar.11.

Indigni in dignitate, abominatio desolationis. Marc. 21. Isai 13. Ioël.2.

Ait Isaias 13.n.10. *Obtenebratus est sol in ortu suo.* Valdè tamen dissimili modo loquitur Ioël.2. n.31. *Sol conuertetur in tenebras*; In vtroque loco stat magna pars interpretum, quòd sermo sit de prælatis. Cur tamen apud Isaiam dicitur obtenebratus in ortu suo; apud Ioël verò narratur, quòd conuertetur in tenebras tempore sui cursus; Isaias loquitur de Antichristo,Ioël verò de communi,ac tempore ordinario, quando Sol in ortu clarè lucet, & homines probi eliguntur, postea verò misera conditione humana obtenebrantur, & à rectitudine deuiant; at verò Isaias agit de tempore Antichristi,quando in ortu, & creatione sua assumet solem obtenebratum, homines nempe vitiorum tenebris detentos, homines autem sic deprauatos in loco sublimi constituere, tanta est abominatio desolationis, vt ab Antichristo pro re horrenda, & execrabili vt perpetranda denuntietur.S. Aëlredus serm. 10. *Multi*, ait, *initio Sacerdotij sui lucent, quorum scilicet, & vita integra est,& electio sana,qui tamen postea morum mutatione obtenebrescunt: at instanti tempore Antichristi, ita mortalium mentibus dominabitur auaritia,& ambitio,vt etiam ipsa promotionis initia quasi ortus Solis tenebris plena sint; quia nimirum & vita pessima procedet,& peruersa intentio,& turpis ingressio succedet.* Et hæc erit grauissima persecutio Antichristi, quòd homines indigni, peruersi constituantur capita regnorum,prouinciarum,ac ciuitatum. Vide suprà c.44.n.96.

Indignum in dignitate constituere, abominatio desolationis.

S. Aëlredus

12. Quarta abominatio desolationis fiet ab Antichristo blanditiis,ac illecebris, quibus homines maximè demulceat, ac ad se magis alliciet,ac deuinciet, quàm omni alio suo vitio,& potestate, cum his se ad vniuscuiusque mores componet, ac insinuabit,de quo infrà agam q.11.

13. *Visum est aliud signum in cœlo: & ecce draco magnus rufus,habens capita septem,& cornua decem,& in capitibus eius diademata septem; & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli.* Apocal.12. num.3. Draco processit, vt bellum inferat mulieri, ac vt stellas de cœlo in terram proiiciat; Cur ergo in tanta pugna non habet pro bellico instrumento septem capita, quæ sunt septem capitalia vitia? Cur non decem cornua,quibus decertat aduersus decem decalogi præcepta? cur non decem diademata, quibus eius amplissima potestas denotatur? Sed tantum *cauda trahebat tertiam partem stellarum*? Per caudam significantur blanditiæ, ac illecebræ, nam per illam animalia se tota hominibus ingerunt, ac insinuant, vt patet in cane apud Tobiam 12. blanditiis autem, ac insinuationibus plus Antichristus ad se deuinciet,ac inclinabit, quam omni alia sua potestate,vitio ac turpitudine. Fauet D.Gregor.lib. 32.Moral. c.14. *Draconis*, inquit, *cauda in terram stellas deiicit,quia illa Satanæ extremitas,per audaciam (Antichristi) erecta quosdam quos velut electos Dei in Ecclesia inuenit,& obtinendo reprobos ostendit.* Vide infrà q. citatam.

Apoc.12.

Plus Antichristus deuincet blanditiis, quam potestate. Tob.12.

Gregor.

QVÆSTIO

Qvæstio IV.

Quare Christus Dominus hic adducit testimonium ex Daniele Propheta?

24. Abulens. *Homines dissuadere à vana spe multum ponderis est.*

RESpondet Abulensis. Primò. qu.10. quia in ipsa prophetia Danielis 9. non solum continetur excidium Ierosolymæ, sed etiam multa alia, quæ ad ipsum Christum Dominum, ac populum Iudaïcum pertinebant; ibi enim agit Propheta quomodo Christus Dominus esset negandus, ac occidendus a populo suo. Ibi n.26. & quomodo status reipublicæ Iudaïcæ tam quoad Sacrificia, & legem, quam quoad templum, & cultum eius erat omnino perimendus, ac extinguendus vsque in finem sæculi. *Vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Ibidem n. 27. Vt Iudæi omni spe deposita semetipsos dissuaderent à restauratione suæ ciuitatis, templi, & cultus eius.

25. Chrysost. *Tristia & funesta difficiliter persuadentur.*

Secundò. D. Chrysostomus. *Quia suprà*, ait, *occulte insinuauit Dominus Ierosolymæ finem, conuenienter idem ostendit manifestè, prophetiâ inducens, qua destructionem Iudæorum credere facit.* Suprà c.23. in fine occultè insinuauit Dominus Ierosolymæ excidium. *Relinquetur domus vestra deserta.* Nunc verò aperrè illud explicat, res enim magni ponderis manifestè, & clarè sunt aperiendæ, ac manifestandæ. Deinde, quia Iudæi maximè credebant testimonia Prophetarum, ideo illud his inducit Christus Dominus, qui misericordiæ viscеribus volebat eos monere, vt à tam miserabili calamitate semetipsis cauerent, ab illaq; fugerent. Tertiò, quia quæ Dominus denuntiabat, erant Iudæis valdè tristia, & funesta, ideo eis erant creditu difficilia, ac proinde multo testimonio fuerunt corroboranda; sicut enim homo facilè admouit his, quæ sibi applaudunt, sic multum renuit ea, quæ ei aduersantur.

26. Dan. 5. Pereira. Cornel.

Duobus regibus somnia explicat Daniel; Nabuchodonosor scilic. & Balthasari filio eius. Ad Nabuchodonosor ingreditur Daniel absque, alicuius testimonio approbante, ac suffragante; at ad Balthasar introducitur, magna, & præclara Reginæ testificatione de eius scientia, prudentia, ac sapientia, & intelligentia diuinorum. Sic de eo ait Regina. *Est vir in regno tuo, qui spiritum Deorũ sanctorũ habet; & in diebus patris tui scientia, & sapientia inuenta sunt in eo. Nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus principem Magorum, incantatorum constituit eum*, &c. c.5.n.11. Cur cum tantis encomiis ducitur Daniel ad Balthasar, cum aliàs satis notus esset, vt rectè probant Pererius, & Cornel. nam tempore patris sui multum præclarus extitit Propheta. Cur ergo sine vlla approbatione ad patrem, cum tanta verò ad filium introducitur Daniel? omnia diuino nutu disponebantur. Accessit Propheta ad Nabuchodonosor fausta, ac præiucunda annunciaturus, ait enim ei. *Tu Rex regum es: & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri: volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit. Tu es ergo caput aureum.* c.2.n.37. At Balthasari valdè funesta, & exitialia exponit. *Appensus es in statera, & inuentus es minus habens. Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* cap.5. n. 27. Cum Propheta Nabuchodonosori plausibilia, ac fausta proponeret; absque aliquo testimonio, vt credita facilè in corde eius insinuarentur; At Balthasari cum horrenda, & tremenda diceret, quibus multum animus eius aduersabatur, magno, & vrgenti testimonio fuit compellendus, vt Prophetæ dictis assentiretur; illisque fidem daret.

Qvæstio V.

Quare cùm Persecutio Antichristi totum premet orbem, Christus tamen peculiariter ait, quod qui sunt in Iudæa, fugiant ad montes?

27. Abulens.

SI de excidio Hierosolymitano cum communi sententia hæc intelligantur; Iudæa hic, vt ait Abulens. q.107. sumitur strictè, vel latè. Strictè pro sola Hierosolyma, latè verò pro toto Iudæorum regno. Nam deuastatio à Romanis facta totum illud apprehendit, ait ergo Christus, quòd qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes; seu ad terram montosam, quæ erat extra Iudæam, vt dixi in expositione, docent D. Chrysostomus, Beda Abulensis q. 109. obseruat enim ipse ibi, quod terra Iudæa cæteris planior erat; & ita fecerunt Christiani fugientes ad vrbem Pellam, quæ erat sub Dominio Regis Agrippæ. Chrysost. Beda. Abulens.

28. *Difficultas quæstionis.*

Quia tamen hæc etiam intelliguntur de tempore Antichristi iuxta multos Patres datos q.1. ideo difficultas est cur Christus Dominus peculiariter mandat, quòd qui in Iudæa sunt sibi caueant, & fugiant ad montes. Nam error Pseudoprophetarum vbique disseminabitur, sancti vbique cruciabuntur; cur ergo de his, qui sunt in Iudæa, tantam curam habet Dominus?

29. Hilar.

Primò. Respondet D. Hilarius. *Quia*, ait, *proprius iste Iudæa erit error, vt qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem, Iudæam deseri monet, & transfugere in montes, ne admistione plebis illius Antichristo creditura visa, vt contagio efferatur; sed omnibus qui tunc fideles erunt, tutiora futura sint deserta loca montium, quàm frequentata Iudæa.* Aduenientе Antichristo populus Iudaïcus tanquam verum Messiam ipsum recipiet, & venerabitur; ab hoc ergo populo tanta iniquitate, ac impietate efferuescente iubet Christus fideles suos separari, & fugere. Nemo quantúmcumque fidelis securus de se sit, nemo tutus, nemo se immunem reputet à contagio tanti criminis, ac sceleris, & ideo ne ex consortio errore illaqueentur; iubet à Iudæa fugere, & declinare. *Ne admistione plebis illius Antichristo creditura visa, vt contagio efferatur.* Vide c.1.n.88. & 89. & c.11.n.45. & 36. & c.9.n.27. & 28.

Qui pessimè sociatur, periclitatur.

30. Psal.75. Psalm.8. *Christianus scriptura defenditur ab homine.*

Secundò. D. Chrysostomus in Imperfecto homil. 49. *In illo tempore Antichristi*, ait, *qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: ideſt, qui sunt in Christianitate, conferant se ad scripturas. Montes autem sunt Scriptura Apostolorum, aut prophetarum, de quibus dictum est.* Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Psalm. 75. n.5. fundamentum eius in montibus sanctis. Psal. 8. numero 2. *Quia tempore illo nulla probatio poterit esse vera christianitatis, neque refugium poterit esse christianorum aliud, volentium cognoscere*

fidei veritatem, niſi ſcripturæ diuinæ. Per Iudæam ergo intelligit Eccleſiam; tunc fideles, qui in ea fuerint, reſpiciant ſe ad ſcripturas, vt illis corroborati, errores, ac falſitates intelligant, vt ab illis fugiant, & caueant.

31. Cæſarius. Tertiò, Cæſarius Nazianzeni frater: Dialogo 3. *Qui in Iudæa ſunt*, ait, *ad montes confugiant, qui in pietate ſunt ad ſublime refugium, nempe Chriſtum reſpiciant, ſub eius confeſſione cuſtoditi.* In tanta perſecutione qua totus premitur orbis, ſolum Dominus curat de his, qui ſunt in Iudæa, vt fugiant ad montes, vt ibi illæſi ab omni periculo maneant; Iudæa idem eſt, ac confeſſio, qui ergo ſunt in confeſſione fidei, in confeſſione filij Dei, in ipſa confeſſione habent montem, ad quem aſcendant, vt ibi ab omni periculo moneantur, & cuſtodiantur.

Confeſſione fidei ſuperatur omnis aduerſitas.

32. 1. Ioan. 5. Ait Ioan. Epiſtol. 1. cap. 5. num. 4. *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria, qua vincit mundum fides veſtra.* Valdè manifeſtum eſt quot bella mundus parat aduerſus electos Dei, multas nempe perſecutiones, tentationes, vexationes, ac tribulationes, tamen qui natus eſt ex Deo hæc omnia vincit, & ſuperat, ſed quibus armis de mundo ſic triumphat? fide nempe. *Hæc eſt victoria, qua vincit mundum, fides veſtra.* Qui enim fide munitur, de omni mundano aduerſario glorioſum triumphum agit, & victoriam de omni hoſtili impètu certam habet, fides enim homines facit ſuperiores mundo, & cœleſtibus ingerit. Eleganter D. Bernardus ſermon. in octaua Paſſionis. *Bene ergo*, ait, *quod natum eſt Deo, vincit mundum, vt ſit teſtimonium cœleſtis generationis. Et ſicut is, qui filius eſt per naturam, mundum cum ſuo principe triumphauit; ſic & nos victores inueniemur, quotquot ſumus filij adoptionis. Victores ſanè ſed in ipſo, qui confortat nos, in quo & poſſumus omnia, quia hæc eſt victoria, qua vincit mundum, fides noſtra.*

Fide omnia mundialia vincuntur.

Bernard.

33. Ioſue 6. De Iericho edictum propoſuit Ioſue cap. 6. num. 17. *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt Domino.* Et ita ingredientes milites: *Interfecerunt omnia, quæ erant in ea, à viro vſque ad mulierem, ab infante vſque ad ſenem. Boues quoque, & oues, & aſinos in ore gladij percuſſerunt.* Numer. 21. Et tam durum rigorem Ioſue in ciuitate exercuit ex Dei oraculo, vt ſapienter notat R. P. Magiſter Emmanuel Naxera ad citat. numer. 17. Tamen Rahab meretrix cum tota ſua familia à tanto excidio, ac deuaſtatione immunis, & libera euaſit, ſed qua arte, qua induſtria, quibus armis? fide nempe, de ea ait Apoſtolus Hebr. 11. num. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis.* Sic enim ipſa confitens mirabilia, quæ Deus fecit in Ægypto, & per viam deſerti ait: *Dominus enim Deus, in cœlo ſurſum, & in terra deorſum.* Ioſue 2. num. 11. Pereunte toto populo ſuo totáque ciuitate ab homine vſque ad minimum animal, ipſa tamen ſalua cuſtoditur cum tota ſua domo? Merito ſanè confugit ipſa ad fidem tanquam ad arcem, ac aſylum, ad quod qui ſe recipit ſecurus, & liber eſt ab omni malo emergente, ac excidio deuaſtante, D. Thom. *Rahab meretrix per fidem liberata eſt, & non periit cum incredulis, qui corporaliter perierunt.*

Nazera.

Hebr. 11.

Ioſue. 2. *Fides aſylum contra omnes aduerſitates.*

D. Thom.

Matth. 24. *n.* 17. Et qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua.

Num. 18. Et qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam.

VERSIONES.

Syriac. n. 17. Et is qui fuerit in tecto, non deſcendat, vt ſumat quæcumque ſunt in ædibus ſuis.

Græcus. Super tectum, non deſcendat tollere ea, quæ ſunt ex domo ſua.

Vatabl. Non reuertatur retro, vt accipiat veſtimentum ſuum.

Cyprian. de exhort. Mart. Auferre veſtimentum ſuum.

Theophylact. Vt tollat veſtes ſuas.

Pagninus.

Græcus. Tollere pallium ſuum.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. *n.* 15. Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo ſua.

Num. 16. Et qui in agro erit non reuertatur retro tollere veſtimentum ſuum.

EXPOSITIO II.

Et qui in tecto. Seu vt habet D. Marc. *ſuper tectum.* Tecta domorum in Palæſtina erant ſuperne plana, itaut in eis Iudæi cœnare, conuerſari, ac deambulare ſolerent. *Non deſcendat tollere aliquid de domo ſua:* dixerat Dominus: *Qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes: Hoc eſt, ad loca tutiſſima.* Quò eos Romani non ſequatur; nunc in præſenti. *Non deſcendat tollere aliquid,* &c. Hanc fugam valde celerem, & inopinatam deſcribit, quam ſuadet, & ad quam exhortatur. Itaut qui ſunt in tecto, non interponant aliquam moram, vt ex tecto deſcendant in domos ſuas, vt cibum, pecuniam, vel aliud quidpiam è domo aſportent, ſed ex ipſo tecto vnico ſaltu deſiliat, vel tunc celerrimè ſe demittat, vt cladem effugiat, & periculo non ſe exponat, pro enim conſeruanda, ac tuenda vita omnia ſunt dimittenda. Hæc tamen locutio eſt hyperbolica, vt notant Ianſenius, Maldonatus, Barradas, Franciſcus Lucas, vt Dominus exaggeraret celeritatem fugæ ob imminentem ſummam calamitatem. Vnde ait Abulenſ. quæſt. 113. *Iſta,* ſcilicet verba, *accipienda ſunt magis ad modum loquendi, quam ad cerricem verborum.* 54. Marc. Ianſen. Maldon. Barrad. Franc. Luc. Abulenſ.

Et qui in agro eſt. Eſt ſimile hyperbole, ac prouerbium priori antecedentis verſ. In vtroque loco Chriſtus Dominus ſuadet ocyſſimè fugere omnibus relictis. *Vt inexitabilem, & ſummam calamitatem oſtendat,* vt ait D. Chryſoſt. *Non reuertatur tollere tunicam ſuam.* Solent frequenter agricolæ cùm ad excolendum agrum tendunt, domi, 55. Chryſoſt.

domi, vel alibi pallium, seu vestimentum exterius deponere, vt expeditiores sint ad laborandum. Monet Dominus, vt pro illo ad domum non reuertantur, sed ex ipso agro in fugam se recipiant. D. Marcus ait: *Ne reuertatur retro.* Est phrasis Scripturæ multam vehementiam, ac celeritatem in fuga denotans. Loth dicitur Genes. 19. num. 17. *Salua animam tuam, noli respicere post tergum*, Ierem. 46. n. 5. *Fugerunt concisi, nec respexerunt.*

Genes. 19. Ierem. 46.

QVÆSTIO VI.

Quare Christus dixit de illis, qui erant in tecto, vel agro, quòd non reuertantur tollere vestimentum, vel aliquid de domo sua?

36. SENSVM literalem dixi in expositione iuxta anagogem. Respondet primò D. Hilarius can. 25. in Matth. *Qui igitur, ait, in consummatione domus suæ, id est, in corporis sui perfectione cõstituerit, regeneratione nouus, spiritu celsius, & diuini muneris absolutione perfectus, non descendere in humilia rerum secularium cupiditate debebit, neque in interioribus corporis illecebris prouocatus, de tecti sui sublimitate descendere.* Mysticè domini documento admonemur, quòd ille, qui est in sublimitate, ac in alto cacumine virtutum in hac vita, ac in perfectione spiritus, caueat ne descendat ad rerum humilia, ac ad secularium cupiditates. Accepto igne diuini spiritus Petrus *ascendit superiora domus, vt oraret*, Actor. 10. num. 9. Non ad ima descendit, sed semper ad superiora magnus spiritus Petri ferebatur. D. Cyrillus Alexandrinus l. 9. in Leuit *Petrus*, ait, *quæ sursum sunt, quærebat, non quæ supra terram. Illuc ascendebat, ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit Dominus, qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua.*

Hilar.

Homo qui mente ad sublime fertur, & non descendat.

Act. 10.

Cyrill.

37. Secundò. D. Chrysostomus in Imperfecto, homil. 49. *Si relinquere videmur inferiora corporis nostri, & ascendamus ad cor & caput viuentes secundum illas virtutes, quæ sunt in capite, aut in corde, aut in spiritu: quæ omnia tecta domus nostræ dicuntur. Mandat ergo fidelibus viuentibus in sanctitate, ne aliquid concupiscant carnale, quod est descendere, ne fortè per occasionem desiderij illius, diabolus inueniat locum, & trahat ad abominationem desolationis, & pereant. Item qui est in agro, id est in Christo, non reuertatur retrò tollere tunicam suam, id est aut conuersationem, aut cultum priorem.* Quod etiam habent Euthymius, Hugo, & alij. Monet Christus Dominus, quòd ille, qui est in tecto, vel in agro, non reuertatur tollere aliquid de domo sua, & cur non reuertetur cum illa sint necessaria ad vitæ sustentationem, sine quibus viuere non potest? Vrget Christus Dominus: *Non reuertatur*, qui enim est in tecto, in alto nempe virtutis cacumine, seu in agro, hoc est in Christo plantatus, viam perfectionis sequens, caueat ne reuertatur retro ad domum suam, ac terrena prætextu alicuius humanæ vitæ commoditatis; ne abominatio desolationis eum apprehendat: grauissimum periculum imminet iis, qui vitam spiritualem profitentur, si inde descendant tollere aliquid de bonis carnalibus, ac terrenis, facilè eos comprehendet extrema abominatio desolationis, qua omnino miserabiliter pereant.

Chrysost.

Euthym. Hugo.

Terrena, semel relicta non sunt amplius repetenda.

38. Cum Abrahamus degeret in terra Chanaan, tertáque Promissionis. *Facta est fames magna in terra: descenditq; Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi*, Genes. 12 num. 10. Magna erat inopia frumenti in terra Chanaam. At Chaldæa multa illius copia abundabat, sicut & Ægyptus. Cur Patriarcha non potiùs eligit Chaldæam, in qua haberet multam rerũ opportunitatẽ; in Ægypto verò cum esset terra extranea multa poterat timere infortunia, hæc omnia contemnit iustus, & in Ægyptum proficiscitur. Deus mandauit Abraham discedere ex Chaldæa: *Egredere de terra tua, & de domo patris tui*, ibidem num. 1. Noluit ergo vir magnus repetere terram, quam iubente Deo semel reliquerat, prudentissimè sibi meliora iudicans omnia pericula extraneæ terræ Ægypti, quàm omnia opportuna bona natiui soli, quod iubente Deo semel dimiserat. Rupertus ad eundem locum. *Iam quidem in aperto litera est victoriosa viri obedientis perseuerantia, quia facta fame in terra peregrinationis sua, maluit adhuc in terra Chanaam, qua est Ægyptus peregrinando aliena solatia quærere, quàm ad terram, vel ad cognationem suam, de qua Deo iubente fuerat egressus, aliquatenus respicere.*

Genes. 12. *Elige potius omne periculum, quàm abiecta repetere.*

Rupertus.

Pulsanti sponso, vt aperiret ostium, ait sponsa; *Expoliauì me tunica mea; quomodo induam illa?* Cantic. 5. num. 3. In quibus verbis illud maximè est expendendum; quod ait, *expoliauì me.* Non dixit, exui, sed expoliaui. Communiter homines cum se recipiunt in domos suas, dicuntur exuere vestes. At anima sancta non hoc loquendi modo vtitur, sed ait: *Expoliauì me.* Vestis cùm exuitur paulo post iterum assumitur: at quæ expoliantur ab aliquo tanquam hoste, ita tolluntur vt nunquam amplius reassumenda, ac induenda sint; Anima sancta sic tota erat conuersa in Deum, sicque omnia terrena indumenta à se abiecerat, eáque mundo tanquam hosti reliquerat, vt nunquam amplius ab ea essent iterum assumenda, nec tangenda, & ait: *Quomodo induar illa?* Sic terrena à se abiecerat, ab illisque habebat animum separatum, vt penitus ignoraret modum, quo illa, quæ semel abiecerat pro Deo, iterum essent ab ea repetenda, ac reuocanda. D. Ambrosius lib. 3. de Virginibus, circa medium: expendens particulam illam: *Quomodo*, sic ait: *Vide, anima Deo deuota quid dicat: sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat, quomodo si velit rursus possit induere. Quomodo induam illam? Hoc est, qua verecundia? Quo pudore? Qua postremo memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit.*

39. Cant 5.

Ignorat anima sancta modum, quo terrena relicta repetat.

Ambros.

Matth. 24. n. 19. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus.

Num. 20. Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel Sabbatho.

VERSIONES.

Syriac. n. 19. Væ autem prægnantibus; & iis, quæ nutrices futuræ sunt in illis diebus!

Pagninus. Væ autem in vtero habentibus!

D. Chrysost. homil. 76. Prægnantibus, & lactantibus.

D. *Auguſt.* Et mammantibus.
in Pſal. 59.
Pagn. Arias. Hyeme, neque in Sabbato.
num. 20.

Alter Textus.

*Marc.*13.*n.*17. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.
Orate verò, vt hyeme non fiant.
*Luc.*21.*n.*23. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus.

EXPOSITIO III.

40. *Væ prægnantibus, & nutrientibus.* Seu mammantibus, ſeu lactantibus. Super has mulieres peculiariter lamentatur Dominus, quia prægnantes ſarcina vteri, nutrientes onere infantium lactantium grauatæ, fugere non poterunt illa celeritate, quam neceſſitas exigit, vnde à militibus Romanis fæuientibus capientur, & ita ſimul cum ſuis paruulis trucidabuntur, ita exponunt D. Chryſoſt. D. Hilar. D. Hieron. D. Paſchaſ. Euthym. Theophyl. Beda, D. Th. Caietan. & alij. Addit Theophylactus hic etiam fieri alluſionem ad rigidam famem, qua vrgente obſidione multæ matres, ac nutrices compulſæ ſunt infantes ſuos comedere. Vt teſtatur Ioſephus lib. 7. Belli cap. 8. Quod erat ſanè extrema miſeria, & anguſtia.

Chryſoſt. Hilar. Hieron. Paſchaſ. Euthym. Theophyl. Beda. D. Thom. Caietan. Ioſeph.

41. *Orate autem:* ſcilicet Deum. Docet temporum impedimenta oratione auferri poſſe; *vt non fiat fuga veſtra in hyeme, vel Sabbato*, quia hæc duo tempora valdè inepta erant ad fugam. Nam hyems valdè horrida eſt frigore, niue, luto, pluuia, ac ventis, quæ omnia ſunt magna impedimenta ad iter. Sabbatum verò etiam Iudæis erat improportionatum ad fugam, quia vt docent. D. Auguſt. lib. 1. quæſt. Euangelic. cap. 37. D. Chryſoſtom. D. Hieron. Beda. D. Gregor. homil. 12. in Euangel. Albert. Magn. Hugo, Carthuſianus, quia Iudæis in Sabbatho non licebat vltra mille, imò & multi volunt, vltra ſeptuaginta paſſus ambulare. Act. 1. num. 12.

Auguſt. Chryſoſt. Hieron. Beda. Gregor. Albert. Actor. 1.

Et quamuis tempore excidij Ieruſalem per Titum, iam Sabbatum, ac omnia legalia legis veteris eſſent extincta, cùm iam ſufficienter Euangelium eſſet publicatum in toto orbe; tamen ait Chriſtus: *Orate vt non fiat fuga veſtra in Sabbato*; loquitur cum Iudæis ex ipſorum conſuetudine, ac opinione. Vnde bis eos Chriſtus tacitè reprehendit. Primo, quia legem abrogatam adhuc obſeruarent, tanta enim ſuperſtitione tenebantur, vt potius vellent mori, quam fugere in Sabbatho. Secundò, ex lege naturæ pro conſeruanda vita licita erat fuga in Sabbatho.

Præcupatur obiectio.

***

Quæstio VII.

Quare Chriſtus Dominus dixit potius, væ prægnantibus, quàm væ claudis, agris, ac decrepitis?

NOn ſolum ad iter ſunt impeditæ prægnantes, ac nutrientes, ſed etiam claudi, mutili, ægri, ac decrepiti. Quæſtio præſens eſt, cur ergo Dominus ſolum de prægnantibus, ac nutrientibus facit expreſſam lamentationem? 42. *Difficultas quæſtionis.*

Reſpondeo. Primo, quòd mulieres fœcundæ habebantur vt benedictæ, è contra verò ſteriles, vt maledictæ: deinde prægnantes, ac nutrientes ſolent eſſe in deliciis, & ſecuræ ab omni malo ingruente, in omni moderato bello his conſueuit parci, tum propter ſexum, tum propter fœtum. Prædicit ergo Chriſtus, quod tanta erit calamitas premente Romanorum exercitu, quòd fœcundæ, quæ alias reputabantur benedictæ, execrabuntur, vt maledictæ, dicentes: *Beata ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt*, Luc. 23. n. 29. & quæ aliàs erant in deliciis, & ſecuritate, immunes non erunt à malo, ſed ipſas pernicies apprehendet, cum non valeant fugere, quæ in tanto rerum excidio erit vnica ſalutis anchora; ſic vrgente calamitate omnia mutabuntur. 43. *Calamitate omnia mutantur, & quæ erat benedicta fiunt maledicta.* Luc. 23.

Secundò. D. Iſidorus Peluſiota epiſt. 211. ſic inquit. *Væ prægnantibus, & nutrientibus, ait Dominus, ad illas animas, quæ diuinum amorem velut vtero adhuc gerunt, nec verborum libertate, ac fiducia vti, Deique confeſſionem, acrimque pro eo contentionem, ac dimicationem parere audent.* Hæc verba: *væ prægnantibus*, &c. videntur referri ad tempora Antichriſti, in quibus multi prædicatores concipientes in animo Dei amorem, illum tamen foras non edent, aut producent libera verborum confeſſione, liberáque dimicatione, ac acri arguitione contra principes, & magnates, eorum malefacta arguentes. Prouerb. 1. n. 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam*: addunt Septuaginta: *in portis dynaſtarum adſtat.* Vt ibi prædicet, & det vocem contra eos, ait Iſaias 6. n. 5. de ſe ait. *Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego ſum.* Cur tantus propheta pollutus labiis dicitur? Reſpondet Gloſſa Interlin. *Quia Oziam, & alios libere non reprehendit, ideo cum Angelis Deum laudare non merui, & timeo ne dicatur mihi, Quare tu enarras iuſtitias meas?* Pſal. 49. n. 16. 44. Peluſiota. *Arguuntur qui libere non arguunt.* Prou. 1. Septuaginta. Iſai 6. Interlin. Pſal. 49.

Tertiò D. Ambroſius in cap. 21. Luc. ad hæc verba. *Illi*, ait, *de quibus in ſuperioribus dixerat Chriſtus Dominus, edebant, bibebant, nubebant, litigabant, ſolicitudinibus ſæcularibus ſe vincientes: hi ſunt illæ mulieres prægnantes, quæ ruinam ſuæ carnis extendunt, & quibus in tumorum greſſus pigreſcunt animorum, effœta virtutum, fœtaque vitiorum.* Per mulieres prægnantes, ac nutrientes, quæ in deliciis verſantur, intelligit eos, qui carnis voluptatibus indulgent. De quibus infra ait hoc cap. 24. Matth. n. 37. *Sicut erant in diebus ante diluuium commedentes, & bibentes, & nubentes*; hi vitiis, ac illecebris maximè delicati, ac deſides efficiuntur, vt penitus eorum vires eneruentur, inutiles reddantur ad labores viæ, ac itineris. Nam vt ait D. Ambroſius in Pſalm. 118. *Cum ſomno, & cibo ferùs corpora, ſanc etiam vigor mentis ſopore laxa-* 45. Ambroſ. *Delicati inutiles ad labores.* Ambroſ.

tur, somno resoluitur: tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, & squalorem immunditia non veretur.

46. Ambros. Quartò. Idem D. Ambrosius citato loco in Lucam. *Nec illæ prægnantes*, ait, *condemnationis exortes sunt, quæ in bonorum actuum molimine constituta, necdum aliquos bonorum operum dederunt processu. Sunt quæ de Dei timore concipiunt sed non omnes pariunt, non omnes perfecti; non omnes possunt dicere: peperimus spiritum salutis in terra. Non omnes Mariæ; quæ de Spiritu sancto Christum concipiant, Verbum pariant. Sunt, quæ abortiuum verbum excludant, antequam pariant. Sunt, quæ in vtero Christum habeant, sed eum nondum formarunt.* D. Hieron. in Matth. ait: *Væ illis animabus, quæ non in perfectum virum sua genimina perduxerunt*, Ecce iuxta SS. Doctor. cur prægnantes, & nutrientes finis tempore in maiori periculo versentur, vt super illas, Væ inclametur. Non enim est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritualibus respectu damnationis æternæ: de iis nimirum, qui bona desideria, & propositum bonum de tollendis peccatis, & virtutibus plantandis conceperunt, nunquam tamen illis virtus pariendi, nec opere compleuerunt, quod sibi ad salutem necessarium conceperunt, & si quid effecerunt, nunquam tamen id adoleuit; & ideo non mirum si omnino pereant.

Hieron.

Arguuntur, qui virtutem concipiunt, & non exequuntur.

47. Zachar. 11. De populo suo ait Deus per Zachariam. c. 11. num. 8. *Contracta est anima mea in eis: siquidem anima eorum varianit in me.* Illud, contracta est anima mea in eis, alij legunt: *Tristata, est*, seu, *coangustia est anima mea.* Septuaginta: *Grauata est.* Pagnin. *afflicta est anima mea propter eos.* Vatabl. *Animus meus detestatus est eos.* Alij: *Animus meus abhorruit eos.* Sed cur Deus sic grauatur, detestatur, ac exhorret eos? Statim subdit rationem: *Siquidem & anima eorum varianit in me.* Aquila transtulit: *Non maturauit in me*: fructus iustitiæ, quos conceperat, non produxit ad maturitatem, nil enim magis Deus abhorret, nihilque ei detestabilius est, quam virtutem animo conceptam, non perficere, ac opere adimplere; qui incipit bonum opus, & opere non perficit, rem monstruosam facit. D. Augustinus serm. 8. ad fratres in Eremo: *Bonum*, ait, *inchoare, & malo fine concludere: quid est aliud, quàm monstruosa res conficere?* Et postea subdit: *Caue, ne actio tua monstrum maneat, enormis enim erit fœtus ventris, si capiti non correspondeat finis.*

Septuag. Pagnin. Vatabl. Aquila.

Detestabile opus virtutis conceptum non perficere.

Augustin.

48. Cant. 7. Ait anima ad suum sponsum: *surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt.* Cant. 5. n. 12. Exhortatur cum, vt ad vineas descendat, vt videat tantum, an ibi sint flores? minimè sed etiam: *si flores fructus parturiunt.* Parum prosunt flores, nisi maturescant in fructus; sciebat suum dilectum non delectari floribus tantum, nisi in fructus parturirent; aliter vinea indigna erat aspectu sui dilecti. D. Gregor. lib. 12. Moral. cap. 24. *Non ergo*, ait, *intuendum est si vinea floreat, sed si flores ad partum fructuum conualescant: quia mirum non est si quis bona inchoet, sed valdè mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret.*

Imperfectio qui habet flores, & non fructus.

Gregor.

49. Isai 37. Ait Rex Ezechias apud Isaiam. 37. num. 3. *Venerunt filij vsque ad partum, & virtus non erat pariendi.* Origenes legit: *Dolores partus venerunt ei, & virtus pariendi non est in ea.* Sermo est de partu actuum virtutum, sed quando introducitur concipiens, & non pariens, cur potius proponitur fœmina, quàm vir, quia in animo concipere virtutem absque edito partu, & fœtu in lucem, non est virilis virtutis, sed fœminæ debilitatis. Origenes homil. 10. in Exod. *Perfecti ergo sunt viri, & fortes, qui statim vt concipiunt, pariunt; ideſt qui cõceptum fidei verbum in opera producunt. Anima autem, quæ concipit, & in ventre retinet, & non parit, ipsa mulier apellatur, sicut propheta dicit, Dolores partus aduenerunt ei, & non erat virtus pariendi.* Vide suprà c. 22. n. 33. c. 39. n. 20. 21. 22.

Debilis animus concipit virtutem, & non parit. Origen.

QVÆSTIO VIII.

Quare mandat Dominus orare, ne fugâ contingat in hyeme, vel Sabbatho?

50. Ambros. SENSVM litteralem dedi, in expositione, mysticum inquirimus. Primò respondet D. Ambrosius ad citatum cap. 21. Luc. *Et quia*, ait, *septuaginta annis populus in captiuitate duraui, tunc violata religio, obtrita libertas, pudicitia vulnerata. Ergo tunc tibi emigrandum ex hac vita, quando virtutes vigent, vitia captiua tua; non quando captiua est anima, & vigor eius, & virtus vacat, & corpori peccata dominantur.* Figurata est locutio ex septenario numero, & fit alluſio ad captiuitatem Babylonicam, quæ septuaginta annos duravit, monet ergo nos Dominus Magister orandum esse à Deo, ne fuga ab hac vita, seu mors nobis contingat in seruitute captiuitatis Babylonicæ detentis, hoc est quando peccatorum laqueis sumus irretiti, quia tunc certissime in interitum æternæ damnationis incidemus.

Ne mors colligat dum peccata vigent.

51. Athanas. Secundò. D. Athanas. q. 83. *Hyemem*, ait, *peccata vocat, & Sabbatum securitatem: dicit ergo væ anima in peccati securitate, vel socordia constituta.* In hyeme ob frigus denotantur peccata, in Sabbato verò securitas, nam in illo Iudæi se liberos ab omni infortunio existimabant. Christus in præsenti loquitur de obsidione Hierosolymæ, & quando omnes alij maximè erant pleni timore, & multa miseria, ac tribulatione vexabantur. Merito væ dicitur de illis, qui in peccatis securi agunt, & sibi dies festos parant.

Miser, qui dũ aly periclitantur, ipse in peccatis securus est.

52. Basil. Tertiò. D. Basilius in Isaiam: *Intelligendum est*, ait, *dictum illud Euangelicum, ne nobis tunc incidat fuga, cum per inertiam vitiam nostram traducimus.* Conuenit nobis orare, ne fuga fiat in hyeme, vel Sabbatho, & cur nobis tam suspecta est hæc fuga támque cauenda? In hyeme intelligitur torpor inertiæ, & negligentiæ, tunc enim frigore membra contrahuntur, in Sabbatho verò denotatur vacatio laboris. Cùm ergo negligentia cum vacatione operis regnat, tunc maximè deplorata est sors nostra, maximéque nobis timendum, valdè enim periculosum est simul iungere inertiam vitæ, & sæculi fugam, non enim potest fugere à sæculi vanitate, qui otio indulget. Vide suprà c. 34. n. 23. 24. 25. 26.

Non fugit à sæculo, qui inertiæ indulget.

53. Carthus. Quartò. Carthusianus: *Spiritualiter*, ait, *per hyemem exprimitur tempus, sine extinctio charitatis; per Sabbathum vacantia boni operis, & qui in istis est, inaniter fugit, cum manum Dei non possit effugere.* Sine charitate, ac cum vacantia operis inaniter quis præsumit fugere ab ira Dei, illis enim non effugiet, sed potius in eam incidit.

Otio vacans non fugit ab ira Dei.

54. Cæsarius. Quintò. D. Cæsarius Arelaten. homil. 41. *Ne*

fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho. Sic ait: *quasi apertè dicat, videte, ne tunc quaratis peccata fugere, quando iam non licet ambulare.* Vt fugeret à calamitate, ac ruina peccatorum habuit homo omnes dies hebdomadæ, omnésque dies vitæ suæ, caueat ergo ne relinquat fugam, ac declinationem à peccatis ad extremum tempus. *Quando iam non licet ambulare.* Vt Iudæis non licebat longum iter in Sabbatho; tunc fortè non erit ei occasio, ac opportunitas, vt à suis peccatis valeat exire, ab eísque ad semitam iustitiæ declinare; & non decipiatur homo, ex eo quòd aliquando à periculo, ac laqueis imminentis mortis liber exierit, & secum cogitet, quòd non semper ei ita contingat, sed quòd aliquando deprehensus incidet in interitum, à quo se non valeat expedire.

Qui à periculo semel fugit, caueat ne iterum in illud redeat.

55. Samson Dalilæ illecebris captus in eius gremio dormiebat; vbi semel, bis, & ter laqueis suorum inimicorum detentus, crinibus suis spiritu incubante, cum à somno esset excitatus, per totidem tres vices ab inimicorum suorum insidiis se liberauit, contigit tamen cum mulieris lenociniis prouocatus, de more gremio suo se se ad somno indulgẽdum committeret, tunc callida arte dormientis tonduntur crines, & inimicorum vociferatione excitatus. *Qui de somno consurgens dixit in animo suo: egrediar sicut antea feci, & me excutiam: nesciẽs quod recessisset ab eo Dominus.* Iud. 16. n 20. Duo hic maximè expendenda sunt. Vnum, quod nesciebat statum suum, quod Dominus recesserat ab eo; alterum, quod nesciens dicebat. *Egrediar sicut antea feci.* O quantum hoc hominibus documentum! si enim aliquando dante Deo à laqueo mortis, & periculi liberati sunt, non dubitant iterum se similibus illaqueare, nõ cogitantes fieri posse, quòd Deus recedat, & non velit iterum reuertere congrua opportunitate, vt à periculo liberet. Eleganter D. Ambros. de Samsone sic fatur. *Ex somno*, ait, *experrectus faciam, inquit, sicut soleo, & excutiam me super aduersarios; sed neque animi sui alacritatem, neque virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat.* Qui ab vno periculo fugit, caueat ab aliis, fiet enim aliquando vt in illa incidat, à quibus non egredietur.

Iudic 16.

Qui à periculo liberatus est, caueat ab aliis ne in illa incidat.

Matth. 24. *num.* 21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vsque modò, neque fiet.

Num. 22. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.

VERSIONES.

Syriacus n. 21. Erit enim tunc oppressio magna.

Vatabl. Euthy. Erit enim tunc afflictio magna, qualis non extitit à constitutione mundi.

D. Cypian. in exhort. Martyr. Erit enim tunc pressura magna.

Græcus. Neque omnino erit aliquando.

Syriacus. Et nisi decurtati fuissent dies illi, non viueret omnis caro, sed propter electos decurtabuntur.

Vatabl. n. 22.

Multi ex Græco. Nisi diminuti, seu contracti fuissent dies illi, &c. Sed propter electos diminuentur, contrahentur.

Arias. Non fuisset seruata omnis caro.

Origenes, homil. 27. Non fieret salua vlla caro.

ALTER TEXTVS.

Marci 13. *num.* 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vsque nunc, neque fient.

Num. 20. Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.

Luc. 21. *n.* 23. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

Num. 24. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

EXPOSITIO IV.

ERIT enim tunc tribulatio magna. Origenes homil. 16. in Matth. D. Augustin. epist. 80. D. Chrysost. homil. 77. D. Paschas. lib. 11. Euthymius, Theophylact. Euseb. lib. 3. histor. cap. 7. D. Thom. Caietanus, & alij, hæc verba de excidio Hierosolymitano interpretantur. De quo hactenus locutus est Dominus. Et confirmatur hæc sententia ex textu Luc. *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur.* Et tunc dupliciter explicatur. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, ex quo gens Iudæorum esse cœpit; nec enim captiuitate Ægyptiaca, nec Assyriaca, nec Babylonica, nec sub Antiocho Epiphane tantam cladem, miseriam, ac oppressionem passa est gens Iudæorum, ac sub Tito, & militibus Romanis, à quibus extremam desolationem sustinuit. Secundò & plenissimè. *Qualis non fuit ab initio mundi.* Hoc est à constitutione mundi, ex quo homines esse cœperunt, nec in conflagratione Sodomæ, nec in submersione Ægyptiorum, nec in subuersione aliarum ciuitatum, extitit vnquam vlla gens, quæ tam atrocem, ac horrendam deuastationem, ac desolationem, exterminium, & excidium sustineret. Vt gens Iudæorum sub Tito passa est, ac proinde si omnia supplicia aliarum particularium nationum, cum excidio Hierosolymitano comparentur, omnia illius comparatione minora sunt: dixi

56. Origen. August. Chrysost. Paschas. Euthym. Theophyl. Eusebius. D. Thom. Caietan.

Excidium Hierosolymit.

particularium nationum propter diluuium vniuersale, quia vt notat Caietanus, in atrocitate, ac rigore superat excidium Ierosolymitanum, cum omnes pereant. Caietan.

57. *Erit tribulatio.* De afflictione obsidionis Ierosolymæ sermonem esse interpretati sumus. Tamen valdè verisimile existimo quod Christus hic incipit agere de persecutione Antichristi in fine mundi, & respondet iam his, quæ ad secundum aduentum pertinebant. Ita D. Irenæus l. 5. c. 29. D. Ambros. in Luc. D. Gregor. lib. 32. moral. cap. 12. D. Hilar. in Matth. D. Chrysostom. in Imperfecto homil. 49. & hanc sententiam etiam approbant D. Hieron. & Euthym. in comment. Irenæus. Ambros. Gregor. Hilar. Chrysost. Hieron. Euthym.

Probatur ex textu; nam post descripram hanc tribulationum pressuram, subdit Christus: *Statim autem post tribulationem dierum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Et statim post tribulationem Iudæorum sol non est obscuratus, & cætera non euenerunt, intelligitur ergo locus de persecutione Ecclesiæ tempore Antichristi, & fieri potest, vt idem locus scripturæ habeat duos sensus intentos à Spiritu sancto. *Tempus Antichristi.*

58. *Et nisi breuiati fuissent dies illi:* persecutionis, & obsidionis Ierusalem; *non fieret salua omnis caro.* Iudæorum existentium in Hierusalem, vt interpretatur D. Chrysost. Caro ponitur pro homine, per synecdochen ponitur pars pro toto. Sensus ergo est. Nisi Deus ab æterno pauciores fore decreuisset dies vastationis Iudææ, & in tempore pauciores exhibuisset, quam Iudæorum culpa, & Romanorum ita exigebat, omnes omnino Iudæi perirent. De tempore Antichristi. Sensus est: *Nisi breuiati fuissent dies illi.* Omnes Christiani perirent: *Sed propter electos breuiabuntur.* Electos vocat prædestinatos, nam in obsidione Ierusalem fortè fuerunt aliqui Christiani. Vel ex illis Iudæis, qui euaserunt, aliqui sunt conuersi ad fidem. D. Augustinus epist 80. *Non debemus*, ait, *ambigere, quando euersa est Ierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant, siue fuerant credituri.* Tempore Antichristi simili modo propter electos breuiabuntur dies. Chrysost. August.

QVÆSTIO IX.

Quare terribilis, & dura persecutio denunciatur, qualis nunquam fuit.

59. Si hæc verba ad excidium Ierosolymitanum referas, quantum fuisset illius excidium, de-uastationem, ac ciuium tribulationem explicat Iosephus lib. 6. de Bello cap. 11. *Vt autem*, ait, *breuiter dicam, neque aliam ciuitatem vnquam talia perpessam puto, neque vllam nationem post hominum memoriam, seditionis malitia ferociorem fuisse.* Et lib. 7. cap. 17. *Superat*, ait, *omnem humanam, & diuinitus emissam pestem numerus peremptorum, quos partim palam occidêre, partim cepêre Romani.* Nam vt ipse Iosephus asserit citato loco, præter alios innumeros per totam Iudæam cæsos, in sola Ierosolyma tempora obsidionis eiusdem mortua esse fame, peste, & gladio, vndecies centena hominum millia, captiua verò fuerunt nonaginta septem millia Iudæorum, & ita adimpletum est, quod Christus prædixit per D. Luc. *Cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes.* Et Iudæi iusto Dei iudicio sunt tanto supplicio affecti, vt rectè inquiunt D. Chrysost. Theophyl. Euthym. Quia summum omnium peccatum admiserunt, parricidium Christi filij Dei, coniunctum cum pertinacissima illius repulsa. Ioseph. Luc. 21. Ingens Iudæorum desolatio. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Si verò ad tempora Antichristi referas, quàm crudelis sit ipsa persecutio, optimè colligit D. Augustin. ex cap. 20. n. 3. Apocalyps. *Post hæc oportet illum solui modico tempore.* Tunc enim solutus erit Satanas, & si ille modò catenis ligatus per tot crudelitatum genera à Paganis, Hereticis, Mahometanis, ac Iudæis ardenti furore sæuit in Christi membra, vt Molossus catenis, & cauea liberatus debacchabitur. D. Augustin. lib. 20. de ciuit. cap. 8. *In eorum sanè*, ait, *qui tunc futuri sunt sanctorum, atque fidelium comparatione, quid sumus? Quandoquidem ad illos probandos tantus soluetur inimicus* Diabolus scilicet citato Apocal. loco: *Cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.* Ex quo colligitur Martyres illorum temporum præcedentibus illustriores esse. Vt apertè docet D. Hyppolit. orat. de consummatione mundi. *Quippe prioribus*, ait, *sublimiores declarandi sunt, propterea quod superiores superarunt tyrannos, hi verò Diabolum ipsum filium perditionis expugnauerint.* 60. *De Antichristo.* Apoc. 20. Augustin. *Diabolus tempore Antichristi sæuiet.* Hyppolit.

Iauenus in suo opere ad Euangelia serm. 1. ait: *Erit maior pressura, quam nunquam fuerit in mundo: maior, quam tyrannorum, & hæreticorum fideles persequentium, & quam hypocritarum: & hæc erit persecutio Antichristi.* Persecutiones excitatas contra fideles ex triplici hominum genere enumerantur, à Tyrannis, Hæreticis, & hypocritis. Persecutio autem hypocritarum sæuior, ac crudelior, quam quæ excitata est à Nerone, Diocletiano, & aliis, & ita persecutio ex hypocritis, seu ex Pseudo-Prophetis erit persecutio Antichristi, quis enim crudeliora mala machinatur in populum, quam princeps, vel gubernator religionis, vel boni communis prætextu? 61. Iauenus. *Ex hypocrisi durum bellum.*

Tertiò. Richardus de S. Victore tract. de Plagis, quæ circa finem mundi euenient. *Erunt enim*, ait, *dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus vsque nunc, nec fient; hanc autem quasi tribulationem tribulationum, & afflictionem afflictionum per expressionem significare voluit cum dicit, antequam adueniat tempus afflictionis; sed inde constat illos annos veraciter vndequaque hominibus displicere, quia in illis diebus eligent homines mori magis, quam viuere: secundum quod scriptum est.* Apocalyps. 9. n. 6. *In illis diebus quærent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.* Crudelis tunc erit pressura, dum sub timore mortis degant, & viuant, nam mortis timor ipsa morte peior est. 62. Richardus. *Timor mortis durior ipsa morte.* Apoc. 9.

Cum fugeret Parens meus Elias à facie Iesabel. *Cúmque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit anima sua, vt moreretur.* 3. Reg. 19. n. 4. Cur fortissime Patet mortem cupis, quam fugis? Nunquid in aliquid morte atrocius incurristi, quod vel etiam in funesto mortis sinu euadere non formides? Inuenit certè, scilicet ipsius mortis timorem. Obiectam mortem ira Iesabelis, tanquam grauissimum malum fugiebat, at postquam in timorem mortis incidit, ita illo angitur, & affligitur, vt mortem, quam durissimum malum putauerat, iam leue existimet, & in illo refugium maioris damni, scilicet timoris exoptet. D. Chrysolog. serm. 147. *Elias*, ait, *ille, vbi* 63. 3. Reg. 19. *Leuis est mors comparatione illius timoris.* Chrysol.

vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat, quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quam timori.

64. De viris iustis, ac sanctis, ait Paulus. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ.* Hebr. 11. n. 37. Quid est quod fortissimi Dei milites sic per montes, & deserta mortem fugiunt? fugiunt non horrore mortis, sed mortem vili pendentes, vt sæuius tormentum ipsa morte inueniant, dum sub mortis timore degunt, singulis horis hostes mortem illaturos spectantes, ac timentes. D. Athanasius in Apologia pro sua fuga. *Obseruabant* ait, *& quidem consulto; ne se se periculis obiicerent, ne cum crimine ignauiæ, quasi ignaui, timidique exilij erumnas morte graviores exhorrent, qui enim moritur, quieuit à miseriis: qui autem in fugam se dat, cum ad horas inimicorum aduentus expectet, mortem longè leuiorem, quam fugam existimat.* Horum iustorum merito admirabatur Paulus dicens, *quibus dignus non erat mundus*: fugiebant non mortem naturalem, quam contemnebant, sed vt duriorem mortem inuenirent, viuentes sub mortis timore.

Hebr. 11. — Athanas. — *Naturalem mortem contemnebant, duriores quærentes.*

65. Ait Apostolus Petrus epist. 1. cap. 3. n. 14. suos discipulos contra Tyrannos exhortans. *Timorem autem eorum ne timueritis.* Congruentius videbatur dicendum, ne timeatis mortem ab eis inferendam, ait tamen. *Ne timorem eorum timeatis.* Præuidebat optimè Apostolus duriorem ipsa morte esse illius timorem, & ideo mortem parui pendens exhortatur, ne illius timorem perhorrescant.

1. Petr. 3. — *Durior morte illius timor.*

QVÆSTIO X.

Quare ex diuina pietate breuiantur dies illi propter electos?

66. BREVIABVNTVR dies, seu diminuti, seu contracti erunt propter electos ex diuino decreto, vt iam dixi in expositione, ex quo eximiam Dei clementiam erga totum mundum, multis criminibus, ac peccatis oppressum, ponderat in præsenti Caietan. *Benignus*, ait, *mauult erga promiscuam multitudinem propter electos clementia vti, quam solos electos à plaga illa seruare, quod facillimè posset.* Mundus multis abundauit malitiis, & peccatis, proindèque æquum erat, vt tyrannide, ac persecutione Antichristi premeretur, & vexaretur: sed propter electos breuiabuntur dies illi, ob illos enim eximiam indulgentiam magnæ multitudini peccatorum solet Deus liberalissimè concedere. Ait Deus per Ieremiam cap. 5. n. 1. *Circuite Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Pro vno viro iusto vniuersæ ciuitati vult parcere. N. D. Cyrillus lib. contra Iulianum. *Vide*, ait, *quomodo vnum pro multis compensandum recipiat Deus, & populosam ciuitatem cum vno iusto, & bono potiùs seruet, quàm vnum iustum cum multis impiis perdat.*

Caietan. — *Deus ob iustos multis propitiatur peccatoribus.* — Ierem. 5. — Cyrill.

67. Secundò. D. Augustinus ad Euthychium apud D. Thomam sic ait: *Quidam conuenienter mihi intellexisse videntur mala ipsa significata nomine dierum: ipsa enim dicta sunt breuiari, vt Deo tolerantiam donante minùs sentirentur, ac si quà magna essent, fierent breuia.* Ex tolerantia à Deo accepta, minus sentietur malum, quo prementur iusti, nam ex tolerantia à Deo concessa, multi, & longi dies sic transibunt, quasi vnus tantum esset dies.

August. — *Tolerantia breuiat calamitates.*

Tertiò. Dilatio afflictionum, ac miseriarum, etiam in viris magnis metuenda, quapropter, vt electis suis prospiciat Dominus, vbi persecutionem sæuire viderit, leuamen maturabit, & dies ipsos ad breuitatem rediget; per tres dies, & tres noctes filium hominis futurum in sepulchro prædictum erat. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Matth. 12. nu. 40. Triduum statuerat Dominus iacere in sepulchro. Tamen hoc triduum maximè abbreuiauit; vt veniente die tertia mane diluculo è monumento exierit: Cur tanta dierum recapitulatio? Vidit Dominus cùm esset in sepulchro, suos maxima afflictione vexari, vt orphanos, ac derelictos in pœnis vidit, inde sic resurrectionem maturauit, vt cum primum dies tertius eluxerit, è sepulchro euolarit. D. Leo serm. 1. de Resurrect. *Vnde*, ait, *ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integram secundam diem pars primi nouissima, & pars tertij prima concurrit: & aliquantulum temporis spatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* Expende illud, *ne turbatos discipulorum animos longa mœstitudo cruciaret.*

68. *Dilatio afflictionum, ac laborum maximè periculosa.* — Matth. 12. — Leo.

Matth. 24. num. 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.

Num. 24. Surgent enim pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ: & dabunt signa magna, & prodigia, itavt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

Num. 25. Ecce prædixi vobis: si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est: nolite exire; ecce in penetralibus: nolite credere.

VERSIONES.

Syriac. n. 23. Tunc si quispiam dixerit vobis: Ecce hic est Messias.

Vatabl. n. 24. Exorientur pseudo-Christi.

Syriacus. Edent signa magnifica, adeo vt inducant in errorem.

Tertul. aduers. Haret. Et signa edent fallaciæ.

S. Prosper. In quibus seducentur, si dici potest.

Syriac. n. 25. Ecce in deserto est: ne exieritis: aut ecce in cubiculo est: ne fidem adhibueritis.

S.Cyprian in exhort.Martyr. Ecce in solitudine est, noli exire: ecce in cubiculis. *Arias.* In conclauibus.

Alter Textvs.

Marci 13. Et tunc si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, ecce illic: ne credideritis.

Num. 22. Exurgent enim pseudo-Christi, & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa, & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

Num. 23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.

EXPOSITIO V.

69. Origen. Abulens. Salmeiron. Franc. Luc. Cornel. Suetonius.

VNC si quis vobis. Origenes, Abulens. Salmeiron, Franc. Lucas, Cornelius, hæc verba referunt ad excidium Hierosolymæ. Multi tũc adulantes Vespasiano dixerunt ipsum vtpote victorem Iudææ esse Messiam: teste Suetonio in eius vita. Verisimilius mihi est hæc verba ad tempora Antichristi pertinere, vt præter D.Ambros. D.Irinæum, D.Hilarium, & alios citatos superiori expositione, docent D.Chrysost. Theophyl. Euthymius, Albert. Magn. D.Thom. Carthusianus, Hugo, Maldon. Barrad. in nullo enim scriptore inuenitur post dirutam ciuitatem surrexisse pseudo-prophetas facientes signa, & prodigia, vt in errorem inducerent, si fieri posset, etiam electos. *Tunc*, tribulatione nempe illa magna temporis Antichristi. Vel tunc, vt ait D. Thom. significat tempus confusum, & idem est, ac illis diebus. Nam vt rectè docent D.Chrysostomus, Theophylact. Euthymius, qui ait, *Tunc, interdum non significat consequentiam prædictorum, sed initium tantum eorum, quæ dicenda sunt, sicut etiam in illis diebus.*

Ambros. Irinæus. Hilar. Alb.Magn. D.Thom. Carthus. Hugo. Maldonat. Barradas.

D.Thom. Chrysost. Theophyl. Euthym.

70. *Surgent enim pseudo-christi*, Idest, qui mentiuntur dicentes se esse Christum à Deo missum, *& pseudo propheta*, falsi, & mentiti prophetæ. *Et dabunt signa, & prodigia:* per artem magicam diaboli opc, vt fecit Simon Magus. Actor. 8. n. 9. *Ita vt in errorem inducantur.* Errorem intellige finalem, vt obseruant Carthusianus, Hugo, Maldon. Nam electi aliquando peccant, tamen diuina gratia per pœnitentiam resurgunt. *Si fieri potest etiam electi.* Tanta erit errorum, ac persecutionum tribulatio, vt si fieri potest, etiam electi decipiantur. Illa parenthesis (*si fieri potest*) indicat fieri non posse, vt electi cœlestem amittant gloriam. Verum est, quòd electi cum liberi sint, liberéque possint peccare, errare, & damnari in sensu diuiso, vt inquiunt Theologi, at in sensu composito, supposito quòd Deus eos prædestinauerit, ac elegerit, fieri nequit, vt finaliter errent, & damnentur, nam seruato eorum libero arbitrio Deus per media suæ gratiæ, illos suauiter, ac certissimè adducit in sempiternam beatitudinem, iuxta illud Christi Domini Ioan. 10. num. 28. *Non peribunt in æternum, & non rapiet quisquam de manu mea.*

Actor. 8.

Carthus. Hugo. Maldon.

Ioan. 10.

Ecce prædixi; futuros seductores, vt ab eis caueatis. Nota discrimen inter seductores, & veritatis magistros. Seductores multiplicant verba, multiplicíque ore loquuntur, bis de illis notatur, quod dicant, semel *si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus.* Et iterum infrà: *si ergo dixerint vobis*, &c. At veritatis magister vnum habet tantum defœcatum verbum. *Ecce prædixi vobis.* Mendaces multiplici ore, ac verbo loquuntur; verax verò vnum tantum habet verbum, & os. 71.

Mendax multiplici ore, verax vno loquitur.

Si ergo dixerint vobis; ecce in deserto est. Quod superius dixerat in genere, *ecce hic, aut illic.* Nunc particularius describit: *si ergo dixerint vobis, quod in deserto est*; in loco ab hominum commercio separato: *nolite exire* ad huiusmodi locum. Et si dixerint vobis *ecce in penetralibus*, id est in locis conclusis, ac abditis, *nolite credere.* Hoc est, vt explicat Carthusianus. Vbicumque nunciauerint vobis alium Christum, quam me, ne credatis; cuius ratio statim subditur; *sicut fulgur exiit ab oriente*, &c. ita publicus, ac manifestus erit aduentus filij hominis. 72. Carthus.

Qvæstio XI.

Quàm variis modis Pseudo-prophetæ Christi milites seducere conabuntur, sed Martyrum fides inuicta stabit?

QVANTA persecutionum tempestas contra Christi milites armabitur, satis liquet ex præsentibus Christi verbis. *Surgẽt Pseudo christi, & Pseudo-propheta, & dabunt signa, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quod eleganter ponderat D. Gregor. Papa lib. 32. Moral. cap. 12. Pensemus, ait, quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius Martyr, & corpus tormentis subiicit, & tamen ante oculos eius tortor *miracula facit? cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat?* O admirabilis, & miraculosa fides Martyrum sub illo sæculo! cruciabitur Martyr à diro tyranno, qui non solum potestate eminet, sed etiam signis, ac prodigiis coruscat, & tamen martyris fides non minuitur, nec labefactatur, sed firma, & robusta perseuerat? *Cuius tunc virtus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is, qui flagris cruciat, signis coruscat?* 73. Gregor. *Admirabilis fides Martyrum sub Antichristo.*

Secundò. Seducent, ac decipient Pseudoprophetæ homines, illorum indolem, ac genium explorantes, & inquirentes, vt illis fomenta, ac irritamenta apponant, ad quæ quemlibet eorum viderint propensum, & inclinatum. Artem sui Magistri Dæmonis tenentes, ac imitantes, de quo ait D. Gregorius lib. 14. Moral. cap. 7. *Intuetur*, ait, *inimicus generis humani vnius cuiusque mores, cui vitio sunt propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoscit facilius inclinari mẽte.* D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 385. *Non simpliciter adoritur*, ait, *callidus ille prædo eos, qui hoc tempestatis plenum mare nauigant, verum explorat prius, atque cognitis animæ propensionibus, & appetitionibus, ita demum aggreditur. Quid enim est, quamobrem Iudam, non ad libidinem, sed ad proditionem impulerit? nimirum, quia partem illam præsidiis firmatam videbat; eam autem, quæ ad auaritiam pertinebat, infirmam, & imbecillem. Ex crumena enim furto* 74. Gregor. Isidor.

in

in spem venit fore, vt ipse ad perditionem quoque facilè se conferret.

76. Matth.4. Tentauit Satanas Christum Dominum dicens: *si filius Dei es, mitte te deorsum* Matth.4.n.6. tentauit etiam Simonem Magum, vt per aëra volaret, tamquam si esset volucris cœli; vt tradunt Eusebius lib.2.Histor.c.13 D.Epiphan.hæres.22. D.Maxim.serm.de S.Petro,& Paulo. *Qui volare tentauerat,& qui pennas assumpserat.* Cur tam diuersa tentationum machinamenta parat Dei filio, vt se deorsum mittat, Simoni verò Mago, vt in sublime feratur? iste valdè superbus, à cuius genio multum distabat meus Iesus, qui totus humilis erat, ideo diuino Iesu humilia obiicit, vano, ac fastuoso Mago alta,& sublimia, vt alliciat.

Eusеb. Epiphan. Maxim.

Iuxta cuiúsque inclinationes parat Dæmon.

Pelusiota. Citat.Pelusiota. *Vniuscuiusque inclinationes inquirit Satanas, nec tempus vllum, aut horam prætermittit, itaque materias externè subministrat, atque in ea parte, ad quamlibet propensionem habere sentit.*

77. Matth.4. De Christo Domino ait D.Matth.4. n.2. *Cùm ieiunasset quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, postea esuriit,& accedens tentator dixit ei.* Non tam largo ieiunij tempore accessit, sed cum esurientem intuetur, tunc cum in cibum procliuem scrutatur, nactus occasionem, accessit, & ex propensione ad pugnam aditus aperitur. D.Chrysost. in Imperfecto.homil.49. *Diabolus*, ait, *desiderium vniuscuiúsque considerat,& secundum quòd videris hominem desiderantem aliquid, ex eo accipit occasionem tentandi; vnde & Christum cùm esurientem vidisset, tentauit in fame.*

Ex proclinitate arma parat ad pugnam.

78. Iob.41. De Diabolo exclamat Iob.41.n.4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius?* Quid est faciem indumenti notam facere? profectò idem est, ac si diceret, quis diaboli vestem ex forma, ac specie externa discernere poterit? homines tam nobiles, quam ignobiles ex habitu, & indumento communiter dignoscuntur; at dæmonis indumentum nullus est, qui apprehendere valeat. Dæmoni enim nullus est certus habitus, nullus firmus color, sed semper varius, assiduè mutat personam, ad vniuscuiuscúmque indolem, ac moręs se conformat, omnium appetitionum colores induit, vt facilè quemlibet decipiat, & perdat. Orig. in Catena Græca. *Quamobrem non dixit, quis reuelabit faciem eius? Sed addidit indumenti? Quid hoc loco vox sonat indumenti? Vt id, quod dicitur, planius percipi possit, à laruis exemplum petamus. Sumunt igitur ij, qui in scenis versantur histriones, personas nonnunquam Præfectorum, Regum,& aliquando mulierum,& assistentium iudicium fallunt: talis est Draco, nunquam personam suam palam ostendit, verum eiusmodi personam gerit, qua fallere queat homines: & hic quidem hostis varias tuetur, sustinétque personas,& ad singula vitia aptas singulas: ergo quis demonstrare, quis retegere, quis in lucem, aspectúmque proferre possit, intúsque latentem draconem.* Addit Olympiodorus. *Quis reuelabit, ideò nemo, ne vno excepto?* Vide suprà n.17.& 18.

Dæmon varias formas induit, vt fallere possit.

Origen.

79. *Constantia martyrum.* Alcuinus. Bruno. Remig. Contra hos omnes tyrannos, & Pseudo-prophetas firma, & constans stabit sanctorum martyrum virtus, vt latè describunt Euseb. Gallican. in Domin.2.Aduentus. Alcuin.l.3.de Trinit.c.19. Bruno in Psal.9 & in eundem Remig. Antisiodor. Radulph. Flauiacens.l.18.in Leuit.1.Honor. Augustuens. serm.de Aduentu Dominico explicantes de eis illud Cantic. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Aquæ multæ persecutionum, tribulationum, deceptionum, non potuerunt extinguere eorum charitatem.

QVÆSTIO XII.

Quare nec hic, nec illic, nec in deserto, nec in penetralibus inuenietur Christus?

80. *Ratio difficultatis.* SI T Dominus in præsenti, quod si à Pseudo-prophetis dictum fuerit. *Tunc si quis dixerit vobis: ecce hic Christus est; aut illic; nolite credere; ecce prædixi vobis;& si dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* Cur Christus non inuenietur in deserto, vbi sunt Anachoretarum agmina in vigiliis, cur non in penetralibus, vbi nos orare adhortatur?

81. D.Thom. Matth.10. Proc.1. Rationem litteralem quæstionis dedi in expositione. Deinde sic respõdet D.Th. *Notandum*, ait, *quod vera doctrina sit in publico.* Matth. 10. Quod dico vobis in occulto, dicite super tecta. Prou.1. Sapientia dat vocem in plateis. *At verò falsa doctrina quærit angulos. Desertum est locus occultus, quia caret hominibus, vel quia est intercluſus; infideles,& hæretici, dum fideles sunt in societate, vel congregatione, non possunt decipere, sed nituntur, quod à societate separentur,& tunc decipiunt.* Equidem nihil repugnat Christum inueniri in eremo, aut in secreto domorum. Sed detegit Dominus genium Pseudo-prophetarum, quia tum cum mendàcia seminant, fugiunt publicum, & quærunt secreta, & angulos, tum etiam vt ibi fideles, à iustis separatos facilè decipiant,& seducant.

Veritas publicum, mendacium abscondita quærit.

82. Druthmar. Tertiò. Druthmarus c.56.in Matth. *Et si in penetralibus*, ait, *id est secretis aliquibus: nolite credere: spiritualiter Ecclesia Catholica, ideſt vniuersalis, non solummodo in Africa est, aut alio speciali loco, vel in penetralibus hæreticorum, sed per vniuersum mundum: quia ideo Catholica, id est vniuersalis dicitur:* Carthus. *Verus Christus secundum diuinitatem suam vbique est, secundum assumptam verò humanitatem in cœlo; est quoque in medio electorum per fidem, gratiam, atq; per Sacramentalem existentiam.* Aperit Dominus hæreticorum genium, qui Christum volunt constituere in aliquo particulari loco, hic, aut illic, vel in aliqua deserti spelunca, seu in domorum penetrabilibus, vt Donatus constituebat solum veram Ecclesiam in Africa; vt ergo ostendat, quòd non vni nationi, vel Prouinciæ, sed vniuerso orbi seipsum concesserit, docet quòd non in loco particulari, vel aliis excluso, sit quærendus, cum venerit instar fulguris omnes illuminans. *Sicut fulgur exit ab Oriente,& parat vsque ad Occidentem: ita erit aduentus filij hominis.* Vt immediatè subdit.

Carthus.

83. Eccles.24. Ait Diuina Sapientia Eccles.24.n.11. *In omni gente primatũ habui; quæsiui ampliſſimum principatum*, declarat, & exprimit;& subdit: *Et in his omnibus requiem quæsiui.* Requies, vt multi interpretes ibi adnotant iucunditatem, ac delectationem cum pace, & amicitia indicat, ideſt in omnibus his habui amicitiæ, ac pacis fœdus, in omnibúsque habui iucunditatem, ac delectationem. O præclara omnium gubernatrix diuina Sapientia! in omni gente habet principatum,& dominium, vt omnibus æqualem se exhibeat, & cum nullo habeat partialitaté, omnes habet in amicitiæ fœdere, omnésque habet in iucunditate, ac delectatione; discant, discant ex hoc pastores,& prælati, vt nõ aliquos habeant in amicitia, alios in odio; aliquos in iucunditate, alios in tædio, sed in omnibus

Præsul æqualis cum labore, & otio ergo omnes.

nibus quætant requiem amicitiæ, ac iucunditatis. D.Bernard. serm.3. in festo omnium Sanctorum: *Hæc est*, ait, *plane requies Domini, non intrinseca, non circa aliquid certum restricta: quoniam in omnibus gaudet, & in omnibus delectatur, & in omnibus requiem quarit, & inuenit: vt & ipsa quoque in omnibus delectetur: ne aliqua iam priuata affectione contrahat rogam, sed transeat in affectum quendam generalem, atque diuinum.* Vide suprà cap.3. n.10.11. & 12. cap.8. n.91.92.93. & cap.16.n.15. 16.17.& cap.24. n.6. & 7.cap.13. num.5.& c.14 n.64. & cap.37. n.109. & 110.

Bernard.

Matth. 14. *num.* 27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & parat vsque in Occidẽtem: ita erit & Aduentus filij hominis.

Num 28. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ.

VERSIONES.

Syriac.n 27. Quemadmodum fulgur exit ab Oriente, & videtur in Occidentem vsque: ita futurus est aduentus filij hominis.

D. Cyprian. de exhort. Mart. Sicut coruscatio exit ab Oriente, & apparet.

Vatablus. Exit ab Oriente, & relucet vsque in Occidentem.

Arias. Ita erit præsentia filij hominis.

Syriac. Vatabl. Pagn n. 28. Vbicumque verò erit cadauer, ibi congregabuntur Aquilæ.

D. Ambros. in Psal. 48. Vbi ruina, ibi Aquilæ.

D.Cypr. citat. Colligentur Aquilæ.

Salmeiron ex Græco. Vbi fuerit præda, ibi congregabuntur Aquilæ.

Franc Luc. ex Hebræo. Vbicumque fuerint occisi.

Alter Textus.

Luc. 17. *n.* 24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea, quæ sub cœlo sunt, fulget, ita erit filius hominis in die sua.

Num. 37. Dixit illis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur Aquilæ?

EXPOSITIO IV.

84. *SICVT enim fulgur.* Vt autem videatis quantum aberrant hi Pseudo-prophetæ, qui dicunt Christum in aduentu suo esse hic, aut illic, aut in penetralibus, scitote quòd aduentus filij hominis, erit sicut fulgur, seu coruscatio. Vnde ex D.Chrysost. ait Euthym. *Sicut fulgur egreditur, & omnibus in conspicuo est, nullo egens præcone, aut prænuntiante, sed ex ipsissimo suo splendore minimo temporis momento vniuerso appareat orbi. Ita quoque erit aduentus filij hominis propter magnitudinem sui splendoris, omnibus simul apparens, & factus omnibus ipse nuncius.* Ex quo patet, quàm propriissimè Christus Dominus secundum suum aduentum comparat fulguri. Primò, quia fulgur subitò omnibus se exhibet; sic & Christus repentè omnibus hominibus apparebit. Secundò, quia quemadmodum fulgur maximè splendens omnibus fit manifestum, sic & Christus in secundo suo aduentu maximè fulgebit, omnibúsque erit manifestus. Vnde Dauid ipsum venientem ad iudicium cum fulgure comparat. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt fulgura eius Orbi terræ*, Psal.96.n.3. Tertiò. Sicut fulgur non in terra, sed in aëre rutilat, sic & Christus non in terra, sed in aëre in nubibus cœli apparebit. 1. Thessal.4. *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra.* Quartò. Valde efficax & potens erit Christi aduentus, vt nemo ei resistere possit. Imò sicut fulgur ea, quæ duriora, & rigidiora sunt magis comminuit, & conterit, sic Christus superbos obduratos conteret, humiles verò adduceret in gloriam. Quintò. Sicut fulgur valde exiguo temporis spatio apparet, sic Christus cùm ad iudicandum venerit, breuissima temporis mora apparebit.

Chrysost. Euthym.

Psalm. 96.

1. Thess. 4.

85. *Vbicumque fuerit corpus.* Altera similitudine indicat Dominus suum aduentum valde manifestũ futurum, ita vt minimè latere possit, in exemplum adducens Aquilas, alludens ad illud Iob.39.n.30. *Vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Aquilæ ex alto, ac loginquo loco, ad cadauer, seu prædam volant, Aquila enim ex alto, ac ex longinquo cernit, ac odoratur cadauer, ad illúdque volat; sic ait Christus, omnes fideles, & iusti meum vltimum aduentum ad iudicium per diuinam vim præsentient, odorabuntur, ac me veniẽtem etiam in remotis locis cernent, ad méque volebant, vt mea gloria in æternum felicissimè pascantur, ac reficiantur, ac proinde nulla inquisitione opus erit, an hic, vel illic sit Christus, cùm meus glorioſus aduentus omnibus sit patens, & conspicuus.

Iob 39.

QVÆSTIO XIII.

Quare Iusti, ac Sancti cum Aquilis comparantur?

86. AD quæstionem respondet primò D. Chrysostom. in Imperfecto homil. 49. *Ideo enim Sancti*, ait, *aquilis assimilantur, quia sicut filij aquilarum ad Solem probantur, vt siquidem recto aspectu intendere potuerint contra radios Solis, intelliguntur esse legitimi; si autem non potuerint, cognoscuntur adulterini: sic & Filij Dei ad Christi iustitiam comprobantur: si enim potuerint pleno corde iustitiæ verba suscipere, intelliguntur esse legitimi: si autem non potuerint, cognoscuntur de diabolo esse nati.* In hoc probantur Dei Filij instar Aquilarum, quod firmo, ac recto corde Dei verba valeant suscipere, ac tenere, vt ea exequutione adimpleant.

Chrysost.

Filij Dei firmi, & constantes in retinendis diuinis mandatis.

Secundò. D. Ambros. in cap.17.Luc. Aquilæ, ait, se renouant, sic & iusti se renouant hic per gratiam, in futuro per gloriam, iuxta illud Psal. 102. n.5. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Qui Dei iustitiam amplectitur; se renouat, deponens vetera, vt Christum induat.

86. Ambros. Psalm. 102.

88. Guatricus. Tertiò, Guatricus Abbas serm. de Ascens. *Quid putamus fratres, ait, quomodo tunc repentè de terris ad cœlos euolare poterimus, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicimus? Nunquid non Christus, sicut aquila prouocat ad volandum filios suos, quando super eos volitabat?* Deut. 32. Pulchrè iusti sub Christi disciplina cum aquila comparantur, nam Christus sic nos prouocat ad volandum, sicut aquila prouocat pullos suos, & quomodo prouocat? Ne subitò ad sublimia ferantur, sed vt per demissos volatus quotidie exercentur, vt postmodum possint ad alta, & sublimia ascendere. Vide in Indice *Paulatim*.

Deut. 32. *Paulatim instruimur ad volandum.*

89. Chrysost. Quartò, D. Chrysost. homil. 24. in 1. Corinth. *Aquilas autem appellat, vt ostendat ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere esse commune, neque ad inferiora trahi, & repere, sed ad superiora semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere.* Conuolantes ad corpus Christi aquilas dicit, non verò columbas, vel turtures, quia qui ad corpus Christi conuenit, necesse est, vt ad alta tendat, terrenis renuntiet, & totus diuinis sit intentus.

90. Chrysost. Non omittam id, quod aduertit citat. Chrysost. *Velimus*, ait, *vnitatem seruare, ad hoc enim nos inducit sacrificium istud formidandum, & admirabile, quod iubet nobis, vt cum concordia, & charitate maxima ad te accedamus, & aquila in hac vita facti, ad ipsum cœlum euolemus, vel potius supra cœlum. Vbi enim cadauer, illic & aquila. Cadauer Domini corpus propter mortem.* Aquilæ, ac passeres ad cadauer, seu prædam volantes maximè inter se pugnant rostris, & vngulis, & vnaquæque aduersus aliam insurgit, vt quælibet prædam totam suam faciat; vnde ergo aquilæ hic volantes maximam concordiam, ac vnitatem inter se habent? sine dubio ex halitu ipsius corporis Christi, cuius gustus in mensa sua, ingerit maximam vnionem, ac concordiam, & omnem separationem, ac diuisionem excludit, & abigit. *Vt cum concordia, & charitate maxima ad te accedamus.*

Eucharistia mensa vnitatem parit.

91. Origen. Quintò, Origenes homil. 30. in Matth. *Vbicumque*, ait, *fuerit, quod secundum dispensationem passionis eius, cadauer eius, illuc congregabuntur, non qualescúmque, sed aquilæ discipuli. De quibus etiam Propheta dicebat: Pennigerabuntur sicut aquila, & current, & non laborabunt.* Aquilæ sunt, qui ad cadauer, ad Christum nempe mortuum volant, & cur aquilæ? Aquilæ velocissimè omnium volant, sic Sancti post Christum passum velocissimè labores pertranseunt, vt non videantur laborare, sed per labores velocissimè currere, ac pertransire. *Vt aquilæ, & current, & non laborabunt.*

92. Exod. 10. Regnante Pharaone in Ægypto: *factæ sunt tenebræ horribiles*, Exod. 10. n. 22. Quæ perdurarunt per tres dies integros. Vt tradunt Abulens. Lyran. Carthus. Cornel. & alij. Regnantéque Assuero seuerissima mortis sententia contra Iudæos profertur: *Fuitque dies ille tenebrarum, atque discriminis*, Esther 11. n. 8. Cùm Iesus esset crucifixus in monte: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam*, Matth. 27. n. 45. Quid est, sub Pharaone, ac Assuero dies sunt tenebrarum, ac laborum, at cùm Christus crucifixus apparet, breues tres sunt tenebrarum horæ? Ante Christum crucifixum longissimi erant dies tenebrarum, at cum ipse in cruce ante oculos est, sic omnes labores abbreuiantur, vt iam non sint dierum, sed horarum, sic enim ipse in se omnes labores assumpsit, vt eos nobis omnes horarios fecerit; & cur sic breuium horarum? Ipse de mortis horrore sibi tres dies assumpsit, vt nobis laborum tenebras tribus horis conclusas relinqueret. Sedulius l. 5. Pasch. c. 16. *Quamquam cœlo*, ait, *terráque fugitiuum lumen abscessit; non tamen ditius in hac remotione permansit, per ipsa temporis interualla suspensi magno visum conuenire mysterio.* Et rationem apponit: *Nam sicut tribus horis mundi facies tenebris oppressa subiacuit: ita Dominum triduo clausum tumuli sepultura contexit.*

Exod. 10. Esther. 11. Matth. 27. *Christum sua morte nobis labores horarios reliquis.* Sedulius.

QVÆSTIO XIV.

Quare cum vultures, corui, passeres ac alij currant ad cadauera, tamen hîc solum de Aquilis fit mentio?

RESPONDET primò D. Ambros. l. 4. de Sacrament. cap. 2. *Bona aquila*, ait, *circa altare, vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare est, & corpus Christi in altari, aquilæ vos estis.* Et in cap. 17. Luc. ait: *Est corpus, de quo dictum est: caro mea verè est cibus. Circa hoc corpus vera aquilæ sunt, quæ alijs circumuolant spiritualibus.* Corpus est, corpus Christi in altari, tanquam auis in nido, ex cuius diuino pabulo fideles omnibus cœlestibus bonis, tanquam pennis, ac alis plumescunt, vt alites facti ad cœlestia euolent; & ideo etiam aquilæ dicuntur, quia aquila altissimè volat, vt dixi ex Chrysost. superiori quæst. *Qui ad hoc corpus accedit, nihil ei cum terra debere esse commune.* Vt ibi expendi. Vide cap. 9. num. 82. 83.

93. Ambros. *Ex Corpus in altari fideles, vt aquilæ volant in fabulam.*

94. Origen. Secundò, Origenes homil. 30. in Matth. *Non dixit*, ait, *vbicúmque fuerit cadauer, congregabuntur vultures, aut corui: sed volens ostendere magnificos, & regales esse omnes, qui in passionem Domini crediderint, propriè dixit, congregabuntur & aquilæ.* Ad cadauer currunt aquilæ, currunt & vultures, ac corui, cur cæteris omissis aquilæ tantum dicuntur ad cadauer congregari? Sermo erat, non de quolibet cadauere, sed sacratissimo corpore Christi, & qui ad hoc corpus volant, hócque sacratissimo pabulo reficiuntur, etsi corui, ac milui, ex hoc tamen sacratissimo pastu aquilæ fiunt. Aquila, vt testatur Plinius lib. 10. cap. 3. volucrum regina habetur. Equidem diuinus Agnus occisus quos pascit, aquilas creat, homines nimirum, regali dignitate, ac spiritu sublimes, vt calcantes sæculi principatum, super omnia terrena dominantur, & regnant. Vide c. 2. n. 112. & cap. 27. n. 157. & vide tom. 3. cap. 35. quæst. 18. n. 123. 124. 125. 126. 127. 128.

Qui nupsit Christi passioni nupsit. Plinius.

95. Alb. Magn. Tertiò, *Congregabuntur & Aquilæ*; quare non dixit coruos, & vultures, qui etiam de cadaueribus pascuntur? notat Albertus Magn. l. 23. de Animalibus, quòd Aquilæ solitariæ, volant, at corui, & vultures ad cadaueta turmatim aduolant; deinde corui animalia sunt immunda, vt notat D. Chrysost. hom. 26. in Gen. ad illa verba: *Misit coruum, qui non est reuersus*, Gen. 8. n. 7. Sic ait S. Pater: *Quare non rediit coruus? Fortasse cum sit auis immunda, incident in cadauera hominum, & brutorum, illis tanquam inuento sibi congruo cibo insedit.* Vultures etiam adeo sunt immundi, vt testetur citatus Albert. Magn. *Vbi nidificant vultures, terra*

Chrysost. Gen. 8.

terra fœtet ex cadaueribus, ibi comportatis. At verò Aquilæ ita putæ, & mundæ sunt, vt dicat citatus Albertus. Aquilæ mundissimum, vtpote gemmiferum nidum habent. Aues, quæ ad Christi cadauer volant, aquilæ sunt, quæ solitariæ, ac separatæ ab omni mundialium consortio volitant, & ad Christum veniunt. *Habéntque Aquilæ nidum gemmiferum.* Nam locus, ac animus sacram Eucharistiam continens, & recipiens debet esse mundissimus, ac nitidissimus omni virtutum gemma, & à quacumque sorde, ac quouis fœtore expurgatissimus, maximèque conspicuus, ac odoriferus omni odore bono. Vide suprà c.4.n.54.& c.27.n.92.& 95.& n.167.& 168.169 & multis aliis in locis. Et tom.3.in Iudice, Verbo *Eucharistia.* Dispositio, seu præparatio ad illam.

Cum multa puritate, ac mundicia ad sacram Eucharistiam accedendum.

96. Quartò. D.Anastas. Synaita in Exameron l.7. *Hæ sunt*, ait, *volucres, quæ rapiuntur in nubibus obuiam Christo, de quibus etiam dicebat: vbi est corpus congregabuntur & aquila, quæ supplantatorem nostrum suffocarunt.* D.Paulin.Epist.9.ait: *Cùm hoc pane saginamur, serpens tabescit.* Aquilæ valdè terribiles sunt serpentibus, indéque serpens ab aquilarum conspectu maximè fugit, ex quo fideles ad Christi mensam conuenientes aptissimè aquilæ dicuntur, nam ex hoc diuino cibo maximè serpenti venenoso efficiuntur formidabiles, vt ipsum conculcare valeant, ac fugere faciant; dicebant olim Hebræi: *Adferamus ad nos arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorũ nostrorum*, 1.Reg.4. n...Arca vmbra sactæ Eucharistiæ, veniat in medium nostri in cor nempe nostrum, vt saluet nos ab incursu omnium inimicorum nostrorum. Petr.Damian. ad illa verba: *Qui manducat meam carnem.* Si ait: *Terretur aduersarius noster diabolus, cum Christiani labia Christi videt cruore rubentia. Agnoscit enim profectò sua proditionis iudicium, & diuina victoria, quia captiuatus est, & obstrictus, non tolerat instrumentum.*

96. Anastas. Paulin. 1.Reg.4. Damian.

97. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*, Psal.22.n.5. Quænam mensa est hæc, quam præparasti, seu vt legitur ex Hebræo, *Ordinasti?* mensa nempe sacræ Eucharistiæ est, ex cuius conspectu sic corroborantur fideles, vt valeant vires suorum inimicorum, dæmonum nempe frangere, ac superare. N. Incognitus: *Per mensam accipe communionem Corporis Christi iuxta illud:* Ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam: *aduersus omnes*, &c. *aduersus demones, vnde sicut indignè sumentibus corpus Christi, magis nocere potest diabolus; in cuius figuram de Iuda dicitur, quod post communionem introiuit in eum Sathanas, scilicet ad ipsum magis possidendum, si indignè sumatur: fugat dæmones, & nos aduersus eos facit fortiores.*

97. Psal.22. Hebr. Incognit. *Eucharistia refecti fugant dæmones.*

98. Ait Ierem. 1. n.14. *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.* Cur cum hoc Propheta dicat, mandat Deus Moysi: *Ponesque contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis*, Exod.26. n.35. Si omne malum est ab Aquilone, a dæmonis nempe suggestionibus, quas Aquiloni frigido persimiles animis hominum ipse inspirat, cur ergo ad Aquilonem constituitur ipsa mesa cum panibus? Aptissimè sanè mẽsa Eucharistica, quam adumbrabat antiqua mensa, contra Aquilonem statuitur, aduersus frigidum Aquilonem præparatur. In hac mensa calidi sacratissimi panes, amore flagrantes proponuntur, animos fidelium incendentes, vt ritè communicans, ignem inspirans; contra frigidum Aquilonem, seu diabolum potenter insurgat: dicente D.Chrysost. homil.61.ad populum *Tanquam Leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.*

98. Ierem.1. Exod.26. *Ex mensa Eucharistica depellitur dæmonis frigus.* Chrysost.

QVÆSTIO XV.

Quare cadauer hic proponitur, ad quod aduolant Aquilæ?

99. IVXTA lectionem Græcam legitur: *Vbi fueris cadauer, ibi congregabuntur & aquila.* Mira & cupiditate, ac celeritate ad loca vbi cadauera iacent, aquilæ rapiuntur. Ita vt dicat D. Hieron Epist.61.ad Pamachium: *Aquila, & vultures transmarina cadauera sentiunt*; & vt addit eius Scholiastes: *Triduo præuolare dicuntur eò, vbi cadauera sint futura.* Quamquam Aquila in arduis ponat nidum suum: & in petris maneat: & in præruptis silicibus, atque inaccessis rupibus commoretur; tamen vt ait Iob, 39.n.32. *Inde contemplantur escam: & de longè oculi eius prospiciunt, vbicumque cadauer fuerit, statim adest.* Ab illa altitudine se demittit aquila, & totum illud spatium interiectum velocissimè transuolat, & improuiso adest corporibus, quibus inhiat, illisque voracissima incúbit, tanto illius desiderio exardescit; talem sui sacratissimi corporis cupiditatem in suis fidelibus futurã Christus Dominus significat, dicés: *Vbi fueris cadauer, ibi cõgregabũtur & Aquila.*

Hieron. Iob 39. *Sancti maxima auiditate feruntur ad Eucharistiam.*

100. Secundò. Dicitur cadauer, denotat corpus Christi in Sacramento Altaris, quod sub repræsentatione mortui pro nobis oblatum proponitur, & hoc corpus sine dubio est illud, quod pro omnibus antiquis sacrificiis Æterno Patri in sacrificium immolatur, iuxta illud: *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, Psal. 39.n.7. Seu vt legit D.Paulus Hebr.10.n.5. *Corpus autem adaptasti mihi.* Quod explicans D. August. l.10.de Ciuit. c.20. *Pro illis omnibus oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Ad hoc ergo vnum corpus pro omnibus sacrificiis repositum in perpetuum sacrificium maxima auiditate, ac celeritate conuolant fideles.

Psal.39. Hebr.10. August.

101. Tertiò. In præsenti facit Dominus mentionem de aduentu suo ad iudicium, inde se cadaueri confert vt ostendat, quanto cum mœrore, ac luctu opus illud exerceat, séque ad iudicium, quantum in ipso est, tanquam ad funus, ac sepulchrum efferri; & quamuis venturus sit cum virtute multa, & maiestate, omnem iudicis apparatum, funebrem pompam, omnémque illam maiestatem quasi cadaueroſam rem sibi videri; cum ipse totus propensus sit in misericordiam, ac pietatem. De vltima die iudicij interrogatus Dominus à suis discipulis, ait illis: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*, Marc.13.n.32. Matth.24.n.36. In rem nostram, ait Palatius: *Non nouit*, ait, *diem iræ ipse clemens, neque diem furoris ipse patiens: nouit sanè diem illum, sed non nosse dicitur, quia dolet, refugit, exhorret; planè cum Christus primum venit, non venit, vt iudicet, sed vt saluet. Saluator igitur nescit iram, non nouit furorem.* Christus Dominus, cum in eo sint omnes thesauri Sapientiæ Dei, optimè scit, & agnoscit determinatum diem iudicij, & quamuis in eo venturus sit cum magna

Marc.13. Matth.24. Palatius.

gloria, ac maiestate, tamen cùm sit dies furoris, & iræ, sic illum refugit, ac exhorret, dolétque super eum; vt dicat se illum nescire; cùm enim Saluator sit, *nescit iram, non nouit furorem.*

CAPVT L.

Finale Iudicium.

Luc.21.n.25. Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.

VERSIONES.

Syriacus. In Sole, Luna, & syderibus, & in terra angustia Gentium, & complosio manuum præ stupore sonitus maris.

Arabicus. Erit anxietas Gentibus subitò præ voce maris, & terræmotus.

Vatablus. In terra anxietas Gentium in perplexitate, resonante mari, & fluctu.

Theophylact. Euthym. Anxietas Gentium per desperationem, resonante mari & fluctu.

Pagninus. In terra coarctatio Gentium, in perplexitate resonantis maris, & fluctuum.

Arias. Pressura Gentium in determinatione, resonante mari, & solo.

Franc. Luc. ex Græco. Præ perplexitate, resonante mari, & solo.

ALTER TEXTVS.

Matth.24. num.29. Statim autem post tribulationem dierum illorum: Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumẽ suum, & Stellæ cadent de cœlo.

Marc.13. num.24. In illis diebus post tribulationem illam, Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum.

Num.25. Et Stellæ cœli erunt decidentes.

EXPOSITIO I.

1. TEXTVM D. Matth. ait Christus Dominus: *Statim autem post tribulationem.* Illam scilicet maximam Antichristi, de qua immediatè antea egerat, vt superiori cap. explicaui. Et illa particula, *Statim*, non significat mox absque vllo temporis interuallo iudicij ad futura signa, sed ad futura post aliquot menses, & annos, Abulens. Iansen. & multi alij intelligentur proximè dicta in hoc c.24. Matth. de excidio, ac deuastatione Ierosolymæ. Et quamuis multa millia annorum inter ipsam deuastationem, ac finem mundi interueniant; ait tamen Christus Dominus, *Statim*, quia, vt ait Iansen. omne nostrum tempus in Dei conspectu paruũ est. Ait D. Petrus 2. Epist. 3. n. 8. *Mille anni tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Vel quia vult Dominus, vt memoria diei iudicij vniuersalis, sic ante oculos nostros obseruetur; ac si ipse dies statim, ac in proximo sit; & ideo de illo hoc modo loquendi frequenter vtitur Scriptura. D. Petrus Epist. 1. c. 4. n. 7. *Omnium finis appropinquauit.* Et D. Paul. 1. Corinth. 10. n. 11. ait: *In quo fines sæculorum deuenerunt.* D. Ioan. 1. Epist. 2. n. 18. *Filioli nouissima hora est.* Sophonias c. 1. n. 14. *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est, & velox nimis*, &c. *consummationem cum festinatione faciet.* Nam, vt ait D. Basil. in c. 11. Isai. n. 17. *Timor iudicij pædagogus est ad pietatem.*

Abulens. Iansen. Matth. 24.

2. Petr. Memoria iudicij habenda.

1. Petr. 4. 1. Cor. 10. 1. Ioan. 2. Sophon. 1.

Basil.

Secundò. *Erunt signa.* Deus cum iratus fueris misericordiæ recordabetis. In tempore tanti furoris, & iræ, immensa Dei misericordia, & clementia maximè eluceſcet; cum enim non posset Deus iustè punire nulla adhibita præmonitione, tamen ne puniat, prius nos admonet minis, & terroribus. Vide suprà cap. 2. n. 19. cap. 12. n. 21. 22. 23. cap. 13. n. 54.

2. *Deus non punit, nisi admonet.*

Erunt, apparebunt hominibus: *signa*, prodigia, ac portenta admiranda præter ordinem naturæ, adeo vt nunquam antea similia visa fuerint, ita vt in horrore suo omnium hominum memoriam excedant, ac superent. *In Sole, Luna, & Stellis.* In maioribus, ac minoribus mundi luminaribus; quod clarius exprimit D. Matth. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum; & Stellæ cadent de cœlo.* De quibus multa in quæstionibus: *Et in terris pressura.* Alij legunt anxietas, angustia, coarctatio, *Gentium*, non aliquorum, sed omnium; *præ confusione*, seu præ perplexitate, seu perturbatione in inopia consilij, ac desperatione rerum (veluti quando in mari nauigantibus naufragium minatur. Syriacus vertit, *In terra angustia Gentium & complosio manuum.* Nam in subito, ac vrgenti malo, grauisque timore repentino solent homines manus complodere. *Sonitus maris, & fluctuum.* Magna erit perturbatio in hominibus ex pauore, quam concipient propter sonitus horribiles, & impetuosas commotiones aquarum maris, & fluctuum.

3.

Matth. 24.

Syriacus.

QVÆSTIO I.

Quomodo Sol, & Luna, ac Stellæ obscurabuntur, quámque terribilem horrorem indicabunt?

4. HÆc verba: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, stellæque de cælo cadent.* D. Augustin. Epistol. 80. ad Hesychium, & ex eo Beda, Primasius, Andræas Cæsariensis de persecutione Antichristi, sic exponunt: Sol, Luna id est, Ecclesia obscurabitur, quia in illa tentatione, ac tribulatione magna, multi viri probi, qui erant tanquam stellæ, à fide, & gratia, ac consequenter à cœlo, ac salute excident. Hic sensus

Augustin. Beda, Primas. Andræas.

sensus est allegoricus, non literalis, vt est euidens, & omnes fatentur.

5. Hilar. Hieron. Beda, Euseb. D.Thom. D.Hilarius can. 26. in Matth. D. Chrysostom. D.Hieron. Beda, Albert. Magn. in cap. 24. Matth. D. August. serm. 130. de tempore. Eusebius Emyssenus homil. in Dominic. 27. post Pentecost. D. Thom. opusc. 10. art. 36. putant hæc signa fore in ipso die iudicij, scilicet quòd Christus adueniens tanto lumine radiabit, ac totum Orbem suis radiis perstringet, vt sua claritate obscuret fulgorem Solis, Lunæ, & Stellarum. Quam sententiam etiam docet D. Paschas. lib. 11. in Matth.

Paschas. *In comparatione veræ lucis*, ait, *omnia cæli luminaria sic futura prophetantur, ac si tenebrosa: non in sua natura, sed ad fulgorem æternæ lucis comparata valde obscura erunt.* Cùm radiat Dominicæ gloriæ lumen, sub eius aspectu omnia creata decora, & lumina prorsus disparent. Origenes verò tract. 30. in Matth. existimat Solem, Lunam, & Stellas obscurandas esse à fumo, qui procedet ab igne conflagrationis mundi.

Pro fulgore gloriæ Dei obscurantur creata. Origen.

6. Ioel 2. Luc. 21. Tamen hæc signa in Sole, Luna, & Stellis fore præuia iudicio, ac consequenter ante aduentum Christi, clare patet ex Ioël. cap. 1. n. 31. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Et D. Lucas in præsenti: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, &c. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superueniens vniuerso orbi.* Et D. Matth. 24. n. 29. Matth. 24. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo: tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis.*

7. Pererius. *Per clypses.* Sol ergo, & Luna, ac stellæ in seipsis ante aduentum iudicis obscurabuntur. Quomodo ergo, inquirit præsens difficultas. Pererius in c. 6. Apocal. n. 11. & probabile etiam iudicat Cornel. ibi inquiunt, quod per extraordinarias eclypses obtenebrabuntur, quod desumptum est ex Lactantio lib. 7. cap. 16. de Sole, & Luna, sic ait: *Motus extraordinarios peragent, vt non sit homini promptum, aut syderum cursus, aut rationem temporum agnoscere.* Lactant. Tamen, vt obseruat Suar. tom. 2. ad 3. p. disp. 56. sect. 3. § *Tertia expositio*; quòd cùm corpora cœlestia obscurentur ad augendam angustiam, & hominum terrorem, sine dubio videtur futura maior obscuritas Solis, quam per solam naturalem eclypsim effici possit. Suar.

8. Abulens. Carthus. Maldon. Franc. Luc. Cornel. Soto. Ribeira. Raban. D. Thom. Dicendum mihi videtur, quòd verè in seipsis obscurabuntur cœlestia corpora, vt docent Abulens. in cap. 24. Matth. quæst. 155. Carthusian. in cap. 21. Luc. & communiter Recentiores, Maldonat. Francisc. Luc Cornel. vel vt volunt Dominicus Soto in 4. d. 46. q. 2. art. 2. Ribeira in cap. 6. Apocal. per densitatem nubium, quas Deus inter cœlestia luminaria, ac terram interiiciet; vel vt docet Rabanus in cap. 24. Matth. & refert, & non improbat D. Thom. in 4. d. 48. quæst. 1. art. 4. quæstiuncul. 2. quòd Deus suspendet non lumen sed illuminationem Solis, & astrorum, nimirum negando lucì Solis, & astrorum, concursum ad illuminandum, ad radiósque suos spargéndos, ac proinde quamuis in Sole sit lux, in terra verò erunt densissimæ tenebræ per totum Orbem.

9. Apoc. 6. Hic autem secundus modus dicendi semper est admittendus, quia de his signis scribit Ioannes in Apocal. cap. 6. n. 12. *Et ecce terræmotus factus est magnus, & Sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus: & Luna tota facta est sicut sanguis.* Si aliquod corpus fuerit interpositum, ipsa cœlestia astra non percipientur ab hominibus. Ergo cum ad maiorem horrorem, & confusionem percipiantur, non erit aliquod obstaculum in medio, & hæc sententia est de mente Caietan. in cap. 13. Marc. Sol apparebit niger tanquam saccus cilicinus, seu indutus cilicio, quod componitur ex nigris pilis, hócque habitu Sol funebrem sententiam Orbis declarabit. Lunáque erit sanguinea ad significandam diuini iudicij seueritatem; sicque astra horribilia apparebunt & cum non habeant concursum ad illuminandum, in toto Orbe erunt calignosæ, ac densissimæ tenebræ; ita vt videatur terra redacta ad illam suam primæuam antiquam confusionem, antequam lux crearetur. *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Genes. 1. 2. Et merito, quæ enim data luce ex diuina benignitate non valuit proficere, in sui dolorem, & confusionem illi auertur. Vide suprà cap. 17. n. 105. 106. & 107. & c. 18. n. 74. 57. 76.

Horribiles tenebræ fuit suspensionem concursus. Caietan. Gen. 1.

Hæ tenebræ erunt grauissimæ, quales nunquam antea fuerunt, totum enim Orbem opprimunt, vt est communis sententia. Olim fuerunt tenebræ in solo Ægypto, & in morte Christi in Iudæa tantum, vt volunt Origenes, Maldonatus interpretantes illud Matth. 27. n. 45. *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, scilicet Iudææ. De quo suo loco; secundum hanc ergo sententiam pro luctu mortis Filij Dei fiunt tenebræ super Iudæam, at pro ostendenda grauitate nostrorum peccatorum, ac seueritate diuini iudicij super totam terram: tanti facit Deus, vt homines ad pœnitentiam reducat; quod statim quæst. seq. magis confirmabitur. 18. Origen. Maldon. Matth. 27. *Horribiles tenebræ indies.*

Quæstio II.

Quanto tempore hæ horribiles tenebræ durabunt, quibus cælestia astra appetunt abscondi ab ira Dei?

11. Abulens. Abulensis in cap. 24. Matth. quæst. 161. existimat, quòd tenebræ non durabunt per duos vel tres dies, quia tunc per tantum temporis spatium inducent periculum omnibus viuentibus, vt alterentur dispositione pessima. Nam astra cœlestia per suam lucem, ac radios communicant suas influentias. Vnde cum pro tunc non luceant, & illas non infundent in sublunaribus, ex quo concludit, Erit tanti temporis duratio, vt credatur verisimiliter esse signum rei maximæ: & tamen non destruent viuentia, hoc tempus satis est trium, vel quatuor horarum, quia tunc per omnes terras poterit manifestè videri. Et potest confirmari hæc sententia ex eclypsi, quæ in Domini morte contigit, tunc enim sol obscuratus est à sexta hora vsque ad nonam, Matth. 27. num. 45. hoc est, per tres horas, sic & ante iudicium tribus horis obtenebrabitur. *Per tres vel quatuor horas.* Matth. 27.

12. Barrad. Exod. 10. Mihi tamen est probabilius, quod tenebræ excidij Orbis per plures dies, & horas sint duraturæ, quod etiam placet Barradæ hic; nam in Ægypto per tres dies durarunt: *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus*, Exod. 10. n. 22. Ergo tenebræ pro exterminio Orbis per totidem, vel plures dies durabunt. Quod verò obiicitur. Si tot diebus durent periculum viuentibus allaturas simul cum alteratione pessima. Concedimus; & hoc non mirum est

cum omnia viuentia sint peritura, & cum similem perniciem in Ægypto attuletint. Quod etiam
Per plures dies. obiicitur de eclypsi, quæ facta est Domino crucifixo. Dicimus quod durauerit tribus horis ex mysterio? Tenebræ autem exterminij Orbis per plures horas, & dies se extendent, sicut tenebræ in morte christi iuxta Origen. Maldonat. datos superior. quæst. fuerunt in sola Iudæa, in fine verò mundi erunt per totum Orbem; sic etiam & in
Origen Maldon. mortem Christi mare, & flumina non dederunt
Valde horribilia iudicij signa. terribiles sonitus, vt dabunt in fine mundi. *Pra confusione sonitus maris, & fluminum.* Maiora signa dabunt pro furore, ac seueritate iudicis declaranda, quàm præ luctu, & mœrore ediderunt in sui creatoris morte. Diuina Sapientia sic disponente, vt exinde deprehendatur grauitas nostrorum peccatorum, ac seueritas, & furor iudicis venturi, vt pœnitentia, ac dolore ab illa caueamus.

13. Imò cum Euangelista dicat: *Erunt signa in*
Pluries obscurabuntur. *Sole, & Luna* Existimo quòd non per vnam vicem, sed per multas Sol, & Luna obscurabuntur; non ait, erit signum, sed *erunt signa.* Ac proinde multipliciter obscurabuntur partim per extraordinarias, & miraculosas eclypses, partim per densitatem nubium, partim etiam per suspensionem diuini concursus ad illuminandum, ac fuos radios immittendos.

14. Tot, tantisque modis cœlestia astrà quodam
Sol, & Luna à furore iudicis intentant se abscondere. innato appetitu se volunt subtrahere, abscondere, & fugere ab ira iudicis venturi, cuius tantum furorem non audent aspicere, nec coram illo astare; inde retrahunt suum splendorem, sicut homines in graui metu solent colorem mutare, &
Ioel 3. expallescere. Sic illa verba Ioel. 3. num. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & stella retraxerunt splendorem suum,* interpretatur D. Hieron. ibi de extremo
Hieron. iudicio: *Cuius mœrorem*, ait, *& tormenta, peremtium, nec Sol quidem, nec Luna, astraque cætera intueri poterunt. Sed retrahent fulgorem suum, & seueritatem iudicantis non audebunt aspicere.*

15. *Aperto sexto sigillo, ecce terræmotus magnus*
Apocal. 6. *Pra furore iudicis cœlũ fugere intentat.* *factus est, & Sol factus est niger*, &c. Et subdit: *Cœlum recessit sicut liber inuolutus,* Apocal. 6. n. 14. Syriac legit: *Cœli separati sunt, sicut liber inuolutus.* Arabicus: *Cœlum inuolnetur quasi charta.* Quis vnquam talia audiuit cœlum à loco suo moueri, ab eóque recedere, cœlósque à se inuicem esse separatos, & ipsos cœlos maximè extensos, *Qui extendis cœlum sicut pellem,* sic inuolui, ac replicari inter se tanquam papyrum, & chartam, ad quid tendunt tot miranda, & stupenda? In apertione sexti sigilli explicabatur tribulatio excidij mundi, ac consummationis illius, aduentúsque iudicis, cuius furorem, ac iram cũ præsentirent cœlestia, ac si eam ferre non possent, ad fugam se accingunt, à suóque loco recedere parant, inter sese maximè inuolui, ac replicari intentant, furorem
Forerius. iudicis ferre non audentes. Forerius in cap 34. Isai. *Obscurationem*, ait, *luminarium cœlestium notant hac, qua nihil aliud, quam supremam tristitiam, & rerum aduersarum quandam inundationem esse, atque hoc est quod Euangelista dicunt, Solem obscurandum, & Lunam retracturam lumen, & Stellas de cœlo ruituras, & Ioannes in Apoca. Cœ-*
Oleaster. *lum recessurum.* Oleaster: *Possumus dicere*, ait, *cœlos complicandos propter tristitiam clades, quemadmodum apud Ezechielem dicitur abyssus lugere propter Ægyptiorum destructionem.* Si creaturæ insensibiles ita commouentur à facie iræ Dei, cùm non sint iudicandæ, qualiter debet commoueri homo, qui ante tribunal Domini iudicandus stabit?

Qvæstio III.

Quare Sol, & Luna, ac Stellæ obscurabuntur?

Respondet primò D. Chrysostomus in 16.
Chrysost. imperfecto hom. 49. quod pulcherrimæ cœli faces obscurabuntur: *An propter indignam persecutionem Sanctorum, dolentes, aut super impiorum pessima opera indignantes: aut nouissimam Dei iracundiam demonstrantes, vt adhuc viuentibus impiis super terram, iam gustum detur infernalium tenebrarum.* Sol erit niger sicut saccus cilicinus, Luna tota facta est sanguis, & Stellæ sic erunt trementes, vt videantur cadere, vt sua nigredine, colore sanguineo, ac tremore districtam iudicis iram magnámque stragem, ac excidium impiorũ denuntient, significantes eorum gaudium iam obscurari, ac hniri, itaut ipsi adhuc viuentes infernales tenebras degustent *Adhuc viuentibus im-*
Gustabunt viuentes inferni tenebras. *piis super terram, iam gustus detur infernalium tenebrarum.* In pœnam Pharaonis regis Ægyptiorum, ait Deus per Ezechiel. 32. num. 7. *Operiam*
Ezech. 32. *cœlum, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: & dabo tenebras super terram tuam.* Vt tota terra tua ita reddatur tanquam tenebrosus carcer inferni, & luminaria cœli, quæ creata sunt ad hominis oblectamentum, peccatori in seruiant ad tristitiam, mœrorem, & angustiam.

Secundò Abulens. quæst. 182. Quod fient hæc 17.
Abulens. signa ad iudicandam ipsius sæculi consummationem quantum ad modum, & statum, quem nunc habet, ac proinde, cum ipsa fuerint creata pro
Luget astra. mundi præcipuo ornatu, in illius consummatione, ac excidio lugere, vestéque lugubri se induere videantur. D. Chrysostom. citat. *Patrefamilias,*
Chrysost. ait, *moriente tota domus eius turbatur, omnis familia plangit, & conscissis tunicis suis, nigris se cooperiunt vestimentis: sic & humano genere, propter quod fuerant omnia creata, circa exitum constituto, totus contristatur mundus, & vniuersa cœli ministeria lugent, & candore deposito pro vestibus luctuosis tenebris vestiuntur.*

Tertiò Palatius: *Tantis tenebris*, ait, *mundus* 18.
Palat. *tegitur, vbi iudex venit iratus: non est opus suum irasci, punire, condemnare, alienum opus ab eo.*
Obscuratur Sol ne Deus vigidi) punit pœnam videatur. Quorsum in die iudicij tanta tenebrarum caligo mortalium oculos obcæcabit; venit Deus homines puniturus, inde cuncta tenebris inuoluuntur, ac si quodammodo puduerit Deum optimũ ira
Isai. 13. sci, punire, & flagellare; de extremo iudicio loquens Isai. 13. n. 9. ait: *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & ira, furorisque ad deponendum terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam stella cœli, & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* Ecce omnia cœlestia luminaria retrahent suos radios ne luceant, & quænam huius rei causa; *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus.* In quo acerbissimè in hominum scelera animaduertetur. *Iudex furibundo, & misericor-*

diam

diam nescientes: vt ait Petrus Damian. serm. 43. Ideo Deus ostentans suæ iustitiæ rigores sese densis tenebris abdit, ac si ipsum excellens bonum iustitiæ præ misericordiæ magnitudine quodammodo erubescant.

Damian.

19. Et ideo cùm Deus punire disponeret primogenita Ægypti, summa id nocte aggreditur. *Factum est autem in nocte medio percussit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti*, Exod. 12. n. 29. Vt sub tenebrarum caligine ne videretur Deus puniens. Dices, pluit Dominus ignem, & sulphur super Sodomam, & Gomorrham cum Sol egressus super terram, Gen. 19. n. 23. Ergo Deus cum supplicia infert, non interponit tenebras, vt sese abdat. Respondeo, quòd ideo in illis vrbibus castigandis expectauit Solis ortum, vt flamma ignis Sodomam comburens radiis Solis occultaretur, ac minus appareret. Ignis enim nocte multum resplendet, radiis verò Solis suffocatur, & absconditur.

19. Exod. 12.

Gen. 19. *Cum Deus castigat se abscondit, ne patenter videatur.*

20. Quartò. Cyrillus Hierosolymit. Cateches. 15. *Non tristentur*, ait: homines scilicet, *tanquam soli morientes, cum & astra moriantur.* Cœlestium ruina ac iactura proponitur, ne homo sua ruina tristetur, cùm videat ipsam cum astris esse communem; hoc etiam ex diuina benignitate homini datur solamen, cùm videat in tanta pressura se non esse solum, sed secum in societate astra habere. Fugiens Parens meus Elias, ait: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quàm Patres mei*, 3. Reg. 19. n. 4. Quomodo vir magnus optabat præproperam mortem? Ne miremur sic ab eo mortem expetitam esse, ostendit sibi in eo nihil optasse, quod non esset parentibus suis commune, *neque enim melior sum, quàm Patres mei.* Vt inde tota rei concupitæ acerbitas concideret, ac minueretur.

20. Cyrill.

3. Reg. 19.

21. Quintò. D. Antonin. 4. p. Sum. titul. 14. cap. 11. §. 1. hanc assignat rationem. Sol, Luna, & Stellæ visis tot, támque enormibus hominum sceleribus ab initio mundi ad finem vsque perpatratis, tanquam erubescentes, quòd talibus Dominis tam impiis seruirent, & ad eorum scelera lucem præbuerint, absconderunt radios suos ne lucerent. Pro grauitate peccatorum Hebræorum, ait Ieremias 4. num. 23. *Aspexi cœlos, & non erat lux in eis.* Et Isaias supra citatus cap. 13. num. 10. sic introducit Deum loquentem: *Operiam cœlos, & nigrescere faciam Stellas eius: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum.* Cur cœlestia astra sic retrahunt suum splendorem? D. Paschas. lib. 11. in Matth. *Horrore peccatorum abscondunt lumen suum.*

21. *Erubescunt sydera horrore peccatorũ.*

Ierem. 4. Isai. 13.

Paschas.

22. Sextò. D. Anton. Vlyssip. Domini. 1. Aduentus, Tot signa præcedent, vt his homines admoneantur, vt resipiscant, & pœnitentiam agant, de quo quæst. 9. dicam. Quomodo tot signa, cum Apostolus dicat 1. ad Thessal. 5. num. 2. *Dies Domini, sicut fulgur in nocte, ita veniet.* Hoc est, dies aduentus Domini erit tam subitaneus, ac inopinatus præter omnium expectationẽ, sicut fur in nocte, vt explicant D. Chrysostomus, Oecumenius, ac communiter Interpreres. Sed tot signis excitantibus, ac prouocantibus erunt homines dormientes, ac sopiti in suis peccatis, & delictis, vt illis sic aduentus Domini erit tam subitaneus, vt fur in nocte aduenies.

22. Ant. Vlyss.

1. Thess. 5. *Hominibus inopinatus aduentus Domini.* Chrysost. Oecumen.

23. Septimò. Sol, & Luna tanquam principes, ac gubernatores creati sunt à Deo. Sol, vt præesset diei, Luna, vt præesset nocti, Gen. 1. n. 16. Cùm ergo inferiora sublunaria conturbantur, etiam ipsi perturbationem patiuntur, vt eorum exempla principes sæculi imitentur, vt suorum ruinam, ac casum sentiant, de illisque vt propriis doleant, & affligantur. Vide suprà cap. 40. n. 40. & 41. cap. 41. n. 17. & 19.

23. Gen. 1. *Reliqui mundi suorum clade tangantur.*

24. Octauò. Sol, & Luna lucidissimi, ac præstantissimi principes mundi, & tamen radios suos deponunt splendorem contrahunt, vt Deo venienti ad iudicium ministrent, & obsequia præstent; vt inde instruantur principes, ac magnates sæculi, vt pro Dei obsequio omne suum splendidum ornatum deponat, & abiiciant. Lugentibus Niniuitis ad Ionæ prædicationem peruenit verbum ad regem; tunc ipse: *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum*, Ion. 3. num 6. Cùm audit verbum, non moratur, nec recogitat regalem pompam, sed solium, purpuram, ac omnem ornatum abiicit, vt in pœnitentia Deo det obsequia. Audiant hoc reges, & principes, vt pro Deo in suorum afflictione cuncta parui pendant, omnique regia dignitate obliuiscantur. D. Amb. serm. 40. *Sapiens rex*, ait, *qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur, quam regem. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum regem omnium pertimescit, nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco.* Pro quo etiam facit, quòd Dauid accinctus Ephod lineo saltabat coram arca, 2. Reg. 6. n. 14.

24. Ioan. 3. *Principes pro Dei causa regale supercilium deponant.* Ambros.

2. Reg. 6.

Nonò *Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis.* Quæ propter hominis obsequium fuerant creatæ, tamen contra impiòs pro Deo militabunt? aduersúsque eos insurgent pugantes pro suo creatore. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Sicut enim Deus suo imperio cuncta fecit, sic & eodem imperio cuncta potest delere. Cur ergo ad hoc exequendum creaturas assumpsit? Vt ignem aduersus Sodomam; aërem diffusis tenebris aduersus Ægyptios; terram contra Dathan, & Abiron; & aquas aduersus peccatores in diluuio. Nisi tantum vt agnoscas omnes creaturas vltrices esse iniuriæ commissæ in suum creatorem. Hugo ad cap. 7. Gen. ad illa verba: *Aqua inundauerunt.* Sic ait: *Hoc factum est, vt creatura creatoris iniuriam in homines vindicaret. Armabit creaturam ad vltionem inimicorum.*

25. *Creatoris iniurias vindicant creaturæ.*

Hugo.

Ob fratrem suum interfectum punitur Cain à Deo dicente: *Maledictus eris super terram*, Gen. 4. num. 11. Septuaginta legunt: *Maledictus à terra*; hoc est, à terra maledictus eris. Cur peccator maledictus describitur potius à terra, quàm à cœlo, vel aëre? Terra infima est pars mundi, ab ea potius dicitur Cain maledictus, quàm ab alia quacumque parte; vt agnoscat peccator vniuersum Orbem aduersus eum insurrecturum; si enim vilior, & abiectior pars, vt pote terra, quæ tanquam communis omnium parens debebat ei esse benignior, tamen non sinit delinquentem esse pacificum, & quietum, sed maledictionibus eum prosequitur, qualibusnam execrationibus in eum insurgent superiores creaturæ, quando omnium infima sic eum maledictione insectatur? D. Ambros. lib. de Cain, & Abel cap. 9. *Huiusmodi peccator*, ait, *à terra maledictus est, qua infima, & postrema pars mundi; superius vtique cœlum, & qua in cœlo sunt, Sol, Luna, Stellæ, Throni, Dominationes, principatus, & potestates, Cherubim, &*

26. Gen. 4. Septuag.

In peccatores creatura insurgunt.

Ambros.

Seraphim, non est ergo dubium, quod cum & superiora damnauerint, quem inferiora damnauerunt.

27. Genes. 7. *Anno sexcentesimo vitæ Noë, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt,* Genes. 7. num. 11. Cur principales creaturæ tam è cœlo, quàm è terra assignantur vt principales diluuij causæ? Nonne sufficiebat, quod cataractæ cæli, seu aëris in magnum aquarum imbrem se se diffunderent, ad quid vltrà, fontes abyssi, seu terræ etiam per magnos refluxus aquarum conueniunt? Vel etiam è contra ad inundationem sufficiebant fontes abyssi, ad quid etiam cataractæ cœli? Sine dubio vt notum habeamus, quod omnes creaturæ tam supernæ, quàm infernæ, tam cœlestes, quàm terrestres se se exhibent pugnantes, ac dimicantes pro Deo contra peccatores. D. Augustinus lib. 1. de mirabil. sacræ Scripturæ c. 19. *Vt ostenderetur*, ait, *quod contra rebelles, & contumaces se se pariter vniuersus orbis armabit.*

Omnis creatura pro Deo aduersus peccatorem pugnans.

August.

28. Apoc. 12. Sophron. Olim contra Sodomam armauit Deus ignem; contra peccatores aquas diluuij. At in extremo iudicio omnis creatura, quæ est in cœlo, & in terra, armabitur contra peccatores, vt videbis apud Ioannem in Apocal. 6. à num. 12. ex ibi narratis rectè colligit D. Sophronius Archiepisc. orat. de Angelorum excellentia. *Terra*, ait, *velut penda rotata è fundamentis mouebitur, & elementa dissoluentur, & Sol atro colore perfundetur, & in cilicini sacci modum obscurabitur, & Luna tota in sanguinem conuertetur, & stella perinde ac grossus è ficu dum valida vi venti agitatur è cœlo in terram decident, & vniuersus aër quasi tetris nubibus obductus in noctem vertetur, & calum instar libri inuolutum, è medio faceßet, & mons omnis, & vallis, & insula, & ciuitas è sedibus suis mouebuntur, & magnates, & potentes, & reliqui populi humiliabuntur, & quod grauissimorum dolorum, & gemituum, stridorumque dentium, ac omnis generis supplicionum tempus iam adesse cernent.* Pondera quod tunc non erit tempus vnius, vel alterius supplicij. *Sed omnis generis supplicionum.*

Omnia elementa insurgunt contra hominem.

Qvæstio IV.

Quare Sol regius Planeta primò, & ante omnia obscuratur?

29. Apoc. 6. Omnis mundanus Sol eclypsatur. PRæter rationes superiori quæstione datas, ad hanc difficultatem sic primò respondeo. Sol regius planeta, intérque cælestia astra princeps maximè splendidus, fulgorum origo, opulentum cælestis luminis conceptaculum obscurabitur, apparebítque niger tanquam saccus cilicinus, Apocal. 6. num. 12. Vt inde deprehendas, quòd nulla est mundana gloria tam resplendens, quæ suam eclypsim non patiatur, omnis enim suam sordidam mutationem cum luctu, mœrore, ac tristitia patitur, ipsámque turpes alternationes concomitantur, ac sequuntur. Vide suprà cap. 21. n. 9. 10 & cap 29. n. 75.

30. Secundò. Obscurabitur Sol. Ipse enim modo radios splendidæ lucis communicat stellis, & Lunæ. At verò cum appropinquauerit iudicij tempus suprema diuina dispositione. *Luna tota facta est sicut sanguis.* Citato Apocal. loco. *Stellæ*, autem, *cadent de cœlo.* Luna Dei manu facta sicut sanguis, Dei etiam manu impedita est ad fulgorem Solis excipiendum; stellæ verò cum verè cadunt, vt volunt Chrysostomus & alij, de quo quæst. 6. Maximè clonginquam à Sole, vt eius lucem vberrimè emendicare impediantur. Cum ergo Sol planetarum Princeps, largitate illustris dum fulgurum radios sideribus quibus præest, non impertit, ac communicat, sed à solita beneficentia in suos cessat, inde pro magno regum documento, ipse totus sordidus, ac obscurus perhibetur; ac si ipse fulgeat non solum suis radiis, sed etiam benefica suæ lucis communicatione in astra inter quæ principatum habet, cùm ergo à sua generosa largitate cessat, etiam à suo splendore expers habetur. Hæc moraliter dixi, vt inde deprehendas, quòd rex suorum donorum largitate coruscat, illorum verò priuatione totus fœdatur, ac obscuratur. Vide suprà cap. 4. num. 5. cap 8. n. 77. c. 24. n. 9. 10 & 11.

Chrysost. Si vox à beneficentia cessat obscurior, ac sordidior fit.

31. Tertiò. Sol nunc fulget, & resplendet ad gratiam, illius radiis, ac fulgore maximè homines recreantur, ac lætantur, illiúsque benigna influentia nutriuntur, ac sustentantur. Sol conuertetur in tenebras, ac fiet niger tanquam saccus cilicinus; ô ingens rigor diuinæ iustitiæ! vt Sol, qui sua luce mirificè recreabat homines suo aspectu, eos terrificet, & totus in mœrorem, ac tristitiam mortalium conuertatur, & qui erat tanquam eorum parens nutricius, fiet illorum carnifex, & tortor. Acclamatur Iehu rex Israël, statim omnes populi ei præstant obedientiam, promittentes se facturos quæcumque ipse eis præciperet. Tunc eis mandat Iehu, vt iugularent septuaginta filios Achab, quo facto eorum capita ad Iehu adduxerunt. *Porro filij regis septuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur. Cumq; veniſſent litera ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum,* 4. Regum. 10. num. 6. Ad hoc vt impleretur Dei verbum quod per Eliam dictum fuerat. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & vltimum in Israel,* 3. Regum 21. n. 21. Sat erat quod omnes filij Achab interficerentur vel ab aliquo hoste, seu insidiatore. Non tamen sic pereunt, sed per suos consanguineos, ac nutricios iugulantur; Achab, vt ait Textus: *Non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini*, citato cap. 21. num. 25. Cum ergo Achab malitia aliorum delicta superexcederet, sic & eius pœna aliorum supplicia transgrediatur, & ideo eius filij trucidantur non per hostes, sed per eos, à quibus leuamen, & auxilium sperare debebant; vt qui fuerat illorum nutricius, esset eorum carnifex, nutrimentum in capitalem sententiam commutans. Theodoretus ait quæst. 32. *Filiis Achab interfectis, non ab hostibus, sapienter Iehu dixit populo. An non ira à Deo immissa, qua necessarios, & sanguine iunctos visa est administros?*

Imperii simile vt ille, à quo delicia fluerebat, sit tibi in tormenta.

4. Reg. 10.

3. Reg. 21.

Theodor.

32. Quartò. Volens Deus mundum reformare à sua præuaricatione, ac nequitia constituit eclypses, posuítque signa, ac demonstrationes suæ iustitiæ, & rigoris in maioribus mundi luminaribus in Sole, ac Luna, quæ præfectorum inter astra obtinent, & totum mundum suo cursu regunt. His indicans, quod magnatum, ac excellentiorum pœna, magnum eruditionis documentum sit vniuerso orbi, illa enim optima est vt cuncti componantur, ac ad probitatis viam reducantur.

Castigatio magnatum, eruditio populorum.

33. Thren. 1. Chald. Ait Ierem. Threnor. 1. num. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Ex radice Chaldaic. legitur: *Misit ignem in fortibus meis, in robustis*

robuſtis meis. Et merito; nam oſſa ſunt partes fortes, & robuſtæ totius corporis, per hos autẽ fortes intelliguntur potentes, ac principes reipublicæ, ad quid tamen miſit ignem ſuæ indignationis in eos, ſtatim Propheta explicat. *Et erudiuit me.* Si principes ac Dynaſtæ caſtigantur, populi inſtruuntur, ac bene informantur, *& erudiuit me.* Propheta enim totius populi perſonam agebat, principium caſtigatio, populorum eſt diſciplina.

Paſchaſ. D. Paſchaſius ibi: *Bene*, ait, *in oſſibus meis ignis miſſus dicitur, vt omnia Iudæorum, quæcumque fortia eſſe videbantur, interius, exteriuſque poſſeſſa flagellis erudiantur; vnde ſubdit: erudiuit me.* Ex igne autem miſſo in potentes vis videre, quantum ipſe eruditus fuerit; perpende verba, quæ ſubdit: *Expandi rete pedibus meis, conuertit me retrorſum*, Ille ignis miſſus in potentes extitit ei tanquam rete quoddam, quo eius pedes ligati ſunt, ne ruerent in malum, & vt retrorſum ad Deum ſuum rediret,

D Thom. Hugo. ac adduceretur. D. Thom. *Expandit rete, quo à peccato retraxit.* Cardinalis Hugo: *Conuertit me retrorſum ad ſeipſum, qui eram ab eo auerſus per peccatum.*

34. Zach. 11. Hieron. Vatabl. Hugo. *Ruina magnorum fit eruditio minorum.* Ait Deus per Zachariam 13. n. 2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnificati vaſtati ſunt.* Ait, *vlula*, hoc eſt, vt explicat D. Hiero. luge, plora præ dolore. *Abies*, vt exponunt Vatablus, Hugo, ſignificat minores, ac inferiores. Cur tamen his mandatur, vt præ dolore lugeant, ac deplorent, ſubditur ſtatim ratio; *quia cecidit cedrus.* Magnificati nempe vaſtati ſunt. Quia cum magni ruunt, minores gemunt, maiorum enim caſu multa eruditione informantur minores, vt timeant, multiſque lachrymis delicta deplorent, ab illiſque omni conatu fugiant, cautique reddantur.

Peluſiota. Iſidorus Peluſiota relatus in gloſſa: *Fortibus cadentibus* ait, *eruditur, ac caſtigantur, qua ſunt imbecilliora.*

QVÆSTIO V.

Quare Luna obſcurabitur, & non dabit lumen ſuum?

35. Celada. SAPIENTER notat R. P. M. Celada tom. in Tobiam, cap. 1. §. 48. n. 3. modum dicendi D. Matth. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.* Si enim Sol obſcurabitur, profectò planum eſt; quod & Luna obtenebrabitur, Luna enim à Sole lumen ſuum fœnerat, vnde neceſſe eſt Sole obtenebrato Lunam pariter infuſcari. Cur ergo, quaſi proprium lumen Lunæ adſcribitur, cum à Sole ſit mutuatum? Lunam non ambitioſo obſequio, ſed generoſo receſſu quaſi dignitatis refuga lumen à Sole negotiatur. Nam, vt ait

Qui fugit honores, eos ſibi appropriat.

Apul. Apuleius in lib. de Deo Socratis: *Luna quanto longius abit à ſole, tanto largius illuminatur.* Conſultiſſimè ait Euangeliſta: *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum*; qui enim alienos fulgores participat non importuno obſequio affectando, ſed fugiendo, indè maximè condecorus, ac illuſtris apparet, vt ita ipſos fulgores ſibi appropriet, & ſui potius, quàm alieni videantur. Deinde dico: Luna participat ſolis ſplendores, non ad ipſum ſolem appropinquando, quaſi velit omnes illius radios in ſe imbibere, ſed ab ipſo Sole fugiendo, dans locum, vt alij illius radij illuminentur, & qui tam generoſa indole pollet, vt ſic luce

Quem lucem facit, qui vult vt & alij illo fruãtur.

Solis gaudeat, vt velit, quod & alij illa fruantur, ipſum Solis ſplendorem merito ſibi appropriat, & ſuum facit.

Ad quæſtionem. Primò. Tanquam magnum portentum, ac horrendum prodigium præter vniuerſum rerum ordinem dicitur, *quod Luna non dabit lumen ſuum*; quod explicans Caietanus ait: Caietan. *Hinc ſignificatur, quod Luna habens lumen ſuum non dabit illud, non dicitur, Luna non habebit, ſed non dabit lumen ſuum.* Nam vt explicaui quæſt. 1. Sol, & Luna habebunt ſuam lucem in ſuo corpore, tamen per ſuſpenſionem diuini concurſus non illuminabunt, nec ſuam lucem emittent, quo fient dendiſſimæ tenebræ. Ecce magnum, & ingens prodigium, quod Luna, cum conſtituta ſit vt præeſſet nocti habeat in ſe lumen ſuum, & aliis benefice non præbeat. Quodnam maius portentum, ac prodigium præter vniuerſum rerum ordinem, quam quòd Luna conſtituta in præſidendi munere, habeat lumen, quo ſe illuſtret; & alios lucendo largè illuminet, & lucis, ac influentiarum ope foueat: tamen aliis luminis ſolatium ac influxuum largitatem non concedit, ac impertit, & illis omnino negat? Vide ſuprà c. 5. n. 112. 113. multa vide verb. *Communicare.* 36.

Secundò. Vt ait Ioannes in Apocal. 6. num. 12: *Et Luna tota facta eſt ſicut ſanguis*: repræſentans cruorem, & ſtragem impiorum ob ſanguinem Chriſti ab eis vel effuſum, vel neglectum, & ſpretum. Item ob effuſum ſanguinem martyrum, præſertim Parentis Eliæ, & Henoch, ac aliorum fidelium ſub Antichriſto. Tertiò. Luna fiet rubea, vt videatur quaſi pudore vultus ſui, de turpiſſimis, & atrocibus hominum ſceleribus, nocte præſertim, cum luce Lunæ, in lectis, & tenebris perpetratis erubeſcere; & quòd huiuſmodi ſcelera ſub noctis tenebris, quibus præeſt, abſconderit, & occultauerit, vt licentioſius homines peccarent, & delinquerent. 37. Apoc. 6. *Erubeſcit Luna de peccatis ipſa præſide commiſſis.*

Quartò. *Luna vertetur in ſanguinem.* Lunæ conditio, ac genium illuminare, & tamen vertetur in ſanguinem atrum, & obſcurum contra ſuum naturalem curſum. Homines ſuis delictis, ac peccatis immutarunt debitum ordinem naturæ, inde merito ipſa natura contra eos inſurget, totam ſe immutans, ac varians. *Pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham, ſulphur, & ignem* Geneſ. 19. n. 23. Aliis in locis ſæpe dicitur: *Cecidit ignis à Domino*, vt 3. Regum 18. n. 38. vel, *deſcendit ignis de cælo*, vt 4. Regum 1. num. 12. & ſimiliter ſæpe aliis in locis. Cur ergo ſuper Sodomam dicitur, quòd pluerit Dominus ignem? Diffunditur pluuia, ne rore ſuo fœcundet terram, quia verò homines delinquendo naturæ congruentem vſum reliquerunt, ideo amœnitas pluuiæ, quâ omnia fœcundantur, eis conuertitur in ignem comburentem, quâ cuncta deuaſtantur, ac deuorantur; fauet Innocentius III. lib. de contempt. ſæculi, cap. 25. *Non miſiſſe*, ait, *dicitur, ſed pluiſſe ignem, quatenus ipſo verbo magnitudinem, & abundantiam pœna notaret.* 38. Geneſ. 19. 4. Reg. 1. 3. Reg. 18. *Homo delinquendo immutat naturam, & natura contrà eum immutatur.* Innoc. III.

Quintò. *Luna vertetur in ſanguinem.* Sub Lunæ luce totas noctes deliciis luxuriæ, gulæ, potationis, ac crapulæ pertraxerunt homines, inde, merito Luna tota ſanguinea apparet, vt eos terreat minacique vultu illis magna ſupplicia denunciet; vt Luna, quæ ad delicias inſeruierat, inſeruiret etiam, & ad pœnam. Iſraëlitæ Babylouiorum armis oppreſſi ab Oſea 10. num. 8. introducuntur; dicentes. *Montibus, operite nos, & collibus, cadite* Oſeæ 10. 39.

ſuper

super nos. Cur visis crudelibus hostibus Babyloniorum crudelitatem præcurrunt, vt eam obnixè à montibus petant, & expectent? In montibus coluerant dæmones multis vitiis gulæ, ctapulæ, ac luxuriæ se se exercitantes, & vbi tot abominationibus fœdati sunt, inde superno impulsu extremam ruinam, ac interitum sperate coguntur.

Cyrill. Eleganter D. Cyrillus ibi: *Dicent*, ait, *montibus illis, & collibus, in quibus idola colebant, cadite super nos, anticipate crudelitatem Babyloniorum.*

40. Ezech. 9. Ait Ezechiel. 9. num. 2. *Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vnusquisque interitus in manu eius.* Cur ab Aquilone contra Israël tantum panditur malum, nonne de Amasia aliquando dicebat: *Surge Aquilo, perfla hortum meum.* Quomodo ergo ab Aquilone tota pernicies, & deuastatio? Ait idem Propheta antecedenti cap. 8. num. 14. *Introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Ad flatum Aquilonis innumeræ fœminæ constituerant sedem suam, vt non solùm suum idolum Adonidem adorarent, sed etiam, vt ibi illius mortem deplorarent, inde ergo à flatu Aquilonis euolat exercitus Angelicus vniuersum populum vastaturus. Idem enim venti flatus, qui ministrauerat sceleri, & supplicium debet repræsentare, nec fieri potest, quòd supplicium non inueniat aditum, qua via scelus intrauit.

Sub Aquilone erat peccatum, & inde pœna volat.

Theodor. Theodoretus, *Cùm ab Aquilone*, ait, *& idolum positum esset, & mulieres Thammum lugerent, necessario inde supplicium reperit aditum.*

QVÆSTIO VI.

Quare stellæ dicantur cadentes de cælo?

41. Origen. DIFFICVLTATEM huius quæstionis proponit Origenes tract. 30. in Matth. *Stellæ cadent de cælo*, ait, *quomodo ergo cadent de cælo, cum magnitudini earum non sufficiat terra?* Siquidem totus terrarum ambitus valde angustus est ad capiendam stellæ cuiusuis immensam molem, quæ pluries vniuersæ terræ spatium excedit: quomodo ergo potest stare non vnam dumtaxat, sed simul plures casuras fore?

Difficultas quæstionis.

42. *Sensum literalem.* Sensum literalem huius difficultatis ante omnia propono. Primò. Stellæ sub mundi finem sic obscurabuntur, vt videantur hominibus è cælo excidisse. Sæpe enim Scriptura loquitur de rebus non prout in se sunt, sed prout apparent hominibus. Ac proinde non astra cadent, sed astrorum lux, non enim in cælo micabunt. Vnde ait Ioël. 3. n. 15. *Stellæ retraxerunt splendorem suum.* Ita explicant D. Hieronymus, D. Paschasius, Beda D. Thomas, Carthusianus, Caietanus, Iansenius, & alij.

Ioël. 3. Hieron. Paschas. Bed. D. Thom. Caietan. Iansen.

43. Ioël. 2. Secundò. *Stellæ cadent.* Hoc est, Cometæ, ac constellationes quædam stellis similes, quæ in aëre gignuntur, tunc ex eo in terram decident. Colligi videtur hic modus dicendi ex Ioële 2. n. 30. *Dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.* Et est de mente D. Augustini lib. 20. de ciuitate cap. 24. ad alias sententias deuenianus.

Augustin.

44. Chrysost. Euthym. Maldon. Tertio. D. Chrysostomus, Euthymius existimant in fine mundi stellas verè de cælo casuras, quorum sententiam approbat Maldonatus dicens: *Magis Christo id affirmanti, quàm Aristoteli negati fieri posse, credendum esse arbitror.* Nam cùm creata sint omnia propter hominem, ipso deficiente, & illa deficient, vt ponderat D. Chrysostomus homil. ad Neophit. adducens illud Isai. 34. n. 4 *Et tabescet omnis militia cælorum, & defluet sicut defluit folium de vinea, & de ficu.* Sic ait sanctus Doctor: *Sicut vites, cum vuarum fructibus prægrauantur, foliorum auxilium necessarium, vt protegantur, exposcunt: cum autem deposuerint fructum necesse est, vt etiam foliis denudentur: sic se habet hoc sæculum, quandiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cælum stellas, sicut & vitis folia. At nocte perenute, sine dubio stellarum vtilitas simul cum nocte deficiet.*

Chrysost. Isai. 34.

45. Chrysost. Quartò. In hac sententia Chrysostomi, quòd verè stellæ cadent, magna insurgit difficultas. Vnaquæque stella superat magnitudine vniuersam terram, quomodo ergo dici potest, non vnam stellam, sed plures casuras in terram? nam quamuis nitantur cadere, non datur locus, qui eas valeat excipere. Non mirum sanè, nam cum stellæ incipient ruere è cælo, à casu non desistent, donec in profundissimum etiam impossibile præcipitentur. Qui enim semel cecidit tanto impetu fertur, vt omnem naturam rerum vincat, & descendendo deueniat ad locum, quem alias attingere non poterat: sic cælorum stellæ in terram cadent, & quamuis totus terrarum ambitus ad magnitudinem vnius stellæ excipiendam non valeat, tamen casus impossibiliat intentat, & vltra naturæ vires præsumit profundius cadere. Cùmque Aman teneret equum Mardochæi, qui regio ornatu in eo ferebatur, & lugens reuersus esset in domum suam, & consilium iniens quid ab eo agendum esset, responderunt Consiliarij eius. *Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere.* Esther. 6. n. 13. En leuis inclinatio Aman grauioris casus omen extitit, & infaustum augurium vltrioris ruinæ fuit, & quòd cùm esset iam aliquantulum inclinatus, minimè consisteret, quousque ad extremum, & vltimum rueret.

Qui cepit cadere non stetit, vsque ad vltimum ruit.

Esther. 6.

46. Haymon. Quintò. Haymon. in cap. 6. Apocal. num. 13. *Stellæ cæli*, ait, *sancti sunt, qui in tenebris istius vitæ lucent, veluti in firmamento stellæ, qui tunc vtique de cælo cadent, quando sub illa persecutione validissima à fide recedent, qui prius fide recta, & operibus iustis videbuntur lucere, in terram cadent, quia terrenis delectationibus inhærebunt, & ex ipso amore terreno ad iniquitatem ruent:* Stellæ, quibus denotantur viri sanctitate fulgentes, in terram cadunt, & quomodo à culmine sanctitatis in infima prolabuntur? Cum à iustitia recedunt, séque vitiis terrenis implicant, statim à culmine perfectionis in extremam, ac infimam miseriam ruunt.

Et nouarum ofilla iustiã sua perfectione cadunt.

47. Ioan. Vitl. Sextò. Cardinalis Ioannes Vitalis, in speculo morali sacræ Scripturæ, Titul. de Religione, per stellas intelligit Religiones, qui se per vota solemnia Deo consecrarunt, nam Religio sanctorum cœtu, radiisque exemplorum, sanctitatis, ac doctrinæ maximè fulget; sicut cælum micantibus stellis nitet. At si huiusmodi Religiosi à sua perfectione decidunt, vt ait cit. Cardinal. *Flante, & impellente, & concussante illas stellas vento tentationis, ambitionis, diuisionis: cecidimus euidenter de statu perfectionis ad terram infimam.* Alludit ad locum Apocalyps. 6. numer. 13. *Et stellæ de cælo ceciderunt super terram.* Cur tamen

Religiosi cum decidunt à virtute, in pessima crimina labuntur.

men huiusmodi stellæ, religiosi nempe non dicuntur cadere in regionem ignis, vel in aërem, vel mare, sed in terram? Inter omnia est infimum, & vltimum elementum. In hoc ergo stellæ cadentes ruunt, vt denotetur, quòd si religiosi à virtutis tramite deuiant non in quælibet, sed in pessima omnium crimina labuntur.

48. Origen. Septimò. Origenes homil. 30. in Matth. *Sic autem per marcescente Stellarum lumine, reliquum earum corpus crassius factũ, vt non valeat ex altari, sicut prius, cum a lumine ipso portatum exaltabatur cadet de cælo.* Magno examine pondera. *A lumine ipso portatum extollebatur.* Stella suo splendore, ac lumine portatur, extollitur, & altissimis cœli culminibus valde fixum firmatur. Cur ergo à suo lumine, splendore, ac etiam benigna influentia in inferiora deuiat, inde cadit, & per infimam terram volutatur. Sic sanè homines cum suo officio, ac dignitates fulgentes cœlo adhærent, cœlique affiguntur culminibus; At verò sic à suo splendore, munere, officio, ac congruenti operatione cessant, statim præcipiti casu ruunt, pereunt, & idem habentur, ac si non essent.

Qui cessat à sua operatione benefaciẽdi, idem est ac desinere esse.

49. Hebr. 1. Psal. 101. De cœlis, inquiunt Paulus ad Hebr 1. n. 10. & Dauid Psal. 101. num. 26. *Tu in principio Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt; tu autem permanebis, & omnes vt vestimentum veterascent.* Constans est communis sententia, quod cœlorum corpora sint incorruptibilia, & non interitura, quomodo ergo de eis, dicitur, quod sint transituri, ac perituri? Beda, Caietanus, Iansenius ad hoc c. 24. Matth. affirmant, quod per has locutiones, cœli peribunt, & velut vestimentum veterascent, non denotatur, quod cœli secundum suam substantiam mutentur, sed quod à statu motus, ac influentiæ, quem nunc habent, in alium quietum, ac immobilem, in quo omnis operationis, ac motus erunt expertes, sint transituri; cum ergo à sua operatione, motu, ac benigna influentia cessent, & quiescant, sic reputantur, ac si omninò perirent; & desinerent esse, & penitus abolerentur.

Beda. Caietan. Iansen. *Dicendus est periisse, qui ab officio administrandi cessat.*

50. Tertull. Deum otiosum absque alicuius operationis cura fingebat Epicurus, contra quem rectè argumentatur Tertull. lib. aduers. Gent. c. 2. *Qua ita sunt*, ait, *Deum Epicuri otiosum, & inexercitum faciunt, & vt ita dixerim, neminem.* Rectè quidem Deum otiosum, neminem, nam qui otiosum, & ignauum Deum fingit, sua non curantem, nec creaturis à se formatis prouidentem, idem omninò, ac neminem facit, & fingit: cum conditoris sit (vt ait Iobius Monachius in Commentario de Verbo Incarnato lib. 3. c. 11. apud Photium in Bibliotheca) suam creaturam nosse, illique media congrua ad salutem, & vitam prouidere.

Qui Deum otiosum fingebat, idem ac neminem esse fingebat. Iob. Monac.

QVÆSTIO VII.

Quare Sol, & Luna viduantur suo lumine adhærentes Cælo, & Stellæ verò dicuntur cadere?

51. PROPINQVANTE finali iudicio, Sol, & Luna, etsi obscurentur, in cœlo tamen, ac in suo loco manent, Stellæ autem è cœlo in terram cadere dicuntur. Nonne satis erat, vt cum Sole, & Luna pariter infuscarentur? Quid delinquerunt Stellæ, vt de cœlesti earum patria demissæ, in terris cogantur exulare?

52. Apoc. 6. Respondeo primò. Quia vt scribit Ioannes in Apocalyps. 6. num. 12. agens de signis ante finale iudicium: *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & Luna facta est tota sicut sanguis, & stellæ ceciderunt super terram.* Ex dispositione diuina sic ordinatum est, vt in illa obtenebratione rerum, adhuc ad maiorem horrorem Sol appareret niger, & Luna tota sanguinea; At Stellæ nullo modo videbuntur, sed ita erunt obtenebratæ tanquam è cœlo cecidissent, vt dixi superiori quæst. in 1. solutione.

53. Gen. 1. Secundò. Hanc rationem moralem sic propono; & ad illam suppono id, quod dicitur Gen. 1. num. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti; & stellas, & posuit eas in firmamento cœli.* Quæ verba ponderans D. Anastasius Sinaita lib. in Hexamer. sic ait: *Perterribile autem omninò, & occultum mysterium, Stellas quidem supra per iussum Dei creauit in firmamento: Solem autem, & Lunam, cum per se super terram tanquam Adam, & Euam esset fabricatus, & postea eos in altum sublatos posuit in firmamento.* Anastasius Anastas. hoc discrimen constituit inter locum, in quo Sol, & Luna creati sunt, & eum in quo Stellæ sunt conditæ. Quod Sol, & Luna in terris formati sunt, & ob eorum excellentias, velut cœlesti sede munerans, in cœlum creator transtulit. Secus verò Stellæ in firmamento creatæ, ibi vsque ad diem iudicij dicuntur fixæ permanere. In primordiis rerum omnium Autor Deus magna in ipsis rebus naturalibus dabat nobis documenta; & in illis magnam nobis eruditionem inculcabat. Sol, & Luna quamuis in terris creari, tamen ob eorum excellentem splendorem, adumbrantes eos, qui meritis resplendent, in cœlis collocantur? At verò stellæ residentin cælo, vt in loco suæ natiuitatis, quem tanquam ex natali partu possident. Inde ergo in finali rerum permutatione, ac alteratione licet Sol, & Luna obtenebrentur, tamen fixi permanent in cœlo, stellæ verò præcipiti casu ruunt. O mystica de re animata eruditio, terrenisque hominibus valde peridonea, & moralissima sub astrorum typo si enim ipsi tanquam Sol, & Luna ex merito adumbrato, ac significato in altum feruntur quacumque rerum commotione, ac perturbatione firmi, & securi persistent; At verò si ex natali partu obtinent, fieri potest, vt ruant, & cadant.

Obtenta ex meritis persistunt, ex natalitio transeunt, & ruunt.

54. Esther. 1. Duas reginas copulatas inueuies Regi Assuero in matrimonio coniunctas Vasthi, & Esther. Vasthi in festino conuiuij gaudio expellitur à regia dignitate. At verò Esther in magna perturbatione rerum pendente edicto, vt omnes Iudæi interficerentur, firma, & secura in regno persistit. Cur illa sic cadit, hæc verò ita firmatur? Vasthi filia erat regis Balthassaris regis Chaldæorum, de quo Daniel. 5. vt tradunt Hebræi, vel vt suspicatur Serarius, filia erat antiquiorum regum, ac proinde ex regali natalitio euocata est ad regnum. At verò Esther. 2. num. 5. introducta est ad regnum ob pulchritudinem non solum externam, sed etiam internam. *Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa, & amabilis valde.* Quæ verba sic commentatur Carthusianus: *Pulchritudinem illam corporalem venustauit, & auxit mirabiliter,*

Dan. 5. Hebr. Esther. 2. Carthus.

liter pulchritudo supernaturalis in donis gratiæ, & virtutum. Vasthi ergo euecta ad regnum ex natalitiis facile labitur, & corruit; at Esther ex animi virtute sublimata in vehementi rerum commotione non commouetur, sed firma, & secura persistit.

Dignitas ex natalitiis deperditur, non vero ex meritis.

55. Compone modò totam Paradisi tranquillitatem, vitaliúmque arborum halitum; cum arca à Noë fabricata, leonibus grauis, tempestatibus quassata, fluctuum rabie percussa. Et tamen cum in paradiso Eua vt mundi princeps, ac regina incederet, à sua felicitate corruit, aditum aperit ruinæ generis humani, & in mille incurrit mala; at in arca Noë etiam vt mundi gubernator inter vastissimas aquarum voragines, ac vortices secutus ibat, ita vt feliciter portum attingeret, ac teneret: vt notauit D. Basil. Seleuc. Orat. 5. *O arca*, ait, *Paradiso firmior. Illic namque cum aliis nauigabat serpens: illic, lignum mortis fuit instrumentum; hic lignum salutis fuit gubernaculum.* Vnde in paradisi securitate in tot mala incidit mulier, cum in tanta aquarum mole Noë seruatus sit in vita? Eua vt mundi princeps degebat in paradiso, tanquam in natali solio, in quo formata fuerat. At noë ex meritis, ac iustitia sibi præparauit ingressum in arcam: *Dixit Deus ad Noe Ingredere tu, & omnis domus tua: te enim vidi iustum coram me in generatione hac*, Gen. 7. num. 1. Eua, quæ vt totius mundi princeps, deambulans lætabatur, in paradiso tanquam in natali solio vincitur, & labitur; At noë, qui sanctitatis merito vehitur in arcâ, omnem inundationem aquarum vincit & superat; cum enim quis iustitia munitus incedit, facile vniuersa iniquitatis tela deuincit, ac detorquet.

Basil. Sel.

Gen. 7. *Noë ex meritis ingressus in arcâ, omnem molem aquarum superat.*

Qvæstio VIII.

Quare mare dabit horrendum sonitum?

56. Sit Textus: *Pressura gentium pra confusione sonitus maris, & fluctuum.* Maximè explicat Euangelista pressuram, angustiam, anxietatem, in qua erunt homines confusi, & perplexi, consilij inopes, quò se vertant, aut quid agant nescientes? nam Sol erit niger, Luna tota sanguinea, stellæque erunt cadentes, fulgura coruscabunt, terra tremet, & maria, & flumina horrendos sonitus dabunt; ita vt erit afflictio, & angustia extrema, qualis nunquam fuit. *Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio vna, afflictio ecce venit: finis venit, venit finis: nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te*, Ezechiel. 7. n. 5. & 6. Expende quod ait: *Afflictio vna*; & statim, *Finis venit, & iudicabo te.* Vbi sermo est de afflictione ante iudicium finale, & dicitur, *Afflictio vna*, quia erit vna, & singularis inter omnes, cuius comparatione vniuersæ antecedentes non censeantur afflictiones, nec timeri debent. Et grauitas afflictionis satis explicatur. Cum ait Deus: *Complebo furorem meum in te.* Ac si in homine tunc adimpleat rigores suæ iustitiæ, infligens illi vniuersa sua flagella.

Ezech. 7.

afflictio iudicij sola afflictio.

57. Secundò. Astra obscurantur, aër fulgurat, terra tremit, maria, & flumina fremunt, ac si omnia elementa, vniuersæque creaturæ insurgant in hominem, vt debitam vindictam, ac satisfactionem sumant pro delictis commissis contra suum creatorem. Dathan, & Abiron, ait Scriptura, ob rebellionem contra Moysem: Sub pedibus eorum, dirupta est terra, & aperiens os suum deuorauit illos: *Descenderunt viui in infernum*, Numer. 16. num. 32. Quorum pœnam explicans D. Ambros. rectè ait Epistol. 8. *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem hausiu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Omnia elementa insurgunt aduersus rebelles, vt cœlum non videant, aëre non fruantur, mare non attingant, à terra non sustententur, nec illius sepulchro gaudeant.

Omnia elementa insurgunt contra peccatores.

Numer. 16. Ambros.

58. Tertiò. Moralissimè dicam etiam in hac re. Superiora astra obscurantur, & homo orbis princeps, sub cuius pedibus omnia erant subiecta, à sua felicitate in magnas miserias, ac angustias cadit; tunc aduersus eum mare intumescens horribiles dat sonitus. O quam frequenter cum Dominus à culmine suæ felicitatis decidit, aduersus eum serui dant horribiles voces, fremúntque, in eúmque insultant? Nabuchodonosor cum esset in suo regali solio, vniuersi principes, ac populi ei deferebant obsequium, ac adorationem: At verò postquam à suo culmine cecidit, & tanquam bos factus est. *Ex hominibus abiectus est*, Daniel, 4. num. 30. Sed à quibus abiectus est? A quibus nempe aulicis, ac populis, quibus antea in tanto cultu, hac onore fuerat. Deperdita dignitate deperdita est & veneratio, & occasio data, vt sui in eum insultarent, & fremerent. Vide in Indice Verbum *Deiectus*.

In Domino deiectum insurgunt famuli.

Dan. 4.

59. Quartò. Fremit mare, & dat horribiles sonitus, tanquam voces clamantes aduersus homines ob eorum peccata contra suum Autorem commissa. Signa iudicij scribens Ioannes, ait: *Et ecce terræmotus factus est magnus*, Apocalyps. 6. num. 12. Ad quid tantus terræmotus? Terra cum voce careat, terræmotu pro voce vtitur, vt hominum peccata, eorúmque iustam vindictam indicaret. Ioachimus Abbas: *Terra tremet, vt suo motu contra homines clamaret.* Quos per tot millia annorum tantis delictis onustos sustinuerat.

Insensibilia, accusant peccatores.

Apoc. 6.

Ioachim.

60. Prodigus reuertens ad Patrem suum, ait: *Pater peccaui in cælum, & coram te*, Luc. 15. num. 18. Non solum Deum iratum meminit, sed etiam totos cæli exercitus commemorat, quos contra se tanquam sui accusatores metuebat. Titus Bostrens. *Haud secus*, ait, *faciem firmamenti metuit, atque accusatoris cuiusquam voces.*

Cælum peccatorem accusat.

Luc. 15.

Bostrens.

Qvæstio IX.

Quare ante iudicium tot, tantâque signa in omnibus elementis præcedunt?

61. Omnia elementa commouentur, dant signa, vt notaui initio superioris quæstionis. Ad quid tot signa inquirit præsens quæstio. In omnibus rebus insensibilibus dat Deus signa, vt homines ad pœnitentiam, ac contritionem prouocentur, ne in iram Dei incidant, & pereant.

Venit

Venit vir Dei ad Ieroboam apponentem thus super altare, contra quod Propheta clamat dicens: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus.* Et denunciat pœnam, ac mortem omnium Sacerdotum immolantium: *Et hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce Altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* Quod cum factum esset, & altare scinderetur, superbus rex extendit manum contra Prophetam, vt eum apprehenderet. *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.* 3. Reg. 13. num. 4. Contra Dei legem Rex, & Sacerdotes sacrificabant super altare in signum eorum denuntiatæ pœnæ ad vocem Prophetæ contritum est altare lapideum? Cum tamen prophanus rex magis esset obduratus, vt immolaret in contemptum legis, illius exaruit manus, cur prius Deus dat signum in altari, postea verò manus regis est exsiccata? Ecce inter tot rigores Dei clementia nitet. Prius dat signum in lapide, vt ex contrito lapidem conteratur cor regis ad pœnitentiam, vt diuinam vindictam valeat euitare. D. Chrysostomus, procem. in Isaiam. *Qua ex causa, ait, non initio statim eius arefecit manum? Vt resipiscaret lapide in frusta discisso. Lapis enim si inscissuras non foret conscissus, vtique tibi pepercissem. Nunc quando lapis conscissus est frustillatim, nec sic quidem ad correctionem emendatus, ob id ira aduersum te incandesco.* Post tantum signum visum non emendari maiorem prouocat iram.

3. Reg. 13.

Dantur signa insensibilibus, vt homo emendetur.

Chrysost.

62. Secundò. Fiunt tot signa vt in nobis Dominus excitaret memoriam iudicij finalis, illius enim obliuio multa mala super omnia scelera, ac crimina, in nobis generat, & parturit. *Propter quod irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Psalm. 9. numer. 13. Quam ob causam irritauit, seu vt legit D. Hieronymus: *blasphemauit*, seu Biblia Regia: *Prouocauit ad iram*: seu contra se Deum opposuit: *Dixit in corde suo, non requiret*, Non inquiret, nec examinabit delicta nostra, ac proinde ex tam pessima obliuione iudicij venit in tam grauissimum malum super omnia mala, vt contra Deum velit homo se erigere, & opponere. D. Bernardus serm. *Ecce nos reliquimus omnia.* Sic ait: *Propter quod irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quærat? Num propter fornicationis? incestus, an sacrilegia? Nil horum Propheta memorat, sed quod in corde suo dixit, non requiret.*

Psal. 9. Hieron. Bib. Regia.

Nullum est malum, quod iudicij obliuio non generet.

Bernard.

63. Ex quo ait D. Augustinus serm. 120. de tempore, *Caueamus ita in criminibus pollui, vt ad nos respiciat Prophetia illa terribilis*, Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore, auferentur iudicia tua à facie eius. Psalm. 9. num. 5. *Irremediabile periculum est sic aliquem vitij, & cupiditatis frena laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum*, Extremæ ruinæ, ac irremediabilis periculi argumentum est, absque cogitatione, & memoria iudicij viuere, nam si auferuntur iudicia Domini à nostra facie, ac oculis, obliuiscitur homo de Deo, & omnes viæ eius polluuntur, ac coinquinantur in omni vitio, & peccato, à quo iudicij memoria maximè refrænat, vt pondefaui suprà in expositione num. 1.

August.

Psal. 9. *Extrema ruina, si iudicij memoria à nobis labitur.*

64. Tertiò. Quia vt ait D. Paschas. lib. 11. *Iudicij timor schola pietatis est*, imò dicam ars bene viuendi, sublevandique hominem in cælum, ait D. Ioannes. *Audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim eorum sequuntur illos.* Et statim subdit: *Et vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in manu sua falcem acutam.* Apocal. 14. num. 14. sermo est de Christo Domino veniente ad iudicium, vt exponunt Ioachim. Abbas, Andræas Cæsar. D. Thomas, & communiter Recentiores, habentem falcem acutam interpretantur potestatem iudiciariam. Maximè Textus connexio ponderanda est. Cur postquam factus fuit sermo de gloria Beatorum, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Statim in medium proponitur finale iudicium, ac describitur iudex venturus cum falce acuta, cum multa nempe, ac districta severitate? Vt demonstretur, quod nulla via tam potens est hominibus ad gloriam, & vt in consortio sanctorum beati mortui in Domino inueniantur, quam quòd in hac vita pro consorte memoriam mortis habeant, quæ semper ante oculos fixa sit, vt à terrenis declinent, & ad cælestia aduolent.

Apoc. 14. Ioachim. Andreas. D. Thom.

Cogitationes iudicij ascendimus in cælum.

Postquam glorioso triumpho ascendit Christus in cælum, Apostolis astant Angeli dicentes. *Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Actor. 1. num. 11. Vbi sermo est de Christi aduentu ad iudicandum, vt exponunt D. Ignatius Epistol. 10. ad Smyrnenses, Chrysostom. Beda, Caietanus, Carthusianus, & alij in Act. Cur tamen obiecta Christi gloria in cœlo, memoriæ etiam nostræ obiicitur repræsentatio illius aduentus ad iudicium? vt ita nobis ostendant aptam, & expeditam viam eundi in cælum ad participandam quisque Christi gloriam, si semper Christi aduentum ad iudicium ante oculos habeamus, illo nempe admoniti facilè in cælum euolabimus.

65.

Act. 1. Ignat. Chrysost. Beda. Carthus.

Luc. 21. n. 26. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur.

VERSIONES.

Vatablus. Et commotio, quæ eiicies animas hominum præ timore eius, quod inuasum est terra, & commouebuntur virtutes cælorum.

Vatablus. Extabescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum, quæ superuenient orbi terrarum, nam vires cælorum mouebuntur.

Arabicus. Et egredientur animæ hominum ab eis, præ timore eius, quod venient

super orbem, nam virtutes cœlorum conturbabuntur.

Caietanus. Virtutes cœlorum agitabuntur.

Multi ex Græco. Exercitus cœlestium.

EXPOSITIO II.

66. ARESCENTIBVS *hominibus*, tot, tantisque horrendis signis homines exanimes, ac tabescentes, seu vt explicatius habet Arabicus. *Et egredientur anima hominum ab eis.* Erunt enim præ angustia tanquam efflantes ac exhalantes animam, *præ timore* Qui, vt ait Carthusianus, erit in cunctis hominibus, præsertim iniustis, quos exterius tot portenta accusabunt, interius verò eorum conscientia arguet. *Et expectatione.* Quæ expectatio gignitur ex tanto timore: & valdè mirum, quia inter tot horribilia signa audio hominum timorem, non tamen audio eorum pœnitentiam, ac dolorem de peccatis, sunt enim homines ita obfirmati in malo, vt nec commotione cœli, & terræ moueantur in Deum: *Quæ superuenient vniuerso orbi.* Homines arescunt, ac tabescunt ex cogitatione malorum ingruentium, quæ superueniunt orbi, non verò ex cogitatione appropinquantis iudicij, ac damnationis æternæ. Iniqui maiori dolore afficiuntur de temporalibus amissis, quam de sua salute deperdita. *Virtutes cœlorum mouebuntur*, siue agitabuntur, sine conturbabuntur; assignatur causa timoris, ac exanimationis hominum, quia virtutes cœlorum, ideſt eorum poli, quasi Cardines, ac firmamenta mouebuntur præter suum cursum naturalem, vt cœli deorsum ruëre videantur, de quo quæst. 11.

Arabic.

Carthus. *Homines obduratione pœnitentiam agunt.*

QVÆSTIO X.

Quare tam vehementer homines arescent, ac tabescent?

67. VIsis tot portentis, ac prodigiis erunt tabescentes, ac tanquam efflantes animam præ timore, ac expectatione excidij totius orbis, ac horrendi iudicij, vt patet ex textu, & dixi in exposit. Deinde ad quæstionem,

68. Primò. Respondet D. Augustinus epist. 80. *Arescentibus*, ait, *hominibus præ timore, & expectatione. Nunc autem ista mala, quæ tanquam summa, extremáque creduntur, vtrique regno, Christi scilicet, & Diaboli videmus esse communia. Pariter quippe hic boni affliguntur, & mali.* Valdè mirum, quod dicat D. Augustinus: *Pariter quippe hic boni affliguntur, & mali.* Quòd mali timeant non multum mirandum, cum super eos immineat sententia damnationis. At iusti cur timeant, cum Christi socij, ac familiares futuri sint, æternáque beatitudine donandi, à iudicisque sententia æternam hæreditatem capient? Timebunt quidem timore filiali ob expectationem iudicis, quem præstolantur, tanta erit

Augustin.

Iusti timent facit iudicio.

severitas finalis iudicij, vt ab eius expectatione, iusti mox beandi arescant. Sciunt iusti se ipsos æterna beatitudine donandos esse; cum tamen considerant iratum iudicis vultum, & iudiciali rigore severum, diuinas iras minantem, sic præ timore filiali, ac expectatione iudicij finalis pauent, vt etiam posita spe de æterna beatitudine expallescant, & contremiscant appropinquante vltima die iudicij: scribit Ioannes, quod homines. *Dicunt montibus, & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni.* Apocalyps. 6. num. 16. Non explicant suum timorem pro sententia audienda, seu pœna infligenda, sed pro vultu, ac facie iudicis apparentis, *à facie sedentis.* Tam formidabilis, ac terribilis erit aspectus Christi iudicantis, quod statim magis confirmatur. Apoc. 6.

Secundò. Beda ad hæc verba: *Arescentibus hominibus.* Sic ait: *Credo ipsum iudicis aduentum hac sententia designari.* Videbunt homines horribilia portenta in Sole, Luna, & Stellis, magnáque prodigia in aëre, magnósque terræmotus in orbe, & ex mari horribiles sonitus audient, & tamen: *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Vident prodigia in cælo, & terra, ac mari, & tamen homines non arescunt, nec tabescunt ob portenta exhibita, sed *præ timore, & expectatione, quæ superuenient orbi.* Ob nempe iudicis aduenientis aduentum: *Credo ipsum iudicis aduentum hac sententia designari.* Cum iudicis proponitur aduentus, præ illius timore cætera omnia non sentiunt, nec illorum timore vexantur. 69. Beda. *Inter tot prodigia solum homines timent iudicii faciem.*

De die iudicij loquens Ioannes, ait: *Terra abyt, & mare non est.* Apocal. 21. num. 1. Quomodo dicitur, quod terra & mare non est, cum dicat: *Ecce terræmotus factus est magnus.* Apoc. Ipsi. 6. n. 12. & D. Lucas in præsenti: *Et in terris pressura gentium*, & mare dabit horrendos, & terribiles gemitus, *præ confusione sonitus maris.* Quomodo ergo astruitur, *terra abyt, & mare non est?* Quonam pacto possunt fieri terræmotus, & gemitus maris, si terra, & mare non sunt? Pulchrè Aymon in Dominica 1. Aduentus. *Circa finem sæculi*, ait, *mare, flumina, riuuli, voces & mugitus emittent, interitum suum quibusdam luctuosis vocibus deplorantes, & per hoc non parum timorem hominibus audientibus incutient. Hinc per Ioannem in Apocalypsi dicitur: & mare non erit.* Expende, ex timore incusso infert Aymon, quod mare non erit, quia nimirum timor conceptus ex terræmotu in orbe, & ex sonitu maris, nullus erit comparatione facta ad timorem prouenientem ex aduentu iudicis; cuius collatione terror ex mari, ac terra nihil esset, tanquam si terra, & mare non essent. 70. Apoc. 21. Apoc. 6. Aymon.

Tertiò. Caietanus, *Arescentibus hominibus præ timore*, ait, *in intellectu perplexitas, in affectu timor, & expectatione non significatur spes, sed mora euentus.* Hæc vltima verba maximè expendenda sunt; vbi subtiliter innuitur causa tam ingentis pauoris, ac timoris; *mora euentus*, nempe. Iudicio appropinquante, multa sunt, quæ terribilem timorem ingerant homini. Elementa timenda concussione collidunturr, ac è cælo infremunt, terribilis facies iudicis aduentat, & fulminanda sententia mox audienda instat, vt impij hianti gehenna deuorentur, & tandem ipsa conscientia interius carnifex crudeliter torquet, 71. Caietan.

&c

& inter hæc tam dira tormenta maximè excruciantur, ac excarnificantur mora ipsius imminentis iudicij *expectatione non significatur spes, sed mora euentus*, dum in suspensæ expectationis perplexitate exagitantur; ibi latè maior afflictio, pœna, ac excarnificatio, ipsa sanè pœdula exagitatio, ac expectatio, tam crudeliter vulnerat, vt certè æmula gehennæ sit: supra citat. Apocalyps. locus huc iterum veniat. *Dicunt montibus, & petris, cadite super nos.* Dulcius erit eis à montibus obrui, quam in alia pendula expectatione versari. Vide suprà c 8. n. 135 & c 49. n. 62. 63. 64 & 65.

72. *Subire iudicium magnū timorem generat.*

Quartò. Tabescunt, & consumuntur homines præ timore, & expectatione iudicij appropinquantis, cum cogitant, quod adest tempus, vt appareant coram iudicis tribunali, vt ab ipso iudicentur, & eorum facta discutiantur, ac examinentur, inde pallescunt, & maximo timore anguntur: durissimum est ante iudicem cònuenire, vt causa ventiletur, & sententia proferatur.

73. Luc. 22.

Cum meus Iesus esset in horto. *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. num 43. Maximè disputant interpretes, quænam extiterit causa tantæ agoniæ, ac tristitiæ, & quænam tanta esse potuit, vt filius Dei in guttas sanguinis effundendas prorumperet? D. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 17. hanc assignat. *Redemptor noster*, ait, *solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum seruans speciem: factus in agonia cœpit prolixius orare.* Et tunc subdit: *Appropinquante morte, nostra mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio.* Repræsentatum fuit Christo Domino, quod ipse trahendus erat ad quatuor iudicium iniquorum tribunalia, inde pauer, non quod eius eximia puritas, ac sanctitas aliquid sui ratione timuerit, sed *membrorū suorum seruans speciem.* Vt nobis præberet documentum, quantum ad iudicium conuenire, ac coram iudice astare, debeamus formidare. Ibi enim cuncta, & minima ventilantur, & sententia pro tota æternitate promulgatur. *Cum per solutionem carnis æterno appropinquamus iudicio.* Vide tom. 2. c. 12. q. 10. n. 60. 61. & 62.

Gregor.

Multum timendum coram iudice conuenire.

Qvæstio XI.

Quare virtutes calorum commouebuntur?

74. *Quid sint calorum virtutes.* Ianſen.

Dispvtant Interpretes quid per virtutes cælorum significetur. Iansenius in sua Concordia arbitratur per virtutes cælorum significari omnia sydera, quæ in sacris litteris militia cæli, seu virtutes cælorum appellantur. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quæ sunt sydera Psalm. 32. num. 6. Secundò. Caietan. in cap. 24. Matth. existimat denotari vires, potestates, seu facultates cælorum, nam extremo illo tempore, mutabuntur, ait, potentiæ actiuæ cælestium corporum à solitis actionibus, ac proinde Iansenius, & Caietanus astruunt, quod in fine mundi sydera, ac cælestia corpora mutabunt suos aspectus, ac influentias, vt inde omnia in inferioribus perturbentur; & hæc sententia est valdè probabilis.

Psalm. 32. Caietan.

Tertiò. Ioannes Hessélius, Maldonatus, Franciscus Lucas, Cornelius per virtutes cælorum intelligunt bases, siue axes, siue polos, & Cardines cælorum. Sic enim in fine orbis cæli mouebuntur, ac concutientur, vt à suis cardinibus, ac polis conuelli videantur, vt deorsum ruere appareant, vt ita maximè repræsentent iram diuinam, ac magnum terrorem impiis hominibus iniiciant. Quod latius explicant interpretes ad cap. Isai. 34. num. 4. *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum (omnia sydera) defluet, sicut defluit folium de vinea*: & Apocalyps. 6. num. 12. & ideo hic dicendi modus maximè est aptus.

75. Hessélius. Maldon. Franc. Luc. Cornel.

Isai. 34.

Apoc. 6.

Quartò. Et est celebris sententia Antiquorum Patrum, Origenis homil. 26. in Matth. D. Augustini, serm. 130. D. Chrysostomi, Euthymij, Theophylacti, D. Thomæ, Carthusiani, & aliorum, qui docent, quod Angeli timebunt quodam timore reuerentiali, proindéque docent, quod per virtutes cælorum Angeli intelligantur. Sic ait Chrysostomus: *Virtutes cælica mouebuntur, quantumuis sibi conscia non sint, videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepidè stabunt ibi.* In ruina aliorum etiam columnæ cæli, ac viri fortes, & potentes pauent, & timent. Audita morte Saphiræ reprehensæ à Petro. *Factus est timor magnus super vniuersam congregationem, & super omnes, qui hæc audiebant*, Actor. 5. numer. 11. Nullus erat in toto fidelium cœtu, qui mentitus esset Deo, ac defraudasset de rebus venditis: ac proinde nullus extabat dignus tali increpatione, cur ergo in vnius casu omnes percutiuntur timore? Viri sanè prudentis est in alterius ruina suam vereri. Oecumenius. *Ex facto*, ait, *quod circa Saphiram accidit, oritur in aliis salutaris timor, quemadmodum in vltione Oza, huius namque supplicium multis timori fuit.*

76. Origen. August. Chrysost. Euthym. Theophyl. D. Thom. Carthus.

Actor. 5.

Oecumen.

Suarez tom. 2. ad 3. part. disput. 56. sect. 3. per virtutes cælorum intelligit Angelos, qui magna vi, ac impetu tunc cælos mouebunt, ac gyrabunt ad extraordinarios, & portentosos effectus in inferioribus producendos, vt ex dictis patet.

77. Suar. *Angeli motores cœlorū.*

Aliter etiam respondet D. Chrysostomus, tom 3. serm. de cruce, & Latrone. *De Angelis*, ait, *dicit Dominus, tremor enim illos apprehendet, & timor magnus. Quia tunc tam terribile erit iudicium illud, vt ab Angelis timeatur. Quemadmodum enim principe iudicante, non solum rei, sed & officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore comprehenduntur, propter iudicis terrorem; ita & cum genus humanum iudicabitur, etiam cælestes ministri pauebunt: & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiscent.* Valdè mirum, quod in tremendo iudicio Angeli sic expauescant. Timeant impij, qui damnationis sententia sunt puniendi, sed puri Angeli cur sic pauent? Rectè ait D. Gregorius in moralibus. *Quid faciet virga deserti, vbi concutietur cedrus Paradisi? Quid faciet agnus, vbi aries tremit? Si iustus vix saluabitur, impius vbi apparebit?* Si Angelus Cedrus Paradisi sic timore concutitur, quid faciet virga deserti huius mundi, homo nempe. tot, tantisque criminibus onustus, si iustus vix saluabitur, impius vbi apparebit?

78. Chrysost.

Si Angeli timent in iudicio quid faciet miser homo.

Gregor.

79. De extremo iudicio loquens D. Ioan. in sua Apoc. cap. 6. n. 14. *Cœlum recessit sicut liber involutus.* Et iterum cap. 20. n. 11. *Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, a cuius conspectu fugit cœlum.* Sunt multi, vt R. P. Ioan de la Haye, qui per cœlos, spiritus cœlestes Angelicos interpretentur, qui magno timore concutientur ob considerationem tantæ seueritatis diuinæ iustitiæ, quanta manifestè aduersus impios ostenditur, ideo ad hoc explicandum per magnam exaggerationem, quanto pauore cœli columnæ contremiscant, ac si non valeant subsistere coram iudice sine tremore, dicitur cœlum recedere, cum aliàs verissimum sit, quòd sancti Angeli cum Christo adstabunt, & ab eius latere nullo modo recedent.

Apoc. 6. Haye. Angeli timent.

80. Vel timent Angeli, quia sunt custodes nostri, & cum rei iudicantur, eorum custodes, ac protectores pauent, & timent. *Luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est.* Thren. 2. n. 8. Hugo per murum intelligit cœtum Prælatorum, seu hominum; per murale verò custodiam Angelorum. Cum enim cœtus hominum dissipatur diuina ira, luxit, seu luctum ostendit custodia Angelorum, quod metaphoricè dicitur de spiritibus beatis, cum semper sint in summo gaudio.

Thren. 2. Hugo. Custodes Angeli tristantur.

Matth. 24. *num.* 30. Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis veniẽtem in nubibus cœli cum virtute multa, & maiestate.

Num. 31. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum, vsque ad terminos eorum.

VERSIONES.

Syriac. n. 30. Tunc apparebit signum filij hominis in cœlis, & tunc plangent omnes generationes terræ, & conspicient filium hominis venientem super nubes cœlorum cum virtute, & gloria multa.

D. Cyprian. exhort. Et lamentabuntur omnes tribus terræ, &c. In nubibus cœli cum virtute magna, & claritate.

Vatabl. Pagn. Cum potentia, & gloria multa.

Græcus. Cum magna fortitudine, & gloria.

Arias. Cum efficacia.

Syriac. n. 31. Et mittet Angelos suos cum classici clangore magno: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, ab extremo cœlorum vsque ad extremum eorum.

Pagninus. Cum tubæ voce magna.

Vatablus. Cum tubæ sonitu magno: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, ab extremis cœlorum, vsque ad extrema eorundem.

Alter Textus.

Marc. 13. *num.* 20. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria. Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis, à summo terræ, vsque ad summum cœli.

Luc. 21. *n.* 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.

EXPOSITIO IV.

TVNC. Obscuratis Sole, Luna, ac stellis, *parebit*, seu vt habet Syriacus, *apparebit signum filij hominis*, id nempe quo filius hominis maximè hominibus fuit significatus, notus & celebris in toto mundo, crux eius extitit, qua nostram redemptionem promeruit. Quamuis esset filius Dei, à meritis in sancta cruce operatis, voluit in toto mundo haberi notus, & celebris: *Tunc.* Iterum hanc particulam repetit Euangelista; ac proinde. *Tunc*, visa totius orbis perturbatione, ac cruce fulgente in cœlo: *Plangunt omnes tribus terræ.* Omnes nempe nationes vniuersi, præcipuè impij, quorum erit maior pars, lamentabuntur, quia vt inquiunt Chrysostomus, Euthymius, D. Thomas, ex tot signis visis intelligent mundum finiri, ac ex signo crucis cognoscent Christum Iesum aduentare ad iudicandum, ac proinde lamentabuntur, quia in eum non crediderunt, vel quia non vixerunt prout eius fides, ac doctrina Euangelica exegerat, & alludit hîc Christus Dominus ad locum Zachariæ 12. num. 11. *In illa die magnus erit planctus in Ierusalem*, &c. D. Chrysostomus homil. 77. *Tunc*, ait, *plangent se omnes tribus terræ: visa enim cruce, considerabunt, quod mortuo eo nihil profecerunt, & quod crucifixerunt eum, quem adorari oportebat.* D. Hieronymus. *Rectè autem dicit tribus terræ: hi enim plangent, qui municipatum non habent in cœlis, sed scripti sunt in terra.* 81. Syriacus. Chrysost. Euthym. D. Thom. Zach. 12. Chrysost. Hieron.

Videbunt filium hominis, Christum Dominum *venientem*, ad iudicium scilicet, *in nubibus cœli.* Aërei; & dicitur *in nubibus*, ponitur pluralis pro singulari, & ad magis explicandã Christi maiestatem, & alluditur ad testamẽtum vetus, nam Deus passim apparebat Moysi, & Prophetis in nube. Exod. 19. 82.

Exod. 19. Exech. 1. Dan. 7. Exod. 19. num. 9. Ezech. 1. n. 4. Dan. 4. 7 n. 13. *Ecce in nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat.* Dicitur in textu: *Cum virtute multa, & maiestate.* Seu, vt alij legunt, *cum magna potentia*, seu *fortitudine, & gloria.* D. Lucas scribit: *Cum potestate magna.* Sicut enim primus Christi aduentus fuit in humilitate, ac infirmitate nostræ carnis, quo meruit, vt hic secundus aduentus sit cum potentia multa, maiestate, ac gloria. Gloria enim corporis Iesu maxima erit, etusmodi qua nulla queat esse maior propter diuinæ naturæ cum humana coniunctionem.

Lucas.

83. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna.* Est hic inuersus ordo, vt notant Cornelius, & alij expositores. Nam prius Christus Dominus mittet Angelos cum tuba, seu tubis, ac voce magna, vt omnes mortuos, & sepultos ad vitam euocent, ac ad iudicium citent, deinde ipsi eum videbunt venientem in nubibus cœli: Et *congregabunt electos eius.* Iussu Domini, ac Angeli voce omnes boni, & mali reuocandi sunt ad vitam, ad iudiciúmque coram Christo adducendi, vt patet Matth. 13. num. 41. Tamen electi dicuntur, vt ait Carthusianus, cum ampliori honore, & speciali reuerentia; vel meminit tantum electorum, quia Christus Dominus loquebatur cum suis discipulis, vt eos consolaretur, ac animaret spe tanquam futuros è numero electorum; vt ait D. Chrysostomus, congregabunt eos Angeli, congregatos autem rapient nubes: *à quatuor ventis*, hoc est ab omnibus mundi plagis, à quibus spirant venti. Eurus spirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster à meridie, Aquilo à septentrione. *A quatuor ventis:* ait Hugo, ergo in figura crucis, qui in figura crucis fuerint congregabuntur tanquam electi: *A summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Hoc est ab vno cœli termino, seu extremitate vsque ad alteram, nempe à termino vno cœli, & terræ vsque ad alium eorundem terminum. D. Marcus scribit: *A summo terræ vsque ad summum cœli.* Quod idem est, ac scribit Matth. Ab vno extremo terræ, vsque ad alium extremum cœli, & terræ.

Matth. 13. Carthus. Chrysost. Hugo. *Non dantur electi, nisi ad crucis signum.* Marcus.

QVÆSTIO XII.

Quando, & quomodo, quantaque luce crux apparebit in iudicio finali?

84. *Signū Christi eius crux.* Chrysost. Hilar.

SIGNVM filij hominis in iudicio futurum, magno consensu docent Patres, & expositores in præsenti D. Chrysostomus, D. Hilarius, D. Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Augustinus, sermone 130. de tempore, D. Leo epist 97. ad Leonem August. Et alij communiter. Et hoc canit Ecclesia. *Hoc signum crit de cœlo cum Dominus ad iudicandum venerit:* Et vt ait D. Cyrillus, Catech. 15. *Signum verum, & proprium Christi est crux.* Per crucem enim Christus est notus, & honoratus in toto mundo, vt dixi in expositione:

85. Anselm. Anton. Abulens. Iansen. Primò dubitatur. An ipsamet crux lignea sit in cœlo conspicienda, an illius effigies, ex splendido formata aëre. D. Anselmus in elucidario. D. Anton. 4. part. tit. 24. cap. 11. §. 5. Abulens. Iansen. & alij ex aëre efformatam appariturum existimant. E contra verò ipsammet crucem ligneam diuina reintegrandam potentia, & in die iudicij, in cælo ostendendam omnibus hominibus docent N. Doctissimus Vvaldens. tom. 3. de Sacramentali tit. 20. c. 158. D. Ephrem lib. de vera pœnit. c. 4. D. Chrysost. homil. de cruce, & Latrone, ait: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum, & ideo cum ipsa veniet; cum ipsa secundam glorioſam suam præsentiam faciet.* Et hæc sententia mihi magis placet, quia quod ipsamet crux appareat, ad gloriam Christi pertinet, qui per eam nos redemit; & multum conducit ad consolationem sanctorum, vt ipsammet crucem videant, per quam Christo crucifixo in vita per veram pœnitentiam, & mortificationem se conformare studuerunt.

86. Abulens. Clem. Secundò. Dubitatur de tempore quod crux apparebit. Abulens. cap. 24. Matth. q. 171. & 172. Clemens Papa lib. 7. constit. c. 3. & alij existimant crucem appariturum in aëre paulo post mortem Antichristi, multis diebus ante aduentum iudicis. E contra verò D. Chrysost. D. August. D. Cyrill. Ieroſolymitan. & alij Patres citati in exordio quæstionis, & communiter recentiores Iansen. Barradas, Cornel. cum Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 21. affirmant hoc crucis vexillum ab Angelis ante conspectum Iudicis Christi deferendum, tanquam trophæum victoriæ, ac insigne regale excellentissimæ eius potestatis, & imperij. Ex quo infero quod finito vniuersali iudicio, ipsamet crux lignea sit reponenda inter choros Angelorum. *In cœlo collocanda.*

87. Tandem; hoc crucis signum in ipso vniuersali iudicio apparebit in singulis electorum frontibus. Iuxta illud Apocalyps. 7. n. 3. *Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Ezech. 9. n. 4. *Signa thau*, (idest signum crucis) *super frontes virorum gementium, & dolentium.*

88. *De aliis passionis instrumentis.* Tertiò. An verò reliqua passionis instrumenta, vt columna, flagella, corona spinea, claui, lancea, spongia, sint apparitura in die iudicij? Affirmant D. Th. opusc. 2. c. 244. Viger. c. 21. §. 2. vers. 6. Salmeiron, & alij ob rationes dictas, & dicendas quæst. seq. de cruce, & hoc probabile est, tamen non est certum, neque habet fundamentum in scriptura, neque in Patribus.

89. Chrysost. *Crux fulgebit super omnia mundi lumina.* Quartò. Quanta gloria, ac fulgore Crux apparebit mira ac mirabilis sanè. D. Chrysostomus, homil. in crucem, & Latronem tom. 6. eleganter sic ait: *Vides quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantus fulgor? Sol obtenebratur, Luna non splendet, astra cadunt, illud verò solum apparet, vt intelligas illud Luna splendidius, & Sole fulgentius esse.* D. Laurent. Iustinian. in ligno vitæ. cap. 4. *Considera*, ait, *quanta sit virtus crucis; in die namque iudicij Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, vt discas quantum crux Luna lucidior, & Sole splendidior sit, apparebit tunc crux.* Quid præstantius dici potest de crucis signo? Vbi Sol, Luna, stellæ, se se homini subtrahunt; vbi virtutes cælorum mobilitatem prætendunt, sola crux vt vera lux fulgens apparet, vt te illuminet, tibique ducatum præstet. Laurent.

90. Psal 4. Septuag. *Crux nos ista illuminat.* Ait Regius Vates Psalm. 4. n. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Septuaginta iuxta radicem hebraïcam legunt signum, seu vexillum super nos lumen vultus tui; sed quodnam est hoc vexillum quod in nobis est lumen, & lux diuini resplendoris; crux nempe; ipsa enim est signata in frontibus electorum, vt dixi

in hac quæstione, ipsáque est vexillum filij Dei, quæ nos illuminat, à nobisque omnes tenebras depellit Hesychius in Cantic. *Lumen autem Christus*, ait, *crux est, quo orbem illuminauit, quo nos in frontibus signauit.*

Hesychius.

91. Abulens. Richardus. Egresso populo Israëli de Ægypto prouidit Deus vnam, & eandem columnam iuxta Abulens. Richardum, Victorinum, & alios, quæ die instar nubis obumbrabat ab æstu Solis, nocturno tempore sic fulgebat, vt clarissimam noctem efficeret. *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Exod. 13. num. 22. Sic & suo populo Christiano Deus largitus est alteram columnam, crucem nempe, quæ nos ab æstu tentationum defenderet, ac inter huius mundi tenebras nos illuminaret, duceret, ac dirigeret in salutem. D. Greg. Nazianz. Agens de extrema hominis vtilitate. *Ego*, ait, *relictis omnibus crucem vnam habeo, quæ tanquam clarissima columna vita mea præluceat.* Vide suprà cap. 6. n. 12. 13. 14. c. 16. n. 95. 96. 97. c. 41. n. 105. 106.

Exod. 13. *Crux nos illuminat, ac ducit.*

Nazianz.

QVÆSTIO XIII.

Quare Crux apparebit in iudicio vniuersali?

RESPONDENT. Primò D. Chrysostomus hom. 77. in Matth. Theophyl. Euthym. Qui ait. *Apparebit crux vt exterreat præcipuè Iudæos, deinde gentiles, qui Christo improperabant crucem: & vt sciant, quod hic ipse, tanquam Deus descendit.* Veniet crux coruscans super omnia mundi luminata per ipsam, per quam impij qui improperabant Christo, eíque tanquam ignominiam obiiciebant, confundantur, ac ignominia afficiantur, videntes eius gloriam, & exaltationem. Sit ait D. Chrysostom. homil. de Cruce, & Latrone. *Cum cruce Christus veniet, vt hi, qui eum crucifixerunt, sua sentiant dementia cæcitatem.*

93. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Tertiò. D. Augustin. serm. 101. de tempore, *Dedit hoc lignum*, ait, *fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cum apparuerit de cælis ille, qui visus est super terram, cum præcedente ipso crucis signo iam fulgido venerit de supernis, tunc resurgent corpora sepultorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in ipsis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis, ac Domini cruce non confundantur, sed potiùs gloriantur.* Apparebit Crux, vt omnibus fiat manifestum, ex qua origine, ac arbore omnium gloriæ, ac exaltationes pullularunt, ac emanarunt.

94. August.

Tertiò. D. Thomas in Commentar. Matth. *Crux apparebit*, ait, *vt significetur iudiciaria potestatem per crucem comparatam.* Quartò, vt innotescat Christum pro omnium salute fuisse crucifixum ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam eius charitatem, ac misericordiam neglexerunt. Vnde D. Chrysostomus in Imperfecto sic introducit Christum loquentem hom. 49. *Ego*, ait, *propter vos alligatus, & delusus, & cæsus, & crucifixus sum, vbi est tantarum mearum iniuriarum fructus.*

95. D. Thom. *Potestas iudiciaria per crucem comparata.*

Quintò. Eleganter Hugo ex D. Chrysostom. *Tunc apparebit*, ait, *signum filij hominis, id est crux in aere, crux apparebit sole luculentior existens, & non est necessitas accusationis, cum viderint crucem.* Veniat in iudicio ipsa crux, quæ gratiarum extitit fons, & copiosæ redemptionis officina, omnibus cælestibus beneficiis exundans, dum tamen ante reos proponitur: *Non est necessitas accusationis, cum viderint crucem.* Ipsa enim ingratitudinem, duritiem, ac impietatem accusabit, arguet, & damnabit.

96. Hugo.

Quod etiam eleganter dixit Eusebius hom. 4. ad Monach. *prima enim*, ait, *erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum, ac macula libidinum profitentur? Aut quo putas vultu respicit, redemptio nostra perditionem nostram; illa vtique clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia;* Ipsa sacra crux, ipse cicatricum liuor, cum præsentantur, ipse eorum aspectus reos verberat, & damnat; nam ipsa tam benefica opera ostensa, oris sententiam anteuertunt, & condemnationis promulgatione reos prædamnant, pœna afficiunt, & verberant. *Prima erit in reos intoleranda sententia reverendarum præsentia cicatricum.*

97. Euseb. *Crux de semetipsa contra impios.*

Valdè mirum quod cum Iudæi peccarent aureum vitulum adorantes. Exod. 32. n. 6. Tamen Deus eis quotidie mane cælestem panem largiebatur; sicut & filius Dei veniens in terram, quæ multis iniquitatibus, & peccatis abundabat tamen largissimè curationis dona exhibebat, cur ingratos illos, & omnino perdendos Deus tot, tamíque beneficiis afficit? Pulchrè rationem excogitauit D. Gaudentius serm. 9. ad Neophit. *Nolebat*, ait, *se panem cælestem, vitæ principem Iudæis cito subtrahere, donec ipse in carne adueniens doceret eos, & instrueret! verberaret curationum beneficiis eos, qui ingrati extiterunt.* Ingrati, & rebelles Iudæi multis ditabantur cælestibus donis, pane cælesti, & languorum curatione, quibus dure, & acerbe verberabantur; recipiebant enim illa diuina beneficia existimantes se à Deo summè amari, & foueri, & in illis recipiebant inter se vocem quandam contra eos clamantem, & flagellum quoddam inundans, nullo enim duriore verbere affligi poterant, quam dum sic ingrati, & impij beneficia, & fauores ex diuinis manibus capiebant: *Verberaret curationum beneficiis eos.* Pro quo etiam facit D. Zeno serm. 1. in Exod. sic ad populum Iudaicum loquens, ait; *Ereptus es ex Ægypto*, ait, *columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet eucum: ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum: Angelus pranius tua castra promouit, vt etiam præsenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulasti, vt patereris in terra naufragium, ad hoc sanè in eremo aquam de petra bibisti; manna de cælo gustasti, vt cum esses ad egestatem postmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acrius torqueareris.*

98. Exod. 32. Gaudent. Zeno.

Sapiens, ac prudentissima Esther 5. num. 4. cum considerasset crudeles insidias Aman contra se ac populum suum machinatas, ipsum hostem cum rege inuitat ad prandium. *Si regi placet*, ait, *obsecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod parani.* Ad quid sapiens regina tuum hostem vis excipere conuiuio? Ad quid tam illustri beneficio nobilitare, támque insigni honore afficere, vt simul cum rege accubet in conuiuio? A patruo, ac nutricio tuo Mardochæo admoneris, vt regé adeas conquestura de Aman, & tamen illi paras regias dapes. Vocat ad conuiuium, vt tamquam crudelem feram edulio deprehenderet,

99. Esther. 5.

&

& vt ipsa beneficentia magis eum accusaret, ac argueret, quam quæcumque alia vox humana, cum mortem illi pararet, à qua tantis donis fuerat sublimatus. Rupertus lib. 8. de Victoria Verbi. *Veniat, inquit, Rex, & Amman ad conuiuium, quod præuideis: Feram immanem, vrsum ferocem, vt tradatur ad supplicium, allicit ad edulium.*

Rupert.

QVÆSTIO XIV.

Quare Christus veniens ad iudicium dicitur Filius hominis?

100. PRIMO. Inquiro cur Christus veniens ad iudicium, non dicitur filius Dei, sed filius hominis, sicut & ipse Dominus dixit Pontifici. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus cæli.* Matth. 26. num. 64. De hac appellatione multa variis in locis dixi.

Matth. 26.

101. In præsenti tamen dicitur filius hominis. Primò vt denotetur, quod vt filius hominis per sua opera illam iudiciariam potestatem promeruisset. Secundò cum esset in infirmitate, ac humilitate nostræ naturæ inter homines, dicebatur filius hominis; idémque nomen retinet, cum apparet in gloria, ac maiestate. Tertiò. Delicta fiunt contra Christum Dominum provt verus Deus est, cum tamen venit in iudicio ad illa punienda, venit tanquam homo filiusque hominis dicitur; è contra verò principes seculi; contra eos tanquam homines perpatrantur crimina, tamen ad illa castiganda, ac vindicanda, sic procedunt, tanquam si essent Dei superiores omni humana conditione, ita alios arguunt, ac persequuntur, & veluti annihilare intendunt. Sic Iob dixit amicis suis, qui falso eum in multis peccatis accusabant, in multisque calumniabantur. *Quare persequemini me sicut Deus?* Iob. 19. n. 22. Quartò. Vt ait D. Augustin. tract. 19. in Ioan. *Forma illa erit iudex, qua stetit sub iudice, illa iudicabit, qua iudicata est.* Æquum est, vt qui iudicatus est, iudicium exerceat. Vide tom. 3. cap. 2. quæst. 6. n. 42

Augusti.

QVÆSTIO XV.

Quare Christus Dominus venit ad iudicium non sedens super Cherubim, vt olim, sed super nubem?

102. PRÆSENS quæstio inquirit quare Christus Dominus dicitur veniens in nubibus. Nam olim dicebatur sedere super Cherubim. *Qui sedes super Cherubim.* Psalm. 79. num. 2. & 98. num. 1. Ad quæst. Primò. Respondet Origenes homil. 30. *Siquidem ne terrã calcaret filius Dei in Hierosolymis, diligentes eum straverunt vestimenta sua in via, ne asellus, qui portabat eum, terram calcaret; quid mirum si Pater, & Deus omnium, nubes sternat cælestes, sub corpore filij descendentis ad opus consummationis.* Cum Christus Dominus ingrederetur ciuitatem Ierusalem. *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via.* Matth. 21. n. 8. Pro honoris causa, ac pro glorioso triumpho vestimentis suis sternebat homines viam, per quam transiturus erat Dominus. Veniens ipse ad iudicium, venit in nubibus, nubes enim lucidæ Deo sunt pro vestimentis. Iuxta illud Psalm. 103. num. 2. *Amictus lumine sicut vestimento.* Statuerunt ergo turbæ vestimenta sua Iesu procedenti? Non mirum, quod eidem in ostensione gloriæ Pater sternat lucidissimas nubes, vt vestimenta. Nihil enim datur à mundo, quod Deus abundantissimè suis in gloria non exhibeat.

Psal. 103.

Psal. 79. Origen. 2

Nihil honoris ac gloriæ datur à mundo quod cumulatissimè non præstetur à Deo.

Secundo. Origenes citato loco. *Si beati homines,* 103. Origen. *ait, in nubibus rapientur in aërem, quid mirum est in nubibus filium Dei venire, cum virtute, & gloria multa?* Ait Apostolus Paulus 1. ad Thessal. c. 4 n. 16. *Deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra.* Iusti degentes in terra rapientur in nubibus obuiam Christo, non mirum ergo, quod Dominus veniens vt pastor segregare oues suas, videns illas rapi in nubibus, simul & ipse appareat in nubibus, excellentissimi enim pastoris, ac præsulis est ouium suarum statum tenere, & non refugere.

1. Thessal. 4. *Bonus Pastor suarum ouium, non refugit fletum.*

Tertiò. Non super Cherubim, sed super nubes venit Christus; nubes componuntur, ac generantur ex vaporibus terræ, in nubibus ergo ad iudicium procedit Christus Dominus, vt denotetur, quod seueritas, ac rigor illius iudicij ex terra, ex nostrorum nempe peccatorum exhalationibus originatur, & prouenit. *Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem.* Genes. 19. n. 22. idest cecidit tunc ad modum pluuiæ densissimæ *sulphur ignitum.* Vt suprà hoc cap. notaui. Cur non dicitur. Cecidit ignis Domini, vt super holocaustum. 3. Reg. 18. num. 38. sed pluit ignem merito ille ignis cadens de cœlo dicitur pluuia, vt significaretur, quod sicut pluuia ex terræ exhalationibus nascitur, ita illa rigida pœna sulphurea, ac ignita ex peccatorum vaporibus excitata, ac proueniens erat. Iterum redeat Innocent. III. supra datus. *Non mississe dicitur*, ait, *sed pluisse quatenus ipso verbo magnitudinem, & abundantiam pœnæ denotaret.*

104. *Rigor iudicij ex nostris peccatis.*

Genes. 19. n. 2

3. Reg. 18.

Innoc. III.

Threnor. 3. num. 13. ait Ieremias. *Misit in renibus meis filias Pharetræ.* Ratus, & extraordinarius modus loquendi, quis vnquam sagittis assignauit matrem? per filias pharetræ intelligit Propheta supplicia in populum immissa ob illius peccata, vt interpretantur Origenes, Paschas. Glossa, & alij; denotatur ergo quod sicut ille qui pharetram facit, exhibet matrem sagittis: sic & qui peccatum committit, præbet causam, & originem omni supplicio in se immisso.

105. Threnor. 3.

Origen. Paschas.

Matth. 25. *num.* 31. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

Num. 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis.

Num. 33. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

VERSIONES.

Syriac. n. 31. Cum venerit filius hominis

liter pulchritudo supernaturalis in donis gratiæ, & virtutum. Vasthi ergo eiecta ad regnum ex natalitiis facile labitur, & corruit; at Esther ex animi virtute sublimata in vehementi rerum commotione non commouetur, sed firma, & secura persistit.

Dignitas ex natalitiis deperditur, non vero ex meritis.

55. Compone modò totam Paradisi tranquillitatem, vitaliúmque arborum halitum; cum arca à Noë fabricata, leonibus grauis, tempestatibus quassata, fluctuum rabie percussa. Et tamen cum in paradiso Eua vt mundi princeps, ac regina incederet, à sua felicitate corruit, aditum aperit ruinæ generis humani, & in mille incurrit mala; at in arca Noë etiam vt mundi gubernator inter vastissimas aquarum voragines, ac vortices secutus ibat, ita vt feliciter portum attingeret, ac teneret: vt notauit D. Basil. Seleuc. Orat. 5. *O arca*, ait, *Paradiso firmior. Illic namque cum aliis nauigabat serpens: illic, lignum mortis fuit instrumentum; hic lignum salutis fuit gubernaculum.* Vnde in paradisi securitate in tot mala incidit mulier, cum in tanta aquarum mole Noë seruatus sit in vita? Eua vt mundi princeps degebat in paradiso, tanquam in natali solio, in quo formata fuerat. At noë ex meritis, ac iustitia sibi præparauit ingressum in arcam: *Dixit Deus ad Noe Ingredere tu, & omnis domus tua: te enim vidi iustum coram me in generatione hac*, Gen. 7. num. 1. Eua, quæ vt totius mundi princeps, deambulans lætabatur, in paradiso tanquam in natali solio vincitur, & labitur; At noë, qui sanctitatis merito vehitur in arcâ, omnem inundationem aquarum vincit & superat; cum enim quis iustitiâ munitus incedit, facile vniuersa iniquitatis tela deuincit, ac detorquet.

Basil. Sel.

Gen. 7. Noë ex meritis ingressus in arcâ, omnem molem aquarum superat.

Qvæstio VIII.

Quare mare dabit horrendum sonitum?

56. Sit Textus: *Pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Maximè explicat Euangelista pressuram, angustiam, anxietatem, in qua erunt homines confusi, & perplexi, consilij inopes, quò se vertant, aut quid agant nescientes? nam Sol erit niger, Luna tota sanguinea, stellæque erunt cadentes, fulgura coruscabunt, terra tremet, & maria, & flumina horrendos sonitus dabunt; ita vt erit afflictio, & angustia extrema, qualis nunquam fuit. *Hæc dicit Dominus Deus: Afflictio vna, afflictio ecce venit: finis venit, venit finis: nunc de propinquo effundam iram meam super te, & complebo furorem meum in te: & iudicabo te*, Ezechiel. 7. n. 5. & 6. Expende quod ait: *Afflictio vna*; & statim, *Finis venit, & iudicabo te.* Vbi sermo est de afflictione ante iudicium finale, & dicitur, *Afflictio vna*, quia erit vna, & singularis inter omnes, cuius comparatione vniuersæ antecedentes non censeantur afflictiones, nec timeri debent. Et grauitas afflictionis satis explicatur. Cum ait Deus: *Complebo furorem meum in te.* Ac si in homine tunc adimpleat rigores suæ iustitiæ, infligens illi vniuersa sua flagella.

Ezech. 7.

afflictio iudicij sola afflictio.

57. Secundò. Astra obscurantur, aër fulgurat, terra tremit, maria, & flumina fremunt, ac si omnia elementa, vniuersæque creaturæ insurgant in hominem, vt debitam vindictam, ac satisfactionem sumant pro delictis commissis contra suum creatorem. Dathan, & Abiron, ait Scriptura, ob rebellionem contra Moysem: Sub pedibus eorum, dirupta est terra, & aperiens os suum deuorauit illos: *Descenderunt viui in infernum*, Numer. 16. num. 32. Quorum pœnam explicans D. Ambros. rectè ait Epistol. 8. *Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundum sinus, abripiuntur noxij, & ita ab omnibus mundi huius ablegantur elementis, vt nec aërem hausiu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Omnia elementa insurgunt aduersus rebelles, vt cœlum non videant, aëre non fruantur, mare non attingant, à terra non sustententur, nec illius sepulchro gaudeant.

Omnia elementa insurgunt contra peccatores.

Numer. 16. Ambros.

Tertiò. Moralissimè dicam etiam in hac re. Superiora astra obscurantur, & homo orbis princeps, sub cuius pedibus omnia erant subiecta, à sua felicitate in magnas miserias, ac angustias cadit; tunc aduersus eum mare intumescens horribiles dat sonitus. O quam frequenter cum Dominus à culmine suæ felicitatis decidit, aduersus eum serui dant horribiles voces, fremúntque, in eúmque insultant: Nabuchodonosor cum esset in suo regali solio, vniuersi principes, ac populi ei deferebant obsequium, ac adorationem? At verò postquam à suo culmine cecidit, & tanquam bos factus est. *Ex hominibus abiectus est*, Daniel, 4. num. 30. Sed à quibus abiectus est? A quibus nempe aulicis, ac populis, quibus antea in tanto cultu, hac onore fuerat. Deperdita dignitate deperdita est & veneratio, & occasio data, vt sui in eum insultarent, & fremerent. Vide in Indice Verbum *Deiectus*.

58. *In Dominum deiectum insurgunt famuli.*

Dan. 4.

Quartò. Fremit mare, & dat horribiles sonitus, tanquam voces clamantes aduersus homines ob eorum peccata contra suum Autorem commissa. Signa iudicij scribens Ioannes, ait: *Et ecce terræmotus factus est magnus*, Apocalyps. 6. num. 12. Ad quid tantus terræmotus? Terra cum voce careat, terræmotu pro voce vtitur, vt hominum peccata, eorúmque iustam vindictam indicaret. Ioachimus Abbas: *Terra tremor, vt suo motu contra homines clamaret.* Quos per tot millia annorum tantis delictis onustos sustinuerat.

59. *Insensibilia accusant peccatores.* Apocal.

Ioachim.

Prodigus reuertens ad Patrem suum, ait: *Pater peccaui in cœlum, & coram te*, Luc. 15. num. 18. Non solum Deum iratum meminit, sed etiam totos cæli exercitus commemorat, quos contra se tanquam sui accusatores metuebat. Titus Bostrens. *Haud secus*, ait, *faciem firmamenti metuit, atque accusatoris cuiusuis voces.*

60. Luc. 15.

Bostrens. *Cœlum peccatores accusat.*

Qvæstio IX.

Quare ante iudicium tot, tantáque signa in omnibus elementis præcedunt?

61. Omnia elementa commouentur, dant signa, vt notaui initio superioris quæstionis. Ad quid tot signa inquirit præsens quæstio. In omnibus rebus insensibilibus dat Deus signa, vt homines ad pœnitentiam, ac contritionem prouocentur, ne in iram Dei incidant, & pereant.

Venit

Venit vir Dei ad Ieroboam apponentem thus super altare, contra quod Propheta clamat dicens: *Altare, Altare, hæc dicit Dominus.* Et denunciat pœnam, ac mortem omnium Sacerdotum immolantium: *Et hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce Altare scindetur, & effundetur cinis, qui in eo est.* Quod cum factum esset, & altare scinderetur, superbus rex extendit manum contra Prophetam, vt eum apprehenderet. *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.* 3. Reg. 13. num. 4. Contra Dei legem Rex, & Sacerdotes sacrificabant super altare in signum eorum denuntiatæ pœnæ ad vocem Prophetæ contritum est altare lapideum? Cum tamen prophanus rex magis esset obduratus, vt immolaret in contemptum legis, illius exaruit manus, cur prius Deus dat signum in altari, pòstea verò manus regis est exsiccata? Ecce intèr tot rigores Dei clementia nitet. Prius dat signum in lapide, vt ex contrito lapidem conteratur cor regis ad pœnitentiam, vt diuinam vindictam valeat euitare. D. Chrysostomus, procem. in Isaiam. *Qua ex causa, ait, non initio statim eius arefecit manum? Vt respiscceret lapide in frusta discisso. Lapis enim si inscissura non foret conscissus, vtique tibi pepercissem. Nunc quando lapis conscissus est frustillatim, nec sic quidem ad correctionem emendatus, ob id ira aduersum te incandesco.* Post tantum signum visum non emendari maiorem prouocat iram.

3. Reg. 13. — *Dantur signa insensibilibus, vt homo emendetur.* — Chrysost.

62. Secundò. Fiunt tot signa vt in nobis Dominus excitaret memoriam iudicij finalis, illius enim obliuio multa mala super omnia scelera, ac crimina, in nobis generat, & parturit. *Propter quod irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret.* Psalm. 9. numer. 13. Quam ob causam irritauit, seu vt legit D. Hieronymus: *blasphemauit*, seu Biblia Regia: *Prouocauit ad iram*: seu contra se Deum opposuit: *Dixit in corde suo, non requiret*, Non inquiret, nec examinabit delicta nostra, ac proinde ex tam pessima obliuione iudicij venit in tam grauissimum malum super omnia mala, vt contra Deum velit homo se erigere, & opponere. D. Bernardus serm. *Ecce nos reliquimus omnia.* Sic ait: *Propter quod irritauit impius Deum, exacerbauit Dominum peccator, vt secundum multitudinem iræ suæ non quærat? Num propter fornicationis? incestus, an sacrilegia? Nil horum Propheta memorat, sed quod in corde suo dixit, non requiret.*

Psal. 9. Hieron. Bib. Regia. — *Nullum est malum, quod iudicij obliuio non generet.* — Bernard.

63. Ex quo ait D. Augustinus serm. 120. de tempore, *Caueamus ita in criminibus pollui, vt ad nos respiciat Prophetia illa terribilis*, Non est Deus in conspectu eius, polluuntur viæ eius in omni tempore, auferentur iudicia tua à facie eius. Psalm. 9. num. 5. *Irremediabile periculum est sic aliquem vitij, & cupiditatis frena laxare, vt sè rationem Deo non mininerit redditurum.* Extremæ ruinæ, ac irremediabilis periculi argumentum est, absque cogitatione, & memoria iudicij viuere, nam si auferuntur iudicia Domini à nostra facie, ac oculis, obliuiscitur homo de Deo, & omnes viæ eius polluuntur, ac coinquinantur in omni vitio, & peccato, à quo iudicij memoria maximè refrænat, vt ponderaui suprà in expositione num. 1.

63. August. — Psal. 9. — *Extrema ruina, si iudicij memoria à nobis labitur.*

64. Tertiò. Quia vt ait D. Paschas. lib. 11. *Iudicij timor schola pietatis est*, imò dicam ars bene viuendi, sublevandique hominem in cælum, ait D. Ioannes. *Audiui vocem de cælo dicentem mihi: Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Opera enim eorum sequuntur illos.* Et statim subdit: *Et vidi & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis, habentem in manu sua falcem acutam.* Apoc. 14. num. 14. sermo est de Christo Domino veniente ad iudicium, vt exponunt Ioachim. Abbas, Andræas Cæsar. D. Thomas, & communiter Recentiores, habentem falcem acutam interpretantur potestatem iudiciariam. Maximè Textus connexio ponderanda est. Cur postquam factus fuit sermo de gloria Beatorum, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Statim in medium proponitur finale iudicium, ac describitur iudex venturus cum falce acuta, cum multa nempe, ac districta seueritate? Vt demonstretur, quod nulla via tam potens est hominibus ad gloriam, & vt in consortio sanctorum beati mortui in Domino inueniantur, quam quòd in hac vita pro consorte memoriam mortis habeant, quæ semper ante oculos fixa sit, vt à terrenis declinent, & ad cælestia aduolent.

64. Paschas. — Apoc. 14. Ioachim. Andreas. D. Thom. — *Cogitatione iudicij ascendimus in cælum.*

65. Postquam glorioso triumpho ascendit Christus in cælum, Apostolis astant Angeli dicentes. *Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Actor. 1. num. 11. Vbi sermo est de Christi aduentu ad iudicandum, vt exponunt D. Ignatius Epistol. 10. ad Smyrnenses, Chrysostom. Beda, Caietanus, Carthusianus, & alij in Act. Cur tamen obiecta Christi gloria in cœlo, memoriæ etiam nostræ obiicitur repræsentatio illius aduentus ad iudicium? vt ita nobis ostendant aptam, & expeditam viam eundi in cælum ad participandam quisque Christi gloriam, si semper Christi aduentum ad iudicium ante oculos habeamus, illo nempe admoniti facilè in cœlum euolabimus.

65. Act. 1. — Ignat. Chrysost. Beda. Carthus.

Luc. 21. n. 26. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient vniuerso orbi, nam virtutes cælorum mouebuntur.

VERSIONES.

Vatablus. Et commotio, quæ eiicies animas hominum præ timore eius, quod inuasum est terra, & commouebuntur virtutes cælorum.

Vatablus. Exarescentibus hominibus præ timore, & expectatione eorum, quæ supervenient orbi terrarum, nam vires cælorum mouebuntur.

Arabicus. Et egredientur animæ hominum ab eis, præ timore eius, quod venient

ſuper orbem, nam virtutes cœlorum conturbabuntur.

Caietanus. Virtutes cœlorum agitabuntur.

Multi ex Græco. Exercitus cœleſtium.

EXPOSITIO II.

66. ARESCENTIBVS *hominibus*, tot, tantiſque horrendis ſignis homines exanimes, ac tabeſcentes, ſeu vt explicatius habet Arabicus. *Et egredientur anima hominum ab eis.* Erunt enim præ anguſtia tanquam efflantes ac exhalantes animam, *præ timore* Qui, vt ait Carthuſianus, erit in cunctis hominibus, præſertim iniuſtis, quos èxterius tot portenta accuſabunt, interius verò eorum conſcientia arguet. *Et expectatione.* Quæ expectatio gignitur ex tanto timore: & valdè mirum, quia inter tot horribilia ſigna audio hominum timorem, non tamen audio eorum pœnitentiam, ac dolorem de peccatis, ſunt enim homines ita obfirmati in malo, vt nec commotione cœli, & terræ moueantur in Deum: *Quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.* Homines areſcunt, ac tabeſcunt ex cogitatione malorum ingruentium, quæ ſuperueniunt orbi, non verò ex cogitatione appropinquantis iudicij, ac damnationis æternæ. Iniqui maiori dolore afficiuntur de temporalibus amiſſis, quam de ſua ſalute deperdita. *Virtutes cœlorum mouebuntur*, ſiue agitabuntur, ſiue conturbabuntur; aſſignatur cauſa timoris, ac exanimationis hominum, quia virtutes cœlorum, ideſt eorum poli, quaſi Cardines, ac firmamenta mouebuntur præter ſuum curſum naturalem, vt cœli deorſum ruëre videantur, de quo quæſt. 11.

Arabic.

Carthuſ. *Homines obduratione pœnitentiam agunt.*

QVÆSTIO X.

Quare tam vehementer homines areſcent, ac tabeſcent?

67. VIſis tot portentis, ac prodigiis erunt tabeſcentes, ac tanquam efflantes animam præ timore, ac expectatione excidij totius orbis, ac horrendi iudicij, vt patet ex textu, & dixi in expoſit. Deinde ad quæſtionem,

68. Primò. Reſpondet D. Auguſtinus epiſt. 80. *Areſcentibus*, ait, *hominibus præ timore, & expectatione. Nunc autem iſta mala, quæ tanquam ſumma, extremáque creduntur, vtrique regno, Chriſti ſcilicet, & Diaboli videmus eſſe communia. Pariter quippe bis boni affliguntur, & mali.* Valdè mirum, quod dicat D. Auguſtinus: *Pariter quippe bis boni affliguntur, & mali.* Quòd mali timeant non multum mirandum, cum ſuper eos immineat ſententia damnationis. At iuſti cur timeant, cum Chriſti ſocij, ac familiares futuri ſint, æternáque beatitudine donandi, à iudiciſque ſententia æternam hæreditatem capient? Timebunt quidem timore filiali ob expectationem iudicis, quem præſtolantur, tanta erit ſeueritas finalis iudicij, vt ab eius expectatione, iuſti mox beandi areſcant. Sciunt iuſti ſe ipſos æterna beatitudine donandos eſſe; cum tamen conſiderant iratum iudicis vultum, & iudiciali rigore ſeuerum, diuinas iras minantem, ſic præ timore filiali, ac expectatione iudicij finalis pauent, vt etiam poſita ſpe de æterna beatitudine expalleſcant, & contremiſcant appropinquante vltima die iudicij: ſcribit Ioannes, quod homines. *Dicunt montibus, & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Apocalyp. 6. num. 16. Non explicant ſuum timorem pro ſententia audienda, ſeu pœna infligenda, ſed pro vultu, ac facie iudicis apparentis, *à facie ſedentis.* Tam formidabilis, ac terribilis erit aſpectus Chriſti iudicantis, quod ſtatim magis confirmatur.

Auguſt. *Iuſti timent facti iudicis.* Apoc. 6.

Secundò. Beda ad hæc verba: *Areſcentibus hominibus.* Sic ait: *Credo ipſum iudicis aduentum hac ſententia deſignari.* Videbunt homines horribilia portenta in Sole, Luna, & Stellis, magnáque prodigia in aëre, magnóſque terræmotus in orbe, & ex mari horribiles ſonitus audient, & tamen: *areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione.* Vident prodigia in cælo, & terra, ac mari, & tamen homines non areſcunt, nec tabeſcunt ob portenta exhibita, ſed *præ timore, & expectatione, quæ ſuperuenient orbi.* Ob nempe iudicis aduenientis aduentum: *Credo ipſum iudicis aduentum hac ſententia deſignari.* Cum iudicis proponitur aduentus, præ illius timore cætera omnia non ſentiunt, nec illorum timore vexantur.

69. Beda. *Inter tot prodigia ſolum homines timent iudicii faciem.*

De die iudicij loquens Ioannes, ait: *Terra abyt, & mare non eſt.* Apocal. 21. num. 1. Quomodo dicitur, quod terra & mare non eſt, cum dicat: *Ecce terræmotus factus eſt magnus.* Apocalypſ. 6. n. 12. & D. Lucas in præſenti: *Et in terris preſſura gentium*, & mare dabit horrendos, & terribiles gemitus, *præ confuſione ſonitus maris.* Quomodo ergo aſtruitur, *terra abyt, & mare non eſt?* Quonam pacto poſſunt fieri terræmotus, & gemitus maris, ſi terra, & mare non ſunt? Pulchrè Aymon in Dominica 1. Aduentus. *Circa finem ſæculi*, ait, *mare, flumina, riuuli, voces & magitus emittent, interitum ſuum quibuſdam luctuoſis vocibus deplorantes, & per hoc non parum timorem hominibus audientibus incutient. Hinc per Ioannem in Apocalypſi dicitur: & mare non erit.* Expende, ex timore incuſſo infert Aymon, quod mare non erit, quia nimirum timor conceptus ex terræmotu in orbe, & ex ſonitu maris, nullus erit comparatione facta ad timorem prouenientem ex aduentu iudicis; cuius collatione terror ex mari, ac terra nihil eſſet, tanquam ſi terra, & mare non eſſent.

70. Apoc. 21. Apoc. 6. Aymon.

Tertiò. Caietanus, *Areſcentibus hominibus præ timore*, ait, *in intellectu perplexitas, in affectu timor, & expectatione non ſignificatur ſpes, ſed mora euentus.* Hæc vltima verba maximè expendenda ſunt; vbi ſubtiliter innuitur cauſa tam ingentis pauoris, ac timoris; *mora euentus*, nempe. Iudicio appropinquante, multa ſunt, quæ terribilem timorem ingerant homini. Elementa timenda concuſſione colliduntur, ac è cœlo infremunt, terribilis facies iudicis aduentat, & fulminanda ſententia mox audienda inſtat, vt impij hianti gehenna deuorentur, & tandem ipſa conſcientia interius carnifex crudeliter torquet,

71. Caietan.

&c

& inter hæc tam dira tormenta maximè excruciantur, ac excarnificantur mora ipsius imminentis iudicij *expectatione non significatur spes, sed mora eventus*, dum in suspensæ expectationis perplexitate exagitantur; ibi latè maior afflictio, pœna, ac excarnificatio, ipsa sanè pœdula exagitatio, ac expectatio, tam crudeliter vulnerat, vt certè æmula gehennæ sit: supra citat. Apocalyps. locus huc iterum veniat. *Dicunt montibus, & petris, cadite super nos.* Dulcius erit eis à montibus obrui, quam in alia pendula expectatione versari. Vide suprà c 8. n. 135 & c 49. n. 62. 63. 64 & 65.

72. *Subire iudicium magnũ timorem generat.*

Quartò. Tabescunt, & consumuntur homines præ timore, & expectatione iudicij appropinquantis, cum cogitant, quod adest tempus, vt appareant coram iudicis tribunali, vt ab ipso iudicentur, & eorum facta discutiantur, ac examinentur, inde pallescunt, & maximo timore anguntur: durissimum est ante iudicem cõuenire, vt causa ventiletur, & sententia proferatur.

73. Luc. 22.

Cum meus Iesus esset in horto. *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. num 43. Maximè disputant interpretes, quænam extiterit causa tantæ agoniæ, ac tristitiæ, & quænam tanta esse potuit, vt filius Dei in guttas sanguinis effundendas prorumperet? D. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 17. hanc assignat. *Redemptor noster*, ait, *solutioni carnis appropinquans, & membrorum suorum seruans speciem: factus in agonia cœpit prolixius orare.* Et tunc subdit: *Appropinquante morte, nostra mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis aterno propinquamus iudicio.* Repræsentatum fuit Christo Domino, quod ipse trahendus erat ad quatuor iudicium iniquorum tribunalia, inde pauer, non quod eius eximia puritas, ac sanctitas aliquid sui ratione timuerit, sed *membrorũ suorum seruans speciem.* Vt nobis præberet documentum, quantum ad iudicium conuenire, ac coram iudice astare, debeamus formidare. Ibi enim cuncta, & minima ventilantur, & sententia pro tota æternitate promulgatur. *Cum per solutionem carnis aterno appropinquamus iudicio.* Vide tom. 2. c. 12. q. 10. n. 60. 61. & 62.

Gregor.

Multum timendum coram iudice conuenire.

Qvæstio XI.

Quare virtutes calorum commouebuntur?

74. *Quid sint calorum virtutes.* Ianseu.

Disputant Interpretes quid per virtutes cælorum significetur. Iansenius in sua Concordia arbitratur per virtutes cælorum significari omnia sydera, quæ in sacris litteris militia cæli, seu virtutes cælorum appellantur. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quæ sunt sydera Psalm. 32. num. 6. Secundò. Caietan. in cap. 24. Matth. existimat denotari vires, potestates, seu facultates cælorum, nam extremo illo tempore, mutabuntur, ait, potentiæ actiuæ cælestium corporum à solitis actionibus, ac proinde Iansenius, & Caietanus astruunt, quod in fine mundi sydera, ac cælestia corpora mutabunt suos aspectus, ac influentias, vt inde omnia in inferioribus perturbentur; & hæc sententia est valdè probabilis.

Psalm. 32. Caietan.

Tertiò. Ioannes Hesselius, Maldonatus, Franciscus Lucas, Cornelius per virtutes cælorum intelligunt bases, siue axes, siue polos, & Cardines cælorum. Sic enim in fine orbis cæli mouebuntur, ac concutientur, vt à suis cardinibus, ac polis conuelli videantur, vt deorsum ruere appareant, vt ita maximè repræsentent iram diuinam, ac magnum terrorem impiis hominibus iniiciant. Quod latius explicant interpretes ad cap. Isai, 34. num. 4. *Tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum (omnia sydera) defluet, sicut defluit folium de vinea*: & Apocalyps. 6. num. 12. & ideo hic dicendi modus maximè est aptus.

75. Hesselius. Maldon. Franc. Luc. Cornel.

Isai. 34.

Apoc. 6.

Quartò. Et est celebris sententia Antiquorum Patrum, Origenis homil. 26. in Matth. D. Augustini, serm. 130. D. Chrysostomi, Euthymij, Theophylacti, D. Thomæ, Carthusiani, & aliorum, qui docent, quod Angeli timebunt quodam timore reuerentiali, proindéque docent, quod per virtutes cælorum Angeli intelligantur. Sic ait Chrysostomus: *Virtutes calica mouebuntur, quantumuis sibi conscia non sint, videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepidè stabunt ibi.* In ruina aliorum etiam columnæ cæli, ac viri fortes, & potentes pauent, & timent. Audita morte Saphiræ reprehensæ à Petro. *Factus est timor magnus super vniuersam congregationem, & super omnes, qui hæc audiebant*, Actor. 5. numer. 11. Nullus erat in toto fidelium cœtu, qui mentitus esset Deo, ac defraudasset de rebus venditis: ac proinde nullus extabat dignus tali increpatione, cur ergo in vnius casu omnes percutiuntur timore? Viri sanè prudentis est in alterius ruina suam vereri. Oecumenius. *Ex facto*, ait, *quod circa Saphiram accidit, oritur in aliis salutaris timor, quemadmodum in vltione Oza, huius namque supplicium multis timori fuit.*

76. Origen. August. Chrysost. Euthym. Theophyl. D. Thom. Carthus.

Actor. 5.

Oecumen.

Suarez tom. 2. ad 3. part. disput. 56. sect. 3. per virtutes cælorum intelligit Angelos, qui magna vi, ac impetu tunc cælos mouebunt, ac gyrabunt ad extraordinarios, & portentosos effectus in inferioribus producendos, vt ex dictis patet.

77. Suar. *Angeli mouerent cælos.*

Aliter etiam respondet D. Chrysostomus, tom. 3. serm. de cruce, & Latrone. *De Angelis*, ait, *dicit Dominus, tremor enim illos apprehendet, & timor magnus. Quia tunc tam terribile erit iudicium illud, vt ab Angelis timeatur. Quemadmodum enim principe iudicante, non solum rei, sed & officia, quæ nihil sibi conscia sunt, timore comprehenduntur, propter iudicis terrorem; ita & cum genus humanum iudicabitur, etiam cælestes ministri pauebunt: & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiscent.* Valdè mirum, quod in tremendo iudicio Angeli sic expauescant. Timeant impij, qui damnationis sententia sunt puniendi, sed puri Angeli cur sic pauent? Rectè ait D. Gregorius in moralibus. *Quid faciet virga deserti, vbi concutietur cedrus Paradisi? Quid faciet agnus, vbi aries tremit? Si iustus vix saluabitur, impius vbi apparebit?* Si Angelus Cedrus Paradisi sic timore concutitur, quid faciet virga deserti huius mundi, homo nempe. tot, tantisque criminibus onustus, si iustus vix saluabitur, impius vbi apparebit?

78. Chrysost. *Si Angeli timent in iudicio quid faciet miser homo.*

Gregor.

79. De extremo iudicio loquens D. Ioan. in ſua Apoc. cap. 6. n. 14. *Cœlum receſſit ſicut liber involutus.* Et iterum cap. 20. n. 11. *Vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit cœlum.* Sunt multi, vt R. P. Ioan. de la Haye, qui per cœlos, ſpiritus cœleſtes Angelicos interpretentur, qui magno timore concutientur ob conſiderationem tantæ ſeueritatis diuinæ iuſtitiæ, quanta manifeſtè aduerſus impios oſtenditur, ideo ad hoc explicandum per magnam exaggerationem, quanto pauore cœli columnæ contremiſcant, ac ſi non valeant ſubſiſtere coram iudice ſine tremore, dicitur cœlum recedere, cum aliàs veriſſimum ſit, quòd ſancti Angeli cum Chriſto adſtabunt, & ab eius latere nullo modo recedent.

Apoc. 6. Haye. *Angeli timent.*

80. Vel timent Angeli, quia ſunt cuſtodes noſtri, & cum rei iudicantur, eorum cuſtodes, ac protectores pauent, & timent. *Luxit antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.* Thren. 2. n. 8. Hugo per murum intelligit cœtum Prælatorum, ſeu hominum; per murale verò cuſtodiam Angelorum. Cum enim cœtus hominum diſſipatur diuina ira, luxit, ſeu luctum oſtendit cuſtodia Angelorum, quod metaphoricè dicitur de ſpiritibus beatis, cum ſemper ſint in ſummo gaudio.

Thren. 2. Hugo. *Cuſtodes Angeli triſtantur.*

Matth. 24. *num.* 30. Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate.

Num. 31. Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cœlorum, vſque ad terminos eorum.

VERSIONES.

Syriac. n. 30. Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlis, & tunc plangent omnes generationes terræ, & conſpicient filium hominis venientem ſuper nubes cœlorum cum virtute, & gloria multa.

D. Cyprian. exhort. Et lamentabuntur omnes tribus terræ, &c. In nubibus cœli cum virtute magna, & claritate.

Vatabl. Pagn. Cum potentia, & gloria multa.

Græcus. Cum magna fortitudine, & gloria.

Arias. Cum efficacia.

Syriac. n. 31. Et mittet Angelos ſuos cum claſſici clangore magno: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, ab extremo cœlorum vſque ad extremum eorum.

Pagninus. Cum tubæ voce magna.

Vatablus. Cum tubæ ſonitu magno: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, ab extremis cœlorum, vſque ad extrema eorundem.

ALTER TEXTVS.

Marc. 13. *num.* 20. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria. Et tunc mittet Angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ, vſque ad ſummum cœli.

Luc. 21. *n.* 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.

EXPOSITIO IV.

81. *VNC.* Obſcuratis Sole, Luna, ac ſtellis, *parebit*, ſeu vt habet Syriacus, *apparebit ſignum filij hominis*, id nempe quo filius hominis maximè hominibus fuit ſignificatus, notus & celebris in toto mundo, crux eius extitit, qua noſtram redemptionem promeruit. Quamuis eſſet filius Dei, à meritis in ſancta cruce operatis, voluit in toto mundo haberi notus, & celebris: *Tunc.* Iterum hanc particulam repetit Euangeliſta; ac proinde. *Tunc*, viſa totius orbis perturbatione, ac cruce fulgente in cœlo: *Plangunt omnes tribus terræ.* Omnes nempe nationes vniuerſi, præcipuè impij, quorum erit maior pars, lamentabuntur, quia vt inquiunt Chryſoſtomus, Euthymius, D. Thomas, ex tot ſignis viſis intelligent mundum finiri, ac ex ſigno crucis cognoſcent Chriſtum Ieſum aduentare ad iudicandum, ac proinde lamentabuntur, quia in eum non crediderunt, vel quia non vixerunt prout eius fides, ac doctrina Euangelica exegerat, & alludit hîc Chriſtus Dominus ad locum Zachariæ 12. num. 11. *In illa die magnus erit planctus in Ieruſalem*, &c. D. Chryſoſtomus homil. 77. *Tunc*, ait, *plangent ſe omnes tribus terræ: viſa enim cruce, conſiderabunt, quod mortuo eo nihil profecerunt, & quod crucifixerunt eum, quem adorari oportebat.* D. Hieronymus. *Rectè autem dicit tribus terræ: hi enim plangent, qui municipatum non habent in cœlis, ſed ſcripti ſunt in terra.*

Syriacus. Chryſoſt. Euthym. D. Thom. Zach. 12. Chryſoſt. Hieron.

82. *Videbunt filium hominis*, Chriſtum Dominum *venientem*, ad iudicium ſcilicet, *in nubibus cœli.* Aërei; & dicitur *in nubibus*, ponitur pluralis pro ſingulari, & ad magis explicandâ Chriſti maieſtatem, & alluditur ad teſtamentum vetus, nam Deus paſſim apparebat Moyſi, & Prophetis in nube. Exod. 19.

Exod. 19. Ezech. 1. Dan. 7. Exod. 19. num. 9. Ezech. 1. n. 4. Dan. 4. 7 n. 13. *Ecce in nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat.* Dicitur in textu: *Cum virtute multa, & maiestate.* Seu, vt alij legunt, *cum magna potentia*, seu *fortitudine, & gloria.* D. Lucas scribit: *Cum potestate magna.* Sicut enim primus Christi aduentus fuit in humilitate, ac infirmitate nostræ carnis, quo meruit, vt hic secundus aduentus sit cum potentia multa, maiestate, ac gloria. Gloria enim corporis Iesu maxima erit, etusmodi qua nulla queat esse maior propter diuinæ naturæ cum humana coniunctionem.

Lucas.

83. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna.* Est hic inuersus ordo, vt notant Cornelius, & alij expositores. Nam prius Christus Dominus mittet Angelos cum tuba, seu tubis, ac voce magna, vt omnes mortuos, & sepultos ad vitam euocent, ac ad iudicium citent; deinde ipsi eum videbunt venientem in nubibus cœli: Et *congregabunt electos eius.* Iussu Domini, ac Angeli voce omnes boni, & mali reuocandi sunt ad vitam, ad iudiciúmque coram Christo adducendi, vt patet Matth. 13. num. 41. Tamen electi dicuntur, vt ait Carthusianus, cum ampliori honore, & speciali reuerentia; vel meminit tantum electorum, quia Christus Dominus loquebatur cum suis discipulis, vt eos consolaretur, ac animaret spe tanquam futuros è numero electorum; vt ait D. Chrysostomus, congregabunt eos Angeli, congregatos autem rapient nubes: *à quatuor ventis*, hoc est ab omnibus mundi plagis, à quibus spirant venti. Eurus spirat ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster à meridie, Aquilo à septentrione. *A quatuor ventis*: ait Hugo, ergo in figura crucis, qui in figura crucis fuerint congregabuntur tanquam electi: *A summis cælorum vsque ad terminos eorum.* Hoc est ab vno cœli termino, seu extremitate vsque ad alteram, nempe à termino vno cœli, & terræ vsque ad alium eorundem terminum. D. Marcus scribit: *A summo terræ vsque ad summum cæli.* Quod idem est, ac scribit Matth. Ab vno extremo terræ, vsque ad alium extremum cœli, & terræ.

Matth. 13. Carthus. Chrysost. Hugo. *Non dantur electi, nisi ad crucis figuram.* Marcus.

QVÆSTIO XII.

Quando, & quomodo, quantaque luce crux apparebit in iudicio finali?

84. *Signũ Christi eius crux.* Chrysost. Hilar.

SIGNVM filij hominis in iudicio futurum, magno consensu docent Patres, & expositores in præsenti D. Chrysostomus, D. Hilarius, D. Hieronymus, Beda, Euthymius, Theophylactus, Albertus Magnus, D. Augustinus, sermone 130. de tempore, D. Leo epist 97. ad Leonem August. Et alij communiter. Et hoc canit Ecclesia. *Hoc signum erit de cælo cum Dominus ad iudicandum venerit:* Et vt ait D. Cyrillus, Catech. 15. *Signum verum, & proprium Christi est crux.* Per crucem enim Christus est notus, & honoratus in toto mundo, vt dixi in expositione:

85. Anselm. Anton. Abulens. Iansen.

Primò dubitatur. An ipsamet crux lignea sit in cœlo conspicienda, an illius effigies, ex splendido formata aëre. D. Anselmus in elucidario. D. Anton. 4. part. tit. 24. cap. 11. §. 5. Abulens. Iansen. & alij ex aëre efformatam appariturum existimant. E contra verò ipsammet crucem ligneam diuina reintegrandam potentia, & in die iudicij, in cælo ostendendam omnibus hominibus docent N. Doctissimus Vvaldens. tom. 3. de Sacramentali tit. 20. c. 158. D. Ephrem lib. de vera pœnit. c. 4. D. Chrysost. homil. de cruce, & Latrone, ait: *Crucem solam non reliquit in terra, sed secum eam leuauit ad cælum, & ideo cum ipsa veniet; cum ipsa secundam gloriosam suam præsentiam faciet.* Et hæc sententia mihi magis placet, quia quod ipsamet crux appareat, ad gloriam Christi pertinet, qui per eam nos redemit; & multum conducit ad consolationem sanctorum, vt ipsammet crucem videant, per quam Christo crucifixo in vita per veram pœnitentiam, & mortificationem se conformare studuerunt.

86. Abulens. Clem. Secundò. Dubitatur de tempore quod crux apparebit. Abulens. cap. 24. Matth. q. 171. & 172. Clemens Papa lib. 7. constit. c. 3. & alij existimant crucem appariturum in aëre paulo post mortem Antichristi, multis diebus ante aduentum iudicis. E contra verò D. Chrysost. D. August. D. Cyrill. Ieroselymitan. & alij Patres citati in exordio quæstionis, & communiter recentiores Iansen. Barradas, Cornel. cum Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 21. affirmant hoc crucis vexillum ab Angelis ante conspectum Iudicis Christi deferendum, tanquam trophæum victoriæ, ac insigne regale excellentissimæ eius potestatis, & imperij. Ex quo infero quod finito vniuersali iudicio, ipsamet crux lignea sit reponenda inter choros Angelorum. *In cœlo collocanda.*

87. Tandem; hoc crucis signum in ipso vniuersali iudicio apparebit in singulis electorum frontibus. Iuxta illud Apocalyps. 7. n. 3. *Signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Ezech. 9. n. 4. *Signa thau*, (id est signum crucis) *super frontes virorum gementium, & dolentium.*

88. *De aliis passionis instrumentis.* Tertiò. An verò reliqua passionis instrumenta, vt columna, flagella, corona spinea, claui, lancea, spongia, sint apparitura in die iudicij? Affirmant D. Th. opusc. 2. c. 244. Viger. c. 21. §. 2. vers. 6. Salmeiron, & alij ob rationes dictas; & dicendas quæst. seq. de cruce, & hoc probabile est, tamen non est certum, neque habet fundamentum in scriptura, neque in Patribus.

89. Chrysost. *Crux fulgebit super omnia mundi lumina.* Laurent. Quartò. Quanta gloria, ac fulgore Crux apparebit mira ac mirabilis sanè. D. Chrysostomus, homil. in crucem, & Latronem tom. 6. elegantes sic ait: *Vides quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantus fulgor? Sol obtenebratur, Luna non splendet, astra cadunt, illud verò solum apparet, vt intelligas illud Luna splendidius, & Sole fulgentius esse.* D. Laurent. Iustinian. in ligno vitæ. cap. 4. *Considera*, ait, *quanta sit virtus crucis; in die namque iudicij Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, vt discas quantum crux Luna luceat, & Sole splendidior sit, apparebit tunc crux.* Quid præstantius dici potest de crucis signo? Vbi Sol, Luna, stellæ, se se homini subtrahunt; vbi virtutes cælorum mobilitatem prætendunt, sola crux vt vera lux fulgens apparet, vt te illuminet, sibique ducatum præstet.

90. Psal 4. Septuag. *Crux nos ipsa illuminat.* Ait Regius Vates Psalm. 4. n. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Septuaginta iuxta radicem hebraïcam legunt signum, seu vexillum super nos lumen vultus tui; sed quodnam est hoc vexillum quod in nobis est lumen, & lux diuini resplendoris; crux nempe; ipsa enim est signata in frontibus electorum, vt dixi

in hac quæstione, ipsaque est vexillum filij Dei, quæ nos illuminat, à nobisque omnes tenebras depellit Hesychius in Cantic. *Lumen autem Christi*, ait, *crux est, quo orbem illuminauit, quo nos in frontibus signauit.*

Hesychius.

92. Abulens. Richardus. Egresso populo Israëli de Ægypto prouidit Deus vnam, & eandem columnam iuxta Abulens. Richardum, Victorinum, & alios, quæ die instar nubis obumbrabat ab æstu Solis, nocturno tempore sic fulgebat, vt clarissimam noctem efficeret. *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Exod. 13. num. 22. Sic & suo populo Christiano Deus largitus est alteram columnam, crucem nempe, quæ nos ab æstu tentationum defenderet, ac inter huius mundi tenebras nos illuminaret, duceret, ac dirigeret in salutem. D. Greg. Nazianz. Agens de extrema hominis vtilitate. *Ego*, ait, *relictis omnibus crucem vnam habeo, quæ tanquam clarissima columna vitæ meæ præluceat.* Vide suprà cap. 6. n. 12. 13. 14. c. 16. n. 95. 96. 97. c. 41. n. 105. 106.

Exod. 13. *Crux nos illuminat, ac ducit.*

Nazianz.

QVÆSTIO XIII.

Quare Crux apparebit in iudicio vniuersali?

RESPONDENT. Primò D. Chrysostomus hom. 77. in Matth. Theophyl. Euthym. Qui ait, *Apparebit crux vt exterreat præcipuè Iudæos, deinde gentiles, qui Christo improperabant crucem: & vt sciant, quod hic ipse, tanquam Deus descendit.* Veniet crux cotuscans super omnia mundi luminata per ipsam, per quam impij qui improperabant Christo, eique tanquam ignominiam obiiciebant, confundantur, ac ignominia afficiantur, videntes eius gloriam, & exaltationem. Sit ait D. Chrysostom. homil. de Cruce, & Latrone. *Cum cruce Christus veniet, vt hi, qui eum crucifixerunt, sua sentiens dementia cæcitatem.*

93. Chrysost. Theophyl. Euthym.

Tertiò. D. Augustin. serm. 101. de tempore, *Dedit hoc lignum*, ait, *fructum in tempore suo, dedit fructum interim Domini resurrectione, dabit & cum apparuerit de cælis ille, qui visus est super terram, cum præcedente ipso crucis signo iam fulgido venerit de supernis, tunc resurgent corpora sepulcrorum, tunc exultabunt sancti in gloria, tunc in ipsis cubilibus lætabuntur, qui nunc de sui regis, ac Domini cruce non confunduntur sed potius gloriantur.* Apparebit Crux, vt omnibus fiat manifestum, ex qua origine, ac arbore omnium gloriæ, ac exaltationes pullularunt, ac emanarunt.

94. August.

Tertiò. D. Thomas in Commentar. Matth. *Crux apparebit*, ait, *vt significetur iudiciaria potestatem per crucem comparatam.* Quartò, vt innotescat Christum pro omnium salute fuisse crucifixum ac proinde ingratos esse, & inexcusabiles, qui tantam eius charitatem, ac misericordiam neglexerunt. Vnde D. Chrysostomus in Imperfecto sic introducit Christum loquentem hom. 49. *Ego*, ait, *propter vos alligatus, & delusus, & cæsus, & crucifixus sum, vbi est tantarum mearum iniuriarum fructus.*

95. D. Thom. *Potestas iudiciaria per crucem comparata.*

Quintò. Eleganter Hugo ex D. Chrysostom. *Tunc apparebit*, ait, *signum filij hominis, id est crux in aëre, crux apparebit sole luculentior existens, & non est necessitas accusationis, cum viderint crucem.* Veniat in iudicio ipsa crux, quæ gratiarum extitit fons, & copiosæ redemptionis officina, omnibus cælestibus beneficiis exundans, dum tamen ante reos proponitur: *Non est necessitas accusationis, cum viderint crucem.* Ipsa enim ingratitudinem, duritiem, ac impietatem accusabit, arguet, & damnabit.

96. Hugo.

Quod etiam eleganter dixit Eusebius hom. 4. ad Monach. *prima enim*, ait, *erit in reos intoleranda sententia reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore fallurî sumus, quando contra illos crucifixi Domini liuores, nota peccatorum nostrorum, ac macula libidinum profitentur? Aut quo putas vultu respicit, redemptio nostra perditionem nostram; illa vtique clauorum signa bonis salutaria, malis terribilia;* Ipsa sacra crux, ipse cicatricum liuor, cum præsentantur, ipse eorum aspectus reos verberat, & damnat; nam ipsa tam benefica opera ostensa, oris sententiam conuertunt, & condemnationis promulgatione reos prædamnant, pœna afficiunt, & verberant. *Prima erit in reos intoleranda sententia reuerendarum præsentia cicatricum.*

97. Euseb. *Crux de sententia contra impios.*

Valdè mirum quod cum Iudæi peccarent aureum vitulum adorantes. Exod. 32. n. 6. Tamen Deus eis quotidie mane cælestem panem largiebatur; sicut & filius Dei veniens in terram, quæ multis iniquitatibus, & peccatis abundabat tamen largissimè curationis dona exhibebat, cur ingratos illos, & omnino perdendos Deus tot, tamíque beneficiis afficit? Pulchrè rationem excogitauit D. Gaudentius serm. 9. ad Neophit. *Nolebat*, ait, *se panem cælestem, vitæ principem Iudæis cito subtrahere, donec ipse in carne adueniens doceret eos, & instrueret! verberaret curationum beneficiis eos, qui ingrati extiterunt.* Ingrati, & rebelles Iudæi multis ditabantur cælestibus donis, pane cælesti, & languorum curatione, quibus dure, & acerbe verberabantur; recipiebant enim illa diuina beneficia existimantes se à Deo summè amari, & foueri, & in illis recipiebant inter se vocem quandam contra eos clamantem, & flagellum quoddam inundans, nullo enim duriore verbere affligi poterant, quam dum sic ingrati, & impij beneficia, & fauores ex diuinis manibus capiebant: *Verberaret curationum beneficiis eos.* Pro quo etiam facit D. Zeno serm. 1. In Exod. sic ad populum Iudaïcum loquens, ait; *Ereptus es ex Ægypto*, ait, *columna nubis te perduxit per diem, vt ostenderet cæcum: ignis columna per noctem, vt admoneret arsurum: Angelus prauius tua castra promouit, vt etiam præsenti Deo probareris ingratus. Per mare pedibus ambulasti, vt patereris in terra naufragium, ad hoc sanè in eremo aquam de petra bibisti; manna de cælo gustasti, vt cum esses ad egestatem postmodum deuolutus, præteriterum bonorum recordatione acrius torqueareris.*

98. Exod. 32. Gaudent. Zeno.

Sapiens, ac prudentissima Esther 5. num. 4. cum considerasset crudeles insidias Aman contra se ac populum suum machinatas, ipsum hostem cum rege inuitat ad prandium. *Si regi placet*, ait, *obsecro vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod parani.* Ad quid sapiens regina tuum hostem vis excipere conuiuio? Ad quid tam illustri beneficio nobilitare, támque insigni honore afficere, vt simul cum rege accubet in conuiuio? A patruo, ac nutricio tuo Mardochæo admoneris, vt regé adeas conquestura de Aman, & tamen illi paras regias dapes. Vocat ad conuiuium, vt tamquam crudelem feram edulio deprehenderet,

99. Esther. 5.

&

& vt ipsa beneficentia magis eum accusaret, ac arguret, quam quæcumque alia vox humana, cum mortem illi pararet, à qua tantis donis fuerat sublimatus. Rupertus lib. 8. de Victoria Verbi. *Veniat, inquit, Rex, & Amman ad conuiuium, quod parauit eis: Feram immanem, versum ferocem, vt tradatur ad supplicium, allicit ad edulium.*

Rupert.

QVÆSTIO XIV.

Quare Christus veniens ad iudicium dicitur Filius hominis?

100. PRIMO. Inquiro cur Christus veniens ad iudicium, non dicitur filius Dei, sed filius hominis, sicut & ipse Dominus dixit Pontifici. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus cæli.* Matth. 26. num. 64. De hac appellatione multa variis in locis dixi.

101. In præsenti tamen dicitur filius hominis. Primò vt denotetur, quod vt filius hominis per sua opera illam iudiciariam potestatem promeruisset. Secundò cum esset in infirmitate, ac humilitate nostræ naturæ inter homines, dicebatur filius hominis; idémque nomen retinet, cum apparet in gloria, ac maiestate. Tertiò. Delicta fiunt contra Christum Dominum provt verus Deus est, cum tamen venit in iudicio ad illa punienda, venit tanquam homo filiusque hominis dicitur; è contra verò principes seculi; contra eos tanquam homines perpatrantur crimina, tamen ad illa castiganda, ac vindicanda, sic procedunt, tanquam si essent Dei superiores omni humana conditione, ita alios arguunt, ac persequuntur, & veluti annihilare intendunt. Sic Iob dixit amicis suis, qui falso eum in multis peccatis accusabant, in multisque calumniabantur. *Quare persequemini me sicut Deus?* Iob. 19. n. 22. Quartò. Vt ait D. Augustin. tract. 19. in Ioan. *Forma illa erit index, qua steterit sub iudice, illa iudicabit, qua iudicata est.* Æquum est, vt qui iudicatus est, iudicium exerceat. Vide tom. 3. cap. 2. quæst. 6. n. 42

Matth. 26.

Augustin.

QVÆSTIO XV.

Quare Christus Dominus venit ad iudicium non sedens super Cherubim, vt olim, sed super nubem?

102. PRÆSENS quæstio inquirit quare Christus Dominus dicitur veniens in nubibus. Nam olim dicebatur sedere super Cherubim. *Qui sedes super Cherubim.* Psalm. 79. num. 2. & 98. num. 1. Ad quæst. Primò. Respondet Origenes homil. 30. *Siquidem ne terrã calcaret filius Dei in Hierosolymis, diligentes eum statuerunt vestimenta sua in via, ne asellus, qui portabat eum, terram calcaret; quid mirum si Pater, & Deus omnium, nubes sternat cælestes, sub corpore filij descendentis ad opus consummationis.* Cum Christus Dominus ingrederetur ciuitatem Ierusalem. *Plurima turba straverunt vestimenta sua in via.* Matth. 21. n. 8. Pro honoris causa, ac pro glorioso triumpho vestimentis suis sternebat homines viam, per quam transiturus erat Dominus. Veniens ipse ad iudicium, venit in nubibus, nubes enim lucidæ Deo sunt pro vestimentis. Iuxta illud Psalm. 103. num. 2. *Amictus lumine sicut vestimento.* Statuerunt ergo turbæ vestimenta sua Iesu procedenti? Non mirum, quod eidem in ostensione gloriæ Pater sternat lucidissimas nubes, vt vestimenta. Nihil enim datur à mundo, quod Deus abundantissimè suis in gloria non exhibeat.

Psalm. 79. Origen.

Nihil honoris ac gloriæ datur à mundo quod cumulatissimè non præstetur à Deo.

Psal. 103.

Secundo. Origenes citato loco. *Si beati homines,* 103. Origen. ait, *in nubibus rapientur in aërem, quid mirum est in nubibus filium Dei venire, cum virtute, & gloria multa?* Ait Apostolus Paulus 1. ad Thessal. c. 4 n. 16. *Deinde nos qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra.* Iusti degentes in terra rapientur in nubibus obuiam Christo, non mirum ergo, quod Dominus veniens vt pastor segregare oues suas, videns illas rapi in nubibus, simul & ipse appareat in nubibus, excellentissimi enim pastoris, ac præsulis est ouium suarum statum tenere, & non refugere.

1. Thessal. 4. *Bonus Pastor suarum animam, non refugit statum.*

Tertiò. Non super Cherubim, sed super nubes venit Christus; nubes componuntur, ac generantur ex vaporibus terræ, in nubibus ergo ad iudicium procedit Christus Dominus, vt denotetur, quod seueritas, ac rigor illius iudicij ex terra, ex nostrorum nempe peccatorum exhalationibus originatur, & prouenit. *Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem.* Gen. 19. n. 22. idest cecidit tunc ad modum pluuiæ densissimæ *sulphur ignitum.* Vt suprà hoc cap. notaui. Cur non dicitur. Cecidit ignis Domini, vt super holocaustum. 3. Reg. 18. num. 38. sed pluit ignem merito ille ignis cadens de cœlo dicitur pluuia, vt significaretur, quod sicut pluuia ex terræ exhalationibus nascitur, ita illa rigida pœna sulphurea, ac ignita ex peccatorum vaporibus excitata, ac proueniens erat. Iterum redeat Innocent. III. supra datus. *Non mississe dicitur*, ait, *sed pluisse quatenus ipse verbo magnitudinem, & abundantiam pœnæ denotaret.*

104. *Rigor iudicij ex nostris peccatis.*

Genes. 19. 2

3. Reg. 18.

Innoc. III.

Threnor. 3. num. 13. ait Ieremias. *Misit in renibus meis filias Pharetræ.* Ratus, & extraordinarius modus loquendi, quis vnquam sagittis assignauit matrem? per filias pharetræ intelligit Propheta supplicia in populum immissa ob illius peccata, vt interpretantur Origenes, Paschas. Glossa, & alij; denotatur ergo quod sicut ille qui pharetram facit, exhibet matrem sagittis: sic & qui peccatum committit, præbet causam, & originem omni supplicio in se immisso.

105. Threnor. 3.

Origen. Paschas.

Matth. 25. *num.* 31. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

Num. 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut Pastor segregat oues ab hœdis.

Num. 33. Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

VERSIONES.

Syriac. n. 31. Cum venerit filius hominis

super thronum gloriæ suæ;

D. Cyprian. Filius hominis in claritate sua: tunc sedebit in throno claritatis suæ.

Vatabl. Pagn. Cum venerit filius hominis in gloria sua, & omnes sancti Angeli cum eo, tunc sedebit in throno gloriæ suæ.

Ariæ. n. 32. Et cogentur ante eum omnes gentes.

Syriacus. Et separabit eas vnam ab altera, sicut pastor separat oues ab hædis.

Clem. Alex. num. 33. Vt agnelli stent à dextris suis.

EXPOSITIO III.

106. *VM venerit filius hominis.* Id est ego ipse, ait Christus, qui in forma hominis vilis mundo appatui, tunc in eadem hominis forma in multa gloria me exhibebo; non ait: Cum ego venero; humilitatis magister cum de gloria ageret, per tertiam personam loquitur. Vide dicta superiori quæst. *In maiestate sua*: Syriacus, *super Thronum gloriæ suæ.* In ostensione suæ gloriæ, & maiestatis, in nube nempe fulgenti, & lucida. Syriacus legit: *In claritate sua.* Cum ad iudicium veniret de claritate meminit; in iudicio enim omnia sint clara, & manifesta: *Et omnes Angeli eius cum eo.* Cum ait *omnes* apertè declarat, quod in die iudicij, ne vnus quidem Angelus manebit in cælo, sed vt ait D. Chrysostom. *cœlis euacuatis.* Et vt etiam notarunt D. Hyppolit. de consummat. Mundi, & D. Anselm. in Elucid. Omnes omnino cum Christo descendent honoris causa, tanquam famuli Dominum suum concomitantes Vatabl. Pagninus legunt: *Omnes sancti Angeli cum eo.* Magnus Dominus cum se ostentat in gloria, non eam soli sibi retinet, sed etiam suis sanctis, ac benemeritis communicat, illinsque eos participes facit. Ex quo bene infert Hugo, quod in die iudicij. *Soli electi Christum videbunt placatum, quem reprobi videbunt iratum: nempe, quia hi à sinistris, illi à dextris.*

Syriacus. Chrysost. Vatabl. Pagnin. Hugo.

107. *Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.* Vatabl. Pagninus: *In throno gloriæ suæ.* Per sedem, & thronum, Auctor Imperfectus, Beda, Glossa Interlinealis, Carthusianus, & alij interpretantur Ecclesiam gloriosam, quæ Dei sedes est. Origen. Perfectiores sanctos, siue Angelos vult dici Dei sedem, siue thronum. Allegorica est interpretatio; per thronum ergo intelligitur nubes ingenti splendore fulgens, ad figuram tegij throni, ac tribunalis efformata, prout conuenit tanto muneri, quod Christus adimplet, & potestati, quam exercet.

Imperfect. Beda. Interl. Origen.

108. *Et congregabuntur ante eum.* Illius nempe imperio ab Angelis excitantibus, & conuocantibus tuba, ac voce magna, vt superiori expositione diximus: *Ante eum*, vt ait Apostolus; *Omnes nos stabimus ante tribunal Christi.* Rom. 14. n. 10. *Ante eum*, non à tergo iudicis vel latere, sed ante eum, omnia enim erunt manifesta in conspectu eius, nudáque illius oculis. *Omnes gentes*: non ait homines, sed gentes, vt facilius consideres iudicandorum multitudinem, ac varietatem, nulla erit gens tam barbara, ac remota, quæ à Christi iudicio effugiat. Omnes enim homines ab Adamo vsque ad vltimum hominem, siue magni, siue parvuli, siue infantes in ætate, & statura virili, vt ait Apostolus Ephes. 4 n. 13. *In virum perfectum*, stabimus ante tribunal Christi: *separabit eos ab invicem*, in duas distinctas partes, & ordines, secundum merita, vt inquiunt Carthusianus, & Hugo. Ac proinde secundùm merita vniuscuiúsque illi assignabit locum: *sicut pastor segregat oues ab hædis.* Ministerio nempe Angelorum eos separabit. Sicut pastor, non sicut lanio; nam laniones separant immisericorditer ad mactandum; at pastores sæpè dolore, ob teneritudinem, qua afficiuntur erga pecudes, quas nutrierunt: sic Christus Dominus separabit bonos, & malos, vt iustitiam exerceat: sed separabit tanquam pastor suarum pecudum vicem dolens.

Ephes. 4. *Per merita dantur loca.* Carthus. Hugo.

Et statuet oues quidem à dextris. Sicut enim dextera Symbolum est honoris gloriæ, ac felicitatis; sic & sinistra denotat opprobrium, miseriam & infelicitatem. Addit D. Thom. *à dextris*: in nobiliori, excellentiori, ac superiori loco, in aëre nempe erunt electi, vt inde cum Christo cœlum ascendant. *Rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra.* 1. Thessal. 4. n. 16. reprobi verò erunt à sinistris in loco ignobiliori, in inferiori, ac viliori, terra nempe, vt inde hiante terra os suum absorbeantur in æternum in tartara.

109. D. Thom. 1. Thess. 4.

QVÆSTIO XVI.

Explicatur maiestas Christi venientis ad iudicium cum suis Angelis.

110. EX multis elucebit ingens maiestas Christi Domini in iudicio. Primò ex præuio, ac horrifico clangore tubæ. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* 1. Corinth. 15. num. 52. Iudæi ad bellum conuocabant tuba. Num. 10. num. 1. Et eadem etiam dies festos indicabant teste Iosepho lib. 5. de bello Iudaïco cap. 9. Hinc Christus Dominus ad iudicium venit præcedente tuba, tanquam reprobis denuntians bellum, vt in æternum puniantur, & iustis indicens æternam festiuitatem gloriæ.

1. Cor 15. Ioseph. *Iniquus bellum, iustis festum denunciatur.*

111. Secundò. Ex præuia voce magna Angeli vocante ad iudicium: *Cum tuba & voce magna.* Matth. 24. num. 31. & Ioann. Apocal. 1. num. 10. *Audiui post me vocem magnam quasi tubæ.* Et vox insonabit. *Surgite mortui, & venite ad iudicium.* Et ideo vox magna pro ingenti affectu, quia ad omnes spectat, & omnes tangit.

Matth. 24. Apoc. 1.

112. Tertiò. Ex præuiis fulguribus, tonitrubus, ac procellis, & terræ motibus iuxta Psalm. 96. n. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Illuxerunt orbi terra, vidit, & commota est terra.* Quartò. Christus manifestabitur in corpore glorioso, ac magis rutilante, quam Sol. Vt loquitur Isai. 24. n. 23. *Erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituum.* Qui locus in sensu mystico hic potest explicari. Quintò, quia veniet in nube lucida, ac fulgida maximè radiante. Sextò, quia ante Dominum conuocabuntur omnes Pontifi-

Psal. 96. Isai. 24.

ccs,

ces, Imperatores, Reges, ac principes. Septimò, eos omnes iudicabit Dominus, non vt alios subditos, vt faciunt iudices, ac ministri regum, sed eos iudicabit, vt proprios subditos, in quos habet valdè peculiare, ac superexcellens ius, vt eorum Creator, & Saluator.

113. Octauò. Veniet Dominus cum cunctis omnium Angelorum legionibus, ita vt omnes descendant cum Christo, & ne vnus quidem remanebit in cœlo. Et existimo cum Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 57. sect. 3. §. Secunda circunstantia, quod Angeli venient in lucidissimis corporibus assumptis ex aëre: alioquin ipsi Angeli Christum stipantes non poterunt videri ab impiis, & reprobis.

Suar.

114. Aduenient Angeli primò, vt declaratur ingens Christi maiestas, cui tot millia millium Angelorum astant; secundò, vt ait D. Chrysost. apud Maldonat. *Venient omnes Angeli, vt testes sint actionum eorum, qui iudicandi sunt, quia omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Hebr. 1. n. 14. perpende, quàm idonei, & numerosi testes in causa hominum aduocantur. Philo lib. de somnis. Angelos, quos Iacob vidit ascendentes, & descendentes per scalam sibi ostensam Gen. 28. n. 12. tanquam magni regis aures, & oculos audientes, videntésque omnia appellauit, & ideo tot innumeri Angeli adducuntur, vt hominum sententia ritè examinata, ac promulgata habeatur, pro nostro documento, vt in sententia proferenda multis adhibitis testibus, & probe examinatis procedamus.

Hebr. 1.

Philo.

Gen. 28.

115. Tertiò. Vt sint ministri diuinæ iustitiæ, ac nostrorum criminum vltores. Post suum peccatum, ait Caïn ad Dominum: *Ecce ejcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Gen. 4. n. 14. Nullus præter ipsum, ac parentes eius fortè tunc degebat in orbe, quid ergo miserum hominem sic terrebat, vt se occidi formidaret? Angelicarum virtutum timore premebatur, quas tanquam nostrorum criminum vltrices metuebat. Procopius: *Accedebat metus virtutum cœlestium, quas nefandi sceleris vltrices fauas fore præsagiebat animus, siquidem verisimile est cœlestes virtutes à Caino esse visas.*

Procop.

116. Quartò. D. Augustinus apud Catenam. *Angelorum nomine*, ait, *significauit homines, qui cum Christo iudicabunt.* Cum dicuntur: *& omnes Angeli cum eo*; per Angelos iuxta Augustinum intelliguntur sancti, qui venient tanquam iudices ad iudicandum; iuxta illud Matth. 19. *Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* Sed ad hoc non sat erat dicere, quod cum eo aduenirent viri sanctitate eminentes, æquitate valdè illustres, ad quid nomine Angelorum significantur? Qui iudices instituuntur, ita debent esse denudati ab omni cognatione, necessitudine carnis, & sanguinis, ab omníque amicitia, odio, æmulatione, ac reliquis humanitatis affectionibus, vt de naturæ diuortio Angelos æmulentur. Homines erunt, qui cum Christo Domino iudicaturi sunt, sed ita erunt alieni ab omni hominum affectu, vt veluti Angeli appareant, Angelíque nuncupentur.

August.

Matth. 19.

Homo iudicaturus debeat se alienum ab affectu veluti Angelus.

117. Ait Deus ad Moysem: *Ecce constitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.* Exod. 7. num. 1. In Hebræo est constitui te *Eloim*, idest Deos, seu iudices Pharaonis. Quamuis Deus in essentia vnus sit: tamen participatiuè dicuntur plures dij, homines nempe, provt in iudiciaria potestate diuinarum proprietatum aliquid participant, sed cum Moyses iudex Pharaonis constituitur, illius etiam Deus nuncupatur: qui iudex creatur, Diuinam naturam debet imitari, vt nihil de humanis vitiis trahere videatur, sed sine vlla corruptelæ suspicione, integritate conspicuus sit, vt quoddam Diuinitatis vestigium redolere videatur. Philo lib. de Sacrificio Caïn, & Abel. *Deum eum constituit, totam corporis regionem, ducémque eius intellectum subijciens ei, iubénsque seruire, inquit enim, do te Deum Pharaonis, in Deum autem, neque subtractio cadit, neque appositio, cum sit plenus, & semper sibi ipsi superior.*

Iudex Deum imitetur. Philo.

118. Et addit Deus: *Aaron frater tuus erit propheta tuus.* Vt nempe cum Pharaone verba habeat, cur hoc non præstabit Moyses, sed interpres ei assignatur Aaron ad colloquium cum rege? Rupertus ibi, ac si dicat Deus Moysi. *Noli cum Pharaone verba protelare.* Interdicitur Moysi, vt cum reo non habeat colloquium, ne ex sermonis commercio, rigor iustitiæ tantisper mitescat, & aliquid de exacta integritate minuatur.

Rupert.

QVÆSTIO XVII.

Quare iusti cum separantur, ouibus comparantur, reprobi verò hædis?

AB optimo rege separantur oues ab hædis, Iustitia dictante ac exequente hanc separationem; de rerum curatione, ac earum separatione, quam Deus inter eas constituit, rectè dixit Tertullianus lib. 2. contra Marcion. cap. 12. *A primordio creator tam bonus, quam & iustus: pariter vtrumque processit. Bonitas eius operata est mundum, iustitia modulata est.* Et paulò post hanc iustitiæ modulationem fuisse ipsam creaturarum separationem explicat, dicens. *Iustitia opus fuit, quod inter lucem, & tenebras separatio pronuntiata est; inter diem, & noctem, inter cælum, & terram; inter orbem, & paradisum: omnia vt bonitas concepit, ita iustitia distinxit.* Ac si diceret, non solum diuina misericordia creando, sed etiam diuina iustitia separando in primo orbis exordio præluxerunt; sic & in præsenti misericordia in electos resplendet, iustitia in reprobos, & inde eos ab inuicem separat, ac secernit.

119.

Tertull.

Quæstio tamen præsens est, cur boni cum ouibus, mali cum hædis comparantur? Origenes homil. 34. Theophylact. Euthym. & Isidor. Pelusiota epist. 288. inquiunt, boni per oues significantur *ob modestiam mansuetudinis.* At inquit Origenes: *Hædi dicuntur mali, qui dura, aspera saxa ascendunt, & per præcipitia eorum incedunt.* Id est non recta, & plana via incedunt, sed vt ipsi dicunt, in sapientia ambulauimus vias difficiles.

120.

Origen.

Iusti mites, mali asperi.

Secundò. Rectè iusti comparantur cum ouibus, seu vt legit Clemens Alexandr. Agnellis, quia sunt mites, modesti, ac quandam obedientiam exprimunt. *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Isai. 53. n. 7. At verò reprobi comportantur hædis. Ait Albert. Magnus, *Hædi indomitis, fœtentibus, scandentibus alta, depascentibus viridia ramorum: & cornibus acutis, & altis impingentibus.* Hædi sunt indomiti, inobedientes, & alta scandentes; sicut iustis rectè significatur per obedientes, & humiles

121.

Isai. 53.

Iustus obedientia, iniquus inobedientia exprimitur.

humiles oues, sic & reprobus per inobedientes, & superbos hædos. Expende illud, *& sæcentibus.* Nam sicut virtus dat bonum odorem, ita & vitium malum.

122. Tertiò. Agnus castum, & purum denotat, hædus verò libidinosum, ac luxuriosum significat, vt canit D. Alcuin. lib. ad sororem. *Lascivos castis hædos secernet ab agnis.* Cur tamen Dominus omnem damnatorum colluuionem sub hædorum nomine concluſit? Cur non potius eos leones, tigrides, lupos, & vulpes nominauit, cum multa vitia hæc animantia referant, quibus omnibus reprobi erunt infecti? vt innuatur causam, ac originem omnium ferè damnatorum esse luxuriam, qua maior hominum pars in gehennam ruit.

Luxuria damnationis origo.

123. Chryſost. Quartò. D. Chryſostomus homil. 80. *Vt hæc appellatione*, ait, *mores vtriúsque partis aperiantur; cum aly hædorum, aly ouium nuncupatione nominentur: vt aliorum sterilitas, qua nihil ab hædis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, à lactis copia, ab elegantia lanæ, & a fœtu, quibus omnium hædorum genus omnino caret.* Inde boni per oues exprimuntur, quia habent multos fructus in vitam æternam, quibus carent reprobi, tanquam hædi, & ideo vt rectè notat D. Hieron. *Non dixit capras, quia possunt habere fœtus*; hædos dixit, quia steriles; non verò capras, quia fœcundas; vbi fœcunditas apparet, non malè audit apud diuinum iudicem.

Nota prædestinati, alios in fide generare.

124. Psalm. 77. De Dauide cantatur. *De post fœtantes accepit eum.* Psal. 77. n. 70. Valdè mirum videbitur quod de post fœtantes Deus sibi tollat, & ligat ducem, & regem populi sui, nam tunc fœtantes sine pastore manserunt, proindéque multis periculis expositæ erunt; quamuis earum pastor assumatur ad regnum, cum oues essent fœtantes, ipsa earum fœcunditate saluæ & custoditæ erunt, non enim potest esse desertus, ac derelictus à Deo, qui populum suum nouo fœtu multiplicat, ac ditat.

Bruno. D. Bruno. *Cum vocat illos*, ait, *quos prius regebat fœtantes, innuit, quoniam eos non deseruit: iniustum enim esset, cum fœtantes essent, eos deserere.*

Matth. 24. *num.* 34. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei; possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Num. 35. Esuriui enim, & dediſtis mihi manducare: sitiui, & dediſtis mihi bibere: hospes eram, & collegiſtis me.

Num. 36. Nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & visitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me.

VERSIONES.

Vatabl. n. 34. Tunc dicet Rex his, qui à dextera sibi erunt.

Arabic. Pagn. Accipite hæreditate paratum vobis regnum ab exordio mundi.

cum D. Chryſost. hom. 8.

S. Valerius. Venite filij Patris mei, possidete mecum promiſſum vobis regnum.

Clem. Alex. Venite ad me benedicti Patris mei.

Arabicus. Ante constitutionem mundi.

D. Athan. lib. contr. Arrian. Agite benedicti Patris mei, pro hæreditate vestra possidete regnum præparatum à primis mundi fundamentis.

Syriac. n. 35. Esuriui enim, & dediſtis mihi, quod manducarem: ac sitiui, & propinaſtis mihi.

Vatablus. Peregrinus eram, & hospitio accepiſtis me.

S. Gaudent. *S. Cyprian. de Element.* Potaſtis me, hospes fui, & adduxiſtis me.

D. Cyprianus citat. 36. Nudus, & texiſtis me.

Arias. Amicuiſtis me: ægrotaui, & visitaſtis me.

Syriacus. In domo vinctorum eram, veniſtis ad me.

D. Hilar. In carcere fui, & liberaſtis me.

EXPOSITIO V.

125. *VNC.* Distribuit cum sint boni, & mali in duos ordines? *Dicet Rex* habens in fœmore suo scriptum. *Rex regum, & Dominus Dominantium.* Apoc. 19. n. 16. Suprà nomine filij hominis nuncupatus est, quod ipse valdè notus erat, & quo se manifestabat, quod idem erat, ac ille, qui inter nos conuersatus, mortuus, ac crucifixus est, vt illi, qui clementiam filij hominis contempserunt, rigorem regiæ seueritatis experiantur: *His, qui à dextris eius erunt.* Id est electis, ad his incipit tanquam excellentioribus, ac dignioribus. *Venite*, seu, vt legit Clemens Alexandrin. *Venite ad me*: Sancti Dei electi, merito insignes, & Dei familiaritate dignissimi, cum vident Christum regia dignitate fulgentem non se eius lateri insinuant, sed longè à Rege astant, ita vt opus sit, vt eis dicatur. *Venite benedicti?* At contra reprobis dicitur. *Discedite à me*; reprobi multorum criminum rei, cum viderent Christum regali purpura nitentē, ipsi appropinquant, tanquam intendentes se regio lateri, ac conspectui ingerere: hæc dixi, vt hoc morali documento innotescat ingenium iustorum, & iniquorum: iusti, ac benemeriti præ humilitate à regio latere se elonginquant, cui maximè præ ambitione se volunt insinuare impij, vt omnes, dignitates præripiant.

Apoc. 19.

Clem. Alex. *Reprobi se ingerunt regio lateri, à quo benemeriti volunt elongiquare.*

126. *Benedicti patris mei.* Dilecti, prædestinati ac benedicti à Patre meo. *Benedixit omni benedictione spirituali in cœlestibus.* Ephes. 1. n. 3. singulariter eos benedictos Patris sui nominat. Origenes tract. 34. in Matth. *Vocat autem*, ait, *illos benedictos Patris, addito benedicti Patris mei, vt eminentia benedictionis eorum manifestaretur.* Cum Pater auth or

Ephes. 1.

Origen. *Eminentia benedictionis.*

author benedictionis declaratur, apertè manifestatur non mediocrem, sed magnam futuram esse, proindéque illos nobilissimis donis ditandos
Rabbanus. fore. Deinde vt ait Rabbanus in Catena: *Ad eum refert potestatem regni, à quo est ipse rex genitus.* De suo more non dicit benedicti mei, sed Patris mei, omnia sua, ac suorum ad Patrem refert.
Arabicus. Chrysost. *Possidete*, seu vt legunt Arabicus, Pagnin. *Accipite hereditate*, tanquam hæreditatem vestram. D. Chrysost. hom. 80. *O quanta gloria*, ait, *quantaque beatitudinis hæc verba sunt? nec dicit accipite, sed hereditate, quasi propria, quasi paterna, quasi vestra, quæ vobis à principio debentur.* Vocabulo hæreditatis duo denotantur. Primum, quod vt filij: *si filij & hæredes.* Secundum, quod stabili, ac perpetua possessione fruantur regno: *A constitutione mundi.*
Arabicus. Arabicus legit: *ante mundi constitutionem.* Sicut & scribit Apostolus ad Ephes. 1.
Chrysost. num. 4. D. Chrysostomus, homil. 34. in Gen. *Vide*, ait, *bonitatis Dei excellentiam, quanta erga nostrum genus misericordia vsus sit, vt & ante iacta fundamenta mundi, nobis regni cælorum fruitionem præparare dignatus sit.* Et homil. 1. in epistol. ad Titum: *Ostenditur*, ait, *ex hac nobilitas nostra, quod non nuper, sed olim, atque ab ipsis initiis dilecti fuimus.* Vnde cum dicitur paratum regnum, intellige, ab ineffabili misericordia, ac pietate erga nos.

117. *Esurijui enim, & dedistis manducare.* Seu, vt
Syriacus. Vatabl. habet Syriacus, quod manducarem: *Sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram*, seu vt legit Vatablus, peregrinus eram: *Et collegistis me.* Seu adduxistis in domum vestram, vel aliam, vt ibi hospitio reciperetur. Omnia bona opera iustorum sunt à Deo præmianda in iudicio: sicut & mala iniquorum punienda, vt ipsemet Christus dixit suprà Matth. 16. num. 27. *Filius hominis venturus in gloria Patris sui cum Angelis suis, & reddet vnicuique secundum opera sua.* Hic tamen vna species bonorum operum pro toto genere, ponitur à Christo Domino, & opera charitatis, ac misericordiæ in medium afferuntur, ipsa maximè hominibus commendare volens; vt dicam latius quæst. 19.

118. *Nudus, & cooperuistis me.* Sex præcipua misericordiæ opera numerat Christus, scilicet esurientes cibare, sitientes potare, peregrinos hospitio excipere, nudos vestire, infirmos visitare, incarceratos solari, ac liberare. Sic Dominus suorum iustorum merita præmianda proponit, &
Origen. amplificat. Vt notat Origen. in Catena D. Thom. *Boni iudicis erat*, ait, *benefacta quidem hominum largius prædicare, & amplificare.* Cur tamen Dominus beandorum merita sic exaggerat ac declarat? vt inde meritorum titulo æterna beatitudo data, firma in perpetuum habeatur, nam apud homines beneficium ex amore non merenti datum,
Ennod. facilè cessat, & abiit. D. Ennod. l. 3 c. 11. *Non infirmis rationibus nititur amor indebitus; & cito ad examen reducitur, quidquid gratia aura subripit.*

QVÆSTIO XVIII.

Quare Christus prius præmiat electos, quàm puniat reprobos?

119. PRIMA, & literalis ratio, vt dixi in expositione, quia electi digniores sunt reprobis. Secundo respondet D. Chrysost. in Imperfect. Chrysost. *Quia*, ait, *paratior est Deus semper ad benefaciendum. Nam bona bonis secundum propositum suum præstat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit inuitus; quia iudex est. Quidquid autem homo contra naturam suam agit, pigrius agit.* Deus valdè pronus est ad benefaciendum, ac præmia largienda, & ideo à iustorum remuneratione, tanquam ab opere sibi maximè conuenienti incipit. Secundò autem loco procedit ad puniendos reprobos, tanquam ad rem suæ naturæ alienam. *Deus pronus ad misericordiam.*

Tertiò. D. Bernardus, serm. 8. in Psalm. 90. 130.
D. Bernard. *Prius*, ait, *benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum deiiciantur ignis æterni: quo videlicet acrius doleant videntes, quid amiserint.* Vt impij durissimè puniantur, iustorum audiunt gloriam, nam vt ait D. Greg. hom. 40. in Euang. *Visa electorum gloria puniuntur reprobi.* *Vt peccatores in supplicio amplius puniantur; eorum vident gloriam, quos contempserunt.* Primum, & durissimum tormentum in eos infligitur, ex præposita electorum gloria. Vide multa verbo: *Inuidia.*

Quartò. Quare non prius damnantur reprobi, 131.
& postea iusti digna felicitate diuinæ munificentiæ cumulantur? Ad iustorum felicitatem spectabat, vt eorum sententia cito proferretur, & minimè in suspensa perplexitate diu versarentur; nam animi suspensio quoddam tormenti genus est. Confirmatur ex dicendi modo supremi regis in præsenti, ait. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurijui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui*, &c. Prius assignatur præmium; *Venite benedicti, possidete regnum*, &c. Et postea referuntur merita, *Esurijui, & dedistis mihi manducare.* Sitiui in paupere, &c. Cum tamen communis iudicialis ordo sit, vt prius merita proponantur, & postea condigna merces retribuitur, Cur ergo Diuinus iudex hunc ordinem non seruat, sed à præmio incipit? Inuertitur ordo, ne electorum animus in suspensa perplexitate versetur, ne aliquantulum anceps videatur, nam si animus suspensus fluctuat, diro tormento cruciatur. Vide suprà in hoc cap. n. 71. q. 10. *Animi suspensio quoddam tormentum est.*

QVÆSTIO XIX.

Quare inter præclarissima virtutum facinora solum de operibus misericordiæ facit Dominus mentionem?

IN limine huius qu. aduerte, quod inter sex 132.
misericordiæ opera, quæ Christus Dominus hic apponit, vt notaui in expositione, de sepultura tamen, eximiũ pietatis opus, nullam mentionem facit. D. Chrysost. hom. 84. *Vt intelligas*, ait, Chrysost.
nihil cura hac Christo esse; ait, esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare: sitientem, & dedistis mihi bibere. Nudum, & induistis me, non autẽ mortuum, & sepelistis me. Quod ego non vt sepulturam tollam, dico absit; sed luxuriam, & superfluam ambitionem. De sepultura non facit mentionem, non enim ait, mortuus fui, & sepelistis? Nunquid sepulturæ officium ei displicet? Absit, sed voluit vanos sepulchrorum, funerúmque sumptus ab hominum mente auferre. *Quod ego non vt sepulturam tollam, dico, absit, sed luxuriam, & superfluam ambitionem.* Deinde sapienter Magister Baëça, Baëça.
Funerum ambitio euitanda.

tom.4.de Christo figurato.cap.16. § 6.ait. Quod Christus Dominus omittit misericordiam sepulturæ, ipsa enim benedicta fuit à Patre suo Dauid, in viris Iabenitis sepelientibus Saül. Dixit eis: *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saül, & sepelistis eum.* 2. Reg.2.n.5. & inde hoc opus etiam à Christo benedictum ostendebatur; necessum enim erat, vt inter talem filium,& Patrem crederentur eædem inueniri virtutes erga defunctos.

2 Reg.2.

133. Quæstio tamen est cur cum Dominus tribunal iudicis ascendit, solum facit mentionem de frusto panis pauperi exhibito. Cur non commemorat regnorum contemptus, Patriarcharum facinora,Martyrum trophæa,Virginum calcatas voluptates, cur his prætermissis pauperculi panis sic Domino arridet?

134. Chrysol. Primò. Respondet D.Chrysol. serm.14. Postquam eleganter ponderat; quod Noë seruauit mundum, quod Abrahamus fide promeruit fieri patrem multarum gentium, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, hæc omnia Deus tacet,& solum clamat,quæ comedit pauper. Tunc sic subdit Chrysologus. *In cœlo prima est esurientis annona,prima stipendia pauperis tractãtur in cœlo,erogatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis.* Et si præclarissima sint Noë, Abrahami,Moysis,ac Petri facinora, tamen hæc omnia quasi videntur à Diuino Iudice prætermitti; dum de pauperum cibo agit; prima enim, quæ in diuino tribunali tractantur sunt pauperum negotia, sic pauper est charus Deo, vt eius causa sit prima, quæ in diuino iudicio agitur.

Prima negotia optimi gubernatoris pauperum causa.

135. Paschas. Secundò,D.Paschas.l.9. in Matth. *Rectum fuit,* ait,*vt in his amplius laudarentur Domino seruiuisse, in quibus adhuc quasi in seculo obnoxij tenebantur.* Aliis virtutum laudibus veluti silentio prætermissis eleemosynarum largitor celebrandus ab integerrimo iudice assumitur; eleemosynarius homo temporalia bona, quæ aliis ministrant laqueos ad perditionem, fecit inseruire ad cœlestia obtinenda; & quis mirificè non laudet hominis prudentiam, ac astutiam, qui de catenis, quibus alij obscuro carceri astringuntur, sibi fabricauerit machinas, vnde libertatem, victoriam, ac triumphum sibi comparauerit?

Magna gloria hominis, quod de laqueo perditionis sibi faciat ascensum in cœlum.

136. Chrysost. Tertiò.D.Chrysost.hom.5.de Pœnitentia.*Mirabile hoc vide,* ait,*nullum aliud virtutis opus in medium adduxit. Poterat enim dicere. Venite ad me benedicti,quod casti,quod virgines vixistis,quod angelicam suscepistis conuersationem.Sed tacet hæc,non quod memoria sint indigna,sed quod à clementia sint secunda.* Ac si dicat, inter præclarissima virtutũ opera, v.g.Virginitatis,ac Angelicæ cõuersationis, quibus beatitudo comparatur, primas partes eleemosynarum largitio sibi tenet,ac occupat,& ipsa facit,vt aliæ virtutes valeant proficere,ac fructificare ad gloriam. Vnde ait idem D. Chrysost. homil.22. in Ioan. *Impossibile enim, impossibile inquam est, etsi innumera faciamus bona,sine eleemosyna cœlestis regni velle vestibulum quidem attingere.*

Eleemosyna primum opus Deo placens.

Chrysost.

137. Osee 10. Ait Deus per Osee 10.n.12.*Seminate vobis in iustitia & metite in ore misericordiæ*; hoc est seminate vobis opera iustitiæ, ac virtutum, metite verò interuentu misericordiæ; nonne ex ipsis virtutum operibus iactis veluti seminibus potest homo colligere prouentum? quid est ergo, quod mandat seminare in iustitia,metere verò cùm misericordia? vt nempe ex ipsis virtutum operibus seminatis fructũ sumas, necessarium est eleemosynarum auxilio, quæ illis instar pluuiæ sint,non secus, ac ad frugum sementem opportuna irrigatio,siue pluuia prærequiritur, vt in fructus prorumpant, sic & ad alias virtutes eleemosynarum opera exoptantur. D.Chrysol.serm.5. *Hoc offer,* ait, *Deo animam tuam, & offer oblationem ieiunij,vt sit pura hostia,sacrificium sanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & data sit Deo: sed accepta,vt sint istæ, misericordia subsequatur: ieiunium non germinat,si de misericordia non vigetur,siccatur ieiunium misericordia siccitate,quod imber terris,hoc ieiunio misericordia est; quamuis cor excolat, carnẽ mundet, eradicet vitia, virtutes serat,si misericordia fluenta non dederit, fructum non colligit ieiunator.* Vide multa verb. *Eleemosyna* in indice hoc tom.1. 2. ac 3.

Ex eleemosyna fœcundantur aliæ virtutum opera.

Chrysol.

Matth. 25. *num.* 37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine,quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum?

Num. 38. Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te?

Num. 39. Aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, & venimus ad te?

Num. 40. Et respondens rex dixit illis. Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis mininis, mihi fecistis.

VERSIONES.

*Syriac. n.*40. Amen dico vobis, quotiescumque fecistis vni ex his fratribus meis paruulis, mihi ipsi fecistis.

D. Leo serm. de Iudicio. Amen amen dico vobis.

D. Augustin. Quando dedistis vni ex his fratribus.

Vatablus. Quatenus fecistis vni de his fratribus.

EXPOSITIO VI.

138. *VNC respondebunt iusti;* tam versiones, quàm expositiones, quæ spectant ad hos tres primos versus, scilicet,37.38. 39. ex superiori expositione petendæ sunt. Solum tamen notandum est quod voce illa, *Quando*, denotatur profunda humilitas,admiratio, ac exultatio sanctorũ,cum audiãt sua exigua,ac parua opera in tantum à Christo æstimari,vt sibi ille facta dicat.

139. Leo. *Respondens Rex.* Animo, ac menti iustorum. *Amen dico vobis.* Seu vt habet D. Leo. *Amen Amen.* Formam iuramenti ac affirmationis ponit Dominus,vt ostẽdatur, quod quanto minoris iusti faciunt sua opera, eo maioris æstimationis sunt apud Dominum. *Quamdiu,* hoc est ex Græco, Quatenus,eo ipso. Rupert.explicat per temporis

Rupert.

diutur

diuturnitatem, sic ait: *Scitote ergo, & sicut iudicem iustum decebit dicet; quandiu fecistis, appendendo videlicet, non solum quid factum, sed etiam quandiu factum sit.* Non solum opus pendit Christus, sed etiam operis diuturnitatem, plus enim mercedis accipiet, qui diutius ministrauit.

140. *Vni.* Si vni, multò magis, quampluribus. Ex his fratribus meis: *minimis*, minimos appellat, qui humilitatem, ac paupertatem sunt amplexati. Origen. Origenes hom. 40. in Matth. *Quia apud seipsos minimi erant: volentes enim apud Deum fieri magni, seipsos minimos faciebant.* Et quia in oculis suis erant minimi, ideo eos vocat fratres. Vt ponderat Chrysost. hom. 80. *Quid ais?* inquit, *si fratres tui sunt, quomodo minimos appellasti? Imò verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes, & abiecti, hos enim maximè ad fraternitatem connocat suam, quia ignotos, & despicabiles sunt.* Quia minimi, quia abiecti, ideo eos fratres dicit, ideóque eos *ad fraternitatem vocat.* Vt agnoscas ex minimorum humilitate diuinum genus clarescere. Vnde perbellè ait D. Aug. *Appende illos minimos, & graue pondus inuenies.*

Chrysost. *Ex minimorum humilitate exurgit diuinum genus.*

Augus.

141. *Ex his fratribus meis.* Maximè hic ponderandum est tempus, quo eos vocat fratres, quando nempe ipse in multa gloria, & maiestate sese ostentat. Rectè Chrysost. in Imperfecto hom. 50: *Homo*, ait, *si ex humili generatur, & Deo præstante ascenderit ad aliquam dignitatem; erubescit generationem suam audire. Et Christus adhuc gloriabatur fratres suos dicendo, sedens in maiestate, quia veniens in iudicio gloria non mutauit voluntatem priorem.* Christus Dominus in tanta gloria, ac maiestate, quos minimos dicit fratres vocat, & eo tempore, quo multi alij damnantur, ex quo maximè eorum gloria clarescit, vt ponderauit D. Ephrem de Agone spirituali: *Quis porrò dignus, quis ita felix, ait, in illa erit hora quando cuncti exhorrescent, ac conuremiscent Angeli, & homines: vt tunc nominari mereatur frater Christi? Quam multis tibi istud thesauris erit potius? Quam multis opibus, quam multis coronis vox illa excelsior, atque præstantior.*

Christum in maiestate nõ dedignatur fratres vocare. Ephrem.

QVÆSTIO XX.

Quare electi sic proprias virtutes ignorant, vt dicant: Quando te vidimus esurientem, aut sitientem?

142. *Difficultas quæstionis.* PROPRIA conscientia dabat testimonium de his operibus à se editis, & hoc etiam ab ore Christi audiunt se nempe has virtutes operatos fuisse, & tamen quasi, ac si ambigant, interrogant, quando eas operati sint. *Domine quando te vidimus esurientem, & panimus te: sitientem* &c.

143. Chrysost. *Eadem virtus perseuerat post mortem.* Respondet D. Chrysost. homil. 54. in Matth. *O humilitas*, ait, *iustorum, quæ nec post mortem deficiet: Homo enim malus, etiam falsis laudibus delectatur: Vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce si per errorem persona veniens aliquis pro altero, alteri vano homini gratias aget pro beneficio quodam, quamuis in conscientia sua cognoscat se nihil tale fecisse, tamen tacet, & congaudet audiens quæ non sunt sua. Si verò bono alicui gratias agit, quamuis bonus ille intelligat, verum esse, quod de se dicitur; tamen refugit, & repellit audire etiam ea, quæ sibi debentur.* Pondera primò: *O humilitas iustorum, quæ nec post mortem deficiet.* Humilitas, quam iusti in hac vita habuerunt, etiam post mortem in Resurrectione in illis resplendet. Secundò, tam fixa, ac radicata est in eorum mente humilitas, vt etiam testimonio suæ conscientiæ, ac assertione supremi Regis, adhuc tamen ipsa mens refugit, impatiens suarum laudum quodammodo ambigens interrogat, *Quando te vidimus.* Origenes homil. 34. in Matth. ad prædicta verba, sic ait: *Humilitatis causa laudes benefactorum suorum indignes se proclamantes.* Humilitas semper illustria sua facta ignorat.

Nullo testimonio humilitas se perficiat de sua virtute.

Origen.

144. Tertiò. Beda: *Sicut*, ait, *quid parum eis videtur omne bonum quod fecerunt, pra abundantia retributionis.* Dicunt iusti: *Quando te vidimus*, &c. Non diffidunt de Domini verbis, sed de sua probitate: dum stupent de tanta virtutis sublimitate, ac tantæ mercedis amplitudine, quæ eis retribuitur pro suo opere, quod valde exiguum, & leue eis videtur.

Beda.

145. Hic tamen maximè est expendendus diuersus modus loquendi iustorum, ac reproborum. Nam cum Dominus ait suis electis: *Esurini, & dedistis mihi manducare*, &c. Iusti respondent: *Domine quando te vidimus esurientem, & pauimus te*, &c. Cum omnia præcepta charitatis ab eis fuissent adimpleta; sic tamen rem indicant, ac si nihil præstitissent. E contra verò cum Dominus reprobos dixisset: *Esurini, & non dedistis mihi manducare.* Tunc confidenter ipsi respondent: *Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem*, &c. *& non ministrauimus tibi?* Ac si dicant, quoties te vidimus in tuis membris habere necessitatem, largiter tibi omnia ministrauimus, cum nihil præstitissent, omnia à se esse exhibita asseueranter affirmant. Iusti omnia sua tanquam nihilum appendunt; iniqui verò sua nihil veluti omnia reputant.

Iusti omnia sua, vt nihil iniqui autem nihil, vt omnia appendunt.

146. Episcopo Philadelphiæ ait Deus: *Modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum,* Apocal. 3. num. 8. Obseruare Dei verbum, eiusque legem, ac simul Christi fidem tenere valde magnum. Quomodo ergo dicitur huiusmodi Episcopo, quod habet modicam virtutem, cùm tamen Dei legem seruet, eiusque nominis fidem teneat? Glossa in Morali: *Modicam virtutem secundum opinionem tuam, aliàs nunquam.* Cum esset iustus suam magnam virtutem, qua totam Dei legem adimplebat, eiusque fidem profitebatur, in modico, ac parvo appendebat. *Modicam virtutem secundum opinionem tuam.*

Apocal. 3.

Glossa.

147. Episcopo Laodiceæ dicitur: *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,* Apocal. 3. n. 17. Ecce iste Episcopus qui erat nudus, pauper, cæcus, miser, & miserabilis gratiæ, ac virtutum, tamen suam paupertatem, & nuditatem, ac miseriam in locupletem omnium rerum abundantiam appendebat, ita vt diceret: Nullius egeo, qui ab omnibus erat denudatus, sic exultabat iudicio suo, ac si omnibus impinguatus extitisset. Vide supra cap. 30. n. 40. 41. 42.

Apocal. 3. *Nihil vt magnũ iniquus appendit.*

QVÆSTIO XXI.

Quare misericordiæ opera, non pauperi, sed sibi data Christus affirmat?

148. AD opera charitatis commendanda sufficiens erat, vt Dominus diceret elargitum fuisse pauperi

Ratio difficultatis.

pauperi, cur ergo paupere prætermisso sibi datum affirmat? ad quod magis confirmandum in toto emblemate se introduxit esurientem, ac sitientem. *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, &c.

149. Chrysol.

Respondet primò D. Chrysol. serm. 14. *Quod si Deus*, ait, *amore pauperis sic deponat, vt non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare. Non dixit: Esurivit pauper, & dedistis illi manducare: sed esurivi ego, & dedistis mihi manducare. Sibi datum clamat, quod pauper acceperat: quod bibit pauper, sibi testatur infusum.* O eximia charitatis commendatio in pauperes, nec cogitet homo, quod det pauperi, sed quod Deo dat; vt rectè ait D. Cyprianus tract. de Eleemosyna: *Quid*, ait, *potuit nobis magis Christus dicere? Quomodo potuit magis iustitiæ, ac misericordiæ nostræ operam prouocare, quàm quod præstari id dixit sibi, quicquid egenti præstatur, & pauperi.*

Commendantur nobis pauperes.

Cyprian.

150. Secundo. In citatis verbis Chrysol. *Christus in se transfundit pauperem, aut se in pauperem fudit.* Hæc transfusio est velut metamorphosis arcana. Non dixit Christus, quod adsit pauperi, sed quod ipse sit pauper. Non ait, esurivit pauper, sed ego ipse esurivi. Non tantum pauperem, sed & pauperis passiones Christus suscipit. O amplissima, & altissima paupertas, quæ hominem supra humanum erigit fastigium, sicque Christo reddit affinem, vt Christus ipse, *in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit.*

Christus se transfundit in pauperem.

151. Ex quo colligitur, quàm mira vnitas sit, quam Christus habet cum paupere, eam exemplo intimæ vnionis animæ corpus informantis, explicat D. Paschas. lib.... *Mira*, ait, *Domini Iesu Christi vnitas prædicatur cum suo corpore; sicut anima in corpore humano compatitur ei, quamuis non esuriat, quantum ad suam spectat naturam, esurit tamen corporis cibum in eo, quod copulata est corpori suo, & pascitur: sic Christus esurit, & pascitur in corpore suo.* Tam magna, & insignis est vnio, quam Christus habet cum suis pauperibus, vt eam explicet Paschas. per illam, quam anima informans habet cum corpore.

Paschas. *Intima vnio inter Christū & pauperem.*

152. Chrysol.

Tertiò. Idem Chrysol. citat. serm. sic pergit: *Gloriatur*, ait, *in cœlo Deus, vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur. O quid agit amor pauperis?* In throno, ac amplissima maiestate apparet Dominus, & tamen in tam magnifica gloria constitutus, & super nubes eleuatus, non erubescit pauperem, ac esurientem prædicare, imò id sibi pro magna gloria æstimat, in quo se maximè pauperum amatorem exhibet, & declarat, cum in tanta sublimitate eorum personam gerat, & induat, imò adeo gloriosa est paupertas, vt de ipsa glorietur in cœlis Deus. *Gloriatur in cœlo Deus, vnde pauper erubescit in terra.*

In regali throno gloriatur Christus de paupertate.

153. Origen.

Quartò. Origen. hom. 34. in Matth. ad illud: *In carcere eram, & venistis ad me.* Sic ait: *In carcere membro Christi constituto, ipse non est solutus à carcere.* O verè omnium prælatorum, ac præfectorum emolumentum! princeps cum vnus sit cogitur subire infinita suorum subditorum onera, vt cum paupere famescente esuriat, & sitiat, cum nudo sine veste incedat, cum vinculis detento carcerem ingrediatur, à suorúmque calamitate, oppressione, ac frigore non sit expers, sed eandem cum illis sustineat miseriam, vexationem. Salvian. lib. 4. ad Ecclesiam, de Christo Domino sic loquitur:

Christus verus princeps cum paupere esurit, sitit, & nudus est.

Salvian.

Nullus seruorum suorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat.

Famescente toto Israël, in tantam egestatem prolapsus est Elias, vt humanis omninò destitutus subsidiis, miraculo alendus fuerit, siue cum panem, & carnem deferunt corui, siue quando hydria farinæ, & lecythus olei perdurant supra naturæ vsum. 3. Reg. 17. n. 13. Et in vtroque euentu Prophetæ cum parcimoniatus tentatur, & aliquando magna fame premitur, & ideò præ illius vehementia postulauit à vidua, vt ei prius panem exhiberet, & postea sibi, & filio suo faceret. 3. Reg. 17. n. 13. Cur ergo tantus Propheta communi fame totius populi sic vexatur, cum non solum esset ipse immunis à populi idololatria, sed etiam diuini honoris feruidus zelator? Erat ipse velut pater, ac pastor totius Israël, ideo *currus Israël, & auriga eius vocatus est ab Eliseo*, 4 Reg. 2. n. 12. Si emissa fame in subditos, ipse ab omni iniuria liber, bonis affluens securus ageret, Tyrannus potius, quam Pastor arbitraretur, vt ergo se Patrem, & aurigam Israël declaret, miseriarum partem non recusat, & eam sustinere vult, quæ alios pati cogit ipse. Patrocinatur D. Chrysost. serm. de Elia tom. 1. *Et quid facit?* ait, *Prophetarum vnà cum populo punit, vt dum etiam ipse famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ in relaxando sententia sua iuramento addiscat.*

154

3. Reg. 17.

4. Reg. 2.

Princeps participat suorum miseria.

Chrysol.

Matth. 25. num. 41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.

VERSIONES.

Syriacus. Dicet & his, qui erunt à sinistra sua: Abite à me maledicti in ignem illum æternum, qui paratus est criminatori (Diabolo) & Angelis eius.

D. Cyprian. & D. Hilar. Quem præparauit Pater meus.

Franc. Luc. ex Græc. Qui paratus fuerat.

Arabicus. Qui paratus est Diabolo, & exercitibus eius.

EXPOSITIO VII.

155.

VNC. Prolata sententia pro electis: *dicet*; ipse Rex nempe iratus, quod ponitur ad exprimendum iudicij rigorem, ac formidabilem sententiam, quæ in reprobos retorquetur. Clementer Dominus de hac sententia nos monet, vt illam fugiamus D. Augustin. serm. 38. de Sanct. *Si nos Deus noster*, ait, *vellet punire, nos non ante sæcula commoneret, inuitus quodammodo vindicat, qui quomodo cuadere possimus, multò ante demonstrat. Non enim te vult percutere, qui tibi clamat, obserua.* Prosequitur textus: *Qui à sinistris erunt.* Deorsum in terra, quos suprà hœdos vocauerat, expende quod suprà, cum de dextera est sermo, in qua sunt prædestinati, dicitur sua, *Qui à dextris eius erunt.* At verò cum de sinistra, quæ est reproborum locus, non exprimitur

Augustin. *Admonet, quis eos vult punire.*

mittur sua, sed tantum, *qui à sinistris erunt.* Dextera, qua beatificat, expressè declaratur sua, non sic verò sinistra, qua punit, de glorificatione gloriatur, de punitione verò quodammodo erubescit; & dicitur, *A sinistris.* Non à sinistra, sed *à sinistris*, in plurali; nam sinistra hic denotat maledictionem reproborum, erga enim ipsos multæ erunt sinistræ, multæque in eos concitentur maledictiones, sicut & in prædestinatos quamplurimæ benedictiones.

Multa maledictiones adversus reprobos.

156. *Discedite à me.* Abite, ac recedite à meo conspectu, in quem iudicij causa adducti estis. Vox hæc, *Discedite*, significat pœnam damni, quæ est priuatio diuinæ visionis, ac cœlestis gloriæ in æternum. Vox verò *ignem*, denotat pœnam sensus, concremationem gehennalis ignis, quo corpora damnatorum in æternum torquebuntur. Et ait, *A me*: non solum dicit, *Discedite*, sed addidit reiectionis verba. Cum iustos vocat, solum dicit: *Venite benedicti Patris mei.* Non apposuit, ad me, vt magis suum beneuolum animum in illos explicaret; cum enim Patris sui benedicti dicerentur, ibi summa beneuolentia erga eos exprimebatur; at verò cum impios à se repellit, non vno verbo repulsæ contentus est, *discedite*, sed voces ipsas multiplicat, & ingeminat, vt apertè manifesterur, quam summè grauatur Deus, quantáque sui violentia patiatur, dum impios iuxta se habet etiam breuissimo tempore, atque instanti illo, quo damnationis sententia profertur, vt acutè notauit D. Chrysost. homil. 54. in Matth. *Peccatrices animas*, ait, *quasi grauatus non suffert. Tanquam si dicat eis; quasi putredo, & spurcitia estis, nec tandiu vos sustineo, quandiu statis in iudicio meo.*

Non patitur Deus peccatores iuxta se.

Chrysost.

157. *Maledicti.* Maledictos vocat vt odiosos, & execratos Deo Patri, ac sibi, quibus Deus Pater, quasi hostibus suis maledicit, id est, malefacit, vt omnia suppliciorum, ac malorum genera in eos intorqueat. *Maledicti.* Et non addidit, *Patris mei*; vt supra in electis dictum est: *Venite benedicti Patris mei.* Quia Deus Pater auctor est benedictionis, non verò maledictionis, vnusquisque suis peccatis sibi negociatur. Origenes homil. 9. in Diuersos: *Considerandum est*, ait, *quoniam Sanctus non solum dictum est benedicti, sed cum additamento Patris mei. E contra autem non dicitur, maledicti Patris mei. Nam benedictionis quidem ministrator est; maledictionis autem vnusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna operatus est.* Exprimitur locus, in quem mandantur; *in ignem.* Ergo in inferno verus est ignis. *Æternum*, sine carentem; *qui paratus est*, ex Græco paratus fuit, à Patre meo scilicet. *Diabolo*, Lucifero nempe principi, ac capiti omnium damnatorum. *Et Angelis eius.* Arabicus: *Exercitibus suis.* Dæmonibus inferioribus, qui superbè contra Deum rebellarunt.

Deus auctor benedictionis, homo verò maledictionis.

Origen.

Græcus.

Quæstio XXII.

Explicatur quàm horrenda, ac terrifica vox illa erit: Ite maledicti.

158. *Acerbius dolet qui in aliorum conspectu punitur.*

Sententia hæc: *Ite maledicti.* Profertur pleno omnium hominum theatro: *Congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Supra num 41. Et cur collecto hominum senatu iudex ferat sententiam, nisi vt grauius pungat malos homines pudore incusso, dum se vident in omnium præsentia damnari, & reprobari. Vt pondcrauit D. Bernard. serm. 8. in Psal. 90. *Hoc planè illis grave tormentum, & magnus malorum cumulus erit, forsitàn enim quodcumque solatium videretur, eorum, quos malitiosè impugnauerint, in tormentis suis saltem declinare posse conspectus.* Hoc solatio carebunt impij, hácque ingenti pœna afficientur, vt in aliorum conspectu damnentur.

Bernard.

Congregato ergo omnium hominum cœtu horrenda vox iudicis insonabit: *Ite maledicti.* O quam timoris, ac tremoris vox hæc plena est! cum etiam insensibilia, ac elementa hac voce audita contremiscent, ac ingenti timore concutientur, tanquam eam sustinere non valentes. Ait Ioël. 3. n. 15. *Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stella retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur, cæli & terra.* Ecce præclarissima mundi luminaria Sol, Luna, Stellæ obtenebrantur, fixi cœlorum poli mouebuntur, & terra immota à loco suo veluti concutietur, & vnde tanta rerum perturbatio, ac alteratio: *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam?* Cum nempe vox Domini damnantis reprobos insonuerit, & vox tam horribilis erit, vt vox ferocis Leonis, cuius est proprium rugitus, de Sion, id est, specula, de Ierusalem, id est, visio, cum enim Dominus speculatus fuerit etiam minima peccata reproborum, contra eos tanquam Leo dabit horribilem rugitum. *Ite maledicti.* Ex huius Leonis rugitu omnia mundi insensibilia magna alteratione, ac ingenti tremore concutientur, ac conturbabuntur; quid faciet miser homo, qui tali sententia premendus, ac torquendus est? Vt ponderat D. Zeno serm 4. de Isai. *Hinc*, ait, *æstimare licet, quid sit eis reservatum, quorum in causa funeri luctus pœna pertulit natura supplicium.*

159.

Ioël 3. A voce gemitus damnantis conturbantur omnia elementa.

Zeno.

Cùm Iesus pertransiret per regionem Gerasenorum occurrunt ei dæmoniaci spiritus clamantes: *Quid nobis, & tibi Iesu Fili Dei? Veniſtis huc ante tempus torquere nos*, Matth. 8. n. 29. Cur sic expauent à Christi præsentia, & quid tibi videtur, quod tam vehementer eos torqueat Dominus? Iudicis tribunal non ascenderat, suis Angelicis exercitibus non se exhibebat stipatum, in eiúsque manu nullum verber apparebat, sed tantum in forma, ac habitu humili, miti, & benigno incedebat Dominus; vnde ergo illis erat tantus timor, tantúmque tormentum, vt alta voce clamarent? *Veniſti ante tempus torquere nos?* Timebant vocem Domini mittentis eos in abyssum, vt in eadem historia scribit D. Luc. 8. n. 31. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Timebant minacem vocem iudicis mittentis eos in abyssum, & inde erat illis magnus timor, & cruciatus. Quod meditatur D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Nondum*, ait, *eos in iudicium trahebat: nondum tribunalis terrorem ostentabat: nondum iudicij flammam accendebat: sed minis tantum effranes impetus refranabat, & mali tanta vis erat.* Nondum vocem Domini imperantis excipiebant, sed solum erat timor, ac cogitatio de ipso sonitu vocis venturo, & hoc miseros affligebat, & erat illis magnum tormentum; qualisnam erit cruciatus infelicibus damnatis, cum ipsa voce non vt ventura, sed vt actualiter probata verberabuntur. *Ite maledicti?*

160. Matth. 8.

Luc. 8. *Timor de voce iudicis damnantis magnum tormentum.*

Terribilis est vox Domini iudicis damnantis; ipsamet Dei hominis caro exhorruit, ac turbatur cum proditoris damnatio Christi Domini vocc fuit manifestanda, scribit Ioannes 13. n. 21. *Cum*

161. Ioan. 13.

hæc dixisset Iesus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me. Et vt subdit D. Matth. 26. n. 24 *Dixit Iesus: Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Quid est, quod Dei fortitudo sic exhorret, ac turbatur spiritu? Cur Christifera caro sic turbatur? Prædicturus erat Dominus proditionem Iudæ, quem iam manifesta voce incipiebat damnare. *Væ autem homini illi.* Inde ab ipsa voce manifestatiua vnius hominis damnationis Dei caro exhortet, & turbatur. N. D. Cyrill. Alexandr. lib. 9. in Ioan. *Verosimile mihi videtur, non potuisse carnem Christi motum, quo iam expressius, atque manifestius discipulis proditoris odium efferebatur, ita sufferre, vt aliquantisper non exhorruerit.* Hinc æstimare licet, quòd si Dei caro sine horrore non valuit sustinere vocem vnius hominis damnationis declaratiuam, quomodo damnatus sufferet districtam suam damnationem?

Matth. 26.

Turbatur Dei caro ex voce declaratiua vnius hominis damnationis.

Cyrill.

QVÆSTIO XXIII.

Quare ignis inferni dicitur præparatus malis Angelis, non verò hominibus etiam malis?

162. QVÆR. sicut inferni ignis dicitur præparatus malis Angelis, non etiam dicitur præparatus scelestissimis hominibus. Respondet primò Iobius Monachus lib. de Incarnat. 9. c. 43. apud Bibliothecam Photij: *Idcirco*, ait, *ignis diabolo, & Angelis eius præparatus scribitur, quoniam in nobis non inopinata sit è malo in melius mutatio, cum illi confirmata sua voluntate, nullam de se spem reliquam fecerint.* Sic peccarunt Angeli, vt nulla correctionis spes remanserit; At homines quamuis peccauerint, tamen emendationis spem retinent; imò quamtumuis quis scelestus appareat, potest à suo malo separari, & in melius mutari, ideo non dicitur ignis homini præparatus, ac si credatur, & speretur, quod ipse homo virtutem sit amplexurus, vt ab æternis pœnis euadat, & felicia præmia assequatur.

Iob. Monac.

Magni etiam peccatoris salus speranda.

163. Secundò. D. Irenæus lib. 3. cap. 35. *Non homini*, ait, *principaliter præparatus est æternus ignis: sed ei qui seduxit, & offendere fecit hominem, & his Angelis, qui apostatæ facti sunt cum eo.* Quod etiam docent D. Chrysost. Euthym. Theophyl. Ac si dicatur, Deus horrendum inferni ergastulum extruxit non hominibus, sed dæmonibus, qui totum humanum genus seduxerunt; gehennam ergo diabolis destinauit, cœlum verò hominibus; homines verò nequitiæ impia pertinacia sese immerserunt pœnarum abyssо, & inferni barathro. Theophylactus: *Deus ignem*, ait, *non præparauit hominibus; supplicium enim non fecit propter nos, sed propter diabolum: ego autem meipsum supplicio facio obnoxium.*

Irenæus.

Chrysost. Euthym. Origen.

Peccator sua pœna est auctor.

164. Cùm vigilasset Noë è somno, & agnouisset quæ fecerant filij sui, ait: *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitque, benedictus Dominus Deus Sem*, Gen. 9. n. 25. 26. Maledixit Noë Chanaam, & benedixit Sem; hoc tamen discrimine, nam benedictionem Sem ait esse à Deo: maledictionem verò Chanaam non ait esse à Deo, sed tantum maledictus Chanaam, vnde tanta discriminis ratio? Quia Deus auctor est benedictionis, non sic verò maledictionis, hanc enim vnusquisque sibi comparat, & acquirit, quod docet D. Hieron. in cap. 5. Ezech. postquam docet quod Deus auctor est eorum, quæ sunt decora, & honesta, homo verò illorum, quæ sunt fœda, & tristia. Tunc subdit: *Tale quid in maledictis inuenire poterimus.*

Gen. 9.

Deus auctor benedictionis, homo verò maledictionis. Hieron.

Cùm venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, Matth. 8. num. 28. Valde mirum quod dæmon horrendam, & fœtidam sepulchrorum habitationem sibi eligat, cum ei liberum esset in quouis amæno, ac præiucundo terræ loco habitare. Cur non magis habitat inter odoriferos flores? Cur non magis intra pulcherrima hominum palatia? Ex suamet malitia, ac nequitia ad hoc impellebatur diabolus, vt se priuaret ab omni loco honesto, & decoro, seséque immergeret in turpi, ac fœtido prout eius turpitudo exigebat. D. Paschas. lib 6. in Matth. *Digna quidem*, ait, *vtrorúmque conditio, vt qui cœlo præsidere nolunt, pascantur cadaueribus, & saginentur putredine: deliciantur fœtore, quibus tota voluptas est vitiis deseruire.*

165. Matth. 8. *Spiritus maligni sibi pœnam impetit.*

Paschas.

Pro edulio vendidit Esaü suam primogenituram Iacob: *Vendidit primogenita; & sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit, parui pendens, quod primogenita vendidisset*, Gen. 25. num. 34. Quomodo in tantam stultitiam deuenit homo, vt pretio vilis edulij venderet primogenituram, cui annexa erat magna rerum possessio, regia dignitas, ac regale sacerdotium, sic vendiderit? Erat Esaü omninò illa indignus, & ideo alta Dei dispositione sic factum est, vt ipse suismet manibus, suáque voluntate tantam pœnam sibi imponeret, tantúmque honorum fastigium à se abdicaret, illóque priuaretur. D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epistol. 47. *Quoniam*, ait, *primogenito, & regnum, & sacerdotium debebatur; porrò virtute iste vacuus erat; idcirco in eam necessitatem redactus est, vt etiam sua sponte id venderet, quo etiam inuitus spoliari merebatur.*

166. Gen. 25.

Pelusiot.

QVÆSTIO XXIV.

Quare à supremo Rege Beatorum præmium non dicitur expressè æternum, vt ignis damnatorum?

MAXIME notatu dignum est, quod ad suos electos ait Christus Dominus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Non tamen expressè ipsum vocat æternum; ad reprobos verò ait: *Ite maledicti in ignem æternum.* Vbi expressè declarat ipsum ignem fore æternum. Cur ergo etiam hoc apertè non exprimit in præmio electorum? Fieri enim poterat vt præmium esset temporarium, etsi à constitutione mundi paratum existeret.

167. *Difficultas quæstionis.*

Respondeo. Quod cum sit Deus pronior ad misericordiam, quam ad pœnam, planum, & euidens est, quod si Deus reprobis infligit pœnam æternam, multò magis suis electis concedet præmium æternum; & statim hoc infra exprimitur: *Ibunt isti in vitam æternam* n. 46. Deinde cum merces assignata electis sit pro misericordia, ac eleemosyna in pauperes, æterno regno præmianda

168. *Eleemosyna æternitatem meretur.*

Leo.

ptæmiandæ expressè non dicitur; nam beneficentia in pauperes pro appendice habet quandam beatam æternitatem vt appositè dixit S. Leo sermone 2. Quadragesi. *Delicia igitur*, ait, *nostra sint opera pietatis: & illis cibis, qui nos ad æternitatem nutriunt, impleamur: lætetur in refectionibus pauperum, quos impendia nostra satiauerint.* Cibus pauperum nutrimentum est æternitatis. *Qui nos ad æternitatem nutriunt.* Qui pauperi eleemosynam impendit, sibi æternitatem nutrit, vt in perpetua felicitate congaudeat.

169. Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi*, Psalm. 111. num. 9. Dispersit, & dedit pauperibus pecuniam suam, vt exprimit Chaldæus. Iustitia, id est, *eleemosyna*, vt interpretatur Chrysostomus, manet in sæculum sæculi, vt legunt D. Hieronymus. D. Cyprianus, D. Gregorius. *In æternum*, quid est quod cum de eleemosyna multa dici poterant, quod cum ea omnia mundantur, ac peccata redimuntur, tamen de illa peculiariter decantat Regius Vates: *Manet in æternum*; ipsa enim eleemosyna quoddam æternitatis est pabulum. *Qui nos ad æternitatem nutriunt.* Et qui eleemosynam impendit, sibi quoddam æternitatis nutrimentum comparat, quo æternam felicitatem promereatur.

Chald. Chrysost. Hieron. Cyprian. Gregor.

QVÆSTIO XXV.

Quare cum in inferno varia sint tormentorum genera, solùm de igne facit Dominus mentionem?

170. Prosper. D. Thom. D. Bonau. Abulens. Hugo.

DIVVS Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 12. D. Thom. quæst. 97. artic. 3. D. Bonauent. in 4. d. 50. art. 1. quæst. 1. Hugo Victorinus lib. 4. de anima cap. 13. Abulens. in c. 25. Matth. quæst. 554. & alij multi docent in inferno varia esse tormentorum genera, ignem, frigus, fœtorem, fumum, vermes, serpentes, & procellosos ventorum impetus, atque omnium malorum dolores, vt ait Eusebius homil. 2. de Symbolo: *Damnatorum corpora vita gaudiis exuta, & solis mortis doloribus consecrata.* Cur ergo Dominus de solo igne facit mentionem.

Eusch.

171. Tertull. *In inferno quotidie proferuntur noua tormenta.* Hugo.

Quæstionis solutionem desumo ex Tertulliani acumine, qui in Apologet. cap. 47. ait: *Si gehennam comminentur, quæ est ignis arcani subterranei ad pœnam thesaurus.* Expende vocem, *thesaurus.* Ex diuitis thesauro omnibus diebus, ac horis nouæ suppellectiles proferuntur, ignis ille gehennalis thesaurus est diuinæ iustitiæ, ex quo quotidie, ac omni momento noua tormentorum genera prodeunt, quibus miserabilium damnatorum animæ durè, ac acerbè cruciantur, ac puniuntur. Vnde optimè ait Hugo lib. 4. de Anima: *Infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore inenarrabili, plenus dolore innumerabili, ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror eccin s*

172. Isai. 42. *Comparatione inferni omnia tormenta huius vitæ nulla.*

Ait Deus per Isaiam 42. num. 14. *Tacui semper, silui; patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* Quid dicis sanctissime Deus? Nonne seuerissimè in diluuio humanum genus punisti; ita vt omnes ferè perierint; Nonne Sodoma igne, ac sulphure à te combusta est? & terra aperiente ore suo Dathan, & Abyron viuos absorbuit? Quomodo ergo dicis domine te semper tacuisse, patientemque fuisse, cum tot durissimis verberibus homines sæpè à te sint flagellati? Meritò sanè, quia si ea omnia cum æternis supplicijs damnatorum compatentur, non verba, sed silentia, non tormenta, sed blandimenta quodammodo videbuntur, ac proinde in illis omnibus castigationibus emissis in genus humanum, fuit Dominus veluti tacens, & silens, comparatione facta ad vocem contra reprobos prolatam in extremo iudicio, cum ad supplicium mittentur. D. Hieronymus ibi: *Diu vos delinquentes sæpe portaui, sed quia ante tacueram, nequaquam vltra reticebo. Vnoque tempore absorbebo vniuersam gentem, & omnem superbiam mentium, tumorem collium vestrorum.* Hieron.

173. Eusch. *Grauiores pœnarum pro ratione culparum.* Maxim.

Quamuis tanta sit tormentorum magnitudo: Rectè tamen ait Eusebius homil. 1. ad Monachos: *Illa enim non causalis, sed rationabilis, & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, & substantiam nescit absumere.* Expende, *rationabilis, & pœnalis exustio.* Ex Dei mandato ignis inquirit culpas, iuxtà earum diuersitatem, diuersi cruciatus infliguntur, vt ait S. Maxim. serm. de Iudicio: *Stridorem dentium propter risum lasciuum, intolerabilem sitim propter voluptatem, & crapulam, pernigilem vermem propter obliquum, & malignum cor; caliginem propter ignorantiam, & fallaciam; limbum abyssi propter superbiam.*

174. Lactant. *Ignis torquet, & suum pabulum ministrat.* Gregor.

Dicitur deinde; *Substantiam nescit absumere.* Ita enim vrit vt etiam nutriat ad sui pabulum, vt dixit Lactantius Firmianus lib. 7. diuin. Institutionum, cap. 21. *Idem igitur diuinus ignis quantum corporibus absumet tantum reponet, ac sibi æternum pabulum subministrabit.* Et D. Gregorius l. 4. Dialog. *Anima*, inquit, *illic posita bene esse perdidit, & esse non perdidit; ex qua re semper cogitur, & vt mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiatur, quatenus ei, & mors immortalis est, & defectus indeficiens, & finis infinitus.*

175. Psalm. 74. *Nunquid pœna inferni exhauritur.* Bruno.

Ait Regius Vates Psalm. 74. num. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fex eius non est exinanita.* Videbatur Deus primo impetu totum iræ suæ vas inclinare, imò totum effundere in reprobos homines. Verum cur dicitur quod non exinanitur, quod non euacuatur? *Nam fex eius non est exinanita*: quia sanè vas iræ in damnatis nunquam euacuabitur, nunquam enim eorum supplicium finem accipiet. D. Bruno ad prædictum Psalm. *Verumtamen licet*, ait, *sit retributio, fex eius calicis non est exinanita, quamuis illa retributio mera sit, tamen fex eius quantum ad impios, austera scilicet, & turbida ad modum facis, & talis fex, quæ nunquam erit exinanita, quæ nunquam euacuabitur, sed æterna erit.*

Matth. 25. *num.* 42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum.

Num. 34. Hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

Num.44. Tunc respondebunt ei ipsi, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi?

VERSIONES.

Vatabl.n.42. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum: sitiui, & non dedistis mihi potum.

Vatabl. n.43. Peregrinus eram, & non excepistis me hospitio.

Syriacus. Et in domo vinctorum eram, neque visitastis me.

Syriacus n.44. Ac dicent: Domine noster quando te vidimus esurientem.

EXPOSITIO VIII.

176. *SVRIVI enim.* Eorum damnationis causa assignatur, viscera ferrea, ac inhumanitas in pauperes, *& non dedistis mihi manducare.* Singula verba peculiarem habent emphasim: *Mihi* qui sum Deus vester, qui vobis omnia bona dedi, nō dedistis mihi buccellam panis, cum tanta dignitas, ac merces vobis esset assignata. *Quod vni ex fratribus meis feciſtis, mihi feciſtis* D. Chrysostomus sic ait: *Singula ad condemnationem illorum sufficiunt: petitionis scilicet facilitas, & dandi potestas; panis enim petitur: peremis miseria, quia pauper, atque mendicus: retributionis expetenda magnitudo; regnum enim promittitur: terror pœnarum, gehenna enim incutitur: accipientis dignitas; Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus, quia tantum descendere dignatus est: ius retribuendi; summa enim iniustitia est de suis ei concedere. Verum ab his omnibus cupiditate habendi retracti sunt.*

Chrysost.

177. *Tunc.* Ad suprà dicta Christi verba *respondebunt ei*, non modestè, sed cum superbia, ac iracundia, & respondent accusantes potiùs iudicem, quàm se ipsos excusantes, nec enim convicti iudicis agnoscunt iustitiam. Pro quo rectè ait D. Chrysost. in Imperfecto: *In iudicio stantes, & adhuc peccare non cessant.* Et dicūt *Domine*, supplicij metu coacti Dominum appellant. *Et non ministrauimus tibi*, contractæ hic misericordiæ exercitia enumerant, siue quia sæpe repetita fuerant, siue vt ait Origenes: *Impiis graue est sua discutere opera, & scelera enumerare.*

Chrysost.

Origen.

QVÆSTIO XXVII.

Quare miseris damnatis non obiicit Dominus, quæ furto abstulerunt, sed quod pauperi non dederunt?

178. August. AD quæstionem respondet D. Augustinus serm.20. de verbis Domini: *Si in ignem, ait, mittitur, qui non dedit rem propriam: putas vbi mittendus est, qui inuasit alienam? Si cum diabolo ardere debet, qui nudum non vestiuit, putas, vbi assurus est, qui expoliauit.* Si enim tanto supplicio afficitur, qui non dat propriam rem, quantanam pœna feriendus erit, qui redarguitur abstulisse aliena? Dives Auarus sepultus est in inferno. Luc. 16. num. 25. non quia Lazarum spoliauerit, sed quia Lazaro aliquid non donauerit, vt ponderat D. Chrysostomus conc.2. de Lazaro: *Hic, ait, nihil a diuite accepit iniuria, neque enim illius pecunias vsurpauerat diues; sed suas non impertiit. Quod si is, qui sua non impertiit, accusatorem habet eum, cui negauit misericordiam, qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur.*

Grauitas, ac enormitas furti arguitur.

Chrysost.

Secundò D. Basilius Seleucus orat. 26. *Quis, ait, nudum sperni, mox futurum iudicem? Quis vniuersi iudicem damnet siti? Nouit Christus pauperum manibus, donisque capi, nouit pro munere longa supplicia remittere.* Damnatis panem negatum obiicit Dominus, vt eorum stultitiam arguat, qui nudum futurum iudicem spreuerunt, eumque parua panis buccella sibi non reconciliarunt, vt ab eo magnam mercedem assequerentur.

179. Basil. Seleuc.

Tertiò. Euthymius: *Imitati sunt immisericordem, inhumanumque diabolum*; nam vt ait Theophylactus; *Compassionis expertes sunt diaboli, & hostiliter, atque inimice erga nos affecti.* Damnantur hi omissa opera misericordiæ, & quia crudeles fuerunt in pauperes, quod proprium diaboli est, ideo cum duce suo diabolo in perpetuum incarcerantur. Sicut enim pij viri, cum piissimo Iesu remunerantur gloria æterna, sic crudeles cum crudeli diabolo in sempiternum puniuntur. Ex quo in præsenti ait Euthymius: *Iustissima est aquitas, vt immanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.*

180. Euthym. Theophyl.

Euthym.

Cum necessitate premeretur Dauid in deserto, panes postulat à Nabal, quos ille duris, & asperis verbis negat; quod cum audisset Abigail vxor eius, exiit Dauid in occursum afferens liberaliter panes, & quæ ad cibum erant necessaria, quid inde factum. *Percussit Dominus Nabal, & mortuus est*, 1. Regum 25. num. 38. At verò Abigail sublimata est ad regnum, *& facta est vxor illi*, scilicet Dauid. Cur ille duram mortem inuenit, & sepultus est in infernum: Abigail eleuata est ad regnum? Vnde duo coniuges in eadem domo viuentes tam diuersum exitum habent? crudelis Nabal crudeli mortis pœna mulctatur: Pia verò Abigail benigno fauore prosequitur, & ad regnum sublimatur. *Iustissima est aquitas, vt inhumanitas inhumanis, & misericordibus misericordia rependatur.*

181. 1. Reg. 25.

Pietas pietatē, crudelitatem inuenit.

Matth.25. num.45. Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis: quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

Num 49. Et ibunt isti in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

VERSIONES.

D. Cypr. Vatab.n.45. Amen dico vobis, quatenus non feciſtis vni de mini

minimis his, nec mihi feciſtis.

Imperfect. hom. 54. Vni horum fratrum meorum minimorum.

*Syriac.n.*46. Ibunt iſti in cruciatum æternum.

D. Aug. tr. 21. *in Ioan.* In ambuſtionem æternam.

Græcus. Abibunt.

EXPOSITIO IX.

182. RESPONDEBIT *illis dicens.* Reuocans in memoriam id, quod olim, cum edocti fuiſſent in vita, noluerunt adimplere: *De minoribus his*, ſeu vt habet Syrus, *Paruulis.* Et non addit fratribus meis, vt ſupra ad electos dictum eſt: *Vni ex minimis iſtis fratribus meis.* Qui ergo ab impiis contempti, & deſpecti fuerunt, non vocat eos fratres ſuos, ne exaggerentur impiorum crimina, nec creſceret offenſio. Vt notat Origenes in præſenti: *Volens autem*, ait, *iuſtorum benefacta oſtendere grandia: peccatorum verò culpas non grandes; ad iuſtos quidem dicit: Ex eo, quòd feciſtis vni ex minimis iſtis fratribus meis, mihi feciſtis: ad iniuſtos autem ſic; eo quòd non feciſtis vni ex minimis iſtis, nec mihi feciſtis, non adiiciens fratribus.* Etiam in ipſo feruore iudicij ſuam pietatem Chriſtus oſtentat, diſſimulans potius, quam exaggerans peccatorum grauitatem.

Syrus.

Origen. *Chriſti pietas non exaggerat, ſed diſſimulat grauitatem peccatorum.*

183. *Et ibunt.* Seu vt Græcus legit, *Abibunt.* Mox ſine vlla mora, *& ibunt*, non ſponte, ſed coacti, & hæc dixi ſecundum ſenſum literalem; moraliter verò nota, quod non dicitur. Rapientur, ſeu extrahentur, ſed ibunt; ſic enim damnatus erit confuſus, ac erubeſcens à facie iudicis, ac ſententia damnationis, vt veluti ſponte confugiat ad infernales flammas. D. Auguſtinus ſerm. 64. de Verbis Domin. *Quando venerit*, ait, *quod non credebat, erubeſcit, confuſus ſeparatur, ſeparatus damnatur. Concluſit autem Dominus, cum hæc verba diceret, ibunt iſti in ambuſtionem æternam.* Sic damnatus ſeparatur confuſus, ac erubeſcens à facie iudicis, ac ſententia damnationis, vt non rapiatur, ſed ipſe tanquam vltroneus vadat ad tartareos cruciatus.

Pudor iudicis, eiuſque ſententia valdè acerba damnatis.

184. *In ſupplicium!* Syriacus: *Cruciatum.* Diuus verò Auguſtinus legit, *Ambuſtionem*, eo quòd damnati amburentur in gehenna, ſed non comburentur, nec conſumentur, aut annihilentur, vt explicaui quæſt. 24. *In æternum*, quia Deum æternum grauiſſimè offenderunt. Peccatum enim mortale cum Deo ſit iniurioſum, in ſe habet quandam infinitatem malitiæ, meretúrque infinitum ſupplicium, ſed quia infinitum intenſiuè dari nequit, nec ab homine valet ſuſtineri, hinc reprobis datur pœna infinita extenſiuè, quæ ſcilicet in ſempiternum extendetur. *Iuſti autem in vitam æternam.* Chriſtum concomitantes in cœlum.

Auguſt.

Malitia peccati.

Matth. 24. *num.* 32. Ab arbore autem fici diſcite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia propè eſt æſtas.

Num 23. Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote, quia propè eſt in ianuis.

VERSIONES.

Vatablus. Ab arbore autem fici diſcite ſimilitudinem.

Syriacus. Cuius cum iam rami tenereſcunt, & pullulant folia, ſcitis aduentare æſtatem.

Origenes. Cum iam fructus eius tener fuerit.

Arias. Et folia germinauerint.

*Syriac.n.*33. Scitote eam peruenisse ad portam.

Pagninus. In foribus eſſe.

ALTER TEXTVS.

Luc 21.n.29. Et dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores.

Num 30. Cum producunt iam ex ſe productum, ſcitis quoniam propè eſt æſtas.

Num. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quoniam propè eſt regnum Dei.

EXPOSITIO X.

185. AB *arbore fici:* ducit ſimilitudinem potiuſquam ab alia arbore, quia ficus erat valdè notiſſima in tota regione Iudææ, & valdè paſſim obuia. Deinde cum ſit valdè ſuauis, & dulcis, ad orbis exterminium ſumitur in parabolam, nimia enim temporalium felicitas, illorum excidij eſt præſagium; & etiam ficulnea ſub falſa proſperitatis ſpecie dolores introduxit in mundum, ſic mentita rerum felicitas mundi, multos dolores generat, & parturit. *Cum iam ramus eius tener fuerit*; ſeu factus fuerit mollis, ac leuis; *& folia nata*; ſeu vt alij legunt, Germinauerint, *ſcitis, quia propè eſt æſtas.* Ex conſueto, ac vſitato naturæ ordine obſeruato ſcitis in proximo inſtare æſtatem.

Mentita rerum felicitas dolores generat.

186. *Ita & vos cum videritis hæc omnia*, quæ dixi vobis de ſignis in Sole, Luna, Stellis, quod incipiunt fieri. Scitote quia propè eſt in ianuis aduentus filij Dei ad vniuerſale omnium iudicium. Lucas ponit, propè eſt regnum Dei; alij legunt, *Redemptio veſtra*; liberatio nempe ab omnibus miſeriis, & preſſuris huius ſæculi: ſicut enim cum ficus frondeſcit, iamiam aduentat æſtas, quæ dulciſſimos ficus, ac cæteros fructus producit; ſic cum vos videritis electos frondere, ac germinare in multa patientia, in hyemo multarum perſecutionum, ac tribulationum, quæ eis in fine mundi accident; ſcitote, ac intelligite, quia propè eſt eis æſtas, ac fœlicitas omnium bonorum cum ſuauiſſimis fructibus æternæ beatitudinis.

D. Lucas.

CAPVT LI.

Decem Virgines.

Matth.25. num.1. Tunc assimilabitur regnum cœlorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ.

Num.2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.

VERSIONES.

Syriacus. Tunc assimilabitur regnum cœlorum decem virginibus illis, quæ sumpserunt lampades suas, & exierunt in occursum sponsi, & sponsæ.

Anct.Imperf. hom.52. Venerunt obuiam sponso, & sponsæ.

Grac.Theoph. Euthym. Exierunt in occursum sponso.

Syriac.n.2. Quinque autem ex eis sapientes erant, & quinque fatuæ.

Arabicus. Quinque insipientes.

D.Ambr. in Psal. 118. serm. 14. D.Aug. Quinque autem ex eis stultæ.

EXPOSITIO I.

1. *Ecclesia.*

TVNC, in subitaneo, ac improuiso meo aduentu filij hominis ad iudicium. *Simile est regnum cœlorum.* Ecclesia nempe militans, quæ frequenter regnum cœlorum dicitur, in qua, puritate illa, ac sanctitate viuitur veluti in regno cœlorum. *Decem virginibus.* Hoc est, tale quid accidit fidelibus in Ecclesia, quale quid contigit decem virginibus conuocatis ad festum nuptiale, ex quibus quæ paratæ sunt admittuntur ad nuptias, quæ verò non paratæ excluduntur. *Quæ accipientes lampades suas.* Sponsus olim ad domum sponsæ se conferebat, cum ipsáque ad propriam domum reuertebatur, tunc conductæ virgines eis exibant obuiam cum lampadibus accensis; noctu enim nuptialis festiuitas celebrabatur. *Exierunt obuiam.* Occurrerunt nempe sponso, & sponsæ. *Exierunt,* à quo loco exierunt. Pulchrè D. Bernardus in præsenti Euangel. *Vnde exierunt?* ait, *planè de substantia, & seculari conuersatione, iuxta illud: recedite & exite inde, & immundum ne tetigeritis: Audiuit & Abraham, exi de terra tua.* Exierunt enim, vt fierent obuiam Christo à fastu mundi, propinquitatis, ac cognationis: *sponso, & sponsæ.* Græci Codices solum habent sponso. Tamen Biblia correcta, & omnes Patres Latini. D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Gregor. & alij vtrumque legunt, sponso scilicet Christo in die iudicij, & sponsæ Ecclesiæ triumphanti, vt explicat Carthusianus, cum ipso de cœlo veniens sponsa eius.

Bernard. *Exeundum à mundo.*

Græcus.

August. Hieron. Gregor. Carthus.

Quinque autem ex eis erant fatuæ. Græci Codices habent, *quinque autem ex eis erant sapientes, & quinque fatuæ.* In nostris Bibliis correctis prius ponuntur fatuæ, deinde prudentes: fatuæ dicuntur, seu vt alij legunt, *stultæ,* seu insipientes; quia stultè egerunt exeuntes obuiam sine oleo: Et primo loco ponuntur, quia fatui primas sedes ambiunt soliciti tantum de primo loco, nil verò cogitantes de oleo meritorum: vel quia in hoc sæculo frequenter contingit, vt fatui, ac stulti primas teneant, ac occupent loca: vel quia cum à nuptiis essent excluſæ, Euangelista tamen voluit eas sic condecorare, ac nobilitare.

2. *Stulti primas sedes.*

QVÆSTIO I.

Quare regnum cœlorum virginibus comparatur?

PRIMA & communis solutio, quæ mihi placet, & communiter tradunt recentiores Iansenius, Maldonatus, Franciscus Lucas, quod seruat Dominus in parabola morem, qui apud antiquos vigebat, quod cum sponsus, & sponsa in domum venirent, nocturno tempore à virginibus accensis lucernis exciperentur, præcipuè sponsa fœmina à fœminis, & dominus à seruis. *Lucerna ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis,* Luc.12.

3. Iansen. Maldonat. Lucas. *Antiquorum mos obseruatus.* Luc.12.

Secundò. Origenes, & D. Hieronymus in præsenti. Per virgines omnes fideles interpretantur, qui idcirco dicuntur virgines ob integritatem, ac soliditatem fidei, quæ corporis virginitati similis est, & talis integra fides necessaria est, vt quis ad regnum cœlorum introducatur. D. Hieronymus: *Qui idcirco,* ait, *omnes virgines appellantur: quia gloriantur in vitijs Dei notitia, & mens eorum idolatriæ turba non constupratur.*

4. Origen. Hieron. *Fides integra necessaria ad salutem.*

Tertiò. D. Chrysostomus homil.79. Euthymius, Theophylactus, per virgines etiam omnes fideles interpretantur; vt ostendatur, quod quamuis quis virginitate emineat, quæ est suprema virtus, tamen si expers fuerit charitatis oleo erga proximos, peribit. Theophylactus. *Sub persona virginum proponit parabolam, quoniam magnum opus est virginitas, ne quis illud vnum curans, alia negligat, sed discat, quod absque eleemosyna etiam virgines cum sponsis eiicientur.* Quartò, vt etiam hoc magno documento instruamur, quod nullus suis virtutibus confidat; nam quamuis quis floreat præstantissima virginitatis virtute, tamen facilè corruere potest, vt ad nuptias, ac in cœlum non ingrediatur.

5. Chrysost. Euthym. Theoph. *Nullus suis virtutibus confidat.*

Quintò. D. Paschasius lib. de corpore, & sanguine Domini cap.11. *Exerce te,* ait, *in castitate, quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo virgines, virgines inquam, sed prudentes, & pudicas; quia sunt & fatuæ, intus in animo non habentes oleum secum Spiritus sancti. Ideo quisquis reliquis vult communicare, sic vinci necesse est, vt templum*

6. Paschas.

Ad nuptias agni vocantur virgines.

plum Spiritus ſancti ſemper eſſe queat. Ad nuptias agni immaculati vocantur, & qui vocantur virgines ac prudentes ſunt, qui mentis, ac corporis prudentiſſimè puritatem cuſtodiant, ſemper ſecum Spiritus ſancti oleum ferentes, nam vt ait

Algerus.

Algerus lib.1.de ſacra Euchariſtia,c.22. *In Sacramento Chriſti ei viri debemus conformitate paſſionis, nihil ſic aduerſatur paſſioni Chriſti, vt voluptas, & munditia nihil ſic aduerſatur vt fœditas nihil ſic eius vnioni, vt fornicaria ſocietatis vnitas.* Vide cap.24. n.82.83.84 & c.27.n.92.95. & ſæpè.

7.

Sextò. Similitudo,vel vmbra Chriſtiani regni virginibus maximè adaptatur. In eis enim tota Chriſtiana ſublimitas exprimitur, ac ſignificatur. Vox eſt ſponſi ad ſuam dilectam: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum,* Cant.8.num.6. D.Ambroſ.lib.1.de virginibus, ſic legit: *Pone me vt ſigillum in cor tuum, & velut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Exoptat vt eius virgo ſponſa apponatur ad cor ſuum vt ſigillum,vt in ipſa affectus eius cordis tanquam in ſigillo imprimatur,ipſáque ſit quædam veluti eius effigies, & character. De Chriſto Domino ait Paulus ad Hebr.1. num.3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Græcus legit, *Qui cum ſit character.* Chriſtus Dominus character,& imago expreſſa eſt Patris, adæquata omnimoda ſimilitudine, in eadem numero natura cum ipſo. Chriſtus virginum amator ſic ſe totum in virginem fundit, vt ipſa virgo fiat eius imago; non natura, nam prout Deus & homo eſt, hoc eſt impoſſibile; ſed vt fiat imago actionibus,& operationibus;nullis enim melius exprimitur;ac ſignificatur Chriſtus,quam actionibus puritatis,& virginitatis. D. Anſelmus apud Ghiſlerium ad citat. Cantic. locum, *Dicitur*, ait, *in eo ſignaculi effectu, quo ſui imprimit characterem,& in eiuſdem acceptione pro imagine, & charactere ipſo impreſſo: ac ſi dicat, tene imaginem meam*, ſuper cor,& ſuper brachium tuum, *vt exhibeas te mihi ſimilem, & in paſſione,& in omnibus aliis,& intrinſecus in cogitationibus, & extrinſecus in operationibus.* Vide etiam D.Ambroſium citato loco de virginit.& D.Baſil. epiſt. ad Nyſſenum.

Cantic.8. Ambroſ.

Hebr.1. Græcus. *Chriſtus per virgines ſignificatus, ac exprimitur.*

Anſelm. Ghiſler.

Ambroſ. Baſil.

8.

Iuuenili ætate occiditur Abel: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel,& interfecit eum*, Gen.4. num 9.Cur iuuentutis flore occiditur?Et in tanta virorum raritate? Conuenientius videbatur, vt ipſe ſeruaretur ad virilem ætatem,vt poſt multam filiorum procreationem, quæ tunc maximè pro mundi propagatione exigebatur, ipſe obiret? Cur iuuenis ante nuptias interficitur? Deſtinatus erat, vt primus poſt lapſum in ſe imaginem Chriſti paſſuri repræſentaret,ac exprimeret; inde virgo eligitur, qui ſolus Chriſti figuram adumbrare valebat, D.Auguſtinus lib.1.de mirabilibus ſacræ Scripturæ: *Primus*,ait,*poſt delictum Saluatoris noſtri geſtauit figuram, qui virgo, & Sacerdos, & Martyr.*

Genes.4.

Saluator virgo Chriſti figuram agit. Auguſt.

D.Paſchaſ.Beda in ſuis commentariis,cum D.Auguſtino epiſt 110. c.33. D.Greg.hom.22. Alberto Magno,& aliis.Propter quinque corporis ſenſus, qui dum eis bene vtimur, ſapientes, ac prudentes ſumus,dum verò malè, inſipientes,& fatui.

Paſchaſ. Beda. Auguſt. Gregor.

Tertiò. Carthuſianus,Maldonatus,& alij rectè dicunt, quod per decem virgines vniuerſitas fidelium denotatur. Denarius enim numerus eſt perfectus,& primus terminus numerorum,itaque vltra non procedituur numerando, niſi redeundo ad caput, ſeu denarium; proindéque per ipſum vniuerſitas rerum declaratur, ac ſignificatur. Gen.31.n.41. *Immutaſti mercedem meam decem vicibus*,id eſt multis vicibus. Leuit.16.n.26. *Itavt decem mulieres vno clibano coquant.* Hoc eſt multæ mulieres. Ac proinde,*ſimile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, id eſt multis fidelibus,qui per virgines ſignificantur.

10. *Denarius pro omni multitudine.*

Genes.31. Leuit.16.

Quartò. In Eccleſia fideles comparantur decem virginibus,& tamen in regno cœlorum iuſti dicuntur: *Millia millium, & decies millies centena millia*, Daniel.7. num.10. In hoc ſæculo fideles combinantur cum decem, vt oſtendatur quanta ſit raritas,ac difficultas aſſequendi ſalutem; nam ex ipſis decem ſolum quinque ingreſſæ ſunt ad ianuam vitæ. At verò in altero ſæculo, in alteráque vita comparantur millibus millium, vt demonſtretur quod quamuis iuſti pauci ſint, ſic æſtimantur, ac appenduntur à Deo tanquam multa millia millium. Chryſoſtomus homil.22. ad illa verba Hebr.11. n.8. *Quibus dignus non erat mundus*; ſic ait,*vir inclytus, & gloria inſignis eſt inſtar orbis terræ.*

11.

Daniel.7. *Vnus iuſtus æſtimatur tanquàm multa millia.*

Chryſoſt.

Frequenter olim Deus dicebatur: *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob*, Exod.3. num.6. Matth.22.n.32. cum ſit omnium Dominus;cur ad tres tantum homines determinatur? cur potius non dicitur omnium hominum, nationum,ac populorum Deus, ſed tantum illorum trium? Cum eſſent iuſti maximè delectabatur vocati illorum Deus, cum enim illi eſſent iuſti, in maiori æſtimatione erant Deo, quam vniuerſa hominum multitudo, quæ delictis abundabat. D. Chryſoſtomus homil.24.*Deus orbis terræ*,ait,*non erubeſcit vocari trium Deum, & merito, non enim orbis terra, ſed innumerabilium eiuſmodi inſtar ſunt ſancti: melior enim eſt vnus faciens voluntatem Domini, quàm decies mille iniqui.*

12.

Exod 3. Matth.22.

Pauci iuſti plus omnibus aliis.

Chryſoſt.

Hac de cauſa ſeruus Abraham Dominum Deum exorans, ait: *Domine Deus Domini mei Abraham*,Geneſ.24.n.2. Cur non ait omnium nationum, quod ad maiorem ſplendorem videbatur ſpectare, ſed tantùm vnius Abraham? Quamuis vnus, cum tamen eſſet iuſtus plus quam vniuerſo orbe ponderabat.D.Chryſoſt.homil.22.in Geneſ. *Vide ſerui ſapientiam*, ait, *orbis Dominum à Patriarcha nominat.* Vide ſuprà cap.11. n.58.59.60. c.13. n.62. & cap.23. n.43.

13.

Geneſ.24.

Chryſoſt.

QVÆSTIO II.

Quare virgines dicuntur decem?

RESPONDET primò D. Tert.lib. de Anima, Auctor Imperfectus hom.52. dicuntur decem propter hominis ſenſus, quinque corporeos, & quinque incorporeos. Secundò. D.Hieronym.

9.

Tertull. Imperfect. Hieron.

QVÆSTIO III.

Quare iuſti in Eccleſia militante comparantur cum virginibus, in triumphante verò cum viris, & hominibus?

PER virgines in præſenti in regno cœlorum denotantur omnes fideles in Eccleſia militante,

14.

tante, & hi cum virginibus comparantur, *simile regnum cœlorum decem virginibus*; at verò in Ecclesia triumphante per viros denotantur. *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit, hi empti sunt ex hominibus*, Apoc.14 n.4. *Hi*, in masculino. Cur in Ecclesia militante iusti cum virginibus conferuntur, in triumphante verò cum viris, ac hominibus. *Hi sequuntur Agnum.*

Difficultas quæstionis. Apoc.14.

15. Respondeo. Quandiu homo est in hac mortali vita, nulla est virtus adeo firma, & stabilis, quæ non exposita sit alicui lapsui, ac fractioni; at verò in Ecclesia triumphante, cœlestique patria omnis virtus secura, ac stabilis, virilique constantia perfulget. De iusto loquens Ecclesiast.50. n.10. ait: *Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.* Paulus verò de eisdem loquens ait: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Rom.9. n.21. Vbi electi cum vase figuli combinantur; si vas auri solidum dicuntur, quomodo & vas figuli appellantur? Iusti provt sunt in hac vita rumpi, & frangi possunt in via virtutis vt vas figuli. At in cœlesti patria sunt tanquam vas auri solidum, quod semper firmo robore perseuerat, vt in sua integritate conseruetur, ac persistat.

Ecclesi.50. Rom.9.

Iustus in æterna vita securus, in hac vita ipsi ipsi expositus.

Qvæstio IV.

Quare simul in Euangelio narrantur virgines fatuæ, & prudentes?

16. Describvntvr in præsenti virgines prudentes, & fatuæ tanquam simul habitantes, ac commorantes. Quænam culpa, ac crimen commissum erat à prudentibus, vt simul cum virginibus fatuis, ac stultis associarentur? Cum nulla sit rigidior pœna homini prudenti, quàm cum fatuo, ac stulto agere, & incedere.

17. Cum Deus magna supplicia vellet inferre populo Israëli ait per Ezechielem 21. num.3. *Ecce ego ad te, & eiiciam gladium meum de vagina sua, & occidam in te iustum, & impium.* Et vt gladius vehementius, ac districtius interficeret, ac in fruſta cæderet, addit: *Gladius exactum est & limatus.* Et ad tantam furoris iram exercendam, ac si vnus gladius non sufficiat, subdit: *Dupliciter gladius, ac tripliciter gladius interfectorum*, n.14. Et cum inde videretur, quòd multa hominum millia gladiis iugularentur. Clamat Dominus: *Mucro, mucro reuertere ad vaginam tuam*, num.30. Quod alicui videbitur pro misericordia dictum: tamen statim adiungit: *Effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo te, dabóque te in manus hominum insipientium*, ibid. n.31. Reconditur iterum mucro in vaginam, ac si pro grauitate peccatorum Israël omne supplicium gladiis illatum videretur paruum, & diminutum, & ideo aliud grauius, & rigidius paratur. *Effundam super te indignationem meam in igne furoris mei sufflabo te.* Et quodnam erit hoc supplicium, in quo omnis ira Dei effunditur, & ad quod omnis gladius insufficiens est? *Dabo te in manus hominum insipientium.* Durissimo supplicio affligam te Israël super omni alio, quod excogitari potest. *Dabo te in manus hominum insipientium*, vt eorum stultitiis, ac erroribus tanquam durissimo tormento crucieris.

Ezech.21.

Dura pœna prudenti agere cum insipienti.

Theodoretus relatus in Glossa: *Superiorum oppugnationum hæc grauior erit.* Theodor.

Magnas pœnas minatur Deus Israëli, & ait: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam*, Rom.10. num.19. Quæ tamen tanta pœna infligetur, cum Deus ait: *In iram vos mittam.* Ait Deus: adducam vos in gentem insipientem? Ipsa conuersatio, & pertractatio cum fatuo, ac insipienti valdè acerba est viro prudenti, ac sapienti, itavt nullum aliud supplicium ei rigidius, & durius videatur, itavt in eo omnis ira Dei immissa intelligatur. 18. *Rom.10.*

Introducuntur in parabola simul habitantes prudentes, & fatuæ, vt dum prudentes cum modestia, ac humilitate fatuas sustinent, eorúmque stultitias, ac errores tolerant, eorum probitas digna magno præmio, ac cœlestibus nuptiis condigna appareant. Moyses populi Israëlitici dux, & Princeps, cum iam esset moriturus, populum appellat stultum, & insipientem. *Populе stulte, & insipiens*, Deuter.32.n.6. Vt eius virtus magno remuneranda præmio probaretur, quod cum tanta modestia, ac mansuetudine stultum populum per quadraginta annos sustinuerit, ac portauerit. 19. *Fulget mariro prudens cum tolerat fatuas.*

Tum etiam vt fatuitas aliarum quinque virginum ostendatur, associatæ prudentibus suam ignorantiam depellere non valuerunt, vt prudentes fierent. Ait Abdias ad Patrem Eliam: *Nunquid non indicatum est tibi Domino meo quod fecerim, cum interficeres Iezabel Prophetas Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos, & paueram eos pane, & aqua?* 3.Reg.18. n.4. De quo scribit D.Hieron. in Abdiam; *Hic igitur quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus, fit dux Ecclesiæ.* Vnde homo Princeps militiæ nutritus in aula impiissimi Regis habuit, vt inter duodecim Prophetas canonicos numeraretur? Non mirum sanè. *Prophetas Domini aluerat.* Cum ipsisque Prophetis conuersabatur, ac agebat, indéque gratiam prophetalem acquisiuit. 20. *3.Reg.18. Ex conuersatione Prophetarū fit Prophetа. Hieron.*

Qvæstio V.

Quare in Euangelio virgines introducuntur cum lampadibus, viri verò cum lucernis?

Ratio literalis desumitur ex dictis q.1. quia apud veteres vigebat consuetudo, vt cum sponsus, & sponsa ad domum venirent nocturno tempore, à virginibus accensis lucernis exciperentur. 21. *Ratio literalis.*

Hic tamen veniunt notanda præclara Clementis Alexandrini verba, qui lib.3. Stromatum ait: *Hæc etiam ratione sunt etiam prudentium virginum lampades, quæ nocte sunt accensa in densis tenebris castitatis.* Ait, quòd virgines prudentes habent lampades accensas in densis castitatis tenebris. Sed si lampades accensæ sunt, quomodo adsunt tenebræ densæ, in quibus castitas versatur? Castitas de verecundiæ bono densis tenebris absconditur, secessum amat, oculos hominum fugit, latibula quærit, ne pudicitiam cum facie prostituat obuiæ spectatorum libidini; lampades tamen in manibus portat, vt nitore virtutum fulgeat, & resplendeat. Virgo pudica de verecundiæ bono lucem fugit, & latere ambit: tamen lampadem claritate 22. *Clem. Alex.*

Virgo sit abscondita densis tenebris cum claritate vitæ.

ritate indiget, vt à claritate conſcientiæ, quæ labe aliqua deuenuſtatur, venuſtatem virtutum fœneretur. *O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate.* Sapient.4. num.1. cum claritate explicat Lyranus, *ſapientia.* Hugo, cum claritate *virtutum:* Virgo ſit ſub denſis tenebris abſcondita, fulgeat tamen claritate ſapientiæ, & virtutum. Rabbanus: *Diſtingue verba,* ait, *pulchra quantum ad opera : caſta quantum ad innocentiam mentis, clara quantum ad virtutum nitorem.*

Sapient.4. Lyranus. Hugo. Rabban.

23. Quæſtio præſens eſt, cur virgines à Chriſto Domino deſcribantur cum lampadibus. *Quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam ſponſo, & ſponſæ.* At verò homines referuntur cum lucernis ardentibus. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris,* Luc.12.num.35. Cur ergo virgines non lucernas ardentes, ſed lampades; homines verò non lampades, ſed lucernas habent? Apta vnicuique perſonæ lucis imago, virtus virginum non ſit circumcurſans, ſed domi clauſa vt lampas in templo, ſecus verò virorum, quibus incumbit, vt illuſtribus operibus in publicum fulgeant, lucerniſque ardentibus ſe exhibeant, veluti famuli, qui noctu Dominum lucernis, ac facibus comitantur.

Luc.12. *Virgo ſit clauſa domi, vir foris ſe exhibeat.*

24. Ait diuinus Sponſus de ſe: *Ego flos campi, & lilium conuallium,* Cant.2.n.1. Tamen de ſua diuina ſponſa teſtatur. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus,* Cant.4 n.12. Valdè ſimiles in ſuis actionibus, & operationibus erant diuinus Sponſus, & ſponſa, itavt vnus alterius referret imaginem, & operationem. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cur ergo ſic modo diſcrepant, vt ſponſus dicatur flos campi patens, & expoſitus omnibus, ſponſa verò hortus florum ſemel, & iterum concluſus, cur non ſe conformant in his actionibus, vt ſi flos ſponſi eſt patens, ſit etiam præuiſis omnibus ſponſæ flos? Si Chriſtus flos eſt campi, quia gaudet ſe omnibus communicare, vt ait Orig. hom.2.ex duabus: *Chriſtus,* ait, *flos eſt totius campi, id eſt totius mundi, & vniuerſa terræ flos factus eſt.* Cur etiam ſponſa non ſic ſe communicat, ſed tanquam duplici muro dicitur clauſa. *Hortus concluſus ſoror mea, hortus concluſus?* Ex conditione ſexus perpende diſcrimen: ſponſus cum eſſet vir in publicum prodit, vt de odore, ac ſuauitate ſuorum florum omnes repleantur, ac lætentur. At ſponſa cum eſſet virgo, publicum fugit, clauſuram quærit, receſſum amat, & multo munimine ſe ab hominum occurſu claudit. D. Ambroſius lib.10. epiſt.82. *Bonus hortus virginitas, quæ plurimos boni ferat fructus odoris: hortus concluſus, quia vndique vallata eſt muro caſtitatis.* Et lib.1. de virginibus, aliquantulum ante finem. *Ille,* ait, *murali ſeptus ſpiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam.*

Cant.1. Cant.4. Origen. *Sponſa clauſa ſit in domo, ſponſus verò in campo appareat.* Ambroſ.

25. De diuino Sponſo decantatur: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles,* Cant.2.num.8. & iterum introducitur degens ſuper montes Bether. *Reuertere ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque cervorum ſuper montes Bether,* ibidem num.17. At verò ſponſa maximè clauſa obſeratis foribus introducitur. Vnde dicitur: *Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea,* Cant.5.n.2. Et ita aditus erat intercluſus, vt ianuam repagulus muniret, vt enim Chriſtum exciperet, ait: *Peſſulum oſty mei aperui dilecto meo,* n.6. Si ſponſus, & ſponſa arctiſſimo amoris nexu connectebantur, itavt minimè poſſint inter ſe ſeparari, quid eſt quod ſponſus tranſiliet ſuper montes, valles, & colles; ſponſa verò domi clauſa retinetur? Virum decet per montes, & colles degere exhibens virtutis ſuæ monumenta, vt explicat D. Bernardus ſerm.4. in Aſcenſione Domini. At verò virgini expedit, vt in cubiculo ſuo retineatur ſirma cuſtodia munita. D. Ambroſius lib. de Iſaac, & anima cap.6. ait: *Aperi mihi ſoror mea, quia nuptia ſpirituales ſunt verbi, atque animæ,* aperi mihi, *ſed extraneis claude, ſæculo claude, neque ipſa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquens lumen alienum requiras.*

Cant.2. Bernard. *Sponſus in montibus, ſponſa in domo.* Ambroſ.

QVÆSTIO VI.

Quare ex decem virginibus quinque notantur ab Euangeliſta fatuæ?

26. DECEM introducuntur virgines in parabola, ex quibus quinque ab Euangeliſta dicuntur fatuæ: & ſic earum fatuitas, ac incuria in oleo retinendo notatur, vt etiam, quod erat in eis bonum, ſcribatur, ac exprimatur. Decem referuntur virgines quinque prudentes, & quinque fatuæ, in quo perſpicacia, acumen, ac ſublimitas Euangeliſtæ intellectus fulget, ac reſplendet, dum prudentes à fatuis diuidit, verámque earum virtutem à falſa, ac apparenti diſcernit; cum nihil ſit difficilius, ac obſcurius, quam inter hæc diſcrimen conſtituere. Ait Paulus Rom.1.n.9. *Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo.* Cur ſolum Deum inteſtem vocat, non verò alium magis ſenſibilem teſtem? loquebatur Paulus de vero amore, cui ſeruiebat in Euangelio, ideo ſolum Deum teſtem inuocat, ſolus enim ipſe poterat diſtinguere verum amorem à falſo, ficto, ac apparenti.

Valdè difficile verò virtutē à falſa diſtinguere. Rom.1.

27. Duæ mulieres contendebant coram Salomone ſuper puerum viuum, & vnaquæque affirmat ſuum eſſe filium, ille verò adducto gladio mandat. *Dividite infantem viuum in duas partes.* Vera mater pro ſalute filij deprecabatur ne interficeretur, alia verò inſtabat iuſſionem regis impleri. Tunc rex mandat primæ dari filium, & ſubdit Textus: *Audiuit omnis Iſrael, & timuerunt regem, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad faciendum iudicium,* 3.Reg.3. n.28. Cur non ſapientiam, ac prudentiam humanam, ſed tantum Dei in eo agnoſcunt, & fatentur? Viderunt Salomonem facere iudicij diſcretionem inter verum, & falſum amorem, inter ſolidum, ac fictum affectum, & inde deprehenderunt mentem eius diuino lumine illuſtratam, à ſolo ſuperno lumine poſſe deuenire, vt quis verum amorem à falſo, & ficto diſcernat. Vide c.5.n.60.61.62. & n.71. & n.122.

3 Reg.3. *A lumine ſupernō poſſe deuenire diſcernere inter verum, & falſum amorem.*

QVÆSTIO VII.

Quænam eſſet fatuitas harum virginum?

28. PRIMÒ Carthuſianus. Quinque ex eis erant fatuæ. *Vna pars Chriſtianorum inſipiens eſt,* ait, *& in die iudicij ſtulta probabitur, eo quod diuinis, ac ſpiritualibus præpoſuit terrena, as corporalia, ſi demque Catholicam non adornauit operibus, nec opera de genere bona retulit ad debitum finem; prudentiamque dirigit actus humanos in debitum finem.* Virtutes prudentia dirigendæ in debitum finem. Vide cap.3. num.64.

Carthuſ. *Virtutes actiones dirigunt in debitum finem.*

Secundò.

29. Chryſoſt. Secundò. D. Chryſoſtomus homil. 79. in Matthæum: *Non eſt, ait, corporis, & pecuniæ par cupiditas, ſed animi multò, ac vehementior corporum eſt. Quanto igitur imbecilliori videntur animæ, tanto minus, ſi vincuntur, venia digni ſunt. Idcirco, & fatuas appellauit, quoniam difficilioribus ſuperatis faciliora perdiderunt.* Meritò dicuntur fatuæ, quia cum arduis carnis certaminibus ſuperarent, virginitatem ſeruantes, tamen oleum eleemoſynarum non ſumpſerunt ſecum, ſed in largiendo nummulo, vel paruo panis fragmento omnino defecerunt. *Idcirco & fatuas appellauit, quoniam difficilioribus ſuperatis faciliora perdiderunt.*

Parua magna ſuperat, in minimis decidit.

30. Hieron. *Valdè ignoras qui charitatis operibus caret.* Tertiò. D. Hieronym. *Quinque fatuæ*, ait, *id eſt terrenis facibus inhiantes, fatuæ appellantur*, quia terrena, quæ ſunt terrena, amantes contempſerunt cœleſtia, vt nec pro illis paruam panis buccellam darent. Nam per hoc oleum communiter Patres eleemoſynarum largitionem intelligunt; ex quo dubito, cur hæ virgines fatuæ dicantur; nam earum crimen fuit ex charitatis defectu, quæ ad voluntatem ſpectat; quomodo ergo dicuntur fatuæ, cum hoc ex intellectus culpa proueniat? Merito ſanè tam propter connexionem ipſius intellectus, ac voluntatis, tum etiam quia non ordinate, ac diſponere, vt voluntas bonis operibus abundet, hoc magnum, ac ingens intellectus vitium eſt.

31. Gregor. Quartò. D. Gregorius homil. 22. in Euangel. *Qui rectè credunt, ait, & iuſtè viuunt, aſſimilantur quinque prudentibus; qui autem profitentur quidem fidem Ieſu, non autem præparant ſe bonis operibus ad ſalutem, reliquis quinque virginibus fatuis.* Et meritò, fatuitas enim, & ſtultitia eſt cum ſola fide ſalutem ſperare, cum fides ſine operibus expers præmij, & vita ſit. Vide ſuprà cap. 15. n. 72. & c. 18. n. 152. c. 40. n. 85. 86 & 87.

Fides ſine operibus mortua.

32. Quintò. Fatuæ dicuntur, & meritò, quia cum eſſent ſine meritis, ac charitatis oleo carerent, ad nuptias cum prudentibus volebant ingredi, quæ lampades ſuas cum multo lumine fulgentes habebant accenſas. Magna ſtultitia eſt, Sanctorum præmio ſine illorum meritis velle frui, & gaudere. Vide ſuprà c. 39. n. 46. 47. & 48.

Stultitia, ſine meritis velle frui Sanctorũ præmio.

33. *Magnus error, quod homo non cognoſcat quæ ſibi agnoſcis, neceſſaria.* Sextò. Fatuæ nuncupantur; & meritò, quia cum optimè ſcirent, quod ingrediendas diuini ſponſi nuptias lampadarum lumen neceſſarium eſſet, de illo tamen minimè curarunt, ſed omnino habere neglexerunt. Et nullus maior error, nilque ſanè intolerabilius eſt, quam quod homo bene agnoſcat, quæ ſibi expediunt, & de illis minimè ſolicitus ſit, ſed ea omnino paruipendat, & contemnat.

34. 4. Reg. 1. Abulenſ. Ex parte regis Ochoziæ vocatur Parens Elias per quinquagenarium principem, qui ait ad eum: *Homo Dei rex præcepit, vt deſcendas*, 4. Regum 1. num. 9. Vocat hominem Dei, id eſt Prophetam Dei, vt aduertit Abulenſ. quæſt. 26. cum enim agnouerat Deum eſſe Prophetam, cui ait Elias: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te, & quinquaginta tuos; deſcendit que ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.* Cur hic ignis de cœlo non cadit ſuper Iezabel, ſeu ſupra alios impios tyrannos, ſed ſuper hunc quinquagenarium, qui tam reuerenter ad Prophetam loquebatur? Iezabel non agnouerat Eliam vt hominem Dei, nec ad hoc ſe poterat perſuadere; at verò quinquagenarius, qui eum vt vocauerat, ſciebat hominem Dei, & reuerentiam illi debitam denegabat, res intolerabilis iudicata eſt, ac omni ſupplicio digna, & inde iuſtiſſimè punitur, vt ignis

Qui agnoſcit debitã reuerentiam, & non impleuit, comburatur.

ſuper eum caderet, quo combureretur, ac in cineres redigeretur.

In horto cum comprehenderetur Ieſus: *Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percuſſit Pontificis ſeruum: & abſcidit auriculam eius dexteram*, Ioan. 18. n. 10. Cur hic tamen inter cæteros percutitur à Petro, cur non potius illi, qui manus iniecerunt in Ieſum, & eum tenuerunt, ac comprehenderunt? Malchus inter cæteros ſecum deferebat lanternam accenſo lumine, quo fidei lux ſignificabatur. Alij miniſtri, qui aderant, qui ſine Chriſti notitia tanquam cæci reputabantur, quod eum funibus ligarent, res deteſtanda; at verò ſeruus Pontificis, qui ſecum Chriſti notitiam in lumine ſignificatam deferebat, quod ipſum tamen vellet manibus capere, res omnino intolerabilis, & inde ipſe inter cæteros percutitur, ac vulneratur amputata auricula dextera, qua verba legis, quam contempſerat, accipiebat. Origenes de Indæis loquens hom. 35. ait: *Nam ſi videmur legem audire, modo cum ſiniſtro auditu audiunt vmbram traditionis de lege, non veritatem.* Et exinde aure priuantur.

35. Ioan. 18.

Qui habet Dei notitiã, & ipſum non veneratur, percutitur.

Origen.

Matth. 25. *num.* 3. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum.

Num. 4. Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.

Num. 5. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt.

VERSIONES.

Syriac. n. 3. Et illæ fatuæ ſumpſerant quidem lampades ſuas, ſed non aſſumpſerant ſecum oleum.

Vatabl. n. 4. Prudentes verò ſumpſerant oleum in vaſis ſuis vnà cum lampadibus.

Pagn. Arab. Tardante verò ſponſo.
num. 5.

Vatablus: Cunctante verò ſponſo.

D. Chryſoſt. hom. 79. Sponſo autem tardante, conniuerunt omnes, & dormierunt.

Syriacus. Dormitauerunt omnes, ſomnóque ſe dederunt.

Franc. Luc. ex Græco. Nictauerunt omnes, & dormierunt.

EXPOSITIO II.

36. *Quid ſignificent lampades, oleum, & vaſa.* Hieron. Hilar. Origen. Imperfect. Alb. Magn.

SED quinque fatuæ. Pro exacta huius rei intelligentia tria hic explicanda ſunt, quid ſignificent lampades, oleum, & vaſa. Primò. Lampades, vt exponunt D. Hieronymus, D. Hilarius, Origenes, Auctor Imperfectus, Albertus Magnus, fidem denotant. Secundò. Oleum, bona opera virtutum, præcipuè charitatis, ac eleemoſynarum interpretantur. D. Chryſoſtomus, D. Ambroſius, Euthymius, Theophylactus,

ctus, D.Thomas,& alij. Tertiò. Vasa, corda nostra, seu conscientiam nostram exponit D. Gregorius homil.12. qui ait : *Vascula enim nostra sunt corda*

37. *Sed quinque fatuæ.* Id est fideles, qui solùm habent fidem sine operibus,*acceptis lampadibus.* Acceperunt, ac tenuerunt fidem, cum aliqua ostensione, ac apparentia bonorum operum, vt interpretantur Beda, Carthusianus,Hugo. Nam virgines fatuæ postea dicunt : *Lampades nostræ extinguuntur.* Non sunt extinctæ, sed extinguntur, quia cum fide aliquam exhibebant ostensionem bonorum operum. *Non sumpserunt oleum secum.* In vasis nempe suis, vt immediatè statim de prudentibus dicitur. Ac proinde licet exhiberent aliquam speciem bonorum operum, non tamen habuerunt ipsa opera ex vera, ac solida charitate, ex pia, ac integra mente, & recta conscientia, ac debita, & conuenienti intentione profecta ; de quibus ait Paulus Roman.5.num.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Quibus operibus veris, ac solidis Christum iudicem venientem exciperent, vt cum ipso ad cœlestia gaudia ingredentur.

Beda. Carthus. Hugo.

38. Non omittam hic quod bene ponderauit Hugo Victorinus lib.1.Miscellan.cap.51.vbi confert has virgines cum parente Elisæo. His virginibus defecit oleum in vasis. At verò sub Elisæo non oleum, sed vasa defuerunt, 4.Regum 4. n.6. tunc sic ait ipse: *Habet oleum Deus, habet oleum & mundus : ad oleum Dei vasa deficiunt : oleum mundi in vasis deficit : oleum Dei dulcedo æternorum ; oleum mundi delectatio præsentium. Illa sufficit, ista deficit.* Bona mundi parua, & deficiunt ; bona verò spiritualia perpetuo consistunt, & maximè superabundant, itavt omnis capacitas cordis nostri sit illis angusta, & valdè insufficiens, vt immensitatem illorum complectatur.

Hugo. 4.Reg.4. *Bona temporalia deficiunt, spiritualia superabundant.*

39. Prudentes verò. Boni nempe fideles, qui habent fidem cum operibus misericordiæ, ac aliarum virtutum. *Acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Habuerunt simul oleum in vasis, ac lampadibus, non enim contentæ fuerunt cum fide tantum cum externa morum honestate coniuncta, sed etiam verè comparauerunt internam iustitiam,quæ ex charitate,ac aliis bonis operibus pullulat, itavt non solùm exterius exhiberent fidem cum operibus, sed etiam verè, ac solidè interius illis mens abundaret.

40. *Morante autem faciente sponso;* seu cunctante,seu tardante sponso, vt alij legunt, *Morante autem faciente sponso.* Rectè D.Hilarius : *Mora sponsi pœnitentiæ tempus est.* Dat Dominus locum ad pœnitentiam. Patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti, vt ait D.Petrus 2.c.3.n.9. *Dormitauerunt,*id est semi soporatæ fuerunt : *dormierunt* ; hoc est obdormierunt. De quo latè quæst.sequenti.

Hilar. 2.Petr.3.

41. Pulchrè ad mores P. Mendoça tom.2. in lib.1. Regum cap.4. Annot.12. sect.1.num.15. Dubitat quod cum dicatur : Virgines *exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* De solo autem sponso dicitur ; *morante autem faciente sponso : dormitauerunt omnes.* Nonne sponsus,& sponsæ expectabantur, cur ergo sponsus moram fecisse dicitur:de mora autem sponsæ nihil commemoratur ? Ait ipse, facilis est responsio, si ad mysterium confugiatur. Nam Christus, qui sponsi nomine intelligitur, cum sit iudex aliquando tardat : at B. Virgo, quæ intelligitur sponsæ nomine, cum sit Mater Misericordiæ, semper festinat,vt suis eam inuocantibus adsit : vel quia sub nomine sponsi sponsa intelligitur, vt dicam expositione sequenti.

Mendoça. *Virgo ad miserandâ velocissima.*

QVÆSTIO VIII.

Quare virgines prudentes dormitantes non arguuntur, cum apud Psalmistam pereant viri, qui dormitauerunt, & tandem quid sit dormire, ac dormitare?

42. AD hoc secundo incipio. Moram faciente sponso, sermo est in præsenti, dum iudicium Domini differtur,in quo omnes tam fatui, & improbi, quàm prudentes, & iusti stabimus ante tribunal Christi : dum ergo Dominus moram fecit ad iudicium, virgines fatuæ, & prudentes dormitauerunt, & dormierunt, quod ad quandam negligentiam refert Auctor Imperfectus homil.52. *Hoc significat sermo,* ait, *quia tardante consummatione,non solum peccatores, sed etiam iusti, & spirituales, ad negligentiam sint reuoluendi, & relicta via virtutis ad carnalia delectamenta sunt aliquatenus transituri.* Contingit sæpè, vt iusti quoque, & vigilantissimi mordeantur etiam leuium culparum morsibus. Hæc tamen interpretatio simpliciter non placet propter prudentes, nullo enim defectu, sed magna laude notantur, cum statim ingrediantur ad nuptias cum sponso.

Imperfect. *Etiam probus aliquando leui culpa laborat.*

43. Communis & vera Patrum interpretatio per somnum mortem intelligit. D.Hilarius ait : *Expectantium somnus credentium quies est.*D.Hieronymus : *Omnes dormitauerunt, id est mortui sunt.* Eodem modo exponunt Diuus Chrysostomus homil.79. D. Augustinus serm.23. D.Gregorius homil.12. D Paschasius, Lyranus, & alij. Dominus autem appellauit mortem hominum somnum, quia omnes veluti à somno,ita a morte in iudicio excitabuntur.D.Hieron.*Dormierunt,*ait,*quia postea suscitandæ sunt.*

Mors somnus. Hilar. Hieron. Chrysost. August. Gregor. Paschas. Lyranus.

44. Dicitur verò, quod dormitauerunt, & dormierunt, quidam Recentiores ita exponunt, dormitauerunt prudentes leuiter soporatæ, dormierunt verò profundè fatuæ. Cum tamen dicatur in Textu, dormitauerunt omnes, & dormierunt, tam ad vnas, quàm ad alteras vtraque pars referenda est. Dormitauerunt ergo, per morbum, quia tunc homines incipiunt deficere, cum ægrotant, dormiunt verò cum moriuntur. D.Gregorius citata homil.12. *Dormire,* ait, *mori est ; ante somnum verò dormitare, est ante mortem à salute languescere.* Et hanc expositionem sequuntur communiter interpretes D.Thomas,Barradas, Sà,& alij.

Gregor. D.Thom. Barradas. Sa.

45. Aliam expositionem etiam adhibeo,vt dormitare respiciat eos,qui proximi fuerint diei iudicij, ita morientur vt statim excitabuntur, dormire verò ad hos tendit, qui modo moriuntur, qui videntur profundè dormire, cum longo tempore mortis tenebris teneantur.

Alia interpretatio.

46. Quomodo tamen prudentes virgines dicuntur dormitare, cum maximè apud Regium Vatem dicantur in diuinam iram incidere, qui dormitabant. *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauit*

Psalm.75.

mnauerunt omnes, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & qui resistet tibi ex tunc ira tua. Psalm.75. num.7. Vnde ergò dormitantes virgines ad cœlestes thalamos euehuntur, dormitantes homines sic pereunt? Dormitant verò virgines prudentes, itavt facta voce Domini media nocte audierint, cum eam maximè præmeditatam habent, vnde secum asportarunt oleum in vasis cum lampadibus. At viri illi, nec vocem Domini audierunt nec etiam sunt præmeditati, sed facta Domini increpatione sibi persuaderunt, quod in equis eius iram euadere possent, & qui tam obdurato est corde, vt facta Domini increpatione per morbum, dolorem, aduersitatem non audiat, iustissimè perit, omni supplicio afficitur. Ruffinus: *Ecce ipse Deus Iacob increpat peccatores: intonat iras suas: minatur iudicium: minatur eternales pœnas. Inter tanta tonitrua adhuc dormiunt, adhuc vitam veterem nolunt damnare, neque in nouam vigilare. Durities enim cordis obdormitio ista est.*

Qui Dei vocem increpantis non meminerunt, damnantur.

Ruffinus.

47. Psalm.72.

Ait Regius Vates Psalm.72. num.20. *Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges* Cur imaginem eorum, & non potius eos ad nihilum rediges? Hugo: *Imaginem eorum, qui sunt quasi imagines.* Sunt multi, qui cum à Deo conteruntur, ac verberantur, lapideas imagines moribus imitantur. Vt enim lapidea statua in via, vel platea constituta, inter tonitrua, ac fulmina immota manet, quæ nec manum capiti admouet, vt ea illud operiat, nec pedem mouet, vt tempestatem fugiat, ac tot pericula euadat, ex quo fit, quod fulmine tacta dissipatur: sic aliqui peccatores obdurati existunt, vt inter Dei minas multis laboribus emissas minimè ad pœnitentiam moueantur; sed instar lapidearum imaginum fixi, ac immobiles inhærent. Vide cap.14. num.114.115.116. & cap.27. num.76.77. & 78. & 193.

Hugo.

Sunt homines vt lapides ad Dei vocem.

Matth.5. num.6. Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obuiam ei.

Num.7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

VERSIONES.

Arabic.n.6. Mediata est nox, & exclamauit vox.

Syriac. Arias. Exite in occursum eius.

Theoph.n.7. Apparuerunt lampades suas.

Orig.hom.32. Composuerunt lampades suas.

Syriacus. Præparauerunt.

EXPOSITIO III.

48. Arabicus.

MEDIA nocte. Arabicus, *mediata est nox.* Erant omnes virgines in eadem domo dormientes: *nocte.* In profundo noctis, inopinatè, seu quando minus sperabatur. D. Gregorius homil.12. *Clamor in media nocte fit*, ait, *quia sic dies Domini surripit, vt præuideri non valeat. Clamor factus est.* Idem docent Origenes, D. Augustinus, Diuus Chrysostomus, D. Hieronymus, D. Paschasius, ex quo cùm clamor dicatur factus *media nocte.* Colligitur D. Hieronymus, D. Chrysostomus, Euthymius; & est traditio Hebræorum, secundùm Christi aduentum fore media nocte ad iudicium. Res est incerta, & appellat Apostolus illum diem Domini. *Dies autem Domini declarabit;* 1.Corinth.3. num.13. *Media ergo nocte.* Per catachresim, id est subitò, inopinatè. Ita Auctor Imperfectus, D. Augustinus, Origenes, D. Hieronymus: *Ecce sponsus venit.* Meritò addubitat D. Hilarius, quomodo solùm de sponso fit mentio, cùm dictum sit: *Exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Sub nomine sponsi intelligitur sponsa, ob intimum amorem non poterant à se mutuo separari.

Gregor.

Origen.

August. Chrysost. Hieron. Paschas.

1.Cor.3.

Imperfect. August. Origen. Hieron.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ. Ad vocem nempe illam Archangeli. *Ornauerunt lampades suas.* Alij legunt: *Apparuerunt*, seu *composuerunt* lampades suas. Euthymius, Abulensis quæst.22. eas disponendo vt bene arderent, oleum infundendo. Sensus parabolæ est: ad vocem Archangeli omnes fideles resurgent, & maximè soliciti, ac cogitantes erunt de conscientia, ac mente, qua ad iudicium occurrunt. Per lampades conscientia denotatur. Auctor Imperfectus homil.52. *Aspicient, & discutient fidem suam.* D. Augustinus serm.23. de verbis Domini: *Nihil aliud est*, ait, *cœperunt aptare lampades suas, quam parare Deo operum suorum reddere rationem.* Et dicitur in Textu: *Surrexerunt omnes*, non solùm prudentes, sed etiam fatuæ exemplo nempe prudentum; & *surrexerunt omnes*, absque vlla dilatione, & mora, quia non vxores, sed virgines erant; virginitas autem nullis detinetur impedimentis. *Ornauerunt lampades suas.* Non tamen omnes prudenter, ac decenter. Origenes homil.33. in Matth. *Omnes quidem audierunt, & surrexerunt, non autem omnes decentem posuerunt lampadibus suis ornatum, sed quæ audierunt prudentiam eas ornantem.*

49.

Euthym. Abulens.

Imperfect. August.

Origen.

QVÆSTIO IX.

Quare vox sit media nocte, explicatur rara, & admirabilis virtus S. Theresiæ?

50. Hieron.

VOX Domini clamantis fit nocte, & *media nocte*; media nocte, hoc est subitò, & quando minus speratur. D. Hieronymus, media nocte, *quasi intempesta nocte, & securis omnibus, quando grauissimus sopor est, per Angelorum clamorem, & tubas præcedentium fortitudinum, Christi resonabit aduentus.* Nocte dicitur aduentus iudicis, vt iudicij horror exprimatur, & metum solito grauiorem ingerat. Nocte vastatus est murus Moab, Isai.15. num.1. D. Basilius ibi: *Quod nocte*, ait, *irrogatur supplicium, atrocius esse solet & amarulentius.* Noctu Ægyptum premit Angelus, Exodi 11. num.4. *Media nocte ingrediar Ægyptum.* Abulensis ibi, vt homines tenebris obductos quatiat grauius.

Horror ex tremit inferi.

Isai.15. Basil.

Exod.11. Abulens.

51. Sapient.18.

Secundò. Deus beneficiũ redemptionis cõcessit Israëli in noctis medio. *Cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*, Sap.18. n.14. Media nocte exquiritur, vt reddat

Ratio reddita pro magnitudine beneficiorum.

ratio

rationem, iuxta enim acceptam magnitudinem beneficiorum, redditio operum persoluenda est. Vide supra c.33. n.79.

52. August. *Magnalia Theresiæ intellectum non valet inuestigare.*

Tertiò. Ait D. Augustinus serm.22. de verbis Domini. Media nocte, id est, *nullo sentiente, aut sperante.* Id est, alta nocte, vt ostenderetur, quod nec vlla mens, nec vllus discursus poterat intelligere, ac consequi sublimitatem, ac altitudinem tantorum sponsalium, ad quæ Beata Theresia admittebatur suis magnis, & mirabilibus virtutibus castitatis, puritatis, mortificationis, ac pœnitentiæ, ac fortitudinis, qua in suorum Monasteriorum fundatione retulit contrarietati, ac aduersitati multorum Principum, ac Prælatorum, itavt nullus humanus intellectus valeat tot, ac tanta mirabilia penetrare, ac comprehendere.

53. Apoc.7. Anshert.

Vidit Ioannes Agnum stantem in throno maiestatis, cui astabant omnes Angeli, magnáque multitudo beatorum, quam dinumerare nemo poterat. Et simul vidit viros amictos stolis albis, quæ sanguine Agni aspersæ apparebant, solicitatur Ioannes ab vno ex senioribus, vt quærat *Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, & vnde venerunt, Domine mi tu scis*, Apocalyps 7. num.13. Quomodo magnus Euangelista, qui magna perspicacia sui intellectus altissima penetrauit Sacramenta, modò quærit, *qui sunt isti, & vnde venerunt?* Cognoscit Euangelista eminentem sublimitatem diuini Agni, perfectam Angelorum naturam, & altitudinem beatorum tot, tantisque donis fulgentem, & tamen solum de illis, qui habent stolas dealbatas in sanguine Agni scrutatur, *qui sunt isti, & vnde venerunt.* Anshertus, *requiruntur, qui sunt tales, & vnde venerint tales.* In agno irradiabat perexcelsa eius eminentia actionibus illi proportionatis. In Angelis apparebat eorum perfecta natura simul cum actionibus illi valdè conuenientibus, similiter & in Beatis; at verò in Martyribus, *qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Cum sese exhiberet in illis humana natura tenuis, & fragilis, nitebant tamen in eis mirabiles actiones patientiæ, fortitudinis, constantiæ, ac cuiusdam diuinæ potestatis super omnem humanam conditionem, qua mundum, ac eius Principes in medio tribulationum deuicerunt, ac subiugarunt; cum ergo eorum actiones multum naturam superarent, ab eáque discrepatent. Inde Euangelistæ prouenit tanta difficultas in eis agnoscendis, vt quærat, *qui sunt isti, & vnde venerunt.*

Actiones martyrum non possumus assequi.

54. *Theresia illustria magnalia.*

Conijce quanta erit difficultas in agnoscendis B.Theresiæ mirabilibus; natura quædam virgo fragilis, & tenuis, & suis actionibus puritatis, patientiæ, fortitudinis, ac constantiæ super omnem humanam conditionem apparet; *surrexerunt omnes virgines illæ*, singularitérque ipsa surrexit, magnis, & illustrissimis virtutibus, *ornauerunt lampades suas.* Ipsa verò non solùm suam, sed & aliorum lampades & ornauit per totam Hispaniam, Italiam, Galliam, Germaniam, ac per Belgium. *Respondebunt prudentes, fatuis virginibus.* At Theresia, respondebit non virginibus fatuis, sed Imperatoribus, Regibus, Principibus, Doctoribus, ac Magistris in magnis contrarietatibus, quæ ei in suis Monasteriis erigendis opponebantur.

58. Chrysost.

De Diuino Petro ait Diuus Chrysostomus sermone de eodem: *Obstupesco tui Petre.* D.Leo: *Petrus petra solida, cuius pretium non capit humanus intellectus.* Petrus Damianus de Ioanne Euangelista ad illa verba: *Aquila desuper ipsorum quatuor.* Altius enim ipse super omnes alios euolauit. Et de omnibus Apostolis, ac Martyribus magna admiratione exclamans interrogat Isaias 60. num.8. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Si de aliis Sanctis dicitur, quod eorum mirabilia sint difficillima penetratu, quis præclara B.Theresiæ elogia dicere, ac decantare valeat:

Leo. Damian. Isai.60.

Apparet illi Christus Dominus, & data dextera, ait illi: *Deinceps vt vera sponsa meum zelaberis honorem.* Zelus diuini honoris Theresiæ committitur, ô magna, & mirabilis res! Iudæis ait Christus Dominus: *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & iudicet*, Ioan.8.num 50. Id est, vt explicant D.Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, D.Thomas, D.Bonauentura est Pater meus, qui requirat, & quærat. Vnde elegantissimè præclara verba dixit Albertus Magnus in sermone de proptia Dominica: *Christus*, ait, *Ecclesiam suam Petro commendauit, Ioanni Virginem Matrem, discipulis corpus suum, accipite, & diuidite inter vos, honorem vero Patri.* In tanta æstimatione est proprius honor Christo, vt quamuis ipse committeret Ecclesiam suam Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* Et iterum: *Pasce oues meas.* Ioannique sacratissimam Virginem Matrem: *Dixit discipulo: Ecce mater tua.* Corpúsque suum discipulis: *Accipite, & diuidite inter vos.* Honorem verò solum Patri suo commendauit; quod nec Petro, nec Ioanni, nec Apostolis, sed solum Patri committitur, hoc etiam reseruauit Theresiæ pro eius magna gloria declaranda, vt ipsa in terra vices subsitituræ pro æterno parente geretet, vt veráque Sponsa de eius honore agat: *Meum zelaberis honorem.*

56. Ioan.8. Chrysost. Euthym. Theoph. D.Thom. Bonauent. Alb Magn. *Theresia in terris veluti substituta pro Æterno Parente.*

QVÆSTIO X.

A quo factu est hæc vox, expenditúrque cor B. Theresiæ ab Angelo transuerberatum?

17. Interlin.

CLAMOR *factus est*, à quonam hæc vox edita est non explicatur ab Euangelista, Glossa Interlin. *Vox Dei, vel Angelorum.* Hæc tamen vox ita intonuit, ac si esset vox humana; cum enim esset vox Dei, vel Angelorum, qui cum spirituales sint etiam eorum vox spiritualis erat, si ergo vox spiritualis extabat, quomodo tanquam humana edidit sonitum; aliquando sunt aliqua, quæ cum sint spiritualia in externa apparentia, tanquam humana se exhibent. Beata Theresia in præsentia humana creatura, ac mulier quædam erat; at verò in interiori ita pura, ac defœcata diuina gratia extabat, vt veluti spiritus videretur.

Sic Theresia gratia purificatur, vt veluti spiritus appareat.

58. Ezech.1. Septuag.

Videt Theresia *Angelum ignito iaculo sibi præcordia transuerberantem.* In spiritu apparet Ezechiel.1. num.4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone.* Septuaginta legunt: *Spiritus auferens veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis in circuitu.* Meritò dubitat Origenes homil.1. in Ezechielem. *Quomodo ponitur spiritus auferens:*

Deus spiritus est, & spiritus auferens cernitur. Deus dicitur spiritus auferens; Deus spiritus est omnia largiens. In creatione dicitur: *Insudit spiraculum vitæ.* Et apud Isaiam 61. num. 1. *Spiritus Domini super me, Euangelizare pauperibus misit me.* Quando suis Apostolis communicat amplissimam potestatem dimittendi peccata, ait illis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis,* &c. Ioan. 20. num. 22. Si tam diffusè largiens est, quomodo Spiritus auferens? Ipsemet Origenes assignat: *Quando ignis est in circuitu, spiritus est auferens.* Quando ignis charitatis est in circuitu cordis, ipsúmque cor inflammat, Deus est spiritus auferens ab ipsa anima omnia mundialia, ipsámque creaturam purificans, ac renouans gratia, & sanctitate in nouam creaturam: si ignis charitatis separat à re mundiali, renouat, ac purificat animam, quando est in circuitu, qualem munditiem, ac puritatem tribuet Theresiæ, quando non solùm est in circuitu, sed totum cor eius transuerberat, & transfigit.

Ioan. 20.

Origen. *Cor Theresiæ multùm gratia purificatur.*

59. Cum transuerberatur Theresia ab Angelo, largo lachrymarum imbre tota se se diffudit. Eleganter ponderauit Drogo Hostiensis serm. 1. de Passione, dum Magdalena Domini pedes lachrymis irrigat. *Vbi affectus*, ait, *vehementior incanduit, & ebeuanit, carbo lachrymarum imbre respersus fortius exarsit.* Carbo succensus in camino, si aqua respergitur, magis inardescit, viuidioríque flamma nitet. Sic Theresia erat veluti fax, tota Dei amore ignita, dum tamen lachrymis irroratur, fortius inardescit, maioréque amoris flammas concipit. Plorat Theresia, non vt lachrymarum aqua ignis extinguatur, sed vt in vehementiorem flammam erumpat. O mirum amoris artificium! Lachrymatur Theresia, ac si non esset contenta igne allato à Seraphim iaculo suo, nouum inuenit inuentum, vt magis ac magis inardescat, maioréque amoris flammas concipiat.

Drogo.

Theresia lachrymis magis accendebatur in Dei amore.

60. Vel cum transfigitur cor eius lachrymatur Theresia præ doloris vehementia, videbatur enim tunc, quod omnes eius venæ, arteriæ, ac corporis partes rumperentur lancea ignita, tam vehementi dolore afficitur Theresia. Christus Dominus quando *vnus militum lancea latus eius aperuit,* Ioan. 19. num. 35. Actualiter tunc non sensit dolorem, cum iam esset mortuus, (quamuis viuens cum sciret hoc vulnus post mortem sibi inferendum esse, illúdque viuens acceptauerit, Patríque obtulerit) quo multum promeruit. At in Caluario cum vulnus inferretur corpori mortuo, videtur quod illius dolor actualis fuerit reseruatus B. Virgini Mariæ. Ad ipsam dixit Simeon: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2. num. 35. Syriacus legit: *Animam tui ipsius traiiciet lancea.* De quo vulnere ait Guerricus Abbas serm. 2. de Assumptione: *Non sum ita delicata, vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacumque ex parte pati non possim, aut nolim.* Ille ergo actualis dolor ex vulnere in corpore mortuo inflicto præ mira amoris suauitate sacratissimæ Matri videtur reseruatus, vt ipsa dolorum Passionis Christi esset particeps. Ex quo insurgit dubium, Christi dolores fuerunt corpore, & anima. In anima: *Erue à framea Deus animam meam*, Psalm. 21. num. 2. *Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*, Psalm 68. num 1. In corpore verò, *a planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas*, Isai. 1. num. 6. Dolores in sactatissima Virgine exiterunt in anima. *Tuam ipsius animam*, &c. Dolor verò corporis ex lancea, piè dicam, videtur aliquo modo Theresiæ reseruatus, vt ita Mater, ac sponsa, nempe Deipara Virgo, ac Theresia in dolore lanceæ quodammodo allociarentur; Virgo sustinens dolorem in anima, vt in parte superiori, Theresia verò in corpore, tanquam parte inferiori.

Luc. 2.

Syriacus. Guerricus.

Psalm. 21. Psalm. 68. Isai. 1.

Theresia particeps doloris lanceæ.

QVÆSTIO XI.

Quare virgines ornauerunt lampades suas, quibus Theresia maximè refulget?

ORNAVERVNT virgines lampades suas, vt media nocte, densíque tenebris fulgerent, ac niterent. Cum mundus magnis tenebris occupatus teneretur, exoritur Theresia tanquam noua lux in mundo, vt depulsa tenebrarum caligine hominum mentes illuminaret sua virtute, puritate, castitate, pœnitentia, mortificatione, ac sapientia, & doctrina, quibus multas animas illuminauit, ac ad viam veritatis reduxit.

61. *Theresia sua doctrina illuminat mundum.*

Ait Ioannes in sua Apocal. 11. num. 1. *Datus est mihi calamus similis virgæ.* Quænam proportio potest esse inter calamum, & virgam? Calamus persuadet lenitate, ac suauitate, virga verò potestate, ac dominio. Rupertus ad citatum locum, *calamus similis virga, facultatem scribendi significat, cum magistery auctoritate; calamus namque scriptorum, virga magistrorum est.* Datur calamus, tanta suauitate scribens, vt aliorum voluntates sic deuincat, ac subiuget, ac si esset regia virga, & imperiale sceptrum, potestate, & dominatione imperans; calamus est cum rationes profert, virga verò dum alios domat, ac subiicit; Theresiæ calamus similis virgæ, sic verborum suauitate demulcebat, vt etiam tanquam virga ad viam salutis impelleret.

62. Apoc. 11.

Rupert.

Calamus Theresia, et virga fidelis.

Maximè etiam Theresia resplenduit in orbe per suos filios, ac filias venerabiles, ac religiosissimos Patris nostros Carmelitos Discalceatos. Cum B. Theresia esset in infantili ætate Martyrij desiderio flagrans à domo paterna aufugit, vt in Africam traiiceret, vt vitam pro Christo profunderet, à patruo tamen ad propriam domum iterum reuocatur. Cur Deus voluit desiderium huius sanctæ puellæ impediri, vt ad exequutionem pro magno documento Christianæ pietatis non deueniret? Intendens Abrahamus in holocaustum Dei iugulare filium suum: Angelus de cœlo clamat: *Ne extendas manum super puerum*, Genes. 22. num. 12. Cur non vult Deus vt tantum sacrificium peragatur in magnum monumentum pietatis Abrahæ, cur ergo tantum holocaustum impeditur à Deo? D. Isidorus: *Attendebat Dominus ad genus Isaac*; ac si progenies Isaac plus placitura; oblatio illa Isaac magni meriti, ac eximiæ religionis erat, at considerata serie filiorum Isaac, scilicet, Iacob, Ioseph, Dauidis, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Christique Iesu, plus placitura progenies Isaac, multóque magis grata Deo ipsa progenies Isaac, quàm omnis illa sacrificij oblatio, sic & impeditur Theresiæ oblatio, plus placitura illius progenie.

63. Genes. 22.

Isidor.

Familia Carmelitica Discalceata multum placet Deo.

Actus Martyrij eximius, ac summus charitatis actus; *Nemo maiorem charitatem habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* At verò

64.

verò considerato partu filiorum Theresiæ plus videtur placitura progenies; cuius rei testes advoco religiosissimas, ac venerabiles Virgines Annam à Iesu & à D. Bartholomæo, Isabellámque à S. Dominico, venerabiles, ac religiosissimos Patres Ioannem à Cruce, Petrum à Matre Dei, Ioannem, & Dominicum de Iesu Maria, Augustinum à Regibus, Ioannem Baptistam, & alios quamplurimos, de quorum virtutum monumentis magna extant volumina, & de eorum vitis magni tractatus in curia Romana in ordine ad beatificationem: *Quid videbitis in Sunamite nisi choros castrorum.* Cantic. 7. num. 1. Nihil aliud in hac illustrissima familia, nisi chorus Virginum, Martyrum, ac prædicatorum; de quibus dicam, id quod alibi dixit D. Bonauent. ad quosdam religiosos: dum mentem eleuo, vósque considero, video probitatis exemplum, religionis disciplinam, ac pietatis normam.

Ioan. 15. *Illustrissimi Patres dissecarati.*

Cantic. 7.

QVÆSTIO XII.

Quam ornata fuerit lampas Carmelitanæ familiæ Theresia, ac aliis viris illustribus.

65. Ioan. 21. ET VIDI ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Apocalyps. 21. num. 2. Quamuis multi interpretantur Ecclesiam triumphantem, Primasius, Beda, & alij Ecclesiam militantem volunt intelligi, dicitur Ierusalem ob Dei contemplationem, quæ veluti Dei visione fruitur; descendens de cœlo, à cœlo nempe habet suam originem. Diuus Augustinus, lib. 20. de ciuitat. cap. 17. *Gratia Dei desuper veniente.* Dicitur à Deo parata, quia omnia bona se habere à Deo profitetur. Rupertus: *Non enim sibi arrogat id, quod est illa ciuitas sancta, sed à Deo se accepisse meminit.* Appellatur sponsa. Ansbertus, *propter præcipuam dilectionem.* Tandémque ornata viro suo dicitur. Haymo inquit: *Paratam dicit, id est fide, cæterisque virtutibus ornatam.* D. Chrysologus serm. 22. *Ex quo*, ait, *ad desponsandum suam Ecclesiam Christus adinuenit, thalamus ornatur sponsæ: & ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis velis, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis.* Sed cum Ecclesia militans sit valdè perantiqua incepta in Adamo, quomodo dicitur noua, *Hierusalem nouam?* Merito sanè, quia licet sit valdè perantiqua, quotidie tamen multiplici prole innouatur, ac fœcundatur.

August. Rupert. Ansbert. Chrysol.

66. Valdè appositè in mystico sensu hæc ad Carmeliticam familiam adaptabo. Hæc sacra Religio, ex Dei afflatu, ac nutu exorta est in mundo, in cáque floruerunt quamplurima sancta documenta illustrissimorum virorum, qui abditissimis locis Dei meditationi, ac contemplationi se se dederunt, imò institutio huius sacræ Religionis est meditatio in lege Dei die, ac nocte, vt dicitur in regula, háncque familiam Deus multis donis, gratiis, ac priuilegiis, vt sponsam dilectissimam mirificè exornauit: & dicitur Hierusalem noua, & merito sanè, quia etsi perantiqua vtpote incœpta à Magno Parente Elia, quotidie tamen multiplici prole innouatur, ac fœcundatur. Ait Deus ad Ierem. 1. num. 18. *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum.* Sat erat, quod esset ciuitas, columna ferrea, sed insuper *ad quod* additur murus æneus: Rectè D. Hieronymus. *Dedi te hodie, hoc est*, ait, *in præsenti vita. In ciuitatem munitam, quia gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Et in columnam inquit ferream, de qua scribit Apostolus: columna & firmamentum veritatis; nec hoc sufficit, sed in murum ait æneum, qui nulla violatur rubigine, nec casus imbribus deperit; sed vetustate fit fortior.* Sic nostra sacra Religio antiquitate non corroditur, sed corroboratur, nouos fœtus, nouásque proles quotidie generans, ac pariens: *Nulla violatur rubigine, sed vetustate fit fortior.*

Carmeliticæ familiæ, etsi perantiquæ, fœcunda tamen.

Ierem. 1. Hieron.

Ait Ioannes Apocalyps. 22. num. 1. Quod Angelus. *Ostendit mihi fluuium aquæ vitæ procedentem à sede Dei, & Agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Per hoc lignum vitæ in mystico sensu liceat mihi Sacram Carmelitarum Religionem interpretari. Per fluuium Richardus, & Ioachimus Abbas gratiam Dei interpretantur. Hugo verò Cardinalis Dei benignitatem *procedentem à sede Dei, & Agni.* Quænam Dei sedes, & Agni, Beatissima Virgo Maria est: *sedes tuus Deus in sæculum sæculi.* Psalm. 44. num 7. *Parata sedes tua ex tunc.* Psalm. 92. num. 2. Sicque communiter Patres loquuntur, Guarricus, Abbas sermone 1. de Annunt. *Vt cum*, ait, *regalis sedes in aula virginali Regina susciperet Matris.* Benignitate nempe Sacratissimæ Virginis Mariæ, sua pia intercessione semper hæc sacra Religio irrigatur, ac fœcundatur.

67. Apoc. 22. Explicatur citatus locus de Religione Carmelitana. Psalm. 44. Psalm. 92.

Ex vtraque parte fluminis. De vtroque testamento nouo, & veteri interpretantur Ansbertus, & Hugo, ex vtraque pagina stetit, & floruit hæc nostra sacra Religio tam ex testamento veteri, quam nouo. *Lignum vitæ*, quæ semper protulit fructus vitæ iustitia, sanctitate, ac prædicatione Euangelica. De Parente Elia pro magno elogio decantatur: *Prophetas facis successores post te.* Eccles. 48. num. 8. Explicat Palatius *successores post te spiritu tuo.* Spiritus Eliæ dandi, ac communicandi vitam, vt patet in filio Sunamitidis. 3. Reg. 17. n. 22. facit successores post se in spiritu suo dandi vitam corporalem, vt videre est in Elisæo, dandi etiam vitam spiritualem, quod maximè suis factis multis exemplis comprobant filij eius.

68. Hugo. Ex vtroque testamento stat Religio. Eccl. 48.

Afferens fructus duodecim per menses singulos. Ansbertus; fructus, virtutes in sanctis interpretatur; Andreas Cæsar. *Perennem fructuum futuram dicit.* Duodecim mensibus clauditur annus, ac proinde duodenarius numerus quandam vniuersitatem significat, ferens fructus duodecim per singulos menses, id est per omne tempus: nostra sacra Religio per omnes menses, per omnésque ætates, ac sæcula magnos virtutum fructus protulit exercitu glorioso Martyrum, Doctorum, Confessorum, ac Virginum. Vnde de ea dicam: *Quasi palma exaltata sum.* Eccles. 24. num. 18. De Palma scribitur: *Quod ad singulos Lunæ ortus, singulos etiam ramos procreat, itaut duodecim ramorum productione annus expleatur. Quocirca Ægyptij annum*

69. Ansbert. Andreas. Eccl. 24.

indicantes pingebant palmam. Vt inquit Horus Apollo in Hieroſ. cap. 3. Apollo.

70. *Afferens fructus duodecim per menſes ſingulos*; ſupra quod D. Primaſ. *In duodecim menſibus*, ait; *omne tempus inſinuat, & perpetuitatem omnino deſignat.* Duodecim fructus per ſingulos menſes quandam perpetuitatem, ac perennitatem ſignificant in omni tempore, & ſæculo; Religio autem Carmelitana gaudet perpetuitate. Hanc enim Beatiſſima Virgo Maria promiſit S. P. N. Petro Thomæ, vt in eius feſtiuitate die 29. Ianuarij legitur in noſtro Breuiario approbato à Summis Pontificibus Vrbano VIII. & Innocent. X. lect. 5. ad Matutinum. Sic ei ait B. Virgo: *Confidito Petre, Religio enim Carmelitarum in finem vſque ſæculi eſt perſeueratura. Elias namque eius inſtitutor iam olim etiam a Filio meo id impetrauit.* Primaſ. *Ex conceſſione B. Virginis Religio Carmelitana gaudet perpetuitate.*

71. *Et folia ligni ad ſanitatem gentium.* Folia ligni veſtimenta ſunt, veſtimenta, ſeu Sacrum ſcapulare ordinis Carmelitici ad ſanitatem gentium eſt, vt ait Paulus V. Pontifex Max. in feſtiuitate Comment. die 16. Iulij. *Vt cœleſti hac veſte ordo ille ſacer dignoſceretur, & à malis ingruentibus protegeretur.* Cum ergo hæc ſacra veſtis data ſit à B. Virgine Maria noſtro B. Simoni Anglico, quid mirum; quod eius pia interceſſione tot donis, ac gratiis repleatur, & abundet; ex precibus tam piiſſimæ Matris omnia bona redundant, ac diffunduntur. Paulus V.

71. Matth. 9. Ioan. 11. Luc. 7. Tres mortuos Chriſtus ſuſcitauit, filiam Archiſynagogi, Matth. 9. n. 25. Lazarum, Ioan. 11. num. 44. & filium viduæ Naim Luc. 7. num. 14. Maximè tamen ponderandum eſt, quod ad ſuſcitandam filiam Principis, vel Lazarum multas moras interponit Ieſus. Ad filiam Principis trahit moras, in itinere curat mulierem, quæ fluxu ſanguinis laborabat, & cum venit ad domum eiicit turbam, ad Lazarum verò cum venit, cum illius ſororibus longum habet ſermonem; adoleſcentem vero abſque vlla cunctatione è mortuis ad vitam reuocat, atque illi: *Adoleſcens tibi dico ſurge?* Cur cum aliis tot dilationes, cum hoc verò iuuene tanta feſtinatio: Ait Euangeliſta: *Cum appropinquaret porta ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ, & hæc vidua erat, quam cum vidiſſet Dominus miſericordia motus, ait illi: noli flere.* In hoc iuuene intercedebant rogationes, ac fletus matris, & vbi adſunt matris rogationes, non poteſt eſſe dilatio, ſed celera, ac feſtina erogatio, quam cum vidiſſet Dominus miſericordia motus eſt. D. Ambr. ibi: *Vt citò flecti diuinam miſericordiam matris vidua lamentatione credamus.* Interueniunt preces SS. Virginis Matris pro hac ſua familia, inde in eam dimanant quamplurima bona ac dona. Ambroſ. *Precibus B. Virginis dilatur Carmelitica familia.*

73. Sacta hæc veſtis data eſt à Sanctiſſima Virgine, ac proinde quidquid boni eſt, ſecum aſportat. Ait Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis: *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.* Matth. 6. num. 28. Veſtis Salomonis ex auro, & lapidibus pretioſis intexta, quomodo ergo liliorum coopertura illuſtrior, & excellentior. Hugo ex D. Chryſoſtomo: *Salomoni homines miniſtrabant veſtes, iſtis autem*, ſcilicet liliis *Deus.* Veſtis autem à Deo data ſecum omnia bona inuoluit, ac communicat. De Beatis ait Ioan. Apocal. 6. num. 11. *Data ſunt illis ſingula ſtola alba.* De amictu cœleſtis gloriæ ſolum dicitur, quod ſint datæ ſtolæ albæ. Cur non exprimitur earum excellentia, vt deſcribuntur muri, & portæ ciuitatis ex auro, & gemmis pretioſis. Apocal. 21. num. 12. Dicuntur datæ ſtolæ albæ à Deo, & cum ſint à Deo datæ, ibi omnes magnum, & ſublime innuitur, & ſignificatur. Apoc. 21. Hugo. Apoc. 6. *Veſtis data à B. Virgine omnia dona ſecum habet.*

Matth. 25. *num.* 8. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.

Num. 9. Reſponderunt prudentes dicentes: ne fortè non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.

VERSIONES.

Arabic. n. 8. Inſipientes autem.

Vatablus. Fatuæ autem prudentibus dixerunt.

Syriacus. Date nobis ex oleo veſtro: ecce enim lampades noſtræ extinctæ ſunt.

Syriac. n. 9. Reſponderunt hæ ſapientes.

Arabicus. Non eſt nobiſcum quod ſufficiat nobis, & vobis.

Vatablus. At prudentes reſponderunt dicentes: Nequaquam, nequando non ſufficiat nobis, & vobis: quin ite potius ad venditores, & emite vobis ipſis.

Caietanus. Nequando non ſufficiat nobis.

EXPOSITIO IV.

STVÆ autem. Rectè fatuæ; quia oleum non ſibi prouiderunt, & de alieno oleo voluerunt lucere. *Sapientibus dixerunt.* Cum adornare lampades ſuas iam non poſſent, nec oleum haberent, quo eas ardentes tenerent; *Quia lampades noſtræ extinguuntur.* Cum enim vſque ad mediam noctem arſerint, iam oleum quod inerat pene erat conſumptum. Emblema parabolæ eſt, vt per illud reprobetur tarda reproborum pœnitentia, quod valdè ſero dolebunt de negligentia ſua in præſenti vita: *Lampades noſtræ extinguuntur.* Reuera extinctæ erant in vera, ac viua fide, charitate, ac bonis operibus, dicunt tamen, extinguuntur, quia mentes eorum in hac vita videbantur lucere in oculis hominum, tamen in morte, ac extremo iudicio hæc omnia euaneſcent, & apertè apparebit in eis omnis ſpecies, ac ſpes ſalutis & virtutis extincta, ac deperdita. 74. *Senſus parabolæ.*

Reſponderunt prudentes dicentes. Emblema parabolæ eſt quo ſignificatur, electos in die iudicij non eſſe flectendos reproborum precibus, nec 75.

eis

Hieron. eis opera, & auxilia allaturos. Nam vt ait D. Hieronymus. *Non possunt*, inquit, *in die iudicij aliorum virtutes aliorum vitia subleuare.* Similiter D. Chrysostom, D. August. D. Gregor. Interlin. & alij. Significatur ergo per hæc verba, oleum bonorum operum emendum esse in hac vita proprio labore, ac merito.

Chrysost. August. Gregor. Interlin.

76. Quinam sint vendentes. August. Gregor.

Ite potius ad vendentes. Hæc verba à prudentibus ad fatuas dicta tanquam per irrisionem interpretantur. D. August. serm. 23. de verbis Domini. D. Gregor. homil. 21. qui ait: *Venditores olei adulatores sunt. Qui enim accepta gratia vanis suis laudibus nitorem gloriæ offerunt, quasi oleum vendunt.* Tanquam irridendo ad eos, qui suis laudibus eas decipiebant, mittunt. D. Chrysost. in Imperfecto homil. 52. Sacerdotes intelligit. *A sanctis verò*, ait, *mittendas ad venditores, id est Sacerdotes, nam Sacerdotes charitatem, & gratiam veluti vendunt; cum Sacramentum pœnitentiæ, & alia administrant.*

Imperfect.

Origen. Origenes verò homil. 32. Doctores accipit: *Ite potius & ab eis accipite.* Scilicet doctrinam bene operandi, ac vitam æternam comparandi. Tertiò, & vltimò, venditores sunt pauperes. D. Chrys. homil. 79. *Vides*, ait, *quanta sit nobis à pauperibus negotiatio: pauperes autem non sunt ibi, sed hic; ideo oleum congregare oportet, vt illic vile sit.* D. Cæsarius Arelat. homil. in præsenti: *Pauperes*, ait, *sunt negotiatores, qui oleum lampadibus necessarium vendunt, per ipsos hoc negotium Christus exercere consuevit.*

Chrysost.

Cæsar.

QVÆSTIO XIII.

Quare cum fatuæ à prudentibus oleum postulant, non prudentes, sed sapientes vocant?

77. Sapientia habitus excellentior prudentia.

HIS decem Virginibus, quinque dicuntur fatuæ, & quinque prudentes, tamen cum fatuæ hic cum prudentibus loquuntur non prudentes, sed Sapientes vocant: *Fatuæ autem sapientibus dixerunt.* Sapientia excellentior, ac nobilior habitus est, quàm prudentia, sapientia enim cognoscit res per altissimas causas, vt docet Diuus Thomas 1. 2. q. 57. art. 1. in corpore. Prudentia verò tantum est ratio agibilium hic & nunc, vt citat. q. art. 3. traditur. Cur ergo non prudentes, sed illustriori vocabulo sapientes vocant.

D. Thom.

78. A quo aliquid petitur, reuerentias ei non debitas damus. 1. Reg. 10. Septuag. Carthus. Abulens. Mendos.

Respondeo, quod cum fatuæ aliarum Virginum oleo indigerent, inde angustiori vocabulo eas nuncupant, maiorémque honorem, quàm aliàs illis erat debitus, exhibent, vt frequenter fieri solet in hoc sæculo, cùm alicuius ope laboramus amplissimos titulos, profundásque reuerentias etiam non debitas illi impendimus. Postquam Saül vnctus est à Samuele in Regem, dedit ei pro signo regni, quod discedens ab eo, & veniens ad quercum Thabor inueniet tres viros ascendentes ad Deum in Bethel. *Cumque te salutauerint, dabunt tibi duos panes.* 1. Reg. 10. num. 4. Septuaginta legunt: *Dabunt tibi duas primitias panum.* Nam vt docent Abulens. Carthusianus, Mendosa, quod hi homines ibant ad sacrificandum Deo, ideo non dicitur tantum quod ascendebant in Bethel, sed *ad Deum in Bethel* pro primitiis fructuum terræ deferebant duos illos panes. Cur pro signo regni datur Saül à Samuele, quod viri illi dabunt ei primitias fructuum terræ (deferebant duos,) quæ tantum Deo sunt debitæ, & ideo ad templum afferebantur, nullum sanè maius signum poterat pro regni vnctione exhiberi, cum valdè in vsu positum sit, vt regi ab aulicis suis maiores honores, ac applausus exhibeantur, quàm ei conueniant, & inde primitias, quæ solum diuino numini conueniunt, eíque sunt debitæ, mortali homini pro regni auspicio præbentur.

Pro signo regni assignatur Dei oblatio homini data.

Ingreditur Esther ad Assuerum, vt pro populo suo exoret. Residebat Rex in regali solio, *eráque terribilis aspectu.* Esther 15. num. 9. vt ardentes oculi furorem pectoris indicarent, vnde ingressa Esther corruit, & consternato animo tota exanimata, deliquium passa est, cum tamen animum concepisset, sic ad eum loquitur: *Videte Domine quasi Angelum Dei. Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* Quomodo hæc cohærent? Scriptura ait: *Erat terribilis aspectu, ardentibus oculis.* Esther verò ait, quod sit totus ille pulcher, ac gratiosus vt Dei Angelus, illiúsque facies gratiarum plena. Sapienter M. Celada ibi. Quod Esther *adulentius rationem regi dedit.* Esther cum rege negotium habebat, ab eóque rem magnam impetrare volens, inde de eo super eius conditionem magna, ac sublimia profert, & quamuis ei esset torua, horrenda, ac terribilis facies, de ipso tamen testatur, quod sic totus erat formosus, ac placidus veluti Angelus Domini gratiam, & benignitatem diffundens. Vide in indice Verbum *Adulatio.*

79. Esther 15.

Celada.

QVÆSTIO XIV.

Quare fatuæ Virgines dicunt, date, non verò vendite, vel accommodate?

80. Sæpè homo hoc contentus est, quod dicat, & loquatur.

IN extrema necessitate versabantur Virgines fatuæ, tamen non petunt, nec fusis lachrymis obsecrant oleum à prudentibus, sed tantum dicunt, *date nobis.* Fortè, quia fatuus & insipiens, quamuis vehementi prematur necessitate, hoc contentus est, & quiescit, quod dicat, & loquatur. Præcipiebatur in lege, vt leprosus extra castra poneretur, & additur: *Habebit os veste contectum, & contaminatum, ac sordidum se clamabit.* Leuit. 13. n. 45. solum ori assignatur remedium, cum tamen lepra non esset in ore, sed in corpore. Ori tamen præscribitur remedium, quia si ille habeat os vt dicat, & loquatur, hoc erit ei pro consolatione, ac magno leuamine.

Leuit. 13.

81. Sæpè homo reputat aliena sibi non dari, sed deberi.

Ad quæstionem profundè notat Euangelista, quod fatuæ Virgines non petunt, sed dicunt, cum tamen occasio esset summi negotij, vt ad nuptias admitterentur, vel excluderentur; tamen nolunt se submittere, vt lachrymas fundant, ac petant, siue à sponso, siue ab aliis Virginibus suis sociis, sed tantum dixerunt: *date nobis.* In imperatiuo *date*; sic enitebantur in amicitia, ac societate aliarum Virginum, vt sibi persuaderent oleum tanquam ex iure debitum, eis dandum esse, & ideo non petunt, sed cum imperio, ac arrogantia dicunt: *date nobis*, quæ consuetudo apud multos valet vt sibi persuadeant rem esse illis impendendam, non vt dono datam, sed tanquam ex iustitia persolutam. Mortuo Iacob congregantur filij eius, &

considerantes quantam iniuriam intulissent in venditione Ioseph, cui subiiciebantur; dicunt ei: *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus, obsecro, vt obliniscaris sceleris fratrum tuorum.* Gen. 50. num. 16 quod falsò, ac fictè nomine Patris dixerunt, vt docent. Abulens. Lyran. Cornel. & alij, vt veniam obtinerent, sed cur hanc non proprio, sed Patris nomine sollicitantur? Si proprio nomine indulgentiam negotiarentur, peterent; cum verò Patris nomine proponunt, vt debitam, & minimè negandam assequi volunt.

Gen. 50. Abulens. Lyran. Cornel.

81. Secundò dicunt: *Date*, non vendite, cum enim essent fatuæ, omnia bona gratis absque vllo laborum stipendio, vel sumptu sibi obuentura expectabant, & inde pereunt ac à nuptiis excluduntur, quod eleganter ponderauit D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 7. illæ Virgines in Euangelio, ait, quas veniens sponsus exclusit, ideo foris relictæ sunt, quia venale oleum non emerunt; vnde dicitur eis, ire potius ad vendentes. Tertiò. In hoc vt fatuæ se habent, dum dicunt: *Date*. Nam si dicerent, vendite, forsitan impetrassent, nam dare difficile est, vendere verò dulce, & suaue.

Ambros.

82. Quartò. Virgines fatuæ non commodatum petunt, vt vir ille Euangelicus, cui media nocte amicus venit de via, ad ostium alterius amici pulsat dicens: *Commoda mihi tres panes.* Luc. 11. num. 5. sed tantum dicunt: *date*. Quamuis fatuæ hanc tamen habuerunt vrbanitatem, vt oleum non peterent commodatum sed datum, cum vnde illud redderent, non haberent, potiùs elegerunt vt carentes oleo à nuptiis excluderentur, quam vt deficientes in verbo dato mendaces inuenirentur, cum essent insufficientes, vt mutuatum oleum soluerent.

Luc. 11. *Homo non defraudatur à verbo suo.*

83. Cum Dominus vellet destruere peccatrices ciuitates intentat Abrahamus consequi indulgentiam à Domino, & init pactum cum Deo, quod si inuenti fuerint quinquaginta, quadraginta, triginta, viginti, ac tandem decem iusti, quod ciuitates non deleantur. Abrahamus videns Deum tam benignum, ac propitium, cum per tot numeros descenderit vsque ad decem, cur etiam non progreditur, vt vsque ad quintum deueniat. Cum Patriarcha à sua eximia charitate maximè impelleretur, vt pro illis miseris hominibus loqueretur, ac deprecaretur. Abrahamus cum ad numerum denarium deuenit, promisit se amplius non loquuturum. *Obsecro inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc semel: quod si ibi inuenti fuerint decem.* Genes. 18. num. 32. Lypomanus: *Patriarcha promiserat semel tantum se locuturum.* Spopondit se amplius non locuturum, inde ad quintum numerum non deuenit, volens potius vehementiam suæ charitatis, ac propensionis naturæ reprimere, quàm in dato verbo deficere: dicens, & loquens vltra id, quod promiserat.

Homo adimpleat promissa, & illa non desit. Gen. 18. Lypoman.

84. Cum Christus Dominus deuenisset ad montem Caluariæ. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cum gustasset, noluit bibere.* Matth. 27. num. 34. Christus Dominus tormentorum valdè sitibundus erat, ita vt omnia tormenta ei parua, & pauca viderentur. Cur ergo non hibit. Cum Christus Dominus esset in cœnaculo cum suis discipulis, in cœna Agni Paschalis, vt volunt Franciscus Lucas, & Cornelius à Lapide, ait illis: *Dico autem vobis non bibam à modo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Matth. 6. num. 29. Cum Christus Dominus dixisset, quod de fructu vitis non esset bibiturus ante suam resurrectionem, cum ergo vinum, seu acetum sit de genimine vitis, noluit ipsum bibere, decernens potiùs seipsum priuare à dulcedine, ac suauitate pœnarum, dolorum, ac tormentorum, quàm in illis sustinendis degustabat; quam verbo suo dato, aliquantulum repugnare, illique plenè, ac integrè non satisfacere.

Matth. 27. Franc. Luc. Cornel. *Christus promissa adimplet.*

QVÆSTIO XIII.

Quare fatuæ à prudentibus petunt, non de alieno oleo, sed de proprio?

86. PRVDENTIBVS dicunt fatuæ: *date nobis de oleo vestro*, quæ verba illustrè commentatur Origenes tract. 22. *Quid est*, ait, *quod tunc à prudentibus oleum petunt? nisi quod in aduentu iudicis, cum se intus vacuas inuenerint, testimonium foris quærunt. Ac si à sua fiducia decepta proximis dicant: quia nos quasi sine opere expelli conspicitis, dicite de nostris operibus, quod vidistis.* Cum fatuæ se viderent sine oleo bonorum operum, magnificas aliorum testificationes ambiunt, & exquirunt, vt illis illustrentur, ac nobilitentur.

Origen. *Destituunt operibus aliorum quærit testimonia.*

87. Secundò, Eusebius Emissen. hom. 7. ad Monac. *Et quidem*, ait, *illæ stultæ Virgines, quamuis stultæ essent, non tamen alienas extinguere, sed suas lampades illuminare cupiebant.* Quamuis Virgines essent fatuæ, non tamen intendebant illustres sodalium lampades extinguere, sed à suis obscuritatem depellere, cásque simili aliarum fulgore accendere, non enim præsumunt de aliarum extinctione splendescere, sed sat illis est, quod similit lumine, ac aliæ niteant, & fulgeant. Tertiò, & ex oppositò dicam fortè. Cum essent fatuæ oleum bonorum operum detrahere volebant à prudentibus, vt ita non tam fulgeant exigua suarum lampadum luce, quàm aliarum extinctione; splendescere curant non tam lumine proprie, quam alieni diminutione: aliarum luces detracto oleo extinguere satagunt, vt plus splendeant de alienæ lucis subtractione, quàm de proprio fulgore.

Emissen. *Sat est quod fulgeat, vt alij.* *Fatuus nititur lucere ex aliorum obfuscatione.*

88. Quartò. Fatuæ petunt à prudentibus, *date nobis de oleo vestro*, fatua sane petitio dum de proprio oleo satagunt sibi prouidere; si ipsæ vni ex prudentibus dixissent, vt ex sodalium oleo aliquid eis impenderet, forsitan optata obtinerent, nam dare ex proprio valdè arduum, ex alieno verò facilius.

Dare ex proprijs difficile, ex alijs facile.

89. Cum Dauid fugeret à facie Absalon occurrit ei Siba seruus Miphibosæt afferens ei quædam certa alimenta, centum ligaturas vuæ passæ, & centum massas palatharum, ab eo quæ fuit Dauid, vbinam esset Dominus suus, cui falsò dixit Siba, quod partes Absalon sequebatur, quo audito, absque alio præuio examine ait ei Dauid: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphibosæth.* 2. Reg. 16. n. 4 Cum Dauid esset in eadem Absalonis persecutione. Berzellai Galaadites præbuit regi, ac exercitui suo alimenta in castris. 2. Reg. 19. n. 32. Ab eóque postulauit Dauid, vt cum eo descenderet in Ierusalem, à quo ipse se excusauit cum iam valde senex esset; nec inuenies, quod Dauid Berzellai,

2. Reg. 16. 2. Reg. 19.

zellai,ac filiis eius aliquid, cum viueret, elargitus fuisset, sed tantum testamento ordinauit filio suo Salomoni, vt filiis Berzellai redderet gratiam.

3.Reg.2. *Erúntque comedentes in mensa tua*,3.Reg 2.num.7. Cur Dauid Siba homini vili,ac famulo pro patuo obsequio largissimam dat satisfactionem, omnia nempe bona vnius principis. *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* At Berzellai pro amplissimo famulatu,quod ipsi,ac exercitui eius alimenta ministraret, nil ei rependit in vita, sed tantum testamento ordinat? Siba citò persoluit, aliena bona concedebat Miphiboseth nempe;at verò Berzellai serò, & lente ex propriis suis mercedem assignabat cibo dato ex palatij alimonia; & sicut facilè, ac prompta voluntate aliena expenduntur, sic difficilè, ac renuente animo propria dantur, ac exhibentur.

Qvæstio XVI.

Quare dicunt lampades extingui, & non potius extinctas esse?

90. Dixerunt fatuæ, lampades nostræ extinguuntur,cur non potius extinctæ sunt,nam in die iudicij reproborum lampades,seu conscientiæ extinctæ absque virturum lumine apparebunt,

Origen. vt dixi in expositione. Respondet primò Origen. homil.31.in Matth. *Lampades fatuarum,*ait,*Virginum extinguuntur, quia earum opera,quæ clara hominibus foris apparuerunt, in aduentu iudicis intus obscurantur.* Reprobi sæpè in hac vita in hominum oculis videbantur lucere,ac nitere, tamen in hora mortis, ac aduentu iudicis eorum obscuritas, ac obtenebratio in omni virtute, ac bono prodit, & manifestatur;licet enim multi luceant in mundo, in oculis diuini iudicis obfuscati, ac obtenebrati apparent.

91. Secundò. Non habebant oleum eleemosynarum in pauperes, & licet Virgines essent,cum tamen oleo illo carerent, à nuptiis excluſæ sunt.

Eleemosyna est oleum,quo omnes virtutes lucent. Hysichius. Hysichius ad c.Exod.25. *His lucernis oleum*, ait, *eleemosyna est, quia & ieiunium,& virginitas,& oratio,& iustitia, & omnis actio bona per misericordiam dilectionis pauperum, irrigatur, & custodiuntur inextinguibiles, quod manifestant lampades quinque fatuarum Virginum,quæ quia dilectionis pauperum minus habuerunt oleum, à Sponso exclusæ sunt.* Earum virginitas sine oleo misericordiæ non potuit lucere,ac placere Deo.D.Chrysost.homil.de Verbis

Chrysost. Apostoli: *Sicut enim*,ait, *lucerna lumen oleo retinetur,& consumpto eo ipsum quoque lumen consumptum euanescit: ita etiam spiritus gratia, quantisper habemus,manet non aliter,quam flamma oleo retenta. Quæ si non adsit, recedit à nobis, & abit.*

92. Tertiò. D.Hieron. *Quæ lampades*,ait,*quæruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere, & tamen non*

Hieron. *Qui in bono non proficit, peritt.* *habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. Si quis igitur habet animam virginalem,& amator pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ citò exolescunt,& exorto caumate arefiunt,sed perfectas virtutes sequatur.* Quod etiam docet D.Paschas. reprobantur,& excluduntur Virgines à nuptiis; non quod malè aliquid fecerint, sed quod pigræ fuerint, & in bono non profecerint. Vide c.10.n.51. & c.23. n.71.& c.19. n.43.44.& 45.

93. Quartò. Rupertus lib.2. in Ioan. *Intus*,ait,*quidem habent prudentes virgines humilitatis, vel charitatis oleum: foris autem & maximè ad tandem frequentiam nuptiarum, lucentes suas lampades non afferunt. Ibi enim citius vento miseræ vanitatis extingui possunt.* Non excluduntur Virgines fatuæ,quia foris progrediebantur, nec quia in nuptiis aderant, sed quia vento vanitatis earum lampades erant extinctæ, vanitate laborabant. Vnde oleum non petunt, sed cum imperio dicunt: *Date nobis de oleo vestro.* Tanto vanitatis vento agitabantur. Quo nil citius lampades extingui poterant. Vide in Indice Verb. *Gloria vana.* Quintò. Vt fatuæ dicunt, ac loquuntur, lampades nostræ extinguuntur,quod ex earum pigritia, ac incuria prouenie-

Vanitatis vento extingui lampades. bat,non enim sumpserunt oleum secum, & tamen totius rei culpam ad lampades referunt,quod extinguerentur. Vide suprà c.9. n.17.& 36.& c.10. n.19 c.34.n.50.c.45.n.19.

94. Sextò.Saluian.lib.2.ad Ecclesiam Catholicam: *Emicuisse*, ait, *in eis quiddam luminis puto, cum & ipsa extinguendas forte lampades formidauerint: habebant profectò aliquid,quod verebantur extingui: ex quo intelligimus: id,quod parum est, quasi nihil esse: quia nequaquam omnino prodest illico extinguendum lumen accendi.* Lampades adhuc viuido lumine fulgebant, adhuc oleum penitus non defecerat. Cur tamen solicitè se exhibent, vt illis oleum prouiderent? Parum erat olei, & quod parum est pro nihilo reputatur; adhuc lampades coruscabant;at verò cum oleum iam deficeret,pro nihilo lux illa reputabatur, nam lucis gloria,quæ breuiter extinguenda est,nulla æstimatione pensanda, sed pro nihilo appendenda est.

Saluiani.

Lux citò deficiens pro nihilo reputanda.

95. Apparent Regi Balthassari literæ descriptæ in pariete: *Thecbel appensus est in statera,& inuentus est minus habens*, Daniel.5.n.25. Quomodo Rex valdè potens cum amplissimo imperio dum appenditur, inuentus est minus habens? Immediatè sequitur. *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis,& Persis.* Nocte enim illa à Persis, ac Medis superuenientibus expoliandus, ac excludendus à regno erat, gloria autem regni, quæ tam

Daniel.5. *Gloria regni citò extinguenda, pro nihilo pensanda.* breuibus horis abolenda, ac deficienda erat, ac si nulla existeret, diiudicatur.

96. Sextò. Ad citata verba Saluiani, lampades non extinctæ, sed extinguebantur ob paruitatem olei, in proximo erat, vt deficerent, & inde tam solicitæ erant de oleo, nam vt ait Saluian. *Id quod parum est quasi nihil esse.* Conqueritur Deus per Amos 5.n.25. *Nunquid hostias, & sacrificium obtulisti mihi in deserto,quadraginta annis domus Israël?* Quomodo hæc cohærent cum his, quæ dicuntur Exod.24. num.5. *Misit Moyses iuuenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolauerúntque victimas pacificas Domino vitulos duodecim?* Præsens locus Exodi oblatas victimas, ac sacrificia à filiis Israëlis in deserto testificat, peculiaritérque duodecim vitulos mactatos dicit: Amos verò negat sacrificia facta,& hostias oblatas,fortè ne hæc inueniuntur contraria, cum vnus locus affirmet, alter neget? Nulla sanè est contradictio, sed summa vniformitas. Caietan.ad citatum cp.24.Exod.

Amos 5. Exod.24. Caietan. *Actus virtuosum, qui non perseuerat, vix æstimatur apud Deum.* *Si quæritur*, ait, *quomodò verificatur hoc cum verbis Amos? Solutio est, quod in deserto fuerunt rara sacrificia, quæ non aduersantur sententiæ Amos loquentis de lugi sacrificio, & solitis in terra promissionis hostiis; neutrum horum fuit in deserto quadraginta annis.* Verum est,quod in deserto oblatæ fuerunt victimæ, tamen in spatio tam longi temporis quadraginta annorum raro,& semel; Amos verò ait quod non fuerit sacrificium, quia in deserto

ſerto non extiterunt hoſtiæ quotidianæ mane, & veſperi, vt offerebatur in templo, ſed fuit ſacrificium rarum, & quaſi horarium abſque ſui continuatione, oblatio autem victimarum, ac virtutum actus, qui raro, & ſemel fit, ſuique non habet perſeuerantiam, ſed intromittitur, ſic aliquando reputatur, ac æſtimatur, ac ſi nunquã fuiſſet factus.

97. Sextò moraliſſimè dicam. Fatuæ fuerunt Virgines dum dicunt: *Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur.* Qui petit ſi vult obtinere, non dicat omnia bona ſua extincta, ſed multa ſibi citò obuentura; ſi enim dicas, da mihi mutuo decem aureos, quia nihil habeo, non inuenies; ſi verò dicas, da mutuo, quia citiſſimè multa & ampliſſima ſpero, omnia inuenies, & tibi ſuperabundabunt. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo,* Matth. 25. n. 29. Villicus ille, cuius prudentia commendatur à Domino: *Laudauit Dominus Villicum iniquitatis,* Luc. 16. n. 8. Cum præcognouerit, quod debitores Domini ſui futuri erant neceſſarij, tunc maximè ſe præpotentem, ac in gratia Domini ſui ſe declarauit: Magnis cautionibus, multa debita dimittens, vni quinquaginta cados olei, alij verò viginti coros tritici, vt ſic nihil ei deficeret, ſed omnibus ſuperabundaret, cum tam potens in donis diſtribuendis eſſet.

Potens non oſtendat ſuam extremam indigentiam.

Matth. 25.

Luc. 16.

QVÆSTIO XVII.

Quare prudentes Virgines tam rigidas ſe exhibent erga fatuas, vt nec illis tantillum olei velint porrigere.

98. CVM miſer ad virum magnanimum, ac benignum confugit, ſtatim ab eo in ſuis angustijs impetrat remedium: quomodo ergo Virgines fatuæ in ſua oppreſſione leuamen, ac ſubterfugium in prudentibus non inueniunt, cum eſſent illæ multum magnanimæ, miſericordes, ac piæ?

Ratio dubitandi.

99. Reſpondet D. Cæſarius Arelat. homil. in hoc Euang. *Tantus error*, ait, *& tanta exinanitio erit in die iudicij, vt etiam illi, qui oleum miſericordiæ ſe intelligunt abundantius præparaſſe, metuant ne eis poſſit ad omnia peccata redimenda ſufficere.* Abundantiſſimam, & ſuperfluentem olei copiam ſibi prouiderant prudentes, cur tantillum fatuis ſodalibus non concedunt? Aſtabant expectantes rigoroſi iudicis aduentum, in cuius tremendo iudicio quælibet ſuperabundantia inopia apparebit, & licet pleniſſima bonorum operum vaſa haberent, illorum tamen vacuitatem timent: quamuis enim quis ſit iuſtus, & multa merita comparauerit, tamen cum ad Chriſti tribunal vocatur, multum dubitat, an ſufficienter ſibi prouiderit.

D. Cæſar.

In ſtricto Chriſti iudicio inſtum timor ſufficientiã ſuorũ meritorũ.

100. Secundò. Ipſæ fatuæ ſemetipſas omni remedio incapaces reddiderunt, ex mora enim ſponſi, *moram autem faciente Sponſo*, quæ ex illius benignitate data eſt, vt ſe oleo præpararent, inde ad ſuam pigritiam, ac dormitionem occaſionem deprompſerunt: & qui ex pietate allicit motiuum ingratitudinis, ac nequitiæ ſuæ itremiſſibiliter damnatur, & perit. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me,* Iſai. 1. n. 3. Ex ipſa exaltatione, ob quam debebant eſſe ſoliciti in Dei obſequio deteriores facti ſunt. D. Zeno ſerm. 5. de Iſaia: *Iudaicum populum*, ait, *vniuerſum ſalutis ſuæ præſidium amiſiſſe textus diuini carminis oſtendit, in quo eum non ſeueritas condemnat, ſed pietas.* Vide ſupra c. 30. num 39.

Maximè damnatur qui ex bonitate aſſumit peccandi occaſionem.

Iſai. 1.

Zeno.

Tertiò. Fatuæ multam fictionis ſpeciem præbuerunt, *ornauerunt lampades ſuas*: eas in exteriori pulchrè ornarunt, ac compoſuerunt, cum intrinſecus non haberent oleum, & qui ſine interiori virtutum oleo vult nitere, ac reſplendeſcere perit. Vide ſupra c. 5. n. 184. Quartò. Fatuæ omninò errauerunt in proſperitate, ac miſeria. In proſperitate, cum enim ſimul eſſent cum prudentibus earum exemplo non profecerunt, ac oleum in vaſis cum lampadibus non præparauerunt. In miſeria verò errauerunt, quia ad tribunal humanum prudentum, non verò ad diuinum confugerunt, nec in Deo, ſed in ſodalibus ſpem ſuam conſtituerunt, cum omne humanum patrocinium ſit valde friuolum, futile, ac ineptum. Vnde ait Ieremi. 17. n. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor eius.* Vide tom. 3. c. 1. q. 14 n. 93. 96. 97. & cap. 18. n. 82.

101. *Spes in Deo, & non in homine ponenda.*

Ierem 17.

QVÆSTIO XVIII.

Quare prudentes ad vendentes mittunt fatuas, & cum reſpondent, non dicuntur ſapientes, ſed prudentes?

PRVDENTES fatuis reſpondent: *Ite potius ad vendentes; & emite vobis*, non ſignificatur per hoc quod iudicij tempore ſit ſpatium emendi oleum bonorum operum, ſed quod tunc inutilis erit omnis pœnitentia: Ad vendentes mittunt, hoc eſt, ad Sacerdotes, Doctores, vel pauperes, vt dixi in expoſitione. Moralem ſenſum inquiro.

102.

103. Poſtulant oleum fatuæ à prudentibus: *Date nobis de oleo veſtro*; reſpondent prudentes, *Ite potius ad vendentes.* Explicant eis, quod oleum bonorum operum aliorum in die iudicij, vt ait D. Hieron. datus in expoſitione, eis non proderit; & etiam vt intimæ amicæ, ac ſodales in hoc eis verum aperiunt, quod oleum aliorum tempore iudicij aliis non prodeſt; & nullum maius amicitiæ ſignum, quam à falſo cogitatu aliquem diſſuadere. Secundò. Conſilium dant: *Ite potius ad vendentes.* Qui dare non vult, frequenter conſilium præbet. Vide tom. 2. cap. 5. q. 15. n. 109.

Aliena opera non proſunt in die iudicij.

104. Secundò. Inquirit quæſtio. Quare cum fatuæ ſodales vocauerint ſapientes: *Fatuæ autem ſapientibus dixerunt.* Ipſe cum reſpondent, non ſe dicunt ſapientes, ſed prudentes: *Prudentes autem reſponderunt?* Sapiens prudenti excellentior, vt iam notaui quæſt. 13. Inde Virgines cum magna ingenij ſagacitate non dicunt ſapientes, ſed prudentes, nolunt enim maiorem honorem, ac dignitatem, quàm illam, quæ eis decens, ac conueniens eſt.

Prudens non gaudet honore ſibi non debito.

105. Prohibuit Deus ne fierent imagines Solis, & Lunæ, ac idolorum: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum*, Exod. 20. n. 4. Et tamen has imagines homines adorauerunt. Mandauit Deus fabricare Cherubim: *Duos quoque Cherubim aureos, & prodactiles facias*, Exod. 25. n. 18. Quos iuſſit conſtituere tum in propitiatorio, vt patet ex citato loco, tum etiam in templo. 3. Reg. 6. n. 24. Et tamen nemo hominum eis adorationem præſtitit:

Exod. 20.

stitit: Fortè in hoc negotio interuenerunt ipsi Cherubim, cum enim sint valde sublimes mente, ac perspicacia renuerunt honorem eis impropportionatum, ac indecentem. Vide suprà c.27.n.80.

Cherubim renuit honorem indebitum.

Matth.25. num.10. Dum autem irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.

Num.11. Nouissimè verò veniunt reliquæ Virgines, dicentes: Domine, Dómine aperi nobis.

VERSIONES.

Syriac.n.10. Quum autem proficiscerentur emptum, venit Sponsus: & hæ, quæ paratæ erant, introierunt cum eo in domum chori.

D.Chrysost. homil.79. Postquam enim ad emendum profectæ sunt, venit Sponsus, & introierunt simul, quæ erant paratæ.

Imperfect. homil.24. Abeuntibus autem eis, ecce Sponsus venit.

Pagn.Vatabl. num.11. Postea verò veniunt.

Syriacus. Postremò verò venerunt, & illæ Virgines aliæ dicentes: Domine noster, Domine noster aperi nobis.

EXPOSITIO V.

106. *DVM autem irent emere.* Cùm autem abirent, ad emendum, seu comparandum meritorum oleum, vt explicant Hugo, Carthus. & alij. *Venit Sponsus*, sub cuius nomine ob indistum amorem intelligitur etiam sponsa. *Et quæ paratæ erant.* Recta conscientia oleo bonorum operum, *introierunt cum eo ad nuptias.* Seu vt habet Syriacus, in domum chori, hoc est, in domum nuptiarum, ac in festina gaudia nuptiarum: *clausa est ianua.* Non amplius aperienda, cum enim ingressi fuerint omnes admittendi, clausa erit malè præparatis, ac malè prouidis. Præsentis parabolæ emblemate significatur, quod in hac vita tempus beneagendi, operandi, ac merendi finitur, hoc enim clauditur in articulo mortis; ac proinde aduenientè Domino ad iudicium frustra reprobi erunt soliciti de meritorum operatione; vt ait D.August.serm.22.de Verbis Domini: *Non enim post iudicium patet præcum, aut meritorum locus.* D. Hieron. *Excesserat*, ait, *emendi tempus, nec adueniente die iudicij locus erit pœnitentiæ.* Dicitur verò quod quæ paratæ erant, intrauerunt ad nuptias, per quas summum beatitudinis gaudium explicatur, nam inter honesta mundi gaudia maximum gaudium habetur nuptiale.

Hugo. Carthus. Syriacus. August. Hieron.

107. *Nouissimè verò.* Postquam nempe ianua clausa est; *Veniunt reliquæ virgines*; fatuæ nempe empto oleo, ac lucentibus lampadibus. *Domine, Domine aperi nobis.* Hæc omnia dicuntur ad ornatum parabolæ. Geminatio hæc magnum indicat animi affectum. Emblemate verò denotatur, quod reprobi in die iudicij clausa ianua, prolata nempe sententia iudicis frustra summis precibus illius misericordiam implorabunt. Auctor Imperfect. hom.52. *Nihil*, ait, *eis proderit anxietas illa tunc incipientibus bene agere, cum tempus bene agendi concluditur. Nihil proderit ex necessitate repetita confessio eius, qui ex voluntate nec semel confessus est.*

Imperfect.

QVÆSTIO XIX.

Quare dum fatuæ Virgines vadunt emere oleum, venit Sponsus, & clauditur ianua?

108. MAXIMÈ ponderandum, quod dicitur in textu: *Dum irent emere venit Sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.* Cur non aduenit Sponsus, quando fatuæ erant præsentes, sed cum recedunt? Tanta felicitas obuenit prudentibus, vt aduenientè sponso admittantur ad nuptias, societas malorum non solum ipsismet, sed etiam aliis valde nociua, & ideo cum recedunt fatuæ, admittuntur in cœlo prudentes. Quæstio præsens est, quare dum fatuæ vadunt emere, venit Sponsus, & clausa est ianua. Et notandum, quod non exprimitur, à quo sit clausa. Erat enim porta cœli, ac iustitiæ, & illæ multum indignæ extabant, iustitiæ autem ianua per semetipsam indignis clauditur, vt eos reiiciat, ac excludat.

Iniquorum societas valde nociua.

109. Respondet primò Origenes hom. 32. *Quando*, ait, *debuerunt discere neglexerunt discere quod debuerunt, in ipso autem exitu vitæ suæ, dum disponunt discere comprehenduntur a morte, & propterea non ingrediuntur cum Verbo.* Valde mirum, quod dum Virgines vadunt emere oleum, vt lucido ornatu Sponsum excipiant, interea illis cœlestis ianua clauditur? Et quomodo dum oleum quærunt à cœli ingressu remouentur? Nonne illa comparatio olei, res virtutis erat? Equidem virtus erat, sed valde tardè extorta, & ideo non præualuit ad salutem. *Factum est autem, post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, Gen.4.n.3. Offert Cain Deo sacrificium, quod maximè ei displicuit, & vnde sic displicuit? quia post multos dies. D. Ambros.l.1.de Abel & Cain c.7. *Duplex culpa*, ait, *vna quod post dies obtulit, altera quod non ex primis fructibus, sacrificium autem à celeritate commendatur, & gratia.*

Origen.

Morositas deprimit virtutis opus.

Gen. 4.

Ambros.

110. Secundò. D. Bruno hom. de Virginibus: *Iham*, ait, *ad olei venditores, non pedibus, sed desiderio.* Ecce Virgines fatuæ ibant oleum emere, vt lucido lampadarum lumine exirent obuiam Sponso, & dum vadunt oleum comparare, venit Sponsus, ingrediuntur prudentes, clauditur ianua, & fatuæ à regni cœlestis aditu manent exclusæ. Quomodo hoc cohæret cum iis, quæ Theologi docent: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*? Imprudentes Virgines pro illa temporis occasione faciebant quod in se erat, vt oleum haberent, cum ad illud emendum profectæ essent, quomodo ergo denegatur illis gratia, & fauor regni cœlestis.

Bruno.

Non desiderium, sed operum executione obtinetur regnum cœlorum.

lestis. *Ibant ad olei venditores, non pedibus, sed desiderio.* Ibant ad emendum oleum, non affectu, & executione, sed proposito, & desiderio, non mirum ergo, quod exclusæ maneant à regno cœlorum, quod non desiderio, sed operum executione obtinetur. Vide suprà cap. 39. num. 20. 21. 22. & cap. 49. n. 46. 47. 48.

111. Paschas. Tertiò. D. Paschas. lib. 11. *Ne habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampades suas diceret, Nescio vos, quæ estis. Nec enim scribitur, quod cum lampadibus ornatis venerint, quia si fieri posset, vt vnquam diceret, Nescio vos.* Clamant verbis, Domine, Domine aperi nobis, at verò quod oleum attulissent, nunquam legitur, nuda verba sine operibus, Christo Domino non placent, si enim verbis operationum oleum adiungerent, in illa etiam extrema hora non repudiarentur. Quartò. Clauditur ostium, vt Dominus abscondat oculos, deneget aspectum, & vt absque venia vlla inferatur supplicium, nam si Dominus suis oculis videret, misericordiam impenderet, vt ergo in sua exclusione vltimam desperationem ebibant, luce diuinorum oculorum priuantur.

112. Hieron. Tertiò. D. Hieron. apud D. Thom. *Quisque pro suis operibus mercedem accipiet.* Prudentes ingrediantur ad nuptias, à quibus excluduntur fatuæ. Quod prudentes ingrediantur ad nuptias mitæ suauitatis, ac dulcedinis est. D. Gregor. Papa: Greger. *O si sapere in cordis palato possis quid dulcedinis habes, intrauerunt cum eo ad nuptias*; Quod verò fatuæ sint exclusæ, & ianua clausa, duræ, & rigidæ amaritudinis est.

113. *In cœlo attenduntur merita, in mundo auri munera.* Quandiu lampades erant extinctæ, quod Virgines fatuæ non admitterentur ad nuptias, esto; at verò postquam aduenerunt ipsis lampadibus lucentibus, ac exornatis, vt notat Abulens. quod excludantur, & ianua itremissibiliter sit clausa; res valde mirabilis. Porta cœli erat, & illæ indignæ vt admitterentur, ac proinde quamuis aduenerint fulgentibus manibus, ac plenis, non fuerunt ingressæ; si enim esset ianua huius sæculi quamuis immeritæ reperirentur, cum plenis manibus niterent, statim esset illis aperta, & patens ianua, vt admitterentur.

114. Apocal. 17. Vidit Ioannes duas mulieres: *Vnam sedentem super bestiam coccineam, quæ habebat capita septem, & cornua decem*, & statim additur, *Et mulier erat circumamicta purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso*, Apocal. 17 n. 4. Et quænam esset hæc mulier, quæ cum tanto apparatu ferebatur, statim explicatur: *Erat Babylon magna mater fornicationis, & abominationum terræ.* Extabat enim mater, ac generatrix sensualitatis, abominationum, ac omnium vitiorum totius terræ. Cap. verò 12. n. 1. ait, quod mulier apparuerit in cœlo: *Amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Et postea subditur: *Ecce draco magnus, & rufus habens capita septem, & cornua decem, & draco stetit ante mulierem, quæ erat pariturа.* Apocal. 12. n. 4. & inferius dicitur, *Et draco persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.* Mulier erat vestita Sole, & Luna, ac coronata stellis omnium virtutum, & contra ipsam insurgit draco ad eam deuorandam. Ex quo magna insurgit dubitatio. Mulier illa prima Babylonica dicta mater fornicationis, abominationum, ac omnium vitiorum, fertur sedens super bestiam, & mulier altera nitens splendore Solis, Lunæ, Stellarum omnium virtutum, ac donorum, multam à dracone patitur aduersitatem. Vnde tanta discriminis ratio? Babylonica quamuis mater abominationum composita erat auro, & lapidibus pretiosis, cum ergo ipsa multa haberet, vt daret, ac subornaret, inde à bestia, à mundo nempe extollitur, & sublimatur; at verò mulier amicta Sole, verum est quod nitebat omni virtute, merito, ac dono, tamen cum non possideret aurum, argentum, ac lapides pretiosos, vt largiretur, ac clam submitteret, inde multam aduersitatem, ac vexationem à dracone, mundo nempe sustinet, & patitur.

Mundus venerator vitia sub auri splendore, sanctos ille meritis persequitur.

Quæstio XX.

Quare Virgines fatuæ clamant non Sponsum, sed Dominum, dicentes? Aperi nobis?

115. *Impius proprio ore se damnat.* SÆPE in tota hac parabola introducitur Dominus sub nomine Sponsi: *Exierunt obuiam sponsæ, & sponsæ* Iterum: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit.* Deinde: *Dum irent emere, venit Sponsus.* Cur ergo in præsenti non sponsum, sed Dominum vocant. Non dicunt: Sponse, Sponse, sed *Domine, Domine?* Iusto sanè iudicio se proprio ore ab amantissimo nomine sponsi priuant, Dominum dicentes, eius supremam potestatem in ipsis excludendis recognoscentes.

116. *Sine charitate damnatur homo.* Bis pro magno affectu Dominum clamant, non verò ter; semel dicunt Domine in fide, iterum Domine in spe; & quia defecerunt tertiò, vt dicerent Domine in charitate, inde excluduntur à nuptiis, & damnantur. Vt supra dixi quæst. 16. num. 91.

117. *In Domino, non verò in ministro fatuus.* Et dicunt: *Aperi nobis.* Potius videbatur dicendum, mitte vnum ex seruis tuis aperire nobis. Et primò sic loquuntur ex insipientia, quia fatuæ erant, & debitam reuerentiam cum decenti vrbanitate nesciebant Domino referre. Secundò. Ex quadam astutia sic loquuntur, quia iudicabant, quod in sua necessitate non poterant habere remedium, ac subterfugium in seruo, sed tantum in Domino. Vide suprà cap 13. n. 15. & cap. 34. n 51. Tertiò. *Domine, Domine aperi nobis*, ac si dicant, Domine aperi nobis, fac ministri officium, vt nobis ianuam aperias: agnoscebant enim, quod vt ipsæ ascenderent, conueniens erat, vt Dominus descenderet; ex superiorum descensu paratur inferiorum ascensus. Vide suprà cap. 5. num. 110. & cap. 23. n. 6.

118. Chrysost. Quartò. D. Chrysost. homil. 22. *Respice mihi*, ait, *quinque virgines exclusæ, & quare pro ipsis non deprecatus? Propterea quod seruato magno virginitatis munere, mandatum humilitatis parum non custodierunt.* Clamant fatuæ Virgines, Domine aperi nobis, & non exaudiuntur, clamat & mulier Chananæa pro filiæ suæ salute, & audit à Domino, *Fiat tibi sicut vis.* Quænam huius rei causa? Chananæa clamabat cum multa humilitate: *Clamat post nos*, Matth. 15. n. 23. Et iterum se catellis comparat: *Etiam catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.* Ex humilitate exauditur Chananæa, at verò hæ Virgines ex fastu superbiæ virginitatis, inde excluduntur, ac reiiciuntur, eisque ianua clauditur. Vide suprà cap. 2. num. 97. 98. 99.

Oratio fit cum humilitate.

Matth.

Matth.25.n.12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos.

Num.13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

VERSIONES.

Syriacus. Amen ego dico vobis, non noui vos.

D.Chrysost. homil.79. Abite, nescio vos.

Auct.Imperf. homil.52. Nescio vos, qui estis.

Syriacus n.13. Nescitis diem illum, neque horam.

Vatabl. addit. Qua filius hominis veniet.

EXPOSITIO VI.

119. AMEN *dico vobis.* Assecuratione vtitur, *Nescio vos.* Secundum Theologos nouos, & antiquos, verbum sciendi hoc loco, non cognitionem, sed affectum declarat, negátque scientiam approbationis, id est, non approbo vos, nec agnosco pro filiis meis, ac ouibus meis; nouit enim Dominus, qui sunt eius.

120. *Vigilate itaque.* Hic ponitur finis, & scopus totius parabolæ, vt scilicet fideles omnes stimulentur ad vigiliam, ac studium bonorum operum quibus conueniant ad diem mortis, ac iudicij, cuius articulus determinatus omninò ignoratur. D. Gregor. Magn. homil.12. *Apte quoque*, ait, *generalis ad discipulos exortatio subinfertur, cum dicitur, vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam, quia post peccata Deus pœnitentiam suscipit: si sciret quisque de præsenti sæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuisset, sed quia pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit: semper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam possumus præuidere.*

Gregor.

QVÆSTIO XXI.

Quare ipse Dominus virginibus fatuis respondet: Nescio vos?

121. IAMVIS virginibus pulsantibus nó respondet seruus aliquis, sed ipse Dominus: voluit extremum hunc honorem virginitati deferre, vt nõ seruus aliquis, aut hostiaria ancilla, sed ipse Dominus illis daret responsum, ac extrema verba diceret; cum enim excluderentur, illis tamen aliqualem honorem denegare voluit. Antequam Adamus eiiceretur de paradiso: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*, Gen.3.n.21. Chaldeus legit: *Vestimenta honoris* Eiiciũtur; exeát aliquali honoris decore cõspicui.

Donec cum punit, honorat.

Gen.3. Chaldæus.

122. Respondet primò D. Chrysost. in præsenti: *Nescio vos*, ait, *gehenna durius hoc verbum fuit.* Ab sponso blanditiæ sperabantur, at quod ab eo procedant tot rigores ianua clausa, duro verbo, *nescio vos*, quod grauissima pœna, & durissimum omnium tormentorum est. Secundò. Euseb. hom.2. de Epiphania: *Nescientur à Deo*, ait, *qui Deum scire noluerunt.* Qui male operando Deum scire noluerunt, ipse Deus omniscius, eos nescire perhibetur. Vide suprà c.24.n.59.60.61. & 62.

Chrysost. *Durum verbum rigidius gehenna.* Euseb.

123. Tertiò. Quomodo dicis Domine, *Nescio vos.* Nescis & damnas, ignoras, quod punis; iniustissimè castigatur ille, qui & ignoratur. Nam dum ignoratur persona, damnationis demeritum non bene cognoscitur. Vt dixi in expositione ex Maldonato, & docent communiter omnes Theologi noui, & veteres, *Sciendi verbum hoc loco, non cognitionẽ, sed affectum declarare*; ac proinde, *nescio vos*, id est, non amo vos. Ex quo insurgit magna dubitatio, nam sicut scientia, aut ignorantia spectant ad intellectum, sic etiam amor ad voluntatem, cur ergo in præsenti dicitur intellectu non amare, & non potius voluntate, nam *nescios vos*, id est, non amo vos. In nobis voluntas cæca potentia est, vt ergo innotescat quàm excellens sit amor huius cœlestis spõsi, dicitur intellectu amare; quia tã prudens, ac rationalis est eius amor, ac si non à cæca voluntatis facultate, sed ab occulta, & perspicaci potentia intellectus procederet.

Maldonat.

Amor sit prudens, ac rationalis.

124. Quartò. Cur eas non redarguit, earúmque crimina illis obiicit, sed tantum ait: *Nescio vos*; decreuit potius sibi inscientiam adscribere, quam eas acri, ac duro verbo affligere, earúmque crimina apertè dicere, ac propalare. Quintò. *Nescio vos*, ait, non de fœuitia, sed de æquitate iudicis: vt perfectum iudicem impleret, qui non respicit personam, ac si eam penitus ignoraret.

Iudex ignorans personã.

125. De vltimo iudicio differens Dominus, ait: *Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos*, Matth.7.n.22. maximè expendendum est illud: *Nunquam noui vos.* Deus est omniscius, de ipso ait Paulus ad Hebr. 4. n. 13. *Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Quomodo, ait: *Nunquam noui vos.* Nunquid damnat, quos ignorat; minimè. Cum tamen personam iudicis agit, nõn solum cum sententiam profert, oculos à damnatis auertit, sed cum eorum opera proponuntur, ac examinantur, sic se habet absque aliquo odij, vel amoris affectu, ac si nunquam personas vidisset, ac agnouisset, prædicta verba latè ponderans Aponius l.1. in Cantic. post medium, sic ait: *Quid tam rectum nisi, vt in iudicando nulla veritati præponatur persona.* Vide hoc tom. & superioribus Verbum *Iudex*.

Matth.27.

Hebr.4.

Aponius.

CAP. LII.

Talenta distributa.

Matth.25.n.14. Sicut homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua.

Num.15. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim.

VERSIONES.

Syriac.n.14. Sicut enim vir, qui peregrè profectus est, vocauit famulos suos, & tradidit eis possessionem suam.

Orig.hom.33. Homo quidam peregrè.

D. Hilar. Tradidit illis substantiam suam.

Franc.Luc.ex Graco. Facultates suas.

Vatabl.n.15. Et huic quidem dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum: vnicuique secundum suam facultatem, & peregrè profectus est statim.

Arabicus. Vnicuique iuxta posse virtutis suæ.

Alij ex Graco. Secundum propriam potentiam, seu dexteritatem.

EXPOSITIO I.

1. Luc.19. Chrysost. Abulens. Iansen. Salmeiron. Barrad. Ambros. Hieron.

SICVT *homo peregrè.* An verò hæc parabola sit distincta ab ea, quam narrat D.Luc.19. num. 11. Diuersas esse docent D. Chrysost. homil. 79. Abulens. q. 90. Iansen. Salmeiron, Barrad. & alij. Vnam, & eandem esse tenet Maldon. adducens pro se D. Ambros. & Hieron. Et quamuis concedatur, quod sint diuersæ, sunt tamen valde similes, vt omnes fatentur; nam quod hic dicitur talentum, apud Lucam dicitur *mna*, nomen Hebraicum est, & significat certum, ac definitum auri, seu argenti pondus.

2. *Sicut homo.* Illud *sicut* respicit proximè dicta. *Vigilate ergo.* Adhortamur, vt singuli vigilemus, laboremus, ac in iniuncto munere strenuè nos exerceamus. *Peregrè proficiscens.* Mox in longinquũ profecturus. *Vocauit seruos suos.* Conuocauit ad se non familiares delicatos, sed seruos laboribus assuetos. *Tradidit illis bona sua.* Vt exprimit D.Luc.19.n.13. dicens: *Negotiamini dum venio.* Dedit illis bona sua, non vt expenderent, ac profunderent pro libito, sed vt ipsi Domino suo lucrum referrent, & qui seruierant peccato lucrando, ac fructum faciendo seruiant iustitiæ. Vt ait Ambros. D.Ambros. sermone 30. *Emat sibi innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum.*

3. *Et vni dedit quinque talenta.* Ex suis propriis bonis Quidnam esset talentum supra explicaui cap.11.q.1. Talentum autem aliud erat aureum, aliud argenteum, aliud æreum: omnia hæc æqualis erant ponderis, sed disparis pretij; quænam essent hæc talenta an aurea, vel argentea, non explicatur in textu. Quia cum hæc sint talenta gratiæ, superant omnem temporalem æstimationem: *Alij verò vnum.* Quamuis bene præuideret inutilem seruum nihil lucraturum; tamen dat ei suum talentum, vt eum à sua opinione dissuaderet, si enim nihil ei datum fuisset, conquereretur dicens, quod ex eo nihil negotiauit, quia nihil ei commissum est, vt ergo eum ab hac opinione dissuaderet, dat ei vnum talentum. *Secundum propriam virtutem,* id est, secundum facultatem, capacitatem, ac proportionẽ vniuscuiusque. *Et profectus est statim.* Seu vt habet Vatablus: *Peregrè profectus est statim.* Vt seruorum erga Dominum suum probaretur fides. Nam vt ait Imperfectus homil.53. *Serui fidelis absente Domino probatur.* Imperfect.

Gratia talenta excedunt omnem creatam æstimationem.

Vatabl.

QVÆSTIO I.

Totius parabolæ sensus explicatur?

HOMO hic Christus Dominus est, profectus tanquam peregrè cum in cœlum ascendit, veluti longo tempore à terra, ac Ecclesia præsentia corporali abfuturus, vt explicant Origenes, D.Hieron. D.Paschas. Beda, Haymon, & alij communiter. *Vocauit seruos suos,* id est Christianos ex nihilo in humanam naturam, de Christianis hic præcipuè habetur sermo, sicut & in præcedenti parabola de decem Virginibus, vt notant Iansen. Maldonat. Barrad. vocauit enim eos ad fidem, & Ecclesiam. Tamen parabolam præcipuè tribuendam esse pastoribus, præceptoribus Ecclesiæ, docent Euthym. Theophyl. Lyran. Carthus. & alij. 4. Origen. Hieron. Paschas. Beda, Haymon. Iansen. Maldon. Euthym. Theophyl. Liran. Carthus.

Et vni dedit quinque talenta; alij verò duo, alij verò vnum. Non vni dat omnia talenta, sed pluribus, per eosque diuidit multa, & varia dona, vt variis in locis explicat Apostolus 1 Cor.12. n.7. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem; alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum? alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu,* &c. Ad Ephes.4.n.11. expendens illud, Dedit dona hominibus, ait: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autẽ Pastores & Doctores.* Ex quo constat, quod Deus variam donorum mensuram per suos distribuat, ita vt alij alios excellant, nemo tamen est, qui aliqua Dei dona non accipiat, vt patet in præsenti, nam inutilem seruum non prætermisit Dominus, sed etiam ei suum dedit talentum. 5. *Deus sua dona per plures diuidit.* 1.Cor.12. Ephes.4.

Vt notat D.Gregor. homil.9. in Euang. *Nullus enim est, ait, qui veraciter dicat talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi, etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit.* Deus enim benignitatem suam in omnes diffundit. Pro quo facit id, quod eleganter ait Philo lib.1. Allegor. legis: *Benignus cum sit Deus, largitur bona omnibus etiam non perfectis, inuitans eos, vt amulatores virtutis, atque participes fiant, ostentansque immensas diuitias suas, quod sufficiant etiam his, quæ non magnam vtilitatem inde capiunt: quoties enim pluit in mare, fontes producit in locis desertissimis, sentem, & asperam, sterilémque, terram rigat, inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quàm magnitudinem diuitiarum benignitatis suæ?* 6. Gregor. Philo.

Quid verò talenti nomine significetur maximè dubitatur, & breuiter ad tres classes reduco. Primò intelliguntur dona gratiæ gratum facientis, vt sunt ipsa gratia sanctificans, fides, spes, charitas, patientia, cæteræque virtutes; cum etiam gratiæ gratis datæ, vt potestas faciendi miracula, donum linguarum, ac prophetia. Ita Auctor Imperfectus homil.53. Anastas. Episc. Nicæn.q.84. in Scriptur. Euthym. Haymon, Albert. Magn. D. Thom. Ad hanc etiam gratiam gratis datam pertinent concredita eloquia Dei, ipsum nempe Euangelium, ac Verbum Dei, prout Doctoribus exponendum, ac annuntiandum committitur. 7. *Quid significetur per talenti nomen.* Imperfect. Anastas. Euthym. Haymon Alb.Mag. D.Thom.

Vt

Iustin. Origen. Hilar. Chrysost. Theophyl. Carthus. Hugo. Abulens. Cornel.

Vt interpretantur Iustin. in Dialog. contra Tryphonem, Origen. homil. 55. Hilar. can. 27. D. Chrysost. homil. 79. Theophyl. Ad hanc etiam classem pertinent Ecclesiasticæ dignitates, vt Apostolatus, Pontificatus, Episcopatus, Sacerdotium, vt docent Carthusian. Hugo, Abulens. qu. 128. Cornel. & alij.

8.

Secundò. Intelliguntur etiam sub nomine talenti naturæ dona, præclarum ingenium, felix memoria, subtile iudicium, firma sanitas, corporis robur, prudentia, scientia, industria, eloquentia. Ita D. Hieron. D. Paschas. D. Gregor homil. 9. Interlin. Lyran. citat. Abulens. Tertiò, denotantur etiam externa bona, vt diuitiæ, magni honores, magnificus status, sæculares dignitates, vt imperium, regnum, magistratus. Ita D. Chrysost. & alij.

Hieron. Paschas. Gregor.

9. *Secundùm propriam virtutem.*

Dicitur etiam in parabola: *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem.* Hoc ad elegantiam parabolæ pertinet; solent enim homines prudentes sua distribuere per seruos ad lucrandum spectata singulorum industria, ac solertia, quamuis in distributione talentorum Dei hoc non fiat: certum est enim contra Pelagianos primam gratiam, ac supernaturalia dona non dari secundum naturales vires, ac merita; imò indubitatum est nullam esse in natura dispositionem ad gratiam.

10. *Deus non requirit impossibilia.*

Deinde cum dicitur. *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem*, id est, potentiam; Deus enim non requirit à nobis impossibilia, nec petit aliquid super vires nostras, sed secundum vires ex eius munere profectas, ex eiusque gratia, ac auxilio adiutas, ipse enim facit, vt liberè faciamus, ac fideliter ei seruiamus, & fecit nos etiam idoneos ministros noui testamenti, vt ait Apostolus 2. Corinth. 3. n. 6.

11. Origen. *Ex magna æstimatione prouocatur natura.*

Tandem moralissimè dicam ex Origen. tr. 33. in Matth. *Vnicuique secundum propriam virtutem. Alia fuit virtus eorum, quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alia quibus vnum.* Maior fuit virtus eorum, quibus quinque talenta data sunt, nam ex tanta æstimatione apud Dominum habita, ex tantáque muneris largitate prouocatur ipsa natura ad maiora virtutum incrementa, & quodammodo obligata manet ad maiora sui monumenta edenda; *Dedit vnicuique secundum propriam virtutem.* Quæ ex Domini æstimatione, ac dignitate impensa excitatur ad sublimiora facinora, ac proinde, qui maiora talenta accepit, plus virtutis est operatus, secus verò, qui exiguum, ac vnum talentum tantum.

12. Gen. 1. *Ex dignitate impensa obligatur homo.*

Post creatas res materiales huius sæculi verbi gratia, Lucem, Solem, Lunam, Stellas, animalia, & plantas, ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Genes. 1. n. 26. In aliorum creatione dixit Deus: *Fiat lux, & facta est lux*, & etiam *fiant luminaria magna*: at ad hominis creationem ad concilium conuocantur omnes tres diuinæ personæ, vt hominis formatio præstantissimum Dei opus ostendatur; deinde vt eius excellentia maximè commendetur, dicitur: *Factus ad imaginem, & similitudinem.* Vt ex tanta æstimatione sui creatoris erga hominem, ex tantáque dignitate in eum collata ipse maximè pignoratus, ac obligatus in Dei sit obsequio, si enim insensibilia promptissimè Deo obediunt, quanto magis ei obtemperare tenetur homo, cum præcipua Dei cura ostendatur. N. D. Cyrill. Alex. l. 2. contra Iulian. Apostatam: *Optimus Moyses*, ait, *dispensatiuè quodammodo cum conciliis præmissis honoratum esse hominem dicit, & vt designet, quòd non simplicem, & vt quis dicere posset ab aliis differentem natiuitatem afferat, sed diceret rem, qua multum Deo cura sit.*

Cyrill.

Prouocatur Ioseph ab Ægyptiaca ad execrabile adulterij scelus, repugnat ipse dicens: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, quomodo ergo possum hoc malum facere?* Gen. 39. n. 8. Adulterio pœna mortis est iuncta, & regnorum perturbationem secum adducit. Nam vt ait Erid. Forner. Episcopus Ebronens. Concil. 2. in Psal. *Miserere mei.* Vnicum adulterium Paridis cum Helena totam Græciam bellorum tumultibus adimpleuit, & Troiam funditus euertit. Et vt etiam notarunt Philo Iudæus lib. de Decalog. & D. Augustl. lib. 5. de Nupt. & concup. Adulterium infamiam, ac honoris ignominiam tam personæ, quam generis parturit. Cur ergo Ioseph impudicæ fœminæ non obiicit periculum vitæ, ac honoris dedecus, quod præstantissimos viros solet cohibere? firmissimè apud se statuit, quod vehementius eum à tanto scelere auertebant, non imminens periculum vitæ, non honoris iactura, sed tanta Domini sui fides sibi credita. *Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi.* Fauet D. Bern. serm. 13. in Cant. *Cùm domum*, ait, *& omnia bona Domini sui sibi credita sciret Ioseph, Dominam non ignorauit excepram, & ob hoc non acquieuit contingere mulierem, nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit, vice contraria inglorioſum facere eum, qui se fecerat glorioſum.* Expende: *Cum sciret omnia sibi credita, ob hoc non acquieuit contingere mulierem.*

13. Gen. 39. Erid. Philo. August. *Ex fide credita pignerátur vir nobilis.* Bernard.

QVÆSTIO II.

Quare in præsenti Christus Dominus dicitur homo tantum, & non Rex, vel Pater?

14. Chrysost. Hieron. Paschas. Haymon. Euseb. Luc. 8. Matth. 20. Matth. 22.

HOMO iste, qui peregrè profectus dicitur Christus Dominus est, vt dixi superiori qu. in limine, & docent D. Chrysost. D. Hieron. D. Paschas. Haymon, Eusebius, & alij. Quæstio præsens est, cur aliis in paraboli comparatur agricolæ seminatori. *Exiit qui seminat, seminare semen suum*, Luc. 8. Et homini patrifamilias, *Qui exiit primò mane conducere operarios in vineam*, Matth. 20. n. 1. Et iterum regi, *Qui fecit nuptias filio suo*, Matth. 22. n. 2. At verò hic homini tantum comparatur. *Sicut homo peregrè proficiscens.* Et augetur difficultas, quia Christus Dominus loquitur hic de gloria, ac honore resurrectionis coronato, & in æthera iam scandente. D. Hieron. *Homo iste*, ait, *Paterfamilias haud dubium, quin Christus sit, qui ad Patrem post Resurrectionem victor ascendens, vocatis Apostolis, doctrinam Euangelicam tradidit.* Et D. Chrysost. in Imperf. homil. 53. *Homo peregrè*, ait, *profectus Christus est, post victoriam passionis ad patrem iturus.* Cur ergo in tanta gloria maiestatis, non vocatur Rex, Princeps, Dominus, sed homo, quod quidem nomen vulgare, & abiectum est, & quempiam ex infimis significat?

Ratio difficultatis.

15. Respondeo primò. Quod hic magnum nobis datur Saluatoris documentum, qui eum in eximio decore, ac in supremæ potestatis splendore floreret, humilis suæ substantiæ immemor non est, & occultæ gloriæ appellatione, eam prodit, quæ humilitatis

militatis est, ac proinde quamuis verus Deus sit, cum homo etiam existat, in tanta resurrectionis gloria, humilitatis suæ naturæ non obliuiscitur, sed ab ea nomen sortitur. Vide suprà c. 22. n. 84. cap. 24. n. 8. c 40. n. 47.

In sublimitate cognitio propria humilitatis.

15. *Deus manifestat suam maiestatem, non nominibus, sed operibus.*

Secundò. Homo iste Deus est, dum amplissima sua talenta diuidit, proprium nomen abscondit, & multa cum astutia dissimulat, Dei peculiare est, manum ad beneficia extendere, & humanum applausum deuitare, ac declinare, maiestatémque suam declarare non titulis, ac nominibus, sed factis, & operibus, dum seruorum commodis consulit. Vide tom. 3. cap. 13. quæst. 14. n. 78. 79. 80. & multa verb. *Prælatus.*

16. Tertiò. In aliis parabolis dicitur Christus patersfamilias, vel seminator ob prouidentiam, ac solicitudinem, quam habuit erga propriam domum; vel etiam vocatur rex ob liberalitatem; at verò in præsenti dicitur homo, quia in distributione suorum bonorum, ac talentorum vsus est propria, ac specifica hominis actione, ratione nempe, ac intellectu, dedit enim *vnicuique secundum propriam virtutem*, iuxta nempe eorum capacitatem, ac merita, non dat voluntate, sed intellectu, non affectu, sed ratione compulsus.

Hominis est distribuere dignitates, non affectu, sed ratione.

17. Genes. 41. Explicato Pharaonis somnio ab ipso eligitur Ioseph ad regni clauum, qui ait ei: *Nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui imperium obediet cunctus populus*, Genes. 41. n. 39. Valde mirum, quod ad tantum regni gubernaculum assumatur homo penitus ignotus? Cur non quærit ab eo patriam, genus, ac parentes? Hæc omnia solent reges in suis ministris maximè indagare; his tamen omnibus omissis solum illius sapientiam respicit. *Nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* Seu vt legunt Septuaginta: *Non est homo prudentior, & intelligentior te.* Pharao eligebat hominem, *non est homo prudentior*; ducebaturque non affectu, sed ratione, & inde non attendit ad ea, quæ affectum generant, vt sunt patria, & genus, sed solum illa, quæ ad rationem spectant, vt sunt sapientia, & prudentia.

Septuag. *Datur dignitas non voluntate, sed affectu.*

18. Dan. 5. *Alienum ab homine dare honores appetitu, & non ratione.* De Nabuchodonosore refert Scriptura, *quos volebat exaltabat; & quos volebat, humiliabat. Quando autem elevatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est; & à filiis hominum eiectus est, & cor eius cum bestiis positum est*, Dan. 5. n. 20. Valde rigida pœna punitur homo, vt cum bestiis per loca deserta fœnum comedat, & vnde illa tam dira pœna? *quos volebat exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* In conferendis regni honoribus non ratione, sed voluntate, ac appetitu tanquam brutum animal mouebatur, inde meritò ab hominibus eiicitur, vt tanquam syluestre pecus in campis pascatur. Sidonius Apollinaris epist. 9. *Discriminatur homo à fera, quod ille ratione, hac vero appetitu impellitur.* Vide suprà c. 10. n. 34. 35. 36. & c. 37. n. 55. 56. 57.

QVÆSTIO III.

Quare hic vir primo dicitur homo, secundo verò loco Dominus?

19. *Difficultas quæstionis.* IN exordio huius parabolæ, vir iste homo dicitur: *Homo quidam peregrè proficiscēs.* Postea verò Dominus nuncupatur. *Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum.* Et iterum: *Ait illi Dominus eius: Euge serue bone.* Cur non semper Dominus vocatur, sed primò homo, postea verò Dominus?

20. Respondeo. In exordio homo dicitur; nam distribuit per seruos rem suam non facta donatione, nec translato dominio, sed tradidit illis, vt rem creditam ad lucrandum, ac negotiandum, vt exprimit D. Lucas 19. n. 13. & notant omnes expositores, vt iam dixi: at verò secundo loco Dominus nuncupatur, cum beneficia, ac dona in seruos confert, dicens: *Supra multa te constituam.* Verum est, quod in initio cum hic homo introducitur in parabola, præponitur vt dives, ac multos habens seruos, tamen cum dona non elargiatur, nō Dominus, sed homo appellatur, *homo quidam.* Domini autem appellatione gaudet, cum bona in seruos suos impendit: Domini enim maiestas beneficentia, ac largitate declaratur, ac ostenditur.

Luc. 19. *Beneficentia maiestatem declarat.*

21. Isai. 63. Exod. 20. Hieron. *Plus splendet vnius solis beneficentia quàm maiestate.* Vident Angeli Christum Dominum ingredientem cœli palatia, radiantem multa gloria, & maiestate, per admirationem inter se quærunt, vt ait Isaias 63. n. 1. *Quis est iste qui venit de Edon?* Confer verò hæc cum his, quæ narrat Moyses in Exodo, cui apparet Dominus absconditus densa caligine nubis, totúsque mons circundatus erat opaco fumo. Tunc filij Israël eum ibi agnoscunt, ac fatentur, & clamant. *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, Exod. 20. num. 19. Quid est quod Angeli illustrati superno lumine videntes Dominum facie ad faciem, tanta admiratione quærunt, *quis est iste, qui venit de Edon?* At verò homines suo rudi intellectu Dominum absconditum sub nubis caligine introspiciunt, & agnoscunt? D. Hieronymus: *A cæcis videtur, à videntibus non cognoscitur*, ait: Angeli perspicaci intellectu, & maximè illustrato aperte Dominum intuentes non cognoscunt, & tamen homines eum occultatum sub nube sentiunt, & fatentur. Aderat ibi Dominus suum populum maximè nobilitans, & extollens, præbens illi diuinæ legis donū, ipsúmque in iustitia, ac sanctitate informans, & instruens; & magis Dominus sui agnitionem exhibet, dum beneficia expandit, & largitur, quam dum maiestate, ac gloria fulget, & irradiat.

22. Matth. 10. Matth. 16. *Ipsa beneficentia declarat maiestatem.* Præcepit Christus Dominus suis discipulis: *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquauit regnum Dei*, Matth 10. n. 7. Quod de eius sacratissimo aduentu intelligitur. Tamen post collatas claues regni cœlorum D. Petro, scribit D. Matth. 16. n. 20. *Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesus-Christus.* Cur sic prohibet publicare modo ipsum esse verum Messiam, verúmque filium Dei, cum ipse venerit, vt omnes eum reciperent, ac agnoscerent? Quæstionem suprà tractaui c. 6. q. 1. & 2. Nunc moraliter, fortè ideo vetat dicere ipsum esse Christum, quia ipsa beneficentia in Apostolum, qua illi tradidit claues regni cœlorum, eum maximè publicat verum filium Dei, ita vt alia humana testimonia, ac voces veluti non exoptentur. Vide suprà cap. 16. n. 80. & c. 24. n. 9. 10. & 11.

QVÆSTIO IV.

Quare homo iste dicitur peregrè profectus?

23. HOMO iste Christus Dominus est, vt ait D. Chrysostomus datus quæst. 2. in limine *Homo peregrè profectus Christus est per victoriam passionis ad Patrem iturus.* Quid est quod Christus

cùm

cum ad Patrem reditur tanquam relegatus, dicitur peregrè profectus, cum tamen vita hominis super terram sit laboribus, ac ærumnis plena, vnde Iob dicebat: *Militia est vita hominis super terram.* Et iterum: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et tamen magni consilij Angelus cum hunc lachrymarum locum relinquit, & in æthera vehitur, vbi Pater habitat, vbi torrente voluptatis potantur filij, & inebriantur ab vbertate domus eius, eum tanquam exilium, ac peregrinationem supponit, cum in eam ex suo loco dicatur, *Tanquam peregrè profectus.*

Ratio difficultatis.

24. Chrysost.

Respondet Chrys. *Ad regna enim cœlestia ascensurus, ait, & ad Patrem suum iturus, vnde descenderat, peregrè se iturum dicit propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in mundo.* Recedebat Dominus à suis fidelibus, quos intimè diligebat, & dum ab eis recedit, suauia, ac dulcia, vt dura, ac aspera æstimabat; sine enim suorum discipulorum consortio delicias Angelorum eremum reputabat, Beatorúmque sedes exilium, ac peregrinationem dicebat: *Peregrè se iturum dicit, propter charitatem Sanctorum, quos relinquebat in mundo.* Quod etiam eleganter docet D. Thomas: *Ascendit Iesus in cœlum, peregrinatur, quia ab eo nos peregrinamur.*

Exilium reputabat Christus eß ab hominibus separatus.

25. Genes. 1.

In primo orbis molimine prius exornatur terra, & postea politur cœlum. Die tertio. *Protulit terra herbam virentem, & lignum faciens fructum, & habens vnumquodque fementem iuxta speciem suam,* Genes. 1. num. 12. Post terram condecoratam cœli luminaria creantur: *Luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti,* ibid. n 16. Quinam artifex magni ingenij incipit præstantissima palatia à vilissima parte exornare, & non potius intendit præcipuas domos toto conatu componere? In Orbis fabrica Diuinum Verbum erat artifex: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Repræsentabatur Diuino Verbo, quod aliquando ipse homo factus inter homines in terra degeret, inde vehementissima illius dilectione motus posthabuit Olympi pulchritudinem, plus deferens telluris ruditati, & inde prius ornatu condecorat terram, quàm cœli firmamentum. D. Anastas Synaita l. 4. Hexamer. *Ante Deus, ait, ornauit terram, quam cœlum, tanquam si terra ante cœlum ditata sit Christi mysterio, & aduentu. Propterea ante cœlum ornatur, quoniam ante Angelos terra, & terra geniti homines, Deum per carnem vidimus; ante cœlestia exornans ille hac inferiora, ea lætificans, & exornauit.*

Christus multũ dilexit habitationem inter homines.

Anastas.

26. Psalm. 131.

Decantat Regius Vates: *Surge Domine, in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua,* Psal. 131. n. 8. A quonam loco sacer Citharista expostulat, vt Dominus exurgat? ex sinu nempe Patris, factus nempe homo assumpta humanitate, quam per arcam sanctificationis intelligit, vt exponit Euth. in queminam locum petit, vt veniat, *in requiem suam,* quænam potior, ac aptior requies, quàm Patris sinus: Solum in illo sinu abundantissima pax, ac suauitas est, extra illum verò bella, lites, ac contentiones sunt, quomodo ergo vt requiem habeat, dicitur, quod exeat, ac exurgat è sinu Patris, & factus homo veniat in terram. Tam vehementer propter suam eximiam charitatem Diuinum Verbum homines adamauit, vt quodammodo videatur non requiescere, nec consolari, donec assumpta nostra natura inter homines habitet, ac commoretur. Hesych. Hierosolym. Presbyter expendens prædictum Psalmi locum homil 2. de S. Maria: *Dauid, ait, sine intermissione citharæ celebræ: Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ. Surge: Vnde? E sinu paterno. Non vt à Patre separetur (hoc enim dicere, vel cogitare nefas est) sed vt dispensationem peragat. Surge Domine in requiem tuam, quam super terram præscripsisti, & in Bethlehem constituisti.*

Euthym. *Christi requies inter homines habitatio.*

Hesych.

QVÆSTIO V.

Quare homo solum seruos suos vocat, & non alios?

27. *Dignitas ad labores.*

SERVORVM nomine Ecclesiæ præsules intelliguntur, vt dixi q. 1. & tamen seruos vocat, vt illi agnoscant suam dignitatem non esse ad delicias, ac oblectamenta, sed ad labores, ac onera. Vide c. 5. n. 161. c. 9. n. 96. c. 22. n. 95. 96. 97 98.

28. *Distribuit ex suis.*

Ad quæstionem: *Vocauit seruos suos.* Solum suos vocat, & non alios, dedit tamen *illis bona sua,* quod bene consonat, at verò qui solum suos vocat, vt det aliena, ac communia bona, hoc durum, & iniquum est. Vide multa *verb. Communicare.*

29. *Officia danda his quos agnoscimus.*

Respondeo. Solum suis seruis dat talenta, & non aliis, quia suos optimè agnoscebat, & sciebat, de eorúmque moribus habebat largam experientiam; & ideo dedit vnicuique secundum propriam virtutem; ei enim qui magis virtute eminebat, dedit quinque talenta; qui verò minori, duo; inutili verò seruo vnum, quia cum eius imbecillitatem, ac tenuitatem agnosceret, vnum talentum dedit, vt eum à sua opinione dissuaderet, vt dixi in expositione. Solum ergo per suos distribuit talenta, vt instruamur, quod officia, ac dignitates non sunt cõferendæ, nisi apprimè & intimè notis.

30.

Cum Christus Dominus vellet cõstituere Petrũ suæ Ecclesiæ pastorẽ, totiúsq; collegij Apostolici verticem, daréque illi potestatem promissam in cœlo, ac in terra. *Dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine tu scis, quia amo te,* &c. Ioan. 21. n. 15. In quibus duo ad præsens institutum consideranda sunt; & primò, quod eum non vocat Petrum, sed suo antiquo vocabulo Simonem Ioannis. Quomodo hæc cohærent cum illis, quæ ei dixit Iesus cum ingrederetur collegium Apostolicum? *Intuitus autem eum Iesus dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ioan. 1. n. 42. quod ad citatum cap. 21. notauit Maldonat. *Vocat Petrum Simon Iona,* ait, *Ionas,* idem est quod Ioannes, *neque hoc fortasse causa caret, quod Christus eum non Simonem Petrum, vt Euangelista, sed Simonem Ionam vocat, nomine videlicet antiquo. Dixerat enim illi, cum ad Apostolatum vocaret, fore vt non iam Simon Iona, sed Petrus, id est, petra vocaretur.*

Ioan. 21.

Ioan. 1. Maldon.

Ad quid ergo cum eum Dominus eligit in Pontificem, ipsum antiquo, ac sæculari nomine vocat? Vt fieret manifestum, quod constituebat in summum Ecclesiæ principatum hominem sibi apprimè notum, cuius vitam, amorem, ac feruorem, non solum agnouerat in Collegio Apostolico, sed etiam ab antiquo suam veterem, ac sæcularem vitam optimè exploratam habebat, & quod nihil erat in homine siue nouum, siue antiquum, quod esset absconditum, & ideo consultissimè veteri vocabulo ipsum vocat, *Simon Iona.*

31. *Probatur electio ex agnitione humilitatis.*

Respondet Petrus, *Tu scis Domine, quia amo te.* Cur non ait, ego amo te, multis notum est, quod te diligam, multis meum amorem erga te declarauit,

raui, sed tantum, *Tu fiis quia es te.* Sanè alto Diuini spiritus afflatu, sic respondet, vt inde maximè probaretur electio, cum ab eo eligeretur Petrus, qui eum optimè agnoscebat, ac ab intimis notum habebat. Albertus Magnus: *Tu nosti plusquam ego; Tu Domine qui nosti corda singulorum, ostende, quem elegeris.* Act. 1. n. 25. Expende: *Tu qui nosti, elige.*

All. Magn.

QVÆSTIO VI.

Quare dat bona sua, & non aliena, & nullus de hac distributione conqueritur?

32. RVDENTISSIME distribuit homo bona sua, cum dat *vnicuique secundum propriam virtutem*, quod maximè obseruare debent principes, vt in conferendis muneribus subditorum genium explorent. Primis Parentibus, ait Deus: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Gen. 1. n. 28. sufficiebat dicere, Dominamini piscibus, volucribus, animantibus, ad quid additur maris, cæli, terræ, hoc videtur superuacaneum? Magno sanè consilio factum est, vt sciat Adamus, quod sic dominatur piscibus, vt aduertat esse pisces maris, ne eis aliquid, quæ sunt terræ, vel aëris præcipiat (& eadem est sententia de volucribus cæli, ac animantibus terræ) sic ergo Adamus his animalibus dominetur, vt iuxta vniuscuiusque naturam, ac conditionem præcepta dispenset, ac disponat.

Genes. 1. *Superior dispenset præcepta iuxta vniuscuiusque genium.*

33. Et inde fortè nullus conqueritur, quia quamuis distributio fuerit valdè dispar, vni quinque, alteri duo, alij vnum, nullus tamen conqueritur, quia distributio facta est iuxta vniuscuiusque propriam virtutem. Deinde, quia partitio quamuis esset inæqualis erat talentorum, & quilibet suo talento sibi congaudet, & complacet, illóque maximè satisfactus conquiescit. Benedicens Iacob filios suos, Iudam comparat Leoni: *Catulus Leonis Iuda.* Gen. 49. n. 9. Issachar asino: *Issachar asinus fortis.* Dan comparat colubri: *fiat Dan coluber in via.* Nephthali combinat cum ceruo: *Nephthali ceruus emissus.* Benjamin confert cum lupo: *Benjamin lupus rapax.* Et tamen facta tam inæquali repartitione, *nullus conqueritur*; vt notauit Abulens. sed quilibet congaudet in benedictione sibi impensa. Erat repartitio talentorum, quibus vnus appropriabatur leoni, alius asino, alter ceruo, vel colubri, seu lupo, inde nullus conqueritur, sed quilibet sibi complacet, ac congaudet in suo talento, cum eóque maximè placidus conquiescit.

Genes. 49. *Quilibet suo talento sibi complacet.*

34. Altera quæstionis pars est, quod *dedit bona sua*, & non aliena. Hic magnus Princeps largitur propria, non verò deprædatur aliena, vt suis subditis conferat, vt solent facere Principes huius sæculi, dat etiam ex suis, quia suos ditare vult, nobilitas Regis subditorum opulentia.

Dat ex propriis.

35. Secundò. Hic homo tradidit seruis bona sua, vt cum illis negotiarentur, vt exprimit D. Lucas 19. illud autem quod ad lucrandum traditur, sub multo periculo, ac discrimine versatur. Hic autem homo, vt valdè prudens solum propria, & non aliena in discrimen vocare voluit. Filius ille prodigus ad genitorem suum ait: *Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Luc. 15. n. 12. Cur solam portionem hæreditatis, quæ ad eum attinebat, postulat, cur non etiam aliquid petit ex his, quæ ad Patrem spectabant, quæ vulgo apud nos est tertia rerum pars; postulabat ille vt perderet, ac prodigeret, & inde solum sua, & non aliena consumere, ac profundere determinat.

Luc. 19. *Propria, & non aliena discrimini exponenda.* Luc. 15.

Cum Iudith vellet exire in castra Assyriorum, 36.
Induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextralíola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. Cap. 10. n. 3. composuit se omni muliebri ornatu, quem à viuente marito acceperat. Iudith tamen cum semper fuisset castissima, huiusmodi cultus sine dubio valdè moderatus erat, cur non aliquid postulat accommodatum ab amicis, ac cognatis suis? Illustris fœmina, quando processit ad Assyriorum castra, non habuit aliquam reuelationem de futuro euentu, vt vult Serarius, inde aliquid accommodatum non postulat, solúmque sua, & non aliena in discrimen adducit, periculóque exponit.

Iudith 10. Serar.

Matth. 25. *num.* 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

Num. 17. Similiter, & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

Num. 18. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.

VERSIONES.

Syriac. n. 16. Profectus autem ille qui quinque talenta acceperat, negotiatus est ex eis.

Vatablus. Negotiatus est per ea, & confecit altera quinque talenta.

Arias. Fecit altera quinque.

Syriac. n. 17. Et itidem is, qui duo, negotiando lucratus est alia duo.

Arabic. n. 18. Abiens sepeliuit argentum Domini sui.

EXPOSITIO IV.

ABIIT autem. Acceptis talentis non quieuit, nec otio indulget bonus seruus, sed fideliter iniuncto muneri incumbit; *Et operatus est in eis*, seu ex eis, seu per ea, & *lucratus est alia quinque.* Dei gratiæ cooperando, & ille dignior inuenitur, cui plus cæteris concreditum est. Nam sæpè ex maiori fide commissa illustrior prodit operatio. Hæc quinque talenta explicat Hugo, Moraliter. *Quinque talenta*, ait, *sunt paupertas, infirmitas, contumelia, iniuria, mors*; huiusmodi talenta vocat Christus bona sua; quasi vniuersa Christi facultas, substantia, ac diuitiarum plena supellex, passiones, & labores sint.

37. Hugo. *Talenta Christi bona.*

Innuit

38. Innuit hæc parabola Dei gratiæ, ac donis ex æquo, ac totis viribus cooperandum esse v.g. qui habet quinque charitatis gradus, si eiusdem actum producat intensum vt quinque, alios quinque gradus lucrabitur, accipietque à Deo habitum charitatis intensum vt decem, & si cum hoc habitu operetur, eliciátque actum charitatis vt decem, alios decem charitatis gradus lucrabitur, accipiétque à Deo habitum charitatis vt viginti, & sic de cæteris, vt communiter tradunt Theologi; ex quo patet interpretatio ad versum 17.

39. *Thesaurizat inducias spiritualia contemnit.* *Qui autem vnum acceperat*, scilicet talentum, *abiens fodit in terram.* Non produxit in negotiationem, sed omni spe lucri omissa, nihil de illius negotiatione curauit. Talentum ad aliorum salutem datum abscondit, nihilque eo lucratus est; *fodit in terram*, terrenis rebus se implicans, cælestium est oblitus, terrenis negotiis inuolutus spiritualia lucra contempsit. Hac talenti defossione arguuntur illi, qui ex negligentia, ac desidia, gratia à Deo illis collata non vtuntur, ac operantur, sed propriam suam salutem negligunt, contra Apostoli admonitionem. 2. Corinth. 6. num. 1. *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2.Cor.6. Et de se ait Apostolus 1. Corinth. 15. num. 10. *Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laborauí.* Illud autem *vacua*, idest otiosa, infructuosa: *Abscondit pecuniam Domini sui.* Si ita notatur ille, qui vno talento est abusus, quam acriter punientur illi, qui multa talenta à Domino acceperunt, & nihil intelliguntur in eis operati.

Matth. 25. *num.* 19. Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.

Num. 20. Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

VERSIONES.

Origenes Post multum tempus reuersus est *tract.* 13 *in* Dominus.
Matth.
Syriacus. Et recepit ab eis rationem.
Pagninus. Et ponit rationem cum eis.
Vatablus. Et subducit rationem cum eis.
Arias. Et confert rationem.
Pagnin. n. 20. Attulit alia quinque.
Syriacus. Domine mi, quinque talenta dediſti mihi, ecce quinque alia negotiando lucratus sum super ea.
Theophyl. Lucratus sum per ea.

EXPOSITIO III.

40. POST *multum verò temporis*, Dominus longanimis, & patiens, non statim venit, vt rationem exquirat à seruis, sed post multum tempus reuertitur, vt fideles serui multum lucrentur, maiorique laude digni habeantur. Vt ait Abulens. quæst. 103. vel dicitur: *Post multum temporis*, per respectum ad fidelem seruum, nam præ desiderio fruendi Domini præsentia, semper mortis tempus reputat in immensum differri, vnde Dauid suspirans dicebat: *Ecce mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Psalm. 119. num. 5. *Posuit rationem.* Græce est de præsenti, ponit, seu confert rationem, & idem est sensus siue præsenti vtamur, siue præterito. Nisi moraliter dicas, quod ideo præsens ponitur, quia hora iudicij, ac rationis exigendæ semper vt præsens habeatur. Significatur hic Christi aduentus ad iudicium, longumque tempus ab Ascensione vsque ad extremum diem. Vt interpretantur D. Hieron. Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, D. Thomas, Carthusianus, D. Gregor. homil. 9. in Euangel. *Dominus*, ait, *qui talenta seruis contulit, rationem positurus redit, quia is, qui nunc spiritualia dona tribuit directè in iudicio merita exquirit. Quid quisque accipit, considerat, & quod lucrum de accepto reportes, pensat.* Abulens. *Iustus reputat mortem in longum differri.* Psalm. 119. Hieron. Theophyl. Euthym. Albert. D. Thom. Carthus. Gregor.

41. *Et accedens* Ille, cui maiora talenta fuerant credita, primus accessit ad reddendam rationem, integritas conscientiæ fiduciam ministrabat: *Domine quinque talenta tradidisti mihi*, credideras nempe ad negotiandum. Perbelle notauit Auctor Imperfectus homil. 53. *Bonus seruus primum memorat, quæ accepit, postea quæ inuenit, vt ostendat, non studij sui, aut laboris esse, quod acquisiuit, sed beneficiorum Domini sui, quibus acquisiuit.* In primis posuit, quæ Dominus dederat; *quinque talenta tradidisti mihi*, in vltimis verò quæ ipse negotiando addiderat; & cur hæc ad vltimum locum reseruat, quia vt valdè gratus solum æstimabat, quæ accepta habebat, & nihil ponderans faciebat de his, quæ seruiendo obtulerat. Vide suprà c. 5. n. 103. 104. & 105. Deinde memorat primò, quæ accepit, vt Domini gratiæ, ac benignitati referat totum, quod lucrando acquisierat, quia ob rem creditam à Domino totum negotiando comparauit. Vide suprà c. 13. n. 54. & c. 16. n. 84. & 85. & c. 34. 22. *Ecce alia quinque superlucratus sum.* Oprimè posuit Noster Interpres Latinus: *Superlucratus sum* Quod etiam Syriac. vertit, *lucratus sum super ea.* Quod etiam alij transferunt: *Lucratus sum in eis.* Gratia tua nempe meeum operante 1. Corinth. 15. n. 10. Impetfect. Syriacus.

QVÆSTIO VII.

Quare ipse Dominus, & non aliquis Angelus venit ad rationem ponendam cum seruis?

DEDIT Dominus seruis talenta, nunc venit vt ab eis accipiat rationem de bonis creditis. Cum dicat Seneca: *Qui beneficium dedit, non meminisse non debet.* Ad hoc respondet Prado in Ezech. 16. num. 22. *Deum*, ait, *hoc facto nomini suo parcere, vt nostra consulat vtilitati: atque æquius ferre se iudicari exactorem, quam nos esse immemores & ingratos, tantique interesse nostram vilem cõditionem, Dei in nos beneficentiam perpetuo recordari, vt eius memoriam nobis omnino necessariam, vel cum sua æstimationis discrimine exigat, & expostulet* Deinde etiam vt cunctos admoneat futurum tempus exi- 42. Seneca. Prado. *Ministri cogitent se rationem reddituri.*

gendæ rationis. O quàm vtile esset regiis ministris, si ante oculos haberent tempus reddendæ rationis! *Accidit vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna regis Ægypti, & pistor Domino suo.* Gen. 40. n. 1. Peccarunt tamquam infideles ministri bona regis in proprium emolumentum distrahendo, vt multi tradunt, cum autem tempus rationis (de quo erant obliti) adfuit, inuenti sunt delinquentes, & inde mittuntur in carcerem, vt puniantur.

Gen. 40.

43. Quæstio tamen principaliter inquirit, cur ipse Dominus veniat ad exigendam rationem: *Venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.* Cum tamen ad exprobranda beneficia à Deo accepta populo Israelitico vnus mittitur Angelus: *Ascendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: eduxi vos de Ægypto, & introduxi vos in terram*, &c. *Et noluistis audire vocem meam, cur hoc feciſtis?* Iudic. 2. n. 1. & 2. Ad Israelem mittitur Angelus, vt ab eo quærat cur post tanta beneficia accepta, tot mala contra Deum perpetrauerint. *Cur hoc feciſtis?* At verò in præsenti, vt de talentis datis rationem exigat, ipsemet Dominus aduenit, vt rationem ponat cum seruis suis.

Iudic. 2. *Ratio difficultatis.*

44. Respondeo. Quod bona populo Israelitico facta à Deo, de Dei bonis erant, sed de illis bonis, quæ reputantur extrinseca & exteriora, qualia extabant Manna, aqua educta de petra in deserto, columna ignis per noctem, transitus maris rubri, & egressus de Ægypto, ac similia. Et cum essent dona externa, eorum census facilè creaturis committitur. At beneficia Iesus in nos collata, prouenient à bonis propriis, ac intrinsecis ipsius Dei, non ab alio, quam ab ipsomet Iesu exiguntur. Eusebius Gallicanus homil. 2. de Symbolo. *ipsa necessitas viuendi, ait, ingentem contestatur solicitudinem indicaturi: per se definiuit exigere, quod de se dedit.* Tam magna, & superexcellentia sunt dona, quæ ab ipsa substantia intrinseca Dei proueniunt, vt non ab alio, nisi ab ipsomet Deo exquiri possunt.

Dona quæ Deum constituit tam magna, vt solum à Deo valeant recenseri. Euseb.

45. Ait Paulus 1. Cor. 11. n. 27. *Quicunque manducauerit panẽ hunc, vel biberit calicẽ Domini indignè: reus erit corporis, & sanguinis Domini.* Quid significat iudicium sibi manducare? Cur & in ipsa esca iudicium constituitur? Cur non minetur iudicium indignè manducanti, vt Sapient. 6. n. 6. *Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Cur ergo etiam indignè manducantibus Eucharisticum panem, futurum iudicium non minatur, sed in ipso pabulo iudicium inesse declarat? Cum ergo in ipsa esca sit corpus, & sanguis Domini, non aliunde, sed ab ipsamet iudicium prodituru demonstratur. Donum hoc est ipsa Dei substantia, ergo non alius, sed ipsamet rationem exquirit, iudicium constituit, atque contra delinquentem clamat, æternum supplicium infligens D. Bernardus serm. 16. in Cantic. *Instaurat*, ait, *aduersum me testes, vt alia innumera taceam, huius corporis victum, & vsum temporis huius, & super omnia sanguinem dilecti filij sui clamantem de terra.* Et Balduinus in Alleg. Tilman. *Quare iudicium sibi manducabat? Quia magis iudicem, quam saluatorem manducat, non dijudicans corpus Domini.*

1. Cor. 11.

Sapient. 6.

Non ab alio, sed ab ipsomet corpore, Christi iudicium exquiritur. Bernard.

Balduin.

QVÆSTIO VIII.

Quare fidelis seruus se coram Domino rationem redditurum præsentat, non vocatus?

NON expectauit fidelis seruus, quod à Domino vocaretur, sed promptè se obtulit, vbi intellexit Dominum adesse: fiduciam illi præstabat fides, sedulitas, ac integritas conscientiæ, vt rectè adnotauit Origenes tract. 33. in Matth. *Fiducia fecit eum*, ait, *qui quinque talenta acceperat audere, vt ad Dominum prius accederet.* Cum peregrinaretur Abrahamus, dixit Saram sororem suam esse, quod cum audisset Rex Abimelech, tulit eam in domum suam, propterea veniens *Deus nocte per somnium, ait, illi, en morieris*, propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum. Quod cum intimatum esset regi, obiicit ille diuino mandato: *Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies?* Gen. c. 20. n. 4. Vnde quæso tanta fiducia prouenit regi? ad sui comminationem, ac damnationem declinandam, cum ei dictum fuisset, *morieris propter mulierem*; quomodo animum non deponit, sed tantas vires resumit: Accusationem constantissimè multa cum fiducia repulit ex testimonio bonæ conscientiæ, quo nitebatur, non enim tetigerat eam, & ignoranter fecerat. Titelman. in cap. 11. Iob. *Si tanta diligentia*, ait, *studueris te ipsum ab omni peccato mundare; tunc poteris cum omni fiducia ad Deum faciem leuare, poteris sine confusione, sine rubore, & sine vllius peccati remorsu, aut conscientia coram Deo opponere: quemadmodum cum quis bene lotus fuerit aqua ab omni macula corporali, audet confidenter faciem suam ostendere, qui verò maculatam habet faciem erubescit eam in publicum ostentare.* Vide multa verb. *Conscientia*, in Indice.

46. *Confirmatio bonæ de ipsa fiduciæ.*

Gen. 20.

Titelm.

Accessit bonus seruus, qui talenta Domini sui duplicauerat, absque petita ratione ad eam reddendam, nam puritas, ac innocentia, qua Domino obsequia præstiterat, vires, ac animum ministrauerat; sed iniquus seruus, qui talentum Domini sui abscondiderat, & foderat in terra, vnde illi tanta confidentia, ac securitas, vt non vocatus coram Domino etiam audeat comparere, ac stare; *Accedens autem qui vnum talentum acceperat*; sicut innocentia vires ingerebat fideli seruo, sic & impudentia, ac inuerecundia animum dabat iniquo, ac infideli ministro, vt sicut alij se coram Domino præsentaret, ac exhiberet.

47.

Innocentia dat vires in ipsa, impudentia verò inuerecundia.

In vltima cœna ait Christus Dominus suis discipulis, quod vnus ex ipsis eum est traditurus, quo audito sancti Apostoli: *Contristati valdè cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum Domine.* Quærit etiam & Iudas: *Numquid ego sum Rabbi.* Matth. 26. num. 25. Quod sancti Apostoli sic interrogarent valdè decens erat; nam vt ait D. Hieronymus: *Certè nouerant vndecim Apostoli, quod nihil tale contra Dominum cogitarent.* At Iudas, qui proditionem machinauerat, & pactus erat pecuniam cum Iudæis, quod sic interroget, quomodo stare potest. Sicut sancti Apostoli sua animi puritate, ac sinceritate nitebantur, vt nihil dubitantes interrogarent, sic & perfidus Iudas sua multa impudentia, temerariam concipit audaciam, & accedens interrogat. *Numquid*

48.

Matth. 26.

Hieron. *Apostoli ex puritate conscientiæ interrogant, Iudas ex impudentia.*

Euthym. *Numquid ego sum, Rabbi?* Euthymius: *O impudentiam! cæteris interrogantibus, interrogat & ipse confidens.*

QVÆSTIO IX.

Quare bonus seruus duplicata talenta Domino offert?

49. BONVS seruus tam talenta accepta, quam lucrata Domino offert, & nihil sibi retinet, totum Domini est, quod bene à nobis fit. Quæstio præsens est, quare bonus seruus tempore reddendæ rationis, non quodcumque lucrum in se inuenit, sed omnia talenta duplicata.

50. Paschas. *Ex prosperata salute aliorum multiplicantur bona.* Respondet D. Paschas. lib. 11. in Matth. *Hoc est, ait, de quinque talentis, alia quinque lucrari, cũ in eisdem temporaliter operamur, vt per eosdem nosmetipsos exercitantes, & alios instruentes ad maiorum virtutum culmina erigamus. Sicque duplicata omnia reportemus, tam in nobis, quam in proximis, vt de temporalibus aterna, & de caducis semper manentia acquiramus.* Duplicat bonus seruus omnia, quia in illis incubuit, quæ se, & alios ad salutem ducunt, ex proximorum bono comparato maximè duplicatur noster census.

51. Iob 42. *Ex oratione pro amicis substantia Iob multiplicatur.* Caietan. Post longum certamen, deperditisque omnibus rebus, ac etiam filiis, & propria salute restituitur Iob in suam antiquam felicitatem, forsitan ad hanc deuenit, cum eius eximia patientia, paupertas, ac humilitas coram Deo præsentantur. Vide quæ narrat sacer textus. *Dominus quoque conuersus ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerunt Iob duplicia.* Iob 42. num. 10. Tunc adduntur illi omnia duplicia, *cum oraret ille pro amicis suis.* Cum aliorum saluti proficit, tunc duplicantur illi omnia bona; negotiatio enim aliorum salutis, magna mercatura est ad bona propria multiplicanda. Caietanus: *Cum oraret ille pro amicis*, ait, *habuit meritum habendi res duplices successu temporis.*

52. Gen. 43. 1. Cor. 15. Magno conuiuio excipit Ioseph fratres suos, & dum in mensa sedent omnes per ordinem, portio Beniamin, quintuplo maior extitit: *Maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Gen. 43. n. 34. Cur beniamin pars super cæteros sic est adaucta, ac multiplicata? Repræsentabatur in Beniamin Paulus, per quem sua prædicatione Christus Dominus, æterna vita, ac salus multis illuxit. Qui & de se dicebat, *Abundantius illis omnibus laboraui.* 1. Corinth. 15. n. 16. Et qui tam deditus est aliorum saluti, multiplicata mercedis parte fruitur, & gaudet. D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 10. *Lauit*, ait, *faciem suam Christus, vbi baptizatus est Paulus, per quem à pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta est*: Expende *per quem à pluribus videretur.*

Matth. 25. *num.* 21. Ait illi Dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

VERSIONES.

Syriacus. Dixit ei Dominus eius: Bene est serue bone & fidelis, in modico fidelis fuisti.

Vatablus. In paucis fuisti fidelis: multis te perficiam.

Arias. Ingredere in gaudium.

D. Hieron. In requiem Domini tui.

EXPOSITIO IV.

53. *Fait illi Dominus eius.* Ipse Dominus fidelem seruũ per seipsum laudat, & præmio afficit: infrà verò inutilem seruum ministris puniendum committit. Ait enim: *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores.* Quod ponderauit D. Chrysost. in Acta hom. 43. *Quando autem beneficiis opus est, seipsum benefactorem vocat, euge serue bone, & fidelis super multa te constituam: & hunc quidem ipse benedicit, illum autem malum non ipse, sed serui ligant.* Et ait Dominus, *euge.* Seu vt habet Syriacus: *Bene est.* Vox est exultantis, lætantis, ac gratulantis: *Serue bone, & fidelis.* De tribus vt notat D. Thomas, eum commendat. Primò de humilitate, cum dicit *serue*, cognoscebat se esse seruum. Secundò de bonitate, *bone*; quia propriè bonum est diffusiuum sui, hac bonitate suum amorem ac charitatem erga Dominum, & proximum ostendebat. Tertio, de fidelitate ait: *& fidelis.* Non proprium lucrum, sed Domini sui quærebat. Quomodo talem vocat bonum seruum, cum ipse dicat: *Cum feceritis omnia, qua præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* Luc. 17. n. 10. Non ait, dicam vos inutiles, sed dicite: *nos inutiles sumus*, sedulitati humilitas adiiciatur; Domini est bonum seruum laudare; ad bonum autem seruum spectat, vt etiam in apice bonorum operum se inutilem existimet.

Chrysost. *Deus per se largitur beneficia.* D. Thom. *De tribus laudatur.* Luc. 17.

54. *Super pauca.* Super parua dona tuæ administrationis commissa; *fuisti fidelis*, bene eis, & cum fructu vsus es, non tua, sed Domini tui quærens. Et notandum, quod hic probus seruus semel tantum laudatur de bonitate. *Serue bone:* bis verò de fidelitate: *Serue bone, & fidelis.* Et iterum, *super pauca fuisti fidelis.* Talentum hoc traditum pecunia erat. Sic dicitur de seruo iniquo: *Abscondit pecuniam Domini sui.* Et iterum ait illi dominus: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis.* Inde bonus seruus bis de fidelitate commendatur; & nil sanè magis laude dignum, quam quod homo pecuniam manibus agitet, & puritatem seruet, illæsámque sine illius diminutione conscientiam teneat: *Super multa te constituam.* In modico magnam fidem tuam inueni, multo maiora tibi credam, ad maioráque te eleuabo. Vt tanquam cohæres mecum règnes in æterna beatitudine. Nihil bonus seruus pro se petierat, tamen merita eius pro illo postulabant, præcipuè cum seruiret nulla pactâ mercede, nec constituto præmio: *Intra in gaudium Domini tui.* Hoc est, perfruere eodem gaudio, quo Dominus tuus gaudet. Ex his patet expositio ad num. 22. & 23. de seruo, qui duo talenta acceperat.

Valdè laudabile quod alienam pecuniam manibus habeas, & non coinquines.

***

QVESTIO

Qvæstio X.

Quare talenta tradita, pauca bona vocat Dominus?

55. Fideli seruo quinque talenta tradidit Dominus, quæ magnam nummorum efficiunt summam vt iam notaui in exordio huius capitis; quomodo ergo ea pauca dicit, ac vocat: *Super pauca fuisti fidelis?*

56. *Deus magna largiens vt pauca æstimet.* Respondeo. Primò, quod tam diues est Deus in misericordia, támque liberalis, ac beneficus, quod licet magna nobis largiatur, pauca tamen dedisse sibi videatur: *Super pauca fuisti fidelis.* Vide suprà cap.7.num.75.76.77.& cap. 23. n.27. & 28.

57. Hieron. Secundò. D. Hieronymus. *Notandum*, ait, *quod omnia, quæ in præsenti habemus, licet magna videantur, & plurima, tamen comparatione futurorum parua, & pauca sunt.* Omnia, quæ in præsenti vita habentur, licet magna videantur, si tamen æternis patriæ bonis comparentur, tanquam nihil apparent. Vnde Origenes homil.12. in Ierem. ponderans id, quod diues Auarus dicebat animæ suæ. Anima mea habes multa bona. Luc. 12.num.19.sic ait: *Frumentum, & ubertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nescions quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cælestibus regionibus.* Vnde merito stultus nuncupatus est: *Stulte hac nocte.*

Omnia huius sæculi nihil sunt comparatione æternorum. Origen.

58. Exod. 34. Septuag. *Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei.* Exod. 34. num. 29. Vltima verba legunt Septuaginta: *Glorificatus est aspectus cuius faciei eius.* Chald. *Multiplicatus est splendor gloriæ vultus sui.* Alij ex Græco: *Radians esset facies eius.* Paulus tamen de hac gloria Moysis loquens ait: 2. Corinth.3.num.10. *Nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam.* Videntur hæc pugnantia inter se. Nam Exodus affirmat faciem Moysis fuisse glorificatam, radiantem, ac splendentem. Apostolus verò expressè negat fuisse glorificatam: *Nec glorificatum est.* Quomodo hæc cohærent? Paulus non negat absolutè fuisse glorificatum, sed comparatione facta ad Christi gloriam, illius nempe comparatione totius Moysis splendor, ac si non extitisset, sic disparuit, vt quasi nihilum videretur. D. Chrysostom.homil.7. ibi, sic ait: *Quanta sit excellentia* scilicet Noui Testamenti, *demonstrat dicens, si hanc illi compare, ne gloria quidem veteris testamenti gloria sit, sic temperans sermonem, vt non simpliciter neget esse gloriam, sed dumtaxat in ratione comparationis: eo quod subiicis, in hac parte, hoc est in ratione comparationis collationis.* Quod ad citatam epistolam explicat Theodoretus hoc exemplo. *Lucerna lux in nocte videtur esse splendidissima; At in meridie occultatur, vt ne lux quidem existimetur.*

Dona data in terris nihil habentur respectu cælestium. Chrysost. Theodor.

59. Act.4. De primis Christianis refert D. Lucas. Act.4. num. 34. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quomodo ad pedes huiusmodi terrena bona abiiciebant, cum in tanta æstimatione apud multos habeantur, vt in anima collocentur; sic dicebat Pharao: *Diuidam spolia, implebitur anima mea.* Exod. 15. n. 9. & supra citatus Auarus dicebat: *Anima mea habes multa bona?* Terreni cum sint obcæcati nocte huius sæculi sic caduca diligunt, vt ea in anima constituant; At qui oculos ad Christum eleuant, vt erant primi Christiani, sic ex illius consideratione terrena vilescunt, vt tanquam nihil ad pedes proiiciant. D. Hieronymus, tom. 1. Epistol. ad Paulinum. *Quando*, ait, *Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, nihilque faciendas,*

Exod. 15.

Qui Christum considerat, terrena ei vilescunt.

Qvæstio XI.

Quare fideli seruo dicitur, Intra in gaudium Domini tui?

60. *Deus sui filium persoluit mercedem.* Chrysost. Reuertit bonus seruus quinque talenta lucrata & nihil pro se petierat, vt dixi in expositione, & tamen absque vlla cunctatione, Dominus assignat illi præmia. Deus suis nescit differre, vt notauit D. Chrysostom.de Lot recipiente sanctos Angelos Sodomis ad illa verba Gen.19.n.10. *Ecce miserunt viri manum,* &c. *Vides*, ait S.Doctor, *quomodo ille iustus statim hospitalitatis accepit mercedem.* Et huic fideli seruo ait Dominus, *super multa te constituam.* Per hæc talenta dignitates Ecclesiasticæ intelliguntur, quomodo ergo pro præmio eis promittit, quod ad maiores dignitates, maioráque onera, & ad nouum laborem eos producet? quia pro Deo laborare iustis præmium, magnaque eis merces est animarum lucra quærere.

61. Imperfect. Ait Dominus fideli seruo: *Intra in gaudium Domini tui.* Auctor Imperfect.homil.53.ait. *Non dictum. Intra ad gaudium, sed intra in gaudium, possessor sit gaudij, non tantum spectator.* Et notandum quod non ait, gaudium Domini tui descendat, seu intret in te, quia tam magna est plenitudo beatitudinis, vt ab hominis mente, quem beat, capi non possit, nec in ipso concludi, ideo ad denotandam quandam exuberantiam lætitiæ dicitur: *Intra in gaudium.* D.Laurent. Iustin. *Intra in gaudium Domini tui, non gaudium in ipsos*, ait, *sed ipsi in gaudium intrare dicuntur, vt omni ex parte lætitia exuberare noscantur.* Caietan. *Tam magnum*, ait, *est gaudium cælestis patriæ de Deo, vt non possit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illum incomprehensibile: & non intrat gaudium illum in homine, velut comprehensum ab homine.*

Diuina dona non capiuntur ab homine, sed exuberant. Laurent. Caietan.

62. Chrysost. Cum inquit: *Intra in gaudium Domini tui*; ait Chrysostom. homil. 79. *Vniuersam in hoc verbo monstrat beatitudinem.* Idem docent communiter interpretes, D.Hieronym. Euthym. Paschas. Albert.Magn.S. Thomas, & alij. Quæ enim maior felicitas potest esse, quam quod seruus admittatur ad gaudium Domini sui? & hæc pars explicat superiorem, nam intrare in gaudium Domini est super multa constitui.

Hieron. Euthym. Paschas. Alb. Magn. D.Thom.

63. Salmeiron. Salmeiron ait, quod tacitè hic promittitur, vt sancti certis in locis, quibus in vita laborarunt, in cælo à Deo præficiantur, vt ibi multis signis, ac miraculis resplendeant, hoc labore suo meruerunt; sic miracula operatur S.Antonius in Padua,

S. Theresia

S. Theresia in Hispania, S. Andreas Cursinus in Florentia.

64. Richardus. Sacra Eucharistia gaudium Domini.

Tertiò. Richardus lib. de exter. Mal. part. 3. cap. 11. *Vtique, ait, esse quis neget, quos Dominus cibauit adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos: iucunditatem enim, & exultationem thesaurisauit super eum: Animaduertitis (vt arbitror) quale sit etiam hunc lapidem inter cæteros possidere, qui fluit iucunditatis melle, & satias intrantem in gaudium Domini sui æterna dulcedine.* Per gaudium Domini sui sacram Eucharistiam interpretatur, quam qui dignè accepit, vberrimis gaudiis exundat, opulentáque lætitia, ac diuite suppellectili omnium cœlestium donorum repletur; ita vt Deus *iucunditatem, & exultationem thesaurizauit super eum.*

65. Deus magis gaudet de bono hominis, quam ipse homo.

Vltimò, maximè expendendum est: *Intra in gaudium Domini tui* Non dixit: Intra in gaudium tuum, sed *Domini tui.* Electus ipsa beatitudine magno gaudio repletur, cum sempiterna voluptate afficiatur, tamen tam incredibili lætitia Deus de hominis bono, ac felicitate perfunditur, vt potiori iure Dei quam ipsius hominis gaudium ab ipso Domino nuncupetur. Quod Theodor. notauit Theodoretus ad verba Pauli Hebræorum 12. num. 2. de Christo loquentis. *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* Sic ait: *Seruatoris nostri gaudium est salus hominum.*

66. Luc. 12. Dies exultationis, quo Deus nobis benefacit.

Sæpè in multis parabolis dies iudicij ab ipso Domino nuptiale festum appellatur, vt superiori cap. vidimus. Vbi animæ sub nomine Virginum repræsentantur occurrentes Christo Domino venienti ad iudicium, tanquam sponso ad nuptias. Media nocte clamor factus, *ecce sponsus venit.* Et etiam Lucas 12. num. 36. Cum huius diei, à Domino peculiaris fit mentio, dicitur, *& vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Apud Reges, & principes nuptialis dies omnium gratissimus habetur. Cantic. 3. num. 11. de Salomone: *In die desponsationis eius & in die lætitiæ cordis illius.* Dicitur ergo dies illa festiua, ac solemnis Christo, quia in ea suis electis præmia largiturus aduenit. Vide suprà c. 26. n. 72. & c. 22. n. 84. & c. 23. num. 38. & 39.

Qvæstio XII.

Quare tam seruo qui quinque talenta, quàm illi, qui duo lucratus est, idem præmium assignatur?

67. Ratio difficultatis.

DVo accesserunt serui ad Patremfamilias, vnus quinque talenta deferens, alius duo tantum ex sua negotiatione; Vtrumque enim Paterfamilias eisdem verbis excipit: *Euge serue bone, & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Inæqualia lucra obtulerunt, vt patet ex textu, & tamen æqualibus præmiis honorantur.

68. Hieron. Voluntas pro opere reputatur.

Optimè ad quæstionem respondet D. Hieronym. *Vtrique seruo, ait, & qui de quinque talentis, decem fecerat; & qui de duobus quatuor, idem Patrisfamilias sermo blanditur, vtrumque simili recipit gaudio. Non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem.* Non perpenditur quantum quis habuerit facultatis, aut quodnam munus administrauerit, sed quanta fide, ac voluntate, & affectu erga Dominum vsus fuerit. *Non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem.*

69. Exod. 32.

Ob adoratum vitulum, cum de cæde Idololatrum reuerterentur Leuitæ, benevole affatus est eis Moyses, dicens: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Exod. 32. n. 29. Maximè extolluntur Leuitæ, quod fratres, & filios in idololatriæ supplicium, & in fidei, ac religionis obsequium iugulauerint; ex his tamen magna oritur difficultas. Nam ex Leuitis nemo videtur fuisse occisus: tum quia nemo illorum idololatrauit: & ideirco sola, ac tota Tribus Leuitica fuit in diuinum cultum consecrata, vt docet Abulensis ad hunc locum q. 35. Tum etiam, Abulens. quia omnes Leuitæ fuerunt interfectores, nam ad occidendos Idololatras omnes conuocauit Moyses. Ait textus. *Congregati sunt ad eum omnes filij Leui fecerunt que iuxta sermonem Moysis.* Ibidem n. 26. & 28. Quomodo ergo dicitur vnusquisque Leuitarum, filium suum, & fratrem suum occidisse? Licet reipsa non occiderit, animo tamen paratus erat ad occidendum. Hæc autem mentis promptitudo, non minùs præmij merebatur, quam ipsa operis exequutio: sola ergo voluntate occidendi filios, & fratres, ita manus suas consecrarunt, ac si reuera occidissent, vnde amplissimam benedictionem à Deo sunt assecuti. Abrahamus quamuis extenderet manum super puerum, reuera ipsum non immolauit, & tamen dicitur ei. *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Gen. 22. n. 16. Vbi vo- Gen. 22. luntas facti pro ipso facto reputatur. D. Hieron. Hieron. Epistol. ad Iulianum. Vnicum filium, ait, voluntate iugulauit. D. Chrysostom. homil. 47. in Gen. Chrysost. *Considera*, ait, *Domini misericordiam Non pepercisti, inquit, filio tuo; Attamen vnum ipsum reduxit. Non cuentum considerat; sed voluntatem, qua faciebat mandata. Quantum enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dexteram Patriarcha.* Vide tom. 2. quæst. 18. n. 97. & tom. 3. cap. 10. quæst. 5. num. 33. & cap. 15. num. 204.

Voluntas operis pro opere appenditur.

Qvæstio XIII.

De iniquo seruo.

70. Matth. 25. num. 24.

ACCEDENS *autem qui vnum talentum acceperat.* Accessit non ex fiducia, sed ex impudentia, aut certè necessitate compulsus, & ideo postremo loco venit, nam iniquorum est moras nectere, ac iudicium fugere: *Scio quia homo durus es.* At vnde hoc sciebas inique serue, cum nondum Dominum esses expertus; sed ex se talem Dominum pensitat, qualis enim quis est, tales alios iudicat, qui segnior fuerat operando, lingua liberalior est, & qui debebat veniam petere, duris verbis contra Dominum insurgit. Vt notauit D. Hier. Hieron. *Qui simpliciter, ait, inertiam debuit confiteri, & orare patremfamilias veniam, è contrario calumniatur.* Et addit seruus: *metis, vbi non seminasti, & abscondi talentum tuum in terra.* Ecce iniquus seruus contra se loquitur, & suis verbis se mendacem declarat. Nam dum ipse fatetur se accepisse talentum à Domino, siue velit, siue nolit, debet fateri Dominum non metere, vbi non seminarit. Abscondi in terra, ait, non inter lapides, vel

Quilibet ex se alios pensitat.

Iniquus contra se loquitur.

vel cineres, sed in terra, à qua debebat admoneri, nam cum recipit semen, multiplicato fœnore reddit.

71. *Respondet Dominus eius.* Non dedignatur Dominus iniquo seruo respondere, vt in eo omnes desidiosos, ac pigros arguat: *Serue male & piger sciebas quia meto vbi non seminaui.* Hæc verba illi non exprobrat Dominus, nec ad ea respondet, quod notauit D. Paschas. lib. 11. in Matth. Paschas. *Quia*, ait, *non confitetur se durum esse, sicut ille arbitrans calumniabatur, quia non ex sua natura est, vt seuerus, aut durus dicatur, sed quia ille misericordia Dei abusus est ad negligentiam, & non ad conuersionem suam.* Ea verba, quibus dictus est durus, quia cum esset princeps, regiæque naturæ, in breuissima temporis mora, qualis ab audito ac increpationem interceßit immemor iniuriæ iam erat, vel quia vt prudentissimus medicus non censuit ad viuum omnia fore resecanda, sed quædam in reprehensione obiicienda, quædam verò, & quæ maiori morsu percutiebant, reticenda. Deinde non respondet calumniæ, qua homo durus appellatur, vt manifestet se seruum non reprehendere, vt iniuriam suam vindicaret, sed vt pigritiam, ac torporem serui argueret, ac damnaret.

Princeps maiores iniurias dissimulat.

72. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis.* Vt non nudum talentum, sed cum lucro animarum redderes. D. Chrysostom. orat. 1. aduers. Iudæos. *Talentum illud*, ait, *quod acceperat, & defoderat seruus ille reddidit integrum: attamen dat panas, eo quod non auxerat lucrum: ita tu quidem etiam si ipse purus, & innocens perseueres, cæterùm non auxeras talentum, nec fratrem pereuntem reuocaras ad salutem, eandem, qua ille patitur, patieris. Quid magni postulo? Vnusquisque vestrum mihi fratrem ad salutem reuocet.* Non absumpsit talentum Domini seruus iste, sed otiosus seruauit, & in Dominico grege sterilis stetit, & tamen punitus est, qualem pœnam dabunt, qui acceptum talentum, non solum absconderunt, & integrum non reddiderunt, sed quantum in ipsis fuit perdiderunt.

Chrysost. *Qui otiosus est in lucro animarum punitur.*

Deinde. *Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Cui mandat bonus Patersamilias dare talentum, nisi habenti? D. Ambros. *cui addendum nisi ei*, ait, *qui toto corde exquirit Deum? Vt quod deest natura, id Dei operatione acquirat, & gratia.* 73. Ambros.

Ei autem qui non habet, quod videtur habere, auferetur ab eo. Si non habet, quomodo auferendum est ab eo? Ad quod rectè respondet Maldonatus. *Quidem generaliter omni habenti auferti, sed omni, qui plus habet gratia, quam acceperat, quia eam adhibita diligentia multiplicauit, maiorem quoque dari gratiam, & omni qui gratiam, quam accipit, non multiplicat, sed otiosam, & inutilem retinet, eam ipsam, quam habet gratiam auferri, quia indignum se reddidit, vt haberet.* Cum dicitur, habenti gratiam dabitur, habenti cum fructu dabitur illius lucrum ac incrementum. Ei autem, qui acceptam gratiam non multiplicat, sed otiosam sine fructu retinet, & inde demeritoriè se gessit; ipsa gratia, quam videbatur habere, auferetur ab eo. Ipse Deus Opt. Max faciat vt semper eius gratia cum magno incremento in nobis permaneat. Et ita huic tomo manet impositus finis. Quintus Tomus tibi dabit Christi Domini discessum (ipso auxiliante) à gestis in cœnaculo, vsque ad eius gloriosam Ascensionem.

LAVS

Omnipotenti Deo, Sacratißimæ Virgini Mariæ, ac Nostris Sanctis Virginibus Theresiæ, ac Mariæ Magdalenæ de Pazzi.

INDEX

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in hoc quarto Tomo continentur.

Prior numerus paginam designat: Posterior est marginalis.

A

Abiectus.

Abiecta honorantur in Christo. pag 75. num.8

Qui alterius abiectione se vult nobilitare idem est ac nemo. 284. 78

Durior homini abiectio, quàm mors. 374.69. & 70

In dominum abiectum insurgunt famuli. 872.58

Abscondo.

Abscondere rem propalationis fomentum. 54. 91.92.& 93

Virtus, & probitas abscondenda. 386.16.17.& 18

Qui intendit abscondi, refulget. 410.34.35.& 36

Christus ex modestia suas virtutes abscondit. 633.62

Magnorum secreta abscondenda. 698.19.20.21. & 22

Absentia.

Absentes, & mortuos veneramur, præsentes, & vivos contemnimus. 80.44.45.& 46

Timor ex Christi absentia. 165.241

Valdè iniurioſus qui calumnias prolatas in absentia profert in præsentia. 85.67.& 68

Absentia veneramur, præsentia contemnimus. 271. 107.& 108

Prælatus nec diu sit absens, nec semper præsens. 481.67.68.69.& 70

Prælati absentia dat occasionem ad mala, quæ eius præsentia refrænantur. 493.28

Domini absentia magnum supplicium. 507.117

Christi absentia infirmitatum, ac malorum origo. 643.6

Absentia domini dat seruis licentiam delinquendi. 785.50

Absoluere.

Pharisæi condemnant, Iesus absoluit. 284.81

Homo absoluendus, peccatum condemnandum. 285.91

Abundantia.

Quos abundantia obcæcat, miseria erudit. 561. 146

Accedere.

Peccator se reputet indignum accedendi ad Deum. 231.2

Ex accessu, & approximatione ad Christum mutamur in Angelos. 365.14.15.& 16

Qui ad Christum accedunt iustificantur, ac purificantur. 472.13.14.& 15

Acceptio personarum.

Christus non respicit personas, sed in amicis condemnat errores. 110.32

Accipere.

Magnus recordatur doni accepti. 89. 103. 104. & 105

Sicut dare Dei maiestatem prædicat, sic accipere exinanitionem naturæ humanæ demonstrat. 215 43.44.& 45

Christus à nobis vult accipere panem, vt det panem. 426.7.8.& 9

Accommodare.

Suprema potentia communi modo agendi se accommodat. 49.56

Accommodandum loco, & tempori in doctrina danda. 115.12.13.& 14

Accommodandum fragilitati eorum, quibus dona dantur. 152.81.82.83.84.& 839.69

Accommodato tempore res magna manifestanda. 169.169,

Accommodandum statui. 183.74

Communi legi se Dominus accommodat. 255. 29

Propriæ conditioni accommodandum. 549.48

Actio.

Per diuersas actiones homines coadunantur in virtute. 731.76.77.& 78

Accusare.

Iniqui etiam cùm accusant excusant. 271.5

Homo pronus ad accusandum, difficilis ad excusandum. ibid.6.& 277.7.& 8

Qui alios accusat, se ipsum condemnat. 280.56

Inimicus mutat verba vt te accusare valeat. 312.12

Omnes creaturæ accusant peccatores. 872.59.60

Admonere.

Qui admonitus non emendatur, in magnam pœnam incidit. 809.7.8.& seqq.

Vide, *Reprehendere.*

Adolescens.

Adolescentiæ vitia difficiliter omittuntur. 296.66. 67.& 68

Vitia adolescentiæ ita inhærent, vt etiam in puluere periaceant. ibid.68

Adulatio.

Adulatio vitanda. 78.29

Plus cauendum ab adulatione, quam ab iniuria. 323.76

Adulator sub blandis verbis grauissimum infligit malum. 584.34.& 35

Maius malum ab adulatore, quàm ab interfectore. ibid.

Index Rerum,

Adulator ad bona percipienda. 598.8
Homo in principatu adulatur, ac extollitur vt floridus qui antea truncus erat. 686.45. & 46
Adulatores blando aspectu ac verbo parant interitum. 811.25
Seueritas ostendenda erga adulatores. 815.43
Princeps abigat adulatores, ne iustitia defraudetur. ibid.44.45 & 46

Aduersitas.

Qui habuit socios in felicitate, habebit & in aduersitate. 142.79
Omnes conuolant ad dantem dona, recedunt verò à sustinente aduersitatem. 189.11 12.& 13
Iustus in aduersis, & prosperis æquo animo. 196.55
Non est verum bonum sine aduersitate, ac impugnatione. 202.94 95.& 96
Aduersitate homines recordantur Dei, felicitate obliuiscuntur. 240.56
Aduersitas, ac pressura post felicitatem. 287.12. & 13
Qui patitur aduersa, fit magnorum dignus. 361. 156.& 157
Non in prosperitate, sed in aduersitate de suis recordatur epulo. 562.147
Qui in aduersitate sequuntur, multum merentur præmium. 636.84
Prospera lento pede, aduersa citò volant. 781.80. 81.& 82

Affectus.

Cùm abiicitur affectus terrenorum, introducitur anima in cœlum. 196.58
Omnis consanguinitatis affectus pro Christo postponendus. 450.78
Carnalis affectus amputandus. 461.15.& 16
Potiùs affectus voluntatis, quàm census pensandus est. 606.20.& 21
Magno affectu rapitur homo ad id, in quo est aliquid sui laboris. 670.165
Vide, *Appetitus.*

Affirmare.

Coram inimicis multa asseueratione vtendum. 86.82
Homines id affirmant, quod suspicantur. 341.26
Homines quod peius est cogitant, & affirmant. ibid.27

Afflictio, vel, *Afflictus.*

Animus afflictus non indiget rogatoribus. 24. 53
Affligi, & Deum exquirere magna fides. 53.106
Aliquando inducitur afflictio vt conferatur gratia. ibid.109.110.& 111
Afflictus magis efficax in intercessione, quàm probus. 37.136.137.& 138
Passus afflictionem afflictis misereatur. 479.64
Vide, *Miseria, Miser.*

Agere.

Valdè mirabile quòd homo bene accommodatus de aliis agat. 604.11.& 12

Aliena.

Aliquando putat homo aliena sibi non dari, sed deberi, ratione amicitiæ, vel consanguinitatis. 903.91
Dare ex propriis difficile, ex alienis suaue. 904.88. & 89
Propria & non aliena discrimini exponenda. 35.36

Amaritudo.

Temporalium amaritudine inebriantur mundani. 542.24

Ambitio.

Ambitio humana nulla dignitate, ac principatu quiescit. 191.23 24.& 25
Vir religiosus & Apostolicus de ambitione verecundatur. 193.40.& 194.41.& 42
Ambitio in Ecclesiasticis totum inficit, & perdit orbem. 201.89.& 90
Ambitio crudelissima ad mortem infligendam. 309.138.& 139
Ambitio splendoris, ac honoris crudelis. ibid.
Ambitiosus qui omnia vult habere instar bestiarum, 402.63.64.& 65
Ambitio omne ius patris, ac fratris violat. 490.13
Ambitio abrumpit sanguinis ius. 518.178
Est vir qui inter virtutes ambit altissima loca. 568 14
Semper vnus non teneat primam sedem. 646.23
Ambitio opportunum tempus non expectat. 702.41
Ambitiosus valdè ingeniosus ad petendum. 704.60
Etiam Diabolus verecundatur dum apparet omnes ambiens dignitates. 705.65
Ambitiosus non vult alteri cedere in dignitate, sed vult esse solus. 706.67.& 68
Ambitiosus potiùs vult aliquem perdere, quam illum habere socium in dignitate. ibid. 71. & 72
Ambitio non quiescit suæ naturæ modo. 707. 75
Ambitiosus omnia sibi vult. 849.15

Ambitiosus, vel, *Amicus.*

Vt amicus semel electus reiiciatur, multa requiritur comprobatio. 29.84
Bonus amicus consulit honori, ac nommi Regis. 28.76
Nostra communicanda amicis. 58.10.& 11
Qui à recto nos deuiat, non vt amicus, sed vt inimicus habendus. 112.42
In amicitia contrahenda libertas datur, magna obligatio in illius iure seruando. 124.68.69. & 70
Ob nouos amicos antiqui absque honore non sunt dimittendi. 147.112
Amicus durè reiectus aliquo fauore recreandus. 149.132
Cautela fiat ne amicus exeat, vel inimicus intret. 154.162
Solus amicus tuas percipit laudes, non verò inimicus. 166.252
Amici improbi fugiendi. 203.102
Verus amicus rarus. 384.2
Amicus magis quàm frater tibi subuenit. 385.8.9. & 10
Homo asper, & durus amicis orbatus. 394.17.18
Amici, qui te de tuis epulantur, tempore famis recedunt. 494.38
Amicus bonus super omnes diuitias. 529. 42.46
Bonus amicus pro amico exponat vitam. 650
Error in amicis non dissimulandus. 707.75
Calix mortis ab amico accipitur, ab inimico verò recusatur. 711.104

Amor, seu, *Amare.*

Amor rationem non pensat. 21.23
Seueritas in amante beneuolentiæ pignus. 33.109. 110.& 111
Amor non patitur moras in re dilecti. 87.86
Deo valdè grata, non quæ ex timore, sed quæ ex amore fiunt. 93.130

Pressuris,

Preſſuris,ac laboribus pro re amata probatur, ac declaratur amor. 112.45.& 46
Amans gloriatur dum patitur. 372.50
Amor multam habet vim,ac fortitudinem. ibid. 54
Amor tempore aduerſitatis declaratur. 376.79
Liberalior eſt amor, quàm maieſtas. 439.5
Amori omnia ſunt parua. 442.27.& 28
Amor augetur familiaritate. 445.33
Per odium negotiatur alicuius amor. 465.10
Amor non ſinit cunctari, dat vires, & expellit laborem. 479.35
Amor ponderoſus. 505.103
Vis amoris in lachrymas protumpit. 507.115
Verus amor non dona,ſed Deum quærit. 521.198. 199.& 200
Verus amor ſui habet publica teſtimonia. 608.39.
Voluntas dilecti inſinuata vim habet præcepti. 645.17.& 657 89
Exhibitio operis argumentum amoris. 645.18.19. & 20.
Amans nec læſus lædit amicum. 656.83
Quod poteſtas negat, amor concedit. 712.113
Amor alta petit,humilia quærit. 738.12.13.14
Amor oſtenditur dum impendit quæ ſunt chara. 749.81
Qui amat, dolet de alterius malo. 752.12.13.14. & 15
Amanti omnia ſuauia,non amanti omnia difficilia. 791.84.85.& 86
Amor non eſt diuidendus inter Deum, & creaturas. 411.40. 41. & 42. & 607.29.30. 31. 32. & 822.27
Verus amor ſolum Deum appetit, & deſiderat. 822.29. & 30
Bona amatoribus data contra te ſunt hoſtilia arma. 556.115
Amor ſit prudens, ac rationalis. 123

Amor Dei, vel, *Chriſti.*

Deus ſic amat vnius animam, ac omnes. 476.40
Zelat Chriſtus ne quis videatur plus curare de ſalute humana, quàm ipſe. 726.42
Chriſtus præ amore in multa æſtimatione habet mortem pro noſtra ſalute. 762.18.19.& 20
Diuinus amor aſtutè celat ſui magnitudinem.764. 34.& 35
Chriſtus præ amore ſine cruce, ac morte ſuam gloriam non iudicat perfectam, ac plenam. 107.10
Proprium Dei præ amore mori pro hominibus. 108.18
Duriſſimum diuino amori vt à morte retardetur. 111.36
Amor Chriſti in negotio noſtræ ſalutis non admittit ſocietatem. 131.8
Chriſtus maximè æſtimabat pati,& mori pro hominibus. 137.45
Chriſtus propenſior in noſtrum commodum,quàm in ſuam gloriam. 139.55
Crux, ac mors pro nobis Chriſti gloria. 150.136
Chriſtus abſcondit glorias, manifeſtat amoris affectus. 169.268
Præ amore Chriſti mors eius glorificatio. 263. 111
Chriſtus potiùs ſatisfacit amori, quàm maieſtati. 420.93
Chriſtus magis voluit periclitari iudicium, quàm amoris affectum. 470.4

Angelus.

Sub Angeli tutela maximè ſecuri ſumus vt nil ſit formidandum. 206.113
Gratificandum Angelo pro noſtra cuſtodia. 207. 114
Angeli grati noſtris obſequiis. ibid.115
Angeli cuſtodes pro nobis intercedunt. 227.56
Angeli gaudent de ſalute noſtra. 484.79.& 80
Angeli noſtras preces Deo offerunt. 206.120
Angeli noſtra bona ſuas reputant vtilitates. ibid. 121
Angeli properi ad auxiliandum. ibid.
Angelus tutelaris paruulorum honorabilior. 204. 110
Angeli humilium multùm fidenter pro illis orant. 205.111
Ex peccatis hominum elanguet virtus in Angelis tutelaribus. ibid.112.& 113
Angelus tutelaris valdè excellens, & Deo familiaris. ibid.114
Angeli ſunt ſocij quodammodo diuinarum operationum. ibid.115
Noſtra operatio exigitur, vt Angeli nos adiuuent. 206.116
Angeli noſtram cuſtodiam habent pro deliciis. ibid.119
Gaudent Angeli de ſalute noſtra, & quòd hominem portent in cœlum. 549.71
Angeli deferunt animas ad gloriam. 550.72. 73.& 74
Angelus cuſtos multùm nobis prodeſt. 807.95
Si Angeli timent in iudicio, quid faciet homo? 875.78.& 79
Angeli cuſtodes triſtantur de noſtra ruina. 865.8

Anima, ſeu, *Animus.*

Cæcitas attendere ad magnitudinem corporis, & non animi. 398.33
Iniquus animam vt corpus reputat. 400.47
Animus generoſus rerum difficultate excitatur. 655.76.77

Antichriſtus.

Antichriſtus facit abominationes in loco ſancto. 848.12.& 13
Antichriſtus Deo volet inferre bellum, & omnia eſſe. 849.15
Antichriſti perſecutio crudeliſſima. ibid.16.& 17
Antichriſtus multum diues. 850.18
Per Antichriſtum crudeliſſimè Diabolus ſæuiet in Chriſti fideles. 857.60
Sub Antichriſto Illuſtriſſimi Martyres. ibid.
Regnante Antichriſto mirificè reſplendet iuſtorum fides. 859.73
Antichriſtus vniuſcuiuſque genio ſe accommodabit; vt decipiat. ibid.74.& 860 75.& 76
Conſtantia Martyrum aduerſus Antichriſtũ. ib.79

Anteponi.

Homines dedecorant eos, qui eis anteponuntur. 158.189.& 190
Nulla euidentia ſibi perſuadet homo quòd alius ei anteponatur. 192.30

Antiquitas.

Ab antiquitate volunt multi authoritatem comparare. 18.2
Antiqua obſeruanda. 159.197
Antiqui dolent de iuniorum exaltatione. 638.97. 98.& 99

Apoſtolus.

In Apoſtolis nulla inuidia. 132.11
Apoſtoli multa reuerentia diuina proſequebantur. 151.144
Apoſtoli etiam cùm deficiunt aliquantulum, nil mundiale quærunt. 193.39

Apostoli pastores, & non mercenarij. 376.78

Apparentia.

Vide, *Facies.*

Appetitus.

Pro suis appetitibus homo magnos sumptus facit. 398.35.& 36
Proprij appetitus domandi,ac subiiciendi. 469.60. 61.& 62
Appetitus pariunt egestatem bonorum. 494.41. & 495.42.& 43
Appetitus in solo Deo satiatur. 605.14

Approbare.

Quod semel approbasti ne reiicias. 530.87
Sæpè homines approbant intellectu, quem reprobant voluntate. 683.29

Arguere.

Pharisæi,quamuis mali arguunt de re à se visa.6.29
Iniquus contra se arguit. 251.48
Iniqui dum arguunt, suam ignorantiam detegunt. 291.34
Infectus crimine non potest alios arguere. 314.20. 21.22.& 23
Iniqui contra se arguunt. 74

Arrogantia.

Arrogantiæ ansa amputanda. 75.13
Arrogantia aduersarios creat, humilitas verò patronos. 436.69
Vide, *Superbia.*

Ascendere.

Vt homo ascendat in cœlum renouandus est. 613.68
Ad sublimia ascendat homo, & non descendat. 853.36

Asper.

Homo asper, & durus sodalibus orbatus. 395.17. & 18

Auarus.

Auarus suæ animæ ignarus eam vt corpus reputat. 400.47
Auarus non vult dare sua bona, sed potiùs vult quòd putrescant. ibid.49
In bonis relictis ab auaro eius sceleris nota. 402.60
Auaro semper nox. 403.70
Cruciatur auarus cùm nesciam finem suorum bonorum. 27.73
In auaro omnia vitia. 418.22
Sitis auari non extinguitur. ibid.22.23.24.& 25
Auaritia excæcat homines ne cœlestia videant. 134.25
Auarus terra deterior. 393.1
Auarus nondum nata, sua reputat. ibid.2
Auarus habet bona non vt sibi, ac aliis proficiat; sed vt custodiat. ibid.4.& 394.5.6.& 7
Auarus sua bona veneratur vt diuinum quoddam numen. ibid.7
Auarus domicilium Diaboli. 395.16
Ab auaro separari magnum bonum. ibid.
Deus largè dat,homo auaritia sua angustiatur. 396.20
Qui sua sibi retinet,ea destruit. ibid.21.& 397.26
Auari citò pereunt. ibid.23
Auarus non vult sua aliis communicare. ibid.25
Auarus potius vult sua perdere, quàm dare. ibid. 27.28.& 29
Auarus omnia sibi vult,& non aliis. ibid.30
Auarus pro bonis vult potiùs laborare, quàm quiescere. ibid.31
Pro maiori lucro auarus non parcet sumptui. 398.34
Vbi auaritia, ibi mœstitia,& angustia. 399.41
Auarus cùm habeat aquam non bibit. 555.109
Auaritia omnia perturbat. 687.47

Audire.

Pronior sit homo ad audiendum,quàm ad loquendum. 53.82.& 83
Qui prius audit,& postea loquitur secutus à malo. ibid.82
Odium facit vt verba non audiantur. 268.151
Ille verè audit,qui opere adimplet audita. 318.43. & 44
Valdè vtile verba Dei audire. 336.152
Prælatus etiam improbus audiendus, ac obediendus. 382.116.& 117
Deus valdè velox vt exaudiat nostras preces. 506. 112.113.& 114
Qui Dei vocem increpantem non audit, damnatur. 897.46.47
Sunt homines, vt lapides ad Dei vocem audiendam. ibid.47

Aulicus.

Aulicus, siue Vicarius intercessor non aliorum commodo, sed tantum suo studet. 28.78. 79. & 80
Aulici solum de suo commodo pertractant. ibidem 80.
Aulici ex amore lucri cuncta operantur. 75.11
Bonus aulicus non tantùm sibi, sed etiam aliis vult loca,& dignitates. 454.100
Deiectus omnia suffert, at verò sublimatus Regis gratia leui aura offenditur. 513.155.& 156
Bonus Princeps suorum aulicorum delicta agnoscit, malus verò ignorat. 427.35.36
Aulici sequuntur Regis nutum, & voluntatem. 529.45
Aulici nihil aliud sciunt, nisi Principi adulari & non dicere verum. 686.45.& 46
Aulicus nescit populi patrocinium agere Regis voluntate reluctante. ibid.
Aulici volunt vtrumque latus Regis. 706.69

Aurum.

Spoliatio auri hominis Martyrium, ac priuatio vitæ. 185.88
Vide, *Diuitiæ*, vel, *Pecunia.*

Auctoritas.

Auctoritas personæ multum facit, vt eius dicta,& facta æstimentur. 139.60
Res magna annunciatorem multæ auctoritatis requirit. 170.271

Auxilium.

Rex, ac Princeps citò subueniat miserorum causis, ac postulationibus. 32.103.& 104
Auxiliandum miseris verbo,& opere. 45.21.& 22
Dei auxilio cooperandum. ibid.26.27.& 28
Cùm deest humanum auxilium, tunc adest diuinum. 648.36.& 649.37.& 38
Sine Dei auxilio opus nostrum tanquam mortuum corpus. 716.18

B

Baptismus.

Baptizatus recipit lumen mentis. 348.72
Per Baptismum lucem recipimus. 349.82
Regeneratus Baptismo ascendit in cœlum. 710. 98.& 99

Baronissa.

Baronissa Domna Bretis da Sylueira illustre Monialium Carmelitarum Monasterium ædificat. 728.55.56.& 57. & deinceps.

Multis

Multis donis,magnis redditibus Monasterium locupletat. 729.59.60.64.& 65
Peculiare statutum Monialibus tradit, vt in nullo à sæcularibus dependeant. 730.66

Beatitudo, seu Beatus.

Dei cognitio facit beatum. 96.128
Beatitudo non datur stantibus, sed laborantibus. 117.24
Ante assecutionem beatitudinis operandum. 157. 184
Beatitudo requies. 419.86
Beatitudo cœlestis nullo fine terminatur. 421 100
Beatitudo diuina nec fingendo,nec fabulando potest in hac vita explicari. ibid.101.102. & 103
Vide, *Gloria.*

Bellum.

Pax cum iniquis bellum. 102.187. & 188
Melius est bellum,quàm pax iniqua. 119.35.36.37. & 38
In prosperitate ruina,in bello victoria. 202.95
Ex bello, & luctamine palma. 158.188
Potentibus familiaria bella. 467.46

Benedictio.

Qui pertinent ad Dei possessionem, omni benedictione replentur. 588.54

Beneficium, seu Benefacere.

Beneficiis malitia non flectitur. 3.6.7.& 8
Deus non dat vni beneficium cum iniuria aliorum. 26.62
Christus quodammodo angitur, dum nobis citò non benefacit, sed differt. 31.100
Dei beneficia sic defluunt in vnum, vt inde se extendant ad alios. 33.108
Minimum Dei beneficium satiat vniuersum. 35. 126.127.& 128
Rex omnibus sua beneficia communicet. 42.10. 11.& 12
Deus nemini negat sua beneficia. ibid.
Homines intendunt præscribere modum in beneficiis,quæ à Deo conceduntur. 46.32
Vnum Dei beneficium secum affert multa alia beneficia. ibid.34.35.36.& 62.33.34.& 343.35
Cùm beneficia omnibus conceduntur, vni non sunt deneganda. 47.41.& 42
Vbi beneficia,verba non exoptantur. 48.44.& 45
Ex beneficio in malignis sæpè oritur detractio. ibid.48
Animi benefici est occultare beneficium,grati verò illud publicare. 54.89
Beneficentia impellit, vt alterum vehementer sequamur. 57.4.5.& 6
Beneficentia reddit homines decoros. ibid.5
Beneficium in necessitate valdè gratum. 62.37
Beneficiorũ diuinorũ memoria sit in vobis. 71.93
Magnus obliuiscitur beneficij dati, & recordatur accepti. 89.103.104.105
Omnia beneficia non sunt in vnum conferenda. 128.93
Beneficium aliis denegatum magnum. 132.11
Beneficium citò datum magnum beneficium. 139.57
Beneficia sint proportionata capacitati recipientium. 142.81.83.& 84
Sicut liberalitatis est dare beneficium, sic & aliquando illud denegare. 148.111
Quodlibet diuinum beneficium largissimum. 155. 169
Ex vno beneficio pignus ad aliud qui fecit,erigat. 168.259
Ex nostro defectu beneficia nobis à Deo non conferuntur. 175.25
Beneficia distribuantur non affectu amoris, sed iudicio rationis. 192.34.& 193.35.& 36
Beneficia connectit Deus. 214.45
Homo ex vno beneficio negat aliud; Deus ex vno dato aliud concedit. 219.72
Ex rigore cognoscitur beneficium. 222.19
Ingens beneficium citò,& sine mora. 224.38
Excellentia beneficij ex temporis angustia. 225.41
Beneficium datum opportuno tempore maius. 248.28
Beneficentia maximè allicit. 298.80
Christus potiùs vult cognosci per beneficentiam, quàm per maiestatem. 299.83
Valdè detestabile inspecto beneficio peccare, ac eo non obligari. 328.105.106.& 107
Magna benignitas in loco beneficij peccare. ibid.
Animus deprauatus beneficiis non emollescit. 333.136
Beneficia plusquam verba alliciunt. 339.15
Christus in se cognoscit obligationem benefaciendi. 342.52
Deus ex vno beneficio ad maiora procedit. 480.62
Valdè exectabile quod ex acceptis beneficiis sis iniurioſus benefactori. 348.74.75.& 76
Seuerè punitur malè vtens beneficiis. ibid.
Dei beneficia non casu, sed alto consilio. 371.51. 52.& 53
Mercedis conditio minuit, ac derogat beneficij magnitudinem. 388.28
Deus suam beneficentiam in die clara ostendit, supplicia verò in nocte abscondit. 403.71.72
Ex beneficentia iniqui scandalizantur. 427.14.15
Nomine Principis indignus,qui beneficentiam in particulares detinat. 349.6.& 7
Beneficentia Regem demonstrat. 440.9.10.& 11
Nemo dona sua magna esse dicat, sed ab alio magna dicantur. 442.23
In beneficiis incipiendum à tuis. 443.34
Præclara magnitudo non numerat, aut recensct beneficia. 496.49
Ex maiori beneficio maior consurgit obligatio. 506.107.& 108
Beneficia, ac dona solum habenti dantur. 604.10
Beneficium commune ex singularitate æstimabilius. 674.192
Beneficium in crimen vertere extremum malum. 682.23
Insania quòd quis contra benefactorem armetur. ibid.24
Patientia est necessaria in benefactore,vt sustineat ingratitudinem. 788.67
Deus vt auctor dat beneficia;homo verò sibi comparat supplicia. 790.78.& 79
Maximè iniurioſum Principi illius beneficia respuere. 800.47
Si Rex à beneficentia cessat, sordidus, & obscurus fit. 868.30
Qui cessat à sua operatione benefaciendi idem est, ac desinere esse. 871.48.49.& 50
Beneficentia accusat,& damnat ingratos. 878.96. 97.98.& 99
Beneficentia declarat maiestatem. 52.10.21.22
Deus magis gaudet de beneficiis homini datis, quàm ipse homo. 52.61
Vide, *Conseruatio, Donum, Liberalis.*

Benignitas.

Benignitas, ac clementia proprius diuinitatis index. 39.151
Prælatus cum blandis det verba rigoris. 111.33

Benignitas in Principe primas habeat. 149.131
Prælatus benignitate, ac ferro subditos coërceat. 184.80
Ex rigore cognoscitur benitas. 222.19
Præcauendum ne nimia benignitas sit occasio peccati. 224.35.36.& 37
Benignitate, & non rigore percipiuntur fructus. 276.34
Plus proficit ad emendationem benignitas, quàm rigor. 278.42
Deus solus benignior cunctis creaturis simul. 511.139
Benignitate rigor obtemperandus. 532.60
Benignitas in fratres aptissima ad diuina dona excipienda. 661.107
Bonus Princeps communem habeat benignitatem cum omnibus. 428
In rege plus replendeat benignitas, quàm generositas. 795.16
Qui benignitate, ac pietate caret, damnandus. 804.76
Maximè damnatur, qui ex benignitate facta sumit perditionis occasionem. 907.100

Blanditiæ.

Blanditiæ potentiores ad perdendum, quàm robur exercitus. 309.137

Bonum.

Omne bonum nostrum Deo referendum. 51.69
Non est verum bonum sine impugnatione, ac aduersitate. 202.94.95.& 96
Omne bonum ex Christi præsentia. 264.122. & 123
Omne bonum Deo referendum. 299.84.& 85
Deus ex malis multa bona educit. 343.36
Deus bona producit non sibi, sed nobis. 781.18
Bonum communicandum. 253.64

Bonum commune.

Vide, *Commune.*

Bona diuina, vel, *Spiritualia.*

Bona spiritualia vt magna reputanda; temporalia verò quasi nihil. 443.31
Spiritualia bona solida, terrena verò nihil. 489.9. & 10
Spiritualia bona quærenda, non verò temporalia. 485.88
Qui est in gremio Ecclesiæ spiritualia bona cogitat. 497.57.& 58
Bona cœlestia ex eorum communicatione non minuuntur. 521.195.& 781.27.& 28
Bona temporalia multo dispendio comparantur, non verò spiritualia. 574.51
Deus faciliter dat bona spiritualia, non sic verò temporalia. 577.68
Potiùs gaudendum de spirituali bono, quàm temporali. 673.184
Bona temporalia gratis dantur, cœlestia per merita. 712.115

Bona temporalia.

Bona temporalia dantur per partes, solus Christus integer. 35.122
Bona temporalia obliuiscenda. 118.31
Bona temporalia veluti aristæ. 127.81.& 82
Præsentia cœlestis gloriæ temporalia bona nil reputantur. 151.139 140.141 & 170.179.& 280
Ignorantia per temporalia omittere cœlestia. 156. & 177
Omnia bona terrena dimittenda, vt ad cœlum euolemus. 196.56.& 57
Cùm homo dimittit temporalia, eleuatur à terra. ibid.57
Deus valdè festinus ad spiritualia, morosus ad temporalia. 281.61.& 62
Homines huius sæculi de bonis temporalibus, non de spiritualibus agunt. ibid.63
Bona temporalia cogitatione, & non re existunt. 393.2
Bona temporalia dolorem, ac gemitum, & timorem parturiunt. 394.9.10.& 11
In bonis temporalibus, nil aliud nisi labor. 398.32
Mundiales solùm præsentia bona cogitant. 400.48
Terrena non possunt dici bona. ibid.49
In bonis relictis ab auaro eius sceleris nota. 401. 60
Bona temporalia sunt veluti quædam nocturna somnia. 403.67
Cruciatur auarus cùm nesciat finem suorum bonorum. ibid.75
Plus bono mundi, quàm animæ consulimus. 424. 122
Bona temporalia quasi nihil, spiritualia vt magna reputanda. 443.31.& 32
Temporalia bona solùm in obscuro, ac in tenebris multa videntur. 448.66.67.& 68
In bonis temporalibus solùm deliciarum gustus. 450.76
Bonis temporalibus non pinguescit homo, sed tabescit. 474.24
Abiiciat homo temporalia bona, vt inueniat imaginem hominis cœlestis. 487.87
Mundi bona solùm quoddam accidens. 490.10
Temporalia bona veluti nihil. ibid.10 & 11
Anima cùm Deum quærit omnia temporalia habet in contemptu. 509.128.129.130
Temporalium amaritudine *inebriantur mundani.* 549.14
Bonorum temporalium affluentia obcæcat mentem. 552.87
In bonis temporalibus non est totum, sed pars. 556.111
Bona temporalia sine mensura, cœlestia verò cum mensura volumus. ibid.112
Bona temporalia multo dispendio comparantur, non verò spiritualia. 574.51
Bona temporalia non satiant appetitum. 605.13
Bona temporalia tunc possessa, cùm contempta. 622.125
Deus dat bona ad meriti occasionem. ibid.124
Bona data è manu Dei ad virtutem inducunt. ibid. 125
Solùm de bonis temporalibus cogitat impius. 685.35
Qui Deum relinquit pro temporalibus, Deum, & temporalia perdit. ibid.40
Bona temporalia exigua, cœlestia ampla. 782.26. & 27
Bona temporalia bellorum causa. 787.60
Bona temporalia deficiunt, spiritualia superabundant. 897.58
Bona temporalia comparatione æternorum nihil sunt. 918.57.58.59

C

Cadere.

CAdere qui cœpit non sistet quousque in vltimum ruat. 870.45
Iustus sic cadit, vt videat malitiam peccati, ad quam caligant oculi. 167.257.& 258

Iustus stat, peccator cadit. 735.84
Qui alto culmine versantur, multo casu ruunt. 712.82

Calamitas.

Calamitate omnia mutantur. 854.43

Calumnia.

Calumniæ in absentia prolatæ non sunt referendæ in præsentia. 84.68
Deus præuenit contra malorum calumniam. 251. 48
Pro calumnia coniicienda iniquus non expectat rei finem. 665.135
Vide, *Iniuria.*

Cælum, seu Cælestia.

Qui debet ascendere ad cœlestia multum errat, si se tradit temporalibus. 111.34
Vt cœlestibus fruaris, transcende mundana. 131.2
Vt degustes cœlestia, dimitte terrena. 135.35
Ignorantia per momentanea dimittere. 156.177
Morte gustata cœlestibus fruantur. ibid.178
Ad cœlum non ingreditur nisi per pugnam, & laborem. 365.12.& 13
Terrenis dediti inepti ad cœlestia. 447.56
Deficiente homine cœlum dicitur desertum. 482. 71.
Cœlestia bona parui æstimantur. 486.91
Bona terrena sine mensura, cœlestia verò cum mensuras volumus. 556.112
Vt ad cœlum ascendas terrena conculcanda. 575. 56. 57.& 58
Ad cœlestia ascendat homo, & non descendat. 853.36
Vt homo ascendat in cœlum renouandus est. 613.68

Cæremonia.

Ecclesiæ cæremoniæ venerandæ. 50.61

Carmelita.

Carmelitana familia, etsi perantiqua, Sanctorum cœtu multum fœcunda. 901.65.66
Carmelitana familia antiquitate non corroditur, sed firmatur. ibid.
Locus Apocalypsis 12. explicatur de Carmelitica Religione. ibid.67.68
Sacra Carmelitica Religio, prædicatione, ac sanctitate protulit fructus vitæ. ibid.68
Ex concessione B. Virginis reuelatione facta N. S. Petro Thomæ Carmelitana familia perpetuitate fruetur. 902.70
Precibus, ac intercessione B. Virginis Mariæ multum ditatur Carmelitata familia. ibid.72
Sacrum Scapularium Carmelitarum multa dona secum inuoluit. ibid.72
Carmelitana familia Nostrûm Discalceatorum Patribus, Sanctis, ac Virginibus illustrissima, ac multum Deo placens. 900.63.64

Carnalia.

Carnalia mentem excæcant. 456.113
Carnalis affectus amputandus. 461.14.15.& 16

Castitas.

Castitas nobilitatur, luxuria deturpatur. 272.9
Castitas ex lucta libidinis illustrior. 405.7
Castitas virtutis initium. ibid.
Castitas facit fortes. 496.51

Charitas.

Charitas viri Apostolici sibi vult maledictiones, aliis verò benedictiones. 131.10
Charitas summa virtus ad Deum videndum. 156.37
Charitas sola intuitiua Dei visione conquiescit. ibid.
Charitas omnibus armis potentior. 157.182
Charitas siue bonis, siue malis exhibita remuneratur. 198.69
Charitas non de præeminentia, sed de remedio curat. 209.12
Charitas pro malo præbet bonum. 232. 8. 9. & 10
Charitas dat legis intelligentiam. 254. 72. 73. & 74
Charitas in proximum tota die. 386.13
Perfecti charitate cinguntur. 408.10
Charitas mentis resplendeat in opere. 477.41.42. & 43
Generosus animus solum se periculo obiicit, in mercede tamen pro omnibus procurat. 645 17. & 18
Charitas Christi idem exhibet pro vno, ac pro omnibus. 668 155
Perfecta charitas vno actu non quiescit, sed facit voces in perpetuum. 719.60
Prælatus se debet euiscerare, ac è substantia diminuere pro subditis. 763.26.27.& 28

Christus.

Christus cedit vt seruus prior sit in honore, non verò in morte, ac labore. 726.43
Quidquid est in Christo nostrum est. 754.25
Christus vnus vt pro nobis mortem sustineat, multiplex vt nos nutriat. 761.12.13.& 14
Corpus ad mortem Christo præiucundum. 761.18. 19 & 20
Primò, & ante omnia detestatur Christus quæ contrariantur hominum vtilitati. 17 98
Christus antiquam Prophetarum consuetudinem tenet. 22.30
Christus venit vt doceret Iudæos in propria persona. 29.86.& 87
Christus aliis dat maiora, sibi minora eligit. ibid.88
Christus quodammodo angitur, dum nostris postulatis non annuit, sed differt. 31.110
Solus Christus datur integer, bona temporalia per partes. 35.122
Christus se Deum, & hominem manifestat, 51. 72
Omne quod est in Christo est optimum. 55. 96
Christus nostras miserias vt suas reputat. 61. 27
Christus magis gloriatur de his quæ communicat, quàm de his, quæ possidet. 90. 112. & 113
Christi opera eius diuinitatem indicabant. 94. 136.
Christus præ amore suam gloriam sine cruce, ac morte non iudicat perfectam, ac plenam. 107.10
Maxima Christi laus quòd sit Saluator, ac Redemptor mundi. 750.90
Christus in amicis castigat omnes. 110 32
Christus in humilitate sibi primum locum eligit. 123.65.66.& 67
Christus manifestat ignominias, occultat glorias. 129.90
Christus in obsequiis sibi præstitisse declarat obligatum. 128.91
Christus sibi soli retinet dolores; nobis verò communicat glorias. 131.9
Christus Dominus abscondit suas glorias. 136. 41
Christus maximè æstimabat pati, & mori pro hominibus. 137.45

Christus propensior in nostrum commodum, quàm in suam gloriam. 139.55
Christus non sumit sibi honores, sed ei deferuntur. 140.68
Christus pro varietate status, ac dignitatis non mutatur. 141.71.72.& 73
Christus suam gloriam suis communicat. 143.85
Ex gratia Christi venit vt ipse agnoscatur. 145.99
Christi mors, non vt mors reputabatur. ibid.100
Christus Dominus mortis, & vitæ. 147.118
Crux, ac mors pro nobis Christi gloria. 150.136
Errat ille, qui habens Iesum creaturam respicit. 156.176
Sine Christo nullum bonum. ibid.179
Christi gloria non datur sine cruce, & passione. ibid.180
Christus traditur morti ex summa dilectione Patris erga ipsum. 161.215
Christus magis cognoscitur vt Filius Dei morte, & cruce, quam gloria, & maiestate. 163.222.223.& 224
Christus ex omni genere habuit testimonium. ibid.227
Christus constitutus à Deo omnium Doctor. 164.234
In Christo omnia bona habentur. 168 265. & 266
Christus abscondit glorias, manifestat amoris affectus. 169.268
Gloria Christi valde ampla; gloria verò legis exigua. 170.279.& 280
Christus suis data sibi facta reputat; Reges verò terræ è contra. 198.67
Christus in seruis suis honoratur. ibid.68
Christus in humilibus habitat. ibid. 70.71.& 72
Cùm Christus nostra delicta lachrymatur, quis hominum non compungatur? 201.92
Christus antiquam seueritatem transfert in amoris legem. 217.69
Christus quia purissimus inde nobis est propitiatorium pro peccatis. 234.23.& 24
Christus quia verus Deus, ideo de nostro remedio agit. ibid.
Christus noluit gloriam, nisi per passionem. 247.24
Dies mortis, dies fastus Christi. 248.33
In solo Christo solida veritas inuenitur, in aliis illius vmbra. ibid.34 35.& 36
Christi virtus semper se manifestabat. 249.36
Christi mors eius glorificatio. 263.111.
Ad Christum per Patrem venimus. ibid.117
In Christo vniuersa bona. 264.122.& 123
Omnium bonorum vnus fons est Christus. ibid.124
Ex Christi Ascensione nobis spes illuc ascendendi. 166.136.& 137
Christus ad temporalia morosus, ad spiritualia sedulus. 152.61
Inter Christum, & suos discipulos intima vnio. 284.65
Christus persecutiones percupiebat. ibid.
Antiqui Patres tanquam astra, Christus velut Sol. 287.6
Christo nulla creatura potest inferre nocumentum. ibid.8
Christus venit ad saluandum, & non ad damnandum mundum. 290.27.& 28
Christus maximè notus in Scriptura. 298.81
Christus potius vult cognosci per beneficentiam, quàm per maiestatem. 299.83
Contra Christi puritatem inuidia non potuit aliquid arguere. 312.13
In solo Christo gaudium verum, & permanens. 332.127
Christi doctrina, ac beneficentia per omnes transiuit. 338 4
Christus nescit stare in vno loco, qui benefacrat. ibid.5
Christus sedens agit de bono communi, transiens de particulari. ibid.6.7.& 8
Christus in se cognoscit obligationem benefaciendi. 342.32
In Solo Christo lux, & illuminatio. 146.56
Ex accessu ad Christum mutamur in Angelos. 363.14 15.& 16
Christus nos ducit in domum sui Patris. 379.100
Christus prior sua gratia nos quærit, vt ad eum veniamus. 378.97.98.& 99
Christi gaudium suis dare præmia. 418 84
Christus in gloria suæ antiquæ conditionis, ac humilitatis non obliuiscitur. 420.93
Christus ministerium, quod gerebat in terris, in gloria Dei Patris præstat. 421.102
Deliciæ Christi suis ministrare. 422.107
Christus potius consulebat nostræ saluti, quàm suæ auctoritati. 425.4
Christus potius attendit ad nostram salutem, quàm ad suam maiestatem. 430.38.& 39
Christus exuit se vestimentis gloriæ, vt nos illis induamur. 431.39
Christus crucifixus compendium omnium bonorum. 459.6.& 7
Solus Christus intuendus, ac aspiciendus. 463.29.30.& 31
Qui Christum habet de omnibus aliis obliuiscatur. ibid.
Christus Dominus ad se allicit peccatores, vt eos ad salutem reducat. 471.6 & 7
Qui ad Christum accedunt purificantur, ac mundantur. 472.13.14.& 15
Christus cum sit totus aureus quidquid attingit reddit aureum. ibid.15
Christus sic amat vnius animam, ac omnes. 476.40.& 668.155
Christus summè gaudet esse cum hominibus. 478.49
Christi quies pro nobis laborare. 479.54
Christus peccata nostra portauit, vt deleret. 480.63
Christus pro omnium salute sufficientissimus. 516.167
Christus nostræ salutis cupidus in homine requiescit. 582.25
Christus cum suis videtur laborare. 615.78
Christus alios facit participes suæ gloriæ. ibid.81.82.& 83
Christus nostram vtilitatem suam dicit glorificationem. 646.22
Christo mors suauis. 710.96
Christi morte gratiæ splendore homines nobilitantur. ibid.97
Ex Christi descensu hominis illuminatio. 716.7
Christus reputabat exilium abesse ab hominibus. 913.24.25.26

Christianus.

Christiani Christi doctrina instruantur. 299.82
Qui pertinent ad Dei possessionem omni benedictione replentur. 588.54
Deus multùm extollit homines fideles, ac Christianos. 615.77
Christianus non otio, sed operi debet vacare. 626. 23.24.& 25

Cibus.

Indecorum quòd homo cibis ducatur. 68.76
Propter cibum non est omittenda veritas. 432.44
Asper cibus conducit ad salutem. 500.75
Cibus hominis proportionetur cum eius substantia. 542.25
Ex cibo,& potu crudelitas. 543.26
Ex cibo,& potu luxuria. ibid.27
Ex nimio cibo,& potu mors. ibid.28
Plus ciborum epulæ obcæcant, quàm inferni tenebræ. 552.88
Reges ministris dent cibos,ac vnde comedant, ne ipsi fiant lattones. 781.21.22.23

Circumstantia.

Ex circumstantiis dependet opus, vt laude, vel vituperio sit dignum. 569.20.21.& 22

Ciuitas, seu, Ciuis.

Bonus ciuis honor patriæ. 231
Homines nolunt coram conciue humiliari. 240. 57

Clementia.

Clementia proprius diuinitatis index. 39.151
Grandis culpa de alio plus sperare, quàm de Dei clementia. 177.35

Vide, *Misericordia, Benignitas.*

Clientes.

Vide, *Aulici.*

Cogitatio.

Homines quod peius est cogitant. 341.27

Cognitio.

Ex habitu Christi alios vt magnos cognoscimus. 34.112.
Cognitio creatoris excitat amorem. 49 55
Cognitio Dei facit beatum. 91.118
Alterius dignitatem cognoscere, ac fateri valdè difficile. 93.132
Ex Christi gratia venit vt ipse cognoscatur. 145. 99
Qui magnalia Dei cognoscit mundialia despicit. 245.16
Cognitio propriæ vtilitatis efficax ad acuendum intellectum. 347.66
In omni honore cognoscat homo suam antiquam conditionem. 418.84
Princeps in omni sua sublimitate cognoscat se esse hominem. 439.8
Bonus princeps suorum palatinorum delicta cognoscit. 527.35.& 36
Ex propria cognitione ascensus in cœlum. 574. 48.& 49
Cognitio præteritorum conducit ad gratiarum actionem. ibid.50
Homo cognoscat humilitatem suæ natiuitatis. 743 47
In sublimitate cognitio propriæ vilitatis. 910. 14

Commodum.

Quæ etiam aliquando homo facit ex suo commodo, Deus in obsequium reputat, & remunerat. 63.41.& 42
Qui propria commoda intendit in sua luce obfuscatur. 160.208
Homines suo commodo consulunt, dum aliis consulere videntur. 654.44
Homines solùm de suo commodo curant, non de aliis. 719.24

Commune.

Suprema potestas communi modo agendi se accommodat. 49.56.
Ignorantia velle concludere commune bonum inter priuatos. 156.181
Communi bono potiùs consulendum, quàm particulari vtilitati. 315.88.89.90
Si iniuria est particularis dissimulanda, non verò si offendit bonum commune. ibid.89
Christus sedens agit de bono communi, transiens de particulari. 588.6.7.& 8
Bono communi potius consulendum, quàm propriæ vtilitati. 712.112.& 113

Communicare.

Rex omnibus sua beneficia communicet. 43. 10. 11. & 12. Et 439. 6. & 7. Et 860. 82. & 83
Christus magis gloriatur de his, quæ communicat,quàm de his,quæ possidet. 90.112.113
Christus suam gloriam suis communicat. 145 85
Gloria Dei omnibus communicatur; gloria verò hominis sibi tantùm. ibid.88
Princeps sua dona cunctis communicet. 144.91 .92. & 93
Christus sua dona omnibus communicat. 232. Et 253.64.Et 581.25
Iustus bona sua aliis communicat. 265.129. & 130
Diuinitatis est bona sua aliis communicare.287. 11.& 650.103
Princeps teneat æqualitatem in suis donis communicandis. 388.15.16.& 17
Cœlestia bona eorum communicatione non minuuntur. 521.195
Christus habet pro gloria sua dona communicare. 615.81.82.& 83
Dei dona non vni, sed omnibus communicantur. 12.109.& 110
Suam lucem facit ampliorem, qui vult vt & alij illa fruantur. 869.35
Monstruosa res quòd Princeps bonis repleatur, & in suos non diffundat. ibid.36

Concordia.

Concordia industria obtinendi dona à Deo.414. 48
Christus inter concordes habitat. 215. 56. & 57
Christus vult nos esse concordes. 232.4

Condemnare.

Pharisæi, ac iniqui condemnant, Iesus absoluit. 284.81
Christus absoluit hominem, condemnat peccatum. 285.91

Confessio.

Facta confessione inexplicabilia sunt dona, quæ communicantur. 805.85
Per confessionem obtinetur pretium nostræ redemptionis. 185.68
Confessio Petri radius orbis. 86.81
Confessio veritatis in vno, vel altero. 88 98
Festina confessio veniam obtinet. 285.86
Diabolus maximè intendit auertere fidelem à confessione. 377.90.91.& 92

Summum malum claudere os in confessione. ibid.
Per confessionem mundatur conscientia à peccatis. 487.98 99.& 100
Peccatum confessum recedit, tacitum permanet. ibid.
Confessio peccatorum iram Dei placat. 502. 90
Confessio reddit Deum placabilem. 508.119.120. & 121
Per confessionem ad regnum eleuatur homo, & tollitur ignominia peccati. ibid.
Confessio ingenua simpliciter peccata fatetur. 575.54
Confessio sit cum contritione, & satisfactione. ibid.55
Confessio peccatorum facit homines Deo acceptabiles. 578 74
Per confessionem reuiuiscit anima. 675. 199. & 220
Ex confessione salus. 731.81

Confido, seu, Confisus.

Alienus à crimine valdè confisus. 330.114
Multa confidentia damnationis causa. 806.90
Iusti de se non habent confidentiam. ibid.

Conformatio.

Etsi interius sis virtute dissimilis, in exterioribus conformare aliis. 197.87
Conformandum cum Dei voluntate. 657.87
Boni discipuli conformantur cum Christi voluntate. 113.121

Confusio.

Concilium malignantium est in eorum confusionem. 427.12

Congregatio.

Decus congregationis quòd nullus deperdatur. 476.36

Consanguinei.

Consanguinei impediunt bona. 671.174
Consanguinei agnoscunt suum cognatum pauperem. 24.48
Consanguinei improbi fugiendi. 203.101
Consanguinei inuidiosi. 246.17
Aliqui potius volunt honores extraneo, quàm consanguineo. 322.70.71.& 72
Omnis consanguinitatis affectus pro Christo postponendus. 450.79
Suorum consanguineorum iactura grauiter homo torquetur. 562.148. & 149
Consanguinei, qui cum Deo haberi possunt non relinquendi. 608 35
Cognati consulendi, & non deserendi sunt. ibid. 35.36.& 37
Tam gloriosa pietas in cognatos, vt hæc sola sit decantanda. ibid.38

Conscientia.

Conscientiæ puritas dat scientiam mandatorum Dei. 154.72.73.& 74
Quies conscientiæ, si expellantur temporalia. 389.35
Pax conscientiæ iusti ex certamine cum vitiis. ibid & 390.36.& 37
Conscientia accusat, & indicat stultiam peccatorum. 401.55
Conscientia accusat, & dat intelligentiam. 792. 11
Conscientia plus torquet, quam gehennæ incendium. 530.52
Bona conscientia, si non excolitur, syluescit. 781.19
Plus volunt homines diuitias, quam conscientiam mundare. 787.64
Conscientia bona dat multam confidentiam, ac animum. 916 46 47

Conseruatio.

Qui præstitit beneficium ne deserat, sed perficiat, & absoluat. 46.33

Consideratio.

Res fiat non præcipiti, sed considerato animo. 38. 144
Peccatores, Sanctos non considerant quales sunt, sed quales fuerint. 472.12
Qui se non considerat alios iniquos iudicat. 571. 18

Consilium, seu, Consiliarius

Omne consilium impiorum in ipsos reflectitur. 685.41.42.& 43
Magnorum consilia occultanda. 698. 19. 20. 21. & 22
Homo suo consilio fertur in perditionem. 706. 70
Sæpè homines loquuntur, quia aliorum consilia non intelligunt. 27.75
Magistri, & Principes non dedignentur accipere consilia ab inferioribus. 57.8
Ab amicis petendum consilium. 58.9.10.& 11
Mutandus est consiliarius, si proba non consulit. ibid.14.& 59.15.& 16
Non senex, nec amicus, sed qui intelligat quærendus est consiliarius. ibid.16
Consiliarius expertus quærendus. 147. 113. 114. & 115
Ad consilium conuocandi homines similes moribus ac vita. 149.127
Ex consiliariis, quos adhibes, facilè mens, ac intentio tua deprehenditur. ibid.128.& 129
Bonus consiliarius non de propria iucunditate, sed de bono communi agit. 150.137
Homo suo commodo detentus ineptus ad consilium. 151.145
Solicitus proprij negotij ineptus ad consilium. ibid.144
Qui non Deum, sed se consulit, sua sibi retinet. 395.14
Imprudens suo vtitur consilio. ibid.16
Consilium malignantium est in eorum confusionem. 427.12
Periculosè agit homo, dum suo consilio agitur, ac gubernatur. 490.14.15.& 16
Quod multorum consilio fit, probum habetur. 6.8.3
Auctoritate consilij malum defenditur. 679. 4. 5.& 6
Consilium magnorum in multa veneratione. ibid.6
Res cum literatis consulenda. ibid.7

Constantia.

Valdè diuinum homini ignobili dare constantiam. 99.173
Firmi, ac constantes maximè venerandi. 132. 15
Constantia multum promeretur. 636.87
Filij Dei constantes in diuina lege obseruanda. 877.86

Consuetudo.

Vide, *Perseuerantia.*

Christus antiquam Prophetarum consuetudinem tenet. 22.30.& 45.31

Antiqua tuæ Gentis consuetudo tenenda. 90. 109
Semper homo in suam consuetudinem, ac naturam propendit. 153.151
Antiqua consuetudo tenenda. 159.197
Ex mala consuetudine salus hominis desperata. 671.176
Vide, *Mores.*

Contemnere.
Iustos viuos contemnimus, mortuos veneramur. 80.44.45.& 46
Homo si se videt contemptum, multa crimina aggreditur. 154.26
Pro Deo mors contemnenda. 147.118
Cùm homo contemnit terrena, elevatur ad cœlum. 196 57.& 58
Ob Christum omnia contemnenda,& omittenda. 238.48
Qui magnalia Dei cognoscit, mundialia contemnit. 245.16
Nemo contemnendus. 325.86
Anima cùm Deum quærit omnia temporalia habet in contemptu. 509.128.129. & 130
Iusti mundo sunt in contemptu, Deo verò in honore. 725.36 & 37
Cùm terrena contemnuntur, ad cœlum omnia volant. 675.56.57.& 58
In contemnendis rebus potius affectus, quàm census pensandus est. 606.20.& 21
Bona temporalia tunc possessa, cùm contempta. 622.123
Qui contemnit magna, non recusat relinquere parua. 747.70 & 71
Contemnere pecunias non est hominis huius vitæ. 759.50
Diuitiarum contemptus efficacior ad persuadendum,quàm miracula. ibid.
Magnum crimen, quod homo contemnat, quæ agnoscit sibi necessaria. 896.33.34.35

Contemplatio.
Nostra contemplatio sit ad Deum. 410.30
Vita contemplatiua,& actiua. 467.44

Contumax.
Contumax timendus ne fiat infidelis. 212.38

Contumelia.
Spe deposita in contumelias erumpit animus. 36. 94
Animi magnitudo nullo opprobrio commouetur. 34.113
Prudentia opprobrium vertit in suum argumentum. ibid.114
Contumeliosus etiam contumelias audiat. 329. 112
Contumeliæ verba fugiat iudex. 559.129
Contumelia in hostes alienum à viro ingenuo. 803.69

Conuenientia.
Pro sua conuenientia quilibet operatur. 645.114. 115.& 116

Conuersatio.
Conuersatio hæreticorum fugienda. 15.80

Conuersio.
Recenter conuersi ad fidem leniter tractandi sunt. 479.57.58.& 59
Peccatori recenter conuerso facilis pœnitentia imponenda. 485.93 & 94
Ex antiquis virtutibus habet homo, si peccet, vt conuertatur. 489.111

Conuiuium.
Vide, *Cibus.*

Cooperatio.
Nostra cooperatio ad bona cœlestia. 234.19
Nostra cooperatio ad salutem necessaria. 560. 144
Cooperandum cum Dei donis. 387.22.& 23
Vide, *Auxilium.*

Cor.
Ex abundantia cordis os loquitur. 557.120.121.& 122
In peruerso verba discrepant à corde. ibid. 118.& 119
Actus exiens à corde puro placet Deo. 569.17
Parum est Deo offerre omnia membra,si cor tibi retineas. 576.63

Corpus.
Cæcitas attendere ad molem corporis, & non ad magnitudinem animi. 298.33
Tolerabiliora vulnera corporis, quàm mentis. 545.39
Nullum damnum cùm adest corporis sanitas. ibid.40

Correptio.
Plus proficit correptio secreta, quàm publica. 209.17
Publicata correptio sui sceleris non damnatorem, sed defensorem reddit. ibid.18

Creatura.
Creaturæ propria est instabilitas, & est in fluxu. 717.18.& 19
Creaturæ vendicant iniurias factas contra suum creatorem. 867.25.26.& 27
Omnes creaturæ pro Deo pugnant aduersus peccatorem. 868.27
Creaturæ insurgunt contra peccatores. 872.57
Omnes creaturæ acculant peccatores. 872.59. & 60

Credere.
Bona conferuntur credenti. 178.49
Aliorum non felicitatem, sed infortunium credunt homines. 351.99
Semel inuento fallaci non est credendum. 480. 61
Prælatus non statim credat rebus auditis. 526. 24
Plus credatur mendaci largienti, quàm veraci exposcenti. 857.19
Tristia difficiliter creduntur. 851.26
Vide, *Persuadere.*

Crimen.
Crimen filiorum à parentum vitiis originatur. 178.40
Iniqui gubernatores delectantur in suorum crimine. 271.4
Criminum discussio est illorum manifestatio. 512. 152
Vide, *Culpa.*

Cruciatus.
Cruciatus aperiunt intellectum. 300.92

Crudelitas.
Ignobilis,seu seruus in principatu crudeli. 226.52 53 & 54
Crudelior homo in hominem,quàm fera. 336.153. 154.& 155
Diuitiæ cum crudelitate non hominis, sed leonis sunt. 522.2
Ex cibo,& potu crudelitas. 541.16
Ex diuitiis fit homo crudelis. 546.53
Diues crudelior brutis animantibus. 547. 59. & 60
Vir Crudelis in pauperes damnatur. 560 133

Crux.

Crux lucerna, & lux, quæ illuminat intellectum ad fidei mysteria. 107.12.13. & 14. & 877.90
Crux splendidior, Sole, & Luna. 107.14
Crucis præsidio roboramur in omni bono. 109.16 & 17
Crux nobis arma ad gratiam conseruandam. ibid.17
Crux victoriæ firmamentum. ibid.
Crux per se attrahit, & sibi præmium. 116.16
Cruce armamur contra aduersas potestates. 121.50
Crux scutum nostri Regis. ibid.
Crux Christi non prodest sine nostra. 122.55
Crux propria facilis. ibid.56.& 57
Crux, ac mors pro nobis Christi gloria. 150.136
Christi gloria non datur sine cruce, & morte. 156.180
Christi crux, ius glorificatio, 263.111
Christus de sua cruce nouo modo loquitur. 300.86
Crux Christi resplendet super omnia opera eius. 301.95.96 & 97
Crux facit nos videre Dei Verbum. 301.96
Crux lux totum mundum illuminans. 487.96
Ex crucis halitu oratio fit accepta. 576.61
Cruce Christi omnis labor noster mollitur. 709.91.92.& 93
Cruce Christi liberamur ab omni malo. 714.30. & 31
Summa potestas Christi à cruce. 770.69.70 & 71
Crux regalis Christi thronus. ibid.73
Crux Christi principatus. 771.74
Crux Christum Regem demonstrat. ibid.75
Crux regale Christi sceptrum. ibid.76
Crucis ministri Reges, ac Domini. ibid. 78. 79. & 80
Victoria per crucem. 772.84.85.& 86
Christus reputat crucem pro exaltatione. 773.94. 95.& 774.66.97
Crux reputatur à Christo veluti sinus Patris.773. 95
Christus in cruce maximè exaltatus. 774.101
Sub vmbra crucis omnis gloria defertur Deo. ibid.102
Ex cruce Christus ad se traxit omnia. 775.105
A cruce illuminamur, & venimus ad Christum. ibid.105.& 106
A cruce omnis splendor, & gloria. 776.111
Excellentissima opera per crucem. ibid.112
Ipsa crux in iudicio finali accusabit, & dabit sententiam contra impios. 878.96.& 97

Culpa.

Culpam suam alteri referre diaboli est. 174.17
Valde durum quòd quis propriam culpam in alium reiiciat. 177.36
Suam culpam quilibet in alium vult refundere 190.19.& 811.19
Culpæ obiurgatio pars pœnæ. 227.57
Plus deturpat culpa, quàm pœna. 228.62.63. & 64
Iusti potius horrent culpam, quàm pœnam; iniqui verò è contra. ibid.
Vnius culpa alij est periculum cadendi. 475.31. 32.& 33.
Culpa semetipsum manifestat. 515.19.20.& 21.
Culpa declaranda. ibid.22
Culpa arguit, & inducit delinquentem ad pœnam. 557.118
Culpa comprimit os. 805.82
Quod fuit fomentum culpæ, erit & pœnæ. 870.39.& 40.

Cupiditas.

Cupiditas pecuniæ impedit in cœlum ascendere. 134.24
Pro minima cupiditate vita, ac aurum deperditur. 184.81
Cupiditas humana nulla re, ac nullo principatu quiescit. 191.23.24.& 25
Auri cupidus maiora mala, quàm infidelis perpetratur. 212.33
Humana cupiditas suis terminis non est contenta. 428.24.& 25

Curiositas.

Pro curiositate relinquuntur cœlestia. 449.71
Ex curiositate periculum. 432.47

Custodia.

Custodienda anima à vitiis. 232.6

D

Damnatus.

Damnatio irreparabile damnum. 425.125
Damnati in omni malo obfirmati. 561.142
Damnatus etiam suorum tortura torquetur. 562.148
Qui est causa aliorum damnationis ipse magis torquetur. 561.142
Nemo inauditus damnandus, 803.68

Damnum.

Nulla creatura potest damnum inferre Christo. 287.8
Valde exectabile medium vitæ in damnum conuertere. 310.4.& 5
Ad damnum alteri inferendum nunquam deest instrumentum. 535.142.143.& 144

Dare.

Omnia non sunt vni danda. 129.93
Regis gloria sua dona suis dare. 742.77
Cùm de præsenti aliquid datur, æstimatur spes de futuro. ibid.78
Qui maiora dat, minora non negabit. 185.74
Omnes conuolant ad dantem dona, recedunt à patiente. 204.10.11.& 12
Dare excellentiam Dei prædicat, accipere verò exinanitionem dicit. 215.44.& 45
Quod improbo datur, iusto non est denegandum. 491.23.& 34
Deus non dat dimidium, seu dimidiata dona. 521.198
Cui minora negantur, maiora non dabuntur. 563.151
In mundo solùm habenti datur. 604.10
Quæ minoribus dantur maioribus non sunt deneganda. 663.110.111.& 112
Nemo det, ac concedat, nisi id, quod cognoscit, ac intelligit. 701.40
Plus creditur mendaci danti, quam veraci exposcenti. 850.19
Homo aliquando putat aliena sibi non dari, sed deberi ratione amicitiæ. 903.81
Dare ex propriis difficile, ex alienis suaue. 904.89

Debitor.
Debitor intendit interponere tempus. 223.25
Homo tardè soluit debitum. 449.74
Defectus.
Valdè exosum quòd quis damnet in aliis defectus, quibus inficitur. 5.24
Quilibet suum patitur defectum. 8.45.46
Nobilis valdè sedulus ne aliorum defectus videantur. 87.91.92.93
Prælatus aliquando suorum dissimulet defectus. 152.148
Sancti suos defectus manifestant. 158.188
Aliorum defectus tegere præcellit quodcumque cœleste munus. 160.209.210
Aliorum defectus recondere probitatem declarat. 166.250
Homines non ad virtutes, sed ad defectus attendunt. 192.31.32.33
Defectus hominis deuita, bonum assume. 195. 47
Aliorum defectus occultandi. 277. 36. & 311. 137
Iniqui non considerant virtutes, sed defectus. 310.56
Impius in se admittit vnum defectum, vt in aliis multos imponat. 331.150.151
Homines solum ad defectuosum aduertunt, & non ad laudabile, & magnum. 354 112. 113. 114
Ingenium Apostolicum aliorum defectus abscondere. 355.118
Bonus pater sæpè plura præstat ad occultanda delicta filij, quàm ad ostendendam maiestatem. 510.131
Senior non videt fratris pœnitentiam, sed crimina. 517.172
Etiam peccatoris publici nomen tacendum. 540. 8.9.& 10
Iniqui non virtutes, sed defectus considerant. 637.95
Homines solum sciunt aliorum defectus detegere. 676.209
Quilibet dolet non de alieno defectu, sed de proprio incommodo. 714.124.125
Defendo.
Manus Dei nos protegit, ac defendit. 49.55.56. & 57
Magna pœna vt tui defensor sit tui damnator. 596.14
Deiectus.
Deiectus à Principum gratia multa tolerat. 455. 104
Deiectus omnia sustinet, Regis fauore sublimatus leui aura offenditur. 513.155.156
Filius deiectus condecoratur, ac nobilitatur. 514.157
Qui se videt deiectum, ac exclusum, torpet anima. 712.111
In deiectos insurgunt alij. 712.122
In Dominum deiectum insurgunt famuli. 872. 61
Delectatio.
Pro minima delectatione vita, & aurum deperditur. 184.81
Delicia.
In delicijs mundanis gustus breuis tantum. 450.76
Peccator dum quærit delicias, eas perdit, & inuenit amaritudinem. 498.62
Delicioſus si deliciis defraudatur, perit. 499. 73
In deliciis enutritus non valet laborare. 530.49
Iniquus in suis deliciis habet præsagium suæ damnationis. 540.14
Ex deliciis calamitas, & mors. 542.21.22.23
Pro nostris deliciis volumus, vt alij suis bonis spolientur. 554.102
Si Princeps deliciis indulgeat, miraculum quòd Respublica non pereat. 625.18
Deus suis non solum dat necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem, ac delicias. 797. 32.& 33
Plus deuincitur deliciis, seu blanditiis, quàm potestate. 850.23
Descendere.
Descendant magnates ad minimos. 340.18
Desertum.
Quos desertum, seu solitudo commendat, apti ad magna. 149.116
In deserto securitas, in vrbe periculum. 478.50. 51.& 52
Maior securitas in deserto, quàm in vrbe apud virum sanctum. ibid.
Desiderium.
Nostrum desiderium pro merito reputat Deus. 179.49
Ex dilatione desiderium. 251.55
Ex difficultate accenditur rerum desiderium. 389.31
Desiderium inflammatur ex termino viæ abscondito. 406.10
Qui à suo desiderio defraudatur multum errat. 637.95
Non desiderio, sed operum executione obtinetur regnum cœlorum. 907.110
Desperatio.
Nullus ex malo genere desperet. 141.65
Nullus ex graui peccato desperet. 300.93
Detrahere.
Pharisæi cum non auderent detrahere Magistro, discipulis detrahebant. 7.55
Vitiosi de Iustis, ac Sanctis detrahunt. 419.28
Deuotio.
Defectus orationis adhibitione sacratum rerum supplendus. 5060.
Deus.
Deus gratia sua nos præuenit. 19.10.11.
Deus est, qui incipit in nobis opus bonum. ibid.
Impossibile est, vt Deus de hominum salute non agat. 20.19.20.21
Deus non dat vni beneficium cum iniuria aliorum. 26.62
Deus valdè verax in suis verbis, & promissionibus. ibid.68.69.& 27.70 71
Deus dat vt magnificus, homo vt limitatus accipit. 40.157
Ab vnoquoque Deus vult id, quod ipse præstare potest. 45.24
Deus impedimentum soluit impedimento. 50.58
Omnia nostra Deo referenda. 51.69
Solus Deus videt nostras necessitates. 59.18
Deus mouetur à necessitate ad subueniendum. 61.28
Deus in suis operibus ostendit scientiam, & potentiam. 71.93
Deus pro paucis, quæ ei damus, multa persoluit. ibid.95
Deus tunc vult dici Dominus, cùm habet hominem creaturam, cui communicet dominium. 90.113
Idem est Deum dicere, ac facere. 98.160

Index Rerum,

Proprium Dei pro suorum salute mori. 108.18
Dei veritas infallibilis in sui promissionibus. 159. 200
Diuinitatis character sine alterius obumbratione fecit re. 160.106
Se pro aliorum salute exinanire diuinitatis notio. 161.220
Ob nostrum defectum Deus nobis non confert beneficia. 175.25
Deus curam habet de paruulis, & humilibus. 91. 115
Nisi Deus ad nos veniat per suam gratiam, nos non possumus ire ad eum. 234.22
Non vult Deus vt suus honor, alteri tribuatur. 237.39
Homo se totum Deo offerat. 238.45
Ob nostrum recessum à Deo, Deus à nobis recedit. 288.14
Plus dolendum de iniuria Dei, quam de vira perdita. 316.32
Deus facilè obliuiscitur iniuriæ. 326.96
Deus ex malis multa bona educit. 343.36
Deus hominis creator ipsum reformat. 347.59
Deus per contraria media operatur mirabilia. ibid. 67.68.& 69
Deus vult vt opera sua sint manifesta. 349.78
Deus à fortioribus vult maiora opera. 360.147
Deus benefacit non casu, sed alto consilio. 371. 51.52.& 53
Deus largè dat, homo sua auaritia angustiatur. 596.10
Deus nocte abscondit suum rigorem, in die clara manifestat suam magnificentiam, & misericordiam. 403.71.72
Deus quærit homines, non vero ipsi Deum. 416. 81
Deus in nostris actionibus spectandus. ibid. 67
Solum Dei regnum sibi sufficiens. 420.92
Deus incomprehensibilis. 421.106
Salus nostra Dei glorificatio. 430.37
Deo aliquando gratior pœnitens, quàm innocens. 284.75.76.77
In Deo Patris amor nunquam deficit. 501.82
Dei memoria dat vires ad viam salutis arripiendam. ibid. 83
Deus velocissimus, vt exaudiat nostras preces. 506. 112.& 507.113.& 114
Deus nostro dicendi modo plus dolet de nostro dedecore, quam de sua offensa. 511.136
Deus solus clemens, cum ministris terribilis. ibid. 139.140.& 141
Deus ex nostris criminibus prouocatur ad supplicium. 527.30
Deus secretò corripit delinquentes. 540.8. 9. & 10
Qualis homo Deo, talis Deus hominis. 555. 108
Deus gyrat peccatorem, vt eum ad se reducat. 582.23
Deus vult nos, & non nostra. 586.42.43
In manu Dei securi, & tuti sumus ab omni malo 588.56.57
In solo Deo satiatur appetitus. 605.14
Deus potius attendit ad nostrum commodum, quàm ad celsitudinem suæ maiestatis. 612. 65
Deus maximè delectatur quòd homini administret. 625.16
Deus tam velox in nos, vt expectet vocem loquentis. 626.19.20
Omnia nostra ad Dei gloriam referenda. ibid. 22
Deus non est personarum acceptor. 711.107
Dei propria permanentia, creaturæ transitus. 718. 18.& 19
Deus nostram opem requirit, vt remuneret. 742. 35
Pro Deo summa fugit homo, pro mundo labores amplectitur. 746.63.64.65
Deus sic dolet de nostra pressura, ac si esset sub illa. 752.8.& 9
Deus beneficia largitur, homo verò sibi supplicia comparat. 790.78 & 79
Deus beneficiorum Author, non verò supplicio-rum. ibid.
Solius Dei est habere pietatem, ac clementiam. 796.17
Deus non solum dat suis necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem. 797.32.33
Deus plus dolet de illata iniuria suis seruis, quàm sibi. 800.49.50.51
Vt Deum videas, separandus animus à mundo. 817.58.59.60
Cùm Deus castigat, se abscondit. 866. 18. & 19
Dies exultationis Deo, quo ipse nobis benefacit. 918.66

Dei beneficia. Vide, *Beneficia*, vel *Deus.*
Dei liberalitas. Vide, *Liberalitas.*
Dei ira. Vide, *Ira.*
Dei misericordia. Vide, *Misericordia.*

Diabolus.

Cum vno diabolo veniunt multi dæmones. 18. 101
Plus fugiendus diabolus pugnans per hominem, quàm per seipsum. 112.44
Diabolus sibi arripit dignitates. 140.67
Diabolus Dei creaturas intentat infamare. 174. 16
Diabolus explorat, vt malum, quod infert alteri referatur. ibid.17
Dei prouidentia nos custodit à dæmonis machinatione. ibid.19
Diabolus suos ad ruinam impellit. ibid.
Quo propinquior est salus, eo magis diabolus sæuit. 177.39
Quod diabolus non executione, sed desiderio intentat, homo operatur. 308.130
Homo sæpè loquitur quod diabolus non audet dicere. 329.108
Diabolus semper intendit destructionem, & ruinam. 397.24
Diabolus nunquam in vitiis dat satietatem. 497. 55
Diabolus vincitur per quæ vincebat. 669.163
Diabolus non videt apertam excellentiam. 681. 22
Sub iugo diaboli dura patitur homo. 746.62
Pro diabolo dura patitur homo, pro Deo suauia respuit. 746.63.64.65
Diabolus ex vniuscuiusque genio parat tentationes. 812.28
Diabolus se vniuscuiusque genio adaptat, vt decipiat. 859.74.& 860.75.76.77

Dicere, seu, *Dicentes.*

Dicenda quæ videntur. 227.56
Iniqui vnum dicunt in facie, aliud à tergo. 271.5
Dicentes Regi aliorum prospera inuidiosi, ac latrones. 368.33

Omnia

Omnia non omnibus dicenda. 697.13

Difficultas.

Difficultas rerum generosos mouet. 113.22.& 23
Ex difficultate rerum accenditur desiderium. 389.31
Ex difficultate obtinendi æstimatur res. 391.44
Difficiliter habita, sunt in æstimatione. 495.32
Masculus animus rerum difficultate excitatur. 655. 76.& 77
Stultus difficilia superat, at in minimis cadit, & deficit. 896.29

Dignitas.

In Christi schola non attenditur dignitas, sed merita. 86.83
Alterius dignitatem fateri valdè difficilè. 91. 122
Dignitas non adolescentibus, sed senibus conferenda. 100.176
Diabolus sibi arripit dignitates. 140.67
Pro dignitate, ac gloria non mutandum. 141.71. 72.& 73
Electus à te ad dignitates, ac honores, non est dedecorandus, ac contristandus. 157.187
Dignitas danda non ex amotis affectu, sed ex rationis iudicio. 193.34.& 195.35.& 36
A dignitate dimittamus animum tantisper, vt nostro muneri satisfaciamus. 236.35.36.& 37
Dignitas non sit instrumentum ad vlciscendum. 72.77
Deus cum dignitate dat vires proportionatas ad illam. 435.63
Dignitate sæpè homines peiores fiunt. 436.67
Dignitatem ab aliis reiectam solus pauper admittet. 453.95
Bonus seruus non tantùm sibi, sed etiam aliis vult honores, ac dignitates. 454.100
Dignitas adnata illustrissima viro. 587.49
Potentes sæculi contemnere, & eligere benemeritos ad dignitates, non hominis, sed Dei est. 614.73.& 74
Indignus in dignitate abominator desolationis. 850.19.& 20
Semper vnus non teneat primam sedem. 646. 23
Deiectus, ac delapsus à sua dignitate, ac honore, contemnitur. 671.179.& 180
Ex dignitate lingua fit solutior. 688. 52. 53. & 54
Dignitatis virtus dat cognitionem veritatis. 690. 64.& 65
Ad dignitates nullus se intromittat, omnes vocentur. 696.9.10.& 697.11.12
Dignitas non affectu sanguinis danda. 704.55.56. & 57
Nullus vult in dignitate alteri cedere. 706.67
Dignitas destinata ad omnes non est restringenda ad duos. 710.100
Ad dignitates non currendum, sed gradatim eundum. 726.44
Dignitates affligunt, & molestant. 755.18
Dignitas breuis contemnenda, perseuerans æstimanda. 760.6.7.& 8
Recognoscitur dignitas, vt interficiatur homo. 787.62
Damnatur qui dignitatem improportionatam vult vsurpare. 807.96
Dignitas in iniquis non est ad obseruantiam iuris, sed ad illius violationem. 829.7
Magnus dolor quòd quis sit deiectus à suo loco, in quo alius triumphat. 840.76.& 77
Qui fugit dignitates, eas sibi appropiat. 869. 55
In deiectum à sua dignitate assurgunt famuli. 872.58
Officia, & dignitates dandæ iis, quos agnoscimus. 912.29.30.& 913.31
Ex dignitate, ac æstimatione facta pignoratur homo ad magna. 911.11.12.13
Hominis est dare dignitates, non affectu, sed ratione. ibid.16.17.& 18

Diligentia.

Ad pietatis opus diligenter, ad iudicium cunctanter eundum. 211.32
Christus ad temporalia morosus, diligens ad spiritualia. 281.61
Cum diligentia Deo seruiendum. 405.5

Discipulus.

Discipulorum defectus in magistrum retorquetur. 7.36.37.& 38
Liberum est esse discipulum; at factus ad illius iura seruanda teneris. 124.69
Inter Christum, & suos discipulos intima vnio. 281.65
Eximius amor discipulorum Christi in ipsum. 695.2

Discordia.

Seminare discordias Pharisæorum vitium. 7. 34
Discordiæ studens non vult secum habere Christum. 216.58

Dissimulo.

Prudens dissimulat iniuriam, vt euitet occasiones iræ. 324.84
Patris est dissimulare filij crimina. 518.180
Peccata occulta dissimulanda. 527.32.33.& 34

Diuisio.

Aliquando diuisio bona. 119.36.& 37
Ab iniquis multa diuisio. ibid.38
Iesus non habetur in diuisione, sed in vnitate. 168.264
Diuitiæ pariunt diuisionem. 605.15
Perfecti non diuiduntur. 607.31

Diuitiæ, Diues.

Diuitiarum intuitus sæpè subornat. 865.11
Diues multum sibi promittit de vita futura. 499.39
Inter diuitias vbi est anaritia, regnat mœstitia, vbi autem Deus regnat, ibi est lætitia. ibid. 41
Diues vult se multiplicare, vt tanquam plures fruatur bonis. 400.46
Diuitiæ pariunt egestatem. 494.41.42.& 43
Cupiditas diuitiarum impatiens. 488.2
Ex diuitiis perditio, & ruina. 523.5
Diuitiæ in luxum, ac delicias ducunt. ibid.6
Nemo suis opibus, ac diuitiis contentus. ibidem 7
Ob diuitias, ac lucra acquirenda omne damnum contemnitur. ibid.8.9.& 10
Diues in sæculo, pauper in æternitate. 530.51
Diuitiæ cum ferocitate, non hominis, sed leonis. 539.2
Deus malos diuitiis implet, vt eos gratos faciat. 540.12
Torquentur diuites per quæ peccant. 544.35
Ex diuitiis fit homo crudelis. 546.53
Diuites negant pauperi cibum, & dant brutis animalibus. 547.87
Opulentia diuitiarum obcæcat mentem. 552. 87

Diues difficiliter ingreditur in cœlum. 601.36
Diuitiæ diuiti non sunt in commodum; sed in impedimentum. ibid.38
Diuitiæ pariunt diuisionem. 605.15
Honor apud mundiales in diuitiis reputatur. 609. 41.42.& 43
Diuitiarum contemptus non est hominis huius vitæ, sed Dei. 759.51
Plus volunt homines diuitias acquirere, quam conscientiam mundare. 787.64

Doctor. Doctrina. Docere.

Doctor errans difficiliter emendatur. 14.79
Qui alios in scientia docet, beatus. 91.121
Qui in re doctrinæ præeminentias ætatis deponit dignus omni dignitate. 101.186
Authoritas personæ multùm facit, vt doctrina æstimetur. 139.60
Doctrina Euangeliorum clara sicut lumen. 144.95
Qui docet, in probitate vitæ emineat. 164.235
Bonus doctor non solùm verbis, sed etiam factis docet. 164.236.& 237
Doctor quod docet verbo, adimpleat opere. 235.26
In doctore gloria maximè appetibilis. 253.66
Doctrina prædicatoris potius procedat ex corde, quam ex ore. 264.126
Doctrina non recipitur ob prauam audientium dispositionem. 312.14
Doctrinam suæ Scholæ contrariam multi dicunt hæreticam. 320.60
Prælatus potius doceat opere, quam verbo. 374.68
Veritas doctrinæ ornamentum, ac fundamentum. 812.16
Doctor sæpè virtute cathedræ dicit verũ. 819.10
Aliquando à Doctore iniquo procedit bona doctrina. ibid.12.& 13

Dolor.

Ille patitur dolores, qui eos intelligit, ac cognoscit. 23.37
Qui dolores in dilecto videt maximè torquetur. 23.38
Deus plus dolet de nostro dedecore, quàm de sua offensa. 511.136
Dolet homo non de defectu alterius, sed de damno proprio. 714.125
Qui amat, dolet de alterius malo. 452.12
Animus regius cùm videt suorum clades dolet. 753.17
Dolor generat silentium, & non finit loqui. 720. 7.& 8

Dominus.

Plus aliquando valet vnus Domini digitus, quàm tota ministri manus. 50.61
Domini est se submittere, ac humiliari propter suos. 809.101
Maiestas Domini, & serui discriminantur. 143.89
Multa differentia habenda est inter Dominum, & seruos. 147.117
Cum Domino seruus non est metiendus. 156. 173
Dominus facilè dat, seruus verò difficiliter. 349. 85.86.& 87
Vna dominatio multa seruorum ministeria habet annexa. 420 95.96.& 97
Dominus constituitur, vt seruiat. ibid.
Dominus saluat, seruus destruit. 722.10
Domini maiestas annexam habet necessitatem. 742.36.37.& 38

Donum.

Differt Deus donum, vt meritis crescat. 391.42
Ex difficultate obtinendi æstimatio doni. ibid.43
Dona à Deo accepta non possunt occultari. 501. 81
Princeps sua dona non reuocet. 228.60
Donum, quod minus expectatur, gratius. 241.68. 69.& 70
Dei dona in nos sine interruptione. 287.9
Rex ad omnes æqualiter extendat sua dona. ibid.10
Dona à Domino facilè, à seruo difficiliter veniunt. 349.85.86.& 87
Dei dona superant nostrum captum. 351.95
Dilatione doni virtus exercetur. 32.102
Minimum Dei donum satiat vniuersum mundum. 35.126.127.& 128
Deus ex vno dono dato pignoratur ad aliud dandum; homines verò ex vno concesso pignorantur ad aliud negandum. 62 34.& 35
Regis gloria sua dona suis conferre. 142.77
Dei dona omnibus communicantur, hominis verò sibi tantum. 143.88
Dona quærunt homines, passionem declinant. 189. 11.& 12
Vbi maiora dona, maior rario exigenda. 615.79
Magni animi est dona exhibita extenuare. 652. 55
Donum, quod datur inferioribus, excellentioribus non est denegandum. 663.120.121.& 122
Dei dona solùm communicantur suis electis, non verò alienis. 804.79.& 805.80.& 81
Infidus non gaudet fidelium donis. 898. 99. & 100
Diuina dona, non capiuntur ab homine, sed exuberant. 918.61

Vide, *Beneficium.*

Dubitans.

Dubitans in fide infidelis. 179.47
Dubietas animi deponenda. 199.78.& seqq.
Potius vult homo cruciari in corpore, quàm dubio premi in mente. 188.8
Generosus animus dubij impatiens. 216.63
Dubium maximè torquet. 246.14

Duritiæ.

Sub iugo dæmonis ad dura currit homo. 746.65
Sub dæmonis iugo multa dura patitur homo. ibid.62

E

Ecclesia, seu, Ecclesiastici.

Ecclesia excellentior synagoga. 69.77
Ecclesiæ conferendæ per concursum meritorum. 76.16.17.& 18
Ecclesiasticæ dignitates per merita, & non ex fœdere amicitiæ, vel sanguinis dandæ. ibid.
Dignitas Ecclesiastica non sanguine, sed meritis est conferenda. 94.140.& 95.141.& 142
Ecclesiasticus nouus sit homo. 97.154
Non est alienum ab Ecclesiæ maiestate in necessitate suis subuenire. 184.78.& 79
Ambitio, & contentio in Ecclesiasticis totum perdit orbem. 201.88.89.& 90
Ingredi Ecclesiam res difficilis. 251.46
Peccata cõtra Ecclesiã indelebilia manent. 278.41
Peccatum commissum in Ecclesia grauissimum. 321.61.62.& 63
Qui Ecclesiam Christi intrant ex leonibus fiunt oues. 365.14.15.& 16
Qui recedit ab Ecclesia, ac loco sancto in multa mala incidit. 493.33.34.& 494.35.& 36

Christus

Christus solàm in Ecclesia, & non extra inuenitur. 485.86
Elongatus ab Ecclesia terrena cogitat, in sinu verò eius cœlestia. 497.57.58
Qui in sinu Ecclesiæ delinquit sæpè erigitur. ibid.58
In Ecclesia Christianorum stat Deus firmus, vt nostras orationes exaudiat. 582.22
Ecclesiastici tractent Ecclesiastica, & non sæculares. 679.8
De Ecclesia curam habeat Sacerdos. 683.26
Ecclesiarum bona non sunt data, sed locata. 781.20
Abominatio omnium pessima ex loco sancto prophanato. 849.13

Electio.

Numerus electorum Dei non potest minui. 474.29.& 30
Solum in cœlo, & non in terra eliguntur benemeriti, & contemnuntur potentes. 614.73.74
Iudas assumitur in Ierusalem cum cæteris Apostolis, ne impudentior fieret. 696.6

Eleemosyna.

Ex eleemosynarum loco mouetur Christus ad pietatem. 292.42
Eleemosyna confidentiam dat, vt à Deo multa petamus. 384.4
Qui eleemosynis subuenit egeno, non patitur penuriam. 386.15
Eleemosyna duplicato fœnore omnia assequitur. 574.49
Qui dat eleemosynam regnum cœlorum expectare potest. 406.10
Ex eleemosyna bona augentur. 391.49
Panis datus pauperi mensa larga largitori. 426.7.8.& 9
Diues per eleemosynam exornatur fructibus, ac fertur in cœlum. 537.92.93.94
Ex eleemosynis pauperum efficacissima sunt patrocinia Sanctorum. ibid.
Ex eleemosyna præsidium in hora mortis, & iudicij. 538.95
Eleemosyna efficax ars, vt cœlum oppugnes, & ad illud ingrediaris. ibid.96
Eleemosyna redimit animam ab omni malo. ibid. 97.98
Eleemosyna efficacius, quàm oratio penetrat cœlum. ibid.98
Qui pauperi negauit micam, negatur ei guttà. 555.108
Eleemosyna constituitur via ad omnes perfectiones. 599.19
Eleemosyna pro stipendio habet salutem. ibid.
Per eleemosynam homo mandatur, ac incorporatur Christo. ibid.30.31
Bona erogata in pauperes magnum faciunt. 732.83

Elias.

Quomodo Elias dicatur quòd restituet omnia? 171.4.5.& 172.6.& 7
Spiritus Eliæ etiam post mortem prædicat. ibid.7
Elias ad vmbram Christi instaurabit omnia. ibid.8
Elias veluti noua lux. ibid.9
Humilitate peruenitur ad Eliæ magnalia. 197.66
Elias in figura Christi peccata vetera iugulat. 344.40

Error.

Christo apparente in mundo iam nullus sit error. 217.21
Homo errat in sua æstimatione. 434.38
Error peccatis supportandus. 703.51
Error in amicis non dissimulandus. 707.74
Errores ex ignorantia dissimulantur, non verò ex præsumptione. 77.10.& 11
Error Principis populum ad se trahit. 81.51
Error in multitudine, veritas in paucis. 88.96.97.98.& 99

Euangelium.

Euangelij scopus fidem Christi plantare. 38.147
Euangeliorum verba clara sicut lumen. 144.95
Lex, & Prophetæ cohærent in Euangelio. 156.176

Eucharistia.

Exi à peccatis, vt Christo appropies. 20.22
Eucharistica mensa filios, & seruos excipit. 33.107
Eucharistica mensa facit Dominos. 34.112
In vna mica panis Christi totus integer ipse accipitur. 35.124
Panis Christi dat omne bonum, & depellit omne malum. ibid.125
Vna Eucharistiæ vmbra plus obtinet, quam omnes virtutes. 37.135
Sacra Eucharistia custodit à tentationibus. 35.125
Vmbra Eucharistiæ iras Dei deponit. ibid.& 458.125.& 459.124.& 125
Fides Eucharistiæ generosior. 38.141
Christus in Eucharistia omnes satiat. 43.12
Exercitatio in laboribus præparatio ad Eucharistiam. 63.46
Ieiunium præparatio ad Eucharistiam. 64.51
Sine cœlesti pane deficit homo. 65.52
Qui se abstinet ab Eucharistia, omnia mala illi comminantur. ibid.
Longè fiat homo à peccatis, ac vitiis, vt ad Eucharistiam veniat. ibid.53.54
A peccatis recedat homo, vt ad Eucharistiam accedat. 65.54
Ad Eucharistiam multa præparatione accedendum. 796.21
In sacra Eucharistia omnia bona. 69.81.82.& 387.19
In sacra Eucharistia omnia desiderabilia. ibid.
Panis Christi non participatur in delitiis, sed in laboribus. 70.88
Qui de pane Christi participant, alios cognitione excedunt. 84.73
Quanto maior est dispositio ad Eucharistiam, tanto magis de illius fructu participamus. 88.97
Anima recipiens Christum in Eucharistia, ei præparet perseuerantem domum. 157.184
Christus in Eucharistia sub specierum nube, iustis lucida, peccatoribus obscura. 150.107
Eucharistia nos eleuat à terra in cœlum. 184.82.& 83
Excluso naturalis rationis oculo cum fidei lumine ad Eucharistiam accedendum. 203.104.& 105
Non naturalis sensus, sed sola fides Christum in Eucharistia recognoscit. 204.105
Christi sanguine locupletamur. 223.27
Potus cœlestis sumendus sub consideratione mortis. 262.109
Eucharistia panis amicorum. 384.3
Christus in Eucharistia valdè beneuolus. 386.6
Quid dignè Christum accipit, affluit delitiis. 420.94
Christi mensa replet gaudio. 803.87

Etsi alia peccata dissimulentur, non verò ille, qui in peccatis accedit. 807.96
Eucharistia vnitatem generat. 862.90
Ex Christi altari fideles, vt aquilæ volant in sublime. ibid.93
Eucharistia sumenda cum multa puritate animarum. ibid.95
Eucharistia refectus diabolo terribilis. 863.96.97. & 98
Qui ad Christi mensam accedit deponat hominis conditionem. 802.59
Eucharistia cum mortis metu sumenda. 435.59
Qui gustat sacram Eucharistiam, in paradiso degit. ibid.60
Ad Eucharistiam non vocantur desides, sed fortes, qui masculo sunt robore. 443.36.& 444. 37.& 38
Quamuis dona gloriæ valeant explicari, minimè verò quæ in sacra Eucharistia continentur. 446.50.51.& 52
Vt ad Eucharistiam accedas, etiam ab vxoribus abstinendum. 451.82.83.& 84
A terreno puluere etiam abstinendum. ibid.
Vmbra Eucharistiæ declinatur ira Dei, & omnia beneficia veniunt. 452.90.91.& 92
Desiderium Eucharistiæ facit homines ascendere in cœlum. 501.85.86.& 87
Multa puritas necessaria, vt caro Christi tangatur. 503.92
Ad mensam Dei solus mundus, & non impurus admittitur. ibid.95
Panis Eucharisticus panis filiorum. 509.127
Eucharistia omni festiuitate veneranda. 534.157
Cùm summa puritate ad Eucharistiam accedendum. 515.159
Pœnitentiæ satisfactio ad Eucharistiam. ibid.
Communicantes Eucharistiam saginantur omni bono. 516.168
Christus vt daretur in Eucharistia dicitur quodammodo præparatus à Patre. ibid.167
Multam præparationem debet præstare homo, vt accedat ad Eucharistiam. ibid.169
In sacra Eucharistia omnes suauitates. ibid.170. & 171
Iuxta dispositionem gustatur fructus Eucharistiæ. 519.18
In Eucharistia quilibet totum communicat. 521. 196
Ex amore ad Eucharistiam acceditur; ex reuerentia ab illa abstinetur. 731.76
Per Mariam nobis Christus cibus abundantissimus. 761.11

Examinare.

Iudex ante sententiam profundè rem examinet. 278 43.& 44
Examinandus spiritus qui ad nos venit. 414.56
Criminum examen est eorum manifestatio. 510. 132

Excessus.

Virtutum excessus vitandi. 407.18

Exemplum.

Principes suo exemplo alios ad peccandum trahunt. 15.85
Grauissimè punitur qui habens exemplum de viso aliorum supplicio delinquit. 44.19
Christi exemplum efficax ad trahendum, ac mouendum. 20.& 21
Si Princeps præcedit, facilè alij sequuntur. 107.1
Prælatus præcedat exemplo. 366.21
Christus suo exemplo nos informat. 372.58.59. & 60
Christi exemplum sequendum. ibid.
Amore, & exemplo homines veniunt ad Christum. 463.27
In congregatione cùm vnus cadit, omnes alij peticlitantur. 475.11.12.& 13
Ad Domini exemplum tota componitur familia. 543.30
Prælatus vnum moneat verbo, omnes exemplo. 659.102
Importabile mandatum cùm quis præcipit, & non facit. 832.24.25.26

Expectare.

Suspensæ expectationis perplexitas maximè torquet. 874.71
Donum, quod minus expectatur gratius. 241.67
Expectatio maximè cruciat, & inde magnum habet præmium. 419.90

Explicare.

Valdè necessaria maximè explicanda sunt. 114.6

Explorare.

Alienum à bono spiritu, aliorum facta explorare. 3.4
Expedit vt Princeps apud hostes habeat suos exploratores. 169.155

Exterius.

Qualis quis est talis appareat in exteriori. 415.59. 60.& 61

Extraneus.

Homo apud extraneos acceptior. 243.2

F

Fabula.

FAbulas quærunt mundani, ac doctrinam Hæreticorum. 496.56

Facere.

Facere non debet omnia vnus; aliquid relinquat aliis. 670.166

Facies.

Qualis quis est, talis appareat in exteriori facie. 415.59.60.61

Facilis.

Deus à nobis facilia, ac leuia requirit. 197.60
Facilè habita sunt contemptui, difficiliter vero æstimationi. 493.32
Deus faciliter dat bona spiritualia, non sic verò temporalia. 577.68
Amanti cuncta facilia. 791.84.85.86

Fallax.

Semel inuento fallaci non est credendum. 480. 61

Fama.

Mala fama plus torquet animum, quàm corpus dolor. 23.39
De nostra fama, ac nomine curandum. 76.14. & 569.19
Princeps solicitus sit de sua fama in absentia. 77. 22
Fauoribus sublimatus inuidiæ est expositus. 188. 29
Homo valdè auidus conuersationis suæ famæ. 274 12.13.24
Homo pro tuenda sua fama nulla facinora refugit. ibid.
Propriæ famæ consulendum. 311.15
Pro conseruanda fama omnis suspicio mala fugienda. 324.12.13.14.15

Plus dolet iustus de iactura famæ, quàm omnium aliarum rerum. ibid.14
Honestiùs viuitur fama conseruata, quàm ipsa deperdita. 532.61
Aliorum famæ etiam manifestis peccatis consulendum. 540.8.9.10.& 11
Ex mala fama salus hominis deplorata. 671.176
Multum inter est conseruatio famæ, vt quis reformetur in vita. 575.197

Fames.

Vehementer esuriens minimum quid appetit. 35.121
Fames multis malis dat occasionem. 61.29
Multi ministri ad famem inferendam, rarus qui panem offerat. 445.44
Famis tempore non seruatur panis in domo Prophetæ. 456.110
Fames consequentia saturitatis. 494.40
Famis tempore modico, ac humili cibo vtendum. 497.59 & 60
Per famem forti remedio trahitur homo ad salutem. 500.76.7.& 78
Fames tempestas omnium malorum. 546.49
Fames super omnia mala premit, ac affligit. ibid. 49.50.& 51
Fames efficacior ad perdendum super omnes dæmonis tentationes. ibid.51

Familiaris.

Familiaritate minuitur authoritas, augetur amor. 443.33

Fauor.

Ingens fauor cordato viro timoris causa. 165.241
Princeps speciales fauores abscondat. 170.273
Ex fauore vnius elanguet virtus in aliis. 177.26
Fauores, ac gratiæ dant animum ad magna. 509.125

Felicitas, seu, Felix.

Qui admittit socios in felicitate, habebit etiam in aduersitate. 142.79
Socios habere in felicitate, lætitia multa. 147.116.
Felicitate obliuiscimur Dei. 240.56
Post felicitatem aduersitas, & pressura. 287.12. & 13
Homines aliorum felicitates non credunt, sed eorum infortunia. 351.89
Vna felicitas, auspicium infelicitatis. 402.61
Amissa felicitas magis torquet. 560.134
Mundialis felicitas, extremam miseriam parit. ibid.135.136.& 137
Felicitas maximè metuenda. ibid.137
De felicitate omnis ambigit, de infortunio verò nullus dubitat. 670.171.172.& 173

Festum.

Pessima iniquitas diebus festis operi malo incumbere. 580.6
Festus dies, in quo iustus præmiatur, & impius mulctatur. 803.67

Fictio.

Iesus adest veritati, distat à fictione. 415.61.& 62
Animus mœstus ficta re alleuiatur. 563.153

Fides.

Quamuis Deus se velit occultare, à vera fide inuenitur. 20.12
Fides cum operibus. 22.31
Fides omnia impetrat, nihil illi denegatur. 39.152 153.154
Fides corroborat ad vincendum, ac ad obtinenda omnia bona. 40.154
Vbi fides, ibi vices diuinæ potestatis committuntur. ibid.157
Non prodest fides in ore, si non sit in corde. 50.59
Fidei confessio sit de omnibus mysteriis. 78.27
Vera fides non regulatur sensibus. ibid.28
Nil firmius, ac stabilius est fide. 99.172
Fides semel amissa difficiliter recuperatur. 106.5
Debellator aduersariorum fidei honorandus. 132.12
Christus corroborat fidem Discipulorum, ne in periculo fluctuent. 139.59
Quæ fide credimus, luce manifesta contemplabimur. 159.199
Dubitans in fide, infidelis. 175.47
Fides miraculorum non est distincta à fide Theologica 181.60
Per fidem euehitur homo ad diuina. 186.95
Ex fide mundantur leprosi. 234.32
Fides viua cum actibus virtutum. 142.72
Quod fidelibus est motiuum ad credendum, infidelibus est ad incredulitatem. 356.124
Fides manifestatur cum operę. 361.152
Fidei visio certior cognitione oculorum. 564.164
Fidei visio certior corporali visione. ibid.
Magna fides contrario euentu corroboratur. 647.29.30.& 648.31 & 32.
Fidei merces superna videre. 681.17
Fides sine fructu operum ad nihilum valet. 749.85.& 750.& 86.& 87.
Fide superatur omnis aduersitas. 852.31.32.& 33

Fiducia.

Fiducia non in nostris operibus, sed in Dei virtute. 467.48

Filius.

Filius sæpè ob peccatum parentis punitur. 23.41.42.& 43
Filius cum parte sibi assistente nil timet. 151.138
Filius qui pro honore moritur, rectè à patre cognoscitur. 161.224
Filiorum crimina à parentum vitiis originantur. 178.40
Ex similitudine actionum colligitur filius à suo patre. 314.26
Magnum flagellum filiorum ab optimis parentibus degenerare. 559.129.130.& 131
Ignominia filiorum abesse à parentum moribus. ibid.131
Mores declarant filios ex suis parentibus. 570.17
Filius Deo dedicatus suorum parentum possessio est. 581.19

Finis.

Christus non mutat fines rerum. 315.39

Firmitas.

Valde diuinum homini ignobili dare firmitatem. 99.173.

Forma.

Quilibet suorum peccatorum formam refert. 637.56.57.& 58

Fortitudo.

Fortes, ac generosos labor ipse monet, ac excitat. 117.22.& 23
Fortis in mitem, mitis in fortem. 272.18
Dei vocatio dat vires, ac fortitudinem. 434.97.98. & 99

Frater.

Qui iniuriam condonat, frater; minimè verò qui non remittit. 218.74.75.& 76

Furtum, seu, *Furari.*

Grande malum aliena rapere, ac furari. 401 59
Homo nobilis potiùs vult perire, quàm furari. 498.63.64.& 65
Furto priuatur homo suo honore. ibid.
Furi crudelis mors reseruatur. 550.75
Bona furto comparata citò labuntur. 783.33
Furtum, & homicidium sociantur. ibid.34
Gustus ex furto addit maiora mala. 788.61

Futura.

Deus manifestatur ex futurorum prædictione. 698.25

G

Gaudium.

GAudium facit vt penuriam, ac famem non sentiamus. 60.21
In solo Iesu gaudium permanens. 332.127
Christi gaudium dare suis præmia. 418.82.& 83
Vt gaudium magnum sit plenum, nulla parte mœstitia fœdatum sit. 476.37
Nobilis Matrona tristitiam sibi, gaudium suis communicat. 487.102
Gaudium verum non solùm in ore, sed etiam in corde. 512.147.& 513.148.& 149
Gaudium verum solùm in Deo. 519.181
Laborem huius vitæ sequitur gaudium. 542.21
Mundani gaudent de bonis, de quorum malis iusti tristantur. 751.6

Gemitus.

Pro nostris miseriis gemendum. 51.70

Generatio.

Æterni Verbi generatio profundum mysterium 159.200

Gentilitas.

Christus ex suo amore gentes vocauit. 59.20
Gentilis ad beneficia recolenda gratus, ad quæ Iudæus ingratus. 241.69.& 70
Gentes ob ignorantiam compellendæ. 457.118

Genus.

Generis maculas extinguit virtus. 22. 32.33.34.& 36.129
Nullus ex malo genere desperet. 241.65

Gloria, seu, *Beatitudo.*

Beata corporis iactura, qua gloria recuperatur. 125.72
Ad præsentiam cœlestis gloriæ temporalia nil reputantur. 151.137.140.& 141
Ante assecutionem gloriæ operandum. 159.185
Futura gloria ingens. 151.144
Gloria legis exigua, Christi verò valde ampla. 170.179.& 180
Gloria, & quies obtinetur per labores. 707.79.& 80

Vide, *Felicitas.*

Gloria vana.

Gloria vana fugienda. 19.13
Ostentatio vanitatis fugienda. 179.52
Homines studiosi vanæ gloriæ. 245.15
Virtus à vanitate custodienda. 413 49
Per vanam gloriam perduntur omnia dona 577.71.& 72
Vana gloria impeditur vera gloria. 711.108
Gloria vana ianua vitiorum. 831.18
Gloria, ac maiestas citò decidens, pro nihilo reputanda. 905.94.& 95

Gratia.

Christus gratia sua nos præuenit. 199.10.& 11
Ex Christi gratia venit vt ipse agnoscatur. 145.99
Gratia dat vires, ac animum. 87 88
Nisi Deus ad nos veniat per suam gratiam, non possumus nos ire ad eum. 234 12
Christus prior sua gratia nos quærit. 378.97.& 279.98.& 99
A Dei gratia veniunt munera, quæ ei offerimus. ibid.99
Dei gratia ad maiora supra nostrum votum eleuat. 109.126
Ex Christi gratia parum laboris, multum præmij. 636.82
Gratia sæpè labia, & non cor attingit. 690.63
A gratia illuminatur homo. 716.11.& 12

Vide *Auxilium*, seu, *Cooperatio.*

Gratus, seu, *Gratias agere.*

Maximè gratificandum id, quod minus spectatur. 37.139
Animi grati publicare beneficium. 5489
Gratus semper beneficium habet ante oculos. 55.94
Gratus vnum beneficium tanquam multa appendit. 56.101
Gratus semper accepta beneficia gratificat. ibid. 102
Gratus semper accepta beneficia tenet ante oculos. ibid.
Ingenuus minimum quod accipit, repetit, & commemorat. 78.32
Serui sint memores beneficiorum domini se demittentis propter eos. 89.102
Animus gratus non attendit ad donum datum, sed acceptum. ibid.103.104.& 105
Gratos nos Deo declaramus cum misericordiam proximo exhibemus. 228.61
Gratitudine firmantur beneficia. 238.49
Gratiarum actiones pro beneficiis illico exhibendæ. ibid.50.51.& 52
Gratus sua opera Deo refert. 259.54
Gratitudo non sit ab omnibus huius sæculi. 241.64
Gratiarum actio præstantissimum sacrificium. 242.75.76.& 77
Gratiarum actio sublimis victima. ibid.
Gratiarum actio pulcherrimum eloquium. ibid.77
Omnia nostra bona Deo referenda. 299.84.& 85
Grati fatentur beneficium, quod ingrati inficiuntur. 352.140
Omnia nostra ad Dei gloriam referenda. 616.12
Gratitudine vincuntur omnia impedimenta. 673.185
Simul cum acceptione beneficij gratiarum actio. ibid.186.& 187
Gratia promptissimè descendit in subiectum aptum. 724.29.& 30
Gratia diuina excedit omnem creatam æstimationem. 910.5
Gratus commemorat accepta beneficia. 915.42

Gula.

Gulosus vult se multiplicare, vt tanquam plures comedat. 400.46
Mala ex gula difficiliter expenduntur. 432.47.& 48
Plus à Deo separat gula, quàm dæmon. 552.89

Hereditas.

Hæreditas paterna non contemnenda, sed æstimanda. 21 31

Hæreditas temporalis causa rixarum. 787.60

Hæreticus.

Hæretici inconstantes in suis dictis, modo concedunt, modo negant. 258.93
Mundani quærunt doctrinam hæreticorum. 496.54

Hypocrisis.

Hypocrysis porta inferni ad omne malum. 101.184
Hypocrita duplici pœna punitur. 123.61
Cum hypocrisi Antichristus geret bellum. 857.61

Homicidium.

Homicidium, & furtum sociantur. 783.34

Homo.

Quilibet homo suum patitur defectum. 8.45.846
Deus dat vt magnificus, homo vt limitatus accipit. 40.157
Homines ex vno dato mouentur ad aliud negandum. 62.35
Homo valdè propensus ad nocendum. 210.& 211
Homo sit à se veluti alienus, vt pro Christo vitam det. 118.32
Homo exeat à se, vt fiat nouus homo, vt pro Christo vitam det. ibid.33
Scire volunt homines quisnam mortuo Principe regnabit? 190.18
In homine quod bonum est assume, malum verò deuita. 195.47
Homo nescit aliorum gloriam videre, ac dicere. 85.76
Homines sibi volunt vnam legem, diuersam aliis adscribunt. 227.55
Sæpè homo loquitur quod Diabolus non audet dicere. 329.109
Sicut homo se exhibet Deo, sic Deus illi. 422.108
Homo non errat in sui æstimatione. 434.56
Homini quælibet res magna, amori omnia parua. 442.25.26.& 27
Sunt homines qui nunquam ab iniquitate desistunt. 448.65
Homo stolidior, & inferior bestiis. 449.74
Homo non potest attendere ad plura. 476.35
Deficiente homine cœlum dicitur desertum. 482.71
Valdè mirabile quòd homo bene accommodatus de aliis agat. 604.11.& 12
Homines solùm de se curant, non de aliis. 718.23
Qui vult ad se homines aggregare nullius conditionem respuit. 811.22.23.& 24

Honor.

Honor perpetuus æstimandus, breuis verò contemnendus. 760.6.7.& 8
Qui ab honore deponitur, destruitur. 772.81
Pro honoris decore offensæ dissimulandæ. 785.54
Non solum vitam, sed etiam iustorum honorem volunt iniqui offendere. 839.59
Magna miseria de aliorum denigratione honorari, ac sublimari. 8.42
Bonus amicus consulit honori, ac nomini Regis. 28.76
Abiecta honorantur in Christo. 75.8
Ex meritis vnius ciuis tota ciuitas honoratur. ibid.9
Solus qui te agnoscit, te honorat. ibid.13
Socius oneris sit particeps honoris. 98.162
Honor amissus instigat ad scelerum temeritatem. 134.25
Magnus honor virtus à maioribus hausta. 139.61. & 140.62.63.& 64
Christus non procurat tibi honores, hoc diabolus agit. ibid.67
Christus non sumit sibi honores. ibid.68
Serui antiqui absque honore non dimittendi. 147.112
Qui pro Rege sua contemnunt, ab ipso Rege honorandi. 148.124
Verus amor consulit honori, & non vitæ. 151. 145.& 146
Rex plus attendat ad honorem, quàm ad suum emolumentum. ibid.148
Electus à te ad honores non est dedecorandus, ac contristandus. 157.189
Terrenus honor nitet alios obscurando, secus verò diuinus. 160.206
Honor dandus pro diuersitate meritorum, ac personarum. 162.216
Honor vni collatus res dura, communitati secus, si in multos diuidatur. 190.21
Aliqui potius volunt honores extraneo, quàm consanguineo. 322.70.71.& 72
Quem vis honorare, cane ne dedecores. 344.43
Facilior homini mors, quàm honoris abiectio. 374.69
Qui alicui dat indebitos honores, in eum peccat. 501.80
Grauissimum vulnus non in vita, sed in honore. 591.70.& 71
In bonis, ac diuitiis terrenis honor mundialis. 609.41.42.& 43
Vbi diuitiæ, ibi gloria, & honor reputatur. ibid.43
A paupere honorari iniuriam putant homines. 718.22

Humilitas.

Humilitas attrahit ad Christum. 18.2
Nullus ex humilitate desperet. 22.29
Recognitio propriæ humilitatis ad altiora ascensus. 34.115
Magna humilitas nullum in se recognoscit meritum. ibid.116
Humilitas maximè nos extollit apud Deum. 36.129
Humilitas multum inseruit ad operanda miracula. 48.47
Ingenuus de sua humilitate recordatur, de honore obliuiscitur. 79.33.34.& 35
Domini est se demittere, ac humiliari propter suos. 90.110
Humilis de se dicit minus, & supprimit maius. ibid.112
Christus in humilitate, ac deiectione sibi eligit primum locum. 123.64.65 & 66
Fidelis in humilitate crucis primus. ibidem.
Humilitas maiestate abscondita terret; humilitas verò manifesta dat animum. 152.150
Se exinanire pro aliorum salute diuinitatis quædam notio. 161.210
Humiliari cum Christo magna celsitudo. 191.27
Humilitas est sceptrum omnium virtutum. 194.43
Totum negotium imperij Christiani in humilitate fundatur. 195.49
Humilitas concomitatur charitatem. 197.62
Humilitas virtutum fundamentum. ibid 63

Humilitas virtutum custos. ibid.64.65 & 66
Christus in humilibus habitat. 198.70.71.& 72
Humilitas ad se trahit Christum, & cum tenet. ibid.71.& 72
Sæpè quis inde humiliatur, vnde se præsumebat exaltari. 217.65
Humiliatio adducit ad pœnitentiam. 223. 28. 29. & 30
Humilitas allicit ad fauores. 415.64.65.& 66
Quod maiestati denegatur, humilitati conceditur. ibid.65
Suæ antiquæ humilitatis recordetur homo. 418. 84
Humilietur excelsus, vt erigatur humilis. 426.6
Humilitas eligenda pro auctoritate personæ. 435. 58
Verus humilis non cum aliis, sed infra omnes se reputat. ibid.61.62.& 63
Humilitas beatificat in hac vita. ibid.66
Humilis omnibus amabilis, superbus verò cunctis exosus. 436.69
Ex vltimo loco Deus erigit humiles ad primum. 437.73 74.& 75
Iustus in humilitate instruitur ne superbiat. 566.6
Humilis qui sibi displicet, Deo placet. 567.10
Humilitas illuminat mentem. 571.34
Humilitas virtutum radix, ac fundamentum. 573.47
Ex humilitate suffragium, vt ad magna promoueatur homo. 576.64 65 66
Magnitudo cum humilitate socianda. 666.140. 141.& 142
In verbis demissio, ac humilitas, in factis potestas, ac excellentia. 674.193.194.& 195

I

Iactantia.

Iactans se de maioribus, vacuus est virtute. 503. 106
Omnes virtutes per iactantiam perduntur. 577. 71
Cùm homo se iactat, aliud est ab eo, quod ipse dicit. 578 77
Christus deuitabat vanitatis ostentationem. 177. 216
Vide, *Gloria vana.*

Idololatria.

Ex paruis peccatis sæpè ad idololatriam venitur. 211.38.& 39

Ieiunium.

Ieiunium præparatio ad Eucharistiam, & acuit intellectum. 64.51
Ieiunium facit gloriæ consortes. 148.112
Ieiunium facit naturæ diuinæ æmulari. 155.166
Ieiunium efficax ad expellendos dæmones. 181. 63
Ieiunium luxuriam perimit. 572.37

Iesus.

A solo Iesu venit perfectio in virtute. 722.13
Plura inueniuntur in Iesu, quàm desideramus. 723.19
Iesus solum sedet in anima virtutibus ornata. 747. 68

Ignobilis.

Character ignobilis alios ignominia afficere. 39 150
Valdè diuinum homini ignobili dare constantiam. 99.3
Ignobilis in principatu valdè superbus, & crudelis. 226.52.53.& 54
Ignobilis ex pompa, ac vestitu vult nobilis reputari. 541.16
Nobilis de virtute, ignobilis de exteriori vult magnus reputari. ibid.

Ignominia.

Iustus non afficit ignominia eos, qui sibi sunt antepositi. 158.189.& 190
Quem vis honorare ne ignominiâ afficias. 344.43

Ignorantia, seu, Ignorans.

Ignorantia propriæ miseriæ damnationis origo. 341.26.& 27
Bonus magister aliquando dissimulat ignorantiam vt doceat. 66.58
Errores ex ignorantia dissimulantur, non verò ex præsumptione. 77.20.& 21
Sapiens in se ignorantiam agnoscit. 79.36
Ignorantiæ fratrum patienter sustinendæ. 246.20.
Sunt homines, qui magis sustinebunt filios Diaboli dici, quàm ignorantes vocari. 259.97
Ignorantiæ seu stultitiæ nota grauior, quàm pœna inferni. 401.57
Ignorans, & non sapiens occupat primum locum. 433.50.& 51
Sententia ab ignorante prolata non deueaustat. 587.50
Ignorans prælationis felicitate gaudet. ibid.51

Illuminatio.

Ex Christi descensu hominis illuminatio. 716.7
A Christo illuminatur homo. ibid.10.11.& 12

Imago.

Abiiciat homo terrena, vt inueniat imaginem hominis cœlestis. 485.87

Imbecillitas.

Imbecillitati eorum, quibus dona dantur, accommodandum. 142.82.& 83

Imitatio.

Qui Christi passionem imitantur per paradisi portam intrant. 364.11

Imperium.

Deus illa imperat, ad quæ iam homo est dispositus. 121.49

Impius.

Magna laus ab impiis reprobari. 5.26.& 27
Pax cum impiis bellum. 103.198.& 199
Impius multum de se præsumit super cæteros. 190. 15.16.& 17
Quocumque vadat impius secum fert suam malitiam. 240.59.60.& 61
Impij eodem medio conuincuntur, quo conuincere volebant. 261.104
Impius in se ponit vnum defectum, vt in alios mille extorqueat. 332.129.130.& 131
Impij sciunt nomen Barrabæ, non verò Iesus. 356. 122
Ab impiis maledici laus bonorum. 357.127
Impius suis optatis sibi procurat malum. 458. 123
Impius in morte ab omnibus deseritur. 550.78. & 79

Impius se iustificat in aliot maculas retorquendo, 572.31.& 32
Impius nec verbis, nec factis conuincitur. 584.32
Impij dictis, & factis sibi contradicunt. ibidem, 32
Impius ex alterius modestia fit peior. 590.66.67. & 68
Impius contra se agit, & loquitur. 681.19.& 20.
Impius soluta cogitat de terra, non de cœlo. 685. 2.3.5
Impius suam ruinam vaticinatur. ibid 39
Impius per id, quod intentat fugere malum, in illud incidit. ibid.41.& 42.& 686.42.43
Valde impius qui supra veterem malitiam nouam addit. 688.55
Impij lætantur de morte iustorum. 696.5
Impij multitudine superare volunt. 820.12
Impij opere, ac mente contra iustos vniuntur, ibid.13.& 14

Inceptus, seu, Incipere.

Deus incipit in nobis opus bonum. 19.10
Opus inceptum perficiendum. 156.175
Perfectio in via salutis sic intendenda, ac si homo tunc incepisset. 580.10.& 11
Qui retrocedit à iustitia incepta, eius salus est desperata. 671.175

Incipiens.

Incipientes in virtute, benignè tractandi sunt. 479. 55.& 56
Incipientes in via virtutis contradictiones patiuntur. 719.26.27.& 28
Qui ingrediuntur viam virtutis, habent odia contra se. ibid.27.& 28

Inclinatio.

Quilibet inclinatur ad mores iuuentutis. 296.97. & 98

Inconstantia.

Inconstans, & varius à domo Dei reiicitur. 188.9
Magna nota in homine inconstantia. 274.20
Iniquus inconstans, & non perseuerat, irridetur vt stultus. 465.37

Indignus.

Indignus multùm de se super ceteros præsumit. 190.15.16.& 17
Damnatur indignus, qui vult occupare locum improportionatum. 807.96

Infamis.

Publicata infamia instigat ad scelerum temeritatem. 154.25
Melius est etiam infame temporale supplicium, quàm quælibet inferni pœna. 199.75
Infamiæ nota maximè reprimit viros ingenuos. 200.83.& 84

Infelix.

De infelicitate nullus ambigit, de faustis omnis dubitat. 670.171.172.& 173
Nec semper vna infelicitas præsagium est alterius. 784.43

Infernum.

Melius est etiam infame supplicium, quàm quælibet inferni pœna. 199.75

Infidelis.

Infidelitas, seu incredulitas obicem ponit diuinæ gratiæ. 177.34
Quod infidelibus motiuum est ad incredulitatem, fidelibus est ad credendum. 356.124

Infirmitas seu, Infirmus.

Infirmitate Dei recordantur homines. 242.56
Quis rectè de infirmo curet? 21.14
Infirmitate opprossi maximè vniuntur inter se 233.16.& 17
Infirmitas valde velox in hominem. 339 13.& 14
Infirmitas homines trahit ad Deum. 457.115.116. 117
Iesus expellit infirmitatem eius, quem attingit. 480.60

Ingratus.

Patientia necessaria in ben. factore, vt sustineat ingratitudinem. 788,67
Homo habens præ oculis Dei beneficia ea non videt. 98.13
Ingratitudo radix iniquitatum. 210.5
Ex acceptis beneficiis maximè crescit ingratitudo. 230.74.75.& 231.76.& 77
Ingratitudo grauissimum peccatum, & valde Deo odibile. ibid.
Ingrati non agnoscuntur à Deo. 239.54
Ingrati de beneficiis non recordantur. ibid.55
Malus beneficio non obligatur, sed peior fit, quod est summa ingratitudo. 328.105.106.& 107
Ingratus beneficiis non emollescit. 333.136
Ingrati inficiantur beneficium, quod grati fatentur. 359.149
Cæcus in bonis suis Deum non videt auctorem. 404.84
Ingratus ex beneficio accepto detrahit. 429.17
Ingratus ex beneficiis armatur contra benefactorem. 591.72.& 73
Mille faciunt homines ambages ad neganda beneficia. 654.176
Beneficentia accusat, & damnat ingratos. 878.96. 97.98.99

Inimicus.

Inimici semper malè de nobis sentiunt. 77.20
Inimicus id, quod est valde mirabile, ac magnum, exiguum reputat. 82.54.55.& 56
Inimici non benignitate, sed rigore coërcendi. 105.107.& 208
Inimicus nulla euidentia mitigatur, ac odium deponit. 154.29.30.& 31
Christi inimici dolent de eius gloria, lætantur de eius passione. 136.39.& 40
Grande tormentum inimico sui aduersarij glorias videre. ibid.40
Qui tuos inimicos interrogat, in te malum molitur. 154.119
Cautela fiat ne inimicus intret, & amicus exeat. 154.162
Oratio pro inimicis census aureus Iesu. 186.89
Inimicorum testimonium malignum. 83.65
Inter aduersarios firmitas, illis extinctis lapsus. 202 95.& 96
Coram inimicis multa asseueratione vtendum. 75.8
Vt inimicus proficiat, beneficiis eorum ira quiescat. 252.57
Valde expediens vt apud inimicos habeas aliquem, qui pro te loquatur, & eorum consilia exploret. 269 156
Inimici conuicti ad impropria confugiunt. ibid. 156
Inimici de præteritis colligunt præsentia. 269. 156
Inimici nunquam tua magnalia percipiunt. 297. 69
Inimicus occultus, ac simulatus crudelior. 310.4

Inimicus mutat verba vt te accusare valeat. 312. 11

Inimicus occultus, & insidiosus crudelior, quàm apertus. 377.89

Inimicus non videt apertam excellentiam. 682.22

Inimicis benefaciendum. 717.16

In inimicos vindicta aliena à filio Dei. 854. 38. & 39

Iniuria.

Alios iniuria afficere alienum à viro nobili, proprius verò ignobilis character. 39.150

Valde iniuriosus, qui detractiones in absentia prolatus refert in ore. 63.67.& 68

Qui iniurias remittunt, ciues cæli. 9 52

Quilibet proximi iniuriam vt suam reputet. 208.4

Plus dolent homines de iniuria contra se, quàm contra Deum. ibid.7.

Iniuriæ memoria inquietat. 210.24

Remissio iniuriæ non solùm fiat verbis, sed etiam factis. ibid.26

Pietas Christiana non solùm iniurias, sed etiam iniuriandi potestatem superat. 218.71

Qui iniuriam condonat, Deo similis. ibid.73

Qui iniuriam condonat frater, minimè verò qui non remittit. ibid.74.75.& 76

Iniuriæ fratrum condonandæ. 2 0.6

Qui iniurias non remittit, indignus vt Dei filius nominetur. 229 66

Deus proximi iniurias magis punit, quàm suas. 230 69

Iniuria est obligato grauior. 311.6

Plus dolendum de iniuria Dei, quàm de vita perdita. 316.32

Vir magnus dolet de iniuria, & non cogitat de vindicta. ibid.34

Prudens iniuriam interpretatur in bonam partem. 324.84

Etsi iniuria particularis dissimulanda, non verò quæ bono communi nocet. 325.89

Ex multa modestia aliquando sumitur occasio ad iniuriam. 326.94

Iniuria à subdito patienter sustinenda. ibid.95

Iesus iniuriis delectatur. ibid.9.& 98

Iniuriosus iniurias audiet. 329.112

Homines non suis iniuriis, sed alterius honore tabescunt. 334.138.139.& 140

Iniuriosi qui debebant esse obligati. 354.111

Vna iniuria alterius præsagium. 356.125

Vir iustus iniurias condonat. 554.103

Patientia in iniuriis via ad salutem. 578.73

Plus dolet Dominus de iniuria in suos commissa, quàm in se. 800 49.50.& 51

Innocentia.

Plus periculi habet innocentia coram inuidis, quàm iniquitas coram iudice. 590.64

Insidiæ.

Magnum bonum si tibi insidiæ detegantur. 15. 87

Intelligere, seu, Intellectus.

Virtute acuitur intellectus. 214 70.73 & 74

Extinguantur vitia, vt diuinam doctrinam intelligas. 254 71

Bonitas conscientiæ dat legis intelligentiam, ibid. 72.& 255.73 & 74

Quod non intelligimus, deliramenta putamus. 322.68

Tactus carnis Christi efficacissimus ad acuendum intellectum. 347.64

Intellectus non potest attendere ad plura. 476. 35

Temporalibus immersi diuina non intelligunt. 826.50

Intentio.

Non magis magnitudo, sed intentio, seu animus pensandus. 148.125

Homines cùm non possunt corrodere vitam, de intentione volunt opinari ad murmurandum. 192 31.

Omnis operatio fiat cum recta intentione. 409.29

Intentio cum opere conformetur. 412.44

Deus in nostris actionibus intendendus. 416.67

Ex defectu bonæ intentionis opera, aliàs bona defectuosa redduntur. 680.9

Intercessio, seu, Intercessor.

Valde nobis vtilis intercessio Sanctorum. 26.67

Vicarius intercessor non aliorum, sed tantùm proprio commodo studet. 28.78

Afflictus magis efficax in intercessione, quàm probus. 37.137.& 138

Homo non sit importunus precibus, ac intercessionibus. 60.22.23.24.& 25

Intercessio Sanctorum nos tuetur. 373. 65. 66. & 67

Interpretor.

Malus omnia interpretatur in malum. 294. 55.& 56

Interrogare.

Interrogatio, & responsio dentur liberè, & sine timore. 746

Ex malo interrogationis illius scopus deprehenditur. 84.71

De eadem interrogatione diuersimodè iudicandum. 250.44.& 45

Iudex qui multum interrogat, damnare vult. 284. 85

Inuenire.

Inuenta maximè delectant. 476.37

Inuidia, vel, Inuidus.

Inuidiosi bona opera aliorum minuunt. 590.69

Inuidia homicidium generat. 17.96

Magni viri est nullam habere inuidiam. 31.96

Inuidia inimicorum declinanda. 54.89

Inuidia non patitur alium suæ ætatis æqualem. 80 45

Inuidia facit vt illustria facta exigua videantur. 82.54.55.& 56

Homo nescit aliorum videre, ac dicere excellentiam. 87 85

Præ inuidia fateri alterius dignitatem valde difficile. 93.132

Inuidia excæcat homines ne cœlestia videant. 133. 25

In præmiis conferendis aliorum euitetur inuidia. 136.38

Inuidia superat imperfectos, & perfectis superatur. 170.173

Cum meritum fulget, inuidia dissipatur. 191.26

Fauoribus sublimatus, inuidiæ est expositus. 192. 23

Consanguinitas generat inuidiam. 246.17

Contra Christi puritatem, inuidia non potuit inuenire quid argueret. 312.13

Inuidiosis aliorum sapientia aculeus. 374.137

Inuidi patienter audiunt sua opprobria, non verò alterius honores. 334.138.139.& 140

Inuidia nullis miraculis frangitur. 356.125

Sola Dei potentia ab inuidia protegit sua dona. 359.138

Contra inuidiam armetur, qui in virtute maximè niter. 466.11.12.& 13

Inuidia caneſcit homo. 517.172
Inuidia abrumpit ſanguinis ius. 518.177.178 & 179
Vbi inuidia, ibi nullum bonum, ſed omne malum regnat. 520. 188.186
Infert inuidia animæ mortem. ibid.190
Alterius gloria magnum tormentum inuido. 552. 85.& 681.15. 16
Inuidus plus torquetur alterius bonis, quàm pœnis inferni. 563.156. 157
Coram inuidia innocentia periclitatur. 590.64
Inuido alterius lucrum damnum proprium. 637. 94
Inuidus iudicat,& tentatur contra id, quod videt, & experitur. 684.32

Inuitus, ſeu, *Inuoluntarius*.

Ab inuito nihil fit honeſtum. 449. 69

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta quodammodo cum Patre habuit diuiſum prædicationis munus. 86.79
Maximè Ioannis teſtimonio Chriſti dignitas comprobatur. 96.152

Ioannes Euangeliſta.

Ioannes quodammodo amore Martyr. 711.103

Ira.

Vbique impetitur homo à malignantium ira. 3.4
Ira Dei aliquando miſericordia. 34.119
Patris ira in miſericordiam, ac benignitatem conuertitur. 114.7.8.9.10
Ira Dei in miſericordiam, ac pietatem conuertitur. ibid.
Iram, ac bellum habeat homo contra ſua vitia. 118. 34
Diuinæ iræ timore conturbantur peccatores. 219. 68
Dilapſus in peccatis maiorem iram Dei excitat 230.70.71.72
Dandus eſt locus iræ. 248.28
Ira excæcat mentem ne videat beneficia. 252.55. 56.57
Ira non ſinit vti beneficiis conceſſis. ibid.57
Ira, ſeu furor inimicorum declinandus. 267.72
Deus cùm iraſcitur in vnum non excludit alios. 451. 89
Ira Regis nuntius mortis. 799. 41

Iudæi.

Iudæi beneficio indigni. 19.8
Iudæi veluti canes rabidi. 31.95
Iudæi Chriſtum habuerunt in odio. 241.70
Iudæus ingratus ad beneficia, ad quæ recolenda Gentilis gratus. ibid.68.69.70
Iudæi increduli ad fidem. ibid.69
Iudæi inconſtantes in ſuis dictis modò concedunt, modò negant. 258.93
Iudæi repleti ignorantiæ fumo. ibid.94
Iudæi derelicti à paradiſo Dei, ac Sanctorum. 336. 156
Iudæus multam inuidiam habet de populo Chriſtiano. 518. 176
Charitatis ignis extinctus in corde Iudæorum. 580. 13
Iudæi delectabantur in inferenda Chriſti morte. 583.26
Populus Iudaicus inconſtans. 499.26

Iudex.

Iudex terrenus vt omnia deuoret, ac conſumat. 75. 11
Diuitiarum intuitus iudicem ſubornat. ibid.
Iudex iniquus aliquid adauget ſuper dæmonum malitiam. 101. 186
Apud homines iudices corrumpuntur. 127 84
Iudex ante tribunal permittat orationem. 214. 44
Iniqui iudices delectantur in ſuorum ſubditorum crimine. 271.4
Iudex iniquus opprimit pauperem, dimittit diuitem. 273.14.15
Iudex accipiens perſonas conturbat orbem. ibid. 14
Iudices potius de pietate, quàm de rigore notentur. 274.19
Iudex diſpliceat in auditis culpis. 276. 28
Iudex ante ſententiam rem altè examinet. 278. 43. 44
Iudex qui alios pœna afficit expers ſit à crimine. 280 58.59. 60
Ab officio iudicis ſe deponit ille qui punit ea, quæ agit. 282 69.70. & 283.73
Magna felicitas bonum habere iudicem. 285 87. & 89
Iudex qui multum ſcrutatur damnare vult. 284. 85
Iudices ne ſint acceptatores munerum. 411.39
Iudex obliuiſcatur de his, quæ poſſunt ſolicitare amoris affectum. 417.76.77.78
Iudex non procedat inaudita parte. 526. 25. 26. & 27
Iudex caueat contumelioſa verba, ne iudicij integritas fœdetur. 559.128
Homo reſpectiuus omne ius violat. 590.65
Laudes integritatem iudicis eneruant. 596.9
Iudex ſit alienus ab omni affectu carnis, & ſanguinis. 613.70
Iudex iudicet ſecundum ſcientiam,& non ſecundum amorem. 614.72
Qui iam iudicatus, eſt aptus vt ſit iudex. 616. 87
Qui contra Principes habet robur animi, aptus vt ſit iudex. ibid.88
Qui de ſe non præſumit, dignus iudicis cathedra. 616.89
Iudex extraneus crudelis. 617. 90.91
Bonus iudex non qui munera quærit, ſed qui conteranit. ibid.94.95
Iudicis mulier muneta non accipiat. ibid.96
Iudex cogitet ſententiam proferendam, & ad illam habeat moras. 680.11.12
Iudex quandiu crimina non apparent ſit veluti agnus, illis manifeſtis ſit ſicut leo. 746. 57. & 58
Iudex dilectiſſimum puniat cùm cauſa poſtulat. 754.28.29.30
Iudex neminem damnet inauditum. 803.68

Iudicare, ſeu *Iudicium*.

Ex vno opere bono reliqua antea facta iudicentur. 56.100
Quilibet ex ſe de aliis iudicat. 157. 186. & 246. 18.& 19.& 322.67.& 553.94.95.96
Qui primus ſubiit iudicium in magno periculo verſatur. 221.14.15
De eadem interrogatione diuerſimodè iudicandum. 250.44.45
Quilibet iudicatur ex his, quæ approbat. 320. 57
Dei iudicia veneranda,& non iudicanda à nobis, 344.44.45.46
Non ex præſentibus, ſed ex antiquis iudicatur homo. 352.100.101.& 568.15
Dines malignus ex ſe alios iudicat. 546.161

Quilibet sua licet praua in magnum iudicat. 572.40.41.42
Iudicia humana decipiuntur. 656.83
Iudicium præceps iniquum. 680.10
Multum periclitatur in iudicio qui nullum est expertus iudicium. 770.68
Subire iudicium multum timorem generat. 874. 72.73

Iudicium finale.

Cogitemus nos rationem reddituros. 220.9
Præparetur homo ad iudicium, ac ad reddendam rationem de sua vita. 423.117
Dies iudicij timenda. 425.125.126
In die iudicij desertus erit homo ab auxilio, & consolatione. 530.47.48
A Dei sententia lata, nec à filiis habet homo leuamen, sed mortem. ibid.48
Sub Dei iudicio amata fugimus, & detestata amamus. 556.133
Iudicij memoria facit confugere ad pœnitentiam. 801.58.59
In die iudicij nullus erit intercessor. 807.94
Iudicij memoria habenda. 864.1
Ante iudicium horribiles tenebræ. 865.9.10
Valde horribilia signa iudicij. ibid.12
Furore iudicis elementa se intentant abscondere. 866.14.15
Prope iudicium in hac vita gustabunt homines tenebras inferni. ibid.16
Aduentus Domini ad iudicium inopinatus hominibus. 867.22
Afflictio iudicij sola afflictio. 899.56
Nullum malum, quod iudicij obliuio non generet. 873.62.73
Iudicij cogitatione ascendimus in cœlum. ibid. 64. & 65
Iusti timent faciem iudicis. 874.68
Præ timore concepto ex iudicis aduentu alia horribilia non timentur. ibid.69.70
Si Angeli timent in iudicio, quid faciet homo? 872. 58. 59

Iurisdictio.

Homo valde auidus, vt tueatur suam iurisdictionem. 782.41.42

Iustitia.

In Principe iustitia, & pietas. 131.12
Iustitia cum pietate. 176.31
Rigor iustitiæ misericordia mitigandus. 276. 29. 30. 31
Pro iustitia pugnans vnus contra multos præualet. 359.141.142
Qui pugnat non ferro, sed iustitia vincit. ibid.
Vbi diuitiæ, ibi iustitia reputatur. 609.45
Pro iustitia ac ratione quilibet habet animum, vt loquatur. 655.75

Iustus.

Iustum esse crimen est apud improbos. 5.24
Mala parata in iustos, in machinantes retrocedunt. 10.56.57.58
Iusti, ac perfecti pauci existunt. 73.103
Iustus in se nil magnum videt, sed solum humilitates agnoscit. 79.34.35.36
Iustos viuos contemnimus, mortuos veneramur. 80.44.45.46
Iusti, ac perfecti non minimis virtutibus sunt contenti, sed summas intendunt. 17.25.26. 27. 28
Iustus per meritum facit suum præmium. 128.92
Iustus sibi vult maledictiones, aliis verò benedictiones. 231.10
Iustus non dedecorat eos, qui sibi sunt antepositi. 158. 189. 190
Iusti, ac perfecti semper ad maiora promouentur. 163. 225
Iusti si cadunt vident malitiam peccati, ad quam caligant iniqui. 167.257.258
Iustus dum vult abscondi magis fulget. 410.34. 35. 36
Iustus sua semper reputat parua, & exigua. 179. 50. 51
Iustus semper de suis operibus diffidit. ibid.
Viri probi etiam cùm aliquantulum deficiunt nil mundiale quærunt. 193. 39
Vnus iustus pro magna multitudine, & regno est Deo. 216.58 59.60
Iusti potius horrent culpam, quàm pœnam; iniqui verò è contra. 228.62.63.64
Iustus pro malo reddit bonum. 232.8 9.10
Vnus iustus pro multis. 240.62
Iustus vnus, iniqui multi. 253. 67
Nullus in hoc sæculo perfectus. 254.118
Iustus in alios bona sua derivat. 265.129.30
Iustus suam felicitatem magnam reputat, si aliis communicare videt. ibid.
Iustus non est inuoluendus iniquorum supplicio. 340.18.19
Iustus pro aliis se exinaniri faciat. 415. 50
Iusti gaudent, & exultant in morte. 418.81
Iustus multum extollitur à Deo. 419.89
Iustus semper proficiat ad altiora. 423.118
Iusti de peccatoribus habent commiserationem. 471.9
Quod improbo datur iusto non est denegandum. 491. 23. 24
Iustus quærat delitias, peccato veniam. 502.91
Iusti vident miseriam, vt subueniant, non vt contemnant. 511.137
Iusti mundo sunt in contemptu, Deo verò in honore. 544.36.37
Iustus etiam post mortem pietatis opera exercet. 548. 65
Iustus in humili loco positus requiescit. 483. 76
Iustus viuens in terra aliquas habet maculas. 560. 132
Iustus sibi soli vult tristia, aliis iucunda. 661. 109
Iustus stat, peccator cadit. 732.84
Iustus quandam speciem refert cœlestis patriæ. 804. 78
Deus ob iustos multis parcit peccatoribus. 858. 66
Vnus iustus instar multorum millium. 893.12. 13
Iustus in æterna vita securus, in hac verò lapsui expositus. 894.15
Iustus reputat mortem in longum differri. 915. 40

Iuuenes.

In iuuenili ætate maiora pericula ad virtutem. 639 105.106.107
Superare vitia iuuentutis valde arduum. ibid. 106

L.

Labores.

Labores homines reuocant ad Deum. 521. 193

Laborem huius vitæ sequitur gaudium, oblectationem verò tristitia. 541.21. & seqq.
Quod multo labore comparatur in magna est æstimatione. 610.53
Magnus labor non laborate. 631.52
Ex Christi gratia parum laboris, multùm præmij. 636.82
Deus dat labores, vt iusti exerceantur. 644.9.10. & 11
Animus laborantium non indiget rogationibus erga Deum. 24.53.54 & 55
Omni labori Deus dat finem. 61.3
In Christi disciplina non delitiæ, sed labores. 70.87.& seqq.
Laboribus, ac pressuris pro re amata probatur amor. 112 45.& 46
Labor, & crux per se attrahunt sibi præmium. 116.16
Labor voluntariè susceptus facilè sustinetur. ibid. 17
Labor potius, quàm præmium mouet generosos, ac fortes. 117.22.& seqq.
Regnum Dei non conceditur stantibus, sed laborantibus. ibid. 24
Labores dant cognitionem, & intelligentiam Dei. 120.46 & seqq.
Laborum crux sumenda non est, nisi à viro perfecto. 121. 51
Labor, seu pressura propria vnicuique valdè suauis. 122.56. & 57
Infelix qui labores sustinet, & Christo non fruitur. 123. 62
Prior in labore, prior in requie. 141.74
Plures ex laboribus, quàm ex requie ad Christum veniunt. 146.110
Labores mentem illuminant. 341.25
Cælum non ingredimur, nisi per pugnam, & labores. 365.12.& seq.
Laboribus pascitur grex Christi. 371.49
Quod labore acquiritur multum æstimatur. 389. 32.& seqq.
Laboribus oppressi nitent, & fulgent. 410.32
Pecunia sua homo sibi emit labores. 449 73
Homines despiciunt Dei requiem, & sibi eligunt mundi labores. 450.76.& 77.473.25.& 26 & 517.174
Ex laboribus compellimur, vt Deum quæramus 456.114.& seqq.500.76.& seqq.
Labores hominibus dant ius ad cælestia. 458. 121.& 122.
Christus ad delitias vocat hominem, ad laborem verò expectat venientem. 459.5
Fame, ac labore emit homo extremam vtilitatem. 496.48
Labores frangunt animum ne magna cogitet. 504 98
Antiqui labores te instruunt, vt doceas alios fugere similia. 513.154
Gloria, & requies non obtinetur nisi per labores. 696.8.& 707.79
Per labores, ac mortificationes homo fit particeps Christianæ hæreditatis, ac gloriæ. 708. 85.& seqq.
Labores via ad cælum. ibid.
Pro Diabolo omnem laborem subit homo, pro Deo suauia fugit. 746.63. & seqq.
Iusti laboribus manifestantur. 845.26.& 27
Delicati inutiles ad labores. 854.45
Dilatio in laboribus valdè periculosa. 858. 68
Labores Christi bona. 914. 37

Lachryma.

Super lachrymas Petri fundatur Ecclesia. 181. 185
Cùm Christus nostra delicta lachrymatur, quis hominum non compungatur? 202. 92
Lachrymæ pro nobis multum negotiantur. 467. 49. & seqq.
Lachryma efficacior, quam vox. ibid. 50
Lachryma ascendit, & volat ad Dei misericordiam. 467.51
Lachryma efficacem habet vocem. 658.91. & 92
Alienæ lachrymæ lachrymas excitant. 663. 119
In lachrymis, ac fletu modus seruandus est. 664. 125
Moderatè in morte alterius lachrymandum. 667. 152.& seqq.
Lachrymæ fortissimorum non pro clade, sed pro triumpho. 668.158
Oratio cum lachrymis valdè efficax. ibid. 159. & 160
Qui dat lachrymas, dat & animum. 751.11.& 12.
Iusti lachrimantur quæ alij peccant. ibid 13 & seqq.
Thronus augustior ex lachrymis pro suis. 453. 19

Vide, *Gemitus.*

Laicus.

Vide, *Secularis.*

Latro.

Vide, *Furtum*, seu, *Furari.*

Lauare.

An traditio lauandi manus esset ante mensam, vel etiam in mensa? 2.10. & 11

Laus.

Egregia acta laudant boni, obmutescunt impij. 55.97
Non laudetur homo ore proprio, sed alieno. 868. 30
Nemo sit suarum laudum proclamator. 94. 138. & 139
Qui aliquando reprehendit, verè laudat. 96.150
Qui proprias laudes contemnit, in alterius præconio verissimus. 96.151.& seqq.
Coram multis laudari valdè speciosum. 128 87
Solus amicus suas intelligit laudes, non verò inimicus. 153.152
Quod semel laudasti ne reprobes. 325.87
Nemo dicat suas laudes, sed ab alio dicantur. 428 23
Sæpè laudibus adducitur homo ad virtutem. 520. 192
Laus proprio ore vilescit. 569. 18
Nemo dicat suas laudes, nisi necessitate coactus. ibid. 20.& seqq.
Cum quis se laudat ignorans potest videri. 571. 35
Laudes integritatem iudicis eneruant. 596.9

Lætitia.

Vide, *Gaudium.*

Lex.

Vani legum obseruatores obseruando violant legem. 4.14
Ad intelligendam legem prodest legis obseruatio. ibid. 15
Non de Dei, sed de suis legibus sunt homines soliciti. 6.30. & seqq.
Vt fiat dispensatio in lege multa requiruntur. 26. 64
Homines sibi volunt vnam legem, diuersum aliis adscribunt. 22.55

Legis violatores alios ſpecie zeli arguunt. 255. 77
Qui legem non ſeruat, Deum ignorat. ibid. 80
Blandiri Regum voluntati dat licentiam popularibus ad violandas leges. 335. 147. & 148
Sæpè miniſtri legibus pro armis vtuntur. 567. 9
Perſeuerandum in Dei lege, ne tranſgrediaris vnum mandatum. 635. 75. & 76
Potentes ſæculi à lege eximuntur. 656. 81
Dignitas in iniquis non eſt ad obſeruantiam legum, ſed ad earum violationem. 828. 6. 7. & 8
Lex habenda non in codice, ſed in pectore. 831. 28. & 29

Lex gratia.

In lege gratiæ firma ſpes in Chriſto. 70. 84
In lege gratiæ omnia prò Chriſto relinquenda. ibid. 85
Lex gratiæ tota intenta ad ſpiritualia. 88. 98
Antiquam ſeueritatem in amoris legem transfert Chriſtus. 217. 69

Liberalitas.

Diuina liberalitas, ac pietas ſiue à ratione concedendi, ſiue negandi mouetur ad largiendum. 28. 77
Dei liberalitas etiam dum denegat promittit. 34. 117. 118. & 119
Ingens liberalitas non ſolum dat beneficium, ſed etiam illius modum. 40. 156
Dei liberalitas vltra petita concedit. 40. 160. & 258. 198
Vide, *Petere.*
Deus omnibus dat ſua dona, & nemini denegat. 19. 10. 11. & 12
Chriſtus pro ſua liberalitate magis vult manifeſtari per ea, quæ communicat, quàm per ea, quæ poſſidet. 91. 122. & 123
Deus latiſſimè remunerat noſtra obſequia. 97. 158. & 159
Liberalis, quæ donat, videntur ei pauca. 125. 75. 76. & 77
Liberalitatis eſt dare beneficium, ſicut & illud negare cùm expedit. 148. 121
Quælibet quæ Deus donat largiſſime donat. 155. 169
Dei liberalitas citius adimplet promiſſum, quàm promiſerat. 237. 42. 43. & 44
Dei dona in nos ſine interruptione. 28. 9
Tanta eſt Dei liberalitas, vt etiam orationem importune factam exaudiat. 388. 29
Liberalitas in magnifico vincit ſuorum curam. 389. 30
Deus tam liberalis in donis dandis, ac ſi eis indigeret. 391. 43
Liberalitas Regum nota. 440. 10. & 11
Liberalitas offenditur cùm aliquid petitur. 49. 1.
Liberalis quod acceptat in multum, quod dat in paucum reputat. 607. 27. & 28.
Deus liberaliter remunerat parua noſtra obſequia. 630. 48
Dei bonitas magna vult dare. 648. 35

Libido.

Homo à ſua libidine detinetur ne ad Deum veniat. 450. 81

Lingua, ſeu, *Loqui.*

Silentium etiam ſuam habet vocem, qua multa loquitur. 26. 63
Sæpè homines loquuntur quia aliorum conſilia non intelligunt. 27. 75
Lingua grande hominis malum. 51. 73. & ſeqq.
Plus torquet mala lingua animam, quam Diabolus corpus. 51. 74
Tota dæmonum malitia in vna lingua armatur. 52. 75
Ex longo ſilentio bona locutio. 52. 77
Qui prius audit, & poſtea loquitur ſecutus a malo. 53. 82
Homo ſit cautus ad loquendum. ibid. 83
Sancti bona loquuntur, mala tacent. 83. 66
Bona lingua aurum. 185. 87
Iniquus contra ſe loquitur. 251. 48. & 328. 104. & 591. 74. & 681. 19. & 20
Iniqui vnum dicunt in facie, aliud à tergo. 188. 5
Lingua animæ index. 294. 56
Peccatum non ſinit loqui maximè vero innocentia. 313. 21. & ſeqq.
Simplicitas loquendi oſtendit animi ſinceritatem, ac veritatem. 315. 29
Homo aliquando loquitur quæ Diabolus non audet dicere. 319. 109
Homines loquuntur quod reprehenſibile iudicant, laudabile verò prætermittunt. 354. 112 & ſeqq.
Cum maleuolis cautè loquendum. 361. 154
Lingua pura non refert voces ad ſignificantes luxuriam. 400. 52
Quilibet iuxta ſuum ingenium, ac affectum loquitur. 406. 9
Lingua vt generale peccatum magis torquetur. 556. 116
Lingua præcipuè torquetur, quæ extitit delitiarum principium. 557. 117
Maledicæ linguæ omnia tormenta inferni deputantur. ibid. 119
Os eructat, quod latet in corde. ibid. 120. & ſeqq.
Malignus aliud habet in ore, aliud in corde. 565. 158. & 159
Lingua iniqui omnes iniuriat. 571. 30
Cùm homo de ſe loquitur aliud eſt ab eo, quod ipſe dicit. 578. 76. & 77
Pro iuſtitia, ac ratione quilibet habet animum, vt loquatur. 655. 75
Ex dignitate lingua ſit ſolutior. 688. 52. & ſeqq.
Aliquando inter loquendum incautè vnum verbum proſilit ex ore. 810. 15
Mendax multiplici ore loquitur, verax vno tantum. 851. 72

Locus.

Bonus ſeruus non ſibi, ſed aliis vult loca. 24. 133
Dominus non patitur locum in menſa ſua vacuum. 456. 111. & ſeq.
Dolet homo cum videt ſuum locum alteri datum. 638. 96

Luceo.

Qui alios ne luceant obſcurant, obſcurantur. 412. 47

Lucrum.

Suo lucro, & commodo maximè homines mouentur ad alterum ſequendum, ac illi adhærendum. 57. 3. 4. & ſeqq.
Ob nullam reuerentiam triburum dimittitur. 182. 64
Ob lucrum ſæpè fingitur zelus. 236. 30
Pro maiori lucro auarus non parcit ſumptui. 398. 34
Pro ſua cupiditate implenda homo facit magnos ſumptus. ibid. 35. & 36
Ob lucrum omne damnum contemnitur. 525. 8. 9. & 10.

Qui sine spe lucri laborat multum promeretur. 636.88.89
Inuido alterius lucrum damnum proprium. 637.94
Ex amisso lucro angustiatur auarus. 681.14
Homo pro suo lucro alienum damnum contemnit. 650.45.46
Ob lucrum omnes iniquitati consentiunt, & nullus resistit. 784.39.40

Lux.

Terrena lux nitet alios obscurando. 160.206
In solo Christo lux, & illuminatio. 346.56

Luxuria.

Pecunia luxuriæ mater. 185.85
Luxuria semel gustata illecebra relapsus. 279.49
In luxuria omne vitium clauditur. 285.92.93
Ex animo luxuriante omne malum timendum. 286.93.
Voces significantes luxuriam lingua pura fugit. 400.52
Vbi luxuria, ibi omnis iniquitas. ibid.52
Luxuriosus animam vt corpus reputat. ibid.54
Quilibet à luxuriæ periculo refrænet mentem. 408.22.
Libidinosus luxuria inflammatur, non saciatur. 428.21.
In luxuriam sapiens, & stultus cadunt. 433.49
Luxuria facit hominem syluestrem, & brutum. 450.79
Luxuria eneruat vires, ac facit imbelles. 496.49. 50.& 51
Luxuria deperditur honor Filij Dei. 503.09

M.

Macula.

MAculas aliquas habet iustus viuens in terra. 560.132

Magister.

Magister suis dictis sit constans. 25.60
Bonus magister aliquando dissimulat ignorantiam, vt doceat. 66.58
Bonus Magister aliquando occultat suorum discipulorum defectus. 87.92
Vide, *Doctor.*

Magnum, seu, *Magna;*

Ex halitu Christi alios, vt magnos cognoscimus. 34.112.
Animi magnitudo nullo opprobrio commouetur. ibid.113
Magnis factis nullus audet contradicere. 55.98
Non inimicus, sed qui sincere vidit tua agnoscit mirabilia. 83.63.64.65
Magna paulatim sunt dicenda. 108.16
Magna virtutum intendamus, & non minimis simus contenti. 117.25.26.27.28
Magna annunciatorem multæ authoritatis requirunt. 170.171
Iustus sua non reputat magna, sed exigua. 179. 50.& 51
Non magni, sed pusilli scandalizantur. 199.4
Ex bona operatione in minimis rectè verificatur in maximis. 233.14
Magna non omni tempori subiacent, secus parua. 247.25
Descendant magni ad minimos, vt ipsi sublecuentur. 340.16
Nemo sua dicat magna, sed ab alio dicantur. 23
Vera magnitudo neminem excludit. ibid.24
Homini quælibet res magna, amori omnia parua. ibid.25.26.27
Magnitudo non numerat, ac recenset beneficium. 446.49.
A Deo non parua, sed magna petenda, sunt. 503 97
Fauores Principis dant animum ad magna. 509. 125.
Quilibet sua licet parua magna iudicat. 5. 2. 40. 41.& 42
A magno Domino magna, & non parua petenda. 577.69.70
Magna solum vir magnus, & non paruulus aggreditur. 605.14
Ad difficilia, ac ardua solum magnus ascendit. 606.25
Omnis magnitudo suam habet annexam humilitatem. 607.33
Diuina bonitas magna vult dare. 648.35
Magna cum humilitate socianda. 666.140.141. 142
Qui magna contemnit non recusat relinquere parua. 747.70.71
Magnorum castigatio eruditio est minimorum. 868.31.32.33

Maiestas.

Vna maiestas aliam secum nonpatitur. 155. 167
Homo sine maiestate in quolibet loco. ibid. 168

Maledictio.

Maledici ab impiis laus priorum. 357.127

Malitia.

Malitia nulla euidentia, seu beneficio flectitur. 3.5

Malum.

Mala parata in iustos, in machinantes retrocedunt. 10.56.57.58
Pro malo bonum dandum. 231.8.9.10
Ad malum alicui inferendum nunquam deest instrumentum. 334.142.143.& 144
Malum valde velox in hominem. 339. 13. & 14
Mala, quæ patimur peccatis tribuenda. 342.28. 29.& 30
Deus ex malis multa bona educit. 343.36
Damna ex peccato difficiliter expelluntur. 349. 84
Qui non præuidet mala, damnatur. 403.69
Pro conseruando honore species mali fugienda. 524.12.13.14.15
Per id, per quod impius fugit malum, in illud incidit. 685.41.42.43

Mandatum.

Quæ Christus mandat aliis, priùs in se exercuit. 460.13

Mansuetudo.

Mansuetus in fortem, fortis in mansuetum. 272. 12
Multa mansuetudo aliquam dat occasionem ad iniuriam. 326.94.& 799.46

Manifesta.

In manifestis refutandis non commorandum. 324.85

Maria Virgo.

Inuocatio sub nomine Mariæ exauditur. 44. 45
Sic Christus dicitur Filius Dei, vt & dicatur filius Mariæ. 78.31

Celsitudo, ac excellentia Virginis Mariæ à gloria, ac maiestate filij dignoscitur. 133.18.19. & 20.
Maria ex solis radiis diuinitatis potest cognosci. 133.20
Christus multum æstimabat esse filium Virginis. 135.36
Christus gloriatur de natura assumpta ex Maria. 219.2
Mariæ Virginis protectione nutriuntur homines in vitam æternam. 253.64
Vita, & salus cunctis per Mariam communicatur. 661.110.111.& 112
Per mariam ad nos diuina dona veniunt. ibid. 111
Christus valde liberalis erga B. Virg. Mariam 705.62
Ex Mariæ patrocinio salus speranda. 718. 20
Ex Virgine Maria Christus quandam speciem sanctitatis, ac benedictionis vendicat. 750. 91
Per mariam Christus nobis cibus abundantissimus. 761.11
Maria Virgo ad misericordiam velocissima. 897. 41

Martyrium, seu, *Martyr.*

Martyr, quid significet? 110.43
De martyris morte non dolendum, sed lætandum. 838.61
Pro magno amore Petrus obtat martyrium Ioanni. ibid.63
Corona martyris superat omnes alias dignitates. ibid.64
Sub Antichristo illustrissimi Martyres. 857. 60

Mater.

Mater torquetur in filiis. 23.40

Medicamentum.

Medicamentum proportionetur morbo. 566.4
Vbi morbus, ibi medicamentum applicandum. ibid.

Medium.

Valde execrabile medium vitæ in damnum conuertere. 310.4.5
Iniqui eodem medio conuincuntur, quo conuincere volebant. 328.104
Deus aliquando per oppositа, ac contraria media operatur mirabilia. 347.67.68.& 69

Memoria.

Res agitata altius manet in memoria. 66.57
E memoria excidant bona temporalia. 118.31

Mendax, vel, *Mendacium.*

Mendacium valde obnebulat veritatem, vt non valeat cognosci. 83.61.62
Homo valde suspectus de mendacio. 252. 61. & 62
Iniqui semetipsos mendaces ostendunt. 257.86
Mendacium submissè, veritas apertè dicitur. 262. 109
Mendacium à mundialibus approbatur. 289. 20. & 21
Magnus sustinet opprobria, non tamen de mendacio arguit. 290 29
Homines mendacia sequuntur, veritatem detestantur. 311. 7.8
Mendacium multos requirit testes. 314. 25
Mundani sequuntur mendacia. 316. 36.37
Euitatio mortis, ac deuastationis Reipublicæ non excusat mendacium. 317. 38. & 39
Christi veritas reiicitur, mendacium approbatur. 319.48
Mendacium multitudine obtegere volunt Pharisæi. 319.49.50
Mendax valde infamis. 328.111
Homines viles non verecundatur de mendacij nota, aliter verò nobiles. ibid. 113
Veritas odiosa Regibus, mendacium plausibile. 360.149
Vnum mendacium multis mendaciis defenditur. 635.68.69
In viro veraci contrarius euentus non suadet mendacium. 547.28
Vbi mundialia negotia, ibi mendacium. 758.46
Plus creditur mendaci danti, quàm veraci exposcenti. 850. 19
Mendax multiplici ore loquitur, verax vno tantum. 859. 71

Merces.

Mercedis suspicio minuit beneficium. 388.28
Non in mundo, sed solum in domo Dei est merces. 504 99
Vide, *Præmium.*

Meritum.

Merita extinguunt generis maculas. 22. 32. 33. & 34
Quæ ex merito, & non ex aliorum fauore, valde condecorant. 38.140
Præmium proportionetur merito. 40.159
In Christi schola non attenditur dignitas, sed meritum. 85. 74
Meritum euidens facit honorem collatum plausibilem. 88. 96
Plures ex merito, quàm ex aliqua possessione conuolant ad Christum. 146.110
Sæpè meritum non ex facto, sed ex persona iudicatur. 170. 275
Parentum merita prosunt filiis demerita verò obsunt. 178.46
Si meritum fulget inuidia dissipatur. 191. 26
Donum ex meritis gloriosius. 224.54
Præmium non ob amorem, sed merita dandum. 383.121.123.124
Per eadem vnus peccat, & alter meretur. 447. 59.60.61.62
Post hanc vitam non est merendi tempus. 530. 50
Qui præcellunt in merito, præcellant & in præmio. 603.7.8
Deo magis placet meritum, quàm præmium, seu illius possessio. 635.78.79.80
Qui de suis meritis multum præsumit, errat. 637.90
Qui vult gloria sublimari illius merita præmittat. 727.46
Deus requirit nostra merita, vt remuneret. 742. 55
Idem est mereri apud Deum, ac habere præmium. 763.31.32.33.
Obtenta ex meritis in rerum perturbatione persistunt, ex natalitio transeunt, & ruunt. 871.53.54.55
In cælo attenduntur merita, in mundo verò auri nitores. 908.113

Metus.

Metus mœre facit. 461.18.& 19
Vide, *Timor.*

Miles.

Rex suorum militum sanguinem vt proprium æstimet. 834. 36

Minari.

Deus aliquando minatur supplicium, vt veniam petamus. 222. 21. 22. & 23

Summa malitia cum Deus minatur supplicium, non emendari. 809. 7. 8. & 810. 9. & 10

Minima.

Ex bona operatione in minimis rectè colligitur & in magnis. 253. 14

Vir magnus tanto affectu dat minima, ac si vniuersa præstaret. 606. 23 & 24

Quilibet sua minima in magnum reputat. 572. 40. 41. & 42

Minister.

Plus valet minimus digitus Domini, quàm tota Ministri manus. 50. 62

Ministri vltra interrogata respondent, vt impedimenta obiiciant. 65. 55

Ministrorum manibus cuncta decrescunt, ac minuuntur. 72. 99 100 & 101

Satiato Ministro crescunt dona, famelico minuuntur. 72. 100

Ministri terreni sunt vt recipiant, omniaque deuorent, ac consumant. 75. 10. 11. 12. & 13

Ministri terreni omnia ex suo emolumento operantur, non sic Dei Ministri. ibid.

Dominationis est multos habere Ministros, paucis verò magna committere. 134. 28. & 445 46

Ministri non sint à Domino separati. 156. 179

Deus cum Ministris timorem incutit. 151. 145. & 146

Ministri nesciunt habere pietatem. 220. 3

Res per Ministros valde rigorosè exercetur. 222. 18

Ministrorum ingenium molestias augere. 226. 47

Manus Ministri exigua, Domini larga. 233 15

Qui mittit Ministrum, cum protegat, ac tueatur. 572. 57

Ministrorum manus cauendæ. 390. 39

Ministri ne sint acceptatores munerum. 411. 30

Multi Ministri ad inferendam famem, rarus qui panem offerat. 445. 44

Pro causa iusta vnus Minister sufficit. ibid. 45

Vnus bonus Minister pro pluribus est abundans. ibid. 47. & 48

Bonus Minister multam pietatem, & misericordiam impetrat. ibid. 48

Magnum negotium Ministro non est committendum. 473. 16

Deus solus, cum Ministris terribilis. 511. 139. 140. & 141

Ministri sæpe legibus pro armis vtuntur. 540. 9

Res per Dominum, & non per Ministros tractanda. 631. 51

Ministri non sunt impediendi in suo munere commisso. 676. 211. & 212

Ministet timet ne Regi habeatur contrarius. 684. 33

Reges dent alimenta Ministris, ne ipsi fiant fures. 781. 21. 22. & 23

Omnia bona naufragantur in Ministrorum Manibus. 816. 50

Multa sapientia in ministris eligendis. 833. 32

In Domino salus, non verò in Ministro. 908. 217

Minister cogitat se rationem redditurum. 91, 42.

Miraculum.

Miraculum non operandum nisi ex necessitate. 66. 58

Deus vult vt eius miracula sint omnibus nota sine vlla suspicione. ibid. 60. 61. & 62

Vt miraculum fiat, multum expedit fides operantis, ac recipientis. 175. 24

Fides miraculorum non est distincta fides Theologica. 18. 60

Vbi humana industria valet esse negotiatrix, non sunt quærenda miracula. 580. 14. & 581. 15. 16. & 676. 210

Miseratio.

Sancti de peccatoribus habent miserationem. 471. 9

Miseria, vel, *Miser.*

Miserorum recordantur probi, & non amici. 44. 20

Miseri adiiuandi verbo, & opere. ibidem. 21. & 22

Regis est subuenire miserorum causis, ac rogationibus. 32. 103. & 104

Miseria visa maximè mouet. 45. 25

Pro nostris miseriis gemendum. 51. 70

Aliorum miserias, vt nostras consideremus. ibid. 71

Christus nostras miserias vt suas reputat. 61. 27

Miseria allicit diuinam bonitatem. 174. 19

Propria miseria doctrina ad miserendum. 224. 33

Ex miseria mouetur amor. 508. 118

Iusti vident miseriam non vt contemnant, sed vt subueniant. 511. 137

Societas in miseria leuamen. 545. 41

Propria miseria collata cum alterius felicitate, grauiter augetur. ibid. 43

Miseria cruciatus, ac tormentum quoddam. ibid. 44. 45. & 46

Solus qui sustinuit miseriam, misero scit subuenire. 555. 104. 105. & 106

Miseria erudit, quos abundantia obcæcauit. 562. 146

Dilatatio in miseria valde periculosa. 868. 68

Misericordia, seu, *Misericors.*

Christi misericordia non potest denegare ea, quæ sunt nostræ salutis. 20. 21. & 22

In Dei misericordia pelagus. 22. 35

A munere miserendi pignoratur Deus. 24. 49. 50. & 51

Deus dum minatur supplicia, ostendit viam ad misericordiam. 34. 119

Miseria allicit diuinam misericordiam. 174 19

Grandis culpa de alio plus sperare, quàm de Dei misericordia. 177. 35

Deus aliquando ex pietate minatur supplicia, vt misericordiam petamus. 223. 21. 22. & 23

Ex Domini misericordia, spes veniæ concipitur. ibid. 24

Grati sumus Deo cùm misericordiam proximo exhibemus. 228. 61

Dei misericordia nos expectat. 239. 54

Abundantia diuinæ misericordiæ in nos continua, & perennis. 261. 110

Christi misericordiam vt nimiam notant aduersarij. 274 19

Iesus declinat occasiones puniendi,& quærit miserendi. 276.26
Christus totus ad misericordiam,& non ad iram. 290.27.
Deus vt puniat recedit, nam si videat,misereturr. 336.157
Misericordia aliquando vices immensitatis agit. 528.38
Magna misericordia ordinem non seruat. 636. 85.
Positis peccatoribus maximè Dei misericordia declaratur. 741.34
Nostra miseria prouocatur Deus ad misericordiam. 749.84

Mitis.

Ex Christi tactu omnia miteſcunt. 740.24.25. & 26

Modestia.

Christus modestè abscondit sua magnalia. 178. 43
Christus valde modestè de se loquitur. 283.72
Modestia aliquando dat occasionem ad iniuriam. 130 94
Iniquus ex modestia alterius fit impudentior.590 66.67.& 68

Monasterium.

Monasterium Monialium Carmelitarum ædificat Domina Baronissa Domna Beatrix da Sylueira.

Mores.

Ad mores suę iuuentutis quilibet inclinatur.296. 66.67.& 68

Vide, *Consuetudo.*

Mors, vel, *Mortui.*

Si mors contemplatur, mundus contennitur. 120.45
Gustata cælestium dulcedine mors suauis. 130. 99
Pro Deo mors contemnenda. 147.118
Durior mortis timor,quàm illius actualis tolerantia. 150.135& 709.90
Mors glorioſior quàm vita. 162.221
Non maiestas,sed mortis recordatio sit in mente. 163.228.& 229
Magna miseria vt inde quis habeat mortem, vnde poterat habere vitam. 260.82
Mors cum principio vitæ,seu hominis natiuitate coniuncta. 345.51.52.53.& 54
Principium vitæ prægnosticum mortis. ibid.
Mortis memoria valde vtilis.350.90.91.92.& 93
Magnum Dei beneficium, mortis repræsentatio. ibid.92
Ex mortis memoria tota vita componitur. 351. 93
Facilior homini mors,quàm splendoris abiectio. 371.69.& 70
Diabolus mortem à mente fugat. 399.40
Iustus in morte ingreditur lucem, peccator tenebras 402.66
Homo sit præparatus ad mortis horam. 419.26
Cur in manu morientis ponitur lucerna accensa? 22.26
Ex mortis consideratione homo multum crescit perfectione. 416.70
Homo solùm habet ius ad sepulchrum mortis. ibid.
In hora mortis potiùs spes,quam timor. 418.79
Iusti gaudent, & exultant in morte. ibid.81
Sæpe tunc venit mors quando homines magis deliciis indulgent. 423.115.
Mors sæpe inuadit adolescentes in flore iuuentutis. ibid.116
Mors sæpè inopinatè venit. 414.114
Mortis memoriæ puluis magnum medicamentum. 505.103
Mors semper vt præsens cogitanda. 519 41
Ex vniuscuiusque morte vera felicitas censenda. 551.79
Impius in morte ab omnibus deseritur. 550.78
Magna laus Moysis quòd de mortuis recordetur. 551.79
Mundialia bona relicta consanguineis non proficiunt morienti. 556.114.& 115
Post Christum mors vt somnus, ac proinde non timenda, 651.56
Mors requies, & delitiæ. ibid. 57.58.& 59
Ex mortis consideratione odium deponitur. 656. 79
In morte alterius moderatè flendum. 667.151. 153.& 154
Mors semper sit ante oculos. 675.104
Memoria mortis optimus magister vitæ.677.117
Mors iusto pro pace. 696. 4
Mors iustorum, lætitia iniquorum. ibid.5
Mortis consideratio dura,ac pia mors. 709.90

Mortificatio.

Mortificatione Christi hæreditas transfertur. 708. 85. 86. & 87
Mortificatio via ad cœlum. 707.88. & 89

Mulier.

Mulier perditionis causa. 220.8
Mulierum illecebræ potentissimæ. 461.19.20 & 21
Mulier non vagetur per loca publica. 485. 89
Mulier valde efficax ad impetrandum. 704. 59

Multitudo.

Vbi multi,ibid.errores, veritas non nisi vbi pauci. 89.107.108. & 109
Mali multitudine viuere volunt. 820. 12

Mundus.

Separatus à mundo habet robur virtutis. 296.65
Si mundialia expellantur, pax fit conscientiæ iusti. 389.35.36. & 37
Mundiales solum præsentia cogitant. 400. 48
Qui sanus est, vt mundum sequatur; sit & sanus ad Dei obsequium. 453.96
In mundialibus solum delitiarum, gustus. 450. 76
Qui mundum renuntiat,regiam ædificat.465.38. 39.& 40
Vt vincat mundum,exi à tua terra. 467. 45
Gloria mundi breui transit. 550.75
Mundi bona. Vide,*Bona Temporalia.*
Mundialis felicitas parit extremam miseriam. 560.135
Discede à mundo vt Christum habeas. 545.45

Murmuratio.

Maximè tua putitas declaratur, dum calumniator aliunde quærit materiam ad detrahendum. 5.25
Murmurandi ansa amputanda 19.13.& 48.43.
Sæpe ex beneficio concesso murmurandi ansa arripitur. ibid.48
Homines ad murmurandum non attendunt ad virtutes,sed ad defectus. 192.31.32. & 33
Homines cùm non possint murmurare de his, quæ apparent, de intentione volunt opinari. ibid.
Vt murmurationem fugias,fuge ab oculis impiorum. 571.33

Nullo dicendi modo potest homo murmuratorum linguas fugere. 583.29
Murmurator non expectat rei finem, vt calumnias coniiciat. ... 135

Mutabilitas.

Pro maiestatis statu non mutandum. 141.71. & seqq.

N.

Natura.

NAtura cùm deficit, illius Authoris est eam reficere. 345.37

Necessarium.

Magnus error, quòd quis agnoscat id, quod sibi est necessarium, & non exhibeat. 896. 34.35
Natura paucis contenta est. 546.47

Necessitas.

Necessitas etiam Deum nolentem quodammodo ad se inclinat. 20.18
Necessitas ei aperienda, qui remedium exhibere valet. 21.14
Solus Deus videt nostras necessitates. 59.18
Christus mouetur à necessitate ad subueniendum. 61.28
Solus Pater suorum videt necessitates. 62.32
Donum in necessitate, valdè gratum. ibid.37
Non est alienum ab Ecclesia in necessitate suos aliquo subsidio adiuuare. 184.78.& 79
Propria necessitas doctrina ad miserendū. 214.33
Necessitate oppressi maximè vniuntur. 233.16. & seqq.
Qui necessitates videt misereretur. 26. 588
Necessitas solicitat Dei pietatem. 427.16
Domini, ac regis maiestas pro appendice habent necessitatem. 742. 36. & seqq.
Deus non solum dat necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem. 797.32.& 33
Vide, *Miseria*, vel *Miser*.

Negare.

Deus sæpè ex prouidentia denegat sua dona. 491. 21
Cui maiora negantur, minora non dabuntur. 163. 152

Negligentia.

Ne simus negligentes in Dei obsequio. 595.4
Desides, ac negligentes excluduntur à mensa Christi. 444.37.& 38
Negligentia increpanda. 447.53
Qui inertiæ indulget, in pericula ruet. 855.52
Vide, *Otium*.

Negotium.

In magnis negotiis tempus intercludendum. 223.25
Vbi mundialia negotia, ibi mendacium interuenit. 758.46

Nescius.

Primum locum nescius, & non sapiens occupat. 610.50.& 51
Nescio superabundant coronæ. 433.51

Nobilitas.

Nullus ex humilitate desperet, nec ex nobilitate superbiat. 22.19
Alienum à viro nobili alios ignominia afficere. 39.150
Nobilis de se dicit minus, & supprimit maius. 89.102
Magna nobilitas virtus à maioribus hausta. 139. 61.62. & seqq.
Nobilis valdè sedulus ne aliorum defectus videantur. 87.91.& seqq.
Qui alterius abiectione se vult nobilitare, idem est, ac nemo. 255.78
Homines maximè dolent, non si de vitiis, sed si de sua nobilitate arguantur. 302.101
Nobilitas generis boni mores. 306.113
Punitus nobilitetur. 24.151
Nobilis de virtute, ignobilis de exteriori vult magnus reputari. 541.16

Nomen.

Plus res nobilitatur virtute, quàm homine. 22.28
De nostro nomine, ac fama, quid dicatur, curandum. 76.14
Princeps solicitus sit de suo nomine in absentia. 77.22
Verum nomen imponere ex nutu Dei venit; & non ex hominis ratione. 97.157. & 158
Iniqui sciunt Barrabam, Iesus nomen ignorant. 357.122
Iustus dum suum nomen abscondit, magis manifestat. 411.36
Nomine quis admonetur ad rationem sui officij. 799.4.& seqq.
In actu virtutis nominatur persona, in damnatione tacetur. 544.54
Deus manifestat suam maiestatem non nominibus sed operibus. 911.15

Noua.

Ad rem nouam non statim sine consideratione afficiatur homo. 170.174
Nouitas rerum valdè suspecta. 761.219
Doctrina noua valdè suspecta iudicatur. 174.21
Nouitatem vitæ amat Deus in suis. 744.55
Nouitas valdè à Deo aliena. 80.40
Ob noua antiqua non sunt contemnenda. 147. 118

Nox.

Nocte temporalia multa videntur. 448. 66.& seqq.

O.

Obedientia, vel, *Obedient.*

OBedientia omnibus armis potentior. 177. 182
Deo obediendum, & non hominibus. 159.201 & seqq.
Vbi est Dei imperium, homini non est attendendum. 160.203
Valdè difficiliter datur obedientia homini glorioso, & impassibili. 166. 250. & seqq.
Per obedientiam euchitur homo ad diuina. 186. 95
Obedientia dat intellectum. 86.80
Qui relinquit Deum propter Deum obediendo salutem habet. 237.40
Obediendum Dominis in licitis. 267.147
Perfecta obedientia statim obtinet præmium. 346.57
Obediens non diiudicat imperium Superioris. 455.106. Et 676. 207. & seq.
Obedienti vna vox, seu nutus sufficit. 585.39

Obligatio.

Obligatio officij in Prælato sit infita. 98.166
Multi ob sui vtilitatem omittunt sui muneris obligationem. 283.71.& 72
Qui ob cognationem carnis omittit obligationem sui oneris perit. ibidem

Iniuria ex obligato grauior. 311.6
Homines iniurioſi, qui debebant eſſe obligati. 354.111
Muneris obligatio plus impellit, quàm parentis amor. 47.39
Qui magnis donis eſt obligatus maiora præſtare tenetur. 506.107. & ſeq.
Ex fide ac æſtimatione facta obligatur homo ad magna. 911.11.& ſeqq.

Obliuiſcor.

Quæ ſunt mundi, obliuiſcamur. 118.31
Magnus obliuiſcitur dati, recordatur acceptî. 89. 103 & ſeqq. & 645.16
Deus facilè obliuiſcatur iniuriæ illatæ. 326 96
Qui Ieſum habet, de omnibus aliis obliuiſcatur. 463.30

Obſcurare.

Qui alios volunt obſcurare, obſcurantur. 412.47

Obſequium.

Chriſtus ſuorum obſequia in multum appendit. 147.26
Quæ homo aliquando facit ex ſuo commodo, Deus computat in obſequium. 63. 41. & 42
Quæ in Dei obſequium damus, nobis proficiunt. 187.98.& ſeq.
Chriſtus ſuorum obſequia cumulatiſſimè remunerat. 96 148.& ſeq.
In obſequio Dei ne ſit homo dimidiatus, vt Deo, & mundo cogitet ſeruire. 411.40. & ſeqq.
Iuſtus pro præmio habet dare Deo obſequia. 417.75
Qui ſanus eſt, vt mundum ſequatur, ſit & ſanus vt Deo præſtet obſequia. 457.119 495.47
In Dei obſequio bona, in mundi ſeruitute mala. 495 47
Quod Deo damus in obſequium, noſtra eſt poſſeſſio. 581.18.& ſeq.
Animus integer Deo offerendus. 607.29.30 & ſeqq.
Suorum obſequia habeat Rex vt præſentia. 611. 57
Obſequia commendantur non ex quantitate, ſed ex animo offerentis. 617.28.& 29
Ex maiori obſequio maior reuerentia. 705.53
Deus humana obſequia rependit diuinis beneficiis. 731.73
Dei obſequio nulla maior gloria. 739.18.& ſeqq.

Occaſio.

Occaſio captanda, ne prætermittatur. 234 20.& 21
Deus dat occaſiones ad ſalutem. 547.54
Ab occaſione peccati exeat homo, vt viuat. 675 198

Occultare.

Occultare aliorum defectus. Vide, *Defectus.*

Oculus.

Oculus beneuolus paſtoris attrahit animum. 378.96
A Dei oculis multus honor. 505.105
Ex iniquorum oculis multa pericula naſcuntur. 171.34
Diuini oculi præſtant adiuuamen, & tutamen. 725 57
Oculus Domini frænum eſt domeſticis ne delinquant. 785.47 48. & ſeqq.

Odium.

Nulla euidentia odium deponitur, aut mitigatur. 134 29.& ſeqq.
Odij fomentum ſingularitas. 142.80
Odium facit, vt magna non videantur. 82.55 & ſeq.
Odium nullo teſtimonio mitigatur. 236 31
Odium facit, vt verba non audiantur. 268.151
Odium virtutem tanquam vitium reputat. 321. 61.62.& ſeqq
Virtus nitens contra odium atteritur. 406.13
Odium euidentia non mitigatur, ſed magis obdurefcit. 429.29.& ſeqq.
Per odium negotiatur alicuius amor. 460.10
Ex odio in vno reiicimus, quod ex amore in alio approbamus. 811.21

Offenſa.

Vide, *Iniuria.*

Offero.

Parentes, qui filios ſuos Deo offerunt multa bona conſequuntur. 473.20. & ſ qq.
Filius Deo oblatus plus prodeſt parentibus. ibid.
Parum eſt offerre Deo omnia membra, ſi cor tibi retineas. 576.63
Homo ſe totum Deo offerat. 238 45
A Dei gratia veniunt munera, quæ ei offerimus. 379.99
Non res oblata, ſed animus offerentis penſandus eſt. 606.21

Officium.

Officium onus, ac baiulatio. 99.171
Obligatio officij infra ſit in Prælato. 100.176
In alienum officium ſe intromittere ignorantia. 156.174
A dignitate dimittamus animum conſideratione, & noſtrum munus adimplebimus. 236.35 & ſeq.
Homo ſuo officio ſatisfaciat, & alios non accuſet. 238.46
Officium non ſit inſtrumentum ad vlciſcendum. 321.77
Offenſa eſt quòd quis in ſuo munere rogetur. 491.19
Miniſter non eſt impediendus in officio commiſſo. 676.211. & ſeq.
Homines maximè ſoliciti de poteſtate ſui officij. 681.17.& ſeq.
In officio cogitet quilibet illius finem, & quòd ab officio ſit deponendus. 783.36.& ſeqq.
Officia danda iuxta vniuſcuiuſque genium, ac conditionem. 914.32

Omnipotentia.

Diuina omnipotentia facilitèr omnia operatur. 652.54

Opinio.

Res propter opinionem gratior. 95. 131
Inter varias opiniones veritatem deprehendere difficile. 91. 122
Occaſiones malæ opinionis amputandæ. 665.138

Opprobrium.

Vide, *Iniuria.*

Opus.

Alienum à bono ſpiritu aliorum opera explorare, ac ſcrutari. 7.40
Noſtra opera cum Dei auxilio coniungenda. 45. 26. & ſeqq.
Ex vno opere bene facto reliqua ante acta bona iudicentur. 56.100
Solus qui ſincere vidit, & non tum odio, tua agnoſcit magna facta. 81. 63. & ſeqq.
Chriſti opera eius diuinitatem indicabant. 96.146
Magnus decor propriis operibus, & non alterius fauore prædicari. 106. 9
Authoritas perſonæ multùm facit, vt eius dicta & opera æſtimentur. 139.60
Non operis magnitudo, ſed animus penſandus eſt. 148.125

Opus inceptum perficiendum. 156.175
Sæpe opus non ex facto, sed ex persona iudicatur. 170.275
Ex bona operatione in minimis rectè colligitur & in magnis. 233.14
Nostra opera Deo referenda. 239.54
Dum sumus in hac vita operemur bonum. 345.50
Deus vult vt opera sua sint manifesta. 349.78
Deus à fortioribus vult maiora opera. 360.147
Oratio associata vigiliis valde potens. 385.11
Omnis operatio fiat cum recta ratione. 409.29
Ille censetur Dei filius, qui non vacuus, sed plenus operibus apparet. 513.150
Inuidi bona aliorum opera minuunt. 590.69
Opus crescit in æstimatione ex persona operantis. 612.63
Amor probatur operibus, seu donis. 645.18.19.& 20
Non sunt necessaria verba quando opera testificantur. 653.64.65.& 66
Magno affectu rapitur homo ad opus, in quo est aliquid sui laboris. 670.165
In verbis demissio, in operibus potestas. 674.193.194.& 195

Oratio.

Grata est Deo vis in oratione. 235.25
Ad Deum orandum terrena dimittenda. 306.122
Oratio associata vigiliis valde potens. 385.11.& 386.13
Qui Deum orat pro proximo, etiam pro se orat. 387.20
Deus etiam orationem importunè factam exaudit. 388.29
Deus dissimulat exaudire nostras preces, vt largius concedat. 26.64
Oratio Sanctorum valde nobis vtilis. 27.74
Qui orationi cum humilitate resistit, durus iudicatur. ibid.75
Oratio cum humilitate valde efficax. 31.97.98.& 99
Oratio emollit durè negantem. 36.130
Oratio ex fide multum efficax. ibid.131
Oratio afflicti, ac oppressi valde efficax, vt exaudiatur. 37.137.& 138
Oratio humilis vice omnipotentiæ fungitur. 41.161.& 162
Oratio feruida ita certa de obtinendo dono, ac si iam haberet reuelationem. ibid.163.& 164
Oratio multorum valde efficax erga Deum. 47.40
Orationem multorum veluti reuereatur Deus. ibid.
Orandum semoto animo à terra, eleuato in cœlum. 51.68
Vult Deus vt eum exoremus pro donis. 57.7
Per orationem transformamur in Dei imaginem. 141.70
Oratio omnibus armis potentior. 159.182
Deus non gaudet, sed delectatur nostris orationibus. 177.37.& 38
Oratio ieiunio armatur. 176.33
Oratio pro inimicis pretiosus census auribus Iesu. 186.89
Ad rationem confugiendum, in qua sit tota nostra spes. 195.54
Ante tribunal iudex permittat orationem. 214.44
Multorum oratio valde efficax apud Deum. ibid. 49.50.& 51
Deus vult exorari, vt auertat supplicium. 222.21.22.& 23
Deus vult oratione instari. 391.41
Deus non respondet statim orationibus, ne vilescant dona. 391.44
Grandis potentia orationis. ib.45.46.& 47
Orans non solùm sibi, sed etiam aliis impetrat. 491.20
Oratio vt exaudiatur, eleemosyna auxilietur. 537.94
Oratio cum humilitate cælum ad se inclinat. 573.46
Oratio ex crucis, seu pœnitentiæ habitu fit accepta. 576.61
Dei dona petentibus dantur. 50.61
Deus tam velox ad orationem, vt non expectet vocem loquentis. 626.19.& 20
Voluntas orandi multum impetrat. 657.89
Oratio cum lachrymis valde efficax. 668.159.160

Origo.

Oratio impetrat absolutionem delictorum. 223.26
Vide, *Radix.*

Os.

Os eructat quod animus concipit. 541.20.& 542.21.& 22
Iniquitas obturat os, & non sinit loqui. 530.114

Ostium.

Ostium diuitis clamabat contra illum. 547.56

Otium.

Dies otiosa indecora, ac inhonorabilis. 430.34
Christianus sit in operatione, & non in otio. 626.23.24.& 627.25.& 26
Magnus labor quòd quis sit in otio, & non laboret. 651.52
Qui non proficiunt, otiosi. ibid.55
Otiosi non possunt expectare dignitates. 711.166
Otiositas omnium malorum causa. 629.38
Otiositas peruersior omni alio crimine. 806.89
Qui Deum otiosum fingebat, idem est ac si neminem esse fingeret. 871.50

P.

Palatium.

Vide, *Aulicus.*

Parens, vel, *Pater.*

PAter durissimè torquetur in filij pœna. 23.41.42.& 43
Solus Pater suorum videt necessitates. 62.32
Singularis præstantia non ex parentibus, sed ex propria virtute cognoscit. 835.41.& 42
Ira patris in misericordiam, ac benignitatem conuertitur. 114.7.8.9.& 10
Qui de parentibus se iactat, vacuus est virtute. 303.106
Auersio à parentibus suadentibus contra Dei legem. 461.18
Pater filio non solùm sua, sed etiam suam authoritatem communicat. 512.144
Patris est dissimulare filij crimina. 518.180
Magna miseria quòd pater filium damnet. 553.92

Particulare.

Deus sedens agit de bono communi, pertransiens de particulari. 538.6.7.& 8.

Parum, seu, *Parum.*

Homo sua licet parua in magnum appendit. 571. 40.41.& 42

Passio, seu, *Pati.*

Pati, & Deum sequi, magna fides. 33.106

Qui patitur aduersa, sit magnorum dignus. 362. 156.& 157

Qui patitur aduersa, Deo placet. ibid.

Pro Christo pati magna merces, & præmium. 621.119.120.& 121

Passio Christi.

Post Christum passum omnes labores breuissimi. 862.91.& 92

Simens à Christo passo recedit, statim prolabitur in peccata. 112.43

Passio Christi via ad salutem. 114.5

Christi passio ad nostram salutem non eget consortio, ipsa solum abundantissima. 133.8

Christi gloria non datur sine passione. 156. 180

Christus non patiebatur, vt passio eius impediretur. 170.272

Tempus mortis, peculiare tempus Christi. 247 23

Christus noluit gloriam, nisi per passionem. ibid. 24

Dies mortis, dies festus Christi. 248.33

Qui Christi passionem imitantur per paradisi portam intrant. 364.11

Sub Christi passione optima occasio ad obtinenda salutaria. 702.43

Christi passione inflammantur animæ ad cælestia. ibid. 44

Tempore passionis Christi de dignitate non est cogitandum. 707.76

Christi passione omnis noster labor emollitur. 709.91.92.& 93

Passio Christi contemplanda. 762.21

Pastor.

Boni pastoris conditiones. 363.3

Bonus pastor quotidie sit paratus animam dare pro ouibus. 371.47

Bonus pastor suo exemplo inuitat ad martyrium. 373.63

Bonus pastor etsi mortuus, tamen orationibus suos protegit. ibid. 65.66.& 67

Pastor non quærat sui honorem, sed gregis commodum. 374.71.72.& 73

Mors pro ouibus valde opportuna pastori. 375. 73

Apostoli pastores. 376.79

Ante Christum veluti oues sine pastore. 381. 114

Pastor culpam ouis in se transfert. 477.45

Patientia.

Magna patientia necessaria ad sustinendam repulsam in petitione iusta. 26.66

Patientia erga Deum non indiget aliorum suffragio. 37.134

Patientia in pressura diuinitatis quædam testificatio. 162.219

Patientia Christum verum Deum demonstrat. 302.94

Patientia Iesu mire inter opprobria. 327.98

Præclara magnitudo ostendit patientiam & non supplicium. 335.149

Patientia in iniuriis via ad salutem. 578. 73

Ex patientia alterius sæpe iniquus fit impudentior. 590.66.67.& 68

Patria.

Bonus ciuis honor patriæ. 231.1

Patriæ deuastatio magnus dolor. 799.40

Paulatim.

Paulatim eundum, & non immediatè de extremo ad extremum. 145.84

Paulatim ad suprema virtutum eundum. 408.23. & 821.21.22.& 23

In perfectione paulatim eundum. 465.36.& 37

Paulatim ad magnas dignitates eundum. 614. 71

Paulatim ad magna procedendum. 669.164

Paupertas, seu, *Pauper.*

Pauperum causam Deus suscipit. 10.54

Ex pauperum misericordia Deus propitius. 275. 25.

Pauperi dona largiri signum diuinitatis. 358. 131

Homines venerantur potestates, pauperes contemnunt. 361.150

Durior pœna in immisericordem in pauperes, quàm in ambientem Dei honorem. 401.62

Pauperi quod datur, multiplicatur. 426.7.8.& 9

Solùm ante oculos Iesu sunt pauperes. ibid. 10

Pauper nullum habet locum in domo Principis. ibid. 11

Reges vestiuntur de sanguine pauperum. 540.13

Paupertas cruciatus, ac tormentum quoddam. 545.44.45.& 46.

Diuites negant cibum pauperi, & dant brutis animantibus. 547.57

Paupertas veluti quoddam purgatorium. 748. 61

Pauper in alto sublimatur loco. 549.66

Deus quodammodo transfunditur in pauperem. ibid.

Cælum pauperum est merces. ibid. 67.68.& 69

Diuites quærunt homines, pauperes fugiunt. 552.90.& 91

Diuites pro suis delitiis solùm res pauperũ quærunt. 554.101

Qui pauperi negauit guttam, negatur ei mica 555.108

Vir crudelis in pauperes damnatur. 560.133

In paupertate maior dulcedo, quàm in diuitiis. 620.113

A paupere honorari iniuriam putant homines. 718.22

Pax.

Pax cum malis durum bellum. 101.187.& 188

Melius est bellum, quàm iniqua pax. 119.55.56. 57.& 58

Peccator.

Peccator sub obscuritate, ac frigore versatur. 15. 85.& 84

Peccator surdus, & mutus 44.14

Peccator tanquam iumentum obcæcatum in suis vitis. 800.80

Peccator publicatus amittit pudorem, & nullum scelus respuit. 210.21.22

Nullus peccator de venia desperet. 221.15

Peccator seruus. 222.16

Peccator se reputet indignum accedendi ad Deum. 231.2

Peccator quocunque vadat, semper secum fert suam malitiam. 240 59.60.& 61

Peccator peccati seruus. 304. 113.114.& 305. 115.116.& 117

Homo vt seruus peccati, multis peccatis succumbit. 304.114

Peccatores inconstantes. 310.59
Peccatorem inueteratum reformare solius Dei est. 344.39.40.41.& 657.90
Peccator stolidior bestiis. 449.74
Peccator non vni iugo, sed multis subditur. ib. 75.
Peccator vitam porcinam agit,& non satiatur vt porcus. 497.56
Peccator dum quærit delicias,inuenit amaritudinem. 498.62
Peccator quærat veniam, iustus delicias. 502 91
Peccatori recenter conuerso leuis pœnitentia imponenda,ne deterreatur. 503.93. 94
Insensibilia clamant,& accusant peccatorem. 525. 18
Miser peccator audacius peccat quando pœna impendet. 532.62.63
Deus peccatores diuitiis implet,vt eos gratos faciat. 540.12
Torquentur peccatores per quæ peccant. 543. 35
Quilibet peccator bene operando potest saluari. 585.41
Deus in peccatore non odit naturam, sed peccatum. 804.72.& seqq.
Peccator inter iustos apparens damnatur. 807. 97
Contra peccatores omnes Creaturæ insurgunt. 867.25.& seqq.
Insensibilia accusant peccatores. 872.59.60

Peccatum.

Peccatum leue, seu veniale ad grauia peccata disponit. 640.109
Peccatum crudele venenum, ab eo fugiendum. 670.167
Ex vno peccato tanquam ex radice alia prodeunt. 739.16
Authori peccati tribuuntur omnia flagitia. 754 23.24
Peccata vincula sunt peccatori, quibus ligatur. 807.92.93
Homo peccando immutat naturam, inde merito contra eum natura immutatur. 869.38
Quod fuit fomentum peccati,erit & pœnæ. ibid. 33.40
Vnum peccatum aliud graues secum trahit. 15. 86
Cum vno peccato veniunt multa peccata. 18. 101.102
Electi sic cadunt,vt videant malitiam peccati,ad quam iniqui caligant. 167.157
Ex vno peccato labitur homo in alia. 174.20 & 21
Peccatum grauissimum pondus. 184.79
Peccati vbi est gustus ibi & pœna. 200. 81
Peccati radix euellenda. 203. 103
Peccatum vnius omnibus nocet.208.7. & seqq.
Qui de peccato non erubescit grandi supplicio afficitur. 210.22
Minora peccata gradus ad maiora. 212.38.39
Peccata nos accusant coram Deo. 220.3
Quanta sit grauitas vnius peccati mortalis. ibid.5
Vnum peccatum aliud grauius parturit. ibid.10. & seqq.
Peccata multa mala inferunt. 222.20
Reincidentia in peccatis maiorem iram Dei excitat. 230. 70. 71. 72. & 755. 21. & 758. 45
Peccata contra religionem indelebilia manent. 278.41
Ex astantibus aliquando minus apparet peccatum. 279.50. & seq.
Facilius remittitur peccatum, quàm illius relapsus. 285.89.90
Homo absoluendus,peccatum verò condemnandum. 286.91
Peccatum proprium facit obmutescere. 313.21 & seqq.
Homo cognoscat sui peccati grauitatem. 315. 31
Peccatum ex circunstantia templi,ac loci grauius. 337.161.& seqq.
Peccata multum vigilant in hominem. 339. 14
Mala, quæ patimur, peccatis tribuenda. 342. 18.& seqq.
Peccata inueterata à solo Deo expelluntur. 344. 39.& seqq.
Faciliter peccata recentia, difficiliter inueterata expelluntur. ibid.
Damna ex peccato difficiliter expelluntur. 349. 84.
Peccatis inueteratus difficiliter renouatur. 413. 120
Per ea aliquis peccat, per quæ mereri poterat. 447.59. & seqq.
Peccatores non considerant Sanctos quales sunt, sed quales fuerunt. 472.12
Cùm vnus è congregatione peccat, omnes periclitantur. 475.31. & seqq.
Peccatum per pœnitentiam sic deletur,ac si nunquam fuisset. 483.78
Per quæ quis peccat,torquetur. 494. 39
Non est huius temporis omni peccato carere. 483.85
A quolibet puluere peccati mundanda anima. 486.92.& seqq.
Peccatum semetipsum manifestat, & declaratur. 525.19. & seqq.
Peccata publica punienda,occulta verò dissimulanda. 527.32 & seqq.
Quilibet suorum scelerum, ac peccatorum formam refert. 631.56.& seqq.

Pecunia.

Pecuniæ cupiditas impedit in cœlum ascendere. 134 24
Propter pecuniam & aurum,nullus admittitur in regno Christi. ibid.27
Pecuniæ amor longe à Christi discipulis. 182 76
Pecunia mater luxuriæ, auaritiæ, ac inanis gloriæ. 185.85
Spoliatio pecuniæ hominis martyrium, & priuatio vitæ. ibid.88
Pecunia sua homo sibi emit labores. 449.75
Pecunias contemnere non est hominis huius vitæ. 758.50
Valde mirabile quod homo pecuniam manibus habeat,& non coinquinetur. 917.54

Perdere.

Decus gregis quod nulla ouis sit deperdita. 476. 36
Perdita meliora videntur. ib.57
Perditio approximante remedio lachrymas excitat. 715.4

Perfectio.

Nullus in hoc sæculo perfectus. 263. 118

Legis violatores alios ſpecie zeli arguunt. 255. 77
Qui legem non ſeruat, Deum ignorat. ibid.80
Blandiri Regum voluntati dat licentiam popularibus ad violandas leges. 535.147 & 148
Sæpè miniſtri legibus pro armis vtuntur. 567.9
Perſeuerandum in Dei lege, ne tranſgrediaris vnum mandatum. 635.75. & 76
Potentes ſæculi à lege eximuntur. 656. 81
Dignitas in iniquis non eſt ad obſeruantiam legum, ſed ad earum violationem. 828.6.7. & 8
Lex habenda non in codice, ſed in pectore. 832. 28.& 29

Lex gratia.

In lege gratiæ firma ſpes in Chriſto. 70.84
In lege gratiæ omnia prò Chriſto relinquenda. ibid.85
Lex gratiæ tota intenta ad ſpiritualia. 88. 98
Antiquam ſeueritatem in amoris legem transfert Chriſtus. 217.69

Liberalitas.

Diuina liberalitas, ac pietas ſiue à ratione concedendi, ſiue negandi mouetur ad largiendum. 28.77
Dei liberalitas etiam dum denegat promittit. 34. 117.118.& 119
Ingens liberalitas non ſolum dat beneficium, ſed etiam illius modum. 40. 156
Dei liberalitas vltra petita concedit. 40.160. & 258.198
Vide, *Petere.*
Deus omnibus dat ſua dona, & nemini denegat. 19.10.11.& 12
Chriſtus pro ſua liberalitate magis vult manifeſtari per ea, quæ communicat, quàm per ea, quæ poſſider. 91.122. & 123
Deus latiſſimè remunerat noſtra obſequia. 97. 158.& 159
Liberalis, quæ donat, videntur ei pauca. 125.75. 76.& 77
Liberalitatis eſt dare beneficium, ſicut & illud negare cùm expedit. 148.121
Quælibet quæ Deus donat largiſſime donat. 155. 169
Dei liberalitas citius adimplet promiſſum, quàm promiſerat. 237.42.43.& 44
Dei dona in nos ſine interruptione. 28. 9
Tanta eſt Dei liberalitas, vt etiam orationem importune factam exaudiat. 388. 29
Liberalitas in magnifico vincit ſuorum curam. 389. 30
Deus tam liberalis in donis dandis, ac ſi eis indigeret. 391. 43
Liberalitas Regum nota. 440. 10.& 11
Liberalitas offenditur cùm aliquid petitur. 49. 1.
Liberalis quod acceptat in multum, quod dat in paucum reputat. 607.27& 28.
Deus liberaliter remunerat parua noſtra obſequia. 630.48
Dei bonitas magna vult dare. 648.35

Libido.

Homo à ſua libidine detinetur ne ad Deum veniat. 450.81

Lingua, ſeu, Loqui.

Silentium etiam ſuam habet vocem, qua multa loquitur. 26.63
Sæpè homines loquuntur quia aliorum conſilia non intelligunt. 27.75
Lingua grande hominis malum. 51.73.& ſeqq.
Plus torquet mala lingua animam, quam Diabolus corpus. 51.74
Tota dæmonum malitia in vna lingua armatur. 52.75
Ex longo ſilentio bona locutio. 52. 77
Qui prius audit, & poſtea loquitur ſecurus a malo. 53. 82
Homo ſit cautus ad loquendum. ibid.83
Sancti bona loquuntur, mala tacent. 83.66
Bona lingua aurum. 185.87
Iniquus contra ſe loquitur. 251.48.& 328. 104.& 591.74. & 681.19. & 20
Iniqui vnum dicunt in facie, aliud à tergo. 288.5
Lingua animæ index. 294. 56
Peccatum non ſinit loqui maximè vero innocentia. 513.21. & ſeqq.
Simplicitas loquendi oſtendit animi ſinceritatem, ac veritatem. 515.29
Homo aliquando loquitur quæ Diabolus non audet dicere. 529.109
Homines loquuntur quod reprehenſibile iudicant, laudabile verò prætermittunt. 554. 112 & ſeqq.
Cum maleuolis cautè loquendum. 561. 154
Lingua pura non refert voces ad ſignificantes luxuriam. 400.52
Quilibet iuxta ſuum ingenium, ac affectum loquitur. 406.9
Lingua vt generale peccatum magis torquetur. 556.116
Lingua præcipuè torquetur, quæ extitit deliciarum principium. 557. 117
Maledicæ linguæ omnia tormenta inferni deputantur. ibid.119
Os eructat, quod latet in corde. ibid.120. & ſeqq.
Malignus aliud habet in ore, aliud in corde. 565. 158.& 159
Lingua iniqui omnes iniuriat. 571. 30
Cùm homo de ſe loquitur aliud eſt ab eo, quod ipſe dicit. 578. 76. & 77
Pro iuſtitia, ac ratione quilibet habet animum, vt loquatur. 655.75
Ex dignitate lingua ſit ſolutior. 688. 52. & ſeqq.
Aliquando inter loquendum incautè vnum verbum proſilit ex ore. 810.15
Mendax multiplici ore loquitur, verax vno tantum. 851.71

Locus.

Bonus ſeruus non ſibi, ſed aliis vult loca. 24.133
Dominus non patitur locum in menſa ſua vacuum. 456.111. & ſeq.
Dolet homo cum videt ſuum locum alteri datum. 638.96

Luceo.

Qui alios ne luceant obſcurant, obſcurantur. 412. 47

Lucrum.

Suo lucro, & commodo maximè homines mouentur ad alterum ſequendum, ac illi adhærendum. 57.3.4. & ſeqq.
Ob nullam reuerentiam tributum dimittitur. 182 64
Ob lucrum ſæpè fingitur zelus. 236.30
Pro maiori lucro auarus non parcit ſumptui. 398. 34
Pro ſua cupiditate implenda homo facit magnos ſumptus. ibid.35.& 36
Ob lucrum omne damnum contemnitur. 525. 8.9.& 10.

Qui

Qui sine spe lucri laborat multum promeretur. 636.88.89
Inuido alterius lucrum damnum proprium. 637.94
Ex amisso lucro angustiatur auarus. 681.14
Homo pro suo lucro alienum damnum contemnit. 650.45.46
Ob lucrum omnes iniquitati consentiunt, & nullus resistit. 784.39.40

Lux.

Terrena lux nitet alios obscurando. 160.206
In solo Christo lux, & illuminatio. 346.56

Luxuria.

Pecunia luxuriæ mater. 285.85
Luxuria semel gustata illecebra relapsus. 279.49
In luxuria omne vitium clauditur. 285.92.93
Ex animo luxuriante omne malum timendum. 286.93.
Voces significantes luxuriam lingua pura fugit. 400.51
Vbi luxuria, ibi omnis iniquitas. ibid.52
Luxuriosus animam vt corpus reputat. ibid.54
Quilibet à luxuriæ periculo refrænet mentem. 408.22.
Libidinosus luxuria inflammatur, non saciatur. 418.21.
In luxuriam sapiens, & stultus cadunt. 433.49
Luxuria facit hominem sylvestrem, & brutum. 450.79
Luxuria eneruat vires, ac facit imbelles. 496.49. 50.& 51
Luxuria deperditur honor Filij Dei. 503.09

M.

Macula.

MAculas aliquas habet iustus viuens in terra. 560.132

Magister.

Magister suis dictis sit constans. 25.60
Bonus magister aliquando dissimulat ignorantiam, vt doceat. 66.58
Bonus Magister aliquando occultat suorum discipulorum defectus. 87.92
Vide, *Doctor.*

Magnum, seu, *Magna;*

Ex halitu Christi alios, vt magnos cognoscimus. 34.112.
Animi magnitudo nullo opprobrio commouetur. ibid.113
Magnis factis nullus audet contradicere. 55.98
Non inimicus, sed qui sincere vidit tua agnoscit mirabilia. 83.63.64.65
Magna paulatim sunt dicenda. 108.16
Magna virtutum intendamus, & non minimis simus contenti. 117.25.26.27.28
Magna annunciatorem multæ authoritatis requirunt. 170.271
Iustus sua non reputat magna, sed exigua. 179. 50.& 51
Non magni, sed pusilli scandalizantur. 199.4
Ex bona operatione in minimis rectè verificatur in maximis. 233.14
Magna non omni tempori subiacent, secus parua. 247.25
Descendant magni ad minimos, vt ipsi subleuentur. 340.16
Nemo sua dicat magna, sed ab alio dicantur. 25
Vera magnitudo neminem excludit. ibid.24
Homini quælibet res magna, amori omnia parua. ibid.25.26.27
Magnitudo non numerat, ac recenset beneficium. 446.49.
A Deo non parua, sed magna petenda, sunt. 503 97
Fauores Principis dant animum ad magna. 509. 125.
Quilibet sua licet parua magna iudicat. 5. 2. 40. 41.& 42
A magno Domino magna, & non parua petenda. 577.69.70
Magna solum vir magnus, & non paruulus aggreditur. 605.14
Ad difficilia, ac ardua solum magnus ascendit. 606.25
Omnis magnitudo suam habet annexam humilitatem. 607.33
Diuina bonitas magna vult dare. 648.35
Magna cum humilitate socianda. 666.140.141. 142
Qui magna contemnit non recusat relinquere parua. 747.70.71
Magnorum castigatio eruditio est minimorum. 868.31.32.33

Maiestas.

Vna maiestas aliam secum nonpatitur. 155. 167
Homo sine maiestate in quolibet loco. ibid. 168

Maledictio.

Maledici ab impiis laus priorum. 357.127

Malitia.

Malitia nulla euidentia, seu beneficio flectitur. 3.5

Malum.

Mala parata in iustos, in machinantes retrocedunt. 10.56.57.58
Pro malo bonum dandum. 231.8.9.10
Ad malum alicui inferendum nunquam deest instrumentum. 334.142.143.& 144
Malum valde velox in hominem. 339. 13. & 14
Mala, quæ patimur peccatis tribuenda. 342.28. 29.& 30
Deus ex malis multa bona educit. 343.36
Damna ex peccato difficiliter expelluntur. 349. 84
Qui non præuidet mala, damnatur. 403.69
Pro conseruando honore species mali fugienda. 524.12.13.14.15
Per id, per quod impius fugit malum, in illud incidit. 685.41.42.43

Mandatum.

Quæ Christus mandat aliis, prius in se exercuit. 460.13

Mansuetudo.

Mansuetus in fortem, fortis in mansuetum. 272. 12
Multa mansuetudo aliquam dat occasionem ad iniuriam. 326.94.& 799.46

Manifesta.

In manifestis refutandis non commorandum. 324.85

Maria Virgo.

Inuocatio sub nomine Mariæ exauditur. 44. 45
Sic Christus dicitur Filius Dei, vt & dicatur filius Mariæ. 78.31

Celsitudo, ac excellentia Virginis Mariæ à gloria, ac maiestate filij dignoscitur. 133.18.19. & 20.
Maria ex solis radiis diuinitatis potest cognosci. 133.20
Christus multum æstimabat esse filium Virginis. 135.36
Christus gloriatur de natura assumpta ex Maria. 219.2
Mariæ Virginis protectione nutriuntur homines in vitam æternam. 253.64
Vita, & salus cunctis per Mariam communicatur. 661.110.111.& 112
Per mariam ad nos diuina dona veniunt. ibid. 111
Christus valde liberalis erga B. Virg. Mariam 705.62
Ex Mariæ patrocinio salus speranda. 718. 20
Ex Virgine Maria Christus quandam speciem sanctitatis, ac benedictionis vendicat. 750. 91
Per mariam Christus nobis cibus abundantissimus. 761.11
Maria Virgo ad misericordiam velocissima. 897. 41

Martyrium, seu, Martyr.

Martyr, quid significet? 120.43
De martyris morte non dolendum, sed lætandum. 838.61
Pro magno amore Petrus obtat martyrium Ioanni. ibid.63
Corona martyris superat omnes alias dignitates. ibid.64
Sub Antichristo illustrissimi Martyres. 857. 60

Mater.

Mater torquetur in filiis. 23.40

Medicamentum.

Medicamentum proportionetur morbo. 566.4
Vbi morbus, ibi medicamentum applicandum. ibid.

Medium.

Valde execrabile medium vitæ in damnum conuertere. 310.4.5
Iniqui eodem medio conuincuntur, quo conuincere volebant. 328.104
Deus aliquando per oppositа, ac contraria media operatur mirabilia. 347.67.68.& 69

Memoria.

Res agitata altius manet in memoria. 66.57
E memoria excidant bona temporalia. 118.31

Mendax, vel, Mendacium.

Mendacium valde obnebulat veritatem, vt non valeat cognosci. 83.61.62
Homo valde suspectus de mendacio. 252. 61. & 62
Iniqui semetipsos mendaces ostendunt. 257.86
Mendacium submissè, veritas apertè dicitur. 262. 109
Mendacium à mundialibus approbatur. 289. 20. & 21
Magnus sustinet opprobria, non tamen de mendacio arguit. 290 29
Homines mendacia sequuntur, veritatem detestantur. 311. 7.8
Mendacium multos requirit testes. 314. 25
Mundani sequuntur mendacia. 316. 36.37
Euitatio mortis, ac deuastationis Reipublicæ non excusat mendacium. 317. 38. & 39
Christi veritas reiicitur, mendacium approbatur. 319.48
Mendacium multitudine obtegere volunt Pharisæi. 319.49.50
Mendax valde infamis. 328.111
Homines viles non verecundatur de mendacij nota, aliter verò nobiles. ibid. 113
Veritas odiosa Regibus, mendacium plausibile. 360.149
Vnum mendacium multis mendaciis defenditur. 633.68.69
In viro veraci contrarius euentus non suadet mendacium. 547.28
Vbi mundialia negotia, ibi mendacium. 758.46
Plus creditur mendaci danti, quàm veraci exposcenti. 850. 19
Mendax multiplici ore loquitur, verax vno tantum. 859.71

Merces.

Mercedis suspicio minuit beneficium. 588.28
Non in mundo, sed solum in domo Dei est merces. 504 99
Vide, *Præmium.*

Meritum.

Merita extinguunt generis maculas. 22. 32. 33. & 34
Quæ ex merito, & non ex aliorum fauore, valde condecorant. 38.140
Præmium proportionetur merito. 40.159
In Christi schola non attenditur dignitas, sed meritum. 85. 74
Meritum euidens facit honorem collatum plausibilem. 88. 96
Plures ex merito, quàm ex aliqua possessione conuolant ad Christum. 146.110
Sæpè meritum non ex facto, sed ex persona indicatur. 170. 275
Parentum merita prosunt filiis demerita verò obsunt. 178.46
Si meritum fulget inuidia dissipatur. 191. 26
Donum ex meritis gloriosius. 214.34
Præmium non ob amorem, sed merita dandum. 383.121.123.124
Per eadem vnus peccat, & alter meretur. 447. 59.60.61.62
Post hanc vitam non est merendi tempus. 530. 50
Qui præcellunt in merito, præcellant & in præmio. 603.7.8
Deo magis placet meritum, quàm præmium, seu illius possessio. 635.78.79.80
Qui de suis meritis multum præsumit, errat. 637.90
Qui vult gloria sublimari illius merita præmittat. 727.46
Deus requirit nostra merita, vt remuneret. 742. 55
Idem est mereri apud Deum, ac habere præmium. 763.31.32.33.
Obtenta ex meritis in rerum perturbatione persistunt, ex natalitio transeunt, & ruunt. 871.53.54.55
In cælo attenduntur merita, in mundo verò auri nitores. 908.113

Metus.

Metus tacere facit. 461.18.& 19
Vide, *Timor.*

Miles.

Rex suorum militum sanguinem vt proprium æstimet. 834. 36

Minari.

Deus aliquando minatur supplicium, vt veniam petamus. 222. 21. 22. & 23

Summa malitia cum Deus minatur supplicium, non emendari. 809 7. 8. & 810. 9. & 10

Minima.

Ex bona operatione in minimis rectè colligitur & in magnis. 233. 14

Vir magnus tanto affectu dat minima, ac si vniuersa præstasset. 606. 23 & 24

Quilibet sua minima in magnum reputat. 572. 40. 41. & 42

Minister.

Plus valet minimus digitus Domini, quàm tota Ministri manus. 50. 62

Ministri vltra interrogata respondent, vt impedimenta obiiciant. 65. 55

Ministrorum manibus cuncta decrescunt, ac minuuntur. 72. 99 100 & 101

Satiato Ministro crescunt dona, famelico minuuntur. 72. 100

Ministri terreni sunt vt recipiant, omniaque deuorent, ac consumant. 75. 10. 11. 12. & 13

Ministri terreni omnia ex suo emolumento operantur, non sic Dei Ministri. ibid.

Dominationis est multos habere Ministros, paucis verò magna committere. 134. 28. & 445 46

Ministri non sint à Domino separati. 156. 179

Deus cum Ministris timorem incutit. 151. 145. & 146

Ministri nesciunt habere pietatem. 220. 3

Res per Ministros valde rigorosè exercetur. 222. 18

Ministrorum ingenium molestias augere. 226. 47

Manus Ministri exigua, Domini larga. 233 15

Qui mittit Ministrum, cum protegat, ac tueatur. 572. 57

Ministrorum manus cauendæ. 590. 39

Ministri ne sint acceptatores munerum. 411. 30

Multi Ministri ad inferendam famem, rarus qui panem offerat. 445. 44

Pro causa iusta vnus Minister sufficit. ibid. 45

Vnus bonus Minister pro pluribus est abundans. ibid. 47. & 48

Bonus Minister multam pietatem, & misericordiam impetrat. ibid. 48

Magnum negotium Ministro non est committendum. 473. 16

Deus solus, cum Ministris terribilis. 511. 139. 140. & 141

Ministri sæpe legibus pro armis vtuntur. 540. 9

Res per Dominum, & non per Ministros tractanda. 631. 51

Ministri non sunt impediendi in suo munere commisso. 676. 211. & 212

Minister timet ne Regi habeatur contrarius. 684. 33

Reges dent alimenta Ministris, ne ipsi fiant fures. 781. 21. 22. & 23

Omnia bona naufragantur in Ministrorum Manibus. 816. 50

Multa sapientia in ministris eligendis. 833. 32

In Domino salus, non verò in Ministro. 908. 217

Minister cogitat se rationem redditurum. 915. 42.

Miraculum.

Miraculum non operandum nisi ex necessitate. 66. 58

Deus vult vt eius miracula sint omnibus nota sine vlla suspicione. ibid. 60. 61. & 62

Vt miraculum fiat, multum expedit fides operantis, ac recipientis. 175. 24

Fides miraculorum non est distincta fides Theologica. 18. 60

Vbi humana industria valet esse negotiatrix, non sunt quærenda miracula. 580. 14. & 581. 15. 16. & 676. 210

Miseratio.

Sancti de peccatoribus habent miserationem. 471. 9

Miseria, vel, *Miser.*

Miserorum recordantur probi, & non amici. 44. 20

Miseri adiuuandi verbo, & opere. ibidem. 21. & 22

Regis est subuenire miserorum causis, ac rogationibus. 32. 103. & 104

Miseria visa maximè mouet. 45. 25

Pro nostris miseriis gemendum. 51. 70

Aliorum miserias, vt nostras consideremus. ibid. 71

Christus nostras miserias vt suas reputat. 61. 27

Miseria allicit diuinam bonitatem. 174. 19

Propria miseria doctrina ad miserendum. 224. 33

Ex miseria mouetur amor. 508. 118

Iusti vident miseriam non vt contemnant, sed vt subueniant. 511. 137

Societas in miseria leuamen. 545. 41

Propria miseria collata cum alterius felicitate, grauiter augetur. ibid. 43

Miseria cruciatus, ac tormentum quoddam. ibid. 44. 45. & 46

Solus qui sustinuit miseriam, misero scit subuenire. 555. 104. 105. & 106

Miseria erudit, quos abundantia obcæcauit. 562. 146

Dilatatio in miseria valde periculosa. 868. 68

Misericordia, seu, *Misericors.*

Christi misericordia non potest denegare ea, quæ sunt nostræ salutis. 20. 21. & 22

In Dei misericordia pelagus. 22. 35

A munere miserendi pignoratur Deus. 24. 49. 50. & 51

Deus dum minatur supplicia, ostendit viam ad misericordiam. 34. 119

Miseria allicit diuinam misericordiam. 174 19

Grandis culpa de alio plus sperare, quàm de Dei misericordia. 177. 35

Deus aliquando ex pietate minatur supplicia, vt misericordiam petamus. 223. 21. 22. & 23

Ex Domini misericordia, spes veniæ concipitur. ibid. 24

Grati sumus Deo cùm misericordiam proximo exhibemus. 228. 61

Dei misericordia nos expectat. 239. 54

Abundantia diuinæ misericordiæ in nos continua, & perennis. 262. 110

Christi misericordiam vt nimiam notant aduersarij. 274 19

Iesus declinat occasiones puniendi,& quærit miserendi. 276.26
Christus totus ad misericordiam,& non ad iram. 290.27.
Deus vt puniat recedit, nam si videat,miseretur. 336.157
Misericordia aliquando vices immensitatis agit. 528.38
Magna misericordia ordinem non seruat. 636. 85.
Positis peccatoribus maximè Dei misericordia declaratur. 742.34
Nostra miseria prouocatur Deus ad misericordiam. 749.84

Mitis.

Ex Christi tactu omnia mitescunt. 740.24.25. & 26

Modestia.

Christus modestè abscondit sua magnalia. 178. 43
Christus valde modestè de se loquitur. 283.72
Modestia aliquando dat occasionem ad iniuriam. 130 94
Iniquus ex modestia alterius fit impudentior.590 66.67.& 68

Monasterium.

Monasterium Monialium Carmelitarum ædificat Domina Baronissa Domna Beatrix da Sylueira.

Mores.

Ad mores suę iuuentutis quilibet inclinatur.296. 66.67.& 68

Vide, *Consuetudo.*

Mors, vel, *Mortui.*

Si mors contemplatur, mundus contennitur. 120.45
Gustata cælestium dulcedine mors suauit. 130. 99
Pro Deo mors contemnenda. 147.118
Durior mortis timor,quàm illius actualis tolerantia. 150.135& 709.90
Mors glorioſior quàm vita. 162.121
Non maiestas,sed mortis recordatio sit in mente. 163.128.& 129
Magna miseria vt inde quis habeat mortem, vnde poterat habere vitam. 200.82
Mors cum principio vitæ,seu hominis natiuitate coniuncta. 345.51.52.53.& 54
Principium vitæ prægnosticum mortis. ibid.
Mortis memoria valde vtilis.350.90.91.92.& 93
Magnum Dei beneficium, mortis repræsentatio. ibid.92
Ex mortis memoria tota vita componitur. 351. 93
Facilior homini mors,quàm splendoris abiectio. 371.69.& 70
Diabolus mortem à mente fugat. 399.40
Iustus in morte ingreditur lucem, peccator tenebras 402.66
Homo sit præparatus ad mortis horam. 419.16
Cur in manu morientis ponitur lucerna accensa? 22.26
Ex mortis consideratione homo multum crescit perfectione. 416.70
Homo solùm habet ius ad sepulchrum mortis. ibid.
In hora mortis potiùs spes,quam timor. 418.79
Iusti gaudent, & exultant in morte. ibid.81
Sæpe tunc venit mors quando homines magis deliciis indulgent. 423.115.
Mors sæpe inuadit adolescentes in flore iuuentutis. ibid.116
Mors sæpè inopinatè venit. 424.124
Mortis memoriæ puluis magnum medicamentum. 505.103
Mors semper vt præsens cogitanda. 519 41
Ex vniuscuiusque morte vera felicitas censenda. 551.79
Impius in morte ab omnibus deseritur. 550.78
Magna laus Moysis quòd de mortuis recordetur. 551.79
Mundialia bona relicta consanguineis non proficiunt morienti. 556.114.& 115
Post Christum mors vt somnus, ac proinde non timenda, 652.56
Mors requies, & delitiæ. ibid. 57.58.& 59
Ex mortis consideratione odium deponitur. 656. 79
In morte alterius moderatè flendum. 667.152. 153.& 154
Mors semper sit ante oculos. 675.104
Memoria mortis optimus magister vitæ.677.117
Mors iusto pro pace. 696. 4
Mors iustorum, lætitia iniquorum. ibid.5
Mortis consideratio dura,ac pia mors. 709.90

Mortificatio.

Mortificatione Christi hæreditas transfertur. 708. 85. 86. & 87
Mortificatio via ad cœlum. 707.88. & 89

Mulier.

Mulier perditionis causa. 220.8
Mulierum illecebræ potentissimæ. 461.19.20 & 21
Mulier non vagetur per loca publica. 485. 89
Mulier valde efficax ad impetrandum. 704. 59

Multitudo.

Vbi multi,ibid.errores, veritas non nisi vbi pauci. 89.107.108. & 109
Mali multitudine viuere volunt. 820. 12

Mundus.

Separatus à mundo habet robur virtutis. 296.65
Si mundialia expellantur, pax fit conscientiæ iusti. 389.35.36. & 37
Mundiales solum præsentia cogitant. 400. 48
Qui sanus est, vt mundum sequatur; sit & sanus ad Dei obsequium. 453.96
In mundialibus solum delitiarum, gustus. 450. 76
Qui mundum renuntiat,regiam ædificat.465.38. 39.& 40
Vt vincat mundum,exi à tua terra. 467. 45
Gloria mundi breui transit. 550.75
Mundi bona. Vide,*Bona Temporalia.*
Mundialis felicitas parit extremam miseriam. 560.135
Discede à mundo vt Christum habeas. 545.45

Murmuratio.

Maximè tua puritas declaratur, dum calumniator aliunde quærit materiam ad detrahendum. 5.25
Murmurandi ansa amputanda 19.13.& 48.43.
Sæpe ex beneficio concesso murmurandi ansa arripitur. ibid.48
Homines ad murmurandum non attendunt ad virtutes,sed ad defectus. 191.31.32. & 33
Homines cùm non possint murmurare de his, quæ apparent, de intentione volunt opinari. ibid.
Vt murmurationem fugias,fuge ab oculis impiorum. 571.35

Nullo dicendi modo potest homo murmuratorum linguas fugere. 583.29
Murmurator non expectat rei finem, vt calumnias coniiciat. ... 135

Mutabilitas.

Pro maiestatis statu non mutandum. 141.71. & seqq.

N.

Natura.

NAtura cùm deficit, illius Authoris est eam reficere. 343.37

Necessarium.

Magnus error, quòd quis agnoscat id, quod sibi est necessarium, & non exhibeat. 896.34.35
Natura paucis contenta est. 546.47

Necessitas.

Necessitas etiam Deum nolentem quodammodo ad se inclinat. 20.18
Necessitas ei aperienda, qui remedium exhibere valet. 21.24
Solus Deus videt nostras necessitates. 59.18
Christus mouetur à necessitate ad subueniendum. 61.28
Solus Pater suorum videt necessitates. 62.32
Donum in necessitate, valdè gratum. ibid.37
Non est alienum ab Ecclesia in necessitate suos aliquo subsidio adiuuare. 184.78.& 79
Propria necessitas doctrina ad miserendū. 214.33
Necessitate oppressi maximè vniuntur. 233.16. & seqq.
Qui necessitates videt miseretur. 26.388
Necessitas solicitat Dei pietatem. 417.16
Domini, ac regis maiestas pro appendice habent necessitatem. 742.36. & seqq.
Deus non solum dat necessaria, sed etiam quæ sunt ad iucunditatem. 797.32.& 33
Vide, *Miseria*, vel *Miser*.

Negare.

Deus sæpè ex prouidentia denegat sua dona. 491.21
Cui maiora negantur, minora non dabuntur. 163.152

Negligentia.

Ne simus negligentes in Dei obsequio. 595.4
Desides, ac negligentes excluduntur à mensa Christi. 444.37.& 38
Negligentia increpanda. 447.53
Qui inertiæ indulget, in pericula ruet. 855.52
Vide, *Otium*.

Negotium.

In magnis negotiis tempus intercludendum. 223.25
Vbi mundialia negotia, ibi mendacium interuenit. 758.46

Nescius.

Primum locum nescius, & non sapiens occupat. 610.50.& 51
Nescio superabundant coronæ. 433.51

Nobilitas.

Nullus ex humilitate desperet, nec ex nobilitate superbiat. 22.19
Alienum à viro nobili alios ignominia afficere. 39.150
Nobilis de se dicit minus, & supprimit maius. 89.102
Magna nobilitas virtus à maioribus hausta. 139.61.62. & seqq.
Nobilis valdè sedulus ne aliorum defectus videantur. 87.91.& seqq.
Qui alterius abiectione se vult nobilitare, idem est, ac nemo. 255.78
Homines maximè dolent, non si de vitiis, sed si de sua nobilitate arguantur. 302.101
Nobilitas generis boni mores. 306.123
Punitus nobilitetur. 24.151
Nobilis de virtute, ignobilis de exteriori vult magnus reputari. 541.16

Nomen.

Plus res nobilitatur virtute, quàm nomine. 21.28
De nostro nomine, ac fama, quid dicatur, curandum. 76.14
Princeps solicitus sit de suo nomine in absentia. 77.22
Verum nomen imponere ex nutu Dei venit, & non ex hominis ratione. 97.157. & 158
Iniqui sciunt Barrabam, Iesus nomen ignorant. 357.122
Iustus dum suum nomen abscondit, magis manifestat. 411.36
Nomine quis admonetur ad rationem sui officij. 799.4.& seqq.
In actu virtutis nominatur persona, in damnatione tacetur. 544.54
Deus manifestat suam maiestatem non nominibus sed operibus. 911.15

Noua.

Ad rem nouam non statim sine consideratione afficiatur homo. 170.174
Nouitas rerum valdè suspecta. 761.219
Doctrina noua valdè suspecta iudicatur. 174.21
Nouitatem vitæ amat Deus in suis. 744.55
Nouitas valdè à Deo aliena. 80.40
Ob noua antiqua non sunt contemnenda. 147.118

Nox.

Nocte temporalia multa videntur. 448.66.& seqq.

O.

Obedientia, vel, *Obediens.*

OBedientia omnibus armis potentior. 177.182
Deo obediendum, & non hominibus. 159.101 & seqq.
Vbi est Dei imperium, homini non est attendendum. 160.103
Valdè difficiliter datur obedientia homini glorioso, & impassibili. 166.250. & seqq.
Per obedientiam euchitur homo ad diuina. 186.95
Obedientia dat intellectum. 86.80
Qui relinquit Deum propter Deum obediendo salutem habet. 237.40
Obediendum Dominis in licitis. 267.147
Perfecta obedientia statim obtinet præmium. 346.57
Obediens non diiudicat imperium Superioris. 455.106. Et 676.107.& seq.
Obedienti vna vox, seu nutus sufficit. 585.59

Obligatio.

Obligatio officij in Prælato sit infita. 98.166
Multi ob sui vtilitatem omittunt sui muneris obligationem. 283.71.& 72
Qui ob cognationem carnis omittit obligationem sui oneris perit. ibidem

Iniuria ex obligato grauior. 311.6
Homines iniurioſi, qui debebant eſſe obligati. 354.111
Muneris obligatio plus impellit, quàm parentis amor. 47.39
Qui magnis donis eſt obligatus maiora præſtare tenetur. 506.107. & ſeq.
Ex fide ac æſtimatione facta obligatur homo ad magna. 911.11.& ſeqq.

Obliniſcor.

Quæ ſunt mundi, obliniſcamur. 118.31
Magnus obliniſcitur dati, recordatur acceptι. 89. 103 & ſeqq. & 645.16
Deus facilè obliniſcitur iniuriæ illatæ. 326 96
Qui Ieſum habet, de omnibus aliis obliuiſcatur. 463.30

Obſcurare.

Qui alios volunt obſcurare, obſcurantur. 412.47

Obſequium.

Chriſtus ſuorum obſequia in multum appendit. 147.16
Quæ homo aliquando facit ex ſuo commodo, Deus computat in obſequium. 63. 41. & 42
Quæ in Dei obſequium damus, nobis proficiunt. 187.98.& ſeq.
Chriſtus ſuorum obſequia cumulatiſſimè remunerat. 96 148.& ſeq.
In obſequio Dei ne ſit homo dimidiatus, vt Deo, & mundo cogitet ſeruire. 411.40. & ſeqq.
Iuſtus pro præmio habet date Deo obſequia. 417.75
Qui ſanus eſt, vt mundum ſequatur, ſit & ſanus vt Deo præſtet obſequia. 457.129 495.47
In Dei obſequio bona, in mundi ſeruitute mala. 495 47
Quod Deo damus in obſequium, noſtra eſt poſſeſſio. 581.18.& ſeq.
Animus integer Deo offerendus. 607.29.30 & ſeqq.
Suorum obſequia habeat Rex vt præſentia. 611. 57
Obſequia commendantur non ex quantitate, ſed ex animo offerentis. 627.28.& 29
Ex maiori obſequio maior reuerentia. 703.53
Deus humana obſequia rependit diuinis beneficiis. 731.73
Dei obſequio nulla maior gloria. 739.18.& ſeqq.

Occaſio.

Occaſio captanda, ne prætermittatur. 234.20.& 21
Deus dat occaſiones ad ſalutem. 547.54
Ab occaſione peccati exeat homo, vt viuat. 675 198

Occultare.

Occultare aliorum defectus. Vide, *Defectus.*

Oculus.

Oculus benеuolus paſtoris attrahit animum. 378.96
A Dei oculis multus honor. 505.105
Ex iniquorum oculis multa pericula naſcuntur. 171.34
Diuini oculi præſtant adiuuamen, & tutamen. 725 57
Oculus Domini frænum eſt domeſticis ne delinquant. 785.47 48. & ſeqq.

Odium.

Nulla euidentia odium deponitur, aut mitigatur. 134 29.& ſeqq.
Odij fomentum ſingularitas. 142.80
Odium facit, vt magna non videantur. 82.55 & ſeq.
Odium nullo teſtimonio mitigatur. 236 31
Odium facit, vt verba non audiantur. 268.151
Odium virtutem tanquam vitium reputat. 321. 61.62.& ſeqq
Virtus nitens contra odium attenuatur. 406.13
Odium euidentia non mitigatur, ſed magis obdurefcit. 419.19.& ſeqq.
Per odium negotiatur alicuius amor. 460.10
Ex odio in vno reducimus, quod ex amore in alio approbamus. 811.21

Offenſa.

Vide, *Iniuria.*

Offero.

Parentes, qui filios ſuos Deo offerunt multa bona conſequuntur. 473.20. & ſeqq.
Filius Deo oblatus plus prodeſt parentibus. ibid.
Parum eſt offerre Deo omnia membra, ſi cor tibi retineas. 576.63
Homo ſe totum Deo offerat. 138 45
A Dei gratia veniunt munera, quæ ei offerimus. 379 99
Non res oblata, ſed animus offerentis penſandus eſt. 606.21

Officium.

Officium onus, ac baiulatio. 99.171
Obligatio officij inſita ſit in Prælato. 100.176
In alienum officium ſe intromittere ignorantia. 156.174
A dignitate dimittamus animum conſiderationе, & noſtrũ munus adimplebimus. 236.35 & ſeq.
Homo ſuo officio ſatisfaciat, & alios non accuſet. 238.46
Officium non ſit inſtrumentum ad vlciſcendum. 313.77
Offenſa eſt quòd quis in ſuo munere rogetur. 491.19
Miniſter non eſt impediendus in officio commiſſo. 676.211. & ſeq.
Homines maximè ſoliciti de poteſtate ſui officij. 681.17.& ſeq.
In officio cogitet quilibet illius finem, & quòd ab officio ſit deponendus. 783.36.& ſeqq.
Officia danda iuxta vniuſcuiuſque genium, ac conditionem. 914.32

Omnipotentia.

Diuina omnipotentia faciliter omnia operatur. 651.54

Opinio.

Res propter opinionem gratior. 95. 131
Inter varias opiniones veritatem deprehendere difficile. 91.122
Occaſiones malæ opinionis amputandæ. 665.138

Opprobrium.

Vide, *Iniuria.*

Opus.

Alienum à bono ſpiritu aliorum opera explorare, ac ſcrutari. 7.40
Noſtra opera cum Dei auxilio coniungenda. 45. 46. & ſeqq.
Ex vno opere bene facto reliqua ante acta bona iudicentur. 56.100
Solus qui ſincere videt, & non cum odio, tua agnoſcit magna facta. 81. 63. & ſeqq.
Chriſti opera eius diuinitatem indicabant 96.146
Magnus decor propriis operibus, & non alterius fauore prædicari. 106. 9
Authoritas perſonæ multùm facit, vt eius dicta & opera æſtimentur. 139.60
Non operis magnitudo, ſed animus penſandus eſt. 148.125

Opus inceptum perficiendum. 156.175
Sæpe opus non ex facto, sed ex persona iudicatur. 170.275
Ex bona operatione in minimis rectè colligitur & in magnis. 233.14
Nostra opera Deo referenda. 239.54
Dum sumus in hac vita operemur bonum. 345.50
Deus vult vt opera sua sint manifesta. 349.78
Deus à fortioribus vult maiora opera. 360.147
Oratio associata vigiliis valde potens. 385.11
Omnis operatio fiat cum recta ratione. 409.29
Ille censetur Dei filius, qui non vacuus, sed plenus operibus apparet. 513.150
Inuidi bona aliorum opera minuunt. 590.69
Opus crescit in æstimatione ex persona operantis. 612.63
Amor probatur operibus, seu donis. 645.18.19.& 20
Non sunt necessaria verba quando opera testificantur. 653.64 65.& 66
Magno affectu rapitur homo ad opus, in quo est aliquid sui laboris. 670.165
In verbis demissio, in operibus potestas. 674.193.194.& 195

Oratio.

Grata est Deo vis in oratione. 235.25
Ad Deum orandum terrena dimittenda. 306.122
Oratio associata vigiliis valde potens. 385.11.& 386.13
Qui Deum orat pro proximo, etiam pro se orat. 387.20
Deus etiam orationem importunè factam exaudit. 388.29
Deus dissimulat exaudire nostras preces, vt largius concedat. 26.64
Oratio Sanctorum valde nobis vtilis. 27.74
Qui orationi cum humilitate resistit, durus iudicatur. ibid.75
Oratio cum humilitate valde efficax. 31.97.98.& 99
Oratio emollit durè negantem. 36.130
Oratio ex fide multum efficax. ibid.131
Oratio afflicti, ac oppressi valde efficax, vt exaudiatur. 37.137.& 138
Oratio humilis vice omnipotentiæ fungitur. 41.161.& 162
Oratio feruida ita certa de obtinendo dono, ac si iam haberet reuelationem. ibid.163.& 164
Oratio multorum valde efficax erga Deum. 47.40
Orationem multorum veluti reueretur Deus. ibid.
Orandum semoto animo à terra, eleuato in cœlum. 51.68
Vult Deus vt eum exoremus pro donis. 57.7
Per orationem transformamur in Dei imaginem. 141.70
Oratio omnibus armis potentior. 157.182
Deus non grauatur, sed delectatur nostris orationibus. 177.37.& 38
Oratio ieiunio armatur. 176.33
Oratio pro inimicis pretiosus census autibus Iesu. 186.89
Ad rationem confugiendum, in qua sit tota nostra spes. 195.54
Ante tribunal iudex permittat orationem. 214.44
Multorum oratio valde efficax apud Deum. ibid. 49.50.& 51
Deus vult exorari, vt auertat supplicium. 222.21.22.& 23
Deus vult oratione instari. 391.41
Deus non respondet statim orationibus, ne vilescant dona. 391.44
Grandis potentia orationis. ib.45.46.& 47
Orans non solùm sibi, sed etiam aliis impetrat. 491.20
Oratio vt exaudiatur, eleemosyna auxilietur. 537.94
Oratio cum humilitate cælum ad se inclinat. 573.46
Oratio ex crucis, seu pœnitentiæ halitu fit accepta. 576.61
Dei dona petentibus dantur. 50.62
Deus tam velox ad orationem, vt non expectet vocem loquentis. 616.19.& 20
Voluntas orandi multum impetrat. 657.89
Oratio cum lachrymis valde efficax. 668.159.160

Origo.

Oratio impetrat absolutionem delictorum. 222.26
Vide, *Radix.*

Os.

Os eructat quod animus concipit. 541.20.& 542.21.& 22
Iniquitas obturat os, & non sinit loqui. 550.114

Ostium.

Ostium diuitis clamabat contra illum. 547.58

Otium.

Dies otiosa indecora, ac inhonorabilis. 430.34
Christianus sit in operatione, & non in otio. 626.23.24.& 627.25.& 26
Magnus labor quòd quis sit in otio, & non laboret. 651.52
Qui non proficiunt, otiosi. ibid.55
Otiosi non possunt expectare dignitates. 711.166
Otiositas omnium malorum causa. 629.38
Otiositas peruersior omni alio crimine. 806.89
Qui Deum otiosum fingebat, idem est ac si neminem esse fingeret. 871.50

P.

Palatium.

Vide, *Aulicus.*

Parens, vel, *Pater.*

PAter durissimè torquetur in filij pœna. 23.41.42.& 43
Solus Pater suorum videt necessitates. 62.32
Singularis præstantia non ex parentibus, sed ex propria virtute cognoscit. 835.41.& 42
Ira patris in misericordiam, ac benignitatem conuertitur. 514.7.8.9.& 10
Qui de parentibus se iactat, vacuus est virtute. 303.106
Auersio à parentibus suadentibus contra Dei legem. 461.18
Pater filio non solùm sua, sed etiam suam authoritatem communicat. 512.144
Patris est dissimulare filij crimina. 518.180
Magna miseria quòd pater filium damnet. 553.92

Particulare.

Deus sedens agit de bono communi, pertransiens de particulari. 338.6.7.& 8.

Parum, seu, Parum.

Homo sua licet parua in magnum appendit. 572. 40.42.& 42

Passio, seu, Pati.

Pati, & Deum sequi, magna fides. 33.106

Qui patitur aduersa, sit magnorum dignus. 362. 156.& 157

Qui patitur aduersa, Deo placet. ibid.

Pro Christo pati magna merces, & præmium. 621.119.120.& 121

Passio Christi.

Post Christum passum omnes labores breuissimi. 862.91.& 92

Simens à Christo passo recedit, statim prolabitur in peccata. 112.43

Passio Christi via ad salutem. 114.5

Christi passio ad nostram salutem non eget consortio, ipsa solum abundantissima. 133.8

Christi gloria non datur sine passione. 156. 180

Christus non patiebatur, vt passio eius impediretur. 170.272

Tempus mortis, peculiare tempus Christi. 247 23

Christus noluit gloriam, nisi per passionem. ibid. 24

Dies mortis, dies festus Christi. 248.33

Qui Christi passionem imitantur per paradisi portam intrant. 364.11

Sub Christi passione optima occasio ad obtinenda salutaria. 702.43

Christi passione inflammantur animæ ad cælestia. ibid.44

Tempore passionis Christi de dignitate non est cogitandum. 707.76

Christi passione omnis noster labor emollitur. 709.91.92.& 93

Passio Christi contemplanda. 762.21

Pastor.

Boni pastoris conditiones. 363.3

Bonus pastor quotidie sit paratus animam dare pro ouibus. 371.47

Bonus pastor suo exemplo inuitat ad martyrium. 373.63

Bonus pastor etsi mortuus, tamen orationibus suos protegit. ibid.65.66.& 67

Pastor non quærat sui honorem, sed gregis commodum. 374.71.72.& 73

Mors pro ouibus valde opportuna pastori. 375. 73

Apostoli pastores. 376.79

Ante Christum veluti oues sine pastore. 381. 114

Pastor culpam ouis in se transfert. 477.45

Patientia.

Magna patientia necessaria ad sustinendam repulsam in petitione iusta. 26.66

Patientia erga Deum non indiget aliorum suffragio. 37.134

Patientia in pressura diuinitatis quædam testificatio. 162.219

Patientia Christum verum Deum demonstrat. 302.94

Patientia Iesu mire inter opprobria. 327.98

Præclara magnitudo ostendit patientiam & non supplicium. 335. 149

Patientia in iniuriis via ad salutem. 578. 73

Ex patientia alterius sæpe iniquus fit impudentior. 590.66.67.& 68

Patria.

Bonus ciuis honor patriæ. 131.1

Patriæ deuastatio magnus dolor. 799.40

Paulatim.

Paulatim eundum, & non immediatè de extremo ad extremum. 145.84

Paulatim ad suprema virtutum eundum. 408.23. & 811.21.22.& 23

In perfectione paulatim eundum. 465.36.& 37

Paulatim ad magnas dignitates eundum. 614. 71

Paulatim ad magna procedendum. 669.164

Paupertas, seu, Pauper.

Pauperum causam Deus suscipit. 10.54

Ex pauperum misericordia Deus propitius. 275. 25.

Pauperi dona largiri signum diuinitatis. 358. 131

Homines venerantur potestates, pauperes contemnunt. 361.150

Durior pœna in immisericordem in pauperes, quàm in ambientem Dei honorem. 402.62

Pauperi quod datur, multiplicatur. 416.7.8.& 9

Solùm ante oculos Iesu sunt pauperes. ibid.10

Pauper nullum habet locum in domo Principis. ibid.11

Reges vestiuntur de sanguine pauperum. 540.13

Paupertas cruciatus, ac tormentum quoddam. 545.44.45.& 46.

Diuites negant cibum pauperi, & dant brutis animantibus. 547.57

Paupertas veluti quoddam purgatorium. 748. 61

Pauper in alto sublimatur loco. 549.66

Deus quodammodo transfunditur in pauperem. ibid.

Cælum pauperum est merces. ibid.67.68.& 69

Diuites quærunt homines, pauperes fugiunt. 552.90.& 91

Diuites pro suis delitiis solùm res pauperũ quærunt. 554.101

Qui pauperi negauit guttam, negatur ei mica 555.108

Vir crudelis in pauperes damnatur. 560.133

In paupertate maior dulcedo, quàm in diuitiis. 620.113

A paupere honorari iniuriam putant homines. 718.22

Pax.

Pax cum malis durum bellum. 101.187.& 188

Melius est bellum, quàm iniqua pax. 119.35.36. 37.& 38

Peccator.

Peccator sub obscuritate, ac frigore versatur. 15. 85.& 84

Peccator surdus, & mutus 44.14

Peccator tanquam iumentum obcæcatum in suis vitiis. 800.80

Peccator publicatus amittit pudorem, & nullum scelus respuit. 210.21.22

Nullus peccator de venia desperet. 221. 13

Peccator seruus. 222.16

Peccator se reputet indignum accedendi ad Deum. 231.2

Peccator quocunque vadat, semper secum fert suam malitiam. 240 59.60.& 61

Peccator peccati seruus. 304. 113.114.& 305. 115.116.& 117

Homo vt seruus peccati, multis peccatis succumbit. 304.114

Peccatores inconstantes. 310.59
Peccatorem inueteratum reformare solius Dei est. 344.39.40.41.& 657.90
Peccator stolidior bestiis. 449.74
Peccator non vni iugo, sed multis subditur. ib. 75.
Peccator vitam porcinam agit,& non satiatur vt porcus. 497.56
Peccator dum quærit delicias,inuenit amaritudinem. 498.62
Peccator quærat veniam, iustus delicias. 502 91
Peccatori recenter conuerso leuis pœnitentia imponenda,ne deterreatur. 503.93.94
Insensibilia clamant,& accusant peccatorem. 525. 18
Miser peccator audacius peccat quando pœna impendet. 532.62.63
Deus peccatores diuitiis implet,vt eos gratos faciat. 540.12
Torquentur peccatores per quæ peccant. 543. 35
Quilibet peccator bene operando potest saluari. 585.41
Deus in peccatore non odit naturam, sed peccatum. 804.72.& seqq.
Peccator inter iustos apparens damnatur. 807. 97
Contra peccatores omnes Creaturæ insurgunt. 867.25.& seqq.
Insensibilia accusant peccatores. 872.59.60

Peccatum.

Peccatum leue, seu veniale ad grauia peccata disponit. 640.109
Peccatum crudele venenum, ab eo fugiendum. 670.167
Ex vno peccato tanquam ex radice alia prodeunt. 739.16
Authori peccati tribuuntur omnia flagitia. 754 23.24
Peccata vincula sunt peccatori, quibus ligatur. 807.92.93
Homo peccando immutat naturam, inde merito contra eum natura immutatur. 869.38
Quod fuit fomentum peccati,erit & pœnæ. ibid. 33.40
Vnum peccatum aliud grauius secum trahit. 15. 86
Cum vno peccato veniunt multa peccata. 18. 101.102
Electi sic cadunt,vt videant malitiam peccati,ad quam iniqui caligant. 167.257
Ex vno peccato labitur homo in alia. 174.20 & 21
Peccatum grauissimum pondus. 184.79
Peccati vbi est gustus ibi & pœna. 200. 81
Peccati radix euellenda. 203. 103
Peccatum vnius omnibus nocet. 208.7. & seqq.
Qui de peccato non erubescit grandi supplicio afficitur. 210.22
Minora peccata gradus ad maiora. 212.38.39
Peccata nos accusant coram Deo. 220.3
Quanta sit grauitas vnius peccati mortalis. ibid.5
Vnum peccatum aliud gratius parturit. ibid.10. & seqq.
Peccata multa mala inferunt. 222.20
Reincidentia in peccatis maiorem iram Dei excitat. 250. 70. 71. 72. & 755. 21. & 758. 45
Peccata contra religionem indelebilia manent. 278.41
Ex astantibus aliquando minus apparet peccatum. 279.50. & seq.
Facilius remittitur peccatum, quàm illius relapsus. 285.89.90
Homo absoluendus,peccatum verò condemnandum. 286.91
Peccatum proprium facit obmutescere. 313.21 & seqq.
Homo cognoscat sui peccati grauitatem. 315. 31
Peccatum ex circunstantia templi,ac loci grauius. 337.161.& seqq.
Peccata multum vigilant in hominem. 339. 14
Mala, quæ patimur, peccatis tribuenda. 342. 18.& seqq.
Peccata inueterata à solo Deo expelluntur. 344. 39.& seqq.
Faciliter peccata recentia, difficiliter inueterata expelluntur. ibid.
Damna ex peccato difficiliter expelluntur. 349. 84.
Peccatis inueteratus difficiliter renouatur. 423. 120
Per ea aliquis peccat, per quæ mereri poterat. 447.59. & seqq.
Peccatores non considerant Sanctos quales sunt, sed quales fuerunt. 472.12
Cùm vnus è congregatione peccat, omnes periclitantur. 475.31. & seqq.
Peccatum per pœnitentiam sic deletur,ac si nunquam fuisset. 483.78
Per quæ quis peccat,torquetur. 494. 39
Non est huius temporis omni peccato carere. 483.85
A quolibet puluere peccati mundanda anima. 486.92.& seqq.
Peccatum semetipsum manifestat, & declaratur. 525.19. & seqq.
Peccata publica punienda,occulta verò dissimulanda. 527.32 & seqq.
Quilibet suorum scelerum, ac peccatorum formam refert. 631.56.& seqq.

Pecunia.

Pecuniæ cupiditas impedit in cœlum ascendere. 134 24
Propter pecuniam & aurum,nullus admittitur in regno Christi. ibid.27
Pecuniæ amor longe à Christi discipulis. 182 76
Pecunia mater luxuriæ, anaritiæ, ac inanis gloriæ. 185.85
Spoliatio pecuniæ hominis martyrium, & priuatio vitæ. ibid.88
Pecunia sua homo sibi emit labores. 449.75
Pecunias contemnere non est hominis huius vitæ. 758.50
Valde mirabile quod homo pecuniam manibus habeat,& non coinquinetur. 917.54

Perdere.

Decus gregis quod nulla ouis sit deperdita. 476. 36
Perdita meliora videntur. ib.57
Perditio approximante remedio lachrymas excitat. 715.4

Perfectio.

Nullus in hoc sæculo perfectus. 263. 118

Status perfectionis multa consideratione sumendus 465.35 465.35
Iesus cunctis dat perfectionem. 722.12.13
Vide, *Virtus*, & *Paulatim*.
Periculum.
Christus corroborat fidem discipulorum, ne in periculo fluctuet. 139 59.
Periculosè agit homo cùm suo consilio regitur. 490.14.& seqq.
Generosus animus periculo solum se offert, in mercede verò pro omnibus loquitur. 605.17. & 18.
Ex curiositate periculum. 609. 47
Pericula præuisa tolerabiliora. 647.25
Pro amico pericula contemnenda. ibid.
Qui periculo semel liberatus est, caueat ne si iterum labatur, pereat. 855.54.55
Perplexitas.
Perplexitas pendulæ expectationis maximè torquet. 874.71
Persecutio.
Persecutione iniquus ex sua ignauia perit, iustus vero proficit. 202.93
Non est verum bonum sine impugnatione. ibid. 94 & seqq.
Christus persecutiones peroptabat. 282.65
Persecutione pascitur grex Christi. 371 49
Persecutione oppressus nitet. 410.52
Persecutio pro Christo est substentatio, & leuamen. 622.121
Perseuerantia vel, *Perseuerans*.
Perseuerantia tantum promeretur vt non alium, sed solum Deum habeat protectorem. 59.19
Perseuerantia omnia impetrat. 392.48
Perseuerandum in Dei lege, ne vnum mandatum transgrediaris. 63.75.76
Non quod populi, sed seniorum consilio introducitur perseuerat. 77
Actus virtutum, qui non perseuerat, vix æstimatur apud Deum. 905. 96
Persuadere.
Austera non inter oblectationes, sed in statu pœnitentiæ persuadentur. 154.164
Petere, seu, *Preces*.
Petens venit adorans. 24. 47
Animus afflictus non indiget precibus erga Deum. ibid.53. & seqq.
Deus vltra petita concedit multa. 31.100. & 159 198. & 183.83. & 237. 39. & 292.50.51
Homo non sit importunus petitionibus, ac intercessionibus. 60.22.& seqq.
Sæpè homines quæ sunt sibi deteriora petunt. 155.171
Multoties annuitur petitioni in pœnam. 429. 17
Offenditur liberalitas cùm aliquid petitur. ibid. 18
Deus sæpè ex prouidentia denegat postulata. 340. 21
A Deo non parua, sed magna petenda sunt. 28. 97
Deus velociter exaudit nostras preces. 506. 112. & seqq.
Viro ingenuo valde durum petere. 530.53.54.55. & 705.64
Repulsa in precibus satis dura. 545.48
Qui negat dare sua, erubescat ab aliis petere. 553.93
Crudele tormentum in precibus habere repulsam. 555.110. & 712.116. & seqq.
Si negas postulatum, da verbum bonum. 559.127
A magno domino magna, & non parua petenda sunt. 577,69 70
In precibus multiplex allegatio, ac exoratio generat negationem. 645.15
Vir prudens postulat, & modum in donis non assignat. ibid.15
Qui petit semper iudicat parum petere. 701. 39
Pro aliis petere dat confidentiam. 703.52
Qui petit verecundia afficitur. 705. 63
Deus nos prouocat ad petendum ab eo beneficia. 716.32.33
Qui excessiuus est in petendo principatum deponit. 772.83
Cùm aliquid petitur ab alio reuerentias ei non debitas damus. 903.78.79
Petens non ostendat indigentiam extremam, vt assequatur postulatum. 906. 97
Petrus.
Petrus primus clarè, & distinctè cognouit Christum Filium Dei naturalem. 92. 128
Petrus, & eius successores Romani Pontifices Ecclesiæ fundamentum. 95.145.
Sola Dei sapientia potest Petri laudes euulgare. 96.147
Magna Petri laus quod à Christo nomen impositum habeat. 97.156
Declarata fide Petri Christus de sua morte agit. 99.168
A fide Petri decus & honor Ecclesiæ. ibid. 169.
Fides Petri mundum illuminauit. 99.170
Super lachrymas Petri fundatur. Ecclesia. 100. 174.
Petrus ob amorem in Christum eligitur Pontifex. ibid. 177
Petrus feruidus amore in Christum. ibid.177 & seqq.
Petrus constituitur Christi Vicarius in pontificatu, & amore. ib. 177.179
Omnes tres Diuinæ personæ conueniunt ad Petrum condecorandum. 101. 189
Magna Petri potestas. ib.191
Petro cum Domino in dignitatis munere aliqualis conceditur comparatio. 103. 196. 197
Petri potestas in omni Ecclesia. 104.201.203
Venerandus D. Petrus ob suam magnam potestatem. lib.205
Etsi Petrus persuadeat, vt Dominus de monte non descendat, tamen postea cùm descendit pro eo pugnat. 152.149
Petri humilitas in suis manifestandis defectibus. 158.188
Petri humilitas in suis abscondendis honoribus. 186 94
Petri exigua pro magnis ab aliis reputantur. 192. 18
Petri confessio radius orbis. 86. 81
D. Petrus suas laudes tacet, suas ignominias diuulgat 91.116
Christus Petro concessit quandam veluti societatem in animarum solicitudine. 102. 180
Petrus solus se periculo obiicit, in præmio verò pro omnibus agit. 605. 17. 18
Pœna.
Aliquando homines plus mouentur pœna corporali, quàm spirituali. 199. 78
Obiurgatio culpæ pars pœnæ. 217. 57
Plus deturpat culpa, quàm pœna. 228. 62. & seqq.

Qui beneficio non proficit pœna dignus. 219.65
Pœna semper concomitatur iniquum quocumque vadat. 240.59.& seq.
Magna pœna in omnium oculis puniri. 806.86
Quod fuit fomentum peccati, erit & pœnæ. 727.40

Pœnitentia, vel, *Pœnitens.*

Pœnitens innocentibus anteponendus. 164.133.134.& 481.66.& 783.75.76.77
Plus conceditur ob pœnitentem, quàm ob innocentem. 150.134
Pœnitentia à peccatis liberamur. 219.79.& seq.
Per pœnitentiam redimus ad antiquum gratiæ decorem. ib.111
Per pœnitentiam acuitur visus. 349.80
Pœnitentia sic mundat, ac si delictum non præcessisset 368.29
Deus dat locum pœnitentiæ. 404.75.76. & 452.91
Valde difficilis in senectute pœnitentia. 423.119.& 120.
Pœnitentes non cum rigore, sed leniter tractandi sunt. 547.57.& seq.
Deo aliquando charior pœnitens, quàm innocens. 483.75.& seqq.
Peccatum per pœnitentiam sic deletur, ac si non fuisset. ibid.78
Nostra pœnitentia Dei gaudium. 484.81.82
Pœnitens aliorum minimam virtutem maximam reputat. 499.70.& seqq.
Pœnitentia acuit oculos ad diuina contemplanda. 500.74
Peccatori recenter conuerso leuis pœnitentia imponenda, ne deterreatur. 503.93.94
Pœnitentia omnia damna restaurat. 507.116.& 124
Pœnitentia sic delet peccata, ac si nunquam fuissent. 511.138.
Deus multis donis extollit pœnitentem conuersum. 512.175
Deus cunctatur in pœna inferenda, vt det locum pœnitentiæ. 518.37
Pœnitentia occultanda. 541.19
Pœnitens non alienam manum, sed suam quærit ad pœnitentiam. 555.107
Pœnitens ex suis peccatis verecundetur. 573.45
Peccator per pœnitentiam renouatur. 580.8

Populus.

Populus aduersus frangit animum. 14.77
Populus sequatur pastorem suum in fide, & doctrina. 87.89

Potentia, vel, *Potens.*

Potestas ad nocendum aduersariis valde periculosa in homine. 204.199.200
Magna potestatis excellentia omni potestate non vti. 181.61
Nec semper omni potestate vtendum. 724.28

Pietas.

Solius Dei est habere pietatem, & clementiam. 79.627
Ad pietatis opus diligenter eundum. 211.32
Pietas Christiana non solum offensas, sed & offendendi potestatem superat. 218.71
Magna Dei pietas erga nos. 385.7
Iustus etiam post mortem sua antiqua pietatis opera exercet. 373.65
In Rege plus splendeat pietas, quàm generositas. 594.10

Pietas Dei, seu, *Christi.*

Vide, *Misericordia*, & *Benignitas.*

Præceptum, vel, *Præcipio.*

Violatione vnius præcepti tota iustitia deperditur 42.8
Efficacius trahitur bona indoles voluntate, quàm præcepto. 116.15
Vltra præceptum aliquid addendum. 117.28
Præceptum intimandum cùm animus sit quietus. 169.267.
Importabile præceptum cùm quis præcipit, & non facit. 832.24.& seqq.

Prædestinati.

Numerus prædestinatorum nulla vi potest minui. 474.29.30
Nullum maius impossibile, quàm quòd aliquis ex prædestinatis pereat. ibid.30

Prædicator.

Prædicare adeo est sublime, vt non hominis, sed Dei munus videatur. 85.77.& seqq.
Prædicatio non est committenda nisi viro docto, & scienti Scripturas 106.6
Prædicator accommodet se loco, & tempori in doctrina danda. 115.12 & seqq.
Prædicator non solum verbis, sed etiam factis docear. 164.236.237
Prædicare res difficilis. 251.46
Punguntur prædicatores applausum quærentes. 253.66
Prædicatoris doctrina potius ex corde, quàm ex ore procedat. 264.126
Prædicator veritatis sine timore. 292.39
Plus doleat prædicator de doctrina non audita, quàm de vita perdita. 316.33
Qui prædicat pœnitentiam habeat vestem pœnitentiæ. 409.28
Prædicatores fulminent contra omnem iniquitatem. 412.46
Prædicator reprimat incontinentiam, vt ardeat doctrina. 413.51.& seqq.
Priùs prædicator amputet appetitus suos, vt habeat doctrinam. ibid.
Inter prædicatores Euangelicos multa vnitas, & concordia. 445.43
Nouus prædicator semper multum applaudibilis, & maximè auditur. 562.150
Prædicator Euangelicus accommodet se auditoribus, sit rigidus, & lenis prout occasio postulet. 798.35.& seqq.
Prædicator aliquando virtute suggesti dicit verum. 835.40
A prædicatore apprehendo bonum, fugo malum. 829.11.
Aliquando à malo Doctore venit bona doctrina. ibid.12.13
Malus concionator agit de scientia, & non de conscientia. 830.15.16

Prælatio.

Vide, *Anteponere.*

Prælatus.

Plus valet minimus digitus Prælati, ac Domini, quàm tota ministri manus. 50.62
Prælatus cogitet se alteri subiectum. 97.155
Prælatus subditorum baiulus. 98.161
Prælatus suis sit præsens. ibid.165
Prælatus bona sua non in se contineat, sed in subditos diffundat. ibid.
Prælatus suis obsequatur. ibid.
Prælatus in sui præsentia non faciat sui Vicarium. 102.189

In Præſule ſit ſcientia diſcernendi. 103.193
Prælatus ſua dona multis communicet. Vide, *Communicare.*
Prælatus cum blandis det verba rigoris. 111.53
Prælatus accommodet ſe loco, & tempori, 115. 12.& ſeqq.
Prælatus cuncta videat, ſuorum tamen cooperiat defectus. 145.97.98
In Prælato iuſtitia, & pietas. 148.120
Prælatus, qui ſua propria commoda intendit, in ſua luce obfuſcatur. 160.208
Valde difficiliter obeditur Superiori ab æruminis,ac laboribus immuni. 166.250.251
Prælatus ſpeciales fauores abſcondat. 170.273
Prælatus lenitate,ac ferro ſubditos coerceat. 184. 80
Prælati eſt ſubditorum onera ferre. 186.96
Prælatus pro ſubditis dabit rationem. 220.7
Prælati reſidentia, ſeu præſentia neceſſaria. 367. 24 & ſeqq.
Sine Prælato præſente pereunt oues. ibid.
Prælatus pro ſuis ſe periculo exponat. 371.62
Bonus Prælatus ſuos exemplo inuitat ad martyrium. 373.63
Prælatus potius doceat opere, quàm verbo. 374. 48
Prælatus ſe offerat morti pro ſubditis. ibid.72.& 375.73.74.& 650.47.48
Damnandus Prælatus, qui ſolum intentat honorem à ſubditis. 375.75
Prælatus ducitur ratione,& non affectu voluntatis. 379.103
Prælatus qui non punit delictum, illius reus ſit. 376.82.& ſeqq.
Prælatus ſua prouidentia ſit præſens in tota diœceſi. 380.105.& ſeq.
Prælatus etiam improbus audiendus,& obediendus. 382.116.117
Prælatus, ac princeps nouus multum delicatus qualibet re offenditur. 365.12
Prælati ſibi, & aliis fulgeant. 412.46
Prælatus conſtituitur vt ſeruiat,& miniſtret. 420. 95.& ſeqq.
Iniquus Prælatus plus diligit ſuum animal,quàm ſubditum 432.46
Prælatus in omni ſublimitate cognoſcat ſe eſſe hominem. 459.8
Homines volunt prælaturam,quia ignorant illius labores, ac fatigationes. 448.64
Prælatus culpam ſubditi in ſe transfert. 487. 102
Prælatus plus æſtimet ſubditum, quàm omnes alias res. 507.116
Prælatus non ſtatim credat rebus auditis. 526. 24
Prælatus non vtatur priuata ſcientia, nec ſicut ipſe imaginatur. ibid.
Sedes Prælatorum domicilia laborum. 613.67
Prælatus nec ſemper dinumeret ſubditorum greſſus. 481.6.& ſeq.
Prælatus nec ſit importunè præſens, nec diu abſens. ibid.
Prælatus durum ſibi,lætum ſuis ſe exhibeat. 487. 102
Prælatus non ſemper inſtet ſuper ſubditos. 634. 71
Prælatus prius in ſe ſentiat quod in aliis efficere intendit. 659.101
Prælatus vnum moneat verbis,omnes verò exemplo. ib.102.
Prælati ſubditorum onera leuent. 670.169
Prælatus maximè ſollicitus de iuriſdictione ſui officij. 681.17.18
Prælatio inter æquales res valde dura. 714.123
Cùm Prælatus de ſe non agit magnos fructus facit. 763.25
Prælatus vt fructus faciat ſe debet euiſcerare, ac ex ſubſtantia diminuere pro ſubditis. 763.26. 27.28 & 829.68
Prælatus non viuat de alieno ſanguine. 762.29
Prælati auidi vt tucantur ſuam iuriſdictionem. 784.41.42
Prælati ſciant ſe eſſe homines. 705.17.18.19
Prælatus vrbanè agat cum ſubditis. 797.28
Bonus Prælatus in domeſticos,& extraneos. 839. 7
Prælatus etſi pro ſe periculum fugiat, non verò pro ſubditis. ibid.70.71
Vide, *Rex & Accommodare.*

Præmium.

Magis alliciuntur homines præſenti præmio, quàm futuro. 622.126
Chriſtus remunerat, ac dat præmia ex propriis, Reges ex alienis. 616.86
Viro magno labor præmium eſt. 632.62
Merita ante præmium. 727.46
Qui Sanctorum præmia vult tenere, eorum merita imitetur. ibid.47.48
Præmium certum ob mortem ex Dei amore. 755. 31.& 756.32.33
Præmium ſi non reſpondet, idem eſt ac nihil. 765.39.& ſeqq.
Dies feſtus in quo iuſtus præmiatur, & iniquus mulctatur. 803.66
Præmium proportionetur merito. 40.159
Deus numerat dies noſtri obſequij ad præmium. 63.39.
Dare præmia benemeritis non eſt huius ſæculi. 128.86
Iuſtus per meritum facit ſuum præmium. 129. 92
Valde rarò inter homines datur præmium. ibid. 95
Digni ſic præmientur, vt aliorum inuidia euitetur. 136.38
Præmio propoſito animantur diſcipuli à Chriſto. 139.57.& 301.98.& 610.54.& 611.55.56.
Præmio conſeruis dato alij animantur. 147.106. & 148.119
Aliorum præmium viſum acuit animos. ibid. 119
Præmium aliis datum maximè nos impellit ad opus. 154.161
Præmium non obtinetur ſine meritis. 157.183
Præmium ex meritis. 610.50
Præmium dandum non ob amorem, ſed ob merita. 383.122.& ſeqq.
Magnorum, ac perfectorum eſt ſeruire ſine præmio. 407.17
Dare ſuis præmium Chriſti gaudium. 418.82. & 83
Præmia ex iuſtitia honorant. 421.101
Operati non propoſito præmio multam mercedem promeretur. 515.161.& 636.88.89
Vbi plus eſt laboris, maius eſt præmium. 515. 162
Primo alliciuntur iuſti, & ſupplicio aliorum deterrentur à malis. 566.6.7.8
Vide, *Liberalitas, Remuneratio, Merces.*

Præsentia.
Ex Dei præsentia multa bona. 71.94
Præsentes, ac viuos contemnimus, mortuos & absentes veneramur. 44.45.& 46
Ex Dei præsentia timor. 165.241
Præsentia viri sancti, iniquos arguit, & increpat. 209.14
Si homo se cogitat in Dei præsentia, compositè viuet. 236.51
Dei præsentia omne malum fugitat. 257.41
Ex Christi præsentia omne bonum. 264.122. & 123
Ex Christi præsentia vitia destruuntur. 292.43. & 44.
Ex Christi præsentia bos fit Cherubim. 365.15 & 16
Prælati præsentia necessaria. 369.24.& seqq.
Bonus pastor sit præsens in tota sua diœcesi, eiusque præsentia multum necessaria. 380.105. & seqq.
Mundiales solum præsentia cogitant. 420.48
Cogitet se homo in Dei præsentia,& non peccabit. 427.13
Præsentia Principis confert dona, quæ illius absentia negat. 576.38
Prælatus nec sit importune præsens, nec diu absens. 481.67.& seqq.
A Christi præsentia fugiunt dæmones. 512. 146

Præsumptio.
Quilibet ex se de aliis præsumit. 157.186.& 246. 18.& 19
Quilibet de se præsumit esse meliorem. 170.276. & 27.
Deterior multùm de se præsumit super cæteros. 386.15.& seqq.
Sæpe quis inde humiliatur, vnde se præsumebat exaltari. 217.65
Malus ex se præsumit de aliis. 294.55
Fallitur homo in præsumptione. 403.69
Qui de se non præsumit, dignus iudicis cathedra. 616.89.
Vide, *Iudicare.*

Primus.
Primus in aliqua virtute condemnandus. 40.158. & 92. 117. & 132. 14.& 148. 123. & 835.43. & seqq.
Homo vul primatum ambire. 109.25
Primus qui inter cæteros subiit iudicium in magno periculo versatur. 16.14.& 15

Princeps.
Benignitas in Principe primas habeat. 146. 131.
Principis error populum ad se trahit. 81.51
Princeps non reuocet donum. 228.60
Princeps suorum operum det satisfactionem. ibid.
Princeps nouus multum delicatus. 486.12
Nomine Principis indignus, qui beneficia in particulares deriuat. 439.6.& 7.
Principis consilium, ac voluntas firmatur ab omnibus. 481.96.70.&71
Principatus inter æquales res dura. 714.123
Bonus Princeps in honore cedit aliis, non verò in morte. 325.43
Principum fauores dant confidentiam. 108.20

Procurator.
Procurator alicuius negotij sua amplificat, 610.49

Proficiens.
Proficientes in via salutis cogendi sunt, vt à temporalibus abhorreſcant. 148

Promissio.
Dominus celer in promissis adimplendis. 139.1
Infallibilis diuina veritas in suis promissionibus. 159.100
In magna promittente requiritur multa potestas. 132. 14
Promissis, ac minis non ducit Iesus. 214.48
Dei liberalitas citius indulget donum, quam videbatur promissum. 237.42.& seqq.
Promissio non sit de futuro, sed danda est statim. 655.63
Homo adimpleat promissum, & non desit in verbo dato. 904.83.& seqq.

Prophetia.
Impius vaticinatur suis ruinam. 685.39

Propositum.
Sæpe homo proposito, & non opere transit vitam. 410.33.
Proposito, ac voto adiungendum est opus. 523.20. & seqq.
Vir magnus laudatur non ex proposito, sed ex opere. 39.22
Valde detestabilis, qui virtutem concipit in proposito, & non exequitur. 855.46.& seqq.

Proprium.
Homo plus sollicitus de propriis, quàm de Dei rebus. 6.30.& seqq.
Propria suauia, aliena grauia. 122.57
In causa propria quilibet decipitur. 211.38

Prosperitas.
Iustus æquo animo in aduersis,& prosperis. 196. 55
In prosperitate ruina, in bello victoria. 202.95. & seqq.
Post prosperitatem aduersitas. 287.12.& 13
Elatio prosperitatis ruina lapsus. 560.136
Difficilis virtus in prosperitate. 455.104
Prosperitas auertit à Christo, ad quem labores ducunt. 675.205
Vide, *Felicitas.*

Prouidentia.
Dei prouidentia nos custodit à dæmonis machinatione. 174.19
Diuina prouidentia super omnem humanam sollicitudinem. 563.151.
Diuina prouidentia vsque ad minima se extendit. 625.14
Diuina prouidentia valde sigillatim ad omnia se extendit. ibid.15
Deus gaudet cum homini prouidet. ibid.16

Proximus.
Quilibet proximi iniuriam vt suam reputet. 208.4
De proximi salute agendum. 211.30
Grati sumus Deo cum misericordiam proximo impedimus. 228.61
Deus proximi offensas magis punit, quàm suas. 230.69

Prudens, vel, *Prudentia.*
Prudentia opprobrium vertit in sui augmentum. 34.114
Nostræ actiones, nostræque virtutes cum prudentia sunt ditigendæ. 50.63.& seqq.

Puer.
Puerorum candorem, ac simplicitatem multis nobis commendat Dominus. 195.47.48.49. & 50

Pudor.
Perfectum beneficium parcit pudori. 210.19

Qui amittit pudorem, nullum scelus respuit. 222. 21. & 22

Punire.

Cùm Deus punit, se ipsum abscondere videtur, 190. 18. & 19

Iesus declinat occasiones puniendi, & quærit indulgendi. 175. 26

Qui alios punit, expers sit à crimine. 280. 58. 59. & 60

Punitus nobilitetur. ...151

Ad puniendum multæ creaturæ, vnus solus Iesus ad salutem. 614. 75

Vide, *Supplicium.*

Puritas. 195. 50

Puritas via ad cœlum.

Q.

Quærere.

A Quærentibus eum Dominus inuenitur, & non absconditur ab eis. 20. 16

Christus prior sua gratia nos quærit. 578. 97. & 98

Deus quærit homines, non verò ipsi Deum. 416. 68

Munus Christi quærere peccatores. 471. 7

Anima cùm Deum quærit, omnia alia habet in contemptu. 332. 128. & seqq.

Verè diligens non dona, sed Deum quærit. 521. 198. & seqq.

Quies.

Cor expellens à se temporalia quietè viuit. 389. 35

Quies conscientiæ ex certamine cum vitiis. ibid. 35. & seqq.

Iustorum quies Deo seruire. 407. 15

Quies Christi pro nobis laborare. 479. 54

In hac vita non datur quies, sed tantum in patria. 627. 25

R.

Radix.

RAdici mali, ac morbo occurrendum. 194. 43

Radici maiorum remedium applicandum. 405. 8

Ratio.

Ratione multa dona comparantur. 38. 142. & 143

Scientia & ratione omnia disponenda 103. 11, & 147. 16. & 410. 31

Cuncta disponenda non ex amore, sed ex rationis iudicio. 192. 34. & seqq.

Nostra opera ratione, ac iustitia potius quàm potentia comprobentur. 311. 9. & seqq. & 770. 66.

Potius ratione, quam potentia trahitur. ibid. 64

Recedere.

Qui à Deo recedit, in multa mala cadit. 315. 29

Recordor.

Magnus recordatur accepti doni. 89. 103. 104. & 105

Periculosum recordari sæculi relicti. 619. 108

Reformatio.

Vt alios reformes prius in eos habe potestatem. 8. 41

Reformationem incipiat Prælatus à suis. 414. 57

Vt quis reformetur in vita, multùm prodest nouimus opinio. 675. 197

Relapsus.

Vide, *Peccatum.*

Religio Christiana.

In Christi disciplina non delitiæ, sed labores. 70 87. & seqq.

Peccata contra religionem indelebilia manent. 278. 42

Religiosus.

Qui debet ascendere ad cælestia multum errat, si se committit temporalibus. 111. 35

Mundani eos, qui renuntiant temporalia, mortuos indicant. 180. 55

Vir religiosus de ambitione verecundatur. 193. 40. 41. & 42

Valde miser, qui corpore est in monasterio, desiderio extrauagatur. 215. 55

Qui filium dat religioni verus pater, & magnum amorem ostendit erga illum. 460. 12

Religiosus amputet à se terrenos affectus. 461. 14. & seqq.

Religionis status multa consideratione sumendus. 465. 35

Religiosus recedens à monasterio ambulans in plateis perit. 493. 34. 35 & 50

In mundo est qui nudus seruiat, in religione verò nisi omnibus abundet non vult obedire. 513. 153

Filius Deo dedicatus tunc optimè à patre possidetur. 581. 18. & 19

Suis religiosis prouideant Prælati omnia necessaria. 691. 67

Valde damnabile in domo Dei vitia mundi retinere. 804. 75

Religiosi cum deuiant à virtute, in pessima crimina labuntur. 870. 47

Relinquere.

In lege gratiæ omnia relinquenda. 70. 85

Perfecti terrena relinquunt. ibid. 86

Qui pro Deo omnia relinquunt, illius filij, ac hæredes constituuntur. 162. 217

Qui terrena relinquit aptus est, vt Christum sequatur. 468. 56. & 57

Qui omnia sua dimittit, dignus vt à Deo exaudiatur. 607. 30. & seqq.

Qui relinquit mundum, non ex toto periclitatur ibid. 32

Periculosum recordari sæculi relicti. 619. 108

Relinquendi parentes cum impediunt mandata Dei. 620. 109

Pro Dei causa omnis consanguinitas relinquenda. ibid. 110. & 111

Qui pro Deo relinquit vnum, centum recipit. ibid. 115. & seqq.

Terrena semel relicta, non sunt amplius repetenda. 853. 37. & seqq.

Reliquiæ.

Reliquiæ sanctorum defendunt ciuitates. 373 64

Remedium.

Vulnus ei aperiendum, qui remedium exhibere valet. 2. 24

Christus quia verus Deus, ideo denostro remedio agit. 234. 3. & 24

Valde execrabile remedium vitæ in damnum conuerrere. 310. 4. & 5

Pro diuersitate infirmitate, remedium applicandum. 337. 160

Remedium sit proportionatum morbo. 366. 4

Damnabile salutis remedium in damnum vertere. 572. 19

Perdito

Perditio approximante remedio lachrymas excitat. 679.4

Remuneratio.

Vide, *Liberalitas.*

Renuntiare.

Qui mundum renuntiat regiam domum ædificat. 465.38.& seqq.

Vir perfectus renuntiat omnibus quæ possidet. 469.59.& seqq.

Pro renuntianda voluntate. Vide, *Voluntas.*

Repetitio.

Ex noua beneficiorum repetitione noua gratiarum actio. 611.56

Reprehendere.

Vt reprehendas, prius habeas potestatem in subditos. 8.41

Reprehensio aliquando sit in secreto, & non in publico, ne homo impudentior fiat. 49.51. & seqq.

Non semper reprehensione instandum. 67.66

Inter reprehensionem, & delictum interponatur tempus, vt mens cogitet delictum. 69.67. & 68

Nobilis vna reprehensione fit cautus ad euitandas alias. 87.90.

Vir reprehensionis capax aptus imperio. 93.133. & seqq.

Christus in amicis reprehendit errores. 110.32

Reprehensio danda est vbi spes est emendationis. 111.37.& 38

Quando vnus delinquit, vnus solus reprehendatur, & non omnes. 113.1

Reprehensione fit homo cautior, & prudentior. 152.149

Peccata publica publicè reprehendenda. 180. 56

Qui alterius crimen non reprehendit, illud suum facit. 211.27.& seqq.

Illius desperanda salus, qui correptione non proficit. 212.36

Reprehensio generat odium in mundialibus. 247. 21

Contra magnates reprehensio in communi, ne priores fiant. 254.67

Reprehendere Principes diuinæ virtutis est. 359. 139

Reprobatio.

Magna laus ab impiis reprobari. 5.26.& 27

Repulsa.

Repulsi à mundo ad Deum veniunt. 801.57

Requies.

Homines despiciunt Dei requiem, & sibi eligunt mundi labores. 450.76.& 442.25. & 26

Christus nostræ salutis cupidus in homine requiescit. 582.24

Respondere.

Prius homo audiat, & postea respondeat. 53. 80.

Responsio, & interrogatio dentur liberè, & sine timore. 106.6

Non respondendum vltra interrogata. 83. 64.

Qui non vult respondere, facit quòd non attendit. 276.33

Potiùs fuge tacendo, quàm vincas respondendo. 317.159

Restauratio.

Restauratio alicuius rei magis æstimabilior, quàm illius prima possessio. 580.7

Peccator per pœnitentiam renouatur. ibid.8

Restitutio.

Res magna quòd diues restituat. 732.79

Resurrectio.

Resurrectionis gloria magna. 583.121

Christi resurrectio ad nostram promotionem, & vtilitatem. 702.42

Retributio.

Deus pro paucis multa retribuit. 71 95

Retributio pro donis acceptis non fit ab hominibus huius sæculi. 241.64

Retrocedere, seu, Recedere.

Ob nostrum recessum à Deo, Deus à nobis recedit. 288.14

Qui retrocedit à iustitia incepta, eius salus est desperata. 671.175

Reuerentia.

Apostoli multa reuerentia diuina prosequebantur. 151.146

In absentia Domini reuerentia habenda. 344. 41.

Reus.

Verecundia reo pro pœna. 284.80

Magna felicitas si reus habeat bonum iudicem. ibid.85.& 88

Reus criminis non potest alios arguere, & accusare. 313.21 & 22

Rei de iudice malè loquuntur. 326.91

Reus non est damnandus inauditus. 341.25.26. & 27

Rex, vel, Regnum.

Rex citò, ac sine mora subueniat miserorum causis, ac postulationibus. 32.103.& 104

Reges mundiales de minimis seruis curam non habent. 39.149.

Rex omnibus sit sua beneficia largiens. 42.10.11. & 12

Regiæ Maiestatis est multos habere ministros, paucis magna committere. 134.28

Regis gloria sua dona suis conferre, 142. 77.

Rex omnibus communicet sua dona. 144.91.92. & 93

Princeps ex æquo omnibus communicet sua dona....

Reges vniuersa videant, suorum tamen cooperiant defectus. 145.97.& 98

Rex suam maiestatem cum Regibus communicet. 14.124

Qui sua pro Rege contemnunt, ab ipso rege honorandi. ibid.124

Rex plus attendat ad suum honorem quàm ad proprium emolumentum. 151.146

Rege in delitiis viuente, miles non bellum, sed delitias appetit. 154.163.& seqq.

Bonus Rex suorum bona in suos vsus non conuertit. 184.77

Scire volunt homines quisnam mortuo Principe regnabit. 109.18

Reges sæculi sibi facta de seruorum substantia rependunt. 199 67

Si Rex præcedit, faciliter alij sequuntur. 207.1

Rex ad omnes æqualiter extendat sua dona. 287. 10.& 288.15.16.& 17

Regum voluntati blanditi dat licentiam popularibus ad multa contra ius facienda. 335.146. 147.& 148

Rex vngitur, vt subditos foueat. 349 81

Rex clypeus, ac custos suorum. 366 22

Regna temporalia plena rapinis. 369.36.& sequent.
Bonus Rex in sui ostentationem respuit seruilia. 41.991
Solum Dei regnum sibi sufficiens. 420 92
Reges omnibus volunt imminere. 434.57
Sublimitas Regis non fulgere, sed misereri, & fouere. 481.65
Regis fauores dant animum ad magna. 509. 115
Bonus Rex populo datus magnum Dei beneficium. 533.64
Reges vestiuntur de sanguine pauperum. 540. 15
Decus regnante iustitia regnare, secus ignominia. 615.80
Si Rex deliciis indulget miraculum est quòd respublica non pereat. 625.18
Pro politica ratione, ac conuenientia status Reges nullum facinus respuunt. 684.30.& seqq.
Regis consilium, ac voluntas firmatur ab omnibus. 691.69.& seqq.
Regia dignitas secum habet labores, & sudores. 699.29.& seqq.
Homines volunt vtrumque latus Regis. 706. 69
Regis maiestas pro appendice habet necessitatem. 742.36.& seqq.
Regis splendor coniunctus cum morte, ac sanguinis effusione. ibid.40.& 41
Animus regis affligitur suorum clade. 753. 17
Regia dignitas augustior ex lachrymis pro suis. ibid.19
Regi annexa mors. 760.4
Rex non viuat subditorum sanguine. 763. 29
Reges Ministris dent alimenta, ne fiant ipsi fures. 581.& seqq.
Rex non sibi, sed suis consulat. 794.10
Rex non sit abstrusus, & clausus, sed per se videat, & cognoscat quæ sunt sui regni. ibid. 12
Rex potiùs attendat ad suorum debilitatē, quàm ad suam celsitudinem. ibid.13.& seqq.
In Rege plus resplendeat benignitas, quàm generositas. 795.16
Reges sciant se esse homines, & non Deos. ibid. 17.& seqq.
Rex suorum militum sanguinem vt proprium æstimet. 834.36
Reges pro Dei causa, & salute suorum regale supercilium deponant. 867.24
Si Rex à beneficentia cessat, sordidus, & obscurus fit. 868.30

Rigor.

Rigor, ac seueritas in amante benevolentiæ pignus. 33.109.& seqq.
Inimici non benignitate, sed rigore coërcendi. 105.207.& 208.
Prælatus cum blandis det verba rigoris. 111. 33
Rigore, ac fauore nos ducit Deus. 214.46
Ex rigore cognoscitur benignitas. 222.19
Rigore iustitiæ cum misericordia temperandus. 276.29.& seqq.
Qui benignitate non emendatur, pœnis, ac rigore coërcetur. 293.50
Rigor iustitiæ temperandus est clementia. 532. 60.& 778.43.7.8.& 9
Rigor cum lenitate verborum coniungendus 558.126.& 729.62

Ruina.

Suorum ruina grauiter torquetur homo. 562. 148.& 149

S.

Sacerdos.

Sacerdos quamuis iniquus venerandus, ac honorandus. 92.123.& seqq.
Sacerdos nouus fit homo. 97.154
Puritas Sacerdotalis à beatitudine dignoscitur. 133.17
Vnus Sacerdos tanquam plures venerandus. 235. 28
Sacerdotis munus sanos confirmare, plagatos curare. 236.34.& seqq.
Malus indignus est vt gaudeat nomine Sacerdotis 250.39
Sacerdotes plusquam sæculares promptiores ad Dei obsequium. 408.28
Christi Sacerdotes de spiritualibus agunt. 468.54
Sacerdos sit separatus à mundialibus. ibid.55.56. & 57
Bonus Sacerdos populo datus magnum Dei beneficium. 533.64
Sacerdos curam habeat de templo. 683.26
Sacerdotum defectus non publicandi. 828.2

Salus.

Pauci sunt qui de sua salute agunt. 113.2
In negotio salutis non nostra voluntas, sed Dei sequenda. 121.52.& seqq.
In futuro sæculo quando non erit tempus, dolet homo de salute deperdita. 126.79
Pro salute animæ omnia contemnenda. 127.80. & seqq.
Illius desperanda salus, qui correptione non proficit. 212.36
Christus quia verus Deus ideo de nostra salute agit. 234.23.& 24
Salus, & vita non ab homine, sed à solo Iesu venit. 282.68
Christus venit ad saluandum mundum, & non ad damnandum. 290.27.& 28
Solùm in Christo vitus, & salus. 349.78.& 79
Plus Deus æstimat salutem animarum, quàm creationem orbis. 381.119
Christus potiùs consulebat nostræ saluti, quàm suæ authoritati. 425.4
Hominem sanare maximè proprium opus Dei. 430.36.& 37
Salus nostra Dei glorificatio. ibid.37.& 38
Christus potiùs attendit ad nostram salutem, quàm ad sui maiestatem. ibid.38.& 39
Deo tam chara vnius salus, ac omnium. 431.42 & 43
Christus ad se allicit peccatores, vt eos ad salutem reducat. 471.6.& 7
De hominum salute Deus magis gaudet, quàm ipse homo. 481.72
Salus hominis magna exultatio Angelis. 484.79. 80
Dei memoria dat vires, vt viam salutis arripias. 500.83
Si viam salutis incipias, augentur vires. 501. 84
Cùm adest sanitas corporis, nullum damnum reputatur. 545.40

Deus dat occasiones ad salutem. 547.54
Damnabile salutis remedium in damnum vertere. 572.39.
Quilibet peccator bene operando potest saluari. 585.41.
In negotio salutis omnia abundanter impende. 603.4
Deus inuigilat super salutem nostram. 625. 17
Aliorum saluti instandum. 796.20
Grande tormentum vt ille sit tuus tortor, a quo salutem sperabas. 868.31
Ex prouocata salute aliorum duplicantur bona. 917.50. & seqq.

Samaritanus.

Samaritani legem adulterabant. 320.55

Sanctitas, vel, *Sanctus.*

Maximè sanctitas alicuius declaratur, dum calumniator aliunde quærit materiam ad detrahendum. 5.25
Sanctitas, seu iustitia violatione vnius præcepti deperditur. 428
Sanctitas rei vicinæ arguit iniquitatem. 279.51 & seq.
Sanctorum intercessio nos tuetur. 373.65.& seqq.
Qui Sanctorum fauores vult tenere, illorum merita imitetur. 727.47.48

Sapientia, vel, *Sapiens.*

Diuina Sapientia à Deo petenda ad rectè agendum. 4957
Sapientia nobis data non est abscondenda. 76. 15
Vera sapientia virtutis amor. 255.80
Sapientia delictorum sordes abluit. 266.141
Sapientia Dei in infinitum excedit omnem scientiam creatam. 47747
Sapientes, & docti maiora tenentur præstare, quàm ignorantes. 506.106
Multa sapientia in ministris eligendis. 833. 32.
Sapientiæ fulgor contra se habet aduersarios. ibid.33

Satisfactio.

Princeps suorum operum det satisfactionem. 228.60.
Qui peccauit per seipsum satisfaciat. 236.33

Saturitas.

Saturitas luxuriam parit. 143.27
Saturitas mors hominis. ibid.28.

Scandalum.

Scandalum quod ex aliorum malitia sumitur, contemnendum. 15.81.82
Perfectus vir reiicit à se scandala, non verò imperfectus. ibid.82.
Scandalum percauendum. 161.215
Non magni, sed paruuli scandalizantur. 199. 74.
Ex beneficentia iniqui scandalizantur. 427.14. & seq.
Pro scandalo vitando etiam species mali fugienda. 524.12. & seqq
Pro euitando scandalo opus sanctum differatur. ibid.15
Aliorum scandala vitanda. 697.14

Scientia, vel, *Scire.*

Scientia pauca inflat, non verò multa. 5.23
Scientia omnia disponenda. 104.205
Scire volunt homines quisnam mortuo Principe regnabit? 190.18
Puritas conscientiæ dat scientiam mandatorum Dei. 254.72.seqq
Obturatur oculus, cuius scientia est in malum. 821.18.
Malus doctor agit de scientia, & non de conscientia. 830.15.16

Scriptura

Mysteria sacræ Scripturæ sine Spiritus sancti donis non intelliguntur. 69.79
Scriptura fœcundat animos virtutibus. 144.96
Lectio Scripturæ facit ambulare in lege Domini. ibid.
Efficacior Scriptoris manus, quàm vox Prædicatoris. 277.37.& seqq.
Scripturæ testimonium maius, quàm cuiuscumque hominis. 574.165.166
Scriptura defenditur Christianus ab errore. 851. 30

Secretum.

Qui secretum commendat publicationem subornat. 5491.& seqq.
Secretum referendi fomes. ibid.
Secreta cum amicis communicanda. 58.9.10. & 11
Quæ secretò dicuntur sæpè ad aures Principum deueniunt. 75.7
Magna tractanda cum viro secreti capace. 131. 13.
Dure ferunt homines quidam vt secreta aliis, & non ipsis committantur. 190.20
Inter multos secretum non seruatur. 235.28
Diuina secreta manifestantur laborantibus. 697. 17
Secreti commendatio stimulatio est ad illius manifestationem. 698.18
Secreta magnorum abscondenda. ibid.19.& seqq.

Senex.

Prætextus senectutis noli aliis dominari. 8.45
Ex eo quòd quis sit senex non præsumat, quòd aliis sit sapientior. ibid.43.44
Senibus dignitas conferenda. 102.187.
Senes in vitæ emendatione alacriores. 283.75
In senibus prudentia. ibid.76
Valde difficilis in senectute pœnitentia. 413.119. & 120.
Senes grauiter insurgunt in iuniorem felicitatem. 638.97.& seqq.
Quod seniorum consilio introducitur perseuerat, non verò quod populi impetu. ....

Sententia.

Sententia, quæ non est permanens nihil æstimanda. 8858
A sententia Dei lata, nec à filiis habet homo leuamen, sed mortem. 530.48
Sententia ab ignorante prolata non denenustat. 687.50

Sepulchrum.

Magnificum sepulchrum nihil prodest. 548.62
Impius in magno sepulchro torquetur. 450.76

Sequi.

Sequi Christum magnum præmium. 463.28
Vt quis Christum sequatur, omnia terrena abiiciat. 468.56.57
Affligi, & deum sequi magna fides 53.106
Ex propria commoditate mouemur ad alterum sequendum. 57.4.& seqq.

Index Rerum.

Relictis omnibus sequendus est Christus. 122.59

Ad sequendum Christum solum Deum debemus intendere. 123.60

Sequi christum est ipsum videre, ac frui. ibid.61

Qui sequitur Christum custoditur ab omni malo. ibid.63

Maximè timendum ne in Christi sequela deficiamus. 166.149

Sermo.

Sermo, qui est à Deo est cum modestia. 565.40

Vide, *Verbum*, *Serum*, vel, *Seruire.*

Mundiales Principes de minimis seruis curam non habent. 39.149

Deus munerat dies nostri seruitij ad præmium. 63.39.

Errat seruus cùm vult domino suo dare leges. 109.24

Ob nouos seruos antiqui sine honore non sunt dimittendi. 147.112

Inter dominum, ac seruos multa differentia habenda. ibid.117

Seruus cum domino non est metiendus. 170.173

Seruorum ingenium molestias augere. 226.47

Serui ingenium crudelitas. ibid 50

Seruus honore, ac dignitate sublimatus multum crudelis est. ibid.52.& seqq.

Serui principatus excidium orbis. ibid.

Boni serui à bono domino ebibunt pietatem. 227.56

Serui non dicant dominis suis placentia, sed veritatem. 267.146

Per peccatum fit homo seruus. 204.113. & sequent.

Dominus faciliter, seruus verò valde difficiliter dat. 349.85.& seqq.

Vir spiritualis sic inseruit, vt eius finis sit inseruire. 407.14.& seqq.

Deus vult vt serui sui fulgeant, & luceant. 411.38

Iustus pro præmio habet seruire Deo. 417.75

Omnia facienda vt homo dimittat à se malum seruum. 528.39

Ex domino auaro serui auari. 543.30

Seruus destituit, Dominus saluat. 722.10

Seruire Deo liberalitas, ac gloria. 739.18. & seqq.

Seueritas.

Vide *Rigor.*

Silentium.

Silentium etiam suam habet vocem, qua multa loquitur. 26.63.

Ex longo silentio bona locutio. 52.77

Dolor generat silentium. 820.7.8

Similis.

Ex similitudine actionum colligitur filius à suo patre. 314.26.

Simplicitas.

Simplicitas valde apta ad diuina mysteria percipienda. 77.23.& seqq.

Plus assequitur veritatem simplicitas, quàm sagacitas. 487.97

Singularitas.

Singularitas odij fomentum. 142.80

Magnus error quòd quilibet se solum, & singularem existimet. 570.24.& seqq.

Singularitas fugienda. 665.138

Singularitatem fugiat princeps in suis donis, vt suum regnum valeat firmare. 664.130.131

Beneficium commune ex singularitate æstimabilius. 674.192.

Societas.

Cum malis iusti periclitantur. 15.88.89

Societas malorum multum nocet. 29.82.& 851.29

Mala societas vitanda. 48.51.& 22.35.36

Socius oneris sit particeps honoris. 98.162

Qui habuit socios in felicitate, habebat & in aduersitate. 142.79.

Socios habere in gloria, ac felicitate lætitia multa. 147.116

Ex mala societate contagium. 175.27.28

Societas iniquorum fugienda. ibid.

Mors crucis tolerabilior malorum consortio. 176.30

Ex assistentia iniquorum macula in alios. 208.9

Mala societas multum nocet. 240.58

Vt magna percipias fuge iniquos. 361.155

Societas in miseria leuamen. 545.42

Ex societate, ac coniunctione iniquorum, turbatio. 664.127

Iusti ex iniquorum societate obfuscantur. 803.65

Peccator ex consortio iustorum in damnationem incurrit. 807.97

Ex sordido socio alij deturpantur. 794.8

Solus.

Qui se solum existimat multum erat. 570.24.& seqq.

Summus error quòd quilibet se esse solum existimet. ibid.26.

Sors.

Nemo sua sorte contentus. 697.12

Spes.

Spe deposita multa incomposita dicit homo. 30.94

Id, quod minus expectatur, maximè gratificatur. 37.139

In nouo testamento firma spes in Christo. 70.84.

Qui habent merita habeant spem. 91.119

Res inopinata, ac præter spem gratior 95.141

Cùm de præsenti aliquid datur, æstimatur spes de futuro. 142.78.

In nostra oratione sit tota nostra spes. 195.54

Solus qui habet merita, dignus est sperare. 416.69

Bonus seruus viuit cum spe, & timore. ibid.71. & seqq.

In hora mortis potius spes, quàm timor. 418.79.

Expectatio grauis cruciatus, & inde magnum habet præmium. 419.90

Spe dilata cruciatur animus. 612.117.118

Spes in Deo, & non in homine ponenda. 906.101.

Spiritualia.

Vide, *Bona spiritualia*, vel, *Pœna.*

Spiritus sanctus.

Diuini Spiritus protectione cuncta nitentur. 160.205.

Cur Spiritus sanctus apparet in nube? 161.211

Per

Per aduentum spiritus sancti data est gratiarum plenitudo. 265.132

Status.

Pro gloria, ac maiestatis statu Christus non mutatur. 141.71.& seqq.
Pro politica ratione status Principes nullum scelus respuunt. 684.30.& seq.

Stultus.

Stultitiæ nota superbo grauior, quàm pœna inferni. 401.57
Stultus exclusus à regno Dei. ibid.58
Stulti primas ambiunt sedes. 892.1
Stultorum conuersatio, ac societas grauissimum supplicium. 894.17.18
Stultus magna superat, & in minimis cadit 896.29
Qui in bonis solus vult esse, stultus. 402.63. & seqq.

Subditus.

Subditus nunquam se existimet meliorem suo superiore. 707.77

Subito.

Quæ subitò apparent mirabiliora videntur. 167. 254.& seqq.

Superbia, vel, superbus.

Superbus contra Deum præsumit se posse stare. 294.57. & seqq.
Superbus cogitat se posse Dei decretum mutare. ibidem.
Iniuria sustinetur, non vero superbus supra suam dignitatem iudicans. 324.79.& seq.
Superbus omnibus exosus, humilis cunctis amabilis. 436.68.& seqq.
Superbus contemnitur, humilis quæritur. ibid.
Superbia radix vitiorum. 447.54
Adhuc in inferno dines non deponit superbiam 554.98.
Paruis rebus Deus aliorum superbiam conculcat. ibid.100
Superbus in inferno vult exaltari, ac sublimari. 561.143
Superbiæ occasio adimenda. 566.5.& 6
Qui sibi placet, Deo displicet. 567.10
Superbus Deo resistere, ac cum eo pugnare intendit. ibid.11
Superbus se vult Deo ostendere æqualem. ibid. 12.& seq.
Superbus quidquid laudis audit, totum sibi refert. 570.23
Superbus non solum homines, sed etiam ipsum Deum criminatur. 571.29
Superbia obcæcat mentem. ibid.34
Superbus sine mente, & intellectu. 572.36
Superbus cum ignominia alios tractat. 638.52 & seqq.
Vide, *Arrogantia.*

Superflua.

Superflua abiicienda. 4.17
Necessariis contentus detitat superflua. 743.48. & seqq.
Panis cælestis euitat superflua. ibid.

Supplicium.

Supplicia docent homines. 3.15
Supplicio fit homo cautus vt à peccatis fugiat. 44.15.& seqq.
Supplicium vnius disciplina est alterius. ibid. 17.& seqq.
Grauissimè punitur qui post visum aliorum supplicium delinquit. ibid.19
Melius est supplicium etiam infame corporale, quam quælibet infamis pœna. 199.75
Potestas ad extrema supplicia in aduersarios valdè periculosa in homine. 104.199.& seqq.
Qui alios supplicio afficit, expers sit à crimine. 180.58. & seqq.
Magno supplicio dignus qui punit ea, quæ agit. 181.69.& seqq.
Iustus iniquorum supplicio non est inuoluendus. 313.18.& seqq.
Deus per se non exequitur supplicia. 401.56
Deus manifestat misericordiam, abscondit supplicia. 403.71.& seqq.
Deus ex nostris peccatis prouocatur ad supplicium. 527.30
Valde durum habere supplicium, & mortem à tui defensore. 596.13.& seq.
Dilectissimus etiam puniendus cùm causa postulat. 754.28.& seqq.
Grauissimum supplicium quod minatur, & non declaratur. 789.73
In omnium oculis puniri magnum supplicium. 806.86
Summa malitia quòd imminenti supplicio homo non emendetur. 809.7.& seqq.
Qui vidit supplicia aliorum, & non emendatur, maiori pœna castigabitur. 836.49.& seq.
Grande supplicium vt ille sit tuus tortor, à quo salutem sperabas. 868.31
Supplicium magnorum eruditio est minorum. ibid.32.& seqq.
Deus cum punit, honorat. 909.121

Suspicio.

Quod homines suspicantur, ac conijcturant, hoc affirmant. 341.26
Homines semper suspicantur id, quod peius est. ibid.27.
Plus aliquando valet apud homines vna suspicio, quàm clara euidentia. 353.119

T.

Tacere.

TAcent mala sancti, bona dicunt. 83.66
Propria iniquitas facit tacere. 313.31.& seqq.
Potius fuge tacendo, quam vincas respondendo. 337.159.
Inter opprobria tace. 557.122

Talentum.

Quilibet suo talento sibi complacet. 914.33

Templum.

Ex templorum ædificatione multa bona defluunt. 721.6.& seqq.
In templo Deus est permanenter. 727.52
Deus gaudet, & delectatur in templo. 728.53
Grata Deo templorum exuuctio. 729.54
Magna exultatio ex re propria templo Dei dedicata. 731.74
Ad reædificationem templi non quiescendum sed ministrandum. 728.58.& 733.87
Ædificatio templorum grata Deo. 733.86. & seq.
Templorum prophanatio malorum origo, & rigidè à Deo punitur. 756.39.40. & seqq.
Plus dolet Christus pro templo violato, quam pro suis iniuriis. 758.43

Index Rerum,

Temporalia.

Animus seperandus à temporalibus vt diuina virtute induatur. 575.58

A temporalibus seperandus animus, vt Deum videat. 817.58.& seqq.

Vide; *Bona*, *Mundus*, *Vita*.

Tempus.

In magnis negotiis tempus interponendum. 223.14.& seq.

Magna non omni tempori subiacent, secus parua. 247.25

Opportuno tempore cuncta facienda. 248.28

Tentatio.

Extentationibus gloriosior Lazarus. 544.38.

Ex vniuscuiusque genio diabolus parat tentationes. 812.27.& seqq.

Testamentum.

Testamentum nouum, & vetus cohærent. 52. 79.& 147.111

Testimonium.

Ex omni genere Christus habuit testimonium. 163.227.

Testimonium conuenienti tempore dandum. 164. 232

Testimonium inimicorum malignum. 85.65

Odium nullo testimonium mitigatur. 236.31

Testimonium ab inimicis magnum. ibid.31.& 313.18

Testimonium ab inimicis efficax. 75

S. Theresia.

Theresiæ magnalia noster intellectus non valet inuestigare. 898.52.& seq.

Theresiæ magnalia illustrissima. 899.54

Theresia in terris veluti substituta æterni Parentis ad Christi honorem zelandum. ibid.56.

Theresia multa gratia iustificatur. ibid.57.58

Theresia lachrymis vehementer in Christi amore accendebatur. 900.59.60

Theresiæ cor lancea transuerberatur. ibid.60

Theresia sua doctrina illuminat mundum. 872.61

Calamus Theresiæ, vt virga subiicit. 900.62

Theologia.

Magna Theologiæ excellentia. 85.75

Timor.

Plus aliquando requiritur ad expellendum timorem ab animo, quàm dæmonium à corpore. 50.62

Deo valdè grata non quæ ex timore, sed quæ ex amore fiunt. 94.140

Timor mortis durior ipsa morte. 150.135.& 140. 62. & seqq. 155.172

Timor ignorantiæ causa. 165.241

Timor ex Dei præsentia. ibid.241

Timor ex Christi absentia. ibid.241

Ingens fauor cordato viro timoris causa. ibid.241

Diuinæ iræ timore conturbantur peccatores. 229. 68

Bonus seruus viuit cum spe, & timore. 348.71. & seqq.

Timor tacere facit, & adimit vocem. 427.17. & seqq. 582.21

Deus adest timentibus se. 684.34

Improbus timor malum consulis.

Titulus.

Vide, *Nomen*.

Tributum.

Tributum cum modestia exigendum. 182.66

Tributum, quod à Christo exigebatur non erat sactum, sed prophanum. 182.68.& seq.

Tributa non crudelitate extorquenda. 186.90 & seq.

Tributum sæpè cibus ex ore populi extractus. ibid.91.

Tributum sit vnum, & non multiplex. ibid.92.

Reges vestiuntur de sanguine pauperum. 540.11. & seq.

Principes tributis deuorant subditorum substantiam. 547.58.

Christus non imponit tributa, sed dat dona. 745. 45

Exactores tributorum crudeles. 816.50

Princeps non sit multus in tributis imponendis. 816.52

Diuites soluant maiora tributa. 827.53

Tributum semel oppositum perpetuum. ibid.54

Triduum.

Triduum multas allegorias importat. 61.38

Trinitas.

Trinitatis fides necessaria ad salutem. 131.6

Trinitatis fides postulanda. 387.28

Tristitia.

Oblectationem huius vitæ sequitur tristitia. 542. 21.& seq.

Animus tristis falsa se alleuiatur. 563.153.

Iustus sibi soli vult tristia, aliis iucunda. 667.109

In tristitia, ac luctu modus seruandus. 664.125

Tristia, & funesta difficiliter credantur, secus vero fausta, & felicia. 851.25.& seq.

Tutus.

In manu Dei securi, & tuti sumus. 688.55. & seqq.

V.

Vanitas.

Vide, *Vana gloria*.

Vectigal.

de Vectigalibus Rex minùs sit solicitus, quàm de beneficentia declaranda. 800.48

Venter.

Vide, *Honor*.

Venia.

Cùm venia omnibus, conceditur, non est denegenda. 47.41.& seq.

Nullus peccator de venia desperet. 221.13

Ex misericordia domini spes veniæ concipitur. 223.24.

Veniæ facilitatis aliquando peccati excitamentū. 224.35.& seqq.

Verbum Dei.

Verbum Dei cibus reficiens animam. 63.444. & seqq. 99.470

Ide est Deum dicere, ac facere. 159.

Diuina veritas infallibilis in suis verbis. 160.

Æterni verbi generatio profundum mysterium. 161.211 267.145

Dei verbum miraculis efficacius. 391.55

Dei verbum multum efficax. 505.

Sermone Dei susceptо ducimur in vitam. 119

Vt sermo Dei susciptatur, cor à peccatis euacuandum ib.110.& seqq.

Verbum nostrum.

Vbi beneficentia, verba non exquantu. 48.44. & seq.

Præclarum verbum concessum donum. ibid. 45

Authoritas

Authoritas personæ multùm facit, vt eius verba æstimentur. 139.60
Verba adiũcta cum actione cor penetrãt. 164.237
Verbum mite mitigat inimicos. 324.78
Seueritas cum lenitate verborum coniungenda 558.126
Si negas postulatum, da verbum bonum. 542.27
In maligno verba discrepant à corde. 563.158 & seq.
Verba, quæ discrepant à corde parui facienda 596.10
Non sunt necessaria verba, vbi opera testificantur. 632 64. & seqq.
In verbis demissio, in factis potestas. 674 193. & seqq.
Durum verbum rigidius gehenna. 909.122

Verecundia.

Qui de peccato non erubescit grandi supplicio afficitur. 222. 22
Verecundia reo pro pœna. 284.80. & 285.86
Verecundia subleuat pœnam. 285.86
Qui negat dare sua verecundetur ab aliis petere. 553. 93
Pœnitens ex suis peccatis verecundatur. 545.45
Potens verecundia afficitur. 498. 64
Etiam Diabolus verecundatur dum omnes principatus ambit. ibid. 65
Verecundia exordium virtutum est. 784.45. & 46

Veritas.

Deus valde verax in suis dictis, & promissionibus. 26.68. & seqq.
Vt veritas imprimatur, falsitas excludatur. 75.12
Veritas inter mendacia valde difficiliter agnoscitur. 83.60. & seqq.
Ad cognoscendam veritatem inter mendacia altum lumen requiritur. 84.71
Veritas in ~~paucis, error in multis, ac~~ multitudine. 89.106. & seqq.
Qui veritatis amore præeminentias ætatis deponit, dignus omni dignitate. 100. 175
Christi veritas in suis verbis. 184.75
Inter varias opiniones veritatem deprehendere difficile. 91.122
Deus, & veritas maxime connectuntur. 216. 61 & seq.
Vbi veritas, ibi Deus. ibid. 62
In solo Iesu veritas inuenitur, in aliis vmbra. 248.34. & seq.
Veritas apertè dicitur, falsitas submisse. 262.109
Serui non dicant dominis suis placentia, sed veritatem. 267. 146
Plus potest vna simplex veritas, quàm mendacium multis adornatum. 268.148
Mundialibus falsitas est in pretio, veritas in odio. 313. 21
Vbi est veritas, ibi est Iesus. 293.51. & seqq.
Veritas via, per quam cognoscitur Christus. 294. 53
Veritas solum dicitur ab his, qui non sunt de hoc mundo. 295.61
Homines mendacia sequuntur, veritatem detestantur. 311.7. & 8
Veritate munitus nullum mendacium timet. 313. 16. & seqq.
Veritas fortior potentia ad refrænandos inimicos. ibid. 17
Veritas per se sola sufficit, mendacium multos requirit testes. 314.25
Dicere verum efficax demonstratio dicendi verum. 315.27. & seqq.
Ex modo dicendi deprehenditur veritas. ibid.
Veritas sæpè reputatur iniuria. 319.52
Veritatem sequuntur blasphemiæ, & lapides. ibid. 53. & seqq.
Qui verum dicit insanus reputatur. 322.69
Veritas Principibus odiosa, mendacium plausibile. 360. 149
Iesus adest veritati, distat à fictione. 415.61. & seqq.
Veritas non est omittenda propter cibum. 432.44
Plus assequitur veritatem simplicitas, quàm sagacitas. 487.97
Veritas dicta à paupere valdè efficax. 563.155
In viro veraci contrarius euentus non persuadet mendacium. 647.28
Virtus dignitatis dat cognitionem veritatis. 690 64. & seq.
Veritas doctrinæ ornamentum. 812.16
Solus independens ab omnibus veritatem dicit. 818.65
Verum à falso discernere difficile. 895.27.28

Vestis.

Quilibet vestiatur iuxta suam conditionem, & statum. 408.24. & seqq.
Vestem pœnitentiæ habeat qui pœnitentiam prædicat. 409.28
Vestis correspondeat muneri, ac officio. 412.109. & seqq.
Vestis correspondeat personæ, & statui. ibid.
Ignobilis ex vestitu, ac pompa vult nobilis reputari. 541.15
Quilibet vestiatur iuxta suam conditionem. ibid. 17
Cum veste proportionetur substantia hominis; 542.25

Via.

Sequenda via aliis vtilis. 24.47
Sequenda est via sibi vtilis. 30.89. & 18.61
Per communem viam incedendum. 42.6
Via aliis vtilis sequenda. 46.30
Absconditur viæ meta, vt desiderium magis inflammetur. 406.10
Proficiens in via salutis à temporalibus abhorrescat. 457.120

Vicinitas.

Vicinitas sanctitatis rei arguit iniquitatem. 279. 51. & seq.

Victoria.

Victoria glorioſa obtenta armis inimici. 347.65.
Diabolus vincitur per quæ vincebat. 669.163
Vbi victoria, ibi contradictio. 675.203
Victi contra Victorem vniuntur. 820. 11

Videre, seu, visio.

Phariſæi quamuis mali de re à se visa arguunt. 6.29
Homo aliorum gloriam nescit videre. 85.76
Plus mouent visa, quàm audita. 268.149. & 150 & 272.11
Deus si videt misereretur, ideo vt puniat recedit. 336.157
Non visa, æstimantur à multis. 339. 12
Qui necessitates videt, miseretur. 340.17
Ex re visa mouetur amor. 508. 118
Plus mouent visa, quàm audita. 563. 154
Qui se ipsum non videt alios iniquos iudicat. 571.28.
Res visa efficacius mouet. 813.31
Vt Deum videas separandus animus à mundo. 817.58. & seqq.

Vigilare.

Vnusquisque inuigilet in suo ordine. 207.1
Qui vigilans Deum exorat, impetrat. 385.11.& 13
Etsi omnes dormiant, Deus tamen solus vigilat ad nostram necessitatem. 388.26
Vigilare munus Angelorum. 418.84
Vigilandum cum prudentia. 625.13
Deus vigilat super salutem nostram. ib.17
Prælatus vigilet, præcipuè, cùm aduersarius instat. 780.15.& seqq.

Vindicta.

Vir magnus dolet de iniuria, & non cogitat de vindicta. 316.34.& 35.
Officium non sit instrumentum ad vindictam. 223.77

Virgines.

Per virgines significantur, & adumbratur Christus. 910.7.& seq.
Virgo sic abscondatur densis tenebris, vt sit cum charitate vitæ. 912.22
Virgo sit clausa domi, vir vero per publicas plateas degat. ib.23. & seqq.

Virtus.

Virtus extinguit maculas generis 22.32.& seqq.
Virtus in aduersitate demonstratur. 33.106
Virtus inter iniquos maxime laudabilis. 39.148
Primus in aliqua virtute, condecorandus. 40.158
Virtutes prudentia sunt dirigendæ, & sine ea nihil valent. 50.64.& seq.
Ad opus virtutis satest vt faciat homo quantum in se est. 54.87
Virtus clauis,& porta cælorum. 89. 206
Qui à virtute nos deuiat vt inimicus est habendus. 112.41
Perfecti non minimis virtutibus acquiescunt, sed excellentiores,& summas intendunt. 117. 26.& seqq.
Multùm promeretur qui stat in via virtutis..... 104.
Venerabilior virtus è maioribus hausta. 140.62 & seqq.
In re virtutis semper iusti ad maiora promouentur. 163.225
Ex fauore vnius elanguet virtus in aliis. 175.26
Euigoratur virtus si ad ampliora non promoueatur. ibid.
Virtutes fructu suo non coarctantur tempore 179.48.
Etsi interius sis virtute dissimilis, in exteriori conformare aliis. 186.97
Sic homo intendat perfectionem, ac si modò inciperet in via virtutis. 380.9.& 10
In virtute nunquam cessandum, sed progrediendum. 195.51
In virtute proficiendum. 242.71.& 370.43. & seqq.
Separatus à mundo habet virtutis robur. 296. 65
Odium virtutem tanquam vitium reputat. 322 61.& seqq.
Virtus in tentatione declaratur. 345.49
Virtus & probitas abscondenda. 386.16.17. & seq.
Qui in virtute nitet contra odium, & virtutem armetur. 406.12.& seqq.
Virtutum excessus vitandi. 407.18
Paulatim ad suprema virtutum eundum. 408.23. & 821.21.& seqq.
Virtus resplendeat in opere. 409.27
Virtus custodienda à vanitate. 345.49
Tyrones virtutum benignè tractandi sunt. 294. 55.& 56
Virtus substantia vitæ spiritualis. 315.30
Ad consummatam perfectionem virtutis manda est anima a quolibet pulucre peccati 486 92.& seqq.
Ex antiquis virtutibus homo, si peccat, conuertitur, ac Deum habet propitiatorem. 506.112
Vera virtus in prosperis absconditur, in aduersis manifestatur. 570.22
Reprobus virtutis opera ad temporale negotium detorquet. 572.58
Difficilis virtus in prosperitate. 639.104
A Iesu venit perfectio in virtute. 722.12.& 13
Diuersis actionibus sancti coadunantur in virtute. 731.76.& seqq.
Inexcusabilis est qui inter aliorum virtutes non emendatur. 805.83
Singularis præstantia ex propria virtute, & non ex parentibus cognosci. 835.41.& seq.

Visio Dei.

Charitas sola Dei visione conquiescit. 47.37
Qui Deum videt vitam habet. 347 62
Dei visio fugat peccata expellit noxam. 306.110

Visitatio.

Tempore visitationis criminosi puniendi. 758 47.& seq.
Prælatus per se suos visitet, vt eorum defectus agnoscat. 803. 65

Vita, seu, Viuere.

In fine vitæ maiora præstanda. 443.30
In extremo vitæ maiora opera faciat homo. 674. 196
Vita huius sæculi brevissima. 345.51. & seqq. ibid.
Vita nostra valde transiens. 399. 39
Dives longam vitam sibi promittit. ib.42.43.& 44
Vita præsens valdè incerta. 80.44.
Viuos contemnimus, mortuos veneramur. & seqq.
Homo sit à se veluti alienus, vt pro Christo vitam det. 118. 32
Deperdatur vita temporalis, vt inueniatur æterna. 125.74 168.159
Qui dedit vitam erigat.

Vitium.

A vitiis separandum, vt ad Deum veniamus 48. 49
Maior hostilitas ostenditur in vitiis excitandis, quam in corpore affligendo. 179.52
Ex Christi præsentia destruuntur vitia. 291. 43. & 44
Vitia adolescentiæ difficiliter omittuntur. 296. 66.& seqq.
Vitia pariunt egestatem & consumunt diuitias. 494.41.& 495.42.& seq.
Diabolus nunquam in vitiis dat satietatem. 497. 55
Vt vitia extirpentur, illorum maximè vestigia extinguenda. 513.152
Animus depravatus virtutem fugit, vitia quærit. 517.173
Valdè damnabile in domo Dei vitia mundi retinere. 804.75

Vnio.

Vnionem iniquorum dissecare magnum Dei obsequium. 119.36
Vnitas cùm floret, tunc omnia fulgent. 160.

Iesus 204.

Iesus non habentur in diuisione, sed in vnitate. 168.264
Vnitas industria obtinendi dona à Deo. 214.48
Vbi vnitas, ibi Christus pro pignore impetrandi. 215.55.
In vnione Christus constituit suam sedem. ibid.
Christus inter vnitos habitat. ibid.56.& 57
Inter Christum, & suos discipulos intim avnio. 282.65.
Quanta vnitas, & concordia inter prædicatores Euangelicos. 445.43
Vnitas maximè ad se Deum allicit. 474.27
Identitas, seu venitas opulentia diuinitatis. 587 50.& 51
Vbi Christus, ibi vnitas. ibid.52.& 53
Impij opere, ac mente contra iustos vniuntur. 820.13.& 14

Vocare, seu, *Vocatio*.

Quilibet persistat in sua vocatione. 111.35
Deus nos vocat ad se, vt in eo exultemus. 287.7
Diuina vocatio replet bonis,& dat vires. 454 97. 98.& 99
Christus vocat hominem ad delitias, expectat verò ad laborem vementem. 459.5.
Gentium vocatio vsque modo durat. 454 101
Qui à Christo vocantur timeant, ne aliquid in eius obsequio desit. 603.3.& 4
Cùm Deus vocat, nulla difficultas impedit. 675. 101
Homo correspondeat suæ vocationi. 707.78

Voluntas, seu, *Voluntarium*.

Efficacius trahitur bona indoles voluntate, quàm præcepto. 116.15
Res ardua voluntariè suscepta facilis. ib.17
Generosi famuli à Domino non compelluntur, sed voluntariè pro ipso stant. ibid.18.& 19
Volenti nihil difficile. ibid.17
In salutis negotio propria voluntas non est sequenda. 111.52.& seqq.
Voluntas pro merito reputatur. 253.65
Voluntas pro pretio est Deo. 331.110
Voluntas propria domanda, conculcanda. 461. 23.& seqq.
Qui suam voluntatem persecat, maximè extollendus. ibid.24
Valde arduum quòd homo tuum velle à te renuntiet. ibid.25
Ex voluntaria operatione crescit perfectio operis. 599.27
Obsequia commendantur, ex voluntate offerentis. 627.28.& 29
Voluntas dilecti insinuata habet vim iuramenti, ac præcepti. 645.17
Sæpe homines reprobant voluntate, quem approbant intellectu. 683.29
Vbi propria voluntas, ibi error. 701.39
Valde durum alterius voluntate regi. 708.84
Abnegata voluntas martyres fecit. ibi
Voluntas operis pro ipso opere reputatur à Deo, 419.68.& 69
Ad beatitudinem assequendam non sufficit affectus voluntatis, sed operis executio requiritur. 907.110
Vide, *affectus*.

Voluptas.

Voluptas facit hominem inurbanum. 456.114
Voluptatis illecebra ianua peccati. 453.94

Vox.

Vox multum habet latentis energiæ. 209.11

Vrbanitas.

Luxuria facit hominem inurbanum. 456. 112
Deus homines vrbanos, & non agrestes ad suam mensam vocat. 453.93
Vrbanitatis officio satisfaciendum etiam cum vitæ periculo. 656 80
Superior vrbanè, ac ciuiliter agat cum subditis. 796. 26

Vtilitas.

Deus potiùs attendit ad nostram vtilitatem, quàm ad celsitudinem suæ maiestatis. 612.65

Vulnus.

Qui Christi vulneribus adhæret, ad omnia cœlestia bona transit. 601.40.& 41
Christi vulnera omne bonum ostendunt. ibid.

Z.

Zelus.

ZElus ob lucrum sæpe fingitur. 236.30
Crudelis hostis fictus zelus. 268.151
Zelus sine scientia, & cum odio ad turpissima crimina impellit. 589.62
Obiecto zelo boni communis sæpe turpissimum facinus aggreditur. 685 56.& seqq.
Sub prætextu zeli erga Regem malum illi infertur. ibid.58

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google